

Patrologiae cursus completus

nstrumentis
qui in equuleum agebantur excruciari aliquando
solebant.


HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LIX.

S. GELASIUS I PAPA, S. AVITUS, S. FAUSTINUS, JOANNES DIACONUS, JULIANUS POMERIUS, DUO ANONYMI, AURELIUS PRUDENTIUS.

PRIORUM TOMUS UNICUS. — PRUDENTII TOMUS PRIOR.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER, OU PETIT-MONTROUGE.

1847.


HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LIX.

S. GELASIUS I PAPA, S. AVITUS, S. FAUSTINUS, JOANNES DIACONUS, JULIANUS POMERIUS, DUO ANONYMI, AURELIUS PRUDENTIUS.

PRIORUM TOMUS UNICUS. — PRUDENTII TOMUS PRIOR.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1847.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

[illegible]

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

[illegible]

RECUSIO CHRONOLOGICA

[illegible]

SCRIPTA [illegible]

EDITIO ACCURATISSIMA, [illegible]

CHARTÆ QUALITAS, [illegible]

[illegible]

SERIES PRIMA,


IN QUA PRODEUNT [illegible]


[illegible]


S. GELASIUS I PAPA. [illegible]


PATROLOGIÆ TOMUS LIX.

[illegible]


Incipit proemium aurelii prudentii
Liber catemerinon incipit;
LIBER CATEMERINON INCIPIT
Per quinquennia iam decem
Ni fallor fuimus septem insuper
Annum cardo rotat dum fruimur sole volubili
Instat terminus et diem
Vicinum senio iam deus applicat;
INCIPIT YMNUS IN HONORE SCORUM XVIII MARTYRUM CAESAR AUGUSTANORUM
BIS NOVEM NOSTER POPULUS SUB UNO
Martyrum servat cineres sepulchro
Caesaraugustam vocitamus urbem Res cui tanta


A INCIPIT PASSIO SCI LAURENTII
Antiqua fanorum parens iam Roma
Christo dedita


AUR PRUDENTII
CLEMENTIS V. C.
FINIT CONTRA
SYMMACUM LIB. II.
INCIPIT EIUSDEM
ROMANUS CONTRA
GENTILES:
IAMBICUM
METRUM
Romane Christi fortis assertor dei!
Elinguis oris organum fautor move;
Largire comptum carmen infantissimo.



Lucerna fictilis veterum Christianorum ex museo F. B. Passeri.



Prototypon vetustum SS. septem dormientium.

SANCTORUM

GELASII I PAPÆ,

AVITI, FAUSTINI,

NECNON

JOANNIS DIACONI, JULIANI POMERII

ET

DUORUM ANONYMORUM

OPERA OMNIA,

AD PRÆSTANTISSIMAS MANSI, GALLANDII, EDMONDI MARTENE ATQUE BALUZII
EDITIONES ACCURATISSIME DIGESTA.

POST QUÆ

POETARUM QUINTI SÆCULI

SERIEM APERIUNT

AURELII PRUDENTII

CARMINA

EXPRESSA JUXTA EDITIONEM AREVALI, NON PAUCIS VITIIS EXPURGATAM, SED IN EO PRÆSERTIM GRAVITER
EMENDATAM QUOD PLURIMA **ADDENDA** QUÆ NON SINE MAXIMO LECTORIS INCOMMODO
TREDECIM AMPLIUS PAGINIS AD CALCEM OPERUM CONTINEBANTUR, SUO QUÆQUE
LOCO IN HAC NOVISSIMA RECENSIONE RESTITUTA SINT.

PRUDENTII TOMUS PRIOR, CÆTERORUM
TOMUS UNICUS.

PRIX : 7 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1847.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Paris. — Imprimerie de Vra et de Surcy, rue de Sèvres, 37.

GELASIUS PAPA I.

(Ex collect. Concil. Mansi.)

PROLEGOMENON.

(Ex lib. Pontificali.)

(a) Gelasius, natione Afer ex patre Valerio, (b) sedit annos 4 menses 8 dies 18. Fuit temporibus (c) Theodorici regis et (d) Zenonis Augusti. (e) Hujus temporibus inventi sunt Manichæi in urbe Roma, quos in exsilio deportari præcepit, quorum quoque codices ante fores basilicæ Sanctæ Mariæ incendio concremavit. (f) Hic sub gesta synodica, cum fletu, et sub satisfactione libelli, purgatum Misenum episcopum revocavit, quem et Ecclesiæ suæ restituit, qui peccaverat in causa Acacii et Petri. Hic fuit

(a) Secunda die Martii, anno Redemptoris nostri 492, post interregnum quinque dierum, Gelasius natione Africanus subrogatus est Felici tertio. Sub hujus enim anni consulibus plures epistolæ ab eo datæ reperiuntur infra. Unde corrigendus est Marcellinus, qui ejus ingressum post annum 493 ponit. Initio pontificatus Anastasio imperatori, orthodoxam fidem professo, communicavit litteras pacificas, quas Euphemio Constantinopolitano petenti denegarat, donec Acacii nomen e diptychis expunxisset. Hujus temporibus magnus ille monachorum patriarcha, decus Occidentalis Ecclesiæ, Benedictus patria Nursinus, ab urbe Roma, ubi litteris operam dederat, in solitudinem recedens, sublimioris vitæ monasticæ prima fundamenta jecit. SEV. BINIUS.

(b) Indices Vaticani idem attestantur. SEV. BINIUS.

(c) Hic post Odoacrum regem Herulorum ter quaterve devictum, ac tandem contra datam fidem, anno Christi 493 interemptum, annis triginta tribus Ostrogothis et Italis, regio titulo et ornatu asservatis, imperavit, missaque deinceps legatione, pacem ab Anastasio omnibusque regibus petivit et impetravit. Clodovæi filiam in uxorem duxit; filiarumque ex concubina alteram Alarico Vesigothorum, alteram Burgundionum regi elocavit. Cassiodorus in Chronico, item epistola prima. Hic quantumvis Arianus esset, catholicos tamen gratos habebat, et non tantum de episcopis catholicis, verum etiam de ipsa sede apostolica bene meritus fuit. Scribunt de eo Theodoretus, Nicephorus, Zonaras, et Cedrenus, et alii, quod cuidam catholico sui gratia ad Arianos transeunti, caput resecuerit dicens: *Si Deo fidem sinceram non servasti, quomodo mihi, qui homo sum, conscientiam sanam præstabis?* Epiphanium Ticinensem et Cæsarium Arelatensem veneratus est, et munificentissimis muneribus donavit. Qualis fuerit in Symmachum, sedemque apostolicam, infra patebit in notis concilii Romani quarti, sub Symmacho. SEV. BINIUS.

(d) Errat Anastasius auctor libri Pontificalis. Constat enim Marcellini, et Cassiodori in Chronico, Evagrii, Cedreni, aliorumque scriptorum auctoritate, Zenonem imperatorem sub consulatu Olybrii, anno Domini 491, qui fuit Felicis papæ nonus, morbo comitiali arreptum, adeo ut videretur mortuus, viventemque adhuc sepultum fuisse, atque simulatæ pietatis et religionis mercedem, suo merito, justa Dei vindicta retulisse.

Hormisda pontifex hujus nomen, jam plurimis annis defuncti, ex albo catholicorum imperatorum per Justinum imperatorem expungi curavit ac demandavit; non ut mortuum damnaret, sed ut declararet hæreticum sine pœnitentia defunctum alienum esse et indignum illo consortio communicationis catholicæ, qua certis quibusdam ritibus præscriptis, Ecclesia catholica cum mortuis communicare solet. Baronius anno Domini 491, num. 2 et sequentibus. SEV. BINIUS.

(e) Sicut tempore Leonis, ita etiamnum Manichæi latitabant in Urbe: qui ne detegerentur, simulantes fidem orthodoxam, una cum catholicis communicabant, a sumptione calicis autem superstitiose abstinebant; quia Cerinthum aliosque hæresiarchas secuti vinum creaturam diaboli esse docebant.

Verba Leonis sermone quarto de tempore quadragesimali hæc sunt: *Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem vero redemptionis nostræ haurire declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines ex his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio notati et proditi, a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Ut ergo certo aliquo et manifestissimo indicio, evidentique nota Manichæi, clanculo in Urbe latitantes, et fidem orthodoxam simulantes, a catholicis discernerentur, pro necessitate temporis ac loci, edito decreto constituit pontifex, ne aliter quam sub utraque specie panis et vini sacra eucharistia pro tempore distribueretur. Verba canonis distinct. 2 de consecrat. exstantis hæc sunt: *Comperimus autem quod quidam, sumpta tantummodo corporis sancti portione, a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Unde quam inepte inferant nostri temporis novatores hæretici, necessario sub utraque specie communicandum esse, nemo non videt, cum ex hoc loco potius contrarium colligatur; licuisse nimirum fidelibus hoc tempore sub altera tantum specie communionem eucharisticam sumere: ad discernendos vero et ab Urbe expellendos Manichæos illud ad aliquod duntaxat tempus prohibitum fuisse. Vide Baronium anno 496, num. 19 et sequentibus, item quæ diximus supra in notis concilii Romani sub Leone, item quæ dicemus infra in notis concilii Constantinopolitani. SEV. BINIUS.

(f) De his fusius in notis concilii Romani secundi sub Gelasio, infra. SEV. BINIUS.

amator (1) cleri et pauperum, et clerum ampliavit. Hic liberavit a periculo famis civitatem Romanam. Hic fecit constitutum de omni Ecclesia. (a) Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quod multa mala et homicidia fierent a Petro et Acacio Constantinopolitano. Eodem tempore fugiens Joannes Alexandrinus episcopus catholicus venit Romam ad sedem apostolicam. Quem B. Gelasius suscepit cum gloria, cui etiam et secundam sedem præbuit. Ipsis temporibus fecit synodum, et misit per tractum Orientis, et iterum (2) damnavit in perpetuum Acacium et Petrum, si non (3) pœnitentes, sub satisfactione libelli, postularent pœnitentiam, (4) secundum humanitatem primæ sedis Ecclesiæ. Hic dedicavit basilicam sanctæ Euphemiæ martyris in civitate Tiburtina, milliario 20 ab Urbe. Dedicavit autem basilicas alias sanctorum Nicandri et Eleutherii et An-

A dreæ, via Lavicana in fundum in villa pertusa. Fecit autem et basilicam sanctæ Mariæ via Laurentina in fundo Crispini, milliario ab Urbe 20. (b) Hic fecit quinque libros adversus Nestorium et Eutychem, (5) qui hodie in Bibliotheca et archivo ecclesiæ continentur. Fecit et hymnos in modum beati Ambrosii episcopi. Item duos libros adversus Arium. Fecit etiam et sacramentorum præfationes et orationes cauto sermone, et epistolas fidei elimato sermone (6). Multum sub hujus episcopatu clerus crevit. Hic fecit ordinationes duas (7) in urbe Roma per menses Februarium et Decembrem, presbyteros triginta duos, diaconos duos, episcopos per diversa loca numero sexaginta septem. Qui etiam sepultus est in basilica Beati Petri apostoli, undecimo calendas Decembris.

B Et post obitum ejus cessavit episcopatus dies septem.

(a) Quæ de Acacio et Petro, tanquam viventibus a Gelasio damnatis, auctor adjungit, procul a vero abhorrent: jam enim ante damnatos et vita functos esse diximus supra in notis ad vitam et epistolam sextam Felicis. Item in notis ad concilium Romanum sub Felice II. Posset dici, quod horum jam damnatorum et mortuorum occasione multa Constantinopoli gesta fuerint. Sev. Binius.

(b) Hoc grande et præclarum volumen fuisse testatur Gennadius de Script. ecclesiast. cap. 14, his verbis: *Gelasius urbis Romæ episcopus scripsit adversus Eutychetem et Nestorium grande et præclarum volumen, et tractatus diversarum scripturarum et sacramentorum limato sermone*, etc. Unde patet quod libellus iste de Duabus Naturis contra Eutychetem et Nestorium in Bibliotheca sanctorum Patrum exstans, sicque incipiens: *Necessarium quoque fuit*, etc., Gelasio Romano pontifici attribui non possit, siquidem parvum duntaxat opusculum sit, unius libri periodo terminatum. Hæc communis doctiorum virorum nostri sæculi sententia, confirmatur primum ex eo quod auctor allegati opusculi Eusebii Cæsariensis scripta plurimum commendat, quæ Gelasius pontifex in actis concilii Romani infra inter apocrypha recensuit. Secundo, quod plurima Græcorum Patrum, Latinorum pauca vel nulla testimonia producat, adeoque Græcus potius quam Latinus scriptor esse videatur. Cum enim adduxisset quindecim Patres Græcos, duos tantum Latinos, Ambrosium et Damasum profert, Cypriano, Hilario, Hieronymo, Augustino, Innocentio, Leone, Prospero, similibusque aliis omissis: quos sibi notissimos Gelasius pontifex nunquam omisisset. Gennadio ascribi nequit, quia tradit se illos sex libros non adversus Eutychetem, sed Nestorium scripsisse. Posset sustineri, quod ex recentioribus aiunt plurimi, hujus libelli auctorem esse Gelasium Cæsariensem episcopum, cujus meminit sanctus Hieronymus de Script. ecclesiast. cap. 130, unde quoque Theodoretus in dialogis plura citavit. Illustrissimus cardinalis Baronius post longam hujus rei indagationem, solertissime inter omnes alios concludit hujus libelli de Duabus Naturis contra Eutychetem,

C et actorum Nicæni concilii, quæ supra tom. II exstant, unum eumdemque esse auctorem, tum quod utrobique fateatur se utrumque opus conscripsisse, ut contra Eutychianos hæreticos, tempore Basilisci imperatoris circa annum Domini 476 invalescentes, fidem orthodoxam defenderet; tum etiam quod Eusebium Cæsariensem episcopum utrobique plurimum laudet, eumque titulis magno alicui orthodoxo convenientibus exornet, et a suspicione hæreseos Arianæ plane eximat; quod utriusque præfationem intuenti prima fronte apparebit. Ipsa vero acta Nicæni concilii tribus tomis comprehensa auctore Gelasio conscripta esse fatetur Photius in Bibliotheca, verbis illis quæ supra tomo secundo Conciliorum ejusdem historiæ præfixa sunt. Eumdem ergo Gelasium Cyzicenum hujus libelli auctorem esse, de quo diu multumque hactenus dubitatum fuit, cum cardinali Baronio libenter concludimus. Verum quicunque tandem auctor hujus libelli fuerit, in doctrina de transsubstantiatione panis et vini in sacramento eucharistiæ ab aliis catholicis scriptoribus non discrepat. Quod enim ait: *Non desinit substantia vel natura panis et vini*, intelligendum est de natura et essentia accidentium. Frequens enim est ut communi usu dicendi substantia pro natura et essentia accipiatur. Ita explicat hunc locum Bellarminus lib. II de Sacramento eucharistiæ, cap. 27; Baronius anno Christi 436, num. 10 et sequent. Ante victoriam ergo triumphant Lutherani hæretici, qui ex hoc loco doctrinam orthodoxam de transsubstantiatione panis et vini in sacramento eucharistiæ eversam esse jactitant. Reliqua quæ per calumniam objiciunt Gelasio pontifici, partim refutavimus supra verbis *Hujus temporibus inventi* (*Col.* 9, *not.* [e]), partim infra diluemus in tomo Gelasii de Anathematis Vinculo. De scriptis Gelasii vide Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Gelasius*. Exstat apologia Gelasii adversus Andromachum senatorem cæterosque Romanos qui Lupercalia secundum morem pristinum colenda constituebant. Quam, ex Baronii Annalibus acceptam, lectori infra exhibendam esse putavimus. Sev. Binius.

D

(1) Cod. Luc. 490, *amator pauperum, et clerum*, etc.
(2) Idem, *et iterum misit, et damnavit.*
(3) Idem, *pœnitens.*
(4) In eodem cod. *secundum humanitatem primæ sedis Ecclesiæ* deest.
(5) In eodem cod. *qui hodie... continentur* deest.
(6) Idem cod., *sermone multas. Sub ejus*, etc.
(7) In eodem cod. *in urbe Roma* deest.

GELASII PAPÆ I

EPISTOLÆ ET DECRETA.

[a] EPISTOLA PRIMA.

GELASII PAPÆ I AD EUPHEMIANUM.

Scribit neminem ad sedis apostolicæ communionem se posse admittere qui Acacii nomen non damnaverit. Quare eum hortatur ut quemadmodum Eutychetem reliquosque hæreticos, sic quoque Acacium anathematizet.

Dilectissimo [b] fratri [1] Euphemiano Gelasius.

Quod plene cupimus, atque sinceræ fidei communionisque catholicæ redintegratione firmari, asserit tua dilectio, quod alteri solus non sufficiat auditus, nisi per litteras spectaverit significantiam provocantem [c] de his quæ circa nos dispensatio divina perficit, ut sic in secundis vicem salutationis impenderem. Non arbitramur vel dilectionem tuam, vel aliquem sic hoc sperare potuisse, ut putaret nos, vel aliquempiam potiorem, quæ sunt gesta referentes, debuisse responsa promereri; quia nimis judicaretur arrogans, si de prima sede taliter existimasset. Quod si, ut magis opinamur, quasi sociis, quibus præesse Christi munere delegatum est, apostolicam sedem institutum sibi noviter sacerdotem præeuntibus oportuisse dixisti litteris indicare. Fuit quondam ecclesiastica vetus hæc regula apud patres nostros, quibus una catholica apostolicaque communio ab omni prævaricatorum libera pollutione constabat. Nunc autem cum societatem præferre malitis extraneam, quam ad beati Petri purum redire illibatumque consortium: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* CXXXVI)? Quomodo dispositionis apostolicæ antiqua fœdera præbeamus hominibus communionis extraneæ? Quemadmodum vobis ordinationem renuntiatura est, cui vestro etiam testimonio [d] hæreticos damnatos præponitis? Dicet forsitan tua dilectio,

A hæreticos damnatos dici Acacium et Petrum. Cur [*al.* Quod] si fas non est, præsentibus saltem litteris colloquamur? Quia aliter appellamus dominicæ mensæ participes, aliter qui in ejus nobiscum societate dissentiunt: quia ipse Dominus alio modo verba faciebat, a sua prædicatione discretis; alio discipulis regni cœlestis secreta pandebat. Consequenter quoque apostoli non ita a suo collegio separatis, quemadmodum fidei domesticis, consortibusque loquebantur. Sed ait dilectio tua, tantum circa me sese caritatis habuisse, ut non solum ad scribendum fueris contentus, sed affatus audire. Legisti sententiam: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom.* X); illud scilicet verbum, quod confessioni beati apostoli Petri portas inferni nunquam præva-
B lituras esse promisit (*Matth.* XVI). Atque ideo rationabiliter existimasti, quia fidelis Deus in verbis suis, non nisi aliquid tale promisisset instituere, veram sponsionis suæ promissionem impleret. Ait denique tua dilectio, nos divinæ providentiæ gratia, quod ille monstraverit, sanctarum ecclesiarum non deserere caritatem, quia me in pontificali sede locaverit non indigentem, sicut ait, doceri; sed intendentem omnia necessaria ad ecclesiastici corporis unitatem. Ego quidem sum omnium hominum minimus, satis immeritus ad tantæ sedis officium, nisi quod superna gratia semper operatur magna de parvis. Quid enim de me sentiam cum hoc ipse de se magister gentium testetur, qui se ultimum et non dignum vocari apostolum profitetur (*I Cor.* XV)? Verumtamen, ut ad
C dilectionis tuæ verba redeamus, si veraciter assecutus es hæc divinitus mihi fuisse collata, quæ et profecto quæcunque sunt bona, dona sunt Dei: sequere ergo hortamenta non indigentis doceri, et se-

[a] Hæc est secunda epistola Gelasii, responsoria illius qua Euphemius Constantinopolitanus episcopus communionem catholicam sibi negatam extorquere frustra conatus est. Euphemius orthodoxam quidem fidem profitebatur; sed quia nomen Acacii prædecessoris sui ab Ecclesia Romana damnati e diptychis, prout Felix papa monuerat, necdum expunxerat, catholicæ Ecclesiæ communione indignus erat. Ut Gelasium in locum Felicis subrogatum accepit Euphemius, more majorum scripsit quidem epistolam fidei suæ confessoriam, ut communicatorias litteras impetraret; sed Gelasius reddidit tantum illi, quæ non exstat, epistolam communicatoriam, qua eum admonuit se frustra de obtinenda Ecclesiæ catholicæ communione agere antequam nomen Acacii e sacris tabulis abstulerit penitusque eraserit. Qua occasione, cum Euphemius alia legatione, alias ad pontificem dedisset litteras ejusdem argumenti cum prioribus, pontifex priori sententiæ et epistolæ inhærens, hanc secundam ad eumdem Euphemium epistolam rescripsit anno pontificatus sui primo: poterat enim uno eodemque spatio bimestri Euphemius unas [F. suas] litteras Constantinopoli Romam misisse, et responsorias suarum inde vicissim recepisse. SEV. BINIUS.

[b] Non exhorruisse orthodoxos interdum vocare fratres Christianos etiam a communione extorres, hoc aliisque pluribus exemplis demonstrari potest: compagine enim humanæ naturæ et nominis Christiani, licet non fidei orthodoxæ, neque catholicæ conjunctione, ejusmodi nomenclatura aliquando a
D Patribus usitata reperitur. Baronius an. 492, num. 10. SEV. BINIUS.

[c] Id est, reddens certiorem eum, qui ante litteris provocaverat. SEV. BINIUS.

[d] Scholion ms. in cod. Bellov., *Hæreticos damnatos dicit Acacium et Petrum.* HARDUIN.

[1] Alias *Euphemio episcopo Constantinopolitano*, de quo Marcellinus comes in chronico, Liberatus cap. 18. Evagr. l. 3, cap. 23. Nicephor. lib. 16, cap. 19.


HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.


PATROLOGIÆ TOMUS LIX.


S. GELASIUS I PAPA, S. AVITUS, S. FAUSTINUS, JOANNES DIACONUS, JULIANUS POMERIUS, DUO ANONYMI, AURELIUS PRUDENTIUS.

PRIORUM TOMUS UNICUS. — PRUDENTII TOMUS PRIOR.


PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.


1847.


Incipit proemium aurelii Prudentii
Liber catemerinon incipit;
Liber catemerinon incipit
Per quinquennia iam decem
Ni fallor fuimus: septimum insuper
Annum cardo rotat dum fruimur sole volubili
Instat terminus et diem
Vicinum senio iam deus applicat;


Incipit ymnus in honore sanctorum XVIII martyrum Caesaraugustanorum
Bis novem noster populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulchro
Caesaraugustam vocitamus urbem


Incipit passio sancti Laurentii
Antiqua fanorum parens iam Roma Christo dedita


AUR PRUDENTII CLEMENTIS V. C. FINIT CONTRA SYMMACUM LIB. II.
INCIPIT EIUSDEM ROMANUS CONTRA GENTILES:
IAMBICUM METRUM
Romane Christi fortis adsertor Dei
Elinguis oris organum fautor move
Largire comptum carmen infantissimo.



Lucerna fictilis veterum Christianorum ex museo F. B. Passeri.



Prototypon vetustum SS. septem dormientium.

SANCTORUM

GELASII I PAPÆ, AVITI, FAUSTINI,

NECNON

JOANNIS DIACONI, JULIANI POMERII

ET

DUORUM ANONYMORUM

OPERA OMNIA,

AD PRÆSTANTISSIMAS MANSI, GALLANDII, EDMONDI MARTENE ATQUE BALUZII EDITIONES ACCURATISSIME DIGESTA.

POST QUÆ

POETARUM QUINTI SÆCULI

SERIEM APERIUNT

AURELII PRUDENTII

CARMINA

EXPRESSA JUXTA EDITIONEM AREVALI, NON PAUCIS VITIIS EXPURGATAM, SED IN EO PRÆSERTIM GRAVITER EMENDATAM QUOD PLURIMA **ADDENDA** QUÆ NON SINE MAXIMO LECTORIS INCOMMODO TREDECIM AMPLIUS PAGINIS AD CALCEM OPERUM CONTINEBANTUR, SUO QUÆQUE LOCO IN HAC NOVISSIMA RECENSIONE RESTITUTA SINT.

PRUDENTII TOMUS PRIOR, CÆTERORUM TOMUS UNICUS.

PRIX : 7 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1847.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Paris. — Imprimerie de Vra et de Surcy, rue de Sè.res, 37.

ANNO DOMINI CCCCXCII.

GELASIUS PAPA I.

(Ex collect. Concil. Mansi.)

PROLEGOMENON.

(Ex lib. Pontificali.)

(a) Gelasius, natione Afer ex patre Valerio, (b) sedit annos 4 menses 8 dies 18. Fuit temporibus (c) Theodorici regis et (d) Zenonis Augusti. (e) Hujus temporibus inventi sunt Manichæi in urbe Roma, quos in exsilio deportari præcepit, quorum quoque A codices ante fores basilicæ Sanctæ Mariæ incendio concremavit. (f) Hic sub gesta synodica, cum fletu, et sub satisfactione libelli, purgatum Misenum episcopum revocavit, quem et Ecclesiæ suæ restituit, qui peccaverat in causa Acacii et Petri. Hic fuit

(a) Secunda die Martii, anno Redemptoris nostri 492, post interregnum quinque dierum, Gelasius natione Africanus subrogatus est Felici tertio. Sub hujus enim anni consulibus plures epistolæ ab eo datæ reperiuntur infra. Unde corrigendus est Marcellinus, qui ejus ingressum post annum 493 ponit. Initio pontificatus Anastasio imperatori, orthodoxam fidem professo, communicavit litteras pacificas, quas Euphemio Constantinopolitano petenti denegarat, donec Acacii nomen e diptychis expunxisset. Hujus temporibus magnus ille monachorum patriarcha, decus Occidentalis Ecclesiæ, Benedictus patria Nursinus, ab urbe Roma, ubi litteris operam dederat, in solitudinem recedens, sublimioris vitæ monasticæ prima B fundamenta jecit. SEV. BINIUS.

(b) Indices Vaticani idem attestantur. SEV. BINIUS.

(c) Hic post Odoacrum regem Herulorum ter quaterve devictum, ac tandem contra datam fidem, anno Christi 493 interemptum, annis triginta tribus Ostrogothis et Italis, regio titulo et ornatu asservatis, imperavit, missaque deinceps legatione, pacem ab Anastasio omnibusque regibus petivit et impetravit. Clodovæi filiam in uxorem duxit; filiarumque ex concubina alteram Alarico Vesigothorum, alteram Burgundionum regi elocavit. Cassiodorus in Chronico, item epistola prima. Hic quantumvis Arianus esset, catholicos tamen gratos habebat, et non tantum de episcopis catholicis, verum etiam de ipsa sede apostolica bene meritus fuit. Scribunt de eo Theodoretus, Nicephorus, Zonaras, et Cedrenus, et alii, quod cuidam catholico sui gratia ad Arianos transeunti, caput resecuerit dicens: *Si Deo fidem C sinceram non servasti, quomodo mihi, qui homo sum, conscientiam sanam præstabis?* Epiphanium Ticinensem et Cæsarium Arelatensem veneratus est, et munificentissimis muneribus donavit. Qualis fuerit in Symmachum, sedemque apostolicam, infra patebit in notis concilii Romani quarti, sub Symmacho. SEV. BINIUS.

(d) Errat Anastasius auctor libri Pontificalis. Constat enim Marcellini, et Cassiodori in Chronico, Evagrii, Cedreni, aliorumque scriptorum auctoritate, Zenonem imperatorem sub consulatu Olybrii, anno Domini 491, qui fuit Felicis papæ nonus, morbo comitiali arreptum, adeo ut videretur mortuus, viventemque adhuc sepultum fuisse, atque simulatæ pietatis et religionis mercedem, suo merito, justa Dei vindicta retulisse.

Hormisda pontifex hujus nomen, jam plurimis annis defuncti, ex albo catholicorum imperatorum per Justinum imperatorem expungi curavit ac demandavit; non ut mortuum damnaret, sed ut declararet hæreticum sine pœnitentia defunctum alienum esse et indignum illo consortio communicationis catholicæ, qua certis quibusdam ritibus præscriptis, Ecclesia catholica cum mortuis communicare solet. Baronius anno Domini 491, num. 2 et sequentibus. SEV. BINIUS.

(e) Sicut tempore Leonis, ita etiamnum Manichæi latitabant in Urbe: qui ne detegerentur, simulantes fidem orthodoxam, una cum catholicis communicabant, a sumptione calicis autem superstitiose abstinebant; quia Cerinthum aliosque hæresiarchas secuti vinum creaturam diaboli esse docebant.

Verba Leonis sermone quarto de tempore quadragesimali hæc sunt: *Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem vero redemptionis nostræ haurire declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines ex his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio notati et proditi, a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Ut ergo certo aliquo et manifestissimo indicio, evidentique nota Manichæi, clanculo in Urbe latitantes, et fidem orthodoxam simulantes, a catholicis discernerentur, pro necessitate temporis ac loci, edito decreto constituit pontifex, ne aliter quam sub utraque specie panis et vini sacra eucharistia pro tempore distribueretur. Verba canonis distinct. 2 de consecrat. exstantis hæc sunt: *Comperimus autem quod quidam, sumpta tantummodo corporis sancti portione, a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Unde quam inepte inferant nostri temporis novatores hæretici, necessario sub utraque specie communicandum esse, nemo non videt, cum ex hoc loco potius contrarium colligatur; licuisse nimirum fidelibus hoc tempore sub altera tantum specie communionem eucharisticam sumere: ad discernendos vero et ab Urbe expellendos Manichæos illud ad aliquod duntaxat tempus prohibitum fuisse. Vide Baronium anno 496, num. 19 et sequentibus, item quæ diximus supra in notis concilii Romani sub Leone, item quæ dicemus infra in notis concilii Constantinopolitani. SEV. BINIUS.

(f) De his fusius in notis concilii Romani secundi sub Gelasio, infra. SEV. BINIUS.

amator (1) cleri et pauperum, et clerum ampliavit. Hic liberavit a periculo famis civitatem Romanam. Hic fecit constitutum de omni Ecclesia. (a) Hujus temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quod multa mala et homicidia fierent a Petro et Acacio Constantinopolitano. Eodem tempore fugiens Joannes Alexandrinus episcopus catholicus venit Romam ad sedem apostolicam. Quem B. Gelasius suscepit cum gloria, cui etiam et secundam sedem præbuit. Ipsis temporibus fecit synodum, et misit per tractum Orientis, et iterum (2) damnavit in perpetuum Acacium et Petrum, si non (3) pœnitentes, sub satisfactione libelli, postularent pœnitentiam, (4) secundum humanitatem primæ sedis Ecclesiæ. Hic dedicavit basilicam sanctæ Euphemiæ martyris in civitate Tiburtina, milliario 20 ab Urbe. Dedicavit autem basilicas alias sanctorum Nicandri et Eleutherii et Andreæ, via Lavicana in fundum in villa pertusa. Fecit autem et basilicam sanctæ Mariæ via Laurentina in fundo Crispini, milliario ab Urbe 20. (b) Hic fecit quinque libros adversus Nestorium et Eutychem, (5) qui hodie in bibliotheca et archivo ecclesiæ continentur. Fecit et hymnos in modum beati Ambrosii episcopi. Item duos libros adversus Arium. Fecit etiam et sacramentorum præfationes et orationes cauto sermone, et epistolas fidei elimato sermone (6). Multum sub hujus episcopatu clerus crevit. Hic fecit ordinationes duas (7) in urbe Roma per menses Februarium et Decembrem, presbyteros triginta duos, diaconos duos, episcopos per diversa loca numero sexaginta septem. Qui etiam sepultus est in basilica Beati Petri apostoli, undecimo calendas Decembris. Et post obitum ejus cessavit episcopatus dies septem.

(a) Quæ de Acacio et Petro, tanquam viventibus a Gelasio damnatis, auctor adjungit, procul a vero abhorrent: jam enim ante damnatos et vita functos esse diximus supra in notis ad vitam et epistolam sextam Felicis. Item in notis ad concilium Romanum sub Felice II. Posset dici, quod horum jam damnatorum et mortuorum occasione multa Constantinopoli gesta fuerint. SEV. BINIUS.

(b) Hoc grande et præclarum volumen fuisse testatur Gennadius de Script. ecclesiast. cap. 14, his verbis: *Gelasius urbis Romæ episcopus scripsit adversus Eutychetem et Nestorium grande et præclarum volumen, et tractatus diversarum scripturarum et sacramentorum limato sermone*, etc. Unde patet quod libellus iste de Duabus Naturis contra Eutychetem et Nestorium in Bibliotheca sanctorum Patrum exstans, sicque incipiens: *Necessarium quoque fuit*, etc., Gelasio Romano pontifici attribui non possit, siquidem parvum duntaxat opusculum sit, unius libri periodo terminatum. Hæc communis doctiorum virorum nostri sæculi sententia, confirmatur primum ex eo quod auctor allegati opusculi Eusebii Cæsariensis scripta plurimum commendat, quæ Gelasius pontifex in actis concilii Romani infra inter apocrypha recensuit. Secundo, quod plurima Græcorum Patrum, Latinorum pauca vel nulla testimonia producat, adeoque Græcus potius quam Latinus scriptor esse videatur. Cum enim adduxisset quindecim Patres Græcos, duos tantum Latinos, Ambrosium et Damasum profert, Cypriano, Hilario, Hieronymo, Augustino, Innocentio, Leone, Prospero, similibusque aliis omissis: quos sibi notissimos Gelasius pontifex nunquam omisisset. Gennadio ascribi nequit, quia tradit se illos sex libros non adversus Eutychetem, sed Nestorium scripsisse. Posset sustineri, quod ex recentioribus aiunt plurimi, hujus libelli auctorem esse Gelasium Cæsariensem episcopum, cujus meminit sanctus Hieronymus de Script. ecclesiast. cap. 130, unde quoque Theodoretus in dialogis plura citavit. Illustrissimus cardinalis Baronius post longam hujus rei indagationem, solertissime inter omnes alios concludit hujus libelli de Duabus Naturis contra Eutychetem, et actorum Nicæni concilii, quæ supra tom. II exstant, unum eumdemque esse auctorem, tum quod utrobique fateatur se utrumque opus conscripsisse, ut contra Eutychianos hæreticos, tempore Basilisci imperatoris circa annum Domini 476 invalescentes, fidem orthodoxam defenderet; tum etiam quod Eusebium Cæsariensem episcopum utrobique plurimum laudet, eumque titulis magno alicui orthodoxo convenientibus exornet, et a suspicione hæreseos Arianæ plane eximat; quod utriusque præfationem intuenti prima fronte apparebit. Ipsa vero acta Nicæni concilii tribus tomis comprehensa auctore Gelasio conscripta esse fatetur Photius in Bibliotheca, verbis illis quæ supra tomo secundo Conciliorum ejusdem historiæ præfixa sunt. Eumdem ergo Gelasium Cyzicenum hujus libelli auctorem esse, de quo diu multumque hactenus dubitatum fuit, cum cardinali Baronio libenter concludimus. Verum quicunque tandem auctor hujus libelli fuerit, in doctrina de transsubstantiatione panis et vini in sacramento eucharistiæ ab aliis catholicis scriptoribus non discrepat. Quod enim ait: *Non desinit substantia vel natura panis et vini*, intelligendum est de natura et essentia accidentium. Frequens enim est ut communi usu dicendi substantia pro natura et essentia accipiatur. Ita explicat hunc locum Bellarminus lib. II de Sacramento eucharistiæ, cap. 27; Baronius anno Christi 436, num. 10 et sequent. Ante victoriam ergo triumphant Lutherani hæretici, qui ex hoc loco doctrinam orthodoxam de transsubstantiatione panis et vini in sacramento eucharistiæ eversam esse jactitant. Reliqua quæ per calumniam objiciunt Gelasio pontifici, partim refutavimus supra verbis *Hujus temporibus inventi* (*Col.* 9, *not.* [illegible]), partim infra diluemus in tomo Gelasii de Anathematis Vinculo. De scriptis Gelasii vide Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Gelasius*. Exstat apologia Gelasii adversus Andromachum senatorem cæterosque Romanos qui Lupercalia secundum morem pristinum colenda constituebant. Quam, ex Baronii Annalibus acceptam, lectori infra exhibendam esse putavimus. SEV. BINIUS.

(1) Cod. Luc. 490, *amator pauperum, et clerum*, etc.

(2) Idem, *et iterum misit, et damnavit*.

(3) Idem, *pœnitens*.

(4) In eodem cod. *secundum humanitatem primæ sedis Ecclesiæ* deest.

(5) In eodem cod. *qui hodie... continentur* deest.

(6) Idem cod., *sermone multas. Sub ejus*, etc.

(7) In eodem cod. *in urbe Roma* deest.

GELASII PAPÆ I

EPISTOLÆ ET DECRETA.

[a] EPISTOLA PRIMA.

GELASII PAPÆ I AD EUPHEMIANUM.

Scribit neminem ad sedis apostolicæ communionem se posse admittere qui Acacii nomen non damnaverit. Quare eum hortatur ut quemadmodum Eutychetem reliquosque hæreticos, sic quoque Acacium anathematizet.

Dilectissimo [b] fratri [1] Euphemiano Gelasius.

Quod plene cupimus, atque sincera fidei communionisque catholicæ redintegratione firmari, asserit tua dilectio, quod alteri solus non sufficiat auditus, nisi per litteras spectaverit significantiam provocantem [c] de his quæ circa nos dispensatio divina perficit, ut sic in secundis vicem salutationis impenderem. Non arbitramur vel dilectionem tuam, vel aliquem sic hoc sperare potuisse, ut putaret nos, vel aliquempiam potiorem, quæ sunt gesta referentes, debuisse responsa
B promereri; quia nimis judicaretur arrogans, si de prima sede taliter existimasset. Quod si, ut magis opinamur, quasi sociis, quibus præesse Christi munere delegatum est, apostolicam sedem institutum sibi noviter sacerdotem præeuntibus oportuisse dixisti litteris indicare. Fuit quondam ecclesiastica vetus hæc regula apud patres nostros, quibus una catholica apostolicaque communio ab omni prævaricatorum libera pollutione constabat. Nunc autem cum societatem præferre malitis extraneam, quam ad beati Petri purum redire illibatumque consortium: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* CXXXVI)? Quomodo dispositionis apostolicæ antiqua fœdera præbeamus hominibus communionis
C extraneæ? Quemadmodum vobis ordinationem renuntiatura est, cui vestro etiam testimonio [d] hæreticos damnatos præponitis? Dicet forsitan tua dilectio,

A hæreticos damnatos dici Acacium et Petrum. Cur *al.* Quod] si fas non est, præsentibus saltem litteris colloquamur? Quia aliter appellamus dominicæ mensæ participes, aliter qui in ejus nobiscum societate dissentiunt: quia ipse Dominus alio modo verba faciebat, a sua prædicatione discretis; alio discipulis regni cœlestis secreta pandebat. Consequenter quoque apostoli non ita a suo collegio separatis, quemadmodum fidei domesticis, consortibusque loquebantur. Sed ait dilectio tua, tantum circa me sese caritatis habuisse, ut non solum ad scribendum fueris contentus, sed affatus audire. Legisti sententiam: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom.* X); illud scilicet verbum, quod confessioni beati apostoli Petri portas inferni nunquam prævalituras esse promisit (*Matth.* XVI). Atque ideo rationabiliter existimasti, quia fidelis Deus in verbis suis, non nisi aliquid tale promisisset instituere, veram sponsionis suæ promissionem impleret. Ait denique tua dilectio, nos divinæ providentiæ gratia, quod ille monstraverit, sanctarum ecclesiarum non deserere caritatem, quia me in pontificali sede locaverit non indigentem, sicut ait, doceri; sed intendentem omnia necessaria ad ecclesiastici corporis unitatem. Ego quidem sum omnium hominum minimus, satis immeritus ad tantæ sedis officium, nisi quod superna gratia semper operatur magna de parvis. Quid enim de me sentiam cum hoc ipse de se magister gentium testetur, qui se ultimum et non dignum vocari apostolum profitetur (*I Cor.* XV)? Verumtamen, ut ad dilectionis tuæ verba redeamus, si veraciter assecutus es hæc divinitus mihi fuisse collata, quæ et profecto quæcunque sunt bona, dona sunt Dei: sequere ergo hortamenta non indigentis doceri, et se-

[a] Hæc est secunda epistola Gelasii, responsoria illius qua Euphemius Constantinopolitanus episcopus communionem catholicam sibi negatam extorquere frustra conatus est. Euphemius orthodoxam quidem fidem profitebatur; sed quia nomen Acacii prædecessoris sui ab Ecclesia Romana damnati e diptychis, prout Felix papa monuerat, necdum expunxerat, catholicæ Ecclesiæ communione indignus erat. Ut Gelasium in locum Felicis subrogatum accepit Euphemius, more majorum scripsit quidem epistolam fidei suæ confessoriam, ut communicatorias litteras impetraret; sed Gelasius reddidit tantum illi, quæ non exstat, epistolam communicatoriam, qua eum admonuit se frustra de obtinenda Ecclesiæ catholicæ communione agere antequam nomen Acacii e sacris tabulis abstulerit penitusque eraserit. Qua occasione, cum Euphemius alia legatione, alias ad pontificem dedisset litteras ejusdem argumenti cum prioribus, pontifex priori sententiæ et epistolæ inhærens, hanc secundam ad eumdem Euphemium epistolam rescripsit anno pontificatus sui primo: poterat enim uno eodemque spatio bimestri Euphemius unas [F. suas] litteras Constantinopoli Romam misisse, et responsorias suarum inde vicissim recepisse. SEV. BINIUS.

[b] Non exhorruisse orthodoxos interdum vocare fratres Christianos etiam a communione extorres, hoc aliisque pluribus exemplis demonstrari potest: e compagine enim humanæ naturæ et nominis Christiani, licet non fidei orthodoxæ, neque catholicæ conjunctione, ejusmodi nomenclatura aliquando a
D Patribus usitata reperitur. Baronius an. 492, num. 10. SEV. BINIUS.

[c] Id est, reddens certiorem eum, qui ante litteris provocaverat. SEV. BINIUS.

[1] Alias *Euphemio episcopo Constantinopolitano*, de quo Marcellinus comes in chronico, Liberatus cap. 18. Evagr. l. 3, cap. 23. Nicephor. lib. 16, cap. 19.

[d] Scholion ms. in cod. Bellov., *Hæreticos damnatos dicit Acacium et Petrum.* HARDUIN.

cundum supernam dispositionem universa cunctaque inspicientis quæ ad Ecclesiarum pertinent unitatem, et adversus diabolum conturbatorem veræ pacis atque compagis, ut asseris fortiter resistentis. Si ergo de me ista pronuntias, aut sectanda tibi sunt quæ a Christo, ut perhibes, constituta sunt; aut palam te, quod absit, Christi dispositionibus obviare depromis, aut ad veniam [*al.* venam] luxuriæ de me cognosceris ista jactare. Sed consequenter adnectis, condescendibilem me et optima dispositione revocare posse concordiam. Proinde, quoniam isto verbo frequenter utimini, quid sibi velit, explorem. Optima enim illa est Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ dispositio, ad meliora proficiendo condescendere, non ad inferiora descendendo deficere. Cum autem dicis condescendere nos debere vobiscum, interim jam vos aut descendere, aut descendisse monstratis. Unde, quæso, vel quo ista descensio est? Utique ex superiori quodam loco ad inferiora quæque deposito, a catholica [*al.* depositio. A catholica] apostolicaque communione ad hæreticam damnatamque prolapsos vos videtis, cognoscitis, non negatis: et non solum vos in infimis jacere delectat, sed etiam in superiore manentes sede vultis impelli. Condescendere nos vobiscum invitatis ad ima de summis, nos coascendere vos nobiscum rogamus ad summa de imis. Nunc igitur sub conspectu illius excelsæ justitiæ judicet genus humanum, quis nostrum debeat alteri obedire. [1] An dicis, ut cætera nunc omittam, descendit Dominus ipse de cœlo. Descendit plane, sed ut hominem ab errore liberaret, non ut ejus misceretur errori. Nonne ipse præmonuit ut qui in tecto consisterent, non descenderent, nec de ea quæ in domo videntur esse tollenda (*Matth.* XXIV)? Nonne pro omnibus Apostolus (*I Cor.* I, 5) clamat unus, qui plus omnibus laboravit, cum de custodia veritatis ageretur, quibus nec ad horam cessimus subjectionis gratia, ut veritas Evangelii permaneret apud vos? Videtis cœlestem magistrum condescendere noxiis recusantem? Postremo faciamus aliquem corruisse, ad quem benignissime sublevandum paululum quispiam velit inflecti. Ergo, ut erigatur jacens, miserantem convenit inclinari, non ut cum eodem præcipitetur in foveam. Igitur per litteras quas per Sinclitium diaconem destinastis, de his quos baptizavit, quos ordinavit Acacius, majorum traditione confectam et veram, præcipue religiosæ sollicitudini congruam præbemus sine difficultate medicinam. Quo nos vultis ultra descendere? Quid tacetis? Quid verecundamini verbis exprimere quod corde gestatis? Ipsa vos saltem verecundia, quod nonnunquam fit, debuit commonere. An forsitan, ut hæreticorum damnatorumque et his vel eorum successoribus communicantium nomina consentiamus admitti? Hoc non est condescendere ad subveniendum, sed evidenter in inferna demergi. Parcite, quæso, et nobis et vobis. Quod si curam vestri adeo non habetis, date veniam nobis. Dolere et flere possumus et debemus: in hæc abrupta deduci nec possumus, nec debemus, qui, præstante Deo nostro, sinceram puramque paternæ traditionis fidem communionemque retinere, et ab omni prævaricatorum contagione discretam, etiam intentato periculo mortis, optamus, eligentes (si velit Deus) quælibet illa perpeti, quam causas incidere damnationis æternæ. Date, inquam, veniam, si tamen cum vos propter amorem cujuslibet hominis vel timorem hæc libenter incurritis, nos propter amorem Dei et timorem gehennæ talia refutamus. Nec vos credatis, dissimulando causas atque personas, cujuslibet amicitiis posse subrepere? quia neque vos ita subtiles estis, qui non possitis intelligi: et nos, præstante Deo nostro, non reperitis incautos. Nonne missis huc sæpe litteris indicastis, cum cæteris hæreticis vos Eutychen quoque respuere? Hoc si verum est, aut eos qui communicaverunt Eutychetis successoribus pariter abdicate, aut aliorum quoque hæreticorum successoribus communicantes, admittite. Sed Acacius, inquis, nihil contra fidem, sicut Eutyches, et successor ejus, legitur ubicunque dixisse; quasi non sit deterius, et non ignorasse veritatem et tamen communicasse veritatis inimicis. Si enim, cum aliquis recte sapiens de fide catholica communicet illis hæreticis, inter quos Eutychetem posuistis, vel successoribus eorum, non est fas eos inter catholicorum altaria nominare: ita ergone illius Eutychetis successoribus communicando, simili sorte tenetur obnoxius? De talibus quippe convenienter dicitur: *Descendant in infernum viventes* (*Psal.* LIV), qui dum illa vita *qua justus vivit* (*Rom.* I), vera atque catholica putantur vivere, repente aut in prona pravitatis, aut in hæreticæ communionis inferna vergunt. Ecce quales Christo dicitis esse præponendos, cum ille hæc animas nostras sibimet præcipiat anteponi. Imo et adhuc quæritis quando fuerit damnatus Acacius, quasi revera, etiamsi eum nullus ante damnasset, non debuerit orthodoxæ et apostolicæ communionis, cujus prævaricator exstitit et desertor, participatione secludi; sicut etiam quilibet qui fuerit ante catholicus, cuicunque hæresi communicans, merito judicatur a nostra societate removendus; aut in tali sorte defunctus, inter catholicorum nomina nullatenus computari. Miramur tamen quomodo ista profertis, hoc est et synodum Chalcedonensem vos suscipere pro fide catholica profiteamini; et eos quos damnavit, sectantium communicatores, non particulariter generaliterque putetis fuisse damnatos. Ostendite ergo quæ synodus in unaquaque hæresi cum erroribus successores eorum his communicantes simulque omnes non damnet et complices. Itaque ille vester Acacius, qui Eutychianis hæreticis detestabili communione factus est particeps, ab eadem synodo sine dubitatione damnatus est, quæ et Eutychen Dioscorumque cum successoribus eorum hisque communicantes synodico tenore prostravit.

[1] Forte rectius, *At dicis.* HARDUIN.

Sic sequaces quoque eorum, Timotheum Petrumque simili definitione dejecit. Proinde si ea quæ in synodo Chalcedonensi pro fide et communione catholica lege apostolica definita sunt, vere certeque sectamini, sicut vestra professione multiplici continetur; aut successores ab illa synodo damnatorum hisque communicantes abjicite; aut, si istos admittitis, ea quæ in illa synodo pro fide et communione catholica et apostolica sunt peracta, non solum falso vos retinere perpenditis, sed insuper labefactare conamini, et in Eutychianam hæresim sine retractatione reciditis, meritoque a catholicis probamini esse vitandi: quia ut talem pestilentiam perpetuo possemus evadere, ea quæ contra ipsam ab ea congregatione sanctorum Patrum salubriter decreta leguntur, nullatenus mutilanda, non solum sedis apostolicæ præsules, sed etiam Orientalium regionum catholici censuere pontifices. An Petrum dicitis fuisse purgatum, cui communicavit Acacius? Veris assertionibus edocete, hoc ostendite, hoc probate, quibus ille modis, quibus ille regulis ab Eutychiana fuerit professione vel communione mundatus: ut cum id nihilominus evidenti rerum claruerit demonstratione convictum, palam aperteque possitis advertere, aut vos debere cedere veritati, aut adversus hanc manifesta dimicatione confligere. Nec vobis blandiamini, quia fidem catholicam profitemini vos tenere, quia Eutychetis nomen ademistis, quia ea veluti prædicare videamini, quæ orthodoxa prædicavit antiquitas. Clamat enim nobis illa evangelica sententia: *Aut facite arborem bonam, et fructus ejus bonos; aut facite arborem malam et fructus ejus malos: a fructibus enim arbor cognoscitur* (*Matth.* XII): id est, si voce, si fide, si professione catholica et apostolica fideliter veraciterque gloriamini, hujus et communionem recipite. Si vero hæreticorum, scilicet damnatorum, vel his aut successoribus eorum communicantium, communio vobis placet, quid statis? quid circumspicitis? simul et eorum aperte manifesteque, remotis obstaculis, dogma defendite. Quid enim juvat? imo et satis gravat, dictis polliceri quod factis negatur, ut non solum ipsa per se hæresis Eutychiana, quam sit funesta Christiano sacramento, possitis agnoscere, sed quanta et quam gravia hæresis ista in sui definitione contineat. Ecce ad quæ nos præcipitia condescendere provocatis, atque ad quæ nos vitæ æternæ pericula capitis inclinare. Hoc descensu salvare est ægrotantem, an cum languente consumi? Hæc erit optima dispositio illius quam memoras reparandæ concordiæ, an illa potius, ut rejectis contagiis perfidorum, integra fide, sincera sui communione potiatur communio catholica atque apostolica, ne hæreticorum tabe depulsa, intemeratam suæ fidei confessionem nitatur astruere, atque invicem sibimet congruentis orthodoxæ professionis communionisque sit unitas? Hanc (sicut dilectionis tuæ litteræ cohortantur) meis quoque temporibus custodiri, qua valeo preces deposco, quæ per tot annos ab illis Patribus gloriosis, illibata intactaque servata est. Hæc enim est, sicut ipse dicis, quam Deus noster de omnibus bene futuram, et secundum suam veritatem et regulam gubernandam, et præscius ante constituit, et singulis quibusque temporibus sua dispositione convenienter aptavit. Hæc est voluntas Dei, cujus tu ingeris mentionem, quam ego quoque pro meo modulo, quem Dominus donare dignatur, cupio prorsus implere, ut non reus de hujus talenti cœlestis diminutione reperiar: sed in hoc talento (sicut ipse quoque nos admonet) incrementum Christi gratia postulo consequi, et nullum prorsus incidere detrimentum. Hinc est quod prioribus dilectionis tuæ litteris, sicut tua quoque pagina designavit, pro vestra sumpsi salute tristitiam, ubi comperi quod erat vobis noxium, et quod veræ paci contrarium reperi. Contristatur enim Apostolus (*II Cor.* VII) de errore deviantium, et lætitiam recipit de eisdem sua prædicatione correctis. Si autem tua caritas, ut dixit, nescio quorum necessitate constringitur, quod (pace tua dixerim) sacerdos pro veritate promenda nec facere deberet omnino nec dicere; ignoscat nobis hominibus timidissimis, si coarctante nos terribili et divini judicii grandi necessitate constringimur, sicut qualescunque ministros Christi decet, [1] nos animas nostras ponere pro veritate salvandas, quam eas lucrari velle veritatis diminutione perdendas, ut non dicam, contra fidem libitu cujuslibet abdicandas. Istæ mihi sunt (quas dilectio tua commendat) certæ fidei perpetuæ cum eo, quicunque voluerit, in Christi visceribus amicitiæ. Hic non tam optamus præponi aliis, sicut prædicas, quam cum fidelibus cunctis sanctum et Deo placitum habere consortium. Hæc mihi (quam mandat dilectio tua) pax solida, inconvulsa, et perennis; hoc unum vinculum (sicut etiam ipse desideras) salutare quo cuncta uniri possit Ecclesia. Hoc quibus est creditum (sicut et ipse deprecaris) protectio divina perficiat. Hæc est, *quæ Deus est, caritas* (*I Joan.* IV), quam poscis *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I). Quomodo ergo *de corde puro*, si hæreticorum fuerit participatione polluta? Quomodo *conscientia bona*, si malorum fuerit confusione permixta? Quomodo *fide non ficta*, si fuerit mixta cum perfidis? Quæ si prudentia tua (sicut eam precamur) diligenter advertat, perspicit apostolicam sedem non vitare pacem, sed hæreticorum damnatorumque vitare vestigia [*al.* contagia]. Quæ etiam vos rationabiliter intuentes, creditis [2] commonendum populum Constantinopolitanum, non permittere submoveri nomine perfidorum. Quisnam hoc in Ecclesia Dei, quæso te, possit audire, cum utique pastorem sequi grex debeat ad pascua salutaria revocantem, non per devia gregem pastor errantem? Dic mihi, rogo te, grex pro te, an tu pro grege redditurus es rationem? Certe si vobis hoc placet, multo magis causa est nobis justior, qui populum Romanum a fide illa

[1] Forte *potius animas*. HARDUIN.
[2] Forte *commovendum*; in Bellov., *opponendum*. HARDUIN.

sua, laudabili majorum traditione percepta, declinare A non sinentem nos penitus libenter audivimus, si vos Constantinopolitanam plebem, ab hæretica communione discedere recusantem, non vultis offendere.

Sed nos dicitis debere dirigere qui eam valeant mitigare. Quomodo me auditura est, quem videtur habere suspectum, si præsules suos despicit admonentes? Nonne ipsis apostolis est præceptum in aliquibus regionibus verbi prædicatione non uti, his quippe in quibus non fuerant audiendi? Veniemus, frater Euphemiane, sine dubitatione, veniemus ad illud pavendum tribunal Christi (ut taceam [1] quæ ex hoc sit metuenda vindicta), circumstantibus illis a quibus fides ipsa [2] est. Non illic inficiationibus, non dilationibus, non [3] inclusionibus est agendum; sed manifestissime comprobandum utrum beati Petri B gloriosa confessio cuiquam eorum quos regendos accepit, quidquam subtraxerit ad salutem; an eam auscultare nolens, etiam cum suo periculo rebellis [4] exstiterit obstinata pernicies? Ibi certe dilucidabitur utrum ego (sicut putatis) acerbus, asper, et nimis durus, difficilisque sim vobis, qui cum ratione vestram salutem parturio, qui clamo: Etiamsi austerum videtur antidotum, accipite, quæso, bibite, vivite, nolo moriamini; an vos, qui a noxiis prohibiti, medicos ducitis exsecrandos, imo qui vultis vobiscum medicos ægrotare, quam vos recipere [5] sanitatem. *Et alia manu*: Dominus te incolumem custodiat.

[a] EPISTOLA II.

AD LAURENTIUM DE LIGNIDO EPISCOPUM.

Ad pontificatum assumptus de more Romanæ Ecclesiæ fidei formulam, quam omnes profiteri teneantur, præscribit.

In prolixitate epistolæ dilectionis tuæ magno nos gaudio replesti in ea parte in qua dictum est quod in Thessalonicensi Ecclesia, vel in aliis similiter recitata epistola prædecessoris nostri de excessibus Acacii, cuncti eidem anathema dixerint, nec quisquam communioni prævaricatori sese miscuerit. Unde quia nos admones dilectione fraterna, ut velut medicinam quamdam fidei episcopis per Illyricum, vel aliis ministrare debeamus, quanquam hoc copiosissime factum sit a beatæ recordationis prædecessore nostro; et quia mos est Romanæ Ecclesiæ sacerdoti noviter constituto formam fidei suæ ad sanctas Ecclesias prærogare, hæc eadem compendiosa nimis brevitate studui renovare, ut sub qua fide vivendum sit, secundum statuta Patrum, in hanc nostram epistolam propter brevitatem sine fastidio lector agnoscat.

Confitemur ergo Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum ante omnia quidem sæcula, sine principio, ex Patre natum secundum deitatem; in novissimis autem diebus de sanctissima Virgine Maria eumdem incarnatum et perfectum hominem ex anima rationali et corporis susceptione homousion Patri secundum deitatem, et homousion nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum perfectarum unitas facta est ineffabiliter, propter quod unum Christum eumdem Filium Dei et hominis unigenitum a Patre, et primogenitum ex mortuis confitemur; scientes quod quidem coæternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium, et dignatus est post consensionem sanctissimæ Virginis, cum dixit ad angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I). Ineffabiliter sibi ex ipsa ædificavit templum, et sibi univit, quod non coæternum de sua substantia e cœlo detulit corpus, sed ex massa nostræ substantiæ, hoc est ex virgine hoc accipiens, et sibi uniens, non Deus Verbum in carnem versus est; neque ut phantasma apparens, sed inconvertibiliter et incommutabiliter suam conservavit essentiam primitias naturæ nostræ suscipiens, sibi univit. Nam principium Deus Verbum has nostræ naturæ primitias multa sibi bonitate unire dignatus est, qui non permixtus, sed in utriusque substantia unus et ipse visus, secundum quod scriptum est: *Solvite templum istud, et in tribus diebus resuscitabo illud* (*Joan.* II). Solvitur enim Christus Jesus, secundum meram substantiam quam suscepit, et solutum suscitat proprium C templum: hoc ipse secundum divinam substantiam, secundum quam et omnium artifex est. Nunquam autem post resurrectionem unitionis nostræ naturæ discessit a proprio templo, nec discedere potest propter ineffabilem suam benignitatem, sed est ipse Dominus Jesus Christus et passibilis, et impassibilis: passibilis secundum humanitatem, impassibilis secundum divinitatem. Suscitavit igitur suum templum Deus Verbum, et in se naturæ nostræ resurrectionem et renovationem operatus est, et hanc Dominus Christus noster Deus, postquam resurrexit a mortuis, discipulis suis ostendebat dicens: *Palpate me, et videte quoniam spiritus carnem et ossa non habet, quemadmodum me videtis habere* (*Luc.* XXIV); non dixit, quemadmodum me dicitis esse, sed *habere*, ut et qui habet, et qui habetur considerans, non permixtionem, non conversionem, non mutationem, sed D unitatem factam respicias. Propterea, et fixuras clavorum, et fixionem lanceæ demonstravit, et cum discipulis manducavit, ut per omnia resurrectionem

[a] Hæc epistola circularis est et encyclica ad omnes episcopos Macedoniæ anno 1 pontificatus Gelasii scripta, ea occasione quod episcopus Thessalonicensis totius Macedoniæ provinciæ metropolitanus (ut constat infra ex epist. 9 ad Dardan. et Illyr. episc.), Acacianis modo turpiter adhæreret, qui alias contra oborta schismata inter Orientales et Romanum pontificem, sedi apostolicæ firmiter inhærere, ejusque patrocinium suscipere consuevisset. Ut ergo reliquos ejus provinciæ episcopos in officio catholicæ et apostolicæ communionis contineret, ad ejusdem provinciæ antistites has circulares litteras dedit. SEV. BINIUS.

[1] Cod. capituli Veronen., *quia et hic.*
[2] Id. cod., *defensa est.*
[3] Id. cod., *illusionibus.*
[4] Id. cod., *existeret.*
[5] Al., *salutem.* HARDUIN.

nostræ naturæ in se renovatam doceret: et quia secundum beatam divinitatis substantiam inconvertibilis, incommutabilis, impassibilis, immortalis, nullius indigens, perficiens omnes passiones, se permisit proprio inferri templo, quod virtute propria suscitavit, et per propriam perfectionem templi sui renovationem nostræ naturæ operatus est. Qui autem dicunt subtilem hominem Christum, aut passibilem Deum, aut in carne versum, aut non [1] cognitum habuisse corpus, aut de cœlo hoc detulisse, aut phantasma esse, aut mortalem dicentes, Deum Verbum indiguisse ut a Patre suscitaretur, aut sine anima corpus, aut sine sensu hominem suscepisse, aut duas substantias Christi, secundum permixtionem confusas, unam factam fuisse substantiam, et non confitentes Dominum nostrum Jesum Christum duas esse naturas inconfusas, unam autem personam, secundum quod unus Christus, unus idem Filius, istos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. Hæc ergo sunt, frater dilectissime, quæ pro antidoto nos debere mittere flagitasti, quod nullum amarum, neque dulce noxium videndum refugite, nam et de nostro conventu disposueramus quosdam dirigere, si ratio id temporis fieri permisisset: quod facere credimus opportune, cum illarum partium correctio ad nos, juvante Domino, legatione plenissima, sicut confidimus fuerit nuntiata. Sperantes etiam de Dei nostri misericordia, ut huic prædicationi nostræ clementissimus et Christianissimus imperator unanimitatem suam auxiliumque conjungat, quatenus pro fide qua pollet, in illis regionibus coerceat, quin suis quæstiunculis, et secundum elementa mundi, sicut vas electionis ante prædixit, superflua vanaque concinant, nolentes contineri salutaribus disciplinis: sed nos, sicut ait idem apostolus, *non ita didicistis, Christum* (*Coloss.* II), si tamen illum audistis, et in illo docti estis, sicut est veritas in Jesum, quam utique ille apprehendere poterit qui orthodoxorum Patrum, sicut jam sæpe dictum est, observaverit instituta. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

RESCRIPTUM

EPISCOPORUM DARDANIÆ AD GELASIUM PAPAM.

Gratias agunt quod ipsos monuerit a quibus cavendum sit; et cupere ipsos ab apostolica sede visitari scribunt.

Domino sancto apostolo [*al.* apostolico] et beatissimo patri patrum Gelasio papæ urbis Romæ, humiles episcopi Dardaniæ.

Saluberrima apostolatus vestri præcepta Tryphone viro religioso filio nostro deferente, qua oportet devotione suscepimus, et maximas Deo omnipotenti, et beatitudini vestræ referimus gratias, quod nos pastorali admonitione et evangelica doctrina visitare di-
A gnatus es, domine sancte apostolice et beatissime pater patrum. Desiderii enim et voti nostri est jussionibus vestris in omnibus obedire, et quemadmodum a patribus nostris accepimus, sedis apostolicæ, quæ vitæ et meritis vestris delata est, præcepta intemerate servare, atque religionem orthodoxam, cujus estis prædicatores, fideli et inculpata devotione, prout nostræ rusticitatis sensus patitur, custodire. Eutychis enim vel Petri Acaciique et omnium sectatorum ejus atque consortium, velut quædam pestifera contagia, ante vestram quoque vitavimus jussionem, et multo magis nunc post admonitionem sedis apostolicæ, et ab eadem nos pollutione necesse est abstinere: et si qui alii ejusdem Eutychetis sectam, vel Petri et Acacii, aut secuti sunt aut sequentur, vel
B eorumdem sese complicibus atque consortibus æstimant immiscendos, et a nobis, qui sedi apostolicæ secundum divina præcepta et Patrum statuta inculpati servire desideramus, omni ratione vitandi sunt. Et si qui forte prava intentione (quod neque arbitramur neque optamus) a sede apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur; quoniam, ut dictum est, Patrum in omnibus custodientes præcepta, et inviolabilia sacrosanctorum canonum instituta sectantes, apostolicæ et singulari illi sedi vestræ communi fide et devotione parere contendimus. Et quoniam suggerendi fomitem nobis pro insita sibi benignitate beatitudo vestra concessit, aliqua memorato Tryphoni viro religioso filio nostro, præceptorum vestrorum portitori, suggerenda
C mandavimus. Et ut suggestionem ejus, quantum arbitramur justam et rationabilem pro supplicatione nostra libenti animo apostolatus vester dignetur admittere, justis precibus exoramus (quod supplicatio nostra mereatur effectum) unum ex angelica sede vestra cum sæpe dicto viro religioso ad nos usque præcipite destinare, ut sub ejus præsentia quæ fides orthodoxa, et vestræ jussionis sinceritas postulat, ordinentur. *Et subscriptio.*

Joannes episcopus sacrosanctæ Ecclesiæ Scopinæ metropolitanæ civitatis huic rescripto a nobis dato consentiens, ad omnia quæ superius continentur manu propria subscripsi.

Bonosus episcopus ut supra subscripsi.

D Samuel episcopus ut supra subscripsi.

Verianus episcopus per Valentinum archidiaconum ut supra subscripsi.

Faustinus episcopus ut supra subscripsi.

Ursinus episcopus ut supra subscripsi.

[a] EPISTOLA III.

AD EPISCOPOS DARDANIÆ.

Nuntiat se pontificem electum; catholicæ fidei libellum

[a] Duabus epistolis admonuit Gelasius pontifex episcopos Dardaniæ, ut Eutychianorum communionem sedulo vitarent. Priorem (quæ excidit) misit per Tryphonem; ad quam præcedens epistola ab episcopis Dardaniæ rescripta fuit. Posteriorem hanc ejusdem argumenti misit per Ursicinum, prout ipsi petiverant. Encyclicam et circularem fuisse patet ex verbis epistolæ in fine. Ex eo quod ab initio Euty-

[1] Edit. Rom. melius habet *counitum*

transmittit, hortaturque ut cum Eutychianistis non communicent, et muneri pastorali invigilent.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius episcopus.

Ubi primum respirare fas est a continuorum tempestate bellorum, quæ in illis provinciis, vel in istis temporibus qualitas incessanter exercuit, cunctos per Dardaniam Domini sacerdotes fraternæ sollicitudinis caritate duximus alloquendos : primum quia regimen apostolicæ sedis adepti, strepitu publico, sicut dictum est, retardante, commissum nobis sacræ dispensationis officium, propriis, ut mos erat, litteris [1] nequivimus indicare, quo vestra fraternitas de communionis Domini nobiscum munere gratuletur. Deinde, ut post tantas acerbitates incommoditatesque mundanas, qualiter invicem valeremus, mutuus sermo depromeret ; postremo si qua de ecclesiasticis referenda sunt causis, quæ propter insidias perpetui hostis, pastorali sunt jugiter circumspicienda vigilantia, significationibus panderemus alternis. His igitur incitati per fratrem et coepiscopum nostrum Ursicinum præsentia dirigere scripta curavimus, præeunte gratia salutationis, orantes ut magnanimiter auxilio Domini tolerando rerum transeuntium vastitatem, magis esse debeamus attenti, ne, quod absit, perpetuæ subeamus vitæ dispendium. Proindeque catholicæ veritatis poscit utilitas præcavenda, dilectio vestra paulisper advertat. Apud Græcos, quibus multas hæreses abundare non dubium est, jam ante annos fere quadraginta et quinque de Domini nostri et Salvatoris incarnatione nata conquæstio est : Eutyche quondam presbytero Constantinopolitano in blasphemias proruente, per quas diceret unam tantummodo, id est, solam Divinitatis naturam, sive substantiam in Domino Jesu Christo credere nos debere, susceptæ carnis veritate prorsus abolita : quod utique improbum commentum Marcionistis, Manichæisque conjunctum, totum sine dubio salutis nostræ solveret sacramentum ; siquidem quantum et Scripturæ venerabilis dicit auctoritas, et majorum testatur doctrina nostrorum, redemptorem mundi Deum, totum simul Deum, totumque hominem ex Maria Virgine fuisse progenitum. Et huic mundo certum est exstitisse conspicuum, sic passum, atque resurrexisse constat a mortuis. Itaque quadraginta diebus fuisse cum discipulis conversatum, in cœlum ascendisse, plena luce sit clarum, eoque modo dictum, ad judicium, angelo testante, venturum, ut et Filius hominis, quem beatus Stephanus martyr a dextris virtutis Dei vidit astantem, manifestus appareat, et quem compunxerunt persecutores ejus, aspiciant : quod nimirum sine carnis humanæ non potest constare materia, cujus assumptio glorificata est deitate, non prorsus absumpta. Unde et beatus apostolus Joannes dicit : *Qui negat Christum in carne venisse, hic est antichristus (Joan. II)* ; et gloriosus apostolus Paulus qualem hodie credere debeamus Dominum nostrum Jesum Christum palam professus est, dicens : *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II), quod brevi capitulo simul Arianam pestem, et hanc quam diximus Eutychianam cœlesti prædicatione subvertit, quia et homo nihilominus est, ubi omnis plenaque Divinitas habitare perhibetur, et corporaliter exprimendo, in veritate persistere nostri corporis approbatur.

Super autem his frequenter ab apostolica sede, et per beatæ memoriæ sanctum Leonem, et per successores ejus certum est, Græcos fuisse convictos, sicut ipsorum chartis quas apud nos habemus, sine ambiguitate monstratur. Nunc vero quamvis ipsam pestilentiam non audeant profiteri, eos tamen qui talibus communicaverint, meritoque secundum Chalcedonensis decreta concilii ab apostolica sede damnati sunt, obstinatique in eadem damnatione defuncti, pernicioso furore defendunt, et eorum recitationem Ecclesiæ catholicæ moliuntur ingerere. Quod utique, quod absit, receptis, etiam contagium pravitatis, cui se communione sociarunt, consequenter incurritur, quemadmodum (quod Dominus avertat !) si Arii vel cujuslibet hæretici ad ecclesiasticam recitationem nomen admittitur, simul et consortium detestabilis erroris assumitur. Unde quia errorem quidem fatentur, sed ea sibi putant communionem catholicam conditione laxandam, ut nomina eorum qui prævaricati sunt illis in ecclesia recitare sit licitum, et non tam ipsi corrigere quam sinceritatem catholicam inficere nitantur contagio perfidorum ; dilectionem vestram fraternæ caritatis affectu non destitimus admonere, ut si qui talia seminantes ad vestras regiones forte pervenerint, modis omnibus excludantur, vobisque cum sede beati apostoli Petri, sicut a patribus nostris est tradita illibata communio atque ex omni parte inconvulsa perduret. Certe si quis aures vestras de hac crediderit subreptione pulsandas, sollicitudine pastorali ad nos quam citius referre properetis, ut communi studio, catholicoque tractatu, pro domo unius Domini cuncti catholici conferant sacerdotes ; ut quæ orthodoxæ definitioni competunt, intemerata serventur ; et quatenus errantibus debeat subveniri, rationabili deliberatione noscatur. Hæc autem vestra dilectio etiam ad contiguas sibi quasque provincias vicinosque pontifices prudenter faciat pervenire, ut Ecclesiarum præsules, universæ veritatis instructione percepta, mortiferam declinare valeant falsitatem. *Et subscriptio :* Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

EPISTOLA III bis.

BEATI PAPÆ GELASII AD NATALEM ABBATEM.

Dilectissimo filio Natali abbati Gelasius episcopus.

Quamvis pro beati Petri apostoli moderamine divinitus instituto, quo sedis ejus vicarii cunctis sunt

chianæ hæreseos, quæ detecta fuit anno 418 hoc loco enumeret annos 45, apparet eam anno pontificatus Gelasii primo scriptam esse. SEV. BINIUS

[1] Edit. Rom., nequivimus.

ecclesiis debitores, ad fratres et coepiscopos meos per Dardaniam constitutos competentia scripta dedimus, antiquæ fidei communionisque tramitem subsequentes, ut cavere valeant contagia perfidorum, et nobiscum illibatum tenere consortium; tamen dilectionem quoque tuam non [1] destitimus desiderantes affari, cujus sollicitudinem de noxiis quibusque vitandis, et in retinendis quæ ad utilitatem pertinent Christianam, laudabilem perspeximus esse fervorem, ex litteris [2] scilicet quas ad fratrem et coepiscopum meum Serenum tua caritas destinavit. [3] Proinde collaborandum sibi tua dilectio perpendit Evangelio Dei, et [4] æternæ salutis intuitum etiam adversantia quæque tolerando constanter; ut nullum subeas, quod absit, cœlestis regni dispendium, ad quod utique nisi legitime certaveris, non potes pervenire. Tanto enim, præstante Domino, nobis est instandum vigilandumque, quanto sub ipso fine jam mundi vehementior humani generis hostis insistere non quiescit. Nihil significamus omissum, [a] quod aut correctioni rerum quas in Ecclesias Orientis seminavit inimicus, Patrum regulis congruentem possit adhibere medicinam. Sed quid facimus? quia obduratis auribus vocem refugiunt veritatis audire, tantaque vis morbi sævientis incubuit, ut secum malint salvos quosque lethaliter ægrotare, quam ipsi recipere sanitatem; nunc inficiantes universa quæ ipsorum chartis, ipsorum subscriptionibus approbamus; nunc cum manifesta rerum fuerint luce convicti, palam aperteque fatentes errorem, nolle se tamen reverti ad viam puræ confessionis communionisque [5] testantur; sed nos potius exspectant suis prævaricatoribus implicari. Quapropter, largiente Christi gratia, magnis studiis est agendum, ut quia de vita perpetua vel amittenda res agitur vel tenenda demus operam quidem, si aliquos ex illis, operante Domino, salvare possimus: alioquin, sicut ait Apostolus, *te ipsum castum custodi* (*I Tim.* v, 22). Pereuntium nitamur declinare perniciem; et, quod solum facere debeamus, divinam pro illis exorare clementiam, ut resipiscant a diaboli laqueis a quo capti detinentur [b] ab ipsius voluntate: ut ab obstinatione mortifera respirantes, pestem quam se humanitus incidisse etiam ipsi sentiunt, inutili verecundiæ languore deposito, ad recuperanda remedia sempiterna libero corde resipiscant. His ergo cognitis quæ sicut diximus ad regionum vestrarum sunt directa pontifices, et ipsi protegente vos Domino debetis esse convenienter instructi, et provinciis eadem quibusque [6] contiguis fiducialiter prædicare. Nihil est enim quod pavere debeamus, cum certum sit a cœlesti Præsule non derelinqui quos suæ veritatis præstitit arma tractare; nec quidquam videamus ei ullatenus præferendum, cum ipsas animas nostras pro earum nos voluerit salute contemnere. Qualiter autem vel proficiat ibidem religionis integritas, vel quid forsitan asseratur, sæpius nobis vestra dilectio non omittat ostendere; ut necessaria, Christo tribuente, subsidia responsis congruentibus ministremus.

Subscriptio papæ.

Deus te incolumem custodiat, fili dilectissime.

EPISTOLA IV SEU [c] COMMONITORIUM

AD [7] FAUSTUM MAGISTRUM FUNGENTEM LEGATIONIS OFFICIO CONSTANTINOPOLI.

Acacium jure a sede apostolica damnatum, et in excommunicatione mortuum non posse absolvi, et cum illo non communicandum.

Ego quoque mente percepi [*al.* præcepi] Græcos in sua obstinatione mansuros, nec cui velut inspera-

[a] *Quod aut ..... aut patrum regulis.* Sic Maffeius. Sed cum incommodum sit secundum *aut*, redundare proinde videtur et primum.

[b] Deest apud Maffeium præpositio *ab*.

[c] Cum Theodoricus Gothorum rex, post Odoacrem regem Herulorum devictum et occisum, una cum Ravenna integra Italia potitus esset, bello diuturno fatigatus ad Anastasium imperatorem Constantinopoli degentem, duos hosce legatos Faustum magistrum officiorum, et Irenæum ablegavit, qui ad obtentum Italiæ regnum rectius stabiliendum, pacem sibi concedi peterent et impetrarent. Hac occasione Gelasius papa, anno pontificatus sui 2, alteri legatorum Fausto officiorum magistro causam illam quæ cum Euphemio Constantinopolitano adhuc schismatico vertebatur, commendavit, ut æquissimis jussionibus Ecclesiæ Romanæ obtemperans, ejusdem communicationem hactenus frustra expetitam consequi mereretur. Hujus negotii expediendi ratio commissa est Fausto ea de causa, quod Euphemius patriarcha, Gelasii epistolis duabus admonitus, nomen Acacii e tabulis sacris non modo non expunxerit, sed et ejusdem defendendi patrocinium susceperit, atque ea quæ soleat hæretici et schismatici contra sedem apostolicam effutiverit; quodque demum, ad concitandam contra pontificem Romanum Anastasii imperatoris invidiam, in vulgus sparserit ipsum Anastasium imperatorem, neque ab episcopo urbis Romæ, neque a Romano senatu recipi, adeoque imperatorem contra Urbem et episcopum commoverit. Ne igitur horum occasione Romana Ecclesia in discrimen adduceretur, atque inter duos hæreticos principes Anastasium et Theodoricum arctata, durioribus angustiis premeretur, Fausto officiorum magistro, viro pientissimo, tantæ molis negotium credidit, ut cum esset Constantinopoli, objecta dilueret, tentata destrueret, atque sequester pacis existens, Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali conciliator accederet. Profectus est Faustus, gnaviterque susceptum negotium peregit; sed non ex sententia, ut erat in optatis, absolvit, refragante Euphemio, et majora rixarum fomenta nascente. Qui et de omnibus quæ cum ipso transacta erant, datis ad Gelasium litteris eum certiorem reddidit. Quibus acceptis Gelasius ad eum rescripsit hanc defensionem, qua adversariorum calumnias refellere posset. Unde non immerito *commonitorium* nuncupatur, cum eo ipso a pontifice admoneatur, quonam modo calumniantium petulantiam valide retundere queat. Hæc ex Baronio anno 493, num. 3 et sequentibus. SEV. BINIUS.

[1] In edit., *desistimus*.

[2] In edit., *ex litteris siquidem*.

[3] Deest in edit., *proinde*.

[4] In edit. recte, *ob æternæ*, etc.

[5] In edit., *testantes*, et infra *exspectantes*.

[6] Deest in edit. *contiguis*.

[7] Sunt qui Festum dicant legi oportere: nec sub Gelasio papa hunc legatum fuisse Constantinopolim a Theodorico rege, sed sub Anastasio Gelasii successore. HARDUIN.

tum videri potest, quod est ante [*al.* in ante] præcognitum. Quapropter [1] non jam propter religionis causas student dispositionibus publicis obviare, sed potius per occasionem legationis regiæ catholicam fidem moliuntur evertere, et tali commento [*al.* commercio] nituntur sperata præstare. Quid sibi vult autem quod dixerit imperator, a nobis se in religione damnatum, cum super hac parte et decessor meus non solum minime nomen ejus attigerit, sed insuper quando principia adeptus regiæ potestatis exercuit, in ejus se rescripsit imperii promotione gaudere : et ego nulla ipsius unquam scripta percipiens, honorificis (ut nostis) eum litteris salutare curaverim? Decessores mei, sacerdotes qui prævaricatoribus se communicasse propria voce confessi sunt, a communione apostolica submoverunt. Si isti [*al.* ita] placet se miscere damnatis, nobis non potest imputari; si ab eis velit abscedere, tanto magis a nobis non potest esse damnatus, sed potius ad gratiam sinceræ communionis admissus. Ad senatum vero pertinet Romanum, ut memor fidei quam a parentibus se suscepisse meminit, contagia vitet communionis externæ, ne a communione hujus sedis apostolicæ (quod absit) reddatur externus. Veniam sibi dari [*al. addit* debere] proponunt. Legatur, ex quo est religio Christiana, vel certe detur exemplum, in Ecclesia Dei, a quibuslibet pontificibus, ab ipsis apostolis, ab ipso denique Salvatore veniam nisi corrigentibus se fuisse concessam. Auditum autem sub isto cœlo nec legitur omnino, nec dicitur, quod eorum voce depromitur : Date nobis veniam, dum tamen nos in errore duremus. Id quoque [2] pariter [*forte leg.* par est] ostendant, qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua lectione, quove documento, sive majoribus nostris, sive ab ipsis apostolis (quos potiores merito fuisse non dubium est), seu ab ipso Domino Salvatore, qui judicaturus creditur vivos et mortuos, sive factum est unquam, vel faciendum esse mandatur. Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui certe hoc faciendi solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat apostolo : *Quæ ligaveris super terram, ligata erunt et in cœlis; et quæ solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI). *Super terram*, inquit; nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolvi [*al.* absolvendum]. Quod ergo nunquam factum est, vel mente concipere formidamus, scientes in divino judicio non posse penitus excusari. Si autem, quod nunc prætendunt, a Romana Ecclesia se sunt divisuri, id jam dudum fecisse monstrantur. [3] Euphemium vero miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itane non perspicit, secundum formam synodi Chalcedonensis, Acacium fuisse damnatum? nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utique per numerosam sententiam sacerdotum erroris hujus auctores constat fuisse damnatos; sicut in unaquaque hæresi a principio Christianæ religionis et factum fuisse, et fieri, manifesta rerum ratione monstratur, decessoremque meum exsecutorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem? Quod non solum præsuli apostolico facere licet, sed cuicunque pontifici, ut quoslibet et quemlibet locum, secundum regulam hæreseos ipsius ante damnatæ, a catholica communione discernant. Acacius quippe non fuit novi vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scita prodirent [*al.* procederent], sed alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est ut in illam recideret justa lance sententiam, quam cum suis successoribus per convenientiam synodalem susceperat auctor erroris. [4] Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi, sana rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes, et cæteri, non solum unus, sed plures utique nomen sacerdotii præferentes, sola sedis apostolicæ sunt auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus exstitit exsecutor. Quod utique sicut apostolicam sedem juxta formam synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse certissimum. Hoc igitur modo recidens in consortium damnatorum, est damnatus Acacius, qui eorum damnationem, antequam prævaricator existeret, fuerat exsecutus. Nobis ausi sunt facere canonum mentionem, contra quos semper ambitionibus illicitis [5] fecisse monstrantur. Qua ipsi synodo, vel secundum cujus synodi formam Alexandrinum Joannem de ecclesia cui ordinatus fuerat expulerunt? qui nullis causis evidentibus nec ante convinci, nec postea provocans, etiam in judicio competenti potuit accusari. Quod si dicunt : Imperator hoc fecit : hoc ipsum quibus canonibus; quibus regulis est præceptum? Cur huic tam pravo facto consensit Acacius, cum auctoritas divina dicat : *Non solum qui faciunt prava reos esse, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* II). Quibus canonibus quibusve regulis Calendion exclusus est, vel primi urbium diversarum catholici sacerdotes? Qua traditione majorum apostolicam sedem in judicium vocant?

An secundæ sedis antistites, et tertiæ, cæterique

[1] Codex Veronensis capituli millenariam præferens ætatem, quocum hoc Gelasii commonitorium collatum est, hic legit, *non tam*.

[2] Cod. Veron., *parum est*.

[3] Cod. Veronen., *Euphimium*, et ita ubique.

[4] Hunc locum Nicolaus papa recitat ex commonitorio in epistola 5 ad Michaelem imperatorem. HARD.

[5] Cod. Veron., *illicitis tenendi esse*.

bene sibi concii sacerdotes depelli debuerunt, et qui religionis exstitit inimicus, depelli non debuit? Viderint ergo si alios habent canones quibus suas ineptias exsequantur. Cæterum isti, qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, sedem apostolicam ad judicium vocare non possunt; et Constantinopolitanæ civitatis episcopus, quæ utique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit submoveri? An, qui homini mentitus dicitur imperatori, et qui imperatorem læsisse perhibentur, depelli debuerunt: et in Deum, qui summus et verus est imperator, Acacium delinquentem, sinceramque communionem divini sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundum synodum, qua hæc est damnata perfidia, non oportebat excludi? Sed velint, nolint, ipsius judicio [1] antiquæ canonum constitutiones firmabuntur.

Sed religiosi viri atque perfecti, secundum canones e accessam sedi apostolicæ potestatem nimirum conantur eripere, et sibimet eam contra canones usurpare contendunt. O canonum magistros atque custodes! Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ, divina Scriptura prædicante: *Hominem hæreticum post primam et secundam correptionem devita, sciens quod hujusmodi delinquat, proprio judicio condemnatus* (*Tit.* III). Ecce cognoscant quia non solum ab alio, sed a se quoque ipso damnetur [*al.* prædamnetur] hæreticus. Illud autem nimis est impudens, quod Acacium veniam postulasse confingunt, et nos exstitisse difficiles. Testis est frater vester, filius meus vir illustris Andromachus, qui a nobis abundanter instructus est, ut cohortaretur Acacium deposita obstinatione resipiscere, et ad sedis apostolicæ remeare consortium, quique se sub jurejurando magnis cum eodem molitionibus egisse testatur, nec ad ea quæ recta sunt potuisse deflecti, sicut rerum probatur effectu. Certe proferatur judicium, quando miserit, quando veniam postularit, correctionemque suam nobis promiserit exhibendam: nisi forte hunc animum gessit quem successores ejus habere perspicimus, ut tamen si veniam postularet, sic sibi vellet impendi, ut nihilominus in errore persisteret: ubi utique non tam a nobis recipi videretur, quam nos potius in suam traduceret pravitatem. Quem reatum se confessuros asserunt ante certamen? Si reatus est, utique corrigendus est. Si corrigendum non putant, fallaciter se reatum perhibent profiteri; nisi, quod est infelicius, cum et fatentur reatum, et non æstimant corrigendum. Illud quoque me videre libuit, quod ait: Si necesse fuerit veniam postulare, existimans nimirum tunc se peccati veniam necessario postulare, si ei concedamus ne peccare desistat; imo etiam (quod absit) cum eodem consentiamus nos quoque peccare. Nescio inter quæ mundi prodigia hæc vox possit admitti. Remitti culpa de præterito potest, correctione sine dubio subsequente. Nam si deinceps finitur [*al.* fingitur] mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis [2] assensio [*al.* assentatio]. Non est mirum, si isti sedem beati Petri apostoli blasphemare præsumunt, qui talia portenta vel corde gerunt, vel ore diffundunt, et nos insuper superbos esse pronuntiant, cum eis prima sedes, quidquid est pietatis, non resistat [*al.* desinat, *vel* desistat] offerre, illi eam ipso protervo spiritu subjugare se posse confidant. Sed captos mente facere ista non mirum est. Sic phrenetici solent medicantes quosque [*al.* quoque] velut hostes putare vel cædere. [3] Quæro tamen ab his, judicium quod prætendunt, ubinam possit agitari: an apud ipsos, ut iidem sint inimici, et testes, et judices? Sed tali judicio nec humana debent committi negotia, nedum divinæ legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet, non nisi apostolicæ sedi juxta canones debetur summa judicii totius; si quantum ad sæculi potestatem, illa a pontificibus, et præcipue a beati Petri vicario, debet cognosci [*al.* cognoscere], quæ divina sunt, non ipsa eadem judicare [*al.* dijudicare]. Nec sibi hoc quisquam potentissimus sæculi (qui tamen Christianus est) vindicare præsumit, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non chartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant, potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni beati Petri apostoli inferni portas nunquam prævalituras asseruit (*Matth.* XVI). Quapropter non veremur ne apostolica sententia resolvatur, quam et vox Christi, et majorum traditio, et [4] canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet. Sed cogitent magis, si quis in eis religionis est sensus, ne pravitatem suam nullatenus deponentes, apud Deum hominesque sedis apostolicæ perpetua constitutione damnentur. Sic autem dicitur fuisse definitum, ut deinceps de negotio nihil dicatur, quasi vel nunc eos (quemadmodum nostis) meo duxerim nomine specialiter alloquendos. Neque plane cum istis non corrigentibus ineunda congressio, quemadmodum cum aliarum quoque hæresum sectatoribus dimicatio renuenda. Vos autem salvos et sospites quantocius huc reverti, continuis Divinitatem votis expetimus

EPISTOLA V.

AD HONORIUM DALMATIÆ EPISCOPUM.

Monet ne Pelagianam hæresim a tot pontificibus detestatam reviviscere sinat.

Dilectissimo fratri Honorio Gelasius.

Licet inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati, vix respirare valeamus; pro sedis tamen apostolicæ moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quæ beato

[1] Cod. Veron., *antiqua canonum constitutione firmentur.*
[2] Cod. Veronen., *adnuntiatio.*

[3] Citatur hic locus a Nicolao papa in epist. ad Michaelem imp., ut alia ex hac ipsa epistola. HARDUIN.
[4] Supple *Nicænorum*. HARDUIN.

Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est : *Et tu conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Et item : *Petre, amas me ? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Dissimulare nec possumus nec debemus, quæ nostram sollicitudinem forma perstringat, cum beato Paulo apostolo sentientes atque dicentes : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor.* XI) ? Ita quippe nos repente tristis, horrenda et vix credibilis confecit opinio, ut mentem nostram confunderet, sauciaret, affligeret. Nuntiatum nobis est enim in regionibus Dalmatiarum, quosdam recidiva Pelagianæ pestis zizania seminasse, tantumque illic eorum prævalere blasphemiam, ut simplices quosque mortiferi furoris insinuatione decipiant. Est quidem error ipse nefarius tanto perniciosor ad subripiendum, quanto ad fallendum verisimilitudinis colore versutior : præstante Domino, adest fidei catholicæ pura veritas, concordibus universorum Patrum deprompta sententiis, quæ et subtile virus funestæ pravitatis exponat, et humano generi salvando conferat de Scripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur discretionem rerum nondum abundantia corda conturbet, donec et occultum vulnus appareat, et salvatio singularis eluceat : quoniam quantalibet arte fallaciæ spiritus perditionis armetur, sancto gladio Spiritus principalis et detegitur et necatur. Quapropter per dilectionem tuam cunctos ibidem Domini sacerdotes fraterno commonemus affectu; ut qui cum erudiente vos Domino contra novitios pugnetis errores, olim perversitatem toto orbe damnatam nec ipsos recipere debeatis, aut quod temere putatur, esse faciendum ; quæ non hæresis majoribus nostris convenienter exstincta rursus provocare nos audeat, et palam novis resumptis viribus aperteque confligat. Nunquidnam licet nobis a venerandis Patribus damnata dissolvere, et ab illis excisa nefaria dogmata retractare? Quid est ergo quod magnopere præcavemus, ne cujuslibet hæresis semel dejecta pernicies ad examen denuo venire contendat? Si quæ antiquitus a nostris majoribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur; nonne ipsi nos, quod absit, et quod nunquam catholica patietur Ecclesia, adversariis veritatis universis contra nos resurgendi proponimus exemplum ? Ubi est quod scriptum est : *Terminos patrum tuorum non transgredieris* (*Deut.* XXXII) ; et : *Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi; et seniores tuos, et dicent tibi?* Quid ergo tendimus ultra definita majorum, aut cur nobis non sufficit? Si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis Patribus et senioribus singula quæque vel vitanda præcepta sunt, vel aptanda catholicæ veritati; cur non his probantur esse decreta? Nunquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate constare, si ea quæ ab illis constituta sunt subruamus? An fortasse nescitis hanc hæresim de qua loquimur, et ab apostolica dudum sede per

A beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Cœlestinum, Sixtum, Leonem, continuis et incessabilibus sententiis fuisse prostratam ; nec tantum Ecclesiæ catholicæ legibus, sed principum quoque Romanorum eo tenore damnatam, ut nec usquam terrarum vivendi locum sectatores ejus habere sinerentur ? Quæ omnia tam gestis Ecclesiæ per singulas quasque regiones de eorum pravitate confectis, quam censuræ publicæ sanctionibus edocentur. Ecce quorumlibet aures catholicas audire doctrinam, quæstiones accipere, tractare tendiculas, et blasphemias patienter admittere. O si studerent adversus eos majorum nostrorum libros responsaque cognoscere, illic modis omnibus cerneretur, nihil esse prorsus, quod non et ab istis fuerit ventilatum, et ab B illis magnifica veritate contritum. Sicque de eunctis eorum nequitiis refutandis fideles quique redderentur instructi, ut nihil amplius quæreretur. Sed si forsitan ineruditos animos quædam de eorum sensibus proposita commoverent, ita venerabilium Patrum doctrinis et omnis eorum publicatur insania, et quibus remediis curetur, ostenditur, ut ex his Deo præstante prævisis, cuncta quæ de eorum serie texuerunt, et periculosa sectantibus et stulta deprehendentibus esse videantur ; ita ut si quis existimet reluctandum, non tamen veterum sententiis contradictor existat, sed humanæ saluti, catholicæque doctrinæ palam se aperteque profiteatur inimicum ; quo magis attentius pervigil cura pastorum a sacris gregibus luporum debet arcere sævitiam. Num quidquid ovibus sanctis C acciderit detrimenti, præsulum (quod absit) damnet incuriam ; sicut a regeneratis agminibus nocentium depulsio bestiarum custodum præmiis perpetuum procuravit augmentum ? Certe si, ut magis optamus, falsis hæc rumoribus sint relata, quantocius desideramus agnoscere, ut qui membrorum Christi vexatione trepidamus, multo magis de eorum stabilitate lætemur. Data V kalendas Augusti, a [a] Fausto [*al.* Albino] V. C. consule (anno Christi 493).

EPISTOLA VI

AD EUMDEM HONORIUM DALMATIÆ EPISCOPUM.

Eum non debuisse mirari scribit quod admonuerit invigilandum ne iterum Pelagiana hæresis pullularet.

Dilectissimo fratri Honorio Gelasius.

Miramur dilectionem tuam fuisse miratam, curam D sedis apostolicæ, quæ more majorum cunctis per mundum debetur Ecclesiis, pro vestræ quoque regionis fide fuisse sollicitam. Cumque ad eam perlatum esset quod quidam per Dalmatias integritatem catholicam vitiare niterentur, et divinis humanisque legibus ante damnatum Pelagianæ pestilentiæ denuo virus inferre ; non putaverimus ullatenus differendum quominus hæc diligentius inquirentes, aut si fortasse irrepserant, de proximo sanarentur, aut anxietatem nostram, si falso probarentur jactata, relevarent ; æstimantes melius nos videri impatientius talia ir-

[a] Mendosa est et subreptitia hæc consularis nota. Nullus enim Fausti consulatus sub pontificatu Gelasii reperitur. Legatur ergo, *Albino viro clarissimo consule*. Aut certe dicendum esset Gelasium non anno 492 pontificatum iniisse, sed 490, die 2 Martii. SEV. BINIUS.

vestigare voluisse, quam crescere dissimulando perniciem. Neque enim vel silentio premere causam hujusmodi, vel differendo fovere deberemus. Cum dicente magistro gentium, *sollicitudine non pigri* (*Rom.* XII); atque iterum, *qui præest in sollicitudine*, reos procul dubio nos nisi continuo quæreremus, etiamsi inaniter essent vulgata, convincerent. Nec interest per quos ad aures nostras eadem pervenissent, dum quomodo libet ista referentibus, postquam nostram conscientiam penetrarent, in his veraciter indagandis pastorales excubias esse non oportuerit negligentes, quatenus vel e vestigio posset lupis inhiantibus obviari, vel nullis existentibus feris, ovium custodia secura persisteret. Ab his qui essent Chloes, Corinthiorum se dissensiones agnovisse testatur Apostolus (*I Cor.* XIV), confestimque scribere non omittit; ut vel nascentibus jurgiis pius medicator occurreret, vel de eorum comperta mox incolumitate gauderet: quod nos quoque litteris quæ super hac parte dictæ sunt, indicasse reminiscimur, ut scilicet aut irrepentibus obsisteremus insaniis, aut, si nihil horum penitus accidisset, de catholicæ veritatis integritate lætaremur. Quapropter non solum dilectio tua nostra non debet vigilantia permoveri, sed præsentis colloquii salutatione percepta nobiscum potius industriam propriæ sociare solertiæ, quatenus vel sive tentata sint talia, protinus corrigantur, vel ne qualibet obreptione tententur, attentius præcavendo subintrare non valeant. De quibus autem ii quos tua caritas destinavit, si plenius instrui voluerint, sequentes tituli cum suis responsionibus intimabunt. Et quoniam se his acquiescere præfati eatenus sunt professi, ut eadem se et primitus tenuisse firmarent, sed ante ullius in quæstionem vocata vellent manifestius expediri, studuimus quantum inter occupationes fieri potuit, quæ nos minime respirare patiuntur, largiente Domino, sequentes paterna vestigia, de talibus, quæ cœpimus non silere: quam regulam sobrie sentiendi quisquis fideli corde sectatur, inter orthodoxos merito debeat æstimari. Quisquis vero putaverit abnuenda, ab apostolicis sese non ambigat exsulare doctrinis. Certe si quid est quod valeat animum permovere, fraternitas tua consulere fiducialiter omittat, ut Domini gratia ministrante, totius discutiat obscuritatis ambiguum fraterna collatio.

[a] EPISTOLA VII.

AD OMNES EPISCOPOS PER PICENUM.

Tria præcipua Pelagianæ hæresis capita refellit. Primum, scilicet parvulos sine originali peccato nasci. Secundum, hos pro solo peccato originali non damnari. Tertium, gratiam ad salutem non esse necessariam, illamque secundum hominum merita conferri.

Gelasius episcopus universis episcopis per Picenum in Domino salutem.

Barbaricis hactenus dolebamus incursibus maxime vicinas Urbi provincias, et bellorum sæva tempestate vastari; sed quantum inter ipsa recentium calamitatum ferventia pericula comperimus, perniciosiorem diabolus Christianorum mentibus labem, quam corporibus hostilis feritas, irrogavit: quod malum principaliter illarum regionum respicit sacerdotes, qui tanta segnitie tantaque ministerii dissimulatione suscepti, commissarum sibi negligunt regimen animarum, ut eas etiam ab exiguis quibusque bestiolis lacerari sub conspectibus suis impune patiantur: quinimo subrepentes nequitias confovendo, et depravatoribus acquiescendo fidelium, non solum eas minime retrahant, sed ipsis præbeant propria nutrimenta perditionis exemplo. Quid autem tales essent acturi pontifices, si (quod absit) vel aliqua nova pestis, et primitus ignorata prorumperet, vel ingeniis acrioribus, sensibusque versutis, aut aliqua sæcularium doctrinarum peritia callidis, sacrilega blasphemiarum dicta promerentur, qui tam veteris erroris detrita commenta, tamque majoribus Ecclesiarum magistris, quam etiam nostra ætate convicta non recolunt nec refutant; atque ab imperitis stultisque prolata non respuunt. Gratias omnipotenti Deo agimus, quoniam suorum corda per hujusmodi personas examinat; qui hoc ipsum virus nesciunt quod loquantur. Nam quid facerent populorum præsules sub astutioribus inimicis, qui se subjiciunt libenter indoctis? Quando utique, etiamsi tanta erat in rectoribus dominici gregis prorsus ignavia, ut ne tam vilem hebetemque personam possint vel intelligere vel frenare, potius pastorali cura debuerint a nobis cognoscenda perquirere, quam suasionibus inconsideranter absurdis, facilem submittere voluntatem: oblatus est enim nobis miserabilis senex [1] Seneca nomine, qui non modo totius est eruditionis alienus, sed ipsius quoque intelligentiæ communis prorsus extraneus, in Pelagianæ voraginis cœno (sicut de quibusdam in Apocalypsi (*Cap.* XVI) legimus) velut una ranarum impudenter immersus, inque illa fæce horribiliter volutatus, nullatenus inde qualiter emergere posset inveniens; quia puritatem relinquens catholicæ veritatis, quanto se per lubricum falsitatis conatur attollere, tanto magis ejus lutosis foveis circumclusus obruitur, de illis unus existens

[a] Hæc epistola circularis data est ad omnes episcopos in Piceno positos, qua plurimum dolet Pelagianam hæresim in eadem provincia coalescere cœpisse. Missa est per Romulum S. R. E. cardinalem diaconum. Tres in ea enumerat et refutat Pelagianas sententias. Earum prima illa est, quod prædicans circulator senex probrosus et indoctus negaret infantes cum peccato originali corripi, et ei obnoxios reddi. Secunda ista, Parvulos sine baptismo non posse damnari. Tertia demum erat, Hominem per liberum arbitrium ipsa natura suffragante posse beatum reddi, tantamque vim liberæ voluntati inesse dicebat, ut si vellet, etiam sine Dei auxilio posset inter adolescentulas versari, easque contrectare, et tamen non inquinari. Quare cum ad prædictas hæreses acceptandas, more hæreticorum, carnis lascivas delectationes proposuisset, et ad bestias terræ capiendas rete carnis quo uti solent expandisset, hanc paternam admonitionem, et pastoralem vigilantiam non obstante metu Anastasii imperatoris Eutychiani et Theodorici regis Ariani in Italia regnantis exercere oportebat. SEV. BINIUS.

Episcopus, quippe qui postea presbyterum privasse communione dicitur. HARDUINUS.

stens, de quibus Petrus dicit apostolus : *Illi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem et in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua, peribunt percipientes mercedem injustitiæ* (*II Petr.* II). Revera enim sic ejus stolidus et obtusus est animus, ut de his venenis, quæ male hausit, et vomuit, nullam rationem vel accipere valeat omnino, vel reddere. Sed induratus obcæcatione diabolica, sibique jam traditus, cordis sui funesta sit obstinatione damnatus ; nihilque supersit ei, nisi ut Deus noster, qui dixit, quæ hominibus impossibilia videntur, apud se esse facilia (*Matth.* XIX), hujusmodi mentem potenti compunctione transfigat, ut secundum beatum apostolum Paulum, *resipiscat a diaboli laqueis, quibus captivus detinetur* (*II Tim.* II) sententia divini judicii. Multa illi quæ de Pelagianis sensibus nec in somnis omnino contigerant, nos magis patefacta prodidimus ea, quæ dudum convicta fuisse monstravimus. Hæc etiam ipsa, quæ idem proferre videbatur, olim et ab hæreticis Pelagianis in medium producta docuimus, et a catholicis prædicatoribus competenter elisa. Pelagium, Cœlestium, Julianum, cæterosque complures oratoriæ facundiæ viros in hac assertione probavimus fuisse convictos, et tam ecclesiasticis constitutis quam imperialibus [1] etiam percussos fuisse præceptis ; proinde istum ferre non posse firmavimus, in quibus illi tales tantique prostrati sunt, qui nec ipsa, quæ ab illis sunt disputata, vel intellecta capere, vel eloquio simili possit astruere. Sed, ut dictum est, *diabolica mens inspiratione possessa, in profundum veniens jam malorum ad remedia nulla consentit* (*Prov.* XVIII). Quapropter de innumeris blasphemiarum generibus quas auctores Pelagianæ hæresis addiderunt, tria, quæ sibi præcipue hic senex lugendus ascivit, credidimus non tacenda, ut reserata manifestius panderentur, et Deo destruente facilius viderentur eversa. In uteris, inquiunt, matrum opere divino creantur infante, propterea justum videri non putant quod factura Dei sine ullis propriis actionibus cuiquam peccato gignatur obstricta ; injustumque Deum faciunt, si rei efficiantur antequam nati. Hoc velut acutissimum sui dogmatis exerunt argumentum, non advertentes quia primi illi parentes generis humani de nullis utique genitoribus, sed de innoxia limi materia procreati, et pure atque sincere potenter arte divina compacti, factique rationales, propria voluntate seductorem secuti diabolum, pravis cupiditatibus per excessum prævaricationis infecti sunt. In quibus utique humana natura peccavit, et humana est facta natura vitiosa, receptrix sine dubio mali quod ante nescierat, quæ a bono rectoque deficiens, in affectum mali pravique recidere ipso rerum consequentium tramite manifestum est. Tales igitur effecti principes nostræ substantiæ, semetipsos passibiles et corruptibiles reddiderunt ; in tantum conditionis divinæ dona violantes, ut mortis fuerint ultione puniti. Hac enim die fuisse mortuos qua mortales effecti sunt, ambiguum non habetur : proinde quidquid isti genitores de suo germine protulerunt, opus quidem Dei est, secundum institutionem naturæ ; sed non absque contagio illius mali, quod sua prævaricatione traxerunt : et utique hoc idem ipsius mali contagium, certum est opus non esse divinum. Itaque non ex creatione Dei est vitium quod voluntario motu natura collegit ; sed etiam de vitiata per semetipsam natura Deus institutionem suam quidem suæ creationis exsequitur ; sed creatio profert vitium, quod non ex institutione Creatoris accepit, sed quod ipsa per lapsum transgressionis suæ assumpsit. Nam si ipsi primi homines ex nullis, ut dictum est, parentibus nati, et sine ullo formati contagio, per ambitum præsumptionis illicitæ semetipsos depravare potuerunt, et in opere Dei opus diabolicæ fraudis adnectere, quid mirum si iidem depravati protulerunt sobolem depravatam? Nonne etiam cum Deus utique liberam condiderit humanam sua creatione substantiam, etiam apud humanas tamen leges extrinsecus accedens servitus naturaliter eam reddit obstrictam et obnoxiam? Origine generantur obnoxii, et ex conditione servili gignuntur addicti ; et nascendo fiunt prius obligati quam geniti : si hoc agitur de rebus extra naturam positis, quanto magis de his provenire non mirum est, quibus ipsa humana substantia depravata cognoscitur? ac per hoc sicut se ipsa humana substantia de institutione sincera actuum reproborum rea fecit voluntate pollutam, sic edidit sobolem atque progeniem naturæ suæ ex actuum suorum rea voluntate maculosam; quia hujusmodi genuit prolem, cujusmodi se ipsa reddidit prævaricationis excessu. Ideoque non solum de se profert quod bene Deus instituit, sed etiam quod male ipsa inconsequenter adjecit. Quemadmodum autem qualitas interior appetendi valet immutare naturam, divinæ lectionis auctoritate firmatur. Sic denique pascente Jacob (*Genes.* XXX), commissus ille grex ovium, supposita canalibus varietate virgarum, dum potat, illectus affectionali delectatione, concepit, quod non habuit in natura, et molitum sensibus transfundit in prolem quod in creatione non sumpsit. Quod tunc utique figuraliter gestum, et in ecclesiasticis significavit gregibus hoc futurum, et Pelagianorum Deus prævidens calumnias, et excitandas fidelibus suis decertationes intelligentiam præparavit. Docent divina testimonia, et ipsa ecclesiastica sacramenta, et ab ipso Domino Salvatore catholicorum traditio magistrorum humanæ generationis decolorata primordia. Hinc est quod clamat propheta : *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum esse a peccatis? nec infans, cujus est unius diei vita super terram* (*Job* XIV). Hinc est quod item dicit Scriptura : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* et alibi : *Quia semen*, inquit, *erat maledictum* (*Sap.* XII) ; nec non etiam David propheta testatur : *In iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Ps.* L). Et si hoc ille dicit, quis aliter se asserat procreatum? Beatus quoque

[1] Honorii, Theodosii atque Constantii.

apostolus Paulus asserit : *Et nos aliquando eramus* A *natura filii iræ sicut et cæteri* (*Ephes.* II). De qua ira in Evangelio dicit : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, habebit vitam æternam; qui autem non crediderit, jam judicatus est, et ira Dei manet super eum* (*Joan.* III). Illa utique, de qua dictum est : *Morte morieris* (*Gen.* II), ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce pronuntiat : *Qui non manducaverit carnem Filii hominis et biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipsum* (*Joan.* VI), ubi utique neminem videmus exceptum; nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci; sine illa autem vita, in perpetua futurum morte non dubium est. Cur igitur infans hoc sorte concluditur, si nullum habet omnino peccatum? magisque videbitur (quod absit) injustus Deus, si B illic infligatur pœna, ubi nulla sit culpa. Unde cum de propriis actibus nullo reatu teneatur obstrictus, nihil restat nisi ut sola sit vitiosa nativitate pollutus; et si non fuerit mysterii Christiani participatione mundatus, ad vitam non potest pervenire perpetuam. Hinc est quod exsufflantur et catechizantur infantes; et quia in opere Dei, quod in auctore suo bene sunt instituti, opus diabolicæ malignitatis accessit, *eruti de potestate tenebrarum* (*Coloss.* I), sicut docet Apostolus, ad Filii Dei sortem, purgationemque legitimam transferuntur. Nisi autem prima generatio, quam bonam Deus instituit, prævaricatione venisset in culpam, et reprobabilis esset effecta; secunda generatio subroganda non fuerat : propter quod dicit beatus Paulus apostolus : *Sicut per unum hominem* C *peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors : et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; et paulo post : *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ* (*Rom.* V).

Sicut autem omnes in condemnationem dicit, utique qui de Adam parente sunt geniti, sic omnes in justificationem vitæ non nisi illos astruit, qui in Christi mysterio sunt renati. Innumeris talibus instrumentis hæresis Pelagianæ doctrina mortifera, et a nostris est convicta majoribus, et nunc eorum copiosa potest eruditione convinci; nec debent simplices animos ista turbare, quibus quæ non intelligunt secundum ecclesiasticam formam credidisse sufficiet, aut si quis nosse desiderat, interrogare conveniet. D De parvulis autem, quod asserit sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est; quamvis enim recentes ab utero matrum in remissionem peccatorum baptizari nullus Christianus ignorat, quod utique non fallaciter, sed veraciter catholica celebrat Ecclesia, ne in sacramentis cœlestibus (quod absit) mentita videatur; proinde quia propria non habeant ulla peccata, constat ejus [*al.* eis] sola prorsus originalia relaxari. Itaque omnibus etiam solis remissis vitam per baptismum consequuntur æternam; consequens est, ut solis etiam non remissis, ad æternam vitam pervenire non possint. Unde et Dominus, sicut superius diximus, ait (quod utique nisi baptizatis non convenit) : *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso* (*Joan.* VI); sine vita autem esse perpetua quid est nisi in sempiterna morte constitui? quamvis idem sit regnum cœlorum quod æterna vita, tamen, ut providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est : *Qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III); sed etiam pariter dictum est : *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso.* De vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat; quoniam multi non manducantes hoc sacramentum, vitam habere videantur præsentem.

Nihil est ergo quod dicant, quod non renati infantes, tantummodo in regnum cœlorum ire non valeant; non autem perpetua damnatione puniantur, dum sine baptismate corpus et sanguinem Christi nec edere valeant, nec potare : sine autem hoc vitam in semetipsis habere non possent, sine vita vero non nisi mortui sint futuri. [1] Dicant [*al.* Dicantur] igitur in morte perpetua constituti, si non æstimentur esse damnati : tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciant locum. Et quia non nisi dextram partem legimus et sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine baptismate remanere, sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri.

Tertio capitulo jam toto mundo cognita, atque convicta Pelagianorum deliramenta circumferre, quibus dicunt, quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit ac perdidit, bono suffragante naturæ beatus efficiatur, cum de beatitudine paradisi, ubi bona fuerat constituta substantia, nisi sub amisso bono nullatenus potuisset expelli, unde mortalis effecta, quia de bono utique prævaricatione transisset ad malum; et a participatione divina ad diabolica semet facinora contulisset : ideo deceptori suo, cui volens assenserat, competenter addictus, ideo de felicitatis suæ caritate seclusus, atque ad spinas et tribulos, miseriasque multiplices cœlesti voce damnatus est; quæ utique pœna justi judicii tam gravis et aspera in bono perseveranti nullatenus esset inflicta; et nisi malo non convenienter illata probaretur. Ecce sine divino suffragio, quod in illa beatitudine positus nunquam legitur expetisse; non solum homini naturale bonum prodesse non potuit, non solum non effecit beatum; sed cum hoc solo confidit, atque ad ejus non revertitur largitorem, et beatitudinem potius amisit, et malorum omnium sumpsit exordium. Quod autem libero arbitrio beatitudinem consequantur, quo male usus in perpetuam recidit servitutem, sicut scriptum est : *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* II, 34) : a quo quis superatur, huic et servus addicitur. Nonne hæc est illa præsumptio naturalis quæ ad detestandæ captivi-

[1] Forte *Non dicantur.* HARDUIN.

tatis jura descendit, quam Scriptura sancta sic memorat : *Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium* (*Eccles.* XL); de qua genus humanum non nisi solus Dominus noster Jesus Christus commercio suæ redemit passionis, et mutata nativitate nos eruit? *Solus utique venit quærere, et salvare quod perierat* (*Matth.* XVIII), ut libertas, quæ per temerariam fuerat dejecta superbiam, instauretur reparata per gratiam; mutuaque vice humanæ voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum, captivitatem meruerat sempiternam, sic reformatæ subsequendo libertatis auctorem, amissum rediret ad præmium. Hinc est quod ipse Dominus ait : *Cum vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Et apostolus beatus Paulus exsequitur : *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ*, id est alieni a justitia, *liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ* (*Rom.* VI); et iterum idem ipse : *Libertatem*, inquit, *qua vos Christus liberavit* (*Galat.* V). Nonne ipse vas electionis affirmat, et dicit : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II)? ne etiam in mala voluntate, et velle et perficere Deus putaretur operari. Illud autem Pelagianorum peculiare virus est, olimque detritum, quo putant gratiam Dei secundum merita hominum posse conferri, quod absit a mentibus Christianis, cum testetur Apostolus : *Gratia est quæ gratis datur ; alioquin si ex operibus gratia, jam non est gratia* (*Rom.* XI), quia merces redditur non gratis, unde gratia nomen accepit impenditur. Quis autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni sine gratia, quando magister gentium clamat, cuncta breviter in se dona concludens : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit* (*I Cor* XV); ut ostenderet quia donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsecutus; atque monstraret cooperatorem se esse gratiæ subsequendo : *sed plus omnibus*, inquit, *illis laboravi* (*Ibidem*). Ac rursus veritus ne de se præsumere videretur, adjunxit : *non ego, sed gratia Dei mecum.* Non dixit : ego et gratia Dei mecum; sed præposuit gratiam præcedentem se, atque subjunxit. Quid autem haberi possit sine gratia, cum sit fides ipsa per gratiam; eodem apostolo nos docente : *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (*I Tim.* I). Nec aliud est misericordia divina quam gratia. Audiamus etiam quemadmodum informat Ecclesiam : *Gratia, inquit, salvi facti estis per fidem* (*Ephes.* II); ut principium salutis et fidei a gratia cœpisse dissereret, sicut secutus adnectit : *Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est ; non ex operibus, ne quis extollatur* (*Ibid.*). Idem ipse alibi generaliter et absolute pronuntiat, dicens : *Quid enim habes quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (*I Cor.* IV)? Quis sufficiet singula recensere? quibus evidenter apparet, non naturalis libertatis arbitrium gratiam promereri, sed potius per gratiam recipere, ut a servitute, quam peccando meruerat, misericorditer absolutum esset. Hujus sacramenti redemptione ante mundi principium sempiterna providentia præparati, sive nondum prolata lege, seu sub observatione legali, figuralibus signis atque sacrificiis omnium sanctorum virorum feminarumque sanctarum vetus origo mundata est, universisque justis per gratiæ spiritum hoc de longe adorando mysterio salutis æternæ remedia contigerunt, cujus in Christo manifestata gentibus plenitudo, mundum purgat, et renovat, beatitudinisque perpetuæ vere facit esse participes. Quapropter nimis incusamus fratres et coepiscopos nostros, maxime per Piceni provincias Ecclesiam Domini gubernantes, qui non solum ineptissimi senis, abjectæque personæ pravum non deterruere colloquium, verum et suo nutrivere consensu. Quis audiat? quis ferat, passos esse pontifices, ut cadaver nescio quod indignum, presbyterum sibi non acquiescentem audire, communione privaret? quomodo talis vel susceptus ab aliquo, vel patienter auditus est? qui insuper leges dedit, libenter [1] exceptus, ut servi Dei cum puellis sacris congregatione dedecorissima miscerentur? nam cum spirituales animi, etiam cum desint ista consortia, imaginariis infestentur illecebris, quemadmodum alterni sexus intuitu, [2] qui illicite nolentes non vehementius incitentur? Adbuc majus scelus accrescit, ut sub conspectu et præsentia sacerdotum, beatæ memoriæ Hieronymum atque Augustinum ecclesiasticorum lumina magistrorum, *musca moritura*, sicut scriptum est, *exterminans oleum suavitatis* (*Eccles.* X), lacerare contenderet. Sed quid miremur Ecclesiarum præsules ista negligere, quos sicut a multis audivimus, contra canones omnia gerere, et contra apostolicam (I *Cor.* XIV) disciplinam passim cuncta miscere, manifestum est; non servatis regulis ordinare, liciteque non solum monachos, sed etiam ministros ecclesiæ cum feminis ad peregrina migrantes remeare rursus, et ab aliis episcopis in militiam provehi clericalem? Quæ cum singula toleranda non sint, quis sustineat tot et talia facinora perpetrari, quibus spectaculum gentilibus, Judæis, et hæreticis non immerito præbentes, in ipsum (quod absit) tendere videatur religionis excidium? digneque ista facientibus aptabitur illa sententia dicentis Apostoli : *Nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus* (*Rom.* II). Sufficiat igitur hactenus fuisse hæc commissa, et ut placetur Deus humanis rebus sollicitius divina curentur. Nusquam loci prorsus inveniatur præfatæ pestis assertor, nec accessum prorsus ecclesiæ vel usquam participationem catholicæ communionis inveniat qui hæreticorum mavult subsequi nefaria professione consortium; et hi cum quibus antea probabitur noxium miscuisse colloquium, nisi resipiscunt, et ab ejus societate discedunt, ab ecclesiastico remoti servitio, devota ultione plectantur, quo cæteris cavendi ministretur exemplum, nullum adeat, nec usquam loqui damnatæ olim blasphemiæ jam sinantur : discreta

[1] Forte *exceptas.* HARDUIN.

[2] Forte *etsi illicite.* HARDUIN.

suis habitationibus virorum atque feminarum, sicut sanctum propositum decet, exerceatur circumspecta devotio. Contra canonum constituta nullus (*Nic.* IX, 10) ad ecclesiasticum permittatur [*al.* promoveatur] officium : non ignoraturis provinciæ uniuscujusque rectoribus, nec de præteritis se veniam reperturos erroribus, si deinceps dissimulaverint vitare patefactos : nec excusationis de cætero relinquetur occasio, si post præcepta præsentia, quæ per Romulum diaconum, cujus solertiam pro fide catholica et pro religione vigilantiam gratissime comprobamus, duximus destinanda quisquis super his omnibus aut contemptor aut negligens deprehendetur antistes. Sicut enim ad sedis apostolicæ moderamina pertinet, cunctis sollicitudinem debitam ministrare congruenter Ecclesiis ; ita necesse est, ut in contumaces et desides traditam sibi divinitus non dissimulet potestatem. Data calendis Novembris, Albino viro clarissimo consule (anno Christi 393).

[a] EPISTOLA VIII.

AD ANASTASIUM IMPERATOREM.

Præmissa excusatione cur ad imperatorem non scripserit, illum hortatur ut apostolicæ sedi obtemperet, et, Acacii nomine damnato, Ecclesiarum pacem restituendam curet.

[1] Gelasius episcopus ad Anastasium Augustum.

Famuli vestræ pietatis, filii mei, Faustus magister et Irenæus viri illustres, atque eorum comites publica legatione fungentes, ad Urbem reversi, clementiam vestram quæsisse dixerunt [*al.* dicuntur], cur ad vos meæ salutationis scripta non miserim. Non meo, fateor, instituto ; sed cum directi dudum de partibus Orientis vel videndi me licentiam, sibi vestris præceptionibus abnegatam, tota Urbe dispersérint, a litteris credidi temperandum, ne onerosus potius quam officiosus existerem. Videtis igitur non mea dissimulatione provenisse, sed competentis fuisse cautelæ, ne respuentibus animis molestias irrogarem. Sed ubi serenitatis tuæ benevolentiam comperi, præfatis indicantibus, humilitatis meæ clementer expetisse sermonem, jam revera perpendi, [2] imputandum non immerito mihi, si tacerem ; quia, gloriose fili, [3] te sicut Romanus [*al.* Romæ] natus, Romanum principem amo, colo, [4] suscipio ; et sicut Christianus, cum eo qui zelum Dei habet, secundum scientiam veritatis [5] habere desidero : et qualiscunque apostolicæ sedis vicarius, [6] quodcunque plenæ fidei catholicæ deesse comperero, pro meo modulo suggestionibus opportunis supplere contendo. Dispensatione etenim mihi divini sermonis injuncta, *væ mihi est, si non evangelizavero* (*I Cor.* IX) ! Quod cum vas electionis beatus Paulus apostolus formidet et clamet, multo magis mihi exiguo metuendum est, si divinitus [7] inspiratum, et paterna devotione transmissum, subtraxero ministerium prædicandi. Pietatem tuam precor ne arrogantiam judices divinæ rationis officium. Absit, quæso, a Romano principe, ut intimatam suis sensibus veritatem arbitretur injuriam. Duo [8] quippe sunt, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur : auctoritas sacra [*al.* sacrata] pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus [9] Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis [*al.* exspectas], inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque (ut competit) disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc, ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ ; quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis ? Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus, siluisse pro Divinitatis cultu, quod congruit ; ita his (quod absit) non mediocre periculum est, qui, cum parere debeant, despiciunt. Et si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus, fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et Divinitas summa voluit præeminere, et subsequens Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit ? Ubi pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, et habet devota primatem. Impeti possunt humanis præsumptionibus quæ divino sunt judicio con-

[a] Cum circa finem anni 493 Theodorici regis legati Constantinopoli revertissent, atque ea quæ ab imperatore Anastasio acceperant Gelasio papæ nuntiassent, ipse Gelasius apologeticam epistolam hanc ad eumdem Anastasium conscripsit, quæ in capitularibus regni Francorum citatur lib. V, cap. 167. His litteris persuaderi non potuit, ut remoto obice, Ecclesiis unionem et pacem redderet. Obstitit Euphemius, asserens ab apostolica sede magis exerceri vindictam quod ab Acacio spreta esset, quam justitiam defendi. Epistolam scriptam esse anno pontificatus Gelasii tertio, qui est Christi 494, ex eo colligitur quod Anastasius hoc tempore se Eutychianum esse hæreticum, et Acephalorum sectæ signiferum necdum declararit : quem constat anno sequente virus in pectore occultatum plane evomuisse. SEV. BINIUS.

[1] Al., *Gloriosissimo imperatori Anastasio Gelasius episcopus.*

[2] Codex Capituli Veronensis pervetustus, cum quo collata est hæc epistola, legit *reputandum*.

[3] Id. cod., *et sicut.*

[4] Id. cod. *suspicio.*

[5] Forte, *pacem habere.* HARDUIN.

[6] Al., *quod ubicunque plene.*

[7] Id. cod., *inspirato..... transmisso.*

[8] Hæc sententia citatur lib. V Capitul., c. 167, et ab Hincmaro opusc. 9, n. 59. HARDUIN.

[9] Id. cod., *hominum.*

stituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum, quod ab ipso sacræ religionis auctore præfixum est, non potest ulla virtute convelli: *Firmamentum enim Dei stat* (*II Tim.* II). Nunquidnam cum aliquibus infestata religio est, [1] quantacunque potuit novitate superari, et non magis hoc invicta permansit, quo æstimata est posse succumbere? Desinant ergo (quæso te) temporibus tuis quidam per occasionem perturbationis ecclesiasticæ præcipitanter ambire quæ non [2] licet, ne et illa quæ male appetunt nullatenus apprehendant, et modum suum apud Deum et homines non teneant. Quapropter sub conspectu Dei pure ac sincere pietatem tuam deprecor, obtestor et exhortor, ut petitionem meam non indignanter accipias: rogo, inquam, ut me in hac vita potius audias deprecantem, quam (quod absit) in divino judicio sentias accusantem. Nec me latet, imperator Auguste, quod pietatis tuæ studium fuerit in privata vita. Optasti semper fieri particeps promissionis æternæ. Quapropter noli, precor, irasci mihi, si te tantum diligo, ut regnum, quod temporaliter assecutus es, velim te habere perpetuum, et qui imperas sæculo, possis regnare cum Christo. Tuis certe legibus, imperator, pateris nihil perire, Romano nomini [*al.* perire Romano nomini] nullum admittis ingeri detrimentum. Itane verum est, princeps egregie, qui non solum præsentia Christi beneficia, sed desideras et futura, ut religioni, ut veritati, ut sinceritati catholicæ communionis et fidei, temporibus tuis, patiaris quemquam inferre dispendium? Qua fiducia (rogo te) illic ejus præmia petiturus es, cujus hic damna non prohibes? Non sint gravia, quæso te, quæ pro tuæ salutis æternitate dicuntur. Scriptum legisti: *Meliora sunt vulnera amici quam oscula inimici* (*Prov.* XXVII). Quæso pietatem tuam, ut quo affectu dicuntur a me, eo tuis sensibus intimentur. Nemo pietatem tuam fallat. Verum est quod figuraliter per prophetam Scriptura testatur? *Una est columba mea, una est perfecta mea* (*Cant.* VI), una est christiana fides, quæ est catholica. Catholica autem veraciter illa est, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus atque consortibus sincera, pura, immaculata communione divisa [*al.* divulsa] est. Alioquin non erit divinitus mandata discretio, sed miseranda confusio. Nec ulla causa jam superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne cunctis hæresibus aditum januamque pandamus. *Qui enim in uno offenderit, omnium reus est* (*Jacob.* II); et: *Qui minima spernit, paulatim decidit* (*Eccles.* XIX). Hoc est quod sedes apostolica magnopere cavet [*al.* prætaxavit], ut quia mundo radix est apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non

A posse confidimus) tale aliquid proveniret, [3] unde cuiquam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus? Proinde si pietas tua unius civitatis populum negat posse [4] pace componi, quid nos de totius orbis terrarum sumus universitate facturi, si (quod absit) nostra fuerit prævaricatione deceptus? Si totus correctus est mundus, profana patrum suorum traditione despecta, quomodo non corrigatur unius civitatis populus, si prædicatio fida [*al.* fidei] succedat? Ergo, gloriose imperator, nolo ego [*al.* non negligo] Ecclesiarum pacem, quam, etiamsi cum mei sanguinis impendio provenire posset, amplector [*al.* amplectar]? Sed (precor te) cujusmodi debeat esse pax ipsa, non utcunque, sed veraciter christiana mente libremus. Quomodo enim

B potest esse pax vera cui caritas intemerata defuerit? Caritas autem qualiter esse debeat, nobis evidenter [5] Apostolus prædicat, qui ait: *Caritas de corde, puro, et conscientia bona et fide non ficta* (*I Tim.* I). Quomodo (quæso te) *de corde erit puro*, si contagio inficiatur externo? Quomodo *de conscientia bona*, si pravis fuerit malisque commixta? Quemadmodum *fide non ficta*, si maneat sociata cum perfidis? Quæ cum a nobis sæpe jam dicta sint, necesse est tamen incessabiliter iterari, et tamdiu non taceri quandiu nomen pacis obtenditur; ut nostrum non sit (ut invidiose jactatur) facere pacem, sed tamen velle doceamus, qualis, et sola pax esse, et præter quam [6] nulla esse monstratur. Eutychianum certe dogma, contra quod apostolicæ sedis cautela pervigilat, si

C creditur salva fidei catholicæ posse veritate constare, promatur, asseratur, et quantislibet viribus astruatur, ut non solum per seipsum, quam inimicum sit fidei Christianæ possit ostendi, sed quantas et quam lethales hæreses in sua contineat colluvione monstrari. Si autem (ut magis confidimus) a catholicis judicatis mentibus excludendum, quæso te, cur non et contagia simul eorum qui hac probantur esse polluti, decernitis refutanda, cum dicat Apostolus: *Non solum qui non facienda faciunt, reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I)? Proinde sicut non potest, perversitatis communicatore suscepto, non pariter perversitas approbari, sic non potest refutari perversitas, complice sectatore perversitatis admisso. Legibus certe vestris, criminum conscii susceptoresque latrocinantium pari judiciorum pœna constringuntur; nec expers facinoris æstimatur qui, licet ipse

D non fecerit, facientis tamen familiaritatem fœdusque receperit. Proinde cum Chalcedonense concilium, pro fidei catholicæ atque apostolicæ veritate communioneque celebratum, damnaverit Eutychen detestandi furoris auctorem, non satis habuit, nisi ut pariter ejus quoque consortem Dioscorum cæterosque percelleret. Hoc igitur modo, sicut in unaquaque hæresi vel factum semper, vel fieri non habetur ambi-

[1] Cod. Veron., *quantumque*: Quesnellus legit *quacunque*.
[2] Id. cod., *non licent.*
[3] Id. cod., *vel cui jam.*

[4] *Pace* deest in eod. cod.
[5] Id. cod., *per Apostolum prædicatur.*
[6] Id. cod., *pax nulla.*

gnum, successores eorum [1] Timotheum, Petrum atque alterum Antiochenum Petrum, non viritim propter singulos quosque rursus facto concilio, sed synodi semel [2] acta regula consequenter elisi. Quemadmodum ergo non evidenter apparet etiam cunctos simili tenore constringi, et qui eorum communicatores et complices exstiterunt, atque omnes omnino a catholica atque apostolica merito communione discerni: hinc Acacium quoque jure dicimus a nostro consortio submovendum, qui maluit in sortem transire perfidiæ, quam in catholicæ atque apostolicæ communionis sinceritate constare, [3] cum fere [a] per triennium, ne in id veniret, apostolicæ sedis epistolis doceatur competenter instructus. Postquam vero communionis est factus alienæ, non potuit nisi a catholicæ et apostolicæ mox societate [4] præcidi, ne per eum, si vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subiisse contagia perfidorum. Sed revera vel tali perculsus pœna resipuit, correctionem promisit, emendavit errorem? aut ille tractatus lenius voluerat [al. valuerat] coerceri, qui etiam verbera dura non sensit? Quo in sua perfidia et damnatione moriente [al. manente], tam ejus in ecclesiastica recitatione non potest nomen ascribi, quam externæ contagium non debet communicationis admitti. Quapropter aut doceatur ab hæretica participatione sincerus, quorum se ille communioni permiscuit, aut cum eisdem non potest non repelli. Si autem susurrant Orientis episcopi, quod ad eos sedes apostolica non ista conscripserit, quasi vel ipsi de recipiendo legitime Petro sedem apostolicam suis litteris fecerint certiorem, vel hujus receptionis inconditæ non jam pariter complices exstitissent, quem sicut vere non possunt docere ab hæretica pravitate fuisse purgatum, ita se hæreticorum nullatenus poterunt excusare consortes. [5] Quod si fortassis astruxerint, quod ad apostolicam sedem de susceptione Petri per Acacium cuncti consona [6] voce retulerint, per eumdem sibimet omnes pari voce sentiunt fuisse rescriptum. Apostolicæ [al. vice primatus sedis apostolicæ] vero sedis auctoritas, quod cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit universæ, et canonum serie paternorum, et multiplici traditione firmatur. Sed vel hinc, [7] utrum sibi quisquam contra Nicænæ synodi constituta quippiam valeat usurpare, collegio potest unius communionis ostendi, non mentibus externæ societatis aperiri. Apud illos si quis confidit, egrediatur in medium, et apostolicam sedem de utraque parte revincat et instruat. Tollatur ergo nomen e medio, quod ecclesiarum discretionem procul a catholica communione operatur, ut sincera pax fidei communionisque reparetur et unitas: et tunc quis nostrum contra veneran-

A dam vel insurrexerit, vel nitatur insurgere vetustatem, competenter et legitime perquiratur. Et illic apparebit quis modesto proposito custodiat formam, traditionemque majorum, quis supra hæc irreverenter insiliens, rapina æqualem posse fieri arbitretur. Quod si mihi populi Constantinopolitani persona proponitur, per quam dicatur nomen scandali, id est Acacii, non posse removeri; taceo, quia et hæretico quondam Macedonio pulso, et Nestorio nuper ejecto, plebs Constantinopolitana catholica permanere delegerit potius quam majorum præsulum damnatorum affectione retineri. Taceo, quod qui ab eisdem ipsis damnatis præsulibus, baptizati fuerant, in fide catholica manentes, nulla sint exagitatione turbati. Taceo, quod pro rebus ludicris populares tumultus nunc B etiam vestræ pietatis auctoritas refrenarit; atque ideo multo magis pro salute animarum suarum necessario vobis Constantinopolitanæ civitatis obtemperat multitudo, si eam ad catholicam et apostolicam communionem vos principes reducatis. Etenim, imperator Auguste, si contra leges publicas aliquid (quod absit) quispiam fortasse tentaret, nulla pati id ratione potuisses: ad Divinitatis puram sinceramque devotionem, ut tibi plebs subdita redigatur, conscientiæ tuæ non putas interesse? Postremo, si unius civitatis populi animus non putatur offendi, ne divina (ut res postulat) corrigantur: quanto magis, ne divina offendantur, catholici nominis universis piam fidem nec lædere debemus omnino, nec possumus? Et tamen iidem nostra se poscunt voluntate sanari. Competen- C tibus ergo sinant curari se posse remediis: alioqui (quod absit) in eorum transeundo perniciem, cum illis perire possumus, ipsos vero salvare non possumus. Jam hic quid sit magis sequendum, sub divino judicio vestræ conscientiæ derelinquo: utrum, sicut nos optamus, simul omnes certam redeamus ad vitam; an, sicut illi poscunt, manifestam tendamus ad mortem. Sed adhuc apostolicam sedem, sibi medicinalia suggerentem, superbam vocare arrogantemque contendunt. Habet hoc qualitas sæpe languentium, ut accusent magis medicos congruis observationibus ad salubria revocantes, quam ut ipsi suos noxios appetitus deponere vel reprobare consentiant. Si nos superbi sumus, [8] quia animarum remedia convenientia ministramus, quid vocandi sunt qui resultant? D Si nos superbi sumus, qui obediendum paternis dicimus institutis; qui refragantur, quo appellandi sunt nomine? Si nos elati sumus, qui divinum cultum puro atque illibato cupimus tenore servari; qui contra Divinitatem quoque sentiunt, dicant, qualiter nuncupentur? Sic et nos cæteri, qui in errore sunt, æstimant, quod eorum non consentiamus insaniæ. Ubi

[a] Hujus triennii initium referendum est ad 15 annum Simplicii, quo Acacius delictum commisit, ut patet supra in notis epistolarum Simplicii 15 et 17. SEV. BINIUS.

[1] Id. cod., *Timotheus*, *Petrus*, *atque alter Antiochenus Petrus*.
[2] Id cod., *actæ regula consequenter elisi*.
[3] Anno 478, 479, 480. Alium iniit calculum Liberatus cap. 18. HARDUIN.
[4] Anno 484.
[5] Cod. Veron., *Qui si*.
[6] Id cod., *voluntate*.
[7] Id. cod., *vel utrum*.
[8] Id. cod., *qui animarum*.

tamen spiritus superbiæ veraciter consistat et pugnet veritas ipsa indicat [*al.* judicat].

EPISTOLA IX.

AD EPISCOPOS LUCANIÆ.

Nonnulla ecclesiastica instituta exponuntur.

[1] Dilectissimis fratribus universis episcopis per Lucaniam, et Brutios, et Siciliam constitutis Gelasius.

TITULI DECRETORUM PAPÆ GELASII.

I. De constitutis ecclesiasticis, pro temporibus qualitate moderandis.

II. Ut ubi nulla perurget necessitas, constituta Patrum inviolata serventur; vel cum defuerint clerici, de monachis eligantur.

III. Ut si qui de laicis eliguntur ad clericum, multo sollicitius in his, ea quæ de monachis dicta sunt inquirantur.

IV. Ut ab episcopis, præceptione papæ, novæ basilicæ dedicentur.

V. Ut nulla prædia [*lege* pretia] *de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur. Quod si qui hoc perpetraverint, honoris sui periculo subjacebunt.*

VI. Ut presbyteri modum debitum servent, non chrisma conficiant, non consignent; nec præsente quolibet episcopo, nisi jubeantur ab ipso, vel orare, vel sedere præsumant, nec acolythum, vel subdiaconum faciant.

VII. Similiter ut diaconi mensuram propriam juxta Patrum decreta custodiant.

VIII. Quod diaconi in presbyterio residere non possint, nec sacri corporis prærogationem, præsentibus debent usurpare presbyteris.

IX. Quod apostolica sedes paternos canones pio studio devotoque custodiat.

X. Ut præter paschale tempus et pentecosten nemo baptizare præsumat, nisi eos tantum quos ægritudo extrema compulerit.

XI. Presbyterorum et diaconorum ordinationes certis celebrari posse temporibus.

XII. Ut præfixis diebus virgines consecrentur.

XIII. Ut viduæ non velentur.

XIV. Ut nullus præsul vel ecclesiæ, vel monasterii servum, aut originarium, nolentibus dominis, sub nomine religioso defendat, honoris et communionis periculum subiturus quisquis hoc perpetrare tentaverit.

XV. Ut clerici nulla negotia inhonesta, nec turpia lucra sectentur.

XVI. Ut nemo litteras nesciens, vel aliqua parte corporis minutus, provehatur ad clerum.

XVII. De his qui seipsos abscindunt.

XVIII. Quod ad clerum criminosi nequeant promoveri, et in clero positi, si in aliquibus fuerint inventi flagitiis, a suis officiis arceantur.

XIX. Quod dæmonis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat.

A *XX. Quod hi qui se sacris virginibus sociant, et fœdera incesta commiscent, communicare non possint, nisi forte publicam pœnitentiam gesserint.*

XXI. Quod viduæ, ut supradictum est, non velentur. Et si professam continentiam proposito mutato calcaverint, ipsæ pro se rationem sint ideo [al. *domino*] *reddituræ.*

XXII. Quod secunda conjugia sæcularibus non negentur, quibus tamen ad clerum minime venire conceditur.

XXIII. Ut si quis susceperit ecclesiæ propriæ desertorem, et in aliquam provexerit dignitatem, utique sententiæ subjaceant quam canones addixerunt.

XXIV. Quod si qui ex monachis aut laicis eliguntur ad clerum, cum nulla cogit necessitas, antiqua in eis B *debentur instituta servari. Quod si probentur sacram mercati esse pretio dignitatem, ab officio deponantur, nam dantem et accipientem Simonis magi crimen involvit.*

XXV. De sacris locis noviter institutis, quamvis superius dictum sit, hoc nunc tamen adjicitur, ut nulla basilica sub defunctorum constructa nomine dedicetur.

XXVI. Quod nefas sit feminas sacris altaribus ministrare, vel aliquid ex his quæ virorum sunt officiis deputata præsumere.

XXVII. Quod in unaquaque ecclesia cui episcopus præest, tam de redditibus quam de fidelium oblationibus quatuor debeant fieri portiones: ut una sit episcopi, alia clericorum, tertia pauperum, quarta ecclesiæ fabricis applicetur.

C *XXVIII. Quod episcopus, presbyter, et diaconus, a quocunque clerico veraciter fuerit accusatus, quod adversus hæc constituta fecerit, potest sine dubitatione percelli, sui etiam honoris periculum episcopus subiturus, si hæc omnia ecclesiæ noscenda tacuerit.*

[2] CAPUT PRIMUM. — Necessaria rerum [3] dispensatione [*al* disputatione *vel* dispositione] constringimur, et apostolicæ sedis moderamine convenimur; sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus; quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, et reparandis militiæ clericalis officiis [*supple* D consulamus] quæ per diversas Italiæ partes ita belli famisque [4] consumpsit incursio, ut in multis ecclesiis (sicut fratris et coepiscopi nostri Joannis Ravennatis Ecclesiæ sacerdotis, frequenti relatione comperimus) usquequaque deficiente servitio ministrorum [*al.* ministeriorum] [5] nisi remittendo paulisper ecclesiasticis promotionibus antiquitus intervalla præfixa remaneant (sine quibus administrare nequeant) sacris ordinibus Ecclesiæ funditus destitutæ; atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilii, salutare subsidium redi-

[1] In vetustissimo Lucensi cod. num. 490 iste titulus sic enuntiatur : *Gelasius episcopus universis episcopis per unamquamque provinciam constitutis.* MANSI.

[2] Citatur et a Nicolao papa in epist 8 ad Michaelem imperatorem. HARDUIN.

[3] Cod. Luc., *dispositione.*

[4] Id. cod., *consumpserit.*

[5] Id. cod., *nil.*

mendarum desit animarum: nosque magno reatu, si tanto coarctante periculo, non aliquatenus [1] videamur innecti.

CAP. II. — Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis; quæ, ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodire, eatenus ecclesiis quæ vel cunctis sunt privatæ ministris, vel sufficientibus usque adeo dispoliatæ servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tam [2] intuendi quam promovendi clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus.

Ut si quis etiam de religioso proposito, et disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedat, imprimis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur, si nullo gravi facinore probatur infectus, si secundam non habuit fortassis uxorem, nec a marito relictam [*al.* rejectam] sortitus ostenditur; si pœnitentiam publicam fortassis non gessit, nec ulla corporis parte vitiatus apparet; si servili aut originariæ non est conditioni obnoxius; si curiæ jam [*al.* etiam] probatur nexibus absolutus; si assecutus est litteras, sine quibus vix fortassis ostiarii possit implere ministerium: ut si his omnibus quæ sunt prædicta fulcitur, continuo lector, vel notarius, aut certe defensor effectus, post tres menses existat acolythus, maxime si huic ætas etiam suffragatur; sexto mense subdiaconi nomen accipiat; ac si modestæ conversationis honestæque voluntatis existit, nono mense diaconus, completoque anno sit presbyter: cui tamen, quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur præstitisse devotio.

[3] CAP. III. — Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregandus officiis, tanto sollicitius in singulis, quæ superius comprehensa sunt, hujusmodi decet examinari personam, quantum inter mundanam religiosamque vitam constat esse discriminis: quia utique convenientia ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus meritis ingerenda; tantoque magis, quod sacris aptum possit esse servitiis, in eorum quærendum est institutis, quantum [*al.* quanto] de tempore quo fuerant hæc assequenda decerpitur: ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit; ne per occasionem supplendæ penuriæ clericalis vitia potius divinis cultibus intulisse [4] judicemur, non legitimæ familiæ computemur procurasse compendia; quorum promotionibus super anni metas, sex menses nihilominus subrogamus: quoniam, sicut dictum est, distare convenit inter personam, divino cultui deditam et de laicorum conversatione venientem; quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis ecclesiis quibus infestatione bellorum vel nulla penitus, vel exigua remanserunt, ministeria renoventur, quatenus his Deo propitio restitutis, in ecclesiasticis gradibus subA rogandis canonum paternorum vetus forma servetur. Nec contra eos ulla ratione prævaleat, quod pro accidentis defectus remedio providetur, non adversus scita majorum nova lege proponitur: cæteris ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas, pristinam faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam. Quo magis hac opportunitate commoniti, observantiam venerandorum canonum propensius delegamus, singulorum graduum conscientias admonentes, ne in illicitos prorumpere moliantur excessus.

Nec fas esse confidat quisque pontificum, bigamos, aut conjugia sortientes ab aliis derelicta, sive quoslibet [5] pœnitentium [*al.* post pœnitentiam], vel sine litteris, vel corpore vitiatos [*al.* minutos], vel conditioB narios, aut curiæ publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis exspectatione discussos, divinis servituros applicare mysteriis; neque pro suo libitu jura studeant aliena pervadere, absque sedis apostolicæ justa dispositione mandante.

CAP. IV. — Basilicas noviter institutas non petitis ex more [6] præceptionibus, dedicare non audeant, nec ambiant episcopi sibimet vindicare clericos potestatis alienæ.

CAP. V. — Baptizandis consignandisque fidelibus sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur (*Matth.* x). Et ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterC riti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causas adire despiciant; certum habentes quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.

CAP. VI. — Nec minus etiam presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus; nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem; non præsente quolibet antistite, nisi fortasse jubeantur, vel orationis, vel actionis sacræ supplendæ sibi præsumant esse licentiam; neque sub ejus aspectu, nisi jubeantur, aut sedere præsumant, aut [7] veneranda [*al.* venerabilia] tractare mysteria. Nec sibi meminerint ulla D ratione concedi, sine summo pontifice, subdiaconum aut acolythum jus habere faciendi; nec prorsus addubitent, si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exsequendum, continuo se presbyterii dignitate et sacra communione privari. Quod fieri necesse est censeamus, si eorum præsule deferente, hujusmodi fuerit prævaricatio [*al.* præsumptio] comprobata, nec ipso eorum episcopo a culpa conniventiæ et ultione vacaturo, si immoderata facientem dissimulaverit vindicare.

[1] Id. cod., *consulamus*.
[2] Id. cod., *instituendi*.
[3] Citatur a Nicolao papa in epist. 2 ad Michaelem imp., tametsi quædam ibi ab istis discrepant. HARDUIN.

[4] In cod. Luc. deest *judicemur*.
[5] Id. cod., *post pœnitentiam*.
[6] Infra cap. 25, *præcepto sedis apostolicæ*.
[7] Cod. Luc. 490, *venerabilia*.

Cap. VII. — Diaconos quoque propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem (*Nic.* xviii) paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus; nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quæ primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi, prædictis fortasse officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod et laicis Christianis facere plerumque conceditur.

Cap. VIII. — Non in presbyterio residere, cum divina celebrantur, vel ecclesiasticus habetur [*al.* celebratur] quicunque tractatus. Sacri corporis prærogationem, sub conspectu pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi.

Cum enim decreta venerabilium sanctionum nos quoque magnopere custodire nitamur, ac sine eorum dispendio etiam illa quæ pro alicujus utilitatis compendio fortasse videantur laxanda, credamus.

Cap. IX. — Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et cum sedes apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito; satis indignum est quemquam vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere: satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum, dicente Scriptura: *Ordinate in me caritatem* (*Cant.* ii). Et item: *Omnia cum ordine fiant* (*I Cor.* xiv). Atque iterum psalmista prædicante: *Circumdate Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus. Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite gradus ejus, ut enarretis in progenies alteras, quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum; et ipse reget nos in sæcula* (*Psal.* xlvii). Hic procul dubio, qui in ecclesiasticarum narratur altitudine dignitatum, et in cujus virtute bonis operibus corda ponenda sunt, gradibus utique distributis, cunctis Deus noster et rector populis prædicandus est christianis: ubi nemo sibimet aliquid jam existimet imminutum, cum et de uniuscujusque gradus perfectione nihil deperit, et convenienter retinendo, quod cœlesti dispensatione collatum est, pariter nobis et cognoscibilem Deum fieri, et tribuit esse rectorem. Nam et si quid indulgetur de temporum quantitate moribus aggregata strenuitate pensatur: si vitæ jam [*al.* etiam] proposito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum, dummodo illa nullatenus dissimulata subrepant [*al.* subripiant] quorum quodlibet, si inesse claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat esse personam. Etsi illa nonnunquam sinenda sunt, quæ, si cæterorum constet integritas, sola nocere non valeant,

A illa tamen sunt magnopere præcavenda, quæ recipi nisi manifesta decoloratione non possint. Ac si ea ipsa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum [1] temporumque cogit intuitus, vel acceleratæ provisionis respectus excusat; quanto magis illa nullatenus mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?

Cap. X. — Baptizandi sibi quisquam passim quocunque tempore nullam credat inesse fiduciam, præter paschale festum et pentecostes venerabile sacramentum, excepto duntaxat gravissimi languoris incursu; in quo verendum est ne, morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præventus abscedat.

B Cap. XI. — Ordinationes etiam presbyterorum et diaconorum, nisi certis temporibus et diebus, exercere non [2] debent, id est, quarti mensis jejunio, septimi, et decimi, sed et etiam quadragesimalis initii, ac mediana Quadragesimæ die, sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas. Nec cujuslibet utilitatis [3] causa, seu presbyterum seu diaconum his præferre [*al.* præferri], qui ante ipsos fuerint ordinati.

Cap. XII. — Devotis quoque Deo virginibus, nisi aut in Epiphaniarum [*lege* Epiphaniorum] die [4] aut in Albis paschalibus, aut in apostolorum natalitiis sacrum minime velamen imponant, [5] nisi forsitan (sicut de baptismate dictum est) gravi languore correptis, C ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur.

Cap. XIII. — [6] Viduas autem velare pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præstituit. Non est ergo penitus usurpandum, eisque sic ecclesiastica sunt ferenda [*forte* conferenda *vel* inferenda] præsidia, ut nihil committatur illicitum.

Cap. XIV. — Generalis etiam querelæ vitanda præsumptio est, qua propemodum causantur universi, passim servos et originarios, dominorum jura possessionumque [*al.* possessionem] fugientes, sub religiosæ conversationis obtentu, vel ad monasteria sese conferre, vel ad ecclesiasticum famulatum, conniventibus [*al.* cohibentibus] quoque præsulibus, indifferenter admitti: quæ modis omnibus est amo- D venda pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti: præcipue cum nec ipsam ministerii clericalis hac obligatione fuscari conveniat dignitatem, cogaturque pro statu militantium sibi conditioneque jurgari, aut videri, quod absit, obnoxia. Quibus sollicita competenter interdictione prohibitis, quisquis episcopus, presbyter, aut diaconus, vel eorum qui monasteriis præesse noscuntur, hujusmodi personas

[1] In eodem cod. deest *temporumque*.
[2] Id. cod., *non audeant*.
[3] Vox *causa* abest a cod. Just. et ab edit. 1525 et 1609.
[4] In cod. Luc. 490 deest *aut in Albis paschalibus*.
[5] Burchardus lib. viii, cap. 15, inserit *et nisi ante 25 annos*. Ita lego in meo ms. cod.; num et in editis exstet ignoro. Mansi.
[6] Citatur et a Carolo Magno in capitul. Aquisgran. anni 789, cap. 59. Harduin.

apud se tenentes non restituendas patronis, aut deinceps vel ecclesiasticæ servituti, vel religiosis congregationibus putaverint applicandas, nisi voluntate forsitan dominorum, sub Scripturæ testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas, periculum se honoris proprii non ambigant communionisque subituros, si super hac re cujusquam verax nos querela pulsaverit. *Magnis quippe studiis*, secundum beatum Apostolum, *prævavendum est ne fides et disciplina Domini blasphemetur* (*I Tim.* VI).

CAP. XV. — Consequens fuit ut illa quoque quæ de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nuntiavit, non prætereunda putaremus, id est, plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes evangelicam lectionem, qua ipse Dominus negotiatores e templo verberatos flagellis asseritur expulisse (*Matth.* XXI; *Joan.* II); nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II); Psalmistam quoque David surda dissimulantes aure cantantem: *Quoniam non cognovit negotiationes, introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX). Proinde hujusmodi aut ab indignis post hac quæstibus noverint asbtinendum, et ab omni cujuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum; aut in quocunque gradu sint positi, mox a clericalibus officiis [1] abstinere cogantur: quoniam domus Dei, domus orationis (*Luc.* XIX) et esse debet, et dici, ne officina negotiationis et spelunca potius sit latronum (*Isai.* L).

CAP. XVI. — Illitteratos quoque, et nonnulla parte corporis imminutos, sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium. Quod simul antiqua traditio, et apostolicæ sedis vetus forma non recipit; quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis et vitiosum nihil prorsus Deo offerri legalia præcepta sanxerunt (*Levit.* XXI; *Deut.* XVII). Itaque de cætero modis omnibus [2] hæc vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum. Si qui vero vel temeritate propria, vel incuria præsidentium tales ante suscepti sunt, in his quibus constituti sunt locis eatenus perseverent, ut nihil unquam promotionis [3] accipiant; satisque habeant hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum.

CAP. XVII. — De his autem qui seipsos abscindunt, paterni canones evidenter sequenda posuerunt; quorum tenorem sufficiat indidisse. Dicunt enim, talia perpetrantes, mox ut agniti fuerint, a munere clericali debere secludi. Quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nulli suppeditat quidquam præter illa quæ memorabilis decrevit forma censere.

CAP. XVIII. — Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione submota, non solum de factis atrocibus necessariam pœnitudinem non habere, sed nec aliqua correctione penitus succedente, ad divinum ministerium honoremque contendere. Nonnullos autem etiam in ipsis ordinibus constitutos, gravibus delinquentes facinoribus, non repelli, cum et Apostolus clamet: *Nemini cito manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis* (*I Tim.* V); et majorum veneranda constituta (*Nicæni* 910) pronuntient, hujusmodi, etiam si forte subrepserint, tam qui ante peccaverunt, detectos oportere repelli, quam sacræ professionis oblitos, prævaricatoresque sancti propositi, procul dubio submovendos.

CAP. XIX. — Usque adeo sane comperimus illicita quæque prorumpere, ut [4] dæmoniacis similibusque [*al.* dæmone aliisque] passionibus irretitis ministeria [*al.* mysteria] sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si hoc opere positis aliquid propriæ necessitatis occurrat, quis de sua [*supple* ac] fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanæ tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis (*Rom.* XIV; *II Cor.* VIII). Postremo, si corpore sauciatum fortassis aut debilem, nequaquam sancta contingere lex divina permittit (*Levit.* XXI); quanto magis doni cœlestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente perculsos [*al.* percussos]?

CAP. XX. — Virginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum, incesta fœdera sacrilegaque miscere. Quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatamque pœnitentiam, omnino non recipi, [5] sed tamen viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non [6] negetur.

CAP. XXI. — Nam de viduis sub nulla benedictione velandis, superius [7] late sufficienterque prædiximus [*forte leg.* latius duximus disserendum]. Quæ si propria voluntate professam pristini conjugii castitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare, [8] quia (juxta Apostolum) *primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* V). Sicut enim, si se forsitan continere non poterant, secundum Apostolum, nullatenus nubere vetabantur (*I Cor.* VII); sic habita secum deliberatione, promissam Deo pudicitiæ fidem debent [*al.* debuerunt] custodire. Nos autem talibus nullum laqueum debemus injicere; sed solum adhortationes præmii sempiterni, pœnasque proponere divini judicii, ut et nostra sit absoluta conscientia, et illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cavendum est quippe, ut de earum moribus [9] actibusque beatus Apostolus (*I Tim.* V) testatur, quod plenius [*al.*

[1] Cod. Luc 490, *abire*.
[2] In eodem cod. desunt *hæc vitentur*.
[3] Id. cod., *arripiant*.
[4] Id. cod., *dæmonis*.
[5] Cod. Luc. 490, *aut his certe*.
[6] Id. cod., *negari*.
[7] Id. cod., *latius diximus disserendum*.
[8] In eodem cod. desunt sequentia usque ad *sicut enim*.
[9] Id. cod., *actibus, quæ*.

planius; *ita in Luc.*] exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri videatur.

Cap. XXII. — Secundas nuptias sicut sæcularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale sinitur venire collegium. Alia est enim humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita divinarum rerum servitio [1] dedicata.

Cap. XXIII. — Quisquis propriæ desertor ecclesiæ, nullis existentibus causis, ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit et promotus, reverendorum canonum vel ipse vel receptor [ad quem profectus est] ejus atque provector constituta non effugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus præfixere servanda (*Nicæni* xv *et* xvi).

Cap. XXIV. — De monachis laicisque in prima copiosius præceptionis hujus [2] parte digestum est, (Vide supra cap. 2 et 3), quæ vel quatenus his pro rerum temporumque necessitate concessa sint, vel quemadmodum, ubi nullius necessitatis [*forte* facti necessitas] interesse probatur, non nisi vetus institutio debeat custodiri. Quos vero constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri non sine periculo facinus tale [3] perpetrantes : quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio (*Act.* viii) testatur, involvit.

Cap. XXV. — De locorum consecratione sanctorum, quamvis superius (*Cap.* 4) strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque præcepto sedis apostolicæ nonnulli factas ecclesias vel oratoria sacrare præsumant : hoc sumus tamen indicio detestabiliore permoti, quod in quocunque [*al.* quorumcunque] nomine defunctorum, et (quantum dicitur) nec omnino fidelium, constructiones ædificatas sacris processionibus [*Al.*, professionibus] audacter instituere memorantur : quæ quoniam tam acerba tam dura sunt [4], si revera Christianitatis affectus in illis regionibus certus et fixus est, et districtius ista quærantur, et a quibus fuerint gesta, prodantur : quoniam sicut latentibus in hac atrocitate nominibus non exstat, in quem sententia debita proferatur; ita cum manifestis fuerit documentis expositus, quem [*forte* quam] tanti sceleris poscit immanitas, non effugiet [*forte* vitabit] ullatenus ultionem.

Cap. XXVI. — Nihilominus impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut feminæ sacris altaribus ministrare ferantur [*al.* firmentur; *ita et in Luc.*]; et cuncta quæ non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum cui non competit exhibere.

Viso [*al.* nisi; *ita et in Luc.*] quod omnium delictorum quæ sigillatim perstrinximus, noxa omnis [*al.* noxiorum reatus omnis] et crimen eos respicit sacerdotes qui vel ista committunt, vel committentes minime publicando, pravis excessibus se favere significant : si tamen sacerdotum jam sint vocabulo nuncupandi, qui [5] delegatum sibi religionis officium sic prosternere moliuntur, ut in perversa quæque profanaque declives, sine ullo respectu regulæ Christianæ præcipitia funesta sectentur. Cumque scriptum sit : *Minima qui spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* xix, 1) : quid est de talibus existimandum qui immensis ac multiplicibus pravitatum molibus occupati, ingentem ruinam multimodis impulsionibus ediderunt, quæ non solum ipsos videatur obruere, sed et Ecclesiis universis mortiferam, si non sanentur, inferre perniciem? Nec ambigant qui hæc ausi sunt exercere, sed etiam qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprii se jacere dispendio, si non quanta possint celeritate festinent, ut lethalia vulnera competenti medicatione curentur. Quo enim more teneant jura pontificum, qui pontificalibus excubiis eatenus injuncta dissimulant, ut contraria domui Dei, cui præsident, potius operentur? Qui quantum apud Dominum possent, si non nisi convenientia procurarent, tantum quid mereantur aspiciant, cum exsecrabili studio sectentur adversa. Et quasi magis hæc regula sit qua Ecclesiæ debeant gubernari, si quidquid est ecclesiasticis inimicum regulis perpetratur, cum et si cognitos habuit canones unusquisque pontificum, intemerata debuerit tenere custodia. Et si forsitan nesciebat, consulere fidenter oportuerit scientem [*al.* ignorantem]. Quo magis excusatio nulla succurrit errantibus : quia nesciens [nec sciens *omnino legendum est, ut habet cod. Just. et edit. Canon*], proposuit servare quod noverat, nec ignorans curavit nosse quod gereret.

Cap. XXVII. — Quatuor autem tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, sicut sacerdotis intererit, integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus [*al.* clericus] ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum : quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata [*al.* deputata] convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est : *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* v), oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri.

Cap. XXVIII. — Quapropter nec [*al.* ne] clericorum quispiam se hujus offensæ futurum confidat immunem, si in his quæ salubriter sequenda de-

[1] Id. cod., *dedicandorum*.
[2] Id. cod., *parte digesta*.
[3] Id. cod., *vendente*.

[4] Id. cod. addit *ut eadem vix noster ferre possit auditus si revera*, etc.
[5] Id. cod., *delatum*.

prompsimus, sive episcopum, sive presbyterum, sive diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus duntaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat, et cæteris interdictio delinquendi. Sui [*al.* Sic] vero modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris elisor, si cuiquam clericorum, vel Ecclesiæ totius auditui hæc putaverit supprimenda. Data v idus Martii (anno Christi 494), Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus. *Et alia manu :* Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

EPISTOLA X.

AD EPISCOPOS SICILIÆ.

Ecclesiæ facultates ab episcopis, clericis et pauperibus distribui debere; diœceses et bona ecclesiæ ab episcopis triginta annos possessa eis non auferenda.

Gelasius Romanæ Ecclesiæ episcopus dilectissimis et in Christi caritate unanimiter connexis fratribus episcopis qui in Sicilia sunt constituti.

Præsulum auctoritas nostrorum emanavit, ut facultates ecclesiæ episcopi ad regendum habeant potestatem; ita tamen ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, nec non clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vindicent, ut (sicut ante diximus) peregrinorum atque captivorum largitores esse possint.

Illud etiam adnecti placuit, ut si (quod absit) facultates ecclesiæ, nec non et diœceses quæ ab aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis [*al.* tricennaria] lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus [*al.* tutela, *sive* regula, *aut potius* cautela] exclusit. Data idibus Maii, Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus (anno Christi 494) [1].

EPISTOLA XI.

AD EPISCOPOS DARDANIÆ ET ILLYRICI.

Commendat eorum religionem; Thessalonicensem episcopum, qui hæreticorum nomina damnare recusavit, apostolicæ sedis communione privatum esse, et Acacium in excommunicatione mortuum non posse absolvi significat.

Gelasius episcopus universis episcopis per Dardaniam [*in qq. codd. leg.* et Daciam] sive per Illyricum constitutis.

Audientes orthodoxam vestræ dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquæ fidei communionisque sinceræ traditionibus inhærentes, ut mentem Christianæ deditam veritati nullatenus infecerint prævaricatorum vicina contagia, magnificavimus Dominum, caritatemque vestram missis litteris alloqui per religiosos viros filios nostros Cyprianum atque Macarium diacones tota cordis aviditate curavimus :

A quoniam pro sedis apostolicæ principatu, cujus sollicitudo delegata divinitus cunctis debetur Ecclesiis, nos vivimus, si vos statis in Domino, magnisque gaudiis triumphamus. Cum ubique terrarum Dominum Sabaoth semen puræ confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deveniens, æstu tentationis exaruit, nec viæ proximum cecidit vacantibus inimicis expositum, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam terram piæ devotionis vestræ cœlesti factione [*al.* satione] dispersum in trigesimum et sexagesimum fructum centenariumque profecit, profectionemque scilicet frumenti dominici mystica locutione designans. Quapropter exsultantibus animis confidentius incitamus, ut ab Eutychianæ pestis incursu pectora vestra sapienter B intemerata servetis : quoniam jam *qui perseverat usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). *Dominus prope est, nihil solliciti sitis* (*Philip.* iv); siquidem major est quod in nobis est quam qui in hoc mundo, regnumque Domini intra nos (etiam Scriptura [*Luc.* xvii] testante) sit certum. Ut autem ab eorum qui in errore sunt positi, noxia societate caveatis, nullum talibus communicantem ad vestrum recipiatis qualibet subreptione consortium : quia sicut in unaquaque hæresi cum pravitatis auctore damnato successores ejus et complices atque hujusmodi sectatoribus polluta communione permixtos catholica vitare debet integritas, ita cum Eutychete Dioscorus simulque Timotheus Ælurus et Petrus Alexandrinus, ejusque communicator Acacius, nec non etiam C Antiochenus Petrus, cum suis sunt omnino participibus abdicandi. Nec quisquam, etiamsi pravitatem deponere se promittat, recitandis tamen nominibus consentiens perditorum; vel eadem recitantium minime communione discretus ad immaculata sacrilegiis ovilia quibuscunque modis est permittendus intrare, ut Ecclesia Dei nostri, *quæ maculam rugamque non sustinet* (*Ephes.* v), inviolata permaneat. Absint ergo a fidelibus Christi viperæ capitis dira commercia, et procul a cœlestibus pascuis mortifera venena pellantur, ut salutaris alimonia panis illius qui de cœlo descendit (*Joan.* vi), fideles hanc sumentes ad vitam perducat æternam.

Quæ ut mutua valeamus exhortatione prospicere, det operam vestra dilectio ut sospitatem vestræ cari- D tatis optatam, et fidei communis instantia nobis crebrius aperire non desinat, quatenus alternis nos instructionibus excitantes, legitimorum Domini sacerdotum possimus invenire mercedem. Per vicinas quoque provincias hæc eadem patefacere vestra caritas vigilanter insistat; ut et qui catholicæ communionis sinceritate subsistunt, competentibus roborentur alloquiis; et qui forsitan ab hujus rectitudine deviarunt, ad integritatem dogmatis Christiani salubribus monitis reducantur. Noverit autem vestra

[1] In meo ms. Buchardi cod. lib. viii, cap. 46, hoc decretum tanquam ex epistola Gelasii ad Sicilienses episcopos cap. 9 acceptum affertur : *Neque viduas ad nuptias transire vatimur quæ religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter autem virgines nubere prohibemus quas annis plurimis in monasteriis ætatem peregisse contigerit.*

fraternitas Ecclesiæ Thessalonicensis antistitem nostris adhortationibus sæpius incitatum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acacii, vel cæterorum similium perfidorum, hisque communicantium congrua professione damnasse. Quapropter eum communionem sedis apostolicæ non recepisse manifestum est, quoniam nisi puris sensibus et ab omni nefanda societate, beati Petri apostoli nec possumus nec debemus Ecclesiæ præbere commercia. Propterea cautius agendum est cum præfato ne catholicis mentibus, ut fiat, apostolicæ sedis reconciliatione subrepat; quam sicut dolosis artibus fallere et circumvenire non prævalet, ita sub cujus non potest obtinere auctoritatem quoque nostram, quæ ad Dalmatiarum est directa pontifices, etiam ad vos credimus dirigendam, quatenus in veritate catholica, secundum formam traditionis antiquæ tenere nos consonam noveritis ubique sententiam. Si quos vero novos dixeritis motus exsurgere, nobis fraterna debetis sollicitudine reserare, quo subinde, quæ Patrum regulis congruant, præstante Domino, remedia procuremus.

Nec quisquam omnino vobis persuadeat Acacio prævaricationis suæ crimen fuisse laxatum, quia qui postquam in collegium recidens pravitatis, jureque meruit ab apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est. Absolutionem quam superstes nec quæsivit omnino, nec meruit, mortuus jam non potest impetrare, siquidem ipsis apostolis Christi voce delegatum est: *Quæ ligaveritis super terram, et quæ solveritis super terram* (*Matth.* XVI). Cæterum jam de eo qui in divino est judicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere præter id in quo eum dies supremus invenit; atque ideo nisi ejus nomine refutato, cæterisque consortibus hujus erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ dominicæ puritatem, quam majores nostri semper ab hæretica magnopere servaverunt pollutione discretam. Sed neque vos quisque circumvenire pertentet: quod dicat non de religione, sed de moribus esse certamen, vel apostolicam sedem non causam communionis catholicæ fideique tractare, sed injuriam dolere, cur videantur ab Acacio fuisse contempta; quoniam hæc et hujusmodi, quatenus simplices quoque decipiant, hi qui in errore sunt positi spargere non quiescunt. Videtis enim, sicut supra jam dictum est, per nomina prævaricatorum, si, quod absit, in ecclesia recitanda credantur, simul et contagium prævaricationis induci. Sedes autem apostolica in tantum non contumeliam dolet, sed fidem defendit, communionem sinceram, ut hodie cuncti qui in ejus visi sunt prorupisse despectum, si ad integritatem fidei commu- A nionemque catholicam revertantur: secundum regularum tramitem paternarum, toto cordis affectu venientes, et plena caritate suscipiat. Data III nonas Augusti, Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus (anno Christi 494).

EPISTOLA XII.

AD [a] ÆONIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

De episcopatus sui primordiis.

Mutuam caritatem cum fide catholica retinendam esse monet.

Dilectissimo fratri Æonio Gelasius.

Inter difficultates varias copiam nos reperisse gratulamur, qua per divinam gratiam sedis apostolicæ regimen nos adisse pandentes, prætermissum diu cum tua misceremus fraternitate sermonem, et B salutatione directa, mutua caritate solliciti dilectionis quoque tuæ prospera quæreremus. Quanto enim totius ovilis curam, Christo Domino delegante, susceptam B. Petri apostoli gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas Ecclesias earumque rectores amplectitur, et inter diversos mundi turbines, si paterna fide vel traditione firmiter perseverant, ubi primum facultas arriserit, et quærit anxia, et gavisa cognoscit. Quapropter, frater carissime, instantius religiosis viris filiis nostris Euphronio presbytero et Restituto viro religioso, qui ad Italiæ partes ad providendam congregationi sanctæ substantiam commearant, remeantibus ad propria, silere nequivimus: sed omni voto dilectionem tuam duximus C admonendam, quatenus et vigere apud nos alternæ viscera gratiæ fratres, et coepiscopi nostri per Gallias constituti, caritate tua vulgante, cognosceret: et desiderantibus omnium per quos tua caritas voluisset, referret mutuo sospitatem, constaretque nullatenus quantumlibet sæculo detrahente divelli, sed catholicam professionem manere semper ubique conjunctam. Dominus te incolumem custodiat, frater carissime. Data X calendas Septembris, Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus (anno Christi 494).

IN SEQUENTEM EPISTOLAM PRÆMONITIO.

Epistolæ hujus Gelasii ad Dardanos forma duplex circumfertur, altera brevior, alia vero hinc inde amplificata diffusior. Pro utraque stant veteres mss. codices vetustate et antiquitate præstantes. Vetustissimi ut inter D *cæteros Veronensis et codex canonicus vetustus a Quesnello vulgatus breviorem præferunt. Fusiorem exhibet vetustissima collectio Avellana in Vaticana bibliotheca servata; quin et Facundus Hermianensis ex ea testimonium allegavit lib.* V, *cap.* 4. *Hinc natum auctorum dissidium; nam alii auctiorem interpolatam judicant, sinceritatem uni epistolæ breviori vindicantes. Ballerini utramque sinceram arbitrantur in Dissert. de Antiq. Collect. can. part.* 2, *cap.* 11, § 3, *rati Gelasium primo quidem breviorem scripsisse; tum secundis curis auctam evulgasse; id vero non unico exemplo ab antiquis præstitum demonstrant. Vide illos in Admonit. ad*

[a] Hanc inscriptionem illustrissimus cardinalis Baronius mendosam esse putat, quasi Cæsario non Æonio scripta fuerit; verum eam quam a Felice III ad Cæsarium scriptam supra recensuit, in recognitionibus tomi decimi a Felice IV datam esse recognovit. Ideoque relinquendam esse putavi inscriptionem epistolæ hanc, quam priore editione tollendam esse judicavit. Spero hanc nostram recognitionem Annalium scriptori pergratam fore, ubi de ea certior factus fuerit. SEV. BINIUS.

epist. 12 *S. Leonis, n.* 10, 14. *Venetus Labbei editor ampliorem dedit in sua collectione, signatis tamen in adnotationibus diligenter locis, qui in breviori epistola desiderantur. Cum tamen ipsam brevioris epistolæ formam minus perspicue mente concipere lectores valeant; hinc operæ pretium me facturum existimavi si latiori epistolæ, qualis in editione Veneta repræsentatur huc a me translatæ integram etiam breviorem subjungam; excripsi vero illam ex Codice canonum ecclesiasticorum a Quesnello vulgato cap.* 50, *juxta recensionem Ballerinorum.*

[a] EPISTOLA XIII.

[1] AD EPISCOPOS DARDANIÆ.

Acacium solius apostolicæ sedis judicio jure damnatum ostendit.

[2] Gelasius [b] episcopus urbis Romæ ad Dardanos.

Valde mirati sumus quod vestra dilectio quasi novam [3] veluti difficilem quæstionem, et adhuc tanquam inauditum quidpiam nosse desiderat, quod Eutychianæ pestilentiæ communicatores, non habentes quod pro suæ perditionis obstinatione respondeant, frequenti jam ratione convicti, misera [*al.* sola] contentione submurmurant, non quia sit alicujus momenti quod garriunt, [4] sed quia non inveniunt penitus quid loquantur. Ubi magis eos qui catholicis sensibus instituti sunt, adhuc hærere [5] miramur, quam illos qui a veritate exciderunt, et ab antiqua Ecclesiæ traditione sunt devii, profanasque vocum novitates, et ineptias caducæ perversitatis [6] obtendunt, quibus eos vestra dilectio retulit jactitare. Ideo Acacium non putare jure damnatum, quod non speciali synodo videatur fuisse dejectus; et insuper dementiam suæ vanitatis accumulant, pueriliter adjicientes præcipue pontificem regiæ civitatis. Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis apostolis, et considerare prudenter quoniam Patres nostri catholici [*al. addit* videlicet] doctique pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid [7] pro veritate, pro communione catholica atque A apostolica secundum Scripturarum tramitem prædicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare; nec in [8] eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt; sapientissime [9] prævidentes quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis [*al.* furoris residui] omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, et simplicia quæque corda percutere, quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire concilium? B cum [10] quamlibet illa [*al.* illius] manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat [11] et falsitas, [12] tametsi ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen [13] contentione non cedens. Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie præcaverunt, [14] ut quæ contra unamquamque hæresim coacta [*al. addit* semel] synodus pro fide, communione, et veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent post hæc novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi: sed auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus: quoniam C manifeste quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci. Et ut [*al. addit* brevitatis causa] priora taceamus, quæ diligens inquisitor facile poterit vestigare, Sabellium damnavit synodus; nec, ut sectatores ejus postea damnarentur, necesse fuit singulas viritim synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquæ cunctos qui vel pravitatis

[a] Hanc epistolam circularem esse, eamque omnibus orthodoxis hæreticis et schismaticis episcopis redditam voluisse, patet in fine his verbis: *Recte autem faciet vestra dilectio, ut ista quæ scribimus, pariter catholicis et contraria sapientibus innotescant*, etc. Causam scribendæ epistolæ præbuit Euphemius Constantinopolitanus episcopus schismaticus, qui defuncti Acacii causam iniquam et impiam falsis textibus ornans, conatus est Orientales coepiscopos a conjunctione sedis apostolicæ avellere. Ut ergo summe periclitanti Orientali Ecclesiæ succurreret, hanc prolixam valde atque disertam epistolam, qua Acacium sedis apostolicæ judicio jure damnatum esse ostendit, ad Dardaniæ episcopos transmisit. SEV. BINIUS.

[b] Euphemius ad excusationem Acacii dicebat, ipsum synodali judicio non fuisse condemnatum, adeoque nomen ejus e sacris tabulis nequaquam expungendum. Quod si de universali et œcumenico concilio intelligat, verum est; si de provinciali synodo accipiatur, falsissimum esse constat ex iis quæ supra notavimus in notis epistolarum, et conciliorum Romanorum sub Felice III habitorum. Universali et D œcumenico concilio neque potuit neque debuit Acacius damnari. Orientales episcopi omnes fere Acacii communione polluti fuerant, adeoque universale concilium haberi non poterat. Et quia solius pontificis Romani sententia damnatum esse sufficiebat, eodem universali et œcumenico concilio opus non erat. SEV. BINIUS.

[1] De hac epistola consule cl. Maffeium in præfatione ad supplementum Acacianum (*Patrol. tom. LVIII, col.* 937). Collata fuit cum pervetusto codice Veronensis capituli, mille, ut creditur, annorum a Francisco Blanchino ejusdem capituli canonico, et bibliothecæ custode; et in eo hoc est epistolæ argumentum: *Incipit rationis reddendæ Acacium a sede apostolica competenter fuisse damnatum*; titulus vero: *Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.*

[2] Alias, *dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.*

[3] Cod. Veron., *et veluti.*
[4] Id. cod., *nec inveniunt.*
[5] Id. cod., *murmurant.*
[6] Id. cod., *obtendere.*
[7] Id. cod., *pro fide, pro veritate.*
[8] Id. cod., *nec in hac eadem.*
[9] Id. cod., *pervidentes.*
[10] Id. cod., *qualibet.*
[11] In eod. cod. deest *et.*
[12] Id. cod., *et si.*
[13] Id. cod., *intentione.*
[14] Id. cod., *ut contra... quod acta synodus*, etc.

illius vel communionis exstitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. A Sic propter blasphemias Arii forma fidei communionisque catholicæ, Nicæno prolata conventu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem, sive [1] consensu sive communione deciderit, sine retractatione [2] conclusit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium, synodus semel gesta condemnans, ulterius ad nova concilia venire non sivit; sed universos quocunque modo in [3] hæc consortia recidentes, tradito sibi limite synodali, refutavit Ecclesia; nec unquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente [4] novis ausibus, quæ fuerant salubriter constituta, temerasse. [*al.* Non autem nos latet plurimos, etc.] Propterea tempestate quoque persecutionis Arianæ plurimi catholici sacerdotes de exsiliis, pace reddita, respi- B rantes; [*al.* per certas provincias congregatis secum fratribus ecclesias composuisse] sic cum catholicis nihilominus fratribus Ecclesias composuere turbatas, ut non tamen illius synodi Nicænæ quidquid de fide et communione catholica et [5] apostolica definierat immutarent, nec nova quemquam prolapsum damnatione percellerent, sed illius tenore decreti, [6] nisi resipuissent, censerent [*al.* judicarentur] esse damnatos. Quibus convenienter (ut dictum est) ex paterna traditione perpensis, confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, [7] non aliquam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et conti- C nuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet. Hæc dum Acacium certis comperisset indiciis [8] a communione catholica deviasse, diutius ista non credens, quippe quem noverat exsecutorem sæpe necessariæ dispositionis suæ contra hæreticos exstitisse, per triennium fere litteris destinatis eumdem monere non destitit, sicut per diversos missa [9] frequenter scripta testantur. [10] — Quibus ille cum debito [*al.* tanquam debito] silentio diu non respondere proponeret, episcopalis quoque directa legatio est, ac nihil ominus pagina destinata quæ præmoneret eum suorum ante meminisse gestorum, et quæ primitus pro fide catholica desudasset, oportere respicere. Contestans, et blandiendo pariter et minando, D ne se a corpore catholicæ unitatis abscinderet: simulque quoniam hunc Joannes secundæ sedis antistes gravibus pulsaret objectis, ad primæ sedis audientiam cohortatus est, vel venire debere vel mittere. Licet enim synodus iteranda non esset, tamen congrueret, ut cujuslibet civitatis episcopus primæ sedis judicium non vitaret, ad quod convenerat secundæ sedis antistes, qui nisi a prima sede non posset audiri, [11] præcipue qui præjudicatis animis nulla synodo a Græcis fuisset exclusus; etiam apud eos causam suam nec posset omnino dicere, nec deberet: quia ab inferioribus episcopis potior, nisi a prima sede (sicut dictum est) vel discuti potuisset, vel si ita ratio postulasset addici etiam cunctis Orientalibus episcopis cum ipso Acacio in Petri communionem recidentibus cum secundæ sedis episcopus catholicus ab externæ communionis hominibus esset nullatenus judicandus. Sed Acacius non solum despexit satisfacere postulatis, verum etiam ipsam legationem sedis apostolicæ blandimentis, præmiis, perjuriisque deceptam, quibus ei cum imperatore promisit, integram præsulis apostolici causam de omnibus esse servandam Petri communione pollutam redire perfecit, in tantum sedis apostolicæ despiciens potestatem, ut non solum ejus auctoritati non cederet, sed etiam potius in consortium communionis externæ per legatos suos niteretur abducere; fieretque apostolicæ sedi necessitas eos ipsos quos direxerat sacerdotes honore pariter et communione privare, ne tali contagione videretur infecta, satisque monstraret non se Acacii specialiter odisse personam, sed respuere fœdera perditorum: quæ etiam in suis pontificibus detestata convenienter horreret, nihilominus autem litteris suis Acacius indicarat; et in Alexandrini Petri se communionem, quem expetita sedis apostolicæ auctoritate exsecutor ipse quoque damnaverat, sine ejusdem apostolicæ sedis consultatione promptissime recidisse, et accusationem Joannis, laudesque Petri proprio sermone deferre. De quibus, si utique confidebat magis vel venire, vel mittere debuisset, ut et præsentem de mendaciis quæ dicebat posset confutare Joannem, et præconia Petri quæ digesserat rationabiliter allegaret, quod cum minime fecerit, satis evidenter ostendit, nec Joannem se posse convincere, nec legitime receptum Petrum habere fiduciam perdocendi, solumque sibi

[1] Id. cod., *sensu.*
[2] Id. cod., *concludit.*
[3] Id. cod., *in has blasphemias.*
[4] Id. cod., *noviter.*
[5] Deest *Apostolica* in eodem cod.
[6] Id. cod., *nisi resipuisset, judicare damnatum, essetque consequens, ut nisi corrigeret, damnationi procul dubio subjaceret; quibus*, etc.
[7] Id. cod., *nullam.*
Id. cod., *a veritate*,
[9] Id. cod., *familiariter.*
[10] Inclusa parenthesi per duas ferme paginas desunt in codice Veronensi, eorumque loco sequentia subjiciuntur: *Quibus ille primum tanquam dedito silentio nihil respondere proponens tandem aliquando missis litteris profitetur se Alexandrino Petro, quem expetita apostolicæ sedis auctoritate exsecutor ipse quoque damnarat, absque sedis apostolicæ notitia communione, permixtum: beati autem Petri sedes, quæ Alexandrinum Petrum tantummodo damnasse, non etiam solvisse noverat, non recepit; atque ideo ne per Acacium in Petri consortium duceretur, ipsum quoque a sua communione submovit et multimodis transgressorem a sua societate fecit alienum. Hic si examinatio*, etc. — Nos parenthesi signum —, ut magis perspicuum, substituimus. Edit.
[11] Forte *cum præcipue.* Harduin.

monstravit inesse propositum lacerandi catholicos, hæreticosque laudandi, seseque eorum potius, quos laudabat, docuit esse participem, quam catholicorum, quos nitebatur decolorare, consortem : tulitque de se ipse judicium, cum damnati hominis communione pollutus, damnationis ejus factus est particeps. Ita et sedes apostolica quod ad necessariam diligentiam respiceret nil omisit, et Acacius secundum formam synodi Chalcedonensis, qua error cui communicavit elisus est, sicut de hæretico homine scriptum est, suo judicio condemnatus apparuit, justeque sedes apostolica, quæ utique se Alexandrinum Petrum damnasse, non etiam solvisse memorat, ne per Acacii pristinam communionem Petri quoque collegium, cui Acacius communicaverat, incideret, ipsum competenter Acacium a sua communione submovit. Quapropter utrum errori vel prævaricationi communicaverit Acacius, quid opus erat nova discussione cognoscere? cum jam litteris suis esset ipse confessus, ac, sicut scriptum est, *Ore tuo justificaberis, et ore tuo condemnaberis* (*Matth.* XII), verborum suorum vinculis et reus teneretur et jure plectendus. Cur ipse in nova causa, quam synodus nulla præcesserat, Joannem, quem suis litteris impetebat, qualemcunque secundæ sedis episcopum, in primæ sedis beati Petri apostoli judicio confutare despexit; et ut causam diceret, seu per se, seu per alium, vel venire, vel destinare contempsit : indignum habens cujuslibet civitatis antistes ad primæ sedis venire judicium, ad quod secundæ sedis cerneret venisse pontificem, quod Anatolius Constantinopolitanæ urbis episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse monstratur? Ecce etiam in hac parte vocem non habent conquerentes : ecce, inquam, ad legitimum est vocatus examen, ubi vel suas partes justis allegationibus defensaret, si ille apostolicæ sedis refugit examen in Joannis catholici pontificis negotio vestigando, quemadmodum sedes apostolica de receptione Petri hæretici sua auctoritate resoluti, Acacii fuerat secutura judicium? An sedem apostolicam congruebat parœciæ Heracliensis Ecclesiæ, id est Constantinopolitani pontificis, vel quorumlibet aliorum, qui cum eodem, vel propter eum fuerant congregandi, judicium præstolari? Cum apostolicam ejusdem primæ sedis audientiam Constantinopolitanus episcopus declinaret, qui utique etiamsi metropolitani esset jure suffultus, etiam inter sedes haberet locum; primæ tamen sedis cognitionem fas non habuit refutandi, ad quam secundam canones, appellante secundæ sedis antistite, vocabatur ad [1] nostrorum causam. Hoc ipso satis ostendit reum se esse confessum, qui ad legitimum

A judicium apostolatus adesse contempsit; nec poterat ultra differri, ne, sicut dictum est, antiqua illius communione durante, cum sese jam sociasset externæ, sedes quoque apostolica per eum pollueretur contagiis perfidorum, dignumque esset vel prævaricatorem, vel contemptorem judicii competentis, manifestissime scilicet de suo negotio desperantem, a catholica atque apostolica integritate et communione secludi. — Hic si examinatio quæritur, jam judicio non erat opus; [2] posteaquam et litteris suis ipse confessus est, et ad legitimum judicium vocatus adire pertimuit, si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonensis synodi [3] tenor cum apostolica sede consentiens, et illius definitionis exsecutio reperitur condemnati illic erroris communicator effectus : præfixæ nihilominus ibidem particeps damnationis [4] apparuit, quo-

B niam idem ipse error qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, et exsecrationem sui gestat et pœnam. Hoc tenore etiam Timotheus Ælurus, atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certe sedem quoquomodo tenuisse videbantur, non repetita synodo, sed auctoritate tantummodo sedis apostolicæ, ipso quoque Acacio postulante vel exsequente [5] probatur esse damnatus; nunc autem ipsi doceant legitime Petrum fuisse purgatum, et ab omni hæreticorum contagione rite discretum cum ei communicavit Acacius, si ejus communicatorem putant Acacium aliquatenus excusandum, aut si, quod magis est verum, convenienter atque legitime Petrum [6] probare non potuerunt

C expiatum [7] (propter quod etiam ad apostolicæ sedis judicium Acacius vel venire vel destinare non ausus est); restat ut in ejus communicatione [*Al.* ut ejus inexpiatione] fuerit, et qui ei communicavit infectus. [8] Non reticemus [*Al.* Nec plane tacemus] autem quod cuncta per mundum novit Ecclesia; quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum, sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod [*Al.* quæ] de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter cum satis constet Acacium nullum habuisse pontificium, sententia [*Al.* sententiam sedis apostolicæ sine, etc.] sedis apostolicæ damnatum,

D sine ulla ejus notione solvendi; dicant certe [9] qua synodo hoc ille præsumpserit, quod nec sic quidem absque apostolica sede fas haberet efficere? cujus sedis episcopus? cujus metropolitanæ civitatis antistes? Nonne parœciæ Heracliensis Ecclesiæ? Si illi certe licuit sine synodo sententiam apostolicæ sedis

[1] Locus obscurus aut mendosus. HARDUIN.

[2] Cod. Veron., *postquam litteris tuis ipse confessus est, si auctoritatis*, etc.

[3] Id. cod., *tenore illius definitionis exsecutio reperitur quo damnati*, etc.

[4] Id. cod., *existeret*.

[5] In cod. Justelli : « Probantur esse damnati. Quod si utrum errori vel prævaricationi communicavit Acacius forsitan dicatur oportuisse constare, breviter habemus ad ista responsum. Aut enim ipsi doceant, etc. Petrum legitime veraciterque purgatum etc. » LABBEUS.

[6] Id. cod., *non probaverint expiatum*.

[7] Ansulis inclusa non exstant in Cod. Veron.

[8] Nicolaus papa hunc locum citat in epist. ad episcopos Galliæ ex epistola Gelasii ad episcopos per Dardaniam constitutos : *Nec plane tacemus*. Hincmarus Laudun. ex epist. ad Anastasium principem, *Nec plane taceamus*. HARDUIN.

[9] Cod. Veron., *qua certe synodo*

abrumpere, nulla ejus consultatione quæsita, itane vero non licuit primæ sedi Chalcedonensis synodi constituta, sicut decuit, exsequenti, hujusmodi prævaricatorem sua auctoritate detrudere? Sed nec illa prætcrimus, quod [1] apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente, et absolvendi quos synodus inique damnaverat, et damnandi nulla existente synodo quos oportuit, habuerit facultatem: [2] sanctæ memoriæ quippe Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certe damnarat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit; itemque sanctæ memoriæ Flavianum pontificum [*al. additur* Græcorum] congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat [*al.* quia illic receptus non fuerat], Dioscorum secundæ sedis præsulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo [3] submovit, ac pro veritate, ut synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit [4] — in qua pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus, sola concessit, et in sua perfidia permanentes, nihilominus sua auctoritate prostravit: quam congregatio quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta; quoniam sicut id quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit; ubi etiam consequenter ostenditur, quia male gesta synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, et præcipue sedes apostolica non probavit, per bene gestam synodum, id est, secundum Scripturas, secundum traditionem Patrum, secundum ecclesiasticas regulas, pro fide catholica et communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime sedes apostolica comprobavit, et debuerit et potuerit immutari; bene vero gestam synodum juxta supradictum modum, nova synodo nullatenus immutandam. Proinde si Eutychen fatentur hæreticum, male gestam apud Ephesum synodum, qua est receptus, pariter fatebuntur, et per bene gestam synodum Chalcedonensem, quod Eutyches vel cum eo sentientes talia sunt rejecti, velint nolintque, consentient, atque ideo bene gestam synodum novis exagitationibus refricari non licuisse cognoscant. Qui si forsitan dixerint, eo tenore Ephesinam quoque synodum non licuisse mu-

A tari, rursus hæc eadem quæ supra deprompsimus, planius repetita perpendantur, id est, quia contra fidem, contra veritatem communionemque catholicam vereque Christianam, non recte gesta synodus legitima synodo pro fide, veritate, communioneque catholica, vereque Christiana, modis omnibus secludenda est, et injusta synodus justa synodo submovenda. Pro fide autem, et veritate, et communione catholica, bona synodus, vereque Christiana, semel acta, nulla nec potest nec debet novæ synodi iteratione convelli, sed secundum bene gestam synodum recteque præfixam, si quis ab ejus tramite deviarit, consequenter ac sufficienter ejus definitione plectendus, meritoque illius subjacet constitutis, nec opus est per singulos quosque deviantes, jureque plecten-
B dos, novas rursus synodos introduci; cum ex illius tramite, quæ auctorem cum errore damnavit, quisquis quolibet modo, quolibet titulo complex ejusdem fuerit factus erroris, ut ejus se contagione polluerit, competenter et particeps ejusdem damnationis existat, ejusque pœna puniatur obstrictus, cujus maluit inire consortium. Quæro ergo ab his quid de Eutyche sentiant: fuissene hæreticum, an asserunt non fuisse? Si non fuisse contendunt, quid ambagibus agunt, quid circuitionibus præstigiisque se contegunt? Palam se Eutychianos esse pronuntient, ut in ejus sacrilego furore convicti veritatis molibus obruantur, aperteque cognoscant, non solum hæc ipsa pestis Eutychiana quantum Christiano dogmati probetur inimica; sed quantas alias hæreses, easque gravissimas
C in sua pravitate contineat, ut in quibus foveis volutentur, et in quod præcipitium barathrumque mergantur, intelligant. Simul autem si Eutychen hæreticum negant, omnimodis publicatur, quod ideo d omnibus Eutychianæ pesti communicantibus, suppresso veluti hoc ipso errore, contendunt, ut nos pe talium hominum, quod absit, insidias captiosasqu tendiculas in Eutychetis insaniam nitantur inducere quod quidem etiamsi non negent, sive scientes, si nescientes, facere confutantur. Sin vero et Eutyche hæreticum negare non audent, restat ut contra catholicam fidem, non synodum nuncupandam, se conspirationem potius perditorum fuisse consentia quæ apud Ephesum Eutychete reducto perculit memoriæ Flavianum, cunctosque qui illic adera
D sacerdotes militari terrore compulerit tanto scele præbere consensum. Atque ideo nobis necesse e pravam perversamque conspirationis illius, et latr cinalem fuisse perhibeant actionem, eamque debuis modis omnibus aboleri, et ideo justam, bonam, ve citer Christianam Chalcedonensem synodum proce

[1] Alias, *apostolicæ sedi frequenter datum est, more majorum, exsolvendi*, etc. LABBEUS.

[2] Hunc locum recitat Hincmarus Laudun. tom. II, pag. 373, ex epist. Gelasii ad Anastasium principem: sed habet aliquid sub finem dissimile. HARDUIN.

[3] Cod. Veron., *sola submovit et veritate.* — *Sola submovit et auctoritate sedis apostolicæ concilium Chalcedonense coactum.* LABBEUS.

[4] Inclusa parenthesi per duas fere paginas desunt in codice Veronensi. Eorumque loco hæc habentu *In qua ut ergo sola jus habuit absolvendi eos quos s nodica decreta perculerant, sic etiam sine synodo in h eadem causa plurimos etiam metropolitanos damna cognoscitur. Quod si quis hæc ab apostolica sede secundum synodum acta reprehendit, præter quod p seu rerum probatione convincitur, interim multo ma Acacio non licuisse fatebitur. Dicat ergo*, etc. — Hic superius parenthesi signum — substituimus. EDIT.

sisse definiant, in his quibus Eutychete depulso, cum suo fautore Dioscoro, hæresim eorum erroremque damnarit. Hanc ergo synodum (ut dictum est) bonam, veram, justam, Christianamque esse non dubitant, per quam illa noxia sit remota. Perspiciant ergo, tandemque concedant, quod quisquis ab ejus justæ et Christianæ veræque synodi fide, communione et veritate deviaverit, vel ab ea deviantibus communionem miscuerit, sufficienter atque competenter, secundum ipsius definita, teneatur obstrictus, quoniam mala synodus bona debuit submoveri. Bona vero synodus nulla causa est cur alia debeat synodo retractari, ne ipsa retractatio ejus constitutis deroget firmitatem. Proinde quicunque congregationis Ephesinæ tenentur affectu, quid adhuc Acacii tantummodo nomen obtendunt, et non palam sectatores Eutychetis, qui illic receptus fuerat, profitentur; qui si refugiunt, atque Eutychen se perhibent exsecrari, simul ergo et Ephesinam, qua male receptus est, conspirationem jure cessatam, et Chalcedonensem synodum, qua rejecta est, merito consentient institutam; atque ita synodum, quæ pro fide catholica sit præfixa, secundum veterum formam, sicut dictum est, perspicient novellis non potuisse quæstionibus ventilari, sed juxta ejus tenorem semel legitime justeque deprompta, et jure probari recta sectantes, et sentientes contraria refutari; quod sedes apostolica, sicut decuit, antiqua traditione custodiens, non synodum duxit iterandam, sed in ejus prævaricatore pellendo hanc eamdem synodum potius exsequendam. [1] Quapropter si quis adhuc secundum Chalcedonensem synodum hæc ab apostolica sede gesta reprehendit, præter quod et hac qua superius astruximus, et multiplici potest ratione convinci, multo magis tamen Acacio non licuisse fatebitur ista tentare. — Dicat ergo, qua synodo, Joannem secundæ sedis antistitem, qualemcunque, certe catholicum, et a catholicis ordinatum, nec de catholica fide et communione aliquatenus impetitum, duxerit excludendum, et hæreticum manifestum Petrum sua quoque exsecutione damnatum, pontifici catholico permiserit subrogandum [2] (cum etiamsi reus manifestus esset Joannes, post eum saltem catholicum convenisset præfici sacerdotem, sicut ipse quoque suis sacris sanctæ memoriæ Timotheo catholico in Alexandria faciendum promisisse legitur imperator?) Qua synodo, tertiæ sedis episcopum [*al. addit.* sanctum] Calendionem idem expelli fecit [3] Acacius: nihilominus eumdem Petrum tam hæreticum manifestum, ut etiam palam necesse [*al.* nec se] communicare prætenderet, sua passus est dispositione substitui? Qua denique per totum Orientem synodo ejectis orthodoxis, nullo crimine maculatis, pravos quosque et

A criminibus involutos sua provisione supposuit? Qua synodo tot aliena privilegia nefandus populator invasit? Sed libri non sufficiant [*al.* sufficerent], si tragœdias ejus quas per Ecclesias totius Orientis exercuit, sigillatim [5] scribere moliamur: an illud ipsius argumentum nobis existiment opponendum, quo facinora sua in imperialem nisus [*al.* visus] est jactare personam. Cur igitur quando voluit, obstitit Basilisco tyranno certe et [*al.* Cur et] hæretico vehementer infesto? cur ipsi imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, suam [*al. addit* nimirum] non subdidit voluntatem? Ecce potuit et in aliis resultare, [6] si vellet [*al.* sed noluit. An non Apostolus dicit, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus reatu pariter sunt

B irretiti? sed...] sed ut ea quæ latius explicanda sunt omittamus, [7] quidquid ipse Zenon imperator suis litteris profitetur, cuncta sese ex Acacii gessisse consilio, nec hoc eum fallere litteris suis ipse pariter testatur Acacius, qui et eum nihilominus universa recte gessisse conscripsit, et suo consilio hæc eadem gesta non tacuit. Quasi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acacius prævaricator exstiterit, et non in omnibus, quos vel fecit, depulsis catholicis pontificibus, tanquam tyrannus, Ecclesiis quibusque præponi, vel taliter præpositis perversa communione permixtus est, qui hoc ipso secundum canones fuerant ab ecclesiastica communione pellendi, quod se passi sunt successores vivis sacerdotibus adhiberi. Quis autem non perspiciat Christianus, quod catho-

C licis pontificibus propria sede dejectis non nisi hæretici potuerint introduci? quibus tamen cunctis, vel auctor fuit Acacius subrogandis, vel subrogatis communicator accessit; his utique quia [*al.* qui a] communioni hæreticorum nullatenus discrepabant. Cur ergo vel cum hæc fieri videret Acacius, non sicut sub Basilisco jam fecerat, ad apostolicam sedem referre curavit, ut si solus ipse non poterat, [8] junctis cum eadem consiliis atque tractatibus, apud imperatorem possent quæ religioni competerent allegari? Nam si Basiliscus (ut dictum est) tyrannus et hæreticus scriptis apostolicæ sedis vehementer infractus est, et a plurimis revocatus excessibus; quanto magis legitimus imperator, qui se catholicum videri volebat, potuit cum apostolica sede cunctorum quoque

D pontificum moderata suggestione mitigari, præcipue cum ejusdem Acacii esset specialis fautor et amator; et qui litteris suis tam ipsum Acacium quam sanctæ memoriæ papam Simplicium magnis laudibus extulisset, deceretur quod hæreticis constantissime restitisset [*al.* restitissent]. Cur tanto tempore Acacius inter ista conticuit, nisi quia præpediri [*al.* prohibere] nolebat ullatenus quæ [9] pro hæreticis desiderabat

[1] *Quod si quis hæc ab apostolica sede vel sancta* (male *secunda*) *synodo acta reprehendit, præter quod prisca rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuisse fatebitur.* LABBEUS.

[2] Inclusa parenthesi desunt in codice Veronensi.

[3] Id. cod., *ac Acacius.*

[4] Id. cod., *eidem.*

[5] Id. cod., *describere.*

[6] Id. cod., *si nollet.*

[7] Id. cod., *quid quod.*

[8] Id. cod., *cunctis cum eodem.*

[9] *Pro hæreticis* desunt in cod. Veronensi.

[1] impleri? Ponamus tamen etiamsi nulla synodus A præcessisset, cujus apostolica sedes recte fieret exsecutrix, cum quibus erat de Acacio synodus ineunda, nunquid cum his qui jam participes tenebantur Acacio, et per Orientem totum catholicis sacerdotibus violenter exclusis, perque exsilia diversa relegatis, socii evidenter existebant, communionis externæ prius se ad hæc consortia transferentes, quam sedis apostolicæ scita consulerent. Cum quibus ergo erat synodus ineunda? Catholici pontifices fuerant undique jam depulsi, solique remanserant socii perfidorum, cum quibus jam nec licebat habere conventum [*al. addit* dicente psalmo: Non sedi, etc.] [2] (quia moris ecclesiastici omnino non esset cum his qui pollutam communionem tenerent, permixtamque cum perfidis, ullum miscere concilium); propheta B quoque dicente: *Non sedi in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo;* [3] (*odivi congregationem malignorum, et cum impiis non sedebo*). Recte igitur per Chalcedonensis synodi formam hujusmodi prævaricatio repulsa est, potius quam ad concilium, quod nec opus erat post primam synodum, nec cum talibus [4] habere licebat, [5] adducta est. Nam et quid ageretur de fide catholica, si intelligere voluissent, ignorare non poterant, cum [6] viderant catholicos pontifices nulla synodi discussione, nullo concilio, præcipue cum novas causas esse perpenderent, toto Oriente depelli, et cæteri quid caverent, ex illorum discere qualitate potuissent. Restat igitur ut illius partis eos fuisse sit clarum, cui se post tot experimenta dediderunt, meritoque ab apostolica sede, cæ- C terisque catholicis non jam consulendi erant potius, sed notandi. [a] Risimus autem, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Nunquid apud Ravennam, apud Mediolanum, [7] Sirmium, apud Treviros, multis temporibus non constitit imperator? Nunquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quidpiam suis dignitatibus usurparunt? Nunquid Acacius, ut Joannem qualemlibet hominem, catholicum tamen a catholicis ordinatum, de Alexandria excluderet, Petrumque in hæresi jam detectum [*al.* dejectum] atque damnatum, absque sedis apostolicæ consultatione reciperet, aliqua synodo saltim illic habita, hoc audacter arripuit, ut Calendonem de Antiochia pelleret; hæreticumque Petrum, quem ipse quoque damnaverat, absque notitia sedis apostolicæ rursus admitteret, aliqua synodo id fecisse monstratur? Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ sedis et tertiæ major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur: nam quod [8] dicitis, alia potestas est regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præsentis regni non minuit, sic imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara urbs illa potestate præsentis imperii, religio tunc sub eadem [*al*, eodem] firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc præsente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram. [9] (Postremo si sibi de imperatoris præsentia blandiuntur, et inde putant Constantinopolitanæ civitatis episcopi potiorem fieri posse personam; audiant Marcianum ejusdem principem civitatis, posteaquam pro augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ papam Leonem summis laudibus prosecutum quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium ejusdem sedis antistitem, clerum potius Constantinopolitanum quam se tentasse talia confitentem, atque in apostolici præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum beatum papam Leonem sedis apostolicæ præsulem, cujus synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra quam ab eodem pro fide et communione catholica atque apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. Eaque nihilominus etiam sub sanctæ memoriæ papa Simplicio legatum sedis apostolicæ sanctæ memoriæ Probum Canusinæ urbis episcopum Leone principe tunc petente præsente docuisse nullatenus posse tentari, neque his prorsus præbuisse consensum, atque ideo non ad civitatis cujuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis ecclesiasticæ paterna traditione firmatum convenienter observent.) Dicatur autem [*al.* Sed dicatur forsitan] de Alexandrino et Antiocheno episcopis certis ex causis principem magis illa quæ gesta sunt, non Acacium præcepisse. Sed principi Christiano decuerat suggerere sacerdotem, maxime cujus familiaritate et favore fruebatur, salvam fore de ejusdem injuria contumeliaque vindictam tantum, ut Ecclesiæ sineret Christianus princeps regulas cu- D stodiri, quia et nova in utroque pontifice causa esset exorta, et novam discussionem consequenter inquireret; et sicut semper esset effectum [10] (ac divinæ pariter leges humanæque censerent), ut sacerdotali concilio de sacerdotibus [*al.* sacerdotalibus] indicia

[a] Ridet pontifex illud, quod cum Euphemio novantes nostri temporis stulte admodum inculcant, dum ratione regiæ dignitatis prærogativas sedium patriarchalium expendunt, et non potius apostolicæ traditioni hæc privilegia accepta referunt. SEV. BINIUS.

[1] Id. cod., *expleri*.
[2] Inclusa parenthesi absunt a codice Veronensi.
[3] Inclusa parenthesi absunt a cod. Veron. in quo eorum loco leguntur supra in editione Labbeana jam posita: *Nec ecclesiastici moris*, etc. Post quæ sequuntur, *Recte igitur*, etc.
[4] Id. cod., *haberi*.
[5] Hæc desunt in cod. Veronensi.
[6] Id. cod., *viderent*.
[7] Id. cod., *apud Sirmium*.
[8] Id. cod., *quod dicitis regiæ civitatis*.
[9] Inclusa parenthesi desunt in cod. Veronensi.
[10] Inclusa parenthesi desunt in cod. Veronensi.

provenirent; non a sæculari viderentur qualescunque pontifices, etsi errore humanitus accedente, non tamen [*al. addit* contra] religionem ullatenus excedentes potestate percelli. An adhuc [*al.* An et hæc] justa ratione principi suggerenda non erant? Regiæ civitatis honore sublimis, si factus erat illa regia civitate sublimior, tanto magis in his suggerendis debuit esse constantior? Si autem in his quæ pro religione fuerant exerenda, exstitit contemptibilis, atque despectus, et aut segnis, aut fiduciam non habens intimandi, in quo per regiam civitatem major effectus est? ([1] an ut per ea suæ prævaricationis exerceret potius tyrannidem, quam causas religionis legitime procuraret?) Nathan propheta (*II Reg.* XII) palam publiceque in facie regi David, et commissum pronuntiavit errorem, et ipsum commisisse non tacuit; et confessione correctum consequenter absolvit. ([2] beatæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis sacerdos Ecclesiæ, majori Theodosio imperatori communionem publice palamque suspendit, atque ad pœnitentiam redegit regiam potestatem; beatæ memoriæ papa Leo (sicut legitur) imperatorem Theodosium juniorem Ephesino latrocinio libere coarguit excedentem; sanctæ memoriæ quoque papa Hilarus Anthemium imperatorem, cum Philotheus Macedonianus ejus familiaritate suffultus diversarum conciliabula nova sectarum in Urbem vellet inducere, apud beatum Petrum apostolum palam ne id fieret, clara voce constrinxit, in tantum ut non ea facienda cum interpositione sacramenti idem promitteret imperator; sanctæ memoriæ nihilominus papa Simplicius, et post eum sanctæ memoriæ papa Felix, non solum Basiliscum tyrannum, sed etiam imperatorem Zenonem pro iisdem ipsis excessibus, auctoritate libera sæpius increpasse noscuntur, flectique potuisset, nisi Constantinopolitani præsulis accederetur instinctu, qui particeps externæ communionis effectus, necessario in quod inciderat, jam fovebat, malens in suæ prævaricationis obstinatione persistere, quam curandus ad salubria remeare, sicut ipse rerum probavit eventus. Ecce nuper Honorico regi Vandalicæ nationis, vir magnus et egregius sacerdos Eugenius Carthaginensis episcopus, multique cum eodem catholici sacerdotes constanter resisterent sævienti, cunctaque extrema tolerantes, hodieque persecutoribus resistere non omittunt. Nos quoque Odoacri barbaro hæretico regnum Italiæ tunc tenenti, cum aliqua non facienda præciperet, Deo præstante nullatenus paruisse manifestum est.) Hic autem vir bonus Acacius, et sacerdos eximius [*al.* egregius], in tantum se et suggerere potuisse monstravit, et noluisse deprompsit, imo favisse patefecit; ut et imperator cuncta se ex ejus gessisse consilio non taceret, et ipse imperatorem magnis præconiis elevaret ista facientem;

A seseque [3] prodidit his agendis rebus fuisse participem. Sed esto, Calendion imperatoris nomen abstulerit; Joannes principi mentitus fuisse jactetur, quæ tamen cum novæ essent causæ, nova [4] debuit ecclesiastica provenire discussio? an qui in hominem imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente synodo dejici debuerunt; et in Deum, qui summus et verus est imperator, Acacium delinquentem, sinceramque communionem divini sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundum synodum qua hæc est damnata perfidia, non oportebat expelli [*al.* excludi]? [5] Quid de innumeris per totum Orientem catholicis sacerdotibus propria sede depulsis, et indubitanter hæreticis intromissis? Novæ certe erant causæ; et his consequenter [6] nova synodus debebatur.
B Cur tunc non venit in mentem, ut in talibus causis peteretur a principe saltem qualiscunque synodus celebranda; ut quocunque vel colorato judicio traditionis ecclesiasticæ passim pontifices viderentur excludi, non solum quarumcunque urbium sacerdotes, sed metropolitani incunctanter antistites? His omnibus cum non restitit suggestione qua potuit, consensit Acacius, communicando cunctis, qui in catholicorum locum hæretici fuerant subrogati: Apostolus autem dicit: *Non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I), reos indubitanter ascribi. An hæc licuit sæculari potestati et actis talibus, Acacio consentiente absque ulla synodo, quam ipsa rerum novitas exigebat, absque sedis apostolicæ consultatione perficere; et sedi apostolicæ non licuit,
C secundum tenorem synodi Chalcedonensis in veteri utique causa, et veteri constituto juxta definitionem damnata [*al.* justa definitione damnatum], inimicis synodi Chalcedonensis Acacium communicantem a sua communione depellere? Sed inquiunt: Acacius principi obviare non potuit. Cur Basilisco, quia voluit, obviavit? cur ipse Zenoni, ne palam Petro Antiocheno quamvis latenter hoc fecerit communicare videretur, non commodavit assensum? ecce resultanti non institit [*al.* restitit] imperator: ecce vim nolenti non intulit; ecce refugienti contagia manifesta concessit: postremo, cur tanto tempore, cum ista gererentur, vel gerenda cognosceret, non ad sedem apostolicam, a qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam, referre maturavit [*al.* cu-
D ravit]? Sed prius laudator factus est ipse gestorum, quam vel præmoneret talia esse tentanda, vel ne tentarentur obsisteret. Sicut sub Basilisco jam fecerat, cur illis cæteris communicare consensit, qui depulsis catholicis sacerdotibus, indubitanter hæretici singulis urbibus fuerant substituti? Postremo ille defuit suis partibus; et quæ sacerdoti catholico competerent, agere fastidivit [*al.* non curavit]: ideo sedes apostolica quod [7] ad eadem pertinebat, vel po-

[1] Hæc pariter desunt in eodem codice.
[2] Sequentia quoque ansulis inclusa desiderantur in codice Veronensi.
[3] Cod. Veronen., *proderet*.
[4] Id. cod., *debuerit*.

[5] Id. cod., *Quid per totum Orientem de innumeris urbibus pulsi catholici sacerdotes, et hæretici subrogati?*
[6] Id. cod., *una*.
[7] Id. cod., *ad eam*.

tuit vel debuit præterire? Quolibet igitur modo hæreticorum complicem refutavit, et consortem communionis externæ a sua communione dimovit; nec opus fuit nova synodo, cum veteris constituti sufficienter [1] hæc forma præscriberet; nec opus fuit ut hæc scienda [*al.* facienda] Orientis episcopis intimaret, quos ex expulsione catholicorum, quæ agebantur in causa fidei, non ignorasse manifestum est; et communicando hæreticis subrogatis, facto tali consensisse non dubium est; [2] etiam cum externæ communionis effectis [*al. addit* atque ideo cum eis jam] nec potuisse, nec debuisse sedis apostolicæ scita tractari. Ecce agnoverunt in eorum professione qui constantissime perduraruut, quod fidei communionique catholicæ deberetur. Ecce agnoverunt quemadmodum a talibus recedendo, imo talibus contra moliendo, a fide et communione catholica deviarit Acacius, seque pariter cum eodem errori subdiderint. Ecce agnoverunt quam justis ex causis pro fide et communione catholica atque apostolica, cui et illi qui in ea persliterant congruebant, et hi qui perstantibus obviabant, ab eadem docebantur alieni, sedis apostolicæ auctoritate sit remotus Acacius ([3] ad cujus præcipue vocatus examen vel venire vel mittere non curavit, ut se de his omnibus, ut confidebat, absolveret), ejusque pariter quicunque complices exstiterint, atque ab illa merito cum his communione discretus, a qua se ipse primum cum suis consortibus catholicis pontificibus discrepando cognoscitur separasse; jureque sententiam ille damnationis excepit, cæterisque consortibus cum suis consortibus promulgandam; qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recidisse perfidiæ ad apostolicam sedem missis litteris est professus. Cui Acacio, si communicaverant Orientales episcopi antequam huc referret [*al.* referretur], pari utique reatu sine dubio [4] probabatur involvi, jureque per illum transgressionis sententiam susceperunt, tanquam facti cum eodem communionis externæ; qui utique non consuli tanquam nostræ communionis homines jam deberent, sed tanquam in contrario positi consortio refutari. Si vero non communicaverant antequam Acacius huc referret [*al.* referretur], et communicantem notare debuerant, et ipse de eodem potius huc referre, atque apostolicæ sedis vigore perculsum merito comprobare, cumque ea sede apostolica tantisque illis catholicis pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate descive-rant, et eorum successoribus communicare delegerant; ideo cum sede apostolica minime congruebant;

A quia in sortem reciderant prævaricatoris Acacii: et illius se sine dubio pervidebant sententia consequenter astringi, [*al. addit* et] ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem prævaricatione damnatos, in qua hodie quoque manere persistunt. Sed sicut ii simili conditione constricti complicem suum non possunt judicare non jure damnatum, neque reum [*al.* rei reum] possunt competenter absolvere, sic illo juste prævaricatore damnato, ipsi quoque pari jacent damnatione prostrati, neque nisi resipiscentes, inde poterunt prorsus absolvi: quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressione [*al.* transgressio est] qui in eamdem perfidiæ reciderant actionem, sic in uno eodemque qui pro omnibus scripserat, vel scri-

B bendo omnium prodiderat voluntates, transgressione punita, pariter quoque cum eodem, vel in eodem est complicum transgressio punita cunctorum. [5] Quæ tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo præsulis apostolici, cujus erat utique potestatis legitimæ, probatur esse deprompta, præcipue cum secreto dirigenda videretur: ne custodiis ubique prætentis dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita necessarium habere non posset effectum; tamen quia orthodoxis ubique dejectis, et hæreticis tantummodo eorumque consortibus jam relictis in Oriente, catholici pontifices aut residui omnino non essent, aut nullam gererent libertatem plurimorum in Italia catholicorum congregatio sacerdotum; rationabiliter in Acacium [6] sententiam

C cognovit fuisse prolatam, quæ congregatio facta pontificum non contra Chalcedonensem, non tanquam nova synodus contra veterem primamque [7] cognovit; sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps apostolicæ executionis effecta est; ut satis appareat Ecclesiam catholicam, sedemque apostolicam, quia alibi jam omnino non posset, ubi potuit, et cum quibus potuit, nihil penitus omisisse, quod ad fraternum pertineret [8] pro intemerata et sincera communione tractatum; [9] quæ cum universa noverint qui videntur Ecclesiis Orientalibus nunc præesse, propterea Christianam reparari legitima curatione refugiunt unitatem; quia occasionem dissensionis hujus suis ambitionibus suffragantem de-

D ponere jam recusant; quia sine auctoritate sedis apostolicæ omnium Ecclesiarum passim jura confundant, magis eligentes in errore persistere, quam præsumptionum suarum perdere facultatem, plus usurpationum suarum licentiam diligentes quam divini judicii tenentes corde respectum. In quo ne-

[1] Id. cod., *hoc forma.*

[2] Id. cod., *etiam communionis externæ effectus atque ideo cum eis nec, etc.*

[3] Hæc desunt in cod. Veronensi.

[4] Id. cod., *probabantur.*

[5] Id. cod., *cunctorum. Quæ ad instructionem vestræ dilectionis satis abundeque sufficere judicamus, quamvis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere, quatenus et fidelium quisque cognoscat nihil apostolicam sedem, quod absit, præprovere censuisse.* Hæc a Labbeo afferuntur ad calcem epistolæ.

[6] Cod. Veron. omisso verbo *sententiam* ita legit, *in Acacium fuisse prolata.*

[7] Id. cod., *Convenit.*

[8] Id. cod., *pro intemerata fide.*

[9] Hic deficit hæc epistola in Cod. Veronensi; in quo hæc subduntur: *Explicit rationis reddendæ Acacium a sede apostolica fuisse damnatum, nec posse quemquam sine discrimine animæ suæ ejus communionis participem fieri.*

cesse est velint nolint tam de fidei communionisque catholicæ sinceritate neglecta, quam de paternis canonibus evidenter irruptis recipiant quod merentur, nisi dum hic tempus admittit hæc damnationis æternæ pericula correctis mentibus studeant declinare, ut possint non tales permanere, quibus insolubilis est fata sententia. Sed a talibus recedentes, ab eadem sententia non teneri: quæ sicut in errore durantibus nunquam solvenda præfixa est, sic ab his erit aliena, qui exstiterint puniendæ pravitatis immunes. Hæc vero ad instructionem vestræ dilectionis satis abundeque sufficere judicamus, quamvis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere: quatenus et fidelium quisque cognoscat, nihil apostolicam sedem (quod absit) præpropere censuisse, et non habere quod juste possit opponere, perversa doceatur improbitas. Recte autem faciet vestra dilectio, ut ista quæ scribimus, pariter catholicis et contraria sapientibus innotescant: quo et sanis necessaria firmitas, et male sanis competens medicina præbeatur. Datum calendis Februarii, [1] Victore viro clarissimo consule.

EJUSDEM EPISTOLÆ

FORMA BREVIOR.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.

Valde mirati sumus, quod vestra dilectio quasi novam et veluti difficilem quæstionem, et adhuc tanquam inauditum quippiam nosse desiderat, quod Eutychianæ pestilentiæ communicatores, non habentes quid pro suæ perditionis obstinatione respondeant, frequenti jam ratione convicti, sola contentione submurmurant: non quia sit alicujus momenti quod garriunt, nec inveniunt penitus quid loquantur. Ubi magis eos qui catholicis sensibus instituti sunt, adhuc hærere miramur, quam illos qui a veritate exciderunt, et ab antiqua Ecclesiæ traditione sunt devii, profanas vocum novitates et ineptias caducæ perversitatis obtendere. Quibus eos vestra dilectio retulit jactitare, ideo Acacium non putare jure damnatum, quod non a speciali synodo videatur fuisse dejectus, et insuper dementiam suæ vanitatis accumulare pueriliter, adjicientes: *præcipuæ pontificem regiæ civitatis*. Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis apostolis, et considerare prudenter quoniam patres nostri, catholici videlicet doctique pontifices, in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundum Scripturarum tramitem prædicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum deinceps voluerint, firmumque constare, nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari, qualibet recenti præsumptione permiserint; sapientissime providentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus, contra fundamentum sese veritatis attollere, et simplicia quæque corda percutere: quid fieret si subinde fas esset perfidis inire concilium? cum quælibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat falsitas, etsi ratione, vel auctoritate deficiens, sola tamen intentione non cedens. Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie præcaverunt, ut quod contra unamquamque hæresim coacta synodus pro fide, communione, veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent novis post hæc retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi; sed auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus; quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci.

Et ut brevitatis causa priora taceamus, quæ diligens inquisitor facile poterit vestigare: Sabellium damnavit synodus, nec fuit necesse ut ejus sectatores postea damnarentur, singulas viritim synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquæ cunctos qui vel pravitatis illius, vel communionis exstitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arii, forma fidei communionisque catholicæ Nicæno prolata conventu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive sensu sive communione deciderit, sine retractatione concludit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium, synodus semel gesta condemnans, ulterius ad nova concilia venire non sivit; sed universos quocunque modo in has blasphemias recidentes, tradito sibi limite synodali refutavit Ecclesia, nec unquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, noviter quæ fuerant salubriter constituta, temerasse. Non autem nos latet in tempestate persecutionis Arianæ plurimos pontifices de exsiliis, pace reddita, respirantes per certas provincias congregatis secum fratribus Ecclesias composuisse turbatas; non tamen ut illius synodi Nicænæ, quidquid de fide et communione catholica definiverat, immutarent, nec nova quemquam prolapsum damnatione percellerent, sed illius decreti tenore nisi resipuisset, judicavere damnatum, essetque consequens, ut nisi corrigeret, damnationi procul dubio subjaceret. Quibus convenienter, ut dictum est, ex paterna traditione perpensis confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem oportere

[1] Scribendum est Victore, qui an. Christi 495 consulatum gessit

planius; *ita in Luc.*] exponere prætærimus, ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri videatur.

Cap. XXII. — Secundas nuptias sicut sæcularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale sinitur venire collegium. Alia est enim humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita divinarum rerum servitio [1] dedicata.

Cap. XXIII. — Quisquis propriæ desertor ecclesiæ, nullis existentibus causis, ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit et promotus, reverendorum canonum vel ipse vel receptor [ad quem profectus est] ejus atque provector constituta non effugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus præfixere servanda (*Nicæni* xv *et* xvi).

Cap. XXIV. — De monachis laicisque in prima copiosius præceptionis hujus [2] parte digestum est, (Vide supra cap. 2 et 3), quæ vel quatenus his pro rerum temporumque necessitate concessa sint, vel quemadmodum, ubi nullius necessitatis [*forte* facti necessitas] interesse probatur, non nisi vetus institutio debeat custodiri. Quos vero constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri non sine periculo facinus tale [3] perpetrantes : quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio (*Act.* viii) testatur, involvit.

Cap. XXV. — De locorum consecratione sanctorum, quamvis superius (*Cap.* 4) strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque præcepto sedis apostolicæ nonnulli factas ecclesias vel oratoria sacrare præsumant : hoc sumus tamen indicio detestabiliore permoti, quod in quocunque [*al.* quorumcunque] nomine defunctorum, et (quantum dicitur) nec omnino fidelium, constructiones ædificatas sacris processionibus [*Al.*, professionibus] audacter instituere memorantur : quæ quoniam tam acerba tam dura sunt [4], si revera Christianitatis affectus in illis regionibus certus et fixus est, et districtius ista quærantur, et a quibus fuerint gesta, prodantur : quoniam sicut latentibus in hac atrocitate nominibus non exstat, in quem sententia debita proferatur; ita cum manifestis fuerit documentis expositus, quem [*forte* quam] tanti sceleris poscit immanitas, non effugiet [*forte* vitabit] ullatenus ultionem.

Cap. XXVI. — Nihilominus impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut feminæ sacris altaribus ministrare ferantur [*al.* firmentur; *ita et in Luc.*]; et cuncta quæ non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum cui non competit exhibere.

Viso [*al.* nisi; *ita et in Luc.*] quod omnium delictorum quæ sigillatim perstrinximus, noxa omnis [*al.* noxiorum reatus omnis] et crimen eos respicit sacerdotes qui vel ista committunt, vel committentes minime publicando, pravis excessibus se favere significant : si tamen sacerdotum jam sint vocabulo nuncupandi, qui [5] delegatum sibi religionis officium sic prosternere moliuntur, ut in perversa quæque profanaque declives, sine ullo respectu regulæ Christianæ præcipitia funesta sectentur. Cumque scriptum sit : *Minima qui spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* xix, 1) : quid est de talibus existimandum qui immensis ac multiplicibus pravitatum molibus occupati, ingentem ruinam multimodis impulsionibus ediderunt, quæ non solum ipsos videatur obruere, sed et Ecclesiis universis mortiferam, si non saneutur, inferre perniciem? Nec ambigant qui hæc ausi sunt exercere, sed etiam qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprii se jacere dispendio, si non quanta possint celeritate festinent, ut lethalia vulnera competenti medicatione curentur. Quo enim more teneant jura pontificum, qui pontificalibus excubiis eatenus injuncta dissimulant, ut contraria domui Dei, cui præsident, potius operentur? Qui quantum apud Dominum possent, si non nisi convenientia procurarent, tantum quid mereantur aspiciant, cum exsecrabili studio sectentur adversa. Et quasi magis hæc regula sit qua Ecclesiæ debeant gubernari, si quidquid est ecclesiasticis inimicum regulis perpetratur, cum et si cognitos habuit canones unusquisque pontificum, intemerata debuerit tenere custodia. Et si forsitan nesciebat, consulere fidenter oportuerit scientem [*al.* ignorantem]. Quo magis excusatio nulla succurrit errantibus : quia nesciens [nec sciens *omnino legendum est, ut habet cod. Just. et edit. Canon*], proposuit servare quod noverat, nec ignorans curavit nosse quod gereret.

Cap. XXVII. — Quatuor autem tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, sicut sacerdotis intererit, integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus [*al.* clericus] ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum : quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata [*al.* deputata] convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est : *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* v), oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri.

Cap. XXVIII. — Quapropter nec [*al.* ne] clericorum quispiam se hujus offensæ futurum confidat immunem, si in his quæ salubriter sequenda de-

[1] Id. cod., *dedicandorum.*
[2] Id. cod., *parte digesta.*
[3] Id. cod., *vendente.*

[4] Id. cod. addit *ut eadem vix noster ferre possit auditus si revera*, etc.
[5] Id. cod., *delatum.*

prompsimus, sive episcopum, sive presbyterum, sive diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus duntaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat, et cæteris interdictio delinquendi. Sui [*al.* Sic] vero modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris elisor, si cuiquam clericorum, vel Ecclesiæ totius auditui hæc putaverit supprimenda. Data v idus Martii (anno Christi 494), Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus. *Et alia manu :* Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

EPISTOLA X.

AD EPISCOPOS SICILIÆ.

Ecclesiæ facultates ab episcopis, clericis et pauperibus distribui debere; diœceses et bona ecclesiæ ab episcopis triginta annos possessa eis non auferenda.

Gelasius Romanæ Ecclesiæ episcopus dilectissimis et in Christi caritate unanimiter connexis fratribus episcopis qui in Sicilia sunt constituti.

Præsulum auctoritas nostrorum emanavit, ut facultates ecclesiæ episcopi ad regendum habeant potestatem; ita tamen ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, nec non clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vindicent, ut (sicut ante diximus) peregrinorum atque captivorum largitores esse possint.

Illud etiam adnecti placuit, ut si (quod absit) facultates ecclesiæ, nec non et diœceses quæ ab aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis [*al.* tricennaria] lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ht ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus [*al.* tutela, *sive* regula, *aut potius* cautela] exclusit. Data idibus Maii, Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus (anno Christi 494) [1].

EPISTOLA XI.

AD EPISCOPOS DARDANIÆ ET ILLYRICI.

Commendat eorum religionem; Thessalonicensem episcopum, qui hæreticorum nomina damnare recusavit, apostolicæ sedis communione privatum esse, et Acacium in excommunicatione mortuum non posse absolvi significat.

Gelasius episcopus universis episcopis per Dardaniam [*in qq. codd. leg.* et Daciam] sive per Illyricum constitutis.

Audientes orthodoxam vestræ dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquæ fidei communionisque sinceræ traditionibus inhærentes, ut mentem Christianæ deditam veritati nullatenus infecerint prævaricatorum vicina contagia, magnificavimus Dominum, caritatemque vestram missis litteris alloqui per religiosos viros filios nostros Cyprianum atque Macarium diacones tota cordis aviditate curavimus :
A quoniam pro sedis apostolicæ principatu, cujus sollicitudo delegata divinitus cunctis debetur Ecclesiis, nos vivimus, si vos statis in Domino, magnisque gaudiis triumphamus. Cum ubique terrarum Dominum Sabaoth semen puræ confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deveniens, æstu tentationis exaruit, nec viæ proximum cecidit vacantibus inimicis expositum, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam terram piæ devotionis vestræ cœlesti factione [*al.* satione] dispersum in trigesimum et sexagesimum fructum centenariumque profecit, profectionemque scilicet frumenti dominici mystica locutione designans. Quapropter exsultantibus animis confidentius incitamus, ut ab Eutychianæ pestis incursu pectora vestra sapienter
B intemerata servetis : quoniam jam *qui perseverat usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). *Dominus prope est, nihil solliciti sitis* (*Philip.* IV); siquidem major est quod in nobis est quam qui in hoc mundo, regnumque Domini intra nos (etiam Scriptura [*Luc.* XVII] testante) sit certum. Ut autem ab eorum qui in errore sunt positi, noxia societate caveatis, nullum talibus communicantem ad vestrum recipiatis qualibet subreptione consortium : quia sicut in unaquaque hæresi cum pravitatis auctore damnato successores ejus et complices atque hujusmodi sectatoribus polluta communione permixtos catholica vitare debet integritas, ita cum Eutychete Dioscorus simulque Timotheus Ælurus et Petrus Alexandrinus, ejusque communicator Acacius, nec non etiam
C Antiochenus Petrus, cum suis sunt omnino participibus abdicandi. Nec quisquam, etiamsi pravitatem deponere se promittat, recitandis tamen nominibus consentiens perditorum, vel eadem recitantium minime communione discretus ad immaculata sacrilegiis ovilia quibuscunque modis est permittendus intrare, ut Ecclesia Dei nostri, *quæ maculam rugamque non sustinet* (*Ephes.* v), inviolata permaneat. Absint ergo a fidelibus Christi viperæ capitis dira commercia, et procul a cœlestibus pascuis mortifera venena pellantur, ut salutaris alimonia panis illius qui de cœlo descendit (*Joan.* VI), fideles hanc sumentes ad vitam perducat æternam.

Quæ ut mutua valeamus exhortatione prospicere, det operam vestra dilectio ut sospitatem vestræ cari-
D tatis optatam, et fidei communis instantia nobis crebrius aperire non desinat, quatenus alternis nos instructionibus excitantes, legitimorum Domini sacerdotum possimus invenire mercedem. Per vicinas quoque provincias hæc eadem patefacere vestra caritas vigilanter insistat; ut et qui catholicæ communionis sinceritate subsistunt, competentibus roborentur alloquiis; et qui forsitan ab hujus rectitudine deviarunt, ad integritatem dogmatis Christiani salubribus monitis reducantur. Noverit autem vestra

[1] In meo ms. Buchardi cod. lib. VIII, cap. 46, hoc decretum tanquam ex epistola Gelasii ad Sicilienses episcopos cap. 9 acceptum affertur : *Neque viduas ad nuptias transire patimur quæ religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter autem virgines nubere prohibemus quas annis plurimis in monasteriis ætatem peregisse contigerit.*

tatis jura descendit, quam Scriptura sancta sic memorat : *Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium* (*Eccles.* XL); de qua genus humanum non nisi solus Dominus noster Jesus Christus commercio suæ redemit passionis, et mutata nativitate nos eruit? *Solus utique venit quærere, et salvare quod perierat* (*Matth.* XVIII), ut libertas, quæ per temerariam fuerat dejecta superbiam, instauretur reparata per gratiam; mutuaque vice humanæ voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum, captivitatem meruerat sempiternam, sic reformatæ subsequendo libertatis auctorem, amissum rediret ad præmium. Hinc est quod ipse Dominus ait : *Cum vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Et apostolus beatus Paulus exsequitur : *Cum servi essetis peccati, liberi* B *fuistis justitiæ*, id est alieni a justitia, *liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ* (*Rom.* VI); et iterum idem ipse : *Libertatem*, inquit, *qua vos Christus liberavit* (*Galat.* V). Nonne ipse vas electionis affirmat, et dicit : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II)? ne etiam in mala voluntate, et velle et perficere Deus putaretur operari. Illud autem Pelagianorum peculiare virus est, olimque detritum, quo putant gratiam Dei secundum merita hominum posse conferri, quod absit a mentibus Christianis, cum testetur Apostolus : *Gratia est quæ gratis datur; alioquin si ex operibus gratia, jam non est gratia* (*Rom.* XI), quia merces redditur non gratis, unde gratia nomen accepit impenditur. Quis autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni C sine gratia, quando magister gentium clamat, cuncta breviter in se dona concludens : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit* (*I Cor* XV); ut ostenderet quia donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsecutus; atque monstraret cooperatorem se esse gratiæ subsequendo : *sed plus omnibus*, inquit, *illis laboravi* (*Ibidem*). Ac rursus veritus ne de se præsumere videretur, adjunxit : *non ego, sed gratia Dei mecum.* Non dixit : ego et gratia Dei mecum; sed præposuit gratiam præcedentem se, atque subjunxit. Quid autem haberi possit sine gratia, cum sit fides ipsa per gratiam; eodem apostolo nos docente : *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (*I Tim.* I). Nec aliud est misericordia D divina quam gratia. Audiamus etiam quemadmodum informat Ecclesiam : *Gratia*, inquit, *salvi facti estis per fidem* (*Ephes.* II); ut principium salutis et fidei a gratia cœpisse dissereret, sicut secutus adnectit : *Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne quis extollatur* (*Ibid.*). Idem ipse alibi generaliter et absolute pronuntiat, dicens : *Quid enim habes quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (*I Cor.* IV)? Quis sufficiet singula recensere? quibus evidenter apparet, non naturalis libertatis arbitrium gratiam promereri, sed potius per gratiam recipere, ut a servitute, quam peccando me- A ruerat, misericorditer absolutum esset. Hujus sacramenti redemptione ante mundi principium sempiterna providentia præparati, sive nondum prolata lege, seu sub observatione legali, figuralibus signis atque sacrificiis omnium sanctorum virorum feminarumque sanctarum vetus origo mundata est, universisque justis per gratiæ spiritum hoc de longe adorando mysterio salutis æternæ remedia contigerunt, cujus in Christo manifestata gentibus plenitudo, mundum purgat, et renovat, beatitudinisque perpetuæ vere facit esse participes. Quapropter nimis incusamus fratres et coepiscopos nostros, maxime per Piceni provincias Ecclesiam Domini gubernantes, qui non solum ineptissimi senis, abjectæque personæ pravum non deterruere colloquium, verum et suo nutrivere consensu. Quis audiat? quis ferat, passos esse pontifices, ut cadaver nescio quod indignum, presbyterum sibi non acquiescentem audire, communione privaret? quomodo talis vel susceptus ab aliquo, vel patienter auditus est? qui insuper leges dedit, libenter [1] exceptus, ut servi Dei cum puellis sacris congregatione dedecorissima miscerentur? nam cum spirituales animi, etiam cum desint ista consortia, imaginariis infestentur illecebris, quemadmodum alterni sexus intuitu, [2] qui illicite nolentes non vehementius incitentur? Adhuc majus scelus accrescit, ut sub conspectu et præsentia sacerdotum, beatæ memoriæ Hieronymum atque Augustinum ecclesiasticorum lumina magistrorum, *musca moritura*, sicut scriptum est, *exterminans oleum suavitatis* (*Eccles.* X), lacerare contenderet. Sed quid miremur Ecclesiarum præsules ista negligere, quos sicut a multis audivimus, contra canones omnia gerere, et contra apostolicam (*I Cor.* XIV) disciplinam passim cuncta miscere, manifestum est; non servatis regulis ordinare, liciteque non solum monachos, sed etiam ministros ecclesiæ cum feminis ad peregrina migrantes remeare rursus, et ab aliis episcopis in militiam provehi clericalem? Quæ cum singula toleranda non sint, quis sustineat tot et talia facinora perpetrari, quibus spectaculum gentilibus, Judæis, et hæreticis non immerito præbentes, in ipsum (quod absit) tendere videatur religionis excidium? digneque ista facientibus aptabitur illa sententia dicentis Apostoli : *Nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus* (*Rom.* II). Sufficiat igitur hactenus fuisse hæc commissa, et ut placetur Deus humanis rebus sollicitius divina curentur. Nusquam loci prorsus inveniatur præfatæ pestis assertor, nec accessum prorsus ecclesiæ vel usquam participationem catholicæ communionis inveniat qui hæreticorum mavult subsequi nefaria professione consortium; et hi cum quibus antea probabitur noxium miscuisse colloquium, nisi resipiscunt, et ab ejus societate discedunt, ab ecclesiastico remoti servitio, devota ultione plectantur, quo cæteris cavendi ministretur exemplum, nullum adeat, nec usquam loqui damnatæ olim blasphemiæ jam sinantur : discreta

[1] Forte *exceptas.* HARDUIN.

[2] Forte *etsi illicite.* HARDUIN.

suis habitationibus virorum atque feminarum, sicut sanctum propositum decet, exerceatur circumspecta devotio. Contra canonum constituta nullus (*Nic.* IX, 10) ad ecclesiasticum permittatur [*al.* promoveatur] officium : non ignoraturis provinciæ uniuscujusque rectoribus, nec de præteritis se veniam reperturos erroribus, si deinceps dissimulaverint vitare patefactos : nec excusationis de cætero relinquetur occasio, si post præcepta præsentia, quæ per Romulum diaconum, cujus solertiam pro fide catholica et pro religione vigilantiam gratissime comprobamus, duximus destinanda quisquis super his omnibus aut contemptor aut negligens deprehendetur antistes. Sicut enim ad sedis apostolicæ moderamina pertinet, cunctis sollicitudinem debitam ministrare congruenter Ecclesiis; ita necesse est, ut in contumaces et desides traditam sibi divinitus non dissimulet potestatem. Data calendis Novembris, Albino viro clarissimo consule (anno Christi 393).

[a] EPISTOLA VIII.

AD ANASTASIUM IMPERATOREM.

Præmissa excusatione cur ad imperatorem non scripserit, illum hortatur ut apostolicæ sedi obtemperet, et, Acacii nomine damnato, Ecclesiarum pacem restituendam curet.

[1] Gelasius episcopus ad Anastasium Augustum.

Famuli vestræ pietatis, filii mei, Faustus magister et Irenæus viri illustres, atque eorum comites publica legatione fungentes, ad Urbem reversi, clementiam vestram quæsisse dixerunt [*al.* dicuntur], cur ad vos meæ salutationis scripta non miserim. Non meo, fateor, instituto; sed cum directi dudum de partibus Orientis vel videndi me licentiam, sibi vestris præceptionibus abnegatam, tota Urbe disperserint, a litteris credidi temperandum, ne onerosus potius quam officiosus existerem. Videtis igitur non mea dissimulatione provenisse, sed competentis fuisse cautelæ, ne respuentibus animis molestias irrogarem. Sed ubi serenitatis tuæ benevolentiam comperi, præfatis indicantibus, humilitatis meæ clementer expetisse sermonem, jam revera perpendi, [2] imputandum non immerito mihi, si tacerem; quia, gloriose fili, [3] te sicut Romanus [*al.* Romæ] natus, Romanum principem amo, colo, [4] suscipio; et sicut Christianus, cum eo qui zelum Dei habet, secundum scientiam veritatis [5] habere desidero : et qualiscunque apostolicæ sedis vicarius, [6] quodcunque plenæ fidei catholicæ deesse comperero, pro meo modulo suggestionibus opportunis supplere contendo. Dispensatione etenim mihi divini sermonis injuncta, *væ mihi est, si non evangelizavero* (*I Cor.* IX)! Quod cum vas electionis beatus Paulus apostolus formidet et clamet, multo magis mihi exiguo metuendum est, si divinitus [7] inspiratum, et paterna devotione transmissum, subtraxero ministerium prædicandi. Pietatem tuam precor ne arrogantiam judices divinæ rationis officium. Absit, quæso, a Romano principe, ut intimatam suis sensibus veritatem arbitretur injuriam. Duo [8] quippe sunt, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur : auctoritas sacra [*al.* sacrata] pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus [9] Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis [*al.* exspectas], inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque (ut competit) disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc, ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ; quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus, siluisse pro Divinitatis cultu, quod congruit; ita his (quod absit) non mediocre periculum est, qui, cum parere debeant, despiciunt. Et si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus, fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et Divinitas summa voluit præeminere, et subsequens Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Ubi pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, et habet devota primatem. Impeti possunt humanis præsumptionibus quæ divino sunt judicio con-

[a] Cum circa finem anni 493 Theodorici regis legati Constantinopoli revertissent, atque ea quæ ab imperatore Anastasio acceperant Gelasio papæ nuntiassent, ipse Gelasius apologeticam epistolam hanc ad eumdem Anastasium conscripsit, quæ in capitularibus regni Francorum citatur lib. V, cap. 167. His litteris persuaderi non potuit, ut remoto obice, Ecclesiis unionem et pacem redderet. Obstitit Euphemius, asserens ab apostolica sede magis exerceri vindictam quod ab Acacio spreta esset, quam justitiam defendi. Epistolam scriptam esse anno pontificatus Gelasii tertio, qui est Christi 494, ex eo colligitur quod Anastasius hoc tempore se Eutychianum esse hæreticum, et Acephalorum sectæ signiferum necdum declararit : quem constat anno sequente virus in pectore occultatum plane evomuisse. SEV. BINIUS.

[1] Al., *Gloriosissimo imperatori Anastasio Gelasius episcopus.*

[2] Codex Capituli Veronensis pervetustus, cum quo collata est hæc epistola, legit *reputandum.*

[3] Id. cod., *et sicut.*

[4] Id. cod. *suspicio.*

[5] Forte, *pacem habere.* HARDUIN.

[6] Al., *quod ubicunque plene.*

[7] Id. cod., *inspirato..... transmisso.*

[8] Hæc sententia citatur lib. V Capitul., c. 167, et ab Hincmaro opusc. 9, n. 59. HARDUIN.

[9] Id. cod., *hominum.*

stituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum, quod ab ipso sacræ religionis auctore præfixum est, non potest ulla virtute convelli: *Firmamentum enim Dei stat* (*II Tim.* II). Nunquidnam cum aliquibus infestata religio est, [1] quantacunque potuit novitate superari, et non magis hoc invicta permansit, quo æstimata est posse succumbere? Desinant ergo (quæso te) temporibus tuis quidam per occasionem perturbationis ecclesiasticæ præcipitanter ambire quæ non [2] licet, ne et illa quæ male appetunt nullatenus apprehendant, et modum suum apud Deum et homines non teneant. Quapropter sub conspectu Dei pure ac sincere pietatem tuam deprecor, obtestor et exhortor, ut petitionem meam non indignanter accipias: rogo, inquam, ut me in hac vita potius audias deprecantem, quam (quod absit) in divino judicio sentias accusantem. Nec me latet, imperator Auguste, quod pietatis tuæ studium fuerit in privata vita. Optasti semper fieri particeps promissionis æternæ. Quapropter noli, precor, irasci mihi, si te tantum diligo, ut regnum, quod temporaliter assecutus es, velim te habere perpetuum, et qui imperas sæculo, possis regnare cum Christo. Tuis certe legibus, imperator, pateris nihil perire, Romano nomini [*al.* perire Romano nomini] nullum admittis ingeri detrimentum. Itane verum est, princeps egregie, qui non solum præsentia Christi beneficia, sed desideras et futura, ut religioni, ut veritati, ut sinceritati catholicæ communionis et fidei, temporibus tuis, patiaris quemquam inferre dispendium? Qua fiducia (rogo te) illic ejus præmia petiturus es, cujus hic damna non prohibes? Non sint gravia, quæso te, quæ pro tuæ salutis æternitate dicuntur. Scriptum legisti: *Meliora sunt vulnera amici quam oscula inimici* (*Prov.* XXVII). Quæso pietatem tuam, ut quo affectu dicuntur a me, eo tuis sensibus intimentur. Nemo pietatem tuam fallat. Verum est quod figuraliter per prophetam Scriptura testatur? *Una est columba mea, una est perfecta mea* (*Cant.* VI), una est christiana fides, quæ est catholica. Catholica autem veraciter illa est, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus atque consortibus sincera, pura, immaculata communione divisa [*al.* divulsa] est. Alioquin non erit divinitus mandata discretio, sed miseranda confusio. Nec ulla causa jam superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne cunctis hæresibus aditum januamque pandamus. *Qui enim in uno offenderit, omnium reus est* (*Jacob.* II); et: *Qui minima spernit, paulatim decidit* (*Eccles.* XIX). Hoc est quod sedes apostolica magnopere cavet [*al.* prætaxavit], ut quia mundo radix est apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non

A posse confidimus) tale aliquid proveniret, [3] unde cuiquam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus? Proinde si pietas tua unius civitatis populum negat posse [4] pace componi, quid nos de totius orbis terrarum sumus universitate facturi, si (quod absit) nostra fuerit prævaricatione deceptus? Si totus correctus est mundus, profana patrum suorum traditione despecta, quomodo non corrigatur unius civitatis populus, si prædicatio fida [*al.* fidei] succedat? Ergo, gloriose imperator, nolo ego [*al.* non negligo] Ecclesiarum pacem, quam, etiamsi cum mei sanguinis impendio provenire posset, amplector [*al.* amplectar]? Sed (precor te) cujusmodi debeat esse pax ipsa, non utcunque, sed veraciter christiana mente libremus. Quomodo enim B potest esse pax vera cui caritas intemerata defuerit? Caritas autem qualiter esse debeat, nobis evidenter [5] Apostolus prædicat, qui ait: *Caritas de corde, puro, et conscientia bona et fide non ficta* (*I Tim.* I). Quomodo (quæso te) *de corde erit puro*, si contagio inficiatur externo? Quomodo *de conscientia bona*, si pravis fuerit malisque commixta? Quemadmodum *fide non ficta*, si maneat sociata cum perfidis? Quæ cum a nobis sæpe jam dicta sint, necesse est tamen incessabiliter iterari, et tandiu non taceri quandiu nomen pacis obtenditur; ut nostrum non sit (ut invidiose jactatur) facere pacem, sed tamen velle doceamus, qualis, et sola pax esse, et præter quam [6] nulla esse monstratur. Eutychianum certe dogma, contra quod apostolicæ sedis cautela pervigilat, si C creditur salva fidei catholicæ posse veritate constare, promatur, asseratur, et quantislibet viribus astruatur, ut non solum per seipsum, quam inimicum sit fidei Christianæ possit ostendi, sed quantas et quam lethales hæreses in sua contineat colluvione monstrari. Si autem (ut magis confidimus) a catholicis judicatis mentibus excludendum, quæso te, cur non et contagia simul eorum qui hac probantur esse polluti, decernitis refutanda, cum dicat Apostolus: *Non solum qui non facienda faciunt, reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I)? Proinde sicut non potest, perversitatis communicatore suscepto, non pariter perversitas approbari, sic non potest refutari perversitas, complice sectatore perversitatis admisso. Legibus certe vestris, criminum conscii susceptoresque latrocinantium pari judiciorum pœna constrin- D guntur; nec expers facinoris æstimatur qui, licet ipse non fecerit, facientis tamen familiaritatem fœdusque receperit. Proinde cum Chalcedonense concilium, pro fidei catholicæ atque apostolicæ veritate communioneque celebratum, damnaverit Eutychen detestandi furoris auctorem, non satis habuit, nisi ut pariter ejus quoque consortem Dioscorum cæterosque percelleret. Hoc igitur modo, sicut in unaquaque hæresi vel factum semper, vel fieri non habetur ambi-

[1] Cod. Veron., *quantumque*: Quesnellus legit *quacunque*.
[2] Id. cod., *non licent*.
[3] Id. cod., *vel cui jam*.

[4] *Pace* deest in eod. cod.
[5] Id. cod., *per Apostolum prædicatur*.
[6] Id. cod., *pax nulla*.

gum, successores eorum [1] Timotheum, Petrum atque alterum Antiochenum Petrum, non viritim propter singulos quosque rursus facto concilio, sed synodi semel [2] acta regula consequenter elisi. Quemadmodum ergo non evidenter apparet etiam cunctos simili tenore constringi, et qui eorum communicatores et complices exstiterunt, atque omnes omnino a catholica atque apostolica merito communione discerni: hinc Acacium quoque jure dicimus a nostro consortio submovendum, qui maluit in sortem transire perfidiæ, quam in catholicæ atque apostolicæ communionis sinceritate constare, [3] cum fere [a] per triennium, ne in id veniret, apostolicæ sedis epistolis doceatur competenter instructus. Postquam vero communionis est factus alienæ, non potuit nisi a catholicæ et apostolicæ mox societate [4] præcidi, ne per eum, si vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subiisse contagia perfidorum. Sed revera vel tali perculsus pœna resipuit, correctionem promisit, emendavit errorem? aut ille tractatus lenius voluerat [*al.* valuerat] coerceri, qui etiam verbera dura non sensit? Quo in sua perfidia et damnatione moriente [*al.* manente], tam ejus in ecclesiastica recitatione non potest nomen ascribi, quam externæ contagium non debet communicationis admitti. Quapropter aut doceatur ab hæretica participatione sincerus, quorum se ille communioni permiscuit, aut cum eisdem non potest non repelli. Si autem susurrant Orientis episcopi, quod ad eos sedes apostolica non ista conscripserit, quasi vel ipsi de recipiendo legitime Petro sedem apostolicam suis litteris fecerint certiorem, vel hujus receptionis inconditæ non jam pariter complices exstitissent, quem sicut vere non possunt docere ab hæretica pravitate fuisse purgatum, ita se hæreticorum nullatenus poterunt excusare consortes. [5] Quod si fortassis astruxerint, quod ad apostolicam sedem de susceptione Petri per Acacium cuncti consona [6] voce retulerint, per eumdem sibimet omnes pari voce sentiunt fuisse rescriptum. Apostolicæ [*al.* vice primatus sedis apostolicæ] vero sedis auctoritas, quod cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit universæ, et canonum serie paternorum, et multiplici traditione firmatur. Sed vel hinc, [7] utrum sibi quisquam contra Nicænæ synodi constituta quippiam valeat usurpare, collegio potest unius communionis ostendi, non mentibus externæ societatis aperiri. Apud illos si quis confidit, egrediatur in medium, et apostolicam sedem de utraque parte revincat et instruat. Tollatur ergo nomen e medio, quod ecclesiarum discretionem procul a catholica communione operatur, ut sincera pax fidei communionisque reparetur et unitas: et tunc quis nostrum contra venerandam vel insurrexerit, vel nitatur insurgere vetustatem, competenter et legitime perquiratur. Et illic apparebit quis modeste proposito custodiat formam traditionemque majorum, quis supra hæc irreverenter insiliens, rapina æqualem posse fieri arbitretur. Quod si mihi populi Constantinopolitani persona proponitur, per quam dicatur nomen scandali, id est Acacii, non posse removeri; taceo, quia et hæretico quondam Macedonio pulso, et Nestorio nuper ejecto, plebs Constantinopolitana catholica permanere delegerit potius quam majorum præsulum damnatorum affectione retineri. Taceo, quod qui ab eisdem ipsis damnatis præsulibus, baptizati fuerant, in fide catholica manentes, nulla sint exagitatione turbati. Taceo, quod pro rebus ludicris populares tumultus nunc etiam vestræ pietatis auctoritas refrenarit; atque ideo multo magis pro salute animarum suarum necessario vobis Constantinopolitanæ civitatis obtemperat multitudo, si eam ad catholicam et apostolicam communionem vos principes reducatis. Etenim, imperator Auguste, si contra leges publicas aliquid (quod absit) quispiam fortasse tentaret, nulla pati id ratione potuisses: ad Divinitatis puram sinceramque devotionem, ut tibi plebs subdita redigatur, conscientiæ tuæ non putas interesse? Postremo, si unius civitatis populi animus non putatur offendi, ne divina (ut res postulat) corrigantur: quanto magis, ne divina offendantur, catholici nominis universis piam fidem nec lædere debemus omnino, nec possumus? Et tamen iidem nostra se poscunt voluntate sanari. Competentibus ergo sinant curari se posse remediis: alioqui (quod absit) in eorum transeundo perniciem, cum illis perire possumus, ipsos vero salvare non possumus. Jam hic quid sit magis sequendum, sub divino judicio vestræ conscientiæ derelinquo: utrum, sicut nos optamus, simul omnes certam redeamus ad vitam; an, sicut illi poscunt, manifestam tendamus ad mortem. Sed adhuc apostolicam sedem, sibi medicinalia suggerentem, superbam vocare arrogantemque contendunt. Habet hoc qualitas sæpe languentium, ut accusent magis medicos congruis observationibus ad salubria revocantes, quam ut ipsi suos noxios appetitus deponere vel reprobare consentiant. Si nos superbi sumus, [8] quia animarum remedia convenientia ministramus, quid vocandi sunt qui resultant? Si nos superbi sumus, qui obediendum paternis dicimus institutis; qui refragantur, quo appellandi sunt nomine? Si nos elati sumus, qui divinum cultum puro atque illibato cupimus tenore servari; qui contra Divinitatem quoque sentiunt, dicant, qualiter nuncupentur? Sic et nos cæteri, qui in errore sunt, æstimant, quod eorum non consentiamus insaniæ. Ubi

[a] Hujus triennii initium referendum est ad 15 annum Simplicii, quo Acacius delictum commisit, ut patet supra in notis epistolarum Simplicii 15 et 17. SEV. BINIUS.

[1] Id. cod., *Timotheus, Petrus, atque alter Antiochenus Petrus.*
[2] Id cod., *actæ regula consequenter elisi.*
[3] Anno 478, 479, 480. Alium iniit calculum Liberatus cap. 18. HARDUIN.
[4] Anno 484.
[5] Cod. Veron., *Qui si.*
[6] Id cod., *voluntate.*
[7] Id. cod., *vel utrum.*
[8] Id. cod., *qui animarum.*

tamen spiritus superbiæ veraciter consistat et pugnet veritas ipsa indicat [*al.* judicat].

EPISTOLA IX.

AD EPISCOPOS LUCANIÆ.

Nonnulla ecclesiastica instituta exponuntur.

[1] Dilectissimis fratribus universis episcopis per Lucaniam, et Brutios, et Siciliam constitutis Gelasius.

TITULI DECRETORUM PAPÆ GELASII.

I. De constitutis ecclesiasticis, pro temporibus qualitate moderandis.

II. Ut ubi nulla perurget necessitas, constituta Patrum inviolata serventur; vel cum defuerint clerici, de monachis eligantur.

III. Ut si qui de laicis eliguntur ad clericum, multo sollicitius in his, ea quæ de monachis dicta sunt inquirantur.

IV. Ut ab episcopis, præceptione papæ, novæ basilicæ dedicentur.

V. Ut nulla prædia [*lege* pretia] *de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur. Quod si qui hoc perpetraverint, honoris sui periculo subjacebunt.*

VI. Ut presbyteri modum debitum servent, non chrisma conficiant, non consignent; nec præsente quolibet episcopo, nisi jubeantur ab ipso, vel orare, vel sedere præsumant, nec acolythum, vel subdiaconum faciant.

VII. Similiter ut diaconi mensuram propriam juxta Patrum decreta custodiant.

VIII. Quod diaconi in presbyterio residere non possint, nec sacri corporis prærogationem, præsentibus debent usurpare presbyteris.

IX. Quod apostolica sedes paternos canones pio studio devotoque custodiat.

X. Ut præter paschale tempus et pentecosten nemo baptizare præsumat, nisi eos tantum quos ægritudo extrema compulerit.

XI. Presbyterorum et diaconorum ordinationes certis celebrari posse temporibus.

XII. Ut præfixis diebus virgines consecrentur.

XIII. Ut viduæ non velentur.

XIV. Ut nullus præsul vel ecclesiæ, vel monasterii servum, aut originarium, nolentibus dominis, sub nomine religioso defendat, honoris et communionis periculum subiturus quisquis hoc perpetrare tentaverit.

XV. Ut clerici nulla negotia inhonesta, nec turpia lucra sectentur.

XVI. Ut nemo litteras nesciens, vel aliqua parte corporis minutus, provehatur ad clerum.

XVII. De his qui seipsos abscindunt.

XVIII. Quod ad clerum criminosi nequeant promoveri, et in clero positi, si in aliquibus fuerint inventi flagitiis, a suis officiis arceantur.

XIX. Quod dæmonis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat.

A *XX. Quod hi qui se sacris virginibus sociant, et fœdera incesta commiscent, communicare non possint, nisi forte publicam pœnitentiam gesserint.*

XXI. Quod viduæ, ut supradictum est, non velentur. Et si professam continentiam proposito mutato calcaverint, ipsæ pro se rationem sint ideo [al. *domino*] *reddituræ.*

XXII. Quod secunda conjugia sæcularibus non negentur, quibus tamen ad clerum minime venire conceditur.

XXIII. Ut si quis susceperit ecclesiæ propriæ desertorem, et in aliquam provexerit dignitatem, utique sententiæ subjaceant quam canones addixerunt.

XXIV. Quod si qui ex monachis aut laicis eliguntur ad clerum, cum nulla cogit necessitas, antiqua in eis B *debentur instituta servari. Quod si probentur sacram mercati esse pretio dignitatem, ab officio deponantur, nam dantem et accipientem Simonis magi crimen involvit.*

XXV. De sacris locis noviter institutis, quamvis superius dictum sit, hoc nunc tamen adjicitur, ut nulla basilica sub defunctorum constructa nomine dedicetur.

XXVI. Quod nefas sit feminas sacris altaribus ministrare, vel aliquid ex his quæ virorum sunt officiis deputata præsumere.

XXVII. Quod in unaquaque ecclesia cui episcopus præest, tam de redditibus quam de fidelium oblationibus quatuor debeant fieri portiones: ut una sit episcopi, alia clericorum, tertia pauperum, quarta ecclesiæ fabricis applicetur.

C *XXVIII. Quod episcopus, presbyter, et diaconus, a quocunque clerico veraciter fuerit accusatus, quod adversus hæc constituta fecerit, potest sine dubitatione percelli, sui etiam honoris periculum episcopus subiturus, si hæc omnia ecclesiæ noscenda tacuerit.*

[2] CAPUT PRIMUM. — Necessaria rerum [3] dispensatione [*al* disputatione *vel* dispositione] constringimur, et apostolicæ sedis moderamine convenimur; sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus; quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, et reparandis militiæ clericalis officiis [*supple* D consulamus] quæ per diversas Italiæ partes ita belli famisque [4] consumpsit incursio, ut in multis ecclesiis (sicut fratris et coepiscopi nostri Joannis Ravennatis Ecclesiæ sacerdotis, frequenti relatione comperimus) usquequaque deficiente servitio ministrorum [*al.* ministeriorum] [5] nisi remittendo paulisper ecclesiasticis promotionibus antiquitus intervalla præfixa remaneant (sine quibus administrare nequeant) sacris ordinibus Ecclesiæ funditus destitutæ; atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilii, salutare subsidium redi-

[1] In vetustissimo Lucensi cod. num. 490 iste titulus sic enuntiatur : *Gelasius episcopus universis episcopis per unamquamque provinciam constitutis.* MANSI.

[2] Citatur et a Nicolao papa in epist 8 ad Michaelem imperatorem. HARDUIN.

[3] Cod. Luc., *dispositione.*

[4] Id. cod., *consumpserit.*

[5] Id. cod., *nil.*

mendarum desit animarum : nosque magno reatu, si tanto coarctante periculo, non aliquatenus [1] videamur innecti.

Cap. II. — Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis; quæ, ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodire, eatenus ecclesiis quæ vel cunctis sunt privatæ ministris, vel sufficientibus usque adeo dispoliatæ servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tam [2] intuendi quam promovendi clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus.

Ut si quis etiam de religioso proposito, et disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedat, imprimis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur, si nullo gravi facinore probatur infectus, si secundam non habuit fortassis uxorem, nec a marito relictam [*al.* rejectam] sortitus ostenditur; si pœnitentiam publicam fortassis non gessit, nec ulla corporis parte vitiatus apparet; si servili aut originariæ non est conditioni obnoxius; si curiæ jam [*al.* etiam] probatur nexibus absolutus; si assecutus est litteras, sine quibus vix fortassis ostiarii possit implere ministerium : ut si his omnibus quæ sunt prædicta fulcitur, continuo lector, vel notarius, aut certe defensor effectus, post tres menses existat acolythus, maxime si huic ætas etiam suffragatur; sexto mense subdiaconi nomen accipiat; ac si modestæ conversationis honestæque voluntatis existit, nono mense diaconus, completoque anno sit presbyter : cui tamen, quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur præstitisse devotio.

[3] Cap. III. — Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregandus officiis, tanto sollicitius in singulis, quæ superius comprehensa sunt, hujusmodi decet examinari personam, quantum inter mundanam religiosamque vitam constat esse discriminis : quia utique convenientia ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus meritis ingerenda; tantoque magis, quod sacris aptum possit esse servitiis, in eorum quærendum est institutis, quantum [*al.* quanto] de tempore quo fuerant hæc assequenda decerpitur : ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit; ne per occasionem supplendæ penuriæ clericalis vitia potius divinis cultibus intulisse [4] judicemur, non legitimæ familiæ computemur procurasse compendia; quorum promotionibus super anni metas, sex menses nihilominus subrogamus : quoniam, sicut dictum est, distare convenit inter personam, divino cultui deditam et de laicorum conversatione venientem; quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis ecclesiis quibus infestatione bellorum vel nulla penitus, vel exigua remanserunt, ministeria renoventur, quatenus his Deo propitio restitutis, in ecclesiasticis gradibus subrogandis canonum paternorum vetus forma servetur. Nec contra eos ulla ratione prævaleat, quod pro accidentis defectus remedio providetur, non adversus scita majorum nova lege proponitur : cæteris ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas, pristinam faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam. Quo magis hac opportunitate commoniti, observantiam venerandorum canonum propensius delegamus, singulorum graduum conscientias admonentes, ne in illicitos prorumpere moliantur excessus.

Nec fas esse confidat quisque pontificum, bigamos, aut conjugia sortientes ab aliis derelicta, sive quoslibet [5] pœnitentium [*al.* post pœnitentiam], vel sine litteris, vel corpore vitiatos [*al.* minutos], vel conditionarios, aut curiæ publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis exspectatione discussos, divinis servituros applicare mysteriis; neque pro suo libitu jura studeant aliena pervadere, absque sedis apostolicæ justa dispositione mandante.

Cap. IV. — Basilicas noviter institutas non petitis ex more [6] præceptionibus, dedicare non audeant, nec ambiant episcopi sibimet vindicare clericos potestatis alienæ.

Cap. V. — Baptizandis consignandisque fidelibus sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes : quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur (*Matth.* x). Et ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causas adire despiciant; certum habentes quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.

Cap. VI. — Nec minus etiam presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus; nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere : non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem; non præsente quolibet antistite, nisi fortasse jubeantur, vel orationis, vel actionis sacræ supplendæ sibi præsumant esse licentiam; neque sub ejus aspectu, nisi jubeantur, aut sedere præsumant, aut [7] veneranda [*al.* venerabilia] tractare mysteria. Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine summo pontifice, subdiaconum aut acolythum jus habere faciendi; nec prorsus addubitent, si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exsequendum, continuo se presbyterii dignitate et sacra communione privari. Quod fieri necesse est censeamus, si eorum præsule deferente, hujusmodi fuerit prævaricatio [*al.* præsumptio] comprobata, nec ipso eorum episcopo a culpa conniventiæ et ultione vacaturo, si immoderata facientem dissimulaverit vindicare.

[1] Id. cod., *consulamus.*
[2] Id. cod., *instituendi.*
[3] Citatur a Nicolao papa in epist. 2 ad Michaelem imp., tametsi quædam ibi ab istis discrepant. Harduin.
[4] In cod. Luc. deest *judicemur.*
[5] Id. cod., *post pœnitentiam.*
[6] Infra cap. 25, *præcepto sedis apostolicæ.*
[7] Cod. Luc. 490, *venerabilia.*

Cap. VII. — Diaconos quoque propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem (*Nic.* xviii) paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus; nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quæ primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi, prædictis fortasse officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod et laicis Christianis facere plerumque conceditur.

Cap. VIII. — Non in presbyterio residere, cum divina celebrantur, vel ecclesiasticus habetur [*al.* celebratur] quicunque tractatus. Sacri corporis prærogationem, sub conspectu pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi.

Cum enim decreta venerabilium sanctionum nos quoque magnopere custodire nitamur, ac sine eorum B dispendio etiam illa quæ pro alicujus utilitatis compendio fortasse videantur laxanda, credamus.

Cap. IX. — Cumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et cum sedes apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito; satis indignum est quemquam vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere: satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum, dicente Scriptura: *Ordinate in me caritatem* (*Cant.* ii). Et item: *Omnia cum ordine fiant* (*I Cor.* xiv). Atque C iterum psalmista prædicante: *Circumdate Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus. Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite gradus ejus, ut enarretis in progenies alteras, quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum; et ipse reget nos in sæcula* (*Psal.* xlvii). Hic procul dubio, qui in ecclesiasticarum narratur altitudine dignitatum, et in cujus virtute bonis operibus corda ponenda sunt, gradibus utique distributis, cunctis Deus noster et rector populis prædicandus est christianis: ubi nemo sibimet aliquid jam existimet imminutum, cum et de uniuscujusque gradus perfectione nihil deperit, et convenienter retinendo, quod cœlesti dispensatione collatum est, pariter nobis et cognoscibilem Deum fieri, et tribuit esse rectorem. Nam et si quid indulgetur de D temporum quantitate moribus aggregata strenuitate pensatur: si vitæ jam [*al.* etiam] proposito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum, dummodo illa nullatenus dissimulata subrepant [*al.* subripiant] quorum quodlibet, si inesse claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat esse personam. Etsi illa nonnunquam sinenda sunt, quæ, si cæterorum constet integritas, sola nocere non valeant, A illa tamen sunt magnopere præcavenda, quæ recipi nisi manifesta decoloratione non possint. Ac si ea ipsa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum [1] temporumque cogit intuitus, vel acceleratæ provisionis respectus excusat; quanto magis illa nullatenus mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?

Cap. X. — Baptizandi sibi quisquam passim quocunque tempore nullam credat inesse fiduciam, præter paschale festum et pentecostes venerabile sacramentum, excepto duntaxat gravissimi languoris incursu; in quo verendum est ne, morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præventus abscedat.

Cap. XI. — Ordinationes etiam presbyterorum et diaconorum, nisi certis temporibus et diebus, exercere non [2] debent, id est, quarti mensis jejunio, septimi, et decimi, sed et etiam quadragesimalis initii, ac mediana Quadragesimæ die, sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas. Nec cujuslibet utilitatis [3] causa, seu presbyterum seu diaconum his præferre [*al.* præferri], qui ante ipsos fuerint ordinati.

Cap. XII. — Devotis quoque Deo virginibus, nisi aut in Epiphaniarum [*lege* Epiphaniorum] die [4] aut in Albis paschalibus, aut in apostolorum natalitiis sacrum minime velamen imponant, [5] nisi forsitan (sicut de baptismate dictum est) gravi languore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur.

Cap. XIII. — [6] Viduas autem velare pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præstituit. Non est ergo penitus usurpandum, eisque sic ecclesiastica sunt ferenda [*forte* conferenda *vel* inferenda] præsidia, ut nihil committatur illicitum.

Cap. XIV. — Generalis etiam querelæ vitanda præsumptio est, qua propemodum causantur universi, passim servos et originarios, dominorum jura possessionumque [*al.* possessionem] fugientes, sub religiosæ conversationis obtentu, vel ad monasteria sese conferre, vel ad ecclesiasticum famulatum, conniventibus [*al.* cohibentibus] quoque præsulibus, indifferenter admitti: quæ modis omnibus est amovenda pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti: præcipue cum nec ipsam ministerii clericalis hac obligatione fuscari conveniat dignitatem, cogaturque pro statu militantium sibi conditioneque jurgari, aut videri, quod absit, obnoxia. Quibus sollicita competenter interdictione prohibitis, quisquis episcopus, presbyter, aut diaconus, vel eorum qui monasteriis præesse noscuntur, hujusmodi personas

[1] In eodem cod. deest *temporumque*.
[2] Id. cod., *non audeant*.
[3] Vox *causa* abest a cod. Just. et ab edit. 1525 et 1609.
[4] In cod. Luc. 490 deest *aut in Albis paschalibus*.

[5] Burchardus lib. viii, cap. 15, inserit *et nisi ante 25 annos*. Ita lego in meo ms. cod.; num et in editis exstet ignoro. Mansi.
[6] Citatur et a Carolo Magno in capitul. Aquisgran. anni 789, cap. 59. Harduin.

apud se tenentes non restituendas patronis, aut deinceps vel ecclesiasticæ servituti, vel religiosis congregationibus putaverint applicandas, nisi voluntate forsitan dominorum, sub Scripturæ testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas, periculum se honoris proprii non ambigant communionisque subituros, si super hac re cujusquam verax nos querela pulsaverit. *Magnis quippe studiis*, secundum beatum Apostolum, *prævacendum est ne fides et disciplina Domini blasphemetur* (*I Tim.* VI).

CAP. XV. — Consequens fuit ut illa quoque quæ de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nuntiavit, non prætereunda putaremus, id est, plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes evangelicam lectionem, qua ipse Dominus negotiatores e templo B verberatos flagellis asseritur expulisse (*Matth.* XXI; *Joan.* II); nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II); Psalmistam quoque David surda dissimulantes aure cantantem: *Quoniam non cognovit negotiationes, introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX). Proinde hujusmodi aut ab indignis post hac quæstibus noverint asbtinendum, et ab omni cujuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum; aut in quocunque gradu sint positi, mox a clericalibus officiis [1] abstinere cogantur: quoniam domus Dei, domus orationis (*Luc.* XIX) et esse debet, et dici, ne officina negotiationis et spelunca potius sit latronum (*Isai.* L).

CAP. XVI. — Illitteratos quoque, et nonnulla parte C corporis imminutos, sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium. Quod simul antiqua traditio, et apostolicæ sedis vetus forma non recipit; quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis et vitiosum nihil prorsus Deo offerri legalia præcepta sanxerunt (*Levit.* XXI; *Deut.* XVII). Itaque de cætero modis omnibus [2] hæc vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum. Si qui vero vel temeritate propria, vel incuria præsidentium tales ante suscepti sunt, in his quibus constituti sunt locis catenus perseverent, ut nihil unquam promotionis [3] accipiant; satisque habeant hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum.

CAP. XVII. — De his autem qui seipsos abscindunt, paterni canones evidenter sequenda posuerunt; D quorum tenorem sufficiat indidisse. Dicunt enim, talia perpetrantes, mox ut agniti fuerint, a munere clericali debere secludi. Quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nulli suppeditat quidquam præter illa quæ memorabilis decrevit forma censere.

CAP. XVIII. — Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione sub- A mota, non solum de factis atrocibus necessariam pœnitudinem non habere, sed nec aliqua correctione penitus succedente, ad divinum ministerium honoremque contendere. Nonnullos autem etiam in ipsis ordinibus constitutos, gravibus delinquentes facinoribus, non repelli, cum et Apostolus clamet: *Nemini cito manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis* (*I Tim.* V); et majorum veneranda constituta (*Nicæni* 910) pronuntient, hujusmodi, etiam si forte subrepserint, tam qui ante peccaverunt, detectos oportere repelli, quam sacræ professionis oblitos, prævaricatoresque sancti propositi, procul dubio submovendos.

CAP. XIX. — Usque adeo sane comperimus illicita quæque prorumpere, ut [4] dæmoniacis similibusque [*al.* dæmone aliisque] passionibus irretitis ministeria [*al.* mysteria] sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si hoc opere positis aliquid propriæ necessitatis occurrat, quis de sua [*supple* ac] fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanæ tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis (*Rom.* XIV; *II Cor.* VIII). Postremo, si corpore sauciatum fortassis aut debilem, nequaquam sancta contingere lex divina permittit (*Levit.* XXI); quanto magis doni cœlestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente perculsos [*al.* percussos]?

CAP. XX. — Virginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum, incesta fœdera sacrilegaque miscere. Quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatamque pœnitentiam, omnino non recipi, [5] sed tamen viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non [6] negetur.

CAP. XXI. — Nam de viduis sub nulla benedictione velandis, superius [7] late sufficienterque prædiximus [*forte leg.* latius duximus disserendum]. Quæ si propria voluntate professam pristini conjugii castitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare, [8] quia (juxta Apostolum) *primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* V). Sicut enim, si se forsitan continere non poterant, secundum Apostolum, nullatenus nubere vetabantur (*I Cor.* VII); sic habita secum deliberatione, promissam Deo pudicitiæ fidem debent [*al.* debuerunt] custodire. Nos autem talibus nullum laqueum debemus injicere; sed solum adhortationes præmii sempiterni, pœnasque proponere divini judicii, ut et nostra sit absoluta conscientia, et illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cavendum est quippe, ut de earum moribus [9] actibusque beatus Apostolus (*I Tim.* V) testatur, quod plenius [*al.*

[1] Cod. Luc 490, *abire*.
[2] In eodem cod. desunt *hæc vitentur*.
[3] Id. cod., *arripiant*.
[4] Id. cod., *dæmonis*.
[5] Cod. Luc. 490, *aut his certe*.
[6] Id. cod., *negari*.
[7] Id. cod., *latius diximus disserendum*.
[8] In eodem cod. desunt sequentia usque ad *sicut enim*.
[9] Id. cod., *actibus, quæ*.

planius; *ita in Luc.*] exponere prætcrimus, ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri videatur.

Cap. XXII. — Secundas nuptias sicut sæcularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale sinitur venire collegium. Alia est enim humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita divinarum rerum servitio [1] dedicata.

Cap. XXIII. — Quisquis propriæ desertor ecclesiæ, nullis existentibus causis, ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit et promotus, reverendorum canonum vel ipse vel receptor [ad quem profectus est] ejus atque provector constituta non effugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus præfixere servanda (*Nicœni* xv *et* xvi).

Cap. XXIV. — De monachis laicisque in prima copiosius præceptionis hujus [2] parte digestum est, (Vide supra cap. 2 et 3), quæ vel quatenus his pro rerum temporumque necessitate concessa sint, vel quemadmodum, ubi nullius necessitatis [*forte* facti necessitas] interesse probatur, non nisi vetus institutio debeat custodiri. Quos vero constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri non sine periculo facinus tale [3] perpetrantes : quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio (*Act.* viii) testatur, involvit.

Cap. XXV. — De locorum consecratione sanctorum, quamvis superius (*Cap.* 4) strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque præcepto sedis apostolicæ nonnulli factas ecclesias vel oratoria sacrare præsumant : hoc sumus tamen indicio detestabiliore permoti, quod in quocunque [*al.* quorumcunque] nomine defunctorum, et (quantum dicitur) nec omnino fidelium, constructiones ædificatas sacris processionibus [*Al.*, professionibus] audacter instituere memorantur : quæ quoniam tam acerba tam dura sunt [4], si revera Christianitatis affectus in illis regionibus certus et fixus est, et districtius ista quærantur, et a quibus fuerint gesta, prodantur : quoniam sicut latentibus in hac atrocitate nominibus non exstat, in quem sententia debita proferatur; ita cum manifestis fuerit documentis expositus, quem [*forte* quam] tanti sceleris poscit immanitas, non effugiet [*forte* vitabit] ullatenus ultionem.

Cap. XXVI. — Nihilominus impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut feminæ sacris altaribus ministrare ferantur [*al.* firmentur; *ita et in Luc.*]; et cuncta quæ non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum cui non competit exhibere.

Viso [*al.* nisi; *ita et in Luc.*] quod omnium delictorum quæ sigillatim perstrinximus, noxa omnis [*al.* noxiorum reatus omnis] et crimen eos respicit sacerdotes qui vel ista committunt, vel committentes minime publicando, pravis excessibus se favere significant : si tamen sacerdotum jam sint vocabulo nuncupandi, qui [5] delegatum sibi religionis officium sic prosternere moliuntur, ut in perversa quæque profanaque declives, sine ullo respectu regulæ Christianæ præcipitia funesta sectentur. Cumque scriptum sit : *Minima qui spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* xix, 1) : quid est de talibus existimandum qui immensis ac multiplicibus pravitatum molibus occupati, ingentem ruinam multimodis impulsionibus ediderunt, quæ non solum ipsos videatur obruere, sed et Ecclesiis universis mortiferam, si non sanentur, inferre perniciem? Nec ambigant qui hæc ausi sunt exercere, sed etiam qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprii se jacere dispendio, si non quanta possint celeritate festinent, ut lethalia vulnera competenti medicatione curentur. Quo enim more teneant jura pontificum, qui pontificalibus excubiis eatenus injuncta dissimulant, ut contraria domui Dei, cui præsident, potius operentur? Qui quantum apud Dominum possent, si non nisi convenientia procurarent, tantum quid mereantur aspiciant, cum exsecrabili studio sectentur adversa. Et quasi magis hæc regula sit qua Ecclesiæ debeant gubernari, si quidquid est ecclesiasticis inimicum regulis perpetratur, cum et si cognitos habuit canones unusquisque pontificum, intemerata debuerit tenere custodia. Et si forsitan nesciebat, consulere fidenter oportuerit scientem [*al.* ignorantem]. Quo magis excusatio nulla succurrit errantibus : quia nesciens [nec sciens *omnino legendum est, ut habet cod. Just. et edit. Canon*], proposuit servare quod noverat, nec ignorans curavit nosse quod gereret.

Cap. XXVII. — Quatuor autem tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, sicut sacerdotis intererit, integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus [*al.* clericus] ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum : quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata [*al.* deputata] convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est : *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* v), oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri.

Cap. XXVIII. — Quapropter nec [*al.* ne] clericorum quispiam se hujus offensæ futurum confidat immunem, si in his quæ salubriter sequenda de-

[1] Id. cod., *dedicandorum.*
[2] Id. cod., *parte digesta.*
Id. cod., *vendente.*

[4] Id. cod. addit *ut eadem vix noster ferre possit auditus si revera*, etc.
[5] Id. cod., *delatum.*

prompsimus, sive episcopum, sive presbyterum, sive diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus duntaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat, et cæteris interdictio delinquendi. Sui [*al.* Sic] vero modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris elisor, si cuiquam clericorum, vel Ecclesiæ totius auditui hæc putaverit supprimenda. Data v idus Martii (anno Christi 494), Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus. *Et alia manu :* Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

EPISTOLA X.

AD EPISCOPOS SICILIÆ.

Ecclesiæ facultates ab episcopis, clericis et pauperibus distribui debere; diœceses et bona ecclesiæ ab episcopis triginta annos possessa eis non auferenda.

Gelasius Romanæ Ecclesiæ episcopus dilectissimis et in Christi caritate unanimiter connexis fratribus episcopis qui in Sicilia sunt constituti.

Præsulum auctoritas nostrorum emanavit, ut facultates ecclesiæ episcopi ad regendum habeant potestatem; ita tamen ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, nec non clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vindicent, ut (sicut ante diximus) peregrinorum atque captivorum largitores esse possint.

Illud etiam adnecti placuit, ut si (quod absit) facultates ecclesiæ, nec non et diœceses quæ ab aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis [*al.* tricennaria] lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus [*al.* tutela, *sive* regula, *aut potius* cautela] exclusit. Data idibus Maii, Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus (anno Christi 494) [1].

EPISTOLA XI.

AD EPISCOPOS DARDANIÆ ET ILLYRICI.

Commendat eorum religionem; Thessalonicensem episcopum, qui hæreticorum nomina damnare recusavit, apostolicæ sedis communione privatum esse, et Acacium in excommunicatione mortuum non posse absolvi significat.

Gelasius episcopus universis episcopis per Dardaniam [*in qq. codd. leg.* et Daciam] sive per Illyricum constitutis.

Audientes orthodoxam vestræ dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquæ fidei communionisque sinceræ traditionibus inhærentes, ut mentem Christianæ deditam veritati nullatenus infecerint prævaricatorum vicina contagia, magnificavimus Dominum, caritatemque vestram missis litteris alloqui per religiosos viros filios nostros Cyprianum atque Macarium diacones tota cordis aviditate curavimus :

A quoniam pro sedis apostolicæ principatu, cujus sollicitudo delegata divinitus cunctis debetur Ecclesiis, nos vivimus, si vos statis in Domino, magnisque gaudiis triumphamus. Cum ubique terrarum Dominum Sabaoth semen puræ confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deveniens, æstu tentationis exaruit, nec viæ proximum cecidit vacantibus inimicis expositum, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam terram piæ devotionis vestræ cœlesti factione [*al.* satione] dispersum in trigesimum et sexagesimum fructum centenariumque profecit, profectionemque scilicet frumenti dominici mystica locutione designans. Quapropter exsultantibus animis confidentius incitamus, ut ab Eutychianæ pestis incursu pectora vestra sapienter

B intemerata servetis : quoniam jam *qui perseverat usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). *Dominus prope est, nihil solliciti sitis* (*Philip.* iv); siquidem major est quod in nobis est quam qui in hoc mundo, regnumque Domini intra nos (etiam Scriptura [*Luc.* xvii] testante) sit certum. Ut autem ab eorum qui in errore sunt positi, noxia societate caveatis, nullum talibus communicantem ad vestrum recipiatis qualibet subreptione consortium : quia sicut in unaquaque hæresi cum pravitatis auctore damnato successores ejus et complices atque hujusmodi sectatoribus polluta communione permixtos catholica vitare debet integritas, ita cum Eutychete Dioscorus simulque Timotheus Ælurus et Petrus Alexandrinus, ejusque communicator Acacius, nec non etiam

C Antiochenus Petrus, cum suis sunt omnino participibus abdicandi. Nec quisquam, etiamsi pravitatem deponere se promittat, recitandis tamen nominibus consentiens perditorum; vel eadem recitantium minime communione discretus ad immaculata sacrilegiis ovilia quibuscunque modis est permittendus intrare, ut Ecclesia Dei nostri, *quæ maculam rugamque non sustinet* (*Ephes.* v), inviolata permaneat. Absint ergo a fidelibus Christi viperæ capitis dira commercia, et procul a cœlestibus pascuis mortifera venena pellantur, ut salutaris alimonia panis illius qui de cœlo descendit (*Joan.* vi), fideles hanc sumentes ad vitam perducat æternam.

Quæ ut mutua valeamus exhortatione prospicere, det operam vestra dilectio ut sospitatem vestræ cari-

D tatis optatam, et fidei communis instantia nobis crebrius aperire non desinat, quatenus alternis nos instructionibus excitantes, legitimorum Domini sacerdotum possimus invenire mercedem. Per vicinas quoque provincias hæc eadem patefacere vestra caritas vigilanter insistat; ut et qui catholicæ communionis sinceritate subsistunt, competentibus roborentur alloquiis; et qui forsitan ab hujus rectitudine deviarunt, ad integritatem dogmatis Christiani salubribus monitis reducantur. Noverit autem vestra

[1] In meo ms. Buchardi cod. lib. viii, cap. 46, hoc decretum tanquam ex epistola Gelasii ad Sicilienses episcopos cap. 9 acceptum affertur : *Neque viduas ad nuptias transire patimur quæ religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter autem virgines nubere prohibemus quas annis plurimis in monasteriis ætatem peregisse contigerit.*

fraternitas Ecclesiæ Thessalonicensis antistitem nostris adhortationibus sæpius incitatum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acacii, vel cæterorum similium perfidorum, hisque communicantium congrua professione damnasse. Quapropter eum communionem sedis apostolicæ non recepisse manifestum est, quoniam nisi puris sensibus et ab omni nefanda societate, beati Petri apostoli nec possumus nec debemus Ecclesiæ præbere commercia. Propterea cautius agendum est cum præfato ne catholicis mentibus, ut fiat, apostolicæ sedis reconciliatione subrepat; quam sicut dolosis artibus fallere et circumvenire non prævalet, ita sub cujus non potest obtinere auctoritatem quoque nostram, quæ ad Dalmatiarum est directa pontifices, etiam ad vos credimus dirigendam, quatenus in veritate catholica, secundum formam traditionis antiquæ tenere nos consonam noveritis ubique sententiam. Si quos vero novos didiceritis motus exsurgere, nobis fraterna debetis sollicitudine reserare, quo subinde, quæ Patrum regulis congruant, præstante Domino, remedia procuremus.

Nec quisquam omnino vobis persuadeat Acacio prævaricationis suæ crimen fuisse laxatum, quia qui postquam in collegium recidens pravitatis, jureque meruit ab apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est. Absolutionem quam superstes nec quæsivit omnino, nec meruit, mortuus jam non potest impetrare, siquidem ipsis apostolis Christi voce delegatum est: *Quæ ligaveritis super terram, et quæ solveritis super terram* (*Matth.* XVI). Cæterum jam de eo qui in divino est judicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere præter id in quo eum dies supremus invenit; atque ideo nisi ejus nomine refutato, cæterisque consortibus hujus erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ dominicæ puritatem, quam majores nostri semper ab hæretica magnopere servaverunt pollutione discretam. Sed neque vos quisque circumvenire pertentet: quod dicat non de religione, sed de moribus esse certamen, vel apostolicam sedem non causam communionis catholicæ fideique tractare, sed injuriam dolere, cur videantur ab Acacio fuisse contempta; quoniam hæc et hujusmodi, quatenus simplices quoque decipiant, hi qui in errore sunt positi spargere non quiescunt. Videtis enim, sicut supra jam dictum est, per nomina prævaricatorum, si, quod absit, in ecclesia recitanda crodantur, simul et contagium prævaricationis induci. Sedes autem apostolica in tantum non contumeliam dolet, sed fidem defendit, communionem sinceram, ut hodie cuncti qui in ejus visi sunt prorupisse despectum, si ad integritatem fidei communionemque catholicam revertantur: secundum regularum tramitem paternarum, toto cordis affectu venientes, et plena caritate suscipiat. Data III nonas Augusti, Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus (anno Christi 494).

EPISTOLA XII.

AD [a] ÆONIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

De episcopatus sui primordiis.

Mutuam caritatem cum fide catholica retinendam esse monet.

Dilectissimo fratri Æonio Gelasius.

Inter difficultates varias copiam nos reperisse gratulamur, qua per divinam gratiam sedis apostolicæ regimen nos adisse pandentes, prætermissum diu cum tua misceremus fraternitate sermonem, et salutatione directa, mutua caritate solliciti dilectionis quoque tuæ prospera quæreremus. Quanto enim totius ovilis curam, Christo Domino delegante, susceptam B. Petri apostoli gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas Ecclesias earumque rectores amplectitur, et inter diversos mundi turbines, si paterna fide vel traditione firmiter perseverant, ubi primum facultas arriserit, et quærit anxia, et gavisa cognoscit. Quapropter, frater carissime, instantius religiosis viris filiis nostris Euphronio presbytero et Restituto viro religioso, qui ad Italiæ partes ad providendam congregationi sanctæ substantiam commearant, remeantibus ad propria, silere nequivimus: sed omni voto dilectionem tuam duximus admonendam, quatenus et vigere apud nos alternæ viscera gratiæ fratres, et coepiscopi nostri per Gallias constituti, caritate tua vulgante, cognosceret: et desiderantibus omnium per quos tua caritas voluisset, referret mutuo sospitatem, constaretque nullatenus quantumlibet sæculo detrahente divelli, sed catholicam professionem manere semper ubique conjunctam. Dominus te incolumem custodiat, frater carissime. Data X calendas Septembris, Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus (anno Christi 494).

IN SEQUENTEM EPISTOLAM PRÆMONITIO.

Epistolæ hujus Gelasii ad Dardanos forma duplex circumfertur, altera brevior, alia vero hinc inde amplificata diffusior. Pro utraque stant veteres mss. codices vetustate et antiquitate præstantes. Vetustissimi ut inter cæteros Veronensis et codex canonicus vetustus a Quesnello vulgatus breviorem præferunt. Fusiorem exhibet vetustissima collectio Avellana in Vaticana bibliotheca servata; quin et Facundus Hermianensis ex ea testimonium allegavit lib. V, *cap.* 4. *Hinc natum auctorum dissidium; nam alii auctiorem interpolatam judicant, sinceritatem uni epistolæ breviori vindicantes. Ballerini utramque sinceram arbitrantur in Dissert. de Antiq. Collect. can. part.* 2, *cap.* 11, § 5, *rati Gelasium primo quidem breviorem scripsisse; tum secundis curis auctam evulgasse; id vero non unico exemplo ab antiquis præstitum demonstrant. Vide illos in Admonit. ad*

[a] Hanc inscriptionem illustrissimus cardinalis Baronius mendosam esse putat, quasi Cæsario non Æonio scripta fuerit; verum eam quam a Felice III ad Cæsarium scriptam supra recensuit, in recognitionibus tomi decimi a Felice IV datam esse recognovit. Ideoque relinquendam esse putavi inscriptionem epistolæ hanc, quam priore editione tollendam esse judicavit. Spero hanc nostram recognitionem Annalium scriptori pergratam fore, ubi de ea certior factus fuerit. SEV. BINIUS.

epist. 12 *S. Leonis, n.* 10, 14. *Venetus Labbei editor amplıorem dedit in sua collectione, signatis tamen in adnotationibus diligenter locis, qui in breviori epistola desiderantur. Cum tamen ipsam brevioris epistolæ formam minus perspicue mente concipere lectores valeant; hinc operæ pretium me facturum existimavi si latiori epistolæ, qualis in editione Veneta repræsentatur huc a me translatæ integram etiam breviorem subjungam; excripsi vero illam ex Codice canonum ecclesiasticorum a Quesnello vulgato cap.* 50, *juxta recensionem Ballerinorum.*

[a] EPISTOLA XIII.

[1] AD EPISCOPOS DARDANIÆ.

Acacium solius apostolicæ sedis judicio jure damnatum ostendit.

[2] Gelasius [b] episcopus urbis Romæ ad Dardanos.

Valde mirati sumus quod vestra dilectio quasi novam [3] veluti difficilem quæstionem, et adhuc tanquam inauditum quidpiam nosse desiderat, quod Eutychianæ pestilentiæ communicatores, non habentes quod pro suæ perditionis obstinatione respondeant, frequenti jam ratione convicti, misera [*al.* sola] contentione submurmurant, non quia sit alicujus momenti quod garriunt, [4] sed quia non inveniunt penitus quid loquantur. Ubi magis eos qui catholicis sensibus instituti sunt, adhuc hærere [5] miramur, quam illos qui a veritate exciderunt, et ab antiqua Ecclesiæ traditione sunt devii, profanasque vocum novitates, et ineptias caducæ perversitatis [6] obtendunt, quibus eos vestra dilectio retulit jactitare. Ideo Acacium non putare jure damnatum, quod non speciali synodo videatur fuisse dejectus; et insuper dementiam suæ vanitatis accumulant, pueriliter adjicientes præcipue pontificem regiæ civitatis. Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis apostolis, et considerare prudenter quoniam Patres nostri catholici [*al. addit* videlicet] doctique pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid [7] pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundum Scripturarum tramitem prædicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare; nec in [8] eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt; sapientissime [9] prævidentes quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis [*al.* furoris residui] omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, et simplicia quæque corda percutere, quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire concilium? cum [10] quamlibet illa [*al.* illius] manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat [11] et falsitas, [12] tametsi ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen [13] contentione non cedens. Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie præcaverunt, [14] ut quæ contra unamquamque hæresim coacta [*al. addit* semel] synodus pro fide, communione, et veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent post hæc novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi: sed auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus: quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci. Et ut [*al. addit* brevitatis causa] priora taceamus, quæ diligens inquisitor facile poterit vestigare, Sabellium damnavit synodus; nec, ut sectatores ejus postea damnarentur, necesse fuit singulas viritim synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquæ cunctos qui vel pravitatis

[a] Hanc epistolam circularem esse, eamque omnibus orthodoxis hæreticis et schismaticis episcopis redditam voluisse, patet in fine his verbis: *Recte autem faciet vestra dilectio, ut ista quæ scribimus, pariter catholicis et contraria sapientibus innotescant,* etc. Causam scribendæ epistolæ præbuit Euphemius Constantinopolitanus episcopus schismaticus, qui defuncti Acacii causam iniquam et impiam falsis textibus ornans, conatus est Orientales coepiscopos a conjunctione sedis apostolicæ avellere. Ut ergo summe periclitanti Orientali Ecclesiæ succurreret, hanc prolixam valde atque disertam epistolam, qua Acacium sedis apostolicæ judicio jure damnatum esse ostendit, ad Dardaniæ episcopos transmisit. SEV. BINIUS.

[b] Euphemius ad excusationem Acacii dicebat, ipsum synodali judicio non fuisse condemnatum, adeoque nomen ejus e sacris tabulis nequaquam expungendum. Quod si de universali et œcumenico concilio intelligat, verum est; si de provinciali synodo accipiatur, falsissimum esse constat ex iis quæ supra notavimus in notis epistolarum, et conciliorum Romanorum sub Felice III habitorum. Universali et œcumenico concilio neque potuit neque debuit Acacius damnari. Orientales episcopi omnes fere Acacii communione polluti fuerant, adeoque universale concilium haberi non poterat. Et quia solius pontificis Romani sententia damnatum esse sufficiebat, eodem universali et œcumenico concilio opus non erat. SEV. BINIUS.

[1] De hac epistola consule cl. Maffeium in præfatione ad supplementum Acacianum (*Patrol. tom. LVIII, col.* 937). Collata fuit cum pervetusto codice Veronensis capituli, mille, ut creditur, annorum a Francisco Blanchino ejusdem capituli canonico, et bibliothecæ custode; et in eo hoc est epistolæ argumentum: *Incipit rationis reddendæ Acacium a sede apostolica competenter fuisse damnatum;* titulus vero: *Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.*

[2] Alias, *dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.*

[3] Cod. Veron., *et veluti.*

[4] Id. cod., *nec inveniunt.*

[5] Id. cod., *murmurant.*

[6] Id. cod., *obtendere.*

[7] Id. cod., *pro fide, pro veritate.*

[8] Id. cod., *nec in hac eadem.*

[9] Id. cod., *pervidentes.*

[10] Id. cod., *quælibet.*

[11] In eod. cod. deest *et.*

[12] Id. cod., *et si.*

[13] Id. cod., *intentione.*

[14] Id. cod., *ut contra... quod acta synodus,* etc.

illius vel communionis exstitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arii forma fidei communionisque catholicæ, Nicæno prolata conventu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem, sive [1] consensu sive communione deciderit, sine retractatione [2] conclusit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium, synodus semel gesta condemnans, ulterius ad nova concilia venire non sivit; sed universos quocunque modo in [3] hæc consortia recidentes, tradito sibi limite synodali, refutavit Ecclesia; nec unquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente [4] novis ausibus, quæ fuerant salubriter constituta, temerasse. [*al.* Non autem nos latet plurimos, etc.] Propterea tempestate quoque persecutionis Arianæ plurimi catholici sacerdotes de exsiliis, pace reddita, respi- B rantes; [*al.* per certas provincias congregatis secum fratribus ecclesias composuisse] sic cum catholicis nihilominus fratribus Ecclesias composuere turbatas, ut non tamen illius synodi Nicænæ quidquid de fide et communione catholica et [5] apostolica definierat immutarent, nec nova quemquam prolapsum damnatione percellerent, sed illius tenore decreti, [6] nisi resipuissent, censerent [*al.* judicarentur] esse damnatos. Quibus convenienter (ut dictum est) ex paterna traditione perpensis, confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, [7] non aliquam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et conti- C nuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet. Hæc dum Acacium certis comperisset indiciis [8] a communione catholica deviasse, diutius ista non credens, quippe quem noverat executorem sæpe necessariæ dispositionis suæ contra hæreticos exstitisse, per triennium fere litteris destinatis eumdem monere non destitit, sicut per diversos missa [9] frequenter scripta testantur. [10] — Quibus ille cum debito [*al.* tanquam debito] silentio diu non respondere proponeret, episcopalis quoque directa legatio est, ac nihilominus pagina destinata quæ præmoneret eum suorum ante meminisse gestorum, et quæ primitus pro fide catholica desudasset, oportere respicere. Contestans, et blandiendo pariter et minando, D ne se a corpore catholicæ unitatis abscinderet: simulque quoniam hunc Joannes secundæ sedis antistes gravibus pulsaret objectis, ad primæ sedis audientiam cohortatus est, vel venire debere vel mittere. Licet enim synodus iteranda non esset, tamen congrueret, ut cujuslibet civitatis episcopus primæ sedis judicium non vitaret, ad quod convenerat secundæ sedis antistes, qui nisi a prima sede non posset audiri, [11] præcipue qui præjudicatis animis nulla synodo a Græcis fuisset exclusus; etiam apud eos causam suam nec posset omnino dicere, nec deberet: quia ab inferioribus episcopis potior, nisi a prima sede (sicut dictum est) vel discuti potuisset, vel si ita ratio postulasset addici etiam cunctis Orientalibus episcopis cum ipso Acacio in Petri communionem recidentibus cum secundæ sedis episcopus catholicus ab externæ communionis hominibus esset nullatenus judicandus. Sed Acacius non solum despexit satisfacere postulatis, verum etiam ipsam legationem sedis apostolicæ blandimentis, præmiis, perjuriisque deceptam, quibus ei cum imperatore promisit, integram præsulis apostolici causam de omnibus esse servandam Petri communione pollutam redire perfecit, in tantum sedis apostolicæ despiciens potestatem, ut non solum ejus auctoritati non cederet, sed etiam potius in consortium communionis externæ per legatos suos niteretur abducere; fieretque apostolicæ sedi necessitas eos ipsos quos direxerat sacerdotes honore pariter et communione privare, ne tali contagione videretur infecta, satisque monstraret non se Acacii specialiter odisse personam, sed respuere fœdera perditorum: quæ etiam in suis pontificibus detestata convenienter horreret, nihilominus autem litteris suis Acacius indicarat; et in Alexandrini Petri se communionem, quem expetita sedis apostolicæ auctoritate exsecutor ipse quoque damnaverat, sine ejusdem apostolicæ sedis consultatione promptissime recidisse, et accusationem Joannis, laudesque Petri proprio sermone deferre. De quibus, si utique confidebat magis vel venire, vel mittere debuisset, ut et præsentem de mendaciis quæ dicebat posset confutare Joannem, et præconia Petri quæ digesserat rationabiliter allegaret, quod cum minime fecerit, satis evidenter ostendit, nec Joannem se posse convincere, nec legitime receptum Petrum habere fiduciam perdocendi, solumque sibi

[1] Id. cod., *sensu*.
[2] Id. cod., *concludit*.
[3] Id. cod., *in has blasphemias*.
[4] Id. cod., *noviter*.
[5] Deest *Apostolica* in eodem cod.
[6] Id. cod., *nisi resipuisset, judicare damnatum, essetque consequens, ut nisi corrigeret, damnationi procul dubio subjaceret; quibus*, etc.
[7] Id. cod., *nullam*.
Id. cod., *a veritate*,
[9] Id. cod., *familiariter*.
[10] Inclusa parenthesi per duas ferme paginas desunt in codice Veronensi, eorumque loco sequentia subjiciuntur: *Quibus ille primum tanquam dedito silentio nihil respondere proponens tandem aliquando missis litteris profitetur se Alexandrino Petro, quem expetita apostolicæ sedis auctoritate executor ipse quoque damnarat, absque sedis apostolicæ notitia communione, permixtum: beati autem Petri sedes, quæ Aledrinum Petrum tantummodo damnasse, non etiam solvisse noverat, non recepit; atque ideo ne per Acacium in Petri consortium duceretur, ipsum quoque a sua communione submovit et multimodis transgressorem a sua societate fecit alienum. Hic si examinatio*, etc. — Nos parenthesi signum —, ut magis perspicuum, substituimus. EDIT.
[11] Forte *cum præcipue*. HARDUIN.

monstravit inesse propositum lacerandi catholicos, hæreticosque laudandi, seseque eorum potius, quos laudabat, docuit esse participem, quam catholicorum, quos nitebatur decolorare, consortem : tulitque de se ipse judicium, cum damnati hominis communione pollutus, damnationis ejus factus est particeps. Ita et sedes apostolica quod ad necessariam diligentiam respiceret nil omisit, et Acacius secundum formam synodi Chalcedonensis, qua error cui communicavit elisus est, sicut de hæretico homine scriptum est, suo judicio condemnatus apparuit, justeque sedes apostolica, quæ utique se Alexandrinum Petrum damnasse, non etiam solvisse memorat, ne per Acacii pristinam communionem Petri quoque collegium, cui Acacius communicaverat, incideret, ipsum competenter Acacium a sua communione submovit. Quapropter utrum errori vel prævaricationi communicaverit Acacius, quid opus erat nova discussione cognoscere? cum jam litteris suis esset ipse confessus, ac, sicut scriptum est, *Ore tuo justificaberis, et ore tuo condemnaberis* (*Matth.* XII), verborum suorum vinculis et reus teneretur et jure plectendus. Cur ipse in nova causa, quam synodus nulla præcesserat, Joannem, quem suis litteris impetebat, qualemcunque secundæ sedis episcopum, in primæ sedis beati Petri apostoli judicio confutare despexit; et ut causam diceret, seu per se, seu per alium, vel venire, vel destinare contempsit : indignum habens cujuslibet civitatis antistes ad primæ sedis venire judicium, ad quod secundæ sedis cerneret venisse pontificem, quod Anatolius Constantinopolitanæ urbis episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse monstratur? Ecce etiam in hac parte vocem non habent conquerentes : ecce, inquam, ad legitimum est vocatus examen, ubi vel suas partes justis allegationibus defensaret, si ille apostolicæ sedis refugit examen in Joannis catholici pontificis negotio vestigando, quemadmodum sedes apostolica de receptione Petri hæretici sua auctoritate resoluti, Acacii fuerat secutura judicium? An sedem apostolicam congruebat parœciæ Heracliensis Ecclesiæ, id est Constantinopolitani pontificis, vel quorumlibet aliorum, qui cum eodem, vel propter eum fuerant congregandi, judicium præstolari? Cum apostolicam ejusdem primæ sedis audientiam Constantinopolitanus episcopus declinaret, qui utique etiamsi metropolitani esset jure suffultus, etiam inter sedes haberet locum ; primæ tamen sedis cognitionem fas non habuit refutandi, ad quam secundum canones, appellante secundæ sedis antistite, vocabatur ad [1] nostrorum causam. Hoc ipso satis ostendit reum se esse confessum, qui ad legitimum

A judicium apostolatus adesse contempsit ; nec poterat ultra differri, ne, sicut dictum est, antiqua illius communione durante, cum sese jam sociasset externæ, sedes quoque apostolica per eum pollueretur contagiis perfidorum, dignumque esset vel prævaricatorem, vel contemptorem judicii competentis, manifestissime scilicet de suo negotio desperantem, a catholica atque apostolica integritate et communione secludi. — Hic si examinatio quæritur, jam judicio non erat opus ; [2] posteaquam et litteris suis ipse confessus est, et ad legitimum judicium vocatus adire pertimuit, si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonensis synodi [3] tenor cum apostolica sede consentiens, et illius definitionis exsecutio reperitur condemnati illic erroris communicator effectus : præfixæ nihilo-

B minus ibidem particeps damnationis [4] apparuit, quoniam idem ipse error qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, et exsecrationem sui gestat et pœnam. Hoc tenore etiam Timotheus Ælurus, atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certe sedem quoquomodo tenuisse videbantur, non repetita synodo, sed auctoritate tantummodo sedis apostolicæ, ipso quoque Acacio postulante vel exsequente [5] probatur esse damnatus; nunc autem ipsi doceant legitime Petrum fuisse purgatum, et ab omni hæreticorum contagione rite discretum cum ei communicavit Acacius, si ejus communicatorem putant Acacium aliquatenus excusandum, aut si, quod magis est verum, convenienter atque legitime Petrum [6] probare non potuerunt

C expiatum [7] (propter quod etiam ad apostolicæ sedis judicium Acacius vel venire vel destinare non ausus est) ; restat ut in ejus communicatione [*Al.* ut ejus inexpiatione] fuerit, et qui ei communicavit infectus. [8] Non reticemus [*Al.* Nec plane tacemus] autem quod cuncta per mundum novit Ecclesia ; quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum, sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod [*Al.* quæ] de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter cum satis constet Acacium nullum habuisse pontificium, sententia [*Al.* sententiam sedis apostolicæ sine, etc.] sedis apostolicæ damnatum,

D sine ulla ejus notione solvendi ; dicant certe [9] qua synodo hoc ille præsumpserit, quod nec sic quidem absque apostolica sede fas haberet efficere? cujus sedis episcopus? cujus metropolitanæ civitatis antistes? Nonne parœciæ Heracliensis Ecclesiæ? Si illi certe licuit sine synodo sententiam apostolicæ sedis

[1] Locus obscurus aut mendosus. HARDUIN.

[2] Cod. Veron., *postquam litteris tuis ipse confessus est, si auctoritatis*, etc.

[3] Id. cod., *tenore illius definitionis exsecutio reperitur quo damnati*, etc.

[4] Id. cod., *existeret*.

[5] In cod. Justelli : « Probantur esse damnati. Quod si utrum errori vel prævaricationi communicavit Acacius forsitan dicatur oportuisse constare, breviter præbemus ad ista responsum. Aut enim ipsi doceant, etc. Petrum legitime veraciterque purgatum etc. » LABBEUS.

[6] Id. cod., *non probaverint expiatum*.

[7] Ansulis inclusa non exstant in Cod. Veron.

[8] Nicolaus papa hunc locum citat in epist. ad episcopos Galliæ ex epistola Gelasii ad episcopos per Dardaniam constitutos : *Nec plane tacemus*. Hincmarus Laudun. ex epist. ad Anastasium principem, *Nec plane taceamus*. HARDUIN.

[9] Cod. Veron., *qua certe synodo*

abrumpere, nulla ejus consultatione quæsita, itane vero non licuit primæ sedi Chalcedonensis synodi constituta, sicut decuit, exsequenti, hujusmodi prævaricatorem sua auctoritate detrudere? Sed nec illa præterimus, quod [1] apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente, et absolvendi quos synodus inique damnaverat, et damnandi nulla existente synodo quos oportuit, habuerit facultatem: [2] sanctæ memoriæ quippe Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certe damnarat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit; itemque sanctæ memoriæ Flavianum pontificum [*al. additur* Græcorum] congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat [*al.* quia illic receptus non fuerat], Dioscorum secundæ sedis præsulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo [3] submovit, ac pro veritate, ut synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit [4] — in qua pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus, sola concessit, et in sua perfidia permanentes, nihilominus sua auctoritate prostravit: quam congregatio quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta; quoniam sicut id quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit; ubi etiam consequenter ostenditur, quia male gesta synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, et præcipue sedes apostolica non probavit, per bene gestam synodum, id est, secundum Scripturas, secundum traditionem Patrum, secundum ecclesiasticas regulas, pro fide catholica et communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime sedes apostolica comprobavit, et debuerit et potuerit immutari; bene vero gestam synodum juxta supradictum modum, nova synodo nullatenus immutandam. Proinde si Eutychen fatentur hæreticum, male gestam apud Ephesum synodum, qua est receptus, pariter fatebuntur, et per bene gestam synodum Chalcedonensem, quod Eutyches vel cum eo sentientes talia sunt rejecti, velint nolintque, consentient, atque ideo bene gestam synodum novis exagitationibus refricari non licuisse cognoscant. Qui si forsitan dixerint, eo tenore Ephesinam quoque synodum non licuisse mutari, rursus hæc eadem quæ supra deprompsimus, planius repetita perpendantur, id est, quia contra fidem, contra veritatem communionemque catholicam vereque Christianam, non recte gesta synodus legitima synodo pro fide, veritate, communioneque catholica, vereque Christiana, modis omnibus secludenda est, et injusta synodus justa synodo submovenda. Pro fide autem, et veritate, et communione catholica, bona synodus, vereque Christiana, semel acta, nulla nec potest nec debet novæ synodi iteratione convelli, sed secundum bene gestam synodum recteque præfixam, si quis ab ejus tramite deviarit, consequenter ac sufficienter ejus definitione plectendus, meritoque illius subjacet constitutis, nec opus est per singulos quosque deviantes, jureque plectendos, novas rursus synodos introduci; cum ex illius tramite, quæ auctorem cum errore damnavit, quisquis quolibet modo, quolibet titulo complex ejusdem fuerit factus erroris, ut ejus se contagione polluerit, competenter et particeps ejusdem damnationis existat, ejusque pœna puniatur obstrictus, cujus maluit inire consortium. Quæro ergo ab his quid de Eutyche sentiant: fuissene hæreticum, an asserunt non fuisse? Si non fuisse contendunt, quid ambagibus agunt, quid circuitionibus præstigiisque se contegunt? Palam se Eutychianos esse pronuntient, ut in ejus sacrilego furore convicti veritatis molibus obruantur, aperteque cognoscant, non solum hæc ipsa pestis Eutychiana quantum Christiano dogmati probetur inimica; sed quantas alias hæreses, easque gravissimas, in sua pravitate contineat, ut in quibus foveis volutentur, et in quod præcipitium barathrumque merguntur, intelligant. Simul autem si Eutychen hæreticum negant, omnimodis publicatur, quod ideo de omnibus Eutychianæ pesti communicantibus, suppresso veluti hoc ipso errore, contendunt, ut nos per talium hominum, quod absit, insidias captiosasque tendiculas in Eutychetis insaniam nitantur inducere: quod quidem etiamsi non negent, sive scientes, sive nescientes, facere confutantur. Sin vero et Eutychen hæreticum negare non audent, restat ut contra catholicam fidem, non synodum nuncupandam, sed conspirationem potius perditorum fuisse consentiant quæ apud Ephesum Eutychete reducto perculit S. memoriæ Flavianum, cunctosque qui illic aderant sacerdotes militari terrore compulerit tanto sceleri præbere consensum. Atque ideo nobis necesse est pravam perversamque conspirationis illius, et latrocinalem fuisse perhibeant actionem, eamque debuisse modis omnibus aboleri, et ideo justam, bonam, veraciter Christianam Chalcedonensem synodum process-

[1] Alias, *apostolicæ sedi frequenter datum est, more majorum, exsolvendi*, etc. LABBEUS.

[2] Hunc locum recitat Hincmarus Laudun. tom. II, pag. 373, ex epist. Gelasii ad Anastasium principem: sed habet aliquid sub finem dissimile. HARDUIN.

[3] Cod. Veron., *sola submovit et veritate. — Sola submovit et auctoritate sedis apostolicæ concilium Chalcedonense coactum.* LABBEUS.

[4] Inclusa parenthesi per duas fere paginas desunt in codice Veronensi. Eorumque loco hæc habentur: *In qua ut ergo sola jus habuit absolvendi eos quos synodica decreta perculerant, sic etiam sine synodo in hac eadem causa plurimos etiam metropolitanos damnasse cognoscitur. Quod si quis hæc ab apostolica sede vel secundum synodum acta reprehendit, præter quod prisca rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuisse fatebitur. Dicat ergo*, etc. — Hic ut superius parenthesi signum — substituimus. EDIT.

sisse definiant, in his quibus Eutychete depulso, cum suo fautore Dioscoro, hæresim eorum erroremque damnarit. Hanc ergo synodum (ut dictum est) bonam, veram, justam, Christianamque esse non dubitant, per quam illa noxia sit remota. Perspiciant ergo, tandemque concedant, quod quisquis ab ejus justæ et Christianæ veræque synodi fide, communione et veritate deviaverit, vel ab ea deviantibus communionem miscuerit, sufficienter atque competenter, secundum ipsius definita, teneatur obstrictus, quoniam mala synodus bona debuit submoveri. Bona vero synodus nulla causa est cur alia debeat synodo retractari, ne ipsa retractatio ejus constitutis deroget firmitatem. Proinde quicunque congregationis Ephesinæ teneatur affectu, quid adhuc Acacii tantummodo nomen obtendunt, et non palam sectatores Eutychetis, qui illic receptus fuerat, profitentur; qui si refugiunt, atque Eutychen se perhibent exsecrari, simul ergo et Ephesinam, qua male receptus est, conspirationem jure cessatam, et Chalcedonensem synodum, qua rejecta est, merito consentient institutam; atque ita synodum, quæ pro fide catholica sit præfixa, secundum veterum formam, sicut dictum est, perspicient novellis non potuisse quæstionibus ventilari, sed juxta ejus tenorem semel legitime justeque depromptam, et jure probari recta sectantes, et sentientes contraria refutari; quod sedes apostolica, sicut decuit, antiqua traditione custodiens, non synodum duxit iterandam, sed in ejus prævaricatore pellendo hanc eamdem synodum potius exsequendam. [1] Quapropter si quis adhuc secundum Chalcedonensem synodum hæc ab apostolica sede gesta reprehendit, præter quod et hac qua superius astruximus, et multiplici potest ratione convinci, multo magis tamen Acacio non licuisse fatebitur ista tentare. — Dicat ergo, qua synodo, Joannem secundæ sedis antistitem, qualemcunque, certe catholicum, et a catholicis ordinatum, nec de catholica fide et communione aliquatenus impetitum, duxerit excludendum, et hæreticum manifestum Petrum sua quoque exsecutione damnatum, pontifici catholico permiserit subrogandum [2] (cum etiamsi reus manifestus esset Joannes, post eum saltem catholicum convenisset præfici sacerdotem, sicut ipse quoque suis sacris sanctæ memoriæ Timotheo catholico in Alexandria faciendum promisisse legitur imperator?) Qua synodo, tertiæ sedis episcopum [*al. addit.* sanctum] Calendionem idem expelli fecit [3] Acacius: nihilominus [4] eumdem Petrum tam hæreticum manifestum, ut eidem palam necesse [*al.* nec se] communicare prætenderet, sua passus est dispositione substitui? Qua denique per totum Orientem synodo ejectis orthodoxis, nullo crimine maculatis, pravos quosque et

A criminibus involutos sua provisione supposuit? Qua synodo tot aliena privilegia nefandus populator invasit? Sed libri non sufficient [*al.* sufficerent], si tragœdias ejus quas per Ecclesias totius Orientis exercuit, sigillatim [5] scribere moliamur: an illud ipsius argumentum nobis existiment opponendum, quo facinora sua in imperialem nisus [*al.* visus] est jactare personam. Cur igitur quando voluit, obstitit Basilisco tyranno certe et [*al.* Cur et] hæretico vehementer infesto? cur ipsi imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, suam [*al. addit* nimirum] non subdidit voluntatem? Ecce potuit et in aliis resultare, [6] si vellet [*al.* sed noluit. An non Apostolus dicit, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus reatu pariter sunt

B irretiti? sed...] sed ut ea quæ latius explicanda sunt omittamus, [7] quidquid ipse Zenon imperator suis litteris profitetur, cuncta sese ex Acacii gessisse consilio, nec hoc eum fallere litteris suis ipse pariter testatur Acacius, qui et eum nihilominus universa recte gessisse conscripsit, et suo consilio hæc eadem gesta non tacuit. Quasi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acacius prævaricator exstiterit, et non in omnibus, quos vel fecit, depulsis catholicis pontificibus, tanquam tyrannus, Ecclesiis quibusque præponi, vel taliter præpositis perversa communione permixtus est, qui hoc ipso secundum canones fuerant ab ecclesiastica communione pellendi, quod se passi sunt successores vivis sacerdotibus adhiberi. Quis autem non perspiciat Christianus, quod catho-

C licis pontificibus propria sede dejectis non nisi hæretici potuerint introduci? quibus tamen cunctis, vel auctor fuit Acacius subrogandis, vel subrogatis communicator accessit; his utique quia [*al.* qui a] communioni hæreticorum nullatenus discrepabant. Cur ergo vel cum hæc fieri videret Acacius, non sicut sub Basilisco jam fecerat, ad apostolicam sedem referre curavit, ut si solus ipse non poterat, [8] junctis cum eadem consiliis atque tractatibus, apud imperatorem possent quæ religioni competerent allegari? Nam si Basiliscus (ut dictum est) tyrannus et hæreticus scriptis apostolicæ sedis vehementer infractus est, et a plurimis revocatus excessibus; quanto magis legitimus imperator, qui se catholicum videri volebat, potuit cum apostolica sede cunctorum quoque pontificum moderata suggestione mitigari, præcipue

D cum ejusdem Acacii esset specialis fautor et amator; et qui litteris suis tam ipsum Acacium quam sanctæ memoriæ papam Simplicium magnis laudibus extulisset, deceretur quod hæreticis constantissime restitisset [*al.* restitissent]. Cur tanto tempore Acacius inter ista conticuit, nisi quia præpediri [*al.* prohibere] nolebat ullatenus quæ [9] pro hæreticis desiderabat

[1] *Quod si quis hæc ab apostolica sede vel sancta* (male *secunda*) *synodo acta reprehendit, præter quod prisca rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuisse fatebitur.* LABBEUS.

[2] Inclusa parenthesi desunt in codice Veronensi.

[3] Id. cod., *ac Acacius.*

[4] Id. cod., *eidem.*

[5] Id. cod., *describere.*

[6] Id. cod., *si nollet.*

[7] Id. cod., *quid quod.*

[8] Id. cod., *cunctis cum eodem.*

[9] *Pro hæreticis* desunt in cod. Veronensi.

[1] impleri? Ponamus tamen etiamsi nulla synodus præcessisset, cujus apostolica sedes recte fieret exsecutrix, cum quibus erat de Acacio synodus ineunda, nunquid cum his qui jam participes tenebantur Acacio, et per Orientem totum catholicis sacerdotibus violenter exclusis, perque exsilia diversa relegatis, socii evidenter existebant, communionis externæ prius se ad hæc consortia transferentes, quam sedis apostolicæ scita consulerent. Cum quibus ergo erat synodus ineunda? Catholici pontifices fuerant undique jam depulsi, solique remanserant socii perfidorum, cum quibus jam nec licebat habere conventum [*al. addit* dicente psalmo: Non sedi, etc.] [2] (quia moris ecclesiastici omnino non esset cum his qui pollutam communionem tenerent, permixtamque cum perfidis, ullum miscere concilium); propheta quoque dicente: *Non sedi in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo;* [3] (*odivi congregationem malignorum, et cum impiis non sedebo*). Recte igitur per Chalcedonensis synodi formam hujusmodi prævaricatio repulsa est, potius quam ad concilium, quod nec opus erat post primam synodum, nec cum talibus [4] habere licebat, [5] adducta est. Nam et quid ageretur de fide catholica, si intelligere voluissent, ignorare non poterant, cum [6] viderant catholicos pontifices nulla synodi discussione, nullo concilio, præcipue cum novas causas esse perpenderent, toto Oriente depelli, et cæteri quid caverent, ex illorum discere qualitate potuissent. Restat igitur ut illius partis eos fuisse sit clarum, cui se post tot experimenta dediderunt, meritoque ab apostolica sede, cæterisque catholicis non jam consulendi erant potius, sed notandi. [a] Risimus autem, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Nunquid apud Ravennam, apud Mediolanum, [7] Sirmium, apud Treviros, multis temporibus non constitit imperator? Nunquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quidpiam suis dignitatibus usurparunt? Nunquid Acacius, ut Joannem qualemlibet hominem, catholicum tamen a catholicis ordinatum, de Alexandria excluderet, Petrumque in hæresi jam detectum [*al.* dejectum] atque damnatum, absque sedis apostolicæ consultatione reciperet, aliqua synodo saltim illic habita, hoc audacter arripuit, ut Calendonem de Antiochia pelleret; hæreticumque Petrum, quem ipse quoque damnaverat, absque notitia sedis apostolicæ rursus admitteret, aliqua synodo id fecisse monstratur? Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ sedis et tertiæ major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur: nam quod [8] dicitis, alia potestas est regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præsentis regni non minuit, sic imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara urbs illa potestate præsentis imperii, religio tunc sub eadem [*al,* eodem] firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc præsente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram. [9] (Postremo si sibi de imperatoris præsentia blandiuntur, et inde putant Constantinopolitanæ civitatis episcopi potiorem fieri posse personam; audiant Marcianum ejusdem principem civitatis, posteaquam pro augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ papam Leonem summis laudibus prosecutum quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium ejusdem sedis antistitem, clerum potius Constantinopolitanum quam se tentasse talia confitentem, atque in apostolici præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum beatum papam Leonem sedis apostolicæ præsulem, cujus synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra quam ab eodem pro fide et communione catholica atque apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse. Eaque nihilominus etiam sub sanctæ memoriæ papa Simplicio legatum sedis apostolicæ sanctæ memoriæ Probum Canusinæ urbis episcopum Leone principe tunc petente præsente docuisse nullatenus posse tentari, neque his prorsus præbuisse consensum, atque ideo non ad civitatis cujuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis ecclesiasticæ paterna traditione firmatum convenienter observent.) Dicatur autem [*al.* Sed dicatur forsitan] de Alexandrino et Antiocheno episcopis certis ex causis principem magis illa quæ gesta sunt, non Acacium præcepisse. Sed principi Christiano decuerat suggerere sacerdotem, maxime cujus familiaritate et favore fruebatur, salvam fore de ejusdem injuria contumeliaque vindictam tantum, ut Ecclesiæ sineret Christianus princeps regulas custodiri, quia et nova in utroque pontifice causa esset exorta, et novam discussionem consequenter inquireret; et sicut semper esset effectum [10] (ac divinæ pariter leges humanæque censerent), ut sacerdotali concilio de sacerdotibus [*al.* sacerdotalibus] judicia

[a] Ridet pontifex illud, quod cum Euphemio novantes nostri temporis stulte admodum inculcant, dum ratione regiæ dignitatis prærogativas sedium patriarchalium expendunt, et non potius apostolicæ traditioni hæc privilegia accepta referunt. SEV. BINIUS.

[1] Id. cod., *expleri.*
[2] Inclusa parenthesi absunt a codice Veronensi.
[3] Inclusa parenthesi absunt a cod. Veron. in quo eorum loco leguntur supra in editione Labbeana jam posita: *Nec ecclesiastici moris,* etc. Post quæ sequuntur, *Recte igitur,* etc.
[4] Id. cod., *haberi.*
[5] Hæc desunt in cod. Veronensi.
[6] Id. cod., *viderent.*
[7] Id. cod., *apud Sirmium.*
[8] Id. cod., *quod dicitis regiæ civitatis.*
[9] Inclusa parenthesi desunt in cod. Veronensi.
[10] Inclusa parenthesi desunt in cod. Veronensi.

provenirent; non a sæculari viderentur qualescunque pontifices, etsi errore humanitus accedente, non tamen [*al. addit* contra] religionem ullatenus excedentes potestate percelli. An adhuc [*al.* An et hæc] justa ratione principi suggerenda non erant? Regiæ civitatis honore sublimis, si factus erat illa regia civitate sublimior, tanto magis in his suggerendis debuit esse constantior? Si autem in his quæ pro religione fuerant exerenda, exstitit contemptibilis, atque despectus, et aut segnis, aut fiduciam non habens intimandi, in quo per regiam civitatem major effectus est? ([1] an ut per ea suæ prævaricationis exerceret potius tyrannidem, quam causas religionis legitime procuraret?) Nathan propheta (*II Reg.* XII) palam publiceque in facie regi David, et commissum pronuntiavit errorem, et ipsum commisisse non tacuit; et confessione correctum consequenter absolvit. ([2] beatæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis sacerdos Ecclesiæ, majori Theodosio imperatori communionem publice palamque suspendit, atque ad pœnitentiam redegit regiam potestatem; beatæ memoriæ papa Leo (sicut legitur) imperatorem Theodosium juniorem Ephesino latrocinio libere coarguit excedentem; sanctæ memoriæ quoque papa Hilarus Anthemium imperatorem, cum Philotheus Macedonianus ejus familiaritate suffultus diversarum conciliabula nova sectarum in Urbem vellet inducere, apud beatum Petrum apostolum palam ne id fieret, clara voce constrinxit, in tantum ut non ea facienda cum interpositione sacramenti idem promitteret imperator; sanctæ memoriæ nihilominus papa Simplicius, et post eum sanctæ memoriæ papa Felix, non solum Basiliscum tyrannum, sed etiam imperatorem Zenonem pro iisdem ipsis excessibus, auctoritate libera sæpius increpasse noscuntur, flectique potuisset, nisi Constantinopolitani præsulis accederetur instinctu, qui particeps externæ communionis effectus, necessario in quod inciderat, jam fovebat, malens in suæ prævaricationis obstinatione persistere, quam curandus ad salubria remeare, sicut ipse rerum probavit eventus. Ecce nuper Honorico regi Vandalicæ nationis, vir magnus et egregius sacerdos Eugenius Carthaginensis episcopus, multique cum eodem catholici sacerdotes constanter resisterent sævienti, cunctaque extrema tolerantes, hodieque persecutoribus resistere non omittunt. Nos quoque Odoacri barbaro hæretico regnum Italiæ tunc tenenti, cum aliqua non facienda præciperet, Deo præstante nullatenus paruisse manifestum est.) Hic autem vir bonus Acacius, et sacerdos eximius [*al.* egregius], in tantum se et suggerere potuisse monstravit, et noluisse deprompsit, imo favisse patefecit; ut et imperator cuncta se ex ejus gessisse consilio non taceret, et ipse imperatorem magnis præconiis elevaret ista facientem;

A seseque [3] prodidit his agendis rebus fuisse participem. Sed esto, Calendion imperatoris nomen abstulerit; Joannes principi mentitus fuisse jactetur, quæ tamen cum novæ essent causæ, nova [4] debuit ecclesiastica provenire discussio? an qui in hominem imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente synodo dejici debuerunt; et in Deum, qui summus et verus est imperator, Acacium delinquentem, sinceramque communionem divini sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundum synodum qua hæc est damnata perfidia, non oportebat expelli [*al.* excludi]? [5] Quid de innumeris per totum Orientem catholicis sacerdotibus propria sede depulsis, et indubitanter hæreticis intromissis? Novæ certe erant causæ; et his consequenter [6] nova synodus debebatur.
B Cur tunc non venit in mentem, ut in talibus causis peteretur a principe saltem qualiscunque synodus celebranda; ut quocunque vel colorato judicio traditionis ecclesiasticæ passim pontifices viderentur excludi, non solum quarumcunque urbium sacerdotes, sed metropolitani incunctanter antistites? His omnibus cum non restitit suggestione qua potuit, consensit Acacius, communicando cunctis, qui in catholicorum locum hæretici fuerant subrogati: Apostolus autem dicit: *Non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I), reos indubitanter ascribi. An hæc licuit sæculari potestati et actis talibus, Acacio consentiente absque ulla synodo, quam ipsa rerum novitas exigebat, absque sedis apostolicæ consultatione perficere; et sedi apostolicæ non licuit,
C secundum tenorem synodi Chalcedonensis in veteri utique causa, et veteri constituto juxta definitionem damnata [*al.* justa definitione damnatum], inimicis synodi Chalcedonensis Acacium communicantem a sua communione depellere? Sed inquiunt: Acacius principi obviare non potuit. Cur Basilisco, quia voluit, obviavit? cur ipse Zenoni, ne palam Petro Antiocheno quamvis latenter hoc fecerit communicare videretur, non commodavit assensum? ecce resultanti non institit [*al.* restitit] imperator: ecce vim nolenti non intulit; ecce refugienti contagia manifesta concessit: postremo, cur tanto tempore, cum ista gererentur, vel gerenda cognosceret, non ad sedem apostolicam, a qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam, referre maturavit [*al.* curavit]?
D Sed prius laudator factus est ipse gestorum, quam vel præmoneret talia esse tentanda, vel ne tentarentur obsisteret. Sicut sub Basilisco jam fecerat, cur illis cæteris communicare consensit, qui depulsis catholicis sacerdotibus, indubitanter hæretici singulis urbibus fuerant substituti? Postremo ille defuit suis partibus; et quæ sacerdoti catholico competerent, agere fastidivit [*al.* non curavit]: ideo sedes apostolica quod [7] ad eadem pertinebat, vel po-

[1] Hæc pariter desunt in eodem codice.
[2] Sequentia quoque ansulis inclusa desiderantur in codice Veronensi.
[3] Cod. Veronen., *proderet.*
[4] Id. cod., *debuerit.*
[5] Id. cod., *Quid per totum Orientem de innumeris urbibus pulsi catholici sacerdotes, et hæretici subrogati?*
[6] Id. cod., *una.*
[7] Id. cod., *ad eam.*

tuit vel debuit præterire? Quolibet igitur modo hæreticorum complicem refutavit, et consortem communionis externæ a sua communione dimovit; nec opus fuit nova synodo, cum veteris constituti sufficienter [1] hæc forma præscriberet; nec opus fuit ut hæc scienda [*al.* facienda] Orientis episcopis intimaret, quos ex expulsione catholicorum, quæ agebantur in causa fidei, non ignorasse manifestum est; et communicando hæreticis subrogatis, facto tali consensisse non dubium est; [2] etiam cum externæ communionis effectis [*al. addit* atque ideo cum eis jam] nec potuisse, nec debuisse sedis apostolicæ scita tractari. Ecce agnoverunt in eorum professione qui constantissime perduraruni, quod fidei communionique catholicæ deberetur. Ecce agnoverunt quemadmodum a talibus recedendo, imo talibus contra moliendo, a fide et communione catholica deviarit Acacius, seque pariter cum eodem errori subdiderint. Ecce agnoverunt quam justis ex causis pro fide et communione catholica atque apostolica, cui et illi qui in ea perstiterant congruebant, et hi qui perstantibus obviabant, ab eadem docebantur alieni, sedis apostolicæ auctoritate sit remotus Acacius ([3] ad cujus præcipue vocatus examen vel venire vel mittere non curavit, ut se de his omnibus, ut confidebat, absolveret), ejusque pariter quicunque complices exstiterint, atque ab illa merito cum his communione discretus, a qua se ipse primum cum suis consortibus catholicis pontificibus discrepando cognoscitur separasse; jureque sententiam ille damnationis excepit, cæterisque consortibus cum suis consortibus promulgandam; qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recidisse perfidiæ ad apostolicam sedem missis litteris est professus. Cui Acacio, si communicaverant Orientales episcopi antequam huc referret [*al.* referretur], pari utique reatu sine dubio [4] probabatur involvi, jureque per illum transgressionis sententiam susceperunt, tanquam facti cum eodem communionis externæ; qui utique non consuli tanquam nostræ communionis homines jam deberent, sed tanquam in contrario positi consortió refutari. Si vero non communicaverant antequam Acacius huc referret [*al.* referretur], et communicantem notare debuerant, et ipse de eodem potius huc referre, atque apostolicæ sedis vigore perculsum merito comprobare, cumque ea sede apostolica tantisque illis catholicis pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate descive rant, et eorum successoribus communicare delegerant; ideo cum sede apostolica minime congruebant;

A quia in sortem reciderant prævaricatoris Acacii: et illius se sine dubio pervidebant sententia consequenter astringi, [*al. addit* et] ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem prævaricatione damnatos, in qua hodie quoque manere persistunt. Sed sicut ii simili conditione constricti complicem suum non possunt judicare non jure damnatum, neque reum [*al.* rei reum] possunt competenter absolvere, sic illo juste prævaricatore damnato, ipsi quoque pari jacent damnatione prostrati, neque nisi resipiscentes, inde poterunt prorsus absolvi: quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressione [*al.* transgressio est] qui in eamdem perfidiæ reciderant actionem, sic in uno eodemque qui pro omnibus scripserat, vel scri- B bendo omnium prodiderat voluntates, transgressione punita, pariter quoque cum eodem, vel in eodem est complicum transgressio punita cunctorum. [5] Quæ tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo præsulis apostolici, cujus erat utique potestatis legitimæ, probatur esse deprompta, præcipue cum secreto dirigenda videretur: ne custodiis ubique prætentis dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita necessarium habere non posset effectum; tamen quia orthodoxis ubique dejectis, et hæreticis tantummodo eorumque consortibus jam relictis in Oriente, catholici pontifices aut residui omnino non essent, aut nullam gererent libertatem plurimorum in Italia catholicorum congregatio sacerdotum; rationabiliter in Acacium [6] sententiam C cognovit fuisse prolatam, quæ congregatio facta pontificum non contra Chalcedonensem, non tanquam nova synodus contra veterem primamque [7] cognovit; sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps apostolicæ executionis effecta est; ut satis appareat Ecclesiam catholicam, sedemque apostolicam, quia alibi jam omnino non posset, ubi potuit, et cum quibus potuit, nihil penitus omisisse, quod ad fraternum pertineret [8] pro intemerata et sincera communione tractatum; [9] quæ cum universa noverint qui videntur Ecclesiis Orientalibus nunc præesse, propterea Christianam reparari legitima curatione refugiunt unitatem; quia occasionem dissensionis hujus suis ambitionibus suffragantem de- D ponere jam recusant; quia sine auctoritate sedis apostolicæ omnium Ecclesiarum passim jura confundant, magis eligentes in errore persistere, quam præsumptionum suarum perdere facultatem, plus usurpationum suarum licentiam diligentes quam divini judicii tenentes corde respectum. In quo ne-

[1] Id. cod., *hoc forma.*

[2] Id. cod., *etiam communionis externæ effectos atque ideo cum eis nec, etc.*

[3] Hæc desunt in cod. Veronensi.

[4] Id. cod., *probabantur.*

[5] Id. cod., *cunctorum. Quæ ad instructionem vestræ dilectionis satis abundeque sufficere judicamus, quamvis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere, quatenus et fidelium quisque cognoscat nihil apostolicam sedem, quod absit, præpropere censuisse.* Hæc a Labbeo afferuntur ad calcem epistolæ.

[6] Cod. Veron. omisso verbo *sententiam* ita legit, *in Acacium fuisse prolata.*

[7] Id. cod., *Convenit.*

[8] Id. cod., *pro intemerata fide.*

[9] Hic deficit hæc epistola in Cod. Veronensi, in quo hæc subduntur: *Explicit rationis reddendæ Acacium a sede apostolica fuisse damnatum, nec posse quemquam sine discrimine animæ suæ ejus communionis participem fieri.*

cesse est velint nolint tam de fidei communionisque catholicæ sinceritate neglecta, quam de paternis canonibus evidenter irruptis recipiant quod merentur, nisi dum hic tempus admittit hæc damnationis æternæ pericula correctis mentibus studeant declinare, ut possint non tales permanere, quibus insolubilis est fata sententia. Sed a talibus recedentes, ab eadem sententia non teneri: quæ sicut in errore durantibus nunquam solvenda præfixa est, sic ab his erit aliena, qui exstiterint puniendæ pravitatis immunes. Hæc vero ad instructionem vestræ dilectionis satis abundeque sufficere judicamus, quamvis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere: quatenus et fidelium quisque cognoscat, nihil apostolicam sedem (quod absit) præpropere censuisse, et non habere quod juste possit opponere, perversa doceatur improbitas. Recte autem faciet vestra dilectio, ut ista quæ scribimus, pariter catholicis et contraria sapientibus innotescant: quo et sanis necessaria firmitas, et male sanis competens medicina præbeatur. Datum calendis Februarii, [1] Victore viro clarissimo consule.

EJUSDEM EPISTOLÆ

FORMA BREVIOR.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.

Valde mirati sumus, quod vestra dilectio quasi novam et veluti difficilem quæstionem, et adhuc tanquam inauditum quippiam nosse desiderat, quod Eutychianæ pestilentiæ communicatores, non habentes quid pro suæ perditionis obstinatione respondeant, frequenti jam ratione convicti, sola contentione submurmurant: non quia sit alicujus momenti quod garriunt, nec inveniunt penitus quid loquantur. Ubi magis eos qui catholicis sensibus instituti sunt, adhuc hærere miramur, quam illos qui a veritate exciderunt, et ab antiqua Ecclesiæ traditione sunt devii, profanas vocum novitates et ineptias caducæ perversitatis obtendere. Quibus eos vestra dilectio retulit jactitare, ideo Acacium non putare jure damnatum, quod non a speciali synodo videatur fuisse dejectus, et insuper dementiam suæ vanitatis accumulare pueriliter, adjicientes: *præcipuæ pontificem regiæ civitatis*. Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis apostolis, et considerare prudenter quoniam patres nostri, catholici videlicet doctique pontifices, in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundum Scripturarum tramitem prædicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum deinceps voluerint, firmumque constare, nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari, qualibet recenti præsumptione permiserint; sapientissime providentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus, contra fundamentum sese veritatis attollere, et simplicia quæque corda percutere: quid fieret si subinde fas esset perfidis inire concilium? cum quælibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat falsitas, etsi ratione, vel auctoritate deficiens, sola tamen intentione non cedens. Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes, necessarie præcaverunt, ut quod contra unamquamque hæresim coacta synodus pro fide, communione, veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent novis post hæc retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi; sed auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus; quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci.

Et ut brevitatis causa priora taceamus, quæ diligens inquisitor facile poterit vestigare: Sabellium damnavit synodus, nec fuit necesse ut ejus sectatores postea damnarentur, singulas viritim synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquæ cunctos qui vel pravitatis illius, vel communionis exstitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arii, forma fidei communionisque catholicæ Nicæno prolata conventu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive sensu sive communione deciderit, sine retractatione concludit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium, synodus semel gesta condemnans, ulterius ad nova concilia venire non sivit; sed universos quocunque modo in has blasphemias recidentes, tradito sibi limite synodali refutavit Ecclesia, nec unquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, noviter quæ fuerant salubriter constituta, temerasse. Non autem nos latet in tempestate persecutionis Arianæ plurimos pontifices de exsiliis, pace reddita, respirantes per certas provincias congregatis secum fratribus Ecclesias composuisse turbatas; non tamen ut illius synodi Nicænæ, quidquid de fide et communione catholica definiverat, immutarent, nec nova quemquam prolapsum damnatione percellerent, sed illius decreti tenore nisi resipuisset, judicavere damnatum, essetque consequens, ut nisi corrigeret, damnationi procul dubio subjaceret. Quibus convenienter, ut dictum est, ex paterna traditione perpensis confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem oportere

[1] Scribendum est *Victore*, qui an. Christi 495 consulatum gessit

præ cæteris, quam primam, quæ et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit; pro suo scilicet principatu, quem beatus apostolus Petrus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet.

Hæc dum Acacium certis comperisset indiciis a veritate deviasse, diutius ista non credens, quippe quem noverat exsecutorem sæpe necessariæ dispositionis suæ contra hæreticos exstitisse, per triennium fere litteris destinatis eumdem monere non destitit, sicut per diversos missa familiariter scripta testantur. Quibus ille primum tanquam dedito silentio nihil respondere proponens, tandem aliquando missis litteris profitetur, se Alexandrino Petro, quem expetita apostolicæ sedis executor ipse quoque damnaverat, absque apostolicæ sedis notitia communione permixtum. Beati autem Petri sedes, quæ Alexandrinum Petrum se tantummodo damnasse, non etiam solvisse noverat, non recepit; atque ideo, ne per Acacium in Petri quoque consortium duceretur, ipsum quoque a sua communione submovit, et multis modis transgressorem a sua societate fecit alienum. Hic si examinatio quæritur, jam judicio non erat opus, postquam litteris suis ipse confessus est. Si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonensis synodi tenore illius definitionis exsecutio reperitur, quo damnati illic erroris communicator effectus, præfixæ nihilominus damnationis particeps existeret; quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, et exsecrationem sui gestat et pœnam. Quo tenore Timotheus etiam, atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certe sedem tenuisse videbantur, non repetita synodo, sed auctoritate tantummodo sedis apostolicæ, ipso quoque Acacio postulante vel exsequente, probantur esse damnati. Quod si, utrum errori vel prævaricationi communicarit Acacius, forsitan dicatur oportuisse constare, breviter præbemus ad ista responsum, aut enim ipsi doceant Petrum veraciter legitimeque purgatum, et ab omni hæreticorum contagione rite discretum cum ei communicavit Acacius, si ejus communicatorem putant Acacium aliquatenus excusandum, aut si, quod magis est verum, convenienter atque legitime Petrum non probaverint expiatum, restat ut ejus in expiatione fuerit, et qui ei communicavit, infectus.

Nec plane tacemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi: ut pote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter constat satis Acacium nullum habuisse pontificium sententiam sedis apostolicæ sine ulla ejus notione solvendi. Qua certe synodo hoc illa præsumpsit, quod nec sic absque apostolica sede fas quidem haberet efficere? Cujus sedis episcopus? Cujus metropolitanæ civitatis antistes? Nonne parochiæ Heracleensis Ecclesiæ? Si illi certe licuit sine synodo sententiam apostolicæ sedis abrumpere, nulla ejus consultatione quæsita; itane vero non licuit primæ sedi Chalcedonensis synodi constituta, sicut decuit, exsequenti, hujusmodi prævaricatorem sua auctoritate detrudere? Sed nec illa præterimus, quod apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente, exsolvendi quos synodus iniqua damnaverat, et damnandi nulla existente synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ quippe memoriæ Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certe damnaverat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctum Flavianum pontificem Græcorum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit; potiusque illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ sedis præsulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo sola submovit, et pro veritate ut synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit. In qua ut ergo sola jus habuit absolvendi eos quos synodica decreta perculerant, sic etiam sine synodo in hac eadem causa plurimos etiam metropolitanos damnasse cognoscitur.

Quod si quis hæc ab apostolica sede vel secundum synodum acta reprehendit, præter quod prisca rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuisse fatebitur. Dicat ergo qua ipse synodo secundæ sedis antistitem qualemcunque, certe catholicum, et a catholicis ordinatum, nec de catholica fide et communione aliquatenus, impetitum, duxerit excludendum; et hæreticum manifestum Petrum, sua quoque executione damnatum, catholico pontifici permiserit subrogari. Qua synodo tertiæ sedis episcopum sanctum Calendionem fecit expelli, ac nihilominus eidem Petrum tam manifestum hæreticum ut eidem palam nec se communicare prætenderet, sua passus est dispositione substitui. Qua denique per totum Orientem synodo, ejectis orthodoxis, nullo crimine maculatis, pravos quosque et criminibus involutos sua provisione supposuit. Qua synodo tot aliena privilegia nefandus populus invasit? Sed libri non sufficient si tragœdias ejus quas per Ecclesias totius Orientis exercuit, singillatim describere moliamur. An illud ipsius argumentum nobis æstimant opponendum, quo facinora sua in imperialem visus est jactare personam? Cur igitur, quando voluit obstitit Basilisco tyranno, certe et hæretico vehementer infesto? Cur ipsi imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, suam non subdidit voluntatem? Ecce potuit in aliis resultare si vellet. An non Apostolus dicit: *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, reatu pariter sunt irretiti?* Sed ut ea quæ latius explicanda

sunt omittamus, quid, quod ipse Zenon imperator A suis litteris profitetur cuncta sese ex Acacii gessisse consilio, nec hoc eum fallere litteris suis ipse quoque testatur Acacius, qui et eum nihilominus universa recte gessisse conscripsit, et suo consilio hæc eadem gesta non tacuit. Quasi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acacius prævaricator exstiterit, et non in omnibus quos vel fecit, depulsis catholicis pontificibus, tanquam tyrannus, Ecclesiis quibuscunque præponi; vel taliter præpositis perversa communione permixtus est, qui hoc ipso secundum canones fuerant ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores vivis sacerdotibus adhiberi. Quis autem non perspiciat Christianus, quod catholicis pontificibus a propria sede dejectis, non nisi hæretici potuerunt introduci? Quibus tamen cunctis, B vel auctor fuit Acacius subrogandis, vel subrogatis communicator accessit, his utique qui a communione nullatenus discrepabant. Cur ergo vel cum hæc fieri videret, non sicut sub Basilisco jam fecerat, ad apostolicam sedem referre curavit: ut si solus ipse non poterat, junctis, cum eadem consiliis atque tractatibus apud imperatorem possent, quæ religioni competerent, allegari? Nam si Basiliscus, ut dictum est, tyrannus hæreticus, scriptis apostolicæ sedis vehementer infractus est, et a plurimis revocatus excessibus, quanto magis legitimus imperator qui se catholicum videri volebat, potuit cum apostolica sede cunctorum quoque pontificum moderata suggestione mitigari, præcipue cum ejusdem Acacii esset specialis fautor et amator, et qui litteris suis tam ipsum C Acacium, quam sanctum papam Simplicium magnum laudibus extulisset, quod hæretico constantissime restitissent? Cur tanto tempore Acacius inter ista conticuit, nisi quia præpediri nolebat ullatenus, quæ desiderabat expleri?

Ponamus tamen, etiamsi nulla synodus præcessisset, cujus apostolica sedes recte fieret exsecutrix, cum quibus erat de Acacio synodus ineunda? Nunquid cum his qui jam participes tenebantur Acacio, et per Orientem totum catholicis sacerdotibus violenter exclusis, et per exsilia diversa relegatis, socii evidenter existebant communionis externæ, prius se ad hæc consortia transferentes quam sedis apostolicæ scita consulerent? Cum quibus ergo synodus erat ineunda catholici pontifices fuerant undique jam de- D pulsi, solique remanserant socii perfidorum, cum quibus jam nec licebat habere conventum, dicente psalmo: *Non sedi in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.* Nec ecclesiastici moris est, cum his qui pollutam habent communionem, permixtamque cum perfidis miscere concilium. Recte igitur per Chalcedonensis synodi formam hujusmodi prævaricatio repulsa est, potius quam ad concilium, quod nec opus erat post primam synodum, nec cum talibus haberi licebat, adducta est. Nam et quid ageretur de fide catholica intelligere si vellent, ignorare non poterant cum viderent catholicos pontifices, nulla synodi discussione, nullo concilio, præcipue cum novas causas esse perpenderent, toto Oriente depelli; et cæteri quid caverent, ex illorum qualitate discernere potuissent. Restat igitur ut illius partis eos fuisse sit clarum, cui se post tot experimenta dederunt, meritoque ab apostolica sede cæterisque catholicis non jam consulendi erant, sed potius notandi. Risimus autem quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Nunquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Nunquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt? Nunquid Acacius ut Joannem quemlibet hominem catholicum tamen, a catholicis ordinatum de Alexandria excluderet, Petrumque in hæresi jam detectum atque damnatum, absque sedis apostolicæ consultatione reciperet, aliqua synodo saltem illic habita, hoc audacter arripuit ut Calendionem de Antiochia depelleret, hæreticumque Petrum, quem ipse damnaverat, absque notitia sedis apostolicæ rursus admitteret, aliqua synodo id fecisse monstratur? Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ sedis et tertiæ major est dignitas sacerdotum quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur. Nam quod dicitis, *regiæ civitatis*, alia potestas est regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præsentis regni non minuit, sic imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara urbs illa potestate præsentis imperatoris, religio sub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc præsente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram.

Sed dicatur forsitan de Alexandrino et Antiocheno, certis ex causis principem magis illa quæ gesta sunt, non Acacium præcepisse. Sed principi Christiano decuerat suggerere sacerdotem, maxime cujus familiaritate et favore fruebatur, salvam fore de ejus injuria contumeliaque vindictam, tantum ut Ecclesiæ sineret Christianus princeps regulas custodiri, quia et nova in utroque pontifice causa esset exorta, et novam discussionem consequenter inquireret. Et si, sicut semper esset effectum, sacerdotali concilio de sacerdotibus judicia provenirent, non a sæculari viderentur qualescunque pontifices, et si errore humanitus accedente, non tamen contra religionem ullatenus excedente potestate percelli. An et hæc justa ratione principi suggerenda non erant? Regiæ civitatis honore sublimis si factus erat illa regia civitate sublimior, tanto magis in his suggerendis debuit esse constantior. Si autem in his quæ pro religione fuerant exerenda, exstitit contemptibilis atque despectus, et aut segnis, aut fiduciam non habens intimandi, in quo per regiam civitatem major effectus est? Nathan propheta palam publiceque in facie regi David, et commissum pronuntiavit errorem, et ipsum commisisse non tacuit, et confessione cor-

ractum consequenter absolvit. Hic autem vir bonus et sacerdos egregius, in tantum se et suggerere potuisse monstravit, et noluisse deprompsit, imo favisse patefecit, ut et imperator cuncta se ex ejus gessisse consilio non taceret, et ipse imperatorem magnis præconiis elevaret ista facientem; seseque proderet his agendis rebus fuisse participem.

Sed esto Calendion nomen imperatoris abstulerit, Joannes principi mentitus fuisse jactetur: quæ tamen, cum novæ essent causæ, nova debuit ecclesiastica provenire discussio. An qui in hominem imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente synodo dejici debuerunt; et in Deum, qui summus et verus est imperator, Acacium delinquentem sinceramque communionem divini sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundum synodum qua hæc est damnata perfidia, non oportebat excludi? Quid per totum Orientem de innumeris urbibus pulsi catholici sacerdotes, et hæretici subrogati? Novæ certe erant causæ, et his consequenter nova synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem ut in talibus causis pateretur a principe saltem qualiscunque synodus celebranda, ut quocunque vel colorato judicio traditionis ecclesiasticæ passim pontifices viderentur exclusi, non solum quarumcunque urbium sacerdotes, sed metropolitani incunctanter antistites? His omnibus cum non restitit suggestione qua potuit, consensit Acacius communicando cunctis qui in catholicorum locum hæretici fuerant subrogati. Apostolus autem dicit: *Non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus*, reos indubitanter ascribi. An hæc licuit sæculari potestati et actis talibus Acacio consentienti absque ulla synodo, quam ipsa rerum novitas exigebat, absque sedis apostolicæ consultatione perficere; et sedi apostolicæ non licuit secundum tenorem synodi Chalcedonensis in veteri utique causa et veteri constituto justa definitione damnatis inimicis synodi Chalcedonensis Acacium communicantem a sua communione depellere? Sed Acacius, inquiunt, principibus obviare non potuit. Cur Basilisco, quia voluit, obviavit? Cur ipsi Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamvis latenter hoc fecit, communicare videretur, non commodavit assensum? Ecce resultanti non restitit imperator; ecce vim nolenti non intulit; ecce refugienti contagia manifesta concessit; postremo cur tanto tempore cum ista gerere tur vel gerenda cognosceret, non ad sedem apostolicam, a qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam deferre curavit? Sed prius laudator factus est ipse gestorum, quam vel præmoneret talia esse tentanda, vel ne tentarentur obsisteret: sicut sub Basilisco jam fecerat. Cur illis cæteris communicare consensit, qui depulsis catholicis sacerdotibus, indubitanter hæretici singulis urbibus fuerant substituti? Postremo si ille defuit suis partibus, et quæ sacerdoti catholico competerent agere non curavit; ideo sedes apostolica quod ad eam pertinebat vel potuit vel debuit præterire? Quolibet modo hæreticorum complicem refutavit, et consortem communionis externæ a sua communione dimovit, nec opus fuit nova synodo, cum veteris constituti sufficienter hoc forma præscriberet; nec opus fuit ut hæc facienda Orientis episcopis intimaret, quos et expulsione catholicorum, quæ agebantur in causa fidei non ignorasse manifestum sit, et communicando hæreticis subrogatis, facto tali consensisse. Non dubium est etiam externæ communionis effectus, atque ideo cum eis jam nec potuisse, nec debuisse sedis apostolicæ scita tractari. Ecce agnoverunt in eorum professione qui constantissime perdurarunt, quid fidei communionique catholicæ deberetur.

Ecce agnoverunt quemadmodum a talibus recedendo, imo talibus contraria moliendo, a fide et communione catholica deviarit Acacius, seque pariter cum eodem errori subdiderit. Ecce agnoverunt quam justis ex causis pro fide et communione catholica atque apostolica, cui et illi qui in ea perstiterant congruebant, et illi qui perstantibus obviabant, ab eadem docebantur alieni, sedis apostolicæ auctoritate sit remotus Acacius, ejusque pariter quicunque complices exstiterunt; atque ab illa merito communione cum his discretus, a qua se ipse primum cum suis consortibus, a pontificibus catholicis discrepando, cognoscitur separasse, jureque sententiam ille damnationis excepit, cæteris consortibus promulgandam, qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recidisse perfidiæ ad apostolicam sedem missis litteris est professus. Cui si communicaverant Orientales episcopi, antequam huc referret, pari utique sine dubio reatu probantur involvi, jureque per eum sententiam transgressionis susceperunt, tanquam facti cum eodem communionis externæ. Qui utique non consuli, tanquam nostræ communionis homines, jam deberent; sed tanquam in contrario positi consortio refutari. Si vero non communicaverant antequam Acacius huc referret, et communicantem notare debuerant, et ipsi potius de eodem huc referre, atque apostolicæ sedis vigore perculsum merito comprobare, cumque ea sede apostolica tantisque illis catholicis pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate desciverant, et eorum successoribus communicare delegerant, ideo cum sede apostolica minime congruebant, quia in sortem reciderant prævaricatoris Acacii, et illius se sine dubio pervidebant sententia consequenter astringi. Ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem prævaricatione damnatos, in qua hodieque manere persistunt. Sed sicut hi simili conditione constricti, complicem suum non possunt judicare non jure damnatum; neque rei reum possunt competenter absolvere; sic illo prævaricatore juste damnato, isti quoque pari jacent damnatione prostrati: neque nisi resipiscentes inde poterunt prorsus absolvi; quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressio est, qui in eamdem perfidiæ reciderant actionem; sic in uno eodemque qui pro omnibus

scripserat, vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressio est punita cunctorum.

Quæ ad instructionem vestræ dilectionis satis abundeque sufficere judicamus, quamvis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere: quatenus et fidelium quisque cognoscat nihil apostolicam sedem, quod absit, præpropere censuisse. Quæ tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo præsulis apostolici, cujus erat utique potestatis, legitime probatur esse deprompta, præsertim cum secretim dirigenda videretur, ne custodiis ubique prætentis dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita necessarium habere non posset effectum: tamen quia orthodoxis ubique dejectis, et hæreticis tantummodo eorumque consortibus jam relictis in Oriente, catholici pontifices, aut residui omnino non essent, aut nullam gererent libertatem, plurimorum in Italia catholicorum congregatio sacerdotum rationabiliter cognovit sententiam in Acacium fuisse prolatam. Quæ congregatio facta pontificum, non contra Chalcedonensem, non tanquam nova synodus contra veterem primamque convenit, sed potius secundum tenorem veteris constituti, particeps apostolicæ executionis effecta est; ut satis appareat Ecclesiam catholicam sedemque apostolicam, quia alibi jam omnino non posset, ubi potuit, et cum quibus potuit nihil penitus omisisse quod ad fraternum pertineret pro intemerata fide, et sincera communione tractatum.

EPISTOLA XIV, SIVE TRACTATUS

GELASII PAPÆ,

In quo etiam ponit exempla epistolarum Simplicii papæ atque Felicis, quod Timothei Æluri, vel Petri Alexandrini impietatem olim cognoverint, vel visi fuerint judicasse. Postea propriis prosequitur dictis, instruens quid adversus Græcos debeat responderi.

....

Ex epistola Simplicii papæ ad Acacium.

(Epist. 17.)

Illud, inquit, *me non mediocriter facit attonitum, quod iisdem litteris suis Petrum, qui hæreticorum dudum socius exstitisse probetur et princeps, quod conscientiam dilectionis tuæ meminimus non latere, instructionesque ipsas, quibus fuerit confutatus, nosse confidimus, quemque etiam dubium non sit adhuc extra communionem durare catholicam, sæpeque nos de eodem ex illa urbe pellendo scripsisse sit certum, ad præfatæ Ecclesiæ regimen existimet provehendum; eumque promittat rectæ fidei definitionibus convenire, a cujus utique, sicut superius dixi, consortio tam degit extraneus, quam ab ejus communione discretus est. Ad quam si nunc redire contendit, nisi per satisfactionem Christianis regulis competentem non potest introire: ac perinde non ad fastigium sacerdotalis dignitatis accedere, sed medelæ, quæ post pœnitudinem præbenda est, consequenter aptari: animæ suæ cupiens reconciliatus auxilium, non gradum summi honoris affectans, qui diu convincitur fuisse perversus: ne per speciem remeantis non remedium sinceræ salvationis inquirat, sed facultatem propagandæ pravitatis inveniat. Quo facto non hunc magis ab errore detrahimus, quam perniciem fidelibus irrogamus; eoque modo Chalcedonensis synodi statuta violantes, aditum sæva copulatione grassandi in Ecclesiam lupis rapacibus aperimus. Denique ab eisdem ipsis cum quibus olim a catholica participatione divisus est, pontifex dicitur postulari: ut satis evidenter appareat non eos rectam fidem velle, sed in præsule proprio nefandi dogmatis quærere potestatem; neque inter ipsos et veraciter sentientes, pax inde possit fida generari, unde hæreticarum mentium crescit funesta damnatio, et catholicorum miseranda captivitas.*

Ex epistola Felicis papæ ad Zenonem imp.

(Epist. 2.)

Ubi esse, inquit, *jam consequens procul dubio pervidetis, Alexandrinæ Ecclesiæ pervasorem, funesta diu impunitate grassantem, vestris præceptionibus, quibus merito dudum probatur ejectus, esse nihilominus addicendum. An non ipse est, qui per 30 annos catholicæ desertor Ecclesiæ, inimicorumque ejus sectator et doctor, et ad fundendum sanguinem semper velox fuit et promptus? Nunquid adhuc et istam dissimulationem quadam sumus ex conhibentia recepturi? In quo revera non est opus discussione subtili, quia ejus aperta sunt crimina.*

Multa similia in diversis epistolis eorum diligens lector, si requirat, inveniet. Prætermitto jam scripta et admonitiones papæ Simplicii, quæ plerique vilia æstimant, et judicant contemnenda. Illud consideremus attentius, quod de eodem Petro, tunc cum adhuc sanum forte saperet, judicarit Acacius, qualemque de eo sententiam ad apostolicam sedem dixerit.

Domino sancto, et beatissimo Patri, archiepiscopo Simplicio Acacius.

Sollicitudinem omnium Ecclesiarum secundum Apostolum (*I Cor.* XI) *circumferentes, nos indesinenter hortamini, quamvis sponte vigilantes ac præcurrentes. Sed vos divinum zelum solito demonstratis, statum Alexandrinæ Ecclesiæ certius requirentes, ut pro paternis canonibus suscipiatis laborem, piissimo stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum. Sed Christus Deus noster, qui diligentibus se in bonum cooperatur* (*Rom.* VIII), *nostris cogitationibus insidens, et unam nobis in his mentem, atque eamdem pro gloria sua esse cognoscens, omnem victoriam esse perfecit, consortes nos cum tranquillissimo principe faciens, et Timotheum quidem* [al. add. *Ælurum*] *decessorem spirantem procellas, et ecclesiasticam tranquillitatem, sicut apparuit conturbantem vitæ subduxit humanæ, dicens ei:* Tace et obmutesce (*Matth.* VIII; *Marc.* IV). *Petrum quoque* (Mongum), *qui ab Alexandria more similiter procellæ surrexerat, dissipavit, atque in æternam fugam Spiritu sancto flante convertit, unum et ipsum de his qui olim fuerant et ante damnati. Sicut enim in nostris archivis inventum est, et de vestris scriniis, si dignamini requirere, poteritis agnoscere, quæ in tempore de eodem subsecuta, ab Alexandrino episcopo Romam ad alterutrum sint relata. Qui Petrus filius noctis existens; et*

operum diei lucentium alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium peragendum congruas eorum cooperator inveniens, media nocte, adhuc jacente cadavere illius, qui paternos canones subverterat, insepulto, subrepsit in sedem, sicut ipse arbitratus est, uno et solo præsente, et eo qui consors illius insistebat insaniæ: ita ut propter hoc majoribus suppliciis subderetur; nec quod sperabat effectum est. Sed ille quidem de se ex parte vel minima judicans nusquam penitus omnino comparuit. Timotheus (Salophaciolus sive Albus) *autem paternorum canonum custos, qui Davidicæ mansuetudinis exemplo subditur, et usque in finem patiens, atque potestati propriæ restitutus a Christo, propriæ sedis honore lætatur: et spiritualium filiorum voces accipiens, gratiam curationis exspectat, multiplicato in se honore a Christo principe sacerdotum.*

Ecce testimonium Acacii validissimum, quid de Timotheo, quid de Petro senserit. Vere enim, sicut scriptum est in Evangelio de Caipha illo pontifice, evenit Acacio. Dicitur enim de illo, quia cum esset princeps sacerdotum anni illius, de Domini dixerit passione: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ut non tota gens pereat* (*Joan.* XI). Et subjungit evangelista beatus Joannes, *hoc*, inquiens, *a semetipso non dixit, sed cum esset princeps sacerdotum anni illius prophetavit.* Ita et hic, cum in summi esset sacerdotii dignitate locatus, utrum nolens an invitus, dubitare quippe nos ejus varietas et inconstantia fecit, verissimam de inimicis Dei tulit sententiam; quam si servare voluisset, procellam quam ab Ecclesia veraciter depulerat, rursus in Ecclesiam ipse non revocasset; et de quo dixerat, *tace et obmutesce* (*Matth.* VIII; *Marc.* IV), rursus Petri personam loqui in Ecclesia minime permisisset. Quam similiter procellam a sancto Spiritu dissipatam esse prædixerat, quemque filium noctis asseveraverat, et quem ab opere luminis alienum, amantemque tenebras latronum operibus congruas esse narrabat: qui falsum sacerdotii nomen, ab eo qui paternos, ut ipse ait, canones subverterat, artibus dolosis sibi ipse imposuerat. Hic Petrus, de quo beatæ memoriæ Timotheus catholicus, ut ipse dixit, paternorum custos canonum, Alexandrinæ quondam Ecclesiæ pontifex, ad sedem apostolicam multa retulit deteriora quam superius continentur, asserens specialiter et affirmans inimicum fidei, inimicum Chalcedonensis synodi per omnes exstitisse infelicitatis conatus. Quid igitur nobis faciendum est? Non credimus tot et tantis tantarum sedium sacerdotibus, qui omnes uno ore, uno consensu, publicam et feralem humanæ salutis bestiam Petrum esse dixerunt, in cujus se communione, perniciosa conjunctione, suadentes dæmonico spiritu, infeliciter sociaverat Acacius, male rursus ædificans quod bene destruxerat? Nec opus plura hinc dicere, cum timentibus Deum et formidantibus diem judicii, et Ecclesiæ unitatem diligentibus satis aperteque causa sit clara. Hæc enim sola ratio est quæ unitatem dividit et concordiam dissipat: quia

A quandiu prævaricatorum nomina de Ecclesia non auferuntur, pacis vinculum nullatenus redintegrare permittunt. Si enim licet sectatorum vel communicatorum Eutychetis, ut fuit ejus sectator Petrus, et communicator Acacius, in Ecclesia nomina recenseri, cur de sectatoribus et communicatoribus Arii vel cæterorum hæreticorum, simili sorte non liceat? An minoris impietatis et perfidiæ Eutyches fuisse putatur quam Arius? Nemo hoc quidem sani capitis audebit dicere. Si ergo par est impietas, par sit et utrorumque detestatio: ne si semel talis fuerit intromissa licentia, omnibus exinde omnia liceant, fiatque, quod absit, tam passiva rerum confusio atque commixtio, ut nulla inter mundum et immundum sit secundum prophetam (*Ezech.* XXII, 26) certa
B discretio. Non est quidem nostræ humilitatis de totius orbis dissensione ferre sententiam; est tamen nostrum de propria salute esse sollicitos, quoniam unusquisque pro se rationem redditurus est ante illud tribunal judicis et regis æterni (*II Cor.* V), in quo etiam de verbo otioso, minimoque quadrante, sumus nostrorum rationem actuum præstituri (*Matth.* V *et* XII). Unde et optamus, qualiacunque et quantacunque super nos importaverit inimicus, tolerare discrimina in sæculo præsenti, tantum ne causas incurramus mortis æternæ. Sed dicitur de Petro, quanquam sine approbatione dicatur, præsertim de homine perspicacissimo [pervicacissimo *legendum videtur*], qui per 30 annos famosus expugnator fuerat veritatis, quod pœnitentia acta susceptus sit in Ecclesia.
C Nunquam igitur per 30 annos agere potuit pœnitentiam, nisi tunc cum episcopatus amore et ambitionis ardore fervebat? O rem monstro simillimam! ante illum potuisse locum suum sacerdotii obtinere, quam posset vel brevi pro tam immani crimine pœnitens videri. Sed solvit illum, inquit, auctoritate sua prius Acacius, et sic suscepit. Utinam seipsum miserrimus omnium, secumque quamplurimos, non æternæ mortis compedibus alligaret! Qui cum superbissimo præflatus spiritu thronum humilitatis altius efferre conatur quam decuit, et præsumptionibus suis aditum undecunque conquirit, simulque per fas et nefas calcat et transit inviolabilia statuta sanctorum, cum ipso quem imitatus est auctore superbiæ, in profundissimam ruinam dejectus, id dereliquit Ecclesiæ,
D unde lugerent pacifici, fidelesque et humiles flerent. Si enim ille modum temperata potestate servasset, nec Petrum hæreticum, nullo regulari ordine absolutum, pro ejus audaci temeritate, in sua societate hodie Ecclesia suspiraret assumptum; nec caritatis, quæ omnium virtutum est perfectio, et sine qua secundum Apostolum inania sunt universa quæ facimus (*I Cor.* V), tanta filii pacis dispendia paterentur, nec mordendo invicem, consumerentur invicem. Sed quolibet modo dicatur Petrus esse susceptus, apparet tamen eum fuisse hæreticum, qui pœnituisse pro perversitate defenditur; et quod pravus et infidelis fuerit, et de Ecclesia ecclesiastico jure projectus, ambigi dubitarique non potest. Sed concedamus

paulisper pœnituisse eum, quod nullatenus verum A est; videndum ergo est quomodo, id est utrum qui ordine competenti, regulari severitate excisus et exstirpatus est, pœnitens recte et consequenter receptus sit. Sed nunquam docebitur, nunquam monstrabitur, nunquam omnino probabitur ejus purgationem fuisse legitimam, quæ non est competentibus regulis celebrata. Secundæ enim sedis antistitem nec expellere quisquam, nec revocare, sine primæ sedis assensu, vel potuit, vel debuit. Nisi forte confuso jam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec secunda, nec tertia sedes debeat observari, vel suscipi secundum antiqua statuta majorum, et sublato capite, ut videmus, omnia membra vario inter se compugnent certamine, fiatque illud quod de populo scriptum est Israel : *In illo tempore, non erat* B *dux in Israel: unusquisque quod placitum erat in oculis suis faciebat* (*Judic.* XXI). Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus defendendum [*al.* deferendum] est, si primæ beatissimi Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo Patrum invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus [*al.* vindicatus] est honor? Ut pote qui Domini recordabantur sententiam : *Tu es Petrus, et super hanc petram fundabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcunque ligaveris vel solveris in terra, erunt ligata vel soluta in cœlo* (*Matth.* XVI). Et rursus ad eumdem : *Ecce ego rogavi pro te, ut non deficiat fides* C *tua, et tu aliquando convertere, et confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), et illud : *Si amas me, pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? nunquidnam reliqui sancti et beati apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? *Sed ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio* (*S. Hieron. cap.* 14, *lib.* I *adv. Jovinianum*), et una monstraretur compago corporis Christi, quæ ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret; et una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini et unius redemptoris, in qua de uno pane et de uno calice nutriremur (*I Cor.* X). Qua ratione, sicut dixi, majores nostri, reverendi D illi Ecclesiarum magistri, clarissimaque illa populi Christiani lumina, quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas, et martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam sedem quam princeps apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotii sumpta principia repleti Christi caritate mittebant, suæ inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. Ut per hanc speciem omnibus appareat vere unam esse per omnia, et indissolubilem Christi Ecclesiam, quæ concordiæ vinculo mirabilique caritatis textura composita, sola et indivisa per totum ostenderetur esse tunica Christi, quam nec milites ipsi qui Dominum crucifixerunt, dividere ausi fuissent (*Joan.* XIX). Quæ nunc si propter perfidiam Petri, Acacii tyrannicam superbiam, impiamque præsumptionem ejus, violatur atque conscinditur, videte et sapienter expendite, in quam grave periculum nostra deducitur conscientia, dum tanta majorum solvitur observantia. Quis enim non agat quodcunque libuerit, si semel in consuetudinem corruptus ordo pervenerit? Si autem hoc sacrilegum est etiam cogitare, cur non cum diligentissima observatione teneatur hæc forma majorum, cum sit in hoc observationis tenore ineffabilis indubitataque unitatis evidens et grande mysterium? An duæ sunt Ecclesiæ et duo pastores? Absit. Unus est enim *qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II), tollens de medio inimicitiarum parietem in corpore suo. Cur ergo per Petri et Acacii nomina rursus inimica sepis intexitur, quam semel Christi crux, mors et sanguis destruxit, solvit et evertit? Non ergo dividat eos interpositum Petri et Acacii nomen, quos tanti mediatoris pretiosus sanguis univit. Postremo æquum est ut qui alios libenter et competenter vultis habere subjectos, cedatis et ipsi antiquo more majoribus, ut confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certe fuere apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti. Cumque omnes æqualiter spirituali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua urbe vel prima primum et præcipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit, præstans sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur (*Matth.* XVI), omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo qui requieverit, beata et æterna statione gaudebit : qui vero contempserit, ipse videbit qualia genera excusationum in die obtendat judicii. Me enim credo, spero, confido in Christo, quod ab ejus caritate nec tribulatio, nec angustia, nec gladius, nec persecutio, nec vita, nec mors unquam poterit separare (*Rom.* VIII). Incumbat persecutio, sæviant leges, militi Christi gloriosius est mori quam vinci : fraudari præsentium commodis melius quam carere futuris.

EPISTOLA XV.

GELASII PAPÆ AD EPISCOPOS ORIENTALES.

Quod in Acacii aliorumque damnatione synodo nova opus non fuerit, et quod Petrum Alexandrinum absolvere Acacius sine sedis apostolicæ auctoritate non potuerit. Tum de episcopis catholicis sede sua sine discussione dejectis.

Dilectissimis fratribus universis episcopis Orientalibus Gelasius.

* * * * *

[1] Quid ergo isti prudentes viri, et argutis mentibus totius religionis interna rimantes, in Orientis partibus

[1] In ms. codice pervetusto Veronensis capituli, cum quo collata fuit a Francisco Blanchino hæc Gelasii epistola, hoc ejus legitur argumentum : *Incipit de eadem ratione reddenda ad episcopos Orientis.*

constituti, si cognoverunt hujusmodi personam [1] in Antiochena Ecclesia constitutam, cur communicando talibus præbuere consensum? Cur non illico reclamarunt, cur non se a tali contagio removerunt, cum tam [*al.* jam] evidenter adverterent ideo Calendionem depulsum (anno 483) ut hæreticis panderetur introitus? Quare hic [2] nihil de re nihil de fide Christiana, nihil de personarum examinatione tractarunt? Si vero illi eorum se communioni voluntarie subdiderunt, ab apostolica sede certe separati sunt, cum talibus et apud tales, etiamsi esset necesse fieri, nulla posset omnino synodus provenire. Quod si ignorasse se dixerint qualis [3] Antiochiæ post Calendionem successisset antistes, quid mirum, si qui in Oriente positi, quæ in regione sua contigerint scire nequiverunt, ea quæ apud apostolicam sedem gesta fuerant ignorarent? Cur tamen, posteaquam ad eorum notitiam pervenit qualis esset sacerdos apud Antiochiam constitutus, non ejus consortia continuo respuerunt? Quid excusationem de ignorantiæ colore prætendunt, cum hodieque et manifestata contagia perfidorum, et a nobis sæpius exprobrata sectentur? Quo satis apparet, quia ne tunc quidem etiamsi cognoscerent refutarent, quando nunc etiam publicata non renuunt. Prorsus in quamlibet se partem causationemque [*al.* excusationemque] convertant, manifestæ veritatis ita laqueis suffocantur, ut suis ipsi verbis possint actibusque concludi, nec nisi solam perniciem obstinatæ perfidiæ residuam ventilare. Hæc autem, quæ de Calendione venerabili dicta sunt, et in Joannis Alexandrini conveniunt certa ratione personam. Imo, si causa eadem latius inquiratur, tantæ illic tragœdiæ, tanti reperiuntur errores, ut si ipsi sint judices qui eadem perpetrarunt, cum evidenter fuerint confutati, a sui damnatione non temperent. Palam enim illic aperteque monstratur, nihil aliud quam quæsitam causam, quemadmodum, catholico qualicunque depulso pontifice, hæretico Petro reseraretur accessus. Tunc istud nemo discutiebat, synodum nemo poscebat, passim omnia licito fieri a quibuscunque videbantur: nullum discrimen rerum, nulla examinatio postulabatur Ecclesiæ; sed prout de unoquoque venisset in mentem, de suis urbibus catholicus pellebatur episcopus, non solum metropolitanus, sed etiam tertiæ et secundæ sedis antistes [4]. In his nulla rerum vestigatio quærebatur, nulla facienda concilia jactabantur. [5] Subrogantur hæretici, nemo resultabat: sed velut muta pecora in captionem ducta, subditis voluntatibus perfidiam sectabantur. Non mirum quidem, si nunc eos defendere moliantur, quorum indiscussam cæcis [*al.* schismaticis] mentibus secuti sunt [6] utilitatem. Sed miramur cur eos non pudeat

A in istorum damnatione de synodo non facta causari, cum sciant tot tantosque pontifices nulla synodo fuisse depulsos. Si in istorum rejectione de non inito concilio conqueruntur, cognoscant se cur non et hoc in aliorum rejectione quæsiverint, accusari. Si vero in cæterorum rejectione concilia necessaria non fuerunt, nec in istis necessaria fuisse cognoscant. An in catholicorum dejectione non fuit opus, et fuit magnopere congreganda in prævaricatoris damnatione confessi? Quid igitur restat, nisi ut dicant hæreticos non fuisse? Non ergo de synodo conquerantur, qui se palam communionis externæ [*al.* hæreticæ] perhibent sectatores. [7] Cur enim eis synodus necessaria fuisse videatur, qui se contra Chalcedonensem synodum venire cognoscunt, qua Eutychianus error cum

B [8] auctoribus generali Ecclesiæ voce damnatus est? Nec dubium quod sicut in unaquaque hæresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur. Ideoque fit consequens, ut sicut Timotheus atque Petrus talium sectatores, secundum illius tenorem synodi, nulla recenti facta pontificum congregatione damnati sunt: sic et qui Petro communicavit Acacius, ut criminis particeps, ita consors sit factus et pœnæ. Quid igitur ambagibus et nebulis ista prætexunt, ut impudentiam suam, mentemque vesanam inanibus potius fabulis [9] velare lethaliter, quam prodendo medicinaliter sanare contendant? Nihil enim nobis commune cum

C hominibus communionis externæ. Ideo vocatur ad judicium certe quæcunque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Post confessionem porro litterarum tenore depromptam cur ad judicium vocaretur Acacius, qui se confessus est Petro, quem petita sedis apostolicæ præceptione damnarat, communione sociasse: nec ei credi jam externæ communionis effecto, vel pro sua, vel pro illorum, vel pro Petri defensione jam posset, cui se prius miscuerat nefando consortio, feceratque se cum ejus causa sine dubitatione communem? [10] Cui examinatione præmissa, et legitima si ita esset purgatione suscepto, regulariter misceretur. Sed cum eodem nondum legitime discusso atque purgato communione sociatus, quam adhuc reo se miscuit, tam pro

D eodem non habuit loquendi fiduciam. Nam cum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda (Alexandrina) sede posset ferre judicium, [11] non potuit jure quemquam damnare. Simili modo, nisi primæ (Romanæ) sedis auctoritate percepta, nec examinandi Petri jus habuit, nec recipiendi penitus potestatem. Quo regulariter constituto, nec apud nos Petro ullatenus absoluto, quem damnasse nos novi-

[1] Intelligit Petrum Gnapheum sive Fullonem.

[2] Cod. Veron., *nihil de re, nihil de synodo, nihil de fide Christiana.*

[3] Id. cod., *apud Antiochiam post Kalendionem*, et ubique in eodem codice Kalendion scribitur cum K.

[4] Calendio Antiochenus et Joannes Talaia Alexandrinus. LABBEUS.

[5] Id. cod., *subrogabantur.*

[6] Id. cod., *vilitatem.*

[7] Id. cod., *Cur ergo.*

[8] Id. cod., *cum suis auctoribus generalis*

[9] Id. cod., *celare.*

[10] Id. cod., *Qua examinatione.*

[11] Id. cod., *potuit jure damnare.*

mus, examinasse vel absolvisse, nescimus; restat ut illud demonstremus, eumdem Petrum, quem se purgatum communione recepisse prætendit Acacius, nunquam ab hæreticæ communionis contagio cessasse: ac non solum ipso tempore quo [1] ei communicavit Acacius, sed etiam post communionem prævaricatoris Acacii, semper Alexandrinum Petrum in hæreticorum collegio perdurasse. Atque ita et per hunc Acacium perfidæ communionis suscepisse contagium, et per eamdem illis hæreticis, quibus Petrus communicabat, eadem peste conjunctum. Qui præsumpsit non servato ordine Petrum suscipere, nec examinatum eum, nec cognoscitur recepisse purgatum: et ideo præter sedis apostolicæ notitiam, non legitimam sibi ejus receptionem usurpare voluisse, ut examinationem ejus et purgationem posset pro sua voluntate mentiri [*al.* metiri], atque eum nec examinatum, nec reciperet omnino purgatum. Quem si revera vellet examinatum purgatumque recipere, ordinem in ejus examinatione et receptione potius custodisset, [2] ne videretur magis, quam veraciter posset jure [3] purgare. Sicut ergo ante non prius damnavit quam et referret et posceret ab apostolica potestate damnandum: sic et in recipiendo modum servare debuisset, ut priusquam se ei communione misceret, per sedem apostolicam posceret examinari eum, et legitima ratione purgari: cum nec examinandi aut recipiendi eum haberet ipse pontificium, et non nisi per illius sedis auctoritatem consensumque hoc posset implere, sine cujus auctoritate eum non poterat ipse damnare et cujus principali diligentia, et discuti potuit et purgari, et ad communionem convenienter admitti. Cum enim constet semper aut sedis apostolicæ auctoritate hujusmodi personas, aut discussas vel esse purgatas, aut sic ab aliis quibus competebat episcopis absolutas, ut tamen absolutio earum ex sedis apostolicæ consensione penderet: ubi utrumque defuit, nec discussionem legitimam, nec purgationem firmam, ac per hoc receptionem fuisse constat indebitam. Si tu absque mea communione Petrum judicasti esse catholicum, meque despecto tuo eum jure recepisti, quid causeris, si illum ego a communione mea, quam tu voluisti contemptam, tanquam absque tua notitia vel consultatione repulerim? Vis acquiescere? meus es. Non vis acquiescere? non meus es. *Qui enim mecum non est, contra me est; et qui mecum non colligit, spargit* (*Matth.* XII). Quæro abs te, Petrum hæreticum fuisse putas, an catholicum, an ab hæresi postea esse correctum? Si hæreticum, nullatenus eidem communicare debuisti, et eidem communicando, hæretici te manifestum est factum fuisse participem, et ejus consequenter ex synodi tenore veniente damnatione constringi. Si catholicum, palam totius dogmatis es defensor, quod catholicum esse pronuntias. Ac nihilominus illius errore censeri, si hæreticum fuisse definias, sed postea correxisse prætendas, eique te purgato communicasse pronunties. Interim in cujus persona me negligendum esse credidisti, causari non potes quod in hac eadem te ejus persona neglexerim. Deinde cum sine me jus non habueris vel absolvendi vel recipiendi hujusmodi rite personam, nec [4] purgatum legaliter, nec regulariter constat esse. Quam regulariter non [5] acceptam, tam legaliter non constat esse purgatam; et ideo non jure purgatam, quia legaliter non receptam. Mea enim in illum manente sententia, te sine [6] me pontificium, ut meam sententiam resolveres, non habente, qua potestate vel discussus est vel qua auctoritate receptus asseritur? Ecce interim in his causa vestra nutat et labitur [7]; et si hæc sola fuit, prorsus tota subruitur. Sed [8] est adhuc aliud, quod ad cumulum vestræ convictionis accedat. Quid enim si doceatur; non solum priusquam in ejus communionem veniretis, neque tantummodo cum ad ejus communionem venistis, sed etiam postea in hæreticorum nihilominus eum communione durasse: nonne aut per illum apud vos communio perveniebat hæretica, aut in hæreticam communionem vos ejus commercio transibatis? Docete igitur Petrum Alexandrinum ab Antiocheni Petri unquam communione desiisse, et non usque ad diem cum Antiochenus Petrus in hac luce versatus est, individuum utrisque fuisse consortium. An dicturi estis et Antiochenum Petrum fuisse correctum, [9] cui usque in finem se non communicasse gloriabatur Acacius? Sed [10] quod profuit, quod illi per seipsum communicare non voluit, cum eidem per Alexandrinum Petrum sine ulla se communicare putaret invidia? Quid facimus de tot tantisque civitatibus, ex quibus catholici pontifices sunt repulsi? Si catholici subrogati sunt, cur catholici sunt rejecti? Sed evidenter apparet, quia cum catholici sunt rejecti, non catholici sunt subrogati. Restat ut catholicis hæretici quicunque successerint. Cur eis temere communicastis? cur non, ut ista nova facies rerum, et tanta tragœdia de pontificum successione viventium a synodo discuteretur egistis? An de uno dolet Acacio, quod speciali synodo non fuerit confutatus, cum proprium crimen suis litteris ipse detexerit, nec audiri debuerit jam sponte confessus; et de tantis pontificibus catholicis non dolet sine ulla discussione seclusis? Qui utique, si catholicos nossent eos quorum communionem vitaverant, his potius communicare maluissent, quam non communicantes eis dura persecutione depelli. Ecce tanti catholici sacerdotes hoc ipso se indicant, quid apostolica sedes censuerit cognovisse, constan-

[1] Id. cod., *quo et ita communicavit.*
[2] Id. cod., *sed ut videretur*
[3] Id. cod., *purgari.*
[4] Id. cod., *purgatam.*
[5] Id. cod., *receptam.*
[6] Al., *meo pontificio, ut meam sententiam resolveres, jus non habente.* LABBEUS.
[7] Al., *auctoritas: et si hæc sola sint, prorsus tota subruitur.*
[8] Cod. Veron., *sed adducitur.*
[9] Id. cod., *cur usque.*
[10] Id. cod., *quid profuit.*

terque probasse retinendum, quod communionem catholicam reservantes, et eos qui apostolicæ sedi communicarent, elegere consortes; et illos quibus sedes apostolica [1] decreverat minime communicare, usque ad persecutionis incursus [2] renuere consortes. Certe quæ sedes apostolica decreverat, Orientalibus episcopis non innotuisse jactatur. Unde ergo tot tantique pontifices unum idemque cum sede apostolica sentientes, eamque probantes apta religioni sacrosanctæ veraque sanxisse, quæ non solum sequenda sibi [3] judicaverunt, sed etiam usque ad persecutionem viriliter exerenda [*al.* exsecranda]? Ecce habuistis qui apostolicæ constitutionis, et notitiam vobis ingererent, et retinendi constantiam ministrarent, si apostolica sedes misisset, vix duos aut tres dirigere potuerat. Ecce tot pontifices, apostolicæ sedis scita sectantes, ingerunt vobis notitiam, et præbent servandæ veritatis exempla. Qui contra tantos clausistis oculos ibidem constitutos, quomodo duos vel tres audire possetis? Hoc ipso sine dubio cognovistis illos apostolicæ sedi placere, quod vos displicere videbatis. Aut illos ergo sectamini, per quos intelligebatis sedis apostolicæ voluntatem: aut nihil est quod de ignorantia velitis obtendere, cum indiciis tantis et talibus abutentes, sedis apostolicæ constituta, tantis testimoniis prædicantibus, respuere potius quam recipere maluistis. Nunquid omnes isti quos memoravimus episcopi imperatori mentiti sunt [4]? nunquid omnes imperatoris nomen ex diptychis abstulerunt [5]? Cum igitur pellerentur, et vivis pontificibus catholicis successores hæretici crearentur, et non de inferioribus quibusque civitatibus, sed etiam metropolitani pontifices in catholica jugiter communione durantes, [6] cur compassi non estis tantis fratribus vestris? cur non adistis imperatorem? cur non Ecclesiæ causam et sacerdotii miserabilem decolorationem continuatis vocibus deflevistis? allegantes nunquam de pontificibus nisi Ecclesiam judicasse: non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque Ecclesiæ principaliter constitutis pontificibus; obsequi solere principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus judicare. Quibus Ecclesiæ conciliis, qua synodo pellerentur; quid denique commisissent, ut sine ulla discussione rerum, tot Ecclesiarum præsules pro humano libitu et sæcularis potestatis arbitrio pellerentur. Inauditos, indiscussos, [7] convictos non debere percelli. Maxime cum novæ causæ et nova rerum facies appareret, ut rectores isti plebium repentinis incursionibus, pro mundanæ potentiæ voluntate, sacris dignitatibus privarentur. Ex nulla veteri causa, ex nullo collegio reatus, nec participio cujuslibet erroris jam ante damnati, teneri eos convicique consortes, ut tanquam ex præterita definitione judicarentur obstricti. Et ideo, quia nullis ante præcedentibus causis [8] retenti essent, cur ejicerentur, incursus qui illi essent, debere monstrari, et ecclesiasticis legibus, ut semper, oportere constare. Saltem vel pro vestro loco illorum duceretis miseriis consulendum, formidantes in vobis quod in aliis cerneretis præter ullum morem violenter admitti. Si crimine respersi erant aliquo, ecclesiastica debuit examinatione cognosci. [9] Taceam et ad sedem apostolicam ex more deferri, ne nostra privilegia curare videamur. Satis sit ostendere quid secundum regulas et Patrum canones facere debebetis. Præcipue cum etiam ipsæ leges publicæ [10] ecclesiasticis regulis obsequentes, tales personas non nisi ab episcopis sanxerint judicari. Si vero de qualibet hæresi fuerant impetiti, tanto magis eos decuit ista cognoscere, qui et secundum religionis tenorem possent ista discutere, et haberent pristinum, ex quo est Christiana religio, pontificium judicandi. Aut catholici enim erant, aut hæretici, de quibus passim illa ludibria gerebantur, et latrocinia detestanda sæviebant. Si hæretici, prodi, discuti, et legitime convinci modis omnibus debuerant, vel suis confessionibus vel aliorum vocibus confutari. Taceo quia ad nos paterna fuerat consuetudine referendum, tantumque commoneo quid fieri ecclesiastico jure convenerat. Si vero catholici probabantur, vos, qui non solum in eorum depulsione [11] cessistis, sed etiam subrogatis communicare delegistis, indubitanter [12] hæretici. Qui depulsis catholicis [13] secedentibus, non ignorastis causam fidei communionisque catholicæ per tantos antistites toto orbe patefactam; sed plane scientes volentesque, sine ulla discussione rerum, sine ulla synodali examinatione, sine ulla sedis apostolicæ reverentia, assensistis hæreticis; libenter habentes, patienterque sinentes, catholicos antistites inaudita prius et miserabili sorte detrudi. Quos si a fide integra communioneque catholica putaretis errare, ad apostolicam sedem, secundum scita majorum, et sicut semper est factum, referre debuistis: sicut de Petro (Mongo) Alexandrino, vel de Antiocheno Petro (Gnapheo), de (Apameno) Joanne et Paulo fecisse monstratur Acacius. Sed quoniam noveratis eos cum apostolica sede sentire, et quid sedes apostolica sua definitione censeret, per illos tantos ac tales episcopos constat Orientales antistites nullatenus ignorasse, [14] et vos catholicæ atque apo-

[1] Id. cod., *minime communicaret.*
[2] Id. cod., *tenuere.*
[3] Id. cod., *judicaverint.*
[4] Hoc prætextu Joannes Alexandria ejectus an. 481. LABBEUS.
[5] Hoc prætextu Calandio Antiochia ejectus an. 483. LABBEUS.
[6] Cod. Veron., *Cur igitur*
[7] Id. cod., *inconvictos.*
[8] Id. cod., *recentes.*
[9] Id. cod., *Taceo.*
[10] Cod. Theod. de Episcopis cap. 41 et appendicis cap. 15. Item lib. XVI, tit. 2, cap. 23. LABBEUS.
[11] Cod. Veron., *cessastis.*
[12] Id. cod., *hæreticis.*
[13] Id. cod., *succedentibus.*
[14] Id. cod., *et per illos.*

stolicæ communioni prodidisse contrarios, et ab eadem defecisse, cum non illis estis passione conjuncti, sed potius persecutoribus eorum societate connexi. Hic vobis synodus nunquam venit in mentem; et certe de personis, ut dictum est, nulla veteri lege constrictis. Hic nullo consilio, non unius urbis vel unius episcopi, sed totius Orientis Ecclesias, subiit animum vestrum facto sacerdotali concilio debere curari. Sed homines, qui in contrariam partem toto proposito, et toto recesseratis [*al.* recideratis] affectu, concilia potius necessaria etiam studio declinastis, ne per eadem tale aliquid censeretur, quo vobis, rebus evidenter ostensis et legitime confutatis, in hæreticorum non liceret venire consortium. Quid igitur de ignorantia prætenditis, cum per totum Orientem catholicam fidem communionemque sinceram sedi apostolicæ congruentem, non solum cognovisse tot pontifices videbatis, sed etiam usque ad extremum constantissime defendisse? Si nos non audieratis quid de fide et communione catholica atque apostolica censeremus, illos aspicere debuistis, et aut sequi, si credebatis esse catholicos, aut apud apostolicam sedem potius accusare, si credebatis errasse. Quid illos juvat vel suo proposito illam tenuisse sententiam, [1] aut cognoscendo quid sedes apostolica definiret? Aut igitur collegas et fratres de proximo in conspectu vestro, vel catholicos sequi debuistis, vel impetere si credebatis errare; nec illis a quibus nullo discrimine vexabantur, præbere consensum, donec veritas ex omnibus patefacta constaret, et regulariter de eis ecclesiastici judicii forma procederet. Sin vero sedis apostolicæ regulam subsequendo perspiciebatis illos hanc tenere constantiam, consequenter per illos, et quid nostra definitio contineret, non habuistis incertum; et illorum persecutoribus annuendo, a sedis apostolicæ, non ignorantes ejus sententiam, consortio retrocessistis [*al.* vos retraxistis]. Et adhuc dicitis ignorasse vos quid sedes apostolica censuisset, cum ab illis sacerdotibus catholica fide et communione pollentibus, non verbis aut litteris, sed personis præsentibus, didiceritis universa, et ab eadem vos proprio judicio separasse videamini. [2] Dicitis etiam [3] synodum in unius hominis persona debuisse tractari, quam in damnandis tantis pontificibus catholicis non quæsistis. Quibus autem vultis, ut de talium causarum relatione credamus? catholicis an hæreticis? ab omni hæreticorum contagione discretis, an hæreticorum communione pollutis? Quis autem non videat illos esse catholicos et ab omni hæretica peste prorsus alienos, qui propriis urbibus detrusi, et in exsilium sunt redacti: et eos qui superstitibus catholicis successores fieri ausi sunt, catholicos omnino non esse, sed aut

A Eutychianos manifestos, aut eorum sectatoribus communicantes? Hæc pestis apud eos hodieque perdurat. Siquidem et cum Petro Alexandrino, et cum Antiocheno Petro, indifferenter ii qui catholici successerant communione permixti sunt, et successoribus utriusque Petri hodieque miscentur. His adde etiam illos qui, licet catholicis non successerint, sed dum catholici pontifices haberentur, talium se communione junxerunt. Hæc illa mixtura, hæc est illa confusio, qua per Orientem totum inter catholicam hæreticamque communionem nulla discretio est: imo qui discerni tentaverit, potius habetur hæreticus, persecutione percellitur, exsiliis et afflictione multatur. Restat ergo ut in hac colluvione cunctorum, sicut quisquis ab eadem separatus est, sinceræ B communionis et ideo catholicus comprobatur: ita quisquis illius detestandi commercii particeps invenietur, quantum a sincera communione, tantum a catholica atque apostolica sit remotus. Nec prætendat quisquam, quod alicui forsitan evidentiori non communicasset vel communicare videatur hæretico. Quid enim juvat, si illi non communicet, et his tamen communione [4] jungitur, qui ab illius non sunt communione diversi? Quod si eorum nulli communicavit, vel non omnino communicat, hic erit ille sinceræ, catholicæ, apostolicæque communionis et fidei, alioqui nullo modo poterit indiscretæ illius mixtionis insincerum vitare contagium. Hoc modo etiam ille vir bonus Acacius Antiocheno Petro, cui se palam non communicare jactabat, per alios sine C ambiguo communicasse detegitur. Neque enim ab omnium, qui Antiocheno Petro communicabant, semet Acacius communione suspendit. Ac per hoc quid profuit, quod videri volebat illi palam non communicare, cui per suos complices subsicivæ [*al* sub signo] communionis nectebatur? Alexandrino Petro communicavit Acacius. Sed donec advixit Antiochenus Petrus, qui utique post Acacianum cum Petro Alexandrino fœdus initum defunctus ostenditur, nunquam Antiocheno Petro Alexandrinus Petrus communicare desiit. Quod catholicorum continet relatio sacerdotum, cæterorumque [5] in catholica durantium, nec conscientiam latere potest totius Orientis. Et ut taceam, quod per ipsum Zenonem imperatorem, qui utique Antiocheno Petro, quem introduxe- D rat, et cujus sacerdotium comprobaverat, sine dubio communione permixtus, communicabat Acacius, plurimos diversarum urbium præsules possumus demonstrare, quibus cum Antiocheno Petro communicantibus nihilominus communicabat Acacius, et per illos Antiocheno communicabat consequenter et Petro. Sed hæc apud Græcos facilis et inculpabilis putatur esse permixtio, apud quos nulla est veri fal-

[1] Id. cod., *an cognoscendo.*

[2] Hic in cod. Veronensi inseruntur ea quæ protulit cl. Maffeius in sua præfatione ad supplementum Acacianum, tom. VII, pag. 1069. Sed cum eadem omnino legantur in epistola Gelasii ad Dardaniæ episcopos non solum in editione Labbeana sed etiam in Quesnelliana, ac in eodemmet Veronensi codice, in quo solo hic repetitur, illa potius epistolæ ad Dardanos adjudicarem.

[3] Id. cod., *Et adhuc dicitis synodum.*

[4] Id. cod., *jungatur.*

[5] Id. cod., *in catholica fide.*

sique discretio; et cum omnibus reprobis volunt esse A communes, in nulla monstrantur probitate constare. Hic autem ille est Petrus Antiochenus, quem nec per pœnitentiam ad communionem catholicam recipi etiam a sede apostolica poposcit Acacius. Ac per hoc [1] queruntur a nobis Acacium fuisse damnatum; cum hac professione præmissa, et [2] per infectos Antiocheni Petri recepta communione, se doceatur ipse damnasse. Ubi tamen non solum reus tenetur Acacius, sed omnes pontifices Orientales, qui pari modo in hæc cecidere contagia, meritoque simili damnatione [3] tenentur obstricti, nec inde possint ullatenus expediri, nisi dum supersunt a talibus abstinendo. Nec nos oportet in talibus causis nisi illis credere, qui aut omnino se sciunt ab hujus perfidiæ nexibus divino beneficio servare discretos, aut his qui a per- B fidorum consortio recesserunt. Nam in perfidorum contagio constitutis, quam fidem pro sinceræ communionis testificatione possumus adhibere, qui [4] in sincera communione sunt [5] polluti? Nec eorum testimoniis niti pro veritate poterimus, qui impugnare non verentur [*al.* nituntur] falsitatibus veritatem. Restat ut non nisi illis credere debeamus qui ab omni contagione sunt liberi.

EPISTOLARUM GELASII PAPÆ DECEM FRAGMENTA.

(Ex Collect. canonum card. Deusdedit.)

Gelasius Cælestino episcopo.

(Lib. I, cap. 141.)

In ecclesia beati martyris Eleutherii, quæ in Ilistoniensium civitatis parochia probatur esse constructa, Julianum diaconum, si nil in eo est quod C contra canonum veniat instituta, presbyteri honore decorabis : sciturus eum visitatoris te nomine, non cardinalis creasse pontificis.

Idem Sabino episcopo.

(Ibid.)

Quartum defensorem diaconum sibimet consecrari populus Grumentinæ civitatis exposcit. Hunc ergo, si nil est quod ejus personæ possit opponi, diaconii provectione decorabis : ut noverit tamen dilectio tua hoc se delegantibus nobis exsequi visitatoris officio, non potestate proprii sacerdotis.

Gelasius Quinigesio et Constantino episcopis, inter cætera.

(Lib. IV, cap. 56.)

Felix et Petrus Ecclesiæ Nolanæ clerici contuma- D citer et contra constitutum rebelles ad comitatum filii mei regis putaverunt esse properandum, dicentes sibi vim fuisse generatam, tacito clericatus officio : et auctoritate promerita contra civilitatem redemptis sibi barbaris suprascriptum episcopum suum gravibus injuriis et dispendiis affecerunt. Proinde necessarium fuit ut ad eumdem dominum filium meum supradictus frater noster Serenus episcopus convolaret, ostensaque fraude secundum beatitudinem temporum suorum vir præcellentissimus filius meus Theodoricus rex ad nostrum contumaces clericos remisit examen.

Gelasius Victori episcopo.

(Lib. III, cap. 95.)

Dudum de Sanctæ Agathæ basilica, quæ in Calano fundo olim noscitur constituta, processionem sub nostra consultatione suspenderas, asserens possessionis dominum omnia quæ illi conferebantur accipere, et suis usibus applicare; nec illic posse ministrorum Dei aliquos ad processionem venire, cum nulla illic alimenta susciperent. Sed nuper vir spectabilis Petrus noster nobis rationabiliter intimavit, hoc quod in culpam venerat se taliter ordinasse, ut universa quæ in Ecclesia supradicta diversorum fuerint oblatione collata, ad episcopum aut ad eum cui basilicam deputaverit, universa pertineant : ita ut ex hoc compendio sarta tecta ecclesiæ procurentur. Et ideo frater saluberrimæ dispositionis professione suscepta, processionem supradictæ ecclesiæ te convenit ordinare.

Gelasius Respecto et Leonino episcopis.

(Lib. III, cap. 99.)

Joannes archidiaconus Faleriónensis urbis eversionem ecclesiæ ab eo qui præsulis nomine censetur effectam grandi nobis supplicatione conquestus est; ita ut se videlicet de loci sui administratione dejecto, iter sibi liberum ad depopulandas facultates aperiret ecclesiæ. Nam ministeriis et ornatu pro sua voluntate distracto, prædium etiam paternum, quod in alimoniam clericorum decessor ejus reliquerat, velut proprium suis utilitatibus vindicavit : obviantemque supradictum archidiaconum, cæterosque complures, qui pariter reclamabant, ab ordinibus suis credidit excludendos. Et ideo, fratres carissimi, Divinitatis intuitu Ecclesiæ causam summa attentione trutinantes, omni veritate discussa, de compertis cita nostris auribus relatione signate; ut perspecta instructione diligentiæ vestræ quid fieri debeat censeamus.

Gelasius Justo et Stephano episcopis.

(Lib. III, cap. 97.)

Frater et coepiscopus noster Proficuus Salpinæ sacerdos Ecclesiæ petitorii nobis insinuatione suggessit, Brumarium spectabilem virum, cum nullis exstantibus causis servum ecclesiæ gravissima cæde mactasset, tunc etiam ad augendam violentiæ suæ pervicaciam supradictum antistitem gravissimis contumeliis affecisse. Et ideo, fratres carissimi, si a vobis admonitus ad judicium vestrum inquisitionemque convenerit, veritate discussa unde tantus superbiæ spiritus aut violentiæ conceptio fluxerit, quidve fuerit quod pontifex tanta laceraretur insolentia, nostris auribus relatione signate. Aut si forte simili præsumptione contempserit, potestatem sibi supradictus pontifex noverit esse concessam, quatenus apud ju-

[1] Id. cod., *quid queruntur.*
[2] Id. cod., *per anfractus.*
[3] Id. cod., *teneantur.*
[4] Id. cod., *in insincera.*
[5] Id. cod., *positi.*

dicem provinciæ atrocium injuriarum quærat propositione vindictam.

Gelasius Majorico, Sereno et Joanni episcopis.

(Lib. III, cap. 98.)

Qui et humanis legibus incivili temeritate caicatis, et reverentia religionis abjecta, vel ecclesiastica privilegia calcare contendunt, vel ubilibet in pauperum prosilire dispendium, nec hujusmodi saltem commoniti convictique nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta sancire, merito divini muneris sunt participatione privandi : ut hujus perceptione ne careant, quod sacrilegis ausibus habuere despectui. Quapropter Dionysii, qui sicut vestræ textus relationis ostendit, non solum Vibonensis Ecclesiæ jura turbare, sed etiam repensare, quod nequiter admiserant, respuerunt, sacræ communionis arceantur accessu, donec quæ honori divino competunt discant devota mente deferre. Contra quos etiam quidquid publicis legibus agi poterit, minime negligatur. Ut qui utrumque tempserunt utrisque cohibiti, tam sibi quam cæteris præbeant quod necessaria disciplina poscit exemplum. Cœlestinus vero presbyter fratris et coepiscopi nostri Sereni qui contra pontificale judicium, contraque apostolicæ sedis mandata prorumpens supradictis communionem sacram ministrare præsumpsit; cum non potuerit ignorare sententiam proprii sacerdotis, ab officio protinus ecclesiastico pellatur. Ut nullus Ecclesiæ ministrorum contra pontificalia instituta venire contendat.

Gelasius Joanni episcopo Pisano.

(Lib. III, cap. 99.)

Ecclesiastica ministeria, quæ unicuique basilicæ fidelium devotio deputavit, ad aliam ecclesiam nullo debent surripiente transferri. Et ideo, si hujus juris portitoris petitio veritate subsistit, calicem quem decessor tuus abstulit, ecclesiæ cujus fuit restitue sine intermissione.

Gelasius Natali episcopo.

(Ex Anselm. lib. VI, cap. 39.)

Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam ecclesiarum jura turbare, ac privilegia quæ metropolitanis vel provincialibus episcopis decrevit antiquitas, temeraria præsumptione pervadere; propter quod etiam communionis apostolicæ desiderant tenere dissidium, quo scilicet ab ejus auctoritate divisi velut impune proprias usurpationes exerceant : non respicientes quod æterno judici rationem tam de catholicæ sinceritatis injuria, quam de traditionum præjudicio paternarum non sine perpetuæ sint damnationis interitu reddituri. Si in hac obstinatione permanserint, caritatem tuam duximus instruendam, nos pariter ad metropolitanos vestræ provinciæ, sive cujusquam contiguæ, quæ catholicam servant unitatem, magnopere delegasse, ut A obeuntes episcopos in eadem regione metropolitanus suus debeat ordinare; eumdemque ipsum metropolitanum, si humana morte transierit, non nisi comprovinciales episcopi juxta formam veterem studeant ordinare; quatenus quæ veneranda decrevit antiquitas nullus sibimet contra fas usurpare contendat.

Gelasius clero, ordin. et plebi Brendesii.

(Ex Anselm. lib. VI, cap. 46.)

Concesso vobis quem petistis antistite fratre jam et coepiscopo meo Juliano, necessarium fuit eodem ad ecclesiam suam mox remisso ad vos nostra scripta pariter destinare; quibus agnosceretis eidem fuisse præceptum, ne unquam ordinationes præsumat illicitas. Ne bigamum et qui virginem non est sortitus uxorem, atque illiteratum vel obnoxium, B in aliqua parte corporis debilem, notatumque modis omnibus ad sacros ordines permittat accedere. Quod etiam de peregrinis atque incognitis vel expetentibus cavere debebit; quia hujusmodi a venerabilibus prohibentur officiis, ac nihil ex ministeriis atque ornatu postremo de quacunque re quam constat ad ecclesiam pertinere, audeat in alterum qualibet ratione transferre. Reditus et oblationes fidelium in quatuor partes dividat, quarum sibi unam ipse retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quarum rationem divino est redditurus examini. Sacris quoque ordinibus applicandos hac observatione promoveat, ut jejunio quarti, septimi et decimi mensis vespere sabbati presbyteros atque diaconos ordinandos esse C cognoscat. Venerabilis etiam baptismi sacramentum nisi in festivitate paschali et Pentecostes tradere non præsumat, exceptis ægritudine laborantibus.

[1] GELASII TOMUS

DE ANATHEMATIS VINCULO.

Acta Chalcedonensis concilii ea tantum rata quæ sedes apostolica approbavit; justa quæ in Acacium statuta; et Petrum Alexandrinum a sede apostolica solummodo potuisse absolvi.

[4] Ne forte quod solent, dicant, quod si synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant quæ illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse. Cognoscant igitur illud secundum Scripturas sanctas traditionemque majorum, secundum canones regulasque Ecclesiæ, pro fide [2] communi, et veritate catholica et D apostolica, pro qua hanc fieri sedes apostolica delegavit, factamque firmavit, a tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ sedes apostolica gerenda nullatenus delegavit, [3] mox a vicariis sedis apostolicæ contradicta, manifestum est; quæ sedes apostolica, etiam petente

[1] In vetustissimo codice Frisingensi iste tractatus legitur, et in eo pariter incipit ab his verbis : *Ne forte quod solent.* Titulum autem hunc præfert : *Tomus de anathematis vinculo papæ Pelasii* (sic).

[2] Ms. codex Veronensis capituli, cum quo collatus est a Francisco Blanchino hic tractatus, hic legit, *pro fide communione*, etc.

[3] Id. cod., *quæ mox a vicariis.*

[4] Abruptum principium tomi imo potius deesse principium credibile est.

Marciano principe, nullatenus approbavit; quæ præsul Ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatolius, nec se præsumpsisse professus est, et in apostolicæ sedis antistitis non negavit posita potestate: quæ ideo, sicut dictum est, sedes apostolica non recepit, quia quæ privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione [1] sustinet. Quid enim? Quia in libris sanctis, quos utique veneramur et sequimur, quoniam quorumdam illic et profanitates esse feruntur, et scelera gesta narrantur, ideo nobis pariter aut veneranda sunt, aut sequenda, quia in illis sanctis libris et venerabilibus continentur. Sanctus Petrus primus apostolorum, sic existimans Novi Testamenti gratiam prædicandam, ut a legis veteris non recederet institutis, quædam per simulationem legitur inter Judæos gentilesque gessisse. Nunquid ideo aut illa ejus sequenda sunt, quæ merito et coapostolus ejus facta redarguit, postea consequenter ipsa vitavit, pariterque assumenda sunt cum his quæ (ut pote primus apostolus) salubria prædicavit? Nunquidnam aut ejus recta doctrina cum his quæ humanitus acciderant repudianda est, aut illa adhuc imbecillis inscitia, cum perfecta ejus suscipienda est doctrina? Nunquidnam in ipsorum hæreticorum libris non multa quæ ad veritatem pertineant posita releguntur? Nunquidnam ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi [2] pravitas inest, refutantur? Aut ideo pravi libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ illic inserta est, non negatur? Ait Apostolus: *Omnia probate; quæ bona sunt tenete* (*I Thess.* v). Scimus Apostolum (*Act.* XVII) etiam de paganorum libris aliqua posuisse. Nunquid ideo etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter sunt prolata? Ipse Apostolus (*II Cor.* xv) ait multos prædicatores aliter atque aliter Christum prædicare, ubi licet quocunque modo, Christum prædicatum oportet admitti, tamen non ideo illum morem, quo non recte prædicatum est, non admonet evitare. Malos operarios ipse conqueritur (*Philipp.* I), quorum alia refutanda, alia docet esse sectanda. Hæc et hujusmodi exempla nos edocent, et testimonia divina confirmant, non omnia passim a quocunque dicta, vel ubicunque scripta, indifferenter accipere, sed retentis bonis, quæ noceant refutare. Peccatori homini mors illata est, et tamen homini Jesu Christo mors illata reum fecit esse diabolum: quia ubi causa mortis non erat (puta peccatum) non debebatur et pœna. Sententia præfigitur, vel præfixa est semper errori. Quæ sententia huic errori præfixa, nunquam omnino resolvetur. Sicut enim, in quantum est ipse error, nunquam error esse desistit, sic a sententia præfixa nunquam resolvetur, quia error qui agnoscitur esse damnatus, et eadem quandiu manet error, probatur astrictus. Itaque qui in eo errore sunt, sententia erroris obstricti sunt; et quandiu in eo manent, nullatenus absoluti sunt, sicut nec ipse [3] in quo sunt error absolvitur. Error enim ipse nunquam veniam promeretur; sed qui eo veraciter caruerit, atque ab ejus participatione discedit. Quandiu ergo in eis est, error damnationem suam tenet, nunquamque resolvitur, quia error semper pœnam meretur. Participes vero ejus, aut semper sunt et ejus pœnæ participes, si in eodem perstare non desinant: aut si ab eodem recesserint, quam alieni facti sunt ab errore, et ab ejus participatione discreti, tam et pœnæ ejus erunt consequenter alieni. [4] Cui erranti pœna præfigitur, quandiu manet errans, eadem pœna constringitur; quia errans esse non potest sine pœna errati. Hæc eadem pœna perpetua est, nunquamque solvenda quandiu errans esse perstiterit. Qui si errans esse destiterit, pœna, quæ erranti est præfixa perpetua, non erranti, id est alteri effecto quam cui præfixa est, non solum non potest esse perpetua, sed nec esse jam pœna. Non est enim ipse cui præfixa est. Erranti enim præfixa est, non non erranti. Quæ enim erranti præfixa perpetua est, et perpetuo constringit errantem, non errantem non potest jam tenere. Sit erranti dicta fore perpetua, sit erranti dicta nunquam esse solvenda. Manet omnino et vere, certumque est, quod [5] in ea præfixum est; nec potest prorsus absolvi, quandiu manenti præfixa debetur erranti. Non erranti autem nec pœna potest esse, quæ non erranti non debetur inferri. Nec mutatur illa omnino nec solvitur quæ debetur erranti. In suo ergo tenore illa præfixa est, in suo jure non potest omnino resolvi; in non suo tenore, quæ esse non potest, jam docetur esse vacuata: et jus illic penitus non habere, ubi causam non habet existendi. Plenæ sunt sanctæ Scripturæ tali forma justitiæ. Dicitur: *Pereant peccatores a terra, ita ut non sint; peccatores ut desistant esse peccatores. In hoc pereant, ut esse deficiant peccatores* (*Psal.* CCCIII). Cæterum si prorsus peccatores, secundum prophetæ sententiam, usquequaque deperirent, ut substantialiter non subessent: qui salvari potuissent a Redemptore nostro, qui *venit non justos vocare, sed peccatores* (*Luc.* v)? vel de quibus dicit Apostolus: *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* (*I Tim.* I; *Rom.* v)? et: *Cum peccatores essemus, misit Deus Filium suum* (*Galat.* I), et cætera hujusmodi? Hic revera plurimi etiam substantialiter perierunt peccatores, in peccatis suis utique permanentes, veraque in eis sententia dicta permansit, nunquamque resoluta est; et tamen eadem in talibus, quibus præfixa est, permanente perpetua, quodam genere factum est, ut in talibus non usquequaque manentibus, id est, in peccatis suis non usquequaque durantibus, sent ntia tamen præfixa talibus permaneret. Nam et ipsi pereunt; sed esse peccatores, ut dictum est, non pœnaliter, sed remedialiter, quodam et ipsi genere perierunt; quodam genere et in ipsis mansit præfixa sententia, donec permanens eos efficeret non esse

[1] Id. cod., *subsistunt.*
[2] Id. cod., *pravitatis interest.*
[3] Id. cod., *in quo sunt errores, absolvitur.*
[4] Id. cod., *Cum.*
[5] Id. cod., *in eo.*

peccatores, vel peccatores non esse perficeret. Completa est et in eis sententia, [1] nec quo tenore peracto permanens illa sententia pereuntibus peccatoribus, ita ut non essent utique peccatores. At ea jam in non peccatoribus manere non potuit, quia in eis quibus inflicta non fuerat jus manendi penitus non habebat. Ita nec in suo jure vel tramite ullatenus sententia resoluta est, et eadem in his quibus inflicta est, permanente, ab his qui ab ejus jure discreti sunt, aliena prorsus effecta est. Nec in his, salva sui conditione, fas haberet manendi, quibus inflicta non erat. Dixit Dominus, quod in Spiritum sanctum peccantibus, nec hic esset nec in futuro sæculo remittendum (*Matth.* XII).

Quantos autem cognoscimus in Spiritum sanctum delinquentes, sicut hæreticos diversos, Arianos, Eunomianos, Macedonianos, ad fidem catholicam revertentes, et hic remissionem suæ percepisse blasphemiæ, et in futurum spem sumpsisse indulgentiæ consequendæ? Nec ideo non vera est Domini sententia, aut putabitur esse ullatenus resoluta, cum circa tales, si hoc esse permaneant, nunquam omnino solvenda persistat, effectis autem non talibus non irrogata. Sicut etiam est consequenter et illud beati Joannis apostoli: *Est peccatum ad mortem: non dico ut oretur pro eo; et est peccatum non ad mortem: dico ut oretur pro eo* (*I Joan.* V): est peccatum ad mortem, in eodem peccato manentibus; est peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus. Nullum est quippe peccatum pro quo aut non oret Ecclesia [2] remittendo, aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem non possit absolvere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur: *Quæcunque dimiseritis super terram, dimissa erunt et in cœlis; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI, 18). In quibuscunque omnia sunt, quantacunque sint, et qualiacunque sint: veraci nihilominus eorum manente sententia, [3] quæ nunquam solvenda esse denuntiatur: in eorum tenore consistens, non etiam ab hoc eodem post recedens. Quod etiam in Acacii sententia rationabiliter intuendum est, in qua etiamsi ei dictum est, nunquamque solvendus, non est adjectum tamen, etiamsi resipueris, etiamsi ab errore discesseris, etiamsi prævaricator esse destiteris. Quapropter in aperto est ita dictum, nunquam solvendus, sed talis, scilicet, qualis est et ligatus, non autem talis effectus qui sicut ligandus non erat, sic absolutus esse docebatur. Sicut carebat obligatione, cum obligationis causa caruisset: sic utique absolutus existeret, quatenus et ipse non necessitate dictæ sententiæ videretur non posse quodammodo jam solvi; [4] nam talis effectus et obligatione carens, fieret absolutus, et circa tales præfixa sententia nullo modo [5] insolubilis redderetur. Nunquid enim misit, quæsivit, expetiit, et abjectus est? Itaque ipse in se insolubilem fecit esse sententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non posset absolvi; et noluit talis effici, circa qualem, permanente sententia circa tales, effectum non talem insolubilis sententia non maneret, quæ circa effectum non talem non haberet licentiam permanendi. Quo magis (ut dictum est) exemplo atque periculo admoniti, qui eodem tenore sunt constricti, festinare debent ut non tales esse permaneant quibus sententia illa non solvenda præfixa est, et esse tales incipiant qualibus non insolubilis præfixa sententia possit esse solubilis. Quoniam autem effecto non tali quali non solvenda præfixa sententia est, effecto, inquam, non tali, potest solubilis esse sententia; quia jam Acacio, non volenti non talem esse, sicut tali usque in finem permanenti, permansit in absoluta sententia: ita jam non tali effici non volenti solubilis non potest esse sententia. Nonne tantos habebat Acacius quorum exemplum sequi potuisset, antistites, qui, in Ephesino prolapsi latrocinio, quolibet modo in consensionem reciderant pravitatis? Utique tamen (etsi dictum non erat) et perpetuam damnationem ferre potuissent, nisi resipiscentes, et non tales effecti quales illi facti fuerant, damnationemque perpetuam merebantur, resolvi circa se damnationem, recedentes a perpetuæ damnationis causa, [6] meruissent: quam qui perstitere circa se insolubilem reddiderunt. Nihil interest igitur, nihil differt, utrum dicatur nunquam solvendus, an non dicatur: quia ecclesiastica sententia reos et prævaricatores obligat; quia sicut ei non potest suffragari quod non est dictus nunquam solvendus, sed si in errore permanserit insolubilis modis omnibus perseverat, nec potest inde nisi non talis effectus absolvi; sic cuiquam præjudicare non potest, tametsi dictum est nunquam esse solvendum, manifesta ratione monstrante quia nunquam sit omnino solvendus, si talis qualis ligatus est esse persistat, vel talis utique nunquam solvendus qualis est obligatus. Non adjecto autem, etiamsi resipiscat et corrigat, patere prorsus et liberum esse non dubium sit, ut non talis effectus qualis nunquam dictus est esse solvendus, sed talis qualis non est dictus nunquam esse solvendus, id est, correctus et emendatus, consequenter correctus et possit solvi. Notandum quod quolibet genere blasphemantibus in Spiritum sanctum, si resipiscant et corrigant, et hic eis et in futuro sæculo remittatur; nec inde possit Domini nutare sententia, quæ circa tales utique permanentes permanere dicta est, non circa non tales effectos. Quandiu autem in hoc manent, tales sunt qualibus non remittendum esse præfixum est. Cum autem ab hoc recesserint, non tales efficiuntur qualibus non remittendum esse prædictum est. Et ideo non talibus effectis potest et hic et futuro sæculo [7] non re-

[1] Hic subesse mendum videtur, cui medelam non afferunt mss. HARDUIN.
[2] Id. cod., *remittendum.*
[3] Id. cod., *qua nunquam.*
[4] Id. cod., *non talis effectus.*
[5] Id. cod., *Solubilis.*
[6] Id. cod., *meruerunt.*
[7] Id. cod., *jam remitti.*

mitti. Alioquin (quod absit) frustra videretur Ecclesia hujusmodi sua reconciliatione suscipere. Quia autem frustrari non potest, hoc intellectu modis omnibus, salva Domini sententia, prædicandum est, quantum ad nos pertinet, omnino [1] posse. Talis igitur dictus est Acacius, qualis ligatus est nunquam esse solvendus. Talis usque in finem esse permansit, talis esse non destitit. Ita talis est hodie qualis est [2] dictus. Non talis esse jam non potest, nunquam igitur talis permanendo solvendus est : qui si talis esse desisteret, nec in non tali permansisset, et nunquam esse solvendum, quia non talis qualis dictus est nunquam esse solvendus, posset absolvi, et non tali nunquam solvi recederet; et ideo ut solvi posset accederet. Quod sedes apostolica non consensit, nec imperator imposuit, nec Anatolius usurpavit. Totumque (ut dictum est) in sedis apostolicæ positum est potestate. Ita quod firmavit in synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem : et sola rescindit quod præter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum : non promulgatrix iteratæ sententiæ, sed cum apostolica sede veteris exsecutrix. Hoc tamen, quod de uno eodemque homine dictum est, sive tali persistente qualis sententiam competenter accepit, sive non tali effecto, [3] et illa sententia, quæ non tali non dicta est absoluto, et in unaquaque civitate legitur, similiter esse præfixum, et populo ac gente simul depromptum potius, quæ in toto orbe portio est.

Idem enim mundus est, qui et periturus est dictus, et sermo Dei non potest excidere, et in ipso mundo nihilominus a pravis intentionibus recedente non promitur. Sic Tyrus et [4] Berytos, et Gaza (*Jer.* XLVII), et Ægyptus (*Jer.* XLIV) pronuntiatæ sunt perituræ, quas postea per Evangelium novimus (*Luc.* X) esse salvatas. Perierunt itaque duplici modo : aut permanentes in eo quo talem sententiam susceperunt; aut deficientes ab eo quo tales fuerant, et incipientes esse quo non tales fuerant : quibus est illa præfixa sententia, ut consequenter ad non tales non pertineret illa sententia quæ non talibus præfixa non fuerat : sic etiam de gente Judæorum a Deo etiam per Isaiam prophetam peremptorie veluti pronuntiatum est : *Claude oculos eorum et* [5] *obtura aures eorum et videntes non videant, et audientes non audiant, ne quando intelligant ; et obdura cor populi hujus, ne unquam convertantur, et sanem illos* (*Isai.* VI). Hic etiam correctio et emendatio interdicta monstratur, et resipiscendi quoque spes prorsus abscinditur. De quo tamen populo apostolos [6] et Ecclesiam primitivam novimus processisse, [7] et millia hominum una die baptismate fuisse salvata (*Act.* II). Ecce et in persistentibus qualis est illa sententia promulgata permansit, nec ad correctionem prorsus venire sanitatis admissi sunt, sed adjudicati sunt in sua nequitia deperire, et, manente divina sententia, non per ipsorum propriam emendationem, suoque intellectu vel motu, suaque virtute vel possibilitate conversi sunt, ut sanarentur, sed per gratiam Dei sanati sunt, ut converterentur. *Ne convertantur*, inquit, *et sanem eos*, ne sua sponte, ne suis operibus, quibus utique confidebant, ne suam justitiam sectantes, justitiæ Dei non debeant esse subjecti, de suis viribus confidentes, non divinæ se misericordiæ illuminationique subdentes. Et ideo inhibetur eis superbæ præsumptionis effectus, *ne convertantur* suis intentionibus, suis nisibus, ut putarant; *et sanem eos*, ne eorum quasi meritis ex propria facultate venientibus salvatrix gratia daretur, atque ita gratia jam non esset gratia, si non gratis data esset immeritis, sed merces tanquam meritis restituta. Non ergo *ipsi convertantur, et sanem eos :* sed sanati per gratiam, qualiter ad humilitatem Christi convertantur agnoscant. Ita in utrisque, hoc est, et in eo permanentibus in quo talem sententiam perceperunt, et in salvatis exinde sententia dominica fixa permansit, et tamen illa permanent ; sic eis miro genere sanitas introducta est, ut illa sententia non mutata videretur : sed eadem perdurante, sanitas non illorum confidentia, sed divino munere proveniret. Quod si hæc tentare formidant, nec ad suæ pertinere cognoscunt modulum potestatis, cui tantum de humanis rebus judicare permissum est, non etiam præesse divinis, quomodo de his per quos divina ministrantur judicare præsumunt? [a] Fuerint hæc ante adventum Christi, ut quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti pariter reges existerent, et pariter sacerdotes. Quod S. Melchisedech fuisse sacra prodit Historia (*Genes.* XIV). Quod in suis

[a] Insinuat hoc loco Gelasius Christum Redemptorem nostrum, regem atque pontificem secundum ordinem Melchisedech, politicam potestatem quam in terris repererat, conservari certisque limitibus circumscribi voluisse, ne se rebus sacris immisceat; statum vero ecclesiasticum a politica potestate ita distinguit, ut tamen ecclesiasticæ jurisdictioni in his quæ sunt ad Deum subjiciat. Patet ex epistola ejusdem Gelasii ad Anastasium imperatorem, qua sic ait : *Nosti enim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis.* Et paulo infra de ipso Romano pontifice hæc subjungit : *Et si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto magis sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit præminere, et subsequens Ecclesiæ generalis pietas celebravit?* Viderint ergo novantes nostri temporis hæretici, qua ratione Gelasium pontificem de quadripartita bonorum Ecclesiæ divisione scribentem, una ac possessiones ejusdem Ecclesiæ defendentem, harum rerum turbatorem esse tuantur. Istas actiones, de quibus Apostolus II ad Timot. II : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, sacerdotibus interdixisse non negamus. Quæ vero sint ista, diversis canonibus super est explicatum. SEV. BINIUS.

[1] Id. cod., *non posse.*
[2] Id. cod., *est et dictus.*
[3] Id. cod., *est ab illa sententia.*
[4] Id. cod., *Beryton.*
[5] Id. cod., *Obdura.*
[6] Id. cod., *apostolos Ecclesiam primitivam.*
[7] Id. cod., *Et tot.*

quoque diabolus imitatus est, ut pote qui semper quæ divino cultui convenirent sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit, ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator pontificis nomen imposuit, nec pontifex regale fastigium vindicavit. Quamvis enim membra ipsius, id est, veri regis atque pontificis, secundum participationem naturæ magnifice utrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, ut simul regale genus et sacerdotale subsistant : [1] attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret dispensatione magnifica [2] temperans, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi; ut et Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur, quatenus spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus : et ideo *militans Deo, minime se negotiis sæcularibus implicaret* (*II Tim.* II); ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus, ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Quibus omnibus rite collectis, satis evidenter ostenditur a sæculari potestate nec ligari prorsus nec solvi posse pontificem. Quo manifestius approbatur Alexandrinum Petrum per imperialem tantummodo sententiam nullo modo potuisse prorsus absolvi; ubi si pontificum quoque socialur assensus, quærimus utrum præcesserit, an fuerit subsecutus. Si subsecutus est, [3] nihilominus ad id reditur, ut absolutio sæculari potestate præcepta et principaliter inchoata valere non possit, pontificumque secutus assensus adulationis potius fuerit, quam legitimæ sanctionis. Si præcessit, doceatur a quibus et ubi ille sit gestus, si secundum Ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus. Ubi procul dubio requirendum est si synodali congregatione celebratus, quod in receptione damnati, et depulsione catholici, quia [4] nova est causa, fieri debuisse certissimum est; si ad primam sedem, cujus intererat sententiæ, qua Petrus tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiæ regulas est relatum; si eadem quæ ligavit absolvit; si illa [5] quæ ligaverat non resolvente, imo etiam nesciente, potuisset dissolvi. Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu Alexandrinus Petrus prætenditur absolutus, cum nec a pontificibus legitime et ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nec a sæculari potestate potue-

A rit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolvi? Sed dicatur forsitan : Non imperator absolvit, sed a pontificibus poposcit absolvi. Tanto magis poscenti imperatori a pontificibus fueral suggerendum, ut si eum legitime vellet absolvi, legitima ecclesiastici tenoris absolutio proveniret, et hæc omnia quæ superius dicta sunt secundum Ecclesiæ tramitem servarentur : præcipue cum de secundæ sedis ageretur antistite, nec ab inferiore qualibet, sed a prima sede jure possit absolvi. Inferior quippe potiorem absolvere non potest : sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci pontifices, qui nullatenus se noverant potiorem sibi sine prima sede posse resolvere, præcipue quem ejus sententia noverant obligatum, prævaricatoria absolutione potius non

B illum penitus exuerunt, sed se prævaricatione potius nexuerunt. Ita Petri absolutio ex utroque non constat, quia nec prævaricatoria absolutione rei reum absolvere potuerunt, et depulsis undique pontificibus catholicis, hæreticisque suppositis, vel his qui hæreticorum tenebantur communione polluti, etiam sacræ religionis insinceritate polluti, participem suum tam absolvere nequiverunt, quam ipsi non erant absoluti; ac proinde tam ecclesiasticæ regulæ prævaricatores, quam sacrosanctæ communionis integritatem maculantes consortio perfidorum, quod de reo simillimo potuerunt ferre judicium? De catholicis enim pontificibus per totum Orientem aut quicunque perstitit, est ejectus : aut ille restitit, qui consensit errori, et se ab errantium contagio non retraxit.

C Quod igitur eorum potuit de cujusquam errore esse judicium, qui nusquam non errasse monstrantur, et, hæreticorum simul catholicorumque confessione permixta, [6] cunctas religionis veræ et sinceræ [7] sedes turbasse, catholicamque apostolicamque confudisse puritatem? Ecce qui reum absolvere potuerunt, qui rei præ omnibus docebantur effecti. Ecce cum quibus de absolvendo reo synodus fuerat ineunda. Si fides et communio catholica retinebatur, cur catholici pellebantur antistites? Si catholici pellebantur antistites, quomodo non tantummodo hæretici servabantur? [8]

GELASIUS PAPA I

ADVERSUS ANDROMACHUM SENATOREM CÆTEROSQUE ROMANOS QUI LUPERCALIA SECUNDUM MOREM PRISTINUM COLENDA CONSTITUEBANT.

D *Damnat Lupercalium superstitiosam celebrationem : et non ex Lupercalium intermissione, sed ex sceleribus Romæ mala contigisse probat.*

Sedent quidam in domibus suis nescientes neque quæ loquantur, neque de quibus affirment, de aliis judicare nitentes, cum se ipsi non judicent, et velint prius accusare quam nosse, ac docere quam discere, et indiscussis rebus, nec investigatis causis, nec re-

[1] Id. cod., *quoniam*
[2] Id. cod., *temperavit.*
[3] Id. cod., *si subsecutus est, et imperiali sententia, e qua nihilominus.*
[4] Id. cod., *noviter.*
[5] Id. cod., *quæ non ligaverat resolvente.*
[6] Id. cod., *Cuncta*
[7] Id. cod., *se turbasse.*
[8] In cod. Frising. vetustiss. in fine hujus scripti legitur : *Explicit Tomus S. Gelasii papæ contra eos qui dicunt Acacium injuste fuisse damnatum.*

rum ratione quæsita, quod eis ad buccam venerit inconsideranter effundere, et præcipitanter evomere; non veritatis assertione prolata censentes, sed studio cacologiæ quæ nesciunt arguentes: eoque progressi sunt ut etiam recte facta malevolentiæ proposito lacerare contendant; qui si saperent, non præcipitarent omnino sententiam, sed perscrutatis ante rebus loquenda depromerent. Verum quia nos arguunt segnes esse censores in vitiis Ecclesiæ coercendis, et a nobis consequenter agnoscant non tantum corporalis adulterii esse peccatum, quod et discuti debeat, et jure puniri, sed esse longe majus fornicariis et adulteris genus, quod in quolibet Christiano, quia membrum omnis Christianus Ecclesiæ est, competenter debeat vindicari; tanto enim sacrilegii majus est crimen, quanto animæ fornicatio pejor est corporis; nam per animæ fornicationem ab ipsius Dei conjunctione disceditur, atque ad immundos spiritus spiritalis adulterii genere transitur. Quomodo autem non in hanc partem recidit qui cum se Christianum videri velit, et profiteatur, et dicat, palam tamen publiceque prædicare non horreat, non refugiat, non pavescat, ideo morbos gigni, quia dæmonia non colantur, et deo Februario non litetur? Video ubi hæc deliramenta compererit. Quomodo prævaricator non est qui in has blasphemiæ profanitates incurrit? quomodo sacrilegus non æstimetur qui, abjurata unius Dei providentia et potestate quam confessus est, ad prodigiosas superstitiones et vana figmenta seducitur? secundum Apostolum longe deterius reus, jureque damnandus, confessam veritatem deserere, quam si in eam nullatenus credidisset; quamvis enim ridiculosa sint figmenta quæ proferat, tamen ipse affectus et voluntas in crimine est, et professio ac prædicatio jure damnanda; ac per hoc qui in alium sententiam damnationis vult sine dilatione proferri, in quo alium judicat, semetipsum se condemnare cognoscat. Nunquid enim pontifex vindicare debet in eos qui adulterium corporale committunt, et in eos qui sacrilegium, id est fornicationem et adulterium spirituale gerunt, non debet vindicare? Nonne ipse Dominus, cum adultera ad eum esset adducta, accusantibus dixit: *Si quis vestrum sine peccato est, primus in eam lapidem mittat* (*Joan.* VIII). Non ait, si quis vestrum non similiter adulter est, sed, *si quis sine peccato est*: quolibet ergo obstrictus quisque peccato in alterius peccati reum lapidem non audeat mittere. Quibus tunc pro sua conscientia discedentibus mundi Salvator adjecit: *Mulier, ubi sunt accusatores tui? nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo; sed vade, ulterius jam noli peccare* (*Ibid.*): tenes et teneris; urges, urgeris; obstringis, obstringeris; pontificis discussionem flagitas, vindictamque deposcis. Memento in adversum omne crimen esse proferendum. Nunquid non etiam leges humanæ dicunt, quod reus reum facere non possit? *Festucam vides in oculo fratris, et in tuo trabem non vides* (*Matth.* VII)? qui mœchos accusas, adulterium facis, et corporales adulteros spiritualis adulter incessis? certe discussionem poscis: homo diligens, maturus, religiosus, non vis aliquem in Ecclesia peccare, peccantem cupis discuti et pœnæ consequenter addici; quæcunque in alium promis et in te proferre cogeris; hoc enim facit ne segnitia pontificis accusetur et maculetur Ecclesia. Debet ergo et pontificis in omnibus malefactis sollicitudo et severitas non deesse, et ab omnibus Ecclesiæ fama purgari. Sed dicas forsan te laicum, illum Ecclesiæ ministrum; ergo gravius crimen exaggerans. Verum dicis, nec ego diffiteor: tanto sollicitius examinandus est, quanto magis propinquus est; tanto magis reus est, quanto in illo ministerio constitutus, et hæc facere minime debuisset. Ecce censura non deest: audi tu, et si convictus fuerit, vindictæ consequenter addicitur. Age modo quid vis de te? Nunquid quia in ministerio sacro non es, in plebe sacra non es? An nescis et te membrum esse summi pontificis? An ignoras totam Ecclesiam sacerdotum vocitatam? postremo si ille reus est qui accedens ad ministerium Ecclesiæ delinquit, nunquid et tu reus non es, qui post confessionem veritatis ad prava et perversa et profana et diabolica, quibus te renuntiare professus es, figmenta reduceris? Itaque etiam tu post blasphemias palam publiceque profusas a sacro corpore modis omnibus abstinendus es. Non potes enim mensæ Domini participare et mensæ dæmoniorum; nec calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum. Nec potes templum Dei esse et templum diaboli: lux simul et tenebræ in te convenire non possunt. Viderim utrum urges, atque compellas in alio maleficio vindicare. Tu tamen sceleris tui pondus non potes declinare: et quanto in alio transire crimen non pateris impunitum, tanto quid etiam in te pro rerum ratione facere debeamus ostendis. Verumtamen in ipsis blasphemiis tuis quibus es jure plectibilis, imperitiam tuam evidenter agnosce, et sicut ait ille: Voluntatem habere te mentiendi, artem fingendi non habere; cum sic te intelligas malum habere affectum, perversumque apostatandi propositum, ut tibi materia prorsus vanitatis illius nulla suppeditet, nec possis astruere quod corde concipis, et ore depromis. Dic mihi, cum sæpenumero in Romanis historiis legatur, Livio auctore, sæpissime in hac urbe exorta pestilentia infinita hominum millia deperisse; atque eo frequenter ventum, ut vix esset unde illis bellicosis temporibus exercitus potuisset ascribi; illo tempore Deo tuo Februario minime litabatur, an etiam cultus hic omnino nil proderat illo tempore quo Lupercalia celebrabantur? Nec enim dicturus es hæc sacra adhuc illo tempore non cœpisse, quæ ante Romulum ab Evandro in Italiam perhibentur allata. Lupercalia autem propter quid instituta sunt, quantum ad ipsius superstitionis commenta respectant, Livius in secunda decade loquitur. Nec propter morbos inhibendos instituta commemorat, sed propter sterilitatem, ut ei videtur, mulierum, quæ tunc acciderat exhibendam [*forte* exigendam]: proinde si vel ad hoc

ipsum aliquid hoc valeret, hoc intermisso, non morbus acciderit contra quem Lupercalia reperta non sunt, sed feminæ nequaquam generare debuerant, pro quarum fecunditate concinantur inventa. Quid dicturi estis de peste, de sterilitate, de bellorum tempestate continua; nunquid et hæc propter sublata Lupercalia contigerunt? Si autem non propter ista vel vitanda, vel curanda, Lupercalia sunt provisa, quid inani turbatione jactamini? quid Tuscia, quid Æmilia, cæteræque provinciæ, in quibus hominum prope nullus existit, ut bellica necessitate consumeretur, Lupercaliorum fecit offensio, quæ longe ante vastatæ sunt quam Lupercalia tollerentur? Quando Anthemius imperator Romam venit, Lupercalia utique gerebantur, et tamen pestilentia tanta subrepsit, ut toleranda vix fuerit. Nunquid per Campaniam Lupercalia gerebantur, quæ sublata morbos illic et pestilentiam procrearent? Sed dicturi estis ad Romam tanquam ad caput omnia pertinere, et quod hic factum non est, diversis provinciis ad eam pertinentibus obfuisse. Cur ergo antequam ad Romam istæ provinciæ pertinerent, præter Lupercalia propriis opibus floruerunt? ut sterilitas sit continuata terrarum Lupercalia sublata fecerunt, an nostrorum merita peccatorum? de quibus olim dictum est, et quidquid Romani meruerant perdere mores, sterilitas certe feminarum debuit provenire, propter quam auferendam Lupercalia instituta jactantur, non sterilitas terrarum, propter quam Lupercalia non sunt instituta, removenda. Quid in Africa, unde sterilitas; quid in Galliis? Lupercalia ista fecerunt, an nostri mores, furta, homicidia, adulteria, injustitiæ, iniquitates, ambitiones, cupiditates, perjuria, falsa testimonia, oppressiones miserorum, bonarum causarum impugnatio, malarumque defensio, et in omnibus inaudita perversitas; postremo, quod supra omnia est, Deo fictæ mentes et sacrilegia, artesque magicæ etiam paganis horrendæ? Ecce quæ faciunt omnia adversa, et inimica nobis, non Lupercalia, quæ sunt pro vestra salute sublata. Sed quid dicitis vos ipsi qui Lupercalia defenditis, et agenda proponitis? Vos eadem pretiatis, vos eorum cultum celebritatemque vilem vulgaremque redditis. Si ostensio Lupercaliorum nobis adversa procuravit, vestra culpa est; qui quod vobis singulariter prodesse putatis, negligentissime, et non longe impari cultu et devotione ea ducitis celebranda, quam profanitatis vestræ celebravere majores. Apud illos enim nobiles ipsi currebant, et matronæ nudato publice corpore vapulabant. Vos ergo primi in Lupercalia commisistis: satius fuerat non agere quam ea cum injuria celebrare; sed deduxistis venerandum vobis cultum, et salutiferum quem putatis, ad viles trivialesque personas, abjectos et infimos. Si vere ergo profitemini hoc sacrum, ac potius exsecramentum, vobis esse salutare, ipsi celebrate more majorum, ipsi cum amiculo nudi discurrite, ut rite vestræ salutis ludibria peragatis. Si magna sunt, si divina, si salutifera, si in his vitæ vestræ pendet integritas, cur vos pudet per vos ipsos A talia celebrare? si pudet et dedecus est, itane salutiferum est et divinum profuturum, quod vos ipsi dedecus esse fateamini? Nemo religionem profitetur, quam per se exsequi prorsus erubescit et refugit; ipsa verecundia vestra vos doceat crimen esse publicum, non salutem, et non Divinitatis cultum, de quo sapiens nullus erubescit, sed instrumenta pravitatum, quibus mens vestra contra semetipsam testimonium ferens, quod gerendum profitetur, erubescit implere. Castores vestri certe, a quorum cultu desistere noluistis, cur vobis opportuna maria minime præbuerunt, ut hiemis tempore venirent huc navigia cum frumentis, et civitas inopia minime laboraret? an diebus sequentibus hoc futurum est æstatis, a Deo constitutum beneficium est, non Castorum vana persuasio? Dicite nobis nec Christiani, nec pagani, ubique perfidi, nusquam fideles, ubique corrupti, nusquam integri, qui tam utrumque tenere non potestis, quam sibi utrumque contrarium est. Dicite, inquam, Lupercaliorum patroni, et revera Divinitatis ludibrii, et cantilenarum turpium defensores, digni magistri vesaniæ, et qui non sine causa sana capita non habetis, digni hac religione, quæ obscenitatum et flagitiorum vocibus celebratur: videritis ipsi quid vobis salutis impendat, quæ tantam moribus labem perniciemque proponit. Nec est quod dicatis potius hæc agendo, et facinora uniuscujusque vulgando, deterrere a talibus commissis animos, et pudore refrenari, ne de his publica voce cantetur, C quando, sicut ille ait, non tam deterrere quam admonere animos hæc ludibria videantur, et sicut ille dixit: Iram atque animos a crimine sumunt; eo impudentiores effecti, quo crimine publicato, expositaque verecundia, nil superest omnino quod pudeat, nec habet quod metuat publicari, sed jam se fiducialiter exerat, qualis in propatulo, non per coercitionem, sed potius per quamdam lætitiam et celebritatem nominum decantata est quælibet illa persona, imo et religione se præstare confidit; ut sint, unde nominum solemnia celebrentur, quæ nisi criminum decantationibus non coluntur. Dicite nobis itaque qui voluntatem profanitatis habetis, cujus causas asserere non potestis, qui tuendæ habetis propositum falsitatis quam defendere non potestis; quid dicturi estis D de siccitate, de grandine, de turbine, de tempestatibus, variisque cladibus, quæ pro morum nostrorum qualitate proveniunt? Nunquidnam et hæc omnia pro sublatis Lupercalibus contigerunt, an in malis moribus castigandis meritis retributionibus inferuntur? Sed non mirum est homines non judicio divino velle ista contingere, sed vanæ superstitionis incursu; quibus sua crimina et malefacta cooperiant, auctoritatem cœlis, sidera perhibent adhibere et fatalem induci errorem, necessitatemque peccandi, facinoraque sua non de cordis proprii perversitate procedere, sed cœlo auctore pendere. Proponite igitur pro quibus aut submovendis malis, aut promerendis bonis Lupercalia vestra fuerint instituta, et videamus quæ illa bona provenerint, cum Lupercalia ge-

rerentur, et quæ mala successerint cum Lupercalia viderentur ablata. Figite gradum, ad quod vestrum excidium dicatis hæc prodigia fuisse reperta, digni qui monstrum nescio quod pecudis hominisque mixtura compositum, sive vere, sive false editum celebretis. Si propter pestilentiam submovendam, ut antiquiora prætereeam, ecce antequam meis temporibus tollerentur, pestilentiam gravem tam in Urbe quam in agris hominum pecudumque fuisse non dubium est; si pro sterilitate jactatis, cur in Africa vel Galliis ista contingunt, ubi nec fuerunt aliquando Lupercalia, nec constat fuisse sublata? Cur nunc Oriens omnium rerum copiis exuberat et abundat, qui nec celebravit unquam Lupercalia, nec celebrat? An dicitis illic nocere ubi per plurima sæcula fuerant celebrata et repente sublata sunt? Videamus ergo si his temporibus quibus dicitis agitata et rite, ac plena sui, sicut vobis videtur, devotione completa sunt, nunquam fames, nunquam pestilentia prorsus exstiterit: si vero sæpenumero his cladibus ad extremum periculi ventum est, apparet his malis submovendis nihil Lupercalia profuisse, etiam eo tempore quo, sicut dictum est, ut putatis, competenti ordine gererentur; sic de singulis quibusque necessitatibus, propter quam dixeritis fuisse provisum. Si constiterit etiam illis non desiisse, vana hujus remedii convincitur esse præsumptio. Verumtamen cur non hoc etiam nunc experiamini, utrum valeant aliquid etiam rite celebrata? et vos per ludibria ista discurrite vestrorum more majorum, ut divinam rem, et salutarem vobis, ut dicitis, devotius celebrando, saluti vestræ prospicere magis magisque valeatis. Nunquid cum hæc celebrarentur, a Gallis Roma non capta est, et sæpenumero ad extrema quæque pervenit? Nunquid bellis civilibus sub hac celebritate non concidit? Nunquid Lupercalia deerant quando Urbem Alaricus evertit? Et nuper cum Anthemii et Ricimeris civili furore subversa est, ubi sunt Lupercalia? cur istis minime profuerunt? certe divinum est: si salutare vobis, cur non per vos ipsi ut majores vestri ista faciatis? Cur causas vestræ salutis minuitis? cur decoloratis? cur eliditis, cur ad vilia quæque deducitis? quid imputatis nobis, cum ipsi remedia vestra calcetis? Satius est et non tentare quam contumeliose peragere: majores certe vestri, si vitiose (uti illis videbatur) sacrum aliquod celebrassent, instaurandum esse docebant. Cur non quod ad vitiosum cultum redegistis, per indignas quasque id exsequendo personas, competenti instauratione reparatis, ut causas vestræ salutis plenius perfectiusque tractetis? cur vos pudeat agere, si salutare est? Si divinum, quod tractasse sit dedecus? Sed inquis vel imaginem ipsius rei non debere moveri. Si prodest, si salutare est, cur imago potius apud vos, et non ipsa sit veritas? aut si certe nec tunc profuit, quando ritu integro, sicut dicitur, tractabatur, quid quæritis ejus imaginem, cujus nec ipsam profuisse cernitis veritatem? Sed dicitis tot sæculis rem gestam non oportere secludi. Nihilominus multis temporibus paganitatis superstitio ventilata est. Sacrificetur in templis dæmonum, et in capitolio profana vanitas celebretur. Cur portionem defenditis et quæ majora sunt præteritis? Si plurima genera vanitatum multis acta sæculis probantur esse sublata, cur portio, quantovis tempore ventilata, non possit auferri? Si temporibus præscribitur, imputate majoribus vestris, qui cum hac temporis præscriptione non usi sint, posse quod superfluum est et debere removeri, dum plura et majora submota sunt, indicarunt. Sed dicis etiam Christianis temporibus hæc fuisse; sed etiam illa aliquandiu Christianis quoque temporibus celebrata sunt. Nunquidnam quia sub primis præsulibus Christianæ religionis ablata non sunt, ideo sub eorum successoribus tolli minime debuerunt? Multa sunt quæ a singulis pontificibus diverso tempore sublata sunt noxia, vel abjecta. Non enim simul omnes in corpore curat medicina languores, sed quod periculosius conspicit imminere; ne aut materia corporis non sufficiat medicinæ, aut pro conditione mortali simul omnia non possit avertere. Quære quale sit unde agis: si bonum est, si divinum, si salubre, merito quandocunque tolli non debuit: si nec salubre, nec divinum, causandum tibi magis est cur tardius auferatur quod superstitiosum constat, et vanum, quod certe Christianæ professioni non convenire manifestum est. Postremo quod ad me pertinet, nullus baptizatus, nullus Christianus hoc celebret, et soli hoc pagani, quorum ritus est, exsequantur. Me pronuntiare convenit Christianis ista perniciosa et funesta indubitanter existere. Quid me incusas, si quod profitemini inimicum esse, a consortibus professionis Christianæ pronuntio submovendum? Ego certe absolvam conscientiam meam: ipsi videant, qui justis admonitionibus obedire neglexerint: quod etiam prædecessores meos forsitan fecisse non ambigo, et apud imperiales aures hæc submovenda tentasse: et quia auditos esse non constat, dum hæc mala hodieque perdurant, ideo hæc ipsa imperia defecerunt, ideo etiam nomen Romanorum, non remotis etiam Lupercalibus, usque ad extrema quæque pervenit. Et ideo nunc ea removenda suadeo, quæ cum nihil profuisse cognosco, tanquam contraria veræ religioni, noxia potius exstitisse pronuntio. Postremo si de meorum persona præscribendum æstimas prædecessorum, unusquisque nostrorum administrationis suæ redditurus est rationem, sicut etiam in publicis dignitatibus fieri providetis. Ego negligentiam accusare non audeo prædecessorum, cum magis credam fortasse tentasse eos ut hæc pravitas tolleretur, et quasdam exstitisse causas et contrarias voluntates, quæ eorum intentionibus præpedirent, sicut ne nunc quidem vos istos absistere insanis conatibus velle perpendimus.

GELASII PAPÆ I
ADVERSUS PELAGIANAM HÆRESIM *.

Demonstrat hominem non vivere sine peccato, et dictum

* Hunc Gelasii tractatum cum editione Mansi diligenter collatum damus, in multis tamen intricatum et perobscurum, ut ipse lector facile sentiet. Edit.

apostoli: Vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem (*I Cor.* VII), etc., *mysteriumque resurrectionis declarat.*

De Pelagianis quidem sensibus blasphemiisque sacrilegis, et apud majores nostros tam divinis quam humanis legibus justa discussione damnatis, nimis est copiosa materia; quia et illorum est multiplex perniciosa perversitas, eoque nocentior, quo verisimilitudinis colore subtilior, quam de ipsius humani generis principe, pravo funestoque commento, non rite conceptam rerum consequentium mendaciis texuerunt. Necesse est enim ut qui a principio deviarit ab integro tramite, vagus ubique progrediens, quanto se currere fortius putet, tanto plus erret; et in his ut competit refutandis disputatio prolixa debeat adhiberi: quoniam quidem perfectæ medicinæ mos est originem vel intelligere prius vel reserare morborum, eisque patefactis medelam conficere congruentem; quæ cuncta, si Dominus vitam facultatemque tribuerit, in quantum cœlesti rore vegetati valebimus, alias moliemur explicare. Nunc autem hunc articulum, qui quosdam movere perhibetur, sufficienter interim duximus explicandum; ut eodem convenienter inspecto, quod in cæteris cavere jam debebant, Domino Deo nostro præstante perpendant. Æstimant igitur quidam in hac vita posse quemquam hac perfectione consistere, ut nullis prorsus fragilitatis humanæ pulsetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris; quod quisque si propriis viribus, suæque proposito voluntatis existimet adipisci, semetipsum seducit, et veritas in eo non est: nam si in ipsis primis hominibus, dum sua nimirum felicitate confidunt, et tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nusquam fecisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent suppliciter implorando, incolumes constare nequiverunt: quanto magis post prævaricationis ruinam, in quam mala sui confidentia, creatorem nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, absque divino munere suis viribus vel ægri, vel stare non possunt, sine quo nec integri persistere valuerunt. Sin vero quisquam non possibilitate facultatis humanæ, sed per divinam gratiam hoc asserat in vita quibuslibet sanctis posse conferri, bene quidem facit (nam dono Dei cuncta possibilia sunt) talia confidenter opinari, et sperare fideliter. Sed utrum aliqui tales exstiterint, qui usque ad hanc perfectionem vitæ præsentis accederent, sicut nusquam evidenter astruitur, sic nos facile vel firmare vel impugnare non convenit, magisque sobrium est ex ipsorum vocibus prophetarum, apostolorumque sanctorum quatenus hujus vitæ profectum metiri debeamus agnoscere, quibus utique in hoc mundo, quantum ad sanctæ vitæ pertinet institutum, nihil excellentius vel fuisse, vel esse, manifestum est: qui etiamsi copiosiore Dei munere vel raris omnino, vel minimis humanæ conditionis passionibus impetiti sunt, et affluentiore Dei gratia mortalitatis vitia facile superarunt; non usque adeo tamen expertes eorum se fuisse testantur, ut scilicet ullius immacu-

A lati Agni sit proprium nullum prorsus habuisse peccatum, ne non soli videatur esse deputandum, si alius quilibet sanctus expers delicti fuisse credatur. Contenti simus ergo professione sanctorum; et quid de se ipsi magis pronuntient audiamus, quam quid vel temere cogitandum sit, vel nostris opinionibus ventilandum sine certa auctoritate sectemur. Cur autem cum Deus omnipotens post mysterium reparationis humanæ etiam id homini conferre potuerit, ut ab omnibus omnino vitiis esset immunis, maluerit fideles suos salvos fieri, et exspectare perfectæ beatitudinis firmitatem, ut quod sperando desideramus, rebus possimus adipisci; censueritque nunc perficere in infirmitate virtutem, quam remotis infirmitatibus humanam conditionem nulla sineret languoris exagitatione pulsari.

B Quantum Dominus ministrarit, ut competit, dissereretur Scripturarum testificationibus, contra quarum tenorem nihil est temere profitendum super his sensibus erudiri. Constat in ipso primo homine Christum et ecclesiam figuratam, beato Paulo apostolo nos docente, cum de fœdere sancti conjugii loqueretur: *Sacramentum hoc*, inquiens, *magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Itaque jam inde ut sanctorum quisque processit, in hujus sacramenti figuratione censitus est; et hoc mysterium omnes sancti ab Abel suis sacrificiis actionibusque gesserunt. In Christo ergo et in Ecclesia, in qua utique generaliter præcondita est remissio peccatorum, fideles quique Deo sancteque vixerunt, et usque
C ad legis tempora per Moysen datæ certis sunt sacrificiis in hujus mysterii virtute purgati. Quapropter si eguerunt omnes mysticis immolationibus incessabiliter expiari, non dubium est vitiis humanæ conditionis fuisse pulsatos; a quibus eos per illa remedia futuri sacramenti necessarium esset incessanter absolvi. Jam vero legis tempore neminem fuisse sanctorum qui non hostiam obtulerit pro peccato, lectio veneranda testatur: in tantum ut etiam pontifices sic apud Deum causas agerent populi tunc fidelis, ut ipsi quoque pro suis delictis hostias immolarent, passimque universi prophetæ proclament peccatis suis veniam postulantes. Inde est quod sanctus Job dicit: *Nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram* (*Job*, XV): idemque alibi: *Astra non sunt munda in conspectu tuo.* Prophetæ
D quoque David de generalitate sanctorum certa definitio prolata cognoscitur, quæ ait: *Ne intres in judicium cum servo tuo: quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII); ubi utique neminem prorsus hominum discrevisse perspicitur, sicut idem planius hoc ipsum loquens manifestiusque declarat: *Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati cordis mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno* (*Psalm.* XXXI). Qui utique non solum sub lege sanctus esse, sed in futura Dei gratia eminentioris propositi post futurus. Unde quod ait *In tempore opportuno*, non sine rerum venturarum cognitione subjunxit etiam et in oratione sua sapien-

tissimus Salomon: *Non est homo qui non peccavit;* et item ipse: *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato* (*Eccl.* VII)? Sed ne putentur illorum temporum sancti ab hac impassibilitate forsitan excipiendi, quoniam concessis a Deo conjugibus utebantur, quamvis et beatus Elias passibilis fuisse memoretur, quemadmodum consequentia declarabunt: et S. propheta Daniel non solum pro populi, sed et pro suis peccatis perhibeatur orasse, sicut ipse dicit: *Cum orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Domino Deo meo* (*Dan.* XIX); tandem veniamus ad beatos apostolos, et dicat beatus ille Jacobus, qui cum omnes utique justi essent apostoli, proprie atque specialim justi viri prærogativam legitur assecutus: *Beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam* B *vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* I). Et item post paululum: *Unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Item idem: *In multis enim offendimus omnes.* Idemque secutus adjunxit: *Et Elias homo erat similis nobis passibilis* (*Jacob.* III). Dicat beatus Petrus apostolus: *Carissimi, rogo ut quasi incolæ et advenæ abstineatis vos a corporalibus voluptatibus, quæ militant adversus animam* (*I Pet.* II); et iterum: *Nolite mirari ad fervorem, qui ad tentationem vobis fit; quasi novi aliquid vobis contingat* (*I Pet.* IV). Item postea: *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, quasi leo fremens, circuit quærens quem devoret; cui resistite in* C *fide* (*I Pet.* V): scientes easdem passiones in omni quæ est in mundo fraternitate vestra fieri, a qua fraternitate nimirum se ipsi fidelium sæpe cunctorum fratres annuntiant, nec suam probantur discrevisse personam. Dicat beatus Joannes apostolus et evangelista ille qui in pectore discubuit Salvatoris: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, quia veritas in nobis non est; quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate* (*I Joan.* I). Item quod *si dixerimus quia non peccavimus, mendacem faciemus eum, et Verbum ejus non erit in nobis* (*I Joan.* II). Dicat idem: *Hæc scribo vobis ut non peccetis. Sed si quis peccaverit,* D *advocatum habemus apud Patrem justum, et ipse propitiatio peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed et totius mundi* (*Ibid.*). Item ipse: *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi, quæ non est a Patre, sed ex mundo est; et mundus transit, et concupiscentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Domini, manet in æternum* (*II Cor.* XII). Veniat minimus apostolorum, sed Vas electionis Dei; veniat magister gentium Paulus prædicator divinæ gratiæ singularis, et mysterii cœlestis copiosus expositor, ille qui verba ineffabilia sive in corpore sive extra corpus nesciens in tertium cœlum levatus audivit: qui tanta gratia redundavit, ut cum omnium esset

A postremus, plus omnibus laboraret, et qui non solum fidelibus insinuet quid super hac parte sentiret, sed etiam quid de se ipso pronuntiet, libere veritatis doctor annuntiet. Et quoniam longum est cuncta quæ ad hanc causam pertinent dicta revolvere, ponantur pauca de multis, ex quibus nobis sufficientissime demonstretur, magis nos cum Paulo debere infirmari, ut habitet Christus in nobis, quam cum quolibet aliter sentiente quam Paulus fortes videri, et velut (quod absit) Christi remediis non egere. Ait ergo: *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum; nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio: non enim quod volo hoc facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII). Item: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, ac captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Ibid.*). Quare se igitur miserum hominem appellat? quare se gaudet per Christi gratiam de mortis corpore liberari, si nullis affectibus humanæ miseriæ pulsabatur, si nullis infestabatur, ex quibus liberaretur incursibus? Item idem: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem: hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæ vultis illa faciatis. Non enim quæ vult spiritus perficit, ne de perfectione superbiat* (*Gal.* V); et idem: *non perficit caro quæ vult*, ut sic humanæ conditionis admoneat.

Ne tamen usquequaque propositum fidele demergat; ac ne forsitan, ut solent quidam vanis opinionibus arbitrari, quod hæc B. apostolus Paulus sub alterius nescio cujus persona pronuntiet, quam de seipso fateatur; quamvis nihil illic tale valeat prorsus ostendi, tamen cum ait: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum*, tam gentilis, quam Judæi remota probetur esse persona; audiamus tamen hunc alibi, quasi sese manu propria designantem ac semetipsum specialiter indicantem: *Ego ipse mente servio legi peccati* (*Rom.* VII); et item de seipso: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne qui aliis prædico, ipse reprobus efficiar* (*II Cor.* IX). Quis igitur non advertat quid interesse potuerit quod membra sua castigando refrenaret, ne reprobus existeret, si nullis talibus stimulis pulsaretur, quod negligendo, et non corporis sui castigatione subigendo, reprobus esse potuisset? Quapropter cum hæc et apostoli de semetipsis professi fuisse monstrentur, qui etiamsi ista minime prodidissent, procul dubio tamen omnes orationem dominicam et necessario prædicarent, et veraci corde proferrent, qua quotidie supplicantes dimitti sibi sua debita postularent, et ne in tentationem inducerentur orasse, et ut a malo liberarentur suppliciter implorasse doceantur, propter quod etiam B. Joannes apostolus, quod supra jam dictum est, intelligitur edidisse, dicens: *Si dixerimus nos pecca-*

tum non habere, mendacem faciemus eum (I Joan. I), Christum scilicet, qui hanc orandi formam suis discipulis condidisset, in qua vel quotidiani debiti relaxatio proveniret, et ne in tentationem inciderent implorarent, vel ut a malo liberarentur exposcerent, si nihil esset omnino quod aut debitum prægravaret minime relaxatum, aut tentatio posset inferri peccati, aut nullum a quo liberarentur malum prorsus existeret. Sic autem quosdam movet surripiens illusio dormientium, quasi non gravior æstimata sit concupiscentia vigilantium. Quamvis enim et insolentia corporalis frequentius refrenanda sit vel castigatione jejunii, vel ciborum frugalitate sumptorum, ne materia præbeatur humanis sensibus phantasticæ voluptatis imaginatione fallendis, vel magnis hoc de miseratione divina sit precibus implorandum, ut ab illecebrosis visionibus sopitæ mentes reddantur immunes: tamen sive hæc incontinenter agentibus sive viventibus continenter eveniant, certe si quis est, minor reatus est nescientium, quam carnalis operis appetitu palam aperteque cupientium. Denique licet non parvo Dei munere potiatur quisquis aut nullis talibus, si fieri potest, aut perraris pulsatur insidiis, nusquam legimus in culpam vocari phantasmata somniorum, sed plane ipsius Domini voce non ignoramus esse depromptum quod *quisquis mulierem viderit ad concupiscendum, eamdem sit suo corde mœchatus* (*Matth.* v), ubi consequenter reatum subesse non dubium est. Ideoque tam jugi supplicatione, quam eleemosynis, cæterisque bonis actionibus expiandum est. Non enim vacat mysterio, quod dictum est omnia per eleemosynam posse mundari, cum ait Dominus, dum de internis externisque figuraliter purificationibus loqueretur: *Verumtamen quod superest, date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* II). Sed etiam illud quod *caritas cooperiat multitudinem peccatorum* (*II Pet.* IV), ut scilicet quidquid insinceritate corporis et mentis attrahitur, rationalis pietatis opere deleatur. De beatis autem, sicut supra jam diximus, apostolis, tantum debemus nosse quæ ipsi de sua conversatione sentiri propriis vocibus ediderunt. Quæ vero tacita sunt ab eis, nulla nobis relinquetur licentia perscrutandi. Sed jam diligentius vestigemus, cur post reparationem quoque generis humani, renovationemque naturæ, quæ fit per baptismatis sacramentum, non solum hæc vitia sublata non fuerint, sed ipsos etiam in magnæ continentiæ proposito constitutos sive minus, sive amplius, prout quisquis gratia divina dispensante profecerit, tamen infestare non desinant, cur relicta sint contra quæ mens religiosa pugnaret. Et licet jam salvati per fidem spem redemptionis acceperimus, adhuc tamen exspectetur, sicut ait Apostolus, redemptio corporis nostri, et cum mysteriis cœlestibus jam renatis pignus sit adoptionis ingenitum, perficienda deinceps sustineatur adoptio, ut scilicet deficientibus iisdem vitiis contra quæ nobis in hoc tempore continua dimicatione (*sic*) ab hac necessitate liberati, quod fide suscepimus, quod spe proposita sustinnimus, ipsarum rerum desideratis affectibus assequamur, quatenus hac incursionum peste prorsus exuti, tranquilla semper sanctificatione vivamus, quod in illa futura beatitudine promittitur esse complendum, cum, sicut ait Apostolus, *corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem* (*I Cor.* XV), atque animale corpus spiritualem sumpserit dignitatem. Igitur dubium non est superbiam super omne esse peccatum; quippe de qua scriptum est: *Initium omnis peccati superbia* (*Eccle.* X). Quod tantum malum est, ut singula prave facta in hoc ipso quia prava sunt censeantur esse damnanda, solaque sit superbia quæ et in benefactis periculosa doceatur: hæc est quæ non tantum animal rationale in terris positum constare non sinit, sed angelicam quoque dejecit infesta naturam. Nam cum Deus omnipotens, qui fecit omnia bona valde, cuncta suis modis et congruis ordinibus instituta condiderit, eaque propriis concesserit vel manere, vel proficere posse mensuris; hic rationabili creaturæ subrepsit affectus, qui per id, quod decentius facta consisteret, plus ei de propria dignitate, confidere, quam sicut modus ejus poscebat, de ipso collatore dignitatis ingessit, atque ita aliter appetendo sui culminis firmitatem, quam competens ejus decens norma requireret, fecit eam præter ordinem naturalem cupiendo fastigium meriti potioris erumpere, qui excessus utique sicut reatum intulit excedenti, sic justitiam Conditoris, contra cujus ordinem tendebatur, offendit; et dum ab eo tenore cessatur quo solo proficeretur ad summi boni perenne consortium, consequenter, qui ad ejus stabilem participationem pervenire non posset defectus accessit, sicut creaturæ rationalis usibus congruebat. Non angelos ad profectum conditos promerendæ stabilitatis æternæ illa res indicat, quoniam si facti essent ut ulterius nihil egerent, nulla pars eorum ullum potuisset habere defectum: non enim in eis diversam naturam fuisse dicendum est, ne ille, qui propria voluntate prolapsus est angelus excusaretur, si hoc illi non suæ protervitatis ingessit arbitrium, sed necessitas sibi inditæ conditionis imposuisse videatur. Unde ergo beati et sublimes angeli de perceptis grati, piæ devotionis officio, et non seipsos, sed potius ipsi præferendo convenienter auctorem, ad ejus perpetuitatem proficere provehique meruerunt inde isti qui reprobi sunt, de perceptis consequenter ingrati, debitumque dissimulantes obsequium, seque ipsos magis quam qui tantæ dignitatis substantiam condiderat, præferre molientes, et delectatione suæ creationis illecti a Creatoris honore cessando, quanto arroganter elati, tanto æternitatis rectitudinem per irreverentiam non sequendo, ab ejus pariter et indignatione et participatione retracti sunt, et ab eo quod sempiternum est recedentes, in id quod semper deficit sunt reducti: quod præstante Deo nostro, alias confidimus plenius exsequendum. Nunc interim quantum præsenti negotio sufficit, hæc illa causa est, hoc illud malum, per quod etiam sine vitio corporali quadam spirituali

formicatione motus angeius a divina qua illustrabatur A gratia et participatione delapsus est : eoque modo degener factus, ac de cœlesti sede pro hac sua decoloratione seclusus, secundæ conditionis imaginem Dei per invidiam flammatus evertit. Iisdem motibus aggrediens in securitate degentem, quibus de summis ad ima male confisus ipse deciderat, hinc illa felicitas paradisi primis hominibus constare non potuit; hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de se fidit, tanquam ipso qui condiderat non egere, nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur, nec de conservandis quæ sumpserat poscit auxilium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu devota concurrit, et consulit, suæque se credit inter prospera voluntati, facile sine præsidio Creatoris patuit deceptoris insidiis, et in B prævaricationem tracta consequenter illiciti, conditionem præfixæ mortis invenit meritoque est competenti subjecta vindictæ : quoniam nec de bonis fuerat devota retinendis, nec malum præcaverat ante prædictum, dum per majoris ambitum potestatis, Deum se scilicet fore præsumentis, foveas hostilis persuasionis incurrit; et quæ, si suo ordine mansisset grata factori perpetuum summæ commercium Deitatis potuisset apprehendere, competenter sine debito summæ Divinitatis officio copiosa promissione lustrata, ad Divinitatem non potuit pervenire. Sic ergo sine illius principalis ac summæ rationis affectu, quæ in bonis semper retinendis contrariisque refutandis intemerata persistit, ad cujus utique similitudinem ratione fuerat animal institu- C tum, ut ea pro suo modulo congruis actionibus imitando, ipsiusque servando reverentiam, subsequendoque gratiam, ut vere similitudo ejus et imago permaneret obtinere potuisset, fieretque divinæ rationis tanquam suæ parentis et auctoris digna consortio, et per hæc nihilominus, utpote particeps æternitatis, æterna constare, dum sua quæ creata fuerat dignitate confidit, sibique se putat in eo quod erat facta subjacere, nec subdita veneratur devotione factorem, et ab illius participatione discessit, et in seipsa sine illo in quo habebat subsistere posse, non constitit. Atque ita ordinem legitimæ rationabilitatis excedens, in irrationabilitatis abruptum per verisimilitudinem ratiocinationis, qua Deum se fieri credebat, abducta est; et illius privatione, quæ D sempiterna vita est, in istam recidit quæ sine fonte vitæ vitam perpetuam retinere non posset. Quamvis ergo pro his transgressionibus digna fuerit ultione, justus tamen arbiter Deus sic istam creaturam propositæ legis æquitate corripuit, ut quæ divinum sequi tramitem inter felicia fastidivit, sibimet ipsam merita lance dimisit. Ut tamen quia et decepta fuerat creaturæ potioris incursu, illius scilicet quæ fremebat illo terrenam proficere posse substantiam unde spiritalis ipsa deciderat, et tanquam solatium capere cupiebat de alterius ruina creaturæ, velut non solum se culpandam ex alterius quoque transgressione prætenderet, sed lapsum suum in Creatoris referret opificium, cujus et aliud opus constare veluti minime potuisset, ineffabili circumventæ pietate consuleret, utramque vero creaturam recte conditam hac ratione monstraret, quia et degeneres angeli per sanctorum angelorum beatitudinem confutantur. Quod iisdem modis quibus illi, hoc est, debitæ pietatis officio, creatoremque suum debita prædicatione laudando, per dignationis ejus augmenta, profectumque reverentiæ competentis, participationem boni parentis, stabilitatemque perpetuam sempiternæ gloriæ sunt adepti; sic isti quoque si eodem tenore niterentur, ad similem beatitudinem venire potuissent, nisi desides a sui laude factoris et competentem reverentiam non sequentes, ab ejus retracti participationis affectu, propriæ nequivissent incrementa perfectionemque sumere dignitatis, dum suæ institutionis claritate detenti ulterius se nihil egere, ac sibi se sufficere posse præsumunt, per quæ seipsos obtinere fidentes quidquid per solam gratiam potuissent Conditoris adipisci, quod in suæ prorsus conditione mutabilitatis habere non poterant, homo quoque de seipso manifestis indiciis revincatur, in tantum rite factus, ut qui per divinam gratiam pote t surgere post ruinam, multo amplius potuisse doceatur, si eamdem gratiam devota mente sequeretur, integer permanere, quantumcunque gratia ista prævaleat magis inde cognosci, dum et incolumis absque eadem stare nequiverit, et valeat ad eamdem incolumitatem redire post lapsum. Bonus ergo artifex Deus, qui sempiternum et summum semper habet esse, quod bonus est, atque ideo nec unquam crescendi gerit amplius appetitum : quia nihil est super id quod sempiternum bonum semper et summum est, nec ulla potest inclinatione diminui de hoc ipso quod summum bonum sempiternumque consentit. Unde etiam non per rapinam in forma Dei dictus est constitutus; qui hoc habebat utique per naturam, sicut ille spiritus qui quod nec sempiternum habebat omnino, nec summum, per rapinam maluit occupare quam per auctoris gratiam perpetem consequi dignitatem, a quo sumpserat angelicæ substantiam claritatis, quemadmodum beati angeli in divina gratia permanentes consecuti sunt sempiternæ beatitudinis firmitatem : pravus autem spiritus nec illud potuit obtinere quod visus est incompetenter invadere, et tenorem suæ conditionis excedens, in hoc etiam non potuit permanere quod factus est. Auctor ergo bonus ut bonum se opus condidisse firmaret, si in eadem sui conditione persisteret; inferioris creaturæ suæ miseratus offensam, quod spiritualis substantia, quæ et sui et alterius processerat, ipsa decepit ix atque in sua nequitia perseverans omnino consequi digna non fuerat, terrenæ conditionis et per fraudem deceptæ substantiæ naturam pariter clementer suscepit et causam; sicque, ut nunc breviter explicemus, competenti lapsam dispensatione reparare proponens, ut in seipso hæc eadem natura, quæ per inobedientiam mortis rediret ad vitam, solus ipse peccat in se sciens [*forte* peccati nesciens] in sub-

stantia quam post peccatum restaurandam potenti benignitate susceperat, ut indebitam mortem quam sine peccato utique non debebat pro his qui per peccatum debitores mortis exstiterant, imputaret; simulque diabolum hominis deceptorem qui consentientem sibi subditum per divinam tenebat jure sententiam, per justitiam nihil ei reddere jam debentem. Et cum occidisset eum in quem sine peccato licentiam non habebat, merito ei vice mutua subjugaretur addictus, quique se humanæ substantiæ utpote captivæ suæ dominum deumque jactabat, huic et justo pariter, et Deo vero mutuo subderetur. Intererat enim æquitatis immensæ ut non abruptæ divinæ potentiæ diabolus, sed ipsius hominis etiam quem se prostravisse jactabat justitia vinceretur, quibus non satis habuit reparator excelsus ut ipse tantummodo in ea natura quam sumpserat gereret de hoste humani generis hunc triumphum. Quid enim præstaretur universæ nostræ creaturæ, si victor diaboli solus Christus existeret? Tribuit ergo fidelibus suis dignanter immensa pietate consortium. Tribuit per gratiam suam fidemque collatam, ut hominum millia ineffabilis compendio sacramenti participatum ejus acquirerent, renovatæque in suo salvatore naturæ facti consimiles, ipsi quoque fierent deceptoris sui mutata sorte victores. Itaque contra superbum spiritum permanentem, hoc est provisum curatione salvandis, ut competentibus modis ad suæ conditionis integritatem proficerent, dignitatemque cœlestem; quatenus elationis exitialis affectum (qui non solum humanam, sed ipsam quoque, sicut dictum est, angelicam prostraverat ante naturam) humanitate necessaria medicinaliter declinaret ad integritatem reparandam, quippe post lapsum carere debuit illo malo quo integra præstare nequiverat: oportebat autem ut ipsa quoque rationabilis humana creatura quod propria voluntate perdiderat, etiam secundum Dei gratiam propriam reciperet voluntatem, et quæ sine merito carebatur, tribueretur ei ut etiam hæc sequeretur ex merito: propterea maluit singularis ille salvator perfici potius in infirmitate virtutem, quam rursus sine infirmitate vel de se confidentem, vel auctoris negligentem fieri humanam substantiam sine infirmitate securam. Hinc est igitur quod B. Paulus, qui et ruinam conditionis humanæ, et restaurationem cæteris copiosius intimavit, etiam de seipso clamat: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (*II Cor.* XII); et iterum ipse: *Vanitati enim creatura subjecta est* (*Rom.* VIII); adhuc utique vanitati, quantum adhuc mundanis sensibus implicatur, corruptibilique conditione deprimitur; illa utique creatura de qua idem dicit alibi: *Si qua igitur nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova* (*II Cor.* V); et de qua idem alibi dicit: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo, in operibus bonis* (*Ephes.* II). Itemque ipse de eadem: *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura* (*Gal.* VI).

Hæc utique creatura, qua in Christo refecti sumus, non qua ab initio facti sumus, de qua etiam beatus Jacobus apostolus sic ait: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (*Jac.* I); non illius creaturæ quæ in Adam condita est, *sed quæ Patris luminum, a quo est omne datum optimum et donum perfectum*, voluntate genita verbo veritatis, initium sumpsit in Christo; et hoc ipsum ideo, ne quibuscunque suis bonis fideret humana substantia: sed quidquid recti in se esse cognosceret, desursum descendens esse perpenderet ab incommutabili et sine vicissitudinis obumbratione luce semper immensa, per quam sibi mutabili et vicissitudinum obumbratione fuscatæ, luminis veri munus sentiret impendi. Hæc est igitur illa creatura quæ spiritualiter vivens, non volens sustinet mortalis infestationis affectus, contra quos indesinenter pugnans, mallet non habere quos vinceret, quam cum infesto jugiter hoste confligere. Non volens ergo subjacet in tantum vanis desideriis, in quantum sine dubitatione perituris. Unde dicit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quæ vultis, illa faciatis* (*Gal.* V); *sed propter eum*, inquit, *qui subjecit in spe* (*Rom.* VIII), ut nemo in hac scilicet vita rursus de plena felicitate sit arrogans; ac ne rursus forsitan desperatione succumberet, sic eam subjecit his molestiis perferendis, ut tamen spe consoletur erecta. Hæc est igitur sine ambiguo creatura, de qua ait, *quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Ibid.*). Patefecit de qua creatura vellet intelligi, *in libertatem*, inquiens, *filiorum Dei*, quæ in hoc mundo ex ea parte nunc servit qua vitiis infestatur humanis; tunc ad libertatem filiorum Dei perfecta securitate venturam, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem. Ut fiat sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (*I Cor.* XV). Quapropter beatus Apostolus manifestius volens et de qua creatura ageret, et de qua ejus servitute, quave libertate dissereret, utpote per quem Christus loquebatur, ostendere, adhuc inculcat, et dicit: *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit* (*Rom.* VIII); non nisi rationabilis creatura est, et illa rationabilis, quæ quid ingemiscat, quidve parturiat, jam renata cognoscit, et infirmitatem suam deflens, promissionem perpetuæ tranquillitatis exspectat, quo doctor egregius quousque perducat, diligentius intuendum est: *Non solum*, inquiens, *illa*, hoc est creatura populi Christiani, *sed nos ipsi primitias spiritus habentes*. Ipsi utique apostoli, ipsi Ecclesiæ principes et parentes, qui primordialiter sancti Spiritus dona sumpserunt,

quæ ecclesiasticis ministrarent spiritualiter incrementis; ubi sine controversia semetipsos quoque in una eademque quamvis majore gratia præditos, unde et ait *primitias spiritus habentes*, quasi primates gratiæ Dei, in una tamen eademque secum totamque Ecclesiam generali conditione constituit: *sed etiam nosmetipsi*, dicens, *primitias spiritus habentes, intra nos gemimus*: aperuit quorum ille gemitus, quem supra dixerat, esse noscatur, et quid gemeret evidenter exposuit, *adoptionemque exspectantes*: certe jam sacramento regenerationis pignus adoptionis accepit. Quæ est ergo ista adoptio, quæ post adoptionum initia sustinetur, quæve redemptio corporis nostri, quæ ventura proponitur? Ergo non accepisti, quæ exspectare te dicis? Accepi, inquit, sed mysteriis sum renovatus initiatusque cœlestibus superstes et in hac adhuc mortalitate consistens, quæ sua sunt in me competenter operantibus, ad eorum plenitudinem perfectionemque valeam, atque hic pugnantium ibi sit consummata victoria, ubi dicendum est: *Absorpta est mors in victoria: ubi est, mors, stimulus tuus? Nunc autem spe salvi facti sumus; spes autem quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*I Cor.* xv; *Rom.* viii). Satis clara luce patefecit qui sit status in hac vita fidelium, quid in fide teneant, quid in spe sustineant, quid tota caritate desiderent; quod totum incunctanter ideo fit, sicut quidam magister Ecclesiæ (*Augustinus*) sapienter edocuit, dicens: Ad magnam enim utilitatem fidelium materia est servata certaminum, ut non superbiat sanctitas dum pulsatur infirmitas, quo scilicet sua saltem fragilitate commonita post ruinam, non in se fidat nostra conditio, sed ad illius incessabiliter recurrat misericordiam reformanda, cujus gratiam non quærendo, nec in paradisi potuit intemerata felicitate constare, discatque sine tali præsidio inde lapsam per quod instruitur post ærumnas ad gaudia redire perpetua; multoque se magis incolumem hoc subsidio durare potuisse, quo non solum ad creationis suæ reducitur institutum, sed ad cœleste præparatur habitaculum. Huic autem disputationi nullatenus æstimetur esse contrarium, quod in Epistola sua beatus Joannes apostolus et evangelista disseruit: *Quia qui natus est ex Deo, non peccat* (*I Joan.* iv), ut ex hoc videlicet qui regenerati sunt, non peccare credantur: quod utique si eo sensu, sicut quidam non recte judicantes arbitrantur, vir magnus ille prompsisset, universaliter utique quisquis renatus esset jam peccare non posset. Deinde contra hunc eumdem apostolum sentire convincitur, si quis hoc eum definisse prætendit; idemque quippe dicit alibi: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* i): Et iterum: *Si dixerimus quia non peccamus, mendacem faciemus eum, et verbum ejus non erit in nobis*; et utique hoc tantus et talis dicebat apostolus; cujus si quis potiorem se meritis æstimare contendit, ipse videat caveatque ne incidat in mortiferæ præcipitationis abruptum.

Certe enim ipse qui hæc dicebat, ex Deo utique natus erat; et tamen docebat atque prædicabat, dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus*; et cætera, quæ superius comprehensa sunt: sed qualiter peccare non possit, qui ex Deo nascitur, ipse potius vir Deo plenus exponat: *Si dixerimus*, inquit, *quia non peccavimus, mendacem faciemus eum: quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate* (*Ibid.*). Patefecit quomodo qui ex Deo nascitur, peccare non possit, ut scilicet unusquisque fidelium postquam ex Deo natus est, sicut se non habere peccatum pronuntiare non debet, sic quod admittendo contraxerit, confidenti relaxatione submotum peccatum inesse non possit, sicut ipse etiam secutus adjunxit: *Hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem justum, et ipse est propitiatio peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed totius mundi* (*I Joan.* ii). Quod breviter indicatum prudens lector per totum Scripturarum corpus copiosis poterit testificationibus invenire et manifestius approbare.

Sic temperatum nostræ salutis antidotum, ut omni protervitate deposita, *qui gloriatur non in se, sed in Domino glorietur* (*II Cor.* x). Etiam illud præterea diligentibus intuendum est, quod quosdam movere perspeximus id quod ait Apostolus, cum conjugibus fidelibusque loqueretur, sanctificari scilicet sive virum sive mulierem infidelem per cujuslibet sexus fidele consortium: et imprimis non inconvenienter occurrit quod dictum est de fœdere conjugali; *erunt duo in carne una* (*I Cor.* vii). Per quod possit consequenter intelligi, ut quoniam cujuslibet conjugis fidelis corpus templum est Dei, et regeneratione purgatum, divinique sanctificatum per purificationem mysterii, secundum quemdam modum, per conjugalis unitatem carnis etiam conjugis infidelis sanctificatio corpus attingat, longeque distet ista societas ab illo consortio quod in utrisque conjugibus idolis mancipatum est, et immundi spiritus habitatione pollutum, dum in illo genere nuptiarum per legem fœdusque conjugii, ad alterum tametsi nescientem forsitan nec volentem divina benedictio per alterius unitæ sibi carnis accedit. In isto vero, et principalis illa fornicatio qua anima alienatur a Deo et spiritus pravi contagium tam reddat utrumque conjugem detestanda coinquinatione maculatum, quam ab illa fide quæ corda purificat summæ Divinitatis externus (*sic*). Deinde non irrationabiliter (quantum arbitror) et illud concurrit, ut oratione fidelis cujusque conjugis etiam infideli misericordia quantacunque præstetur, vel ipsa certe quæ ad salutem pertineat temporalem: in qua misericordia non parum divinæ pietatis acquirit: et per hoc secundum quemdam modum particeps divinæ dignationis effectus edicitur. Si enim cibi qui per legem sacram describuntur immundi, per verbum Dei sanctificari testatur Apostolus, unde etiam illud est: *Quod Deus mundavit, tu commune ne dixeris* (*Act.* xi); non erit absurdum nec inconveniens quod per fidelis con-

jugis precem, quam fieri pro ipsa certum est affectione conjugii, aliquid etiam infidelis conjux sanctificationis, misericordiam divinam quam fidelis conjugis implorat supplicatio, consequatur, longeque differat (sicut dictum est) ab illo connubio in quo utrique conjuges a veræ Divinitatis sunt puritate exteri, et voluntarie submoti, sed immundos utrique spiritus invocantes, pari immunditia sunt referti. Nam si, comparatione levium vel gravium peccatorum, justificatus dicitur, ab eo qui majoribus est vitiis involutus ille quem minor reatus involvit (sicut dicitur ad Jerusalem quæ tunc criminum et prævaricationum immanitate fervebat: *Justificasti sororem tuam Sodomam* (*Ezech.* XVI), quanto magis justificatio vel sanctificatio, etsi non plena atque perfecta, secundum tamen quemdam modum competenter accipitur, ubi non solum a fideli conjuge minus peccatur, sed ab eo etiam conjuge peccatore remedium summæ Divinitatis exposcitur, quam ubi a conjugibus utrisque peccatur. Nam secundum quemdam modum hanc sanctificationem per fidelem conjugem etiam infideli conjugi pervenire hæc ipsa verba testantur Apostoli; siquidem non jam infidelem conjugem legitimam sanctificationem sumpsisse confirmat, quia per fidelem conjugem quippiam sanctificationis acquirat. Denique qua sit conditione censendus secutus adjunxit: *Nam si infidelis, discedat* (*I Cor.* VII), non jam inde tanquam fidelem suscipi designans, quia per hæc quæ dicta sunt aliquid ad eum pervenit fidelis conjugis, sive consortium, seu precem divinæ sanctificationis et gratiæ, sed nisi ipse quoque fidelis existat, pro infideli sit procul dubio judicandus. Est etiam ille modus infideli conjugi sanctificationis impertiendæ per conjugem jam fidelem, si huic exhortationem conversionis ad Deum, et credulitatem summæ Divinitatis insinuet, majestatem virtutemque ejus inculcet, et per affectum conjugii eum facilius informet et inclinet ad fidem, astruens quæ sit spes in unum Deum credentibus, vel in hujus vitæ cursu, vel post ejus transitum quæ requies sit futura. Hæc cum per fiduciam conjugii sanctis verbis cor ejus assidua voce pulsando conjux fidelis frequenter insinuat, divinæ sanctificationis eidem, et menti ejus, et corpori propinat effectum, sicut ait beatus Petrus apostolus: *Similiter mulieres subditæ sint viris, ut si qui non credunt verbo, per mulieris conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram* (*I Pet.* III); quam si per familiaritatem suscipiat conjugalem, et Dei gratiam sibi per affectum conjugii ministratam non in vacuum recipiat et refutet, fit sanctificatio per fidelem conjugem conjugis infidelis, dum hisce modis ex infidelitate in consortium sanctificationis attrahitur. Alioquin si oblatam sibi gratiam nec per affectum suscipit conjugalem, quæ in vacuum tam divinæ dignationis, quam etiam humanæ singularis affectionis oblitus, æstimat abnuendam, atque ob hoc ipsam quoque conjugis affectionem nititur abjurare, et ab ipsius pii consortii lege discedere, digne permittitur eidem licentia discedendi; quia non est illo conjugio

A dignus, quo se ipse judicavit indignum, patienterque ferat fidelis conjux illo se caruisse conjugio, quod fornicatur a Deo, cui idem conjux fidelis inhærendo principalem Dei retinet castitatem. Itaque et adultero caret, et eo qui respuit una veraciter fieri caro cum conjuge jam fideli, nec æstimet fuisse legitimum quod divina sibi despexerit lege conjugii; ac potius libenter accipiat eum, qui anima separatus a Deo est, et a se quoque corpore fuisse divisum.

Secundum hunc igitur modum etiam de talium filiis accipiendum est, quod illic consequenter asseritur, ubi Apostolus: quod nisi hæc sanctificatio inter hujusmodi conjuges proveniret, filii eorum immundi essent, nunc autem sancti sunt. Sancti sunt enim, secundum quemdam modum in comparatione
B illorum qui ex utrisque parentibus immunditiæ diabolicæ mancipatis contaminatisque nascuntur.

Isti enim ex ea parte qua de sancta carne fidelis parentis, et templo Dei, et Deum unum in suo corde gestantis exorti sunt, nonnihil divinæ benedictionis hauserunt, in qua utique benedictione sanctitas continetur, cujus dignatione perstricti, sancti non immerito nuncupantur. Per hanc quidam etiam sanctificationem assumunt, ut ad eam sicut competit perveniant consequendam, jam ejus per parentem fidelem rudimenta percipiunt, et odorem sanctæ adoptionis agnoscunt, precibus Christiani parentis, quibus eis sine ambiguo imploratur divina misericordia, utique sanctificatio jam præbetur, et plerumque fidelis studio parentis, vel ad venerabilia loca parvuli deferuntur, vel etiam
C nescientibus renatis fonte baptismatis sanctificatio plena confertur. Aut ubi jam capaces rationis exstiterint, adhortatio et insinuatio pii parentis ingeritur. Quæ omnia sanctificationis instrumenta esse manifestum est, quibus ut [*forte* aut] ad ejus veniant [*F.* veniunt; *et infra*, dispoliant] firmitatem, aut si ista despiciunt, semetipsos sanctificatione dispolient, et gratiam Dei, quæ his per affectum parentum ingeritur, evidenter evacuant. Atque ita de sanctis vel de eruditionibus sanctitatis abscissi, in non sanctorum consortia profana rediguntur. De quibus nihilominus sic dicatur, quomodo de parentibus eorum infidelibus præceptum; *Si infidelis vult discedere, discedat* (*I Cor.* VII). Nunquidnam hæc genera sanctitatis vel sanctificationis de utroque profano parente
D progenitis filiis intimantur? Ecce quid interest inter sobolem ex illo vel isto conjugio procreatam; ecce quemadmodum isti familiares et propinqui sunt sanctificati, atque ideo non immerito sancti sunt editi, et quibus divina misericordia consequenter ejus precibus imploratur, quique cum sanctis educationibus imbuuntur, et sacræ religionis initiantur affectu, ad cujus si pervenerint firmitatem, illius per sacramentum sanctificationis plenitudinem consequuntur, cujus per fidelem parentem etiam ante sacramentum rudimenta sumpserunt, per quæ rudimenta jam sancti, qui sancta institutione præparabantur, non incongrue sunt vocati. Nunquid autem quia dictum est sanctificari infidelem conjugem per fidelem, ita

dictum est, ut jam propriæ credulitatis sanctificatione non egeat, ac non magis ideo quia per illam familiaritatem fidelis conjugis percipiendæ sanctificationi proximus sit et propinquus effectus? Nam si jam sanctificatus diceretur, ut sanctificatione penitus non egeret, non de eodem in consequentibus diceret: *Infidelis si vult discedere, discedat*; sic ergo et filii eorum nuncupati sunt sancti, quia per sancti parentis affectum capiendæ sint proximi sanctitatis; non quod jam ipsi propria sanctificatione non egeant, quæ utique, sicut nullus Christianus addubitat, sine regenerationis sacræ mysterio nec sumitur nec habetur; sicut et parens eorum infidelis, sic sanctificatus dicitur per fidelem, ut si tamen ingestæ sibi per fidelem conjugem sanctificationis ipse legitimum non suscepit effectum, infidelis fuerit nuncupatus. Sicut ergo eum, quem per fidelem conjugem sanctificatum dixit, postea nuncupat infidelem, quia proprie ipse vel ipsa non credidit, sic et filii qui per fidelem parentem eo modo sanctificati quo conjux, sancti appellati sunt, nisi ipsi quoque proprie credant, infideles consequenter existunt. Satis enim apparet, secundum quemdam modum sanctificationem hanc conjugis appellatam, qui postea infidelis asseritur; sic ergo et de filiis intelligendum est. Nunquid igitur, quod sæpe repetendum est, soboles profanorum hujuscemodi sanctitatis aliqua cujuslibet parentis portione contegitur, vel aliquibus hujusmodi disciplinis, precibus, adhortationibus cujuspiam participationem, vel notitiam, vel auditum, vel eruditionem sanctitatis assumit, quæ est sub immundorum spirituum dominatione consistens, et diabolicis prævaricationibus, et contagiis mancipata? Hoc modo semper immunda est, quo parentes, quandiu in eadem perversitate consistit; plerumque autem et per anticipationem (quod in Scripturæ sanctæ textu frequentius invenitur) jam esse dicitur quod futurum est, sicut in Evangelio legimus. Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Filios Dei certe jam nuncupans qui adhuc essent diffusa gratiæ evocatione per mundum sacris innovandi mysteriis, in Dei filios adoptandi: vel cum dicitur: *Beati qui non viderunt et crediderunt* (*Joan* XX), jam beati appellati sunt qui adhuc tunc futuri fuerant beati, cum essent quæ non viderant credituri; sicut et plerumque pro faciendis jam facta referuntur, ut *foderunt manus meas et pedes meos* (*Luc.* XXIV). Item tanquam profitendo definitur quod non sit causa qualibet interveniente faciendum, sicut beatus Apostolus pro devotione prædicationis injunctæ ad Hispanias se profitetur iturum quod tamen certa dispensatione Deitatis quod fieret non provenit; alter cum appellatur aliquid esse quod hoc ipsum esse cessavit, vel cessaturum est hoc ipsum esse quod dicitur, ut Judas apostolus qui prævaricando, quod est appellatus amisit, sicut idem et discipulus dictus est, cum quidem nec Christi discipulus esset, sed potius diaboli, sicut de eo dictum est: *Unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI), quod diaboli esset operarius. Dictus est tamen discipulus etiam cum nec verus esset, et cessaturus hoc dici. Est et ille modus, quod sæpe velut generaliter et absolute dicitur, cum tamen ad omnes generaliter non pertinere manifestum est, ut cum dicitur Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Genes.* XXII), omnes quidem gentes benedicentur; nec erit ulla natio sub cœlo cui non prædicetur Evangelium, et tunc veniat finis; sed ipsæ gentes non ex integro omnes benedicentur, quia non omnium est fides: vel sicuti est, *omnis lingua confiteatur Deo* (*Philip.* III); cui locutioni sensus ille connectitur, cum ex parte totum sæpius nuncupatur: sicut et tunc homo Juda cum totam gentem procul dubio nominaret. Sic et illi fideles sancti videri possunt vocati, quia multi, vel plurimi ex his, per ea quæ dicta sunt, mysteriis imbuti cœlestibus, sancti efficientur, et merito jam esse dicti sunt quod futuri sunt, vel ex ea portione, qua per religiosum parentem erant participes sanctitatis, tanquam jam ex integro id essent, sancti sunt nuncupati, vel quia ex talibus filiis multi futuri essent plenæ sanctificationis hæredes.

Jam et isti ex eo quod futuri fuerant nuncupati sunt, et licet hoc essent plurimi forsitan nunc futuri, a parte sanctorum toti sancti generaliter sunt vocati. De resurrectionis vero qualitate, vel de ea quæ post resurrectionem species sit futura, audiamus Apostolum prædicantem, ubi ait: *Sed dicet aliquis, Quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient* (*I Cor.* XV)? et humanæ mentis diffidentiam redarguens, quam merito stultam, quæ Deo quidquam judicaret impossibile, nuncupando, competenter ex rerum etiam visibilium et humanis conversationibus usitatam similitudinem comparationemque magnificam præclarus doctor inducit, dicens: *Insipiens* (qui Deo hæc impossibilia æstimas, vel ambigis esse facienda), *tu quod seminas vivificatur, nisi prius moriatur* (*Ibid.*)? Quam similitudinem ad resurrectionem corporis post mortem futuram convenienter aptavit. Deinde quod secutus adjecit: *Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici et cæterorum. Deus autem dat illi corpus prout voluit* (*Ibidem*). Ad qualitatem jam et speciem, quæ post resurrectionem futura est, genus comparationis adhibere curavit, *prout voluit*, inquit. Quid adhuc quæris? prout voluerit Deus, sic dabit unicuique corpus ineffabili potentia suscitatum: sed forsitan arbitreris ideo magis significari non unicuique suum reformandum proprie corpus, cum astruatur prout Deus voluerit esse reparandum

Diligenter ergo sensum plenius hæc tractantis intende, si scire conaris cujusmodi corpus unicuique sit Deus hoc ipsum prout voluerit redditurus, et tanquam tibi jam tunc ad ista respondentis Apostoli verba perpende. Nosse desideras quare resuscitatis hominibus corpus prout Deus voluerit sit daturus, agnosce prudenter, *et unicuique seminum proprium corpus* (*Ibid.*), quod utique non sine causa vir Deo

plenius adnectit, nisi ut futuras hominum hujusmodi A dubitationes expelleret. Audi, inquam, quod sapienter adjecit, et ex similitudine rem ipsam cui comparatur agnosce: *et unicuique*, inquit, *seminum proprium corpus*; si in similitudine proprium corpus, ergo et in re, cujus similitudo est, proprium corpus certum est esse reddendum; semina enim ista sine controversia hominibus comparavit, de quorum utique morte et resurrectione loquebatur: atque ideo singula singulis conferens, quantum ad vivificanda post mortem corpora pertineret, de grani non prius vivificati quam mortui comparatione singulari mirabiliter explicavit. Dehinc quali post resurrectionem corpore censeretur esse quisque venturus, id est, utrum hac conditione, quam moriendo gestaverat, an longe meliore, nihilominus illa similitudine patefecit, quam secutus exposuit: *Et tu qui seminas, nudum granum seminas, ut puta tritici aut alicujus cæterorum; et Deus dat illi corpus prout vult* (*I Cor.* xv). In hac ergo forma corpus Deum dare, decentius quam obierat, evidenter expressit; sicut in subsequentibus dicitur: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptionem; seminatur in ignobilitate, surgit in gloriam; seminatur in infirmitate, surgit in virtutem; seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale* (*Ibid.*). Ecce quemadmodum hominis morientis non hoc seminatur quod corpus est post futurum. Ecce prout vult Deus intelligitur resurrecturis corpus reformare post mortem cum inæstimabili suæ misericordiæ voluntate: quod fuerat in corruptione seminatum, incorruptibili nobilitate restaurat; quod fuerat terrenæ conditionis in ignobilitate sopitum, in gloria cœlesti resuscitat; quod fuerat mortalitatis infirmitate resolutum, redintegrat in immortalitatis decore vestitum; postremo quod fuerat animale defunctum, corpus spirituale restituit, et reformat: quæ cuncta ad statum meliorationis sublimationisque respiciunt. Illa vero quæ restat pars comparationis adnexæ specialiter ad proprietatem corporis unicuique redhibendam pertinere firmatur, qua consequenter dicitur: *Et unicuique seminum proprium corpus*; ubi satis apparet in quavis resurgentium claritate proprietatem corporis esse mansuram; nec otiosum quod beatus Apostolus cum de solo humano genere, quod solum est utique suscitandum, nec alia quæcunque substantia hoc est munere decoranda, atque ideo sufficeret ad unum genus hominum unam speciem seminis gratia comparationis adhibere, per quam et non prius vivificari quam mori, et honorabilius corpus quam seminaretur exsurgere perdoceret: sed ut diversi sexus proprium corpus asseret [*F.* assereret] innovandum, quod in una specie seminis quantum ad similitudinem respiceret, non habebat, ne per hoc et unam tantummodo speciem resuscitandorum corporum futurarum significasse putaretur proprietatum distinctione submota, discreta quæcunque seminum genera comparationis suæ caute convenienterque duxit adhibenda, ut proprietatem corporum, sicut dictum est, quam una species discernere non valebat, seminum diversitas indicaret, suppeditaretque plenæ comparationi facultas per quam ad specialitatem corporum designandam convenientissime diceretur, *et unicuique seminum proprium corpus* (*I Cor.* xv), ut quod una species cujuslibet grani, discreto sexu, qui ei nullus æstimare non posset exprimendæ corporum proprietati, sicut sæpe jam dictum est, seminum diversitas intelligentiam ministraret.

Triplex igitur in hac comparatione propositio, disputatio, definitio est; et quantum ad intelligendam resurrectionem pertinet corporalem ex similitudine grani non prius vivificati quam mortui competens similitudo sufficiensque deprompta est. Quantum vero ad id attinet, quia *non id corpus seminatur quod futurum est, sed Deus dat illi corpus prout vult* B (*Ibid.*), in ejusdem continentia lectionis necessario causa reseratur, cum corruptibile corpus seminatum perhibetur incorruptibile redditurum, et cætera, quæ huic sensui probantur adhærere.

Quantum autem ad proprietatem corporum respicit edocendam, plenissime declaratur quod beatus Apostolus nequaquam seminis unius comparatione contentus, per quod proprietatem corporum non posset ostendere, cum id una species, ut supra memoratum est, seminis non haberet, studuit ex seminum diversitate monstrare unicuique surgentium, qui sunt utique seminibus comparati, proprium corpus esse reddendum. Et resurgent ergo homines vivificati post mortem, qui utique prius morientibus et postmodum vivificandis seminibus comparati sunt; C et non hoc quod moriuntur, id est tanquam seminantur, resurgunt, *sed Deus eis dat corpus ut vult* (*Ibid.*), ut sit de corruptibili incorruptibile, de mortali immortale, de inspirituali spirituale; ut quod mortis fuerat conditione decoloratum, immortale et decorum integritate reddatur, et proprium corpus sicut unumquodque seminum sine dubio recepturi sunt: quod quia diverso sexui in uno semine comparari non poterat, ex seminum diversitate collatum est, ut ex diversitate seminum corporum proprietas signaretur. Si vero proprium corpus resuscitatus quisque suscipiet, indubitanter est consequens ut unicuique sexui corpus proprium reformetur; quia, sicut dictum est, et unicuique seminum proprium corpus restituitur attributum. Et si unicuique seminum D proprium corpus restituitur, per quæ utique semina in utroque sexu omne genus hominum designatum est, sequitur ut omne genus humanum, quod in utroque sexu istis est seminibus designatum, proprium sit corpus resumpturum. Hoc nos ex verbis Apostoli fas est sobria consideratione metiri, ultra quæ cavendum est temeraria curiositate prorumpere; propter quod etiam commonemur: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne fueris scrutatus* (*Eccle.* III). Et, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes* (*Rom.* XII). Postremo attendentes illud, quod apostolica quoque prædicatione firmatum est, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus timentibus se* (*I Cor.* II), quisquis superius

moremati sensus Apostoli non est intelligentia vel comparatione contentus, ad hoc certe, velit nolit, sine dubitatione constringitur, ut quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, qualibet audeat sibi mediatione componere, quasi verbo humani corporis aliqua membra culpabilia, vel decora, vel reprehensibilia sint creata, cum Deus fecerit omnia bona valde (*Genes.* I), et unamquamque speciem in suo genere competenti decore subnixam, nisi quod hæc, quæ inhonesta nostra sunt dicta, concupiscentiæ primordialis decolorasset excessus : quæ utique sic fuerant instituta, ut ad nutum mentis humanæ famulantia, tantummodo ex animæ rationalis arbitrio ad procreandæ sobolis causam suis officiis fungerentur. Præter hanc vero causam nihil contra mentis imperium, quæ præveniendo insolentius voluntatem, vel cum id voluntas expeteret, quidquam rebellionis afferent. Sed postquam anima summis suis subjecta non constitit, pari in seipsa naturæ contumacis lege punita superbia est, ut huic quoque, id est animæ dominio subjecta consequenter obsequia repugnarent, et quod vetiti præsumptione contradixerat humanæ mentis inobediens appetitus, in ea parte corporis indicaret, qua degeneris, ac decoloratæ superbæque radicis procul dubio vitiosa fuerat generatio propaganda : quæ utique si hic nisi essent hac exorbitatione fœdata potuerant decore tantum humano generi propagando tam honesta quam moderata persistere etiam in corpore sine dubitatione terreno, quanto magis credendum est in spirituali corpore ineffabiliter decentius hæc posse constare; præcipue cum nihil jam genitalis officii in illa perpetua claritate gestura sint : sed ad hoc tantum suæ speciei formæque non deerunt, ut non aliqua alia forma quam humana, cui promissa resurrectio est, resuscitata judicetur, nec aliquid sit quod in carnis perspecta resurrectione non maneat, et videatur alia species suscitata quam integræ carnis humanæ lineamenta designant : quæ quisque non vult fortasse moderata ratione librare, velit nolit, ut dictum est, aut ad illud superius revertetur, *ut quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), non æstimet perscrutandum, aut si ultra conatur erumpere, ipse videat suæ temeritatis abruptum. Quam autem condita sunt honesta humanæ membra substantiæ, etiam res illa nos admonet, quod cum in paradiso nudi essent primi parentes, nihil in his confusionis habuerunt. Unde post peccatum et concupiscentiæ virus ingressum, corporum suorum inordinata perturbatione confusi sunt. Atque ideo satis apparet, quod si in illa quavis felicitate paradisi positi, terreno tamen corpore constituti, conspici sine confusione potuerunt, multo magis in illo spirituali corpore, atque in illa sublimi beatitudine, quæ similitudinem gestura est angelorum, et ut homini in carnis resurrectione nihil desit, integer reformetur. Et ne aliquid deforme Conditor creasse videatur, si quid de resuscitato corpore subtrahatur bonum, potius ejus opus inde etiam comprobetur, ut ejus conditio in illis quoque claritatis decore permaneat, nisi forte isti etiam illic adhuc existiment motus corporeos orituros, *ubi* (sicut ipse Dominus ait) *neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli* (*Marc.* XII). Quod utique si in unam speciem corporis unumque sexum omnes fuerant suscitandi, cur diceretur causa penitus non fuisset. Quin potius cum femineo sexu magis competat nubere, non illic defuturum, sed cessaturum prorsus a nuptiis indicatur. Cum autem nihilominus scriptum sit, *ut capiat unusquisque propria corpora quæ gessit, sive bona, sive mala* (*II Cor.* V), quomodo id fiet, nisi uterque sexus in sui corporis proprietate vel judicium subeat, vel præmium beatæ resurrectionis accipiat? Falluntur autem qui putant illud Apostoli testimonium sibimet suffragari, quo videntur asserere in virilem formam omnes homines resuscitandos, ubi ait : *Donec occurramus in unum virum perfectum* (*Ephes.* IV). Quid ergo facient cum rursus idem dicat : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI)? quod huic utique opinioni eorum erit sine dubitatione contrarium, nisi mysterio competenter inspecto modesta mente cognoscant qualiter utrum conveniat, quid itaque velit sibi, quod in utroque sexu describat Ecclesia, quantum Domino reserante sentimus, exponimus. Ab initio Christum et Ecclesiam humana carne similitudine conjugii designatam sancta Scriptura testatur. Proinde cum femineo sexu censetur Ecclesia, infirmitas quidem humanæ conditionis ostenditur, quæ tanquam in Ecclesia conjuge Christi convenienter exprimitur; sed nomine virginitatis, vel continentiæ ejus propositum vel integritas fidei, de qua et ipse B. Apostolus disserit, intimatur. Cum vero dicitur, *Donec occurramus omnes in virum perfectum*, nec diversum est, nec divinum [*F.* divisum]; quoniam quidquid in Ecclesiæ corpore continetur, quæ cum Christo una caro est sacri lege conjugii, etiam ipsius caro modis omnibus in sexu fieri utroque quod dictum est sive illic virginem castam, sive huic virum perfectum, ut ita sint in Ecclesia catholica intemerata fide viventes, et sancto proposito continentes. Licet adhuc possit in infirmitate conditionis humanæ, ut tamen per unam carnem Ecclesiæ et Christi, id est conjugis et viri, in ipso quoque virilem accipiat firmitatem vigoremque perfectum, cujus per Ecclesiæ virgineam fidei castitatem, quam cum eodem una caro fiunt, et viri membra perfecta; ubi illa quoque beati apostoli Pauli verba tractanda sunt, quibus ait *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus in Christo* (*I Cor.* XII). Quantum ad unitatem utique pertinet sacramenti unum corpus sumus in Christo; quantum ad sexuum diversitatem ipse alibi dicit : *Sive vir, sive mulier, omnes unum sumus in Christo* (*Galat.* III) : cum suo enim toto corpore, quod ejus est plenitudo, perfectus est Christus; et ideo qui per unum idemque mysterium, licet diversi sexus unum tamen corpus accipitur, per cujus corporis plenitudinem perfectus est Christus. Cum ergo vir Christus Ecclesiæ tanquam conjugis suæ et capu

sit et virtus atque perfectio, merito omnis Ecclesia in hunc unum virum perfectum, cujus est una caro, perhibetur occurrere.

DECRETA DUO.

(Ex epistola ad Dardaniæ episcopos desumpta.)

PRIMUM.

Repeti non possunt quæ triginta annis quiete possidentur.

Post quingentos annos constituta Christi quosdam audio velle subvertere, cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi.

SECUNDUM.

Non oportet ab eorum eleemosynis abstinere post mortem, quibus in vita communicare non destitimus.

Nec quisquam vobis omnino persuadeat, Acacio prævaricationis suæ crimen fuisse laxatum : quia qui postquam in collegium recidens pravitatis, jure meruit ab apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes non quæsivit omnino nec meruit, nec mortuus jam potest impetrare. Siquidem ipsis apostolis Christi voce delegatum est : *Quæ ligaveritis super terram* (*Matth.* XVIII), et reliqua. Cæterum de eo qui in divino judicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id in quo eum dies supremus invenit : atque ideo nisi ejus nomine refutato, cæterisque consortibus hujus erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ dominicæ puritatem, quam majores nostri semper ab hæretica magnopere servaverunt pollutione discretam.

[1] CONSTITUTA

GELASII PAPÆ, QUÆ EPISCOPI IN SUA ORDINATIONE ACCIPIUNT ;

(Quibus Afrorum ordinationes inter alia prohibentur ex Diurno pontificum, aliisque fide dignis codicibus mss.).

Papa ille clero, ordini, et plebi consistentibus civitate illa, dilectissimis filiis [2] in Domino salutem.

Probabilibus desideriis [3] nihil attulimus tarditatis. Fratrem [4] jam et coepiscopum nostrum illum vobis ordinavimus sacerdotem. Cui dedimus in mandatis ne unquam ordinationes præsumat illicitas; nc bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem; qui neque illitteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expœnitentem, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumque ad sacros ordines permittat accedere. Sed si quos hujusmodi forte repererit, non audeat promovere. Afros passim ad ecclesiasticos ordines prætendentes nulla ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpius sunt probati. Ministeria atque ornatum Ecclesiæ, vel quidquid illud est in patrimonio ejusdem non minuere studeat, sed augere. De reditu vero ecclesiæ vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones : quarum unam sibi ipsi retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus et peregrinis, quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam. De quibus divino erit redditurus judicio rationem. Ordinationes vero presbyterorum seu diaconorum non nisi quarti, septimi, et decimi mensium jejuniis; sed et ingressu quadragesimali atque [5] medio, vespere sabbati noverit celebrandas. Sacrosancti autem baptismi sacramentum non nisi in Paschali festivitate et Pentecoste meminerit esse præbendum, exceptis his qui mortis urgentur periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subveniri. Huic ergo sedis nostræ præcepta servanti devotis animis obsequi vos oportet, ut irreprehensibile placidumque fiat corpus Ecclesiæ, per Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipotente et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Et subscriptio ejus.* Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii.

EPISTOLA XV.

Narrat quæ a Rustico Lugdunensi episc. acceperit subsidia et quantas ab Acacio sustineat persecutiones.

(Ex schedis R. P. Hieron. Vignerii.)

Dilectissimo fratri Rustico Gelasius.

Inter ingruentium malorum turbines et variarum tentationum quibus pene mergimur afflictationes, tua nobis caritas, amantissime frater, grande solatium propinavit. Quid enim consolatius posset accidere quam videre fratres carissimos invicem compatientes et partem oneris ferentes, quibus non minima benedictionis portio collata est. Benedictus Deus, qui tua erga nos taliter affecit præcordia, ut non tantum quæ patimur, animo sentias, sed ea monstres in sanctæ tributionis exhibendo misericordiam, qualem habeas in compassivo corde caritatem, et adjungas ad dulcissimæ consolationis sermones quæ sunt præcipuæ inter amicos opitulationes. Verum dilectionem tuam non fatigabimus scribentes quam in arcto fuerimus. Scit frater noster et coepiscopus Æonius (Arelatensis) quam utile fuerit et quod misit, et quod ad nos misisti subsidium. Cæterum frater noster Epiphanius (Ticinensis), qui ad gentis suæ relevandos et redimendos captivos ad partes vestras destinatur, fraternitatem tuam certiorem faciet quantam ob impiissimi Acacii causam persecutionem sustinemus. Sed non deficimus, et inter tot pressuras nec cedit animus, nec relaxatur zelus, nec subvertit metus. Sed licet aporiantes et angustiati, confidimus in eum qui dabit cum tentatione proventum : et si ad tempus sinit deprimi, non patietur opprimi. Fac, carissime frater, ut tuus tuorumque in nos, vel potius in sedem apostolicam non cesset affectus. Qui enim in petra solidabuntur

[1] In libro Diurno Rom. pont. inscribitur : *Synodale quod accipit episcopus.* Est et inter epistolas Gregorii II ordine quarta. Citatur et apud Gratian. ex Gelasio 26, XII, quæst. 2, clero, ordini et plebi Brendesii. HARDUIN. — Gelasio etiam inscribitur in Lucensi codice vetustissimo. MANSI.

[2] In cod. Luc. 490 deest *in Domino salutem.*

[3] Id. cod. Luc. addit *vestris.*

[4] Id. cod., *etiam.*

[5] Id. cod., *medianæ.*

cum petra exaltabuntur. Adjuva fratrem nostrum Epiphanium, et sentiat quia me amas; et cum redierit ad propria, scribat dilectio tua tam quæ sibi quam quæ fratribus nostris et coepiscopis per Gallias A constitutis circa impiissimi Acacii causam videbuntur. Deus te præstet incolumem, frater carissime. Datum VIII calend. Februarias, Asterio et Præsidio VV. CC. consulibus (anno Christi 494).

APPENDIX PRIMA.

VARIA FRAGMENTA.

GELASIUS PAPA.

(Ex Baluzii Miscell.)

Quid novæ ædificationi antiqua ecclesiarum poterit præjudicare divisio, cum in ea non futura, sed quæ erant præsentia finirentur? Nunc autem ad hanc basilicam quæ dedicanda est, illud debet summa intentione disquiri, quis, id est, cujus civitatis, ex eadem re, antequam basilica quæ fabricata est fundaretur, baptizaverit incolas, aut ad cujus consignationem sub annua devotione convenerint. Non enim terminis aut locis aliquibus convenit definiri, sed illud facere diœcesim quod superius continetur, ut constet commanentes a quo fuerint lavacri regeneratione purgati. Et ideo, fratres carissimi, amotis ambagibus, et omni circuitione submota, hoc vos modis omnibus convenit investigare, ut ille maxime ad consecrationem vocetur, cui per hunc modum, quem præscripsimus debere, permitti noveritis. In cæteris etiam ecclesiis quas post constitutum quod gestis sanctæ memoriæ Leonis papæ in synodo nuper relectis in his locis quæ distincta sunt per subreptionem ab virunnis [1] episcopo constiterit consecratas, hæc eadem et requirenda, et sunt modis omnibus ordinanda; ita tamen ut documentum quod superius diximus in omni constitutione servetur; quia quidquid supplosis petitionibus claruerit postulatum, id in irritum merito tanti præsulis erit contemplatione deducendum.

GELASIUS IN DECRETIS DULCIO DEFENSORI.

Experientia tua præsenti admonitione suscepta filiis nostris viris magnificis Æmiliano magistro militum, et Constantino judici, et Ampelio ex nostra exhortatione dicere non omittat. Ecce, sicut magnitudinis vestræ desiderium postulavit, sine mora aliqua, et sine ullo dispendio, ita ut nec ipsas dare ecclesiasticis officiis consuetudines sineremus, Anastasium diaconem Lucerinæ civitati ordinavimus sacerdotem. Propterea nunc magnificentia vestra ejusdem episcopi vel Ecclesiæ Lucerinæ utilitatibus in universis quæ sunt necessaria libenter impendat, et competentia vigilantiæ suæ tribuat Christiana devotione solatia.

STEPHANO EPISCOPO GELASIUS.

Oportuerat Antistiam, quæ direxit petitorium in desiderata sibi pudicitia permanere, quia non facile contemnere debuit, quod facile prius credidit postulandum. Pertractato enim et maturato consilio juventutem suam, vel ea quæ petitorio debuit æstimare, [a] nec contra electionem viduitatis indictæ suffragia postmodum et occasiones rumpendæ quærere castitatis. Sed quia mutabilem mentis errorem ferendæ culpæ cupiditate temeravit, et maritum potius incontinentiæ suæ, quod nullis prohibetur legibus, exquisivit, supradictam processioni solitæ noveris esse reddendam, et ut accessus ecclesiæ et ministeriorum sacra communione potiatur.

GELASIUS PAPA MAXIMO ET EUSEBIO EPISCOPIS.

(Ex Baluzii Miscell.)

Licet regulis contineatur antiquis, parochias unicuique ecclesiæ pristina dispositione deputatas, nulla posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali temeritate crescente, ubique universalis confusio nasceretur, jam in decretis nostris ante non multum temporis destinatis, omnia jussimus, B quæ taliter fuerant invasa, restitui. Sed quia temeritas pervadentium legem sibi putat posse generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adjungat, ea quæ inter fratrem et coepiscopum nostrum Constantinum Camiscanæ Ecclesiæ sacerdotem, et directos ab Anconitano pontifice decrevimus, per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris cogitationibus quæ sit sequenda perscripsimus. Nulla igitur præsumptione statum parochiarum, qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari, quia neque negligentia pontificis, neque temporalis adjectio, quæ per incuriam forte generatur, nec ignavia faciente consensus, nec surripiente supplicatione præceptio divellere potest semel diœcesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem atque consignationem plebs devota consistit.

IDEM JUSTINO ARCHIDIACONO ET FAUSTO.

De rebus ecclesiæ in quatuor partes dividendis.

C Vobis et famæ vestræ consultum duximus, ut pontificis vestri loco vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui ejus nomine pariter universa disponat, quatenus omnia prædia ad vestrum revocetis studium, ne cuiquam clerico pro portione sua solum aliquod ecclesiæ putetis esse deputandum, ne per incuriam negligentiamque minuatur, sed omnem pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis urbanisque collectam ad antistitem deferatis. Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quod ad causas vel expensas accedentium necessitatum opus esse perspicitur, ut de medio sequestretur, et quartæ portiones vel fidelium oblationes de hac fiant modis omnibus pensione, ita ut unam sibi tollat antistes, aliam clericis pro suo judicio et electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omnium conscientia faciat erogari. Fabricis vero quod competit ad ordinationem pontificis erogatione vestra decernimus pendendum. Si quid forte ab annua remanebit expensa, electo idoneo ab utraque parte custode condatur in D thecis, ut si major emerserit fabrica, sint subsidio quæ diversi temporis diligentia potuerint custodiri, aut certe ematur possessio, quæ utilitates respiciat communes.

INCIPIUNT DICTA GELASII PAPÆ.

(Ex ms. cod. Luc. sæc. IX.)

Catechumeni, Latine dicuntur instructi vel audientes, ii sunt qui fidem Christi instructi audiunt Christi præcepta, et recte credunt, et etiam a sacerdote consignati sunt, et per exorcisma purgati,

[a] Viduæ nullam solemnem castitatis professionem emittebant. Quæ si obligatam Deo privati voti religione castitatem assumpto conjugio violabant, nonnisi Deo reddebant rationem. Vide epistolam Gelasii ad episcopos Lucaniæ cap. 21. MANSI.

[1] Locus corruptus.

et resipiscunt, sed necdum sacro baptismate sunt abluti. Pœnitentes hi dicuntur in canone qui de criminibus, de majoribus culpis agunt publice pœnitentiam. Et sciendum est quia secundum præceptum canonis non licet fidelibus, id est jam baptizatis, missas in ecclesia cum audientibus, id est catechumenis stare tempore orationis et canonicæ laudis, et simul cum eis orare et psallere. Neque clericis, aut aliis laicis licet cum pœnitentibus simul mixti orare aut psallere..... antiquitus proprius statutus locus, aut extra ecclesiam, aut in initio introitus ecclesiæ, ubi ad orandum et audiendum divinum officium stabant catechumeni, id est instructi vel audientes, et infra ecclesiam. Super istos erat similiter proprie locus statutus ubi stabant pœnitentes, ut omnes in ecclesiam introeuntes scirent eos de criminalibus culpis pœnitere, et orarent pro eis, et illi per hæc humiliati magis reciperent veniam delictorum suorum. Et super hos in alio ecclesiæ spatio stabant cæteri fideles laici, segregati tamen a clericis. Cumque autem in aliquibus capitulis canonis dicatur ut pro quacunque criminali, id est graviori culpa ejiciatur ab ecclesia quicunque, non est intelligendum ut funditus prohibeatur ab omni conventu et auditione divinæ laudis, et præceptorum Domini; quod nimis absurdum est, et contra præceptum divinæ clementiæ, ut æger a divina excludatur medicina Dei, qui pro salute peccatorum est incarnatus et passus; et abjectus ab omni conventu et consolatione fidelium diabolo tradatur. Sed prædicta rationabiliter intelligendum est, ut ejiciatur a communione, id est consortio aliorum fidelium, qui intra ecclesiam stant tempore orationis et laudis Dei, et stet per statutos annos ad orandum et laudes Dei audiendum extra ecclesiam inter audientes, id est catechumenos; et expletis his omnibus secundum judicium commissæ culpæ intret in ecclesiam in communionem, id est consortio orationis cum pœnitentibus, inter quos, expletis iterum annis secundum judicium culpæ suæ, redeat plenius a communione, id est consortium cæterorum fidelium, et perceptionis sacri corporis et sanguinis Christi.

APPENDIX SECUNDA.

CANONES GELASIO ASCRIPTI.

MONITUM.

Inter veteres pontifices fere nullus occurrit, si Gregorium Magnum et forte etiam Leonem excipias, cujus nomine tam multa decreta inscripta apud veteres collectores legantur. Ego illa omnia vel fere omnia hic sub uno veluti conspectu exhibere aggressus sum; non quod omnia sinceros esse Gelasii fetus existimem; sed eodem plane consilio quo et cæteri ante me conciliorum collectores, minus etiam sincera, sed quæ ab aliis sincera habita sunt danda esse judicarunt. Porro istis colligendis usus sum præcipue codicibus Burchardi, Ivonis, et Gratiani. Adjeci notulas interdum meas sed breviores, et quæ facile ad variantes ex mss. codd. acceptas pertinent. Adjungere potuissem et singulorum censuras, sed cum dicti mei rationes afferendæ essent, nimis in longum me res illa protraheret. Adeant qui voluerint præclarum opus Caroli Sebastiani Berardi Uneliensis presbyteri in regia Taurinensi academia jurisprudentiæ studiis præfecti inscriptum: « Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, » Taurini 1752, quatuor in volumina divisum.

GELASIUS MAJORICO ET JOANNI EPISCOPIS.

Non esse sumendum corpus Domini sine calice.

Comperimus autem quod quidam in eadem regione, sumpta tantum corporis sacri portione, a calicis sacri cruore abstineant. Qui procul dubio nescio qua superstitione docentur obstringi; aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

GELASIUS MAJORICO ET JOANNI EPISCOPIS.

De his qui duos episcopos suos occiderunt ut amplius episcopo careant.

Ita nos quidem Latinorum cædes geminata pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit, ut diu constitutio nostræ deliberationis hæsitaret; dum et ingerere quemquam parricidialibus exemplis dubitaremus antistitem. Quapropter jam velut usum consuetudinemque sacrilegam declinantes, eatenus religioni duximus consulendum, ut parœciæ vices ab extrinsecus positis sacerdotibus gubernentur, quia ibidem commanentes ferro didicerunt necare pastores, inauditoque facinore (quod etiam nullis provinciis nusquam prorsus acciderit, quæ bellorum continuis diversisque incursionibus affliguntur) hæc reperta sit civitas, quæ præsules ministrando sibi fidem Christianam sine persecutione prosternat. Curandum est igitur ut illic funesta pernicies cessatione propriorum sanetur antistitum, atque ita saltem furoris tanti materies subtrahatur, eoque modo vel illa, dum in quos sæviat non habebit, ab hujusmodi cessatione desistat, vel aliis imitantibus dira contagia non præbeat. Egent ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde depensis, quæ sacram in suo gremio collatam fuso crudeliter macularat sanguine dignitatem; quia in utroque hac est ultione plectenda, sive scilicet instinctu domestico, seu furiis incitata, nefas hoc committit exterius. Præbeat ergo dilectio vestra in hoc statu positæ ministerium visitationis ecclesiæ; et aut conveniendo pariter aut vicissim prout qualitas rerum, causaque poposcerit, divina ministeria [*al.* mysteria] repræsentet ingratis; ne cum devitamus zizania, dominica videamur præterire frumenta.

GELASIUS JOANNI EPISCOPO.

Nos ausus impii commovere Aselli, qui archidiaconatus fungebatur officio; nam cum duro casu lethaliter sauciato pontifice præ cæteris ecclesiam custodire debuerit, ac ne quid de episcopali domo subduceretur, et cum ipsum in tumultu præsenti permisit occidi, cum ad fatendum servari debuisset, utrum hæc sua voluntate peregerit, aut cujusquam præcipitatus impulsu, et prius ab eo, quia idem creditarius præsulis fuisse dicitur interempti, ecclesiastica requiri substantia. Quis autem non evidenter intelligat propter hoc præcipuum dictum citius fuisse sublatum, quatenus nec complices proderet, et ignorata facultas ecclesiæ facilius direptionibus subjaceret? Nam et libellarius incisus episcopi perhibetur inventus, et vir bonus Asellus ac suo gradu dignus (quod nunquam ante tentatum est) prius in se decretum, adactis ecclesiæ ministris compulit celebrari, quam de excessu secundum tramitem vetustatis ad sedis apostolicæ notitiam relatio mitteretur. Quam sit autem intolerabile malum quis Christianus addubitet? ut cum soleat etiam communi sorte defuncto pontifice transitus ejus ante omnia nuntiari, competens deputari visitatio, atque ita de subrogando sacerdote tractari, hic unus exstiterit, qui interfecto religionis antistite, de suo mox honore cogitaverit, quam studuerit deferre quod gestum est. Ubi tametsi latet extrinsecus quid agatur; tamen affectatæ potestatis abruptum, conscientiam suspicione non exuit, defuncti locum pariter

ambientis (*forte* ambiens) interim ne quis hoc unquam audeat usurpare, quod ante istum nullus est ausus, ab officio quod gerebat, nostra sit auctoritate submotus, donec quid in perpetuum de tali ordinari censeamus plenius retractetur. Si qua sane juris ecclesiastici subtulisse convincitur modis omnibus reformare cogatur.

GELASIUS ELPIDIO EPISCOPO.

Sacrosancta religio, quæ catholicam tenet disciplinam, tantam sibi reverentiam vindicat, ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat pervenire. Nam quomodo ad divini mysterii consecrationem cœlestis Spiritus invocatus adveniet, si sacerdos, et qui eum adesse deprecatur, et criminosis plenus actionibus reprobetur?

GELASIUS HELPIDIO EPISCOPO VOLATERRANO.

Absque auctoritate Romani pontificis ad comitatum episcopi proficisci non audeant.

Quo ausu, qua temeritate rescribis Ravennam te parare proficisci, cum canones evidenter præcipiant nullum omnino pontificem nisi nobis visis, atque consultis, ad comitatum debere contendere (quod cum longævi vel ætate vel honore pontifices Pistoriensis, Lucensis, et Fesulanus nuper monstrentur fecisse, tu qui paucorum dierum fungi sacerdotio videris), quemadmodum tibi putas licere, quod non licet; nisi quod hoc officio carere festinas, quod his excessibus te ostendis indignum?

GELASIUS MAXIMO ET EUSEBIO EPISCOPIS.

Licet regulis contineatur antiquis parochias unicuique ecclesiæ pristina dispositione deputatas nulla posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali temeritate crescente ubique universalis confusio nasceretur, tamen etiam decretis nostris ante non multum temporis destinatis omnia jussimus, quæ taliter fuerant invasa, restitui; sed quia temeritas pervadentium legem sibi putat posse generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adjungat; ea quæ inter fratrem et coepiscopum nostrum Constantium Camiscanæ Ecclesiæ sacerdotem, et directos ab Anconitano pontifice decrevimus, per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris cognitionibus, quæ sit sequenda præscripsimus. Nulla igitur præsumptione statum parochiarum, qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari, quia negligentia pontificis neque temporalis objectio, quæ per incuriam forte generatur, nec ignavia faciente consensus, nec subripiente supplicatione præceptio divellere potest semel diœcesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem, atque consignationem plebs devota convenit; (*in Gratiano additur, sed forte verba sunt ejusdem Gratiani non Gelasii*) territorium enim non facere diœcesim olim noscitur ordinatum.

GELASIUS EPIPHANIO EPISCOPO.

Ad episcopos cæteros direximus jussionem, ut eos qui ecclesias violasse perhibentur, accessu earum judicent esse non dignos.

GELASIUS VICTORI, CONSTANTINO, MARTYRIO, FELICISSIMO, SORANO ET TIMOTHEO EPISCOPIS.

Frater et coepiscopus noster Epiphanius sua nobis relatione suggessit, Benenatum et Maurum Beneventanæ municipes civitatis in contumeliam religionis acerba nimis et plectibili contumacia prosiluisse, qui confugientem ad ecclesiæ septa curialem suum, nec illic quidem tutum, aut de injuria securum esse siverunt, ausi temerariæ menti admittere quod nec potestatibus quidem vel principibus unquam licuit perpetrare, ut hominem in sanctuariis constitutum, captata sacerdotis absentia, reluctantem, reclamantemque violenter abstraherent, quos, quantum nobis sua suggestione patefecit, merito indignos esse sacra communione judicavit. Et si revera tanti facinoris constat admissum, nostra etiam auctoritas in hac parte consentit. Nec enim ad supplicandum jure debet admitti, ubi admittere sacrilegium non dubitavit. Nullus enim intra limina tantæ venerationi deputata utrumque sibi licere existimet pro suæ voluntatis arbitrio, ut humilitatem sibi vindicet et furorem. Et ideo, fratres carissimi, supradictos, si manifesta reos facit conquestio, ab omnibus parochiarum vestrarum ecclesiis nostræ præceptionis auctoritate prohibete, ut non solum hi qui in injuriam sanctorum locorum prosiluisse probabuntur merito consequantur pro facti sui qualitate vindictam, verum etiam cæteri a tali præsumptione ultionis istius timore revocentur.

De sinceritate hujus epistolæ in utramque partem disputat Berardus, et rem in medio relinquit; mihi nihil vere suspiciosum occurrit.

GELASIUS JUSTO EPISCOPO.

Dilectio tua studeat quæsita omnium fideliter rerum veritate, ut si de spatis de quibus memoratur orta contentio definitio dudum certa processit, intemerata servetur. Alioquin si nihil unquam constiterit terminatum, tunc de præscriptione temporum si qua pars [1] dissidet præbeat sacramentum; [2] ut tamen quæ hactenus possedisse perhibetur, jusjurandum sinatur offerre.

GELASIUS MARTYRIO ET JUSTO EPISCOPIS.

De servis sine consensu dominorum ordinatis.

Ex antiquis regulis et novella [3] synodali explanatione comprehensum est personas obnoxias servituti cingulo cœlestis militiæ non præcingi. Sed nescio utrum ignorantia an voluntate rapiamini, ita ut ex hac causa nullus pene episcoporum videatur extorris. Ita enim nos frequens et plurimorum querela circumstrepit, ut ex hac parte nihil penitus putetur constitutum. Actores siquidem illustris viri, filii nostri Amandiani graviter conqueruntur, homines suo juri deditos, alios adhuc clericos, alios jam diaconos ordinatos, cum non solum post modernum, quod tantorum pontificum collectione sub omnium saluberrimæ provisionis assensu constat esse perfectum, hujusmodi personas suscipi non debere, verum etiam si qui forte in divinæ cultum militiæ ante fuerint ignorantia faciente suscepti, eliminare prorsus, et exutos religioso privilegio ad dominorum possessiones justa debuerint admonitione compelli. Et ideo, fratres carissimi, quos supradicti viri actores in clericatus officio monstraverit attineri, discussos et obnoxios ac probatos custodito legum tramite sine intermissione restituite, ita ut si quis jam presbyter reperitur, in eodem gradu peculii sola amissione permaneat. Diaconus vero aut vicarium præstet, aut si non habuerit, reddatur. Residua officia sciant neminem posse ab obnoxietate, si convincitur vindicari, quatenus ordine custodito nec dominorum jura, nec privilegia illa ratione turbentur.

GELASIUS [4] RUFINO ET JUSTO EPISCOPIS.

Honorati et primarii Varulanæ (*forte* Verulanæ) civitatis fusius nobis precibus supplicarunt, sicut habetur in subditis, quibus etiam subscriptionem propriam commodarunt, se ab Agnello diacono gravi contumeliarum genere fuisse maceratos, ut etiam res perjurii (sicut ipsi dicunt) se asserant inclinatos; et ideo, fratres carissimi, secundum petitorii fidem supradicto diacono ad vestrum judicium, imminente Laurentio Romanæ Ecclesiæ defensore, mox deducto, veritatis assertione discussa, si constiterit integritas supplicantium, aut intenta doceat diaconus, aut de ejus protervitate noveritis esse vindicandum, quatenus de tantis excessibus memoratæ improbæ

[1] Lege *diffidit*. Gratian. habet *confidit*.
[2] Ms. Gratian., *ita ut*.
[3] Epist. ad episc. Lucan., cap. 14.
[4] In cod. Laborantis ms. pro *Rufino*

temeritatis exclusus ultio digna comitetur, et qui se conviciis trivialibus implicavit, sacræ communionis arceatur accessibus.

GELASIUS CRESCONIO ILLUSTRI.

Illud te modis omnibus volumus custodire, ne quis episcoporum Siciliæ de parochiis ad se pertinentibus nomine cathedratici amplius quam duos solidos præsumat accipere, neque compellere presbyterum aut clerum parochiarum suarum supra vires suas eis convivia præparare.

Utrumque affert Ivo p. 3, cap. 135 et 136, et ex Ivone Gratianus 16, q. 3. Dilectio cap. Illud te modis. 10, q. 3. Postremum hoc fragmentum Gratianus non Gelasio, sed Pelagio tribuit; at cum ex Ivone accepisse Gratianus facile judicetur, ideo cum Ivo Gelasium legat, idem et Gratianum scripsisse oportet. Est autem canon a disciplina sive Gelasii sive Pelagii ætate vigente abhorrens.

GELASIUS JUSTINO ARCHIDIACONO ET FAUSTO DEFENSORI.

Quod episcopo nullo commento res liceat Ecclesiæ alienare, et quod privilegia omni ratione integra convenit servari.

Volatoranæ ecclesiæ actus vel patrimonium, quod hactenus comperimus destitutum, vel post damnationem Eucharisti, quo fuerat depravante dispersam, curæ vestræ decrevimus esse delegandum, ut diligentia qua vos pro ecclesiæ utilitatibus existimamus esse vigilantes, prædia culturæ restituatis antiquæ; revocetis si quas sunt vendita aut donata mancipia, possessiones etiam ab Ennatio et Oppilione episcopis vel cæteris quovis jure videritis teneri (quia contra constituta synodi ab episcopo prædia alienari nullo poterunt commento) nihilominus revocentur; sit emptoribus ad eum recursus, qui præsumpsit aliquid de ecclesiæ rebus illicita venditione distrahere; ita ut pensiones annuas ad pontificem deferatis, cui privilegia sua integra convenit omni ratione servari, ut ejus dispensatione portiones proveniant consuetæ, C ita ut portionem quartam, quæ ad eos pertinet, sua pontifex ordinatione distribuat, prout cujusque locum meritumque cognoscit. Pariter etiam ex fidelium oblatione faciendum, ut quartam clericis eroget pro consideratione suæ electionis, antistes. Fabricarum etiam portio, episcopo sciente et disponente vestra erogatione pendatur, quatenus nihil penitus in detrimentum alicujus rei patiamini generari. Si quid vero in ecclesiæ vestræ damnum, aut in his quæ sunt præceptionis nostræ prohibita pontificem vestrum videritis admittere, mox nostris auribus relatione signate, ut quid fieri debeat censeamus. Decimas justo ordine non tantum nobis, sed majoribus visum est, plebibus tantum ubi sacrosancta dantur baptismata deberi.

GELASIUS HERCULENTIO, STEPHANO ET JUSTO EPISCOPIS.

De eadem re.

Frequens equidem, et assidua nos querela circum- D strepit de his pontificibus qui neque antiquas regulas, nec decreta nostra noviter directa cogitantes obnoxias possessionibus, obligatasque personas venientes ad clericalis officii cingulum non refutant. Nuper etenim actores illustris feminæ Placidiæ petitorii oblatione conquesti sunt, Sabinum Marcellianensis sive Casilinatis urbis, Antiochum servum juris patronæ suæ absentis dominæ occasione captata, ad presbyterii honorem usque productum, ejusque fratrem Leontium clericalis officii privilegio decorasse. Et ideo, fratres carissimi, inter supradictos actores, et eos qui conditionis extremæ repetuntur, objectam cognitionem vobis nostra auctoritate deputamus, ut omni veritate discussa, si revera objectam sibi maculam justitiæ refragationis non potuerit ratione di- A luere, Leontium clericum, quem gradus præfinitus legibus non defendit, ad sequendam [1] cognitionis suæ necessitatem modis omnibus redhibete. Antiochum vero, quia per sacerdotium non jam potest retolli, si in suam ecclesiam in hoc in quo est honore desiderat collocare, non veluti redditum sibi, sed habeat pro ministeriorum celebratione susceptum.

GELASIUS PHILIPPO ET CASSIODORO.

Cœlestini causa talis est, quas vos quoque non arbitror ignorare, siquidem hic conscius convictus in cæde parentis, et episcopi, quemadmodum gestorum tenore monstratur, cunctorum judicio nullatenus æstimatus est officio dignus altaris, eique pro tam detestando facinore unius anni interdicta communio est. Quatenus pœnitudine competenti tanti facinoris curaret abruptum. Quod etiamsi a nobis juberetur, ipse magis cogitans divini corporis sacramentum debuit ad hoc mente purgatiori remeare. Quod tempus tamen aut expletum, aut prope jam putamus B exactum; post quod ei communionis facultatem patere non dubium est, ut et sententia synodalis possit abrumpi, et ut illi magis prosit, valeat majori satisfactione mundari.

GELASIUS SECUNDINO VISINENSI [2].

De correptione ejus qui magica arte criminatus sit.

Atroces injurias indecorum prorsus ducimus ministrorum Ecclesiæ vocibus irrogari, talia laicorum cum plerumque refugiant actiones. Tempus bonum siquidem honesta femina didicerat a magistro Paulo diacono, quæ non solum suggerit criminibus appetitam, verum etiam in damnata arte magicæ exsecrationis conscientiam miscuisse. Et ideo, frater, in supradictos te decrevimus cognitorem, ut si prædictum diaconum protervitas ista convincit, postquam indecenter probatus fuerit mulier inciviliter appetisse, aut eumdem ad astruenda quæ jactavit astringas, aut digna correctione compescas.

GELASIUS QUINIGESIO EPISCOPO.

Ut Judæi conversi honorentur.

Vir clarissimus Telesinus, quamvis Judaicæ credulitatis esse videatur, talem se nobis approbare contendit, ut merito nostrum appellare debeamus; qui pro Antonio (Antio) parente suo specialiter postulavit ut eum dilectioni tuæ commendare debeamus; et ideo fratrem supradictum voluntatis nostræ mandatorumque respectu ita te habere convenit, ut non solum in nullo penitus opprimatur, verum etiam in quo ei opus fuerit tuæ se gaudeat dilectionis adjutum.

GELASIUS PAPA QUINIGESIO EPISCOPO.

In nullam transferatur personam res in litigio posita ante cognitionis eventum.

Quia res in litigio posita in nullam transferri potest omnino personam, donec legitimæ cognitionis eventu, cui potius debeatur, judiciaria disceptatione possit agnosci, ex eadem re quispiam non sinatur exigere pensiones, sed in eodem statu, re eadem posita, in quo videtur (sicut dictum est) ante constituta, quisquis sibi putat quippiam posse competere, juridico pulset examine, præjudiciis omnibus inde submotis.

GELASIUS SIRACUSIO CONSTANTIO ET LAURENTIO EPISCOPIS.

Quam diligenter examinandum sit de servis Judæorum.

Judas, qui Judaicæ professionis exstitit mancipium, juris sui quod ante paucos annos se asserit comparasse, nunc ad ecclesiam Venefranam confugisse suggessit, sicut petitorii tenor annexus ostendit, eo quod dicat sibi ab infantia Christiano nuper a præfato domino signaculum circumcisionis infixum. Quapropter diligenter vestra inter utrumque sollicitudo

[1] Gratian., *cognationis*.

[2] Fortasse *Vulsinensi*.

rerum fideliter examinet veritatem, quatenus nec religio temerata videatur, nec servus hac obsectione mentitus competentis jura domini declinare contendat.

GELASIUS MAJORICO SERANO ET JOANNI EPISCOPIS.

Ne quis contra ecclesiasticam satisfactionem excommunicatis communicet.

Cœlestinus presbyter fratris et coepiscopi nostri Serani qui contra pontificale judicium, contraque apostolicæ sedis mandata prorumpens supradictis communionem sacram ministrare præsumpsit, cum non potuerit ignorare sententiam proprii sacerdotis ab officio protinus ecclesiastico repellatur, ut nullus Ecclesiæ ministrorum contra pontificalia statuta venire contendat.

GELASIUS PAPA FAUSTO MAGISTRO MILITIÆ.

Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus, et qui hoc certam faciendi solus habuit potestatem beato Petro apostolo principaliter mandat: Quæcunque super terram ligaveritis, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis (*Matth.* XVI). Super terram, inquit, nam in hac alligatione defunctum nunquam dixit absolvendum.

GELASIUS JOANNI EPISCOPO [1] VIVANENSI.

Exemplum vindictæ in eos qui se justas habere causas mendaciter fingunt.

Uxor Felicis, et filia Romam (quia sic oportuit) pervenerunt: siquidem hunc ipsum primum se ad barbarorum basilicam conferentem, seque bonas causas habere jactantem egredi sub hac conditione præcepimus, ut si actus suos fideliter et rationabiliter allegaret, nihil contra eum prorsus asperum fieri, durumque pateremur; alioquin si contra fidem et utilitatem dominicam venisse probaretur, ipse sibimet imputaret, atque ordinationi congruæ subjaceret. Qui superveniente filio nostro viro spectabili Orthasio, sic est ad singula quæque convictus, ut os aperire non posset, et vera esse, quæ huic objicerentur propria voce fateretur, ideoque tenetur mancipatus custodiæ.

GELASIUS HONORIO EPISCOPO.

De hominibus ecclesiastici juris ne testamenti sibi paginam faciant.

Illud etiam sinceritatem tuam non latere volumus ad nos fuisse perlatum, quod ampliatus conductor, quem non solum servum constat ecclesiæ, sed ita rationibus a multis temporibus implicatum, ut etiamsi esset ingenuus, donec ratiocinia cuncta deduceret, modis omnibus obnoxius haberetur, ausu temerario molitus fuerit condere paginam testamenti, cujus omne peculium ecclesiastico juri legibus non dubitetur obstrictum. Quapropter his præsumptionibus vice nostra tua fraternitas contradicat, nec fieri prorsus aliqua subreptione permittat. Ac si eidem quidquam humanitatis forte contigerit, quia grandævus esse memoratur, mox ejus sine dilatione substantiam unanimitas tua filiis ejus duntaxat, quibus patrimonium probatur commissum sub fideli descriptione contrudat, donec temporibus universis, quibus hoc patrimonium gubernasse cognoscitur, partes dominicas cogatur reddere indemnes.

GELASIUS HONORIO EPISCOPO.

Divinæ retributionis memor ad pontificalem conscientiam non ambigas pertinere egentium commodis piam sollicitudinem non negare.

GELASIUS CRESCONIO, JOANNI ET [2] MESSALÆ EPISCOPIS.

Statuta priorum decessores servare oportet.

Decessorum statuta sicut legitima et justa successores custodire convenit, ita etiam debent malefacta corrigere.

GELASIUS JOANNI EPISCOPO SORANA.

Certum est quidem, et nostris præceptionibus constitutum, ne quis in ecclesia aut in oratorio sedis nostræ non legitur permissione dedicatum, processionem publicam putaret impendi: ne conditores fortivis subreptionibus contra regularum statuta prosilirent. Sed quia Magetia spectabilis femina petitorii nobis oblatione suggessit, in possessionibus propriis suorum corpuscula condidisse: frater carissime, humanitatis intuitu, quod priora statuta non maculent funeribus, et sepulcris tantum, in comprehensis petitorio locis ministeria noveris pro solemnitate præstanda, ut defunctorum nomine solummodo divina celebrentur officia, publica frequentatione, et processione cessante. [3] Data idibus Aprilis.

GELASIUS PAPA SENECIONI EPISCOPO.

In ecclesia quam quis ædificat nihil sibi uræ cæteris vindicet.

Piæ mentis amplectenda devotio est, qua se [4] Julius U. H. in re Juviana sui juris fundasse perhibetur ecclesiam, quam in honorem S. Viti confessoris ejus nomine cupit consecrari. Hanc igitur, frater carissime (si ad tuam diœcesim pertinere non ambigis), ex more convenit dedicari collata primitus donatione solemni, quam ministris ecclesiæ destinasse se præfati muneris testatur, scilurus sine dubio præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum. [5] Data XIII cal. Augusti.

De eodem.

Frigentius vero petitoria nobis insinuatione suggessit in re sua quam Sextilianum vocatur, basilicam se sanctorum Michaelis archangeli, et Martini confessoris pro sua defensione fundasse. Et ideo, frater carissime, si ad tuam pertinet parochiam, benedictionem supra memoratæ basilicæ solemni veneratione dependet. Nihil tamen sibi fundator ex hac basilica non erit vindicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur.

Episcopi a suo metropolitano et ipse ab eodem consecretur.

[a] Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam ecclesiarum jura turbare, ac privilegia quæ metropolitanis vel provincialibus episcopis decrevit antiquitas temeraria præsumptione pervadere, propter quod etiam communionis apostolicæ desiderant dissidium tenere; quo scilicet ab ejus auctoritate divisi, vel impunes proprias usurpationes exerceant, non

[a] Anselmus Lucensis in sua collectione lib. VI, cap. 39, hoc fragmentum totidem verbis ex epistola Gelasii ad Natalem episcopum refert, sed circa finem apud eumdem Anselmum ita variat: *Caritatem tuam duximus instruendam nos pariter ad metropolitanos vestræ provinciæ sive cujusquam contiguæ, quæ catholicam servant unitatem magnopere delegasse ut obeuntes episcopos in eadem regione metropolitanus suus debeat ordinare, eumdemque ipsum metropolitanum si humana morte transierit, nonnisi comprovinciales episcopi juxta formam veterem studeant ordinare, quatenus quæ veneranda decrevit antiquitas nullus sibimet contra fas usurpare contendat.* MANSI.

[1] Gratianus legit *Viennensi.*
[2] Ita legit cod. Deusdedit, cum in edit. sit *Messaliæ.*
[3] Desunt sequentia in edit., sed reperta sunt a Ballerinis in cod. Vat. 3833.
[4] Ita restituunt Ballerini ex cod. Deusdedit, cum in cod. legeretur *Julius nobis in re Juliana.*
[5] Hæc desunt in editis et supplent Ballerini ex cod. ms.

respicientes quia æterno Judici rationem tam de catholicæ sinceritatis injuria, quam de traditionum præjudiciis paternarum non sine perpetuæ sint damnationis interitu reddituri, si in hac obstinatione permanserint, caritatem vestram duximus instruendam, ut vos omnes in commune fratres si per Dardaniam, sive per quamque contiguam provinciam constituti, qui vos sub metropolitanis vestris esse meministis, et ab eisdem substituti decernentes, sicut vetus consuetudo deposcit, unanimiter statuatis antistites, et vicissim si metropolitanus humanæ conditionis forte decesserit, a comprovincialibus episcopis, sicut forma transmisit sacrari modis omnibus censeatis: nec quemquam sibi, quam vobis antiqua dispositione concessum est, patiamini vindicare: quatenus et inter ipsas adversantium voluntatum procellas, veterum regulas nullatenus custodire cessetis, sicut persecutionum tempore diversarum patres nostros constanter fecisse non dubium est.

GELASIUS ANASTASIO EPISCOPO.

Defensionis propriæ desolatis auxilio, et qui suis actibus adesse pro ætatis infirmitate non possunt, exoratum pontificem decet subvenire, quia pupillis tuitionem etiam divinitas jussit impendi. Et ideo Maximo et Januario clericalis officii (qui se solatio parentum vel propinquorum asserunt destitutos) auxilium ex nostra delegatione præstabis, ut adversus improbitates adversariorum suorum protecti, tuæ exsecutionis annixu, noxia commenta non sentiant.

GELASIUS FORTUNATO EPISCOPO.

Tueatur Ecclesia quos in sui defensione suscepit.

Irreligiosum prorsus et exsecrabile judicamus, si quisquam vel extraneos in sui tuitione susceptos non omni fide et tota animi sui educaverit sanctitate. At cum Olympius diaconus dilectionis tuæ Felicis et Olympi suggeratur avunculus, eosque parvulos tutelæ vice susceperit nutriendos, ultra latrocinium esse judicamus, quod eos bonisculis parentum, sicut asserunt, reliquit extorres, alia retinendo, alia contra leges et jura vendendo.

GELASIUS JUSTINO ARCHIDIACONO ET FAUSTINO DEFENSORI.

De rebus ecclesiæ non est aliquid alienandum.

Vobis enim et famæ vestræ consultum duximus, ut pontificis vestri loco, vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui ejus nomine pariter universa disponat: quatenus omnia prædia ad vestrum revocetis studium, nec cuiquam clerico pro portione sua aliquod solum ecclesiæ putetis esse deputandum: ne per incuriam et negligentiam minuatur; sed omnis pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis, urbanisque collectam ad antistitem deferatis. Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quid ad causas vel expensas accidentium necessitatum opus esse perspicitur, ut de medio sequestretur; et quatuor portiones vel de fidelium oblatione, vel de hac fiant modis omnibus pensione: ita ut unam sibi tollat antistes, aliam clericis pro suo judicio et electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omni conscientia faciat erogari: fabricis vero quartam, quæ competit, ad ordinationem pontificis, erogatione vestra decernimus esse pensandam. Si quid forte sub annua remanebit expensa, electo idoneo ab utraque parte custode, tra-

A datur enthecis ut si major emerserit fabrica, sit subsidio quod ex diversi temporis diligentia potuerit custodiri, aut certe ematur possessio, quæ utilitates respiciat communes.

GELASIUS CLERO ET ORDINI ET PLEBI BRUNDUSII.

Redituum et oblationum duæ portiones clericis committantur.

Concesso vobis, quem petistis, antistite fratre jam et coepiscopo meo Juliano, necessarium fuit (eodem ad ecclesiam suam mox remisso) ad vos nostra scripta pariter destinari: quibus agnosceretis eidem fuisse præceptum, ne unquam ordinationes præsumat illicitas, *et infra*. Reditus et oblationis fidelium in quatuor partes dividat quarum unam sibi ipse retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat: fabricis tertiam; quartam pauperibus et peregrinis habeat fideliter erogandam: quarum rationem divino est redditurus examini.

B

GELASIUS EPISCOPIS ORIENTALIBUS DE DAMNATIONE DIOSCORI.

Non petenda est absolutio, cum inique fertur sententia.

[a] Cui est illata sententia deponat errorem, et vacua est; sed si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum et Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo se non ab solvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.

GELASIUS [1] GERONTIO ET PETRO EPISCOPIS.

Implorantibus patrocinium episcopi debent adesse.

Licet omnibus de nobis sperantibus non debeamus, in quantum possumus, nos negare; plus tamen viduarum et orphanorum causas, et impensius ducimus exsequendas, quas tueri a nobis, vel ab omnibus divina manifestat assertio.

C

GELASIUS LEONTIO ET PETRO EPISCOPIS.

Quisquis in negotiis suis nostri nominis intercessione sperat sibi remedia posse conferri, prona nos convenit animositate præstari.

GELASIUS CLERO, ORDINI, ET PLEBI [2] BRENDESII.

[b] Concesso vobis quem petistis antistite fratre jam et coepiscopo meo Juliano, necessarium fuit eodem ad Ecclesiam suam mox remisso, ad vos nostra scripta pariter destinare, quibus agnosceretis, eidem fuisse præceptum ne unquam ordinationes præsumat illicitas. Ne bigamum, et qui virginem non est sortitus uxorem, atque illitteratum, vel obnoxium, in aliqua parte corporis debilem notatumque modis omnibus ad sacros ordines permittat accedere. Quod etiam de peregrinis atque incognitis vel expetentibus cavere debebit, quia hujusmodi a venerabilibus prohibentur officiis, ac nihil ex ministeriis atque ornatu postremo de quacunque re quam constat ad ecclesiam pertinere, audeat in alterum qualibet ratione transferre. Reditus et oblationes fidelium in quatuor partes dividat, quarum sibi unam ipsi retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quarum rationem divino est redditurus examini. Sacris quoque ordinibus applicandos, hac observatione promoveat, ut jejunio quarti, septimi et decimi mensis vespere sabbati presby-

[a] Exstant hæc verba in tractatu Felicis III de Acacio rite damnato, hic dato ex Maffeio. MANSI.

[b] *Integram hanc epistolam Gratianus in duas distinxit, diverso etiam titulo præfixo; nam ab illis verbis,* Concesso vobis *usque ad illa* redditurus examini, *titulum præfixit clero, et ordini, et plebi Brundusii ita* 12, quæst. 2, can. 26: *Ab illis verbis* venerabilis etiam baptismi *usque in finem relatis* de consecr. dist. 4, can. 17, *incipit novus canon cum titulo*: Gelasius papa clero et plebi Tarentinæ. *Profecto hæc leguntur in libro* Diurno Romanorum pontificum, *et est formula litterarum quæ tradebantur episcopis recens ordinatis. At hanc formulam acceptam esse ex scriptis* Gelasii *satis indicat vetustus* '*Lucensis codex manuscriptus, in quo hæc ipsa formula sub Gelasii nomine legitur. Est autem codex ille sæculo exeunte* VIII *scriptus.* MANSI.

[1] Forte *Leontio.*

[2] Al. *Brundusii.*

teros atque diaconos ordinandos esse cognoscat. Venerabilis etiam baptismi sacramentum nisi in festivitate Paschali et Pentecoste tradere non præsumat exceptis ægritudine laborantibus.

GELASIUS COELESTINO EPISCOPO.

Ad ministerium alicujus ecclesiæ clerici ejusdem promoveantur.

[a] Presbyteri, diaconi, et universi clerici Stomensis (Histoniensis) civitatis petitorio nobis suggessere porrecto, in ecclesia beati martyris Eleutherii episcopi (quæ in supradicta civitatis parochia probatur esse constructa) presbyterum qui constitutus fuerat defecisse; atque in ejus locum Julianum diaconum ipsius ecclesiæ pro celebritate ipsius loci quantocius debere ordinari. Et ideo, frater carissime, si de ejus vita vel moribus nihil est quod contra canonum veniat statuta, suprascriptum presbyterii honore decorabis, sciturus eum visitatoris te nomine non cardinalis creasse pontificis. Pariter etiam et Felicissimum diaconum in ejus ecclesiæ ministerio si conversatio ejus patitur, subrogabis, ut locus processionis celeberrimus ad mysteriorum consecrationem nec sacerdote indigeat nec ministro.

GELASIUS PAPA EZECHIÆ COMITI.

A sæculari judice clericus non est audiendus.

Christianis gratum semper debet esse, quod ab eorum poscitur dignitate præstandum : quia Deo servientibus beneficium negare non convenit. Silvester itaque atque Faustinianus, qui se a cunabulis clericos confitentur, a Theodora se opprimi per violentiam conqueruntur, quia dicunt se ingenuos atque Deo auctore, pristinæ conditionis nexibus absolutos, in sortem deterrimæ iterum servitutis addici, et per auctoritatem regiam contra leges publicas, cum clericali cingulo tenerentur astricti, per archidiaconum urbis Grumentinæ esse conventos, cum constet eum qui cœlestem militem pulsat, nonnisi ejus forum debere sectari. Et ideo, dilecte fili, depenso salutationis affatu supradictos clericos tibi commendo, ut si ad delegatorum judicium eorum adversarii venire contempserint sublimitatis tuæ tuitione vallentur; ne quid illis aut subreptio, aut nimica legibus violenta necessitas imponat, quia qui judicium refugit, apparet eum de justitia diffisum.

GELASIUS CRISPINO ET SABINO EPISCOPIS.

Nonnisi ad episcoporum judicium clericus vocetur.

[b] Silvester et Faustinianus Ecclesiæ Grumentinæ clerici lacrymosa nobis insinuatione conquesti sunt, libertatem sibi domini sui benignitate concessam hæredum ejus oppressione pulsari, sibique in clericatus officio pene a cunabulis servientibus, etiam manumissore vivente, in eodem actu nihilominus constitutis, divinis mysteriis impendere servitium non licere, cum (si petitionem veritas subsequatur) contra patris et auctoris sui factum venientibus, ut indignis, hæreditas legibus auferatur, nec eis liceat hæreditatem capientibus contra auctoris sui prosilire judicium. Et ideo, fratres carissimi, quoniam se etiam ab archidiacono dictæ Ecclesiæ queruntur oppressos, qui per eorum absentiam moderatoris judicium promisit eos esse secuturos, calcatis omnibus rationibus, et contra leges divinas et publicas pulsatis, forum suum putavit auferri in vestro judicio, quisquis ille est qui clericum lacessit adveniat. ut ecclesiæ jura quæ vetusti principes assidua sanctione firmaverunt, impetitis clericis non negentur.

GELASIUS PAPA [1] FABIANO EPISCOPO.

Baptizandis numerus non imponatur nec cathedraticum ultra vetustum morem exigatur.

Nec numerus baptizandis juste creditur imponendus, cum quanti petierint, vel ad regenerationem festinaverint, non sint pro alterius voluntate repellendi. Et ideo, frater carissime, hujusmodi superfluam constitutionem modis omnibus removebis, ut unusquisque aut in vicina sibi ecclesia, aut in electa pro suæ mentis baptizetur arbitrio. Cathedraticum etiam non amplius quam vetusti moris esse constiterit, ab ejus loci presbytero noveris exigendum, et de his quæ die dedicationis fuerint offerentium devotione collata, consuetudinem, quæ generaliter omnibus ecclesiis est præscripta servabis.

GELASIUS PAPA PHILIPPO ET [2] GERUNTINO EPISCOPIS.

In electione episcopi parochus debet adesse.

[c] Plebs Diotrensis data nobis petitione deflevit diu se sine rectoris proprii gubernatione dispergi. Ac, sicut asseritur, is qui a vobis jam probatus dicitur a paucis, et tenuibus jam putatur electus, cum ad vos (*al.* nos) pertineat universos assidua admonitione compellere, ut omnes in unum quem dignum sacerdotio viderint, et sine aliqua reprehensione consentiant. Et ideo, fratres carissimi, diversos ex omnibus sæpe dicti loci parochiis presbyteros, diaconos, et universam turbam vos oportet sæpius convocare, quatenus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem vobis admonentibus, sibi quærant sola Divinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas a constitutis possit revocare præscriptis.

GELASIUS BONIFACIO EPISCOPO.

Quod servi fugientes dominos suos ad ecclesiam, intercessionem debent quærere non latebras.

Metuentes famuli dominos si ad ecclesiæ septa confugerint, intercessionem debent quærere, non latebras, ne hæc ipsa præsumptio tarditatis temeritatem augeat renitendi. Filius enim noster vir spectabilis Petrus queritur servum suum in ecclesia S. Clementis diutius commorari, cui cum deputasset sacramenta præstari, illum egredi nulla ratione voluisse. Et ideo dilectos supradicti hominis de præsenti cum eo quem elegerit esse mittendos, qui cum de impunitate ejus sacramenta præbuerint, eum statim facies ad dominum suum modis omnibus remeare; aut si in hac pertinacia forte perstiterit, post sacramentum sibi præstitutum reddatur invitus.

GELASIUS RUFINO ET APRILI EPISCOPIS.

Quis aut leges principum, aut Patrum regulas, aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum æstimet transire commissum. Actores siquidem filiæ nostræ illustris et magnificæ feminæ Maximæ petitorii nobis insinuatione conquesti sunt Silvestrum atque Candidum originarios suos contra constitutiones quæ supradictæ sunt, et contradictione præeunte a Lucerino pontifice diaconos ordinatos. Ideo, fratres carissimi, tantæ prævaricationis excessus noveritis sagacius inquirendos; et si constiterit querelam veritate fulciri, continuo qui

[a] Canon iste plane cohæret cum fragmento ab Holstenio ex collectione cardin. Deusdedit vulgato et hic excuso. MANSI.

[b] Ambos hos canones falso inscribi Gelasio judicat, nec immerito, Berardus, cum archidiaconorum jurisdictio recentioris disciplinæ exstiterit. MANSI.

[c] Suspiciosa est hæc epistola Berardo, imo, quod mireris, imposturæ auctorem Anselmum Lucensem suspicatur a quo uno Gratianus accepit. Cur nam quæso? quod de antistitum electionibus hic agatur, quarum libertatem asserere e re Anselmi erat, numquid propterea quod hic decernitur disciplinæ Gelasianæ ætati aversabatur. MANSI.

[1] Al. *Sabino*.

[2] Forte *Gerontio*.

contradictione præeunte non legitime sunt creati [*al.* consecrati] a sacris officiis repellantur.

IDEM EISDEM.

Leges principum aut regulas Patrum contemni non liceat.

Quis autem leges principum aut regulas Patrum, aut admonitiones paternas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum existimet transire commissum?

GELASIUS THEODORICO REGI.

Leges Romanorum principum servandæ sunt ab omnibus.

Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multo magis circa reverentiam beati Petri apostoli pro suæ felicitatis augmento velle servari.

GELASIUS PAPA PALLADIO EPISCOPO.

Tempore sinceritatis dignitas accepta sequente debilitate non amittitur.

Præcepta canonum quibus ecclesiastica regitur disciplina sicut ad sacerdotium debiles corpore non patitur pervenire; ita et si quis in eo [1] fuerit constitutus, ac tunc fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore suæ sinceritatis accepit. Stephanus siquidem presbyter petitorio nobis deflevit oblato, quod habetur in subditis olim sibi ante annos plurimos collatam presbyteri dignitatem, quam revera immaculati corporis judicio [2] suscepisset: sed nuper propter provinciæ vastitatem (quam Thusciæ præ omnibus barbarorum feritas diversa sectantium, et ambiguitas invexit animorum) dum imminentes gladios evadere fugæ præsidio niteretur, acutis sudibus occurrentia sibi lecta transiliens inferiores partes corporis inseruisse suggessit, quæ vix adhibita curatione biennio potuissent abstergi [*al.* obstringi]. Et ideo, frater carissime, supradicto locum suum dignitatemque restitue, quatenus sacrosancta mysteria sicut consuevit exerceat. Neque enim convenit ab hoc auferri ante susceptum ordinem, in quo postmodum in invaletudinem corporis casu probatur facient collapsus.

GELASIUS RUSTICO ET FORTUNATO EPISCOPIS.

A regimine suspendatur ecclesiæ qui in terram frequenter eliditur.

Nuper Foropopulensis [3] Ecclesiæ clerici, una cum [4] Sabino episcopo et Pelagio et laicis propria suggestione reserarunt præsulem suum gravi quadam necessitate vexari, cujus eum dicerent incursione frequenter elisum. Quod ne scandalum fidelibus videretur ingerere, et Ecclesiam Dei ubique positam hac offensione turbare, præcipue cum eodem ipso volente huc se perrexisse firmarent, ad dilectionem vestram scripta direximus, ut Ecclesiæ cujus rector tali casu tenetur astrictus visitationem congruam reddatis. Verum quia nunc idem ipse venit huc pontifex falsaque omnia de se jactata disseminat; sub divini contemplatione judicii, vestræque conscientiæ, existimationisque respectu rerum fide solertissime perquisita, si aliquando scilicet vel in domo vel in processione, vel in alio quocunque loco probatur repente [5] collapsus, vocesque dedisse confusas, et spumas ore jactasse; quanta fieri potest examinatione quæratur. Quod tamen sive non possit aliquorum [6] factum testificatione firmari, sive nunquam

A contigisse dicatur; non putandum est posse sufficere, sed certum manifestumque documentum, quia de tanta re non segnius agendum est. Faciat rem tua dilectio, frater Rustice, sui moris et aptam magno pontifici, ut eum triginta diebus tecum esse constituas, eumque carnibus [7] indifferenter uti necessaria probatione compellas.

GELASIUS VICTORI EPISCOPO.

Cum majores ordinare contempserint de minoribus promoveantur ordinibus.

Consuluit dilectio tua de suorum promotione clericorum perhibens, quod diaconi ad presbyterii gradum (quo ecclesiam tuam memoras indigere) venire detrectant. Quapropter quia invitos ecclesiastica moderatio, gravitasque non patitur, ut ex nolentibus fiant nolentes, ordinatio illa potest perficere, si quos habes vel in acolythis, vel subdiaconis maturiores ætate, et quorum sit vita probabilis, hos in presbyteratum
B studeas promovere, ut qui in suis ordinibus proficere noluerint, reddantur suis inferioribus post minores; ipsaque commoda presbyteri propensius, quam diaconi consequantur, ut hac saltem ratione constricti, et honorem, quem refugerant, appetere nitantur, et quæstum.

GELASIUS PAPA.

Testatoris arbitrium servari oportet.

Consideratio ecclesiasticæ utilitatis hoc postulat, ex dispositione testatoris servandum arbitrium.

GELASIUS.

Quæ sacerdotes dederunt, subsequentes pontifices nullatenus auferre præsumant.

Illud statuendum censuimus ut quascunque munificentias clericis aut sibi servientibus de rebus ecclesiæ in usum aut de propriis in proprietatem præcedentes dederint sacerdotes; subsequentes pontifices nullatenus auferre præsumant. Si quid tamen culpæ
C exstiterit pro qualitate personarum, vel regula præcedentium canonum in persona habeatur, non in facultate districtum.

GELASIUS PAPA.

Non mentitur qui animum fallendi non habet.

B. apostolus Paulus non ideo, quod absit, fefellisse credendus est, aut sibi exstitisse contrarius, quoniam cum ad Hispanos se promisisset iturum, dispositione divina majoribus occupatus ex causis implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntas interfuit hoc pronuntiavit, quod revera voluisset efficere. Quantum enim ad divini secreta consilii (quæ ut homo omnia non potuit licet Spiritu Dei plenus agnoscere) suprema prætermisit dispositione præventus. Nec quia B. Petrus apostolus divinæ reverentiæ ipsi Domino respondit: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, fefellisse, quod absit, aut in sua putabitur minime constitisse sententia; quia mox eidem divinæ voluntati cesserit, et quod dixerat esse
D facturum, a causis astrictus humanæ salutis, passus est prona voluntate faciendum.

[8] GELASIUS AGILULPHO.

Precor autem ut regulam beati Petri apostoli inter Dalmatias constitutam defensare dignemini, et quæ vobis, vel frater, vel coepiscopus meus Honorius [a] pro ejus utilitate suggesserit, vel conductores putaverint intimandum, quam fieri potest, præstare jubeatis.

[a] Hic Honorius fuit Salonitanus episcopus, ad quem aliæ duæ Gelasii editæ sunt. BALLER.

[1] Ivo addit *actu*.
[2] Ivo, *suscepit*.
[3] Cod. Luc.; *Foropopiliensis*.
[4] In vetustissimo meo Lucensi codice legitur *Sabino et Pelagio laicis*; quæ commodior est lectio.
[5] Cod. Luc., *prolapsus*.

[6] In Cod. Luc deest vox *factum*.
[7] Ad oram mei codicis additur *anellinis*; id est agninis.
[8] Hanc et sequentes vulgarunt Ballerini ex collect. Vatic. Deusdedit cardin. lib. II, cap. 100.

GELASIUS JANUARIO.

Sed causas quibus beneficia beati Petri apostoli continuata percupias, fidenter injungo. Præstet igitur tua nobilitas, ut rebus pauperum ejus auxilium defensionemque concedat, et conductores earum pio favore tueatur, ut vicissitudinem præstitorum ab eodem percipiat consequentem, cujus meritis, et honori devotus ista dependit.

GELASIUS FIRMINÆ ILLUSTRI FEMINÆ.

Ad cumulum vero mercedis vestræ pertinere certissimum est, si prædia quæ vel a barbaris vel a Romanis inconvenienter invasa sunt, vestris dispositionibus egentium victui reformentur. Cujus tanta de provinciis diversis, quæ bellorum clade vastatæ sunt, Romam multitudo confluxit, ut vix ei, Deo teste, sufficere valeamus. Conspicitis ergo quantum boni operis acquiratis, si B. Petro apostolo prædia, quæ pro sua quisque anima contulit, vestro post Deum præsidio liberata reddantur. Cujus benedictionis eulogias, quas pro affectione direxi, peto ut grata suscipere mente digneris.

GELASIUS ACTORIBUS URBICI.

Constat vos intulisse actionibus ecclesiæ ex præstatione fundi claculas, quem conductionis titulo tenes, de fructibus (an. 494) anni consulatus Asterii et Præsidii VV. CC., de indictione III, auri solidos XXX, Notavi V cal. Augusti [a] Flavio V. C. consule.

GELASIUS [b] HERELEUVÆ REGINÆ.

Qui pro victu pauperum domno filio excellentissimo regi cum meis litteris supplicaret, Petrum Ecclesiæ defensorem dirigere properavi. Quo veniente sublimitatem quoque tuam salutare non destiti, plurimum deprecans, ut pro vestræ salutis, et prosperitatis augmentis egentium causas juvare dignemini. Data V cal. Martii

[1] GELASIUS PETRO EPISCOPO POTENTINO.

Secundum quod vestri portitoris significavit libellus, compertum habemus vos præ manibus habere negotium insolitum. Pertulit, diaconem quemdam commisisse incestum multis indiciis in vicinia notum. Sed quia nemo potest canonice illud stuprum probare, memoratus diaconus omne meritum recusat inde subire judicium. Ad quod ego multis inevitabilibus curis involutus quanta possum brevitate sic rationabiliter respondeo. Nulla quippe judicia inter homines necessaria essent, si omnes veritates cunctis patuissent. Sequitur ergo perquiri a judice debere probationem judicii ordine, unde aliter non cognoscitur veritas culpæ. Sed cum culpa non ignoratur, nec synodum ex hoc congregari oportere, nec judicium agitari jubemus. Sed sola modulata sententia in concilio tractetur, quæ meritum culpæ excedere non videatur. Sicut dictum est antiquis, *oculum pro oculo*, *dentem pro dente*, et librata mensura, ideo fuit jussa in lege, ut juxta meritum culpæ damnatio ponderetur vindictæ. Si quidam fortasse minus capaces in his quæ præmisimus propterea vacillant, quia scriptum habent in legibus nostris, De occultis nemo judicetur et judicet. Sed hi tales vigili mente pertractent, quia quod de occultis negatur, sub tacito intellectu de manifestis conceditur. Constat ergo consequenter hoc dici de ipsis occultis, quæ scandalum Ecclesiæ nullum inducunt. Si postquam oriri scandalum contigerit pro crimine, nullo modo est prætereundum quia Ecclesia et satisfactione pacata quiescat, et sedata remaneat culpa sic publiciter punita, ut etiam habeant timorem. Satisfactio namque illa est, qua innocens quisque manifestatur, a quibus reus credebatur.

[a] Id est Flavio Viatore, qui fuit consul. an. 495. Alia cautio ejusdem dici ac iisdem verbis subjicitur ab eodem Gelasio data Vincomalo, ubi solum fundi nomen deest. BALL.

[b] Anonymus a Valesio editus de gestis Theodorici regis hanc reginam ejusdem Theodorici genitricem memorat, *Mater Ereliva dicta Gothica, catholica quidem erat, quæ in baptismo Eusebia dicta*. BALL.

[1] Ex ms. cod. universitatis Taurinensis, fol. 4, pag. 7.

APPENDIX TERTIA.

CONCILIORUM SUB GELASIO HABITORUM RELATIO.

[a] CONCILIUM ROMANUM I.

Quo a septuaginta episcopis libri sacri et authentici ab apocryphis sunt discreti, sub Gelasio, anno Domini 494 Asterio atque Præsidio consulibus.

I.

[b] *Ordo [1] librorum Veteris Testamenti quem [c] sancta et catholica Romana suscipit et veneratur Ecclesia, digestus a beato Gelasio papa I cum septuaginta episcopis.*

Genesis liber unus.
Exodi liber unus.
Levitici liber unus.
Numeri liber unus.
Deuteronomii liber unus.
Jesu nave [Josue] liber unus.
Judicum liber unus.
Ruth liber unus.
Regnorum [Regum] libri quatuor.
Paralipomenon libri duo.
Psalmorum 150 liber unus.
Salomonis libri tres :
Proverbia,
Ecclesiastes, et
Cantica canticorum.
Item Sapientiæ liber unus [2].
Ecclesiasticus liber unus.
Item ordo prophetarum [3] :
A Isaiæ liber unus.
Jeremiæ liber unus.
Cinoth, id est, de lamentationibus suis.
Ezechielis liber unus.
Danielis liber unus.
Oseæ liber unus.
Amos liber unus.
Michææ liber unus.
Joel liber unus.
Abdiæ liber unus.
Jonæ liber unus.
Nahum liber unus.
Habacuc liber unus.
Sophoniæ liber unus.
Aggæi liber unus.
Zachariæ liber unus.
Malachiæ liber unus.
Item ordo historiarum :
Job liber unus, *ab aliis omissus*.
Tobiæ liber unus.
B Esdræ [4] liber unus.
Esther [Hester] liber unus.
Judith liber unus.
Machabæorum liber unus [libri duo].

Item ordo scripturarum novi et æterni Testamenti [quem catholica sancta Romana suscipit et veneratur Ecclesia].

Evangeliorum libri quatuor.

[a] Ad fidem catholicam illibate custodiendam, dissidia tollenda, pacemque in Ecclesia restituendam, pontifex una cum concilio in eo potissimum laboravit, ut apostolicæ et catholicæ Ecclesiæ communio nulla vel levi macula conspersa, illibata penitus et impolluta sarta ac tecta in omnibus servaretur. Ad hoc autem præstandum sollicitiorem curam impendens, non solum vindicasse voluit ipsam Ecclesiam ab omnibus, ut semper fuit, immunem hæresibus atque hæreticorum consortio; sed ut eam redderet a pravorum scriptorum contagione securam, omne studium adhibens, delectum habuit ecclesiasticorum librorum qui hactenus editi legi solerent: distinguens separansque, quasi os domini, mundum ab immundo, et secernens pretiosum a vili. Cujus rei perficiendæ gratia decretum constituit ab Ecclesia catholica perpetuo servandum, in quo post recensitos Veteris ac Novi Testamenti libros canonicos, adjecit de primatu Romanæ Ecclesiæ et aliarum patriarchalium Ecclesiarum juribus, ad reprimendam Constantinopolitanorum antistitum præsumptionem et audaciam infringendam, qua se Acacius primum, inde ejus successores adversus Romanam Ecclesiam proterve nimis erexerant. SEV. BINIUS.

[b] Quotquot hoc loco enumerantur, et in canonem sacrorum librorum referuntur libri Veteris Testamenti, iidem pene omnes recensiti sunt supra canone ultimo concilii Laodiceni, et canone 47 concilii Carthaginensis III; item epist. 3 Innocentii primi ad Exuperium. Canonem apostolorum 84, ut pote quo sacri omittuntur, et apocryphi in numerum sacrorum referuntur, spurium esse et illegitimum supra in notis ejusdem canonis copiose ostendimus. Veteris ac Novi Testamenti libros sacros a calumnia hæreticorum omnium liberavit doctissime et copiosissime reverendissimus et illustrissimus cardinalis Bellarminus toto lib. I de Verbo Dei scripto; illustrissimus C item cardinalis Baronius tom. I Annalium, diversis in locis, S. Pauli, aliasque canonicas epistolas cum Apocalypsi S. Joannis apostoli a furore et dementia hæreticorum vindicavit : ad evitandam prolixitatem isthuc lectorem benevolum remitto. De libris apocryphis eorumque auctoribus diversis in locis Annalium Baronius dignissima observatu adnotavit, et post eum Antonius Possevinus in Apparatu sacro. SEV. BINIUS.

[c] Hoc decretum exstat distinct. 15, can. 3. Lectio ejus ab originali tantopere discrepat, ut satis certo statui non possit quæ sit vera et pura Gelasii, nec magnopere mirandum sit si nonnulla sint quæ difficultatem faciunt. Vide notas emendatorum decreti Gratiani, etc. SEV. BINIUS.

[1] Est in collectione Isidori, cujus exemplaria vetustissima duo sunt in bibl. Collegii Paris. Soc. Jesu. In ms. cod. Dacheriano collectionis Dionysianæ, ut putat, decretum hoc Damaso tribuitur. Et Baron., ad an. 69, ex concilio Romano sub Damaso, quod continet Cresconiana collectio, partem hujus decreti exhibet. In ms. Jurensi Hormisdæ papæ tribuitur, teste P. Labbeo. In nostro inscribitur : *Notitia sacrarum Scripturarum, seu librorum canonicorum cum descriptione vel adnotatione Gelasii papæ.* Describitur hoc decretum a Vincentio Bellov. in prolog. cap. 13 et 14. Multo antea, tacito Gelasii nomine, ab Aldhelmo in lib. de Laude Virginitatis cap. 11, postea autem Gelasio appellato, ab Hincmaro Remensi, Lupo Ferrariensi, Nicolao papa, et in Chronico Centulensi apud Dacherium, tom. IV Spicil. Vide et Capitulare Attonis tomo VIII. HARDUIN.

[2] Hunc librum Hieronymus apud Hebræos non haberi D affirmat, sed tantum apud Græcos. Quem etiam Jesu filium Sirach fecisse indicat sicut alium subsequentem librum. LABBEUS.

[3] Libri Prophetarum, num. 16. LABBEUS.

[4] Al., *libri duo*. LABBEUS.

Secundum Matthæum liber unus.
Secundum Marcum liber unus.
Secundum Lucam liber unus.
Secundum Joannem liber unus.
Actuum apostolorum liber unus.
Epistolæ Pauli apostoli numero 14.
Ad Romanos epistola una.
Ad Corinthios epistolæ duæ.
Ad Galatas epistola una.
Ad Thessalonicenses epistolæ duæ.
Ad Ephesios epistola una.
Ad Philippenses epistola una.
Ad Colossenses epistola una.
Ad Timotheum epistolæ duæ
Ad Titum epistola una.
Ad Philemonem epistola una.
Ad Hebræos epistola una.
Item Apocalypsis Joannis liber unus.
Item canonicæ epistolæ numero septem.
Jacobi apostoli epistola una.
Petri apostoli epistolæ duæ.
Joannis apostoli epistolæ tres.
Judæ Zelotis apostoli epistola una.

II.

[1] *Gelasii Papæ decretum cum septuaginta episcopis habitum de apocryphis scripturis.*

Post has omnes propheticas, evangelicas, atque apostolicas scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universæ per orbem [2] catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit; sancta tamen Romana catholica et apostolica Ecclesia [3] nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, *Tu es, Petrus,* inquientis, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI).

Cui data [al. *addita*][4] est etiam societas beatissimi Pauli apostoli vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma, sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est, et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, talemque [*al.* aliisque] omnibus urbibus in universo mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt.

Est [5] ergo prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia, *non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi* (*Ephes.* V).

Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo et evangelista consecrata est. Ipseque a Petro apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium.

Tertia vero sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri apostoli nomine habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est.

III.

[6] Et quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere, præter id quod positum est, qui est Christus A Jesus (*I Cor.* III); tamen ad ædificationem nostram, eadem sancta [*al. add.* id est] Romana Ecclesia post illas Veteris vel Novi Testamenti, quas regulariter suscepimus [*al.* superius notavimus], etiam has [*al.* alias] suscipi non prohibet scripturas, id est,

Sanctam synodum Nicænam trecentorum decem et octo Patrum, mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arius hæreticus condemnatus est.

Sanctam synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit.

Sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius condemnatus est consensu beatissimi Cœlestini papæ, mediante Cyrillo Alexandrinæ sedis antistite, et Arcadio episcopo ab Italia destinato.

Sanctam synodum Chalcedonensem, mediante Marciano Augusto, et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana hæreses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatæ B sunt.

Sed et si qua sunt concilia a sanctis Patribus hactenus instituta, post horum auctoritatem et custodienda et recipienda, et decernimus, et mandamus.

IV.

Item opuscula B. Cypriani martyris et Carthaginensis episcopi, in omnibus recipienda.

Item opuscula B. Gregorii Nazianzeni episcopi.

Item opuscula B. Basilii Cappadociæ episcopi.

Item opuscula B. Athanasii Alexandrini episcopi.

[4] Item opuscula B. Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Joannis Constantinopolitani episcopi.

Item opuscula B. Theophili Alexandrini episcopi.

Item opuscula B. Hilarii Pictaviensis [*al.* Proterii Alexandrini] episcopi.

Item opuscula B. Ambrosii Mediolanensis episcopi.

Item opuscula B. Augustini Hipponensis [*al.* Hipponeregiensis] episcopi. C

Item opuscula B. Hieronymi presbyteri.

Item opuscula B. Prosperi viri religiosissimi.

Item epistolam B. Leonis papæ ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinatam; cujus textum [*al.* de cujus textu] quispiam si usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

Item opuscula atque tractatus omnium orthodoxorum Patrum qui in nullo a sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt; sed ipsius communionis [*al.* communicationis] per gratiam Dei usque in ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus.

Item decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum [7] consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas.

Item gesta sanctorum martyrum, qui multiplicibus D tormentorum cruciatibus, et mirabilibus confessionum triumphis irradiant [*al.* illustrantur]. [8] Quis ita esse catholicorum dubitet, et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem [*al. addit.* et singularem cautelam], singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur: et ab infidelibus

[1] In cod. Justelli hic titulus sic legitur: *Decreta* G. P. *de recipiendis et non recipiendis libris: quæ scripta sunt ab eo cum* 70 *eruditissimis episcopis.* LABBEUS.

[2] Sunt hæc et in epistola 8 Nicolai papæ ad Michaelem imp., et in præfatione vetusta Concilii Nicæni, quam edidimus tom. II, quam et Æneas Parisiensis recitat tomo VII Spicil., pag. 95 et 97. HARDUIN.

[3] Sunt ista et in epist. 8 Nicolai papæ ante laudata. HARDUIN.

[4] Nicolaus papa loco citato. HARDUIN.

[5] Nicolaus papa loco citato. HARDUIN.

[6] Alio ordine recensentur in ms. LABBEUS.

[7] Hincmarus tom. II, pag. 543, legit *consolatione*, pag. 545, *consolatione* vel *consultatione*. HARDUIN.

[8] Al., *Quis ista catholicorum dubitet*, vel, *Quis catholicus dubitat majora*, etc. LABBEUS.

aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur [*al.* inserta leguntur]; sicut cujusdam Quirici [*al.* Cyrici] et Julitæ, sicut Georgii, aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes martyres, et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.

Item Vitas Patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis, et omnium eremitarum quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus.

[1] Item actus beati Silvestri apostolicæ sedis præsulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Romana catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multæ hæc imitantur Ecclesiæ.

[2] Item scripta de inventione crucis dominicæ, et alia scripta de inventione capitis Joannis Baptistæ, novellæ quædam [*al.* quidem] relationes sunt, et nonnulli eas catholici legunt. Sed cum hæc ad catholicorum manus pervenerint, beati Pauli apostoli præcedat sententia : *Omnia probate; quod bonum est tenete* (*II Thess.* v).

Item Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam Scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus [*al.* venerabilis] Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus; et non solum de Rufino, sed etiam de universis quos vir sæpius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opuscula quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda.

Item chronica Eusebii Cæsariensis, et ejusdem ecclesiasticæ Historiæ libros : quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, et postea in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum : propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.

Item Orosium virum eruditissimum collaudamus : quia valde nobis necessariam adversus paganorum calumnias dignam ordinavit historiam miraque brevitate contexuit.

Item venerabilis Sedulii [3] paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus.

Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur.

Cætera, quæ ab hæreticis sive schismaticis conscripta vel prædicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana Ecclesia; [4] e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, et catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.

V.

Notitia librorum apocryphorum [5] *qui non recipiuntur.*

In primis Ariminensem synodum a Constantio Cæsare Constantini Augusti filio congregatam, mediante Tauro præfecto [*al.* prætorio] ex tunc et nunc et usque in æternum confitemur esse damnatam.

Item [6] Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri [decem, *al.* novem], octo, apocryphum.

Actus nomine [7] Andreæ apostoli, apocryphi.

Actus nomine Thomæ apostoli, libri 10 apocryphi.

Actus [8] nomine Petri apostoli, apocryphi.

Actus [9] nomine Philippi apostoli, apocryphi.

Evangelium nomine Thaddæi, apocryphum.

Evangelium nomine Matthiæ, apocryphum.

Evangelium nomine Petri apostoli, apocryphum.

Evangelium nomine Jacobi Minoris, apocryphum.

Evangelium nomine Barnabæ, apocryphum.

Evangelium [*al.* Evangelia] nomine Thomæ quo [*al.* quibus] utuntur Manichæi, apocryphum [10] [*al.* apocr.].

Evangelium [*al.* Evangelia] nomine Bartholomæi apostoli, apocryphum [*al.* apocrypha].

Evangelium nomine Andreæ apostoli, apocryphum.

Evangelia quæ falsavit Lucianus, apocrypha.

Liber de infantia Salvatoris, apocryphus.

Evangelia quæ falsavit Esitius [*al.* Hesychius *et* Isicius], apocrypha.

Liber de Nativitate [*al.* Infantia] Salvatoris, et de Maria et obstetrice [*al. addit.* ejus], apocryphus.

Liber qui appellatur Pastoris, apocryphus.

Libri omnes quos fecit [11] Leucius [*al.* Lucius] discipulus diaboli, apocryphi.

Liber qui appellatur Fundamentum, apocryphus.

[12] Liber qui appellatur Thesaurus, apocryphus.

Liber de filiabus Adæ geneseos, [13] apocryphus.

[14] Centimetrum [15] de Christo, Virgilianis compaginatum versibus, apocryphum.

Liber qui appellatur Actus Teclæ et Pauli apostoli, apocryphus.

Liber qui appellatur Nepotis, apocryphus.

Liber Proverbiorum qui ab hæreticis conscriptus et sancti Sixti [*al.* Xysti] nomine prænotatus est, apocryphus.

Revelatio quæ appellatur Pauli apostoli, apocrypha.

[16] Revelatio quæ appellatur Thomæ apostoli, apocrypha.

Revelatio quæ appellatur S. Stephani, apocrypha.

Liber [17] qui appellatur Transitus, id est Assumptio sanctæ Mariæ, apocryphus.

Liber qui appellatur [18] Pœnitentia Adæ, apocryphus.

Liber [19] Ogiæ nomine gigantis, qui ab hæreticis cum

[1] Vide Baronium ad an. 315 num. 10, et ad an. 324 num. 31. HARDUIN.

[2] Vide Papebrochium die 3 Maii, et die 4. HARDUIN.

[3] Sedulii opus non apparuit, nisi post Asterii consulatum. Citatur ab Isidoro in lib. de Script. Eccl. cap. 7. HARDUIN.

[4] Al., *Quæ sint tamen quæ non recipiuntur.* LABBEUS.

[5] Al., *Qui nullatenus a nobis recipi debent.* LABBEUS.

[6] Est opus Recognitionum. HARDUIN.

[7] Vide Photium Cod. 114. et Augustinum lib. I contra adversarium legis et prophet. cap. 20. HARDUIN.

[8] Citantur ab Isidoro Pelusiota lib. II, ep. 99. HARDUIN.

[9] Citantur ab Anastasio Sinaita apud Coteler. tom. III Monum. Eccl. Græcæ. HARDUIN.

[10] Vide Hieronym. in procemio comment. in Matthæum. HARDUIN.

[11] Apud Attonem Vercellensem legitur *Seleucius.* In fine epistolæ Innocentii ad Exuperium, *Leucius.* Videtur esse Λεύκιος χαρῖνος apud Phot. cod. 114. HARDUIN.

[12] Θησαυροὶ apud Photium cod. 85. HARDUIN.

[13] Vide Cedrenum edit. Basil. pag. 5, versu 32, et pag. 6. vers. 39. Epiphan. hæres. 39, num. 6. Georgium Syncellum pag. 5. Hieron. epist. 127, mans. 18 et 24, aliosque. HARDUIN.

[14] Hæc vox deest in cod. Justel. hoc loco; sed pene sub finem dicitur *Cento de Christo.* LABBEUS.

[15] Vide Isidorum lib. de Script. Eccles. cap. 5. HARDUIN.

[16] Deest in nostro ms. et Justelli. LABBEUS.

[17] Meliti vel Melitonis Smyrnensis. HARDUIN.

[18] Apud Epiphan. hæres. 26, n. 8, ἀποκαλύψεις τοῦ Ἀδάμ : nam idem esse opus Cedrenus sub initium docet. HARDUIN.

[19] Al. *De Vegia nomine gigante.* LABBEUS. — Al. *de Eugenia quæ.* Vide Euchology. pag. 885, ubi πάντων πραγματεία legitur, pro Γηγάντων, ut recte vox ea scribitur in cod. Reg. 1026 et 1027, et Γιγάντειον βίβλον, apud Photium cod. 85. HARDUIN.

dracone post diluvium pugnasse fingitur, apocryphus.
Liber qui appellatur Testamentum Job, apocryphus.
Liber qui appellatur Pœnitentia Origenis, apocryphus.
Liber qui appellatur Pœnitentia sancti Cypriani, apocryphus.
Liber qui appellatur Pœnitentia Jamnæ et Mambræ, apocryphus.
Liber qui appellatur [1] Sortes sanctorum apostolorum, apocryphus.
Liber qui appellatur Laus [al. Lusus] apostolorum, apocryphus.
[2] Liber qui appellatur Canones apostolorum, apocryphus.
Liber [3] Physiologus, qui ab hæreticis conscriptus est, et B. Ambrosii nomine signatus [al. prænotatus], apocryphus.
Historia Eusebii Pamphili, apocrypha.
Opuscula Tertulliani, apocrypha.
Opuscula Lactantii [al. Firmiani], apocrypha.
Opuscula Africani, apocrypha.
Opuscula Postumiani et Galli, apocrypha.
Opuscula Montani, Priscillæ et Maximillæ, apocrypha.
Opuscula omnia Fausti Manichæi, apocrypha.
Opuscula Commodiani, apocrypha.
Opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha.
Opuscula Tatii [al. Tharsi seu Tascii] Cypriani, apocrypha.
Opuscula Arnobii, apocrypha.
Opuscula Tychonii, apocrypha.
Opuscula Cassiani [al. Cassionis] presbyteri Galliarum, apocrypha.
Opuscula Victorini Pictaviensis [al. Petabionensis], apocrypha.
Opuscula Fausti Regensis Galliarum, apocrypha.
Opuscula Frumentii Cæci, apocrypha.
Epistola Jesu ad Abagarum [al. Abgarum] regem, apocrypha.
Epistola Abagari [al. Abgari] ad Jesum, apocrypha.
Passio Quirici [al. Cyrici] et Julitæ, apocrypha.
Passio Georgii, apocrypha.
Scriptura quæ appellatur contradictio [al. interdictio] Salomonis, apocrypha.
Phylacteria omnia, quæ non angelorum (ut illi confingunt), sed dæmonum magis arte [al. nominibus] conscripta sunt, apocrypha.
Hæc et omnia his similia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus, et Bonosus, et qui simili errore defecerunt; Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, [4] Faustus, Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Callistus, Donatus, Eustathius, Jovinianus, Pelagius, Julianus Eclanensis, [5] Cœlestinus [al. Cœlestius], Maximinus [al. Maximianus], Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus [6] Cynicus, Lampetius [al. Lapicius], Dioscorus, Eutyches, Petrus, et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit; Acacius Constantinopolitanus cum consortibus [al. sociis] suis; nec non et omnes hæresiarchæ, eorumque [7] discipuli, sive schismatici, docuerunt vel conscripserunt quorum nomina minime retinentur; non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana catholica et apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata [8].

CONCILIUM ROMANUM SIVE DECRETUM

De libris recipiendis et non recipiendis a Gelasio papa cum episcopis anno circiter 496 habitum.

ADMONITIO.

(Ex Suppl. Joan. Dom. Mansi.)

Celebre illud de libris probandis improbandisque decretum, in Romano quodam concilio editum diu multumque eruditos exercuit. Potissimum est de auctore dissidium. Conciliorum collectores omnes Gelasio papæ tribuerunt, quibus et fidem astruit Burchardus Wormatiensis, Gratianus et mss. codices plerique. Verum in codice vetustissimo collectionis Dionysii Exigui, quem Dacherius communicavit Baluzio, hoc ipsum decretum Damasi papæ nomen præfert. Denique in vetustissimo Urgellensi codice Baluzius Hormisdæ papæ nomen præfixum reperit. Chiffletius in Jurensi nongentorum annorum codice hoc decretum offendit; cumque emendatissimum omnium quæ ad id usque prodierant judicaret, exscribendum illud edendumque in suis ad opera Vigilii Tapsensis notis assumpsit. Hormisdæ papæ in eo codice inscribitur; ex quo sententiæ de Hormisda decreti illius conditore auctoritas summa accessit. Ita rebus constitutis, factum est ut non ante multos annos cl. Fontaninus in codicem Vaticanum annorum nongentorum inciderit, qui hoc ipsum decretum profert, idemque cum multa resecet, quæ in editis leguntur, hoc præ cæteris argumento sinceritatem ejus vindicari judicavit. Id enim solemne est hujusmodi lucubrationibus, ut quæ brevissimæ sunt, hæ genuinæ censeantur; fit enim ut novis subinde et novis additionibus tractu temporis reformentur, ut succedentium temporum disciplinæ accommodentur. Hoc ergo decretum, prout in eo Vaticano codice legitur, produxit in suo de Antiquitatibus Hortæ Commentario; censuitque hac vel sola auctoritate controversiam de auctore opusculi decidi, cum Gelasiano nomine inscribatur. Huic viri clarissimi sententiæ accessuros sanioris criticæ peritos omnes censeo, tum quoad operis auctorem, cum etiam quoad latum de ejus sinceritate judicium, in iis præsertim quæ resecta et plane innovata exhibet. Si enim agatur de iis quæ communia habet cum cæteris, in multis profecto Chiffletiano Jurensi cedit, in quo lectio probatior est, ut conferenti patebit. Desiderandum proinde superesset ut tertius aliquis paris antiquitatis codex proferretur, in quo et detractiones Vaticanæ comparent, et probatæ illæ Chiffletianæ lectiones offerrentur; idque si unquam sors tulerit, prolatis ultro manibus eruditos excepturos non dubito. Sed bonum factum! id tandem mihi vetustum Lucensem codicem annorum nongentorum evolventi obtigit. En tibi ex eo, lector, decretum de libris probandis reprobandisque, in quo ea omnia resecta sunt, quæ desunt in Vaticano. In cæteris ad Chiffletianam lectionem potius quam ad Vaticanam accedit. Gelasiano nomine inscribitur, ac tandem tale est quale desideraveris. Neque eo tantum nomine præstat cæteris hucusque excusis; sed et ex eo commendabitur magis, quod præfatione ornetur nuspiam in editis legenda; quanquam doleo incuria exscriptoris luxatam esse, nec facile sanandam. Tota Gelasiana est, quantum ex styli similitudine judicare licet. Hoc est meum de nova hac Gelasiani decreti editione judicium.

[1] Editæ sunt in codice canonum vetere Ecclesiæ Rom. edito ex bibliotheca D. le Pelletier, regni administri, anno 1687, pag. 370. HARDUIN.

[2] Deest in cod. Justelli. LABBEUS.

[3] Citatur a Vincentio Bellovac. lib. VII Speculi Natur., cap. 63. HARDUIN.

[4] Expuncta virgula melius legas *Faustus Africanus* ad disc. Fausti Rhegensis Galliarum, aliorumque; atque ita codd. Justelli et noster. LABBEUS.

[5] Abest a cod. Justel., et in nostro dicitur Calipsus. LABBEUS.

[6] Al. Cynicus, sicque omnino legendum ex mss. LABBEUS.

[7] Harduinus, *qui schismatica docuerunt*, etc.

[8] In ms. nostro, *Explicit decretale editum ab Hormisda papa urbis Romæ.* HARDUIN.

dicium : ut id approbem eruditis, ejusdem decreti triplex schema profero, Vaticanum, Jurense seu Chiffletianum, et Lucense.

*Post hæc scripta incidi in decretum Gelasianum ex vetustissimo Florentino codice editum a P. Josepho Blanchinio Oratorii Romani S. Philippi Nerii presbytero V. Cl., in prolegomenis ad IV volumen Anastasii Bibliothecarii editionis Romanæ. Ex eo codice repræsentare se genuinum decretum Gelasii vir ille doctus censuit. Nec sane negaverim meliorem esse ejus lectionem præ Vaticano. Cum vero ait idem vir doctissimus, catalogum illum sacrorum Librorum qui in Vaticano Fontanini non exstat, legiturque in suo Florentino, e Vaticano sive scriptoris incuria, sive alicujus fraude subtractum esse, futile est et inane, cum et a meo pariter Lucensi absit, quem sane Lucensem ex Vaticano illo expressum, sive ambos ex tertio alio derivatos esse, nemo sibi persuaserit, cum discrepent non raro. Hunc si omittas sacrorum librorum catalogum, in cæteris Florentinus ille fere cum nostro convenit : paucis exceptis, quæ ad extremam pagellæ oram diligenter adnotavi *. Est vero Florentinus Blanchinii in fine mutilus, nam post illud :* Fausti Regiensis, *etc., cætera desunt, quæ tamen in reliquis omnibus mss. codicibus leguntur.*

Hæc scripseram in priori mea editione : modo vero aliquid accessit, quo nova hæc editio ornetur, nempe variantes e vetustissimo Frisingensi codice annorum circiter 1000, quas mihi, pro ea qua est humanitate suppeditavit vir doctissimus P. Frobenius Forster prior et bibliothecarius S. Emmerami Ratisbonensis. In eo codice concilio Damasi decretum istud subjicitur, nam eo concilio absoluto statim subditur : Item dictum est : Nunc vero de Scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica recipiat Ecclesia, et quid vitare debeat. Incipit ordo Veteris Testamenti, *etc. ; tum continuo sequitur integrum decretum de libris legendis.*

LUCENSE.

Incipit decretale ab urbe Roma editum de recipiendis sive non recipiendis libris factum.

Synodum sub Gelasio papa urbis Romæ cum LXX *episcopis.*

INCIPIT PROLOGUS.

Ad discutiendas, vel intelligendas Scripturas, quas (sic) *in Novo vel in Veteri Testamento a pluribus editas, illud apostolicum nobis convenit servare eloquium :* Prophetias, *inquit,* nolite spernere ; omnia autem probate ; *ut plenius Dei operatione credamus illas esse conditas, quas de adventu Domini, ac nativitate, vel passione ipsius, et resurrectione certissime fuisse locutas, per quas enim* [*forte* etiam] *nos credimus esse salvatos ; ibi intelligimus illud, ubi dixit :* Quod bonum est tenete, *ad repellendas, vel a catholicis renuendas Scripturas esse cognovimus, quas etiam vir eruditissimus Hieronymus repudiavit esse damnatas, sufficit nobis dicere, ut ab omni specie mala abstineamus.*

VATICANUM FONTANINI.

Incipit decretale sancti Gelasii papæ urbis Romæ.

JURENSE CHIFFLETII

Incipit decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum.

De Scripturis divinis quid universaliter catholica recipiat Ecclesia, vel post hæc quid vitare debeat.

1.

Ordo de Veteri Testamento, quem sancta et catholica Romana suscipit et honorat Ecclesia, iste est :

Geneseos liber 1. — Exodi liber 1. — Levitici liber 1. — Numeri liber 1. — Deuteronomii liber 1. — Jesu Nave liber 1. — Judicum liber 1. — Ruth liber 1. — Regum libri 4. — Paralipomenon libri 2. — Psalmorum 150 liber 1.—Salomonis libri 3. — Proverbia, Ecclesiastes et Cantica Canticorum. — Item *Sapientiæ liber 1. — Ecclesiastici liber 1. —* Item ordo prophetarum : *Esaiæ liber 1. —* [1] *Hieremiæ liber 1, cum Cinoth, ac lamentationibus suis. — Exechielis liber 1. — Danielis liber 1. — Osee liber 1. — Amos liber 1. —*

* Has Florentinianas variantes ad columnarum nostrarum calcem cum cæteris posuimus, præmisso codicis Florentini nomine. Edit.

[1] Variantes cod. Frising. *Hieremiæ liber unus cum Cinoth, id est lamentationibus suis.*

LUCENSE. — **VATICANUM FONTANINI** — **JURENSE CHIFFLETII.**

Michææ liber 1. — *Johel liber* 1. — *Abdiæ liber* 1. — *Jonæ liber* 1. — *Naum liber* 1. — *Abacuc liber* 1. — *Sophoniæ liber* 1. — *Aggei liber* 1. — *Zachariæ liber* 1. — *Malachiæ liber* 1. — Item ordo historiarum : *Job liber* 1. — *Tobiæ liber* 1. — *Esdræ libri* 2. *Esther liber* 1. — *Judith liber* 1. — *Machabæorum libri* 2. Item ordo Scripturarum Novi et Æterni Testamenti [1] : *Evangeliorum libri* 4 : *Secundum Matthæum liber* 1.—*Secundum Marcum liber* 1. — *Secundum Lucam liber* 1. — *Secundum Joannem liber* 1. — Item *Actuum apostolorum liber* 1. — *Epistolæ Pauli apostoli numero* 14. *Ad Romanos epistola* 1. — *Ad Corinthios epistolæ* 2. — *Ad Ephesios epistola* 1. — *Ad Thessalonicenses epistolæ* 2. — *Ad Galatas epistola* 1. — *Ad Philippenses epistola* 1. — *Ad Colossenses epistola* 1. — *Ad Timotheum epistolæ* 2. — *Ad Titum epistola* 1. — *Ad Philemonem epistola* 1. — *Ad Hebræos epistola* 1. — Item *Apocalypsis Joannis liber* 1. — Item Canonicæ Epistolæ numero septem : *Petri apostoli epistolæ* 2. — [2] *Jacobi apostoli epistola* 1. — *Joannis apostoli epistolæ* 3. — *Judæ Zelotis apostoli epistola una*.

LUCENSE.

Post [4] propheticas [*manu antiqua additur* et evangelicas] atque apostolicas Scripturas, [5] quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universæ per orbem catholicæ diffusæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit; sancta tamen Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini [6] nostri primatum obtinuit : *Tu es Petrus*, inquiens, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum; et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo.*

[*Manu antiqua suppletur* Cui] Addita est etiam societas beati [*manu antiqua suppletur* beatissimi Pauli apostoli vas electionis], qui non diverso, sicut *hæretici* [7] garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die *gloriosa morte* cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est; et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, [8] talesque omnibus [9] *orbibus* in universo mundo sua præsentia,

VATICANUM FONTANINI.

I.

Post propheticas, et evangelicas, atque apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universæ per orbem catholicæ defusæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit; sancta tamen Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit : *Tu es Petrus*, inquiens, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum; et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo.*

Cui data est etiam societas beatissimi Pauli apostoli, vas electionis, qui non diverso, sicut heresi garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosam mortem cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est, et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aleisque omnibus in universo mundo sua præsentia atque venerando triumpho pertulerunt.

JURENSE CHIFFLETII.

II [3].

Post *has omnes* propheticas, et evangelicas, atque apostolicas, *quas superius deprompsimus*, Scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quòd quamvis universæ per orbem diffusæ catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit; sancta tamen Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prolæta est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit : *Tu es Petrus*, inquientis, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferni non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo.*

Addita est etiam societas beatissimi Pauli apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est. Et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus *urbibus* in universo mundo, sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt.

[1] Addit : *quem sancta et catholica suscipit Ecclesia.*

[2] *Joannis apostoli epistola una. Alterius Joannis presbyteri epistolæ duæ.* Ita etiam legitur in vetustissimo codice Dionysiano S. Emerami.

[3] *Explicit canon Novi Testamenti. Item dictum est : post has omnes propheticas*, etc.

[4] Cod. Flor. addit *has omnes*.

[5] Idem cod. addit *quas superius deprompsimus*.

[6] Idem cod. addit *et Salvatoris*.

[7] Idem cod., *hæresei*.

[8] Idem cod., *aliisque*.

[9] Idem cod., *urbibus*.

LUCENSE.

atque venerando triumpho [1] prætulerunt.

Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia non habens maculam, neque rugam, nec aliquid ejusmodi.

Secunda autem sedes apud Alexandriam B. Petri *nomine* a Marco ejus discipulo et evangelista consecrata est. Ipseque a Petro apostolo in Ægypto directus, verbum veritatis prædicavit et gloriosum consecravit [*manu antiqua corrigitur* consummavit] martyrium.

Tertia vero sedes [2] apud Antiochiam *ejusdem* beatissimi Petri apostoli habetur honorabilis, eo quod *ibidem* prius quam *Roma* venisset habitavit et [3] ibidem primum nomen Christianorum novellæ gentis *exortum est.*

Et quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere præter id quod positum est, [4] quod est Christus Jesus, tamen *ad* ædificationem sanctam, [5] *idem* [*manu antiqua* eamdem] Romanam Ecclesiam post illas Veteris vel Novi Testamenti, quas [6] regulariter suscipimus etiam suscipi non prohibet Scripturas. [7] Id est sanctam synodum Nichenam *secundum* trecentorum decem et octo *episcoporum* [8] [*manu antiqua ponitur* Patrum] mediante Maximo Constantino Augusto.

Sanctam synodum *Ephesiam*, [*mana antiqua* Ephesinam] in qua Nestorius damnatus est, [9] *cum* consensu [10] *beati* Cœlestini papæ, mediante *Cheryllo* Alexandrinæ sedis *antistite*, et Arcadio *episcopo* ab Italia destinato.

Sanctam synodum Chalcedonensem, mediante Marciano Augusto, et Anatholio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Euticiana hæresis simul cum Dioscoro, ejusque complicibus [11] *damnatus est.*

[13] Opuscula B. Cicili Cipriani martyris et *Carthaginensis* episcopi.

VATICANUM FONTANINI.

Est ergo prima Petri apostoli sedis Romana Ecclesia non habens maculam, nec rugam, nec aliquid ejusmodi.

Secunda autem sedis apud Alexandriam, beati Petri nomen, a Marco ejus discipulo evangelista consecrata est. Ipseque a Petro apostolo in Ægypto directus, verbum veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium.

Tertia vero sedis apud Antiochiam item beatissimi Petri Apostoli habetur honorabilis, eo quod illic prius quam Romam venisset habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortus est.

II.

Et quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus; tamen ædificationem sanctam idem Romanam Ecclesiam post illas Veteris vel Novi Testamenti, quas regulariter suscipimus, etiam suscipi non prohibet Scripturas. Id est sanctam synodum Nicenam CCCrum X. et VIII. Patrum, mediante Maximo Constantino Augusto.

Sanctam senodum Efisinam, in qua Nestorius damnatus est, consensu Cœlestini papæ, mediante Cirillo Alexandrinæ sedis antestite, et Arcadio ab Italia distinato.

Sanctam synodum Calcedonensem, mediante Marciano Augusto et Anatholio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana, Antiochiana, et Eutichiciana heresés simul cum Dioscoro, ejusque complicibus damnatæ sunt.

III.

Incipiunt opuscula recipienda.

Item opuscula beati Cicili Cipriani martiris, et Cartagenensis episc.

JURENSE CHIFFLETII.

Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi.

Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo, atque evangelista consecrata est. Ipseque in Ægypto directus a Petro Apostolo, verbum veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium.

Tertia vero sedes apud Antiochiam item beatissimi Apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod, illic priusquam Romam venisset, habitavit: et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est.

III.

Et quamvis aliud fundamentum nullus potuit ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus; tamen ad ædificationem nostram eadem Romana Ecclesia, post illas Veteris vel Novi Testamenti, quas regulariter superius enumeravimus, etiam has suscipi non prohibet Scripturas. Id est sanctam synodum Nicænam secundum trecentos decem et octo Patres, mediante Maximo Constantino Augusto, *in qua Arrius hæreticus condemnatus est.*

Sanctam synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit.

Sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est, consensu beatissimi Cœlestini papæ, mediante Cyrillo Alexandrinæ sedis antistite, et Arcadio *episcopo* ab Italia destinato.

Sanctam synodum Calcedonensem, mediante Marciano Augusto, et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana hæresis, simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatæ sunt. [12] *Sed et si qua sunt concilia a sanctis Patribus hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem et custodienda et recipienda decrevimus.*

IV.

Jam nunc subjiciendum de opusculis sanctorum Patrum quæ in Ecclesia catholica recipiuntur.

Opuscula beati Cæcilii Cypriani martyris, Carthaginensis episcopi *in omnibus recipienda.*

[1] Idem cod., *pertulerunt.*
[2] Idem cod., *Antiochiæ beatissimi.*
[3] Idem cod., *illic.*
[4] In eodem cod. deest *quod est.*
[5] Idem cod., *sancta.*
[6] Idem cod., *superius enumeravimus.*
[7] Idem cod. non habet *id est.*
[8] Idem cod., *Patres.*
[9] In eodem cod. deest *cum.*
[10] Idem cod., *beatissimi.*
[11] Idem cod., *damnatæ sunt.*
[12] Desunt hæc verba usque ad num. IV.
[13] Cod. Flor., *item* et sic deinceps.

LUCENSE.

Opuscula beati Gregorii Nanzanzeni epi.

Opuscula B. Basili Cappadociæ episcopi.

Opuscula B. Athanasi *Alexandrini* episcopi.

Opuscula Theophili *Alexandrini* episcopi.

Opuscula B. Cyrilli Alexandrini episcopi.

Opuscula B. Helari [1] *Pictabensis* episcopi.

[2] Opuscula B. Joannis Constantinopolitani episcopi.

Opuscula B. Ambrosii *Mediolanensis* episcopi.

Opuscula B. Augustini [3] Ipone Regiensis episcopi.

Opuscula B. Hieronimi presbyteri.

Opuscula *Beati* Prosperi viri religiosissimi.

[4] Opuscula B. Leonis papæ ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinata, cujus textum quispiam *si usque ad unum* iota disputaverit, et non *eam* in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

Opuscula, [5] tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo a sanctæ ecclesiæ Romanæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt; sed ipsius *ut communicationis* per gratiam Dei usque in ultimum *diem* vitæ suæ fuere participes, *legendos* decernimus.

Item decretales epistolas quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum consolatione dederunt, venerabiliter [6] suscipienda.

Item gesta sanctorum martirum qui multiplicis [*manu antiqua* multiplicibus] tormentorum cruciatibus et mirabilibus, confessionum triumphis inradiant. Quis [7] ista catholicorum dubitet [*manu antiqua* et] majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia et adjutorio *universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem* singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui *conscripserunt* nomina penitus ignorantur; et ab infidelibus [8] vel idiotis superflua, aut minus apta quam rei ordo fuerit esse putatur. Sicut cujusdam *Quirici* et Julitæ, sicut *Georgii* aliorumque ejusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio in [9] Romana Ecclesia

VATICANUM FONTANINI.

Opuscula beati Gregori Nazazensis epi.

Item opuscula beati Basili Capadociæ epi.

Item opuscula beati Athanasi Alexandriæ epi.

Item op. beati Joannis Constantinopolitanæ epi.

Item op. beati Theophili Alexandrinæ epi.

Item op. beati Helari Pictavinsis epi.

Item op. beati Ambrosi Mediolanenses epi.

Item op. B. Augustini Ipponereginsis epi.

Item op. beati Hieronimi prbi.

Item op. Prosperi viri religiosissimi.

Item epistola bi. Leonis pap. ad Flavianum Constantinopolitanum episcobum distinam t. cujus textum quispiam suis, quæ ad unum iota dispotaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

Item op. tractatus omnium Patrum orthodoxorum qui in nullo a scæ Ecclesiæ Romane consortio deviarunt nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt; sed ipsius communicatione per gratiam Dei usque in ultimum vitæ suæ fuere participes, legende decernimus.

Item decretales epistolas, quas beatissimi pap. diversis temporibus ab urbe Roma, pro diversorum Patrum consolatione, dederunt, venerabiliter suscipiendas.

Item gesta sanctorum martirum qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, et mirabilibus confessionum triumphis inradiant. Quis ista Catholicorum dubitet majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia, et adjutorio? Singulari cautella in sca Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscribere nomina penitus ignoratur, et ab infidelibus et idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur. Sicut cujusdam Cirici et Julitæ, sicut Giorgi, aliorumque hujusmodi passiones, q. ad hereticis perhibentur compositæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsanandi orreretur occasio, in sca Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes martires, et eorum gloriosos agones, qui Domino ma-

JURENSE CHIFFLETII.

Item opuscula beati Gregorii Nazianzeni episcopi.

Item opuscula beati Basilii Cappadociæ episcopi.

Item opuscula beati Athanasii Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Joannis Constantinopolitani episcopi.

Item opuscula beati Theophili Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Hilarii Pictaviensis episcopi.

Item opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episc.

Item opuscula beati Augustini Hipponeregiensis ep.

Item opuscula beati Hieronym presbyteri.

Item opuscula *beati* Prosperi viri religiosissimi.

Item epistolam beati papæ Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinatam :de cujus textu quispiam si usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anat. sit.

Item opuscula *atque* tractatus omnium Patrum orthodoxorum qui in nullo a sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt; sed ipsius communicationi per gratiam Dei usque in ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus.

Item decretales epistolas quas beatissimi papæ, diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas.

Item gesta sanctorum martyrum, quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus, et mirabilibus confessionum triumphis inradiant. Quis ista catholicorum dubitet, *et* majora eos in agonibus fuisse perpessos? Nec suis viribus, sed Dei gratia et adjutorio *universa tolerasse? Sed ideo, secundum antiquam consuetudinem*, singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus et idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur. Sicut Quirici cujusdam et Julitæ; sicut Georgii, aliorumque ejusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen,

[1] Idem cod., *Pictavensis.*
[2] In Florentino hic ponitur post S. Athanasium.
[3] Idem cod., *Yponeregi Regionensis.*
[4] Idem cod., *epistolæ.*
[5] Idem cod., *atque tractatus.*
[6] Idem cod., *suscipiendas esse.*
[7] In cod. Flor. deest *ista*
[8] Idem cod., *et.*
[9] Idem cod. addit *sancta.*

LUCENSE.

non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes martires et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt omni devotione veneramur.

Item Vitas Patrum, Pauli, Antonii, Ilarionis, et *omnium* heremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronymus, cum [1] omni honore suscipimus.

Item Actus beati Sylvestri Apostolicæ sedis præsulis, licet ejus qui conscripsit *nomen* ignoretur; a multis tamen in urbe Roma *a* catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multæ *hoc* imitantur Ecclesiæ.

[2] Item scriptura de inventione sanctæ crucis dominicæ, et alia scriptura de inventione capitis Joannis Baptistæ, novellæ quidem relationis [3] nonnulli *eas* catholici legunt, sed cum hæc ad catholicorum manus pervenerint, beati apostoli probant [*manu antiqua* præcedat] sententiam [4] : *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

Item Rufinus vir [5] *religiosissimus*, [6] qui plurios [*manu antiqua* plurimos] ecclesiasticis operis edidit libros, non nullas etiam Scripturas interpretatus est. Sed quoniam [7] beatissimus Hieronimus eum in aliquibus de *arbitrii* libertate notavit, illa sentiemus quæ prædictum Hieronimus sentire cognoscimus; et non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opuscula quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus; reliqua autem [8] omnia cum auctore suo dicimus rennuenda.

Item Cronica Eusebii Cesariensis [9] *epi* atque ejusdem Historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, et post in laudibus atque excusatione Origenis *unum scismatici* conscripserit librum; propter rerum tamen singularum notitiam, quæ ad [10] scrutationem [*manu antiqua* instructionem] pertinent, usquequaque non dicimus *rennuenda*.

Orosium virum eruditissimum collaudamus [11] *quia* valde nobis necessariam adversus Paganorum calumnias ordinavit Storiam, miraque brevitate contexuit.

Venerabilis viri Seduli [12] *episcopi* Pascbale opus, quod *heroicis* descripsit versibus, insigni laude [13] proferimus.

Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramus.

VATICANUM FONTANINI.

gis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.

Item Vitas Patrum, Pauli, Antoni, Hilarionis, et omnibus heremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronimus, cum omni honore suscipimus.

Item Actus beati Silvestri Apostolicæ sedis præsolis, licet ejus qui conscripsit nomine ignoretur, a multis tamen in urbe Roma catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multæ hæc imitantur Ecclesiæ.

Item scriptura de inventione crucis dominicæ, et aliam scripturam de inventione capitis Joannis Baptistæ, novelle quidem relationis et nonnulli catholici legunt. Sed cum hæc ad catholicorum manus advenerint, beati Pauli apostoli præcedet sententia.... *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

Item Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiasticæ operis edidit libros, nonnullas etiam Scripturas interpretatus est. Sed quin beatissimus Hieronimus eum in aliquibus de arbitrio libertate notavit, illas sentim. q. prædictum beatum Hienimum sentire cognoscimus, non solum de Rofino, sed etiam de universis quod vir S. sepius memoratus, zelo Dei, et fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla op. quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus : reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus rennuendam.

Chronica Eusebi Cæsariensis, atque ejusdem Historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, et post in laudibus atque excusatione Origenis scismatici unum conscripserit librum : propter rerum tamen singularum notitiam, q. ad instructionem pertenent, usquequaque non dicimus renuendos.

Idem Orosium virum eruditissimum, quem conlaudamus, qui valde nobis necessariam adversus paganorum calumnias ordinavit Historiam, miraque brevitate contexuit.

Item venerabilis Sedulii Paschale opus, quod eruditis descripsit versibus, insigni laude præferimus.

Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed

JURENSE CHIFFLETII.

cum prædicta *Romana* Ecclesia, omnes martyres, et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.

Item Vitas Patrum, Pauli Antoni, Hilarionis, et omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus Hieronymus descripsit, cum omni honore suscipimus.

Item Actus beati*ssimi* Silvestri apostolicæ sedis præsulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Roma catholicis legi cognovimus et pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ.

Item scriptura de Inventione dominicæ crucis, et alia scriptura de Inventione capitis beati Joannis Baptistæ, novellæ quidem relationes *sunt*, et nonnulli *eas* catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, beati apostoli Pauli præcedat sententia : *Omnia probate, et quod bonum est retinete.*

Item Rufinus vir religio*sissimus* plurimos ecclesiastici operis edidit libros : nonnullas etiam Scripturas interpretatus est. Sed quoniam venerabilis Hieronymus cum in aliquibus de arbitrii libertate notavit; illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus : et non solum de Rufino, sed etiam de universis quos vir sæpius memoratus zelo Dei, et fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus : reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus renuenda.

Item Chronica Eusebii Cæsariensis, atque ejusdem Historiæ Ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, et post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum : propter rerum tamen singularum notitiam, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.

Item Orosium virum eruditissimum conlaudamus, qui valde necessariam nobis adversus paganorum calumnias ordinavit Historiam, miraque brevitate contexuit.

Item venerabilis viri Sedulii Opus paschale, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus.

Juvenci quoque nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed

---

[1] In eodem cod. deest *omni*.
[2] Idem cod. non habet *sanctæ*.
[3] Idem cod. *sunt*, etc.
[4] Idem cod., *præcedit sententia*.
[5] Idem cod., *religiosus*.
[6] In eodem cod. deest *qui*.
[7] Idem cod., *venerabilis*.
[8] In eodem cod. deest *omnia*.
[9] In eodem cod. deest *epi*.
[10] Idem cod., *instructionem*.
[11] Idem cod., *qui*.
[12] In eodem cod. deest *episcopi*.
[13] Idem cod., *præferimus*.

LUCENSE.

Cætera *autem quæ* ab hæreticis, *sive* scismaticis conscripta, vel [1] prædicta sunt [*manu antiqua additur* nullatenus recipit catholica et apostolica Romana Ecclesia]. E quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, et a catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.

Item notitia *de* librorum [*manu antiqua* libros] apocriforum, [2] qui non recipiuntur.

Ariminensium synodum a Constantio Cæsare Constantini [3] Augusti filio congregatam mediante Tauro præfecto ex tunc, et nunc, et in eternum confitemur esse damnatam.

Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis [*manu antiqua* libr. [4] x] apocrifum.

Actus *nomine* Andreæ apost. apog.

Actus *nomine* Thomæ apost. apog.

Libri numero decem apog. (sed hoc deletum est manu antiqua.)

Actus nomine Petri apost. alius apoc.

Actus nomine Philippi apost. apoc.

Evangelia nomine Matthiæ apog.

Evangelia nomine Barnabæ *apost.* [5] apog.

Evangelia nomine Jacobi minoris apog.

Evangelia nomine Petri [6] apost. apoc.

Evangelia nomine Thomæ, quibus Manichæi utuntur apoc.

Evangelia nomine Andreæ apost. apoc. [*Manu antiqua deletur* Andreæ, *et ponitur* Bartholomei.]

Evangelia quæ falsavit Lucianus apoc.

Evangelia quæ falsavit *Ysicius* apoc.

Liber de Infantia Salvatoris apoc.

Liber de Nativitate Salvatoris, et de Maria [*manu antiqua post Mariam est* vel] obstetrice [7] apoc.

Liber qui appellatur Pastoris apoc.

Libri omnes quos fecit *Lucius* [*manu antiqua* Leucius] discipulis diaboli apog.

Liber qui appellatur fundamentum apoc.

Liber qui appellatur Thesaurum apoc.

Liber de filiabus Adæ *Licto* [8] *ageneseos.*

VATICANUM FONTANINI.

miramus. Cetera que ab hæreticis, schismaticis conscripta, vel predicata sunt, nullatenus recipiet catholica et apostolica Romana Ecclesia : e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, et a catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda.

IV.

Notitiam librorum apocriforum, qui non recipiuntur.

Arimenensium Sinodum, a Constantio Cæsare Constantini Augusti filium congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc et nunc et in æternum confitemur esse damnata.

Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur Sci Clementis, apogrifum.

Actus nomen Andreæ apl. apg.

Actus nomen Thomæ apl. libros x apg.

Actus nomen Petri apl. alius, apg.

Actus nom. Philippi apl. apg.

Evangelium nom. Matthiæ apg.

Evangelium nom. Petri ap. apg.

Evangelium nom. Jacobi Minoris, apg.

Evangelium nom. Barnabæ apg.

Evangelium nom. Thomæ, quibus Manichæi utuntur, apg.

Evangelium nomen Bartholomei ap. apg.

Evangelium quem falsavit Lucianus, apg.

Evangelium quem falsavit Eusicius et Lucius, apg.

Lib. de Infantia Salvatoris, apg.

Lib. de Nativitate Salvatoris, e de Maria vel obstetrice, apg.

Liber qui appellatur Pastoris, apg.

Lib. omnes quos fecit Leucius discipulus diaboli, apg.

Lib. qui appellatur Fundamentum, apg.

Lib. qui appellatur Thesaurum, apg.

Lib. de filiabus Adæ lectumgeneseos, apg.

JURENSE CHIFFLETII.

miramur. Cætera quæ ab hæreticis, sive schismaticis conscripta vel prædicta sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana Ecclesia : e quibus, pauca, quæ ad memoriam venerunt, et a Catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda.

V.

In primis Ariminensem synodum a Constantio Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc et nunc, in æternum confitemur esse damnatam.

Itinerarium *quoque in* nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis *libri numero novem*, apocryphum *esse scimus.*

Actus nomine Andreæ apostoli, apocryphum.

Actus nomine Thomæ apostoli, libri x apocryphi.

Actus nomine Petri apostoli, apocryphi.

Actus nomine Philippi apostoli apocryphi.

Evangelia nomine Mattiæ apostoli, apocrypha.

Evangelia nomine Barnabæ, apocrypha.

Evangelia nomine Jacobi Minoris, apocrypha.

Evangelia nomine Petri apostoli apocrypha.

Evangelia nomine Thomæ apostoli, quibus Manichæi utuntur, apocrypha.

Evangelia nomine Bartholomæi apostoli, apocrypha.

Evangelia nomine Andreæ apostoli, apocrypha.

Evangelia quæ falsavit Lucianus, apocrypha.

Evangelia quæ falsavit Isicius, apocrypha.

Liber de Infantia Salvatoris, apocryphus.

Liber de Nativitate Salvatoris, et de Maria vel obstetrice, apocryphus.

Liber qui appellatur Pastoris, apocryphus.

Libri omnes quos fecit Lucius discipulus diaboli, apocryphi.

Liber qui appellatur Fundamentum apocryphus.

Liber qui appellatur Thesaurum, apocryphus.

[9] Liber de filiabus Adæ, *hoc est* Leptogenesis apocryp.

---

[1] Idem cod., *prædicata sunt nullatenus recipiat catholica et apostolica ecclesia Romana.*

[2] In eodem cod. deest *qui non recipiuntur.*

[3] In eodem cod. deest *augusti.*

[4] Idem cod., IX.

[5] In eodem cod. deest *apost.*

[6] In eodem cod. deest *apost.*

[7] Idem cod., *ejus.*

[8] Idem cod., *genesibus.*

[9] *Liber qui appellatur Adæ* lepto geneseos.

LUCENSE.	VATICANUM FONTANINI.	JURENSE CHIFFLETII.
[1] Liber qui appellatur Actus Theclæ, et *Pauli* [2] apos. apog.	Lib. qui appellatur hactus Thecle, vel Thollius, et Pauli ap. apg.	Liber qui appellatur Actus Teclæ et Pauli, apocryphus.
Liber qui appellatur [3] Nephothes apog.	Lib. qui appellatur Nopotis, apg.	Liber qui appellatur Nepotes, apocryphus.
Liber proverbiorum ab hæreticis conscriptus, et sancti Xisti *nomine præsignatus*, apoc.	Lib. Proverbiorum ab hereticis conscriptus, et sancti Xisti nomen prænotatus, apg.	Liber Proverbiorum qui est ab hæreticis conscriptus, et sub nomine sancti Sixti præsignatus, apocryphus.
Revelatio quæ appellatur Thomæ [4] *apost.* apog.	Revelatio qui appellatur Pauli, apg.	Revelatio quæ appellatur Pauli apostoli, apocrypha.
Revelatio quæ appellatur Pauli apog.	Revelatio qui appellatur Thomæ apg.	Revelatio quæ appellatur Thomæ apostoli, apocr.
Revelatio quæ appellatur Stephani apoc.	Revelatio qui appellatur Stephani apg.	Revelatio quæ appellatur sancti Stephani, apocr.
Liber qui appellatur transitus, [5] id est assumptio sanctæ Mariæ apoc.	Liber qui appellatur Transitus, id est, Adsumptio scæ Mariæ, apg.	Liber qui appellatur Transitus, id est, Adsumptio sanctæ Mariæ, apocryphus.
Liber qui appellatur [*manu antiqua* de] Pœnitentia Adæ apoc.	Lib. qui appellatur Penetentia Adæ, apg.	Liber qui appellatur Pœnitentia Adæ, apocryphus.
Liber de [6] *Eugenia* [*manu antiqua* Vegenia] nomine gigantis qui cum dracone post diluvium ab hæreticis pugnasse perhibetur, apoc.	Lib. Eugenii a nom. gigante qui cum dracone post diluvium ab hæreticis pugnasse perhibetur apg.	Liber de Eugenia nomine gigante quæ cum dracone post diluvium ab hæreticis pugnasse fingitur, apocryp.
Liber qui appellatur Testamentum Job apog.	Liber qui appellatur Testamentum Job apg. Non historia beati Job, sed alius ad hereticis conscriptus.	
Liber qui appellatur pœnitentia Origenis apog.	Lib. qui appellatur Pœnitentiæ Origenis, apg.	Liber qui appellatur Pœnitentia Origenis, apocryphus,
Liber qui appellatur pœnitentia sancti Cipriani apoc.	Lib. qui appellatur Pœnitentia sci Cipriani apg.	
Liber qui appellatur pœnitentia Jamne et Membre apoc.	Lib. qui appellatur Pœnitentia Jamnæ et Mambre apg.	Liber qui appellatur Pœnitentia Jamne et Mambre, apocryphus.
Liber qui appellatur [7] Sors apostolorum [*manu antiqua scribitur* laus] apoc.	Lib. qui appellatur Sors apostolorum, apg.	Liber qui appellatur Sortes sanctorum, apocryphus.
	Lib. qui appellatur Lusa Apostolorum apg.	Liber qui appellatur Lusa apostolorum, apocryphus.
		Liber qui appellatur Canones apostolorum, apocryphus.
Liber Fisiologus, qui ab hæreticis conscriptus, et beati Ambrosii nomine præsignatus apoc.	Lib. Filosogus, qui ab hereticis conscriptus est, et beati Ambrosii nom. præsignatus, apg.	Liber phisiologus, ab hæreticis conscriptus, et beati Ambrosii nomine præsignatus, apocryphus.
Storia Eusebii Pampeli apog.	Historia Eusebi Pamphili, apg.	Historia Eusebii Pamphili, apocrypha.
Opuscola Tertulliani apoc.	Opuscola Tertulliani, apg.	Opuscula Tertulliani, apocrypha.
Op. Lactanti [8] apoc.	Op. Lactanti, ap.	[9] Opuscula Lactantii, apocrypha.
[10] Op. Africani apoc.	Op. Affricani, apg.	Opuscula Africani, apocrypha.
Op. [11] *Postulliani* et Galli apoc. [12]	Op. Postumiani et Galli, apg.	[11] Opuscula Postuminiani, apocrypha.
Op. Montani, Priscillæ, et Maximillæ apoc.	Op. Montani, Priscillæ et Maximillæ apg.	Opuscula Montani, Priscillæ et Maximillæ, apocrypha.
Op. omnia [13] *Faustini* Manichæi apoc.	Op. omnia Fausti Manichei, apg.	Opuscula Fausti Manichæi, apocrypha.
Op. Commodiani ap.	Op. Commodiani, apg.	Opuscula Commodiani, apocrypha.
Op. alterius Clementis Alexandrini apoc.	Op. alterius Clementis Alexandrinæ, apg.	Opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha.
Op. *Tassii* Cypriani ap.	Opusc. Tarsi Cipriani, apg	Opuscula Tascii Cypriani, apocrypha.
Op. [14] Arnobi ap.	Op. Arnobi, apg.	Opuscula Arnobii, apocrypha
Op. Ticoni apoc.	Op. Tigoni, apg.	Opuscula Ticoni, apocrypha.
Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum ap.	Opuscula Cassiani pbri. Gallearum, apg.	Opuscula Cassiani presbyteri Galliensis, apocrypha.

[1] Idem cod., *Centone de Christo Vergilianis compaginatum versibus, apocr.*
[2] In eodem cod. deest *apost.*
[3] Idem cod., *Nepotis.*
[4] In eodem cod. deest *apost.*
[5] In eodem cod. deest *id est.*
[6] Idem cod., *Ugia.*
[7] Cod. Flor., *sortes.*
[8] Cod. Flor. addit *sive Africani, sive Firmiani.*
[9] *Opuscula Lactantii sive Africani, sive Firmiani apocrypha.*
[10] In eodem cod., deest.
[11] Idem cod., *Postumiani.*
[12] *Opuscula Posthumiani Galli apocrypha.*
[13] Idem cod., Fausti.
[14] Idem cod., *Arnorini.*

LUCENSE.

Opusc. Victorini [1] *Pictabensis* ap.

Manu antiqua inseritur hic, Op. Fausti Regensis Gallearum ap. [2] Op. Frumenti Cœci ap.

Centonem de Christo, Virgilianis compaginatum versibus ap.

Epistola Jesu *Abaguso* ap.

Epistola Abaguio ad Jesum ap.

Passio *Quyrici*, et Julitæ ap.

Passio Georgi ap.

Scriptura quæ appellatur contradictio Salomonis apoc.

Filacteria omnia, quæ non angelorum, ut illi confingunt, sed dæmonum magis conscripta sunt, ap.

Hæc et his similia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, *Basilidis*, Ebion, Paulus etiam *Samositanus*, Fotinus, et Bonosus [*manu antiqua* et] qui simili errore defecerunt; Montanus quoque cum suis *obscenissimes* sequacibus, Apollenaris, Valentinus sive Manicæus, Faustus, Africanus Sabellius, Arrius, Machedonius, Eunomius, Novatus, *Sabacius*, *Cœlestus*, Donatus, Eustacius, Jovianus, Pelagius, Julianus *Celumensis*, Cœlestius Maximinus [*manu antiqua* Maximianus] Priscillianus ab Spania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus *Cynicus*, Lampetius, Dioscorus, *Eutices*, Petrus, et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit. Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis, necnon et omnes *hæretici*, *hæreseorumque* discipuli, sive scismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur, non solum repudiata, verum ab omni Romana, et apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub *anathematis* insolubili vinculo in æternum confitemur esse *damnanda*.

VATICANUM FONTANINI.

Opus. Victorini Petabionensis, apg.

Op. Fausti Regensis Gallearum, apg.

Op. Frumentini Cœci, apg.

Centonem de Xpo Virgilianis convaginatum versibus, apg.

Epistola Ihu ad Abgiarum, apg.

Epla Abgari ad Ihm, apg.

Passio Cirici et Jolitæ, apg.

Pass. Giorgi, apg.

Scriptura que appellatur contradictio Salomonis, apg.

Filacteria omnia, que non angelorum, ut illi confingunt, sed dæmonum magis arte conscripta sunt, apg.

Hæc et his similia quæ Simon Magus, Nigolaus, Cirinthus, Marcion, Baselides, Ebion, Paulus etiam et Samosetanus, Futinus et Bonosus, et qui simili errore defecerunt; Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinianus, sive Manicheus, Faustus, Affricanus, Sabellius, Arrius, Machedonius, Eunomius, Novatus, Sabastius, Celestus, Donatus, Eustacius, Jovianus, Pelegius, Julianus Elane, Gelestius, Maximianus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Unicus, Lampecius, Dioscorus, Eutichius, Petrus et alius Petrus: e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit; Accacius Constantinopolitanus cum consortibus suis; nec non et omnes hereses, hereseorum discipuli, sive scismatici, qui docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minime retenentur, non solum repudiata, verum ab omni Romana, vel catholica et apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathemate insolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

Expliciunt decretalis.

JURENSE CHIFFLETII.

Opuscula Victorini Pietabiensis, apocrypha.

Opuscula Fausti Regensis Galliarum, apocrypha.

Opuscula Frumenti Cœci, apocrypha.

Centones de Christo, Virgilianis compaginati, apocryphi.

Epistola Jesu ad Agarum, apocrypha.

Epistola Agari ad Jesum, apocrypha.

Passio Quirici, et Julitæ, apocrypha.

Passio Georgii, apocrypha.

Scriptura quæ appellatur Salomonis interdictio, apocrypha.

Philacteria omnia, quæ non angelorum, ut illi confingunt, sed dæmonum magis conscripta sunt nominibus, apocrypha.

Hæc et his similia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Baselides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus, qui simili errore defecerunt; Montanus quoque cum suis obscœnissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus, Africanus, Sabellius, Arrius Macedonius, Eunomius, Conomius, Novatius, Sabbatius, Callistus, Donatus, Eustacius, Jovinianus, Pelagius, Julianus Eclanensis, Cælestinus, Maximianus, Priscillianus ab Spania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cinicus, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus, et alius Petrus: e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit: Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis: necnon et omnes hæresiarches, et eorum discipulos, qui schismatica docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinuimus; non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana, catholica et apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis et indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

Explicit decretale editum ab Horsmida papa urbis Romanæ.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGI.

(Ad annum Christi 494, num. 2 et seqq.)

Decretum de Scripturis divinis, et opusculis sanctorum Patrum quæ in Ecclesia catholica recipiuntur *valde urget heterodoxos, qui traditionem rejiciunt, et librorum canonicorum numerum pro libito ac sectarum suarum commodo mutilant. Job enim, Tobiæ, Judith, Machabæorum libri, Epistola ad Hebræos, Apocalypsis Joannis, Petri duæ, Joannis apostoli III, Judæ I, in eo memorantur. Pearsonius in vindiciis Ignatianis prolixiorem sermonem de ejus auctore, ac tempore quo conditum est, instituit, et pag.* 53 *ait, se existimare hoc decretum post synodum* v, *anno* 553 *celebratam, promulgatum fuisse. Neque catholici de hujus sanctionis auctore, annoque quo ea emissa, inter se conveniunt; quod mss. codices eam tribus diversis pontificibus ascribant. Vetustissimus codex collectionis Dionysii Exigui, quem secum communicatum a Dacherio Baluzius testatur, hoc decretum Damaso papæ attribuit, et Baronius anno* 69, *num.* 4, *refert Cresconiam collectionem continere concilium Romanum sub Damaso in quo de libris apocryphis agitur, cujus decreta repetita credit Baronius a Gelasio in decreto* 72 *episcoporum, de quo anno* 494 *cum collectoribus Conciliorum verba facit. Verum codex antiquissimus a Pearsonio lectus, et a Lantfranco ex Beccensi cœnobio in Angliam delatus, hunc titulum præfert: « Decreta Gelasii papæ de recipiendis, et non recipiendis libris. Quæ scripta sunt ab eo cum septuaginta eruditissimis episcopis. » Nicolaus I pontifex Romanus in epist.* 42 *ad episcopos Galliæ circa annum* 865 *data; Lupus abbas Ferrariensis in*

[1] Idem cod., *Pettachionensis*.

[2] Hic desinit cod. Florent.

fine epistolæ ad Carolum Calvum, et in fine quæst. de Sanguine Christi; Gratianus dist. 15, *cap.* Sancta Romana; *Burchardus Wormatiensis episcopus, varii codices mss. omnesque excusi*, Gelasium *hujus decreti auctorem produnt. Denique* Hormisdæ papæ *in antiquissimo Vergellensi codice Baluzius et Chiffletius in Jurensi, illud ascribi testantur. Indeque Chiffletio in fine notarum ad Vigilium Tapsensem existimatum, decretum hoc primo sancitum fuisse a Gelasio in concilio Romano hoc anno : ita tamen ut non quasi decretum pontificium, sed velut totius concilii quidam canon prodiret : tum deinde ab* Hormisda *editum esse sub forma pontificiæ decretalis, et in quinque titulos methodi gratia divisum ac fortasse nonnullis in locis restitutum.*

Gelasium tamen celeberrimi hujus decreti auctorem esse, et nonnisi per errorem illud Hormisdæ attributum demonstrabo, et litem, ni valde fallor, dirimam. In eo cum damnatorum voluminum index texitur, inter ea libri Cassiani ac Fausti Reiensis numerantur hac præmissa sententia : « Cætera, quæ ab hæreticis sive schismaticis conscripta, vel prædicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana Ecclesia, e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, et a catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda. » Cumque plurimos libros hæreticorum aliorumque incertorum auctorum Patres synodi Romanæ damnassent, hos inter Cassiani et Fausti volumina posuere hoc titulo : « Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apocrypha, opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha. » Sæculo sequenti exortis de divina gratia contentionibus ex Fausti *præsertim libris, non modo in Occidente, verum etiam in Oriente alii* Faustum *defenderunt, alii eumdem acerrime confutarunt, præcipue monachi Scythæ, qui ex Asia erumpentes adversus eum Europam atque Africam commoverunt, ut anno* 520 *explicabimus. Eo rerum statu consultus* Possessor *episcopus Africanus a Trasamundo Africæ rege in exsilium missus, dum Constantinopoli morabatur, ubi* Fausti *libri a pluribus defendebantur ut catholici, a Maxentio vero et a monachis Scythis uti hæretici damnabantur, consulit ipsemet Hormisdam papam, quid de iisdem libris sentiendum esset; eamque in rem Justinum diaconum suum ad eum misit. Exstat ejus ad Hormisdam Relatio tom. superiori Concil., diciturque accepta « xv cal. Augusti Rustico V. C. cos. id est anno* 520. *Hæc Possessoris in ea verba : « Arbitror vestram beatitudinem non latere quantis in Constantinopolitana urbe Ecclesia laboret insidiis, et ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterum quærat irrumpere, quod obductum creditur cicatrice. Unde cum quorumdam fratrum animus de codice Fausti cujusdam natione Galli Reginæ civitatis episcopi, qui de diversis rebus et frequentius de gratia Dei diserte visus est disputare, in scandalum moveretur, aliis (ut se habent humana studia) in contrarium renitentibus me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. » Addit postea Possessor : « Quæso, ut consulentibus, quid de præfati auctoris dictis videatur, auctoritate apostolicæ responsionis agnoscant : maxime quod filii quoque magistri militum Vitalianus et Justinianus præcipue super hac re rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant. »*

Hormisda Possessoris epistolam die 18 *mensis Julii anni* 520 *accepit, et die* 13 *mensis Augusti ad eumdem rescripsit epistolam ordine* 70, *in qua inter alia ait : « Hi vero quos vos de Fausti cujusdam Galli antistitis dictis consuluisse, litteris indicastis, id sibi responsum habeant : neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicæ fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare. Fixa sunt a Patribus quæ fideles sectari debeant instituta : sive interpretatio, sive prædicatio, seu verbum populi ædificatione compositum, si cum fide recta, et doctrina sana concordat, admittitur, si discordat, aboletur. » Ubi Hormisdam de decreto Gelasii loqui recte observarunt cardinales Baronius anno* 520, *num.* 21, *et card. Norisius in Cenot. Pis. pag.* 445. *Verum, quæ paulo post idem pontifex subjungit, non sese, sed eumdem Gelasium illius decreti conditorem fuisse, manifeste insinuant : « Non improvide veneranda Patrum sententia fideli posteritati quæ essent catholica dogmata, definiit; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente, præfigens, ne opinioni suæ lector indulgens, non quod ædificationi ecclesiasticæ conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, assereret. » Decretum itaque de libris recipiendis et non recipiendis, non ab* Hormisda, *sed ab aliquo ex ejus successoribus in aliqua synodo Romana emissum, non quidem ab Anastasio et Symmacho, qui Gelasium secuti sunt, et Hormisdam antecessere; cum nullus unquam id asseruerit, nullumque ms. alterutrius nomen præferat, sed a Gelasio, cui innumeri codices illud attribuunt.*

Nec dici potest illud scriptum esse a Damaso, *cujus nomen librariorum errore præfert in collectione Cresconiana; cum plerique opusculorum in eo memoratorum auctores post Damasum vixerint et scripserint. Nihil præterea ab* Hormisda *immutatum, ut credidit Chiffletius; cum Hormisda in sua ad* Possessorem *epistola citata hunc remittat ad ea quæ jam fixa fuerant a Patribus, nihilque novi de* Fausto, *de quo consultus fuerat, statuere voluerit. Apparet igitur* Hormisdam *tam ad Possessorem quam ad legatos suos, qui Constantinopoli tunc agebant, decretum Gelasii papæ misisse ac mandasse, ut illud ab omnibus religiose observaretur. Quo pacto* Possessoris *petitioni faciebat satis. Contigit vero, ut decretum illud tunc in varia exemplaria transcriptum, et latius per Europam, Africam et Orientem, præsertim a* Fausto *adversariis disseminatum fuerit, et quia ab* Hormisda *papa missum fuerat, ejusque nomine ubique divulgatum, eidem ab aliquibus, temporis progressu, imprudenter ascriptum fuerit. Hæc falsæ illius inscriptionis sine dubio origo.*

Baronius et conciliorum collectores scribunt decretum Gelasii datum esse Asterio et Præsidio coss., *hoc sc. anno; verum refellunt eos codices mss. in quibus nota illa temporaria non habetur. Legi in bibliotheca regia antiquissimo charactere exaratum, sed sine nota consulari, aliumque in bibliotheca sancti Victoris Parisiensis, a quo ea etiam abest; nec dubito quin in cæteris mss. desideretur, cum concilium Romanum septuaginta episcoporum, in quo illud emissum ante annum* 496 *celebratum non fuerit. In laudato enim decreto hæc verba de Sedulio leguntur : « Item venerabilis viri Sedulii opus Paschale, quod heroicis descripsit versibus insigne laude præferimus. » In fine vero libri Bucolicorum codicis Virgilii Medicei vetustissimi hæc habentur. « Turcius Rufus Apronianus Asterius V. C. et inl. ex comite domest. protect. ex com. priv. largit. expræf. Urbi Patricius et consul ordin. legi et distincti codicem fratris Macharii V. C., non mei fiducia sed ejus cui sit ad omnia sum devotus arbitrio, xi cal. Maii Romæ P. Vegili Maronis :*

Distincti emendans gratum mihi munus amici
Succedens operi sedulus incubui.

Bucolicon liber explicit. »

Em. card. Norisius laudatus, qui eam clausulam produxit, observat in vetusto codice Vaticano num. 1165, *post carmen Paschale Sedulii hæc legi : « Hoc opus Sedulius inter cartulas dispersum reliquit, quod recollectum et adunatum, atque omni elegantia divulgatum est a Turcio Rufio Asterio quinto U. C. exconsule ordinario atque patricio. » Similem huic codicem etiam vidit Cuspinianus, qui ad consulatum Asterii et Præsidii, ait, carmen Sedulii « a Turcio Ruffo Asterio quinto U. C. exconsule ordinario atque patricio » scriptum esse. Eadem annotatio erat etiam in codice quo Aldus Manutius senior usus est, siquidem advertit opus illud non a Sedulio, sed a « Turcio Rufo Asterio V. C. exconsule ordinario atque patricio » publicatum esse. Verum quidem est Sirmondum in notis ad epist.* 24 *lib. Ennodii scribere, in codice Remensi poematis Paschalis Sedulii hæc haberi : « Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit, quod recollectum, adornatumque ad omnem elegantiam, divulgatum est a*

Turcio Rufo U. C. consule ordinario atque patricio. » *Verum ex laudatis mss. liquet, loco* exconsule ordinario, *exscriptorem per errorem posuisse* consule ordinario; *cumque Asterius ante annum sequentem* exconsul *dici non potuerit, ante eum annum* Sedulii *carmina nec collegit, nec evulgavit, ideoque, nec antea synodus Romana, in cujus decreto de Sedulio mentio, celebrata fuit, ut recte videre Usserius lib.* III *de Primordiis Eccles. Britan. c.* 16. *Pearsonius in Vindiciis epistolarum sancti Ignat. pag.* 46, *et card. Norisius laudatus, qui plura habet de Sedulio et ejus opere. Cum vero mense Martio alia* synodus Romana *habita sit, ea de qua agitur, pertinet ad an.* 496, *fuitque* II *Romana, sub Gelasio, non* I, *ut perperam hactenus a conciliorum collectoribus appellata, et horum exemplo ab aliis.*

[a] [1] CONCILIUM ROMANUM II [2].

Quo a Gelasio et episcopis 55 *Misenus absolvitur anno Domini* 495 III *idus Maii.*

Residente in synodo venerabili viro papa Gelasio A una cum Bonifacio, Maximino, Epiphanio, Basilio, Vitali, Claro, Irenæo, Decio, Asello, Euplo, Valentino, Martiniano, Basso, Benigno, Primitivo, Palladio, Uindemio, Constantio, Martyrio, Candido, Laurentio, Deodato, Mercurio, Stephano, Dulcitio, Fortunato, Paschasio, Sanctulo, Innocentio, Chrysogono, Colonico, Molensi, Maximiano, Valentino, Constantio, Gandentio, Felice, Vitaliano, Petro, Sereno, Aucupio, Timotheo, Stephano, Laurentio, et Probo episcopis, residentibus etiam Castino, Laurentio, Canusio, Eugenio, Januario, Martiano, Gordiano, Petro, Urbico, Paulino, Valente, Petro, Asterio, Smaragdo, Bonifacio, Maxentio, Epiphanio, Justino, Felice, Redempto, Projectitio, Callisto, Joanne, Valentino, Sebastiano, Martino, Epiphanio, B Andrea, Servodei, Apellione, Petro, Servando, Agapito, Abundantio, Marcellino, Litorio, Laurentio, Agathone, Sebastiano, Valentino, Anastasio, Genesio, Dionysio, Epiphanio, Acontio, Paulino, Agapito, Adeodato, Benedicto, Dominico, Redempto, Severo, Juliano, Stephano, Crescentiano, Septimino, Cypriano, et Epiphanio presbyteris una cum Amandiano viro illustri, et Diogeniano viro spectabili; astantibus quoque diaconibus, Gelasius episcopus Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ dixit: Meminit dilectio vestra superiore conventu oblatum nobis a Miseno libellum in conspectu vestro fuisse recitatum; hunc eumdem si placet dilectioni vestræ, denuo recensendum, ut acta nostra contineant. Et quia aliud se quoque petitorium præ manibus habere profitetur, quid etiam C in hoc contineatur, possimus agnoscere. Et adjecit: Miseni libellus denuo recitetur. Anastasius diaconus recitavit: Datum a famulo vestro Miseno die octavo iduum Martiarum, Viatore V. C. consule. Quantum ad meæ pertinet infelicitatis abruptum, errori meo qualibet ratione contracto definio non esse parcendum: quoniam hoc ipso pœna carere non debeo, quod merui [3] ad causam pœnalem, quæcunque foret, perduci.

Quantum vero pertinet [*al.* respicit] ad remediale subsidium, duo sunt quæ me ad hoc suppliciter implorandum venire constringunt; ne vel ego desperatione magis perpetuis cruciatibus sim dignus addici, Judæ prævaricatoris exemplo: et quia tanta est ineffabilis illa clementia, quæ apostolica potestate universum facinus possit absolvere. Hanc igitur solam in meo negotio, papa venerabilis, vocem miserandus effundo. Parce prostrato, porrige manum jacenti. Nullis ignorantiæ excusationibus nitor, nullas decipulas circumventionis obtendo, nec in quemquam calamitatis meæ studeo transferre discrimen; quia alios incusare non debeo, qui poscam clementer absolvi; quia licet mihi pro mea defensione nihil afferam, non ambigam tamen hæc omnia tuo judicio esse tractanda. Tantum quæso, ut superno Numini obsequentes, quod pronuntiat per prophetam: *Nolo mortem morientis, donec revertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII), vos potius cuncta quæ in persona mea gesta sunt benigna consideratione librantes [*al.* deliberantes], viaticum seni [4] ægritudine et continua maceratione consumpto, ne sine ecclesiastica communione rapiar, non negetis ex alterius casu experimentum meæ formidinis intuens: qui auxilium, etiam vobis

[a] Cum Vitalis et Misenus apostolicæ sedis legati, per Zenonem imperatorem inducti Acacio communicassent, et Petri Moggi Alexandrinæ Ecclesiæ invasoris nomen in diptychis publice recitari sine contradictione audivissent, ideoque justo judicio a Felice papa in synodali Patrum consessu excommunicati fuissent; tandem post intervallum undecim annorum, postque Vitalem in excommunicatione defunctum, Misenus gratia Dei adjutus, ad mentem rediit; suumque delictum plurimum detestatus, ad pœnitentiam et Ecclesiæ unitatem recipi postulavit. Indicto igitur hac de causa concilio, post causæ cognitionem magno omnium applausu humeris pastorum impositus ad ovile Christi, unde annis prope D undecim aberraverat, vicissim reductus fuit. Habitum est hoc synodale judicium in basilica Sancti Petri, anno Christi 495, tertio idus Maii, sub consulatu viri clarissimi Flavii Viatoris, qui est Gelasii 4 et Anastasii imperatoris annus imperii 5. Acta hujus concilii per Dionysium Exiguum translata fuerunt. Ea quæ ex Vaticana bibliotheca accepta sunt, atque etiamnum tomo I Epistol. pontif. recitantur, nonnihil mendosa sunt, et fide carent. Quæ vero ex codice Virdunensi per Frontonem Ducæum societatis Jesu professorem edidit illustrissimus cardinalis Baronius, anno 495, integriora sunt et magis emendata. Quæ Romano exemplari collata, in pristinum fere candorem omnino restituta, hic infra post notas nostras tibi, benevole lector, exhibemus. SEV. BINIUS.

[1] Edidit Baronius cum variis lectionibus ex ms. Virdunensi, quas cum eo communicavit P. Fronto Ducæus. HARDUIN.

[2] Si concilium in quo de libris apocryphis actum, anno tantum 496 habitum est, ut supradiximus ex Pagio, restat ut hoc concilium in quo Misenus absolvitur, primum sub Gelasio dici debeat, illud secundum.

[3] Manuscriptus habuit, *ad causam pœnalem quacunque sorte perduci.* Eodemque modo legitur paulo post in hoc ipso concilio. FRONT. DUCÆUS.

[4] *Ægritudine continua et maceratione.* FRONT. DUCÆUS.

conferre volentibus. non potuit indipisci. Et me per A imperitiam hac clade potius implicatum [1] hoc ipso dignanter ostendite quod [2] ad receptionis Ecclesiæ superstes gratiam valui pervenire.

Quo lecto, Gelasius episcopus dixit: Petitorium gesta retinebunt. Et adjecit: Ipse nunc Misenus adveniat, et petitorium quod obtulit, ipso præsente, recitetur. Cumque ingressus fuisset Misenus, prostratus in terram aliud petitorium obtulit, et rogavit ut susciperetur. Cumque susceptum fuisset, Gelasius episcopus dixit: Utraque petitoria quæ protulit, ipso quoque præsente, legantur. Iterum Anastasius diaconus recitavit. Datum a famulo vestro Miseno, VIII idus Martias, Flavio Viatore viro clarissimo consule.

Quantum ad meæ pertinet infelicitatis abruptum [*al.* obtutum], errori meo qualibet ratione contracto B definio non esse parcendum: quoniam hoc ipso pœna carere non debeo, quoniam merui ad pœnalem causam quacunque sorte perduci. Quantum vero respicit ad remediale subsidium, duo sunt quæ me ad hoc suppliciter implorandum venire constringunt: ne vel ego desperatione magis perpetuis cruciatibus sim dignus addici Judæ prævaricatoris exemplo; et cætera quæ superius continentur. Item aliud petitorium recitat. Datum a famulo vestro Miseno sub die tertio [*al.* quarto] idus Martias, Flavio viatore viro clarissimo consule.

Oblato primitus petitorio meo, nihil aliud suppliciter exoravi quam ut misericordia mihi sedis apostolicæ non in perpetuum negaretur: cujus mihi spem quoniam pro immensa Dei pietate, qua regitur, relu- C cere jam sentio, magis magisque consentiam meam contagiis perfidorum, quæ infeliciter potius quam studio, circumventus incideram, liberam purgatamque esse pronuntians, toto corde atque ore protestor sub divinæ contemplationis intuitu, me omnes quidem hæreses et quidquid inimicum est catholicæ et apostolicæ fidei, communionisque sinceræ, prona mente refutare, tum præcipue Eutychianam hæresim cum suo scilicet auctore Eutychete et ejus sectatore Dioscoro, vel successoribus ejus atque communicatoribus Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano, Petro Antiocheno, cunctisque eorum complicibus et communicatoribus respuere, damnare, et anathematizare perpetuo, omnesque istos et hujusmodi horribiliter exsecrari, nec unquam me D cum talibus ullum quolibet modo profiteor habiturum esse consortium, sed ab his omnibus futurum prorsus alienum. Quorum pravitatem licet nunquam voluntate receperim, tamen me quia calamitatis impulsu minus cautus videor incidisse, sub conspectu Dei et beati Petri apostoli ejusque vicarii, ac totius Ecclesiæ, mea (sicut dixi) professione [*al.* confessione] voceque condemno, detestor, exhorreo, in sola me fide communioneque catholica et apostolica semper duraturum esse confirmans. Cui petitioni meæ manu mea subscripsi die tertio iduum Martiarum, Viatore viro clarisssimo consule. Hæc vestræ beatitudini in conventu venerandorum [*al. addit* episcoporum] credidi meis manibus offerenda. Et alia manu: Ego Misenus huic petitioni meæ et a me oblatæ subscripsi, die et consule suprascripto.

Gelasius episcopus dixit: Quæ lecta sunt transcribantur. Et adjecit: Quid videtur fraternitati vestræ statuendum, vestri quoque consilii participatione desideramus agnoscere. Levaverunt se omnes episcopi et presbyteri, rogantes et dicentes: Exaudi Christe: Gelasio vita: dictum vicies. Quod vobis Deus dedit in potestate, præstate; dictum duodecies. Hoc fac quod facit domnus Petrus; dictum decies. Ut indulgeas, rogamus: dictum novies. Cum denuo sedissent, Gelasius episcopus dixit: Sedes apostolica quidem, quæ Christo Domino delegante totius Ecclesiæ retinet principatum, pro dispensatione curaque generali, quam vel pro fide catholica, vel pro paternis canonibus regulisque majorum necessaria [3] semper circumspectione dependet, Misenum atque Vitalem, quos contra Eutychianæ pestilentiæ sectatores, vel contra eos qui talium se communione polluerant, suæ potestatis legatione suffultos ad Orientem dudum sub sanctæ memoriæ decessore meo præsule destinarat, quod apostolica præcepta declinantes quolibet modo in eorum adversum quos missi fuerant consortia recidissent, gestis synodalibus rerum discussione patefacta, communione pariter et honore merito jureque submovit.

Quibus tamen misericordiæ locum memor supernæ pietatis pro suo moderamine reservavit: et dum conditionem posuit ultionis, spem noluit propitiationis abscindi: sicque suam sententiam temperavit, ut istorum veniam cum illorum mallet salute provenire, quorum fuerant participatione decepti: ac potius præberent eis, quos suo firmaverant in pravitate consensu, et salubrem correctionis metum, et emendationis imitandæ consortium. Denique sic ipsa animadversionis verba librata sunt, ut se illi et cum istis [4] perculsos adverterent, et ex eorum conditione non diffiderent posse salvari. In quo utique et his non est in totum via præclusa remeandi; et illis, si mallent, per istos est oblata correctio, studiumque porrectum, quo possint meliore conatu præteritos compensare prolapsus, si favorem, quem prævaricatoribus facili voluntate detulerunt in reformationem catholicorum potius converterent sacerdotum.

Dictum est enim, tandiu istos fore suspensos, donec auctore Deo, et adnisu catholicorum principum,

[1] *Hoc ipsum indignanter ostendit, quod.* FRONT. DUCÆUS.

[2] *Hoc ipsum, inquit, me ostendit immerito fuisse calamitate oppressum, quod non ut Vitalis ex hac vita subductus sum prius quam communioni catholicæ possem restitui.* Unde subjicit paulo post Gelasius: *Hortatur nos intercepti periculum in superstite subsidia non differenda sanandi, qui in hoc recipiendus divinitus indicatur.* FRONT. DUCÆUS.

[3] *Semper circumspectione dependit.* FRONT. DUCÆUS.

[4] *Percussos adverterent, ex eorum conditione non diffiderent posse salvari.* FRONT. DUCÆUS.

vel populi Christiani, [1] Alexandrina catholicum sacerdotem recepisset Ecclesia. Gratulandum scilicet crederetur, nullo modo Græcos non posse renuere quod viderent ab apostolica sede fuisse damnatum, facileque eos posse de istorum supplicio commoveri, ut nossent quid vitarent, et quid consequenter ambirent, [2] ac velle putarent resipiscendo magis sentire cum rectis, quam jugiter errare cum perfidis. Exspectatumque diu est, ut his rationibus incitati contagia nefanda deponerent, [3] una cum apostolica sede consentiendo, sicut de eorum speratum fuerat voluntate; [4] nitentesque catholicis sacerdotibus revocandi studium potius commodarent : quo ipsi ad orthodoxam [5] recurrerent unitatem; et istis qui illorum participes erroris exstiterant, ministrarent præstitutæ receptionis effectum. Nec qua fieri potuit occasione cessatum est, quo competenter admoniti et sufficienter instructi, pariter pericula vitanda cognoscerent, ac patere sibi januam, si sinceris mentibus hanc petiissent, apostolicæ communionis adverterent.

Sed quia eo perventum est, ut hortamentis quoque medicinalibus, dum etiam quæ referrent contraria non haberent, differrent tamen hactenus adhibere consensum; illorum quidem difficultatibus paternum quemdam debemus pii doloris affectum, deprecantes omnipotentiam Dei nostri, quæ sola quamvis devias in veritatis viam potest convertere voluntates, ut eisdem suæ propitiationis operatione mirabili spiritum resipiscentiæ et efficaciam correctionis dignanter infundat. Quæ donec (sicut de ejus virtute confidimus) divina placatione proveniant, hunc interim qui supplicat desiderabiliter expetentem nullatenus perire patiamur : ut cujus non sunt Orientales dejectione perterriti, ne in errore persisterent, saltem curatione provocentur, ut redeant ad salutem; præcipue cum dispositionis sedis apostolicæ clementiam tenor comitetur ipse dictorum, neque prolata sibi repugnare constitutio judicetur. Definitum quippe est (ut superius jam prædictum est) eos de quibus agimus eatenus debere suspendi, donec auctore Deo, et præfatis adnitentibus, Alexandrina catholicum receperit Ecclesia sacerdotem : non abrupte et sine exceptione propositum est, sed ea ratione depromptum est, qua non sive illis adnitentibus, sive non adnitentibus, indifferenter videretur infixa sententia : ideoque sub quo tenore librata conditio est, eodem non existente, necessitatem suæ professionis absolvit. Quod enim cum adnisu prædictorum pronuntiatum est esse faciendum, hoc eodem non succedente non fieri posse, manifestum est. Sed cum eorum etiam faciendum memoratur adnisu, satis evidenter ostensum est, quod sine hoc non posset impleri. Licet ergo illi, quorum deesse probatur adnisus, de sua sint obstinatione miserandi, tamen quia deest, sicut sine eo effici non potest quod cum eodem effici posse præsumptum est; ita desistentibus causis, per quas hic articulus veniret ad terminum, insolubiliter non retinet obligatum.

Quapropter lata sententia non existentibus per quæ possit usque ad sui exitum deputatam tenere mensuram, his consulendi, et his qui arctati tenebantur, tribuet libertatem. Et apostolica quidem sedes (ut sæpe repetendum est) æstimans Orientales nullo modo non posse respuere quod sedes apostolica refutasset, eosque saluti propriæ et apostolicæ communioni nullius præferre posse personam, hæc de eorum mentibus melius æstimarat. Sed quod iterum non tacendum est, dolenda pernicies non velut improvidam bene de Orientalibus sentientem potest opinionem magis apostolicæ sedis arguere, quam suæ pervicaciæ potius deputare, quod oblatum sibi tramitem propriæ redintegrationis secuta non fuerit: nec ideo tamen aliis debet medicinalem desiderantibus impedire per suam pervicaciam facultatem. Tunc enim dicta sunt de Græcorum consensione fidenter, quia et simul beati Petri societatem quibuslibet videbantur præponere posse personis, et qui exstiterunt ante catholici, æstimabantur consensuri facile veritati, atque ideo cujuslibet hominis affectum in desideriis apostolicæ communionis non posse præponere? quæ cum nondum susceperint per quas hic ordo decurreret voluntates, id quod per eas fieri posse præsumptum est, cernitur absolutum; quoniam cum desunt qui perficiant [*Al.* si desint per quos id efficiant], nullus provenire possit effectus; imo cum iidem ipsi per quos judicabatur esse faciendum, ne efficiatur obsistant : qui si in hac sunt (quod absit) obstinatione mansuri, resoluta conditio est illius rei, quæ eorum studiis fiducialiter censebatur impleri.

Sin vero (sicut potius optamus) fuerint ad meliora conversi, ne inter hæc interim qui misericordiam postulat, vel ætate, vel morbo, quo frequenter impeditur, possit intercipi, dum super istis est consulendum, ne defuncto jam nullum possit remedium subrogari; quippe cum dictum sit, sive illis adnitentibus, sive etiam fortassis invitis, sed cum eorum magis adnisu quod promulgatum fuerat posse constare : sicut igitur cum illis adnitentibus nullatenus pace fixa [*Al.* præfixa] perdurant : hoc etiam tenore beatus Paulus apostolus non ideo (quod absit) fefellisse credendus est, aut sibi exstitisse contrarius; quoniam cum se ad Hispanias promisisset iturum, dispositione divina majoribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit, quod revera voluisset efficere : quantum ad divini secreta consilii, quæ ut homo omnia non potuit licet Spiritu plenus agnoscere, superna prætermisit dispositione præventus. Nec quia beatus Petrus apostolus pro affectu divinæ reverentiæ ipsi Domino respondit :

[1] *Alexandrina catholico sacerdote cœpisset Ecclesia gratulari, ut scilicet crederetur.* FRONT. DUCÆUS.

[2] *Ac velle putarentur resipiscendo.* FRONT. DUCÆUS.

[3] *Ut cum apostolica sede.* FRONT. DUCÆUS.

[4] *Nitentes catholicis.* FRONT. DUCÆUS.

[5] *Recurrerent veritatem.* FRONT. DUCÆUS.

Non lavabis mihi pedes in æternum (*Joan.* XIII); fefellisse (quod absit) aut in sua putabitur minime constitisse sententia, quod mox eidem divinæ cesserit voluntati: et quod [1] se dixerit non esse facturum, causis astrictus humanæ salutis expeteret prona voluntate faciendum.

Idcirco [2] illa non accedente via, qua eorum fuerat reconciliatio constituta, alteram licet adoriri, qua subveniatur, quibus subveniendum esse decretum est: maxime cum Miseno ex quolibet excessu vel qualibet prævaricationis pœna sufficiat, quæ usque eo tractata est, [3] ut sola considerationis humanæ suprema consideratione laxetur, remittendaque punitio sit, quæ non habet ultra quo crescat. Quia cum nulli animæ Deus omnipotens et misericors per ecclesiasticam pietatem quærenti noluerit remedium denegari, non dubium est, hoc ipso auctore Deo, et divina compunctione prodire, ut tunc de ejus receptione tractetur, quando ea non protelanda quoque necessitas compellat impendi: nostro præterea Salvatore B. Petro apostolo præ cæteris delegante: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata in cœlis; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI): sicut et his verbis nihil constat exceptum, sic per apostolicæ dispensationis officium et totum possit generaliter alligari, et totum consequenter absolvi. Præcipue cum ex hoc magis præberi cunctis oporteat apostolicæ miserationis exemplum, ut absolutione damnati, si resipiscant universi, et ab errore se retrahant, atque ad apostolicæ communionis sinceram redeant unitatem [*al.* puritatem], vinculis se damnationis illius, quam universaliter merito prævaricatores exceperant, non ambigant exuendos.

Neque enim qui longe positos ad integram fidem curare nitimur, revertentes in præsenti supplices refutare debemus: ubi sollicite præcavendum est ne conscientiæ detrimentum negantes, [4] usque ad extremum peccati [*al.* petenti] materiam (quod absit) [5] nullatenus incidamus: censuræque veritatis etiam circa supplices, sine fine persistens, transeat in reatum. Proinde quantum, præmonente Domino, possibilitatis humanæ desideranti remedia præbeamus, [a] totum quod supra nostræ facultatis est modulum divino judicio relinquentes, non autem nobis poterunt imputare, cur prævaricationis offensam viventibus remittamus; quod Ecclesiæ, Deo largiente, possibile est: qui nos etiam mortuis veniam præstare deposcunt; quod nobis possibile non esse, manifestum est: quia cum dictum sit, *Quæ ligaveritis super terram*, quos ergo non esse jam constat super terram, non humano, sed suo judicio reservavit; nec audet Ecclesia sibimet vindicare, quod ipsis beatis apostolis conspiciat non fuisse concessum; quia alia sit causa superstitum, alia defunctorum.

Tulerit Vitalis sortem divini judicii, cui etiam, cum magnopere vellemus, non potuit subveniri: huic saltem prosint, dum copia viventis admittat, in remediis assequendis alterius experimenta repente subtracti. Cumque scriptum noverimus: *Unus assumetur, et unus relinquetur* (*Luc.* XVII), hortatur nos intercepti periculum in superstite subsidia non differenda sanandi, qui hoc ipso recipiendus divinitus indicatur, cum illi supervivit, [6] qui ad hæc non meruit pervenire: et quoddam de utroque cœlestis judicii refulget examen; ostenditurque nobis evidentius in duobus, in quo fuerit causa sine venia, et [7] in quo sit quæ indulgentia carere non debeat; atque ideo quam ipse quoque si superstes competenter Acacius expetisset, potuerat obtinere (quippe de quo sic positum est, insolubilem fore, ut non diceretur: Etiamsi forte corrigeret), multo magis huic qui communione ejus infectus est, imploranti flebiliter, pietatis est apostolicæ non negare.

Professus ergo Misenus regulariter se omnes hæreses, Eutychianam præcipue cum Eutychete, Dioscoro, Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano, Petroque Antiocheno, vel cunctis eorum successoribus, sectatoribus et communicatoribus detestari, eosque anathemate ferire perpetuo, communionis apostolicæ, et sacerdotalis gratiam, quam catholica traditione percepit, recipiet dignitatis. Omnes episcopi et presbyteri surgentes in synodo acclamaverunt: Exaudi, Christe: Gelasio vita: dictum quindecies. Domine Petre, tu illum serva: dictum duodecies. Cujus sedem et annos: dictum septies. [8] Vicarium Christi te videmus, dictum sexies. Cujus sedem et annos: dictum septies trigesies.

Sixtus notarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ jussu domini mei beatissimi papæ Gelasii ex scrinio edidi die [9] tertio idus Maii, Flavio Viatore viro clarissimo consule (anno Christi 495).

[a] Hic locus integer, usque ad ea verba, *alia defunctorum*, citatur a Vigilio papa in constituto an. 553. HARDUIN.

[1] *Se dixerat non esse facturum.* FRONT. DUCÆUS.
[2] *Illa non faciente via*, forte legendum *favente.* FRONT. DUCÆUS.
[3] *Ut sola conditionis humanæ.* FRONT. DUCÆUS.
[4] *Usque ad extremam peccati materiam.* FRONT. DUCÆUS.
[5] *Ullatenus incidamus, censuræque severitas etiam circa.* FRONT. DUCÆUS.
[6] *Qui ad hoc non meruit.* FRONT. DUCÆUS.
[7] *Quo indulgentia*, forte legendum *quo indulgentia carere non debet; atque adeo quod ipse quoque.* FRONT. DUCÆUS.
[8] *Vicarium Christi te videmus: dictum undecies. Apostolum Petrum te videmus: dictum sexies. Cujus sedem.* FRONT. DUCÆUS.
[9] *Idus Martii.* FRONT. DUCÆUS.

ANNO DOMINI CCCCXCIV.

SANCTUS AVITUS

EPISCOPUS VIENNENSIS.

(Ex Bibl. Galland.)

PROLEGOMENON.

Exeunte sæculo v *et* vi *ineunte, non minus pietate quam doctrina floruit Alcimus Ecdicius Avitus, Isicii seu Hesychii primum clarissimi senatoris, deinde Viennensis episcopi filius, sedisque successor circa annum Christi* 490, *sub finem imperii Zenonis, ut ex ejus Actis colligunt* (a) *Bollandiani quibus Gallicæ Historiæ litterariæ scriptores accedunt* (b). *In episcopatu mira edidit virtutum insignia, ex quibus unum aut alterum pro instituti nostri ratione sat erit hic referre. Plurimum itaque laboravit sanctus antistes, quo Gundobadus Burgundionum rex Arianam hæresim ejuraret, ut narrat Gregorius Turonensis* (c), *excerpta simul nonnulla referens collationis publicæ inter catholicos episcopos et Arianos eo nomine Lugduni habitæ anno* 501 *ut videtur Pagio* (d), *sive ut alii censent, anno* 499 (e); *quæ quidem collatio sæculo demum superiore in lucem prodiit* (f). *Sed hac de re Agobardum audire præstat* (g) : « *Avitus, inquit, fide catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio acerrimus, sacrarum Litterarum expositor suavissimus, litterarum etiam sæcularium doctissimus et in metris facillimus, cum Gundobado frequenter de fide altercans, et dialogos in præsenti conficiens, et epistolis absenti respondens, plura et clara ingenii sui et virtutis opera reliquit. Qui ipso Gundobado in sua perfidia perdito successorem ejus* (filium) *Sigismundum regem ad fidem catholicam convertit : in cujus conversione recitavit homiliam in populo sensuum suavitate plenissimam et verborum compositione dulcissimam.* » *Hinc vero, ut Hadriani Valesii verbis utar* (h) « *facillime impetratum est a Burgundionibus, ut regis sui imitarentur exemplum, et religionem catholicam in qua eorum majores versati erant, ejurato errore sequerentur.* » *Anno quippe* 517, *ut mox advertit idem Valesius, qui fuit secundus regni Sigismundi, Epaone quo episcopi Burgundiæ convenere, celebratum est concilium, cujus decretis primus subscripsit Avitus die* XVII *cal. Octobris Agapeto V. C. cons. De quo quidem concilio plura Pagius* (i).

III. Præter Arianam hæresim quam acerrime insectatus est beatus præsul, hæreses etiam Eutychianorum, Nestorianorum, Photinianorum ac Bonosiacorum confutavit (j). *Scripsit quoque adversus Faustum Reiensem* (k), *simulantem quidem damnare Pelagium, corroborantem vero ipsam Pelagianam perfidiam, ut ait Baronius* (l). *Hæc vero imprimis testantur Gregorius Turonensis* (m), *Agobardus Lugdunensis* (n) *et Ado Viennensis* (o), *episcopi. Præterea, Fausto et Symmacho senatoribus Urbis epistola inscripta, Symmachum papam adversus schismaticos strenue adjuvit* (p). *Reliqua egregia ejus facinora consulto præterimus : longum enim esset ire per singula. Quapropter jure plane optimo sanctissimum juxta et doctissimum nostrum provinciæ Viennensis antistitem magnis laudibus celebrarunt viri eruditione ac virtute præclari ; quos inter Ennodius Ticinensis præsul* (q) : « *Præstantissimus, inquit, inter Gallos Avitus Viennensis episcopus, in quo se peritia velut in diversorio lucidæ domus inclusit.* » *Gregorius vero Turonensis* (r) : « *Magnæ facundiæ, ait, erat tunc temporis beatus Avitus. — Exstant exinde nunc apud nos epistolæ admirabiles, quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc Ecclesiam Dei ædificant.* » *Eumdem vocat Isidorus Hispalensis* « *scientia sæcularium litterarum doctissimum* (s). » *De eo item rursus Agobardus* (t) : « *Alchimus Avitus, inquit, Ecclesiæ Viennensis episcopus, quam eximius doctor et facundus exstiterit, pene tota novit Ecclesia Christi.* » *Adoni denique dicitur* (u) « *eloquentia et sanctitate præcipuus, scribens luculentissimo et castigato satis sermone ac lucidissima fide.* »

(a) Bolland. Act. sanctorum tom. I. Febr., pag. 661, num. 1.
(b) Histoire littér. de la France, tom. III, pag. 116.
(c) Greg. Turon. Hist. Franc. lib. II, cap. 34.
(d) Pagi, ad ann. 501, §§ 3, 4.
(e) Collat. episc., infra.
(f) Histoire littér. de la France, loco citato, pag. 117.
(g) Agobard. lib. adv. leg. Gundob. cap. 13, opp. tom. I, pag. 120 edit. Baluz.
(h) Hadr. Vales. Rer. Franc. lib. VII, ad ann. 516, tom. 1, pagg. 330, 331.
(i) Pagi ad ann. 509, §§ 6, 7.
(j) Avit. epist. 2 et 3.
(k) Id. epist. 4.
(l) Baron. ad ann. 516, § 31.
(m) Greg. Turon. Hist. Franc. lib. II, cap. 34.
(n) Agob. Lugd. lib. adv. Felic., cap. 41, opp. tom. I, pag. 55 edit. cit.
(o) Ado Vien. in Chron. ad an. 492 et ante ann. 519.
(p) Avit. epist. 31.
(q) Ennod. Vit. B. Epiph. opp. Sirmond. tom. I, pag. 1686.
(r) Greg. Turon. loco citato.
(s) Isid. Hisp. de Script. eccl., cap. 23.
(t) Agob. lib. de Judaic. Superst., opp. tom. I, pag. 70 edit. cit.
(u) Ado in Chron. ad ann. 492 et ante ann. 519.

III. Porro quo anno e vivis excesserit sanctus præsul, haud una est virorum eruditorum sententia. Verum quo difficultas hujusce quæstionis quoad fieri potest dissolvatur, res penitius inspicienda. Tradit igitur Ado (a) vitam adhuc egisse Avitum post necem Sigismundi Burgundionum regis, quem nimirum, inquit, « captum et a Francis occisum vehementissime doluit » idem Viennensis antistes. Adonem exscripsit anonymus auctor vitæ ejusdem sancti Aviti apud Bollandianos (b) : qui proinde post Adonis ætatem scribens, sæculo saltem x aut serius fortasse, parum auctoritatis propterea sibi conciliare comperitur. Sed ne Adoni quidem ipsi fides adhibenda videtur, ubi Sigismundo regi superstitem fuisse Avitum enarrat. Avitus enim, qui Sigismundum e medio sublatum ingemuit, non fuit Avitus præsul Viennensis, sed Avitus abbas Miciacensis monasterii, « magnus tunc temporis sacerdos, » ut scribit Gregorius Turonensis (c), cujus verba latius relata expendit edisseritque Cointius (d). Sed quo demum anno interiit Sigismundus? Si Marium Aventicensem in Chronico audiamus quem etiam sequitur Aimoinus, id contigit Maximo consule, indictione I, hoc est anno Christi 523. At Gregorius Turonensis aliique Francorum historici Sigismundum interfectum tradunt insequente anno 524, Justino II et Opilione coss., indictione II. Hæc fusiori stylo persequitur Hadrianus Valesius (e). Quibus itaque positis plerique recentiorum ab Adone decepti censuere post Sigismundi necem Avitum supremum diem clausisse. Et alii quidem anno 523; (f) alii vero post hunc annum (g); alii denique anno 525 (h). Verum cum constet Avitum qui, exstincto Sigismundo, superfuit, alium fuisse a Viennensi; jam tum itaque ad cœlum evocatus fuerit Avitus noster, cum rex ille Burgundionum periit, quemadmodum advertit vir eruditus (i); adeoque contigerit ejus obitus intra tempus illud quod excurrit inter celebratas synodos Epaonensem et Lugdunensem II. Nam, ut superius vidimus, synodo quidem Epaonensi anno 517 coactæ primus subscripsit Avitus : at ipse haud interfuisse agnoscitur synodo Lugdunensi II sub Sigismundo rege paulo post habitæ : ejus enim nomen inter subscriptiones hujus concilii non legitur, ut videre est in conciliorum collectione (j); ubi tamen male inscribi Lugdunense I intelligimus ex ipso Avito, qui sic scribit : « (k) Rediens, inquit, ab urbe Lugdunensi sanctus Chartenius episcopus, in qua, nobis de concilio discedentibus, ad privata quædam negotia expedienda resederat, » etc. Hinc igitur existimarim equidem beatum antistitem ad superos evolasse ineunte anno 518, hoc est, V non. Febr., quo die illius nomen in Ecclesiæ fastis consignatur : quam quidem in sententiam eo facilius descendo, quod anonymus Vitæ sancti Aviti auctor, primum editus a Labbeo (l), deinde a Bollandianis (m), scriptum reliquit, Avitum, Anastasio adhuc principe, vita fuisse functum, qui VII id. Julii eodem anno 518 interiisse perhibetur.

IV. Jam vero, ut de ipsius Aviti litterarum monimentis sermonem demum habeamus, Sirmondus potissimum audiendus, qui ea omnia quæcunque reperire potuit, vel primum edita, vel restituta et expolita Parisiis in vulgus emisit anno 1643. Sic itaque V. C. (n) « Epistolarum Aviti, ait, quas tibi, lector, jam tot annis debebamus, verendum erat ne sera nunc apud te vel consumpta sit gratia, nisi moræ istius viderem fructum nobis aliquem exstitisse. Quippe qui emendatius illarum exemplar, sicunde affulgeret, dum quærimus, in Flori diaconi volumen apud Carthusium incidimus, cujus beneficio Aviti opusculorum septemdecim non titulos modo et nomina, majorem partem ignota didicimus, sed plurima etiam et illustria fragmenta ornamento editioni futura consecuti sumus. Fecit epistolarum utilitas et elegantia, ut tædium quod in vitiosi codicis emendatione devorandum fuit, alacrius perferremus : ac librorum etiam quinque partitionem quam promittebat, amplexuri eramus, si integram præstitisset. Verum tanta inerat perturbatio, ut satius nunc quidem visum sit, omisso librorum discrimine, epistolas tibi omnes uno textu continuas repræsentari. Non dubito quin consilium probaturus sis; proximum erit, ut corruptæ quoque lectionis vitia quæ restant, feras indulgentius. In fragmentis sane nullus noster labor fuit. Flori enim exemplar probum et castigatum secuti sumus. In poematis autem quid præstitum sit intelligent qui editionem hanc conferent cum Gagneiana : cujus auctor, vir alioqui doctus ac disertus, præter alia quæ passim proprio arbitrio mutavit, quingentos pene versus de suis intrusit pro Avitianis. Nobis vero curæ fuit, adamussim fidemque veterum exemplarium universa sic exigere, ut rejectis subdititiis, legitimisque restitutis, purum tibi et sincerum Avitum, nævulis quibusdam quos ætas illa ferebat, neglectis exhiberemus. In quo si calculi quoque tui suffragium, lector, accesserit, erit quod sanctissimo atque inter poetas Christianos haud facile cuiquam postponendo, Ecclesiæ præsuli, non inanem hac etiam in parte operam nos posuisse gratulemur. » Hactenus Sirmondus.

V. Neque vero eorum recensio prætermittenda quibus Sirmondianam editionem auxit eruditissimus Baunius. Sunt autem ejusmodi (o) : « Sancti Aviti Viennensis episcopi operibus a Sirmondo editis quædam nunc ejusdem auctoris adjecta sunt. Primum, epistolæ

(a) Ado in Chron. ad ann. 492.
(b) Bolland. loco citato, pag. 668, num. 5.
(c) Greg. Turon. Hist. Franc. lib. III, cap. 6.
(d) Coint. Annal. eccl. Franc. ad an. 524, § 1, tom. I, pag. 337.
(e) Vales. Rer. Franc. lib. VII, tom. I, pagg. 345 seqq.
(f) Labb. Dissert. de Script. eccl. tom. I, pag. 169. Cav. Hist. litter. tom. I, pag. 515. Fabric. Bibl. Lat. med. tom. I, pag. 139.
(g) Bolland. loco citato, pag. 661, num. 6.
(h) Hist. littér. de la France, tom. III, pag. 120.
(i) Dn. Belley, Mém. de l'académie des inscript., tom. XVIII, dans l'Hist., pag. 262, in-4°.
(j) Concil. tom. V, pag. 723, edit. Ven. Labb.
(k) Avit. epist. 28, infra.
(l) Labb. Nov. bibl. mss. tom. I, pag. 605, cap. 5.
(m) Bolland. loco citato, pag. 668, num. 6.
(n) Sirmond. præfat. ad opp. Avit.
(o) Baun. præfat. ad tom. II opp. Sirmond., § 1.

quatuor quas V. C. Stephanus Baluzius ex vetusto Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani libro vulgavit (a). *Deinde fragmenta aliquot operis de Divinitate Spiritus sancti, quæ ex antiquo monasterii S. Galli codice idem Baluzius edidit* (b). *Præterea Collatio cum rege Gundobado adversus Arianos Lugduni habita, cum universi ferme Ecclesiæ Lugdunensis episcopi eo convenissent, uti notaverat Hieronymus Vignierius, cujus ex schedis hanc Aviti lucubrationem Dacherius publicavit* (c) *: qui admonet nihil tamen esse quod cogat ipsam referre, uti fecisse videtur vir doctus, ad illud concilium Lugdunense, cui se una cum Chartenio quodam episcopo interfuisse Avitus testatur* (d). *Nam primo, Avitum de fide cum Gundobado sæpius, nunc coram per dialogos, nunc absentem per epistolas egisse, scribit Agobardus* (e) *: et id ex ipsis quæ exstant Aviti epistolis satis liquet. Deinde ex illis epistolis liquet etiam in more positum fuisse, sicut Sirmondus notat* (f), *ut episcopi vicinarum sedium collegas episcopos ad urbium suarum celebritates invitarent : imprimis, sancti Justi celeberrima Lugduni solemnitas erat; de qua et Sidonius* (g). » *Et hæc quidem Baunius.*

VI. *His porro hactenus expositis Sermonem subjicimus B. Aviti feria* III *in Rogationibus habitum, quem ex ms. Majoris Carthusiæ descriptum edidit cl. Martenius* (h), *hujusmodi admonitionem præmittens :* « *Sancti Aviti Viennensis archiepiscopi sermonem in Rogationibus feria* III *pronuntiatum reperimus in veteri codice ms. Majoris Carthusiæ, quem pro sua in nos humanitate transcripsit R. P. domnus Innocentius Bouchart ejusdem loci monachus nobis singulariter amicus. In eo duo præsertim advertere licet. Primum, Rogationes seu solemnes supplicationes quæ ante Ascensionem in Ecclesia celebrantur, ejus tempore, seu ut ipse ait, nostro sæculo, institutas fuisse, et quidem a S. Mamerto, qui anno 472 Viennensem administrabat Ecclesiam, ut docet alibi idem Avitus, qui post Hesychium in eadem sede ipsi successit, et Sidonius Apollinaris Arvernensis antistes* (i)*; quibus accedit Gregorius Turonensis, qui etiam causam istius institutionis modumque describit in hæc verba* (j) *:* « *In his temporibus fuit in Vienna urbe terræ motus maximus, ubi multæ ecclesiæ et domus multorum concussæ fuerunt et subversæ, ubi bestiæ multæ oberrantes, lupi, ursi acerbi ingressi per portam civitatis devorantes plurimos, per totum annum ho- faciebant. Nam veniente solemnitate sancti Paschæ, sanctus Mamertus, qui in ea urbe erat episcopus, dum missarum solemnia ipsa vigilia celebraret, palatium quoque regale quod in ea civitate erat, divino igne succensum est. Cumque hæc agerentur, appropinquante Ascensione Domini, indixit jejunium vir sanctus Dei triduanum in populo cum gemitu et contritione*, etc.

« *Alterum, quod in Ecclesia Viennensi feria* III *Rogationum in divinis legeretur officiis prophetia Amos, cujus locum hoc sermone explicandum suscipit Avitus. In antiquo tamen lectionario Gallicano, quod ex Luxoviensi ms. publici juris fecit noster Mabillonius, non prophetia Amos feria* III *legebatur, sed ad tertiam Epistola I sancti Petri, ad sextam Epistola I Joannis, ad nonam liber Judith. Verum id mirum videri non debet, cum non una esset in omnibus Ecclesiis Gallicanis divini officii celebrandi ratio; sed neque idem ordo in legendis sacræ Scripturæ locis ubique servabatur : cum ad episcoporum nutum fierent omnia. Porro supervacaneum hic non erit notare id quod habet Herbertus Turricanus archiepiscopus* (k)*; quod scilicet in Normannia* « *in diebus Rogationum cum clerus et populus processionem longius procedendo extenderet, consuetudo erat ut pausantibus interdum clericis, mulieres vicissim modulando succederent.* » *Hucusque Martenius.*

VII. *Et hanc quidem Sirmondianam operum sancti Aviti editionem hujusmodi opusculis auctam exhibemus, quam præterea nonnullis in locis obscurioribus aliquot animadversionibus a Sirmondianis sejunctis pro viribus illustravimus : additis quoque ad calcem carminis 6 tribus versibus* (l) *quos Labbeus ex codice 26 bibliothecæ Naudeanæ descriptos in lucem emisit* (m), *quia in omnibus editis exemplaribus desiderabantur.*

(a) Baluz. Miscell. tom. I, pag. 355.
(b) Id. ibid., pag. 361.
(c) Dacher. tom. V Spicil., pag. 110.
(d) Avit. epist. 28.
(e) Agob. lib. adv. Gundob. leg. cap. 13, opp. tom. I, pag. 120 edit. Baluz.
(f) Sirmond. ad Avit. epist. 58.
(g) Sidon. lib. v, epist. 16.
(h) Marten. Thes. anecdot. tom. V, pagg. 49 seqq.
(i) Sidon. lib. I, epist. 7, et lib. VII, epist. 14.
(j) Greg. Turon. Hist. Franc. lib. II, cap. 34.
(k) Herb. lib. I Mirac., cap. 21.
(l) Avit. Poem. lib. VI, infra (*Col.* 381 *summa, not.* ^).
(m) Labb. Nov. bibl. mss. libb. pag. 226 edit. Paris. 1653.

VETERUM TESTIMONIA DE S. AVITO.

I. ENNODIUS EPISCOPUS TICINENSIS.

(In Vita beati Epiphanii episcopi.)

Dedit etiam præstantissimum inter Gallos Avitus Viennensis episcopus, in quo se peritia, velut in diversorio lucidæ domus inclusit.

II. GREGORIUS TURONENSIS.

(Lib. II Historiæ Francorum cap. 34.)

Magnæ facundiæ erat tunc temporis beatus Avitus episcopus Viennensis. Namque insurgente hæresi apud urbem Constantinopolitanam, nihil divinitatis

habuisse Dominum nostrum Jesum Christum, rogante Gundobado rege, ipse contra eam scripsit. Exstant exinde apud nos epistolæ admirabiles : quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc Ecclesiam Dei ædificant. Scripsit etiam Homiliarum librum unum, de mundi principio et de diversis aliis conditionibus, libros sex versu compaginatos. Epistolarum libros novem, inter quos supradictæ continentur epistolæ.

III. FORTUNATUS PICTAVIENSIS EPISCOPUS.

(Lib. I de Vita S. Martini.)

Quod sacra explicuit serie genealogus olim, Alcimus egregio digessit carmine præsul.

IV. ISIDORUS HISPALENSIS.

(De Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. 23.)

Avitus episcopus, scientia sæcularium litterarum doctissimus, edidit quinque libellos heroico metro compositos : quorum primus est de Origine mundi, secundus de Originali Peccato, tertius de Sententia Dei, quartus de Diluvio mundi, quintus de Transitu maris Rubri. Scripsit et ad Fuscinam sororem de Laude virginitatis librum unum, pulcherrimo compositum carmine et eleganti epigrammate coaptatum.

V. AGOBARDUS LUGDUNENSIS EPISCOPUS.

(Adversus legem Gundobadi.)

Temporis Gundobadi regis Burgundionum fuit in urbe Vienna episcopus, Avitus nomine, fide catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio acerrimus, sacrarum Litterarum expositor suavissimus, et in metris facillimus, sicut et ejus opera testantur. Qui cum eodem Gundobado frequenter de fide altercans, et dialogos in præsenti conficiens, et epistolis absenti respondens, plura et clara ingenii sui et virtutis opera reliquit. Qui ipso Gundobado in sua perfidia perdito, successorem ejus Sigismundum regem ad fidem catholicam convertit : in cujus conversione recitavit Homiliam in populo, sensuum suavitate plenissimam, et verborum compositione dulcissimam.

Ejusdem adversus dogma Felicis. Beatus Avitus Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator.

Item de Judaicis superstitionibus. Alcimus Avitus Ecclesiæ Viennensis episcopus, quam eximius doctor orthodoxus et facundus exstiterit, pene tota novit Ecclesia Christi.

VI. FLORUS DIACONUS ECCLESIÆ LUGDUNENSIS.

Sententiæ ex epistola beati Pauli apostoli ad Romanos, a sancto et illustrissimo doctore Ecclesiæ Avito episcopo Viennensi expositæ, atque ex ejus opusculis in ordinem digestæ.

VII. ADO VIENNENSIS EPISCOPUS.

(In Chronico ætate sexta.)

Avitus Viennensis episcopus, eloquentia et sanctitate præcipuus, et ejus frater Apollinaris Valentiæ episcopus miraculis insignis, Isicii, senatorii primum viri, postea Viennensis episcopi, duo lumina, clarissimi filii. Hic beatus Avitus adversus hæresim Arianam, quæ tunc non solum Africam, sed et Galliam Italiamque magna ex parte occupaverat, magno sudore decertavit; quod clarissima ejus opera testantur. Scribit enim dialogum, hæresim illam oppugnans, fidelissimo et doctissimo immortalique ingenio, ad Gundebadum Burgundionum regem, filium Gundovei. Item alios libellos duos contra Nestorium et Eutychem, auctores erroris, luculentissimo et castigato satis sermone. Fuerunt et alia illius plura eximia opera in Christi Ecclesia probatissima. Hic Sigismundum regem in fide pietatis erudivit : qui agente illo postmodum monasterium sanctorum martyrum Agaunensium, Mauritii sociorumque ejus, construxit. Quem postmodum captum et a Francis occisum vehementer doluit. Quantus autem in Ecclesia Christi vixerit, quisquis scire ad plenum vult, post ejus innumera in divinis laboribus opera, epitaphium ejus legat.

EPITAPHIUM B. AVITI EPISCOPI VIENNENSIS.

Quisquis mœstificum tumuli dum cernis honorem
Cespite concludi totum deflebis Avitum,
Exue sollicitas tristi de pectore curas.
Nam quem plena fides, celsæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga (a) manus, quem fama perennat,
Nil socium cum morte tenet. Quin prospice sancti
Gesta viri : primum florescens indole quanta
Spreverit antiquo dimissos stemmate fasces,
Maturum teneris animum dum præstat in annis,
Et licitum mundi, voti virtute relegat.
Nec mora : pontificis sic digna insignia sumit,
Augeat ut soliti felicia cœpta laboris.
(b) Nec tamen ob summi culmen tumefactus honoris
Erigitur, seque ipse aliis plus æstimat, imo
Subjicitur magnus, servat mediocria summus.
Distribuit parcus, pascit jejunus, amando
Terret, et austeris indulgentissima miscet.
Cunctantes suasu juvit, solamine mœstos,
Jurgia (c) dissolvit, certantes fœdere junxit.
Dissona veridicam (d) inficiunt quæ dogmata legem,
Hortatu, ingenio, monitis, meritisque subegit.
Unus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi
Orator nullus similis, nullusque poeta :
Clamant quod sparsi per crebra volumina libri.
Qui vixit, vivit, perque omnia sæcula vivet.

(a) Apud Duchesnium tom. I, pag. 514, *prompta.*
(b) Loco duorum horum versuum ibidem legitur sequens : *Culmen dulcedini, non obstat pompa rigori.*
(c) Ibid., *diremit.*
(d) Ibid., *fingunt.*

a ALCIMI ECDICII AVITI EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO b GUNDOBADO REGI.

Tantum Christo propitio per diversas sollicitudines mentem vestram veritas indagata perdocuit, ut nihil prorsus sit quod de catholicæ legis definitione vos lateat. Unde ex his quæ pietas celsitudinis vestræ dignatur inquirere, jam de plenæ instructionis arce descendens, non est nescientis interrogatio, sed conferentis. In tantum ut sententia Evangelii quam litteris attigistis, non aliquid ambiguitatis in fide habeat, sed reprehensiones Judaicas in summa magis expositionis inquirat. Sic ergo ait lectio evangelica cujus in subdito mentionem fecistis : *Vos autem dicitis*, *si dixerit homo patri suo aut matri*, *corban*, id est Hæbraica lingua munus illud specialiter quod obsequio devotæ oblationis offertur, *tibi profuerit*, hoc est patri aut matri, *et jam non missum facitis eum quidquam facere patri aut matri* (*Marc.* VII, 11). Puto vos autem hoc sermone ordiri, quia revera ipsum specialius in epistola memorastis, quid vel unde dictum sit, non missum facitis. Quod omnino nihil est aliud quam non dimittitis. A cujus proprietate sermonis, in ecclesiis palatiisque sive prætoriis, c missa fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam id sæcularis auctoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectio

A desueta subterfugit, invenietis. Ergo non missum facitis, id est, Non dimittitis eum quidquam facere patri vel matri, a quo honorari senio parentali, non verbis tantum, sed rebus obsequiisque præceptum est. Et similia, inquit, hujusmodi multa facitis, traditionem vestram institutis cœlestibus præponendo. Sed hæc ad solos scribas et Pharisæos dicta, qui sibi de legis supercilio blandientes, quasi debita doctrinæ pretia reposcebant, nullum locum in sermone qui de fide tractatus est habuisse reperio. Racha vero Hebræum nomen est; Latine sonat inanis aut vacuus : quod ut nostris convenientius exprimit uno vocabulo d Græcus dicens κενός. Hoc autem convicium fratri, id est sub uno Deo patre et una Ecclesia matre in una fide posito dicere prohibemur : qui

B inanitatis opprobrio indigne appetitur qui non est vacuus a salute. Sed his collationis magis quam lucidandæ fidei exercitio reservatis, illud potius revolvemus, quod a sacerdotibus vestris scripsistis objectum. Igitur discutientibus vobis, e utrum Spiritu sanctus, qui in secreto baptismate indivisæ nominationis vindicat unitatem, creator an creatura credendus sit; cum si creator est, a Divinitate nequeat separari; si creatura, Deo non possit uniri : pro penuria respondendi, sub cujusdam lubrico quæstionis interrogatum est a parte diversa, utrum spiritus noster creatus an sempiternus debeat judicari : quasi exem-

(a) Duo fere usurpari ejus nomina solent, Alcimus Avitus; tertium non olim deprehendimus in titulo epistolæ quam de poematum suorum editione scripsit ad Apollinarem fratrem. Itaque triplex Aviti nomen fuit, sed verum ac proprium Avitus, quod ideo postremum locum tenet, de veteri more Romanorum et aliorum qui Romanos æmulabantur : apud quos tandem invaluit, ut e multis nominibus id quod cuique proprium erat, ultimo loco statuerent. Qua de re pluribus alias dictum in notis ad Ennodium et ad Sidonium, in quorum nominibus, aliisque quam plurimis, id observabamus : quod ipsum et in sancto Hieronymo videre est, cujus integra nomenclatio fuit, Sophronius Eusebius Hieronymus.

(b) Burgundionum in Gallia rex fuit, vel ex Francorum historia notissimus. Huic enim Clodoveus noster armis victor tributum imposuit, Patricio, ut Marius in Chronico refert, et Hypatio consulibus, id est anno Christi 500. Gundobadi vero filios Sigismundum et Godomarum, post patrem regnantes, Clodovei filii vita regnoque spoliarunt. Verum ad Godomari tempora epistolæ Aviti non pertingunt, in quibus Gundobadi et Sigismundi crebra est mentio.

(c) Redarguit primum hic locus cassum laborem illorum qui missæ nomen exoticum, id est, Hebraicum fingere ausi sunt, non Latinum, quod res est, et ex Aviti verbis perspicuum. Docet deinde, quod haud scio an a quoquam hactenus proditum, non in ecclesiis modo, verum etiam in palatiis prætoriisque usurpari missæ nomen consuesse, cum populus a conventu dimittebatur. Ab hac igitur missa seu missione populi, quæ re peracta fiebat, translata vox fuit ad significandas res ipsas quæ gerebantur. Nam et missæ matutinæ et vespertinæ appellatæ sunt liturgiæ, seu solemnia officia, quæ matutinis aut vespertinis horis

C celebrabantur. Quod sane mirum eo minus videri debet, quod vice versa synaxis et collectæ vocabula, quæ proprie conventum et congregationem ad divina officia significant, pro ipsis quoque divinis officiis tum matutinis, tum vespertinis passim usurpata meminimus.

(d) Hilarius in Matthæum cap. IV : *Raca vacuitatis opprobrium est, et qui sancto Spiritu plenum convicio vacuitatis insimulat, fit reus concilio sanctorum, contumeliam Spiritus sancti sanctorum judicum animadversione luiturus.*

(e) Et Spiritum divinum creatorem non creaturam, et spiritum nostrum non sempiternum credendum esse, sed creatum, liquido et abunde probat adversus sacerdotes Gundobadi. Quod vero istos, dum causæ indulgent, pro eo quod *inspiravit Deus* in Genesi legimus, *insufflavit* dixisse criminatur, non satis apparet quid illorum causam juvet hæc mutatio : aut cur reprehendi hoc nomine possint, cum Græci codices ἐνεφύσησεν, quod est *insufflavit*, legant, atque hanc

D lectionem exhibeant Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius et Augustinus, ne alios recenseam. Adde quod Sapientiæ capite XV, ne argutari liceat, utrumque copulatum est, τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ ψυχὴν, καὶ ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν, *et qui inspiravit animam et qui insufflavit ei spiritum vitalem.*

plo Scripturæ cœlestis interposito, quo dictum est: A *Insufflavit Deus spiritum in animam vitæ* (*Sap*. xv, 11). Primum ergo conjicite quid in expositione facturi sunt qui de testimonio mentiuntur: aut qualiter adinventiones suas fallaciæ tumoribus impleant, qui dicta divinæ auctoritatis immutant. Nam quod dixerunt, Insufflavit Deus spiritum in animam vitæ, artificiosa eorum fraude confictum est. Quem locum si recensendum sibi pietas vestra decernat offerri, sic inveniet scriptum: *Et fecit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: et factus est homo in animam viventem* (*Gen*. II, 7). Perpendite nunc quanta sit in sermone distantia. Illi dixerunt, Insufflavit in animam, cum scriptum sit: Inspiravit in faciem. Inspirare enim incorporeus potest, insufflare nisi corporeus non potest. Deus autem non B quasi animæ jam viventi spiritum legitur insufflasse quem addiderit; sed materiæ nondum viventi, sicut antiqui codices habent, spiramentum vitæ quo in animam viventem sublimaretur, infudit. Ergo si inspiratione hac anima hominis facta est, et non est aliud anima humana quam spiritus, restat spiritum principio non carere. Quod objurgati a vobis senserunt sibi protinus opponendum, nisi per insufflationis carnale commentum spiritum ipsum animæ potius quam corpori inditum mentirentur. Nam cum quærant intentione lethali, non quomodo quæ sunt scripta cognoscant, sed qualiter scripta putentur esse quæ prædicant, quid putamus imperitis faciunt, qui instructionis vestræ reverentiam non pavescunt? Tractemus, si propitii sinitis, quanta ineptia proponatur, C quod si Dei spiritus creatura non est, ac sic nec in homine creatura poterit dici spiritus, quem Deus insufflasse perhibetur. Nihil omnino esse præter duo, id est creatorem creaturamque, sæpe definitum est. Dei porro spiritus factor, hominis vero factura accipi debet. Unde spiritus qui in nobis vivit, potentia Dei intelligitur, non natura. Nam si vegetandis nobis substantia sancti Spiritus credatur immixta, placabilis sit Dei et vester auditus, blasphemia talis, ut etiam convincatur, vix sine peccato repeti potest. Quoniam si præventus carnaliter peccat spiritus humanus, Spiritus sanctus peccare in eo dicendus est: vel certe Spiritui sancto remissionem dari poscimus, cum pro defunctorum spiritibus supplicamus. Parumne rogo hactenus fuit, ut alter Spiritus sanctus, alter D Paracletus diceretur: nisi addatur hæc pro ultima perfugii necessitate numerositas, ut mancipati insuper contagio delictorum tot divini spiritus quot homines computentur? Et perite scilicet decrevit sacerdotalis auctoritas, uno modo cunctis generaliter spiritum divinitatis infundi. Perinde se fortasse Judæo, hæretico, gentilique, ut catholico, Spiritus sanctus insinuat, an forsitan Patris vel Filii jussione invitus in criminosorum membra contruditur? Sed quid facimus, quod Spiritus ubi vult spirat? Qui si absque arbitrio suo corpora indigna sanctificat, revincit prophetam dicentem, quod non habitavit in corpore subdito peccatis (*Sap*. I, 4). Quocirca humanus spiritus creatione inchoatur, divinus autem benignitate conceditur. Non enim absque vitæ suæ spiritu erant, quibus in apostolorum gestis imponitur manus ut accipiant Spiritum sanctum (*Act*. VIII, 17; XIX, 6). Quod si ipsum quoque Spiritum sanctum, pro eo quod creatorum fidelium mentes introeat, volunt fieri creaturam, de suprascripta videlicet conclusione, qui peremptorie nihil dicentes, si Dei, aiunt, spiritus creatura non est, ac si nec in homine creatura poterit dici: quid nunc de Patris vel Filii divinitate censebunt, quam et creatam comminisci non poterunt, et lectione perterriti habitare sanctorum corpora non negabunt, Apostolo fidelibus protestante: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor*. III, 17)? Sed cum incomparabiliter plura sint quæ sub præsentia gloriæ vestræ suggeri queant, illud in fine sermonis, qui non solum tribuitis sed injungitis libertatem, Deum vosque, divina vestraque promissione fretus, obsecro ne diutius sacerdotes vestri dicantur, qui sancto Spiritui contradicunt: ne deinceps coram vobis permittantur docere qui renuunt discere: ne [a] ad perfectionem vestram aliquatenus differendam persistant blasphemare quod audiatis, qui nolunt sentire quod creditis: ne tolerando imperitorum versutias et ineptias callidorum, suspendamini a professione, cum jam dudum in confessione teneamini. Vobis per epistolam suam sanctus apostolus Paulus inclamat: *Quæ pax fideli cum infidelibus? quæ societas luci cum tenebris? Propter quod*, inquit, *exite de medio eorum, et separamini* (*II Cor*. VI, 12, 17); id est, ne communicaturos ultra peccatis alienis lævæ partis vicinitas maculet, quos dexteræ veritas acquisivit.

[b] EPISTOLA II.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO GUNDOBADO REGI.

Unicum simul et multiplex donum sæculo nostro nutu Divinitatis indultum est, ut inter regias ordinationes gloriosissimi principatus vestri, principaliter de tuenda catholicæ partis veritate curetis. De cujus studii pietate processit, quod dimissa nuper clementis præcepti auctoritate jussistis, ut contra Eutychiani dogmatis redivivum furorem, velut ab exstincto resurgentis incendii fomite pullulantem, de sacro

[a] Gundobadum narrat Gregorius Turonensis, libro II, Aviti episcopi dissertationibus convictum, Trinitatisque æqualitatem confessum, clam ut chrismaretur expetiisse; metu autem populi deterritum, ne conceptam fidem publice, quod episcopus suadebat, profiteretur, usque ad exitum vitæ in insania perdurasse.

[b] De hac epistola et sequenti, aliisque ejusdem argumenti, quæ in Flori Excerptis memorantur, cum laude meminit idem Gregorius eodem loco. *Insurgente*, inquit, *hæresi apud urbem Constantinopolitanam, tam illa quam Eutyches quam illa quam Sabellius docuit, id est, nihil divinitatis habuisse Dominum nostrum Jesum Christum, rogante Gundebado rege Avitus contra eos scripsit. Exstant exinde ipsius apud nos epistolæ, quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc Ecclesiam Dei ædificant.*

Scripturarum cœlestium fonte exemplorum flumina deriventur. O res dignissima, quam tantus præsul juberet, si eligeretur qui jussionem dignus exciperet : si virtus facundiæ thematis responderet auctori : si ad multiplicandam populorum salutem sic nostra satisfaceret lingua proloqui, ut abunde sufficit benignitas vestra præcipere : cum devincti vobis imperatoris patriam personamque, non, ut regibus cæteris moris est, tantummodo ad commodum mundanæ pacis amatis : sed dum coram vobis præveniri timetis errore, omnem quæ inter vos est amicitiam in eo illi vultis prodesse ne peccet. Quem quidem et præconio attollitis, et fidelem Deo devotumque laudatis. De qua præcipue ad triumphalis veniam plenitudinis veniant quis digne meretur. Ego tamen Deum pro viribus quæso, ut is ipse de quo loquimur, Cæsar Græcorum, si fidelis vobis, etiam nobis honorabilis, persuadeatur a principe nostro quod suadeat populo suo : et cum se ad tenendam veritatem vobis reddiderit docilem, ad expugnanda propriæ regionis contagia prædicationis vestræ factum se gaudeat adjutorem [a] Eutyches ergo, perniciei cujus mentio est, funestus incentor, Constantinopolitanæ Ecclesiæ quidem presbyter, sed copiosæ monachorum multitudinis præpositus fuit : cujus officii personas episcopi orientales archimandritas appellant. Hic ergo ad summum sacerdotium famæ suffragio comparandum, intromittendæ cujuscunque novitatis studio appetenter ardescens, istud quod in sectatoribus ejus horremus, susurris dicitur magis invexisse quam litteris. Siquidem nihil exstitit claræ eruditionis in viro, quod in aliqua recti similitudine sensum conceptæ animositatis astrueret. Infectis primitus monachorum animis hoc veneno, quos nefario docens sub colore gubernaculi naufragiis exponebat, numerosi, ut supra diximus, comitatus hæresiarches effectus, multorum antistitum judicante concilio, nec non et presbyteris urbis Romæ in id ipsum directis, discussus, detectus atque damnatus est. Sed quia nullum schisma sic unquam cum auctore suo potuit abrogari, ut ex integro depelleret perniciem magisterii ; mox malum quod digna pontificum fuerat provisione succisum, contagio susceptorum jam pridem semina servans, velut ab infecta loliis tellure surrexit. Hinc nunc hæreseos contra quam loquimur, audite propo- A situm. Filium Dei, cum Patre ante sæcula permanentem, quem idcirco ad salutem nostram descendisse de cœlo ut corpus assumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuisse contrudi ; cum Dei Filius, utique Deus, qui dixerat per prophetam : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII, 24), non potuerit venire quo erat, nisi per susceptionem carnis acquiesceret esse quod non erat. Quam conclusionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in synodo superius designata studiose ab auditoribus urgeretur, ut [b] Mariam virginem [c] Θεοτόκον, id est quæ Deum peperisset, pronuntiaret atque subscriberet, ad ingenii nequitiam fraude conversus, Χριστοτόκον, quæ Christum tantummodo videretur edidisse, confessus est : ut scilicet divisa credatur persona quæ servat B divinitatis naturam, ab ea quæ sustinuit passionis injuriam. Refrenandam a præsupto ancipiti lævam fugiens, dexteram non præsumens, ac perinde latus utrumque formidans, sub temperamenti medio via tutior, in qua duplicem substantiam Redemptoris discerni dicimus posse, non dividi. Neque nos nitimur, ut inviolabilis Divinitas dolores corporeos perpessa credatur, cum omnis cunctorum corporum dolor secuturam mortem naturali quodam præcedat officio. Unde sicut et ipsa caro nostra, resurrectionis dono impassibilis futura post mortem est : sic Deus, qui sentire obitum non potest, suscepto corpori cui unitus adhæserat, sine patiendi acerbitate compatiens, nec defuit in salutis nostræ glorioso agone, nec doluit. Contra hujus distinctionis sensum hæresis adversa se subrigens, veris cruciatibus nec Christum C patitur inclinari : cum in ipsa Divinitate in qua inveniri non potest afflictio corporalis, interdum tamen pietatis reperiatur affectio, sicut legimus dici de Israelitis : *Exclamaverunt ad Deum, qui doluit super miseriis eorum* (*Jud.* X, 15, 16) ; et Apostolus jubet ut non contristemus Spiritum sanctum Dei (*Ephes.* IV, 30) ; et si qua his sententia similis in sacris voluminibus recensita, bonitas potius misericordiæ quam necessitas est naturæ. Interim in consequentibus duorum assertione dilata, unitas mihi in Christo substantiæ duplicis astruetur. Ubi sunt enim tanta in Scripturis cœlestia mysteria veritatis, quæ nihil aliud moliuntur, nisi ut nobis incarnationem Verbi cum hominis divinitate persuadeant ? *In principio,*

[a] Celeberrimo Constantinopoli monasterio præfuisse testatur Liberatus in Breviario ; sed monasterii nomen, nec ipse nec alii produnt. Hic nominis sui hæresim condere adorsus anno Christi 447, damnatus est primum in synodo Constantinopolitana Flaviani, deinde in œcumenica Chalcedonensi.

[b] Eutychi tribuit quod Nestorio congruebat. Nestorii enim error fuit, sanctam Mariam Θεοτόκον non esse dicendam, sed Χριστοτόκον. Tota igitur epistola, etsi habet quæ Eutychi adversentur, præcipue tamen adversus Nestorium dimicat, qui duas in Christo personas statuebat, unam Dei, alteram hominis, Mariamque aiebat non Deum peperisse, sed hominem qui divinitate postea in baptismo sit donatus. Avitus, contra, unicam docet in Christo duplicis substantiæ personam, æque Dei Filium et hominis fuisse quem Pater sine matre genuit, genitrix sine patre D concepit, Deum denique in Christo esse natura, non gratia.

[c] Horum alterum tantum admittebat Nestorius, neutrum Eutyches, utrumque Ecclesia catholica. Nestorius enim, ut dictum est, Deiparam negabat, Christiparam confitebatur, sed hæretico sensu, Christum asserens hominem tantummodo ex Maria prodiisse. Eutyches vero, cum carnem de cœlo habuisse Christum, nec illi a Maria ministratam doceret, nihil causæ habuit cur Dei aut Christi matrem appellaret. At fides orthodoxa utrumque sic amplectitur, ut utrumque in utroque tacite profiteatur. Nam cum in Christo Deum ab homine non divellat, nec hominem in Deipara excludit, nec Deum in Christipara : propter singularem personæ unitatem, qua Verbum in carne caro, homo in Deo Deus est, ut loquitur Vincentius Lirinensis.

inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et* A *Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Ecce agnovimus quid erat quod non cœptum est; nunc studeamus videre quid cœptum atque secutum sit. *Et Verbum*, inquit, *caro factum est.* Quod Deus in principio erat apud Deum, et initio caret et termino; quod Verbum carne vestitur, caret fine, sed constat a capite. Adsit nunc sermoni nostro Emmanuel ille prisca prophetalis oraculi voce prædictus, qui ut Nobiscum Deus esset, sicut dixit Esaias: *Puer natus et datus est nobis Filius Dei* (*Isai.* IX, 6). Incassum corporalitas a divinitatis dividitur sacramento, si veraciter propheta Dei Filium processisse confirmat in puero. *Et vocabitur*, inquit, *puer ipse admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Quantum pertinet ad vocabuli proprietatem, sufficit Emma- B nuel puerum nuncupari. At vero cum dicat, *vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus fortis*, vel cætera quæ sequuntur, quæ, rogo, tot vocabulorum ratio reperitur, nisi ut agnoscamus veridicum vatem, in una eademque persona quæ divinitati humanitatique competerent exprimentem, ex operibus secuturis beneficia Mediatoris potius enumerasse quam nomina? Cogam tamen hic hæreticum respondere, quis vocandus possit intelligi *Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis?* Si Filius Dei ante sæcula manens, cur adhuc in futuro sic vocabitur qui semper hoc exstitit? Si filius hominis qui nascetur, servat copulandæ diversitatis mysterium temporum plenitudo. Quam cum utique consequenter Apostolus replicaret: *Postquam*, inquiens, *autem venit plenitudo temporis, misit Deus* C *Filium suum*, [1] *natum ex muliere* (*Gal.* IV, 4). Quod mater peperit, Pater misit: hoc est, nasci corporeum, quod venire divinum. Noluit Deus latere quem destinat: capiat mundus dominici adventus indicia. Quem Pater sine matre genuit, genitrix sine patre concepit, hic æque Dei filius et hominis erit. Super sacramento tamen isto Gabrielem archangelum consulamus: principem videlicet ministrorum, cui ineffabilia perspicuæ majestatis arcana, ut pote qui indefessæ obsecutionis ministerio conspectibus perpetuæ claritatis assistat, non intelligenda tantummodo, sed contemplanda monstrantur. Hic quippe primus legationem cœlorum terris attulit; hic verbo virginem fecundatam divini germinis promissione dotavit; hic unius mulieris salu- D tatione omnem mundum salute complevit. *Spiritus*, inquit, *sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Cum ratio nulla reperiat ut solus homo credatur de Spiritu sancto conceptus, cum omnem hominem Psalmista in iniquitate concipi, et in peccato asserat nasci (*Psal.* L, 6); ostenditur hic per angelum, ob Spiritus sancti virtutem feminæ membris infusam, sanctum quod de tali ministerio esset dicendum: quod nunc separatione connexa intelligit Apostolus, ac definit quod ad redemptionem nostram Deus esset in Christo. Sed callidus forsitan contradictor sic apostolici sermonis hujus testimonio velit abuti, ut acquiescat Deum esse in Christo, sed gratia, non natura: sicut est in corde sanctorum, quorum mentes a peccato liberas habitatio Divinitatis illustrat. Videamus nunc pareatne commentum, si sententia compleatur. *Deus*, inquit, *erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V, 19). Eligat hic doctor adversus, quis mundum inter ipsa pene sui exordii rudimenta, benignissimo Creatori peccato primi parentis offensum, sibimet ipsi in sæculorum fine conciliet. Si solus Deus, quid excuset sibimet quod sufficit remisisse? si autem solus homo, quo effectu sibi mortalis reconciliat quod Divinitas non relaxat? Unus est ergo Deus et homo, qui sibi mundum ipse commendet: qui pro sæculi vita sibi patris filio supplicet filius matris. Unde non dixit Apostolus, mundum reconcilians Deo, sed sibi: ne forte pro redemptione humani generis solum hominem orasse sentires: qui utique nisi in divinitatis naturam transiret assumptus, non solum obnoxietatem humani generis nulla intercessione dissolveret, sed et ipse communis debiti sarcinam parentali chirographo sustineret. Hoc ergo remedium idem Apostolus dicit (*Gal.* III, 19) dispositum esse per angelos in manu Mediatoris. Et ostendens causam qua medium se præberet, assumptus ab infimis, inclinatus a summis: *Mediator*, inquit, *unius non est: Deus autem unus est* (*Ibid.*, 20). Quæ cum ita sint, sicut nisi inter duos agat, incongrue mediatio nominatur: ita ipse quem mediatorem dicimus, si solam quam velis ex duabus substantiam reciperet, ad subeundum medium nihil haberet. Quod uno quidem, et tali qui nulla calliditate fucetur, sermone concludit dicens: *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Ipse videlicet pax humilium atque celsorum, unus factus ex utroque unum reddidit ex utrisque. Certe sicut supra posuimus, aut expositione testimonium, aut argumento egere videtur exemplum. Quid vel illo Apostoli sermone lucidius, quo cum diversis hominum generibus se coaptans, omnibus omnia se factum referret, ut omnium animas talentorum cœlestium cupidus duplicator acquireret: *Factus sum*, dixit, *his qui sine lege erant quasi sine lege essem, cum sine lege Dei non sim, sed in lege sim Christi* (*I Cor.* IX, 21)? Nunquid est quisquam tam in profunda demersus, qui istud censeat explanandum, si in lege Christi est sine lege divina? Pater nempe quod unus est lator legis, qui unus idemque, ut significat psalmus (LXXXIII, 8), præterita futuraque complectens, benedictionem dabit in baptismo, qui legem dederat in præcepto. Offendit quidem mentes carnalitate depressas, et

[1] Vulg., *factum*: cui concinit Gr. γενόμενον. Hic tamen varia fertur exemplarium tum Græcorum tum Latinorum lectio. Quemadmodum Avitus, *natum* quoque legunt Irenæus lib. III, cap. 18, et Cyprianus lib. II ad Quirin. Neque aliter Augustinus. — Notæ numero præsignatæ Gallandii sunt; cæteræ Sirmondo debentur, cujus editionem Gallandius exscribit. EDIT.

conjecturis humanæ consuetudinis hebetatas, tantæ disparilitatis in unum coacta proprietas : ut scilicet divina plenitudo et humana conditio, ut servi humilitas Dominique majestas, ut creatoris virtus et servitus creaturæ, unam ex his omnibus videantur reddidisse personam. Sed nec ratio soliditatis istius a sapientum soliditate longinqua est, quæ videtur maximum tenere in hæredibus : quod ille solus hominis statum potuit reformare de perdito, qui formavit e cœno. Unde beatissimus Paulus : *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis* (*I Cor.* xv, 47). Verum quidem hominem dixit, sed terrenum cum contagio pollutionis, cœlestem cum consortio divinitatis. Rogo nunc, cum Apostolus dicat hominem descendisse de cœlis, quis est qui negare audeat Deum rediisse de terris? Adhuc si parum est, quod vas electionis asseruit, consulamus illum qui mentem electi pretiosissimi vasis implevit : *Nemo*, inquit, *ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13). Si ita ipse Deus veritas cum sua incarnatione concordat, ut ante omne sæculum uniret præscientia quod in sæculorum fine assumere disposuerat in natura : videte utrumnam Deus sit qui conscendit post resurrectionis triumphum, si cum Patre Filius fuisse dicitur ante carnis exordium : aut quanta facta sit soliditas [*Alia lectio*, quanta sit soliditas] in præteritis, cujus tanta unitas prædicatur in futuris. Sed ne aliquid de hac immutabilitate cunctemur, adhuc addit Apostolus de psalmo testimonium ponens : *Propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit*, inquit, *quid est nisi quod etiam descendit in inferiora terræ* (*Ephes.* IV, 8)? Parum est quod Deum dicit in terram venisse, nisi confirmet eum propter unitatem personæ quam susceperat in inferna descendere [*Alia lectio*, in infernum descendisse]. [a] Certe circumfrementibus Judæis, et in Dominum nostrum blasphemiarum tela vibrantibus, quid respondisse credimus : *Amen dico vobis, ante Abraham ego sum* (*Joan.* VIII, 58), nisi quia per concordiam genitoris et geniti, ipse per traducem maternorum parentum descendit ex Abrahæ semine, qui sine annorum numero Abraham præivit æternitate? Qui maximus patriarcharum, cum videret illum diem in quo sine fine permanet Deus, concupivit tamen illum videre quo homo unitus est Deo. *Vidit*, inquit *et gavisus est* (*Ibid.*, 56) : quia sicut cernebat illum in quo erat genuina majestas, ita et istum desiderio conceperat in quo adoptata illustrabatur humilitas : *Tulerunt ergo*, inquit, *lapides ut jacerent in eum* (*Ibid.*, 59). Quid porro miramur Eutychianos contra catholicam fremere, cum videamus caput nostrum a suis ad quos venerat pertulisse, redditurumque perfidiam indignatione una cum fine? Eo contumeliæ sensu hic Judæus sævit, quo hic hæreticus livet. Parricidalis quidem illic fuit in Dominum cœli lapi-

A dum jactus; sed putes et istos tempore suo veritati perspicuæ cum duris mentibus saxa jaculari. Ne Deus et homo unum credatur, conjurat furor duorum. Liceat rogo quod facti sumus in melius provehi : liceat compactam luto materiam supernorum honore sustolli. Quid tantum contra te homo niteris, ne in Deum posse transire credaris? Vocat te ad participationem sui superna majestas : cur offerentem renuis? quid despicis ingerentem? Excolo pro adipiscenda similitudine veritatem, diligo pro sectanda imitatione doctrinam. Si caput nostrum est Christus, in sublimatione sument quantulæcunque sublimitatis consortium membra de vertice. Poscant igitur alii destructores de utriusque Testamenti corpore exemplorum similitudinem, quibus proposita

B tueantur : negotio huic sic adnisus bibliothecæ utriusque constat, ut si confirmare quod loquimur testimonio astipulante velimus, cuncta videantur in unum opus canonicorum voluminum oracula congerenda. De quorum multitudine juste, ad declinandam prolixitatem, electa quæque ac deflorata ponuntur. Quia sicut minimi effectus sunt, quæ tantum de nostro prolata, nullo Scripturarum cœlestium adminiculo fulciuntur : ita qui recipere pauca fastidit, non virtute, sed mole rem conjicit : quoniam vinci metuens, instrui nolens, ad deserendam veri cognitionem volumen potius quam documenta desiderans, non causas putat rerum magnitudine constare, sed paginis. Dominus itaque ac Redemptor noster, adventum gloriæ suæ discipulis specialius

C inter præcepta omnia manifestans; *Cum*, inquit, *venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc congregabuntur ante illum omnes gentes, et separabit eas ab invicem, et statuet justos quasi agnos a dextris, impios autem sicut hædos ad lævam. Tunc dicet rex illis : Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum quod paratum est vobis a constitutione mundi; et eis qui a sinistris sunt, ut discedant ab eo in ignem æternum, quem præparavit Deus Pater diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 31, 34, 41). Quid, rogo, hic contemptibile in Christo superbia humana fastidiat? quid tam metu dignum, tam honore conspicuum, tam terrore verandum? Excogitet hæreticus, utrum istuc Patris gloriæ adjungat, an Filii. Ad negotium quod gerimus, audire mihi sufficit. *Cum venerit Filius*

D *hominis in majestate sua*. In præsenti sæculo : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). In futuro, prænoscite quia celsus et terribilis claritate in gloria sua veniet cum angelis sanctis suis. Dicat nunc divisor mediatoris uniti, in corpore contumeliis inclinato unde sit quæcunque majestas, si non est ulla divinitas : ut taceam quod a Patre seu regnis seu gentibus per singulorum merita destinatur. Formidabilius videri potest, hominem retributiones congruas judicando decernere, quam Deum Patrem sentiat Filio hominis instrumenta judicii præparasse. *Filius enim hominis venturus est in majestate*

[a] Hunc locum proferet Agobardus adversum dogma Felicis sub finem. *Beatus quoque Avitus, Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator, scripsit dicens :* Certe circumfrementibus Judæ, *etc.*

Patris sui cum angelis suis sanctis, et tunc reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI, 27). Non dixit, cum Patris angelis veniet, sed cum suis: quia quæcunque habet Pater, et sua sunt. Unde cum filius matris recipiat in celsitudine quod patris filius contemptus est in humilitate: quis unquam sit hæreticus tam rebellis qui Deum, cui immortalem angelorum substantiam videt subjici, ipse mortalis in mortem mortuus nollet inflecti? Dixit quodam Evangelii loco (*Luc.* XVI, 31) Abraham ille cujus supra fecimus mentionem, cum a quodam pro remedio æstuantis incendii cassis sero precibus oraretur, quod si quis Moysem vel prophetas noluisset recipere, utique nec venientem a mortuis audire. Quis est autem prædicator ex mortuis suscitatus, nisi Christus Jesus, in cujus duplicem quam loquimur substantiam duplicis B Testamenti unitas ex diversitate colligitur? Ea siquidem referuntur in Evangeliis quæ prædicata sunt in prophetis, et fit ex viribus Testamenti, non diversitate, sed tempore. Recens quippe quod hodie completur: quod autem diu exspectabatur Antiquum est. Nam quia de Abraham opportunitas sermonis exorta est, qui auctor utriusque Testamenti legitur institutus, Vetusti [*Alia lectio*, Veteris] scilicet intromittendo circumcisionem, Novi vero placendo per fidem, in illo Judæorum tantummodo, in isto autem multarum gentium pater: experiamur utrum Evangeliis de Christi generatione concordet in quo se patrem gentium recognoscat, an æternitatem hujus ipsius sobolis quam erat geniturus, intelligat. Utrum se juniorem C nepote cognoscat: utrumnam redemptori, quod se ante Abraham ponit, et ipse consentiat: utrum sine supercilio parentali, reverenter impenderet ministerium semine corporali exorto creatori. Inserat se paulisper loco præsenti illa obtestatio, juramenti fidem poscens, sed sacramenta patefaciens, qua dispensatorem domus suæ non sine mysterio gratiæ subsequentis adjurans, *Pone*, inquit, *manum tuam sub femore meo, et jura mihi per Dominum cœli quod non accipias uxorem filio meo de filiabus Canaam* (*Gen.* XXIV, 2). Dicat mihi, quæso, quæ jurisjurandi reverentia putetur in femore. Quod si personaliter A tantummodo fieret, facilius caput tangeret adjuratus. Aut quæ causa femoris, interposita Dei ac Domini mentione jurandi; nisi quia per illum Deum ac Dominum cœli quem inde sæcula videbantur prolatura, juratum est? Scit ergo nimirum, cui prosapiæ non tam præemineat ipse quam serviat. Novit quippe quid in corpore suo debeat adorare: intelligit membra, quæ contra humanam consuetudinem speciali honore veneretur. Post quæ præcedentium indicia, miracula subsequentum, licet plurima testimoniorum de Evangeliis apostolisque promamus, metuo ad ultimum, quod cum Eutychiani nec patriarchalibus factis, nec dictis prophetalibus excitentur, si Moysem et prophetas non audierint, nec ei qui ex mortuis reversus est credent.

EPISTOLA III.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO GUNDOBADO REGI.

Puto nunc non parvi operæ pretium esse momenti, si occasionem quæ præsenti tempore in abruptæ diversitatis lætabundum virus erupit, pagellæ præsentis mentione contingam. Quieverat ergo post [a] Acacii quondam Constantinopolitani sacerdotis excessum, mali ejus quod expugnandum suscepimus, pullulans ab Eutychete persuasio. Cujus idem Acacius, ut celsitudo vestra potest habere compertum, amator magis trepidus quam assertor publicus erat: laudans quidem quæ ab illo reppererat, sed prædicare ea devoto tunc itaque impolluto populo non præsumens. Pro cujus obumbratione figmenti simulati, ob gratiam imperatoris sæculi sui, non impunitus tantummodo, verum et indiscussus interiit. Hinc se de impendenda defuncto communione in contrarium vulgi, imo, quod asperius fuit, et sacerdotum studia diviserunt. Et ut quisque recte aut prave de fidei ratione conceperat, ita etiam de prædicatoris præteriti memoria sentiebat. Tracta est interim, non per manifesta sed subita, nec tam separatione quam simultate dissensio. Actum est igitur [b] cum rege Orientis anno superiore, ut hinc cum episcopo urbis suæ quasi leni colloquio et blanda meditatione conferret. Est autem illic [c] con-

[a] Primis hic annis sapere visus est, et pro synodo Chalcedonensi decertare contra Eutychianos. Mutato postea consilio, quam graves in Ecclesia turbas excitarit, vel occulte, vel aperte iisdem adhærens adversus synodum ejusque defensores, declarant pontificum epistolæ, tum Simplicii, qui eum ad meliorem mentem revocare conatus est, tum Felicis, a quo tandem ob pervicaciam damnatus et anathemate percussus est. Episcopatum tamen, favente Zenone Augusto, ad obitum usque retinuit. Defuncti porro Acacii nomen Felix e diptychis deleri jusserat: de quo varia rursus inter episcopos studia fuerunt, et vix tandem ut Constantinopoli expungeretur sub Hormisda impetratum est.

[b] Cum Anastasio imperatore anno Christi 512, ut sequentia demonstrabunt.

[c] Trisagium hymnum prima omnium usurpare cœpit Theodosii Minoris ævo Ecclesia Constantinopolitana, sed sine illis verbis, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς, quæ tunc temporis ignorabantur. Additionis enim auctor Antiochiæ postea fuit Petrus Gna- D pheus episcopus, qui ut Theopaschitarum hæresim qua laborabat, induceret, clausulam hanc adjecit Trisagio: qua scilicet Deo trino ad quem superiora spectabant, ascribi passio videbatur. Cui malo ut mederetur Calendio, Gnaphei in exsilium pulsi post aliquot annos successor, clausulæ illi præmisit Χριστὲ βασιλεῦ, *Christe rex*, erroris que ansam duobus verbis præciderat, nisi Gnapheus ab exsilio reversus sedique restitutus, iisdem sublatis pristinam labem redintegrasset. Theophanes in Chronico de Calendione: Τῷ Τρισαγίῳ προσέθηκε ΧΡΙΣΤΕ ΒΑΣΙΛΕΥ, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. Πέτρος δὲ πάλιν ἀνελθὼν περιεῖλε τὸ Χριστὲ βασιλεῦ. Hæc Antiochiæ. Constantinopoli vero Anastasius imper. una cum Timotheo patriarcha, idem Gnaphei additamentum in Trisagium inferre conatus, post varios tumultus, cædes et incendia, reclamante populo orthodoxo, consequi nihil potuit, ut docet Marcellini comitis Chronicon Paulo et Muschiano consulibus, id est anno Christi 512, in quem incidit annus Anastasii 22, cui hæc eadem assignat Theophanes in Chronico: ubi et Timothei quoque

suetudo in ecclesiis nobilium civitatum, supplicationem cum laude divina inter missarum initia celebrari : quam tanta devotione atque alacritate consonæ plebis clamor attollit, ut credant non immerito, omne suffragium sacrificii subsequentis præmisso hujus devotionis obsequio placiturum. Supplicationis vero ipsius imam partem, licet pietati vestræ notissimam, in loco, sicuti res postulat, suggerendam putavi. Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς. Itaque sicut insusurratum fuerat principi, et ipse insinuat sacerdoti, nil in querelam venire, nullam fieri de schismate mentionem, si hoc quod in ipsa oratione animos aliquantulorum movebat, a principe obsecratus antistes aut juberet aut permitteret abrogari. Illud moleste quospiam ferre, quod in ima prædicationis ipsius parte clametur, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς : quod Latine intelligitis dici : *Qui crucifixus es propter nos, miserere nobis*. Persuadetur episcopo negligenti, nec usque sic docto, ut tantæ urbis, perindeque totius Orientis patriarcham decet. Concipit igitur atque disponit, solemnis hujus præconii incaute definitionem facturus : eo maxime effectu, quo res, nec de canonicis Scripturis tradita, nec apostolorum temporibus instituta, etiam contra vota populorum facile videretur posse mutari. Sed [a] ubi primum hymnus in Ecclesia cantari solitus, ultima orationis parte truncatus, minus audientibus satisfecit, quidquid putabatur ab Eutychianis hæreticis concipi, patuit totum hoc ab episcopo prædicari. Quis enim fidelium non jure moveretur, audiens crucifixo pro nobis, ut misereatur, minime supplicandum? Quid multis? crescente seditionum procella, dum insistit populus, nec obsistit Augustus, [b] antiqua sacerdos, quodque magis dolendum est, nec innocens, sede propellitur : sicut legimus quodam loco Scripturæ : *Si peccaverit vir in virum, orabit pro eo sacerdos; quod si peccavit sacerdos in Deum, quis exorabit pro eo* (*I Reg.* II, 25)? Super omnia vero delicta specialius in Deum peccat, qui doctrinæ apostolicæ contradicens, a regula veritatis exorbitat : sicut nihil est gravius, quam si cæcus, præsumpto ducatu, ex prædicatore fidei incipiat esse destructor. Vos modo perpendite amentiam totius hæresis in unius reprobatione sermonis. In quo parum est quidem quod auribus putetur ablatum : sed totus cum verbo illo catholicæ veritatis sensus excluditur. [c] Nolunt enim a nobis ei qui crucifixus est supplicari, ut videatur tam [d] nihil posse præstare persona hominis, quam nihil pœnæ pati potuit substantia majestatis : quod quid est aliud quam odium pro dilectione reponere, et convicia pro beneficiis repensare? Inserta est namque humano corpori dignitas supernorum. Deus quidem non subjacet cruciatui, sed divinitas interest passioni. Dei injuriam crucis tempore mundus diurnis fuscatus tenebris expavit : in cœlum peccare Judæos testata est terra quæ tremuit. Caret conjectura quæ per necessitatem veritas fulget : nec se affirmari a nobis exspectat, cum salva sibi auctoritate sufficiat. Audiamus ex his Apostolum protestantem : *Qui si*, inquit, *cognoscerent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Sed dixerat hoc prius etiam ille propheta qui ob præscientiam futurorum cognomento Angelus nuncupatur : *Si affiget homo Deum suum, quoniam vos affigitis me* (*Malach.* III, 8)? Rogo quis contentionis obstaculo tam aperta sibi obstruat? Si Dominus majestatis pependit vel affixus est patibulo, dicat adversarius, cur hominem non rogemus in cœlo? Adhuc quippe cœlestem potentiam in corporis secreto reposuerat;

Commonitorium commemorat, quo id ipsum ecclesiis omnibus imperabat : Ἡνίκα καὶ Τιμόθεος δι' ἐγγράφου ὑπομνηστικοῦ πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις προσέταξεν τὸ Τρισάγιον ἐν ταῖς λιταῖς μετὰ τῆς προσθήκης εἰπεῖν. Eadem habet Anastasius in Historia ecclesiastica. Quæ a nobis omnia idcirco præmittenda fuerunt, ut ex his Avito qui diversa narrat, impositum fuisse deinceps agnoscamus.

[a] Non offendebat orthodoxos, ut vidimus, pars hæc ima Trisagio detracta, sed addita : neque Eutychianis favere poterat, si truncaretur, cum illam Gnapheus ipse idcirco adjecerit, ut Eutychianam hæresim stabiliret. Nec propterea hymno hanc addi non ferebant orthodoxi, quod Crucifixo supplicandum negarent, sed quia Deum crucifixum per hanc astruebant Theopaschitæ Eutychiani.

[b] Macedonium ab Anastasio sede Constantinopolitana pulsum, eique suffectum Thimotheum constat, Secundino et Felice consulibus, hoc est superiore anno quam de Trisagii additamento Anastasius et Timotheus turbas cierint. Aliæ igitur exsilii causæ fuerunt, et Aviti hac etiam in parte nutat narratio.

[c] Christo pro nobis crucifixo supplicandum nemo unquam recte sentiens negavit : sed supplicationem hanc Trisagio subjici non probabant. Qua de re in Excerptis Photianis cap. 228 disserens Ephræmius patriarcha Antiochenus in epistola ad Zenobium scholasticum, ut Orientales suos excuset, Constantinopolitanos atque Occidentales ait, quia Trisagium ad Trinitatem referunt, propterea ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *qui crucifixus es pro nobis*, addi non sustinere, ne Trinitati attribui passio videatur. Orientales vero, cum Trisagium ad Christum referant, culpa vacare cum subjiciunt, *Qui crucifixus es pro nobis*. Quæ ille quanquam falso, ut apparet, de Orientalibus scribit, cum ex Damasceni epistola περὶ Τρισαγίου compertum sit, veteres omnes semper de Deo trino, nunquam de Filio solo hymnum hunc accepisse, quem et Τριαδικόν ea de causa nuncuparunt : et Gnapheum certum sit, cum προσθήκην istam adjecit, non Filium in mente habuisse, sed Deum, quem crucifixum cum Theopaschitis astruere studebat. Quanquam hæc, inquam, ita se habent, inficiandum tamen non videtur, in Gnaphei additione, si pravum ejus consilium demas, incommodi nihil futurum : ita nimirum, ut post Trinitatis laudationem, converso ad Filium sermone, his illi verbis supplicetur : *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Quod et Calendionem episcopum sensisse manifestum est, quando Gnaphei additioni τὸ Χριστὲ βασιλεῦ præmisit, et ab Ecclesiæ usu non abhorrere agnoscit Damascenus, cum post Trinitatis doxologiam quæ his verbis continetur, Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, subjungi sæpe soleat, τῷ σταυρωθέντι βουλήσει, καὶ ἐκ νεκρῶν ἀναστάντι, *ei qui voluntate crucifixus est, et qui resurrexit a mortuis*, quæ ad Filium proprie spectant.

[d] Duplex deinceps contra duas hæreses argumentum tractat. Prius hoc loco, Christum videlicet Deum pariter et hominem fuisse contra Nestorii vesaniam, qui ψιλὸν ἄνθρωπον, hominem tantummodo aiebat fuisse.

adhuc obitum ex ventre debebat; adhuc ad informationem nostram exercebat humilitatis studia etiam in opere claritatis. Cum Cananæa quædam, credulitatis quidem Israeliticæ, sed gentis alienæ, virtute virili, petitione laudabili, obstinatione victrice, Christo pro filia supplicaret: *Miserere*, inquiens, *mei, fili David* (*Matth.* xv, 22); vicit hic sensus interiore sapientia sexum carnis, supra humanum sensit in homine. Non acquiescunt Eutychiani doctores ei qui propter nos crucifixus est supplicare. Ista in crucifigendo et divinitatem precata est quæ non poterat mori, et humanitatem quæ poterat suscitari. *Fili David* carnem resonat; *miserere mei* Deum declarat. Dominus cœli invocatus est in virtute: auctor hominis vocatus est in genere. Longe jam, ut opinor, post mortem David, de cujus semine terris per Mariam Christus effulsit, temporum serie stemmatis regii prosapia ducebatur. Posco nunc, his proavorum successionibus ac nepotum, ex memorato patre usque ad virgineum fetum toto derivatæ hæreditatis accessu, phantasmatis linea ducatur, an traducis. Porro autem ambiguo caret, quod et de genere caro vera processit, et phantasma genus habere non potuit. Experiamur tamen, utrum spreverit Christus præfatæ Cananitidis in oratione sermonem, an fortassis exasperet ineptiam supplicantis. *O mulier*, ait, *magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Si ista fides est, utique magna si constat, non erit recta; altera certe fuerat ad matrem illa responsio, cum comitante discipulorum choro festis nuptialibus invitatus, deficiente vino ad faciendum miraculum posceretur; atque ille: *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4). Velut si dicat: Cur illud tantummodo quod peperisti esse me credis? Si hoc solum mihi putas constare quod carnis est, non possum complere quod exigis. Sublimia hæc quæ a me requiris de Patre attuli, non in matre suscepi: formato in te corpori, debita infirmitatis institutione, opera virtutis injungis. Bene me putas posse quod petis, si te, sicut mei corporis, sic matrem tui intelligas Creatoris. Quod si solum te edidisse hominem velis, *nondum venit hora mea.* Nemo autem sic ineptus reputandus est, ut istud quod dixit, *nondum venit hora mea*, velut errore gentili, constitutis velit fatalibus applicare. Ad intelligendum horæ illius mysterium discretionem potius requiri convenit, quam decretum: quod cum ipsa quoque nostræ mortalitatis conditio non eligatur, sed omnis status nostri necessitas gubernatoris perpetui sit voluntas: quanto magis Christus, qui potestatem habebat ponendi animam suam, et iterum sumendi eam (*Joan.* x, 18), nullo se fati voluit implicare præscripto? Sed cum venerit subeundi hora patibuli, apparebunt cœlestia quæ pater genuit, et corporea quæ alvus effudit. Ergo cum ipse Dominus hic, perficiendo miraculo actus divini, non repulerit genitricem, sed instruxerit ignorantem, videamus quid hinc cum Apostolis suis tractatu impensiore contulerit. Interrogabat autem eos quodam Evangelii loco, quæ de persona

A sua vulgi variantis sentiret opinio. Cumque diversitate sententiæ populum, aut unum ex vatibus priscis, aut Moysem, vel certe Heliam, illum credere suggessissent: *Vos autem*, inquit, *quem me esse dicitis* (*Matth.* XVI, 15)? Tum princeps condiscipulorum, principium responsionis assumens, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Sufficere plane potuerat quod confitetur hic Petrus, etiamsi hoc non tam manifesta responsione confirmasset Christus. *Beatus es*, inquit, *Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est* (*Ibid.*). Beatus es, inquam, quia ut Deum cerneres, non carnem tantummodo, sed et sanguinem censuisti: nec revelandam tibi gloriam meam lineamenta sumpti corporis obtulerunt. Non avertisti generosæ
B mentis aspectum, quod et carne prolatum est. Sed Pater meus, qui est in cœlis, revelavit tibi Filium, cui adhæret in terris: cujus gloria paupertate nunc tegitur, cujus honor contumeliis nunc celatur. Pendebat siquidem in ligni salutaris excelso triumphali præeminentia, mediatoris nostri corpus altatum, et uniuscujusque sententiam de cordis penetralibus virtus salutiferi stipitis exigebat. Injuriam ille deridebat. Ecce qui destruebat, inquit, templum Dei, ut illud triduo suscitaret; alter aceti potionem ferino felle corruptam spongiæ poculo porrigebat (*Matth.* XXVI, 40). Ipse tamen servans inter pœnas hominis misericordiam Creatoris, dolens eos pro quibus venerat adhuc sub tempore ipsius redemptionis errare, clamabat: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid*
C *faciunt* (*Luc.* XXIII, 40). Quid est, *nesciunt quid faciunt*, nisi quia credunt se solum hominem adduxisse judicio? Ignorat quid faciat, qui non sentit in cruciato corpore majestatem. Et si illi solius matris filium interficere se credentes quid facerent ignorabant, cur adhuc hodie Eutyches ignorare se simulat, quod si illi tunc scissent, Christo et apostolo protestante, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent? Unde quod hic Dominus nescientibus optat ignosci, constat expertorum conscientiæ non posse concedi. An forte miramur, quod tam evidenter Christus passionis suæ mysterium dignatur exponere? Ausim dicere, habemus hic adhuc amplius quod mirari. Comitata est, ut legitis, dominicam mortem circumpendentium latronum conjuncta cru-
D cifixio; quos tamen temeritas crudelis judicii, non servilis culpæ meritum, coæquaverat innocenti. Non enim poterat sancti germinis incorruptum nitorem vicinæ pollutionis horror aspergere: sicut et sol, si radium in fæculenta dimittat, intactum prorsus nescit sentire contagium. Horum igitur unus latronum, longi sceleris vitam brevis compendii fine permutans, ex interfectore medicus, martyr ex fure, nexus membris, criminibus absolutus, fixus clavo, liber affectu: *Domine*, inquit, *memento mei, cum veneris in regnum tuum.* O felicis beatitudo testimonii! o ineffabilis fortitudo credendi! Non istum, ut divinitatem in homine sentiret, signa vicerant; sed virtutis dilectionem infirmitatum collegit indicio. Concupivit in-

vocare similiter vinctum; et adhuc Eutyches orare despicit sublimatum. Obeuntem ille contremuit: regnantem iste fastidit. Iste mortem non timebat a judicaturo, cum ille vitam requirat a mortuo. Sed redemptori suo squalentis veterni mortificatione compassus, junxit dominicæ propriam crucem. Adoravit expertem culpæ particeps pœnæ : dudum invadendi cupidus, mutavit vota prædandi : armatus trabalibus clavis vim intulit regno cœlorum. Intellexit in Christo pauperem locupletem, vicinum invenit quod tolleret nudo, sumpsit veniæ plenitudinem, rapuit innocentiæ portionem. In ligno Deum contuitus, in cœlo hominem consecutus. [a] Jam porro, quoniam transacta passio docet hominem verum, cruciatum doloribus, latronibus comparatum, confectum supplicio, tumulatum sepulcro; per hæc omnia phantasmatis assertoribus assumpti corporis veritas contradicit. Quos cum in Christo unitas utriusque substantiæ perspicua testimoniorum luce convincit, omnem quæ in consequentibus replicatur, dominicæ seriem passionis phantastica honoris contumeliosi molitione perturbat : asserentes quoddam nebulosi corporis exstitisse figmentum, quod pro redemptore nostro injuriis pœnarum dolorumque videatur oppositum, et per inanis hominis similitudinem, pœnis quas majestas incurrere non possit, addicta quoque vera caro non exstiterit, quam exsecratur populus, cruciat judex, pulsant verbera, quam contumeliæ illudunt, spinæ transpungunt, cui calamus illiditur, figitur clavis, sanguis excutitur. Adhuc cum omne quod spei est in solo redemptionis nostræ mysterio collocemus, nec sit aliud nostrum reviviscere, quam Dominum necem pertulisse : falsum est quod sua incarnatione nos salvat, si et hoc in dubium venit, quod tolerandum pro nobis in carne susceperat. Veni potius, sancte Esaia, propheta quidem tui, sed evangelista temporis nostri : veni celeriter ad tuendam contra Eutychetis mendacia Christianorum salutem. Dicere te de Christo, imo etiam jurare non pigeat : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isai.* LIII, 4). Et : *Livore ejus sanati sumus* ; non medendi facultate secura, sed voluntarie pro nobis dolendi veritate suscepta. Si veraciter dolores nostros ipse portavit, jam et nos securi sumus, quod veros dolores commentitium phantasma non pertulit : et si livore ejus sanati sumus, incassum collatam mihi sanitatem invidet falsiloquus livor. Cæterum recte omni definitione concluditur, quod si potuit esse

A commentitium, non potuit livere simulatum. Sed etiam in hoc prophetæ sermone evidens geminatæ substantiæ proprietas invenitur. *Vere*, inquit, *languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Duo sunt ista, quorum aut Deus solus, aut homo solus, utrumque non fecerit, sed unum Deus, aliud possit homo. Dicendo autem propheta : *Ipse languores tulit, ipse dolores portavit*, unum evidenter expressit, qui ex divinitate constaret et corpore. Languores enim quos Adæ sauciata progenies ex vulnere corruptæ originis attrahebat, ille solus sanavit qui sanum ante condiderat. Dolores vero nostros portavit, qui desudare prælia passionis, nisi cruciatibus ac labore, non potuit. Quocirca quod in natura malum habuimus, tulit Deus : quod in corpore malum patimur, B pertulit Christus. Unde respiciendum est hic, quantum Eutychiani [b] Bonosiacis barathro profundiore mergantur. Illi Christo divinitatis honorem tantummodo adimunt, isti et corporis veritatem. Photinus hominis personam nos adorare deridet, hic nebulam. An forte hæretici hujus ipsius illusionis exordium ab ipsis in Christo sacræ nativitatis crepundiis ordiuntur, ac perinde falsum erit, quod jacuit in pannis, quod apparuit magis, quod planxit in cunis? Taceo reliquos in succidua ætate profectus, quibus divinam pariter humanamque naturam complectens, lassitudinem refectio pertulit, consolatio lacrymas effudit, lux dormivit, panis esuriit, fons sitivit. Taceo planctum illum quem super defunctum Lazarum habuit (*Joan.* XI, 35), antequam effectu resuscitandi ostenderet Deum C præmisisse humanæ conditionis affectum. Quod si in dubium vocatur qui tanta præstitit, necesse est ut ambigua incipiant esse quæ gessit : ac perinde falso se putat sanatum paralyticus, claudus erectum, circumscribendus solis radius, quem cæsus ab utero post nativi carceris tenebras intuetur : aut hoc phantasmate Lazarus ipse delusus est, ut cum inter mortuos dormiret, jam resurrexisse se crederet. Quod si hæc omnia vera esse recipiunt, et solius passionis injuriis contradicunt; respondeant ubi tunc fuerit Filius Virginis, cum umbram tenui nube fallentem pro se offerens, quem pro nobis putamus offerri, vana sui specie et persequentes falleret et fideles? Patrem quoque faciens hac illusione mendacem, de quo Apostolus ait, quod *Filio suo non pepercit, sed pro nobis* D *tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32). Quem filium, si non verum? quomodo tradidit, si collusit? qualiter non pepercit, si dolore prohibuit? Vel certe, qua Dominus

[a] Hoc alterum caput disputationis, Christum vero et consubstantiali nobis corpore præditum fuisse contra quam sensit Eutyches, qui fictitium illi corpus, et phantasmati simile tribuebat. Unde his quoque Aviti epistolis quæ delirium hoc refutant, titulus olim *Contra Phantasma*. Par itaque, sed contrariæ, ut Leontius monachus observat, in Christum impietas Nestorianorum et Eutychianorum, Οἱ μὲν γὰρ τὴν θεότητα, οἱ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα δοκήσει λέγουσιν εἶναι ἐν Σωτῆρι. *Illi enim*, inquit, *divinitatem*, *hi humanitatem opinione tenus et phantasia Servatori asserebant*. Quare scite utrosque Nonnus abbas Ἐναντιοδοκίτας appellabat. Nam et Docitas quoque illos qui id genus phantasma inducebant, vocat Theodoretus noster lib. V Hæreticarum Fabularum. Ubi eumdem de Christi corpore locum tractans, iisdem quibus Avitus argumentis docet, pati et mori, esurire et defatigari corpus suum permisisse : Ἵνα μηδεμίαν λάβωσιν ἀφορμὴν οἱ Δοκῖται κρατῦναι τοῦ ψεύδους τὴν αἵρεσιν : *Ne quam ansam haberent Docitæ, quo falsam hæresim confirmarent.*

[b] Bonosus Naissitanæ in Dacia sedis, ut nostra est conjectura, episcopus, catholicam deserens, ad eorum transiit hæresim qui Photini venena sectabantur, et Christum Deum negabant, hominem tantum prædicantes. *Bonosiacos* ejus discipulos vocant etiam concilia Arelatense II et Aurelianense III; Gregorius vero magnus *Bonosianos*, libro IX, epistola 61, ad Quirinum et alios episcopos Hiberniæ.

noster morte finitus sit, qui non potuit non aliquantulam mortem pro matris mortalitate debere, soluturus conditionem obeundi legitimam, sed corruptionem pro resurgendi instantia non visurus? Quam legem utriusque naturæ significavit fel istud, quod gustatum noluit bibere, dum mortem quam ex Adam parente omnes debemus, pro divinitate noluit bibere, sed debuit pro dispensatione gustare. At vero cum factum est quod Apostolus dixit, quod *resurgens Christus jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9); audeat nunc, si quid valet hæreticus, aut Christum sine Deo, aut sine homine Deum confiteri. Abfuerat sanctus Thomas (*Joan.* XX, 24 seq.), cum reversus Salvator a mortuis præsentia visibili præstolantium discipulorum vota repararet, et vacillantem quodammodo fidem suorum revalescens a mortuis vita componeret. Referunt ergo discipuli Dominum se vidisse. Negat ille se credere, nec se adhibiturum ullatenus fidem promittit, nisi contemplatione percepta. Transacto temporis intervallo, superveniens secundo Jesus, sed jam omnibus simul, pacis salutatione præmissa, arguit increpatione mitissima cunctantis Apostoli tarditatem: et jubente Domino, ne adhuc parum sit quod visus judicat, fidem tactus explorat. *Infer*, inquit, *digitum tuum in latus meum, et noli esse ambigens, sed fidelis* (*Joan.* XX, 27): qui utique inexcusabiliter jam perseverabis incredulus, cum palpando reddaris expertus. Scrutatur ille digito vestigia passionis. Permanebat ut inflictum fuerat medicum vulnus, et hiulcum transpuncti lateris aditum felici indicio vitalis plaga servabat. Tunc demum in semetipsum reversus, et sancto illuminatus corpore, *Deus meus*, inquit, *et Dominus meus*. Quid, rogo, sacer apostolus de cœlestibus intellexit in carne? quid curiosæ manus attactu divinum sensit in vulnere? nisi quia jam pridem didicerat, Christum sine Deo esse non posse, et hæc ipsa vulnera quæ palpabat, prævaluisse quidem homini, sed cessisse victori: tamen nec afficere morte nisi hominem, nec vinci a Deo nisi resuscitante potuerunt. Hic itaque, magno miraculorum stupore conclusi, cum audiunt Dominum nostrum recepti corporis situ, visibilem oculis, digitisque palpabilem, locum quo Apostoli consuerant clausis foribus introisse, ad familiare commentum asserendi phantasmatis, et per fallaces inanium nebularum fraude præstigias, illusos humanæ caliginis queruntur obtutus. Sentiunt enim in facti magnitudine quiddam divinum, vigoremque illius subtilitatis, quo foribus obseratis penetrale secretum sine aditu corpus intraverit, ne cogantur facere mirificum, comminiscuntur incertum. Quod videte ad quantam spectet Divinitatis injuriam, si veritatis magister, qui nobis etiam verborum mendacia interdicit, ipse factis credatur potuisse mentiri. Procul dubio enim mendacii genus foret, si quod ipse non fuerit, se credi a suis velit, et putaretur factum a Christo, quod non licet facere Christiano. Qui ad cognoscendam mysterii dispensationem et visu instructus, quod sufficit

A sano: et tactu convictus est, quod additur cæco. Sed caret remedio sponte petita debilitas: quidquid libet medicaminis oculis lippientibus imponatur, curari non potest qui cæcatus ire delectat. Aut quis in tali obstinatione usus oculorum est, qui verum esse renuit quod annuit visum? quasi non minus sit Deum penetrasse conclusa, quam homini patuisse cœlestia: qui tamen suis post resurrectionem sæpe testatus est: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Quid Eutychi tam clausum? quid contra phantasmata tam apertum? velut si dicat, molem ossium carniumque species ventura non recipit. Noluit se, vel solum quemlibet virum, hoc est sine corpore, spiritum dici: sed ut talem recognoscatis in judicio, qualem B redisse conspicitis e sepulcro. Unde jam post passionis certamina triumphator nihil quidem habuit, quod mundanum indigentia redivivi corporis postularet. Non illi quippe aut fames cibum, aut potum sitis, aut requiem labor, aut somnum poposcit operatio. Quæ omnia non solum in capite nostro, quod est Christus, exigua illa parvi temporis morte decocta sunt: sed etiam in nobis sic usque ad obitum valebunt, quod resurrectione finientur: et tamen, ut dicere cœperam, cum membra illa dominica, nulli jam indigentiæ obnoxia tenerentur, ad suspicionem phantasmatis suorum cordibus eximendam, cum apostolis visus est, cibum jussit apponi, quibus convesci commissa benedictione dignatus est. Quod faciebant illi adhuc pro redemptione corporis, fecit C bonus magister pro testimonio veritatis. Nisi forsitan dicat phantasmatis prædicator, caliginem illam, membrorum speciem seductricem, quæ apponebantur assumere, nec escam illam pignoris sancti in dominicum corpus sine onere corruptionis intrare, sed inanem ventrem incerti esus gravare ponderibus Quem certe pastum fallens imago, aut futura est si subripuit, aut non est aeria, si comedit. Scio tamen quod non alter quam Christus, inter suprema cibi illius monimenta testatur: *Quia oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege et prophetis et psalmis de me* (*Ibid.*, 44). Et nos pauca exemplorum quærimus, cum ille omnino Scripturam in sua dicat unitate compleri. *Et post hæc*, inquit, *cum benediceret suos, ferebatur in cœlum* (*Ibid.*, 51). Recede procul, Euty- D ches, cum præstigiis quas animo concepisti. Solus hac benedictione careat, qui se a phantasmate aut benedici lætatur aut redimi. Interim ferebatur in cœlum Filius hominis, qui erat in cœlo dudum præscientia, nunc natura. Nec aliquo angelicæ manus auxilio, quanquam portari dicatur, indiguit; sed ferebat matris filium filius patris; ibat quod Deus erat; quod homo, ferebatur. Patebat redeunti porta cœlestis, et Deum suum cum accessu corporis revertentem originalis patriæ claritas invitabat. Quo recepto, *Duo*, inquit, *angeli astiterunt*, Apostolis sic loquentes: *Viri Galilæi, Jesus hic qui receptus est a vobis* (*Act.* I, 10), id est, quem in sede Pater, seu quem vos recepistis in fide, *sic veniet, quemadmodum vidistis eum*

euntem in cœlum. Habent ergo in hoc sermone quod sperent quibus phantasma videtur esse quod gestum est, si sic veniet quomodo vidistis eum euntem in cœlum. Ubi videbunt catholici quem ambiunt, adversarii quem confixerunt; ubi ad eadem clavorum vestigia quæ cernunt, vel illos ignes Eutyches simulatos putare desinat, quibus post phantasmatis fumum sera pœnitudine perpetuo torris ardebit. Ad cujus pristinum dogma denotandum, vel corrigendos aliquantisper, sicut optandum est, sectatores, pauca hæc dixisse sufficiat : ut ex similitudine testimoniorum quæ posuimus, etiam ipsi sibi necessarie numerosiora perquirant. Quod si forte pristino sceleri dogmatis sui, aut infidelitatis perseverantiam servant, aut aliquid novæ molitionis accumulant : siquidem peculiaris errantibus mos est, in obstinatione perversa semper dicere velle quo pereant : dabit Deus, ut jussu vestro, meoque famulatu, pravitas quæ adhuc augmento accenditur, uno et semper æquali Scripturarum cœlestium magisterio propulsetur.

EPISTOLA IV.

Avitus Viennensis episcopus domno Gundobado regi.

Sciscitatio vestra plena religionis atque pietatis est. Sed quia inquisitione proposita, consultoris vel respondentis nomina præmisistis, suggerendum puto, fuisse in Africa quemdam Faustum [a] episcopum secta Manichæum, opusculorum quorumpiam conditorem, exsecrabilium sane, et in nonnullis etiam sermone turpissimorum. Hic autem, quantum ad frontem pertinet, quasi abstinentissimam vitam professus; et non secretam crucem, sed publicam vanitatem jactantia ventosi tumoris exaggerans, quantum potuit, auditoribus venenatam disputationem velut indeclinabilis virtutum servator indixit. Et quia legistis, consulenti cuidam Paulino Burdegalensi, ab episcopo supradicti nominis fuisse responsum : cujus temporibus Paulinus quidam, Deus viderit utrum is quem memoratis, tamen perinde Burdegalensis, non pauca stylo catholico et irreprehensibili fide conscripsit : præfati hæretici mentionem idcirco præmisi, ne Manichæi ipsius Fausti opus infaustum, vel alterum quem etiam gloria vestra noverat, ortu Britannum, habitaculo Regiensem, titulo nominis accusaret : simul et qui aut consulere supra ambiguo quæstionum, aut dignus rescripto posteris reservando potuerit inveniri. Cujuslibet tamen eorum in manus vestras dicta pervenerint, sancte, sollicite, regie vos moverunt. [b] Pœnitentiam, quam proprie momentaneam nominastis; id est in ægritudine quasi sub momento mortis acceptam, nihil aut nulli prodesse, adversa veritati et admodum cruda definitio est. Apud divinam quippe misericordiam vel ipsa humilitas confitentis dici non debet fructu carere. Quia cum legimus, quod qualitate vitæ anterioris abolita, quia plerumque contingit et peccare justos, et resipiscere peccatores, in ea quis via judicetur qua obitus sui tempore fuerit deprehensus, incunctanter credenda est vel ipsa correctionis voluntas placere, si vera sit. Sed totum apud cœlestem clementiam fidei qualitate pensatur. Unde et inter illos operarios quos in Evangelio (*Matth.* xx, 9) legitis esse conductos, pro devotionis ardore, mercedem prioribus exæquatam etiam qui tardius venerant sortiuntur. Sicut et Ninivitarum brevissima pœnitudo, omnem indulgentiæ summam triduo fervente mercata, gladium peccatricis urbis cervicibus imminentem quem jam ictui destinato per manum Jonæ prophetæ (*Jonæ* III, 10) dies statuta vibraverat, repagulo consonæ satisfactionis obtudit. Contradicant autem exemplis hujusmodi, quos verius reddit appetita superbia turgidos, quam conscientia illibata securos. Hoc tamen loco quid sæpe doleam, quia fandi licentiam dignamini præstare, confiteor. Contristamur nonnunquam in hac nostrorum facilitate, quod rem tam pretiosam pro levi accipere grave discrimen est. Cum enim videntur pœnitentiam precibus ac lacrymis poscere, impium dicimus denegare. Sin igitur contingat interdum, ut acceptam quicunque pœnitentiam, si sanitatem corporis recipit, aut negligat, aut factus sit, ut apostolus ait (*II Petr.* II, 22), canis reversus in vomitum, qui veniabilius onerabatur fragilitate peccati, plectibilius opprimetur abusione remedii; et dicetur illud quod Ananiæ in Actibus apostolorum : *Nonne manens tibi manserat, et de promittendo in tua potestate pendebat* (*Act.* V, 4) *Melius est autem*, ut ait propheta, *non vovere, quam vovere et non reddere* (*Eccles.* V, 4) Unde contraxit consuetudo sermonis, ut donec quisque nostrum votum

[a] Adversus quem exstant libri sancti Augustini, cujusque in aliis ejusdem operibus frequens mentio. Cæterum et Paulini ad Faustum epistola, et Fausti ad ejus quæsita responsio, quæ nunc inter Fausti Rhegiensis opera leguntur, quo de Fausto hic agatur ambigi non sinunt. Britannum hunc ortu fuisse docet Avitus : quod non de Insulanis, sed de Armoricis Britannis accipiendum monuimus in notis ad epistolam Facundi ad Mutianum scholasticum. Paulinus hic autem Burdegalensis qui ad Faustum scribit, cum de Paulino episcopo Nolano accipi nequeat, de Paulino Eucharistici auctore intelligendus videtur, qui et ipse ortu Burdegalensis fuit, et Massiliæ larem relicta patria cum fixisset, Fausti Regiensis consuetudine uti potuit.

[b] *Momentaneam* Faustus quoque appellarat, Paulinus *subitam. Percunctator*, inquit, *accedo. Sum peccatis carnalibus involutus; omnia quæcunque potest criminosus, exerceo; cum diem humanæ sortis implevero, pœnitentiam subitam sum consecutus; si excludat pro parte peccatum, an ad integrum, opto cognoscere.* Hanc Faustus inutilem esse respondit. Quod falso dici docet Avitus, et ante Avitum in eadem Galliæ provincia docuerat Gennadius Massiliensis Ecclesiasticorum Dogmatum cap. 48. *Pœnitentia*, inquit, *aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in ultimo vitæ spiritu admissorum pœniteat, et publica lamentatione peccata prodantur : quia propositum Dei quo decrevit salvare quod perierat, stat immobile. Et ideo quia voluntas ejus non mutatur, sive emendatione vitæ, si tempus conceditur, sive supplici confessione, si continuo vita exceditur; venia peccatorum fideliter præsumitur ab illo qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur a perditione pœnitendo, et salvatus miseratione Domini vivat. Si quis aliter de justissima Dei pietate sentit, non Christianus sed Novatianus est.*

compleat, voti reus dicatur. Quocirca fateor, in necessitate positis non sine metu dari debere pœnitentiam : quos si absque capitalibus culpis, [a] in usu conjugalis copulæ dies suprema reperiat, ut pote rem licitam præsumentes, nec damnatione dignos putamus, nec a sacrificio commemorationis excludimus, E contra, si professam compunctionem sæculo retrahente vacuaverint, quasi jam apostatas, id est ab standi firmitate deciduos, necesse est a communione suspendi : cum melius sit manere intra quantulamcunque salutem humilitate mediocrium, quam ipsam salutem ex toto destrui violatione summorum : et tutius inveniatur cum honestate in matrimonio vivere, quam castitate mentita illicitis licita maculare. Quod prævidens Apostolus (*I Tim.* v, 12), et viduas quæ primam fidem irritam fecerint, majorem damnationem denuntians subituras, [1] et personas legitimi atque irreprehensibilis tori pace devinctas, vacare orationi ad tempus, ac rursus in id ipsum regredi sinit : ne Satanas, inquit (*I Cor.* vii, 5), per incontinentiam illorum, tentet in promissione perfidos quos in carne non vicerat conjugatos. In secunda quoque quæstione, quod negamus est, [b] fidem solam homini prodesse non posse, hoc minime probo ; neque ab illorum parte profiteor, qui, sicut ait Dominus (*Matth.* xxiii, 4), grave super humeros discipulorum pondus imponunt, quod ipsi tamen uno digito movere detrectant. Propter quod, tam rigidam de fide sententiam aut extraneus potuit præsumere, aut noster debuit temperare. Quod si dignanter admittis, conjectura breviter exemplisque patefaciam. Fidem esse omnium bonorum spiritualium fundamentum, per hanc primitus informata Christianorum rudimenta testantur. Nam si baptizatus, aut etiam translatus ab hæresi qualibet parvulus, vel forsitan ævo longiore provectus, celeri post lavacrum fine rapiatur, nec ipse operis jactitator abnuerit, hominem sola fide salvatum. Extra quam quod nihil quælibet bonæ profuerint actiones, de sæculi philosophis æstimemus : quos contemptores mundi amatoresque sapientiæ, castitate proposita, facultate despecta, quidquid hodie catholici prædicamus, quia fides defuit, non profuit operatos. Adeo machina vanitatis, nutabundis exculta fastigiis, quia sine fundamento surrexit, per se sola constare non potuit. Quid si nunc diversorum in Scripturis cœlestibus fidem retexam, quam semper desiderii compotem reddidit laudata credulitas? Abraham quod solum credidit Deo, reputatum est illi ad justitiam (*Rom.* iv, 5). Raab meretrix vitam præteritam prostitutione sordentem, Israelitarum populum per fidem præstolata purgavit (*Jos.* ii, 3). Sic illa Evangelii Cananitis, (*Matth.* xv, 27), quanquam repulsa convicio, dari tamen catulis suis filiorum panem perseverantia petitionis elicuit. Alia fluxum carnalitatis obscenæ tactu fideliter medente [c] restrinxit (*Matth.* ix, 20). Suadetur tamen et bonorum operum jungenda devotio, quam negligere non pertinet ad fidelem. Sed cum dicat Apostolus : *Quidquid non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* xiv, 23), videtis ipsam quoque quam rectam credimus operationem, nisi fidei suffragio fulciatur, in peccatum posse mutari. Expertus est hoc nimirum Pharisæus ille in Evangelio (*Luc.* xviii, 10-14), qui gratias se referre, quod non esset sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, eleemosynas subinde facere, bis in sabbato jejunare, tumido ac resupino pectore jactitabat ; cum Publicanus, fronte cernuus, fide rectus merita bonorum sola humilitate præripiens, domum suam de qua non justus exierat, justificatus intraret. Quid plura commemorem? Adhuc unum patienter accipite. Latro ille (*Luc.* xxiii, 40-43 cujus assuetum sceleribus corpus, juxta crucem dominicæ puritatis servili patibulo criminum vindicta suspenderat, sentiens in morientis Christi corpore majestatem, pro præmissa crudelitate addictus supplicio, pro subsecuta confessione additus paradiso, per injustum deductus est ævum ; ut de justa raperet morte martyrium. Ecce sunt virtutes ex fide : ostendat quisque, si potest, sine fide virtutem. Dominus in Evangelio (*Matth.* xiii, 31 ; *Luc.* xiii, 19) exiguitatem fidei grano sinapis comparatam, quæcunque voluerit valituram promittit. Sic fit ut, cum opera sine fide possint esse, fides sine operibus esse non possit ; quia si corde credatur ad justitiam, et ore fiat confessio ad salutem (*Rom.* x, 10). Apud sensum Spiritus sancti, promissiones sequentem, principium est boni operis integre credidisse ; si tamen, ut Apostolus ait (*Rom.* viii, 16), ipse spiritus testimonium reddat spiritui nostro : non, ut super audistis assertum, qui creatura nobis, sed qui creator infusus, auctor et testis est nostri spiritus, non natura. Ecce ad epistolam Fausti episcopi, nec interest cujus : quæ veritati arbitror convenire suggessi. Mihi et eis quorum salutem sitio, fidei plenitudo donetur ; illis opera sua, si fide fuerint vivificata, sufficient.

[a] Conjugium opponit pœnitentiæ, quia pœnitentiam professi abstinebant a conjugio. Unde et conjugatis, nisi ex mutuo consensu, pœnitentiam dari concilia vetant, Arelatense ii, can. 22 ; et Aurelianense iii, can. 24.

[b] Quod Paulino responderat Faustus, fidem nudam meritis ad salutem non proficere, de iis videlicet affirmabat qui adultam ad ætatem perveniunt. Avitus autem contra illum sic disputat, quasi etiam parvulos comprehendat : quod abhorret a Fausti sententia, qui utrosque distinguit, et apud Deum distingui docet libro i de Gratia et Libero Arbitrio cap. 7 : *Fidem*, inquit, *exspectat a parvulis, opera cum fide a consummatis requirit*. Neque aliter accipiendus S. Augustinus cum, iis respondens qui sine fide non posse, sine operibus autem posse perveniri dicerent ad æternam vitam, fidem ipse solam non sufficere ad salutem, sed opera cum fide requiri docet in libro de Fide et Operibus. De iis enim sermo est qui grandiores fiunt post baptismum.

[c] An *restinxit?*

[1] Conjunctio *et*, quam contextus requirit, deest in edito Sirmond.

EPISTOLA V.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] DOMNO GONDOBADO REGI.

Si gratiam priscæ pietatis expertus, rite artificium sanctæ dignationis interpretor, ad consolandum me, dominos et conservos meos sacerdotes vobis jubentibus puto venisse. Quod ecce sub divino testimonio loquar, pro debiti famulatus reverentia præcelsissimo domno dependere non præsumpsi. Virtuti enim vestræ derogat, si quis super casu qui contigit, consolationis aliquid scripto verboque suggesserit. Neque porro cedet in regiam quidem, sed philosophicam mentem mœroris abjectio. Lacessivit, verum est, cunctorum lacrymas amor vester. Sed si ambienti sæculo salus vestra conceditur, parum est quod perdidit unum pignus omnium pater. Temporalis luctus est, ubi tam innocens quis obiit, cujus mortem nullus putavit. Judicet unusquisque quod sentit: nihil unquam vestris temporibus contingere potest, quod non semper arbitrer profuisse. Unde nihil hic casuale præsumo, nihil asperum. Ordinavit hunc potius occulta dispensatio, quam inflixit, angorem. [b] Flebatis quondam pietate ineffabili funera germanorum, sequebatur fletum publicum universitatis afflictio, et occulto Divinitatis intuitu, instrumenta mœstitiæ parabantur ad gaudium. Minuebat regni felicitas numerum regalium personarum, et hoc solum servabatur mundo, quod sufficiebat imperio. Illic repositum est, quidquid prosperum fuit catholicæ veritati. Et nesciebamus illud tunc frangi tantummodo, quod deinceps nesciret inflecti. Aut quid de fraterna sorte dicamus? Ipse quem vocitari parvum vestra natura circumdedit, bonis vestris absque omni malitia militavit, cum serviret vobis nescientibus periculum gentis, cum futuram pacem disponeret turbatio regionis. Experto credite, quidquid hic nocuit, hic profecit; quidquid tunc flevimus, nunc amamus. Non valentibus ista præscire potest equidem durum videri, vicinam thalamis virginem tædio incumbente præreptam: quæ tamen ambita est ut regina, defuncta est incontaminata. Quanquam revera majorem causam luctus sui reliquisse dixerim, si diem ultimum post recentia vota clausisset. Ibi enim forte potuerit inveniri, ubi mihi post invidiæ nodum, insultationis dentem fixisset æmulus livor. At vero nunc, quæ mens tam barbara non misereatur virginitatem felicitatemque in paterno regioque sinu receptam? Nec mutavit sedem, nec contigit peregrinationem: ubi non diu esse potuit domina, nec breviter exstitit peregrina. Unde cum lætitiam vestram, quasi serenitatem cœli, exspectet universitas, reddite vos gaudiis populorum: quia nunquam respublica orphanitatis incurrit perniciem, quandiu sustentantibus vobis mater Ecclesia non senserit orbitatem.

EPISTOLA VI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] VICTORIO EPISCOPO.

[d] *De hæreticorum oratoriis non recipiendis.*

Petisti, imo potius præcepisti, frater piissime, ut datis ad beatitudinem tuam litteris indicarem utrum hæreticorum oratoria sive basilicæ ad usus possent nostræ religionis aptari, cum conditores earum ad catholicam se legem erroris correctione transtulerunt. Digna profecto res de qua tu consulis, si respondendi idoneum reperisses. Quia jussisti tamen, reserabo in subditis quid consequens putem: ea scilicet definitione, ut locum succensendi aliis non reservem, si modo id quod statuendum crediderunt, vel ratione perspicua vel prolata de canonicis voluminibus auctoritate confirment. Istud quod de oratoriis vel basiliculis privatis interrogasti, perinde ut de ecclesiis eorum, difficile definitur. Hoc namque suadendum est catholicis regibus, quod de subjectis eorum fuerit constitutum. Unde primum, quæso, si a principe regionis nostræ cujus nobis Deus præstitit in vera religione consensum, sortis suæ antistites consulantur, utrum respondere possimus, fabricas a patre suo hæreticis institutas catholicis debere partibus applicari. Quod si aut nos suademus, aut consentiat, persecutionem in se commotam hæretici non immerito causabuntur, cum catholicam mansuetudinem calumnias hæreticorum atque gentilium plus deceat sustinere quam facere. Quid enim tam durum, quam si illi qui aperta perversitate pereunt, de confessione sibi aut martyrio blandiantur? Et quia post nos, nostrique regis, Deus tribuat, felicissimum longævitatem, siquidem nihil de processu temporum immutabili credi debet, poterit forsitan hæreticus quicunque regnare, et quidquid persecutionis Ecclesiis personisque commoverit, non sectæ suæ studio, sed ex vicissitudinis retributione fecisse dicetur, et nobis etiam post mortem gravandis ad peccatum reputabi-

[a] Consolatoria in obitu filiæ, quæ regi desponsa, et regina mox futura, paternis in ædibus decesserat ante nuptias. Quod vero illi vel sponso nomen fuerit, non explicat.

[b] Funera flevisse ait, quorum auctor ipse fuerat. Ex tribus enim fratribus, duos Gundobadus principio regni sustulit, Chilpericum Clotildis nostræ patrem, et Godomarum: cum tertio Godegisilo regnum partitus, complures annos cum eo regnavit. Tandem et hunc quoque injuria lacessitus interfecit, solusque deinceps integro regno per sedecim annos potitus est, usque ad Petri consulatum, sub quo defunctum Gundobadum notat Chronicum Marii, hoc est anno Christi 516.

[c] Gratianopolitano. Hunc enim esse arbitror qui cum Avito ipso interfuit et subscripsit concilio Epaonensi, atque in vulgatis editionibus conciliorum Victurius, in codice autem Lugdunensi Victorius appellatur, ut hoc loco.

[d] Qui hanc epistolam contulerit cum canone 33, concilii Epaonensis, *De basilicis hæreticorum*, facile animadvertet, canonem non solum ex mente Aviti, qui præerat concilio, sed ipsius quoque verbis conceptum atque expressum. Sic enim se habet: *Basilicas hæreticorum quas tanta exsecratione habemus exosas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus.* Diversa paucis ante annis fuerat sententia concilii primi Aurelianensis, cui basilicas Gothorum recipi, et simili quo nostræ innovari solent placuit ordine consecrari. Quod ubique gentium in more usuque jam olim fuisse, tum Græcæ, cum Latinæ passim historiæ declarant.

tur, quidquid fuerit perpessa posteritas. Et forsitan adjiciet divina miseratio, ut proles principis de quo loquimur, per receptam fidei plenitudinem catholicum sequatur auctorem. Quid tamen, si nunc quisquam de vicinis regibus legis alienæ ulcisci in regione sua similiter velit, quod hic sacerdotibus suis doluerit irrogari? At si quis hujusmodi me deridens in hæc verba prorumpat, utar gloria temporis mei, prospiciat statui suo subsequens ætas. Sed qui talia secum tractat, paulisper mihi redhibeat quam postulo rationem, utrum hæretici a nobis cum veritate recipi debeant, recipiantur : lucidissima salus est, quia sicut scriptum est : *Credidi propter quod locutus sum* (*Psal.* xcv, 1). Præcedit fides locutionem, et sequitur confessio credulitatem ; et per impositionem manus sacerdotalis fit pravitatis amissio, fidei redditur plenitudo. Res autem insensibilis quæ primum innovata polluitur, ignorare me fateor qua deinceps sanctificatione purgetur. Dico certe, si potest pollutum ab hæreticis altare sacrari, posse et panem qui super illum positus est, ad sacrificia nostra transferri. Idem primitus hæreticus conditor fecit. Transit ad repromissionem divinam : libertate gaudens dimittat Ægyptum. Ad fidem rectam felici mutatione transmigrans, reliquit potius maculam quam attrahat : cum aliquid non legitimum impurgabili errori, gravant magis polluta contactum quam capiant a tangente remedium. Unde et in Aggæo propheta : *Hæc dicit Dominus exercituum, interroga sacerdotes legis dicens : Si sustulerit homo carnem sanctificatam, et tetigerit de summitate ejus panem, aut quodcunque aliquid, nunquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes dixerunt*, *Non. Et dixit Aggæus : Si tetigerit pollutus ex omnibus his*, *nunquid contaminabitur?* id est, ille panis qui dudum sanctus exstiterat : *Et dixerunt sacerdotes, Contaminabitur* (*Agg.* II, 12). Quapropter conjiciendum est, si potest ille panis in his altaribus consecrari, quem si consecratus panis tetigerit, redditur inquinatus. Malachias quoque propheta sic dicit : *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum*, *nonne malum est* (*Malach.* I, 8)? Et paulo post : *Maledictus*, inquit, *dolosus*, *qui habet in grege suo masculum*, *et votum faciens immolat debile Domino* (*Ibid.*, 14). Quid hoc judicio sincerius? quid tali auctoritate manifestius? Fabrica quam iterata cupis innovatione præsumere, si sana est, quid benedicitur? si languida, cur offertur? Quantumcunque munera a malis oblata in bonum trahere concupiscas, sequi te ad sanctitatem clauda non poterunt. Dicit Apostolus, suscepisse *viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI, 2), id est Ecclesiam. Ecclesia porro quæ hæreticorum fuit, etsi licet meliori nubere, non erat virgo. Cur ergo appetat sacerdos illicitam, qui prorsus a contactu repudiatæ ac viduæ prohibetur? Post incesti nexum sera conjunctio est. *Qui sociatur*, inquit, *meretrici*, *unum corpus efficitur : nec tollam membra Christi*, *et faciam membra meretricis* (*I Cor.* VI, 15). Vide si possit junctis sibi Christi membris meretrix redintegrari,

A in cujus corpus unita Christi, id est Christiani, per pollutionem membra vertuntur. Unde et alio loco Apostolus dicit (*Ephes.* V, 27), talem se Ecclesiam velle, quæ non habeat maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi. Nunquid ullo pacto poterit istud de hæreticorum fabricis dici? Benedictio quæ rebus sensu carentibus ac pollutis impenditur, nec purgat maculam, nec explicat rugam. Imo magis, si paulo attentius intuemur, caret macula quod symbolum est novitate rugosum. Porro quod iteratione duplicatum est, ruga tegitur : talem nequaquam sancta sinceritas, et Adam veterem exuens, novo quod offertur homini comparetur. Quam novitatem nobis auctoritas Testamenti Novi Evangeliorum voce commendat (*Matth.* XIX, 30). Unde etiam ipse sibi Dominus

B sterni pullum præcepit, cui ante ipsum nullus insederat (*Marc.* XI, 2) : quem totius sæcularis usus expertem, feliciter redderent non imposita flagella subditum, sed exordia sancta mansuetum. Et ut ipsum quoque dominicæ mortis mysterium novitatis honore non careat, in monumento novo quod in petra excisum est, redemptricem nostram dominicam carnem legimus quievisse (*Luc.* XXVII, 60). Quis ergo mihi persuadere conetur, post errores funerum sepulcrum posse mundari? Quamvis putredinis humore siccato, consumptis jam carnibus, albis tumulis attollantur, remanet immunditia recordatione, etiamsi abesse putetur aspectu. Expulisti quidem morticinum dogmatis alieni, et fortitudinem ejus emortuam de sepulcro suo quasi ossa honore carentia projecisti. Sed

C puto quod imponi in fetores sacri corporis membra non debeant. Et dices forsitan hæreticos, si eis potestas detur, altaria nostra temerare. Verum est, nec refello. Sæviunt quidem cum possunt fœdis unguibus alienarum ædium pervasores. Sed vim intendere, loca pervadere, altaria commutare, non pertinet ad columbam. Specialius ergo fugiendum, quod licere sibi hæreticus putat. Ab exemplo magis vitare convenit quod hostis amplectitur. Nec mirum est si dedicationes geminare audeant, qui baptismata confrequentant. Quod circa non quid statuam, sed quid optem breviter indicavi. Hæretici cultus loca pervadi nollem, cuperem prætermitti in morem ergastulorum. Semper optandum est, non ut mutata transeant, sed infrequentata torpescant. Salubri populorum corre-

D ctione desertis maneat æterna viduitas : nec unquam recipiatur a nostris, quod conversionis studio repudiatur a propriis. De ministeriis hæreticorum quæ illis sacra, nobis exsecrabilia judicantur, id est patenis paterisque, quia quid censeam perinde rescribere me jussisti, validæ quidem observationis exemplum est, quod legitur in Heptatycho (*Num.* XVI), de thuribulis peccatorum, qui ignem illicitum præsumentes, incendio temporalis gehennæ æternam signante consumpti sunt. Jacebant namque cineri prunisque permixta, ad mortuorum judicium terroremque viventium, vasa quæ diximus, et odoribus thuris assueta, abominabilem immunditiam perversi usus fetore contraxerant. Tunc duci legifero consulenti præcep-

tum est sermone divino, ut hæc infusa fornacibus, et distenta per laminas, sacro altari affigeret. Vides ergo, quod illic pariter erudimur, usum exsecrabilem metallorum, ad bonum, si ignibus careat, non posse transferri. Adeo ad catholicam comparationem hoc præstat metallis ignis, quod sensibus fides. Unde et in psalmo Propheta sic orat: *Ure renes meos et cor meum* (*Psal.* xxv, 3). Reprehendat certe quispiam, pro sensus sui discretione, quod sentio. Fateor ministeriis illis minime delectari, quæ superioris Galliæ partibus ad ecclesias legis nostræ captiva venerunt: quæque nil voluntarium, nil innocens præferentia, si dolentibus rapiantur, offerentibus prodesse non poterunt. Cur mihi dicat victor, quod altaribus tuis exhibeo, quoquelibet ordine meo factum, si jubetur: *Honora Dominum de tuis justis laboribus* (*Prov.* i, 9)? Parum est de laboribus, nisi de tuis; parum est de tuis, nisi de justis. Nunquam oblata pronuntiem, quæ antequam offerrentur, ablata sunt. Sed talia semper munera gratulor sanctis altaribus superponi, qualiter religiose si non solum proprie, quia eis sua videtur ubicunque catholica est. Cur de thesauris suis lectissima quæque producens, haud omni impendio curat, ut in his quæ ad sanctum ministerium pertinebunt, non magis pretiositas possit placere quam novitas? Orate quod restat, ut longo tempore post votorum opes sibi a Deo creditas, non in secretis molibus, sed in publicis muneribus possessuras, cum populo sibi subdito gaudens usibus sacris semper habeat quod donabit.

EPISTOLA VII.

AVITUS VIENNENSIS [a] EPISCOPUS PAPÆ CONSTANTINOPOLITANO.

Dum domnus meus, filius vester, patricius [b] Sigismundus gloriosissimum principem officio legationis expetiit, nobis quoque deferendi ad vos famulatus A aditum dupliciter sancta opportunitate prospexit. Cum enim, ut præcipuum sacerdotem, justo vos desiderio sitiremus, adjecit vir illustris Laurentius honorem vestri animis nostris, indicans apicibus suis omne nubilum quod quietem Orientalium populorum ambiguo caligante fuscaverat, redintegratæ pacis serenitate detersum: et eam cum Romano antistite vos habere concordiam, quam velut geminos apostolorum principes mundo assignare conveniat. Quis enim, qui vel catholicus dici potest, de tantarum ac talium Ecclesiarum pace non gaudeat, quas velut in cœlo positum religionis signum pro gemino sidere mundus exspectat? Quis non merito delectetur infirmantium reditu, incolumium statu, cum aliis ovibus intra claustra salvatis, illa quæ vitio errantis arbitrii fuerat B evagata, cœlestibus caulis lætitia plaudente revocatur? Custodite igitur, quasi patres, traditam vobis etiam super nos Ecclesiæ disciplinam. Concordiæ vestræ tantum opus est magisterio, quantum et exemplo. Quam caritatem populis suadebimus, si hanc in nostris rectoribus nesciamus? quid in corpore firmum videri poterit, quid nutat in vertice mancum? Ergo piam redeuntibus date, ne quis intentione pereat, prædicationem. Prospicite ne speculata signa tam fera bestia populetur, si ab unitate sensus vestri Roma dissultet. Memores vero nostri, quia si super dissensionem vestram sol occidat, damnum orientis est, prosperrimum quem supra dixi nuntium per fidelissimum virum ad notitiam nostram firmate rescripto: ut exspectans occidentalis C Ecclesia in sermonibus vestris donum cœlestis oraculi, quod se lætatur accepisse per condiscipulum, multiplicari sibi gaudeat per magistrum.

EPISTOLA VIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] EUSTORGIO EPISCOPO.

Adventu præsentium portitorum ecce jam secundo

[a] Joanni Cappadoci patriarchæ, qui relato in diptycha concilio Chalcedonensi, expunctoque ex iisdem nomine Acacii, longum dissidium quod Orientales ab Ecclesia Romana sejunxerat, redintegrata pace et concordia terminavit. Exstat Joannis ipsius ad Hormisdam papam epistola, rei gestæ tempus subscriptione sua denotans, *data mense Martio, die* xxviii, *indict.* xii, *consulibus domno Justino imp. Augusto et Eutharico V. C. æra* dlvii, id est anno Christi 519. Cedrenus anno primo Justini, Ἐπισκόπων δὲ ἀπὸ Ῥώμης ἐλθόντων δι' Ὁρμίσδου ἐπισκόπου Ῥώμης, τῇ Βιταλιανοῦ σπουδῇ, ἔτι ζῶντος Ἰωάννου τοῦ Καππαδόκου ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι τετάρτην συνόδον πρὸς ταῖς ἄλλαις τρισὶ συνόδοις τοῖς διπτύχοις συνέταξε. *Cumque Roma venissent episcopi ab Hormisda Romano episcopo missi Vitaliani studio, cum adhuc viveret Joannes Cappadox episcopus Constantinopolis, quartam sacram synodum Chalcedonensem ad tres alias in diptychis adscripsit.* Liquet ergo, quemnam principem hoc loco intelligat, quem Rom. antistitem, quem denique papam Constantinopolitanum.

[b] Rex Burgundionum qui Gundobabo patri quarto abhinc anno successerat. Solebant his sæculis imperatores Romanarum dignitatum titulos exterarum gentium regibus honoris causa impertiri. Unde et Theodericum regem Gothorum et alios, magistros militum sæpe appellatos legimus; atque, ut hoc loco patriciatum Sigismundo delatum intelligimus, et patricium Theodericum eumdem a Zenone creatum proditum est, sic ad Clodoveum regem Francorum, post victoriam Gothicam, codicillos de consulatu ab Anastasio missos testatur Gregorius Turon. lib. ii, cap. 38.

[c] Mediolanensi, ut docet epistola Theoderici regis, quæ est nona lib. i Variarum apud Cassiodorum, et lib. ii, epistola 29, ad Adelam comitem, his verbis: *Beatissimi viri Eustorgii episcopi sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ petitione permoti, præsentibus te affatibus admonemus, ut prædiis vel hominibus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutis tuitionem studeas,* D *salva civilitate, præstare.* De hoc Ennodii quoque interpretati sumus epigramma 149 de fonte baptisterii S. Stephani, et aqua quæ per columnas venit.

En sine nube pluit sub tectis imbre sereno,
Et cœli facies pura ministrat aquas.
Proflua marmoribus decurrunt flumina sacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et rursus natis unda superna venit.
Sancta per æthereos emanat lympha recessus,
Eustorgi vatis ducta ministerio.

Id est, episcopi. Græcum ortu sunt qui Eustorgium faciant ex nominis conjectura. Quod vero addunt Joannis Damasceni discipulum fuisse, absurdum est, cum tempora discrepent.

a te desiderandi reverendique affatus vestri dona venerunt; quæ tamen plus fierent prosperitate secunda, si fierent numerositate copiosa. Revera duplex in litteris vestris materia gratulationis accessit. Primum quod salvam mihi gratiam, sic etiam in vestro, sicut in vestrorum exstitit animo decessorum, hæreditario monstratis affectu. Deinde quod in eo me famulari negotio præcepistis, quo, dum tuendæ vel [a] reparandæ libertatis curam geritis, etiam me non indignum tali ministerio censuistis. Impletum est igitur beatitudinis vestræ sanctum ac spiritale præceptum. Cumulastis oratione mercedem : interventu vestro pretiosius factum est pretium quod misistis. Victa est per reverentiam vestri in rigore barbarico humilitate immanitas, intercessione crudelitas, illatione cupiditas. Conjicimus qualiter illic prædicationibus duriores animos edomatis, cum interveniendi viribus absentia vobis saxa sic frangitis. Visitatur opere vestro nostrarum ærumna regionum; et emanans ex largiendi thesauro irrigui fontis ubertas, cum Italiam rigaverit, aspergit et Galliam. Quapropter depenso salutationis honorificæ famulatu, me vestro intercessui vel favori votis præfusa supplicatione insinuo : optans licet in cunctis, mihi tamen specialibus causis litteras; in quibus sic vobis per misericordiam competat, ut etiam me per obedientiam vestrorum operum fructus attingat.

EPISTOLA IX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] CÆSARIO EPISCOPO.

Licet ipsa sese venerandi portitoris persona animis fraternæ caritatis insinuet, sanctus tamen Maximianus [c] antistes hanc peculiarius ad vos officii mei paginam petiit destinari; per quam me potius ab illo, quam illum a me commendari debere manifestum est. Et quia jubere dignatus est ut necessitates suas sermone meo panderem, nihil dicendum de peregrinationis labore suscepi; quia quantalibet vel temporum longitudine, vel itineris vastitate, genitalis patriæ linquat habitaculum, peregrinus sacerdos dici non potest, ubi catholica reperiri Ecclesia potest. Quanquam nec illa vobis regionis suæ subversio quasi incognita exaggerari debeat; cum pietatem vestram, quærentem ubique misericordiæ aditus, non lateat ubi est miseriæ locus. Principalis tamen ei, quantum

A dignatur asserere causa veniendi est, ut peritiorem medicum quocunque perquirat, qui imbecillitati corporeorum luminum cujuscunque remedii arte succurrat. Quanquam religiosæ mentis intuitus, contemplandis magis spiritalibus occupatus, nec nimium exterioris hominis cæcitate perterritus, eo temperamento hanc, quantum comperi, curam requirat, ut amatoribus potius suis satisfacere in hujus studii necessitate contendat. Simul et ne videatur, per neglectæ sanitatis culpam, facultas in eo sacerdotalis officii reprehensibiliter minorata. Spem vero recipiendi obtutus, quantum arbitror, et ab exemplo requirit : quod scilicet Tobiam nostrum (*Tob.* XI, 13-15) caligantem quidem terrestribus, sed quæ mundo erant invisibilia contuentem, attentum æternæ luci, et jam pene

B dici mortalis immemorem, latens in angelo medicina reduxerit per collyrium fellis ad dulcedinem sanitatis. Quocirca suscipite fratrem sinceritate solita reverentia digna : et si quid consolationis sancto debetur, impendite. Implebitur autem commune desiderium, si etiam qualiscunque infirmitati medela provenerit. Quod certe si minus, saltem incorruptibilem vultum pietatis alternæ, nulli obnoxius cæcitati sacerdotalis conscientiæ oculus recognoscat.

EPISTOLA X.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [d] MAGNO EPISCOPO.

Licet nulla quibus ad præsumendum hoc ipsum officium provocaret, vestri apostolatus scripta promeruero, offerre me tamen paginam debiti famulatus, cum compellatione non jusseritis, opinione compelli-

C tis. Siquidem ad occurrendum animis vestris, si non meremur aspectibus, fama trahimur, etiam dum absentia cohibemur. His additur, quod ita ærumnas infelicium Gallorum consolatione consilii et largitate palpatis, ut sub specie ejus quam comperi misericordiæ, ad agnoscendam suorum necessitatem in Italiam festinantes, post longam peregrinationem, cum duce Christo vestram meruerint videre personam, merito propriam credant intrare se patriam. Commendo quod superest regionis nostræ presbyterum, præsentis scilicet obsequii portitorem. Qui licet pro redimenda cujusdam propinqui sui filia laborem fatigationis aggressus sit, a quodam tamen nobili viro provinciali cum mea prosecutione directus est, ut præfati filium a [e] comite Betanco, nomine Avulum,

[a] Referenda hæc videntur ad reliquias captivorum, quos Gundobadus bello Ligustico ex Italia in Galliam abduxerat, ad quos redimendos missi a Theoderico rege Epiphanius Ticinensis, et Victor Taurinas legationem obierant; quam Ennodius in Epiphanii Vita describit.

[b] Arelatensi, de quo ad ea quæ alias notavimus ad Ennodium, præclarum addi potest elogium Floriani monachi in epistola ad Nicetium Trevirensem. *Sed et coronæ vestræ socium*, inquit, *beatæ memoriæ dominum Cæsarium Arelatensem episcopum, qui vixit inter barbaros pius, inter bella pacatus, pater orphanorum, pastor egentium, qui tanti census effusione nil perdidit, catholicæ regulam disciplinæ dictis factisque demonstrans.* De hujus quoque in pascendis captivis alacritate ac fiducia in Deum, navibusque tritico ple-

D nis a Gundobado et Sigismundo regibus Burgundionum opportune, cum panes deessent, ad illum missis, narrat Messianus presbyter in libro II Vitæ S. Cæsarii.

[c] Cujus sedis episcopus fuerit non liquet. Fuit quidem per hæc tempora Maximianus Perusinus antistes, cujus nomen legitur in synodis Romanis Symmachi papæ. Verum an in eum convenire possint quæ de Maximiano episcopo, ejusque patria, et oculorum incommodo hic dicuntur, ambiguum est.

[d] Mediolanensi, Eustorgii, de quo proxime dictum, successori, Datiique decessori. Nam quod Datium nonnulli, dum Mediolanenses episcopos recensent, Magno præponunt, ordo est præposterus, qui ex hac ipsa epistola revincitur.

[e] Theoderici regis Italiæ. Avulos vero, sive Avolos, præter hunc, nobilis, ut ait, viri provincialis filium, alios eodem sæculo habuit eadem provincia, ut

ante hos circiter quatuor annos pro pignore obsidatus assumptum, sub auxilio vestræ intercessionis requirat ac revocet. Quod superest obsecro, ut dignabili beatitudinis vestræ rescripto, et illic exsultantibus ingenuitatis statum reparabilem, et hic desiderantibus scribendi aditum doceatis esse communem.

EPISTOLA XI.

APOLLINARIS [a] EPISCOPUS AVITO VIENNENSI EPISCOPO GERMANO.

Satis licet jam pœnarum dederit sera pœnitudo, tamen ad diem festum ante alios nobis colendum, ne vicario quidem famulatu adesse merui. Qui devotionem non ostendi, vel satisfactionem deferre curavi. Ad quod vere ut confido ipso sum, beate et reverentissime domine, spiritu visitante commonitus. Nam B in ipsa sancta nocte, in visione nescio quid manibus meis hæserat, quod consedens juxta me fulgentissima, sed inusitato colore rubea columba vellebat. Cumque expergefactus, quotidianum quidem manuum mearum horrorem recognoscerem, sed purgari me immerito nihilominus meminissem, dum ipsum ambiguum mœstus mecum atque anxius volvo, repente quasi stimulo percussus, illico sum reliquati fenoris recordatus. Jam quæ me hinc confusio, quæve presserit amaritudo, pietas sancta perpendit. Aliquatenus tamen hac spe solatus sum, quod ignoscat quæ commonere dignata est, ut miserto mihi non omnis sancti obsequii opportunitas fraudaretur. Unum tantum mixta debitis commemorationis ejus officiis supplicatio deposcit, ut hanc quoque indulgentiæ suæ partem sensibus vestræ, quæ in me plus jam justa est, imputationis inspiret.

EPISTOLA XII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS APOLLINARI EPISCOPO.

Apparet liquido quanta sit in vestro merito gratia Dei, [aut quantus conjici debeat virtutum cumulus, ubi error ipse tam sanctus est. Nam dum justus accusator sui conatur in se convincere quod peccare non potuit, confitentis humilitas crescit ad meritum, non confessionis veritas ad reatum. Excessisti fateor consuetudinem: sed pietatis augmento semper diei hujus meminisse dignamini. Dulcis a vobis venit sollicitudo; sed non incomparabiliter prævenit oblivio. Minus enim procul dubio salva observatione apparet effectus: sed ostendistis quanta spiritalitate D vos exercere delectet, quod præterisse sic doluit. Vere secura est dignitatem delicti vestri sancta re-

A velatio: et tale repertum est in dormiente supplicium, quale fuerat in vigilante peccatum. Ecce veritatem dico in Christo, non mentior, cum parturientibus lacrymas oculis legissem somnium quod vidistis, omnis mentem meam subiit necessitudinis recordatio præmissarum, quibus per visitationem vestram honorem dependere nos admonitos intellexi. Porro autem de ipsa revelatione quid senserim, in simplicitate depromo. Sic ergo inquis: Nam in ipsa nocte sancta in qua scilicet germanæ communis depositio celebrabatur, nescio quid manibus meis hæserat, quod consedens juxta me fulgentissima, sed inusitato colore rubea columba vellebat. At vero, cum juxta te pietas tua, nec longe avolans, celeri recordatione consedit, debitum quod sanctissime tu, piissime propinquorum, tu, inquam, merito hæc columba sentires, fulgentissima, cum simplicitate sic luceas, inusitato colore rubrata, cum innocens singulariter quasi propriis compuncta stimulis erubescas. Ampliastis ergo quidem, ut supra dictum est, fenus assuetum: nec illud tamen consuetudini defuit quod putastis. Nam nocti ipsi quam vos excitante Christo non licuit oblivisci, adhuc de abundantia superioris anni vestra nihilominus luxit oblatio. Sic ex quodam supernæ benedictionis irriguo, quod impenditis annis singulis, sufficit multis. Deum quæso ut hoc etiam mihi pietas vestra quandoque dependat.

EPISTOLA XIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] CONTUMELIOSO EPISCOPO.

C Quantum, vobis apud Deum suffragantibus, qualiscunque voti mei dies propinquantur, tantum animi mei desiderium pudorque decertant. Benedictionem quippe flagito operi imperfecto. Esset quantulacunque excusatio, si in eo inertiæ meæ noxam velaret ac tegeret magnitudo. Nunc vero exiguo pariter atque impolito quid potest esse deformius? Unum igitur est, quod trepidantem animum audaci solatur hortatu, vestro scilicet, si nos Deus exaudire dignatur, adventu cuncta in melius esse vertenda. Neque enim est quod non possitis aut orando componere, aut perorando excusare. Tantum sicut de compertæ pietatis voto certi sumus, ita prævio præstolatæ visitationis nuntio gaudeamus.

EPISTOLA XIV.

VICTURIUS [c] EPISCOPUS AVITO EPISCOPO.

Ad separandum a tritico lolium in area Domini

Avulum Segestericensem episcopum, et Avolum Aquarum Sextiarum, quorum ille in synodo IV Aurelianensi subscribit, hic in quinta.

[a] Valentinæ sedis antistes, Avito fratre natu major, de quo Agobardus ad Ludovicum imp. de Judaicis superstitionibus: *Sanctus Apollinaris episcopus Ecclesiæ Valentinæ, quantus fuerit et sit, non solum gesta de eo scripta, sed et crebra ejus miracula usque hodie sublimiter testantur.* Epistolæ utriusque idem est argumentum. Somnium nempe Apollinaris, quod ea illi nocte oblatum est, qua defunctæ sororis anniversarium Viennæ ipso absente celebrabatur.

[b] Reiorum in provincia II, ut docent subscriptiones synodi Arelatensis IV, Carpentoratensis et Vasensis II. Doctrina excultum hominem fuisse argumento est, quod Avitus hunc inter librorum suorum censores et arbitros delegerit. Mores autem illaudatos probavit, tum Cæsarii ejusque synodi, tum sedis apostolicæ judicium, cujus sententia Contumeliosus episcopatu ob flagitium dejectus, atque in monasterium retrusus est, ut in primo tomo conciliorum Galliæ videre est.

[c] Gratianopolitanus. Nec enim dubito quin is sit qui in epistola 6 dictus est Victorius, atque ita quoque nominatur in epistola 16 et in aliis. Ilic ergo Avito Viennensi, tanquam suffraganeo provinciæ

ordinationis vestræ ventilabra poscenda sunt: quia ille qui vobis constituit tenere loci principis principatum, nos voluit exsequi quod præceperitis in opere, quod autem operandum est vos jubere. Quidam enim civium, ut nunc delatum est, ante quamplures annos sorori se defunctæ conjugis in matrimonio se sociavit, quod ego nunc sub multorum præsentia aditus audivi. Accusator tanti criminis, non occulta susurratione atrocis facti disseruit qualitatem, sed ipso coram qui gessit ista proposuit. Quique eodem quo illicita præsumpsit ausu, qui studio a vobis dispensantibus miserabilis propemodum non negavit. Proinde qua sit abstinendus conditione præcipite: sive ut pariter lugeant, vel si est indicenda sequestratio, vel qui modus pœnitentiæ, edocete. Nam non est, ut puto, minus in conjugio germanam conjugis, quam uxorem fratris asciri. Vos tamen, ut suggessi, statuite quod videtur: quia præter ordinationem vestram, de tali causa quid pronuntiari conveniat vix decerno. Communioni nempe eum trepide subtraho, vel permitto, nisi auctoritate vestra roboratus exstitero.

EPISTOLA XV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VICTURIO EPISCOPO.

Probatæ summæque pietatis est, ut de causis ad pontificium vestrum pertinentibus meum quoque consilium consulendum esse ducatis. Quod facere vos non, ut dixistis, ambiguitatis animo, sed dilectionis ostenditis. Quapropter contra culpam quam litteris indicastis, arbitror merito vos moveri. Quis enim vel laicus non advertat, non sine grandi macula fieri de affinitatis propinquitate conjugium? Unde licet sollicitudini vestræ justissimus dolor de necessitate ipsius districtionis incumbat, salubriter tamen exasperatur in temporaneis, quem salvari cupimus in æternis. [a] Oportet ergo hominem maritum duarum scilicet germanarum, non irrevocabili anathemate percuti, sed propositis observationibus, interim ab Ecclesia sequestrari. Et quia indicatis, laboriosum ipsum ante multos jam annos illicitam secundæ uxoris copulam fuisse sortitum, sufficiat impune bacchatum longo tempore crimen incesti. Nihil hic quasi

A timore divortii dubitetis, sed merito censetur separatio legitima, ubi exstitit conjunctio criminosa. Utrique si videtur ergo, dum in tam infelici obstinatione persistunt, notam excommunicationis indicite, donec a consortio criminali publica pœnitentiæ professione dissuescant: et tum, miserantibus vobis, ad timoris et correctionis exemplum, gratiam reconciliationis accipiant. Ego certe sinceritati vestræ quod rationabile credidi, quia tanti habuistis jubere, suggessi. [b] Auctoritatis vestræ est, errantium compunctione perspecta, severitatis ordinem temperare. Quos tamen æstimo, si veraciter compunguntur, supra scriptis conditionibus parituros.

EPISTOLA XVI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VICTORIO EPISCOPO.

B Cautelæ et caritati satisfacitis, dum me aliquid interrogando, non minus onerare quam honorare dignamini. Sed cum noveretis recte vos, si non de peritia mea, saltem de amicitia judicare: nec aliquid vobis unquam responsione mea suggeri, nisi quod volo a Viennensi Ecclesia custodiri. Secutus est ergo, ut indicastis, filium nostrum diaconum Vincomalus: quem Deus tribuat ut in bono vincatis malum. Vidi hominem nimie crudum cujus miseriis constat vix quemquam posse misereri. Juvenis virtute, senex fide, ævo friget, adulterio calet. Quid multis? optandum est ut per voluntatem disparabilem, non quam libet perire, tam liceat. Nam cum adhortatorie plus quam aspere, pro incesti facinore culparetur, severitatem nostram sola præscriptione tarditatis accu-
C sans, sero nos illicitæ jurgationis tricennale consortium damnasse causatus est. Ad hunc locum cessi, fateor, impudenti: quod scilicet sui dilectione sententiam differentes, maluissemus correctionem viri compunctioni ipsius voluntatique servare: ac perinde justum esse, ut post spatia tot annorum vel criminalia restringeret, qui refrenare jam longævitatis accessu etiam legitima debuisset. Ad hæc, ut sentire me credidi, non compunctus, sed confusus ingemuit, promittere aliquantisper aggressus, mulierem cohabitationis indignæ ab accessu aspectuque suo protinus coercendam. Suasi respondens

suæ antistiti respondet, quid de illo statuendum qui defunctæ uxoris sororem sibi in matrimonio sociarat. Civis hic erat Gratianopolitanus, ut patet ex epist. 14, Vincomalus nomine, ut est in 16. Par porro eodem tempore eodemque in regno Burgundionum, incestus fuit Stephani, ex officio Sigismundi regis fisco præpositi, qui Palladiam defunctæ itidem conjugis sororem sibi copularat. Qua de re in concilio Lugdunensi I et in Vita sancti Apollinaris Valentinæ sedis episcopi.

[a] Græcorum olim Latinorumque in coercendis incestis par disciplina. De duarum enim sororum maritis Græcorum morem qui legis vim obtinebat, exponit S. Basilius epistola 197 ad Diodorum, Ἐάν τις πάθει ἀκαθαρσίας ποτὲ κρατηθεὶς ἐκπέσῃ πρὸς δυοῖν ἀδελφοῖν ἄθεσμον κοινωνίαν, μήτε γάμον ἡγεῖσθαι τοῦτο, μήθ' ὅλως εἰς ἐκκλησιαστικὸν πλήρωμα παραδέχεσθαι, πρότερον ἢ διαλῦσαι ἀπ' ἀλλήλων. *Si quis affectu immunditiæ correptus, in illicitam duarum sororum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium esse censendum, neque talem ad ecclesiasticum cœtum admittendum, prius quam ab invicem dirimantur.* Apud
D Latinos vero qui mos fuerit, multorum instar, quia omnes consentiunt, canon est 30 concilii Epaonensis: *Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint.* Inter incestos autem numerat, *Si quis germanam uxoris suæ acceperit.* Avitus ergo in hoc genere quatuor distinguit, excommunicationem, separationem, pœnitentiam publicam et reconciliationem: ita ut excommunicationis nota inurantur donec segregentur, et segregati pœnitentiam agant, ut reconciliationis gratiam accipiant.

[b] In potestate enim et arbitrio est episcopi, erga pœnitentes, perspecta eorum compunctione, humanius atque indulgentius agere, et severitatis ordinem temperare, ita ut maturius illos ad communionem recipiant. Synodi Ancyranæ canone 2, et concilii Arelatensis II, canone 10. At contra, negligentiores pœnitentes tardius reconciliandos sancit Carthaginiense IV, canone 75.

ut vobis ista promitteret, et facti pœnitens eo se solvi quo ligatus fuerat postularet. Tamen, quia jussistis ut quidquid sensui meo videatur aperiam, [a] sufficiat censuræ vestræ separatio personarum: scindatur infelix conjugium innocentiore divortio: sufficiat districtionis fructui terminus mali. Nec sane promissio ejus fidelis putetur, cujus vita exstitit infidelis. Ipsis fidejussoribus emendatio secutura credatur, quibus intercedentibus prior culpa laxabitur. De cætero autem, quod ad pœnitentiam exspectat, moneatur interim agere, accipere non cogatur. Sufficiunt infelici crimina sua; nec ingeratur laborioso cum respuit, quod tam instabili animo vix committi debuerat si petiisset. Cesset a fragilitate perfidia; nec subeat in carnalitatis cumulum rebellionis augmentum. Si jubetis, breviter ad ultimum suggero. Excussus ab scelere, suscipiatur ad veniam; patiatur pœnitentiam, cum perdit peccandi occasionem: profiteatur, cum amiserit voluntatem.

EPISTOLA XVII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] VIVENTIOLO PRESBYTERO.

Dupliciter pietatis plenum est quod fecistis, dum veniendo Lugdunum, hucque mittendo, studuistis de duobus fratribus illic requirere infirmum, istic visitare sollicitum. Nec a vobis propositum intermissum esse putabitur, cum vos religioso fratri plus in affectu atque honore debentibus spiritalis officii hujus conversus, etiamsi non poposcisset ægrotus: quippe cum sacerdotis germani jure vel adhortationem novitas quæreret, etiamsi consolatione anxietas non egeret. Proinde laborem justa fatigatione susceptum prorsus excusare desistite, ne videamini ad hunc arripiendi vel definiendi ambiguitate peccasse. Jam vero qualiter dignas pro transmisso munere gratias agam, votis me magis sentio, invenire quam litteris. Illud quoque ut de eremo talia proferri posse dicatis, elegantia quadam desideria hominum ad locum vestræ cohabitationis attrahitis. Qui procul dubio, personæ vestræ sollicitudine, institutione, doctrina, etiamsi inventa sit eremus, fieret paradisus. Quapropter pro sella quam transmisistis, cathedræ vicissitudinem imprecans, quæso ut nutantem [c] scholam cari communis Eugendi, et non minimum, quantum ad statum suum attinet, præsule viduatam, spiritali solatio, et sacerdotali magisterio foveatis. Neque illud ab impendenda caritate vos retineat [*Al. lect.* retrahat], quod simplicitatis magis, ut arbitror, quam abusionis animo, minus digne ab eis cura vestræ ordinationis ambitur: ut ad majora, ut præstante Deo cupimus, gubernacula provehendi, et ad duplicanda quinque talenta de duobus additis assurgentes, probati in secundo gradu fideles, et maximus hanc secreti conscientia feratis ad populos, ut quo in aliis fraterna dissensio potuisset eremum facere, in vobis studuerit paterna dilectio monasterium continere.

[d] EPISTOLA XVIII.

* * * * *

Unde, etiamsi pignus reliquiarum sacræ crucis putamus esse vobiscum, a sancto tamen Æliæ urbis antistite hanc specialiter munificentiam credimus expetendam. Qui revera sacramenti istius veram et inviolabilem puritatem loci administratione conservans, sic desiderabili potens est impertire nos dono, ut ab omni cunctationis absolvat ambiguo. Qua de re plurimum pagina famulante deposco, ut ad præfatæ ecclesiæ sacerdotem litteras apostolatus vester tribuat portitori: quatenus gemina nobis veniat benedictione firmamentum, quod ecclesiarum præminentium mundo, vel consulta sedis vestræ auctoritas respondebit, vel humanitas illius obsecrata porrexerit.

EPISTOLA XIX.

DOMNUS [e] GUNDOBADUS REX AVITO VIENNENSI EPISCOPO.

De prophetica lectione sanctitatem vestram censui consulendam, cujus lectionis exemplar subter adjeci. Et ideo utrum jam tempora ista fuerint, an futura sint, scripto vestro declarare dignemini: *Ex Sion procedet lex, et verbum Domini ex Hierusalem; et judicabit inter plebes multas, et redarguet gentes validas usque longe; et concident gladios suos in aratra, et lanceas suas in falces; et jam non extollet gens super gentem gladium, et jam non stabunt belligerare* (*Isai.* II, 3, 4). Et: *Requiescet unusquisque sub vinea sua, et sub ficu sua; et non erit qui in timorem mittat eos* (*III Reg.* III, 21).

EPISTOLA XX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [e] DOMNO GUNDOBADO REGI.

Licet de lectione prophetica scitos magis, inter quos ipse profiteri non audeo, debueritis consulere

[a] Superiorem sententiam suam temperat, et mitius decernit. Duo enim superius exigebat, separationem et publicam pœnitentiam: nunc separatione sola contentus, de pœnitentia suggerit, ut eam agere moneatur, accipere non cogatur.

[b] Qui Lugdunensis postea fuit episcopus, ut docebit epistola 52. Nunc cum Lugdunum ex Jurensi eremo venisset, Apollinaremque Aviti fratrem, novum episcopum ibi ægrotantem visitasset, Avitum quoque ipsum destinato nuntio consolari studuit. Quo nomine gratias illi agit, simulque pro transmissa sella: cujus vice cathedram ipsi, hoc est episcopatum imprecatur, quem Lugduni postea sortitus est.

[c] Quod nunc est monasterium sancti Claudii in Jura monte. Eugendi nomen, quod in codice nostro desiderabatur, supplevimus ex schedis Thuaneis. Quo tempore autem vita functus sit, hæc epistola nos docet. Vacuam ergo et rectore destitutam scholam Eugendi Viventiolo suadet ut capessat, ut in secundo gradu presbyteri probatus, ad majora gubernacula provehatur, hoc est, ad primum gradum episcoporum.

[d] Quam multa hoc loco desint statui non potest. Titulum vero epistolæ conjicio fuisse ad Symmachum papam. Æliæ autem, id est Hierosolymorum, antistitem Heliam intelligi, qui sedem illam tunc regebat. Ad hunc ergo, pro impetrando sanctæ Crucis munere cum scriberet Avitus, Symmachi quoque intercessionem qua voti compos fieret, expetiit. Sed Aviti ad Heliam epistola desideratur.

[e] Solebat Avitus, ut Agobardus testatur, et exemplo manifestum est, cum rege Gundobado frequenter de fide, non solum coram disserere, sed absenti quoque per epistolas respondere.

sacerdotes : opto tamen jussioni vestræ satisfacere A vel obedientia, etsi nequeo respondere doctrina. Ita quod indicari vobis jubetis, etiam textu, ne dicam expositione prolixum est : et majorem disputationis vacationem postulat, quam succincta celeritas rescripti epistolaris admittat. Et idcirco quanta possum brevitate respondeo, quod ex propheta Isaia directæ ad me termino paginæ subdidistis, jam dudum, id est tempore dominicæ incarnationis impletum. Nam cum dicat : *Ex Sion egredietur lex, et verbum Domini ex Hierusalem* (*Isai.* II, 3), tractate diligentius, an quæ adhuc exspectari debeat promulgandæ legis restet auctoritas : [a] certe post Verbum Dei quod caro factum est, ut per nativitatem corporis habitaret in nobis, si adhuc ex Hierusalem aliud verbum sperandum est, istud quod supra diximus unicum non est. B Unde incunctanter in eo quem proposuistis loco sermo patris Christus, et lex Christiana prædicata est. Quia cum duæ leges sint, id est Judaica, quæ præcessit, et nostra, quæ sequitur, et illa vetusta jam etiam prophetarum temporibus diceretur, videtis ab Isaia istam tantummodo nuntiari, quæ vocatione gentium magisterio Christi docentis exorta est. Unde sequitur, *et judicabit inter medium gentium, et increpabit populos multos;* quos ex cunctis cognationibus terræ intra unam Ecclesiam Dominus noster judicando instituit, et arguendo convertit. Quod vero ait, *concident gladios suos in aratra*, *et lanceas suas in falces*, licet possit de corporea ætate Domini in qua per orbem quietum inconcussa pax floruit, aliquantisper intelligi, evidentius hoc tamen Christianis fi- C delibus coaptatur, quorum cum majori numero desit ac defuerit usus, quem in perniciem hominis malitia primæ nativitatis armaverat, ad usus salutis vitalemque culturam nativitas secunda convertat. Nam cum in Evangelio de fine sæculi prædicetur : *Exsurget gens contra gentem, et regnum contra regnum* (*Marc.* XIII, 8) : et ex ipsis malorum indiciis imminere jam pene mundi terminum colligamus, nisi quod supra dixi de catholicis figuraliter accipiatur, nescio ut quid post sæculi finem obtunsa telorum acies in ligones et vomeres commutetur. Illud vero quod imo lectionis jussistis adjungi, id est, *requiescet unusquisque sub vite sua et sub ficu* (*III Reg.* IV, 23), nec esse in eadem lectione, nec ad causam de qua consului- D stis suggero pertinere. Quod tamen temporibus priscis Judæorum populo, meriti alternante distantia, frequenter, aut pro peccati emendatione concessum, aut rursum pro succedentium culparum castigatione sublatum est.

EPISTOLA XXI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] DOMNO SIGISMUNDO.

Quod me de collocutione regali ad notitiam vestram non detulisse culpatis, occursui meo exacta festivitate servaveram : quia revera indicari vobis litterario famulatu cuncta per ordinem, disceptationis prolixitas perplexitasque non patitur. Nam quantum in animis domini mei, patris vestri, sensisse me puto, fervet in ejus studio conflicta otii fronte certamen. Nam quod credebamus animositate deposita, silentio temperante, subitam opportunitatem potius quam quietem requirens, non cessavit præterita induciarum brevitate, sed latuit. Adeo ut nec ipsa contentionis arma quæ quasi jam in nostra regione defecerant, poscantur extrinsecus, vel usque ad reditum legatorum suorum fervor meditationis exspectat. Redeunti igitur mihi de eo quod nostis itinere, nec aliquid interim de hujusmodi propositionibus opinanti, quidquid per implicatissimos quæstionum mendacium nodos longo spatio sagax industria pertuit arare, commotum est. Fervet validus prolixa disputatione tractatus : placidus tamen, nec aliquid a supercilio dominandi turbulentæ commotionis interserens; sed curavit consulte, necessitatis opportunitate provisa et rei, ut quicunque contentionis fuisset eventus, nec superatum pateretur erubescere. Quid multis? sine jactantia vobis libere dico, ad proposita, quantum mihi videtur, quod si audissetis potuit placere suggestum est. Quod sane vereor audientis plus judicio satisfacere quam studio placuisse. Sed cum præsentiam vestram, Deo largiente, meruero, per me seriem totius altercationis exponam. Interim sermonis cursum de fine colligite, et ex eo quod discedenti mihi præcepit, utrum ad responsa motus fuerit æstimate. Jussit namque, ut quodcunque de Scripturis nostris testimonium ad interrogata protuleram, seu si forte occurrisset et aliud, ad singula quæ tempore collocutionis aptaveram, subnotata ei ordinataque transmitterem. Quod cum sibi ex maxima parte pronuntiaret incognitum, adjecit simpliciter sic scriptum misissem [*forte* misisse] sacerdotibus, imo magis seductoribus, ut adhuc verius dicamus sectatoribus suis. Unde conjicere pietas vestra potest, quanquam intento contradictori, tamen arbitro sapienti, non invalida vel absque viribus visa quibus intentionem suorum, etsi non optat corrigi, desiderat fatigari. Ego autem, licet sciens, quantum potestatibus divino quoque jussu, frequenter et regibus, pro veritate non ceditur, utrum parerem diu dubius fluctuavi : sciens, certe hominis animum timens,

[a] Verbum Domini pro Deo Verbo sumit : quæ interpretatio ab Esaiæ sensu hoc loco aliena est, et a Theodoreto nostro refellitur. Λόγον γὰρ ἐνταῦθα οὐ Λόγον Θεὸν καλεῖ, ἀλλὰ τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου διδασκαλίαν. Οὐ γὰρ ὁ Θεὸς Λόγος ἐκ Σιὼν ἐξελήλυθεν, ἀλλ' ἐν τῷ Σιὼν τὴν ἀλήθειαν ἐξεπαίδευσεν. *Sermonem enim hoc loco vocat, non Deum Verbum, sed Dei Verbi doctrinam. Neque enim ex Sion exivit Deus Verbum, sed in Sion veritatem docuit.*

[b] Hic unus est ex illis dialogis et collocutionibus quas cum rege Gundobado frequentatas ab Avito ex Agobardi verbis didicimus. Fiebant hæ porro nunc cum rege ipso, nunc illo præsente cum ejus sacerdotibus Arianis episcopis, ut hoc loco. Qua de re autem instituta fuerit hæc disputatio non significat. Pauca enim de contentionis exitu commemorasse contentus, totius altercationis seriem coram, cum ad Sigismundum venerit, expositurum se promittit.

nunquam me per hæc satisfacturum, nec minus ab A eo cavendum, quam ab hoste, dum adversa acies odia privata publica obsidione circumdat. At quo Deo præstante polletis, fastigio culminis, studio religionis, privilegio auctoritatis, vallatam muris discordiam propulsate; et furentia in castris, velut per campos Æmathiæ, plus quam civilia bella dispergite. Quia cum jam dudum simus pondere duplicato, et clamantum querimonia, et non audientium duritia fatigati; æquum est, si dignamini, vestram quoque severitatem, aut illic castigandis consulere, aut hic erubescentibus condolere.

EPISTOLA XXII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] APOLLINARI ILLUSTRISSIMO.

Fecit pietas vestra rem sollicitam, sollicitudinem B tam porrigendo de nobis, quam de vobis nostram credendo. Nam revera nuntio vestri discessus accepto, in summo metu trepidatione perpendimus: quia nobis diversis nuntiis dicebatur, vos dominorum quibus observatis accitu, cunctos pariter evocatos. Unde faciebat hoc meorum conscientia peccatorum, ut quantum mihi pauciores remanserant, tanto intelligerem remanentibus plus timendum. Sed Deo gratias, qui prospero reditu, in lætitiam vestros, vosque revocavit in patriam. Servet Christus hanc, quod superest, desideriis communibus libertatem, ut nobis et consolari absentiam vestram sit possibile, et ad præsentiam pervenire.

EPISTOLA XXIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] PAPÆ HIEROSOLYMITANO. C

Exercet apostolatus vester concessos a Divinitate primatus, et quod principem locum in universali Ecclesia teneat, non privilegiis solum studet monstrare, sed meritis. Ornat pariter legem nostram cathedra vestra, cathedramque persona. Unde obligatus dignationi vestræ debito largitatis, per ipsum dependo gratiarum voto, per quem ad munera pervenerunt, non quantitatis pretiis, sed salutis præmiis æstimanda. Ditastis namque sanctificationis opibus pauperiem orbis extremi, et obscuritatem solis occidui participato nobiscum fulgidi ortus lumine contigistis. Tersit a provinciis nostris torpentis religionis rubiginem claritas doni: quæ boni semper currentis irriguo, fidem nostram contemplatione munerata est, cum patefactis a pietate vestra penetralibus cœlestium thesaurorum, quidquid catholici credere jubemur inspeximus. Orate quod superest, ut dignis talia miseritis: commendate nos mysteriis, quæ nobis committere duxistis. Ædificetur his devotio nostra, regio defendatur: ut indulto nobis pignore salutari, quos terrestris Hierosolymæ non censuistis indignos, supernæ a cœlestis habitaculo reddatis idoneos.

EPISTOLA XXIV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] STEPHANO EPISCOPO.

Quamlibet attentis culturæ dominicæ famulis, inter assidua plantandi studia, semper etiam quæ succidi expediat oriuntur. Ergo perjugibus sollicitudinis vestræ studiis opportunissimum his operibus acquirendæ salutis fenus accrescit. Sed [d] inter lolium Ariani germinis, numerosa quod pejus est corruptione diffusum, conjicere nequeo, unde sese facies seminis inimici, non quidem nova, sed satis rara, monstraverit, quis transmarina contagia orbi nitido ventus attulerit. Sed Deo gubernante vos, nullo fulta solamine, parum labes ista metuenda est. Non habet de multitudine tempestas profectum, nec tenuis perficit aura naufragium. Quocirca Donatistarum nomen, ne diu in loco vivere possit alieno, benedictione protinus sepelite vitali. In ipso fomitis sui ortu peregrinantis igniculi frigescat incendium. De quo ne vel famæ fumus narem Galliæ innocentis aspergat, [e] manus impositionem personæ de qua scriptis adhi-

[a] Huic jungenda est epist. 44 ad eumdem, ut opinor, Apollinarem Sidonii filium scripta, tametsi vir illustris in ea nuncupetur, in hac illustrissimus. Parebant autem Arverni hoc tempore Wisigothis, eorumque regi Alarico, filio Eurici, cui dediti a Nepote Augusto fuerant ex fœdere. Domini ergo quibus observabant, hoc loco Wisigothi, pro quibus et in pugna Vocladensi, cum a Clodoveo cæsus est Alaricus, dimicasse cum Arvernis suis ducem Apollinarem, testis est Gregorius Turonensis.

[b] Heliæ, qui Æliæ urbis antistes dictus in epistola 18. Gratias huic agit pro accepto munere quod superioribus litteris ambiebat: pro sacræ nimirum crucis particula, non mole, ut inquit, sed salutis pretio æstimanda. Sic enim et Paulinus Nolanus epistola 15 cum de crucis ejusdem particula quam Hierosolymis per Melaniam acceperat, modicum segmentum mitteret ad Severum et Bassulam: *Accipite*, inquit, *magnum in modico munus, et in segmento pene atomo hastulæ brevis, sumite munimentum præsentis et pignus æternæ salutis.*

[c] Lugdunensi, qui, ut antiquæ tabulæ docent, Rusticio episcopo successit, successoremque habuit Viventiolum. Lupicinus enim, qui Stephano subjici a recentioribus solet, ante Rusticium in iisdem tabulis post Patientem collocatur. Ad Stephanum hunc, ut alias monui, scripta exstat epistola Ennodii lib. III, 17. Eidem scribit item, ni fallor, Ruricius Lemovicensis lib. II, epist. 51, etsi episcopi nomen in titulo est omissum.

[d] Arianorum hæresim his temporibus in Gallia fovebant Wisigothi et Burgundiones, utrique ea labe infecti. Unde et Avito crebra cum Arianis de fide certamina, et libri contra Arianos ab eodem editi. At Donatistarum nomen unius fere Africæ in qua natum erat, finibus se continuit, et vix unquam ad alias gentes pervasit, si Romam excipias, ubi Montenses vocabantur.

D [e] Conversis ab hæresi manus imponebatur, ut Spiritum sanctum acciperent, quem ab hæreticis accipere non potuerant. Concilium Arelatense I, can. 8: *Si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, et perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.* Leo Magnus ad Rusticum Narbonensem inquis. 18 de iis qui parvuli ab hæreticis baptizati sunt: *Rebaptizandi non sunt, sed per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, quem ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.* Idem ad Nicetam Aquileiensem cap. 7: *Qui baptismum ab hæreticis acceperunt, sola invocatione sancti Spiritus per impositionem manuum confirmandi sunt, ut quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur*: quia Spiritus sanctus, ut est apud Augustinum lib. III de Baptismo contra Donatistas, cap. 16, in sola catholica per manus imposi-

bete, interdicta nominis ipsius in posterum, si ex corde convertitur, mentione : [a] quam constat, si revera in supra dicti schismatis professione versata est, [b] cum ministerio baptismatis etiam chrismate consignatam. Hoc certe eos in regione illa observare manifestum est. In qua primum Deus tribuat, ut quicunque hujus erroris fuerint corrigantur : tum deinde a nobis tam secta distante quam patria, jam ad partem nostram, qui salvandi noluerint, agnoscendi transire non possint.

EPISTOLA XXV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] APOLLINARI EPISCOPO.

Jubetis, et voti est, ut cultibus novis pariterque consuetis studiis geminæ dedicationis occurram. Sed vereor ne nos hoc teneat, quod potestates diutius tenuistis. Orate tamen ut par desiderio succedat effectus. Nisi forte illam magis expensam numeras, quæ penu adhuc frigente animis tuis calet. Quocirca licet paucos rogasse te dicas, licet laxato aulico conventu, relevatum esse te gaudeas : si qua tamen mihi excurrendi copia fiet, vel invitos qui supervenerint invitabis. Providebit Deus epulas multitudini tibi convivæ. Ibi pauperum cibus, olei cado et farris hydria persistente, cumulabitur. Ibi si vel quinque panes fuerint, geminum piscem providisse sufficiat. Illud autem fidus post hæc miraculorum experimenta promitto, quod Christo pauperum suorum conventui minime defuturo, quanto plura populorum millia collegeris, plures cophinos reportabis. Apud filium nostrum vero qui, sicut scribitis, reconciliationem mutuam dignatur ambire, vos estote vadimonio, quod si ille pacifico voto agere cupit, ego et amico : si ille discordiam poscit tolli, ego cupio concordiam confirmari. Tamen homo ordinis mei, quem nec falli nec fallere decet, crediturus catholico senatori, non ad hoc solum securus incipiat fieri, ut incautus valeat inveniri.

EPISTOLA XXVI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [d] CUIDAM.

Epistolas vestras post longum tempus accepi, in quibus me servandæ caritatis, quamlibet noveritis tristem, nec sic debeatis credere negligentem. Nam vere testis Deus est quod ex magnitudine vestri affectus sit animo meo major et gemitus. Nec valeo sine grandi vobis dolore suggerere quam gravi sanctitas vestra, date veniam, facilitate præventa sit. Instruxistis adversarios armis vestris, prodidistis imperfectis secreta nostra, cantastis canticum Domini in terra aliena (*Psal.* CXXXVI, 4). Protulistis velut vasa dominica (*Dan.* v, 3) spectaculo convivali quæ irrident ; exposuistis velut nudatum Noe (*Gen.* IX, 22) cachinnis nunquam opprobrio carituris. Si retinent aut sequuntur, periculose subrexit qualitas veritati. Certe si pretiosum vobis erat quod publicari debere putatum est, terrere vel Ezechiæ regis culpa (*IV Reg.* XX, 13) vos debuit, quem jactantiæ odore peccantem propheta redarguit (*Isai.* XXXIX, 5, 6). Sed cum trepidationem istam dicatis animo convertentis abstersam, justum est ut cum exsultatione dicamus. *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11). Nam quod vobis inaniter contradicunt belluæ sic minaces, Deo protegente, quod debiles, quasque plus mirum est carere dentibus, et furoribus pasci : qui cum gemerent perditionis suæ perire discipulos, perdere incipiunt et magistros. Salubriter coram Deo vel hominibus lucra talia conquiruntur. Nihil in re-

tionem dari dicitur. De hac igitur manus impositione qua datur Spiritus sanctus, hic sermo est, ne quis de alia fortasse interpretandum putet.

[a] Quasi dicat chrismandum etiam fuisse, nisi chrismatus jam esset. Adhibebatur enim in recipiendis hæreticis, præter impositionem manuum, chrismatis quoque consignatio. Cujus moris apud Gregorium Turon. illustria sunt exempla, in Lantilde Clodovei regis sorore, quæ ex hæresi Ariana conversa chrismata est, lib. II Historiæ Franc. cap. 31, in Brunichilde et Gosuvinta sororibus lib. IV, cap. 27 et 28 ; in Hermenichildo rege Gothorum in Hispania lib. V, cap. 39 ; in Chararico denique Suevorum rege in Gallæcia, de quo Gregorius idem de Miraculis S. Martini lib. I, cap. 6 : *Rex*, inquit, *unitatem Patris et Filii et Spiritus sancti confessus, cum omni domo sua chrismatus est*. Cæterum chrismatio conversis tum adhibebatur, cum in hæresi chrismati non fuerant.

[b] Chrismatis consignationem more antiquo cum baptismate conjungit, eamdemque ab impositione manuum qua datur Spiritus sanctus, divellit ac separat. Qua de re alias fuse disputatum est, cum canonem Arausicanum explanaremus. Quod vero affirmat Avitus, cum baptismo chrismare solitos Donatistas, ex Optato et Augustino perspicuum est. Tria enim cum apud illos, perinde ac in Ecclesia catholica celebrarentur, baptismus, chrismatio et manuum impositio ; horum duo priora, quando ad Ecclesiam redibant, non iterabantur, sed intacta permanebant, contra quam fieri ab ipsis soleret, qui catholicorum et baptismum et chrisma exsecrabantur, et utrumque iterabant. Optatus lib. VII : *Quod a vobis unctum est, tale servamus quale suscepimus*. Et post alia : *Seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis*. Tertium tantum, id est, impositionem manuum, ob eam quam diximus causam repetebant, quod Spiritum sanctum hæretici dare non possint. Sanctus Augustinus de baptismo Donatistarum lib. III : *Manus autem impositio, non sicut baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* quia per orationem videlicet manusque impositionem, baptizati a præpositis Ecclesiæ Spiritum sanctum apostolico more accipiebant.

[c] Fratri, Valentinæ urbis, ut ad epistolam 11 dictum est, antistiti. Cum hac epistola comparanda est Sidonii epist. 15, lib. IV ad Elaphium, a quo pariter invitatus ad novæ ecclesiæ dedicationem, pari elegantia se adfuturum spondet, hospitumque undique affluentium multitudinem prædicit.

[d] Episcopo, ut apparet, cujus nomini parcit, de nimia illum facilitate reprehendens, quod secreta nostra imperfectis, hoc est hæreticis prodiderit. De episcopo autem ab hæresi converso, respondet posse in ecclesia nostra, si aliud nihil officit, ad quemlibet sacerdotii gradum assumi. Quo quidem exemplo, et Symphosium atque Dictinium hæreticos episcopos, Priscilliani hæresim damnantes, retenta dignitate receptos legimus in concilio primo Toletano, et de clericis hæreticis qui ad fidem catholicam veniunt, universim cautum est in concilio I Aurelianensi can. 10 : *Ut si fideliter convertuntur et fidem catholicam integre confitentur, officium suscipiant quo eos episcopus dignos esse censuerit.*

ciplendo expetente violentum est : ut volentis devotionem benedictio præstanda confirmet, non est rapina, sed gratia : quod Christus dignatur accipere, dici non possumus invasisse. De reliquo autem, quod me super conversi statu creditis consulendum, defi- nio inspiratione divina, ad quemlibet sacerdotii gradum hominem posse consurgere, si non est aut in ratione conjugii, aut in quacunque regula moribusque quod prohibeat clericatum. Cur enim non pascat Christi gregem, qui sapienter advertit oves non esse quas paverat? quique quia non fur latroque, merito pastor futurus per ostia ingressus elegit altaria? Quare non fiat in sacerdotio nostro erectus, qui amore humilitatis a suo voluit esse deciduus? Sit verax sacerdos ex laico, qui fieri laicus ex fallace sacerdote contentus est. Teneat in Ecclesia nostra plebem suam, qui in sua contempsit alienam. Datura est tantis bonis augmentum cœlestis gratiæ plenitudo, ut et ille consecutus incipiat gaudere quod doluit, et hic quotidie fructuosior, praisse se magis intelligat quos reliquit.

EPISTOLA XXVII.

AB AVITO EPISCOPO DICTATA SUB [a] NOMINE DOMNI SIGISMUNDI REGIS, AD SYMMACHUM PAPAM URBIS.

Dum sacra reliquiarum pignora, quibus per me Galliam vestram spiritali remuneratione ditastis, negare petentibus non præsumo, me quoque sanctorum patrocinia postulare ab irriguo vestri apostolatus fonte necesse est. Quanquam etsi est adhuc apud nos de dono vestro, quod catholicæ religionis debeat studio celebrari, etiam illud tamen convenit justæ devotionis intelligi, ut directis litterarii sermonis officiis alloquia illa captemus, quibus me pontificatus vester, vel præsentem monitis docuit, vel absentem intercessionibus acquisivit. Nec nunc paginæ præsentis obsequium reperta opportunitas complectitur; sed destinato ad vos diacono portitore, viro venerabili Juliano, ad universalis Ecclesiæ præsulem spiritu repræsentante concurrimus. Crescit quippe beneficiorum recordatione desiderium : nec unquam meis elui sensibus possunt, quæ nobis apud Italiam vestram, vel pontificalis benignitas, vel civilitas regalis impendit, cum post familiaritatem totius munificentiæ commodis præferendam, quia istic liberius laxavit reditum, illinc tenacius vinxit affectum. Attentior pro vestris quod supereat incumbat oratio. In augmento namque ovium crescit custodia pastoralis. Sacris nos apostolorum liminibus commemoratione assidua præsentantes, speciali dum vixero prædicatori vestro, ubi obtinuistis initium, impetrate profectum. Litteris nos, in quantum possibilitas patitur aut libertas, quibus nobis doctrina et incolumitas vestra floreat, frequentate. Et ut supra speravimus, ambienda nobis venerabilium reliquiarum conferte præsidia : quarum cultu, et beatissimum Petrum in virtute, et vos semper habere mereamur in munere.

EPISTOLA XXVIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] DOMNO GUNDOBADO REGI.

Rediens ab urbe Lugdunensi sanctus Chartenius episcopus, in qua, nobis [c] de concilio discedentibus, ad privata quædam negotia expedienda resederat, quæstionem sibi, imo magis omnibus nobis, proposuisse vos retulit. Quæ si fuisset coram positis indicata, subministrante sancto Spiritu, facile sciscitationi vestræ quæ ad causam pertinebant suggeri potuerunt. Sed quia tam sanctam sollicitudinem nulla debemus responsi dilatione fraudare : sciens mihi Christo propitio in fide fratrum meorum concordare sententiam, præsentis paginæ famulatu respondere ad consulta præsumo. Jubetis igitur, ostendi vobis rationem vel potius auctoritatem, qua pateat Deum habuisse in divinitate substantiam, priusquam sumeret de incarnatione naturam; et per hoc perniciosissima hæresis illa vincatur, quæ Dominum nostrum ex Maria cœpisse contendens, etiam Deum Patrem in Filii exsecratione blasphemat. Necesse est enim, quantum ad illos, imperfectioni divinæ aliquid accrevisse, si tantis retro sæculis sine filio manens, pene iam in termino mundi labentis, cum Maria prolem,

[a] Per Julianum diaconum sacras reliquias Sigismundus rex petit a Symmacho papa, a quo alias jam pridem acceperat. Symmachi porro papæ obitus incidit in Senatoris consulatum anno Christi 514. Gundobadus Sigismundi pater biennio post occubuit, Petro consule. At Sigismundus in epistolæ inscriptione rex appellatur. Constat ergo patre adhuc superstite regis nomen obtinuisse. Fredegarius in Epitome cap. 34 : *Gundobadi filius Sigismundus apud Genavensem urbem villa Quadruvio jussu patris sublimatur in regnum*; quod Marii quoque Chronicum confirmat his verbis, *Florentio et Anthemio* (id est anno qui inter Symmachi et Gundobadi obitum intercessit). *His consulibus monasterium Agauno a rege Sigismundo constructum*. Atqui his consulibus pontifex Romæ jam erat Horsmisda Symmachi successor. Quare non illo primum anno rex dictus Sigismundus, quem Symmachi antea temporibus nomen hoc gessisse arguit epistolæ inscriptio.

[b] Librum de Christi Divinitate vocat Florus diaconus, quandocunque epistolam hanc citat in Pauli verba ad Romanos, Galatas et Hebræos. In ea enim Gundobadi quæstioni respondens, ostendit in Christo Domino, priusquam homo fieret, æternam fuisse divinitatem, adversus hæresim illorum qui ex Maria cœpisse contendebant. De quibus Augustinus hæresi 44 : *Pauliani*, inquit, *a Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium ex quo de Maria natus est asseverant; nec aliquid amplius quam hominem putant. Ista hæresis aliquando cujusdam Artemonis fuit; sed cum defecisset, instaurata est a Paulo, et postea sic a Photino confirmata, ut Photiniani quam Pauliani celebrius nuncupentur*. Photinianos autem, seu Paulianistas, per hæc tempora Galliam infestasse indicat concilium Arelatense II, cap. 16, et Sidonii epistola 12, lib. IV, ad Patientem episcopum Lugdunensem. Unde et beatus quoque Avitus Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator dicitur ab Agobardo.

[c] Diversum est hoc concilium a primo Lugdunensi, quod inter concilia Galliæ tomo I edidimus, in quo discussa est sub Sigismundo causa Stephani, qui duas sorores duxerat. Hoc enim sub Gundobado jam præcesserat : sed in eo quid actum sit nescimus, nisi quod se interfuisse Avitus significat cum Carthenio incertæ sedis episcopo.

tum ille habere incœperit paternitatem : ac a semetipsis A assertionis suæ necessitate constricti, quem nominant filium, denegant Deum. Sentiunt enim, sanas aures ferre non posse ut ante non multos adhuc annos Deus cœpisse credatur ex homine. Sed nescio in quem effectum redemptio nostra surrexit, si non creaturæ suæ pretium Deus exstitit. Nec enim redimere homo solus hominem poterat; aut qui in supernis et Deus est, eguit redemptione. Jubetis ergo ut hæc quæ ratione colligimus auctoritate doceamus. Sufficiat ergo acrimoniæ vestræ paucitas exemplorum, quæ sumpta de pluribus abundant cognoscere cupienti : cæterum renitentibus animis et in sua incredulitate durantibus, si aliqua non satisfecerint, cuncta non proderunt. Esaias conclamantissimus prophetarum, nativitatem Christi Spiritu revelante B prospiciens : *Parvulus*, inquit, *natus est nobis*, *filius datus est nobis; et vocabitur nomen ejus admirabilis*, *consiliarius*, *Deus fortis*, *pater futuri sæculi*, *princeps pacis* (*Isai.* IX, 6). Intuemini, quæso, verbi vigorem. Parvulus datus est nobis, filius datus est nobis. Parvulus natus est, et filius datus : natus est nobis hominis filius, datus est Dei; et vocabitur Deus fortis. Ac si diceret, Deus et homo, Deus qui creaverat vitam, fortis qui vinceret mortem. Cujus divinitatem, sub verbis scribæ ac discipuli sui propheta Hieremias ostendens sic ait : *Hic est Deus noster : non æstimabitur alius ad eum. Invenit omnem viam disciplinæ; dedit Jacob puero suo, et Israel dilecto suo; et post hæc in terra visus est, et inter homines conversatus* (*Baruch.* III, 36). C Quod si est forte, cui hæc quæ de antiquis ponimus, obscura videantur, legat apostolum Paulum, qui cum corporeos parentes Domini commemoraret, *Quorum patres*, inquit, *et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Nam et Thomas apostolus, cum in resuscitati mediatoris corpore fixuras clavorum, hiulcum transpuncti lateris signum, digito tentante palpasset, virtutis experimenta inter infirmitatis indicia colligens, sic clamavit; *Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* XX, 28). Ecce quibus testimoniis, velint nolint, hæretici ipsi, Judæorum in perditione confines, de Filii divinitate vincuntur : quorum verbo credas Judæos in Evangelio Joannis Dominum discussisse dicentes : *Quadraginta annos* D *nondum habes, et Abraham vidisti* (*Joan.* VIII, 57). At ille inquit : *Amen dico vobis, ante Abraham ego sum* (*Ibid.*, 58). Est hic, rogo, quod obscurare vel volens queat? Quid nunc restat, nisi ut qui senior ab Abraham cognoscitur, junior vel mundo dicatur? Et istud, quamlibet contentiosum sit, vinci potest, ipso Domino inter passionis contumelias proclamante : *Pater, clarifica me ea claritate quam habui apud te antequam mundus fieret* (*Joan.* XVII, 4). Sed forte et hoc putatur addendum, ut eum filium nominatum cujuscunque exempli auctoritate doceamus. In psalmo ait : *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu; ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Hodie hic æternitas significatur, quæ termino atque principio perinde caret : cui non pariunt crastina tempora futurum, nec rapiunt hesterna transactum. Penes nos ergo, per tenebrarum vices ista mutantur; apud Deum vero, cui nox non est, semper hodie est. Quod tamen si hæretici aliter volunt intelligere, nostra non refert. Nam cum de solo nomine filii Dei agamus, quale volunt *hodie* accipiant, concessuri sunt, ut ante genuerit filium pater, quam mater ediderit. Certe vel Salomon cui maximam in scripturis veteribus auctoritatem singularis sapientia facit, planissime filium in Proverbiis et lucidissime nominat dicens : *Quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti* (*Prov.* XXX, 4)? De præteritis ista sufficiant. Apostolus autem dicit : *Postquam venit plenitudo temporum, misit Deus Filium suum* (*Gal.* IV, 4). Enimvero qui mittitur, erat antequam mitteretur. Qui si ante Mariam non fuisset, hunc similem cæteris adoptio fecerat Dei Filium, non natura. Nec in Evangeliis ipse dixisset : *Tantum Deus dilexit mundum, ut Filium suum unicum daret* (*Joan.* XIII, 16). Non electum ergo ab ipsa ineffabili paternitate, sed genitum : cui tam Deo quam homini vero, in utraque natura fideliter proprio, in divinitate mansisse de Patre, in corpore cœpisse de matre est. Hæc ergo, quia jussistis, quædam responsionis nostræ indicula, et ad elucidandam veritatem pauca testimoniorum semina transmisi : quæ possit quidem acrimonia vestra vel eloquentia in frugem salutis Christo irrigante nutrire. Sed si sit quisquam de his contra quos agimus, quem his vestro judicio ad totum respondisse credatis, licet sint vigilantissimi in catholica et fidelissimi tractatores; dabit tamen Deus, ut ego quoque possim vobis et numerosiorum exemplorum numerum, et rationem quæ satisfaciat, præsumpta scribendi vocatione suggerere.

EPISTOLA XXIX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] DOMNO SIGISMUNDO.

Omni quidem vitæ meæ tempore debitorem me asserendi famulatus agnosco; sed impensius festivitate præsenti, quæ sollicitudinem vestram non minus explorandis hæreticorum conatibus, quam nostræ partis occupat cultibus celebrandis. Siquidem per annuum quoddam contagium congregatis adversis, attento vobis labore curandum est, ne alienæ calliditatis fraude pullulet, quod in Dei nomine jam vestra victoria celebrabili virtute succidit, quamlibet Chri-

[a] Utriusque epistolæ eadem fuit occasio, apostolica nimirum, id est beati Petri festivitas, quæ Genavæ annuo cultu celebrabatur. Genavensis enim ecclesiæ tutela et patronus beatus Petrus; et Genavæ, opinor, diviso cum patre regno, larem fixerat Sigismundus : quod et de Godegisilo Gundobadi fratre, cum una regnarent, scribit in Epiphanii vita Ennodius. Genavam tum ergo promiscue adventantibus etiam hæreticis, locum habuerunt illa quæ priore epistola continentur, in qua duas hæreses, ni fallor, dicit Arianam et Photinianam.

sto propitio præsentibus vobis obsistat [*alia lectio* absistat]. Hinc illa sollicitudine pressior, constipatio Genavensis, quæ in more originis primæ, virilibus animis virus anguium sibilo feminei sermonis insonuit. Unde illud, si mereor, quamprimum scire desidero, utrum cum domno clementiæ vestræ patre mentio illius ordinationis acciderit, quæ bonorum pestem ab infernalibus latebris excitatam, catholicis Arianisque certantibus intromisit : vel si servatur adhuc credulitatis, imo simulationis illius dolus, quem non impressum animis, sed chartulis exaratum, paulatim in antiqua sui dogmatis [a] crudelitate revocat litterata promissio. Quæ certe si adhuc, ut cœperat, societati Arianæ communione immixta est, claret gloriosior sub principatu vestro noster triumphus; cum duabus hæresibus in unum redactis, tam acquirentibus quam convincentibus vobis, et schismaticorum numerus decrescit et schismatum. Hinc ergo servitium curiositatis meæ dignanter aspicite, et de peculiaris patroni vestri apostoli festis exspectationi nostræ prosperitatis et compellationis vestræ munera duplicate.

EPISTOLA XXX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO SIGISMUNDO.

Nuper cum officia culmini vestro semper debita pro apostolicæ festivitatis consuetudine destinavi, non minus civilitate pretioso, quam declamatione conspicuo sermone dixistis, idcirco vos tardius dedisse rescriptum, ut humilitas sui conscia quæ a scribendi audacia jure temperat, eo diutius ariditatis supplicia penderet, quo fontem splendidum vestri alloquii plus sitiret. Vindictæ, sicut dignamini scribere, genus esse censentes, ut portitor a me segnius destinatus vobiscum diutius moraretur. O retributio ultionis blandissimæ! o sententia crudelitatis optandæ! Quis scilicet tam intolerabilem pœnam æquanimiter ferat, ut paradiso vestri conspectus inclusus mora beatiore vos videat? Timeo plane, ne frequenter me jubeatis scribere, si disponitis tarditatem taliter vindicare. Aut si ego certus fuerim hujusmodi me animadversione plectendum, ipse procul dubio scripta porrigerem, quæ justo rarius exarassem. Et utinam mihi vobiscum posito negaretur celeritas revertendi : et verba quæ post longum tempus legere, diutius in ipso meatus sui tramite donarer audire. Certe Deus viderit, quid ego apud judicium vestrum, vel audacia servitii, vel trepidatione promerear : tamen officii mei portitoribus reus ero, si eos prolixitate præsentiæ vestræ delicti quo arguor emendatione fraudavero.

EPISTOLA XXXI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] FAUSTO ET SYMMACHO SENATORIBUS URBIS.

Primum fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos Urbem orbi venerabilem pro dependendis divinis humanisque expeteremus officiis. Sed quia istud jam dudum per rationem temporum fieri posse cessavit, velimus quod fatendum est, vel eo securitatis accedere, ut quæ in causa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliæ sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam hujus quoque nos voti non potes reddit provincia præfixis regnorum determinata limitibus : quamprimum supplici prece posco, ne celeberrimo ordini vestro pagina hæc aliquod moveat quasi ab uno dictata fastidium : quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipsum non minus per mandata, quam per litteras oneratur, quæcunque a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi. Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxianimi ac trepidi essemus, ut pote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes : quos omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis percusserat, si statum principis obruisset : perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus [b] sacerdotalis forma decreti, quam de papa Symmacho apud Urbem collecti Italiæ antistites ediderunt. Quam constitutionem licet observabilem numerosi reverendique concilii reddat assensus, intelligimus tamen, sanctum Symmachum papam, si sæculo primum fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potius asciscere quam recipere debuisse judicium. Quia sicut subditos non esse terrenis potestatibus jubet arbiter cœli, staturos nos ante reges et principes in quacunque accusatione prædicens : ita non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege, ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cum celebri præcepto Apostolus clamet (*I Tim.* v, 10), accusationem vel in presbyterum recipi non debere, quid in præcipuum generalis Ecclesiæ criminationibus licere censendum est? Quod synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, pene temere susceperat inquirendam, divino potius servavit examini : perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro Theoderico regi, de his quæ papæ dicebantur objecta pa-

[a] Non senatores modo, sed patricii ambo, et ordinarii consules fuerant : Faustus anno Christi 483 biennio post Symmachus, uterque sine collega. Ad hos ergo, tanquam præcipue in Urbe dignitatis proceres, suo et Gallicanorum omnium antistitum nomine, scribit de synodo Romana, et judicio in ea adversus Symmachum papam Theoderici regis auctoritate constituto expostulans, Italiæque episcopos perstringens, quod de eminentiore judicium inferiores receperint.

[b] Exstat hoc decretum in synodo Rufio Magno Fausto Avieno consule habita anno Christi 502. *Decernimus*, inquiunt, *ut Symmachus papa, sedis apostolicæ præsul, quantum ad homines respicit, quia totum constat divino arbitrio fuisse dimissum, sit immunis et liber, et Christianæ plebi, sine aliqua de objectis oblatione in omnibus ecclesiis suis, ad jus sedis suæ pertinentibus, tradat divina mysteria.* Quare dubium non est quin synodum istam Avitus intelligat, quæ in codice Narbonensi aliisque vetustioribus, quarta et palmaris recte inscribitur. Falso enim recentiores palmaris nomen synodo alteri tribuunt, quæ Avieno juniore consule celebrata est; cum in ea nec decreti hujus sit mentio, nec absolutionis Symmachi quam in palmari editam constat.

fuisse. Quibus cognitis, quasi senator ipse Romanus, A quasi Christianus episcopus obtestor, sic divinitatis cœlestis dono temporibus vestris prosperitas optata succedat, sic dignitas in qua floretis, universo orbi speciem Romani nominis mundo labente contineat, ut in conspectu vestro non sit Ecclesiæ minor quam reipublicæ status; quodque vobis Deus posse præstitit, prosit et nobis; nec minus diligatis in Ecclesia vestra sedem Petri, quam in civitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videtis, non ea tantummodo quæ Romæ geritur causa cogitanda est. Sed et in sacerdotibus cæteris potest si quid forte quod vocaverat reformari; at si papa Urbis vocatur in dubium, episcopatus jam videbitur, non episcopus vacillare. Nostis bene inter quas hæresum tempestates, veluti ventis circumflantibus, fidei pup- B pem ducamus. Si nobiscum hujuscemodi pericula formidatis, expedit ut gubernatorem vestrum participato labore tueamini. Alias autem quæ ultio est, si nautis in magistrum furentibus, non sine illorum periculo cedatur isto discrimine? Reddet rationem qui ovili dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset : cæterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis. Quapropter reddite nobis principalem, si tamen necdum est restituta, concordiam : quoniam clienti vestro, venerabili Symmacho presbytero, idcirco laborem hujus fatigationis injunximus, ut nobis in vestrarum oraculo litterarum per reintegratæ pacis nuntium supplicationis nostræ referret effectum.

EPISTOLA XXXII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] LIBERIO PRÆFECTO.

Postquam multiplices Galliarum labores felicissimus potestatis vestræ visitavit adventus, nullum sum antehac in affectibus vestris desiderii mei expertus effectum. Unde licet etiam nobis prodesse credamus beneficia, quæ jam dudum provincialibus spargitis, mihi tamen hactenus sitienti litteras vestras quasi primum modo venistis. Enimvero ut me offerendis ultro epistolaribus officiis non offerrem, illis occupationibus obstrepere timui, quibus me credebam tanto temporum spatio a votiva lectione suspendi. Sed quia etsi tarde, compellantibus vobis, meque ad præcelsos apices rescribente, ordo alternantis commercii in litterario sermone servatus est, qui fecistis me absque verecundia respondentem, reddite ut cupio frequen- D tia debitorem. Nec desunt si annuitis causæ jubendi; abundant quæ possitis injungere cupientibus obedire : major siquidem potestate civilitas, nec minor est dignitate dignatio. Nam hæc ipsa causa cujus vobis scribendi materiam merces ingessit, quibus inter tribunalia operibus magis studeatis florere perdocuit. Unde quod nobis a [b] viro spectabili, vicario vestro, pro quorumdam captivorum liberatione suggestum est, ad præceptionem culminis vestri lætus implevi, pretio tamen quod portitores attulerunt, non recepto. Quia si aliquid præfato viro magnifico, filio meo Gemello, conditionis personæ ipsæ per originem debent, potest hoc quod mihi obtulerat, pro redimendis ingenuis distribuere. Si vero istos agnoscitis liberos natos, sufficit pretium profuisse.

EPISTOLA XXXIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI [c] APOLLINARI.

Scio quod revertens ad devinctissimos mihi domnos Domnolus noster, coram me vestræ piæ sollicitudinis ambiguitatibus æstuantem, aliter quam voluit relaturus, aggravavit magis redeundi festinatione, quam minuit. Siquidem me apud Lugdunum in adventu ejus gravis oculorum dolor impotem luminis contuendi impetu ingruente reddiderat. Unde quia nec ipse fuit eliciendi rescripti efficax, nec ego idoneus redhibendi, omnem gratiarum, quæcunque vel pretio munerum, vel animo munerantum deberi potuit, actionem verbo potius referendam portitoris auribus alligavi. Licet minime dubitans, apud sanctæ dulcedinis aviditatem parvipendendam mandatorum C seriem desiderio litterarum. Sed cum primum, rarescentibus tenebris cubicularis ergastuli, aliquantisper ordinandi officia copia fuit, solutionem debiti non moratus, præsentem bajulum destinavi · cui ultra quam dici potest verbosis salutationibus onerato, quantum pertinet ad mandata loquacia, perbrevem paginam dedisse me computo. Nam ecce mihi Deus testis est, quanto lumine præfatus carissimus noster in ipsa contenebrati recessus nocturnali habitatione respersit, cum dulcissimi pignoris nostri reditu quem ante nescieram, nuntiato, resolidatam Christo propitio familiam meam ab eo quem misissem inveniendam esse firmavit. Quocirca nec vos jam de vobis aliquid semiplenum putetis : quorum contubernio, divinitate propitia, etiam oculi mei per præsentem paginam satisfacientes accrescunt. Tum videlicet sinceritate perfecta hilares diei gratia re-

[a] Prætorii primum Italiæ, tum deinde Galliarum, viro multiplici laude conspicuo, post etiam Patricio. Cassiodorus libro XI Variarum, epist. 1 : *Respicere patricium Liberium præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum, communione gratissimum, meritis clarum, forma conspicuum, sed vulneribus pulchriorem, laborum suorum munera consecutum, ut non præfecturam quam bene gessit, amitteret, et eximium virum honor geminatus ornaret.* Ennodius Liberio eidem lib. IX, epist. 23 : *Mecum Galliæ in hac astipulatione conveniunt, ut Christo Deo vivo disponente, ordinatis illis quibus civilitatem post multorum annorum curricula intulisti, quos non ante contigit saporem de Romana libertate gustare, ad Italiam tuam et poscentibus nobis et illis tenentibus reducaris.*

[b] Gemellum mox nominat : quem Provincia potitus rex Italiæ Theodericus vicarium præfectorum creavit. Sic enim ad eum scribit apud Cassiodorum lib. II, epist. 16 : *Hinc est quod præsenti tempore in Gallias, nobis Deo auxiliante subjectas, vicarium te præfectorum nostra mittit auctoritas.* Cæterum, ut Avitus hoc loco Liberii rogatu captivos liberat, sic Liberium Ennodius lib. IX, epist. 39, pro Camilla consanguinea sua rogat, ut casellulas ejus intra Gallias fisci oneribus relevet.

[c] De Sidonii filio ut conjiciam, monet sub finem nomen Archadii, quem Apollinaris filium innuere videtur. Apollinari autem, Sidonii filio, filium fuisse Archadium, in notis Sidonianis ostendimus lib. III, epist. 13.

cepturi, si me rescribere hactenus vestra dulcedo sic ignoscens, quamlibet infirmum atque anxium, ad votivam tamen frequentiam litterarum in Dei nomen, Archadio jam dictante, solis subscriptionibus occupanda compellat.

EPISTOLA XXXIV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI [a] AURELIANO.

Indicium quidem quantulæcunque prosperitatis esse manifestum est, quod amicorum affatu tantisper interlucente temporariæ pacis colore visitamur. Verumtamen æstus ille diluvii quem procellis temporalibus comparastis, humanis rebus, dum per mundanum pelagus curritur, fluctu assiduæ perturbationis insistit. Quandoquidem hoc ipsum quod inter adversitates temporum respiramus, discriminum quæ patiamur intervalla magis debemus putare, quam terminum. Nam idcirco tantum inter incommoda calamitatum, circumscribendis potius quam sanandis, lux quædam videtur alludere, ut mentes fallaci securitate laxatas, instaurato gravius metu succiduus angor afficiat. Quocirca desiste, vir optime, mala ferventia credere finem malorum: et cum se, motu dissimili tempestate molita, facies tamillæ serenitatis alternat, varietate proventuum non delectare, sed utere. Nec sic te aut prosperitas erigat, aut frangat adversitas, ut in animis tuis tam amicorum mutetur causa, quam temporum. Mementote semper propositæ caritatis, si licet scribere: sin alias, quod prohiberi non potest, vel amate: et post gurgites quos litteris descripsistis, in eo magis sæculo sperate portum, quo timere non poterit tranquillitas rata naufragium.

EPISTOLA XXXV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] ELPIDIO DIACONO.

Per quosdam clericos legis alienæ divinum munus in nuntio tuæ incolumitatis accepi: nec minuit diligentis gratiam qualitas portitorum: sicut nec Eliæ (*V Reg.* XVII, 6) nostro transmissi cœlitus cibi inter horrida volatilium bajulorum rostra viluerunt. Ipsam tamen quam satis avidus sumpsi, tuarum dulcedinem

A litterarum, illud aliquantæ amaritudinis asperitate respersit, quo ad te scripta quæ prius reddidi, abnegas pervenisse. Nam [c] per majorem domus Tullii, qui amorem tuum, dominum meum Sigismundum, a patre suo in legatione directus, in Viennensium civitate repererat, epistolas tuas me accepisse lætatus; per ipsum rursus officia profusissimæ caritatis exsolvi, et affectum tui quem corde conceperam, studio paginæ famulantis excolui. Quo eventu in manus tuas perlata non fuerit, major quem supra dixi, non potest ignorare. Et ego quidem moleste tuli, et tibi molestum fuisse gavisus sum, in tam idonea opportunitate desideriis duorum unius officii periisse commercium. Verumtamen cum de institutæ dilectionis proposito pars alterna secura est, nonnunquam ca-
B sibus oportet ignosci, quibus colloquia nostra potius quam vota frustratis, sollicitudini damnum potest contingere, non amori. Neque tu putes, seu negatis occasionibus, seu repertis, ullum esse negligentiæ tempus, quo apud me inter quaslibet alias actiones frequentandæ sospitatis tepescat ambitio. Illud igitur in mentibus amicorum censeo esse pretiosius, in quo constat fortuitis nil licere, quod nec itineris dissipat longitudo, nec oblivionis frustratur abusio. Compenso tamen in præsenti caritatis verbum, si pro damno dignatus es putare silentium. Simul et specialius adolescentem si dignaris insinuo, filium scilicet viri illustris Celeri, qui post Deum ut unicæ soboli vitam incipiat sperare tu facies. Nam ita lacrymabili pignoris infirmitate constringitur, ut incertus
C optandi, cujus quasi pater mortem imminere compellitur, vitam quasi orbatus deflere cogatur. Quapropter opitulaturæ Divinitati junge tua quantum conjicimus de peritia singulari: vestrum promisisse jam ex parte fecisse est. Tribuat Christus, ut exsultando atque impensius laudando in hac cura magisterio tuo, simul tibi et Italia medicinæ opinionem, et Gallia pueri debeat sanitatem.

EPISTOLA XXXVI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [d] VIRO ILLUSTRI SENARIO.

Magnificentiæ vestræ gratiam frequenter exoertus,

[a] De hoc vero difficilior est conjectura, cum Aureliani hac ætate insignes fuerint non pauci. Vide an ad Aurelianum patricium referri queat, cujus servum Massiliæ ad basilicam S. Victoris a dæmonio liberatum ait Gregorius Turon. lib. I Mirac. cap. 77. Certe, nisi tempora discrepant, dignitas non repugnat, cum illustres fuerint omnes patricii.

[b] Medico Theoderici regis, cujus ad Elpidium ipsum, cum diaconi quoque titulo, exstat epistola lib. XIV Variarum Cassiodori, et apud Ennodium complures. Eo alludens Ennodius idem lib. IX, epist. 30. *Scio*, inquit, *quia Deus tibi sic gratiam invicti principis contulit, ut humilitas ecclesiastica non periret.* Carum enim imprimis Theoderico fuisse testatur Cyprianus diaconus in Vita S. Cæsarii lib. I: *Elpidius diaconus et medicus, regiæ potestati sedulis officiis cum primis familiaris et intimus.* Quo in loco Elpidium narrat ab infestatione diaboli qua domi vexabatur, S. Cæsarii opera liberatum.

[c] Quis hic major, aut quænam domus Tullii a qua li nomen, non liquet, nisi quis fortasse ad Servii Tullii regis domum, quam P. Victor in quinta Urbis regione collocat, referendum putet, quod multis non facile persuaserit. Ad Celerem autem, cujus filii sanitatem hoc loco Elpidio medico commendat, scripturus est
D epistolam 43.

[d] Comes hic fuit patrimonii Theoderici regis, et patricius, de quo multa jam diximus ad Ennodium. Nunc addendum est ejusdem epitaphium, quod non insulsis versibus conditum, a Petro Pithœo relatum est in libro IV Poematiorum.

SENARII V. I. COMITIS PATRIMONII ET PATRICII EPITAPHIUM.

Ille ego sum mundi quondam sine fine viator
Senarius, membris tumulo non nomine clausus,
Principis invicti semper sublimis amore.
Cujus in orbe fui vox regum, lingua salutis,
Fœderis orator, pacis via, litibus hostis.
Novit et hoc Oriens, hoc ultimus axis Iberi,
Hoc scit bruma rigens, scit et Africa solibus usta.
Bis denas et quinque simul legatio nostra
Signat in orbe vias, et nunquam struta labore.
Cursus erat volucer; namque anno pervigil urc

qua dignanter accipitis, salutationis officium pagina A famulante direxi. Et quia scitis synodalium legum esse, ut in rebus quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanæ Ecclesiæ maximum sacerdotem, quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus; ex consensu antistitum provinciæ Viennensis [a] ad sanctum Hormisdam, seu quicunque nunc ille est, papam debitæ venerationis obsequium cum sollicitudine destinavi: audire a præfatæ sedis auctoritate desiderans, quid de effectu directæ a se ad Orientem legationis agnoverit. Cum ergo, ut dixi, a provincialibus meis consulor, respondere etiam ego, ni priorem consulam, non præsumo. Adminiculo igitur ordinationis vestræ opus est, ut istud ab utraque parte per ordinem compleatur, ut vel a nobis interrogatio perveniat, B vel ad nos redeat ab exponente responsio. Non ad solos sacerdotes Ecclesiæ pertinet status: cunctis fidelibus sollicitudo ista communis est. Quicunque vel quocunque videmur Ecclesiam regere, vestram in catholica religione rem gerimus. Cum de fidei regula vel ægrotat aliquis vel sanatur, nobiscum vos aut gaudere oportet aut gemere. Unde nec vos aliquid de causa quam consulo, latere credendum est. Si mihi soli agerem, satis interrogationi meæ notitia vestra sufficeret: nil plus a papa quam a vobis possumus veritatis audire. Sed Ecclesiarum poscit utilitas, ut quæ vos nostis doctor insinuet. Ego tamen peculiaris vester rescriptum, si dignamini, a vobis peculiarius præstolabor: quo revera, ut dixi, tantum C mihi veritas innotescere poterit, quantum se Romanæ urbis antistes auctoritatis privilegio expetentibus respondisse gaudebit.

EPISTOLA XXXVII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] PETRO EPISCOPO.

Etiamsi alia causa non esset qua beatitudinem vestram litterario famulatu occursus meæ devotionis expeteret, justum esset vos ab omnibus excoli, qui opinione sancta desiderium vestri omnibus intimatis. Dignum quippe est vos expeti non minus sede Romana, quia non magis potestate illa, quam vos caritate fulgetis. Cujus reverentiæ ut debitum est salutatione præmissa, fateor apostolatui vestro, et si cum verecundia, ignorantiam Gallicanam. Nec melius esse puto quemquam simulare quod sciat. D quam didicisse si nesciat. Quæ inter Romanam et Constantinopolitanam Ecclesiam res agantur, non quacunque auctoritate cognoscimus, sed de rumoribus magis ac nuntiorum varietate captamus. Et ideo, ne forte quam rustici tam negligentes credamur, perinde sanctum papam et beatitudinem vestram, [c] per Viennenses clericos provincia tota nunc consulit, ut quæ vobis de statu fidei cum Orientis parte definita sint, rescripti salubris lumine declaretis. Quia cum magistros etiam procul positis ultro deceat prorogare doctrinam; curandum est soliditati corporis, ut semper prosperitatem capitis sui membra cognoscant. Quocirca si servis vestris filiis meis quos in id ipsum direxi, tribuatur accedendi usque ad Romam facultas, per duos Ecclesiæ principes abundabit Gallias erudiri. Quod si forsitan a sede vestra quos misimus revertantur, vestri apostolatus fida responsio fiet nobis totius instructionis quæ ad cunctos perveniat, plenitudo.

EPISTOLA XXXVIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [d] EUFRASIO.

Jam quidem per pueros meos litteras dedi, quibus scire vos facerem quantum fratri Imeterio apud me commendatio vestra profecerit. Tamen non dubitans cum inter initia pontificatus sui, senioris germani, sicut dignum est, officia curaturum; has etiam per ipsum libenter adjeci, quibus opusculi mei jam diu quæsitum prædonem [in manus meas venisse plus gaudeo. Et quia libellum ipsum, quantum mihi indicaverat, vobis reportat, spero ut qualecunque est opusculum ipsum, nec vacanter editum, nec omnimodis emendatum, viro sublimi ac piissimo, si dignamini, fratri nostro Apollinari publicare atque excusare dignemini. Cui impium fuerat non hæc a me primum jure caritatis offerri, si non rursus fuisset absurdum, me domni Sidonii filio, inter facundiæ paternæ delicias, meis temporibus nausiaturum, offerre etiam de præsumptione fastidium. Quocirca volumen per vos temperatius ingerendum, si supradictus frater vel infantibus legi debere censuerit, possum per quæcunque magnificentiæ suæ scripta cognoscere. Si autem post flumina fontium paternorum, ut potius reor, paupertatem venæ tenuissimo rore manantis abjecerit, sine verecundia mea suaque impietate, sufficiet me reprehensionis

Bis maris Oceani, bis Pontica littora vidi,
Europamque Asiamque sequens, duo limina mundi.
His etiam meritis sociavimus agmen honorum.
Aulica quippe comes rexi patrimonia clarus,
Et mea patricio fulserunt cingula cultu.
Me pietas, me sancta fides, me fovit honestas.
Secla canant titulos: nam moribus astra tenemus.

[a] Aviti ad Hormisdam epistola, itemque Hormisdæ ad Avitum responsio, postremo loco a nobis editæ sunt numero 87 et 88, ex quibus epistolæ hujus et proxime sequentis interpretatio petenda est.

[b] Ravennati, ut opinor. Eodem pertinet epistola quo superior. Missis enim ad Hormisdam legatis, ut de Orientalis Ecclesiæ statu certior fiat, ab episcopo Ravennate, qua iter illis futurum erat, petit ut ignorantiam Gallicanam erudiat. Petri hujus in synodo Romana palmari subscriptio legitur his verbis: *Petrus episcopus Ecclesiæ Ravennatis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi.* Ad eumdem etiam pertinere conjicimus Theoderici regis epist. 27, libri III Variarum, Petro episcopo inscriptam Felice consule, id est, anno Christi 511. Quod si verum est, errant qui Petrum Ravennatem ante id tempus defunctum tradunt.

[c] Alexium presbyterum et Venantium diaconum. Sic enim appellantur in Aviti litteris ad Hormisdam, et in Hormisdæ ad Avitum.

[d] Etsi episcopi nomen non est appositum, episcopum tamen fuisse dixerim Arvernorum, ad quem et binæ sunt epistolæ Ruricii, quarum in altera dignitatis quoque nomen omissum est. Synodo Agathensi per vicarium subscripsit anno 506; interfuit ipse Aurelianensi I anno 511. Hunc itaque rogat ut librum suum qui in ejus manus venerat, Apollinaris Sidonii filio recensendum ingerat et excuset.

suæ censuram hinc tantummodo intellexisse, si taceat

EPISTOLA XXXIX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] DOMNO GUNDEBADO REGI.

Quod servum cui discussio necessaria credebatur, de Viennensi ad Lugdunensem basilicam sub custodia destinavi, timoris et obedientiæ fuisse manifestum est. Nam sicut eum hic inaccusatum tradere non præsumpsi, ita illic interrogationibus quas audientia postulabat, vivum fieri procuravi. Cum vero et regula ubique una sit, et eadem seu impossibilitas seu facultas, pro communis ministerii observatione nos teneat; non ego proprietatem Lugdunensis et Viennensis basilicæ, sed reverentiam Ecclesiæ utriusque tractavi: unde intercessioni [b] facilius de proximo suggerendæ, quod utrumque nostrum tangere poterat, præsens episcopus allegaret. Siquidem in omnibus locis sanctis, sicut ministerio nostro eadem caritas, ita imperio vestro æqua potestas est. Ut taceam quod servus ipse, a Domini collocutione digressus, non debuit pro concitanda mihi offensa Viennensem expetere, qui illic positus intra Lugdunensem se potuit Ecclesiam continere. De causa vero, in qua coram examine celsitudinis vestræ callidus depositi negator arguitur, talis conscientia mea est, qualis Deo et vobis in omni actu meo et conversatione monstratur. Quanquam etiam me testante interpellantis simplicitas, quæ ut pii domni dicatis non devitarer operatione diffiteri, qui in ejus consolatione volueram, si Christum cogitare putaretur, profiteri. Quod etiam præsenti testificatione de servis vestris, civibus nostris, aliqui cognoverunt. Pulsatis autem laboriosis extra ordinem suum omnem parum stabilis dicitur esse responsio. Utrum de me erit, suggerat Deus vobis; declaret et veritas; quia qui castigatus a me, eo forte spiritu falsitatis irascitur quo contra simplicem de depositi inficiatione mentitur, licet Deo vobisque propitiis parum ad defensionem suam proficiente commento, dum se a me dicit admonitum ne redderet, diffiteri non potest quod accepit. Quæ professio sua, etiamsi censeatis quod A gravare me debeat, illum non potest sublevare. Ego tamen præceptum vestræ pietatis opperior. Quidquid habet ecclesiola mea, imo omnes ecclesiæ nostræ vestrum est, de substantia quam [c] vel servastis hactenus vel donastis. Quod inspirante Deo præceperitis, in quantum vires habuero, parere conabor. Cæterum divinæ majestatis aspectus nihil potest offensam suam, quam vestram semper timuissem æternam. Hoc suppliciter quæso, ut infelix ille ad cujus accusationem satis sufficit quod excusat, apud justitiæ vestræ animos non me faciat suæ infidelitatis socium, etiamsi viderit pro vestra commotione multatum.

EPISTOLA XL.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [d] DOMNO SIGISMUNDO.

B De festivitate ad quam profectus fueram summa quidem festinatione reversus sum. Sed quia jam duce Christo processeratis, lætificandus, ut de Deo credimus, reditu vestro, immodice tamen attonitus reddor abscessu: quod scilicet in ipso successuræ prosperitatis regressu, advolvi genibus domini mei, permulcere osculis manus, et in sancto illo pectore sedem fidei nostræ adorare non merui. Nec tamen dicere audeam, istud mihi peccato fraudante cessisse: ne divinæ gratiæ quæ mihi taliter vestram præsentit, reddar ingratus. Nam cum omnibus generale justumque sit, in gloriæ vestræ cultum quod debemus ambire, illud singulariter accepisse me gaudeo, ut cum pro effectu voluntatum tenere secum a me servitii debitum impossibilitas non ferat porrigi, apud C vos pietas censeat impendi. Sed ego solus damno percellor, quoties consolationi meæ interesse non mereor: quoties accensus tribulationum æstus intra me solum, a sermonis vestri refrigerio exclusus, includitur: quoties mihi dolores internos medici illius manus experta non confovet. Qui protuendo inter talia famulo suo pietate studens, virtute persistens, cum satis esset si favorem vellet offerre, laborem dignatur apponere. Sed præsumo majestate divina, hinc respectu mei sensibus vestris tenacius adhæsurum, quo eum nobis amor catholicæ legis infudit. Sub cujus occasionis sancto præventu, tum penes vos im-

[a] Causam reddit cur servum depositi negatorem qui Lugduno Viennam venerat, Lugdunum ad disquisitionem remiserit purgatque quod ille se ab Avito dicebat admonitum ne redderet.

[b] Solemni episcoporum more, qui et pro servis apud dominos, et pro reis quibuscunque, miseris vel oppressis, apud judices aut apud principes enixe intercedere solebant. Ennodius in vita Epiphanii episcopi, tum adhuc diaconi: *Intercessionum etiam tunc certamina proludebat. Nam ubicunque pro remediis miserorum episcopi mittebatur imperio, tanta exigebat beneficium arte supplicandi, ut sentirent sibi in causis profuisse complurimi, ipsum per se episcopum non venisse.* Plenæ sunt exemplis sanctorum antistitum historiæ, et illustre imprimis est S. Augustini, cum pro circumcellionibus Donatistis, atrocia facinora confessis, apud Marcellinum judicem, et apud Apringium proconsulem, ut citra mortis supplicium puniantur, intercedit epistola 159 et 160, qui et de intercessionum istarum æquitate ac religione ambigenti Macedonio accuratissime rescribit epist. 54.

[c] Libera et ingenua professio. Principibus accepta D feruntur bona ecclesiæ, quæ vel donarunt ipsi, vel ut donare liceret, concesserunt, ex lege Constantini Magni. *Habeat*, inquit, *unusquisque licentiam sanctissimo catholicæ venerabilique concilio decedens bonorum quod optavit relinquere.* Cod. Theod. de episcopis, etc. Defensionem quoque bonorum subditis suis omnibus principes cum debeant, præcipuam debent ecclesiasticis. In quo regum olim Francorum pietas enituit, qui res et mancipia ecclesiæ eodem se loco ac res et mancipia fisci habere in Capitulis suis professi sunt.

[d] Missa cum Sigismundus ad bellicam quamdam expeditionem se accingeret, incertum quo et quos in hostes. Quod vero illum insinuat fidem catholicam, cum hæc scriberet amplexum jam fuisse, facit ut ea quæ sub finem epistolæ de materia pretiosioris triumphi sermocinaturum se pollicetur, ad homiliam alludere videantur, quam ab Avito in Sigismundi regis conversione, sensuum suavitate plenissimam, et verborum compositione dulcissimam, ad populum habitam auctor est Agobardus.

possibile erit quem suscepistis servum rejicere, quem cognovistis dominum non amare. Quod superest, egressi felices, ite sospites, redite victores. Fidem vestram telis inserite, provisionem divinam promittendo admonete, auxilia cœli precibus exigite, jacula vestra votis armate. Dabit Deus ut bellorum tropæa quæ vobis ipse præstiterit, cujuscunque sermonis obsequio sub materia ejus quem dudum exsequor, triumphi pretiosioris exaggerem.

EPISTOLA XLI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] CHLODOVECO REGI.

[1] Vestræ subtilitatis acrimoniam quorumcunque schismatum sectatores sententiis suis, variis opinione, diversis multitudine, vacuis veritate, Christiani nominis visi sunt obumbratione velare. At dum status nostros æternitati committimus, dum quid recti unusquisque sentiat futuro examini reservamus, etiam in præsentibus interlucentis radius veritatis emicuit. Invenit quippe tempori nostro arbitrum quemdam divina provisio. Dum vobis eligitis, omnibus judicatis, vestra fides nostra victoria est. Solent plerique in hac eadem causa, si pro expetenda sanitate credendi, aut sacerdotum hortatu aut quorumcunque sodalium suggestione moneantur, consuetudinem generis et ritum paternæ observationis opponere. Ita saluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis custodia inutilem reverentiam servant confitentur se quodammodo nescire quid eligant. Discedat igitur ab hac excusatione, post talis facti miraculum, noxius pudor. De toto priscæ originis stemmate sola nobilitate contenti, quidquid omnis potest fastigium generositatis ornare, prosapiæ vestræ a vobis voluistis exsurgere. Habetis bonorum auctores, voluistis esse meliorum : respondetis proavis quod regnatis in sæculo, instruitis posteros quod regnatis in cœlo. Gaudeat ergo quidem [b] Græcia habere se principem legis nostræ : sed non jam A quæ tanti muneris dono sola mercatur illustrari, quod non desit et reliquo orbi claritas sua. Siquidem et occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus splendorem congrue redemptoris nostri nativitas inchoavit : ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum redemptioni suæ cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber est natalis Domini, sit et vestri : quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus et mundo : in quo vos animam Deo, vitam præsentibus, famam posteris consecrastis. Quid jam de ipsa gloriosissima regenerationis vestræ solemnitate dicatur ? cujus ministeriis etsi corporaliter non accessi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus nostris divina pietas B gratulationis adjecerit, ut ante baptismum vestrum ad nos sublimissimæ humilitatis nuntius perveniret. Unde nos post hanc exspectationem jam securos vestri sacra nox reperit. Conferebamus namque nobiscumque tractabamus, quale esset illud, cum adunatorum numerus pontificum, manu sancti, ambitione servitii membra regia undis vitalibus confoveret : cum se Dei servis inflecteret timendum gentibus caput : cum [2] sub casside crines nutritos salutari galea sacræ unctionis indueret; cum intermisso tegmine loricarum immaculati artus simili candore fulgerent. Faciet, si quid creditis, regum florentissime, faciet, inquam, indumentorum ista mollities, ut vobis deinceps plus valeat rigor armorum ; et quidquid felicitas usque huc præstitit, addet hinc sanctitas. Vellem C vero præconiis vestris quiddam exhortationis adnectere, si aliquid vel scientiam vestram vel observantiam præteriret. Nunquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem sine prædicatore vidistis ? an forte humilitatem, quam jam dudum nobis devotione impenditis, qui nunc primum professione debetis? an misericordiam, quam solutis a vobis adhuc nuner populus captivus gaudiis mundo insi-

[a] Francorum ad quem Theoderici quoque regis Italiæ duplex apud Cassiodorum est epistola, libro II Variarum, 61, et libro III, 4, sed utraque Luduinum vocat. Prior autem huic nostræ suppar, si tempus spectetur ; scripta videlicet post victoriam Alamannicam, quæ Chlodoveo fidei Christianæ occasio fuit, et baptismi, cujus hic pompam Avitus elegantissime describit. Docet porro, quod hactenus ignorabamus, in vigilia natalis Domini celebratum, non in vigilia Paschæ; quod Hincmarus Remensis falso sibi et rerum nostrarum scriptoribus persuaserat.

[b] Anastasium imp. Christianum illum quidem, sed non satis orthodoxum. Romæ vero et in Italia rex Theodericus, et in Gallia Wisigothorum Alaricus, et Gundobadus Burgundionum, Ariani prorsus erant, itemque Suevi, et si qui alii in Hispania ; in Germania autem et in Britannia, adhuc pagani. Ut non injurii sint, qui post Clodoveum, qui primus omnium in Ecclesia catholicus rex fuit, regibus Francorum primum inter Christianos principes locum vel hoc nomine deberi asseverant.

[1] Avitus in hac epistola Clodovei baptismum graphice describens, haud meminit ampullæ cœlitus demissæ sacro chrismate oppletæ, quo Clodoveus a sancto Remigio perunctus fuisse fertur. Neque vero ullam hujusce rei admirabilis mentionem factam fuisse Gregorio Turonensi, Fredegario aliisque vetustioribus Francorum historicis comperimus. Quo quidem argumento negativo utuntur nonnulli critici recentiores ad hujusmodi prodigii veritatem infirmandam. Verum his occurrit V. C. Dn. abbas *de Vertot* in dissertatione sic inscripta : *De la sainte Ampoule conservée à Reims pour le sacre de nos Rois.* Exstat autem hæc dissertatio in *Mém. de l'Acad. des Inscript.* tom. II, pag. 619, in-4. *Disquisitionem* quoque *de Ampulla Remensi* antea ediderat Jo. Jac. Chiffletius. Hac item de re verba facit Hadrianus Valesius tom. I *Rer. Franc.* lib. VI, pag. 260 et seq.

[2] Francorum reges intonsos perhibent historici. Gregorius Turonensis *Hist. Franc.* lib. VI, cap. 24, de Gundovaldo : *Hic*, inquit, *cum natus esset in Galliis, et diligenti cura nutritus, ut regum istorum mos est, crinium flagellis per terga demissis*, etc. Et lib. VIII, cap. 10, de Clodevecho interfecto quemdam ista narrantem inducit : *Cum ignorarem* ait, *quisnam esset, a cæsarie prolixa cognovi Chlodovechum esse.* His consona refert Agathias Scholasticus lib. I *de Imper. et Reb. gest. Justini imp.* pag. 14 edit. Paris. Qua de re videsis *Mém. de l'Acad. des Inscript.* tom. VIII, pag. 487, 488, edit. in-4.

nuat, lacrymis Deo? Unum ergo, quod vellemus augeri: ut quia Deus gentem vestram per vos ex toto suam faciet, ulterioribus quoque gentibus quas in naturali adhuc ignorantia constitutas nulla pravorum dogmatum germina corruperunt, de bono thesauro vestri cordis fidei semina porrigatis; nec pudeat pigeatque, etiam directis in rem legationibus, astruere partes Dei, qui tantum vestras erexit. Quatenus externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitus imperio servituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, discernant potius gentem quam principem. Nulla igitur patria quasi speciali sede sibi vindicet totis quos honorum gradibus attollitis: constat vos esse, quo communis uno solis jubare omnia perfruuntur. Vicina quidem plus gaudent lumine, sed non carent remotiora fulgore. Quapro- B pter radiato perpetuum præsentibus diademate, absentibus majestate. Successus felicium triumphorum quos per vos regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas: quotiescunque illic pugnatis, vincimus. Inter hæc tamen catholicæ religionis affectum servat in vobis cura miserandi: et in apice rerum omnium gubernacula continente, non minus eminet sanctitas quam potestas. Ex qua utique factum est, ut dirigi ad vos servi vestri [a] viri illustris Laurentii filium principali oraculo juberetis. Quod apud domnum meum, suæ quidem gentis regem, sed militem vestrum, obtinuisse me suggero. Nihil quippe est in quo servire non potest. Commendat directum: congaudi misso, invidi vos visuro. Cui minus computandum est ad utilitatem, parenti pro- C prio restitui, quam patri omnium præsentari.

EPISTOLA XLII.

AB AVITO EPISCOPO DICTATA [b] SUB NOMINE DOMNI C. S. [c] AD VITALIANUM SENATOREM.

Quantum pertinet ad dignam judicii vestri integritatem, quoscunque honorum privilegiis erigitis, Romanos putare debetis. Ex hac ergo fiducia, non convenit ut ex toto credantur absentes, quos etsi patria separat, militia repræsentat. Unde quod solum valeo, sed utilitate officii animum devotionis osten- A dens, quid assidue cuperem, vel cum possibilitas permittit allego. Vos nunc clementissimo communi principi quid vellemus asserite. Insinuate attentius obedientiæ famulatum, quem nunc in obsequio, semper habemus in voto. Suggerite ac pariter commendate, ab amatore vestro domno et patre meo impletam, me intercedente, principalis reverentiæ jussionem. Clientis vestri viri illustris Laurentii filius studio meo redditus additur regioni. Miseramus dudum in parente famulum: ecce adjicimus in filio famulatum. Quo uno vobis directo, qualiter cum aliis agatur advertite. Superest ut præfatus miles vester, cujus proles et illic gratiæ vestræ porrigitur, et hinc patriæ reservatur, commendatus vobis studio meo, ipse commendet quod vel de illius sobolis adeptione jam compos, vel de istius quæ nobiscum redit prosperitate securus est.

EPISTOLA XLIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [d] CELERO SENATORI.

Constat non minus desiderii mei esse quam debiti, ut officia quæ merito inclytæ magnitudini orbis devotus impendit, a me qui gratiæ ejus jam dudum videor obligatus, specialius excolantur: maxime cum opportunam nunc occasionem favor divinus obtulerit, in qua imperio celsitudinis suæ plena meruerim devotione servire. Quapropter cultoris vestri viri illustris Laurentii filium, quem ad mundum suum dirigi jussio reverenda præcepit, magnificentiæ vestræ præfato largissimæ sospitatis honore commendo. Augete studio defensionis quod voluistis animo pietatis. In regione expetit patrem, in vobis reperiat paternitatem. Tuimini etiam cum prole susceptum. Qui vobis licet satis sit debitor per honorem, plus tamen incipiet debere per sobolem: quod per vos potietur proprii affectus solatio, compensaturus erga vos affectionis experimento. De cætero autem, quantum ad fideles vestros pertinet, exspectatam semper cupimus jussionem, optamus obedientiæ facultatem. Vos propitia divinitate præstate, ut Romanam sub gloriosissimo principe nostro prosperitatem, in cujus apice digna honoris arce fulgetis, tam serenitate sermonis

[a] De quo iterum in duabus proximis epistolis. Hunc ad patrem redire cum cuperet Anastasius, Clodoveum intercessorem adhibuit, ut eum a Gundobado repeteret, apud quem captivus obses, ut reor, pro patre tenebatur.

[b] Sic et in epistola 84, *sub nomine domni regis C. S.*, id est comitis Sigismundi. Sigismundi enim regis nomine dictatam, atque in ea loqui Sigismundum, hinc apparet, quod Gundobadum patrem suum vocat, a quo Anastasii, ut dictum est, de Laurentii filio impleta fuerat jussio. Quare, si comitem hoc loco dixit, ut in epistola 7 patricium Sigismundum, inter cæteros honores quibus exteros reges ornabant Romani, comitivam quoque deferri solitam intelligendum est.

[c] Patricioli filium, Asparis nepotem, qui fidei orthodoxæ, synodique Chalcedonensis tuendæ studio, ut auctor est Victor Tonnennsis, hostem se Anastasio palam exhibuit; et cum is de Trisagio insaniret, pro eo imperator acclamatus est. Theophanes in Chronico, τοῦ ὄχλου καταβοώντων Ἀναστασίῳ, καὶ ἄλλον βασιλέα αἰτούντων, Βιταλιανὸν δὲ αὐτῶν εὐφημούντων αὐτοκράτορα, quanquam hoc posterius Marcellinus comes Areobindæ tribuit, non Vitaliano. Qui mortuo tandem Anastasio Constantinopoli ab Justino revocatus, ac magister militum et consul collega D Rustico creatus, septimo mense sui consulatus vulneribus confossus in palatio interfectus est, indict. XIII, ut Marcellinus idem notat, hoc est anno Christi 520.

[d] Eadem inflexione qua Celeri ejusdem filium epistola 35 dixit pro Celeris, quod Græci quoque Κέλερος dicunt. Fuit hic magister officiorum, notus expeditione Persica, cui, ut Procopius lib. II scribit, inter cæteros duces præfuit τῶν ἐν παλατίῳ ταγμάτων ἀρχηγὸς Κέλερ. μάγιστρον Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν καλεῖν νενομίκασιν. Notus et discrimine quod adiit, cum ad placandum populum Trisagii causa efferatum, missus esset ab Anastasio, ut Marcellinus comes in Chronico narrat, Paulo et Moschiano coss. Sed et consulatum cum Venantio Liberii filio Celerem gessisse Fasti fidem faciunt, et bonarum partium fuisse testatur, tum Hormisdæ ad Celerem epistola 34, tum altera Celeris ipsius ad Hormisdam de pace inter Ecclesias composita.

augusti, quam dignitatis vestræ rescripto mereamur agnoscere.

EPISTOLA XLIV.

VITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] DOMNO SIGISMUNDO.

Si ut dignamini credere loqui possem, importune tum obstreperet Græcis auribus sermo Latinus. At cum in lingua nostra hoc magis abiturum sit intelligibile, quod minus fuerit expolitum; in litteris quas per conservum meum offerri præcepistis, possunt et vitia cum securitate dictari. Ipsi certe quid velimus dicere quocunque scrutentur interprete, ego in affatu consueto dignatione plus, si dici potest, quam piissimi domni experimento interpretante cognovi. De reliquo, Christus vobis pro perseverantia gratiæ quam peculiaribus servis servatis, vicem rependat. Quod etiam in hoc ipso adolescente quem dirigitis tale monstratur, dum cogitantes in neutro quidem commodum, sed in utroque mercedem, quasi vobis nutristis filium, et quasi patri redditis nutritum.

EPISTOLA XLV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] VIRO ILLUSTRI APOLLINARI.

Diu est, si aut verbo meo creditis, aut de affectu mutuo digna sentitis, quod litteras aliquas vestri sumere desiderans, plus tamen officii mei offerre cupiebam, quod in persona vestra, dilectioni primum, deinde necessitudini, ad ultimum dignitati a me debentur. Non semper debemus occasionibus commeantum solvenda committere: quia licet et ipsa nobis opportunitas portitorum propter frequentiam debeat esse votiva, necesse tamen est ut illa sollicitudo præcellat, quæ se appetitu proprio, sine interventu alienæ necessitatis insinuat. Hujus obsequii me obnoxium sciens, intercludi redhibitionem justam injusto obstaculi præpedientis obice jamdudum tacitus ingemiscebam. Pervenerat quippe, non ad notitiam tantummodo, sed ad mœstitiam nostram, dispositi fumus incendii, quod sanctam ac simplicem innocentiam vestram, velut de effetis cineribus, conjuratio procellosa ventis mendacibus sufflans, incassum movere tentaverat. Ob quam causam verebamur anxietatis vestræ sarcinam voto libaminis aggravare, et mœroris augmentum pro consolatione transmittere. Sub hujus ergo ambiguitatis nubilo confusa exspectatione pendentibus, litteras vestras, serenitatis pristinæ, pietatis expertæ, inopinanti mihi Deus obtulit. Recognovi illic, qua satis delectatus A sum, manum vestram, qua prius, paternam declamationem, qua maxime, hæreditariam benignitatem. Scripsistis igitur, Christo præstante, jam reduces, omnia tuta esse, circaque vos dignationem domni regis Alarici illæsam et pristinam permanere. Quanquam ego censeam, quod post quamcunque mutationem, gratia talium personarum ita sine augmento non redditur, sicut sine periculo non finitur. Volunt enim quasi satisfacere innocentiæ lacessitæ, tumque eligunt credidisse cum cernunt: et sic eis conscientia nostra sufficit, si scientia sua testis accedit. Ego tamen nuntio vestræ, imo nostræ securitatis accepto, ecce Deo teste loquor, in lacrymas mixtas lætitiæ præteritorum recordatione prorupi. Animum namque, ut ait vester poeta (*Æneid.* II), subiit cari genitoris imago, B ut memoria retractavi, usque ad nostras quamlibet dispari professione personas, quamdam [c] parentum communium sortem parilitate laborum invidia exsequente perduci. Illa tamen in Dei nomine etiam nobis suppetit, quæ illis consolatio fuit: quod toto æmulorum nisu, toto circumlatrantis undique livoris dente tentata, quotiescunque appeti visa est, criminationi subjacuit familia nostra, non crimini. Quoniam si vos a patre vestro Archadio didicistis, virum sæculo militantem minus inter arma quam inter obloquia periclitari; nec ego parum exempli a Sidonio meo quem patrem vocare non audeo, quantum clericus perpeti possit assumo. Quocirca illud Divinitas tribuat, ut nobis quam novum non est talia objici, tam nos nulla novitas merito faciat accusari. C Sed desistat nunc lætitiæ tempore, amaritudinis ex opportunitate sermo perstrictus: quin potius ineptia vacantis audaciæ unde rideatis exhibeat. Ante aliquot menses datas ad amicum quemdam communem magnificentiæ vestræ litteras vidi, quibus salutatione præfata, in epistolæ declamantes parte succidua, scribebatis [d] placuisse vobis libellos, quos inter occupationes seria et magis necessaria conscribendi, nihilominus tamen de spiritalis historiæ gestis etiam lege poematis lusi. Hic nunc nihil falso, nihil assentatorie me loqui, coram sinceritate vestra imprecor testem Deum, tantum me tuo judicio delectatum, veluti si auribus domni mei patris tui meditata confessus, cujuscunque laudis momento sub censore donarer. Primum namque gaudebam, quod sensum D vestrum huic liberius quam alteri pandebatis. Deinde quod agnovi, vos aliquod bonum de conatu fraterni

[a] Dictarat, opinor, Avitus nomine Sigismundi, non solum superiores litteras ad Vitalianum, sed proximas etiam ad Celerem. Ad has ergo in Græciam, ut Græcis auribus obstrepant, abituras alludit, et Laurentii filium patri redditum gratulatur.

[b] Sidonii filio, si recte ad epistolam 22 conjecimus, cum is ab Alarico rege apud quem delatus fuerat, illæsa gratia rediisset.

[c] Mox, *appeti visa est familia nostra.* Tanta erat Aviti familiæ cum Sidoniana conjunctio, ut eamdem faciat, vicissimque nomina transferat et commutet. Cur ergo Sidonium patrem suum dicat Avitus, apertum est, quia is pater fuit Apollinaris. Archadius vero quem Apollinari patrem affingit, quis fuerit, aut quæ obloquia passus sit, quærendum est. Nam de Sidonio ex ejus vita et epistolis patet.

[d] Placuisse Apollinari poematum suorum libros gaudet, de quibus trepide in epistola 53 illius judicium exspectabat. Nec immerito: Sidonio enim patre non indignus filius, ad quem scribens Ruricius lib. II, epist. 25, *Cujus vos*, inquit, *esse filios non solum generositate prosapiæ, verum etiam et eloquentiæ flore, et omni virtutum genere comprobatis.* Et post alia: *Quem si divina clementia usque ad hoc tempus superesse voluisset, sicut jam tum de vestra imitatione lætabatur, ita nunc de perfectione gauderet; cum spem ad rem cerneret pervenisse, nec sibi invidere æqualem, quem optaverat esse meliorem.*

operis non minus velle quam credere : certe meritis dictionis non quantum volebatis inventis, supplere vos voto quod non poteratis implere judicio. Libellum tamen amicus, qui ut puto ad vos pervenire fecit, non de librarii, sed adhuc ex notarii manu, adeo mihi inemendatum crudumque præripuit, ut non facile denotes, auctoris magis scriptorisve vitiis irascaris. Quapropter opusculum ipsum in membranis redactum, nec adhuc quanta volueram correctione politum, ne moram desiderio meo facerem, celeriter destinavi. Si revera non solum amantibus, sed et judicantibus vobis placet, quoniam apud extraneos forte non deerit quem audacis conatus tangat invidia, abunde mihi sufficit, ut vos quod cupio sentiatis, quia sicut non minus ad meam quam vestram gloriam pervenit, communis Sollii opus illustrare : ita vobis, favente Christo, militari actu magis magisque florentibus, si in minimis subtilius aliquid dignum lectione confecerit, etiam sine me quodcunque Archadium non puderet.

EPISTOLA XLVI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] VIRO ILLUSTRI APOLLINARI.

Communi quidem sed veraci sermone vulgatum est, quod sese mutuæ dilectionis intuitu concordantium cernunt motus animorum. Patet namque, tam unam nobis sollicitudinem nostri esse, ut litteris quas harum portitor filius meus attulit, ante si bene metiamini responderem, quam venirent. Nam in pagina famulatus quam per meos ex causa direxeram, et gaudium de vestra prosperitate conceptum plus affectionibus quam sermonibus exhalavi, et necessitatem nostram patrumque communium, mixta lacrymis exsultatione perstrinxi. De cætero autem, tribuat divina miseratio, quæ spem reparandæ prosapiæ in personæ vestræ honore constituit, et securæ posteritatis nostræ te uno genitore etiam nos patres esse concessit, ut calcatis jugiter, prosperante successu, inimicorum conjuratione et perfidorum livore, primus victoriæ vestræ gradus sit, integritatem in conscientia reponere, secundus cum discutitur in audientia comprobare, tertius criminantibus post sententiam pepercisse. Torqueatur animus etiam pro indulgentia sibi collata hostis oppressi, et duplici nostro bono, supplicio suo, cum vos gemuerit non posse decipi, doleat posse misereri. Sic potestati vestræ ad hoc tantum redditus ne periret, dum oblatæ ultro veniæ amarus irascitur, vitæ quodammodo suæ invidere cogatur. De reliquo, domine semper piissime frater, cura pectoris mei, pompa generis tui, fer paulisper trepidantem fraternæ admonitionis ineptiam. Cavete attente a malis, et linguarum mordacium dolis sibilantibus, blandimenta venenaque machinantibus, doctius post experimenta non credite. Nec minus vos solertia faciat cautos, quam innocentia præstat securos. Siquidem intercluso probis explorandi nocendique aditu, vel ob hoc gratius debetis debellandis eorum conatibus laborare, quod ultionem divino judicio reservantes, debellatis semper statuistis ignoscere. Quanquam, ut supra jam fassus sum, non ex toto impunitus abeat quem gloria lacessistis.

EPISTOLA XLVII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] VIRO ILLUSTRI HERACLIO.

Dum incessabilis de amicorum fide ac salute cura mihi est, nuper prosperitatis vestræ inter prima sollicitus agnovi, quod cum familiari catholico episcopus tacere non debeam : fructum tamen in vobis mercedis taliter acquisitæ, non tam verbis valeo exaggerare quam gaudiis. Nam nisi vos a præconio vestro maturitate senatoria temperatissimi pudoris frena cohiberent, effectum certaminis gloriosi forsitan lingua digne laudaret apud proprios, quæ mirabiliter convincit adversos. Habuistis igitur, ut audio, cum rege tractatum, de quo, quantum comperi, quia non se ducebant lenibus, transistis ad prælium. Discussus est nutu divino, qui cœlis dudum notus, jam et hominibus appareret religionis assertor. Os sæcularis eloquentiæ pompis assuetum, et fluentis exundantibus Romuleæ profunditatis irriguo, alacritate debita missam sibi de supernis materiam dignæ disputationis arripuit : et facundiam quæ cum interfuit, aut describendi mundi jucunditatibus, aut regalium triumphorum præconiis patrocinabatur, ubi primum melior pars poposcit, astruendæ veritati servire non puduit. Itaque sicut alias laudando regem reddidistis Cæsari quod Cæsaris erat, ita hic ut redderetis Deo quæ Dei sunt, nec Cæsari pepercistis. Quapropter habet hic in vobis, etsi non sequitur, potestas regia quod miretur, quæ se aliquoties declamantibus vobis, nunc evidentius sentit ornatam. Siquidem nescire vos assentationis illecebram, cum res admonuit, etiam resistendo monstrastis. Illos igitur denotet sapientia potestatum, facile humanis fidem posse mutare, quos divinis vident terrena præponere. Cæterum cognosci in promptu est, custodem primarum partium etiam quæ sunt residua servaturum. Hæc igitur dicta sunt cum de sæculari parte tractamus. Si vero ad sacerdotum causam venitur, quorum adhuc non augetis scholam, sustinetis injuriam, atque ornandam contubernio prius informatis exemplo; quis horum vos, quis, inquam, nesciat, ad certamen hujus spiritalis palæstræ, non rudes aut

[a] Eidem Sidonii filio, de re eadem, id est, de prospero exitu discriminis quod apud Alaricum regem adierat : monetque porro, ut inimicorum dolos et insidias jam expertus, eas diligentius caveat in posterum.

[b] Senatori, non in Italia, vel in Græcia, ut plerique superiorum, sed in Gallia, et in aula regis Burgundionum, nobili oratori, cui pro suscepta fidei catholicæ coram Gundobado defensione, episcopalem cathedram vaticinatur. Quod si vanum augurium non fuit, Heraclium hunc opinor episcopum illum Tricastinensem, cujus nomen in conciliis aliquot subnotatum cernimus, ut in Carpentoratensi et in Arausicano, et Vasensi II, ac denique in IV Aurelianensi. Ad eumdem scripta item epistola 86, cui subdita est ipsius responsio.

ignaros legis, sed sub longo salutarium meditationum A gymnasio pervenisse? Quocirca novum sit aliis, vos necessitatem belli hujus a perfectione virtutis ordiri; ego autem in cujus animo caritatis arcem tenetis, jam dudum incunctanter agnoveram, ad catholicos sensus intuendos per studium, tuendosque per verbum, probato in vobis devotionis ardori non tam desideria deesse quam tempora. Quapropter famulatu salutationis oblato, pastu quo mentem vestram jejuno corpore satiastis, significans etiam me refectum, unde paucula hæc saturitatis meæ gratulatio eructat, Deum quod restat exposco, ut cui prædicatoris officium jam imposuit, honorem subjungat, et quod exercetur actu, ostendatur et habitu; nec docilem sed doctum, nec discentem sed doctorem cathedra suscipiat. In qua, velut triumphatore conspicuo ser- B tis gloriæ victricis evincto, inter acclamantium gaudio consonas voces, quantus in clypeum assurges, etiam nolens astipuletur hostis expertus, nunquam inventurus quod de qualitate meriti contradicat, sed habiturus semper de prælii inæqualitate quod timeat.

EPISTOLA XLVIII.

RESCRIPTUM VIRI ILLUSTRIS HERACLII.

Utinam mihi subinde contingat ut alloquii vestri fecunditate augear, eruditione corroborer. Duplicis siquidem gloriæ fructus tali succedit eventu, dum et fides tepore marcida ferventis hortaminis calescit afflatu, et ingenium naturali paupertate jejunum perspicui cultoris ope ditescit. Unde si dignamini, comitante salutationis officio, maximas gratias referre præsumo, quod responsio mea apud principem ha- C bita, et ad vos ut indicastis rumore perlata, competens judicium, non ex meo ore, sed ex vestro amore promeruit. Quanquam præcellentissimus princeps, cum sit ad inveniendum igneus, profluus ad dicendum, ita sensus scrutatur humanos, ut semper conventibus mitissimo pareat auditu; tamen laboris mei seriem amputato æquore prolixitatis insinuo. Laborem inquam dico, quia procellas inopinatis flatibus irruentes imperitus nauta vix sustinet. Ergo cum, Dei beneficio tandem cessante tædio, tranquillitas publica rediisset, quasi mutatis diu castris destinatum certamen inveni. Semper enim ignavas imbellesque personas petulantior conflictus aggreditur. Primum quidem e diversa parte proprii luctaminis sermo prælusit. Deinde velut ab insidiis repentinis fusus est D vomitus transmarinus. Denique incidi in chartam vacuam, veteri oblitterata, quæ ita se circumductis irridebat erroribus, ut salva respondentis libertate, propositionis pravitas exitum non haberet, et ex propriis instrumentis in jugulum suum resistenti arma suggereret. Quid multis? pagina quæ legi cœperat, ad silentium conferre se maluit: ut omnibus probabiliter innotescat, quam sit divisa, quam facilis, quam spernenda persuasio, quæ excogitatis multiplicibus argumentis divinæ instructionis inopem turbare non valuit. Hæc itaque replico, ut quidquid est quod in causa Dei placeat, vobis procul dubio sentiam ascribendum. Enimvero in propatulo habetur, quod me sic olim collocutionis vestræ lima componit, omnisque in commune prædicationum vestrarum cultus inuberat, ut sedes illa cui vos contulit cœleste judicium, multum administratori muneris præstitisse, sed non minus in administrantis persona meruisse videatur. Incumbe ergo orationi, domine pectoris mei, et auxilium Dei, quantum pro te tam pro omnibus, sicut facere consuesti, pius et pervicax tutor implora, ut fidei murus nulla oppugnatione quassetur. Procurandum autem est ut filios alumnosque tuos vulgata indesinenter castigatione tuearis, et validissimis doctrinæ armis, sicut legimus, tecum vincere cogas.

EPISTOLA XLIX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] VIRO ILLUSTRI ANSEMUNDO.

Plurimum miror quod persona pro qua intercedere dignamini, mihi Lugduni posito sola negaret crimen quod universitas conclamabat, et post ad hoc resipiscendo pervenit, ut vobis pro venia supplicaret. Quod si simpliciter petit, constat hominem etiam reatus ordinem confiteri. Quocirca licet in omnibus causis, pro dignatione quam mihi impenditis, liberum non habeam aliud facere quam jubetis: non possum tamen, quia sic vobis visum est, remissurus nisi prius exaggerare quod doleo. Scit enim pietas vestra, et in ecclesia legi frequenter audivit, in ipso adulterii malo quantos Scriptura divina gradus exprimat. Primo fornicandi lapsu peccavit, qui feminam conjugio carentem libidine inflammatus appetiit. Secundo quo pejori, qui furto super cuncta damnabili simplicis tori pudicitiam violavit. Cumque nihil gravius hac injuria humanus animus putet, vos conjicite qualiter cœlestis justitiæ castitas moveatur, [b] si sponsam Christo devotam, et in sancti altaris thalamo benedi-

[a] Nomen hoc vero plane Celticum, ac fortasse hoc loco Burgundicum: cujus generis inter comites qui Burgundionum legibus subscripsere, Aunemundus, Andemundus, Fredegundus et Godemundus. Ansemundo eidem inscriptæ sunt etiam epistolæ 71, 72.

[b] In eos qui sibi sacras virgines in matrimonium jungunt, Gallicanorum antistitum, ne alios memorem, apertæ sunt sententiæ. In concilio Turon. I, can. 6: *Qui se sacratis virginibus per conjunctionem nefandam miscuerint, vel propositum professæ religionis dereliquerint, utrique a communione habeantur alieni: quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, donec resipiscentes ad auxilium pœnitentiæ revertantur.* Et in concilio Parisiensi III, can. 5: *Sacratarum virginum neque per raptum, neque per competitiones aliquas, quisquam conjugia sortiatur. Quod si contra interdicta quis venerit, et sacerdotem suum audire neglexerit, et in præsenti a communione catholicæ Ecclesiæ habeatur extraneus, et in perpetuum anathemate feriatur.* In Turonensi denique II, canone 20, similiter statutum, *Ut nullus sacratam Deo virginem, quæ in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere, aut competere, aut sibi conjugio sociare præsumat. Quod si pastorem suum audire, et se de vetito conjugio separare despexerint, perenni excommunicatione damnentur.* Hactenus leges ecclesiasticæ. Nam jure civili etiam apud nos, qui sacratam virginem sibi in matrimonio sociarat, capitali sententia feriebatur, ex Clotarii II regis constitutione, quæ inter concilia Galliæ subnexa est concilio V Parisiensi.

ctione dotatam, ut nihil amplius dicam, vel petulanter aspexerit. Audio tamen dicere juvenem ipsum, non se virginem temerasse, cujus turpibus votis prior multorum carnalitas sit abusa. Quapropter, cum reum facinoris manifesti, nisi satisfactio sua et intercessio vestra non liberet, dici non potest quantum miserum sit, pro reconciliatione sua aliorum crimina confiteri. Accuso in hac parte nostri temporis negligentiam sacerdotalem. Non nos ista perquirimus : offert se nobis inexplorata criminum magnitudo. Quis in malis socium quærat? quis in aliis maculis se inserat? Atque utinam et ipsius vel sic se temperasset obscenitas ut lateret. Deinde ex duobus eligat utrum velit. Si primus in puellam carne peccavit, adhuc exspectat quod prædicit Apostolus : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (*I Cor.* III, 17). Si autem corruptionem quam non inchoaverat, gravavit augmento, quid excogitari turpius, quid horribilius potest, quam ut illum nec hoc prohiberet a meretrice, propter [a] quod solum Deus separari virum permittit a conjuge? Nec solus, si respicitis, ex hac parte commoveor. Gemunt religiosi parentes scelus admissum, et quasi perditam prolem lugentes, orbitatem in planctibus profitentur. Quid de matris mœstitia loquar, quam prædicti jam dudum mariti omni morte deterius turpis vita viduavit? Et quanquam coitu moveri solitus, tamen patienter hæc tulerat, filius sine pietate, maritus sine sobole, pater sine hærede : et nutritum insuper ejus studio quamlibet ortum ex generosis adulteris nobile malum; sic tamen quod in desiderati nativitate portenti, non est augmentum prosapiæ, sed infamiæ documentum. Et quidem salva quam mihi Deus in vobis præstitit defensione, plus culpam præfati quam pœnitentiam pertimesco. Sed rogo ne irascatur ista dicenti. Speculator sum, tubam teneo, tacere mihi non licet. Atque utinam peccans humano animo fuerit, cui solitum est labi per facilitatem, et per satisfactionem reverti : cæterum iracundia calere, tumere superbia, lascivia fetere taurinum est. Quocirca licet diversas in me iterum flammas evomat, et [b] ad Romanæ forsitan Ecclesiæ audientiam vocet, et si adhuc placet, etiam filios habere me dicat, nec minas suas assentatione placabo, nec fatigationes itinerum verebor, qui civicis criminibus in patria plus fatigor, nec multos filios habere me negabo, qui unum ex eis peperisse jam doleo. Et quidem mihi hæc paucula error extorsit. Sed vos quibus summæ potestatis privilegio major facultas suppetit castigandi, hominem violenter arguite. Conciliationem illi meam, quia ita præcipitis, indicate : meque, ne malum hoc vel mandatis aut nuntiis renovetur, curaturum esse prædicite : ut ei, si non corrigendo, per voluntatem, certe vel per custodiam reprimendo, saltem facultas culpæ possit erui, si pœnitentiæ salubritas non possit persuaderi.

EPISTOLA L.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] VIRO ILLUSTRI MESSIANO.

Maximus desiderio nostro cumulus optata gaudiorum ubertate confertur, si magnificum vestræ pietatis statum florenti prosperitate pollentem avida sollicitudinis nostræ vota cognoverint, quia hoc profectibus nostris compendio indubiæ felicitatis accrescit, quidquid eminentiæ vestræ cœlestium beneficiorum pietas diffusa contulerit. Nam in eo metimur felicibus incrementis nostrorum propagationem successuum, in quo actionis vestræ crescit sine fine suffragium. Quapropter honorificum salve persolvens, rogo quod si, ut cupimus, felicia erga vos cuncta geruntur, magnitudo vestra occurrentis paginæ elocutione perdoceat.

EPISTOLA LI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [d] VIVENTIOLO RHETORI.

Audivi quod in homilia qua nuper ad populum Lugdunensem in dedicatione basilicæ videor concionatus, barbarismum me incurrisse dicatis, palam scilicet castigantes quod publica oratione peccaverim. Fateor istud potuisse contingere, præsertim mihi, cui si qua in annis viridioribus fuerunt studia litterarum, omnia fert ætas (*Virg. ecl.* 6). Ambieram tamen hoc ipsum a vobis coram positus audire, etsi jam sciendi in me facultas minuitur. Sed quia vos absentes dicere comperi, quanquam absens respondere curavi. Igitur culpasse vos ferunt, quod *Potitur* media longa syllaba dixerim, Virgilium in hoc verbo scilicet non secutus, qui syllaba ipsa correpta usus est dicens *vi potitur* (*Æn.* III). Sed istud remissibile est poematis necessitate, quod in opere suo sæpe invenimus Virgilium præsumpsisse, ut scilicet metri legem, sicubi opus est, barbarismo contentus expediat, et syllabarum naturam certis quibusque locis artem minime secutus invertat : quale est illud, *Non erimus regno indecores*

[a] Hinc patet persuasum adhuc illis temporibus in Gallia fuisse, propter fornicationem separari virum ab uxore, et aliam ducere, Christi permissu licuisse : quod ex concilio quoque Venetico canone 2 manifestum est : *Eos qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint, statuimus a communione arcendos.*

[b] Quod in Galliæ quoque provinciis usitatum docet Leo Magnus, ad episcopos provinciæ Viennensis. *Nobiscum*, inquit, *vestra fraternitas recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia, a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata aut confirmata fuisse judicia.*

[c] Messiani per hæc tempora duo præter istum in Galliam noti. Unus Aviti imp. patricius, quem Ricimer, cum Avitum Placentiæ spoliaret imperio, e vita sustulit; alter S. Cæsarii episcopi notarius, postea presbyter, qui una cum Stephano diacono posteriorem ipsius vitæ librum conscripsit. Inter utrumque hic noster, omnibus antiquior Messianus proconsul Africæ post consulatum Bautonis, de quo S. Augustinus libro I contra litteras Petiliani cap. 23.

[d] Refellit hominis imperiti inscitiam, qui vitiosum Avito accentum objecerat in homilia quam Lugduni in basilicæ dedicatione pronuntiarat. Homilia hæc interiit. Laudat vero etiam Fausti Reiensis episcopi, in ejusdem ecclesiæ Lugdunensis dedicatæ festis prædicationes Sidonius lib. II, epist. 5, quæ ipsæ pariter interierunt.

(*Æn.* VII), vel *Fervere Leucatem* (*Æn.* VIII), vel illud, *Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem Egerimus* (*Æn.* IX). Nullus litteratorum inficias ierit, productas naturaliter penultimas syllabas ab oratore ponendas. Virgilius usus licentiâ poetarum, secundum ea quæ supra diximus, corripiens mediam syllabam præsumpsit, id est *potitur*. Quod verbum, sequestrata paulisper poeticâ libertate, artis potius lege tractemus. Commune verbum, tempore præsenti, numero singulari, personæ primæ *potior*, secundæ personæ longa mediâ *potiris*; restat nunc personæ tertiæ, id est *potitur*, similiter longa sit necesse. Sicut dicimus, sortior, sortiris, sortitur : sic tempore præterito perfecto, primæ, secundæ, tertiæ personæ, potitus sum, es, est : sic imperativo modo, tempore præsenti, ad secundam personam potire, sicut sortire. Similiter optativo modo, tempore præsenti et præterito imperfecto, sub totis tribus personis, æque syllaba producta, utinam potirer, potireris, potiretur. Cæterum si tertiæ personæ ut *potitur* brevem ponas, idem facere cogeris et secundæ, ut *potiris* dicas : quod utique ab omni exemplo atque usu integritas Latinitatis excludit. Ecce verbum pro quo a vobis reprehensus fueram, de quâ audeo ratione mutuari. Nunc autem, honorificum salve persolvens, impensis precibus, quæso ut, quia ego amicitiæ jure quid mihi videretur stylo paginæ liberioris expressi, vos quoque ad vicem, sublato, ut supra dictum est, Virgilianæ auctoritatis exemplo, quem vel ob hoc in barbarismorum usurpatione non debemus consequi, licet idem Virgilius (*Æn.* VI) potitus vel potiti producte posuerit, sicut est illud *auroque potiti*; vos mihi rationem quam sequi debeam, rescripto exponente tradatis. Aut si certe sciscitantem testimonii cujuscunque eligitis docere compendio, spero ut de priscis magis oratoribus quos discipulis merito traditis, perquisitum diligentius repertumque pandatis : quod sine argumento artis, nec oratorio, invenietur pater et communis filius, quorum ingenia mallem præsenti tempore ut primus quam solus imbueris, hoc uno tantum vitio esse contentus. Qui tamen ex illo quo profluitis uberi fonte doctrinæ jam nunc inter initia sua non minus quam litteras bibant, quod amicum attrahere magis studiis quam detrahere, et oratorem eloqui potius quam obloqui decet.

[a] EPISTOLA LII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] VIVENTIOLO EPISCOPO.

Festivitati sanctæ cumulus, quam prospere vestra intercessione transegimus, caritatis apicibus quos direxistis accrevit : et ob id multipliciter reddidit lætiores, quod Ecclesiam quæ ubique una est, unitas complectitur gaudiorum. Tribuat Christus, ut sicut anno præsenti desideria nostra felicibus complestis indiciis, ita quoque tempore secuturo visitationem semper optandam Viennensi Ecclesiæ conferatis.

EPISTOLA LIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] GEMELLO EPISCOPO.

Litteras beatitudinis vestræ quas diuturnitas temporis fecerat desiderabiles, vicina festivitas reddidit gratiores, quam in Dei nomine prospere celebravimus, et a vobis commode transactam esse gaudemus. Orate illud semper Ecclesiæ catholicæ sanctorum suffragio provenire, quod Divinitas regulæ novit ac paci, salva in omnibus fraternitatis caritate congruere.

EPISTOLA LIV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS APOLLINARI EPISCOPO.

Post sancta dominicæ Nativitatis officia quibus ægerrimus et vere plus quam fessus interfui, quod mihi post Deum primum ac singulare est, nuntium vestrum exspecto; quem si meruero sumere, quæ-

[a] Sequentes aliquot epistolæ ex genere sunt earum per quas episcopi olim, solemnissimis diebus Natalis Domini et Resurrectionis consalutare se invicem, et quam prospere festivitatem celebrassent, nuntiare solebant. Hujusmodi complures inter Theodoreti epistolas in lucem nuper editas passim aspersæ leguntur, quæ morem hunc morisque causas, mutuæ scilicet benevolentiæ caritatisque studium, repræsentant : ut epist. 4 : Ἑορταστικοῖς συνήθως κεχρήμεθα γράμμασι : *Festivas de more litteras scripsimus.* Et epist. 5 : Τῆς φιλίας τὸ μέτρον ἐτίνομεν, κατὰ νόμον τῆς ἑορτῆς : *Amicitiæ officio fungimur, ut festi lex postulat.* Et epist. 26 : Τοῦτο γὰρ ὁ τῆς ἑορτῆς καὶ ὁ τῆς ἀγάπης παρακελεύεται νόμος ; *Hoc enim et festi et caritatis lex suadet.* Denique hoc unum illarum fuit argumentum, quod ex epistola 56 videre est, quam integram, quia brevior, subjicimus. ΕΟΡΤΑΣΤΙΚΗ. Ἀκμάζει μὲν ἔτι τὰ τῆς λύπης· καὶ χαλεπῶς αὕτη προσβάλλει τῷ λογισμῷ, τὸν δὲ τῆς ἑορτῆς πληρῶσαι νόμον ὑπέλαβον δίκαιον. Αὐτίκα γοῦν καὶ τοῖς γράμμασι κέχρημαι, καὶ τὴν εὐλάβειάν σου προσφθέγγομαι, καὶ τῆς ἀγάπης ἐκτίνω τὸ χρέος. *Urget quidem adhuc me tristitia, et mentem graviter concutit : attamen diei festi legem implere justum existimavi. Nunc itaque, et scribo, et reverentiam tuam saluto, et caritatis debitum exsolvo.* Ex his patet, ἑορταστικάς, hoc est festivas sive festales, ex eo dictas, quod festis diebus scriberentur : quo modo apud Alexandrinos ἑορταστικαί item nuncupatæ sunt epistolæ Paschales, Theophili, Cyrilli et aliorum patriarcharum, quibus proximi Paschæ diem cæteris ecclesiis denuntiabant. Sed illæ Paschales ideo appellatæ, quia de die Paschæ omnes : has vero partim etiam Natales dicere licuit, quia per utramque festivitatem mittebantur, ut in Natali Christi epistola 54 et 56 Aviti, in Resurrectione 38, 63, 64 Theodoreti.

[b] Lugdunensi, cui adhuc presbytero episcopatum auguratus est Avitus epistolâ 17, Lugdunensi cathedræ præfuisse ostendunt concilia quibus subscribit, Epaonense et Lugdunense sub Sigismundo. Quam exquisitæ autem doctrinæ vir fuerit, ex Agobardo discimus in libro de Judaicis Superstitionibus. *Viventiolus*, inquit, *Ecclesiæ Lugdunensis episcopus, cujus doctrinæ fuerit, non solum ipsius, sed et aliorum de eo scripta testantur.*

[c] Vasionensem episcopum fuisse docet ejus subscriptio in concilio Epaonensi. Ut diversum autem ab eo Gemello credamus, quem in eadem provincia præfectorum vicarium vidimus in epistolâ 32, facit quod in ea synodo quæ paucis post annis secutâ est, veteranus episcopus jam erat, principemque inter collegas locum obtinebat. Qua etiam de causâ hoc loco Apollinari, Victorio, Claudio et Gregorio anteponitur, qui eodem ordine in eadem synodo subscribunt. Apollinarem Valentinum episcopum novimus ex epistola 11, Victorium Gratianopolitanum ex 16. Claudius vero et Gregorius, illustris ambo nominis et famæ, alter Vesuntinam rexit Ecclesiam, alter Lingonensem.

cunque illa qua dignus sum fuit, ut ego confido temperabitur, ut vos meremini detergetur asperitas.

EPISTOLA LV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VICTORIO EPISCOPO.

Prospera Deo propitio festivitatis exordia, quia obtinueratis suffragio, visitastis affectu. Nam dum et curam patri solito geritis, et de incolumitate vestra quæ votis conveniant nuntiatis, quod gaudemus offertis, et quod debemus exigitis. Tribuat Christus hujus ipsius pietatis ac dignationis vestræ uberem commeatum, in quo a vobis munere magisterii geminati, et per sollicitudinis beneficium confortentur senes vestri, et per caritatis exemplum posteri doceantur.

EPISTOLA LVI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS CLAUDIO EPISCOPO.

Pro consuetudine desideria nostra votivis indiciis pietatis studio cumulatis; quorum visitatione suscepta, Nativitatis dominicæ nobis festa prosperitatis vestræ geminantur augmento. Pro qua gratia quam erga nos beatitudo vestra assidua dignatione multiplicat, præsentiam vestram succedentium annorum numerositate Divinitas propitiata longævitet.

EPISTOLA LVII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS GREGORIO EPISCOPO.

Magnæ quidem et nimis admirandæ sunt deliciæ quas misistis, copia, tempore, dignitate; sed tamen affectui, pietati, sollicitudini non æquantur. Per quas probatur, non tam dignatio vestra nobis quam præsentia defuisse. Expedita est suffragiorum vestrorum prosperitate festivitas: cui quantum accessit corporalium, tantum a consuetudine spiritalium defuit epularum: quas mihi Deus si in futuro tribuit commeatu, sicut nunc per vos transmittere, ita tunc vobiscum exhibere dignetur

EPISTOLA LVIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] VIVENTIOLO EPISCOPO.

Nisi frequenter vota communia peccatorum impedirentur objectu, jussioni consuetudinariæ caritatis solito volueram parere servitio. Nam cum festivitati vobisque occurrere duplicis compendii res fuisset, videtis ad mei solius pertinere dispendium, quod nequeo implere præceptum. Ita namque apud nos per momenta singula potestatum speratur adventus, ut nisi illis venientibus præsens esse curavero, ab eis qui solent in nobis etiam leviora culpare, quamlibet simplex abscessus meus, non solum negligentiæ, sed etiam contumaciæ deputetur. Quapropter, communi necessitate perspecta, impossibilitati meæ clementer ignoscite, et ut desideriis nostris, si non jugiter, vel interdum satisfacere possimus orate.

EPISTOLA LIX.

VIVENTIOLUS AVITO EPISCOPO.

Ad similitudinem divinæ benignitatis deliberatio vestra cultorum suorum petitionibus temperetur, ut in solemnitate sancti Justi plebeculam suam apostolatus vestri visitatio benedicat.

EPISTOLA LX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIVENTIOLO EPISCOPO.

Ad firmitatem promissionis divinæ, sit quod antea concessistis Est, Est, quod postea repetistis Non, Non; quia si bene occupatione præsentium qualitas pertractatur, conditionem inter vos habitam, etiam si tunc non debuisset interseri, modo specialiter deceret impleri.

EPISTOLA LXI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] CONSTANTIO EPISCOPO.

Litteras sanctitatis tuæ in Pascha quidem, sed non paschales accepi, nihil utique de caritate aut sollicitudine præferentes; sed quibus jubebas ut fratrem et consacerdotem nostrum Candidianum, quem ego quasi peculiarem commendaveram, non solum ad clericorum, verum etiam [c] ad laicorum audientiam destinarem, a quibus constat diaconum ejus pro civili causa servili custodiæ mancipatum. Et ideo, si censetis omnia de clericis vestris laicorum testimonio credenda, rescribite. Consequens erit ut dum sæcularium notitiam ex omnibu quæ in rumorem veniunt consulamus, clericorum libertatem prodamus. Illud tamen quasi amor tuus suggerere ac monere præsumo, [d] ne propter leves causas, et ut antiquam visitandi nos consuetudinem repetatis.

[a] Invitatus ad Lugdunensis ecclesiæ festivitatem excusat, quod Vienna propter adventum principum abesse non possit; eodemque spectat et sequens epistola. Nam S. Justi solemnitas Lugduni celeberrima: de qua et Sidonius lib. v, epist. 17: *Conveneramus ad S. Justi sepulcrum; processio fuerat antelucana, solemnitas anniversaria, populus ingens, quem capacissima basilica non caperet.* Hoc vero ad aliud pertinet genus epistolarum, quibus solebant episcopi vicinarum sedium collegas episcopos ad urbium suarum celebritates invitare. Cujus moris exemplum insigne est apud Basilium Magnum epist. 291, ubi ad Cæsariensium martyrum diem anniversarium, non vicinos modo, sed totius Ponticæ diœcesis episcopos advocat. Ἐπεὶ οὖν ἐπισημότατοι μαρτύρων, Εὐψύχιος καὶ Δάμας καὶ ὁ περὶ αὐτοὺς χορὸς, ὧν ἡ μνήμη δι' ἔτους παρὰ τῆς πόλεως ἡμῶν, καὶ τῆς περιοικίδος δὲ πάσης τελεῖται, ὑπομιμνήσκει ὑμᾶς, τὸν ἴδιον ἑαυτῆς κόσμον ἡ ἐκκλησία, διὰ τῆς ἡμετέρας φωνῆς παρακαλοῦσα, τὴν ἀρχαίαν ἀπολαβεῖν τῆς ἐπισκέψεως ἡμῶν συνήθειαν. *Quocirca cum inter martyres nobilissimi sint Eupsychius et Damas sociique ipsorum, quorum anniversaria memoria in urbe nostra totaque vicinia celebratur, admonet vos peculiare decus suum ecclesia, voceque nostra hortatur.*

[b] Duo hujus nominis episcopi sub hoc tempus concilio Epaonensi subscripserunt, unus Octodorensis, alter Vapincensis. Quorum alteri quin ascribenda sit epistola dubium non videtur; utri autem incertum.

[c] Clericorum quippe libertati repugnat, et antiquissimo eorum privilegio, quod a Valentiniano Cæsare post exstinctam Joannis tyrannidem renovatum est, lege ultima cod. Theod. De episcopis, etc.: *Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares judices debere deduci infaustus præsumptor indixerat, episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.*

[d] Quod canones passim inculcant, ac diserte inter Gallicanos postea sanxit secundus concilii Aurelianensis v: *Ut nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis et levibus causis a communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab ecclesia arceri jusserunt committentes.* Quocirca ut hoc loco Constantium Avitus, sic Hilarium Arelatensem hoc nomine taxat Leo Magnus epist. 89, quod communionem facile denegaret.

non ad Deum, sed ad sæculum pertinentes, ne laici quidem, non dicam clerici, sancta communione priventur : quia nescit cujus dignitatis sit ipsa communio, qui non eam, omni animositate seposita, et cum magno dolore suspendit, et cum maxima festinatione restituit.

[a] EPISTOLA LXII.

APOLLINARIS EPISCOPUS AVITO EPISCOPO.

Cogitans atque pertractans, inofficiositatem vestram qua ultione percellerem, nil dignius judicavi, quam si declinata injuria nihil segnius intentarem. Ne quam igitur in posterum vereamini, qui cernitis præsentem noxam protinus expiari.

EPISTOLA LXIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS APOLLINARI EPISCOPO.

Ne festivitati occurrerem necessitas obstitit; ut mihi festivitas occurreret, humanitas procuravit. Scribitis ergo indevotionem meam marinis vos copiis luisse. Dignum scilicet genus supplicii, quod me faciat..... cum desiderio gulæ conflictum. Satis vobis præsentari cuperem, si non taliter puniretis absentes. Utinam censuræ vestræ in contumace pœna non desinat. Nihil magis timeo quam quod me jubetis in posterum nil vereri. Indulgentiam illi qui rogaverit date, cui avari esse volueritis ignoscite. Cæterum me, qualitatem districtionis expertum, offensam magis vestram constat desiderare quam veniam. De cætero, orationibus vestris tribuat Deus noster, ut qui festivitati hujus præsentis anni officiis magis quam deliciis abfui, in tempore futuro vestris me orationibus affectu non simili præsentetis, et cum rediero, severitate simili absentasse credatis. Octo palustres quis quia se duo paria solearum, quæ dentibus maceretis, aliquatenus commotus, non tamen ex integro malum pro malo reddens direxi.

EPISTOLA LXIV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIVENTIOLO EPISCOPO.

Servatis dulcedinis morem, imo, ut verius dicatur, augetis. Refecistis sollicitudinem nostram de vobis prospera nuntiando : visitastis festivitatem de nobis quæ optabatis agnoscere cupiendo. Inter has tamen multiplices epulas animorum, etiam corporalibus quoque deliciis ornastis et mensam, qui spiritalibus paveratis Ecclesiam. Quapropter impar ad gratias, convertor ad preces, divinam misericordiam rogans, ut caritas cujus profectum studio asseritis, vobis ad præmium, mihi ad gaudium, cunctis proficiat ad exemplum.

EPISTOLA LXV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] MAXIMO EPISCOPO.

Quantum ad infernum spectat et finem, aliquantulis corpusculi viribus vigeo, anxius tamen, quod de domno [c] filio vestro, vel absolutione colloquii nil agnosco, quod nec eo loci fuerim ut agnoscere potuissem. Nam monasteriis [d] Grenencensibus occupatus, aliquandiu jam habitaculo civitatis abfueram. Siquidem deliciæ quas dignatione solita, direxistis, in itinere me et adhuc ab urbe remotius positum repererunt. Quasque, quod multipliciter mirum, servus vester Leonianus, multum gemens, minimum sumens, avido quidem, sed vacuo ventre transmisit. Putasses eulogias vestras tenaci corvorum rostro ad Eliæ (*III Reg.* XVII, 5) pastum bajulis unguibus exhiberi. Adeo ab insultatione mea in vos justius exercenda, misit esuriens, quod vorare non potuit concupiscens. Vellem nunc scire quid prosit quod gulæ peculiaris famuli sic studetis, cui ne mihi datas a Deo vobisque epulas de ore vel manibus raperet, optabilis absentandi causa me rapit. Cæterum [e] de recentibus, quia præcipitis, et meas partes cedo, et multiplices suas. Utatur paterarum capacitate pro capis : alterat labris phialas, quas circumdet pitaciorum densitate pro circulis. Nam curabo ego quoque, quod eum velle cognosco, cum simile aliquid de vestra benedictione eruero, ad multiplicandas recentes gulæ calenti, si non excogitatur modus in calicibus, ponatur in piscibus.

EPISTOLA LXVI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VICTORIO EPISCOPO.

Factum quod litteris indicastis, levi ad me ante affatum vestrum rumore pervenerat. Cujus per sanctum Archidiam acerbitate comperta, si credere dignamini, non minus quam vos dolorem vestræ commotionis ingemui. Siquidem satis gravis exempli est, ut nunc sacerdotalis ordinatio a populis regenda dicatur : cum idcirco tantum in consecrandis episcopis plebibus servetur electio, ut assiduitas constitutionis velut per quoddam mandatum electis liceat

---

[a] Fratrum amore dignus conflictus. Apollinaris Aviti fratris inofficiositatem, sive, ut Avitus ipse vocat, indevotionem, quod ad Valentinæ ecclesiæ festivitatem non venerit, ulciscens, supplicii loco munera miserat : Avitus, fraterni supplicii genus laudans, pari eum studio remuneratur.

[b] Genavensi. Cujus nomen inter episcopos qui Epaonensi concilio adfuerunt. Ab hoc eulogias seu munera, opimas epulas cum accepisset, in harum latorem Maximi famulum lepide jocatur.

[c] Sigismundo rege, quem Genavæ in sorte sua larem habuisse in epistola 29 conjiciebamus.

[d] De quibus Sidonius lib. VII, epist. 17 : *Fluctuantem regulam fratrum destitutorum secundum statuta Lirinensium vel Grinincensium festinus informa.* Grinincensium monachorum familiæ prope Viennam magno olim numero fuerunt, sub cura et disciplina episcopi Viennensis : quibus proinde visitandis occupatum se hoc tempore fuisse significat.

[e] Recentes appellat recentis aut recentati, id est ad rigorem redacti, vini potiones, quas Leonianus calente gula frequentabat. Sic epistola 77 : *Summa importunitate perago, ut tres recentes aliis plus præsumam.* Eo itaque spectat quod sequitur, *utatur paterarum capacitate pro capis* : quasi dicat, pro vasculis exiguis, pateris bibat capacioribus, ubi *capis* nova inflexione posuit pro capidibus. Capides enim et capulæ apud Varronem, poculi genus quo deplere vasa olearia solebant. Eodem quoque pertinet quod subjungit, *alterat labris phialas, quas circumdet pitaciorum densitate pro circulis.* Quo loco cui usui forent pitacia, Petronii Arbitri in satirico verba declarant. *Statim allatæ sunt*, inquit, *amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pitacia erant affixa cum hoc titulo, Falernum Opimianum annorum centum.* In vasis ergo vinariis, affixi pitaciorum tituli, vini cujusque patriam, ætatem, pretium et dignitatem indicabant.

legere quod videtur. Non autem vos pro novo debetis accipere, quid tribulandis nobis valeat comminisci clericalis nequitia, fulta subsidio insolentiæ sæcularis. Puto sane districtioni ecclesiasticæ filii vestri expeti debere consensum, propter illos quorum abusioni consuetudinariæ parum de excommunicationibus curare decretum est. Litteras quoque quas ad presbyterum illicita præsumentem non minus pie quam regulariter direxistis, inspexi : in quibus vere plus quam persona meruit patientiæ reservastis. Quapropter, licet satis diabolo in tam horribili rebellione licuerit, vos tamen sine aliqua animi perturbatione Dei ac vestram injuriam castigate. Et ne quid in posterum similis ausus arripiat, impensa districtione perspicite.

EPISTOLA LXVII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] DOMNO SIGISMUNDO.

Dum alii sanctis ac serenis præsentiæ vestræ epulantur, ego sterilitatem desiderii mei sustento magis pauperis officii tenuitate quam ratione. Unde post festivitatem, cunctis quidem semper amabilem, sed nunc Cabilonensibus singularem, famulæ sollicitudinis litteras destinavi. Quæ si quantulamcunque particulam laudum vestrarum niterentur attingere, nec hoc quidem sufficienter excolerent, quod eas vel humilitati meæ licet porrigere, vel dignationi vestræ sumere libet. Conjiciens ergo de tantorum lætitia multipliciter vos Deo propitio lætos, peto paschales nobis dies felici reditu faciatis : quia cum in absentia vestra quædam nobis Quadragesimæ perduret austeritas, omnibus catholicis principem Christianum, peculiari servulo piissimum domnum, etiam per solemnitatem vidisse solemne est.

EPISTOLA LXVIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO SIGISMUNDO.

Celebravimus vobiscum, divinitate propitia, vobiscum, inquam, non loco, sed animo, pauperculi Viennenses vestri paschale festivum. Si autem interrogetis et qualiter : quia vicinum quemquam, quia adesse facilius poterat, plus doleat defuisse. Nec tamen, cum ista deflemus, discrepare nos a vestra voluntate dicatis. Jam dudum ab illo, sancte credimus, affectus illic cohibet, non hinc despectus excludit. Unam in utraque civitate vestra ecclesiam perinde diligitis; sed pio patri, in quantum expedit, donec vos ad quamlibet sequi consentiat, adhæretis. Unde sicut jussum est, primum Deo de solemnitate, tum quod debetur solvimus Cæsari. Vos de lætitia vestra et incolumitate sollicitis, licet Cæsares sitis quod domnis exigitis, reddite pietati.

EPISTOLA LXIX.

AB AVITO VIENNENSI EPISCOPO DICTATA, SUB NOMINE SIGISMUNDI, [b] AD IMPERATOREM.

Si devotionem nostram qua vobis animo militamus, etiam corporaliter præsentari obex temporum regionumque non patitur, quod tamen habemus in votis, exserere tentamus officiis. Credimus enim toties coram sacris gloriæ vestræ obtutibus intromitti, quoties sollicitudinis debitum studio paginæ famulantis offerimus. Nam licet mundum latere nequeat vestra prosperitas, et orbem suum radiis perspicuæ claritatis illustret, dulce tamen est, si his quos militiæ fascibus et peculiaris gratiæ pietate sustollitis, quos in extremis terrarum partibus aulæ pollentis contubernio et veneranda Romani nominis participatione ditatis, specialiter gaudia vestræ perennitatis agnoscant quæ generaliter cunctis fama concelebrat. Ornat quippe imperii vestri amplitudinem longinquitas subjectorum, et diffusionem reipublicæ vestræ asserit quod remotius possidemur. Unde suscipite propitii cum obsequio portitorem. Et quanquam universis expetentibus ad honoris apicem sufficiat, si vos merentur aspicere; et nos tamen insinuent quos præsumpsimus commendare. Quorum etiam carorum familiariumque personas, hoc intercurrendi commercio nobis quoque profore judicantes, desiderii prosiliente compendio in his quos destinamus occurrimus. Illud super omnia deprecantes, ut quia dignatio celsitudinis vestræ oblivisci non potest beneficia sua, pro gratiarum actione qua fungimur, quam primum serenissimi oris responsa mereamur.

EPISTOLA LXX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] DOMNO SIGISMUNDO.

Præsentia domni patris gloriæ vestræ biduana occupatione detentus aliquatenus portitorem tardius ordinavi, per quem annuum de sancti Vincentii solemnitate servitium consuetudinariæ sollicitudinis cura dependerem : et inter actiones quibus vester pro salute nostra labor invigilat, debitus semper animus cultum meritæ devotionis offerret. Sufficit ergo ad consolationem desiderii mei, si omnium nostrum sanitas in vestra post Deum prosperitate consistit. Cæterum non absque scrupulo potest accipi, quod [d] de Sapaudia itineribus exquisitis videmur ad provinciam præteriri.

[a] Scripta utraque post dies paschales non uno tamen anno. Prior, cum Sigismundus festivitatem illam Cabiloni transegisset; posterior, cum Lugduni eamdem Gundobado patri adhærens celebrasset.

[b] Anastasium : ab Avito Sigismundi nomine tum scripta, cum Sigismundus officii causa legatos cum litteris mitteret ad imperatorem. Quod vero militiæ fascibus, aulæque contubernio, et Romani nominis participatione ornatum se scribit, comitivam opinor militarem et patriciatum designat, de quibus dictum est superius. Quo item alludens epistola 83 : *Conjicite nunc*, inquit, *quantum debeant quos honoribus fastigatis, quos socios triumphorum omnium successuumque vestrorum, dignitatum titulis applicatis.*

[c] Cabilonem frequentasse Sigismundum ex epistola 67 colligere licuit. Idem nunc confirmat annua solemnitas S. Vincentii martyris, quem præcipuo in cultu et honore, ut patronum, habent Cabilonenses. Sed et concilium Cabilonense quod, Clodoveo II regnante, convocatum est, in ecclesia S. Vincentii celebratum synodi docet præfatio.

[d] Non quod in provinciam de Sapaudia proficiscentibus rectum iter sit per Viennam, sed quia non magnum est divortium, studio præteritam videri conqueritur.

EPISTOLA LXXI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [a] VIRO ILLUSTRI ANSEMUNDO.

Tantum servulus vester domni nostri recenset, quantum sentio : nondum plene detersa inæqualitate, attentos reddit et anxios : ut pro contemplatione pietatis illius quam festis specialius optare consuevimus, sufficere nobis commoditatem vestram pro omni solemnium jucunditate credamus. Unde servans post cultum Natalis dominici solitæ sollicitudinis servitutem, tota nosse vos voti ambitione desidero, si decus commune quod Viennensis ecclesiola præsenti vice non meruit, vel Lugdunensium populorum gaudia duplicavit. Nam si vos, Christo favente, ut ad ecclesiam potuisse procedere aut devotionem consuetudinariam rescripseritis implesse, participes redditi lætitiæ vicinorum, epulaturos nos profitemur auditu, si illos quibus præsentia vestra donata est, refectos cognoverimus intuitu.

EPISTOLA LXXII

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI ANSEMUNDO.

Cum peculiarium vernularum absentando suspenditis vota, facitis nos non ad plenum consequi vel nuntiare votiva. Festis ergo Natalis Domini, in quantum sine vobis potuit, solemniter celebratis, prosperitatem piissimi domni nostri, quam justo desiderio optaveramus videre, tam dignabili alloquio præstolamur agnoscere. Illam plebem refecistis gaudio, istam ditate rescripto : quam per me vester illustret affectus, donec vobis ejus servitium meus præsentet occursus.

EPISTOLA LXXIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI VALERIANO.

Consuetudinem sollicitudinis suæ pietas vestra custodit, nos dignatione pariter ac litteris visitando. Addidistis solemnitati quam gaudenter Deo præstante suscepimus, et quod spectabatur in votiva cultus consummatione supplestis. Mihi autem de lætitia, in quantum eam cognovero, gratulanti non minus dulce est, post longum tempus absentiæ prospere vos redisse, quam festa paschalia cum exsultatione transigere.

EPISTOLA LXXIV

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI CAERTIO.

Ad domnum communem litterarum servitio desti- A nato, etiam devinctæ mihi sublimitati vestræ officia semper debenda persolvo : suadens, imo qua tantum obduruistis et supplicans, ut stomachos multis Saxoniæ deliciis nausiantes tandem parcioribus iatriæ vestræ jejuniis alteratis. Quod si adeo nescitis desiderii vicissitudinem repensare, ut nondum vobis videatur absentia vestra sufficere, injuria coactus hoc opto, meque baculo hujus imprecationis ulciscor, ut mutentur præsentiæ vices, et quod Vienna abundat, Cabilonis obtineat. Ut si hic non habemus quod debeat expeti, illic mittamus quod libeat declinari. Et quia quod dico in via est, si adhuc in loco retardatis, excipite : si jam redire disponitis, præterite.

EPISTOLA LXXV.

B AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI HELLADIO.

Cum ad officium vestræ magnitudini deferendum perpetua semper causa suppetat caritatis, et specialem devotionis observantiam jure debeam obnixæ impensius pietati : nunc tamen desideratam mihi necessitatem ratio festivitatis indixit, ut affectui vestro vel litterarum præsentarer officio, qui cuperem et occursu. Idcirco reverentia supplicans debita, quam ex voto festa celebraveritis inquiro, Redemptoris nostri inexhaustam deprecans largitatem, ut usque ad ætatem centenariam sua protectione vos provehat, et ad ornatum nostrum, sicut hactenus fecit, bonis omnibus remuneratos attollat.

EPISTOLA LXXVI.

C AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI RICONI.

Post festivitatem in qua de præsentia vel incolumitate domni nostri vota vestra et merita claruerunt, paginis ad ipsum officiis destinatis, jure vobis peculiaribus pectoris mei etiam præsentium litterarum famulatus offertur : per quem nos inter tantos, ut fieri potuit, rerum rumores Pascha prospere transegisse significo : sic mihi judicans ejus plenitudinem divini muneris beneficiis proventuram, si vestri quoque colloquii dignationem cum simili prosperitatis agnitione meruero.

EPISTOLA LXXVII.

AB AVITO VIENNENSI EPISCOPO DICTATA, SUB NOMINE LEONIANI ARCHIDIACONI; [b] AD VIRUM SPECTABILEM SAPAUDUM.

Licet pompam convivii principalis, marinis deliciis

---

[a] Aulæ regiæ Burgundionum principi, ad quem epistola 49. Scriptæ ambæ post dies Natalis Domini, cujus solemnitati quia rex Viennæ non adfuerat, scire avet an Lugduni adfuerit. Quo post priorem comperto, posteriorem epistolam adjecit.

[b] Diversi ab hoc, ætate non multo inferiores, Sapaudus episcopus Arelatensis, Placidi patricii filius, et Sapaudus abbas qui concilio Aurelianensi v subscripsit pro Albino episcopo Andegavensi. Leonianus vero, nunc archidiaconus, idem videtur cum Leoniano famulo Maximi episcopi, in cujus gulam ludebat epistola 65. Convenit enim hominis ingenio et moribus epistola ejus nomine composita. Sed longe diversus et dissimilis, quamvis nec ætate, ut fama est, nec habitatione disjunctus, Leonianus abbas, cujus sepulcrum Viennæ nuper observavimus in sub- D urbana æde S. Petri, cum epitaphio, rudi quidem, sed sancti viri gratia haudquaquam spernendo, in hæc verba.

EPITAPHIUM S. LEONIANI.

Hic vir sanctitate conspicuus in hac urbe Viennensi abbas exstitit Sabbaria Pannoniæ ortus, a barbaris captivatus, Gallorum finibus devenit : Augustoduni primum, deinde Viennæ claustro peculiaris cellæ conclusus, quadraginta plus annis tali ordine Christo militavit, tantæ districtionis, ut pene vultu omnibus undequaque venientibus ignotus introvixerit, cum esset verbo doctrinæ multis ad salutem notissimus. Ita ut juxta cellulam suam quamplurimos monachos rexerit, monachas vero ambitu monasterii infra urbem inclusas ad sexagenarium numerum mirabili ordinatione paverit, et disciplinabiliter custodierit.

terrestribusque fulgentem, luculento sermone descripseris, incunctanter tamen declarare tuum amorem consuetum est. Securus enim taliter recitas, postquam datam tibi materiam non versibus, sed dentibus expedisti: cum in uno prandio, quod vix duobus burdonum terga detulerant, unus venter inclusit: cum in pransu negligens crimen, alvum nimietate concretam pectinibus pexuisti. Quod licet ad insultandum mihi exaggerasse te pateat, ego tamen constanter affirmo, nullum similem nostri, seu esuriat ille, seu comedat, beatum merito nuncupari. Nam ut de primo quod exposuisti ferculo colloquamur, parvum tibi pœnæ genus putabas afflictum, quod appetitum interioribus inhiantem devorabili tegmine pavus [a] isicio conclusus exclusit, et trepidans accensis faucibus gula aliquantula temporis mora sub [b] docti incisoris pependit arbitrio. Sicque factum est, ut bibendo cibos, pocula ruminando, primam prandii partem esuriens querelis, mediam comedens rapinis, ultimam satur lacrymis exegeris. Nec tibi dixerim profuisse quod defui. Vel id nobis, quantum tibi superfuit, omnibus satisfecit. Nam cum tu in tanta convivii beatitudine deliciatus maxime, tardissime satiatus, vix te possis probare felicem; quid de me misero censeas interrogare præsumo, qui a regalis mensæ abundantia non permittor, et in ecclesiastica frugalitate non saturor: qui sub honoris nomine custodiæ mancipatus, quasi ad primam vocatus et a meliore prohibitus, ne possim fugere jacere compellor: impleor oleribus, et inflor napis; abundo leguminibus, sed quæ tellus, non pontus emisit. Inter hæc qualia fuerint bonæ memoriæ quondam ostrea nec recordor. Si modicum quid vasculo uno minimo semipleno vini pallentis apponitur, et hic modus vel regula custoditur. Jam de cibis taceo: in accipiendis recentibus major est pœna· musta deposcens, aut inediam patior, aut aliquid rapuisse confingor; summa importunitate perago ut tres recentes aliis plus præsumam. Ipsæ etiam pateræ, quas conflictis casibus frango, quotidiana reparatione decrescunt. Quapropter laborioso in his tantum insultare desiste: quia cum utrique nostrum quotidianum fatum sit quod quisque sortitus est: tum familiaris miseriæ oblivisci potero, si epulo suo domnus noster sic adesse me jubeat, ut te deesse contingat.

EPISTOLA LXXVIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] APOLLINARI EPISCOPO.

Confido plane, nec dubito, divino munere communem lætitiam communi præsentiæ nuntiatam. Nam quod et ad vos jam suspicor pervenisse, etiam illi qui vastare limitem dicebantur, reversi sunt. Unde causa sollicitudinis has direxi, ut quæ ad vos postea de cujuscunque securitatis augmento pervenerint indicetis; aut si jam ad civitatem liber recursus a consuetudine vos, imo potius ab amore obsidionis extraxit. Præterea [d] magdaliola illa quæ promisistis, posco ut cum observationis breviculo dirigi jubeatis. Hactenus familiariter: hinc quod restat, quia jam libet, paulo hilarius indicabo. [e] Signatorium igitur quod pietas vestra non tam promittere quam offerre dignata est, in hunc modum fieri volo. Annulo ferreo et admodum tenui, velut concurrentibus in se delphinulis concludendo, sigilli duplicis forma geminis cardinulis inseratur. Quæ ut libuerit vicissim, seu latitabunda, seu publica, obtutibus intuentium alterna vernantis lapilli vel electri pallentis fronte mutetur. Nec quidem talis electri, quale nuper, ut egomet hausi, in sancto ac sincerissimo impollutæ manus nitore sordebat, cui corruptam potiusquam confectam, auri [f] nondum fornace decocti crediderim inesse mixturam: vel illam certe, quam nuperrime [g] rex

[a] Aut sicut ficedula inclusa ovo pavonino apud Petronium, aut pavum dicit isiciatum, sicut pullum isiciatum Apicius minutatim concisum, et in isicium conversum. Apicius lib. VIII, cap. 7, de porcello farsili, *Porcellus hortulanus exossatur per gulam in modum utris: mittitur in eo pullus isiciatus particulatim concisus, turdi, ficedulæ, isicium de pulpa sua*, etc.

[b] Qui scindendi obsonii magister Senecæ, scissor Petronio, Juvenali autem chironomus, a gesticulatione qua obsonia scindens utebatur: de qua et Petronius. *Processit*, inquit, *statim scissor, et ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraula cantante pugnare*. Quamvis ergo celerrime, et volanti cultello, ut loquitur Juvenalis, dapes erudita manu secaret, lentus avidis Leoniani faucibus videbatur.

[c] Fratri, Valentinæ sedis antistiti, ad quem aliæ complures.

[d] Seplasiariorum officinis notum vocabulum. Magdaleones enim hodieque vocitant teretes cylindros, in quos composita emplastra redigere solent. Scribonius Largus de chirurgi Tryphonis emplastro subviridi: *Dum desinit fervere, manibus subigetur, et redactum in rotundas ampliores quas μαγδαλίδας dicunt reponetur*. Rogat itaque ut cum magdaliolis quæ promittit, indiculum mittat, qua observatione singulis uti oporteat.

[e] Annulum signatorium, seu sigillum: cujus formam ac materiam, cum omnibus ornamentis, qualem sibi fieri velit, elegantissime describit.

[f] *Omni auro*, ut Plinius docet, *inest argentum vario pondere. Ubicunque quinta argenti portio est, electrum vocatur*. Id cum in metallo reperitur, nativum dicitur. Fit autem et cura electrum argento addito: quod si justum modum excesserit, corrumpitur mixtura, qualem in sigillo suo respuit Avitus.

[g] Alaricus, a Clodoveo prostratus: in hoc enim corruit Wisigothorum regnum in Gallia, cujus ruinæ prænuntiam Avitus adulterinam monetam vult fuisse. Visuntur sane nunc etiam Gothici ex electro veteres nummi, adeo pallentes, ut auri minus habere putes quam argenti. Cæterum impressam habent regum suorum effigiem; quod ignorasse, aut tanquam illegitimum dissimulasse videtur Procopius, cum solis Francorum regibus id licuisse, barbaris aliis regibus nefas fuisse, scribit libro III Belli Gothici. De Francis enim loquens, eorumque rege Theodeberto, qui provinciæ partem obtinebant, Νόμισμα δὲ χρυσοῦν, inquit, ἐκ τῶν ἐν Γάλλοις μετάλλων πεποίηνται· οὐ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος, ἧπερ εἴθισται, χαρακτῆρα ἐνθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα. Καίτοι νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς ᾗ βούλοιτο ποιεῖν εἴωθε, χαρακτῆρα δὲ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ, οὔτε αὐτὸν θέμις, οὔτε ἄλλον ὁντινοῦν βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων. *Nummum autem aureum ex metallis quæ sunt in Gallia fabricarunt, non Romani,*

Getarum, secuturæ præsagam ruinæ, monetis publicis adulterium firmantem mandaverat. Sed sit ejusmodi color, quem æqualiter ac modeste, ruborem ab auro, ab argento candorem, pretiositatem ab utroque, a cæteris rapientem fulgorem, artificiosa siquidem medioxima viroris commendet amœnitas. Si quæras quid insculpendum sigillo : [a] Signum monogrammatis mei per gyrum scripti nominis legatur indicio. Medium porro annuli, ab ea parte qua volæ clausæ vicinabitur, delphinorum quorum superius capita descripsimus, caudæ tenebunt. Quibus lapisculus ob hoc ipsum quæsitus, oblongus scilicet et acutis capitibus formatus indetur. Ecce habes quoddam tantummodo speculum dogmatis exsequendi. Nec tamen amplitudinem elegantiæ tuæ sic ad memoratum exemplar coacto, quasi liberum non sit addere quod videtur. Licebit porro supercurrenti ingenio vestro terminos præscriptæ demandationis excedere. In fine autem epistolæ, luteo operi sine quo tamen non transigetur, fæculentus sermo deposcit, ut artificem figulum brevi tenendum e vestigio dirigatis, qui nobis, qualibus strui mensuris crebrati cœnaculum furni, vel intra quod spatium fossilis glebæ scrobis sordibus septæ animalium pedibus coctilis cœni glutinum lentari possit instituat.

EPISTOLA LXXIX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] APPOLLINARI EPISCOPO.

Innexus pariter ac gravatus vestræ dignatione sollicitudinis, magnitudine muneris, consuetudine pietatis, qua digna vel gratiarum actione, non dicam obsequii sedulitate, respondeam? Nisi forte multipliciter invalidus eadem in hoc sustenter gratia vestra, quæ nos onerat. Concedat vos ornatui ecclesiæ, consolationi et refectioni nostræ omnipotens Deus, ut quia revera non solum vobis vivitis, per alio- A rum solatia vestra merita cumuletis. Fecerunt quidem peccata mea non qualemcunque necessitatem, qua nos in die susceptæ festitatulæ nostræ, corporali vestræ pietatis præsentia fraudaremur. Sed reddidistis ac repræsentastis nobis vicissitudinem vestri aspectus in lumine, oris in sermone, tactus in opere. Spero in Dei nostri misericordia, quod non meo tantum tempore, sed etiam secuturo, donum vestræ oblationis ecclesiola nostra venerabitur. Quod sicut ego dum vivo in testimonium inexhaustæ largitatis servare desidero, ita mihi Deus præstet, ut etiam ei quem post me, cum Deus jusserit, electio vestra decreverit, peculiariter auctoritas vestra commendet.

EPISTOLA LXXX.

B AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] QUINTIANO EPISCOPO.

Diu est quod rem valde necessariam, et non sine divina inspiratione a Patribus institutam, aut oblivione aut occupatione deserimus. Sed rumpenda sunt interdum vincula necessitatum, ut aliquando impleri possint a præceptore. [d] Conventus ergo quos bis per annum a sacerdotibus fieri seniorum cura decreverat, si bene perpenditis, utinam vel singula post biennia faceremus. Nam et venerabilis papæ Urbis, nobis hanc negligentiam succensentis, mordacia mihi nonnunquam scripta perlata sunt. Unde supplicat per me, si dignamini, ecclesia Viennensis, poscit intermissæ consuetudinis rediviva salubritas, quod hactenus infrequentatum torpuit, excitari. Justum est, quantum C reor, ut constitutis prioribus sub communis præsentiæ opportunitate tractatis, nostris simul nobisque, prout ordo collocutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel, si necesse est, etiam nostra jungamus. Idcirco cunctos simul poscimus, fratres, ut Deo favente octavo iduum Septembrium [e] in parochia Epo-

ut mos est, *imperatoris effigiem huic stateri, sed suam ipsorum imaginem imprimentes. Et vero nummum argenteum rex Persarum pro arbitrio cudere solet : effigiem porro suam aureo stateri apponere, neque ipsi fas est, neque alii cuiquam regum barbarorum.* Est apud nos Theodeberti regis de quo Procopius, nummus aureus, mole quidem exiguus, sed probæ notæ, cum ipsius effigie ac nomine, D. N. THEODEBERTUS C.

[a] Quod in sigillo suo fieri jubet Avitus, hoc idem in denariis suis præceperat Carolus Calvus rex in edicto Pistensi anni 864, cap. 11 : *Ut in denariis novæ nostræ monetæ ex una parte nomen nostrum habeatur in gyro, et in medio nostri nominis monogramma*, nempe ut implicitæ et confusæ monogrammatis litteræ ascripti per gyrum nominis indicio legerentur, quo modo in antiquis regum diplomatis cum monogrammate ipsum quoque regis nomen adjectum videre est. Cæterum regis edicto in denariis monetarii, quod mirum est, non paruerunt. Obvii enim sunt, tum ipsius Caroli, tum filii ejus Ludovici denarii, in quibus per gyrum monogrammatis non nomen, sed regia dignitas expressa : in Carolo, GRATIA DEI REX : in Ludovico, MISERICORDIA DEI REX.

[b] Eidem, gratias agens de muneribus quæ ad ornatum Viennensis ecclesiæ miserat, cum ejus festivitati adesse ipse non posset.

[c] In confesso est Quintianum hoc tempore Arvernorum episcopum fuisse. Quare falsa videtur epistolæ inscriptio. Cum enim ad provinciæ Viennensis episcopos scripta sit, ut ad concilium Epaonense veniant, quis locus foret episcopo Arvernorum, qui non modo extra Viennensem provinciam erant, sed extra ditionem quoque Burgundionum? Nam ut Agathense concilium eorum tantum fuit qui Wisigothorum imperio parebant, et Aurelianense primum eorum duntaxat qui sub Francorum erant potestate : sic ad Epaonense ii tantummodo convenerunt, qui Burgundionum finibus continebantur. Hinc apparet deesse hoc loco epistolam ad Quintianum, cujus sola restat inscriptio : hujus vero, quam ad episcopos provinciæ scriptam diximus, inscriptionem desiderari.

[d] Hoc decreverat synodus Nicæna can. V : Καλῶς ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι. *Recte habere visum est ut singulis annis, per unamquamque provinciam, bis in anno concilia fiant.* Quo spectans concilium Regense can. 8: *Statuit ut secundum antiquam consuetudinem, si quies temporum erit, bis in anno conventus agant.* Et Arausicanum I, can. 29 : *Qui Patrum statuta despiciunt,* D *quibus bis in anno, quod nobis pro temporum qualitate difficile est, sanctum est concurri.* Ob hanc opinor difficultatem, placuit deinceps synodos singulis annis celebrari : quod apud nos in concilio I Agathensi statutum, in aliis postea multis repetitum est.

[e] Pro Epaonensi. Epao enim plerumque dicitur, quæ alias Epauna. De hoc enim concilio agi certum est; sed incertum hactenus quis locus, et quod illi hodie sit nomen : de quo multi varia conjiciunt. Qui sancti Firmati vitam conscripsit, auctor est illum, Turonibus relictis, pervenisse ad locum cui nomen

nensi adesse dignemini : qui locus, omnium fatigatione perpensa, conventui satis opportunus electus est; sicut et tempus, in quantum potest, ab instantia ruralis operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excursum : quanquam ecclesiæ potior causa intermitti quaslibet terrarum posceret actiones. Supplicamus ergo et quæsumus, testamur, obtestamur, ne quem a dispositione tam sancta obex ullius excusationis abducat, ne quem a tali caritatis vinculo nexus temporaneæ necessitatis impediat. Sed si forte, quod Deus avertat, tanta cuicunque [a] acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut spiritale desiderium carnali vincatur incommodo; [b] duos presbyteros magnæ ac probabilis vitæ, mandati instructione firmatos, fratribus pro se præsentare procuret. Sed tales dignetur eligere, quos episcoporum concilio non minus scientia quam reverentia jure faciat interesse, cum quibus delectet summos pontifices conferre sermonem, quos ad definitiones pro episcopo suo sanciendas subscribendasque, cum fuerit solertia eligi, sit auctoritas legi. Sed istud non extorqueat nisi summa necessitas. Cæterum dilectionis fraternæ ac pastoralis diligentiæ magnitudo, nisi laboris magnitudine, non probatur. Conjicit enim sanctitas vestra, post hoc longum abusionis nostræ silentium, qualiter aut definiri debeant quæ Deo præstante tractanda sunt, aut quæ definita fuerint, universi ecclesiarum provinciæ nostræ ministri debeant imitari.

EPISTOLA LXXXI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO SIGISMUNDO.

Scio quidem curis atque occupationibus quibus sub ope cœlesti pro salute patriæ fideliter excubatis, importune suggeri servitium litterarum. Sed cum præcelsa pietatis vestræ dignatio adeo peculiaris famuli non sit oblita, ut in ipso susceptæ expeditionis procinctu, sensibus meis desiderium sui sancto duplicaret alloquio; quis non intelligat quam patienter ineptiam tolerabitis, quam clementia provocatis? Unde qualiter sani confortante Deo sitis, sollicitus esse præsumo, aut quomodo cœptis spes voti communis arrideat. Illud autem non solum rogo, sed per illam quam a Deo accepistis mihique præstatis, gratiam precor, ut quanquam merito de indictæ fidei firmitate securis nobis, magis impenso cautelæ vestræ munere trepidationi nostræ et ignaviæ consulatis : neque plus cogitetis quod universitas pro vobis devota supplicat, quam quod suspensa formidat. Sed licet pavidi ex conscientia peccatores, incunctabili tamen fide præsumimus, quod etiam si vobis, protegente Christo, hic metus noster risum moverit, vel divinas aures ad donandam nobis felicitatis vestræ lætitiam permovebit.

EPISTOLA LXXXII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO SIGISMUNDO.

Videtur quidem de divina promissione diffidere, quicunque minus de vestra prosperitate securus est. Sed si animum meum solida dignatione perpenditis, facilem intelligitis veniam ignaviæ meæ pro nimia trepidatione deberi. Quippe cum quicunque veraciter catholicorum nomen usurpant, pervigili prece Deo supplicare nunc debeant, ut vobis vota nostra illibata atque integra relaturis, et fideliter vicina conjungat, et feliciter adversa subjiciat. Sicque in rerum necessitate multiplici ambifariam vobis Christo propugnante contingat, et pars quæ cupitur, et victoria quæ debetur. Quapropter si memoriæ meæ gratiam de animo vestro nutantem anxietatis tempus imminuit, famulus specialis salutationem quidem deferre non ausus, sed salutem vestram a Domino præstolaturus, satis suspenso attentoque animo servitium præsentis paginæ destinavi, primum de vestra, post de exercitus sanitate sollicitus. Unde, licet in Dei nomine per quoscunque transeuntes prospera cognoscamus, potestis tamen, piissimi domni, conjicere, quantum mihi dulcius erit, sicut me quibuscunque referentibus pascit illa sancti affectus recognitio, sic me rescriptio lætificet, in qua ad quamdam præsentiæ vicem verba vestra pro conspectibus adipisci, et subscriptionem pro manu merear osculari.

EPISTOLA LXXXIII.

AB AVITO EPISCOPO DICTATA SUB NOMINE DOMNI SIGISMUNDI REGIS, [c] AD IMPERATOREM.

Notum est omnibus, celsitudinem vestram non impedimenta temporum, sed subjectorum vota me-

Eona super Rhodanum, ibique consedisse. Quod si Eonam ab Epona deflexisse annuimus, ut absurdum certe non est, qui S. Firmati sepulcrum nactus fuerit, a concilii fortasse loco non aberrabit.

[a] Excusationem quominus episcopi ad synodum veniant, præter infirmitatem corporis, canones Galliæ nullam agnoscunt. Itaque in hoc ipso Epaonensi concilio, can. 1 decretum est, *ut nisi causa tædii evidentis exstiterit, nullus excuset*. Et in Aurelianensi II, can. 1, *Ut nullus episcoporum, nisi certa tædii causa detentus, ad concilium venire penitus ulla excusatione detrectet*. Quare excusationes alias excludere solent, ut divisionem regiæ sortis, concilium Aurelianense III, can. 1 : *Hanc excusationem sibi noverint esse sublatam, si absentiam suam divisione sortis crediderint excusandam*. Alias omnes concilium Turonense II, can. 1 : *Præter infirmitatem certissimam, nullius occasione velaminis, neque per impedimentum ordinationis regiæ, neque sub occasione utilitatis aut causæ propriæ, debeat a concilio separari*.

[b] Quibus ad concilium venire infirmitatis causa non licebat, hi legatos vice sua mittebant. Concilium Arelatense II, can. 18 : *Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat*. Et Carpentoratense in epistola ad Agræcium episcopum, *Licet ad synodum aut per vos, aut per personam vicariam debueritis adesse*. Quanquam ergo duos hoc loco exigat, et duos pro uno episcopo vicarios in concilio Arelatensi V subscripsisse compertum sit; singulos tamen sat fuisse superiora demonstrant. Neque presbyteros omnes mitti necesse fuit, cum ex conciliorum subscriptionibus liqueat, nunc abbates et presbyteros, nunc archidiaconos vel diaconos legari consuesse.

[c] Anastasium, ut posterior epistola declarat : quam cum initio regni Sigismundi, post obitum Gundobadi patris, exaratam significet, confirmat in digerendis epistolis Aviti ordinem temporum observatum non fuisse. Conqueritur autem de rege Italiæ, qui legationem quam mittebat ad imperatorem, progredi non permiserat.

tiri. Sub cujus fiduciæ securitate atque lætitia, gloriosissimo principi nostro, qui corpore absumus animo præsentamur. Et quanquam istud famula vestra prosapia mea ex devotione persolverit, me tamen gratiæ debitorem non magis parentalia debita, quam beneficia mihi impensa fecerunt. Vester quidem est populus meus, sed me plus servire vobis quam illi præesse delectat. Traxit istud a proavis generis mei apud vos decessoresque vestros semper animo Romana devotio, ut illa nobis magis claritas putaretur, quam vestra per militiæ titulos porrigeret celsitudo: cunctisque auctoribus meis semper magis ambitum est quod a principibus sumerent, quam quod a patribus attulissent. Cumque gentem nostram videamur regere, non aliud nos quam milites vestros credimus ordinari. Impartit nos gaudiorum munere vestra prosperitas: quidquid illic pro salute omnium curatis, B et nostrum est. Per nos administratis remotarum spatia regionum: patria nostra vester orbis est. Tangit Galliam suam lumen orientis, et radius qui illis partibus oriri creditur, hic refulget. Jubar quidem conspectus vestri contemplatione non capimus: sed lucem serenitatis quam ubique diffunditis, desiderio possidemus. Dominationem vobis divinitus præstitam obex nulla concludit, nec ullis provinciarum terminis felicium sceptrorum diffusio limitatur. Salvo Divinitatis honore sit dictum. Non minuit majestatem vestram quod accurrere non omnes valent: satis ad reverentiam vobis debitam sufficit, quod omnes e propriis sedibus vos adorant. Virtute orbi coo, felicitate regnatis occiduo: licet vos ubicunque diligi, C etiamsi non datur omnibus intueri. Sed cum jure istud de universitate dicatur, conjicite nunc quantum debeant quos honoribus fastigatis, quos socios triumphorum omnium successuumque vestrorum dignitatum titulis applicatis; ut sic virtutis vestræ decora nostra sint, et ad honoratorum ornamenta pertineat quidquid gesserit fons honorum. Offero igitur, principum inclyte, litterarum obsequia, vota gratiarum; præstolor oraculum sermonis augusti; ambio si quid sit quod jubere dignemini. Quia etiam si indigere se famulatu nostro perennitas vestra non credat, quisquis tamen felici meruerit servire, sibi militat. Offerat ergo supplex Orientalium quoque gentium distantia cruditatem; exposcat principari præsulem nostrum. Parthicus ductor, propter pacis commodum, in Ro- D manum imperium gaudeat transire. Indus ipse, post experimenta mansueti oris, stridula voce compressa, leges quibus servire jubeatur Græco cognoscat interprete. Si quis fervor est quo axis meridianus exæstuet, refrigerio temperate, et edomate per reverentiam quidquid ante vos indomitum fuerat per naturam. Incumbentia sibi sceptra religionis invictæ quisquis non optat excipiat. Prorogetur per vos non minus potestate religio, quæ famulantibus populis ad cœlestia pariterque veneranda, et veritatem astruat, et porrigat libertatem: quaque mediante, vobis culmine æternæ salutis innisis, non humano tantum ordine, verum etiam divino amore, longum servire nos deceat.

EPISTOLA LXXXIV.

AB AVITO EPISCOPO DICTATA SUB NOMINE DOMNI REGIS C. S. AD IMPERATOREM ANASTASIUM.

Quam piæ majestatis judicio serenitas vestra, vel parvipendat impedimenta temporum, vel censeat corda famulorum, nullo indicio meliore cognoscitur, quam quod in sacris apicibus longinquius porrigendis, implet desiderantum vota, et supplicum non exspectat officia. Appetunt occursum vestri omnium mentes, nec tam gloriosum est quod pauci possunt, quam quod cuncti videre vos cupiunt. Quod autem nunc augustæ compellationis affatus debitæ vobis paginæ prævenit obsequium, nihil indevotioni pius arbiter, nihil imputet tarditati. Nisi aditum conatibus nostris obex interjecta suspenderet, jam nunc profecto verbum mundo venerabile responsa potius quam oracula destinasset. Nec tamen remorando mihi tantum nocuit, quantum invidit æmulus livor. Non me quidem legistis officii mei compotem, sed reddidistis pii oris compellatione felicem. Nec interest excipiat nos sermo augustus, an exspectet: a celsissima dignatione tantum est nostra non despici, quantum vestra concedi. Igitur post obitum devotissimi fidelissimique vobis patris mei, proceris vestri, cui ad felicissimos integra prosperitate successus, id quoque contigit divino favore votivum, ut lætam florentemque rempublicam vobis orbem regentibus sciret, vosque dominos nationum placido receptus fine derelinqueret: ad hæc intimanda vobisque commendanda quin etiam meæ militiæ rudimenta, quæ genitore quidem meo superstite nutristis, sed magis magisque post eum cumulo sacræ dignationis augebitis, sicut debebam vel optare par fuerat, unum de consiliariis meis, qui quantum ad ignorantiam Gallicanam, cæteros præire litteris æstimatur, venerandi comitatus vestri auribus offerebam, specialius securitate concepta, quod[b] rector Italiæ de pace vestra publice

[a] Comitis Sigismundi.

[b] Theodericus, qui pacem hanc per legatos ab Anastasio expetiit, ut est in epistola 1 Variarum Cassiodori: *Oportet nos, clementissime imperator, pacem quærere, qui causas iracundiæ noscimur non habere.* Et post alia: *ut sinceritas pacis, quæ causis emergentibus cognoscitur fuisse vitiata; detersis contentionibus, in sua deinceps firmitate restituta permaneat.* Ad hanc pacem alludens senatus Romanus, Anastasium sic affatur in litteris suis, quæ intextæ sunt epistolæ Hormisdæ: *Proinde*, inquit, *piissime imperator, hæc senatus adjunxit, ut qui animo quam benigno in utraque republica concordanda fuisti, tam esse pio in ecclesia redintegranda unitate noscaris.* Hujus quoque pacis exemplo, pacem Totilas expetit ab Justiniano apud Procopium lib. III Belli Gothici, Αἰτούμεθα τὰ ἐκ τῆς εἰρήνης ἀγαθὰ, οἵτε προσίεσθαι αὐτὸν, καὶ ἡμῖν ξυγχωρεῖν ὧνπερ μνημεῖά τε καὶ παραδείγματα κάλλιστα ἔχομεν, Ἀναστάσιον καὶ Θευδέριχον. *Bona pacis ut ipse amplectaris nobisque concedas, deposcimus: quorum monumenta et exempla pulcherrima habemus, Anastasium et Theodericum.* De hac denique cum sibi plauderet Theodericus, eamdem hæredi, ut cum principe Orientali habere studeret, commenda-

plauderet, et rumore disperso redditam sibi Orientis gratiam coloraret. Interclusum est ergo atque prohibitum relationibus destinatis iter arreptum. Certe ipsa viderit quid hinc apud augustam lætitiam spectet series veritatis; parvum tamen amicitiæ videtur indicium, eum quem te colere asseras, nolle a cæteris honorari : cum omnes qui vos digno cultu suscipimus, id ipsum a cunctis fieri velle debeamus. Parum enim propriæ devotionis ostendit, si quis occurrendi libertate damnata, alios quoque facere studeat indevotos : cum tamen sanctitas cœlestis ingenii nequeat censere culpabilem, quem vel sola voluntas reddiderit innocentem. Unde evidenter ipsum videtis allegare quid cuperem, qui tam sollicite conatus est impedire ne possem. Itaque quoniam divino vestroque munere et sacri apices et opportuni proveniunt quam discrepat : orant augmentum regni vestri quibus nova profertis, optant custodiam quibus consueta servatis. Sic pii moderamine gubernaculi, remedia quidem altera conquisivit, et si repulsam neutra pars pertulit. Inter hos tamen peculiarius illud ego debeo, quod hujus petitionis effectum respectui meo præstitum supplicantes. Quantum peculiari servo impenderitis gratiæ, gratis præstando monstrastis : solaque ob hoc commodum in thesauris vestris mercede reposita, quod pauperibus donabatis, non pretio voluistis constare, sed præmio. Et hoc ipsum qua elegantia digne meretur, reddere quod a famulis oblatum fuerat, quam spernere maluistis, et quo lætius fieret donum, contristare voluistis obsequium? Et licet quidquid ad manus vestras pervenit, vergatur in pauperes, atque idcirco ille vos forsitan dehortetur accipere qui invidet erogare : subministrare tamen retributionis divinæ, unde et dispensetis cum egent inopes, et concedatis cum supplicant debitores. Currite quapropter piissimi via gemina vestri operis unitate. Nunquam si creditis sufficientia deerit animo tali : ipso possibilitatem largiente, unde præstetur habetis, a quo voluntati infusum est ne aliquid negare possitis.

EPISTOLA LXXXV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI HERACLIO.

Nisi dolendum amici casum animo concussus gemerem, multa profecto exaggerarem, quod vos in lectulo, mendacis podagræ metu, medico vegetante de arte consueta, plus quam poeticæ pedibus innitentes, montium scandendorum magis moveat, cura, quam versuum. Mœstus vero has et cum festinatione dictavi, revocatus videlicet ad sepulturam communis filii quondam Protendi : si tamen vel hoc ipsum patri aliquid consolationis impendat. Vobis porro si cordi est facta de nobis ex asse jactura, ab incursibus formidandis Rhodano limitante muneri tenete adhuc dum redeo, et Ceratium nostrum, de meo habentem aliqua, de vestro nonnulla, qui a me scholasticum, a vobis asserit bellicosum : sumens de matris sapientia quod libenter barbaros fugit, de virtute paterna quod litteris terga non præbuit.

EPISTOLA LXXXVI.

RESCRIPTUM VIRI ILLUSTRIS HERACLII.

Indicastis quidem tantum doloris causam, qua epistolaris officii responsio clauderetur, et durissimo nuntio vulnus inflictum plus me lacrymis cogeret servire quam litteris : tamen metuens silentii culpam, vel pauca suspiriis meis, ut potui verba furatus sum. Probant igitur tempora, cui rectius ascribatur nota formidinis, quem magis trepidum provisio claustris commissa designet. Ergo urbis caveas dedignatus, inter vicina discrimini constantiam pectoris planis exposui, et jam diu ad patentium locorum æquora perveni, rem ut virtutis audaciam libertate habitationis ostenderem. Vos autem, rumore comperto, ad septa urbis tanquam venturo æmulo convolastis : et quem pacis diebus jugiter rura tenuerunt, nunc de mortuorum latebris non educunt. Enimvero quam vos tunc civitas flagitabat, tam nunc intra mœnia collocatos quærit relicta possessio.

EPISTOLA LXXXVII.

DOMINO SANCTIS MERITIS PRÆCELLENTISSIMO, IN CHRISTO GLORIOSISSIMO, ET APOSTOLICA SEDE DIGNISSIMO, [a] PAPÆ HORMISDÆ AVITUS.

Dum religionis statui et plenis catholicæ fidei regulis perspicitis convenire, ut gregem per tota vobis universalis Ecclesiæ membra commissum pervigil cura vestræ adhortationis informet; Viennensem provinciam superiore anno, si meminisse dignamini, datis ad humilitatem meam litteris visitastis, quæque ad me, secundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatensis Ecclesiæ clericos pervenerunt, et quidem plenissimæ sollicitudine pastorali. In quibus nos, sicut per conversionem provinciarum, id est Dardaniæ, Illyrici vel Scythiæ, ad communionem gaudiorum provocatis, sic admonitione cautissima quid nos per ignorantiam prævenire possit, instruitis. Eutychetis igitur Nestoriique damnatio, quos jam dudum per beatissimos decessores sanctæ sedis vestræ calcavit auctoritas, ad notitiam jam pridem nostram apostolicæ ad nos diligentiæ provisione perlata est. Sed illud nos modo suspensos multum redigit et anxios, quod cum pendere nos ad effectum [b] lega-

vit. Jornandes de Rebus Geticis : *Athalaricum, filium filiæ suæ Amalasuentæ, regem constituit, eisque in mandatis dedit, ac si testamentali voce denuntians, ut principem Orientalem placatum semper propitiumque haberent.*

[a] Hanc epistolam codex Aviti quo usi sumus, non habuit. Intexta olim fuerat epistolis Hormisdæ, unde nuc illam transtulimus, cum Hormisdæ ipsius responso, qui eamdem præterea, in epistola 11 Anastasio scribens, designat his verbis : *Pendent*, inquit, *anxia corda cunctorum : ab ultimis ad nos Galliis directa legatio, si quid de unitate redintegrationis sollicitudo nostra promovisset forma secuta consuluit.*

[b] Bis quidem Constantinopolim ab Hormisda missus est Ennodius, sed unica, cum Avitus hæc scriberet, legatio præcesserat. Ideo illi respondens Hormisda : *Legationis*, inquit, *nostræ, quam semel, non secundo sicut scribitis, misimus, si votivus contigisset eventus, alacres illico vobiscum fueramus desiderata partituri.* Prior enim legatio Ennodii Florentio con-

tionis secundo Constantinopolim destinatæ omni A expectationis studio jusseritis, nec quid filius vester sanctus frater meus Ennodius retulerit, nec utrum secuta redierit indicastis, et promissionem vestram tanta silentii diuturnitate suspenditis, ut non minus modo prædicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora suspectos. Unde sola hæc causa servos vestros filios meos, Alexium presbyterum et Venantium diaconum, totius provinciæ Viennensis nomine, quæ ecclesiæ ad me pertinenti ab universis decessoribus vestris et apostolica sede commissa est, cum præsentis famulatus pagina destinavi; per quos oraculo beatissimæ responsionis agnoscam, utrum fervor schismatum præfatorum qui intra Constantinopolitanam urbem vitio perniciosæ obstinationis exarserat, cuique, quod magis dolendum est, Alexandrinam vel Antiochenam Ecclesias dicitis illigatas, vobis Christo favente docentibus, digna fuerit correctione restinctus, aut si reversa legatio in paginis evidentibus quod simplex legeretur exhibuit, an forte nuntio magis retulit, unde de vobis ad hoc qualiscunque suspicio reservetur. Veremur enim ne pontificale judicium, dum non indicat pro spera, sensisset adversa. His adjicitur, quod diversorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia Ecclesiæ Romanæ jactitare se Græciam; quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita metuendum est ne callide simuletur. Quæsumus ergo servitio meo cuncti [*In Labbei edit. Concil.*, juncto], ut quid filiis vestris fratribus meis, id est Gallicanis, si consular respondere debeam instruatis; et quia securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam : orate ut sic nos perditorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate quam regitis veritas comperta non separat. Accepta III calendas Februarii, Agapito consule, per B Alexium presbyterum et Venantium diaconum.

EPISTOLA LXXXVIII.

HORMISDÆ AVITO EPISCOPO, VEL UNIVERSIS EPISCOPIS PROVINCIÆ VIENNENSIS, SUB TUA DIOECESI CONSISTENTIBUS.

Qui de his quæ ad disciplinam catholicam pertinent maxime sciens instrui cupit, quid studii...

(*Hanc epistolam dabimus ubi et Hormisdæ.*)

sole contigit, anno Christi 515, quam cum irritam fecisset Anastasii imp. perfidia et dissimulatio, posterior adjecta est III nonas Aprilis, Agapito consule, anno Christi 517, quo ipso anno Aviti epistolæ mense Februario responderat Hormisda. Quare secundam legationem, quæ tum adhuc parabatur, jam profectam in Orientem falsa Viennam fama pertulerat.

ALCIMI AVITI

HOMILIA DE ROGATIONIBUS.[a]

UNDE CONSUETUDO ROGATIONUM PROCESSERIT.

Currit quidem trámite vitali, non per Gallias tan- C tummodo, sed pene per orbem totum rogationalis observantiæ flumen irriguum, et infectam vitiis terram uberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat. Peculiarior tamen nobis in hac ipsa institutione servitii et gaudii causa est, quia quod hinc modo ad cunctorum utilitatem defluit, ex nostro primitus fonte manavit : et forte nunc pertineat ad cujuscunque privilegii ornatum sumptæ primitus institutionis exordium. Cæterum cum ad hujusmodi humilitatem ineffabilis necessitas rigida Viennensium corda perdomuit, sentiens ecclesia nostra causam ægritudinis suæ, non sibi quasi maxime præ omnibus, sed quasi soli ex omnibus existimans opus esse instituenda observatione præsenti, sollicitius captavit remedium, quam primatum. Et quidem terrorum temporis illius D causas multos nostrum recolere scio. Siquidem incendia crebra, terræ motus assidui, nocturni sonitus, cuidam totius orbis funeri prodigiosum quoddam bustuale minitabantur. Nam populosis hominum concursibus domestica silvestrium ferarum species obversabatur, Deus viderit an ludificans oculis, an adducta portentis. Quidquid tamen ex iis duobus foret, perinde monstruosum intelligebatur, seu sic veraciter immania bestiarum corda mansuefieri, seu tam horribiliter conspectibus territorum falsæ visionis phantasmata posse confingi. Inter hæc diversa vulgi sententia, dispariumque ordinum variæ opiniones. Alii quod sentiebant dissimulando, quæ fletui nolebant dare, casui dabant; alii spiritu salubriore, abominabilia nova quoque (*In edit. Gagnei*, quæque) congruis malorum proprietatis significationibus interpretabantur. Quis enim in crebris ignibus imbres Sodomiticos non timeret? quis trementibus elementis, aut decidua culminum, aut disrupta terrarum imminere non crederet? quis videns, certe videre se pu-

[a] De hac homilia Gregorius Turon. lib. II Historiæ, cap. 34 : *Refert Avitus in quadam homilia quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes quas ante Ascensionis Domini triumphum celebramus, a Mamerto ipsius Viennensis urbis episcopo, cui et hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum urbs illa multis terreretur prodigiis*, etc. Multas hujus argumenti ab Avito habitas homilias fidem faciunt Flori diaconi Excerpta, in quibus sententiæ proferuntur ex sermonibus die primo, secundo et tertio Rogationum. Quin et his plures numero fuisse crediderim, sed a Floro propterea neque hanc in qua versamur, neque alias commemorari, quod in illis nulla Pauli Epistolarum fieret mentio. Quæ in hac editione nostra discrepant a Gagneiana omnium prima, veteri exemplari debentur ex quo deprompta sunt.

tans, pavidos naturaliter cervos per angusta portarum usque ad fori lata penetrantes, non imminentem solitudinis sententiam formidaret? Quid multis? Tracta sunt hæc inter timores publicos et rumores privatos usque ad imminentem solemnium vigiliarum noctem qua celebrari festum dominicæ Resurrectionis annua consuetudo poscebat. Siquidem hanc omnes, laborum opem, malorum finem, metuentium securitatem, communibus animis opperiebantur. Adfuit ergo nox illa venerabilis quæ ad spem publicæ absolutionis votivum solemne patefecerat. Sed mox illic multo vehementior strepitus ictu flagelli gravius ferientis intonuit: utpote quem jam emensis gradibus, superlativum nihil sequi aliud quam chaos intelligeretur. Ædes namque publica quam præcelso civitatis vertice sublimitas immensiter fastigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur itaque nuntio discriminis jucunditas solemnitatis: pleno timoribus populo ecclesia vacuatur. Omnes namque similem facultatibus vel domibus propriis casum de quadam præminentis incendii arce metuebant. Perstitit tamen coram festivis altaribus invictus antistes, et calorem fidei suæ accendens flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedentis compescuit. Desperatione deposita reditur ad ecclesiam, et restincta flammarum luce clarescit luminum pulchritudo. Nec sane ulterius trahitur de arripiendo compunctionis medicamine mora. Prædecessor namque meus, et spiritalis mihi a baptismo pater, Mamertus sacerdos, cui ante non paucos annos [a] pater carnis meæ accepto, sicut Deo visum est, sacerdotii tempore successit, totas in ea quam supra diximus vigiliarum nocte sancto Paschæ concepit animo Rogationes; atque ibi cum Deo tacitus definivit quidquid hodie psalmis et precibus mundus inclamat. Revoluta ergo solemnitate paschali, non jam quid, sed quomodo aut quando fieri debeat, secreta primum collatione tractatur. Putabatur a quibusdam Viennensis senatus cujus tunc numerosis illustribus curia florebat, inventis non posse addici, cum vix acquiesceret legitimis inclinari. Sed pius ac sollicitus pastor, sapientiæ salibus largus, mansuefaciendarum ovium prius orando animum, quam perorando mollivit auditum. Pandit igitur dispositionem, indicit ordinem, exponit salubritatem; et viro tam religioso quam solertis ingenii parum fuit, si obedientibus propositum tantummodo institutionis promereret, nisi inter initia etiam vinculum consuetudinis assignaret. Inspirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur a cunctis, confirmatur, attollitur: eligitur tempori triduum præsens, quod inter Ascensionis sacræ cultum diemque dominicum, quasi quodam opportunitatis propriæ limbo circumpositis solemnitatibus marginaretur. Explorante autem episcopo fervorem inchoationis, et maxime verente ne, ob tardam populi sequacitatem, paucioribus eductis observatio ipsa confestim in sui novitate revilesceret; ad basilicam quæ tunc mœnibus vicinior erat civitatis, orationem primæ processionis indicit. Itur celebri alacritate, copiosa multitudine, maxima compunctione: ut revera populi lacrymis laboribusque brevis atque angusta processio videretur. Ubi vero sanctus sacerdos de minorum effectu majorum indicia collegit, sequenti die institutum est, quod nunc primo, id est crastino, si Dominus annuit, die laboraturi sumus. [b] Secutæ sunt succiduo tempore quædam ecclesiæ Galliarum rem tam probabilis exempli; sic tamen, quod hoc ipsum non apud omnes iisdem diebus quibus penes nos institutum fuerat, celebretur. Nec porro magni interesat quod triduum eligeretur, dummodo psalmorum officia lacrymarum functionibus annuis persolverentur. Tamen cum dilectione rogationum, etiam sacerdotum crescente concordia, ad unum tempus, id est ad præsentes dies, universalis observantiæ cura concessit. Porro autem eo attinuit ista præfari, ut, seu recolentibus hæc, seu ignorantibus forte retulimus, omnes tamen attendant, quod Ecclesia quæ misit aliis formam institutionis, multipliciter est debitrix ostendendæ alacritatis, et prima debet esse compunctionis officio, quæ in re tam necessaria omnibus facta est mater exemplo. Unde imminere nunc, si Deus annuit, rogationum nostrarum operosissimam festivitatem, non quasi nescientibus indicimus, sed quasi exspectantibus commendamus. Quia licet non absque labore constet servanda professionis ipsius consuetudo, delectat tamen asperitas medicaminis, in quo frequenter inveniri probata est spes salutis. *Si dixerimus*, inquit Apostolus, *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus* (*I Joan.* I, 8). Et si confiteri debemus assidue nos peccare, opus est confitendi officio, humilitate pœnitendi. Præsertim cum plebis adunatæ compunctio sic ad incitamentum boni operis possit aptari, ut rebellis magis convenientius erubescat, si cunctæ multitudini propriæ mentis solitudine contradicens, peccata sua vel vitia cum populo flente non defleat. Necessaria

[a] Is fuit Isicius sive Hesychius. Ado Viennensis in Chronico: *Avitus*, inquit, *Viennensis episcopus, eloquentia et sanctitate præcipuus, cujus frater Apollinaris Valentiæ episcopus, miraculis insignis, Isicii senatoris primum viri, postea Viennensis episcopi, duo lumina clarissimi filii.* Senatorem se Romanum Avitus quoque filius, et in episcopatu successor, professus est in epist. 51. In eadem Viennensi cathedra postea sedit Isicius alter, qui in concilio Aurelianensi V et in Parisiensi III subscripsit.

[b] Prima omnium, aut inter primas Ecclesia Arvernorum, teste Sidonio lib. VII, epist. 1 ad Mamertum ipsum Rogationum auctorem. Mox tota Gallia imperatæ et observatæ; tum in regno Francorum, quod Gothicum jam regnum occuparat, decreto concilii Aurelian. I, can. 27: *Rogationes, id est Litanias, ante Ascensionem Domini ab omnibus ecclesiis placuit celebrari.* Tum in regno Burgundionum, quo reliqua fere pars Galliæ continebatur: quod patet ex can. 6 concilii Lugdunensis II: *Placuit etiam universis fratribus, ut in prima hebdomada noni mensis, hoc est ante diem dominicam quæ prima in illo mense illuxerit, Litaniæ sicut ante Ascensionem Domini sancti Patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus ecclesiis seu parochiis celebrentur.*

est igitur boni operis conspiratio. Sumit alter ex altero, aut de humilitate exemplum, aut in confessione solatium. Periculosius agitur singulare certamen, in quo vires altrinsecus experiri posse paucorum est. At vero, cum contra hostem communem multitudinis pugnat assensus, trahit etiam timidum militem virtus aliena. Robustis bellantibus infirmitas delitescit, et quodam unitatis suffragio laus sit invalidis, in exercitu fortium computari. Denique cum victoria contigerit, totis acquiritur; et cum paucorum dextra pugnaverit, omnium gloria triumphavit. Hoc dico de infirmitate communi, quæ si se rogantibus non subtrahat etiam cum ipsa per se minus fecerit, non tamen ad integrum fructu carebit. In illa gloriosa et admodum singulari historia Ninivitarum, contra exsertum commotæ Divinitatis gladium, juncta seniorum viribus etiam infantilis ætas pugnare compulsa est. Humani quoque mercedem et gratiam jejunii pecorum fames adauxit. Quin et ipsa irrationabilis creatura quæ offensam timere non potuit, quodam modo veniam postulavit. Et quia homines in morem animalium vivendo peccaverant, rursus animalia sua quasi homines jejunare coegerunt. Propter hanc ergo discretionem, in Evangelio Dominus ait: *Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). Petere enim docti est, quærere devoti; petit sciens, quærit nesciens. Cum petis, vis accipere quod intelligis; cum quæris, adhuc conaris invenire quod petas. Ideo qui jam superiores sunt, orando petant; qui infirmi, laborando quærant. Porro autem pulsare commune est. Nullus quippe obstructum aditum vocibus pulsat: istud ad manus pertinet, et corporis actus est. Petat ergo scientia, quærat amor, pulset operatio, maxime in observatione præsenti. Festivitas siquidem est, cujus jocunditas tota sola sobrietas, cujus epulæ lacrymæ, cujus pastus esuries est: cujus principium ex necessitate, perseverantia in dilectione, actus in requie, requies in labore: cum tota ista observantia confessio pœnitendi pro culpa sit, et rogandi pro venia. Etiam vero evangelica præsens lectio utilitatem supplicationis exposuit, dum in navi Dominum dormientem chorus discipulorum sub tempestatis strepitu trepidus suscitaret (*Matth.* VIII, 24). Neque porro aliud fuit in tanto repugnantium sibi invicem ventorum fluctuumque conflictu, sopitum profundius Dominum nostrum interrita quiete jacuisse, nisi ut ad eum inter discrimina quæ patimur, timoris nostri causa confugeret. Assiduo nos ictu tempestas ista fatigat, impulsu terribili contra nos tonitrus sæculi clamat, scintillantibus ad punctum radiis mundana commotio non illuminat sed coruscat. Ecclesia est navis quæ nos per varios casus velut inter marinos gurgites ducit. Aures quidem nostras obtrectationibus et blasphemiarum stridore, quasi laxata laterum compage, reverberat; sed puppim veritatis soliditate constructam penetrare non potest quod fatigat. Et quia promisit Dominus noster Ecclesiæ, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20); in navi quidem est in qua sumus, sed metuere jam non potest quod timemus. Post resurrectionem enim ascensionemque suam totus inter pericula nostra requiescit. Alienæ magis formidini opus est, ut qui securus jacebat evigilet. Clametur ergo vocibus supplicationis; et, si ingravante periculo necdum audit, pulsetur manibus largitatis, et dicatur ei: *Exsurge: quare obdormis, Domine, oblitus inopiæ et tribulationis nostræ* (*Psal.* XLIII, 23, 24)? Dicturus est quidem expergefactus, *Cur timidi estis, modicæ fidei* (*Matth.* VIII, 26)? Reddat salutem, et increpet infirmitatem. Et si parva fides est, quia timemus sæcularia, est tamen aliquantula, si recurramus ad Dominum. Non autem timeretur coram ipso, si ipse timeretur. Sed minima conscientia recti maxima causa trepidandi est, in nostra præcipue vita, cui criminum continuatio fit discriminum multitudo. Quocirca si non diximus Christo, Vigila nobiscum, saltem dicamus, Evigila propter nos. Non rogavimus ne discederet, obtineamus ut redeat, nec deserat cursum navigationis infirmæ, donec vento et mari silentium jubeat, et furorem insanientis sæculi celerrimo fine compescat, et fiat in retributione judicii tranquillitas magna quæ in hoc mundo esse non potest. Quia si de mundo essetis (*Joan.* XV, 19), mundus quod suum erat diligeret. Sed devincto mundo perveniatur ad supernam quietem: ubi quoniam possibilitas pereundi aberit, nec periculi causa nascetur: ubi semper nobiscum Dominus, semper cum illo, si dederit, nos erimus: et qui hic aliquoties negligentibus dormit, illic perpetuo fruentibus sine fine vigilabit.

QUORUMDAM S. AVITI OPUSCULORUM FRAGMENTA:

ADMONITIO:

Præter homiliam, superiorem et alteram in conversione Sigismundi regis habitam cujus meminit Agobardus, restant in vetustissimis schedis Thuaneæ bibliothecæ tituli aliarum octo; cum primis cujusque verbis, in hunc modum.

HOMILIARUM OCTO TITULI ET INITIA.

I. Dicta in dedicatione superioris basilicæ: « Disponeram patientia taciturnitatis hodiernæ. »

II. Dicta in basilica sanctæ Mariæ: « Statueram, dilectissimi, et quantum arbitror. »

III. In restauratione baptisterii in civitate sua Vienna: « ... Temporum perturbationes quibus. »

IV. Dicta in dedicatione basilicæ Genevæ: « Novimus et miramur ex evangelica lectione divitem. »

V. Dicta in dedicatione.... « Pertinet ad locum.... »

VI. Dicta in basilica S. Petri, quam sanctus episcopus Tarantasiæ condidit: « ... Par est decrescat facultas virium, crescente materia gaudiorum. »

VII. Dicta in basilica sanctorum Agaunensium, in innovatione monasterii ipsius, vel passione martyrum: « Præconium felicis exercitus, in cujus congregatione. »

VIII. Homilia dicta in conversione domni Segisrici, postridie quam soror ipsius ex Ariana hæresi est re-

cepta : « Sæpenumero divinitate quod dilecto suo principi nostro. »

FRAGMENTA EARUMDEM HOMILIARUM.

(Ex schedis iisdem.)

I.

Sic quondam Petrus apostolorum caput (*Matth.* XIII, 29), id est principum princeps, quamlibet commotum ventis pelagus formidaret, adreptum tamen fluvidi tenens callem victor explicuit; atque undis ponti furentis, velut hostilium turbinum molibus eluctatis, flatum tentationis adversæ, priusquam sede contingeret, fide contrivit. Secuta est illic serenitas iter peractum. Hic quoque non minus ad habitationem quam ad imaginem, Petri ædem fide fundatam securitas quæ non præcesserat insequitur. Innovet autem idem nunc apostolus dignam sui nominis sedem. Iisdem clavibus pandat hic locum, quibus aperit regnum. Solvat nunc quæ sibi ostensæ fuerint compedes criminum. *Et paulo superius.* Soliditas quæ faciendis fabricis in principiis quæritur, hic et culmen obtinet. Firmissimo aliarum ædium fundamine cacumina nostra tutiora sunt.

II.

Quid mihi laudet antiquus (*Exod.* XV, 23) Moysem suum aquas ab ævo asperas ligno castigante dulcasse? quid Elisæum (*IV Reg.* IV, 41), virtute non imparem, agrestis cibi amaritudine plenum lebetem medici farris infusione condisse? Hæc quidem gesta exempli admirabilis fuisse quis nesciat? Sed non minus hodie vestro datum est sacerdoti, quem par diversitas felicis eventus parem paribus approbabit. Cum minoris pene virtutis sit creaturas orando convertere, quam hoste depulso creatorem ædibus invitasse. Implet hic porro gentilium vices vicinantium Arianorum turbidus livor. Et si paganus hic forte jam deest qui plures deos velit excoli, gemit hæreticus qui unum conspicit exorari. Diligit quippe Trinitatis divisor numerositatem deorum; et consanguineo separationis affectu, pariter soliditate perrupta, multos deos fieri a consentaneis acquiescit, sub quorum favore quasi excusabiliter ipse tres numeret. Quid ingemiscat Christi vacuus nominator, locum numinibus interclusum paruisse virtutibus? Nullus a salutis consortio prohibetur. Sit eis pariter commune cum salvis, quod hactenus nostrum noluimus esse cum perditis. Profanis cultibus claustra damnamus, conversuris cultoribus templa patefacimus. Expetat ergo hic solidum, quisquis amaverat ante divisum; recognoscat nunc Christum petram, quisquis hic dudum saxa veneratus est. Sacrilegiis ara perit, venit ara sacrificiis. Nomen unum, causa diversa est. Medetur serpens æreus, quo momordit ignitus.

III.

Generali exsultatione gaudendum est, quod florentibus sceptris catholicæ potestatis, orationum loca, martyrum templa, liminum sacra, ornantur oppida non minus ædibus quam patronis : imo potius, illustratæ patrociniis fiunt urbes ex oppidis. Quod si et specialis festi gaudium præconio currente tangamus, est equidem fabrica præsens jocunda loco, imminens fluvio, et confragosum vicini torrentis tumultum, velut impendentis reverentiæ terrore castigat. Cohibetur venerabilibus ripis amnis arctatus, et pendulam interjecti pontis semitam, ad altrinsecus expetenda sacrorum culminum loca substernit. Ædes sufficiens diffusioni, facta est angusta conventui : quæque sic jocunditate habitaculi tam terrestria quam superna sollicitans, cum populo suo vix sufficiat, sufficit de fabrica. Multiformi opificum ingenio nitens, expulit noctem, appulit lucem, qui diu tristibus tenebris artificio proturbatis, lætior intra quoddam claritatis ergastulum, felici custodia clausus est dies. Sic quondam carcer retificis Petri (*Act.* XII, 7) pretiosorum ligaminum radio illustrante resplenduit : cum ferrum suppliciis coaptatum, metallis pretiosioribus plus luceret, serræ fugerent patente aditu catenæ caderent perstrepente tinnitu.

IV.

Gaude igitur, invicte mercator, dispensatione commissa; profer de thesauro tuo nova et vetera (*Matth.* XIII, 50), institutor rudium, labentium restitutor; sit una in multiplici consecratione solemnitas. Erexisti lacrymarum machinis quod hostis alliserat : rediit quæ perierat forma templorum, recurrat et sanctitas. Non tu (*Luc.* XIX, 13) traditam tibi minam, damnante sudario, terrenis scrobibus suffodisti; nec hoc tantum contentus reddere quod dudum fuerat consignatum, illa referens, offerens ista, ut frugem primitiarum melius porrigas, prius studuisti solvere quod debeas. Quocirca, dilectissimi, orate quod superest, ut si quid sacrum furatur adversitas, Deo ulciscente sic redeat. In multiplices fructus granum tritici quod maturum putabatur, excrescat. Velut Job (XLII, 10) nostri opes, inter prælia tentationis amissas, victoriæ meritum, patientia duplicante, restituat. Et ut breviter cuncta concludam, agnoscat præsentibus præteritisque successibus, tam perpetrans, quam tolerans, quam in æternis salubres lacrymæ nostræ erunt tribuere, quas videmus fidelibus etiam in temporaneis non perire.

V.

In gloria præsentis ævi parum est, si permitti ad hæc fabricanda dicamur : illud supra est, quod ad tales conatus, si otiari vellemus, impellimur. Noverunt siquidem sceptra sæculi nostri, in quo sit virtus temporis sui : quorum inexpugnabiliter, recte ut confidimus, plus hæc basilicis quam propugnaculis urbs munitur. Cingitur undique tutamine sacrarum ædium dives accessus, et ad portarum quamvis patentium limina tutiora, nisi sanctis janitoribus, non venitur. Desistat hinc plane nutu superno usus armorum. Ne hostilis conatus hic valeat, hos sufficit providisse custodes. Sic iste, meritorum vigore discretus, aut indigenas deducat aditus, aut insidias repellat objectus. Has sibi per circuitum, velut Hierusalem quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXI, 3 *seq.*), turres attollat : ubi lætaturis, quoties in domum Domini ibimus, hæ sanctorum cultibus turres, hæc populorum abun-

dantia contingat in turribus; sicque ei fiat pax in virtute, virtus in pace: virtus scilicet rectoribus, pax regendis; præsidentibus illa, ista famulantibus; quarum tamen principibus nostris utramlibet optantibus, utramque merituris conventus subjectionis devotæ pax confoveat, virtus adjiciat. Ad te nunc sermo liberior, o præsens, si quæ sunt uspiam, catholicarum gentium pater, religionis lumen, columen regionis, exemplorum virtus, Ecclesiarum pignus, temporum decus, civilitate sublimis, communione terribilis, reverentia..... quam cum adoraris a populo. Qui in tribunali unus præ omnibus, in altari unus ex omnibus, stipatus cœtibus subjectorum, non fulgore diadematis, sed mentis luce discerneris. Jam recognoscas tempus est in manibus nostris munera tua. Paremus quidem jubenti tibi, ut secreta sint cum donantur; sed tu clamas, talia conferendo, quæ nisi princeps habere non poterat. Gloriosissimum quippe in his quoque ædibus quod fecisti: sed in quiddam sublimius tuorum gaudia se reservant. Communem hic quidem hodie lætitiam oblatio vestra peperit: sed adhuc major est quam præstolatio nostra concepit. Porrigitur hic, præludens per conjecturam præsentium, contemplatio subsequentum. Juste æstimatur tantum in nobis, quantum per te potior eris in summa. Certe sicut rationem illic operum perpendimus, hic donorum; non quidem solus in præsentibus aspicis quod delectet, sed solus in futuris poteris proferre quod superet.

VI.

[a] Præconium felicis exercitus in cujus congregatione beatissima nemo periit, dum nullus evasit, cum injustam sanctorum martyrum mortem quasi sortis justitia judicaret, qua bis super aciem dispersa mansuetam, centuplex decimatis fructus accresceret, et odio in prosperum suffragante, eatenus eligerentur singuli, donec simul colligerentur electi, ex consuetudinis debito series lectæ passionis explicuit.

VII.

Cujus aditus nocte non clauditur, quia non habet noctem; cujus fores semper paratas, justis patulas, impiis inaccessas, non alternant claustra, sed merita. Cujus fundamentum Christus est, fides machina, murus corona, margaritum porta, aurum platea, agnus lucerna, chorus Ecclesia. Cui inter divinas laudes, omnis operis necessitate seclusa, sola erit requies sinceritas actionis. Multa sunt, piissime præsul, in tribunali aliquibus junior, in altario omnium prior, multa sunt, inquam, in operibus tuis, quibus nos hactenus gratias debuisse dicamus. Ditati donis, pauperes verbis, percepimus magna, pauca persolvimus. Ornasti ecclesias tuas gazarum cumulo, numero populorum. Struxisti sumptibus quæ muneribus cumulares altaria. Nunquam quidem contulimus verba virtuti: sed cum ad præsens psalmisonum solemne perventum est, parum puto si dicam verba nostra, vicisti hodie insuper et opera tua. *Et post alia.* Gallia nostra florescat. Orbis desideret quod locus invexit. Incipiatur hodie exustioni æternitas, dignitas regioni. Laudantibus in præsenti sæculo Deum, laudaturis pariter in futuro renovet magis obitus quam terminet actionem. Recognoscatis in cœlo quam de hac tellure portabitis consuetudinem præmiorum: tantusque perseverantiam vestram honor sequatur, ut quod vobis in exercitio erit operis, hoc solvatur in præmio pro retributione mercedis.

ALIA FRAGMENTA.

(Gregorius Turonensis libro II Historiæ Francorum.)

Cum autem cognovisset Gundobadus assertiones hæreticorum nihil esse, a sancto Avito episcopo Viennensi, Christum Filium Dei et Spiritum sanctum æqualem Patri confessus, clam ut chrismaretur expetiit. Cui ait sacerdos: Si vere credis hoc quod nos ipse Dominus edocuit, exsequere. Ait autem: *Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis.* Sic et ipsos sanctos ac dilectos suos beatos apostolos cum de futuræ persecutionis tentationibus doceret, insinuavit dicens: *Attendite vobis ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et præsides stabitis propter me in testimonium illis et gentibus.* Tu vero cum sis rex, et a nullo apprehendi formides, seditionem pavescis populi, ne Creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc stultitiam, et quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. Sic enim et beatus Apostolus ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sic et propheta ait: *Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Et iterum: *Confitebor tibi in populis, Domine; psalmum dicam nomini tuo inter gentes.* Metuens autem populum, o rex, ignoras quia satius est ut populus sequatur fidem tuam, quam tu infirmitati faveas populari. Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum proficiscaris, tu præcedis catervas hostium, et illæ quo abieris, subsequuntur. Unde melius est, ut te præcedente agnoscant veritatem, quam te pereunte permaneant in errore. Nam Deus non irridetur. Non enim diligit illum qui propter terrenum regnum eum non confitetur in sæculo. *Ista ille ratione confusus, usque ad exitum vitæ suæ in hac insania perduravit, nec publice æqualitatem Trinitatis voluit confiteri.*

(Agobardus in libro de Picturis et Imaginibus.)

His ita se habentibus, est modus divinæ, sive angelicæ, vel etiam humanæ gloriæ, sicut Alcimus Avitus episcopus Viennensis in dialogo, ubi cum Gundobado rege

[a] De hoc fragmento Ruinartius in Actis Martyr. sinc. pag. 233 edit. Veron., in admonitione ad passionem sanctorum Mauricii et sociorum ejus martyrum hæc habet § 2: « Fragmentum hujusmodi ex antiquissimis in cortice exaratis schedis bibliothecæ Thuaneæ descripsit vir sacræ antiquitatis studiosissimus Jacobus Sirmondus. Has autem schedas quæ in bibliotheca Regia modo asservantur, vivente adhuc Avito, aut saltem paulo post ipsius obitum scripta fuisse affirmant qui eas inspexerunt viri peritissimi. »

terrestribusque fulgentem, luculento sermone descripseris, incunctanter tamen declarare tuum amorem consuetum est. Securus enim taliter recitas, postquam datam tibi materiam non versibus, sed dentibus expedisti : cum in uno prandio, quod vix duobus burdonum terga detulerânt, unus venter inclusit : cum in pransu negligens crimen, alvum nimietate concretam pectinibus pexuisti. Quod licet ad insultandum mihi exaggerasse te pateat, ego tamen constanter affirmo, nullum similem nostri, seu esuriat ille, seu comedat, beatum merito nuncupari. Nam ut de primo quod exposuisti ferculo colloquamur, parvum tibi pœnæ genus putabas afflictum, quod appetitum interioribus inhiantem devorabili tegmine pavus [a] isicio conclusus exclusit, et trepidans accensis faucibus gula aliquantula temporis mora sub [b] docti incisoris pependit arbitrio. Sicque factum est, ut bibendo cibos, pocula ruminando, primam prandii partem esuriens querelis, mediam comedens rapinis, ultimam satur lacrymis exegeris. Nec tibi dixerim profuisse quod defui. Vel id nobis, quantum tibi superfuit, omnibus satisfecit. Nam cum tu in tanta convivii beatitudine deliciatus maxime, tardissime satiatus, vix te possis probare felicem; quid de me misero censeas interrogare præsumo, qui a regalis mensæ abundantia non permittor, et in ecclesiastica frugalitate non saturor : qui sub honoris nomine custodiæ mancipatus, quasi ad primam vocatus et a meliore prohibitus, ne possim fugere jacere compellor : impleor oleribus, et inflor napis; abundo leguminibus, sed quæ tellus, non pontus emisit. Inter hæc qualia fuerint bonæ memoriæ quondam ostrea nec recordor. Si modicum quid vasculo uno minimo semipleno vini pallentis apponitur, et hic modus vel regula custoditur. Jam de cibis taceo : in accipiendis recentibus major est pœna · musta deposcens, aut

A inediam patior, aut aliquid rapuisse confingor; summa importunitate perago ut tres recentes aliis plus præsumam. Ipsæ etiam pateræ, quas conflictis casibus frango, quotidiana reparatione decrescunt. Quapropter laborioso in his tantum insultare desiste : quia cum utrique nostrum quotidianum fatum sit quod quisque sortitus est : tum familiaris miseriæ oblivisci potero, si epulo suo domnus noster sic adesse me jubeat, ut te deesse contingat.

EPISTOLA LXXVIII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] APOLLINARI EPISCOPO.

Confido plane, nec dubito, divino munere communem lætitiam communi præsentiæ nuntiatam. Nam quod et ad vos jam suspicor pervenisse, etiam illi B qui vastare limitem dicebantur, reversi sunt. Unde causa sollicitudinis has direxi, ut quæ ad vos postea de cujuscunque securitatis augmento pervenerint indicetis; aut si jam ad civitatem liber recursus a consuetudine vos, imo potius ab amore obsidionis extraxit. Præterea [d] magdaliola illa quæ promisistis, posco ut cum observationis breviculo dirigi jubeatis. Hactenus familiariter : hinc quod restat, quia jam libet, paulo hilarius indicabo. [e] Signatorium igitur quod pietas vestra non tam promittere quam offerre dignata est, in hunc modum fieri volo. Annulo ferreo et admodum tenui, velut concurrentibus in se delphinulis concludendo, sigilli duplicis forma geminis cardinulis inseratur. Quæ ut libuerit vicissim, seu latitabunda, seu publica, obtutibus intuentium alterna C vernantis lapilli vel electri pallentis fronte mutetur. Nec quidem talis electri, quale nuper, ut egomet hausi, in sancto ac sincerissimo impollutæ manus nitore sordebat, cui corruptam potiusquam confectam, auri [f] nondum fornace decocti crediderim inesse mixturam : vel illam certe, quam nuperrime [g] rex

[a] Aut sicut ficedula inclusa ovo pavonino apud Petronium, aut pavum dicit isiciatum, sicut pullum isiciatum Apicius minutatim concisum, et in isicium conversum. Apicius lib. VIII, cap. 7, de porcello farsili, *Porcellus hortulanus exossatur per gulam in modum utris : mittitur in eo pullus isiciatus particulatim concisus, turdi, ficedulæ, isicium de pulpa sua*, etc.

[b] Qui scindendi obsonii magister Senecæ, scissor Petronio, Juvenali autem chironomus, a gesticulatione qua obsonia scindens utebatur : de qua et Petronius. *Processit*, inquit, *statim scissor, et ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraula cantante pugnare*. Quamvis ergo celerrime, et volanti cultello, ut loquitur Juvenalis, dapes erudita manu secaret, lentus avidis Leoniani faucibus videbatur.

[c] Fratri, Valentinæ sedis antistiti, ad quem aliæ complures.

[d] Seplasiariorum officinis notum vocabulum. Magdaleones enim hodieque vocitant teretes cylindros, in quos composita emplastra redigere solent. Scribonius Largus de chirurgi Tryphonis emplastro subviridi : *Dum desinit fervere, manibus subigetur, et redactum in rotundas ampliores quas μαγδαλίδας dicunt reponetur*. Rogat itaque ut cum magdaliolis quæ promittit, indiculum mittat, qua observatione singulis uti oporteat.

[e] Annulum signatorium, seu sigillum : cujus formam ac materiam, cum omnibus ornamentis, qualem sibi fieri velit, elegantissime describit.

[f] *Omni auro*, ut Plinius docet, *inest argentum vario pondere. Ubicunque quinta argenti portio est, electrum vocatur*. Id cum in metallo reperitur, nativum dicitur. Fit autem et cura electrum argento addito : quod si justum modum excesserit, corrumpitur mixtura, qualem in sigillo suo respuit Avitus.

[g] Alaricus, a Clodoveo prostratus : in hoc enim corruit Wisigothorum regnum in Gallia, cujus ruinæ prænuntiam Avitus adulterinam monetam vult fuisse. Visuntur sane nunc etiam Gothici ex electro veteres D nummi, adeo pallentes, ut auri minus habere putes quam argenti. Cæterum impressam habent regum suorum effigiem; quod ignorasse, aut tanquam illegitimum dissimulasse videtur Procopius, cum solis Francorum regibus id licuisse, barbaris aliis regibus nefas fuisse, scribit libro III Belli Gothici. De Francis enim loquens, eorumque rege Theodeberto, qui provinciæ partem obtinebant, Νόμισμα δὲ χρυσοῦν, inquit, ἐκ τῶν ἐν Γάλλοις μετάλλων πεποίηνται· οὐ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος, ἧπερ εἴθισται, χαρακτῆρα ἐνθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα. Καίτοι νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς ᾗ βούλοιτο ποιεῖν εἴωθε, χαρακτῆρα δὲ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ, οὔτε αὐτὸν θέμις, οὔτε ἄλλον ὀντινοῦν βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων. *Nummum autem aureum ex metallis quæ sunt in Gallia fabricarunt, non Romani,*

Getarum, secuturæ præsagam ruinæ, monetis publicis adulterium firmantem mandaverat. Sed sit ejusmodi color, quem æqualiter ac modeste, ruborem ab auro, ab argento candorem, pretiositatem ab utroque, a cæteris rapientem fulgorem, artificiosa siquidem medioxima viroris commendet amœnitas. Si quæras quid insculpendum sigillo : [a] Signum monogrammatis mei per gyrum scripti nominis legatur indicio. Medium porro annuli, ab ea parte qua volæ clausæ vicinabitur, delphinorum quorum superius capita descripsimus, caudæ tenebunt. Quibus lapisculus ob hoc ipsum quæsitus, oblongus scilicet et acutis capitibus formatus indetur. Ecce habes quoddam tantummodo speculum dogmatis exsequendi. Nec tamen amplitudinem elegantiæ tuæ sic ad memoratum exemplar coacto, quasi liberum non sit addere quod videtur. Licebit porro supercurrenti ingenio vestro terminos præscriptæ demandationis excedere. In fine autem epistolæ, luteo operi sine quo tamen non transigetur, fæculentus sermo deposcit, ut artificem figulum brevi tenendum e vestigio dirigatis, qui nobis, qualibus strui mensuris crebrati cœnaculum furni, vel intra quod spatium fossilis glebæ scrobis sordibus septæ animalium pedibus coctilis cœni glutinum lentari possit instituat.

EPISTOLA LXXIX.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [b] APPOLLINARI EPISCOPO.

Innexus pariter ac gravatus vestræ dignatione sollicitudinis, magnitudine muneris, consuetudine pietatis, qua digna vel gratiarum actione, non dicam obsequii sedulitate, respondeam? Nisi forte multipliciter invalidus eadem in hoc sustenter gratia vestra, quæ nos onerat. Concedat vos ornatui ecclesiæ, consolationi et refectioni nostræ omnipotens Deus, ut quia revera non solum vobis vivitis, per alio- A rum solatia vestra merita cumuletis. Fecerunt quidem peccata mea non qualemcunque necessitatem, qua nos in die susceptæ festitatulæ nostræ, corporali vestræ pietatis præsentia fraudaremur. Sed reddidistis ac repræsentastis nobis vicissitudinem vestri aspectus in lumine, oris in sermone, tactus in opere. Spero in Dei nostri misericordia, quod non meo tantum tempore, sed etiam secuturo, donum vestræ oblationis ecclesiola nostra venerabitur. Quod sicut ego dum vivo in testimonium inexhaustæ largitatis servare desidero, ita mihi Deus præstet, ut etiam ei quem post me, cum Deus jusserit, electio vestra decreverit, peculiariter auctoritas vestra commendet.

EPISTOLA LXXX.

B AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS [c] QUINTIANO EPISCOPO.

Diu est quod rem valde necessariam, et non sine divina inspiratione a Patribus institutam, aut oblivione aut occupatione deserimus. Sed rumpenda sunt interdum vincula necessitatum, ut aliquando impleri possint a præceptore. [d] Conventus ergo quos bis per annum a sacerdotibus fieri seniorum cura decreverat, si bene perpenditis, utinam vel singula post biennia faceremus. Nam et venerabilis papæ Urbis, nobis hanc negligentiam succensentis, mordacia mihi nonnunquam scripta perlata sunt. Unde supplicat per me, si dignamini, ecclesia Viennensis, poscit intermissæ consuetudinis rediviva salubritas, quod hactenus infrequentatum torpuit, excitari. Justum est, quantum reor, ut constitutis prioribus sub communis præsen- C tiæ opportunitate tractatis, nostris simul nobisque, prout ordo collocutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel, si necesse est, etiam nostra jungamus. Idcirco cunctos simul poscimus, fratres, ut Deo favente octavo iduum Septembrium [e] in parochia Epo-

ut mos est, imperatoris effigiem huic stateri, sed suam ipsorum imaginem imprimentes. Et vero nummum argenteum rex Persarum pro arbitrio cudere solet : effigiem porro suam aureo stateri apponere, neque ipsi fas est, neque alii cuiquam regum barbarorum. Est apud nos Theodeberti regis de quo Procopius, nummus aureus, mole quidem exiguus, sed probæ notæ, cum ipsius effigie ac nomine, D. N. THEODEBERTUS C.

[a] Quod in sigillo suo fieri jubet Avitus, hoc idem in denariis suis præceperat Carolus Calvus rex in edicto Pistensi anni 864, cap. 11 : *Ut in denariis novæ nostræ monetæ ex una parte nomen nostrum habeatur in gyro, et in medio nostri nominis monogramma*, nempe ut implicitæ et confusæ monogrammatis litteræ ascripti per gyrum nominis indicio legerentur, quo modo in antiquis regum diplomatis cum monogrammate ipsum quoque regis nomen adjectum videre est. Cæterum regis edicto in denariis monetarii, quod mirum est, non paruerunt. Obvii enim sunt, tum ipsius Caroli, tum filii ejus Ludovici denarii, in quibus per gyrum monogrammatis non nomen, sed regia dignitas expressa : in Carolo, GRATIA DEI REX : in Ludovico, MISERICORDIA DEI REX.

[b] Eidem, gratias agens de muneribus quæ ad ornatum Viennensis ecclesiæ miserat, cum ejus festivitati adesse ipse non posset.

[c] In confesso est Quintianum hoc tempore Arvernorum episcopum fuisse. Quare falsa videtur epistolæ inscriptio. Cum enim ad provinciæ Viennensis episcopos scripta sit, ut ad concilium Epaonense venniant, quis locus foret episcopo Arvernorum, qui non modo extra Viennensem provinciam erant, sed extra ditionem quoque Burgundionum? Nam ut Agathense concilium eorum tantum fuit qui Wisigothorum imperio parebant, et Aurelianense primum eorum duntaxat qui sub Francorum erant potestate : sic ad Epaonense ii tantummodo convenerunt, qui Burgundionum finibus continebantur. Hinc apparet deesse hoc loco epistolam ad Quintianum, cujus sola restat inscriptio : hujus vero, quam ad episcopos provinciæ scriptam diximus, inscriptionem desiderari.

[d] Hoc decreverat synodus Nicæna, can. V : καλῶς ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι. *Recte habere visum est ut singulis annis, per unamquamque provinciam, bis in anno concilia fiant.* Quo spectans concilium Regense can. 8: *Statuit ut secundum antiquam consuetudinem, si quies temporum erit, bis in anno conventus agant.* Et Arausicanum I, can. 29 : *Qui Patrum statuta despiciunt,* D *quibus bis in anno, quod nobis pro temporum qualitate difficile est, sanctum est concurri.* Ob hanc opinor difficultatem, placuit deinceps synodos singulis annis celebrari ; quod apud nos in concilio I Agathensi statutum, in aliis postea multis repetitum est.

[e] Pro Epaonensi. Epao enim plerumque dicitur, quæ alias Epauna. De hoc enim concilio agi certum est ; sed incertum hactenus quis locus, et quod illi hodie sit nomen : de quo multi varia conjiciunt. Qui sancti Firmati vitam conscripsit, auctor est illum, Turonibus relictis, pervenisse ad locum cui nomen

nensi adesse dignemini : qui locus, omnium fatigatione perpensa, conventui satis opportunus electus est; sicut et tempus, in quantum potest, ab instantia ruralis operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excursum : quanquam ecclesiæ potior causa intermitti quaslibet terrarum posceret actiones. Supplicamus ergo et quæsumus, testamur, obtestamur, ne quem a dispositione tam sancta obex ullius excusationis abducat, ne quem a tali caritatis vinculo nexus temporaneæ necessitatis impediat. Sed si forte, quod Deus avertat, tanta cuicunque [a] acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut spiritale desiderium carnali vincatur incommodo; [b] duos presbyteros magnæ ac probabilis vitæ, mandati instructione firmatos, fratribus pro se præsentare procuret. Sed tales dignetur eligere, quos episcoporum concilio non minus scientia quam reverentia jure faciat interesse, cum quibus delectet summos pontifices conferre sermonem, quos ad definitiones pro episcopo suo sanciendas subscribendasque, cum fuerit solertia eligi, sit auctoritas legi. Sed istud non extorqueat nisi summa necessitas. Cæterum dilectionis fraternæ ac pastoralis diligentiæ magnitudo, nisi laboris magnitudine, non probatur. Conjicit enim sanctitas vestra, post hoc longum abusionis nostræ silentium, qualiter aut definiri debeant quæ Deo præstante tractanda sunt, aut quæ definita fuerint, universi ecclesiarum provinciæ nostræ ministri debeant imitari.

EPISTOLA LXXXI.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO SIGISMUNDO.

Scio quidem curis atque occupationibus quibus sub ope cœlesti pro salute patriæ fideliter excubatis, importune suggeri servitium litterarum. Sed cum præcelsa pietatis vestræ dignatio adeo peculiaris famuli non sit oblita, ut in ipso susceptæ expeditionis procinctu, sensibus meis desiderium sui sancto duplicaret alloquio; quis non intelligat quam patienter ineptiam tolerabitis, quam clementia provocatis? Unde qualiter sani confortante Deo sitis, sollicitus esse præsumo, aut quomodo cœptis spes voti communis arrideat. Illud autem non solum rogo, sed per illam quam a Deo accepistis mihique præstatis, gratiam precor, ut quanquam merito de indictæ fidei firmitate securis nobis, magis impenso cautelæ vestræ munere trepidationi nostræ et ignaviæ consulatis : neque plus cogitetis quod universitas pro vobis devota supplicat, quam quod suspensa formidat. Sed licet pavidi ex conscientia peccatores, incunctabili tamen fide præsumimus, quod etiam si vobis, protegente Christo, hic metus noster risum moverit, vel divinas aures ad donandam nobis felicitatis vestræ lætitiam permovebit.

EPISTOLA LXXXII.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS DOMNO SIGISMUNDO.

Videtur quidem de divina promissione diffidere, quicunque minus de vestra prosperitate securus est. Sed si animum meum solida dignatione perpenditis, facilem intelligitis veniam ignaviæ meæ pro nimia trepidatione deberi. Quippe cum quicunque veraciter catholicorum nomen usurpant, pervigili prece Deo supplicare nunc debeant, ut vobis vota nostra illibata atque integra relaturis, et fideliter vicina conjungat, et feliciter adversa subjiciat. Sicque in rerum necessitate multiplici ambifariam vobis Christo propugnante contingat, et pars quæ cupitur, et victoria quæ debetur. Quapropter si memoriæ meæ gratiam de animo vestro nutantem anxietatis tempus imminuit, famulus specialis salutationem quidem deferre non ausus, sed salutem vestram a Domino præstolaturus, satis suspenso attentoque animo servitium præsentis paginæ destinavi, primum de vestra, post de exercitus sanitate sollicitus. Unde, licet in Dei nomine per quoscunque transeuntes prospera cognoscamus, potestis tamen, piissimi domni, conjicere, quantum mihi dulcius erit, sicut me quibuscunque referentibus pascit illa sancti affectus recognitio, sic me rescriptio lætificet, in qua ad quamdam præsentiæ vicem verba vestra pro conspectibus adipisci, et subscriptionem pro manu merear osculari.

EPISTOLA LXXXIII.

AB AVITO EPISCOPO DICTATA SUB NOMINE DOMNI SIGISMUNDI REGIS, [c] AD IMPERATOREM.

Notum est omnibus, celsitudinem vestram non impedimenta temporum, sed subjectorum vota me-

Eona super Rhodanum, ibique consedisse. Quod si Eonam ab Epona deflexisse annuimus, ut absurdum certe non est, qui S. Firmati sepulcrum nactus fuerit, a concilii fortasse loco non aberrabit.

[a] Excusationem quominus episcopi ad synodum veniant, præter infirmitatem corporis, canones Galliæ nullam agnoscunt. Itaque in hoc ipso Epaonensi concilio, can. I decretum est, *ut nisi causa tædii evidentis exstiterit, nullus excuset*. Et in Aurelianensi II, can. 1, *Ut nullus episcoporum, nisi certa tædii causa detentus, ad concilium venire penitus ulla excusatione detrectet*. Quare excusationes alias excludere solent, ut divisionem regiæ sortis, concilium Aurelianense III, can. 1 : *Hanc excusationem sibi noverint esse sublatam, si absentiam suam divisione sortis crediderint excusandam*. Alias omnes concilium Turonense II, can. 1 : *Præter infirmitatem certissimam, nullius occasione velaminis, neque per impedimentum ordinationis regiæ, neque sub occasione utilitatis aut causæ propriæ, debent a concilio separari*.

[b] Quibus ad concilium venire infirmitatis causa non licebat, hi legatos vice sua mittebant. Concilium Arelatense II, can. 18 : *Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat*. Et Carpentoratense in epistola ad Agræcium episcopum, *Licet ad synodum aut per vos, aut per personam vicariam debueritis adesse*. Quanquam ergo duos hoc loco exigat, et duos pro uno episcopo vicarios in concilio Arelatensi V subscripsisse compertum sit; singulos tamen sat fuisse superiora demonstrant. Neque presbyteros omnes mitti necesse fuit, cum ex conciliorum subscriptionibus liqueat, nunc abbates et presbyteros, nunc archidiaconos vel diaconos legari consuesse.

[c] Anastasium, ut posterior epistola declarat : quam cum initio regni Sigismundi, post obitum Gundobadi patris, exaratam significet, confirmat in digerendis epistolis Aviti ordinem temporum observatum non fuisse. Conqueritur autem de rege Italiæ, qui legationem quam mittebat ad imperatorem, progredi non permiserat.

tiri. Sub cujus fiduciæ securitate atque lætitia, gloriosissimo principi nostro, qui corpore absumus animo præsentamur. Et quanquam istud famula vestra prosapia mea ex devotione persolverit, me tamen gratiæ debitorem non magis parentalia debita, quam beneficia mihi impensa fecerunt. Vester quidem est populus meus, sed me plus servire vobis quam illi præesse delectat. Traxit istud a proavis generis mei apud vos decessoresque vestros semper animo Romana devotio, ut illa nobis magis claritas putaretur, quam vestra per militiæ titulos porrigeret celsitudo: cunctisque auctoribus meis semper magis ambitum est quod a principibus sumerent, quam quod a patribus attulissent. Cumque gentem nostram videamur regere, non aliud nos quam milites vestros credimus ordinari. Impartit nos gaudiorum munere vestra prosperitas: quidquid illic pro salute omnium curatis, et nostrum est. Per nos administratis remotarum spatia regionum: patria nostra vester orbis est. Tangit Galliam suam lumen orientis, et radius qui illis partibus oriri creditur, hic refulget. Jubar quidem conspectus vestri contemplatione non capimus: sed lucem serenitatis quam ubique diffunditis, desiderio possidemus. Dominationem vobis divinitus præstitam obex nulla concludit, nec ullis provinciarum terminis felicium sceptrorum diffusio limitatur. Salvo Divinitatis honore sit dictum. Non minuit majestatem vestram quod accurrere non omnes valent: satis ad reverentiam vobis debitam sufficit, quod omnes e propriis sedibus vos adorant. Virtute orbi eoo, felicitate regnatis occiduo: licet vos ubicunque diligi, etiamsi non datur omnibus intueri. Sed cum jure istud de universitate dicatur, conjicite nunc quantum debeant quos honoribus fastigatis, quos socios triumphorum omnium successuumque vestrorum dignitatum titulis applicatis; ut sic virtutis vestræ decora nostra sint, et ad honoratorum ornamenta pertineat quidquid gesserit fons honorum. Offero igitur, principum inclyte, litterarum obsequia, vota gratiarum; præstolor oraculum sermonis augusti; ambio si quid sit quod jubere dignemini. Quia etiam si indigere se famulatu nostro perennitas vestra non credat, quisquis tamen felici meruerit servire, sibi militat. Offerat ergo supplex Orientalium quoque gentium distantia cruditatem; exposcat principari præsulem nostrum. Parthicus ductor, propter pacis commodum, in Romanum imperium gaudeat transire. Indus ipse, post experimenta mansueti oris, stridula voce compressa, leges quibus servire jubeatur Græco cognoscat interprete. Si quis fervor est quo axis meridianus exæstuet, refrigerio temperate, et edomate per reverentiam quidquid ante vos indomitum fuerat per naturam. Incumbentia sibi sceptra religionis invictæ quisquis non optat excipiat. Prorogetur per vos non minus potestate religio, quæ famulantibus populis ad cœlestia pariterque veneranda, et veritatem astruat, et porrigat libertatem: quaque mediante, vobis culmine æternæ salutis innisis, non humano tantum ordine, verum etiam divino amore, longum servire nos deceat.

EPISTOLA LXXXIV.

AB AVITO EPISCOPO DICTATA SUB NOMINE DOMNI REGIS [a] C. S. AD IMPERATOREM ANASTASIUM.

Quam piæ majestatis judicio serenitas vestra, vel parvipendat impedimenta temporum, vel censeat corda famulorum, nullo indicio meliore cognoscitur, quam quod in sacris apicibus longinquius porrigendis, implet desiderantum vota, et supplicum non exspectat officia. Appetunt occursum vestri omnium mentes, nec tam gloriosum est quod pauci possunt, quam quod cuncti videre vos cupiunt. Quod autem nunc augustæ compellationis affatus debitæ vobis paginæ prævenit obsequium, nihil indevotioni pius arbiter, nihil imputet tarditati. Nisi aditum conatibus nostris obex interjecta suspenderet, jam nunc profecto verbum mundo venerabile responsa potius quam oracula destinasset. Nec tamen remorando mihi tantum nocuit, quantum invidit æmulus livor. Non me quidem legistis officii mei compotem, sed reddidistis pii oris compellatione felicem. Nec interest excipiat nos sermo augustus, an exspectet: a celsissima dignatione tantum est nostra non despici, quantum vestra concedi. Igitur post obitum devotissimi fidelissimique vobis patris mei, proceris vestri, cui ad felicissimos integra prosperitate successus, id quoque contigit divino favore votivum, ut lætam florentemque rempublicam vobis orbem regentibus sciret, vosque dominos nationum placido receptus fine derelinqueret: ad hæc intimanda vobisque commendanda quin etiam meæ militiæ rudimenta, quæ genitore quidem meo superstite nutristis, sed magis magisque post eum cumulo sacræ dignationis augebitis, sicut debebam vel optare par fuerat, unum de consiliariis meis, qui quantum ad ignorantiam Gallicanam, cæteros præire litteris æstimatur, venerandi comitatus vestri auribus offerebam, specialius securitate concepta, quod [b] rector Italiæ de pace vestra publice

[a] Comitis Sigismundi.

[b] Theodericus, qui pacem hanc per legatos ab Anastasio expetiit, ut est in epistola 1 Variarum Cassiodori: *Oportet nos, clementissime imperator, pacem quærere, qui causas iracundiæ noscimur non habere.* Et post alia: *ut sinceritas pacis, quæ causis emergentibus cognoscitur fuisse viliata; detersis contentionibus, in sua deinceps firmitate restituta permaneat.* Ad hanc pacem alludens senatus Romanus, Anastasium sic affatur in litteris suis, quæ intextæ sunt epistolæ Hormisdæ: *Proinde*, inquit, *piissime imperator, hæc senatus adjunxit, ut qui animo quam benigno in utraque republica concordanda fuisti, tam esse pio in ecclesia redintegranda unitate noscaris.* Hujus quoque pacis exemplo, pacem Totilas expetit ab Justiniano apud Procopium lib. III Belli Gothici, Αἰτούμεθα τὰ ἐκ τῆς εἰρήνης ἀγαθὰ, δεῖν προσίεσθαι αὐτὸν, καὶ ἡμῖν ξυγχωρεῖν ὧνπερ μνημεῖά τε καὶ παραδείγματα κάλλιστα ἔχομεν, Ἀναστάσιον καὶ Θευδέριχον. *Bona pacis ut ipse amplectaris nobisque concedas, deposcimus: quorum monumenta et exempla pulcherrima habemus, Anastasium et Theodericum.* De hac denique cum sibi plauderet Theodericus, eamdem hæredi, ut cum principe Orientali habere studeret, commenda-

plauderet, et rumore disperso redditam sibi Orientis gratiam coloraret. Interclusum est ergo atque prohibitum relationibus destinatis iter arreptum. Certe ipsa viderit quid hinc apud augustam lætitiam spectet series veritatis; parvum tamen amicitiæ videtur indicium, eum quem te colere asseras, nolle a cæteris honorari : cum omnes qui vos digno cultu suscipimus, id ipsum a cunctis fieri velle debeamus. Parum enim propriæ devotionis ostendit, si quis occurrendi libertate damnata, alios quoque facere studeat indevotos : cum tamen sanctitas cœlestis ingenii nequeat censere culpabilem, quem vel sola voluntas reddiderit innocentem. Unde evidenter ipsum videtis allegare quid cuperem, qui tam sollicite conatus est impedire ne possem. Itaque quoniam divino vestroque munere et sacri apices et opportuni proveniunt quam discrepat : orant augmentum regni vestri quibus nova profertis, optant custodiam quibus consueta servatis. Sic pii moderamine gubernaculi, remedia quidem altera conquisivit, et si repulsam neutra pars pertulit. Inter hos tamen peculiarius illud ego debeo, quod hujus petitionis effectum respectui meo præstitum supplicantes. Quantum peculiari servo impenderitis gratiæ, gratis præstando monstrastis : solaque ob hoc commodum in thesauris vestris mercede reposita, quod pauperibus donabatis, non pretio voluistis constare, sed præmio. Et hoc ipsum qua elegantia digne meretur, reddere quod a famulis oblatum fuerat, quam spernere maluistis, et quo lætius fieret donum, contristare voluistis obsequium? Et licet quidquid ad manus vestras pervenit, vergatur in pauperes, atque idcirco ille vos forsitan dehortetur accipere qui invidet erogare : subministrare tamen retributionis divinæ, unde et dispensetis cum egent inopes, et concedatis cum supplicant debitores. Currite quapropter piissimi via gemina vestri operis unitate. Nunquam si creditis sufficientia deerit animo tali : ipso possibilitatem largiente, unde præstetur habetis, a quo voluntati infusum est ne aliquid negare possitis.

EPISTOLA LXXXV.

AVITUS VIENNENSIS EPISCOPUS VIRO ILLUSTRI HERACLIO.

Nisi dolendum amici casum animo concussus gemerem, multa profecto exaggerarem, quod vos in lectulo, mendacis podagræ metu, medico vegetante de arte consueta, plus quam poeticæ pedibus innitentes, montium scandendorum magis moveat cura, quam versuum. Mœstus vero has et cum festinatione dictavi, revocatus videlicet ad sepulturam communis filii quondam Protendi : si tamen vel hoc ipsum patri

A aliquid consolationis impendat. Vobis porro si cordi est facta de nobis ex asse jactura, ab incursibus formidandis Rhodano limitante muneri tenete adhuc dum redeo, et Ceratium nostrum, de meo habentem aliqua, de vestro nonnulla, qui a me scholasticum, a vobis asserit bellicosum : sumens de matris sapientia quod libenter barbaros fugit, de virtute paterna quod litteris terga non præbuit.

EPISTOLA LXXXVI.

RESCRIPTUM VIRI ILLUSTRIS HERACLII.

Indicastis quidem tantum doloris causam, qua epistolaris officii responsio clauderetur, et durissimo nuntio vulnus inflictum plus me lacrymis cogeret servire quam litteris : tamen metuens silentii culpam, vel pauca suspiriis meis, ut potui verba furatus sum. B Probant igitur tempora, cui rectius ascribatur nota formidinis, quem magis trepidum provisio claustris commissa designet. Ergo urbis caveas dedignatus, inter vicina discrimini constantiam pectoris planis exposui, et jam diu ad patentium locorum æquora perveni, rem ut virtutis audaciam libertate habitationis ostenderem. Vos autem, rumore comperto, ad septa urbis tanquam venturo æmulo convolastis : et quem pacis diebus jugiter rura tenuerunt, nunc de mortuorum latebris non educunt. Enimvero quam vos tunc civitas flagitabat, tam nunc intra mœnia collocatos quærit relicta possessio.

EPISTOLA LXXXVII.

DOMINO SANCTIS MERITIS PRÆCELLENTISSIMO, IN CHRISTO GLORIOSISSIMO, ET APOSTOLICA SEDE DIGNISSIMO, [a] PAPÆ HORMISDÆ AVITUS.

C Dum religionis statui et plenis catholicæ fidei regulis perspicitis convenire, ut gregem per tota vobis universalis Ecclesiæ membra commissum pervigil cura vestræ adhortationis informet; Viennensem provinciam superiore anno, si meminisse dignamini, datis ad humilitatem meam litteris visitastis, quæque ad me, secundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatensis Ecclesiæ clericos pervenerunt, et quidem plenissimæ sollicitudine pastorali. In quibus nos, sicut per conversionem provinciarum, id est Dardaniæ, Illyrici vel Scythiæ, ad communionem gaudiorum provocatis, sic admonitione cautissima quid nos per ignorantiam prævenire possit, instruitis. D Eutychetis igitur Nestoriique damnatio, quos jam dudum per beatissimos decessores sanctæ sedis vestræ calcavit auctoritas, ad notitiam jam pridem nostram apostolicæ ad nos diligentiæ provisione perlata est. Sed illud nos modo suspensos multum redigit et anxios, quod cum pendere nos ad effectum [b] lega-

vit. Jornandes de Rebus Geticis : *Athalaricum, filium filiæ suæ Amalasuentæ, regem constituit, eisque in mandatis dedit, ac si testamentali voce denuntians, ut principem Orientalem placatum semper propitiumque haberent.*

[a] Hanc epistolam codex Aviti quo usi sumus, non habuit. Intexta olim fuerat epistolis Hormisdæ, unde nunc illam transtulimus, cum Hormisdæ ipsius responso. Qui eamdem præterea, in epistola 11 Anastasio scribens, designat his verbis : *Pendent*, inquit, *anxia corda cunctorum : ab ultimis ad nos Galliis directa legatio, si quid de unitate redintegrationis sollicitudo nostra promovisset forma secuta consuluit.*

[b] Bis quidem Constantinopolim ab Hormisda missus est Ennodius, sed unica, cum Avitus hæc scriberet, legatio præcesserat. Ideo illi respondens Hormisda : *Legationis*, inquit, *nostræ, quam semel, non secundo sicut scribitis, misimus, si votivus contigisset eventus, alacres illico vobiscum fueramus desiderata partituri.* Prior enim legatio Ennodii Florentio con-

tionis secundo Constantinopolim destinatæ omni exspectationis studio jusseritis, nec quid filius vester sanctus frater meus Ennodius retulerit, nec utrum secuta redierit indicastis, et promissionem vestram tanta silentii diuturnitate suspenditis, ut non minus modo prædicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora suspectos. Unde sola hæc causa servos vestros filios meos, Alexium presbyterum et Venantium diaconum, totius provinciæ Viennensis nomine, quæ ecclesiæ ad me pertinenti ab universis decessoribus vestris et apostolica sede commissa est, cum præsentis famulatus pagina destinavi; per quos oraculo beatissimæ responsionis agnoscam, utrum fervor schismatum præfatorum qui intra Constantinopolitanam urbem vitio perniciosæ obstinationis exarserat, cuique, quod magis dolendum est, Alexandrinam vel Antiochenam Ecclesias dicitis illigatas, vobis Christo favente docentibus, digna fuerit correctione restinctus, aut si reversa legatio in paginis evidentibus quod simplex legeretur exhibuit, an forte nuntio magis retulit, unde de vobis ad hoc qualiscunque suspicio reservetur. Veremur enim ne pontificale judicium, dum non indicat prospera, sensisset adversa. His adjicitur, quod diversorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia Ecclesiæ Romanæ jactitare se Græciam; quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita metuendum est ne callide simuletur. Quæsumus ergo servitio meo cuncti [*In Labbei edit. Concil.*, juncto], ut quid filiis vestris fratribus meis, id est Gallicanis, si consular respondere debeam instruatis; et quia securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam : orate ut sic nos perditorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate quam regitis veritas comperta non separat. Accepta III calendas Februarii, Agapito consule, per Alexium presbyterum et Venantium diaconum.

EPISTOLA LXXXVIII.

HORMISDÆ AVITO EPISCOPO, VEL UNIVERSIS EPISCOPIS PROVINCIÆ VIENNENSIS, SUB TUA DIOECESI CONSISTENTIBUS.

Qui de his quæ ad disciplinam catholicam pertinent maxime sciens instrui cupit, quid studii...

(*Hanc epistolam dabimus ubi et Hormisdæ.*)

sule contigit, anno Christi 515, quam cum irritam fecisset Anastasii imp. perfidia et dissimulatio, posterior adjecta est III nonas Aprilis, Agapito consule, anno Christi 517, quo ipso anno Aviti epistolæ mense Februario responderat Hormisda. Quare secundam legationem, quæ tum adhuc parabatur, jam profectam in Orientem falsa Viennam fama pertulerat.

ALCIMI AVITI

HOMILIA DE ROGATIONIBUS.[a]

UNDE CONSUETUDO ROGATIONUM PROCESSERIT.

Currit quidem trâmite vitali, non per Gallias tantummodo, sed pene per orbem totum rogationalis observantiæ flumen irriguum, et infectam vitiis terram uberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat. Peculiarior tamen nobis in hac ipsa institutione servitii et gaudii causa est, quia quod hinc modo ad cunctorum utilitatem defluit, ex nostro primitus fonte manavit : et forte nunc pertineat ad cujuscunque privilegii ornatum sumptæ primitus institutionis exordium. Cæterum cum ad hujusmodi humilitatem ineffabilis necessitas rigida Viennensium corda perdomuit, sentiens ecclesia nostra causam ægritudinis suæ, non sibi quasi maxime præ omnibus, sed quasi soli ex omnibus existimans opus esse instituenda observatione præsenti, sollicitius captavit remedium, quam primatum. Et quidem terrorum temporis illius causas multos nostrum recolere scio. Siquidem incendia crebra, terræ motus assidui, nocturni sonitus, cuidam totius orbis funeri prodigiosum quoddam bustuale minitabantur. Nam populosis hominum concursibus domestica silvestrium ferarum species obversabatur, Deus viderit an ludificans oculis, an adducta portentis. Quidquid tamen ex iis duobus foret, perinde monstruosum intelligebatur, seu sic veraciter immania bestiarum corda mansuefieri, seu tam horribiliter conspectibus territorum falsæ visionis phantasmata posse confingi. Inter hæc diversa vulgi sententia, dispariumque ordinum variæ opiniones. Alii quod sentiebant dissimulando, quæ fletui nolebant dare, casui dabant; alii spiritu salubriore, abominabilia nova quoque (*In edit. Gagnei*, quæque) congruis malorum proprietatis significationibus interpretabantur. Quis enim in crebris ignibus imbres Sodomiticos non timeret? quis trementibus elementis, aut decidua culminum, aut disrupta terrarum imminere non crederet? quis videns, certe videre se pu-

[a] De hac homilia Gregorius Turon. lib. II Historiæ, cap. 34 : *Refert Avitus in quadam homilia quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes quas ante Ascensionis Domini triumphum celebramus, a Mamerto ipsius Viennensis urbis episcopo, cui et hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum urbs illa multis terreretur prodigiis*, etc. Multas hujus argumenti ab Avito habitas homilias fidem faciunt Flori diaconi Excerpta, in quibus sententiæ proferuntur ex sermonibus die primo, secundo et tertio Rogationum. Quin et his plures numero fuisse crediderim, sed a Floro propterea neque hanc in qua versamur, neque alias commemorari, quod in illis nulla Pauli Epistolarum fieret mentio. Quæ in hac editione nostra discrepant a Gagneiana omnium prima, veteri exemplari debentur ex quo deprompta sunt.

tans, pavidos naturaliter cervos per angusta portarum usque ad fori lata penetrantes; non imminentem solitudinis sententiam formidaret? Quid multis? Tracta sunt hæc inter timores publicos et rumores privatos usque ad imminentem solemnium vigiliarum noctem qua celebrari festum dominicæ Resurrectionis annua consuetudo poscebat. Siquidem hanc omnes, laborum opem, malorum finem, metuentium securitatem, communibus animis opperiebantur. Adfuit ergo nox illa venerabilis quæ ad spem publicæ absolutionis votivum solemne patefecerat. Sed mox illic multo vehementior strepitus ictu flagelli gravius ferientis intonuit: utpote quem jam emensis gradibus, superlativum nihil sequi aliud quam chaos intelligeretur. Ædes namque publica quam præcelso civitatis vertice sublimitas immensiter fastigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur itaque nuntio discriminis jucunditas solemnitatis: pleno timoribus populo ecclesia vacuatur. Omnes namque similem facultatibus vel domibus propriis casum de quadam præminentis incendii arce metuebant. Perstitit tamen coram festivis altaribus invictus antistes, et calorem fidei suæ accendens flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Desperatione deposita reditur ad ecclesiam, et restincta flammarum luce clarescit luminum pulchritudo. Nec sane ulterius trahitur de arripiendo compunctionis medicamine mora. Prædecessor namque meus, et spiritalis mihi a baptismo pater, Mamertus sacerdos, cui ante non paucos annos [a] pater carnis meæ accepto, sicut Deo visum est, sacerdotii tempore successi, totas in ea quam supra diximus vigiliarum nocte sancto Paschæ concepit animo Rogationes; atque ibi cum Deo tacitus definivit quidquid hodie psalmis et precibus mundus inclamat. Revoluta ergo solemnitate paschali, non jam quid, sed quomodo aut quando fieri debeat, secreta primum collatione tractatur. Putabatur a quibusdam Viennensis senatus cujus tunc numerosis illustribus curia florebat, inventis non posse addici, cum vix acquiesceret legitimis inclinari. Sed pius ac sollicitus pastor, sapientiæ salibus largus, mansuefaciendarum ovium prius orando animum, quam perorando mollivit auditum. Pandit igitur dispositionem, indicit ordinem, exponit salubritatem; et viro tam religiosi quam solertis ingenii parum fuit, si obedientibus propositum tantummodo institutionis promereret, nisi inter initia etiam vinculum con-

A suetudinis assignaret. Inspirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur a cunctis, confirmatur, attollitur: eligitur tempori triduum præsens, quod inter Ascensionis sacræ cultum diemque dominicum, quasi quodam opportunitatis propriæ limbo circumpositis solemnitatibus margináretur. Explorante autem episcopo fervorem inchoationis, et maxime verente ne, ob tardam populi sequacitatem, paucioribus eductis observatio ipsa confestim in sui novitate revilesceret; ad basilicam quæ tunc mœnibus vicinior erat civitatis, orationem primæ processionis indicit. Itur celebri alacritate, copiosa multitudine, maxima compunctione: ut revera populi lacrymis laboribusque brevis atque angusta processio videretur. Ubi vero sanctus sacerdos de minorum effectu majorum indicia

B collegit, sequenti die institutum est, quod nunc primo, id est crastino, si Dominus annuit, die laboraturi sumus. [b] Secutæ sunt succiduo tempore quædam ecclesiæ Galliarum rem tam probabilis exempli; sic tamen, quod hoc ipsum non apud omnes iisdem diebus quibus penes nos institutum fuerat, celebraretur. Nec porro magni intererat quod triduum eligeretur, dummodo psalmorum officia lacrymarum functionibus annuis persolverentur. Tamen cum dilectione rogationum, etiam sacerdotum crescente concordia, ad unum tempus, id est ad præsentes dies, universalis observantiæ cura concessit. Porro autem eo attinuit ista præfari, ut, seu recolentibus hæc, seu ignorantibus forte retulimus, omnes tamen attendant, quod Ecclesia quæ misit aliis formam institutionis,

C multipliciter est debitrix ostendendæ alacritatis, et prima debet esse compunctionis officio, quæ in re tam necessaria omnibus facta est mater exemplo. Unde imminere nunc, si Deus annuit, rogationum nostrarum operosissimam festivitatem, non quasi nescientibus indicimus, sed quasi exspectantibus commendamus. Quia licet non absque labore constet servanda professionis ipsius consuetudo, delectat tamen asperitas medicaminis, in quo frequenter inveniri probata est spes salutis. *Si dixerimus*, inquit Apostolus, *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus* (*I Joan.* I, 8). Et si confiteri debemus assidue nos peccare, opus est confitendi officio, humilitate pœnitendi. Præsertim cum plebis adunatæ compunctio sic ad incitamentum boni operis possit aptari, ut rebellis

D magis convenientius erubescat, si cunctæ multitudini propriæ mentis solitudine contradicens, peccata sua vel vitia cum populo flente non defleat. Necessaria

[a] Is fuit Isicius sive Hesychius. Ado Viennensis in Chronico: *Avitus*, inquit, *Viennensis episcopus, eloquentia et sanctitate præcipuus, cujus frater Apollinaris Valentiæ episcopus, miraculis insignis, Isicii senatoris primum viri, postea Viennensis episcopi, duo lumina clarissimi filii.* Senatorem se Romanum Avitus quoque filius, et in episcopatu successor, professus est in epist. 31. In eadem Viennensi cathedra postea sedit Isicius alter, qui in concilio Aurelianensi v et in Parisiensi III subscripsit.

[b] Prima omnium, aut inter primas Ecclesia Arvernorum, teste Sidonio lib. VII, epist. 1 ad Mamertum ipsum Rogationum auctorem. Mox tota Gallia imperatæ et observatæ; tum in regno Francorum, quod Gothicum jam regnum occuparat, decreto concilii Aurelian. I, can. 27: *Rogationes, id est Litanias, ante Ascensionem Domini ab omnibus ecclesiis placuit celebrari.* Tum in regno Burgundionum, quo reliqua fere pars Galliæ continebatur: quod patet ex can. 6 concilii Lugdunensis II: *Placuit etiam universis fratribus, ut in prima hebdomada noni mensis, hoc est ante diem dominicam quæ prima in illo mense illuxerit, Litaniæ sicut ante Ascensionem Domini sancti Patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus ecclesiis seu parochiis celebrentur.*

est igitur boni operis conspiratio. Sumit alter ex altero, aut de humilitate exemplum, aut in confessione solatium. Periculosius agitur singulare certamen, in quo vires altrinsecus experiri posse paucorum est. At vero, cum contra hostem communem multitudinis pugnat assensus, trahit etiam timidum militem virtus aliena. Robustis bellantibus infirmitas delitescit, et quodam unitatis suffragio laus sit invalidis, in exercitu fortium computari. Denique cum victoria contigerit, totis acquiritur; et cum paucorum dextra pugnaverit, omnium gloria triumphavit. Hoc dico de infirmitate communi, quæ si se rogantibus non subtrahat etiam cum ipsa per se minus fecerit, non tamen ad integrum fructu carebit. In illa gloriosa et admodum singulari historia Ninivitarum, contra exsertum commotæ Divinitatis gladium, juncta seniorum viribus etiam infantilis ætas pugnare compulsa est. Humani quoque mercedem et gratiam jejunii pecorum fames adauxit. Quin et ipsa irrationabilis creatura quæ offensam timere non potuit, quodam modo veniam postulavit. Et quia homines in morem animalium vivendo peccaverant, rursus animalia sua quasi homines jejunare coegerunt. Propter hanc ergo discretionem, in Evangelio Dominus ait: *Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* vii, 7). Petere enim docti est, quærere devoti; petit sciens, quærit nesciens. Cum petis, vis accipere quod intelligis; cum quæris, adhuc conaris invenire quod petas. Ideo qui jam superiores sunt, orando petant; qui infirmi, laborando quærant. Porro autem pulsare commune est. Nullus quippe obstructum aditum vocibus pulsat: istud ad manus pertinet, et corporis actus est. Petat ergo scientia, quærat amor, pulset operatio, maxime in observatione præsenti. Festivitas siquidem est, cujus jocunditas tota sola sobrietas, cujus epulæ lacrymæ, cujus pastus esuries est: cujus principium ex necessitate, perseverantia in devotione, actus in requie, requies in labore: cum tota ista observantia confessio pœnitendi pro culpa sit, et rogandi pro venia. Etiam vero evangelica præsens lectio utilitatem supplicationis exposuit, dum in navi Dominum dormientem chorus discipulorum suo tempestatis strepitu trepidus suscitaret (*Matth.* viii, 25). Neque porro aliud fuit in tanto repugnantium sibi invicem ventorum fluctuumque conflictu, sopitum

A profundius Dominum nostrum interrita quiete jacuisse, nisi ut ad eum inter discrimina quæ patimur, timoris nostri causa confugeret. Assiduo nos ictu tempestas ista fatigat, impulsu terribili contra nos tonitrus sæculi clamat, scintillantibus ad punctum radiis mundana commotio non illuminat sed coruscat. Ecclesia est navis quæ nos per varios casus velut inter marinos gurgites ducit. Aures quidem nostras obtrectationibus et blasphemiarum stridore, quasi laxata laterum compage, reverberat; sed puppim veritatis soliditate constructam penetrare non potest quod fatigat. Et quia promisit Dominus noster Ecclesiæ, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* xxviii, 20); in navi quidem est in qua sumus, sed metuere jam non potest B quod timemus. Post resurrectionem enim ascensionemque suam totus inter pericula nostra requiescit. Alienæ magis formidini opus est, ut qui securus jacebat evigilet. Clametur ergo vocibus supplicationis; et, si ingravante periculo necdum audit, pulsetur manibus largitatis, et dicatur ei: *Exsurge: quare obdormis, Domine, oblitus inopiæ et tribulationis nostræ* (*Psal.* xliii, 23, 24)? Dicturus est quidem expergefactus, *Cur timidi estis, modicæ fidei* (*Matth.* viii, 26)? Reddat salutem, et increpet infirmitatem. Et si parva fides est, quia timemus sæcularia, est tamen aliquantula, si recurramus ad Dominum. Non autem timeretur coram ipso, si ipse timeretur. Sed minima conscientia recti maxima causa trepidandi est, in nostra præcipue vita, cui criminum continuatio fit C discriminum multitudo. Quocirca si non diximus Christo, Vigila nobiscum, saltem dicamus, Evigila propter nos. Non rogavimus ne discederet, obtineamus ut redeat, nec deserat cursum navigationis infirmæ, donec vento et mari silentium jubeat, et furorem insanientis sæculi celerrimo fine compescat, et fiat in retributione judicii tranquillitas magna quæ in hoc mundo esse non potest. Quia si de mundo essetis (*Joan.* xv, 19), mundus quod suum erat diligeret. Sed devincto mundo perveniatur ad supernam quietem: ubi quoniam possibilitas pereundi aberit, nec periculi causa nascetur: ubi semper nobiscum Dominus, semper cum illo, si dederit, nos erimus: et qui hic aliquoties negligentibus dormit, illic perpetuo fruentibus sine fine vigilabit.

QUORUMDAM S. AVITI OPUSCULORUM FRAGMENTA.

ADMONITIO.

Præter homiliam, superiorem et alteram in conversione Sigismundi regis habitam cujus meminit Agobardus, restant in vetustissimis schedis Thuaneæ bibliothecæ tituli aliarum octo, cum primis cujusque verbis, in hunc modum.

HOMILIARUM OCTO TITULI ET INITIA.

I. Dicta in dedicatione superioris basilicæ: « Disposueram patientia taciturnitatis hodiernæ. »

II. Dicta in basilica sanctæ Mariæ: « Statueram, dilectissimi, et quantum arbitror. »

D *III. In restauratione baptisterii in civitate sua Vienna: « .... Temporum perturbationes quibus. »*

IV. Dicta in dedicatione basilicæ Genevæ: « Novimus et miramur ex evangelica lectione divitem. »

V. Dicta in dedicatione.... « Pertinet ad locum.... »

VI. Dicta in basilica S. Petri, quam sanctus episcopus Tarantasiæ condidit: « .... Par est decrescat facultas virium, crescente materia gaudiorum. »

VII. Dicta in basilica sanctorum Agaunensium, in innovatione monasterii ipsius, vel passione martyrum: « Præconium felicis exercitus, in cujus congregatione. »

VIII. Homilia dicta in conversione domni Segisrici, postridie quam soror ipsius ex Ariana hærese est re-

cepta : « Sæpenumero divinitate quod dilecto suo principi nostro. »

FRAGMENTA EARUMDEM HOMILIARUM.

(Ex schedis iisdem.)

I.

Sic quondam Petrus apostolorum caput (*Matth.* XIII, 29), id est principum princeps, quamlibet commotum ventis pelagus formidaret, adreptum tamen fluvidi tenens callem victor explicuit; atque undis ponti furentis, velut hostilium turbinum molibus eluctatis, flatum tentationis adversæ, priusquam sede contingeret, fide contrivit. Secuta est illic serenitas iter peractum. Hic quoque non minus ad habitationem quam ad imaginem, Petri ædem fide fundatam securitas quæ non præcesserat insequitur. Innovet autem idem nunc apostolus dignam sui nominis sedem. Iisdem clavibus pandat hic locum, quibus aperit regnum. Solvat nunc quæ sibi ostensæ fuerint compedes criminum. *Et paulo superius.* Soliditas quæ faciendis fabricis in principiis quæritur, hic et culmen obtinet. Firmissimo aliarum ædium fundamine cacumina nostra tutiora sunt.

II.

Quid mihi laudet antiquus (*Exod.* XV, 23) Moysem suum aquas ab ævo asperas ligno castigante dulcasse? quid Elisæum (*IV Reg.* IV, 41), virtute non imparem, agrestis cibi amaritudine plenum lebetem medici farris infusione condisse? Hæc quidem gesta exempli admirabilis fuisse quis nesciat? Sed non minus hodie vestro datum est sacerdoti, quem par diversitas felicis eventus parem paribus approbabit. Cum minoris pene virtutis sit creaturas orando convertere, quam hoste depulso creatorem ædibus invitasse. Implet hic porro gentilium vices vicinantium Arianorum turbidus livor. Et si paganus hic forte jam deest qui plures deos velit excoli, gemit hæreticus qui unum conspicit exorari. Diligit quippe Trinitatis divisor numerositatem deorum; et consanguineo separationis affectu, pariter soliditate perrupta, multos deos fieri a consentaneis acquiescit, sub quorum favore quasi excusabiliter ipse tres numeret. Quid ingemiscat Christi vacuus nominator, locum numinibus interclusum paruisse virtutibus? Nullus a salutis consortio prohibetur. Sit eis pariter commune cum salvis, quod hactenus nostrum noluimus esse cum perditis. Profanis cultibus claustra damnamus, conversuris cultoribus templa patefacimus. Expetat ergo hic solidum, quisquis amaverat ante divisum; recognoscat nunc Christum petram, quisquis hic dudum saxa veneratus est. Sacrilegiis ara perit, venit ara sacrificiis. Nomen unum, causa diversa est. Medetur serpens æreus, quo momordit ignitus.

III.

Generali exsultatione gaudendum est, quod florentibus sceptris catholicæ potestatis, orationum loca, martyrum templa, liminum sacra, ornantur oppida non minus ædibus quam patronis : imo potius, illustratæ patrociniis fiunt urbes ex oppidis. Quod si et specialis festi gaudium præconio currente tangamus, A est equidem fabrica præsens jocunda loco, imminens fluvio, et confragosum vicini torrentis tumultum, velut impendentis reverentiæ terrore castigat. Cohibetur venerabilibus ripis amnis arctatus, et pendulam interjecti pontis semitam, ad altrinsecus expetenda sacrorum culminum loca substernit. Ædes sufficiens diffusioni, facta est angusta conventui : quæque sic jocunditate habitaculi tam terrestria quam superna sollicitans, cum populo suo vix sufficiat, sufficit de fabrica. Multiformi opificum ingenio nitens, expulit noctem, appulit lucem, qui diu tristibus tenebris artificio proturbatis, lætior intra quoddam claritatis ergastulum, felici custodia clausus est dies. Sic quondam carcer retificis Petri (*Act.* XII, 7) pretiosorum ligaminum radio illustrante resplenduit : cum ferrum B suppliciis coaptatum, metallis pretiosioribus plus luceret, serræ fugerent patente aditu catenæ caderent perstrepente tinnitu.

IV.

Gaude igitur, invicte mercator, dispensatione commissa; profer de thesauro tuo nova et vetera (*Matth.* XIII, 50), institutor rudium, labentium restitutor; sit una in multiplici consecratione solemnitas. Erexisti lacrymarum machinis quod hostis alliserat : rediit quæ perierat forma templorum, recurrat et sanctitas. Non tu (*Luc.* XIX, 13) traditam tibi minam, damnante sudario, terrenis scrobibus suffodisti; nec hoc tantum contentus reddere quod dudum fuerat consignatum, illa referens, offerens ista, ut frugem primitiarum melius porrigas, prius studuisti solvere quod debeas. C Quocirca, dilectissimi, orate quod superest, ut si quid sacrum furatur adversitas, Deo ulciscente sic redeat. In multiplices fructus granum tritici quod maturum putabatur, excrescat. Velut Job (XLII, 10) nostri opes, inter prælia tentationis amissas, victoriæ meritum, patientia duplicante, restituat. Et ut breviter cuncta concludam, agnoscat præsentibus præteritisque successibus, tam perpetrans, quam tolerans, quam in æternis salubres lacrymæ nostræ erunt tribuere, quas videmus fidelibus etiam in temporaneis non perire.

V.

In gloria præsentis ævi parum est, si permitti ad hæc fabricanda dicamur : illud supra est, quod ad tales conatus, si otiari vellemus, impellimur. Noverunt siquidem sceptra sæculi nostri, in quo sit virtus D temporis sui : quorum inexpugnabiliter, recte ut confidimus, plus hæc basilicis quam propugnaculis urbs munitur. Cingitur undique tutamine sacrarum ædium dives accessus, et ad portarum quamvis patentium limina tutiora, nisi sanctis janitoribus, non venitur. Desistat hinc plane nutu superno usus armorum. Ne hostilis conatus hic valeat, hos sufficit providisse custodes. Sic iste, meritorum vigore discretus, aut indigenas deducat aditus, aut insidias repellat objectus. Has sibi per circuitum, velut Hierusalem quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXI, 3 *seq.*), turres attollat : ubi lætaturis, quoties in domum Domini ibimus, hæ sanctorum cultibus turres, hæc populorum abun-

dantia contingat in turribus; sicque ei fiat pax in virtute, virtus in pace: virtus scilicet rectoribus, pax regendis; præsidentibus illa, ista famulantibus; quarum tamen principibus nostris utramlibet optantibus, utramque merituris conventus subjectionis devotæ pax confoveat, virtus adjiciat. Ad te nunc sermo liberior, o præsens, si quæ sunt uspiam, catholicarum gentium pater, religionis lumen, columen regionis, exemplorum virtus, Ecclesiarum pignus, temporum decus, civilitate sublimis, communione terribilis, reverentia..... quam cum adoraris a populo. Qui in tribunali unus præ omnibus, in altari unus ex omnibus, stipatus cœtibus subjectorum, non fulgore diadematis, sed mentis luce discerneris. Jam recognoscas tempus est in manibus nostris munera tua. Paremus quidem jubenti tibi, ut secreta sint cum donantur; sed tu clamas, talia conferendo, quæ nisi princeps habere non poterat. Gloriosissimum quippe in his quoque ædibus quod fecisti: sed in quiddam sublimius tuorum gaudia se reservant. Communem hic quidem hodie lætitiam oblatio vestra peperit: sed adhuc major est quam præstolatio nostra concepit. Porrigitur hic, præludens per conjecturam præsentium, contemplatio subsequentum. Juste æstimatur tantum in nobis, quantum per te potior eris in summa. Certe sicut rationem illic operum perpendimus, hic donorum; non quidem solus in præsentibus aspicis quod delectet, sed solus in futuris poteris proferre quod superet.

VI.

[a] Præconium felicis exercitus in cujus congregatione beatissima nemo periit, dum nullus evasit, cum injustam sanctorum martyrum mortem quasi sortis justitia judicaret, qua bis super aciem dispersa mansuetam, centuplex decimatis fructus accresceret, et odio in prosperum suffragante, eatenus eligerentur singuli, donec simul colligerentur electi, ex consuetudinis debito series lectæ passionis explicuit.

VII.

Cujus aditus nocte non clauditur, quia non habet noctem; cujus fores semper paratas, justis patulas, impiis inaccessas, non alternant claustra, sed merita. Cujus fundamentum Christus est, fides machina, murus corona, margaritum porta, aurum plâtea, agnus lucerna, chorus Ecclesia. Cui inter divinas laudes, omnis operis necessitate seclusa, sola erit requies sinceritas actionis. Multa sunt, piissime præsul, in tribunali aliquibus junior, in altario omnium prior, multa sunt, inquam, in operibus tuis, quibus nos hactenus gratias debuisse dicamus. Ditati donis, pauperes verbis, percepimus magna, pauca persolvimus. Ornasti ecclesias tuas gazarum cumulo, numero populorum. Struxisti sumptibus quæ muneribus cumulares altaria. Nunquam quidem contulimus verba virtuti: sed cum ad præsens psalmisonum solemne perventum est, parum puto si dicam verba nostra, vicisti hodie insuper et opera tua. *Et post alia.* Gallia nostra florescat. Orbis desideret quod locus invexit. Incipiatur hodie exustioni æternitas, dignitas regioni. Laudantibus in præsenti sæculo Deum, laudaturis pariter in futuro renovet magis obitus quam terminet actionem. Recognoscatis in cœlo quam de hac tellure portabitis consuetudinem præmiorum: tantusque perseverantiam vestram honor sequatur, ut quod vobis in exercitio erit operis, hoc solvatur in præmio pro retributione mercedis.

ALIA FRAGMENTA.

(Gregorius Turonensis libro II Historiæ Francorum.)

Cum autem cognovisset Gundobadus assertiones hæreticorum nihil esse, a sancto Avito episcopo Viennensi, Christum Filium Dei et Spiritum sanctum æqualem Patri confessus, clam ut chrismaretur expetiit. Cui ait sacerdos: Si vere credis hoc quod nos ipse Dominus edocuit, exsequere. Ait autem: *Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis.* Sic et ipsos sanctos ac dilectos suos beatos apostolos cum de futuræ persecutionis tentationibus doceret, insinuavit dicens: *Attendite vobis ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et præsides stabitis propter me in testimonium illis et gentibus.* Tu vero cum sis rex, et a nullo apprehendi formides, seditionem pavescis populi, ne Creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc stultitiam, et quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. Sic enim et beatus Apostolus ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sic et propheta ait: *Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Et iterum: *Confitebor tibi in populis, Domine; psalmum dicam nomini tuo inter gentes.* Metuens autem populum, o rex, ignoras quia satius est ut populus sequatur fidem tuam, quam tu infirmitati faveas populari. Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum proficiscaris, tu præcedis catervas hostium, et illæ quo abieris, subsequuntur. Unde melius est, ut te præcedente agnoscant veritatem, quam te pereunte permaneant in errore. Nam Deus non irridetur. Non enim diligit illum qui propter terrenum regnum eum non confitetur in sæculo. *Ista ille ratione confusus, usque ad exitum vitæ suæ in hac insania perduravit, nec publice æqualitatem Trinitatis voluit confiteri.*

(Agobardus in libro de Picturis et Imaginibus.)

His ita se habentibus, est modus divinæ, sive angelicæ, vel etiam humanæ gloriæ, sicut Alcimus Avitus episcopus Viennensis in dialogo, ubi cum Gundobado rege

[a] De hoc fragmento Ruinartius in Actis Martyr. sinc. pag. 238 edit. Veron., in admonitione ad passionem sanctorum Mauricii et sociorum ejus martyrum hæc habet § 2: « Fragmentum hujusmodi ex antiquissimis in cortice exaratis schedis bibliothecæ Thuaneæ descripsit vir sacræ antiquitatis studiosissimus Jacobus Sirmondus. Has autem schedas quæ in bibliotheca Regia modo asservantur, vivente adhuc Avito, aut saltem paulo post ipsius obitum scripta fuisse affirmant qui eas inspexerunt viri peritissimi. »

loquitur, dicit : Illud tamen quod ab æqualitate cœlestis gloriæ Patrem et Filium, perinde ut creaturam angelicam secludentes, quamdam mihi invidiam illicite supernis virtutibus delati honoris obtenditis, dicentes : Ergo et angelis atque archangelis, et quæcunque in excelsis sunt, gloriam ferre debemus : licet minime pertinent ad causam, etiam ad præsens non omnino sic renuo, quasi creaturæ sublimi atque præstanti gloriam ferre timeamus. Est quippe divinæ, est angelicæ, est etiam humanæ gloriæ modus, quem in multis Scripturarum locis invenimus, et sanctorum meritis, et apicibus regum sine vitio assentationis ascribi. Quæ enim inter homines prima gloria, gloria hæc est omnibus sanctis ejus; et in Evangelio Dominus dicit, quod nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est sicut lilii flosculus specie naturali (*Matth.* VI, 29).

(Agobardus idem in libro adversus legem Gundobadi.)

Quid iste venerandus et sanctus vir sæpe dicto Gundobado de supradictis certaminibus responderit, audiat si placet benignitas vestra. Cum de his inter utrumque sermo esset, et beatus Avitus talia certamina reprehenderet, respondit ei Gundobadus : Quid est quod inter regna et gentes, et etiam inter personas sæpe singulas, dirimendæ præliis causæ divino judicio committuntur, et ei maxime parti cui justitia competit, victoria succedit? *Ad quod beatus Avitus intulit dicens :* Si divinum, inquam, judicium, regna et gentes expeterent, illud prius quod scribitur formidarent, dicente Psalmista : *Dissipa gentes quæ bella volunt* (*Psal.* LXVII, 31). Et illud diligerent quod perinde dicitur : *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 19). An forte sine telis et gladiis causarum motus æquitas superna non judicat, cum sæpe, ut cernimus, pars aut juste tenens, aut justa deposcens, laboret in præliis, et prævaleat iniquæ partis, vel superior fortitudo, vel furtiva subreptio?

(Agobardus idem libro de Picturis.)

Sicut Alcimus Avitus episcopus Viennensis dialogo, ubi cum Gundobado rege loquitur, dicit : Est quippe divinæ, est angelicæ, est etiam humanæ gloriæ modus.

LECTORI.

Alia post hæc diversorum Aviti operum plurima et illustria fragmenta suppeditavit nobis ex Carthusiæ Majoris bibliotheca, [a] *codex Flori diaconi Ecclesiæ Lugdunensis, in quo beati Pauli Epistolas ex veterum aliquot Patrum scriptis exponere aggressus, post Cypriani, Hilarii, Fulgentii aliorumque sententias, quas singillatim ordine describit, Aviti quoque operum eorum duntaxat qui Pauli locum aliquem tractant segmenta ultimo tandem loco digerit in hunc modum.*

SENTENTIÆ

EX EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD ROMANOS, A SANCTO ET ILLUSTRISSIMO DOCTORE ECCLESIÆ AVITO EPISCOPO VIENNENSIS EXPOSITÆ ATQUE EX EJUS OPUSCULIS IN ORDINEM DIGESTÆ.

I. Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.

II. Ut sit pater circumcisionis et sit pater credentium per præputium.

III. Igitur sicut per unum hominem in omnes homines in condemnationem, ita et per unum hominem in omnes homines in justificationem.

IV. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus.

V. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit.

VI. Item de eodem.

VII. Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.

VIII. Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, etc.

IX. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!

X. Omne quod non est ex fide peccatum est.

XI. Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.

I.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Ideo in capite dominicæ generationis toties David Scriptura commemorat, ut cum patuerit veritas de auctore, nulla possit dubitatio esse de sobole. Nam ut taceamus illud, quod in Evangeliis duo cæci una consonantis fidei voce clamabant : *Miserere mei, Domine, fili David* (*Matth.* XV, 22), scientes de patriarcha genitum recte hominem credi, et nihilominus fructuose miserenti Deo pro sanitate luminum supplicari : quis evidentius quam sanctus Paulus hoc explicat? *Segregatus in Evangelio,* inquit, *Dei, sicut ante promiserat in Scripturis sanctis per prophetas suos de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 1, 2). Asseruit duplicem plena descriptione naturam. Unam in qua secundum divinitatem factor est omnium, et alteram in qua factus est ex semine David secundum carnem. In quarum neutra substantia suspicio potest phantasmatis inveniri; quia sicut per se invisibilis erat divinitas quæ inclinabatur e cœlo, ita de David stirpe descendens nihil ludificatorium habere potuit veritas carnis Christi : quæ non solum usque ad David per proavos

[a] Magnas huic codici gratias debemus, cujus beneficio tot Aviti librorum reliquiæ ad nos pervenerunt. Hæc porro Flori magistri, sic enim appellatus est, expositio in Epistolas S. Pauli ex decem omnium Patribus delibata est, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Paciano, Hieronymo, Ephrem diacono, Paulino, Leone papa, Fulgentio et Avito. Post hunc librum, sequitur in eodem codice Carthusiæ, liber II Flori ejusdem, de Missa et de aliis quibusdam ecclesiasticis institutionibus. In alio vero ejusdem bibliothecæ volumine, operibus Irenæi præfixa est Flori præfatio, cum epistola Agobardi. Ejusdem præterea Flori est liber adversus Joannem Scotum, qui Ecclesiæ Lugdunensis nomine est editus, et sermo de prædestinatione, quem integrum recitat Hincmarus in præfatione posterioris operis contra Gothescalcum. De Floro denique, ne cætera persequar, Walafridi Strabi exstant versus ad Agobardum eumdem episcopum Lugdunensem, et inter Agobardi opuscula, Agobardi ipsius et Flori nomine inscripta epistola ad Bartholomæum episcopum. Erat enim diaconus Ecclesiæ Lugdunensis, et Agobardo, ut apparet, familiaris.

suos, sed per ipsum David usque in Adam, expressa A parentum nominatione revolvitur. Et ideo dicit Apostolus, esse ex semine David secundum carnem, ut cum consubstantialem exponeret matri, de qua utique sumpsit et mortem; cum phantasmata nec nasci, nec mori possit, sed principium ejus deludere, finisque vanuisse sit.

II.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Abraham auctor utriusque Testamenti, etc., *ut in epistola* 2, *col.* 000 *usque ad* multarum gentium pater.

III.

(Ex libris Contra Arianos.)

Abraham, Moysen et prophetas, non solum salvos, sed et beatissimos esse pronuntio, eosque non nisi B per Christum salvatos esse convinco, dicente in Evangelio ipso Domino, *Abraham pater vester concupivit ut videret diem meum; vidit et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). De Moyse, *Si crederetis Moysi, utique crederetis et mihi. De me enim ille scripsit* (*Ibid.* V, 46). Etiam de prophetis similiter: *Quanti prophetæ cupierunt videre quæ videtis, et audire quæ auditis* (*Matth.* XIII, 17)! Et alio Evangelii loco ipse Dominus, ista quæ singillatim memoravi cuncta perstringens, *Ut impleantur omnia quæ scripta sunt in lege, et prophetis, et in psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 42). Vos porro conjicite utrum crediderint Christum, quos tam manifeste constat scripsisse de Christo. Nam et Paulus apostolus, qui ante ortum Christi salvati sunt, in Christo redemptos exponens, sic omnem causam C definit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificantur* (*I Cor.* XV, 22). Unde sicut nemo perit nisi per Adam veterem, ita nullus acquiritur nisi per novum.

IV.

(Ex libris Contra Arianos.)

Quia *Quid oremus, sicut oportet, nescimus* (*Rom.* VIII, 26), firmum debet apud nos fixumque teneri, quod quidquid Omnipotens non fecerit, restat ut nolit.

V.

(Ex sermone die sexto Paschæ.)

Post lucidæ nubis coruscationem, sic Patris æterni super Filium dulcis terribilisque vox intonat, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite* (*Luc.* XVII, 5). *Omnes* quidem, sicut ait Apostolus, *filii Dei sumus* (*Gal.* III, 26), et in oratione clamare præsumimus, Pater noster, qui es in cœlis. Sed aliter filius est de quo clamatur, *Hic est Filius meus dilectus.* Illum ut habeat pater filium, non præcessit voluntas generationem: nos autem per quam efficimur filii, in lavacro accipimus nativitatem. Et ideo quicunque homo potest filius Dei esse, potest et non esse. Unde dicit Joannes evangelista, quod *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I, 12); ut aut permaneat filius bene vivendo, aut certe per carnalem conversationem rejiciat paternitatem. Christus autem, quem Dei Patris Filium non fecit gratia, sed natura, nullo modo potest non hoc esse quod genitus est: adeo ut substantiæ illi quæ ex Deo procedit, nec ipsa quæ ex homine nata est præjudicaret.

VI.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Si hæc omnia vera esse recipiunt, etc., *ut in epistola* 3 (*col.* 216, *c*), *usque ad* qualiter non pepercit, si dolore prohibuit?

VII.

(Ex sermone de Natali calicis.)

In affectu quarumcunque rerum non facta, sed vota cogitanda sunt; et abominabili eo qui invitus profuerit bonis, Deo magis gratia referenda est, qua promptissime pius bene utitur malis. Nam licet Joseph nostrum sola peregrinatio fecerit principem, non tamen laudat pietas venditorem. Sanctus autem Paulus apostolus (*Rom.* IX, 3), simpliciter contentus a Christo anathema esse pro fratribus, præter labores proprios, etiam pro fratribus quos lucratus fuerat, coronatur; Judas econtra, quia non fratrum dilectione persequens Christum, anathema est factus a Christo.

VIII.

(Ex libro de Christi Divinitate.)

Esaias conclamantissimus prophetarum, etc., *ut in epistola* 28 (*col.* 245, *b*), *usque ad* quam habui apud te, priusquam mundus fieret.

IX.

(Ex libris Contra Arianos.)

O, inquit, *altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei, ut retribuatur illi? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI, 33 35). Non ergo altitudo sapientiæ et scientiæ solius Patris, sed Dei, in quo et Filii annuitis esse personam; cujus nec consiliarius quisquam fuit, nec sensum ullus scrutator agnovit: quanto minus qui summo nec augmentum recipienti, convicium etiam minorationis intendit? cum ipse Apostolus inscrutabilem Dei altitudinem pro corporea infirmitate suspiret. Quis autem prior dat Deo, ut retribuatur illi, nisi qui dat initium Creatori, ut D et ipse quasi ab inchoata substantia Dei inchoationem sui recuperasse videatur? Unus hic nempe nominatur, unus exponitur Deus. Certe si secus, quam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, si hæc ut vultis trium sunt, dicite nunc cui ipsi gloria in sæcula sæculorum. Si tribus, quare non ipsis? si ipsi, cui de tribus? Certe, sit ut vultis, tripartita est substantia majestatis: cur non dixit, ex ipso per alterum in tertio, nisi quatenus nominatus ipse unus in tribus est? de quo et Apostolus alio loco: *Et ipse est*, inquit, *ante omnia, et omnia in ipso* (*Coloss.* I, 17). Porro autem, si, ut dixistis, omnia in Spiritu sancto constant, et ipse est ante omnia, ne post multa esse incipiat; non erit creatura, et cum crea-

tura non fuerit, servitium non debebit, restatque ut A sit Deus, si non est servus : et qui famulari ratione non colligitur, dominari veritate credatur.

X.

(Ex epistola Contra Faustum.)

Fidem esse omnium bonorum spiritualium fundamentum, etc., *ut in epistola* 4 (*col.* 221, *c*), *usque ad* testis est nostri spiritus, non natura.

XI.

(Ex libris Contra Arianos.)

Libera responsione profiteor, quod Deo suorum animos inspirante, longe fulget claritas veritatis. Illud namque apostolicum, quod sæpe repetitis, sufficit in redemptore cognosci : quia si confitearis Dominum Jesum, et quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris (*Rom.* x, 9). Sic tamen ut intelligatur divinitas sua cum Patre, vitam crucifixo homini reddidisse. Sicut ipse in Joanne evangelista testatur: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* x, 18). Porro nequaquam salvat, de homine Christo tantummodo rectum credere, nisi jungas etiam catholico intellectu de Divinitate sentire. Nam et Photiniani mortuum ac re uscitatum asserunt Christum. Et quoniam scelestissimam in hoc eorum blasphemiam, perinde etiam vestræ ut nostræ legis sententia detestatur; si tantummodo assumptum hominem interiisse, ac sola patris virtute resuscitatum esse dicitis, quæso quid in supradictæ pestis professionibus arguatis, cum ipse Dominus noster, ut legitur, suo nutu suscitet templum ab adversariis dissolutum? Quod certe de quo templo dicatur, in promptu est, cum reparatio templi, inter biduum, in statum pristinum revertentis resurrectionem dominicæ carnis quam divinitas sua templi vice habitaverat, evidenter exponat. Idem ergo Filius Dei Deus qui mori non potuit, defunctum hominem suscitavit, et templum inimicis manibus dissolutum, in unitatem personæ solidata rursus divinitati quam assumpserat carne restituit.

XII.

(Ex sermone die 2 Rogationum.)

Dicit beatissimus Paulus, quod *per patientiam et consolationem Scripturarum firmam spem habere debeamus* (*Rom.* xv, 4); cum omnes Christiani, tum specialius illi quibus datur in hoc mundo, aut pro D Deo persecutionem pati, aut pro veritatis amore tribulari, aut pro vitæ hujus peregrinatione compungi.

AD CORINTHIOS PRIMÆ.

I. Et ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus, etc.

II. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

III. Item de eodem.

IV. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.

V. Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

VI. Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?

VII. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

VIII. Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.

IX. Caput autem Christi Deus.

X. Nam oportet et hæreses esse, etc.

XI. Item de eodem.

XII. Deus, qui operatur omnia in omnibus.

XIII. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

XIV. Cum tradiderit regnum Deo et Patri.

XV. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, etc.

XVI. Primus homo de terra terrenus, secundus de B *cœlo cœlestis.*

XVII. Item de eodem.

I.

(Ex sermone in ordinatione episcopi.)

Ad magisterii testimonium nascendi causa non pertinet; neque ille cœlorum janitor Petrus, quem piscatorem hominum (*Matth.* iv, 15) retia contempta fecerunt, origine placuit natalium, sed fine meritorum; sicut Matthæus (ix, 9) cum de teloneo assumptus est, illic inchoavit lucrum, ubi jussus est terminare negotium. Quid de singulis loquor? talis omnium assumptio fuit, in quorum personis (I *Cor.* i, 28) ignobilia et contemptibilia mundi eligens Deus, præposuit pauperes spiritu divitibus censu, illum jure locupletissimum probans, qui ad veram et inte- C gram nobilitatem, non susceptis bonorum, sed depositis criminum fascibus pervenisset.

II.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Nolunt enim a nobis ei qui crucifixus est supplicari, etc., *ut in epist.* 3 (*col.* 212, *a*), *usque ad* non rogemus in cœlo. *Et mox* (*col.* 215, *c*), Veni potius, sancte Isaia propheta, etc., *usque ad* quod in corpore malum patimur, pertulit Christus.

III.

(Ex libris Contra Arianos.)

Dominus majestatis crucifixus exponitur, cum si alternæ substantiæ respicias proprietatem, divina celsitudine ab omnibus crucis contumeliis sequestrata, sola suscepti corporis humilitas senserit passionem. Nam postquam (II *Cor.* v, 19) Deus in Christo mundum reconcilians sibi, creaturæ quam assumpsit unitus est, significatur plerumque homo per Deum, Deusque per hominem, sicut est illud : *Cum venerit Filius hominis in majestate sua* (*Matth.* xxv, 31), cum majestatem Deo potius quam homini nemo convenire dubitet; quod et Psalmista de Deo exponens, *Et videbitis*, inquit, *in majestate sua.* Et Malachias propheta, ob dictorum perspicuitatem Angelus cognomento, de cruciaria Domini passione. *Si affigit*, inquit, *homo Deum suum, quia vos configitis me* (*Malach.* iii, 8). Cum tamen, quod nullus inficiabitur, non Deus, sed homo confixus sit.

IV.

(Ex sermone de symbolo.)

Audite quid veritas dicat: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius* (*Matth.* xi, 27). Et si nemo assequitur hanc in sæculo isto notitiam, unde Arianus assumit in substantiæ ipsius divisione mensuram? Si solus Pater novit Filium, solus Filius Patrem; unde dux cæcus majorem intelligit, vel minorem? An forte respondet, et si sibi notitiæ hujus reservat Divinitas sola secretum, unde tu æqualem Patri Filium cognovisti? At ego inquam, paternitatem filius loquitur, omnipotentiam creatura testatur: de substantiæ autem intimo, si nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius; ubi æqualis est consilio alternante notitia, una est procul dubio in substantiæ perfectione natura. Neque enim major aut minor est, qui nec minus nec amplius notus est. Quid nunc de Spiritu sancto dicemus, quem credere consequente symboli parte in Trinitate præcipimur? Neque enim, si Patrem et Filium sibi invicem confert ista notitia, alienus ab ea erit Spiritus sanctus, de quo scribitur quod *Spiritus omnia scrutatur, etiam altitudines Dei* (*I Cor.* ii, 10). Ergo non tantummodo se Pater et Filius, sed Spiritum suum norunt; cui ideo nihil omnino celatur, quia nihil sine illo in veritate cognoscitur. Quocirca sic est cognitio, sicut cooperatio Trinitatis. Nam post istud generationis divinæ mysterium, si in Christo cogitemus humana, quod celebramus Virginem peperisse, Pater misit, Filius venit, Spiritus sanctus infudit. Quapropter nec in humilitate minorationis absconditur claritas æqualitatis.

V.

(Ex libris contra Arianos.)

Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam altitudines Dei. Quis enim hominum novit quæ in homine sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic et quæ in Deo sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei (*Ibid.*, 10, 11). Rogo suppliciter, locum istum, ut pote illuminati a Deo arbitri, judicate; et utrum æqualis sit Patri vel Filio Spiritus sanctus, ex ipsa scientiæ suæ profunditate perpendite. Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius. Sed quia nec Pater, nec Filius, sine Spiritu aliquid novit, ideo quæ in Deo sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei; quia nec Spiritus scire aliquid sine Patre vel Filio potest. Quid est, nemo novit præter Patrem, nemo præter Filium, nemo præter Spiritum sanctum, nisi quia in Trinitate præter unitatem nihil possumus invenire? Legimus alio loco, *Qui Filium non habet, nec Patrem habet* (*I Joan.* ii, 23). Itemque alio loco, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* viii, 9). Quod non potest non simul totum haberi, quomodo poterit dividi?

VI.

(Ex sermone de Pentecoste.)

An nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei A *habitat in vobis* (*I Cor.* iii, 16)? Ecce ergo et spiritus Deus est, si habitat templum, quod præter Deum nullus inhabitat. Unde inquit, *Membra vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo* (*I Cor.* vi, 19). Ergo si habetis a Deo Deum, et templum Dei estis, et corpus vestrum templum est Spiritus sancti; quocunque non receptus fuerit Spiritus, non capitur Deus. Igitur cum talia dicimus, non nobis obirascantur quibus sanctum Spiritum persuadere conamur: quia nisi Deus creditur, ignoro quid de præsenti festivitate dicatur, aut quid in ejus adventu honoris hæreticus excolat, quem quantum ad se est, etiam nomine servitutis inclinat: cum licet, si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi sitis (*Joan.* viii, 36), ubi tamen Spiritus Domini ibi libertas B (*II Cor.* iii, 17).

VII.

(Ex sermone de Natali calicis.)

Eo superstitionis ritu plectitur impietas rebellantium Judæorum, ut animal corruptibile, id est agnum, cum veneratione comedant, qui veri et immaculati Agni escam periculosissima fame contemnunt. Unde sibi videntur paschalis festi agere sacramentum, cujus hodie omnis Ecclesia initium sumit, mysterium intelligit, præmium concupiscit, quod sermo Domini discipulis suis evidenter insinuat dicens: *Scitis quia post biduum Pascha fiet* (*Matth.* xxvi, 2)? Aliud sonat, erit aut celebrabitur, aliud autem Pascha fiet. Numeret ergo mihi Judæus, usque nunc ab exitu Israel, quantos vult annos: cæterum C Pascha primum adhuc post biduum fiet, cum præteritas implens figuras, sicut Apostolus ait, *Pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* iii, 16).

VIII.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Quid vel illo Apostoli sermone lucidius, etc., *ut in epistola* 2 (*col.* 206, *c*), *usque ad* qui legem dederat in præcepto.

IX.

(Ex sermone de Jona.)

Pelagus, inquit, *operuit caput meum* (*Jon.* ii, 6). Nec istud frustra de solo capite dicebat, quem absque dubio pelagus omni ex parte contexerat; sed celavit contumelia mundi Dominum cœli. Caput viri Christus, caput autem Christi Deus (*I Cor.* xi, 3). D Velavit humilitas mea gloriam meam, et Deus (*II Cor.* v, 19), qui quasi caput inerat Christo mundum reconcilians sibi, ab eis qui hominem patibulo confixerant, non potuit pervideri.

X.

(Ex sermone 5 Rogationum.)

Præsentis sæculi actio, dilatis causarum eventibus, omnium operum perversitate confusa, non est tempus, sed causa judicii. Da porro in præsentibus evidentem bonorum malorumque distantiam, et examini quid remansit? Da ut hic malum nulli liceat facere, quid æternitas plus habebit? Da ut hic a fide nullus exorbitet, et hæreses esse (*I Cor.* xi, 19) qualiter oportet? Neque enim possumus dissimulare quin

oporteat quod oportere veritas clamat. Oportet vero posse hæresem, non quia ejus commentis Christus minuitur, sed quia ejus insidiis Christianus augetur. Sic sunt etiam, præter fornicationem quæ sola in corpus proprium peccat, cætera mala, si non vestias nudum, si punias innocentem, si rapias proximo, si parato etiam pallium cedere tunicam tollas, si malam dexteram verberes etiam lævam offerenti, si per mille passus onustum dirigas, et per alia duo servire meditantem. Aut quid diutius violentiæ genera persequar? In omni imperio fortioris superbia temporalem habet jubendi fructum, æternum vero innocentia patiendi.

XI.

(Ex libris Contra Arianos.)

Dicit Apostolus, quod *oporteat hæreses esse* (*Ibid.*). Oportet autem, non hæreticis quod sunt esse, sed catholicis sustinere quod non sunt. Sicut de Juda traditore suo Dominus dixit, quod *bonum fuerat homini illi non nasci* (*Matth.* XXVI, 24). Inde enim ait illi, quia suum nasci illi malum erat qui tradidit, nobis bonum, ad quos salus ex traditione pervenit.

XII.

(Ex libris Contra Arianos.)

Cum apparuissent angeli in terra, clamaverunt: *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II, 14). Si Pater et Filius et Spiritus sanctus in excelsis est, bene dicimus, Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto; nec possumus Patri sine Filio gloriam honoremque dare, cum ipse in Evangelio jubeat, *Ut omnes sic honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (*Joan.* V, 23). Et Apostolus dicit, quod *nemo honorat Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII, 3).

XIII.

(Ex epistolis Contra Arianos.)

De divinitate Spiritus sancti, quem nec factum legimus, nec genitum, nec creatum, Apostolus ait: *Deus, qui operatur omnia in omnibus* (*Ibid.*, 6). Et eodem loco: *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid.*, 11). Et Petrus in Actibus apostolorum: *Quid convenit, inquit, inter vos mentiri Spiritui sancto* (*Act.* V, 3, 4)? Et post, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Item alio loco: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (*I Cor.* III, 16). Et alibi: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9).

XIV.

(Ex sermone de ascensu Heliæ.)

Et si multa sunt dona: *omnia tamen hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII, 11). Non in paucioribus minor, nec in majoribus amplior; per quem etiam si alius alio minus accipit, intelligat donum potius posse minui quam donantem

XV.

(Ex libris Contra Arianos.)

Quia posueram de Evangelio: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18), ut potestatem illam, quam sibi dicebat datam, semper in natura divinitatis suæ salvam fuisse monstrarem, commemoravi apostolicum illud quod de Filio dictum est: *Cum tradiderit regnum Deo Patri* (*I Cor.* XV, 24), cum utique Pater nullo tempore sine regno esse potuerit: nec ideo Patrem, qui potestatem Filio dedit esse majorem, cum et ipse Filius regnum Patri traditurus esse dicatur. Ubi enim quis beneficio aliquid confert, jure censetur major accipiente qui donat. In divinitatem autem, ex qua quod ineffabiliter filio datur non est gratia, sed natura, restat dantis et accipientis æqualitas.

XVI.

(Ex libris Contra Arianos.

Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc etiam ipse Filius subjectus erit illi qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus (*Ibid.*, 28). Istud Apostolus ab octavi psalmi posuit exemplo. Sic namque scriptum est: *Minorasti eum paulo minus ab angelis; omnia subjecisti sub pedibus ejus* (*Psal.* VIII, 6). Ergo ejus pedibus omnia subdit, quem paulo minus ab angelis minoravit. Nec mirum est, ut in ea creatura Patre dicatur minor, in qua ei etiam beatitudo angelica exstitit major.

XVII.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Ille solus hominis statum, etc., *ut in epistola* 2 (*col.* 207, *a*), *usque ad* quam susceperat, in inferna descendere.

XVIII.

(Ex libris contra Arianos.

Apostolus Paulus ad Galatas, personæ inseparabilitatem designans, ipsum dicit natum de muliere quem misit Deus Filium suum; sicut alio loco, *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis* (*I Cor.* XV, 47); cum unus idemque mediator, de cœlo Deus, homo de terra sit; qui de utero Virginis editus, ante quam cœlos ascenderet, cœlestis congrue dictus est; quia celsitudini substantiæ cœlestis immixtus, cœli Dominus factus est.

AD CORINTHIOS SECUNDÆ.

I. Ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus.

II. Item de eodem.

III. Quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, etc.

IV. Quoniam quidem Deus est in Christo, mundum reconcilians sibi.

V. Audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.

I.

(Ex sermone Natali calicis.)

Videamus comparatam Moysi et multo præcellentem, eam quæ nostri est gratiam redemptoris. Nam ut nova paululum veteribus conferamus, ille ad hunc populum venit velata facie, iste operta divinitate, ille sublimitate cornutus, iste humilitate mansuetus; illius vultus radiis et decore luminosus, istius sputis

et cæde fœdandus : illius humanam faciem conservus videre non meruit, istius divinam leprosus aspexit.

II.

(Ex sermone die sexto Paschæ.)

Cum caro (*Sap.* IX, 15), necdum mortis fornacibus defæcata, aggravet sensum multa cogitantem, et impediat visum pauca cernentem, interlucet tamen in aliquibus gestis dignitas futurorum, et secretorum immortalium splendor etiam mortalibus oculis rara revelatione subradiat. Sed hoc illis tantum, quos sola caro, non etiam carnalitas tenet, et cordibus mundos mundana cohabitatione non polluit. Sicut præstabatur quondam vati legifero cœleste colloquium ; et eo usque divinæ gloriæ quodam intuitu donabatur, donec quiddam in levi fronte cornutum, non asperitas videretur produxisse, sed claritas.

III.

(Ex sermone de symbolo.

Legimus quodam loco, quod *dum sumus in corpore peregrinamur a Domino* (*I Cor.* V, 6). Quidquid enim nobis de cœlestibus mysteriis traditur, quamlibet indubitabili veritate subsistat, credere debemus, quia videre non possumus. Nam in isto sæculo, nostrum nosse tantummodo credere est. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi Deum* (*Matth.* V, 8) ; non dixit *vident*, sed *videbunt*. Unde qui in præsentibus habuerit fidem, ipse in futuris accipiet contemplationem.

IV.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Intelligit Apostolus ac definit, etc., *ut in epistola* 2 (*col.* 206, *a*), *usque ad* parentali chirographo sustineret.

V

(Ex sermone die sexto Paschæ.)

Insonuit Pauli apostoli auribus, quod non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4), quodque ille permitteretur dicere, si nos mereremur audire. Si enim in modico fideles non fuistis, quod majus est quis credet vobis (*Luc.* XVI, 12)?

AD GALATAS:

I. Mediator autem unius non est, Deus autem unus est.

II. Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.

III. Item de eodem.

IV. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.

I.

Ex libris Contra Phantasma.)

Hoc remedium Apostolus dicit dispositum, etc., *ut in epistola* 2 (*col.* 206, *b*), *usque ad* unam reddidit ex utrisque.

II.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Adsit nunc sermoni nostro Emmanuel, etc., *ut in epistola* 2 (*col.* 205, *a*), *usque ad* hic et Dei filius et hominis erit.

III.

(Ex libro de Christi nativitate.)

Apostolus dicit, *Postquam vero venit* (*Gal.* IV, 4), etc., *ut in epistola* 28 (*col.* 246, *b*), *usque ad*, in corpore cœpisse, de matre est.

IV.

(Ex sermone die 3 Rogationum.)

Sicut enim Judæorum lex, ita gentium gloria, gratia est. Et ideo apostolus Paulus ad unam partem dicit, *Non bona gloriatio vestra* (*II Cor.* V, 6), ad aliam vero, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* IV, 14).

AD EPHESIOS.

I. In quo signati estis in die redemptionis vestræ.

II. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

III. Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos.

IV. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.

V. Et erunt duo in carne una, etc.

I.

(Ex libris Contra Arianos.)

Unum nomen est Trinitatis. *Neque enim est aliud nomen* ut in Actibus apostolorum legimus, *in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* IV, 12). Si sequestrato Filio, de solo istud nomine Patris creditur, dicendus est non salvare salvator ; rursusque si Patre secluso, id solius redemptoris nomine acquirimur, cessavit ab hac redemptione Pater, de quo scriptum est, quod *redemptionem miserit populo suo* (*Psal.* CX, 9) ; cum et de Spiritu sancto Apostolus dicat : *In quo signati estis in die redemptionis vestræ* (*Ephes.* IV, 30).

II.

(Ex libris Contra Arianos.)

Ubi plurale aliquid in divinitate subresonat, non dualitas videtur intelligenda, sed Trinitas, sicut in ipso Sodomiticæ urbis refertur exitio. *Apparuit,* inquit, *Dominus Abrahæ sedenti in ostio tabernaculi, in ipso fervore diei ; cumque levasset oculos, apparuerunt ei tres viri; quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum, et adoravit in terram, et dixit ; Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum* (*Gen.* XVIII, 1, 3). Certe non in aliquo horum trium, aut cultior habitus, aut eminentior forma præstabat. Et tamen Abraham, sacramentum individuæ Trinitatis intelligens, uno nomine tres precatur, quia trina in unitate persona, et una est in Trinitate substantia ; de qua et Apostolus dicit : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV, 5). Quis præsumat contra vas electionis unitatem istam pluralitate confundere? Noverat namque cum Patre vel Filio dominari Spiritum sanctum, cui quasi domum corpora nostra sacrabat dicens : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (*I Cor.* III, 16)? Quo unquam magis testimonio Deus probabitur Spiritus sanctus, quam quod habitaculum ipsius sumus, et Deus habitat in nobis? Sed jam dudum hujusmodi credulitatem divinæ vocationi Paulus debebat. Si quippe in apostolorum Actibus scribitur *Deservientibus autem illis et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum et Barnabam ad opus ad quod vocavi eos* (*Act.* XIII, 2). Non ex supe-

rioris præcepto, sed spontanea est, ut opinor, ista vocatio. Sibi sequestrari præcipit, sibi dicit assumi. Deus est sine ambiguo qui inspirat, eligit vel mittit apostolos. Et tamen idem sanctus Paulus, cum distincte aliquoties Patrem, Filium vel Spiritum sanctum Dominum esse doceat, fidei culmen ea qua supra dixi definitione consummat : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV, 5). Sic ergo non possumus duos Deos, sicut nec duas fides, nec duo baptismata dicere. Deos nominare gentilitas appetit, crebro se lavacro a peccatis ablui Judæus credit, fides plurali numero quasi multas dici veritas prohibet, nec Latinitas sinit. Unus Dominus est, non dividimus; una fides, non scindimus; unum baptisma, non iteramus. Cui honorem suum etiam in Bonosiacorum aliorumque receptione servantes, si se in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatos esse respondeant, quod bene confessi sunt, servando recipimus; quod perperam crediderant, benedicendo sanamus; et quod minus fuerat nominatione præmissa, suppletur credulitate firmata.

III.

(Ex libris Contra Arianos.)

Psalmus dicit : *A summo cœli egressio ejus, et recursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII, 7). Nemo porro recurrit, nisi quo fuit; sed ascendente Christo, Filius hominis recurrit in cœlum, qui erat prius in cœlo. Sic etiam sanctus Paulus exponens ait : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV, 8, 9). Et paulo post : *Qui descendit*, inquit, *ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Cumque per omnem eloquii sui locum Deum venisse prædicet, hominem redisse concludens, hic tamen ipsum dicit ascendere qui descendit; quia in Christo Deus et homo; non alter, sed ipse; non duo ex diversis, sed idem ex utroque mediator. Gemina quidem substantia, sed una forma est.

IV.

(Ex sermone de passione Domini.)

Apostolus (*Ephes.* V, 31, 32) somno Adæ dominicam mortem coaptans, in ipso mundi principio ædificationem mulieris de costa dormientis viri, nascentis ecclesiæ dicit signasse compagem. Namque cum formato de terra homini, si lecta recolimus, conjux deesset, et quanquam inexperti, tamen solatii contubernium rudis animus flagitaret, ligatur Adam sensu, solvitur somno, celebratoque hujus similitudinis sacramento, tam pressum novi soporis pondus incubuit, ut merito mortem significasse ex ipso immobili atque insensibili quiete videatur. Taliter autem jacenti detrahitur una costarum, atque inde formata muliere, reviviscenti admodum viro, pro dispendio membri, repensantur lucra conjugii. Ecce et hic hodie Adam novum, culpas veteres sanaturum, oppressum somno impactæ crucis suscipit quies. Nunc videndum est quid sit, quod de solo ejus latere Ecclesia formari dicitur, cum totus ipse homo pro Ecclesiæ salute moriatur. Refert Joannes evan- A gelista (*Joan.* XIX, 31, 32) quomodo crucifixo Domino cum duobus latronibus, scilicet sexta sabbati circa vesperam, uti ne pendentium corpora feriata diei solemnitas inveniret, fractis pro acceleranda morte latronum cruribus, cum jam exspirasse Dominum cognovissent, adverterunt a supplicii similitudine temperandum; quia etiam si prematur veritas inimicorum conjuratione, non frangitur : maxime cum et de Agni esset immolatione prædictum, *Os non confringetis ex eo* (*Exod.* XII, 46). Et tamen hic circa Dominum, sic quoque quod non fuit necessarium fieri pro exitio, pro sacramento perfectum est. Unus namque de militibus arrepto missili, ut sermonem ipsum ponam, *latus ejus aperuit* (*Joan.* XIX, 34). Ergo non rupit, non transfodit, non jugulavit ad ultimum, B sed inquit, *aperuit*; ut patentis plagæ portam vitalem, non tam vestigium vulneris, quam salutis esse intelligamus ingressum. Nam et arcam illam (*Gen.* VI, 6) cujus claustro tutus Noe tumentes sæculi fluctus mortemque bacchantem, impune solus cunctis pereuntibus enatavit, ostium quo vel ad salutem ingressus, vel regressus ad lucem est, in latere legimus habuisse. Agnosco igitur et hodie in Domino, qui surgit per crucem (*Psal.* CXXXI, 8) in requiem suam, ipse et arca, id est caro, sanctificationis suæ : agnosco, inquam, in latere arcæ istius aditum nostrum. Videamus primum quid inde procedit, advertamus postea quomodo ibi Christianus introiit. Patefacto ergo latere Domini, processit ubertim manantibus rivis aqua vel sanguis. Quid admirabilius tali facto? C quid lucidius indicio? quid mysterio plenius? Certum est quidem quod doluit Christus, quod interiit certum; sed servat in eo dignitatem suam etiam veritas mortis. Quæ conditio unquam humani corporis habuit aquæ vel sanguinis fluxum? Esto, quod tamen vix consuetudinis ratione permittitur, ut continuerit cruorem suum caro defuncta; ubi latuit viventis aquæ fonticulus in corpore morientis? Unde procedit duplex rivus arentem mundum fecundaturus, purus laticis, pretiosus cruoris? Unde sancti fluminis unda prorumpit, sola restinguendis gehennæ satisfactura vaporibus? Ecce videtis de latere Adam nostri conjugem suam strui. Ecce sponsam victuro, dum moritur, præparari. Ecce dormienti præcipi quod lætificet vigilaturum; omnis autem Ecclesia duo sunt D genera hominum. Unum est, quod fideli morte, aliud quod sublimi passione salvatur; unum quod pro Christo occubuit, aliud quod Christo vixit. Nos ergo excipiamus aquam de latere Domini, martyres sanguinem. Illos pretiosa sanguinis purpura vestiat, nos nivea baptismatis unda respergat.

V.

(Ex libris Contra Arianos.)

Consultus in Evangelio Dominus, quid de vinculi matrimonialis soliditate decerneret, *Non sunt*, inquit, *jam duo, sed una caro. Propter quod dico vobis, Quod Deus junxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6). Ecce quod ait Apostolus de conjugio, *Sacramentum hoc magnum; ego autem dico vobis, in Christo et in Ec-*

clesia (*Ephes.* v, 32). Nascitur nempe ab humilitate exempli altitudo mysterii. Si ex duobus dicitur unum facere copula corporalis, quare totam Trinitatem non solidaverit una substantia? aut cum dicamus, in terrenis separari non licere quod Deus junxit per concordiam, quanto periculo in supernis separari velimus quod Deus junctus est per naturam? Jam ut illud taceam quod scriptum est, quod *multitudinis credentium erat anima una, et cor unum* (*Act.* IV, 32): quorum singula corda unum cor reddebat unanimitas, sicut proprias in Trinitate personas solidat et exunat æqualitas.

AP PHILIPPENSES.

I. Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit.

II. Factus obediens usque ad mortem.

III. Propter quod Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.

IV. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

V. Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.

VI. Item de eodem.

I.

(Ex libris Contra Phantasma.)

Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 8, 9). Verus Deus est qui dignatur inclinari; verus homo est, qui potuit mori. *Propter quod*, inquit, *et Deus pater exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Inter eum qui dat, et eum qui accipit honorem, trium est omne nomen. Imum est homo, medium angelus, summum Deus. Hoc nomen donavit quod super omne nomen est, non ei quem genuit, sed illi quem misit, qui factus est obediens usque ad mortem. Aut quid novum est, credi in eo formam servi, qui nec maledicti opprobria ferre despexit? Apostolo protestante, *eum qui non noverat peccatum, pro nobis maledictum fecit* (*II Cor.* VI, 21). Quia scriptum est, inquit, *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Gal.* III, 13). Propter quod exaltatus est, ut in nomine Jesu, omne, id est non solum hominis, verum etiam angeli, genu flectatur: ei scilicet qui secundum ejusdem Apostoli dictum, *propter vos pauper factus est cum dives esset* (*II Cor.* VIII, 8, 9), dives ab æternitate, pauper ex ventre; dives in cœlis, pauper in pannis.

II.

(Ex libris Contra Arianos.)

Non per hoc minuit æqualitatem Filii Dei, quod filius hominis obedivit. Quomodo enim non obediret Patri, qui subditus erat matri? dicente evangelista de parentibus ejus: *Et venit Nazareth, et erat subditus illis* (*Luc.* II, 51). Sic enim factus est, dicente Apostolo, *obediens usque ad mortem* (*Philipp.* II, 8), sicut ipse Dominus dixit, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38).

III.

(Ex libris Contra Arianos.)

An forte solus Pater dicendus est Dominus? In Evangelio Christus discipulis ait: *Vocatis me Magistrum et Dominum, bene dicitis; sum enim* (*Joan.* XIII, 13). Et Apostolus ait (*Philipp.* II, 8, 9), quod post mortem Christi, mortem autem crucis, exaltaverit eum Pater, et dederit ei nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, id est adoret, dicente alibi ipso Domino, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10).

IV.

(Ex sermone de Pentecoste.)

Crux illa in qua vita pendente mors periit, sicut in passione evangelista Joannes enarrat (*Joan.* XIX, 20), quia multiplicem capere non potuit, triplicis linguæ pagina fuit: ut a toto mundo incunctabiliter crederetur, quod Hebraicis litteris, nec non Latinis Græcisque conscriptum, quasi in ore trium testium firmaretur; ac deinceps *omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 11), id est in una cum Patre. Quod quamlibet aliquorum intentio negare persistat, et si non omnium sermo, certe omnis lingua proclamat.

V.

(Ex libris Contra Arianos.)

Dixi cum Patre Filio æqualem gloriam honoremque nos dicere: quia legimus, *Ut omnis lingua confiteatur quod Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Ibid.*). Si tantummodo dixisset in Dei, forte putaretur, esto in Dei, certe minoris; at cum in Patris gloria, quid inæquale? quid exiguum? quid divisum? Non enim in angelica vel humana, sed in gloria est Dei Patris. Alias autem, nisi æqualis gloria ista credatur, contra ipsius Domini jussionem (*Joan.* v, 23), non omnes sic honorificabunt Filium, sicut honorificant Patrem. Nulla enim ratione sic honorari poterit major ut minor. Sed quicunque non sic honorificaverit Filium sicut honorificat Patrem, quidquid gloriæ dempserit, contumeliæ deputavit.

VI.

(Ex sermone in dedicatione ecclesiæ archangeli Michaelis.)

Iste sit ille, quam dulcis, tam terribilis locus, in quo Jacob (*Gen.* XXVIII, 11) cernens Dominum scalis innixum, perque eas ascendentes descendentesque angelos videns, domum Divinitatis intelligit: ubi parato mysteriis lapide caput effultus, futurorum causis aptavit unguentum: sive cum passuri Mediatoris pendulum crinem, justificatæ peccatricis obsequio, fragrantis alabastri unda perfudit: ut quod lapidibus vivis in spiritualem fabricam congruenter necessarium flueret, ex irriguo angularis lapidis fonte manaret, sicque Abrahæ filii per lavacrum ex lapidibus suscitati, ut ariditatem contagii naturalis evadant, odoriferi chrismatis munere gratia fecundante pinguescerent. Istud Jacob sopitus vidit in spiritu, expergefactus gessit in signo. Cum nobis inde oratio

consecrantis inclamat, nobis ibi somnium dormientis invigilat. Scalæ vero quas vidit, gradus sunt supplicationis humanæ, quibus quisque pro viribus in divinas aures precum qualitate mittatur. Ascendunt autem per eas angeli, cum vota nostra in cœlum porrigunt : descendunt, cum de cœlis obtenta transmittunt. Assistunt hi precibus nostris, non pennarum flatu, sed donorum spiritu, quorum volasse voluisse est. Interque hos sibi vindicat Michael princeps principem locum, quem Daniel (x, 13) ille sublimis vir desideriorum, visionum potens, dissolutor ænigmatum, expositor figurarum, hebdomadæ triplicis fervente jejunio, parum fuit ut haberet visibilem, nisi acciperet adjutorem. Quocirca etiam hic Michael noster, sinceritate voti, jocunditate loci, devotione populi, provocatus adstat, conferendo magna, maxima obtinendo, conspectum Divinitatis quo semper illustratur, huc attrahat. Ad quem, quia multis Scripturarum locis agnovimus, subvehentibus angelis, sive quod pium poscitur, sive quod rectum geritur pervenire, acceptabilium operum salubriumque votorum prospiciamus in studio beatitudinem, qui providimus in archangelo portitorem.

AD COLOSSENSES.

I. *Qui est principium primogenitus ex mortuis.*

I.

(Ex sermone die primo Paschæ.)

Fit Christus in hodierna festivitate non unigenitus, sed, sicut Apostolus dicit, *primogenitus ex mortuis* (*Coloss.* I, 18). Video tamen posse aliquos hic moveri cur Christus primogenitus ex mortuis nominetur, cum factum sit, sicut plerumque nos sacer cœlestium lectionum cursus instruxit, ut aliquos mortuorum, etiam sanctorum intercessione redivivos, laxatis naturæ vinculis, lux secunda susciperet. Quod admirabiliter quoque ac triumphaliter ipse Dominus fecerat (*Matth.* IX, 24; *Luc.* VII, 12; *Joan.* XI, 43), cum prohibitis prius duobus spiritibus de inferno, corporibus de sepulcro, Lazarum novissime suscitans, jussione tertia, die quarta, non de fauce, sed quodammodo de ventre mortis, vinctas funere, putredine relaxatas, fetentes tempore, jussione viventes retraxit exsequias. Sed quicunque sic temporaliter resurrexerunt, ut deinceps morerentur, hos mortuorum primitias, id est primogenitos ex mortuis, quod de solo Christo dictum est, appellare non possumus. Siquidem isti de morte cum mortis vinculis revertentes, nec sub remedio, sed adhuc sub chirographo, non sunt a conditione liberi, sed pro opportunitate laxati. *Christus* autem *resurgens*, ut Apostolus ait, *jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Ergo hactenus ipse solus est, qui non moriturus resurrexerit; hoc etiam suis postmodum largiturus, cum eos a morte perpetuo victuros resuscitabit. Quocirca illa jam secunda lætitia erit, qua fideles resurgent. Cæterum primum resurgendi gaudium primogenito ex mortuis jure debetur.

AD THESSALONICENSES PRIMÆ.

I. *Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei*, etc.

II. *Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera.*

III. *Item de eodem.*

I.

(Ex sermone de Ascensione Domini.)

Vas electionis gentium doctor, in quo adhuc mortali homine angelicus sermo vivebat, cum resurrectionem mortuorum non mortuo sermone describeret, Dominumque nostrum *in jussu*, id est cum imperio, *et in voce archangeli* adfore, quasi cum præconis terrorem monstraret, tum deinde, inquit, *etiam nos rapiemur in nubes obviam Christo in aera* (*I Thess.* IV, 15). Tunc erit possibile quod modo arduum. Quod nunc in Christo veritas divinitatis, tunc in nobis poterit similitudo. Tunc etiam nostris aere pedibus subjugato, levibus elementis defæcatorum corporum membra ponemus : si tamen veniente eodem rege nostro, non in præteritum timida differendi conscientia retrahat, sed fida securitas ad percipiendam citius dignitatem gloriæ cœlestis occurrat.

II.

(Ex sermone die primo Rogationum.)

Præparare in occursum Dei tui Israel (*Amos.* IV, 12). Dicit quidem Paulus apostolus, ubi Redemptoris (*I Thess.* IV, 15) describit adventum, qualiter rapiemur ad nubes obviam Christo in aera. Hic tamen puto occursum istum ad alium pertinere. Nam et hic viventes quasi occurrimus Deo, si præceptum quod porrigitur amplectimur : et quia paratus est ille ad ignoscendum, occurrat ei correctio ad pœnitendum. Sed et quicunque propter amorem æternæ vitæ, non solum ab illicitis abstinet, verum etiam a licitis se coercet, sponte occurrisse judicandus est. Nam, ut exempli gratia unum quodcunque dicamus, adulterio generaliter interdicto, simplex conjugium lege permittitur; cui tamen virginitatis nitor sine comparatione præfertur : unde qui dat nuptum virginem suam bene facit, et qui non dat melius facit (*I Cor.* VII, 36). Hoc ergo de omni debemus observatione sentire. Qui male facit, fugit; qui bene, exspectat; qui melius, occurrit.

III.

(Ex libris contra Arianos.)

Intelligendum est, quod dicente filio, *Nemo ascendet in cœlum, nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III, 13), divinitatis tantum potestas unde venerat ascensura dicatur, non eo modo quo ascensum sanctis vel tribuit idem Dominus, vel promisit. Ex quibus Enoch (*Hebr.* XI, 5) propter meritum translatus a terris, Helias (*IV Reg.* II, 11) curru elatus est cœlis. Taceo illum qui (*II Cor.* XII, 2, etc.) in corpore an extra corpus nescio Deus scit, in triplicibus supernorum secretis audivit verba quæ non licebat hominibus eloqui, quia videbat arcana quæ non licuerat mortalibus intueri. Sed forte parum videtur de ascensu fidelium personalia replicari. Noverat videlicet Apo-

stolus præmia futurorum, cum sponderet illis ad quos scribebat (*Philipp.* III, 20), quod recte viventium conversatio jam nunc esset in cœlis, quo utique post resurrectionem corporis et habitatio servaretur: sicut et Dominus noster discipulis suis in Evangelio Joannis insinuat dicens: *Vado parare vobis locum. Et si abiero, et paravero vobis locum, iterum venio, et accerso vos ad me, ut ubi ego sum et vos sitis* (*Joan.* XIV, 2). Juxta quam promissionem sancti in cœlo futuri sunt. Nunquid sine ascensu celsitudinem regni cœlestis intrabunt? Et quomodo *Nemo ascendet in cœlum, nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III, 13)? Sed quia incommutabilis veritas, tam de se falli cum protestatur, quam de nobis fallere non potest cum pollicetur; quamlibet illic cum illo futuri sint qui fuerint glorificandi, ille solus ascendit qui levari alterius ope non indiget. Cui cum voluit solide substratus est aeris gradus. Cujus quo venerat revertentis, de superno vigore vibratum, de terrestri substantia corpulentum, vix famulata pendenti sustinuit aura vestigium. Prætor hunc ergo solum, cui, ut sæpe jam dixi, per duplicem generationem suppetiit hæc potestas, multi in cœlo futuri sunt, sed nullus ascendet. Quia ut impleatur fidelibus divina promissio, non ascensuris, sed assumendis dabitur altitudo. Quod prævidebat Apostolus (*I Thess.* IV, 15), eum sociandos nos Domino, et apud ipsum semper futuros, per nubem rapiendos in aera præmoneret. Porro intelligi promptum est, quod alieno subvectus arbitrio non graditur propria libertatis sponte qui rapitur. Nec semper invitos rapi rearis: frequenter raptos suos monstrat et gratia. Siquidem teste Evangelio (*Joan.* VI, 46), et Pater trahit qui ad Filium veniunt, et a violentis rapitur regnum cœleste (*Matth.* XI, 12). Quæ sic rapina desiderii sui sancti efficit compotem, ut Dei cui hoc violenter eripitur, magis provocet largitatem.

AD TIMOTHEUM PRIMÆ.

I. Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.

II. Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, etc.

III. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, etc.

IV. Nihil intulimus in hunc mundum, etc.

I.

(Ex libris contra Arianos.)

In Christo Deus et homo, non alter, sed ipse: non duo ex diversis, sed unus ex utroque mediator. Gemina quidem substantia, sed una persona est. Quam soliditatem si quis scindere dualitate præsumat, primum est quod publice contra Apostoli sententiam profitetur, dicentem: *Unus mediator Dei et hominum Christus Jesus* (*I Tim.* II, 5). Deinde eligat necesse est de duobus, id est divina humanaque, quam naturam mediationis hujus velit mysteria suscepisse. Si solus Deus mediator, non est alius apud quem intercedat: si solus homo, non est qui reconciliare prævaleat. Junge porro ut sit (*II Cor.* V, 19) Deus in Christo, et est mundum reconcilians sibi. Ipse videlicet penes quem agendum est, ipse qui agat: sic idem missus, et idem regressus; sicut ipse judicatus, et ipse judicaturus.

II.

(Ex sermone de ordinatione episcopi.)

Superest nunc, ut lectionis hujus semper meminerit, quæ peculiariter ei nunc lecta est, inclamante Apostolo, acclamante populo, conclamante judicio, *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (*I Tim.* III, 1). Solent autem plerique propriæ ambitionis incendium dicti hujus apostolici quasi refrigerio temperare, quod jam et libertate permissa res boni operis concupiscatur. Sed statim cessaret tale desiderium, si sequentia tractarentur. *Oportet*, inquit, *hujusmodi irreprehensibilem esse* (*Ibid.*, 2). Hic secum rogo crescens ambitus et animosa honorum vota decertent: hic permissam sibi desiderii securitatem merita semetipsa scrutata considerent; si ab omni interdictæ reprehensionis nævo candida divinæ imaginis integritas custoditur; si quandocunque mentis impetus moderationis limitem non excessit; si quibuscunque indigentibus superfluum quispiam manus non tenuit; si nunquam sermonis petulantia honestatem silentii salubrioris irrupit; si (*Ephes.* IV, 26) calentem diei ferventis iracundiam limes occidui solis absolvit; si nunquam corde duplici diversum sonantis cogitantisque aliud verba quam vota moliuntur; si ad ultimum digna observantiæ cura, ut de juramentis taceam, vel perjuria formidantur. Non quod ab his omnibus liberi esse omnes possimus, sed quod periculosum sit unumquemque merita sua non recolere, et quod solis irreprehensibilibus debetur, ambire. Jam quid de illis dicatur, quos pretiositatem gratiæ pretii vilitate mercantes, usque ad jacturam pecuniæ verecundiæ jactura producit? Quorum acclamationibus militant conducta mendacia, quorum prurientes scalpentibus præconiis aures mercenarius clamor inflammat; quique non reminiscentes Simonem Magum (*Act.* VIII, 18) divini muneris dispensationem pretio voluisse mercari, cum pecunia sua non in sacerdotium, sed in interitum deputantur. Libere ergo hæc coram ambitu electo compulsoque detester: placere Deo penitus nequit, qui usque ad sui electionem sibi ipse placuerit. Quin potius de innocentum antistitum labore dicamus. Neque enim levis est administraturi causa pontificis, quem manet dupliciter, sermo ut populi magistrum, actus ut Christi discipulum: qui plebem non minus pietate quam severitate recturus est. Quem timere convenit dispendiis suis, quem communicare non convenit criminibus alienis. Qui alium onerat se contestante, qui damnum patitur alio pereunte. Quando audit, *non turpis lucri cupidum*, temperaturus est ut sit cupidus, et quidem lucri, nec tamen turpis: id est, ut studeat commissa sibi talenta assiduæ prædicationis sermonibus expolire, et acquisita multiplicataque gregis sui salute geminare.

Jubetur esse *ornatus*; nec istud corporaliter accipiendum est. Episcopum cui injuncta merito ornamenta suppeditent, non comit pompa, sed gratia. Sic itaque sacerdotalis locus, arctam illam et contribulatam Evangelii semitam tenens, perque angustias ejus post se etiam populum trahens, sinistram fugiens, dexteram non præsumens, periculosum ex utraque parte lubricum pertimescat, et sermonis apostolici libram æqualitate considerationis appendens, si districtus esse voluerit, legat *non percussorem*; si humanus, *non vinolentum*; si sobrius, *non avarum*; si subditus, *non abjectum*; si servus, *non elatum*; si misericors, *non remissum*; si terribilis, *non cruentum*; si *domum suam bene regentem*, utique ordinantem omnia, negligentem nulla, acquirentem multa, plurima dispensantem. Ergo et huic ex administratæ domus probato rectoque judicio, super evangelici illius nummularii mensam pecunia multa committitur, quæ multiplicato reddenda compendio vos eritis.

III.

(Ex epistola contra Faustum.)

Fateor in necessitate positis, etc., *ut in epistola* 4 (*col.* 221, *a*), *usque ad* in carne non vicerat conjugatos.

IV.

(Ex sermone die 2 Rogationum.)

Age nunc, in quantum potest fieri, videamus quæ nostra quæve aliena sint. Ait Paulus apostolus: *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre possumus* (I *Tim.* VI, 7). Et quid nostrum dici potest, quod non intulimus, quodque non relaturi sumus? C *Nudus*, inquit Job, *exivi de utero matris meæ, nudus revertar in terram* (*Job* I, 21). Patet quam infidelis sit usus divitiarum, qui nos nec in principio nostro, nec in fine comitatur. Quid aurum et argentum avare multiplicas? quid tuum dicis, ad quod nudus venisti? Mundi est facultas quam tuam, communis est quam propriam putas. Via itineris cujuscunque quam gradimur, breviter dici nostra potest, dum a nobis ambulatur: nobis vero prætergressis, illorum est qui sequuntur. Quomodo potest nostra esse facultas caduca atque terrena, si non pascat egenum, cum possit pascere violentum? Quomodo nostrum est, in quo nec capiendo innoxii, nec continendo justi, nec possidendo certi, nec conservando securi sumus? Et quam pro certo tenemus, nos nudos in terram venisse, tam certo sciamus, de terrestribus nos auferre nihil posse. Apostolus se recolit nihil intulisse, nihil ablaturum esse. Job fatetur nudum se natum, nudumque moriturum. Salomon omnibus parem clamat interitum et similem exitum. Quantumlibet ambitione velit quisque discerni, principio et fine conjungitur. Nam quod dixit, *Unus introitus omnibus ad vitam, et par egressus ad mortem* (*Sap.* VII, 6), non meritorum æqualitatem, sed æqualem docuit conditionem. Unde si apparet, ut opinor, nec infida fidelium, nec peritura esse salvorum, quæ sint nostra paululum discernamus. Ecce, ut supra dixi, cum in hunc mundum veniente nihil terrenæ facultatis in- A ferimus, animam tamen arbitrii compotem capacemque rationis, ad eligendum bonum, si Deus inspiraverit, exhibemus. Cumque processu temporis voluntatis nostræ qualitas confirmatur, Dei voluntas est ut bene faciamus, sed nostrum est quod fecerimus. An forte dicit aliquis, et hanc ipsam boni actionem potest homo insidiante diabolo perdere. Verum est, quod amittere homo bonum proprium furante adversario potest. Sed hinc magis nostrum conjici debet, quia non violenter aufertur. Non enim taliter perdimus mercedem, qualiter facultatem. Quod enim extra nos est, carnalis inimicus rapiendo auferre potest: quod vero intra nos, non potest spiritualis nisi insidiando furari. Et ideo, *si sciret paterfamilias qua hora fur venit, vigilaret utique, et non sineret perfodi* B *domum suam* (*Luc.* XII, 39). Illa ergo est domus nostra, quæ, si vigilamus, non potest dirui: illa vero prorsus aliena est, quæ potest vigilantibus nobis occupari.

AD TIMOTHEUM SECUNDÆ.

I. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia.

I.

(Ex sermone die 3 Rogationum.)

Quomodo si, inquit (*Isai.* LXVI, 20), inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini; legimus in Apostolo, *in domo magna non solum argentea vel aurea, sed etiam lignea vasa et fictilia* (*II Tim.* II, 20) reperiri. Quæ in ipsa graduum diversitate omnia possunt esse usui, etiamsi non sunt æqualia dignitati. Cuilibet distantiæ nitor opus est. Potest in fictilibus vasculis, dummodo munditia non desit, divinæ domui munus offerri, si vas ex eadem massa fictum, quia peccando ceciderat in contumeliam, pœnitendo redeat ad honorem. Habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7). Hæc ergo vascula, ut dixi, pœnitentium teneant compunctionem. Porro lignea legitimam conjugatorum præferant simplicitatem: cruore martyris aurea rubeant; virginitatis radio argentea perlucescant. Vasorum talium capacitas est, quod rationabilis naturæ conditi sumus. In hæc modo provideat de suo quisque quod offerat: pro qualitate munerum fit pretiositas vasculorum. Istis credo vasculis Heliseus (*IV Reg.* IV) quondam liquorem olei vivacis infudit, quod cum D flueret irriguum, non e fluxit impletum.

AD HEBRÆOS.

I. Filius meus es tu, ego hodie genui te.

II. Minorasti eum paulo minus ab angelis

III. Ubi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris.

IV. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur.

V. Lapidati sunt, secti sunt.

I.

(Ex libro de Christi divinitate.)

Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II, 7) Hodie hic æternitas, etc., *ut in epistola* 28 (*col.* 246, *a*) *usque ad* nomen filii ejus, si nosti.

II.

(Ex libris contra Arianos.)

Minorasti eum paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII, 6). Quod Apostolus de Christo exponit dictum, cum in natura divinitatis suæ major esse angelis a nemine dubitetur. De quo dicit Apostolus ad Titum scribens, *ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, prudenter et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit pro nobis semetipsum* (*Tit.* II, 12). De quo alio loco Scriptura nostra dicit : *Qui est, qui erat, quique venturus est omnipotens* (*Apoc.* XI, 17). Si omnipotens, unde minor? Nam et illud omnipotens dicit jam post resurrectionem suam secundum Matthæum, *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XVIII, 28). Quod si quis minorem putat accipientem eo qui dat, legat et de Christo per Apostolum dici : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* (*I Cor.* XV, 24); cum sic non possit esse pater sine regno, quod ei filius dicitur esse traditurus, sicut nec filius sine omni potestate quam sibi dicit datam in cœlo et in terra. De quo S. Paulus ad Colossenses, prohibens ne credamus secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum : *Quoniam*, inquit, *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9).

III.

(Ex sermone de Natali calicis.)

Impleturus Redemptor noster sacramentum carnis assumptæ, sicut æternus et piissimus pater, creatis a se redemptisque filiis spem indultæ adoptionis aperiens, substantiamque nobis cœlestem ante diem suæ mortis assignans, testamentum fecit, quo nos hæredes ab his quæ largiebatur instituit, humana quidem comparatione, sed non humana necessitate, non amissurus quod filiis deputabat, sed habiturus magis filios cum hæreditate quam scripserat. Testamentum hoc appellamus testamentum novum. In quo exhæredatis omnibus, solus hæres instituitur populus Christianus. Non autem juxta terrenum morem hæreditas ista dividitur, nec corruptibili distributione in plures dispersa tenuatur. Omnes recepit, omnes invitat : nec de portione tenentum tollitur quod aliis nascentibus deputetur. Crescat quantum vult, et multiplicetur renascendi cupida filiorum voluntas, omnibus se incontaminatam reservat hæreditas. Sed istud testamentum novum vetere suppleto ordine suo agitur, et totius firmitatis mysteriis celebratur. Quod ipse ineffabilis redemptor noster, adhibitis valde idoneis testibus, discipulis suis, conscripsit traditus, signavit passus, aperuit suscitatus. Et quia cuncta rite peracta sunt, merito apostolus Paulus dicit : *Quod hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat* (*Gal.* III, 15), id est mutat. Agnoscamus nunc fideliter summam hæreditatis indeptæ. Illud est videlicet quod cœnantibus apostolis æterni libaminis ordinem consecravit. Itaque videmus, quod nihil nobis de substantiæ plenitudine minuit, qui quod pro nobis assumpsit, totum nobis reliquit. Alii hæredibus suis sua tribuunt, ille semetipsum, id est carnem vel sanguinem corporis sui.

IV.

(Ex sermone die Paschæ.)

Universis igitur ferte quæ sumitis. Quod mensæ apposui, mundo transmisi : calix quem vos gaudetis gustasse, cunctorum est. Novi et æterni testamenti paucos testes adhibuit, multos hæredes. Nulla tamen sortis conditio admittit alienum. Certos quosque recipit cœlestis cognitio : populus est quidem adoptione, sed unicus.

V.

(Ex sermone de Ezechia rege.)

Ille quondam patriarcharum maximus pater (*Gen.* XXII), qui immolandum filium jussus offerre, viriliter præsumpsit, nec majestati hominem posse resistere, nec pietati præceptum parricidii convenire. Et tamen, cum mysterii ignoraret eventum, altari filium quasi jugulaturus imposuit : unum certissime tenens, si hujus hostiæ Deo irrevocabilem libuisset tenere sententiam, non homicidium, sed sacrificium fore quod obedientia commisisset.

VI.

(Ex sermone die 2 Rogationum.)

Nos magis instruunt isti prophetæ, et infirmitatem nostram quasi sub suæ impatientiæ sermonibus consolantur. Illorum porro patientiam testantur multiplices in infirmitate virtutes. Quorum ut vel paucissimos, propter istum qui dolet justum ab impio devorari, exempli gratia proferamus, probat hoc de Jeremia gloriosior in captivitate libertas, neque per ligamen corporis licentia vincta sermonis. Probat Esaias, quem ob præconium veritatis, divaricante serra obtusis dentibus, doloribus acutis, sæviens civicus furor, quantum ad pœnam mortaliter torsit, tantum ad gloriam vitaliter occidit. Cumque victore defuncto, victus superstes doleret, per laniatam carnem mentem nequivisse lacerari, cum multas membrorum partes quas disjunxerat numeraret, plus quam unam fidem invenire non potuit.

(Ex veteri codice.)

Ex dictis Patrum diversis catholicorum. Hæc Lugdunensis Florus collegit in unum.

ALCIMI ECDICII AVITI

POEMATUM [a]

DE MOSAICÆ HISTORIÆ GESTIS

LIBRI QUINQUE.

PROLOGUS.

[1] *Domino sancto in Christo piissimo ac beatissimo Apollinari episcopo Alcimus Ecdicius Avitus frater.*

Nuper quidem, paucis homiliarum mearum in unum corpus redactis, hortatu amicorum discrimen editionis intravi. Sed adhuc te majora suadente, in cothurnum petulantioris audaciæ edurata fronte procedo. Injungis namque, ut si quidquam de quibuscunque causis metri lege conscriptum est, sub professione opusculi vestro nomini dedicetur. Recolo equidem nonnulla me versu dixisse : adeo ut si ordinarentur, non minimo volumine stringi potuerit epigrammatum multitudo. Quod dum facere servato causarum vel temporum ordine meditarer, omnia pene in illius notissimæ perturbationis necessitate dispersa sunt. Quæ quoniam singillatim aut requiri difficile, aut inveniri impossibile foret, abjeci ea de animo meo, quorum mihi vel ordinatio salvorum, vel dispersorum reparatio dura videretur. Aliquos sane libellos apud quemdam familiarem meum postea reperi : qui licet nominibus propriis titulisque respondeant, et alias tamen causas inventa materiæ opportunitate perstringunt. Hi ergo, quia jubes, etsi obscuri sunt opere meo, tuo saltem nomine illustrabuntur. Quanquam quilibet acer ille doctusque sit, A si religiosi propositi stylum non minus fidei quam styli lege servaverit, vix aptus esse poemati queat. Quippe cum licentia mentiendi, quæ pictoribus ac poetis æque conceditur, satis procul a causarum serietate pellenda sit. In sæculari namque versuum opere condendo, tanto quis peritior appellatur, quanto elegantius, imo, ut vere dicamus, ineptius falsa texuerit. Taceo jam verba illa vel nomina, quæ nobis nec in alienis quidem operibus frequentare, ne dicam in nostris conscribere licet : quæ ad compendia poetarum, aliud ex alio significantia plurimum valent. Quocirca sæcularium judicio, qui aut imperitiæ aut ignaviæ dabunt, non uti nos licentia poetarum, plus arduum quam fructuosum opus aggressi, divinam longe discrevimus ab humana existimatione B censuram. Quoniam in asserendis quibusque rebus, vel etiam prout suppetit explicandis, si quacunque ex parte peccandum est, salubrius dicente clerico non impletur pompa quam regula, et tutius artis pede quam veritatis vestigio claudicatur. Non enim est excusata perpetratione peccati libertas eloquii. Nam si pro omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, rationem redhibere cogentur (*Matth.* XII, 36), agnosci in promptu est, illud periculosius lædere, quod tractatum atque meditatum et antepositum vivendi legibus, loquendi lege præsumitur.

[a] De his libris Avitus ipse ad Apollinarem Sidonii filium scribens epist. 45 : *Magnificentiæ vestræ*, inquit, *litteras vidi, quibus scribebatis placuisse vobis libellos quos de spiritalis historiæ gestis etiam lege poematis lusi.* Titulus hic libris omnibus communis. Nam singuli peculiares suos habent. Pro spiritali autem historia quæ latius patet, Mosaicæ nomen a nobis substitutum, nec Avitus opinor ipse improbaret. Quæ operis hujus primæ fuerunt editiones, princeps videlicet omnium Argentoratensis anno 1507, et quæ altero ac tertio post anno Coloniæ et Parisiis prodiere, cum manuscriptis consentientes, nihil admodum inter se discrepant, nisi quantum variare diversa solent exemplaria. At longe dissimilis quæ has anno 1536 secuta est, Lugdunensis Joannis Gagneii. Innumeris quippe locis, ut præfati sumus, depravata, et C quingentis prope versibus, inaudito, ac nisi auctor ipse proderet, incredibili facinore interpolata. Quæ et in cæteras deinceps editiones passim recepta, sic eas infecit, ut fucum pati necesse fuerit viros litteratos, et pro Aviti versibus Gagneianos haud raro legere et usurpare. Hoc igitur contagio ut liber sit Avitus in posterum, suæ illum origini genuinoque nitori reddere conati sumus, ope nixi veterum aliquot exemplarium, cum quibus hos libros religiose contulimus, varias lectiones nullas aspernati, præter inutiles, aut quas aliorum codicum consensus refelleret.

[1] Hanc epistolam minus emendatam antea ediderat Sirmondus inter notas ad Ennodii opusculum de vita B. Epiphanii episcopi Ticinensis.

LIBER PRIMUS.

DE INITIO MUNDI.

Quidquid agit varios humana in gente labores,
Unde brevem carpunt mortalia tempora vitam,
Vel quod polluti vitiantur origine mores,
Quos aliena premunt priscorum facta parentum,
Addatur quanquam nostra de parte reatus,
Quod tamen amisso dudum peccatur honore,
Ascribam tibi, prime pater, qui semine mortis
Tollis succiduæ vitalia germina proli.
Et licet hoc totum Christus persolverit in se,
Contraxit quantum percussa in stirpe propago :

Attamen auctoris vitio, qui debita lethi
Instituit, morbosque suis ac funera misit,
Vivit peccati moribunda in carne cicatrix.
Jam Pater omnipotens librantis pondere verbi
Undique collectis discreverat arida lymphis,
Littoribus pontum constringens, flumina ripis:
Jam proprias pulchro monstrabat lumine formas,
Obscuro sedente die, varioque colore
Plurima distinctum pingebat gratia mundum.
Temporibus sortita vices tum lumina cœlo
Fulsere alterno solis lunæque meatu.
Quin et sidereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes astrorum luce tenebras
Actutum suavi producens omnia fetu,
Pulchra repentino vestita est gramine tellus.
Accepere genus sine germine jussa creari,
Et semen voluisse, fuit. Sic ubere verbi
Frondescunt silvæ; teneris radicibus arbor
Duravit vastos parvo sub tempore ramos.
Protinus in varias animalia multa figuras
Surgunt, et vacuum discurrunt bruta per orbem;
Elatæ in altum volucres, motu que citato
Pendentes secuere vias, et in aere sudo
Præpetibus librat membrorum pondere pennis.
Post etiam clausi vasto sub gurgite pisces
Respirant lymphis, flatusque sub æquore ducunt.
Quæque negant nobis, illis adnt humida vitam.
Nec minus in pelago viviscunt grandia cete,
Accipiuntque cavis habitacula digna latebris:
Et quæ monstra solet rarus nunc prodere pontus,
Aptat ad informes condens solertia formas.
Quodque hominum falso credit mens nescia fœdum,
Per propriam speciem natura judice pulchrum est.
Ergo ubi completis fulserunt omnia rebus,
Ornatuque suo perfectus constitit orbis,
Tum Pater omnipotens æterno lumine lætum
Contulit ad terras sublimi ex æthere vultum,
Illustrans quodcunque videt: placet ipsa tuenti
Artifici factura suo, laudatque Creator
Dispositum pulchro quem condidit ordine mundum.
Tum demum tali sapientia voce locuta est:
En præclara nitet mundano machina cultu;
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid juvat ulterius nullo cultore teneri?
Sed ne longa novam contristent otia terram,
Nunc homo formetur, summi quem tangat imago
Numinis, et nostram, celso donatus honore,
Induat interius formosa in mente figuram.
Hunc libet erectum vultu præponere pronis,
Qui regat æterno subjectum fœdere mundum,
Bruta domet, legem cunctis ac nomina ponat,
Astra notet, cœlique vias et sidera norit;
Discat et inspectis discernere tempora signis:
Subjiciat pelagus sævum, ingenioque tenaci
Possideat quæcunque videt; cui bestia frendens
Serviat, et posito discant mansueta furore
Imperium jumenta pati, jussique ligari
Festinent trepidi consueta in vincla juvenci.
Quoque magis natura hominis sublimior exstet,

A Accipiat rectos in cœlum tollere vultus:
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longævo in tempore vitam.
Hæc ait, et fragilem dignatus tangere terram,
Temperat humentem consperso in pulvere limum,
Moliturque novum dives sapientia corpus.
Non aliter quam nunc opifex cui artis in usu est
Flectere laxatas per cuncta sequacia ceras,
Et vultus implere manu, seu corpora gypso
Fingere, vel segni speciem componere massa,
Sic Pater omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, et in lento meditatur viscera cœno.
Hinc arcem capitis sublimi in vertice signat,
Septiforem vultum rationis sensibus aptans,
Olfactu, auditu, visu, gustuque potentem.
B Tactus erit solus, toto qui corpore judex
Sentiat, et proprium spargat per membra vigorem.
Flexilis arctatur recavo sic lingua palato,
Pressus ut in camera pulsantis verbero plectri
Percusso resonet modulatus in aere sermo.
Exin succiduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramosas post brachia fortia palmas.
Succedit stomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumque latus foveat vitalia, venter.
Dividuam partem femur excipit, aptius ut se
Alternus moveat duplicato poplite gressus.
At parte ex alta, fingit quam conditor unus,
Occipiti submissa suo descendere cervix
Incipit, et vastos compagibus addere nervos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
C Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.
Pars interna novos vitæ formatur ad usus,
Naturale parant tegmen vitalia cordi,
Massaque congestis pendens absconditur extis.
Additur his tenui pascendus ab aere pulmo,
Qui concepta trahens lenti spiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas sumpserit auras,
Inque vicem crebro pellatur anhelitus haustus.
Dextra tenet jecoris vegetandum sanguine fontem,
Quo clausum venæ spargunt per viscera flumen.
Lienis lævum sortitur regula partem,
Qua crines perhibent unguesque recrescere sectos,
Nec concisa dolent: hinc nunc augmenta resumunt
Quæ vivunt sensuque carent in corporis usu.
Postquam perfectæ jacuit novitatis imago,
D Formatumque lutum speciem pervenit in omnem:
Vertitur in carnem limus, durataque molles
Visceribus mediis traxerunt ossa medullas.
Inseritur venis sanguis, vivoque colore
Inficit ora rubor: toto tum corpore pallor
Pellitur, et niveos depingit purpura vultus.
Inde ubi perfectis consuescit vivere membris
Totus homo, et sumant calefacta ut viscera solam
Exspectant animam, puro quam fonte creator
Promat, et erectos recturam mittat in artus.
Lenem perpetuo flatum profundit ab ore,
Inspiratque homini; quem protinus ille receptum
Attrahit, et crebri discit spiraminis auras.
Postquam nascentem solers prudentia sensum

Imbuit, et puro rationis lumine fulsit,
Surgit, et erectis firmat vestigia plantis.
Tum varias mundi species, cœlique figuras
Mirantem, tali compellat voce Creator :
Hæc quæ mundanis cernis pulcherrima rebus
Incrementa novis, ornatum tensa per orbem,
Solus habe, totisque prior dominare fruendo.
Tu mihi, cuncta tibi famulentur : maximus ordo est,
Te parere pio qui subdidit omnia patri.
Non species ullæ, nec numina vana colantur,
Non si quid cœlo sublime novumque coruscat,
Non quæ vel terris vivunt formata, vel undis,
Nec quod forte premens prohibet natura videri.
Usibus ista tuis, non cultibus, esse memento :
Præcellens factis factorem pronus adora.
Interea sextus noctis primordia vesper
Rettulit, alterno depellens tempore lucem ;
Dumque petunt dulcem spirantia cuncta quietem,
Solvitur et somno laxati corporis Adam,
Cui Pater omnipotens pressum per corda soporem
Jecit, et immenso tardavit pondere sensus,
Vis ut nulla queat sopitam solvere mentem.
Non si forte fragor securas verberet aures,
Nec si commoto cœlum tunc intonet axe,
Sed nec pressa manu rupissent membra quietem.
Tum vero cunctis costarum ex ossibus unam
Subducit lævo lateri, carnemque reponit.
Erigitur pulchro genialis forma decore,
Inque novum subito procedit femina vultum.
Quam Deus æterna conjungens lege marito,
Conjugii fructu pensat dispendia membri.
Istius indicium somni mors illa secuta est,
Sponte sua subiit sumpto quam corpore Christus.
Qui cum passurus ligno sublimis in alto
Penderet nexus, culpas dum penderet orbis,
In latus extensi defixit missile lictor.
Protinus exsiliens manavit vulnere lympha,
Qua vivum populis jam tum spondente lavacrum,
Fluxit martyrium signans et sanguinis unda.
Inde quiescenti gemina dum nocte jaceret,
De lateris membro surgens Ecclesia nupsit.
Principio rector tanti sacrare figuram
Disponens vincli, nectit connubia verbo :
Vivite concordi studio, mundumque replete,
Crescat longævum felici semine germen :
Non annis numerus, vitæ nec terminus esto.
Progeniem sine fine dedi, quam tempore toto
Aspicies, generi primus qui poneris auctor.
Pronepos eductos spargens per sæcla nepotes
Viventes numeret proavos, inque ora parentum
Ducant annosi natorum pignora nati.
Tum lex conjugii, toto venerabilis ævo,
Intemerata suo servabitur ordine cunctis.
Femina persistat de viscere sumpta virili,
Conjugio servare fidem ; nec separet alter
Quod jungit sociatque Deus ; patremque relinquat
Et matrem justo constrictus amore maritus.
Ista parentales non rumpant vincula curæ,
Vita sed amborum carnem teneatur ad unam.

A Taliter æterno conjungens fœdere vota,
Festivum dicebat hymen, castoque pudori
Concinit angelicum juncto modulamine carmen.
Pro thalamo paradisus erat, mundusque dabatur
In dotem, et lætis gaudebant sidera flammis.
Est locus eoo mundi servatus in axe
Secretis, natura, tuis, ubi solis ab ortu
Vicinos nascens aurora repercutit Indos.
Hic gens ardentem cœli subterjacet axem,
Quam candor fervens albenti ex æthere fuscat.
His semper lux pura venit, cœloque propinquo
Nativam servant nigrantia corpora noctem.
Attamen in tetris splendentia lumina membris
Captivo fulgore micant, visuque nitente
Certior accrescit pullatis vultibus horror :
B Cæsaries incompta riget, quæ crine supino
Stringitur, ut refugo careat frons nuda capillo.
Sed magnum nostros quidquid defertur ad usus,
His totum natura dedit telluris opimæ.
Quidquid odoratum pulchrumque allabitur, inde est
Concolor his ebeni piceo de fomite ramus
Surgit, et hic, eboris munus quæ porrigit orbi,
Informis pulchros deponit bellua dentes.
Ergo ubi transmissis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia jungere cœlo,
Lucus inaccessa cunctis mortalibus arce
Permanet, æterno conclusus limite, postquam
Decidit expulsus primævi criminis auctor,
Atque reis digne felici a sede revulsis,
Cœlestes hæc sancta capit nunc aula ministros.
C Non hic alterni succedit temporis unquam
Bruma, nec æstivi redeunt post frigora soles,
Excelsus calidum cum reddit circulus annum,
Vel densante gelu canescunt arva pruinis.
Hic ver assiduum cœli clementia servat :
Turbidus Auster abest, semperque sub aere sudo
Nubila diffugiunt jugi cessura sereno.
Nec poscit natura loci quos non habet imbres,
Sed contenta suo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne solum, terræque tepentis
Blanda nitet facies ; stant semper collibus herbæ,
Arboribusque comæ ; quæ cum se flore frequenti
Diffundunt, celeri confortant germina succo.
Nam quidquid nobis toto nunc nascitur anno,
Menstrua maturo dant illic tempora fructu.
D Lilia perlucent nullo flaccentia sole,
Nec tactus violat violas, roseumque ruborem
Servans perpetuo suffundit gratia vultu.
Sic cum desit hiems, nec torrida ferveat æstas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.
Hic quæ donari mentitur fama Sabæis
Cinnama nascuntur, vivax quæ colligit ales,
Natali cum fine perit, nidoque perusta
Succedens sibimet quæsita morte resurgit :
Nec contenta suo tantum semel ordine nasci ;
Longa veternosi renovatur corporis ætas,
Incensamque levant exordia crebra senectam.
Illic desudans fragrantia balsama ramus
Perpetuum promit pingui de stipite fluxum.

Tum si forte levis movit spiramina ventus,
Flatibus exiguis, lenique impulsa susurro,
Dives silva tremit foliis, ac flore salubri,
Qui sparsus late suaves dispensat odores.
Hic fons perspicuo resplendens gurgite surgit.
Talis in argento non fulget gratia, tantam
Nec crystalla trahunt nitido de frigore lucem.
Margine riparum virides micuere lapilli,
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illic saxa jacent: varios dant arva colores,
Et naturali campos diademate pingunt.
Eductum leni fontis de vertice flumen
Quattuor in largos confestim scinditur amnes.
Euphratem, Tigrimque vocant, qui limite certo
Longa sagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus
Dicitur ignoto cunctis plus nobilis ortu;
Cujus in Ægyptum lenis perlabitur unda,
Ditatura suam certo sub tempore terram.
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Alveus, et nigris campos perinundat arenis,
Ubertas taxatur aqua, cœloque vacante
Terrestrem pluviam diffusus porrigit amnis.
Tunc inclusa latet lato sub gurgite Memphis,
Et super absentes possessor navigat agros.
Terminus omnis abest, æquatur judice fluctu
Annua suspendens contectus jurgia limes.
Gramina nota videt lætus subsidere pastor,
Inque locum pecorum viridantis jugere campi
Succedunt nantes aliena per æquora pisces.
Ast postquam largo fecundans germina potu
Lympha maritavit sitientis viscera terræ,
Regreditur Nilus, sparsasque recolligit undas:
Fit fluvius pereunte lacu: tum redditur alveo
Pristina riparum conclusis fluctibus obex,
Donec dividuum spargens per devia finem
Gurgite septeno patulum percurrat in æquor.
Sed cur dicatur tantum mundana latere
Vertex Nile tuus? nam qui nesciris ab ortu,
Non solus, sed quartus eras, diffusus ab illo,
A Despicit excelso qui flumina cuncta meatu,
Ipsius atque pater pelagi supereminet omnes,
Quas montes, quas plana vomunt, quas nubila, lym-[phas.
Quartus Physon erit, quem possidet India Gangem,
Motus odorifero quoties qui vertice crevit,
Deciduas pulchro quas spargunt flumina luco
Prælambens furatur opes, et gurgite nostrum
Ducit in exsilium. Nam ripa largus utraque,
Amnibus ut nostris enodes ferre papyros,
Aut scirpos algasque leves deducere mos est,
Excrementa trahens magnus sic ditia Ganges
Hoc etiam donat mundo, quod projicit alveo.
Interea primi, summus quos junxerat auctor,
In paradisiaca ponuntur sede parentes.
B Tum rector tali proponit præmia lege:
O summum factoris opus, quos sola creavit
Nostra manus, nasci cum cætera voce juberem,
Aspicitis quanto pulcherrimus ubere lucus
Per multas famuletur opes? hæc cuncta dabuntur
Ad vestros sine fine cibos, hinc esca petatur:
Sumite concessas fruges, et carpite poma.
Hic operis dulci studio secura quiescat
Deliciisque fruens longævo in tempore vita.
Est tamen in medio nemoris quam cernitis arbor
Notitiam recti pravique in germine portans:
Hujus ab accessu vetitum restringite tactum.
Nec vos forte premat temeraria discere cura
Quod doctor prohibet: melius nescire beatis
Quod quæsisse nocet; testor quem fecimus orbem,
C Quod si quis vetitum præsumpserit arbore pomum,
Audax commissum mortis discrimine pendet.
Non immensa loquor; facilis custodia recti est:
Servator vitam, finem temerator habebit.
Accipiunt juvenes dictum, lætique sequuntur,
Spondentes cuncto servandam tempore legem.
Sic ignara mali novitas, nec conscia fraudis,
Incautas nulla tetigit formidine mentes.
At pater instructos sacrata in sede relinquens,
Lætus in astrigeram cœli se sustulit aulam.

LIBER SECUNDUS.

DE ORIGINALI PECCATO.

Utitur interea, venturi nescia casus,
Libertas secura bonis, fruiturque beata
Ubertate loci. Largos hinc porrigit illis
Tellus prompta cibos: fruticis quin altor opimi
Sumitur assiduus tenui de cespite fructus.
At si curvati fecundo pondere rami
Mitia submittunt sublimi ex arbore poma,
Protinus in florem vacuus turgescere palmes
Incipit, inque novis fetum promittere gemmis.
Jam si prædulces delectat carpere somnos,
Mollibus in pratis, pictaque recumbitur herba.
Cumque voluntati sacrum nemus offerat omnes
Delicias, opibusque novis se præbeat amplum:
Sic epulas tamen hi capiunt, escamque requirunt,
Compellit quod nulla fames, nec lassa fovendo
Indigus hortatur compleri viscera venter.
Et nisi concessum libuisset noscere pastum,
D Esuriens ignota cibos non posceret ullos,
Nullaque constantem fulcirent pabula vitam.
Corpora nuda vident, et mutua cernere membra
Non pudet, atque rudis fœdum nil sentit honestas.
Non natura hominis, vitium sed causa pudori est;
Nam quæcunque bonus formavit membra Creator,
Ut pudibunda forent, carnis post compulit usus.
Tunc mens intactos servabat candida visus,
Angelicæ qualis narratur gloria vitæ
Sidereas habitare domos; qualemque redemptis
Spondet reddendam mortis post tempora Christus:

Queis neque conjugium curæ nec fœdere turpi
Miscebit calidos carnalis copula sexus.
Cessabit gemitus, luxus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor, atque dolus, mœror, discordia, livor.
Nullus egens, nullus cupiens, sed pace sub una
Sufficiet cunctis sanctorum gloria Christus.

His protoplastorum sensum primordia sacra
Continuere bonis, donec certamine primo
Vinceret oppressos fallacem culpa per hostem.
Angelus hic dudum fuerat, sed crimine postquam
Succensus proprio, tumidos exarsit in ausus,
Se semet fecisse putans, suus ipse Creator
Quod fuerit, rabido concepit corde furorem,
Auctoremque negans, Divinum consequar, inquit,
Nomen, et æternam ponam super æthera sedem,
Excelso similis, summis nec viribus impar.
Talia jactantem præcelsa potentia cœlo
Jecit, et ejectum prisco spoliavit honore.
Quique creaturæ præfulsit in ordine primus,
Primas venturo pendet sub judice pœnas.
Quandoquidem gravior talem sententia punit,
Quem mirum cecidisse putes? nam crimen acerbat
Auctor, in ignaro minor est peccante reatus,
Durius atque malum quod major fecit habetur.
Sed quod vivaces prætendit in abdita sensus,
Quodque futura videt, rerumque arcana resignat,
Angelici fervens superest natura vigoris.
Horrendum dictu, signisque notabile monstrum.
Nam quidquid toto dirum committitur orbe,
Iste docet, scelerumque manus ac tela gubernat,
Pugnat et occultus per publica crimina latro.
Et nunc sæpe hominum, nunc ille in sæva ferarum
Vertitur ora, novos varians fallentia vultus.
Alitis interdum subito mentita volantis
Fit species, habitusque iterum confingit honestos,
Apparens nec non pulchro ceu corpore virgo,
Pertrahit ardentes obscena in gaudia visus.
Sæpe etiam cupidis argentum immane coruscat,
Accenditque animus auri fallentis amore,
Delusos fugiens vano phantasmate tactus.
Nulli certa fides constat vel gratia formæ
Sed quo quemque modo capiat, teneatque nocendo
Opportuna dolis, clausæque accommoda fraudi,
Sumitur exterior simulata fronte figura.
Major adhuc etiam sævo permissa potestas,
Ut sanctum vincat; dudum collata creato
Sic natura valet, rectam quam condidit auctor,
Sed post ad pravos subversor transtulit usus.

Vidit ut iste novos homines in sede quieta
Ducere felicem nullo discrimine vitam,
Lege sub accepta Domino famularier orbis,
Subjectisque frui placida inter gaudia rebus:
Commovit subitum zeli scintilla vaporem,
Excrevitque calens in sæva incendia livor.
Vicinus tunc forte fuit, quo concidit alto,
Lapsus, et innexam traxit per prona catervam.
Hoc recolens, casumque premens in corde recentem,
Plus doluit periisse sibi quod possidet alter.

A Tunc mixtus cum felle pudor sic pectore questus
Explicat, et tali suspiria voce relaxat.

Proh dolor, hoc nobis subitum consurgere plasma,
Invisumque genus nostra crevisse ruina!
Me celsum virtus habuit, nunc ecce rejectus
Pellor, et angelico limus succedit honori.
Cœlum terra tenet, vili compage levata
Regnat humus, nobisque perit translata potestas.
Non tamen in totum periit: pars magna retentat
Vim propriam, summaque cluit virtute nocendi.
Nec differre juvat; jam nunc certamine blando
Congrediar, dum prima salus, experta nec ullos
Simplicitas ignara dolos, ad tela patebit.
Et melius soli capientur fraude, priusquam
Fecundam mittant æterna in sæcula prolem.
B Immortale nihil terra prodire sinendum est:
Fons generis pereat, capitis dejectio victi
Semen mortis erit; pariat discrimina lethi
Vitæ principium; cuncti feriantur in uno;
Non faciet vivum radix occisa cacumen.
Hæc mihi dejecto tandem solatia restant.
Si nequeo clausos iterum conscendere cœlos,
His quoque claudentur: levius cecidisse putandum est,
Si nova perdatur simili substantia casu,
Si comes excidii subeat consortia pœnæ
Et quos prævideo nobiscum dividat ignes.
Sed ne difficilis fallendi causa putetur;
Hæc monstranda via est, dudum quam sponte cucurri
C In pronum lapsus; quæ me jactantia regno
Depulit, hæc hominem paradisi limine pellet.
Sic ait, et gemitus vocem clausere dolentis.

Forte fuit cunctis animantibus altior astu,
Æmulus arguto callet qui pectore serpens:
Hujus transgressor de cunctis sumere formam
Eligit, aerium circumdans tegmine corpus,
Inque repentinum mutatus tenditur anguem:
Fit longa cervice draco, splendentia colla
Depingit maculis, teretisque volumina dorsi
Asperat, et squamis per terga rigentibus armat.
Qualis vere novo, primis cum mensibus æstas
Præmittit lætos post frigora pigra tepores,
Evadens veterem reparatis motibus annum;
Et siccum nitido discingens corpore tegmen,
D Procedit coluber, terrarumque abdita linquens,
Præfert terribilis metuendum forma decorem.
Dira micant oculi: tum lumine visus acuto
Lætior optatum discit consuescere solem.
Nunc simulat blandum, crebro ceu carmine fauces
Ludunt, et trifidam dispergunt guttura linguam.

Ergo ut vipeream malesuada fraude figuram
Induit, et totum fallax processit in anguem,
Pervolat ad lucem; nam forte rubentia læti
Carpebant juvenes viridi de palmite mala.
Tum veritus serpens, firma ne mente virili
Non queat injecto subvertere corda veneno,
Arboris erectæ spiris reptantibus alto
Porrigitur, tractumque suum sublimibus æquans,

Auditum facilem leni sic voce momordit.
O felix, mundique decus pulcherrima virgo,
Ornant quam roseo præfulgens forma pudore,
Tu generi ventura parens, te maximus orbis
Exspectat matrem : tu prima et certa voluptas
Solamenque viri, sine qua non viveret ipse,
Ut major, sic jure tuo subjectus amori
Prædulcis conjux, reddes cui fœdere prolem.
Vobis digna datur paradisi in vertice sedes,
Vos subjecta tremit famulans substantia mundi :
Quod cœlum, quod terra creat, quod gurgite magno
Producit pelagus, vestros confertur in usus.
Nil natura negat, datur ecce in cuncta potestas.
Non equidem invideo, miror magis : ut tamen una
Contineat liber dulci super arbore tactus,
Scire velim quis dira jubet, quis talia dona
Invidet, et rebus jejunia miscet opimis.
Hæc male blanditam finxerunt sibila vocem.
Quis stupor, o mulier, mentem caligine clausit
Cum serpente loqui? verbum committere bruto
Non pudet, ut vestram præsumat bellua linguam,
Et monstrum pateris, responsumque insuper addis?
Ergo ubi mortiferum seductilis Eva venenum
Auribus accipiens cladi consensit iniquæ,
Tunc ad serpentem vano sic ore locuta est.
Suavibus o pollens coluber dulcissime dictis,
Non, ut rere, Deus nobis jejunia suasit,
Nec prohibet largo curari corpora pastu.
Ecce vides epulas totas quas porrigit orbis :
Omnibus his licito genitor promptissimus uti
Præstitit, et totas vitæ laxavit habenas.
Hæc sola est nemoris medii quam perspicis arbor
Interdicta cibis, hæc tantum tangere poma
Non licitum, dives præsumit cætera victus.
Nam si libertas temerarit noxia legem,
Jurans terribili prædixit voce Creator,
Quadam nos statim luituros morte reatum.
Quid vocitet mortem tu nunc, doctissime serpens,
Pande libens, quoniam rudibus non cognita res est.
Callidus inde draco, et lethi tum sponte magister,
Interitum docet, et captas sic fatur ad aures.
Terroris vacuum formidas femina nomen.
Non veniet vobis rapidæ sententia mortis :
Sed pater invisus sortem non contulit æquam,
Nec vos scire dedit, sibimet quæ summa reservat.
Quid juvat ornatum comprendi aut cernere mundum,
Et cæcas misero concludi carcere mentes?
Corporeos pariter sensus, oculosque patentes
Sic brutis natura creat, sol omnibus unus
Servit, et humano non distat bellua visu.
Consilium mage sume meum, mentemque supernis
Insere, et erectos in cœlum porrige sensus.
Namque hoc quod vetitum formidas tangere pomum;
Scire dabit quæcunque pater secreta reponit.
Tu modo suspensos tantum ne contine tactus,
Ne captiva diu frenetur lege voluptas.
Namque ubi divinum libaveris ore saporem,
Mox purgata suo facient te lumina visu
Æquiparare deos, sic sancta ut noxia nosse,
A Injustum recto, falsum discernere vero.
Talia fallaci spondentem dona susurro
Credula submisso miratur femina vultu.
Et jam jamque magis cunctari ac flectere sensum
Incipit, et dubiam letho plus addere mentem.
Ille ut vicino victam discrimine sensit,
Atque iterum nomen memorans arcemque deorum,
Unum de cunctis lethali ex arbore malum
Detrahit, et suavi pulchrum perfundit odore,
Conciliat speciem, nutantique insuper offert.
Nec spernit miserum mulier male credula munus.
Sed capiens manibus pomum lethale retractat.
Naribus interdum labiisque patentibus ultro
Jungit, et ignorans ludit de morte futura.
O quoties ori admotum compuncta retraxit,
B Audacisque mali titubans sub pondere dextra
Cessit, et effectum sceleris tremefacta refugit!
Diis tamen esse cupit similis, serpitque venenum
Ambitione nocens; rapiunt contraria mentem,
Hinc amor, inde metus; pulsat jactantia legem,
Interdumque etiam lex subvenit; æstuat anceps
Dividui cordis dura inter prælia fluctus.
Nec tamen incentor desistit fallere serpens;
Ostentatque cibum dubiæ, queriturque morari.
Et juvat in lapsum pendentis prona ruinæ.
Ut tandem victæ gravior sententia sedit,
Æternam tentare famem per criminis escam,
Serpentem satiare cibo quem sumeret ipsa,
Annuit insidiis, pomumque vorata momordit.
Dulce subit virus, capitur mors horrida pastu.
C Continet hic primum sua gaudia callidus anguis,
Dissimulatque ferum victoria sæva triumphum.
Ignarus facti diversa parte revertens
Adam diffusi lætus per gramina campi
Conjugis amplexus atque oscula casta petebat.
Occurrit mulier, cui tunc audacia primum
Flabat femineos animosa in corda furores.
Et sic orsa loqui, semesum namque gerebat
Asservans misero pomum exitiale marito.
Sume cibum dulcis vitali ex germine conjux,
Quod similem summo faciet te forte Tonanti,
Numinibusque parem; non hoc tibi nescia donum
Sed jam docta fero; primus mea viscera gustus
Attigit, audaci dissolvens pacta periclo.
Crede libens, mentem scelus est dubitasse virilem
D Quod mulier potui; præcedere forte timebas;
Saltem consequere, atque animos attolle jacentes.
Lumina cur flectis? cur prospera vota moraris?
Venturoque diu tempus furaris honori?
Hæc effata dabat victuræ fercula mortis,
Intereunte anima lethum dum crimina pascunt.
Accipit infelix malesuadi verba susurri,
Inflexosque retro dejecit ad ultima sensus.
Non illum trepidi concussit cura pavoris,
Nec quantum gustu cunctata est femina primo;
Sed sequitur velox, miseræque ex conjugis ore
Constanter rapit inconstans dotale venenum.
Faucibus et patulis inimicas porrigit escas.
Vix uno pomum libarat succida morsu

Ingluvies, summumque dabat vix esca saporem ·
Ecce repentinus fulgor circumstitit ora,
Lugendoque novos respersit lumine visus.
Non cæcos natura dedit, nec luminis usu
Privatam faciem peperit perfectio formæ.
Nunc mage cæcus eris, cui jam non sufficit illud
Noscere, quod tantus voluit te nosse creator.
Ad vitam vobis cernendi facta facultas :
Vos etiam lethum vestra sed sponte videtis.
Tum patuisse gemunt oculos; nam culpa rebellis
Fulsit, et obscenos senserunt corpora motus.
Tunc primum nudos (dubium quid dicere possim
Exstinctus natusne) pudor circumspicit artus.
Erubuit propriæ jam mens sibi conscia culpæ,
Regnavitque suis carnis lex indita membris.
Namque hinc posteritas vitiato germine duxit
Artibus illicitis cognoscere velle futura,
Arcanisque sacris tardos immittere sensus,
Edita vel cœlo, vel tetro mersa profundo
Rimari, et cautas naturæ irrumpere leges.
Quærere nunc astris quo quisquam sidere natus,
Prospera quam ducat restantis tempora vitæ,
Dissimilem paribus proventum discere signis.
Nec non et geminos uno sub tempore fusos,
Quos indiscretus luci produxerit ortus,
Motibus adversis varia sub sorte notare.
Indigetes quosdam stellis ascribere divos,
Junior antiquis ætas quos prætulit astris ;
Atque infernali jam dudum nocte sepultis
Vana per immensum disponere nomina cœlum.
Jam magicam digne valeat quis dicere fraudem,
Occultas tacito tentantem pectore vires,
Divinis jungi virtutibus et cupientem?
Legifer ut quondam vates, sub rege superbo,
Dum nova monstraret jussi miracula signi,
Commovit livore magos ut talia tentent,
Accumulentque suas zelo fervente ruinas.
Illis suppeteret recta si forte potestas,
Demere, non etiam festinent addere monstra.
Æmula sed signis tantum, non viribus æqua,
Quod removere nequit, duplicavit justius ira.
Hinc est laudato quod possunt carmine Marsi,
Cum tacita sævos producunt arte dracones
Absentes et sæpe jubent confligere secum.
Tunc ut quisque gravem bello præsenserit hydrum,
Aspidis aut duræ clausas cognoverit aures,
Concutit interius secreti carminis arma :
Protinus et lassis verbo luctante venenis,
Mox impune manu coluber tractatur inermis
Et morsus tantum, non virus, in angue timetur.
Interdum perit incantans, si callida surdus
Adjuratoris contempsit murmura serpens.
Hoc quoniam de matre trahunt, et origine prima,
Anguineæ fraudis quod sic linguæque periti,
Mutua per speciem reddunt commercia fandi.
Nec minus his pulsat contraria cura salutis,
Angit præscitus ducti quos terminus ævi ;
Cum tamen eductas infernis sedibus umbras
Colloquium miscere putent, et nota referre.

A Spiritus erroris sed qui bacchatur in illis,
Ad consulta parat vanis responsa figuris.
Et ne porrecto dicantur singula verbo
Præsenti illusus, damnabitur ille perenni
Judicio, quisquis vetitum cognoscere tentat.
Nec jam sola fuit scrutatrix Eva malorum :
Dicam nunc aliam, tali quæ peste laborans,
Et conjuncta viro, proprium non vicerit Adam.
Peccandi quasdam fervor succenderat urbes,
Civica permittens laxatis crimina frenis.
Incestus pro lege fuit, totumque libido
Jus habuit, regni sedem metata voluptas
Indigenas populos domina sub carne tenebat :
Et scelerum studio, fida quod plebe locali
Dudum parendi promptis respublica jussit,
B Abstinuisse nefas, et non peccasse pudendum
Credebant omnes, facinus quos junxerat unum.
Talibus offensus judex atque arbiter orbis
Cum fureret, flammasque loco finemque pararet,
Quemdam dissimilem cunctis, tectoque latentem,
Qui tunc forte fuit propria peregrinus in urbe,
Atque inter multos solum sic alloquitur Loth :
Oppida lascivo jam dudum plena furore
Respergunt cœlum maculis, nostrasque fatigant
Quamvis obstructas scelerum clamoribus aures.
Imminet exitium, tellus succensa reatu
Ignibus ardebit, restinguet fulminis imber
Quæ non exstinxit ferventia crimina fletus.
Ipsa in perpetuas solvetur terra favillas,
Quæ vivos cineres et post incendia servans,
C Sicque solum fingens, leviter si calce teratur,
Ad minimum fugiens discedet pallida tactum.
Tu nunc linque domum, perituras desere terras
Et rea cum dignis subsidant arva colonis.
Nec tete impendens lethum conjunxerit illis,
Non junxit quos vita. Tibi solatia conjux
Præbeat, hac tantum socia contentus abito.
Accelerate fugam, tendatur tramite recto,
Neu subvertendas quisquam respexerit urbes.
Vos nescite malum; pœnas quicunque subibit
Aspiciat, mortisque suæ spectacula secum
Qui meruere ferant : salvandis terror abesto.
Hæc Pater; ast illi properant abscedere terra,
Inciduntque moras, crudeliaque arva relinquunt.
Cœperat obduci victum caligine densa,
D Atque ignota prius demittere murmura cœlum.
Nec sic ut tonitru crebro cum percitus æther
Ostentat pavidis innoxia fulmina terris.
Sed prorsus finale malum stridore minaci
Tetra per aerios mittebant signa tumultus.
Tendebant moniti simul, et mandata tenentes
Concessam rectis ad sedem vultibus ibant.
Callidus alta petens sed qui subverterat Evam
Serpens, femineam consuetus tangere mentem,
Hic quoque formidans animum tentare virilem,
Conjugis inspirat votis, ut nosse ruinas
Vellet, et evasas visu deprendere clades.
O demens animi, cui jam non sufficit unam
Succubuisse dolo : caruit jam parte bonorum

Quæ mala cognovit : si non exempla priorum
Terrent, exemplum fies.; nostroque timori
Vel post te pereat secreti dira cupido.
Illicitum quod scire fuit, vetitumque tueri,
Respicies tantum nec narratura videbis.
Ergo ubi majorem vicina ex urbe tumultum
Accepit mulier, vultum deflexa retortum,
Vix primo in visu restrictis motibus hæsit,
Cernere desistens cum cœperat ; inde gelato
Sanguine marmoreus perfudit viscera torpor ;
Diriguere genæ, pallor novus inficit ora.
Lumina non clausit, non saltem concidit illo
Pondere quo pulsant demissa cadavera terram ;
Sed stetit horrendo perlucens massa nitore,
Servavitque suam species decepta figuram.
Nec facile ut nosses, vitrum, lapis, anne metallum
Succedens homini, si non sal fauce notetur.
Ex tunc insipido mulier prævenla reatu
Plus salsum sine mente sapit, quæ pungere sensus,
Exemplique potest salibus condire videntes.
Hoc tamen hic magnum, quod non inflectitur iste,
Nec sequitur sociam, fortis nec vincitur Adam.

A Credo equidem melius, quod non occurrerit uxor
Enarrare viro : nam si comperta referret,
Forsan et hunc visu suasisset temnere jussa,
Ceu proprium gustu fecit primæva virago :
Quæ postquam sese pariter comitemque fefellit,
Et nondum natam percussit vulnere prolem ;
Tum victor serpens certamine lætus ab ipso,
Puniceam crispans squamoso in vertice cristam,
Jam non dissimulans quem presserat arte triumphum,
Acrior insultat victis, et talibus infit :
En divina manet promissæ gloria laudis.
Quidquid scire meum potuit, jam credite vestrum est,
Omnia monstravi, sensumque per abdita duxi,
Et quodcunque malum solers natura negabat,
Institui, dextrisque dedi conjungere lævam.
B Isthinc perpetua vosmet mihi sorte dicavi.
Nec Deus in vobis, quanquam formaverit ante,
Jam plus juris habet; teneat quod condidit ipse,
Quod docui mecum est : major mihi portio restat.
Multa Creatori debetis, plura magistro.
Dixit, et in media trepidos caligine linquens,
Conflictum periit linquens per nubila corpus.

LIBER TERTIUS.

DE SENTENTIA DEI.

Tempus erat quo sol medium transcenderat axem,
Pronus et excelsi linquens fastigia centri,
Vicina jam nocte leves præmiserat auras.
Illis sed major curarum volvitur æstus,
Ferventesque tenent male conscia corda dolores.
Utque pudor capto detorsit lumina sensu,
Reppulit et miseros alterno a corpore visus,
Nec jam secura præstatur luce tueri
Signatam fixo peccati stigmate carnem,
Indumenta petunt, foliis ut mollibus ambo
Membra tegant, nudumque malum de veste patescat.
Umbrosis propter stabat ficulnea ramis,
Frondentes diffusa comas, quas protinus Adam,
Humentem capiens raso de cortice librum,
Assuit, et viridi solatur veste ruborem.
Induitur simili mulier lacrymabilis arte, et
Quos pavit misero fallax insania pomo,
Vestivit folio; sæva quos arbore nudos
Reddidit, hos gravius tenui super arbore texit.
Et tamen adveniet tempus, cum crimina ligni
Per lignum sanet, purgetque novissimus Adam,
Materiamque ipsam faciat medicamina vitæ,
Qua mors invaluit : letho delebere lethum.
Æreus excelso pendebit stipite serpens,
Cumque venenatum simulaverit, omne venenum
Purget, et antiquum perimat sua forma draconem.
Interea genitor viridis per mollia luci
Rorantes sudo capiebat ab aere ventos.
Protinus attonitis senserunt auribus ambo
Præsentem Dominum : tristi tum luce perosam
Expavere diem detecto in crimine testem.
Illos nam vastis specubus si forte barathrum
Panderet, aut subitum tellus monstraret hiatum,

Non pigeat prono trepidos descendere saltu ;
Et si suppeteret jam tum sententia lethi,
Hanc etiam repareì solandi cura pudoris.
C Seu flammis lymphisve darent, vel pectora ferro
Appeteret vindex crudeli vulnere dextra.
Sic miseri mortem, nondum discrimine notam,
Cum primum meruere, volunt ; exordia finem
Signant, et similes prædicunt adfore luctus,
Ultima cum mundi senium consumpserit ætas,
Cumque repentinus percusserit omnia fulgor
Cœlorum, clangente tuba, qua nuntius ante
Judicis adventu concussum terreat orbem :
Tunc cum sinceros pastor discreverit agnos,
Hædis disparibus diversa in parte locatis,
Per medium dirimente chao, quod fluctibus implet
Sulphureis volvens undosa incendia gurges,
Flammarum stagnante lacu, quo fervida quondam
Dicitur attracto nubes Sodomitica nimbo
D Guttatim sparsum fudisse in crimina fulmen,
Cum plueret nox tetra focos, cœloque caducæ
Aera per calidum stillarent undique mortes.
Taliter ignifero missi de fonte gehennæ
Fluxerunt tristes aliena in sæcula rivi.
At quos terribili judex decreverit hora
Vivere post mortem, pœnaque ardore perenni,
Subtrahet optato gravior sententia letho :
Cumque foret melius, dispersis corpora membris
Carpere perpetuum dura sub morte soporem,
Invitos tamen urna vomet, queis sola voluntas
Rursus posse mori, sensuque carere dolendi.
Sed sic accipiet ferventis flamma camini,
Ambustura suas ut nunquam finiat escas.
At primi interea juvenes conamine casso

Per deserta ruunt, tutoque abscondita furto
Facta putant, cæcis optant latuisse tenebris.
Quid juvat, infelix, oculos a judice flecti?
Te judex cernit: nolis cur ipse videre,
Cum videare palam? solem non fuscat amœnum,
Si depressa gravem formidant lumina lucem,
Debilis et clarum visus non sustinet orbem.
Tum sic terribili primum Deus increpat ore,
Atque ubi sit miserum noscens interrogat Adam.
Qui trepidum pavido producens pectore vocem,
Vix hæc pauca refert. Tuus, o Celsissime, terror
Mentibus insidens latebram tentare coegit.
Nam quia nuda forent inopertis corpora membris,
Erubui fateor, cœlumque per abdita fugi.
Et quis, ait, subitum concussit corde pudorem?
Visus et unde novus? Nam te nec vellera dudum,
Nec contexta prius velavit tegmine vestis.
Forma rudis, proprio melius contenta decore,
Judice se placuit: sed postquam fœdere rupto
Interdicta tuus perstrinxit germina gustus,
Naturale tibi tegmen non sufficit unum.
Hactenus et nudis nunc denudata patescunt,
Arguit obscenus quia turpia corpora motus.
Ille ubi convictum claro se lumine vidit,
Prodidit et totum discussio justa reatum,
Non prece submissa veniam pro crimine poscit,
Non votis lacrymisve rogat, nec vindice fletu
Præcurrit meritam supplex confessio pœnam.
Jamque miser factus, nondum miserabilis ille est.
Erigitur sensu, timidisque accensa querelis
Fertur in insanas laxata superbia voces.
Heu male perdendo mulier conjuncta merito!
Quam sociam misero prima sub lege dedisti,
Hæc me consiliis vicit devicta sinistris,
Et sibi jam notum persuasit sumere pomum.
Ista mali caput est, crimen surrexit ab ista.
Credulus ipse fui, sed credere tu docuisti,
Connubium donans, et dulcia vincula nectens.
Atque utinam felix, quæ quondam sola vigebat,
Cælebs vita foret, talis nec conjugis unquam
Fœdera sensisset, comiti non subdita pravæ.
Hac igitur rigidi commotus mente Creator,
Mœrentem celsis compellat vocibus Evam.
Cur miserum labens traxisti in prona maritum?
Nec contenta tuo deceptrix femina casu,
Sublimi sensum jecisti ex arce virilem?
Illa pudens, tristique genas suffusa rubore,
Auctorem sceleris clamat decepta draconem,
Qui pomum vetito persuasit tangere morsu,
Post hæc finalem promit sententia legem,
Serpentemque reum prima sic voce notavit.
Tu coluber, cujus peccavit femina fraude,
Errorisque virum consortem reddidit ipsa,
Propter utrumque reus, pendes quod fecit uterque.
Nec tibi sublimi constabit pectore vertex,
Callida sed pronus per terram pectora volves:
Utque fuga trepido sinuosa volumina currant,
Non gressus sed lapsus erit, teque ipse sequeris
Flexibus, et spiras viventia vincula nectent.

A Tum propter suasam miserorum cordibus escam,
Tellurem captans, pastu vesceris inani;
Mensibus et certis supero depulsus ab orbe,
Inclusus terris communi sole carebis.
Inter cuncta replent quæ nunc animantia mundum
Auctor mortis eris, fies gravis omnibus horror.
Præcipue infelix mulier, cum prole futura,
Sic inimicitias odio currente reponat,
Semina seminibus mandent ut vota nocendi.
Insistens semper pavidæ sectabere calcem;
Conterat illa caput, victoremque ultima vincat.
Post hæc attonitam Judex commotus in Evam,
At tu, quæ primam violasti femina legem,
Accipe succiduum vitæ quod restat in ævum.
Imperium patiere tori, dominumque timebis
B Quem socium dederam: parebis subdita jussis.
Et curvata caput libitus assuesce viriles.
Moxque ubi concipiens fetum præsenserit alvus,
Ventris onus gemitu testaberis, ac tibi clausum
Anxia crescentem portabunt viscera fascem;
Donec transacto fastidia tempore complens,
Naturale malum partu sub vindice pendat
Producens vitam proles sic pœna parentis.
Quid diversa loquar post jam discrimina matris?
Nam cum præduro mulier confecta labore
Optatam sobolem tali produxeris ortu,
Lugebis vacuos nonnunquam orbata dolores.
Interea trepidus jam dudum sustinet Adam,
Quid sibi terribilis tandem sententia servet.
Cui pater, Attentis, inquit, nunc auribus et tu
C Accipe quid mereare, levis quem femina vicit.
Impolluta prius pulchro sub germine tellus,
Non jam fida satis, nec puro semine simplex,
Pristina monstrabit corruptum terga per orbem,
Exemploque tuo semper tibi terra rebellans,
Vepribus ac tribulis armata resistere discet.
Aut si frangenti cedens succumbet aratro,
Vomeris et fixo mordaci dente subacta est,
Pinguia decipient mentito germine culta.
Nam pro triticeo lolium consurgere fructu,
Et fictas segetes, vacuasque dolebis avenas,
Sic vix extortum producent jugera panem,
Sudore assiduo nitens quem sumat egestas,
Illecebramque cibi pœnalis vindicet esca.
Æqualem brutis facient tibi pabula vitam,
D Et simul herbarum succos pastumque requirens,
Stercore consimili depressa gravabitur alvus.
Ærumnosa diu volvetur talibus ætas,
Donec præscriptum ponant tibi sæcula finem,
Et compacta luto solvantur tempore membra.
Limo formatus rursus redigeris in arvum.
Ante tamen proprium nati præcurrere lethum
Conspicies, pœnasque tuas in prole videbis,
Ut metuenda magis cernatur mortis imago;
Peccasse agnoscas quid sit, quid mortua fieri,
Quidve mori. Ac ne quid desit tibi forte malorum
Quæ castigandis corruptus parturit orbis,
Acrior immenso miscebitur ira dolori:
Nam cum prima tibi producent tempora natos,

Livor edax arcto certabit limite mundi :
Nec jam sufficiet vacuus qua tenditur orbis,
Totaque germanis stringetur terra duobus.
Alter in alterius consurget funera frater,
Telluremque novam cognato sanguine tinget.
Exin posteritas, varios passura labores,
Casibus in multis mortalia debita pendet,
Dum veterem ductus dissolvat terminus orbem,
Occidat omne vigens, finisque redarguat orta.
Audierat, motumque dedit conterrita tellus.
His Pater exactis hædorum pellibus ambos
Induit, et sancta paradisi ab sede rejecit.
Tunc terris cecidere simul, mundumque vacantem
Intrant, et celeri perlustrant omnia cursu.
Germinibus quanquam variis, et gramine picta,
Et virides campos, fontesque et flumina monstrans,
Illis fœda tamen species mundana putatur
Post, paradise, tuam, totum cernentibus horret,
Utque hominum mos est, plus quod cessavit amatur.
Angustatur humus, strictumque gementibus orbem
Terrarum finis non cernitur et tamen instat.
Squalet et ipse dies, causantur sole sub ipso
Subductam lucem, cœlo suspensa remoto
Astra gemunt, tactusque prius vix cernitur axis.
Tunc inter curas permixti felle doloris,
Affectus sensere novos, et pectora pulsans
Nondum compertas prorumpit fletus in undas,
Attentisque genis injussus defluit humor.
Haud aliter vivax deceptus mole caduca
Spiritus, impleto venit cum terminus ævo,
Post obitum peccata dolet; tum quidquid iniquum
Gesserit ad mentem revocat, tum pœnitet omnis
Errorum lapsus, semet quos judice damnat;
Et si præteritæ reddatur copia vitæ,
Sponte ferat quoscunque dabunt mandata labores.
Sanctus namque refert de quodam divite Lucas,
Quem nimio luxu dissolvens vita fovebat.
Ipse cothurnatus gemmis, et fulgidus auro,
Serica bis coctis mutabat tegmina blattis.
Inde ut bacchantem suasissent tempora mensam,
Currebant epulæ, totus quas porrigit orbis.
Cumque peregrinus frugem misisset acervus,
Fervebat priscum crystallo algente Falernum.
Uvida quin etiam miscebant cinnama thuri,
Et suffita domus pingui fragrabat amomo.
Quod pelagus, quod terra creat, quod flumina gignunt,
Certatim mensis cedentibus undique lassus
Portabat pallens auri cum fasce minister.
Languidus ante fores pauper tunc forte jacebat
Divitis, obstrictis resoluto corpore membris,
Et supplex poscebat, opem, non munera captans,
Relliquias tantum sed si quas copia jecit,
Has tunc opperiens alvus jejuna rogabat.
Sed proclamanti dives non addidit aurem,
Nullaque languentem pietas respexit egenum.
Nec quæ completis cecidere superflua mensis,
Pauperis ad victum quisquam dedit : insuper ægri
Despicitur facies, et putria vulneris horrent.
Cumque canes miti perlambant ulcera lingua,

A Blandior et fesso feritas medicabilis adsit,
Sola hominum nescit mens semper dura moveri.
Hæc, sed diversa penitus dum sorte geruntur,
Impendens obitus pariter pulsavit utrumque,
Divite prævento, nunquam qui credidit istud :
Pauper ad optatam longo vix tempore mortem
Post venit, et victor morbos artusque relinquit.
Ille quidem, celsa qui dudum floruit arce,
Fletibus ad tumulum stipato funere fertur,
Auratoque datur conditus membra sepulcro,
Et pretiosa tegunt elatum lintea marmor.
Spiritus abstruso sed mox demissus averno
Incidit æternas per sæva incendia pœnas.
E quarum medio sublimi in sede locatum
Haud procul (hoc certe censetur, nam procul inde,
B Ut docet eventus) sinibus conspexit ovantem
Abrahæ justi mutatum in paupere vultum,
Nec ejus similem, quem dudum luce receptum,
Quarto forte die vix quisquam largus humandi,
Ne cito dispersum naturæ lege cadaver
Dira frequentatæ contagia mitteret urbi,
Obtectum laceris tenui velamine pannis,
Naribus astrictis nuda tellure locavit.
Angelicis manibus tunc in sublime levatus,
Jam dives, jam sanus erat : contraque superbi,
Qui congesta tenens opibus diffluxerat amplis,
Arida sic flammis mendicant guttura guttas.
O pater, electas animas qui sede beata
Colligis, et meritis dispensas præmia justis,
Hæc ego non mereor; sed saltem deprecor unum,
C Lazarus ut missus veniat digitoque levatum
Afferat huc labris ardentibus inde liquorem,
Quique refrigerio, si non exstinxerit omnes,
Ad tempus saltem tantos vel mitiget æstus,
Donec fessa brevi respirent membra quiete.
Taliter immixto lacrymis stridore rogantem
Magnanimus tandem compellat sic patriarcha.
Desine jam seras incassum fundere voces,
Et vacuas miscere preces; haud talia dudum
Dicta dabas, foribus cum te prandente jaceret
Ipse ignotus, egens, æger, jejunus, inanis,
Cum tua non caperet congestos mensa paratus
Pauperis atque tuas non iret clamor ad aures.
Quapropter tandem, librato examine veri,
Præteritæ vitæ sortem dependit uterque,
D Permutatque vices; et te jam sufficit amplis
Exundasse bonis; lætetur fine malorum
Qui doluit cœptis : non est jam terminus ultra.
Insuper horrendo cingit qui tramite limes,
Et chaos objectum lato distinguit hiatu,
Non sinit abjunctas misceri fœdere partes,
Accessumque negat, sic vobis semper, ut istis.
Ille gemens vanum repetita voce precatur.
Si nil post obitum prodest commissa fateri,
Nec tua mutatur fixis sententia verbis,
Hoc concede mihi, nulla quod lege vetatur.
Fratres quinque modo discedens luce reliqui :
His peto mittatur qui vivos corrigat, ante
In tormenta cadant quam talia carne soluti.

Nam quamvis duro persistant corde rebelles,
Si tamen obstructa quisquam de morte rediret,
Credent experto, pœnasque intrare timebunt.
Ille quidem poscens effectum non capit ullum;
Nos autem, dum vita manet, dum luce vigemus,
Olim defuncti perterret nuntius Adam.
Dum locus est flendi, dum non injusta petuntur,
Nec obturatis pulsatur janua serris.
Novimus en cuncti, quid primus planxerit ille,
Qui pulsus prisca nescivit sede reverti.
Namque obitum quemdam casu tum pertulit ipso,
Perdita ne precibus lacrymisve reduceret ullis.
Ex tunc paulatim retro sublapsa referri
Vita prior, cœpitque malis laxata potestas.
Tum tristes morbi, et varii subiere dolores,
Et corrupta satis dira pinguedine tellus
Lethali quædam suffudit germina succo.
Inde truces sævire feræ, dudumque timentes
Excitat ad pugnam tum primum conscia virtus,
Reddit et armatas unguis, dens, ungula, cornu.
Ipsa etiam leges rupærunt tunc elementa,
Et violare fidem mortalibus omnia certant.
Inflatur ventis pelagus, volvuntur et undæ,
Excitusque novum turgescit pontus in æstum.
Tunc primum tectis tetra caligine cœlis,
Ingratos hominum castigatura labores,
Grandineos pavidis fuderunt nubila nimbos,
Atque polus discors invidit germina terris.
Quin magis ipsa sibi tellus adversa negavit,
Seminis excepti vertens mentita nitorem.
Hæc gemini primum senserunt tunc protoplasti.
Posteritas nam quanta ferat dispendia rerum,
Non, cui vel centum linguæ, vel ferrea vox est,
Enumerare queat; nec si quem Mantua misit,
Mæoniusve canant diversa voce poetæ.
Quis tales referat motus? quis denique fando
Evolvat totos qui volvunt sæcula fluctus?
Arma fremunt, crebra quatitur formidine mundus,
Funditur irriguus sanguis, majorque sititur.
Quid dicam celsas præclaris cœtibus urbes
In deserta dari? populos populante ruina
Dispergi, et lacerum vacuari partibus orbem?
Servitio subdi dominos, famulosque vicissim
Præferri dominis, et belli sorte perire,
Sors generis claro quondam quos sanguine misit?
At si forte brevi requiescant tempore bella,
Legibus armatas furere in certamina lites,
Jus anceps pugnare foro, quo jurgia fratrum
Non levius votis feriunt, quam prælia telis?
Sed quis vota notet, clament cum facta nocentum?
Quis fraudes et furta gemat gaudente rapina?
Quisve minora fleat? stringi nec maxima possunt.
Inde minora tamen, si summis juncta notentur:
Nam per se nullum facinus sub judice parvum est.
Nec refert cunctas percurri carmine causas.
Hoc parvo sermone loquar: post damna priorum
Nil superesse mali, quod non vel perpetret orbis,
Vel toleret, plenus scelerum, pariterque laborum,
In casu discrimen habens, et crimen in actu.

A Sed tu, Christe potens, cui semper parcere promptum est,
Tu figulus massam potis es reparare caducam,
Et confracta diu resolutaque fingere vasa.
Qui dudum multo latitantem pulvere drachmam
Invenis accensis verbi virtute lucernis.
Linquentem caulas, turpique errore vagantem,
Pastor ovem celeri dignatus quærere gressu,
Subvehis, utque suo gaudens reddatur ovili,
Sarcina fit quæ cura fuit. Sic filius ille
Junior, exhaustos postquam dispersit acervos,
Vitaque consumpto mutata est prodiga censu,
Turpia porcorum digne convivia sectans,
Optavit siliquis compleri vilibus alvum,
Donec sæva fames longo discrimine victum
B Cogeret offenso tandem se reddere patri,
Confessumque reum laxato crimine solvi
Denique prostratum mitis pater allevat ultro,
Et trepidum blanda solatur voce pudorem.
Ornatus reduci vestis dat prima secundos,
Lætaque solemnis celebrat convivia cœtus,
Quod rediviva suis quodam de funere proles
Surgat, et orbato redeant nova lumina patri.
At tu, præpollens hominum rerumque Creator,
Quanquam cuncta velis fidæ constare saluti,
Nulla tamen pateris nostræ dispendia mortis,
Nec quoquam pereunte tuis contingere damnum
Divitiis poterit; nescis decrescere, nescis
Augeri, et pleno perstat tibi gloria regno.
Sed famulis tu redde tuis quod perdidit Adam;
C Quodque tulit primum vitiatæ stirpis origo,
Ortu restituat melior jam vita secundo.
Sorduerit nimium lacero circumdata peplo
Forma vetus, scissam ponens cum crimine vestem,
Pallia prima pater redeunti porrige proli.
Seminecem quondam miserans qui forte repertum
Projectumque via, quem sævi cæde latrones
Impositis cuncto spoliarant tegmine plagis,
Sed tu, sancte, viam sumpto dum corpore curris;
Invenis allisum, nec præteris: insuper ægrum
Jumento carnis propriæ sub tecta reportas.
Nos fuimus quondam rabido data præda furori;
Sed si nunc medico percurrat vulnera fotu
Gratia producens oleum, sapientia vinum,
Commendet stabulo Samaritidis extera cura,
D Pelletur validus medicato corpore languor.
Suscipe, qui non vis moriendi crescere causas,
Quos confessa tibi gemitus pia pectora fundunt.
Ut quondam tecum, passæ sub tempore carnis,
Proximus immani dependens stipite prædo,
Quem non culpa tibi similem sed pœna tenebat;
Ille tamen nexus membris, nec corde ligato,
Et si confixas clavis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit.
Sicque reus scelerum dum digna piacula pendit,
Martyrium de morte rapit: cui fine sagaci
Maxima cura fuit tales non perdere pœnas,
Præripuit scandens aditum, cœloque levandus
Ardua sublimi tenuit compendia saltu.

Porrige sic nobis celsam, pater inclyte, dextram.
Nos quoque perpetuæ conquirat vita saluti,
Atque profanati deceptis fraude latronis,
A Ceu tibi compasso miserans succurre latroni.
Livida quos hostis paradiso depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia sedi.

LIBER QUARTUS.

DE DILUVIO MUNDI.

Infectum quondam vitiis concordibus orbem,
Legitimumque nefas laxata morte piatum
Diluvio repetam; sed non quo fabula mendax
Victuros lapides mundum sparsisse per amplum
Deucaliona refert, durum genus unde resumpti
Descendant homines, cunctisque laboribus apti
Saxea per duram monstrent primordia mentem.
Sed veri compos, fluctus nunc prosequar illos,
Per quos immissus rebus vix pene creatis
Lactentem velox prævenit terminus orbem.
Extulerat mortale genus crudelibus ausis
Ingentes animos: licitum quod cuique liberet
Credidit; et propria valuit pro lege voluntas.
Jus adeo nullum, sic nil distare putatum
Fasque nefasque inter, recti custodia nusquam.
Non judex, non testis erat, non denique rector,
Arbiter aut morum, vel qui suaderet honestum;
Sed princeps sibi quisque fuit virtute nocendi:
Nec meritis sed mole potens, qui fortior esset
Hic melior sibimet, sed se censore, placebat.
Sic hominum vitam brutorum more tenebat
Motibus addicens mens inclinata ferinis.
Sanguine potus erat, cæsorum viscera passim
Indomitis laceras præbebant faucibus escas.
Insuper et quadrupes, propria qui morte necatur,
Sævior aut certe quem vincens bestia cepit,
Pastus erat, quem nulla fides, lex nulla vetabat.
Ut vero pecorum ritu permissa voluptas,
Et diffusa palam ruptis lascivia frenis,
Luxuriæque forum, atque obsceni nundina mundi
Ferveret, casto fas non est dicere cantu.
Talibus ac tantis hominum gens improba gestis
Silvestres animos, naturæ fœdere rupto,
Induerat, pulsaque simul ratione furebat,
Et deserta jacens Domini cœlestis imago
Omne decus mentis turpi dejecerat actu.
Haud secus ac pulchri cum fertilis area campi,
Quam succisa dedit purgato robore silva,
Dum colitur, justo paret fecunda labori,
Subjicitur rastris, respondit frugibus, ac se
Servat composito ruralis gratia vultu;
Agricola oblitus si brachia forte remisit,
Laxavitque manus, fessoque quievit aratro,
Pigrescit primum durato cespite tellus,
Mox rudibus ramis atque aspera palmite crebro
Disciplinatos dissuescit promere fructus,
Effundit frutices varios, silvamque minatur:
Quam si nec sera succisor falce repurget,
Non jam virgultis, sed denso stipite lucus
Texitur, et steriles diffundit in aera frondes;
Donec conclusa ramis currentibus umbra,
Mox opportunæ, depulso sole, tenebræ
Jam secura feras invitent credere lustra:
Taliter humani generis, non ordine recto,
Perdita mandatæ jam post primordia legis,
In pravum labens paulatim vita tetendit,
Proficiens pejore via, constantior ipso
Jam paribus studiis nutriti criminis usu.
Et tamen auctorem vitii, culpæque magistrum,
Doctior errorum, lapsuque peritior omni,
B Succiduæ prolis crescens audacia vicit.
Ut fluvius parva primum diffusus ab urna,
Perspicuum leni promit cum gurgite fontem,
Tramite quem summo facili transmittere saltu
Quisque potest, mox irriguo deductus ab ortu
Viribus augetur subitis, ripasque retrorsum
Pellens, crescentes tendit per plana liquores,
Occupat et spatium, pereuntique imminet arvo,
Tum circumfusos vicinis vallibus amnes
Sorbet præteriens, externasque incipit undas
Augmento finire suo, mixtasque sub uno
Nomine, corrasis diffuso gurgite terris,
Cum trabibus, stabulisque boum, lustrisque ferarum,
Sævior accessu, longoque furore potitus,
Tandem desistens pelagi transportat in undas.
C Hos inter motus, similisque ad turbinis instar,
Humanum vitiis ibat genus: et tamen ipsa
Longior insanas mentes dissolverat ætas.
Centenos novies crebro cum duceret annos
Vita tenax, tanto suspensi tempore lethi
Nullus terror erat: sors si quem sera tulisset,
Ceu qui nec natus fuerit, nunquamque levandus
Morte putabatur: sic cunctis nulla futuri
Spes inerat, solusque sibi fundaverat omnem
Sensibus in cæcis periturus mundus amorem.
Tempore quin etiam peccatrix terra sub ipso
Nutribat sævos immania monstra gigantes.
Nec tamen effari licitum quo semine cretos.
Communem cunctis ortum de matre ferebant,
Qui genus, unde patres, prohibent arcana fateri.
D Si speciem quæras, humani corporis illis
Plus vultus quam forma fuit; sic linea membris
Conveniens hominem monstrabat, dissona molem.
Quam propter deinceps commentis Græcia fictis
Dedecus infandum massis informibus auxit,
Et portentosis descripsit corpora membris;
Pube tenus quod forma viris, cum corporis ima
Supplerent vasti mixto pro crure dracones.
Artus semihominum patulis qui faucibus atri
Ferrent, et verso præberent vertice gressus.
Tunc etiam solitos, jusso terrore tonanti,
Blasphemis cœlo convicia mittere plantis,
Mordacesque pedes motu fremuisse veneni.
His similes mendax Phlegræi fabula belli

Excussas finxit fecisse per aera rupes,
Pro telis spatiosa manus quod turbine montes
Sparserit, et missis cœlum quassaverit arvis.
Hæc sunt priscorum quæ de terrore gigantum
Carmine mentito Graii cecinere poetæ,
Et tamen audaci voluit contendere pugna
Quisque rebellis erat: qui cum confligere telis
Non potuit, sævis concepit prælia votis.
Montibus impositos fas non est credere montes,
Hoc tamen et deinceps illos tentasse putabo,
Qui coctos lateres, lentoque bitumine junctos,
In sublime rati manibus sic posse superbis
Sustolli, et celsas in sidera surgere moles:
Cum fureret mortale genus, cassoque labore
Irrita transcensis cæmenta inferret in altum
Nubibus, et refugum sequeretur machina cœlum,
Non prius absistens, subditas discordia linguas
Quam daret, et varius confunderet omnia sermo.
Hinc sparsum fœdus, scissa sic lege loquendi
Consensum scelerum turbata superbia rupit,
Dum se quisque suis, possit quæ noscere, verbis
Aggregat, atque novas sequitur gens quæque loquelas.
Sic interruptæ perierunt culmina massæ,
Effectuque carens cessavit in æthere turris.
Hæc post diluvium. Nam quantas quæ tempore prisco
Pressa gigantæas tellus produxerit arces,
Atque lacessitis contemptum immiserit astris,
Abstergente Deo sat nostra silentia damnant.
Cernebat patiens jam dudum insana frementes
Terrarum populos hominum rerumque Creator,
Exspectans si quem vani consortia mundi
Linquentem melior moneat resipiscere cura.
Sed conjuratus postquam percurrere cœptum
Perditionis iter statuit, sensumque per omnem
Obtinuit victor peccati insignia mundus,
Nec revocare gradum quisquam, gressumque referre
Præcipiti jam mente potest, exhorruit auctor,
Pœnituitque videns totum quod fecerit orbem.
Tum tales tonuisse minas commotus ab alto
Fertur, et excitas laxasse his vocibus iras.
O nullis attracta bonis, nullisque repressa
Legibus; antiquo tantum submissa draconi,
Effera gens hominum, ducto corruptior ævo.
Non Evam cecidisse sat est; transcenditur omni
Inventor lethi lapsu: nec sufficit illud,
Vicit inexpertum quod serpens pristinus Adam.
Non contenta suo fœdari vita parente,
Affectat mortem propria virtute mereri.
Exspectasse diu non profuit; insuper omne
Concessum venia rapuerunt crimina tempus.
Jam nimium longas patientia presserit iras:
Vindictæ jam tempus adest. Non fulmina cœlo
Flammeus ardor aget; vasto nec cedet hiatu
Quæ premitur nimio succumbens terra tumultu:
Sed sordens vitiis fluctu delebitur orbis.
Ad chaos antiquum species mundana recurrat,
Inque suas redeant undarum pondera sedes.
Arida decedat lymphis, rursusque sepultas
Terrarum species informis contegat humor.

A Hæc clades vivis, carnique hic terminus esto.
Sic pater æternus disponens funera rerum,
Diluvium dextra terras vibrabat in omnes.
Interea pleno vivebat justus in orbe
Unus homo, et mentem solus servabat honestam.
Nullus vota Deo donis precibusque ferebat
Hunc præter, dignum quem summus laude Creator
Nosset, et exceptum vitæ servare pararet.
Stemmatis hic sancti; nam claro nobilis ibat
A proavo, quem prisca fides et conscia virtus
In cœlum sine morte tulit: sic celsa petenti
Successit magno non impar pronepos actu.
Nec plus est illum salvi cum corporis usu
Terrenas liquisse domos, intrasse supernas.
Denique quo priscus quondam conscenderat Enoch
B Elias curru post tempora longa secutus,
Scribitur ignitis scandens penetrasse quadrigis,
Cum suspensa leves transmitteret orbita ventos,
Ungula vel premeret calcatas pondere nubes.
Vallatumque ferens sanctum non ureret ignis,
Et motus servans nesciret flamma calorem.
Hos igitur satis est cœlum potuisse mereri
Membrorum sub lege sitos; sed non tamen illud
Segnius admirer, sancti quod tempora Noe
Unius ob meritum, natis nuribusque tuendis
Orbis in exitio potuerunt ferre salutem.
Est ille in cœlis, numero præstantior omni,
Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebratque Deum, famulantia suetus
Ferre ministeria, et jussis parere supernis.
C Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur,
Concipitur dignis sacro quod pectore votis,
Quidquid larga manus collectio sparget egenis,
Excipiunt, sanctoque ferunt super astra volatu.
Quin etiam justos, fragilis dum vita fatigat,
Tutantur, mundique inter discrimina servant.
Sed tamen in cunctis præcellit clarior ille,
Maxima quæque Dei quo dispensante ministro
Res geritur, summisque parat mysteria causis.
Hic Dominum cœli venturum corpore sumpto
Virginis intactam jussus prædixit in alvum,
Sacraque dotali complevit viscera verbo,
Hic et Baptistæ præcurrens nuntius ortum,
Desperata diu dum ferret germina patri,
Inter sacra virum conterruit, et dubitantes
D Protinus ingrato restrinxit in ore loquelas,
Donec prædicto fecundam redderet ortu
Prolis anum, multo sterilis quæ tenta per annos,
Fudit diffidens effeta puerpera fetum.
Hic rerum solers summusque archangelus, alto
Aerea per liquidum, levibus circumdatus auris,
Vibratasque movens ignito in corpore pennas,
Nulli conspectis ad terram motibus ibat.
Et tum forte gemens cunctorum crimina Noe
Inflexis stratus genibus, cum supplice planctu
Mundanis veniam, mundo nolente, petebat.
Cum subito clausis foribus tunc aliger intrat
Conspicuus, claro resplendens nuntius ore.
Horrescit visu tanto perterritus heros,

Mortalisque oculus personam ferre supernam
Vix valet, et pavidi detorquet lumina vultus.
Ille salutiferis primum mulcere timentem
Aggrediens verbis, cœli mandata ferebat.
Pax tibi, juste virum, pacem tibi missus ab alto
Imprecor, ut pulso capias mea dicta pavore.
Hæc mandat summus terræ pelagique Creator.
Insperata quidem cunctis sententia lethi
Imminet; hanc solus sed qui transire mereris,
Et præscire potes. Nam te calcata voluptas
Jam pridem rectum toto discrevit ab orbe.
Unica sed quoniam sævum depellere lethum
Vita tibi poterit, tantos evadere casus
Qualiter incipias, paucis ex ordine fabor.
Finis erit rerum, permissis undique lymphis,
Atque relaxata vastabitur orbis abysso.
Nunc age, congestis crescat fortissima lignis
Machina, quæ surgens fluctus supernatet omnes.
Ter centum cubitos per longum ducta tenebit,
Bis quinis late claudetur, bisque vicenis.
In triginta illi constabit culminis altum.
Per medium per ter longo cœnacula tractu
Edita suspensis domibus tabulata levabunt:
Ut generis proprii servans consortia mansor
Componat pareis dispersa cubilia cellis.
Tum ne rimosi compagem forte meatus
Accipiant inimicum imbrem, linire memento
Juncturas laterum, pigrumque infunde bitumen.
Taliter affectam cum consummaveris ædem,
Protinus ingredere, ac mundum dimitte cadentem;
Exclusit quem culpa frequens, includere vita
Incipiat, circumque fremant te sospite mortes.
Quin etiam lateris sociam succedere tecto,
Et cum conjugibus natos intrare jubeto.
Tuque secundus eris deleti germinis auctor,
Ut te post primum repleatur terra parente.
Sed quia perfecto divinis viribus orbe,
Post operis finem, post leges, postque sacrata
Sabbata, formari quidquam non convenit ultra:
Ne penitus cessans intercidat omne creatum,
Spirantum e cunctis pecorum, celerumque volucrum,
Silvarumque feris, et quæ jumenta vocantur.
Vel quæ per tacitos reptant labentia motus,
Bina cape, et tecum claustro victura reconde.
Sic tamen ut proprios teneant sua vincula sexus,
Unde genus rursum tellus implenda resumat.
Ne timeas ne forte feros animantia motus
Servent, aut subitis præsumant rictibus iras.
Fœdus erit totis, quæ discordantia profert
Per varios natura modos, et pace fideli
Parebit jussis quidquid concluseris illic.
Serpentis tantum semper figmenta caveto.
Vertice submisso blandum licet ille trisulcis
Finxerit abscondens per dulcia sibila linguis
Immortale odium, nunquam tu credulus illi,
Quem nimis expertus vitandum præmonet Adam.
Hostis namque semel voluit quicunque nocere,
Hic semper suspectus erit, penitusque cavendum est,
Ne jam mentito conjungat fœdera prudens.

A Tu post exemplum jussis servire memento.
Hæc fatus, vacuum levibus secat aera pennis,
Mortalem fugiens aciem, cœloque relatus
Heroem trepidum mandata lege reliquit.
Ipse tamen tali manibus cum voce levatis,
Quisquis, ait, nobis tantam spondere salutem
Seu missus, seu sponte tua, super æthere celso
Venisti, et placidum sacrasti fœdere pactum,
Sis fautor, firmentque tuas promissa loquelas,
Auxiliumque tuum conatibus insere nostris,
Ut tenuis tantam valeat manus edere molem.
His breviter dictis, vitæ spem corde reponit,
Aggrediturque celer sacri præcepta laboris.
Quis tantos capiat sensus? quis denique sermo
Explicet, advectis fuerit quæ copia lignis?
B Nudati colles, spoliatæ robore silvæ,
Mons ut quisque fuit, famulo placuere paratu.
Pelion immensas cum mittat vertice quercus,
Insuper exponit multa virtute recisum
Ossa nemus, Pindoque abies subducitur alta.
Atlas ipse novas ictu resonante secures
Sensit, et annosas dedit ad navalia pinus.
Invictum tunc surgit opus, contexta levatur
Porrectis trabibus præcelsi culminis ædes.
Hæc inter, discors varii sententia vulgi.
Nam multi lymphis obstacula tanta parantem
Irrisere virum, moles quod clausa moveri
Fluminibusque dari nequeat, quam forte vel ampli
Euphrates Nilusque queant vix claudere ripis.
Humani generis quid mens incredula reris
C Mortalem non posse manum conjungere ponto
Ædem longinquam? pontus namque obvius ultro
Curret, et adductam tangent stans fabrica littus.
Ast alios celsam compacto robore massam,
Ignaros quanquam cladis, causæque latentis,
Mirari novitas et formidare coegit.
Haud aliter studium jam tunc diviserat omnes,
Quam nunc mundus agit. Sunt qui compuncta fideli
Corda dicant operi, rebusque instare supremum
Discrimen norunt, corpus quo concidat omne,
Bacchatamque diu consument sæcula carnem.
Effugiet tunc ille malum, quicunque paratus
Construat ut validam præduri tegminis arcam,
Per lignum vitale crucis servatus ab undis,
Tunc cernet quanto contempserit otia fructu.
D Haud procul attentum contemplans hunc operantem,
Nonne piger quisquam lucri, tædensque laboris,
Insanire putet, cura quod solus inani
Æstuet, et rebus nolit pereuntibus uti?
Sic epulans parcum, sic largum quisquis avarus,
Sic nudum raptor, sic castum ridet adulter,
Sic circumscribens illuso simplice gaudet.
Sic sapuisse dolet dives, cum congregat aurum,
Spargentem nummos, ultroque in paupere censu
Consumptis opibus miserum ratus esse beatum.
Inde repentinum Judex cum cerneret orbi
Adventare diem: Finis sic protinus, inquit,
Imminet, ut justi quondam sub tempore Noe,

Diluvium varios mundi cum repperit actus,
Et carnem consumpsit aquis, opifexque salutis
Evasit parto diffusa pericula claustro.
Hæc evangelicis sunt inclamata figuris.
Providus interea consummat conditor arcam.
Tunc jussæ accurrunt volucres, tunc bestia quæque,
Consuetum linquens silvoso tegmine lustrum,
Deposita feritate venit, seseque tenendam
Ingerit occurrens, et libertate relicta
Includi gaudet: tantum decreta futuri
Vis valet; occultus brutis in sensibus ardet
Terror, et exspectans agitat formidine vitam.
Ast homines quos sors certi discriminis urget,
Vicina nec morte pavent, satis undique constat
Vitali indicio præcedere sæpe timorem.
Securos lætosque reos tellure Gomorrhæ
Jam prope sub flammis sententia dicta videbat.
Ninivæ contra populis terrore salubri
Prævaluit pro pace metus. Nam venerat illuc
Jussus, multum ille et terris jactatus et alto,
Qui clamaturus tantæ discrimina plebi
Diluvium timuit mundo constante propheta.
Hauserat huc valido pervadens bellua rictu,
Immersumque mari ventris concluserat arca.
Deglutire virum, faucesque implere capaces,
Ardenti monstro cum sit permissa potestas,
Non licuit mordere tamen, nil dentibus actum.
Intravit cupidum deludens præda vorantem,
Invasusque cibus jejuna vixit in alvo.
Dum tres luce dies una sub nocte prophetæ
Sol ageret, littusque novum vacuanda viderent,
Et castigatum vomerent ergastula pastum.
Ut monstro exutus vates, cœlumque recepit
Contingens terras, magnam tunc percitus urbem
Terribili cum voce petens: Quid criminis, inquit,
Ardetis flammis? restringent omnia pœnæ.
Jamque venit finis, lentum est hoc dicere, venit.
Non plus fatus erat: totus conjurat in omne
Lamentum populus: procurrunt undique fletus,
Pectora tunduntur, cœlum suspiria pulsant.
Mollibus abjectis Cilicum dant tegmina setæ,
Inque cibos cinerem, lacrymasque in pocula fundunt,
Ipse etiam, dignus tali qui tempore princeps
Ante aciem flentum portet vexilla salutis,
Atque novum dictu metuens discrimina vincat,
Projicit hinc sceptrum, linquit sublime tribunal,
Pallia blattarum spreto diffibulat auro,
Serica despiciens, atque aspera tegmina sumens.
At pius ex alto contemplans talia Rector
Exsertas revocat sedatis motibus iras,
Vibratumque tenens restinxit missile fulmen.
Temporibus propriis justus sic conditor arcæ
Securo solus timuisse pericula mundo
Gaudebit, finem cunctis, sibi ferre salutem,
Diversam cernens meriti discrimine sortem.
Ergo ubi silvestres sexu collegit utroque
Inclusitque feras, pecudum tunc eligit illa
Sumere, quæ licitum est mandi, vel munda vocantur,
A Hinc tantum septena dedit viventia claustro,
Ut ternis paribus servato semine salvis,
Septima quæ fuerint sacris quandoque litentur.
Et jam vitalis concluserat omnia carcer.
Tunc justum, cunctosque suos, natosque, nurusque,
Accipit exspectans claustrum, vitæque reponit.
Nam servos nondum dederat natura vocari,
Nec dominos famulis discernere noverat ordo.
Primus enim maculam servili nomine sensit
Hujus natorum medius, qui forte cachinno
Distectum petiit misero spectamine patrem,
Materiamque sui risit deformior ortus,
Et plus jam turpis nudato simplice nequam.
Quod postquam sanctus potuit cognoscere Noe,
Natum germanis famulum dedit; inde repertum
B Tale jugum; cuncti nam semine nascimur uno.
Servitii certe causam fecisse reatus
Cernitur, et liber peccans fit crimine servus;
Si rursum nexu famulus stringatur honesti,
Natales faciens sibimet, jam nobilis hic est.
Nuntius interea, dudum qui missus ab alto
Detulerat justo cœlestis munera verbi,
Protinus ut clausum vidit, rebusque paratis
Exspectare diem, rursus descendere cœlo
Festinans, laxos firmavit cardine postes,
Inclusitque viros, atque ostia fortia traxit,
Confestimque levans supero se rettulit axi.
Ævo sexcentos senior transcenderat annos,
Lunaque bis plenos addebat menstrua cursus,
Septimus et decimus qui post illuxerat orbi,
C Ultimus ille dies jam nunc dabit omnia letho.
Ilicet obtegitur cœlum, nimiisque tenebris
Victa repelluntur fuscati lumina solis.
Insanas hominum mentes vix tangere terror
Cœperat, insuetus mox profluit æthere nimbus,
Et valido primum similis demittitur imbri.
Arida terrarum pariter maduere per orbem,
Una fuit toto facies et nubila cœlo
Ægyptus tunc ipsa novas expavit ad undas,
Alsit et infusus Garamas, dudumque calentes
Humida Massylas tetigerunt frigora Syrtes.
Nec longum pluviæ species, non denique guttæ
Stillant, sed rupto funduntur flumina cœlo.
Non aliter Tanais, nivibus cum pascitur albis,
Riphæo de monte ruens illiditur amni,
D Præcipitatque simul longo quod tramite ducit.
Undarum tali quatitur certamine tellus,
Fitque lacus instar compressus fluctibus aer.
Nec tamen hic lymphas tantum fudere superna,
Terrestres etiam mundus consurgit in iras.
Rumpitur omne solum, crebros dant arva meatus,
Prosiliunt fontes ignotaque flumina manant.
Vergitur in sursum mutato pondere nimbus,
Inde cadens cœlis, hinc terris undique surgens,
Occurrit mox unda sibi, junctoque furore
Conjurant elementa neci; transcenditur omnis
Riparum limes fluviis, atque obice rupta
Sævit laxatis discurrens humor habenis.
Sed cum diffusæ spatium concludere terræ

Omnia certarent, mundumque implere capacem,
Suspendi forsan potuit sententia lethi,
Atque mora majore trahi, quo tardius omnem
Concedens spatium rapiat sors ultima carnem;
Oceanus vertex rerum ni fervidus uno
Littore, quo tantum terras atque æquora cingit,
Exiret, rumpensque fidem perfunderet arva.
Dissipat æternas leges, et sede relicta
Regna aliena petens naturæ fœdera turbat.
Ut diros primum pelagi sensere furores
Illustres fluvii, magnos quos inclyta cursu
Fama refert, motusque novos stupuere parumper,
Ut credas sapuisse fugam, sic versa retrorsum
Per terras spargunt sublata volumine ponto.
Insequitur tamen Oceanus, refugisque fluentis
Imminet, et salsis impellit molibus amnes.
Tunc major strepitu tanto mortalibus ægris
Fit metus, ascendunt turres, et celsa domorum
Culmina, præsentemque juvat vel tempore parvo
Sic differre necem: multos dum scandere tentant
Crescens unda trahit, quosdam montana petentes
Consequitur, lethoque fugam deprendit inanem.
Ast alii longo jactantes membra natatu,
Defessi exspirant animas, aut pondere nimbi
Obruta flumineas commixta per æquora lymphas
In quocunque bibunt morientia corpora monte.
Ædibus impulsis alii periere ruina,
Inque undas venere simul dominique domusque.
It fragor in cœlum sonitu collectus ab omni,
Quadrupedumque greges humana in morte cadentum,
Augent confusos permixta voce tumultus.
Hæc inter miseri ferventia funera mundi,
Prægravis insanis pulsatur motibus arca,
Compagesque tremunt, stridens junctura laborat.
Non tamen obstructam penetrat vis improba, quanquam
Verberet, et solidam fluctu feriente fatiget.
Non aliter crebras Ecclesia vera procellas
Sustinet, et sævis sic nunc vexatur ab undis.
Hinc gentilis agit tumidos sine more furores,
Hinc Judæa fremit, rabidoque illiditur ore,
Provocat inde furens hæresum vesana Charybdis;
Turgida Graiorum sapientia philosophorum,
Inter se tumidos gaudet committere fluctus.
Obloquiis vanos sufflant mendacia ventos,
Sed clausam vacuo pulsant impune latratu.
Jam medium crescens Arcæ contexerat unda,
Commovitque cavam suspendens undique molem.
Et melius tutam facili portante natatu,
Quoque vocant undæ, sequitur jam mobile pondus.
Cedamus mundo, dum ducimur: omne resistens,
Si flecti nescit, metuat vel pondere frangi.
Sed si cedamus, fluxum ne sentiat intus,
Peccatumve trahat mens impenetrabilis ullum.
Navigat interea claustro commissus eunti
Fons vitæ, servatque furens super omnia pontus
Orbis depositum, fido quod tegmine promat,
Cum pax terrarum reddi sibi debita poscet.
Ergo ibant undæ. tellus subducitur omnis
A Collibus impositæ vicerunt edita lymphæ.
Delituit tectus ponto tum pinifer Othris,
Parnassi vertex cantem non protulit altam,
Ipsa cupressiferi latuerunt saxa Lycæi,
Subductæ rupes, æquatæ fluctibus Alpes,
Omnibus exclusis totus jam denique mundus
Axis et unda fuit. Nam cunctis morte subactis
Regnabant pelagi silvoso in gurgite monstra.
Et jam vicinum pulsabant humida cœlum,
Jamque quater denis manabat noctibus imber,
Compleratque necem, nec jam quod tolleret ultra
Mors habuit, pressitque natantia funera pontus.
Frenantur tandem pluviæ, resplenduit æther,
Redditur et cœlis vultus. Sol ipse reductus,
Sed non inventis queis reddat lumina terris,
B Tantum luxit aquis: tristis videt æquora fulgor,
Quamque breves radios admotas frangit in undas,
Tam consumendis fervens ac proximus instat.
Nec minus et patuli terræ clauduntur hiatus,
Quæque prius vomuit lethali ex ore fluenta,
Obicibus propriis constricta resorbet abyssus.
Nec tamen ut venit, breviter sic unda recedit;
Siccant non pauci longo sed tempore menses,
Quod pauci fudere dies: jam ducta natatu
Armeniæ celsis instabat montibus arca,
Et nondum nudis fundo consedit in arvis.
Ut stabilem sensit senior, motuque carentem,
Nec fluitare natans ventosa per æquora lignum
Credidit abductis nituisse liquoribus orbem:
Tunc reserat summam sublimi a fronte fenestram,
C Emissa refluos exploret ut alite fluctus.
Illa volans longo diverberat aera plausu,
Atque quatit vacuas pennarum motibus auras,
Cumque diu fessis undas perstringeret alis,
Nec locus optatam requiem concederet ullus,
Consuetum repetit prospecto ex æquore claustrum.
Exceptam senior manibus tunc colligit intus,
Advertens nullas patuisse per humida terras.
Interea magna pontus se mole movendo
In chaos antiquum linquens mundana redibat.
Excelsi tandem proferre cacumina primum
Incipiunt, post quos tenues crebrescere montes.
At vero ut pelagus cinxerunt littora priscum,
Oceanusque sacer, notas collectus in oras,
Contentus solito labentia flumina tractu
D Sorbuit, et cunctis distinxit frena fluentis,
Torrentesque suæ clauserunt undique fossæ,
Libera subductis nituerunt arida lymphis.
Tunc interposito producens tempore corvum,
Scire cupit senior, vacuumque interrogat orbem.
Ales ut extensis nitidum petit aera pennis,
Aspiciens plenis stipata cadavera terris,
Carnibus incumbens, et mox oblita reverti,
Rectorem placidum communi in sede reliquit.
Sic nescis, Judæe, fidem servare magistro,
Sic carnem dimissus amas, sic gratia nunquam
Custodi vitæ Dominoque rependitur ulla.
Mente vaga sic laxus abis, sic fœdera legis
Rupisti, et primum violasti, perfide, pactum.

Temporis ut spatio senior collegit inertem
Jam potuisse satis corvum se reddere claustris,
Ignarus tardi reditus, causæque morandi,
Ne fors innexis fessum consumpserit alis,
Junxerit et cunctis pereuntibus unda recurrens:
Protinus albentem mittit de sede columbam.
Illa memor jussi rapido petit arva volatu,
Paciferæque videns ramum viridantis olivæ,
Decerpit, mitique refert ad condita rostro.
Tali legatus firmavit fœdera simplex
Indicio, purumque pius sic comperit orbem.
Integer emensum vertebat circinus annum,
Quo felix claustrum spirantia cuncta tenebat,
Tum pater ablatis obducta repagula serris
Pandit, et inclusis desuetum reddere solem
Incipit, effeto redeant ut semina mundo.
Ante tamen Justus jubeat quam sparsa vagari,
Singula de septem, quæ dudum claudere munda
Curavit, natis pariter, nuribusque vocatis,
Cespite constructa disponens immolat ara,
Accendens sanctos his primum altaribus ignes.
Plurima dum magnis adolentur corpora flammis
Et numerosa levat præpinguem victima fumum;
Suavis odor lætum tetigit trans æthera cœlum,
Primaque purgati suscepta est hostia mundi.
Tunc igni permixta sacro vox intonat ista.
Hactenus infectus contagia traxerit orbis,
Sufficiat regnasse nefas, mundata lavando
Perpetuo niteat tellus, vultusque reductos
Contineant elementa suos: haud amplius ullis
Perturbata malis moles mundana fatiscat.
Vos quoque, quos lethi salvavit tempore vita,
Intactosque tenens casu defendit ab omni,
Ducite securum servatis legibus ævum:
Vosque caput generis fecundo semine prolem
Spargite, diffusum late quæ compleat orbem,
Deletum instauret numerum, dominetur et orbi.
Fertile quin etiam reddant animantia germen,
Quod tamen inflexum famulabitur ordine prisco:
Insuper et terris ex hoc jam non erit ultra
Diluvium regnans, carnem quod conterat omnem.
Unum quod fuerit, signo monstrabitur uno.
Nec similem repetita necem peccata videbunt;
A Et si crimen erit, terror non deforet alter.
Sic unum genitor jurans baptisma sacrabat,
Ut semel ablutum lymphis purgantibus orbem,
Sic sperare reos lavacrum non posse secundum.
Vix tribus exactis cœli jam partibus ibat
Pronus in occasum radius, cum forte remotam
Axe sub eoo jussus contingere nubem,
Protulit excussum madefacto ex aere signum,
Arcus et emicuit, quæ nunc Thaumantida Graic
Irim Romuleo vocitant sermone poetæ.
Pendulus obliquum solem cum senserit humor,
Ancipites vario mittit splendore colores:
Nec numerare queas, sic mixtos lumine visus
Illudunt dubii diversis vultibus orbes,
Sapphirusque virens, maculosus, cærulus, albus,
B Purpureum de nube trahit, de sole coruscum
De cœlo nitidum, de terra sumit et atrum,
Et tamen abjunctis quæ constant hæc elementis,
Sic diversa putes, ut concordantia cernas:
Hanc formam signo trepidis mortalibus arcus
Præstitit esse Deus, promittens nube serenum,
Nullaque jam terris debere pericula cœlum
Nunc quicunque cupis veram servare salutem,
Illud suspicies signum, quod signa figurant.
Namque dator vitæ præmisit talia Christus,
Et geminata dedit substantia salvatorem.
In terris sumptæ nitida de virgine carni
Naturalis inest patrio de germine fulgor:
Et medius quidam mediator in æthere celso
Munere multimodo varius, sed fulgidus omni,
C Vitalem monstrat sacrati pignoris arcum.
Istum corde vide, quisquis baptismate lotus
Ad cœlum liber culpis pereuntibus exis.
Nam legis forma vos, inquit Apostolus, ista
Salvabit lavacrum, prisci cum tempore Noe
Conclusas lignis animas describeret octo.
Comparat ille datum, tu servans dilige donum,
Hoc votis precibusque gerens, hoc fletibus optans,
Ne redeant peccata tibi, ne mersa leventur,
Mortua ne surgant, ne debellata rebellent,
Ne post ablutum valeant discrimina crimen,
Et flammam timeas, quia jam non suppetit unda.

LIBER QUINTUS.

DE TRANSITU MARIS RUBRI.

Hactenus in terris undas patuisse canenti
Terram inter fluctus aperit nunc carminis ordo.
Illic diluvium quos perderet ante petivit,
Nunc ad diluvium pleno succensa furore
Sponte sua current perituræ millia gentis.
Si non ut dignum tanti præconia facti
Eloquium captent, divina in laude voluntas
Sufficit, et famulo monstrari munere votum.
Quod si quis nequeat verbis persolvere grates,
Non minimum virtutis habet vel credere gestis,
Signa per electos quæ perrexere priores.
D In quibus excellit longe præstantius illud,
Quod pelago gestum Rubro celeberrima perfert
Scriptorum series, in cujus pondere sacro
Causarum mage pignus erat, pulchramque relatu
Pulchrior exsuperat præmissæ forma salutis,
Historiis quæ magna satis, majorque figuris,
Conceptam gravido peperit de tegmine vitam.
Sustinuit duros externa in sede labores,
Dum Pelusiacæ serviret subdita genti,
Plebs oppressa diu: densi quam pondere cœni,
Et laterum numeris, operis mensura diurni

Afflictam sævi vexabat fraude tyranni.
Invisam sibimet frendens qui crescere turbam,
Augeri doluit famulos. Nam jusserat, ut lux
Vidisset quoscunque mares, mox docta necaret
Omnis anus, natumque premat solertia sexum.
Sed tamen aversæ fugerunt talia matres,
Atque interdictos detrectant perdere fetus,
Persistente Deo plebem diffundere sanctam :
Quoque magis mens cæca trahit crudelia vota,
Hoc plus accrescunt teneræ primordia gentis.
Viderat interea Genitor de sede superna,
Afflictamque manum placido prospexerat ore.
Jam sacer innocuas dederat de fomite flammas,
Et rubus in rubeo viridis permanserat æstu;
Quo signo spinas nostræ fervescere mentis,
Et lucere pio qui non consumeret igne,
Devotus nosset sanctis in cordibus ardor.
Ilicet electi vates mandata ferebant,
Depromit regi cum primus talia Moses :
Servitii longo lassatam pondere plebem,
Oppressos cophinis humeros, attritaque colla,
Quasque opus assiduum fecit durescere palmas.
Laxandi jam tempus adest : dimitte precantes
Tandem cœlesti Domino persolvere vota,
Et complere datos patrio moderamine ritus.
Ille fremens inquit : Quæ tanti causa tumultus,
Quisve novus populum Deus exigit omine misso?
Scilicet hæ vacuæ tangunt cœlestia curæ,
Ut Dominus dominis famulos nunc tollere priscos
Vellet, et ad tumidos mittat mandata rebelles.
Quis Deus iste foret, cui me parere necesse est?
Aut sceptris celso quid formidabile regi?
Sed vestras nimium seducunt otia mentes ;
Et nisi laxatos requies concessa foveret,
Nulla supervacuis tererentur tempora verbis.
Quæ si castigans restringet sarcina major,
Illicitus vetitum conari desinet ausus.
At vos signifero qui talia vota ducatu
Instruitis, vano et plebem subvertitis ore,
Conspectus vitate meos, vultumque cavete.
Ditem namque Pharon, vel pollentissime cursus
Testor, Nile, tuos, et divæ vocis Anubem
Cum rabidus latrat, jam non impune futurum,
Si nostrum rursus repetant hæc dicta tribunal.
Virgam forte manu gestabat legifer heros,
Quo baculo nitens gressum dum dextra regebat,
Excutit hanc valido projectam cominus ictu.
Tum mirum dictu, commotum serpere lignum,
Non insensibiles ceu promit palmite ramos
Vita movens tantum quos præstat crescere fructus :
Sed flexu reptans, mutati et corporis usu
Sensum animamque gerens, cœpit decurrere virga,
Mox anguem formata refert. Conterritus hæsit,
Æternumque niger tum palluit ore tyrannus.
Sed ne confusum tali succumbere signo
Cerneret assistens vultu nutante satelles,
Dissimulat summo rem gestam credere jussu,
Nec divina volens, hominum sed facta putari,
Tum mandat quoscunque magos, vel carmina doctos,
A Illicitam diris tentantes fraudibus artem
Ægypti, longinqua darent bastilia, cogens
Murmure funereo faciat monstrata minister.
Undique tunc jussi concurrunt, et medicatas
Armant quique suas noto medicamine virgas,
Dant jactæ vanas species, anguesque putati
Illusos terrent oculos fallente figura.
Nec longum tumuere magi; consumitur omne
Quod fecisse rati; fictos namque arte dracones
Primus adhuc mordax absorbuit ore cerasta.
Postquam virtutis clausit spectacula Moses,
Victorisque tenens caudam tellure levavit,
Decedit serpens ligno, vultusque recedit,
Diriguere vagi durato corpore flexus.
Quid multis? fit virga prior, qua deinde sacerdos
B Plurima succiduo monstravit tempore signa.
Hinc dirum frendens Pharaonis conscius ardor,
Divinæ incipiens per cuncta resistere dextræ,
Et quæ cognoscens, nolens tamen ipse fateri,
Protinus expulsos jussit discedere vates.
Illi divinas pulsant cum fletibus aures,
Ut fremitus gentis tandem frenetur iniquæ,
Quam gravius sævam monitus fecere superni,
Ipsis quin etiam cœlestibus arma minantem.
Tum pater, accipiens gemitus lacrymasque precantum
Taliter hortatu blando solatur amaros;
Ne tantum vacuo submittite corda timori,
Plebs mea, quam toto mundi de corpore sumptam
Elegi, et propria solam mihi sorte dicavi.
Jam nunc cernetis quanto primordia vestra
C Prosequar auxilio, sævos ac persequar hostes.
Ducam sublimem portenta per omnia dextram,
Nec volet in paucis Pharius rex cedere signis,
Longius ut duram vincant miracula mentem.
Post hæc laxatos quin et discedere coget,
Expelletque solo : quod nunc negat, ingeret ultro.
Ibitis ad magnas post fortia prælia sedes,
Quo vocat exspectans præfertilis ubere terra,
Et claras victis condetis gentibus urbes.
Vos modo promissis tantum confidite donis,
Et quos deposcent ingentia facta labores
Læta ferat virtus, seseque ad prospera servet.
Talibus auditis, melior spes accipit illos.
Attollunt animos, palmasque ad sidera tendunt,
Concipiuntque fidem votis, gratesque rependunt.
D Postera lux dubios primum præmiserat ortus,
Et successorem depulsa nocte ferebat
Insistens aurora diem : tum flumina sanguis
Imbuit, et subito maduerunt arva cruore.
Sed non hoc minimis portentum contigit undis,
Fluviorum rex ipse rubet, nec lumine prisco
Nilus agit proprium quem sumpsit fonte nitorem.
Quin magis, averso ne tangat pristina limo,
Sanguis in externum certans manare canalem,
Carnosus non carnis erat, nec corpore fusus,
Aut strages quæ multa simul, quo vulnere possit
Lympharum damnum proprio supplere cruore.
Naribus obstructis pressi, victoque natatu,
Interiere simul peregrini in gurgite crasso.

Auxeruntque suo saniem de funere pisces.
Et fortasse rear cladis mortisque futuræ
Sanguinis indicio jam præcessisse ruinam,
Hoc ipsum ni pœna foret. Nam scilicet omne
Ægypti spatium, vel quo patet ampla Canopus,
Mox inter pingues sitiens defecerat undas,
Si non Omnipotens celerem super arva medelam
Spargeret, et nitidos revocaret vallibus amnes.
Tum vero ut requiem pestis subducta reduxit,
Effertur rursus dilata morte tyrannus,
Et vix evasum contemnens mente flagellum,
Innocuam flagris persistit subdere gentem.
At quid per cunctam stylus æstuet ire superbi
Perfidiam, cæsi numerans perjuria regni?
Sed tamen extorquent varium mendacia monstrum,
Undaque vicino vixdum purgata cruore,
Ranarum fœdis texit cantatibus urbes.
Complentur cellæ, strati penetralia, mensæ,
Sustinet innumeros regalis purpura saltus,
Atque premens homines frendet succumbere ranis,
Quarum mox cumulis flamma tonitruque subactis
Congestisque, sonans muscarum nubis ad auras
Exit, infectum corrumpens aera flatu.
Illic quas scinifes vocitant, quantosque volatus
Pendula committunt levibus corpuscula ventis,
Pennarumque vicos peragunt stridentibus alis?
Fundunt se pariter, turbataque mœnia complent.
Et licet immersis defigant vulnera rostris,
Plus horror quam pœna movet; sed tollit et istam
Ventus agens, cessat laxata molestia paulun
Confestim cessante metu, nec longius ira
Sentitur quam plaga calet. Sed peste remota
Succedunt aliæ gravius : consumitur omne
Jumentum, cunctosque greges nox abstulit una,
Nec tantum damnosa reos portenta fatigant :
Vertitur ad carnem quæ suscitat ira dolores.
Insidunt penitus turgentia vulnera membris,
Et sacer incubuit percussis artubus ignis.
Creditur hic etiam casu contingere languor :
Sed morbus mentis discrimina corporis urget.
Præterit ille dies; tum demum luce secuta
Concutitur cœlum tonitru, nubesque coactæ
Terribili splendore micant; ferit omnia fulgur
Fulmina agens; totas uno sub tempore mortes
Æthere turbato terris elementa minantur.
Ignibus inseritur prægrandis corpore grando,
Non ut nube solet terris nimbosa venire :
Sed quocunque cadens ut deprimat, atque ruinam
Pondere vel solo faciat; conjungitur ergo
Grandineum flammis ferventibus aere frigus,
Et natura neci servans assignat utrumque.
Hic primus stragem sparsis dat mortibus imber;
Exin restantem surgit consumere fructum
Bruchus, et excusso confidens crure locusta.
Hoc sed docta malis, et jam discrimine crebro
Tanquam lene satis callosa superbia duxit.
Insequitur velox gravius quæ vindicet ira.
Cæcas mane novo surgens sol sparserat umbras,
Et lætus jubaris splendebat fronte sereni,

A Cum surgens mediam nubes se porrigit atra,
Nascentemque diem depulso lumine claudit.
In molem nox densa coit, perit obrutus aer,
Palpantesque manus densas sensere tenebras,
Atque repercussus vexatur anhelitus æger;
Et si sopitos flando quis suscitet ignes,
Aut flammas excire velit, compressa necantur
Lumina, nec vibrant restricti pondere motus :
Quo quemcunque loco tenebrosus repperit horror,
Continuit, vidit nullum, nec visus ab ullo est.
Squalentes pariter viventia millia credas
Infernas intrasse domos, aut forte revulsa
Obice terrarum patriam sordentis abyssi
Migrasse in superos, ac mundum luce fugata
Sub leges misisse suas. Tres perdidit ista
B Nocte dies, digne pendens perjuria tellus
Isthæc damna tulit; nam cætera fulgidus orbis
Continet, et solitos distinguunt tempora cursus.
Moses interea lacrymas, jejunia, vota
Continuat, precibusque frequens ac pervigil instat,
Majoris natu fultus solamine fratris.
Instruit hos sacris simul, informatque Creator
Mystica solemnem qua pandat victima ritum.
Cernitis ut multa desudans clade reatum
Ægyptus contrita gemat satis undique tacta,
Sed tamen immota perstans cervice rebellis?
Nec portanda diu præcedunt ista ruinam.
Ægrotat quodcunque tumet, nec sana superbo
Causa subest, junctum monstrat mens turgida lethum.
Unus adhuc restat qui vindicet omnia luctus,
C Postque novem decima percellat cæde merentes.
Vos modo perpetuos sacrorum discite mores,
Cultibus et propriis mansura lege tenete.
Mensibus in cunctis, orbis quos circinat anni,
Iste caput princepsque foret, quem nomine belli
Gentiles vocitant, vos tantum dicite primum :
Lunaque bis septem cum fecerit addita noctes,
Vespere tum sero dabitis primordia sacris.
Sumite mansuetum perfecti temporis agnum,
Qui careat macula, et purum det corpore vellus.
Hoc animal festis mactabitis; hujus utrumque
Signabit sanguis nitido de corpore postem.
Hoc dabit indicium servandæ cura salutis.
Cum percussor aget tacitam sine vulnere cædem,
Perspiciet sacro limen maduisse cruore,
D Hoc tantum transire volens distantia talis
Custodit vestras sparsis a mortibus ædes.
Sic nos, Christe, tuum salvet super omnia signum
Frontibus impositum : sic sanguis denique sanctus,
Tunc præmonstrati dudum qui funditur agni,
Oribus infusus postes lustrasse tuorum
Inter labentis ferventia funera mundi
Credatur, casuque tuos discernat ab omni.
Dum non signatos percurrit funere mucro,
Tu cognosce tuam salvanda in plebe figuram.
Ut quocunque loco sanctus mactabitur agnus,
Atque cibo sanctum porrexerit hostia corpus
Rite sacrum, celebret vitæ promissa sequentis
Fermento nequam duplici de corde revulso,

Sincerum nitidæ conspergant azyma mentes.
Finierat rector leges et fœdera festi
Paschalis mandare viris, quod protinus omnes
Arripuere simul; peragunt convivia læti,
Solemnisque novo cultu disponitur esus,
Transeat ad seros quæ condita forma nepotes.
Nox erat, et mediam carpebant cuncta quietem,
Umbraque libratas jam jam diviserat horas :
Ecce venit tacito per dira silentia motu
Angelus exserto missus qui sæviat ense :
Nec confusa datur subiti sententia lethi,
Omne malum sed sorte cadit, longeque videtur,
Quem petat in tenebris præfixi funeris ordo :
Majores natu pereunt, solique leguntur
Ad mortem primos luci quos edidit ortus.
Cum dominis famuli pereunt, natique potentum
Permixta cum plebe cadunt : sic vilis, ut ille
Quem celsi tenuit morientem purpura fulcri.
Hæc nuda tellure jacent, hæc serica velant,
Disparibus stratis sternuntur corpora letho.
Non quemquam mors æqua timet, non excipit ullos
In vivis tantum qui discernuntur honores.
Pauperis ad fletum nulla pietate movetur,
Ditibus ut parcat nullo corrumpitur auro.
Ægrotum sanus, longævum junior ante
Migrat : huic soli debet confidere nemo.
Hoc tantum tamen est sibimet quo mortua distent,
Vivant ut meritis qui complent tempora sorte.
Hæc nunquam penitus morti licet auferat, et si
Jure potestatis lutea compage creatum,
Semine mortali genitum, terræque reductum,
Justorum in factis letho nil creditur ulli.
Ergo ut percussas soboles confusa repente
Aula videt, currunt flentes ad funera matres,
Pectora contundunt pugnis, crinesque revellunt
Unguibus, et nigras festinant scindere malas.
Nec dominos planxere diu, mox occupat omnes
Luctus quemque suus, sonat unus in æthere clamor
Non uno ex fletu, confundit voce tumultum
Nulla vacans a morte domus; tum lumine multo
Omni curatur populorum funus in urbe.
Judicium justum cogit mœrere merentes.
Et dum quis proprio servat lamenta dolori,
Exsequias tardant luctus, inhumataque turba
Dilata jacuit tantisper sorte sepulcri;
Et nisi jam tandem vacuos et honore carentes
Vel nuda tellure locet, vel concremet igni,
Vix collecta manus quæ tantos clauderet urna.
Tum regem circum commoto murmure sistit
Mœsta cohors, humile depromens voce querelas.
Heus! nimium nostris adversa potentia rebus
Hebræi populi, toties cui vindice dextra
Militat omne malum, totus cui denique mundus
Pugnat, et irato succedunt prospera cœlo.
Vix quædam secreta Dei, majorque potestas
Hæc in sceptra furit, gentemque ulciscitur ipsam
Urbis jactura; solos pereuntia salvant
Victores elementa suos, redimuntque cadendo.
En jacet Ægyptus, nec jam reparabilis ultra.
A Atque utinam pœnas vivis, damnumque per arva
Ferret adhuc divina manus, nec funere tanto
Deceptam subita vacuasset cæde Canopum :
Tandem parce solo, causasque expelle ruinæ,
Dum levior strages; dum quisquam luce tenetur,
Dum superest qui terga premat, qui limite trudat,
Et ne quem, si forte velint ex corde morari,
Non sinat ejecto depellens hospite cladem,
Permoveat noster natorum funere luctus,
Permoveat te forte tuus; vel pauca supersint
Pignora, quæ tantos tergant servata dolores,
Et detruncatæ reparent dispendia gentis.
His dictis lacrymas populus dedit; ipse superbus
Frangitur ad fletum princeps, victumque fatetur.
Hæc perturbata sed dum tractantur in aula,
B Hebræi vatum studio, monitisque supernis
Optima quæque sacris fingunt, epulisque requirunt,
Vasaque solemnes quæ poscunt plurima cultus.
Ornamenta etiam, vestesque, monilia, gemmas,
Ut reddenda petunt : nec tardus commodat hospes,
Ditat et ignorans trepidam manus æmula plebem.
Quæ jam digna tuis pandantur laudibus ora,
Summe pater, qui tam sævo sic uteris hoste?
Annuit adversus, largitur munera nolens,
Quæ secum dimissa ferant; nec solvere tantum
Sufficit oppressos, opibus ditantur euntes,
Thesaurosque novos libertas reddita sumit.
Inter ferventes inimica in sede furores
Prædatur dominum fugiens, fallitque videntem,
Præsentem vacuat, ne tam discedere pulsos
C Quam lætos migrasse putes; portantur avari
Sic Pharaonis opes, quem tunc mercede soluta
Servitii longum credas taxasse laborem.
Nonnunquam rectis et quæ contraria prosunt,
Et quæ læva malus voluit, mutata recurrunt,
In dextram vertente Deo, solosque nocentes
Vis odii perimens meditata in vulnera ducit,
Et partos fratri laqueos incurrere cogit.
Egressi interea trepido de rege ministri
Compellunt celare fugam, coguntque volentes,
Præcipitant alacres, et festinantibus instant,
Pellendasque putant pulsa cum gente ruinas.
Jam prope centenum compleverat advena lustrum
In regnis, Ægypte, tuis, ex tempore quondam
Quo priscus patriarcha Jacob perduxerat illuc
D Bis sena cum prole domum, carosque nepotes,
Quo per fecundum creverunt millia patrem.
Procedit tandem populus, moxque agmine juncto
Diram linquit humum tenebris ac luctibus orbam.
Nam vicina dies nondum produxerat ortus :
Hæc nox festa Deo redeuntibus annua sacris
Hæc gentis solemnis erit, quæ solvitur hoste.
Primo conspicuus fulgebat in ordine ductor
Legifer, adjuncto præcedens agmina fratre.
Post quos belligeræ disponunt arma cohortes,
Ducunt et validas instructo robore turmas.
Arma ferunt humeris, enses per singula lævo
Dependent lateri, presso tum vertice cassis
Fulget, et albenti certat lux ferrea lunæ.

Nituntur jaculis alii, clypeosque sinistris
Volvunt, et rapido meditantur bella rotatu.
Gaudet pars etiam pharetris, volucresque sagittas
Hostis in occursum mittendis mortibus aptat.
Aut si forte virum fugientia terga sequatur,
Ut pennata leves transmittant spicula ventos.
Incedit pavidum postrema per agmina vulgus,
Non impar numero, cœlum cum pingitur astris,
Æstuat aut motus pelagi crispantibus undis,
Littore vel quantas convertit fluctus arenas,
Vel quantis stillant humentia nubila guttis.
Mirantur Pharii satrapæ, nec credere tantum
Se potuisse vident : placet ejecisse tot hostes.
Sed non hac acie duri salvabere ferri.
Quamlibet innumeris peditum stipere catervis,
Unus pugnabit cunctis pro millibus auctor.
At populus lento moderatus tramite gressum
Arreptum carpebat iter, præcedere tantum
Aggressis ducibus, quantum vel tarda senectus
Vel rudibus reptans infantia sustinet annis,
Ne præmaturis fragilem contristet eundo
Ætatem sexumque labor. Sic cuncta supernus
Dispensat nutus, plebique assistit ovanti.
Ergo ubi signatis sederunt millia castris,
Armatusque pedes vulgus vallavit inerme,
Vespere tum primo stanti assimulata columna
Insistens puro resplenduit æthere flamma :
Non tamen ut noto dirum micat ignis in axe,
Prodita cum terris cœli portenta minantur,
Seu morbis tristem, bellisque aut cladibus annum;
Sed radiis fulgens, et lumine candida læto,
Ostendit nitidum castris mirantibus ignem.
Diffugiunt tenebræ, vicinaque sidera cedunt.
Obstupuere viri primum, perterruit omnes,
Incussitque metum novitas, tum luminis usus
Paulatim cœleste jubar commendat amori.
Maxima nocturnas jam pars exegerat horas,
Et volvenda dies instabat sorte propinqua;
Cunctorum ante oculos per cœlum visa moveri,
Arripuitque viam populo spectante columna.
Protinus hanc patres sancti sensere sequendam,
Esse ducemque ducum; læti mox præsule tanta
Abrupere moras, castris excedere certant.
Tunc ut quæque tribus primum sortita laborem
Ordine carpit iter, sequitur tum cætera pubes.
Hæc inter clarum rediens lux pandit olympum,
Flammea pallescit conspecto sole columna.
Vertitur in nubem totus qui fulserat ignis,
Sed specie perstat tensæ super æthera formæ.
Tertia nocturnos detерserat hora liquores,
Et matutinas scandens sol viceral umbras :
Ecce novum dictu, cœlo servata sereno
Frigida ferventi jussa est opponere nubes
Se radio, densumque parat tenuissima tegmen.
Sic circumjectis, tellus queis ardet eoa,
Æstibus ignorat genuinum turba calorem,
Vesperis ut credas leni respergere flatu,
Blanda vel humentes diffundere frigora ventos.
Nec tamen hanc nubem tetro suffusa calore

A Forma dabat, nec concreto sic horrida vultu,
Ut terrent validos cum promunt nubila nimbos;
Sed qualis madidus solem cum viderit arcus,
Tanta fuit pulchræ species extenta columnæ.
Noctibus ignis erat, lumenque accensa ferebat;
Cum sol torreret, gelidi dabat humida roris.
Has alternantem ducens cum tempore sortem
Mutavit natura vices, substantia discors
Muneribus propriis concordem reddidit usum.
Si mansit, mansere viri; si mota, secuti.
Si multis etiam visa est pendere diebus.
Subdita defixo tardabant agmina vallo.
Ista quaterdenis pietas percrebuit annis,
Dum vastos eremi curris, Judæa, recessus,
Vincla pedum firmante via, dum tempore tanto
B Non attrita suum servarent tegmina pondus,
Mollitieque nova prisci durantur amictus.
Sic longæva foret, quod non damnosa vetustas.
Dum sacrum populo victum candentia manna
Ferrent, et cœli frugem terrena viderent.
Per quam sublimis prædiceret ante figura
Edendum ex utero purum sine semine corpus.
Quo caperet pascenda salus de sede superna
Illabente Deo sanctis altaribus escas.
Hoc signo summus percussa rupe sacerdos
Protulit irriguos populis sitientibus haustus.
Christum namque vides stabilem consistere petram,
Percussus jaculo largas qui præbuit undas,
Porrexitque suis sacro de vulnere potum.
Hebræi interea læti ducente columna
C Per terras gressu, per cœlum visibus ibant.
Ecce iterum Phariis insedit mentibus ira,
Et populus sine more ferox his vocibus armat,
Tandem postremos vicina morte furores:
O nimium stultis illudens mentibus error,
Præstigiæque satis nebulosa in fraude peractæ.
Nonne pudet famulam nullo certamine gentem
Sic impune rapi, quod nemine præsule tantus
Deseruit vacuas discedens accola terras?
Rura vacant, cœptis desistunt oppida muris.
Non solitum consurgit opus, nec cultor in agris
Exercet validos attrito dente ligones.
Turbidus exactor siluit, nulloque tumultu
Fervida consuetos repetunt suspendia census.
Quin potius sumptis exercitus irruat armis,
D Imbellemque manum, profugosque reducat alumnos.
Quos si servilis tantum succenderit ausus,
Ut telis certare velint, mox occidat omnis
Confusa cum plebe manus : ferventibus armis
Permixtæ pereant confosso pectore matres,
Uberibus junctos configant spicula natos.
Prolem quisque suam cernens ante ora cadentem,
Oblatis optet jugulis succurrere mortem.
Orbatum nostros faciat libare dolores
Ultima sors populum : sic vivens omnia perdat,
Tum pereat; densa campi sub strage jacentes
Tristi committant inhumata cadavera cœlo.
Inde ubi jam totos satiaverit ense furores,
Thesauros revocet fugientes dextera victrix.

Talibus excitas acuebant flatibus iras,
Irridente Deo, solus qui despicit omnem
Conatum rigido meditantem vana timore,
Consiliumque ducum cassato dissipat actu.
Ergo bella rogant, fervens rapit arma juventus,
Spumantes ducuntur equi, phalerisque potentes
Suspendunt alacres splendentia frena jugales.
Pugnax pompa nitet, subjectos curribus axes
Aurato temone trahunt; tum cætera pubes
Induitur calybe, aut fulvo circumdatur ære.
Hi loricarum vasto sub tegmine gaudent,
Intexit creber sibimet quas circulus hærens,
Atque catenosi crepitant per corpora panni.
Ast aliis tenui concurrens lumina ferro,
Qua se succiduas junctim scandente per oras
Flectitur, assuti crates compacta metalli
Horrentes habitus diversa fecerat arte.
Et tamen ardentum cuncta inter tela virorum
Terribilis plus forma fuit: quis namque furentes
Spectet, quos lætos vix possit cernere vultus?
Inclusæ galeis facies, et ferrea vestis
Cinxerat iratas armorum luce tenebras.
Progreditur collecta manus; rex ipse frementes
Curru cogit equos; telis tamen undique sepius
Delituit, densam reddunt hastilia silvam.
Concutitur pulsata rotis et pondere tellus,
Angustavit humum latam stipata juventus,
Conclusitque vias; quidquid virtutis habere
Ægyptus potuit, totum mors proxima ducit.
Junxerat interea, ponto qua Magdalus instat,
Hebræus populus rubranti castra profundo,
Evasos credens securis mentibus hostes.
Dum resident, fixoque parant requiescere vallo,
Cernunt pulvereas in cœlum surgere nubes.
Cunctatis primum mox agmina sæva patescunt,
Non tamen infensas patitur committere partes
Sole sub occiduo vicinus prælia vesper.
Distulit in lucem vallatus bella tyrannus,
Et fors ardentes nondum compesceret iras,
Nec servare furor potuisset fœdera nocti,
Auroramque velit motis præcedere signis,
Flammea ni retro subsistens forte columna
Objectu medio gentes discerneret ambas.
Contemplans rex ipse tamen mirabile lumen,
Sic ignem metuit, quod sensu fervidus ardet.
Paulatimque mori non profuit: itur ad unam
Quæ claudat cunctos pelago pandente ruinam.
Plebs trepidat conclusa loco, finemque sequenti
Exspectat pavefacta die, non tela, nec ullas
Bellorum molita vices, sed voce levata
Vatibus insistens: O terque quaterque beati!
Ægyptus quos morte tulit, tellure vel ampla
Urnam defunctis suprema sorte paravit!
Digni qui tantos nequeant sentire dolores,
Nec stragem prolis, vel pignora capta videre.
Alitibus nos esca dati, nec sede sepulcri
Condita deserto solventur corpora vasto.
Talia voce viri; respondit luctibus omne
Vulgus, et accenso persultat turba tumultu.

A Tum sancti cœpere duces promissa referre,
Solarique metum, fletusque abstergere dictis.
Quæsumus ingratos deponite mente timores,
Experti multum nec desperanda putetis
Quæ tantis spondent cœlestia munera signis.
Infidisne potest elabi cordibus unquam
Ægyptus tot cæsa malis, interque flagella
Succumbens quæ sensit humus, vos, cunctaque vestra
Afflicto regno salvos vixisse sub hoste?
Quid de transactis dicatur? Nempe videtis
Ut mediatricis curet tutela columnæ,
Ne quid ab adversa liceat nos fraude vereri.
Quin magis erectas firma spe tollite mentes.
Ultima namque dies defixa est crastina genti,
Quæ nunc bella crepans sumptis confidit in armis,
B Non sic pugna feret, nec telis tela feretis
Obvia, nec vestro vobis sudore triumphus
Hac vice proveniet; cœli pugnabitur ira,
Qua vobis placido peragentur prælia nutu.
Talibus intenti vates dejecta levabant
Corda virum, sancta sedantes voce timorem.
At pontum validus ferventi flamine ventus
Urebat, tota consumens nocte profundum,
Contra naturam Genitor dum fulminat undas,
Ardet et afflatus percusso in gurgite fluctus.
Jam matutinum pervenerat horrida tempus
Vix acies, primosque nitens aurora rubores
Spargebat mundo, tetris dum protinus omnes
Erumpunt castris, fremit undique mota juventus.
At pavidæ plebis postquam pervenit ad aures,
C Clangentisque tubæ percussit pectora terror,
Arripiunt carpuntque viam, qua proxima ponti
Littora sollicitant rubro insignita liquore.
Ut summas pelagi populus pervenit ad oras,
Cessit confestim ducti reverentia fluctus,
Expanditque viam, cui terram clauserat hostis.
Machina, pendenti struxit quam scena liquoris,
Frenatas celso suspenderat aere lymphas.
Aggreditur medium fugiens, vincensque sequentes
Gens electa Dei, figens vestigia terris
In regione maris, calcantur saxa profundi,
Conterit et nudum percurrens orbita limum.
Torridus aspectum scissis sol inserit undis,
Ignotamque novo contigit lumine terram;
Longior et radius spatium descendere tantum
D Certavit, fessumque jubar vix intulit imis.
Credidit exclusos primum, fluctuque repulsos
Inque fugam versos Pharius dare terga tyrannus.
Præcipitare moras tali jubet agmina verbo:
Ecce iterum fugitiva cohors pendentia bella
Deserit, auxilioque pedum confisa recedit;
Vos, armis premite, et clausis insistite tantum;
Cætera pontus aget. Vix hæc perdixerat, illi
Prosiliunt, cursuque ruunt attingere littus.
Ut venere, vident arentis vasta profundi
Insolitam præbere viam, pansoque recessu
Ceu trepidas fugisse piis calcantibus undas.
Hos quoque per siccum tutos descendere callem
Securos pelagi, atque sui; non arma, nec ipsum

Formidare satis patientem vincula pontum.
Substitit ad modicum restrictis motibus agmen,
Frenaque suspensos tenuerunt ducta jugales.
Atque aliquis, cui vel tenuem mutata calorem
Tunc scintilla dabat cordi, sic forte locutus :
Quis Deus a prisco detorquet cardine mundum
Lege nova, mutatque vices, et condita turbat?
Nam si servatur rebus natura creatis,
Monstriferæ quæ causa viæ? quid denique restat,
Si mare transitur gressu, nisi navibus arva
Sulcentur, cœlumque se decurrat ab axe,
In superos inferna levent, plaga fervida cœli
Algeat, afflatam succendat scorpios ursam?
Hæc nisi confusus rerum subverterit ordo,
Non duce me quisquam sævum descenderit æquor,
Sit suspecta mihi qua semita dirigit hostem.
Nam si bella velit librans æqualia numen,
Obice servata fugitivum clauserat agmen.
Nunc abeant, tantumque vagos sua monstra sequantur.
Nec satis amplector, siccum circumvenit alte
Quod pelagus, nudo celans discrimina fundo.
Excipit hæc ardens cum seditione tumultus,
Instantisque latens urget sententia lethi.
Vicerat æquoream pedibus plebs inclyta vallem,
Gurgitis et vacui convexa volumina linquens,
Post barathrum superas scandebat littore terras.
Effertur nigri dux agminis, et Pharaonem
Ira subit proprio vocitatum nomine Cenchrem.
Arripiunt pariter reserati concava ponti,
Invaduntque viam. Quid non furor audeat amens?
Hinc equitum pars agmen agit, pars inde citatis
Ire jubet stimulis rapidas super arva quadrigas.
Ut medium venit frendens equitatus in æquor,
Accusatque moras tam lati gurgitis ardens
Ira virum, tremit arctato pars altera mundo:
Tum per sublimem splendenti nube columnam
De cœlo vox missa tonat, verbique superni
Interpres, sanctum compellans nomine Mosem,
Venit, ait, tempus mea quo mandata probentur;
Ægypto jam finis erit, jam clade suprema
Tot castigatam vicibus sententia mentem
Puniet expugnans : ensis succede flagellis.
Tu modo divisum virga jam percute fluctum,
Atque reducta suos assumant æquora vultus.
Ille genu fixo siccati marginis oras,
Et littus cui fluctus abest, mox jussus adesse
Percutit, insigni credens mysteria ligno.
Hinc subitus crepitare fragor, tonat undique circum
Lympha ruens, primumque illic committitur unda,
Qua monstrabat iter Phario sors ultima regi.
Postquam clausa via est, fluctusque repellit euntem,
Pœnitet intrati jam gurgitis, et fuga serum
Molitur reditum : trepida dant terga cohortes,
Armaque projiciunt; pontus fugientibus instat,
A Occurritque sequens; perit undique circumjectus
Decurrentis aquæ laxatis murus habenis.
Ille ferus semper, jam mitis morte sub ipsa,
Non hæc humanis cedit victoria bellis,
Expugnamur, ait, cœloque evertimur hoste.
Effuge quisque potes, victusque evade satelles,
Nec jam tela Deo conatibus ingere cassis.
O si compunctas humana superbia mentes
Ante obitum mutare velit! Quid denique prodest
Tunc finem posuisse malis, cum terminus urget,
Præsentis vitæ spatium cum cæditur ævo?
Confitearis, ait, sanus, scriptura, valensque,
Si tunc peccatum quisquam dimittere vovit
Cum peccare nequit, luxu dimittitur ipse.
Ergo exaltatis pendens sustollitur undis
B Mox mergenda phalanx : lympharum monte levata,
Pondere telorum premitur, fundoque tenaci
Indutum revehunt morientia corpora ferrum.
Pars exarmatis cum primum libera membris
Implicuit nantes miseris complexibus artus,
Auxilio decepta perit, pariterque tenentes
Æterno sub fasce ruunt, nexique necantur.
Ast alii, lassata diu dum brachia jactant,
Incurrunt enses, jaculisque natantibus hærent,
Concolor et rubro miscetur sanguine pontus.
Quin et conspicuus princeps Memphitidis aulæ,
Candentes ducens nigro rectore jugales,
Inspector cladis propriæ, gentisque superstes
Ultimus ingressis per currum naufragat undis.
Bella vacant pugnante salo, vincitque quietus
C Israel solo peragens certamina visu.
Tum vallis completa perit, fluctuque reverso
Ducitur extentum planati gurgitis æquor.
Littore jactantur tum tetra cadavera toto,
Exposuitque suum pelagus super arva triumphum.
Inclytus egregium solemni carmine ductor
Describit factum, toto quod psallitur orbe,
Cum purgata sacris deletur culpa fluentis,
Emittitque novam parientis lympha lavacri
Prolem, post veteres quos edidit Eva reatus.
De qua sermonem præmisso carmine sumpsit,
Luctificos replicat tenuis dum pagina lapsus.
Si quid triste fuit, dictum est quod paupere versu,
Terserit hoc sacri memorabilis unda triumphi,
Gaudia quo resonant, crimen quo tollitur omne
D Per lavacrum, vivitque novus pereunte veterno:
Quo bona consurgunt, quo noxia facta necantur,
Israel verus sacris quo tingitur undis,
Consona quo resonat persultans turba tropæum,
Quo præcurrentis complentur dona figuræ,
Quæ pius explicuit per quinque volumina vates,
Nosque tubam stipula sequimur, numerumque tenentes
Ponimus hoc tenui cymbæ nunc littore portum.

PRÆFATIO IN LIBRUM SEQUENTEM

Domino sancto, beatissimo et piissimo germano, Apollinari episcopo, Avitus frater.

Post consummationem libellorum quos non sicut voluerat edidit dispositio mea, sed tua sodaliumque quorumdam pia festinatio, affectuosa quidem, sed inconsulta præripuit; cogis insuper tibi specialius dari versus

illos quos ad venerabilem Fuscinam sororem nostram de consolatoria castitatis Laude conscripsi. Quos tunc cum ego post denuntiatum poematis finem, epigramma rectius dicerem, tu primum libri nomine vocitasti, hoc scilicet vocabulum prolixitati ejus asserens convenire. Quapropter habe me etiam in hac parte famulantem judicio, imo potius affectui tuo; quoniam profecto iniquum est, ut cui parui in majoribus, in exiguis contradicam. Meminerit autem pietas tua, hunc ipsum quia sic vocas libellum, vel de religione parentum communium, vel de virginibus nostræ familiæ familiarius disputantem, illis tantummodo legendum dare, quos re vera nobis, aut vinculum propinquitatis, aut propositum religionis adnectit. Potes enim ex materiæ qualitate A *metiri, quod de germanæ sanctimonialis affectu secreta meditatione compositum, vix vel tibi crebra victus jussione confiteor, quando aut qualiter venire in extraneorum manus velim: sane a faciendis versibus pedibusque jungendis pedem de cætero relaturus, nisi forte evidentis causæ ratio extorserit alicujus epigrammatis necessitatem; cujus tantam exiguitatem fore polliceor, ut ei aliud nomen assumere nec ipse præsumas. Decet enim dudum professionem, nunc etiam ætatem nostram, si quid scriptitandum est, graviori potius stylo operam ac tempus insumere, nec in eo immorari quod paucis intelligentibus mensuram syllabarum servando canat, sed quod legentibus multis mensurata fidei astructione deserviat.*

LIBER SEXTUS.

DE CONSOLATORIA LAUDE CASTITATIS, AD FUSCINAM SOROREM DEO VIRGINEM SACRATAM.

Suscipe, complectens, Christo dignissima virgo,
Alcimus ista tibi quæ mittit munera frater,
Inque levi calamo causarum respice pondus,
Et tenuis fortem commendet cantus amorem.
Nam quoties sanctum compleverit ordine cursum,
Alternos recinens dulci modulamine psalmos
Quos vivens in corde chelys, virtute canora,
Interiore sono castis concentibus aptat:
Tum licet excusso libeat tibi ludere versu,
Atque fatigatam meditando absolvere mentem.
Non hic fallaci tingetur barbitos unda,
Pegasus unde leves prævertens motibus auras
Fingitur assumpto pendens hinnisse volatu,
Dum ferretur equi gravis ungula præpete penna.
Sed nec Pierio ducent hic cantica ludo,
Quas sibi ter ternas mentitur fama sorores.
Dat tibi germanum, sed verax musica plectrum,
Et Christum resonans claudetur fistula Phœbo.
Edidit ut quartam genitrix Audentia prolem,
Teque dedit generi partu fecunda supremo;
Confestim parcam promittit ducere vitam.
Ac deinceps paribus castum servare cubile
Constituit votis carorum cura parentum.
Et quia principium tam sancti fœderis esses,
Tu simul offerris Christo, qui protinus ipsis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.
Sic quondam, cum prima novo splendesceret ortu
Terra nitens, pulchrasque darent sua semina fruges,
Viventem ducens ad sancta altaria fetum,
Innocuis sonuisse Deo balatibus agnum,
Insinuante fide justus cognoverat Abel,
Et capite oblato placuit grex totus ab uno.
Ergo ubi vitalis fovit te lympha lavacri,
Jamque suum peperit cœlestis gratia pignus,
Non tibi gemmato posuere monilia collo,
Nec te contexit, neto quæ fulgurat auro,
Vestis ductilibus concludens fila talentis.
Nec te Sidonem bis cocti muricis ostrum
Induit, aut rutilo perlucens purpura fuco,
Mollia vel tactu quæ mittunt vellera Seres.
Nec tibi transfossis fixerunt auribus aurum,
B Quo dependentes ornarent vulnera baccæ,
Et pretiosa quidem mala sed saxa gravarent.
Latius hæc vero sanctus describit Esaias,
Ornatusque refert varios qui membra venustant,
Quæ mox pascendis præbebunt vermibus escam,
Et forsan dum vita manet, percurrere verbis
Morborum tot sæva potest discrimina nemo,
Ante obitum cuncti quæ formidare docemur.
Singula vel totis obnoxia mortibus esse,
Omnia dum proprio solvantur corpora fine,
Atque unus præstet reliquos desistere casus.
Et quid quisque cupit periturum comere vultum,
Interior dum sordet homo, ac se crimine turpat?
Sed tibi cum geminum tetigerunt tempora lustrum
Mox stola sincero velat te candida cultu,
C Virginis os habitumque decens, et concipit omnem
Floribus imprimis jam mens matura pudorem.
Haud secus exsultans sterilis, post damna juventæ
Fecundata novum cum ferret femina fetum,
Vestem læta suo parvam texebat alumno,
Disceret ut Samuel jam tum puer esse sacerdos.
Sic te læta domus sanctis altaribus aptans,
Assueto docuit dignam concrescere templo,
Scribens in thalamos ac magni fœdera regis.
Et cupit electam speciem sibi jungere Christus,
Ornatu vario ditat quam gratia pollens.
Hæc ubi respirans prævenit gaudia mater,
Ac tibi collatum parvo conspexit in ævo
Grande bonum, teneris dum virtus creditur annis,
Teque reparturiens melius quam corporis alvo,
D Spemque metumque inter, quanquam iam libera voto,
Fert tamen attonitas sic læta quod anxia curas,
Insinuans causam lacrymis, tum talia mandat:
Ortu quarta quidem, sacro sed munere prima,
Dulcis nata mihi, cœlo quam carne fideque
Bis genui, Christoque rudem de ventre dicavi,
Hactenus hoc nostrum fuerat, sed tempore ducto
Jam decet esse tuum; nam quod servabere, virgo,
A me principium, tibi pervenit; omnia posse
Incipies, cum velle subest: vestigia fervent,

Per quæ sectato conscendas tramite cœlum;
Nec desunt exempla domi. Nam respice quantas
Virginibus florens jam nostrum stemma coronas
Miserit in cœlum, sancto quas dogmate mater
Severiana levans, et te conjungier optat.
Nec multo senior, nunc gaudens Aspida, quondam
Sacratum velata caput, tua munia sumpsit,
Bissenos jungens sanctis altaribus annos.
Quam licet hinc celeri tulerit sors ultima letho,
Nil tamen est subitum semper migrare paratis.
Aspice nunc columen, gemina quod virgine fulget,
Eximiumque decus, cujus tu jure propinqua
Fuscinam Fuscina refers; nec segnius illam,
Quæ pietate potens, ª Graia si voce sonetur,
Significat propriam sumpto de nomine mentem.
Queis licet emeritum cedant sua sæcula culmen,
Vitaque sublimi cunctis præpolleat arce;
Has generosa tamen matres si corde sequaris,
Gaudebunt vinci dum proficis, ac tibi summam
Sponte dabunt palmam superanti vota magistræ.
Hæc dicens teneros sancto exhortamine sensus
Impulit, accendens ad virginitatis amorem.
Sic mater fecunda utero, fecundior actu,
Machabæa potens, et prolis funere felix,
Orbari gaudens, animo vincente senectam,
Edocet hortando sobolem non cedere mundo,
Inflammatque pios ad fortia facta furores.
Quid tua nunc repetam, tenero quæ fortior ævo,
Ante annos animumque gerens, responsa dedisti?
Non hæc parva tuam suscepit pagina laudem.
Exitus impleto veniet cum tempore victor,
Laus melius canitur, cum jam clamante triumpho,
Consummata tuis reddentur præmia factis.
Nunc decet attonitos cauta te voce monere,
Sollicitas tecum partiri ac volvere curas,
Atque juvare tuos hortantia dicta labores,
Dum pugnat varius per crebra pericula casus,
Lubrica dum fragili currit sub tramite vita,
Dum tua calcatus captat vestigia serpens,
Ascendens dextro quem conterat aggere planta.
Nil non incertum præsentia sæcula ducunt,
Nec secura datur requies in carne caduca.
Vertuntur nam sæpe boni, perit obruta virtus,
Partaque transactæ decedunt præmia laudis:
Ac plerumque solet, subito succensa calore,
Frigida quæ nuper fuerat, mens linquere mundum,
Atque repentino restringere crimina freno.
Sic alternantem commutant fata rotatum,
Impius ut speret veniam, justusque timendo
Proficiens, cumulum magnis virtutibus addat.
Nam studium sancti laxet si forte laboris,
Pigraque consuetas dissolvant otia curas,
Labitur in præceps damnosæ gloria vitæ.
Stare nequit meritum, si non acquirit eundo,
Amittit rediens; nitendum est viribus amplis,
Ut satis angustam observent vestigia callem.
Nam qui diffusam spatio laxante plateam

ª Euphrosine.

A Mundanis ludens facili nunc aggere currit,
Strictior hunc carcer crudeli sorte ligabit.
Tu modo da veniam, qui te exhortatur, amori,
Currentemque monet, cum vix tamen ipse sequatur:
Suadet veloci tardus compendia gressus.
Namque ad doctrinam, canimus quam paupere versu,
Tu melius jam docta venis, quæ junior ortu,
Religione prior, vivendi jura dicasti.
Annorumque sequens, meritorum sorte superstes.
Quod si consequimur, jam nostrum forte putetur;
Quod sequimur, tamen hocce tuum est: conversio [fratrum
Exemplo debenda pio, te respicit auctor,
Primitiasque in te sacris de fructibus offert;
Indicit sed sancta fides, ut corde propinquo
B Participata levet fraternum sarcina pondus.
Tu germana, plum quæ ducis ab ubere fascem,
Non carnis, sed legis habes cervice fideli
Subdita ferre jugum, nec vincla in conjugis ire:
Mundanas odisse vias, percurrere mundas;
Illinc nolle toros, hinc sponsum quærere Christum,
Sic tædas tempsisse, pio quod amore calere,
Pigra voluptati fervescere corda labori,
Ignorare virum, fetus tamen edere tales,
Quos tristis nunquam possit tibi tollere casus.
Non orbata gemes fecundæ pignora vitæ,
Nec viduam sponso metues superesse perenni,
Expers ipsa mali; nec te sententia tanget
Qua prolis mortisque parens compellitur Eva,
Occisam pariens sobolem vivente reatu.
C Quæ subjecta viro dominum passura cubilis,
Servit in obsceno tolerans connubia lecto.
Sic captiva tori, cum portet nomen inane,
Conjugis et vana dicatur imagine consors,
Sola jugo premitur non æquam ducere sortem.
Et cum longa decem tulerint fastidia menses,
Perfectoque gravis fetu distenditur alvus,
Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matri
Infligunt duros utero turgente dolores.
Nam cum luctato solvuntur viscera partu,
Una luit, tanto carnis discrimine pendens
Quod coiere duo; spes palpat forte dolentem,
Editus in lucem si vivat filius; atqui
Contingit plerumque gemens ut mortua fundat.
Sæpe etiam soboli nec mortis tempore natæ
D Dant geminum matris commortua membra sepul- [crum.
Illud jam levius quoties intervenit, ipsa
Ut pereat tum sola parens, ac pondere fuso
Emittat cum prole animam? Quid forte levatum
Nutritumque diu rapitur si funere pignus,
Unica quod crebro spes respicit, et perit omne
Quod sibi conceptis spondebant gaudia votis?
Omnibus his illud gravius, si forte carentem
Cœlesti lavacro tenerum mors invida natum
Præripiat dura generatum sorte gehennæ.
Quique, genitricis cessat cum filius esse,

Perditionis erit; tristes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantum genuerunt, membra parentes.
Quis memorare queat tanti discrimina casus,
In quæ pertrahitur dilectæ gloria carnis?
At late longeque tuam discernere sortem
Libertas cum lege potest qua necteris, ut te
Impia fallentis non stringant vincula mundi.
Tu Mariam sequeris, dono cui contigit alto
Virginis et matris gemina gaudere corona,
Conciperet cum carne Deum, cœlique Creator
Intraret clausum reserans mysteria ventrem.
A genitrice satus, sed quam formaverat ipse,
Elegit nitidam de qua procederet alvum,
Solus qui carnis proprium disponeret ortum,
Præsciretque diem longe, tempusque videret
Quo pariendus erat: præcessit membra voluntas.
Ipse Deus Verbum, vestitum, viscere sumpto,
Qui cum Patre jubet, materno in corpore servit,
Suscipit et famulum Dominus, qui jusserat ævam.
Tempora per patrem, per matrem semina nescit.
Illa quidem fecunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, Dominumque perennem
Edere promeruit; sed nec tibi gloria tanti
Defuerit facti; Christum si credula corde
Concipiens, operum parias pia germina cœlo.
Si quis, ait, nostram compleverit ordine legem,
Hic mihi semper erit frater, materque, sororque.
Aspicis ut sexu careat cœlestis imago,
Interior sortitus homo, quam mente retentat?
Præbuit exemplum surgens a morte redemptor
Femineum maribus cum sic præponit honorem.
Gustavit sumptam nostro pro crimine mortem,
In crucis excelso pendens sine crimine Christus.
Atque animam, vivos quæ mox remearet in artus,
Fixus adhuc sancto clavis efflaverat ore.
Deseruit populi spectacula talia cœtus,
Signaque ferre nequit, cœlum quæ triste minatur.
Nam sol obductus, vultumque retortus ab orbe,
Cesserat injustas nocturnis luctibus horas,
Atque peregrinis aditum dedit ipse tenebris,
Temporibus magno mutatis ordine rerum.
Nox erat in superis, lucemque inferna videbant
Contremuit tellus, et nisu mœnia magno
Concussis summo nutabant vertice cristis.
Senserunt motum prisci descendere saxa
Jussa locis, sonitusque novos collisa dederunt.
Hos inter strepitus, cunctis fugientibus, illæ
Decernunt, quanquam trepide, persistere matres,
Pervigil ut sancto sic vivens cura sepulcro
Serviat, et voto præsens persolvat honorem.
Pinguia fragranti componunt illita succo,
Quæ salvans salvum servarent lintea corpus.
His amor expensis lugubria dona parabat,
Supremum credens semet persolvere munus.
Et cum sic breviter prævenerit ista resurgens,
Quod credebatur servandum poscere munus
Quo non indiguit, placatur munere Christus.
Pro quo respondens confestim gratia, præstat
Angelicos cernant humana ut lumina vultus.

A Splendida candebat cœlesti in corpore vestis,
Et vultum rutilus resperserat undique fulgor,
Matribus ut dignis verbum cœleste sonaret,
Angelus alloquitur sancto quas taliter ore.
Femineo sexu mentes transite viriles,
Nec trepidate novo fortissima corda tumultu.
Adversos hæc signa petunt, vos nulla timendi
Causa manet, quas cura pii confirmat amoris.
Quæritis, agnosco, pretiosa in sede sepulcri
Solemni nuper tumulatum funere Jesum.
Sed meminisse decet quid præscius ore fideli
Dixerit ante obitum, duplici non amplius ulla
Servandum se nocte, et jam jam tertius hic est
Qui complet promissa dies: patet ecce sepulcrum
B Deseruit vacuum victa quod morte resurgens.
Taliter excelsus jusso sermone minister,
Sparsurus mundo vitalis dona triumphi,
Has primum gaudere dedit, luctuque levavit.
Ibant impavidæ læto jam pectore matres,
Credula conceptæ servantes corda saluti,
Cum medium sese Christus gradientibus offert,
Agnoscique jubet, blando et sermone salutat.
Ite, ait, et nostris hæc jam mandata referte
Discipulis, norint ut surrexisse magistrum.
Illæ complexis defigunt oscula plantis,
Atque ad discipulos alacri cum mente recurrunt,
Doctoresque docent, et quæ spargenda per orbem
Primum femineis instructi discere verbis,
C Agnoscunt animam potius quam vivere sexum.
Communis virtus igitur, commune periclum
Matribus atque viris; nulla est distantia cordis:
Rectum velle subest, si gratia constat utrisque,
Cui tamen attento desudet vita labore.
Aut quid dona juvant hominem, si mente soluta
Turpia collatum disperdant otia munus?
Auxilium conatus amat: quis namque vacantem
Adjuvet, aut somno virtutem jungat inerti?
Cœlestis rex ille, parans discedere terris,
Argentum famulis, ut quis virtute valebat,
Quinque minas primo, duplicem dat sorte secundo.
Atque impar magnis suscepit tertius unam.
Tunc sic discedens famulos simul instruit omnes.
D Nunc si quis vestrum devota mente fidelis
Experiar fuerit, quæstu noscendus ab isto
Qua quis sit virtute potens, qua præditus arte.
Thesauros geminate meos, usuque polite,
Livida ne facies pulla rubigine tingat
Accipitis nitidum pura quod fronte metallum.
Si redeam, meritis addentur præmia justis
Dixit, et abscessu cœlestia regna petivit.
Incubuere duo studii certamine vernæ.
Fenerat ille citus partem splendentis acervi,
Pauperibus largo dispensans plurima dono,
Crescit et in cumulos quidquid confertur egenis.
Exponens alter sacri mysteria verbi,
Usuras sancto gaudet concrescere lucro,
Et cupidus recti vitam dum prædicat addit.
At solus minimo sumpsit qui pondere libram,
Defossis scrobibus marsupia mersa locavit,

Degenerique fluens elegit vivere luxu.
Sed judex tandem finito tempore mundi
Regreditur, cujusque moram despexerat, excors
Contemnit servus reditum; tunc omnibus ille
Ut doceant ratione jubet, quem tempore tanto
Poscenti reddant operata negotia fructum.
Argentum gemini geminata mole ministri
Promunt, et læto referunt commercia vultu.
Tertius ille piger drachmam tellure latentem
Promit, quæ juncti sorbens contagia cœni
Perdiderit proprios incluso lumine vultus.
Illum terribili dominus tunc increpat ore:
Tantane te nostri tenuere oblivia segnem,
Serve piger, reditusque mei sic cura refugit?
Argentum, nitida quod purum luce tulisti,
En tetrum pressumque refers. Nam cognita quondam
Delituit, nec respondens, ut sæpe solebat,
Forma mihi, vultusque mei non paret imago
Assignata tibi; sed si ferrentur ad usus,
Altarisque mei tetigissent credita mensam,
Cresceret inscriptus nostro de nomine nummus.
Nunc igitur famuli vos totum ferte fideles,
Addat ut utilibus sors ultima, tollat inerti.
Improbus in paucis hic dignus non erit ullis:
Quisque voluntatem noscens contemnit herilem,
Cæditur hic multis, paucis qui nescius errat,
Ergo age, succinctis ad fortia prælia lumbis
Armata cum mente veni, nec femina bellum
Formides quod mens peragit: nam gloria dudum
Sexus ista tui nota est tibi sæpe legendo.
Nec dubiam te nosse reor, cum Debora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros, quos ipsa ducatu,
Exemplo verboque monens accendit in hostem.
Sed postquam ducens princeps animosa catervas
Impulit accendens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus; dissolvitur omnis
Hostilis virtus, et qua se femina monstrat,
Palantes dant terga viri, latebramque petentes
Si vivant, vicisse putant. Tunc maximus ipse,
Forma gigantææ junxit quem corpore molis,
Immensamque levans produxit verticis arcem,
Rex Sisara fugam, telorum fasce rejecto
Incomitatus agit, metuens sublime notari
Corpus, et excelsa fugitivum prodere massa.
Sed postquam latuisse putans, tectoque receptus,
Mollia perpetuo dimisit lumina somno,
Hunc etiam sternit mulier, terraque jacenti
Malleus infixo transfodit tempora clavo.
Femineus sic ille fuit per cuncta triumphus.
At tu, virgo Dei, sanctis quam moribus ornant
Hinc pudor, inde fides, internis fortior armis
Bella geris, justis sævus quæ commovet hostis
Spes tibi fida forèt felix in vertice cassis,
Contineat lumbos pretiosi zona pudoris,
Justitiæ lorica tuos constringat amictus,
Pro gladio verbum semper tueatur acutum.
Has virtutis opes, hæc sic solatia belli

A Describens, mentis varias cum corpore pugnas
Prudenti quondam cecinit Prudentius ore.
Namque ibi bellatrix, et pleno robore pollens
Virginitas armata venit; quam fœda libido
Appetit, et casso vocat in certamina nisu.
Sic bellatricem te sentiat æmulus anguis,
Cumque lacessitæ concedent prælia palmam,
Læta feras summum calcato ex hoste tropæum.
Nam quidquid sacræ divina volumina legis
Eloquio sensuque docent, quod prædicat ipse
Antiquus mundi replicans exordia vates,
Sive ille historias texat, seu forte figuras,
Quod diversa retro multorum tempora regum
Post Ruth succiduo gesserunt ordine magnum.
Vel quos post reprobum Davidica regna Saulem
B Ter quinquageno scripserunt carmine psalmos.
Pacificus quidquid lati inter sceptra Salomon
Obscurum sensu per clara proverbia dixit:
Quodque bis octoni post se videre prophetæ,
Quod clausum Job mitis ait cum vulnere aperto.
Esther quid memorem, et castæ mendacia Judith,
Ornati cum fraude satraps accenditur oris,
Cum meat illudens obscenum femina lectum,
Desectoque feros compescit vertice visus?
Quod melius cernens cæcato in corpore Tobi,
Quæ secreta videns perscripsit conditor Esdras.
Quidquid post priscam succedens gratia legem
Intonat, atque Novi miracula Testamenti
Hinc hominis clamat facies, vos inde leonis,
Et pernix aquila, et fortis certamine taurus.
C Inde quater terni puris quod mentibus agni
Egerunt toto spargentes semina mundo.
Bis septena pii quod spargit epistola Pauli,
Quod Petrus Jacobusque docent, quod Judas, et ipse
Qui conspecta refert cœli secreta Joannes.
Quin et veridici quæ plurima tractatores
Exposuere suis mysteria digna libellis,
Hæc tu cuncta tenens animo sitiente bibisti.
Nec si quid sacrum nostri cecinere poetæ
Te latet, agnostique legens, et condita servas,
Atque aliena tuo commendas carmina cantu,
Quid totum replicem? Tu sensibus utere doctis,
Et quæ nota tibi, vel quæ percursa legendo,
Ad virtutis opus studio converte virili.
Nam nisi doctrinæ jungatur vita fidelis,
D Agnosci gravius non observanda nocebit.
Esuriit postquam Dominus, cum forte vianti
Conspicitur diffusa levi ficulnea fronde,
Nec jam maturum prædicta ex arbore fructum
Carpere tempus erat, quam mox ut repperit ille
Indutam tantum foliis, sed germine nudam,
Prorsus inane virens ornatus inutilis horret;
Percutitur subito radix afflata calore,
Aruit et posito ramorum tegmine truncus.
Instruimur tali legem cognoscere signo,
Ne Christi famulo, solo sermone fatenti,
Nomine confesso vivens operatio desit.
Nam si Christicolas nosmet sanctosque putamus,
Aggravat hoc etiam, ni dictum facta sequantur.

Sic et virginitas sacro devota pudori,
Indiget adjunctis virtutibus; et nisi mentem
Intactam servans casto cum corpore jungat,
Succumbit vitiis; nec castam dicere carnem
Jure potest, animus quam sic corrumpit adulter.
Ira, furor, mœror, livor, discordia, luxus,
Lingua duplex, constricta manus, laxata voluptas,
Mœchantur cum corde hominis, tum semine mortis
Fetus mortis alunt. En quo perducitur omnis,
Nomine virgineo quæ se dum jactitat, intus
Criminibus gravidam nescit turgescere mentem.
Ecce tibi e multis unum, quo cætera noscas,
Exemplum. Dominus plebem cum forte doceret
Pervigili cura supremum noscere tempus,
Exspectare diem quo judex imminet orbi,
Virginibus sancto signatos chrismate confert,
Hasque decem nobis documenti in vertice monstrat,
Quarum quinque tamen sapientia dives adornat,
Ast aliis stolidum lentavit inertia sensum.
Sopitas pariter requies complectitur una,
Atque obitum signans depressit lumina somnus.
Transierat medium vix forte quietis, et illud
Tempus erat noctis, quo Christus carne recepta,
Fregerat obstructas, perrupto cardine lethi,
Jam portas, inferne, tuas, spretoque sepulcro
Devictis læta remeabat luce tenebris.
Perstrepuit subitus rumpitque silentia clamor,
Tandem sponsus adest, nocturnus corpore torpor
Abscedat, sapidæ raptim properate puellæ.
Protinus exsiliunt omnes, stratisque relictis,
Aptavere suas quæsito lumine flammas.
Tunc sed quinque, quibus cordi solertia major,
Quamvis festinant, oleum tamen addere sumptis
Sollicitudo fuit vasis, pinguique liquore
Ignibus armatis squalentem rumpere noctem.
At quæ neglectum liquit pars altera succum,
Sumens flammigeras nequicquam sustulit hastas.
Emicat exiguus commoti luminis ignis,
Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deserit, et siccam percurrit flamma papyrum,
Atque inter picei nebulosa volumina fumi
Vanescunt pigra crescentes mole favillæ.
Ut sese indignas tali videre paratu,
Occurrant sponso quæ cominus advenienti,
Tarda movet lentis pudibundum cura laborem.
Quæ prece submissa stultis tum vocibus orant,
Ut porrecta manus torpentes suscitet ignes,
Dividat et proprium sapientia pinguis olivum.
Respondent pariter tali sermone sorores:
Est miseranda quidem vestrorum causa malorum,
Sed tamen hic oleum non plus quam sufficit affert
Unusquisque sibi, constat quia copia vasis,
Et perfecta suum servat mensura liquorem.
Nec fas quæsitum partiri aut perdere succum,
Ne dispersa cavis desint fomenta lucernis,
Cumque lucrum vobis dispendia nostra parabunt,
Tota simul fessis torpescant lumina flammis.
Talibus abjectæ dictis, tristique repulsa,
Perlustrant quocunque loci commercia fervent,

A Venalesque manus; sed dum disceditur, ecce
Introiit sponsus thalamum, induxitque paratas,
Atque vagas linquens exclusit porta sorores.
Cernis virginei pereat quod nomen honoris,
Ni fertur sanctus thalamis cœlestibus ignis.
Felix illa manus, largis quæ provida donis
Accensum pura fovit pinguedine lumen.
Tantum namque olei vasis diffunditur amplis,
Quantum poscenti miserans porrexit egeno.
Hinc Dominus palmis ardentes ferre lucernas
Admonet: hoc opus est, hæc claræ gloria vitæ.
Suppetat ergo tibi pietas, patientia, virtus,
Sed virtus animi; fragiles nam carne puellas
Protulit interdum cœlo constantia mentis.
Eugeniæ dudum toto celeberrima mundo
B Fama fuit, dum dat Christi pro nomine vitam.
Ante tamen mulier fortes processit in actus,
Cum stipante choro sanctorum fieret abbas,
Atque patrem complens celaret tegmine matrem.
Sed postquam sancto cunctis perclaruit ore,
Et meritis annisque graves, longaque verendos
Relligione senes juvenili rexit in ævo;
Impatiens recti, toto qui tempore serpens
Mille nocendi artes, stimulisque inflammat amoris
Quo famam violare cupit, dedit inde coronam.
Commovet insano qui fingat amore puellæ
Accendi Eugeniam, motuque ardere virili.
Turba senum turbata coit, quod crimine tanto
Tam rigidam nuper potuisset solvere vitam
Mens dejecta viri, viduataque præsule summo
C Nil non posse dolet titubans perfectio carnem.
Ducitur iste foro juvenis, sævumque tribunal
Intrat adhuc monachus; vincit concordia fraudis,
Et jam jamque reum secreti ignara tenebat
Publica vis, odio tantum flammata sinistro.
Conscia tum sexus proprii, cordisque pudici,
Vincitur ut vincat jam prodens femina fraudem,
Quamvis extérius carnem compulsa fateri,
Interiore tamen servato permanet heros
Semper tuta fuit casti custodia voti,
Quamlibet impugnet miseri fraus callida mundi,
Extendatque dolis laqueos, mendacia nectat,
Non venit ad pronam mens culpæ ignara ruinam.
Quosque fremens hostis fallaci tribulat astu,
Purgandos sancto patientia discutit igni.
D Vendiderat quondam juvenem manus æmula fratrum,
Et famulum Joseph tellus Memphitis habebat;
Pertulit ille quidem dominum, cum crimine falso
Confictus voluisse nefas, quod triste refugit,
Sustinuit tolerans ergastula, vincla, catenas,
Dum spatium replicans geminos sol junxerat annos.
Oblitus jam lucis erat, jam crine fluenti
Nutritus macie tangebat terga capillus.
Sed vegetante Deo mens nullis clausa tenebris
Prævidet arcanum quidquid post exitus implet.
Denique producto certatim gloria fertur,
Non tantum venia; et precibus tunc ipse rogatus,
Ut diadema libens captivos in vertice sumat,
Exsilium regno commutat, principe servum,

Præmia servati cordis sic percipit iste.
Susannam post hunc dignis quis laudibus unquam
Excolat, infirmis quondam quæ vicit in annis
Improba vota senum, conjuratosque furores?
Primum disjuncto quos cepit causa viritim
Consilio, solusque sibi promisit uterque
Spem culpæ, sed turpe calens in cordibus ignis
Conflavit mentem sceleris fornace duorum.
Conveniunt, nam forte die sic contigit una,
Abscessu ficto diversa ut parte redirent.
Inque nemus venere simul; vulgata vicissim
Panditur alterno flagrans in corde voluptas.
Ilicet incautam fallentes fraude puellam
Appetiere simul; poscunt consentiat ante
Dedecoris tantum moveat quam fama rebelli,
Moxque retorquendum facinus, ni cedat, in ipsam
Confessi ardorem pariter mendacia produnt
Disposita, et laqueos pandunt, quos nectere vel-[lent.
Anceps illa diu secum luctatur, et hærens
Fluctuat incertæ quo vergant pondera mentis:
Lex peccare vetat, rursusque infamia terret.
Hinc iterum duros precibus mollire furores
Tentat, et obscenas lacrymis restinguere flammas.
Sed postquam nullis precibus monitisque remotos
Obstrictosque senes vicit cognata libido,
Femina præclaro mentem succensa pudore
Decrevit tunc casta mori, ne crimine tanto
Ambirent miseram carnis commercia vitam.
Cœlum teste vocat, famamque recusat inanem
Judicio contenta suo: cum conscia corda
Commendat superæ fidei, servatque futuris.
Maluit ille tamen secreti inspector apertum
Examen præstare loco, facinusque reclusum
Pandere, et objectas laqueis producere fraudes.
Spectabat tantis commotam fletibus urbem
Junior ille puer, pueris tribus ipse futurus
Post comes, undanti quos jecit Parthica flammæ
Contempto imperio flammis ferventior ira.
Arsit contracto pariter crescente calore
Hinc furor, inde fides, sanctis dum mollior ignis
Serviit, et tepido conclusit pruna rubore;
Donec miratus cessare incendia satraps
Jussit, et astantes flammarum copia cinxit.
Hos meritis æquans Danielis proxima virtus
Horrida frendentum compescuit ora leonum,
Dum prius accensi stimulis famis atque furoris;
Frenatoque simul sternentes corpora rictu,
Incolumem lambunt inter jejunia pastum;
Cum sumat tamen iste cibos, quos vertice pen-[dens
Angelica librante manu per inane citatus,
Subjectas calcans immotis gressibus auras,
ntulit illatus fascis cum fasce propheta.
Excepit Daniel transmissas desuper escas.
Fercula longinquis migrant ferventia terris,
Asservantque suos peregrina in sede sapores.
Hic ergo impubes Susannam forte videbat
In tormenta rapi, veri quam nescius ante

A Vulgus inauditam damnaverat, et simul omnes
Insontis sontem certabant cernere mortem;
Cum subito in medium juvenis se proripit agmen,
Accensum tenera castigans voce tumultum,
Cur tanto ex cœtu nullus rem judicat, ac se
Liber ad injustum clamat non currere lethum?
Protinus ad verbum pueri permota repressit
Turba sequax animos; judex decernitur ipse,
Consultorque senum, per quem via vera patescat.
Consulit avulsos quisnam sit criminis ordo,
Sed dum discordans responsum præbet uterque,
Conjunctum facinus disjuncta voce fatentur.
Tunc omnes pariter timor accipit: undique cla-[mor
Tollitur, auctores sceleris plebs obruit omnis,
B Laudaturque Deus, qui nunquam vota bonorum
Deserit, auxiliumque suum pro tempore monstrat.
Et tamen his prior est quæ virginitate pudica
Intactum præfert ad vota perennia corpus.
Nam si terrena nubentem lege puellam
Asservasse toros, atque unum nosse cubile,
Mortali tantum laudatur judice cœtu,
Conjice virgineis quantum disponitur illic
Quo Christus vocat hinc meritis, ubi sede superna
Humanum in partes dirimet genus arbiter orbis.
Agnos dextra levans, lævos contemnet ut hædos;
Stabunt angelici mirantes facta bonorum
Laudantesque chori: cunctis commune patebit
Decursæ carnis meritum; fraus nulla tenebris
Abdere, vel notas poterit subducere culpas.
C Illic nota tibi subsistens vita petatur,
Quo justus ditat dispensans præmia judex.
Quondam succincte quod dictum est ore magistri,
Dum viget officio famulans solertia Marthæ,
Attentamque tenet verbi virtute sororem,
Cura cibo melior, pastu quæ digna perenni.
Tunc vacuas Domino depromens Martha querelas,
O doctor, non cernis, ait, quod sola paratu
Vexor, et hæc nullum confert germana levamen?
Cui Christus sic forte refert: Sunt plurima quæ te
Obstrictam retinent, melior sed causa quietis,
Lectaque nec poterit Mariæ pars optima tolli.
Sic, germana, suis dum flagrant sæcula curis,
Electam servare tibi non desine partem.
Te meruit primam cognatio tota patronam;
D Jam te signiferam sequimur; vexillaque Christi
Te portante libens sectatur stemma parentum;
Quos licet antiquo mundus donasset honore,
Et titulis monstret generoso semper ab ortu;
Plus tamen ornavit divinum insigne gerentes,
Ordine quod proprio sanctas meruere cathedras.
Non atavos jam nunc tibimet proavosque retexam,
Vita sacerdotes quos reddidit inclyta dignos:
Pontificem sacris assumptum respice patrem.
Cumque tibi genitor vel avunculus undique magni
Post fasces placeant populorum sumere fascem,
Suscipe quos humiles patrum ad consortia fratre
Officio similes nectens Ecclesia junxit.
Pro quibus assiduas Christo persolvere grates,

Fundere vel fletus non tædeat; ut tibi nullus
Fratrum de numero desit, cum præmia sumes
A Factis digna tuis, materque effecta parentum
Virgineas victrix socialere læta coronas [a].

[a] Labbeus in Nova Bibliotheca mss. librorum, edit. Paris. 1653, pag. 228, ex ms. codice Naudeano tres sequentes versus descripsit, qui in omnibus editis desiderantur:

Alchimus hæc lubrico texi quæ carmina versu
Binis jam brevibus sex SENA VOLUMINA pennis
Conscripsi, en celeris deno sub lumine solis.

GALLANDII ADNOTATIO

DE ALIIS AVITI POEMATIS EJUSDEM ARGUMENTI, NON EDITIS.

Præter hos quinque libros, et sextum, qui alterum solet ad Fuscinam sororem, carmen hactenus Aviti nullum prodiit; nec plura his olim Gregorio Turonensi et Isidoro cognita fuisse Aviti poemata constat. Sed alia tamen non pauca diversis de rebus ab eo versibus scripta docet epistola ad Apollinarem fratrem. De quibus sermo nobis hoc loco non est; sed de iis tantum libris qui Mo- B *saicam historiam continuantes, Exodum, et reliquas Heptateuchi partes persequuntur, atque Alcimi Aviti nomine in nonnullis bibliothecis reperiuntur. Quos ego ut ad Avitum pertinere non abnuerim, adeo tamen rudes passim et impolitos, ac mendis scatentes in tribus quæ vidi exemplaribus animadverti, ut religionis sit, opus quod auctor ipse, ni fallor, hoc habitu prendi nollet, in lucem evulgare. Singulorum autem librorum initia, si cui animus est cognoscere, ex subjecto indice deprehendet.*

(a) ALCIMI AVITI METRUM IN EXODUM.

Versus continet 1327.

Interea varios agitant dum tempora cursus,
Et nova succiduos surgit de germine proles.

IN LEVITICUM.

Versus continet 308.

Postquam conspicuo longinqua in devia templo
Extremâ est imposita manus, mox cura sacrorum
Vatibus incubuit.

IN NUMEROS.

Versus continet 689.

Verterat interea solitis se cursibus annus
Mensibus explicitis sua per vestigia currens.

IN DEUTERONOMIUM.

Versus continet 287.

Hactenus informis eremi vexatus arenis
Jordanem ad fluvium populus promoverat arma.

IN LIBRUM JESU NAVE.

Versus continet 452.

Hæc inter Dominus Jesum dignatus adire
Promittit validis sublimem confore donis
Admonitum transire vadum Jordanis amœni.

IN LIBRUM JUDICUM.

Versus continet 688.

Postquam conspicuo Jesus decesserat actu,
Reddideratque Deus famulum post bella quieti,
Confestim Judæa tumens sibi poscere regem
Incipit; et Dominum quæ sit sententia poscit.

(a) Pauca hæc Aviti quæ sequuntur, post Sirmondum ab aliis edita, desiderari noluimus, ut Avitus quà licet integer hic exstaret. Epistolam quoque Symmachi papæ ad Avitum adjicere visum est; nec C non episcoporum coram rege Gundebaldo collationem, in qua primas partes habet Avitus, imo catholicorum antistitum ipse unus sermonem habet.

AD SIRMONDIANAM AVITI EDITIONEM AUCTARIUM.

S. AVITI VIENNENSIS

EPISTOLÆ QUATUOR.

(Primum a Joanne Ferrando presbytero societatis Jesu anno 1661 ex veteri codice ms. clariss. viri Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani; rursus à viro clariss. Stephano Baluzio ex eodem codice ms. emendatiores editæ anno 1678 in libro primo Miscellaneorum.)

[a] EPISTOLA PRIMA.

AD GUNDOBADUM REGEM BURGUNDIONUM.

Avitus episcopus domino regi.

Quæstio quam pietas vestra disserendam proposuit, tota prorsus ad interiorem figuram spiritali consideratione referenda est. Neque enim illud centuplicato fenore promittitur reformandum, quod unusquisque animo miserendi alimoniæ pauperum pia professione contulerit; quia et in hac ipsa eleemosynaria largitate, in qua operantis sensus potius quam census aspicitur, non est doni quantitas pensanda, sed stu- D dii. Quo factum est per evangelicam lectionem, ut infinitis auri argentique donariis paupertina nummi duplicis præferatur oblatio. Quæ si utique viduæ donatrici ad mensuram centupli redderetur, sine dubio cunctis minus reciperet quæ minus omnibus intulisset. Unde et sanctus Petrus cum dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27), qui certe, sicut lectio docet, nihil aliud quam retia reliquerat quibus tenuem victum piscandi artificio transigebat, responsum illi est: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem*

[a] Hanc epistolam antea evulgaverat Baluzius in *Appendice actorum veterum* ad Agobardum, tom. II, pag. 156.

aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Namque cum in Scripturis sanctis centenarius numerus omni perfectione sacratus sit, discernite quod reddantur in centuplum, non quæ tribuuntur Christi nomine, sed quæ pro Christi nomine relinquuntur: quia licet magna salutaris prosit merces eleemosynæ, incomparabiliter tamen majus est omnia dimittere, quam plurima dispensare. Quocirca definiat gloria vestra de solo istud martyrio prædicari, cujus coronæ nullum penitus meritum humani operis exæquatur. Iste est centesimus fructus qui in futuro quidem vitam æternam exspectat, sed in præsenti quoque sæculo illatas martyribus contumelias mirificato honore compensat. Unde et alio Evangelii loco dominicus sermo testatur quod ad centenariam frugem cadens in terram bonam nutritæ sementis germen exierit. Parentes ergo, uxorem, vel filios, sive fratres pro Christi tantum consecrat nomine relinquendos, id est, cum pro asserenda nominis confessione, non tantum hujusmodi necessitudinum, sed animarum quoque nobis corporumque facienda jactura sit. De qua divisione idem Dominus alio loco : *Veni*, inquit, *separare filios adversus parentes, nurum adversus socrum* (*Matth.* x, 35) : id est, ut quorumlibet affectuum personæ, tendentibus nobis ad Christum, si comitari noluerint, deserantur. Excepto autem hoc sensu, propinquitates istas non semper nobis ut præjudicatas debere dimitti, et exemplis et ratione colligitur. Nec enim et illi propinqui dimittendi sunt, qui ad cœlestes coronas contemptu sæculi calcata morte festinant; neque suadere fidelibus possumus ut conjugia vel parentes abjiciant, cum Dominus clamet quod non liceat homini dimittere uxorem. *Et quod Deus*, inquit, *conjunxit, homo non separet* (*Matth.* xix, 6; *Marc.* x, 9). Et Apostolus protestatur (*I Tim.* v, 8) quod qui suis et maxime propinquis providet, fidem neget, sitque deterior infideli. Dominum Petrus, Petrum conjux propria sequebatur. Cessante carnali usu, manebat spiritale solatium. Et comitante se Andrea germano, nec fratrem nec uxorem dimiserat, in quorum contubernio Christi vestigiis adhærebat. Quapropter personas hujusmodi non obesse nobis, sed impedire timendum est. Nam cum omnino hominum generi, ordini, dignitati obtinendum cœleste regnum divinus sermo proponat, est temerarius prædicator, necessitati principum quæ regnum divinis nutibus administrat, si omnia quæ supra diximus relinquenda suaserit; cum tamen etiam personis hujus culminis contemptus mundi suggeri, et cœlorum regnum repromitti, Apostolo, sicut recolitis, protestante locupletibus (*I Tim.* vi, 17-19), ut divites sint in operibus bonis, et thesaurizent sibi fundamentum bonum, ut apprehendant veram vitam. Quibus secundum hanc sententiam agrorum sive redituum et prodesse usus poterit, si non nocuerit appetitus. Est tamen et aliud sanctitatis genus, in quo si tempus persecutionis assistat, martyrium quoddam plena confessio queat imitari. Si quis enim antiquam pa- A rentum consuetudinem sive sectam melius credendo commutet, nec teneatur privilegio consuetudinis, cum veritas provocat ad dilectionem salutis, utiliter hic parentes, fratres, sororesque dimittit : velut Abraham dives, qui cunctis cœlestibus donis fruens, filiis, famulis, auro, argento, patrimonio, matrimonio recte usus, patriæ se tamen et cognationi suæ voto mutandæ religionis excussit, et imminente jam senio, signum circumcisionis quo Christianitas figurabatur, accipiens, provectos jam per ætatem conversione pueros fieri posse præmonuit. De quibus et propheticus sermo : *Puer*, inquit, *centum annorum morietur* (*Isai.* LXV, 20) : id est centuplum accipiet quod puer factus est; quem præfata sacrati numeri pluralitate præstantem, sicut ætate matura vivendi B novitas fecit puerum, sic custodita renovatio immortalis faciet longævitate profectum.

EPISTOLA II.

BEATI AVITI EPISCOPI AD ILLUSTREM VIRUM ARIGIUM.

Avitus episcopus viro illustrissimo Arigio.

Scio quidem quantæ devotionis affectu ire me ad festa communia voluistis, verumtamen ita ut quem gavisurum tantummodo vobiscum, non aliquid profuturum, credere debueritis. Nam cum vobis sacerdotes et magni merito et multi numero digne atque ambienter occurrerint, ego solus damno percellor, qui singularis patroni gaudiis interesse non mereor. Quibus si præsentia mea secundum desiderium provenisset, sicut optaveram de laude tanti operis quoscunque digni sermonis audirem, qui omnibus mem- C bris fabricæ sublimis inspectis, congruenter possent ascribere conditori in dispositionum qualitate elegantiam, in expensarum profusione jacturam, in dimensionum ratione concordiam, in spatiis diffusionem, in culminibus celsitudinem, in humilitate firmitatem, expolire præconiis marmorum dignitatem, quibus gemmarum nomen sola magnitudinis tollat invidia, collectum quodam modo atque inclusum industria diem, emolumento metallorum splendentium luce vegetari, hisque omnibus pompis digne inferri reliquias, quibus mundus indignus est. Hæc igitur exaggeranda melioribus jure concesseram. Verumtamen peculiarem sibi mercedem suam sermo meus fuerat vindicaturus, recolens utique tempus illud quod inter sævissimas perturbationum procellas, cum facti ope- D ris firmam soliditatem quasi gubernatores invicti ad dedicationis portum circumstridentibus undique naufragiorum casibus impune duxistis, me, ut ex communi necessitate recolitis, pro gaudiis lacrymas dependente : cui cum ipsum præmaturæ innovationis ardore, causarum ratione librata, non minus congerere suadeo quam plangere : quia non ut nuptæ tali sponso cui pacta fuerat, qualitercunque jungendæ, etsi satis desiderabantur strumenta cultuum, plus tamen formidari oportuit tela raptorum. Quocirca his omnibus consilio pensatis, mutastis viri fortis constantiæ genus, et deponentes quo adpessime [Forte *aptissime*] floretis sæcularis ducatus audaciam, quidquid ab adversa parte discriminis incubuerat, timore

vicistis. Quapropter omnis qui viderit coram positam A jocunditatem, laudet præteritam festinationem. Convenit dispositionibus vestris rapta de adversitate securitas. Ante decuit nostrum fieri, quod taliter libuerat ornari. Ego autem ut horum modo visione non perfruar, et quæ causa faciat, et nobiles patroni, et quales arbitri, etiamsi taceatur, advertitis. Apostolorum namque festivitas Viennensibus quidem vestris inter annuum martyrium dies peculiari studio vivit. Habeo præsentiam tempori, quo diei passionis fabriculæ quam nostis videtur injuncta esse dedicatio virorum, quia nihil est ad quod animum meum vester destinare non possit affectus. Excusans plebiculæ absentiam, meam anteponerem consuetudini singularitatem, nisi, ut nostis, in ipsis pœnitentibus nostris fervor appetens vitium vicinum diu formaret B atque strepitum; cum e nostris ambitio aliquos, alios sollicitudo adolescentior, multos gula tractura sit. Veritus sum ne forte si vel paucos qui forent quos aliena declinantes, suæ magis festivitati studium mansuetudinis aggregaret, apud aliquos animus, ut solet in tali turbatione, motus isti quasi per absentiam meam, eo die cursus nostræ devotionis putaretur omitti, quo diversæ partes videbantur institui. Unde excusationem meremur. Si rationem rite agnovistis, ignoscite, communem festivitatem præteritorum recordatione, præsentium plenitudine cognoscite, tam absentium est quam præsentium officiis celebrate (sic). Confido de misericordia Dei nostri quod etiam mihi in hoc loco quandocunque opportunius verbi præstabit aditum, quibus geminatæ consecrationis orationem concessit effectum.

EPISTOLA III.

BEATI AVITI EPISCOPI AD STEPHANUM EPISCOPUM.

Avitus episcopus Stephano episcopo.

Post sanctam festivitatem, quam licet avidi atque anxii, vestro tamen interventu divinaque tuitione transivimus, debito famulatus obsequio ac sedulæ sollicitudinis devotione servimus, quidquid illud nobiscum meritæ asperitatis est, solari vestræ, quam Deus semper augeat, prosperitatis agnitione cupientes.

EPISTOLA IV.

AVITI EPISCOPI AD GREGORIUM EPISCOPUM.

Avitus episcopus Gregorio episcopo.

Meis potius ascribo peccatis, quod vos ad dispositionem piissimæ voluntatis corporis inæqualitas impedivit, quanquam consueta dignatio oratione nos et oblatione comitata sit. Unde salutationis officia pagina famulante persolvens, supra quam sermone valeo gratias ago, quod festivitatem nostram pleno vos desiderio sitientem, etiam si non satiastis præsentia, refecistis expensa.

[a] FRAGMENTA LIBRI DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

Sanctus Avitus in illo libro quem de Divinitate Spiritus sancti contra Gundobadum Arianum regem scripsit, processionem Spiritus sancti a Patre et Filio ita declarat.

[b] De divinitate Spiritus sancti, quem nec factum legimus, nec genitum, nec creatum, Deus est, Deus qui operatur omnia in omnibus. Et eodem loco: *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII, 11). Et Petrus in Actibus apostolorum: *Quid convenit*, inquit, *inter vos mentiri Spiritui sancto* (*Act.* V, 3)? Et post: *Non es mentitus hominibus, sed Deo* (*Ibid.*, 4). Item alio loco: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (*I Cor.* III, 16)? Et alibi: *Si quis Spiritum Dei non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9). Nos vero Spiritum sanctum dicimus a Filio et Patre procedere.

IDEM AVITUS IN EODEM LIBRO.

Ipse certe per se Dominus, *Spiritum*, inquit, *veritatis qui a Patre procedit* (*Joan.* XV, 26). Enimvero C non dicendo *processit*, sed *procedit*, non tempus procedentis docuit, sed præterito futuroque submoto, sub interminabilis æternitate præsentiæ virtutem processionis ostendit; ut sicut est proprium Spiritui sancto a Patre Filioque procedere, istud catholica fides, etiamsi renuentibus non persuaserit, in suæ tamen disciplinæ regula non excedit.

ITEM AVITUS.

Spiritum sanctum æque Patris et Filii esse confiteor, eumque a Patre vel Filio similiter mitti: quod mecum prolata quoque Apostoli sententia videtur approbasse. Nam legimus: *Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo* (*Joan.* XIV, 26). Et alio loco: *Quem ego mittam vobis a Patre* (*Joan.* XV, 26). Nec D tamen ut nuper habita collocutione [c] tractavimus, scinditur una personarum discretione Divinitas. Quia si Spiritus, ut acquiescitis, a Patre Filioque vel mittitur vel procedit, non potest missus mittensque misceri, et ex quo procedit procedensque confundi.

[a] Vir clariss. Stephanus Baluzius in Miscellan. lib. I hæc fragmenta edidit ex veteri codice ms. monasterii Sancti Galli in Helvetia.

[b] Vide supra Alcimi operum fragmenta num. 13.

[c] Ea collatio est quæ sequitur.

[a] COLLATIO EPISCOPORUM,

PRÆSERTIM AVITI VIENNENSIS EPISCOPI,

CORAM REGE GUNDEBALDO ADVERSUS ARIANOS.

Providente Domino Ecclesiæ suæ, et inspirante pro A salute totius gentis cor domni Remigii, qui ubique altaria destruebat idolorum, et veram fidem potenter cum multitudine signorum amplificabat, factum est ut episcopi plures non contradicente rege congregarentur, si fieri posset, ut Ariani, qui religionem Christianam scindebant, ad unitatem possent reverti. Quod ut melius fieret, videreturque id non consilio accidisse sed occasione, domnus Stephanus scripsit ad episcopos multos, et invitavit illos ad festivitatem S. Justi, quæ instabat, in qua ob frequentiam miraculorum fiebat concursus plurimus populorum. Venerunt itaque de Vienna Avitus, de Arelate Æonius, de Valentia . . . . , de Massilia . . . . . ius, et plures alii, omnes catholicæ professionis et laudabilis vitæ in Domino. Qui omnes ad salutationem regis cum B domno Stephano ad Sarbiniacum, ubi tunc erat, profecti sunt. Erant quidam inibi de potentioribus Arianis cum eo; qui si potuissent, prohibuissent nostrorum accessum ad regem; sed Domino cooperante, nihil profecerunt.

Post salutationem factam, domnus Avitus, cui, licet non esset senior nec dignitate, nec ætate, tamen plurimum deferebatur, dixit ad regem: Si excellentia vestra vellet procurare pacem Ecclesiæ, parati sumus fidem nostram tam clare demonstrare esse secundum Evangelium et Apostolos, quod nulli dubium erit illam quam retinetis non esse secundum Deum et Ecclesiam. Habetis hic de vestris qui sunt instructi in omnibus scientiis: jubeatis ut nobiscum colloquantur et videant si possint respondere ratio- C nibus nostris, ut parati sumus respondere rationibus eorum.

Ad quæ rex respondit: Si vestra fides est vera, quare episcopi vestri non impediunt regem Francorum, qui mihi bellum indixit, et secum inimicis meis sociavit ut me destruerent? Nam non est fides ubi est appetentia alieni et sitis sanguinis populorum: ostendat fidem per opera sua.

Tunc humiliter respondit domnus Avitus faciem habens angelicam ut et sermonem: Ignoramus, o rex, quo consilio et qua de causa rex Francorum facit quod dicitis; sed Scriptura nos docet quod propter derelictionem legis Dei sæpe subvertuntur regna, et suscitantur inimici omni ex parte, illis qui se inimicos adversus Deum constituunt. Sed redite D cum populo vestro ad legem Dei, et ipse dabit pacem in finibus vestris; nam si habetis pacem cum illo, habebitis et cum cæteris, et non prævalebunt inimici vestri.

Cui rex: Nonne legem Dei profiteor? sed quia nolo tres Deos, dicitis quia non profiteor legem Dei. In Scriptura sancta non legi plures esse Deos, sed unum.

Ad quæ domnus Avitus: Absit, o rex, ut plures Deos colamus: *Unus est Deus tuus, o Israel* (*Deut.* VI, 4; *Marc.* XII, 29); sed ille unus Deus in essentia, est trinus in personis; et Filius et Spiritus sanctus non sunt alii Dei, sed unus Deus, cujus prima persona est Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus; sed Patri non est alia substantia quam Filio, et Spiritui sancto non est alia quam Patri et Filio; et ille Deus qui olim locutus est per prophetas, novissime locutus est in Filio, et adhuc loquitur quotidie in Spiritu sancto. Et quamvis olim per prophetas, mox per Filium, nunc per Spiritum, unus idemque Deus loquitur; sed sic dicitur ad distinctionem personarum, cum revera sint coæternæ et consubstantiales. Hoc profitemur et parati sumus ostendere.

Et cum videret regem pacifice audientem, protelavit sermonem et dixit: O si vellet sagacitas vestra cognoscere quam bene fundata sit nostra fides, quantum boni vobis et populo vestro inde proveniret: nam et cœlestis gloria vobis non deesset, et pax et abundantia in turribus vestris (*Psal.* CXXI, 7). Sed vestri cum sint inimici Christi, super regnum vestrum et super populum iram desuper accendunt; quod, ut speramus, non esset, si velletis audire monita nostra, et jubere ut vestri sacerdotes de his nobiscum colloquantur coram sublimitate vestra et populo vestro: ut sciatis quia Dominus Jesus est æterni Patris æternus Filius, et utrique coæternus Spiritus sanctus, unus Deus benedictus in sæcula, simulque ante omnia tempora et absque ullo initio.

Cum hæc dixisset procidit ad pedes regis, et amplectens eos flebat amare; procubuerunt et omnes episcopi cum eo: unde rex valde commotus est, et inclinans se usque ad eos, erexit domnum Avitum cum cæteris, quibus amicabiliter dixit se responsum daturum illis super petitionibus illorum.

Quod et crastina die factum est: nam rex per Sagonam rediens ad urbem, misit ad domnos Stephanum et Avitum, ut venirent apud illum. Qui cum venissent, rex dixit ad illos: Habetis quod postulatis, nam sacerdotes mei parati sunt vobis ostendere quod nullus potest esse coæternus et consubstantialis Deo.

[a] Hanc vir clariss. Lucas Dacherius ex schedis Hieronymi Vignerii congregat. Orat. D. J. edidit in tom. V Spicilegii.

Sed nolo ut id fiat coram omni populo, ne turbæ excitentur; sed tantum coram senatoribus meis et aliis quos eligam, sicut vos eligetis ex vestris quos volueritis; sed non in magno numero, et id fiet die crastina in hoc loco. Quo dicto episcopi salutato rege discesserunt, et reversi sunt ut omnia intimarent aliis episcopis. Erat autem vigilia solemnitatis S. Justi. Et licet optavissent quod hoc fieret die solemnitatem sequenti, noluerunt tamen propter tantum bonum amplius procrastinare. Sed unanimiter decreverunt apud S. Justi sepulcrum pernoctare, ut illo intercedente obtinerent a Domino petitiones cordis sui.

Evenit autem ut ea nocte cum lector secundum morem inciperet lectionem a Moyse, incidit in illa verba Domini : *Sed ego indurabo cor ejus et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, et non audiet vos* (*Exod.* VII, 3, 4). Deinde cum post psalmos decantatos recitaret ex prophetis, occurrerunt verba Domini ad Esaiam dicentis : *Vade et dices populo huic : Audite audientes et nolite intelligere; et videte visionem et nolite cognoscere. Excæca cor populi ejus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus audiat, et intelligat suo corde, et convertatur, et sanem eum* (*Isai.* VI, 9, 10). Cumque adhuc psalmi fuissent decantati, et legeret ex Evangelio, incidit in verba quibus Salvator exprobrat Judæis incredulitatem : *Væ tibi, Corrazaim; væ tibi, Betzaida! quia si in Tyro et in Sidone virtutes factæ essent quæ sunt factæ in vobis, jam dudum in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI, 21). Denique cum lectio fieret ex Apostolo, pronuntiata sunt verba illa : *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam sustinentia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in tempore iræ* (*Rom.* II, 4, 5). Quod cum ab omnibus episcopis observatum fuisset, cognoverunt lectiones illas sic occurrisse volente Domino, ut scirent induratum esse cor regis, Deumque illum in sua impœnitentia relinquere, ad ostendendum divitias justitiæ suæ; unde valde tristes effecti, noctem in lacrymis transegerunt. Non destiterunt tamen veritatem nostræ religionis contra Arianos asserere.

Igitur tempore quo rex jusserat, conveniunt omnes episcopi, et simul ad regiam vadunt cum multis sacerdotibus et diaconibus et quibusdam de catholicis, inter quos erant Placidus et Lucanus, qui erant de præcipuis militiæ regis. Venerunt etiam Ariani cum suis. Cum ergo sedissent coram rege, domnus Avitus pro catholicis, Bonifacius pro Arianis, sermonem habuerunt. Sed postquam domnus Avitus proposuit fidem nostram cum testimoniis sacræ Scripturæ, ut erat alter Tullius, et Dominus inspirabat gratiam omnibus quæ dicebat, tanta consternatio cecidit super Arianos, ut qui satis amicabiliter audientiam præbuerat Bonifacius, nihil omnino respondere posset ad rationes domni Aviti, sed tantum quæstiones difficiles proponeret, quibus videbatur velle regem fatigare. Sed cum ab Avito urgeretur ut responderet ad antedicta, promittens se etiam responsurum ad ea quæ proposuerat, non potuit respondere ad unam de rationibus quæ fuerant a domno Avito propositæ, neque ullam pro defensione suæ partis allegare; sed tantum os suum in conviciis aperiebat, et dicebat catholicos esse præstigiatores, et colere multitudinem deorum. Quod solum cum diceret, videretque rex confusionem suæ sectæ, surrexit de sua sede, dicens quod in crastinum responderet Bonifacius. Discesserunt ergo omnes episcopi; et quia adhuc dies non erat inclinata, iverunt simul cum cæteris catholicis ad basilicam domni Justi, confitentes Dominum quoniam bonus, et laudantes eum, qui dederat illis talem victoriam de inimicis suis.

Sequenti vero die iterum ad regiam profecti cum his qui in præcedenti aderant; cumque ingrederentur, invenerunt Aredium, qui eis persuadere volebat ut regrederentur; dicebat enim quod tales rixæ exasperabant animos multitudinis, et quod non poterat aliquid boni ex eis provenire. Sed domnus Stephanus, qui sciebat illum favere Arianis ut gratiam regis consequeretur, licet fidem nostram profiteretur, respondit ei quod non timendum erat ne rixæ procederent ex inquisitione veritatis et amore salutis fratrum suorum, imo nihil esse utilius ad jungendos animos in sancta amicitia, quam cognoscere apud quos esset veritas; quia ubicunque est, amabilis est, et professores ejus reddit amabiles.

Addidit insuper omnes huc venisse secundum jussionem regis, contra quod responsum non est ausus Aredius amplius resilire. Ingressi sunt ergo; et cum rex eos vidisset, surrexit in occursum eorum, mediusque inter domnum Stephanum et domnum Avitum, adhuc multa locutus est contra Francorum regem, quem dicebat sollicitare fratrem suum contra se. Sed cum responderent præfati episcopi, quod non esset melior via ineundi pacem quam concordare in fide, et operam suam, si gratam haberet, pollicerentur pro tam sancto fœdere conciliando, nihil amplius locutus est, sed unusquisque locum quem præcedenti die tenuerat, occupavit.

Cum itaque sedissent, domnus Avitus tam lucide probavit quod catholici non plures deos adorabant, ut sapientiam ejus tam catholici quam adversarii cum stupore mirarentur. Id autem fecit ut responderet conviciis quæ Bonifacius in nostram fidem jecerat. Postquam ergo conticuit, ut locum daret responsionibus Bonifacii, nihil aliud potuit ille dicere, quam quod præcedenti die fecerat, et conviciis addens convicia, tanto impetu clamabat, ut præ raucitate non posset amplius loqui et quasi suffocaretur.

Quod cum rex vidisset, et satis diu exspectasset, tandem surrexit vultu indignationem prætendens contra Bonifacium. Tunc domnus Avitus dixit ad regem : Si sublimitas vestra vellet jubere ut hi responderent propositionibus nostris, ut posset judicare quænam fides esset retinenda. Sed nihil rex respondit, neque cæteri Ariani qui erant cum illo; adeo stupefacti erant de doctrina et sapientia domni Aviti,

Qui cum videret eorum silentium, subjunxit : Si vestri non possunt respondere rationibus nostris, quid obstat cur non omnes simul conveniamus in eadem fide? Tunc murmurantibus illis, de sua fide securus in Domino addidit : Si rationes nostræ non possunt illos convincere, non dubito quin Deus fidem nostram miraculo confirmet : jubeat sublimitas vestra ut tam illi quam nos eamus ad sepulcrum hominis Dei Justi, et interrogemus illum de nostra fide; similiter et Bonifacius de sua : et Dominus pronuntiabit per os servi sui in quibus complaceat. Rex attonitus annuere videbatur; sed inclamare cœperunt Ariani, et dicere se pro fide sua manifestanda facere nolle ut fecerat Saul, et ideo maledictus fuerat; aut recurrere ad incantationes et illicita; sufficere sibi se habere Scripturam, quæ sit fortior omnibus præstigiis, et hæc semper repetentes, et boantes potius quam vociferantes, rex, qui jam surrexerat, accipiens per manus domnum Stephanum et domnum Avitum, duxit eos usque ad cubiculum suum; et cum intraret amplexus est eos, dicens ut orarent pro eo. Cognoverunt quidem illi perplexitatem et angustias cordis ejus, sed quia Pater eum non traxerat (*Joan.* VI, 44), non potuit venire ad Filium, ut veritas impleretur : *Non est volentis, neque festinantis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX, 16). Et ex ea die plurimi Ariani ad pœnitentiam venerunt, et post aliquot dies baptizati fuerunt, et magnificavit Dominus fidem nostram per intercessionem domni Justi in conspectu omnium.

SYMMACHI PAPÆ AD AVITUM VIENNENSEM EPISCOPUM EPISTOLA.

(*Hanc epistolam edemus cum et Symmachi papæ opera.*)

SERMO BEATI AVITI,

FERIA TERTIA IN ROGATIONIBUS.

(Ex mss. majoris Carthusiæ.)

Legimus in historia Regum quemdam celebrem prophetarum, exiguo superni pastus alimento, multis diebus iter longissimum sine ullo adminiculo cibi terrestris egisse; adeo divini beneficii virtus in corpore humano sequestrata infirmitate prævaluit. Comparatio autem modo hæc in sermone non causa est. Sic ergo etiam nobis annuum quoddam iter actionum, casuum, timorum diversitate currentibus, quidam qui nos inter ista confortet Rogationum veluti cœlo porrectus sumitur panis : cujus fortitudo atque salubritas non solum inopiam præteritæ sterilitatis suppleat, verum etiam periculum famis ab spiritu nostro non in pane solo, sed in verbo Dei vivente secludat. Quod si quisquam Rogationes nostro sæculo institutas miretur, quas tantis ante temporibus Ecclesiarum multitudo nescivit, constat hunc posse et muneribus redemptionis, quæ mundi ævo jam pene consumpto in sæculorum fine adfuit, derogare. Viderit [a] quis certe quid sentiat, qualitatem medicaminis rideat furibundus, nesciat desperatus, cæterum frequenter expertus. Sed quis est iste sic ad integrum sanus, ut medicinæ non egeat, ut nulli ægrotantis animæ morbo succumbat, ut non aut cupiditate ardeat, aut avaritia palleat, aut invidia liveat, aut superbia tumeat, aut iracundia caleat, aut obloquio pruriat? Si quis ergo ex his alicujus tædii sibi conscius est qui cuncto tempore pœnitentiam debet, non renuat triduum. Quod etiam pleno ordine atque digesto prophetia quæ lecta est, si gradibus suis replicetur, insinuat, sic a principio sermonis exorsa : *Vos*, inquit, *cognovi ex omnibus cognationibus terræ* (*Amos* III, 2). Hic statim se Judæorum populus, in quamdam rapinam non amore, sed ambitione præcipitat, ut ad divinæ familiaritatis notitiam præ omnibus videatur ascitus. Sed desistat hinc opportunitas obstrependi, quia potius sub judicio rationis [b] de proprietate sermonum causarum certa metienda sunt. *Vos cognovi*, non dixit Inter omnes, sed *Ex omnibus cognationibus terræ*. Qui sunt autem qui acquiruntur ex omnibus cognationibus terræ, nisi qui ab universitate gentium in unum redacti fiunt ex diversis mundi partibus unus populus, et de multis membris sub Christo capite unum corpus? Cui postmodum vocationi agnoscendæ atque prædicandæ beatissimus Petrus per mentis stuporem defixus vidit linteum quoddam cœlo descendere, quod quatuor angulis sinu turgente submissum, omne genus animantium cum volatilibus atque reptilibus continebat, commonitusque ut necessariæ refectioni quod vellet ipse mactaret; appetitum quidem talem, cum talis ciborum modus præcipiebatur, per observantiam legalem exhorruit; sed mox ad eum sermo divinus, *Quæ Deus*, inquit, *mundavit, tu immunda ne dixeris*

[a] Forte *is*.

[b] Hic locus manifeste depravatus, tametsi sensus sit obvius. Dicit Avitus falli Judæos, qui verba Amos de se interpretarentur, cum ex judicio rationis potius quam ex vocum proprietate ea metienda sint. Nam si litteram sequamur, hæc quidem de filiis Israel; si judicium rationis, de Christianis vere et proprie dicuntur.

(*Act.* x, 15). Atque ille, *In veritate*, inquit, *comperi, quia non est personarum acceptio apud Deum; sed in omni populo et gente qui timet Deum et voluntatem ejus facit, acceptus est illi* (*Ibid.*, 34). Tunc ergo qui cogniti sunt ex omnibus cognationibus terræ vides, nempe prophetis atque apostolis, qua unitate conveniat. Hoc est profecto, quod etiam nunc lectio ait: *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis* (*Amos* III, 3)? Convenit autem duobus, Christo et Moysi, quia de isto ille scripsit. Convenit legi et gratiæ, quia....... illa districtius imposuit, ut pretiosius ista laxaret. Convenit veritati et prophetiæ, quia ista peperit quod illa concepit. Apud Judæos ista duo non pariter ambulant, ideo non concordant. Inter ipsa enim duo Testamenta quasdam minutias ponunt. Ad unum verum Deum nisi uno itinere non itur. Certe B si propter quascunque alias causas potest diverso, adverso non potest. Apud nos vero ista duo pariter junguntur atque conveniunt. Est tamen in hoc prophetæ verbo etiam quod personaliter accipi queat, si dualitas ipsa quam convenire necesse est, sit primum in homine uno, sit deinde in genere humano. Spiritus enim noster et corpus nostrum ex disparis substantiæ qualitate compacta sunt. Quæ duo viam hujus sæculi currere nullatenus queunt, nisi inter se custodita divinæ ordinationis lege consenserint. Si enim non subjaceat spiritus carnis, sed ad refrenandam concupiscentiam cedat potius menti caro, ducit duos pariter concordia rationis per viam legis ad patriam æternitatis. Si autem dum per hujus sæculi iter curritur, spiritu retardante, animam caro prævenerit, et C facultatem viæ, permissa sibi peccati libertate, præcluserit, deserit ipsa currendi æqualitas, quæ homini a Creatore præcipitur, et incipit impedita lege mentis perire, et superexaltare lege corporis, nec jam duo pariter pergunt, ibi unum jacet et aliud premit. Et hæc, quod magis dolendum est, non tam ignaris subrepunt, quam dominantur allisis. Docet hoc sermo qui sequitur: *Leo*, inquit, *irrugiit, quis non timebit? Dominus locutus est, quis non prophetabit* (*Ibid.*)? Peccatum longe apparet, quare non fugimus? Scriptura prope clamat, quare non credimus? Quis est leo rugiens, nisi de quo apostolus dicit, quia *adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens devorare vos* (*I Petr.* I, 8)? Facit furoris incontinentia, ne tacens discubitet qui rugitum longe præmittit: D sed audit rugitum, et non cavet qui præcepti conscientiam secum fert ad exordia peccati, confestimque rabido invaditur morsu, nisi præmisso terretur auditu; quod revera nec absurde conjicimus, nam statim in consequentibus qualitas ipsius morsus ostenditur: *Quomodo*, inquit, *si eruat pastor de ore leonis duo crura ovis, aut extremam partem auriculæ* (*Amos* III, 12). Pastor nobis procul dubio ille est bonus qui, relictis nonaginta novem ovibus, unam

A vagantem non despexit inquirere. Operæ pretium autem est diligentius intueri, quod illas nonaginta novem quas iste pastor in montibus reliquit, manifestatus in carne, non deseruit permanens in nativitate. Angelorum enim in cœlesti altitudine gloriantium, qui utique jam errare non possunt, evidenter gerunt figuram. Leo enim de quo supra diximus, post illam proprii casus ruinam qua consortium Divinitatis affectans, etiam homine miserior factus est, dum dedignatur esse inferior Creatore, omnis archangelicæ potestatis dignitate nudatus est. Sed huic tamen quantulamcunque potestatem cœlestium ministrorum, ne solus periret, casui suæ dejectionis innexuit. Et his hoc tamen de illo eminentis creaturæ vigore nunc superest, ut damnationem futuram jam patientes dum B præsciunt, cum vivendi meritum perdiderunt, et ipsum saltem moriendi remedium habere non possint. Ab illo itaque, ut dixi, casu quisque in amore conditoris sui et angelicæ beatitudinis honore permansit, ulterius seduci non potuit, ac proinde nec periclitari; et factum est in principio de angelis quod de hominibus in fine faciendum est, ut evolutus scilicet salutis et perditionis cursus exacto impletoque numero terminetur. Istas ergo supernæ celsitudinis oves reliquit pastor bonus, et venit ad illam unam ovem perditam, in cujus signatione jacebat genus humanum, et illam quæ ab isto leone corrosa per se ascendere ad illas nonaginta novem non poterat, suis humeris vexit, quia in suo corpore sublevavit: et quando cum homine carnis assumptæ ad superna cœlorum rediit, C eamdem utique quæ de paradiso erraverat, angelis retulit. Quocirca jam patet qui sit pastor qui liberat duo crura et partem auriculæ, et qui sit leo qui reliquum devorat: hoc est, iste Christus, ille diabolus. Omissa vero utcunque consideratione carnali, videamus quæ sit minima pars corporis quæ devoranti legitur remansisse. Neque enim puto quod ille pastor bonus rem tam dilaceratam et pene consumptam tanto studio vellet eruere, nisi particulæ ipsi adhuc aliquid palpitantis vitæ inesse cognosceret. Ovis ista, sicut jam prolocuti sumus, quicunque peccator est utique, si de caulis se protegentibus evagatus suopte vitio incursurus bestiam, cum a pastore declinavit. Dum enim ambulat per deserta, hoc est, dum cogitat inania perituraque, occurrit illi diabolus, et cogitationem D ejus morsu pestiferæ persuasionis invadit. Qui cum jam concupiscentiam captivi hominis in potestate habere cœpit, priorem quodammodo ejus partem vorax laniator absorbuit. Et tamen si concupiscentiam et definitionem peccati non sequatur effectus, liberantur quasi duo crura, hoc est, pars posterior quæ adhuc comesa non fuerat. Nam etsi quosdam priores suæ cogitationis pedes per concupiscentiam in fauce leonis amisit, et residuos quos ad effectum non deduxit operis gressus [a] misericordia pastoris eripuit.

[a] Hic respexisse videtur Avitus ad illum canonem concilii Neocæsariensis: *Si quis concupita muliere, etiam concubitus ejus desiderium habeat, non autem subsequatur effectus, manifestum est eum per divinam gratiam fuisse liberatum.* Ita in vetusta canonum versione quæ Aviti ævo Latinarum Ecclesiarum in usu fuit.

[a] Animadvertendum est tamen quod illius se miscuit corporis portionem [b] extremi auriculæ quæ videtur superesse liberaverit. Postquam enim dixerat, *quomodo si eruat pastor duo crura*, addidit *et extremam partem auriculæ*. Auris ergo nostra est obedientia nostra : nam cum precamur et resipiscimus, primam istius auris partem leo devorat, novissimam pastor [c] solvat. Prima pars auriculæ est *Non concupiscas*. Ista jam deglutita est, quia cogitatio concupivit. Sequens pars est, *Post concupiscentias tuas non eas*. Itaque si malum quod concepimus cogitatione, opere non impleamus, priore parte obedientiæ vulnerata, et illa quæ extrema est ab ore leonis eruitur. Quomodo? Utique per pœnitentiam et correctionem. [d] Quæ multipliciter lectio ipsa per totum a Domino revolvente, quæ et qualia passi necdum resipiscamus: *Misi in vos indigentiam panum, stuporem dentium; percussi vento urente* (*Amos* IV, 6). Indigentia panis est, ut sciamus quod cum a Domino receditur, non est unde vivatur. Stupor autem dentium unde contrahitur? puto convenire illud quod Salomon quodam loco ait, dum comparationem poneret dicens: *Sicut uva acerba dentibus noxia est.* Uva autem acerba est præmature occupata promissio et contenta cum differtur temporis plenitudo. Nam ut dulcedinem et suavitatem quæ nobis in æternitate promittitur, in hoc mundo habere velimus, immaturum satis atque acerbum est. Hujus uvæ adhuc asperæ viridisque non vinum, sed virus intra paradisum Adam in sui nostrique perniciem degustavit; et quia parentes comederant uvam acerbam, dentes filiorum obstupuerunt. Sed prævidens Ezechiel originale debitum Christo solvente vacandum, sic ait : *Vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra proverbium illud in Jerusalem : Patres comederunt uvam acerbam; obstupescent dentes filiorum* (*Ezech.* XVIII, 3). Jam tibi non nocet quidquid esset Adam quod concupivit superbe, quod præsumpsit illicite, quod desideravit incaute; tu tibi de tuo esu stuporem dentium metue, tu tactum appetitus ab inutili aviditate restringe. Desideras uvam acerbam, sed sustine maturitatem promissionis. Non tuo sæculo delectatio ista debetur. Si dulcem quæris, exspecta cœlestem; si humanam appetis, patieris immitem. Quæ est autem mundi gloria, nisi ipse quem infra dicit, ventus urens? cujus etiam si lenitas delectat homines, terror tamen percutit amatores : *Et quia nec sic redistis ad me, dicit Dominus, nunc* [e] (*præparare in occursum Dei tui Israel* (*Amos* IV, 10). Dicit quidem Paulus apostolus (*I Thess.* IV, 18) ubi Redemptoris describit adventum, qualiter rapiemur ad nubes obviam Christo in aera ; hic tamen puto oc- A cursum istum ad alium pertinere. Nam et hic viventes quasi occurrimus Deo, si præceptum quod porrigitur amplectamur; et quia paratus est ille ad ignoscendum, occurrat ei correctio ad pœnitendum. Sed et quicunque propter amorem æternæ vitæ non solum ab illicitis abstinet, verum etiam a licitis se coercet, sponte occurrisse judicandus est. Nam ut exempli gratia unumquodcunque dicamus, adulterio generaliter interdicto, simplex conjugium lege permittitur; cui tamen virginitatis nitor sine comparatione præfertur : unde *qui dat nuptum virginem suam bene facit, et qui non dat melius facit* (*I Cor.* VII, 38). Hoc ergo de omni debemus observatione sentire : qui male facit, fugit; qui bene, exspectat; qui melius, occurrit). Jam vero post multas et piissimas admonitiones quæ profectui nostro B etiam secundum litteram constant, convenienter Rogationes nostras in ipsius lectionis fine describit, dicens : *In omnibus plateis et viis sit planctus* (*Amos* V, 16). Viæ istæ et plateæ actus nostros significant, per quos humanam conversationem mortalitate decurrimus. Viæ minora delicta, plateæ vero latiora peccata sunt, quæ ad illam amplam et spatiosam mittunt quæ ducit ad perditionem; et multi sunt qui inveniunt eam. Per angustam vero semitam itur ad illum de quo prædixit propheta, quod vocem ejus in platea nemo audivit, cujus utique verbum in peccati libertate non sonuit. Ergo in ista platea quia est noster actus, sit noster et planctus : quem tamen planctum non confusum et tumultuarium esse debere testatur sermo subjectus, *Vocabit*, inquiens, *agricola* C *lam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere* (*Ibid.*). Cernis nempe quod istud plangere non omnes sciant, sed illi tantum vocandi sunt qui noverunt. Agricola est, qui isto pœnitentiæ luctu et compunctionis affectu terram, id est substantiam suam spinis purgat, præceptis edomat, lacrymis rigat, humilitate fecundat, semine ditat, fruge multiplicat. Enimvero secundum statum calamitatis humanæ, nullus est qui plangere nesciat, quippe est ita generatio, ut etiam ille qui non noverit aliud, istud noscat, ut ipsa quoque intrans hunc mundum nova ætas infantium primam vocem fletu erumpens, quasi quodam vaticinio calamitatum careat omni sensu, planctum quem adhuc non habet in scientia, jam tamen afferat in natura, et sine ullo doctrinæ adminiculo ipsa inchoa- D tio discriminum pariat magisteria lacrymarum. Quæ cum ita sint, quæramus secundum spiritum quæ distantia sit inter eos qui sciunt et illos qui nesciunt flere. Nam prout sunt genera et ordines hominum, istam scientiam flendi habere singuli debent. Alia regi, alia subjecto, alia peccatori, alia justo causa lacrymarum. Quemdam Parthicum regem [f] sæcularis

[a] Locus corruptus.

[b] Forte *extremæ*.

[c] Forte *servat*.

[d] Locus corruptus.

[e] Hic ansulis inclusa retulit Florus magister Ecclesiæ Lugdunensis diaconus in Expositione in Epistolas S. Pauli, quam ex scriptis decem sanctorum Patrum concinnavit, sed ea citat tanquam *ex sermone die primo Rogationum*, cum titulus in manuscripto nostro præferat feriam 3 Rogationum.

[f] Id de Xerxe Persarum rege refert Herodotus lib. VII, sed paulo aliter : *Et cum intueretur Xerxes*, inquit, *omnem Hellespontum navibus obductum, omnia littora atque Abydenorum plana hominibus referta, ibi se beatum esse jactavit, et post hæc lacrymas fudit. Quod animadvertens Artabanus ejus patruus...... his verbis interrogavit : Quam diversa, rex, inter se nunc facis et dudum dixisti, qui te beatum dixeras nunc la-*

historia refert, inspecta [a] post victoriam de eminentiore loco numerosissima sui exercitus multitudine, lacrymasse; qui mox a satrapis, quæ in tali beatitudine causa flendi esset interrogatus; istam, inquit, multitudinem lugeo, quæ quamlibet victrix, intra non multos annos omnis omnino naturæ lege finienda est. Si ad sæcularem sapientiam [b] .... ecce lacrymas dignas rege mundano, quam libet etiam Christiano principi conveniret post triumphos de morte magis quam de culmine cogitantem non tumere, sed plangere : quid si causa præsente istum [c] religiosi principis fletum testem sciamus, cum David ille virtute magnus, potestate præditus, pietate præcelsus, inter aurea serta gemmataque diademata, cœlestis magis regni coronam instantissimo æstu ferventis desiderii suspiraret, *Quando veniam*, dicens, *et apparebo ante faciem Dei mei* (*Psal.* XLI, 3)? Nunquid non lacrymas suas habuit panes die ac nocte, dum dicebant illi per singulos dies : *Ubi est Deus tuus?* quod ei certe dicebat, non negare compellens persecutor externus, sed videre concupiscens animus suus. Loquebatur enim sibi spiritus cœlestibus intentus, Ubi est Deus tuus? Quando veniam et apparebo ante faciem ejus? Si decuerunt igitur regem sanctum lacrymæ tales, quid nunc de ipso sanctorum Sancto dicamus, qui quatriduano funeri antequam resuscitandi virtutem ostenderet, flendi impendit infirmitatem? In summo itaque gradu conveniunt tales lacrymæ Redemptori. Multum namque illic ipse deflevit. Ibi Adæ peccatum; ibi peccati stipendium, mortem; ibi Lazarum, hoc est genus humanum; ibi defunctum lapide obtectum, id est duritiam qualitatis; ibi lacrymosos consolatores, id est incredulitatem resurrectionis; ibi quartam diem venisse defuncto : quæ quatuor accidunt peccatoribus in animarum funere conclamatis : prima cogitandi malum, definiendi secunda, perpetrandi tertia, quarta in crimine permanendi. De quarto omnes nos per Lazarum recurrentes, ut resuscitemur, non solum miserendi dulcedo, sed etiam flendi opus est amaritudo. Post hæc quia tali magisterio etiam nos docuit plangere, discernamus scientiam imperitiamque lacrymarum. Ecce hodie ad ecclesiam conveniunt multi, si quicunque semetipsum in oratione prosternens cœpit quantolibet fletu aliquid quod ad sæculum pertineat orare, aut conversationis mundanæ felicitatem, aut inimicorum mortem, aut divitiarum amplificationem, aut vitæ hujus longitudinem, aut honorem sæcularium dignitatum : nunquid non hujuscemodi lacrymæ docent hominem nescire quid plangat, quas inutiles satis imperitasque procul dubio perdidit, quoties sic profudit? Quod non tam miserum, quam si ea flendo ille sibi petat tribui, quæ multi Deum nescientes sine ullis precibus peccando videntur adipisci. Econtra vides alium ingemiscentem et clamantem : Domine, propitius esto mihi peccatori, plangere vitam malam, quærere bonam, iisdem lacrymis quibus irrigat stratum, lavare delictum, ostendere Deo in gemitibus imbecillitatem carnis, ardorem mentis, horrorem mortis, amorem resurrectionis. Hic plangendi peritus, hic doctissimus flendi est. Non cadit in terram lacryma talis, quia commendata est Deo, cui dicitur : *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo* (*Psal.* LV, 7). Postremo quoniam si Rogationes nostræ rite solvuntur, sine planctu nequeunt expediri, scientiam plangendi quam potero brevissime discernam. Maxima peritia est hic impendi fletum, ut sanari possit quem supra diximus dentium stupor, quam illic servari ubi nunquam finiendus est dentium stridor. Nam illis dicitur : Væ qui nunc rident, quia lugebunt flebuntque; istis autem : Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis et gaudebitis, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

crymas fundis! Et ille, reputantem me, inquit, quam brevis sit omnis humana vita, subiit horum miseratio; quorum cum tot sint, nemo ad centesimum annum supererit.

[a] Imo nondum pugnaverat Xerxes, nec trajecerat in Europam.

[b] Deest hic aliquod verbum, forte *respiciamus* aut quid simile.

[c] Religiosum principem hic vocat, quem paulo ante regem mundanum appellaverat, quod sane mirum videri non debet, cum Gallienus imperator ὁσιώτερος καὶ φιλοθεώτερος, religiosissimus Deique amantissimus magno Dionysio Alexandrino sit dictus apud Eusebium lib. VII Hist. eccles., cap. 23.

ANNO DOMINI CCCCXCVI.

JOANNES DIACONUS

(Ex Bibl. Galland.)

PROLEGOMENON.

I. *Joannis S. R. E. diaconi epistolam ad Senarium virum illustrem evulgavit Mabillonius* (*a*). « *Illustris est, inquit cl. editor* (*b*), *epistolæ scriptor Joannes diaconus· sed quis sit ille Senarius ad quem scribit, ignoramus. Hanc epistolam eruimus ex vetusto codice Christinæ reginæ, qui olim fuit monasterii nostri Ferrariensis. In ea quædam occurrunt observatione digna de ministro confirmationis; de septem altaribus, sab-*

(*a*) Mabill. Mus. Ital. tom. I, part. 2, pagg. 69-76.

(*b*) Id. ibid. pagg. 76 seq.

bato sancto in Ecclesia Romana erigi ac consecrari solitis; deque immistione lactis et mellis in calicem eodem die: cujus utriusque postremi ritus nullam invenimus mentionem etiam in Ordine Romano. Nisi si benedictio lactis et mellis, quæ post benedictionem agni in die sancto Paschæ præscribitur, huc referenda est. Quod attinet ad Joannem, vir fuit pro sua ætate doctissimus atque accurato judicio præditus, ut probant libri quatuor ab eo conditi de Vita sancti Gregorii papæ I, qui recentioribus scriptoribus vitas sanctorum ex propriis eorum scriptis contexendi exemplum præbuerunt. » Hactenus vir doctissimus tum de epistolæ pretio, tum de ejus auctore. In Mabillonii sententiam, ad hujus epistolæ scriptorem quod attinet, concessit vir eruditissimus Edmundus Martenius (a). Neque aliter Fabricius (b) aliique.

II. At vero multo antiquiorem exstitisse auctorem quo de agimus, pervidit nostro quidem judicio doctissimus Muratorius: cujus proinde verba hic describere haud otiosum existimamus. Sic igitur ille in præclara de rebus liturgicis dissertatione, quam ad Liturgiam Romanam veterem præmissam exhibet (c): « Assentiri non possum, inquit, doctissimis viris Mabillonio et Martene, dum epistolam ad Senarium tribuunt Joanni illi diacono, qui sæculo Christi IX *ex Vita Gregorii Magni aliisque libris non mediocrem nominis celebritatem sibi conquisivit. Num in Romana Ecclesia unus fuit Joannes diaconus? Intellexissent ii, longe nimis vetustiorum fuisse altero illo auctorem epistolæ hujus, si quæ idem scribit de confirmatione per presbyteros collata, attentius animadvertissent. En ejus verba (d): « Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando « quædam vis necessitatis assumit (quod* NUNC *per « Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma « conficiant: quod merito moveret, si istam pontifica- « lis auctoritas licentiam non dedisset. » Sæculo Christi* IX *excisa omnino erat in Africa Christiana religio, circumquaque ibi diffuso imperio et superstitione Arabicæ gentis. Quæ igitur hic legis, Joannem hunc diaconum referendum monent ad finem sæculi* V, *quo tempore in catholicos barbaricam persecutionem excitavit* A *Hunericus Arianus Africæ rex. Hæc cœpta anno Christi 485, acrius deinde efferbuit. Tunc in exsilium actis episcopis catholicis, ex necessitate presbyteris chrisma conferre permissum fuit.*

« III. Fieri etiam potest ut ante eadem tempora floruerit Joannes ille diaconus. Repetere hic liceat quæ habentur in Carthaginiensi concilio anni 397 (e): « Ut « in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil « amplius offeratur quam quod ipse Dominus tradidit, « hoc est panis et vinum aqua mixtum. Primitiæ vero, « seu mel et lac, quod die solemnissimo in infantum « mysterio (nempe baptismo) solet offerri, quamvis in « altari offeratur, suam tamen habent propriam bene- « dictionem, ut a sacramento corporis et sanguinis « distinguantur. » Cum Joannes diaconus non impro- B *barit commixtionem lactis et mellis cum sanguine Domini, a Patribus Carthaginiensibus improbatam, suspicio suboritur illum eodem sæculo Christi* IV *floruisse. » Hactenus V. C.*

IV. Porro ex duabus allatis viri docti conjecturis de tempore quo vixit epistolæ auctor, priorem quidem admittimus, posterior vero nobis minus probatur. Illa enim sententia qua noster Joannes sub finem sæculi V *exstitisse perhibetur, ex eo potissimum astruitur, quod epistola Senario viro illustri comperitur inscripta. Scilicet Senarium illum quem prorsus ignoravit Mabillonius, ut ipsemet profitetur, præteriitque Muratorius, desinente demum sæculo* V *admodum claruisse compertum habemus. Neque enim ullus dubitandi locus jure suppetit quin Senarius ille vir illustris ad quem* C *epistolam suam scripsit Joannes S. R. E. diaconus, idem sit cum Senario, et viro quidem illustri, cui tum Aviti Viennensis (f), tum Ennodii Ticinensis (g) variæ noscuntur epistolæ inscriptæ. Patricius namque hic fuit, et comitiva patrimonii a Theoderico rege auctus anno 511, ut docet Cassiodorus (h), de quo etiam idem senator alibi plura (i). Præclaras illustris hujus viri laudes exhibet epitaphium a Petro Pithœo in libro* IV *Poematiorum relatum, quod recitat et Sirmondus (j).*

(a) Marten. de Antiq. Eccl. ritib. lib. I, cap. 1, art. 15, § 16, tom. I, pag. 156 edit. Antuerp. 1736.
(b) Fabric. Bibl. Lat. med. tom. IV, pag. 197 edit. Hamb.
(c) Murat. de Reb. liturg. dissert. cap. 3, pag. 32.
(d) Joan. diac. epist. § 8, infra col. 404.
(e) Conc. Carthag. III, can. 24.
(f) Avit. epist. 36, supra col. 252.
(g) Ennod. lib. I, epist. 23; lib. III, epist. 11; et lib. V, epist. 15.
(h) Cassiod. lib. IV Variar., epist. 3.
(i) Id. ibid. epist. 4 et 7.
(j) Sirmond. ad Avit. epist. 36, supra col. 252, not. *d*.

JOANNIS DIACONI

EPISTOLA

AD SENARIUM VIRUM ILLUSTREM.

De variis ritibus ad baptismum pertinentibus, et aliis observatione dignis.

I. Domino merito illustri, semperque magnifico filio Senario, Joannes diaconus.

D Sublimitatis vestræ paginam filio nostro spectabili viro Renato deferente suscepimus, in qua et antiquæ

gratiæ nobis jucundam fecistis memoriam, et quantus pectori vestro divini cultus ardor insideat, catholica sollicitudine non celastis. Nam, ut vestræ loquuntur litteræ, quædam vobis scribi, quædam dirigi transcripta voluistis. Sed in transcribendo curam nostram utcunque notariorum labor adjuvit; in his vero quæ scribenda sunt, multum fateor laboris indicitis, et superaddere hoc mensuram meam adducta fronte respondeo. Primum, quod ea, sicut opus est, disserere, non ita, ut credit amici æstimatio, meum valet ingenium. Fallitur enim amantium sæpe judicium, cum plus dilectioni tribuit quam meritis dilectus ostendit. Accedit deinde quod infirmus corpore, ut alia taceam, ecclesiastico jugiter astringor officio. Postremo otiosum tempus res postulat, ut majorum volumina recensentibus quid de unaquaque re dici debeat, illorum tuta juvamine procedat oratio. Quid igitur in hæc possumus, nisi forte quod me posse vota desideriaque vestra præstiterint? Idcirco quæsita breviter conabor attingere, ne si omnino taceam, infructuosi silentii pœnas excipiam. Confido enim orationibus tuis me posse juvari, qui ut hæc auderem tam ardua compulisti. Unde quæso ut nihil in me eloquentiæ, nihil summæ doctrinæ desideres; quia nec illi plene studui, et doceri adhuc malo, quam doctoris nomen audire. Igitur si in hac inquisitione, mea, qualiscunque est, placet aut exspectatur oratio, jam nunc de singulis quæ sunt proposita videamus. Illud interea prudentiæ vestræ prædico, quia inquisitionum ordo, non ita, ut vestra legitur pagina consequetur; sed ut se unaquæque suggesserit, absolutione congrua terminabitur. Itaque inquisitionis tuæ verba ita se habent.

II. *Requiro*, inquis, *a vobis, quare antequam baptisma quis consequatur, catechuminus fuit; vel quid sibi habeat hoc vocabulum aut hæc catechizatio, aut qua regula in Veteri Testamento præmissa sit; aut certe, si novella regula est, et magis a Novo Testamento sumpsit exordium. Simul etiam scrutinium quid sit, aut quare tertio ante Pascha scrutinentur infantes; aut quid sibi hæc districtio vel sollicitudo scrutaminis vindicet*, etc.

III. Ad hæc ita respondeo. Studium vestrum nosse confidimus: quia omne genus humanum in ipsis, ut ita dicam, mundi cunabulis prævaricatione primi hominis in morte fuerit jure collapsum; nec ab ea posse redimi, nisi affuerit gratia Salvatoris: qui dum ante sæcula genitus esset ex Patre, propter nos ex sola matre fieri non est dedignatus in tempore. Non est ergo dubium quod priusquam aliquis renascatur in Christo, diabolicæ potestati teneatur astrictus: cujus laqueis nisi inter ipsa primitus fidei rudimenta veraci professione renuntians exuatur, ad salutaris lavacri gratiam non accedit. Et ideo hunc oportet prius catechumenorum auditorium introire. Catechesis enim Græce instructio dicitur. Instruitur namque ecclesiastico ministerio per benedictionem imponentis manum, ut intelligat quis sit, quisve futurus sit; hoc est, quia ex damnabili sanctus fiat, ex injusto justus appareat, ad postremum filius fiat ex servo: ut qui in primo parente perditus fuerat, secundi reparatus beneficio, hæreditatis paternæ possessor existat. Exsufflatus igitur exorcizatur, ut, fugato diabolo, Christo Deo nostro paretur introitus; et a potestate erutus tenebrarum, transferatur in regnum gloriæ caritatis Dei: ut qui dudum vas fuerat Satanæ, fiat nunc domicilium Salvatoris. Exsufflatur itaque, quia tali dignus est ignominia desertor antiquus. Exorcizatur autem, id est conjuratur, ut exeat et recedat, illius agnoscens adventum, cujus erectum in paradisi felicitate imaginem prava suasione dejecerat. Accipiet jam catechumenus benedictum sal, in quo signatur, quia sicut omnis caro sale condita servatur, ita sale sapientiæ et prædicationis verbi Dei mens fluctibus sæculi madida et fluxa conditur, ut ad soliditatem stabilitatis atque permansionis digesto penitus corruptionis humore divini salis suavitate perveniat. Hoc ergo agit frequens impositio manus, et reverentia Trinitatis, et invocata super caput ejus tertio benedictio Conditoris.

IV. Dehinc quodam profectu atque provectu, ille qui dudum exsufflatus diabolicis laqueis pompisque renuntiaverat, symboli ab apostolis traditi jam meretur verba suscipere: ut qui paulo ante solum catechumenus dicebatur, nunc etiam vocetur competens vel electus. Conceptus enim est in utero matris Ecclesiæ, et vivere jam incipit, etiam si nondum sacri partus tempus explevit. Tunc fiunt illa, quæ ab ecclesiastica consuetudine scrutinia dictitantur. Perscrutamur enim eorum corda per fidem, utrum menti suæ post renuntiationem diaboli sacra verba defixerint; utrum agnoverint futuram gratiam Redemptoris; utrum se credere fateantur in Deum Patrem omnipotentem. Et cum hæc ita esse illorum responsione claruerit, quia scriptum est: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem* (*Rom.* x, 10); tanguntur sanctificationis oleo aures eorum, tanguntur et nares; sed aures ideo, quia per eas ad intellectum fides ingreditur, Apostolo dicente: *Fides autem per auditum, auditus vero per verbum Dei* (*Ibid.*, 17); ut quasi quodam sanctificationis muro aures instructæ, nihil noxium, nihil quod retro revocare possit admittant.

V. Cum vero tanguntur nares eorum, admonentur sine dubio, ut quandiu spiritum vitæ hujus naribus trahunt, in Dei servitio mandatisque perdurent. Unde ille vir sanctus dicebat: *Vivit Dominus, qui abstulit judicium meum, et omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia donec superest halitus in me et spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium* (*Job.* XXVII, 2-4). Aliud quoque in narium unctione signatur: ut quia illud oleum in nomine benedictum est Salvatoris, ad spiritalem ejus odorem quadam ineffabili interiores sensus suavitate ducantur, ut delectati cantent: *Unguentum effusum est nomen tuum; post odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 2, 3); quo mysterio sensus narium

præmunitus, nihil voluptuosum sæculi, nihil quod mentem resolvere queat, possit admittere.

VI. Dehinc pectus eorum oleo consecrationis perungitur, in quo est sedes et habitaculum cordis: ut intelligant firma se conscientia et puro corde debere promittere, quod jam relicto diabolo Christi mandata sectentur. Hi etiam nudis pedibus jubentur incedere, ut depositis morticinis et carnalibus indumentis, agnoscant se illius viæ iter arripere, in qua nihil asperum, nihil potest inveniri nocivum. Hæc igitur ecclesiastica sollicitudo per successiones temporum cauta dispositione constituit: quamvis horum vestigia vetus pagina non ostendat. Proinde cum istis quasi vehiculis spiritalibus electus sive catechumenus in fide processerit, tunc et necesse est unici lavacri baptismate consecrari, in quo sacramento baptizatus trina demersione perficitur. Et recte. Nam qui in nomine Trinitatis baptizandus accedit, ipsam utique Trinitatem trina debet mersione signare, et illius se agnoscere beneficiis debitorem qui tertia pro eo die resurrexit a mortuis. Sumptis dehinc albis vestibus, caput ejus sacri chrismatis unctione perungitur; ut intelligat baptizatus regnum in se ac sacerdotale convenisse mysterium. Chrismatis enim oleo sacerdotes et principes ungebantur, ut illi offerendo sacrificia, illi populis imperarent. Ad imaginem quippe sacerdotii plenius exprimendam, renascentis caput lintei decore componitur. Nam sacerdotes illius temporis quodam mystico velamine caput semper ornabant; cuncti vero regenerati albis vestibus induuntur ad ministerium resurgentis Ecclesiæ, sicut ipse Dominus et Salvator coram quibusdam discipulis ac prophetis ita in monte transfiguratus est, ut diceretur: *Resplenduit facies ejus velut sol; vestimenta vero ejus facta sunt candida sicut nix* (*Matth.* XVII, 2). Quo facto splendorem ut dictum est, resurgentis in futurum figuravit Ecclesiæ, de qua item scriptum est: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata* (*Cant.* III, 6; VIII, 5)? Utuntur igitur albis vestibus, ut quorum primæ nativitatis infantiam vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secundæ generationis gloriæ proferat indumentum, ut ad mensam sponsi cœlestis nuptiali veste circumdatus homo novus occurrat.

VII. Illud autem ne prætermissum videatur, ante prædicimus, quod ista omnia etiam parvulis fiant, qui adhuc pro ipsius ætatis primordio nihil intelligunt. Unde scire debetis, quia dum a parentibus aut a quibuslibet aliis offeruntur, aliena eos professione salvari necesse est, qui fuerant alieno errore damnati. Ac proinde adjungis ut dicam, cur sanctum chrisma soli pontifici liceat consecrare, quod presbytero non videtur esse concessum. Et merito: quia episcopus summi pontificis gradum obtinet, presbyter vero secundi sacerdotii locum retinere cognoscitur. Omnis enim pontifex est sacerdos, non omnis sacerdos pontifex dici potest. Nam in Veteri Testa-**A**mento, ut alia taceam, etiam indumentorum habitu differebant: ita ut sacerdotes quatuor quibusdam mysticis vestibus uterentur quæ illis cum pontifice videbantur esse communes; at pontifex quatuor aliis utebatur, quibus indui sacerdotibus penitus non licebat. Adjicitur etiam quod in sancta sanctorum semel in anno solus pontifex habebat accessum. Unde jam in novo populo episcopus ordinandi presbyteros meruit potestatem. Recte igitur benedictionis et unctionis quodammodo potestas apostolica huic traditioni servatur, quam constat ecclesiasticorum ordinum tenere principium.

VIII. Illud quoque non prætereundum videtur, ᵃ qui nec eadem benedictionis verba presbyterii consecratio promeretur, quæ pontificalis apex consuevit **B** audire. Nam si nihil speciale reservatum esset episcopo, gradus indifferens esse videbatur: nec opus esset diverso vocabulo, quod eadem benedictio consecraret. Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant: quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat etiam nunc a pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a presbyteris effici possit, superior ordo constituit.

IX. Illud etiam vultis scire, quos Ecclesia catholica redeuntes non baptizet hæreticos? Quod ego pro meo modulo brevi responsione concludam: illos **C** venientes baptizari quos non constiterit in nomine Trinitatis æque suscepisse mysterium. Nam sive Patrem solum quis confiteatur, negans Filium et Spiritum sanctum, baptizandus omnino est; sive Filium confitens, neget Patrem vel Spiritum sanctum, sine dubio consequi debet baptismatis sacramentum; vel si Spiritum sanctum denegans, Patrem fateatur ac Filium, æque, ut meminimus, mystico fonte purgabitur, juxta illam Domini regulam dicentis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Verum si Trinitatis nomen accepit, inæqualitatis quolibet modo faciens differentiam, veluti qui illo in tempore Arium sunt secuti, baptizari omnino non possunt: quia illam domi-**D**nicam consecuti sunt regulam, licet videantur errare. Unde hujusmodi docendi sunt potius quam baptizandi, et incorporandi matris Ecclesiæ visceribus benedictione succedente pontificis: ut per caritatem qua Deus proximusque vere diligitur, quid minus habuerint, quidve in eis completum fuerit, recognoscant. De Pelagianis autem, Eutychianis sive Nestorianis aperta et vulgata sunt omnia, quæ in libro de Hæresibus cum legeritis, plenius poteritis advertere.

X. Acolythi autem exorcistis hoc ordine differunt, quod exorcistis portandi sacramenta, eaque sacerdotibus ministrandi negata potestas est; tantumque manus impositioni vacent, propter quod exorcistæ

ᵃ Legendum videtur *quis*.

dicuntur; vel cætera quæ intra acolythorum ordinem esse probantur, explere festinent. Acolythi vero sacramentorum portanda vasa suscipiunt, et ministrandi sacerdotibus ordinem gerunt. Ideoque exorcista fieri potest acolythus; iste vero ad exorcistarum officium nulla penitus promotione descendit; qui si optime suum officium ministraverint, ad subdiaconatus gradum poterunt pervenire: cujus hic apud nos ordo est, ut accepto sacratissimo calice in quo consuevit pontifex dominici sanguinis immolare mysterium, subdiaconus jam dicatur. Qui si rursus nullo fuscatus vitio inculpabilis perseverat, ad diaconii vel presbyterii sacratissimas dignitates poterit pervenire.

XI. Quod de septem altaribus inquisisti, quæ in urbe Roma sabbato Paschæ moris est consecrari, hoc dico, quia majores nostri, sive in septiformis gratiæ Spiritu decreverint faciendum, sive quia septem regionibus ecclesiastica apud nos militia continetur a qua hæc ipsa parantur altaria, ut singulis benedictio præstaretur: an quia septenarius ipse numerus mysticus et sacratus est, quia in Trinitatis nomine orbis credit universus, qui quatuor partibus ab Scriptura sæpe describitur; ac per hoc ternarius quaternario junctus septenarium efficiat, qui quasi inter illa sacra terribilia totius mundi repræsentat imaginem; an alia quadam ratione constitutum sit, certe mihi habetur incognitum. Illud tamen firma mente custodio, quod non a majoribus tradita custodiret Ecclesia, nisi certa sui ratio poposcisset. Nec ea possumus dicere inania videri ac frivola, quia eorum minime rationem accepimus. Nam multa qui proxime ante nos fuerunt, et nos, ut nobis ratio persuadet, in ecclesiis quædam nova sancimus: quæ dum ad posteros transmittimus observanda, etiamsi qua id ratione a nobis factum sit, longe posterior ætas ignoret, non putabit tamen inania, si in Deum piam præcedentium intelligat voluntatem. Hoc ergo modo etiam nos quod.... majorum ratio ipsa non venit: nam quorum pervenit, et ipsa tenentur et res; quorum autem causa latet, et res fidei non resultat, observari ac teneri necesse est.

XII. Quod autem quæsistis, cur in sacratissimum calicem lac mittatur et mel, et Paschæ sabbato cum sacrificiis offeratur? Illud in causa est, quia scriptum est in Veteri Testamento et novo populo figuraliter repromissum: *Introducam vos in terram repromissionis, terram fluentem lac et mel* (*Levit.* XX, 24). Terra ergo repromissionis terra est resurrectionis, et in illa felicitate semper permanentis, quæ nihil est aliud quam terra corporis nostri, quæ in resurrectione mortuorum incorruptionis pacisque gloriam consequetur. Baptizatis ergo hoc sacramenti genus offertur, ut intelligant quia non alii, sed ipsi qui participes fiunt corporis et sanguinis Domini, terram repromissionis accipient, cujus iter inchoantes, tanquam parvuli lacte nutriuntur et melle, ut incipiant decantare: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum* (*Psal.* CXVIII, 103; XVIII, 11). Lac ergo et mel [a] portantur novi homines post amara delicta: ut qui in prima nativitate corruptionis lacte nutriti sunt, et amaritudinis lacrymas inchoarunt, secunda generatione lactis ac mellis dulcedinem in Ecclesiæ visceribus sumant, ut nutriti talibus sacramentis incorruptionis perpetuæ mysteriis consecrentur.

XIII. Illud etiam quod interrogare dignatus es, cur Alleluia usque ad Pentecosten in Ecclesia decantatur, scire vos convenit alia esse in fide catholica, quibus per totum mundum omnis Christianus astringitur, veluti est auctoritas Novi ac Veteris Testamenti; alia rursus esse instituta Patrum, a quibus nulli licet catholico deviare, veluti Nicæni canones, et si quid hujusmodi est; itemque alia esse quæ unaquæque Ecclesia tanquam propria retinet, et a suis majoribus tradita sibi custodit, quæ salva fide et pace catholica cum alterius regionis non observat Ecclesia, ut est Romana, quæ sabbatis omnibus jejunat, quod Orientalis facere non videtur; vel quod hic septem altaria componuntur, quod alibi nullus attentat; et rursus fiant alia alibi, quæ hic fieri non probantur. Hæc autem omnia ita diversis Ecclesiis diverso modo fiunt; ut tamen omnes illius reginæ vestem faciant de qua dictum est: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV, 10). Nihil ergo moveat, cum videntur hic aliqua in Dei laudibus fieri, quæ alibi alio modo fieri comprobantur. Sive enim usque ad Pentecosten Alleluia cantetur, quod apud nos fieri manifestum est; sive alibi toto anno dicatur; laudes Dei cantat Ecclesia. Sed reservatur aliquid apud nos paschali reverentiæ, ut majoribus gaudiis, et quasi mentibus innovatis ad laudem Dei recurrat affectus; propter quod Alleluia, Latino sermone *Laudate Dominum* dicitur. Quanquam et aliis verbis id quotidie populorum vox dicentium resonet: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis* (*Psal.* CXLVIII, 1). Itemque: *Laudate Dominum, omnes angeli ejus* (*Ibid.*, 2). Et iterum: *Laudate Dominum omnes gentes* (*Psal.* CXVI, 1). Semper ergo cum Deus quoquo modo fideli corde laudatur, Alleluia cantatur.

XIV. Restat nunc illud quod interrogandum putastis: Si baptizatus sine chrismatis unctione ac benedictione pontificis ex hac vita migraverit, utrum ei obsit aliquid, an non? De qua re magis a doctis plenius audire vellem, quam ipse aliquid dicere. Quid tamen mihi videatur, salva meliore intelligentia et majorum plena sententia, quod in omnibus supradictis volo tenere; quia ita vestræ voluntati parere studui, ut tamen de omnibus quid melius (quod non dubito) a majoribus dictum est, hoc uterque servemus. Quid ergo videatur breviter dicam. Ducatur ergo similitudo ab hac prima nativitate in qua orti sumus, ut intelligamus illam secundum ex

[a] An *potantur*?

qua vere vivimus et in qua justificati sumus. Cum natus fuerit infans, et lucis hujus participationem contigerit, perfectum hominem natum esse dicimus, et est ejusdem substantiæ cujus est ille qui genuit, hoc est, animal rationale mortale: quanquam ille A grandis, hic parvus; quæ sunt accidentium vocabula, non naturæ. Si ergo accidant adjumenta ad ætatis provectum, nunquid adjectum est aliquid definitioni substantiæ? Absit: quia non extenditur aut minuitur naturæ proprietas...... *Cætera desunt.*

EXEUNTE SÆCULO QUINTO.

SANCTUS FAUSTINUS.

EDMONDI MARTENE ADMONITIO.

Quis fuerit ille S. Faustinus necdum certo scire mihi licuit. Equidem reperio apud Gennadium libro de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus Faustinum presbyterum, qui scripsit ad personam Flaccillæ reginæ adversum Arianos et Macedonianos libros septem, editos in Bibliotheca Patrum; et alterum librum quem Valentiniano et Theodosio et Arcadio imperatoribus pro defensione suorum cum Marcellino presbytero obtulit. Verum hic Faustinus non fuit sanctus, imo schismati Luciferiano aperte consensit. Fuit et alter Faustinus B *episcopus, cujus homiliam dominica ante quadragesimam Æneas Parisiensis in libro adversus Græcos Spicilegii tom.* VII, *pag.* 86, *citat: quam homiliam integram reperit noster Acherius in manuscripto Corbeiensi, eumque eumdem esse cum Fausto Rhegiensi episcopo, arbitratur ex conjectura tantum. An vero idem fuerit cum Faustino sequentis homiliæ auctore, nec affirmare, nec negare audeo. Cujuscunque tandem illa sit, sane antiquissimi auctoris esse extra aleam est.*

SANCTI FAUSTINI
HOMILIA
DE PASSIONE DOMINI.

(Edidit Martene Ex ms. S. Illidii Claromontensis.)

Beneficia Dei nostri cum magna ac mirifica sint, tamen nec nova probantur esse nec subita; sed ab initio sæculi, et prædicta oraculis, et præfigurata mysteriis. Sacram Domini passionem ab ipsius mundi coalescentis exordiis Veteris Testamenti responsa cecinerunt, et ideo Christum Dominum prædicatum atque nuntiatum Judæis aperte ex ipsorum libris et voluminibus asserimus, validis absque dubio nititur privilegiis, qui causam de [a] adversariis asserit instrumentis. Speciosa victoria est contrariam partem chartulis suis velut propriis laqueis irretire et testimoniorum suorum vocibus confutare et æmulum [b] telis suis evincere, ut pugnatoris tui argumenta tuis probentur [c] utilitatibus militare. Itaque in Domini nostri per- C sona dum ex Adæ primi hominis costa mater cunctorum viventium Eva producitur, ex hujus sacro latere ac salutari vulnere Ecclesia omnium fidelium parens reparanda monstratur. In ejus typo Abel justus occiditur, et innocens fraterna tanquam Judaica impietate mactatur. Hic idem Dominus in novissima mundi senescentis ætate per figuram beati Abrahæ longævi patris offertur. Quo tempore dum novo sacrificio in unici sui jugulum pius parricida consurgit, ex improviso aries oculis ejus apparuit, sicut loquitur sermo divinus: *Et vidit Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus* (*Gen.* XXII, 13). Inter vepres, inquit; requiramus quæ sit ista novitas, id est in multitudine circumstantium peccatorum, hærentem

[a] Sic præclare Augustinus in psal. XL: *Proferimus codices Judæorum, nempe Judæi inimici nostri sunt. De chartis inimici convincitur adversarius.*

[b] Sic iterum S. Augustinus tract. adversus Judæos: *De sanctis Scripturis, quarum et apud ipsos magna habetur auctoritas, sumenda sunt testimonia, quorum etsi nolint oblata utilitate sanari, aperta possint veritate convinci.*

D [c] Hinc est quod idem S. doctor in psalm. LVI: *Judæi*, inquit, *librarii nostri facti sunt.* Et in psal. XL: *Nobis serviunt Judæi, tanquam capsarii nostri facti sunt, studentibus nobis codices portant.* Et lib. XII contra Faust., c. 23: *Quid est aliud hodieque gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianorum, bajulans legem et prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ.*

cornibus, id est ad crucis cornua clavorum confixione pendentem, sicut in alio loco legimus: *Cornua in manibus ejus sunt* (*Habac.* III, 4). Hoc ideo quia venerandas manus ejus patibuli brachia susceperunt. Inter spinas autem deputatus est, quando spineo serto innocentiæ et justitiæ actor illusus est. Sed altius introspicere debemus quidnam sit quod Isaac a Patre altaribus admovetur, ac subito aries pro eo non mutata sed duplicata oblatione supponitur. Gemina hic adoranda substantia Redemptoris ostenditur, Dei enim unigenitus offertur, et Virginis primogenitus immolatur. Hoc quoque dominicæ passionis præfigurabat insignia, quod legimus beatum Elisæum sepulchro conditum ingesto a latrunculis cadavere intra tumulum suum corpus exstincti tactu sacri corporis suscitasse: Quis hic alius præfigurabatur, nisi Dominus noster Jesus Christus, qui resurrectionem de morte largitur, et vitam sepultus operatur? In latrone reum mundum, in prophetæ virtutibus Christum Dominum recognosce. Adhuc celeberrime per Scripturas sanctas etiam in Jonæ prophetæ laboribus et ærumnis Christi passio et resurrectio præsignantur. Hic Jonas, quod fidei nostræ non arbitramur incognitum, typum Domini gessisse præscribitur. Ipse enim Dominus dicit: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ* (*Matth.* XII, 40). Hic, inquam, Jonas ad prædicandum Ninivitis iræ cœlestis offensam, Domino jubente, dirigitur; sed præscius tristem prophetiam populi conversione vacuandam, profugusque Tharsum petebat, C ingreditur navim, sed nautis exorta tempestate turbatis, sorte fluctibus datur, et faucibus ceti piscis dimersus excipitur; sed pisce illæsum eructante depositum, tertia die terris refunditur. Videte Dominum etiam in Veteri Testamento in servi forma mirabiliter apparere. Videte quomodo se ante actis sæculis judicavit secundum servilis formæ humilitatem venturum. Jonas iram Domini prædicaturus ad magnam Ninivitarum urbem, dicturus: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur* (*Jon.* III, 4); et Christus ad mundi mittitur civitatem, ut diem salutis et præfinitum judicii tempus annuntiet. Jonas navim expetit, Christus Ecclesiam. Jonas fluctibus agitatur, Christus mundi turbinibus exercetur. Nisi Jonas perditum detur, naufragæ navis periculum non sedatur; D Sic non liberatur Ecclesia, nisi Christi morte salvetur. Nautæ dimissuri Jonam tamen verentur et dicunt: *Domine, ne des super nos sanguinem innocentem* (*Jon.* I, 14). Nonne vobis videtur nautarum imprecatio Pilati esse confessio, qui tradidit Christum, et tamen lavat manus suas, et dicit: *Mundus ego sum a sanguine justi hujus* (*Matth.* XXVII, 24)? Quam congrue per personam [a] gentilem fides gentium prædicatur! Dicit itaque Jonas in oratione sua: *Tolle igitur, Domine, animam meam, quia melior est mihi mors quam vita* (*Jon.* IV, 3).

A Id est vivens unam Judæorum gentem salvare non potui; moriar, et universus mundus mea morte salvetur. Jonam cetus piscis excepit immersum, sed non contigit devoratum; et quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodivit. Plenis visceribus famem patitur, et in prædam quam absorbuit, nihil sibi licere miratur. Quis est iste qui intra avidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est, traditur perditionis profundo, et servatur ipsius mortis obsequio. Quis est iste qui vastissimos sinus periculorum totus ingreditur, et sub altitudine conclusus immensa atque mortifera, vitali aere pascitur, et dimissus in alienam rerum naturam, in vitæ exsilium, cum vita peregrinatur, et mortis superstes annuntiat venturam mundi salutem? B Puto quod hic est Dominus noster Jesus Christus, quem sæva mors, inexplebilis bellua, in escam suam rapuit, et prædam suam captiva contremuit. Contremuit, inquam, nam si noverat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna, sed causa. Quasi solitum cibum perditum in mundi origine hominem devoravit; sed magnam esse cibi ipsius dignitatem præfocata cognovit, atque ideo divinus sermo commemorat: *Et præcepit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam* (*Jon.* II, 11). Hoc debemus accipere quod ex imis visceribus mortis victrix vita remeavit, atque eam ex imis præcordiis inferni perditio exulcerata reddidit. Videmus itaque in prophetæ afflictionibus apertissime præfiguratam mortem pariter et resurrectionem. Quapropter quod impletum cernis in servo, credere non cuncteris in domino. Quæ cum ita sint, perspice, o homo, quantum valeas et perpende quid debeas. Perspice quantum valeas, ut tandem vilis esse tibi desinas, ut vel per hoc erubescendis subjacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam de Creatoris et Reparatoris nostri dignitate metiris. Habet causas quibus ipse confundatur cur indignis dominis victo corde subdatur, cui gloria æterna promittitur, ac sic gemino privilegio, qui dudum divinæ imaginis participatione efficeris etiam commercii nobilitate pretiosus. Vide quam fortis esse possis contra hostem tuum, interroga statum tuum, quod tibi Dominus ad debellandum in membris tuis mundi principem ac spiritales nequitias superandas liberam contulit facultatem; ac sic impossibile non putes, ut transferri obtineas in angelicas beatitudines, cum hoc sæculo angelicas deviceris potestates. Non ergo te degenerem ac despectum faciat vita, quem vel factura probatur illustrem protulisse vel gratia, sed cursum fideles Christi ad superna fiducialiter extollant. Nam qui se cœlesti pretio vident redemptos ad cœlestia non dubitant præparatos.

Explicit homilia sancti Faustini.

[a] Per gentilem personam intelligit Pilatum.

EXEUNTE SÆCULO QUINTO

JULIANUS POMERIUS.

PROLEGOMENA.

NOTITIA EX CAVE.

Julianus Pomerius, gente Maurus, in Galliam profectus in civitate Arelatensi scholam rhetoricam aperuit, ac demum presbyter ordinatus est. Claruit circa an. 498. Eum sanctitate vitæ et scriptis quotidie editis eminuisse fidem facit Gennadius (De Script. c. 98), quo tempore Catalogum suum iste clausit. Scripsit libros 8 de Anima, quorum argumenta sigillatim enumerant Gennadius et Isidorus (De Script. c. 12), et in libro secundo de Corporeitate animæ disputasse notant. Quantum vero ex argumentis hisce conjectari licet (opus enim nunc non superest) isti libri, ex Nemesii A *libris 8 de Anima fere excerpti sunt. Scripsit etiam tractatum de Contemptu mundi ac rerum transiturarum ad Principium, et alium de Vitiis et Virtutibus, libellum adhuc de Virginibus instituendis, quæ interierunt. Unicum ejus superest opus de Vita contemplativa, sive de futuræ Vitæ contemplatione, vel de actuali conversatione in tres libros divisum; quod Prospero vulgo perperam inscriptum, inter opera istius haberi solet, ac sub illius nomine seorsim prodiit anno 1487 et Colon. 1536 in-8°. Prologum operis istius secundum primus edidit Dacherius Spicileg. tom. XIII.*

ADMONITIO
LIBRIS DE VITA CONTEMPLATIVA
A MANGEANTIO PRÆFIXA
IN SUA S. PROSPERI AQUITANI PARISIENSI EDITIONE.

In appendicem rejicimus primo loco libros duos de Vita contemplativa, opus licet elegans et pene omnium laudibus celebratissimum, atque ab annis octingentis ad nostram usque ætatem sancto Prospero assertum. Ab octavo namque sæculo medio scriptores inventi sunt qui sub auctoris nostri nomine opus istud laudavere. Chrodogangus enim Metensis episcopus, qui illo sæculo florebat, et studio regularis disciplinæ, cui canonicos Ecclesiæ suæ subdi voluit, admodum commendabilis exstitit, in regula canonicorum, Prosperum librorum de Vita contemplativa auctorem agnovit. Idem præstat Jonas Aurelianensis episcopus, qui floruit sub pontificatu Eugenii II et Gregorii III, imperantibus Ludovico Pio et Carolo Calvo, id est sæculo sequenti, in libro de laicali Institutione, qui primum editus est in lucem a doctissimo viro D. Luca Acherio monacho Sangermanensi, ordinis S. Benedicti congregationis S. Mauri in tomo I sui scriptorum veterum Spicilegii. Tum concilium Aquisgranense sub eodem Ludovico Pio in causa ejusdem canonicorum institutionis celebratum anno 818 huic opinioni favere videtur, cum hosce tractatus ut Prosperianos usurpat, non secus ac concilium Parisiense sextum sub eodem imperatore post annos tredecim coactum. Quin etiam huic operi inscriptum legitur Prosperi nomen in manuscriptis codicibus ejusdem ætatis, et in editis antiquioribus habetur insertum. Ita denique creditum, nullo refragante, ob omnibus posterioris B *ævi scriptoribus. Nihilominus tamen hodie constat inter eruditos non esse Prosperi hocce opus de Vita contemplativa, nec iis religio fuit tam antiquis tamque idoneis testibus fidem derogare, et libros proxime subjiciendos parenti alteri ascribere; Juliano scilicet cui cognomen erat Pomerio, natione Mauro, qui Arelate rhetoricam cum magna famæ laude docuit, auditoremque habuit Cæsarium Magnum ejusdem urbis postea episcopum, ut testatur ejusdem sancti pontificis Vitæ liber.*

Hujus porro sententiæ probationes suppetunt non paucæ. Nam, 1° ut ex ipsiusmet auctoris testimonio argumentum primum ducamus, auctor iste (quod solerter ante omnes observavit Jac. Sirmondus in notis ad Aquisgranense concilium) Hilarii Arelatensis, qui obiit anno 449, laudes contexit, lib. II, cap. 9, quasi ejus quem C *longe ante diem supremum obiisse supponit: quod certe æqualis Hilario Prosper asserere nequivisset. Addes etiam, si libuerit, eam rationem quam urget H. Norisius, quod nempe Prosper non ita liberaliter eum laudasset, quem ipse in litteris ad Augustinum testatur in sancti doctoris gratiæ doctrinam minus propensum; et si alias meritis clarum, præcipuæ auctoritatis, et spiritualium studiorum virum fuisse profiteatur.*

Aliæ insuper suppetunt rationes, quæ dum opus vero auctori restituunt, necessario illud deinceps a Prosperi operibus omnino secernunt. Ac primum S. Isidorus libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 12, explicate

libros illos Juliano Pomerio ascribit, his verbis: « Alios quoque tres libros edidit de futuræ vitæ Contemplatione, vel actualis conversatione, nec non etiam de Vitiis et Virtutibus: » qua certe recensione omnis operæ distributio et totius tractatus istius argumentum describitur, ut ex libri tertii præfatione clarius perspicietur. 2° Laudatus jam Sirmondus codicem ms. vidisse se testatur qui fuerat alias S. Salvatoris vicecomitis, postea vero fuit illustrissimi doctissimique archiepiscopi Tolosani Caroli de Montchal, in quo libri illi, Juliani Pomerii nomine prætitulantur. Et eodem fide dignissimo assertore, in Collectione canonum codicis Andegavensis, sancto Pomerio, sic enim vocat, rursus ascribuntur tractatus illi nostri. Alterum subinde nactum se testatur P. Quesnellus in bibliotheca abbatiæ beatæ Mariæ de Trappa, quæ ex obscuro monasteriolo in numerosissimum sanctissimumque asceterium derepente evadens religiosissimi abbatis studio ac pietate, suum ætate nostra Gallicanæ Ecclesiæ Bernardum, suam Bernardo reddidit Claram Vallem. Duobus hisce oculatis testibus addere liceat tertium non minoris auctoritatis testem, scilicet doctissimum et clarissimi nominis auctorem Bibliothecæ novæ auctorum ecclesiasticorum, qui tomi sui tertii parte secunda monet, audiisse se (a fide dignis procul dubio) asservari etiamnum in bibliotheca capituli insignis Ecclesiæ Bellovacensis, pervetustum ms. in quo tres libri de Vita contemplativa Juliani Pomerii ut certi auctoris nomine insigniuntur.

Nec forte alterius operis Pomerii meminisse censendus est Gennadius in Catalogo de viris illustribus, seu de ecclesiasticis scriptoribus, cum recensito opere in quo auctor ille interrogantibus et rogantibus Juliano episcopo et Vero presbytero, dialogorum more respondens; arte dialectica et sermone ingenio apto composuit de Natura animæ et Qualitate ejus, etc., libros octo; subdit Gennadius: « Memini legisse me olim ejus dictatum ad quemdam nomine Principium, etc., et alium, de Vitiis et Virtutibus prætitulatum. »

Nec inutile erit hic aliquid etiam de Juliani Pomerii fama fortunisque breviter præfari. Fuit porro hic Julianus Pomerius, dum hæc scripsit, ex rhetoricis disciplinis ad ecclesiasticos gradus provectus: neque enim credere par est Julianum episcopum, cujus jussu stylum arripuit, auctorem illi fuisse, ut de clericorum officiis tractaret antequam eo gradu auctus esset, cui Ecclesia magisterium, et aliorum institutionem permittit. Sed et Gennadius hunc presbyterum ordinatum tradit. Hunc Ennodius Ticinensis episcopus exquisite laudat lib. II, epist. 6, quam ipsi inscribit, ubi hæc sub finem: « Nunc vale, mi domine, et circa me ecclesiasticæ disciplinæ magis exerce fautorem, » etc. Ad eumdem etiam duas epistolas transmisisse legitur Ruricius Lemovicensis. Nam et ipse Æonium Arelatensem rogat, lib. II, cap. 8, ut Pomerium ad se venire jubeat. Hunc autem cum tunc abbatem appellet, argumento est eum ab Æonio monasterii regimini, post adeptum sacerdotalem ordinem fuisse præpositum, quemadmodum ipsemet pontifex Cæsarium jam factum presbyterum monasterii abbatem pariter constituerat. Dum vero dicitur Cæsarium religiosæ sodalitati defuncti abbatis loco suffectum, non inani forte conjectura inferemus illum Juliano magistro quondam suo hoc in munere successorem electum: quem quidem hoc tempore jam annis gravem existimare consequens erit. Quod etiam ipse innuit Gennadius in Catalogo cap. 98, quem concinnans aut amplificans circa annum 494, ait: « Scripsisse et alia dicitur, et adhuc scribere..... vivit usque hodie conversatione Deo digna, apta professioni et gradui. » Quibus verbis postremis, et monachatum illius et sacerdotium designasse jure credetur.

Inscripti sunt autem libri illi Juliano episcopo, sed incertum cujus sedis fuerit episcopus. Observatur sane hujus nominis pontifex Carpentoratensis in Epaonensi concilio anni 517 subscriptus, cui ut hoc opus dicatum judicetur non videtur obstare tum ratio temporis, tum regionum distantia: sed ut erat hoc nomen his sæculis commune, alii etiam esse potuere Juliani, quorum alteri lucubrationes suas nuncupasset Pomerius. Nam, si fides auctori Vitæ S. Honorati quæ circumfertur, sedit inter Forojulienses hujus nominis pontifex: quem cum iste ejusdem Honorati et Caprasii ex Italia reducum hospitem narret; auctor dissert. de Initiis Forojuliens. Ecclesiæ, eumdem cum Quillinio, ad quem datæ exstant Leporii retractationis litteræ, fuisse conjecerat: at quia consarcinatoribus solemne est remotiores temporum epochas conjungere, vel conjunctas distrahere, potuit ille Julianum episcopum inter hæc tempora deprehendisse; post Victorinum utique, qui anno 506 Agathensi concilio interfuit: cujusque exstat epistola ad Ruricium Lemovicensem, et istius ad Victorinum. Isto autem Forojulii sedente, Julianum provinciæ regiones collustrasse, et cum provincialibus necessitudines contraxisse singulares probatur in Secretis Lirinensibus. Ex hac autem ejus in his partibus consuetudine, haud dubie afflatam illi opinationem suspicari promptum est, qua ex citati Isidori testimonio discimus, eum in octo libris de Natura animæ quos conscripsit, secundum Tertulliani erroribus labefactasse, dum eam corpoream fallacibus etiam argumentis astruere contendit. Nam tum magna famæ laude celebrabatur Faustus monasterii Lirinensis, in Forojuliensi territorio post Maximum Reiensem tum episcopum, abbas; qui quidem sententiæ pene consepultæ cineres suscitare non detrectans, eam etiam scriptis libris acriter defendisse perhibetur: contra quem ex adverso stetit Claudianus Viennensis Ecclesiæ presbyter, litisque arbitrium se legit Præfectorium Patricium, doctissimum virum, et opt. C. Sollium Sidonium: his enim nominibus, in epistola libris suis præfixa illum convenit. Arbitrum illum autem statuit Fausto licet amicissimum, sed qui amiciorem sibi veritatem satis cumulate testatus esse videtur, dum libros illos, tot exquisitis præconiis celebravit in sua tertia ad Claudianum epist. lib. IV.

Cæterum suos de Anima libros Pomerius, ad ejusdem Juliani episcopi, cui libros de Vita contemplativa inscripsit, petitionem digessit, eodem assertore Gennadio, qui alium presbyterum nomine Verum memorat hujus operis edendi cum Juliano promotorem. Atque de hoc

Vero cum huc usque vix quidquam deprehendatur animadversum, non forte infeliciter conjectum ab auctore dissertationis septimæ de suppositis S. Prospero scriptis et tractatibus, Verum istum ab eo non diversum esse, quem tam exquisitis præconiis commendat Salvianus in epistola sua septima, eidem et Apro inscripta : quæ quidem tanto majorem viri celebritatem arguunt, quanto major ipse Salvianus, et in his etiam laudibus parcior fuisse videtur. Sed hæc rursus, seu Julianum, seu Verum extra provinciam, vel ejus viciniam quærendos non esse satis arguerent. At pro Vero illud etiam majus occurrit, quod inter hæc tempora in Arausicanorum præsulum serie, nominis hujus observe- A *tur præsul, quem ab isto nostro diversum esse vix credibile; non illo quidem, cujus nomen inscriptum legimus epistolæ provincialium episcoporum ad Leonem pro instauratione jurium Arelatensis episcopi (cum constet Eutropium Arausicanum episcopum Veri decessorem sæculi quinti mediam partem prætergressum, ut qui ab Hilaro pontifice maximo nec non a Sidonio jam episcopo litteras susceperit), sed illo Vero, qui post Eutropium sedit, hoc exeunte sæculo, cujus et Vitam scripsit, teste Sigeberto. Istius enim optime concurrit tempori epoche cum Juliani ac Salviani, a quibus laudatur gestis. Et hæc quidem in librum proxime subjiciendum et doctissimorum criticorum scriptis inserta sufficiant.*

JULIANI POMERII
DE VITA CONTEMPLATIVA
LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

1. *Diu multumque renisus sum voluntati tuæ, mi domine studiosissime pontificum Juliane; non velut pertinaciter durus, sed propriæ impossibilitatis admonitus. Videbatur enim mihi, et jure forsitan videbatur, quod etiam ipsi præsumptionem meam potuissetis improvidæ temeritatis arguere, si tantam rem, quæ utique esset operose tractanda, facile ac sine ulla deliberatione* [a] *susciperem : cum me oporteret prius ipsius rei pondus unde dicendum foret, expendere* [Alias *experiri*]; *et sic, adjuvante Domino, si vires facultas explorata promitteret, ad hoc arripiendum, quod juberetis accedere. His et talibus sollicita consideratione perspectis, necessarium duxi, ut me aliquandiu a scribendi præsumptione suspenderem. Sed quia sicut cogitanda fuit injuncti operis difficultas, ita cogitari debuit injungentis auctoritas, nec volui, nec debui usquequaque resistere, certus quod vires meas multo amplius adjuvaret tua præcipientis oratio, quam gravaret ipsius materiæ magnitudo. Deinde illa consideratio animum meum suis viribus diffidentem, in audaciam subeundæ præceptionis vestræ perduxit; quod jam non humilitatis esset perseveranter tenere silentium, sed superbiæ ultra renuere, quamvis infirmis cervicibus* [b] *onus impositum : cui oneri sustinendo, etsi mea me rusticitas faciebat invalidum, vestra fieri credidi fide qui jubebatis, idoneum.*

2. *Hoc quoque mihi audendi aliquid fiduciam da-* B *bat, quod magnarum rerum magnus ipse conatus esset, etiamsi nullus* [c] *disputantem sequeretur effectus. Siquidem necessariarum tractatio quæstionum, etsi non instruit* [d] *non invenientis quod quærit animum, exercet saltem quærentis ingenium : ut aut noverit se quærendo, et nihil inveniendo nescire quod se forte nosse præsumpserat; et ignorantiæ suæ consequenter admonitus, quod sibi deesse viderit, quærat; quod invenerit teneat; et quod tenuerit,* [e] *perseveranter exerceat : aut si quod sibi de divinis Litteris propositum fuerat, salubriter tractare, et sufficienter explicare* [f] *potuerit; non de inventione* [g] *veritatis infletur, sed in Domino, qui eum intus illuminavit, ut* [h] *illuminanda cognosceret, glorietur. Quandoquidem scientia sicut sine dono Dei, quod est caritas, inflat, ita si ei caritas admisceatur,* C *ædificat* (I Cor. VIII). *Ac per hoc, qui de Deo loqui voluerit, aut nihil dicit, et nulla eum* [i] *præcipitat inflatio; aut si aliquid dixerit, et se crediderit a Deo accepisse quod* [j] *dixit, habet unde Deo gratias agat, non habet quod ingenii sui viribus elatus ascribat.*

3. *Sed jam ipsa capitula, quæ utcunque solvenda proposuistis, attexam. Itaque* [k] *jubetis ut paucis edisseram quæ sit vitæ contemplativæ proprietas : et quid inter ipsam et activam vitam intersit, quanta possum brevitate distinguam. Utrum is cui Ecclesiæ regendæ cura commissa est, contemplativæ* [l] *virtutis fieri particeps possit. Utrum æquanimiter sustinendi sint divina præ[-]*

[a] Mss. duo., Regius unus et Camberonensis, *susceperim.*

[b] Sic mss. quinque cum edit. Lugd. 1539. Mss. duo et edd. Duac. et Colon., *quamvis infirmis cervicibus onus impositum grave sit.*

[c] Ms. Colbertinus unus, *disputationum.*

[d] Mss. quatuor cum ed. Lugd., *non instruit invenientis;* sed, ut videtur, minus bene. D

[e] Ita mss. quinque. Ms. unus et edd., *diligenter.*

[f] Ms. Camberonensis, *poterit.*

[g] Abest vox *veritatis* a ms. Camb.

[h] Mss. duo, *enubilanda.* Ms. unus, *innubilata.*

[i] Ms. Camb., *præcipitabit.*

[j] Edd. cum ms. uno, *quod dicit.*

[k] Mss, plerique, *jubes.*

[l] Ms. unus, *contemplativæ vitæ.*

cepta calcantes, an pro modo peccati debeant Ecclesiastica severitate coargui. Utrum [a] *congregandis fratribus aut alendis, expediat facultates Ecclesiæ possideri, an perfectionis amore contemni. Quæ sit abstinentiæ credenda perfectio; et utrum* [b] *tantum corpori an et animæ necessaria debeat judicari. Quantum a virtutibus veris virtutum similitudines distent. Quibus præcedentibus causis et subsequentibus incrementis nasci soleant vitia vel augeri; et quibus possint, adjuvante Domino, remediis, velut quibusdam medicamentis imminui vel sanari. Quot modis vel gradibus unaquæque virtus possit impleri. Et an vera sit illa philosophorum sententia, quæ virtutum omnium velut fontes quosdam quatuor virtutes; vitia quoque quatuor, velut quasdam origines malorum* [c] *omnium definivit. Hæc sunt nimirum decem, quæ a me voluistis enodari capitula, non ut absolutio eorum vobis aliquid cognitionis afferret, sed ut* [d] *vestra magis cura, si regulariter imperatum munus implevero, nonnihil ædificationis talium studiosis, horum et his similium capitulorum explicatione conferret. Cæterum si tu ea nescires, nunquam tanto ordine dilucidanda proponeres. Ideo autem voluistis cognita vobis disputationibus illustrari, ut aut me, si aliquid* [e] *secus quam ratio habet exponerem, faceretis emendari vel corrigi; aut certe per sollicitudinem vestram, meumque sermonem ad aliorum notitiam* [f] *possent catholice disputata perduci.* [g] *Nunc igitur quæ sit vitæ contemplativæ proprietas, Domino vestris orationibus adjuvante tractemus.*

ELENCHUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod ea sit vitæ contemplativæ proprietas, ubi Deus mundo corde videbitur.

Contemplativa vita, in qua Creatorem suum creatura intellectualis ab omni peccato purgata, atque ex

[a] Ms. unus, *pro congregandis.*
[b] Sic mss. duo cum ed. Lugd. et Duac. In aliis deest *tantum.*
[c] Ms. unus, *origines malorum definiunt omnium.*
[d] Sic mss. sex cum edit. Lugd. Alii editi cum ms. uno, *sed ut vestra magis cura sciret, si regulariter.... capitulorum explicatione conferri.* Camberon. ms., *ut vestra magistra cura.*
[e] Mss. duo, *secus ac*
[f] Mss. quinque, *possint.*
[g] Mss. quinque, *Nunc igitur jam.*
[h] Ms. Camb., *Deus.*
[i] Ms. unus, *ab omnibus.*
[j] Ms. Camb., *ante jam.*
[k] Sic mss. duo Reg. et Camb. Editi addunt *illic.*
[l] Ms. Camb., *Dominum.*
[m] Mss. 2 Reg. et Camb., *relinquere volunt.*
[n] Ms. Reg. unus, *exempla agendo.*
[o] Mss. Reg. et Camberon., *Nihil prosit sacerdotibus si bene vivunt, si male viventes tacendo non corrigant.*
[p] Mss. Reg. 2 et Camberon., *Carnaliter viventium sacerdotum.*
[q] Mss. duo, *prophetiæ.*
[r] Sic mss. duo. Editi. *qualiter possunt.*
[s] Mss. duo., *dejectunt.* Ms. unus, *dejactant.*

omni parte sanata visura est, a contemplando, id est, videndo, nomen accepit. Quod si ita est, illa vita ubi Deus videri potest ipsa [a] contemplativa credenda est. In præsenti [b] autem vita miseriis, erroribusque plenissima, Deum, sicuti est, videri non posse, dubium non est. In futura igitur [c] vita, quæ ob hoc appellatur contemplativa, videndus est, nec immerito. Si enim videre Deum, summum solidumque est gaudium summum [d] vero gaudium præmium bene creditur beatorum; et præmium [e] non adhuc pugnantibus, sed [f] jam vincentibus dabitur post triumphum : quis non videat quod omnes sancti Deum in illa vita æterna videbunt, ubi sine fine gaudebunt? Ibi gaudebunt, ubi præmium reportabunt; ibi recepturi sunt præmium, ubi non solum devictis, sed etiam finitis hostibus, triumphabunt; ibi triumphabunt, ubi ulterius adversarium non [g] habebunt.

2. Cæterum in hac vita, quamvis strenue dimicemus, et adjuvante Domino, catervas hostium, quibus circumfundimur, prosternamus; tamen si ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare [h] desinimus. Nec vincentes securos faciunt viriliter desudata jam prælia; sed magis sollicitant adversariorum rediviva certamina. Ac sic, quia secundum Scripturæ [i] sacræ sermonem, *tota humana vita tentatio est super terram* (*Job.* VII, 1, *sec. LXX*), tunc est tentatio finienda quando finitur et pugna; et tunc est finienda pugna quando post hanc vitam succedit pugnæ secura victoria : ut omnes milites Christi, qui usque in finem vitæ præsentis divinitus adjuti, suis hostibus infatigabiliter restiterunt, laboriosa jam peregrinatione transacta, regnent felices in patria. In qua humana natura ita reparanda est, et ab omni prorsus infirmitate sananda, ut nec peccata ei ulla [j] remaneant, nec peccare jam [k] valeat. Cujus hoc erit totum præmium, ut vitæ contemplativæ semel compos effecta, inexplebiliter auctorem beatitudinis suæ [l] conspiciat, de illo gaudeat, [m] de illo quod speravit obtineat, et in eo ad [n] quod sancte vivendo pervenit, sine fine permaneat.

CAPUT II.

De qualitate vitæ futuræ.

1. Jam vero de qualitate ipsius vitæ futuræ quid A dicam, quæ potius debet credi quam dici? Nec ideo tamen debeo inde tacere [o] quod valeo, quia dicere quantum volo non valeo. Neque enim quia Deum ineffabilem credimus, fari de illo quod possumus non debemus. Ita sane, ut plus credatur de illa vita, quam [p] scribatur; quia nec potest inde tantum proferri sermone, quantum potest mente complecti; et minus concipit mentis humanæ quamlibet profunda complexio, quam [q] se habet rei ipsius magnitudo. Ergo futura vita creditur beate sempiterna, et sempiterne beata, ubi est certa securitas, [r] secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas; ubi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, ac de sua cum illo permansione B securus; ubi ipsa civitas, quæ est angelorum sanctorum [s] et hominum congregatio beata, meritis fulgentibus [t] micat, et æterna salus exuberat, veritas regnat; ubi nec fallit quisque, nec fallitur; unde [u] nullus ejicitur beatus, et quo nullus miser admittitur.

CAPUT III.

Quod eo judicio Dei ab iniquis hominibus separandi sunt sancti quo [v] ante sunt beati angeli ab immundis spiritibus separati.

1. Sed [x] et hoc futurum credimus per justum Dei judicium, in quo non solum meritis, sed etiam locis sic ab iniquis justi [y] separandi sunt in æternum, ut jam nec [z] remunerati præmium finiant, nec damnati supplicium; quandoquidem propterea incorruptio et C immortalitas dabitur etiam corporibus miserorum, ut nec ipsi [aa] æternam pœnam finiant, nec ipsos consumat immortalis pœna, sed puniat. Ideo autem beata incorruptione et immortalitate justorum corpora donabuntur; [bb] ut et ipsi in gloria, et in ipsis gloria æterna permaneat.

2. Hoc judicium, quod inter justos homines injustosque futurum dicimus, inter sanctos angelos et immundos credimus [cc] factum. Nam cum essent utrique sine peccato creati, et ad serviendum Deo suo [dd] feliciter instituti, eorum quidam voluntate propria depravati noluerunt permanere [ee] quod facti sunt; et cum se contra Creatorem suum [ff] typho superbiæ

[a] Sic mss. duo. Reg. Editi vero, *ipsa est contempl. credenda.*

[b] Mss. Reg. unus, *etenim.*

[c] Abest hæc vox *vita* a mss. duobus Colbert.

[d] Ms. Camb., *summum et verum gaudium.* Ms. Reg. unus, *summum verum gaudium.*

[e] Ms. Colb. unus, *quod non adhuc.*

[f] Editio Lugd., *etiam.*

[g] Mss. quatuor, *non timebunt.*

[h] Mss. septem, Reg. duo, Colbert, quatuor et Camberon., *desinimus.* Editi, *desinamus.*

[i] Editi, *Scripturæ sacræ.* Mss., *sanctæ.*

[j] Ms. Colb. unus, *ulla alterius.*

[k] Edit. Lugd., *valeant.*

[l] Ms. Reg. unus et Camberon., *concupiscat suæ.*

[m] Mss. septem, non habent *de illo.*

[n] Sic mss. sex. Edit. vero, *ad quod sancte vivendo pervenerit.*

[o] Ms. Colb. unus, *quantum valeo.*

D [p] Mss. quinque, *scribitur.*

[q] Ms. Colb. unus, *se habeat.*

[r] Editi, *et secura tranquillitas et tranquilla jucunditas*, deest *et* utrobique in mss. omnibus.

[s] Ms. unus, *angelorum, sanctorumque omnium.*

[t] Mss. tres, *micat : æterna salus.*

[u] Mss. omnes, *beatus ejicitur.*

[v] Mss. duo, *jam ante.* Mss. alii duo, *quo jam sunt.*

[x] Mss. quinque, *Sed hoc.*

[y] Ms. Reg. unus, *discernendi sunt.*

[z] Editio Lug. sola, *nec remuneratis præmium finiat, nec damnatis supplicium.*

[aa] Ms. Colb. unus, *nec ipsi æterna pœna finiantur.*

[bb] Ms. Colb. unus, *ut ipsi* (ms. alter *et ipsi*) *in gloria æterna permaneant*, cæteris omissis.

[cc] Ms. unus, *esse factum.*

[dd] Ms. unus, *fideliter.*

[ee] Ms. Reg. unus, *in eo quod facti sunt.*

[ff] Ms. Camberon., *typo.*

lethalis hostiliter extulissent, de superna cœli regione projecti sunt (*Isai.* XIV, 15). Quos divina sententia [a] eo supplicio condemnavit, ut quia noluerunt perseverare, cum possent, nec [b] velint reparari, nec possint. Siquidem prævaricationis eorum fuit, quod [c] irrevocabilis judicii animadversione percussi sunt; et ad damnationem justissimam profecto pertinuit, quod voluntatem redeundi ac facultatem penitus amiserunt; sicut econtrario voluntatis sanctorum angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt, et divino justeque judicio actum est, ut[d] quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque necessitas. Et ideo, quia nec peccaverunt unquam, nec peccare jam possunt, illius contemplativæ vitæ semel facti participes, [e] inexplebiliter auctorem beatitudinis suæ conspiciunt, et merito suæ stabilitatis in æternum felices effecti, de sua permansione securi sunt. Qui summum solidumque gaudium, quo insatiabiliter perfruuntur, de divina contemplatione percipiunt, ac Deo suo infatigabiliter et amanter inserviunt; ita perfecte beati, ut nec cupiant beatiores fieri ultra, nec valeant.

CAPUT IV.

De resurrectione, vel vita sanctorum.

1. Hæc est [f] contemplativa vita, vita beata, ad quam qui bonorum operum consummatione pervenerint, beatis angelis similes erunt, et simul [g] cum Deo sine fine regnabunt. Quod hic [h] crediderunt, ibi videbunt; sui Creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes, æterna exsultatione gaudebunt; [i] divina ac mutua dilectione possessi, Deo suo in æternum et invicem sibi feliciter adhærebunt; receptis cum incorruptione atque immortalitate corporibus, municipatum patriæ cœlestis accipient; atque ejus in æternum cives effecti, promissa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cœlestium gratia gaudiorum, ut et remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, et nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales : quia humanorum pectorum tanta ibi erit et tam perfecta munditia, ut habeant unde mundatori suo Deo gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant; quia ibi nec ulla peccata, nec peccatores erunt, et qui ibi fuerint, jam peccare non poterunt. Nec latebit jam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum : quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut [j] deterius ultra mutari non possit.

2. Cujus humanæ substantiæ ad Conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona quæ naturaliter accepta [k] peccato corruperat, reparabuntur in melius; id est intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine [l] pervagatione, caritas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo : quoniam quidem quidquid hic corporibus [m] humanis vitiandis aut ferarum morsus [n] ademerint; aut improvisi casus abstulerint, aut malarum valetudinum genera diversa [o] decerpserint, aut humana crudelitas amputaverit, aut si ignis, vel quælibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipsa senectus etiam sanis onerosa negaverit, hæc atque his similia corporum damna una ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus instaurata, incorruptibilis sanitas obtinebit.

3. Propterea quicunque ibi erunt, etsi differentibus meritis ab invicem distabunt, omnes tamen una perfectione beati erunt : quia singulis præmia sua sufficientia erunt, et capere amplius præmiis suis jam perfecti non poterunt. Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint, ita omnes sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una [p] beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione beati [q] futuri sunt. Cæterum in illa tantæ beatitudinis regione [r] nec majoris meriti sibi aliquid quisque arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit; [s] nec superiori inferior invidebit, [t] quia ibi invidia esse non poterit. Et ideo, etsi erit ibi distantia mansionum, summa tamen in illis erit unius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœlestis una felicitas.

[a] Mss. tres, *eo sub judicio*. Ms. alter, *eo judicio condemnavit*.
[b] Ita mss. omnes. Editi vero, *nec vellent reparari, nec possent*.
[c] Sic mss. quinque. Ms. alter, *incredibilis*. Editi vero, *irrevocabiliter*. Ms. Camb., *prævaricationis eorum quod fuit, irrevocabilis judicii*.
[d] Ms. Colb. unus, *ut quibus fuit*.
[e] Mss. duo Colb., *inexplicabiliter*.
[f] Sic ms. unus Colb. Cæteri cum editis, *Hæc est contemplativa vita beata*.
[g] Ms. Reg. unus et Edd. Lug. et Duac., *cum Deo suo*.
[h] Sic mss. sex. Editi, *crediderant*. Ms. unus, *crediderint*.
[i] Ita Editi. Duac. et Colon. mss. tres, *divina dilectione ac mutua dilectione*. Edit. vero Lug. cum ms. uno, *divinæ dilectionis ac mutua delectatione*. Ms. alter, *divina delectatione ac mutua dilectione*. Alius, *divina dilectione ac mutua delectatione possessi*. Alter vero, *divinæ dilectionis ac mutuæ caritatis possessione*.
[j] Mss. Camb., *aut in deterius*. Alii cum edd., *aut deterius*.
[k] Ms. unus, *peccando*.
[l] Ms. unus, *prævaricatione*.
[m] Ms. unus, *humanis hic corporibus vitiatis*.
[n] Ms. Camb. et ed. Lugd., *ademerit*.
[o] Sic mss. tres. Alii cum edd., *discerpserint* : quod membrum abest ab editione Lugd.
[p] Ms. unus, *una tamen beatitudine*. Ms. alter, *qui et una*.
[q] Ms. unus, *facti sunt*.
[r] Ms. Camb., *nec major meriti sibi aliquid arrogabit*. Ms. alter, *arrogabunt*.
[s] M. Colb. unus, *nec superioribus inferiores invidebunt*.
[t] Sic mss. quinque. Mss. alii duo, *invidus esse non poterit*. Edd., *quia ibi invidus nullus esse poterit*.

CAPUT V.

Quod contemptores præsentium etiam hic contemplativæ vitæ beatitudo delectet.

1. Cui felicitati promerendæ ille suspirat, qui præsentibus omnibus futurorum contemplatione renuntiat, atque a domesticis occupationibus, quæ nonnunquam perfecte vivere cupientium processus impediunt, in illam divinæ sublimitatem contemplationis evectus, ipsos etiam suæ carnis affectus exsuperat; [a] et infra se universa despiciens, quæ plerumque animas de præteritæ vitæ sanctitate securas in terrena dejiciunt, [b] ipsis etiam cœlestibus appropinquat, [c] tanto divinis vicinior factus, quanto supra humana omnia studio perfectionis ascendit; certus quod si contemplativam vitam hic incertis honoribus, divitiis anxiis, et caducis delectationibus plena voluntate prætulerit; veros honores, securas divitias, et delectationes æternas [d] inveniat, cum ad perfectionem contemplativæ virtutis, in illa beata vita, ubi futura est, Deo remunerante, pervenerit. Et revera quid erit honoratius eo, quem divina clementia angelicæ dignitatis æqualitate beaverit? Quid ditius eo quem regni cœlestis ineffabiliter affluens beatitudo ditaverit? Aut quid etiam hic delectabilius contemplatione divina, quæ sibi veraciter inhianti incorruptibilem suavitatem futuræ remunerationis infundit? Quoniam quidem contemplativa vita hic quoque amatores suos futurorum bonorum consideratione delectat, ac sibi tota mentis intentione vacantes, quantum in hac vita fieri potest, dono sapientiæ spiritualis illuminat; et ad illam divinæ plenitudinem visionis, cujus spem studiis intenti cœlestibus gerunt, incentivo quodam ipsius consequendæ perfectionis inflammat; ut quod nunc in ænigmate cernunt, nec perfecte discernunt, tunc in illa revelatione conspiciant.

CAPUT VI.

Quod perfectio contemplativæ vitæ quæ hic haberi potest, perfectioni futuræ comparari non possit.

1. Quapropter non sic contemplativæ vitæ sublimitatem in futuro, ubi perfectio perficienda est, prædicavi, ut in præsenti eam negarem posse ab omnibus mundi contemptoribus apprehendi: si modo se ad eam tota devotione convertant; si desiderio ejus accensi, præsentia blandimenta fastidiant, et longe fortiores effecti, quam ut eos terrenæ occupationes illaqueent, divinis rebus ac futuris promissionibus considerandis inhæreant. Sed si [e] consideramus apostoli Pauli sermonem, quo inter eam scientiam quæ hic est, et eam quæ ibi futura est, discriminans ait:

A *Ex parte scimus et ex parte prophetamus* (*I Cor.* XIII, 9); contemplationem divinam quæ in hac vita est, illi futuræ conferre nec possumus, nec debemus; quando idem apostolus adjungat et dicat: *Cum autem venerit quod perfectum est,* [f] in illa vita significans, *tunc evacuabitur quod ex parte est* (*Ibid.*, 10): [g] ac sic quod modo ex parte sentimus, tunc ad illam plenitudinem contemplationis divinæ perducti jam perfecte [h] videbimus.

2. Nec sane quia ibi rerum omnium notitia non per partes, sed simul et tota videbitur, ideo saltem qualiscunque in hoc fragili corpore [i] desperatur. Etsi enim *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15); tamen [j] in quantum potest humana mens, quam suus Creator ad suam fecit imaginem, studeat etiam hic intelligibiliter Deum videre per fidem, ut eum plenius videat, cum pervenerit munere ipsius Conditoris sui ad speciem. Attende quam [k] divine sanctus Apostolus speciem fidemque distinxit, ut diceret: *Per fidem ambulamus, non per speciem* (*II Cor.* V, 7). [l] Fides ergo est per quam ambulatur, et species quæ videtur: quia in hac vita, ubi per fidem bene vivendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus, in [m] futura autem pervenientes ad speciem, jam non erit quo velut proficiendo ulterius ambulemus: sed ipsam speciem ad quam per fidem spiritualiter ambulando pervenimus, insatiabili delectatione videbimus.

CAPUT VII.

Quod Deum perfecte sancti videre non possint, nisi cum ad beatitudinem futuræ vitæ pervenerint.

1. Quocirca sic hortandi sunt ad contemplativam vitam, quicunque plene voluerint, et Deo [n] auxiliante potuerint, ut meminerint sibi ipsius contemplationis divinæ perfectionem, in illa beata vita quæ futura est, reservari; ut ibi Deum sicuti est, perfecte videant, ubi et ipsi erunt vitæ æternæ ac regni cœlestis consecutione perfecti. Cæterum si hic perfecte potuisset substantiam Dei humana fragilitas contemplari, nunquam sanctus evangelista dixisset: *Deum nemo vidit unquam.* Non dixit, Nemo videbit. Denique ut evidenter ostenderet visionem Dei non negatam esse sanctis hominibus, sed dilatam, [o] quod in præsenti tempore negavit, in futuro promisit dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Neque hic dixit, Quoniam ipsi Deum vident. Igitur si Deus, qui in hac vita sine alicujus elementi assumptione, nec potuit videri, nec potest, in futura

[a] Sic mss. septem cum edit. Lugd. Aliæ edit., *Qui et infra se.*
[b] Ms. Reg. unus, *ipse jam.* Ms. Reg. alter, *ipse etiam.*
[c] Mss. tres, *tantum divinis....quantum.*
[d] Mss. duo, *inveniet.*
[e] Mss. septem, *consideremus.*
[f] Ms. Colb. unus, *illam vitam.*
[g] Mss. duo et Ed. Colon., *Ac si quodammodo.*
[h] Ms. unus, *sentiemus.*
[i] Sic mss. omnes. At edit., *desperetur.*
[j] Ms. Reg. unus, *in quantum valet.*
[k] In ms. uno alia manu, *digne.*
[l] Ms. unus, *per quam videtur.* Editio Lugd., *Fides ergo per quam ambulamus, et species quæ videtur tenenda est.*
[m] Ms. unus, *in futuro autem.* Edit. Lugd. cum ms. Reg. uno, *jam non erit quod.*
[n] Ms. unus, *et adjuvante Domino.* Ed. Lugd., *pervenire potuerit.*
[o] Ms. Reg. unus, *quod in præsenti negavit, in futuro tempore promisit.*

vita videndus est: ibi est contemplationis divinæ A speranda perfectio, ubi erit bonorum omnium plenitudo.

CAPUT VIII.

Quæ et quanta sit in hac carne vitæ contemplativæ perfectio, vel qualiter ei perfruendæ mundi contemptores inhæreant.

Proinde vitæ contemplativæ sectator [a] ad Conditorem suum corde illuminandus accedat, ipsi contemplando atque [b] infatigabiliter perfruendo vigilanter inserviat, ipsum jugiter concupiscat, præ amore ejus omnia quibus inde potest averti, [c] refugiat, omnes cogitationes suas, ac totam spem ex illius delectatione [*al.* dilectione] suspendat, litterarum divinarum sacris meditationibus vacet, in his se divinitus illuminatus oblectet, ibi se totum velut in B speculo quodam [d] refulgente consideret: quod in se pravum deprehenderit corrigat, [e] quod rectum est teneat, quod deforme componat, [f] quod pulchrum exeolat, quod sanum servet, quod infirmum assidua lectione corroboret; Domini sui præcepta infatigabiliter legat, [g] inexplebiliter diligat, efficaciter impleat, et quid sibi cavendum quidve sectandum sit, ex eis sufficienter instructus agnoscat, mysteriis earumdem divinarum Scripturarum perscrutandis insistat, Christum [h] ibi promissum legat (*Joan.* I, 45), repræsentatum videat, prophetatam perditionem populi contumacis intelligat, [i] impleri lugeat, de salute gentium gaudeat, [j] ex præteritis quæ prædicta sunt et impleta teneat, futuris promissionibus credat, ab strepitu negotiorum sæcularium [k] remotissimus, ea C [l] ferventer excogitet, quibus animum suum in desiderium futuræ remunerationis inflammet, studiis spiritualibus, quibus in dies singulos melior ac melior fiat, invigilet, amet otium sanctum, in quo exerceat animæ suæ negotium, mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi [m] blandientis illecebris exhibeat crucifixum; delectationi spectaculorum præsentium incomparabiliter anteponat sui Creatoris intuitum, semper se [n] proficiente successu in fastigium divinæ contemplationis attollat; nunquam, ne ad momentum quidem, a promissionibus futuris considerandis aversus, ad terrena respiciat; eo aciem mentis indesinenter intendat, quo pervenire desiderat; beatitudinem vitæ futuræ ante oculos [o] animi sui proponat et diligat; nec metuat aliquid temporale, nec cupiat; ne aut metus amittendæ rei temporalis, aut cupiditas acquirendæ intentionem mentis ejus emolliat; non eum blanda corrumpant, nec adversa concutiant; non inflet opinio secunda, nec sinistra dejiciat, nec falsa vituperatio sive laudatio, augeat [p] gaudia ejus, aut minuat; non gaudeat de temporalibus omnino, nec lugeat. Inter læta invictus ac tristia; unam faciem [q] animi constantis obtineat, nec [r] pectori ejus stabilem firmitatem, quidquid promittit mundus aut minatur, excutiat; sed idem semper ac sibi similis perseverans, mundi hujus damna [s] simul et lucra non sentiat. Et cum hæc et his similia contemplativæ vitæ desiderio affectus impleverit, non se hic jam ex omni parte perfectum, sed perficiendum in illa beata vita, quæ futura est, immobiliter credat; atque [t] ad eam se, ubi Dei substantiam revelata facie videre possit, extendat.

CAPUT IX.

Quod tantum interest inter perfectionem vitæ istius et futuræ, quantum interest inter perfectos qui peccare nolunt, et eos qui jam peccare non possunt.

1. Nam sicut hic [u] comparatione juste viventium dicitur quisque perfectus, quia justus præcepta facit, perfectus autem præcepta transcendit: ita idem collatus illis absolute perfectis, qui in vita beata futuri sunt, non est, ut ita dicam, perfecte perfectus; cui etsi dimissa est omnis iniquitas, non est adhuc sanata, sed [v] sanatur ejus infirmitas; et ideo etsi [x] non peccat, ut sit vere perfectus, peccare tamen potest: quia non est consumpta omni infirmitate sanatus; ac per hoc, ubi ab omni peccato mundatus, peccare non poterit, ibi erit perfecte sanus et summe perfectus

2. Hic autem quantalibet quis excellentia sanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat, potest quidem fieri pro modulo hujus vitæ perfectus; sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus: et ubique ubi est sollicitudo, non est absoluta beatitudo. Quæ nequaquam perfecta credenda est, si secura non fuerit; nec secura erit, nisi omnem sollicitudinem securitas æterna consumpserit. Quapropter, qui dicuntur in hac vita beati, spe beatitudinis futuræ beati sunt; [y] ipsa autem re non hic, sed in illa vita

[a] Mss. Colb. duo, *ut ad Conditorem.*
[b] Ms. unus, *insatiabiliter perfruendo.* Ms. alter, *insatiabiliter consequendo, vel utendo. perfruendo, vigilanter inserviat.*
[c] Mss. quinque, *fugiat.*
[d] Ms. unus, *refulgentem.*
[e] Ms. Camb., *quod rectum est.*
[f] Mss. duo Reg. et Camberon., *quod pulchrum serret. quod sanum excolat.*
[g] Mss. tres, *implebiliter.* Ms. unus, *inexplicabiliter.*
[h] Editi., *Christum promissum.*
[i] Ms. Colb. unus, *impletam.*
[j] Ms. Colb. unus, *quæ de Christi morte prophetata sunt et impleta plangat, futuris promissionibus.*
[k] Ms. Colb. unus, *remotissimus existat.* Alter, *sed ea ferventer.*
[l] Ms. Colb. unus, *frequenter.*

D [m] Ms. Colb. unus, *blandimentis et illecebris.* Ms. Camber., *blandimentis illecebrisque.*
[n] Sic mss. duo, cum edit. Lugd. Alii codices, *proficientem.*
[o] Ms. unus, *animæ suæ.* Ms. alter, *mentis suæ.*
[p] Ms. unus, *gaudium ejus.*
[q] Sic mss. sex. Editi, *animo constanti.*
[r] Sic mss. quatuor. Cæteri cum editis, *pectoris.*
[s] Mss. septem, *simul ac lucra.*
[t] Ita mss. omnes; editi vero, *ad eumdem.*
[u] Ms. unus, *ex comparatione.* Ms. alter, *ad comparationem.*
[v] Mss. duo, *sanabitur.*
[x] Mss. duo, *si non peccat.*
[y] Ms. Colb. unus, *ipsi autem sancti non hic, sed in illa vita beati sunt.*

beati futuri sunt: quia ibi omnium beatorum beatitudo perfecta erit, ubi humana natura sui gloriam Conditoris, et suam perfecte beatificata visura est, atque ei sine ullo defectu suæ beatitudinis adhærebit.

CAPUT X.

Quod hic sancti Deum in assumpta creatura viderint.

Nec moveat quod hic quoque a justis antiquis visum legimus Deum: quia non est in hac humiliatione nostra sic visus, sicut in illa clarificatione videndus est: quandoquidem [a] sine forma visibilis creaturæ, in qua pro dispensatione temporum, ubi voluit, et quibus voluit justis apparuit, nec potuit, nec potest videri; sed poterit cum ad supernam patriam peregrinatio nostra pervenerit, et mortale nostrum immortalitas beata vestierit; atque ad contemplationem divinam, [b] perceptionemque cœlestium præmiorum omnes vere fideles fides ipsa, qua hic futura credebantur, impleta perduxerit.

CAPUT XI.

De qualitate glorificatorum corporum quæ in resurrectione futura sunt.

Ibi diversi quidem sexus corpora, sed sine ulla concupiscentia corporali futura sunt. Ibi erit omnium perfecta caritas, et nulla cupiditas (*Aug. de Civit. Dei lib.* XXII, *cap.* 17). Ibi etiam corporales oculos nihil visibilis creaturæ latebit, quia incorruptibilium corporum visus utique incorruptibilis erit; et ita sine comparatione vivacior quam hic fuit, ut ei aliquid visibilium clausum esse non possit. Corporibus quippe immortalitate donatis auferenda est tarditas, non integritas; necessitas, non voluntas, ut ibi sine temporis [*alias* temporum] mora aut impedimento ponderis sint, ubi esse voluerint; atque eo sequatur sine ulla difficultate spirituale jam corpus, quocunque ire voluerit spiritus, angelicæ beatitudinis æqualitate perfectus. Tunc filiorum, parentum, conjugum miseria, qui ibi non fuerint, beatos contristare non poterit (*Aug. lib.* I *Retract. cap.* 13 *et* 19): quia nomina omnium necessitudinum corporalium quæ hic nostra fragilitas habuit, excellentia illius beatitudinis non admittit: ubi omnes quicunque fuerint, unum corpus erunt, et singuli de sua vel de singulorum felicitate gaudebunt. Hæc de contemplativa vita dicta sufficiant.

CAPUT XII.

Quantum inter contemplativam et activam vitam intersit.

1. Jam nunc quid inter ipsam contemplativam et activam vitam intersit breviter disseramus. Quod ut evidenter eluceat, ipsas sibi invicem vitas, contemplativam scilicet et activam, prolatis earum virtutibus conferamus. Ad activam vitam pertinet inter humana proficere, et rebelles corporis motus A rationis imperio temperare; ad contemplativam supra humana [c] desiderio perfectionis ascendere, et [d] indesinenter augendis virtutibus incubare. Habet activa profectum, contemplativa fastigium. Hæc facit hominem sanctum, illa perfectum. Hujus vitæ est nulli prorsus injurias irrogare; illius, irrogatas æquanimiter sustinere. Imo, ut proprius dicam, exsecutor activæ studet in se peccanti dimittere; contemplativæ sectator offensas quibus pulsatur, nec omnino concutitur, ignorare magis paratus est quam donare. Iste iram patientiæ virtute compescit, immoderatis cupiditatibus parcimoniæ [e] frenum imponit; tangitur desideriis carnalibus, nec consentit; pulsatur mundi hujus curiositate, nec rapitur; quatitur diabolica impugnatione, nec vincitur; et Deo B suo devota mente subjectus, non atteritur diversis tentationibus, sed probatur. Ille omnes affectiones quibus vita mortalium variatur, sanctis virtutibus vincit, cupiditatum ac perturbationum omnium liber beata quiete perfruitur, et illecebris ac voluptatibus factus expedita mente superior, ineffabili gaudio divinæ contemplationis [f] erigitur. Iste suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subjectum, redimendo captivum, tuendo violenter oppressum, jugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emaculat, et vitam suam [g] bonorum operum fructibus ditat; ille facultatibus suis in usus pauperum distributis, [h] simul se exspoliavit mundo, et admovit se totis viribus cœlo; res mundi mundo projecit, et se ipsum devota mente Christo restituit, a quo immor- C tales divitias sibi dari orat, ut pauper; protegi se quotidie postulat, ut infirmus; immortalitatis indumento vestiri cupit, ut nudus; defendi se ab impugnatione invisibilium hostium supplicat, ut fragilitate carnis oppressus, et cœlestem sibi donari patriam desiderat, ut peregrinus.

2. Activa vita habet sollicitum cursum, contemplativa gaudium sempiternum. In hac acquiritur regnum, in illa percipitur. Hæc facit pulsare bonorum operum, velut quibusdam manibus januam; illa vocat consummatos in patriam. In hac contemnitur mundus, in illa videbitur Deus. Et ut multa præter eam quæ commemorare non valeo, in hac vita activa qui immundis spiritibus exstiterint fortiores, in illa contemplativa, quæ summe beata est, remunerante D [i] Deo fient angelis sanctis æquales, atque in æternum cum illo regnabunt in illa civitate superna felices. Itaque, quoniam de contemplativa vita in superioribus multa jam dicta sunt, et secundus liber ea quæ de activa dicenda sunt continebit, sufficiant ista quæ diximus, ut consideremus et reliqua, quæ de tertio capitulo usque ad finem libri hujus sequenti disputatione tractabimus. Videamus nunc utrum is cui Ecclesiæ

[a] Mss. Reg. duo et edit. Lugd., *in forma;* sed male, ut videtur.

[b] Sic ms. Colb. unus. Reliqui tam mss. quam editi, *vel perceptionem.*

[c] Ms. Colb. unus, *in desiderio.*

[d] Mss. duo et Lugd., *propius.*

[e] Ita mss. Reg. duo, et duo Colb. Alii cum editis, *frenos.*

[f] Ms. Camb., *plenus efficitur.* Ms. Reg., *efficitur;* alia manu, *afficitur.*

[g] Ms. unus, *bonorum fructibus.* Ms. alter, *bonorum suorum fructibus.*

[h] Mss. duo, *semel se.*

[i] Mss. tres, *Domino fiunt.*

regendæ cura commissa est, contemplativæ vitæ fieri particeps possit.

CAPUT XIII.

Quod sacerdotes sancti contemplativæ vitæ fieri participes possint.

1. Qui diligenter ea quæ superius de vita contemplativa dicta sunt considerat, et, sufficienter, instructus intelligit quando et ubi possit ejus perfectio comprehendi, non dubitabit Ecclesiarum principes vitæ contemplativæ posse et debere fieri sectatores : quia sive secundum opinionem quorumdam nihil aliud sit vita contemplativa quam rerum latentium futurarumque notitia, sive [a] vacatio ab omnibus occupationibus mundi, sive divinarum studium litterarum, sive, quod his [b] probatur esse perfectius, ipsa visio [c] Dei; non video quid impedimenti sanctis sacerdotibus possit afferri quominus ad hæc quatuor quæ commemoravi perveniant. Duo enim, primum et ultimum, id est, rerum latentium futurarumque notitia, et ipsa visio Dei, incomparabiliter præstantiora erunt in illa vita beata quam in ista, diversis erroribus implicata, quandoquidem tam rerum omnium notitia quam ipsa Dei substantia plene ac perfecte videbitur. Duo autem media, vacationem videlicet ab omnibus occupationibus mundi, et divinarum studium litterarum, etiam hic possunt habere pontifices; sed illi qui se ab omnibus implicamentis negotiorum sæcularium removentes, non torpent otio, sed insistunt perfectionis suæ negotio, et ab stultitia sapientiæ sæcularis aversi, verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, cœlestia sapiunt, terrena despiciunt, contradicentes sanæ doctrinæ redarguunt, obedientes [d] instituunt, sanctis virtutibus, quibus in dies singulos fiant Deo propinquiores, incumbunt, [e] et tam suis quam omnium qui [f] per eos erudiuntur, profectibus clari, hic quidem velut gustum quemdam contemplativæ vitæ, quo ad eam ferventius provocentur, accipiunt; sed ibi jam in æternum felices effecti, de ejus perfectione gaudebunt. Proinde [g] non inflantur, quia hic omnium fidelium catholicorum honorantur ut capita; sed lætantur potius, quia ibi Christi, qui est sacerdotum ac fidelium omnium caput, clariora membra futuri sunt.

2. [h] At si (quod absit) sæcularibus negotiis implicati, sordidorum terminos sine termino cupiditatis extendant, ac se passim exquisitis deliciis [i] dedant, quæ [j] animum corpusque debilitant; si gloriam non Christi, sed suam, decepti vulgi adulantis honoribus quærant, plusque de se alienæ linguæ quam suæ conscientiæ credant; si omne gaudium suum non in futurorum remuneratione, nec in sanctitate vitæ, sed in sua tantum dignitate constituant, [k] et dum tales esse quales creduntur, amant, nunquam sibi displiceant, ac placentes sibi non sint de sua [l] correctione solliciti : quis non intelligat, tales, si in talibus perseverent, nec se ante finem vitæ præsentis emendent, contemplativæ vitæ participes esse non posse? ad quam non perveniunt, nisi qui studuerint esse quod facti sunt; nec affectant [m] videri, sed esse quod sunt; non alienis laudibus, sed moribus suis eximii; nec solum de sua dignitate, sed potius de sacerdotalis vitæ [n] nobilitate conspicui : qui sunt non appellatione tenus, sed virtute pontifices, vitæ contemplativæ capaces, et gaudiorum cœlestium cohæredes.

CAPUT XIV.

Ubi locutor se excusat quod Ecclesiæ magistros docere non audeat.

Ac ne [o] cuipiam meus sermo præsumptuosus appareat, si quales non esse vel esse debeant omnes sacerdotes [p] ostendat; non generaliter, sed de uno mihi video esse dicendum, et de te potissimum qui hoc mihi [q] (pace tua dixerim) temere delegasti periculosi sermonis officium. Nec incognita vobis, sed usitata debeo comprehendere, quæ solemus inter nos mutua confabulatione conferre. Quibus breviter declaratis, non puto quod relationem meam, [r] magis quam disputationem quisquam juste possit alicujus temeritatis arguere; quasi patres meos audeam docere, a quibus normam vivendi accipere sum paratus et discere.

CAPUT XV.

De negligentia sacerdotis qui, doctrinæ suæ agendo contraria, personam non potest implere doctoris.

Recolite ergo quanta et qualia, me audiente [s] atque probante, dicere soleatis de administratione pontificis, qui populi sibi commissi cura posthabita, ardentius bona præsentia desiderat quam futura; et oblitus quod non solum de se, sed etiam de grege

[a] Edd. Duac. et Colon., *vocatio*.
[b] Ms. Colb. unus, *quod his est*.
[c] Mss. tres, *Domini*, et sic paulo infra.
[d] Mss. duo, *instruunt*.
[e] Sic mss. omnes cum Lugd. At editi, *illi qui tam suis*.
[f] Edit. Colon., *inter eos*. Ms. unus paulo post, *provectibus*.
[g] Editi, *proinde vero*.
[h] Edit. Lugd., *Et si*. Et paulo post mss. septem, *implicati*. Editi, *impliciti*.
[i] Ms. unus, *lædant*. Alter, *dent*. Alius, *edant*. Alius vero, *ditent*.
[j] Mss. duo Colb., *animam*.
[k] Sic mss. quatuor, Reg. duo, et Colb. duo, cum edit. Lugdun., quæ addit *se*. Mss. duo alii, *tales se, quales*, etc. Editi vero Duac. et Colon., *necdum tales esse se quales creduntur ament*.
[l] Ita mss. omnes cum Lugd. Duac. et Colon., *de sua salute et correctione*.
[m] Sic mss. omnes cum Lugd. Duac. et Colon., *videri esse quod non sunt*.
[n] Sic mss. Colb. quatuor cum Lugdun. et Duac. Colon., *notabilitate*.
[o] Mss. duo Colb. et Colon., *cuiquam*.
[p] Ms. Colb. unus, *ostendam*.
[q] Ms. unus, *ut tua pace dixerim*.
[r] In ms. Colb. uno et Regiis duobus desunt hæc, *magis quam disputationem*. Edit. vero Lugd. cum duobus Colbert. mss., *relationem magis quam disputationem meam*, et postea editi, *posset*.
[s] Edd. Duac. et Colon., *quæ probante*. Tum. mss. duo, *solebatis*.

sibi credito rationem Pastori pastorum omnium [a] reddat, sua suorumque detrimenta non cogitat: quem non delinquentium peccata contristant, nec proficientium bona lætificant; sed de se tantum, plerumque autem nec de se omnino sollicitus, quid a suis boni malive geratur, ignorat: qui non prædicat perseverantiam justis, pœnitentiam [b] pravis, contemptum mundi conversis, futuras pœnas aversis; qui non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ: Futurum cogitate [c] judicium, quod ipse forte non cogitat; amatoribus mundi: Nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat; ambitiosis: Ambitioni [d] finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat; ebriosis: [e] Ebrietatem cavete, si se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat. Sumptuosis dapibus [f] crudus, non potest suis abstinentiam laudare, quam calcat; vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecuniæ; inimicitiarum tenax, non audebit animos dissidentium sacerdotali tranquillitate componere; justitiam prædicare judicibus erubescit, quam ipse personæ potentis favore corrumpit; nec defendit oppressos, si personas aut honorat, aut despicit; et quidquid boni non facit aut mali committit, nec [g] jubebit fieri, nec vetabit quia necessariam [h] docendi auctoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit, aut minuit.

CAPUT XVI.

Quale periculum maneat eos qui Ecclesiam sibi creditam vel relinquere volunt, vel strenue gubernare contemnunt.

Hæc atque his similia memorantes [i] episcopatus vos accepti pœnituit: qui, sicut administratorem suum, si [j] probe administretur, illustrat, ita contemptorem suum condemnat. Denique volentes Ecclesiam vobis creditam, velut impares ei regendæ dimittere, atque in aliquam solitudinem [k] non tam studio quietis quam ipsius officii vestri desperatione secedere, nulla res alia vobis exegit in melius mutare consilium, nisi quod veriti estis periculum [l] majus incurrere: quoniam si periculosum est navim inter fluctus caute non regere, quanto periculosius est eam undis intumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere? Ad quam sicut [m] satius est non ascendere, ita semel susceptam convenit fluctuantis pelagi projecta formidine, ac spe perveniendi concepta, usque in portum sine ulla mercium jactura perducere. Quæ cum vobis comparatio placuisset, adjunxi: Et idcirco Ecclesia, quæ velut navis magna per mare mundi hujus enavigat, quæ diversis tentationum fluctibus in hac vita contunditur, quæ immundorum spirituum persecutionibus velut quibusdam procellosis fluctibus in diversa jactatur, quæ scandalorum cautibus vadosis illiditur, quæ [n] velut aggere arenæ gravantis cingitur, non relinquenda est, sed regenda: quæ sicut omnes quos vehit, perducit incolumes gubernatoris [o] vigilantia gubernata, ita non solum omnes quos habet, sed etiam ipsum gubernatorem perdet, submersa fluctibus aut soluta.

CAPUT XVII.

Ubi anxium quod Ecclesiam nec relinquere, nec regere possit, provocat, suggerendo quod eam melius regat exemplo.

Hæc atque [p] hujuscemodi me prosequente, permoti graviter ingemuistis, vos in eam necessitatem fuisse perductos, quam nec implere aliquo studio, nec sine peccato relinquere valeretis; ac deinde, cum piis gemitibus vestris, ea qua [q] vobis obstrictus sum cordis affectione compassus, orando vos [r] dixi posse perficere quod non possetis docendo suggerere; plusque fideles catholicos bonis exemplis, quam luculentis verbis solere proficere; eamque esse summam perfectamque doctrinam, quam conversatio spiritualis [s] ostenderit, non quam inanis sermo jactitarit; nec [t] a nobis in die judicii verba quærenda, sed opera; nec facile [u] persuaderi esse possibile quod docet lingua, si a lingua vita dissentiat; illud autem [v] probari possibile, quod sive prædices, sive non prædices, faciendo confirmas, et imitari volentibus cum quadam delectatione ipsius possibilitatis [x] inculcas: vos mea suggestione paululum delectati, hoc protinus, si me non habet oblivio, retulistis.

CAPUT XVIII.

Quod parum valeat exemplo agenda monstrare, nisi etiam quæ sint credenda docendo sacerdos ostenderit.

Et jam si tota perfectio in opere tantum, non etiam in fide consisteret, nec quid homo credidisset, sed quid egisset in die judicii quæreretur, quis erit tantæ arrogantiæ, qui, ecclesiasticæ doctrinæ [y] auctoritate neglecta, de sua sibi justitia blandiatur? [z] cum non solum, secundum Apostolum (*II Thess.* III, 9; *I Petr.* V, 3) nos oporteat formam præbere fidelibus, sed etiam eos ipsos fideles, qui nobis divinitus [aa] instituendi commissi sunt, instruere debeamus: de Patre,

[a] Ms. Reg. unus, *reddet.*
[b] Ms. Colb. unus, *injustis.*
[c] Ed. Colon., *præjudicium.*
[d] Mss. quinque, *ambitioni jam finem ponite.*
[e] Ms. Camb., *ebriositatem.*
[f] Ms. Colb. unus, *gravidus.*
[g] Ms. Colb. unus, *nec jubet fieri, nec vetat.*
[h] Ms. Colb. unus, *dicendi.*
[i] Mss. Colb. duo, *episcopatum vos accepisse.*
[j] Ms. unus, *provide.* Ms. alter, *si probe ministretur.*
[k] Mss. septem omittunt *non.*
[l] Ms. unus, *magis.* Mss. tres, *magis incumbere.*
[m] Ms. unus, *sanctius est.* Mss. septem, *non accedere.*
[n] Mss. omnes, *quæ aggere.*
[o] Mss. Colb. duo addunt *sui.*
[p] Mss. tres, *atque his similia.*
[q] Ms. unus, *a vobis astrictus sum.*
[r] Sic editi. At mss. quinque omittunt vocem *dixit.* Ms. alter, *orando vos posse perficere quod non possitis docendo suggererem.* Aliquis, *dicendo.* Alius, *non potestis.*
[s] Ita editi. At mss. tres, *ostenderet, non quam..... jactitaret.* Mss. duo, *jactaret.* Ms. unicus, *jactaverit.*
[t] Sic edit. Lugd. cum mss. sex. Aliæ edit., *a vobis.*
[u] Mss. quatuor, *persuadere.*
[v] Mss. quatuor, *probare.*
[x] Ms. unus, *indulgeas.*
[y] Mss. tres Colb., *utilitate.*
[z] Mss. quinque, *At cum.* Ms. alter, *aut cum.*
[aa] Mss. duo, *tuendi.* Ms. unus, *intuendi.* Ms. alter *instruendi.* Ms. alius, *divino instituto commissi sunt*

quomodo solus accipiatur ingenitus; de Filio, quomodo ex ipso sit genitus, de Spiritu sancto, quomodo ex Patre et Filio [a] procedens, nec ingenitus possit dici, nec genitus; qualiter ista tria unum sint; et hoc unum non dividatur, sed distinguatur in tria: quemadmodum nec Pater, nec Spiritus sanctus, sed solus Filius de solo Patre ineffabiliter natus, hominem totum sine ulla mutatione substantiæ suæ susceperit; ac se Deum et hominem verum per virtutes, passionesque probaverit, comprehendi permiserit, occidi voluerit, tertia die resurrexerit, [b] in cœlos hominem de nobis assumptum sua virtute levaverit, suæ resurrectionis exemplo nobis regeneratis in se spem feliciter resurgendi præstiterit; membra sua nos fecerit; non credentibus sibi, vel a se recedentibus supplicium comminatus sit, et adhærentibus sibi regnum cœleste promiserit.

CAPUT XIX.

De virtute fidei, quod ad eam non solum credere, vel intelligere, sed etiam bene operari pertineat.

Hæc [c] et alia, et sacerdos nosse debet, ut doceat, et populus credere, ut [d] quæ doceatur intelligat; [e] dicente Apostolo: *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *juxta LXX*). Unde datur intelligi quod non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat; [f] nec qui intelligit credat, sed qui credit intelligat, et qui intellexerit, bene agat; sicut alibi scriptum est: *Noluit intelligere, ut bene ageret* (*Psal.* XXXV, 4). Non dixit: Non potuit, sed *noluit intelligere;* ut nihil aliud nolle intelligere dictum, quam nolle credere noverimus; ac per hoc ut bene agat quis, intelligere studeat, et ut intelligat, credat. Sed quia idem Apostolus dicit: *Fides ex auditu; auditus autem* [g] *per verbum Dei* (*Rom.* X, 17), debet doctor Ecclesiæ prædicare, quod audiat crediturus: quia sine prædicatione nullus erit auditus; eodem Apostolo [h] attestante atque dicente: *Quomodo audient sine prædicante* (*Ibid.*, 14)? Si ergo quilibet sine prædicante non audit, sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit; verbum [i] fidei prædicandum est, [j] ut audiens credat, credens intelligat, et intelligens bonum opus perseveranter exerceat: quoniam [k] eum qui potest uti liberæ voluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec sine operibus fides sola ju-

A stificat. Et ideo si corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; [l] qui non crediderit, non habendo fidem, nec justitiam cordis habere poterit, nec salutem.

CAPUT XX.

Quod nihil prosit sacerdoti, etiamsi bene vivat, si male viventem tacendo [m] *non corrigat.*

1. Quod vero dicit Apostolus (*I Petr.* V, 3), ut nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid valebit, si is cui vel exhortandi bonos, vel castigandi malos cura commissa est, bene vivendo se imitandum bonis exhibeat, et malos tacendo non corrigat? Ad hoc enim, nisi me fallit opinio, sancte vivendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet; si quod prædicat fieri debere non faciat, aut si quod non
B facit prædicare præsumpserit. [n] Si autem aliter egerit, nihil apud eos qui ejus vitam novere, proficit; quia ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut non solum bene vivendo, alios exemplo suæ conversationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando, [o] singulis ante oculos peccata sua constituat: quæ pœna maneat duros, quæ gloria obedientes ostendat; [p] nullius salutem desperando contemnat; animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum, qui ait: *Ut lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam* (*I Cor.* XII, 21); et iterum: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor.* XI, 29)?

2. Quapropter sciens quod si quibuslibet divitibus ac potentibus [q] parcat, male viventibus autem faveat,
C eos perdat simul et [r] pereat; et sancte vivere debet propter exemplum, et [s] docere propter suæ administrationis officium: certus quod ei nihil sua justitia suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur. Quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas [t] sceleris sui dabit; ille autem cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior, [u] nisi hoc Dominus per Ezechielem prophetam sub cujusdam terroris denuntiatione loquitur, dicens ad eum: *Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel* (*Ezech.*

[a] Ms. unus, *sit procedens, nec.*
[b] Sic mss. tres Colb. Editi, *in cœlo.* Ms. alter, *in cœlis.*
[c] Ita mss. quinque. Editi, *et alia.*
[d] Mss. tres, *ut ea quæ docetur.*
[e] Ms. unus, *dicam de* (forte *dicente*) *propheta*, vel *prophetia.*
[f] Ms. Reg. unus, *nec quia intelligit credat, sed quia.*
[g] Ms. Colb. unus, *per verbum Christi.* Mss. duo, *per verbum.* Alii cum editis, *per verbum Dei*, juxta Græc. textum Apostoli.
[h] Editi, *contestante.* Ms. unus, *testante.*
[i] Mss. tres, *verbum Dei.*
[j] Ms. unus, *ut audiat et credat.*
[k] Hæc verba, *eum qui potest uti liberæ voluntatis arbitrio*, desiderantur in edit. Lugd. Mss. duo, *potentes uti.* Ms. alter, *potentis uti.*
[l] Ms. Camb., *quoniam qui.*

D [m] Ms. Colb. unus, *non arguat.* Mss. duo Reg., *Sacerdotibus etiamsi bene vivant.... corrigant.*
[n] Mss. septem et edit. Lugd. non habent hæc, *si autem aliter egerit;* in his deinde legitur *proficiat*, non *proficit.* Ms. unus, *proficiet.*
[o] Mss. Colb. duo, *singulis imitabilem se præbeat, atque ante oculos.*
[p] Ms. Reg. unus, *nullus salutem desperando, contemnat animas emendari nolentium, sed plangat.*
[q] Mss. Reg. duo, et Camb. cum edit. Lugd., *quibuslibet divitibus ac potentibus male viventibus parcat aut faveat.* Ms. Colb. unus, *ac potentibus parcat aut faveat.*
[r] Ms. unus, *perimat.*
[s] Ms. unus, *et pie docere.*
[t] Mss. Reg. duo, *suis sceleribus.*
[u] Ita mss. septem cum edit. Lugd. Duac. et Colon., *si non.*

XXXIII, 7). Nec hoc transeunter debemus audire, quod sacerdotem speculatorem appellat: ut sicut speculatoris est, de loco editiori prospicere, et plus omnibus contemplari; ita sacerdos debet esse [a] propositi sublimitate celsior cunctis, ac majoris scientiæ propositi habere gratiam, qua possit sub se viventes instruere.

3. Videamus jam quid divinus sermo [b] contineat. *Audiens*, inquit, *ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me* (*Ibid.*); ut hoc dicat sacerdos, quod ex divina lectione didicerit, quod illi Deus inspiraverit, non quod [c] præsumptione humani sensus invenerit. *Annuntiabis eis*, inquit, *ex me. Ex me;* [d] non ex te mea verba loqueris. Non est [e] quod ex eis, tanquam de tuis inferis. Ex me, inquit, eis annuntia. Sed jam quid annuntiet audiamus: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris;* [f] *non fueris locutus, ut custodiat se impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram* (*Ibid.*, 8). Quid potuit expressius, [g] quid apertius potest dici? Si impio, inquit, locutus non fueris, ut ab impietate sua se custodiat, [h] et ille perierit, sanguinem ejus de manu tua requiram. Hoc est dicere: Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur et vivat; et te, qui non increpasti, et ipsum, qui te tacente, peccavit, flammis perennibus perdam. Quis, rogo, tam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? quis tam alienus a fide, qui sententiæ isti non credat?

CAPUT XXI.

Luctuosa descriptio [i] *sacerdotis carnaliter viventis.*

1. Sed nos præsentibus delectati, dum in hac vita commoda nostra, et honores inquirimus; non ut meliores, sed ut ditiores; nec ut sanctiores, sed ut honoratiores simus [j] cæteris festinamus: nec gregem Domini, qui nobis pascendus tuendusque commissus est; sed nostras [k] voluptates, dominationem, divitias, et cætera blandimenta [l] carnaliter cogitamus; pastores dici volumus, nec tamen esse contendimus; officii nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum spirituum feras a grege dilacerando non pellimus, [m] et quod eis remanserit ipsi consumimus; quando peccantes divites, vel potentes [n], non solum non arguimus, sed etiam veneramur; ne nobis aut munera solita offensi non dirigant, aut obsequia desiderata subducant: ac sic muneribus eorum, et obsequiis capti, imo per hæc illis addicti, loqui illis de peccato suo aut de futuro judicio formidamus. Et ideo minaciter superbiam nostram divinus sermo contundit; sed noster auditus nihil unde proficiamus admittit: quia præsentis vitæ capti dulcedine, quæ pœna [o] negligentiam nostram maneat in æternum, nolumus cogitare.

2. In pastores ergo ista dicuntur, de quorum nobis inani appellatione blandimur: *Hæc dicit Dominus: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, et lanis operiebamini; quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis; quod* [p] *fractum erat non alligastis, et quod abjectum non reduxistis. Quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia: et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor, et facti sunt in devorationem omnium bestiarum agri* (*Ezech.* XXXIV, 1 *seqq.*). Et paulo post: *Propterea, pastores, audite verbum Domini: Vivo ego, dicit Dominus Deus:* [q] *quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor; neque enim quæsierunt pastores gregem meum; sed pascebant pastores semetipsos, et gregem* [r] *meum non pascebant: Propterea, pastores, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Ecce ego ipse super pastores; requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pastores amplius pascant semetipsos* (*Ibid.*, 7 *et seqq.*).

3. Quis ad hæc non contremiscat? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui aut non intelligit, aut futura non credit? Sed [s] quia omnia quæ Deus observari voluit, tam aperte posuit, et ita nominis sui auctoritate firmavit, ut [t] ea facilius (quod dictu quoque nefas est) contemnamus, [u] quam non intelligere vel non credere tam aperta et divina fingamus: quando audimus, *Hæc dicit Dominus*, [v] quis futurum esse non credat quod dicit [x] Dominus, nisi qui Deo non credit? Quod autem dicit: *Væ pastoribus*, istud væ pro maledicto [y] poni, et pastorum nomine nos significari quis non intelligat, nisi qui [z] futura non cogitat? [aa] Greges Domini pa-

[a] Ita mss. omnes. Editi autem, *proposita*.
[b] Ms. Colb. unus, *obtineat*. Alter, *continuet*.
[c] Mss. duo Colb. *præsumptio*.
[d] Mss. duo, *non ex te verba loqueris*. Ms. alter, *loqueris eis*.
[e] Editi, *quo in eis*. Mss. quinque, *quod ex eis*.
[f] Editi, *si non fueris*.
[g] Mss. quatuor, *quid apertius dici?* Editi, *quid apertius potest dici?*
[h] Ms. unus, *ille quidem perit, sanguinem autem ejus*.
[i] Mss. tres, *carnaliter viventium sacerdotum*.
[j] Ms. unus, *cæteris præesse festinamus*.
[k] Mss. quatuor cum edit. Lugd., *vanitates*.
[l] Abest vox *carnaliter* a ms. uno.
[m] Ms. unus, *sed quod*.
[n] Ms. unus addit *conspicimus*
[o] Ms. ex Colb. unus, et Camb., *negligentiæ nostræ immineat*.
[p] Mss. tres Colb., *fractum est*. Edit. Lugd., *quod fractum non alligastis*.
[q] Mss. duo non habent hic *quia*.
[r] Abest vox *meum* a mss. sex.
[s] Mss. quatuor carent hac particula *quia*.
[t] Mss. Camb., *ea non*.
[u] Ms. Camb., *et nequaquam nos non intelligere tam aperta*.
[v] Ita mss. quatuor. Editi, *quis non futurum esse credat?*
[x] Mss. duo, *Deus*.
[y] Mss. duo, *ponit*. Ms. unus, *ponitur*.
[z] Mss. quatuor, *futurum*.
[aa] Ita mss. omnes; at editi, *Gregem Domini pascendum pastores facti suscepimus*.

scendos pastores facti suscipimus; et nos ipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quid foveat et augeat nostras [a] voluptates attendimus. Lac et lanas ovium Christi [b], oblationibus quotidianis ac decimis fidelium gaudentes accipimus, et curam pascendorum gregum ac reficiendorum, a quibus perverso ordine volumus pasci, deponimus. Non sanamus spirituali consilio peccatis infirmum, non sacerdotali ope consolidamus [c] aut reficimus diversis tribulationibus fractum, non ad viam salutis revocamus [d] errantem, non requirimus sollicitudine pastorali veniæ desperatione jam perditum : ad hoc tantum potentes effecti, ut nobis in subjectos dominationem tyrannicam vindicemus; non ut afflictos contra violentiam potentium, qui in eos ferarum more sæviunt, defendamus.

4. Inde est quod [e] tam a potentibus hujus mundi quam a nobis, quod pejus est, nonnulli graviter fatigati depereunt, quos se de manu nostra Dominus requisiturum terribiliter comminatur, dicens : *Requiram oves meas de manu pastorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant* (*Ezech.* XXXIV, 20). Quod quid est aliud quam, pastores qui semetipsos, non gregem meum pascunt, sublimitate suæ dignitatis exspoliem; et inter reprobos, quia honorem suum noluerunt custodire, projiciam? Horum et his similium consideratione [f] perterritus: *Timor et tremor ceciderunt super me, et contexerunt me tenebræ, et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal.* LIV, 6, 7)? Et hoc est totum propter quod imperitiæ meæ ac futuri finis recordatus ingemui, et volui, sarcina episcopatus mei deposita, elongare fugiens, et manere in solitudine, et ibi exspectare Dominum, qui me salvum faceret a pusillanimitate mea, et ab ipsa intolerabilium mihi sollicitudinum tempestate.

CAPUT XXII.

Quod secundum sermonem prophetæ, culpa sua pereant, qui sacerdotum increpationes vel admonitiones perversa voluntate contemnunt.

1. Ad hæc ego [g] tunc : Sic, inquam, ista invidiosis questibus jactas, et in suggillationem pontificum, vel certe ipsius pontificatus exaggeras : quasi [h] non ubi ista legisti, quibus rationabiliter permoveris, ibi et illa sint quæ, a vobis prætermissa, breviter in excusationem officii sacerdotalis attingam. Post illa verba, quibus negligentium sacerdotum finis ostenditur, de pontifice officium suum curante propheta sic loquitur : *Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse* A *impius in iniquitate sua morietur, et tu animam tuam liberasti* (*Ezech.* XXXIX, 9). Hic certe satis evidenter ostenditur, quod sive proficiant, sive non proficiant auditores, tacere eis non debeant sacerdotes; nec ideo rei sint, si forte eorum verba populi non [i] audiunt vel audita contemnunt; sed si ab eis corrigendis absistunt : quia si nec exemplo vitæ præpositorum suorum, nec verbo doctrinæ populi contumaces emendati proficiunt, ipsi sibi causa suæ perditionis existunt, et doctores suos, quorum exempla simul ac verba despiciunt, involvere criminibus suis omnino non poterunt.

2. Quod idem propheta evidentius alio loco prosequitur dicens : *Speculator* [j] *si viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo; audiens autem, quisquis ille est, sonum buccinæ*, B *non se observaverit, veneritque gladius et tulerit eum, sanguis ipsius super caput ejus erit; sonum buccinæ audivit, et se non observavit, sanguis ejus in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam salvabit* (*Ezech.* XXXIII, 3 *et seq.*). Hic autem quid agere debeat qui fungitur speculatoris officio : divinus sermo satis ostendit, scilicet ut quando viderit venientem gladium super terram, [k] iram Dei scilicet super peccatores [l] operibus terrenis addictos, omnino non taceat, atque eis quandiu inhæserint iniquitatibus suis, [m] impendere divinæ indignationis interitum denuntiare non desinat; sed clare et publice arguat (quia hoc buccinæ nomen insinuat), ut sic se a suis criminibus emendantes, supplicium futuræ damnationis effugiant. Quod si corripientem, si iram futu- C ram, quæ contemptoribus [n] jam imminet, nuntiantem homines terreni despiciunt, sanguis eorum in ipsis erit; et sacerdos qui eis peccata sua non tacuit, pœnæ quæ eos exspectat particeps esse non poterit.

CAPUT XXIII.

Quod sacerdotes etiam qui aliter possunt, tam simpliciter docere debeant, ut omnes eos docentes intelligant.

Nec vero se per imperitiam pontifex excusabit, quasi propterea docere non valeat, quod ei sufficiens et luculentus sermo non suppetat : quando nulla alia sacerdotis doctrina debet esse quam vita, satisque auditores possint proficere, si a doctoribus suis quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari, dicente Apostolo : *Etsi imperitus* D *sermone, sed non scientia* (*II Cor.* XI, 6). Unde datur intelligi quod non se debeat Ecclesiæ doctor de accurati sermonis ostentatione jactare, ne videatur [o] Ecclesiam Dei non velle ædificare, sed magis se

[a] Mss. quatuor, *voluntates.*
[b] Ms. Camb., *videlicet oblationes quotidianas ac decimas.*
[c] Sic mss. quinque. Editi, *atque reficimus.*
[d] Mss. tres, *erroneum.*
[e] Ms. Camb., *non tam.*
[f] Sic edit. Lug. cum mss. quinque. Alii vero, Duac., et Colon., *perterritus propheta, timor et tremor, inquit, ceciderunt super me, et contexerunt me peccatorum meorum tenebræ.* Mss. duo ex his, *venerunt super me.*
[g] Ms. Reg. unus, *tecum.*
[h] Ms. Reg. unus, *non ubi ista quæ hic legisti, quibus*, etc. Ms. Colb. unus, *irrationabiliter*, sed minus bene.
[i] Mss. tres, *audiant, contemnant... absistant.*
[j] Mss. sex, *cum viderit.*
[k] Ita ed. Lug. et mss. quatuor. Ed. Duac. et Colon., *hoc est iram Dei.*
[l] Ms. unus, *terrenis actibus addictos.*
[m] Ms. unus, *imminere.*
[n] Deest *jam* in mss. quinque.
[o] Mss. duo, *non ædificare Ecclesiam velle.*

quantæ sit eruditionis ostendere. Non igitur in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat; non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus; nec plausum a populo studeat exspectare, sed gemitum. Hoc specialiter doctor ecclesiasticus elaboret, quo fiant qui audiunt eum sanis disputationibus meliores, non [a] vana assentatione fautores. Lacrymas quas vult a suis auditoribus fundi ipse primitus fundat, et sic eos compunctione sui cordis accendat. Tam simplex et apertus; etiamsi minus Latinus, disciplinatus tamen et gravis sermo debet esse pontificis: ut ab intelligentia sui [b] nullos, quamvis imperitos, excludat; sed in omnium audientium [c] pectus cum quadam delectatione descendat.

CAPUT XXIV.

Quid intersit inter doctores qui Ecclesiam simpliciter docentes ædificant, et eos qui eloquentiam suam luculentis declamationibus jactant.

Denique alia est ratio declamatorum, et alia debet esse doctorum. Illi elucubratæ declamationis pompam totis facundiæ suæ viribus concupiscunt, isti sobrio usitatoque sermone Christi gloriam quærunt. Illi rebus inanibus pretiosa verborum induunt ornamenta; isti veracibus sententiis ornant, et [d] commendant verba simplicia. Illi affectant suorum sensuum deformitatem tanquam velamine quodam phalerati sermonis abscondere; isti eloquiorum suorum rusticitatem student pretiosis sensibus venustare. Illi totam laudem suam in favore vulgi, isti in virtute Dei constituunt. Illi plausibiliter dicunt, et nihil auditoribus suis declamando [e] proficiunt; isti usitatis sermonibus docent, et imitatores suos instituunt. Quia rationem [*forte* orationem] suam nulla fucatæ compositionis [f] affectatione corrumpunt.

CAPUT XXV.

Quales esse debeant sacerdotes qui volunt fieri vitæ contemplativæ participes.

1. Quocirca, si sacerdotes sancti (non quales illi sunt quos judicandos atque damnandos comminatio divina pronuntiat, sed quales apostolica doctrina commendat), multos [g] ad Deum sancte vivendo et prædicando convertant; si nihil [h] ex imperio, sed omnia humiliter agant, ac se communes eis quibus sunt præpositi, studio sanctæ dilectionis exhi-

A beant, si infirmitates carnaliter viventium fratrum modo verborum salubrium medicaminibus curent, modo quas incurabiles judicant, patientiæ virtute sustineant; si moribus ac prædicationibus suis non suam, sed Christi gloriam quærant; nec verba ac facta sua in [i] pretium favoris conciliandi miserabiliter perdant, sed quidquid sibi sacerdotaliter viventibus atque docentibus honoris impenditur, Deo semper ascribant; si non inflentur officiosis occurrentium salutationibus, sed graventur; nec honorari se, sed onerari faventium sibi laudibus credant: si consolentur afflictos, pascant egenos, vestiant nudos, redimant captivos, suscipiant peregrinos; si errantibus viam salutis ostendant, [j] desperatis spem veniæ consequendæ promittant; currentes [k] impellant, remo-

B rantes accendant, et quidquid ad officium suum pertinet, constanter exerceant: quis sic erit alienus a fide, ut dubitet tales contemplativæ [l] virtutis esse participes, quorum exemplo simul ac verbo plures fiunt regnorum cœlestium cohæredes?

2. Isti sunt ministri verbi, [m] adjutores Dei, oraculum Spiritus sancti. Per tales Deus placatur populo, populus [n] instruitur Deo. Isti sunt apostolorum Domini successores, qui Ecclesias quas illi [o] editis mirabilibus fundaverunt, mirabiliter apostolicis præditi virtutibus regunt; qui fidem catholicam aut disputationibus, aut si ita necessitas poscat, membrorum suorum laceratione defendunt, pro qua totis [p] viribus retinenda, amissis facultatibus suis, etiam mori parati sunt. Fidelium catholicorum virtutibus

C crescunt, qui per eos Deo auctore proficiunt; et Deo suo inseparabiliter adhærentes, in quo sibi credunt solida ac permansura bona reposita, mundi hujus gaudia fugitiva fastidiunt. Hactenus super tribus capitulis sermonem [q] laciniosæ disputationis prolixitate produximus: in quo, quæ esset vitæ contemplativæ proprietas, quæ differentia ipsius et activæ, et qualiter contemplativæ [r] virtutis sacerdotes [s] fieri participes possint, sufficienter, ut opinor, ostendimus. Ideoque huic tandem libro terminum dantes, in secundo volumine alia tria capitula, Deo conatum nostrum vestris orationibus adjuvante, tractabimus; ut in tertio libro de reliquis quatuor, quibus vitiorum atque virtutum discutienda continetur ratio, disseramus.

[a] Ms. Colb. unus, *vanæ assentationis*.
[b] Ms. Colb. unus, *nullus quamvis imperitus excludatur*.
[c] Ms. unus, *pectora*.
[d] Edit. Lugd. sola, *commodant*.
[e] Mss. duo, et edit. Lugd., *prospiciunt*.
[f] Mss. tres, *affectione*.
[g] Mss. tres, *ad Dominum*.
[h] Mss. tres carent partic. *ex*.
[i] Ms. Camb., *pretio*.
[j] Ms. unus, *desperantibus*.

D [k] Ms. unus, *impediant*
[l] Mss. duo, *vitæ*.
[m] Ita mss. cum edit. Lug. et Duaci. Colon. vero, *auditores Dei*.
[n] Ms. Colb. unus, *populi instituuntur*.
[o] Ms. Camb., *judiciis*.
[p] Mss. sex et edit. Lug., *visceribus*.
[q] Ms. Camb., *lacunosæ*.
[r] In ms. uno deest *virtutis*. In alio habetur *contemplativæ vitæ*.
[s] Ms. unus, *participes esse possint*.

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

1. *Superiori libro rationem contemplativæ vitæ* [a] *complexus, pro viribus quas Dominus donare dignabitur, de actuali vita, sicut promisi, disputare constitui. Quapropter* [b] *sicut in præfatione primi voluminis feci, hic quoque officii mei* [c] *necessitatem paucis aperio: quia si potuissem sine obedientiæ noxa quod jubebatis abnuere, nunquam me propriæ voluntatis instinctu committerem obtrectatorum malevolo* [d] *dente carpendum; qui nolentes advertere quam invitus hæc scribenda susceperim, totum quod est vestræ jussionis, applicaturi sunt* [e] *forte vitio vanitatis: maxime si de rebus talibus locuturus, quibus ecclesiasticorum pene omnium conversatio tenenda describitur, aliquid tale posuero, quod sæculariter viventium mentes offendat; et* [f] *dum in descriptione ecclesiasticæ vitæ mores suos (quos* [g] *nesciri magis quam emendari volunt) viderint publicari; in me tanquam suorum actuum proditorem, carnaliter commoti desæviant, atque ea quæ fuerint, donante Deo, prolata, etsi rationabiliter dicta dijudicent, a me tamen dici non debuisse contendant; sicque aut materiam disputationis, aut personam disputantis irrideant. Sed quoniam sana mens incomparabiliter amplius obedientiæ fructum debet appetere quam vitare injustæ obtrectationis opprobrium;* [h] *levius credidi me gravari reprehendentium dicta mea judicio, quam pertinacis inobedientiæ subjacere periculo. Proinde securus,* [i] *quod vos mihi perficiendi facultatem precibus impetretis a Domino, qui jussistis ut loquerer, et præsumptionem meam apud eos qui me judicaturi sunt, excusetis; opus susceptum* [j] *vobis orantibus adjuvandus expediam.*

2. *Sed priusquam membratim singula quæ proposuistis absolvam, universaliter de ipsa re quæ in hoc libello tractanda est pauca mihi video esse dicenda: quibus evidenter appareat qua ratione mihi succenseri posse præfatus sim, ab eis qui magis quis dicat, quam quid dicat attendunt; nec rationem dictorum, sed dignitatem dicentium* [k] *prava examinatione discutiunt; et quod facere aut fieri nolunt, dici quoque* [l] *sibi fastidiunt; paratiores aliquid doctrinæ, etiam quod scire cupiunt ignorare; quam a persona inferiore cognoscere: cum veritas undecunque claruerit, non sit ingenio humano deputanda, sed Deo; nec aliquorum debeat credi, sed omnium, quæ per se* [m] *tanta et talis est, ut non tunc sit magna, si eam magni docuerint; sed potius ipsa magnos faciat eos, a quibus doceri vel* [n] *disci potuerit. Voluistis itaque vobis proprietatem vitæ actualis exponi, ut vos cum vestris secundum ipsam vixisse semper, et vivere probaretis; non qualiter vobis esset vivendum* [o] *meis disputationibus disceretis. Siquidem conversatio religiosa actualis est vita, quæ docet quomodo præpositi sub se regant viventes et diligant; ac non minus de eorum, quam de sua salute solliciti, quod eis expedire sciunt, paterna cura provideant: et qualiter præposito suo subjecti, tanquam capiti membra deserviant, ac præcepta ejus velut imperium Dei summo amore custodiant; hoc esse sanctum, hoc sibi salubre et necessarium judicantes, quod rectori suo placuerit; non quod eis in perniciem sui arrogantia mentis vitiosæ dictaverit. Ideoque obedientiæ ac patientiæ virtute fundati, majorum suorum non discutiunt constituta, sed faciunt: et quando rigor exigit disciplinæ, ut* [p] *severiter arguantur, acceptam correptionem magnanimiter ferunt; nec motibus eorum a quibus fuerint objurgati, sed suis negligentiis, quod castigantur, ascribunt. Cives quoque suos plebeios et nobiles, divites ac potentes, qualiter tractare et regere debeant sacerdotes, hujus libelli series continebit. Quæ ego, sicut sæpe jam dixi, scribere non auderem si vobis negare aliquid* [q] *potuissem. Sed jam capitula ipsa disserenda ponamus. Quæsistis igitur utrum æquanimiter sustinendi sint divina præcepta calcantes, an pro modo peccati debeant ecclesiastica severitate coargui.*

ELENCHUS.

[a] Ms. Camb., *complexus sum, nunc pro viribus.*
[b] Mss. sex, *quod in.*
[c] Mss. tres, *necessitate.*
[d] Ms. Colb. unus, *malevolo denti.*
[e] Ms. Colb. unus omittit *forte.*
[f] Mss. quinque, *Et cum.*
[g] Mss. quatuor, *nescire magis quam emendare.*
[h] Sic ms. Reg. unus. Lugd. vero cum ms. alio Reg., *levius me credidi gravari reprehendentium dictis, meo judicio.* Duac. et Colon. cum 4 Colb. ms., *levius me credidi gravari reprehendentium dicta mea judicio.* Camb. autem, *gravari reprehendentium dicta meo ju-*

[i] Ms. Camb., *securus sum... ut opus susceptum.*
[j] Ms. unus, *vestris orationibus adjuvantibus.*
[k] Ms. ex Colb. unus, *pravo examine.*
[l] Ms. unus non habet *sibi.*
[m] Mss. quinque, *talis ac tanta est.*
[n] Sic mss. sex. Editi, *dici.*
[o] Edit. Lugd., *in eis.*
[p] Ita mss. Colb. tres. Editi., *severitate.* Mss. tres, *severi acriter.*
[q] Ms. unus, *possem.*

beant, et Ecclesiæ facultates quasi communes, ut pote A *Deo rationem reddituri, suscipiant.*

Cap. X. *Cum quo damno animæ suæ ab Ecclesia quæ pauperes pascit, accipiant illi qui sibi de suo sufficiunt.*

Cap. XI. *Qui sint qui etiam cum profectu animæ suæ opibus sustententur Ecclesiæ.*

Cap. XII. *Quid facere debeant clerici quorum infirmitas non potest sua contemnere.*

Cap. XIII. *Quæ sint gaudia vera, vel veræ divitiæ, et* [a] *quid impedimenti afferant bona præsentia amatoribus futurorum.*

Cap. XIV. *Qualiter intelligatur, quod dicit Apostolus: Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt.*

Cap. XV. *De cupiditate, qualiter eis quos semel in-* B *traverit dominetur.*

Cap. XVI. *Quod Deum perfectius illi possideant, qui terrenis possessionibus ex corde renuntiant.*

Cap. XVII. *Quod nihil proficiant, qui, abstinentes a cibis, vitiis serviunt; nec prosit illis facultates abjicere, qui suas faciunt voluntates.*

Cap. XVIII. *Quanta bona primus homo, abstinentiæ bonum negligendo perdiderit.*

Cap. XIX. *De peccato primi hominis, et de malis quæ illum peccantem, Deo judicante, secuta sunt.*

Cap. XX. *Quod omnia bona quæ in Adam corrupti perdidimus, in Christo reparati* [b] *recipiemus.*

Cap. XXI. *Qualiter vivere debeant qui Christum imitari desiderant.*

Cap. XXII. [c] *Qua temperantia uti debeant qui a vo-* C *luptate delectabilium, vel ab immoderata perceptione ciborum communium, atque a vini immoderato usu cupiunt abstinere.*

Cap. XXIII. *Quod utentes carnibus concupiscentia carnium polluat, non natura.*

Cap. XXIV. *Quam utile sit jejunio vel abstinentiæ, advenientium caritatem plerumque* [d] *præferre.*

CAPUT PRIMUM.

Quod pro diversitate peccantium alii portandi sunt, alii castigandi.

1. Si una omnes ægritudine mentium laborarent, ac paribus animorum morbis affecti, nihil ab invicem discreparent, aut [e] sustineri omnes necesse esset, aut argui. Nunc vero, propterea alii portandi sunt, alii castigandi, quia pro diversitate peccantium, mo- D dus quoque diversus est [f] præceptorum. Et utique [g] ita peccatis dissimilia sunt adhibenda remedia, sicut ex dissimilibus causis veniunt ipsa peccata. Plerosque enim peccandi consuetudo delectat, alios ad peccandum occasio alicujus lucri temporalis invitat, fragilitas nonnullos inclinat, quosdam ignorantia boni facit nescire quod peccant, et impedit [h] mali dulcedo, ne correpti aliquando sapiant quod ignorant. Taceo de illis quos aliena delicta quibus consentiunt, decolorant. Illos etiam prætermitto qui, cupientes adipisci quod diligunt, vel refugientes pati quod metuunt, aut fidem catholicam produnt, [i] aut mendacio præstantiam veritatis addicunt. [j] Illud vero dico: Quis nesciat [k] aliter homines cogitatione subita, aliter definitione delinquere, aliter sermone, aliter opere, aliter necessitate, aliter [l] voluntate peccare?

2. Cum igitur tam multiplicibus, ac multum ab invicem [m] distantibus modis homines peccent, quis non intelligat uno modo eis non posse utique mederi quorum tam diversi sunt morbi? Et ideo dupliciter quidem fragilitas humana Dei præcepta contemnit, aut faciendo quod [n] vetuit, aut non faciendo quod jussit: sed [o] quomodo non solum ex illis causis quas commemoravi, sed etiam ex aliis quas non commemoravi, in præceptis suis eum contemnunt, qui ejus præcepta non faciunt; sic debent omnes modo docendo, modo exhortando, modo sustinendo, modo increpando [p] curari, ut sub ope Christi [q] nullius salus in hac vita debeat desperari. Jam nunc si satis apparuit quod divina præcepta calcantes non solum portandi sunt, sed etiam castigandi; a quibus id fiat, qui, vel quo ordine, et quandiu curandi sint qui curantur, adjuvantibus me [r] meritis et orationibus vestris, debeo declarare.

CAPUT II.

De laude sanctorum sacerdotum.

1. Ac ne fidem meus sermo velut humana conjectura non habeat, effectumque, dum ei parum creditur, perdat; ea quæ, adjuvante Domino, demonstrare constitui, vera esse divinis testimoniis conabor ostendere, si prius pauca de laude verorum sacerdotum, qui sunt Ecclesiarum magistri, protulero. Ipsis enim proprie animarum curandarum sollicitudo commissa est; qui pondus populi sibi commissi [s] utiliter sustinentes, pro peccatis omnium velut pro suis infatigabiliter supplicant Deo, ac velut quidam Aaron incensum contriti cordis, et humiliati spiritus offerentes,

[a] Mss. tres, *quod impedimentum.*
[b] Ms. Camb., *recipimus.*
[c] Editi., *Quali.*
[d] Ms. Camb., *præferri.*
[e] Ms. Colb. unus, *sustinere omnes necesse esset aut arguere.*
[f] Mss. Colb. tres, et Reg. unus, *peccatorum.* Ms. alter Reg., *pœnitentium.*
[g] Ms. Colb. unus, *ita peccatis dissimilibus dissimilia adhibenda sunt remedia.*
[h] Ms. unus, *mala dulcedo.*
[i] Editi præter Lugd., *ac mendacio.* Ms. Colb. unus, *aut mendacium præferunt veritati.*
[j] Edit. Lugd. cum mss. quinque, *illud dico.* Ms. unus, *illud quidem.* Ms. alter, *adhuc illud dico.*
[k] Ms. Colb. unus, *aliter hominis cogitationes superbia, aliter,* etc.
[l] Ms. Colb. unus, *voluptate.*
[m] Ms. unus, *discrepantibus.*
[n] Ms. unus, *quod vetat, aut non faciendo quod jubet.*
[o] Mss. omnes, *quoniam,* et paulo post mss. tres, *Dominum contemnunt.*
[p] Mss. duo Regii cum editis, *curare.* Mss. Colb. quatuor et Camb., *curari.*
[q] Ms. Colb. unus, *nullus malus in hac vita,* etc. Ms. Reg. unus, *nullius salus debeat desperari.*
[r] Hæc, *meritis et,* absunt a mss. omnibus.
[s] Mss. sex, *viriliter sustinentes*

[a] quo placatur Deus, avertit iram futuræ animadversionis a populo (*Exod.* XXXII, 10; *Lev.* XVI, 2; *Num.* XVI, 46); qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post apostolos fundatores, [b] fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, et male sibi consciis etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium, primi [*forte* primæ] [c] phalanges invisibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, et [d] forma fidelium. Ipsi sunt [e] Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia; ipsi columnæ firmissimæ quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium; ipsi januæ civitatis æternæ, per quos omnes qui credunt [f] in Christum ingrediuntur ad Christum; ipsi janitores quibus claves datæ sunt regni cœlorum; ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus, et officia singulorum.

2. Hi sunt qui non ambiendo, sed spiritualiter vivendo sacerdotium meruerunt; quique non favoris humani suffragio, sed divino munere sublimati, nihil sibi de [g] præstantia sui principatus applaudunt; quos non [h] inflat honor acceptus, sed exercet labor impositus; [i] qui non excellentiam [j] suam cogitant provecti, sed sarcinam; nec gloriantur de officii dignitate, sed sudant potius constituti sub onere. Tales divina Scriptura speculatores appellat (*Ezech.* III, 17), qui speculantur actus omnium, et qualiter unusquisque cum suis in domo, qualiter in civitate cum civibus vivat, intentione religiosæ curiositatis explorant; quos bonos probaverint, honorando confirmant; quos deprehenderint vitiosos, arguentes emendant; aut si emendari noluerint, æquanimiter portant, habituri uberrimum fructum, aut de sua districtione, si correpti profecerint; aut de sua patientia, etiamsi illi quos sustinent, emendari noluerint.

CAPUT III.

De testimoniis apostolicis, et expositione eorum.

1. Sed jam divina testimonia, sicut promisimus, proferamus. In Act. apostolorum Paulus apostolus sacerdotibus dicit: *Ecce ego scio quod amplius non videbitis faciem meam, vos omnes, inter quos ambulavi prædicans* [k] *regnum Jesu Christi. Ideoque contestor vos hodierna die, quia mundus sum ab omnium sanguine. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam* [l] *acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX, 25 *et seq.*). Regnum Dei, inquit, inter vos ambulans prædicavi, ut me alienum ab omnium perditione servarem, qui verbo doctrinæ salutaris audito, nihil [m] promoventur ad salutem. Regnum Dei prædicat, qui de vita futura quæ non habet finem; de contemplatione divina, quæ non habet fastidiosam satietatem; de sanctorum beatitudine, quæ non habet defectionem; de angelorum similitudine consequenda prædicare non cessat: ita ut [n] si ad hæc ineffabilia bona qui audiunt, provocari noluerint, absolutus sit ille qui eis prædicando non tacuit.

2. Quod autem secutus adjungit: *Non enim subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei* (*Ibid.*, 27): quid aliud facit intelligi, nisi ut ecclesiasticus doctor dispositionem Dei (quod consilium Dei vocat Apostolus) eis quos docet aperiat? Aperit ergo dispositionis divinæ consilium quando docet ut patres pietatem filiis suis impendendo, eam mereantur a Domino; qui est omnium Pater, [o] ut filii honorem debitum [p] patribus suis exhibeant, non exhæredationis metu deterriti, sed futuræ remunerationis desiderio provocati: quia præceptum [q] Domini tam patres filios diligendo, quam filii honorificentiam suis exhibendo patribus complent, qui utrumque jussit ut fieret; [r] docet ut mariti fidem conjugalis thori suis uxoribus servent; [s] ut uxores maritos suos non studio formæ lenocinantis adhibito, aut accuratione vestium diversarum, sed gravitate morum delectent, et operum sanctitate; ut domini servos velut eorum in Christo conservi misericorditer tractent, et servi dominis ita ex corde deserviant, ut voluntatem non solum dominorum suorum, sed etiam Dei hoc ipsum jubentis, efficiant; ut inter se cives cum civibus, cum amicis amici, cum parentibus parentes veram concordiam teneant; ut in nullo negotio alter alterum callida fraude decipiat, [t] aut ne in communi contractu fidem, quam sibi servari aliquis cupit, ipse corrumpat.

3. His [u] et talibus et sacerdos annuntiat prædicando, et obediendo populus accipit Dei consilium,

[a] Ms. Camb., *quo placatus Deus, avertit.* Ms. Reg. unus, *quo placatus Deus, avertit iram furoris et animadversionis.* Ms. Reg. alter, *quo placatus avertit iram futuræ animadversionis.*

[b] Ms. Reg. unus, *fideles veritatis assertores*, omissis vocibus intermediis.

[c] Mss. tres juxta veterum codicum lectionem, *primi prælianles*, seu *præliatores*. Ms. Colb. unus, *primi palæstrites*.

[d] Mss. duo Colb., *forma vitæ.*

[e] Ms. Camb., *duces Ecclesiæ.*

[f] Mss. sex cum Lugd. non habent *in Christum.*

[g] Mss. Colb. duo, *de præsentia.*

[h] Ita mss. Reg. duo. Alii vero cum editis, *inflammat.*

[i] Mss. Colb. tres, *quia non.*

[j] Ms. Colb. unus, *sui cogitant provectus.*

[k] Ms. Colb. unus, *Jesum Christum.*

[l] Mss. sex, *acquisivit sibi.*

[m] Mss. duo, *promovent.*

[n] Ms. unus, *si hæc ineffabilia;* tum paucis interjectis, mss. quatuor, *prædicanda non tacuit.*

[o] Ita mss. septem cum edit. Lugd. In aliis vero hic inseruntur ista: *Aperit divinæ consilium pietatis, cum docet.*

[p] Ms. Colb. unus, *parentibus.*

[q] Mss. septem, *Dei;* quorum unus post pauca habet *suis exhibendo parentibus.*

[r] Editio Lovaniensis anni 1565, Duac. et Colon. hic et post quatuor lineas addunt *Docet :* quam vocem omittunt mss. omnes cum Lugd.

[s] Mss. duo, *et uxores.*

[t] Mss. quatuor, *ut ne.*

[u] Ms. unus, *Hæc et talia sacerdos.*

sine quo non pervenitur ad regnum; in quo [a] solo exsecutores divini consilii, participes, Deo auctore, futuri sunt cœlestium præmiorum. Deinde quod dicit Apostolus : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam* [b] *acquisivit sanguine suo* (*Act.* xx, 28) : quis non videat quod tunc sibi sacerdotes attendunt, quando sancte vivendo, ac voluntatem [c] Domini fiducialiter prædicando, Ecclesiæ Dei prospiciunt, ut eis jam grave non sit infirmos Ecclesiæ sustinere, pro quibus redimendis se dignatus est morti vitæ auctor offerre? Sed et ipsi qui docentur, ut sapiant; qui increpantur, ut saltem objurgati proficiant; qui sustinentur, ut de suis aliquando criminibus erubescant, et gaudium suis doctoribus, quorum patientia blande tractantur, [d] de utilitate suæ correctionis exhibeant; et ipsi, inquam, libenter audiant, quid eis apostolico ore [e] divinus sermo præcipiat : *Obedite*, inquit, *præpositis vestris et subjecti estote eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim* [f] *expedit vobis* (*Hebr.* I, 3, 17).

4. Ergo doctoribus suis debent obedire qui audiunt, atque eis cum reverentia esse subjecti. Quod faciunt illi, qui castigati libenter accipiunt, nec increpantibus contradicunt. Quod vero ait : *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris* (*Ibid.*); sacerdotalem curam pro populo sibi commisso satis ostendit, qui tam in suis actibus quam in prædicationibus vigilantes, sollicite hostis antiqui rimantur insidias, ne quem, velut dormiente pastore, lupus [g] diabolus astuta fraude subripiat, et in damnum pastoris abreptum, secum usque ad supplicia sempiterna perducat. Verum quia ex his qui arguuntur, aliqui se obedientes emendant, aliqui in sua perversitate perdurant, ideo de sacerdotibus ait : *Ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes* (*Ibid.*). Cum gaudio sacerdotes [h] arguunt, quando correpti proficiunt; et tristes hoc faciunt, quando se nihil proficere in suis contemptoribus ingemiscunt; ac sic hoc dicit illis expedire, ut cum gaudio, non gementes, eos increpent sacerdotes, qui doctores suos sua correctione lætificant, et eorum gaudia incremento sui profectus accumulant.

CAPUT IV.

Objectio : *Quare sacerdotes sancti, quorum cura est perdite viventes arguere, simulatores religionis æquanimiter ferant.*

1. Necdum sermonem de sacerdotibus sanctis, A unde plura dicere conabar, impleveram, cum ecce ad me quidam de nostris ingressus, quid dictarem [i] curiosus interrogat. Cui cum recitari fecissem : Omnes, inquit, episcopos tales esse debere quales tuus sermo descripsit, et nunc esse plures apud nos plenos sacerdotalibus bonis, qualia veraciter prædicasti, dubium non est; sed cum ad eorum probetur officium pertinere, ut inquietos sacerdotali auctoritate corripiant, rudes doceant, contradicentes sanæ doctrinæ redarguant, [j] quid est quod non in omnes hæc eorum cura porrigitur; cur non et alios simili auctoritate castigant? Illos dico, qui velut conversi, ex pristinis moribus nihil abjiciunt, non mente mutati, sed veste; nec actu, sed habitu.

2. Hi sunt qui sermone tantum, non opere, sæculo B renuntiasse contenti sæculariter vivunt, et vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt, ac religionis imaginariæ nomine palliati, opinionem virtutis pro virtute suscipiunt : prædicant magna, nec faciunt; accusant vitia, nec deponunt; publice sibi displicere simulant, quod occulte committunt; magni student videri, non fieri; [k] laudant eos quorum cupiunt prædicatione laudari; jejunant ut vultus sui pallorem perniciosis laudibus vendant. Ad reprehendendos alios prompti, se non patiuntur a quibuslibet vel [l] leviter reprehendi. Ad faciem publicam patientiam fingunt, et in animo iracundiæ virus abscondunt, ad nocendum parati, cum nocendi tempus invenerint : suorum actuum negligentes, fiunt aliorum procaci libertate censores. Impudenter se assuunt virginibus C sacris ac viduis, quibus tanto [m] inglutinantur affectu, ut facilius ab Ecclesiæ (quod dictu quoque nefas est) quam ab earum communione discedant. Qui etsi cum illis forte non [n] peccant, tamen malæ suspicionis de se præbendo materiam, vitam suam maculis sinistræ opinionis infamant.

3. Taceo de illis qui, undante [o] lapsabundi corporis motu, defluentibus in talos vestimentis incedunt, et vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes, animorum dissolutionem vestigiis sinuosa mobilitate nutantibus produnt. Illos quis ferat qui, [p] adumbratæ prætendentes honestatis imaginem, ad hoc pupillorem ac viduarum causas, velut tuendas simulata pietate suscipiunt, ut earum facultates suis adjiciant, et divites ex pauperibus facti, vel ex divitibus ditiores, D tenuem censum [q] per nefas accumulent : ut cum fuerint exundante patrimonio sumptuosiores effecti, nunquam [r] materia voluptatis gulæ suæ deficiat? Hos igitur tales quare non arguunt, qui arguendi potesta-

[a] Mss. duo, *soli exsecutores.*
[b] Mss. quatuor, *acquisivit sibi sanguine suo.*
[c] Mss. septem, *Dei.*
[d] Ita mss. omnes. Editi vero, *de utilitatis suæ profectu.*
[e] Ms. unus, *Spiritus sanctus, id est divinus sermo.*
[f] In ms. uno corrigitur *non expedit*, juxta textum Apostoli.
[g] Ms. Colb. unus, *lupus, id est diabolus.*
[h] Ms. unus addit *sancti.*
[i] Mss. Colb. duo, *curiosius.*
[j] Ms. Colb. unus, *quare non ad omnes hæc eorum correctio porrigitur.*
[k] Ms. unus, *laudantes.*
[l] Edit. Lugd., *leniter.*
[m] Mss. quatuor, *agglutinantur.*
[n] Mss. tres, *non pereant.*
[o] Mss. quatuor, *lassabundi.*
[p] Hæ quatuor voces, *adumbratæ prætendentes honestatis imaginem*, absunt a ms. Camberonensi.
[q] Mss. quatuor, *proh nefas!*
[r] Mss. Colb. unus, *materiæ voluptatis gulæ sua deficiant.* Colb. alter, *materia voluptati ac gulæ suæ deficiat.*

tem divinitus acceperunt? [a] Non verentur, ne forte cum tam flagitiose viventibus parcunt, videantur probare quæ faciunt? Quid quod eos etiam ad officium clericatus admittunt, et (proh nefas!) quasi parum sit quod tales dissimulata severitate non increpant, insuper et honorant?

CAPUT V.

Responsio : *Ubi ostenditur quibus exigentibus causis quorumdam infirmitas blande tractetur.*

1. Ego vero : Si recolis, inquam, quid de sanctis sacerdotibus fuerit disputatum, sufficiens accepisti responsum. Ecclesiæ quippe doctoribus, sicut supra jam diximus, et censura inesse debet, ut arguant; et patientia, ut emendari nolentes fortiter ferant, apostolico satisfacientes imperio, qui Timotheo [b] præcepit, dicens : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia* B *et doctrina* (*I Tim.* IV, 2). Quasi diceret : Argue coæquales, obsecra seniores, increpa juniores. Sed propterea addidit : *In omni patientia et doctrina :* quia leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem nimiæ increpationis offensus nec increpationem recipit, nec salutem. Item alio loco idem apostolus dicit : *Vos qui firmiores estis, imbecillitates* [c] *infirmiorum sustinete* (*Rom.* XV, 1). Sustinent ergo æquanimiter ut infirmos, quos emendare non potuerint castigatos. Proinde quia nec [d] objurgari omnes expedit, nec omnes blande tractari; sciunt sancti sacerdotes atque discernunt, quos debeant temperata severitate corripere, et quos sacerdotali magnanimitate portare; et ideo omnium quos per Dei gratiam curant, non voluntati, sed utilitati prospi- C ciunt. Denique [*al.* Deinde] alios honorari deformiter ambientes, quibus non expedire noverunt, non vitio alicujus invidiæ, sed altæ prudentiæ consilio prætermittunt, et alios latere cupientes honorant, ut eis aditum ad majores profectus aperiant. [e] Eos quos probant increpationem posse pati castigant, et impatientes objurgationis ut languidos palpant; non eis adulando, quod tales sunt, sed infirmitatibus talium compatiendo, si forte aliter sanari non possunt.

2. Cæterum si Ecclesiæ communione priventur infirmi, qui curari adhibita increpatione non possunt, aut intolerabilis mole tristitiæ supra modum gravati succumbunt, et sanctorum omnium vultus, per quos possent restitui Deo, refugiunt; aut certe ad omnem peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosi- D liunt, et quidquid mali occulte faciebant publice A perpetrabunt, in tantam vesaniam reparandæ salutis desperatione prolapsi, [f] ut seria verba corripientium in jocos exitiabiles impudenti urbanitate convertant, [g] ac male dicaces in se ex ipsa jactatione turpitudinis suæ, turpiter viventium malevolas lætitias pascant. [h] Propter hoc ergo, blanda pietate portandi sunt, qui increpari pro sua infirmitate non possunt. Et revera, si peccanti salubrem pudorem, dum pro eo erubescis, incutias, ac verecundiam quam pro peccatis ejus assumis, in eum pia animi compassione transfundas; facile in illo [i] reprimis omnem peccandi licentiam, atque ei totam impudentiam demis licentiosæ turpitudinis hortatricem. Tunc mores ejus verecundia custos integritatis ornabit, ut ei placeat quod ante sordebat, quando [j] sordidus erat; [k] et sordeat quod ante placebat, quando ipse bonis omnibus displicebat. Sanctos viros amando sectabitur, et sectando in eorum similitudinem paulatim vitæ prioris emendatione formabitur, ut ei quam laboriosum fuit in sublimitatem virtutis evadere, tam deforme sit in vitia rursus quibus se gaudet caruisse, descendere. Quia sicut virtus onerosa est vitioso, ita virtutis amico [l] vitiosa voluptas amara est. Ecce quomodo peccantes omnes blande tractat aut increpat, qui nihil aliud nisi eorum salutem quibus vult prodesse, considerat.

CAPUT VI.

Quod illi peccata aliena impatienter accusant, qui sua non cogitant.

Tandiu [m] enim quis peccata sua, quæ nosse, aut deflere debet, ignorat; quandiu curiose aliena considerat. [n] Quod si mores suos ad seipsum conversus aspiciat, non requiret quod in aliis specialiter reprehendat, sed in seipso quod lugeat. Proinde fratrum nostrorum vitia non facile debemus accusare, sed gemere: ut invicem onera nostra portantes, legem Christi possimus implere (*Gal.* VI, 2); qui utique non accusavit peccata nostra, sed tulit, Evangelista dicente : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Itaque si ille qui sine ullo peccato fuit, nos peccatores ineffabili pietate sustinuit, et sustinere non desinit, non interitum nostrum desiderans, sed profectum, nec mortem peccantium, sed salutem; quare nos exemplo nostri Salvatoris et Domini non sustineamus infirmos, cum et ipsi aut infirmi sumus, et volumus a Deo portari; aut si sani sumus, possumus adhuc ut fragiles infirmari.

[a] Ms. Colb. unus, *nec verentur..... approbare quæ faciunt?*
[b] Ms. unus, Lugd. et Lov., *præcipit.*
[c] Mss. sex, *infirmorum.*
[d] Mss. duo, *objurgare..... tractare.*
[e] Ms. unus. *Et quos probant.*
[f] Ms. Colb. unus, *severa;* alter, *serena.* Alii codices, *salutaria.*
[g] Ms. Camb., *maledici in se.* Ms. Colb. unus, *maledicas in se*, etc. Ms. Colb. alter, et Reg. duo, *maledica in se*, etc. Sic et edit. Lugd.
[h] Ms. unus, *Propterea ergo.*
[i] Ms. unus, *reprimes...... demes.*
[j] Sic mss. omnes, et edit. Lugd., Lovan. vero, Duac. et Colon., *quando in sordibus erat, et sordidus erat.*
[k] Editi, *ut sordeat.*
[l] Alias sic legebatur, *Ita est amara vitiosa voluntas virtutis amico.* Mss. duo Colb., *vitiosa voluntas amara est.* Reg. unus, *vitiorum voluntas;* et ab alia manu, *vitiosa voluptas.* Colb. alter, *vitiosa est amara voluptas.*
[m] Ms. Colb. unus, *Quandiu enim quis....... tandiu curiose.*
[n] Ms. Reg. unus, *ad seipsum conversus aspiciat.* Ms. Reg. alter. *Quod si ad seipsum conversus aspiciat.*

CAPUT VII.

Quantum remedii habeat confessio peccatorum, et quale mereatur occultatio dolosa supplicium.

1. Huc accedit quod et ipsa peccata sic habentur occulta, vel aliena nobis, vel aliis nostra, ut plerumque et sanctus inter peccatores lateat, et famam sancti obtineat peccator. Innocentem si se tueri non potest, suspicio judicis [a] incauta condemnat, et reum calliditas ingenii vivacis excusat. Verumtamen non divinum, sed humanum fallunt ista judicium. Et quid mirum, si animos aliorum quales sint, sine ipsorum confessione nescimus, cum nos ipsos ita hodie noverimus ut quales futuri simus [b] crastino nesciamus? Cum vero nobis fratres quilibet nostri peccata sua, tanquam medicis, vulnera quibus urgentur, aperiunt; B operam dare debemus [c] ut quantocius ad sanitatem, Deo auctore, perveniant, ne in pejus dissimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecunque claruerint; quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, velut igni quodam piæ increpationis urenda sunt et curanda.

2. Quod si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, ac pie increpantis medela [d] profecerit in eis, qui diu portati, et salubriter objurgati, corrigi noluerunt; tanquam [e] putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscidi: ne, sicut caro morbis C emortua, si abscisa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit; ita isti qui emendari despiciunt, et in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ [f] perditionis inficiant. Porro illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata; si ea confiteri aut [g] emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt et ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, cum, si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum, Deo retribuente, supplicium? Quod si ipsi [h] sibi judices fiant, et veluti suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant; temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. At hi qui, in aliquo gradu ecclesiastico D constituti, aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videtur propterea communicare, et officium suum im- A plere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt.

3. Exceptis enim peccatis quæ tam parva sunt, ut caveri non possint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, et dicimus: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12); illa crimina caveantur quæ publicata suos auctores humano faciunt damnari judicio. Qui autem ea commiserint, et ideo prodere metuunt, ne sententiam justæ excommunicationis accipiant, sine causa communicant; imo vero dupliciter contra se iram divinæ indignationis exaggerant, quod et hominibus innocentiam fingunt, et contempto Dei judicio, abstinere se ab altari propter homines erubescunt. Quapropter Deum sibi facilius placabunt illi qui non humano convicti judicio, sed ultro crimen [i] agnoscunt; [j] qui aut propriis illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, et ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam tanquam mortuam plangunt, certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non solum amissa [k] recipiant, sed etiam cives supernæ civitatis effecti, ad gaudia sempiterna perveniant.

CAPUT VIII.

Quod inique, et non simpliciter arguentes vani sint, et divino judicio condemnandi.

Jam [l] de illis qui, levi suspicione permoti, simpliciter viventes objurgant, ut et illos incondita correptione confundant atque dejiciant, et sibi per hoc nescio cujus districtionis gloriam quærant, non est meum aliquid dicere; super quibus tam perspicue divinus sermo pronuntiat, ut [m] expositore non egeat. Ait enim in Ecclesiastico Spiritus sanctus: *Est correptio mendax in* [n] *ira contumeliosi; et est judicium quod non est bonum* (*Eccli.* XIX, 28). Utique contumeliosi hominis et superbi correptio, quæ dicitur mendax, [o] superbiæ est, non alicujus humilitatis [p] judicium, et ideo non est bonum. Quid potuit evidentius, quid apertius dici, quam [q] ut contumeliosum diceret mendaciter arguentem? Quia et contumeliosus est qui mendaciter arguit; [r] et mendaciter arguit qui contumeliam facit. Item in Proverbiis: *Testis falsus non erit impunitus, et qui arguit inique non effugiet* (*Prov.* XIX, 5). Quis est falsus testis, nisi qui hominem quemlibet de criminibus indiscussis objurgat? Quem propterea inique increpantem dicit non

[a] Ms. unus, *incaute*.
[b] Ms. unus, *in crastino*.
[c] Ms. unus, *quantocitius*.
[d] Mss. sex, *processerit*.
[e] Mss. duo, *putridæ*; unus, *putrescentes*; mss. quinque cum editis, *abscidi*.
[f] Ms. unus, *perversionis*.
[g] Mss. tres, *vel emendari*.
[h] Deest *sibi* in edd. Lov., Duac. et Colon.; habetur in mss. omnibus et edit. Lugd. Ms. unus, *Qui si ipsi*, etc.
[i] Editi, *cognoscunt*; mss. sex, *agnoscunt*.
[j] Mss. tres, *quia aut*; et infra, mss. quatuor, *occulti sint*.
[k] Ms. unus, *recipient, sed etiam..... pervenient*.
[l] Mss. duo Colb., *Tamen*.
[m] Mss. duo, *expositione*.
[n] Mss. septem, *in ore contumeliosi*...; et paulo post mss. sex, *et est indicium*.
[o] Mss. duo, *superbia est*.
[p] Mss. sex, cum edit. Lugd., *indicium*.
[q] Edit. Lugd., *quam contumeliosum dicere*.
[r] In mss. duobus Reg. desunt hæc, *et mendaciter arguit*. In Colb. ms. uno, *quia et contumeliosus est, qui mendaciter arguit eum qui contumeliam facit*.

impunitum futurum, quia innocentem nullis provocantibus meritis arguendo, [a] videri vult reum. [b] Quod autem dicit de eo qui inique arguit, *non effugiet;* quid aliud debet intelligi, nisi quia iram Dei non effugiet, qui aliquem non sic corripit, ut emendet, sed ut se procaciter jactet? Sed de contemptoribus præceptorum Dei, et de correptionis ac patientiæ virtute, sufficiant ista quæ diximus : ne in uno capitulo justo amplius immorati, aut cætera brevius quam necesse sit transcurramus, aut intentionem vestram longitudine nimium protelati voluminis oneremus. Videamus itaque quid nos etiam continentia [c] capituli sequentis edoceat. Utrum, [d] inquit, congregandis fratribus, aut alendis expediat facultates Ecclesiæ possideri, an perfectionis amore contemni.

CAPUT IX.

Quod sacerdotes [e] nihil proprii habere debeant, et ecclesiæ facultates quasi communes, pro quibus Deo rationem reddituri sunt, suscipiant.

1. Expedit facultates ecclesiæ possideri, et proprias perfectionis amore contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes ecclesiæ facultates; et ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut venditis, fit rei suæ contemptor; cum præpositus fuerit factus ecclesiæ, omnium quæ habet ecclesia efficitur dispensator. [f] Deinde sanctus Paulinus (ut ipsi melius nostis) ingentia prædia, [g] quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit; sed cum postea factus esset episcopus, non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensavit. Quo facto satis ostendit et propria debere propter perfectionem contemni, et sine impedimento perfectionis posse [h] quæ sunt communia ecclesiæ possideri. Quid sanctus Hilarius? nonne et ipse omnia [i] bona sua aut [j] parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cum merito perfectionis suæ fieret ecclesiæ Arelatensis episcopus, quod illa tunc habebat ecclesia non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliavit. Isti ergo tam sancti, et tam perfecti pontifices factis evidentibus clamant posse et debere fieri quod fecerunt. Qui utique homines tam sæcularium quam divinarum litterarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res ecclesiæ debere contemni, nunquam eas [k] debuerant qui omnia sua reliquerant retinere.

2. Unde datur intelligi quod tanti ac tales viri (qui volentes [l] esse Christi discipuli, renuntiaverunt omnibus quæ habebant) non ut possessores, sed ut procuratores facultates ecclesiæ possidebant. Et idcirco scientes nihil aliud esse res ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et [m] patrimonia pauperum; non eas vindicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere; nec habendi cupiditate ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis qui sibi de suo sufficiunt debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare quam perdere.

CAPUT X.

Cum quo damno animæ suæ ab ecclesia, quæ pauperes pascit, accipiant illi qui sibi de suo sufficiunt.

1. Nec illi qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, [n] unde pauper victurus erat accipiunt. De clericis quidem dicit [o] Spiritus sanctus : *Peccata populi mei* [p] *comedunt* (*Osee* IV, 8). Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt; ita possessores, non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificiis aut laboribus expedire, non præsumant quod debet debilis aut infirmus accipere, ne forte ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis quibus debet, subvenire non valeat.

2. Qui autem ecclesiæ serviunt, et labori suo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt; nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena, ac non potius præmia æterna percipiant. Sæcularis quippe militia quia cœlestia non habet, terrena strenue militantibus præstat. Unde satis indignum est, si fidelis, et operosa devotio clericorum, propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quod si quilibet minister ecclesiæ non habeat unde vivat : [q] non ei præmium reddat hic; sed necessaria præstet ecclesia : ut in futuro præmium laboris sui recipiat, quod in hac vita jam spe dominicæ promissionis [r] certus exspectat. Illi quoque [s] qui velut idonei nihil quidem sibi dari

[a] Ita mss. omnes. Editi vero, *vult esse reum.*

[b] Ms. unus, *Qui autem.* Ms. alter, *dico de eo... nisi quia iram.*

[c] Ms. unus, *capituli sequentis auctoritas edoceat.*

[d] Legendum forte *inquam.*

[e] Mss. duo Reg., *nihil proprium habere debeant, sed ecclesiæ facultates tanquam communes, utpote Deo rationem redditurι, suscipiant.*

[f] Mss. tres, *Denique*, cum edit. Lugd.

[g] Edit. Lugd., *quia.*

[h] Mss. quinque cum edit. Lugd., *posse ecclesiæ, quæ sunt profecto communia, possideri.* Ex Colb. unus, *posse ecclesiæ facultates, quæ sunt communes possideri.*

[i] Mss. sex, *omnia sua.*

[j] Ms. unus, *pauperibus.*

[k] Mss. Colb. duo et Reg. unus, *nunquam eas habuissent.* Alii duo cum Camb., *haberent.* Reglus alter, *suscipere debuerant*; et in fine omittunt vocem *retinere.*

[l] Mss. duo, *fieri.*

[m] Mss. quatuor, *patrimonium pauperum;* quorum unus, *et omnium defensabile patrimonium pauperum.*

[n] Ms. Camb., *ea unde.*

[o] Mss. tres, *dicit propheta.*

[p] Mss. tres Colb., *comedent.*

[q] Editi Lugd. et Lovan., *non ei præmium hic, sed necessaria præstat ecclesia.* Mss. duo, *non ei reddidit hic, sed necessaria præstat ecclesia.* Mss. tres, *non ei reddat hic, sed necessaria præstet ecclesia.* Omnes editi, *præstat.*

[r] Mss. sex non habent *certus.*

[s] Editi, *qui vel idonei.* Mss. quinque, *velut.*

velut debitum poscunt, sed tamen ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui ecclesiam quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant; propter hoc fortassis in congregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes [a] suscipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant. [b] Quod si aliquid de fructibus suis ecclesiæ, velut pro ipsa expensa sua contulerint; non se præferant inani jactantia illis, quos nihil habentes pascit et vestit ecclesia: quia perfectior est ille qui se mundi rebus exspoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere desiderat, quam ille qui ex multis quæ possidet, ecclesiæ aliquid præstat, ac se de eo quod præstiterit forsitan jactat.

3. Dura sunt quæ dico, nec ego diffiteor. Dura sunt, sed observare nolentibus. Cæterum [c] si fiant ista; quæ difficilia non facientibus sunt, statim facilia facientibus fiunt. Non ergo ea quæ nolumus observare, impossibilitas nobis facit dura, sed novitas. In usum veniant, et neminem frequentata conturbant. Nam, quæro, quid sit eorum quæ dixi difficile? ut homo id quod opus non habet, ab ecclesia non accipiat, an ut quod habet sine causa contemnat? Si propter hoc non vult sua relinquere ut habeat unde vivat, ut quid accipit unde rationem reddat? ut quid [d] de peccatis alienis sua multiplicat?

CAPUT XI.

Qui sunt qui etiam cum profectu animæ suæ opibus sustentantur ecclesiæ.

Itaque sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit a populo dispensanda, et fideliter dispensat accepta, qui omnia sua [e] aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut ecclesiæ rebus adjunxit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit: ita ut unde pauperibus subministrat, inde et ipse [f] tanquam pauper voluntarius vivat. Clerici quoque quos pauperes aut voluntas, aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, sive in domibus suis, sive in congregatione viventes accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit vivendi necessitas.

CAPUT XII.

Quid facere debeant clerici quorum infirmitas non potest sua contemnere.

Illi autem qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renuntiare non possint, si ea quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua: quia et ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur accipiunt. Quod si putant ideo [g] accipi debere eorum quæ conferuntur ecclesiæ portionem, ne eam videantur abjicere, se vero non posse sua relinquere, quod eis deforme sit inter suos, pauperes reddi; noverint esse deformius possessores de eleemosynis pauperum pasci.

CAPUT XIII.

Quæ sint gaudia vera, vel veræ divitiæ; et quid impedimenti afferant bona præsentia amatoribus futurorum.

1. Heu quam subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit, quanta cæcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi avidi, unde justius gaudeamus; aut ne cupientes augeri divitiis, noverimus quas quibus incomparabiliter præferamus. Nam gaudere quidem bonum est; sed qui gaudet, si non inde gaudeat unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet et raptor, cum desiderata rapuerit; gaudet et ebriosus, cum [h] exoptatæ occasionem potationis invenerit; gaudet et adulter, cum ad delectationem fruendi corporis concupiti pervenerit: sed cum sit gaudere bonum, de his atque hujusmodi gaudere grande est malum. Hæc et his similia sunt unde gaudere nos vult mundus, cum suis amatoribus [i] periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, ut de bona conscientia, de sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei, et de promissione futuri regni ineffabiliter gaudeamus.

2. Ditari quoque divitiis grande est bonum; [j] sed inde ditari unde non debeas, non est habenda facultas, sed detestanda calamitas. Nihil est enim calamitosius, nihilque miserius eo qui iniquis acquisitionibus crescit, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Illæ nobis sunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare [k] possint pariter et munire, quas nec acquirere possumus inviti, nec perdere, quæ nos contra hostiles impetus armant, a mundo disterminant, Deo commendant, ditant [l] animas nostras atque nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt. Divitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia, quæ nos pudicos; justitia, quæ justos; pietas, quæ pios; humilitas, quæ humiles; mansuetudo, quæ mansuetos; innocentia, quæ innocentes; puritas, quæ puros; prudentia, quæ prudentes; temperantia, quæ temperantes; et caritas, quæ nos facit Deo et hominibus caros, [m] virtutum potentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium

[a] Mss. sex, *excipiant.*
[b] Ms. unus, *Qui si.*
[c] Sic mss. tres. Alii cum editis, *si faciant.*
[d] Ita mss. omnes, et Lugd. At editi alii, *de peccatis.*
[e] Lugd. edit. cum ms. Camb. hæc tantum habent *aut relinquit, aut ecclesiæ rebus adjungit, et se.* Mss. Reg. duo, et quatuor Colb., *aut reliquit, aut ecclesiæ rebus adjunxit, et se,* etc.
[f] Ms. unus, *et ipse jam tanquam:*
[g] Ms. Reg., *ne ea.* Ms. Camb., *ideo partes accipi debere earum quæ conferuntur ecclesiæ portionum, ne eas videantur abjicere.*
[h] Ms. unus, *exoptatam.*
[i] Ms. unus, *perituros.*
[j] Mss. Colb. duo, *sed non inde ditari unde debeamus.* Ms. alter, *sed non ditari unde debeas.*
[k] Ms. unus, *possunt.*
[l] Mss. tres Colb., *animos nostros.*
[m] Mss. tres, *vitiorum impotentes, sæculi contemptores.* Ms. alter, *vitiorum impotentis sæculi contemptores.*

sectatores. Hæc sunt non omnium, sed sanctorum A sanctæ virtutes; non divitum superborum, sed humilium pauperum facultates; patrimonium cordium, divitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundant [a] nisi qui illis carnalibus ex corde renuntiant. Quæ quamvis et ipsa sint bona, utpote a bono Deo creata; tamen quia sunt bonis malisque communia, student ea spirituales viri contemnere, quo possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria, pervenire: quoniam non est tale bonum quod habent et mali, quale illud est quod non habent [b] nisi boni.

3. Corporale bonum quando habent iniqui, ipsorum est præmium, [c] quando habent justi, non est eorum præmium, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio fit exercitium justi, et injusti B supplicium: quia et justus desiderio cœlestium captus, omnia temporalia sive habeat, sive amittat, omnino non sentit; et iniquus quod cum delectatione [d] habet, sine dolore non perdit. Propter hoc igitur eis qui militant Deo fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ, quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus [e] dicit: *Volo vos sine sollicitudine esse* (*I Cor.* VII, 32); et, *Radix omnium malorum est avaritia: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (*I Tim.* VI, 10). Ac sic census [f] iste terrenus eis a quibus vitiose diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. Quapropter expedit C facultates ecclesiæ [g] possideri, ut inde vivant qui non sæculo, cujus gaudia fugitiva repudiant, sed Deo [h] serviunt, cujus ineffabilia bona desiderant.

CAPUT XIV.

Qualiter intelligatur quod dicit Apostolus, Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt.

De talibus dicere videtur Apostolus: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altario deserviunt,* [i] *cum altario participant* (*I Cor.* IX, 13). Qui nisi hoc de contemptoribus facultatum suarum vellet intelligi, nunquam secutus adjungeret: *Ita et Deus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (*Ibid.*, 14). De Evangelio vivunt qui nihil proprium habere volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt; non suorum, sed communium possessores. Quid est aliud de Evangelio vivere, nisi laborantem inde ubi laborat necessaria vitæ percipere? Apostolus tamen, qui sic Evangelium prædicavit, ut nec de Evangelio viveret, sed necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter [j] eloquitur: *Ego autem nullo horum usus sum.* Et quare hoc dixerit, secutus aperuit dicens: *Expedit mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet* (*Ibid.*, 15). [k] Evacuari dicit gloriam suam, si ab eis quibus prædicabat voluisset accipere vitæ [l] corporalis expensam; nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro recipere. Si ergo ille qui nihil habebat, noluit de Evangelio ubi laborabat, sed suis manibus vivere, [m] ne gloriam suæ mercedis amitteret; quid nos, qui et propria nolumus amore possidendi, non vivendi necessitate, relinquere, et accipere insuper volumus, non unde vivamus, sed unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus?

CAPUT XV.

De cupiditate, qualiter eis quos semel invaserit dominetur.

1. Jubet [n] ecce nobis imperiosa cupiditas, ut [o] divina parvipendentes, possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus, [p] ut in eis totam sollicitudinem curamque ponamus, [q] ut inde nos morbida vanitate jactemus, ut amplitudine patrimonii diffusioris elati, fieri pauperes spiritu negligamus. [r] O facinus inauditum! Suavi jugo Christi contempto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus; et Domini nostri [s] levi onere, quod subjectos non onerat, sed sublevat, posthabito, plumbeum pondus nostris cervicibus [t] aggeramus, quod citius potest deponi quam ferri: quia et ipsa cupiditas, quæ nobis subjici ultro volentibus hoc pondus imponit, contemni potest facilius quam expleri; et ideo qui se illi volentes dederint expugnanti, voluntatem resistendi ulterius non habebunt tyrannice dominanti. Et hoc fit justo Dei judicio, ut qui cupiditati resistere [u] noluimus ingressuræ, jam resistere nequeamus ingressæ.

[a] Editi, *nisi illi qui illis.* Mss. quatuor omittunt D *illi.* Ms. Colb. unus, *quæ non aliis dantur, nisi qui.*
[b] Mss. duo, *iniqui.* Ms. alter, *quod habent boni.*
[c] Ms. unus, *quando autem.* Tum ms. alter caret hac voce, *eorum.*
[d] Mss. septem, *habuit.*
[e] Ms. unus, *dixit.*
[f] Ms. unus, *census æstimatus, iste terrenus.*
[g] Mss. quatuor, *possidere.*
[h] Mss. quatuor, *deserviunt.*
[i] Mss. tres, *cum altario participantur.* Mss. duo, *cum altari participantur.*
[j] Mss. duo Reg., *loquitur.*
[k] Ita mss. duo Reg. Alii cum editis, *evacuare.*
[l] Mss. quinque, *temporalis.*
[m] Ms. Colb. unus, *ne gloriæ suæ mercedem.* Alter, *mercedis suæ gloriam.*
[n] Mss. quatuor, *Ecce enim jubet nobis.*
[o] Ms. Reg. unus, *divina præcepta parvipendentes.*
[p] Ms. unus, *et in eis.*
[q] Ms. Camb., *unde nos.*
[r] Mss. quinque, *et o facinus;* quorum duo, *et hoc facinus.*
[s] Ms. Camb., *levi oneri (quod subjectos non onerat, sed honorat, nec deprimit omnino, sed sublevat) subjici contemnimus; hoc ergo levi onere posthabito,* etc. Ad hunc accedunt mss. quatuor Colb. et Regius unus, excepto quod unus ex Colb. habet *sed sublimat.* Regius alter sic habet: *et Domini nostri leve onus fugimus, quod subjectos non onerat, sed honorat; nec deprimit omnino, sed sublevat, hoc ergo.* Alii codices habebant, *leve onus superbe rejicimus;* cætera ut illi qui mox citantur.
[t] Mss. duo, *aggerimus.*
[u] Mss. quinque, *nolumus.*

2. O plangendum miserabiliter mentis expugnatæ [a] servitium! O intolerandum [b] dæmoniacæ cupiditatis imperium! ut ex hostibus suis quos potest [c] vincere, victores faciat suos, promittit ingentia, et honorum temporalium pollicitatione deceptos, impellit jam miseros ac miserandos in turpia. [d] Tenet nos lucrorum pœnaliter dulcium catenis addictos, et in sua ditione captivos; nec trahit invitos, sed, quod est deterius, [e] quocunque voluerit, volentes ducit. Vastat [f] in nobis quidquid verecundiæ ac pudoris invenerit; et quos jam suis triumphis addixit, adhuc tanquam [g] resipiscendi suspectos omnibus viribus honestatis exarmat: ne quando contra eam qui bellare noluimus, rebellemus. Rapit nos, ac passim per omnia acquisitionum genera cupidos acquirendi dispergit. Non permittit animum liberum, non stabile corpus, [h] vagante animo mobiliter, aut quietum; et velut quædam cadavera in pastum feris avibus bestiisque projecta, captivos suos immundis spiritibus [i] tradit non lacerandos, sed avidissimis mortiferorum criminum faucibus devorandos; nec tamen ut esse jam desinant, sed ut pœnaliter vivant. Denique in vivis adhuc portant funera sua corporibus, [j] id est vivi simul et mortui. Hinc est quod peccato viventes quantum nos congestarum opum [k] oblectet accessio, ipsa fruendi carnalibus delectatione sentimus; et quantam virtutum sustineamus inopiam, velut mortui virtutibus ignoramus.

CAPUT XVI.

Quod Deum perfectius illi possideant qui terrenis possessionibus ex corde renuntiant.

1. Hæc sunt [l] propter quæ, non explendis voluptatibus ac fovendis, sed congregandis fratribus aut alendis expedit facultates ecclesiæ possidere: ut uno sollicitudines omnium in sua societate viventium sustinente, omnes qui sub eo sunt fructuosa vacatione potiantur spiritualiter et quiete. Ideo interposui istud adverbium, quoniam qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vivit. Et ideo is quem nulla corporeæ necessitatis cura sollicitat, nulla occupatio domesticæ sollicitudinis inquietat, nullus litigator infestat, nullus calumniosus exagitat; quid aliud curare debet, harum molestiarum et his similium liber, nisi unde ad meliora proficiat, unde vitia sua profectibus quotidianis immi-
A nuat, virtutes augeat, et pro carnalibus, quæ contempsit, spiritualia bona possideat? in his se divinitus adjutus exerceat, ea semper amplectatur ac diligat; et non solum omnibus aliis delectationibus suis, sed etiam ipsis suæ carnis cruciatibus anteponat? ut qui nihil sibi reliquit quod formidaret amittere, ea pro quibus omnia quæ habebat abjecit, tanta fidei firmitate retineat, ut si necesse fuerit, pro eis libenter suum corpus impendat.

2. Proinde quem possidendi [m] delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia quæ creavit, expedita mente possideat, et in eo habebit quæcunque habere sancte desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo, sit ipse primitus Dei possessio, et [n] efficietur ei Deus possessor et portio. Et B quid potest eo esse felicius cui efficitur suus Conditor census, et hæreditas [o] ejus dignatur esse ipsa Divinitas, si modo eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo, et de illo jugiter vivat, et nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium Conditor, cui nihil eorum quæ fecit valet æquari, [p] non dignatur cum his quæ condidit possideri. [q] Denique quid ultra quærit, cui omnia suus Conditor fit? aut [r] quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Hunc possidebat, et ab illo possidebatur ille qui dicebat in Spiritu: *Portio mea* [s] *Dominus, dixi custodire legem tuam* (*Ps.* CXVIII, 57). Et: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* XV, 5). Sed et ipse cum dicit: [t] *Filiis Levi non dabitis partem inter fratres suos; ego Dominus portio eorum* (*Num.* C XVIII, 23; *Deut.* XVIII, 1); satis ostendit quod hi qui terrenæ hæreditatis contempserint portionem, Deum spiritualiter mereantur possidere: cujus ditati muneribus, omnia quæ præclara habentur in hoc mundo fastidiunt; et ipsum possidere vel ab ipso possideri, eo solo perfrui, atque illi adhærere inseparabiliter concupiscunt.

3. Unde datur intelligi quod qui temporalia bona, qui sæculi gaudia peritura sectatur ac diligit, quæ et quanta sit [u] divinæ dulcedinis multitudo non didicit. Quis enim cui Deus dignatur esse possessio, aliquid aliud quærit? aut quis non [v] pro amore illius omnia quæ putantur magna contemnit? Ergo qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. Nec renuntiat mundo is quem ter-

[a] Ms. unus, *vitium*.

[b] Mss. quatuor, *o exsecrandum*. Mss. item quatuor, *dominæ cupiditatis*.

[c] Mss. omnes non habent *vincere victores*; sed legunt *quos potest faciat suos*.

[d] Ms. unus, *tenet nos pœnaliter lucrorum dulcium*.

[e] Edit. Lugd., *quoscunque*.

[f] Alias, *jam*.

[g] Ms. Reg. unus, *resipiscendi sint susceptos?* Ms. Camb. et alii, *jam resipiscendos susceptos*.

[h] Alias, *vacante*.

[i] Mss. quatuor, *tradet*.

[j] Mss. tres, *id est vivis simul et mortuis*. Ms. unus, *idem*, forte *iidem*. Mss. duo, *sed iidem*, cum Lugd.

[k] Mss. tres, *prolectet*; ms. unus, *jactet*. Alias *perlectet*.

[l] Ms. Reg. unus addit hic *præcepta*.... Et ab alia D manu, *possideri*.

[m] Ms. unus, *non delectat*.

[n] Mss. septem, *efficitur*.

[o] Abest *ejus* a mss. sex. Unus vero, *ipsa esse digna, nec esse Divinitas*.

[p] Ita edit. Lugd. cum mss. Colb. tribus et Regio uno. Regius alter, *dedignatur*, sine particula negante. Aliæ editiones, *non dedignatur*; sed minus recte, ut videtur.

[q] Alias, *Deinde*.

[r] Mss. Colb. duo, *quis ei sufficit*. Alius, *quid sufficit cui*, etc. Alter vero, *aut quid ei deficit*, sed male.

[s] Mss. duo Colb., *Domine*.

[t] Ms. Colb. unus, *de filiis Levi: Non dabitis*.

[u] Sic mss. omnes. Editi vero, *multitudo supernæ dulcedinis*.

[v] Mss. Reg. duo, *præ amore*.

renæ possessionis adhuc delectat ambitio : quia quandiu sua non [a] relinquit, mundo, cujus bona retinet, servit; et utique non potest mundo servire simul et Deo; ac sic propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare propter quæ diligitur mundus; ut exclusa cupiditate mundi, divina in eis caritas possit augeri vel perfici. Et ideo decimas atque primitias frugum, primogenita et sacrificia pro peccato, [b] vel vota quæ sibi Deus jussit offerri, sacerdotibus ac ministris distribui debere constituit; ut devotissimo populo vitæ necessaria ministrante, ipsi creatori ac pastori suo liberis mentibus ministrarent, atque in [c] ejus cultu sine ulla sollicitudine corporali proficerent : ne terrenis occupationibus implicati, officio suo dignas excubias strenue curare non possent.

4. Nunc autem, quod Christiani temporis sacerdotes magis sustinent quam curant possessiones ecclesiæ, etiam in hoc Deo [d] serviunt : quia si Dei sunt ea quæ conferuntur ecclesiæ, Dei opus agit qui res Deo consecratas non alicujus cupiditatis, sed fidelissimæ dispensationis intentione non deserit. Quapropter possessiones, quas oblatas a populo suscipiunt sacerdotes, [e] non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei. Quoniam si vestes, ac vasa, et cætera quæ in [f] sacris usui ministrantibus erant, sancta vocabantur, nec in usus humanos revocari jam poterant, divinis semel ministeriis consecrata, quomodo non ea quæ conferuntur ecclesiæ, sacra credenda sunt, quibus, non ut sæculi rebus, luxuriose, sed sancte, ut Deo consecratis, utuntur ad necessaria sacerdotes : ut illis omnibus qui se perfectionis amore sub uno constituunt, et sua sibi non vindicant, ecclesiæ [g] facultates ad hoc ipsum collectæ sufficiant; et quidquid omnibus occupationibus absoluti proficiunt, fructus illius, qui unus pro multis occupatus est, fiat; atque ita ille, qui sollicitudines omnium sub se [h] viventium portat, in congregatione sua proficiente proficiat : ut sicut illius occupatio omnium suorum facta est fructuosa vacatio, ita omnium discipulorum perfectio gloriosa magistri honor habeatur et gloria.

CAPUT XVII.

Quod nihil proficiant qui, abstinentes a cibis, vitiis serviunt; nec prosit illis facultates abjicere, qui suas faciunt voluntates.

1. Item quæsistis, quæ sit abstinentiæ credenda A perfectio; et utrum tantum corpori, an et animæ debeat necessaria judicari. Si hominem totum virtus hæc quæ abstinentia nominatur, perfecta sanctificat, non solum corpori, sed et animæ necessaria est; quia omnis homo ex corpore constat et anima. Sed in eis qui, diversis vitiis subjacentes, aliquid sibi eorum quæ usui nostro [i] concessa sunt, interdicunt, abstinentia quidem [j], sed carnalis et imperfecta esse debet intelligi : ea autem spiritualis atque perfecta censenda est, quæ abstinentem tam ab illecebris carnalium voluptatum, quam a peccatis omnibus facit alienum; cujus nec animum desideriorum morbi corrumpunt, nec imperio gulæ dominantis quæsitæ deliciæ vires corporis frangunt. Proinde ille abstinens vere credendus est qui vitiorum omnium liber [k] ef- B fectus est, ac, recisis [l] corporalibus voluptatibus, elaborat, non ut concupiscentiam suæ carnis [m] exsatiet, sed ut mortalem vitam necessariorum perceptione sustentet. Quoniam quidem quidquid sine quo potest vivi percipitur, non sustentandæ vitæ, sed [n] fovendæ luxuriæ carnis impenditur.

2. Hæc [o] itaque virtus, quæ abstinentia non solum delicatorum ciborum, sed etiam malorum omnium nuncupatur, cum omnibus omnino necessaria sit, tum maxime illis familiarior atque conjunctior esse credenda est, quibus juxta illud quod in Actibus apostolorum (IV, 32) legitur factum, unum cor est, et anima una, divinæ caritatis igne conflata, et quibus sub unius ordinatione viventibus omnia omnium communia fiunt : si tamen ita eis [p] una fit vita, sic- C ut fit una substantia; et nulla sit in eis diversitas animorum, quibus est communio facultatum : quia ut fieret et esset animorum sancta conjunctio, necessaria est [q] facultatum judicata communio. Cæterum quid eis prodest quod facultates suas abjiciunt, [r] qui voluntates proprias non relinquunt, cum sit longe præstantius voluntatibus propriis abrenuntiare quam rebus? Res suas etiam mundi [s] hujus philosophi abjicere potuerunt, et nunc quilibet hæretici possunt; sed nec illi, cum suæ [t] voluntatis fierent amatores, secundum voluntatem Dei vixerunt; et isti dominicæ voluntati suæ voluntatis studio contradicunt. Non ergo ea res nos Deo commendat quam et inimici Dei faciunt; sed [u] illud quod non nisi vere Christiani, et per hoc amatores Dei perficiunt. Hi sunt qui, [v] volun- D tatibus suis rebusque projectis, suo se Creatori ex toto corde subjiciunt, ac suum velle ex ejus voluntate sus-

[a] Ms. Camb., *reliquit.*
[b] Ms. Reg. unus, *vel voto.*
[c] Ms. Colb. unus, *in eo cultu.*
[d] Mss. quinque, *deserviunt.*
[e] Mss. omnes, *non sunt jam res mundi credendæ, sed Dei.*
[f] Mss. tres, *in sacro usu ministrantibus.* Ms. unus, *ministrationibus.*
[g] Mss. quinque, *facultas ecclesiæ ad hoc ipsum collecta sufficiat.*
[h] Sic mss. omnes. At editi, *servientium.*
[i] Ita omnes mss. At vero editi, *necessaria sunt.*
[j] Ms. Camb., *quidem est, sed,* etc.
[k] Mss. tres, *effectus, recisis.*
[l] Editi, *corporalibus.*
[m] Ms. unus, *exacuit.*
[n] Ms. Camb., *movendæ.*
[o] Mss. quinque, *namque.*
[p] Mss. quatuor, *una sit vita.* Ms. unus, *sicut et una substantia.*
[q] Ms. Colb. unus, *unitas communium facultatum.*
[r] Mss. duo Reg., *Si voluntates.*
[s] Editi, *quivis.*
[t] Ita mss. Reg. duo, Colb. unus et alii mss. Editi vero, *suæ voluptatis fuerint.*
[u] Ms. Reg. unus, *sed illa quam.*
[v] Mss. duo Colb., *voluptatibus.*

pendunt; et ideo quidquid eis sensus carnis sequendum faciendumque [a] suggesserit, justitiæ capti delectatione contemnunt.

CAPUT XVIII.

Quanta bona primus homo abstinentiæ bonum negligendo perdiderit.

1. Quod si primus homo voluisset [b] se in illa paradisi beatitudine custodire, ut a fructu unius interdictæ arboris jejunasset; nec statum illum tantæ felicitatis amitteret, nec eum voluntaria salutaris præcepti transgressio necessitati corruptionis ac mortalitatis addiceret: ut tanta beneficia Dei sui, quæ in natura suæ conditionis acceperat, aut corrumperet peccato corruptus, aut perderet. Quis enim sufficienter enumeret quæ et quanta bona [c] illi abstinentiæ contemptus ademerit? [d] quod intellectualis mentis B dignitate donatus, imaginem sui Creatoris accepit: quod soli Deo suo subjectus, omnia visibilia sibi subjecta conspexit; quod ei ad vivendi usus affatim lignorum omnium quæ erant in paradiso (*Gen.* II, 9), feracitas divina jussione servivit; quod arbor vitæ mysticum cibum non unde viveret, sed unde vitam corporis non finiret, sui Creatoris munere ministravit; qui cibus quandiu perciperetur, ita percipientem se in uno statu, sacramenti cujusdam latentis figurata significatione, servaret; ut eum nec ulla infirmitate corrumpi, nec ætate mutari et senescere, nec dissolvi morte permitteret. Non inquietabat molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat invitum, non amittendæ vitæ timor angebat [e] de immortalitate securum. C Habebat facilem victum corpus ex [f] omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei.

2. Postremo quid eo felicius fuit, cui erat orbis subjectus, nullus infestus, liber animus, et visibilis Deus? [g] Quandoquidem nisi ante peccatum Deum videre in assumptione visibilis creaturæ soleret, quomodo se jam peccator effectus, a facie [h] Domini, quem nunquam viderat, absconderet? Potuit ergo ita videre Deum, priusquam peccaret Adam, sicut eum [i] patriarchæ viderunt; sed quando ait: *Vocem tuam audivi, et timui* (*Gen.* III, 10); ex illa jam [j] videndi Deum sanctitate ceciderat, jam se indignum videndi Deum reddiderat. *Vocem tuam*, inquit, *audivi*, D *et timui; eo quod nudus essem, et abscondi me* (*Ibid.*).

A O quantum securitatis habent qui sibi bene sunt conscii! et quantum perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati, sicut isti qui se absconderunt a facie Domini, de sua turpitudine, [k] non de nuditate confusi! qui non ideo erubescebant, quia veste erant extrinsecus nudi, sed quia [l] intrinsecus protectione divina nudati. Denique et ante peccatum nudi erant, et non erubescebant, quia nihil contra voluntatem Dei unde confunderentur admiserant.

CAPUT XIX.

De peccato primi hominis, et de malis quæ illum peccantem, Deo judicante, secuta sunt.

1. Sed jam videamus, si placet, qualiter illi homines primi commiserint tam grande peccatum, quod et ipsos de paradiso projecit in hoc vitæ pœnalis exsilium, et in eis originaliter totum damnavit genus humanum. Et mihi quidem videtur quod non ederent de ligno prohibito, nisi concupiscerent; nec concupiscerent, nisi tentati; nec tentarentur, nisi deserti; nec desererentur a Deo, nisi ipsi prius desererent Deum; nec desererent Deum, nisi superbirent, et similitudinem Dei [m] damnabiliter appetissent: ad quam perventuri essent, sine corporis morte, si [n] sub Deo suo viventes, præceptum quod acceperant custodissent; ut qui posse non mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria; et ibi accepturi essent præmium non posse peccare, si hic eorum meritum fuisset peccare noluisse. Non igitur a Creatore suo in creaturam divinitatis [o] affectatione collapsos moveret aperta concupiscentia, nisi eos ante corrupisset occulta superbia; nec eis per serpentem diabolus propinaret tam ferale consilium, nisi prius eorum deprehenderet appetitum. *Si*, inquit, *gustaveritis de ligno scientiæ boni et mali, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III, 5). Hæc sunt illa tria quæ in mundo esse, et diligi non debere a dilectoribus Dei, contestatur sanctus Joannes apostolus dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi, quæ non est* [p] *ex Patre, sed ex mundo est* (*II Joan.* II, 15, 16). Quæ nisi illi qui a dilectione Dei jam defecerant diligere [q] cœpissent, nunquam [r] male suasi serpentis consilio credidissent.

2. Itaque concupiscentia carnis ab eis impleta est, quod de ligno vetito gustaverunt; concupiscentia

---

[a] Editi, *suggerit.*

[b] Mss. quatuor non habent *se.* Ms. Colb. unus, *voluisset illam paradisi beatitudinem custodire, ut,* etc.

[c] Ms. Reg. unus, *illius abstinentiæ.*

[d] Ms. Reg. unus, *qui.*

[e] Ms. unus Reg., *timor angebat. De immortalitate ecurus habebat,* etc.

[f] Mss. omnes, *ex omnibus partibus.*

[g] Ita mss. duo Reg. et Camb. Editi, *Quoniam quidem.*

[h] Mss. duo Reg., *a facie Dei, quam nunquam vidisset.*

[i] Mss. tres Colb., *patriarchæ sancti.*

[j] Hæc verba *videndi Deum* absunt a ms. Colb. uno: et sat recte.

[k] Ms. Reg. unus, *non de timiditate.*

[l] Mss. quatuor Colb. cum Lugd., *intrinsecus.* Alii cum Lov., Duac. et Colon., *extrinsecus.*

[m] Ita mss. Colb. quatuor cum aliis. Editi, *miserabiliter.*

[n] Mss. duo Reg., *si sub Deo viventes.*

[o] Mss. quinque, *affectione.*

[p] Colb. unus, *de Patre, sed de mundo est.* Alter, *ex Patre, sed de mundo.*

[q] Mss. tres, *concupiscent.* Alii, *concupiscerent.*

[r] Ms. Colb. unus, *male suadentis.* Camb., *malesuadi.*

oculorum, [a] quod sibi aperiri oculos cupierunt; et ambitio sæculi, quod se fieri posse quod Deus est crediderunt. Proinde delectatione carnis, et oculorum curiositate, ac sæculi ambitione corrupti, a ligno vitæ, ex quo eis arcendæ mortis, ac salutis continuandæ [b] gratia præstabatur, abscisi sunt; et morbidam qualitatem eorum corpora contraxerunt, ut juxta sententiam Dei, eo die credantur mortui quo in eis pœnaliter facta est necessitas moriendi, et per lignum illud quod [c] scientiæ boni et mali (*Gen.* II, 17) ex causa nomen accepit, a quo se abstinere cum possent, miseri neglexerunt, quid interesset inter bonum quod amiserant, et malum quod incurrerant, ipsa pœna sua [d] discernerent: qui si amisso tanto bono, nullum malum incurrerent, quale perdidissent bonum forte nescirent. Dulcior enim fit salus, cum dolor excruciat; et sanitatis amissæ dulcedinem languoris amaritudo commendat: ac sic, ad hoc illi malum non discendo, sed experiendo, sentire cœperunt quod melius ignorarent; ut ex ipsa miseria sua sentirent quantam beatitudinem perdidissent, atque ita quos non moverat fortassis boni naturalis amissio, moveret saltem mali pœnalis justa perpessio. Hæc per excessum necessarium [e] dicta sunt nobis de primis hominibus; ut qui nolunt damnationis eorum subire supplicium, caveant prolapsionis exemplum.

CAPUT XX.

Quod omnia bona quæ in Adam corrupti perdidimus, in Christo reparati [f] recipimus.

Quamvis enim ex Adam simus carnaliter nati, non ipsum tamen debemus imitari, sed Christum, in quo renati sumus et vivimus, quando veterem conversationem salubriter innovati deponimus. Quid est imitari Adam, nisi pro carnalibus [g] desideriis ac concupiscentiis morte mulctari? Et quid est imitari Christum, nisi carnalibus concupiscentiis ac desideriis crucifigi? Sicut aliud non est veterem conversationem deponere, quam non secundum carnem, quæ veterascit et moritur, sed secundum Deum vivere, qui solus potest perseverantes in se innovare perenniter et [h] beare. Quapropter, sicut quando in Adam fuimus omnes, ipso cadente [i] cecidimus; ita [j] quia in Christo jam esse cœpimus, qui pro nobis omnibus dignatus est mori; et nos peccatis nostris illi commortui, cum illo spiritualiter resurgamus. In illo omnia bona quæ potuimus habere, perdidimus, in hoc etiam majora, et sine fine habenda recepturi sumus, si perseveranter ejus vestigia teneamus. Adam nos [k] obnoxiavit malis omnibus per propriam culpam, a quibus nos liberavit adventus Christi per gratiam. Ille in nos culpam suam transmisit et pœnam; hic, [l] qui culpam nostram suscipere ut pote conceptus et natus sine peccato non potuit, de susceptione pœnæ nostræ culpam nostram simul [m] abolevit et pœnam: et ut totum dicam, Adam nobis eripuit paradisum, Christus [n] donavit cœlum.

CAPUT XXI.

Qualiter vivere debeant qui Christum imitari desiderant.

1. Et ideo si in [o] illo esse volumus quod esse debemus, sicut sanctus Joannes apostolus dicit (I, II, 6), quomodo ille ambulavit, et nos spiritualiter ambulemus. Quid est ambulare sicut ille ambulavit, nisi contemnere omnia prospera quæ contempsit, non timere adversa quæ pertulit, libenter facere quæ fecit, fieri docere quæ [p] mandavit, sperare quæ promisit, et sequi quo ipse præcessit? [q] Quid est enim sequi, nisi præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum merita sua malevolis, et orare pro inimicis, amare bonos, misereri perversis, invitare [r] aversos, suscipere in caritate [s] conversos, et æquanimiter pati subdolos ac superbos? Ad hoc etiam pertinet quod ait sanctus Paulus apostolus: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Colos* III, 1). Illi resurgunt cum Christo qui moriuntur sicut ille peccato; ea tamen distinctione servata, quod ille mortuus est peccato, non suo, sed nostro; unusquisque autem nostrum, [t] non omnium moritur peccato, sed suo.

2. Quid [u] est peccato mori, nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire? Ut [v] sicut qui mortuus est carne, nulli jam detrahit, [x] nullum adversatur aut despicit, nullius pudicitiam callida circumventione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur aut opprimit; non invidet bonis, aut insultat afflictis, non luxuriæ carnis inservit, non vinolentiæ deditus, in se bibendi sitim bibendo magis ac magis accendit; non

[a] Ms. Colb. unus, *dum sibi*. Camb., *aperire oculos*.
[b] Ms. Colb. unus, *grande promissum pendebat*.
[c] Mss. tres, *scientia*. Post pauca ms. unus omittit *miseri*.
[d] Lugd., *decernerent*.
[e] Ms. Camb., *necessaria dicta sunt*. Reg. unus, *dicta sunt necessaria*. Ms. unus, *a nobis*.
[f] Editi, *recipiemus*. Mss. Reg. duo et Camb., *recipimus*.
[g] Mss. Colb. tres et Camb., *concupiscentiis ac desideriis*.
[h] Mss. tres, *habere*. Ms. alter, *beatificare*.
[i] Editi, *occidimus*. Mss. omnes, *cecidimus*.
[j] Mss. quatuor Colb., *qui in*.
[k] Ita mss. tres Colb. Editi, *sub noxa habuit*. Alias legebatur, *subnoxiavit*, vel *subvocavit*, vel etiam *obnoxiavit*.
[l] Mss. tres, *quia culpam*.
[m] Sola editio Lugd, *abolere potuit*.
[n] Mss. duo Colb., *donavit et cœlum*.
[o] Editi, *in illo*. Mss. omnes, *in Deo*.
[p] Editi, *quæ docuit*. — Ms. Camb., *docere quæ mandavit fieri*; sic et ms. Colb. unus. Colb. duo, *facere quæ fecit, fierique mandavit*. Colb. alius, *docere quæ fieri mandavit*.
[q] Hæc verba, *Quid est enim sequi, nisi*, non leguntur in mss. Colb. quatuor, et ms. Camb., nec in editione Lugd.
[r] Edit. Lugd., *adversos*.
[s] Ms. Reg. unus, *perversos*.
[t] Ms. Reg. unus, *non hominum*.
[u] Ms. unus, *Quid est peccato mori? Damnandis*, etc.
[v] Ms. Camb., *ut quoniam*. Mss. sex, *ut sicut mortuus carne, nulli jam*, etc.
[x] Ms. Reg. unus, *nullum aversatur*. Ms. unus Colb., *nulli adversatur*.

odiorum facibus inardescit, non compendia injusta sectatur, non potentibus [a] aut divitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur; non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum injuriis fatigatur; non eum superbia inflat, non ambitio ventosa præcipitat, non vana gloria turpiter jactat, non desiderium [b] gloriosæ opinionis inflammat, non [c] distentio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpium turpitudinis amor invitat; non rabies insani furoris exagitat, [d] non sumptuosarum deliciarum studium mactat, non ardor animosæ contentionis exanimat; non facit impudentem audacia, iniquum injustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, deliciosum gula, rebellem inobedientia, vanum jactantia, infidelem perfidia, levem facilitas, [e] sævum crudelitas, [f] manducatorem turpis edacitas, impatientem mobilitas, [g] mobilem instabilitas, vagum spiritualis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum perversitas, verbosum vanitas, [h] injuriosum malignitas; qui remotus est prorsus a sæcularibus illecebris, remotus ab [i] immunditiis et inimicitiis, remotus ab insidiis alienis, remotus a rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus a mendaciis sive perjuriis, postremo remotus ab omni genere flagitiorum [j] atque facinorum, quibus carnaliter viventes Deum offendunt, et mortui [k] peccato non serviunt. Sicut, inquam, carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati; ita et his et talibus vitiis omnino non vivunt, qui [l] viventes Deo carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt.

CAPUT XXII.

Quali temperantia uti debeant qui a voluptate delectabilium, vel ab immoderata perceptione ciborum communium, atque a vini immoderato usu cupiunt abstinere.

1. Membra sua, quæ sunt super terram, mortificant, quando insolens corpus jejuniorum continuatione castigant, quando [m] intra necessarium modum suum temperant appetitum; quando non solum se a delicatioribus cibis moderata districtione suspendunt, sed etiam in ipsis communibus nihil carni suæ pro desiderio, sed pro sustentandæ vitæ necessitate permittunt; certi quod nec deliciæ quælibet, si absque desiderio percipiantur, officiunt, et viles cibi plerumque abstinentiæ profectum, si appetenter accipian-

A tur, impediunt. Hinc est quod sanctus David aquæ in se concupiscentiam castigavit, atque eam sibi a suis oblatam, ne desiderio suo ex ea satisfacere videretur, effudit (*II Reg.* XXIII, 16; *I Paral.* XI, 16 *et seq.*); et sancto Heliæ perceptio carnium [n] non concupita non nocuit (*III Reg.* XVII, 6). Unde datur intelligi quod veraciter abstinentes escarum non naturas, sed concupiscentias damnent, ac [o] voluptates suas desiderati cibi vel potus [p] abusione mortificent. Qui autem non solum a qualitate, sed etiam a quantitate ciborum cupiunt abstinere, nihil aliud student nisi ut, quantum stomacho reficiendo ac fami eximendæ satis esse videtur, indulgeant; nec expleant suos appetitus aviditate percipiendi, sed comprimant, atque eis non saturitas edendi finem faciat, sed voluntas: qui tam a

B cupiditate pretiosorum ciborum [q], quam a nimia perceptione vilium [r] continebunt; qui cibis nec lautioribus volunt [s] carne luxuriante dissolvi, nec distentione ventris [t] vilibus onerari: quando abstinentes viri nec deliciosi soleant esse, nec avidi.

2. Jam de vino abstinendo vel percipiendo quid dicam, unde sanctus Apostolus certam fixit regulam, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18)? Quasi diceret: Luxuriam facit et nutrit vini perceptio nimia, non natura; et propterea non uti vos vino, sed inebriari prohibeo: quandoquidem infirmum stomachum moderatus usus vini [u] confortat, ebrietas animum corpusque debilitat. Denique Timotheo suo discipulo, qui se longa abstinentiæ districtione jam fregerat, et stomachum suum

C aquæ perceptione corruperat, modico vino [v] uti debere præcipit, dicens: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (*I Tim.* V, 23). Ac per hoc, nihil contra abstinentiam faciunt qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt, nec hoc eis [x] offert voluntas, sed permittit infirmitas: quæ si defuerit, a vino est abstinendum, ne vini perceptio quæ infirmum sustentat, sanum corpus incendat. Quandoquidem vino uti, et usui habere oleum, nullus dixerit esse peccatum; sed hæc ideo non debemus carni desideranti præstare, ne cum illi licita concedere cœperimus, poscat illicita, et sibi obsequentes in minimis, in flagitia punienda compellat, ac naturali ordine perturbato, non spiritui corpus,

D sed spiritus corpori dominanti deserviat. Huc accedit quod et ipsam mentem abstinentiæ fructus alacrem

[a] Ms. unus, *ac divitibus.*
[b] Ms. unus, *gloriosum.*
[c] Mss. quinque, *distinctio.*
[d] Ms. Colb. unus, *non sumptuosarum litium.* Alter, *sumptuosorum lasciviendum.*
[e] Ms. Colb. unus, *severum.*
[f] Mss. omnes, *manduconem turpem.* Unus ex his, *manduconem turpis edacitas.*
[g] Ms. Colb. unus, *immobilem stabilitas.*
[h] Mss. tres, *irrisorem.*
[i] Hæc verba, *ab immunditiis et*, absunt a mss. septem et editione Lugd.
[j] Mss. duo, *sive facinorum*; ms. alter, *vel facinorum.*
[k] Ms. unus, *peccando inserviunt.*
[l] Mss. omnes, *qui ut vivant Deo.*
[m] Ms. unus, *quando intra necessaria.*
[n] Ms. unus, *non ab eo concupita.*
[o] Mss. quinque, *voluntates suas.*
[p] Ms. unus, *absolutione.*
[q] Editi addunt hic *animos*, quæ vox abest a mss. omnibus.
[r] Mss. duo Colb., *continent.*
[s] Ms. Colb. unus, *carnem luxuriantem.*
[t] Hæc vox *vilibus* abest ab editis; legitur in mss. omnibus.
[u] Ms. unus ex Colb., *sanat.*
[v] Ms. unus, *uti deberi.*
[x] Ms. unus, *profert.*

facit; carnem quoque non usque ad lassitudinem A fatigatam, sed spiritui [a] ordinanti subjectam mobilem reddit. Sensus etiam quos dicuntur crassos efficere vel gravare congestæ deliciæ, consuetudo parcitatis exonerat, et velut [b] quadam politura religiosæ exercitationis attenuat.

CAPUT XXIII.

Quod utentes carnibus carnium concupiscentia polluat, non natura.

1. Cæterum si a quadrupedibus abstinentes, [c] phasianis altilibus, vel aliis avibus pretiosis, aut piscibus perfruantur; non mihi videntur resecare [d] delectationes sui corporis, sed mutare; nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua [e] immunditia, vel certe, quod est verius, [f] pro stomachi nauseantis teneritudine delicias illas communes ac viles abji- B cere, quo possint aliis non solum carnibus, sed etiam delicatioribus ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere: cum, sicut jam supra patuit, non aliquarum carnium, quæ usui humano concessæ sunt, nobis naturæ damnandæ sint, quas Deus instituit; sed carnales concupiscentiæ fugiendæ, quas sensui carnis diabolus introduxit. Hi autem qui [g] parciores videri volunt, et gloriam sibi velut de abstinentia districtiore conquirunt, sic ab omnibus animalibus judicant temperandum, ut peregrinis pomis, ac sorbitiunculis delicatis, cæterisque aliis [h] cibis, immanem sui corporis impleant appetitum: cum spiritualis abstinentia non aliquorum ciborum usum, sed desiderium suadeat compescendum, et illi magis parcimoniæ servire [i] censendi sint, qui sibi non C aliquarum rerum perceptiones, sed delectationes corporis interdicunt.

2. Illi quoque qui, [j] negata sibi vini perceptione, diversorum poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abstinentiam videntur implere: quia ad hoc fortassis a vino se suspendunt ut mereantur [k] ab hominibus laudem, et [l] interdicti sibi vini perceptionem compensant suavioribus poculis voluptatum. In vini enim usu non a vino tantum, sed ab omnibus quæ accipientes inebriant, vel ab aliis quæ etsi non ebrietatem, suavitatem certe percepta conciliant, abstinebit, ut sit veritate abstinentiæ [m] perfecte consummatus; non ejus imagine foris splendidus, intus cavus, hominibus velut purus, et Deo simulatæ virtutis sordibus plenus. Nec minus a cupiditate possidendi superflua, quam a voluptate percipiendi nobis est abstinendum. Quoniam cum omnia quæ habemus, pro nostris usibus habeamus, [n] ea quibus uti nolis, ardenter habere velle, vel etiam lucris hinc inde quæsitis augere, nihil est aliud quam non tolerandæ necessitati, sed intolerandæ cupiditati servire. Nec possum dicere: Ut sit unde quotidie pauperibus erogetur, mea possideo; quando nemo perfectius erogaverit eo, qui nihil sibi perfectionis intentione [o] relinquit ex proprio.

CAPUT XXIV.

B [p] *Quam utile sit, jejunio vel abstinentiæ, advenientium caritatem plerumque præferre.*

1. Verumtamen sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos jejunandi vel abstinendi necessitati subdamus: ne jam non devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet advenientes, jejunio intermisso, reficio, non [q] solvo jejunium, sed impleo caritatis officium. Cæterum si propter abstinentiam spirituales fratres, quos novi mea remissione delectari, contristo; abstinentia mea non est virtus dicenda, sed vitium: quoniam quidem ipsa abstinentiæ ac jejuniorum continuatio, nisi fuerit quando res exigit prætermissa, et me inflat, et fratrem meum, cui caritas jubet servire, contristat; vel certe mihi nihil inesse caritatis fraternæ demon- C strat; cum sine abstinentia quemlibet hominem catholicum caritas sola perficiat; et [r] omnes abstinentia aut perdat sine adjunctione caritatis, aut pereat.

2. Quia ergo abstinere aut jejunare etiam Manichæi vel quilibet alii hæretici possunt, ut pote qui omnes carnes non pro abstinentia, sed pro immunditia detestantes, corpora sua panis et aquæ perceptione [s] conficiunt: non pro magno ducamus quando ab his quæ illi quoque rejiciunt, abstinemus; sed [t] quando abstinentiam nostram fides commendat, caritasque consummat, quas virtutes illi

[a] Mss. omnes, *ordinate.*

[b] Mss. tres, *quædam politura.*

[c] Ms. Colb. unus, *phasianis, vel aliis avibus pretiosis aut piscibus.* Ms. alter, *phasianis altilibus, capsis, pavonibus et aliis,* etc.

[d] Mss. quatuor, *delectationem, sed mutare.* Unus ex his, *sed invitare.*

[e] Ms. unus, *munditia.*

[f] Mss. duo, *propter stomachi nauseantis teneritudinem.* Mss. tres, *pro stomachi nauseantis teneritudine delicata, illas communes ac viles carnes abjicere.* Mss. quatuor, *delicatas illas ac viles carnes abjicere*, cum editione Lugd.

[g] Ms. unus, *pauciores.*

[h] Mss. duo, *cæterisque inanimatis, sui corporis.* Ms. unus, *cæterisque aliis minutiis.* Mss. Reg. duo, *cæterisque aliis animi sui et corporis,* etc. Ita et editio Lugd.

[i] Mss. duo, *censendi sint.* Alii cum editis, *censendi sunt*: sed concinnior videtur priorum lectio.

D [j] Mss. Reg. duo, *qui negant sibi vini perceptionem*, etc.

[k] Hæc verba, *ab hominibus*, supplentur ex mss. sex; et totidem mss. habent, *qui et ad hoc*, etc.

[l] Mss. Colb. duo, *et interdicto sibi vino comp. poculis suavioribus voluptatem.* Alius, *et interdicti sibi vini compensant poculis suavioribus voluptatem.* Alter, *et interdicti sibi vini perceptionem compensant poculi suavioris voluptate.*

[m] Mss. quatuor carent voce *perfecte.* Ms. unus, *vera abstinentia perfecte consummatus.*

[n] Edit. Lugd., *ea quibus uti nobis conceditur.* Mss. Colb. duo, *ea quibus utimur.* Ms. alter, *ea quibus uti nobis non licet.* Ms. Camb., *uti nobis libet.*

[o] Mss. quinque, *reliquit.*

[p] Ms. unus, *Quod utile sit.*

[q] Ms. unus, *non solum jejunium, sed*, etc.

[r] Mss. duo, *omnis abstinentia.*

[s] Ita mss. tres. Editi vero, *afficiunt.*

[t] Mss. sex, *quod.*

sine quo non pervenitur ad regnum; in quo [a] solo executores divini consilii, participes, Deo auctore, futuri sunt cœlestium præmiorum. Deinde quod dicit Apostolus : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam* [b] *acquisivit sanguine suo* (*Act.* xx, 28) : quis non videat quod tunc sibi sacerdotes attendunt, quando sancte vivendo, ac voluntatem [c] Domini fiducialiter prædicando, Ecclesiæ Dei prospiciunt, ut eis jam grave non sit infirmos Ecclesiæ sustinere, pro quibus redimendis se dignatus est morti vitæ auctor offerre? Sed et ipsi qui docentur, ut sapiant; qui increpantur, ut saltem objurgati proficiant; qui sustinentur, ut de suis aliquando criminibus erubescant, et gaudium suis doctoribus, quorum patientia blande tractantur, [d] de utilitate suæ correctionis exhibeant; et ipsi, inquam, libenter audiant, quid eis apostolico ore [e] divinus sermo præcipiat : *Obedite*, inquit, *præpositis vestris et subjecti estote eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim* [f] *expedit vobis* (*Hebr.* I, 3, 17).

4. Ergo doctoribus suis debent obedire qui audiunt, atque eis cum reverentia esse subjecti. Quod faciunt illi, qui castigati libenter accipiunt, nec increpantibus contradicunt. Quod vero ait : *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris* (*Ibid.*); sacerdotalem curam pro populo sibi commisso satis ostendit, qui tam in suis actibus quam in prædicationibus vigilantes, sollicite hostis antiqui rimantur insidias, ne quem, velut dormiente pastore, lupus [g] diabolus astuta fraude subripiat, et in damnum pastoris abreptum, secum usque ad supplicia sempiterna perducat. Verum quia ex his qui arguuntur, aliqui se obedientes emendant, aliqui in sua perversitate perdurant, ideo de sacerdotibus ait : *Ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes* (*Ibid.*). Cum gaudio sacerdotes [h] arguunt, quando correpti proficiunt; et tristes hoc faciunt, quando se nihil proficere in suis contemptoribus ingemiscunt; ac sic hoc dicit illis expedire, ut cum gaudio, non gementes, eos increpent sacerdotes, qui doctores suos sua correctione lætificant, et eorum gaudia incremento sui profectus accumulant.

CAPUT IV.

OBJECTIO : *Quare sacerdotes sancti, quorum cura est perdite viventes arguere, simulatores religionis æquanimiter ferant.*

1. Necdum sermonem de sacerdotibus sanctis, A unde plura dicere conabar, impleveram, cum ecce ad me quidam de nostris ingressus, quid dictarem [i] curiosus interrogat. Cui cum recitari fecissem : Omnes, inquit, episcopos tales esse debere quales tuus sermo descripsit, et nunc esse plures apud nos plenos sacerdotalibus bonis, qualia veraciter prædicasti, dubium non est; sed cum ad eorum probetur officium pertinere, ut inquietos sacerdotali auctoritate corripiant, rudes doceant, contradicentes sanæ doctrinæ redarguant, [j] quid est quod non in omnes hæc eorum cura porrigitur; cur non et alios simili auctoritate castigant? Illos dico, qui velut conversi, ex pristinis moribus nihil abjiciunt, non mente mutati, sed veste; nec actu, sed habitu.

2. Hi sunt qui sermone tantum, non opere, sæculo B renuntiasse contenti sæculariter vivunt, et vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt, ac religionis imaginariæ nomine palliati, opinionem virtutis pro virtute suscipiunt : prædicant magna, nec faciunt; accusant vitia, nec deponunt; publice sibi displicere simulant, quod occulte committunt; magni student videri, non fieri; [k] laudant eos quorum cupiunt prædicatione laudari; jejunant ut vultus sui pallorem perniciosis laudibus vendant. Ad reprehendendos alios prompti, se non patiuntur a quibuslibet vel [l] leviter reprehendi. Ad faciem publicam patientiam fingunt, et in animo iracundiæ virus abscondunt, ad nocendum parati, cum nocendi tempus invenerint : suorum actuum negligentes, fiunt aliorum procaci libertate censores. Impudenter se assuunt virginibus C sacris ac viduis, quibus tanto [m] inglutinantur affectu, ut facilius ab Ecclesiæ (quod dictu quoque nefas est) quam ab earum communione discedant. Qui etsi cum illis forte non [n] peccant, tamen malæ suspicionis de se præbendo materiam, vitam suam maculis sinistræ opinionis infamant.

3. Taceo de illis qui, undante [o] lapsabundi corporis motu, defluentibus in talos vestimentis incedunt, et vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes, animorum dissolutionem vestigiis sinuosa mobilitate nutantibus produnt. Illos quis ferat qui, [p] adumbratæ prætendentes honestatis imaginem, ad hoc pupillorem ac viduarum causas, velut tuendas simulata pietate suscipiunt, ut earum facultates suis adjiciant, et divites ex pauperibus facti, vel ex divitibus ditiores, D tenuem censum [q] per nefas accumulent : ut cum fuerint exundante patrimonio sumptuosiores effecti, nunquam [r] materia voluptatis gulæ suæ deficiat? Hos igitur tales quare non arguunt, qui arguendi potesta-

[a] Mss. duo, *soli executores.*
[b] Mss. quatuor, *acquisivit sibi sanguine suo.*
[c] Mss. septem, *Dei.*
[d] Ita mss. omnes. Editi vero, *de utilitatis suæ profectu.*
[e] Ms. unus, *Spiritus sanctus, id est divinus sermo.*
[f] In ms. uno corrigitur *non expedit*, juxta textum Apostoli.
[g] Ms. Colb. unus, *lupus, id est diabolus.*
[h] Ms. unus addit *sancti.*
[i] Mss. Colb. duo, *curiosius.*
[j] Ms. Colb. unus, *quare non ad omnes hæc eorum correctio porrigitur.*
[k] Ms. unus, *laudantes.*
[l] Edit. Lugd., *leniter.*
[m] Mss. quatuor, *agglutinantur.*
[n] Mss. tres, *non pereant.*
[o] Mss. quatuor, *lassabundi.*
[p] Hæ quatuor voces, *adumbratæ prætendentes honestatis imaginem*, absunt a ms. Camberonensi.
[q] Mss. quatuor, *proh nefas!*
[r] Mss. Colb. unus, *materiæ voluptatis gulæ sua deficiant.* Colb. alter, *materia voluptati ac gulæ suæ deficiat.*

tem divinitus acceperunt? [a] Non verentur, ne forte cum tam flagitiose viventibus parcunt, videantur probare quæ faciunt? Quid quod eos etiam ad officium clericatus admittunt, et (proh nefas!) quasi parum sit quod tales dissimulata severitate non increpant, insuper et honorant?

CAPUT V.

Responsio: *Ubi ostenditur quibus exigentibus causis quorumdam infirmitas blande tractetur.*

1. Ego vero: Si recolis, inquam, quid de sanctis sacerdotibus fuerit disputatum, sufficiens accepisti responsum. Ecclesiæ quippe doctoribus, sicut supra jam diximus, et censura inesse debet, ut arguant; et patientia, ut emendari nolentes fortiter ferant, apostolico satisfacientes imperio, qui Timotheo [b] præcepit, dicens: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*I Tim.* IV, 2). Quasi diceret: Argue coæquales, obsecra seniores, increpa juniores. Sed propterea addidit: *In omni patientia et doctrina:* quia leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem nimiæ increpationis offensus nec increpationem recipit, nec salutem. Item alio loco idem apostolus dicit: *Vos qui firmiores estis, imbecillitates* [c] *infirmiorum sustinete* (*Rom.* XV, 1). Sustinent ergo æquanimiter ut infirmos, quos emendare non potuerint castigatos. Proinde quia nec [d] objurgari omnes expedit, nec omnes blande tractari; sciunt sancti sacerdotes atque discernunt, quos debeant temperata severitate corripere, et quos sacerdotali magnanimitate portare; et ideo omnium quos per Dei gratiam curant, non voluntati, sed utilitati prospiciunt. Denique [*al.* Deinde] alios honorari deformiter ambientes, quibus non expedire noverunt, non vitio alicujus invidiæ, sed altæ prudentiæ consilio prætermittunt, et alios latere cupientes honorant, ut eis aditum ad majores profectus aperiant. [e] Eos quos probant increpationem posse pati castigant, et impatientes objurgationis ut languidos palpant; non eis adulando, quod tales sunt, sed infirmitatibus talium compatiendo, si forte aliter sanari non possunt.

2. Cæterum si Ecclesiæ communione priventur infirmi, qui curari adhibita increpatione non possunt, aut intolerabilis mole tristitiæ supra modum gravati succumbunt, et sanctorum omnium vultus, per quos possent restitui Deo, refugiunt; aut certe ad omnem peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosiliunt, et quidquid mali occulte faciebant publice perpetrabunt, in tantam vesaniam reparandæ salutis desperatione prolapsi, [f] ut seria verba corripientium in jocos exitiabiles impudenti urbanitate convertant, [g] ac male dicaces in se ex ipsa jactatione turpitudinis suæ, turpiter viventium malevolas lætitias pascant. [h] Propter hoc ergo, blanda pietate portandi sunt, qui increpari pro sua infirmitate non possunt. Et revera, si peccanti salubrem pudorem, dum pro eo erubescis, incutias, ac verecundiam quam pro peccatis ejus assumis, in eum pia animi compassione transfundas; facile in illo [i] reprimis omnem peccandi licentiam, atque ei totam impudentiam demis licentiosæ turpitudinis hortatricem. Tunc mores ejus verecundia custos integritatis ornabit, ut ei placeat quod ante sordebat, quando [j] sordidus erat; [k] et sordeat quod ante placebat, quando ipse bonis omnibus displicebat. Sanctos viros amando sectabitur, et sectando in eorum similitudinem paulatim vitæ prioris emendatione formabitur, ut ei quam laboriosum fuit in sublimitatem virtutis evadere, tam deforme sit in vitia rursus quibus se gaudet caruisse, descendere. Quia sicut virtus onerosa est vitioso, ita virtutis amico [l] vitiosa voluptas amara est. Ecce quomodo peccantes omnes blande tractat aut increpat, qui nihil aliud nisi eorum salutem quibus vult prodesse, considerat.

CAPUT VI.

Quod illi peccata aliena impatienter accusant, qui sua non cogitant.

Tandiu [m] enim quis peccata sua, quæ nosse, aut deflere debet, ignorat; quandiu curiose aliena considerat. [n] Quod si mores suos ad seipsum conversus aspiciat, non requiret quod in aliis specialiter reprehendat, sed in seipso quod lugeat. Proinde fratrum nostrorum vitia non facile debemus accusare, sed gemere: ut invicem onera nostra portantes, legem Christi possimus implere (*Gal.* VI, 2); qui utique non accusavit peccata nostra, sed tulit, Evangelista dicente: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Itaque si ille qui sine ullo peccato fuit, nos peccatores ineffabili pietate sustinuit, et sustinere non desinit, non interitum nostrum desiderans, sed profectum, nec mortem peccantium, sed salutem; quare nos exemplo nostri Salvatoris et Domini non sustineamus infirmos, cum et ipsi aut infirmi sumus, et volumus a Deo portari; aut si sani sumus, possumus adhuc ut fragiles infirmari.

[a] Ms. Colb. unus, *nec verentur..... approbare quæ faciunt?*

[b] Ms. unus, Lugd. et Lov., *præcipit.*

[c] Mss. sex, *infirmorum.*

[d] Mss. duo, *objurgare..... tractare.*

[e] Ms. unus. *Et quos probant.*

[f] Ms. Colb. unus, *severa;* alter, *serena.* Alii codices, *salutaria.*

[g] Ms. Camb., *maledici in se.* Ms. Colb. unus, *maledicas in se,* etc. Ms. Colb. alter, et Reg. duo, *maledica in se,* etc. Sic et edit. Lugd.

[h] Ms. unus, *Propterea ergo.*

[i] Ms. unus, *reprimes...... demes.*

[j] Sic mss. omnes, et edit. Lugd., Lovan. vero, Duac. et Colon., *quando in sordibus erat, et sordidus erat.*

[k] Editi, *ut sordeat.*

[l] Alias sic legebatur, *Ita est amara vitiosa voluntas virtutis amico.* Mss. duo Colb., *vitiosa voluntas amara est.* Reg. unus, *vitiorum voluntas;* et ab alia manu, *vitiosa voluptas.* Colb. alter, *vitiosa est amara voluptas.*

[m] Ms. Colb. unus, *Quandiu enim quis....... tandiu curiose.*

[n] Ms. Reg. unus, *ad seipsum conversus aspiciat.* Ms. Reg. alter. *Quod si ad seipsum conversus aspiciat.*

CAPUT VII.

Quantum remedii habeat confessio peccatorum, et quale mereatur occultatio dolosa supplicium.

1. Huc accedit quod et ipsa peccata sic habentur occulta, vel aliena nobis, vel aliis nostra, ut plerumque et sanctus inter peccatores lateat, et famam sancti obtineat peccator. Innocentem si se tueri non potest, suspicio judicis [a] incauta condemnat, et reum calliditas ingenii vivacis excusat. Verumtamen non divinum, sed humanum fallunt ista judicium. Et quid mirum, si animos aliorum quales sint, sine ipsorum confessione nescimus, cum nos ipsos ita hodie noverimus ut quales futuri simus [b] crastino nesciamus? Cum vero nobis fratres quilibet nostri peccata sua, tanquam medicis, vulnera quibus urgentur, aperiunt; operam dare debemus [c] ut quantocius ad sanitatem, Deo auctore, perveniant, ne in pejus dissimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecunque claruerint; quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, velut igni quodam piæ increpationis urenda sunt et curanda.

2. Quod si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, ac pie increpantis medela [d] profecerit in eis, qui diu portati, et salubriter objurgati, corrigi noluerunt; tanquam [e] putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscidi: ne, sicut caro morbis emortua, si abscisa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit; ita isti qui emendari despiciunt, et in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ [f] perditionis inficiant. Porro illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata; si ea confiteri aut [g] emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt et ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, cum, si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum, Deo retribuente, supplicium? Quod si ipsi [h] sibi judices fiant, et veluti suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant; temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. At hi qui, in aliquo gradu ecclesiastico constituti, aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videtur propterea communicare, et officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt.

3. Exceptis enim peccatis quæ tam parva sunt, ut caveri non possint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, et dicimus: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12); illa crimina caveantur quæ publicata suos auctores humano faciunt damnari judicio. Qui autem ea commiserint, et ideo prodere metuunt, ne sententiam justæ excommunicationis accipiant, sine causa communicant; imo vero dupliciter contra se iram divinæ indignationis exaggerant, quod et hominibus innocentiam fingunt, et contempto Dei judicio, abstinere se ab altari propter homines erubescunt. Quapropter Deum sibi facilius placabunt illi qui non humano convicti judicio, sed ultro crimen [i] agnoscunt; [j] qui aut propriis illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, et ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam tanquam mortuam plangunt, certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non solum amissa [k] recipiant, sed etiam cives supernæ civitatis effecti, ad gaudia sempiterna perveniant.

CAPUT VIII.

Quod inique, et non simpliciter arguentes vani sint, ac divino judicio condemnandi.

Jam [l] de illis qui, levi suspicione permoti, simpliciter viventes objurgant, ut et illos incondita correptione confundant atque dejiciant, et sibi per hoc nescio cujus districtionis gloriam quærant, non est meum aliquid dicere; super quibus tam perspicue divinus sermo pronuntiat, ut [m] expositore non egeat. Ait enim in Ecclesiastico Spiritus sanctus: *Est correptio mendax in* [n] *ira contumeliosi; et est judicium quod non est bonum* (*Eccli.* XIX, 28). Utique contumeliosi hominis et superbi correptio, quæ dicitur mendax, [o] superbiæ est, non alicujus humilitatis [p] judicium, et ideo non est bonum. Quid potuit evidentius, quid apertius dici, quam [q] ut contumeliosum diceret mendaciter arguentem? Quia et contumeliosus est qui mendaciter arguit; [r] et mendaciter arguit qui contumeliam facit. Item in Proverbiis: *Testis falsus non erit impunitus, et qui arguit inique non effugiet* (*Prov.* XIX, 5). Quis est falsus testis, nisi qui hominem quemlibet de criminibus indiscussis objurgat? Quem propterea inique increpantem dicit non

[a] Ms. unus, *incaute*.
[b] Ms. unus, *in crastino*.
[c] Ms. unus, *quantocilius*.
[d] Mss. sex, *processerit*.
[e] Mss. duo, *putridæ;* unus, *putrescentes;* mss. quinque cum editis, *abscidi*.
[f] Ms. unus, *perversionis*.
[g] Mss. tres, *vel emendari*.
[h] Deest *sibi* in edd. Lov., Dunc. et Colon.; habetur in mss. omnibus et edit. Lugd. Ms. unus, *Qui si ipsi*, etc.
[i] Editi, *cognoscunt;* mss. sex, *agnoscunt*.
[j] Mss. tres, *quia aut;* et infra, mss. quatuor, *occulti sint*.
[k] Ms. unus, *recipient, sed etiam..... pervenient*.
[l] Mss. duo Colb., *Tamen*.
[m] Mss. duo, *expositione*.
[n] Mss. septem, *in ore contumeliosi*...; et paulo post mss. sex, *et est indicium*.
[o] Mss. duo, *superbia est*.
[p] Mss. sex, cum edit. Lugd., *indicium*.
[q] Edit. Lugd., *quam contumeliosum dicere*.
[r] In mss. duobus Reg. desunt hæc, *et mendaciter arguit*. In Colb. ms. uno, *quia et contumeliosus est, qui mendaciter arguit eum qui contumeliam facit*.

impunitum futurum, quia innocentem nullis provocantibus meritis arguendo, [a] videri vult reum. [b] Quod autem dicit de eo qui inique arguit, *non effugiet*; quid aliud debet intelligi, nisi quia iram Dei non effugiet, qui aliquem non sic corripit, ut emendet, sed ut se procaciter jactet? Sed de contemptoribus præceptorum Dei, et de correptionis ac patientiæ virtute, sufficiant ista quæ diximus : ne in uno capitulo justo amplius immorati, aut cætera brevius quam necesse sit transcurramus, aut intentionem vestram longitudine nimium protelati voluminis oneremus. Videamus itaque quid nos etiam continentia [c] capituli sequentis edoceat. Utrum, [d] inquit, congregandis fratribus, aut alendis expediat facultates Ecclesiæ possideri, an perfectionis amore contemni.

CAPUT IX.

Quod sacerdotes [e] nihil proprii habere debeant, et ecclesiæ facultates quasi communes, pro quibus Deo rationem reddituri sunt, suscipiant.

1. Expedit facultates ecclesiæ possideri, et proprias perfectionis amore contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes ecclesiæ facultates; et ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut venditis, fit rei suæ contemptor; cum præpositus fuerit factus ecclesiæ, omnium quæ habet ecclesia efficitur dispensator. [f] Deinde sanctus Paulinus (ut ipsi melius nostis) ingentia prædia, [g] quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit; sed cum postea factus esset episcopus, non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensavit. Quo facto satis ostendit et propria debere propter perfectionem contemni, et C sine impedimento perfectionis posse [h] quæ sunt communia ecclesiæ possideri. Quid sanctus Hilarius? nonne et ipse omnia [i] bona sua aut [j] parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cum merito perfectionis suæ fieret ecclesiæ Arelatensis episcopus, quod illa tunc habebat ecclesia non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus amplavit. Isti ergo tam sancti, et tam perfecti pontifices factis evidentibus clamant posse et debere fieri quod fecerunt. Qui utique homines tam sæcularium quam divinarum litterarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res ecclesiæ debere contemni, nunquam eas [k] debuerant qui omnia sua reliquerant retinere.

2. Unde datur intelligi quod tanti ac tales viri D

A (qui volentes [l] esse Christi discipuli, renuntiaverunt omnibus quæ habebant) non ut possessores, sed ut procuratores facultates ecclesiæ possidebant. Et idcirco scientes nihil aliud esse res ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et [m] patrimonia pauperum; non eas vindicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere; nec habendi cupiditate ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis qui sibi de suo sufficiunt debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare quam perdere.

CAPUT X.

B *Cum quo damno animæ suæ ab ecclesia, quæ pauperes pascit, accipiant illi qui sibi de suo sufficiunt.*

1. Nec illi qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, [n] unde pauper victurus erat accipiunt. De clericis quidem dicit [o] Spiritus sanctus : *Peccata populi mei* [p] *comedunt* (*Osee* IV, 8). Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt; ita possessores, non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificiis aut laboribus expedire, non præsumant quod debet debilis aut infirmus accipere, ne forte ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis quibus debet, subvenire non valeat.

2. Qui autem ecclesiæ serviunt, et labori suo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt; nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena, ac non potius præmia æterna percipiant. Sæcularis quippe militia quia cœlestia non habet, terrena strenue militantibus præstat. Unde satis indignum est, si fidelis, et operosa devotio clericorum, propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quod si quilibet minister ecclesiæ non habeat unde vivat : [q] non ei præmium reddat hic; sed necessaria præstet ecclesia : ut in futuro præmium laboris sui recipiat, quod in hac vita jam spe dominicæ promissionis [r] certus exspectat. D Illi quoque [s] qui velut idonei nihil quidem sibi dari

[a] Ita mss. omnes. Editi vero, *vult esse reum.*
[b] Ms. unus, *Qui autem.* Ms. alter, *dico de eo... nisi quia iram.*
[c] Ms. unus, *capituli sequentis auctoritas edoceat.*
[d] Legendum forte *inquam.*
[e] Mss. duo Reg., *nihil proprium habere debeant, sed ecclesiæ facultates tanquam communes, ut pote Deo rationem reddituri, suscipiant.*
[f] Mss. tres, *Denique*, cum edit. Lugd.
[g] Edit. Lugd., *quia.*
[h] Mss. quinque cum edit. Lugd., *posse ecclesiæ, quæ sunt profecto communia, possideri.* Ex Colb. unus, *posse ecclesiæ facultates, quæ sunt communes possideri.*
[i] Mss. sex, *omnia sua.*
[j] Ms. unus, *pauperibus.*
[k] Mss. Colb. duo et Reg. unus, *nunquam eas habuissent.* Alii duo cum Camb., *haberent.* Regius alter, *suscipere debuerant*; et in fine omittunt vocem *retinere.*
[l] Mss. duo, *fieri.*
[m] Mss. quatuor, *patrimonium pauperum*; quorum unus, *et omnium defensabile patrimonium pauperum.*
[n] Ms. Camb., *ea unde.*
[o] Mss. tres, *dicit propheta.*
[p] Mss. tres Colb., *comedent.*
[q] Editi Lugd. et Lovan., *non ei præmium hic, sed necessaria præstat ecclesia.* Mss. duo, *non ei reddidit hic, sed necessaria præstat ecclesia.* Mss. tres, *non ei reddat hic, sed necessaria præstet ecclesia.* Omnes editi, *præstat.*
[r] Mss. sex non habent *certus.*
[s] Editi, *qui vel idonei.* Mss. quinque, *velut.*

velut debitum poscunt, sed tamen ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui ecclesiam quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant; propter hoc fortassis in congregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes [a] suscipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant. [b] Quod si aliquid de fructibus suis ecclesiæ, velut pro ipsa expensa sua contulerint; non se præferant inani jactantia illis, quos nihil habentes pascit et vestit ecclesia: quia perfectior est ille qui se mundi rebus exspoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere desiderat, quam ille qui ex multis quæ possidet, ecclesiæ aliquid præstat, ac se de eo quod præstiterit forsitan jactat.

3. Dura sunt quæ dico, nec ego diffiteor. Dura sunt, sed observare nolentibus. Cæterum [c] si fiant ista; quæ difficilia non facientibus sunt, statim facilia facientibus fiunt. Non ergo ea quæ nolumus observare, impossibilitas nobis facit dura, sed novitas. In usum veniant, et neminem frequentata conturbant. Nam, quæro, quid sit eorum quæ dixi difficile? ut homo id quod opus non habet, ab ecclesia non accipiat, an ut quod habet sine causa contemnat? Si propter hoc non vult sua relinquere ut habeat unde vivat, ut quid accipit unde rationem reddat? ut quid [d] de peccatis alienis sua multiplicat?

CAPUT XI.

Qui sunt qui etiam cum profectu animæ suæ opibus sustentantur ecclesiæ.

Itaque sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit a populo dispensanda, et fideliter dispensat accepta, qui omnia sua [e] aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut ecclesiæ rebus adjunxit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit: ita ut unde pauperibus subministrat, inde et ipse [f] tanquam pauper voluntarius vivat. Clerici quoque quos pauperes aut voluntas, aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, sive in domibus suis, sive in congregatione viventes accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit vivendi necessitas.

CAPUT XII.

Quid facere debeant clerici quorum infirmitas non potest sua contemnere.

Illi autem qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renuntiare non possint, si ea quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus con-

A ferenda, sine peccato possident sua: quia et ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur accipiunt. Quod si putant ideo [g] accipi debere eorum quæ conferuntur ecclesiæ portionem, ne eam videantur abjicere, se vero non posse sua relinquere, quod eis deforme sit inter suos, pauperes reddi; noverint esse deformius possessores de eleemosynis pauperum pasci.

CAPUT XIII.

Quæ sint gaudia vera, vel veræ divitiæ; et quid impedimenti afferant bona præsentia amatoribus futurorum.

1. Heu quam subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit, quanta cæcitate oculos nostræ mentis obducit,

B ne discernamus gaudendi avidi, unde justius gaudeamus; aut ne cupientes augeri divitiis, noverimus quas quibus incomparabiliter præferamus. Nam gaudere quidem bonum est; sed qui gaudet, si non inde gaudeat unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet et raptor, cum desiderata rapuerit; gaudet et ebriosus, cum [h] exoptatæ occasionem potationis invenerit; gaudet et adulter, cum ad delectationem fruendi corporis concupiti pervenerit: sed cum sit gaudere bonum, de his atque hujusmodi gaudere grande est malum. Hæc et his similia sunt unde gaudere nos vult mundus, cum suis amatoribus [i] periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, ut de bona conscientia, de sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei, et de pro-

C missione futuri regni ineffabiliter gaudeamus.

2. Ditari quoque divitiis grande est bonum; [j] sed inde ditari unde non debeas, non est habenda facultas, sed detestanda calamitas. Nihil est enim calamitosius, nihilque miserius eo qui iniquis acquisitionibus crescit, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Illæ nobis sunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare [k] possint pariter et munire, quas nec acquirere possumus inviti, nec perdere, quæ nos contra hostiles impetus armant, a mundo disterminant, Deo commendant, ditant [l] animas nostras atque nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt. Divitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia, quæ nos pudicos; justitia, quæ justos; pietas, quæ pios; humilitas, quæ humiles; mansuetudo, quæ mansuetos; innocentia, quæ

D innocentes; puritas, quæ puros; prudentia, quæ prudentes; temperantia, quæ temperantes; et caritas, quæ nos facit Deo et hominibus caros, [m] virtutum potentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium

[a] Mss. sex, *excipiant*.
[b] Ms. unus, *Qui si*.
[c] Sic mss. tres. Alii cum editis, *si faciant*.
[d] Ita mss. omnes, et Lugd. At editi alii, *de peccatis*.
[e] Lugd. edit. cum ms. Camb. hæc tantum habent *aut relinquit, aut ecclesiæ rebus adjungit*, et *se*. Mss. Reg. duo, et quatuor Colb., *aut reliquit, aut ecclesiæ rebus adjunxit, et se*, etc.
[f] Ms. unus, *et ipse jam tanquam*:
[g] Ms. Reg., *ne ea*. Ms. Camb., *ideo partes accipi debere earum quæ conferuntur ecclesiæ portionum, ne eas videantur abjicere*.
[h] Ms. unus, *exoptatam*.
[i] Ms. unus, *perituros*.
[j] Mss. Colb. duo, *sed non inde ditari unde debeamus*. Ms. alter, *sed non ditari unde debeas*.
[k] Ms. unus, *possunt*.
[l] Mss. tres Colb., *animos nostros*.
[m] Mss. tres, *vitiorum impotentes, sæculi contemptores*. Ms. alter, *vitiorum impotentis sæculi contemptores*.

sectatores. Hæc sunt non omnium, sed sanctorum A sanctæ virtutes; non divitum superborum, sed humilium pauperum facultates; patrimonium cordium, divitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundant [a] nisi qui illis carnalibus ex corde renuntiant. Quæ quamvis et ipsa sint bona, utpote a bono Deo creata; tamen quia sunt bonis malisque communia, student ea spirituales viri contemnere, quo possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria, pervenire: quoniam non est tale bonum quod habent et mali, quale illud est quod non habent [b] nisi boni.

3. Corporale bonum quando habent iniqui, ipsorum est præmium, [c] quando habent justi, non est eorum præmium, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio fit exercitium justi, et injusti B supplicium: quia et justus desiderio cœlestium captus, omnia temporalia sive habeat, sive amittat, omnino non sentit; et iniquus quod cum delectatione [d] habet, sine dolore non perdit. Propter hoc igitur eis qui militant Deo fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ, quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus [e] dicit: *Volo vos sine sollicitudine esse* (*I Cor.* VII, 32); et, *Radix omnium malorum est avaritia: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (*I Tim.* VI, 10). Ac sic census [f] iste terrenus eis a quibus vitiose diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. Quapropter ex- C pedit facultates ecclesiæ [g] possideri, ut inde vivant qui non sæculo, cujus gaudia fugitiva repudiant, sed Deo [h] serviunt, cujus ineffabilia bona desiderant.

CAPUT XIV.

Qualiter intelligatur quod dicit Apostolus, Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt.

De talibus dicere videtur Apostolus: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altario deserviunt,* [i] *cum altario participant* (*I Cor.* IX, 13). Qui nisi hoc de contemptoribus facultatum suarum vellet intelligi, nunquam secutus adjungeret: *Ita et Deus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (*Ibid.*, 14). De Evangelio vivunt qui nihil proprium habere volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt; non suorum, sed communium possessores. Quid est aliud de Evangelio vivere, nisi laborantem inde ubi laborat necessaria vitæ percipere? Apostolus tamen, qui sic Evangelium prædicavit, ut nec de Evangelio viveret, sed necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter [j] eloquitur: *Ego autem nullo horum usus sum.* Et quare hoc dixerit, secutus aperuit dicens: *Expedit mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet* (*Ibid.*, 15). [k] Evacuari dicit gloriam suam, si ab eis quibus prædicabat voluisset accipere vitæ [l] corporalis expensam; nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro recipere. Si ergo ille qui nihil habebat, noluit de Evangelio ubi laborabat, sed suis manibus vivere, [m] ne gloriam suæ mercedis amitteret; quid nos, qui et propria nolumus amore possidendi, non vivendi necessitate, relinquere, et accipere insuper volumus, non unde vivamus, sed unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus?

CAPUT XV.

De cupiditate, qualiter eis quos semel invaserit dominetur.

1. Jubet [n] ecce nobis imperiosa cupiditas, ut [o] divina parvipendentes, possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus, [p] ut in eis totam sollicitudinem curamque ponamus, [q] ut inde nos morbida vanitate jactemus, ut amplitudine patrimonii diffusioris elati, fieri pauperes spiritu negligamus. [r] O facinus inauditum! Suavi jugo Christi contempto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus; et Domini nostri [s] levi onere, quod subjectos non onerat, sed sublevat, posthabito, plumbeum pondus nostris cervicibus [t] aggeramus, quod citius potest deponi quam ferri: quia et ipsa cupiditas, quæ nobis subjici ultro volentibus hoc pondus imponit, contemni potest facilius quam expleri; et ideo qui se illi volentes dederint expugnanti, voluntatem resistendi ulterius non habebunt tyrannice dominanti. Et hoc fit justo Dei judicio, ut qui cupiditati resistere [u] noluimus ingressuræ, jam resistere nequeamus ingressæ.

D
[a] Editi, *nisi illi qui illis.* Mss. quatuor omittunt *illi.* Ms. Colb. unus, *quæ non aliis dantur, nisi qui.*

[b] Mss. duo, *iniqui.* Ms. alter, *quod habent boni.*

[c] Ms. unus, *quando autem.* Tum ms. alter caret hac voce, *eorum.*

[d] Mss. septem, *habuit.*

[e] Ms. unus, *dixit.*

[f] Ms. unus, *census æstimatus, iste terrenus.*

[g] Mss. quatuor, *possidere.*

[h] Mss. quatuor, *deserviunt.*

[i] Mss. tres, *cum altario participantur.* Mss. duo, *cum altari participantur.*

[j] Mss. duo Reg., *loquitur.*

[k] Ita mss. duo Reg. Alii cum editis, *evacuare.*

[l] Mss. quinque, *temporalis.*

[m] Ms. Colb. unus, *ne gloriæ suæ mercedem.* Alter, *mercedis suæ gloriam.*

[n] Mss. quatuor, *Ecce enim jubet nobis.*

[o] Ms. Reg. unus, *divina præcepta parvipendentes.*

[p] Ms. unus, *et in eis.*

[q] Ms. Camb., *unde nos.*

[r] Mss. quinque, *et o facinus*; quorum duo, *et hoc facinus.*

[s] Ms. Camb., *levi oneri* (*quod subjectos non onerat, sed honorat, nec deprimit omnino, sed sublevat*) *subjici contemnimus; hoc ergo levi onere posthabito,* etc. Ad hunc accedunt mss. quatuor Colb. et Regius unus, excepto quod unus ex Colb. habet *sed sublimat.* Regius alter sic habet: *et Domini nostri leve onus fugimus, quod subjectos non onerat, sed honorat; nec deprimit omnino, sed sublevat, hoc ergo.* Alii codices habebant, *leve onus superbe rejicimus;* cætera ut illi qui mox citantur.

[t] Mss. duo, *aggerimus.*

[u] Mss. quinque, *nolumus.*

2. O plangendum miserabiliter mentis expugnatæ [a] servitium! O intolerandum [b] dæmoniacæ cupiditatis imperium! ut ex hostibus suis quos potest [c] vincere, victores faciat suos, promittit ingentia, et honorum temporalium pollicitatione deceptos, impellit jam miseros ac miserandos in turpia. [d] Tenet nos lucrorum pœnaliter dulcium catenis addictos, et in sua ditione captivos; nec trahit invitos, sed, quod est deterius, [e] quocunque voluerit, volentes ducit. Vastat [f] in nobis quidquid verecundiæ ac pudoris invenerit; et quos jam suis triumphis addixit, adhuc tanquam [g] resipiscendi suspectos omnibus viribus honestatis exarmat: ne quando contra eam qui bellare noluimus, rebellemus. Rapit nos, ac passim per omnia acquisitionum genera cupidos acquirendi dispergit. Non permittit animum liberum, non stabile corpus, [h] vagante animo mobiliter, aut quietum; et velut quædam cadavera in pastum feris avibus bestiisque projecta, captivos suos immundis spiritibus [i] tradit non lacerandos, sed avidissimis mortiferorum criminum faucibus devorandos; nec tamen ut esse jam desinant, sed ut pœnaliter vivant. Denique in vivis adhuc portant funera sua corporibus, [j] id est vivi simul et mortui. Hinc est quod peccato viventes quantum nos congestarum opum [k] oblectet accessio, ipsa fruendi carnalibus delectatione sentimus; et quantam virtutum sustineamus inopiam, velut mortui virtutibus ignoramus.

CAPUT XVI.

Quod Deum perfectius illi possideant qui terrenis possessionibus ex corde renuntiant.

1. Hæc sunt [l] propter quæ, non explendis voluptatibus ac fovendis, sed congregandis fratribus aut alendis expedit facultates ecclesiæ possidere: ut uno sollicitudines omnium in sua societate viventium sustinente, omnes qui sub eo sunt fructuosa vacatione potiantur spiritualiter et quiete. Ideo interposui istud adverbium, quoniam qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vivit. Et ideo is quem nulla corporeæ necessitatis cura sollicitat, nulla occupatio domesticæ sollicitudinis inquietat, nullus litigator infestat, nullus calumniosus exagitat; quid aliud curare debet, harum molestiarum et his similium liber, nisi unde ad meliora proficiat, unde vitia sua profectibus quotidianis immi-A nuat, virtutes augeat, et pro carnalibus, quæ contempsit, spiritualia bona possideat? in his se divinitus adjutus exerceat, ea semper amplectatur ac diligat; et non solum omnibus aliis delectationibus suis, sed etiam ipsis suæ carnis cruciatibus anteponat? ut qui nihil sibi reliquit quod formidaret amittere, ea pro quibus omnia quæ habebat abjecit, tanta fidei firmitate retineat, ut si necesse fuerit, pro eis libenter suum corpus impendat.

2. Proinde quem possidendi [m] delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia quæ creavit, expedita mente possideat, et in eo habebit quæcunque habere sancte desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo, sit ipse primitus Dei possessio, et [n] efficietur ei Deus possessor et portio. Et B quid potest eo esse felicius cui efficitur suus Conditor census, et hæreditas [o] ejus dignatur esse ipsa Divinitas, si modo eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo, et de illo jugiter vivat, et nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium Conditor, cui nihil eorum quæ fecit valet æquari, [p] non dignatur cum his quæ condidit possideri. [q] Denique quid ultra quærit, cui omnia suus Conditor fit? aut [r] quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Hunc possidebat, et ab illo possidebatur ille qui dicebat in Spiritu: *Portio mea* [s] *Dominus, dixi custodire legem tuam* (*Ps.* CXVIII, 57). Et: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* XV, 5). Sed et ipse cum dicit: [t] *Filiis Levi non dabitis partem inter fratres suos; ego Dominus portio eorum* (*Num.* C XVIII, 23; *Deut.* XVIII, 1); satis ostendit quod hi qui terrenæ hæreditatis contempserint portionem, Deum spiritualiter mereantur possidere: cujus ditati muneribus, omnia quæ præclara habentur in hoc mundo fastidiunt; et ipsum possidere vel ab ipso possideri, eo solo perfrui, atque illi adhærere inseparabiliter concupiscunt.

3. Unde datur intelligi quod qui temporalia bona, qui sæculi gaudia peritura sectatur ac diligit, quæ et quanta sit [u] divinæ dulcedinis multitudo non didicit. Quis enim cui Deus dignatur esse possessio, aliquid aliud quærit? aut quis non [v] pro amore illius omnia quæ putantur magna contemnit? Ergo qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. Nec renuntiat mundo is quem ter-

[a] Ms. unus, *vitium.*

[b] Mss. quatuor, *o exsecrandum.* Mss. item quatuor, *dominæ cupiditatis.*

[c] Mss. omnes non habent *vincere victores*; sed legunt *quos potest faciat suos.*

[d] Ms. unus, *tenet nos pœnaliter lucrorum dulcium.*

[e] Edit. Lugd., *quoscunque.*

[f] Alias, *jam.*

[g] Ms. Reg. unus, *resipiscendi sint susceptos?* Ms. Camb. et alii, *jam resipiscendos susceptos.*

[h] Alias, *vacante.*

[i] Mss. quatuor, *tradet.*

[j] Mss. tres, *id est vivis simul et mortuis.* Ms. unus, *idem*, forte *iidem.* Mss. duo, *sed iidem*, cum Lugd.

[k] Mss. tres, *prolectet*; ms. unus, *jactet.* Alias *perlectet.*

[l] Ms. Reg. unus addit hic *præcepta*.... Et ab alia D manu, *possideri.*

[m] Ms. unus, *non delectat.*

[n] Mss. septem, *efficitur.*

[o] Abest *ejus* a mss. sex. Unus vero, *ipsa esse digna, nec esse Divinitas.*

[p] Ita edit. Lugd. cum mss. Colb. tribus et Regio uno. Regius alter, *dedignatur*, sine particula negante. Aliæ editiones, *non dedignatur*; sed minus recte, ut videtur.

[q] Alias, *Deinde.*

[r] Mss. Colb. duo, *quis ei sufficit.* Alius, *quid sufficit cui*, etc. Alter vero, *aut quid ei deficit*, sed male.

[s] Mss. duo Colb., *Domine.*

[t] Ms. Colb. unus, *de filiis Levi: Non dabitis.*

[u] Sic mss. omnes. Editi vero, *multitudo supernæ dulcedinis.*

[v] Mss. Reg. duo, *præ amore.*

renæ possessionis adhuc delectat ambitio : quia quandiu sua non [a] relinquit, mundo, cujus bona retinet, servit; et utique non potest mundo servire simul et Deo; ac sic propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare propter quæ diligitur mundus; ut exclusa cupiditate mundi, divina in eis caritas possit augeri vel perfici. Et ideo decimas atque primitias frugum, primogenita et sacrificia pro peccato, [b] vel vota quæ sibi Deus jussit offerri, sacerdotibus ac ministris distribui debere constituit; ut devotissimo populo vitæ necessaria ministrante, ipsi creatori ac pastori suo liberis mentibus ministrarent, atque in [c] ejus cultu sine ulla sollicitudine corporali proficerent : ne terrenis occupationibus implicati, officio suo dignas excubias strenue curare non possent.

4. Nunc autem, quod Christiani temporis sacerdotes magis sustinent quam curant possessiones ecclesiæ, etiam in hoc Deo [d] serviunt : quia si Dei sunt ea quæ conferuntur ecclesiæ, Dei opus agit qui res Deo consecratas non alicujus cupiditatis, sed fidelissimæ dispensationis intentione non deserit. Quapropter possessiones, quas oblatas a populo suscipiunt sacerdotes, [e] non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei. Quoniam si vestes, ac vasa, et cætera quæ in [f] sacris usui ministrantibus erant, sancta vocabantur, nec in usus humanos revocari jam poterant, divinis semel ministeriis consecrata, quomodo non ea quæ conferuntur ecclesiæ, sacra credenda sunt, quibus, non ut sæculi rebus, luxuriose, sed sancte, ut Deo consecratis, utuntur ad necessaria sacerdotes : ut illis omnibus qui se perfectionis amore sub uno constituunt, et sua sibi non vindicant, ecclesiæ [g] facultates ad hoc ipsum collectæ sufficiant; et quidquid omnibus occupationibus absoluti proficiunt, fructus illius, qui unus pro multis occupatus est, fiat; atque ita ille, qui sollicitudines omnium sub se [h] viventium portat, in congregatione sua proficiente proficiat : ut sicut illius occupatio omnium suorum facta est fructuosa vacatio, ita omnium discipulorum perfectio gloriosa magistri honor habeatur et gloria.

CAPUT XVII.

Quod nihil proficiant qui, abstinentes a cibis, vitiis serviunt; nec prosit illis facultates abjicere, qui suas faciunt voluntates.

1. Item quæsistis, quæ sit abstinentiæ credenda perfectio; et utrum tantum corpori, an et animæ debeat necessaria judicari. Si hominem totum virtus hæc quæ abstinentia nominatur, perfecta sanctificat, non solum corpori, sed et animæ necessaria est; quia omnis homo ex corpore constat et anima. Sed in eis qui, diversis vitiis subjacentes, aliquid sibi eorum quæ usui nostro [i] concessa sunt, interdicunt, abstinentia quidem [j], sed carnalis et imperfecta esse debet intelligi : ea autem spiritualis atque perfecta censenda est, quæ abstinentem tam ab illecebris carnalium voluptatum, quam a peccatis omnibus facit alienum; cujus nec animum desideriorum morbi corrumpunt, nec imperio gulæ dominantis quæsitæ deliciæ vires corporis frangunt. Proinde ille abstinens vere credendus est qui vitiorum omnium liber [k] effectus est, ac, recisis [l] corporalibus voluptatibus, elaborat, non ut concupiscentiam suæ carnis [m] exsatiet, sed ut mortalem vitam necessariorum perceptione sustentet. Quoniam quidem quidquid sine quo potest vivi percipitur, non sustentandæ vitæ, sed [n] fovendæ luxuriæ carnis impenditur.

2. Hæc [o] itaque virtus, quæ abstinentia non solum delicatorum ciborum, sed etiam malorum omnium nuncupatur, cum omnibus omnino necessaria sit, tum maxime illis familiarior atque conjunctior esse credenda est, quibus juxta illud quod in Actibus apostolorum (IV, 32) legitur factum, unum cor est, et anima una, divinæ caritatis igne conflata, et quibus sub unius ordinatione viventibus omnia omnium communia fiunt : si tamen ita eis [p] una fit vita, sicut fit una substantia; et nulla sit in eis diversitas animorum, quibus est communio facultatum : quia ut fieret et esset animorum sancta conjunctio, necessaria est [q] facultatum judicata communio. Cæterum quid eis prodest quod facultates suas abjiciunt, [r] qui voluntates proprias non relinquunt, cum sit longe præstantius voluntatibus propriis abrenuntiare quam rebus? Res suas etiam mundi [s] hujus philosophi abjicere potuerunt, et nunc quilibet hæretici possunt; sed nec illi, cum suæ [t] voluntatis fierent amatores, secundum voluntatem Dei vixerunt; et isti dominicæ voluntati suæ voluntatis studio contradicunt. Non ergo ea res nos Deo commendat quam et inimici Dei faciunt; sed [u] illud quod non nisi vere Christiani, et per hoc amatores Dei perficiunt. Hi sunt qui, [v] voluntatibus suis rebusque projectis, suo se Creatori ex toto corde subjiciunt, ac suum velle ex ejus voluntate sus-

[a] Ms. Camb., *reliquit.*
[b] Ms. Reg. unus, *vel voto.*
[c] Ms. Colb. unus, *in eo cultu.*
[d] Mss. quinque, *deserviunt.*
[e] Mss. omnes, *non sunt jam res mundi credendæ, sed Dei.*
[f] Mss. tres, *in sacro usu ministrantibus.* Ms. unus, *ministrationibus.*
[g] Mss. quinque, *facultas ecclesiæ ad hoc ipsum collecta sufficiat.*
[h] Sic mss. omnes. At editi, *servientium.*
[i] Ita omnes mss. At vero editi, *necessaria sunt.*
[j] Ms. Camb., *quidem est, sed,* etc.
[k] Mss. tres, *effectus, recisis.*
[l] Editi, *corporalibus.*
[m] Ms. unus, *exacuit.*
[n] Ms. Camb., *movendæ.*
[o] Mss. quinque, *namque.*
[p] Mss. quatuor, *una sit vita.* Ms. unus, *sicut et una substantia.*
[q] Ms. Colb. unus, *unitas communium facultatum.*
[r] Mss. duo Reg., *Si voluntates.*
[s] Editi, *quivis.*
[t] Ita mss. Reg. duo, Colb. unus et alii mss. Editi vero, *suæ voluptatis fuerint.*
[u] Ms. Reg. unus, *sed illa quam.*
[v] Mss. duo Colb., *voluptatibus.*

pendunt; et ideo quidquid eis sensus carnis sequendum faciendumque [a] suggesserit, justitiæ capti delectatione contemnunt.

CAPUT XVIII.

Quanta bona primus homo abstinentiæ bonum negligendo perdiderit.

1. Quod si primus homo voluisset [b] se in illa paradisi beatitudine custodire, ut a fructu unius interdictæ arboris jejunasset; nec statum illum tantæ felicitatis amitteret, nec eum voluntaria salutaris præcepti transgressio necessitati corruptionis ac mortalitatis addiceret : ut tanta beneficia Dei sui, quæ in natura suæ conditionis acceperat, aut corrumperet peccato corruptus, aut perderet. Quis enim sufficienter enumeret quæ et quanta bona [c] illi abstinentiæ contemptus ademerit? [d] quod intellectualis mentis B dignitate donatus, imaginem sui Creatoris accepit : quod soli Deo suo subjectus, omnia visibilia sibi subjecta conspexit; quod ei ad vivendi usus affatim lignorum omnium quæ erant in paradiso (*Gen.* II, 9), feracitas divina jussione servivit; quod arbor vitæ mysticum cibum non unde viveret, sed unde vitam corporis non finiret, sui Creatoris munere ministravit; qui cibus quandiu perciperetur, ita percipientem se in uno statu, sacramenti cujusdam latentis figurata significatione, servaret; ut eum nec ulla infirmitate corrumpi, nec ætate mutari et senescere, nec dissolvi morte permitteret. Non inquietabat molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat invitum, non amittendæ vitæ timor angebat [e] de immortalitate securum. C Habebat facilem victum corpus ex [f] omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei.

2. Postremo quid eo felicius fuit, cui erat orbis subjectus, nullus infestus, liber animus, et visibilis Deus? [g] Quandoquidem nisi ante peccatum Deum videre in assumptione visibilis creaturæ soleret, quomodo se jam peccator effectus, a facie [h] Domini, quem nunquam viderat, absconderet? Potuit ergo ita videre Deum, priusquam peccaret Adam, sicut eum [i] patriarchæ viderunt ; sed quando ait : *Vocem tuam audivi, et timui* (*Gen.* III, 10); ex illa jam [j] videndi Deum sanctitate ceciderat, jam se indignum videndi Deum reddiderat. *Vocem tuam*, inquit, *audivi*, D *et timui; eo quod nudus essem, et abscondi me* (*Ibid.*). A O quantum securitatis habent qui sibi bene sunt conscii! et quantum perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati, sicut isti qui se absconderunt a facie Domini, de sua turpitudine, [k] non de nuditate confusi! qui non ideo erubescebant, quia veste erant extrinsecus nudi, sed quia [l] intrinsecus protectione divina nudati. Denique et ante peccatum nudi erant, et non erubescebant, quia nihil contra voluntatem Dei unde confunderentur admiserant.

CAPUT XIX.

De peccato primi hominis, et de malis quæ illum peccantem, Deo judicante, secuta sunt.

1. Sed jam videamus, si placet, qualiter illi homines primi commiserint tam grande peccatum, quod et ipsos de paradiso projecit in hoc vitæ pœnalis exsilium, et in eis originaliter totum damnavit genus humanum. Et mihi quidem videtur quod non ederent de ligno prohibito, nisi concupiscerent; nec concupiscerent, nisi tentati; nec tentarentur, nisi deserti; nec desererentur a Deo, nisi ipsi prius desererent Deum; nec desererent Deum, nisi superbirent, et similitudinem Dei [m] damnabiliter appetissent : ad quam perventuri essent, sine corporis morte, si [n] sub Deo suo viventes, præceptum quod acceperant custodissent; ut qui posse non mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria; et ibi accepturi essent præmium non posse peccare, si hic eorum meritum fuisset peccare noluisse. Non igitur a Creatore suo in creaturam divinitatis [o] affectatione collapsos moveret aperta concupiscentia, nisi eos ante corrupisset occulta superbia; nec eis per serpentem diabolus propinaret tam ferale consilium, nisi prius eorum deprehenderet appetitum. *Si*, inquit, *gustaveritis de ligno scientiæ boni et mali, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III, 5). Hæc sunt illa tria quæ in mundo esse, et diligi non debere a dilectoribus Dei, contestatur sanctus Joannes apostolus dicens : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi, quæ non est* [p] *ex Patre, sed ex mundo est* (*II Joan.* II, 15, 16). Quæ nisi illi qui a dilectione Dei jam defecerant diligere [q] cœpissent, nunquam [r] male suasi serpentis consilio credidissent.

2. Itaque concupiscentia carnis ab eis impleta est, quod de ligno vetito gustaverunt; concupiscentia

[a] Editi, *suggerit.*

[b] Mss. quatuor non habent *se.* Ms. Colb. unus, *voluisset illam paradisi beatitudinem custodire, ut*, etc.

[c] Ms. Reg. unus, *illius abstinentiæ.*

[d] Ms. Reg. unus, *qui.*

[e] Ms. unus Reg., *timor angebat. De immortalitate ecurus habebat*, etc.

[f] Mss. omnes, *ex omnibus partibus.*

[g] Ita mss. duo Reg. et Camb. Editi, *Quoniam quidem.*

[h] Mss. duo Reg., *a facie Dei, quam nunquam vidisset.*

[i] Mss. tres Colb., *patriarchæ sancti.*

[j] Hæc verba *videndi Deum* absunt a ms. Colb. uno : et sat recte.

[k] Ms. Reg. unus, *non de timiditate.*

[l] Mss. quatuor Colb. cum Lugd., *intrinsecus.* Alii cum Lov., Duac. et Colon., *extrinsecus.*

[m] Ita mss. Colb. quatuor cum aliis. Editi, *miserabiliter.*

[n] Mss. duo Reg., *si sub Deo viventes.*

[o] Mss. quinque, *affectione.*

[p] Colb. unus, *de Patre, sed de mundo est.* Alter, *ex Patre, sed de mundo.*

[q] Mss. tres, *concupiscent.* Alii, *concupiscerent.*

[r] Ms. Colb. unus, *male suadentis.* Camb., *malesuadi.*

oculorum, [a] quod sibi aperiri oculos cupierunt; et ambitio sæculi, quod se fieri posse quod Deus est crediderunt. Proinde delectatione carnis, et oculorum curiositate, ac sæculi ambitione corrupti, a ligno vitæ, ex quo eis arcendæ mortis, ac salutis continuandæ [b] gratia præstabatur, abscisi sunt; et morbidam qualitatem eorum corpora contraxerunt, ut juxta sententiam Dei, eo die credantur mortui quo in eis pœnaliter facta est necessitas moriendi, et per lignum illud quod [c] scientiæ boni et mali (*Gen.* II, 17) ex causa nomen accepit, a quo se abstinere cum possent, miseri neglexerunt, quid interesset inter bonum quod amiserant, et malum quod incurrerant, ipsa pœna sua [d] discernerent: qui si amisso tanto bono, nullum malum incurrerent, quale perdidissent bonum forte nescirent. Dulcior enim fit salus, cum dolor excruciat; et sanitatis amissæ dulcedinem languoris amaritudo commendat: ac sic, ad hoc illi malum non discendo, sed experiendo, sentire cœperunt quod melius ignorarent; ut ex ipsa miseria sua sentirent quantam beatitudinem perdidissent, atque ita quos non moverat fortassis boni naturalis amissio, moveret saltem mali pœnalis justa perpessio. Hæc per excessum necessarium [e] dicta sunt nobis de primis hominibus; ut qui nolunt damnationis eorum subire supplicium, caveant prolapsionis exemplum.

CAPUT XX.

Quod omnia bona quæ in Adam corrupti perdidimus, in Christo reparati [f] recipimus.

Quamvis enim ex Adam simus carnaliter nati, non ipsum tamen debemus imitari, sed Christum, in quo renati sumus et vivimus, quando veterem conversationem salubriter innovati deponimus. Quid est imitari Adam, nisi pro carnalibus [g] desideriis ac concupiscentiis morte mulctari? Et quid est imitari Christum, nisi carnalibus concupiscentiis ac desideriis crucifigi? Sicut aliud non est veterem conversationem deponere, quam non secundum carnem, quæ veterascit et moritur, sed secundum Deum vivere, qui solus potest perseverantes in se innovare perenniter et [h] beare. Quapropter, sicut quando in Adam fuimus omnes, ipso cadente [i] cecidimus; ita [j] quia in Christo jam esse cœpimus, qui pro nobis omnibus dignatus est mori; et nos peccatis nostris illi commortui, cum illo spiritualiter resurgamus. In illo omnia bona quæ potuimus habere, perdidimus, in hoc etiam majora, et sine fine habenda recepturi sumus, si perseveranter ejus vestigia teneamus. Adam nos [k] obnoxiavit malis omnibus per propriam culpam, a quibus nos liberavit adventus Christi per gratiam. Ille in nos culpam suam transmisit et pœnam; hic, [l] qui culpam nostram suscipere ut pote conceptus et natus sine peccato non potuit, de susceptione pœnæ nostræ culpam nostram simul [m] abolevit et pœnam: et ut totum dicam, Adam nobis eripuit paradisum, Christus [n] donavit cœlum.

CAPUT XXI.

Qualiter vivere debeant qui Christum imitari desiderant.

1. Et ideo si in [o] illo esse volumus quod esse debemus, sicut sanctus Joannes apostolus dicit (I, II, 6), quomodo ille ambulavit, et nos spiritualiter ambulemus. Quid est ambulare sicut ille ambulavit, nisi contemnere omnia prospera quæ contempsit, non timere adversa quæ pertulit, libenter facere quæ fecit, fieri docere quæ [p] mandavit, sperare quæ promisit, et sequi quo ipse præcessit? [q] Quid est enim sequi, nisi præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum merita sua malevolis, et orare pro inimicis, amare bonos, misereri perversis, invitare [r] aversos, suscipere in caritate [s] conversos, et æquanimiter pati subdolos ac superbos? Ad hoc etiam pertinet quod ait sanctus Paulus apostolus: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Colos* III, 1). Illi resurgunt cum Christo qui moriuntur sicut ille peccato; ea tamen distinctione servata, quod ille mortuus est peccato, non suo, sed nostro; unusquisque autem nostrum, [t] non omnium moritur peccato, sed suo.

2. Quid [u] est peccato mori, nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire? Ut [v] sicut qui mortuus est carne, nulli jam detrahit, [x] nullum adversatur aut despicit, nullius pudicitiam callida circumventione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur aut opprimit; non invidet bonis, aut insultat afflictis, non luxuriæ carnis inservit, non vinolentiæ deditus, in se bibendi sitim bibendo magis ac magis accendit; non

[a] Ms. Colb. unus, *dum sibi*. Camb., *aperire oculos*.
[b] Ms. Colb. unus, *grande promissum pendebat*.
[c] Mss. tres, *scientia*. Post pauca ms. unus omittit *miseri*.
[d] Lugd., *decernerent*.
[e] Ms. Camb., *necessaria dicta sunt*. Reg. unus, *dicta sunt necessaria*. Ms. unus, *a nobis*.
[f] Editi, *recipiemus*. Mss. Reg. duo et Camb., *recipimus*.
[g] Mss. Colb. tres et Camb., *concupiscentiis ac desideriis*.
[h] Mss. tres, *habere*. Ms. alter, *beatificare*.
[i] Editi, *occidimus*. Mss. omnes, *cecidimus*.
[j] Mss. quatuor Colb., *qui in*.
[k] Ita mss. tres Colb. Editi, *sub noxa habuit*. Alias legebatur, *subnoxiavit*, vel *subvocavit*, vel etiam *obnoxiavit*.
[l] Mss. tres, *quia culpam*.
[m] Sola editio Lugd, *abolere potuit*.
[n] Mss. duo Colb., *donavit et cœlum*.
[o] Editi, *in illo*. Mss. omnes, *in Deo*.
[p] Editi, *quæ docuit*. — Ms. Camb., *docere quæ mandavit fieri*; sic et ms. Colb. unus. Colb. duo, *facere quæ fecit, fierique mandavit*. Colb. alius, *docere quæ fieri mandavit*.
[q] Hæc verba, *Quid est enim sequi, nisi*, non leguntur in mss. Colb. quatuor, et ms. Camb., nec in editione Lugd.
[r] Edit. Lugd., *adversos*.
[s] Ms. Reg. unus, *perversos*.
[t] Ms. Reg. unus, *non hominum*.
[u] Ms. unus, *Quid est peccato mori? Damnandis*, etc.
[v] Ms. Camb., *ut quoniam*. Mss. sex, *ut sicut mortuus carne, nulli jam*, etc.
[x] Ms. Reg. unus, *nullum aversatur*. Ms. unus Colb., *nulli adversatur*.

odiorum facibus inardescit, non compendia injusta sectatur, non potentibus [a] aut divitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur; non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum injuriis fatigatur; non eum superbia inflat, non ambitio ventosa præcipitat, non vana gloria turpiter jactat, non desiderium [b] gloriosæ opinionis inflammat, non [c] distentio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpium turpitudinis amor invitat; non rabies insani furoris exagitat, [d] non sumptuosarum deliciarum studium mactat, non ardor animosæ contentionis exanimat; non facit impudentem audacia, iniquum injustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, deliciosum gula, rebellem inobedientia, vanum jactantia, infidelem perfidia, levem facilitas, [e] sævum crudelitas, [f] manducatorem turpis edacitas, impatientem mobilitas, [g] mobilem instabilitas, vagum spiritualis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum perversitas, verbosum vanitas, [h] injuriosum malignitas; qui remotus est prorsus a sæcularibus illecebris, remotus ab [i] immunditiis et inimicitiis, remotus ab insidiis alienis, remotus a rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus a mendaciis sive perjuriis, postremo remotus ab omni genere flagitiorum [j] atque facinorum, quibus carnaliter viventes Deum offendunt, et mortui [k] peccato non serviunt. Sicut, inquam, carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati; ita et his et talibus vitiis omnino non vivunt, qui [l] viventes Deo carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt.

CAPUT XXII.

Quali temperantia uti debeant qui a voluptate delectabilium, vel ab immoderata perceptione ciborum communium, atque a vini immoderato usu cupiunt abstinere.

1. Membra sua, quæ sunt super terram, mortificant, quando insolens corpus jejuniorum continuatione castigant, quando [m] intra necessarium modum suum temperant appetitum; quando non solum se a delicatioribus cibis moderata districtione suspendunt, sed etiam in ipsis communibus nihil carni suæ pro desiderio, sed pro sustentandæ vitæ necessitate permittunt; certi quod nec deliciæ quælibet, si absque desiderio percipiantur, officiunt, et viles cibi plerumque abstinentiæ profectum, si appetenter accipiantur, impediunt. Hinc est quod sanctus David aquæ in se concupiscentiam castigavit, atque eam sibi a suis oblatam, ne desiderio suo ex ea satisfacere videretur, effudit (*II Reg.* XXIII, 16; *I Paral.* XI, 16 *et seq.*); et sancto Heliæ perceptio carnium [n] non concupita non nocuit (*III Reg.* XVII, 6). Unde datur intelligi quod veraciter abstinentes escarum non naturas, sed concupiscentias damnent, ac [o] voluptates suas desiderati cibi vel potus [p] abusione mortificent. Qui autem non solum a qualitate, sed etiam a quantitate ciborum cupiunt abstinere, nihil aliud student nisi ut, quantum stomacho reficiendo ac fami eximendæ satis esse videtur, indulgeant; nec expleant suos appetitus aviditate percipiendi, sed comprimant, atque eis non saturitas edendi finem faciat, sed voluntas: qui tam a cupiditate pretiosorum ciborum [q], quam a nimia perceptione vilium [r] continebunt; qui cibis nec lautioribus volunt [s] carne luxuriante dissolvi, nec distentione ventris [t] vilibus onerari: quando abstinentes viri nec deliciosi soleant esse, nec avidi.

2. Jam de vino abstinendo vel percipiendo quid dicam, unde sanctus Apostolus certam fixit regulam, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18)? Quasi diceret: Luxuriam facit et nutrit vini perceptio nimia, non natura; et propterea non uti vos vino, sed inebriari prohibeo: quandoquidem infirmum stomachum moderatus usus vini [u] confortat, ebrietas animum corpusque debilitat. Denique Timotheo suo discipulo, qui se longa abstinentiæ districtione jam fregerat, et stomachum suum aquæ perceptione corruperat, modico vino [v] uti debere præcipit, dicens: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (*I Tim.* V, 23). Ac per hoc, nihil contra abstinentiam faciunt qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt, nec hoc eis [x] offert voluntas, sed permittit infirmitas: quæ si defuerit, a vino est abstinendum, ne vini perceptio quæ infirmum sustentat, sanum corpus incendat. Quandoquidem vino uti, et usui habere oleum, nullus dixerit esse peccatum; sed hæc ideo non debemus carni desideranti præstare, ne cum illi licita concedere cœperimus, poscat illicita, et sibi obsequentes in minimis, in flagitia punienda compellat, ac naturali ordine perturbato, non spiritui corpus, sed spiritus corpori dominanti deserviat. Huc accedit quod et ipsam mentem abstinentiæ fructus alacrem

[a] Ms. unus, *ac divitibus.*
[b] Ms. unus, *gloriosum.*
[c] Mss. quinque, *distinctio.*
[d] Ms. Colb. unus, *non sumptuosarum litium.* Alter, *sumptuosorum lascivientium.*
[e] Ms. Colb. unus, *severum.*
[f] Mss. omnes, *manduconem turpem.* Unus ex his, *manduconem turpis edacitas.*
[g] Ms. Colb. unus, *immobilem stabilitas.*
[h] Mss. tres, *irrisorem.*
[i] Hæc verba, *ab immunditiis et*, absunt a mss. septem et editione Lugd.
[j] Mss. duo, *sive facinorum;* ms. alter, *vel facinorum.*
[k] Ms. unus, *peccando inserviunt.*
[l] Mss. omnes, *qui ut vivant Deo.*
[m] Ms. unus, *quando intra necessaria.*
[n] Ms. unus, *non ab eo concupita.*
[o] Mss. quinque, *voluntates suas.*
[p] Ms. unus, *absolutione.*
[q] Editi addunt hic *animos*, quæ vox abest a mss. omnibus.
[r] Mss. duo Colb., *continent.*
[s] Ms. Colb. unus, *carnem luxuriantem.*
[t] Hæc vox *vilibus* abest ab editis; legitur in mss. omnibus.
[u] Ms. unus ex Colb., *sanat.*
[v] Ms. unus, *uti deberi.*
[x] Ms, unus, *profert,*

facit; carnem quoque non usque ad lassitudinem A fatigatam, sed spiritui [a] ordinanti subjectam mobilem reddit. Sensus etiam quos dicuntur crassos efficere vel gravare congestæ deliciæ, consuetudo parcitatis exonerat, et velut [b] quadam politura religiosæ exercitationis attenuat.

CAPUT XXIII.

Quod utentes carnibus carnium concupiscentia polluat, non natura.

1. Cæterum si a quadrupedibus abstinentes, [c] phasianis altilibus, vel aliis avibus pretiosis, aut piscibus perfruantur; non mihi videntur resecare [d] delectationes sui corporis, sed mutare; nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua [e] immunditia, vel certe, quod est verius, [f] pro stomachi nauseantis teneritudine delicias illas communes ac viles abji- B cere, quo possint aliis non solum carnibus, sed etiam delicatioribus ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere: cum, sicut jam supra patuit, non aliquarum carnium, quæ usui humano concessæ sunt, nobis naturæ damnandæ sint, quas Deus instituit; sed carnales concupiscentiæ fugiendæ, quas sensui carnis diabolus introduxit. Illi autem qui [g] parciores videri volunt, et gloriam sibi velut de abstinentia districtiore conquirunt, sic ab omnibus animalibus judicant temperandum, ut peregrinis pomis, ac sorbitiunculis delicatis, cæterisque aliis [h] cibis, immanem sui corporis impleant appetitum: cum spiritualis abstinentia non aliquorum ciborum usum, sed desiderium suadeat compescendum, et illi magis parcimoniæ servire [i] censendi sint, qui sibi non C aliquarum rerum perceptiones, sed delectationes corporis interdicunt.

2. Illi quoque qui, [j] negata sibi vini perceptione, diversorum poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abstinentiam videntur implere: quia ad hoc fortassis a vino se suspendunt ut mercentur [k] ab hominibus laudem, et [l] interdicti sibi vini perceptionem compensant suavioribus poculis voluptatum. In vini enim usu non a vino tantum, sed ab omnibus quæ accipientes inebriant, vel ab aliis quæ etsi non ebrietatem, suavitatem certe percepta conciliant, abstinebit, ut sit veritate abstinentiæ [m] perfecte consummatus; non ejus imagine foris splendidus, intus cavus, hominibus velut purus, et Deo simulatæ virtutis sordibus plenus. Nec minus a cupiditate possidendi superflua, quam a voluptate percipiendi nobis est abstinendum. Quoniam cum omnia quæ habemus, pro nostris usibus habeamus, [n] ea quibus uti nolis, ardenter habere velle, vel etiam lucris hinc inde quæsitis augere, nihil est aliud quam non tolerandæ necessitati, sed intolerandæ cupiditati servire. Nec possum dicere: Ut sit unde quotidie pauperibus erogetur, mea possideo; quando nemo perfectius erogaverit eo, qui nihil sibi perfectionis intentione [o] relinquit ex proprio.

CAPUT XXIV.

[p] *Quam utile sit, jejunio vel abstinentiæ, advenientium caritatem plerumque præferre.*

1. Verumtamen sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos jejunandi vel abstinendi necessitati subdamus: ne jam non devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet advenientes, jejunio intermisso, reficio, non [q] solvo jejunium, sed impleo caritatis officium. Cæterum si propter abstinentiam spirituales fratres, quos novi mea remissione delectari, contristo; abstinentia mea non est virtus dicenda, sed vitium: quoniam quidem ipsa abstinentiæ ac jejuniorum continuatio, nisi fuerit quando res exigit prætermissa, et me inflat, et fratrem meum, cui caritas jubet servire, contristat; vel certe mihi nihil inesse caritatis fraternæ demonstrat; cum sine abstinentia quemlibet hominem catholicum caritas sola perficiat; et [r] omnes abstinentia aut perdat sine adjunctione caritatis, aut pereat.

2. Quia ergo abstinere aut jejunare etiam Manichæi vel quilibet alii hæretici possunt, ut pote qui omnes carnes non pro abstinentia, sed pro immunditia detestantes, corpora sua panis et aquæ perceptione [s] conficiunt: non pro magno ducamus quando ab his quæ illi quoque rejiciunt, abstinemus; sed [t] quando abstinentiam nostram fides commendat, caritasque consummat, quas virtutes illi

[a] Mss. omnes, *ordinate*.

[b] Mss. tres, *quædam politura*.

[c] Ms. Colb. unus, *phasianis, vel aliis avibus pretiosis aut piscibus*. Ms. alter, *phasianis altilibus, capsis, pavonibus et aliis*, etc.

[d] Mss. quatuor, *delectationem, sed mutare*. Unus ex his, *sed invitare*.

[e] Ms. unus, *munditia*.

[f] Mss. duo, *propter stomachi nauseantis teneritudinem*. Mss. tres, *pro stomachi nauseantis teneritudine delicata, illas communes ac viles carnes abjicere*. Mss. quatuor, *delicatas illas ac viles carnes abjicere*, cum editione Lugd.

[g] Ms. unus, *pauciores*.

[h] Mss. duo, *cæterisque inanimatis, sui corporis*. Ms. unus, *cæterisque aliis minutiis*. Mss. Reg. duo, *cæterisque aliis animi sui et corporis*, etc. Ita et editio Lugd.

[i] Mss. duo, *censendi sint*. Alii cum editis, *censendi sunt*: sed concinnior videtur priorum lectio.

D [j] Mss. Reg. duo, *qui negant sibi vini perceptionem*, etc.

[k] Hæc verba, *ab hominibus*, supplentur ex mss. sex; et totidem mss. habent, *qui et ad hoc*, etc.

[l] Mss. Colb. duo, *et interdicto sibi vino comp. poculis suavioribus voluptatem*. Alius, *et interdicti sibi vini compensant poculis suavioribus voluptatem*. Alter, *et interdicti sibi vini perceptionem compensant poculi suavioris voluptate*.

[m] Mss. quatuor carent voce *perfecte*. Ms. unus, *vera abstinentia perfecte consummatus*.

[n] Edit. Lugd., *ea quibus uti nobis conceditur*. Mss. Colb. duo, *ea quibus utimur*. Ms. alter, *ea quibus uti nobis non licet*. Ms. Camb., *uti nobis libet*.

[o] Mss. quinque, *reliquit*.

[p] Ms. unus, *Quod utile sit*.

[q] Ms. unus, *non solum jejunium, sed*, etc.

[r] Mss. duo, *omnis abstinentia*.

[s] Ita mss. tres. Editi vero, *afficiunt*.

[t] Mss. sex, *quod*.

non habentes occidere se possunt, ædificari autem [a] aut perfici taliter abstinendo non possunt. [b] Ipsis vero catholicis Christianis, qui sive non valendo abstinere, sive nolendo, omnia usui nostro concessa, cum gratiarum actione percipiunt, non nos propter abstinentiam præferamus: ne forte plus humilitatis aliarumque virtutum habeant illi, unde [c] jure nobis abstinentibus præferantur. Quocirca si volumus nobis [d] abstinentiam nostram jejuniaque nostra proficere, a superbia imprimis, quæ aut expellit omnes virtutes, A aut minuit, et jactantia cunctis inimica virtutibus, atque ab omnibus omnino vitiis discedamus, ut prosit nobis quod a cibis [e] delectabilibus abstinemus. Quia tunc nobis proderit, quod corpora nostra, vel certe corporum incentiva rigore districtioris abstinentiæ castigamus; si carnalibus desideriis absoluti, sanctis virtutibus floreamus. Sed jam finem liber [f] accipiat, ut de virtutibus ac vitiis, unde hic pauca tetigimus, latius ac plenius [g] in tertio volumine, donante [h] Deo, disputemus.

[a] Mss. quatuor, *ædificare*.
[b] Ms. unus, *Ipsi vero*.
[c] Ms. Colb. unus, *jure abstinentiæ*.
[d] Ms. Colb. unus, *dum abstinemus, nostra jejunia proficere*. In uno habetur vox *abstinentiam*, absque hac voce *nostram*. In duobus legitur *jejunia*, sine hac voce *nostra*.
[e] Ita mss. Editi vero, *a cibis delicatioribus abstineamus*.
[f] Alias, *postulat*.
[g] Ms. unus, *in ulteriore volumine*.
[h] Mss. quinque, *Domino*.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

De vita contemplativa, et quantum ab ea differat actualis, vel qualiter possitis ipsius contemplativæ virtutis fieri, [a] *adjuvante Deo, participes,* [b] *in primo volumine absolvi. De actuali quoque vita, ubi quæ esset religiosæ increpationis utilitas ac patientiæ virtus* [c] *ostensum est, et qualiter tractandæ essent ecclesiæ facultates, vel de modo* [d] *spiritualis abstinentiæ, quæ dicenda visa sunt, Deo donante, in secundo libro disserui. Nunc superest ut disputationem de vitiis atque virtutibus, non ingenio fretus, cujus mihi conscius non sum, sed* [e] *orantibus vobis adjuvandus incipiam.*

ELENCHUS.

[a] Ms. Colb. unus, *participes, Deo adjuvante, in primo*, etc.
[b] Mss. sex, *primum volumen absolvi*.
[c] Sic ms. Colb. unus. Alii cum edd., *ostensa est*.
[d] Ita mss. quatuor. Ms. alter, *de motu*. Editi, *de dono*.
[e] Ms. Colb. unus, *orationibus vestris*.
[f] Mss. Regii duo, *quod ita sit mixta*.
[g] Ms. Camberon., *si ei*.
[h] Ms. Camb., *ab impudentia*.

CAPUT PRIMUM.

Quantum a veris virtutibus virtutum similitudines distent.

1. [a] Quæsistis quantum a veris virtutibus virtutum similitudines distent. Non dico quantum a medicamento venenum: quia medicamentum ita corpus aliquoties sanat, ut id defendere a mortis necessitate non valeat, et venenum non auferri facit vitam corpori, quasi auferenda non esset, nisi fuisset acceptum, sed accelerat corporis mortem, quod erat aliquanto diutius forte victurum. Sed plane dico a veris virtutibus tantum similitudines distare virtutum, quantum distat a veritate mendacium: quia et similitudo virtutis, quæ videtur virtus esse, [b] cum virtus non sit, nihil est [c] aliud quam mendacium; et ideo non est virtus dicenda, sed vitium. Et vera virtus est veritas, cui qui amanter adhæserit, a peccati morte resuscitatus, mori ultra non poterit; nisi cum ab ea depravata voluntate recesserit. Sicut econtrario virtutis simulatio, quæ est, ut dixi, mendacium veritati contrarium, animam separat a Deo vita sua, non interituram, sed [d] in supplicio, quæ est illius mors, pœnaliter sine fine victuram: Scriptura dicente: *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11). Ac per hoc sicut virtus animam [e] sibi veraciter inhærentem, si fuerit vera, justificat; ita simulata condemnat. Et quid [f] justificatio animæ, nisi ejus est vita perpetue beata ac beate perpetua? Sicut condemnatio animæ pœna ejus est sentienda, quæ mors probatur, et ipsa perpetua.

2. Itaque dupliciter rea est anima, si et bonum non faciat unde spiritualiter vivat, et appetat similitudinem boni, sub qua male vivat et lateat. Su-A perbus vult [g] se credi constantem, prodigus liberalem [h], avarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, gulosus humanum, ignavus quietum, timidus cautum. [i] Impudentia fiduciæ sibi nomen ascribit, procacitas appellationem libertatis [j] obtendit, eloquentiam fingit verbositas, et curiositatis malum sub studii spiritualis colore delitescit. Hæc etsi possunt ingenio humano discerni, tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti [k] vel haberi; nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, declinari: in tantum, ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi sunt aliquas per corpus operati virtutes, quod [l] eas nec a Deo suo se accepisse crediderunt, nec ad eum qui est finis bonorum omnium referre voluerunt. Et B quid dico, nihil eis profuerunt? imo etiam nocuerunt, dicente [m] Apostolo: *Omne quod non est ex fide peccatum est* (*Rom.* XIV, 22). Non dixit, Omne quod non est ex fide, nihil est; sed dicendo, Omne quod non est ex fide peccatum est, declaravit quod omnia bona aut ex fide gesta virtutes sunt, quæ profecto justificant; aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia; quæ non juvant suos operarios, sed condemnant, inflatosque præcipitant, atque a finibus æternæ salutis eliminant.

3. Sed quid ego [n] hæc de infidelibus, unde nullus ambigere videtur, exaggero? cum sanctus Apostolus etiam fideles quosdam qui, credentes in Deum, non secundum Deum, sed secundum hominem vivunt, carnales nominet, dicens: *Et ego, fratres, cum venis-* C *sem ad vos, non vobis potui loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: nondum enim poteratis; sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales* (*I Cor.* III, 1, 2). Et tanquam quæreremus quid carnales velit intelligi, secutus adjunxit: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (*Ibid.*, 3)? Quid potest his duabus animi pestibus inveniri deterius, zelo et contentione, quibus carnales, qui secundum hominem vivunt, etiam in hac vita torquentur: cum et contentio hæreticos reddat, et zelus imitatores diaboli, paradisum primis hominibus invidentis efficiat? Ac sic, quando fideles justitia, pietate, misericordia, mansuetudine, humilitate, innocentia cæterisque virtutibus gaudent; aut secundum Deum vivunt, [o] et D virtutes veras habere credendi sunt, quæ spiritualiter viventes adeptæ sanctificant, et Deo commendant; aut secundum hominem vivunt, et non sunt veræ virtutes, sed virtutum similitudines, quæ nihil carnaliter viventibus prosunt.

[a] Ita mss. omnes. cum Lugd. Lovan., *Quæritis.* Duac. et Colon., *Quæretis.*
[b] Mss. quinque, *cum non sit.* Ms. unus, *et non est.*
[c] Mss. duo, *aliud nisi.*
[d] Abest *in* a mss. quinque. Mss. duo Colb., *a Deo, vitam suam non intuituram, sed in supplicium*, etc.
[e] Ms. Colb. unus, *animum veritati inhærentem.*
[f] Ms. Colb. unus, *Et quid est justificatio animæ, nisi ejus vita?*
[g] Ms. unus Colb., *se videri.*
[h] Ms. Colb. unicus, *largum dissipator.*
[i] Edit. Colon. cum mss. Colb. quatuor, *Imprudentia.*
[j] Editi, *ostendit;* mss. omnes, *obtendit.*
[k] Mss. duo Colb., *nec haberi.*
[l] Mss. duo Colb., *qui eas.*
[m] Mss. sex, *sancto Apostolo.*
[n] Ms. Reg. unus, *quid ego hoc.*
[o] Ms. unus, *et sunt virtutes quæ*, etc.

4. Quapropter qui religiose, qui continenter, qui A sobrie, qui misericorditer vivit, si Deo, cujus munere ut bene vivat adjuvatur, ascribit, secundum Deum spiritualiter vivit; si vero omnia quæ bene facit viribus suis ascribat, quasi etiam sine adjutorio Dei ad bene agendum sibi sufficiat, secundum hominem carnaliter vivit: et ideo aut bene non vivit, aut nihil ei proderit quidquid boni propter homines facit: quia humanis laudibus delectatus, hic jam temporalem mercedem recipit suorum operum, quæ temporaliter fecit. Igitur ille secundum hominem vivit, [a] qui secundum seipsum vivit, quia et ipse homo est, et secundum seipsum vivit; qui si potuerit esse cum quibus vult, pergit quo vult, dormit quando et quandiu vult, loquitur quæ vult et ubi vult, manducat et bibit quando, et quod vult, et quantum vult; ridet B [b] ac jocatur inter quos vult: postremo quidquid naribus suave est, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid cæteris sensibus carnis suæ jucundum, exercet ac sequitur qualiter vult, qui omnia licita vel [c] illicita carnaliter vult. Qui autem secundum Deum vivit, non quod eum carnaliter delectat, sed quod spiritualiter ædificat facit, et omnia desideria carnis spiritualis desiderii delectatione compescit, futura præsentibus anteponit, carnem spiritui subdit, et quidquid cupit aut agit, non vult ex sua, sed [d] ex Dei sui voluntate procedere, cui placere totis viribus concupiscit.

5. Itaque, si utcunque jam claruit, quod virtutes veras non videantur habere qui simulant; et illi simulant qui non ex fide, aut non propter Deum, sed propter C homines tantum boni aliquid operantur, eleemosynis ac jejuniis, vel abstinentiæ cæterisque bonis operibus serviendo, non ut boni fiant, sed ut se bonos hominibus fingant, nec ad recipiendam sempiternam mercedem, sed ad comparandam gloriam [e] popularem: videamus nunc quibus præcedentibus causis et subsequentibus incrementis nasci soleant vitia, vel augeri; et quibus, adjuvante [f] Deo, [g] remediis possint velut quibusdam medicamentis imminui vel sanari.

CAPUT II.

Quod superbia sit malorum omnium causa.

1. Est quidem hoc [h] caput valde perplexum, sed si oretis illum qui dixit: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri* [i] *qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20); et alibi, *Dilata os tuum, et ego adimplebo illud* (*Psal.* LXXX, 11): ea quæ mihi ut homini impossibilia sunt, illuminante Domino, vel docente, possibilia fiunt. Consideremus ergo quæ causæ præcedant, [j] quæ vitia subsequantur. Quod [k] ut credibilius videatur, [l] non hoc a me prudentia vestra perquirat; sed vobis, et mihi, vel omnibus Scriptura divina consulta respondeat: quæ velut si jam quæreremus ab ea immobilem sententiam protulit, dicens: *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* x). Quid potest apertius, quid probabilius dici? *Initium*, inquit, non alicujus, sed *omnis peccati superbia*: ut evidenter ostenderet quod ipsa sit peccatorum omnium causa: quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit sine ipsa. Siquidem [m] nihil aliud omne peccatum, nisi Dei contemptus est, quo ejus præcepta calcantur. Quem contemptum Dei nulla res alia persuadet hominibus, nisi superbia; quæ etiam in ipso diabolo, ut diabolus ex angelo fieret, æternæ perditionis exstitit causa (*Isai.* XIV, 13; *Luc.* x, 18). Denique et ipse sciens se per superbiam de cœlestibus corruisse, et in hunc caliginosi aeris carcerem trusum; homini subvertendo quem Deus fecerat sine ullo peccato, vitium persuasit serpentina calliditate [n] superbiæ (*Gen.* III, 14), certus quod recepta superbia, quæ est malorum omnium causa, facile jam peccata omnia, quæ non nisi superbo concipiuntur animo, perpetraret.

2. Hinc est quod idem primus homo superbi spiritus elatione corruptus, omnem posteritatem suam quæ in illo radicaliter fuit, necessitati corruptionis ac mortalitatis addixit: ut corruptibilis et mortalis effectus, corruptibiles mortalesque generaret; atque ita quod in illo egerat punienda superbia, in omnibus ex illo natis peccati fieret [o] pœna. Et propterea [p] non

[a] Hæc aberant ab edit. Colon. et mss. Regiis duobus; leguntur autem in mss. Colb. tribus, et editionibus Lugd., Lovan. et Duac. Ms. Colb. unus, *quia et ipse homo, et secundum seipsum vivit, qui secundum seipsum vivit.* Forte legendum: *quia et ipse homo est qui secundum seipsum vivit.*

[b] Mss. Reg. duo, Colb. quatuor, et Camber., *jocatur.* Editi, *lætatur.* Totus hic locus diversimode legitur in mss. Colbert. In uno sic: *Qui si poterit esse cum quibus vult, pergit; quando vult dormit, quando et quandiu vult loquitur, quæ vult et ubi vult manducat ac bibit; quando et quod vult, et quantum vult ridet ac jocatur inter quos vult.* In secundo: *Qui si potuerit, est cum quibus vult, pergit quo vult, dormit quando et quandiu vult, et ubi vult; manducat et bibit quando et quod vult; ridet et jocatur inter quos vult.* In tertio: *qui si potuerit, est cum quibus vult, pergit quo vult; dormit quando et quandiu vult; loquitur quæ vult et ubi vult, manducat et bibit quando et quod vult: et quantumcunque vult ridet ac jocatur*, etc. In quarto: *qui si potuerit, est cum quibus vult, dormit quando et quandiu vult, loquitur quæ vult et ubi vult, manducat* D *et bibit quando et quod vult, et quantum vult; ridet ac loquitur inter quos vult.*

[c] Ms. Camberonensis, *et illicita.*

[d] Mss. tres Colb., *ex Dei voluntate.*

[e] Mss. duo, *sæcularem.*

[f] Mss. sex, *Domino.*

[g] Ms. Colb. unus, *remediis possint imminui vel sanari.* Ms. alter Colb., *remediis possint imminui, et quibus medicamentis sanari.*

[h] Mss. omnes, *hoc capitulum.*

[i] Mss. duo Reg. addunt *cœlestis.*

[j] Mss. tres, *quas vitia:* in quorum uno ab alia manu correctum est, *quas causas vitia,*

[k] Mss. Colb. tres, *audiatur*; unus, *suadeatur.*

[l] Ms. unus, *non hoc a me.*

[m] Ms. Reg. unus, *omne peccatum nihil aliud.*

[n] Ms. unus, *vitium... superbiæ ingessit.*

[o] Ms. Camb., *causa.*

[p] Ms. Reg. unus, *non quomodo jam volumus, possumus peccato resistere, sicut ille potuit.* Ms. Reg. alter, *non quodammodo jam possumus*, etc.

eo modo jam possumus peccato resistere sicut ille potuit, [a] cui nihil aliud fuit non peccare quam nolle. Nobis autem irreprehensibiliter vivere velle non sufficit, nisi ipsum velle nostrum, quod languida possibilitate deficit, divina virtus adjuverit. Quia illum ad non peccandum etiam juvare poterat adhuc sana natura, [b] nos jam impedit vitiata; et illum peccare fecit sola peccandi [c] voluntas, nos etiam cogit plerumque [d] peccati jam facta necessitas. Propter quod Deo clamamus et dicimus: *De necessitatibus meis* [e] *libera me* (*Psal.* xxiv, 17). Ac sic ideo fortassis dicit Scriptura divina, *Initium omnis peccati superbia* (*Eccl.* x, 15); quod ipsa præcessit in diabolo, et [f] per ipsum subversus est homo, de quo dicit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* v, 12).

3. Cæterum nos, qui primo homine peccante, peccavimus, non in nostra separata jam vita, sed in ejus natura, [g] in qua fuimus, [h] et corruptionem velut de radice superbiæ morbo [i] corruptæ contraximus, [j] et in ipsa corruptione nostra omnes peccatorum causas habemus: qui non corruptibiles efficimur quia [k] peccamus; sed quia corruptibiles sumus, omne peccatum ex ipsa corruptione nostra committimus. Primus autem homo non ideo peccavit quia corruptibilis fuit, sed cum incorruptus esset, seipsum peccando corrupit, et corruptionem suam in nos propagatione transjecit; et idcirco ibi [l] nobis auferenda est tota mortalitas, omnisque corruptio, quæ facta est ex peccato, ubi erimus sine ullo peccato; hic vero ubi non jam sanata est, sed adhuc sanatur [m] per gratiam nostra natura, quæ infirmata est per culpam; piis conatibus nostris resistit ipsa concupiscentia vitiosa, non naturalis, sed naturæ nostræ indita pœnaliter et inserta: quæ peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit. Quam licet, quandiu mortaliter vivimus, habeamus, non eam tamen studio nostræ voluntatis adjuvemus, [n] et vincimus: quoniam non eam in nobis sentiendo, sed ei consentiendo, peccamus; nec ipsa statim ut nos pulsaverit vincit, sed si mentem nostram (quod absit) de sublimitate propositi sui in consensum peccati dejecerit.

CAPUT III.

Quod superbia, ex qua procedunt omnia mala, humilitatis virtute vincatur; et omnia vitia tunc fugata depereant, si virtutibus cedant.

1. Proinde si superbia est initium omnis peccati, et concupiscentia pœna peccati, non potest aliter vinci concupiscentia vitiosa, nisi prius caveatur humilitatis virtute superbia, quæ ejus est inimica. [o] Superba voluntas facit Dei præcepta contemni, [p] humilitas custodiri. Superbia ex angelis dæmones [q] fecit, humilitas homines sanctis angelis similes [r] reddit. Illa rebelles [s] diabolo subditos facit, hæc humiles Christo conjungit. Superbi cupiunt [t] in se quod non faciunt prædicari; humiles refugiunt quidquid boni operantur agnosci. [u] Illi vitia sua a se alienando, perversitatem suæ voluntatis excusant, et bona sua suis viribus deputando, semetipsos turpiter jactant; isti, si qua peccata commiserint, voluntarie confitendo semetipsos accusant; et omnia bona sua divino muneri deputando, Deum jugiter laudant. Quapropter si virtus [v] non habitat in animo vitioso, superbia humilitatis [x] cedat imperio; quia non potest mens regnum [y] habere virtutum, nisi prius jugum excusserit vitiorum. Tunc enim vitia [z] fideliter expulsa discedunt, [aa] si virtutibus cedant. Alioquin vel [bb] subsidunt ad tempus ejecta, vel redeunt: nisi virtutes in locis vitiorum, quæ fuerint depulsa, successerint.

2. Quapropter pietas in nobis crudelitati resistat, iram patientia fundata coerceat, pudicitia libidinem vincat, animositatem tranquillitas tollat, verbositatem taciturnitas moderata compescat, delectatio spiritualis desideria carnalia imminuat, abstinentiæ rigor aculeos carnis obtundat, [cc] curiositati studium spirituale succedat, sobrietati cedat ebrietas, mansuetudini succumbat immanitas, dominetur levitati maturitas, Dei et proximi caritate crescente, consumatur tota mundi cupiditas; excludat parcitas vera luxuriam, castiget industriæ virtus ignaviam, reprimat humilitas profunda jactantiam, pellat simplicitas pura vecordiam,

[a] Ms. Colb. unus, *qui non peccaret, si nollet.*

[b] Ms. Colb. unus, *quæ nos jam impedit vitiata.* Ms. Regius unus, *impellit.* Alii, *impulit.* In uno ab alia manu, *jam non potest vitiata.*

[c] Ita mss. sex. Editi, *voluptas*; in ms. uno, *faciebat.*

[d] Ms. Reg., *peccati jam facti.* Mss. Colb. duo, *peccandi jam facta.*

[e] Ms. unus, *eripe me.*

[f] Mss. duo Colbert., *per ipsam.*

[g] Mss. quatuor, *in qua fuimus ille unus.* Ms. alter, *in qua sumus illi unus.* Ms. alius, *in qua fuimus in ipso unus.*

[h] Ms. unus omittit *et*, quod habetur in aliis omnibus. Ms. Camb., *illius corrupti corruptionem.*

[i] Sic mss. sex; unus vero, *corrupti.* Editi omnes, *conceptam.*

[j] Deest *et* in mss. duobus.

[k] Ms. unus, *peccavimus*; rectius alii, *peccamus.*

[l] Ms. unicus, *a nobis.*

[m] Hæc verba, *per gratiam*, absunt hic a mss. sex. Mss. vero Camb. et Colb. quatuor sic habent: *sed sanatur nostra natura, quæ est infirmata per culpam, sanaturque per gratiam, piis*, etc.

[n] Ms. Reg. unus, *sed vincamus.* Ms. Camb., *adjuvamus, sed vincimus.*

[o] Ms. Colb. unus, *superbia facit.*

[p] Mss. duo, *humilis.*

[q] Ms. unus, *facit.*

[r] Ms. Camb., *reddidit.*

[s] Ms. Camb. addit *Deo.*

[t] Ms. unus, *ex se.*

[u] Ms. Reg. unus, *illi vitam suam, alienando a se perversitatem suæ voluntatis, excusant.*

[v] Ms. Camb. caret negatione.

[x] Ita mss. quatuor. Editi, *cedit.*

[y] Ms. Reg. unus, *regnum haberi.*

[z] Mss. quinque, *fideliter expectorata.* Ms. Colb. duo, *fideliter ex pectore discedunt.*

[aa] Ms. unus, *si virtutes succedant.*

[bb] Ms. unus, *subsiliunt.*

[cc] Ms. Colb. unus, *curiositatem studium spirituale succidat.*

non impediat varietas [a] fugata constantiam, emendati mores augeant disciplinam, frangat clementia religiosa sævitiam, et funditus eradicet bonitas acquisita malitiam, ut expulsione vitiorum celebretur introductio gloriosa virtutum. Sed de virtutibus in [b] capite sequenti videbimus, nunc de vitiis, ut cœpimus, prosequamur.

CAPUT IV.

De cupiditate, [c] quæ ita mixta est superbiæ, ut nihil peccati fiat quod non ex utraque procedat.

1. Si, [d] utcunque jam patuit, qualiter intelligatur quod Scriptura dicit, *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* x, 15); hoc etiam videamus quod sanctus Apostolus dicit: *Radix omnium malorum est cupiditas* (*I Tim.* vi, 10): cum Spiritus sanctus, qui locutus est per prophetam, per Apostolum quoque ipse locutus sit, nec sibi [e] possit esse diversus. Sollicite considerare debemus quare ille initium omnis peccati superbiam, hic radicem omnium malorum cupiditatem [f] nominari voluerit. An forte sermonem propheticum Paulus apostolus, ut solet, exposuit? quandoquidem sive initium omnis peccati, sive radicem omnium malorum dicas, unum idemque [g] significas. Porro cupiditas atque superbia in tantum est unum malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit cupidus inveniri. Siquidem et diabolus, in quo tenet superbia principatum, propriæ [h] potestatis ac perditionis humanæ cupidus fuit, et ipse homo per appetitum arboris interdictæ, ac divinæ similitudinis affectationem, [i] morbosæ affectum cupiditatis ostendit. De superbia namque nascuntur hæreses, schismata, detractiones, invidia, verbositas, jactantia, contentiones, animositates, ambitio, elatio, præsumptio, vanitas, inquietudo, mendacium, perjurium, et cætera ejusmodi. Sed hæc quis dubitet ex cupiditate quoque procedere, cum omnes qui fuerint illis omnibus morbis quos nominavi [j] corrupti, habeantur et cupidi?

2. Item cum gulosos, intemperantes, ebriosos, avidos, rapaces, fornicarios, adulteros, stupratores, incestos, flagitiosos, cupiditas reddat; quando possunt sine superbia tales fieri, sine qua omnino non possunt Dei præcepta contemni quibus prohibentur illa omnia mala quæ superius comprehendi? Ideoque si volumus consummare nostri certaminis cursum, caveamus imprimis cupiditatem atque superbiam; non duo mala, sed unum, a quo trahunt [k] omnes mali actus initium. Nam sine superbia quæ possunt saltem inchoari peccata, cum dicatur: *Initium omnis peccati superbia?* Aut sine cupiditate, quæ *est malorum omnium radix*, quæ possunt fieri mala, cum sine radice omnia, aut nulla deputentur, aut mortua? Deinde si quodlibet peccatum perpetrare non possum, nisi [l] malæ delectationi consentiam, quod cupiditatis est proprium; et Dei præcepta contemnam, quod est superbiæ malum: quomodo non ex cupiditate, quæ est radix malorum omnium, et ex superbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum?

CAPUT V.

Quo animi tormento invidos affligat invidia.

Invidus certe, qui alienum bonum, suum facit invidendo supplicium, nulla videtur ad invidendum concupiscentia provocari, sed tantum superbiæ morbo vexari. Sed si animi ejus [m] pestem qua præcipitatur [n] incensus, subtiliter alteque rimemini, invenietis eum et perditionis ejus [o] cupidine, cujus cupit interitum, et [p] superbiæ malo teneri, quo sibi jugiter ingemiscit meliorem cui invidet, anteferri. Quis facile potest [q] quale sit hoc malum verbis exprimere, [r] quo invidus odio hominis persequitur divinum munus in homine, cum potius amari homo debeat, etiam pro sui meriti sanctitate? Tantos invidus habet [s] justa pœna tortores, quantos invidiosus habuerit laudatores. Siquidem invidiosum facit excellentia meriti, invidum pœna peccati: nec ei ab homine potest adhiberi remedium, cujus est vulnus occultum.

CAPUT VI.

In quæ et quanta mala concupiscentia carnis erumpat si ei mens corrupta consentiat.

1. Quid [t] concupiscentiæ carnis addictus, nunquid non videtur nihil habere superbiæ, cum præsertim passio ipsa eum videatur humiliare luxuriæ? Et tamen nisi prius Deo rebellis existeret, cujus salubre præceptum de pudicitia conservanda, superbi spiritus præsumptione [u] contemnit, nulla eum lasciviæ cupiditas provocaret. In animo ejus diu disceptant Dei contemptus et metus; sed aut contemptus Dei præponderat, et superbus animus, recepta cupiditate, pudicitiam perdit; aut obtinet metus, et animus Deo subjectus cupiditati simul ac superbiæ contradicit. Plerosque enim gula et abundantia vini turpiter in luxuriam solvunt, alios in [*al.* ad] injuriam pudicitiæ sordidæ cogitationes incendunt, nonnullos de proposito castitatis occasiones oblatæ dejiciunt, quosdam

[a] Ita ms. Reg. unus; in altero tota hæc phrasis desideratur. Alii codices habent *varietas fucata.*
[b] Mss. quatuor, *in sequenti capitulo.*
[c] Mss. duo, *quod ita mixta sit.*
[d] Ms. Colb. unus, *Sicut cuique.*
[e] Ms. Camb., *possint esse diversi.* Edit. Lugd., *possit esse diversus locutionis modus.*
[f] Mss. quatuor Colb., *nominare.*
[g] Editi, *significes.*
[h] Ita mss. omnes. Editi autem, *voluntatis.*
[i] Mss. sex, *morbo se affectum.*
[j] Ms. Colb. unus, *corrupti habeantur a cupiditate.*
[k] Ms. Reg. unus, *omnia mala actus initium.* In eodem ab alia manu, *omnis mala actus initium.*
[l] Mss. omnes, *malæ delectationi.*

[m] Ms. unus, *perniciem.*
[n] Ms. unus, *inflammatus.*
[o] Mss. quinque, *cupidum.*
[p] Ms. Camb., *et superbia mala.*
[q] In uno ms. deest *quale sit.*
[r] Ms. unus, *quod invidus.*
[s] Ms. unus, *justæ pœnæ.*
[t] Edit. Colon. cum mss. duobus, *Qui concupiscentiæ carnis addictus est, nunquid,* etc.
[u] Mss. duo, *contemneret.* Ms. Colb. unus totum hunc locum sic exhibet: *Tamen nisi prius Deo extiterit rebellis, cujus salubre præceptum est de pudicitia conservanda, et superbus spiritu præsumptionis contemneret, nulla eum,* etc.

sub impudicitiæ jugum exempla perdite viventium mittunt.

2. Sunt alii quorum vitam lingua turpis inflammat, [a] aut turpem conscientiam manifestat, qui prius inverecundos sermones aut proferunt libenter, aut audiunt, ac deinde, paulatim morbo crescente, ab honestate [b] deficiunt, attritoque pudore viles effecti, dum indecenter elegantes videri [c] volunt, passim jam turpibus verbis impudenter insaniunt. Hoc enim loquuntur quique, quod diligunt; et delectabiliter audiunt quod assiduis cogitationibus volvunt. Cogitatio quippe est quæ mentem, sicut turpis inquinat, ita, si fuerit honesta, purificat. Aut si non ex cogitatione facies mentis existit, sed qualitas cogitationis ex mente; non sordidæ cogitationes mentem sordidam reddunt, sed ex mente sordida sordidæ cogitationes [d] existunt. Quod si ita est, pulchrorum corporum formæ per oculos irrepentes, animum non movent incorruptum; et quando corruptibiliter movent, non corrumpunt sanum, sed ostendunt propria voluntate corruptum.

3. Turpia quoque verba per aures ingressa, quid prævalent, si non fuerint arbitrio mentis admissa? Quando autem prævalent, non [e] ipsam corrumpunt mentem, sed jam corruptam sponte reperiunt. Auribus enim castis obsceni sermones cum sono deficiunt, nec secretum pudici cordis irrumpunt. Quid palpamen [f] tenerum, quod [g] menti jam vitiosæ blanditur, numquid potest ad animum admitti per tactum, si animus incorruptum servet professionis suæ propositum? Ac sic, prius integritatem sui animus sponte vitiatus amittit, et sic delectationem tactus admittit. De cibi vel potus cavenda delectatione jam dixi sufficienter, ut arbitror, in secundo volumine, ubi, quanta potui brevitate, perfectionem spiritualis abstinentiæ commendavi.

4. Sed et hic hoc breviter dico, quod per os carnis non irrumpit delectatio gustus ad mentem, nec erumpit sermo turpis ex mente, nisi se [h] voluntarie mens ante corrumpat, quam recipiat aliquid unde corrumpatur, aut proferat. Cæterum si animus sub Deo suo firmus ipsius Dei sui munere perseveret, nec quibuslibet deliciis lenocinantibus cedit [i], nec profert aliquid turpe nec recipit. Jam de odoribus pauca perstringam, ut totam tentationem quinque pertiti sensus verbis includam. Quos odores per adi- A tum narium aut affectat mens ægra, aut divinitus adjuta repudiat: [j] quæ si se suo creatori subjiciat, atque ei, qui est dignitas ejus et salus, amanter inhæreat, non solum nulla eam vitiorum fœditas decolorat, sed nec delectatio ulla [k] carnalis effeminat. [l] Quod si a caritate sui conditoris et illustratoris inflata resiliat, ac se, relicto interiore solidoque bono, foras in exteriora bona projiciat: quidquid in ea nervorum potest esse, resolvitur; quidquid virium debilitatur et frangitur; [m] tuncque ei actio spiritualis efficitur onerosa, et ipsa in carnalibus fit inquieta: ita ut omnia quæ per sensum corporis sentit, non vitianda, sed jam vitiata turpiter concupiscat: et quando corpus nihil sensibilium sentit, ipsa sibi delectabiliter recordando, sensarum rerum imagines B repræsentat. Apud se intus audit sine voce quidquid [n] cantilenæ suavis ac jocationis obscenæ per flexuosos aurium meatus influxit. Ibi ei odor [o] male suavis corruptibiliter fragrat, qui per patulas narium cavernas irrepsit. Ibi eam sapor oblectat, quem ad se per illecebram voluptuosi gustus admisit. Ibi persentit nescio quid molliter blandum, quod ei exterior tactus impressit. Ibi colores varios et illices formas concupiscibiliter videt, quas ei oculorum curiositas nuntiavit.

5. Quæ mens ita, absentibus plerumque [p] corporibus, imaginibus corporum delectatur affecta carnaliter ut nimia sordidæ cogitationis intentione defixa, non sibi imagines corporum videatur amplexari, sed corpora. Hinc est quod ille corporis fluxus qui fit in C dormientibus sine culpa, interdum vigilantibus contingat [q] ex culpa. Aliud est enim quod [r] in dormiente fit, aliud quod vigilans facit. Ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur, hic turpiter concupiscentia publicatur. Sed hæc concupiscentia illis vigilantibus hunc elicit fluxum, quibus per fœda colloquia sordidum commoverit appetitum. Hi sunt quibus usui est feminarum descriptio: illa rudis est, illa [s] dicacula, illa deformis, illa formosa; alterius placet ornatus, gestus alterius; illius laudatur etiam sine forma festivitas, illius sola formositas. [t] Inde transitur ad mores, et aliam talibus commendat taciturnitas moderata, aliam turpem videri facit libertas incondita. Hæc et his similia colloquentes, suggerunt concupiscentiæ suæ materiam. [u] Nec tamen ideo concupiscunt, quia D aut loquuntur libenter, aut audiunt; qui nisi concu-

[a] Mss. duo, *et turpem*.
[b] Ms. unus, *decidunt*.
[c] Editio Colon., *solent*.
[d] Ms. Camb., *exeunt*.
[e] Mss. quatuor Colb., *non corrumpunt*.
[f] Ms. Camb., *terrenum*.
[g] Ms. Reg. unus, *quod menti jam cupidæ vitiose blanditur*.
[h] Mss. tres, *voluntaria mens*.
[i] Mss. tres addunt *seducentibus*. Unus, *cedet* pro *cedit*.
[j] Ms. unus, *quia si se*.
[k] Mss. Reg. duo, *carnis*.
[l] Mss. tres, *Quæ si a caritate*.
[m] Mss. omnes, *tunc ei*.
[n] Ms. Colb. unus, *cantilena suavis aut jocationes obscenæ*.
[o] Ms. Camb., *odor suavis*.
[p] Ita mss. Colb. tres. In aliis deerat hæc vox, *corporibus*.
[q] Ms. Colb. unus, *cum culpa*.
[r] Ms. Colb. unus, *in dormientibus fit, aliud quod vigilans facit*. Alter, *in dormientibus fit, aliud quod in vigilantibus fit*.
[s] Mss. quinque, *decacula*.
[t] Ms. unus, *Ita transitur*.
[u] Ita mss. sex. Edit. Lugd. et Lov., *Hæc tamen ideo concupiscunt, quia*. Duac. et Colon., *Hæc tamen ideo concupiscunt, qui aut*, etc.; quibus concinit unus ex Colb. manuscriptis.

piscentiæ morbo corrupti essent, nunquam vel loquerentur talia, vel audirent: quia non eos ista corrumpunt, sed corruptos ostendunt.

6. Ac ne me ista veraciter arguentem quisquam judicet arguendum, noverit propter hoc forte ab antiquis fuisse decretum ne qui adolescentium legerent Geneseos librum, [a] ac partem pariter Ezechielis prophetæ, vel Canticum canticorum, et cætera talia, in quibus generationes, et actus, et nomina quarumdam scripta sunt mulierum. Quas licet secundum historiam fuisse credamus, earum tamen nominibus virtutes figuratas accipimus. Quoniam sicut illæ non solum viris suis per sanctos mores, sed etiam extraneis, sine dispendio sui pudoris, ob nimiam pulchritudinem placuerunt; ita sanctæ virtutes et suos mirabiles omnibus reddunt, et extraneos quadam admiratione sui perstringunt. Hinc est quod et ipsi qui vitiose vivunt, virtutes vitiis anteponunt: quia aliud est quod faciunt morbo, aliud quod coguntur, [b] probare judicio. Sed ne forte hæc spiritualia secundum carnem adhuc carnales acciperent; nec virtutes cogitarent quas mulieres illæ significant, sed ipsas [c] cogitando carnaliter deperirent; consulto juniores legere sunt illa prohibiti, quæ sicut spiritualiter accepta vivificant, ita carnaliter intelligentibus, ipsa carnalis intelligentia occasiones carnalis concupiscentiæ subministrat. Earum quisque nomina frequenter habet in ore, quarum desideria vulnerato gestat in corde, [d] ac turpitudinem quam exercere verecundatur in facto, tenet in animo, reus non humano judicio, sed divino.

CAPUT VII.

Quod etiam hi quos ab [e] impudicitia quælibet necessitas vetat, si vivere pudice consuescant, ad amorem castitatis ascendant.

Tales pudicos aut temperatio corporum facit, aut timor supplicii temporalis ab impudicitiæ actione suspendit, aut occasio negata destituit. Sed licet voluntate sit impudicus qui necessitate pudicus est; tamen si et ille temperati corporis, de beneficio naturæ suæ, Deo auctori omnium naturarum gratias agat; et ille quem timor in bono pudicitiæ tenet, atque is cui facultatem mœchandi negat occasio, vivere pudice consuescant: in virtutem [f] plerumque de necessitate proficiunt; et paulatim ipsius pudicitiæ delectatione crescente, pudici veraciter fiunt: et ita proficiunt, ut jam non sermone, sed virtute sordes impudicitiæ detestantes, non timore pœnæ carnalibus incentivis obsistant, quod est incipientium proprium; sed exsecratione peccati refrenent inquietos carnis affectus, A quod est castitatis consummatæ fastigium. Non quod animus unquam desinat in hac carne cum vitiis habere conflictum; sed quod eum alat ac provehat, et quantum fieri potest in præsenti vita, perficiat ipsa numerositas triumphorum: si modo non se in corpus sensibilium captus delectatione dejiciat; sed exsecratione delectationum sublimiter roboratus, supra corpus se corporalium victor attollat; ac Deo suo, sub quo [g] eum viventem desideria repudiata non vincunt, in æternum glorificandus adhæreat.

CAPUT VIII.

Quibus indiciis possit ostendi superbia, quæ vel in perditis aperta est, vel in fictis occulta.

1. Jam nunc videamus quibus indiciis possit superbia deprehendi: B ut sicut in superioribus claruit nullum peccatum sine illa posse committi, ita hic signa ejus eluceant, quibus cavenda possit ostendi. Omitto illos quos etiam ipse habitus et incessus superbos [h] ostendunt; quorum erecta cervix, facies torva, [i] truces oculi, et sermo terribilis nudam superbiam clamant: qui libidine [j] dominandi possessi, quos possunt violenter sibi subjiciunt, humana jura divinaque confundunt, honoribus intumescunt, passim cuncta diripiunt, suis criminibus gaudent, et seipsos, superbiæ morbo corrupti, non capiunt. Illos ergo prætereo, in quibus superbia tam aperte regnat, ut nec dignetur se occultare, nec valeat. Illos tantum dolendos ostendo, atque eorum exempla cavenda denuntio, quos jam conversos et aliquantulum proficientes superbia C [k] occulte captivat, quos in profundum malorum fraudulenta [l] dominatione præcipitat, et ne inde unquam possint emergere, jugiter calcat. Ipsa in cordibus talium locum diabolo facit; ipsa ei advenienti immunitum pectus familiariter pandit; ipsa introeuntem suscipit; ipsa captis jus perdite vivendi constituit; ipsa [m] omnes virtutibus exarmat quos semel invaserit; ipsa quidquid in eis remanserit quod vitiis [n] posset obniti, ne contra se forte convalescat, interimit.

2. Inde est quod hi quos [o] superbæ mentis tabes purulenta corruperit, seniorum suorum non observant imperata, sed [p] judicant; de suis negligentiis objurgati, aut rebellant [q] insolenter, aut murmurant; de loco superiori disceptant, præferri se etiam melioribus D impudenter affectant; simplicitatem spiritualium fratrum irridenter [r] exagitant, suas sententias procaciter jactant, obsequia delata fastidiunt, negata pertinaciter quærunt, natales moribus anteponunt, juniores suos [s] elati despiciunt, conferri sibi aliquos posse

[a] Editi, Lugd., *ac pariter Ezechielis prophetæ.*
[b] Editi, *placere.* Mss. omnes, *probare.*
[c] Ms. unus, *carnaliter cogitando.*
[d] Sic mss. tres Colb. Alii cum editis, *aut turpitudinem.*
[e] Ms. Camb., *ab impudentia.*
[f] Mss. quatuor non habent *plerumque:* cujus loco duo ex Colb. habent, *tales de necessitate proficiunt.*
[g] Editi Lov. et Lugd., *cum viventem.*
[h] Mss. tres, *ostendunt*, Alii cum editis, *ostendit.*
[i] Ms. Colb. unus, *atroces.*
[j] Mss. Reg. unus et Camb., *dominante.*
[k] Mss. duo, *occulta.*
[l] Ms. unus, *damnatione.*
[m] Mss. septem, *ipsa omnibus bonis exarmat.*
[n] Mss. quinque, *possit obniti.* Ms. unus, *quod virtuti ejus possit.*
[o] Mss. duo cum Duac. et Colon., *superbiæ mentis.*
[p] Ms. unus, *dijudicant.*
[q] Ms. unus, *violenter.*
[r] Ms. unus, *exaggerant.*
[s] Ms. unus, *elate.*

non credunt, æquari senioribus [a] dedignantur, super eos se solo animi tumore constituunt: non servant in obsequio reverentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam; habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermocinatione jactantiam; in humilitate fallaces, in odio pertinaces, subjectionis impatientes, potentiæ sectatores, omnibus bonis odibiles; ad opus bonum pigri, ad communionem [b] feri, ad obsequium duri, ad loquendum quod nesciunt prompti, ad supplantandum parati, ad omnia quibus subsistit fraterna societas inhumani; temerarii in audendo, clamosi in loquendo, fastidiosi in [c] audiendo, præsumptuosi in docendo, [d] effrenati deformiter in cachinno, onerosi amicis, infesti quietis, ingrati [e] beneficiis, inflati obsequiis, et imperiosi subjectis.

3. Hæc sunt superbiæ grassantis indicia, quibus Deus offenditur, et recedit, ac superba corda destituit. His [f] malis diabolus pastus exsultat, invitatur, ut veniat, superbas mentes intrat, ut teneat; erigit, ut allidat; fovet, ut perdat: qui [g] inexplebiliter de ipsa perditorum captivitate tripudiat; ut captivos suos, quos superbiæ viribus sibi subjecit, jure possideat, et omnia illa mala quæ superius comprehendi, per illos exerceat. Merito igitur per justum Dei judicium deseruntur hujusmodi occulto [h] damnati supplicio; quoniam non violenter addicti, sed sponte cedunt superbiæ decipientis imperio; cui utique possunt, [i] si voluerint, repugnare liberæ voluntatis arbitrio; liberati per donum Spiritus sancti, et muniti. Verumtamen etiam tales, si ad recipiendam salutem divinitus animati, spem resipiscendi concipiant, nec se in peccatis suis desperando contemnant, poterunt fructuosæ satisfactionis medicamento sanari, et superbiam, quæ eos a Deo suo tumefactos excusserat, fundatæ humilitatis assumptione damnantes, vinculis æternæ damnationis absolvi. Quod qualiter fieri possit, supra jam diximus, cum de ipsa superbia, unde processerit, quo pervenerit et quid egerit, tractaremus. [j] Namque a diabolo processit, ad hominem primum pervenit, et in ipso totum genus humanum, velut in radice fructum, naturæ sponte [k] peccantis vitiatione corrupit.

CAPUT IX.

Quibus signis invidorum declaretur invidia.

1. Ordo ipse exigere videtur ut de invidia quoque pauca dicamus, quæ in tantum de superbiæ fonte manavit, ut diabolus, qui per superbiam periit, hominem primum statim, succensus invidiæ felle, perdiderit; [l] namque a diabolo processit. Proinde, quia idem diabolus superbiendo invidus, non invidendo superbus apparuit, non superbia fructus invidiæ fuit, sed invidia ex superbia radice processit. Unde, quoniam quantum invidos affligat invidia, [m] sermo superior jam prodidit, non hic [n] de illius supplicio dicendum videtur, quo suos animos invidi laniando conficiunt; sed hoc tantum, donante Domino, debemus ostendere, qualiter invidi sancte viventium merita, sua faciant invidendo peccata; et quantum in eis [o] bonum corrumpat invidia, qui quidquid boni fieri vel dici a sanctis audierint, aut omnino [p] non credunt, aut res bene gestas in malum male interpretando convertunt. Omne malum quod de illis mendax fama jactaverit, statim, tanquam [q] si ipsi viderint, credunt. Feraliter eis qui illud verum non esse probare voluerint, contradicunt. Omnia suis æmulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia intra se abscondunt, et in suos cruciatus enutriunt, proficientibus invident, peccantibus favent. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, [r] inimicitiis gratuitis ardent, deprehendi [s] pectoris sui malitiam timent, semper amari, nunquam certi; amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi; ad gaudenda anxii, ad plangenda læti, utrobique [t] perversi. Inter amicos [u] discordias seminant, [v] discordantes ad tempus, si possunt, in dissensione confirmant. [x] Opinionem bonorum mendaciis decolorant: in spiritualibus carnalia laudant, ut spiritualia bona eis deesse persuadeant. Amicitias simulant, ut eos qui se incaute sibi [y] commiserint, qua possunt arte decipiant. Odiorum sibi occasiones pravis suspicionibus coacervant; dæmones, quorum sectantur facta, lætificant. Sanctos viros quibus sunt noti contristant, velut amici in obsequio, hostes in animo. [z] Continentes in verbo, turpes in facto. Prodigi secretorum, [aa] tenaces malorum, prompti suspicionum malarum, inanes bono-

[a] Ms. unus, *dedignati*.

[b] Edit. Colon. et mss. quatuor, *ad communionem seri*.

[c] Editi, *in videndo*. Mss. omnes, *in audiendo*.

[d] Ita mss. duo Colb., et melius quidem quam *efferati*, quod legitur in aliis codicibus.

[e] Edit. Duac. et Colon. cum ms. uno, *beneficis*, alii, *beneficiis*.

[f] Ms. Colb. unus, *His signis*.

[g] Ms. Colb. unus, *inexplicabiliter*.

[h] Mss. sex, *prædamnati*.

[i] *Hæc, si voluerint*, absunt a mss. Reg. duobus et Camb.

[j] Mss. quinque, *Namque*. Editi, *Nam quia*.

[k] Sic. ms. Colb. unus, cum aliis. Editi cum quibusdam mss., *peccati*. Ms. Reg. unus, *peccanti*; alia manu, *peccatis*, forte pro *peccantis*.

[l] Mss. tres, *nam quia*. Edit. Lugd., *non quia*, sed male.

[m] Ms. unus, *superius sermo jam*.

[n] Mss. Colb. unus, *de illorum... quo*. Mss. tres, *de illius... quod*.

[o] Ms. Camberon., *bonorum*. Mss. Reg. duo, *quantum eis bonum corrumpat invidia. Quidquid*, etc.

[p] Ms. unus, *non credant... convertant*.

[q] Ms. unus, *si et ipsi*.

[r] Editi, *de inimicitiis*. Mss. non habent *de*.

[s] Mss. duo, *peccati*.

[t] Editi, *dispersi*. Ms. unus, *ubique perversi*.

[u] Mss. duo, *discordiam*.

[v] Ms. Colb. unus, *discordantes, si possunt, attentius in dissensione confirmant*.

[x] Mss. duo, *Opiniones*.

[y] Editi, *commiserunt*.

[z] Mss. unus, *incontinentes*. Alter, *compti*.

[aa] Mss. quatuor Colb. totum hunc locum ita exhibent, *tenaces malarum suspicionum, inanes bonorum, pleni sordium*, etc.

rum. Pleni sordium, præditi fraudibus. Adversarii corde virtutibus, pravi moribus, et insidiosi cunctis [a] secum in simplicitate viventibus.

2. Hæc [b] et his similia sunt quæ omnes invidos [c] bonis voto sive animo inimicos ostendunt. In hæc mala deveniunt, qui insectando [d] sectandos, [e] et diligendos abominando, feraliter a communione [f] bonorum omnium seipsos excludunt : ut illud bonum jure non sit in eis, quod persequuntur in bonis. Considerate, obsecro, qualiter invidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Ubi isti fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali? aut quando bene malis usuri sunt, qui male bonis uti non desinunt! Bene malis usi sunt martyres sancti, in testimonio Salvatoris nostri veraces, et in castris spiritualibus strenui bellatores; qui tribulationibus et damnis, ac variis cruciatibus affecti, pariter et probati, terrenis cœlestia mutaverunt; et [g] de bono usu malorum profecti ad gaudia bonorum perennium pervenerunt. Item bonis utitur invidus male, quia omnibus bonis quæ miser exsecratur, abjunctus, animi sui supplicio [h] relinquetur affligendus. Et quis ei poterit subvenire, qui se sibi exhibet invidendo carnificem? Aut unde sibi [i] parabit salutem, [j] qui de salutis materia contrahit (bonis male utendo) perniciem? Verumtamen si invidi quoque sicut alii peccatores divinitus inspirati, in spem recuperandæ salutis assurgant, ac sibi quales sunt, Deo placituri displiceant, si non imitentur Cain, qui postquam dominantis invidiæ furore cæcatus, germano suo vitam per scelus extorsit, et animam suam fraterni corporis morte percussam supplicio æternæ mortis addixit, consequendæ veniæ desperatione depressus ait [k] ad Dominum : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Gen.* IV, 13); hoc est dicere Deo : Indulgeri mihi non peto, quia peccatorum meorum magnitudine indulgentiæ tuæ vincitur magnitudo. Denique nusquam legitur aut pœnituisse de suo scelere, aut veniam meruisse. Si ergo [l] hujus abhorrentes exemplum se sibi auferant, et se Deo suo restituant, nec se in profundum malorum salutem desperando projiciant; quis dubitet, imo quis non firmiter credat, eis prioris malitiæ veniam posse conferri, si modo invidiæ vulnere sanato correcti, amaritudinem sui pectoris dulcedine fraternæ dilectionis expellant, eos [m] simpliciter amando quos oderant, ut ad bonum fraternæ communionis ac pacis, bonorum omnium, quorum [n] gravabantur meritis, adjuventur exemplis?

CAPUT X.

Quantis malis vanitas vanos involvat.

1. His [o] itaque super invidia disputatis, quam gravi malo etiam vanitas vanos involvat, consequenter expediam. Quæ ut facilius vitari possit, quid in se corruptionis habeat breviter declaremus. Est enim vanitas, inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris avida, simul et nescia, morbo [p] excellentiæ inanis [q] afflata, cava, morbida, turbulenta, animorum levium domina, male fundatis omnibus blanda, repugnantibus fumea, capiendis seductoria, captis invicta, simulatio quædam virtutum, [r] anima vitiorum, fomes carnalium delectationum, labes morum, appetitio dignitatum, dulcis miseris, amara perfectis, periculosa dubiis, imperiosa subjectis, [s] infirma fundatis; [t] facile captivat, captivatos oblectat, ambitiosos vexat, angustos inflat, inflatos humiliat; cui serviunt tumidi, sub qua jacent elati, quam inveniunt perditi, ad quam currunt lapsuri, in qua sibi videntur stare jam lapsi.

2. Hæc est vanitas, quæ non aliquas virtutes, ut putatur, [u] exantlat, sed licentiam vitiorum, cum fuerit a vitiosis recepta, corroborat : cæterum mentes virtutum plenas omnino non penetrat. Vacuos ergo ac nullis fultos virtutibus tentat; et ipsos fastu ruinosæ ambitionis inflatos, in occulta dedecora quadam publice furendi delectatione præcipitat, [v] sicut vacuam navem tempestas in diversa tumidis fluctibus jactat, et in area, frumentis sua gravitate manentibus, [x] leves ex ea ventus paleas raptat. Quod si ita est, non vitiosos facit vanitas, sed ostendit : [y] quæ illos sui afflatus vento circumfert, ac lubricis circumactos affectibus rotat; qui se ad omnes ejus impulsus studio propriæ voluntatis accommodant; qui se de operibus quorum sibi conscii non sunt turpiter jactant; qui se ab omnibus prædicari per nefas affectant; qui sanctos viros sui comparatione [z] depretiant : qui vitio auræ popularis elati, nihil sibi per-

[a] Ms. unus non babet hanc vocem, *secum*.
[b] Mss. tres, *Hæc et alia sunt*. Alii tres, *et talia sunt*.
[c] Ms. Colb. unus, *bonis voto sui animi*. Alter, *bonis noto sibi animo*.
[d] Ms. Camb., *non sectandos*.
[e] Mss. quatuor, *diligendo abominandos*.
[f] Ms. unus, *bonorum hominum*.
[g] Ms. Camb., *et de bono usu, eo bono usi malorum profectu, ad gaudia*, etc. Ms. Colb., *et de bono usu eo bene usi malorum profectu, ad gaudia*, etc.
[h] Ms. duo, *relinquitur*.
[i] Mss. Reg. et Camb., *probet*.
[j] Ita mss. septem. Edit. Lugd., *qui de salute male utendo facit perniciem?* Editi alii, *qui de salutis materia, bonis male utendo facit perniciem*.
[k] Mss. quatuor, *ad Deum*.
[l] Mss. quatuor, *ab hujus abhorrentes exemplo*. Ms. unus, *ab hujus abhorrendi*. Alter, *abhorrentis exemplo*. Alius, *hujus abhorrendi*, sine *ab*.

[m] Abest vox *simpliciter* a mss. duobus Colb.
[n] Ms. unus, *gravantur*. Alter male, *gratulabantur*.
[o] Mss. Colb. tres, *His ita*.
[p] Ms. unus, *scientiæ*.
[q] Ms. Reg. unus, *inflata*.
[r] Ms. Camb., *amica vitiorum*; ms. Colb. unus, *amor vitiorum*.
[s] Hæc verba, *infirma fundatis*, absunt a ms. uno Colb.
[t] Mss. duo Camb. et Colb. unus, *reddant incautos*, Mss. alii tres Colb., *faciles captivat*.
[u] Mss, duo Reg. et Camb., *strangulat*. Colb. unus, *exangulat*.
[v] Ms. Camb., *sic*.
[x] Mss. quinque, *levis*.
[y] Edit. Lugd., *Quod illos*. Mss. duo Colb., *quia illos*; tum mss. Camb. et Colb. unus, *sui afflatos vento*. Colb. alter, *sui afflatu venti*. Alius, *sui afflatos ventus*.
[z] Ms. Camb., *depravant*.

fectionis deesse existimant. Occurrentium salutationibus gaudent, suis adulatoribus favent, [a] voluptatibus parent, omnibus turpibus placent. Gestiunt docere quod nesciunt, credi de se sublimia volunt, delectabilia gravibus anteponunt; exsecrantur verbo, quod animo concupiscunt; appellationes virtutum vitiis suis [b] imponunt. Se ipsos fallunt, faventes sibi [c] decipiunt. In promissione honesta veloces, in exhibitione mendaces. A bono mutabiles, mali tenaces. In verbo graves, in animo turpes, ubique fallaces. Læti ad prospera, fragiles ad adversa. Inflati ad obsequia, anxii ad [d] opprobria. Immoderati ad gaudia, faciles ad humana, difficiles semper ad honesta.

3. His [e] ergo et similibus delinitos vanitas premit, nec eos aut suum morbum sentire, aut ad medicum venire permittit. Et quid est ad medicum venire, nisi infirmum suas infirmitates agnoscere, nec placere sibi, sed de factis quæ illi videbantur esse gloriosa, confundi? Quod certe illi non faciunt qui, desiderio comparandæ opinionis incensi, eis tantum operibus quibus emitur favor humanus inserviunt, et [f] morum bona contemnunt; tantumque eos ardor humanæ laudis inflammat, ut laboriosa operosa, quæ populus admiretur, et quibus fama diffunditur, sine labore suspiciant, et libenter exerceant. Inde est, quod jejunare, abstinere, vigilare, ecclesiam frequentare, vel psallere, cum hæc omnia sine labore non fiant, etiam cum delectatione illi faciunt, qui ex his hominibus placere concupiscunt: non quod ista et homines Dei non faciant; sed quod illi probentur ea Deo magis, quam hominibus exhibere, qui ferventius student etiam moribus sanctis excellere.

4. Cæterum si quisquam foris, ubi potest magnus credi, [g] resplendeat, et intus, ubi Deus solus videt, squaleat; quis non intelligat, [h] quod illi omnes abstinentiæ, ac jejuniorum, vigiliarumque continui labores quos [i] nobis Dei amor, eis amor humanæ laudis, et inflammata vanitas facit tolerabiles, non sint ornamenta morum, sed velamina vitiorum? Quapropter [j] vera jejunia, abstinentiæ, vigiliæ, eleemosynæ, et cætera hujusmodi, augere debent bonum nostrum, non velare peccatum; nec pro justitia, sed cum justitia Deo sunt exhibenda: quoniam quidem multo attentius debent præcepta perficere, qui ea parati sunt perfectionis [k] amore transcendere. Alioquin si invidi, si superbi, si elati, si cupidi, hæc et his similia mala pectoris sui non reprimant, et tamen suum corpus jejuniis, ac labore abstinentiæ, quamvis continuatæ, conficiant; nec illa eos opera impensa vanitati justificant, et hæc vitia, quæ negligunt emendare, condemnant. Itaque licet [l] ubique libri hujus singulis quibusque vitiis absolutis, remedia quoque quibus [m] possint caveri vel emendari subjecerim, hic tamen compendii gratia generalis quædam regula, [n] Domino illuminante, monstranda est, cui regulæ [o] veraciter innitentes, omnibus peccatis obsistant. [p] Nulla res sic nos ab omni peccato servarit immunes, sicut timor supplicii, et amor Dei. Sed de caritate, [q] quod Dominus, cujus donum caritas ipsa est, dederit, postea disseremus.

CAPUT XI.

De utilitate timoris, et quod efficaciter peccatis obsistat.

Nunc [r] de timore supplicii pauca dicamus. Ad pœnam quæ [s] peccatis debetur, mens antequam peccet, aspiciat; cruciatus ac dolores qui solent sequi peccantem, carnalibus incentivis [t] opponat; et nihil eam peccati [u] oblectat, nec ad peccandum ulla delectatio [v] corporalis inclinat. Denique non ideo cedimus illecebris ac [x] voluptatibus nostris, quia repugnare non possumus; sed quia securitatem nobis [y] occultandi criminis ipsi promittimus; et dum credimus colorari, vel redimi posse quod facimus, [z] spe præsumptæ impunitatis illecti, dominationem in nos nostræ [aa] voluptati permittimus. Cæterum, si eo tempore quo quis peccare deliberat, sana mente consideret, quæ pœna exspectet in suis facinoribus ac flagitiis deprehensos, quod supplicium convictos excruciet, qui tremor membra quatiat, pallor ora perfundat, quantum denique humiliet et exsecrabiles omnibus reddat; etiam ipsum sordidæ opinionis opprobrium nescio an possit quibuslibet vitiis accommodare consensum. Quid enim mali operis fieri potest unde nec erubescant etiam illi, quos ipsa flagitia sua delectant? Hinc est quod hi qui bona sua vane ac deformiter jactant, dedecora quibus remordentur et humiliantur occultant. [bb] Quid quod in peccantem etiam sine humano judicio conscientiæ judicantis tormenta desæviunt, et male sibi consciam mentem

[a] Mss. tres, *voluntatibus*.
[b] Mss. Reg. duo, *apponunt*; ms. Camb. *anteponunt*.
[c] Ms. Colb. unus, *despiciunt*, *aut decipiunt*.
[d] Ms. Colb. unus, *ad propria*.
[e] In mss. quinque deest *ergo*.
[f] Ms. Reg. unus, *et majora bona*.
[g] Mss. duo, *splendeat*.
[h] Editi, *omnes illæ abstinentiæ*.
[i] Mss. tres Colb. et Lugd. edit., *quos nobis tolerabiles vanitas facit*, omissis intermediis. Mss. Reg. duo, et Colb. unus, *quos nobis tolerabiles eo ardore humanæ laudis inflammata vanitas facit*. Edit. Duac., Lovan. et Colon. ut in textu.
[j] In mss. tribus Colb. non habetur *vera*.
[k] Ita mss. quatuor Colb. Reliqui, *opere*.
[l] Hæc, *ubique libri hujus*, absunt a ms. uno Colb.
[m] Mss. tres, *possunt caveri*. Mss. duo *subjecerimus*.
[n] Mss. duo, *Deo illuminante*.
[o] Alias, *velociter*.
[p] Ms. Reg. unus, *nec u..a res*. Alius, *nos sic*.
[q] Sic mss. duo Colb. Editi vero, *quod Dominus... donat*. Ms. autem Colb. alius, *quam Dominus, qui caritas ipsa est donat*.
[r] Ms. Colb. unus, *Hic de timore*. In uno deest *supplicii*.
[s] Mss. tres, *peccatis*. Unus, *peccato*. Alius, *pro peccatis*. Editi, *peccanti*.
[t] Mss. duo, *supponat*.
[u] Ms. Camb., *delectat*.
[v] Ms. Colb. unus, *delectatio carnalis*.
[x] Ms. unus, *voluntatibus*.
[y] Ms. unus Colb., *occultam discriminis*.
[z] Ms. Colb. unus, *spe præsumpta et impunitate electi*, forte pro *illecti*.
[aa] Mss. tres, *voluntati*.
[bb] Edit. Lugd., *quidquid est unde in peccantem*.

ipsæ etiam cogitationes secreti reatus, [a] cruciatoria A recordatione conficiunt.

CAPUT XII.

De futuro judicio, vel æternitate supplicii, ac de qualitate gehennæ.

1. Age jam cum ad illud ultimum judicium venerimus, ab eo judice judicandi, qui nec falli occultatione criminum potest, nec [b] ad impunitatem promerendam muneris alicujus oblatione corrumpi : cum cœperint omnium secreta revelari, et non solum actus ac verba, sed etiam ipsæ cogitationes ostendi : quid faciemus [c] sub tanti judicis majestate? Quid excusationis obtendere poterimus? Qua nos defensionis arte purgabimus? Quæ nobis subventura est pœnitentia, [d] quam in hac carne contempsimus? B Quæ nos defensura sunt opera [e] bona, quæ in hac vita non fecimus? [f] Ad quos apostolos, aut ad quos alios sanctos confugituri sumus, quorum exempla simul ac verba despeximus? An forte [g] aliquos ibi fragilitas corporis excusabit? Sed excusationi eorum reclamabunt omnium exempla sanctorum, qui [h] cum fragilitate carnis in carne viventes, fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, utique fieri posse docuerunt : maxime, quia nec ipsi peccato sua virtute, sed [i] Domini miserantis auxilio, restiterunt : qui se et non quærentibus, ut quæratur, atque in eum credatur, ostendit; et credentes in se, ne a peccato vincantur, invicta protectione defendit.

2. Quid ergo responsuri sunt, si eis Dominus di- C cat : Si potuistis, quare non restitistis desideriis peccatorum? si non potuistis, quare meum contra peccata non quæsistis auxilium? aut vulnerati, quare [j] pœnitendo non adhibuistis vulneri vestro remedium? [k] Nonne ad hæc obmutescentes, et quid excusationis referant non habentes, dicet : *Ligate eos manibus et pedibus, et mittite in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium; ubi vermis* [l] *eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Matth.* XXII, 13; *Isai.* LXVI, 24; *Marc.* IX, 44). Et quid est obmutescentes manibus et pedibus ligari, nisi in inferno, [m] ubi Deo nemo confitetur, actione privari? sicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit nisi a Domino, qui est mentium lumen, expelli. Fletus autem et stridor dentium acerrimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio [n] æternæ mortis addicti, non [o] videndi sensum habituri sunt, sed dolendi. Quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus, torquent animas, nec extorquent; puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideo sibi deputatos ignis inexstinguibilis [p] non exstinguit; ut permanente sentiendi [q] vita, pœna permaneat, et ad dolendum magis quam [r] ad vivendum æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis [s] vivacibus immortalitas secundæ mortis occidat. Jam [t] vero quod dicit : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isai.* LXVI, 24), ad totam refertur damnati hominis pœnam; quem inefficacis pœnitentiæ ignis exurit, et consumentis conscientiæ vermis immortaliter rodit. [u] Proinde omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, ut maximis consumpti doloribus, aliquando deficiant; sed ut in illis pœnaliter vivant.

3. Hæc et his similia libenter audire vel legere, jugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, sine ulla perturbatione metuere, cogitare quale malum sit ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate privari, fieri patriæ cœlestis extorrem, mori vitæ beatæ, morti vivere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo et angelis ejus expelli, ubi sit mors secunda damnatis exsilium, vita supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundatis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos obscurari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri : hæc et multa similia cogitare, nihil est aliud quam vitiis omnibus repudium dare, et omnia blandimenta carnalia refrenare. Sed nos jam, si videtur, ab his terribilibus

[a] Ms. Reg. unus, *et ma.e sibi conscia mente, ipsæ etiam cogitationes secreti reatus, cruciatum ac recordationem conficiunt.* Ms. Colb. unus, et Camb., *et male sibi consciam mentem... cruciatu ac recordatione conficiunt.* Alter, *cruciant ac recordationibus conficiunt.*

[b] Ms. unus Colb., *ab impunitate promerenda.*

[c] Ms. unus Reg., *sub tanta.*

[d] Ms. unus, *quam gestare carne.*

[e] Ms. unus caret hac voce, *bona.*

[f] Ms. unus : *Ad quos apostolos ibimus, aut ad quos alios*, etc.

[g] Ms. Colb. unus, *aliqua se ibi.* Reg. unus, *aliqua sibi.* Ms. Camb., *aliqua fragilitas.*

[h] Hæ voces, *cum fragilitate carnis in carne viventes*, absunt a mss. Colb. quatuor, et Regiis duobus. Reg. unus : *in carne vivente* [forte *viventes*], *superaverunt : quod fecerunt*, etc. Alius, *vincentes tantum.*

[i] Mss. duo, *Dei.*

[j] Ms. unus, *non pœnitendo.*

[k] Ms. unus. *reddant.* Totum locum sic præferunt alii codices. Ms. Camb., *Nunquid ad hæc obmutescentibus, et nil excusationis habentibus dicit. Ligatis manibus et pedibus mittite eos*, etc. Mss. Colb. duo, *obmutescentibus, et quid excusationis referant* [unus ex his *reddant*] *non habentibus dicet*, *Ligatis eorum mani-* D *bus*, etc. Alius : *Ligate eos*, etc. Ms. ex Regiis unus habet quoque : *Ligatis manibus et pedibus, mittite*, etc.

[l] Ms. Reg. unus, *vermes eorum non morientur.*

[m] Ms. Colb. unus, *ubi Deum nemo confitetur, boni operis actione privari.* Ms. alter, *Deo confitebitur.*

[n] Ms. unus, *sempiternæ.*

[o] Mss. tres, *non vivendi.*

[p] Mss. tres, *non exstinguet.*

[q] Ms. Reg. unus, *sentiendi pœnæ, vita.* Ms. Colb. unus, *ut permanendi sentiendique vita in pœna permaneat.*

[r] Mss. duo, *ac videndum.*

[s] Ms. unus, *voracibus.*

[t] Hæc, *vero quod dicit*, non sunt in mss. nec in Lugd., quorum quinque : *ad totum referuntur*; unus vero, *jam quia vermis... ad totam refertur.* Lugd. *reservantur.*

[u] Ms. unus, *Quoniam.*

malis, quæ fidelium mentes salubri terrore concutiunt, atque ab omnibus vitiosis delectationibus abducunt, et quæ amatores voluptatum suarum tunc suæ damnationis experimento probabunt, quando jam, quod est omni infelicitate miserius, se emendare non poterunt: ab his, inquam, terrificis ac tristibus malis ascendamus ad illa sublimia, quibus proficientium mentes in spem promerendæ beatitudinis assurgunt [a] abjuratisque terrenis, cœlestia concupiscunt. Et quoniam proficere cupientes a salubri timore incipiunt, et ad caritatem proficiendo perveniunt, nos quoque sufficere judicantes quod de incipientium timore tractavimus, etiam de caritate, quod ipse, cujus munus est, donaverit, disputemus. A

CAPUT XIII.

De laude caritatis.

Caritas est, ut mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus aversa, juncta Deo inseparabiliter, et unita, igne quodam sancti Spiritus, a quo est, et ad quem refertur, [b] incensa; [c] inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, supra omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, divinæ contemplationis avida, in omnibus semper invicta; summa actionum bonarum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, [d] anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum. In peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instaurat [e], spem desperatis inspirat, pacificas mentes inhabitat; fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus. Quam fides [f] concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium servit, ex qua quidquid est boni operis [g] vivit; sub qua obedientia crescit, per quam patientia vincit, propter quam carnalia blandimenta devotio religiosa contemnit; sine qua nullus Deo placuit; cum qua nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc est caritas vera, germana, perfecta; quam *excellentiorem viam* nominat sanctus Apostolus (*I Cor.* XII, 31). Et vere ipsa est via quæ ducit per se ambulantes ad patriam: quia sicut sine via pervenit nullus quo tendit, ita sine caritate, quæ dicta est via, non ambulare possunt homines, sed errare.

CAPUT XIV.

Qualiter possint ea quæ de caritate sanctus apostolus dixit, intelligi.

1. Itaque jam qualis, et quanta sit hæc caritas, non pedum via, sed morum, Apostolo [h] docente, discamus. *Si linguis*, inquit, *hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habuero, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XIII, 1). Hominum vel angelorum linguis, inanem facundiam quorumdam significatam debemus accipere, [i] qui omnia quæcunque voluerint, accurate quidem, atque eloquenter enuntiant; sed quamvis ornate copioseque [j] disserant, tamen si docendi officium vanitate placendi magis, quam consulendi caritate suscipiant; non ut [k] aliquos doceant, sed ut se doctos ostendant; B nec profectum, sed plausum a suis auditoribus quærant; si totam [l] conscientiæ diligentiam transferunt male dicaces ad linguam, et studiosius eloquentiam velint curare quam vitam: si supercilio vanæ loquacitatis elati, dicta sua magis cupiant laudari, quam fieri; nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis [m] elucubrati venustate solliciti: nunquid non tales merito æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur? qui in modum tinnientis æramenti, vel cymbali, præclara quæque magis appetunt sonare, quam facere: nec erubescunt a seipsis aliter vivendo, quam prædicant discrepare: qui ut [n] quoquo modo [o] turpitudinem suæ conversationis obnubilent, honesta prædicare non cessant; non tamen ut auditores sui eorum prædicatione proficiant, sed ut ipsi C videantur curare quæ prædicant.

2. Sed videamus [p] quæ his adnectat Apostolus. *Si habuero*, inquit, *prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum* (*Ibid.* 2). Non ad hoc ista dicit, quasi aliqua bona sine caritate habere aliqui [q] non possint; sed quia nihil prosint habentibus ea, si a caritate defecerint. Ipsa autem et hic necessaria est, ut omnia bona, summum bonum [r] caritatis habentibus prosint, et ibi eis etiam [s] perfectior permanebit, cum omnes perseverantes in se ad visionem Dei perduxerit. Cæterum [t] prophetia, et mysteriorum omnium notitia, vel scientia, nec non et ipsa fides, vel cætera talia, quæ non perfectioni fidelium, sed fragilitati necessaria judicantur, in illa [u] perfectione D sanctorum, quo in caritate radicati [v] pervenire con-

[a] Mss. quatuor, *abdicatisque*.
[b] Ms. unus Colb., *accensa*.
[c] Ms. unus, *inquinamentis omnibus*.
[d] Ms. unus, *amica*. Alter, *amor*.
[e] Editi Lov., Duac. et Colon., *instruat*, forte pro *instruit*.
[f] Ms. unus, *concepit*.
[g] Ms. Colb. unus, *viget*.
[h] Ms. unus, *nos docente*. Mss. quinque, *dicente*.
[i] Mss. duo, *quia omnia*.
[j] Mss. tres, *dissertent*.
[k] Ms. unus, *alios*.
[l] Deest vox *conscientiæ* in uno ms. Reg.
[m] Ms. unus, *elucubratione solliciti*.
[n] Ms. unus, *quodammodo*.
[o] Ms. unus, *turpitudinis suæ conversationem*.
[p] Mss. tres, *quæ hic annectat*. Ms. alter, *quid de his adjungens annectat Apostolus*.
[q] Mss. quinque, scilicet Colb. tres et Regii duo, omittunt negantem particulam, *non*. Colb. unus, *quasi non aliqua... aliqui possint*.
[r] Mss. septem, *caritatem*.
[s] Ms. unus, *perfectius*. Mss. tres, *perfectio*. Male in aliis *profectio*, aut *profectior*.
[t] Mss. quatuor, *prophetiæ*.
[u] Editi addunt *sancta*, quæ vox non legitur in mss.
[v] Abest *pervenire* a mss. Colb. et edit. Ludg. Ms. unus, *intendunt*.

tendunt, pervenientibus necessaria esse non poterunt, cum illis incomparabiliter meliora ac perfectiora successerint. Quia nec prophetia ibi opus erit, cum ad illud quod futurum promittebat, impleta perduxerit; nec scientia, quæ velut lucerna quædam in hujus sæculi nocte fideles illuminat, cum in illius vitæ die perpetuo Sol vivus justis effulserit; nec mysteriorum notitia, aut ipsa fides necessaria erit, quando ad ea quæ per mysterium significabantur, et credebantur ex fide, perfectio Christiana pervenerit. Caritas vero hic quidem necessaria est, quæ nos separat a diabolo, purificat a peccato, reconciliat Deo; sed ibi perfecta erit, cum perfectos Deo, a quo est [a] donata, conjunxerit.

3. Adhuc Apostolus laudem divinæ caritatis amplificans, adjungit et dicit: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum,* [b] *ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 3). Nec immerito. Si enim non quid, sed propter quid faciamus, in illa ultima examinatione quærendum est; eleemosynæ, vel [c] traditio corporis in mortem, quid proderunt non habentibus caritatem? Ipsa ergo habenda est, ipsa sectanda, sine qua nec eleemosynæ, nec occisio corporis, nec illa omnia superius dicta, vel alia [d] quævis bona perducunt [e] aliquos ad salutem. Quia quælibet actio bona vel passio, nisi ex fide, quæ per dilectionem operatur (*Gal.* v, 6), [f] exstiterit, nobis prodesse non poterit. Quapropter nihil eis peccati damnabilis remanere poterit, nec deerit aliquid boni, quibus caritas, omnis inquinamenti mundatio, et bonorum omnium mater affluxerit. Quoniam quidem si *caritas patiens est, benigna est,* si *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt; non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati;* si *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII. 4 *et seqq.*); [g] et eos in quibus fuerit, omnibus his bonis quæ habet impertit: quid illis esse potest in hac vita perfectius, qui tantis abundant, caritate in se regnante, virtutibus?

4. Proinde quando videmus aliquos [h] patientiæ mole fundatos inconcussum pectus sævientibus malis opponere; abundantia sanctæ benignitatis [i] affectos, bonum suum velle cum omnibus habere commune, non aliquibus ardentis invidiæ facibus [j] coqui; non A agere perperam, sed simpliciter cum omnibus [k] quibuslibet puritatem exhibere; nullo fastu perniciosæ vanitatis inflari; nihil eorum quæ sunt aliena, crimine cupiditatis ambire; quæ sua sunt præ communionis bono non quærere; nulli malum, quibuslibet [l] irritatos injuriis, cogitare; non super [m] alicujus, aut sui operis iniquitate, sed de veritate gaudere; [n] omnes inquietos, vel inquietudines, fundata animi tranquillitate, sufferre, post hanc vitam pœnas divinitus comminatas credere [o] metuendo, præmia promissa sperare gaudendo, revelationem filiorum Dei desiderare fortiter sustinendo: quando ergo videmus hæc, et [p] talia bona aliquos posse, noverimus, non eos magnitudine virtutis suæ posse, quod volunt ardenter, et faciunt; sed de beneficio illius caritatis, B quæ non est ex nobis, sed diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v, 5).

CAPUT XV.

Quantum perfectionis caritas in se fundatis exhibeat.

1. Ergo si caritatem Deo exhibeamus et proximo, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I, 5), facile peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, sæculi blandimenta contemnimus, et omnia quæ difficilia sunt humanæ fragilitati, vel aspera, etiam cum [q] delectatione perficimus; si tamen Deum caritate perfecta, quæ nobis [r] ab illo est, ex toto corde, ex tota anima, et ex totis viribus diligamus (*Deut.* VI, 5; *Matth.* XXII, 37; *Luc.* X, 27; C *Marc.* XII, 30). Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum: quem si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis unde peccati desideriis serviamus. Et quid est diligere Deum, nisi [s] illi occupari animo, concipere fruendæ visionis ejus affectum, peccati odium, mundi fastidium; diligere etiam proximum (*Matth.* v, 43), quem ipse in se censuit diligendum [t]; in ipso amore servare legitimum modum, nec pervertere dilectionis ordinem constitutum? Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum qui contemnendus est, diligunt, aut corpora sua minus diligenda, plus diligunt; aut proximos non sicut seipsos, aut Deum plus quam seipsos forte non diligunt (*Videatur Aug. cap.* 27, *l.* I, *de Doct. Christ.*).

D 2. Sed de mundo, quod diligi omnino non debeat,

[a] Mss. duo, *a quo est eis donata.*
[b] Ita mss. sex. Editi, *ut ardeat*; et infra, *non habeam.*
[c] Editi, *traditiones.* Mss., *traditio.*
[d] Mss. duo, *quælibet.*
[e] Ms. unus, *hominem.* Alter, *homines.*
[f] Mss. sex, *exstiterint.... poterunt.*
[g] Mss. Colb. quatuor omittunt particulam *et*; et infra tres ex his cum Reg. duobus, *et quid illis.*
[h] Ms. Camb., *patientia bene fundatos.* Unus ex Colb. *patientia fundatos.*
[i] Ms. unus, *affectuosius.* Ms. Camb., *effectum bonum suum*, etc.
[j] Ms. unus, *coinquinari.* Editi et ms. unus, *non aliquibus ardentibus.*
[k] Mss. Colb. tres et Camb. *quibus debet puritas exhiberi.* Ms. Reg. unus, *sed simplicitatem cum omnibus quibuslibet puritatis exhibere.*
[l] Ms. unus, *instigatos*; ms. alter, *irrogatis.*
[m] Ms. unus, *ac sui.* Alias, *alicujus adversi operis.*
[n] Ms. unus, *omnes inquietudines vel inquietos fundatu*, etc. Ms. alter, *omnes inquietudines fortiter animi*, etc.
[o] Mss. quatuor, *non metuendo.*
[p] Ms. unus, *et alia bona posse aliquos.*
[q] Mss. tres, *cum dilectione.*
[r] Editi cum quibusdam mss., *ex illo est.*
[s] Editi, *illi occupare animum.* Mss. tres, *illo* [duo *illi*] *occupari animo.* Alias, *illi copulari animo.*
[t] Ms. Colb. unus, *in ipso servare amore legitimum morem, nec pervertere ordinem dilectionis. Constitutum ordinem dilectionis illi pervertunt*, etc.

ipsius Dei nostri per sanctum Joannem apostolum A vox est, dicentis : *Nolite diligere mundum* (*I Joan.* II, 15). Corpus autem nostrum, quia pars nostri est, ad hoc nobis est diligendum, ut saluti ejus, ac fragilitati naturaliter consulamus, et agamus quatenus spiritui [a] ordinate subjectum, ad æternam salutem, accepta immortalitate, et incorruptione perveniat; non suis voluptatibus diffluendo, animæ rigorem sibi cedentis emolliat, puritatem polluat, et totam dignitatem suæ [b] delectationis morbo corrumpat. Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas utilitates nostras, non propter sperata beneficia vel accepta, non propter affinitates vel consanguinitates; sed propter hoc tantum, quod sunt naturæ nostræ participes, diligamus : quia non eos sicut nos ipsos amamus, quando propter illa superius B dicta diligimus. Neque enim [c] ideo proximum tanquam seipsum diligit quisque, quia sibi frater, aut soror, pater aut filius, mater aut filia, nepos aut neptis est. Carnaliter quippe amat, qui taliter amat : quoniam non illi tantum proximi nostri credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis jungit; sed proximi nostri credendi sunt omnes homines naturæ nostræ, sicut dixi, participes. Nam si propinquos nostros, quamvis imcompositos, turpes, ac male moratos, plus quam quoslibet sanctos, quos a nobis secundum sanguinem vocamus extraneos, diligamus; non solum carnaliter diligimus, sed etiam graviter in tali eorum dilectione peccamus.

3. Proinde secundum nos proximos omnes diligimus, quando ad mores bonos, et ad æternam vitam C consequendam, sicut nobis, saluti eorum consulimus; quando nos in eorum peccatis ac periculis cogitamus; et sicut nobis subveniri [d] optamus, ita eis [e] pro viribus subvenimus; aut si facultas defuerit, voluntatem subveniendi tenemus. Quapropter hæc est proximi tota dilectio, ut bonum quod tibi conferri vis, velis et proximo; [f] et malum, quod tibi nolis accidere, nolis et proximo. Illi vero plus quam se diligunt Deum, qui pro ejus amore suæ ad tempus saluti non parcunt; seipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus propriis, patriæ suæ extorres fieri, parentibus et uxoribus ac filiis suis renuntiare parati sunt; et ut totum dicam, ipsam corporis mortem non solum non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes a corporis D sui vita magis quam a Deo, [g] vita vitæ suæ, discedere.

4. Iste igitur nobis dilectionis ordo servandus est, juxta illud quod dicit Spiritus sanctus, [h] *Ordinavit in me caritatem* (*Cant.* II, 4); ut sicut ordinata caritas poscit, Deum principaliter diligamus; et propter ipsum, in ipso ea quæ diligenda sunt, tantum quantum ipse præcipit diligamus (*Levit.* XIX, 19). Ipse enim [i] præcipit ut corpora nostra propter nos, proximos [j] sicut nos, et ipsum plus quam nos diligere debeamus (*Matth.* XXII) : ita sane, ut eis quos nobis conjunctiores familiaritas facit, si eos fama non reprobat, et vita commendat, nos amplius impendamus, omnium profectus nostros esse credamus, et de aliorum peccatis tanquam de nostris misericorditer lugeamus. Sic ergo possunt in hac vita illi esse perfecti, qui perfecte diligunt Deum ; et illi perfecte Deum diligunt, qui volendo quod vult Deus, et nolendo quod non vult, nec ullis peccatis quibus offenditur, acquiescunt; et semper se ad virtutes, quas ipse dignatur donare, diligendas et habendas, extendunt. Hi sunt qui omnia bona quæ implere potuerint, ab illo se adjutos ut possint veraciter credunt; quidquid [k] mali commiserint, vitio suæ voluntatis ascribunt; quidquid boni non potuerint implere, ab illo ut possint jugiter petunt; cum potuerint, illi gratias agunt. Bona ejus quæ fuerint consecuti, etiam aliis [l] conferri socialiter volunt, et usque in suos inimicos dilectionis suæ latitudinem porrigentes, hoc omnes cupiunt esse quod ipsi sunt. Satis de vitiis eorumque remediis est disputatum ; nunc jam qualiter unaquæque virtus possit acquiri breviter disseramus.

CAPUT XVI.

De qualitate virtutis, et qualiter sibi consentientes informet.

1. Omnis sancta virtus res est divina, incorporea prorsus atque mundissima : quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat; cujus participatione [m] formantur informia, suscitantur mortua, [n] sanantur infirma, corriguntur prava, reconciliantur [o] aversa. Hanc non habet nisi Deus, et is cui dederit Deus. Quæ in animo habitat, sed [p] animum corpusque sanctificat; ad quam nullus accedit invitus, quam nullus amittit, nisi propria voluntate deceptus. Nemo eam sibi conferre potest, cum possit auferre; alteri autem [q] nec conferre prævalet, nec auferre.

2. Itaque cum talis ac tanta virtus cuilibet inter voluptates suas adhuc marcescenti refulserit, [r] atque ei ad se concupiscendam desiderium salubre commove-

[a] Ms. unus, *ordinanti*.
[b] Mss. tres, *suæ dilectionis*.
[c] Mss. sex, *ideo se diligit quisque, quia sibi frater aut soror*, etc.
[d] Mss. tres, *optaremus*.
[e] In uno ms., *pro viribus nostris*. In alio desunt hæc omnino.
[f] Hæc verba : *Et malum quod tibi nolis accidere, nolis et proximo*, desunt in tribus mss.
[g] Mss. duo, *a Deo vitæ suæ*.
[h] Mss. sex, *Ordinate in me*.
[i] Mss. quinque, *præcepit*. Sic et post pauca.
[j] Ms. unus, *proximos sicut et ipsum plus quam nos*, minus bene.
[k] Mss. duo, *male commiserint*.
[l] Mss. quinque, *conferre*.
[m] Mss. tres, *firmantur infirma*.
[n] Ms. unus, *sanantur ægrota*.
[o] Mss. quatuor, *adversa*; unus, *eversa*.
[p] Mss. quatuor, *animam*.
[q] Ms. Colb. unus, *nec conferri prævalet, nec auferri*.
[r] Mss tres, *atque eum ad se concupiscendum de idorio salubri commoverit*.

sit: protinus in animo ejus duarum delectationum contrariarum rixa consurgit; et mentem voluntas adversum se ancipiti delectatione [a] divisam in diversa ducit ac reducit; modo reprehendendo quod elegerat, modo quod reprehenderat eligendo; atque ita in alterutrum latus [b] se cogitationum varietate versantem, ipsa velut virtutis ac vitii [c] tepida medietas, vexat ac lacerat. Quoniam quidem quemlibet hominem, donec se in eo quod [d] elegerit certa definitione confirmet; quamdiu modo non vult quod volebat, modo velle incipit quod nolebat; velut in quodam deliberationis [e] incertæ bivio constitutum, discerpit ipsa diversitas [f] voluntatum. Hinc eum virtus admonet suæ salutis, et [g] vocat; inde consuetudo vitiosa discedere a se volentem [h] remoratur, et revocat, et paulisper a se averso, nec ad virtutem plene converso, usitatæ voluptatis admonitione blanditur, et omnes illecebras quibus olim perdite fruebatur ostendit. Turpia quoque desideria quibus [i] vincietur immittit, ac jam pene fastidienti blandum nescio quid molliter insusurrat; et supplicat ne præponat mollibus dura, lætis tristia; certis dubia, [j] præsenti voluptati futura; cogitet quam pœnale sit atque difficile dulcibus carere [k] deliciis, illecebris renuntiare carnalibus, abstinentiæ jugis gravari laboribus, jejuniorum ac vigiliarum continuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire, contra diabolum decipiendi peritum [l] resistendo arma corripere, insidias ejus ac fraudes vigilantis animi cautione vitare; quam [m] denique miserum sit enormitate tantæ asperitatis evictum, ac diabolica fraude deceptum, ad repudiata redire, voluptatibus quas abjecerat frui, et omnibus quæ incaute laboriosum suscipiendo propositum contempserat, delectari.

3. His et talibus vitiosa consuetudo, dubium [n] sanctæ definitionis affligit. Virtus contra quæ continentia nominatur, [o] morantem confidenter objurgat, ad delectationes puras castasque delicias quibus fruuntur omnes sui amatores, invitat; offert nudo justitiæ vestimentum; illuminato sui apparatus demonstrat ornatum; diffidenti de se protectionis suæ promittit auxilium: hortatur et provocat, ut definitionis ambiguitate deposita, propositum spirituale suscipiat; perseveraturum se in suscepto labore propositi sui, non sua possibilitate, sed Domini miseratione confidat, nec suis viribus, sed gratiæ omnipotentis fretus auxilio, contra diabolicas impugnationes victricia arma [p] corripiat; cogitet quanti et quantæ potuerunt et possunt quod se posse desperat: unde illi vel illæ potuerunt, inde se posse firmiter credat; certa spe spiritalia carnalibus, et terrenis cœlestia, et futura præsentibus anteponat.

CAPUT XVII.

Quibus gradibus conversi in culmen perfectionis ascendant.

1. Cum [q] vero quis persuasione [r] ac pulchritudine virtutis illectus, aliquantulum a priore conversatione recesserit, statim ei alia [s] tentatio, contra quam luctetur, occurrit. Nam quem carnalis voluptas superata dimiserit, mundi vanitas occupabit: sicut nobis illi exemplo sunt qui [t] delectationem sibi sativæ libidinis interdicunt, et ventosæ vanitatis [u] licentiam suæ voluptati [*forte* voluntati] permittunt. Turpitudini [v] concubitus contradicunt, et [x] ambitioni succumbunt; utuntur deliciis ac vestibus accuratis ad luxuriam, comatulis [y] pueris, ac potentibus equis ad pompam, accipitribus ac saginatis canibus ad venatum, venationibus crebris ad luxum, [z] ambitiosi apparatus jactantiam necessarium mentiuntur ornatum.

2. Jam ridere [aa] effuse, vocem procacibus cachinnis attollere, turpes jocos libenter audire, aliorum pœnam suam facere fatigando lætitiam, urbanos quosque quamvis turpes, explere deliciis, [bb] serios necessariis indigentes abjicere, domos amplissimas et ornatas exstruere, facultates [cc] suas indesinenter augere, alienis pervadendis, si possibilitas patiatur, inhiare; non rem cupiditatis, sed nescio cujus utilitatis existimant: ut illa quæ dixi, vel alia multa similia, non solum libenter exerceant, sed etiam hinc eos objurgantes irrideant, [dd] ineptire credentes illos qui licita et usitata nobilibus crimine ambitionis in-

[a] Mss. sex, *divisa*. Editi paulo post non habent *ita*.
[b] Ms. Colb. unus, *mutua se*.
[c] Ms. unus ab alia manu, *trepida*. Ms. alter, *velut inter virtutes ac vitia tepida medietas*.
[d] Ms. unus, *elegerat*.
[e] Ms. unus, *incerto bivio*.
[f] Mss. duo, *voluptatum*. Colon., *voluntatem*.
[g] Ms. unus, *et advocat*.
[h] Mss. duo, *moratur*.
[i] Ms. Colb. unus, *vincatur*. Alter, *vincebatur*.
[j] Mss. sex, *præsentium voluptati, futura*.
[k] Mss. duo, *divitiis*.
[l] Mss. tres, Colb. *resistendi*; et post pauca. Mss. Camb., *arripere*.
[m] Edit. Lugd. cum mss. tribus, *deinde*.
[n] Ms. Colb. unus, *sanctæ conversationis*.
[o] Ms. unus, *remorantem*.
[p] Mss. duo, *arma arripiat*.
[q] Mss. sex, *Qui si persuasione*. Unus, *Qui persuasione*.
[r] Ms. unus, *a pulchritudine*.
[s] Ms. unus, *lactatio*.
[t] Ms. Colb. unus, *delectationi sibi suæ libidinis*.
[u] Ms. Colb. unus, *delectationes anteponunt*.
[v] Ms. Camb., *concupitæ*.
[x] Ms. Colb. unus, *et desiderio cupiditatis et ambitionis succumbunt*.
[y] Mss. duo, *puerulis*. Unus, *puellis*. Alter, *cum matulis*, forte, *commatulis puerilibus*.
[z] Ita mss. quatuor. Editi vero, *et ad ambitiosi apparatus jactantiam*. Ms. Colb. unus, *et ambitiosi apparatus jactantia*.
[aa] Ms. Colb. unus, *Jam ridere, effusam vocem procacibus cachinnis attollere*.
[bb] Ita mss. sex. Editi, *servos*. Sed melior jam visa erat prior lectio his qui apposita voce, *serios* in margine subjunxerant, ita legi in Camb. ms. qui forte unicus illis occurrerat.
[cc] Ms. unus, *proprias*.
[dd] Ms. Colb. unus, *ineptos recensentes illos qui licita et usu consuetudinario data nobilibus*. Et paulo post, mss. quinque et Lugd., *infament*.

famant. Sed [a] qui hoc quoque malum divinitus adjutus evicerit, et spiritalis continentiæ viribus fultus, omnia quibus potest a perfectione retardari, calcaverit; mentem suam sanctæ virtuti, studio bonæ voluntatis [b] inclinat: tunc delectabiliter ac devote nutus omnes reginæ virtutis in se regnantis observat: ac sic cum Deo suo unus spiritus factus, nihil aliud agit semper aut cogitat, nisi unde clarior [c] ac nobilior fiat, et oblectationes vitiorum omnium, puris delectationibus vincat.

CAPUT XVIII.

Quæ sit quaternarii numeri credenda perfectio; et quod quatuor virtutes, quæ dictæ sunt principales, ex fide viventes a Deo collatæ justificent.

1. Videamus nunc an vera sit philosophorum illa sententia, qua quatuor virtutes, velut quosdam virtutum omnium fontes, vitia quoque quatuor, velut quasdam origines malorum omnium definiunt. Principales quatuor, esse virtutes non solum philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt. Sed quare quatuor, vel quæ sint opera singularum, hoc, Domino illuminante, debemus breviter demonstrare. Quaternarium [d] numerum perfectioni sacratum pene nullus ignorat. Siquidem totus orbis Oriente [e] et Occidente, Aquilone et Meridie, quatuor [f] determinari partibus sive angulis invenitur; et ipse Adam, qui est humani generis pater, vel generale nomen, quod dicitur homo, quatuor litteris explicatur. Corpus quoque quatuor elementis [g] exstructum, quaternarii numeri in se continet sacramentum. Ipsius etiam animæ quatuor esse affectiones, quibus vel ad bona utimur, vel ad mala, et antiqui subtiliter invenerunt, et eorum inventa probantes posteri susceperunt.

2. Sed et quatuor flumina quæ de paradisi fonte procedunt (*Gen.* II, 10), vel quatuor Evangelia, divini currus rotæ quatuor, et animalia, alæ eorum quatuor ac facies (*Ezech.* I, 5 *et seq.*), dignitatem numeri hujus abunde commendant: et ideo [h] virtutes istæ quæ tantum continent perfectionis in numero, sollicite considerare debemus, quantam sanctitatem conferant animo Christiano, et quam nihil perfectionis [i] usquam sit, quod in istis virtutibus non sit. Nam si facit temperantia temperantem, prudentia prudentem, justitia justum, fortitudo fortem; eo qui temperanter, juste, et prudenter agit, ac fortiter, nescio quid possit esse perfectius. Itaque difficile quidem est nobis nomina virtutum, quæ ex illis quatuor, quas principales diximus, oriuntur, ostendere; sed cum proprietates, et actus earum cœperint aperiri, ex ipsis [j] affectionibus singularum, quæ virtutes ex quibus exsistant, forsitan apparebit.

3. Verumtamen hoc imprimis nosse et tenere debemus, quod istæ quatuor virtutes, vel omnes quæ ex illis existunt, dona sint Dei; et quod nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui Deus, qui est omnium virtutum proprietas et origo, contulerit. Quoniam quicunque, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, justi, [k] ac fortes fieri utique potuerunt. Qui autem nescientes Deum, vel etiam blasphemantes, sine fide vixerunt, nihil earum virtutum a Deo accipere, vel habere potuisse credendi sunt.

CAPUT XIX.

De temperantiæ qualitate, vel opere.

1. Sed jam videamus quæ sit proprietas singularum. Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, [l] serium, verecundum. Hæc virtus [m] si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, [n] ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis exstinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, et [o] totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit. Temperantia intemperantiam nostram ad [p] honestum modum redigit in cibo ipso vel potu, ut contenti simus appositis: ne poscamus impudenter quod aut ille qui poscitur forte [q] non habeat; aut alios quod desiderio nostro placet offendat, aut gulæ nostræ intemperans appetitus appareat; nec judicemus eos qui volunt [r] cibis, quos ipsi percipimus, abstinere; nec eis verecundiam faciamus qui ea quibus ipsi abstinemus, forte percipiunt, et Deo gratias agunt: certi quod satis miserum sit aliquos de cibi vel potus perceptione damnare, aut nobis arrogare per abstinentiam sanctitatem.

2. Temperantiæ est quod reverentiam senioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus, junioribus gratiam [s] paternæ dilectionis impendimus; quod præstamus loquenti seniori silentium, quod ipsius ad loquendum præstolamur imperium, quod non attollimus immoderatum in collocutionibus so-

[a] Alias, *si quis*.

[b] Ita mss. quatuor. Ms. alter, *inclinet*. Editi, *inclinaverit*.

[c] Mss. tres, *aut nobilior*.

[d] Ms. unus, *perfectione*. Alter, *Quaternarium numero perfectionis sacratum*.

[e] Mss. duo hic omittunt *et*, quod legitur in aliis codicibus.

[f] Mss. duo, *terminari*.

[g] Ms. unus, *instructum*

[h] Ms. unus, *virtutes istas*.

[i] Mss. quatuor, *nunquam*.

[j] Ms. Reg. unus, *affectibus*. Alter et Colb. unus cum Camb., *effectibus*.

[k] Mss. duo, *vel fortes*.

[l] In mss. duobus Colb. deest vox *serium*.

[m] Ms. Colb. unus, *in animo ubi habitat*, absque *si*.

[n] Ms. unus Colb., *infirma corroborat*.

[o] Ms. Colb. unus, *et tutam semper ab omni vitiorum potestate defendit*.

[p] Ms. unus, *ad omnem honestum*.

[q] Ms. unus, *non habebat*. Ms. unus, *aut ne alios*, etc. Desunt hæc in ms. uno Reg.

[r] Mss. duo, *a cibis*.

[s] Ms. unus, *puræ dilectionis*.

num, quod [a] risui prorumpere non permittimus in cachinnum, quod nulli detrahimus, nec [b] detrahentes æquanimiter sustinemus: scientes, quod tam illi qui detrahunt quam illi qui detrahentibus acquiescunt, vanitatis morbo corrupti sunt; [c] qui ad hoc alios viles videri volunt, ut se commendent eorum comparatione quos carpunt, et videantur ea vitia non habere, quæ malitiose in aliis reprehendunt, quod malum temperantia tollit; cui qui servire voluerit, non quod reprehendat in fratribus, sed unde Deum laudet attendit. Ac per hoc ipsius temperantiæ est, quod non solum temperantes in omnium membrorum officiis sumus, sed etiam quod omnia libenter, quæ nos moderatos ac sobrios faciunt, observamus. Sed de temperantia hæc dicta sufficiant, [d] ut et de fortitudine disseramus.

CAPUT XX.

Quales esse debeant quos animi fortitudo nobilitat.

1. Animi fortitudo ea debet intelligi quæ non solum diversis pulsata molestiis inconcussa permaneat, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbat. Alioquin si impetus quidem malorum sævientium frangat, si calamitatibus quibuslibet impactis [e] obsistat, si inter injuriarum sæva, inter procellas angentium pressurarum, inter inimicitias ac damna præsentia, atque multimodas persecutiones infatigata persistat, et tamen de ipsa se adversariorum sustinentia jactet, nec de dono Dei, [f] quo illustratur, exsultet, sed carnaliter se de vulgi favore, quo prædicatur, oblectet; plusque gaudeat ex eo quod laudatur, quam ex eo quod habet unde laudetur; et per hoc humanam laudem divinis [g] muneribus anteponat: quis dubitet hanc animi intentionem virtutem dici non posse? Quæ si virtus esset, fortiter etiam blandimentis talibus repugnaret; nec acquiesceret mollibus quæ, adjuvante Domino, dura quæque vel aspera superasset. Quosdam namque insuperabiles asperis passionibus facit mundi cupiditas: in quibus non patientia laudanda est, sed [h] miranda duritia.

2. Eos vero quos ad tolerantiam passionum fortes Dei caritas reddit, nulla delectatio carnis, [i] nulla voluptas male blanda corrumpit. [j] Quoniam si non quid, sed propter quid patiamur, plurimum refert: non in eis est patientia qui æquanimiter patiuntur angentia, sed in eis tantum quos fortiter facit sustinere justitia. Denique Dominus non ait, [k] *Beati qui persecutionem patiuntur* (*Matth.* v, 10), et tacuit; sed adjecit, *propter justitiam*: ut evidenter ostenderet quod patientiam veram non facit pœna, sed causa; et ideo beatitudinem non persecutionem patientibus, sed propter justitiam patientibus repromisit. Quod si ita est, superandorum [l] malorum sustinentia, tunc est vera patientia, si fuerit justa: et in eis justa est patientia quorum nec doloribus, nec voluptatibus [m] cedit mentis invictæ constantia. Sed hæc animi fortitudo ab illo est nobis cui cum propheta [n] cantamus: *Fortitudo mea, et* [o] *laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem* (*Psal.* CXVII, 14). Fortitudo nostra est [p], quia ita nos contra omnia vitia invicta protectione corroborat, ut animum nostrum [q] nec blanda dissolvant, nec adversa dejiciant; et tunc laus nostra Dominus fit, si non nos de muneribus Dei, sed divina in nobis cupiamus munera prædicari. Nec illi suam possunt jactare virtutem, quibus Dominus factus est in salutem.

3. Is ergo [r] cui Dominus est animi fortitudo, nullis carnalibus desideriis cedat, nullis voluptatibus acquiescat, ambitionem ac popularem gloriam vincat. Non eum pecuniæ amor addicat [s], non acerbitas [t] passionum damnorumque subjiciat. Sit illi Deus laus tota, perfecta gloria [u], delectatio pura, spes certa, securitas firma, possibilitas sana, sanitas incorrupta: ut ei quidquid carnalibus placet, in hoc mundo displiceat; quidquid pretiosum videtur esse, vilescat; quidquid nitidum, futurorum [v] contemplatione sordescat; nec ab his quæ jam [x] per gratiam Dei elisit, se patiatur elidi: quia et turpius videtur [y] animum ab his vitiis vinci quæ vicerat: et nihil ei [z] prodest aliqua superasse, si alicui quod neglexerit superare [aa] subjaceat: quando non ille fortis haberi soleat qui in adeundis laboribus periculisque claruerit, aut [bb] frenandis voluptatibus ac domandis institerit; sed ille magnus et sublimis, ille potens atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare, aut dominari permiserit: [cc] modo absit [dd] ignavia, ne nos id desperemus posse quod possumus; absit præsumptio vitiosa, ne nobis hoc quod per Dei gratiam possumus ascribamus.

[a] Mss. tres Colb., *quod risum prorumpere non permittimus*. Alter, *risui prorumpere non permittimus*. Ms. Colb. unus et Camb., *risu prorumpere non audemus*.
[b] Ms. Reg. unus, *nec detrahentem*. Ms. Colb. unus, *et detrahentes*. Ms. alter ex Regiis, *nec detrahenti acquiescimus, nec æquanimiter sustinemus*
[c] Mss. tres, *quia ad hoc*.
[d] Ms. unus, *nunc de fortitudine*.
[e] Ms. unus, *subsistat*.
[f] Ms. unus, *qui illustratur*,
[g] Mss. Reg. duo et Camb., *operibus*.
[h] Ms. unus, *miseranda*.
[i] Mss. tres addunt *mala*. Unus, *non voluptas*.
[j] Ms. unus, *Quoniam enim non quid*.
[k] Hæc vox *Beati* aberat ab editis: restituitur ex mss. quinque.
[l] Mss. omnes hic addunt *vel superatorum*. Editi omittunt.
[m] Ms. Camb., *cadit*.
[n] Ms. Camb., *canimus*.
[o] Mss. quatuor, *et laudatio mea*.
[p] Mss. tres, *quæ ita*. Mss. duo, *qui ita*.
[q] Mss. duo, *nec blandimenta*.
[r] Mss. duo Colb., *cui factus est Dominus fortitudo*.
[s] Ms. unus addit *alienæ*.
[t] Ms. unus, *passionis damnorumque abjiciat*.
[u] Mss. quinque, *dilectio pura*.
[v] Ms. unus, *comparatione*.
[x] Ms. unus, *gratia Dei*.
[y] Mss. quatuor, *animus*.
[z] Ms. Colb. unus, *prodest*; cæteri, *prosit*.
[aa] Ms. unus, *subjiciatur*.
[bb] Ms. unus, *refrenandis*.
[cc] Hæc vox, *modo*, inducta est in ms. Camb., in quo sic: *Absit igitur*.
[dd] Ms. ex Colb. unus, *pigritia misera, inertia, ignavia, ne nos*.

Quia sive de munere Dei, quo fortes efficimur, desperemus; sive nos de nostra possibilitate jactemus, idonei ad resistendum vitiis esse non possumus. Et utique animi fortitudo tam desperandi ignaviam debet excutere quam jactantiæ contraire.

CAPUT XXI.

De justitia, vel fide, quæ ex ipsa procedit.

Hactenus de virtute cui nomen est fortitudo [a] disputavimus. Videamus jam quid [b] etiam justitia nobis afferat in hac vita præsidii, et qualiter ipsa quoque in eorum pectoribus qui se illi [c] tradiderint, nullis vitiorum valeat impugnationibus superari. Fides enim, quæ est justitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt [d], et ex qua omnia bona procedunt, ipsa nos a peccatis omnibus purgat, mentes nostras illuminat, Deo [e] conciliat, et cunctis participibus naturæ nostræ consociat; spem nobis futuræ remunerationis inspirat, auget in nobis virtutes sanctas, ac nos in earum possessione confirmat.

CAPUT XXII.

De æquitate; quod ad eamdem pertineat humanæ societatis utilitas.

Ex justitia manat et æquitas, quæ nos facit ut omnium necessitates hominum nostras esse dicamus, nec nobis tantum, sed etiam generi humano [f] nos natos esse credamus; et quidquid cuilibet homini nocere potest, [g] tanquam si nobis noceat, evitemus: quia [h] qui homines sumus, nihil humani a nobis alienum putare debemus. Siquidem bellarum est [i] sibi vivere, nec suas utilitates in commune conferre. A quibus non solum mentis prærogativa, sed etiam servata juris [j] æqualitate distamus, si nos in [k] omnium commodis vel incommodis cogitantes, sicut nostris utilitatibus, ita omnium sociorum [l] naturæ nostræ vivamus. [m] Deinde si invicem persequi, lacerare, vel perdere, ferarum est proprium, quis dubitet excellentiæ humanæ competere, ut se alterutrum juvent, instruant, ædificent, et utilitatem communem tanquam propriam curent? Unde datur intelligi quod qui

A opprimendis [n] ac decipiendis hominibus [o] homines nati persistunt, in mores ferinos, [p] non naturæ, sed vitæ mutatione degenerent.

CAPUT XXIII.

Quod duo sint injustitiæ genera.

1. Duo sunt injustitiæ genera: unum [q] quo injurias irrogamus, alterum quo [r] ab aliis irrogatas, cum possumus, propulsare negligimus. Quodam modo enim nos opprimimus quando oppressos cum defendere [s] possumus, ab oppressione contemnimus. Nec mihi aliquid prodest, quod non circumvenio aliquem, neque decipio, si [t] decipi, aut circumveniri permitto. Hoc idem de peccatis [u] licet intelligi: quia si peccantem video, et non solum non arguo, sed etiam [v] ei peccanti consentio, participem me damnationis ejus

B efficio; et in omnibus peccantibus pecco, quando eos quos scio peccasse sive peccare, quadam crudelis animi malignitate non increpo

2. Nec vero audiendi sunt illi qui se dicunt propterea delinquentes [x] objurgare non posse, ne eos qui [y] se emendare noluerint, sibi faciant inimicos. Qui dum parcunt eorum voluntati, saluti non parcunt. [z] At si non ex jactantia, sed ex misericordia, et cum quadam pietate compatientis animi castigemus, [aa] et illi nos sentiant non minus peccatis suis moveri quam nostris; aut in bonum statum reformati, nobiscum Deo [bb] gratias agunt; aut si eos in peccato tenet adhuc peccandi dulcedo, et [cc] salutem suam nobis curæ esse cernentes, malum reddere pro bono voluerint; [dd] malle debemus eorum inimicitias,

C qui noluerint emendari, contrahere, quam Dei offensam, dum peccantes palpamus, incurrere. Sed de his quoniam in libro secundo (*Cap.* 1 *et* 2) plura jam diximus, reliquas justitiæ partes, ut cœpimus, exsequamur.

CAPUT XXIV.

De liberalitate; et qualiter beneficentiæ opus debeat exerceri.

1. De justitiæ [ee] adhuc fonte procedunt liberalitas,

[a] Hæc vox, *disputavimus*, abest a mss. quatuor; in altero habetur *tractavimus*.

[b] Mss. duobus deest *etiam*. Ms. Camb. post pauca, *offerat*.

[c] Editi, *tradiderunt*. Mss. quinque, *tradiderint*.

[d] Sic mss. Reg. duo et Colb. unus. Camb. vero, *sed ex qua omnia bona procedunt*. Editi, *et ex quo omnia procedunt*. Quæ omnia absunt a duobus mss. Colb.

[e] Mss. Colb., tres, *reconciliat*.

[f] Ms. unus Colb., *natos utiles esse*.

[g] Ms. unus, *id quasi*.

[h] Ms. unus ex Colb., *quia homines sumus, unde et humanitas dicta, qua nos invicem tuemur, sicut mortales; nihil humani a nobis*, etc.

[i] Deest vox *sibi* in ms. uno.

[j] Ms. Colb. unus, *a quibus non solum meritis, gratia præmissa, vel propriæ dignitatis prærogativa, sed etiam.... æquabilitate distabimus*. Mss. tres et Lugd., *æquitate distamus*.

[k] Ms. unus, *in omnium lucris, commodis*, etc.

[l] In editis interseritur vox *utilitate*, quæ abest a mss. omnibus; quæ omissio recto sensui loci huius proficit.

[m] Ms. unus, *Denique*.

[n] Mss. tres, *aut*.

[o] In Lugd. deest vox *homines*. Legitur in aliis omnibus.

[p] Ms. unus, *non naturæ, sed vitii*. Ms. alter, *non natura, sed vitæ*.

D [q] Mss. duo, *unum quod... alterum quod*.

[r] Ms. unus, *aliis irrogatas*.

[s] Ms. unus, *pessimus*.

[t] Mss. tres, *si decipienti circumvenire permitto*. Ms. alter, *quod non circumvenio neque decipio, sed decipi*, etc.

[u] Mss. quatuor, *debet*.

[v] Ms. unus, *ejus peccatis*.

[x] Ms. Colb. unus, *increpare vel objurgare*.

[y] Mss. duo, *emendari noluerint*.

[z] Ms. Colb. unus, *Ac si*. Alter, *Si non*. Alius, *Aut si*.

[aa] Mss. duo, *ut illi*.

[bb] Mss. duo, *gratias agant*. Ms. Colb. unus, *aut in bono nobiscum statim*. Alter, *aut in bonum statim Deo gratias agunt*.

[cc] Ms. unus, *salutis suæ nobis curam esse*.

[dd] Sic editio Lugd. Aliæ, *magis malle*. Ex Colb. mss. unus, *magis debemus eorum inimicitias, qui noluerint emendari contrahere*.

[ee] Ms. unus, *De justitiæ autem adhuc*.

beneficentia, caritas et cætera ejusmodi, quibus multipliciter juvari homines possunt. Liberalitas [a] est quæ etiam in eos qui nihil indigere videntur, exuberat: in qua liberalitate rei familiaris ponitur amplitudo. Beneficentiæ multa sunt opera, quibus necessitati laborantium misericorditer subvenitur, et de terreno censu regni cœlestis hæreditas comparatur, si modo absque ulla ostentatione opus beneficentiæ fiat, nec nos ad misericordiam faciendam turpis amor gloriæ popularis impellat. Inventi sunt quidam qui diversis quidem diversorum necessitatibus subvenirent; sed aut appetitu comparandæ opinionis impulsi, aut carnali pietate commoti, aut spe recipiendi quod darent, aut reddendi quod accepissent necessitate [b] constricti.

2. Sunt alii quos ad largiendum aliquid in pauperes sola movet versuta cupiditas; qui [c] ad hoc aliqua erogant, ut hic majora recipiant; et quidquid eis velut pauperum [d] pastoribus datum fuerit [e] erogandum, esurientibus illis pro quibus sustentandis accipiunt, totum, aut prope totum quod acceperint, in suas voluptates expendunt: et, quod est deterius, inter munificos ac misericordes haberi, vel etiam præ illis prædicari turpiter concupiscunt. Ab his omnibus, et horum similibus, longe diversi sunt [f] illi qui non se in operibus suis, sed Deum cupiunt prædicari; quos ad opus bonum spes futuræ remunerationis adducit; et ipsum solum volunt habere sui operis testem, a quo se recepturos credunt tota fidei firmitate mercedem.

CAPUT XXV.

De differentia amorum, et quantum ab eis differat perfecta dilectio.

Itaque jam de caritate, unde plura in hoc libro supra disserui, quia locus exigit, hic quoque pauca perstringam. Taceo de carnali amore qui incipiens a conjugio manat in filios, quia talem amorem cum pecoribus habemus, bestiisque communem. Propinquorum [g] etiam prætereo, quia et ipse adhuc ad carnem pertinere videtur et sanguinem. Nec de illo aliquid dico, quo etsi amicos amamus, tamen etiam [h] ipse refertur ad aliquod commodum temporale. Non quod hi amores honesti non sint, cum sint omnibus naturales; sed quod his omnibus [i] sit ille

A incomparabili diversitate præstantior, quo Deum gratis diligimus, et amicum. Cæterum qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum convincitur amare, sed commodum. Et utique qui aliquem propter rem temporalem quamlibet amaverit, cum res ipsa [j] utpote temporalis desierit esse, amare cessabit. Qui autem diligit propter Deum, sicut Deus æternus [k] est, ita in æternum ipsa amici dilectio permanebit. Et ideo Deus, [l] quo nihil est majus aut melius propter quod diligatur, propter seipsum perfecte diligitur. Si vero saltem propter [m] illa quæ præstat amatur, non utique gratis amatur: quia jam illud propter quod diligitur, ei, quod dictu quoque nefas est, antefertur. Ipse quippe est omnibus amatoribus suis vita beata, ac salus æterna, et

B regnum, gaudiumque perpetuum. Hæc accipient qui Deum diligunt, quia solus erit illis omnia, quando ipse fuerit in omnibus omnia.

CAPUT XXVI.

Quid sit sua cuique tribuere.

Quapropter si in hac vita justitiam conamur implere, cujus justitiæ opus est proprium sua cuique tribuere, Deo nos, a quo sumus facti, reddamus: nec dominari nobis ea quibus sumus naturaliter præpositi permittamus. Dominetur vitiis ratio, subjiciatur corpus animo, animus Deo, et impleta est [n] hominis tota perfectio. Ac per hoc, et nos justitiæ facti participes, sua cuique tribuimus, si inferiora melioribus, et virtutibus carnalia oblectamenta

C subdamus; [o] et sicut viventia vita carentibus, sensibilia viventibus, intellectualia sensibilibus, immortalia mortalibus, ratiocinando præponimus, ita bene vivendo voluptuosis utilia, utilibus honesta, honestis sancta, [p] sanctis perfecta omnia præferamus. Verumtamen nec corpus spiritui, nec appetitus obtemperare poterit rationi, nisi Deus, qui ipsum spiritum creavit et corpus, delectatus cogitationibus nostris, requiescat in nobis, ac tanquam verus agricola in agro suo, [q] corde nostro proficiat: [r] ut quidquid in eo fides plantat, devotio rigat, ipse ad incrementum consummatæ maturitatis adducat; atque ita nobis voluntarie sibi subjectis desideria mala subjiciat, ut ex ipsis actibus nostris, qui sit habitator noster, et cujus in nobis [s] fiat voluntas, appareat.

[a] Additur, *est*, ex mss. quatuor; aberat ab editis.

D [b] Mss. duo, *constricti sunt. Aliquos*, etc. Ita et Lugd. Alter, *constricti sunt. Alii quos*. Ms. alius, *constricti sunt. Alii sunt quos*.

[c] Ms. Reg. unus, *propter hoc..... ut hinc majora*. Alius, et Colb. unus, *ad hoc... ut majora*. Duo Colb. *ad hoc... ut hinc majora*.

[d] Ms. Camb., *patribus*.

[e] Ms. unus, *ad erogandum*.

[f] Ms. unus, *alii qui*.

[g] Mss. septem, *quoque*.

[h] Ms. unus, *etiam ipsi referuntur*.

[i] Mss. Colb. duo, *incomparabili necessitate*. Quorum unus, *dum gratis diligimus et amicos, et cæteros*.

[j] Mss. sex, *utpote temporalis*. Unus ex his, *ut puta*. Editi hic carent *utpote*.

[k] Ms. unus caret substantivo *est*.

[l] Ms. Colb. unus, *quia nihil est... majus aut melius, propter quid diligatur*. Colb. alter, et Lugd. cum Lovan., *quo nihil est... majus aut melius, propter quod diligatur*. Ms. duo Reg., *propter quod diligitur, propter seipsum perfecte diligitur*. Editi, *propter quid diligitur*; alii, *diligatur? Propter seipsum perfecte diligitur*.

[m] Ms. unus, *propter ipsa*.

[n] Ms. Colbert. unus, *omnis perfectio*. Alter, *et impleta erit in nobis tota perfectio*.

[o] Mss. quatuor Colb., *ut sicut*.

[p] Ms. Colb. unus, *sanctis et perfectis perfectiora præferamus*.

[q] Mss. septem, *in agro suo corde nostro*. Editi, *sic in corde nostro*.

[r] Mss. sex, *et quidquid*.

[s] Mss. tres, *sit voluntas*.

CAPUT XXVII.

Quod actualem vitam tres virtutes, id est temperantia, fortitudo, justitiaque consumment; et prudentia, quæ est quarta virtus, menti cognitionem rerum latentium præstet.

Hic est ordo naturæ atque justitiæ, quem [a] qui tenere voluerit et observare, perfectionem vitæ actualis implebit. Cui actuali vitæ tres illæ virtutes (de quibus quæ dicenda [b] jussa sunt, Deo donante, dixi) proficiunt. Siquidem temperantia, et animi fortitudo, atque justitia spiritalis est actio, sine qua nihil omnino valet illa quæ ad prudentiam videtur pertinere cognitio. Quia nihil nobis proderit implenda didicisse, nisi ea quæ didicimus, studeamus implere. Ergo vis [c] animi, quæ in appetitum rationemque dividitur, ad perfectionem bonæ actionis implendam, cognitionemque rerum latentium consequendam, his quatuor virtutibus, unde [d] etiam jam diu disseruimus, adjuvatur. [e] Quarum tribus, temperantia scilicet, et animi fortitudine, atque justitia informatur ipse appetitus ut actio fiat; prudentia vero rationem, quæ est acies mentis, illuminat: ut et ratio appetitum [f] gubernet, et rationi appetitus obtemperet. Nam virtus omnis (sicut veteribus placet) tribus in rebus [g] fere versatur: quarum una est in perspiciendo, quid in [h] quaque re verum, sincerumque sit, quod prudentiæ munus est proprium, [i] de quo loco suo videbimus; altera, quæ animi perturbatos affectus, quos Græci dicunt πάθη [j] coercet ac temperat, ut omnes appetitiones, quas illi [k] ὁρμὰς vocant, rationi obedientes efficiat; tertia ut his quibus [l] congregamur, uti velimus [m] ad eorum salutis et nostræ plenitudinem sapiendam. Quæ omnia ad reliquarum trium virtutum pertinere videntur officium: quibus temperantia et fortitudo plurimum valent in coercendis animi perturbationibus ac frenandis, [n] quas perturbationes nonnulli passiones, alii ægritudines vocant. Quibus modificatis, et quadam temperantiæ ac fortitudinis lege compositis, omnes virtutes in homine suo creatori subjecto sine ullis vitiorum contradictionibus regnant.

CAPUT XXVIII.

De sociali virtute; et quod non recte faciant qui, cum possint, nihil humanæ societati proficiunt.

1. Justitia vero qua fiunt justi, qui eam fuerint A operati, socialis quædam virtus accipitur, eo quod ipsa beneficiis [o] quæ aliis præstat augetur. Quis enim non eo ipso proficit, quo proficere alium cupit? Quis non misericordem sibi Deum facit, qui misericors erga laborantes vel errantes exstiterit? Aut quomodo non augebit in se omnia bona sua, [p] qui ea non solum non invidet habentibus, sed etiam non habentibus, in quantum potest divinitus inspiratus impertit? Ex quo videndum est utrum juste faciant [q] illi qui se removentes ab occupationibus cunctis, ac studiis spiritualibus offerentes, nihil humanæ societati proficiunt; et desideria sua commodis [r] omnium præferentes, utilitatem communem desideratæ vacationis electione contemnunt. Cum profecto laborantibus opem ferre nolle, cum [s] possis, et communi bono B posthabito, otiosa quiete frui [t] velle, nihil habeat æquitatis. Cui æquitati qui serviunt, omnes omnium bono vivunt, [u] ac velut sibi invicem nati, salutem mutuam tuentur ac diligunt. Ac per hoc, contra justitiam faciunt hi qui merito suæ conversationis vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt; et cum [v] possint laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ administrationis laborem, fruendæ quietis contemplatione refugiunt.

2. Sed quoniam sunt multi qui se impares tantæ sarcinæ norunt, tales juste se, etiam quæsiti, non offerunt: ne videantur non ecclesiasticos labores velle suscipere, sed honores [x] ambire, cum dignitas ecclesiastica nec ambienda sit nec vitanda. Qui vero C præesse et prodesse populis possunt, si quæsiti non fuerint, juste seipsos percipiendæ sapientiæ studiis tradunt. Veruntamen si et illi qui lucris per se proficientium crescunt, et isti qui in se ipsis sub Deo suo sapientiæ spiritalis perceptione proficiunt, in proposito suo permaneant; itineribus quidem diversis incedunt, sed ad unam patriam tendunt, et ad unum regnum disparibus [y] militantes officiis, Christo Rege omnium vocante, perveniunt. Quis enim nescit quod sicut [z] otium studiosum ineffabilem suavitatem sapientiæ cœlestis infundit a carnalibus otioso; ita spiritalis occupatio laborum sanctorum multiplices [aa] afferat fructus humanæ societatis utilitatibus occupato? In ipsis quoque studiis spiritalibus quantum possint ecclesiastici viri proficere, quis sufficienter

[a] Ms. unus, *si quis.*

[b] Mss. omnes, *visa sunt.* Unus ex his totum sic exhibet. *Cum actualem vitam tres illæ virtutes... perficiunt.*

[c] Mss. duo, *vis animæ.*

[d] Mss. omnes, *unde ecce jam diu.*

[e] Mss. tres. *Quibus tribus.*

[f] Ms. unus, *juvet.* Hæc verba, *ut et ratio*, etc., desunt in ms. uno.

[g] Editi, *vere.* Mss. sex, *fere.*

[h] Mss. tres, *in quaque re.* Unus, *in unaquaque re.* Editi, *in qua re.*

[i] Ms. unus et Lugd. cum Lovan., *de qua.*

[j] Ms. unus, *vocant πάθη.* Alter, *dicunt pathos.*

[k] Ms. unus, *ormas dicunt.*

[l] Ms. unus, *congredimur.*

[m] Ms. unus, *ad eorum salutem nostra plenitudine.* D Alius, *ad eorum salutes, et nostram plenitudinem.*

[n] Ms. Colb. unus, *quas nonnulli passiones*, omissa voce hac, *perturbationes*, quæ legitur in aliis.

[o] Ms. unus, *augeatur.* Mss. duo, *quæ modo aliis præstat adjungitur.*

[p] Ms. unus, *quæ non solum.*

[q] Mss. duo, *aliqui se removentes.*

[r] Ms. unus, *commodis omnibus.*

[s] Ms. unus, *possit.* Alias, *possint.*

[t] Deest vox *velle* a Lugd.

[u] Ms. unus, *in hac velut.*

[v] Ms. unus, *cum possent.*

[x] Ms. unus, *sed ad honores.*

[y] Ms. unus, *militantium.*

[z] Ita mss. omnes; at editi, *otiosum studium*

[aa] Mss. duo, *affert*; quatuor, *afferet.*

enumeret : cum et inferiores docendo, seipsos exerceant, et conferendo cum æqualiter eruditis, cautiores in pluribus fiant; et ab eruditioribus audiendo, male sibi persuasa deponant, recta firmius teneant, occulta cognoscant, et confirmentur in eis quorum [a] dubiis fluctuabant? Sed quoniam disputationis ordo deposcit ut etiam de prudentia, quæ principalis virtus quarta ponitur, pauca dicamus, de justitia sufficiant ista quæ diximus.

CAPUT XXIX.

Quod de prudentiæ ac sapientiæ fonte cognitionem omnium rerum bibant, qui percipiendæ scientiæ ferventer invigilant.

1. Prudentiam et sapientiam plerique in indagatione veri, et inventione constituunt. Credo propterea quod nec sapiens [b] rite dici possit, cui [c] prudentia; nec prudens, cui sapientia desit. Quapropter si nihil aliud prudentiæ ac sapientiæ munus accipitur, nisi inquisitio et comprehensio veritatis; qui veritatem prudenter quærere, et sapienter invenire [d] potuerit, is prudens, is sapiens jure vocabitur. Hoc idcirco præmiserim, ut quidquid de prudentia fuerit disputatum, id totum etiam de sapientia dictum possit intelligi. Quia ita sibi hæ duæ virtutes implicatæ sunt et unitæ, [e] et ita quælibet earum sine altera non potest esse; ut nec imprudens [f] sapientia, nec insipiens possit dici prudentia. Si ergo tota humanæ vitæ perfectio in actione et cognitione consistit : sicut [g] impleri actionem temperantiæ, ac fortitudinis, justitiæ consummatione probavimus; ita cognitionem rerum provenire consecutione prudentiæ comprobemus.

2. Cognitio rerum quæ de prudentiæ [h] ac sapientiæ procedit fonte, [i] spiritales omnes a carnalibus vitiis defecatos illustrat; et ab omni delectatione noxiæ curiositatis aversos, desiderio contemplandæ [j] virtutis inflammat : ut humanarum rerum divinarumque scientiam consecuti, prudentes ac sapientes veraciter fiant, prospiciant imminentia mala simul et caveant, nec putent ulla esse mala, nisi ea quæ malos [k] efficiant; nec eis ullæ perturbationes, velu

A ignaris earum, modestiæ aliquid, aut tranquillitatis excutiant; inter fallentia et solida bona discernant; nihil in hoc mundo casu aut injuste, sed omnia, Deo volente [l] ac permittente, fieri prudenter accipiant; aliter intelligentes aut doceant sapienter, aut arguant; dolores varios ac diversas infirmitates quæ mortaliter viventes affligunt, non semper peccatis præcedentibus sequi; sed plerumque ex ipsa conditione mortalitatis [m] accidere corruptibiliter natis intelligant; et [n] scientes se non damnari adversis [o] præsentibus, sed probari, ex ipsa tolerantia passionum occasionem comparandæ sibi patientiæ viriliter agentes arripiant; nec ipsi aliis noceant, nec sibi [p] nocere permittant.

3. Tales Dominus in Evangelio fieri [q] præcepit, dicens : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices*

B *sicut columbæ* (*Matth.* x, 16): quia nec simplices circumvenire aliquos possunt, nec prudentes se circumveniri permittunt. Cæterum si in contractu quolibet, sive in colloquio, vel in alia quaque re, se decipi quisque non sinat, et alium tamen ipse decipiat; iste non habet prudentiam, quæ salutis magis quam perditionis est causa, sed simulat. Quoniam quidem [r] hoc virtus a vitio distat, quod illud corrumpit sana, hæc sanat vitii accessione corrupta : ac sic, aut omnibus [s] quibus potest, prodesse festinat veraciter prudens, ut ejus meritis omnium qui per eum Deo acquiruntur, fructus accrescat; aut si cogitat de perditione cujuspiam, vel de casu pereuntis exsultat, necesse est ut prius pereat ipse quam alium perdat, et ab ipso ea perditio, qua perire alium cupit, incipiat.

C

CAPUT XXX.

Quod prudentes nec aliis noceant, nec sibi noceri permittant; et quod eis ibi sit sine admixtione alicujus erroris consummata prudentia, ubi erit sine ullo peccato vita perfecta.

1. Illi [t] ergo qui prudentiæ [u] participatione prudentes effecti, Deo suo non pedibus, sed sanctis moribus appropinquant, ex ea parte qua sunt Dei dono prudentes, [v] nec suo perire possunt, nec alieno peccato; ex eo autem quod necdum ita est eorum per-

[a] Mss. quatuor, *dubii*.

[b] Mss. tres, *recte*.

[c] Mss. quatuor, *deest*, *nec prudens cui sapientia deest*.

[d] Mss. quatuor, *potuerit*. Editi cum aliis mss. *poterit*.

[e] Mss. tres, *ut ita quælibet... non possit*. Editi, *ut una quælibet earum sine altera non possit esse*.

D

[f] Mss. tres, *sapiens*, *nec insipiens possit dici prudens*.

[g] Ita mss. Camb. Reg. duo, et Colb. unus. Colb. alter, *sicut impleri actionem temperantiæ*, *fortitudinis atque justitiæ consummatione*. Ms. alter ex Colb., *sicut in plerisque actionem temperantiæ ac fortitudinis*, *atque justitiæ consummationem probavimus*. Editi, *sicut in plerisque actionem temperantiæ ac fortitudinis*, *atque justitiæ consummatione probavimus*.

[h] Sic mss. septem, in quorum unico legitur hæc vox, *procedit*; in aliis autem, *quæ de prudentiæ fonte confertur*.

[i] Ms. Colb. unus, *spirituales a carnalibus*. Alius, *spiritales omnibus carnalibus vitiis*, etc. Colb. alter et Camb., *Carnales omnes a carnalibus vitiis defecatos illustrat, et spiritales omnes ab omni dilectione noxiæ curiositatis*. Unus ex Colbert., *vanæ curiositates*. Alius, *dilectione*, ut mox citati.

[j] Mss. tres, *veritatis*.

[k] Editi Duac. et Colon., *efficiunt*.

[l] Mss. duo, *vel permittente*.

[m] Mss. duo, *accedere*.

[n] Ms. Camb., *sciant*.

[o] Deest vox *præsentibus* in ms. uno Colb.

[p] Mss. duo, *noceri*.

[q] Ms. unus, *præcipit*.

[r] Ms. Reg. unus, *hæc virtus*.

[s] Ms. Colb. unus, *quibus potest prodesse*, *festine ac veraciter prodest*, *ut ei ex meritis omnium*, *quæ per eum Deo acquiruntur*, *fructus accrescat*. Ms. alter Colb., *festinat ut veraciter prudens*.

[t] Ms. Reg. unus, *si ergo qui*.

[u] Editi, *participes*.

[v] Ms. unus Colb. hic addit, *nec sua perpeti possunt*, *nec aliena peccata*.

fecta prudentia, sicut in illa vita erit, ubi perfecte viventibus ullus error obrepere [a] omnino non poterit; etiam prudentes aliquoties peccatis fallentibus acquiescunt; non voluntate depravati, sed humano errore, ut homines, lapsi; nec adhuc tota prudentiæ ac sapientiæ [b] perceptione perfecti; sicut ibi erunt, ubi nec ignorare aliquid, nec peccare jam poterunt.

2. Hic vero, si potuisset a peccato recte factum perfecte discerni, [c] nunquam ab occultis suis oraret ille mundari qui ait : *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII, 13). Quibus verbis satis ostendit quod illi quoque qui sancte [d] per donum sancti Spiritus vivunt, tamen propter [e] aliquas infirmitates [f] humanas quas [g] trahunt, sive scientes, sive nescientes, [h] aliquoties aut suo peccato cedunt, aut alieno consentiunt. In hac [i] igitur vita, ubi aut voluntate, aut errore, aut infirmitate peccatur, quicunque divinitus adjuti voluntate non peccant, utique irreprehensibiliter vivunt. Sed quia potest eos error aut infirmitas peccatis involvere, ab illo se illuminari fideliter [j] postulent et sanari, cui exsultans ille clamabat in Spiritu, dicens : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem* [k] *timebo* (*Psal.* XXVI, 1)? ut cum illuminatio, per donum [l] prudentiæ ac sapientiæ collata detraxerit cæcitatem, et sanaverit per gratiam Dei salus [m] refusa languorem, tunc mens illuminata divinitus et sanata, nec in eis quæ cavenda vel appetenda sunt, humano decipiatur errore, ut aut pro veris falsa defendat, aut pro falsis vera [n] rejiciat; et sine ullo infirmitatis obstaculo bonum quod elegerit implere prævaleat.

3. Sed alia est salus hujus vitæ qua mortaliter vivitur, alia illius ubi mortale nostrum immortalitate donabitur; et aliter salvi facti sumus in spe, aliter salvi erimus in re. Hic ita salvi facti sumus, ut adhuc perire possimus; ibi quicunque salvus [o] fuerit, perire ultra non poterit; ac per hoc, scientia quæ cognitionem rerum nobis in hujus sæculi nocte viventibus præstat, plenitudini futuræ collata, pars scientiæ est credenda, non tota. Propter quod dicit sanctus [p] Apostolus : *Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII, 9 *et* 10). [q] Hic evacuari asserit, consummari : quoniam quidem pars scientiæ [r] quæ est perficienda, perfectis non evacuanda est, sed implenda. Proinde ubi erit omnium fidelium catholicorum salus plena, corruptibilitas nulla, et immortalitas beata, ibi erit prudentiæ [s] ac sapientiæ perfectio vera, et rerum omnium cognitio tota, quando scientia ad perfectum fuerit partis evacuatione perducta.

CAPUT XXXI.

De affectionibus quatuor : quod inter vitia numerari non debeant, si earum usus ex bona voluntate procedat.

1. Videamus nunc quid diligentia disputationis inveniat etiam de quatuor affectionibus quas vitia esse stultitia sapientium mundi hujus existimat. [t] Nam si timere, ac dolere, cupere, vel lætari omnino non possent nisi peccatores aut perditi, recte non affectus aliqui possent dici, sed morbi. At cum [u] tales animorum motus inveniantur in sanctis apostolis et prophetis, quis ita desipiat, [v] ut eos vitia credat, ex quibus Deo placuerunt illi qui vitiis plus quam cæteri homines restiterunt? Itaque Paulus apostolus de timore sic loquitur : *Timeo autem ne, sicut serpens seduxit Evam sua astutia, sic et vestri sensus corrumpantur a castitate, quæ est in Christo* (*II Cor.* XI, 3). [x] Item de cupiditate fiducialiter dicit : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* III, 23). Sed et de tristitia, quam alii dolorem appellant, idem vas electionis et doctor gentium ait : *Quia tristitia magna mihi est, et continuus dolor cordi meo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem* (*Rom.* IX, 2). [y] Sed et de lætitia ad Romanos scribens, cum dixisset, *Vestra* [z] *obedientia* [aa] *in omnem locum divulgata est. Gaudeo*, inquit, [bb] *de vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo* (*Rom.* XVI, 19). Hunc timorem vel dolorem, hanc cupiditatem, hoc gaudium qui reprehendere voluerit, ipsum [cc] reprehendit Apostolum, qui per tales affectiones non solum Deo placuit, sed etiam quosdam inter criminosos, quod essent [dd] sine affectu, culpavit. Sed et propheta, dicendo : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi* (*Psal.* CXXI, 1); et ex persona Domini, *Sustinui*

[a] Mss. quatuor Colb., *omnino jam non poterit.*
[b] Ms. Camb., *perfectione.*
[c] Mss. tres, *nunquam se ab occultis.*
[d] Editi, *secundum donum.* Mss. sex, *per donum.*
[e] Mss. sex, *reliquias.*
[f] Ms. unus, *humanæ vitæ.*
[g] Ms. unus, *tribuunt.*
[h] Alias, *aliquatenus.*
[i] Ms. unus, *autem.*
[j] Ms. unus, *postulant.*
[k] Editi, *trepidabo.* Mss. sex, *timebo.*
[l] Mss. duo, *scientiæ ac sapientiæ.*
[m] Edit. Duac. et Colon., *infusa languorem.* Ms. Colb. unus, *repulso languore.*
[n] Ms. unus, *retineat.*
[o] Editi, *fueris.., poteris.*
[p] Ms. unus, *sanctus Paulus apostolus.*
[q] Ita mss. sex. Ms. alter, *Hic evacuari asserit, id est consummari.* Unus ex prædictis, *Hinc evacuari.* Editi, *Hic evacuari asserit, illic consummari*, ubi vox *illic* superflua videtur ex proxime sequentibus.
[r] Editio Lugd. sola, *pars scientiæ est perficienda, perfectaque non evacuanda est, sed implenda.*
[s] Editi, *ac scientiæ.* Mss. quatuor, *ac sapientiæ.* Mss. alii duo, *sapientiæ ac prudentiæ.*
[t] Mss. duo, *si enim... non possunt.* Unus, *possint.*
[u] Ms. unus, *talis animorum motus inveniatur.*
[v] Ms. unus, *aut vitia credat.*
[x] Mss. tres, *Idem.*
[y] Mss. quatuor, *Nam et ad Romanos scribens, cum dixisset.*
[z] Mss. duo addunt hic *autem.*
[aa] Mss. duo, *in omni loco.*
[bb] Mss. tres, *in vobis.* Unus *sed tamen volo vos sapientes esse.*
[cc] Ms. unus, *reprehendat.*
[dd] Ms. Reg. unus, *sine affectione.* Edit. Lugd., *quod esset sine culpa, culpavit.*

qui [a] *simul mecum contristaretur, et non fuit* (*Psal.* LXVIII, 21), talem lætitiam tristitiamque commendat. Cum vero alius dicit, *Timor Domini expellit peccatum* (*Eccli.* I, 27); et, *Concupiscentia sapientiæ perducit ad regnum* (*Sap.* VI, 21); non solum non reprehendit, sed etiam laudat spiritalis concupiscentiæ, [b] et divini timoris affectum.

2. Non ergo has affectiones habendo, sed eis male utendo delinquimus. Quia humanorum affectuum proprietas hominis indicat [c] Creatorem; qualitas, [d] bonam vel malam significat voluntatem; ac sic, motus hi qui in [e] hominibus affectiones sunt, iidem ipsi in bene utentibus virtutes, et in male viventibus passiones, sive perturbationes, aut, ut quidam volunt, ægritudines fiunt. Nec audiendi sunt Stoici, qui eas penitus [f] eradicari posse, et debere contendunt: quoniam omnino nullus est sensus, ubi timendi, vel dolendi, cupiendi, sive gaudendi nullus invenitur affectus. Denique quasi et ipsos pœniteret suæ sententiæ, excepta tristitia, quam cadere in sapientis animum negant, [g] reliquos affectus [h], nominibus immutatis, inesse sapientibus dicunt: cautionem pro timore, pro lætitia gaudium, et voluntatem pro cupiditate ponentes. Quasi sapiens non timeat, sed caveat; et velit, non cupiat; nec lætetur in hac vita, sed gaudeat. Non autem credunt ejus contristari animum, quod tristitia, quæ accidere solet ex [i] commisso peccato, sapientem, quem putant nullum habere peccatum, stimulare non possit aliqua recordatione peccati. Quod esse vanissimum Dominus noster secundum carnem natus ostendit, qui et tristis fuit, et flevit (*Matth.* XXVI, 37; *Luc.* XIX, 41; *Joan.* XI, 35); nec tamen ea tristitia qua tristis fuit, ei ex [j] peccatis suis accessit, qui sine peccato conceptus et natus, non solum non peccavit, sed etiam peccare non potuit.

3. Ut autem de suis quoque litteris istorum revincantur ineptiæ qui putant sapientem contristari, vel dolore non posse, legant illud quod eorum doctissimus ait: « Nam omnino non dolere, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore (*Cicer. lib.* III *Tuscul. Quæst. de indolentia*). De timore autem quem illi ponunt in malo, Scriptura nostra loquitur, dicens: *Timor Domini sanctus*, [k] *permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10). Sed quod vere fatendum est, ab illo alio timore pœnali distinguitur de quo dicit Apostolus: *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18). Quia ille peccare volentes deterret a malo, et invitos tenet in bono; iste autem de quo dicit propheta, *Qui sine timore est, non potest justificari* (*Eccli.* I, 28), magis incremento [l] caritatis augetur; et aliter quis timet, ne malum quo puniatur incurrat; aliter, ne bonum quo delectatur amittat. Non igitur omnis timor haberi debet in vitio, sed ille tantum de quo scriptum est: *Quia timor pœnam habet* (*I Joan.* IV, 18). Cæterum iste de quo dicitur, *Timor Domini expellit peccatum*; et, *Qui sine timore est, non potest justificari*; et, *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi*: non est inter vitia numerandus, sed potius intelligendus est vitiis inimicus.

4. [m] Jam illud quod dicunt, Boni volunt, mali cupiunt; vel, Boni gaudent, mali lætantur: quis sanæ mentis [n] admittat? imo quis sana mente non redarguat? Cum et Scriptura nostra hominem malæ voluntatis increpet dicens; *Noli velle mentiri omne mendacium* (*Eccli.* VII, 14); et Tullius orator amplissimus cupiditatem ponat [o] in bono, ubi dicit: Cupio, patres conscripti, me esse clementem (*Tull. lib.* I, *Invect. in Catil.*); et apud illos Virgilius (*Lib.* VI *Æneid.*, *vers.* 732) gaudium vituperet, dicens:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Item cum in malum malæ [p] mentis gaudia, et apud nos lætitia ponatur [q] in bonum, propheta dicente: *Lætamini in Domino, et exsultate justi* (*Psal.* XXXI, 11).

5. Proinde omnes justi et tota morum sanctitate perfecti, sine aliqua Stoicorum distinctione superflua, timent et cavent, volunt et cupiunt, lætantur et gaudent, contristantur et dolent, sed interest [r] multum quid timeant aut caveant, velint aut cupiant, unde lætentur aut gaudeant, contristentur aut doleant. Metuunt hæreditatem regni cœlestis amittere; cupiunt ad cœlestem patriam pervenire; dolent tentati, gaudent de [s] tentationibus liberati: ac per hoc, recta mens [t] rectos habet affectus, perversa perversos.

6. Sanctus Augustinus episcopus, acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis litteraturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione [u] compositus, in expositione [v] fidei nostræ catholicus, in quæstioni-

[a] Ms. unus, *qui simul contristaretur*. Alius, *qui mecum contristaretur*.
[b] Mss. duo, *vel divini*.
[c] Alias, *creaturam*: melius, *naturam*.
[d] Mss. quatuor, *bona vel mala*.
[e] Ms. unus, *in omnibus*; nec male.
[f] Mss. tres, *eradicare posse et debere*.
[g] Mss. duo, *reliquos tres affectus*.
[h] Ms. unus, *omnibus inesse sapientibus*.
[i] Ms. Colb. unus, *ex admisso peccato... possit aliqua recordatio peccati*. Alius, *non posse aliquam recordationem peccati*.
[j] Ms. unus, *ex peccato suo*.
[k] Ms. unus, *permanet*.
[l] Editi, *veritatis*. Mss. quinque, *caritatis*.
[m] Ms. unus, *Nam illud*. Alter, *Jam aliud*.
[n] Edit. Lugd., *admittit animo, quis*, etc.
[o] Mss. tres, *in bonum*.
[p] Edit. Lovan., *malæ gentis*. Lugd., *Item cum in malum malæ mentis gaudia apud nos, et bonæ lætitiæ ponatur in bonum*. In ms. Regio desunt hæc, *cum in malum*. Ms. Colb. unus, *Item malæ mentis gaudia*. Alter Colb., *Item sunt et mala mentis gaudia, et a. ud nos*, etc.
[q] Mss. duo, *in bono*. Unus ex iis, *ponitur in bono*.
[r] Ms. unus, *malum quod timeant, bonum quod ve int*.
[s] Ms. unus, *de tentatione*.
[t] Mss. quatuor, et Lugd., *rectos hos habet affectus*.
[u] Ms. unus, *comptus*. Duo, *compunctus*. Unus, *convictus*.
[v] Editi, *in expositione sua*. Deest *sua* in mss. quatuor, in quorum duobus habes, *fidei sanctæ*.

bus absolvendis acutus, in revincendis hæreticis cir- A cumspectus, et [a] in explicandis Scripturis canonicis cautus; ipse ergo, quem in his libellis pro possibilitate secutus sum, hanc quæstionem, de qua agitur, hoc modo determinat, dicens: « Hi motus, hi affectus de amore [b] boni, et de sancta caritate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus ut ea quæ [c] vere vitia sunt virtutes vocentur. Sed cum rectam rationem [d] sequantur istæ affectiones, quando ut oportet adhibentur, quis eas tunc [e] morbos et vitiosas passiones audeat dicere (*Aug. lib.* XIV *de Civit. Dei cap.* 9)? » Quas affectiones ne ex mortalitatis conditione nobis inesse monstraret, et huic vitæ necessarias, non futuræ, post aliquanta idem doctor adjungit, et dicit: « Etiam cum rectas et secundum Deum [f] habemus has affectiones, hujus vitæ sunt, non illius quam fu- B turam speramus (*Ibid.*). »

CAPUT XXXII.

Quod hi affectus, sine quibus in hac vita recte non vivitur in illa futura beatitudine non sint, quæ nec timorem habitura est, nec dolorem.

Ac sic nisi ex conditione nostræ infirmitatis nobis inessent affectus isti, nunquam plerumque dolendo, vel flendo eis [g] cederemus inviti. Sed idcirco eos huic necessarios vitæ sentimus, quia in hac mortalitate sine eis omnino recte non vivimus. Quando si non timeat quisque vel caveat, ne aut ipse quandiu mortaliter [h] vivit, aut alius quem in Christo diligit, [i] a fide sua deficiat; si nec de suo, nec de proximi sui peccato contristetur, nec doleat, de profectu lætetur aut gaudeat, si nihil boni velit aut cupiat; non solum C recte non vivit, sed etiam sensum ipsius humanitatis amittit. In illa autem vita beata ad quam, consumpta omni corruptibilitate [j] ac mortalitate, [k] pervenient, quicunque ibi futuri sunt, [l] ubi nec fletus ullus potest esse, nec gemitus: habebunt omnes sancti amorem perfectum, timorem nullum, et gaudium sempiternum. Ibi [m] eis erit voluntas recta, cupiditas nulla, quoniam fruendo cœlestibus bonis, ad quæ pervenire cupiebant, nihil eis deerit quod ulterius concupiscant, et in illa regione perpetuæ securitatis ac pacis perfecte beati, nec timoris stimulos passuri sunt, [n] nec doloris. Sed timor ille, non quem caritas foras mittit, sed quem caritas nutrit, ideo fortassis in sæculum sæculi permanebit, quia in sæculum sæculi permanebunt illa ad quæ timor ipse perduxerit.

CAPUT XXXIII.

Qualiter virtutes quatuor quæ dictæ sunt principales, aut in præsenti nos a peccato defendunt, aut in æternum nobiscum sine ullo peccato permaneant.

1. Porro illæ virtutes quatuor de quibus pauca perstrinxi, [o] etsi ibi erunt, longe tamen alio modo quam in hac vita sunt, ubi contra vitia sine intermissione confligunt, et pro ipso ancipiti dubiæ [p] concertationis eventu, modo negligentes, qui sibi nolunt obedire, destituunt; modo ad alios, quibus displicent sua peccata, vel accedunt, [q] Deo miserante, vel redeunt. Nam ibi etsi erit temperantia, non ut desideria mala vel vitia refrenet [r] aut vincat; sed ut eos, quos hic ab [s] intemperantiæ impugnatione defendit, ibi perficiat: ut ex omni parte perfectis præmii sui beata [t] perceptio perfecte sufficiat.

2. [u] Ibi erit et animi fortitudo; non ut aliqua mala propulset, aut æquanimiter ferat, sed ut sine ullis malis beatos fortiter in æterno bono contineat. Ibi in omnibus perfectis erit perfecta justitia, non ut inter virtutes discernat et vitia, ubi nec ipsa erunt [v] jam corpora vitiosa; sed ut perfectis præmia tribuat sempiterna. Quod tunc fiet, quando omni concupiscentia carnali consumpta, nec adversus carnem spiritus, nec caro adversus spiritum concupiscet (*Gal.* V, 17); sed animus Deo subjectus, cum carne sibi subjecta in pace sempiterna regnabit, et Creatori suo in æternum feliciter adhærebit. Jam prudentia, quæ hic quoque habetur clara, ubi in ænigmate quodam prudentes illuminat, qualis ibi erit, ubi [x] veritatem perfectis quos hic ejus inquisitio delectabat, sine ullis figuris fallentibus demonstrabit: ut prudentiæ ac sapientiæ plenaria [y] perceptione divinitus illustrati, omnia illa quæ hic perfecte cupiebant nosse, nec poterant, sine ullo impedimento corruptionis ac mortalitatis agnoscant; et non solum creaturarum omnium [z] rationes, sed etiam ipsam sui Creatoris eminentiam facie revelata conspiciant?

CAPUT XXXIV.

Ubi se de toto opere locutor excusat.

1. Itaque, si placet, hujus quoque libelli jam terminus fiat: ne amplius justo productus, non solum

[a] Mss. tres, *in explanandis*. Unus, *in explorandis*. D
[b] Ms. unus, *de amore bono*.
[c] Editi, *vera vitia*. Ms. Reg. unus, *vere vitia sunt*.
[d] Mss. quatuor et Lugd., *sequuntur*: in quo, *ubi oporteat adhibentur*.
Sic ms. unus Colb. et Lugd. editio, atque nova editio operum S. Augustini, tom. X. Alii codices nostri, *morbidas seu vitiosas*. Ex Colb. unus, *quis eas morbo tunc suo vitiosas*.
[f] Mss. tres, *habeamus*.
[g] Sic mss. quinque. Unus, *concederemus*. Editi, *crederemus*. Deest *vel flendo* in ms. Colb. unico.
[h] Mss. duo, *non vivitur*.
[i] Particula *a* aberat ab editis; habetur ex mss. quinque.
[j] Istud, *ac mortalitate*, abest a mss. quinque.
[k] Ms. unus, *pervenient*. Alii omnes, *perveniunt*.
[l] Ms. unus, *ibi nec*.
[m] Mss. quatuor carent hac voce, *eis*.
[n] Ms. unus, *nec dolores*.
[o] Mss. duo, *et ibi erunt*.
[p] Edit. Lugd., *conversationis*.
[q] Mss. duo, *Domino miserante*.
[r] Ms. unus, *ac vincat*. Alter, *ut vincat*.
[s] Ms. Camb., *ab intemperantiæ morbo impugnante*. Ms. Colb. unus, *ab intemperantiæ morbo impugnatione defendit*.
[t] Mss. duo, *perceptione*.
[u] Editi. *Ibi enim*. Mss. quinque, *Ibi erit*. Unus, *Ibi et*.
[v] Mss. duo, *nec ipsa erunt corpora*.
[x] Ms. Camb., *veritate perfectos*.
[y] Ms. Camb., *perfectione*.
[z] Editi, *rationem*. Mss. omnes, *rationes*.

de [a] sui squalore, sed etiam de nimia prolixitate displiceat. Hoc sane [b] omnes qui hæc [c] forte lecturi sunt, contestor, et obsecro, ut quidquid in rebus ipsis, quæ utcunque digestæ sunt, [d] reprehensione dignum invenerint, vitio meæ rusticitatis ascribant, et mihi dignanter indulgeant : qui dum [e] studeo præceptum jubentis implere, etiam majora viribus meis præsumpsi suscipere. Ea autem quæ secundum fidem catholicam dicta probaverint, depútent Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat (*Jacobi* I, 5): et pro his omnibus, [f] illi mecum gratias agant.

2. Cæterum de accuratione dictionis elucubratæ non satago; nec mihi [g] pudori est si disputatio mea, quæ forte probatur in rebus, aliquos verborum inanium sectatores horrore incomptæ orationis offendat: quia quod ab homine doctore studendo non didici, A id exhibere loquendo non potui. Et tamen cum sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervet [h], et totam vim dictorum splendor elaboratus evacuet, quis non judicet me [i] affectationem compositionis debuisse contemnere, etiam si eam potuissem, velut dicendi peritus, implere? Quapropter ea mihi visa est compositio satis ornata, quæ conceptiones animi cum necessaria quadam perspicuitate proferret, non quæ illecebris aurium deserviret. Ea est enim, nisi fallor, judicata Latinitas, quæ breviter et aperte, observata duntaxat usitatorum verborum proprietate, res intelligendas enuntiat; non quæ [j] vernantis eloquii venustate atque amœnitate luxuriat; et prudentibus viris non placent phalerata. sed fortia: quando non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta.

[a] Ms. unus, *de suo squalore*.
[b] Mss. tres, *omnibus*.
[c] In uno ms. deest *forte*.
[d] Ita ms. Colb. unus. Alii autem codices, *reprehensionis invenerint*.
[e] Ms. unus, *dum studui*.
[f] Deest *illi* in editis. Habetur in omnibus mss.

B [g] Sic ms. Regius unus. Alius, *pudor est*. Editi, *pudoris est*, minus Latine.
[h] Aberant hæc ab edit. Colon. et mss. Colb. quatuor.
[i] Mss. quinque, *affectionem*.
[j] Ms. Camb., *versuta*. Ms. Reg. unus, *versutis*. Alter, *versatis eloquio*, etc.

EXEUNTE SÆCULO QUINTO.

DUO ANONYMI AUCTORES.

BALUZII

ADMONITIO IN LIBELLOS SEQUENTES.

Quæ hic exhibeo opuscula suffecit mihi codex ms. bibliothecæ illustriss. capituli majoris Ecclesiæ Lucensis, quadratis, quas Longobardicas vocant, exaratus litteris, Caroli Magni ævo descriptus, uti P. Mabillonius oculatus testis olim dum Lucæ esset agnovit, et ego in commentario de illo scripto et evulgato inter opuscula P. Calogera, tom. XLV, demonstravi. Publica luce digna censui, tum ex antiquitate sua, cum pariter quod aliquid continere judicaverim aptum sive ad rerum veritatem eruendam, sive ad erutam jam illustrandam atque confirmandam. Quam vero in usum valere singula existimem in hac præfatione mea indicandum modo suscipio.

Principem locum dedi opusculo de Genealogia veterum patriarcharum ac cæterorum usque ad Jesum Christum, et a Jesu Christo usque ad S. Cyprianum, et ab illo ad tempora scriptoris. Scribebat vero ille in Africa sub Genserico. Quo in nomine emendandus venit P. Mabillonius qui in suo Itinerario Italico hunc ipsum codicem, et ex eo opusculum indicans, ex postrema ejus pagella, vetustate et affrictu pessime habita et fere deleta, aliquid exculpere nitens; legisseique expressum erici, *nec valens præcedentes syllabas elicere, substituit in margine, ex conjectura,* Theoderici. *Verum Genserici seu, ut ibi scribitur, Geiserici legendum, tum litterarum vestigia diligentius ad lucem solemque explorata* C *demonstrant, cum etiam confirmat nomen idem sæpius recurrens, ubi integris litteris conservatur. Quin et annum ipsum Genserici, quo ista scribebat auctor, diligenter signat, scilicet ejusdem regis 24. Quis iste Gensericus sit et quo anno æræ vulgaris incœperit, inferius indagabo.*

Hebraicum textum nec consuluisse auctorem, nec Hebraice peritum demonstrant nominum interpretationes Hebraico minime respondentes, sicut potissimum elucet in voce Laminir *a Vulgata reddita* aquas calidas, *hic vero retinetur; et est vox in Septuaginta expressa, ubi tamen est non* Laminir, *ut hic, sed* ἰαμεὶν, *ex quo resultat historicum nostrum versionem potius Septuaginta, quam Hebræum textum consuluisse : in Hebræo enim est* Haciemim. *Quin et neque Septua-* D *ginta habuisse præ oculis censeo, cum versionem illam minus exacte retinuerit. Versionem igitur aliquam Latinam sequitur, cujusmodi plures exstitisse ex Septuaginta desumptas S. Hieronymus admonuit. Idipsum etiam demonstrari potest ex supputatione annorum, in qua Septuaginta potius quam Hebræum textum sequitur; licet neque ipsis Græcis interpretibus constanter adhæret, ut ex annorum supputatione satis apparet.*

Cum igitur ex his constet versionem aliquam Latinam anonymum hunc consuluisse, usui esse poterit illis qui de Vulgata Latina hodie solliciti sunt.

Dignum etiam animadversione judico, afferri hic nonnulla ex tertio libro Esdræ, quæ facile digna erunt lectorum meditatione, tum ex antiquitate scriptoris, cum etiam quod intelligatur jam tunc versio aliqua Latina libri hujus exstitisse. Nescio insuper an alius sit vetustior auctor qui libri hujus meminerit. Cum vero litteræ Artaxersis ex alia versione, quam nunc exstet in nostris Bibliis, legantur, deduci hinc recte potest versionem novam hujus libri quemadmodum et factum est de aliis S. Scripturæ libris, adornatam fuisse. Resultat etiam ex his omnibus interpretationem nominum Hebraicorum aliam tunc exstitisse, quam quæ a S. Hieronymo evulgata est. Nec facile credo hunc ipsam interpretationem ab ipsomet anonymo primitus inductam esse, sed accepisse ex sua Latina versione, vel ab alio quopiam antiquo, qui ex S. Hieronymo non profecit. Forte igitur idem S. Hieronymus nequaquam primus habendus est ex quo interpretationes istæ Latinis innotuerint, licet hoc de se idem S. doctor affirmet in præfatione opusculi sui de Interpretatione nominum Hebraicorum.

Unde vero deducta sit chronologia illa, quam auctor noster sectatur, ignorare me penitus profiteor. Suspicabar ex Julio Africano, ut pote ejusdem regionis scriptore; sed facta eorum quæ nobis supersunt de Julio Africano cum hoc nostro collatione, reperi non satis inter se utrosque cohærere, nisi forte discrimen hoc ex oscitantia scriptoris hujus codicis provenerit, quæ sane magna est ac prorsus incredibilis.

Ad lectoris palatum magis esset postrema opusculi hujus pagella in qua propius ad tempora sua auctor accedens, magis etiam credibilia et probanda obtulisset; at dolendum est protritam esse adeo pagellam illam senio et incuria antiquorum possessorum, ut vel litteræ prorsus deletæ sint, nec earum vestigiis remanentibus. Curavi diligenter labore et industria aliquid exculpere, ac pervici nonnulla, ut eruerem ea quæ hic a me repræsentantur; nec sine fructu, nam ex frustulis hisce discimus qua potissimum die Donatistarum persecutio Carthagine occeperit; emendatur etiam data legis Honorii, cujus subscriptio in codice Theodosiano signatur « pridie idus Februarii; » hic enim habemus publicatam esse Ravennæ ipsis Februarii calendis. Forte tamen lex a principe obsignata calendis Februarii, publice annuntiata est pridie idus ejusdem mensis. In hac ipsa vero pagella chronologiæ ratio est accuratior, eaque non a die natali Domini, sed ab ejus passione, ut plerumque veteres ante Dionysium Exiguum, deducta est. Igitur a Domini passione, quam scriptores isti veteres constituerunt sub duobus Geminis coss. anno æræ vulgaris 29, et in Africa id moris erat solemne, ut ex sequenti opusculo planum fiet, cum a passione Domini annum, quo auctor scribebat, signet 434, annus quo hoc opusculum consignabatur litteris currebat æræ nostræ an. 463. Cum vero hunc ipsum illiget cum anno Genserici 24, facta rite deductione, agnoscimus Gensericum regnare cœpisse anno æræ vulgaris 439. Atqui ista non cohærent epochæ communius a chronologis receptæ de initio Genserici qui primus Africam occupavit; hunc enim regnum obtinuisse statuunt anno æræ vulgaris 429. Nodum hunc nequaquam solverimus, nisi Gensericum hunc statuerimus prioris illius Genserici successorem, et forte eumdem esse cum eo quem veteres Hunnericum appellant Genserici filium et regni hæredem. Cum hac chronologia convenit auctor Africanus sequentis opusculi qui copulat annum 426 a passione cum anno Genserici 16, quæ sane duo dicta rite supputatione Genserici exordia retrahunt ad annum 439. Sunt itaque diligenter Genserici duo, pater filiusque, distinguendi, ne si unus admittatur confusio lectoribus inducatur.

Hinc de auctore secundi quod hic subjicio opusculi ac de tempore quo scribebat edocemur: chartis mandare sua dicit auctor ejusdem anno 16 regis Genserici, qui est æræ communis 455. Igitur eo tempore computus iste paschalis datus est, quo vix cessaverant Africanos inter et Romanos lites de anno paschali anni 444, contendentibus Romanis assignandum fuisse Pascha ejus anni diei non. cal. Maii, Latinis vero diei VII cal. Aprilis. Qua de re legenda epistola S. Cyrilli Alexandrini ad S. Leonem, et præmissa a Ballerinis eidem epistolæ, seu potius epistolæ fragmento admonitio. Huic ergo fragmento dilucidando plurimum fore valiturum hunc paschalem computum, nunc primum a me, ut arbitror, vulgandum censeo. Ea occasione scripta utrinque plurima prodiisse vix dubito. Disceptatum est etiam de eodem cyclo paschali annorum 84, in quo alii errorem subodorati sunt; alii vero rationes nonnullas iniverunt ut illum cum veritate componerent. Inter istos scriptores fuit Agriustas ille Thimidensis Afer cycli propugnator. Adversus illum scripsit anonymus noster qui cyclum ita defendit, ut aliquid in illo erroris esse quod ipse emendat, agnoverit. Codex unde hoc desumpsi mendosissimus est, ex quo fit ut interdum nec sensus ipse scriptionis appareat. A correctione tamen abstinui, ne forte cogam lectores mea legere potius, quam quæ auctoris sunt. Grammaticæ leges nullæ, vel fere nullæ servantur, ad quas tamen tunc illas redegi, cum nullum irrepere dubium poterat de mente auctoris. Demum prætereundum non judico cycli annorum 84 auctorem, aliunde, ut opinor, ignotum, ex hoc primum opusculo in lucem prodire; fuisse enim Augustalem quemdam hic legimus. Usus igitur in eo fit cycli annorum 84, quem potissimum tunc temporis invaluisse apud Latinos non latet eruditos.

Mentio in eo fit Hilariani cujusdam ad quem directum fuisse auctor scribit tractatum de Ratione paschali editum a quodam Agriustia cive municipii Thimidensium regiorum. Municipium istud situm erat in Mauritania Cæsariensi, cum inter episcopos ejus provinciæ in collatione Carthaginensi legatur Securus episcopus Timidanensis. *De Agriustia nihil quidquam legi. Hilarianus idem facile est cum Q. Julio Hilariano qui, Cæsario et Attico coss., nempe anno Christi 397, scripsit de Paschali Circulo libellum, quem e pluteis Taurinensibus extractum Pfaffius bibliothecarius Tubingensis Parisiis anno 1712 vulgavit, ac de hoc opusculo satis*

ANONYMI

LIBELLUS

DE GENEALOGIIS PATRIARCHARUM

GENEALOGIÆ TOTIUS BIBLIOTHECÆ

EX OMNIBUS LIBRIS COLLECTÆ VETERIS NOVIQUE TESTAMENTI, IN QUIBUS PROPHETIÆ CUM NOMINIBUS ET TEMPORA OMNIUM PROPHETARUM USQUE AD BEATISSIMUM CYPRIANUM DESIGNANTUR; ET AD NOSTRAM ÆTATEM QUID FUERIT GESTUM APERTISSIME MONSTRATUR: EX HISTORIIS COLLECTUM LEGALIUM MANDATORUM.

A In principio homo primus unde in saeculo apparuisse cognoscitur.

Audiamus: si natus est, habet genitores, si factus est, habet materiam, si prolatus est, habet authorem. Dei omnipotentis utique sapientia limum a terra sumens paterno imperio hominem facere cogitavit; et cum solitarius ac singularis ab ipso Domino factore et conditore suo visus fuisset, os de costa ejus sumens, mulierem illi adjutorium fecit, serpentis namque confecta venenis per invidiam diaboli mors introivit in orbem terrarum, et regnare cœpit ab Eva usque ad Mariam Virginem unitam Domini castitatem; sicut enim per mulierem nata est mors, ita et per mulierem nata est resurrectio mortuorum. Ipse est enim Adam qui cognovit mulierem suam Evam exclusus B de paradiso in terra Naid, et concepit et peperit Cain ex semine criminationis, luctus et vaporis, et adhuc adjecit parere, et peperit Abel fratrem ejus, et factus est pastor ovium; Cain autem agricola. Et factum est post dies, attulit Cain cum esset jam aetate legitimus, ex fructibus terrae hostiam Deo, et Abel attulit ex primogenitu ovium suarum, et ex adipe illarum. Et respexit Dominus in Abel et in muneribus ejus; in Cain autem et in hostiam ejus non respexit, ut unum martyrii gloriam destinasset, alium vero homicidarum principem collocasset, eo quod ille diabolus, qui patres eorum de paradiso excluderat, necesse haberet, ut et filios eorum ad mortis periculum deduxisset. Tunc ingressus est in cor Cain, et dixit Cain ad fratrem suum: *transeamus in campum*. Et dum essent C in campo exurrexit Cain super Abel fratrem suum, et occidit eum. Et adjecit adhuc Adam cognoscere mulierem suam, et concepit et peperit ei filium loco Abel, qui dicitur Seth, cujus nomen lingua latina resurrectio dicitur, quia ab ipso resuscitavit Dominus semen justum, a cujus progenie perveniemus usque ad Dominum nostrum Jesum Christum per generationes singulas sibi invicem succedentium. Ipse est Seth qui genuit Aenas; Aenam enim lingua latina obliviscens dicitur. De ipso natus est Chainan, cujus nomen appellatur nativitas Dei. Nam ipse Chainan genuit Malelel, cujus nomen dicitur mutatio Dei. Et Malelel genuit Jaret, cujus nomen descensio dicitur. De ipso natus est Enoch, cujus nomen latina lingua renovatio interpretatur, quia Deus per ipsum renovaturus est mundum in illis diebus quando Antichristus multam faciet vastationem; tunc ipse et Elias simul prophetabunt mille ducentis sexaginta diebus, et interficiet eos Antichristus ubi et Dominus eorum crucifixus est. Sed ne quis dicat quod in Hierosolymis crucifiguntur, ubi et Christus Dominus crucifixus est, hoc utique dicit ubi et Dominus eorum crucifixus est, idest in regno Romano. Nam ipse Enoch genuit Matusalam, qui Matusala latine interpretatur missus. De ipso natus est Lamech, cujus nomen per interpretationem bonae mentis dicimus. Ipse est qui prophetavit de filio suo dicens hic nobis dabit requiem ab omnibus operibus nostris; nam ipse Noe idest requies appellatur.

Incipit origo Cain.

Transeamus ad originem Cain, et tunc ad generationem Noe revertemur. Posteaquam enim Cain a Deo maledictus fuisset, ut nec quisquam eum occideret signum adeptus est malum, quod nunc si quis acceperit in fronte sua aut in manu dextera bibat ipse de vino irae Dei mixto in poculo irae ejus et punietur in conspectu electorum Angelorum ejus, nam nomen ejus lingua latina in perpetuum crescens dicitur; idem enim hoc nomen acceperat, quoniam usque ad Christi adventum filii Cain ejus consortes occisuri essent christianos, vestigia Abel fratris ejus sequentes. Igitur iste Cain genuit filium nomine Enos, qui Cain dum ex serpente nascitur Lothum generasse cognoscitur, tunc aedificavit civitatem, et posuit ei nomen filii Su.... nos; haec est civitas sanguinis, quae et nunc effundit sanguinem Christianum; haec enim civitas in terra Naid fabricata cognoscitur, et viva est. Ipsa terra interpretatur, quae in fine usque Christianos persequitur, qui fideli vocabulo nominantur. Nam ipse Enos genuit Gedam. Ipse habuit murorum scientiam. De ipso natus est Malelel, cujus nomen interpretatur auditio fortis, et de Malelel natus est Matusalan, qui genuit Lamech illum, qui habuit uxores duas, una nomine Ada, quae interpretatur testimoniata, alia nomine Sella quae interpretatur adumbrans se ipsam. Ipse est Lamech qui dixit mulieribus suis: Audite vocem meam mulieres Lamech, et continete auribus vestris verba mea,

quia virum occidi invulnerem et juvenem in libore A meo, virum dicendo Christum Christianos dictos juvenem autem populum esse a Judæis Christum a paganis et hæreticis christianum occidi, vel uti reum versa vice videmus (*sic*) ut pro Abel Cain dicatur, qui pro Christi nomine laniatur. Et sequitur dicens quoniam septies vindicatus est de Cain, de Lamech autem septuagies septies ; hinc eum apparet occidisse Cain, nam de muliere sua Adam genuit Hobel, qui est pater habitantium in tavernaculis, et alium nomine Jubal. Ipse est Jubal, qui ostendit psalterium et citharam. Nam de Sella natus est ei Thobel qui fuerat faber ferrarius et aerarius, et soror ejus fuit Noema. Ipsa est, quae psallebat voce non organo, per harum enim generationes increvit hominum multitudo, quoadusque super eos advenit orrenda cathago; et B operuit eos cathaclysmus et disperdidit eos, quoniam miscuerant se filii Dei cum filiabus hominum, et non intenderunt praeceptis ejus, quia excecaverat eos malitia ipsorum, et non speraverunt sibi interitum esse futurum.

Incipiunt generationes Noe. Redeamus igitur ad Noe, qui genuit ante diluvium filios tres, et sortiti sunt uxores, fuerunt enim in domo ejus animae VIII. De eis meminisse dignatus est Apostolus dicens : *octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, sicut et vos modo baptisma salvos faciet.* Fiunt igitur a protoplausto Adam usque ad Noe, idest usque ad generationem Sem filii ejusdem Noe anni duo milia centum quadraginta duo, et a generatione Sem usque ad cathaclysmum idest ad generationem Arphaxat filij Sem, qui C statim post cathaclysmum nascitur anno centesimo. Fiunt omnes anni duo milia ducenti XL duo. Cathaclysmus enim latina lingua secundum judicium appellatur.

Incipiunt generationes Sem filii Noe. Noe autem genuit Sem, qui dicitur latine nomen, et sortitus est uxorem nomine Norea, de ipsa natus est Elam. Elam interpretatur saeculum. Inde nati sunt Elamitae, et frater ejus secundus dicitur Assir, quem Nebrod gigans nepos patrui sui Cham de terra Sennar exclusit, idest de terra servili. Tunc fugiens condidit Nineve et Roboth civitatem et Chalech et Dassen inter Nineve et Chalech. Haec est civitas illa magna eorum, quam Jona propheta per iter trium dierum circuivit. D De ipso Assir Assiri nati sunt, qui in opitulationem venerunt Caldeis adversus filios Israel ad Hierusalem. Continetur autem eorum regio his modis ab India ad Malicum insulam adfirmat esse quindecies centena milia passus. Malicum vero scenio ducenta XX. quinque milia. Inde ad insulam Madano (*sic*) confici ad apertum mare decem et octies centena et septuaginta quinque milia praeter regiones humano generi inaccessas. Hoc Solinus adseruit, et adtingunt usque ad Æthiopiam per centum viginti septem regiones satraparum. Haec sunt habitationes Persarum gentium et Medorum. Alius vero Arfaxat tertius filius Sem, qui dictus est Leo veniens, quartus vero Lud qui dicitur nascens, quintus Aram qui dicitur altus. De ipso Aram nati sunt filii quatuor. Primitivus nomine Obs, qui dicitur chorus. Secundus El qui dicitur in perpetuum; El enim Deus dictus idest perpetuus. Tertius Gatera, qui dicitur exuperans, quartus vero Mosoch qui et sagittarius. Nam filius Sem sextus qui dicitur Chanaam interpretatur nativitas Dei. Hi sunt sex filii Sem et Norea cum nepotibus suis. Nam Arphaxat filius Sem tertius qui dictus est Leo veniens; ideo enim hoc nomen acceperat, quia ex ipso leo verus futurus erat Dominus Jesus Christus. De ipso enim Arfaxat natus est Sala qui dicitur nuntius. Ex ipso Sala natus est Eber qui dicitur transflumen. Nam ipse Arfaxat filius Sem vixit annis centum sexaginta quinque et genuit Sala. Et vixit postquam genuit Sala annis quadringentis XXX. et genuit filios et filias, et decessit quinta generatione.

Incipiunt generationes Cham filii Noe

Redeamus et ad Cham filium Noe, qui dictus est callidus, et sortitus est uxorem nomine Ause ex semine gigantum, qui genuit filium primitivum nomine Chus. Hic obtinuit Æthiopiam contra Ægyptum, et de ipso nati sunt filii sex, et ista nomina eorum : primitivus Saba interpretatur Tote et venit inde Saba gens, de qua gente fuit illa regina Austri, quae venerat audire sapientiam Salomonis, secundus vero Evilad, qui dicitur parturiens, tertius Sabata, idest tolle tu; quartus Regina idest clamatus, huic erant filii duo, primitivus Sabam, idest condemnatus, et secundus Judas, idest confitetur. Quintus vero filius Chus Sabacatha fuit nomen ejus, idest ornatus. Sextus vero Nebrot, idest rebellans; hic est Nebrot gigans qui fuit venator ante Dominum, inde nascuntur Chaldei.

Ipse est, qui exclusit Assyr filium Sem, idest filium patrui patris sui, et in ejus terram ædificavit Babylon, et Orech, et Archad, et Chalane intrinsecus in finibus Canaan. Sedet autem Babylonia in millibus sexaginta, muri ejus alti pedibus ducenti et lati pedes LXX. et hoc Solinus asseruit qui totum describit ambitum mundi. Secundus autem filius Cham mestrem fuit nomen ejus, idest totum molens. Hic obtinuit Ægyptum, huic nati erant filii sex, et ista nomina eorum; primitivus Ludin idest sui negotii homo, secundus Emimegim, idest prophetatus est, tertius Latisin, idest iracundus, quartus Neptabia idest inflatus, quintus Patrosin, idest crudus, sextus Caslonin, idest cornutus. De ipso Caslonin nati sunt Filistini et Chapterini. Tertius vero filius Cham Phut fuit nomen ejus, idest perfectus, hic nusquam comparuit; quartus vero Chanan, idest adorans iniquitatem, nam ipsi Chanaan nati sunt filii undecim; primitivus Sidona, idest exivit in judicium venatrix. De isto nati sunt Sidonienses, unde fuit Jezabel, quæ colebat idolum Sidoniensium Baal, secundus vero Cettheus, idest peccans; tertius Jebuseus, idest confusus. Hic ædificavit Hierusalem, propterea Jebus dicta est secundum nomen ejus; quartus Amorreus, idest biliabundus; quintus Gergesseus, idest credi-

tus; sextus Evveus, idest coluber; septimus Aruceus, idest Scotomatus; octavus Asenneus, idest non est ejus; nonus Azirius idest iracundus, decimus Samareus idest audivit reum, undecimus Amattheus, idest delinquens. Hi sunt filii Chanaan undecim. Et post hoc dispersæ sunt tribus Chananeorum, et factæ sunt fines Chananeorum a Sidone usque quo venias a Gerara et Gaza, Ascalona, Azotu, et Geth, et usque quo venias Sodoma, et Gomorra, Adama, et Seboin, et usque Laban, quæ dicitur Segor, ubi confugerat Loth et ad omnem terram Chanaan. Hi turrem ædificaverant ex lateribus coctis, et bitumen eis fuerat pro luto. Et ibi confudit Deus linguas eorum, ut quod quis postulabat non hoc acciperet. Hoc temporibus Eber factum est, unde lingua hebræa dicta est, secundum Hebræos.

Incipiunt generationes Japhte filii Noe.

Tertius vero filius Noe nomine Japhet, qui dilatio interpretatur. Huic erat uxor nomine Ruth, ex hac genuit primitivum Gamer, idest mensuram. Huic erant filii tres, primitivus nomine Agganaz, idest ignis ardens, secundus Rifat, idest visio fervens, tertius Zhargam idest uberatio. Secundus vero filius Jafet Magog fuit nomen ejus; hic obtinuit Pamphyliam. Tertius vero Madias, hic obtinuit Partiam. Quartus Lotham, hic obtinuit Græciam; hic est pater Syrorum Palæstinorum, et de ipso nati sunt filii quatuor: primitivus Elisa, idest ad me veni. Secundus Tharsis, idest gladiator, hic ædificavit civitatem nomine Tharso, secundum nomen suum, in qua volebat fugere Jona a facie Domini. Tertius Citi, idest calcabo te. Quartus Rodi, idest condemnatus. Ab his designatæ sunt insulæ gentium in terra illorum, et fecerunt sibi sermonem unusquisque in suo genere et in suis gentibus. Quintus filius Jafet Elisa dictus, idest ad me venisti. Sextus Thober, idest uberans. Septimus Moise idest sagittarius. Octavus Thiras, idest lanciator. Hi Kartaginem obtinuerunt secundum auctoris dictum. *Tyrii tenuere coloni. Kartago urbs antiqua fuit*, utique Tyrorum. Hi sunt octo filii Jafeth, nepotes Noe. Ipsi obtinuerunt Pamphiliam, Parthiam et omnem Græciam, Rodiam et Citiam: inde Rodiciti, Mazianitæ cum Kartaginiensibus, et Tharsensibus.

Incipit rememoratio Salæ nepotis Sem filii Noe.

Redeamus ad Sala nepotem Sem filii Noe. Ipse est Sala qui vixit annis centum quinquaginta VII. et genuit Eber, et vixit postquam genuit Eber annis quadringentis xxx. et mortuus est: qui Eber vixit annis centum quadraginta quatuor, et genuit filios duos; primitivum nomine Falech, idest partitus. Quare partitus? quia sub ipso divisi sunt filii et nepotes Noe. Secundus vero filius Eber, Jecta dictus est, idest pusillus. Huic erant filii duodecim; primitivus nomine Elmodam, idest agitatus; secundus Salef, idest alienatus; tertius Sarmoth, idest domus mortis; quartus Seruch, idest visibilis; quintus Odorrem, idest satis altum; sextus Azaer, idest levis; septimus Declax, idest trans hic; octavus Abimelech, idest nubilum; nonus Soba, idest tolle, veni; decimus Ufer, idest lumen curationis; undecimus Evilath, idest ostende hoc; duodecimus Jobab, id est amans Deum. Hi sunt duodecim filii Jecthan. Et facta est commemoratio eorum a Masse usque quo venias Gofer, a morte Salma. Et regnavit pro eo Saul ex Roboth civitate quæ est juxta flumen. Mortuus est autem Saul, et regnavit pro eo Ballenon filius Agnobor. Mortuus est autem Ballenon et regnavit pro eo Arad filius Barad, et nomen civitatis ejus Fogor; nomen est uxoris ejus Metebel filia Matrab filii Mezob. Et hi duces eorum, Theman, Galla, Jephte, Telimas, Elas, Pynon, Genethz, Themna, Mazer, Magediel, Eram, Fazoin. Hi duces Edom, in terra possessionis eorum. Hic est Esau qui dictus est Edom, propter aviditatem escae, pro qua suos primatus amisit dum ederet lenticulam cum de frito coctam hoc nomen accepit. Hæc est gens, quæ exclusit Chorreos.

Et hæc est gens Chorreorum.

Septem enim fuerunt filii Ser Correi et nepotes XXII. et ista nomina eorum; primitivus Lothan et filii ejus Eman et Chorri. Secundus Sobal et filii ejus sex, Golla, Manachacat, Geba, Sofan, et Onan. Hic est Onas, qui invenit Laminir in eremo Elas cum pasceret jumenta Sebegon patris sui. Quartus Aunam, et filii ejus duo, Deson et Elibathe. Filiorum autem Deson haec sunt nomina, quattuor. Emadan, Asban, Thasra, et Chorram, quartus Aran, et filii ejus quattuor, Emadan, Asban, Thasra, et Chorram; sextus Asam, et filii ejus quatuor, Balam, Zucam, Juscha et Juschan; septimus Rison, et filii ejus duo Oe et Arranh, hi sunt filii Seir Chorrei VII. et soror eorum Thamna, et nepotes XXII. Haec est gens Zozomin, quam disperdit Esau a facie sua de terra Seir, ut possideret eam, et facti sunt Gabaonitae dum fugerent a facie ejus hoc in Jhesum idest servatus. Ii sunt quatuor filii Isachar. Filiorum autem Zabulon haec sunt nomina eorum, primitivus Seder, idest doctus; secundus Allon, idest sempiternus; tertius Sem, idest nubilum. Ili tres filii Zabulon. et Dinae filii non sunt nati. Filii autem Gad VII. haec sunt nomina eorum, Sofan, Anges, Saunis, Soban, et Ismaelis et Ariolis, hi sunt septem filii Gad. Filii autem Aser hi sunt, et haec nomina eorum: primitivus Semna, idest numeratus; secundus Sesua, idest petitus; tertius Zievi, idest honor meus; quartus Baria, idest petens, et soror ejus Sara, idest. Hi sunt filii Aser quatuor, et soror eorum. Filii autem Bariae hi sunt duo, et haec nomina eorum: Chober, idest exsuperans; et secundus Melchiel, idest missus a Deo, hi duo filii Bariae. Nam filiorum Joseph ex Asenne ex filia Petefres hi sunt, et haec nomina eorum, Manasses, idest oblivio, et Efren qui dicitur Satus. Ex Manasse nati sunt Machir, idest venditus, et Gaad, idest testimonium: inde natus est Susi, et de Sus natus est Gaddi, qui missus erat a Moyse ut Terram promissionis prospiceret. Et de Efren nati sunt Hisuthalan, idest dignitas Apostolica, et Thaan, idest nubilum; et de Suthalan natus est Edem, idest tem-

plum. Hic genuit Ause, et Ause genuit Navve, qui Jhesus appellatus est. Ossa autem Joseph secum imposuerunt Filii Israel ab Ægypto, idest de terra Sychem, et posuerunt ea in Sychimis in portiuncula agri, quam possedit Jacob ab Amorreis, qui inhabitabant Sychima agnis centum. Hoc in finem libri Jhesu Nave legimus, et dedit eam Joseph in particulam, et unde possumus probare loci ejus sepulturam, proferimus Genesen, et inveniemus, Jacob venisse in alteram civitatem Sychimam, quae est in terra Chanaan, cum venisset de Mesopotamia Syriae, et induxit ante faciem civitatis et emit partem agri, in qua statuit tabernaculum suum ab Emmor patrem Sychen centum agnis, et statuit illic aram Deo, et invocavit ipsum Deum Israel. Ne quis dicat quod in eodem sepulchro sepulti sunt Abraham, Isaac, Jacob et Sarra, liber nos geneseorum perdocet, sicut legimus scriptum : *et sepellivit Abraham Sarram uxorem suam in spelunca duplici quæ est contra Mambre*. Haec est, Chebron in terra Chanaan, et proprius factus est ager, et possessio et spelunca, quae in eo erat Abrahae in possessione sepulturaẽ a filiis Ceth, quod emit XL. didragma argenti ab Efron filium Saar Cettheo contra Hierico. Haec est sepultura eorum. Filii autem Beniamin hi sunt, et haec nomina eorum : primitivus Bellach, idest gluttitus; secundus Chober, idest primitivus; tertius Asibel, idest ignis a Deo. Hi sunt filii Beniamin. Tres filii autem Bellac primitivi Beniamin hi sunt : primitivus Adar, qui dicitur ospitatio; secundus Noeman, idest psallens libenter; tertius Jachim, idest frater meus; quartus Roos, idest initiator; quintus Afim, idest similitudo; sextus Afim, idest secundum faciem meam ; hi sex filii Bellac. Nepos autem ejus ex Arad dictus est Arad, idest descensio. Filium autem unum habuit Dannomine Ason, qui interpretatur grece ex lingua Chaldea, episcopus, de hebræo vero in latino, speculator, subtili fraude nomen subinvolatur, nam et in malo speculatur Antichristus, legimus enim in secretis, quod ex hac tribu venisse nuntiatur. Filii autem Neptalim hi sunt, et haec nomina eorum; primitivus Masiel, qui interpretatur fortis Deus; secundus Guni, idest fortitudo; tertius Enzer, idest aeternus; quartus Sillem, idest debitum ; haec sunt nomina filiorum et nepotum Israel, eorum, qui introierunt in Ægyptum simul cum Jacob patre suo animae septuaginta quinque. Filius autem ejus quartus Juda, vir fuit potens in virtute ; hic genuit Fares, qui interpretatur divisus. Fares genuit Esrom, idest altus, Esrom genuit Aram, idest gens ; Aram genuit Aminadab; Aminadab interpretatur concupiscentia amans. Aminadab genuit Naasion, qui dicitur refrigerium, et soror ejus Elisafat, quae dicta est gratia Dei; ipsam sortitus est Aaron, ex illa nati sunt sacerdotes. Nasson autem genuit Salmon, idest fortitudo; Salmon genuit Boos, idest perfectus ex Racab. Et quare perfectus dicitur? quoniam in ipso perfecit Dominus, quod in Deuteronomio legimus : *et tu Moab*, dicimus, *mihi apparebis in domo mea*, idest per Ruth

A nurus Noemmin, quæ fuit uxor Chellon filii ejus. Hæc fuit Ruth Moabitis, ex illa genuit Obed, idest serviens, Obed genuit Jesse, idest oblivíscens, Jesse genuit filios VII. et filias duas, et hæc nomina eorum, Eliab, Aminadab, Sama, Nathaneel, Jadeum, Asomum, et David septimus; et sorores eorum Sarbia, et Abigea, et filii Sarbiæ, Abesse, Joab, Elagel; hic est Joab qui dinumeravit populum ab Dan usque Bersabee, et fuit numerus Israel undecies centena millia virorum evaginantium gladium, et Juda quadringenta septuaginta millia virorum evaginantium gladium; et Levi et Beniamin non dinumeravit in medio ipsorum, quia præcapitavit sermo regis ipsum Joab, et malum visum est in conspectu Domini, de sermone hoc, et percussit eundem Israel, et dixit David ad

B Dominum : *peccavi nimis quia feci rem hanc, et nunc aufer injustitiam pueri tui, quia evanui nimis. Et locutus est Dominus ad Gad videntem dicens : Vade et loquere ad David. Hæc dicit Dominus : tria ego decerno adversum te, elige tibi unum ex illis, et præstabo tibi aut triennium famis, aut tribus mensibus fugere a facie inimicorum tuorum ad te disperdendum, aut triduum gladium Domini corrumpere in omnibus finibus Israel, et nunc vide, quod verbum respondeam ei qui misit me ad te. Et dixit David ad Gad, angustiæ sunt mihi, incidam potius in manu Domini, quia nimis multæ sunt miserationes ejus, et in manu hominis non incurram. Et inrogavit Dominus mortem in Israel a mane usque ad horam prandii, et mortui sunt de plebe. Abdanus, qui Bersabe septuaginta millia virorum, et misit Deus*

C *angelum in Hierusalem, ut disperderet eam, mox autem vastabat. Pœnituit Dominum ; et Archangelo satis sit, tibi parce manu tua ; et angelus Domini stans erat in area Ornei Jebusei, et vidit David angelum Domini stantem inter terram et cœlum, et gladius ejus erat extensus ad Jerusalem; et cecidit David et seniores operti de ciliciis in facies suas.* Et dixit David ad Dominum : *nonne ego dixi dinumerare populum, et ego sum qui peccavi, et male faciendo malam rem gessi, et hæ oves quid mali fecerunt, Domine Deus meus? sit igitur manus tua in me et in domo patris mei; in populo autem tuo non sit ad obtritionem.* Et angelus Domini dixit ad Gad : *dic ad David ut statuat altare in area Ornei Jebusei.* Et fecit David secundum quod ei præceperat Dominus. Et tunc dixit Dominus angelo : *averte gla-*

D *dium tuum; et avertit gladium suum in vagina ejus.* Hæc enim Jerusalem, ante Jebus dicebatur, quam sortitus est Juda. Abiit autem ad Chananeum inhabitantem Chebron, et concidit illum Sessi et Achinam et Thalmi natos ex Enac, qui Enach ex Chanan nascitur. Inhabitaverunt autem Jebusei in medio filiorum Beniamin et Juda in Jerusalem quoadusque excluderentur post annos mille quingentos a Jonatha filio Matathiæ. Abigea vero soror David peperit Amessa. Et pater Amesseæ. Æter Ismaelita dinumeratus est cum populo Israel ; cui populo cum Reges darentur, factus est, Domino irascente, primus rex Saul. Tunc dixit Dominus : *clamabitis*, inquit, *ad me a facie regis vestri, et non exaudiam vos, quoniam vos*

vobis petistis regem; et iterum dicit: *dabo tibi regem in ira mea.* Sub qua ira regnavit annis quadraginta, occisus est in monte Gelboe. Tunc dixit David in dolore: *montes qui estis in Gelboe, neque vos neque pluvia cadat super vos, ubi effusus est sanguis unctorum Dei.* Hic est David qui dicitur misericors, et regnavit annis XL. et genuit Salomonem, qui dicitur pacatus; et regnavit et ipse annis XL. Haec autem sunt nomina uxorum David, Achima, Abigea, Agal, Habital, Agla, Bersabe, Melchol. Sed cum reverteretur de Cembron recusavit Melchol, et tradidit eam viro alii, quia oderat eam nimis. Natus est autem Salomon ex Bersabe. Qui Salomon genuit Roboam ex Naath filia Annae regis filiorum Ammon, qui Roboam dictus est multitudo gentium. Temporibus ejus sustulit rex Susachim rex Ægypti arma aurea, idest Lanceas et scuta trecenta ab Arazar rege Syriae haec tulerat David, et fecit pro ea aerea Roboam filius Salomonis, et regnavit annis decem et octo; qui Roboam genuit Abiud, idest patri Deo, ex Maccha filia Ariel ex Gaba; et regnavit annis tribus. Abiud genuit Asaph, idest volat, ex Anna, et regnavit annis XL. uno. Asaph genuit Josaphat idest judex ex Gazuba filia Selthi; et regnavit annis XXV. Josaphat genuit Joram, idest visibilis, ex Fache uxore; et regnavit annis octo. Joram genuit Ochoziam, idest fortitudo, ex Gotholia filia Achab ex Zezabel, quae Gotholia vidua regnavit annis octo, et ille regnavit anno uno. Ochozias genuit Joas, idest mansuetus; ex Chobodda; et regnavit annis XL. Josias genuit Amessian, idest rogans, ex Jode; et regnavit annis XXIX. Amessias genuit Odiam, idest amans, ex Jeccelia; et regnavit annis LXI. Odias genuit Jonatham, idest perfectus, ex Darbia filia Sadduc, et regnavit annis sedecim. Jonatha genuit Achaz, id est tenens, ex Saba; et regnavit annis sedecim. Achaz genuit Ezechiam, idest regnum Dei, ex Rabbuti filia Zachariae; et regnavit annis XXIX. Ezechias genuit Manasses, idest oblivio doloris, ex Ebsiba: et regnavit annis quinquaginta quinque. Manasses genuit Amos, idest verecundus, ex Masthelamitaba; et regnavit annis duobus. Amos genuit Josiam, idest rogans, ex Jeddadida filia Oziae; et regnavit annis XXXI. Josias genuit Jochaz idest similis, ex Jecora; et regnavit diebus nonaginta et Examital genuit Joas et Sedeciam, cujus Nabuchodonosor oculos excecavit in conspectu filiorum ejus, et in compedibus aereis vinxit eum, et in Babyloniam duci jussit, et in molundino constitui, et ibi mortuus est, cujus anno undecimo regni Jerusalem a Nabuchodonosor rege depraedata est. Et conclusi sunt Regum anni quingentiquinque, menses sex, dies decem, et transmigratus est populus in Babylonia, et constituitur rex a rege Nabuchodonosor Jecchonias filius Joachim, qui dictus est praeparatio; et regnavit diebus centum. Tunc et ipse ductus est in Babylonia, et in trigesimo anno transmigrationis tonsus est Jechonias, dum de carcere eum Ulemadar educeret. Hic est Ulemadar, qui dum Nabuchodonosor cum agri bestiis moraretur fuit ejus successor. Tunc locutus est ad Hiecconiam bona, et posuit thronum ejus super omnem thronum regum, qui cum eo erant in Babylonia, et mutavit vestimenta ejus et simul cenabat cum eo omnibus diebus vitae suae, et victus constitutus erat illi, et erat illius consiliarius omnibus diebus vitae. Hic Jechonias genuit Salatiel, idest misit Deus; qui Salatiel in Babylonia genuit Zorobabel qui dictus est victoria Dei. Hoc in tempore regnum adeptus est Cyrus rex Persarum. Anno autem quinquagesimo et secundo captivitatis Judae rex Astyaces adpositus est ad patres suos, et Cyrus rex Persarum accepit regnum ejus, qui in secundo anno regni sui subjugavit Babyloniam ad Ninevem civitatem Medico. Tunc vasorum dominicorum rethibendorum promiserat votum, quae tulerat Nabuchodonosor e Jerusalem de templo Domini, et reposuerat ea in suo idolio; proferens ea Cyrus rex Persarum, adsignavit Mitridati praeposito thesaurorum suorum; per hunc autem tradita sunt Salmanasaro praeposito Judae. Numerus autem eorum erat, libatoria aurea mille, argentea quingenta, murtatiola argentea XXIX. fialae aureae quinquaginta, argenteae autem duo millia quadringenta decem, et alia vasa mille; omnia autem vasa aurea et argentea quatuor millia nongenta septuaginta novem, et perlata sunt per Salmanasar et per eos, qui de captivitate Babyloniae regrediebantur. Hic Cyrus regnavit annis decem IX. et interfectus est a Miride in Massa Jada olympiade sexagesimo et octavo, et sepultus est in Castello quod magi obtinent Thiasarcida nomine, hic Cyri sepulchrum. Cyro ergo defuncto, sicut diximus olympiade sexagesimo et octavo, succedit in regno ejus rex Darius. Hic est Darius filius Asieri nascitur ex Bastin in civitate Susim et regnavit in regno Chaldeorum; a cujus anno tertio regni incipiunt ebdomadae Daniheli a capite circuli secundi. Jam tunc Romani magnificabantur regnante Tarquinio Supervo, qui fuit Romanorum rex octavus ab urbe condita, et regnavit annis XXIV. Condita vero est Roma a filiis Martiis et Hiliae undecimo Kal. Majas feria quinta, et sunt hodie usque in annum vigesimum quartum regis Geiserici anni mille dugenti septem. Anno tunc decimo mensum numerum apud Romanos habente regnante in Judea Hozia filio Amassiae anno XXIV. regni ejus. Exinde usque ad conclusionem annorum septuaginta captivitatis impleti sunt per successionem singulorum regum Romanorum anni ducenti quinquaginta octo ab anne vigesimo quarto Hoziae filii Amesiae. Verum ut cum Judeorum regum et Romanorum tempora coequentur ipsorum regum Romanorum annorum numerus requiratur, et a Remo et Romulo ejusdem conditoribus suo in ordine recitentur. Ipsi enim primo regnaverunt Romae simul annis XXXVIII. Post hos Titus Tatius dux Sabinorum regnavit annis quadraginta uno; dehinc Numa Pompilius annis quadraginta tribus; Tullius Hostilius annis XXX. duobus; Anchus Marcus Filippus annis XXVIII. Tarquinius Priscus annis XXX. octo; cujus anno sexto regni a Nabuchodonosor rege Jerusalem ostenditur captivari. Servus Tulius, serva natus,

annis xxxvi. Fiunt omnes in se anni ducenti quinquaginta sex usque ad primum annum Darii, quo Cyrus defunctus est. Quo tempore regnum Romanorum administrare coeperat Tarquinius Superbus. In cujus scilicet anno secundo completi sunt regum urbis anni ducenti quinquaginta octo usque ad conclusionem annorum septuaginta captivitatis, succedentibus etiam hebdomadibus Danhielis septem, in quibus ipse regnavit annis viginti duobus. Fiunt ergo urbis Regum anni ducenti octoginta. Post istos autem reges consules Tribuni vel ædiles usque ad Gajum Julium Cæsarem judicaverunt annis quadrigentis undecim. A Gajo vero Julio Cæsare usque ad Valentiniani extremum vitæ naufragium anni sunt quingenti octo, quibus in similitudine ferri licet argillam testo commixtum, tamen divinitus Romanum semper stetit imperium. Daniele statuæ illius interpretem, quam Nabuchodonosor somniaverat, qui legit, intelligat. Et conclusum est in ipso ingressu annorum mille ducentorum, decursis temporum metis, Romaniæ regnum, propterquod jam pene per totum ambitum terræ mortium neces et cruciatus accrescunt, bellorum namque fragores poenarumque lues sibi invicem congeminati succedunt; planctus vero, dolos, plagae simul et luctus ubique funduntur. Dum haec igitur omnia huic mundo frequentius inrogantur, cum occisoribus et occisis illico singula finiuntur.

[a] Interea Zorobabel filius Salatiel, hic est qui a Dario rege sapientior pronuntiatur; est enim de domo David ex genere Phares de tribu Juda, cujus petitionis Rex Darius templum aedificari jussit, et universa vasa restitui. Ipse est Darius, qui Artaxerses secundum Chaldeos nominatus est, secundum Medos vero Darius appellatus est. Hic fecit convivium grande omnibus qui sub eo erant, omnibus domesticis et omnibus praepositis Mediae et Persidis, ab India usque Æthiopiam centum viginti septem regionibus. Et cum bibissent et manducassent repleti regrediebantur; Darius Rex ascendit cubiculum suum, et dormivit, et expers factus est. Tunc tres juvenes custodes corporis regis dixerunt ad alterutrum, dicat unusquisque nostrum sermonem suum qui praevaleat, et cujuscumque fuerit verbum sapientior, dabit ei rex Darius munera magna, et super victoriam purpura circumdari, et in auro bibere, et super aurum dormire, et quadrigam inauratam, et cydarin byssinam, et torquem auream circa collum ejus, et secundus sedebit a Dario, propter sapientiam suam, et adfinis Darii vocabitur. Tunc scripserunt singuli sermonem suum et posuerunt sub pulvino Darii, et dixerunt: cum levaverit se Rex, dabimus scriptum, et quod judicaverit Rex, et tres majores Persidis, et cujus sermo sapientior fuerit, ipsi dabitur victoria, sicut scriptum est. Unus scripsit, forte est vinum. Alius scripsit, prevalet Rex. Tertius scripsit, praevalent mulieres, super omnia autem prevalet veritas. Tunc surrexit

A Rex et dederunt ei scripta, et legit et misit et convocavit omnes praepositos et majores. Sederunt autem et omnes principes, et lectum est scriptum coram illis, et dixit: vocate juvenes; et ipsi manifestabunt nobis sermones suos; et introjerunt, et dixit eis: renuntiate nobis de scriptis vestris. Et cœpit qui prior dixit de virtute vini, et sic ait: Viri, quam cito praevalet vinum omnibus hominibus, qui illum bibunt; seducit sensum regis, et orphanis, facit mentem vanam, servi et liberi pauperis et divitis, et omnem sensum demutat in hilaritatem et gaudium, et non meminit omnem tristitiam et debitum, et omnes animas facit divites, et non meminit regem neque praefectum, et omnia per talenta facit loqui; et non meminerunt quando bibunt amicitiarum amicorum B et fratrum, et paulo post arripiunt gladios, et cum a vino fuerint et exsurrexerint, non meminerunt quae gesserint. O viri non praevalet vinum, quod sic cogit facere, et tacuit. Ubi ita dixit et cœpit secundus loqui, qui dixit de virtute Regis: O viri, non prevalent homines terra et mare tenent et omnia quae in eis sunt, Rex autem praevalet, et dominatur eorum, et omne quodcumque dixerit eis faciunt; Si autem miserit eos, ad hostes, eunt, et conficiunt montes et muros et turres, mactant et mactantur, et Regis non praetereunt verbum. Si autem vincunt, adferunt Regi quaecumque ceperint, et qui non militant nec pugnant, sed terram colunt, et cum araverint et messem egerint adferunt regi, et ipse solus est; et si dixerit: occidite; occidunt; et si dimittere, dimittunt, si cedere C cedunt; si devastare, devastant; si aedificare aedificant; si excidere excidunt; si plantare, plantant, et omnis plebs et potestas ipsius sunt: superbis autem recumbens manducat et bibit et dormit, hi autem servant in circuitu ejus, nec possunt ire singuli et facere opera sua, et non ei obaudire. O viri, quomodo non supervalet Rex. Tertius qui dixit de mulieribus et veritate, hic est Zorobabel filius salathiel de domo David ex genere Fares de tribu Juda, cœpit loqui: Viri, non magnus Rex et multi homines et vinum forte, quis ergo dominatur eorum, nonne mulieres? mulieres generaverunt regem, et omnem plebem quae dominatur mari et terris et ex ipsis facti sunt, et ipsæ aluerunt eos qui plantaverunt vineas, de quibus vinum fit; ipsae faciunt indu- D menta omnibus hominibus, et ipsae faciunt gloriam hominibus, et non possunt separari homines a mulieribus; sicut egerint aurum et argentum et omnem rem speciosam, et viderint mulierem unam bona specie et bona forma, et haec omnia dimittunt et in ipsa respiciunt, et ore patenti intuentur eam, et omnes eam laudant, magis quam aurum et argentum aut omne opus praetiosum. homo patrem suum derelinquet qui eum nutrivit et terram suam et ad mulierem suam adhaerebit, et cum muliere dimittit animam suam, et neque patris meminit, neque matris, neque terrae. Et hic debetis cognoscere, quoniam mulieres

[a] Hæc et sequentia sunt ex lib. III Esdræ.

dominantur vestri. Nonne laboratis et doletis et omnia mulieribus adfertis et datis; et accipit homo gladium suum et vadit peregrinari, et in navi navigare, et in fluvijs transire, et leonem videre, et in tenebris ambulat, et cum furatus fuerit et latrocinium fecerit et cœperit amicae suae afferre. Et iterum homo diligit mulierem suam magis quam patrem aut matrem, et multi desperatione tacti sunt propter mulieres, et servi facti sunt propter eas, et multi perierunt et occisi sunt et peccaverunt propter mulieres, et nunc non creditis mihi quoniam magnus est Rex in potestate sua et omnes regiones timent contingere eum. Et debanna per Emen filia Bezzachi illius mirabilis viri concubina Regis sedentem vidi circa Regem, et accipientem diadema de capite Regis, et imponentem sibi et alapizantem Regem de manu sinistra, et ad haec omnia Rex hebes patenti ore intuebatur eam, et si adrisisset ei ridebat Rex, vel si irata esset et blandiebatur ei quoad usque in gratiam rediret cum ea. O viri quomodo non fortes sunt, quae sic agunt? Et tunc Rex et potestas eius aspiciebant ad alterutrum, et cœpit loqui de veritate, Viri, non ne fortes sunt mulieres, et magna est terra et sublime est celum, et citatus cursus solis regredietur in circuitum cœli, et iterum recurrit in eundem locum in una die non magnus qui ista fecit et veritas magna et fortior prae omnibus. Omnis terra veritatem invocat, celum eam benedicit et omnia opera quae moventur tremunt, et non est in eo iniquitas. Iniquum vinum, iniquus Rex, iniquae mulieres, iniqui omnes filiis hominum, iniqua omnia opera eorum, et non est in ipsis veritas, et in iniquitate sua peribunt: et veritas manet in aeternum, et vivit et tenet in saeculum saeculi. Et non est apud ipsam accipere personam, sed aequitatem facit, ab omnibus iniquis et malis abstinet se, et non est in judicium ejus iniquus; et ipsi fortitudo et regnum et potestas et magnificentia omnium seculorum benedictus Deus veritatis. Et tacuit loquendo. Et omnis plebs clamaverunt, et dixerunt: magna veritas et supervalet. Tunc dixit ei Rex, pete quae velis plus quam quae scripta sunt et dabo, quemadmodum inventus es sapientior, et proximus mihi sedebis et adfinis meus vocaberis. Tunc Regi dixit: memorare voti quod vovisti, aedificare Jerusalem in die quo Regnum accepisti, et omnia vasa quae ablata sunt dimittere, quae separavit Cyrus Rex cum me excideret Babiloniam. Et vovit remittere ea in Jerusalem. Et tu vovisti votum aedificare templum, quod incenderunt Chaldaei cum desolata esset Judea; et nunc hoc est quod deprecor te, Domine Rex, et quod peto, et haec est magnificentia tua, quam a te precor ut facias. Votum quod vovisti Domino Regi Celi ex ore tuo. Tunc surrexit Darius Rex et osculatus est eum, et scripsit et epistolas ad omnes dispensatores et duces et praefectos, ut eum educerent, et omnes qui cum eo erant omnes ascendentes aedificarent Jerusalem, et omnibus prepositis Cœlae Syriae, Fœnicis; et Libanis scripsit epistolas transferri ligna cedrina et Libani in Jerusalem. Cum exisset

A juvenis a facie Regis aspiciens cœlum contra Jerusalem benedixit Domino et dixit: a te victoria, et a te sapientia, et tua gloria, et ego servus tuus: benedictus es qui dedisti mihi sapientiam, et domine pater tibi confiteor. Et accepit aepistulas, et profectus est in Babiloniam et renuntiavit fratribus suis omnibus, et benedicebant Deum patrum suorum, quoniam dedit eis remissionem ascendere et aedificare Jerusalem et templum, ubi invocatum est nomen ejus in eo. Est autem numerus eorum qui de captivitate Babiloniae regressi sunt in terra Juda et Jerusalem a duodecimo anno et supra, praeter pueros et puellas quadragintatria milia trecenti sexaginta. Pueri autem et puellae septemillia trecenti viginti septem psallentes, masculi et fœminae dugenti quadraginta quinque,

B Camelli quadringenti xxxv. subjugia promiscua quinque millia septingenta quinque. Cum autem proficiscerentur e regione Babyloniae, tunc etiam Esdra propheta et legis doctor et ipse cum eis ascendit, ad quem literas direxit Rex Artaxerses, quarum exemplum hoc continet. Rex Artaxerses Esdrae sacerdoti et lectori legis Domini salutem. Amicaliter ego judicans, praecipio eos, qui voluerint ex genere Judeorum, et sacerdotum et Levitarum, eorum, qui sunt in nostro regno tecum ascendere in Jerusalem; quodquod ergo cogitant proficisci, proficiscantur, sicuti placuit mihi et septem amicis meis consiliariis, ut possitis omnia inspicere, quae in Judaea sunt et in Jerusalem, quod consequens est secundum legem quam habes, tollere munera Domino Deo Israel, novissimus ego et amici mei, quia Deus habitat in Sion,

C omne aurum et argentum quodcumque inventum fuerit in Babylonia restituetur in templo Dei et Jerusalem. Tu Esdras, secundum sapientiam Dei compone judices causarum ecclesiae in totam Syriam et Fenicem, omnes qui noveris docebis, et quodquod praeterint legem Dei tui et regis, diligenter punientur, sive morte, sive pœna vel damno pecuniario et exilio. Benevaleas. Et dixit Esdra scriba: Benedictus Dominus Deus patrum meorum, qui dedit ista in cor regis glorificare domum ejus, quae est in Jerusalem, et me honorificavit in conspectu regis, et consiliariorum ejus, et ego forti animo factus sum secundum adjutorium Domini Dei mei. Et profecti venerunt ad Jerusalem, et celebraverunt Pascha nono Kal. Aprilis

D feria v. a pascha Moysi in Ægypto annos mille centum septuaginta sex. Tunc fundamenta templi Dei a Zorobabel posita restaurantur, quod templum quadraginta sex annis aedificatum est: non enim Zonam suam solvit, neque capillos capitis sui fecit, sed nec calceamenta deposuit donec per Esdram Prophetam et sacerdotem legisque innovatorem supletis septem hebdomadibus Danielis dedicatio fieret templi. Ipse est Zorobabel qui genuit Abiud, qui appellatur Pater confessionis. Abiud genuit Eliachin, idest resurgens. Eliachin genuit Azzor, idest occisus. Azzor genuit Saddoc, idest jussus. Saddoc genuit Achim, idest paratus. Achim genuit Eliud, idest Dominus fortis. Eliud genuit Eliazar, idest Deus adiutor. Eliazar ge-

nuit Matham, idest munus. Matham genuit Jacob, idest dilectus. Jacob genuit Joseph, idest congregat, cujus, ut putabatur, dominus Christus secundum carnem filius esse.

Expliciunt generationes quas Matheus Evangelista usque ad Joseph cui fuit desponsata Maria describit. Incipiunt aliae quas Lucas ad Mariam usque describit, sed cursu ab eadem ad primum hominem recalato revertitur.

Redeamus ad Exodum et proferimus generationes Levitarum. Levi enim genuit Chat, Gesson, et Merarij, qui Chat genuit Ambram, qui dicitur dilectio, et Issar, qui dicitur fortis ad fortem, et Cebron, qui dicitur amicus aeternus, et Odiel, qui dicitur fortis Deus; qui Odjel genuit Elisa, qui dicitur visitatio, et Masiel, qui dicitur petitio Dei, et Soseri, qui dicitur absconsus. Gesson vero filius Levi secundus, qui dictus est inquilinus, genuit Lobon, idest Las, ex Semei, qui dicitur auditio. Merarii autem tertius filius Levi genuit Moolli, qui dicitur mutatio, et Omousi, qui dicitur fons meus. Ambram vero filius Chaat genuit Aaron Moysen et Mariam, quae dicitur dominatrix, ex Jochabet, quae dicta est dignitas Domini, filia fratris Patris sui. Isaar autem filius Chat secundus genuit Chore qui dictus est nudus; hic Chore genuit Assir qui dicitur rogans, et Belchana qui dicitur zelus, et Abiasar qui dicitur pater meus. Hi sunt filii Chorae, ex quo genere fuerunt illi, qui temporibus David ante arcam testamenti psallebant cum caeteris Levitis et Sacerdotibus sortium viginti quatuor cum Asaf, Iditum, Eman, et Etan. Secundus vero filius Isaar Nafeth dictus est, qui interpretatur impietas, et tertius Zecris qui dicitur dilectio, et quartus Misael, qui dicitur misit Deus. Aaron autem interpretatur arca videns, aut visio altissimi: hic Aaron genuit Nadab qui dicitur concupiscentia et Abiud, qui dictus est amicus Dei. Mortuus est autem Nabad et Abiud dum offerrent ignem alienum ante Dominum Deum in deserto Syna. Et facta sunt ex numero eorum viginti tria millia. Omnis masculus ab uno mense et supra non enim considerati sunt in medio filiorum Israel, quia non datur illis haereditas in medio eorum ignem alienum quod dicit ex communi utique non divino de Cœlo venientem. Eleazar vero tertius filius Aaron qui dictus est Deus adiutor meus, genuit Finees, qui dictus est sectator ex filiabus Fuiziel: hic est Finees de quo in Machabeicis libris Matathias loquutus est dicens: Finees dum emulatur lege adeptus est sacerdotium. Quartus vero filius Aaron Stamar dictus est, qui dicitur rancidus hos genuit, Elisafat quae dicta est gratia domini. Moyses autem filius Ambram secundus genuit Gersam qui dicitur Hospes, et Eleazarum, qui dicitur Dei virtus, ex Seffora, quae dicta est visitatio formonsa filia Sotor de Madia sacerdotis. Gersan vero genuit Sonatan, ipse et filii ejus erant sacrificantes in Tribu Dan usque ad diem transmigrationis terrae. In horum autem monte sepultus est Aaron et Moyses in Geth juxta domum Fogor. Haec tribus sortem non accepit, quo- A niam inde sunt sacerdotes qui altario Dei deserviunt: Dominus est enim sors eorum. Ideo nunc decimae sufficere debent sacerdotibus ut alieni sint a saeculi voluptatibus, qui alienis incubare desiderant rebus. Deinde Moyses Ægyptiaca lingua interpretatur de aqua acceptus, et haebrea lingua, servat domino. Ipse genuit Gersam et Eleazarum fratrem ejus ex Seffora quae dicitur visitatio. Hic Moyses fuit in deserto Syna annis xxxx. et dum jussus a Domino ascenderet in Robothmoab super montem Nabat super verticem Fasga, quae est contra faciem Hierico, et ostendit ei omnem terram Neptalin Efrem et Manasse, et omnem terram Judam usque ad mare novissimum, et desertum et adjacentia regionis Hiericho civitatem Fœnicum usque Fogor, et dixit Dominus B ad Moysen, *hæc est terra, quam juravi Abrahæ, Isaac, et Jacob, dicens semini vestro dabo illam, quam ostendi oculis tuis; sed illo non introibis. Et mortuus est moyses famulus Domini, in terra Moab, secundum verbum Domini, et sepelierunt eum in Geth juxta domum Fogor, et nemo scit sepulturam ejus usque in hodiernum diem*, ne ut Deus ab ipsis coleretur, sicut eum delinquerunt in Choreb. Hic conclusi sunt anni quadringenti septuaginta a vocatione Abrahae peregrinationis Israel usque ad heremi tempus, et moysi terminum vitae. Post hunc autem Jhesus filius Nave, qui dictus est Salvator, judicavit Israel annis xxx. et anni vitæ ejus centum decem, et sepelierunt eum in terminis sortis suae in Toamnasarim monte Efrem trans monte Galaad, posuerunt cum eo in monu- C mento cortellos Petrinos circumcisionis, Israel devictis xxix. Regibus. Hoc in tempore viginti novem Regum populi et gentes Africam tenuerunt, quae prisco tempore insula dicebatur, et ex quo habitare cœpit anni sunt usque ad annum sextum decimum regis duo milia septuaginta sex. Post Jhesum autem transgresso populo a mandatis Dei servierunt Regi Mesopotamiae Chusarsaton nomine annis octo, deinde pœnitentia egit populus, et judicavit eos Gothoniel annis quinquaginta. Origo autem Gothoniel haec est: filius fuit Genez fratris Chaleb fratris Jephone, hic Gothoniel cœpit civitatem litterarum et dedit ei Chaleb Ascham filiam suam uxorem haec est Dabir civitas litterarum, deinde judicavit eos Eglon annis decem et octo. Hic Rex Moabitarum fuit. Tunc po- D pulus Domino non serviebat, quia idolis immolabat, et traditi sunt regi Eglon. Deinde judicavit eos Aotam Ambidester annis octoginta. Hic cultellum palmarem accepit et dixit ad Eglom. Verbum est mihi ad te Rex; et dum introissent in cubiculo occidit eum et clausit januam, et fugit per medium exercitum salvatus. Anno autem vigesimo quarto Aoth in terra Edom mortuus est Job, deinde servierunt regi Semegar annis xx. hic occidit ex alienigenis in aratro boum octingentos viros et defendit filios Israel, deinde Jabis servierunt regi alienigenarum annis xx. Hic rex Chanan fuit qui regnabat in Astaroth, et princeps militiae ejus erat Syra. Huic fuerunt currus ferrei nongenti. Deinde Debbora judicavit eos annis

XL. Hujus temporibus fugit Sisara in domo Jail, quem ipsa Jail occidit de palu tavernaculi sui persequente Barach principe militiae. Deinde Mazanitae obtinuerunt eorum annis septem, et nomen ejus erat Alazia. Sub ipso fugerunt filii Israel in speluncis et in scissuris montium abscondebant se Domino irascente. Deinde judicavit eos Gedeon annis XL. filius Hierobal, soli enim trecenti viri exeriunt cum eo ad pugnam adversus Madian, qui lambierunt aquam sicut canes. Tunc dixit Dominus in trecentis viris solis, qui lambierunt aquas sicut canes : salvum faciam Israel. Deinde Abimelec judicavit eos annis tribus. Hic occidit ex alienigenis mille animas in igne, qui fuerunt in turre Sychimorum quando fugerant a facie ejus in Achroterium. Tunc a muliere percussus lapidem mole mortuus est. Deinde Fua B filius Charram judicavit eos annis XX. Hic habitabat in monte Efrem. Sub cujus tempus pax abundavit, et non fuit bellum in Israel. Deinde Tole judicavit eos annis XX. duobus. Deinde Jair judicavit annis XX. duobus. Huic erant filii XXX. ascendentes XXX. equos, et erant eis XXX. civitates, quae dicebantur Abotthi Jar in Galatidin. Deinde Philistini et Ammanitae obtinuerunt eorum annis decem et octo, sub eorum pondera proclamaverunt filii Israel ad Dominum non semel sed saepius, et vix eos de periculis liberavit. Deinde Jephta de Galaad judicavit eos annis septem. Hic ab Aroer usque dum veniatur Maratthaei usque Abelthar XX. civitates Amon evertit cum populis eorum. Quando reversus suam domum obtulit filiam. Deinde Usbon filius Israel judicavit eos annis VII. C Hic ex Bethlem fuit et erant ei XXX. filii et XXX. filiae dimissae foris, et XXX. uxores duxit filiis suis et mortuus est et sepultus est in Bethleem. Deinde Elom judicavit eos annis X. Hic Elom Zabulonites fuit, propterea in terra sepultus est Zabulon. Deinde Abdon judicavit eos annis octo, filius fuit Farathonites. Huic erant quadraginta filii, et XXX. nepotes ascendentes septuaginta equos. Mortuus et sepultus est in Farathon in terra Efrem in monte Elieth. Deinde alienigenae obtinuerunt eos annis XL., pro eo quod exacerbaverunt Dominum, et traditi sunt Chananeis, qui inhabitabant Ascalon, Gerara, Gaza, Azontu, et Geth quinque civitates, quas Inathen filius Mathathiae expugnavit. Deinde Samson filius Manoe et uxor ejus Dalyla, judicavit eos annis XX. Cujus virtus non po- D terat comprehendi, qui plus occidit in morte sua quam quod in vita sua. Deinde Samiera judicavit eos anno uno. Hic percussit ex Allophilis sexcentos viros praeter jumenta et salvum fecit et ipse Israel. Deinde pacem habuerunt annis XXX. His temporibus non erat dux in Israel, et unusquisque quod volebat hoc faciebat. Tunc tribus Beniamin delinquerat in facto Sodomitarum et exterminati sunt a filiis Israel, et derelicti sunt viri sexcenti, qui fugerant ut evaderent. Deinde Eli sacerdos, qui fuerat in Selon, ubi arca Dei constituta erat et filii ejus Ofni et Finees sacerdotes Domini. Finees vero genuit Achitob et Beriochabel, qui Achitob Abimelech, et hic genuit

A Abiathar; qui et hic genuit Achimelech, a Solomone in exilio religatus, et Eli nimis senex et ambo filii ejus peccatores in conspectu Domini. Hoc in tempore natus est Samuel, quem postulavit Anna uxor Belchane, cum esset sterilis et exaudivit eam Dominus, et concepit et peperit filium et vocavit nomen ejus Samuel, dicens, quoniam a Deo Omnipotente petii illum. Heli autem fuit nonaginta annorum; oculi autem ejus erant obducti et non videbant, et judicavit populum annis XX. Et audito nuntio quod capta sit ab allophilis arca Domini, cecidit de sella, et mortuus est. Tunc Samuel successit ei, et judicavit Israel annis XX. Hic Samuel genuit filios, unum nomine Joel, alium vero Abiathar. Temporibus autem ejus post captivitatem arcæ ab allophilis, quando B occisi sunt Phinees et Ofni filii Eli. Tunc et ipse, audito nuntio, mortuus est, et a gentibus Arca fuerat deprædata. Post reditum ejus quatuor loca sanctificata fuerant, quæ circuibat Samuel, idest Bethel, quæ dicitur Luxa, ubi visus est Deus ab Jacob, et Galgala, ubi circumcidit Jhesus populum contra Hierico, et Masefat, ubi obtulit filiam suam Jephta, et Armaten in domo sua, ubi fecerat altarium Deo; sacerdos enim fuit judex et propheta, sed ideo inter sacerdotes a nobis non est immissus, neque Eli, quia inter Judices computantur. Hic enim conclusi sunt Judicum anni quingenti sexaginta unus initii captivitatis alienigenarum. Post hunc autem factus est Saul Rex, quem Dominus in bile sua populo Israel dederat, per manus scilicet Samuelis unctum, C cum quereret asinas patris sui Cis, qui regnavit in Israel annis XL. Bamma enim dicitur civitas, ubi unctus est iste Saul. Qui Saul habuit uxorem nomine Achima; ex hac genuit Jonatham Jesiul. Esbal, Memfibos, et sorores eorum Merob et Melchol, et filius Jonathæ Memfiboste genuit Macca. Post hunc regnavit David in Israel annis XL. et menses sex. Inter Samuel autem et David anni sunt XL. Temporibus eorum erant sacerdotes tabernaculi testimonii decem millia ducenti sexaginta, et Levitæ centum duodecim millia. sacerdotum autem erant principes viginti quatuor; qui sunt seniores viginti quatuor, et ista nomina eorum. Ex genere enim erant Eleazar et Ithamar filiorum Aaron. Prima sors Jarim, unde fuit Mathathias; secunda Bidæ; tertia Choreb; quarta D Seroib; quinta Michæ; sexta Beniamin, septima Choos; octava Abia, unde fuit Zaccharias; nona Jesu; decima Jecchenir; undecima Enasib; duodecima Jachib: tertiadecima Chobra; quartadecima Isba; quintadecima Banne; sextadecima Emmer; septimadecima Chezir; octavadecima Afesor; nonadecima Phaner; vigesima Ezechiel; vigesimaprima Achin; vigesimasecunda Samuel; vigesimatertia Dalea; vigesimaquarta Mazia. Hi sunt XXIV. quos David sacerdotibus præposuerat principes. Quando enim de domo Abidda retulit arcam testamenti, et posuit eam in Sion in domo Aminadab, et inde translulit eam, et posuit eam in domo sua, tunc hos sacerdotibus principes constituit, qui præcederent populum

ante arcam testamenti, et Levitæ fuerunt xxiv. qui Levitis imperabant, ex genere enim erant Caat, Gesson, Elmenerii; nam super eos fuerant quattuor, quorum nomina hæc sunt. Primus Eman, secundus Asaf, tertius Iditum, quartus Etham; fuit numerus ipsorum cum fratribus ipsorum docti cantare Domino, omnis qui intelligit, ducenti octogiuta octo. Acceperunt etiam ipsi sortes diurnæ appariliones juxta magnum et juxta pusillum perfectorum et discentium; excidit sors prima filiorum ejus et fratrum ejus ipsius Asaph, illi Joseph ipse, et filii ejus et fratres ejus duodecim. Secundus Godolias filii ejus et fratres ejus duodecim. Tertius Zacchur, filii ejus et fratres ejus duodecim. Quartus Jesdri, filii ejus et fratres ejus xii. Quintus Natanias, filii ejus et fratres ejus xii. Sextus Bocia, filii ejus et fratres ejus xii. Septimus Israel, filii ejus et fratres ejus xii. Octavus Ageas, filii ejus et fratres ejus xii. Nonus Matthanias, filii ejus et fratres ejus xii. Decimus Semei, filii ejus et fratres ejus xii. Undecimus Esdriel, filii ejus et fratres ejus xii. Duodecimus Asabias, filii ejus et fratres ejus xii. Tertiusdecimus Sabael, filii ejus et fratres ejus xii. Quartusdecimus Matthatias, filii ejus et fratres ejus xii. Quintusdecimus Jarimoth, filii ejus et fratres ejus xii. Sextusdecimus Ananias, filii ejus et fratres ejus xii. Septimusdecimus Jesbachas, filii ejus et fratres ejus xii. Octavusdecimus Ananias, filii ejus et fratres ejus xii. Nonusdecimus Misael, filii ejus et fratres ejus xii. Vigesimus Eliath, filii ejus et fratres ejus xii. Vigesimus primus Etth, filii ejus et fratres ejus xii. Vigesimus secundus Gotholias, filii ejus et fratres ejus xii. Vigesimus tertius, Mazoth, filii ejus et fratres ejus xii. Vigesimus quartus Ramagi, filii ejus et fratres ejus xii. Hi sunt ducenti octoginta octo, qui praecedebant exercitum filiorum Israel, et cantabant Domino canticum. Tunc etiam et David cum eis impletus spiritu sancto simul prophetaverunt psalmos centum quinquaginta. Quattuor enim erant qui cantabant domino principes constituti, ut diximus; primus Eman, secundus Asaf, tertius Iditum, quartus Ethan, habebant septuagenos binos, respondentes sibi in cymbalis, et nablis et cytharis. Tunc non quod volebant, hoc psallebant sed quod per eos spiritus adnuntiabat. Viginti enim annis fuit Arca in captivitate, et quadraginta annis fuit in domo Abiddare, xx. annis fuit in domo David regis, qui regnavit in Israel annis xl. mensibus sex, de cujus domo tulit Saddoc filius Sachitob, qui in nomba fuit cornum. Et unxit Salomonem pro David patre suo in regem. Regnavit autem David annis vii. in Chebron et triginta tribus in Jerusalem. In Chebron autem genuit filios septem, et ista nomina eorum: primitivus Ammon quem occidit Abessalon, cum incestasset Thamar; secundus Chaleb; tertius Abessalon; quartus Ornias, qui propter Abisac sunamitem Ornias a Salomone interfectus est, quoniam postulavit eam conjugem sibi. Tunc Abiathar relegatus est, quod ipse eum unxerat in regem, Abiathar filius est Abimelech, qui fugiens solus, salvatus est, quando occisi sunt trecenti quinquaginta sacerdotes a Doec Syro, quem rex Saul miserat: De ipso dixit David ad Saul: dilexisti malitiam super bonitatem et iniquitatem super quam loqueris justitiam calliditatem Doec Syri incusat, qui se justum in sermonibus demonstrabat, et iniquitatem circa innocentes exercuit. Et iterum dilexisti omnia verba praecipitii lingua subdola, quibus incautos subito dejecit in mortem. Hic autem Abiathar, qui tunc a morte evaserat, propter Orniam a Salomone relegatur, ut secundum sententiam Domini nullus ex semine Eli in domo Domini sacrificium administraret. Quintus Aphatias; sextus Ethoram, et Thamar soror Abessalon. Nam in Hierusalem de Bersabe Uriae Cettei Saman et Soban filii sunt David, fratres Salomonis et Nathae, cujus Lucas Evangelista ad Mariam originem demonstravit. Similiter etiam et Salomonis Matthaeus Evangelista ad Joseph originem demonstrat, ut appareat eos de una tribu exire, et sic ad Christum secundum carnem venire, ut compleatur quod scriptum est: *ecce vicit leo de tribu Juda radix David;* Leo ex Salomone; et radix ex Nathan, Salomon autem genuit Roboam, et Nathan genuit Matthan. Tunc accepit regnum Jeroboam filius Nabath ex uxore nomine Sorum, quae vidua mansit. Temporibus multis servus Salomonis contra Roboam filium Salomonis, servus cum domino regnum adeptus est, et in primo anno rêgni sui fecit vaccas aureas duas, unam dedit in Dan et unam posuit in Bethel. Tunc dixit ad plebem: sufficiat vobis ascendere in Jerusalem; ecce Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Hic Jeroboam regnavit in Samaria annis xxxiv. et fuit scisma inter Roboam filium Salomonis, et Jeroboam filium Nabath, et praelium erat inter eos omnibus diebus vitae eorum, sicuti nunc inter veros Christianos et falsos Catholicos. Hic Jeroboam genuit Nadab ex uxore nomine Anna; et regnavit annis duobus. Successit Basaa filius Achia, et regnavit annis xxiv. Post hunc Ela filius Basa regnavit annis duobus. Post Ela regnavit Zambri annis xviii. cum Thameni annis sex, et solus annis xii. Ipse est Zambri, qui genuit Achab, qui habuit Hiezabel filiam Elan regis Sidoniensium. Hic Achab regnavit annis xxi. et genuit Ochoziam et regnavit annis duobus; et alius filius Achab nomine Joram etc. regnavit annis xii. Post hunc regnavit Hieu filius Mannase annis xxviii. Tunc Josebeth filia regis Judae idest filia Joran soror Ochoziae abscondit Joas filium fratris sui Ochoziae regis Judae a facie Jeu annis octo in domo Domini sub Aod sacerdote; sub ipso Jeu Azael rex Syriae reliquit de exercitu Israel quinquaginta equites, decem curros et mille viros secundum Elisaei prophetiam. Huic Jeu successit Jochas filius ejus, et regnavit annis xvii. Et Jochas genuit Joas et regnavit annis xvi. Joas genuit Jeroboam, et regnavit annis xii. Jeroboas genuit Zacchariam, et regnavit menses sex. Post hunc regnavit Sellem filius Narmi mensem unum. Post hunc Manee filius Gaddi regnavit annis x. Hic Manee genuit Facia, et

regnavit annis duobus. Huic successit Facee filius Romeliae, et regnavit annis xxii. conlato autem libro. . . . . ru inventum est quod temporibus Facee filii Romeliae ascendit Teglafellasar rex Assyriorum, et transtulit tribu Gad et dimidia tribu Manasse usque ad terminos Neptali, et disperdit eos in terram. . . . . filium Romeliae regnavit Oseae annis viii. Hunc humiliaverat Salmanasar rex Assyriorum, et fuit ei offerens munera. . . an. v. Tunc conpertus est Salmanasar ipsum Osee mittentem ad Ægyptum, et parantem ei insidias. . . . . . octavo anno regni ejus vinxit eum et misit in carcerem; in nono anno transmigravit eum cum populo Israel ad flumen Gozae in civitatibus Medorum, ... et dispersit eos illic. Hoc primo anno regni Achaz factum est regis Judeae, tum et Tobias cum. . . . . Hic Salmanasar genuit Sennacherib; ipse est a quo nocte una occidit angelus Domini vivorum centum et octuaginta quinque millia inter captivitatem Samariae, in Nineve, et Jerusalem in Babyloniam anni sunt CXLIV. mens. vi. dies x. ambo ad captivitatem simul indulgentias perceperunt, et uno tempore per Exdram et Zorobabel ad suam terram adscenderunt illi. Samarritani manserunt in captivitate Nineve annis xxii. et hi fuerunt in Jerosolymis annis LXX. fuerunt in Babilonia.

Redeamus ad Natham fratrem Salomonis, unde Maria originem trahit. Hic Natham genuit Matham. Mattham autem genuit Enam. Ena genuit Eliacim. Eliacim genuit Joram. Joras autem genuit Josram. Josram genuit Judam. Judas genuit Simeon. Simeon genuit Levi. Levi genuit Mathatiam. Mathatias genuit Joram. Joras genuit Eliezer. Eliezer genuit. . . . . genuit Eren, Eren genuit Eldam, Eldam genuit Chosam Echos genuit Addim. Addim genuit Melchi. Melchi genuit Neri. Neri genuit Salathiel. Salathiel genuit Zorobabel, Zorobabel genuit Besam. Besa genuit Anna. Anna genuit Judam. Juda genuit Asech. Asech per Sech. . . . Mesen. Mesen genuit Mathathi. Mathathi genuit Nahum. Nahum genuit Jose. Jose genuit Gennem. Gennem genuit. . . . . Levi. Levi genuit Natham. Natham genuit Eli. Eli genuit Joseph. Joseph Joachim. Joachim autem genuit Mariam. Hæc est Maria Mater Domini, ex qua natus est Salvator anno quadragesimo primo imperii Augusti Imperatoris. Supervixit autem Augustus ab anno in quo natus est Dominus Christus annos xv. Huic successit Tiberius Cæsar cujus anno xvi. passus est Dominus Christus Anna et Caipha sacerdotibus. Hic conclusi sunt anni quingenti LXXIV. inibi Cassius.

Ganiel usquè ad passionem Domini nostri Jhesu Christi ab undecimo anno Joachim regis idem a primo anno captivitatis Hierusalem et Jeconiæ filii ejus a passione autem Domini usque Apostolorum Petri et Pauli annos xxviii. passi Nerone bis. . . . . prima haec fuit Neronisque iterum futura sub Enoch et Helia. Hic Nero ipse est, cujus nomen Labanius. . . . . vucavit sescenti decem sexis. Hic sa- A pientia vertitur ut cumputetur per eras nomen illius qui dicitur

Antichristus

i. xiii. xviii. viiii. iii. xvii. viii. viiii. xvii. xx. et xviiii. . . . . . desumpto sexis. . fit numerus collectus sescentum LIIII. hoc qui intersunt. . . . nomine Antichristi; nam et in secretis legimus, quod. . . . . tus. . . . . . Neronis et dicitur civitas in occidente ubi adhuc tenetur incl. . . . . quibus. . . . . stellis quando veniet Antichristus. Nunc autem multi. . . . . . acti sunt. . . . . . ex nobis n. . . . . . fuissent et nobis nobiscum utique permansissent. Ab ipso Nerone. . . anni LXXIII. hic pseudo apostolus qui secundus extitit acerrimus Christianorum debellator. . . . . Ne- B ronis et portio episcopi scilicet CLIII. . . . . xxviii. neque ipse inmodicus persecutor evangelii tempore. . . . . cujus persecutione plurimos prophetas passi sunt, quos. . . . gloriosos in orbe. . . . . presidere ab ipso . . . . et est Athenis tolerabilis persecutor Labiano episcopo in urbe praesidente. . . . ruinam aliam plac. . . . . Kartaginis episcopus fuit. Sub ipso Decio passi sunt Romae sempronius Juli. . . pater Montanus usque ad Valerianum annis sunt vii. . . . . et Kartagine Cyprianus. . . . . Maximianum anni sunt XLV. ipsi sunt septimi Christianorum acerrimi persecutores. . . . . urbis et ensurius Karthaginis Sirano, et Cas- C sianus diaconi urbis. . . . omelia concremaverunt. Ab ipsis usque ad Stiliconem iterum consulem anni sunt centum duo. Ipso consulatu venit persecutio Donatistis vi. Kal. Julias data pridie Kalendas Februarii Rabennae. . . . usque ad annos xxiiii. regis Geiserici anni sunt quinquaginta octo. Hic est numerus annorum. . . . . Dominus Christus passus usque ad annum praesentem, idest sicut supra scribtum est anni sunt quadringenti triginta quattuor. Nam ut saeculi annos per ordinem decurramus legis. . . . . Ab Adam usque ad diluvium anni sunt duomilia duocenti quadraginta duo. Ab illo usque ad vocationem Abrahae anni sunt mille centum octoginta octo. A vocatione Abrahae usque quo filii Israel introissent in Ægyptum cum Jacob patre D suo anni sunt ducenti quindecim et cum Moyse. . . . . judices eis et erant ex filiis Israel annis quadringentis quinquaginta. Offenso Deo usq. . . . . . . dicaverunt eos alienigenae annis centum undecim. Reges eis fuerunt annis quingentis quin. . . . menses sex dies decem. In captivitate Babyloniae fuerunt annis septuaginta. Ebdomadarum Danielis septem in quibus est templum Dei restauratum anni sunt XLVIIII. Aliarum ebdomadarum sexaginta duarum, in quibus sacerdotes templi eis dominabantur usque ad Christi Domini nativitatem anni sunt quadringenti XXXIV. Et a nativitate Domini usque ad ejus passionem anni sunt XXXI. Et a passione Domini usque ad annum vigesimum quartum regis Geiserici

anni sunt quadringenti xxxiiii. Fiunt omnes ab Adam per legis ordinem numerati usque ad annum praesentem anni quinq. . . . . nongenti octoginta quattuor.

Explicit liber Genealogicus, in quo praefati anni conclusio. . . . .

ANONYMI
LIBELLUS
DE COMPUTO PASCHALI.

LIBER PRIMUS.

Dum mens curiosa in re tam graviori et admodum satis optabili propensius desudaret, et diu anhelando lectitans perdurasset, illa scilicet quæ hominem mortalibus laqueis occupatum, jejuniis a delictis expiatum purgat, et beatorum choro consociat, coccineis maculis et alieno rubore aspersam baptismatis tunicam ut nivem exhibet candidatum [a], suscipit etiam in agni nuptias veternosis peccatis bonus tumet, in ruinæ casu dilapsum erigit sacerdotum precibus recivum Domino templum et subit odium miserationis fulgore micuit, adque scientiæ lumen effulsit, ut illa quæ videbantur quærenti et desideranti quibusdam nebulis obscurata patefierent, universa ei detegerentur occulta, a quo lunares cursus in integro firmarentur, et paschales circuli sibi invicem consonantes cum lunaribus annis, et embolismorum titulis sine ullo errore ab ignorantibus noscerentur, in quibus ocdoadarum et endecadarum anni ita investigati, adque divino nutu confecti signantur, ut in nullo prorsus vacillare aliquatenus videantur. Quibus providentia conditoris tanta titulatio defixa cognoscitur, ut in anno decimo regis Geiserici anni quadringentiviginti a passione Dominica in capite primæ ocdoadis complerentur, et tale, tam Judæorum, quam Christianorum inventum est pascha, quale tunc a Domino cum Discipulis fuerit celebratum. Passus interea pro nobis octabu kalendas Apriles, luna sextadecima, feria sexta, et resurrexit a mortuis sextu kalendas easdem, luna duodevigesima, feria prima, sicut in anno primo primæ ocdoadis operis cepti proculdubio aspectibus nostris veridicis ostenditur documentis. Est enim annus præsens in ocdoada prima a passione Dominica quadringentesimus vigesimus sextus anno sextodecimo Regis, secundi vero circuli caput annum habet consulatu Theodosii decem et septies et Festi, in cujus fine ab Ægypto exeuntibus filiis Israel completi sunt anni duo millia centum, et inventum est pascha, quale in Ægypto a Patribus primum fuerat immolatum; atque anno sextodecimo Regis adnotati sunt duo millia centum sedecim in vigesimo et sexto circulo anno septimo decimo ejusdem circuli, cujus anni Dominicum pascha agitur quintum decimum Kalendas Majas, luna septima decima. Sed ut unus assis in hoc circulo plus inveniatur, et a luna secunda ad caput iterum revolvatur, hunc Lunares minutiæ genuerunt, eo quod inter duodecim annos ut integro paschales dies pronuntiare possemus, assis unus de accentibus unciis perspicue invenietur præter illum assem videlicet feriarum, qui inter annos quattuor pro bissextum sæpissime subrogatur. Ergo octogies quater unciae septus et septies decusdipundius habeas annos octoginta quattuor, quibus sanctissimæ memoriae Augustalis sex de septem assibus in ocdoadibus et endecadibus suis non propriis locis et sedibus adnotavit; quos per annos octoginta quattuor annales unciæ invenerunt. Ob quam rem in ejusdem circulis error aliquotiens invenitur, dum annorum numero, et elementorum cursibus liquidius non adtenditur, quamvis unus assis de septem in octoginta quattuor annis semper deducitur, et paschali nunquam omnino supputationi conceditur; ipsumque assem, nisi fallor, proprium in lunarem cursum non intentus immisit, quem potius super vacuum integris adsertionibus declinavit: Ipse est, qui paschales errores gignendo dinoscitur, sicut annorum serie conscripta monstratur. Ut autem ipsum assem, qui excluditur, invenire possis a [*forte* hac] supputatione uti debebis. Octogies quater enim decusas uncia faciunt tibi dies nungentos triginta unum; partiris trigesimum, invenies triesas: ipsi sunt triginta et unum embolismi, quos laterculus omnis habere cognoscitur; remanet unus assis ille, qui in fine annorum octoginta quattuor de septem semper deducitur, quem, ut diximus supervacuum lunares minutiæ genuerunt. Ipsum etiam et Agriustia ejus municipii Thimidensium regiorum scribens Hilariano de ratione paschali per scripulos arte quadam voluit excludere, innitens in annos singulos non undecim dies et uncias, set undecim dies semiuncias, duæ selæ, scripulum suum semissemiuncia, duæ selæ, minus ad unciam scripulos duos cincunsela, qui faciunt in octoginta quattuor annis scripulos ducentos quatuor sestam qui sunt horæ octo, semispuncta, duoque habeo. Devidentur foris exclusæ. Minus ergo habentur ad plenum diem de septenario numero excludendum horas tres, scripulum undecim, puncta decem; ideo utique aliquantos annos suis adsertionibus in integro determinare nequivit. Providens igitur ipsum assem declinandum

[a] Sensus turbatus.

modis omnibus esse, quod si Augustalis sex, ut dixi, asses in laterculi membris certis numeris immisisset, nullatenus in lunari cursu et paschalibus annis vitium incurrisset, quibus exproventum erroris hunc assem in suo lunari curso superflue variatim visus est prærogare; minori autem elemento in tertio circulo trigesimario anno vigesimo quarto lunaris concluditur cursus. Competit etiam his circulis paschalibus per annos octoginta quattuor, quibus explicitis ad caput reverteris sive in lunaribus cancellis, seu in paschalibus annis. Quorum annus igitur septimus decimus anno sexto decimo Regis; sed in lunari, ut diximus, cursu inter annos duodecim assem unum inmittis in primum, secundum, et tertium cancellum super quod afuerit Kalend. Jan. sic quoque annos per singulos veritate fulciris. Cum igitur in tertium cancellum ad annum perveneris vigesimum quartum reverteris post annos octoginta quattuor, excluso die uno de septenario numero ex crementis lunaribus venientem, et invenies in cancellorum capite lunam secundam, in quibus ab A usque ad K decem literae numerantur, quae sibi (*sic*) exsicunt sinos dies, ut menstrualis numerus agitetur. Ipse autem per menses duodecim A foris defixae noscuntur, de quibus literis per dies singulos eram prospicis; et sic in cancellis per annos singulos descendens in directum contra ipsam eram lineam adsecutus, quota luna vero verius poteris invenire, sane scientia cordis edoctus. In cancellis autem feriarum per numerum septenarium quaerenti datur indiculum, ab A. enim usque ad G. septem literae adnotantur, in quibus annus agitur septimus, ubi in bissextum ter quadriennium inmittis assem unum, hoc est annum unum K. et in mensium ordine quotum quaerere volueris, quam ad caput videris eram diebus singulis adnotatam, contra ipsam in iisdem cancellis invenies feriam fixam. In columna vero bissextili, quae cancellis lunaribus glutinata certo limite sociatur. Annus igitur et ipse septimus decimus feria tertia; sed ubi Kalendarum martiarum diem inveneris mineatum, illic habes bissextum inmissa feria designatum. Cum autem perveneris ad vigesimum et octavum, ad primum reverteris annum; et sic usque in fine mundi recapitulando singulos tam paschales quam bissextiles, simul etiam et lunares annos, feriarumque dies invenies adnotatos. Sed ut ipsum diem bissextilem in integro recognoscas, hanc rationem sequi debebis et scire hunc diem bissextilem non lavorabis. Hebraei primo ob hoc, non sua, sed Dei sapientia edocti, circa cursum lunae, non potuerunt errare; et ideo quando primum in Ægypto pridie idus Apriles quarta feria quartadecima luna, bessicilicus, duae selae de scripulo trion, semiuncia, sicilicus immolaverunt pascha, dixerunt duodecim inventis, et duodecim crescentis; eo quod invenerint lunam quando facta sit a minutione non a crementis incoasse; unde comprehenditur aequinoctium octavum Kalendas Apriles diem primum inventum

A fuisse, et quarta die quod est quinto Kalendas ejusdem dixisse omnipotentem Deum *fiant duo luminaria in firmamento cœli, sic ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem, et sint in signis, et in temporibus, et in diebus et in annis, et sint in splendore in firmamento cœli sic ut luceant super terram;* et sic est factum. *Et fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus initium diei, et luminare minus initium noctis;* et cetera. Fecit igitur omnipotens Deus solem initium diei et cucurrit antequam fieret luna horas undecim et quartam partem horae; et statim jussit fieri lunam, et prosequi eum, cum quo tam magnum officium in cœlo fuerat adepta. Constituta est igitur quintadecima plena, quia nihil quod non plenum perfectumque ediderit potentia Conditoris.

B Et ideo utique dictum est, duodecim minuentis et duodecim crescentis; luna enim per duodecim semestrua minuitur, et per duodecim semestrua crescit, ut quod minus sol ad plenum diem cucurrisse cognoscitur, hoc luna divinum magisterium minuisse a sapientibus invenitur; et sic eum Dominus jussit dodrantibus crescere, et dodrantibus minui, sicut re vel ante ipso ostenditur calculata partitio. Quindecies enim dodrantes, decusas, quadran; sed quia dixit duodecim minuentis et duodecim crescentis duodecima in decusas quadran faciat tibi deunsicilicus. Lunaris vero annus habet dies tricentos quinquaginta quattuor, in cujus anni mense invenies dies viginti novem, semis, super quos addes deunsicilicus, et fiunt tibi dies triginta, cincunsicilicus. Duodecies

C ergo triescincunsicilicus faciunt tibi, secundum cursum Romanorum, dies trecentos sexaginta quinque, quadran; quem quadrantem per quadriennium temporis rediges, et facit tibi unum assem bissextum, hoc est quater quadrantes assis; haec est feria una. De columnis autem, quibus in circulorum capite cum suis sunt lineis picturatae, haec ratio cupienti clypeata monstratur. Quota enim fuerit Kal. Jan. luna contra ipsam directa linea adsecutus invenies. In secunda columna mensis primi quota die lunam primam tuos ante oculos fixam; in tertia autem, quarta, quinta, et sexta columna luna decima quota erit mensis quarti, quinti, septimi et decimi hanc lineam oculo cernens, prospicis per quattuor columnas esse dispositam [a] x jejuniis enim legitimis deserviens ad-

D notatur, sicut de septimi mensis jejunio praecipiente Domino Moyses sanctissimus protestatur: *hæc dicit Dominus: a nona mensis*, inquit, *in decima mensis ad vesperas sabbatizabitis sabbata vestra; et omnis qui se non humiliaverit in jejunio illo perdam animam illam de populo suo.* Sic et per Zachariam Prophetarum omnium decus, de his sacris legitimisque jejuniis Dominus post captivitates tempus locutus est dicens: *factum est*, inquit, *verbum Domini omnipotentis ad me, dicens; dic ad populum terrae, et ad sacerdotes: si jejunaveritis et planxeritis in quintis aut in septimis jejuniis, et ecce septuaginta annis nunquid jejunium jeju-*

[a] Hoc signum reperi in cod.

nastis mihi o domus Israel? et si manducaveritis et biberitis, nonne vos manducetis et vos bibitis, non hæc verba sunt quae locutus est Dominus in manibus Prophetarum illorum qui ante nos fuerunt? Cum fuit Jerusalem habitata, et copiosa, et civitates illius in circuitum, et montana et campestres habitabantur. *Et factum est verbum Domini ad Zachariam* dicens : *hæc dicit Dominus Omnipotens, judicium justum judicate, miserationem et misericordiam facite unusquisque ad fratrem suum, et viduæ et pupillo et advenæ, et pauper incilte dominari, et malitiam quique fratris sui nolite reservare in cordibus vestris.* Et paulo post : *hæc dicit Dominus Omnipotens jejunium quartum, et jejunium quintum, jejunium septimum, et jejunium decimum erunt domui Juda in gaudium, et in jucunditatem, et in solemnitates bonas et jucundi eritis et veritatem et pacem amabitis.* Ecce jejunia legitima, qualiter fieri debeantur, a Domino nuntiantur. Sed cur in istis mensibus designatur, volentibus ostendamus. Jejunium enim quartum pro primitiis et mensibus; et jejunamus jejunium quintum pro areis redigendis et decimis offerendis; jejunium septimum pro vindemiis colligendis; et jejunium decimum pro sementationibus etiam seminandi, sed olei primitiis delibandis. In quorum jejuniorum quattuor septimanis sine ullo errore lunam decimam intueberis, manifestam. A Dominico autem pascha et uniuscujusque anni computas dies octoginta quattuor, in quorum conclusionem invenies sabbatorum dies, quod est finis septimanae, quae in se habet quarti mensis lunam decimam et exsolves post sacrificium jejunium quartum. Centum duodecim jejunium quintum; centum septuaginta quinque jejunium septimum; ducentos sexaginta sex jejunium decimum; sic singula in ordine recensendo artis hujus magister et doctor poterit repperire; si tamen somnolentia cordis, quae a sapientibus declinatur, non obpresserit sensum. His quoque supradictis columnis aliae septem junguntur, in quibus Kalendarum Januariarum luna et paschae Dominicorum dies adnotantur; tricesimarius etenim lunae numerum, per septemnarium numerum ebdomadis divisus spatia numero ducenta decem disterminat. Ut autem unius cujusque paschae diem invenias, lunam et feriam, quae fuerit Kalendis Januariis, observabis, ut lunae cursum tenens in eadem columna, diem invenias paschae, quod ad feriam suprascriptam pertinere videtur; hoc idem et in fibulis triginta sequentibus adprobatur, in quibus Kalendarum Martiarum lunam et feriam per septenarium numerum utrarumque in luna dierum triginta ducenta decem spatia invenies adnotata, nuntiantes certissime fixum unius cujusque anni dominicum pascha. Nam et harum fibularum numerum tres aliae ut pediseque columnae secuntur, quae in se embolismorum titulos et lunares annos lineis tensis ex Kalendis Januariis quota fuerit curiosis et bene sullicitis planius monstrare coguntur, ut horum circulorum veritas in omnibus suis ornata monilibus ostendatur.

LIBER SECUNDUS,

QUI IN SE OMNIA ORNAMENTA CONTINET CIRCULORUM.

Alia quoque ratio ob vigesimum quintum circulum, quod in se annos contineat duo millia centum a sacratissimo scilicet paschae die in Ægypto immolato adnuente Domino ostendimus manifestam, ut et in Kalendis Januariis secundam lunam, et primi mensis quartam decimam pridie idus Apriles, et feriam quartam adtendas in capite circuli secundi in integro fuisse defixam, quam tu diligentissimus scrutator supputans, hoc modo invenire debebis. Octogies quater enim tricenti quinquages quartus faciunt tibi dies lunares viginti novem milia septingenti triginta sex; et octogies quater decusas uncia, faciunt tibi nungenti triginta milia sex unus dies embolismares addes supra summam superiorem, et habes triginta milia sescentos sexaginta septem dies. Exinde deducis diem unum, quem in sequentibus dictis ex detrimentis lunaribus gignitum esse docemus, et qualiter declinetur evidentissime demonstramus. Ergo circulus unus annos habet octoginta quattuor, qui in se continent noctium triginta miliasescenta sexaginta quinque. Et quoniam vigesimus quintus circulus in consulatu Theodosi sedeces et Fausti ab eodem pascha fuerit consumatus, quem recalato tempore supputans, invenies habere noctium septingenta sexaginta sex milia sescentas viginti quinque, quas cum partitus fueris in sexagesimam partem, invenies duodecim milia septingenta septuaginta septem, uncia, quam summam superiori summae adjungis fiunt noctium septinginta septuaginta novemilia quatringintas duas; in quibus partiris trigesimam habebis viginti quinque milia nungenti octo essuperet dipundius, uncia; haec, inquam, fuit luna secunda Kalendis Januaris. Ecce Deo gratias quam digne et rationabiliter inventa est Kalendis Januariis luna secunda, quæ quartam decimam primi mensis cum embolismi titulum procreans in omnibus invenitur. Ex Kalendis itaque ipsis Januaris, ut quartam decimam pridie idus invenire possis, in tertio idus Apriles computans, et habes centum et unum diem, super quos dies addes luna secunda, quae inventa est esse ipsis Kalendis Januariis, faciunt tibi dies centum tres; partiris sexagesimam habes bessicilicus, duae salae de scripulu, triensem, uncias silicus; hoc super centum tres dies addes, faciunt tibi dies centum quattuor, bessilicos, duo selae de scripulo, triens, semuncia, sicilicus; partiris trigesimum invenies tres insuper, et decus quattus, bessilicus, duo selae, de scripulo, trien semuncia, sicilicus, et habes quartam decimam primi mensis, et quod excurrit pridie idus Apriles, qui est primus paschae sacratissimus dies. Sed ut ipsius lunae quartae decimae feriam quartam profectionis filiorum Isdrael ex Ægypto invenire possis, adverte; vicessi-

mus enim et quintus circulus in fine secundi laterculi A de Ægypto filii Isdrael exeuntibus invenitur esse conclusus, sicut per legis storiam annorum indicat sextus vicies quinque. Si ergo octoges quattus fiunt pascae duo milia centum, et in vicesimo et sexto circulo in capite complentur anni duomilia centum bismilies; itaque centies trecenti sexagies quinque quadran, faciunt tibi dierum septingenta sexaginta septem milia viginti quinque. In his partiris septimam et habes centum nove milia quingenti septaes, quattus super et septus. Incipe numerare a feria prima quae fuit ipsis Kalendis Januariis primo anno paschae in Ægypto immolato ab asse primo in septem assibus, et invenies pridie Kalendas Januarias feriam septimam; ipsis quoque Kalendis Januaris feriam primam; ex quarum utique Kalendarum diem in pridie idus Apriles B computas, et invenies dies centum duos. In his partiris septimam, et habes decus quattus super et quattus; haec est feria quarta quartaedecimae lunae primi mensis anni primi, ut diximus, in capite circuli secundi, in quo invenimus pascha sacratissimum tunc a patribus in Ægypto immolatum. Sed cum hos circulos in ordine adtentus fueris adsecutus intra columnas dies paschae veridicos invenies adnotatos, et illos qui foris sunt pro certo falsissimo super cilium columnarum encauto conscriblos sine dubio in errore fuisse defixos. Videtis igitur, carissimi, quod unicuique nostrum nihil denegat Omnipotens Deus. Sed quis quanta de ipso praesumserit fideliter cupienti ut voluerit dilargitur? Ita enim hæc sacramenta manifestari praecepit, ut a passione Dominica in qua- C dringentesimo et vigesimo anno regis Geiserici decimo anno diem inveniremus, in quo Dominus cum suis discipulis pascha sacratissimum manducavit; in eodem quoque complerentur anni duo milia centum decem, ab agno scilicet illo anniculo sine vitio in Ægypto immolato, sicut a secundi circuli capite ostenduntur in ordine titulati.

Incipiamus itaque, fratres, ab exodi lectione de ipso agno in Ægypto immolato in memoriam scientibus revocare, ut possimus utrorumque agnorum speciem volentibus demonstrare. In qua lectione recognoscimus ipsum Deum et Dominum nostrum ad Moysen et Aron fratrem ejus in terram Ægypti dixisse: *mensis hic*, inquit, *initium mensium, primus erit vobis, in mensibus fasæ*, ad omnem Synagogam D filiorum Isdrael dicens. *decimo die mensis hujus accipiant sibi singuli per domos tribuum ovem per domum; et si exigui erunt in domo, ut non sint sufficientes ad ovem, adsumant secum vicinum proximum suum, per numerum animarum singuli quod sufficient sibi computabunt in ovem. Ovis sit sine vitio, immaculatus perfectus masculus et anniculus erit vobis ab agnis et ab ædis accipi, ea sit vobis observatum usque ad quartam decimam diem mensis hujus. Et occidet eum omne vulgus synagogae filiorum Isdrael ad vesperam; et accipient de sanguine ejus, et ponent super duos postes, et super limem in domibus, in quibus eum edent, in ipsis et edent carnes ipsas nocte assatas igni et azima cum. . . . . . edent. Non edetis crudam, neque coctam in aqua nisi assatam igni. Caput cum pedibus, et inter reneis nihil derelinquentes ex eis in mane, et os non confringetis ab eo. Quae derelicta fuerint de eo usque in mane igni cremabuntur. Sic autem comedetis eum; lumbi vestri praecincti, et calciamenta in pedibus vestris, et bacula vestra in manibus vestris; et edetis eum festinanter, pascha est enim Domini.* Praecepit igitur Omnipotens Deus per Moysen universae synagogae filiorum Isdrael in mense novorum, qui est initium mensium in mensibus anni, in quo habitu ederent pascha; ad hoc utique, ut et suam divinitatem credentibus nobis in Christo manifestaret et illorum latrocinium, jam tunc a pascha primum, in Ægypto celebratum demonstraret; qui in Ægypto ad vesperam, idest in novissima saeculi tempora, praecincti, et calciati adversus agnum Dei immaculatum prima die azimorum ad vesperam cum gladiis et fustibus exirent, et universa, quae ab omnibus Prophetis de eo praedicta fuerant, in eum committerent. Et ideo nos qui jam non secundum imaginem, sicut illi, sed secundum veritatem in commemorationem passionis filii Dei pascha celebramus, nihil aliud in primis nisi de ipsius Domini nostri adventu totis viribus fidei nostrae diligenter requirere debeamus et tunc circulorum serie revolvamus. Primus enim Gajus Julius Caesar Romae imperavit annis decem, mensibus quattuor, diebus sex. Post Gajum Julium Caesarem successit Augustus imperator, qui imperavit Romae annis quinquaginta sex, mensibus quattuor, die uno. Hoc imperante advenit Johannes, Zachariae sacerdotis filius, missus a Deo praedicans baptismum pœnitentiae, qui secundum praedicationem legis prophetarumque omnium Christum ostendit, Christum filium Dei advenisse in hunc mundum, idest in regione Judae, dicens: *hic est agnus Dei, qui aufert peccata mundi; et hic est Salvator saeculi; hic est de quo dixi: homo ante me factus est, cujus non sum dignus corrigiam calciamentorum solvere.* Exinde cepit Jesus docere populum et facere virtutes et signa magna, quae nullus alius fecerat. Manifestavit autem se post baptismum universo humano generi filiorum Dei, missum a Deo patre ad stabiliendum et reformandum, reconciliandumque populum sibi compositum, quibus electis duodecim discipulis data est potestas in sancto Spiritu; et misit eos per omnes gentes, docentesque docerent. Dehinc ordinatis eis ad officium praedicandi gratiam Dei factam per nomen ejus, remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, aeternam vitam mortuis resurgentibus, praedixit eis quanta passurus esset a Judaeis usque ad mortem, mortem autem crucis et quod triduo mansurus esset in corde terrae, et quod tertia die a mortuis resurgeret, et post resurrectionem cœlos petiturus esset. Deinde Tiberius Caesar imperavit annis viginti duobus, mensibus septem, diebus vigintiduobus. Hoc imperante, idest sextodecimo anno imperii ejus, procurante Jadaea Pontio Pilato sub Anna et Caifa sacerdotibus, octabu Ka-

lendas Apriles, duobus Geminis Consulibus, incidit A sexta decima luna, parasceve, quando Dominus noster, Salvator generis humani, Jesus Christus filius Dei passus est. Perpessus igitur omnia, quae de eo fuerant scripta, secundum praedicationem legis Prophetarumque omnium et Evangeliorum ejus, passus, ut diximus, octabu Kalendas Apriles, die parascaeve. Tertio vero die a mortuis resurrexit, die Dominica sextu Kalendas easdem, et conversatus cum Apostolis et Discipulis quadraginta ferme diebus, circumfusa nube in cœlo est receptus. Exinde igitur, regnante gratia Dei, homines credentes in nomine ejus inluminari cœperunt. Et ideo in his omnibus gratiam referamus haec omnia disponenti propter nostram salutem; et vocat nos ad divinam agnitionem Dominus Deus omnipotens pater Domini nostri B Jesu Christi, cui sit honor et gloria per eundem Dominum Christum in Sancto Spiritu per omnia secula seculorum. Amen.

Fiunt ergo a protoplausto Adam in anno sextodecimo Tiberii Cæsaris, idest in passionis Domini die, anni v. millia quingenti, et a passione Domini usque ad annum decimum Regis, anni quadringenti viginti; quo anno et invenies diem paschæ sacratissimum, in quo Dominus noster pro nobis agnus Dei fuerit immolatus. Qui dies in capite circuli primi anno decimo ejusdem Regis defigitur, perfecto numero titulatus. In his itaque annis Augustalis, sui laterculi auctor, dum et litterarum sit scientia præditus, et calculationis arte peritus, vitium incurrisse cognoscitur, propter annorum scilicet numerum suo C in lunari cursu, cui plus assis unus ex ipso annorum fallaci numero accidisse probatur. Dicit enim a passione Dominica centesimo octogesimo et sexto anno, ejusdem Paschæ die, diem diei convenisse, cum in anno centesimo sexagesimo et nono a capite circuli tertii diem ipsum debuit repperire, quem in suis circulis anno sexagesimo et nono noscitur defixisse. Illum vero sine membris diem cum vocabulo personatum apud nos anno septimo decimo, habitum suorum circulorum in capite in incerto numero ostenditur titulasse; ideo utique in errore devenisse videtur, sicut ipse suo adloquio profitetur. Quod autem, inquit, non ab eo anno quo passus est Dominus annorum ordinati sunt circuli investigati adque repperiti compendii utilitas sua sit a duobus Geminis consu- D libus quo anno passus est Dominus usque ad annum consulatus Antonini quater et Albini, qui in hoc opere primus est, anni centum octoginta sex numerantur, et quia hoc eodem Consule contigit, ut omnifariam paschæ dies diei passionis Domini conveniret utilitas obluta (*sic*) compendi fastidiri non debuit. Ab hoc igitur Consule, quo primæ ocduadis initia cœpta sunt, usque ad eum annum quo octogesimus et quartus annus cum suis embolismorum signis concluditur, perfacile est inspicientibus Kosmutæ calculationis veritatem oculis quoque testibus comprobare, qualiter in hac supputatione comprobare se promittit; cum nec diem passionis Dominicæ in capite primæ ocdoadis suæ in integro defixerit, nec certum numerum annorum veridice terminaveris; sicut textus indicat nostrorum sequentium circulorum, quorum scilicet in capite inveniens Kalendis Januariis luna vigesima, et secunda feria septima, quartadecima primi mensis; decimu Kalendas Apriles, feria IV. Dominicum paschæ VI. Id. Apriles, luna duodevigesima, et in ejus circulorum habetur in capite Kal. Januariis luna XX. feria VI. quartadecima primi mensis octavu kalendas Apriles feria V. dominicum pascæ, V. kal. Apriles, luna VII. In hoc die putat esse passionem Dominicam, quod omnino ullatenus congruit veritati. Sic etiam nostris aspectibus lunaris ipse cursiculus indicat rutilo lumine radiatus, simul et annorum numerus certo in loco jure defixus. Agriustia vero primus pravitatis cultor, et erroris sui amator, assertionisque suæ imperitissimus doctor et semipsum, quem dum diximus declinandum, annos per singulos scripulis dissiparare conatur, ut ejus falsitas evidens ostensa nudetur, et a veritate alienus innotescere videatur. Ipse in doctius tunc interrogationibus agitetur, quasi vel quos solaminis argumento in ipso anni curriculo suis laterculis lunæ crementum asses undecim semuncia, II. sele, scripulum unum semissem uncia, duæ selæ voluerit prorogare, et non asses undecim et uncia, quod proculdubio in ipsa separatione annali eadem luna testatur augmentis augere. Per quam utique unciam in annis octoginta quattuor septem asses habere poterat supputator, de quibus unum assem, qui post triginta unum currit tempore Moysi, veritatem agnosceret plenum decuit (*sic*) declinasset. Octogies quater, ergo ut dicit, semiuncia duæ selæ scripulum unum semissem uncia II. selæ, ipse itaque respondit sexis, quadrans scripuli undecim destun. (*sic*); quod est quod asserit. Et ille ait sexis dies sunt sex et quadrant horæ sunt tres scripuli vero undecim destant sennarum (*sic*) minus puncta duo esse probantur, quia in destante puncta decem concludi apertissime dinoscuntur. Quid in hac interrogatione manifestius, quid in sua responsione probabilius, quam ut suo fomite vinceretur ineptus, suspiciones suas et usus qui solus horas octos emmisset puncta duo tantum secundum arbitrii sui voluntatem nisus sit exclusisse, et plenum assem penitus non valuit declinare. Ob quam rem reticos (*sic*) omnes ad veritatis regulam docuit descivisse, et ut caeci jam facto ultra luminis januam non poterint invenire; sed qualiter prudentibus certis numeris declinetur captus et integer sensus non avertere moretur Octogies quater enim trecenti quinques quattus, sunt dies viginti novem milia septingenti triginta sex; et iterum octogies quater decusas uncias faciunt tibi dies nongenti trigenta unum; quos superiori summae adjungis, erunt dies trigenta milia sexcenti sexaginta septem: qui dies per ocdoadas et endecadas ita determinati noscuntur, ut et ipsum quem in se supervacuum continent diem excluderent, et certum in se seclusum numerum confingnassent. Quinque enim

sunt ocdoadae et endecadæ quattuor, quae ocdoadæ quinque inibi embolismares quindecim et lunares annos viginti quinque menses habent quadragintos nonaginta quinque, qui in se optinent, dies quattuor decimilia sescentos decem et quattuor, endecadae inibi embolismares et lunares viginti octo, menses habent quingentos quadraginta quattuor, qui in se exolvent dies sedecimilia quinquaginta sex; quorum dierum summam superadjungis, faciunt tibi dies triginta milia sescento sexaginta sex. Ecce de triginta millibus et sexcentis sexaginta septem diebus breviter exclusus unus assis in ocdoadibus et endecadibus per dierum divisionem veridice comprobatur et tunc ab imperitis, et studiosis in contentionibus dissipatur. Sic etiam in circulo sequenti cum superiori germina concordia ociavit per embolismos, adque communes annos assem ipsum furiosus (*sic*) quantocius plenum invenies declinatum. Sunt enim in et secundo circulo sicut et in primo, embolismares anni xxxi. et communes quinquaginta tres tricies. Semel ergo trecenti docies, quattus, respondet tibi undecimilia nongenti quattus, et quinquagies ter trecenti quinquages quattus faciunt tibi dies decem et octo milia septingenti sexaginta dua. Hae duae summulæ sibi invicem junctae efficiunt dies sexmilia sescentos sexaginta sex, et declinatus est assis ille praedictus.

Redeamus igitur et ad illam summam in dictis superioribus de eo anno venter et tectum, per quam primo anno pasche in Ægypto celebratum Kalendis Januariis luna secunda fuisse didiceris. In ipsum si advertere volueris, hunc eundem assem plenissime declinabis. Continentur enim in praedictam summam assium septingenta sexaginta sex milia sescenti viginti quinque, ex quibus deducis asses trecentos sexaginta quinque, anni scilicet novissimi circulorum, ut appareat ipsum assem, et per hanc summam exclusum fuisse de septenario numero innatum ex unciarum augmento. Verum et vigesimam primam lunam sine unciis plenissime nudam anni octogisimi quarti esse condiscas. Cum autem praedictos dies rursum superioris summae revocaveris, et hanc ipsam partitus fueris, secundam repperies lunam, quam Kalendis Januariis in secundi circuli capite adfati, manu scis fuisse signatam. Deductis itaque his assibus trecentis sexaginta quinque, remanent assium septingenta sexaginta sex milia ducenti sexaginta, in quibus partiris sexagesimam, habebis duodecimilia septingentos septuaginta unum; addes hoc supra summam praedictam, erunt assium septingenta septuaginta nove milia tricenta unum. In his partiris trigesimam, invenies viginti quinque milia nongenti sexaginta septem superet asses viginti unum. Ii sunt luna vigesima prima octogesimi quarti anni. Revocatis quoque praedictis assibus trecentis sexaginta quinque ad illam superiorem summam, erunt assium septingenta sexaginta sex millia sexcenti viginti quinque, ut supra. In quibus partiris sexagesimam, et invenies duodecimilia septingenti septe septi, uncia; addes supra summam praefatam, et habes assium septingenta novem milia quadringenti, dipondius, uncia. In his partiris trigesimam, et habebis viginti quinque milia nongentos octogenta superet dipondius, uncia, sicut est luna in secundi circuli capite titulata, et declinaberis ad semipsum, quem in fine circulorum saepissime diximus declinandum. Quisquis es namque dolo vecordiae sauciatus, vel hujus rationis ignarus, per quam altam profundamque partitionis summam, ut verius dicam, potius dilucide demonstratum, hic assis de numero septenario fuerit exclusus agnosce; quemdam omnem in tua supputatione declinare nequiveris in utroque neutericus inveniris. Desine, quæso, jam desine in errore miseros populos per fallaciam tuis eversiculis insitire; veritati quoque tandem aliquando dura colla summitte, qui per nebulas et perstigia ex Ægypto, de incognitis provinciarum spatiis et longa intercapidine terrarum quasi venientem tibi nuntios paschae diem sacratissimum sine tempore frequentius inaniter celebrandum. Cum horum namque circulorum lunare in tui pectoris sensum glutinaberis cursum. Tunc a primo anno paschae in Ægypto immolatum veridicum invenies fundamentum, quod et lunaribus cancellis veris et paschalibus titulis congruum sat esse cognoscis. Ex Kalendis namque Januariis, quibus superioribus dictis circulorum in capite lunam secundam inventam habitamque fuisse, jam noris in pridie earumdem Kalendarum Januariarum anni sequentis supputabis, eruntque dies trecenti sexaginta quinque, super quos addes lunam secundam, quae isdem fuit Kalendis, ut dixit agnoscite licet procedendi, (*sic*) et fiunt dies trecenti sexaginta septem, in quibus partiris sexagesimam, invenies sexisuncia, duae selae addes supra summam predictam, et habes dies trecentos septuagenta tres, uncia, duae selae. In his ergo partiris trigesimam, invenies decus dipondius; superest decus tresisuncia duae selae, similiter etiam et in anno sequenti qui in ordine tertius appellatus supputare debebis. His itaque trecenti sexages quinque fiunt dies septingenti triginta. Inmittis vero ut supra anni primi lunam secundam et habebis dies septingentos triginta duos, in quibus partiris sexagesimam, invenies decus dipondius. Restant duae selae; addes hoc supra summam praedictam, et erunt dies septingenti quadraginta quattuor; restant duae selae, in quibus partiris trigesimam, invenies dies quattus super et vies quattus, restant duae selae. Sic autem singulis quibusque annis usque in octogesimum et tertium annum supputabis; quem octogesimum et quartum in fine circulorum adnotatum agnoscis, ut etiam in his singulis annis undecim asses et uncia immittere videaris, et nullis cancellorum anfractibus vel lunaribus tituli erasse omnino noscaris. Dominus enim noster Christus, paternae obediens jussioni, ita hujus lunae almum sydus edidit, ut de noctis invenies lumen solidatae tenebrari ob nubimenta tenuaret quae claro invecta curriculo cautis vacasse per erroribus,

secretis operantibus causis, nunc plena subducit A implenda, et rotatis cursibus iterum definitur. Haec sunt igitur lunae principia, ejusque officia perenni servitio divinitus instituta; haec in signis, et in temporibus, et in diebus, et in annis praesciae facta. Per hanc quippe fabricam castam puramque, et suae majestatis praesagio Dominus designabat ad ecclesiam, quod saepissime tenuatur casibus variis, et minuitur semper in lapsis; splendoris tamen nitore suffulta crescit in sanctis. Sic enim speciatim dico, eadem de semetipsa loquitur ecclesia: *fusca sum*, inquit, *et decora*, o filiae Hierusalem; et Dominus per Prophetam voci sonorae respondit, et dicit: *tota speciosa es sicut sol, et perfecta sicut luna;* et iterum: *semel juravi in sancto meo si David mentiar, semen ejus in aeternum manebit, et thronus ejus sicut sol in* B *conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum.* Hoc autem ecclesiae in Christo totum manet, et competit sacramentum, adientissime namque repraesentamus ejusdem lunae perfectissimum cursum, ut in suis eum quodammodo cancellis diebus singulis in integro noveris terminatum. Ex Kalendis, inquam, Januariis in pridie illius diei supputabis, in quo etiam luna quota sit quaeris. Sed forsitan dicis: quare in pridie et quota sit luna in sequenti significas die, quia ex Kalendis utique Januariis summam colligis, et quota in his fuerit luna superinmittis? numquidne unum diem bipartitum vel duplicatum supputare singularem aliquatenus in numero possis? itaque in his partiris sexagesimam, et quod fueris partitus supra dierum numerum ponis, in quibus similiter trigesimam par- C tiris, et in quovis die, ut dixi, quota erit luna, quae ad athomum per dies et annos singulos peritissime designabis, quamvis unius cujusque paschae natales nonnisi primi mensis novus generat dies; sed ut ipse primus mensis a tertio nonarum Martiarum die usque in quarto nonarum Aprilium a cunctis plerumque esse dicatur, certa atque digesta ratione monstretur, ut in his viginti novem diebus paschalis nativitas relegatur, et per primum annalem circulum veridicis documentis, evidentius ostendatur. A solis enim et lunae fabrica quae die V. Kalendarum Aprilium sumpsit exordium, computamus dies trecentos liberos quadragenta occurrisse ad futurum quintum nonarum martiarum diem, super quos dies addimus lunam quintam decimam, in qua utique plenitudine D diei ipsarum quintum Kalendarum Aprilium ad vesperam a Domino fuerat constituta, et fiunt dies trecenti quinquaginta quinque, in quibus partiris sexagesimam, et habes quinques deuncos; addes supra summam superiorem, et fiunt dies treceuti sexaginta. Deun. partiris trigesimam et invenies decusdipondius super et deun. et quoniam quintadecima luna, plena, ut diximus, quinto Kalendas Apriles fuerat facta pridie idus Apriles, ut ritis cornibus extenuatur ad suum mensem primum implevit; propter quod novilunium Judaeis praeceptum est observare usque in hodiernum diem. Secundum vero mensem quarto idus Majas implevit, tertium mensem quarto idus Junias, quartum mensem sexto idus Julias, quintum mensem sexto idus Augustas, sextum mensem septimum idus septembris, septimum mensem pridie Nonas Octobris, octavum mensem nonis Novembribus, nonum mensem pridie nonas Decembris, decimum mensem tertio nonas Januarias, undecimum mensem Kalendis Februariis, duodecimum mensem quinto nonas Martias, et habes dies trecentos quinquaginta quinque, quos continet annus primus, sane inibi quindecim diebus lunae, quota utique plena et perfecta fuerat facta. Nam a quintum nonarum in quartum Nonarum Martiarum die supputatio pronuntiat luna, qui est scilicet dies inter quintu et tertio medius in quo luna deun et non assis, qui est dies unus inventus sit plenus. Itaque a die ipso mensis inchoari non potest primus, sed a tertio nonarum martiarum in quarta nonarum Aprilium diem, in quarum quartu nonarum pridie, hoc est in die kalendarum Aprilium conputamus ex quinta kalendarum earumdem praeteriti, idest primi anni, in quo die utraque luminaria in signis, et in temporibus, et in diebus, et in annis a Domino fuerant constituta, et inveniemus dies trecentos septuaginta, super quos addimus lunam quintam decimam, in quo statu interea fuerat facta, et fiunt dies trecenti octoginta quinque. Ex quibus diebus partiris sexagesimam, et habes sexis cincun; hos praedictae summae adjungis, et fiunt dies trecenti nonaginta unu cincun; partiris trigesimam et invenies decus tresis, superet ascincunt. Ergo ex die tertio nonarum martiarum usque in diem quartum nonarum Aprilium primam lunam quaerere debemus, quoniam in quocunque die existis viginti novem diebus luna prima cum fuerit, inde incipit mensis primus, in quo mense pascha sacratissimum celebrari praecepit omnipotens Deus, sicut in Exodo testatur et dicit: *diem festum paschæ observabitis; septem diebus edetis azima, sicut praecepi tibi, per tempus mensis novorum; in eo enim existis de terra Ægypti.* Item in Levitico præcipit Dominus et dicit: *primo mense in quarta decima mensis, in medio vespertinorum pascha Domini, et in quintadecima mensis hujus dies festi azimorum Domino.* Item in Numeris: et locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sina anno secundo proficiscentibus eis ex Ægypto, in mense primo dicens: *dic, ut faciant filii Israel pascha in tempore suo quartadecima die mensis primi ad vesperam. Secundum tempora, secundum legem suam, et secundum comparationem suam facies illud. Et locutus est Moyses filiis Israel facere pascha in deserto Sina secundum quod præcepit Dominus Moysi, sic fecerunt filii Israel.* Et paulo post cum comminatione præcepit Dominus, et dicit: *homo qui fuerit mundus, et in via longa non fuerit, et cessaverit facere pascha, exterminabitur anima illo de populo suo, quia munus Domino non obtulit in tempore suo: et peccatum suum accipiet homo ille.* In Deuteronomio Moyses ad populum locutus est dicens: *observa mensem novorum, et facies pascha Domino Deo tuo, quia in mense novorum existi de terra Ægypti nocte, et sacrificabis*

pascha Domino Deo tu. Sic quoque et in primo libro Esdræ apertius scriptus est egit. *Osias pascha in Hierosolymis Deo, et immolavit phasec quarta decima luna primi mensis ad vesperam.* Ecce quartadecimæ lunæ dies, qui est ad quintu decimu kalendarum Aprilium die usque in septimo decimo kalendarum Majarum, legaliter ut sit vera ratione firmata dinoscitur; et sic etiam a tertio Nonarum Martiarum die usque in decimo kalendarum Aprilium diem sunt decem novem, in quibus luna dum nascitur, lunaribus annis proculdubio deputatur; a nonum vero kalendarum Aprilium in die quartu Nonarum earundem dies sunt decem, et his dum nascitur embolismaribus annis profecto defixa notatur, sicut circulorum in vetustatis indiculo comprobatur. Sex enim menses divident annum, in embolismario vero mensis unus dierum triginta prorogator accedit sexes ergo vies nonus tibi faciunt dies centum septuaginta quattuor; et septies triceni habes cc. decusas summulas adjungis, faciunt tibi dies trecentos octoginta quattuor. Hic est annus embolismaris. Lunaris autem annus æque in sex mensibus dividitur. Sexes itaque vies nonas faciunt tibi dies centum septuaginta quattuor, et sexes triceni centus octo sunt. Junctæ sibi invicem summulæ faciunt dies trecentos quinquaginta quattuor, non a dominico in dominicum paschæ, sed ad quartam decimam in quartam decimam lunam primi mensis anni supputantur venientis; et sic omnes suo in ordine per annos octoginta quattuor certis mensibus sine dubio dies collectos invenies, sicut ipsius lunæ per menses singulos oculis testibus, nativitatis fulget aspectus. A prima enim luna kalendarum Januariarum usque ad octavam annos embolismares invenies; a nona vero usque in vigesima septima lunares pro certo repperies. Sic etiam a vigesima et octava usque ad trigesimam embolismares invenies annos. Hæc omnia solicitius observabis, et dies paschæ in integro invenies. Non laborabis ecce, annuente Domino, singula dilucide perfecta monstrantur, in quorum jam et obtrectatorum perfidia refallatur, ut insontium astuta simplicitas cunctis subdita cognoscatur; ipocrytarum vero evitentur errores, quia imperitorum est jactantia, nam verecundia plenæ sunt præfatæ virtutes.

Ordo Mensium Januarius. Aug. et Dec. habent dies xxxi. IIII. Non. VII. Id. XVIIII. Kal.
Martius. Maj. Jul. et Oct. habent dies xxxi. VI. Non. VIII. Id. XVII. Kal.
Aprilis. Jun. Sept et Nov. habent dies xxx. IIII. Non. VIII. Id. VIII. Kal.
Februarius habet dies XXVIII. in Bissex. XXVIIII. IIII. Non. VIII. Id. XVI. Kal

Reg : Mens..........Epactæ..Con. Sol.
Mart. V..........I.....
Reg.........Lunæ......Nullæ..........Rec.......Pas..........Ter. Pasch.
Ap. I..........S.........V..........XI..........II.........V.........Ter..........N. Ap.
Maj. III.........O.........V..........XXII..........III.........I.........Quat..........
Jun. VI.........N.........VII..........III..........IIII.......VI.........Non.Kal.Mar.........VIII. Kal. Ap.
Jul. I..........D.........VII......... ..........VI.........II..........III. Id. Feb.. .... Id. Ap.
Aug. IIII.........I..........VIII.......XIIII.......... .........V..........VI. Non. Mar ....IIII. Non. Ap.
Sept. VII..... ..........VII.......III.........XI. Kal. M..........XI. Kal. Ap.
Oct. II.........E..........X....... ..XXV..........I..........VI.........VI. Id. Feb..........IIII. Id. Ap.
Nov. V.........M..........VIIII.....VI..........II..........
Dec. VII.......Ap..... ....XII.... ...XVII....... ...IIII.........IIII..........III. Kal. Mar.........III. Kal. Ap.
Jan. II.........Mi.........XI.........XXVIII..... V..........VII.......XIIII. Kal. Mar. XIIII. Kal. Mi.
Feb. VI.........Iu..........XII.......VIIII..........VI..........III..........Non. Mar..........
Junge istos cum Jul.........XIII......XX..........VII..........I..........VI. Kal. Mar.......... VII. Id. Ap.
consotiis ad Kal. Aug.....XIIII.....I..........II.......... IIII .....Id. Non. Mar..........
collig. VI. Kal. Ap.
Istos iunge cum Epact. ad lunam XII..........III..........VII.....IIII. Non Mar.
inveniendam per Kalend. XIII..........IIII..........V.......XIIII.Kal.Mar. XVII. Kal. Mar.
IIII..........V..........I........IIII. Id. Prid. No. Ap.
XV..........VII..........IIII.....Kal. M. XIIII. Kal. Ap.
XXVI..........I..........II.......XII.Kal. Mar. Prid. Id. Ap.
VII..........II..........V.......VII. Id. Feb..........Kal. Ap.
XVIII..........III..........III.......IIII. Kal. Mar.........XII. Kal. Ap.
V.
VI. Ist. iunge cum XIIII. Kal. Mar.....V. Id. Ap.
VII. I. consoc. et ter. ad Dominicam Prid. Non. Mar. IIII. Kal. Ap.
III. Paschæ inveniendam, et ad XV. Kal. Mar.
IIII. niendam, et ad
V Quadragesimae
Vi initium.

EODEM TEMPORE.

AUCTOR INCERTUS.*

OBSERVATIO CRITICA.

Quisquis in Scotorum historia vel leviter versatus agnoscere debet primos Christianos religionis doctores in hodierna Scotia exstitisse vitæ monasticæ cultores, unde famosum illud Forduni in Scoti-Chronico lib. XIII, *cap.* 8, *pag.* 184, *dictum, qui de sancto Palladio circa annum* 430 *ad Scotos in Christum jam credentes misso episcopo sic loquitur: « Ante cujus (Palladii) adventum habebant Scoti fidei doctores, ac sacramentorum ministratores presbyteros solummodo monachos, ritum sequentes Ecclesiæ primitivæ. » Per quæ sane verba sincerus ille historiæ Scoticæ conditor solum insinuare videtur, S. Palladium fuisse primum episcopum a summo pontifice Romano missum ad Scoticanam Ecclesiam a cunabulis resurgentem gubernandam, cum ante illius adventum, et eadem adhuc imperfecta ac rudis per presbyteros ab aliis legitimis episcopis ordinatos ac plerumque monachos instructa fuerit, sed jam ad suscipiendam supremam Ecclesiæ hierarchiam accommodata prout aliæ gentes ad Christum conversæ prius per presbyteros instructæ sunt, quam episcopali jurisdictione donatæ. Verum rerum Scoticarum scriptores et ipse Fordunus agnoscunt sanctum Niniam Candidæ Casæ episcopum, sanctum Palladium, sanctum Fernanum, S. Servanum, S. Kentigernum, aliosque primitivæ Ecclesiæ Scoticanæ episcopos, exstitisse veros monachos, ac disciplinæ acerrimos vindices, qui monasteria, tanquam Christianæ religionis quædam castra, erexerunt, ex quibus prodierunt tot sanctissimi milites ad debellandam dæmonum militiam exercitati, et ad propugandam fidem Christi aptissimi. Hujus rei vividum exemplum præbet sequens Ordo monasticus, ab antiquis monachis Scotis sub exordio susceptæ Christianæ religionis observatus, qui cum vetustissimum sit omnium Monachorum Occidentalium monumentum, magnamque cum Ægyptiorum Patrum regulis connexionem habeat, sic merito post S. Cassiani institutiones et regulam S. Pachomii debitum locum inter hæc additamenta meretur, utpote arctissimam Orientalis disciplinæ observantiam complectens, exceptis frequentibus illis in aquam immersionibus, quæ solis monachis Scotis fuerunt peculiares. Cum igitur, longe ante adventum S. Palladii, in hodierna Scotia exstiterint monasteria, quorum inquilini nominabantur* Kiledei *vel* Kildei *ab ipsis cellis, quas inhabitabant, non a cultu quem ibidem exercebant, sic appellati; adeoque veritati consonum videtur, hunc Ordinem Monasticum etiam ante S. Cassiani institutionum propagationem, ab illis* Kiledeis *sive* Kildeis *(corrupte per sequiores scriptores* Culdeis *nuncupatis) observatum fuisse. Nam hoc monasterium Kilrosense vulgo Culrosense dictum erectum est, a S. Servano Orcadensium insularum apostolo, et S. Palladii discipulo, qui non novam disciplinam monasticam introduxit, sed veterem primævis Scotis monachis communem excoluit. Erat autem hoc monasterium in æstuario Forthæ sive Bodotriæ situm, ad borealem fluminis ripam et infra Strivelingæ castrum sex milliaribus jacens, ubi fluxus et refluxus adhuc cernitur, quem auctor vitæ S. Kintigerni apud Bolandum* 13 *Januarii per Malenam et Ledonem fluvios designat; ad morem quorumdam veterum per Ledonem intelligens æstum et fluxum maris, quemadmodum et per Malenam denotans refluxum sive recessum maris; quos igitur male duos distinctos fluvios existimavit, cum apud Kilrosiam nullum aliud flumen præter Bodotriam appareat, ubi tamen, quamvis locus ille viginti milliaribus ab ostio fluminis distet, tamen magnus fluxus et refluxus maris observetur. In hoc igitur monasterio educatus est S. Kentigernus vulgo dictus Mungo primus Glasguensis in Scotia episcopus et multorum monachorum pater, qui, Kilrosia ad australes partes secedens, necessario æstuarium Forthæ transivit tempore Malenæ sive refluxus maris, atque apud Glasguam figens pedem insigne erexit monasterium a nongentis quinquaginta monachis inhabitatum, quibus utique disciplinam monasticam a S. Servano magistro suo usitatam præscripsit observandam. Celeberrimum ergo erat Kilrosense monasterium, et forsan ante adventum S. Palladii ab ipsis monachis Scotis sive Kiledeis constructum, a quibus et denominationem sumpsisse videtur, cum ex ante dictis omnino constet, monachos apud Scotos jam dudum floruisse. In veteri enim Scotorum idiomate* Kil *denotare ullam quemadmodum et* Ros *vel* Ross *significare promontorium animadvertunt antiquitatis Scoticæ periti, ita quod* Kil-ros *exstiterit verum Kiledeorum promontorium, quorum cellæ ibidem constructæ altitudine eximia reliquam planitiem superaverunt, præsertim ad latus boreale æstuarii positæ. Verum labente sæculo septimo hoc insigne Kiledeorum monasterium, a Danis et Norwegis, Britanniam septentrionalem devastantibus ad incitas est redactum, nec ante annum* 1217 *reparari cœperat. At hoc eodem anno Malcolmus Fifæ comes idem depopulatum cœnobium restauravit, amplissimis agris et donis locupletavit, ac sacro ordini Cisterciensi concessit; cujus piissimi inquilini S. Servanum olim sanctissimum loci abbatem in divum titularem susceperunt, ejusque sacram memoriam*

* Ex Marian. Br. Codice Regular. tom. II.

ad diem primum Julii annuatim solenni festivitate celebrabant. Et quidem, etiamsi anno 717 apud Scotos dem sumptuosa cœnobia obtinuerint; attamen, longo tempore hunc Ordinem monasticum in aliquibus locis conservatum fuisse testatur arcta disciplina monastica a Scotis monachis per Germaniam, Galliam, et Belgium observata etiam postquam illi, pro primaria vitæ norma, regulam Benedictinam susceperant, quemadmodum ex variis locis monastici Scotici instruimur. Adeoque de hujus antiqui monumenti authenticitate nullum dubium intervenire debet, cum, ante fatalem monasteriorum in Scotia dissolutionem, plurima vetera monumenta in Kiledeorum cœnobiis præsertim Dunblani et Dunkeldæ sint conservata, quæ quidem duo monasteria quoddam veteris disciplinæ vestigium retinuisse videntur usque ad sæculum XII, quando in distinctos epicopatus erecta sunt. primum introducta sit regula S. Benedicti, atque sequioribus sæculis plurimi novi erecti ordines monastici ibi. Ex archivo igitur Dunblanensis Ecclesiæ, hunc præsentem Ordinem monasticum descripsit vir religiosus Servanus Thomson Scotus, monachus Benedictinus in celeberrimo Dunfermlensis cœnobio professus, secumque Ratisbonam cum aliis documentis antiquis attulit, florente adhuc apud Scotos orthodoxa et catholica religione. Nam, anno 1526 piissimus noster pater Servanus cum aliis monachis Dunfermlensibus ab optimo patruo dom. Joanne Thomson monasterii S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ abbate dignissimo vocatus, et ibidem prior conventualis constitutus, piissimam vitam duxit, acerrimus arctioris disciplinæ monasticæ vindex, usque ad annum 1544, quo religiosam animam Deo reddidit.

ORDO MONASTICUS

IN VETERI SCOTIÆ MONASTERIO DE KIL-ROS

OLIM OBSERVATUS.

Servanus discipulus S. Palladii, circa annum 448 ædificavit monasterium de Culros, ibique magnam congregavit monachorum congregationem, quos in timore Dei et in magna continentia custodivit, qui a communi plebe vocabantur Culdei sive Colidei, sed proprie dicebantur Kiledei, sic nominati ab ipsis cellis, quas inhabitabant, et veri monachi erant, imitantes monachos Ægyptios, et similem illis ducentes vitam. Nam imprimis perpetuum jejunium observabant, semel in die cibum sumentes, et quidem tempore hiemali, apparentibus stellis in firmamento, in æstate autem post occasum solis. Quæ refectio apud illos vocabatur cœna, et in mensa non apposuerunt diversorum fercula saporum, neque esculentiores pastus, sed secundum comedentium numerum tot paximacia panis, atque olera cocta, sed solum sale condita. Nunquam carnes vel pisces comederunt, neque caseum vel butyrum admiserunt, nisi dominicis et festivis diebus, quando binam refectionem sumebant, scilicet prandium et cœnam. Pro potu aquam habuerunt puram et aliquando mixtam lacte, nam vinum et cerevisia illis ignota erant. Infirmis tamen vel ætate provectis, vel etiam longo itinere fatigatis, aliqua suavioris cibi oblectamenta dabantur, nunquam tamen carnes comedebant. In mensa autem altum observabant silentium divinæ lectioni et spiritualis patris exhortationibus intenti, atque hoc modo lessos artus acceptæ cœnæ refectione relevabant, nec tamen ad satietatem; nimia enim satietas, quamvis solius panis, luxuriam gignit, sed tunc pro impari corporum vel ætatum conditione, quisque cœnam capere potuit.

Omnes in uno loco dormiebant, sed in separatis lectisterniis, et quidem vestiti, et zona pellicea præcincti, ut expergefacti alacrius surgerent. Nam ad primum galli cantum in oratorio omnes præsentes esse debuerunt, quocunque anni tempore, per noctem pulsum excitati ita ut media nocte semper surrexerunt ad vigilias nocturnas peragendas. Quæ vigiliæ per integras tres horas durabant, quia singulis viginti psalmos deputabant, et ad finem cujusque psalmi profunde genu flectebant, sese in terram prosternentes. Expletis tribus vigiliis nocturnis, consona vocis et cordis intentione omnes exire de oratorio debuerunt; solus autem pater monasterii secretam Deo pro statu Ecclesiæ fundebat orationem, dum reliqui meditationibus, genuflexionibus aliisque piis operibus incumbebant, usque diluculum. Et tunc dato signo, omnes oratorium accedant, ad matutinas laudes persolvendas, quibus finitis, pater monasterii quotidianis lacrymarum fontibus exundans, thurificatis orationum holocaustomatibus redolens gemmæ caritatis ardore flagrans, debitam dominici corporis oblationem puris sacrabat manibus, sicque ad angelicum pergebat alloquium. Synaxi finita, aliqui frigidam petebant aquam, in qua diutius morando, corpus rigabant, omnemque carnis ardorem domitabant: quandiu autem in oratorio orarent, nullus oscitare, nullus sternutationem facere, nullus salivam jacere licenter auderet.

Deinde omnes ad laborandum domi vel ruri se præparabant, ut quotidiano desudantes operi manuum laborare suam in commune transigerent vitam, probe scientes quod secura quies et otiositas vitiorum mater et fomes esset, et ideo humeros suos divinis fatigationibus submiserunt; et impensiori studio, pede manuque laborabant, atque ita propriis viribus, cuncta congregationis opera cum gaudio expediebant. Nam ad rurale opus accincti, jugum ponunt humeris, sustossoria, vangasque invicto brachio terræ defigunt, sarculos, serrasque ad succidendum sanctis ferunt manibus, omniaque præstant proprio labore, quæ

homines rustici auxilio boum et equorum perficere A solent. Nam apud ipsos, nulla æra boum et equorum aut aliorum animalium inveniebatur ad agros excolendos, vel quodcunque opus perficiendum quia quisque erat bos et equus ad laborandum. Solus seniculus abbas habuit equiculum ad iter faciendum et paucas vaccas ratione lactis, sicuti et oves ratione lanæ et pellis nutriebant, nam omnes alias possessiones respuebant, et divitias detestabantur. Quando autem opus rurale diutius duravit, tunc in campis solitum psalmorum pensum peragebant, observato debito tempore, pro singulis horis canonicis, ad hoc enim intenti, ut singulis diebus integrum Psalterium devote recitarent. Quandiu autem laborabant, nullum audiebatur murmur, nullum præter necessarium habebatur colloquium, sed quisque aut orando, aut recte cogi- B tando injunctum peragebat opus.

Peracto opere rurali, seu quocunque alio injuncto labore jam finito, ad cellas proprias revertebant, ubi aut scribendo aut orando totam ad vesperam peragebant diem, nisi quando tempus aderat ad orandum horas canonicas in oratorio. Vespere autem appropinquante, cum nolæ pulsus audiebatur, quisque studium aut laborem deserebat. Quamprimum enim in auribus cujuscunque pulsus resonaret, scripto litteræ apice, vel etiam dimidia ejusdem litteræ figura, citius assurgentes, sua finiebant officia, sicque cum silentio et gravitate, sine ulla colloquii fabulositate oratorium petebant. Expletis psalmorum canticis, consona cordis et vocis intentione quisque privatis precibus C et genuflexionibus inserviebat, quoadusque sidera cœlo visa finitum clauderent diem, in æstate autem, ob noctis brevitatem, usque ad occasum solis.

Tandem ad mensam conveniunt, ut fessos artus cœnæ refectione relevarent, ubi quidem spirituali lectioni plus attendebant quam ciborum sapori; tota enim refectio non aliis cibis quam communi pane sale conditis constabat, ut jam dictum est. Modice igitur refecti, cum gratiarum actione oratorium petebant, et per breve tempus orationem effundentes, dato signo, et accepta patris spiritualis benedictione, dormitorium accedebant omnes, seniores æque ac juniores, secundum ordinem claustralem, neque vocis mussitatio audita est, sed usque ad primum galli cantum, quietem sumebant. Atque hoc modo, per sin- D gulas anni dies et noctes Creatori suo inserviebant, nisi quod a nocte sabbati quousque primo diluculum scilicet prima diei dominicæ hora eluxerit, vigiliis, orationibus, genuflexionibus sese impenderint, excepta una hora post matutinas laudes, quando sese ad scrutanda intima cordis secreta præparabant. Qua peracta, et vere compuncti, patrem spiritualem accesserunt, cui cogitationes suas propalabant, sine cujus jussu nihil præstare potuerunt, sed illius licentiam etiam vel ad naturæ requisita acquirebant.

Paupertatem maxime coluerunt, nec alias possessiones habuerunt, nisi quas propriis manibus laborare poterant. Hinc dona iniquorum respuerunt, divitias detestabantur. Si autem aliquis de magnatibus terræ aliquid pro eleemosyna concedere voluerit, immediate pauperibus distribuebant, quibus etiam oblationes fidelium concesserunt; in vicinia enim habuerunt xenodochium, ubi pauperes et debiles, claudos et cæcos, senes et orphanos nutriebant, quorum præcipuam curam gerebat S. Servanus, iisdem omnia necessaria præbens, piisque exhortationibus inserviens.

Vilibus induebantur vestibus, maxime pellinis, sed albi coloris, ut moribus sic et vestibus candidi apparerent, Habitus enim interior ex alba lana contextus ad genua descendebat, illoque ad laborandum utebantur, nam lineas vestes nunquam adhibebant. Exterior habitus erat birras, qui et amphibalus dicitur, corpus simul et caput tegens, quem zona pellicea præcinxerunt, atque sic incedebant quotidie ad orandum et laborandum, et etiam sic dormiebant.

Igitur apud antiquos illos monachos sive Culdeos fulgebat perfecta morum probitas, vitæ paupertas, in agendis actibus perpetua continentia, atque ad patris spiritualis imperium indeficiens obedientia. Nec solum patri monasterii, sed et senioribus ab ipso ad invigilandum constitutis obedire debuerunt omnes, et refragantibus duræ subdebantur pœnitentiæ. Pro qualibet enim culpa etiam minima severa injungebatur pœna, sic quando quisque aliquid sibi proprium vindicaret et pronuntiaret, verbi gratia, Meum librum, etc., tunc exutus vestibus, se aqua immergere usque ad collum debuit, ibique diutius morando omne propriæ voluntatis pravæ desiderium exstinguere. Si autem patris spiritualis, vel aliorum seniorum jussa hilariter et alacriter non adimpleverit, a fratrum consortio segregatus, pane et aqua tandiu vivere debuit, donec resipisceret, et si obstinax in disobedientia permanserit, et culpam commissam agnoscere renuerit, squalore carceris puniebatur. Pro parvis culpis publice commissis coram tota congregatione pœnitentiam agebant diris verberibus percussi, quæ flagella pœnitentialia nominabantur.

Hunc asperum et durum vivendi modum inibant Kiledei sive monachi antiqui Culrosenses cum magno gaudio, ut violenter raperent regnum cœlorum, neque facilis ad subeundam tam arduam monasterii disciplinam ingressus concedebatur, quamvis multi ad morum reformationem concurrebant. Nam quicunque sancti propositi conservationem desideravit, fratrumque consortium sincere postulavit, prius decem diebus præ foribus monasterii, quasi reprobatus, nec non verborum opprobriis confutatus remanere debuit, sæpius pulsans, sed nullum ingressum inveniens. Si autem bene utens patientia ad decimum perstaret diem, tunc porta claustri fuit aperta, et noviter ingrediens seniori ad portam constituto inservire debuit, ibique per multum temporis desudans, multisque animi adversitatibus probatus, tandem fratrum merebatur inire consortium. Quicunque etiam fratrum conversationem cupiebat, prius omnem substantiam pauperibus distribuere debuit, nam nihil ab eo, ne quidem vel unum ut ita dicam denarium, in usum

monasterii accipere voluit spiritualis pater, sed nudus veluti e naufragio evadens in congregationem receptus est, nam et vestimenta sæcularia ante ingressum deponere et pauperibus dare debuit. Hæc autem omnia ideo præstare obligabatur novus receptus, ut ibi voluntariam deligeret paupertatem, et nequaquam inter fratres excellens sese elevaret, vel sua suffultus substantia æqualem fratribus non iniret laborem, aut religionis habitum apportans vi extorqueret, quæ monasterio reliquit, et fratrum patientiam commoveret in iram. Hæc aliaque plura aspera quidem et dura exercebant antiqui illi Kiledei, quorum disciplinæ rigorem, quamvis ad imitandum necessariæ, proposita compendii brevitas vetat nos exponere. Sed Ægyptios monachos in omnibus imitati sunt, similemque eis duxerunt vitam.

*POETÆ QUINTI SÆCULI.

ANNO DOMINI CCCCV.

AUREL. PRUDENTIUS.

(Juxta editionem Arevali.)

Epistola dedicatoria.

Beatissimo patri et D. N. Pio Sexto papæ maximo Faustinus Arevalus.

Christianæ poeseos monumenta, omnium, quæ modo exstant, aut exstitisse unquam scimus, præstantissima, M. Aurelii Prudentii Carmina, quam diligentissime fieri potuit, recognita et correcta luci publicæ mandare constitui, nomini, majestatique tuæ, Pie Pontifex Maxime, consecrata. Patere, humanissime Princeps, ut non modo ad solium istud tuum et ad pedum oscula beatorum demissus, ut par est, ac venerabundus accedam, verum etiam ut et libere profitear, munus hoc, quod tibi offero, non nullius esse pretii, et cujusmodi hoc sit pretium, palam edisseram. Etsi enim tot sustineas, ac tanta negotia solus (*quod verissime etiam de te dici potest), in Ecclesiæ catholicæ gubernationem singulari studio et sapientia incumbas, populorum tibi subditorum felicitati incredibili vigilantia et providentia prospicias; tamen in tanta rerum mole adeo erga litteras ac bonas artes affectus es, ut hac etiam in parte præclara tua merita una omnium voce et prædicatione celebrentur; neque ulla unquam, quamdiu suus litteris et humanitati stabit honos, tacebit posteritas. Quod enim museum splendidissimum omni illustrium monumentorum genere ad præsentium et posterorum sive admirationem, sive etiam invidiam instruxeris; quod plurima ac maxima beneficia in litteras, in litteratos viros, in artes cæteras, quæ a liberalitate nomen habent, cumulatissime contuleris; quod bibliothecam tuam omni librorum copia et delectu in primis conspicuam reddideris, Vaticanam vero magnis accessionibus locupletaveris; quod assidue de litteris deque optimarum artium studiis maxima cum animi voluptate, limato subtilique judicio disseras: hæc aliaque hujus modi vehementem et accensum exquisitæ doctrinæ amorem cum doctrina ipsa conjunctum satis declarant. Cum autem rerum ecclesiasticarum cognitio cæteris tibi sanctior et antiquior sit, quod his studiis ab adolescentia innutritus, summa ex eorum tractatione laudem fueris assecutus, hac potissimum de causa novam hanc Prudentii editionem tibi non solum jucundam, sed etiam gratam futuram esse confido. Ut enim Ecclesia Jesu Christi, cujus tu vices, bonis omnibus plaudentibus, geris in terris, adversus hæreticos impiosque hujus ætatis homines defendatur, optime intelligis, Pontifex sapientissime, auctorem gravissimum esse Prudentium. Quippe is profanis litteris apprime eruditus, forensi eloquentia exercitatus, maximis honoribus in Romana republica perfunctus, amœnissimum ingenium leporesque poeticos ad fidei christianæ causam ornandam,*

* In hac serie eos auctores collocavimus qui solummodo vel præcipue sermone metrico scripserunt, et sub poetarum maxime titulo usque nunc vulgati ac noti sunt. Cæterum his accensere per nos licet Avitum et Sidonium in hoc et præcedenti tomo editos, quos forte non dedecuisset locus inter hujus sæculi poetas. Edit.

illustrandam, tuendam felicissime convertit. Atque, ut alia prætercam (nihil enim Prudentius in his studiis ecclesiasticis intentatum reliquit), multum ille contulit ad sublimem hanc gravitatem et dignitatem, quæ in Ecclesiæ precibus hymnisque Deo concinendis elucet, et in qua tu, Pie Pontifex, summopere delectaris. Præterea antiquitates Christianas maxima ex parte complexus est ; sed illos ritus accuratius descripsit, qui nunc in quorumdam hominum reprehensionem incurrunt ; ac nominatim religiosum cultum, quo sanctos cœlites venerari oportet, suo ipso exemplo luculenter demonstravit, dum tenero pietatis affectu, quem trito apud nos vocabulo devotionem *appellamus, stratus humi ad martyrum sepulcra, lacrymas uberrime fundens, oscula marmoribus figens, tumulisque adeo arcte inhærens, ut* altar tepesceret ore, saxum pectore, *eos animi sensus experiebatur, quos tibi, Pie Pontifex, cum Prudentio communes esse, omnes novimus. Constat enim, quanta constantia hujuscemodi pietatis officia exsequaris, quam religiosa mente habituque oris ac corporis gloriosum B. Petri principis apostolorum sepulcrum adire, ejusque venerabilem imaginem quotidie ferme venerari et osculari sis solitus. Graviora vero sunt illa, quod Prudentius pro altissimis religionis nostræ mysteriis contra sophisticas hæreticorum argumentationes docto ac severo philosophandi genere propugnavit, aram vero Victoriæ totumque idolorum cultum adeo acriter et nervose insectatus est, vix ut quidquam postea scribere aut obloqui ethnici ausi fuerint. Quod si non ea solum, quæ commune Ecclesiæ bonum respiciunt, sed illa etiam considerare velimus, quæ ad apostolicam tuam sedem, Pie Pontifex, proprie spectant, quanquam quid est, quod ad Ecclesiam Romanam, fidei et morum magistram, ecclesiarum omnium matrem pertineat, quod non idem quam arctissime cum communi religionis catholicæ causa aptum connexumque sit? Sed tamen quidquid id est, quod ad istam primam cathedram magis proprie spectat, ejus dignitatem, majestatem, auctoritatem ita Prudentius prædicat, ut tot tamque variis successibus Romani imperii nihil aliud actum crediderit, nisi ut Christo jam tum venienti via sterneretur, cordaque hominum uno illigata vinculo* pax et Roma *tenerent,* capita hæc et culmina rerum, *et sub unius principatu* mens una sacrorum foret. *Ac sane Prudentius non modo martyrum sepulcra, quorum innumeros cineres vidisse se Romæ testatus est, elegantissimis versibus describit, neque solum populorum concursus ad eorum reliquias, festosque dies celebrandos maximis laudibus exornat, verum etiam domum reversus magno studio egit, ut multa quæ in hoc genere Romæ viderat ac didicerat, in consuetudinem apud Hispanos suos inducerentur. Itaque ego Prudentium tali ac tanta doctrina et pietate virum, scriptoremque cum semper antea utilem et salutarem, tum nostris maxime calamitosis temporibus necessarium, quoad facere et conari potui, a mendis quæ temporum injuria, aut librariorum inscitia, aut oscitatione irrepserant, vindicatum proferre in lucem constitui, omnesque nervos contendi, ut eorum omnium, qui ante me in hoc stadio desudarunt, industriam laboremque superarem, et nisi me meus fallit animus, superavi. Illud autem neque tacere debeo, et gloriosum mihi duco profiteri, concessu ac beneficio tuo, Pie Pontifex, factum esse, ut antiquissimi codices vaticani mihi, quandocumque vellem, libere paterent, quibus facilius et locupletius, quod destinaveram, possem ad exitum perducere. Utinam ea, quæ ego ad Prudentium illustrandum adjicienda esse censui, non ita parvi pretii et levioris operæ videri possint, ut minus propterea gratus acceptusque ad te accedat ipse Prudentius ! Verum hoc etiam erit humanitatis tuæ, Beatissime Pater, ut ea, quæ in me parum probabuntur, Prudentio condones, et si non perfectionem commentariorum in Prudentium, at conatum saltem aliquem meum diligentiamgue comiter, ut soles, et benevole complecti velis. Mihi quidem nihil gratius, nihil optatius, nihil, quod ex animi mei magis sententia futurum sit, accidere poterit, quam si catholicus poeta Prudentius, a me ita, ut vides, recognitus, judicii tui, quod gravissimum omnibus esse debet, prærogativa honestatus, regi catholico Carolo III, Pio, Felici, Augusto, Domino meo clementissimo, cujus unius beneficentiæ, ut incumbere in hæc studia meo arbitratu possem, acceptum referre debeo, haud injucundus adveniat.*

PRUDENTIANA

SIVE

PROLEGOMENA

IN EDITIONEM ROMANAM OPERUM

M. AURELII CLEMENTIS PRUDENTII.

CAPUT PRIMUM.

Ratio ac divisio totius operis.

1 1. Quam laudem Prudentio tribuebat Gaspar Barthius, quo ego homine neminem in poetis legendis et illustrandis aut diligentiorem aut doctiorem novi, equidem eam a cæteris, si repugnent, extorquere non admodum conabor : sed certe ejusmodi vocem ex ore ecclesiastici viri, quique religionem Christianam, addam, catholicam Romanam, unice diligat, libentissime exciperem. Igitur Barthius lib. IX Advers. cap. 1, cum dixisset, de Christianorum in rota suppliciis plenos esse beatorum Christi militum commentarios, *quorum*, addidit, *vel primum præconem puto Prudentium, dulcissimum, piissimum et eruditissimum poetam, quem ut teneam, non negem omnium Græcorum Latinorumque vatum scripta contemnere.*

2. Illi ipsi heterodoxi, qui poetam hunc divinum maximis laudibus evehunt, et in operum ejus editionibus adornandis majorem quam nostri diligentiam adhibuerunt, fateri coguntur, cum de libero arbitrio, de carnis innocentia, de bonis operibus, et imprimis de invocatione martyrum aliorumque sanctorum, de Virgine beata, et quæ alia ejusdem generis sunt, hoc est, fere de omnibus rebus, de **2** quibus male ipsi sentiunt, cum catholicis eadem sentire. Scio, ab hæreticis Prudentium, aperte ab ipsis dissentientem, excusari, vel quod poetice locutus fuerit, vel quod jam tunc superstitionis, ut jactant, semina inter Christianos spargi cœpissent : quam perverse, vel impudenter potius, his responsionibus abutantur, alio loco explicabo. Profecto non solum Prudentius insanam idololatriæ superstitionem acriter oppugnat, neque solum religionis nostræ fundamenta adversus gentiles egregie sustinet, neque solum Hebræorum perfidiam vehementer convellit, neque solum contra hæreticos qui præcesserant accurate disputat, sed multa etiam addit, quibus hæretici nostrorum temporum facile possint revinci : præterea ritus veteris Ecclesiæ de usu luminum, de altaribus, de ornatu divitiisque templorum, de reliquiarum cultu, de sanctorum imaginibus, deque aliis hujusmodi ita graphice, itaque dilucide describit, ut irridere libeat quorumdam hominum ignorantiam, sive pravitatem, qui superstitionem in re qualibet quasi subverentes, non dubitant cæremonias sanctissimas, vel ab ipsis Ecclesiæ primis sæculis usitatas, tanquam inventa monastica aspernari et rejicere. Nam quid ego loquar de innu-

A meris martyrum sepulcris, quæ Romæ vidit Prudentius, de peregrinationibus Christianorum, sive concursu ad eorum festa celebranda, de cryptis; quæ planius intelligo, dum Prudentium lego, quam dum oculis perlustro?

3. Jam vero cum martyrum coronas celebrat Prudentius, *peragrans loca, nullius ante trita solo*, quo ingenii acumine et ubertate, quo œstro Christi militum robur, constantiam, verba ad tyrannos invicta, patientiam in perferendis suppliciis, mirabilem tormentorum varietatem nobis repræsentat, et quasi ante oculos ponit! In hymnis autem diurnarum horarum quantus inventionis decor! In animi pugna exponenda quam certa et ex ipso mysticæ theologiæ fonte petita doctrina! In omnibus denique ejus operibus quantus pietatis ardor emicat! Cum enim multa

B ac varia nobis scripta reliquerit, non poteris vel unicum ejus versum reperire, qui aut ad religionem stabiliendam, aut ad fovendam pietatem non referatur, ut multi jam notarunt.

4. Quod si quis præter ingenium sublime argumentique nobilitatem alias dotes in Prudentio quærat, singularem ejus eloquentiam *in Laurentio, in Romano, adversus Symmachum*, atque in omnibus ejus carminibus imprimis indicabo; ut facile possis agnoscere, hominem in eloquentiæ studiis apprime versatum, poemata illa condidisse : nam, ut dicebat Antonius apud Ciceronem (*Lib.* II *de Oratore*, *pag.* 52, *edit. Ald.* 1554), **3** *cæterarum artium homines ornatius illa sua dicunt; si quid ab hac arte* (eloquentia) *didicerunt.*

C His, si lubet, adjungas versus bene tornatos, numerosque in omni metrorum genere leniter fluentes, tum sententiarum gravitatem, verborumque non vulgarem elegantiam ex optimis quibusque Latinitatis auctoribus plerumque expressam. Nam quod nonnulli Prudentio plurimos in prosodia errores, vocesque parum Latinas objiciunt, id separato capite a nobis est refellendum, quo planum fiet vehementer eos falli qui existimant Prudentium sine certa ratione et arte, sine veterum auctoritate et exemplo, solum ex rerum ignorantia interdum in syllabis vocabulisque nonnullis diversum ab aliis morem secutum fuisse. Nil vero necesse est, Prudentii laudes, me nunc contexi : tot enim tamque gravia de eo præconia a doctissimis hominibus ex omni ætate, ex

D omni ordine prolata, postea adducam, nihil ut in eo genere possit cumulatius desiderari.

5. Quæ cum ita sint, quis non miretur scriptorem hunc insignem, qui eminentem quemdam locum tum inter poetas, tum inter SS. Ecclesiæ Patres debet obtinere, nondum eos commentatores editoresque habuisse, qui prudentium hominum votis undecunque fecerint satis? Atqui, si quis alius, Prudentius certe perspicua doctaque commentatione indiget, non quod obscuritatis vitio laboret, quod aliqui male putant; sed quia primum poetæ alia quasi lingua loquuntur, neque facile ab iis intelliguntur qui eorum idioma non callent, præsertim in rebus novis, quasque cæteri non attigerunt; tum auctoribus, qui recondita doctrina excellunt et argumenta subtiliter expediunt, persæpe obscuritatis culpam imputamus, cum potius tarditatem, ignorantiam et cæcitatem nostram accusare debeamus (*a*).

6. Atque ut unum e multis præclarissimum exemplum proferam, *in præfatione Psychomachiæ* celebre est ænigma (ita enim vocant), quod Prudentium data opera ad aliorum ingenium exercendum circa 318 Abrami vernaculos, eorumque mysticam significationem 4 proposuisse non nemo credidit, plerique sine Œdipo, aut Sphynge explicari posse negarunt (*b*).

7. Cæterum hæc aliaque hujusmodi infinita, quæ in hoc auctore latent, diligentissimum interpretem requirunt, qui magnam operam in theologicis litteris, non minus quam in humanioribus posuerit: est enim ille inexhaustus quidam thesaurus perreconditæ eruditionis profanæ, multo vero magis ecclesiasticæ, qua hæc in omni suo genere patet latissime. Neque vero inficiabor plures exstitisse viros doctissimos, qui in hoc opus incubuerint; sed eorum alii *ad scholarum*, sive quod in idem recidit, *ad Delphini usum* editiones suas accommodarunt, alii theologiam, quæ ad exactam hujus poetæ interpretationem penitus est necessaria, aut nullam, aut, quod pejus est, malam habuerunt. Quo magis nobis est enitendum atque elaborandum, ut poetæ nostri carmina et doctrinam

A in bono lumine collocemus. Sed quid? inquiet aliquis, putasne a te id perfici posse quod tot nobiles interpretes nequaquam assecutos esse pronuntias? Imo vero si id ego putarem, si tantæ essem stultitiæ, ut plenam facultatem explicandi Prudentii mihi arrogarem, non certe hoc agerem, ut ex omnium commentariis optima quæque deligens, unum veluti corpus compingerem; sed potius molirer novum ædificium a fundamentis excitare, quo reliquorum luminibus obstruerem (*c*).

5 8. Nunc quoniam et maximam rei difficultatem optime pernosco, et meæ vires quam sint exiguæ plane sentio, hanc viam, quæ facilior est, inire constitui ut lucubrationes omnium in Prudentium hactenus editas expenderem ac libere repræsentarem;
B tum si quid mihi occurreret, quo loca, ab aliis prætermissa exponerem, aut interpretationes aliorum sive confirmarem, sive refellerem, in medium proferrem, non quasi inveniens denuo, sed quasi jam inventis nonnihil addens. Videbam enim nostro potissimum sæculo plures auctores, tum sacros, tum profanos, in hunc ferre modum magno apparatu elegantissimisque typis excudi: quos haud equidem negaverim tanto labore esse dignos, ac si vis, doctrina exquisita præditos, sed nihil ad Prudentium. Videbam etiam, jam sæculo proxime elapso paulo post initium a Weitzio editionem Operum Prudentii cum omnium, ut putabat, quotquot in Prudentium scripserant, commentariis fuisse procuratam: sed neque Weitzius omnes eorum qui præcesserant commenta-
C rios vidit, et post eum multi scripserunt, Prudentium interpretantes, uberiori luce quam veteres perfusi, neque minori industria connisi.

9. Itaque nemo mihi vitio vertet, imo multis, ut spero, gratum faciam, si Prudentium eo ornatu in lucem emittam, quo multi veteres scriptores prodierunt, notisque aliorum omnium indicatis meas etiam animadversiones adjungam. Quales illæ sint futuræ,

(*a*) Acute olim Porcius Latro Marillio, suo magistro, respondit in Opere Controversiarum, quod Patri Senecæ philosophi, quem Marcum vocant, solet nunc attribui (*in Præfat. lib.* I *Controv.*): *Cum discipuli essemus apud Marillium rhetorem, hominem satis aridum paucissima belle, sed non vulgato genere dicentem, cum ille exilitatem orationis suæ imputaret controversiæ, et diceret: « Necesse est, me per spinosum locum ambulantem suspensos pedes ponere, » aiebat Latro: « Non Mehercules tui pedes spinas calcant, sed habent. » Et statim ipse dicebat sententias, quæ interponi argumentis cum maxime declamantis Marillii possent.*

(*b*) Nimirum historiam ex Genes. cap. 14, qua Abraam dicitur numeravisse expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo, quibus irruit in hostes, captumque Lot reduxit, ad allegoriam convertens, ita cecinit:

> Nos esse large vernularum divites,
> Si quid trecenti, bis novenis additis,
> Possint, figura noverimus mystica.

Id autem non esse ænigma, sed explicationem allegoricam ejus historiæ, eo tempore in ore et libris multorum frequentissimam, evidenter demonstrabo, cum distincto capite ponam auctoritates SS. Patrum, qui in trecentis et duodeviginti Abrami vernaculis crucem Christi nomenque Jesu intelligunt, quia per Græcam litteram T, quæ figura est crucis, et litteras ι et η, quibus Jesus nomen inchoatur, numerus tercentum decem et octo Græce exprimitur. Prudentius igitur interpretationem vulgo notam jure suo, sive lege poetica indicare tantum voluit, illud Horatii secutus:

D
> Semper ad eventum festinat, et in medias res,
> Non secus ac notas, auditorem rapit.

Fortasse etiam reliquum:

> Et quæ
> Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

(*c*) Enimvero cum diu multumque dubitassem quam potissimum viam insisterem, pluresque doctos et prudentes viros consuluissem, plane mihi accidit, quod Demiphoni in Phormione Terentii, actu II, scena 3, qui cum tres jureconsultos de nuptiis filii interrogasset, et diversa sentientes audivisset: *Fecistis probe*, ait, *incertior sum multo quam dudum.*

> Tres mihi convivæ,

Ut alius aiebat,

> prope dissentire videntur,
> Poscentes vario multum diversa palato.

quantumque ultra aliorum interpretum inventa sim progressus minime dicam, non solum ne videar montes aureos polliceri, sed quia facile quivis per se poterit judicare, si commentarios præ oculis habuerit, et hinc inde contulerit. Illud unum dicam, in duabus facultatibus quas ad Prudentii explicationem necessarias esse ante posui, nempe in rei theologicæ ac philologicæ, nominatim vero poeticæ, cognitionibus, me a puero non indiligenter sub præstantissimis magistris, utinam feliciori tempore, esse versatum, sive quod genio quodam in hæc studia impulsus fuerim, sive quod rationes vitæ a primis annis susceptæ ita flagitaverint; quod eo dictum volo, non ut exspectationem excitem, sed ut arrogantiæ suspicionem diluam.

10. Alius nunc scrupulus eximendus est. Audio, editionem operum Prudentii ad codd. mss. Vaticanos Parmæ jam pridem esse inchoatam. Quid ergo nunc juvat Romanis typis Prudentium excudere? Dicam quod res est : si de Parmensi editione quidquam ante inaudivissem quam animum ad hunc laborem applicuissem, fortasse omnino nihil de Prudentio edendo cogitassem. Quoniam vero **6** cogitatio de re quavis aut non est suscipienda, aut, si suscipiatur, sine causa non est derelinquenda, dubitare cœpi an ob editionem Parmensem a proposito cessare deberem, in quo prudentiorum consilio quam meo acquiescere malui. Aiebant gravissimi homines qui rem penitus se scire asseverabant, nullam reliquam spem esse, ut editio illa Parmæ inchoata ad exitum perduceretur; consentiebant præterea eam, etiamsi absolveretur, nequicquam posse meis curis obstare.

11. Sane mihi duo certa esse videbantur : alterum, duplicem Prudentii editionem eodem tempore peractam non esse supervacaneam, si utraque diversis commentariis ornata sit; alterum, editionem quæ Parmæ fieret, ex hac Romana nihil detrimenti posse capere. Exemplaria operum Prudentii, præsertim cum commentariis adeo rara sunt, ut venalia ea prostare nusquam compererim; de quo appello fidem eorum qui bibliothecas privatas satis locupletes possident, aut ab amicis possessas excutiunt, aut bibliopolarum tabernas invisunt, aut denique catalogos bibliothecarum, quæ venales quotidie exponuntur, solent percurrere (*a*).

12. Quod vero Romana hæc nostra editio Parmensi nihil valeat officere, in promptu est judicare. Quis enim Bodonianos typos hoc nostro tempore non dico meis ineptiis, sed gravissimorum hominum commentariis non præferat? Omitto ea quæ ex editoris industria et diligentia editioni Parmensi accedent, præsertim ex codd. mss. Vaticanis deprompta, quibus ille commodissime uti potest : cujus doctrinæ tantum abest ut quidquam detractum velim, ut potius ex eo fonte, cum licebit, sperem meos hortulos irrigare, adjecta, si alia via desit, appendice (*b*).

7 13. Itaque cum nihil sit quamobrem ab incœpto desistere debeam, quod reliquum est, ordinem quo Prudentii opera a me sunt edenda explicabo. Primum hæc Prolegomena, quæ jam exarare cœpi apponere decrevi, *Prudentiana* inscribens, titulum ac magna ex parte rei exemplar mutuatus cum ab aliis, qui *Gersoniana* et similes titulos fecerunt, tum præsertim a C. V. Daniele Huetio, qui *Origeniana* operibus Origenis præposuit; quamquam nemo a me postulet aut exspectet ut exilem dividendi rationem sequar quam ille tenuit, suis civibus morem gerens, qui res quaslibet minute potius concidunt quam dividunt. Igitur in his prolegomenis ita argumentum persequar, ut sese res ipsæ simplici ordine dabunt, et prout quivis per se possit intelligere. Quis enim, etiam me tacente, non percipiat, dicendum esse de vita Prudentii, de operibus quæ exstant, quæ perierunt, quæ dubie aut falso ei ascribuntur, de codicibus mss., de editionibus, de commentariis editis et mss.? Doctrinam vero Prudentii contra hæreticos, contra nonnullos catholicos propugnabo. Quosdam insignes locos circa dogma ac disciplinam ecclesiasticam de cultu reliquiarum, de invocatione sanctorum, de templorum ornatu, de sepulcris christianorum, de usu luminum, aliaque hujusmodi distinctius et enucleatius ex sacri Vatis poematibus exponam.

14. Conabor autem maximo studio novam veluti artem poeticam conficere, ad cujus regulas primos nostræ sanctissimæ religionis poetas sua carmina exegisse puto; et quamvis in agro inculto et derelicto seram, id tamen faciam cum aliqua spe fructus. Etenim ea cognitio usui esse potest ut inter varias mss. codd. lectiones non solum in Prudentio, sed in aliorum etiam SS. Patrum carminibus eæ voces seligantur, quæ legibus et consuetudini, in metris eo tempore vulgo receptæ, videbuntur esse aptissimæ. Revera hujusmodi artem valde utilem futuram existimo etiam multis viris doctis, qui in veterum Patrum carminibus vulgandis elaborant, et interdum

(*a*) Nam de editione *ad usum Delphini* non dicam, quam grandi pecunia ea vendatur, si quando occasio inciderit : scio enim pretium in hujusmodi rebus sæpe intoleranter augeri, quod nonnulli eruditionis nescio quod genus in una aliqua editionum serie componenda constituunt; qui luxus in supellectile libraria eo jam processit, ut quod satyricus ille dixit,

Potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis emi,

de libro, librique auctore liceat interdum repetere.

(*b*) Prudentius Parmensis, quem typi Bodoniani multos jam annos parturiebant, commodum nunc in lucem editus est sub magni nominis auspiciis, plurimorum votis expetitus, meisque in primis, qui nihil prius habui, quam ut editiones et illustrationes Prudentii, quotquot possem, undique conquirerem, earumque nucleum in publica commoda exprimerem. Editionem Parmensem nondum vidi : sed novi editoris diligentia et studio interpretationes nostras opportune illustrandas spero, siquidem ejus rei nuntio accepto cunctandum mihi censui, penitus cessare, fide jam data, licere non puto, quamvis per me quidem non stabit, ut alii in fide, quam de eis recepi, inviti maneant, idque palam denuntio.

illorum opera dum sanare student, corrumpunt atque ita se, quod dolendum est, grammaticorum sannis objiciunt. Solent enim grammatici, ut est genus hominum arrogans, doctos et omni alia eruditione præstantes viros irridere, si contra suos canonas viderint eos licenter judicare; nec perpendunt quantum in aliis facultatibus doctrinam cæteri sint assecuti, sed quod in grammatica illis deest exaggerant impudenter.

15. Neque omittam veterum et quorumdam recentium testimonia, quibus Prudentius est laudatus. Tunc demum ad Poetæ 8 christiani opera excudenda aggrediar, hoc ordine: Primum ponam librum *Cathemerinων* cum præfatione omnium carminum, *Per quinquennia jam decem*, etc.; tum *Apotheosin*, *Hamartigeniam*, *Psychomachiam*, et *Dittochæum*, quod *Enchiridion* sacræ Scripturæ in plerisque editis appellatur. Et hæc quidem poemata primo volumine comprehendentur. In alterum conjiciam libros *adversus Symmachum*, et librum *Peristephanων*, cum multis ac copiosis indicibus rerum ac verborum.

16. Glossas et commentarios carminibus subjiciam; glossas ex Isone magistro et antiquissimis quibusque codicibus mss. Vaticanis aliisque; commentarios ex ingenio, cum lectionibus variantibus. Ille Iso, sive Ison quis fuerit, docet Mullerus in præfatione ad editionem Prudentii Coloniensem anno 1701. Monachus fuit S. Galli, circa annum 900 floruit, vir doctrina et sanctitate celebris, de quo videri possunt Ekkehardus junior, libro de Casibus monasterii S. Galli, cap. 1 et 2, *apud Goldastum tom.* I *Rer. Alemann. pag.* 12 *et* 22, et Glossarii latinitatis scriptor, præfatione operis sui, *pag.* 35. Non dubito quin idem sit Iso, quem sibi magistrum fuisse affirmat Notkerus Balbulus præfatione in sequentias. Decessit autem Notkerus anno 912. Vide alia de Isone num. 113 et 114.

17. Secundo volumini, tanquam prolegomena, duas diatribas præmittam: alteram, *de Ara Victoriæ in curia Julia, ejusque eversionibus;* alteram, *de fide Prudentii et veritate in martyrum historiis enarrandis, cui acta anonyma aut recentia cedere debeant.* Icones æri incisas in utroque volumine dabo ad operis ornatum rerumque illustrationem; præsertim tomo II, ad martyrum res gestas et monumenta plenius cognoscenda plures imagines proferam, et illas omnes repræsentabo, quas Gallonius in opere de Cruciatibus SS. Martyrum inseruit, quibus et novas alias e cœmeteriis depromptas, et nonnullas animadversiones ex Gaspare Sagittario, aliisque circa martyrum cruciatus adjiciam. Cur autem diverso ordine Prudentii carmina disposuerim, ab aliorum editionibus dissidens, non esset magnopere quærendum, cum omnes præcipui editores suam quisque diversam viam secuti fuerint, et magna sit inter vett. codd. dissensio. Heinsio recentes editores adhærere voluerunt, neque tamen id sunt assecuti. Nam ille in addendis notavit odam quæ a plerisque ponitur tamquam præfatio libri Peristephanων, ad universum

A opus esse referendam epilogi loco, quod neglectum est sequi in ejus editione, nec minus in aliis posterioribus eorum qui se Heinsium maxime æmulari gloriantur. Equidem ordinem tenere volui, quem Prudentius 9 in præfatione carminum præscribit, ubi argumenta suorum opusculorum dilucide proponit, ut in commentariis explicabo. Objiciat aliquis non constare an Prudentius suos libros eo ordine quo illos edebat recensuerit; sed rogabo cur in propositione operis ordinem quem observare decreverat inverterit? Quia, inquies, metro potius voluit consulere. At ignoras certe quanta facilitate Prudentius, quæ volebat omnia, et quo volebat modo, ad carminis leges revocabat. Præterea poetæ etiam, dum argumentum proponunt, ita illud enuntiare laborant ut naturalis B ordo postulat. Sic Virgilius quatuor Georgicων libros in limine primi perite indicavit:

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmisque adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori: atque apibus quanta experientia parcis
Hinc canere incipiam.

Prudentius quidem, postquam librum Cathemerinων commemoravit, statim Apotheosin recenset, cum versu simili potuerit librum Peristephanων denotare. Ita enim ait:

Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet quin Dominum canat:
Pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem.

Potuit præmittere:

Carmen martyribus devoveat, laudet apostolos:

quo versu innuitur liber Peristephanων, a nobis po-
C stremo loco positus, quia postremo loco a Prudentio recensetur. Quamvis autem Prudentius hymnos cathemerinos ab hymnis Peristephanων separaverit, facilis tamen fuit in codd. mss., et in libris editis utriusque operis conjunctio. Nam olim ex operibus alicujus auctoris quisque exscribebat, quæ magis sibi placerent, nullo interdum ordine: et multi, hymnos cum quærerent, omnes hymnos Prudentianos conjunxerunt, et titulum fecerunt *Hymnarium de tempore et de sanctis*, ut in commentariis ad præfationem dicam. Qui editiones operum Prudentii, codicesque mss., ac diversum ordinem in carminibus collocandis, a nobis cap. 4 et 5 referendum, attente consideraverit, concludet, opinor, eum ordinem esse præferendum, quem ipsemet auctor in præfatione
D et propositione operum demonstravit. Verum hæc hactenus præfationis loco dicta sint satis.

CAPUT II.

Prudentii vita.

10 18. Vitam resque gestas Prudentii scribere ingressus, haud scio magisne optandum mihi esset, ut certam ejus patriam investigarem, an magis illi sit gloriosum: ut olim plures Græciæ civitates Homerum sibi civem arrogabant, ita nunc de Prudentii natali solo duas potissimum Hispaniæ urbes nobilissimas certare, Cæsaraugustam et Calagurrim. Qui, partium studio seposito, rationum momenta considerate expenderit, existimabit facile causam potius sub

judice esse relinquendam, quam alterutri parti adjudicandam. Sed quod multi alii fecerunt, ut rationes hinc inde allatas exponerent, et inter se conferrent, id a nobis, quoniam hic locus maxime proprius est, non prætermittetur; qua de controversia duas dissertationes editas fuisse admonebo, alteram cujus meminit Jo. Albertus Fabricius, alteram hispanice a cl. Emmanuele Risco tom. XXXI Hisp. sacr. eruditissime conscriptam (*a*).

19. Alii, qui Prudentii Vitam in Dictionariis et Bibliothecis exararunt, similiter in ejus patriam accurate inquisierunt, quorum omnium primus dicitur fuisse Aldus Manutius Romanus, qui in editione operum Prudentii de certo oppido unde ortus esset Prudentius cœpit quærere, quanquam Cæsaraugustani jam ante in suo breviario Prudentium sibi arrogabant (*V. num.* 51). Reliqui editores et commentatores brevius eamdem controversiam attigerunt. Petrus Mantuanus, ut singularem opinionem astrueret, fuse in ea quæstione versatus est in opusculo *Advertencias a la Historia del P. Mariana*. Eumdem Marianam ut refellerent, Lupercius et Bartholomæus Leonardo Argensola, nobile par fratrum, pro Cæsaraugusta Prudentii **11** patria decertarunt (*b*). Petri Mantuani et Lupercii Leonardi rationes diluere conatus est Thomas Tamayo de Vargas in defensione Hispanicæ historiæ Joannis Marianæ. Præterea Martinus Carrillo in Historia S. Valerii episcopi Cæsaraugustani, edit. 1615, et Ludovicus Diez de Aux in præfatione versionis hispanicæ Hymnorum Prudentii Cæsaraugustam ejus patriam fuisse contendunt. Disceptatoribus de Prudentii patria merito adjungendi sunt Nicolaus Antonius Biblioth. Vet. Hisp. lib. II, cap. 10, et Bailius in Diction. Crit. verbo, *Prudence*.

20. Silentio non est prætereundus Joannes Petrus Ludewig, cujus cognomen Rodriguezius in Bibl. Hisp. maluit reddere *Luis*; qui Vitam Prudentii seorsum edidit mense Martio 1692, recusam tom. II Opusculorum Miscellorum ejusdem Ludewigii, col. 494, Halæ Magdeburgicæ an. 1720, ubi eam legi, quamvis Fabricius annum editionis 1719, locum Halam Saxonum dicat, nisi duplex sit editio. Igitur etsi magnum non esset operæ pretium, tamen tanta hac contentione impelli possem, ut de Prudentii patria disputem, eoque etiam magis, quia eadem

A opera nonnullis Prudentii carminibus lumen aliquod affundetur. Antequam vero duas illas sententias expendam, in quas maxime auctores sunt divisi, alias minus celebres opiniones in examen revocabo. Georgius Fabricius (*Præfat. Comment. in hymnos quosdam Prudentii*) Numantinum, *seu* (*ut recentiores*) *Cæsaraugustanum* fuisse asserit (*c*). Quocunque demum loco exstiterit Numantia, non apparet certa ratio cur Prudentius Numantinus asseratur, nisi quod hæc urbs in provincia Tarraconensi sita fuerit, quod omnibus ejusdem provinciæ oppidis æque convenit. Opinor Fabricium ex Mela collegisse, eamdem esse urbem Numantiam ac Cæsaraugustam: nam hunc errorem eidem Melæ, quem non intellexit, Joannes Gerundensis imputavit tom. I Hisp. illustr. B pag. 33.

21. In opinione Petri Mantuani refutanda longiores nos esse **12** oportet, quem aspere, contra quam solebat, Nic. Antonius redarguit loc. cit.: *Præ germana*, inquit, *lectione et sententia, tantum ut Joanni Marianæ detrahere*, *nescio quid de Salia Hispaniæ Tarraconensis juxta Cantabros flumine dictum poetæ magna injuria imputat.* Absurdam hanc Mantuani interpretationem primum natam an. 1613 affirmat Riscus loc. cit., fortasse quia editionem opusculi Mantuani eo anno peractam viderat. Cæterum Mantuanus suas contra Marianam animadversiones jam anno 1607 evulgaverat; et quamvis primam editionem non viderim, vidi aliam auctiorem Mediolanensem anni 1611, ubi certe hanc novam sententiam sibi Mantuanus adscribit. C *Estas son las opiniones, que hasta hoy se han hallado de la patria de Prudencio, yo no seguire ninguna de estas dos* (loquitur de opinionibus pro Cæsaraugusta, et Calagurri). Quid? si ante Mantuanum alii hanc sententiam invenerant? Tamayus de Vargas loc. cit. contendit, Mantuanum ex aliis opinionem, quam pro sua venditavit, surripuisse. Nam cum Mantuanus auctoritatem Giselini allegasset usque ad verba hæc, *Vetus codex, quo ego sum usus habet*, NE SALIÆ, prætermisit alia, quæ proxime consequuntur, *unde quidam se commodam sententiam eruere posse putarunt, quod Salia Hispaniæ sit fluvius, et urbem eo nomine fuisse conjiciunt.* Neque in editione anni 1564 cum commentariis Giselini, neque in posteriori Weitziana cum eisdem commentariis hæc verba inveniuntur.

(*a*) Primam illam non vidi; sed Fabricii verba de ea afferam (*ex Bibl. Lat. Vet. edit. Venet.* 1728 *tom. II, cap.* 2 *lib.* IV): *De Calagurri Nascica, Vasconum, Prudentii patria diatribam auctore G. L. exhibet Diarium litterarium Hallense Germanice editum*, *Neue Bibliotheke* XXVI, *p.* 475. Arbitror, dissertationis, seu diatribæ ejus scopum esse, probare Prudentii patriam fuisse Calagurrim, quæ *Calagurris Nascica* olim appellabatur, postea *Calagurris Julia* a Julio Cæsare. De qua vide Garsiam Loaisa Collect. Concil. Hisp. pag. 159, et Ferrarii Lexicon, post Strabonem, Plinium, et alios. Plinius lib. II, cap. 3, Calagurritanos appellari *Nascicos* tradit, sed aliam fuisse hanc Calagurrim, cujus hodie ne vestigia quidem supersunt, opinatur Ludovicus Nonius cap. 90 Hisp., quem consule.

(*b*) Duas Lupercii epistolas, unam Bartholomæi, D Marianæ vero aliam, qua suam opinionem pro Calagurri tuetur, nuper edidit cl. Joannes Antonius Pellicer y Saforcada in opere *Ensayo de una Biblioteca de Traductores Espanoles*, ubi præmittit; *Noticias para la vida de Lupercio Leonardo y Argensola.*

(*c*) *Numantiam*, addit Ludewigius loc. cit., *celebrem Romanis ob infinita bella urbem, hodie Amuzam dictam, non procul a Cæsaraugusta distare notissimum est.* Imo magis persuasum est doctis, Numantiam esse urbem, quæ nunc *Soria* dicitur, aut aliam quæ *Zamora* vocatur. Quamvis enim Pomponius Mela, lib. II, cap. 13, hæc habeat: *Urbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimæ fuerunt Pallantia et Numantia, nunc est Cæsaraugusta.* Non tamen propterea colligas Numantiam esse *Amuzam*, aut aliquod oppidum non procul a Cæsaraugusta, ut cernere licet in Pallantia longe distanti.

22. Videndum est tamen, an sive Giselinus in alia A editione, sive alii de Salia, Prudentii patria, ante Mantuanum cogitaverint. Ferrarius in Lexico, verbo Salia, sic habet ex Mela : *Salia, Riba de Silla, vel Sella, fluvius et oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in ora Asturum (Saia, Pintiano teste, fluvius nominatur, et aliis Silla), patria Prudentii (qui multa versu scripsit, a Theodosio imperatore ad præfecturam sublimatus), oppidum non obscurum, inter Lanas ad ortum, et Vecam ad occasum 6 leucis. Populi Salini... Prudentius: Oblitum veteris me Saliæ consulis, etc.* Et verbo CALAGURIS : *Calaguris, quæ Calaguris Livio, Calagorina Ptolemæo... Patria Clementis Prudentii poetæ clarissimi, teste Mariana : sed ut ipsemet innuere videtur, Salia oppidum Cantabricæ oræ solum illi natale fuit.* Lexicon geographicum post obitum Ferrarii prodiit; B sed is anno 1605 ediderat Epitomen geographicam. Censeo opinionem Ferrarium hausisse ex veteri editione Giselini : nam ipse Mantuanus hæc verba profert ex Giselino : *Hic locus multos torsit, nec adhuc satis dilucide est explicatus. Commentatur in illum Nebrissensis his verbis : « Oblitum veteris Mesaliæ consulis, » scilicet sub quo videtur natus Prudentius. Aldus in Poetæ Vita a se edita ait, eum* **13** *fuisse jureconsultum, ac Messaliæ consulem, hujusce, ni fallor, loci conjectura ductus. Vetus codex quo ego sum usus habet, Me Saliæ.* Remus eamdem interpretationem Giselino tribuit. Eam certe indicavit Giselinus verbis a Tamayo relatis supra num. 21, in editione Parisina 1562 : qui addit illico : *Ego quid hic pronuntiare debeam, nescio prorsus, satis esse arbitratus aliis cogitandi materiam suppeditasse.* Mantuanus prima C periodi verba usque ad *me Saliæ* posuit : reliqua, quibus antiquitas conjecturæ declaratur, prætermisit.

23. De Salia quid ex veteribus constet, nunc exprimam. Mela locum nomenque fluminis descripsit lib. III, cap. 1 : *In Asturum litore Noega est oppidum, et tres aræ, quas Sestianas vocant, in peninsula sedent, et sunt Augusti nomine sacræ, illustrantque terras ante ignobiles. At ab eo flumine, quod Saliam vocant, incipiunt oræ paulatim recedere et latæ adhuc Hispaniæ magis magisque spatia contrahere.* Plinius, lib. IV, cap. 20, idem flumen vocat *Sada*, aut *Sanga*, ut opinatur Mantuanus. Verba Plinii sunt : *Regio Cantabrorum, flumen Sada.* Ubi in veteri cod. ms. legitur, *Sanga*. Hispanis nunc flumen Sália dicitur *Saya*, ut ait Mantuanus, sive, ut Riscus, *Sella*. Itaque Mantuanus putat Prudentium natum fuisse prope flumen *Saliam*, et fortasse in oppido ejusdem nominis, ut solent oppida aut fluviis dare nomen, aut ex eis accipere ; idque arguit ex verbis præfationis operum, aut lib. Cathemer., quam minus recte hymnum appellat :

> Hæc dum vita volans agit,
> Irrepsit subito canities seni,
> Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens,
> Sub quo prima dies mihi (*a*).

24. Vulgata est opinio Marianam omnino noluisse aut Mantuani adversus se impugnationem, aut Tamayi pro se defensionem legere (*b*). Res vero partim ita accidit, partim diverso modo. Etenim **14** Mantuanus statim ac suas observationes anno 1607 publicavit, earum exemplar ad Marianam misit, qui non solum eas legit, verum etiam margini congruentes responsiones adjecit, atque his notis illustratum exemplar idem ad Mantuanum remisit. Cum Mantuanus cudere iterum, et recudere suum opusculum auctius pergeret, Marianæ responsionibus nihil deterritus, is, qui majora animo volvebat, *nullum ultra verbum, aut operum sumere inanem* decrevit, *quin sine rivali sequa et sua solus amaret*, aut cum paucis Mantuanus. Cum autem Marianæ causam defendere vellet Tamayus, quæ de Prudentii patria, quasi aliud agens, scripsisset, illi ostendit, rationesque suas probavit. Postea cum apologiam totam absolvisset, pervidendam et emendandam eidem obtulit, quod facere renuit Mariana, viribus et ingenio Tamayi confisus, quanquam alia ratione permotus etiam mihi videtur, ne scilicet Mantuanus Tamayi scriptionem Marianæ ipsi affingeret ulla ex parte (*c*).

25. Erat quidem jam vulgo recepta explicatio illa, quod Prudentius diceret *se oblitum veteris Saliæ consulis*, sub quo primam lucem viderat. Nihilominus Mantuanus præfracte negabat, veram eam esse, quia non duo Saliæ consules exstiterant, ut alter *vetus* vocaretur; non intelligens Prudentium solum innuere, Saliam jampridem gessisse consulatum. Addebat non Saliam, sed Salleam vocari hunc consulem in quadam inscriptione apud Onuphrium Panuinium, Comment. in lib. III Fast., pag. 408.

(*a*) Accipe ejus Hispanicam interpretationem : D *Mientras la vida, que va volando, hace estas cosas, la blancura de los cabellos se entro de repente en mi persona ya vieja, reprehendiendome a mi oluidado del año en el qual fue el primer dia de mi vida en la antigua Saliá.* Hæc est autem syntaxis : *arguens me oblitum consulis* (hoc est *anni*) *sub quo prima dies mihi veteris Saliæ* (hoc est *in veteri Salia*). Hæc quam sint absona, quamque a sensu communi abhorreant, opus non est multis prosequi, præsertim cum in eo argumento diligenter versatus fuerit Tamayus de Vargas loc. cit., Joanne Mariana approbante, ut juvat exponere.

(*b*) Nic. Antonius *Bibl. nov.*, verbo, *Joannes Mariana*, hæc refert : *Magno eruditionis ambitu oppugnavit Marianæ historiam Petrus Mantuanus, propugnavit D. Thomas Tamayo de Vargas, qui testimonio satis idoneo affirmat rem prodigii similem, nempe noluisse Marianam legere nec Mantuani censuram, nec Tamayi, amicissimi capitis, apologiam, etiam ante editionem sibi ab auctore ad pervidendum et emendandum oblatam : quod credet vix posteritas.* Bailius, *Diction. crit.*, artic. *Mariane*, eam narrationem avide arripit, neque in optimam partem, ut solet, interpretatur.

(*c*) Hæc omnia protuli ex Tamayi opere in appendice, seu *Razon de la historia del P. Juan de Mariana : de las advertentencias de Pedro Mantuano : y de la defensa del doctor D. Thomas Tamayo de Vargas.* In opere autem, de Prudentii patria disserens, ita ait : *Escrito este papel mucho antes que me determinara a responder a lo demas, y comunicado solo entre otros con el P. Mariana oraculo de nuestra edad*, etc.

QVIESCIT . IN . PACEM . DEPOSITVS . DIEM QVAR
TVM . NONAS . AVGV
STAS . FLAVIO . PHILIPPO
ET . FLAVIO . SALLEA . CON
SVLIBVS . PATER . SERBA
TIVS . FECIT

Quasi vero non potuerit utroque modo scribi et *Salia*, et *Sallea*, aut si *Sallea* scribebatur, non licuerit poetæ unum *l* expungere, ut metro consuleret, præsertim in nomine proprio. Fasti Græci et Cassiodorius in Chronico habent *Sallia*. Glandorpius, Onomast. Rom., ex veterum monumentis *Saliæ* nomen reponit.

15 26. Rejecta opinione Mantuani, quærendum est aliquid de Tarracone. Ita enim ait Prudentius de tribus martyribus Fructuoso, Augurio et Eulogio, in eorum hymno :

O triplex honor, o triforme culmen,
Quo nostræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens iberis!

Hæc non ignorant illi ipsi qui Cæsaraugustanum aut Calagurritanum asserunt fuisse Prudentium. Aiunt, Tarraconem *caput nostræ urbis* vocasse, quia caput erat Hispaniæ Tarraconensis. Non repugnabo, quamvis conjectura aliqua duci posset, suam ejus urbem laudari a Prudentio, cum reliquas cunctas illico memoret,

Cunctis urbibus eminens iberis!

At si Prudentius, quia e Tarraconensi Hispania erat, *nostræ urbis* nomine appellat Tarraconem, cur eadem voce uti non potuit, cum alias urbes ejusdem Tarraconensis Hispaniæ nominavit, etiamsi in eis ortus non fuisset? Putat Nic. Antonius, hymnos *Peristephanων* a Prudentio fuisse compositos nomine eorum, in quorum oppidis sancti illi celebrabantur. Hoc quale sit, paulo post exquiram. Nunc observabo, ex hoc hymno argui, oppidum natale Prudentii situm fuisse in terris Pyrenæis. Ita enim post superiores versus pergit :

Exsultare tribus libet patronis,
Quorum præsidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrenæarum.

Siquidem *fovemur*, non *foventur*, est legendum, ut in commentariis probabo ex veteribus libris.

27. Quas autem Pyrenæas terras dicat Prudentius, definire non audeo. Mela, lib. II, cap. 13, *Pyrenæus*, inquit, *primo hinc in Britannicum procurrit oceanum, tum in terras fronte conversus Hispaniam irrumpit; et minore ejus parte ad dextram exclusa, traxit perpetua latera continuus, donec per omnem provinciam longo limite immissus in ea littora, quæ occidenti sunt adversa, perveniat.* Riscus, Hisp. sacr. tom. XXXIV, pag. 191 et seq. animadvertit a geographis antiquis *Pyrenæos* vocari omnes illos montes qui inter *Fontem Rabidum* et *Caput Crucium* veluti rami distrahuntur : et verba episcopi Pelagii de montibus Legionensibus interpretatur : *Quidam autem ex civibus legionis levaverunt corpus S. Froylani episcopi infra Pyrenæos montes, et posuerunt eum super altare.* (*a*) Patet ex his, Tarraconem, Cæsaraugustam, Calagurrim, innumera item alia oppida *Pyrenæa* dici potuisse.

28. Reliquum est, ut de celeberrimis duabus hac in re sententiis sermonem instituamus : Cæsaraugustana, an Calagurris censenda **16** sit Prudentii patria. (*b*) Cæsaraugustam Prudentii esse patriam tenent Aldus Romanus in Vita Prudentii ac plures alii, præsertim interpretes (*c*). Ex solo Prudentii opere, imo fere ex solo hymno 18 martyrum Cæsaraugustanorum rationes petuntur, quibus Prudentius Cæsaraugustanus creditur. Hi autem sunt versus qui proferri solent :

Bis novem noster populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulcro,
Res cui tanta est.

Notat Riscus, *nostrum populum* dici a Prudentio Cæsaraugustam, priusquam ea *nominatim* appelletur; quasi id faveat suæ opinioni. Contra Rodriguezius de Castro observat, vocari *populum*, quæ vox optime cadit in totum conventum juridicum Cæsaraugustanum, item Prudentium *sub uno sepulcro* dixisse, quamvis de aliis martyribus loquatur ejusdem conventus juridici, qui ad omnem Aragoniam, partem Cataloniæ, Navárræ, Rioxæ, Guadalaxaram, Complutum, Agredam protendebatur; eo fere modo quo Lucretius, lib. v, v. 26, dixit *commune sepulcrum, rerum terra*. Verum hæc nihil utrinque juvant. Prudentius in hymno SS. martyrum Hemeterii et Celedonii nusquam meminit *Calagurris*, quam tamen

(*a*) Libentius legam, *subter altare*, ex more sanctorum corpora recondi *sub altari*, prout alio in loco distinctius exponam.

(*b*) Cæsaraugustæ elogium ex Mela ante posui num. 21 ; majus est quiddam, quod ait S. Isidorus Etymol. lib. xv, cap. 1 : *Cæsaraugusta Tarraconensis Hispaniæ oppidum a Cæsare Augusto et situm et nominatum, loci amœnitate et deliciis præstantius civitatibus Hispaniæ cunctis, atque illustrius florens sanctorum martyrum sepulcris.* Quæ verba, et præcipue hæc, postrema *florere sepulcris martyrum*, apprime consonant hymno Prudentii nostri de martyribus Cæsaraugustanis.

(*c*) Ælius Antonius Nebrissensis in Epigrammate prævio ad opera Prudentii, et in Comment. ad hymnum 18 martyrum Cæsaraugustanorum; Jacobus Spiegelius in Præf. ad Comm.; Georgius Remus in Epist. ad Weitz.; Xystus Senensis, Bibl. lib. IV, verbo *Aurelius Prudentius;* Joannes Vasæus, Chronic. Hispan. ad annum 351; Antonius Possevinus, Apparatu, verbo, *Aurelius Prudentius;* Alfonsus Garcia Matamoros, de Academ. Hispan.; Ludovicus Nonius, Not. in Hispan., cap. 82; Joannes Henichius, Hist., part. 2, sæc. IV, cap. 3, pag. 23; Lucas Osiander, Epitom. histor. ecclesiast., centur. 4, lib. I, cap. 26; Centuriatores, tom. 1, centur. 4, cap. 10, pag. 681; Quenstedius, de Patriis illustrium virorum sub Cæsaraugusta; Stephanus Chamillard, edit. ad usum Delphini; Martinus Carrillo, Hist. S. Valerii; Ludovicus Diez de Aux, in Version. Hispanic. Hymnor. Prud.; Lupercius et Bartholomæus Leonardo y Argensola, in Epistol. super hac controversia; Emmanuel Risco, Hisp. sacr., tom. XXXI, in dissertatione peculiari; Carolus Augustinus Ansaldus, præfat. ad versionem Italicam librorum adversus Symmachum; Andreas Mollerus, in Com. ad hymn. VIII cal. Jan.; cl. præsul Stephanus Borgia, in singulari et erudito opere, Vaticana Confessio S. Petri.

vocat *oppidum nostrum;* idem postquam dixerat *noster populus*, et sub *uno sepulcro*, statim addit :

Cæsaraugustam vocitamus urbem,
Res cui tanta est.

Ubi intelligis sepulcrum existere in ipsa urbe. De eadem urbe pergit :

Plena magnorum domus angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.

Et cum alias civitates non solum ex conventu Cæsaraugustano, **17** sed etiam ex reliqua Hispania, et extra Hispaniam, promiscue celebrasset ob martyrum patronorum decus eximium, ad Cæsaraugustam revertitur :

Tu decem sanctos revehes, et octo,
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flavis oleis revincta
Pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti.

Ita porro sequitur, gloriam singularem Cæsaraugustæ prædicans.

29. Cum autem alios martyres Cæsaraugustanos, præter 18 illos in quorum laudem hymnum pepigit, vellet laudare, Vincentii imprimis meminit:

Inde, Vincenti, tua palma nota est.

Et deinceps :

Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.
Nonne, Vincenti, peregre necandus
Martyr his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua ?
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus et paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamvis procul hinc in urbe
Passus ignota, dederit sepulcri
Gloriam victor prope littus altæ
Forte Sagunti.
Noster, et nostra puer in palæstra
Arte virtutis fideique olivo
Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Noverat templo celebres in isto
Octies partas, deciesque palmas,
Laureis doctus patriis eadem
Laude cucurrit.

Quibus in carminibus animadvertere quivis poterit Vincentium natum Cæsaraugustæ, cæsaraugustanos appellari *nostros*, *has terras* intelligi de Cæsaraugusta, *paternum tumulum* eamdem urbem indicare, Vincentium *nostrum*, *et nostra puerum in palæstra*, qui *templo in isto* palmas 18 celebres noverat, et *laureis patriis* edoctus fuerat, aperte demonstrare patriam Cæsaraugustam. Proinde jure Thomam Tamayum de Vargas Riscus refellit, quod putaverit S. Vincentium a Prudentio *nostrum* appellari, quia erat Christianus, et similiter Bailius Petrum Mantuanum, qui *in nostra palæstra* interpretatur *de Valentia*.

A 30. Post Vincentium laudat S. Encratiam Prudentius; de qua hæc habet :

Martyrum nulli remanente vita
Contigit terris habitare nostris :
Sola tu morti propriæ superstes
Vivis in orbe.

Et infra.

Hunc novum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
Juge viventis domus ut dicata
Martyris esset.

In notis ostendam non inde colligi templum S. Encratiæ viventi dicatum fuisse, sed solum S. Encratiam pro martyre habitam, quamvis martyrio, sive suppliciis, fuisset superstes. Nunc solum licet observare *terras nostras*, et *nostram Cæsaraugustam* videri innuere Cæsaraugustæ natum esse Prudentium. Ex B his rejiciendus est Bernardus Ibañez de Echavarri in *Vita S. Prudentii episcopi Turiasonensis*, pag. 26, asserens ex omnibus civitatibus provinciæ Tarraconensis, scilicet Tarracone, Gerunda **18** Calagurri, Barcinone et Cæsaraugusta, nullam a Prudentio appellari urbem suam, excepta Calagurri. Nam num. 26 legimus Prudentium de Tarracone dicere : *Quo nostræ caput excitatur urbis*, et quamvis de Cæsaraugusta nusquam his verbis utatur : *nostra civitas*, *nostra urbs*; *nostrum oppidum*, tamen sæpius Cæsaraugustanos vocat *nostros*, Cæsaraugustam *nostram*, eamdem *nostras terras*, *nostrum populum*. Quamobrem aut fallitur, aut in re inepta ludit Bernardus Ibañez (*a*). Si quis tamen contendat Prudentium de Cæsaraugusta pronomine possessivo *nostra* uti quia ipse erat e provincia Tarraconensi, C aut e conventu juridico Cæsaraugustano, non video qua ratione ex ea arce dejici possit : nam eadem fere ratione *nostram urbem* Tarraconem, *nostrum oppidum* Calagurrim nominasse affirmant qui Cæsaraugustanum eum volunt.

31. Aliam præterea viam iniit Riscus ut partes Cæsaraugustanorum adjuvaret, ex iis quæ notat Theodericus Ruinart in Actis S. Hippolyti. Prudentius hymnum S. Hippolyti ad Valerianum episcopum direxit, quem ita affatur :

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christi Valeriane sacer.

Et in fine hymni :

Sic me gramineo remanentem denique campo
Sedulus ægrotam pastor ovem referas.

D Erat igitur Prudentius ex urbe, aut diœcesi, cui præerat Valerianus. Ad quem locum Ruinartius advertit : *Hic videtur esse Valerius Cæsaraugustanus episcopus, qui anno* 381 *interfuit concilio Cæsaraugustano.* Riscus, qui concilio Valerium subscripsisse anno 380 rectius tradit, eumdem episcopum esse putat cum Valeriano Prudentii. Sed ante Riscum et Ruinartium eam rationem invenerat Paulus Albinianus de Rajas S. I., quem Tamayus in indice operis cit. refert in historia ms. Cæsaraugustæ probare voluisse

(*a*) Hunc cur Riscus ita appellet, ut dicat *auctorem sub nomine D. Bernardi Ibañez de Echavarri*, non assequor. Etenim fuisse hominem magno et acri ingenio, qui eo nomine fuerit vocatus, et vitam S. Prudentii episcopi Turiasonensis litteris consignaverit, compertum mihi est.

Prudentium fuisse Cæsaraugustanum ex hymno S. Hippolyti, ubi se ovem Valeriani appellat, quod ex litteris ipsius Pauli cognoverat (*a*). Quod Valerianus, non Valerius, in hymno Prudentii scribatur, nihil referre ait Riscus : *O porque el vocativo de Valerio no puede acomodarse en el verso pentametro, o porque alli no usaba de el como de nombre proprio, sino* **19** *apelativo, concertado con la voz, Sacer*. Displicent hæ rationes, et præsertim prima (*b*).

32. Minime tamen animus nobis est inficiari, aliquam conjecturam ex hymno S. Hippolyti pro Cæsaraugusta capi posse : nam ex hymno 18 martyrum Cæsaraugustanorum liquet e familia Valeriorum plures fuisse episcopos Cæsaraugustanos :

Hic sacerdotum domus infulata
Valeriorum.

Potuit ergo aliquis ex hac familia episcopus nominari *Valerianus*, ut passim hæc nominum derivatio in familiis Romanis accidebat, scilicet *Constans, Constantius, Constantinus*; potuit etiam Valerius ille, qui concilio Cæsaraugustano interfuit, *Valerius Valerianus* appellari, ut Claudius Claudianus, aliique simili modo, aut ab aliis *Valerius*, ab aliis *Valerianus* (*c*). Ex catalogis episcoporum Cæsaraugustanorum post Valerium illum secundum anno 380 nihil aliud eruitur usque ad annum 458, quo N. episcopus præsidebat. In catalogo episcoporum Calagurritanorum primus certi nominis episcopus indicatur Silvanus circa annum 457. Nicolaus Antonius ex præjudicata opinione quod Prudentius esset Calagurritanus, asse-A ruit *Calagurri sub Valeriano antistite* hymnum editum Hippolyti. Verum etsi liquido pateret Valerianum aut Cæsaraugustanam, aut Calagurritanam sedem tenuisse, an tuto confici posset aut Cæsaraugustanum, aut Calagurritanum fuisse Prudentium? Haud equidem puto. Cur enim non potuerit se ovem ejus episcopi nuncupare, in cujus diœcesi per aliquod temporis spatium domicilium fixisset? Atqui Prudentius ejusmodi curriculum vitæ tenuit, ut multis diversisque in locis diu videatur esse commoratus.

33. Illud quidem ex hymno 18 martyrum certo arguitur, Prudentium Cæsaraugustæ aliquando, et tunc maxime cum hymnum condidit, constitisse (*d*). His accedit Cæsaraugustæ exstitisse familiam Clementum, ut probat Henricus Florez tom. I Numis-B mat., tabul. 9, num. 9, ex qua fuisse Prudentium idem fatetur, **20** quamvis alioquin Calagurri natum existimet. Hæc fere sunt quæ si non certam sententiam, at probabilem saltem conjecturam efficere possunt ut Prudentius Cæsaraugustanus fuisse dicatur (*e*).

34. Jam vero cur Calagurris (nobis *Calahorra*) civem suum repetat Prudentium, enucleandum est (*f*). Qui Calagurrim Prudentii patriam statuunt, haud leve præsidium habent in hymno SS. martyrum Hemeterii et Celedonii : non quod eos martyres ante omnes alios celebraverit ; exigui enim roboris est hæc conjectura Moreti et Florezii, Prudentium suæ patriæ patronos cæteris martyribus prætulisse, et ea de causa eorum hymnum primo loco posuisse. Gra-

(*a*) Qui Chronicon Dextri, aliorumque, architectati sunt, minime id ignorarunt, ideoque Valerium dictum quoque fuisse *Valerianum* pro explorato tradiderunt. Notandum tamen, in conciliis Hisp. apud cardinalem Aguirre concilio Cæsaraugustano anno 380 subscribere Valerium nono loco, minime vero declarari eum esse episcopum Cæsaraugustanum. Loaisa quidem Valerium hoc titulo donavit in collectione concilior. Hispan., sed, ut ego arbitror, solum ex probabili conjectura.

(*b*) Quid enim est quod vocativus *Valeri* non cadit in versum pentametrum? De vocativo quidem *Valeriane* id si dixisset, annuerem : tres enim primæ syllabæ sunt breves, quarum prima ob necessitatem producitur a Prudentio. At nullum esset peccatum, si pentametrum versum ita formasset :

Vidimus, o Christi præsul amans, Valeri,

aut quid simile. Neque item *Valeriane sacer*, sic interpretabor : *O sacerdos e familia Valeriorum*.

(*c*) Non prætermittam, Valerium Aureliumque (quod est Prudentii nomen) idem nomen ejusdem familiæ indicari in Onomastico Glandorpii, quasi anagrammatice compositum, quod ridiculum puto.

(*d*) Audi ejus verba de S. Encratia :

Vidimus partem jecoris repulsam
Ungulis longe jacuisse pressis.

Audi alia in fine :

Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis.

(*e*) Quod pene me fugerat, monere volui, Cæsar-C augustam Hispanis esse *Zaragoza*, non *Saragoxa*, ut ait Remus Epist. ad Weitzium, neque *Saragossa* seu *Caragoca*, ut Ludewigius loquitur in Prudentii Vita, nisi duplici C in *Caragoca* suffigatur virgula, ut facere solent Hispani, cum per *z* non scribunt. Neque propterea quidquam detractum volo Ludewigio, aut aliis, qui, dum res nostras illustrant, sæpe in hujuscemodi errores incidunt, sed magis eis faveo plaudoque, quod exteri cum sint, et nonnulla premantur difficultate, nihilominus nostrorum laudes celebrant; ut hic Ludewigius, qui vitas poetarum Christianorum scribere meditatus, initium fecit, ut ait, *a mellitissimo Prudentio*, in quo etiam substitit, aliis studiis et occupationibus implicatus.

(*f*) Ita judicant Garcias Loaisa Collection. concil. Hisp. post concilium Lucense; Joannes Mariana, Hist. Hispan. lib. IV, cap. 7; Joannes Maricta, lib. XXI, pag. 23, apud Nicol. Antonium; Thomas Tamayo de Vargas loc. cit.; Nic. Antonius, Bib. vet. Hisp., qui ingens pondus huic causæ adjecit; Gol-D dastus, in præfat. Manual. Biblic.; Georgius Fabricius, in Comment. in hymnos quosdam Prudentii, edit. Weitz. pag. 308; Rivetus, Crit. sacr. lib. III, cap. 26; auctor dissertationis laudatæ, num. 18; Fabricius, Biblioth. Lat. vet. tom. II, cap. 2, lib. IV; Joseph Moret, lib. I Annal., cap. 4; Henricus Florez, tom. XV Hisp. sacr., pag. 328, et tom. XXIX, pag. 292 ; Arnaldus Oihenart inopere ; *Notitia utriusque Vasconiæ*, cap. 7, pag. 139; Joseph Rodriguez de Castro, tom. II Bibl. Hisp., pag. 213 et seqq.; Tillemont, Hist. ecclés. tom. X, pag. 560; Christophorus Cellarius, in præfat. ad editionem Prudentii, qui Calagurrim Nascicam intelligit; Bernardus Ibañez de Echavarri, loc. cit.; Ludewigius Prudentium Calagurri natum, honores virum Cæsaraugustæ gessisse probabile existimat.

vius momentum in verbis ipsis hymni collocatur, ubi postquam miracula ad SS. martyrum sepulcrum patrata retulit Prudentius, hæc addidit :

Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, præstitit,
Martyrum cum membra nostro consecravit oppido,
Sospitant quæ nunc colonos, quos Iberus alluit.
Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium.

35. Ne vero hæc ita dicta esse intelligantur, quia Calagurris ad conventum juridicum Cæsaraugustanum spectabat, alii versus advocantur ex hymno S. Laurentii, ubi de Roma loquens ita prosequitur Prudentius :

Nos Vasco Iberus dividit
Binis remotos Alpibus
Trans Cottianorum juga,
Trans et Pyrenas ninguidos.

Quo loco Prudentium **21** sese Calagurritanum asserere Loaisa existimavit. Cautius Mariana probabilem hinc sumi conjecturam arbitratus est. Re vera etsi Cæsaraugustanos a Roma Iberus dividat, tamen ea parte Vasconia non est; neque recte amnis *Vasco* prope Cæsaraugustam vocabitur. Contra Calagurris in Vasconum regione sita est.

36. In eamdem interpretationem referri possunt alia verba ex hymno SS. martyrum Hemeterii et Celedonii.

Pollet hoc felix per orbem terra ibera stemmate.
Jamne credis bruta quondam Vasconum gentilitas,
Quam sacrum crudelis error immolarit sanguinem?
Sospitant quæ nunc colonos, quos Iberus alluit.

Hæc enim, quæ de Calagurri sunt dicta, confirmant de eadem intelligendum quod ait : *Nos Vasco Iberus dividit.* Nihilominus hæc argumentatio non omnino persuadet : nam Iberus potuit dici *Vasco*, quia Vasconiam interfluit : et quamvis esset demonstratum Prudentium illo tempore Calagurri, aut in Vasconia habitasse, nondum esset compertum, an eodem in loco primam lucem aspexisset : agitur enim de viro

Qui mores hominum multorum vidit, et urbes (*a*).

Minor sane, acutiores esse scriptores in contraria opinione refellenda quam in sua corroboranda : etenim vident optime Prudentium plures urbes *suas* vocitasse, et, ut alii alios refutent, inquiunt, Prudentium eam appellationem usurpasse, quia vel Tarraco erat caput Hispaniæ Tarraconensis , vel Cæsaraugusta conventus juridici, vel Calagurris aut ad provinciam Tarraconensem, aut ad conventum Cæsaraugustanum attinebat; neque animadvertunt, dum aliorum sententiam ita destruunt, suam pariter concidere.

37. Nic. Antonius huic difficultati obviam ire conatus, ex hymno 18 mart. Cæsaraugustanorum pro Calagurri duos hos versus arripuit :

Nostra gestabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.

Giselinus in Comment. ad hymnum SS. Hemet. et Celed. eosdem versus protulit, sed nihil est deterritus. *Quibus verbis* (ait) *Calagurrim suam facit, quod teste Plinio* III Natur. Histor. Calagurritani Cæsaraugustano conventui annumerentur. Verum Nic. Antonius pro certo statuit Prudentium in hymnis Peristeph. loqui nomine eorum apud quos sancti illi celebrabantur, ex verbis Gennadii de Prudentio : *Fecit et in laudem martyrum sub aliorum nominibus.* Observat præterea Prudentium *suam* appellasse Calagurrim, non solum cum SS. Hemeterium **22** et Celedonium cecinit, sed etiam cum 18 martyres Cæsaraugustanos *sub aliorum auspiciis* laudavit, et rem esse claram concludit, patriam hoc loco fuisse demonstratam. Nobis non adeo clara res hæc videtur esse. Primum Ernestus Salomon Cyprianus Gennadii verba, *sub aliorum nominibus invitatorium ad martyrium*, hac nota excipit (*In Bibl. eccles. Fabric.*): *Hæc verba omittuntur in nostris mss., et recte quidem*; itaque in Gennadio libentius legam : *Fecit et in laudem martyrum librum unum, et hymnorum alterum.* Deinde nequaquam dubium est quin sæpius suo solo nomine loquatur Prudentius (*b*).

38. Quod si Prudentius aliorum nomine in eis hymnis loqueretur, nomine civium Cæsaraugustæ proferrentur illi versus :

Nostra gestabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.

Si autem aliquando suo, aliquando alieno nomine profatur, non poterit argumentum, nisi imbecillum, confici ex eo quod modo hanc, modo aliam urbem *suam* vocitaverit. Profecto sic prorsus censeo, pronomen *noster* diverso modo a Prudentio sæpius accipi; sic in hymno S. Cypriani :

Est proprius patriæ martyr, sed amore et ore NOSTER.

Noster Hispanum sine ulla dubitatione significat, ut in commentario uberius dicam. Prudentius ipse, qui Christianus poeta fuit, *noster* dicitur a S. Gregorio Turonensi. Animadverto etiam nunquam has voces adhibuisse, *mea civitas*, aut *urbs*, *meum oppidum*, vel quid simile, quo distinctius ejus patria declararetur. Itaque si aliorum conjecturis meam quo-

(*a*) Ludovicus Nonius, tom. II Hisp. illustr., pag. 832, qui alioquin Prudentium Cæsaraugustanum credidit, ait poetam eo loco innuere se Calagurri id temporis degere; quod apud Tamayum lego, apud Nonium non inveni.

(*b*) Ut in S. Laurentio :

Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium.

In Eulalia :

Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.

In 18 martyribus Cæsaraug. :

Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.

Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis.

In S. Fructuoso et sociis :

Fors dignabitur et meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces hendecasyllabos revolvens.

In S. Cassiano :

Hic mihi, cum peterem.

In Romano :

Vellem, sinister inter hædorum greges
Ut sum futurus, eminus dignoscerer.

Et, ne longior sim, in omnibus fere hymnis hujus libri.

que addere licet, putarem Prudentii patriam posse collocari in aliquo oppido aut oppidulo indefinite provinciæ Tarraconensis, aut etiam conventus Cæsaraugustani, quod nunquam nominaverit. Quid enim id vetat? Si tamen repugnes, reponam eum editum fuisse vel in aliquo ex oppidis quæ *sua* nuncupavit, vel ex aliis quæ æquo jure *sua* potuit nominare, quia in eadem erant provincia, et in eodem conventu. Siquidem patriam ejus in aliis Hispaniæ civitatibus procul a Pyrenæis regionibus quærere omni prorsus caret fundamento, reclamantibus tot versibus ante descriptis : eo vel maxime quia cum plures alios sanctos celebraverit, et oppida memoraverit, nunquam sua ea nuncupavit, quod aliquando locus
23 ipse postulare videbatur (*a*). Lepidissimum autem est Petri Criniti in Prudentii Vita effatum : *Quidam existimant, fuisse illum genere Hispanum.* Itane vero? At eum Hispanum esse cum ipsius libri clamant, tum asseverate confirmant Walafridus Strabo, Beda, Dungalus, alii, præter codices plures mss., Oxoniensem, ubi dicitur *Hispaniensis* in inscriptione dittochæi, quam vide in commentariis ad eum locum, Vaticanum 2868, num. 77.

39. His ita constitutis, de natali Prudentii anno sermo jam est habendus. Ex *præfatione* operum certus is annus colligitur, explosa nimirum interpretatione Petri Mantuani, de qua num. 21 et seqq. :

Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens,
Sub quo prima dies mihi.

Olim primus versus aliter legebatur :

Oblitum veteris Messaliæ consulis arguens,

ex quo maxima obscuritas in Prudentii vita digerenda oriebatur : multi enim inde inferebant Prudentium Messaliæ aut Massiliæ consulatum gessisse. Andreas Resendius veram lectionem aperuit, et de consule Salia mentionem fieri monuit (*b*). Ex Vasæo veram lectionem et explicationem accepit Theodorus Pulmannus, ex Pulmanno Giselinus, cui nulla ratio ejus scopuli evitandi, in quem Aldus, Nebrissensis, aliique omnes impegerant, venire in mentem ante potuerat, ut ingenue confitetur in comment. ad eum locum. Nic. Antonius queritur quod correctionis gratias Re-
A sendio non habuerit Pulmannus, et ab hoc monitus Giselinus (*c*).

24 40. Quod vero ad interpretandi rationem attinet, opus est admonere Nebrissensem, etsi *Mesaliæ* legerit, tamen sensum recte percepisse; neque enim consulatum intellexit quem Prudentius gesserit, sed sub quo editus in lucem fuerat. *Sub hoc consule*, inquit, *videtur natus Prudentius*. In mss. codicibus varia est lectio : nam in aliis legitur *Mesaliæ*, in aliis *Messaliæ*, in aliquo *Messulæ*, in aliis demum *me Saliæ*. Atque, ut ex glossis patet, jam olim apud veteres locus erat corruptus, et *Mesaliæ*, aut *Messaliæ* legebatur. Iso Magister, IX aut X sæculo, verbo *arguens* annotavit *me*. Quid autem id addere oportebat, si jam tunc scriptum erat : *Oblitum veteris me Saliæ consulis*
B *arguens?* Neque tamen verus sensus Isonem latuit : nam ad vocem *Saliæ*, vel, quod ego puto, *Messaliæ* apposuit, *illius consulis*. Itaque Iso et Nebrissensis Prudentium Messalia consule natum fuisse crediderunt. At vero legendum esse *me Saliæ*, adeoque hujus consulatum indicari, multa persuadent : nimirum Philippus et Salia consules fuerunt an. 348, quo circiter tempore Prudentium ortum fuisse aliunde constat; præterea nullus est consul, saltem ordinarius, Messaliæ, Mesaliæ aut Messalæ nomine circa id tempus : tum in Prudentio multa sunt errata hujusmodi inscitia librariorum, qui in unam dictionem diversissima conglutinarunt, quæ legi possunt in Commentario Giselini ad hymnum 13 Peristephanon. Favent denique mss. codices, quos suo loco indicabo.
C Fixum igitur certumque maneat Prudentii natalem annum in consulatum Philippi et Saliæ incidisse, qui annus erat Christi 348, ut notat Petavius Ration. tempor. in successione consulum Romanorum, et ita legitur in Fastis consularibus Panvinii, quamvis alii annum 350 aut 351 malint. Quod mirandum in modum comprobatur his versibus ex apotheosi vers. 449 et seqq.

Principibus tamen e cunctis non defuit unus
Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,
Conditor et legum, celeberrimus ore manuque,
Consultor patriæ : sed non consultor habendæ
Relligionis, amans tercentum millia divum,
Perfidus ille Deo.

(*a*) Ut in fine S. Eulaliæ :

Ista comantibus e foliis
Munera, virgo puerque, date :
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar et impositum :
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosque suos
Carmine propitiata fovet.

(*b*) Quod verbis Joannis Vasæi in Chronico ad an. 351 referam : *Natus est Cæsaraugustæ Aur. Prudentius Clemens, Philippo et Salia coss., ut ipse de se testatur in præf. lib. Cathem., ubi sic inquit : « Irrepsit subito canities seni, oblitum veteris me Saliæ consulis admonens* (leg. *arguens*). » *Ita enim legendum, non quemadmodum hactenus etiam a doctis depravate legebatur. Atque hanc hujus loci restitutionem non mihi debes, candide lector, sed L. Andreæ Resendio,*
D *qui mihi locum hunc atque alios nonnullos, qua est humanitate, communicavit, cujus ego in his rebus limatissimo judicio non immerito plurimum tribuo, quemadmodum reipsa experieris, siquando, quos sub lima premit in Prudentium commentarios per occupationes serias potuerit evulgare.* Glandorpius in Onomastico post ejus obitum anno 1589 edito sibi hanc correctionem ascribit : *Quem locum in excusis exemplaribus omnibus depravatum videmus... sinceram esse lectionem* (me Saliæ), *et ex veteribus hisce memoriis, a nobis probe deprehensam, omnes, scio, docti libenter agnoscent.*

(*c*) Ludewigius multa errat, dum scribit : *Georgius Fabricius restituit,* me Saliæ. *Giselinus eodem anno 1564 poetam edidit cum hac correctione. Uter vero alterum exscripserit asserere non ausim, cum uterque se hanc lectionem primum animadvertisse dicat.* Fabricius hoc tantum habet : *Ultimus hic versus in omnibus editionibus Italicis, Gallicis, Germanicis, hactenus depravatus, ansam errori dedit.*

Quibus Julianum Apostatam intelligit, ut ex commentariis clarius patebit, qui ab anno 361 ad 364 imperio potitus est; quod in successionibus imperatorum apud Petavium ita indicari videtur, ut nihilominus in ipso Rationario temporum anno 363 exstinctus esse dicatur, quod ex historia aliunde constat. Accedit Prudentium sua opera, et in his libros adversus Symmachum edidisse anno ætatis 57, ut ex præfatione carminum liquet :

Per quinquennia jam decem,
Ni fallor, fuimus : septimus insuper.
Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili,

id anno circiter 405 cum acciderit, ut **25** postmodum dicam, consequens est, Saliæ consulatum in eadem præfatione denotari.

41. De Prudentii majoribus aut familia nihil certi ad nos pervenit, quam nobilissimam fuisse ex muneribus ab eo gestis æquum est conjicere, idque multi etiam veteres confirmant. Joannes Glandorpius in Onomast. histor. Romanæ plura habet de Aureliis, nonnulla de Clementibus, et e tribus Prudentiis quos nominat, nostrum magno elogio prosequitur. De familia Clementum Cæsaraugustana vide num. 33. Hæc tria ejus nomina et hoc ordine solent circumferri, *Aurelius Prudentius Clemens.* In mss. codd. antiquissimis sæculi VI et seqq. dicitur *Aurelius Clemens Prudentius*, ut observare potes cap. 4, num. 96, præter cod. Vat. Alex. 1439, 1838, num. 78; Colb. 1682, num. 83. Primæ editiones, altera anni incerti, altera Daventriensis anni 1495, quam plerique male referunt ad an. 1472, habent, *Aur. Clemens Prudentius;* qui ordo nominum sine ulla causa idonea in sequentibus omnibus editionibus est mutatus. Eum servant Trithemius, Ferrarius, Ruinartius, aliique. Beda de Arte metrica bis eum nominat, primum ita : *Prudens* in Psychomachia, rursus *Aurelius Prudens Clemens.* Quod autem prius aliquando *Clemens* quam *Prudentius* aut *Prudens* collocetur, novum non est : sic Sulpicius cognomento *Severus*, ab aliis vocatur *Severus Sulpicius*, ut observavit Rosweidus in not. ad Ep. 1 S. Paulini ex Francisco Sylvio, qui Progymnasm., centuria 2, cap. 41, docet sæpe cognomen nomini præpositum. Sirmondus in præfat. ad notas Apollinaris Sidonii egregie probat mediæ ætatis nominum duplicem quodam modo legem fuisse : unam, ut proprium cujusque nomen in locum ultimum conjicerent; alteram, ut tum proprium hoc nomen, tum cætera, interdum quidem aliunde pro arbitrio, ut plurimum vero a propinquis affectibus deducta imponerent. Videri etiam potest cl. marchio Scipio Maffeius in Dissert. de Romanorum Nominibus, qua probat Cassiodorii prænomen esse *Marcum*, nomina gentilia *Aurelium Cassiodorium*, nomen proprium, seu cognomen *Senatorem* (*post Hist. theolog., et Complexiones Cassiodorii edit. Trident.* 1742). Riscus advertit Prudentium a Dupinio, tom. III Bibl., et Joanne Ferreras ad an. 406, appellari *Quintum*, quod nomen abest a mss. codd. et antiquis scriptoribus. Crediderim errorem inde oriri potuisse, quod Symmachus, quem Prudentius oppugnavit, Quintus Aurelius a nonnullis veteribus auctoribus dicebatur. Nihil tamen est quamobrem Prudentius similiter non potuerit *Quintus Aurelius Clemens Prudentius* nominari : imo Alexander ab Alexandro, Genial. dier. lib. I, cap. 9, probat apud Romanos sæpius **26** mares quatuor nomina habuisse, prænomen, cognomen, agnomen et nomen, idque nobilitatem monstrare. Quod si prænomen Prudentio addere libet, eligatur *Marcus :* ita enim appellatur in quodam cod. ms., num. 89. Vocandus ergo erit M. Aur. Clemens Prudentius, quorum primum est prænomen, Aurelius, et Clemens nomina gentilia, Prudentius nomen proprium, ex lege nominum mediæ ætatis. Marci Aurelii plurimi fuerunt, ut M. Aurelius imperator, M. Aurelius Valerius Flavius Claudius Constantinus, M. Aurelius Claudius Gothicus, M. Aurelius Claudius Quintillus. S. Maurelium a M. Aurelio, ut Agellium ab Aulo Gellio, multi opinantur fuisse dictum.

42. Ludewigius, quod Carolus Sigonius, de Roman. Nomin., ostendat Romanorum nomina a generis principe, a sapientia, ab arte tracta quandoque esse, existimat ab aliis non male factum, qui Prudentii nomina in laudes ejus traxerunt (*a*). Cæterum, etsi non absurde in laudem poetæ nomina ejus verti possint, ut in aliis assolet, tamen a prudentia, a clementia, ab aureis moribus tracta illa esse nemo prudens judicaverit, sed imposita antequam eæ virtutes in Prudentio esse aut eminere cœperint. Aliud solet nomen Prudentio attribui, certe longe post ipsius obitum inditum : nam Prudentius Major appellatur in codice ms. membraneo prosodiaco, antiquo et erudito, apud Barthium, Adversar. lib. XXXVII, cap. 13: *Macera, et maceries producunt a, quamvis veniant a macer... et Prudentius Major : Quamvis maceries florentes ambiat agros.* Pariter Joannes Balbus, seu de Janua in opere Catholicon, verbo SPERA : *Unde Prudentius Major : Cujus ad arbitrium spera nobilis, atque rotunda.* Qui versus legitur in Apotheosi, vers. 210, prior ille Hamart. vers. 226. Suspicari aliquis posset an id nomen Prudentio acciderit ex codice majori, ex quo illi versus promebantur, siquidem opera interdum in plures diversæ molis codices solebant distrahi : quo sensu Ovidius *Magnus*, Claudianus *Magnus*, Theodosius *Exiguus* nuncupabantur, ut legere poteris in Barthio, loc. cit. lib. VI, cap. 1. Eam elegantiam nostris quoque moribus adhæsisse in libris quorum usus est in scholis grammaticorum, norunt pueri, quique pueros docent.

43. Prudentius vero noster *Major* creditur esse dictus ut a cæteris discernatur. Melchior Goldastus quinque Prudentios distinguit in edit. Weitz., pag.

(*a*) Ut Alcimus Avitus, plures codd. mss. operum Prudentii, auctor Catalogi testium veritatis, lib. IV, pag. 185 edit. poster.; Taubmannus, in Culicem Virgilii, et in litteris ad Weitzium; Zacharias Victor, Topicar., diss. 11, disquis. 2. Confer cap. 4.

319 : Turiasonensem episcopum circa annum 300, hunc nostrum poetam; alium Trecensem in Gallia episcopum; auctorem, **27** ut putat, hymni, *Virgo Dei genitrix*, quem codices mss. Prudentio ascribunt (*Vide num.* 98); quartum, monachum Germanum præceptorem Walafridi Strabi, scriptorem hymnorum de Nativitate Domini, *Corde natus ex parentis*, et de Passione, *Vidit anguis immolatum. Hic est*, ait, *ad cujus differitatem Prudentius Clemens Major cœptus est appellari.* His quintum Prudentium suo *beneficio et comitate* addit, Prudentium Amœnum Prudentio Clementi æqualem, aut non valde inferiorem. Attamen hunc Amœnum a Prudentio neutiquam esse diversum, cum de ejus Dittochæo agetur, demonstrabitur : quod nomen illi ob ingenii amœnitatem aut alia de causa fuerit impositum. Tarrafam, Trugillum, et Ferrarium Nic. Antonius recte coarguit, quod sacrum poetam Prudentium cum Turiasonensi episcopo confuderint. Consule Bollandianos continuatores, ad diem 28 Aprilis in commentario prævio ad Vitam S. Prudentii, qui Bernardum Lucensem Tarrafæ cæterisque adjungunt, et de ætate Prudentii Turiasonensis vix aliud certum esse statuunt, nisi annum Domini 846 vivendo antecessisse. Vixisse anno 300 probabilis est opinio.

44. Age nunc, ex ipso Prudentio curriculum ejus vitæ ad annum usque ætatis 57 audiamus, ex præfatione ad carmina.

> Per quinquennia jam decem,
> Ni fallor, fuimus : septimus insuper
> Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili,
> Instat terminus, et diem
> Vicinum senio jam Deus applicat.
> Quid nos utile tanti spatio temporis egimus?
> Ætas prima crepantibus
> Flevit sub ferulis : mox docuit toga
> Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine.

Hactenus intelligo ætatem primam, pueritiam extremam, ac, si vis, adolescentiæ initium usque ad annum circiter 20, quo tempore mendaciuncula, quibus fere illa ætas infecta esse consuevit, animi demissione, qua maxime excellebat, accusat, nisi malis interpretari rhetoricam et dialecticam, quibus facultatibus FALSA LOQUI quodammodo congruit ; quæ interpretatio præferenda videtur, cum et optimis recentibus commentatoribus placuerit, et in antiquis glossis reperiatur. Cæsaraugustæ litteris operam navasse sub Petro oratore non temere conjicit Riscus ex S. Hieronym. ad **28** an. 356 in Chronico : *Petrus Cæsaraugustæ orator insignis docet* (*a*). Pergit Prudentius.

> Tum lasciva protervitas,
> Et luxus petulans, heu pudet, ac piget,
> Fœdavit juvenem nequitiæ sordibus, ac luto.

En verba quibus accusatio omnis adversus juvenilia Prudentii crimina innititur : quotquot enim ejus vitam postremis his sæculis enarrant, tanquam sceleratum ac perditum adolescentem repræsentant. Ludewigius cum S. Augustino comparat, in quo nihil est simile : nam Augustinus gravissima quædam sua peccata non solum in genere, sed in specie et singillatim confessus est. Riscus Hispanicis verbis eadem vitia ample exaggeravit : *Se dejo arrastar de los vicios... manchando su corazon, amando los torpes deleytes de la carne.* Et quis non hoc fere modo loquitur ? Fabricius ulterius progressus affirmat in toga causas iniquas Prudentium egisse, quod pariter colligit ex hac ipsa præfatione.

45. Equidem non libidine aliqua commendandi Prudentium, non consuetudine nostrorum temporum abreptus, qua tot apologiæ pullulant, et quantumlibet desperatæ causæ patronos audaces inveniunt, sed amore veritatis impulsus, Prudentii defensionem suscipiam. Etenim persuasum habeo nihil ab eo esse dictum quod ex ore hominis justi et Christiana humilitate præditi non soleat excidere. Justum hominem cum dico, justitiam intelligo qualis in homines, dum in hoc sæculo vivunt, cadit. *Licet enim*, ait concil. Trident., sess. 6, de Justif. cap. 11, *in hac mortali vita, quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venalia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi.* Et Proverb. cap. XXIV, 16 : *Septies enim cadet justus, et resurget* (*b*). Hæc igitur peccata, in quæ justi sæpe labuntur, et lex illa quam Apostolus ipse experiebatur in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivantem eum in legem peccati, satis superque sunt ut verba Prudentii ab homine justo adhiberi possint tam vere quam humiliter. Libet enim hoc Christiano vocabulo uti, cum veteres Latini eam **29** virtutem, quam ne agnoscebant quidem, proprio nomine non donaverint. Profecto S. Hieronymus in epitaph. Paulæ, tom. I oper., num. 15, id notat de S. Paula : *In qua fontes crederes lacrymarum. Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.* Pleni sunt libri mystici, plena acta sanctorum hujusmodi exemplis, quæ singillatim recensere non vacat. Legi possunt quæ innocentissima virgo S. Theresia de se narrat, exponens quid egerit antequam monasterium ingrederetur.

46. Nec movere quemquam debent gravia illa verba quæ Prudentius usurpavit : *Lasciva protervitas, luxus petulans, sordes, et lutum nequitiæ :* nam præterquam quod similibus aut atrocioribus verbis nonnulli sancti, qui vitam innocentem vixerunt, usi sunt, non tam illa sunt gravia quam plerisque fortasse videatur. Eo enim omnia denique recidunt, ut explicandum sit quid *nequitiæ* nomine Latini intellexerint. Christianus Becmanus, de Origin. Latin. linguæ, verbo *Æquor*, Perotto adversatur, qui ne-

(*a*) Hujus Petri nomine editum chronicon si forte ad tuas manus pervenerit, scias, pervelim, ab iis esse confictum, qui ut sua somnia venditarent, celeberrima antiquitatis nomina usurparunt.

(*b*) Ubi etsi non inveniatur illud, quod plurimi addunt, *in die*, tamen veritas sententiæ multorum auctoritate posset confirmari ; nam a tempore Cassiani ea additio legitur facta. *Manifeste* (inquit ille Collat. XXII, cap. 13) *Scriptura pronuntiat*, *Septies in die cadit justus, et resurgit.*

quam facit a *ne* et *queo*; ferendum id esset, nisi A Varroni quoque, qui, lib. IX Lat. ling., a *ne* et *quidquam* deducit, repugnaret, putans, *nequam* a *ne*, et *æquum* rectissime dici, ut *nequam* sit ἄδικος, κακός, ἄρχειος; quod arguit deductum, a *nequus* (pro quo utimur *nequam*) *nequitia*, ut a malus malitia. Quid si veteres Latini a *nequicquam* deducebant etiam *nequitia?* Cicero, Tuscul., edit. Ald. pag. 194: *Nequitia, quamvis hoc durius videatur, ab eo quod nequicquam est in tali homine, ex quo idem nihili dicitur.* Quare nequitiam fere pro inertia idem usurpat, in Catilin., pag. 98: *Jam me ipsum inertiæ, nequitiæque condemno;* et pag. 103: *Inertia ac nequitia.* Eodem pertinet, quod Prudentius ait:

> Quid nos utile tanti spatio temporis egimus?

Et infra de bonis et malis fortunæ:

> Nunquid talia proderunt
> Carnis post obitum vel bona, vel mala?

Itaque Prudentius otium, inertiam, opera quæ ad salutem æternam consequendam nihil conducerent, peccata, quamvis non gravia, in quæ juvenilibus præsertim annis inciderit, potuit versibus expositis flere et dolere. Ac reapse nihil in eo fuisse, quod sceleratam vitam, aut paganismo deditam, quod in codice Vaticano sequioris ævi legitur possit arguere, recte colligitur ex ejus humilitate, quæ in omnibus operibus clarissime elucet:

> Quid nos utile tanti spatio temporis egimus?

Ex humilitate id dictum ait Riscus; quia jam libros contra Symmachum scripserat, et alia opera bona fecerat, nempe: *Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos.* Barthius, lib. VIII Advers., cap. 11, notat modestiam quæ in præfatione trochaica libri Peristeph. emicat, virtutem propriam 30 esse Prudentii, qui in fine hymni de S. Romano se hædum jungendum hircis a latere sinistro judicis dicens: *Longius nimia humilitate etiam a vero mediatore secessit*, de quo nos alio loco. Nunc enim solum observo Riscum et Barthium, qui tantam Prudentii humilitatem agnoscunt, non debuisse ex ejus verbis scelera juventutis exaggerare, simulque hominis modestiam fateri (*a*).

47. Non video qui hæc cohæreant: nam si Prudentius *nimia humilitate* longe processit, si in S. Laurentio, imo passim in suis carminibus, repetit similia, quibus nullum vitæ suæ tempus utiliter transactum videtur agnoscere, nihil causæ cur non omnia hujusmodi dicta humilitati ascribantur. Siquidem B constat quanto pietatis sensu martyrum sepulcra inviseret (*b*). Omitto aut omnia aut pleraque carmina ante præfationem mihi videri fuisse composita, ut postea declarabo. Etenim sive antea, sive postea fuerint scripta, hominis pii justique humilitas ex illis omnibus apparet (*c*). Neque dicam quam se inferiorem Symmacho in eloquentia existimaverit in præfat. lib. I: *Sum plane temerarius*, etc. Satis enim multa dicta sunt ut id quod volui conficiam, versus præfationis, quibus sua peccata fatetur Prudentius, ejus humilitatem, non vitam paganam, aut insigniter improbam, arguere. Exemplum proferam ex S. Eugenio Toletano præsule, qui in fine precationis 31 coronam æternæ gloriæ se non meruisse fatetur: *Modestia Christianis priscis usitata, quam aliquot locis* C *invenies et apud Prudentium*, ait Barthius lib. LV, cap. 11 Advers., qui plura carmina S. Eugenii eo loco emendanda suscepit. Versus S. Eugenii sunt:

> Cumque suprema dies mortis patefecerit urnam
> Concede veniam, cui tollit culpa coronam.

(*a*) Et Barthius quidem loc. cit. ita pergit: *Usque adeo trochæus iste Prudentium auctorem clamat, ut tot sæculis inter tot postea poetas Christum professos, nemo fuerit qui cum hoc comparabilem scripserit. In principio se a choro piorum segregat, ob juventutis nimirum peccata, cum paganus et miles militariter paganeque viveret.*

(*b*) In Cassiano:

> Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat
> Martyr dicato Cassianus corpore.

In Hippolyto:

> Hæc dum lustro oculis, et sicubi forte latentes
> Rerum apices, veterum per monumenta sequor.

In Petro et Paulo apostolis:

> Hæc didicisse sat est Romæ tibi: tu domum reversus,
> Diem bifestum sic colas, memento.

(*c*) In epilogo Peristeph.:

> Nos citos iambicos
> Sacramus, et rotatiles trochæos,
> Sanctitatis indigi.
> Me paterno in atrio,
> Ut obsoletum vasculum, caducis
> Christus aptat usibus.

Et similia in Laurentii passione, in fine:

> Hos inter, o Christi decus,
> Audi poetam rusticum
> Cordis fatentem crimina,
> Et facta prodentem sua.
> Indignus agnosco, et scio,
> Quem Christus ipse exaudiat,
> Sed per patronos martyres
> Potest medelam consequi.
> Audi benignus supplicem,
> Christi reum Prudentium:
> Et servientem corpori
> Absolve vinclis sæculi.

In 18 Martyribus:

> Nos pio fletu, date, perluamus
> Marmorum sulcos, quibus est operta
> Spes, ut absolvam retinaculorum
> Vincla meorum.

D In fine Fructuosi:

> Olim tempus erit, ruente mundo.
> Cum te, Tarraco, Fructuosus acri
> Solvet supplicio tegens ab igni.
> Fors dignabitur et meis medelam
> Tormentis dare, prosperante Christo,
> Dulces hendecasyllabos revolvens.

In fine Romani:

> Vellem sinister inter hædorum greges
> Ut sum futurus, eminus dignoscerer.

Et quæ sequuntur in Hippolyto:

> Sic me gramineo remanentem denique campo
> Sedulus ægrotam pastor ovem referas.

Prætereo alia, et in his orationem in fine Hamartigeniæ:

> O Dee cunctiparens,

de qua infra capite 17 redibit sermo.

48. Exposita juvenili ætate, Prudentius reliquam A vitam enarrat :

Exin jurgia turbidos
Armarunt animos, et male pertinax
Vincendi studium subjacuit casibus asperis.

Jureconsulti munus hoc loco explicari nemo ambigit, et cum Beda et Walafridus Strabo Prudentium vocent *scholasticum*, id nominis ei dari quia jureconsultus fuit consentaneum rationi est judicare. Quamvis enim olim discipulum, sophistam, rhetorem, eruditum ea vox valuerit, tamen ita quoque nuncupatus fuit jureconsultus, et orator, ut nunc omittam aliam significationem, qua post Carolum Magnum scholasticus est dictus, qui gymnasiis præerat, aut a sæculo XII, qui Aristoteliam philosophiam profitebantur, de qua videri potest cl. Bartholomæus Povius, limatissimi B judicii et sermonis, scriptor Institut. hist. philosoph., lib. IX, cap. 1 (*a*). In concilio Sardicensi generali, can. 10, statutum est, *Ut si quis ex foro sive dives, sive scholasticus, episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur quam lectoris, et diacôni, et presbyteri ministerium peregerit.* Ita enim redditur Latine in edit. Paris. collect. Concil. 1671, sed melius verti poterit : *Si quis dives aut scholasticus e foro episcopus fieri dignus habeatur*, Græce est : Ἐάν τις πλούσιος, ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ἀξιοῖτο ἐπίσκοπος γίνεσθαι. Innocentius I in epist. ad concil. Toletan., num. 4, queritur aliquos in Hispania ad sacerdotium fuisse ascitos, *qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, et* OBTINENDI PERTINACIAM *susceperunt.* Quam phrasin de se, suoque officio usurpavit C Prudentius paulo post scribens : ET MALE PERTINAX VINCENDI STUDIUM.

32 49. Post advocati munus ad regendas urbes Prudentius est evectus.

Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium :
Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos.

Inde eum evexit princeps ad militiæ palatinæ gradum, ordinemque proximum.

Tandem militiæ gradu
Evectum pietas principis extulit,
Assumptum propius stare jubens ordine proximo.

Cum Prudentius munera a se obita poetice, hoc est stylo sublimi figuratoque descripserit, qualia ea fuerint possumus quidem conjicere, non tamen certo definire. In codice ms. biblioth. Vatican. 3859, D qui sæculo IX aut X videtur scriptus, ita initio notatur : *Aurelius Prudens Clemens iste partim in consulatu, partim in familiaritate principis fuit, et sic ipse ascendit : sæcularibus litteris quinquaginta septem annis operam dedit, sed postea ex toto omittens, ad divina metra componenda se contulit.* Michael a S. Josepho, in Bibliogr., verbo *Prudentius*, refert ex Tirino Prudentium poetam palatinum fuisse, ex Gennadio militem palatinum. Barthius, lib. LIV, cap. 18, Advers., notat descriptionem portarum castrensium ad illum versum Psychomachiæ :

Liminis introitum bifori dant cardine claustra,

quam, inquit, miles quondam suopte, et Gennadii testimonio, adeoque palatinus, ad Romanarum instar composuit. Ansaldus, in præfat. versionis Italicæ libror. adversus Symmach., narrat Prudentium primum gradum in exercitu post imperatorem obtinuisse, bis prætorem fuisse.

50. Ita fere suo quisque arbitratu de muneribus Prudentii judicat. Ex codice Theodosiano hæc licet colligi, quæ ad rem nostram pertinent. Præsides Bæticæ erant, incertus anno 324, ad quem data anno 357 lex 2 de Distrah. Pign., ut legendum monui pag. 48, in nota, Tarraconensis vero præses nominatur Julianus anno 316, ad quem data lex de temporum Cursu, ubi titulus ejus apponitur *V. C.*, hoc est *vir clarissimus.* Nonnullis autem legibus præsidum, et similibus appellationibus rectores provinciarum intelliguntur. Rectores ergo provinciarum, qui etiam judices ordinarii, et judices provinciarum appellabantur, et quandoque comites primi ordinis erant, gladii jus habebant, reddendi **33** juris in provinciis facultate potiebantur. Rectoribus provinciæ seu provinciarum superiores erant vicarii, qui pro præfectis plures provincias administrabant. Toto illo tempore Hispaniarum nullus apparet præfectus, sed erat tamen vicarius, de quo passim in codice Theod., cui inscribebatur *PP. Hispaniarum*, id est *Propræfecto Hispaniarum;* appellatur etiam *vir clarissimus* lege 4. de Custod. reor. Erat autem quædam dignitas quæ dicebatur *proximatus*, *honor proximi*, *proximatus splendor*, quo per ordinem meritoque stipendiorum ascendebant. Videlicet post magistros scriniorum, qui in tribus prioribus scriniis militabant, succedebant alii, his proximi, qui *proximi scriniorum* dicebantur. Ili, deposita militia, seu post depositum actum, *clarissimis* aggregabantur, vicariis exæquabantur, ad comitatum principis sine evectione venire poterant (*b*).

(*a*) S. Macharius homil. 15 sic habet : *Deinde ubi fuerit scholasticus, omnium causidicorum est novitius et ultimus.* Quo eodem sensu scholasticum intellexit S. Augustinus tract. 7 in Joan., et codex Theodos. lib. VIII de Concuss. advocat., tit. 10, leg. 2 : *Nec latet mansuetudinem nostram, sæpissime scholasticos ultra modum, acceptis honorariis, in defensione causarum omnium et annonas et sumptus accipere consuesse.* Ubi legi dignus est commentarius Jacobi Gothofredi. Merobaudes, cujus exstat carmen de Christo in Biblioth. SS. Patrum, nuncupari solet *Scholasticus Hispanus.* In cod. Theodos. duplex Merobaudes nominatur, alter consul, alter magister peditum in Gallia. Confer Ant. Zirardinum, pag. 168 in Novel. Theod.

(*b*) Videri potest lib. VI cod. Theod. toto titulo 26 *de proximis*, etc., ubi leg. 2, data anno 381, *Clarissimos viros proximos scriniorum, et magistros dispositionum vicariorum ordini copulamus*, et leg. 14 : *Ipsis vero* (proximis) *veniendi ad comitatum liberam licentiam, perpetuamque præstamus, nec in eorum personis exspectari augustam præcipimus jussionem;* quæ lex data est anno 407. *Comitatus* est, ubi princeps existit; *jussio* vero principis est ejusdem *evocatoria*, de qua tit. 23, legis 3, scilicet licentia veniendi ad *comitatum.* Rigaltius ad epist. 24 S. Cypriani, ubi qui-

51. Ex his arguere possumus Prudentium fuisse A bis præsidem provinciæ Tarraconensis, nisi forte hujus provinciæ semel, et alterius semel præses, seu rector fuerit; cujus muneris proinde erat *moderamine legum frenos nobilium urbium regere, bonis jus civile reddere, reos criminum terrere*. Evectus inde est ad superiorem militiæ gradum, nimirum *militiæ civilis, palatinæ*, aut *præsidialis*, non *bellicæ, castrensis*, aut *cohortalis* : nam ii qui officiis jureconsultorum, præsidum, rectorum et similium funguntur, vulgo in cod. Theod. *militare*, et *ad superiores militias ascendere* dicuntur. Is autem gradus militiæ civilis fuit aut vicaria potestas in Hispaniis, aut jus comitatus primi ordinis, aut denique honor *proximatus* simul cum evocatoria principis, seu *jussione* augusta, vel facultate accedendi ad comitatum principis. Eo enim B spectant Prudentii verba, quod a principe *evectus militiæ gradu, jussus fuerit propius stare ordine proximo*. Ubi præter *jussionem principis ordo proximus* exprimitur, qui non alius esse videtur nisi *ordo proximatus*. Non est igitur cur de consulatu Prudentii cogitemus, aut prætorio præfectum fuisse fingamus, quorum munerum nullum est vel levissimum vestigium. Ludewigius affirmat, post Aldum fere omnes virum consularem poetam nostrum **34** dicere; sed quo ille tempore scribebat, fere nullus id dicebat; cum multi jam animadvertissent post Alciatum, notas V. C., quæ duæ litteræ Prudentii nomini subjiciuntur, non *virum consularem*, sed *virum clarissimum* significare. Neque enim Prudentii ævo erat in usu titulus *viri consularis*. Ex Valerio Probo de Notis Romanorum C interpretandis, et aliis patet, V. C. indicasse aut virum consularem, aut virum clarissimum, aut quintæ cohortis. Militiam Prudentii non fuisse bellicam jam vidimus, quod autem ejus tempore titulus viri consulari non esset in usu, non est undecunque verum (*a*). Ex mss. codicibus, et ex Breviario Cæsaraugustano colligitur, ante Aldum eam opinionem jam invaluisse, ut Prudentius consul, aut vir consularis crederetur; siquidem Tamayus de Vargas in Defensione Marianæ refert, in officio veteri Cæsaraugustano lectiones 18 martyrum indicari depromptas *ex Aurelio Prudentio viro consulari Cæsaraugustano*. A Dungalo sæculo IX *vir consularis* dicebatur, ut videre poteris infra num. 243, et ab Isone in glossis ad præfat. Prudentii consulatus astruitur ad versum 17. Nonnulli existima- D runt Prudentium consulatum gessisse non Romæ, sed Massaliæ, aut Saliæ in Hispania, urbibus ignotis, aut denique Massiliæ, si *Massiliæ* legeretur pro *Massaliæ*, aut *Mesaliæ* in versu,

Oblitum veteris Messaliæ consulis arguens.

Sed cum jam vera lectio, et explicatio ejus versus stabilita fuerit, et demonstrata supra num. 39, non est diutius in eodem argumento immorandum. Quanquam infirma quorumdam est ratio, qui Prudentium negant consulem fuisse, quia in Occidente nulli erant consules nisi Romæ, quos secutus esse videtur cl. Emmanuel Martinius lib. II, epist. 53, qui aperte docet extra Romam consules non fuisse. Eos Ausonius refellit, carmine de Burdigala, ut plerique exponunt :

Hæc patria est : patrias sed Roma supervenit omnes,
Diligo Burdigalam, Romam colo : civis in hac sum,
Consul in ambabus. Cunæ hic, ibi sella curulis.

52. Alii Prudentium prætorio, aut Urbi præfectum inde arguebant fuisse, quod ORDINE PROXIMO PROPIUS a principe assumptus **35** constiterit, quod secus intelligendum esse ante demonstravi. Ludewigius ostendere conatur, nullam Romæ dignitatem habuisse Prudentium, quia senex admodum Romam venit, propterea que in summam admirationem urbis ante vix visæ tractus est, ex Cassiani hymno :

Sylla forum statuit Cornelius : hoc Itali Urbem
Vocant ab ipso conditoris nomine.
Hic mihi, cum peterem te, rerum maxima Roma,
Spes est oborta, prosperum Christum fore.

Et infra :

Æditus consultus ait : Quod prospicis, hospes,
Non est inanis, aut anilis fabula.

Præterea non adeo Prudentius cum Symmacho (quem apostatam dicit Ludewigius, fortasse ex dicendis ad vers. 450 Apoth.) contendere veritus esset, si dignitatem in Urbe obtinuisset; quamvis enim S. Ambrosius veniam quoque *sermonis asperi* postulet, contra Symmachum disputaturus, tamen ipse Ambrosius, licet Mediolanensis episcopus, longe inferior erat Symmacho, viro consulari, Urbis præfecto, et cæremoniarum pontifice. Concludit Ludewigius videri Prudentium rerum summam in Hispania, non Romæ, potitum, ac proinde præfectum Hispaniarum fuisse.

53. Plura in his displicent. Primum Prudentium admodum senem Romam venisse non liquet : nam quis annum invenire poterit, quo S. Cassianum invisit? quis asserere audeat tunc primum aut Romam petiisse, aut forum Cornelii vidisse? Quod vero Prudentius cum Symmacho contendere veritus sit, id solum pertinet ad singularem Prudentii modestiam, qui Symmachi eloquentiam suæ longe præponebat (*b*). Falsum item est, Symmachum, cum a S. Am-

dam *proximi clero* dicuntur, non male colligit, fuisse in Ecclesia *proximatum clero* similem proximatui scriniorum.

(*a*) Ex cod. Theod., lib. III *de Bon. proscript.*, constat fuisse quosdam *consulares* dictos, et quidem in Hispania Cœlestinum an. 357. Solebant autem *consulares* aut *exconsules* appellari, non *viri consulares*. Illud vero est certissimum, eas notas sæpissime innuere *virum clarissimum*, et interdum apponi iis qui consulatum gererent, ut consules *viri clarissimi* appellarentur, quod multis inscriptionibus jurisque legibus posset comprobari. De *consularibus* plura Guidus Pancirolus in Notit. dig.

(*b*) In præfat. lib. II advers. Symm.:

Sum plane temerarius,
Qui noctis mihi conscius,
Quam vitæ in tenebris ago,
Puppim credere fluctibus
Tanti non timeam viri :
Quo nunc nemo disertior
Exsultat, fremit, intonat,
Ventisque eloquii tumet :
Cui mersare facillimum est
Tractandæ indocilem ratis,
Ni tu, Christe potens, manum
Dextro numine porrigas.

brosio est oppugnatus, eos omnes honores fuisse assecutum, qui non fuerit ante annum 391 consul renuntiatus. Præfecturam vero Hispaniarum Prudentio fuisse concessam non admittam, nisi Ludewigius vicariam præfecti dignitatem, quæ tunc in Hispaniis vigebat, velit intelligi. Illud libenter assentiar Ludewigio, Vossium aliosque, qui Prudentium consulem suffectum, non ordinarium, **36** dicunt, nullo inniti fundamento. In annalibus quidem consulum non notabantur eorum nomina qui loco defuncti consulis sufficiebantur, sed, ut credamus aliquem suffectum fuisse consulem, probabilis ratio afferenda est. Quo autem anno Prudentius Romam venerit, et an semel tantum, nihil habeo exploratum, neque video qua ratione Nicolaus Antonius eum Romæ advocati munus exercuisse, ibique usque ad Honorii et Arcadii B imperium permansisse existimaverit; qui pariter colligit Prudentium in Urbe anno 405 præsentem fuisse, quia præfationem eo anno scribens, nihil adhuc de discessu suo ab Urbe, quod opportune debuit, subjecerit, quæ conjecturæ valde imbecillæ mihi esse videntur. Riscus opinatur Prudentium *militiæ gradu evectum* fuisse a Theodosio inter palatinos admissionales; de quibus codex Theodos. et Jacobus Gutherus lib. III de Officiis domus augustæ, ac lateri principis adhæsisse anno 388, quo Symmachus in panegyri coram Theodosio Victoriæ aram dissimulanter postulavit, et protinus exsilii pœna multatus est, nova edicta prodierunt, quibus religio Christiana promovebatur, et mirifica exinde Romanorum omnium pietas exorta est, de qua Prudentius lib. I C adversus Symmach., *Talibus edictis*, etc. Ea principis consilia Prudentium sine ulla dubitatione adjuvisse Riscus arbitratur, ac probare contendit.

54. Difficulter hæc cum vita temporibusque Prudentii cohærent: nam is anno 388 habebat ætatis annum 40, et cum post juvenile tempus se jureconsultum egisse, et deinde bis frenos nobilium urbium rexisse commemoret, quod addit, *tandem militiæ gradu*, videtur indicare virum plus quam quadragenarium. Etsi autem ista fieri potuisse evincas, tamen revera facta fuisse non persuadebis. Simile est, quod idem tradit, Prudentium anno 405, cum se muneribus abdicasset, Deo vacaturum in Hispaniam secessisse, unde Romam redire coactus, Cassianum et Hippolytum martyres coluit; quos iterum reversus D in Hispaniam celebravit. Ego existimo, Prudentium anno 404 circiter adversus Symmachum scripsisse, anno 405 sua carmina edidisse: quæ nimirum ante diversisque temporibus composuerit. Præfatio enim

A libri Cathemerinon potius omnibus operibus, quæ tunc vulgabat, congruit, ut ex pluribus vett. codd. liquet. Quamvis autem ita sese ad sacra carmina pangenda excitet:

> Atqui fine sub ultimo,
> Peccatrix anima stultitiam exuat,
> Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit,

37 tamen ea non sunt verba tunc canere incipientis, sed affigentis carminibus jam factis præfationem, quæ interdum post absolutum opus conscribitur.

55. Itaque libros contra Symmachum Romæ eum puto composuisse: Romæ item hymnum de SS. apostolis Petro et Paulo, cujus est finis:

> Hæc didicisse sat est Romæ tibi: tu domum reversus,
> Diem bifestum sic colas, memento.

Calagurri exaratum hymnum SS. martyrum Hemeterii et Celedonii innuunt versus:

> Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, præstitit,

et reliqui. Emeritæ poetam nostrum exstitisse crediderim, cum S. Eulaliam celebrans cecinit:

> Ast ego serta choro in medio
> Texta feram pede dactylico,
> Vilia, marcida, festa tamen.
> Sic venerarier ossa libet,
> Ossibus altar et impositum.

Cæsaraugustæ hymnum de 18 martyribus factum nemo negaverit. Qua de causa, et ubi S. Cassianum prædicaverit, ipse refert:

> Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris:
> Tunc quod petebam, quod timebam, murmuro:
> Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
> Et spe futuri forte nutantem boni.
> Audior, Urbem adeo, dextris successibus utor,
> Domum revertor, Cassianum prædico.

S. Laurentium et Hippolytum in Hispania, ut ante diximus, laudavit (a). Verum de Prudentii operibus singillatim fusius disseram cap. seq.

38 56. Quo anno, et ubinam obierit, incertum est. Sed nescio, quo fato Prudentii vita plurimorum suspicionibus et conjecturis ita est implicata, ut etiam ubi nihil omnino sciri aut definiri potest, nostra oratio consistere debeat aliquantisper, ne, quæ ab aliis proferuntur, probabilia esse et a nobis ignorata quisquam existimet. Aiunt nonnulli Prudentii obitum contigisse ante annum 413, quo Stilico proditionis pœnas subiit: nisi enim jam tunc Prudentius decessisset, laudes Stiliconis ex lib. II adversus Symmachum versu 695 et seqq.: *Tentavit Geticus*, etc., delevisset. Quid hac conjectura infirmius? Quasi vero in scriptorum fuisset potestate librum semel emissum

Confer etiam epistolam 17 Ausonii ad Symmachum, ubi Ausonius: *Quisquam ne ita nitet, ut tibi comparatus non sordeat.*

(a) In hymno vero S. Hippolyti notanda est pietas sacri poetæ, qui sic Valerianum antistitem alloquitur:

> Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
> Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat
> Prisco more diem: quem te quoque, sancte magister,
> Annua festa inter dinumerare velim.
> Crede, salutigeros feret hic venerantibus ortus,
> Lucis honoratæ præmia restituens.
> Inter solemnes Cypriani, vel Celedoni,
> Eulaliæque dies, currat et iste tibi.

In Breviarium Isidorianum S. Hippolytus immissus, fortasse originem trahit ex his Prudentii precibus. Ex festis Cypriani, SS. Hemeterii et Celedonii, et S. Eulaliæ alii arguunt mentionem esse de episcopo Cæsaraugustano, quia hi sunt sancti exteri, uti erat S. Hippolytus, pro cujus festo rogabat Prudentius; alii contra Calagurritanam diœcesin agnoscunt, cujus erant patroni SS. Hemeterius et Celedonius: mihi neutrum liquet.

revocare (*a*). Multo vero magis rejiciendum est quod A ait Joseph Rodriguez de Castro loc. cit., Prudentium de conjuratione Stiliconis nihil audivisse, quia ejus non meminit. Contra recte videtur judicare Riscus, qui Prudentii virtutes ex ejus operibus colligit, quod parce pieque vixerit, quod semel tantum in die manducaverit. Vide ejus hymnos *Ante cibum*, *Jejunantium*, aliosque tum libri Cathemerinωn, tum Peristephanωn (*b*).

57. Hactenus nonnulla explicata sunt quæ liquido constant, alia quæ in controversia sunt posita, plura quæ in conjecturis. Cætera, quæ certo sunt conficta, quanquam minus est necessarium, opus tamen est declarare; tum ne quis ejusmodi narrationes aut ex Dextri Chronico, aut ex eis qui illud sunt secuti, adoptet, quod puto fecisse Chamillardum in B brevi et parum accurata Vita Prudentii, tum ut pateat quibus opinionibus aut conjecturis adhæserint, **39** qui similibus fictionibus inveniendis sunt delectati: nam quædam, quantum poterant et sciebant, accommodate ad veras historias comminiscebantur. Igitur Flav. Lucius Dexter cum Francisci Bivar. commentario ad annum Christi 388 sic habet: *Floret Fl. Prudentius patre Cæsaraugustano, matre Calagurritana natus* (*Salia consule*) *Cæsaraugustæ.* Nomen FLAVII atque alia inventa sunt, nisi quod natus est Salia consule (*c*). Item ad annum 388: *Prudentius, Toleto, Corduba, ac Cæsaraugusta in Hispania egregie gubernatis, fit dux, et habetur orator celeberrimus et poeta mirificus. Anno 400 petit Romam* (*d*). Postremo Prudentii obitum commentitius Dexter enarrat ad annum C 424: *Prudentius Roma Cæsaraugustam rediens, ad sedem Cæsaraugustanam S. Mariæ plenus dierum, et illustrium operum, post multas pugnas cum omnibus hæreticis sui temporis habitas, tranquille moritur* (*e*). Templum B. Virginis *de Columna* innuitur.

58. Bivarius contra regulas prosodiæ hoc loco acutus videri voluit. Ultimum operum Prudentii ait fuisse *Enchiridion*, in cujus præfatione (1) suspicatur legendum: ME MATERNO IN ATRIO pro *Me paterno in atrio*, non videns, cum *paterno* recte procedere carmen, non vero cum *materno*. Sed putabat, ita confirmari, quod *in Christi matris templi angulo degeret*, ut ait Dexter. Ac vide ineptissimam interpretationem. Prudentius se inter vasa vilia domus Dei recensens, inquit:

Me paterno in atrio
  Ut obsoletum vasculum...
  Sinitque parte in anguli manere.
Munus ecce fictile
  Inimus intra regiam salutis.

Quid est, reponit Bivarius, *munus inire intra regiam salutis, nisi intra domum Dei scribere? in cujus angulo se manere affirmat.* Pertinet etiam ad nos quod Dexter ad annum 430 refert: *Ad Valerianum* (al. *Valerium episcopum*) *Cæsaraugustanum scribit Cyrillus.* Vult enim commentator Bivarius, hunc esse Valerianum antistitem, quem in Hippolyto Prudentius alloquitur. Dubitat autem an is ipse fuerit Valerianus Iconii **40** præsul, cui S. Cyrillus Alexandrinus suas exegeses dicavit. Nugas et somnia hæc esse aliquis opponet, fateor; sed hoc ipsum animadvertendum fuit, ut ante dixi, ne vera aut probabilia esse alius opinetur. Ex his similibusque scriptis nostro adhuc sæculo vitam Prudentii Carolus Augustinus Ansaldus in præfat. version. Italic. libror. adversus Symmach. digessit, qui, postquam asseruit primum gradum post imperatorem in exercitu habuisse, bis prætorem fuisse, addit eum anno ætatis 48 militiæ fessum, domum rediisse, anno 50 cœpisse versus componere, anno Christi 404 librum Cathemerinωn evulgasse, contra Symmachum sub initia imperii Honorii et Arcadii duos edidisse libros. Fingit præterea anno 60 ætatis Romam re-

(*a*) Non ita credebat Horatius, qui, epist. 20, lib. I, his verbis librum suum alloquitur:

Vertumnum, Janumque, liber, spectare videris:
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus,
Odisti claves, et grata sigilla pudico,
Paucis ostendi gemis, et communia laudas,
Non ita nutritus: fuge quo discedere gestis:
Non erit emisso reditus tibi.

(*b*) Non tamen idcirco sanctus est appellandus. Antonius Raymundus Pasqual, ordinis Cisterc., in opere: *Illustracion al portentoso favor de su leche celestial, con que distinguiò Maria sanctissima al P. S. Bernardo, etc. En la oficina de D. Ignacio Sarra y Frau*, 1782, in-8., ut opinor in urbe Palma Majoricæ, pag. 111, propos. 2, versus ex Cassiano Prudentii apud Mabillonium allegans, *sanctum Prudentium* aperte vocat. In Ephemeridibus Romanis decembris 2 anni 1786 excidit, ut Prudentius sanctus appellaretur, dum annuntiatur opusculum meum, *Hymnodia Hispanica*, in quo certe nunquam is titulus Prudentio nostro affingitur. In mss. ad num. 96 semel tantum BEATI nomen Prudentio appositum indicatur, uti etiam *sanctus* dicitur a quodam interprete Italico hymni S. Cassiani num. 121, et a P. Liberio a Jesu tom. I ex posthumis, col. 765, et, ut videtur, a Mabillonio in opere: *Mémoires pour servir d'éclaircissements à l'histoire de la sainte larme de Vendôme*, ubi ait: *Le saint poëte Prudence.* Hic certe locus Mabillonii Antonium Raymundum Pasqual decepit. Possent hæc aliquo pacto sustineri ex eorum sententia qui Prudentium hunc poetam eumdem fuisse volunt cum S. Prudentio præsule Turiasonensi, quam falsam esse ante monui num. 43.

(*c*) Bivarius in Comment. ait recte a Prudentio Cæsaraugustam et Calagurrim vocari suam ex hoc loco Dextri, Tarraconem vero, quia ejus fuit gubernator.

(*d*) Bivarius in Comment. hanc fictionem confirmare vult ex præfat. carminum, et corrigendum putat, *Ter legum moderamine* pro *Bis legum moderamine*; D similiter in Dextro excuso Cæsaraugustæ legendum: *Anno 40* (nempe ætatis) *petit Romam.* Scribit enim Dexter ad annum 396. *Prudentius lyricus poeta Cæsaraugustanus Romæ scribit.* Quod idem Bivarius explicat de libro Psychomachiæ: quasi hic liber *lyrico carmine* sit compositus: nam libros contra Symmachum tuetur scriptos anno 407 post victoriam de Radagaiso Getisque relatam anno 406, Arcadio VI et Probo coss., ut exponit in Comment. ad an. 417.

(*e*) Commentum Pseudo-Juliani archipresbyteri, quod Prudentius episcopus Cæsaraugustanus fuerit ab anno 410 ad annum 424, fuse refellit Nic. Antonius in Bibl. vet. Hisp. Alias ineptias leges in mss. quibusdam Vatic., cap. 4.

(1) Id est in ode *Immolat Deo*, quæ in hac Arevali editione prænotatur Epilogi titulo legiturque pag. 1225, in nonnullis autem Dittochæum sive Enchiridion in præfationis vicem præcedit. EDIT.

diisse ad martyrum sepulcra veneranda, et in patriam regressum, librum Peristephanων elaborasse. Quo quid magis repugnans ipsis operibus Prudentii potest excogitari (*a*)? Denique Ansaldus Prudentium diem extremum obiisse Cæsaraugustæ asseverat sine ullo teste, ut cætera. Scriptori erudito, cui libri adversus Symmachum tantopere placuerunt, non debuit adeo ignotus esse Prudentius, vel aliter, quam oportuit, notus. Prudentii imaginem aliquam, diu quæsitam, invenimus in codice Urbinate bibliothecæ Vaticanæ, quæ in prima littera præfationis, *Per quinquennia*, appicta est, et a nobis eo quo exstat, modo exhibetur. Opinor eam ex antiquiori codice adumbratam, nam quædam ejus vestigia apparent in eadem prima littera vetusti codicis Vaticani; et vestis quidem utrobique rubra est, lineamenta oris in codice veteri Vaticano evanuerunt (*b*).

CAPUT III.

Prudentii opera.

41 59. Quos libros, et quo tempore Prudentius scripserit, enucleatius nunc explicabo, adductis ejus aliorumque verbis: quo fiet ut, cum testimonia doctorum hominum de Prudentio proferam, eos, quorum hic meminero, tantum indicem. Prudentius in præfatione suorum operum ita ea enumerat et explicat.

Atqui fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuat,
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit.
Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet, quin Dominum canat,
Pugnet contra hæreses, catholicam discutiat fidem,
Conculcet sacra gentium,
Labem, Roma, tuis inferat idolis :
Carmen martyribus devoveat, laudet apostolos.

Dies noctesque *hymnis* continuari quod ait Prudentius, librum Cathemerinων sine ulla controversia intelligit, quem LIBRUM HYMNORUM Gennadius et Theo- A dulphus Aurelianensis cum multis codd. mss. appellant. Pugnare contra hæreses, catholicam discutere fidem ad Apotheosin, ad Hamartigeniam, et, ut ego quidem puto, ad Psychomachiam pertinet. Conculcare sacra gentium, labemque inferre idolis, convenit libris adversus Symmachum. Laudes martyrum et apostolorum libro Peristephanων continentur. Chamillardus, aliique non recte hinc colligunt, alia præterea opera a Prudentio non fuisse composita: potuit enim, dum hæc vulgavit, alia præterire, potuit post hæc edita in nova incumbere : quod nunc videndum est.

60. Proferam elogium Gennadii cap. 13 de Viris illustribus ex Aldo, Giselino et codicibus mss. cum notis Auberti Miræi, Ernesti Salomonis Cypriani, et B Joan. Alberti Fabricii ; ita habet Gennadius. *Prudentius, vir sæcularis litteraturæ eruditus, composuit* Διττοχαῖον *de Veteri et Novo Testamento personis] exceptis. Commentatus est et in morem Græcorum* HEXAEMERON *de mundi fabrica, usque ad conditionem primi hominis, et prævaricationem ejus. Composuit et libellos quos Græca appellatione prætitulavit,* Ἀποθέωσις, Ψυχομαχία, Ἁμαρτιγένεια, *id est de Divinitate,* **42** *de Compugnantia animi, de Origine peccatorum. Fecit et in laudem martyrum sub aliquorum nominibus, Invitatorium ad martyrium librum unum, et Hymnorum alterum; speciali tamen conditione adversus Symmachum, idololatriam defendentem, duos laude dignissimos libros compegit : ex quorum lectione agnoscitur palatinus miles fuisse.* Hactenus Gennadius (*c*).

C 61. Audiamus nunc Honorium Augustodunensem, qui claruit anno 1120 et Gennadium ferme describit, nisi cum aliquando aberrat, lib. II, cap. 13 : *Prudentius, vir sæculari litteratura eruditus, composuit Dittochæum de toto Veteri Testamento personis excerptis. Commentatus est autem et in morem Græco-*

(*a*) Quod Romam veniens sepulcra martyrum veneratus fuerit, certissimum est : at alia ratione ipsum ad hoc iter peragendum fuisse permotum ex passione Cassiani colligitur :

Hic mihi, cum peterem te, rerum maxima Roma,
Spes est oborta, prosperum Christum fore.

Et in fine :

Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris,

cum reliquis versibus, quos supra descripsi num. 55. Constat etiam jam anno 57 ætatis inter sua opera recensere Prudentium librum Peristephanων : *Carmen martyribus devoveat, laudet apostolos.*

(*b*) Antiqui exscriptores sæpe primæ litteræ operis imaginem auctoris affingebant. Virginius Valsechi, monachus Casinensis, in dissertatione pro Joanne Gersen Benedictino, auctore libri de Imitatione Christi, erudite disserit in præfatione de hac consuetudine, et codices cum imagine auctorum in prima littera a se visos recenset plures, et in his opera S. Joannis Chrysostomi, S. Basilii, S. Hieronymi, S. Eucherii et aliorum veterum.

(*c*) Notæ Fabricii sunt : *Prudentius vir :* deest *vir* in ms. Corbeiensi; Διττοχαῖον: idem, *trocleum*, vitiose. Sed legendum Δίπτυχον, ex Gifanii emendatione. *Hexaemeron : Exemeron... a conditione primi hominis*, idem; *libellos : libros*, idem; *attitulavit : prætitulavit*, idem; *de divinatione : de diversis*, vitiose, idem; *ex quorum lectione*, etc. : notat Fabricius, non in libris contra Symmachum, sed in præfatione libri Cathemerinων id tangere Prudentium : *Tandem militiæ gradu*, etc.; sed pro Gennadio responderi posset, illis verbis, *Ex quorum lectione* non libros solum adversus Symmachum, sed omnia Prudentii opera fortasse comprehendi. Pariter quod ait Fabricius legendum *Diptychon*, non *Dittochæum*, mihi non placere alio loco dicam. Aubertus Miræus hoc fere tantum animadvertit, mss. exemplaria Prudentii merito præfationem Cathemerinων, ut totius operis proœmium, in prima ejus fronte collocare; hæc poemata Prudentium scripsisse anno 405 ex versu, D *Oblitum veteris*, etc. Salomon Cyprianus id habet : « *Exceptis :* ita omnes codices mss., sed Miræus legit, *excerptis.*—*Compugnantia animæ* habent codices; Miræus habet, *animi.* — *Sub aliorum nominibus invitatorium ad martyrium :* hæc verba omittuntur in nostris mss., et recte quidem. » Aliorum animadversionibus nihil addere me nunc opus est, nisi forte Gennadium dixisse, Hexaemeron a Prudentio in morem Græcorum fuisse conscriptum, quod eadem inscriptione eodemque argumento usi sunt Græci aliqui, ut Gregorius Nyssenus et Basilius. Aliquas glossas in Gennadium ex mss. Vatic. dabo cap. seq. Lectiones variantes sunt ex Vat. A., et Rat. *de toto veteri ;* ex Rat. *de compugnantia animæ;* ex eodem, *invitatorium ad martyrium;* in vulgatis est *sæculari litteratura... sub aliorum nominibus... speciali tamen intentione adversum.* Ex Giselino sumpsi, *duos laude dignissimos libros compegit.*

rum Hexaemeron de mundi fabrica. Composuit et libellos, quos Græce prætitulavit 'Αποθέωσις, Ψυχομαχία, 'Αμαρτιγένεια, *id est de Divinitate, de Compugnantia animi, de Origine peccatorum. Fecit et in laudem martyrum librum unum, et alterum adversus Symmachum.*

62. Longior est Trithemius, qui multos codices inspexerat, et sæpe ex uno opere plura fecit, et in diversos titulos distinxit. Sic enim ait cap. 90 : *Aurelius Clemens Prudentius, poeta Christianus, vir in sæcularibus litteris eruditus, et in divinis Scripturis satis peritus, metro excellens et prosa per quinquaginta septem annos mundi amoribus retentus, multa poetarum opuscula legit et exposuit, ac de sua vena multa* **43** *profunda poemata scripsit. Tandem vero in senectute, repulsa mundi vanitate, ad sacras Scripturas se contulit, et carmine ac prosa multa utriusque Testamenti obtrusa exposuit. Scripsit autem multa præclara opuscula. De quibus mensura metri facta reperi subjecta* (*a*). *Epistolas etiam scripsit non paucas. Alia quoque nonnulla edidit quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Gratiano imperatore. Anno Domini* 380 (*b*).

63. Ex Fabricii notationibus obvium est cuivis agnoscere, quam liberalis fuerit Trithemius in Prudentii poematis multiplicandis. Pauca nos addere juvat. Quod Fabricius ait, a se non repertum librum de Resurrectione carnis, *Posco meum in Christo*, mendum in Trithemio non animadvertit : est enim legendum : *Nosco meum in Christo*, qui versus est 1131 edit. Weitz., et 1063 nostræ edit. in fine Apotheoseos, ubi præfigitur titulus, *De resurrectione carnis humanæ*. Trithemius tradit Prudentium multa poetarum opuscula legisse, ac de sua vena multa profunda poemata scripsisse, antequam ad sacras Scripturas se contulisset, præterea non solum carmine, sed etiam prosa multa utriusque Testamenti obtrusa exposuisse, epistolas quoque non paucas A scripsisse; ac fortasse Trithemius idoneum testem aliquem habuit. Nobis quidem idoneus testis non est Trithemius (*c*). An Trithemius, ut ex uno Prudentii opere **44** plura fecit opuscula, ita contra ex pluribus Prudentiis unum compegit? Libros sex in Hexaemeron conjicere possumus esse illud ipsum opus quod laudat Gennadius. Tandem animadvertam Prudentium potius dicendum claruisse anno circiter 400 quam 380, quod antea notaverat Baillius in Diction. crit., reprehendens tam eos, qui anno 380 quam eos qui anno 430 claruisse affirmarunt : quod postremum legitur in Bibliotheca Hispanica, quæ Andreæ Schotto tribuitur (*d*).

64. Præter illa omnia Prudentii opuscula, quæ exstant, et librum in Hexaemeron, de quo nuper dixi, B duo alii libri de S. Trinitate a Trithemio memorantur, quod Philippus Bergomensis Chronici lib. IX sub anno Christi 400 confirmat : *Duos insuper de Trinitate scripsit libros*, quorum unus erit præfatio 1 Apotheoseos, quæ inscribi solet : *Versus de S. Trinitate;* alter fortasse est aliqua particula librorum quos habemus. Nicolaus Antonius putat periisse *Invitatorium librum ad martyrium;* sed, ut dixi num. 60, ea verba non videntur certo esse Gennadii, et quamvis sint, non liquet an voluerit eum librum a libro Peristephanων distinguere : nimirum quia in hoc libro hortationes ad martyrium sub aliorum nominibus continentur. Non enim ulla causa fuisse videtur, cur Prudentius sua ætate sive aliorum, sive suo nomine Christianos ad martyrium invitaret. In C Bibliotheca bibliothecarum mss. codd. Montfauconii ex bibl. Casinensi laudatur codex 227 inscriptus : *Carmina D. Prosperi*, etc. *Prudentii liber de Columbis. Faceti poetæ carmina*, etc. An legendum erit liber *de Coronis?* Non valde dissentiet, qui ejusmodi errores in eo Montfauconii opere passim occurrentes animadverterit. Sed cum Dittochæum in pluribus

(*a*) Hæc ille recenset : contra Symmachum idololatram lib. II : *Paulus præco Dei*, etc. De Compugnantia (*a*) lib. I : *Senex fidelis*, etc. De Divinitate lib. I : *Est tria summa Deus* (*b*). Contra Patripassianos (*c*) lib. I : *Plurima sunt*, etc. Contra Sabelliones (sic) (*d*) lib. I : *Cede prophanator*. Contra Judæos (*e*) lib. I : *Hæc si Judaicos*, etc. Contra Homuncionitas lib. I : *Sunt qui Judaico*, etc. Contra Phantasmaticos lib. I : *Est operæ pretium*, etc. De Origine peccatorum (*f*) lib. I, in Hexameron lib. VI, de Sancta Trinitate lib. II, Hymnorum diversorum lib. II : *Ales diei nuntius* (*g*). Laudes S. Vincentii lib. I : *Beate martyr, prospera*. Laudes S. Laurentii lib. I : *Antiqua fanorum parens*. Laudes Romani contra gentiles lib. I : *Romane Christi fortis*, etc. Historiarum (*h*) lib. I : *Eva columba fuit*. De animæ Natura lib. I : *Occurrit dubitans* (*i*). De Resurrectione carnis lib. I : *Posco meum in Christo* (*k*). De Martyribus lib. I : *Scripta sunt cœlo* (*l*). De Statu animæ (*m*) lib. I : *Errat quisque animas*. Amartigen. lib. I : *Fratres ephebi fossor* (*n*). De Spe veniæ orationem, sive lib. I : *O Dee cunctiparens* (*o*). Contra Marcionitas lib. I : *Quo te præcipitat rabies* (*p*). Peristephanon lib. I : *Pius, fidelis, innocens* (*q*).

(*b*) Trithemio Fabricius notas has adjecit : (*a*) Psychomachia. (*b*) Præfatio in Apotheosin. (*c*) Apotheosis. (*d*) In Sabellianos. In editis inscribitur, Contra Unionitas, vers. 178 Apoth. (*e*) Apotheseos vers. 321. (*f*) Non videtur diversus ab Hamartigenia, quam iterum infra commemorat. (*g*) Initium libri Cathemerinon. (*h*) Enchiridion utriusque Testamenti. (*i*) Apotheoseos vers. 783. (*k*) Hoc in editis non reperio. (*l*) Initium hymni 1 Peristephanων. (*m*) De integritate visionis animæ in editis inscribitur, vers. 867. Hamartigen. (*n*) Præfatio, Hamartigen. (*o*) Vers. 931, Hamartigen. (*p*) Hamartigen. vers. 1. (*q*) Initium in editis hoc est, *Immolat Deo Patri, Pius, fidelis, innocens, pudicus*.

(*c*) Vide comment. ad versum 26 hymni ante ci- D bum :

Sperne, camœna, leves hederas,
Cingere tempora queis solita es.

(*d*) Prosper Marchand in suo Diction. artic. *Peregrinus*, persuadere conatur Andream Schottum non esse auctorem Bibliothecæ Hispanæ sub nomine *A. S. Peregrinus*. Ejus rationes expendam, si quando edere continget *Bibliothecam veterem, et novam Hispanam Nic. Antonii, uno et constanti ordine digestam, auctam, continuatam, correctam;* quam jampridem Raymundus Diosdado, Joannes Arevalo, et ego ipse, collatis symbolis apparamus : magnæ molis opus, nec sine magno aliquo Mæcenate, vel dicam, Augusto, perficiundum.

codd. Vatic. inscriptum sit *de Columba*, uti cap. 4 docebo, manifestum est, aliquem Dittochæum cujus est primus versus, *Eva columba fuit*, librum *de Columbis* inscribendum censuisse, ut erant librarii veteres plerumque ignari æque ac audaces. Ab eodem Montfauconio citatur ex biblioth. San Germanensi codex 540 hoc titulo : *Prudentii versus contra Symmachum... Alia opuscula metrica ejusdem de Oceano. De S. Hippolyto martyre.* Quis ausit divinare quod qualeve sit opusculum illud *de Oceano?* An liceat conjicere mendum esse pro *Cassiano?*

45 65. Fidentius pronuntiabo de alio codice indicato apud Montfauconium ex biblioth., seu mss. codd. S. Martini de Sees, num. 13 : *Tractatus super* ÆDIFICIUM *Prudentii. Cette pièce* (ait eo loco nescio quis) *est peu de chose : l'on demande si c'est Prudence* B *le poëte, ou l'evêque de Troyes, qui ont fait un ouvrage intitulé :* Ædificium, *sur lequel cet anonyme a fait une explication allégorique de la description de la Maison de Dieu, qui est en l'Apocalypse.* Facilis, expeditaque est responsio. Prudentius noster, poeta Christianus, in fine Psychomachiæ ædificium domus Dei ex Apocalypsi descripsit vers. 823 et seqq.

Hæc ubi dicta dedit, gradibus Regina superbis
Desiluit, tantique operis Concordia consors
Metatura novum jacto fundamine templum.

Ubi hæc inscriptio præponitur, *Ædificium Fidei et Concordiæ*. Hoc ergo est Ædificium Prudentii, de quo anonymus ille tractatum composuit (*a*).

66. Sequitur, ut de Dittochæo ejusque auctore loquar. Titulus operis in Gennadio et Honorio Augu- C stodunensi est *Dittochæum*, quasi *duplex cibus*. Consentiunt plerique codices cap. 4, sed ex errore librariorum *Dirochæum*, aut *Ditrochæum* interdum appellatur (*b*). Primus Gifanius mendum inesse judicavit, et *Diptychon* legendum esse asseruit, quem plerique libenter secuti sunt. Nequaquam dubito quin in verbis Græcis ex ignorantia exscriptorum plerumque ejus generis errata in codicibus irrepserint. At vero, præterquam quod vox *Diptychum* valde usitata est cum vetustissimi codices, cap. 4 recensendi, *Dittochæum* inscribant, et explicent *refectionem duplicem*, et cum absona minime sit inscriptio *Dittochæum*, hoc loco correctio non est admodum necessaria; et si correctio aliqua est adhibenda, cur sine alio examine affirmabimus legendum esse *Diptychon?* Non inficior D

A id nomen operi congruere aliquatenus posse, cum diptychum sint tabellæ duplices, seu bis plicatæ, **46** de quibus videri possunt, qui de *diptychis* sacris et profanis libros ediderunt. Non enim recte interpretatur Riscus, *dittochæum* idem fere esse ac *diptychum*, nempe librum duplicatum. Aliam inscriptionem, quæ multo magis mihi placet, excogitavit Rosweydus in notis ad Paulinum, carm. 30, pag. 869. *Ante Paulinum,* inquit, *etiam Prudentius ita locutus est. Nam in Diteucho suo* (*ita legendum doceo ad Prudentium pro Dittochæo, etc.*) *Diteuchon* vult Rosweydus, quasi duplicem librum, ut *Pentateuchon* est liber quintuplex : comprehendit enim Prudentius in eo opere summam Veteris Novique Testamenti. Facilius etiam ex *diteucho* quam ex *diptycho* librarii fecerint *dittochcum*, et *dirocheum*, aut *ditrocheum*. Nihilominus teneo veterem inscriptionem, et suspicor Prudentium ea tetrasticha composuisse, ut imaginibus historias Veteris et Novi Testamenti in ecclesiis repræsentantibus apponerentur : qualia multa carmina fecit Paulinus Nolanus, et Walafridus Strabus, cujus sunt *Picturæ historiarum Testamenti Novi pro ecclesia versibus hexametris vel uno vel duobus*, in manuali biblico Francofurti 1610 a Goldasto edito, pag. 85, necnon Rusticus Helpidius V. C. exillustris, et exquæstor, cujus sunt *Picturæ historiarum Veteris et Novi Testamenti*, ibid., pag. 17 versibus hexametris ternis pro qualibet historia. Confer Paulini epist. 12 ad Severum, et natal. 9 ad Nicetam. Ut alia nunc omittam de diversis hujus opusculi inscriptionibus, ejus auctorem Prudentium esse habendum argumentis certissimis conficitur. Opus ipsum a Gennadio inter Prudentii libros enumeratur; plerique codices Prudentio ascribunt. Cur ergo illi abjudicabitur? Diversitatem styli nonnemo objicit, et quod aliquis codex nomen *Amœni* præferat, Barthius lib. VIII Adversar., cap. 11 et 12, probandum suscipit, non alium quam divinum hunc Pindarum Prudentium *Dittochæum* scripsisse (*c*).

67. Sed quanquam assentior Barthio affirmanti veluti rem novam, *nimirum Amœnum, quem vocant antiquarii, esse Prudentium ipsissimum illum poetam, quo nemo divinius de Christianis rebus unquam scripsit,* **47** tamen carmina Dittochæi esse locos quosdam, tractationis uberioris gratia; velut præfiguratos et prælineatos, non omnino assentior : etenim

(*a*) Illud tamen admonebo, in hac *Bibliotheca Montfauconii* omnia opera tum Aurelii Clementis Prudentii, tum Prudentii Galindo episcopi Trecensis in indice sub uno Prudentii nomine referri, quasi unus idemque fuisset Prudentius. Non prætermittam, paucos quosdam Prudentii versus ex Psychomachia alicubi indicari tanquam aliquod ejus opus a cæteris diversum et inscriptum : *Monomachia Davidis cum Goliat;* de quo plura ad eum locum Psychomachiæ, ubi ea pugna describitur.

(*b*) In quodam codice, num. 80, cap. 4 dicitur *Diptychon*, sed, ut conjicio, recenti nota, post conjecturam Gifanii : quod de simili inscriptione cod. Vat. Alexand. 1702, quem infra recensebo, possum testari.

(*c*) Quod ostendit ex phrasi ipsa, multis inter se locis collatis, ac concludit : *Hæc ut inciderunt, juvit conscribere : non autem dubito singulas omnesque et locutiones, et historias in hoc libello traditas, per opus Prudentii sparsas iisdem modis conceptas reperturum, qui inquirere voluerit... Videtur autem hic libellus eo fine a Prudentio scriptus, ut insignioribus Scripturæ locis in breves titulos et capita versu redactis pro re incidente deinceps uti posset, et titulus Amœniorum fortasse manavit... non aliter quam* FLORIDA *Apuleii, Vestii* (al. *Vettii*) *Valentis, et nonnullorum aliorum velut loci quidam inscribuntur, quamvis hi excepti ex majoribus operibus, illi tractationis uberioris gratia velut præfigurati, et prælineati. In poesi Romana tales loci exstant aliquot apud Claudianum portuum, Sirenum, etc.*

omnia illa epigrammata quatuor versibus concludun- A tur quasi data opera, neque ullus ex eis versus in toto reliquo opere Prudentii integer apparet, cum de rebus iisdem sæpe sermonem habeat. Similius igitur vero est Prudentium aut ea tetrasticha ad explicationem picturarum in templis ordinasse, ut modo dicebam, aut insigniores Scripturæ locos in breves titulos et capita redegisse, ut opus a cæteris diversum conficeret, in quo sui ubique similis iisdem sæpe phrasibus utitur, quod in commentariis planius perspicietur (*a*).

68. Quod si velis, Dittochæum ab aliquo primum *Amœniora*, seu *Amœna* Prudentii fuisse inscriptum, ex quo alius fecerit *Amœnus Prudentius*, alius *Amœnus* simpliciter nominaverit, non absurde quidem arbitraberis. Fuisse autem alterum poetam Hispanum B *Amœnum* dictum, a Prudentio nostro diversum, qui Dittochæum elucubratus fuerit, temere conjecit Philippus Brietius, lib. iv de Poetis. Michael a S. Josepho, Bibliograph. crit., verbo *Amœnus* ait Amœnum fuisse quemdam poetam Græcum, sed opus sub hujus nomine inter poetas Christianos editum, esse Prudentii. Melchior Goldastus in præfatione Manual. biblic. gloriatur, se primum Prudentium Amœnum quatuor aliis Prudentiis addidisse, quem Hispanum esse, et ferme supparem Prudentio Turiasonensi præsuli, et Aurelio Clementi existimat; atque hoc pacto utrumque nomen Prudentii et Amœni conjunxit, neque dubitavit asserere Gennadium, homonymia scriptorum inter se æqualium deceptum, scripta eorum non potuisse discernere. Emmanuel Riscus C non admodum dissentit a Dupinio, qui putat Dittochæum esse epitomen quamdam operis Prudentiani, a Gennadio laudati, ab Amœno confectam (*b*).

48 69. Quo autem anno cœperit Prudentius scribere, non liquet, quamvis plerique asseruerint eum anno ætatis 57 ad carmina sacra pangenda animum applicuisse: nam ex præfatione, unde argumentum petunt, solum licet inferre eum anno 57 ætatis sua opuscula edidisse, quorum aut pleraque aut omnia, ut simile vero est, ante diversis temporibus composuerat. Profecto vix dubium est quin duos contra Symmachum libros ante annum Christi 404 conscripserit. Theodosius legem vulgavit, qua sacrificia idolorum prohibuit anno 392: *Nullus omnino, ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in potestate positus, vel honore perfunctus, siue potens sorte nascendi, seu humilis genere, condicione, fortuna: in nullo penitus loco, in nulla urbe, sensu carentibus simulacris, vel insontem victimam caedat: vel secretiore piaculo, larem ignem ero genium* (leg. *larem igne, mero genium*), *penates nidore veneratus, accendat lumina, inponat tura, serta suspendat*, etc. Vide lib. xvi cod. Theod., tit. 10, leg. 12, et confer ibid. leg. 11, qua per Ægyptum sacrificia, aditusque templorum interdicuntur, Tatiano et Symmacho coss., anno 391. Secutus sum codicis orthographiam (*c*).

70. Ad has leges Theodosii potius quam ad exsilium Symmachi, quod opinatur Riscus, respexisse judico Prudentium lib. i adversus Symmachum, vers. 507.

Talibus edictis Urbs informata refugit
Errores veteres, et turbida ab ore vieto
Nubila discussit; jam nobilitate parata
Æternas tentare vias, Christumque vocantem
Magnanimo ductore sequi, et spem mittere in ævum.

Symmachum reducem pro ara Victoriæ recuperanda novum aliquem conatum adhibuisse multis persuadere vult Riscus. Ego neque id necesse esse, neque ullo argumento ostendi posse existimo. Etsi enim assentiri nolis Nic. Antonio, affirmanti Prudentium post annum 403 carminis sui novum argumentum sumere voluisse ex relatione Symmachi *styli exercendi gratia*, tamen poteris tenere Prudentium *non tantum styli exercendi gratia*, sed etiam ut idolorum cultum funditus everteret, Symmachi relationem impugnasse. Sæpe enim fit ut opus aliquod a pluribus modo citius, modo serius, refellatur; **49** et Symmachi relatio, hominis tunc eloquentissimi, a multis, ut probabilissimum est, expetita et lecta, studia quorumdam ad fidem catholicam amplectendam tardare poterat, nisi plenius quam fecerat Ambrosius, refutaretur. Itaque Prudentius, ut ego conjicio, anno circiter 403 Romam adveniens, et Symmachi relationem aut tunc primum videns (non enim tunc volumina eadem facilitate qua nunc divulgabantur) aut observans in deliciis gentilium eam esse, et immodicis laudibus evehi, impugnationem aggressus est. Cl. Emmanuel Riscus aliquem novum conatum Symmachi adfuisse inde colligit, quod eum Symmachus

(*a*) Idem Barthius, lib. vi, cap. 1, nomen *Amœni* unde traxerit originem explicat: *Sic luculentissimus Christi vates Prudentius a priscis descriptoribus* Amœnus *cognominatus est, quia omnium Christianorum poetarum amœnitate et varietate lyricorum carminum longe sit princeps. Nam qui breviarium illud, quod* Amœni *titulo inscribitur, Prudentio abjudicant, ii homines nullo modo bene judicio utuntur.* Exempla aliorum profert, qui descriptorum liberalitate cognomina acceperunt, Plautus *Asinius*, Ovidius *Geta*, Statius *Aquilinus*, Ausonius *Pæonius*, Propertius *Nauta*, Cælius *Apitius*, Martialis *Cocus*, Petronius *Arbiter*, Persius *Severus*, Sallustius *Liberalis*, Ovidius *Magnus*, Claudianus *Magnus*, Sidonius *Modestus*, Theodosius *Exiguus*, Abbo *Cernuus*, Radulfus *Ardens*, Saxo *Grammaticus*, Sulpitius *Rhetor*, Prosper *Rhetor*, D Juvenalis *Ethicus*.

(*b*) Titulos diversos ejus opusculi invenies cap. 4, in codd. mss. Mariettus ex codice Vat. id exscribit: *Fecit enim multos libros, unum, quem prætitulavit* DIROCHEUM, *id est duplicem refectionem vocans de Veteri et Novo Testamento, et alios, quos præ manibus habemus, si perscrutari placet.* Confer nostros commentarios in titulum hujus operis.

(*c*) Quoniam Theodosiani codicis mentio incidit, non differam monere, paulo ante num. 50, cum ex eo duo essent præsides Bæticæ recensendi, omissum fuisse alterum. Legendum ergo: *Præsides Bæticæ erant, incertus anno 324, ad quem data lex 1 de distrah. Pign., Egnatius Faustinus, ad quem data anno 337 lex 2 de distr. Pig.*

dicat *se iterum* senatus esse legatum, Prudentius respondit vers. 610, lib. I :

Aspice, quam pleno subsellia nostra senatu
Decernant, infame Jovis pulvinar, et omne
Idolium longe purgata ex Urbe fugandum (*a*).

71. At vero ex his versibus non recte probatur Symmachum denuo tentasse aram Victoriæ excitare aut petere. Prudentius enim, Symmachum in fine libri primi alloquens, exemplum aliorum senatorum exponit, ut eum ad bonam frugem reducat. Similiter quod addit Prudentius vers. 624 :

Ipse magistratum tibi consulis, ipse tribunal
Contulit, auratumque togæ donavit amictum,
Cujus religio tibi displicet, o pereuntum
Assertor divum.

Id, inquam, probat quidem Symmachum in eadem sententia post suum consulatum perstitisse, non vero quod rursus conatus fuerit ab imperatore aram Victoriæ obtinere. Narrat Sigebertus Gemblacensis, qui sæculo XII floruit, cum Radagaisus Scytha in Italiam irruisset anno 407, Symmachum eas calamitates fidei Christianæ imputasse, contra quas blasphemias S. Augustinus libros de Civitate Dei, Orosius historiam, et Prudentius libros adversus Symmachum **50** scripserunt; quod postremum cum ratione temporum, et versibus Prudentii de bello Pollentino minime cohæret (*b*).

72. Alia ratio ad nostram sententiam confirmandam sumitur ex carminibus quibus invehitur in ludum gladiatorium, quem ab Honorio prohiberi postulat vers. 1113 et seqq.

Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,
Te precor, Ausonii dux augustissime regni,
Et tam triste sacrum jubeas, ut cætera, tolli.
Perspice, nonne vacat meriti locus iste paterni ?

cum cæteris pulcherrimis versibus, quibus liber II adversus Symmachum concluditur. Prohibitus revera est ludus gladiatorum anno 404, aut postea, occasione accepta ex morte Telemachi monachi, qui spectaculum illud crudele palam reprehendens, a spectatoribus lapidibus est obrutus. *Qua re cognita*, ait Theodoretus lib. V Hist., cap. 26, *imperator admirabilis Telemachum in martyrum invictorum numerum ascripsit, crudele autem illud spectaculi genus penitus sustulit.* Gothofredus, in Comment. ad leg. 1 cod. Theod., lib. XV, tit. 12 de Gladiatoribus, ex hoc Theodoreti loco et ex versibus Prudentii plures Baronii aliorumque errores emendat. Non video quo jure Riscus neget de cæde Telemachi sub Honorio constare, ac propterea prohibitionem ludi gladiatorii carmini Prudentii, de quo constat, esse ascribendam : siquidem Theodoreti narratio perspicua est, auctoritasque gravis : neque aliunde ostenditur ab Honorio **51** sceleratum illud spectaculum fuisse vetitum nisi ex Theodoreto, et qui illum secuti sunt. Credam etiam libenter, ex Prudentii hortatione imperatorem permotum pariter fuisse, quanquam id minus clare patet (*c*).

73. De opusculis Prudentii quæ exstant quæque perierunt, abunde diximus : nam varias uniuscujusque inscriptiones partim inter codices mss. notabimus, partim inter editiones referendas, partim in commentariis. Nunc poemata nulla describam, quæ aut dubia videntur esse Prudentii opera, aut supposita. Barthius lib. I Advers., cap. 3, producit iambum in Spiritus sancti missionem, quem Prudentio aut Paulino adjudicandum censet, ex veteribus membranis, in quibus erant Lactantii carmina de passione

(*a*) Sapienter monet Riscus, corrigendum esse Joan. Albertum Fabricium in Bibl. vet. Lat., qui non paucos fuisse in senatu, qui cum Symmacho facerent, arguit ex versibus Prudentii ita truncatis :

Aspice, quam pleno subsellia nostra senatu
Decernant infame Jovis pulvinar.

Quem errorem in Biblioth. Hispan. non animadvertit Rodriguezius de Castro, quamvis post Riscum scripserit, et totum Fabricii locum Hispanice reddiderit.

(*b*) Sigebertum tempora (quod attinet ad Prudentium) confundere Riscus observat, qui proinde affirmat Symmachum, *nulla nova occasione oblata*, paulo post bellum Pollentinum, et ante annum 404 veteres querelas renovasse. Sed cum Prudentius iisdem omnino argumentis respondeat, quæ in Symmachi relatione leguntur, non audeo asserere renovatas esse querelas, præsertim, *nulla nova oblata causa.* Ait Prudentius lib. II, vers. 683 :

Et sunt qui nobis bella exprobrare sinistra
Non dubitent...
Qui mihi præteritam cladem veteresque dolores
Inculcant iterum, videant, me tempore vestro
Jam nil tale pati.

Quod totum spectat ad relationem Symmachi evertendam, qua ex idolorum cultu orbem redactum in leges Romanas, Hannibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas depulsos asseritur. Itaque Prudentius tempora vetera sub Hannibale, et Senonibus cum præsentibus conferens, ita prosequitur :

Tentavit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam...
Depulit hos nimbos equitum non pervigil anser.

Et quæ sequuntur ad victoriam in bello Pollentino reportatam pertinentia. Ex quo liquido apparet Prudentium post bellum Pollentinum scripsisse, non autem multo post, quia cum Honorius Romam redierit, ineunte anno 404, nondum reversum, cum scribebat Prudentius, illi versus clare arguunt, vers. 725 et seqq. lib. II :

Quo te suscipiam gremio, fortissime princeps,
Quos spargam flores ?

(*c*) Baronius mortem martyrio Telemachi similem enarrat ad annum 395 ex Martyrologio Romano, die 1 Januarii : *Romæ S. Almachii martyris, qui, jubente Alypio Urbis præfecto, cum diceret : Hodie octavæ dominici diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum, et a sacrificiis pollutis, a gladiatoribus occisus est.* Hunc Almachium esse ipsum Telemachum Theodoreti, remque accidisse sub Theodosio, non sub Honorio, contendit Baronius. Mihi hac in re neque Baronius, neque Bollandus faciunt satis, magisque credam Almachii martyrium ad Domitiani tempora esse referendum, quam Theodoretum in Telemacho, ejusque tempore errasse. Alypium in Catalogo præfectorum Urbis, quem Corsinius edidit, non invenio. Almachium sub Domitiano martyrii palmam assecutum plures tradunt, ut videri potest apud Bollandum tom. I, Januar. ad diem 1. De aliis, quæ ad aram Victoriæ eversam pertinent, fusius dicam in prolegomenis tomi II.

Domini, Venantii Fortunati elegiæ non paucæ, Paulini et Ausonii cantica hexametro scripta, inter quæ postrema invenitur hic iambus : A

DE MISSIONE SPIRITUS SANCTI.

Completa quinque festa cum decies dies
 Novante ferrent orbita,
Promissione proximante Spiritus,
 Qui veritatem traderet.
Pollicitus ipse Christus ut suis erat,
 Priusquam abiret ad Patrem,
Amaverat quos finem adusque terminum
 A principante exordio.
Duodecim cum congregati apostoli
 Orationes dicerent,
Ut exituri mundum in omnem chrismate
 Prius ungerentur cœlico,
52 Repente motos cardines vibrans domus
 Tremefacta nutabat procul.
Quadrangulares ventus impellens cubos,
 Molem movebat arduam,
A fronte sephyrus (*sic*), eurus a tergo volat,
 Alasque discordes quatit,
Latere ex utroque notus, et aquilo corruunt,
 Pugnantque tecta frangere.
Aer tumultu dissidente fluctuat,
 Fremuntque pulsi parietes.
Unum revulsa diceres fundamina
 Ruitura momentum solo.
Hæc inter icti mente perculsa sedent,
 Ut fulminati antistites.
Nec mora solutis concinunt linguis Deum,
 Peregrina docti carmina.
Judæa turba nesciens nisi sono
 Movere Hebræo pectinem,
Graio, Latino, Parthico, Babylonico,
 Ægyptio, atque Persico,
Quin mille linguis congruenter incinens,
 Dei sonat magnalia.
Dei repleta spiritu Deum sonat,
 Promissa qui servans patrum,
Misit per alvum Virginis puerperæ
 Natum sibi ante sæcula.
In tempore ante tempus ut genitus foret
 Cunctis saluti gentibus.
Jam devolutis hora cum metis venit,
 Salutifer Paracletus
Descendit in nos, ut novæ testes novi
 Vitæ feramur gentibus.
Hæc illa Patrum vota complevit dies,
 Tot præstolata sæculis.
Hac spe piorum primus Abraham pater
 Instruxit Isaac suum.
Hac Israel duodecim per stemmata
 Benedicta traxit germina.
Regum omnis illa cum profetis (*sic*) gloria
 Caterva vivit perpetim.
53 Hanc nuntiarunt patribus nostris patres,
 Hanc nos nepotibus damus,
Ad quos beati jamque venerunt dies,
 Ut simus horum interpretes.
Nos ante mundi conditi primordia
 Præfixa vidimus Deo.
Nos illa testes, quæ videmus, dicimus,
 Ut populus omnis audiat.
Hæc tuba profecta de Sion, magnalibus
 Orbem replevit Messiæ,
Qua sol relicto vespere auroram refert,
 Et mane mutat vespere.
Hic audietur regna per mundi sonus,
 Christumque discent cardines.
Septentrione nil sub algido latet,
 Nil auster humanum premit,
Quod non ad hujus classicum vocis frequens
 Adoret in monte Israel.
Adsunt relictis sæcula idolis nova,
 Fugiuntque victi dæmones.
Excisa signo est regia inferni crucis,
 Vexilla quod Christi ferunt.
Deo rebelles nocte sub Stygia latent
 Non liberandi exercitus.
Victor tropæa Christus intulit polo
 Ad dexteram Dei Patris.
Hæc elocutos flammeæ linguæ super
 Pendere visæ cœlitus,
Ut quemque Christi Spiritus repleverat.
 Ardebat hoc animam modo.
Mysteriorum turba Judæa insciens,
 Risit profanis gestibus,
Et exterorum festa visitans cohors
 Hierusalem intra mœnia,
Ut hos loquentes quisque vocibus suis
 Suo audit idiomate.
Perculsus animum, ratio cui nihil valet,
 Miraculum eludit joco.
B At Petrus acer multilingui carmine
 Solutus ora prædicat.
54 Deum parentem, filium, atque Spiritum
 Ab usque mundi exordio,
Cum mille gentes ore adessent dissono,
 Ineruditi millia,
Suo audiere quisque dicentem sono,
 Et credidere plurimi.
Hæc prima lux est congregatæ ecclesiæ,
 Hinc orsa, in æternum manet.
Idem ille linguis qui volans flammantibus
 Apparuit testes super,
Servabit illam, donec extremo tuba
 Sonitu excitabit mortuos.
Translata tum migrabit in sinum Abrahæ,
 Visura Christum perpetim.

74. Hoc hymno exscripto, *Velim*, inquit Barthius, *lectione Prudentii, et Paulini exercitatus, et recens aliquis judicet, an possit aliquid eorum scriptis esse similius*. Si Barthio cogar respondere, aperte dicam, C cum Prudentium et Paulinum valde esse inter se dissimiles, tum hunc iambum ad Paulini propius quam ad Prudentii stylum accedere. Nam Paulinum quoque hymnos scripsisse indicat ipse epist. 45 ad Alipium : *Et hoc scribas mihi, quem hymnum meum cognoveris*. Gennadius Paulinum refert fecisse *Sacramentarium et* HYMNARIUM. Ubi aliqui male interpretantur unum tantum hymnum, cum HYMNARIUM (ut *Sacramentarium*) liber sit ecclesiasticus, pluresque hymnos comprehendat. Nihilominus Barthius multa etiam, quæ Paulini nomine inscripta sunt, Prudentiana esse suspicatur (*a*). In iambo præmisso conjicit legendum, vers. 7, *vitæ* vel *summum* pro *finem*. In officio Gothico Isidoriano, seu Mozarabico hymnus S. Vincentii recitatur ex hymno in ejus honorem a Prudentio D composito, et octo aliis strophis initio additis, quas Prudentii videri esse Joseph Blanchinius in notis ad codicem Veronensem officii Isidoriani jactavit, ignarus certe, quam diversæ illæ essent strophæ a stylo Prudentiano, **55** quamque erroribus metricis refertæ (*b*). De *Floribus psalmorum*, quod est Prudentii

(*a*) Ita enim lib. VIII Advers. cap. 12, disserit : DIRÆ BABYLONIS AD AMNES. *Paulinus in psalmo* CXXXVI *iisdem verbis usus est ; nisi et illud tamen carmen* PRUDENTIANUM, *ut multa esse aliis titulis hodie inscripta suspicamur. Cum enim omnium Christianorum poetarum propter eruditionem et materiam hic fuerit facile princeps, codicibus ipsius quisque allevit plurima aliorum, unde mixtio tandem facta et confusio auctorum.* Cæterum inter opera certa S. Paulini exstat carmen ad Cytherium de naufragio Martiniani, quod huic iambo *de missione Spiritus sancti* adeo est simile, ut ovo ovum non sit similius.

(*b*) Eccillas :
 Adest miranda passio
  Levitæ sancti martyris,
  Cui clara virtute flagrans
  Corona Vincenti datur.
 Beatus ille spiritus,
  Quem post triumphum prælii,
  Post vincla dira carceris,
  Cœlestis aula suscepit.

Trecensis opus, sed a nonnemine Clementi Prudentio affingitur, dicam cap. 4 in codice Vatic. Alexand. 334. Qualis sit hymnus in B. Virginem Mariam, Prudentio nostro ascriptus in catalogo bibliothecæ Parisinæ, certe non novi; sed opinor, alterius Prudentii esse opus. Vide num. 98. Carmen *de Fide* in eodem catalogo laudatum a Psychomachia non distinguo. Confer num. eumdem 98. Joan. Chr. Ritterus, in dissertatione *de Aqua ex Christi latere profluente*, part. 2 Thesauri theologico-philologici, Amstelodami, 1702, *Aurelius Prudentius*, ait, *non vilis in Ecclesia existimationis, vulneris hujus* (lateris Christi) *magnitudinem hoc modo exprimit:*

Si cor habes maculatum,
Inspice vulnus tam latum:
Cordis ejus illinc fluit
Unda, quæ sordes abluit.

Non explicat unde hos versus extraxerit: sed Prudentii stylum parum callet, qui eos Prudentii esse crediderit. Neque apud Prudentium invenio versum, quem illi attribuit Barthius lib. XLI Advers., cap. 27:

Jam mihi per rupes videor lucosque sonantes.

Fortasse pro alio poeta nomen Prudentii Barthio excidit.

CAPUT IV.

Codices mss. operum Prudentii.

58 75. Qui codices mss. Prudentii, et ubinam lateant, notas etiam et interpretationes mss. in eumdem ex diversis catalogis aliisque documentis hoc capite complectar, molesto quidem, sed non inutili labore, ex quo scilicet possit divinus poeta magis magisque illustrari. Fabricius in Biblioth. vet. Lat. laudat Prudentii codicem perantiquum in bibliotheca Ambrosiana Mediolani existentem, quo nullum remotioris antiquitatis se vidisse testatur Montfauconius Diar. Italic., pag. 18, quique ad sæculum VII aut VIII refertur. Vide num. 80 circa hunc codicem. Holstenius in epistola de fulcris seu verubus Dianæ Ephesiæ obscurum Minucii Felicis locum explicat, veramque lectionem restituit ex alio simili Prudentii loco in codice præstantissimo Urbinatis bibliothecæ, ad Vaticanam translato, cujus meminit quoque Fabricius, de quo nos postea dicemus. Edmundus Martene in Itinere litterario duorum Maurinorum sine nomine auctoris Gallice edito part. 2, pag. 138, inter codices cœnobii Monasteriensis (*Munster*) recenset poemata Prudentii sæculo X exarata. Joannes Aloy-

A sius Mingarellius præfat. Fasciculi anecdotorum describit codicem carminum S. Paulini, exstantem in bibliotheca S. Salvatoris Bononiæ, a Lippo Platesio sæculo, ut opinatur, XIV exaratum, ubi post tredecim Paulini carmina occurrunt hæc Prudentii opera: *Apotheosis, id est, de Divinitate, Prudentii poetæ clarissimi. Ejusdem Prudentii carmen vel liber contra Hæreticos Patripassianos... Liber contra Unionitas... Carmina vel liber contra Judæos... Carmen vel liber adversus Hæreticos et infideles Homuncionitas... Liber de Natura animæ... Liber contra Phantasticos... Marciogenia... Liber contra Marcionitas... Liber dictus Psychomachia.* Hujus codicis varias lectiones mecum communicavit amicus noster Rochus Menciaca, qui universam historiam ecclesiasticam una

B cum aliis amicis nostris diligenter aggressus est illustrare. Codex Bononiensis solum continet Apotheosin, Hamartigeniam, Psychomachiam: mendosus est et fortasse ex Platesii arbitrio corruptus.

76. Nicolaus Antonius in Biblioth. vet. Hisp. de quodam codice Vaticano hæc tradidit: *In Vaticana bibliotheca codex antiquæ satis notæ, cui affixus est num. 5821, Prudentii omnia opera continens. In cujus primo folio notam legimus recentioris manus: Joannes Antonius Mariettus* **57** *soc. Jesu presbyter hunc librum, cum Pragæ degerem, accepi dono a Christophoro Colero viro doctissimo: cumque illum cum aliquot mss. variis in locis diligentissime contulerim, et nominatim cum celeberrimo vetustissimo illo, quod Ratisbonæ in S. Emerami* (*Emeriani* scribit Nic. Antonius) *bibliotheca*

C *asservatur; et optimæ notæ, et ante multos annos ab exercitatissimo antiquario conscriptum esse censeo:* MDCXVIII, *idibus Julii.* Is Mariettus editionem Prudentii Aldinam anni 1501 cum hoc codice aliisque diligentissime contulit, variasque lectiones margini adjecit, quas, cum feret occasio, annotabimus. Exstat enim liber in bibliotheca collegii Romani: ex quo supra, num. 49 et 68, nonnulla dedimus. Dubito autem, isne ipse Mariettus, an alius, editionem Prudentii Coloniensem anni 1589, et 1594 ex prima recensione Giselini procuratam, exstantem in eadem bibliotheca, cum editione Sichardi, et quodam codice mss. contulerit, in cujus fine descripsit etiam versus Constantinæ, Constantini filiæ, aliosque S. Damasi in honorem S. Agnes, excerptos, opinor,

D ex codice Prudentiano post hymnum S. Agnes (*a*).

Omnes mirantur perpetim
Post tactum cruorem martyrem,
Quem testularum fragmine
Mucrone acuto vulnerant.
Dolore nullo frangitur,
Nullaque pœna vincitur,
Flammas ferens per ungulas,
Robusta permansit fides.
Ex hinc reponunt mollibus
Christi fidelem militem,
Carnis relicto corpore
Ad astra migrat spiritus.
Vesanus imperator fe-
Ris jactum cadaver mandat,
Custode corvo, corpore
Famis lupina pellitur.
Gravis tyrannum inexcitat
Furor, jubetque martyrem,
Insutum parvo eculeo,
Ponti profundo immergere
Honor summus redditur
Jubente Christo littori
Refectis undis levibus
Prævenit omnes remigeo.
Tu solus, o bis inclyte, etc.

In Breviario Isidoriano clare legitur stroph. 5, vers. 3, *Carnis relicto* PONDERE pro CORPORE, et stroph. 8, vers. 4, *remiges* pro *remigeo*, quod non advertit Blanchinius, qui pro diversa scriptura legit *suscipit* pro *suscepit*, *factum* pro *tactum*, *fragmina* pro *fragmine*.

(*a*) Addidit autem hanc notam: *Editio hæc Sichardi Antuerpiæ 1536 cum commentariis Nebrissensis, in-8°, est hujusmodi, ut multa habeat adnotata ad oram libri,*

In hoc codice ex libro Cathemerinωn erat tantum A hymnus VIII kal. Januar., et sequens Epiphaniæ hymnus usque ad stropham : *Inter coævi sanguinis*. At in hymnis tamen præcedentibus adverto nonnullas lectiones variantes, notatas littera *P*, quæ an codicem Palatinum, an Pragensem, an alium indicet, ignoro: non enim POTIUS significat, cum aliquando scribatur, *sicut etiam habet P.* Liber Peristephanωn in eodem codice incipiebat a versu 107 : *Hæc coercet, torquet, urit, hæc catenas incutit.* Ad hymnum S. Fructuosi observat anonymus, qui codicem conferebat, suum codicem Sichardi codice antiquiorem, et meliorem esse, et plerasque lectiones, quas Sichardus probat, notatas esse in suo, sed recentiori manu. Reliqua omnia Prudentii operą aderant in hoc codice, nisi quod in lib. II adversus Symmachum B versui 264 nota erat apposita, reliqua ad finem usque desiderari. Idem anonymus nonnunquam verba quædam Prudentii explicuit, **58** sive ipse ea est interpretatus, sive ex codice interpretationes sumpsit, quas suis locis repræsentabimus. Fere pro certo habeo, hunc fuisse codicem Marietti, de quo iterum inter codd. Vatic. In bibliotheca Angelica Romæ apud PP. Augustinianos vidi et contuli *Psychomachiam ms.* Codex scriptus est a quodam monacho Cisterciensi anno 1472 ex exemplari pervetusto, ut videtur, sed non sine erroribus (*a*). Hunc codicem appellabo *Angelicum*, sive primis litteris *Ang.* Loco codicis esse potest editio Prudentii Weitziana cum variis lectionibus mss. ex veteri codice penes cl. præsulem Josephum Antonium Reggium, C qui non solum hanc editionem, sed codices omnes Vaticanos Prudentii et quasdam suas animadversiones ex recondita doctrina et assidua lectione collectas singulari humanitate mecum communicavit. Itaque erudito custodi bibliothecæ Vaticanæ plurimum Romanam hanc editionem Prudentii debere grati animi causa ultro fatebor.

77. In bibliotheca Vaticana vidi et excussi omnes quotquot exstant codices quos suo ordine describam. Inter codices Vaticanos (nam in bibliotheca Vaticana alii codices vocantur *Vaticani*, alii *Alexandrini*, alii *Urbinates*, alii *Otthoboniani*, e diversis bibliothecis plurium pontificum jussu in Vaticanam translati), 1° *codex n.* 2766, pag. 81, pergamen., in-8°, exaratus, ut creditur, sæculo XII; inter alia aliorum carmina continet *Psychomachiam*, sive de Pugna animæ, primis litteris rubris, notatiunculis ad marginem, sed in principio tantum, nullis titulis, quales sunt in aliis, sine diphthongis : scribitur *hostentatrix*, *hictibus*, etc. In fine, *Explicit liber*. Plurimis scatet mendis : hunc nominamus codicem *E*.

2° *Codex Vaticanus* 2868, pag. 51, membranac., in-4°, sæculi XIII. In eo est *Psychomachia* inter alia diversorum auctorum poemata. Desunt tituli, etiam primus operis (*b*). Character accedit ad sæculum XIV. **59** Orthographia, *tempto*, *honero*, *glorie*, etc. Quam parum sit accuratus, ex primo versu disce : *Senex fidelis prima via credendi est.* Hic codex a nobis dicitur *F*.

3° *Codex Vat.* 3267, pag. 34, membran., sæc. XII, in-8. *Psychomachia* notæ antiquæ cum glossis magnam partem erasis. Orthographia, *seuientis*, *fallerata*, *temptes*, *connisa*, *honero*. Præcedunt quædam Ovidii carmina : subsequitur Vita Prudentii ex Gennadio, ubi *Dirocheum* legitur pro Dittochæum. Item præfatio, *Per quinquennia* cum interpretatione ejus, et commentariis Psychomachiæ : quæ recentiora videntur. Huic codici nomen *C* dedimus.

4° *Codex Vat.* 3859, mem., sæc. XI, in-4. In eo exstant liber *Cathemerinωn*, *Peristephanωn*, *Apotheosis*, *Hamartigenia*, *libri adversus Symmachum* negligentissime scripti, *Dittochæum* sine ullo titulo poematis : in tetrastichis vero nonnulli sunt tituli, sed pueriliter scripti. Desinit dittochæum in hos versus :

Implentur nimio micarum fragmine corbes
Bisseni : æternæ tanta opulentia mensæ.

Deest etiam Psychomachia, et conclusio carminum :

Immolat Deo Patri
Pius, fidelius, innocens (*c*).

distincta ab iis quæ sunt in contextu, ut non facile scias quid potissimum sit Sichardi, et contingit interdum convenire cum nostro quæ sunt adnotata ad oram, interdum vero quæ in contextu, interdum neutra. Ergo esset in primis quærenda editio alia cum commentariis Nebrissensis tantummodo, et deinde cum hoc conferenda, ut videri posset, quid Sichardus restituerit; postremo utraque cum nostro, ut videremus quæ nostra sint ab aliis omnibus diversa. Ex iis tamen quæ notavi, facile est cognoscere, quænam ex nostris prius notaverat Sichardus, et quænam non viderat : nam, ut alibi diximus, liber quo se usum ait, Argentorato allatus, non videtur valde absimilis a nostro.

(*a*) Continet hic codex præfationem operum, *Per quinquennia*, præfationem Psychomachiæ, et Psychomachiam. Sequuntur quidam versus, qui dicuntur symbolum Philelphi, tum carmina Lactantii, ac Sedulius de Festo paschali.

(*b*) Ad oram est quædam animadversio de poemate et auctore, cujus elegantiam ex his verbis degustes, licet : *In principio istius libri inquiruntur ea quæ in aliorum librorum inquiruntur principiis, scilicet quot et quales sint causæ*, etc. Tum distinguit quatuor causas : *materialem*, *formalem*, *efficientem et finalem*. De efficiente hæc : *Causa efficiens fuit Aurelius Prudentius, laicus, scholaris Hispanus; conjugatus fuit.* Id fortasse desumptum est ex fine hymni S. Cassiani. Addit annotator, *Aurelium* ab *auro*, *Prudentium* a *prudentia* seu providentia, *Clementem a cœli mente* D *dictum* : Romam advenisse ac se tradidisse Ecclesiæ : primo scripsisse librum Martyrum, secundo Hymnorum, tertio de Psychomachia. In fine codicis : *Explicit liber Prudentii de Sichomachia. Incipit Sclavus de Varo. Incipiunt Sclavi de Varo consona dicta. A Beneventano Jacobo per carmina ficta.* In eodem codice est quoddam opus Henrici Florentini elegiaco carmine.

(*c*) Ordo libri Peristephanωn est : 1° SS. Hemeterius et Celedonius; 2° S. Vincentius; 3° SS. Octodecim martyres Cæsaraugustani; 4° SS. Fructuosus et socii; 5° S. Quirinus; 6° De loco, in quo martyres passi sunt, nunc baptisterium est Calagurra (de quo titulo dicam suo loco); 7° Cassianus *ad Valerianum episcopum*, (etiam hic mendum est); 8° Ypolitus (hic potius addendum, *ad Valerianum episcopum*); 9° SS. Petrus et Paulus; 10° S. Cyprianus; 11° S. Agnes;

Hunc codicem sub hoc eodem num. 3859 laudat Montfauconius in Bibliotheca bibliothecarum mss., elegantem dicit, et sæculo x aut ix scriptum putat. In catalogo, qui mihi ostensus est ex Vaticana bibliotheca, dicitur exaratus sæculo xi. Hic nobis est codex Vaticanus *A*, cujus glossas et varias lectiones allegamus. Collatus fuit diligentissime a Marietto cum editione Aldina ex quo nos profecimus, sed non omnino labori pepercimus: siquidem præcipua loca nos ipsi contulimus, etiam post summam Marietti diligentiam probatam, beneque perspectam. Notam characteris hujus codicis in ære incidi curavimus.

5° *Codex Vaticanus* 3860, sæculo eodem xi, membranaceus, in-4. Hoc quoque exemplar Mariettus cum editione Aldi contulit, et vetustius codice præcedenti existimat esse. Nos appellamus codicem *B*, et qualis sit ejus characteris nota, in ære ostendimus *. Hunc pariter codicem elegantem et sæculo ix scriptum affirmat Montfauconius loc. cit. Verum in eo solum est liber *Cathemerinωn*, **60** non integer, liber *Peristephanωn*, *Tituli historiarum*, *Apotheosis*; cætera Prudentii carmina desiderantur: adsunt autem in laudem S. Agnes carmina Constantinæ, Constantini filiæ et S. Damasi papæ.

6° *Codex Vaticanus* 4318, pag. 52, sæculo xiii, chartaceus, in-8, cujus titulus est in catalogo bibliothecæ Vaticanæ: *Commentarii super Prudentio* DE COLUMBA *historiarum Veteris ac Novi Testamenti* (*a*).

7° *Codex Vaticanus* 5556, membranaceus, in-4, sæculo xiii, in catalogo bibliothecæ Vaticanæ inscriptus: *Prudentii liber de quibusdam viris Veteris Testamenti*. In codice est titulus: *Incipit de Adam et Eva*. In fine: *Explicit liber Prudentii*. Primæ litteræ sunt versicolores: tituli tetrastichorum minio notati, sed in Novo Testamento solum est titulus primus: *De Novo Testamento, et Gabriele nuntio Christi*. Orthographia est hujusmodi: *iopnus*, *archa*, *cratherem*, *fauille*, *nuptu* pro *nutu*. Plura menda occurrunt. Nomen huic fecimus *D*.

8° *Codex Vaticanus* 5821, antiquissimus, exaratus sæculo ix vel saltem x, ut in catalogo bibliothecæ A Vaticanæ notatum invenio. Is est codex Marietti, de quo egimus num. 76. Nota Marietti, quam affert Nicolaus Antonius pertinet ad annum 1618 idibus Julii. Scriptum quidem a prima manu erat, *in S. Emeretiani bibliotheca*, sed emendatum fuit *S. Emerami*, quod verum est monasterii nomen. Hunc codicem frequenter laudamus, sed sub nomine *Marietti*, aut *Mar.*, non aliqua littera distinctum, ut plerosque alios Vaticanos. Characterem ejusdem codicis in ære repræsentamus. Quid autem, et quo ordine contineat, distinctius in commentariis exprimemus.

78. Ex bibliotheca Vaticana Alexandrina 1° *codex* 58 (olim 1225), *Hymni*; sæculi xiii, membran. In codice autem est liber *Cathemerinωn*, seclusis duobus B postremis hymnis *de Natali, et Epiphania Domini*, et **61** carmen *Psychomachiæ* (*b*). Nullæ sunt diphthongi: scribitur *horis* pro *oris*, *templo*, *alumpnus*, etc. Huic codici nomen *O* imponimus.

2° *Codex Vaticanus Alexandrinus* 74, membranac., in-8, sæc. xi vel xii, *Carmina*. Hæc autem sunt libri *Cathemerinωn*, et *Peristephanωn* usque ad hymnum S. Romani, vers. *Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles*. Præfatio nullam habet inscriptionem. Post Præfationem: *Incipit hymnus ante lucem*, et in A vocis *ales* depingitur gallus. Postea: *Hymnus matutinus*. In hymno, *Inventor rutili dux bone luminis* nullus est titulus. In hymno, *Da puer plectrum choreis ut canam fidelibus*, titulus jam evanuit. Hymnus, *Deus ignee fons animarum*, hanc habet inscriptionem: C *Hymnus ad exsequias mortuorum*. Desunt hymni *de Natali* et *Epiphania Domini*. Sequitur liber *Peristephanωn* sine titulo (*c*). Paucæ sunt diphthongi: orthographia, *sollepnem*, *lauachrum*, *hyemps*. In prima littera præfationis, *Per quinquennia*, imago Prudentii erat depicta, quantum colligere possum, eodem vestis genere quo in codice Urbinate: lineamenta oris penitus sunt erasa. Vide num. 58, cap. 1 Proleg. Hujus codicis nomen est *P* in nostris commentariis.

3° *Codex Vaticanus Alexandrinus* 321, membranaceus, in folio magno, sæculo x circiter exaratus.

12° S. Laurentius; 13° S. Eulalia; 14° Liber de beato D Romano martyre; 15° Natalis Domini; 16° De Epiphania.

(*a*) Pag. 52 codicis incipiunt commentarii cum ipsis tetrastichis Dittochæi, et titulus, ut ibi dicitur, est: *Incipit auctor Prudentii de nova columba* (fortasse legendum, *de Eva columba*) *historiarum Veteris Testamenti et Novi*. Finit cum tetrasticho de Apocalypsi. Sequitur pag. 63 alia expositio *Aur. Prudentii historiarum*: ac notatur auctorem habuisse tria nomina, *Prudentius*, quia *prudens* fuit; *Aureolus*, quia *auream* vitam duxit; *Clemens*, quia [*F.* quasi] *cæli mens*, eo quod mentem in cœlestibus habuerit. Additur: *Dicitur liber iste* DITTOCHEUS, *id est, refectio Veteris Testamenti et Novi... titulus talis est: Incipit Prudentius tractans de Veteri et Novo Testamento*. Character est sequioris ævi, etymologiæ ridiculæ, commentarii nobis inutiles, etiam cum manus, margini appicta, animo intento jubet esse lectorem. Itaque sine ullo nomine hunc codicem præterimus. Cur autem *Dittochæum* inscribi soleat *de columba*, num. 61 dixi.

(*b*) Nulli sunt tituli neque in libro Cathemerinωn, neque in Psychomachia: solum in fine Psychomachiæ notatur: *Hic finit liber poetæ Prudentii. Fides*, *idolatria* (sic), *pudicitia*, *libido*, *patientia*, *ira*, *humilitas*, *superbia*, *sobrietas*, *luxuria*, *benignitas*, *avaritia*, *concordia*, *discordia*. In fine vero libri Cathemerinωn: *Explicit liber Prudentii*.

(*c*) Hic hymnorum ordo: 1° SS. Hemeterius et Celedonius sine titulo; 2° Passio S. Vincentii; 3° Passio SS. octodecim martyrum; 4° Passio S. Fructuosi; 5° Passio S. Quirini; 6° sine titulo, *Electus Christo locus est*, etc.; 7° Passio S. Cassiani; 8° sine titulo hymnus S. Hippolyti; 9° Passio SS. apostolorum Petri et Pauli; 10° Passio S. Cypriani; 11° Passio S. Agnetis (sic scribit); 12° sine titulo hymnus S. Laurentii; 13° hymnus S. Eulaliæ sine titulo; 14 hymnus S. Romani sine titulo.

* Hujus codicis et nonnullorum infra citatorum specimen in fronte tomi habetur, ubi etiam inveniet lector imagines æri incisas de quibus passim mentio fiet, præter paucas quas ipsi mentioni subjecimus. EDIT.

Initio describitur elogium Prudentii, *Aurelius Prudentius Clemens iste partim in consulatu*, etc., fere ut num. 49 ex cod. Vat. 3859 posui. Tum inscriptio et elenchus operum (*a*). Solus hic codex inter tot Vaticanos integer est, in quo bis conclusio carminum describitur, primum post libros contra Symmachum, quasi **62** epilogus eorum, tum post Titulos historiarum sive Dittochæum, quasi omnium poematum clausula. Characterem codicis æri incisum exhibemus: ejus variantes lectiones annotamus sub nomine codicis Alexandrini, sive *Alex.* (*b*).

4° *Codex Vaticanus Alexandrinus* 334, exaratus sæculo x: *Flores psalmorum cum præfatione ad viduam.* Ita catalogus operum Prudentii, quem a bibliothecæ Vaticanis administris accepi. In codice ipso hæc lego: *Prudentii flores psalmorum cum præfatione ad viduam charactere Longobardico.* Et in prima pagina: *Codex Vaticanus habet pro titulo: Prudentii flores psalmorum cum præfatione ad viduam. Sane antiquissimus hic auctor, quoniam viduarum, seu diaconissarum nomen in Ecclesia jam diu desiit. Forte Prudentius hic ad tempora S. Hieronymi referendus, nisi et*

A *dicamus potius, eumdem esse ac ipsum poetam Christianum, qui floruit initio* v *sæculi.* Et postea: *Inter L. Zaccagni* **63** *libros inventus.* Operis inscriptio: *Incipit Psalterium Prudentii, Domine, rex clementissime.* Hunc codicem retuli, quia inter codices Prudentianos in catalogo bibliothecæ Vaticanæ collatum inveni. Auctor autem non est Aurelius Clemens Prudentius, sed alius Prudentius, scilicet Prudentius Galindo, natione Hispanus, episcopus Trecensis, de quo videri potest Nic. Antonius in Bibliotheca veteri Hispana (*c*).

5° *Codex Vaticanus Alexandrinus* 348, membran., in-8, sæculi IX, sine ullo titulo. Incipit: *Per quinquennia jam decem.* In fine: *Explicit præfatio.* Tum hæc inscriptio: *Incipit liber Hymnorum Aurelii Pru-* B *dentii Clementis nobilissimi ac facundissimi poetæ.* Sunt nonnullæ glossæ et explicationes metrorum, et tituli minio notati (*d*). Magno in pretio est habendus hic codex; utinam non esset mutilus et decurtatus. Orthographia est, *ymnus*, *inrepsit*, et similia cum diphthongis. Hujus codicis nomen est *I* in nostris commentariis.

(*a*) *Aurelii Prudentii Clementis viri consularis libri numero novem, Catemerinon, Apotheoses, Amartigenia, Psychomachia, contra Symmachum, liber* II *contra Symmachum, Romanus, Peristephanon, Tituli historiarum.* Ante præfationem, *Per quinquennia jam decem*, est inscriptio, *Præfatio*, et nihil aliud. Post librum II contra Symmachum legitur: *De opusculis suis Prudentius, Immolat Deo Patri*, etc. cum postremo versu: *Quo regente vivimus. Finit contra Symmachum.* Deinde: *Incipiunt Tituli historiarum.* Et post titulos eodem veteri charactere, *Epilogus, id est clausula et finis libri: Pius, fidelis, innocens*, cum versu in fine, *Quo regente vivimus.*

(*b*) Profecimus etiam ex labore et industria cl. P. Peregrini Chiesa, qui olim Prudentii editionem meditatus, sedulo hunc codicem contulerat, et quæ ex eo adnotaverat, perhumaniter exhibuit exscribenda. Cui etiam acceptum refero, quod editione ad usum Delphini per otium uti possum, quam rarissimam esse jam monui. In codice vero Alexandrino quædam animadverti, peculiari adnotatione digna. Ii sunt hymnorum tituli: *Hymnus ad galli cantum; Hymnus matutinus; Hymnus ad incensum lucernæ; Hymnus circa exsequias defuncti; Hymnus* VIII *kalendas Januarias; Hymnus in Epiphania*; cæteri, ut in vulgatis. Post librum Cathemerinon, *Incipit Apotheoses, Est tria summa Deus*, etc., cum titulis sequentibus; *Incipit contra hæresim, quæ Patrem passum affirmat. Contra Unionitas. Adversum Judæos. Contra Homuncionitas. De natura animæ. Adversum Phantasmaticos, qui Christum negant verum corpus habuisse. Finit Apotheoses.* Deinde: *Incipit Amartigenia liber.* Et in fine: *Finit Amartigenia lib.* III. Tum: *Incipit Psychomachia liber* IIII. Post præfationem tituli margini affiguntur, et in fine: *Finit liber* III *Psychomachia.* De hac diversitate numerandi libros, latius in commentariis. Post Psychomachiam, *Incipit contra orationem Symmachi liber* I. Et post hunc: *Explicit contra orationem Symmachi liber* I. *Incipit liber* II, *feliciter amen.* In fine: *Aurelii Prudentii Clementis V. C. finit contra Symmachum liber* II. *Incipit ejusdem Romanus contra gentiles.* Post hymnum S. Romani: *Finit Romanus Aurelii Prudentii Clementis. Incipit liber Peristephanon.* Ordo et tituli hymnorum sunt: 1° Hymnus in honorem SS. Martyrum Emeterii et Chelidonii, Calagurritanorum. 2° Incipit passio Laurentii beatissimi martyris. 3° Hymnus in honorem passionis Eulaliæ beatissimæ martyris. 4° Incipit Passio Vincentii martyris. 5° Hymnus in honorem SS. octodecim martyrum Cæsaraugustanorum. Et in fine: Finit passio SS. octodecim. 6° Incipit Passio S. Agnes. Et postea: Finit passio S. Agnes. 7° Incipit hymnus in honorem beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi ecclesiæ Tarraconensis, et Augurii et Eulogii diaconorum. 8° Hymnus in honorem Quirini beatissimi martyris, episcopi Ecclesiæ Siscianæ... Finit passio Quirini. 9° Incipit Passio Cassiani Forocorneliensis... Explicit. 10° Incipit de loco, in quo martyres passi sunt, nunc baptisterium est. 11° Ad C Valerianum episcopum de passione Hippolyti beatissimi martyris. 12° Passio beatorum apostolorum Petri et Pauli. 13° Passio beati Cypriani martyris.

(*c*) Ejus Flores psalmorum exstant in editione operum cardinalis Thomasii, studio et cura Josephi Blanchinii, tom. II, pag. 464. Blanchinius hoc opusculum edidit ex laudato codice Regio Vaticano 334, adjecta præfatione, et lectionibus variantibus ex alio codice Vaticano signato num. 84. Utrumque codicem putat pertinere ad sæculum x. Præfatio incipit: *Cum quædam nobilis matrona*, etc., nulla alia fit mentio *diaconissarum.* Titulus: *Incipit prologus Prudentii episcopi de Flores psalmorum.* In codice Vaticano 191 exstat aliud opus ejusdem Prudentii, inscriptum: *Hæc Prudentius episcopus Tricasensis tam de Veteri quam de Novo collegit Testamento, et ad sacros ordines properantes memoriæ commendare præcepit, quæ et Præcepta dicuntur.* Confer dicenda pag. 221 (in nota *incipiente verbis* DIXI NUM. 78).

D (*d*) E quibus hos exscribam: *Hymnus ad gallicinium.* In A depingitur gallus cum viridi ramo pendenti ex ore. *Hymnus matutinus. Incipit hymnus ad incensum*: non apparet satis, scriptumne sit, *ad incensum luminis*, an *lucernæ. Hymnus omni hora. Hymnus circa exsequias defunctorum.* Post hunc hymnum: *Finit liber primus de hymnis.* Incipit liber II περιστεφάνων, *Hymnus in honore martyrum Emeterii et Chelidonii Calagurritanorum.* Sed deest totus hic hymnus et sequentes, avulsis scilicet foliis usque ad versum 1110 Passionis S. Romani, qua finita legitur: *Finit Romanus Aurelii Prudentii Clementis. Incipit hymnus* VIII *cal. Jan.* Et in fine: *Finit hymnus* VIII *cal. Jan., hoc est, Nat. Dni. Finit Cathemerinon Prudentii Clementis. CV. CV. Incipit de opusculis suis: Immolat Deo Patri.* In fine secunda manus adjecit versum, *Quo regente vivimus.* Post hanc odem, *Inci-*

6° *Codex Vaticanus Alexandrinus* 1439, in-8, membran., sæc. XI. Inscriptio est : *Aurelii Clementis Prudentii Psychomachiæ liber incipit.* Aliquæ sunt glossæ ad oram, et inter lineas. Nulli pene sunt tituli. In fine : *Explicit liber. Aurelius Prudens virtutum prælia Clemens-Cum vitiis cepit metrica scholasticus arte.* Sunt aliquæ correctiones recenti **64** manu, qua in prima pagina notatum est, *Nicolai Heinsii*, quasi is librum possederit. Orthographia, *onore*, *haut*, nullæ diphthongi. Satis correctus est codex hic, quem *G* vocamus. A

7° *Codex Vaticanus Alex.* 1702, membran., in-4, sæculo XII. *Carmina.* Continetur hoc codice liber *Cathemerinon* imperfectus; nam incipit a versu 45 hymni 5, *Sed rex Niliaci littoris invido.* Post, *Incipit hymnus ante somnum*, et similiter alii tituli. Sed in B hymno *Omni hora*, et *Ad exsequias* deest titulus. In hoc libro Cathemerinωn sunt aliquæ glossæ, et prætermissis hymnis Natalis Domini, et Epiphaniæ sequitur liber Peristephanωn, nulla inscriptione, quæ hymnis apposita est recenti manu (*a*). Postea : *Pius*, *fidelis*, *innocens* cum versu ultimo, *Quo regente vivimus* : cui odæ titulus est additus recenti manu : *Operum reliquorum conclusio.* Succedit *Dittochæum* cum inscriptione recenti ad marginem : *Diptychon Veteris et Novi Testamenti*, *quod alii Amœno*, *alii Sedulio tribuunt*; de qua inscriptione vide num. 66. Deinde *Apotheosis*, qua finita legitur versus, nescio, qua manu ascriptus : *Caseus ante focum debet habere locum.* Tum præfatio Hamartigeniæ usque ad versum 6. Reliqua desiderantur. Scribitur, *perhennis*, et similia, desunt multæ diphthongi : glossæ pleræque, ut in Vaticano A, et Isone. Nomen *Q* fecimus. C

8° *Codex Vaticanus Alexandrinus* 1835, in-4, membran., sæculi XIII, *Psychomachia cum adnotationibus*, quæ magnam partem consumptæ sunt. Desunt tituli; in fine : *Explicit liber Prudentii.* Orthographia, *temptes*, *horis* pro *oris*, sine diphthongis. Notatum est in principio : *Hic codex erat ex bibliotheca S. Silvestri* : puto, in monte Quirinali. *Nomen hujus codicis est L* in nostris commentariis.

9° *Codex Vat. Alex.* 1858, chartaceus, in-4, sæculo XIV exaratus, *Dittochæum*. Titulus in indice operum hujus codicis est : *Prudentii Columba cum commento* (*b*). Hic codex scribebatur anno 1472, ut D ex nota in prima pagina apparet, adeoque sæculo XV non XIV, ut in catalogo mihi exhibito erat expressum. Codex mendosus est, commentarii nulli sunt usui, desunt tituli. Codicem *N* appellamus.

10° *Codex Vat. Alex.* 2078, sæculo IX, in-folio parvo membran. **65** *Aurelii Prud. Clem. Certamen virtutum contra vitia.* Sine præfatione incipit : *Christe*, *graves hominum semper miserate labores.* Desunt multa a versu *Nascitur hinc inopina* ad versum *Norimus ancipites.* Desideratur etiam ultimus versus, *Æternum*, etc. Nihil tamen est lacerum aut abrasum : fortasse exscriptus est ex alio codice imperfecto. Scribendi ratio : *adgreditur*, *sulphoreus*, *thoracha*, sine diphthongis. Non pauca sunt menda. Hic est codex *H*.

11° *Codex Vaticanus Palatinus* 235, membran., in-fol., sæculi XI circiter. Pagina 45 hujus codicis : *Incipiunt glossemata de Prudentio* (*c*). Glossæ pleræque, ut in Isone et Vat. A. Quasdam hujus codicis proprias suis locis inseram. Post hymnum Exsequiarum, *Finit liber Hymnorum.* Sequuntur hymni *de Natali* et *Epiphania.* Postea *Peristephanωn*, *sive de Coronatis*, *i. e. martyribus*, sed nullæ sunt glossæ. Illico Apotheosis cum titulis minio notatis. In fine : *Apotheosis de divinitate finit. Incipit Amartigenia*, *id est de Origine peccatorum adversus Marcionitas*, *qui duos deos esse affirmant.* Sequuntur *Psychomachia*, et duo libri *adversus Symmachum*, sed glossæ non continuantur ad finem usque libri secundi. Advertendum est, in hoc codice esse tantum *glossemata*, non carmina. Codex nitido charactere scriptus est, a nobis vocatus *T*.

79. 12° *Codex Vatic. Palatinus* 242, in-12, sæculo XII circiter. *De Prudentio et ejus operibus.* Hoc opusculum est tantum præfatio in carmen Psychomachiæ (*d*). Revera post alia aliorum opuscula in fine hujus codicis est Psychomachia, quod in indice non exprimitur : sed in versu 683, *Intulit hoc vulnus*, etc., terminatur. Character videtur esse sæculi XI aut X. Multa jam evanuerunt; tituli alii adsunt, alii desunt. Orthographia, *lues*, non *luis*, in nominandi casu, sed *famis* postea, et supra *fames*, *sevientis*, *glorie*, *harenas.* Nomen *R* codici huic imponimus.

13° *Codex Vaticanus Palatinus* 1715, membranaceus, in-8, sæculo XI circiter scriptus. *Incipit glossa Prudentii Aurelii Clementis.* **66** Paginis triginta con-

piunt Tituli historiarum per Adam et Evam. Tetrasticha. Hæc autem non ut titulus ponitur, sed ut metri explicatio, sive nomen. Finito Dittochæo, *Expliciunt Tituli historiarum. Incipit* Ἀποθέωσις, *id est de Divinitate.* Desunt folia post duas præfationes Apotheoseos.

(*a*) Ordo hymnorum est, 1° SS. Hemeterius et Celedonius. 2° S. Vincentius. 3° S. Laurentius. 4° S. Hippolytus. 5° S. Cyprianus. 6° SS. Petrus et Paulus. 7° SS. martyres octodecim Cæsaraugustani. 8° S. Agnes. 9° S. Eulalia. 10° S. Fructuosus. 11° S. Quirinus. 12° S. Cassianus. 13° S. Romanus. 14° De natali Domini. 15° De Epiphania.

(*b*) In commento dicitur : *Auctor hic fuit Clemens Aurelius Prudentius... Clemens a clementia, Aurelius ab auro, Prudentius a prudentia... Scripsit librum de Columba, de quo ad præsens intendimus pertractare.*

(*c*) Elogio Gennadii de Prudentio hæ peculiares glossæ adduntur : *Illustrium : nobilium, vel clarorum. Ditrocheum : duplex refectio, i. e. de Veteri et Novo Testamento. Exceptis : ab invicem separatis. Apotheosis : Deificatio.* Rursus affirmo confirmoque, in nullo Vat. cod. a me repertum *Diptychon* prisca manu ita scriptum. Alius tradit probatissimos codd. Vat. astipulari huic titulo, *Diptychon* : sed fortasse titulos indicum recentes pro antiquis accepit.

(*d*) Quædam de Prudentio narrantur aut falsa, aut non satis probata, quod Romæ litteras didicerit, quod pervenerit ad consulatum, quod *ad ultimum* fidem recipiens, factus sit Christianus. Additur quod liber titulum habet : *Liber Aurelii Prudentii Clementis. Incipit liber Psychomachiæ.* Dicitur etiam quod *scripserit quosdam libros de Divinitate, inter quos et hunc composuit, vocans eum Psychomachiam.*

stat hoc opusculum (*a*). Paucæ sunt glossæ, e quibus nonnullas suis in locis dabimus : nihil tamen est aliud præter glossas. Orthographia, *effebi*, *frenesis*, *ymnus*, cum diphthongis. In fabularum explicatione potissimum glossemata versantur. Huic codici nomen erit *S*.

14° *Codex Vaticanus Urbinas* 666. *Prudentii opuscula*. Titulus alius magnificentissime scriptus : *In hoc ornatissimo codice continentur opera Aurelii Prudentii Clementis, viri doctissimi*. Præcesserat index carminum. Inscriptio præfationis est : *Aurelii Prudentii Clementis in opuscula sequentia præfatio : Per quinquennia*, etc. In prima littera P depicta est imago auctoris, ut diximus Proleg. num. 58. In fine codicis : *Explicit liber II contra Symmachum de restituenda ara. Antonius Sinibaldus transcripsit Florentiæ. Anno Christi* MCCCCLXXXI. XX. *No*. Codex in-folio, membrana nitida, lævi et candida, charactere eleganti, plurimis aureis litteris et egregiis imaginibus sanctorum, quos laudat Prudentius, affabre ornatus, quod peritorum hominum judicio possum comprobare (*b*). Hunc codicem vocamus *Urbinatem*, aut primis tantum litteris *Urb.*, de quo vide supra num. 75 judicium Holstenii.

15° *Codex Vaticanus Otthobonianus* 237 Chartaceus, in-8. *Prudentius de B. Cassiano*. Hoc cod. continetur *Legenda S. Cassiani martyris per Fr. Jacobum* (de Voragine) *ordinis Præd. compilata*. Eam dedicat Franciscus Ferrus canonicus Imolensis Hieronymo Dandino episcopo Imolensi. Jacobus vero scribebat Bononiæ anno 1282. Folio 27 : *Prudentius poeta de B. Cassiano ita cecinit : Sylla*, etc. In fine : *Prudentius, ut notum est, fidei vir, et religiosa dogmata poematis etiam jucunditate commendans*, etc. Hic erit codex dictus *X*.

16° *Codex Vaticanus Otthobonianus* 1193, chartaceus, in 4, erat ex codicibus Joannis Angeli ducis ab Altaemps. *Dittochæum* sine ulla inscriptione. Sunt glossæ nonnullæ inter lineas. Exstat **67** pag. 108 hujus codicis *Dittochæum*, quod diximus, et idem opus pag. 115 cum commentariis longioribus, sed in hoc secundo solum sunt duo prima tetrasticha. In limine commentarii secundi dicitur : *Inter opera quæ fecit Prudentius, hoc esse utilissimum, cujus materia est duplex refectio Novi et Veteris Testamenti*, et titulum esse : *Incipit tetrastichum Prudentii Aurelii Clementis de columba*. Mendosissimus est hic codex, cui nomen Y fecimus.

17° *Codex Vaticanus Otthobonianus* 1220, in-4, chartac. *Dittochæum cum commentariis*, ut supra in codice Y. Sed hic integrum est opus, in cujus fine : *Explicit liber Prudentii*. Nomen Z huic erit codici in commentario.

18° *Codex Vaticanus Otthobonianus* 1297, membranaceus, in folio, sæculi XIII aut XIV, elegans et titulis minio descriptis ornatus, qui fuerat e libris Joannis Angeli ducis ab Altaemps. *Incipit liber Prudentii : id est, columba Novi et Veteris Testamenti*. In commentariis titulus esse dicitur : *Incipit liber Dittochei, quod nomen est ad placitum, dia Græce, Latine refectio*. Hinc disce commentariorum alias ineptias. In fine : *Explicit columba Veteris et Novi Testamenti*. Tituli diversi sunt ab antiquis, ex ingenio interpretis fusi. Codex mendosus, qui tamen a nobis vocabitur *AA*.

19° *Codex Vaticanus Otthobonianus* 1502, in-4, membran., elegans et titulis versicoloribus descriptus. *Incipit liber de duobus Testamentis*. Et statim : *Eva columba*. Alii tituli sunt recentes : in fine : *Explicit liber Prudentii de duobus Testamentis*. Dittochæum incipit fol. 12 hujus codicis; folio vero 39 reperitur *Psychomachia*, in indice bibliothecæ Vaticanæ minime notata. Nulla est inscriptio neque in præfatione, neque in opere, quod desinit in versu, *Reddimus æternas*, etc. Ætas codicis est sæculi XIII circiter, quem nos *BB* nuncupamus.

20. *Codex Vaticanus Otthobonianus* 3325, in-4, chartaceus, *Dittochæum* sine primo titulo : sunt alii tituli in tetrastichis, sed recentes. In omnibus his exemplaribus Dittochæi eædem fere occurrunt varietates, neque magni eorum auctoritas est habenda. Hactenus de codicibus Vaticanis, quorum catalogum a me confectum si conferas cum iis quæ de eisdem affert Montfauconius, facile agnosces quam sit imperfecta *Bibliotheca bibliothecarum mss*. Neque tamen contemnenda est viri docti et diligentissimi opera, qua multum juvari possunt, quibus facultas non est inspiciendi per se codices et bibliothecas. Jam de codicibus Prudentii Ratisbonensi, Pragensi et Viennensi, quorum varias lectiones a Marietti **68** adversariis mutuatus sum, pauca dicam in nota (*c*). Præter

(*a*) Ita incipit : *Kyrocheum : id est, manualem. Exameron : sex dierum. Apotheosis, i. e. de divinitate. Amartigenia, i. e. peccatorum origo. Psychomachia : animæ pugna*, etc, ; quæ sunt glossæ ad vitam Prudentii a Gennadio conscriptam.

(*b*) In operum ordine collocando hic codex similis est codici Florentino, de quo ad num. 85 et seqq., et, ut opinor, ex Urbinate Florentinus est descriptus, aut uterque ex aliquo vetustissimo exemplari. In libro Cathemerinωn pleraque ut in Florentino et editis : sed hi peculiares tituli, *Ad galli cantum ; Ad incensionem lucernæ ; In omni hora ; Circa exsequias mortuorum ; In natale Domini ; De Epiphania*. In libro Peristephanωn deest inscriptio libri et hymni 1. Scribitur : *Passio Sanctorum tredecim martyrum Cæsaraugustanorum*, pro *Sanctorum octodecim*. Item, *Passio S. Fructuosi primi episcopi Tarraconensis et sociorum*. Et, *Versus in laudem baptisterii duorum martyrum sanguine illustris*. Cætera ut in codice Florentino.

(*c*) De codice Ratisbonensi hæc notat Mariettus : *Codex monasterii S. Emerami omnium optimus, quos viderim, et plane bonus, nisi imperitissimus quidam multa sua substituisset prioribus ita erasis, ut nullum omnino priscæ lectionis supersit vestigium, quod nos suis locis notavimus. quare non puto posse adhuc Prudentium exacte corrigi, et pristino nitori restitui, nisi alium nanciscamur veterem codicem præter eos, quibus usi sumus, et quo, quæ hic abrasa sunt, restitui possint. Cum eo autem nostrum diligentissime contulimus, et nihil diversum in eo fuit, quod in nostro non adnotaverimus : quamvis ubi noster cum illo convenerit, non semper notaverimus. Itaque cum nihil reperitur in nostro notatum peculiariter, certum signum erit, eam-*

hos codices Mariettus contulit etiam Vaticanos A et B, et varietatem lectionis margini editionis Aldinæ accuratissime ascripsit. Hac editione, curiosissimi hominis studio locupletata, adjutum me esse libens profiteor, non solum ut ingrati animi vitium fugiam, sed etiam ut éditionem meam commendem. Neque tamen propterea laborem ullum subterfugi, quem sane ingentem exantlare opus fuit, ut tot codices mss., a Marietto non visos, perlegerem et inter se committerem; tum etiam ut ea quæ Mariettus minutissimo charactere exaravit, plene intelligerem, et compendia litterarum quæ adhibebat, plurimis inter se comparatis locis, explicare scirem. Et ut vere dicam, Marietti adversaria mihi aurifodina quædam fuerunt, sed ex qua aurum effodere labor fuit, et molestia fructu major. Neque facile quis, nisi expertus, credat, quam plenum molestiæ opus sit codices mss. evolvere ad veram lectionem eruendam: nam sæpe, ubi exiguus fructus apparet, maximum studium adhibitum **69** fuit, et interdum etiam, ubi nullus: quærendum enim hoc erat, an lectio aliqua nova erui posset. Obscuram diligentiam nonnulli accusabunt, quod errores manifestos codicum indicaverim. Verum cum eorum qui præcesserunt, præsertim Weitzii et Heinsii vestigiis institerim, id utilius præstiti, ut et errores esse declaraverim, et in novis aperiendis longe parcior fuerim.

80. Nunc alios codices indicabo. Apud Montfauconium loc. cit. ex bibliotheca Casinensi codex 222: *Carmina D. Prosperi*, etc. *Prudentii liber de Columbis. Faceti poetæ carmina*, etc. (de inscriptione illa *de Columbis* lege num. 64.) Ibid., codex 374: *Poemata Prudentii.* In biblioth. Laurent. Medic. Pluteo 23 cod. xv, membr. *Prudentii Christiani poetæ carmina.* Ibid., Plut. 34 cod. L: *Prudentii carmina quædam*: finis desideratur. In bibl. Florentina Benedictinorum: *Prudentii de Novo et Veteri Testamento codex recens*, hoc est Dittochæum. Ex eodem Montfauconio in bibliotheca Patavina, seu museo Laurentii Pignorii: *Prudentii Diptychon* (*Vide num.* 66). In bibl. Mediolan. Ambrosiana: *Prudentii opera*; pergam. bomb. *Prudentii codex* (ait Montfauconius) VII *vel* VIII *sæc.: tam remotæ antiquitatis vix alium hujus* A *scriptoris videas. Antiquior tamen videtur Prudentius regiæ bibliothecæ* (bibliothecam Parisiensem intelligit Montfauconius). De codice Mediolanensi vide num. 75 et 100.

81. Pergam ex Montfauconio. In biblioth. Cottoniana in ejus parte quæ *Cleopatra* inscribitur, codex: *Aurelii Prudentii de Virtutibus et Vitiis* (Psychomachia hæc est). In bibl. Bodleiana cod. 2666: *Prudentii pleraque cum adnotationibus.* In bibl. Anglic. in collegio Oriensi Oxoniæ, num. seu cod. 855: *Aur. Prudentii poemata optime scripta litteris antiquissimis.* Ibid. in colleg. SS. Trinitatis Oxoniæ num. 2063: *Prudentii opera.* Ibid. in mss. Isaaci Vossi num. 2619: *Prudentii* Ψυχομαχία. Ibid. in bibl. Hibernicis in mss. Thomæ Gale, num. 6007: *Aurelii Prudentii* B *quædam.*

82. Idem Montfauconius. In bibl. regia Parisiensi cod. 4017: *Prudentii hymni litteris majusculis septimo circiter sæculo scriptus* (*a*). Ibid., codex 4018, in-fol. parvo: *Prudentius.* Ibid., *Prudentius* in-4 cod. 4329, secundo, 4330. Ibid., cod. 6450: *Prudentii carmina.*

70 83. Item ex Montfauconio in biblioth. Colbertina cod. 857: *Opera Aurelii Prudentii Clementis.* Ibid., cod. 1682: *Aurelii Prudentii opera.* Ibid., cod. 1682: *Aurelii Clementis Prudentii opera cum glossis marginalibus.* Ibid., cod. 4024 et 4411: *Prudentii opera.* In bibl. San-Germanensi cod. 540: *Prudentii versus contra Symmachum libri duo, uno quaternione avulso. Alia opuscula metrica ejusdem* DE OCEANO. *De* C *S. Hippolyto martyre* (DE OCEANO dixi num. 64). Ibid., in bibl. Murbacensi: *Prudentius*, in-fol., membr. In bibl. monasterii B. Mariæ de Becco, cod. 138: *Aurelii Prudentii* περὶ Στεφάνων, *seu de Coronis*, in-8. Ibid., in bibl. monasterii in Periculo maris, cod. 62: *Prudentii opera.* In bibl. S. Victoris Paris.: *Prudentius metro.* In bibl. mss. S. Martini de Seez: *Tractatus super Ædificium Prudentii* (de quo opere consule n. 65).

84. Nonnulla opuscula separata enumerat idem Montfauconius. In bibl. regia Parisiens. cod. 6016: *Prudentii Stichomachia* (corrige *Psychomachia*). In biblioth. academiæ Paulinæ Lipsiensis: *Prudentii*

dem esse in illo lectionem, quæ est in nostro. Eodem libro usus est Giphanius, et nos nacti sumus opera Patris Corradi Vitteri. In eadem S. Emerami bibliotheca est Lucanus optimus, et Donati grammatica satis antiqua, et in sacristia Testamentum Novum, scriptum litteris majusculis totum ante 800 *annos elegantissime.* Hoc puto esse Testamentum Novum, cujus variæ lectiones prodierunt anno 1786 hac inscriptione: *Dissertatio in aureum, ac pervetustum SS. Evangeliorum codicem ms. monasterii S. Emerami Ratisbonæ. Auctore P. Colomanno Sanftl, litteris Joannis Michaelis Englerth*, 1786, in-4. Asservatus erat hic codex in ecclesia monasterii S. Emerami a nongentis fere annis, ut exponit auctor dissertationis in præfatione. Ordo codicis Ratisbonensis a Marietto relatus est, præfatio, *Per quinquennia.* — Hymni decem Cathemerinων, ut in vulgatis, duobus postremis rejectis in alium locum. — Peristephanων hymni duodecim, ut in codice Florentino, num. 85. Sun versibus Constantinæ et S. Damasi in laudem S. Agnes. Post hymnum S. Romani, hymni de natali, D et Epiphania Domini. — Ode, *Pius*, *fidelis*, *innocens.* — Dittochæum. — Apotheosis. — Hamartigenia. — Psychomachia. — Libri duo adversus Symmachum. De codicibus Pragensi et Viennensi nihil peculiare animadverit Mariettus. Viennensem ait esse mendosum: qui solum Psychomachia neque integra continetur, ut in ipso opere notabimus. Pragensis lectiones variantes sunt ex libro hymnorum Cathemerinων, Apotheosi, Hamartigenia, Dittochæo, libris contra Symmachum, sed in lib. II, a versu 17 *Hæc ubi dicta dedit*, reliqui desiderantur.

(*a*) Hanc habet in principio notam recenti manu: *Prudentii liber secundus. Cathemerinων. Hamartigenia. Psychomachi* (sic, lege *Psychomachia*). *Ex libro* Περὶ στεφάνων *hymnus*: 1° *martyribus Hemeterio et Chelidonio Calaguritanis.* 2° *D. Laurentio.* 3° *Eulaliæ.* 4° *Octodecim martyribus Cæsaraugustanis.* 5° *B. Vincentii imperfectus.* Codex in-fol. parvo. De hoc codice vide num. 80, et præfationem Heinsii num. 100.

Psychomachia. Ejusdem Hamartigenia contra Marcionitas. In bibl. collegii SS. Trinitatis apud Dublinum : *Aurelii Prudentii in utrumque Testamentum Tetrasticha.* Hæc sunt quæ ex Montfauconio excerpsi, in cujus indice iterum moneo sub unius Prudentii nomine utrumque Prudentium, Trecensem episcopum, et hunc nostrum Aurelium comprehendi. Prudentii Trecensis opus, *Præcepta ex Veteri et Novo Testamento pro ordinandis*, quod semel et iterum occurrit apud Montfauconium, distinguendum est ab Aurelii Prudentii *Tetrastichis de Veteri et Novo Testamento.*

85. Angelus M. Bandinius in catalogo codd. mss. biblioth. Laur. Florent. magis dilucide magisque distincte opera Prudentii recenset, ex quo hæc depromo. Tom. I, col. 720 et seqq. Plut. 23, cod. 15 membranac., in-fol. sæculi xv, nitidissimis cum initialibus librorum litteris aureis, in quo plurimas non levis momenti lectiones observavit Bandinius, ab editionibus illis quas præ manibus habuit variantes. Titulus est : *Prudentii Christiani carmina.* Addendum est tamen : *C. Vectii, Juvenci, Probæ Falconiæ, Sedulii et Aratoris carmina* (a).

71 86. In hoc codice post S. Agnetis hymnum annectuntur versus Constantinæ, Constantini filiæ, in honorem S. Agnetis, et versus S. Damasi de eadem, qui incipiunt in ms., *Fama refert sanctos dudum regalis reparantes.* Exstant utrique in edit. Paris. Bibl. SS. PP. an. 1644, ubi versus S. Damasi primus : *Fama refert sanctos dudum genuisse parentes.* In editione desiderantur duo versus Constantinæ :

> Nomen adhuc referens, et corpus, et omnia membra,
> A mortis tenebris et cæca nocte levata,

qui leguntur in codice post versum, *Invictum solus, etc.* (corrige *Invictus cœlo*). Utrumque hoc epigramma in editione Weitzii exstat inter glossas Isonis magistri ex codice Caroli Widmani, quo loco a nobis exscribetur cum varietate lectionum ex codice collegii Romani, de quo num. 76 dixi. Quanquam has aliasque veteres Christianas inscriptiones judicio et doctrina, qua præditus est, singulari, typis vulgare a se illustratas jam dudum apparat cl. Cajetanus Marinius, præfectus tabulario Vat., qui S. Damasi carmina inter eas inscriptiones collocabit, quorum pleraque in eum usum facta et adhibita fuisse experientia compertum est ; de reliquis tempus fortasse æque certos nos reddet.

A 87. Sequitur in eodem codice, pag. 81 : *Prudentii liber Ditrocheus, qui continetur in Titulis historiarum :* in editionibus appellatur *Diptychon.* Pag. 86, liber *Apotheosis* adversus hæreses, cui præcedunt duo prologi : 1° cum titulo, *Versus de S. Trinitate;* 2° *Invectiva contra omnes hæreses.* In codice nulla capitum divisio fit, sed tantum ad caput quod in editione inscribitur : *Adversus Phantasmaticos*, hic titulus legitur : *Explicit Apotheosis contra omnes hæreses. Incipit contra Manichæos.* Pag. 106 : *Adversus blasphemantes duos deos esse*, seu potius, ut inscribitur in edit., *Hamartigenia* cum prologo, cui titulus : *Prologus adversus Marcionitas.*

72 88. Pag. 124. In Symmachum libri duo, cum prologo in singulos. Relatio Symmachi in codice B affertur divisa in capita, seu sectiones libri II. In fine legitur hæc subscriptio rubris litteris : *Explicit liber secundus contra Symmachum de restituenda ara. Deo semper gratias. Scriptum Florentiæ anno salutis* MCCCCLXXXIX, *et die* XXIV *mensis Novembris. Laus, honor, imperium et gloria sit omnipotenti Jesu Christo, ejusque almæ genitrici semper virgini Mariæ per infinita sæculorum sæcula. Omnium rerum vicissitudo est.* Bandinius pro certo habet hunc codicem ex vetustissimo aliquo et optimo exemplari fuisse descriptum. Vide notam *b*, pag. 66, num. 79 (*Col.* 629, *n.* b).

89. Tomo II ejusdem catalogi, columna 166, Pluteo XXXIV codex *L* Petri Criniti manu sed celerrime descriptus, ubi pag. 26 sequitur alia manu : *M. Aurelii Prudentii Clementis Cathemerinωn*, scilicet præ- C fatio operis, et sex sequentes hymni usque ad versum *Variasque per figuras*, qui est vers. 31 hymni Ante somnum. Bandinius in ind. catal. poetam nostrum vocat *M. Aurelium Prudentium Clementem*, fortasse auctoritate hujus codicis permotus, et quia prænomen *Marcus* satis commune erat in familia Aureliorum. Vide num. 41. Ibid. col. 747, Pluteo XCI biblioth. Gaddianæ cod. IV. Enchiridium Novi et Veteris Testamenti anepigraphum, ut in Bibl. SS. PP., Paris. 1644. Codex chartac. mendosus, sæculi XV. Ibid., sine ullo titulo Psychomachia, ut in eadem biblioth. PP.

90. In catalogo codd. mss. biblioth. Ricardianæ Florent. id tantum reperio. Pag. 330 : *Prudentius, epigrammata sacra.* M. IV, codex chartac., in-4, num. XX et num. XXXIII. M. II, codex chartaceus, in-4, num. D XIII. Auctor hujus indicis seu catalogi est Joannes

(a) Pag. 1 codicis : *Prudentii Christiani poetæ carminum lyricorum liber.* Carmen 1 : *Per quinquennia jam decem*, quæ est præfatio, ut in editione cum notis Christophori Cellarii Halæ Magdeburgicæ an. 1703, in-8. In margine codicis metri genus rubrica describitur. Pag. 25 et seqq. alii hymni sine titulo, qui ab librum Peristephanωn pertinent, hoc ordine : Primus sine titulo, qui in eadem editione est etiam primus et inscribitur : *Passio Emetrii* (corrige, *Emeterii*, aut *Hemeterii*) *et Chelidonii.* Secundus, qui in editione est quintus, *Passio S. Vincentii martyris.* Tertius qui in editione est secundus, *Passio S. Laurentii martyris.* Quartus, qui in editione est undecimus, *Passio S. Hippolyti presbyteri.* Quintus, qui in editione est tredecimus, *Passio S. Cypriani martyris.* Sextus qui in editione est duodecimus, *Passio SS. apostolorum Petri et Pauli.* Septimus, qui in editione est quartus, *Passio SS. octodecim martyrum Cæsaraugustanorum.* Octavus, qui in editione est quartusdecimus, *Passio S. Virginis Agnetis.* Nonus, qui in editione est tertius, *Passio S. Eulaliæ virginis, et martyris.* Decimus, qui in editione est sextus, *Passio S. Fructuosi Tarraconensis episcopi, et sociorum.* Undecimus, qui in editione est septimus, *Hymnus in honorem S. Quirini martyris.* Duodecimus, qui in editione est nonus, *Passio S. Cassiani martyris.* Tredecimus, qui in editione est octavus, *Versus in laudem baptisterii duorum martyrum sanguine illustrati.* Quartusdecimus, qui in editione est decimus, *Passio S. Romani martyris.* Quintusdecimus est carmen cui titulus : *Immolat opuscula sua Deo Prudentius*, et incipit, *Pius, fidelis, innocens.* In editione hæc est præfatio libri Peristephanωn.

Lamius, qui non explicat quid sint epigrammata illa A sacra. Opinor esse Dittochæum, sive Enchiridion.

91. Ex catalogo codd. mss. bibliothecarum Angliæ et Hiberniæ duobus voluminibus in-fol. hæc constant. In biblioth. Cantabrigiensi collegii S. Benedicti, codex 1332, 56 : *Prudentius*. Liber ob characteres et picturas splendide antiquus. Ibid., cod. 1472, 194 : *De opusculis Prudentii*. Biblioth. Eboracen., cod. 42, et iterum 42 : *Prudentii quædam*. Biblioth. Dunelm., cod. 529, 464 : *Prudentii opera*. Biblioth. Isaaci Vossii, cod. 2527, 202 : *Prudentii hymni*. Ibidem, cod. 2619, 294 : *Psychomachia*. Biblioth. Thomæ Gale, cod. 6000, 166 : *Prudentii quædam*. Ibidem, cod. 6007, 173 : *Prud. quædam*. In Biblioth. Henrici Jones, cod. 7066, 63 : *Aurelii Prudentii Psychomachia Græce reddita*. (An solus titulus Græcus est?) B In Biblioth. Eduardi Bernardi (quem catalogi auctorem habeo), cod. 7446, 100 : *Prudentius ms.* **73** Ibid., cod., 7517, 177 : *Prudentius cum veteribus exemplaribus collatus*.

92. Ibidem, in bibl. Dublin, collegii SS. Trinitatis, cod. 324, 184 : *In utrumque Testamentum Tetrasticha*. In bibl. Oxoniensi collegii Orielensis, cod. 855, 3 : *Aurelii Prudentii poemata*, optime scripta litteris antiquissimis. In bibl. Oxon. colleg. SS. Trinitatis, cod. 2003, 66 : *Prudentii opera*. In bibl. Bodleiana, cod. 2666 : *Prudentii pleraque cum adnotationibus Isaaci Vossii*. Ibid., cod. 2648, 325 : *Glossæ in Prudentium*.

93. Ludewigius in Prudentii Vita asserit Giselinum in edendis Prudentii carminibus usum fuisse C codice mss. Daventriensi *præter editionem Daventriensem* antiquam; quod ego in Giselino non invenio. Idem affirmat, *Bunchneri notas mss.* in Prudentium Hubnerum Dresdæ bibliopolam possidere. Heribertus Rosweydus in notis ad Paulinum pag. 814, se *notas* etiam seu *commentarium in Prudentium* habere commemorat, quem proxime typis committere volebat. Nic. Antonius in Bibl. vet. laudat *antiquum Prudentii Scholiasten* bene veteris ævi, plura documenta præ se ferentem, quem vidisse videtur Barthius, lib. x Thebaid., vers. 657, qui nusquam est. Quod cum num. 148 dicat, paulo post num. 450 in editione Weitzii recenset *Isonis veteres perpetuas glossas*, quod opus ipsissimum esse veteris scholiastæ a Barthio allegati ego crediderim. De commentario in Pruden- D tium, quem apparabat Resendius relege num. 59. Gifanii notas mss. aliqui laudant, fortasse decepti, quia is ex mss. codd. plura in Prudentio correxit in ind. Lucret., ut sæpe in commentariis docebimus.

94. Quidquid Barthius ex veteribus codicibus animadvertit, præsertim in Psychomachia, in hymno S. Eulaliæ, in hymno Defunctorum, de Novo Lumine sabbati paschalis, de S. Hippolyto, accurate a nobis colligetur, qui ipse quoque sæpe innuit, se de Prudentio perpetuis commentariis illustrando cogitare (*a*). Glossas, quas in veteribus schedis reperit, producemus. Scio, penes quosdam fidem Barthii in codicibus mss. citandis nonnihil vacillare. Sed rationem certam non afferunt cur falsarii crimine doctissimus homo notetur, et, ad Prudentium quod attinet, sæpe conjicit quid legendum sit, sæpe affirmat et explicat quid in codice legatur. Cur autem lectiones variantes, præsertim opportunas, potius schedis commentitiis quam sibi ipsi ascriberet?

74 95. Ex catalogo codd. mss. biblioth. regiæ Parisiensis, part. 3, codex 989, olim Bigotianus, qui maximam partem sæculo x videtur exaratus, inter alia num. 6 : *Prudentii Psychomachia*. Ibid., cod. 1153, membranaceus, olim Colbertinus, qui sæculo IX creditur exaratus, num. 5 : *Prudentii, Fortunati, Cypriani, Eugenii Toletani, et Sedulii carmina nonnulla*. Ibid., cod. 1765, membran., olim Colbertinus, qui sæculo XIV videtur exaratus, num. 79 : *Passio S. Vincentii*, *auctore* BEATO *Prudentio* (opinor, ejusdem est num. 78 : *Passio S. Agnetis*, cujus nullus alius auctor indicatur). Ibid., cod. 2335, membr., olim Colbert., qui sæculo XII videtur exaratus, num. 5 : *Prudentii hymni*. Ibid., cod. 7530, olim Tellerianus, Longobardicis characteribus sæculo, ut videtur, octavo exaratus, num. 10 : *Prudentii hymnus in laudem Eulaliæ martyris*.

96. In eodem catalogo, et parte 3, codex 8084, membranaceus, olim Puteanus, qui sexto sæculo videtur exaratus, quo solum continentur, 1° *Aurelii Clementis Prudentii* liber Cathemerinων; 2° ejusdem Apotheosis; 3° ejusdem Hamartigenia; 4° ejusdem Psychomachia; 5° ejusdem ex libro περὶ Στεφάνων hymni quinque, primus martyribus Hemiterio et Chelidonio, secundus B. Laurentio, tertius Eulaliæ virgini, quartus 18 martyribus Cæsaraugustanis, quintus B. Vincentio; finis desideratur. De hoc codice vide num. 100. Mabillonius, de Re diplomatica lib. v, specimen ejus profert in tabella 6, num. 2, ex initio hymni ante somnum; notatque hunc codicem non multum distare *a prima ætate scripturæ Romanæ*, singularemque esse formam litteræ *h* in *Hymnus* et *Christus*, ubi post *r* transponitur; quæ similis est litteræ *k*. Prima ætas scripturæ Romanæ ad sæculum v viguit. Ibid., cod. memb., olim Colbertinus 8085, qui sæculo x videtur exaratus, quo tantum continentur : *Aurelii Clementis Prudentii carmina*; sub finem nonnulla desunt. Ibid., cod. 8086, sæculo x, ut videtur, exaratus, quo solum continentur : *Aurelii Clementis Prudentii carmina cum scholiis*. Ibid., cod. 8087, membr. olim Colb., sæculo x, ut videtur, exaratus : *Aurelii Clementis Prudentii carmina*. Ibid., cod. 6088, olim Colbert., membran., sæculo XII exaratus, ut videtur, num. 1 : *Aurelii Clementis Prudentii carmina : passim inter lineas glossæ, et ad marginem scholia*.

97. Ibid., cod. 8089, membr., olim Puteanus, ut

(*a*) In fine lib. IX Advers. cap. 20 : *Hæc*, inquit, *in eruditissimi vatis, longeque omnium dulcissimi gratiam offendentes in membranis, notatu non prorsus indigna, enotabamus. Non autem quidquam dement illi operæ, quam Christi olori vovimus uni omnium sanctissimo, suavissimo, eloquentissimo.*

videtur, sæculi xv, quo continentur *Excerpta e scriptis Prudentii*, Claudiani, Virgilii et aliorum. Ibid., cod. 8207, memb., olim Colbert., sæculi xiii aut xiv, num. 9 : *glossæ in Psychomachiam Prudentii*. Ibid., cod. 8305, membr., olim Colbert., qui sæculo x videtur exaratus, quo solum continentur *Aurelii Prudentii Clementis carmina* : passim inter lineas *glossæ* **75** præmittitur *sermonis fragmentum* litteris Longobardicis. Ibid., cod. 8306, memb., olim Colbert., sæculi xi, ut videtur, quo continentur *Aurelii Prudentii Clementis opera* : præmittitur illius elogium e S. Hieronymo descriptum (*a*).

98. Ibid., cod. 8307, membr., olim Putean., sæculi xi, ut videtur, quo continentur *Aurelii Prudentii Clementis opera*. Ibid., cod. 8308, memb., olim Mazarinæus, sæculi xii aut xiii, num. 1 : *Aurelii Prudentii Clementis Psychomachia*. Ibid., cod. 8309, membr., ejusdem sæculi, quo continetur *Aur. Prudentii Clementis Psychomachia*; finis desideratur; conjecta ad marginem scholia. Ibid., cod. 8310, cod. memb., olim Putean., sæculi xiii aut xiv, num. 1 : *Aurelii Prudentii Clementis Apotheosis, sive poema de Divinitate*; ad marginem conjecta *scholia*. Ibid., cod. 8318, memb., olim Colb., sæculi xi aut xii, num. 2 : *Prudentii Psychomachia*; accedunt figuræ et *scholia*; inserta est *Passio B. Eulaliæ*, eodem auctore. Num. 3 : *Ejusdem hymnus in B. Virginem Mariam* (non vidi hunc hymnum, nisi fortasse sit hymnus de quo loquitur Goldastus num. 43). Ibid., cod. 8321, partim chartac., partim membranaceus, olim Colb., sæculi xv, ut videtur num. 10 : *Carmen Prud. de Historiis Veteris et Novi Testamenti*. Ibid., cod. 8498, membr., olim Colbert., sæculi xv, ut videtur, num. 3 : *Prudentii Tetrasticha de Veteri et Novo Testamento*. Ibid., cod. 8500, membranaceus, scriptus, ut videtur, sæc. xiv, num. 7 : *Prudentii carmen de Natura animæ* (de quo recole num. 62 in nota *a* (*col.* 607, n. c); num. 9 : *Prudentii carmen de Fide* (fortasse Psychomachia, aut pars ejus de Fide); num. 18 : *Prudentii Psychomachia*. Ibid., cod. 6639, chartac., olim Mazarinæus, sæc. xvi ineunte, quo continentur hymni seu passiones martyrum (*b*). Hæc mihi in catalogo regiæ bibliothecæ Parisiensis, nitidissime et magnificentissime edito, index exhibuit, nec dubito quin nonnulla alia in eo catalogo lateant ab indice prætermissa, quem non accuratissime factum scio.

99. Alii editores Prudentii quibus codicibus sint A usi ex eisdem narrabo. Aldus unum tantum exemplar, idque antiquissimum **76** præ manibus habuit (*c*). Sichardus edidit Prudentium ex vetustioribus, ut ait, codicibus, quorum unum Argentorato submiserat Werinherus Woflnus. Giselinus multa in Prudentio nitori suo restituit ex apographis duobus Gandavensibus, alio codice non ita vetusto, sed emendatissimo, Lucæ Mæræ I. C., quatuor manuscriptis Theodori Pulmanni, aliis tribus Antuerpiensibus, altero ex bibliotheca Artium, altero ex bibliotheca Buslidiana, tertio apud Martinianos. De Spiegelio, qui usus est codice Peutingeri obsoletæ vetustatis vide comment. ad inscriptionem hymni *Omni hora*. Cathemer. ix. Ad vers. 10 ejusdem hymni allegat alium codicem, sed minus fidelem. B Fabricius contulit codicem, quem ex bibliotheca Numburgana Gaspar Bornerus habuerat, ex quo versum in hymno de baptisterio se integrum sarcivisse ait, et locos plurimos correxisse. Verum in præcedentibus aliorum editionibus jam legebatur ille versus :

Hic duo purpureum Domini pro nomine cæsi,

qui in Aldo desideratur. Weitzius usus est membranis, in quibus integer exstabat Prudentius, quas acceperat a D. Hœschelio; Hœschelius vero a D. Carolo Widmano. Hujus codicis ordinem secutus est Weitzius, nisi quod hymnos de Natali et Epiphania Domini, quos Widmani codex post librum Peristephanων affert, Weitzius in fine libri Cathemerinων posuit. Habuit etiam Weitzius codicem D. Jacobi Bongarsii, in quo vastæ erant lacunæ (*d*). Gruterus C communicavit Weitzio lectiones variantes ex codice antiquo monasterii Egmondani. Rittershusius eidem Weitzio ad usum impetravit ex cœnobio Fontis salutaris, sive Hailsbronensi (aliter Heilsbronnensi) membranas, quibus *Ymnarius de tempore et de sanctis per totum annum* continebatur. Ex collegio ad Portam cœli Ampeloniano, quod Erfordiæ est, Psychomachiæ vetustissimum exemplar in usum adeptus est Weitzius. E Fuldensi bibliotheca Psychomachiam ms. contulit M. Joachim Zehnerus, cui acceptæ referendæ sunt variæ ex eo codice **77** lectiones apud Weitzium : Goldastus huic dedit membranas, in quibus liber Cathemerinων, et *Amœni Manuale* erat. Nescio an hic recens sit titulus : de quo plura ad *Dittochæum*. Christianus Becmanus Palatinum codicem a Grutero fuerat nactus, et variantes lectiones ex eodem ad D editionem Weitzianam suppeditavit.

(*a*) An ex Gennadio, qui post S. Hieronymum de Scriptoribus scripsit? Video enim nonnullos errare, qui putant a S. Hieronymo laudatum Prudentium, quod laudatus fuerit a Gennadio, continuatore operis S. Hieronymi.

(*b*) Hoc ordine : 1° Romani; 2° SS. apostolorum Petri et Pauli; 3° S. Cypriani; 4° S. Fructuosi et sociorum; 5° S. Quirini; 6° S. Cassiani; 7° S. Hippolyti; 8° S. Laurentii; 9° S. Vincentii; 10° SS. Hemeterii et Celedonii; 11° SS. octodecim martyrum Cæsaraugustanorum; 12° S. Agnes; 13° S. Eulaliæ.

(*c*) Nescio an id exemplar, an rem aliam indicare voluerit, cum scripsit : *Prudentius primus e Christianis poetis, qui in manus nostras pervenerunt, ab usque Britannis accitus, cum jam mille et centum annis, et plus eo delituisset, exit in publicum typis nostris excussus, ut prosit Christianis suis*. Si codex ille mille et centum annis et plus eo delituerat in Britannia, cum typis Aldinis excusus est, oporteret illum exaratum fuisse ante annum 400, quod difficillimum est, neque cum Prudentii Vita et rebus gestis scriptisque cohæret.

(*d*) In Cathemerinων hymno 11 progreditur ad versum 100, reliqua desunt cum seqq., et in passione Vincentii demum incipit vers. 539. In Psychomachia a vers. 283 desiderantur usque ad vers. 531, ubi textus progreditur ad vers. 641; cætera absunt omnino. In hoc Bongarsii codice figuris illustrata erat Psychomachia, quo lumine et emblemate tessolato alii codices quos vidit Weitzius, erant destituti.

100. Heinsius excussit exemplar Bodleianum Oxoniæ in Britannia ante annos plus minus sexcentos (nunc septingentos) descriptum (*a*). Bernardus Rottendorphius seu Rottendorfius Heinsio obtulit omnia Prudentii in membranis sæculo XII circiter exaratis : binos præterea codices pari ætate, quorum alter libros adversus Symmachum, alter Psychomachiam complectebatur. Accepit etiam a cl. viro Isaaco Vossio codicem Nomsianum, nec vetustum illum, et magna sui parte mutilatum. Heinsio præcipuo fuit usui exemplar Puteanorum fratrum, longe antiquissimum illud, ac litteris Romanis majoribus exaratum, in quo libri adversus Symmachum et Peristephanωn pars potior desiderabantur. De quo codice vide, num. 96, judicium Mabillonii. Proximum a Puteano codice Thuaneum exemplar fuit Heinsio, si præstantiam et vetustatem spectes, sæculo IX circiter scriptum. Hildegarii episcopi nomen præferebat, cujus in ætatem accuratius inquirere Heinsio non vacabat. Tres Hildegarios in Gallia Christiana Sammarthanorum reperio, primum episcopum Meldensem sæculo IX, alterum Lemovicensem sæculo X, tertium Bellovacensem antistitem eodem sæculo X. Sed ex solo Hildegarii episcopi nomine nihil certi de ejus ætate definiri potest. Emericus Bigotius eidem Heinsio suggessit excerpta Psychomachiæ ex membranis suis, Cathemerinωn, et Peristephanωn ex Altinianis, et eorumdem hymnorum complura ex Mediolanensi exemplari bibliothecæ Ambrosianæ, mutilo quidem illo, ait Heinsius, ac meliore sui parte truncato, longe veterrimo tamen, sic ut characteris ac litterarum ductu Puteanum laudatissimum æmuletur. Antuerpiæ apud patres societatis Jesu excussit trium codicum discrepantias, quas Lævinus Torrentius Lugdunensis editionis margini allèverat; sed nec Torrentius lucubrationem istam ultra hymnos Cathemerinωn et Peristephanωn promoverat, et ipsi codices, quos adhibuerat, non magnæ rei videbantur, quorum primus S. Laurentii, S. Jacobi secundus, uterque Leodicenses, tertius Abbatiæ **78** de Grœnendale esse a Torrentio dicebantur. A Joanne Georgio Grævio habuit Heinsius Joannis Cauchii adnotata mss., tum Antuerpianam anni 1536 editionem, Joannis Sichardi scholiis illustratam, mendosam quidem illam, ac mire depravatam, sed cui Cauchius is idem manu sua diversas libri vetusti lectiones, ac sui ipsiusmet conjecturas complures ascripserat haud contemnendas, nec non Basileanam Henrici Petri editionem, Antuerpiana quadriennio recentiorem, sed æque mendis inquinatam, cui ex Thuanæ ac Puteanæ bibliothecæ membranis Claudius Salmasius scripturam discrepantem adjecerat. Percurrit etiam Heinsius exemplar Egmondanum, cujus lectiones ex Jano Grutero Weitzius non satis fideliter expresserat, et duos codices ex bibliotheca Divionensi præsidis Joannis Boherii, quorum unus magnæ erat vetustatis. Audierat Heinsius (sed non vidit) codicem miræ vetustatis esse Cantabrigiæ apud Britannos in collegio S. Benedicti. Narrat autem, Everardum Elmenhorstium et Franciscum Juretum cogitasse de emendando Prudentio, cujus quinque codicibus membranaceis se usum testatur Juretus ad Paulinianam B. Martini Vitam, et exstare, ut fama erat, notas Oberti Gifanii necdum typis descriptas : de quo ego dubito ad vers. 444 Psychomachiæ. Ad editionem Parmensem nuper publicatam, de qua plura capite seq., solos codices Vaticanos, neque omnes adhibuit cl. Teolius (*b*).

CAPUT V.

Editiones operum Prudentii, interpretes, versiones.

79 101. Cum tot editiones poematum Prudentii factæ fuerint, quot nunc proferam, quid causæ esse putem cur adeo ejus opera sint rara, vix ut venalia prostent, et in multis non ignobilibus bibliothecis etiam familiarum religiosarum desiderentur? Id qui laudi poetæ verterit, non male, ut existimo, judicabit : nam et exemplaria feliciter vendita esse, usuque plura consumpta, et eos qui ea obtinuerint, cupide retinere inde colligitur. Ordine vero chronologico editiones recensebo.

1° Anno incerto. Editio antiqua operum Prudentii, quam vidit Fabricius, de qua in Bibliot. vet. Lat., sine anni locive nota in-4 (*c*). Hæc fortasse cæteris omnibus est antiquior.

2° Anno 1470. Augustæ Vindelicorum *Finem Ha-*

(*a*) Cujus senium hæc epigraphe prodebat : *Hunc librum dat Leofricus episcopus Ecclesiæ S. Petri apostoli in Exonia ad sedem suam episcopalem pro remedio animæ suæ ad utilitatem successorum suorum. Si quis autem illum inde abstulerit, perpetuæ maledictioni subjaceat, fiat.* Præfuit autem Leofricus Exoniensi sedi sub annum 1060 aut 1070.

(*b*) Ejus prudentissimum de his codicibus judicium non ingratum erit audire ex cap. 4 præfationis. *Jam vero patet ex his, ab nullo Prudentii editorum Vaticanos codd. præter unum et alterum, huc post Weitzii et Heinsii ætatem advectos, visos adhuc aut collatos fuisse. Dignos tamen dignissimos esse, quorum ratio habeatur, jure meritoque asserere posse videmur. Nam si numerum attendas, sexdecim sunt, si antiquitatem et sinceritatem, quatuor vel quinque exceptis, aut sequiori ævo, vel parum diligenti manu conscriptis, cæteri omnes tum vetustate, tum diligentia optimæ notæ sunt magnique pretii.* Quinque præcipuos codices nominatim recenset; Alexandrinum Vatic. 321 sæculi forsitan VII, vel certe sequentis, ut putat; codices Vatic. 3859, 3860, ejusdem plus minus ætatis; codices Vat. 5821, qui a Marietto collatus fuit; et Urbinatem Vatic. 666. De quibus confer quæ diximus, et characteris formam quatuor priorum codicum in examen revoca, si placet judicare. Atque advertas, velim, codicem Vat. 3859 non omnia Prudentiana continere.

(*c*) In cujus fine legitur : *Aurelii Clementis Prudentii opera, prudens lector, hoc ordine impressa invenies. Primum in utrumque Testamentum Tetrasticha. Deinde eum, quem de Divinitate librum scripsit Apotheosimque titulavit. Psychomachia sequitur. Hamartigenia his recto ordine additur. Peristephanωn subditur, sic enim Græce liber ad Martyrium inscribitur. Diurnorum vero libro (qui et Cathemerinωn dicitur) et eo quem contra Symmachum idololatriam defendentem scripsit, pulchro et recto ordine totum opus consummatur.* Quod liber adversus Symmachum veluti simplex profertur, cum sint duo, credo, causam esse, quia liber pro opere unum, aut plures libros continente accipitur.

martigeniæ, et *Psychomachiam* prodiisse docet Ludewigius.

102. 3° Anno 1472. Editio Daventriensis, in-4, quæ passim laudatur a Fabricio, a Michaele Mattaire Annal. typogr. tom. I, pag. 99, aliisque; sed eos errare certum est: siquidem Giselinus in præfat. ad comment. edit. an. 1564 ita refert: *Interea tamen hoc boni evenit, ut forte fortuna in editionem quamdam Daventriensem annis abhinc* 70 *evulgatam inciderim*. Igitur editio Daventriensis, quam advocat Giselinus, ad annum 1495 circiter pertinet.

4° Anno 1475. Edita Daventriæ opera Prudentii refert Prosper Marchand ex Beughem et Oudin; de quo merito dubitat abbas de S. Leger in supplemento historiæ typographiæ Marchandii, initium typographiæ Daventriæ ad annum 1477 revocans. Verum editionem Daventriensem carminum Prudentii hi omnes auctores ignorarunt.

80 5° Anno 1495. Editio illa Daventriensis, quam sæpe laudat Giselinus, quæ, ut ait, *tantum opis illi attulit, quantum codex ullus alius*. In catalogo biblioth. reg. Paris. ita indicatur: *Aurelii Clementis Prudentii opera poetica, ex editione Rodolphii Langii. Daventriæ*, 1495, *in-4*. Ludewigius, qui hanc editionem, excepto Giselino, a nemine visam legerat, ejus annum constituit esse 1494. Præter Giselinum ejusdem editionis meminit Spiegelius semel et iterum in comment. ad hymn. *Omni hora*, et Erasmus in comment. ad hymn. VIII *kal. Januar*. Mattairius in Annal. typogr., præter Daventriensem illam commentitiam anni 1472 editionem operum Prudentii, nihil aliud editum Daventriæ affert usque ad annum 1481, quo id habet: *Daventriæ libri Exemplorum: per Richardum Pafradium, in-4*. Quem ordinem servet editio Daventriensis, nondum comperi.

103. 6° Anno 1498. Lipsiæ in-4 ad calcem Historiæ Trojanæ Daretis Phrygii editi sunt Prudentii hymni tres: 1° *de Phase populi Israelitici*; 2° *de Miraculis Salvatoris nostri*; 3° *de Quiete et Somno, divino munere* (ex Fabricii Bibl. vet. Lat.). Hymnum primum conjicio esse *de Novo Lumine sabbati paschalis*, in quo describitur iter populi Israelitici: *Hunc ignem populus sanguinis inclyti*, etc., nam secundus est certo hymnus *Omni hora*, tertius hymnus *Ante somnum*.

104. 7° Anno 1499. Enchiridium editum est Lipsiæ

A apud Jacobum Thanner, in-4. Ex Ludewigio et Rodriguezio de Castro.

8° Anno 1501. *Prudentii poetæ opera, in-4, Venetiis apud Aldum mense Januario* 1501. Simul impressa sunt et compacta quædam opera Græco-Latina Damasceni et aliorum. Hinc ridicule in quodam catalogo inscriptam reperi hanc editionem: *Prudentii opera Græco-Latina*. Eam editionem cur principem judicavit esse doctissimus Nic. Antonius? Minus id mirarer, nisi ipse Daventriensem editionem, a Giselino sæpe celebratam, agnovisset et laudasset. Immerito etiam Fabricius queritur, Prudentium in collectione poetarum Christianorum Venetiis an. 1502, in-4, fuisse prætermissum; neque enim ab Aldo fuit prætermissus, sed præmissus, in cujus præfatione

B clare id Aldus asserit. At enim in exemplari quod Barberina bibliotheca possidet, hoc ordine sunt locati Christiani poetæ, prius Sedulius, Juvencus aliique, postremo Prudentius, in cujus fine: *Venetiis apud Aldum* 1501 *mense Januario*. Constat autem, Prudentium prius prodiisse ex præfatione ad eumdem: *Juvencum præterea*, *Sedulium*, *Aratorem*.... *quos tandiu* TYPI NOSTRI PARTURIUNT,.... PERBREVI PARIENT. Diversus igitur ordo servatus est in voluminibus compingendis, et fortasse in nonnullis exemplaribus annus editionis poetarum Christianorum **81** appositus est 1502, in aliis 1501 (*a*). Heinsius miratur cur Giselinus de duabus editionibus Aldinis mentionem fecerit, cum solam ipse viderit editionem anni 1502. Atqui si hoc anno 1502 Aldus

C editionem Prudentii publicavit, duas esse fateri oportet: nam editionem anni 1501 egomet vidi in bibliothecis Romanis Sapientiæ, Barberina, Angelica, Casanatensi, Collegii Romani. In Commentariis sæpe monebo videri duas fuisse Aldi editiones, cum diversæ lectiones eodem in loco tanquam ex Aldo interdum proferantur. Nuper aliquis tres Aldinas editiones distinxit, duas eodem anno 1501, quarum altera seorsum prodierit, altera cum aliis poetis Christianis, tertiam ab Heinsio visam, quæ anno 1502 facta ab eo dicitur. Verum duæ illæ editiones anni 1501 minime probantur, nam unica editio Prudentii reperitur in quibusdam exemplaribus unita aliis poetis Christianis, in aliis ab eisdem sepa-

D rata (*b*).

(*a*) Aldus cum primum edidit Prudentium, adjecit Prosperi Aquitanici epigrammata super D. Aurelii Augustini sententias exarata, et versus illos,

Age jam precor mearum
Comes irremota rerum,

qui tamen Paulini potius videntur esse quam Prosperi. In hac editione anni 1501 initio ponuntur quædam lectiones variantes ex conjectura Aldi, quas nos suis in locis ad examen vocabimus.

(*b*) Ordo editionis Aldinæ est hujusmodi: *Psychomachiæ liber. Versus de novo lumine paschalis sabbati* (qui iterum repetuntur hymno 5 Cathemerinωn). *Cathemerinon liber*: nempe præfatio. *Hymn.*: 1° *Ad galli cantum*. 2° *Ad matutinum*. 3° *Ante cibum*. 4° *Ode post cibum*. 5° *Ode ad accensionem lucernæ*. 6° *Ante somnum*. 7° *Jejunantium*. 8° *Post jejunium*. 9° *Ad omnes horas*. 10° *In exsequiis defunctorum*. 11° *Octavo calend. Januarias*. 12° *Epiphaniæ*. Sequitur *Apotheosis*: *Hymnus de Trinitate*: *Hymnus in infideles*. Incipit Apotheosis, *Contra hæreticos, qui Patrem passum affirmant*: *Plurima sunt*, etc. Contra Unionitas, id est Sabellianos hæreticos: *Cede*, *profanator*, etc. Adversus Marcionitas, qui duos deos esse affirmabant: *Quo te præcipitat*, etc. (quæ est *Hamartigenia*). Sequitur *Romanus Martyr*. Inde *Peristephanωn* liber, sine præfatione. Hymnus primus, in honorem martyrum Hemeterii et Cheledonii Calagurritanorum. Secundus, in honorem passionis Laurentii beatissimi martyris. Tertius, ode in laudem Eulaliæ martyris. Quartus, ode in laudem SS. octodecim martyrum. Quintus, ode in laudem S. Vincentii martyris. Sex-

82 9° Anno 1502. Iterum Aldum edidisse Prudentii opera probabiliter colligimus ex Giselino, qui in com. ad vers. 379 Psychomachiæ laudat Aldum, *si usquam alibi, certe in hujus auctoris editione, præsertim secunda, diligentissimum*. Et cum Heinsius dicat se frequenter consuluisse Aldinum exemplar anno CIƆIƆII editum, necesse est ut nova editio eo anno fuerit ab Aldo peracta; in qua suspicio mihi erat, Aldum inseruisse eas lectiones, quas ex sua opinione seorsum in prima correxerat. Etenim Giselinus ea protulit verba, ut notaret, Aldum in secunda editione mediam hujus vocabuli *idolum*, quotiescunque licuit commode, dictionibus transpositis, produxisse; quod quidem Aldus in correctionibus primæ editionis effecit. Sed cum observaverim, errores primæ Aldinæ editionis ab Heinsio citari, quin is animum ad correctiones adverterit, dubius hæreo et suspicor editionem Aldi, quam ipse laudat, pertinere ad annum 1501, Giselinum vero, editionem secundam cum dicit, intelligere correctiones; diversas autem lectiones, quæ Aldo affinguntur, errori allegantium imputandas, cum sæpe soleat accidere, ut unius nomen pro alio nec opinantibus excidat.

10° Anno 1502. Ex multis ac propemodum innumeris breviariis, in quibus nonnulli hymni Prudentiani excusi sunt, liceat unum tantum proferre, scilicet Isidorianum seu Gothicum, sive quod plurimos hymnos id exhibeat, sive quod Hispanum penitus sit, ac proinde juverit ex eo lectiones quasdam a cæteris diversas desumere. In eo sunt hymnus *Jejunantium*, *S. Eulaliæ*, *S. Vincentii*, *Agnetis*, *Fructuosi*, *Hemeterii et Celedonii*, *Octodecim martyrum Cæsaraugustanorum*, *Laurentii*, *Romani*, *Omni hora*, *Circa exsequias*, *De novo lumine*, *Ante somnum*. E quibusdam vero solum nonnullæ strophæ seliguntur, ut ad singulos dicemus. Prodiit autem Breviarium anno 1502 jussu celeberrimi cardinalis Ximenez, crederem etiam nonnullis affirmantibus, ejus expensis, nisi in fine legerem : *Ad laudem omnipotentis Dei necnon Virginis Mariæ matris ejus : omnium sanctorum sanctarumque, expletum est Breviarium secundum regulam beati Isidori dictum Mozarabes : maxima cum di-* A *ligentia perfectum et emendatum per reverendum in utroque jure doctorem dominum Alphonsum Ortiz, canonicum Toletanum. Jussu reverendissimi in Christo patris domini d. Francisci Ximenez, ejusdem civitatis archiepiscopi.* IMPENSIS *nobilis Melchioris Goricii Novariensis.* **83** *Per magistrum Petrum Hagembach Alemanum. Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo secundo, die vero vicesima quinta mensis Octobris.* Nihilominus Ortizius in præfatione *impensarum* Francisci Ximenez meminit : *Diu multumque recognita illustriora me reddidisse tuæ diligentiæ et sollicitudini clerici annumerent. Antea namque confusa pene omnia in libris veteribus, atque hactenus incognita jacuisse penes eruditos palam est. Nunc vero suis locis quæque reposita officia, aptaque reperies : characteribus atque periodis* B *distincta, verbis atque sententiis dilucida. Tuis igitur industria et* IMPENSIS *diu senio periclitata officia Isidoriana legentur. Quæ in omnium notitiam perventura apud posteros, charitatis tuæ studia, et meos labores recensebunt. Videbitur insuper diligentia nobilis viri Melchioris Goricii Novariensis : cujus opera exactissima hoc opus laboriosum est impressum in urbe regia Toletana* (a). Quod attinet ad impensas fortasse partim eas cardinalis Ximenez, partim Melchior Goricius fecit, ut ita veritas utrinque constet. Quid egerit Ortizius, suis verbis notatum volui, ut quorumdam opinionibus, qui magnam diversitatem inter mss. et edita officia Gothica jactant, occurrerem. Ortizii fidem luculento testimonio confirmat excellentissimus archiepiscopus Toletanus D. D. Franciscus An- C tonius Lorenzana, cujus opera iterum Breviarium et Missale Isidorianum longe magnificentius et correctius prodierunt. Is in erudita præfatione ad Breviarium, quo utor ejusdem dono, aperte ait : *Aliquod, licet leve, in quorumdam verborum transmutatione discrimen inter Breviarium Isidorianum prelo datum a cardinale Ximenio, et inter memoratos codices mss. agnoscimus; quapropter conjicere licebit, vel Alphonsum Ortizium canonicum Toletanum alia præ oculis habuisse autographa, nunc temporis deperdita, vel ipsummet Alphonsum cardinalis Ximenii auctoritate munitum in locis obscuris psalmorum, ubi anxietate*

tus, ode in laudem beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi Ecclesiæ Tarrac., et Augurii, et Eulogii diaconi. Septimus, passio Hippolyti martyris ad Valerianum episcopum. Octavus, ode in laudem Quirini martyris, episcopi Ecclesiæ Siscianæ. Nonus, locus ubi martyres passi sunt, quod nunc Baptisterium appellatur : (deest hexametrum : *Hic duo purpureum*). Decimus, passio Cassiani martyris. Undecimus, passio beatorum apostolorum Petri et Pauli. Duodecimus, passio Cypriani martyris. Tredecimus, passio Agnetis martyris. Sequuntur libri duo contra Symmachum. Post titulum *de Hercule* desunt alii tituli usque ad *De potentia crucis, Hoc signo invictus.* Postea *Romanorum senatum conversum ad Christum, Exsultare patres. Plebem Romanam in Christum credidisse; post hinc ad populum.* Deest titulus : *Symmachum alloquitur.* In libro II inseritur relatio Symmachi. Sequitur *Dittochæum*, cujus titulos variantes in ipso opere adnotabimus. In fine Dittochæi ode, in qua poeta de se loquitur, *Pius, fidelis, innocens,* cujus versus ultimus est, *Juvabit ore personasse Christum.* In Psychomachia sine alio titulo initium : *Christe, graves hominum.* Extremus titulus est *Concordiæ et Discordiæ pugna*, ac semper adhibetur vox *pugna* D pro conflictu aut certamine in titulis. Cætera in hac editione congruunt cum editione Weitzii circa ordinem et titulos.

(a) Eadem fere repetit in præfatione Missalis, ubi de Melchiore Goricio ait : *Cujus opera et* IMPENSIS *ars impressoria in ea urbe* (Toleti) *valde illustrata est.* De se autem : *Quam profecto durissimam provinciam mihi servorum tuorum minimo mandare non dubitasti : quatenus summa cum diligentia missarum in primis solemnia recenserem ac vigili lucubratione, quæ a vero characterum ruditate dimissa jam diu fuerant, styli non mutato, ductu reficerem, servataque verborum dignitate antiquorum majestatem custodirem. Nam quæ præ se antiquitatem ferebant, intacta esse jusseras, et tandem sic actum est. Nam dispersis in ordinem redactis, vitiis abrasis, dubiisque enucleata veritate lustratis, et cætera abolita multa resarciens, tuo jussu, ut valui, omnia illustravi.*

premebatur, ad vulgatam seu aliam recurrisse versionem, et juxta eam quædam verba addidisse. Hæc prorsus ignorabat abbas de S. Leger, præfectus bibliothecæ S. Genovefæ Parisiis, qui folium in-4 sine anni locive **84** nota, sed, ut puto, Parisiis anno 1787 edidit, ita inscriptum : *Particularités littéraires sur la liturgie mosarabe, tirées des lettres manuscrites du P. Burriel, jésuite espagnol, par M. l'abbé de S. L.* Abbas de S. Leger ex epistolis Burrieli, non satis bene intellectis, affirmat officium Gothicum a cardinali Ximenio editum in re ipsa et substantia differre a codicibus mss. Toletanis. Nesciebat idem typis jam fuisse editas epistolas duas Burrieli quas laudat, et alteram quidem ad P. Franciscum Ravagum Parisiis Gallice redditam, alteram ad D. Petrum de Castro in bibliotheca Hispana Petri Rodiguez de Castro in articulo, *Isidorus Hispalensis* (*a*).

105. 11° Anno 1505. *Enchiridion* Lipsiæ excusum lego apud Ludewigium.

12° Anno 1507. *Carmen in Romanum martyrem*, cum Joannis Murmellii commentario, Coloniæ, 1507. Post restitutas litteras hunc *primum* appellaverim interpretem Prudentii. Fabricius et alius recens scriptor in collectione Commentariorum editionis Weitzii Joannis Marmellii explicationem recensent, quæ revera apparet in indiculo interpretum, sed abest ab opere; fortasse quia eam ad manus habere speravit, sed non potuit. En titulum : *Divi Romani, herois, et Christi martyris fortissimi inclytum adversus gentiles certamen ab Aurelio Prudentio Clemente, viro consulari et poeta præclaro, nobili carmine compositum, in quo omnia deorum sacra et paganorum mores acerrime infamantur ac redarguuntur. Cum Joannis Murmellii Ruremundensis commentario, variis rebus vocibusque referto.* In fine : *Impressum est hoc opusculum Coloniæ in chalcographia ingenuorum liberorum Quentell. Anno Christi nati* SEPTIMO SUPRA M. D. X *calendas Junias.* In-8 magno potius quam in-4, charactere semigothico, ut vocant. In indice bibl. Casan. male notatur annus editionis 1510. Alii in-4 esse dicunt. Vide judicium Giselini de Murmellio, num. 117, in nota (*Col.* 653, *n.* a).

106. 13° Anno 1509. Daventriæ *Psychomachia* est edita, teste Ludewigio.

14° Anno 1512. *Aurelii Prudentii Clementis, viri consularis, libelli cum commento Antonii Nebrissensis.* Ad finem libri sic legitur : *Impressum præsens opus in civitate Lucronii per Arnaldum Guillermum de Brocario, et finitur die secunda mensis septembris, anno a nativitate* **85** *Christi millesimo quingentesimo duodecimo* (*b*). Vehementer dolendum Nebrissensem sine explicatione dimisisse libros adversus Symmachum, Apotheosin, Hamartigeniam, quosdam libri Peristephanon hymnos, scilicet Cassiani, Hippolyti, Petri et Pauli, Cypriani et Agnetis. Dittochæo ne locum quidem inter carmina dedit. Weitzius adnotationes Nebrissensis exscribens, asserit, abesse hymnum 5, 6 et initium 7 Cathemerinon; fortasse nactus fuit exemplar mutilum, nam in meo sunt integri hi hymni, et adnotationes in eos. Nebrissa solum Aldum videtur habuisse præ manibus, cujus errores interdum castigat, sæpius transcribit. Dubito an diversa sit editio quam vidi et nunc memorabo : magis credo esse diversam. Nic. Antonius, qui ex editis *primum* commentatorem Prudentii Nebrissensem fuisse existimavit, ad Isonis glossas et Murmellii commentarium non advertit. Cellarius nostrum Antonium, a loco natali *Lebrixa, Nebrixa, Nebrissa*, et *Nebrissensem* dictum, perridicule appellat *episcopum Nebrissensem*; nollem eumdem errorem exscripsisset alius (*c*).

107. 15° Anno 1512 aut paulo post. *Aurelii Prudentii Clementis, viri consularis, libelli. Cum commento Antonii Nebrissensis. Cum privilegio.* Nihil aliud in fronte legitur, neque in fine, aut alibi notatur annus, et locus editionis, quæ est in-4°, characteribus semigothicis. Solum præcedit loco præfationis *Epigramma Ælii Antonii Nebrissensis ad Prudentium ex Britannis reducem.* Quod alludit ad præfationem Aldi. Exstat hæc editio in bibliotheca Romana Sapientiæ (*d*). **86** In fronte effictum est Hispaniæ stemma

(*a*) Idem abbas de S. Leger ait se vidisse Bruxellis apud dominos de Santander plura monumenta litteraria, partim ipsius Burrieli manu exarata, partim eo jubente et vidente descripta, quod ideo animadverto, quia Burrieli epistolarum collectionem Matriti edendam audivi.

(*b*) Hanc editionem possidebat, qui eam describit, cl. Gregorius Maiansius. Vide ejus *Specimen Bibliothecæ Gregorio-Maiansianæ, Hannoviæ*, 1753, pag. 26. Addit Maiansius : *Ad intelligendum Prudentium Christianorum poetarum eruditissimum* NULLÆ NOTÆ CLARIORES ET EXPEDITIORES EXCOGITARI POTERANT. *Emendarunt meum exemplar aliquibus in locis Vincentius Pons Valentinus, vir stupendæ eruditionis, et cl. Joannes de la Torre, et Guerean, vir ingenii amœnissimi.* Eamdem editionem memorat Rodriguezius de Castro, qui formam ejus in-8 esse dicit, et Hispanice reddit Vitam Prudentii, a Nebrissensi expositam in epistola dedicatoria ad Didacum Ramirez de Villaescusa, episcopum Malacitanum. Judicium de interpretatione Nebrissensis lege num. 107, in nota (*Infra, n.* d).

(*c*) Fatum hoc quoddam Hispaniæ nostræ est, ut scriptores ejus celeberrimi ab exteris, quamvis doctis hominibus, vulgo ignorentur aut non bene cognoscantur. Is ipse, qui a Cellario deceptus, Nebrissensem episcopi titulo decoravit, Fr. Ignatium Como impugnaturus non est ausus nominare, et eodem in loco V. C. Franciscum Perez Bayer, fama hinc usque ad sidera notum, et jam pridem regiæ bibliothecæ Matritensi præfectum, pro monacho aliquo aut fratre mihi videtur accepisse, cum de patria S. Laurentii disputans, ita eum appellavit, *P. Perez*, neque enim alium ab eo reprehensum opinor, nisi auctorem eruditæ dissertationis : *Laurentius et Damasus Hispanis asserti et vindicati. Romæ*, 1756. Responsionem Bayerii ad argumentum, ex silentio Prudentii in hymno S. Laurentii petitum, suo loco explicabo et sustinebo.

(*d*) Suspicor editionis locum esse Cæsaraugustam, ex epigrammate Nebrissensis. Cæsaraugustæ Georgius typographus anno 1515 expositionem hymnorum (Breviarii) a Nebrissensi factam, et Sedulium cum paraphrasi ejusdem Nebrissensis formis impressit. Epigramma cujus memini est :

ma cum epigraphe : *Tanto monta.* Jovius in opere in A Hispanicum sermonem ab Alfonso Ulloa converso, *Dialogo de las empresas,* edit. 1558 pag. 30, refert, hoc lemma *Tanto monta* pro rege Ferdinando catholico Nebrissensem invenisse ; quod est dictum Alexandri, nodum Gordianum disrumpentis. Stemmati Hispaniæ postea inhæsit celeberrimum aliud lemma, a Ludovico Marliano Mediolanensi, medico Caroli V et episcopo Tudensi , inventum : *Plus ultra.*

108. 16° Anno 1513. Editionem hymni ad accensionem cerei Wittebergæ assignat Ludewigius.

17° Anno itidem 1513. Hymnum S. Romani Lipsiæ editum in-4° docet idem Ludewigius : qui fortasse est hic quem præ manibus habeo, in cujus fine legitur : *Prudentius de Romano martyre finem habet, impressus per industrium calcographum Melchiorem Lotterum anno Domini* MDXIII, in-4, editio nitida. Titulus frontis magnam partem est consumptus vetustate. Exemplar quod exstat in bibl. Angelica, inter lineas glossas habet manu descriptas.

18° Anno 1520. Enchiridion Lipsiæ in-4 prodiisse auctor est Ludewigius.

19° Anno eodem 1520. *In Aurelii Prudentii Clementis Cæsaraugustani V. C. de miraculis Christi hymnum ad omnes horas Jacobi Spiegel interpretatio.* In-fol. parvo, pp. 142. In fine : *Selestadii in ædibus Lazari Schurerii,* 1520. De Spiegelio infra redibit mentio. Exstat hæc editio in bibliotheca Alexandrina, sive Sapientiæ.

87 20° Anno 1522. Librum Cathemerinon Lipsiæ typis vulgatum tradit Rodriguezius.

21° Anno 1527. Basileæ omnia opera edita in-8, cum commentario Sichardi, in catalogo bibl. reg. Paris. : *Aurelii Prudentii Clementis opera, cum quibusdam scholiis Joannis Sichardi Basileæ, Andreas Cratander,* in-8, 1527. *Exemplar notatum manu Guillelmi Postelli.* Hæc est prima editio Sichardi, qua in secundo tomo edendo usus sum.

22° Anno 1536. *Aurelii Prudentii Clementis, viri consularis, opera multo quam antea castigatiora ; præterea et Ælii Antonii Nebrissensis commentariis haud pœnitendis illustrata, quibus insuper agglutinata sunt scholia Joannis Sichardi, quæ omnia nunc primum in philomusorum gratiam excusa sunt. Excudebat Antuerpiæ Martinus Cæsar, anno salutis humanæ* MDXXXVI, in-8, pp. 563. Hanc editionem vidi in bibliotheca collegii Romani.

23° Anno 1537. Lovanii, in-8, excusas adnotationes Jacobi Meyeri in duos hymnos trochaicos de Miraculis, et SS. martyrum Hemeterii et Celedonii, a Weitzio prætermissas, memorat Nic. Antonius, quas ait prodiisse cum versibus ejusdem Meyeri. Hoc ipsum alii bibliographi confirmant. Eas adnotationes nondum inveni.

24° Anno etiam 1537. Enchiridion Basileæ typis publicatum cum Juvenco et Aratore monet Ludewigius, quod in catalogo bibliothecæ Tellerianæ sic indicatur : *Aurelii Prudentii Enchiridion Veteris et Novi Testamenti, Basileæ B. Westhemeri,* 1537. Exstat Romæ in bibliotheca Angelica. Titulus est : *Juvenci presbyteri Hispani libri* III *de Historia evangelica, emendati et multis erroribus purgati. Aratoris sub-* B *diaconi libri* II, *Acta apostolorum complectentes, antea in Germania non excusi. Aurelii Prudentii Clementis, consularis viri, Enchiridion Veteris et Novi Instrumenti. Scholæ Christianæ necessarii libri. Basileæ, apud Bartholomæum Westhemerum et Nicolaum Brylingerum, anno* M.D.XXXVII. In-8 parvo. Similis editio occurrit anno 1542.

110. 25° Anno 1540. Opera Prudentii cum commentario Nebrissensis et scholiis Joannis Sichardi, qui sex codicibus usus fuerat, Antuerpiæ in-8 (ex Fabricio). Ludewigius mendis plenam hanc editionem esse testatur.

26° Eodem anno 1540. *Aurelii Prudentii Clementis, viri ob eximias indolis eruditionisque dotes ad consularem dignitatem evecti, et rerum divinarum,* C *religionis Christianæ, juris item civilis et militarium peritia excellentis* OPERA, *cum Sichardi et Erasmi commentariis. Basileæ, typis Henrici Petri,* in-12. Quam editionem habui a cl. physico Francisco Petraglia : recte Heinsius eam mendis inquinatam dixit. Vide num. 100.

88 27° Anno 1542. Enchiridion Basileæ cum Juvenco et Aratore. (Ludewigius) Fortasse simili forma ac anno 1537. Vide num. 109 in editione 24.

28° Anno 1546. Editionem Antuerpiensem hujus anni, quam Bailius habuerit, recenset cl. Teolius in editionis Parmensis præfatione , quam jam laudare cœpi acceptam statim ac divulgata ea est, pergrato mihi dono viri clarissimi; quem honoris causa libens nominarem, nisi ipse latere maluisset.

D 29° Anno 1553. Opera cum scholiis Sichardi et commentariolo Erasmi in duos hymnos de natali pueri Jesu, et de Epiphania, Lugduni, in-8. Com-

Aureli Clemens Prudenti, dic mihi, quæso,
  Quis te tam durus misit in exsilium ?
An libuit toto divisos orbe Britannos,
  Atque Caledonii visere monstra maris?
Balænas, orcas, et physeteras anhelos,
  Et grandes cetos, arboribusque pares.
Nonne fuit melius Celtas non linquere Iberos,
  Et nunquam patrios deseruisse lares?
Cæsaris Augusti dictas de nomine terras,
  Hic ubi fundit opes Liber et alma Ceres;
Hic ubi dat fruges inverso copia cornu,
  Et Pomona suas, atque Minerva suas.
Sed tibi nunc recta, nisi desipis, ire necesse,
  Ut postliminii jure relicta petas.
Ut possessores injustos pellere possis,
  Qui tua nunc lacerant, diripiuntque bona.
Qui sunt hi ? dices, Sunt barbaros, atque solœcos,
  Est horum proles, et numerosa manus.
Ergo citus propera, domui succurre labanti.
  Nam res absentis, justaque causa perit.
Si te forte tui nequeunt agnoscere cives,
  Illis sermo tuus, si peregrinus erit,
Interpres veniam : si tentant pellere tectis,
  Assertor veniam, suppetiasque feram.

Ordo est : 1° Cathemerinων liber. 2° Romanus. 3° Liber Peristephanων. 4° Psychomachia. 5° Apotheosis. 6° Hamartigenia. 7° Libri duo contra Symmachum. Deest Dittochæum. Editio est mendosa, non numeratis paginis.

mentariolus Erasmi exstat in collectione Weitzii, et in ejus operibus recusus est. In catalogo bibl. reg. Paris. editio dicitur in-16, per Joannem Tornoesium, Lugduni, hoc anno 1553. Alii in-8 dicunt. Hanc editionem laudat Gallandius.

30° Anno 1562. *Aur. Prudentii Clementis, V. C. sacra quæ exstant* POEMATA OMNIA. *Quibus accesserunt in totum quidem opus Jo. Sichardi succincta scholia, in aliquot vero hymnos Erasmi Roter. et Jacobi Spiegelii commentaria. Basileæ, ex officina Henrici Petri, anno sal. hum.* M.D.LXII, *mense Martio*, in-8, pp. 719. Hæc editio exstat in bibliotheca collegii Romani, quæ parum est correcta.

31° Anno eodem 1562. In collectione poetarum Christianorum, studio et notis Georgii Fabricii, Basileæ, in-4. Ita Joan. Albertus Fabricius in Biblioth. vet. Lat. Alii annum editionis 1563 notant, alii 1564. Ludewigius hanc vocat *eruditam et raram.* Vide infra num. 111, ubi eam describimus.

32° Anno 1562. Opera Prudentii, in-8, Basileæ, cum Erasmi et Sichardi notis (ex quodam catal.).

33° Anno 1562. Editio prima Giselini mendosa, ut ipse profitetur in editione secunda. Titulus : *Aur. Prud. Clem. viri cons.* OPERA, *a Victore Giselino correcta, et adnotationibus illustrata.* Ad Hippolytum Estensem cardinalem, Parisiis, apud Hieronymum de Marnef, in-12, pp. 494. Hujus editionis errores in multis aliis repetiti sunt. Giselinum, decem nactum Prudentii codices, hanc editionem adorsum fuisse quidam perperam affirmavit, deceptus inscriptione editionis secundæ anni 1564. Prima Giselini editio exstat in bibliotheca Angelica, ubi eam vidi.

34° Anno 1564. *Aurelius Prudentius Clemens, Theodori Pulmanni Cranenburgii et Victoris Giselini opera ex fide decem librorum manuscriptorum emendatus, et in eum ejusdem Victoris Giselini commentarius. Antuerpiæ, ex officina Christophori Plantini,* CIↃ.IↃ.LXIV. In-8. **89** Post commentarium Giselini leguntur Symmachi et Ambrosii de Religione epistolæ adversariæ, Petri Nannii Alcmarini et Victoris Giselini scholiis illustratæ. Accedunt Erasmi commentarii in duos hymnos Prudentii, de quibus num. 109 (*a*).

111. 35° Anno itidem 1564. Georgius Fabricius cum aliis poetis Christianis Prudentium edidit, et quidem primo loco. Inscriptio : *Poetarum veterum ecclesiasticorum opera Christiana, et operum reliquiæ atque fragmenta. Thesaurus catholicæ et orthodoxæ*

A *Ecclesiæ, et antiquitatis religiosæ, ad utilitatem juventutis scholasticæ : collectus, emendatus, digestus, et commentario quoque expositus, diligentia et studio Georgii Fabricii Chemnicensis.* In fine : *Basileæ, ex officina Joannis Oporini, an. sal. hum.* M.D.LXIIII. In-4. In fronte avulsa erat nota loci et anni : ipse præfatur anno 1562, XIII cal. Mart. In nonnullis exemplaribus Romæ desunt commentarii, quippe ab hæretico homine interdum impie confecti, et propterea discerpti. Ad commentarios præfatur eo ipso anno 1562, XIII cal. Jul.

36° Anno eodem 1564. Editio Prudentii cum aliis poetis Christianis Basileæ per Joan. Oporinum, in-8, laudatur a cl. Teolio, a nemine, quod ipse scierit, animadversa. Sed cum ipse non commemoraverit B editionem Basileensem in-4 per Joan. Oporinum, a me visam, et a pluribus recensitam, videndum, an unica sit hæc editio, quam aliquis male in-8 indicaverit.

37° Anno 1566. *Prudentii opera a Victore Giselino correcta, et adnotationibus illustrata.* Parisiis, Marnef, 1566, in-16, pp. 140. **90** Fabricius ait : *Ex recensione Giselini.* Hæc editio conformis omnino est primæ editioni Giselini anni 1562. Vide num. 110. Adsunt etiam Erasmi commentarioli. Si alicubi legas, *hanc editionem* a Giselino procuratam, non assentiaris.

38° Anno 1568. Georgii Fabricii commentarii in quosdam hymnos Prudentii, Lipsiæ 1568, in-8 (ex Joan. Alb. Fabricio). Exstant in collectione Weit- C ziana et in operibus Fabricii.

112. 39° Anno 1574. *Aurelii Prudentii Clementis, viri consularis, Christiani antiquissimi poetæ, carmina. Prosperi Aquitanici epigrammata, Joannis Damasceni, Cosmi Hierosolymitani, Marci episcopi Taluntis, Theophanis opuscula. Calari* MDLXXIIII. *Excudebat Vincentius Sembenius Salodiensis impressor R. D. Nicolai Canyelles vicar. gener. sede vacante.* In-8, pp. 552. Editio hæc conformata est ad editionem Aldi, non admodum correcta. Præmittitur præfatio Aldi, et altera de metris cum Vita Prudentii ab eodem conscripta, non autem lectiones variæ, de quibus num. 104 dixi. Hanc editionem cl. Teolius vidit in bibliotheca PP. Minimorum in Monte Pincio, ego in bibliothecis Alexandrina et Angelica, et exstare scio D in bibliotheca locupletissima sacratissimi principis Pii VI.

(*a*) Ludewigius recte pronuntiat hanc editionem castigatissimam et nitidissimam esse ; et quamvis idem asserat Weitzianam optimam censeri, Heinsius tamen Weitzianæ editionem Giselini prætulit. Sed opus est advertere, in quibusdam exemplaribus deesse commentarios Erasmi, religionis causa avulsos, quo factum est, ut simul discerptæ fuerint novæ curæ Giselini, qui plura menda sustulit, et nonnullas animadversiones adjecit. A Barthio male accipitur Giselinus, qui vocatur Advers. lib. IX, cap. 20, *homo tantæ præsumptionis, ut* COMMENTARIUM *notas suas inscribere voluerit.* Rationem reddit Barthius lib. XXI, cap. 4 : *At in* UTRAQUE *non debebat tantum negotii dare Giselino, viro probo et erudito, de quorum altero nobis ex relatione doctorum, altero publice omnibus constat, modo non nimius suarum operarum æstimator fuisset, ut cum* COMMENTARIUM *in Prudentium scripsisse ait, paucas illas paginas tanti faciens. Commentarius autem in Prudentium necesse sit multorum annorum opus, in quo etiam ingeniosissimus, et eruditissimus et laboriosissimus quis omnem industriam possit insumere optimo mortalitatis.* Nic. Antonius notas Giselini interpretationibus omnium, qui præcesserant, præponit. Revera de Prudentio optime meritus est Giselinus, qui controversias etiam theologicas, paucis exceptis, non infeliciter pro medico attigit. Vide, num. 117, Chamillardi judicium in ejus præfat. Editionis hujus Giselini exemplar in biblioth. Paris. reg. exstat manu collatum cum perantiquo ms. bibl. reg.

40° Anno 1580. Libri adversus Symmachum in editione epistolarum Q. Aurelii Symmachi cura et studio Francisci Jureti Parisiis, in-4, pag. 317: *Aur. Prudentii Clementis contra L. Aurelium Avianium Symmachum libri duo*, etc. In fronte libri Symmachus *Quintus*, hic *Lucius* dicitur. Pag. 98, in notis: *Jureti notæ ad Prudentii libros contra Symmachum*, quos *elegantissimos* Juretus appellat, et ex vetustissimo codice illustrat. Hæc Jureti notæ latuerunt Weitzio.

41° Anno 1585. Editio Coloniensis hujus anni, in-8, laudatur a Nic. Antonio et Rodriguezio de Castro, quæ fortasse ab ea quæ sequitur non est distincta.

42° Anno 1588. Editio libri Peristephanωn et Cathemerinωn, in-8, Coloniæ, quæ mendosa dicitur a Ludewigio, et est mendosa. Inscriptio: *Aurelii Prudentii Clementis, viri consularis, hymni καθημερινῶν, et περὶ Στεφάνων. Coloniæ Agrippinæ, in officina Birckmannica sumptibus Arnoldi Mylii, anno* M.D.LXXXVIII.

43° Anno 1589. Prudentii opera Parisiis. Ex catalogo bibliothecæ Bodleianæ, ubi nihil aliud exprimitur. Vide num. 114 in edit. 52.

44° Anno 1591. Editio Lugduno-Batava Prudentii, in-16. Ex Nicolao Antonio.

45° Anno 1594. Operum editio Coloniensis, in-8 (ex Nic. Antonio et Rodriguezio). Titulus est: *Opera a Victore Giselino* **91** *correcta, et adnotationibus illustrata. Ad Hippolytum Estensem cardinalem, ac principem illustrissimum. Coloniæ Agrippinæ, in officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylii, anno* M.D.XCIV. In exemplari, quo utor, solum exstant Psychomachia, Apotheosis, Hamartigenia, Dittochæum cum notis Giselini. Cætera ex editione Coloniensi anni 1588 assuta et compacta sunt. Editio hæc editioni primæ Giselini respondet, adeoque mendosa est.

46° Anno 1596. *Aurelii Prudentii Clementis V. cons. opera ex recensione Victoris Giselini. Lugduni Batavorum, ex officina Plantiniana apud Franciscum Raphelengium*, 1596. In-20. Nullæ sunt notæ. *Ex recensione Giselini* intellige ad normam primæ editionis, cujus errores sæpius sunt excusi typographorum et editorum intolerabili ignorantia et negligentia. Ac miror ab aliquo affirmari Giselinum hanc editionem curasse, cum ipse Giselinus in præfatione secundæ editionis monuerit, primam illam anni 1562 tumultuarie factam, et innumerabilia menda in eam irrepsisse.

47° Anno 1603. Prudentii Vita et opera, Lugduni. Ex catalogo bibliothecæ Bodleianæ.

48° Anno 1610. Opera Prudentii, Lugduni. In catalogo bibliothecæ Bodleianæ.

49° Anno eodem 1610. Andreas Wilchius edidit Heortographiam, seu Commentarios in veterum recentiumque poetarum hymnos, in-8 (ex Fabricio). Hos commentarios non vidi. Andreæ Wilchii Expositio in festo Trium Regum, facta ex Apotheseos quibusdam versibus, exstat in collectione Weitziana.

50° Anno eodem 1610. Antuerpiæ opera Prudentii prodiisse in-24, sine ullis notis, refert cl. Teolius: sed cum id accidisse dicat post editionem Weitzianam, fortasse alium annum voluit indicare

113. 51° Anno itidem 1610. Prudentii Dittochæum in hoc opere: *Manuale biblicum, sive Enchiridion SS. Scripturæ a catholicæ apostolicæ veteris Ecclesiæ Patribus compendiatum, et nunc primum ex vetustis membranis mss. collectum, et dicatum venerabili, religioso patri D. Joanni Myntzenbergio priori Carmelitarum in conventu Francofurdiensi. Francofurti*, 1610, *apud Egenolphum Emmelium*. In-8. Editor sub litteris M. H. C., ut colligo ex Weitzii præfatione ad Dittochæum, est Melchior Goldastus Haminsfeldius, a quo Weitzius membranas accepit, in quibus liber Cathemerinωn, et Amœni manuale erat. Sed hoc opus non videtur legisse Weitzius, qui Isonis magistri glossas uberiores, a Goldasto adductas, omisit, quanquam miror illum e præfatione Goldasti sumpsisse quæ ad Prudentium pertinent, nisi eadem verba Goldastus alibi etiam scripsit. In hoc **92** ergo Manuali biblico, pag. 1, est *Prudentii Amœni Diptychon, seu Tituli historiarum Veteris et Novi Testamenti.* Duo alia similia opera in eadem collectione sunt inserta, scilicet pag. 17 Rustici Helpidii, et pag. 85 Walafridi Strabi. Varietatem lectionum Goldasti suo loco notabimus. De Isone vide num. 16 et 114, in nota

114. 52° Anno 1611. Prudentii opera in corpore omnium poetarum Genevæ, in-4, recusa in omnibus editionibus hujus collectionis, uti etiam in editionibus bibliothecæ SS. Patrum. Scilicet in collectione veterum poetarum Aureliæ Allobrogum 1640, Londini, 1713, ut Pisaurensem aliasque recentiores omittam. In Bibliotheca SS. Patrum, Parisiis, 1589, vol. 8; Lugduni, 1677, tom. 5; in Bibliotheca vero SS. Patrum, quam nostro tempore collegit vir doctus, Andreas Gallandius, Prudentii opera leguntur notis illustrata, præsertim ex Chamillardo; quasdam notulas Gallandius ipse adjecit, qui hunc ordinem ex suo *edito* (fortasse Tornoesiano) sequitur: Peristephanωn, Apotheosis, Hamartigenia, Psychomachia, libri duo contra Symmachum, Cathemerinωn, Dittochæum. Exstant hæc opera tom. VIII ejus Bibliothecæ, Venetiis, 1772, ubi præmittit Prudentii Vitam non satis accurate digestam.

53° Anno 1613. *Aurelii Prudentii Clementis V. C. opera noviter ad mss. fidem recensita, interpolata, innumeris a mendis purgata, notisque et indice accurato illustrata a M. Joanne Weitzio, P. L. Accesserunt omnium doctorum virorum, quotquot in Prudentium scripserunt, notæ, scholia atque observationes, cum glossis veteribus. Hanoviæ, typis Wechelianis, apud hæredes Joannis Aubrii* M. DC. XIII. In-8 (*a*).

(*a*) Uno volumine, cujus prima parte continentur poemata Prudentii cum variis lectionibus, pp. 382; altera, *Sylloge adnotationum, scholiorum, observationum et notarum in Aurelii Prudentii Clementis opera singulari studio collecta, digesta ac disposita a M. Joanne Weitzio P. L.* Indiculus interpretum hos exhibet, Nebris-

115. 54° Anno 1614. *Isaaci Grangæi, gymnasiarchæ Vindocinensis, Commentarii in Aurelii Prudentii Clementis libros duos adversus* **93** *Symmachum pro ara Victoriæ ad Cæsarem de Vendosme Vindocinensem ducem. Parisiis, apud Robertum Fouet*, MDCXIV. In-8, pp. 240, præter indicem. Editio mendosissima. Additur in fine Relatio Symmachi cum notis Jac. Lecti et Francisci Jureti. Item duo libri Ambrosii adversus Symmachum. Commentarii Grangæi docti sunt. Hanc editionem utendam accepi a cl. præsule Josepho Antonio Reggio. A

55° Anno 1624. Prudentii poemata varia Parisiis. Ex catalogo bibliothecæ Bodleianæ.

56° Anno 1625. *Prudentii opera ex postrema doctorum virorum recensione. Amsterodami, apud Guilielm. Janss. Cæsium*, 1625. In-32, pp. 261. Falsum est, ex postrema recensione prodire : nam ea sunt menda, quæ ante secundam Giselini editionem legebantur. B

57° Anno 1631. Prudentii opera, Amstelodami, apud Joannem Jansonnium, pp. 261, quæ fortasse est eadem ac præcedens anni 1625 : titulus quidem non est diversus, paginæ totidem sunt utrobique. Hanc editionem vidi, illam habeo.

58° Anno 1643. Franciscus Weitzius edidit in-8 Heortologium sive Hymnos festivales, veterum recentiumque notis illustratos. Ex Fabric. Bibl. vet. Lat.

59° Anno eodem 1643. *Aurelii Prudentii Clementis hymnus de Christi Domini et Salvatoris nostri natali. Augustus Buchnerus seorsim edidit, et commentariolo illustravit. Wittebergæ, impensis Balthasaris Mevii bibliopol., typis Joannis Haken.* M. DCXLIII. In-8 parvo, pp. 130. De Buchnero lege num. 93 et commentarios. C

116. 60° Anno 1646. Hymnus natalis Domini, Epiphaniæ, et Omni hora, Gorliz. Ex Ludewigio.

61° Anno 1648. Prudentius in usum scholarum Luneb., in-12 (ex Fabricio). In hunc usum Prudentium edi nonnulli cupiunt.

62° Anno 1655. Hymnus ante jejunium cum Calixti et Hepf dispp., Hanov., In-4. Ex Ludewigio.

63° Anno eodem 1655. Hymni duo Cathemerinon cum notis. Hannoveræ, in-4. Catal. bibl. Bodleianæ.

64° Anno 1659. Hymnus natalis Christi cum Mollero, Friburg., in-8, quem Ludewigius laudat, et ego ad usum accepi a cl. præsule Josepho Antonio Reggio. Inscriptio est : *Andreæ Molleri Pegavii commentarius super hymnum Prudentianum ad octavum calendas Januarias. Freibergæ, typis et sumptibus Georgii Beutheri.* In fine exstat paraphrasis Germanica hujus hymni rhythmo expressa. Commentator hic heterodoxus est, sed doctus.

65° Anno 1667. *Aur. Prudentii Clementis quæ exstant, Nic.* **94** *Heinsius ex vetustissimis exemplaribus recensuit, et animadversiones adjecit. Amstelodami apud Danielem Elzevirium* CIƆIƆCLXVII. In-16. Editio nitida, et imprimis correcta. De Prudentio nemo Heinsio melius meritus est, quantum quidem ad delectum variantium lectionum pertinet : nam alia vix attigit, siquidem adnotata ad Prudentium uberiora meditatus, ea exsequi non potuit. Si igitur de commentatoribus Prudentii sermo sit, editio Heinsiana editioni ad usum Delphini præferri non debet, imo nec cum ea conferri

66° Anno 1670. Aliam Heinsianam editionem ex Morerio in Lexico enumerat cl. Teolius, qui pro certo tradit aliam exstare apud Soncinos, quamvis eam non viderit. Editionem Heinsianam in Dictionario Morerii correcto an. 1740 laudari eam quæ anno 1667 peracta est, non aliam anni 1670 animadvertere debeo.

117. 67° Anno 1687. *Aur. Prudentii Clementis opera interpretatione et notis illustravit Stephanus Chamillard, e soc. Jesu ad usum Delphini. Parisiis, apud viduam Thiboust et Petrum Esclassan.* In-4 magno. Editio rara, docta et satis correcta; interpretatio seu paraphrasis minus placet. Confer Clericum tom. XII Biblioth. (*a*).

sensem, Sichardum, Erasmum, Spiegelium, Georgium Fabricium, de quibus jam diximus, item Adami Siberi scholidia, Joannis Murmellii explicationem in Romanum (de quo num. 105), Victoris Giselini commentarium (vide num. 110). Adami Theodori Siberi commentariolum in tres hymnos, Andreæ Wilkii expositionem in quosdam ex Apotheosi versus (vide num. 112), Joannis Weitzii notas et observationes, Isonis magistri glossas, ex codice Caroli Widmani, et altero Jacobi Bongarsii excerptas a M. Joanne Weitzio. Hæc editio a Ludewigio optima earum quas viderat creditur. Confer tamen num. 110 et præfationem Heinsii num. 100. Advertas, velim, Goldastum, qui e vetustis membranis Isonis glossas abundantiores excerpserat ad Dittochæi editionem, asserere, Isonem monachum fuisse in cœnobio S. Galli, Salomonis III Constantiensis episcopi præceptorem circa annum 900. Confer num. 16. Isonem nescio cur alius vocitet *Isonium*. D

(*a*) Quod judicium tulerit Chamillardus de interpretibus quos viderat, nunc describam. *Exstant*, ait in præfatione, *aliqui, fateor, interpretes Prudentii, Antonius Nebrissensis, Giselinus, Weitzius, et Nicolaus Heinsius. Sed Giselinus sectatus est tantum ea quæ omnium erant facillima et minime scitu necessaria, lapsus in multis etiam et allucinatus est. Nebrissensis hæret in Prudentio magis, sed est brevior, et singula delibare satis habet; quæ ad fabulam, historiam et penitiorem scriptoris cognitionem requiruntur, omittit. Quid quod Apotheosin, Hamartigeniam, duos contra Symmachum libros, qui sunt præ cæteris tamen dignissimi qui legantur, non attigit. Restat Heinsius, cujus variæ lectiones in Prudentium aspersis interdum lectissimis notulis, perquam eruditæ sunt et accuratæ, ut ab Heinsio profectas facile noris; itaque nemo, ut opinor, me reprehendet quod eum, quantum in me fuit, secutus sim perinde atque Weitzium, qui, cum editas hactenus in Prudentium notas collegisset, addidit etiam suas, easque minime contemnendas : hoc uno cæteris superior, quod veterum auctorum locos indicet, ac eos præcipue sacræ Scripturæ quos Prudentius operi suo intexuit. Mitto Jacobum Spiegelium, qui commentariolum edidit in oden Prudentii inscriptam* Omnis horæ : *ejus enim in illam notæ non solum sunt propter nimiam prolixitatem molestæ, verum etiam minutis quibusdam, ac pene puerilibus nugis ab ipsa grammatica repetitis refertæ. Mitto etiam Adamum Siberum, Georgium Remum, Adamum Theodorum Siberum, Andream Wilkium : quorum alii verba sex interdum aut septem protulerunt in hymnos tres aut quatuor; alii unum duntaxat; ut merito ab interpretum Prudentii numero sint expungendi. Aliter sentiendum de Scholiis Isonis, quæ*

95 68° anno 1701. *Aur. Prudentii Clementis V. C. Opera cum notis Nicolai Heinsii Dan. filii, et variorum doctorum virorum maxime necessariis. Subjectus est in fine index rerum et verborum locupletissimus. Coloniæ, apud Joannem Christophorum Stoissel. Anno* MDCCI. In-8, pp. 978. Editio mendosa. Præter Heinsii notas, sunt commentarii Nebrissensis et glossæ Isonis.

69° Anno 1703. *Aur. Prud. Clementis quæ exstant, recensuit et adnotationibus illustravit Christophorus Cellarius, qui et indices copiosos rerum et verborum addidit. Halæ Magdeburgicæ sumptibus orphanotrophii*, 1703. In-8, pp. 559. In fine est index eorum quæ licentius solito Prudentius posuit, in quo sæpe ipse Cellarius licentius peccat, ut postea demonstrabo. Illud autem pejus, quod interdum hæresin suam tuetur.

70° Anno 1739. Editio secunda cum adnotationibus Cellarii eodem in loco, ac prima. In-8, pp. 501.

71° Anno 1750. *Aurelii Prudentii Clementis V. C. opera ex postrema Nic. Heinsii, Danielis filii, et variorum doctorum recensione. Coloniæ*, 1750. In-8 (ex Rodriguezio de Castro). Videndum est an hæc editio sit prorsus eadem atque editio anni 1701, et an aliquis annum 1701 aliquantulum obscure typis impressum acceperit pro anno 1750, nam id subvereor.

72° Anno denique 1788. *Aurelii Prudentii Clementis V. C. opera omnia, nunc primum cum codicibus Vaticanis collata, præfatione, variantibus lectionibus, notis ac rerum verborumque indice locupletissimo* **96** *aucta et illustrata. Parmæ, ex regio typographeo* MDCCLXXXVIII. In-4 magno, vol. I et II. Editio nitida, splendida et sumptuosa, poeta nostro et Mæcenate suo dignissima. Dicata est equiti amplissimo Josepho Nicolao Azara, Hispaniarum regis apud sanctam sedem cum summa potestate legato. Interpretis nomen primis litteris indicatur *I. T.*, hoc est Josephus Teolius. In ephemeridibus Romanis hujus anni die 19 Aprilis elogium non vulgare ejus editionis legitur. Editor cum duodecim et amplius mss. Vaticanis poemata Prudentii contulit, qui gratum multis fecissét, si exprimere curasset ex quo codice singulas variantes lectiones sumpsisset. Opera distribuit eo ordine quem ab Heinsio probatum putabat, scilicet Cathemerinωn, A Peristephanωn, Apotheosis, Hamartigenia, Psychomachia, libri contra Symmachum, Dittochæum, quod mavult appellare *Diptychon*. In eo tamen deceptus est, quod oden *Immolat Deo Patri* recte præfigi libro Peristephanωn quasi ex Heinsii sententia censuerit. Heinsius *in addendis* conceptis verbis ait : *Vetusti codices plerique epilogum voluminis faciunt præfationem illam, quæ nunc ante librum περὶ Στεφάνων legitur... unde illam quoque ad universum Clementis nostri poeticum opus epilogi loco referri oportere non difficulter, puto, agnoscas... Quapropter redeat postliminii jure in pristinum locum, unde exsulabat immerito, ea ode*. Quod autem ordini qui servatus est in editione Parmensi, aut quem servari voluit Heinsius, suffragentur Vaticani melioris notæ codices, non video B quo jure affirmari possit. Superiori capite exposui quem quisque codex Vaticanus ordinem in collocandis poematis tenuerit; alii de re tota judicent. Certe codex Vat. Alex. 321, de quo num. 78 et in notis egi, qui solus e 27 Vat. codd. omnia Prudentii poemata complectitur, multo magis ad nostram quam ad Heinsianam methodum accedit. Cæterum gaudeo pulcherrimam hanc editionem opportune ad me esse perlatam, ut docti commentatoris diligentia possim juvari. Ille quidem brevitati studuit, et secutus videtur consilium P. Francisci Pozzo, sive a Puteo, qui in opere *Memorie della vita di S. Lorenzo* monitum hoc posuit, ut in nova Prudentii editione adornanda, qualem ipse expetebat, consuleretur *tum animadversionum brevitati, tum voluminis formæ commoditati.* C Magnificentia vero typographi effecit ne volumen tam esset commodum, quam Franciscus a Puteo volebat. Scriptis hujus P. Francisci a Puteo, et P. Josephi Blanchinii, presbyterorum congregationis Oratorii, se plurimum adjutum ingenue bonoque exemplo Teolius fatetur, quod a nobis commemorandum fuit, ne duos illos clarissimos viros, **97** bene de Prudentio meritos, silentio præteriremus. Jam si Teolius in suo interpretandi genere summam laudem assecutus est, ego in alio, scilicet uberiori, pleniori ac, si vis, liberiori acquirere pauca si possum, non prætermittam (*a*). Vertat aliquis olim poetæ nostro laudi, quod editione Parmensi vix absoluta alius aliam in-

quamvis admodum brevia sint, quidquid est tamen gravioris nodi, solvunt. Habendus item honos Georgii Fabricii notis in poetas ecclesiasticos, et hymnos quinque Prudentii, quos illustravit. Claudet agmen interpretum Erasmus, qui quamvis in duobus tantum postremis Cathimerini hymnis elaboraverit, quia tamen vir fuit. Si quis alius sua tempestate, acuti, et limati judicii, operæ pretium non pœnitendum fecit, ac documento esse potest, quam non Prudentius ab eruditis contemnendus sit. Vides Chamillardum de multis interpretibus Prudentii nihil audivisse, de Murmellio, de Jureto, de Granzæo, de Buchnero, de Mollero, ut alios prætermeam. Judicium ejusdem adversus Giselinum non omnibus placet. Ipse Giselinus de Nebrissa aliter sentit : nam huic et Murmellio summam diligentiæ laudem, præsertim in historiis explicandis, tribuit, quamvis in Nebrissa artis poeticæ scientiam majorem, in Murmellio plus observationum desideret. Quod ait Chamillardus, Weitzium veterum auctorum locos indicasse, verum quidem id est, sed addere debuit, D sæpe falso a Weitzio et auctores, et locos indicari, quem incaute secutus Chamillardus labitur interdum. Minutas quasdam, et pene pueriles nugas in Spiegelio reprehendit; sed fortasse non minus minutum ac puerile est, quod ipse in prooemio Prudentii voci *Roma* notam subjecit : *Urbs satis nota*. In ejus vero editione sæpe accidit, nescio cujus negligentia, ut alia sit scriptura in carminibus excusa, alia in notis defensa. Præterea nonnullos errores typographicos, et nonnunquam contra metrum, qui saltem indicari et corrigi debuerunt. Fatendum est tamen Chamillardum in quæstionibus theologicis explicandis longe cæteris commentatoribus præstitisse, qui fortasse melior fuisset interpres, nisi *ad usum Delphini* editionem adornasset suam. Neque dubito quin hæc editio aliis omnibus quæ præcesserant sit præferenda, ut præfertur a Joan. Alb. Fabricio, quamvis Heinsius in variis lectionibus exponendis partes critici cumulatius expleverit.

(*a*) Modestiæ cl. Teolii non invitus attribuam

choaverit. Nam qui argumenta rerum quæ in Pru- A dentio latent, ita jam esse illustrata censeat, ut ab uno, vel altero possint exhauriri, is sane vel Prudentium non legit, vel nullo modo intellexit (*a*).

98 118. Prudentii, in vulgares linguas conversi, non tot proferam exempla quot vellem, quanquam plura fortasse latent. Sed certe non tam obviæ sunt poetæ Christiani versiones, quam aliorum gentilium, e quibus nulla interdum utilitas, maxima plerumque pernicies in hominum mores potest derivari. Rodriguezius de Castro Psychomachiæ versionem Hispanicam viderat (metro, ut conjicio, factam), interprete baccalaureo Francisco Palomino, ordinis S. Jacobi conventus Uclesii sacerdote, editam Uclesii in-4, quam ipse laudat in erudita sua Biblioth. Hispanica (*b*).

119. Idem refert aliam versionem : *Traduccion de* B *los hymnos, que hizo Aurelio Prudencio a los ilustrisimos martires S. Laurencio, S. Vicente, S. Engracia, S. Lupercio, y los demas innumerables, que padecieron en la imperial ciudad de Zaragoza. Con el nacimiento y patria del mesmo Aurelio Prudencio. Por Luis Diez de Aux, hijo de la misma ciudad, a quien se dedica. En Zaragoza por Juan de Lanaja y Quartanet*, 1619. In-8. Ludovicus Diez, commentitium Dextri Chronicon secutus, Hispano carmine Prudentii Vitam scripsit. Cl. Petrum Garcia de la Huerta versibus Hispanis Prudentii hymnos reddere ex eodem audivi, et jam pridem versionem hymni de Novo Lumine paschalis sabbati magna cura elaboratam legi.

120. Antonius du Verdier, Biblioth. Gallic., edit. Lugdun., 1585, pag. 95, id habet : *Aurelie Prudence Clement. La Passion de Sainct Quirin martyr evesque de Scissie, prise de l'hymne 7 de Prudence, poëte chrestien, en son livre des couronnes, et traduite en vers françois couplet pour couplet.* Edita est inter Vitas sanctorum Parisiis per Nicolaum Chesneau. Ibid., pag. 1025, Petrus de Montchault vertit Gallice duos hymnos Prudentii de Nativitate, et de Epiphania (carmine, opinor). Ibid., pag. 521, Guido le Feure de la Borderies edidit Parisiis per Robertum le Maignier : *Hymnes ecclésiastiques, et cantiques, partie traduits, partie de son invention;* In-8, anno 1582, editio secunda, ubi sunt 14 aut 15, ut credit Verderius, hymni Prudentiani, metro Gallico a Guidone eleganter conversi. Ibid., pag. 939, Paschalis Robin Gallice reddidit (puto carmine) hymnum secundum Peristephanon de S. Laurentio, et tertium de S. Eulalia.

99 121. Hæc habeo Italica Prudentii carmina. *I due libri di Prudenzo contro Symmaco. Tradotti in versi Italiani dal P. M. Carlo Agostino Ansaldi domenicano. Venezia, appresso Pietro Valuasense*, 1754. In-8. In præfatione ait Ansaldus paucos id Prudentii opus commentariis illustrasse, ac solum Heinsium feliciter, quod oppido falsum est, nam eos libros doctis commentariis illustrarunt Juretus et Grangæus, ut alios omittam qui commentarios in omnia carmina ediderunt. Editio versuum Latinorum mendis scatet (*c*), interpretatio pura est, 100 et nitida.

(quam fortasse alii non laudabunt) quod ab Heinsio C vix ausus fuerit vel latum unguem discedere, cum tot Vaticanos codices lustraverit, quos interdum jure suo præferre potuerit. Chamillardus quidem et Cellarius minus sunt hac in re notandi : nam nullos codices per se inspexerunt, et liberiores tamen esse mihi videntur. Teolius etiam quamdam orthographiam antiquatam ex Heinsio expressit, *urguet, tinguit, temptat*, ex quo pariter potuit accipere *labsa, inpar, loquella*, et similia. In Heinsio malim alia imitari : quod enim is veteres codices allegat, non satis congruens ratio est, ut aliam scribendi rationem ipse teneat, aliam in carminibus Prudentii exarandis adoptet. *Orthographiam*, inquit Heinsius in præfatione, *Pulmannus ex vetustis exemplaribus non inconcinne aut inscite expresserat, quam tamen nos ex membranis veterrimis hic illic immutavimus, ac meliorem pro virili reddidimus, plus conspiranti codicum antiquissimorum suffragio deferentes, quam præceptis grammaticorum, quæ minus veritatis fideique, quam argutiarum ut plurimum præ se ferunt. Quanquam nec denegarim multo plura a me immutari orthographica potuisse, si membranis venerandam vetustatem ostentantibus assentiri per omnia jus fasque habuissem : et curis secundis nonnihil reservandum videbatur.* Equidem in codicibus antiquissimis nihil aliud reperio nisi maximam discrepantiam in orthographia, innumerosque errores. Neque intelligo, cur Prudentii carmina magis, quam Ciceronis opera, ad orthographiam codicum VII, VIII vel IX sæculi revocari debeant. Verum de diversa scribendi ratione codicum et nonnullarum editionum Prudentii fusius dicam ad hujus capitis calcem in nota. In commentariis notabo quosdam errores typographicos editionis Parmensis in carminibus Prudentii, ubi scilicet sensus desideratur, aut lex metri, et Latinitatis non constat, quod simili modo cum optimis aliis editionibus facere decrevi, ne quis variantes lectiones esse putet.

(*a*) Multos hymnos Prudentii seorsum excusos nunc indicabo. Inter *Acta sincera martyrum Theodorici Ruinart* sunt hymni Eulaliæ, Cassiani, Agnetis, Laurentii, Hippolyti, octodecim martyrum Cæsaraugustanorum, Quirini. Hymnus S. Dionysii episcopi Alexandrini in eisdem Actis Prudentio ascribitur in indice bibliothecæ Casanatensis : sed nullus est hymnus S. Dionysii in editione Veronensi, qua utor, anni 1731. Exstat in iisdem Actis Passio infantis ex hymno S. Romani. Apud Bollandianos exstat vol. II Aprilis hymnus octodecim martyrum Cæsaraugustanorum, vol. I Martii SS. Hemeterii et Celedonii, vol. II Augusti S. Laurentii, vol. III ejusdem mensis S. Cassiani, ut alia nunc prætermittam a continuatoribus Bollandi ex operibus Prudentii egregie illustrata. Passio S. Eulaliæ exstat in *Hagiologio Georgii Vicelii, Moguntiæ*, 1541. S. Cypriani *in ejus operibus*, SS. Hemeterii et Celedonii, et S. Leocadiæ *apud Surium.* In *Vitis Patrum*, collectore Aloysio Lipomano, inseruntur hymni SS. apostolorum Petri et Pauli, D Laurentii, Agnetis, Vincentii, Cypriani, octodecim mart., Romani, Cassiani, Hippolyti, Fructuosi, Quirini, Eulaliæ, Hemeterii. Alii exstant in Hymnario V. Thomasii.

(*b*) *Batalla o pelea del anima : que compuso en versos Latinos : el poeta Aurelio Prudencio Clemente : nuevamente traducida de Latin en Castellano.* Sub hoc titulo notatur annus 1259 pro anno 1559 editionis, ut Castro ex conjectura videtur. Dicata est Alfonso Manrique, filio Garciæ Manrique, comitis Dosorno, præsidis ordinum. Si librum oculis lustrare possem, conjicere tentarem an aliter ordinatis numeris annus editionis esset 1529. Garcia Manrique, comes de Osorno, sæculo XVI ineunte jam florebat. Rodriguezius scribit *Dosorno*, et mox *Huartanet.*

(*c*) Absoluto hoc et superiori capite de codd. mss. et editionibus Prudentii, quædam nunc circa diversam orthographiam codicum, et editionum congeram : quanquam nonnihil jam dixi, cum de singulis codicibus sermonem habui, Marietti codex scribit

Versionem Italicam ms. libri Peristephanωn Mediolani viderat Ansaldus, interprete, uti aiebant, Salvinio. Ego aliter lego apud Argelatum, *Biblioteca de' volgarizatori*, tom. III, pag. 302, qui interpretem dicit Marcum Antonium Mozzium, præfationem autem adjecisse Salvinium. Hanc versionem ms. penes se habebat Argelatus, et edere cogitabat in collectione interpretationum veterum Latinorum carminum; sed puto eum rem non perfecisse. Certe Joannes Lamius, tom. I Memorab. Italor. erudit., pag. 120 edit. Florent. 1742, lapsus est, cum asseruit eam versionem Mozzii post hujus obitum Mediolani publici juris fuisse factam. E cujusdam amici schedis mss. hæc excerpo : *La passione et morte di S. Cassiano, martyre e vescovo d'Imola, tradotta in ottave rime dai versi latini di S. Prudenzio, in Ferrara*, 1585. Interpres videtur esse quidam Ludovicus Napoli, qui Musottio episcopo Imolensi opus dedicat, et litteras *L. N.* initio interpretationis apposuit. Eodem autem judicio, quo S. Cassianum episcopum appellat, Prudentium quoque sanctum nominat. Vide num. 56 : *Inno di Aurelio Prudenzio Clemente, uomo consolare, a S. Cassiano martire, colla parafrasi in ottave rime e le annotazioni del sig. abbate Giuseppe Antonio cavalieri di Comacchio accademico Argonauta di Ferrara, e pubblico maestro di grammatica in Bagnacavallo. Venezia, 1772, presso Bartolo Barucchelli*. Cavallerius, vir grammaticus, atavorum explicationem circa notas V. C. maluit sequi, Prudentiumque virum consularem dicere, quam expendere quid viri docti hoc sæculo, proximo et superiori animadverterint. Hymni VIII cal. Januar. paraphrasin rhythmo Germanico elaboratam, et anno 1659 editam, recensui supra num. 116. Psychomachiam exstare ms. redditam Græce dixi num. 91; nisi forte quis ex solo titulo Græco versionem totius operis collegit.

CAPUT VI.

Magdeburgensium aliorumque de Prudentii doctrina judicium.

101 122. Quam multa religionis nostræ capita, quam docte ac nervose Prudentius defenderit, stabilierit, confirmaverit, si hæreticorum potius quam meis aut alterius catholici verbis explicuero, nemo, opinor, mihi succensebit, si attente, quo ego respexerim, animadvertat. Propositum enim mihi est ostendere quanti auctoritas Prudentii sit facienda contra recentes hæreticos, aliosque male catholicos, quibus ille aperte resistit. Id autem consequar, si præter spectatam hominis pietatem egregiamque probitatem, summopere ab omnibus commendatam, simul etiam constiterit, eum exquisito doctrinæ apparatu et singulari judicio difficillimas theologiæ quæstiones et gravissima quæque fidei Christianæ dogmata explanasse. Igitur centuriatores Magdeburgenses centur. 4, cap. 10, recensente Ludovico Lucio, Prudentium tradunt fuisse ingeniosum, gravem, moribus compositum, litterarum in adolescentia studiosum, ex Hispania Romam profectum ad venerationem martyrum (confer num. 58), in libris adversus Symmachum

Kerastæ pro *cerastæ*, *conicio*, *deicio*, *proicio*, *harena*, *frutecta*, *virecta*, *Adlantis* pro *Atlantis*, *haut* pro *haud*, *dispero*, *fervos* pro *fervor*, *clodus* pro *claudus*. Aldus scribit *obmutisce*, *deminuo*, *holuscula*. Vat. A, *obmutisce*, *polıce*, *milia* pro *millia*, *disuesco*, *subfodit*, *obicio*, *asscitur* pro *adscitur*, *vagantis* pro *vagantes*, alii habent *vaganteis*. Weitzius, *police*, *tonica*, *ymnus*, *inrepsit*, *atquin*, *saltim*, *vendico*, *ora* pro *hora*. *sevus* pro *sævus*. Puteanus codex, *dispuite*, *solporeus* pro *sulphureus*, *vertex* non *vortex*, *marsuppium*, *Solomonia*. Codex Alexandrinus, *ferrugeneus*, *totiens* cum Marietti codice, *neglegat* cum eodem, *luis* in nominativo, *fatesco*, *nichil* et *michi*, *templo*. Notandum, sæculo VIII, IX et X præcipue viguisse hanc scribendi rationem *templo*, *condepno*, et similia. Egmondanus codex, *postlimineo*, *distructum*, *futtile*, *elegitur*, *ligumine*. Pragensis codex, *disparsa*, *hii* pro *hi*, *dispoliare*, *assit* semper pro *adsit*, et *haut* pro *haud*. Ratisbonensis, *disparsa*, *conicio*, *deicio*, *proicio*, *harena*, *virecta*, *frutecta*, *nothus* pro *notus*, qui est Africus, seu ventus meridionalis; *holuscula*, *clodus*, *cougola*, *conubium*. Heinsiani omnes aut plurique, *Abessolon*, *atquin*, *setius* pro *secius*, *cruminæ* pro *crumenæ*, *verticibus* pro *vorticibus*. Viennensis, *conicio*, *frutecta*. Widm., *atquin*, *hora* pro *ora*, *fraglat* pro *fragrat*, *alitus* pro *halitus*, *sevus* pro *sævus*. Bongarsianus, *atquin*, *saltim*, *flagrat*, et *fraglat* pro *fragrat*. Hæc aliaque his non dissimilia, in vetustis codicibus Prudentii non minus quam in aliis aliorum veterum passim reperiuntur, partim ex certa et stabilita scribendi ratione aut sæculi aut exscriptoris, partim ex negligentia aut errore. Videri potest Gifanius in indice Lucretii, qui plura vocabula ex veteribus libris in Prudentio voluit restituere : lege verba *pignera*, *præstringo*, *suboles*, *tinguo*, *pulcer*, *conluces*, *volnera*, pagg. mihi 378, 382, 412, 419, 438, 440, 445. In commentariis alia nos observabimus : solum nunc animadvertam, toto cœlo errare qui putant se orthographiam alicujus auctoris sequi, si vetusti codicis, duobus aut pluribus post auctorem sæculis exarati, verba et apices omnes æmulentur : nihil enim tunc agunt, nisi ut imperiti alicujus exscriptoris menda, aut, si vis, orthographiam eo sæculo usitatam nobis exhibeant. Inutile tamen non est varias hujusmodi scripturas adnotare; nam sæpe in locis obscuris ex unius litterulæ mutatione vera lectio eruitur. Qua in re ego neque tam fui diligens quam solent esse laboriosa Batavorum ingenia, nam nonnullam judicandi et seligendi licentiam mihi arrogavi, neque tam parcus quam multi fortasse vellent, qui hujuscemodi rerum tædio incredibili afficiuntur. Equidem sedulo dedi operam, ne quid ex his quæ in hoc genere Joannes Mariettus in sua adversaria conjecerat, et editioni Aldinæ ad marginem ascripserat, in mea editione desideraretur, nisi si quando varietatem lectionis aperte supervacaneam arbitratus sum. Editionem autem Aldinam, Marietti notis mss. illustratam, ut hoc semel dicam, primus mihi indicavit cl. Laurentius Hervas, copia et varietate scriptorum satis jam notus, mathematicis vero studiis imprimis excultus, qui dum codd. mss. collegii Romani excuteret, in hanc, quam dixi, Aldi editionem incidit, ex qua cogitationem illustrandi Prudentii suscepi. Addebat idem Hervas, se ejusdem Marietti quædam mathematica scripta inter codd. mss. aliquando vidisse. Neque aliud mihi de Marietto scire contigit, nisi quod cl. Vitus M. Giovenazzi locum indicavit in historia soc. Jesu a Juvencio edita lib. XVII, num. 36 et seqq., ubi narratur Antonium Mariettum Romanum ex quadam sacra expeditione, ad quam una cum alio socio a pontifice Paulo V fuerat delegatus, Romam rediisse anno 1616. Hunc esse nostrum Joannem Antonium Mariettum libentissime credam.

doctrinam suam vimque ingenii non mediocrem A ostendere. De ejus vero doctrina hæc fere aiunt, de una divina et æterna essentia, distincta tribus personis, recte sensisse, sicut in initio Psychomachiæ: *Unum namque Deum colimus de nomine trino*, et hymno Ante somnum vers. 1, *Ades Pater supreme*. De Christo item Hamartig. vers. 51, *Forma Patris veri verus stat Filius*. De incarnatione Christi hymn. Ante cibum vers. 136, *Ecce venit nova progenies;* et rursus in hymn. Omni hora, *Corde natus ex Parentis;* et hymn. VIII cal. Jan.: *Stragem sed istam non tulit*.

123. De creatione in eod. hymn. vers. 22, *Cœlum, diemque, et cætera*. Deum non esse auctorem mali Hamartig. vers. 159, *Inventor vitii non est Deus*. De rerum creatarum corruptione, et interitu ibid. vers. 504, *Nam vanum, quidquid sol aspicit*, etc. De an- B gelis bene inquit conditos eos esse magno numero, et a Deo in suos usus servari lib. II adv. Sym. vers. 235. Vocat *aerios ministros* Hamartig. vers. 166, et ex eorum numero et ordine diabolum propria excidisse petulantia prolixe docet. De homine perfectissime condito, et de lapsu ejus ac restitutione per Christum recte sensit tum alibi, tum lib. II contra
102 Sym. vers. 260. et seqq. et Hamartig. vers. 665, *Labi hominis, servare Dei est*. Eidem integram fuisse, et rectam potestatem voluntatis ante lapsum prolixissime narrat Hamart. vers. 673, *Nescis, stulte, tuæ vim libertatis ab ipso Formatore datam*. Quod vero hoc loco obtrudunt Magdeburgenses, docere Prudentium, peccato originali destructam in universum potestatem voluntatis, et in pessima quæque muta- C tam, quale hoc sit mox videbimus. Pergunt enim dicere recte eum sensisse de peccato originis in Apotheosi vers. 908, *Hæc prima est natura animæ*. De discrimine legis et Evangelii ibid., *Sed cadit in faciem plebs, non visura profundæ*, vers. 330 et seqq.

124. Addunt Prudentium hæreses nonnullas confutasse, illas maxime quæ in personam et officium Christi fuerunt blasphemæ, in Apoth. præf., ubi contra gentilium stultas contentiones et quæstiones de Deo et religione recte ait: *Idcirco mundi stulta delegit Deus*. Dimicat in sequenti carmine acriter contra Patripassianos: contra quos asserit Filium, non Patrem, hominem factum, passum et mortuum: Filium item, non Patrem, a patriarchis esse visum. Et D diserte inquit vers. 111, *Pater est quem cernere nulli est licitum*. Deinde contra Sabellianos gravissime disputat et concludit, *Hæc est nostra salus*, etc. Postea in Judæos invehitur acerrime, *En tibi Christum, infelix Judæa, Deum*.

125. Contra Ebionis, Artemonis, Samosateni, Photini et Marcelli sectatores, quos Homuncionitas dicit, pugnat prolixo carmine, ac memorabili doctrina eam disputationem concludit, inquiens, *Ipse gerit, quod struxit opus*, etc. Rursus contra hæresin Cerdonis, Apellis aliorumque phantasticorum agit in ejusdem operis carmine, ubi et Manichæi, qui aerium Christo corpus attribuit, nominatim meminit, *Ac primum specta, an deceat quidquam simulatum assignare Deo*. Videtur et postremum ejus operis carmen instituisse propter eos proprie qui negarunt corporis resurrectionem, in quo pulchre ait: *Nosco meum in Christo corpus consurgere*. Confutat prolixo libello, Hamartigenia, Marcionis hæresin. Postremo cum Symmacho congreditur, refellens omnes ejus rationes quibus persuadere priscorum rituum restitutionem conatus erat.

126. Passim etiam centuriatores doctrinam Prudentii laudant, eum recensentes inter *præstantes et illustres doctores, ex quibus potissimum, quæ doctrinæ forma sæculo IV usitata fuerit*, colligitur. Sic, cap. 4, Deum esse ubique Prudentius tradidit, Apoth., *At Deus ingens, atque superfusus*. In una essentia divina tres existere personas, Apotheos. præfat., *Est tria summa Deus*. Et in ipsa Apoth. vers. 238,
103 *Hæc est nostra salus*. Patrem esse æternum et immensum, Apoth. vers. 111, *Pater est, quem cernere nulli est licitum*. Qualis sit Filius, quod attinet ad ejus substantiam, proprietates, officia, diligenter explicat Hamartig. vers. 346, *Conditor ergo boni Pater est, et cum Patre Christus*. Doctrinam de duabus Jesu Christi naturis, Psychomach. vers. 74, *Atque innupta Deum concepit femina Christum mortali de matre hominem*. Bona omnia a Deo condita esse, Hamartig. vers. 338, *Principio rerum*. De causa lapsus, Hamartig. vers. 184, *Sed factus de stirpe bonus*. De hominis lapsu et statu ejus post lapsum, lib. II adv. Sym., vers. 260, *Condideram perfectum hominem*. Et Hamartig. vers. 697, *Vade, ait ipse parens*. De libero arbitrio ante lapsum, Hamartig. vers. 673, *Nescis, stulte, tuæ vim libertatis ab ipso*. In quibus rebus voluntas humana libera sit vel serviat, Hamartig. vers. 269, *En tibi signatum libertatis documentum*. De discrimine Veteris et Novi Testamenti, Apoth. vers. 330, *Sed cadit in faciem plebs, non visura profundæ legis in effigie scriptum per ænigmata Christum*.

127. Præterea de operibus Christianorum propriis et animo prompto atque alacri præstandis, hymn. Jejun. vers. 211 *Est quippe et illud grande virtutis genus*. De loco animarum, hymn. Exsequiarum vers. 149, *Sed resolubile corpus*. De resurrectione mortuorum, ibid., vers. 33, *Nam quod requiescere corpus*. Et Apoth. vers. 1062, *Nosco meum in Christo*, De vita æterna, hymn. Defunct. vers. 97, *Hæc, quæ modo pallida tabe*. De inferis, lib. II cont. Sym. vers. 185, *Interior, qui spirat homo, luet ille perenne*. Contra vanam philosophiam, astrologiam et magiam, lib. II adv. Sym., vers. 470, *Quisque putat fato esse locum*.

128. Videamus nunc quid a Prudentio minus congruenter dictum Magdeburgenses aliique hæretici criminentur. Cap. 4 invocationem sanctorum in Prudentio reprehendunt hymn. S. Laurentii, S. Vincentii et Cassiani. In qua tamen doctrina socios Prudentio dant Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, impudenter affirmantes *malignum spiritum tantorum virorum scriptis plurima inseruisse, qualia sunt illa de sanctorum defunctorum invocationibus*. Addunt Ambrosium, sive alius sit auctor ora-

tionis funebris de obitu Theodosii, multa commemorare superstitiosa de cruce inventa ab Helena, quæ contumeliosa sunt in meritum Christi, uti quod habet Prudentius hymn. Ante somnum, vers. 133, *Crux pellit omne crimen*, etc. Videri etiam crucis signationi nimium tribuisse Ephremum, et multis non necessariis et inutilibus oneratam fuisse Ecclesiam, si eo tempore in ea usitati erant canones pœnitentiæ Petri Alexandrini. De purgatorio notant consentire doctrinam **104** Prudentii Hamartig., in fine, *Esto cavernoso*, cum Lactantio, lib. VII, cap. 21, et Hieronymo, lib. IV comment. in Isaiam, cap. 4, et lib. XVIII com. in Isaiam.

129. Jam circa ritus ecclesiasticos animadvertunt, *crescente superstitione sæculo* IV, cæremonias funebres, tum ex ethnicismo tum ex Judaismo cumulatas fuisse, et proferunt cap. 6 Prudentii vers. hymn. Exseq., *Candore nitentia claro*, et *Nos tecta fovebimus ossa*. Aras in templis fuisse ex historiis ejus sæculi, Socratis, Sozomeni, Theodoreti aliisque fatentur, sed aiunt a Judæis hanc consuetudinem permanasse. Referunt, Prudentium indicare, imagines repræsentantes passiones martyrum in templis collocari solitas, sed picturas in templis improbari ab Hieronymo epist. ad Joan. Hierosolym. Concedunt Prudentium meminisse cerearum candelarum hymn. S. Laur., et S. Hieronymum contra Vigilantium asserere, per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accendi luminaria, *jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*. Sed reponunt hæc quoque ex Judaismo orta. Denique, cap. 10, inter nævos Prudentii numerant, quod non sat commode loquatur de libertate humanæ voluntatis Hamartig. vers. 769, *En tibi signatum*. Et quod, ibidem vers 509, de carnis innocentia violentam, ut ipsis videtur, interpretationem dicti Pauli ad Ephesios VI amplexus fuerit : *Errat, ait, qui luctamen cum sanguine nobis*. Item quod martyrum merita civitatibus illis profutura scripserit, in quibus obdormierint, hymn. octodecim martyr. Cæsar., *Sola in occursum numerosiores*. Nec satis caute dixisse illis videtur Cathemer. hymn. Ante cibum, vers. 146, *Hoc odium vetus illud erat*. Quædam ex his Prudentio quoque objicit Lucas Osiander in Epist. eccles. hist., cent. 4, lib. I, cap. 26, *Quos errores*, inquit, *Dominum ipsi condonasse non dubitamus*. Qui tamen fatetur, recte eum de plerisque partibus religionis Christianæ sensisse, pio zelo et recto judicio hæreses quasdam A oppugnasse et damnasse, Symmachum egregie confutasse. *In hoc autem poeta*, addit, *hoc imprimis commendandum, et Christianis poetis nostri sæculi imitandum est, quod non invocat, aut suis poematibus admiscet deos ethnicos, neque theologiam impuris gentilibus fabulis conspurcat : sed sancta phrasi res divinas serio et tamen satis eleganter tractat*. Ita hæretici causæ religionis catholicæ magnum pondus adjiciunt, dum Prudentium maximopere laudant, et a suis opinionibus alienum fuisse ultro fatentur. His Joannem Clericum, fortasse non valde repugnantem, adjungam, qui tom. XII Biblioth. univers. Pythagoreismi suspicionem Prudentio intentat ex hymn. 3, **105** Cath. vers. 58, *Absit enim procul illa fames, cædibus ut pecudum libeat sanguineas lacerare dapes*. Multa etiam B blaterat circa orationem in Hamartig. : *O dee cunctiparens*, et quod Prudentius animam vocet *liquorem*. Quod autem mireris, Clericus in rebus poeticis non melior criticus quam in sacris, Prudentium affirmat interdum repere humi, cum maxime in sublime volare conatur ; ejus tamen lectionem ad ecclesiasticas antiquitates cognoscendas opportunam esse non diffitetur. Bailius in Dict. crit., verbo *Prudence*, partim Clerico adhæret, partim ab eo dissentit : nam et orationem Hamartigeniæ defendi et laudari posse tuetur, et animæ immortalitatem a Prudentio diserte affirmari testatur. De Manichæorum hæresi potius Bailius laborat, quorum objectiones satis diluisse Prudentium negat, cum nusquam idoneam responsionem se invenisse pertinaciter asseveret.

C

CAPUT VII.

De sanctorum cultu et veneratione, eorumque reliquiis, ex Prudentii carminibus.

130. Ut autem via et ratione Prudentii doctrina vindicetur, primum dicam de iis in quibus Prudentius cum catholicis consentit, ab hæreticis discrepat; tum ea explicabo quæ aliquibus visa sunt a veritate fidei Christianæ aberrare. Invocationem sanctorum cultumque reliquiarum affirmat Prudentius. Sed solusne id Prudentius affirmat? Imo alii etiam, aiunt : quia jam *cœperat hæc superstitio* (a). Quid si toto orbe Christiano factum id fuisse ostendam, approbantibus et plaudentibus episcopis? Dicemusne veteres illos errasse, novatores vera sentire? D Relegantur Prudentii carmina, et liquido apparebit non a Prudentio opinionem aliquam suam proponi, sed Ecclesiæ universæ consuetudinem **106** enarrari (b).

(a) Fabricius in comment. invocationem sanctorum temporibus Prudentii in Ecclesiam jam irrepsisse ait, et errorem suum contra Prudentium auctoritate Joachimi Camerarii tueri vult, qui asserit Prudentium nimis in his fuisse poetam, et a simplice veritate recessisse, amœnitatem musicam secutum. Verum in his audiendus non est Camerarius, *senex ille multo melius de Plauto quam de religione meritus*, quod recte in quodam Fabricii exemplari manu ad marginem ascriptum reperi, Prudentius sæpe historice loquitur, neque alio modo, ac cæteri SS. Patres.

(b) Perist. hymn. 1, vers. 7.

Hic calentes hausit undas cæde tinctus duplici,
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.
Exteri necnon et orbis huc colonus advenit.
Fama nam TERRAS IN OMNES percucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.

Præclari sunt versus illi in Passione Laurentii, vers. 513 :

Quidquid Quiritum sueverat
Orare simpuvium Numæ,
Christi frequentans atria,
Hymnis resultat martyrem.
Ipsa et senatus lumina,
Quondam luperci, aut flamines;

Hymno IV patrocinium martyrum erga civitates quæ eorum ossa venerantur concelebrat, vers. 13.

Orbe de magno caput excitata
Obviam Christo properanter ibit
Civitas quæque, pretiosa portans
Dona canistris.

Tum singillatim recenset Carthaginem, Cordubam, Tarraconem, Gerundam, Calagurrim, Barcinonem, Narbonem, Arelatem, Emeritam, Complutum, Tingim, præcipue vero Romam et Cæsaraugustam. In passione Vincentii observare licet diligentiam qua veteres illi Christiani reliquias martyrum comparabant, ut essent sibi suisque posteris tutamen, vers. 333 et seqq. (a).

107 131. Ex hac tanta Christianorum cura in martyrum ossibus colligendis, quæ non solum a Prudentio affirmatur, sed etiam ex authenticis martyrum actis uberrime confirmatur, recte colligimus non tantum sæculo IV, sed prioribus etiam ubique A invaluisse consuetudinem venerandi sanctorum reliquias. Præterea ratio redditur cur pretiosa isthæc monumenta ad nostram usque ætatem conserventur. Ac revera Prudentius lectulum quo jacuit S. Vincentius suo adhuc tempore exstitisse asseverat, vers. 553.

Per fragmen illud testeum,
Quo parta crevit gloria,
Per, quem trementes posteri
Exosculamur, lectulum,
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet (b).

108 132. Non solum autem Prudentii testimonio, sed plurium aliorum dictis comprobatur hunc usum in universa Ecclesia fuisse communem. Et, ut alios B omittam, S. Paulinum Nolanum proferam, quia sententias Prudentianis simillimas is solet complecti, et egregie miracula ad S. Felicis sepulcrum patrata commemorat (c). **109** Quantus fuerit ad veneran-

Apostolorum et martyrum
Exosculantur limina...
O ter, quaterque, et septies
Beatus Urbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossuum.
Cui propter advolvi licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.

Et hymno 3, de Eulalia, vers. 191 et seqq.

Hic ubi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor
Et peregrinus, et indigena,
Relliquias, cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar et impositum,
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosque suos
Carmine propitiata fovet.

(a) Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præfultum torum,
Siccare cruda vulnera.
Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis,
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique vestem linteam
Stillante tingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.

Et vers. 509 in eodem hymno S. Vincentii :

Dum cura sanctorum pia
Deflens adornat aggerem,
Tumuloque corpus creditum
Vitæ reservat posteræ.

In passione Hippolyti vers. 135 et seqq :

Mœrore attoniti, atque oculis rimantibus ibant,
Implebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
Canitiem molli confovet in gremio.
Hic humeros, truncasque manus, et brachia, et ulnas,
Et genua, et crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis et in sudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec jam densa sacro quidquam de corpore silva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exsequiis.
Cumque recensitis constaret partibus ille
Corporis integri qui fuerat numerus.
Nec purgata aliquid deberent avia toto
Ex homine, extersis frondibus et scopulis,
Metando eligitur tumulo locus : Ostia linquunt
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.

Vides cur in sepulcris martyrum passim reperiantur vasa cum sanguine, quem verum sanguinem esse ipsi hæretici experimentis comprobarunt : adeoque hujusmodi vasa certum esse martyrii signum nemo sanus negaverit. Quid enim aliud ea indicant ? Consule Boldettum, lib. 1. Observat., cap. 28 et seq., ubi erudite hoc argumentum exponit.

C (b) De SS. martyribus Fructuoso et sociis hæc refert hymno 6:

Tum de corporibus sacris favillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne relliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca dividant sepulcris,
Cernuntur niveis stolis amicti,
Mandant restitui, cavoque claudi
Mixtim marmore pulverem sacrandum.
Exsultare libet tribus patronis,
Quorum præsidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.

Huc faciunt verba Braulionis in epist. ad Jactatum presbyterum, tom. XXX Hisp. sacr. in append. 3: *De reliquiis vero reverendorum apostolorum, quas a nobis* D *flagitastis vobis debere mitti, fideliter narro, nullius martyrum me ita habere, ut quæ cujus sint, possim scire. Præcessorum et dominorum meorum sententia fuit, ut, quia passim aut furtim aut etiam inviti ipsi et coacti multorum caritate ex his quæ habebant aut dare aut carere cogebantur, cunctorum notitiæ ne ullius pateret indicium, tituli tollerentur, et sub uno conclavi mitterentur. Reservatæ sunt tamen admodum septuaginta, quæ in usus habentur, inter quas eæ quas quæris minime reperiuntur.* Suspicarer festum innumerabilium martyrum Cæsaraugustanorum inde ortum fuisse, nisi acta eorum veriora essent, quam ut ullis suspicionibus possint concuti. Eodem fere pertinent quæ in cæteris Peristephanon hymnis circa cultum et invocationem sanctorum canit Prudentius.

(c) Natali 3.

Cernere, tunc passim est, sacra purgata medela
Pectora liminibus sterni, jam mente refectos,

dum corpus S. Felicis Nolani gentium concursus, multis in locis refert Paulinus, ut Natali 11, vers. 305.

> Et magni solium breve confessoris adorat
> Jugiter e variis collecta frequentia terris.

et egregie confirmat S. Augustinus epist. 78, *Multis notissima est sanctitas loci, ubi Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui, ut pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum*. Quo innuit Augustinus amicitiam quam cum Paulino arctissime contraxerat. In versibus Paulini *solium* est sepulcrum, ut dici solet *solium* B. Petri.

CAPUT VIII.

De sacris imaginibus, de SS. crucis adoratione, et pontificis Romani primatu.

133. Ex his patet falso Hospinianum, Binghamum aliosque asserere, solum post Augustini tempora usum venerationis reliquiarum invaluisse. Colligo præterea picturas in ecclesia a S. Augustino non fuisse improbatas (quod Petrus martyr aliique objiciunt), qui et optime sciebat quid Nolæ ageretur, et epistolas S. Paulini, in quibus de eis mentio occurrit, magnis laudibus prosequitur epist. 27 ad Paulinum. Neque primus fuit Paulinus qui hunc morem induxerit, ut hæretici nonnulli blaterant. Etenim ipse innuit alibi etiam id factum, etsi raro, Natali 9:

> Forte requiratur, quanam ratione gerendi
> Sederit hæc nobis sententia, pingere sanctas
> Raro more domos animantibus assimulatis.

Et imagines quidem, de quibus Prudentius noster in Cassiano et Hippolyto, erant certe antiquiores, altera in Foro Cornelii, altera Romæ. Barthius, Advers. lib. II, cap. 32, putat, in carmine de Passione inter opera Lactantii manifeste fieri mentionem de picta Domini effigie in aditu templi. Hi autem sunt versus:

> 110 Quisquis ades, mediique subis in limine templi,
> Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
> Respice me, me conde animo, me in pectore serva.

Tempore concilii Eliberitani in nonnullis regionibus A hæc consuetudo videtur jam fuisse inducta: nam eo respicit canon 36, quo *Placuit, picturas in ecclesia esse non debere; ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur*. Qui canon sapienter illo tempore potuit esse constitutus, cum tutæ Christianorum ecclesiæ non essent ab ethnicorum irruptionibus et irrisionibus, et præterea ex ethnicorum exemplo idololatriam Christiani facile possent addiscere, et imagines præcipue, non Deum, qui eis repræsentaretur, colere. Theodoretus, cap. 16 Hist., in Vita S. Simeonis Stylitæ, testatur, Romæ passim in officinarum propylæis erectas fuisse sancti illius imagines, ut hanc sibi tutelam et præsidium adjungerent; quo satis ostenditur quisnam Ecclesiæ Romanæ sensus fuerit circa imagines sanctorum Theodoreti ævo. Confer Petavium B lib. XI, cap. 13, tom. IV, part. 2.

134. De crucis autem veneratione et potentia maxime illustris est Prudentii doctrina. Cathemerinon, Hym. 6, vers. 129.

> Fac, cum vocante somno
> Castum petis cubile,
> Frontem, locumque cordis
> Crucis figura signet.
> Crux pellit omne crimen,
> Fugiunt crucem tenebræ,
> Tali dicata signo
> Mens fluctuare nescit.

Hymno 5 Cath., vers. 96:

> Nam præfixa cruci spes hominum viget.

Hymno 9 Cath. vers. 82:

> Solve vocem mens sonoram, solve linguam mobilem,
> Dic trophæum passionis, dic triumphalem crucem:
> Pange vexillum, notatis quod refulget frontibus.

C In Romano, vers. 586:

> Hæc illa crux est omnium nostrum salus,
> Romanus inquit, hominis hæc redemptio est.

Apotheosis, vers. 446:

> Jam purpura supplex
> Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Christi,
> Vexillumque Crucis summus dominator adorat.

111 Plura alia habes Cat. hymno 11, vers. 113; Perist. hymn. 10, vers. 621 et seqq.; Psych. vers. 347, lib. I adv. Sym., vers. 465 et seqq., ubi Constantini

---

> Gratantes jam voce sua: concurrit hiantum
> Turba tremens hominum...
> Stipatam multis unam juvat urbibus urbem
> Cernere, totque uno compulsa examina voto.
> Lucani coeunt populi...

Natali 9:

> Nam quasi contignata sacris cœnacula tectis
> Spectant de superis altaria tota fenestris,
> Sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem...

Tum plurium sanctorum reliquias memorat, et in his:

> Hic et Nazarius martyr, quem munere fido
> Nobilis Ambrosii substrata mente recepi.

Natali 11, inter Anecdota Muratorii vers. 46 et seqq.:

> Omnimedens Dominus sanctos mortalibus ægris
> PER VARIAS GENTES medicos pietate salubri
> Edidit...
> Inde Petrum, et Paulum Romana fixit in urbe.
> Sic Deus et reliquis tribuens pia munera terris,
> Sparsit ubique loci magnas sua membra per urbes.
> Sic dedit Andream Patris, Ephesoque Joannem...
> Parthia Matthæum complectitur, India Thomam,
> Lebbæum (Thaddeum) Libyes, Phryges accepere Philippum,
> Creta Titum sumpsit, medicum Bœothia Lucam,
> Marcus, Alexandria, tibi datus...
> Et Carthago potens Cypriano martyre floret.
> Nec procul inde Uticam collatis CANDIDA MASSA
> D Martyribus magno venerandæ cædis acervo.
> Extulit...
> Ambrosius Latio, Vincentius exstat Iberis,
> Gallia Martinum, Delphinum Aquitanica sumpsit:
> Multaque prætcrea per easdem largiter oras
> Semina sanctorum positis diffusa sepulcris
> Illustrant totum superis virtutibus orbem.

Paucis S. Augustini verbis multa complectar, qui Enar. in psal. XLIV, *Ostendatur mihi*, inquit, *Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi ostendero memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis?* In Paulino *Aquitania*, pro *Aquitanica* cl. Giovenazzius conjiciebat legendum, qui nonnullos veterum auctorum locos notavit, in quibus Aquitania tanquam provincia a Gallia distincta profertur. Plures hujusmodi conjecturas in S. Paulinum in schedis suis servat Giovenazzius, quas in publicam lucem edi præstaret. Siquidem Paulini carmina medico imprimis experto indigent, ut sanitati restituantur, quales non fuerunt Muratorius et Mingarellius.

victoriam contra Maxentium exponit, animadvertens A quod :

Tunc ille senatus
Militiæ ultricis titulum, Christique verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

Lib. II, vers. 711. de militibus Christianis :

Cruce fronti
Inscripta, cecinere tubæ, prima hasta dracones
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.

Hæc certe non negant heterodoxi, imo plures alios e SS. Patribus ita et locutos fuisse, et factitasse profitentur. Verum eos perperam et superstitiose dixisse et fecisse clamant, neque ego nervosius Magdeburgenses refelli posse puto, quam si omnia loca ex eorum Historia colligerentur, quibus Patres sæculi IV, quo religio et doctrina catholica maxime viguit, erroris et superstitionis arguere non verentur. Optime enim B norunt plerosque tum verbis tum factis cum nostri temporis catholicis convenire; atque adeo omnes populos, quos docebant, quos regebant, eodem more vixisse in dubium nequit revocari (a).

135. Idem inter SS. Patres, quos nihil de primatu Romani pontificis dixisse aiunt (de quibus nihil nunc ad nos), Prudentium nostrum enumerant. Atqui res contrario modo se prorsus habet. En verba fortissimi martyris Laurentii, Perist. 2, vers. 413 :

O Christe, numen unicum,
O splendor, et virtus Patris,
O factor orbis, et poli,
Atque auctor horum mœnium.
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
112 Mundum Quirinali togæ
Servire, et armis cedere.
Ut discrepantum gentium
Mores, et observantiam,
Linguasque, et ingenia, et sacra
Unis domares legibus.
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus
Idem loquuntur dissoni
Ritus, id ipsum sentiunt.
Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcunque terrarum jacet,
Uno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis
Sit Christiana ut civitas,
Per quam dedisti, ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderantur omnia
Hinc inde membra in symbolum,
Mansuescit orbis subditus,
Mansuescat et summum caput.
Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei.
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas (b).

CAPUT IX.

Male reprehenditur Prudentius circa dogma libertatis, et interpretationem Apostoli ad Ephesios cap. VI.

113 136. Libertatem indifferentiæ, ut vocant, quod defenderit Prudentius, reprehensione dignus non est, nisi omnes ad unum SS. Patres reprehendantur. Versus ejus sunt Hamartig. 769.

En tibi signatum libertatis documentum,
Quo voluit nos scire Deus, quodcunque sequendum est.
Sub nostra ditione situm, passimque remissum
Alterutram calcare viam. Duo cedere jussi
De Sodomis : alter se proripit, altera mussat.
Ille gradum celerat fugiens, contra illa renutat,
Liber utrique animus, sed dispar utrique voluntas
Dividit huc illuc rapiens sua quemque libido.

Marchio Scipio Maffeius, in Hist. Grat., inter cæteros Patres qui catholicam doctrinam de gratia et libero arbitrio tradiderunt, Prudentium collocat. Daniel Huetius, in Origenianis, lib. II, quæst. 7, egregie Origenis sententiam de libertate indifferentiæ contra Cornelium Jansenium defendit ex S. Augustino, quem unum hujus concertationis arbitrum vult esse Jansenius. Gaudeo ab his doctissimis hominibus ea esse dicta quæ a me pro Prudentio essent dicenda, C ne molesta quæstione implicer, et cramben, ad nauseam jam recoctam, hoc loco repetam, quanquam in commentariis necesse erit quædam adjungere. Jam Apostoli locum non male dicendus est exponere Prudentius cap. VI Epist. ad Ephes. : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Prudentius Hamartig. vers. 509.

114 Errat, ait, qui luctamen cum sanguine nobis,
Et carne, et venis ferventibus, et vitioso

(a) Neque animus nunc est eos exagitare qui, luminis splendore præstricti, oculos omnino claudere D voluerunt, et aperta SS. Patrum testimonia ausi sunt corrumpere, ut Georgius Fabricius, qui in carmine de Passione Domini inter Lactantii opera pro his verbis,

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis,

supposuit,

Flecte genu, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili.

Præstitisset, ait Jo. Albertus Fabricius, quamvis heterodoxus, lib. IV Bibl. vet. Lat. cap. 2, *G. Fabricium passim tum hic, tum alibi non ita fuisse in alienis operibus, quæ edebat, ingeniosum.*

(b) Lib. II in Sym., vers. 582 :

Vis dicam, quæ causa tuos, Romane, labores
In tantum extulerit? quæis gloria fotibus aucta
Sic cluat, impositis ut mundum frenet habenis?
Discordes linguis populos, et dissona cultu
Regna volens sociare Deus, subjungier uni
Imperio, quidquid tractabile moribus esset,
Concordique jugo retinacula mollia ferre
Constituit, quo corda hominum conjuncta teneret
Religionis amor : nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes.
Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
Romani imperii : Christo jam tum venienti
Crede, parata via est : quam dudum publica nostræ
Pacis amicitia struxit moderamine Romæ.
En ades, Omnipotens, concordibus influe terris :
Jam mundus te, Christe, capit, quem congrege nexu
Pax, et Roma tenent : capita hæc, et culmina rerum
Esse jubes.

Et vers. 660 Roma de seipsa :

Nunc nunc justa meis reverentia competit annis,
Nunc merito dicor venerabilis, et caput orbis.

In Passione Hippolyti, vers. 29 :

Fugite, o miseri, exsecranda Novati
Schismata : catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est :
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.

Felle putat, calidisque animam peccare medullis.
Non mentem sua membra premunt, nec terrea virtus
Oppugnat sensus liquidos, bellove lacessit.
Sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieque
Congredimur.
Facile est frenare rebelles
Affectus carnis.
Major inest vis illa homini, quæ flatile virus
Ingerit, et tenuem tenui ferit aere mentem.

Neque Prudentius omnem culpam in dæmonem rejicit, sed magna ex parte ad cordis animique motus rebelles revocat vers. 553.

Sed quid ego omne malum mundique, hominumque [maligui
Hostis ad invidiam detorqueo ? cum mala nostra
Ex nostris concreta animis, genus, et caput, et vim,
Quid sint, quid valeant, sumant de corde parenti ?
Ille quidem fomes nostrorum, et causa malorum est.
Sed tantum turbare potest, aut fallere, quantum
Nos volumus...
Gignimus omne malum proprio de corpore nostrum.

Plerique interpretantur, Apostoli verbis, *Adversus carnem et sanguinem*, homines intelligi. S. Hieronymus ad ea verba Prudentii interpretationem refert, nec videtur damnare (*a*). Cl. Teolius in comment. ad hunc Prudentii locum notavit, Estium sententiæ S. Pauli non alium commentarium adhibuisse quam hos poetæ nostri versus quos in eo maxime commendat, quod *mundus tenebrarum harum* dicatur esse mundus hic inferior, turbulentus, atque caliginosus, cui dæmones præpositi sunt merito transgressionis humanæ, sive ad tentandos homines, sive ad nocendum eis. **115** Certe Estius hanc interpretationis partem Prudentii auctoritate corroborat, eumque vocat *poetam theologum*. Sed in prima et præcipua parte a Prudentio dissidet, et verba *cum carne et sanguine* intelligi vult non de concupiscentiis, sed de hominibus.

CAPUT X.

Lectio editionis Vulgatæ Gen. III, 15, *Et ipsa conteret caput tuum, insigniter ex Prudentio confirmata.*

137. Objicitur præterea Prudentio, quod Gen. III, 15, ea verba legerit, quæ nunc revera in Vulgata editione leguntur: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Prudentius Cathemerinon. 3, vers. 121 :

Conscia culpa Deum pavitans
Sede pia procul exigitur.
Innuba femina quæ fuerat,
Conjugis excipit imperium,
Fœdera tristia jussa pati.
uctor et ipse doli coluber
Plectitur improbus, ut mulier
Colla trilinguia calce terat.
Sic coluber muliebre solum
Suspicit, atque virum mulier.
Ecce venit nova progenies,
Æthere proditus alter homo,
Non luteus, velut ille prior,
Sed Deus ipse gerens hominem,
Corporeisque carens vitiis.
Fit caro vivida, sermo Patris,
Numine quem rutilante gravis
Non thalamo, neque jure tori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis, atque hominis
Digladiabile dissidium,
Quod modo cernua femineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namque Deum merita
Omnia virgo venena domat:
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger revomit
Gramine concolor in viridi.

Quid illustrius ad Vulgatæ lectionem confirmandam? Quid clarius ad immaculatam Deiparæ conceptionem stabiliendam ? Aiunt hæretici Prudentium exemplar aliquod corruptum sacrorum librorum legisse. Sed cur corruptum illud erat exemplar? quia scilicet ea verba ibi legit, quæ ipsi nollent scripta. Ita non alia ratione tueri possunt, lectionem Vulgatæ esse corruptam, nisi affirment, jam IV sæculo Prudentium aut uno aut pluribus exemplaribus corruptis usum fuisse. Quid? quod interpretatio a Prudentio adhibita satis persuadet, non solum jam tunc passim ita legi, sed etiam ad B. Virginem, *omnia venena domantem*, *quod Deum edere merita fuerit*, hoc est, sine labe conceptam, locum illum **116** Genesis applicari? Non enim finges, aut, si tibi fingas, mihi probabis, Prudentium ex uno vel altero corrupto exemplari ea verba arripuisse, quibus novam ipse suam interpretationem fundaret. Cur autem tam perspicuam Prudentii auctoritatem ii potissimum non urgent, qui B. Mariæ intemeratam conceptionem tot voluminibus editis propugnant ? Nam Alva, qui in ea causa effuse versatus est, in Militia conceptionis vix pauculos Prudentii versus, apud Eusebium Nieremberg a se lectos, in medium protulit (*b*). Melchior Canus, lib. VII de Loc. theolog., cap. 3, hac via potuisset argumentum Achillicum Erasmi refellere, quo is omnium sanctorum testimonio non se existimat obruendum, siquando universis repugnaverit : nam sancti omnes qui in ejus rei mentionem inciderunt, uno ore, ut jactat Erasmus, asseverarunt B. Virginem in peccato originali conceptam. Canus *rem hanc, alias gravissimam, nullius in Christiana religione esse momenti* respondet. *Nulla*, inquit, *mihi*, *fateor ingenue. alia via*

(*a*) *Dicat quispiam : Hoc quod, ait, « Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, » etc., ideo dici ut doceamur, ne ea quidem, quæ nobis ministrari vitia putamus ex carne, carnis esse vel sanguinis, sed a quibusdam spiritualibus nequitiis suggeri... Quia vult ergo, aiunt, Apostolus nos docere, non ex natura corporis et de materia carnis et sanguinis hæc vitiorum genera procreari, sed instinctu dæmonum, propterea ait, Non est nobis, etc. Ideo autem nunc eorum qui magicis infelices artibus serviunt, et facere ista perhibentur, exempla protulimus, ut retundamus eorum opinionem qui putant omnia vitia esse carnis et sanguinis, et nullam habere dæmones potestatem, ut nos incitent ad peccatum.* Et post multa: *Prolixius forsitan quam lector voluerit, de hoc capitulo disputatum sit : sed quæso det veniam difficultati ipsius loci, et personæ Ephesiorum, qui post artes magicas scire debuerant, a quibus fuissent aliquando decepti.*

(*b*) Plaza, aliique ne nominant quidem Prudentium. Et, hoc maxime desideratur in opere Plazæ ita inscripto : *Causa immaculatæ conceptionis SS. Matris Dei Mariæ dominæ nostræ sacris testimoniis ordine chronologico, utrinque allegatis, et ad examen theologico-criticum revocatis, agitata, et conclusa, auctore Benedicto Plaza S. I. Panormi* 1747.

patuit ad illud Erasmi argumentum eludendum, quo sanctorum auctoritatem acute ille quidem tentavit eludere. In Prudentio autem videre licet piam sententiam, non solum qualem theologi explicant, sed etiam qualem pictores vivis coloribus exprimunt, depicta imagine Deiparæ, cujus pedibus *cernuus anguis proteritur, tractibus inexplicitis virus inerme revomens.*

138. Idem Canus inter menda quæ ex incuria videlicet typographorum, aut eorum qui exscripsere, imperitia in sacris Litteris obrepserunt, enumerat eum locum Genesis, *Et ipsa conteret caput tuum* pro *Et ipsum*, nempe semen, aut *ipse*, quod putat posuisse primum interpretem, qui semen in masculino genere transtulit, rem significatam perpendens, ex Hieronymo in Quæst. Hebr. In eadem sunt sententia cum alii, tum Natalis Alexander in dissert. de Vulgata S. Script. versione. Sed non advertunt potuisse esse corruptum textum Hebræum, cum revera Bellarminus, lib. II de Verbo Dei, cap. 12, legerit codicem in quo scriptum erat Hebraice *ipsa*. Et quod vox Hebræa quæ per *ipsum* redditur, significet etiam *ipsa*, quamvis minus frequenter ita accipiatur, docent auctores linguæ Hebraicæ peritissimi. S. Augustinus ad editionis nostræ lectionem accedit lib. XI de Genesi ad lit., cap. 36 : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius. Ipsa* **117** *tibi servabit caput, et tu servabis ejus calcaneum.* Et lib. II de Genesi adversus Manichæos, cap. 6 : *Ipsa tuum observabit caput, et tu calcaneum illius.* Pariter S. Ambrosius, de Fuga sæculi cap. 7 : *Ipsa tibi observabit caput; et tu illius calcaneum.* Claudius Marius Victorius sæculo V in Genesin :

Pedibus repes, et pectore prono,
Teque tuo mulier perimet cum semine, cujus
Callidus extremis tantum insidiabere plantis,
Ut trepidans etiam capiti vestigia figat.

Eadem ætate Alcimus Avitus Viennensis episcopus, Vulgatæ lectionem Prudentiique interpretationem secutus est lib. III Genes. :

Olim erit, ut sexum muliebrem pronus adores,
Cujus tu quanquam pavidæ insidiabere calci.
Conteret una caput tandem tibi femina victrix,
Nascendumque etiam tali de stipite germen.

Alios recentiores omitto. Hæc enim abunde sufficiunt, ut penitus refellatur Abrahamus Costerus in suo libello : *Vindex loci S. Scripturæ Genes.* III, 15, *a vitiosa interpretatione de B. Virgine Maria, quæ in Bibliis Ecclesiæ Romanæ jam diu inveteravit*, qui exstat vol. II Thesauri libr. philog. et historic. Thomæ Crenii. Costerus cap. 5 fidenter ait : *Lectio hæc,* IPSA CONTERET, *nondum inventa fuit Augustini tempore*, et cap. 15 : *Quamvis ergo Patrum quidam to* IPSA *retineant, prædicatum tamen* CONTERET CAPUT *nec agnoscunt, nec exponunt.* Quod ideo dicit, quia nonnulli legerunt : *ipsa* OBSERVABIT. Neque verius eodem cap. oppugnat Franciscum Brugensem, qui probat lectionem, IPSA CONTERET, textui Hebraico non repugnare. Negat ibidem commoda expositione, quam Bellarminus, Brugensis, aliique exhibent, lectionem Vulgatam accipi posse. Verum Heterodoxus Grotius ingenue fatetur sensum satis commodum ex ea lectione erui. Hoc tamen fatebor, antiquiorem nostro poeta neminem a me visum, qui clare legerit CONTERET, sed non dubito quin alii præcesserint : et hymni quidem Prudentiani, in multis ecclesiis celebrati, satis probant quam communis tunc fuerit sententia de Virgine *conterente caput serpentis*, hoc est, peccatum originale, ut SS. Patres et interpretes exponunt. Mazochius in addit. ad Junium, pag. 990 tom. III calend. præclare Ambrosii locum serm. 22 in psal. CXVIII, pro sententia pia explicat.

CAPUT XI.

Ritus ecclesiastici, qui nunc vigent, Prudentii ævo in Ecclesia usitati. Luminum usus, et copia.

118 139. Solent hæretici (atque utinam ii soli essent!) cæremonias pene omnes, præsertim, quas Romana adhibet Ecclesia, contemnere, et cum ipsis venerabilis antiquitas objicitur, aut negant sub ipso nascentis Ecclesiæ initio eas fuisse adhibitas, aut ex ethnicismo et Judaismo originem trahere respondent. In quo parum vident, sive cæci omnino sunt, ducesque cæcorum. Quod enim ad priora tria sæcula appellant, primum plurima perierunt documenta, ex quibus hæc ipsa quæ desiderant, possent illustrari. Quam multa enim sunt quæ ex *uno tantum aliquo libro exstante* ad nostram notitiam devenerunt? quæ, si is liber periisset, eodem jure nunc negarentur. Deinde in iis quæ ad cultum publicum præsertim circa templa, altaria eorumque ornatum et splendorem pertinent, norma religionis congruentius ex IV sæculo, in quo pax reddita est Ecclesiæ, peti debet, quam ex tribus præcedentibus, in quibus Christiani non ea omnia certe quæ vellent, poterant exsequi (a). Cum autem cultus erga Deum externis quibusdam ritibus, et cæremoniis debeat exerceri, eorum vero rituum numerus sit quodammodo circumscriptus, et a natura sit comparatum certa obsequii, et reverentiæ signa exhibere, quæ fere apud omnes gentes

(a) Neque enim Lutherus, Calvinus aliique hujuscemodi reformatores melius norunt quænam fuerit consuetudo, quænam mens Ecclesiæ tribus primis sæculis, quid magis post Ecclesiæ pacem deceat, quam SS. illi Patres, doctores et episcopi, quorum consiliis et doctrina tantopere ipsa Ecclesia sæculo IV floruit. Joannes Marangonius librum edidit : *Delle cose gentilesche e profane trasportate ad uso ed ornamento delle chiese.* Petro Lazzeri, claro in theologia et historia ecclesiastica nomini, displicet hæc Marangonii aliorumque opinio; qui in dissertatione seu diatriba, *De falsa veterum Christianorum rituum a ritibus ethnicorum origine, a Petro Rinaldi in collegio Romano habita anno* 1777, probat, 1° nullum afferri argumentum quo nostrorum rituum a ritibus ethnicorum origo vere demonstretur; 2° nullam assignari cæremoniam veterem a catholica Ecclesia communiter observatam, quæ multo melius atque commodius repeti aliunde non possit; 3° spectata SS. Patrum doctrina et veteri Ecclesiæ disciplina, originem, quam illi volunt, assignari nullo modo posse. Loquitur de quatuor primis sæculis, et illud urget, naturæ legem ipsam, atque instinctum ad quasdam cæremonias quasi manu tempore omni deduxisse, non minus quam ad alias actiones, ut manducandi, bibendi, vestibus se induendi.

eadem sunt, non est mirandum, multoque minus **119** reprehendendum, si in ecclesia catholica etiam a tempore apostolorum consuetudines aliquæ fuerint inductæ, quarum similes ab ethnicis celebrabantur. Gentiles ex Hebræis sumpsisse pene omnem rationem et modum, quo deos suos colerent, demonstratum est in dissertatione tom. VII Antiquit. Græc. Gronov., pag. 1 : *Danielis Clasenii theologia gentilium, seu demonstratio, qua probatur, gentilium theologiam* (*ceu tenebras*), *deos, sacrificia, et alia ex fonte Scripturæ* (*ceu luce*) *originem traxisse.* Demum Hebræi a Deo edocti fuerant quibus eum ritibus venerari deberent, adeoque sapienter primi christiani fecerunt, dum ad veterem populi Israelitici disciplinam nonnullas suas cæremonias stabilierunt pro ea potestate quam Christus Ecclesiæ suæ concessit novas condendi leges, prout res ipsa et tempora opportunius exigere viderentur.

140. His rationibus vindicatur Prudentius, quem acatholici et semicatholici accusant, quod ritus veteres ecclesiasticos, quos nunc ipsi reprobant, graphice descripserit. Nam cum viri hujus nobilissimi, inter sæcularia negotia versati, pietas, qua ipsemet sepulcris sanctorum advolvebatur, martyres ferventissimis precibus sibi patronos invocabat, eorum venerationem promovebat, hos novatores a sua sententia deterrere omnino deberet, non alia ratione se expediunt, nisi superstitionis vocabulo temere et importune adhibito. Neque ego negaverim, ignaros homines interdum ad superstitionem declinare. Sed præterquam quod nostri sæculi mores multo magis impietatis vitio quam superstitionis laborant, superstitio quæ in his ritibus nonnunquam obrepit, non est peccatum legum, sed hominum, qui difficulter in media virtute consistunt. Memini in Annalibus Lingueti me legere, eum Londini dum versaretur, valde miratum fuisse superstitionem gentis, quam cum ipse antea inter catholicos solos regnare credidisset, comperit æque vel magis apud Anglos triumphare. In alio, sed non multum dissimili genere reformatorum inconstantiam notare licet. Nam Romæ videmus sæpe, et aliis etiam in urbibus alii videbunt, eos, quos ipsi episcopos et prædicantes seu pastores habent et vocant, non alia re valde excellere, neque ut excellant laborare, nisi ut bene equitent, perite saltent, et a viris sæcularibus neque habitu, neque moribus discernantur. Et tamen hæc ab ipsis hæreticis in primis fuit prætexta causa dissensionis a capite. Aiebant clerum Romanum corruptum esse, reformatione indigere. Ipsi autem, dum cupiunt vitare Charybdim, inciderunt in Scyllam, vel dicam melius, inciderunt in Scyllam, neque Charybdim vitarunt. **120** Facile esset totam hanc controversiam adversus recentes quasdam novitates instruere; nam etiam nunc sunt qui novitatem in antiquitate rimantur, ut de sui temporis hæreticis acute dixit Maldonatus ad cap. I Joan. vers. I (*a*). Verum res ipsa, me tacente, loquitur. Unum afferam exemplum de usu luminum, ne a Prudentio nostro recedam.

141. Benedictus XIV, lib. I, cap. 5, de Sacrificio missæ contra Vertum et Joachimum Hildebrandum ostendere conatur, primis Ecclesiæ sæculis adhibita a Christianis lumina non solum ad depellendas tenebras, sed etiam ex symbolica causa in Veteri Novoque Testamento indicata. Hildebrandus fatetur sæculo IV usum luminum Christianos retinuisse, sub finem demum sæculi IV monumenta exstare, quod lumina accendi consueverint, etiam cum jam illuxisset dies. In lege veteri mystica magis de causa quam ad fugandas tenebras lumina accendi consuevisse, ex candelabro templi recte colligas. Revera accensio luminum honoris loco apud veteres habita est. Machab. II, IV, 22, Antiochus in Hierusalem *magnifice a Jasone et civitate susceptus, cum* FACULARUM LUMINIBUS, *et laudibus ingressus est.* Cicero lib. III de Officiis : *Marius a subselliis in rostra recta : idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res, si quæris, ei magno honore fuit. Omnibus vicis statuæ factæ : ad eas thus et cerei.* Eccur igitur hic honor Deo habendus non erit? At primis Ecclesiæ sæculis consuetudo non erat accendendi lumina interdiu. Concedam non constare de ea consuetudine : at reipsa non fuisse, *siquando* ad Ecclesiam Christiani *interdiu* convenerint, nunquam evinces. Imo vero ex iis quæ habet Prudentius hymno 5, ut nihil nunc dicam de candelabris aureis persecutionum tempore, de quibus rursus num. 152, arguo, lumina etiam cum noctu accendebantur, non tantum ad tenebras depellendas, sed præcipue ad honorem Deo præstandum, sive multitudinem consideres, sive ritus, fuisse adhibita (*b*).

(*a*) *Vertit forte quidam nostra memoria pro* VERBO SERMONEM... *secuti sunt novitatem omnes hæretici... Darem aliquam veniam, si secuti fuissent antiquitatem, in qua, ut statim indicabimus, multi ita verterunt. Sed indignor hæreticorum ingenium diverticula sectantium, nec alia ratione vocantium* SERMONEM, *quam quia nos* VERBUM *appellamus, et* NOVITATEM QUÆRENTIUM IN ANTIQUITATE. *Nam etsi id antiquum aliquando fuit, tamen quia jam fuerat obsoletum jam est novum.*

(*b*) Relege hymnum de novo lumine sabbati Paschalis : *Inventor rutili, dux bone, luminis... Lucem redde tuis, Christe, fidelibus... Incussu silicis lumina nos tamen Monstras saxigeno semine quærere, Ne nesciret homo, spem sibi luminis In Christi solido corpore conditam.... Vivax flamma viget, seu cava testula Succum linteolo suggerit ebrio, Seu pinus piceam fert alimoniam, Seu ceram teretem stuppa calens bibit... Splendent ergo tuis muneribus, Pater, Flammis mobilibus scilicet atria, Absentemque diem lux agit æmula, Quam nox cum lacero victa fugit peplo. Sed quis non rapidi luminis arduam, Manantemque Deo cernat originem?... Pendent mobilibus lumina funibus, Quæ suffixa micant per laquearia, Et de languidulis fota natatibus Lucem perspicuo flamma jacit vitro. Credas, stelligeram desuper aream Ornatam geminis stare trionibus, Et, qua bosphoreum temo regit jugum, Passim purpureos spargier hesperos.* Visne audire causam tot tamque varii generis luminum? Ita ergo pergit Prudentius : *O res digna, Pater, quam tibi roscidæ Noctis principio grex tuus offerat, Lucem qua tribuis nil pre-*

CAPUT XII.

Celeberrimum apud veteres Christianos pervigilium Paschæ Prudentii versus de novo lumine sabbati paschalis, verus titulus hymni quinti Cathemerinωn.

121 142. Quoniam Prudentius in laudato hymno v Cathemerinωn pervigilium ad resurrectionem dominicam describit, inde verum ejus titulum eruam ac vindicabo. Codices Heinsii habent, *Ad incensum lucernæ*, quod ipsi arridet, quia ritus cerei paschalis Prudentii ævo ignotus erat. In cod. Ratisb. idem est titulus. Hanc inscriptionem plerique recentiores sequuntur in editis, nisi quod aliqui, *Ad incensionem vel accensionem lucernæ* scribunt. Rodolphus Hospinianus, de Origine festor. Christ., agens de sabbato sancto allegat Naogeorgeum lib. IV regni papistici, describentem ritum benedicendi cereum paschalem, quem superstitiosum dicit. Idem Hospinianus hunc ritum Zosimo Pontifici circa annum 420 ex libro Pontificali, Alcuino, Amalario, Rabano, Walafrido, Micrologo, Ruperto Tuitiensi, aliisque ascribit : ex aliis (qui minime sunt cum prioribus conferendi) Theodato (quem Theodorum, seu Theodoton appellant) circa annum 615, seu Honorio I circa annum 622 adjudicat. Notat, circa annum 627 in Gallicia morem non fuisse lucernam et cereum consecrandi : quippe cum cap. 8 concilii Toletani IV statuatur, propter unitatem pacis in illis etiam Ecclesiis ritum illum benedicendi esse instituendum. Ex quibus colligit, hymnum v Cath., non esse inscribendum *ad accensionem cerei paschalis*. **122** Utitur his rationibus, quod Zosimus 40 annis post Prudentium tenuit pontificatum : in quo egregie fallitur. Nam Zosimus anno 417 pontifex est electus, Prudentius vero anno 405 scribebat, neque constat quo anno inde e vita excesserit. Præterea ait Hospinianus, omnes hymnos libri Cathemerinωn scriptos esse non pro certo aliquo die anni, sed esse generales, et convenire titulo libri *Cathemerinωn*, seu *Diurnorum*. Sed non minus hoc loco hallucinatus est : nam hymnus *Jejunantium*, *Post jejunium*, *Omni hora*, *In exsequiis defunctorum*, VIII *Kal. Jan.*, *in Epiphania Domini*, non magis titulo Cathemerinωn conveniunt, quam hymnus qui solum sabbato sancto caneretur.

143. Validior videri potest alia ratio, ex ordine petita quo hic hymnus v ponitur inter hymnum Post cibum et hymnum Ante somnum, ac proinde ad horam lucernarii est referendus. Riscus, tom. XXXI Hisp. Sacr., hanc sententiam tanquam exploratam habet, asserens hunc hymnum esse quotidianum vespertinum ex ordine hymnorum usque ad septimum per ordinem distributorum; nihil referre quod Prudentius quædam de nocte paschali afferat, quia in hymnis solet res eas memorare quæ horis quibus hymni decantantur acciderunt, et ex sacris Litteris constant. Et, *ut vineta egomet cædam mea*, ego affir- A maveram Hymnod. Hispan. in notis ad hymnum S. Laurentii, male a quibusdam hunc hymnum inscribi, *Ad incensum cerei paschalis*, sermonemque in eo esse non de cereo paschali, sed *de cereo qui quotidie accendebatur*, quemadmodum Græci habebant hymnum qui singulis noctibus dicebatur, cum primum lumen inferebatur, de quo agit S. Basilius lib. de Spiritu sancto. Confirmari posset hæc opinio, quod in hoc quoque hymno Prudentii doxologia SS. Trinitatis exprimitur, *Per Christum genitum*, quam in Græcorum hymno vespertino laudat Basilius. Cæterum etsi neque nunc quidem probem titulum, *Ad incensum Cerei paschalis*, tamen de re ipsa longe diverso modo sentio. Scio quædam ex hoc hymno optime quadrare in officium ecclesiasticum quod olim B dicebatur *lucernarium*, et a S. Ambrosio lib. III de Virg., cap. 4, *Hora incensi*, a Cassiano lib. III, cap. 3, *hora lucernalis*. In concil. Tolet. I, cap. 9, *Lucernarium vero nisi in ecclesia non legatur*. Vide notam Garsiæ Loaysæ, qui probare vult *lucernarium* ad nostras vesperas pertinere. Hymnus quidem X Ennodii, qui *vespertinus* dicitur, ad lucernarium est compositus sine ulla controversia.

144. Quamvis autem hymnus Prudentii eo ordine collocetur quo hymnus vespertinus quotidianus deberet reponi, non propterea **123** inferas quotidianum esse. Nam cum in eo hymno multa sint quæ apte cadunt in hymnum vespertinum, et præterea in principio noctis sabbati paschalis caneretur, non absurde is locus illi datus est, sive ab C auctore, sive, ut ego magis credo, ab iis qui postea opera compegerunt, et hunc hymnum separatum inter alios cathemerinos collocarunt. In editione Aldi bis editus est, primum statim post Psychomachiam et ante librum Cathemerinωn, tum inter hymnum IV et VI Cathemerinωn; ex quo patet eos versus ab Aldo fuisse seorsum repertos, quamvis in libro quoque Cathemerinωn fuerint inserti. Jam notavi num. 105, editum fuisse hunc hymnum, ita inscriptum, *De phase populi Israelitici*. In Hymnariis V. Cardinalis Thomasii modo inscribitur, *Ad incensum lucernæ*, modo *ad benedictionem cerei paschalis*, prout ad hunc vel alium usum ab Ecclesiis adhibebatur. In Ordine Romano veteri legitur : *Ordo de sabbato sancto in die. Aliqui tamen hic cantant hymnum* D *Prudentii : Inventor rutili, dux bone, luminis*. In officio Isidoriano idem hymnus cantatur aliqua ex parte in primo dominico post octavam Epiphaniæ ad vesperas. Blanchinius in Annot. ad codic. Veron. retinet titulum. *Ad incensum lucernæ*, sed multis probat, a Prudentio hymnum fuisse compositum pro benedictione cerei paschalis. Cui etsi aliquatenus assentior, non possum tamen quin animadvertam, rem non esse existimandam ex ideis et consuetudinibus postea inductis, sed ad sua principia revocan-

tiosius, Lucem, qua reliqua præmia cernimus. Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus, Intus tu speculum, tu speculum foris, Lumen, quod famulans offero, suscipe, Tinctum pacifici chrismatis unguine. S. Hieronymi tempore hæc erat objectio Vigilantii et hæreticorum adversus catholicos, quod ecclesiastico ritu lumina accenderent. Vide num. 162.

dum. Plerique enim res veteres ex novis judicant, et tales fuisse illas sibi fingunt quales hæ interdum sub iisdem nominibus, sed diversa ratione peraguntur (*a*). Hymnus Prudentii, quacumque demum ex causa fuerit ab eo confectus, potuit adhiberi vel ad benedictionem lucernæ et cerei, quam Mozarabes in usum induxerant, vel ad benedictionem cerei, quæ jam tempore S. Ennodii in consuetudinem venerat, cujus duæ exstant benedictiones eisdem sententiis conceptæ, vel denique ad horam lucernarii. Hinc diversi tituli orti sunt, quorum nullum probo (*b*). Quem ergo titulum dabo? Non omnino displicet titulus,
124 *Ad incensum*, quin aliud addatur, aut *Ad incensum luminis*. Sed magis arridet inscriptio Aldi, non inter hymnos cathemerinos, ubi dicitur, *Ode ad accensionem lucernæ*, sed quam ponit ex aliquo codice separato : *Versus Aurelii Prudentii de novo lumine sabbati paschalis*. Vides inscriptionem non monachicam, neque ex aliquo breviario petitam, aut a recentioribus excogitatam : quam retinuit Sixtus Senensis lib. VI Biblioth. sanct., cap. 47, de quo lege infra n. 183.

145. Vide nunc quam apte rei conveniat inscriptio. *De novo lumine*, inquit; id enim est, quod ait Prudentius :

> Incussu silicis lumina nos tamen
> Monstras saxigeno semine quærere.

Qui ritus etiam nunc servatur in benedictione cerei paschalis. Non addit autem, *cerei*, vel *lucernæ*, quia in festo quod Prudentius celebrat, non solus cereus, neque sola lucerna, sed præter cereum et lucernam tædæ etiam accendebantur (*c*). Apposite vero in titulo adjungitur, *sabbati paschalis*. Nec levis est error negare compositum fuisse hymnum ad pervigilium Paschæ celebrandum : in quem non tantum ipse olim incidi, sed alii doctiores sunt delapsi. Ita enim vers. 125 et seqq.

> Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
> Pœnarum celebres sub styge feriæ
> Illa nocte, sacer qua rediit Deus
> Stagnis ad Superos ex acheronticis.
> Non sicut tenebras de face fulgida
> Surgens oceano lucifer imbuit,
> Sed terris Domini de cruce tristibus
> Major sole novum restituens diem.
> Marcent suppliciis tartara mitibus,
> **125** Exsultatque sui carceris otio
> Umbrarum populus liber ab ignibus,
> Nec fervent solito flumina sulphure.
> Nos festis trahimus per pia gaudia

A

> Noctem conciliis, votaque prospera
> Certatim vigili congerimus prece,
> Extructoque agimus liba sacrario.

Pervigilium sabbati paschalis clare describitur, cujus nox a Christianis *festis conciliis per pia gaudia, votaque prospera* trahebatur. Itaque pro *Illa nocte, sacer qua rediit Deus*, libenter legerem *Ipsa nocte*, si per membranas liceret. Sensus tamen semper est hic, quem explico, sermonem esse non de hora lucernarii singulis quibusque noctibus, sed de pervigilio sabbati paschalis.

146. Ac ne dubites, scias velim in his vigiliis paschalibus morem fuisse Christianis sacra se eucharistia reficiendi, ut liquet ex verbis S. Gregorii Nazianzeni afferendis num. 149. Hæc præcepti communionis paschalis est origo. Quo pertinet causa mar-

B

tyrii S. Hermenegildi a S. Gregorio Magno narrata lib. III Dialogorum, cap. 31 : *Superveniente autem paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arianum episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet*. Hujus quoque ritus meminit Prudentius, qui postquam descripsit iter populi Israelitici ait :

> Hæc olim patribus præmia contulit
> Insignis pietas numinis unici,
> Cujus subsidio nos quoque vescimur,
> Pascentes dapibus pectora mysticis...
> Nos festis trahimus per pia gaudia
> Noctem conciliis...
> Extructoque agimus liba sacrario.

Igitur vel ex solo Prudentii hymno hoc festum in Ecclesia veteri agnoscendum esset, ex quo adhuc

C

vestigia permanent in benedictione cerei paschalis. Etenim quemdam ritum benedicendi et consecrandi lumen Prudentii ævo fuisse usitatum, hi ejus versus demonstrant :

> Lumen, quod famulans offero, suscipe,
> Tinctum pacifici chrismatis unguine.

Quo magis confirmatur non esse hunc hymnum vespertinum singulis noctibus concinendum, aut in hunc usum confectum.

147. Sed multis præterea ostendi potest, solemnem hunc fuisse in Ecclesia antiqua morem celebrandi pervigilium Paschæ, in quem propterea optime cadit hymnus Prudentianus. Tertullianus lib. II ad Uxorem, cap. 4, de gentili qui uxorem Christianam duxisset loquens : *Quis*, inquit, *solemnibus*

D

Paschæ abnoctantem (uxorem) *securus sustinebit?*

(*a*) Adamus Siberus in Scholidiis ad hunc hymnum ponit titulum, *Ad incensum cerei*, addens, *qui accendebatur appetente vespera ejus noctis quæ diem festum resurrectionis dominicæ antecedit, quam quidem noctem insomnem traducere religionis, non superstitionis gratia, solebant Christiani*. Quæ nobis valde favent.

(*b*) In editione Parmensi retinetur titulus *Ad incensum lucernæ*, et ex ordine hymnorum defenditur, quintum hunc hymnum de vesperis intelligi, *in quibus solemni more in dies accendi lucernas Prudentii ævo mos erat... Et psalmus* CXL, *qui in eo recitari solebat, auctor Constitutionum emphatice vocat eum* PSALMUM LUCERNALEM. *Ex his infert clarissimus Thomassinus Tract. de Festis a Carolo Guieto lat. edit. lib.* II, *cap.* 24, *hunc hymnum ad accendendas in lucernario, seu vesperis quotidianis, lucernas compositum fuisse*. Carolus Guyetus S. I. anno 1657, *Tractatum de Festis* Latine a se compositum edidit, Thomassinus anno 1683 aliud opus sub hoc titulo Gallice. Distinguenda sunt hæc duo opera, post simul impressa. Vide Bibl. rit. cl. Zachariæ.

(*c*) *Ne nesciret homo spem sibi luminis In Christi solido corpore conditam : Qui dici stabilem se voluit petram, Nostris igniculis unde genus venit. Pingui quos olei rore madentibus Lychnis, aut facibus pascimus aridis. Quin et fila favis scirpea floreis Presso melle prius collita fingimus. Vivax flamma viget, seu cava testula Succum linteolo suggerit ebrio, Seu pinus piceam fert alimoniam, Seu ceram teretem stuppa calens bibit... Splendent ergo tuis muneribus, Pater, Flammis mobilibus scilicet atria.*

Eusebius lib. VI Hist., cap. 34, cum notis Valesii **126** meminit precationum quæ in postrema Paschæ vigilia fiebant sub Philippo imperatore. Lactantius lib. VII, cap. 19: *Et hæc est nox, quæ a nobis propter adventum Regis ac Dei nostri pervigilio celebratur. Cujus noctis duplex ratio est, quod in ea et vitam tum recepit, cum passus est, et postea orbis terræ regnum recepturus est* (*a*).

148. Ex traditione apostolica consuetudinem hujus pervigilii frequentandi permanasse tradit S. Hieronymus lib. IV in Matth. cap. XXV, ad verba, *Media autem nocte clamor factus est*, etc. *Subito enim quasi intempesta nocte, et securis omnibus, quando gravissimus sopor est, per angelorum clamorem et tubas præcedentium fortitudinum Christi resonabit adventus. Dicamus aliquid, quod forsitan lectori utile sit. Traditio Judæorum est Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, et exterminator venit, et Dominus super tabernacula transiit, et sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt. Unde reor, et traditionem apostolicam permansisse*, (fortasse legendum, *permanasse*) *ut in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi. Et postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem. Unde et Psalmista dicebat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ.* Atque hæc est causa cur Prudentius liberationem et egressum populi Israel ex Ægypto pluribus strophis canat:

Moses nempe Deum spinifera in rubo
Vidit conspicuo lumine flammeum.

Comparant etiam SS. Patres populo Israelitico ex Ægypti tyrannide liberato justos, a resurgente Domino in cœlum evocatos, ut S. Gregorius Nazianzenus orat. in Pascha, et in tarditatem: *Hodie Ægyptum omnino fugimus, et amarulentum illum Pharaonem* (*b*).

A 149. Præclare vero de accensione luminum in pervigilio Paschæ S. Gregorius Nazianzenus oratione II in Pascha: *Hæc nobis* **127** *festivitatum festivitas, et celebritatum celebritas .... Præclara quidem nobis fuit hesterna* FACIUM AC LUMINUM *gestatio* (*quam privatim juxta publiceque peregimus omne genus hominum ferme, atque omnes magistratu et dignitate insignes,* LARGO IGNE *noctem collustrantes, etc.*). *At hodierna præclarior et excellentior. Nam* HESTERNUM LUMEN *magni illius luminis exsurgentis prænuntium erat, ac veluti profesta quædam animorum voluptas.* Et oratione in laudem patris sui mortui, quæ est XIX, pag. 304: *Morbo igitur laborabat, ac morbi tempus erat sanctum, et celebre Pascha, dies dierum rex, ac* SPLENDIDA ILLA NOX *peccati tenebras* B *solvens, in qua nos cum* MAGNA LUMINIS COPIA SALUTIS NOSTRÆ FESTUM CELEBRAMUS... *Mysterii tempus aderat* (*c*). Eusebius lib. IV de Vita Constantini, cap. 22: *Ipse vero* (Constantinus) *ut pote sacrorum mysteriorum particeps... in ipsis salutiferæ festivitatis diebus, disciplinæ atque exercitationum vigorem intendens, cunctis animi et corporis viribus collectis, pontificis atque hierophantæ munere fungebatur. Et ipse quidem cæteris omnibus præibat ad festi celebrationem. Sacram autem vigiliam* IN DIURNUM SPLENDOREM *converterat, accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis per eos quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accensæ cuncta passim loca illustrabant: adeo ut hæc mystica vigilia quovis vel splendidissimo die illustrior redderetur.* Valesius notat Christianos C intra ecclesiam dumtaxat cereorum maximam copiam accendere consuevisse, Constantinum in honorem tantæ festivitatis cereos extra ecclesiam accendi jussisse; columnas illas cereas designare cereum Paschalem, de quo Barnabas Brissonius singularem librum scripsit. S. Zeno Veronensis in Sermone I ad neophytos ejusdem pervigilii lumina indicat: *Post devotissima completa expiationis sacræ casta jejunia, post* CLARISSIMÆ NOCTIS *suo sole dulces vigilias* (*d*).

(*a*) Quem locum præ oculis habuit Isidorus Etymol. lib. VI, c. 17: *Cujus* (Paschæ) *nox ideo pervigil ducitur propter adventum Regis ac Domini nostri, ut tempus resurrectionis ejus nos non dormientes, sed vigilantes inveniat: cujus noctis duplex ratio est, sive quod in ea vitam tunc recepit, cum passus est, sive quod postea eadem hora qua resurrexit, ad judicandum venturus est.* Quod a nobis fuit animadvertendum, quia in notis ad Etymolog. Isidori indicatus non est locus Lactantii, ut alii aliorum solent indicari.

(*b*) Hinc Prudentius v. 109: *Fessos ille vocat per freta sæculi, Discissis populum turbinibus regens, Jactatasque animas mille laboribus Justorum in patriam scandere præcipit. Illic purpureis tecta rosariis Omnis fragrat humus*, etc. Eodem pertinent sermones S. Zenonis Veronensis, et Tractatus S. Gaudentii Brixiensis episcopi *de Exodo in hoc pervigilio*, ac fere tota benedictio cerei Paschalis, *Hæc nox est, in qua primum patres nostros filios Israel eductos de Ægypto*, etc., cujus sententiæ omnes in Prudentio leguntur.

(*c*) Nicetas in orat. II Nazianzeni de Paschate: *Præclara etiam fuit hesterna luminum celebritas, hoc est, cœtus ille qui ad vesperam magni sabbati celebrabatur. Pervigilem enim noctem traducebant usque ad horam septimam cantantes ac lampades accendentes, atque imminentem Servatoris nostri resurrectionem exspectantes.* Quæ Prudentii hymno consonant.

(*d*) Confer sermones ejusdem Zenonis *de Exodo*, D uti etiam tractatus S. Gaudentii Brixiensis episcopi in Exodum, *de nocte Vigiliarum, de Paschæ observatione*, ubi tract. IV, in principio *splendidissimam noctem vigiliarum* vocat. In Constit. Apostol. cap. 18 lib. V agitur *de pervigilatione magni sabbati, et de die resurrectionis*, ubi etiam sacrificium fieri ante jejunii solutionem præcipitur. Aldelhelmus de Laude Virgin. cap. 16: *In vigiliis paschalibus quando reciprocis annorum circulis anastasis dominica solitæ solemnitatis tripudio celebratur, fortuito contigit ut lychnis de lampadibus ecclesiæ pinguis olei liquor opportunus deesset.* Vide Chrysostomum *in Genesim cap. 11 homil.* XXX. Nebrissensis nostræ opinioni assentitur, qui, etsi hymnum inscripserit *Ad accensionem lucernæ*, tamen ait: *Hic hymnus in principio noctis, cum lumina accenduntur, cantari debet: vel* POTIUS, ET PECULIARITER IN SABBATO SANCTO, *cum lumina nova incenduntur, vel incendi deberent.* Et ad versum, *Illa nocte sa-*

128 150. Hæc ita clara sunt, ut qui ulterius du- A bitet an a Prudentio hymnus de novo lumine sabbati paschalis ad noctem vigiliarum Paschæ celebrandam compositus fuerit, in media luce ac die cæcutire videatur. Quamvis autem inde origo benedictionis cerei paschalis petenda sit, tamen hæ voces, *cereus paschalis*, et quidam ritus in benedictione adhibiti recentiores fortasse sunt, ex quo factum est ut benedictio hujusmodi huic vel alii pontifici Romano tribuatur, quod formulam aliquam præscripserit, aut veterem hanç institutionem ad universam Ecclesiam extendi voluerit. Existimo etiam S. Hieronymi et Prudentii temporibus posteriorem esse Sermonem *de Cereo paschali* inscriptum inter opera S. Hieronymi, ubi notat Auctor : *Lege Pentateuchum, instrumentum percurre vetus : nusquam in Dei sacrificiis* B *mella, nusquam ceræ usum, sed lucernarum lumina, et oleo fotos videbis igniculos... Novos percurre libros... nunquid alicubi cereus?* Carmen de Cereo paschali habet Drepanius Florus, non Christianorum poetarum vetustissimus, ut appellat Baronius ad diem 8 Maii Martyr. Rom.an., sed sæculo tandem IX florens. Pervigilium etiam Paschæ celebrat :

Hunc ut per totam possimus ducere noctem,
Inferimus claros sacris altaribus ignes.

Animadverto præterea aliquod videri superesse vestigium de novo lumine, quod incussu silicis accendebatur, in Orientis regionibus apud Liberium a Jesu tom. III. Controv. ex posthumis, col. 712 et seq. *De igne, quem schismatici miraculosum vocant, et fingunt*, ubi refert olim revera miraculum contigisse C ut die sabbati sancti ignis e cœlo descenderit in ecclesia Hierosolymitana. Idem col. 600 et seq. Armenorum fabulam et ritum, qui summo mane diei Resurrectionis cereos accendunt ex quodam lumine divinitus, ut venditant, accepto, exponit et exagitat.

Quæ omnia libenter ego congessi, non solum ut hymnum Prudentii ejusque titulum illustrarem, sed etiam in gratiam optimi et religiosissimi principis Ferdinandi Borbonii Ducis Parmensis, quem pervigilium Paschæ ex veteri more, Constantini Magni exemplo, quamvis dispari modo, Pio VI pontifice maximo ultro annuente, celebrare ex idoneis auctoribus accepi.

129 151. Quibus expositis, evidenter demonstrata est antiquissimorum et felicissimorum temporum pietas in luminum usu, copia, et cæremoniis (*a*). Sed ad redarguendum ætatis nostræ impietatem abundare adhuc volo allatis in medium nonnullis S. Paulini Nolani versibus. Natali 9 de Adventu Nicetæ episcopi e Dacia, qui ad natalem 5 Felicis occurrerat :

Ecce vides, quantus splendor, velut æde renata
Rideat; insculptum camera crispante lacunar
In medio mentitur ebur; tectoque superne
Pendentes lychni spiris retinentur ahenis.

Plura alia aliis in locis Paulinus (*b*); quem Prudentio in his controversiis sæpius addere juvat, quod neque illi objici possunt præjudicatæ opiniones a puero inter ecclesiasticos viros haustæ.

CAPUT XIII.

Respondetur ex Prudentio interrogantibus cum Persio sat. 2, vers. 69 : Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?

130 152. In fine hymni de Novo Lumine sabbati paschalis egregiam rationem reddit Prudentius, cur lumina in Dei honorem accendi debeant : *O res digna, Pater, quam tibi roscidæ Noctis principio grex tuus offerat, Lucem, qua tribuis nil pretiosius, Lucem qua reliqua præmia cernimus.* Quæ ratio ad ornatum divitiasque templorum optime transfertur : et politicis qui Persii versum inculcant : *Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum*, recte respondebitur : *O res digna, Pater, quam tibi grex tuus offerat.* Scio quid

cer, confirmat consuetudinem apud antiquos fuisse nocte sabbati sancti per domos lumina complura disponere ex omni materia quæ potest præbere alimentum igni.

(*a*) Præterire nolo conjecturam, quod jam Prudentii sæculo lumen in pervigilio Paschæ a diacono videatur oblatum, ut nunc offertur cereus paschalis, ex versu, *Lumen, quod* FAMULANS *offero, suscipe Tinctum pacifici chrismatis unguine.* Et cum idem Prudentius *lacrymas olentes* dixerit, et Paulinus in versibus mox referendis non solum *pictos cereos*, sed etiam *odora lumina* commemoraverit, etsi alia interpretatio adhiberi possit, tamen suspicio mihi est non levis, D quod inde repetenda sit origo quinque granorum thuris quæ cereo paschali a diacono infiguntur, qui ita pergit canens : *In hujus igitur noctis gratia suscipe, sancte Pater, incensi hujus sacrificium vespertinum : quod tibi in hac cerei oblatione solemni per ministrorum manus de operibus apum, sacrosancta reddit Ecclesia.* A nonnullis criticis etiam majoris subsellii rubricistæ erroris arguuntur, quod hoc loco thuris mentionem fieri crediderint, adeoque ad hæc verba grana thuris infigenda præscripserint. Nihilominus puto *sacrificium vespertinum incensi* intelligi de thure, et distingui a *cerei oblatione solemni per ministrorum manus de operibus apum.* Sic paulo ante in benedictione thuris : *Veniat, quæsumus, omnipotens Deus, super* HOC INCENSUM *larga tuæ benedictionis infusio.* Et quoties in missæ sacrificio ante evangelium thus adoletur : *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manum mearum* SACRIFICIUM VESPERTINUM. Confer S. Isidorum, lib. de Myst. expos. sacram., cap. 58 de Incenso composito, et Rupertum Tuitiensem lib. VI de Divinis Off., cap. 31, *Cur ad benedicendum cereum quoque portat incensum.*

(*b*) Natali 3 : *Aurea nunc niveis ornantur limina velis, Clara coronantur densis altaria lychnis. Lumina ceratis adolentur odora papyris*, NOCTE DIEQUE MICANT, *sic nox splendore diei Fulget : et ipsa dies cœlesti illustris honore Plus micat, innumeris lucem geminata lucernis.* Natali VI : *Ast alii pictis accendant lumina ceris Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent, Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas.* Natali XI, inter Anecdota Muratori, vers. 407 : *Hæc quæ cernitis illic Omni prompta die, vel circumfusa per omnes. Ordine dimenso quasi candelabra columnas, Depictas exstare gerunt quæ cuspide ceras, Lumina ut inclusis reddantur odora papyris. At medio in spatio fixi laquearibus altis Pendebant per ahena cavi retinacula lychni, Qui specie arborea lentis quasi vitea virgis Brachia jactantes, summoque cacumine rami Vitreolos gestant tanquam sua poma caliclos, Et quasi vernantes accenso lumine florent, Densaque multicomis imitantur sidera flammis, Distinguuntque graves numerosa luce tenebras.*

ad hæc reponant, satius fore; si hæ divitiæ pauperibus distribuantur. Viderint ipsi an hæc jactent, quia *de egenis pertinet ad eos*, an alia qualibet de causa. Ego quidem video reprobatam fuisse a Salvatore vocem Judæ Iscarlotæ, Joan. XII, 5 : *Quare hoc unquentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis ?* Cum S. Laurentius martyrium subiit, in ecclesia fuisse pretiosam supellectilem, ex his præfecti ad S. Laurentium verbis viri graves doctique colligunt Peristeph. hymn. 2, vers. 57 : *Soletis, inquit, conqueri, Sævire nos justo amplius, Cum Christiana corpora Plus quam cruente scindimus. Abest atrocioribus Censura fervens motibus, Blande et quiete efflagito Quod sponte obire debeas. Hunc esse vestris orgiis Moremque, et artem proditum est, Hanc disciplinam fœderis, Libent ut auro antistites. Argenteis scyphis ferunt Fumare sacrum sanguinem, Auroque nocturnis sacris Astare fixos cereos*, etc. Nihilominus plurimi tunc erant in Ecclesia pauperes, vers. 157 : *Tales plateis omnibus Exquirit, assuetos ali Ecclesiæ matris penu, Quos ipse promus noverat*, aut ut plerique non male scribunt, *Quos ipse primus noverat*. Ut intelligas recte hæc duo cohærere, quod et in ecclesia divitiæ affluant, et pauperibus exinde subveniatur. Imo vix aliquem videas qui ecclesiarum splendori consulat, qui non idem vel maxime erga pauperes misericordia commoveatur.

153. Exemplo utar Paulini, de quo paulo ante. Quam larga manu eleemosynas in pauperes erogaverit, legi potest in ejus Vita a Francisco Sacchino S. I. eleganter scripta, et suppresso nomine edita in editione operum S. Paulini Antuerpiensi 1622 (*a*).
131 Quantum vero Paulinus in amplificanda ornandaque basilica S. Felicis elaboraverit, narrat ipse epist. 12, et passim in carminibus exponit (*b*). Quin etiam tumulum jam olim argento tectum memorat Natali 13, vers. 594 et seq. : *Ille etiam proprii nobis secreta sepulcri Sancta revelavit... pagina quædam Marmoris affixa argenti vestita metallo*. Ipsas arcas sepulcrorum ex argento fieri solitas, earumque exempla tradunt antiquitatis cultores.

154. Neque in Prudentio desunt certa argumenta divitiarum et splendoris templorum. In Eulalia vers. 191 : *Hic ubi marmore perspicuo Atria luminat alma nitor Et peregrinus, et indigena, Relliquias, cineresque sacros Servat humus veneranda sinu. Tecta corusca super rutilant De laquearibus aurolis, Saxaque cæsa solum variant, Floribus ut rosulenta putes Prata rubescere multimodis* (*c*).

132 155. Plurima in eamdem rem afferri possunt ex æqualibus aut præcedentibus scriptoribus. Eusebius, Vit. Constantini lib. IV, cap. 58, templum SS. Apostolorum Constantinopolitanum describens ait : *Cumque templum omne in immensam altitudinem extulisset, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens. Porro cameram lacunaribus minutissimi operis obducens, totam auro imbracteavit. Et supra quidem æs tegularum loco.... quod itidem auro plurimo superfusum resplendebat*. Plura alia adjungit Theodoretus lib. I, cap. 31 Hist. de Ecclesiæ Dedicatione Hierosolymis sub Constantino : *Porro sacrosanctum altare aulæis plane regalibus, et monumentis, lapidibus pretiosis, auroque collustratis adornabatur*. S. Augustinus, lib. III contra Cresconium, cap. 29, ex gestis proconsularibus anno 320 a Silvano aliisque persecutionis tempore traditos refert *calices duos aureos*, itemque *calices sex argenteos..., Posteaquam apertum est in bibliothecam, inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit Silvanus capitulatam argenteam et lucernam argenteam*.

(*a*) Idemmet Paulinus, epist. 11 ad Severum Sulpicium, epigramma a Severo expetitum, imaginibus S. Martini et ipsius Paulini affigendum, in hæc verba composuit : *Dives opum Christo, pauper sibi, pulchra Severus Culmina sacratis fontibus instituit. Et quia cœlestes aulam condebat in actus, Qua renovarentur fonte; Deoque homines, Digna sacramentis gemina sub imagine pinxit, Disceret ut vitæ dona renatus homo. Martinum veneranda viri testatur imago, Altera Paulinum forma refert humilem. Ille fidem exemplis et dictis fortibus armat, Ut meritis palmas intemerata ferat. Iste docet* FUSIS *redimens sua crimina* NUMMIS, *Vilior ut sit res, quam sua cuique salus.*

(*b*) Natali 9 : *Ecce vides istam, qua janua prima receptat, Porticus obscuro fuerat prius obruta tecto. Nunc eadem nova pigmentis et culmine crevit*, etc. *Trina manus variis operata decoribus illam Excoluit : bijugi laqueari et marmore fabri, Pictor imaginibus divina ferentibus ora*, etc. Natali 10 : *In ædibus ejus Nata recens opera hæc, quæ, molibus undique celsis Cernitis emicuisse pari splendentia cultu.* Et Natali 11 : *Multa etenim suberant alia, ut novistis, in ipso Ornamenta loco, quæ sumeret, ut crucis auro Parceret : intus enim latitabant mystica vasa, Sumendis mandata sacris... Quæ simul et variis scite distincta lapillis, Viderat... Parva corona subest variis circumdata gemmis... Continuum scyphus est argenteus aptus ad usum.*

(*c*) In passione S. Fructuosi et sociorum de templo eorumdem martyrum : *Hinc aurata sonent in arce tecta.* In Hippolyto, vers. 183 : *Ipsa, illas animæ exuviae quæ continet intus, Ædicula* ARGENTO *fulgurat ex* SOLIDO. *Præfixit tabulas dives manus æquore lævi Candentes, recavum quale nitet speculum. Nec Pariis contenta aditus obducere saxis, addidit ornando clara talenta operi.* Et vers. 215 : *Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia templum Tunc Adeat, cultu nobile regifico. Parietibus celsum sublimibus, atque superba Majestate potens, muneribusque opulens. Ordo columnarum geminus laquearia tecti Sustinet, auratis suppositus trabibus. Adduntur graciles tecto breviore recessus, Qui laterum seriem jugiter exsinuent. At medios aperit tractus via latior alti Culminis, exsurgens editiore apice. Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal Tollitur, antistes prædicat unde Deum. Plena laborantes ægre domus accipit undas, Arctaque confertis æstuat in foribus*, etc. In hymno SS. apostolorum Petri et Pauli, vers. 31 : *Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum... Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris Stagnum nivali volvitur profundo. Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas, Musci relucent, et virescit aurum, Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri... Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis... Regia pompa loci est, Princeps bonus has sacravit arces, Lusitque magnis ambitum talentis. Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta Lux esset intus, ceu jubar sub ortu. Subdidit et Parias fulvis laquearibus columnas, Distinguit illic quas quaternus ordo. Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus : Sic prata vernis floribus renident.*

nam argenteam. Ex libro Pontificali S. Silvester donavit Ecclesiæ tituli Equitii *patenam argenteam pensantem libras viginti, ex dono Augusti Constantini. Donavit autem et scyphos argenteos* 2, *qui pensaverunt singuli libras denas. Calicem aureum pensantem libras duas... Amas argenteas duas, pensantes singulas libras denas. Patenam argenteam chrismalem, auro clausam, pensantem libras quinque*. Inter canones apostolorum, interprete Gentiano Herveto, can. 72: *Vas aureum, vel argenteum, vel velum sanctificatum nemo amplius in suum usum convertat*. Optatus Afer, lib. I adversus Parmenianum de tempore persecutionis: *Erant ecclesiæ ex auro et argento quamplurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat* (Episcopus Mensurius) (*a*).

CAPUT XIV.

Quem morem in corporibus defunctorum sepeliendis Prudentii ætate adhibuerint Christiani. Ostenditur diversa ratio, cur SS. Patres quosdam ritus in ethnicis reprehenderint, in Christianis approbaverint.

133 156. Ex cura sepulcris apud omnes gentes impendi solita animæ immortalitatem colligunt Cicero aliique passim gentiles. Prudentius etiam resurrectionem mortuorum inde arguit hymno circa exsequias vers. 37 et seqq. (*b*). Non tamen eadem et constans **134** fuit apud veteres Christianos ratio sepeliendi mortuos. In Octavio Minucii Felicis Christianis gentiles hæc inter alia opponebant: *Non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta funeribus, coronas etiam sepulcris denegatis*. Tertullianus, Apolog. cap. 42: *Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris et carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis*. De coronis respondet gentilibus Minucius: *Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis aut sentienti facem, aut non sentienti coronam* (*c*).

157. Ornarunt postea Christiani floribus defunctorum sepulcra quos peculiari honore vellent prosequi, ut ex versibus Prudentii apparet. *Nos tecta fovebimus ossa Violis et fronde frequenti*, etc. Et in fine hymni S. Eulaliæ: *Capite purpureas violas, Sanguineosque crocos metite. Non caret his genialis hiems, Laxat et arva tepens glacies, Floribus ut cumulet calathos. Ista comantibus e foliis Munera virgo puerque date, ... Sic venerarier ossa libet, Ossibus altar et impositum*. Apud Romanos scriptores passim occurrit mentio florum quibus sepulcra decorarentur, sed ita ut intelligas non fuisse morem necessario adhibitum (*d*). Christiani igitur simili honore mortuos

(*a*) Pauli Orosii præclarum exstat testimonium de aureis argenteisque vasis quæ basilicæ S. Petri apostoli Romæ inserviebant, uti etiam de veneratione, qua barbari ipsi permoti intacta ea esse voluerunt, dum Romam sub Alarico anno 410 everterent. Sic ait lib. VII, cap. 39 Hist.: *Discurrentibus itaque per Urbem barbaris, forte unus Gothorum, idemque potens, et Christianus, sacram Deo virginem jam ætate provectam, in quadam ecclesiastica domo reperit; cumque ab ea aurum argentumque honeste exposceret, illa fideli constantia esse apud se plurimum, et mox proferendum spopondit ac protulit. Dumque expositis opibus, attonitum barbarum magnitudine et pondere ac pulchritudine ignota etiam vasorum qualitate intelligeret, virgo Christi ad barbarum ait: « Hæc Petri apostoli sacra ministeria sunt. Præsume, si audes, de facto tu videris. Ego quia defendere non valeo, tenere non audeo. » Barbarus vero ad reverentiam religionis, timore Dei et fide virginis motus, ad Alaricum per nuntium hæc retulit: qui continuo reportari ad apostoli basilicam universa, ut erant, vasa imperavit; virginem etiam, simulque omnes, qui se adjungerent, Christianos eodem cum defensione deduci. Ea domus sanctis sedibus longo, ut ferunt, et medio interjectu Urbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium disposita per singulos singula, et super capita elata palam aurea atque argentea vasa portantur, exertis undique ad defensionem gladiis pia pompa munitur. Hymnis Deo Romanis barbarisque concinentibus publice canitur. Personat late in excidio Urbis salutis tuba; omnesque etiam in abditis latentes invitat ac pultat. Concurrunt undique ad vasa Petri vasa Christi; plurimi etiam pagani Christianis professione, si non fide, admiscentur, et per hoc tamen ad tempus quo magis confundantur, evadunt. Quanto copiosius aggregantur Romani confugientes, tanto avidius circumfunduntur barbari defensores. O sacra et ineffabilis divini judicii discretio*. Hæc Orosius, in cujus verbis, *Hæc Petri apostoli sacra ministeria sunt*, intelligitur congeries vasorum sacrorum phrasi veteri ecclesiastica. Posterioris temporis rem, sed valde memorabilem, narrabo. Ado in Chronico ad an. 519 de expugnatione Toleti hæc habet. *Childebertus vero inter reliquum thesaurum, calices pretiosissimos sexaginta detulit, quindecim patenas miro opere cælatas, viginti capsas evangeliorum ex auro purissimo cum gemmis, quæ cuncta ecclesiis divisit*. Adeo antiqua est Ecclesiæ Toletanæ pietas in pretiosa supellectile ad cultum divinum destinata.

(*b*) *Venient cito sæcula, cum jam Socius calor ossa revisat...Hinc maxima cura sepulcris Impenditur; hinc resolutos Honor ultimus accipit artus, Et funeris ambitus ornat. Candore nitentia claro Prætendere lintea mos est, Aspersaque myrrha sabæo Corpus medicamine servat. Quidnam sibi saxa cavata, Quid pulchra volunt monumenta? Nisi quod res creditur illis Non mortua, sed data somno. Hoc provida Christicolarum Pietas studet*, etc. Et in fine: *Nos tecta fovebimus ossa Violis et fronde frequenti, Titulumque, et frigida saxa Liquido spargemus odore*. Vellent aliqui, qui se sapientes vocant, totum ritum sepeliendi mortuos aboleri, quos jam olim refutavit Lactantius lib. VI, cap. 12: *Nos autem non quid sapienti ferendum sit, dicimus, sed quid facere ipse debeat. Itaque non quærimus nunc, utrumne tota sepeliendi ratio sit utilis, necne: sed hæc etiamsi sit inutilis (ut illi existimant) tamen facienda est, vel ob hoc solum quod apud homines bene et humane fieri videtur. Animus enim quæritur, et propositum ponderatur*.

(*c*) Quem locum nescio cur corruptum dicant Meursius et Heraldus, quorum hic ita vult restituere: *Quemadmodum tribuatis exanimi, ut non sentienti facem, ut sentienti coronam*; ille: *Quemadmodum tribuatis exanimi, aut non sentienti, ut sentienti coronam*. Minucius inconstanter gentiles agere ait, qui mortuos comburerent, et coronis honorandos censerent, quasi his gauderent. Itaque addit: *Cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus. At enim nos exsequias adornamus eadem tranquillitate qua vivimus*.

(*d*) Virgilius, lib. VI: *Manibus date lilia plenis, Purpureos spargam flores, animamque nepotis His saltem accumulem donis, et fungar inani Munere*. Cicero pro Flacco, pag. 518: *Catilinæ sepulcrum floribus ornatum*. Suetonius in Nerone, cap. postremo, hoc honore aliisque Neronem ipsum auctum post obitum

prosequebantur, erga quos bene affecti essent. S. A Hieronymus ad Heliodorum epist. 3, cap. 1 : *Quotiescunque nitor in verba prorumpere, et super tumulum ejus flores spargere, toties lacrymis implentur oculi.* Et clarius in Consolat. ad Pammachium de obitu uxoris Paulinæ epist. 26, tom. I, cap. 2 : *Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia floresque purpureos, et dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam, ossaque veneranda, eleemosynæ balsamis rigat : his pigmentis atque odoribus fovet* **135** *cineres quiescentes.* Quod pariter S. Paulinus refert epist. 38 ad Pammachium : *Quam* (Paulinam) *non vacuam fletibus* (*ut maxima pars mortalium*) *neque vano* (*ut spei nostræ expertes solent*) *pomparum inanium honore comitatus es, sed remediis salutaribus, et vivis opibus, hoc est* B *eleemosynis prosecutus, debito ordine charo funeri justa persolvens, piis lacrymis et largo charitatis rore perfusus, religiosius exsequias honorasti.*

158. Sed animadvertere oportet hos ipsos sanctos, qui alia opera pia præferunt, non respuere venerationem sepulcris martyrum florum et frondium usu præstitam. S. Hieronymus in epitaphio Nepotiani : *Martyrum conciliabula diversis floribus, et arborum comis, vitiumque pampinis obumbravit.* S. Paulinus Natali 3:

Ferte Deo, pueri, laudem, pia solvite vota.
Et pariter castis date carmina festa choreis.
Spargite flore solum, prætexite limina sertis,
Purpureum ver spiret hiems, sit floreus annus
Ante diem, sancto cedat natura diei,
Martyris ad tumulum debes et terra coronas. C

Romæ adhuc non solum florum, sed frondium etiam usus in festis sanctorum celebrandis perseverat. Advenæ nonnulli nescio quid rusticitatis in hac consuetudine notant. Ego vero quidquid Romæ publica auctoritate, et ad veterum temporum regulam fiat, maxime urbanum esse judico. De eodem ritu apud Romanos aliasque gentes plura exstant testimonia. Unum Virgilium proferam, lib. II Æneid., vers. 248 :

Nos delubra Deum, miseri quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

S. Paulinus in nuptiis quoque id usitatum ostendit Epithal. in Julianum :

Nemo solum foliis, limina fronde tegat (*a*).

159. Mos etiam fuit veterum corpora defunctorum vino vel aqua lavare, non minus quam ungere, et sepulcris vina et unguenta infundere. Virgilius, lib. VI Æneid. :

Corpusque **136** lavant frigentis, et ungunt.

Idem agens de honoribus ab Ænea tumulo Anchisæ præstitis lib. V :

Hic duo rite mero libans carchesia baccho
Fundit humi : duo lacte novo de sanguine sacro,
Purpureosque jacit flores.

Ausonius in Epitaphiis, carm. 36, in tumulo hominis felicis ita ait :

Sparge mero cineres, et odoro perlue nardo,
Hospes, et adde rosis balsama puniceis.

Huc respicere nonnullis visus est Martialis, epigram. 126, lib. XIII :

Unguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas,
Ille habeat nummos, hæc tibi tota dato.

Actor. apost. IX, 37 : *Quam* (Tabitham mortuam) *cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.* Hanc igitur consuetudinem tangit Prudentius in fine hymni Exsequiarum, *Liquido spargemus odore*, ubi tamen unguenta potius intelligo. Sic lib. I, oda 5 Horatii : *Perfusus liquidis odoribus*, id est, delibutus unguentis. Sed clare in hymno S. Fructuosi et soc., vers. 13 :

Tum de corporibus sacris favillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa (*b*).

Martinus Roa, lib. de Die natali sacro et profano, cap. 19, putat verba Prudentii, *Et perfusa mero leguntur ossa*, non esse intelligenda juxta ritum gentilium, de quo Virgilius Æneid. lib. VI :

Relliquias vino, et bibulas lavere favillas,

sed esse explicanda hoc modo : *lauta ad ignis cinerisque reliquias expurgandas.*

160. Cæterum etsi gentilitius fuerit hic ritus, nihil est tamen cur negemus eum a Christianis diversa ratione usurpatum. Constat, a gentilibus et Hebræis usum aromatum in sepeliendis mortuis adhibitum. De aromatibus, quibus unctum est Jesu corpus lege cap. XIX Joan., v. 30. **137** Primi Christiani eumdem morem retinuerunt, neque dubium est quin balsama in sepulcris martyrum diffuderint. Prudentius in Hippolyto v. 193 :

Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
Balsama diffundunt, fletibus ora rigant (*c*).

narrat : *Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent :* D *ac modo imagines prætextatas in rostris proferrent, modo edicta, quasi viventis, et brevi magno inimicorum malo reversuri. Quin etiam Vologesus Parthorum rex, missis ad senatum legatis de instauranda societate, hoc etiam magnopere oravit, ut memoria ejus coleretur.*

(*a*) Corruptela aliqua, aut vana superstitio in Hispaniis inducta, notatur canone 73 antiqui codicis a Dominico Lopezio de Barrera editi : *Non liceat iniquas* OBSERVATIONES *agere calendarum, et otiis vacare gentilibus, neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc observatio paganismi est.* Ex concil. Laodic. can. 31. Prima die mensis sacrificia peragebant pagani

(*b*) Barthius, cap. 9, lib. IV, sic interpretatur in S. Vincentio vers. 517 : *Subjecta nam sacrario, Imamque ad aram condita Cœlestis auram muneris Perfusa subter hauriunt.* Sermo est de ossibus S. Vincentii. *Vino*, ait Barthius, *ossa crematorum, aut cineres rigabantur.* Sed melius interpretaberis ex simili loco S. Paulini Natali 13 infra exhibendo, ubi vetus sarcophagum S. Felicis describitur.

(*c*) S. Paulinus Natali VI : *Martyris hi tumulum studeant perfundere nardo, Et medicata pio referant unguenta sepulcro.* Natali XIII, de veteri sarcophago S. Felicis vers. 537 : *Ista superficies tabulæ gemino patet ore, Præbens infusæ subjecta foramina nardo, Quæ cineris sancti veniens a sede reposta Sanctificat medicans arcana spiritus aura.*

Quid ergo est quamobrem S. Paulinus, qui hunc honorem sepulcris sanctorum exhibitum sæpius laudat, vel eumdem vel similem ritum natali ix videatur damnare? Ita enim habet :

> Verum utinam sanis agerent hæc gaudia votis,
> Nec sua liminibus miscerent pocula sanctis.
> Quamlibet hic jejuna cohors potiore resultat
> Obsequio, castis sanctos quoque vocibus hymnos
> Personat, et Domino cantatam sobria laudem
> Immolat. Ignoscenda tamen puto talia, parvis
> Gaudia quæ ducunt epulis : quia mentibus error
> Irrepit rudibus; nec tantæ conscia culpæ
> Simplicitas pietate cadit, male credula sanctos
> Perfusis halante mero gaudere sepulcris.

161. His paucisque aliis similibus verbis, quibus SS. Patres aut superstitionem gentilium aut corruptelam Christianorum in religiosis ritibus, aut pravos hominum mores, aliquando permissos, nunquam approbatos, reprehendunt, hæretici abutuntur, ut universam hujusmodi consuetudinum rationem in invidiam vocent, et idololatriæ nomine condemnent (a). Verum diligenti distinctione opus est : in gentilibus **138** nonnulli ritus a SS. Patribus notabantur, quia et perverso modo fiebant, et ad verum Deum non referebantur. Simili ratione Christiani objurgabantur, quia gentilium morem secuti, opera alioquin pia aut ob inanem credulitatem, aut ob animi perversitatem corrumpebant. Egregie S. Hieronymus Vigilantium refellit, qui catholicis objiciebat : *Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore majestatis suæ illustrat.* Hieronymus contra : *Quicumque accendunt cereos secundum fidem suam, habent mercedem... Et quia quondam colebamus idola, num colere Deum non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est; hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est.* Vide epist. ad Ripar. et adversus Vigilant. S. Augustinus lib. xxi contra Faustum, cap. 10 : *Sicut autem non ideo contemnenda vel detestanda virginitas est sanctimonialium quia et Vestales virgines fuerunt, sic non ideo reprehendenda sacrificia Patrum quia sunt et sacrificia gentium; quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet nisi quæ cui voveatur atque reddatur, sic inter sacrificia paganorum et Hebræorum multum distat eo ipso quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata et oblata : illa scilicet superbæ impietati dæmoniorum, ista vero uni Deo.*

162. Itaque cum in SS. Patribus quædam occurrunt verba quibus universe ritus aliquis reprobari videtur, inspiciendum est adversus quos ea sint directa. Sic Lactantius (cujus tamen auctoritas non magni ponderis habetur), qui celebritatem sabbati paschalis laudavit, ut dixi num. 147, non ignorans certe quo more perageretur, nihilominus lib. vi, cap. 1, in fine, et cap. 2, hunc morem aliosque in ethnicis ferre non potest : *Eadem miseros cæcitas premit : sicut enim qui sit verus Deus, ita qui sit verus cultus ignorant. Mactant igitur opimas et pingues hostias Deo, quasi esurienti; profundunt vina tanquam sitienti; accendunt lumina velut in tenebris agenti.... Num igitur mentis suæ compos putandus est qui auctori et datori luminis candelarum ac cereorum lumen offert pro munere?... Itaque diis non cœlestem sensum, sed humanum potius attribuunt; ideoque illis necessaria et grata credunt esse quæ nobis, quibus aut* **139** *esurientibus opus est cibo, aut sitientibus potu, aut veste algentibus, aut, cum sol decesserit, lumine, ut videre possimus... Hic verus est cultus, in quo mens colentis seipsam Deo immaculatam victimam sistit.* Lactantius ergo objurgat gentiles, quod Deo res creatas offerrent, *tanquam his indigenti*, et ignorarent Dei cultum in animi virtutibus potissimum consistere. Nihil hæc ad catholicorum, vel etiam omnium Christianorum et Hebræorum cultum, a Deo præscriptum evertendum. S. Augustinus de Moribus cathol. Eccles. lib. i, cap. 34 : *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores ; novi multos esse qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super mortuos seipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni.* Hic corruptelæ castigantur. Pia religionis officia commendat idem Augustinus lib. i de Civit. Dei, cap. 12, et lib. de Cura gerenda pro mortuis ad Paulinum cap. 3 : *Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad sepeliendum eum fecerit : et laudabiliter commemorantur in Evangelio qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt.* Et ipse miracula quæ fiebant ad memorias martyrum, tum Mediolani, tum Nolæ, laudat epist. 78 : *Verumtamen ad ista, quæ hominibus visibilibus nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant. Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est.* In libro xxii de Civit. Dei, cap. 8,

(a) Paulini quidem mens aperte declaratur in versibus illico subjectis : *Ergo probant obiti, quod damnavere magistri? Mensa Petri recipit, quod Petri dogma refutat? Unus ubique calix Domini, et cibus unus, et una Mensa domusque Dei. Divendunt vina tabernis; Sancta precum domus est ecclesia : cede sacratis Liminibus, serpens : non hac male ludus in aula Debetur, sed pœna tibi.* Inde se permotum ait Paulinus ad ecclesiam picturis ornandam, ut populum ab epulis ad hæc spectacula revocaret. De hujusmodi epulis loquitur S. Augustinus lib. vi Conf. cap. 2, ubi de B. Monica ait : *Cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes et panem et merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, tam pie, atque obedienter amplexa est, etc.* Itaque ubi comperit, a præclaro prædicatore atque antistite (Ambrosio) *pietatis præceptum esse, ista non fieri, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, et quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit se libentissime, et pro canistro pleno terrenis fructibus plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum afferre didicerat.*

hæc habet : *Cumque corpus jaceret, atque a gementibus et plangentibus exsequiæ pararentur, amicorum ejus quidam inter consolantium verba suggessit, ut ejusdem martyris oleo caput perungeretur. Factum est, et revixit.* A

163. Plura in eamdem sententiam confirmandam peti possunt ex aliis scriptoribus, ut circa flores in templis spargendos ex S. Gregorio Turonensi in Vita Severi Sulpicii, cap. 50, de quo ait : *Solitus erat flores liliorum, tempore quo nascuntur, colligere, ac per parietes hujus ædis appendere*, et ex Fortunato lib. VIII, epigr. 9, ad domnam Radegundem, cujus titulus est, *Ad eamdem de floribus super altare :* nam aliud præcesserat, *De violis :*

At vos non vobis, sed Christo fertis odores,
   Has quoque primitias ad pia templa datis.
Texistis variis altaria festa coronis,
   Pingitur ut filis floribus ara novis.

B

140 De oleo vero sepulcrorum martyrum legendus est Paulinus Petricordius in Vita S. Martini, lib. V (*a*), ut plures alios prætermittam.

CAPUT XV.

Quo sensu Prudentius animam liquidam et elementum dixerit.

164. Ea nunc diluam quæ Prudentio sive ab hæreticis, sive a catholicis opponuntur, tanquam religioni Christianæ repugnantia. Baillius in Diction. post Clericum tom. XII Bib. univers. putat Prudentium animam appellare corpoream his versibus Cathem. hymn. X : *Rescissa sed ista seorsum Solvunt hominem, perimuntque, Humus excipit arida corpus, Animæ rapit aura liquorem.* Et contra Symmach. lib. II, vers. 184 :

C

Non occidet, inquit,
Interior qui spirat homo, luet ille perenne
Supplicium, quod subjectos male rexerit artus.
Nec mihi difficile est liquidam circumdare flammis
Naturam, quamvis perflabilis illa feratur
Iusur noti : capiam tamen, et tormenta adhibebo.

Baillius *more noti* scripsisset, si ad metrum attendisset. Ita certe habet Prudentius. Duo responderi possunt : primum, Prudentium, cum animæ *liquorem* et animam *liquidam* dicit, materiam sive corpus animæ non tribuere, sed ejus puritatem cœlestemque originem indicare ; alterum, hanc significationem liquidi absurdam non esse, neque reprehendendam. Prudentius interdum *liquoris* ac *liquidi* vocabulo *spiritum* et *spirituale* intelligit, ut Apoth. de dæmone v. 411 : *Pulsus abi, ventose liquor : Christus jubet, exi.* Cath. III, **141** v. 190, de anima nostra loquens, affirmat eam non mori, quia *Vim liquidæ rationis habet.* Et Apoth. v. 87, de natura divina : *Pura, serena, micans, liquido prælibera motu.* Et ibidem de spiritu divino v. 694 :

D

Sed postquam liquidus cœlesti spiritus ore
Virgineam respersit humum, medicabilis illa est

165. Hoc autem sensu locutum Prudentium locis objectis tam perspicuum est ut nihil supra. Etenim sæpe ille clarissime distinguit animam a corpore, et a materia. Apoth. v. 830 :

Illa quidem flatus Domini est : sed spiritus, et vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
Quanto flans voluit flandi servare tenorem.
Est impossibile spectare profunda Sabaoth :
Sed speculum Deitatis homo est. In corpore discas
Rem non corpoream solers, interprete Christo,
Qui Patrem proprium mortali in corpore monstrat.

Crederes, Prudentium præ oculis habuisse symbolum Athanasianum, si vere Athanasii fuisset, aut jam tum exstitisset : *Nam sicut anima rationalis, et caro unus est homo : ita Deus et homo unus est Christus.* Cath. III, v. 196 : *Credo equidem, neque vana fides, Corpora vivere more animæ.* Evidens in primis est locus in Passione Romani v. 432 et seqq. :

Cernant ut illud lumen æternæ spei,
Non succulentis influens obtutibus,
Nec corporales per fenestras emicans,
Puris sed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis crassa crassum perspicit,
Et res caduca, quod resolvendum est, videt.
Liquidis videndis aptus est animæ liquor,
Natura fervens sola, ferventissimæ
Divinitatis vim coruscantem capit.
Hoc, opto, lumen imperator noverit.

Diversitas substantiæ animæ a substantia corporis aperte astruitur Psyc. v. 905 :

Fremit et discordibus armis
Non simplex natura hominis : nam viscera limo
Effigiata premunt animum, contra ille sereno
Editus afflatu nigrantis carcere cordis
Æstuat, et sordes arcta inter vincla recusat.
Spiritibus pugnant variis lux atque tenebræ,
Distantesque animat duplex substantia vires.

142 Perist. X, v. 533, de anima : *Cœlo refusus subvolabit spiritus.* Ham. v. 527 :

Quippe animus longe præstantior, ut pote summo
Æthere demissus, subjectos si velit artus
Imperio quassare gravi, etc.

Alia hujus generis multa prætereo.

166. Ut autem intemperantium criticorum insolentia manifestius appareat, ex duobus ipsis locis quibus animam corpoream a Prudentio vocari illi aiunt, evincam rem contrario modo se habere. Cathem. X, v. 5 et seqq. : *Tua sunt, tua, Rector, utraque, Tibi copula jungitur horum, Tibi, dum vegetata cohærent, Et spiritus et caro servit. Rescissa sed ista seorsum Solvunt hominem, perimuntque : Humus exci-*

(*a*) *Namque ut sæpe solent præcauto corde fideles Vasa oleo opplere, et servandæ adducta saluti Vel justis offerre viris, vel condere sanctis Religione locis, quibus aut operatio præsens Martyris emeritos prodit virtute patronos*, etc. In Biblioth. Lugdun. Patrum paulo aliter hæc carmina leguntur. Posteriori tempore Iotsaldus monachus in funere Odilonis anno 1048 : *Floridus, et niveus defertur lectulus illi, Quem tegit alma cedrus, redolensque cupressus adornat; Sparguntur violæ, sternuntur lilia quæque, Tum videas roseos illum sibi pingere flores, Et varias herbas oculis spectare benignis, Balsama non desunt, et aromata multa teruntur, Nardus, myrrha nitent, stactus, et maxima cyprus, Sunt mille species, plures variantur odores, Nectareusque sapor cœlum replet altius ipsum.* Plura circa ritus funebres Christianorum congerit Paulus Aringhus lib. I *Romæ subterraneæ*, præsertim a cap. 17 ad 31, ubi sæpius nostrum poetam laudat, et testem appellat.

pit arida corpus, Animæ rapit aura liquorem. Vellet A Clericus his verbis exprimi sententiam Epicureorum, qui animam mortalem asserebant, et allegat Bailius versus Lucretii de ea sententia (*a*). Sed advertere primum necesse est auctoris cujusquam verba non seorsum esse consideranda, sed prout congruunt his quæ præcedunt et consequuntur, et ejusdem menti aliis in locis luculentius declaratæ. Aliud enim judicabo voluisse dicere Clericum, aut Bailium, aliud hominem bene de religione sentientem, quamvis uterque verba ambigua eadem pronuntiet (*b*). Deinde quid magis est Prudentianæ sententiæ dissimile, quam versus Lucretii? Is terram veluti communem matrem frugum, arbustorum, hominum, ferarum repræsentat, quæ omnia eodem modo nascantur, eodem intereant (*c*). At Prudentius statim in limine B hymni : *Deus, ignee fons animarum*, v. 21 : *Ut dum generosa caducis, Ceu carcere clausa, ligantur, Pars illa potentior exstet, Quæ germen ab æthere traxit. Si terrea forte voluntas Luteum sapit, et grave captat, Animus quoque pondere victus Sequitur sua membra deorsum, At si generis memor ignei Contagia pigra recuset, Vehit hospita viscera secum, Pariterque reportat ad astra.* V. 129 : *Animæ fuit hæc domus olim Factoris* **143** *ab ore creatæ. Fervens habitavit in istis Sapientia, principe Christo.* V. 149 : *Sed dum resolubile corpus Revocas, Deus, atque reformas, Quanam regione jubebis Animam requiescere puram?* Multis aliis in locis animæ immortalitatem Prudentius explicat et tuetur, quæ neque indicare quidem opus est; nam Bailius fatetur, his verbis, *Animæ rapit aura liquorem*, non negari animæ immortalitatem, quam paulo post Prudentius admittit; Clericus vero solum velle videtur Prudentium plus dixisse quam voluit dicere : at neque voluit dicere, neque dixit aliud, nisi in obitu animam puram e corpore, quod humus excipit, abire, migrare, evolare.

167. Alii versus opponebantur ex lib. II adversus Symmachum, ubi *liquida* natura, et *perflabilis* more noti anima dicitur. Verum cum Prudentius eo loco agat de supplicio quo animæ peccatorum puniendæ sunt, intelligendus est affirmare, posse Deum naturam, quamvis *liquida* et *perflabilis* sit more noti, sive *par levibus ventis*, circumdare flammis, ut scilicet significet animam esse spiritualem, atque igne nullo modo afficiendam, nisi admirabili quadam Dei potentia. Quod fiet manifestius, si tota periodus referatur.

Nec mihi difficile est, liquidam circumdare flammis
Naturam; quamvis perflabilis illa feratur
More noti, capiam tamen, et tormenta adhibebo
Ipse incorporeus ac spirituum sator unus.
Quin et corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam : possum quoniam renovare favillas
Antiquam in faciem, nec desperanda potestas :
Qui potui formare novum, reparabo peremptum.

En ut non solum corpus ab anima distinguatur, sed etiam ideo dicatur Deus animam, hoc est rem spiritualem et non corpoream, igne posse punire, quia ipse est summa potestate præditus, *incorporeus, et sator unus* SPIRITUUM. Hac ratione S. Augustinus dæmones sine corpore, et animas damnatorum igni cruciandas affirmat lib. XXI de Civit. Dei, cap. 10 (*d*).

144 168. Supervacaneum nunc esset quærere, an *proprie* animam spiritualem *liquidam* et *liquorem* Prudentius appellaverit; quæ est de nomine quæstio. Barthius lib. XXI, cap. 4, putat id eleganter dictum : « ANIMÆ RAPIT AURA LIQUOREM : *Liquorem animæ eleganter dixit, quia liquida, pura, clara, cœlestis ejus natura. Apoth.*.

Quæ collata rudem fecit vivescere limum,
Ut pote de liquido naturæ semine primos
Accipiens habitus, superoque expressa sereno. »

Qui sunt versus 902 et seqq. Profecto propria significatio spiritus ex origine est *flatus aeris* a verbo *spiro*, quæ deinde ad animam rationalem est diffusa : C et anima ipsa sæpe a Prudentio flatus dicitur, ut Ham. v. 920, *flatus sine corpore.* Cum autem aqua elementum sit aeri conjunctum, poetæ epitheta utriusque sæpe confundunt; nam aer vulgo *liquidus* dicitur, et Lucretius, lib. II, undas vocat *aereas*. Idem Lucretius, et Virgilius ignem *liquidum* appellant, ut æthereum purumque, ac terræ gravitati oppositum esse denotent. Apud Hebræos *liquidi*, seu *cœli* nomine comprehenditur quidquid Græce aer, æther et οὐρανὸς nominatur. Hinc Prudentius non male animæ *liquorem*, et animam *liquidam* posuit pro animæ spiritu et puritate, pro anima spirituali et cœlesti, seu ex cœlo originem trahente : nam hoc sæpissime ille inculcat (*e*). Alia ratione veteres

(*a*) Lib. II: *Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi: Omnibus ille idem pater est, unde alma liquentes Humorum guttas mater cum terra recepit, Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta, Et genus humanum : parit omnia sæcla ferarum.... Quapropter merito maternum nomen adepta est. Cedit item retro, de terra quod fuit ante, In terras: et quod missum est ex ætheris oris, Id sursum cœli rellatum templa receptant.* D

(*b*) Bailius ipse assentitur, in similibus verbis diversam fuisse mentem Epicharmi apud Plutarchum, de Consolatione, pag. 110 : *Præclare igitur Epicharmus, « Concretum, inquit, fuit, et discretum est, rediitque unde venerat, terra deorsum, spiritus sursum. » Quid ex his omnibus iniquum est? nihil.*

(*c*) Ita enim pergit : *Nec sic interimit mors res, ut materiai Corpora conficiat, sed cœtum dissipat ollis. Inde aliis aliud conjungit : et efficit, omnes Res ut convertant formas, mutentque colores.*

(*d*) *Cur ego non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?* De hac quæstione videri possunt theologi; mihi satis est notare Prudentium ignem corporeum agnoscere, et difficultatem excitare, qua ratione animæ incorporeæ igne corporeo affici possint. Et cum ita disserat Prudentius, dum animam LIQUIDAM vocat, consequens est eum ea voce non intellexisse CORPOREAM.

(*e*) Vide S. Augustinum de Genesi ad litteram lib. VII, enarrat. in psalm. CXXXVI : *Sicut ait quodam loco Scriptura : Volavit super pennas ventorum? hoc est, super virtutes animarum : unde et flatus Dei dicitur anima tanquam ventus, non ut iste intelligatur ventus quo corpus propellente sentimus, sed ejus nomine si-*

Christiani *liquorem* vocare potuerunt animam, scilicet quia corpus *vas animæ* appellabant. Vide comment. ad hymn. VII Cath. v. 190. A

169. Aliam de nomine litem movent nonnulli, quod Prudentius animam *elementum* nuncupaverit, eod. hymn. Exsequiar. v. 1 et seqq.: *Deus, ignee fons animarum, Duo qui socians elementa, Vivum simul ac moribundum Hominem, Pater, effigiasti*. Qua voce usum quoque Lactantium non diffitentur lib. III, cap. 6: *Scientia in nobis ab animo est, qui oritur e cœlo: ignoratio a corpore, quod est e terra. Unde nobis et cum Deo, et cum animalibus, est aliqua communitas. Ita quoniam ex his duobus constamus elementis quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris, pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ*. Barthius loc. cit. ait Prudentium *elementa* principia dixisse ethnica phrasi B ex Alcinoo, Epicteto et Euripide. Ego potius dicam **145** eam phrasin esse Latinam. Cicero, Acad. Quæst., p. 44: *Ergo illa initia et, ut e Græco vertam, elementa*. Sic vulgo *elementa puerorum, elementa loquendi, elementa dialectices*. Cur ergo initia seu principia hominis non appellentur elementa? Itaque ut Prudentium tueamur, nihil opus est confugere ad ea quæ Huetius disputat in Origenianis, lib. II, cap. 2, quæst. 6, num. 14, ubi errorem Origenis, qui corpora animis ascribit, excusare vult, quia nondum veritas Ecclesiæ decreto erat definita, et idem visum fuit Tertulliano, S. Hilario in Matth. cap. 5; Ambrosio lib. II de Abraham, cap. 8; Cassiano, collat. 7, cap. 13; Theodoto in Excerptis ad Clementis Alexandrini calcem adjectis; Methodio, apud C Photium cod. 234; Fausto Regiensi, aliisque. Qua vero ratione animus a Prudentio *igneus* et *ignis* dicatur, in commentariis exponetur: neque ulla peculiaris in hoc est difficultas, cum ipsum Deum *igneum* sæpe appellaverit. Veteres nonnulli putarunt revera animam esse ignem, et idcirco dici hominem *exstingui* cum moritur, et illi aqua et *igni* interdici cum exsilio multabatur, quibus verbis minor, seu media capitis diminutio significabatur: quasi corpus ex aqua seu humore, anima ex igne constaret. Alii hanc insaniam addiderunt, grave esse perire naufragio, quod anima esset ignis, adeoque maxime aquæ contraria. Quam longe ab his deliriis Prudentius ab- D sit, ex omnibus ejus carminibus perspicitur evidenter.

CAPUT XVI.

Faveritne Prudentius Pythagoreis et Manichæis super abstinentia a carnibus? an Manichæorum argumenta de duobus principiis valide everterit?

170. Ecce iterum Clericus, qui Prudentium ad Pythagoreismi et Manichæismi errorem de abstinentia a carnibus accessisse contendit. Hymno Cather. 3 Ante cibum, vers. 56, hæc habet Prudentius: *Hæc opulentia Christicolis Servit, et omnia suppeditat. Absit enim procul illa fames, Cædibus ut pecudum libeat Sanguineas lacerare dapes. Sint fera gentibus indomitis Prandia de nece quadrupedum: Nos oleris coma, nos siliqua, Feta legumine multimodo, Paverit innocuis epulis*. Solet usu hoc evenire, ut qui errores libenter ipsi amplectuntur præsertim in rebus fidei, in aliis diligenter **146** errores deprehendere conentur, quasi socios sibi quærant et adjungant. Prudentius hoc hymno id unum agit, ut Christianos ad eum morem hortetur, qui inter ipsos tunc temporis valde communis erat, ut cibis innocentibus contenti, a carnibus quadrupedum abstinerent, non quod his vesci neget licere, sed quia melius est non vesci. Nullum cibum Christianis vetitum esse haud obscure ante innuerat vers. 11 et seqq.: *Te sine dulce nihil, Domine, Nec juvat ore quid appetere, Pocula ni prius, atque cibos, Christe, tuus favor imbuerit*, OMNIA SANCTIFICANTE FIDE. Quibus postremis verbis alludit aut ad caput X Act. apost., vers. 11 (*a*), aut ad caput XIV epist ad Roman., vers. 20 (*b*).

171. Prudentii mens clarius intelligitur ex ratione quam subjicit, cur Deo gratias agere debeamus: *Ipse homini quia cuncta dedit, Quæ capimus dominante manu, Quæ polus, aut humus, aut pelagus Aere, gurgite, rure creant, Hæc mihi subdidit, et sibi me*. Inter ea vero quæ Deus homini subdidit, ad Christianorum cibum seligit aves et pisces (*c*). Tum addit fructus terræ et arborum, nec non lac et quæ ex lacte multa fieri solent. Syrorum ea fuit dementia, ut a piscibus et a columbis religionis causa abstinerent. Hyginus, fabula 195: *Ob id Syri pisces et columbas, quas in deorum numerum habent, non edunt*. Christiani veteres pisces avesque eodem loco ponebant, quod ex aquis tam volucres quam pisces natos doceat Genesis cap. I, vers. 20 (*d*). Ex quo S. Ambrosius, hymno ad vesperas

gnificetur aliquid invisibile, etc. Apud auctores latinos *liquidum* pro *puro* sæpe sumitur, ut *liquida oratio*, et similia. Catullus carmine de Aty, v. 46, *Liquidaque mente vidit*.

(*a*) *Et vidit* (Petrus) *cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram. In quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide, et manduca. Ait autem Petrus; Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*.

(*b*) *Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda; sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo... Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non est* EX FIDE. *Omne autem quod non est* EX FIDE *peccatum est*.

(*c*) *Callidus illaqueat volucres Aut pedicis dolus aut maculis, Illita glutine corticeo Vimina plumigeram seriem Impediunt et abire vetant. Ecce per æquora fluctivagos Texta greges sinuosa trahunt. Piscis item sequitur calamum, Raptus acumine vulnifico, Credula saucius ora cibo*.

(*d*) *Dixitque etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum*.

feriæ 5 : *Magnæ Deus potentiæ, Qui fertili natos aqua Partim relinquis* **147** *gurgiti, Partim levas in aera, Demersa lymphis imprimens subvecta cœlis erigens. Ut stirpe ab una prodita Diversa repleant loca.* Rabanus Maurus, lib. II de Institutione clericorum, cap. 27, esum avium et piscium permissum ait, quia *ex eodem elemento de quo et pisces creatæ sunt aves*, neque in regula monachorum aliarum carnium esum prohibitum, nisi quadrupedum. Intelligit, opinor, caput 39 regulæ S. Benedicti : *Carnium vero quadrupedum ab omnibus abstineatur comestio*, *præter omnino debiles et ægrotos* (*a*).

172. Possent etiam verba Prudentii ita intelligi, ut *Sanguineas lacerare dapes* pertineret ad usum abstinendi a sanguine et suffocato, qui diu in Ecclesia perseveravit. Tertull., Apolog. cap. 9 : *Erubescat error vester, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus*, *qui propterea quoque suffocatis et morticinis abstinemus, ne quo modo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto*. Concilium Aurelian. II anno 533, cap. 20 : *Catholici*, *qui ad idolorum cultum*, etc., *ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter et hi qui bestiarum morsibus exstincta, vel quolibet modo aut casu suffocata vescuntur*. Sed S. Augustinus jam suo tempore aliter existimabat lib. VI, cap. 32 adversus Faustum Manichæum : *Ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est? et qui forte* PAUCI *adhuc tangere ista formidant, a* CÆTERIS IRRIDENTUR. Revera cum Prudentius aves et pisces in cibis Christianorum admittat, quadrupedum vero respuat, non ad hunc paucorum irridendum morem respexit, sed ad laudabilem plurium consuetudinem, de qua idem S. Augustinus lib. I de Moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 33 : *Ita multi neque vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiose putant.... Continent se igitur ii qui possunt, qui tamen* SUNT INNUMERABILES, *et a carnibus et a vino duas ob causas, vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem* (*b*).

148 173. Refellendus modo est Bailius, qui in Dictionario aliisque operibus sæpe hoc saxum voluit, catholicos argumenta Manichæorum de origine mali nunquam satis diluisse. Jacobus Georgius de Chaufepie, in Nov. Diction. histor. critic., artic. *Manichæi*,

A Bailium docte et nervose refutat, ejusque alios oppugnatores hac in parte recenset, Kingium, Clericum, Bernardum, Jaquelotum, Leibnizium, Clarkium, la Placette, de Crousaz. Ego solum ea breviter explicabo quæ Bailius Prudentio objicit, neque Chaufepieus illi objecta esse meminit. Princeps, inquit Bailius, qui impedire potest malum, neque impedit, vult illud malum ; et hanc vocat notionem evidentem. Quod autem Prudentius respondet hominem libere peccare, dicit Bailius, hanc esse petitionem principii, quia thesin impugnatam dat pro responsione. Idem Bailius, Clericum secutus putat Prudentium responsurum paucos esse qui damnantur : nam ait hymno 6 Cathem., vers. 93 : *Idem tamen benignus Ultor retundit iram, Paucosque non piorum Patitur perire in ævum.*

B Quam responsionem idoneam non esse reponit Bailius, quia si damnatio omnium hominum esset *actus sævitiei ut octo*, damnatio paucorum erit *actus sævitiei ut quatuor*, *vel ut duo*, *vel ut unum*. Ita enim scholasticus esse amat contra religionis causam. Sed qui Prudentium sine opinione aliqua præjudicata attente legat, penitus Bailii inanes subtilitates perspiciet. Primum cur existimat Prudentium responsurum paucos esse qui ad inferos detruduntur? Prudentius argumentum Manichæorum et Bailii sibi proponit, et tantum abest ut id respondeat, ut etiam contrarium aperte eo in loco affirmet. Hamartig. vers. 819 :

Sic animas cœli de fontibus unicoloras
Infundit natura solo : sed suavibus isthic
Devinctæ illecebris retinentur, et æthera paucæ
C Conscendunt reduces, multas viscosus inescat
Pastus, et ad superas percurrere non sinit auras.
Præscius inde Pater liventia Tartara plumbo
Incendit liquido, piceasque bitumine fossas
Infernalis aquæ furvo suffodit Averno.

149 174. Prudentius argute objectionem Manichæorum ante expresserat, et subtilius etiam quam Bailius, quamvis hic omnes ingenii nervos contendat. Lege vers. 640 et seqq.

Si non vult Deus esse malum, cur non vetat? inquit.
Nil refert, auctor fuerit, factorque malorum.
Anne opera in vitium sceleris pulcherrima verti,
Cum possit prohibere, sinat ; qui si velit omnes
Innocuos agere omnipotens, nec sancta voluntas
Degeneret, facto nec se manus inquinet ullo.
Condidit ergo malum Dominus, quod spectat ab alto,
D Et patitur, fierique probat, tanquam ipse crearit.
Ipse creavit enim, quod cum discludere possit,
Non abolet, longoque sinit grassarier usu.

(*a*) Nicephorus, lib. XII Hist., cap. 35, diversos jejunantium mores enarrat : *Quidam animata non attingunt ; alii autem attingunt, sed pisces solos. Sunt qui animata quoque cum piscibus volatilia degustant, ex aquis ea quoque progenita esse, ut Moses inquit, dicentes. Nonnulli ab ovis et nucibus sive baccis abstinent. Nonnulli vero arborum fructibus vescuntur. Quidam panem siccum tantum comedunt ; quidam vero ne hunc quidem attingunt.*

(*b*) Petrus Castellanus, qui de esu carnium 4 libros edidit, lib. I, cap. 1, consuetudinem hominum primi temporis exponit abstinendi a carnibus. Plato, lib. VI de Leg., pag. 782, tom. II, ait : *A carnibus majores nostri abstinebant, tanquam non esset pium illas edere, neque deorum aras sanguine polluebant.* Ipse Castellanus, cap. 2, contra alios probat carnes præ cæteris omnibus optimum ac plurimum præstare alimentum. Confer Clementem Alexandrinum, Pædag. lib. II, cap. 1; Tertullian., de Cibis Judaicis; et S. Hieronym., lib. I adversus Jovinian. In antiquo codice Ecclesiæ Hisp., quem Lopezius de Barrera edidit, canon 58 exstat ex Ancyr. XIII : *Si quis non pro abstinentia, sed pro exsecratione escarum abstinet, placuit sancto concilio ut prægustet, et sic, si vult, abstineat ; si autem spernit, ita ut olera cocta cum carnibus non degustet, iste, non obediens neque suspicionem hæresis a se removens, deponatur de ordine clericatus.*

Quid ad hæc Prudentius?

Damna aures, Pater alme, meas, et claude meatus
Obbrutescentis capitis, ne pervia tales
Concipiat flexura sonos...

Et cum insigniter probasset Dominum *Nolle malum, nec, quod post abluit, ante probare*, Marcionem iterum urgentem inducit :

Invitone aliquis potis est peccare Tonante?
Cui facile est in corde hominis componere sensus.
Quos libeat, fibrasque omnes animare pudicis
Pulsibus, et totum venis infundere honestum.

Huic ergo objectioni occurrit Prudentius, non respondens simpliciter hominem libere peccare, sed vim libertatis in eo sitam esse, ut homo possit peccare, oportuisse hominem creari hac libertate præditum, ut laudabilis præmioque dignus esset; quæ minime est petitio principii.

Nescis, stulte, tuæ vim libertatis ab ipso
Formatore datam? Nescis ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas...
Quale erat, electus magni rex orbis ut esset
Non rex ipse sui, curto fœdatus honore?
Quæ laus porro hominis, vel quod meritum, sine certo
Inter utramque viam discrimine vivere justi...

Itaque cum melior sit Providentia, in qua homines possint libere agere, adeoque aliquando peccent, quam Providentia, in qua nemo unus libertate sit præditus, corruit quidquid Marcion, quidquid Clericus, quidquid Bailius oggerit. Nam etiam princeps mortalis (cujus aliæ sunt leges) non diceretur velle malum, quamvis **150** Providentiam, bonam alioquin et utilem, non tolleret e medio, e qua certo sciret, quædam secutura esse mala. Neque video quare Bailius thesin a se confictam pro notione clarissima venditet, qua etiam Deum velit alligari.

175. Si tamen Bailius aut aliquis pro eo opponat, potuisse Deum efficere ut homo et bene et libere semper ageret, primum cum S. Augustino dicam, melius judicasse Deum de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere; tum non est modo quærendum quid Deus potuerit facere, sed an id quod fecit cum ejus bonitate cohæreat. Dubium autem non est quin Deus bonus sit judicandus, etiamsi hominem peccare permittat. Postremo quidquid sit, an aliqua excogitari possit Providentia, in qua semper omnes homines bene uterentur libertate, ordo rerum qui nunc est, fert, ut homo interdum peccet, nisi Deus cursum naturalem causarum impediat, quod agere non debet. Neque enim contingere potest, ut libertas tot contrariis impulsibus commota constanter bonum prosequatur. An autem Prudentius crediderit exiguum esse damnatorum numerum, nihil ad hanc quæstionem. Bertius et cum eo Riscus, Hisp. sacr. tom. XXXI, interpretantur Prudentium non tenuisse sententiam quorumdam theologorum de majori numero prædestinatorum, sed solum asserere paucos ex impiis perire comparate ad eos qui damnandi essent, nisi Deus eis sua gratia et benignitate opitularetur. Id videtur colligi ex versibus num. 174 relatis, nisi sibi ipsi plane contrarius dicatur, quod nonnulli in Prudentio aliisque poetis absurdum esse male negant. Theologi hoc fuse disputant, majorne

A sit prædestinatorum quam reproborum numerus. Inter angelos si fiat comparatio, plures fuisse prædestinatos probabiliter asseritur. Si quæstio instituatur de omnibus omnino hominibus qui fuerunt quique futuri sunt, majorem esse numerum reproborum communior et verior est sententia. Tenendum pariter est, ex Christianis, comprehensis hæreticis, plures damnari quam salvari. Ex his qui intra Ecclesiam catholicam decedunt, plures esse prædestinatos quam reprobos theologi docti piique existimant quibus repugnare non audeo. Exstat cl. Petri Francisci Fogginii opus inscriptum : *Patrum Ecclesiæ de paucitate adultorum fidelium salvandorum, si cum reprobandis fidelibus conferantur, mira consensio asserta et demonstrata. Romæ*, 1752. Debuisset Fogginius di-
B stinguere loca Patrum in quibus Christiani omnes adulti, etiam hæretici, comprehenduntur, ab aliis auctoritatibus quæ ad solos catholicos pertinent; tum alia testimonia **151** Patrum quæ contrariæ opinioni favere videntur, exscribere et explicare : non enim aliter tutum judicium ferri potest pro mira illa asserta consensione. De distinctione inter *non pios* et *impios* dicam cap. seq., et nonnihil in comment.

CAPUT XVII.

Oratio in fine Hamartigeniæ exponitur et defenditur.

176. Postquam Prudentius in Hamartigenia de piorum præmiis impiorumque suppliciis late disseruerat, orationem ad Deum convertit vers. 931, ubi hi præcipue versus vulgo in examen revocantur :

C

Non posco beata
In regione domum...
At mihi Tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam mersam fornacibus imis.
Esto cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno,
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æstuque calor languente tepescat.
Lux immensa alios, et tempora vincta coronis
Glorificent, me pœna levis clementer adurat.

Plerique catholici in hac oratione exagitanda acerbiores sunt quam nonnulli heterodoxi : nam hi agnoscunt ignem purgatorium ea defendi; quam sententiam etsi falsam ipsi putent, tamen fatentur quorumdam veterum fuisse, et nunc ab universa catholica Ecclesia teneri. De Magdeburgensibus dixi num. 128. Nic. Antonius in Bibl. Hisp. vet. docet disertam
D ignis alterius ab igne inferno distincti mentionem fieri in fine Hamartigeniæ, quod intime purgatorii ignis osores torquet hæreticos, allegatque Osiandrum Epitom. hist. eccles., cent. 4, lib. I, cap. 26. Et Osiander quidem eo in capite Prudentium laudat; sed apud Weitzium nihil de igne purgatorio loquitur, quamvis illi nævos aliquos objiciat.

177. In editione Veneta Bibl. vet. Lat. Fabricii anno 1728, lib. IV, cap. 2, in quadam nota lego, in fine Hamartigeniæ subjici preces, *quibus auctor ait sufficere sibi, si modo in Tartara non detrudatur*, **152** *licet pœnæ luendæ sint in purgatorio*. Bailius alia via Prudentium tueri conatur adversus Perkinsium, quia nimirum potuit Prudentius se beatitudine indignum,

supplicio dignum existimare, quæ humilitas impia non est : *Cette humilité est-elle impie? En donnant un bon tour aux choses, ne la nommerait-on pas une oblation de sa personne à la justice de Dieu?* Quibus verbis Bailius satis innuit nescire se quid sit humilitas. Quænam enim esset ista humilitas qua homo, cum possit Deum deprecari, ut criminibus in hac vita deletis ab æterna damnatione liberetur, potius sese Deo offerat, ut perpetuis flammis torqueatur, beatitudine cœlesti, Deoque ipso æternum privatus? Petrus Wesseling., Probabilium lib. singulari, cap. 22, contra Guilielmum Caveum asserentem, impium et Prudentio indignum esse dictum, *Non posco beata In regione domum*, reponit : *At quid si poeta indicet, se gravissimorum erratorum sibi conscium, non aspirare ad beatissimam eam stationem in quam martyres et virgines transcribentur? Quod arguunt verba quæ præcedunt et sequuntur. Multa in thesauris Patris est habitatio Christi, Disparibus discreta locis, non posco beata In regione domum : sint illic casta virorum Agmina, pulvereum quæ dedignantia censum, Divitias petiere suas : sit flore perenni Candida virginitas, animum castrata recisum.* Cætera quæ addit Prudentius, ait Wesselingius, in Christiano homine non laudanda, sed ita comparata esse, ut a doctorum veteris ævi opinionibus non prorsus dissentiant, qui putabant, omnes qui beatitudinis futuri aliquando erant compotes per ignem esse traducendos, eoque purgandos. Nimirum Wesselingius ab igne purgatorio abhorret, qui nihilominus affirmat, poeticum esse et in poeta ferendum, *cavernoso Averno*, pro indefesso igne. Postremi versus prima fronte duriores illi videntur: *Nolim tamen*, pergit, *existimes, poetam damnatorum gregi sese inseruisse verbis illis, Me pœna tamen clementer adurat. Ea itidem ex veterum opinionibus explicanda sunt* (*a*).

153 178. Plurimi aut negant eam orationem esse Prudentii, aut saltem id in dubium revocant. Andreas Rivetus, lib. III Critic. sacr., cap. 26, affirmat eas preces videri falso ascriptas Prudentio, et contradicere odæ 7 Cathem., idemque putare Perkinsium. Guilielmus Caveus eadem ratione spurias eas judicat. Ansam præbuit Giselinus, qui in commentario refert se vidisse hanc orationem seorsum cum aliis excusam, non indicato auctoris nomine, quod fortasse librario incognitum erat. Id coniicit e duobus versibus quos in fine appenderat, *omnino præter auctoris mentem et sententiam*, qui epilogo hymni S. Romani adversantur (*b*). Ludewigius narrat Giselini opinionem in catalogo Flacci esse expressam; sed quod spuria sit oratio, non assentitur, illa ratione quod scriptores sui, uti poetæ citius, oblivisci queunt.

179. Mihi certe nulla idonea esse causa videtur quamobrem hujuscemodi preces Prudentio abjudicentur, siquidem præter omnium codicum consensum Iso Magister inter reliqua Prudentii opera hanc orationem glossis illustrat, et eamdem Prudentio Theodulfus Aurelianensis adjudicat in lib. de Spiritu sancto : *Sic perfectam, atque singularem naturam sanctæ Trinitatis mirabili veritate demonstravit Prudentius in libro contra Marcionistas metro heroico : O Dee cunctiparens, animæ dator, o Dee Christe, Cujus ab ore Deus subsistit Spiritus unus.* Interpretatio vero quam Riscus adhibet, non omnino displicet, Prudentium non audere petere beatitudinem statim post obitum, et videri pœnis purgatorii ignis contentum esse : affertque Riscus versus ex Apotheosi in fine :

Pellite corde metum, mea membra, et credite vosmet
Cum Christo reditura Deo, nam vos gerit ille,
154 Et secum revocat, morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite, tetra sepulcra
Despuite ; exsurgens quo Christus provocat, ite.

Quod autem Ludewigius respondet, scriptores, et præsertim poetas, interdum sui oblivisci, id locum habere potest, cum clare dicunt contraria : nam si verba alio in loco perspicua sunt, alio dubia, æquitas flagitat, ut in rebus maxime alicujus momenti benigna interpretatio adhibeatur, quin ad oblivionem confugere necesse sit. Ac ne credamus Prudentium de vita æterna consequenda desperare, in promptu est ode 7 Cathem., quam his precibus nonnulli contrariam dicunt, nos potiori jure ex ea interpretationem sumendam contendimus (*c*). Igitur cum Pru-

(*a*) Ludewigius in Vita Prudentii in aliis dogmatis quæ Prudentius cum catholicis sustinet de libero arbitrio, de carnis innocentia, de bonis operibus, de martyrum cultu et invocatione, de Virgine beata Prudentium vult excusare tum ob codices corruptos, tum quia carmen non est ad angustos verborum cancellos emancipandum. Sed hunc locum, *Non posco beata In regione domum*, vocat stultum et muliercularum fabulis dignum commentum. *Quanquam illud*, ait, *hic Prudentium excuset, quod pro labe sic pati necesse esse dixerit, cum sanctos martyres dedisse jam pœnas in tormentis pro Christo sustentis existimaret. Et hoc modo ei fere æquales errarunt apud centuriat., centur. 4, cap. 4, quanquam ad saniorem quam hodie pontificii mentem exponi illos debere, theologi nostri sentiant.... Fuisse tamen privatus et domesticus error Prudentii potuit; qui scelerum juventutis conscius, se indignum statim post mortem vita æterna crediderit.* Ita Ludewigius catholicos cum veteribus idem dicere testatur, nisi quod saniorem quamdam mentem in veteribus introspicere laborat; et illud demum in Prudentio reprehendit, quod pœnas temporales purgatorii crediderit. Vide infra num. 184, ubi similes preces, ex quorumdam ore expressæ, a S. Joanne Climaco proferuntur.

(*b*) Ad versum 963 : *Saltem mitificos*, exclamat Giselinus : *Itane, o Prudenti, tam objecto quemquam esse animo? aliud certe nobis spondent suaves Evangelii voces. Siquidem propositis divinæ gratiæ obtinendæ instrumentis, stricte imperant, vocationem nostram certam faciamus, certoque et indubitato æternæ vitæ gloriam exspectemus; docentque e contrario, infernum ignem aut gravius supplicium deprecari servorum esse semper metuentium ac pene desperantium, cum nulla nunc sit condemnatio his qui in Jesu Christo permanent, ut pote qui factus sit nobis a Deo sapientia, justitia, etc.* Quæ Giselini verba deleri jubet Appendix Belgica indicis Romani apud Labbeum de Script. eccles., sive potius corrigi *juxta recognitionem ab ipso auctore editam ; ne in alieno opere nimis curiosi sint heterodoxi.* Recognitionem Giselini non vidi.

(*c*) In hac oda de Ninivitis, vers. 96 : *Sed pœnitendi dum datur diecula, Si forte vellent improbum libidinem, Veteresque nugas condomare ac frangere,*

dentii mens de misericordia divina facile placabili A tam aperta totque locis declarata sit, ut etiam ante num. 175 elaborandum fuerit, ne sententiam nimis benignam videretur amplexus de majori numero prædestinatorum, consequens est, orationem Hamartigeniæ explicandam esse ex his quæ alibi dixit, et ad eorum rationem quæ alii SS. Patres protulerunt, ut S. Hilarius Enarrat. in I psalmum : *Sunt enim aliqui inter impios, piosque.... Plures namque Dei metus in Ecclesia continet; sed eosdem tamen ad sæcularia vitia sæculi blandimenta sollicitant.... Impii non manent, quia his Dei nomen in honore est ; pii non sunt, quia quæ pietati sunt aliena sectantur... In eos ergo judicium est, quod jam et in incredulos actum est, et in credentes non necessarium est* (a).

155 180. Quapropter censeo non aliud Prudentium postremis versibus suæ orationis voluisse, nisi ut leviter igne purgatorio torqueretur, si necesse esset pro labe corporea animam purgari ante diem extremam judicii : nam de obitu hominis clare loquitur :

Dona animæ quandoque meæ, cum corporis hujus
Liquerit hospitium...
Cum flebilis hora
Clauserit hos orbes, et conclamata jacebit
Materies, oculisque suis mens nuda fruetur,
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronem,
Immitem, rabidum, vultuque et voce minaci
Terribilem, qui me maculosum aspergine morum
In præceps, ut prædo, trahat, nigrisque ruentem
Immergat specubus, cuncta exacturus ad usque
Quadrantem minimum maculosæ debita vitæ.

Non igitur loquitur de pœnis æternis inferorum, quibus corpora etiam sunt torquenda : de quibus pœnis hoc ipso in carmine vers. 827 : *Et Phlegethonteo sub gurgite sanxit edaces Perpetuis scelerum pœnis inolescere vermes .... Vermibus, et flammis, et discrucialibus ævum Immortale dedit.* Et II, in Sym., vers. 191 : *Quin et corporibus parilis consortia pœnæ Decernam.* Verba illa, *Esto cavernoso, quia sic pro labe necesse est Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno,* hunc reddunt sensum, quod si necesse sit, me, quippe locum inter pios et sanctos non meritum, igni purgatorio mancipari, saltem miti incendio afficiar, et dum sanctos martyres et virgines statim post obitum lux immensa et tempora vincta coronis glorificant, me pœna clementer adurat. Eodem spectant alia verba : *Non posco beata In regione domum.* Scilicet, poscere non audeo domum in ea regione beata, ubi illico post mortem animæ quarum egregia fuit in hac vita sanctitas, recipiuntur. Semper enim intelligit de tempore, quod proxime obitum sequitur : *cum flebilis hora Clauserit hos orbes.* Revera æternam beatitudinem se tandem consecuturum sæpissime sperat, et ad eam rem martyrum patrocinium implorat. Ac ne longius abeam, in hac ipsa oratione ita ait :

Judice te pallens trepido, te judice eodem
Spem capio, fore, quidquid ago, veniabile apud te
Quamlibet indignum venia faciamque, loquarque,
156 Confiteor (dimitte libens, et parce fatenti),
Omne malum merui ; sed tu bonus arbiter aufer
Quod merui : meliora favens largire precanti.

B Qui aiunt poetam, sui oblitum, de misericordia Dei desperasse, clare indicant oblitos seipsos quid poeta in hac oratione fuerit complexus (b).

CAPUT XVIII.

Opinio Prudentii de pœnis damnatorum in pervigilio sabbati paschalis mitigatis, an aliorum mentes occupaverit ?

181. Singularem quamdam sententiam expressit Prudentius Cathem. hymn. 5, vers. 125 : *Sunt et spiritibus sæpe nocentibus Pœnarum celebres sub Styge feriæ Illa nocte, sacer qua rediit Deus Stagnis ad superos ex Acheronticis ... Marcent suppliciis Tartara mitibus, Exsultatque sui carceris otio Umbrarum populus, liber ab ignibus* (c). Bellarminus lib. II de Purgatorio, cap. 18, in quæstione an suffragia prosint C damnatis Prudentii loco responsurus, ait : *Nihil aliud dico, nisi more poetico lusisse Prudentium.* At potuit aliud dicere : et certe si aliud dixisset, occasionem

Suspendit ictum terror exorabilis, Paulumque dicta substitit sententia. Et vers. 171 : *Mollitus his et talibus brevem Deus Iram refrenat, temperans oraculum Prosper sinistrum : prona nam clementia Haud difficulter supplicem mortalium Solvit reatum, fitque fautrix flentium.* Multa alia in fine de jejunio aliisque pietatis operibus quibus Deus placatur. His addo ex præf. lib. I in Symm., vers. 80 : *Salvator generis Romulei, precor, Qui cunctis veniam das pereuntibus, Qui nullum statuis non operis tui Mortalem, facili quem releves manu, Hujus, si potis es, jam miserescito,* etc.

(a) Et cap. 2 in Matthæum : *Salutis igitur nostræ judicii tempus designat in Domino dicens : Ille baptizabit vos in Spiritu sancto et igni : quia baptizatis in Spiritu sancto reliquum sit consummari igne judicii.* S. Cyprianus epist. 52 ad Antonianum ait, quod *non nisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, et fictilia ab eo cui data est ferrea virga frangantur.* S. Ambrosius Enarrat. in psal. XXXVI : D *Igne ergo purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne David. Sed hi etsi per ignem examinabuntur, dicent tamen, Transivimus per ignem et aquam... Etsi salvos faciet Dominus servos suos, salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem.* Sixtus Senensis, Bibl. lib. VI, adnot. 345, multis SS. Patrum testimoniis, nominatum Prudentii hymno Exsequiar., et octodecim martyr. Cæsaraug., et Daniel Huetius, lib. II Origenianor., cap. 2, quæst. 11, demonstrant, de modo et loco felicitatis SS. ad Florentinam usque synodum nihil certi ab Ecclesia fuisse præscriptum, adeo ut in diversa Patres abierint.

(b) Joannes Lamius, in Deliciis eruditorum tom. XIII, pag. 314, orationem Prudentii exscribens, fingit locum mitiorem in inferis eum postulasse, cum paradiso indignum se crederet, et subjungit impium testamentum Philippi Strozzi, quod alia mente factum affirmat : *Per non venire più in potere de' nemici miei ... io Filippo Strozzi mi sono deliberato in qual modo che io posso, quantunque duro all' anima mia mi paia, con le mie mane finire la mia vita. L'anima a Dio somma misericordia raccomando, umilmente pregandolo, se altro di bene darle non vuole, le dia almeno qual luogo, dove e Catone Uticense, ed altri simili virtuosi uomini, che tal fine hanno fatto,* etc. Quid Prudentii precibus cum hac oratione ?

(c) Clericus in Vita Prudentii male intelligit hunc locum, ac pejus inde argumentum conficit : *Il dit* (Prudentius) *que tous les ans, la nuit que Jésus-Christ ressuscita, les damnés ne ressentent point de peines, ce qui suppose que Jésus-Christ était descendu dans ce lieu et en avait tiré les damnés cette nuit-là.* Vide comment. ad hymn. 3 Cath., vers. 196.

cavillandi non præbuisset Hospiniano, qui in lib. de Origine festor. Christ. in festo S. Hippolyti affirmat Prudentium in martyrio S. Hippolyti describendo more poetico lusisse, *quod etiam*, inquit, *Bellarminus in re majori eum fecisse dicit*. Quid ergo aliud potuit dicere Bellarminus? Potuit et fortasse debuit dicere, nonnullos veteres in ea opinione fuisse quam S. Augustinus non est ausus condemnare cap. 112 Enchiridii : *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari,* 157 *dummodo intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est ipsa damnatio*. Ad quem locum Bellarminus reponit, *Augustinum ibi non agere de oratione pro defunctis, et solum dicere, non esse erroneum concedere, damnatos puniri citra condignum, quod clarius docet lib*. XXI *de Civit. Dei, cap*. 24. Cur igitur idem de Prudentio non dicatur? Illud negari nequit, Prudentii sententiam ab Augustino indicari, dum liberum relinquit existimare, si placet, pœnas damnatorum certis temporum intervallis aliquatenus mitigari (*a*).

182. Confer quæ addidit loc. cit. Enchiridii : *Hæc enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio, ut in ira sua, hoc est, manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus*. Hanc sententiam amplexus est S. Joannes Chrysostomus Homil. 3 in epist. ad Philipp., quem in alium sensum trahere conatur Bellarminus : *Hos igitur lugeamus* (loquitur de damnatis), *opem pro viribus feramus, aliquod ipsis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat... Atque id quidem de his qui in fide decesserunt. Catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, uno quodam excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus aliquid pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis*. Omissis Joanne Damasceno, sive vero, sive alio sub ejus nomine, S. Paulino Nolano, cujus preces ad Nicetam promam num. 185 in nota, et Innocentio III, a quorum auctoritate non satis se extricat Bellarminus, clariora sunt propiusque ad Prudentium accedunt, quæ ex Missali Mozarabico feria 4 post Pascha describam : *Viderunt te inferi, Deus, viderunt et tremuerunt a voce tonitrui tui, dicentes, Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus? Propter quod attonita paululum stetere supplicia miserorum. Nec habeant cruentum tormenta sic vicisse cernentia crucifixum: et judicem suum ipsa etiam pœna contremuit.*

183. Sixtus Senensis, Bibl. sanctæ lib. VI, cap. 47, profert sententias theologorum Præpositivi Leodiensis Ecclesiæ presbyteri, Gilberti, Guilielmi, Ruperti, qui ex verbis S. Joannis Chrysostomi allegatis aliisque in Matth. hom. 33 Joannis item Damasceni, 158 S. Gregorii Magni, et Prudentii in hymno de Novo Lumine paschalis sabbati (sic enim inscribit) aliisque hujusmodi illustrium Patrum dictis, in hanc opinionem inclinarunt; alii aliter eam explicant : nam S. Thomas solum agnoscere videtur in damnatis inanem quamdam fallacis gaudii speciem, gratamque mœrentis animi illusionem : qualem esse ferunt in dæmonibus, qui homines ad peccandum inducentes, vana quadam lætitia afficiuntur, quin pœna decrescat: qua de re agunt theologi scholastici.

184. In codice ms. sæculi XI Bibl. Riccard. exstat missale, et in hoc *missa, pro cujus anima dubitatur*, cujus meminit Lamius tom. XIII Delic. erud., pag. 311 et seqq. Preces ad hoc ipsum tendunt quod quærimus. *Et si plenam veniam animæ ipsius obtinere non possumus, saltem vel inter ipsa tormenta quæ forsitan patitur, refrigerium de abundantia miserationum tuarum sentiat ... ut si forsitan pro gravitate criminum non mereatur gloriam, per hæc sacræ oblationis libamina, vel tolerabilia fiant sibi ipsa tormenta*. Apud Bollandianos tom. III Maii, ad diem 14, pag. 336, S. Pachomius ita ait de quodam damnato : *Eam ob rem rogo vos, ut si cruciatus defuncti cupitis reddere leviores, sine psalmis eum sepulturæ mandetis : posset enim Deus, cum bonus sit et misericors, requiem aliquam eidem præbere. Vide notas Bollandianorum*. S. Joannes Climacus, gradu 5 Scalæ paradisi, similes preces ex quorumdam ore exponit : *Alii simul oneris conscientiæ gravitate depressi, et supplicia æterna deprecabantur, et indignos tamen se cœlo sincere proclamabant, et dummodo hoc, inquiunt, fiat, sufficit nobis. Vidi illic animas humiles, et oneris pondere depressas, quæ.... dictitabant ... Satis enim nobis est si a gravissima tua comminatione et inexplicabilibus et reconditis suppliciis liberemur. Ut enim omnis prorsus pœna nobis remittatur, veniaque donetur, petere non audemus*. Quod fortasse magis pertinet ad orationem Prudentii in fine Hamartigeniæ, de qua cap. 17, nam utraque hæc res similitudine aliqua continetur, et inter se connectitur. Non omittam hymnum hunc Prudentii in multis ecclesiis ad accensum cerei paschalis fuisse decantatum : in quibus propterea ea sententia non male audiebat. Quæ rationes Dionysium Petavium fortasse impulerunt, ut, cum Prudentii versus exscripsisset tom. III, lib. III de Angelis, cap. 7, addiderit : *De hac damnatorum saltem hominum respiratione nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia catholica : ut propterea non temere, tanquam absurda, sit explodenda sanctissimorum Patrum hæc opinio : quamvis a communi sensu catholicorum hoc tempore sit aliena*. Scio liberam hanc Petavii sententiam a multis defendi, a multis impugnari. Sed censeo, melius a Petavio intelligi Prudentium quam ab iis qui hunc *non dogmadigni sunt pœnarum atrocitate cruciari, non ut eas pœnas vel nunquam subeant, vel aliquando finiant, sed ut eas mitiores quam merita sunt eorum, leviores que patiantur. Sic enim et ira Dei manebit, et in ipsa ira sua miserationes suas non continebit.*

(*a*) Neque aliud docuit S. Augustinus lib. XXI de Civit. Dei, cap. 24 : *Sed quibus placet istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quæ in æterno est prænuntiata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, et faciat eos non tanta quanta*

tice, *sed poetice* locutum propugnant; quam distinctionem vellem ab ipsis explicari. Nonnullam explicationem invenio in indice librorum expurgandorum a P. Jo. Maria Brassichellensi sacr. pal. apost. magistro confecto, ubi pag. 257, **159** ex tomo VIII Bibliothecæ Patrum Margarini hæc expurgantur in Aurelio Prudentio : *Ad verba illa textus*, SUNT ET SPIRITIBUS *appone ad marginem*, CAUTE LEGE *nam ex placitis theologiæ nullum vere refrigerium unquam est animabus damnatorum in inferno. Forsan Prudentius poetico more lusisse tantum voluit, ad indicandam lætitiam diei resurrectionis Domini*. Quam interpretationem alii tueantur, per me licet; ego potius credam Prudentium cum aliis errasse, si tamen certo affirmari potest illam opinionem quorumdam veterum errorem esse (*a*).

CAPUT XIX.

Cur Prudentius in extremi judicii die ad dexterum Judicis latus transferri oraverit?

185. Illud etiam reprehensionibus quorumdam est obnoxium, quod Prudentius hymnum S. Romani his versibus concluserit : *Vellem, sinister inter hædorum greges Ut sum futurus, eminus dignoscerer : Atque hoc precante, diceret rex optimus : Romanus orat; transfer hunc hædum mihi, sit dexter agnus, induatur vellere.* Et in fine Passionis S. Fructuosi et soc. : *Olim tempus erit, ruente mundo, Cum te, Tarraco, Fructuosus acri Solvet supplicio tegens ab igni. Fors dignabitur et meis medelam Tormentis dare prosperante Christo, Dulces* **160** *hendecasyllabos revolvens*. Cum in sacris A Litteris extrema illa tremenda dies magno apparatu describatur, Christianorum, maxime veterum, vota eo respiciunt, ut quo tempore universus orbis judicabitur, iram supremi judicis a sese deprecentur; non quod putarent, incertum esse ante eam diem, quam sortem singuli homines essent subituri, sed quia tunc coram omnibus sententia est proferenda (*b*). S. Paulinus Natali idem plane confirmat.

Cum tu quoque magna piorum
Portio, regnantem Felix comitaberis Agnum,
Posce, ovium grege nos statui, ut sententia summi
Judicis hoc quoque nos iterum tibi munere donet,
Ne male gratatis lævos adjudicet hædis,
Sed potius dextra positos in parte salutis
Munifico pecori, laudatis aggreget agnis (*c*).

Hæc erat SS. Patrum sententia, Deum in extremo judicio ob merita et preces sanctorum ad dexterum latus plures esse vocaturum; quo innuunt, homines, dum vivunt, sanctis deprecantibus, obtinere, ut B bona opera efficiant, et salutem æternam adipiscantur.

186. S. Cyprianus ita est exponendus lib. de Lapsis : *Credimus quidem posse apud Judicem plurimum martyrum merita, et opera justorum, sed cum judicii dies venerit, cum post occasum sæculi hujus et mundi ante tribunal Christi populus ejus astiterit* : Venantius Fortunatus lib. IV. de Vita S. Martini :

Tu quoque jussus eris dextro residere sedili.
Tunc, precor, ut fragilem sacro velamine celes,
Et tua me trepidum defendat ab igne lucerna.
Nam scio posse reum quemvis tibi cedere Christum (*d*).

161 187. Fabricius hæretico spiritu impulsus in

(*a*) Laudatus index liber raro obvius creditur. Titulus est : *Indicis librorum expurgandorum, in studiosorum gratiam confecti, tomus primus, in quo quinquaginta auctorum libri præ cæteris desiderati emendantur. Romæ ex typ. rev. cam. apost.* 1607. Exemplar penes cl. præsulem Reggium notam habet in limine manu ascriptam : *Ut cæterorum indicum hujusmodi seriem ac consuetum stylum sequeremur, quædam expungere coacti sumus, quæ licet erudite animadversa, ad institutum tamen hujus libri apponenda non erant, cum sat sit quid delendum et quid caute legendum animadvertere. Placuit nihilominus initio quorumdam librorum quædam de eorum auctoribus (breviter tamen) attingere, ut lectori, qualis sit auctor, an catholicus vel hæreticus, cujus denique existimationis, facile innotescat.* Ex quo arguo, non omnia quæ Thomas Maluenda, splendidissimum Hispaniæ et familiæ prædicatorum decus, in Bibliotheca Patrum animadvertit, in indicem fuisse conjecta; de quo hæc Nic. Antonius : *Cujusmet anni pensum bimestre fuit Bibliothecæ veterum Patrum commendata ei per indicis, ut vocant, sacros purpuratos Patres recognitio : unde qua scriptorum ea comprehensorum quisque auctoritate aut loco censeri debeat, doctrinæ genus, atque ætas, observatione Thomæ nostri, in Romanum indicem, qui Jo. Mariæ Brassichellensis S. Palatii magistri nomine prodiit anno* 1607 *conjecta sunt. Easque ipsas adnotationes in Bibliothecam a se anno* 1605 *recoctam Parisiensis typographus admisit.* Pro anno 1605 legendum anno 1624 in Nic. Antonio, ut ego quidem existimo.

(*b*) Locus est insignis in S. Matth. XXV, 31 et seqq. : *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves* C *ab hædis. Et statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris.*

(*c*) Et de reditu Nicetæ episcopi in Daciam : *Nos locis, quantum meritis, dirempti, Eminus celsis humiles patronis, Te procul sacris socium catervis Suspiciemus. Quis die nobis dabit hoc in illa, Ut tui stemus lateris sub umbra, Et tuæ nobis requietis aura Temperet ignem? Tunc, precor, nostri nimium memento, Et Patris sancti gremio recumbens Roscido nobis digito furentem Discute flammam.*

(*d*) Imitator Prudentii et hoc et aliis locis, quod observavit Barthius lib. XLV, cap. 9, Hericus Altissiodorensis lib. VI Vitæ S. Germani : *Ergo tui tunc, sancte pater, miserescito vatis, Cumque olidis junctum dispexeris eminus hædis, Id mihi nam spondent scelerum monumenta meorum, Tum regem precibus pulsare memento benignis; Flectetur certe, dicet flexusque ministro; Germanus orat, non fas sprevisse precantem, Hunc hædum niveos quamprimum transfer in agnos, Agnus eat dexter, decoretur vellere pulchro.* Barthius, qui his locis confirmat, damnatorum numeris eximere quos martyres voluerint, penes hos esse futurum, si fides scriptoribus, non alioquin male de D religione nostra consultis, sit adhibenda (quod ait se legisse apud amatissimum sibi scriptorem Prudentium in fine Fructuosi et Romani), parum sibi constat, dum lib. VIII, cap. 11, notat, Prudentium in fine Romani se hædum jungendum hircis a latere sinistro Judicis *longius nimia humilitate etiam a vero Mediatore secessisse*. Quod si Barthius ita intelligit, penes martyres esse futurum eximere quos voluerint e damnatorum numero, ut hi qui revera damnati jam sunt a pœna damnationis liberentur, neque Prudentii, neque aliorum mentem assecutus est.

fine comm. in Romanum ita Prudentium alloquitur : *Ista sententia, si tua est, Prudenti, vir clarissime, contraria est doctrinæ propheticæ... contraria item doctrinæ apostolicæ.* Scilicet Fabricius nihil sanctorum merita et preces valere apud Christum putat. Georgius Remus in notis ait : *Sinistrum auctoris timidi nimis ac superstitiosi votum.* Fabricium aliosque mentem auctoris parum perspexisse animadvertit Nic. Heinsius. *Distinguendus*, inquit, *hic locus. Dicit, optare se, ut vel inter hædorum greges statuatur, sed hac conditione, ut et eminus, qualis erit, dignosceretur, et Romanus pro se oraret, quem a Christo exaudiendum fore certo persuadet sibi.* Mihi hæc interpretatio, quam ad verbum Chamillardus exscripsit, non admodum placet, neque enim Prudentius ullo modo optat inter hædorum greges statui, sed tantum orat a sinistro latere, quem locum ob sua peccata sibi deberi credit, Romani precibus transferri ad dextrum, vel potius orat ne in sinistro latere cum hædis relinquatur, dum oves ab hædis separabuntur. Recte vero inquit Heinsius, non abludere ab hoc Prudentii loco illa Alcimi Aviti lib. III de Supremo Judicio : *Tum, cum sinceros pastor discreverit agnos, Hædis disparibus diversa in parte locatis;* et de Laude Virg. (forte alibi) : *Ubi sede superna Humanum in partes dirimet genus arbiter orbis, Agnos dextra lavans lævos contemnet ut hædos;* et Tertullianum lib. IV adversus Marcionem : *Quos in Evangelio Dominus quoque dixit, et hædos Abs ovibus cerni stantes in parte sinistra*, ubi cerni idem est ac discerni. Sed clarius Prudentio favent Juvencus et Eugenius Toletanus. Juvencus in præfat. in libros de Hist. evang. :

Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus : hoc etenim forsan me subtrahet igni
Tunc cum flammivoma descendet nube coruscans
Judex altithroni Genitoris gloria Christus.

162 Eugenii versus, quibus eamdem sententiam exprimit, descripsi num. 47 (*a*).

188. Eamdem loquendi rationem alii consequentibus temporibus tenuerunt. Tom. XXXIV Hisp. sacr., pag. 440, legitur instrumentum donationis quo Ordonius rex paulo post annum 916 multa offert pro divino cultu et ministrorum alimentis : cum enim, inquit, *tempore judicii astantes coram redditor apparuerimus,* A *per intercessu Deo fideliter famulantium qui ex hoc perceperint subsidium, animæ corporisque evadere mereamur a* VULGARIS, *et Averni recessu, atque eruamur ex his qui tristem acceperint censoris repudium, tunc nempe tulti in dextera vellere solatii induti cum mundis adnectere queamus ovibus* (sic). In alio instrumento Ordonii III anno 955 eadem est periodus; sed pro *vulgaris* legitur *vulgalis* (*b*). Ex his aliud instrumentum Fruminii II anno 917 suppleri potuit in sententia fere eadem : *Et in futurum... xteram promereri*, nempe *dexteram promereri.* Denique sententia Prudentii, ut ejus hac in re defensionem concludam, prorsus illi similis est quam in prosa aut sequentia missæ defunctorum canimus : *Inter oves locum præsta, Et ab hædis me sequestra, Statuens in parte dextra.* Bellarminus, de Purgator. lib. II, cap. 5, B plura acute disserit, ut explicet orationem post evangelium in missa de mortuis : *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*, etc. Sed nihil affert quod ad Prudentium transferri non valeat. Ne vero hæc prolegomena longiora quam par est evadant, cætera quæ Prudentii doctrinæ objiciuntur, in commentariis diluentur : nunc alia persequemur.

CAPUT XX.

Ignorantia quorumdam qui putarunt ænigma esse interpretationem sacræ Scripturæ, a Prudentio adhibitam in præfatione Psychomachiæ.

163 189. Pollicitus sum cap. 1, num. 6, me demonstraturum obscuritatem quæ Prudentio objicitur C ex antiquitatis ignoratione in qua multi versantur interdum oriri, non ex auctoris vitio, proposito hoc exemplo ex præfatione Psychomachiæ. Prudentius ea præfatione complectitur historiam ex cap. XIV Genes. vers. 14 (*c*). Tum, interpretationem allegoricam amplectens, addit vers. 56 : *Nos esse large vernularum divites, Si quid trecenti, bis novenis additis, Possint, figura noverimus mystica.* Mirum quantum hic locus interpretes omnes torserit. Antonius Nebrissensis ait : *Tercentum decem et octo, Quid autem numerus ille significet, consulendus esset quispiam Pythagoricus, qui in hujusmodi rationibus numerorum*

(*a*) In catalogo bibliothecæ Laurentianæ, tom. I col. 339, Bandinius inter codices mss. recenset Psalterium sæculo VIII exaratum, quod clauditur oratione quadam, cujus inscriptio est : *Hymnus, quem cantavit Gildus rex pro anima patris sui, qui erat in inferno. Quicunque cantaverit singulis diebus per totum annum pro* D *anima amici sui, licet in inferno sit, eruetur, et in regnum Dei ducetur . si autem obliviscatur una die in anno, a caput incipiat, et per totum annum adimpleat ita : Ad Dominum cum tribularer, usque Laudate nomen Domini.* Incipit : *Deus summe pacis, et cœli sancte Pater, omnipotens æterne Deus.* Desinit : *Quod ipse præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* Hæc oratio stulta est, superstitiosa, veræ theologiæ et doctrinæ christianæ contraria, ac nullo modo S. Hermenegildo martyri affingenda (prout in indice catalogi fieri videtur), cum ante patrem suum Hermenegildus ab eo exstinctus obierit. Hujusmodi ineptissimæ preces ex verbis quorumdam Patrum male intellectis originem suam ducunt, a vulgo et imperitissimis feminis plerumque formatæ.

(*b*) Hoc vocabulum originem trahit ex *vulga*, quæ capacitatem vel sinum cum laxitate significat apud Nonium. In Comœdia Dantis notæ sunt *malebolge*, seu *malebolgie*, et *bolgie* inferorum receptacula et sedes. Hispani balnea calida in civitate Auriensi vocant *burgas*. In Dict. acad. Hisp. etymologia ducitur a sono aquæ ebullientis. Sed non est omittenda origo Latinæ vocis *vulga*.

(*c*) *Quod cum audisset Abraham, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo, et persecutus est usque Dan. Et divisis sociis, irruit super eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci. Reduxitque omnem substantiam, et Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque et populum.*

versatur. Sed ego nullum aliud mysterium video per A *Abraham comites significari, nisi trecentos decem et octo episcopos illos qui in concilio Nicæno interfuerunt, ubi multa de Christiana religione constituta sunt; sed imprimis de fide, qua censetur Abraham; ibi namque symbolum Nicænum est conflatum.* Giselinus non acquiescit (*a*). Sichardus vero in eam interpretationem descendit, quam a nemine perspicue traditam putabat (*b*).

190. Suspicor Sichardum vidisse glossas Isonis, ubi non vestigia tantum, sed ipsa interpretatio clare est expressa. Sic enim Iso in codice Bongarsiano ad vers. 10 præf. : CCCXVIII *vernaculi fidem* **164** *significant quæ in Nicæno concilio est constituta a* CCCXVIII *episcopis. Sed* X *ad decalogum,* VIII *ad octo beatitudines pertinere possunt. Qui his omnibus caret, nunquam ad prædictas* B *beatitudines perveniet.* Et ad vers. 57 : SI QUID TRECENTI : *Isti trecenti mysterium significant, scilicet crucis. Tau enim, qui figuram sanctæ crucis* (supple *habet*), *trecentos significat; si vis scire de decem et octo, lege arithmeticæ minorem numerum intra novem computabis.* Id ex codice Widmaniano; at ex codice Bongars. : *Significat in templo Constantini* CCCXVIII *episcopos defendisse Ecclesiam Dei contra hæresin Arianorum.* Chamillardus interpretationem eamdem de 318 episcopis sequitur : SI QUID TRECENTI : *Hæc duo carmina nihil aliud quam concilium Nicænum explicant, in quo auctoritate episcoporum 318 fides firmata fuit. Ibi namque symbolum Nicænum conflatum est. Weitzius tamen et Drusius hæc referunt ad litteram T, quæ species est crucis.* Weitzius quidem ad C vers. 57 : SI QUID TRECENTI, sententiam Barthii descripsit (*c*).

191. Quem Barthii locum cum integrum Weitzius dederit, nescio cur illico ad vers. 58 : *Figura noverimus mystica*, iterum ait : *Folus Sibyllæ obscurius hoc est, et numeris Pythagoricis abstrusius, quod fere nemo est qui promat, et se Œdipum exhibeat, nisi Joannes Drusius lib.* II, *Quæst. et Respons., cujus verba : Vir eruditus, inquit, qui Prudentium commentario recens illustravit, hic Œdipum aliquem desiderat. Nihil opus Œdipo : ego Davus, si ullum est, ænigma solvam, quod facile intellectu est, si sciamus, Tau litteram referre figuram crucis* (*d*). *Superest difficultas, quam affert numerus auctior,* QUA ME NULLUS EXTRICO : *si hoc non est, quod suspicor : quia apud Hebræos Tau littera scribitur binis* **165** *consonantibus, videlicet Th et v, quarum posterior valet sex, existimasse veteres, sicut in Tau ter iteratur centum, sic in Vau ter repeti debere sex. Est autem ternus numerus inter mysticos. Ita emergunt trecenti, terque seni vernuli. Cæterum ut nolim hoc posterius pro certo affirmare : ita prius illud, nempe in mente habuisse Prudentium, cum hos versus scriberet, memoratam allegoriam tam certum habeo, quam quod maxime.*

192. Clarum est igitur, a Drusio nondum solutum esse ænigma. Et Barthius ipse in gratiam Drusii ad ænigma explicandum aggredi se testatur lib. XXIX, cap. 15 Advers. : *In fronte,* ait, *operum suorum summi auctores sueti aliquid figere, quod, quam primo aspectu poscere videatur, curam exigat pensiculatiorem. Sic non sine causa librorum de Republica initium toties mutavit Plato, nec Homerica duo ingentia volumina unico versu divinæ Æneidos princeps inclusit Maro. Exempla congerere operæ non est. Prudentium vel solum Christianum poetam quis inspexit, cui non fecerit negotium ænigma acutissimum, quod præfationi Psychomachiæ prudens intrusit?* Explicat deinde Barthius ænigma *in gratiam vel unius Joannis Drusii, viri eruditissimi, qui id numeris Pythagoricis et Sibyllinis obscurius pronuntiavit.* Negat intelligi posse de 318 Patribus Nicænis, *quia figura mystica typum quempiam rei inanimatæ indicat;* tum interpretationem addit, quam Weitzius ex alio opere transcripsit. *Cum locus,* inquit Barthius, *hactenus obscurissimus in optimo vate et vivo Dei spiritu afflato omnium ingenia illuserit* (*e*)

(*a*) *Antonius Nebrissensis* CCCXVIII *episcopis ad concilium Nicænum vocatis hunc numerum applicandum putat; sed non video quid horum mentio ad allegoriam pertineat, quare Œdipum hic aliquem aut Pythagoricum exspecto.*

(*b*) *Quid sibi velit mysterium, sic enim Prudentius appellat, trecentorum bis novenorum ab Abraham armatorum, nondum a quopiam, quod modo sciam, traditum est. Suspicor autem concilii Nicæni significationem esse, in quo auctoritate* CCCXVIII *episcoporum fidei nostræ sunt certa quædam, ut sic dixerim, descripta pomeria, cum antea in incerto pleraque posita, et hæreticorum calumniis exagitata huc illuc pro cujusque libidine torquerentur. Ut vero in hanc sententiam eam, cum alia, tum maxime vetustissimi exemplaris, quo sumus usi, effecerunt vestigia quædam. Non repugnarim tamen, si alio quis referat, quamvis non video quid hic cuiquam in mentem venire possit aliud.*

(*c*) *Barthius acutissimum hoc ænigma lib.* I *Abl. crit. c.* V. *ita explicat : Pro* POSSINT *legendum ait* PROSINT. *Trecenti autem aliud nihil nisi crucem dominicam designant, illi inclusi litteræ, sive elemento græcanico, quo eum numerum exprimere magistri linguæ voluerunt.... Sequitur, ut quid per bis novena intelligendum, appareve faciamus. Notissimum est* Θ *litterarum mortiferum signum prætoris, ut Martialis loquitur, esse; quia scilicet inauspicatum mortis vocabulum* θάνατος *ab ea incipiat. Jam ne pueris quidem incognitum, idem elementum Græcis novenarium numerum exprimere. Per duo itaque theta, sive novenarios indices, duas mortes et quidem eorum qui cum Tau suspenso Domino obierunt, circumloquitur poeta ... Horum latronum cognitio et consideratio magnopere prodest,* etc.

(*d*) *Nam eadem* (ita pergit Drusius primam ænigmatis D partem declarans) *in numeris notat trecentos. Isidorus de etymologiis : Inter mysticas litteras tertia est Tau, figuram demonstrans dominicæ crucis. Hieronymus in commentariis Ezechielis* IX, 4, *antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema littera Tau crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur. Quod voles, magis clarescet ex glossa ordinaria; in qua Gen.* XIV *loco, ubi hanc historiam sensu allegorico illustrat, ita legimus : Quisque pro anima sua contra spirituales nequitias bellum gerat cum trecentis decem et octo vernaculis, id est cum auxilio sanctæ crucis. Tau enim littera, quæ habet figuram crucis,* CCC *significat.*

(*e*) Teolii interpretatio obscura mihi est, ut nunc quidem legitur. *Omnes fere Patres, tam Græci quam Latini, in numero hoc 318 vel 300 rotundo mysterium*

193. In his Barthii Drusiique explicationibus prima pars de trecentis, figura crucis indicatis, expressa est non solum in glossa ordinaria ad locum Genesis, sed etiam in glossis Isonis ad Prudentium (*a*). In altera parte exponenda neque Barthius, neque Drusius satis aliis fecerunt; Drusius neque sibi ipsi, Barthius vero, qui confidentius loquitur, in aliam sententiam abiit lib. XLIII, cap. 7. **166** Nos ait geminæ mortis reos esse : ideo duo Θ; respexisse poetam ad duos libros : alterum indicem nostrorum criminum, quem habere Satanam a pluribus traditum; alterum, de quo Exod. XXXII. De militaribus Isidorus I Orig., cap. 33 : *In breviculis quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, quæ inspiceretur, quanti ex militibus superessent quantique in bello excidissent; T nota in capite versiculi posita superstitem designabat, Θ vero ad uniuscujusque defuncti nomen apponebatur. Si itaque*, addit Barthius, *veram vitam a vera morte mystica figura, scilicet per crucem Christi distinguere poterimus, satis superque vernularum divites erimus.*

194. Vere ænigma obscurissimum in Prudentii versibus lateret, nisi alia esset explicatio. Hanc autem dico esse communissimam interpretationem allegoricam, quæ adhuc in plurimis Patrum voluminibus occurrit, videlicet CCCXVIII vernulis Abrahami significari crucem Domini, et duas primas litteras nominis *Jesu*, ι et η, quia apud Græcos Tau, quæ figura est crucis, tercentum, ι decem, et η octo significat, ex quibus summa efficitur CCCXVIII. Quod attinet ad numerum trecentorum, sæpe SS. Patres aiunt eo indicari crucem dominicam, etiam illi qui de historia Abraham nihil cogitant (*b*). In CCCXVIII vernulis Abrahami designari crucem et compendium nominis Jesu, sive duas primas litteras, Clemens Alexandrinus ab aliis jam traditum docuit lib. VI Stromat. pag. 656 : *Quemadmodum ergo in astronomia habemus exemplum Abraham, ita etiam in arithmetica eumdem Abraham. Cum enim audivisset abductum fuisse Loth captivum*, TRECENTIS VERNACULIS *suis sibi numeratis, hostes aggressus, vicit maximum eorum numerum. Dicunt ergo dominici quidem signi typum*, **167** *quod ad figuram attinet, esse elementum, quod significat trecentos : ἰῶτα autem et ἦτα significare nomen salutare, significari ergo eos esse Abrahæ domesticos, et ei conjunctos, quod ad salutem attinet, qui ad signum et nomen Domini confugerunt, et superasse eos qui ipsos abducebant in captivitatem, et plurimas gentes infideles quæ eos sequebantur. Jam vero numerus quidem trecentenarius est ternarius in centenario. Decimus autem sine ulla controversia est undequaque perfectus. Octo autem, qui est primus cubus, est æqualitas in omnibus dimensionibus*, etc. Addendum est versioni Latinæ, qua utor, Lutetiæ Parisiorum 1647, *trecentis* DECEM ET OCTO *vernaculis*, nam Græce est τιη (*c*). S. Ambrosius lib. I de Abraham, cap. 3 : *Numeravit autem* (Abraham) *trecentos decem et octo, ut scias non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum... Trecentos enim T Græca littera significat, decem et octo autem ιη exprimit. Fidei ergo merito Abraham vicit, non populoso exercitu*. Alii legunt, *summa* ιη *exprimit nomen fidei*; alii, *summa Jesu exprimit nomen*. Et in quæsierunt, *ac vel crucem nomenque Jesus eo significatum fuisse putant, vel Patres trecentum decem et octo in concilio Nicæno contra Arium congregatos. Hoc planum est : dominicam vero crucem et nomen, quia T Græcum habet formam crucis, et significat* 300, *L vero et N decem et octo, exprimunt nomen Jesus* Ἰησοῦς. Ita prorsus ille. Sed sciendum litteram Λ, hoc est L, Græcis pro numero 30 esse; litteram N pro 50, adeoque non intelligo quo pacto significent 18, aut exprimant nomen Jesus. Suspicandi locus est, Teolii verba ab exscriptore vel typographo esse corrupta, nam digitum in fontes intendit.

(*a*) Barthius locis citatis allegat etiam Tertullianum, lib. III in Marcionem : *Ipsa est enim littera Græcorum Tau, nostra autem T, species crucis*. Et carmine 3 : *Hoc etenim signo prædonum stravit acervos, Congressus populo Christi sine milite multo, Tercenteno equite, numerus T littera Græca est*. Ubi loquitur de Gedeone. Addit Paulinum, epist. 2, de quo postea dicam.

(*b*) Præter alios S. Augustinus sermone 36 appendicis : *Gedeon elegit trecentos viros ad prælium, ut ostenderet, non in numero multitudinis, sed in sacramento crucis mundum ab incursu gravium hostium liberari. Trecenti enim in Græca T similitudinem crucis ostendunt... et quia trecenti secundum Græcum computum crucem faciunt, ita tunc Gedeon in trecentis viris Judæorum populum de crudelissimis gentibus eripuit, quomodo postea Christus per mysterium crucis totum genus humanum de potestate diaboli liberavit*. S. Ambrosius in Lucam lib. VI, cap. 7, explicans illud Joannis, *Potuit enim venundari trecentis denariis*, ait : *Trecenta autem æra crucis insigne declarant*. S. Gregorius Magnus, lib. XXX Moralium, cap. 17 : *Tricenarius numerus in Tau littera continetur quæ crucis speciem tenet. Cui si super transversam lineam id, quod in cruce eminet, adderetur; non crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in Tau littera continetur, et per Tau litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt quibus dictum est : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Isidorus in Genes. VII : *Potest quidem et in his trecentis cubitis* (arcæ) *signum ligni passionis ostendi. Ipsius enim litteræ T numerus crucis demonstrat signum*, etc.

(*c*) Clemens Alexandrinus epistolam Barnabæ, sive alterius sub Barnabæ nomine, sæpe allegat. In hac epistola eadem interpretatio invenitur, quamvis minus bene ad historiam circumcisionis referatur : *Discite igitur, filii, de omnibus abunde. Abrahamus, qui primus dedit circumcisionem, in spiritu prospiciens in Filium* (rectius *in Jesum*, ut in versione Latina legitur) *circumcidit, accepto trium litterarum documento : narrat enim Scriptura, quod Abrahamus viros e domo sua decem et octo et trecentos circumcidit. Quæ ergo illi in hoc data est cognitio? Discite : primo* DECEM ET OCTO, *dein* TRECENTOS : DECEM *autem et* OCTO *exprimuntur per* ι (*decem*) η (*octo*) : *habes initium nominis Jesus*. (Ita hanc periodum interpungo, alii aliter.) *Quia vero crux in figura litteræ T, quæ designat numerum* CCC, *habitura erat gratiam, ideo ait*, ET TRECENTOS. *Ostendit itaque Jesum in duabus litteris, et crucem in tertia. Scit hoc, qui insitum donum doctrinæ suæ posuit in nobis. Nemo magis germanum a me accepit sermonem; sed scio vos dignos esse*. Legi possunt notæ Hugonis Menardi, Joannis Davisii, Joannis Baptistæ Cotelerii, Eduardi Bernardi, et editionis Oxoniensis in hunc locum.

prologo ad lib. I de Fide: *Nosti enim, fide magis imperatoris quam virtute militum, quæri solere victoriam. Nam et Abraham trecentos decem et octo duxit ad bellum, et ex innumeris tropæa hostibus reportavit; signoque dominicæ crucis et nominis... ultus est proximum*, etc.

195. His accedit Eucherius in commentario ad Genesin, quem laudat S. Isidorus Hispalensis in lib. de Viris illustribus: *Quod vero ille* (Abraham) *non in multitudine nec virtute legionum, sed tantum in trecentis decem et octo comitantibus, adversarios principes debellavit: jam tunc in sacræ crucis figuram, quæ per tau, litteram Græcam, et Jesu nomen, qui iota et theta Græcis characteribus scribitur, qui Salvator interpretatur, in numero trecentorum decem et octo exprimitur: quod nos Christi passio liberaret a dominatu quinque carnalium sensuum, qui* **168** *nos antea variis vitiis captivantes exsuperaverant.* Ubi post *exprimitur* supplendum est *imaginabatur, quo nos*, etc. S. Isidorus in Genes., de Victoria Abrahæ cap. 11, repetit locum Eucherii cum aliqua varietate in postrema editione Matrit.: *Jam tunc in sacramento crucis* (*cujus figura per Tau litteram Græcam numero trecentorum exprimitur*) *imaginabatur, quod nos*, etc. Ex quo Rosweydus ad epist. 2 Paulini restituit in Eucherio *imaginabatur*. Sed præterea in Eucherio legendum est, qui *iota, et ita*, aut *eta Græcis characteribus*. Rosweydus scribit, *qui per ι et η Græcis characteribus*. S. Maximus Confessor tom. I edit. Paris. opera P. Francisci Combefis, pag. 170, inter quæstiones in sacr. Script.: *Quo typo* (crucis) *cum ejus nomine qui propter nos in illo affixus est, fortean fretus magnus patriarcha Abraham, cum trecentis decem et octo* (*hoc est, figura et nomine Jesu*) *adversarias potestates regum symbolo designatas, educens profligavit. Moris enim Scripturæ est, ut ex elementorum quoque figuris, suum ipsa scopum, purgatis ut hoc consequamur, non raro manifestet.* Faustus Rhegiensis lib. de Spiritu sancto: *Sacer numerus dicimus, quia trecenti in æra sive supputatione signum crucis, decem et octo vero Jesu adorandum nomen ostendunt.* Et in epistola de Pœnitentia ad Felicem PP., et Patricium eamdem interpretationem sequitur, et ad pugnam cum vitiis transferi, Prudentium imitatus: *Et ideo sicut pater fidei Abraham quinque illos reges in trecentis decem et octo, mysterio intra litteram latente, devicit: ita et nos contra hos principales vitiorum duces in Jesu nomine et crucis signo* (*hoc enim utraque æra exprimitur*) *dimicemus.* Ita legitur in raro opere, *Veterum aliquot Galliæ theologorum scripta*, Parisiis, 1586, quod exstat apud cl. Giovenazzium. Hincmarus Rhemensis, in responsione ad quorumdam quæstiones: *Cur in quodam scripto posuerit mysticam Nicænam synodum*, plura habet de hac eadem interpretatione, ubi docet, in libris Græcorum et Latinorum per notas scribi nomina, *quæ interdum prima, et novissima, et virgula superposita in dexteram æque veniente a sinistra, ut* DS, NR, VR, *interdum autem prima, et media, et novissima notantur littera, et virgula superposita in dexteram æque veniente a sinistra, ut* .SPS, IHS. Non dissimili modo rem explicat Rupertus Tuitiensis lib. V in Genesin, cap. 15, qui notat nomen Jesu cum I et H superposita linea efferri in gignendi casu, ut numerus XVIII compleatur. Alii advertunt veteres solitos fuisse nomina propria per duas primas litteras significare; ut CN, *Gneus*, *TI.*, *Tiberius*.

196. Eamdem allegoriam attigerat S. Paulinus in epist. 2 ad Severum prope finem: *Sed sicut ille* (Abraham) *non multitudine, nec virtute legionum, sed jam tum in sacramento crucis, cujus figura per* **169** *litteram græcam* T *numero trecentorum exprimitur, adversarios principes debellavit: cujus mysterii virtute, trecentis in longum texta cubitis, superavit arca diluvium*, etc. Recte notat Rosweydus, Eucherium et Isidorum hæc in commentaria sua transtulisse, Eucherium etiam numerum 18 explicuisse, quem Paulinus hic præterit, *nisi membrum hoc omissum fuerit a librariis ob difficultatem Græci numeri ι et η, quod nominis Jesu compendium est.* Probabilissimum id mihi videtur: nam et in Eucherio librariorum noto errorem, et in Ambrosio magnam varietatem lectionum ob difficultatem Græci numeri ι et η. Rosweydus ipse aliter legendum ait locum Ambrosii, de quo paulo ante, nempe: *Trecentos enim* T *Græca littera significat, decem et octo autem summam ιη exprimit nomen.* Paulinum hoc loco respexisse ad Prudentium judicat Barthius. Sed nihil est necesse ut Paulinus Prudentium, aut Paulinum Prudentius respexerit. Patebat enim interpretatio a præcedentibus jampridem tradita (*a*). Quamvis autem nonnulli in numero CCCXVIII Patrum Nicænorum mystice intelligant crucem dominicam, et nomen Jesu, tamen expositio allegorica CCCXVIII vernaculorum Abraham etiam ante concilium Nicænum ad crucem ipsam dominicam, et primas litteras nominis Jesu referebatur, quam alii Patres post concilium secuti sunt. Nec dubito quin majori diligentia plura adhuc exempla congeri possint. Sed quæ attuli satis sunt superque ut quivis

(*a*) De reliquo Barthius, lib. XXIX Advers., cap. 15, putavit denique, probabilem esse interpretationem Paschasii in præfat. lib. de Spiritu sancto, ubi simul CCCXVIII Patres Nicænos nominat, et per numerum trecentorum crucem, per decem et octo vero primas litteras nominis Jesu apud Græcos intelligit. Ita ait Faustus Reiensis, quem supra laudavi, sive potius, ut Barthius aliique volunt, Paschasius post S. Ambrosium lib. I de Fide, cap. 18: *In quibus etiam verbis trecentorum decem et octo sacer numerus sacerdotum Arii ac Macedonii damnavit errores... Nam etsi ex hoc numero paucorum fragilitas declinavit, universalis tamen numeri mysterium non resolvit. Et ideo sacer numerus diximus, quod trecenti mera supputatione Græca signum crucis, decem et octo vero Jesu adorandum nomen ostendunt. In hoc ergo numero atque mysterio in quo et sanctus Abraham de innumerabilibus gentibus triumphavit, seniorum pietas hostem fidei sub una Patris, et Filii, et Spiritus sancti prædicatione confudit.* Hæc ipsa minus correcta inter Fausti opera leguntur.

sine Sphynge et Œdipo intelligat quid exprimere voluerit Prudentius, cum exposita historia de victoria Abrahami addidit :

Nos esse large vernularum divites,
Si quid trecenti, bis novenis additis,
Possint, figura noverimus mystica.

CAPUT XXI.

Fidei catholicæ et Ecclesiæ catholicæ appellatio quantum Prudentio aliisque antiquis Hispanis debeat.

• **170** 197. Sæpe Prudentius, repugnante quamvis metro, *catholici* vocem in suis carminibus usurpavit, non illa communi significatione qua *catholicus* sonat *universalem*, sed hac magis propria qua catholicus dicitur qui non est hæreticus, et prout ab eo discernitur. In præfat. omnium operum, vers. 39 : *Pugnet contra hæreses, catholicam discutiat fidem*. Peristeph. hymn. 11, vers. 24 : *Munere ditatum catholicæ fidei* et paulo post exponit quid sit catholica fides, vers. 30 :

Catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri (*a*).

Apoth. vers. 2 : *Ne dira relatu Dogmata catholicam maculent male prodita linguam*. Ibid., vers. 291 : *Hæc tu si dubitas nati mysteria Christi, Perdite, catholica non es de plebe*. Psychom. vers. 107 : *Catholico in templo divini fontis ad aram Consecrat*. Præf. I in Sym., vers. 59 : *Catholicam puppem*. Vox quidem *catholicus* a primis sæculis Ecclesiæ adhiberi est cœpta apud Irenæum, Clementem Alexandrinum aliosque ; sed hanc peculiarem significationem qua hæretici a catholicorum numero excluduntur, nulli aut prius aut illustrius expresserunt, quam Hispani scriptores.

198. In concilio Eliberitano canon est 16 : *Hæretici si se transferre noluerint ad Ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas*. Ab hoc canone reliqua, vel generalia vel provincialia, concilia accepisse, quæ hujusmodi matrimoniis aditum præcluserunt, notavit Ferdinandus Mendoza lib. II de Confirm. Concil. Eliberit. Pacianus Barcinonensis episcopus, cujus filio Dextro S. Hieronymus **171** suum scriptorum ecclesiasticorum catalogum inscripsit, sub Theodosio principe ultima senectute mortuus, castitate et eloquentia, et tam vita quam sermone clarus a S. Hieronymo dicitur. Is epistolam adversus quemdam Novatianum de catholico nomine scripsit, de quo nomine Novatiani controversiam excitarant. *Si bonum*, inquit, *nomen est, non recipit odium ; si malum, caret invidia.... Sed sub apostolis, inquies, nemo catholicus vocabatur. Esto, sic fuerit, vel illud*

A *indulge. Cum post apostolos hæreses exstitissent..... nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem ?... Ego forte ingressus populosam urbem hodie, cum Marcionitas, cum Apollinariacos, Cataphrygas, et Novatianos, et cæteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi* CATHOLICA *diceretur ?* Plura alia addit egregia, sed illud non omittendum quod in multorum libris repetitur : *Nec tamen æstues, frater ;* CHRISTIANUS MIHI NOMEN EST, CATHOLICUS VERO COGNOMEN. *Illud me nuncupat, istud ostendit ; hoc probor, inde significor*. Nihil potuit dici luculentius.

199. Codicis Theodosiani titulus est in lib. XVI : *De fide catholica*. Theodosius noster, præclarissimus
B imperator, ad populum urbis Constantinopolitanæ legem secundam ejus tituli 1 anno 380 tulit in hæc verba : *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari quam divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriæ episcopum, virum apostolicæ sanctitatis : ut secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unam deitatem sub parili majestate et sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes* CHRISTIANORUM CATHOLICORUM NOMEN JUBEMUS AMPLECTI : *reliquos vero dementes, vesanosque judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, nec conciliabula eorum ecclesiarum nomen accipere, divina*
C *primum vindicta, post etiam motus nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos*. Justinianus hanc legem primam esse voluit sui codicis, ac tituli primi : *De summa Trinitate ac fide catholica*, ubi etsi nomina imperatorum Gratiani, Valentiniani et Theodosii præmittantur, tamen a solo Theodosio Magno latam eam fuisse legem constat ex codice Theodosiano et commentario Gothofredi. Obiter animadverto, *intolerantiam* illam religionum, quam novatores aliqui vocant, et sæculis barbaris natam clamitant, ab ipsis primis Christianis imperatoribus fuisse edictis solemnibus stabilitam ; quam qui nunc tueri velit, auctoribus non levibus, et haud scio an gravissimis **172** uti poterit, bello et pietate insignibus, Constantino, Theodosio, aliisque antiquis imperato-
D ribus ; quorum leges adversus paganos, hæreticos, Judæos, constant ex Historia ecclesiastica, et ex codice Theodosiano toto lib. XVI, quibus addi possunt aliæ ex codice Justinianæo (*b*). Alia leviora non

(*a*) In hac fidei catholicæ descriptione observanda est accurata loquendi ratio qua utitur poeta theologus. Nominat enim Paulum et Petrum, sed soli Petro cathedram tribuit. Et ubique sui similis in Laurentio, vers. 460 : *Alter vocator gentium, Alter cathedram possidens Primam, recludit creditas Æternitatis januas*. Pariter in præf. lib. I contra Sym., quæ est de S. Paulo : *Paulus, præco Dei, qui fera gentium Primus corda sacro prodomuit stylo*. At de S. Petro in præf. lib. II : *Simon, quem vocitant Petrum, Summus discipulus Dei*. In hoc argumento erudite, ut solet, versatus est V. C. Franciscus Antonius Zacharias in dissert. de Primatu S. Petri, Romæ, 1776.

(*b*) In cod. Just., leg. 2, tit. 1, ex constitutione Theodosii Magni : *Nullus hæreticis mysteriorum* (aliter, sed minus bene *ministeriorum*) *locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio*. Leg. 3 ejusdem tit. scripta hæreticorum, nominatim Nestorii comburi jubetur : *His qui talia scripta, aut libros habere, aut legere sustinuerint, ultimum supplicium experturis*. Lib. I, tit. 5 de Hæreticis et Manichæis, leg. 2 : *Hæreticorum vocabulo continentur, et latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento a judicio catholicæ religionis, et tramite detecti fuerint deviare*. Leg. 5 sectæ viginti novem hæreticorum, quæ singillatim recensentur,

consectabor : hæc quæ deprompsi abunde probant A jure meritoque *regis*, *regnique catholici* titulum fuisse Hispanis attributum, cum præ cæteris egregiam fidei et Ecclesiæ catholicæ appellationem antiquitus illustraverint; ut nihil nunc dicam, Recaredum a concilio Toletano III fuisse *regem catholicum* acclamatum, quodque magis ad rem pertinet, in Hispania maxime bellum perpetuum esse hæresi indictum. Neque immerito Prudentius noster, qui huic disputationi causam obtulit, a Christophoro Brower in notis ad Venantii lib. v, pag. 141, appellatur *castissimus et vere* CATHOLICUS CHRISTI VATES.

CAPUT XXII.

Duæ insignes trajectiones quorumdam versuum Prudentii in examen revocantur.

200. Sæpe accidit, ut librariorum incuria in codi- B cibus trajectiones verborum et versuum irrepserint, quas critici solent non sine aliqua utilitate animadvertere, et singula verba suis locis restituere. Exempla in Prudentio duo ponam illustria, alterum ex correctione Barthii, alterum ex conjectura cl. Viti Mariæ Giovenazzii. Barthius lib. v, cap. 21 Advers., ex scheda membranacea ms. in Eulaliæ Passione notat, a versu 56 manifestam esse trajectionem duorum versuum, *quam*, inquit, *cum corrigendam huic schedæ debeamus*, **173** *vel sola ea ope meruit, ut ejus ratio habeatur*. In omnibus editis et mss. codd. quos ego quidem excussi et alii interpretes viderunt, ita leguntur illi versus : *Sic habuit generosa patrum Turba columniferum radium : Scindere qui tenebrosa potens Nocte viam face perspicua* C *Præstitit, intereunte chao. Non aliter pia virgo viam Nocte secuta diem meruit, Nec tenebris adoperta fuit, Regna Canopica cum fugeret, Et super astra pararet iter, Illa gradu cita pervigili, Millia multa prius peragit, Quam plaga pandat Eoa polum*, etc. Restitutio memorabilis ex Barthii scheda hæc est : *Præstitit, intereunte chao, Nec tenebris adoperta fuit, Regna Canopica cum fugeret, Et super astra pararet iter. Non aliter pia virgo viam Nocte secuta diem meruit. Illa gradu cita pervigili*, etc. Ait Barthius duorum versuum transpositionem peperisse difficultatem, translationem vero Ægypti congruere fugæ puellæ, nam per Ægyptum plerique Christiani tenebras intelligunt, ut Gaudentius, tract. 1 et 2.

201. Neminі mirum videri debet, hujusmodi tra- D jectiones contigisse in omnibus aut fere omnibus exemplaribus. Scaliger in præfatione Maniliana ad tertiam editionem carminum Manilii advertit innumera menda, trajectionemque non solum unius, sed et plurimorum versuum in Manilio. Barthius ipse lib. VI, cap. 28, in opere Chalcidii vitium trajectionis, interdum corrigendæ, observavit, ut alios præteream. In re nostra restitutionem approbat codex ms. a Barthio allegatus. Si cui tamen Barthii fides in membranis citandis fluxa videatur (de quo vide num. 94), nihilominus prudenti hominis docti conjectura licebit restitutionem sustinere. Non negaverim aliquo commodo sensu lectionem veterem posse retineri, quam ipse quoque propter codd. vett. auctoritatem sequar : sed certe versibus ex Barthii scheda, vel opinione restitutis congruentior explicatio reddi poterit, quam sit interpretatio Chamillardi : *Ita olim Deus noctu ignea columna, cujus candor eximius fugabat tenebras, Israelitis, claris patriarcharum nepotibus, viam commonstravit. Eulalia igitur, dum media nocte iter facit, ut ex hoc mundo exeat petatque cœlum, clara veluti diei luce convestitur, nihilque videt tenebris nigrescere.* Versus autem, *Et super astra pararet iter*, intelligendus esse videtur de itinere quod noctu populus Israeliticus peragebat (*a*).

202. Alter locus est, quem trajectionis vitio laborare conjicit **174** cl. Giovenazzius, in Passione Vincentii, vers. 37 et seq. : *Nos lucis auctorem Patrem, Ejusque Christum Filium, Qui solus ac verus Deus, Datiane, confitebimur.* Putat Giovenazzius legendum, *Nos lucis auctorem Patrem, Qui solus ac verus Deus, Ejusque Christum Filium, Datiane, confitebimur*, cujus verba ex ms. commentario in hymnum S. Hilarii, *Hymnum dicat turba fratrum*, hoc loco insererem, nisi ipse intercessisset. Rationes multas affert ex antiquitate petitas. Duo tamen admonere juvabit : alterum, posse quidem hos versus Prudentii, prout in libris editis et mss. leguntur (et a nobis quidem leguntur, ne a nostra regula recedamus), ad divinitatem Jesu Christi comprobandam produci : sed tot aliunde esse in Prudentio hujus veritatis catholicæ clarissima argumenta, ut minime esset dolendum, si versus illi aliter ordinati in hujusce rei confirmationem afferri amplius non possent. Præterquamquod recte Giovenazzius arguit, ex hoc solo Prudentii versu, *Ejusque Christum Filium*, non solum sententia, sed verbo etiam divinitatem Christi comprobari : nam verus Filius Dei, necesse est sit Deus. Alterum, non esse mirandum si in Prudentii carminibus trajectio aliqua minus congruens consentientibus omnibus quos hactenus videre licuit codicibus mss. fuerit invecta, cujus vitium fortasse aliquando detegetur. In Apoth. vers. 248 : *Perquam ridiculum* dicam, quanta consensione omnium editorum, et plurium mss. hic versus ante Heinsium fuerit transpositus. Major in re tenuiore fuit gloria Latini Latinii. In præfatione libri I adversum Symmachum, vers. 74, omnes ediderant, *Spes insueta subit, serpere flexibus, Et vibrare sagax eloquii caput*. Latinius, trajectionem litterarum odoratus, *seps* restituit, plaudentibus et sequentibus omnibus. Chamillardus hanc restitutionem Sirmondo ascribit, Heinsius ait ita castigandum jam pridem

nusquam in Romanum locum convenire et morari permittuntur; *Manichæis etiam de civitatibus pellendis, et ultimo supplicio tradendis, quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat injuria.*

(*a*) Exod. XIII, 21 et 22 : *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.*

monuisse Latinum Latinium, Jacobum Sirmondum et Laurentium Pignorium. Ego quidem plurimi facio cum Sirmondum, tum Pignorium : sed ut gloria ejus castigationis Latinio debita cum his aliqua ex parte communicetur, oporteret demonstrare nihil eos audivisse de correctione Latinii, qui longe ætate præcessit. Percrebuit autem ea fama multorum sermonibus circa annum 1581; nam Latinius ænigma condidit ad cardinalem Guilielmum Sirletum, quod, quia nondum editum puto, hic referam ex schedis mss. apud cl. præsulem Reggium.

Si cui, quæ fuerat procerum obsignata tabellis
In manibus spes certa diu, conversa repente
175 Serperet, inque sinu latebras fera quæreret aspis,
Quis non horrendi subitique pericula casus
Si sanus reputet, miseratus defleat? atque
Vix fieri potuisse putet quia protinus omnes
Corporis atque animi vires, roburque superbum
Quamvis magnanimo caderent? Audentior ergo
Solus ego intrepidus monstrum complector amicum,
Spemque valere simul jubeo; usurpataque furtim
Jura aliena suis extemplo reddere cogo.
Quid velit obscurum, Sirleti, ænigma, resolvo.

Tum subjicitur epistola data 12 Octobris 1581, quæ typis jam est vulgata. Deinde hoc epigramma, quo etiam ænigma explicatur :

Forte sub obscura SEPIS Prudentius umbra
 Texerat ingenii dira venena tui,
Symmache, splendore o nimium confise superbi
 Nominis, et clari viribus eloquii.
Nescius historiæ antiquarius, et simul audax
 Grammaticus SEPIS SPEM locat in solio.
Sæcula perque novem tenuit male conscia furti,
 Ipsa licet non fur, SPES aliena tamen.
Exsulis est ausus causam defendere nemo,
 Nemo quiritanti ferre rogatus opem.
Divino tandem perfusus lumine mentem,
 Injustum aspiciens exsilium miseri,
SPEM jubeo ire foras, et sedem reddere SEPI,
 Nullius metuens acre supercilium.

Sequitur Julii Jacobonii divinatio, qui ænigma explicabat de spe, quæ Latinium jam senem fefellerat : alii aliter interpretabantur. Anno 1594 editæ sunt Romæ Josephi Castalionis variæ lectiones, non semel deinde recusæ, ubi cap. XII hæc lectio ex Latinio producitur, et præfertur alteri *spes*, exstanti etiam in codice miræ antiquitatis, quem Federicus Rainaldus emptum in bibliotheca Vaticana collocaverat. Videri etiam possunt, quæ in Bibliotheca selecta Latinii ex Ulysse Aldrovando, aliisque annotantur. Weitzius tandem in Egmondano codice reperit, *Seps insueta*.

CAPUT XXIII.

Peccata metri Prudentio objecta. Opusculum ms. Ludovici Cavalli contra Hymnos Breviarii Romani refellitur.

176 203. Cum passim Prudentius in metri regulas dicatur peccasse sive ex ignorantia, sive ex negligentia, plura ego collegeram, non tam ut eum defenderem, quam ut rationem præscriberem qua Patrum Ecclesiæ carmina sanari valeant, observata veterum consuetudine, non corrumpi, quod a multis factum esse constat. Sed ex ingenti silva pauca seligam; eaque potissimum quæ ad Prudentium magis pertinere videbuntur, explicabo meliori ordine; quo res multum inter se connexæ atque implicatæ possint digeri. Ex quibus tamen non difficulter compendium artis poeticæ ecclesiasticorum poetarum primæ ætatis possit adumbrari. Chamillardus in limine suæ editionis catalogum exhibuit syllabarum, in quibus erravit Prudentius, quem hic subjiciam, aliis ex Cellario additis (*a*).

177 204. Cellarius præterea notat Prudentium *es* finita per *is* formasse brevitatis causa, ut *famis* recto casu, *luis*, *pubis*; verba secundæ quasi a forma tertia corripuisse, *extorque*, *percense*, *collucis*. Frequentius etiam Prudentio quam aliis esse, brevem in fine producere propter sequentis vocis geminam consonantem, ut Cath. 7, vers. 152 et sæpe alias. Casaubonus, comment. in Trebellium, pag. 214, af-

(*a*) Syllabæ quæ male a Prudentio corripiuntur, ex Chamillardo; syllaba 1 in *ænigma*, Apoth. vers. 331; 3, *allophylus*, Hamart. vers. 500; 2, *Arius*, Psych. vers. 794; 1, *Beryllus*, Psych. vers. 855; 3, *calceamentum*, Peris. hymn. 6, vers. 74; 3, *Chalcedon*, Psych. vers. 857; *cui*, monosyllabum, Cath. 3, vers. 167; 2, *dæmon*, Sym. 2, vers. 888; 2, *dispar*. Hamart. vers. 26; 2, *elutus*, Peris. 5, vers. 362; 3, *energima*, Apoth. vers. 400; 1, *enervatus*, Sym. 2, vers. 143; 2, *eremus*, Psych. vers. 371; 1, *fio*, Peris. 13, vers. 59; 1, *ganeo*, Hamart. vers. 322; 1, *hæresis*, Psych. vers. 710; 2, *idolium*, Apoth. vers. 186; 2, *idololatra*, Hamart. vers. 404; 2, *idolum*, Psych. vers. 379; 2, *imbecillus*, Apoth. præf. 2, 31; 2, *impar*, S. I, vers. 168; 3, *involucrum*, S. I, præf. vers. 54; 4, *Lacedæmon*, S. II, vers. 247; 2, *mathesis*, Sym. II, vers. 478; 2, *phrenesis*, Hamart. vers. 125; 2, *poesis*, S. II, vers. 52; 1, *pugillaris*, Peris. 9, vers. 15; 3, *Pyreneus*, Peris. 6, vers. 147; 3, *quadrupes*, Apoth. vers. 212; 2, *romphæalis*, Cath. 7, vers. 93; 1, *rubigo*, Psych. vers. 105; 1, *socors*, Cath. 1, vers. 35; 1, *sphæra*, Apoth. vers. 210.

Syllabæ quæ male producuntur : 1, *cui*, dissyllabum, Hamart. vers. 105; 2, *Cyaneus*, Psych. vers. 859; 2, *delibutus*, Psych. vers. 312; 1, *Duita*, Hamart. præf. vers. 37; 2, *hecatombe*, Per. 10, vers. 1051; 2, *margarita*, Psych. vers. 874; 2, *redimitus*, Psych. vers. 688; 2, *Sardinia*, Sym. II. vers. 945; 1, *smaragdinus*, Psych. vers. 863; 2, *sophia*, Sym. I, vers. 54.

Eadem quantitate usus est Prudentius dum hæc ipsa verba repetit, nimirum : *Allophylus*, D. v. 71; *dæmon*, Per. 2, 505; et ibid. 10, 1088; *dispar*, Ham. 775; *enervans*, C. 8, 64; *eremus*, C. 5, 89, D. 45; *fiam*, etc., Per. 6, 83; S. I, 225; Per. 10, 855; *ganeo*, Ps. 343, H. 322; *heresis*, C. præf. 39, H. 64, Ps. 710, 725, D. 72; *idolum*, passim; *imbecillus*, C. 4, 2, 11, 99; 12, 207; Per. 10, 721, C. 7, 90; *impar*, P. 10, 565; Ps. 549; *involucrum*, C. 5, 36; H. 868; *mathesis*, Sym. II, 893; *socors* et *socordia*, Per. 10, 810; A. 126; de *cui* dicam postea; *Cyaneus*, Per. 12, 41; Sym. I, 302; *margarita*, P. 10, 648; *sophia*, C. 1, 34.

His alia addit Cellarius : *Asclepiades*, *a* 2 longo, Per. 10, vers. 42, 108, 392, 548, 687, 921; *charisma*, *a* 1 longo, Ap. præf. 1, 11; S. II, 94; P. 13, 61; *idolium*, *i* 2 brevi, P. 11, 52; A. 186; S. I, 611; 2, 79; *Iesus*, eliso *i* primo, P. 756; A. 417; Ps. 777; D. 142; C. 181; A. 222, 502, 770; D. 102, C. 7, 178; 12, 173; A. 935, 992, 1058; Per. 6, 74; *Hadrianus*, *a* 2 brevi, S. I, 274; quod tamen produxit Per. 12, 61; *homo*, prima longa; *Marcion*, *i* longo, H. præf. 36; H. 56, 124, 129, 502; *Paraclitus*, *i* brevi, C. 5, 160; Per. 10, 430; *Magia*, *i* longo, S. I, 89; *utraque*, plur. *a* longo, C. 10, 5; P. 3, 80; Ap. 320, quo in versu male Chamillardus in indice ait, *utraque* esse in ablat. sing.

firmat Prudentium i primum *Spiritus* corripuisse; sed voluit dicere Sedulium, ut puto: nam is, ut gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis clara voce decantaret, neglexit regulam grammaticæ dispositionis: *Gloria magna Patri semper, tibi gloria, Nate, Cum sancto Spiritu gloria magna Patri*, quod observavit V. Beda lib. de Arte metrica. Si Prudentium Casaubonus vere respexit, fortasse notavit vers. 8, hymn. 10 Cath., *Spiritus simul, et caro servit.* Sed hunc versum aliter legendum esse constat ex commentario. Prudentius sæpissime ea voce utitur, et semper i primum producit. Ricciolius part. 8 Prosod., cap. 2, app. 5, ait, Prudentium produxisse a in *criminaque delusum ab accentu.* Sed magis delusus est Ricciolius: nunquam enim a in *crimina* Prudentius produxit. Longum quidem fecit a in *ridendaque* Sym. I, vers. 361, *Mimica, ridendaque suis*, sed ob cæsuram, ut mox explicabo, vel potius ob dictionem encliticam *que*.

205. Barthius lib. XI Advers., cap. 20, observat, Agobardum in phaleco post obitum Caroli et Ledradi *propitii* vocem prima producta posuisse, secutum Prudentium in Passione Agnetis. Ita certe habet Prudentius vers. 130: *Purgabor oris propitiabilis.* Et in Eulalia, vers. 215: *Carmine propitiata fovet.* Potuit tamen Agobardus rationem sequi, cum in hujusmodi vocibus, ubi plures quam duæ breves concurrunt, aliqua ex his produci valeat, ut pentametrum, aut hexametrum ingrediatur. Ita accidit in *religio, reliquiæ, Italia, Priamides, catholicus, pupugerat.* Præterea cur non erit longum o in *propitius* (a)? **178** Ludovicus Cavallus in observationibus ad novos hymnos, quæ mss. exstant in bibliotheca collegii Romani, correctoribus sub Urbano VIII objicit quod in *azyma* cum Prudentio y corripuerint, observ. 39; item quod pariter a in *Judaicus* cum eodem Prudentio longam fecerint, observ. 40; quod i in *sempiternus*, secuti eumdem Prudentium, breviaverint, observ. 41; et quod *Paraclitus* cum i brevi ejusdem Prudentii auctoritate protulerint, observ. 42 (b).

206. Memini me hoc Cavalli opusculum ab aliis laudatum allegare dissert. de Hymn. eccles., num. 159, 160, ac rursus in hymn. Hispan., pag. 267. Aliam hominis docti fuisse mentem existimaveram, alias rationes, quibus correctionem Urbanianam impugnaret. Postea in librum ms. incidi, et pauca reperi quæ aliqua responsione digna videantur. Verum quod suo loco prætermissum est, alieno dicere non pigebit: si tamen alienus hic locus est judicandus, quo eadem opera et hymnos correctos Breviarii Romani, et nostrum Prudentium licet vindicare. In hymno Ad vesperas sabbati in Albis, *Ad regias Agni dapes*, reprehendit, ut dixi, *Sinceritatis asyma*, correpto y in *asyma*, quamvis Prudentius corripuerit Apoth. vers. 353: *Lascivire choris, similaginis azymon esse.* Ricciolius in indice 2 syllabarum controversarum numerat hanc ipsam, et concedit produci a Nicandro in Alexipharmacis, sed addit, nos in pronuntiando sequi posse ex consuetudine jam invecta accentum Græcum, qui est in antepenultima. Quid si saltem quarto Ecclesiæ sæculo ea consuetudo jam obtinuerat? Sic enim habet Paulinus in carmine ad Cytherium de naufragio Martiniani: *In veritatis azymis*; et Natali 8: *Inde fugæ memores etiam nunc azyma sumunt.* Recte ergo Casimirus Sarbievius S. I., qui solus eum hymnum correxit, censuit non mutandum versum *Sinceritatis azyma.* Nam Sarbievium, poetam lyricum præstantissimum, fuisse e numero eorum qui emendationi hymnorum jussu Urbani VIII operam navarunt, quod tunc me fugerat, nunc plane affirmo edoctus ab eminentissimo cardinale Joanne Carolo Boschio, qui, ut est cum aliarum, **179** tum præcipue ecclesiasticarum rerum cognitione egregie instructus, id me perhumaniter admonuit; ostenditque editionem Parisiensem pulcherrimam operum Sarbievii, in cujus præfatione hæc narratio de correctione Urbaniana continetur.

207. De voce *Paraclitus* eadem responsio ex consuetudine et accentu Græco petitur. Et cum Cavallus fateatur, Patres in fine iambici posuisse *Paraclitus*, ut S. Hilar., *Cum Spiritus Paraclitus Effulsit in discipulos*, inepte contendit tum ab ipsis adhibitum spondæum pro iambo: nam potius in aliis sedibus contra metrum peccabant quam in fine iambici, ubi semper iambum adhibebant (c). Correctores etiam retinuerunt quod Prudentius scripserat Cat. 12, vers. 42: *Populique rex Judaici*, in vesperis Transfigurationis. Contra nihil profert Cavallus, nisi dubium exemplum Juvenalis, satir. 14, vers. 101: *Judaicum addiscunt, ac servant, et metuunt jus.* Similiter usus est Prudentius Apoth. vers. 552: *Sunt qui Judaico cognatum dogma furori*, et vers. 321: *Hæc si Judaicos*

(a) Becmanus, de Origin. ling. Lat., fatetur *propitius* esse a *porro*, aut *prorsus pius* ex quorumdam veterum sententia, quamvis ipse præferat, a *prope* cum terminatione communi *itius*, ut *fictitius, commentitius.* Si primam veterum opinionem teneamus, patet ex origine o esse producendum. Ante Prudentium produxerat quoque Juvencus, lib. I, in principio: *Nam me propitius rerum pater unicus alto.* Ricciolius hanc quantitatem primum indicat, deinde aliam ex Seneca, et Plauto; sed Plauti versus ambigui sunt.

(b) Hoc loco non possum quin verba observationis 42 describam: *Et licet*, inquit, *SS. Patres, et hymnographi antiqui hoc nomen in suis hymnis posuerint in fine iambici dimetri, non tamen sequitur ut corripuerint sed spondæum maluerunt ponere, et legem metri spernere, quam hoc insigne Spiritus sancti epitheton natura productum corripere et corrumpere.* Miror cur Prudentium e numero aliorum Patrum et veterum hymnographorum exemerit, cur etiam eadem defensione qua alios eum non tueatur, ac demum cur solam recentium auctoritatem Prudentio aliisque veteribus opponat.

(c) In hymno de Spiritu sancto, quem descripsi num. 73, et Paulini Nolani esse conjicio, *Paraclitus* i brevi profertur. Sidonius pariter *Heraclitus* i brevi protulit; *Quidquid Pythagoras, Democritus, Heraclitusque*, quem hac de causa Hermolaus accusat, defendit vero Ptolemæus Hispaniolus in Corollario de licentiis poetarum tom. IV operum Baptistæ Mantuani ejus fratris, pag. 167.

sic intellectu negassent. Sed in his omnibus versibus locus est spondæo per synæresin *Judæi*, in primo illo opus est iambo in sede extrema, *Populique Rex Judaici*, uti etiam dactylo in versu Alcimi Aviti de Origine mundi, *Quando induratum plebes Judaica nomen*. Ut in *sempiternus* *i* longum asseratur, sola Josephi Scaligeri auctoritas idonea minime est, neque enim certum est derivari a *semper* et *æternus*, neque, si id certum sit, derivata semper legem primitivorum sequuntur, præsertim quia *æ* sicut in *i* mutatur, ita in *i* breve converti poterit. Paulinus pariter *i* corripuit in carmine ad Cytherium de Naufragio Martiniani prope finem: *Ut sempiternæ clara vitæ gloria*. Eamdem quantitatem defendit Huetius in Origenianis contra Scaligeri opinionem. Hæc Prudentio cum correctoribus Urbanianis communia. Cætera prætermitto, quia et leviora sunt, et ad nos non pertinent, vel si ad nos quidem, non tamen ad hoc tempus, neque ad hunc locum.

CAPUT XXIV.

Leges a Prudentio aliisque antiquis poetis Christianis in metro servatæ.

180 208. Et ut in Prudentio defendendo pergam, totamque defensionem ad certa capita revocem, nonnullas regulas exponam quibus syllabarum quantitas ab eo adhibita vindicetur (*a*). PRIMA SIT REGULA: *Quædam sunt voces in Ecclesia Romana ab ipsis religionis nostræ initiis usitatæ peculiari quodam intervallo brevitatis, aut longitudinis, sive ex Græco, sive ex Hebraico idiomate conversæ, quas viri docti jure eadem quantitate proferebant, non ad originem, sed ad consuetudinem attendentes, populo usum concedentes, sibi scientiam reservantes.* Ludewigius Vossium lib. IV, part. 2 Instit. orator., cap. 1, § 3, secutus, de Prudentio ita ait: *Cæterum voces in diviniori cœtu Christianorum* **181** *inventas, quod receperit noster et adhibuerit, culpare velle absurdum est.* Idem observat, poetas Christianos verba *ecclesia*, *mysterium*, *psalterium*, et alias in Ecclesia Romana receptas adeo voces, ut non sine periculo falsæ doctrinæ immutari a quovis potuerint, adeoque et a plebe fuerint usitatæ, in antepenultima breviasse. In his tamen exemplis non una eademque videtur fuisse consuetudo. Nam Prudentius in *ecclesia* et *mysterium* antepenultimam producit, S. Paulinus sæpe etiam eamdem syllabam longam fecit. Ex hac regula sustineri poterunt in Prudentio *Allophylus*, *Arrius*, *eremus*, *heresis*, *idolum*, *dæmon*, *Iesus* eliso *i*, aut *e*; *Paraclitus*, *Azymon*, *Iudaicus*, et aliæ similes voces, quanquam nihil prohibet quominus eadem vocabula diversis rationibus ac regulis defendantur, ut ex regulis sequentibus constabit.

Altera est regula. *In vocabulis e Græco derivatis, accentu a quantitate discordantibus, veteres poetæ Christiani neglecta quantitate accentum secuti sunt in antepenultima, quod ita tum pronuntiarent.* Diversam olim fuisse rationem pronuntiandi, variasque doctorum opiniones ex Quintiliano lib. I, cap. 5, discimus: *Ut Atreus, quem nobis viventibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset.* Ac revera Plautus non solum dactylum facit *Phædromus*, cujus *o* est *o* mega, sed etiam penultimam corripit in *Philippus*, quia utrobique Græce scribitur, et pronuntiatur cum accentu in antepenultima. Sic ex usu brevem penultimam proferimus in *antiphona*, quamvis *o* longum sit; et Italice, *Otranto*, *Taranto*, Hispanice vero *Fromesta* dicimus, accentu in antepenultima collocato. Ex hac regula plures defenduntur syllabæ in Prudentio, *eremus*, *phrenesis*, *idolum*, *poesis*, *mathesis*, secunda correpta; contra produxit *i* in *sophia*, quia Græce acuitur, ut nunc eadem ratione, et ob consuetudinem, multi proferunt longam secundam in *Andreas*, *Matthias*, *idea*.

209. Tertiam regulam statuo. *Multa sunt quæ Prudentii aliorumque æqualium auctoritate defendi possunt, tum maxime cum antiquiorum exempla vel præcepta contraria non obstant.* Sæpe Prudentius *e* in

(*a*) Ex tribus indicibus syllabarum quas licentius solito dicitur Prudentius produxisse aut corripuisse, a Chamillardo, Cellario et Teolio confectis, quædam vocabula excerpam, in quibus hi auctores contra communes et pervulgatas regulas artis poeticæ videntur judicare. Chamillardus et Teolius notant, a Prudentio primam produci in *Duita* in præfat. Hamart. vers. 37: *Docet, Duitas discrepare a spiritu.* Vides versum senarium, ubi necessario corripitur prima in *Duitas*. Cellarius secundam in *magia* a Prudentio produci animadvertit vers. 89 lib. I in Sym.: *Necnon Thessaliæ doctissimus ille magiæ.* Non video autem cur debeat corripi; nam Græce est μαγεία, neque aliam quantitatem vulgo indicant scriptores prosodiæ. Idem Cellarius in suum indicem conjicit *homo* prima producta, ex hymno 5 Peristeph. vers. 157. Ita enim ille legit: *Est alter homo intrinsecus.* Sed cum solus Aldus ita hunc versum ediderit, cæteri editi et mss., *Est alter, est intrinsecus;* Fabricius vero, *Homo alter est intrinsecus*, inepte illam lectionem prætulit, nulla adhibita ratione. Præterea cur in iambico dimetro secundo loco non recipiatur tribrachys? Sic Horatius 2 epod., *Videre properantes domum.* In Prudentii versu illo, *Est alter homo intrinsecus* hiatus esset admittendus, qui neque Prudentio, neque aliis insolitus est. Teolius e sua penu solum addit, *excitus* secunda brevi, hymno 3 Perist., vers. 96: *Talibus excitus in furias*, et *noverimus* tertia producta in præf. Psych., vers. 58: *Possint, figura noverimus mystica.* At de *excitus* docent grammatici posse esse vel ab *excio*, et tum esse secundam longam; vel ab *excieo*, et tum esse brevem: hinc *excito*, *excitas*. Ita etiam *percitus* et *concitus*. De *noverimus* hærent adhuc memoriæ versiculi Artis grammaticæ Jo. Ludovici de la Cerda sub Nebrissensis nomine:

Ri conjunctivi poterit variare poesis,
Orator patriæ doctum ne spreverit usum.

Ac revera plerique Hispani in oratione soluta RI subjunctivi producunt. Nonnulli veteres grammatici consentiunt, penultimam subjunctivi modi in RIMUS et RITIS esse longam: Vossium etiam et Emmanuelem Alvarez in eam sententiam inclinare alicubi legi. Hi putant, necessitate metrica corripi penultimam subjunctivi modi in RIMUS et RITIS. Ad Prudentium vindicandum abundat hæc defensio; neque exempla ad regulas confirmandas sunt necessaria.

imbecillus corripuit. Cur reprehenditur a Vossio lib. II Gramm., cap. 17, Chamillardo aliisque? Nam *imbecillum* formatur a *baculo* seu *bacillo*, quasi sine baculo. Dicunt, Horatium et Lucretium in hexametris produxisse. At in hexametris necessitate metrica debuit produci. Itaque Becmanus, de Origin. ling. Lat., verbo *Baculus*, potius accusat Horatium, quod posthabita origine produxerit, *nisi excuses per figuram, qualis in relliquiæ*, exemplumque **182** Prudentii et I. C. Scaligeri, qui corripuerunt, producit. In *involucris u* corripuit Prudentius. Cur reprehenditur? Aiunt esse ab *involutum*, et Prudentium deceptum, quasi putaverit esse a *volucris*. Quid si derivetur ab *involvo*, ut nonnulli suspicantur, et dicatur *involucrum* quasi *involvucrum*, extrito *v* consonante (*a*)? At *involucrum* dictum ab *involvo* sive *involvendo* comprobat Iso in glossis ad vers. 36 hymni 5 Cath., *Ne sanctum involucris pollueret locum. Calceamentis a volvendo.* Hæc origo quidem mihi non placet: sed consuetudo veterum certa est, ut corriperent etiam *simulacrum*, *lavacrum*, quod ex Prospero Aquitanico aliisque incerti auctoris versibus Fabricius observat in ind. poet. Christ. Cl. Teolius testatur, apud S. Prosperum carm. de ingratis occurrere *involucris* penultima correpta: locus mihi quærenti non occurrit. In vett. codd. reperio scriptum *involucla*, quasi ab *involuculum*. Notatum ab aliis non invenio, Prudentium corripuisse *u* primum in *lugubri* vers. 79 hymni 9: *Sol refugit, et lugubri sordidus ferrugine.* Contra sunt optimorum poetarum exempla, et in *lugeo u* est longum. Nihilominus cum syllabarum quarumdam varia fuerit, et communis quantitas, et sæpe derivata declinent a sua origine, non statim erroris arguendus est Prudentius, sed vel ejus exemplo defendi poterit, *saltem eo tempore quo scripsit*, corripi potuisse *u* primum in *lugubre*; quod etiam corripuit S. Damasus in versibus de S. Agnete:

> Fama refert sanctos dudum flevisse parentes
> Agnen, cum lugubres cantus tuba concrepuisset (*b*).

Huc fere revocari possunt in Prudentio *propola* prima producta (quæ vox abest ab indicibus Chamillardi, et Cellarii), *berillus*, *calceamentum*, *cui*, *pugillaris*, *frustra a* brevi, *dispar*, *ganeo*, *impar*, *Pyreneus*, *delibutus*, *smaragdinus*, *charisma*, *redimitus*, quanquam in *redimitus* cum sæpius *i* primum corripuerit, semel tantum **183** produxerit, in codd. pro *coronatus* irrepsisse *redimitus*, haud levis est conjectura. In *berillus e* corripuit etiam Venantius Fortunatus lib. III Vitæ S. Martini:

> Quæ palla ex humeris mixto Chrysoprase berillis

Ita lego. Alii male, *mixto Chrysopraso*, vel *Chrusoprasoberillis*.

210. Quarta est regula. *In nominibus propriis magna fuit veterum poetarum licentia, sive quia quorumdam erat opinio, communes eorum esse syllabas sive aliorum exemplo: multo vero magis in nominibus quæ a gentibus exteris et barbaris accipiebant.* Huc pertinent *Allophylus*, *Lacædemon*, *Pyreneus*, *Cyaneus*, *Sardinia*, *Asclepiades*, *Hadrianus*, *Arrius*, *Marcion*, *Marcionita*, *Iesus*, et alia Hebræa, quanquam ex his plura possunt *alia et meliori ratione* defendi, ut *Hadrianus*, *Marcionita*, *Iesus* per synæresin. Scio nonnullos poetas veniam præfari, cum nomina propria efferunt, contra quam usitatum syllabarum intervallum exigere videatur (*c*).

211. Non dubito quin poetæ plerumque luserint, dum difficultatem nominis proprii enuntiabant, ut Horatius satira 5:

> Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,

> Aut ut ducatur, quæ nunc correptius exit,
> Et sit porrecta longa secunda mora.
> His ego si vitiis ausim corrumpere nomen,
> Ridear et merito pectus habere neger.

Et Martialis in nomine Earinus:

> Nomen nobile, molle, delicatum
> Versu dicere non rudi volebam.
> Sed tu syllaba contumax repugnas;
> Dicunt Εἰαρινὸν tamen poetæ,
> Sed Græci, quibus est nihil negatum,
> Et quos ἄρες, ἄρες decet sonare.
> Nobis non licet esse tam disertis,
> Qui musas colimus severiores.

Barthius lib. VIII, cap. 18, levitatem poeticam in Martiale animadvertit, qui lib. I epigram. 104. (mihi 105), *cui* per duas breves protulit, et eamdem vocem monosyllabam posuit, cum in Græcis alibi ἄρες ἄρες reprehendat, seque cum Latinis suis severiores musas colere autumet. Sed valde dispar est utrobique ratio: aliud enim est e duabus vocalibus synæresin efficere, aut diphthongum sive ordinariam sive extraordinariam dissolvere; aliud *eamdem omnino syllabam* modo corripere, modo producere. Alio exemplo Martialis posset revinci: nam Latini nomen Martis, *Gradivus*, solent *a* sive brevi, sive longa efferre, uti plura alia propria: recte igitur procederet hic versus:

> Romani possunt Gradivum, sive Gradivum
> Dicere.

(*a*) Ricciolius in Syllabis controversis ita defendit Prudentium: *Qui putant formari ab involutum succensent Prudentio penultimam corripienti; sed si quamprimum formari potest ab involvo, ut a molo, molocrum, et a polluo, pollubrum, non est necesse derivari ab involutum. Neque tam perperam de Prudentio existimaverim, ut putem similitudine deceptum ab adjectivo, involucris, quod significat tardum: imo potius hinc ejus opinionem firmaverim, si involucrem dictum suspicer eo quod involucrem reddat, quem involverit. Sed hæc mera suspicio esto.*

(*b*) In *palus* esse *u* longum etiam grammaticorum veterum regulæ tradunt, nunc quia scimus illud positum breve ab Horatio in Arte poetica,

> Regis opus sterilisve diu palus, aptaque remis,

commune esse prosodiæ auctores docent. Fac periisse illum Horatii versum: damnaretur Prudentius, ejusve æquales, qui ea syllaba brevi usi fuissent, quamvis Horatianum versum ipsi vidissent. Quot carmina antiquorum poetarum legerit Prudentius, quæ nobis tempus invidit!

(*c*) Ut Ovidius lib. IV de Ponto, elegia 12, qui *Tuticanum* in versum venire posse negat, et tamen eum ludens bis inducit:

> Et pudeat, si te qua syllaba parte moratur,
> Arctius appellem, Tuticanumque vocem.
> Nec potes in versum Tuticani more venire,
> Fiat ut e longa syllaba prima brevis.

quod, si libuisset, vel licentia, vel necessitate metrica intrusisset. Ausonius epist. 20 ad Paulinum sic incipit :

> Paulino Ausonius ; metrum sic suasit, ut esses
> Tu prior, et nomen prægrederere meum.

At poterat metrum consistere, quamvis prior esset Paulinus, si alio modo versus formaretur (*a*). Noster quoque Prudentius pariter metrum **184** repugnare dixit, ne *Saturninorum* nomen Sapphico carmine includeretur, vers. 161, hymno 4 Perist. : *Quatuor posthinc superest virorum Nomen extolli, renuente metro, Quos Saturninos memorat vocatos Prisca vetustas* (*b*). Hoc ipsum tamen ob aliquam difficultatem ab eo dictum intelligo, non quod versus Sapphicus hoc modo compingi non posset : *Inde Saturnini obeunt securi Quatuor una*, aut alio simili. Prudentium imitatus est Sidonius lib. IX, epist. 16 :

> Post Saturninum volo plectra cantent...,
> Singulos quos nunc pia nuncupatim
> Non valent versu cohibere verba,
> Quos tamen chordæ nequeunt sonare,
> Corda sonabunt.

Plura exempla similia affert Sirmondus, pag. 103, in notis ad Sidonium. In Sedulio, Aratore, Venantio Fortunato, Prudentio reperio scriptum more Latino, *Arrius*, secunda correpta. Cur id damnem? Cur potius communem ita loquendi consuetudinem non fatear? Christiani poetæ majori licentia quam veteres, nomina propria syllabis communibus pro arbitrio pronuntiabant, ii vero maxime qui ferrea ætate vel post eam scribebant. Fortunatus lib. VIII, carm. 4 :

> Has inter comites conjuncta Cesaria fulget.

C Quo versu relato ait Barthius lib. LXVI Advers., cap. 5 : *Nominum propriorum cura exigenda non est a poesi hujus auctoris.* Itaque concludam, optimos quosque poetas certa quadam licentia usos fuisse in variandis syllabis nominum propriorum, sed cum moderatione et verecundia, quod attinet ad nomina Latina et Græca : nam qui diligentius quærunt quo

A intervallo brevitatis vel longitudinis Hebræi suas voces pronuntiaverint, aut ex Massoretarum disciplina tradunt esse nunc pronuntiandas, ii mihi videntur oleum et operam perdere, ne dicam judaizare. Qui si mihi persuaserint denique, opinionem R. Moysis potius quam R. Salomonis tenendam esse ; vocem aliquam scribi per *chatef patach*, scilicet *a* brevissimum ; aut per *patach*, quod est *a* breve ; aut per *kametz*, nempe *a* longum ; originem magis Hebræam quam Arabicam aut Syriacam attendendam esse : cum, inquam, id obtinuerint, tum bona eorum pace respondebo, malle me sequi Tertulliani, Juvenci, Prudentii, Paulini **185** aliorumque veterum Patrum sententiam, qui sui sæculi et linguæ morem non ignorantes, aut consuetudinem Hebræorum scierunt

B et contempserunt, aut ne curarunt quidem scire, quorum imitari malo negligentiam quam istorum obscuram diligentiam.

212. Quinta regula. *Erroris non sunt arguendi Prudentius aliique antiqui poetæ ecclesiastici, quod licentia poetica interdum, et figuris synæresi, crasi, aliisve hujusmodi utantur.* Hæc cum explorata sit regula, e catalogo errorum metricorum Prudentii delendæ sunt hæ voces : *cui*, monosyllabum breve ; *ganeo*, cujus *a* potest esse longum synæresi facta in duabus syllabis postremis ; *delibutus*, ubi *i* necessitate metrica fit longum (ut etiam concedit Ricciolius de Regulis generalibus prosodiæ part. 2, reg. 9) ; *margarita*, *Iesus* eliso *e*, *Hadrianus*, *Marcionita*, *ia* et *io* synæresi facta, nam *i* in *Marcion* est longum. Exstat apud cl. Giovenazzium Christophori Wasii Senarius, sive de legibus et licentia veterum poetarum, Oxonii e Theatro Scheldoniano 1687, liber in nostris regionibus rarus, ubi auctor aliquantulum obscure, sed docte de figuris poetarum, hiatu, ectasi, diæresi aliisque disserit, ac multa affert quæ Prudentio conveniunt, nisi quod is non tanta licentia abusus est quantam antiqui poetæ, præsertim comici, sibi arrogabant (*c*).

(*a*) Colligunt hinc nonnulli, morem tunc fuisse, ut nomen ejus ad quem data esset epistola, postponeretur. Sed ego in ejusdem Paulini epistolis sæpius contra fieri video, SEVERO FRATRI PAULINUS.

(*b*) Iso putavit, nomina Saturninorum propria taceri : *Nam barbara nomina erant. Ideo in metro ponere nequibat.* Idem quoque Nebrissensi visum : *Renuente metro, quia syllabæ quædam illorum nominum repugnabant legi carminis Sapphici.* Nebrissensem secutus est Ambrosius Morales, quos Riscus probe refellit : etenim ipsum nomen *Saturninorum* metro includi non posse ait Prudentius.

(*c*) Hispaniolus, lib. de Licentiis veterum poetarum, de synæresi ait : *Tali licentia utuntur et Græci, et vocatur apud eos synecphonesis... vel duas longas in unam longam, vel brevem et longam in unam longam vertunt ; vel duas breves in unam brevem, vel duas breves in unam longam.* Sic duæ breves in *cui* in unam brevem verti possunt ; brevis et longa in *Iesus* in unam longam. In Lucretio, lib. VI, pag. 218, Gifanius legit, *Janua ne potius his orci regionibus esse*, ut *potius* sit dissyllabum, et brevis ultima. Apud comicos passim similia occurrunt *sua*, *tua*, *mea*, quasi *sa*, *ta*, *ma*. His adde *bobus* et *subus*, ex *bovibus* et *suibus*. Nullum quidem exemplum invenio ubi *cui* monosyllabum sit breve ; sed figuræ hujus generis raræ sunt, et præterea *cui* sæpius occurrit iis locis in quibus et breve et longum esse possit, quin intelligamus quo determinato intervallo auctor fuerit usus. In carmine S. Paulini ad Cytherium libenter legerem, *Centum cui Cellas nomen est*, ut versus iambicus secunda sede reciperet iambum, *cui* monosyllabo brevi. Nunc legitur, *Cui*

D *Centumcellas nomen est*, antea, *Cui Centumcellis nomen est* ; Fronto Ducæus correxit errorem inductum a typographis, qui usum illius ævi ignorabant, nomina urbium indeclinabilia enuntiandi nonnunquam per quartum, nonnunquam per sextum casum, *Colonia Veios*, *Fundis oppidum*. Sed nihil ausim definire : nam scio, Paulinum nonnunquam loco secundo iambici dimetri spondæum admisisse ; quod bis fecisse Ausonium notat Julius Cæsar Scaliger Poetices lib. VI, ac notare poterat multo sæpius id ab Ausonio factum. Quod in *Iesus* ex una brevi, et altera longa synæresis fiat, non magis est reprehendendum quam quod ex *ejicit* Lucretius fecerit *eicit*, et ex *oriundi* in *semine oriundi* spondæum ex tribus ultimis, ex *rejice* Virgilius *reice*. In synæresi *Iesus* pronuntiatio veterum magis *i* quam *e* videtur expressisse : nam adhuc apud nonnullas Orientis nationes *Isu* pro *Iesus* profertur. *Ysus* pro *Iesus* in quodam hymno, quem nondum editum puto, olim canebatur : exstat hic hymnus in codice pergam. nunc Ecclesiæ Veliternæ,

186 213. Sexta regula. *Poetæ* III *et* IV *sæculi, præsertim Christiani, frequentius quam veteres, syllabas breves producebant ratione cæsuræ.* Id multi non advertentes, carmina ecclesiastica corrigere ausi, ea corruperunt. Christophorus Cellarius, quamvis non indoctus grammaticus, in curis posterioribus de barbarismis versum Juvenci ex prologo,

> Sanctificus adsit mihi carminis auctor
> Spiritus,

ita refert, ut addat, *Nisi forte quod lex metri postulat, legendum est* SANCTIFICANS. Ineptissima est hæc conjectura. Idem Cellarius notat, frequentius Prudentium quam alios, brevem in fine producere propter sequentis vocalis geminam consonantem, quasi id reprehensione aliqua dignum esset. Verum Prudentius non solum recte id facere potuit, sed etiam B debuit, si plurium doctorum hominum sententiam tueri velimus (*a*). Difficilior est controversia, 187 sitne syllaba communis ratione solius cæsuræ, quam-

A vis vocalis, ubi fit cæsura, consonanti aliqua ejusdem dictionis non terminetur : nam in his, *pectoribus, oratis, Eurialus, caput, tuus, obruimur*, et similibus, nulla est ratio dubitandi. Et Servius quidem versum 164 lib. III Æneid. :

> Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto

reprehendit, quia GRAVIA *finalitatis ratione producitur, sed satis aspere : nam in nullam desinit consonantem.* Alia etiam exempla proferri solent ex Lucretio, Ovidio, Statio, Virgilio, quæ explorata non esse, neque rem conficere, ostendi in censura hymnor. Santol. post Hymnod. Hispan., pag. 440. Scaliger contra quosdam grammaticos (fortasse intelligit Servium) ait lib. II, cap. 17 Poetic. : *Omnis cæsura indifferens est; neque caret ratione : sistitur enim in ea dimensio. Et in saltationibus ad cæsuras terram pede feriebant.* Rationi adjungam auctoritatem Prudentii aliorumque æqualium, si alicujus ea sit ponderis (cur autem non sit?) ex qua saltem efficitur, poetarum

olim Bisuntinæ, exarato circa annum 1050, ut ex præmisso catalogo episcoporum Ecclesiæ Bisonticensis liquido colligitur; quo ut uterer, acceptum refero cl. præsuli Stephano Borgia, in hujusmodi sacris antiquitatibus apprime versato, qui eum codicem mecum perhumaniter voluit communicatum, ex quo integrum hymnum dabo : FERIA III PASCHATIS :

> Alma chorus Domini nunc pangat, nomina summi
> Messias, Sother, Emmanuhel, Sabaoth, Adonay
> Est unigenitus, via vita manus o nousion,
> Principium, primogenitus, sapientia, virtus
> Alpha caput finisque simul vocitatur et est ω
> Fons et origo boni Paraclitus, et Mediator.
> Agnus ovis vitulus serpens aries leo vermis.
> Os verbum splendor sol, gloria lux et imago.
> Panis flos vitis mons janua petra lapisque
> Angelus et sponsus pastorque propheta sacerdos.
> Athanatos Kyrios Theos, panton craton Ysus
> Salvificet nos sit cui secla per omnia doxa.

In codicibus antiquissimis legitur apud Prudentium IHV, et IHM pro *Iesu* et *Iesum*. Vidimus supra num. 193, duas primas litteras nominis *Iesu* ι, et η habitas fuisse a Christianis pro summa, seu compendio nominis *Iesu*. In inscriptionibus aliisque monumentis antiquis sæpius ita hoc augustum nomen scribitur IHS, ut videri potest in dissertatione anonyma Commendatoris Victorii *de hoc sacrosancto nomine*. Mihi satis verisimile videtur, Christianos non solum compendio nomen Iesu scripsisse, sed etiam interdum pronuntiasse, cum illud sæpe in ore haberent. Apud Romanos similia exstant exempla, in *Hercle, Mecastor, Aedepol*. Prudentius igitur fortasse secutus est vulgarem hunc morem pronuntiandi, et spondæum fecit *Iem*, *Ieu*, pro *Iesum*, *Iesu*. In picturis Strabonis Walafridi editis in Manuali biblico Francofurti 1610 versibus hexametris, quibus Novum Testamentum breviter enarratur, spondæus etiam fit ex *Iesus* et *Iesu*, et scribitur IHC et IHV. In codice veterrimo Puteano Prudentii testatur Heinsius legi *Hisum* et *Hisu* pro *Iesum* et *Iesu*; in Egmondano *Hiesum*. Juvencus aliique poetæ veteres Christiani semper scribunt *Iesum*, et *i* corripiunt, *e* producunt.

(*a*) Barthius, lib. IX, cap. 9, Advers., tradit, Hericum, uti plerosque Christianos, non observare, quod de litteris sciscunt doctissimi viri, *st* et *sp* productam reddere syllabam præcedentem. Hericus vers. 229 :

> Seque stupet superesse sibi.

Vers 209 :

> Lucem jam lumina spirant.

Sedulius lib. IV :

> Christus adest panis, sanctus quoque Spiritus igni·

Victorinus,

> Lunæ quoque splendidus axis.

Guilielmus Brito passim. Idem Barthius, lib. XXXVII, cap. 13, ex antiquo membranaceo codice prosodiaco id profert : *Vocalis ante z præcedentis dictionis invenitur brevis, ut apud Juvenalem :*

> *Si tibi zelotypo reserentur scrinia mœcho :*

perinde quasi id sit contra aliquam regulam, quia z vim duplicis consonantis obtinet. Si veteres consulas, Priscianus ita prorsus videtur sensisse lib. II : *Et sciendum, quod non solum ante* l *vel* r, *sed etiam* C *ante* m, *ut supra docuimus, et* n *positæ mutæ faciunt communes syllabas... Ovid. in* X :

> *Piscosamque Gnidon, gravidamque Amathunta metallis.*

Illud quoque non est prætermittendum, quod tribus consonantibus sequentibus potest fieri communis syllaba, quando in principio syllabæ sequentis post vocalem correptam s, *et muta, et post eam liquida sequatur : quippe cum* s *in metro subtrahi more soleat veteri, ut Horat. in Sermone,*

> *Linquimus insani ridentes præmia scribæ.*

Becmanus, de Origin. linguæ Latin., sub. lit. ST, quæstionem hanc agitat, an *sc*, *sp*, *st*, vocales proxime antecedentes producant. Difficile quidem est rejicere omnia exempla ex Lucretio, Virgilio, Propertio, Ovidio, Lucano aliisque optimis poetis allata, quibus brevis relinquitur vocalis, quamvis dictio sequens his litteris inchoetur *sp*, *sc*, *st*, ut in Virgilio, *Ponite spes*; in Ovidio, *Occidit ille Scinis*; in Catullo, D *unda Scamandri* : Quod enim ait Becmanus, notum esse *quod veteres de* PROPRIIS *non adeo solliciti sæpe fuerint*, id confirmare potest, quod dixi num. 210, at in re præsenti locum non habet, cum agatur de vocali, quæ nomen proprium præcedit; et quamvis fingas, locum habere, plurima sunt in aliis dictionibus exempla. Itaque existimo, licere vocali ita correpta versum construere, congruentius tamen esse, si producatur. Ex quo vides ineptias quorumdam, qui versus nonnullos Prudentii emendare vel ea sola ratione ausi sunt, quod vocalem brevem protraxisset, cum duæ consonantes vocis subsequentis longam fieri suaderent. Sic Aldus aliique legerunt ex aliquo cod. ms. *cessisse e stomacho* pro *cessisse stomacho* vers 904 Psychomachiæ.

Christianorum eam fuisse consuetudinem, ut sæpius A quam antiquiores cæsuram indifferentem adhiberent.

214. Regula septima. *Primi ecclesiastici poetæ ob aliquam dialectum* **188** *Græcam, vel propter sui temporis consuetudinem in nonnullis vocabulis Græcis ω, η et αι in vocales breves convertebant, non sine antiquorum exemplo.* In Prudentio hæc passim reprehenduntur, *ænigma*, *Berillus*, *Chalcedon*, *dæmon*, *energima*, *eremus*, *heresis*, *idolum*, *Lacedæmon*, *mathesis*, *phrenesis*, *poesis*, *Pyreneus*, *rompheälis*, *sphera*; quia syllabas Græcas natura longas corripuit. Eccur autem antiquiores, qui simili licentia usi sunt, exemplumque dederunt, sine ulla reprehensione abire permittuntur? Quædam colligam partim ab Hispaniolo aliisque, partim a me observata. *Ionius* con- B scribitur per ω; tamen Virgilius, *Ionio in magno*, alii similiter corripiunt. *Orichalchum* habet diphthongum *ei*. Horatius in Art. poet. breviat *i*,

Tibia non ut nunc orichalcho juncta, tubæque.

Ita Virgilius et alii. *Sithonius* per ω, itemque *æmonia* a Virgilio aliisque corripiuntur. *Orion* etiam per ω, Servius vero per ου scribi olim tradit, et extrito υ manere ο micron. Ovidius lib. IV Fastor.:

Hunc, Hyreus quia sic genitus, vocat Oriona,
Perdidit antiquum littera prima sonum.

O mega in *Origenes* ab Horatio corripitur. Virgilius in Ciri,

Sordibus, et scoria pariter tabescere tali.

Scoria Græce habet ω. In *hepar* η Latini breviant, et C similiter Catullus et Persius in *crepida* η. In *mater* et *pater* η corripi notissimum est: in *aer* interdum protrahitur, sed Claudianus breviavit,

Lucidus umbrifero miscebitur aer Averno.

Valerius Flaccus in VI:

Æquaque nec ferro levior, nec romphea ligno.

Chorea a Tibullo, et *platea* a Catullo *e* brevi efferuntur, quamvis sit diphthongus ει. Græci scribunt *ptissana*, per duas *ss*, et *grabbatum* duabus *bb*. Horatius dixit *ptisana* brevi *i*, et Virgilius *grabatum a* primo brevi in Moreto. Q. Sereni est hic versus:

Et vitio capitis phrenesis furiosa movetur.

Æneadæ in secunda vocali habet ει, et corripitur a Virgilio (*a*). Multa errant nonnulli recentiores, cum **189** veterum scripta in judicium vocant. Ætatem linguæ Latinæ sæculo Augustæo concludendam esse putant, vel ita certe judicant quasi minus Latinum esset quidquid ab aliquo ejus sæculi scriptore non reperiatur scriptum. De Prudentio, Paulino, Ausonio, et æqualibus eorum, perinde loquuntur ac de nostri temporis hominibus, qui linguam Latinam jam mortuam labore, et industria, et ex libris solis addiscunt. Itaque viros illos clarissimos, qui in foro et luce publica hominum versati sunt, in pronuntiatione et usu quarumdam vocum frequentissimarum errasse, deceptos aut delusos fuisse temere jactant. Inique poesin et Latinitatem Prudentii et similium ad regulas seu consuetudinem sæculi aurei, quod vocant, exigere volunt, cum interea non solum Terentium, quem plurimi Cicero faciebat, sed etiam Plautum, Ennium et alios tueantur, quamvis ea quæ Terentius et cæteri in prosodia ausi sunt, longius ab ætate Augusti recedant quam Prudentii carmina. Denique vix poterit syllaba aliqua in Prudentio deprehendi quæ per figuram aliquam poeticam non valeat excusari: quales multas in similibus vocibus adhibuerunt Lucretius, Catullus, Virgilius, Horatius, Ovidius et æquales, quas nonnulli errores et vitia esse putant.

CAPUT XXV.

Prudentius ab aliis corruptus, ab aliis male correctus, ab aliis defensus. Peculiares animadversiones de ejus prosodia.

190 215. Si ea excipias quæ Prudentius ratione

(*a*) Hispaniolus pag. 167 Hermolaum refutat, qui Apollinarem Sidonium accusaverat, quod primam in *Phonascus*, penultimam in *Paraclitus*, primam in *Ctesiphonte*, penultimam in *diastema* corripuisset; et ita concludit: *Si enim antiqui reperiuntur breviasse η et ω, et diphthongum, ut puta, in Virgilio et Persio magnis auctoribus, cur hoc neotericis imputatur?* Julius Cæsar Scaliger lib. VII, pag. 1, cap. 6, notat, *enim* esse ex Græco ἠν, ἠνί. *Neque repugnat longa vocalis: id quod in libris Originum docuimus: sicut neque in crepida, κρηπὶς, neque in venio βαίνω.* Joseph Scaliger *Animadv. in Græca Eusebiani Chronici*, pag. 102, advertit, olim Ionice ω etiam per ο scriptum. Ex Platone D in Cratylo constat, veteres Græcos non habuisse ω, sed ο tantum, neque η, sed ε. Nomen autem vocalis ο erat ου, quod negandi vim habet, ex quo intelligitur illud Ausonii, et aliorum:

Una fuit tantum qua respondere Lacones,
Littera, et irato regi placuere negantes.

Rescripserunt enim non ου, quæ sunt duæ litteræ, sed ο; quod a Græcis vocabatur ου, quod est *non*. Muretus, Var. Lect. lib. XVIII, cap. 1, addit rectissime dici in Apocalypsi, *Ego sum alpha et o*, quin necesse sit Latine loquentibus dicere *o* mega. Ac revera in Prudentio, Paulino, et aliis *alpha*, et ω scribitur, et si Latine versus undecunque esset exarandus, scriberetur alpha et *o*, nam *o mega* ratio carminis non patitur. Sed notandum est tamen, diverso modo a veteribus fuisse pronuntiatum *o* breve, et o longum. Casaubonus in Trebellium, pag. 214, ait, in antiquis multis reperiri *sepulcrum* cum diphthongo, ut in epitaphio Aureoli unius e 30 tyrannis, *Donat sæpulcro victor post multa tyranni*, uti contra Prudentius *e* in sphera corripuit. Salmasius, pag. 129, 169, 213, not. in script. histor. August., fuse de *sphera*, et *enigmate* disserit, et promittit commentarium de vitiis recentium poetarum. Ostendit, scriptores ejus temporis scripsisse *sphera*, ut *machera*, et *macera e* brevi, et apud Ausonium *Citheron e* brevi pro *Cithæron*; apud Maximianum lib. Eleg.: *Me pedagogus adit* pro *pædagogus*; neque Latinos solum, sed Græcos quoque ita scripsisse et pronuntiasse: quod ex antiquis Græcis inscriptionibus probat. Notat, ultimam corripi a Prudentio et Ausonio in *fames*, *lues*, *majestas*, *colluces*. Sed Ausonius fortasse non corripuit *a* secundum in *majestas*, sed spondæo usus est pro iambo, ut sæpe alias, loco secundo iambici dimetri. *Fames*, *lues*, *colluces*, *e* breve habent ex veteri consuetudine scribendi, *famis*, *luis*, *collucis* tertiæ conjugationis, ut *rido*, *is*; *strido*, *is*; *fervo*, *is*; *fulgo*, *is*, et alia, de quibus uberius agit Priscianus lib. X. Quæ omnia poetarum vitia dici non debent.

aut aliorum exemplo fecit, admodum pauca invenies quæ peccata metri possis appellare: in quo socios ille haberet præstantissimos poetas Horatium, Virgilium, alios, de quibus tamen sæpius affirmare licet, quod de comicis Terentianus Maurus: *In metra peccant arte, non inscitia.* Scaliger lib. II Poetic., cap. 31, de vitiis in quantitate loquens: *Ex Homero*, ait, *multa petere queas: fuit enim negligentissimus.* Aristarchus ea modestia Homeri errores notavit, ut nunquam diceret, Homerum errasse, sed quidquid non probabat, Homeri esse denegabat. Cicer., epist. 11, lib. III: *Ut enim Aristarchus Homeri versum negat quem non probat: sic tu (libet enim mihi jocari) quod disertum non erat, ne putaris meum.* De eodem Aristarcho intellige Ausonium epist. 18: *Quique notas spuriis versibus apposuit.* Obiter corrigam alium locum Ausonii, a Scaligero filio in Lection. Ausonian. non animadversum, in præfat. ad Ludum septem sapientum:

Mæonio qualem cultum quæsivit Homero
Censor Aristarchus, normaque Zenodoti.
Pone obelos igitur, spuriorum stigmata vatum,
Palmas, non culpas esse putabo meas.

Lege meo periculo, *spuriorum stigmata versuum*, vel *versum* (a). Igitur quod Aristarchus in Homeri carminibus fecit, idem potiori jure in Prudentio facere liceret, ut *spurios* esse *versus* diceremus, quos aliquo vitio infectos constaret (b).

191 216. Egregia sunt quæ affert Barthius lib. LXI, cap. 25, qui, cum ostendisset recte dici *aer* et *æther* neutro genere, *Talia*, inquit, *plura sunt apud Christianos vates, quæ nos ignorantia antiquitatis, ob amissos tot egregios, imo fere uno et altero demptis, summos Romanæ eloquentiæ conditores non intellecta damnamus. Præcipue apud coryphæum eorum Prudentium, quem ego ad plurimos mores ritusque explican-* A *dos maxime idoneum scriptorem exstare in hoc censu arbitror; sed qui sit etiamnum plurimis maculis confossus atque confectus, non alia majore de causa, quam quod maxime omnibus accepta scripsit, et tali genere dicendi, quali vix optari poterat* (c). Non solum autem codd. mss., sed etiam editionibus Prudentii plurima vitia imputanda esse Gronovius aliique docent; quod a nobis singulis locis adnotabitur, cum varietates lectionum expendemus. Aliqua etiam confusio oriri potuit ex duplici editione carminum Prudentii, dum adhuc is viveret, quod suspicatur Heinsius. Exempla vetera non desunt ex quibus liquet scriptores sua opera emendatiora iterum vulgasse. Mihi probabile est Prudentium suos hymnos et opuscula seorsum ac diversis temporibus composuisse et publicasse, B quæ tandem anno ætatis 57 in unum corpus coacta in publicam lucem emiserit, ac nonnulla emendaverit.

217. Exemplum vero errorum qui a typographis sunt inducti, ponam in *idolum*, quod brevi *o* a Prudentio semper inducitur. Aldus senior codd. mss. errorem putans, sæpe emendare voluit, ut Psychom. vers. 379: *Quosque viros non ira fremens, idolaque bello* pro *Quosque viros non ira fremens, non idola bello.* Et Aldus quidem regulam secutus est, neque in errorem incidit; non ita Muratorius in S. Paulino, qui eamdem syllabam corrigere ausus, multo majus ipse peccatum commisit, nam *i* in *idolum* contra omnes regulas, cum sit εἴδωλον, et sine ullo exemplo corripuit, poem. ultimo In ethnicos vers. 203, *Nec se paganus laudet, si vitat idola.* Subjicitur nota Muratorii: *In ms. lege-* C *batur, si qui idola vitat. Emendavi.* Non emendasti, 192 Muratori, corrupisti. Idem Paulinus in Epithal. in Julianum:

Absit, ut idolici videatur filia templi.

Manifestum est, a Paulino *o* in *idolici* corripi (d).

(a) In comment. ad hymnum S. Eulaliæ errorem ejusdem Scaligeri redarguam, qui in epigrammate, quo Ausonius *Hispalim* celebravit, contra veterem lectionem amplexus est *Emeritam*, cum ratio suadeat *Hispalim*, non *Emeritam*, legi debere.

(b) Barthii verba lib. XXI, cap. 4 Adv., non prætermittam: *Veteres Christiani scriptores, quod hodie vulgus contra magna præsumptione ingenitæ doctrinæ solet, minime aspernabant illi adscititiam e libris sapientum eruditionem, qui extra ecclesiæ penetralia quidem erant, cum ea tamen non raro mirissimum in modum consentiebant. Ei rei animadvertere debuisse puto, tum alios talium explanatores, tum vel præcipue, qui Prudentium bono publico illustrare professi sunt. Est enim in eo poeta recondita eruditio, rarus in verbis lepor, in phrasi Latinitas non impura, nisi qua imitatione sacræ loquelæ fregit volens regulam, et qua a barbarie monachorum exscribentium secus quam voluit non raro scribere coactus est.* Monendum tamen, monachis gratias esse habendas, quod nobis non solum Prudentium, sed alios veteres scriptores conservarunt, neque tam culpandam eorum ignorantiam, quam temporum injuriam et difficultatem.

(c) Barthius iterum hoc loco invidiam monachis aliqua ex parte conflare vult; sed non omittendum est elogium Prudentii, quod subjicit: *Hinc claustralibus viris familiarior multa vulnera pro eruditionis mercede retulit. Eloquentiæ tanti viri testis sit vel una Coronatio Romani, quæ præterquam quod paucis nævis, iisque non tam auctoris quam exscriptorum, etiamnum inquinata est, cæteroquin provocare possit iamborum omnes jam inde ab Horatio poetas.* Rursus Barthius in exscriptores Prudentii invehitur lib. LIV, cap. 18, ubi in titulo ait, distinctionem capitum Psychomachiæ esse *monachicam*, et postea id explicat: *Mihi autem universa omnis illa capitum distinctio et inscriptio non esse auctoris videtur, sed scholasticorum magistrorum, quibus magno suo malo tam familiaris fuit optimus Christianorum auctorum quoad poesim quidem.*

(d) Barthius lib. XXXIV, cap. 4: *Idola*, inquit, *da-* D *ctylo usurpat Prudentius noster: in quo ad unum omnes cæteri Christiani poetæ eum velut auctorem suum insecuti inveniuntur. Tertullian. lib. III in Marcionem, quem tamen ille potius sequitur: Idola vana sequi. Sedulius lib. IV: Idola dilexit. Arator lib. I: Idola quærens. Prudentius tamen studio fecit: nam alibi suo ordine eadem voce usus invenitur, ut alibi notamus.* Fallitur Barthius, quod Prudentium credidit alicubi produxisse *o* in *idolum*. Locum indicat lib. LX, cap. 7: *Idem eruditissimus poeta cum in syllabas Græcas impingit, non errore, sed judicio facit, velut eas Latinis legibus astringens. Idolum quoties media brevi posuit? Scivit tamen producendam esse. Sym. I, Cæruleasque animas, et nigra idola volare.* Versus est 424, vera lectio, *Cæruleasque animas, atque idola nigra volare.* Adde aliis Venantium Fortunatum de Certamine piorum, qui ait: *Idola dum cuperet Martinus sternere.*

Josephi Blanchinii eruditionem, multum ab aliis laudatam, ego quoque valde commendo: peculiari etiam ratione hominis diligentiam amplector, quod officium nostrum Isidorianum illustraverit. Sed nollem, vir doctus, a facultate poetica, vel ab ejus cognitione imparatus, ad hymnos Prudentii in Officio Mozarabico emendandos, accessisset. Animadverti num. 74, quam abnormes versus Prudentio affingere voluerit, nunc quædam attingam quæ emendare cupiens vitiavit, ne aliquando in Prudentii carmina novi errores irrepant. In S. Eulalia vers. 64, *Mane superba tribunalia adit*, nullam correctionem adhibet, cum legi debeat, *Mane superba tribunal adit*. Vers. 209, *Texta feram pede datilico*, emendat *dactylo*, vel *dactylico*. Legendum *dactylico*, nam aliud metro repugnat. In hymno Jejunantium, vers. 7: *Quo fibra cordis expiatur vividi:* corrigit, *expiamur lividi*; male: nam *fibra* est in nominativo, *a* correpto. Vers. 24, *Liberque flatu*, nescio cur mutavit in *libet*. Vers. 98, *Veteresque nugas condomare ac frangere*, contra sensum et metrum posuit *condonare et frangere:* fortasse ex errore typographico editionis Giselini, quem is in erratis notaverat. Pari errore pro vera lectione vers. 134, *Impendit, inquit,* IRA *summi judicis* substituit, *Impendet, inquit* ITA, sensu et metro repugnante. Vers. 161, *Nullus vivendi*, corrigendum fuit, *Nullus bibendi*. Blanchinius, nisi erravit typographus, scripsit, *Nullus habendi*. Plura prætereo quæ male correxit, plura quæ, cum deberet, non emendavit. In quædam etiam peccata hujus generis incidit Gallandius, vir cæteroquin doctissimus, in editione Prudentii (*a*). *Non his auxiliis, non defensoribus* **193** *istis* Prudentius *eget*. Patrocinium ejus suscepit Scaliger in Lection. Auson. pag. 207 edit. 1588. *Habebant et aliud peculiare poetæ Latini, præsertim ætate Ausonii, ut non solum Græcas declinationes in Græcis negligerent, et ad regulam Latinorum referrent: sed et quantitatem ita everterent, ut accentu illam metirentur. Sic pag.* 104 *corripit* e *in Thales, ut Sidonius in Lyristes, Alcæo potior Lyristes ipso, quasi non Thales et Lyristes, sed Thalis et Liristis dicerent. Sic Quintus Cicero: Conditur Oceani ripa cum luce Bootis. Latini, ut notat Servius in libello de Accentibus, eumdem accentum quem Græci habent, efferunt in Græcis nominibus.* IDOLA *semper est dactylus apud Prudentium. Sidonius penultimam producit in Euripides, non quantitatem, sed accentum secutus. Orchestram quatit alter Euripidis, secundam producit in Marsyas... contra corripit secundam in Arato... Denique inspice totum Sidonium, totum Prudentium, et alios; invenies, semper eos non syllabas Græcas, sed accentum Græcum esse secutos* (*b*).

218. Adhæret his Barthius lib. XXIII, cap. 14. *In Prudentio cum larvis luctantur, qui eruditissimo, elegantissimo, et longe Christianissimo poetæ obstrepunt ea de causa, quod syllabarum modulos negligentius habet. At ille hoc studio agit, nec adeo ea de causa grammaticis pugnare vult, cum sciens solœcisset. Nec tamen exemplis et ratione carent. Frivola utraque, et utraque nihil. Idem capital admisit Ausonius, epist.* 1. *Et festinato tempore utraque daret, et alibi: Et quidquid apud eruditissimum hunc poetam* (Ausonium) *legas, jubeo meo periculo censeas apud Lucilium, Ennium, aut tales legere.* Plura deinde in Ausonio notat quæ ne in Prudentio quidem reperiuntur. Becmanus de Origin. linguæ Latinæ verbo *Video*, quod Prudentius mediam semper in *idolum* corripuerit, alios per systolen, alios aliter excusare ait, Tryphonem grammaticum per ἔνδειαν quæ sit στοιχείου, ἢ στοιχείων, ἐλάττωσις, nempe εἴδολον pro εἴδωλον. Ludewigius in Vita Prudentii acriter eum defendit contra eos qui barbarum illum vocant, quod metri causa dixerit **194** *famis, luis, pubis, Joannis*, pro *fames, lues*, etc. *Cur legimus*, inquit, *apud Plautum et Virgilium lea pro leo, hospita pro hospes, vallis pro valles, felis et vulpis pro feles et vulpes? Prudentius usus est interceptus pro interceptus, interfectus pro interfectus* (vide num. seq.), *qua licentia usus quoque est Virgilius... Figuræ nihil aliud sunt, nisi palliati errores.* Si ea omnia quæ Homerus, quæ Virgilius, quæ alii veteres ausi sunt, poeta aliquis junior dixisset, neque de exemplo constaret, reprehensiones hominum vix sustinere posset. Clericus in Vita Prudentii ignorantiam suam manifeste ostendit, arguens ex catalogis syllabarum quibus peccasse dicitur Prudentius, et vocum parum Latinarum quæ in eodem notantur, multa eum in metro et Latinitate errasse. Nam similes catalogi adversus optimum quemque auctorem possunt confici, et in plurimorum editionibus confecti sunt; ut verba obsoleta, antiquata, et rarioris usus dignoscantur, quin eorum propterea famæ quidquam detrahatur. Prudentium studiosum fuisse antiquitatis non nego. Sed recte Cicero lib. III de Oratore, pag. 123: *Inusitata sunt prisca fere ac vetusta; et ab usu quotidiani sermonis jam diu intermissa, quæ sunt poetarum licentiæ liberiora quam nostræ; sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem.* Multo vero magis id licuerit Prudentio; qui hominum sui temporis doctissimorum exemplum imi-

(*a*) Profecto neque pulchrum est tricas poeticæ artis callere, neque turpe ignorare. Sed contemnendum non est Horatii monitum in re simili aut proxima, epist. 1, lib. II:

Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctique poemata passim.

Quod repetit in Arte poetica:

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.
Qui nescit, versus tamen audet fingere.

(*b*) Aliis exemplis eamdem rem pergit Scaliger confirmare. *Sic Ausonius in trigonos, tetragonos corripit penultimam. Quis audebit dicere, Ausonium ignoratione litterarum Græcarum hoc commisisse? Nemo sanus quidem, ut puto. Sed his temporibus stultum videbatur non ibi producere syllabam ubi accentus esset, quia hic est mos linguæ Latinæ. Adeo ut Plautus in hoc secutus sit judicium vulgi... Contra ætate Plauti, ut in quantitate syllabarum, sic et in declinationibus Latinismos admittebant. Dicebant enim Nestorem, Hectorem, quomodo rectorem, mensorem, et similia.*

tabatur. Hac ratione sustineri possunt *fames*, *lues*, *colluces* brevi ultima, de quibus adversus Salmasium dixi num. 214. Liberior fuit Plautus, qui, ut observat Muretus Var. Lect. lib. XVI, cap. 14, ultimas syllabas verborum imperandi corripit, cum libet, etiamsi primi secundive ordinis sint, ut *ama*, *vide*, *tace*, *cave*. Christophorus Wasius cap. 15 Senarii multis exemplis probat, finalem syllabam priscis fere breviari in imperativis primæ, secundæ et quartæ conjugationis. Ausonius, grammaticus et rhetor celeberrimus, non dubitavit *solœcismum* brevi secunda dicere, etiam cum adversus Auxilium grammaticum scriberet, cujus ceras miniatulas, vel potius ferulas potuisset revereri :

Auxilium te nempe vocas, inscite magister,
Da rectum casum, jam solecismus eris,

sive scribendum sit, *solicismus*, ut ex diphthongo *oi* prima vocalis tollatur : nam inter diphthongum *oi* et ἰῶτα nulla aut exigua erat differentia in pronuntiando.

219. Ejusdem Ausonii est idyll. 11 :

Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes omnia solus,

es brevi in *bipes* et *tripes*, uti alibi in *quadrupes* S. Paulinus consonat Nat. 12, vers. 383 :

Constitit ignoto pro limine quadrupes hospes.

Rursus Ausonius epigram. 9 :

Suasisti Venus ecce duas dyseros ut amarem,
Odit utraque : aliud da modo consilium.

195 Et ad Patrem :

Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se
Non festinato tempore utraque daret.

Quod Scaliger excusat ratione accentus (*a*). Major est difficultas, qua ratione Prudentius primam produxerit in *cuique* trisyllabo : non enim probo aut eos qui emendant Prudentii loca, *suus est mos cuique genti, sua cuique dextra est, sua cuique jura*; aut Gifanium ; qui ait, Prudentium his locis *e* produxisse, quasi spondæum quinto loco pro dactylo intruserit. Sed Prudentio libuit ita diphthongum dissolvere, ut primam protraheret; sic in *aquai* fieri solet. Et notum est, veteres pro *cui* scripsisse *quoi*. Neque assentior his qui quoties occurrit *fio* aut *fiat* prima brevi, versus Prudentii emendandos censent. Quamvis enim non infeliciter id interdum effici possit, neque toties Prudentius corripuerit quoties putavit Chamillardus, tamen æquum non est repugnare veterrimis. codd. mss. consentientibus. Dicam igitur Prudentium secutum originem Græcam a φύω, ex quo *fuat*, et *fio*. Usi similiter sunt Arator et Tertullianus. De *a* in *ratus* aliter judico. Prudentius sæpe corripuit Sym. 1 vers. 295 : *Esse rati*, etc. Cath. 9, vers. 32 : *Mando*, *ut abluantur*, *inquit : fit ratum*, *quod jusserat*, et 3 vers. 99 : *Utque foret rata materies*. Peris. 5, vers. 15 : *Supplicium sibi dulce rata*. Non ergo temere Giselinus Peris. 10, vers. 911, emendavit, *Ergo ratus Præfectus elingnem virum* pro *Præfectus ergo ratus elinguem virum*, quidquid contra senserit Vossius de Arte grammatica lib. II, cap. 22. Quod Prudentius breve primum *e* in *enervo* fecerit, Salmasius explicat in notis ad Ælium Spartianum, pag. 61 (*b*).

196 220. Alia leviora prætermitto, quæ ex prosodiæ auctoribus facilius peti possunt, præsertim de nominibus Hebraicis ex Ricciolio in indice 1 et 2 de syllabis controversis, cujus tamen auctoritati te non semper adhærere velim. Ex his quæ docui licet colligere, non solum sui sæculi consuetudine, sed etiam ratione et antiquorum exemplo in syllabis ipsis quæ rarissimæ esse videntur, ab hominibus artis poeticæ peritis vindicari Prudentium. Constat etiam, quas regulas sequi debeant, qui poetarum Christianorum III aut IV sæculi carmina student a mendis purgare, aut de aliquo eorum poemate judicare. In Collect. Vet. Script. Edmundi Martene, Parisiis, 1733, tom. IX, col. 13 et seqq., exstat liber in Genesin, qui Juvenci presbyteri esse dicitur in codice unde extractus est. Quatuor prima capita dudum edita cum Tertulliano et Cypriano, cætera ad 50 producuntur ex codice Corbeiensi ante annos nongentos exarato. Opus

(*a*) *Ausonius sequitur morem suorum temporum*, *ut scilicet ibi producat syllabam*, *ubi prosodia erat. Nam in eadem syllaba est in nomine femineo*, *in qua erat in masculino* UTERQUE. Idem fecit in *eadem* Ausonius, Epicedio in Patrem, *Victum*, *habitum*, *mores semper eadem habuit*. Quod cum notasset Barthius, lib. V, cap. 11 : *Et videatur*, inquit, *sæculo indulsisse Ausonius*, *ego vero alicujus veteris auctoritati potius existimo*, *sæpe expertus*, *eum nihil fere sine ea usurpare*. Prudentii reprehensores, Chamillardus et Cellarius, in catalogo non invexerunt hanc vocem ex hymno 1 Perist., vers. 3 : *Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit*, ubi *a* in *eadem* est longum ratione accentus. Servius I Æneid. : *Pronuntiationis causa contra usum Latinum*, *syllabis ultimis*, *quibus particulæ adjunguntur*, *accentus tribuitur*, *ut*, MUSAQUE, ILLENE, CUIQUE. Idem refert Martianus Capella, lib. III, cap. de Fastigio. Ex quo liquet, accentum positum in media syllaba vocis *utraque* et *eadem* in nominativo plurali. De veteribus comicis notat Scaliger pater lib. VI, cap. 5, ita eos in suis carminibus pronuntiasse, ut ne consonantium quidem positione efficeretur, quominus syllaba brevis brevis esset. Sic *tempestivum* secunda correpta enuntiabant, quia ut *temporis* media brevis, ita ejus compar in deducto.

(*b*) *Non enim aliter tunc temporis scribebant*. INORMIS *et* INORME *pro* ENORME, *ideoque primam ejus vocis syllabam temporis illius poetæ correptam efferebant*, *quæ longa mansisset*, *si per e scriberetur : dicebant igitur* INORMIS *ut* INANIS, *et similia. Quod apud Prudentium bis aut ter positum* (fallitur Salmasius) *haud pridem ex vetustissimis libris observabam. Sed nunc in promptu non sunt loca. Sic* ENERVARE *pro enervare*, *prima syllaba correpta*, *idem Prudentius... Ita enim vetus liber. Aldelmus de Laudibus virg.*, *Flammis combussit inormem; sic enim etiam in veteri libro scriptum erat*. Adde Sedulium lib. III,

Et septem panibus agmen
Pavit enorme virum.

Non absimile est illud Tertulliani lib. IV, adversus Marcionem : *In cataclysmo enecans*, et Fortunati, *Corrigit ipse prius quod poscit*, *ut alter emendet*. Nihilominus suspicor, a Prudentio novum effictum verbum, *inermo*, *inermas* ab *inermis* aut *inermus*. Alii aliter emendant. Alias correctiones in commentario exhibebo, ut *erutus* pro *elutus*, legam etiam *interfectus* et *interceptus* cum codd., non *interefectus* aut *intereceptus*, quod videtur legisse Beda, approbante Ludewigio.

Pamelius Tertulliano ascribit, Elias Pinius Salviano A Massiliensi, ex conjectura quod de Salviano ait Gennadius : *In morem Græcorum a principio Genesis usque ad conditionem primi hominis composuit versu quasi hexaemeron librum unum.* Mirum, ni Prudentio quoque velit aliquis hunc librum attribuere : nam etiam Gennadius in Prudentii elogio ait : *Commentatus est et in morem Græcorum Hexaemeron de mundi fabrica usque ad conditionem primi hominis et prævaricationem ejus.* Nolim tamen id cuiquam veniat in mentem. Nam primum liber ultra conditionem et prævaricationem primi hominis longe procedit : adeoque neque Salviano Massiliensi recte adjudicabitur, qui solum usque ad conditionem, hoc est creationem primi hominis, librum suum produxit; deinde versus magnam partem omnino exleges sunt, B et Juvenco, Prudentio aliisque æqualibus indigni. Non dubito quin multi librariorum incuria sint mendosi : quorum plures ex conjectura in schedis habeo correctos. **197** Plerumque ablativus in *a* corripitur, quamvis in editis emendatio aliqua fuerit adhibita contra codd. mss. Sed quid facias his versibus 43 et 44?

> Viritim cunctis nomen quod permanet, indit
> Adamus, donata sibi prudentia solers.

Quatuor aut quinque voces mutare debes, ac vix id sufficiet (*a*). Hujusmodi carmina qui a Juvenco, Prudentio, primisque Christianis poetis componi potuisse putet, is similis videbitur esse homini qui de picturis judicare volens, imaginem quam pictor aliquis malus e vulgo fecisset, Raphaeli Urbinati adjudicaret. Putavit Barthius, fuisse apud veteres nonnullos qui C *maccarronice* quodammodo versus conderent, partim metrorum legibus, partim soluta oratione, cujus generis est Testamentum ludicrum Sergii Polensis, et, ut nonnemini videtur, carmen Anacreonticum Annei Flori ad Adrianum, et *Querolus*, drama ad Aulalariam Plauti compositum a Gilda Sapiente. Quod attinet ad versus Sergii Polensis parasiti et histrionis, compertum jam est, eos sæculo XV fuisse factos, non confictos, ut pro antiquis venditarentur, quod aliqui existimaverant. Versus Flori ad Adrianum legem metri servant, quod contra Barthium, Muratorium et alios facile esset demonstrare. Opportunius exemplum est in celebri illa *Comœdia clodo pede*, QUEROLUS. Alii nulla metri lege versus faciebant, syllabarum certo numero contenti, ut Commodianus sub D Constantino instructiones suas versu quasi hexametro :

> Præfatio nostra viam erranti demonstrat
> Respectumque bonum; cum venerit sæculi meta,

atque ita reliqua. Sed liber in Genesin, cujus præbui specimen, neque ad primum neque ad alterum genus spectat, sed magis ad sequiora tempora, quibus similis licentia in quantitate syllabarum sine ratione, sine exemplo invaluerat, quo genere usus est Abbo, aliique æquales.

CAPUT XXVI.

Metra Prudentiana.

198 221. Primum metri genus ode tricolos tristrophos, cujus primus versus est Glyconius spondæo, choriambo et Pyrrichio seu spondæo, et duobus dactylis constans; secundus Asclepiadeus ex spondæo, duobus choriambis, et Pyrrichio, sive, ut vulgo nunc scanditur, ex spondæo, dactylo, syllaba longa et duobus dactylis; tertius choriambicus Callimachius ex spondæo, tribus choriambis, et Pyrrichio seu iambo. Hujus generis est præfatio operum ante librum Cathemerinωn, *Per quinquennia jam decem*, etc. Hoc dulcissimo metri genere semel tantum usus est Prudentius, neque ab aliis usurpatum illud scio, excepto Wandelberto, qui metrum et sententiam æmulatus est, ut dicam in comment. Possunt omnes hi versus dici *choriambici*. Sed in idem res tota recidit. In cod. Vat. 1715 glossa est, versum secundum dici Asclepiadeum, quia hujus metri inventor fuit Æsculapius filius Apollinis. Sed etsi Æsculapius Græce sit Asclepios, tamen auctor carminis fuit Asclepiades poeta. In Glyconio primus pes nonnunquam est choreus, raro iambus. Ratio mensuræ hæc est : 1us versus. *Per quin-quennia jam-decem;* 2us versus : *Ni fal-lor fuimus-septimus in-super;* 3us versus : *Annum-cardo rotat-dum fruimur-sole volubili.*

222. Secundum genus ode monocolos. Versus iambici dimetri ex iambo locis paribus, ex iambo vel spondæo locis imparibus. Hujus generis sunt hymnus 1, 2, 11 et 12 libri Cathemerinωn, et hymnus 2 et 5 libri Peristephanωn. Pedes pares aliquando sunt tribrachys, impares anapæsti aut tribrachys. Scanduntur hoc modo : *Ales-die-i nun-tius.* Nisi quando longiores pedes, ut dixi, aliud postulent, ut *Vigila-te jam-sum pro-ximus.*

223. Tertium genus ode monocolos, carmen dactylicum alcmanium trimetrum hypercatalecticum tribus dactylis, et una syllaba constans. Hujus generis hymnus 3 Cathemerinon, qui a Ricciolio in exemplum producitur, ubi versu 28 : *Sertaque mystica dactylico Texere docta liga strophio*, et hymnus S. Eulaliæ, qui est Peristeph. 3, in cujus fine : *Texta feram pede dactylico.* Hæc est scansio : *O cruci-fer bone-lucisa-tor.*

224. Quartum genus ode monocolos. Versus hendecasyllabi antonomastice, sive Phalecii, qui habent spondæum, dactylum, **199** et tres choreos. Hendecasyllabos vocat Prudentius 5 Perist. cum Catullo, et aliis antiquis : *Dulces hendecasyllabos revolvens.*

(*a*) Paucos similes excerpam :

> Femina fraudiferis misere decepta suadelis
> Cui junctus Abelus
> Innocuas multa servabat cura bidentes,
> Qui tibi ceu Domino subjectus colla præbebit :
> Nam malo promeritus signo fit notus inusto.

Et ut plura brevius complectar, in *daturus a* producitur, corripitur *æ* in *præsentibus*, in *æmulus*; in *præsentant*, *a* in *laturus*; producitur *a* primum in *carentia*, *a* in *acumine*, *o* in *columbas*; et ita sexcenta alia, quæ passim occurrunt.

Hujus generis Cath. hymnus 4, Perist. 5. Scansionis ratio hæc : *Pastis-visceri-bus ci - boque-sumpto.* Exempla sunt pedum dactyli, chorei, iambi primo loco.

225. Quintum genus ode monocolos, versus Asclepiadei, ut in primo genere versus secundus. Hujus generis hymnus 5 Cath. : *Inventor rutili, dux bone, luminis*, et præfatio lib. I adv. Symmachum.

226. Sextum genus ode monocolos. Versus iambici Anacreontici, sive iambici dimetri catalecti ex tribus iambis et syllaba, qui recipiunt prima et tertia sede spondæum. Hujus generis hymnus 6 Cathem., *Ades, Pater supreme,* qui ita scanditur : *Ades,-Pater-supre-me* (*a*).

227. Septimum genus ode monocolos. Versus senarii iambici, sive iambici trimetri acatalectici. Si puri sint, omnibus locis iambos requirunt, si mixti, recipiunt locis imparibus tribrachyn, spondæum, anapæstum, dactylum, et raro proceleusmaticum; locis paribus iambos fere habent, sed admittunt sede secunda, quarta et sexta tribrachyn. Hujus generis hymnus 7 Cathemer., hymnus 10 Perist., præfatio Hamart. et præfatio Psychomachiæ. Scandendi modus : *O Na-zare-ne lux-Bethlem-Verbum-Patris* (*b*).

200 228. Octavum genus ode dicolos tetrastrophos. Versus tres primi Sapphici, quartus quisque Adonius. Sapphici primo loco habent choreum, secundo spondæum, tertio dactylum, quarto et quinto choreum. Adonius dactylo et spondæo constat. Hujus generis hymnus 8 Cathem., et 4 Peristeph. Mensuræ modus hic : *Christe-servo-rum regimen tu-orum.* In Adonio autem, *Lege co-erces.* Prudentius his legibus se obstrinxit, quamvis nonnulli secunda sede choreum et dactylum admiscerint, Seneca vero primo loco spondæum, dactylum, et anapæstum, secundo iambum.

229. Nonum genus ode monocolos, quæ minus bene a Chamillardo tristrophos appellatur; neque enim plura hic sunt diversæ speciei carmina. Versus trochaici Archilochii septem pedibus, et una syllaba constantes : pedes sunt trochæi, qui chorei etiam dicuntur, locis paribus spondæus recipitur. Hujus generis hymnus 9 Cath. et 1 Peristeph. Ita scanditur : *Da pu-er ple-ctrum cho-reis-ut ca-nam fi-deli-bus.* Prudentius hanc legem servat (*c*).

(*a*) Chamillardus non videtur admittere tertia sede spondæum, quem agnovit Aldus. Ricciolius advertit, Prudentium primo loco recepisse anapæstum; quod quidem sæpius fecit, et cum iambicus dimeter acatalectus anapæstum prima sede admittat, nihil est, cur id iambico dimetro catalecto denegemus; præsertim cum auctor carminis Anacreon passim anapæsto prima sede utatur. Quod autem spondæum loco tertio posuerit, non puto verum : nam versus 142 : *Qui mille per mæandros* spondæum quidem habet tertia sede : sed quis certo asserere valeat, a Prudentio *æ* in *mæandros* non fuisse correptum ob vocalem sequentem? Nam id fecit in *romphæalis*, et in eodem vocabulo *Mæandros* hymn. 7 Cath., vers. 124. *Ventris mæandros circuibat tortiles*, quanquam variant hoc loco codices. Sed certe valde usitatum est diphthongum in vocabulis Græcis ob vocalem sequentem corripi.

(*b*) Non assequor, quid sibi Chamillardus voluerit, dum hoc explicat genus. *Sunt omnes versus iambici Hipponactei trimetri acatalecti : recepto tamen in locis imparibus etiam spondæo.* Carmen Hipponacteum vocari solet iambicum trimetrum catalecticum, ut *Ternos vetusti congios Falerni.* Sed missa hac de nomine quæstione, senarii iambici non solum spondæum, neque solis locis imparibus alios pedes præter iambum recipiunt, quod advertendum est, ne in iambicis senariis Prudentii errorem aliquis putet, cum alios pedes deprehenderit. Comicos liberiores fuisse compertum est, qui prioribus quinque locis spondæos, dactylos, anapæstos, et nonnunquam proceleusmaticos immittebant. Quarta sede spondæum sæpius intrusit Ausonius in Ludo septem sapientum, quem Scaliger lib. VI Poetices hac de causa in judicium vocat. At Ausonius vel ideo excusari posset, quia in eo carmine quasi comice loquitur, Sapientes in scenam inducens, et ipse Scaliger contra Erasmum lib. VII, pag. 926, tradit, in pluribus apud Senecam senariis non observatas magis leges quam in comœdiis aut in fabulis. Quod attinet ad Prudentium dubium non est quin leges observaverit, quas tragici solent. Iambici senarii exemplum ex eo petit Beda. Vide num. 242.

(*c*) Non erit supervacaneum quærere, an in hoc carmine locus sit aliis pedibus, quibus Prudentius aliquando fuerit usus. Aiunt, rarissime antiquiores posuisse locis imparibus tribrachyn, raro paribus locis pedes spondæo compares. Terentianus Maurus in carmine de litteris et de pedibus exempla quædam profert : *η et ω, quæ bina pedibus submittunt tempora - Sicut unum; numerus antequam secundus prodidit, - Forma talis est minoris, animam quando dicimus-Nam quater reciprocantur numerus et tempus duplex-Is erit ἀνάπαιστος, vides, quod iste pes sit temporum.* Prudentius, hymno 9 Cathem., aut tertia sede spondæum recepit, aut *u* primum in *lugubri* corripuit, quod magis mihi placere ostendi num. 209. Verum in eodem hymno, vers. 40, spondæus in sedem quintam immittitur : *Extimum vestis sacratæ furtim mulier attigit.* Vers. 103, loco sexto est anapæstus, *Post, ut occasum resolvit, vitæ et hominem reddidit;* ac similiter dactylus hymno 1 Perist. vers. 63 : *Tempus est Deo rependi, quidquid est proprium Dei.* Ibid., vers. 70, Tribrachys quinta sede : *Et chalybs attrita colla gravibus ambit circulis.* Ex his solum est contra regulas spondæus loco quinto, *furtim* in illo versu, *Extimum vestis sacratæ furtim mulier attigit.* Fortasse librarii verba trajecerunt, et pro *mulier furtim attigit* non eliso *m* in *furtim*, posuerunt, ut nunc legitur. Quod si evangelica vox retinenda sit, melius emendarem, *mulier furtim contigit.* Dubitet aliquis an Prudentius scripserit, *forte mulier attigit*, sed ad Evangelii narrationem magis accedit *furtim.* Wasius, cap. 1 de Licent. vet. poet. tradit, apud antiquiores spondæum, aut ejus vicarium anapæstum trochaici carminis sedes quasvis præter ultimam nullo discrimine obsedisse. Hac veterum lege seu consuetudine in Prudentio retineri potest *furtim mulier attigit.* Jam versus hi trochaici, tetrametri catalectici, integri scribendi sunt, quamvis olim etiam a trivialibus poetis in medium scinderentur, quod notavit Salmasius in Flavium Vopiscum. Hinc factum opinor, ut poetæ Christiani, qui vulgo suos hymnos cantandos exponerent, jam tempore Bedæ hos versus dividerent. Vide alia quæ de hoc genere metri commentatus sum in dissert. de Hymnis eccles. num. 221, et seqq., ubi in nota *a* num. 223, corrigas velim errorem sive typographi, sive calami, *Meyerus notum esse ait spondæum tantum admisceri locis imparibus*, lege, *locis paribus*, ut ex sermone consequenti potes intelligere. Simili errore pag. 199, num. 255, positum est *in iambicis trimetris* pro *iambicis dimetris :* quæ duo a fecundissimo poeta, mihique amicissimo cl. Dominico Naxera notata, nolui nec debui præterire.

201 230. Decimum genus ode monocolos. Versus A omnes sunt anapæstici dimetri catalectici; a Chamillardo *trimetri catalecti* dicuntur, qui fortasse scripserit aut scribere voluerit, *dimetri*, vel *trimetri hypercatalectici*. Constant tribus pedibus, et syllaba : pedes sunt anapæsti, recepto primo loco spondæo, ut statuit Chamillardus; sed Aldus addit, apud Prudentium spondæum etiam secunda sede induci, quod verum est. Hujus generis hymnus 10 Cath., qui ita scanditur : *Deus i-gnee, fons-anima-rum* (*a*).

231. Undecimum genus ode dicolos distrophos. Versus primus est trochaicus Euripidius dimeter catalectus ex tribus choreis, et syllaba, recepto in secunda sede spondæo. Versus secundus iambicus trimeter catalecticus Hipponacteus ex quinque iambis, et syllaba, spondæo in prima ac tertia sede admisso. B Hujus generis ode, in qua Prudentius de suis opusculis loquitur, nobis *epilogus operis* aliis *præfatio libri Peristh.* Scanditur primus versus hac ratione : *Immo-lat De-o Pa-tri*; secundus ita : *Pius-fide-lis in-nocens-pudi-cus* (*b*).

232. Duodecimum genus ode monocolos. Versus sunt Glyconii, ut primus versus generis primi. Hujus generis hymnus 7 Peristeph., *Insignem meriti virum*, et præfatio libri II contra Symmachum, *Simon, quem vocitant Petrum.*

233. Decimum tertium genus versus elegiaci. Hujus generis hymnus 8 Peristephanon, de loco in quo martyres passi sunt; hymnus 11 Peristephan., in laudem S. Hippolyti. Cujus explicatio cum obvia et nota sit, tuto a nobis prætermitti potest. C

202 234. Decimum quartum genus ode dicolos distrophos. Versus primus hexameter : secundus iambicus senarius, de quo supra in genere septimo. Hujus generis hymnus 9 Peristeph. S. Cassiani.

235. Decimum quintum genus ode dicolos distrophos. Versus primus dactylicus Archilochius heptameter, ut nonnulli recentiores vocant, qui a veteribus melius dicitur hexameter herous perittosyllabus, constans septem pedibus, quorum quatuor primi dactyli, tres postremi trochæi. Loco dactylorum induci possunt spondæi. Versus secundus est iambicus trimeter catalectus, de quo in genere undecimo. Hujus generis hymnus 12 Peristeph. in honorem SS. apostolorum Petri et Pauli. Primum versum ita metiri oportet : *Plus soli-to coe-unt ad-gaudia,-dic a-mice-quid sit.* D Prudentius hanc legem servat, ut primo, secundo, et quarto loco semper dactylum, tertio semper spondæum adhibeat.

236. Decimum sextum genus ode monocolos. Versus dactylici Archilochii acatalectici, quos in decimo quinto genere explicui. Hujus generis hymnus 13 Perist. S. Cypriani : *Punica terra tulit, quo splendeat omne, quidquid usquam est.*

237. Decimum septimum genus ode monocolos. Versus alcaici dactylici ex primo spondæo, vel iambo, secundo iambo, cæsura longa, et duobus dactylis. Hujus generis hymnus S. Agnetis 14 Peristeph., cujus hæc est scansio : *Agnes-sepul-crum-romule'-in domo.*

238. Decimum octavum genus ode dicolos. Versus primus est senarius iambicus, de quo in septimo genere. Versus secundus iambicus dimeter, de quo in secundo genere. Hujus generis præfatio Apotheoseos : *Est vera secta? te, magister, consulo.-Rectamne servamus fidem?*

Cætera carmina sunt heroica versu hexametro, *Apotheosis*, *Hamartigenia*, *Psychomachia*, *Libri adversus Symmachum*, et *Dittochæum*. Mensura versus hexametri notior est quam ut a nobis debeat exponi.

CAPUT XXVII.

Latinitas Prudentii.

203 239. Horatii sententia nota est :

Mediocribus esse poetis
Non homines, non dii, non concessere columnæ.

Si poeta Latinus optimus non est, qui Augustæa Latini sermonis elegantia non eminet, concedam fortasse mediocrem poetam fuisse Prudentium. Sed Horatii sententiæ opponam locum Ciceronis ex Oratore in principio : *Nam in poetis non Homero soli locus est (ut de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro; sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis : nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia, et copia cæterorum studia restinxit. Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt, qui aut Jalysi, quem Rhodi vidimus, non potuerunt, aut Coæ Veneris pulchritudinem imitari : nec simulacro Jovis Olympii, aut Doryphori statua deterriti reliqui, minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent : quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cujusque genere laus, ut cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus.* Cicero suis carminibus locum quæsivisse nonnemini videbitur cum *poetis infra secundos* locum esse statuit. Sed res ita se habet : in Prudentio cum cætera omnia sint, quæ poetam eximium constituunt, si purissimus sermo Augustæo sæculo usitatus desit, non propterea eum inutiliter legendum esse arguas ab iis, qui poe-

(*a*) Barthius, lib. XXI, cap. 4 Adversar. in expositione hujus hymni Prudentiani, observat metrum esse funebribus cantilenis aptum, et antiquissimum, ut videre licet in versibus Græcis Timothei apud Macrobium, lib. VII, cap. 16, usum apud Latinos celebrasse Varronem in *Margopoli*, secutos, qui nunc exstent, Martianum Capellam lib. II, Terentianum in descriptione anapæstici catalectici, qui Sereni aliquot ejusmodi versus inseruit, et Boethium lib. III de Consol. Philos. metro V. Boethius in secunda sede utitur etiam spondæo : *Fœdis submittat habenis.*

(*b*) Chamillardus aliter voluit hos versus appellare, versum primum iambicum Archilochium acatalectum ex amphimacro, et duobus iambis, alterum iambicum Archilochium trimetrum catalecticum ex pedibus quos diximus. Magis placet nomen quod posuimus Manutium ferme secuti. Et Prudentius ipse ait : *Nos citos iambicos-Sacramus, et rotatiles* TROCHÆOS; quod de hujus odæ versibus ego accipio, quidquid contra alii dixerint.

tica facultate delectantur. Nam primum si quis Christianum argumentum carmine velit tractare, non aliunde melius sumere poterit exemplar. Deinde cæteris in rebus plurima ab eo dicta elegantissime occurrunt, et ex optimis auctoribus petita, vix ut pauca rejicere possis, et si voces ecclesiasticas excipias, pauciora, quam quæ in Ausonio aliisque æqualibus reperiuntur. Præterea cum Prudentius difficillimas theologiæ quæstiones pertractaverit, necesse habuit voces plures technicas invenire, aut ab aliis scriptoribus Christianis inventas adhibere.

240. Giselinus in appendicem conjecit omnia vocabula quæ Cornelius Valerius publicus linguæ Latinæ professor quam longissime a Latinæ linguæ nitore abesse judicabat, et Latinis vocibus reddiderat, ne juniores in imitando fallerentur. Similem catalogum fecisse Antonium Nebrissensem docet Petrus Rodriguez de Castro. Ego editionem Lucroniensem commentariorum Nebrissensis **204** non vidi; in alia antiqua editione, de qua num. 107, desideratur hic catalogus. Giselini appendicem subjiciam (*a*), ut alii

A possint judicare. **205** Ludewigius vix probaret, ut ait, singula quæ in hoc Giselini catalogo pro impuris notantur : *Cum interdum voces Latinissimæ, et rariores esse possint.* Macrobius lib. VI, cap. 4, plura verba rara, quibus usus est Virgilius, producit · *Quæ nobis*, inquit, NOVA VIDERI FACIT INCURIA VETUSTATIS. Prudentius voces quasdam Lucretii, et antiquiorum usurpavit amore vetustatis, quod poetam, si parce fiat, maxime decet : aliæ, ab ipso adhibitæ, fortasse olim fuerunt antiquatæ, sed ejus tempore jam revixerant; quod prænuntiavit, neque improbavit Horatius, *Multa renascentur quæ jam cecidere*, etc. Plura vocabula in catalogum conjecit Giselinus, quæ ex ecclesiastico usu sunt deprompta, ut *fidelis*, *mediator*, *passio;* alia, quæ idoneos auctores habent inter veteres, ut B *fulgidus*, *omniparens;* alia, de quibus non satis constat, sintne Prudentiana, cum varient codices, ut *nescienter*, *insubjectus.* Pleraque auctoritate æqualium Prudentii, aut antiquiorum defendi possunt. Certe ex verbis quæ in Prudentio reprehenduntur, nullum minus Latinum magisque cavendum

(*a*) *Ænipes*, pedes æneos habens. *Altrinsecus*, contra, vicissim. *Amasio*, amator, amasius. *Arula*, diminutivum ab ara. *Audientia*, auditus, audiendi vis. *Aurulentus*, fulgens ex auri repercussione.

Bifestus, dies duobus sacer, quasi bis festum dicas. *Bractealis*, bracteis inauratus. *Bustialis*, a busto seu sepulcro finxit.

Cantamen, incantatio. *Carceralis*, *Carcereus*, a carcere. *Carnalis*, *Carnaliter*, a carne. *Carnulentus*, carni et mundo deditus. *Centuplicatus*, centuplex. *Colluminο*, collustro. *Comperpetuus*, æque æternus. *Complices*, socii scelerum. *Congregatim*, denso agmine, C turmatim. *Congrex*, unanimis. *Conspicabilis*, conspicuus. *Corporalis*, corporeus. *Creamen*, creatura, seu res condita, creatio. *Cruciamen*, cruciatus.

Defuga, transfuga. *Digestim*, distincte, suo ordine. *Dilancinare*, dilaniare. *Discruciatus*, varii dolores et tormenta. *Disparilis*, dispar.

Excruciabilis, crucians. *Excruciatus*, tormentum, dolor. *Exfibulare*, fibulas adimere, solvere, liberare. *Exsequialis*, in exsequiis usurpatus. *Exsimulare* (lege *Exsinuare*), sinuum seu laciniarum in morem explicare, latiusque extendere. *Exsibilare*, sibilando efferre. Optime conjunxit, *Anguina verba exsibilat.*

Fabriliter, more fabri *Factura*, opus, res creata. *Falsificatus*, infectus, corruptus. *Fidelis*, Christiana religione præditus. *Figmen*, opus, figmentum. *Flabralis*, flabilis, cum flatu emissus. *Forare*, perforare. *Fotus*, fomentum. *Fulgidus*, splendidus. *Frugescere*, frugum feracem esse. *Fundalis*, adject. a funda. *Funerare*, funere afferre (legam *efferre*).

Genealogus, annalium auctor, familiam quamque D ad suam originem revocans.

Hydrinus, adject. ab hydra serpente. *Hymnire*, hymnis canere

Ignire, inurere. *Impassibilis*, impatibilis, in quem perpessio non cadit. *Impiatum*, impurum. *Incapax*, minime capax. *Incentivum*, incitans, accendens. *Incerare*, cera illinere. *Incircumscriptus*, ἀπεριγραπτὸς, infinitus. *Incorporatus*, corpore indutus, et, ut ita dicam, incarnatus. *Indages*, indago. *Indomabilis*, indomitus. *Innatus*, nunquam natus. *Inspatiari*, inambulare. *Insubjectus* nemini subjectus, sui juris. *Intemporalis*, æternus, nullo tempore finitus. *Interminus*, idem. *Irremotus*, immotus. *Irritamen*, irritamentum.

Liquabile, quod facile liquitur. *Litamen*, litatio.

Malefabrum, infelix, parum callidum, imprudens. *Mammoneus*, avidus : a Mammone Syrorum Pluto derivatum est. *Manceps carceris*, præfectus carceri : sic Plinius propolam sutrinæ mancipem appellat. *Mediator*, sequester, μεσίτης. *Melodum*, suavisonum. *Mitificus*, mitis, lenis. *Muculentus*, mucosus. *Monstruosus*, monstrosus. *Mortificatus*, emortuus. *Multicolora*, multicoloria. *Multinodus*, nodosus. *Mundialis*, mundanus.

Nemo dies, nullus dies. *Nescienter*, ut negligenter. *Noxialis*, sonti, seu noxio debitus.

Oblacterare, more ovis contra balare. *Oblivialis*, obliviosus, oblivionem inducens. *Obludere*, vana specie inescare. *Obsequela*, obsequium. *Obstrangulatus*, suffocatus. *Occidualis*, occiduus. *Omniformis*, *omniparens*, *omnipollens* ejusdem farinæ sunt. *Opulens*, opulentum. *Orarium*, sudarium ab ore deductum.

Palpamen, attractatio. *Palpebralis*, palpebris eminens. *Parricidialis*, parricidio fœdatus. *Passibilis*, patibilis. *Passio*, afflictio. *Peccamen*, crimen. *Plasmatus*, conditus. *Prænuncupatus*, annuntiatus. *Primitivus*, primigenius. *Propitiabilis*, propitius. *Prosperatus*, exoratus. *Pudescit*, pudet.

Resculpere, imitari, exprimere. *Resultare*, concelebrare. *Romphæale*, quod romphææ usum præbet. *Ructamen*, ructus. *Rosulentus*, roseus, finxit ad formam, *rorulentus.*

Sagus, præsagus. *Saporum*, sapidum. *Segrex*, separatus, bifariam partitus *Separ*, idem. *Sensualis*, rationis capax. *Sequestrare*, alicujus custodiæ quid committere. *Spurcamen*, spurcitia. *Speculamen*, visus, videndi vis. *Stigmare*, stigmatis inurere. *Stricura*, liquefactio. *Subjectio*, obedientia. *Sublidere*, paululum elidere. *Sublimare*, alte extollere. *Subternus*, subterraneus. *Sufflabilis*, spiritu efformatus. *Suggillare*, suggerere, subministrare. *Superfio*, emineo.

Terrulente, crasse. *Terrulentus*, terreus. *Tripictus*, triplici lingua pictus. *Tutaculum*, tutamen.

Ululamen, ululatus.

Vaporus, vaporiferus. *Vegetamen*, vegetatio, motus. *Veniabile*, venia dignum. *Ventilari*, circumagi, sibi non constare. *Versicolorus*, versicolor; semel tantum hoc compositum ad secundam inflexionem reducit. *Veternus*, veternosus, inveteratus. *Viansi*, viator. *Vitiabilis*, vitiatus. *Virginal*, ὑμήν, seu virgineum vinculum. *Viscereus*, creatus, e visceribus ortus.

est quam verbum ab auctore catalogi usurpatum, *Sufflabilis*, *spiritu* EFFORMATUS. Scio, recentiores passim hoc verbum adhibere, *efformo*, *efformas*, sed apud veteres Latinos non reperitur. Jacobus Facciolatus, seu quis alius est auctor lexici ejus nomine vulgati, illud inter voces barbaras reponit, et nihilominus eo non semel in lexico concinnando utitur. Cæterum, si ea libido fuit Giselino indicandi omnia vocabula quæ in Prudentio exstant, et in libris sæculi Augustæi qui ad nos pervenerunt, aut raro aut nunquam inveniuntur, catalogum longe auctiorem dare potuit. In commentariis quædam nos animadvertemus quæ huic usui esse possint, et in fine tomi secundi indicem exhibebimus vocum rariorum quæ in Prudentio occurrunt, et **206** aliquo pacto venire possunt in controversiam. Ita vero scriptores veteres Latinos ad alicujus vocis usum comprobandum advocabo, ut interdum neque verba expromam, neque loca indicem, cum scilicet ea facile peti possunt ex accuratis lexicis Facciolati, Forcellini et aliorum, aut ex Christophori Cellarii curis posterioribus de barbarismis et idiotismis sermonis Latini tertium recognitis, ex Olai Borrichii Analectis, ex Andreæ Borrichii appendice ad curas posteriores Cellarii, sive observationibus circa Latinam linguam, quibus Cellarius opposuit discussionem appendicis Danicæ.

CAPUT XXVIII.

Veterum et recentiorum quorumdam de Prudentio testimonia. Ejusdem antiqui imitatores.

C. SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS

(Lib. II, epist. 9.)

241. Huc libri affatim in promptu... Licet quæpiam volumina quorumpiam auctorum servarent in causis disparibus dicendi parilitatem. Nam similis scientiæ viri hinc Augustinus, hinc Varro, hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur. Quos inter Adamantius Origenes, Turranio Rufino interpretatus, sedulo fidei nostræ lectoribus inspiciebatur (*a*).

AVITUS.

(Ad Fuscinam sororem vers 414.)

Hæ virtutis opes, hæc sunt solatia belli,
Quis dubium adversus mentis cum corpore bellum
Ipsa suos armat clamantis buccina Pauli,
Quæ prudenti olim cecinit Prudentius ore.

(In Chronico sub nomine Prosperi Tironis.)

Prudentius lyricus poeta noster, Hispanus genere illustri, ingenii sui robur exercet.

207 S. ISIDORUS HISPALENSIS.

(In sua Bibliotheca.)

242 Si Maro, si Flaccus, si Naso, et Persius horret,
Lucanus si te, Papiniusque tedet:
Par est eximio dulcis Prudentius ore,
Carminibus variis nobilis ille satis (*b*).

FORTUNATUS.

(In præf. libr. de S. Martino.)

Martyribusque piis sacra hæc donaria mittens
Prudens prudenter Prudentius immolat actus (*c*).

VEN. BEDA PRESBYTER.

(De Ratione metrica.)

Metrum iambicum senarium recipit iambum locis omnibus, tribrachum locis omnibus præter novissimum; spondæum, dactylum et anapæstum locis tantum imparibus, Pyrrhichium loco tantum ultimo, quo nobilissimus Hispaniarum scholasticus Aurelius Prudens Clemens scripsit procemium Psychomachiæ, id est, libri quem de virtutum vitiorumque pugna heroico carmine composuit. Ita enim inchoat: *Senex fidelis, prima credendi via* (*d*).

THEODULFUS AURELIAN.

(Lib. IV, carm. 1.)

243 Diversoque potens prudenter ponere plura
Metro, o Prudenti, noster et ipse parens (*e*).

(*a*) Barthius, lib. x Adv., cap. 2: *Similis*, inquit, *scientiæ viros non frustra dixit Horatium et Prudentium Apollinaris Sidonius. De illo enim constat, omnium philosophorum flores et dogmata delibasse, hic nihil non Christianæ sapientiæ attingit, numerisque facilibus quidem, sed tamen interioris etiam eloquentiæ servantibus*. A S. Gregorio Turonensi laudatum Prudentium habes in comment. ad hymn. 6 Cathem. vers. 1, et Apotheos. vers. 449. Elogium quo Prudentium Gennadius ornavit, vide num. 60.

(*b*) Muratorius tom. II Anecdot., p. 208, describit hæc carmina sub titulo: *Vetustissimi versus, qui olim in bibliotheca S. Isidori Hispalensis legebantur. Ex codice vetustissimo*. Hæc carmina nusquam exstare impressa putabat Muratorius: sed magnam partem jam ediderat Joannes Tamayus de Salazar in Martyrol. Hisp. die 4 Aprilis. In Muratorio sunt disticha 46, in Tamayo 32, pleraque eadem, quædam diversa. At interest magni a Muratorio esse edita; nam si Tamayi solius nomen appareret, nemo de falsitate non dubitaret; nunc quia et Muratorius, et *codex vetustissimus* nominatur, nemo in dubium revocabit veritatem. Neque ego quidem contra quidquam opponam, si vere codex fuerit vetustissimus, alioquin Bibliotheca Mediolanensis nonnullam mihi suspicionem excitaret, in quam olim invecta constat plura monumenta ex Hispaniis allata. Nec mihi satis liquet an Muratorius vetustatem codicis examini subjecerit, et an, si subjecit, omnem eam diligentiam quæ in hoc genere necessaria esset adhibuerit: non enim Muratorius fraudes, quæ in hujusmodi scriptis auctorum Hispanorum confingendis sæculo superiori invaluerant satis videtur agnovisse. Hujus suspicionis argumentum, exstat tomo IV ejus Inscriptionum, pag. MCMLIII, num. 2, ubi epitaphium Wistremiri archiepiscopi Toletani profert, *apud Julianum*, inquit, *archidiaconum Toletanum S. Justæ. E schedis meis*. Et cum de versibus Leoninis quibus epigramma illud constat, nonnullam difficultatem excitasset solvissetque, addit: *Quod* fortasse *difficilius se mihi offert, in hocce titulo designari videntur insignia* (*nunc dicimus* LE ARMI)... *Num sæculo nono in usu fuere hujusmodi insignia? non arbitror. Quare nodum hunc eruditis Hispanis resolvendum relinquo*. Non ergo legerat Muratorius quæ de scriptis supposititiis istius archidiaconi Juliani Nic. Antonius lib. VII Bibliot. vet. Hisp. fuse commentatus fuerat. Sed, ut ad versus S. Isidori redeam, in postrema editione Matrit. Oper. S. Isidori exhibentur eadem disticha auctiora ex cod. ms. Bibl. Reg. Petrus Crinitus lib. v de Poetis Latinis cap. 90, quod ait, Isidorum testari, *Prudentium in Latinis litteris magna diligentia, parique studio institutum*, ubi id legerit neque ipse declarat, neque ego invenio.

(*c*) Alludit ad conclusionem seu epilogum Prudentii: *Immolat Deo Patri*, qui post librum Peristephanωn collocatur.

(*d*) Weitzius, ac multo magis Chamillardus ita hunc locum depravant ut non intelligas quid Beda sibi voluerit.

(*e*) Eum recenset inter libros quos legere solebat. Ejusdem auctoritate in dogmatis Fidei confirmandis non semel utitur. Ab eodem Theodulfo Rabanus mu-

208 RABANUS

Inter evangelicos viros, qui insignes libros carmine ediderunt Prudentium enumerat.

(De Instit. cleric. lib. III, cap. 18, et de Ord. sacr. cap. 12.)

Sed et Clemens Prudentius, disertissimus, atque christianissimus poeta in hac significatione pompam posuit in libro Psychomachiæ.

INCERTI.

(Ex cod. ms. Vat. Alex. 321.)

Hæc lege, qui rectum fidei vis noscere callem:
Quique heresum sollers spicula vafra fugis.
Hic tibi peccati veteris pandetur origo,
Hic nova vis animi monstra veterna fugans
Funditus idolii virtus eversa jacebit:
Ac penitus tetri lingua teretur hydri.
Inclytus hic martyr elingui concinet ore,
Heroumque acer rite canetur agon.
Christisonis hymnis libri prima ora resultant:
Finalis vario musa canore boat.
Hunc tu, quæso, frequens mellito gutture ructes;
Hunc verses animo, moribus hunc teneas.
Deque imo in cœlum suspiria pectore fundas
Pro me, proque meo, qui notat hæc, famulo (*a*).

DUNGALUS

Adversus Claudium Taurinens. plura a Prudentio sumit, præcipue prope finem, ubi ait.

Aurelius Prudentius Clemens, vir consularis (*b*), ac Hiberorum eruditissimus, eodem fidei ac devotionis studio flagrans, multa de sanctorum laudibus intercessionibusque postulandi metrico 209 textu composuit. Hinc mira humilitate substernendo ad se conversus, suamque adhortans animam, ait in præfatione libri: Atqui fine sub ultimo, etc... Item de S. Laurentii passione verbis ornatis ait, etc.

NOTKERUS BALBULUS.

(Not. de Vir. illust. cap. 7.)

Si vero etiam metra requisieris, non sunt tibi necessariæ gentilium fabulæ, sed habes in Christianitate prudentissimum Prudentium de mundi exordio, de martyribus, de laudibus Dei, de patribus Novi et Veteris Testamenti dulcissime modulantem, virtutum et vitiorum inter se conflictus tropologica dulcedine suavissime proferentem, contra hæreticos et paganos acerrime pugnantem.

BRUNO ANTISTES COLONIENSIS.

(Ex Georg. Fabricio ad hymnum A. D. VIII cal. Jan.)

211. Locum in eruditorum bibliothecis et in animis A piorum merito tenet (*Prudentius*), ut olim tenuit; nam Bruno antistes Coloniensis, dux Saxoniæ, et Othonis I imperatoris frater, ejus volumen ecclesiis omnibus donavit, et ipse manibus semper tenuit. *In ejusdem Brunonis Vita, auctore Rotgero æquali et domestico illius, apud Bolland. ad diem 11 Octobris* Ubi prima grammaticæ artis rudimenta percepit, sicut ab ipso in Dei omnipotentis gloriam hoc sæpius ruminante didicimus, Prudentium poetam, tradente magistro, legere cœpit. Qui sicut est et fide, intentioneque catholicus et eloquentia, veritateque præcipuus, et metrorum librorumque elegantissimus, tanta mox dulcedine palato cordis ejus complacuit, ut jam non tantum exteriorum verborum scientiam, verum intimi medullam sensus et nectar, ut ita dicam, B liquidissimum majori quam dici possit, aviditate hauriret. Postea nullum penitus erat studiorum liberalium genus in omni Græca vel Latina eloquentia, quod ingenii sui vivacitatem aufugeret (*c*).

210 (Ex codice Goldasti apud Weitzium.

Incipiunt tituli libri Manualis amœni,
Exceptis quos personis tetrasticha claudunt.
Primus Adæ elato de crimine narrat, et Evæ.
Tum singillatim numerata vocabula multa
Provida personæ pandit descriptio rhythmi.

SIGEBERTUS.

(In Chronico ad an. 393.)

In Hispania Prudentius poeta lyricus claret.

PETRUS VENERABILIS.

(Lib. III, epist. 24, de Symmacho.

Ei et prosa et metro tam supradictus venerabilis C Pater (*Ambrosius*) quam noster insignis poeta Prudentius potentissime responderunt.

RUPERTUS TUITIENSIS.

(Cap. 10, lib. VI, de Operib. Spiritus sancti.)

Ex hymno S. Petri plures versus sumit.

Super hoc quidam fidelis et in fide laudabilis, metrice canens ita dixit: Figitur ergo manus subter sola versus in cacumen.

VINCENTIUS BELLOVACENSIS.

(Lib. XVII Specul. hist. cap. 62.)

Prudentius librum metricum de Conflictu vitiorum et virtutum eleganter composuit.

tuatus est verba, quæ mox proferam. De Agobardo vide comment. hymn. VII, vers. 160; de Lupo Ferrariensi Hamart. vers. 2.

(*a*) Hoc epigramma, a cl. Teolio exscriptum, ad codicem ipsum recognovi. In primo versu nihil muto, quamvis in codice repererim *dinoscere* pro *noscere*: est enim error metricus famuli qui hæc notabat, ut æquum est conjicere. In versu 9 a Teolio omissa est vox *libri*, in 11 vox *frequens*, quæ tamen sunt in codice, et sine quibus versus claudicant. In versu 10 legit Teolius *In aliis*, ego ex membranis *Finalis*, quod exigit metrum, et sententia: nam præcedit *libri primi ora*, cui consonat *Finalis musa*. Indicantur omnia Prudentii carmina eo ordine quo in hoc codice continentur: 1. Christisoni hymni, hoc est Cathemerinon liber; 2. Apotheosis; 3. Hamartigenia; 4. Psychomachia; 5. Libri contra Symmachum; 6. Romanus; 7. Peristephanon; 8. Finalis musa vario canore, quod est Dittochæum.

(*b*) Dubitare aliquis possit, ab a manu Dungali sit *vir consularis*, an solum V. C., quas notas aliquis li- D brarius male explicuerit *vir consularis*. Ex aliis codd. mss. et Isone constat, jam olim hunc errorem de Prudentii consulatu invaluisse, ut dixi num. 51. Itaque non audeo improbare lectionem quam in editione Dungali reperio.

(*c*) Sæculum X non fuisse tam obscurum et imperitum quam multi jactant, ex hoc aliisque monumentis arguebat cl. Joseph Petiscus, egregius in his rebus judex, quocum minime sunt conferendi plerique eorum qui ignorantiam et obscuritatem sæculi X passim crepant, sive graves scientias, sive genus omne litterarum amœniorum consideres. Floruit etiam eodem sæculo poetria Roswitha, sermones utriusque linguæ Latinæ et Græcæ docta, quæ panegyrin Othonis imperatoris, fratris Brunonis, versu heroico composuit, et martyrium B. Pelagii, pueri Hispani, eodem metro descripsit: quod poema a Bollandianis pro actis authenticis S. Pelagii martyris exhibetur, non minus quam hymni, quibus alios martyres Prudentius celebravit.

PHILIPPUS BERGOMENSIS.

(Chron. sub anno 400.)

A Prudentium, poetam Christianum, virum utique sæcularium litterarum scientissimum, per hos dies claruisse, et in pretio fuisse, tradunt : qui et nonnulla in divinis laude dignissima composuit.

(In codice Bongar. apud Weitzium.)

245 Prudentis metrici, prudens et nomen habentis,
Qui jam transactis vetulus quinquennibus annis,
Commissum populum delecto jure regendum
Spiritui parens sese ad meliora vocanti
Consilia, hoc septem libris, unoque volumen,
Divina in cunctis sit imet sanctione favente,
Communem cunctis conscripsit ad utilitatem,
Et pro perpetua mercede poli capienda
.... pictor merce ...: minis hujus (*a*).

211 MARTYROLOGIUM ROMANUM.

(22 Jan. de S. Vincentio.)

B Cujus passionis nobilem triumphum Prudentius luculenter versibus exsequitur.

PETRUS CRINITUS.

(Lib. v de Poetis Latinis, cap. 90.)

246. Leguntur adhuc ipsius poemata vario genere carminum composita, quibus facile probari potest, cum quidem pro conditione temporum maxime præstitisse inter Christianos poetas, non modo eruditis verborum figuris, sed etiam gravitate sententiarum.

ALDUS ROMANUS.

(In Vita Prudentii.)

Fuit homo ingeniosus, gravis et ornatis moribus ac Christianæ religionis observantissimus, quod ex ipsius operibus facile est cognoscere.

ERASMUS ROTERODAMUS.

(In quadam apologia.)

Prudentius poeta tantum spirans tum sanctimoniæ, tum sacræ eruditionis, ut mereatur inter gravissimos Ecclesiæ doctores annumerari (*b*).

GEORGIUS FABRICIUS.

(Com. in poetas Christ., pag. 17.)

247. Eidem (*Prudentio*) tribuit gravitatem et elegantiam alicubi Cæsarius ; pietatem et animum vere Christianum Rivius. Hunc unum legendum censet Vives (*id non invenio, neque iis congruit, quæ aliis in locis docet Vives*). Tribuunt eidem nonnulli Romanam eloquentiam, aut certe illi propinquam. Leonardi Quercetani, hominis obscuri, nomen non novissemus, nisi male sensisset de Prudentio. Lilius ei multam eruditionem ac variam ascribit : sed eloquentia ac linguæ castitate vel parum valuisse, vel potius eas neglexisse ait : neutrum homini nec diserto, nec eleganti, ut et de eloquentia et de orationis puritate judicet, concedimus (*c*).

GISELINUS.

(In epist. dedicat. primæ editionis.)

212 248. Aurelius Prudentius Clemens ob incredibile pietatis studium, summamque laudatissimarum scientiarum cognitionem unice suspiciendus.... Cum mira et singularis in eo sit rerum præstantia ac varietas, ornamentis tamen ac luminibus partim a se inventis, partim ex uberrimo veterum fonte haustis singula utcunque gravia, et ardua concinne ornateque depingit, ac persequitur, nihilosecius perpetuo intra cancellos sacræ religionis sese continens (*d*)

(*a*) In codice, quem Barthius vidit et cascum appellat, lib. vii, cap. 42, legebatur : *Prudentius optimus poeta, eruditissimus theologus.* De aliis codicibus vide supra toto cap. 4. Testimonia Honorii Augustodunensis et Trithemii dedi num. 61 et 62.

(*b*) In cap. xiv Joannis : *Prudentius vir quovis etiam sæculo inter doctos numerandus.* De pueris liberaliter instituendis : *Jam si quis Prudentium, unum inter Christianos vere facundum poetam volet enarrare, litteras etiam arcanas calleat oportet.* Vide etiam ejusdem Ecclesiasten, et Adagia Chilid. iv, cent. 5, num. 1, ubi egregie ait, in Basilio, Nazianzeno, Ambrosio, *Prudentio*, Lactantio linguarum ac politioris litteraturæ cognitionem ideo caruisse invidia, *quia servivit pietati.*

(*c*) Et in præfatione Expositionis in hymnos quosdam Prudentii : *Prudentio adimunt doctrinam viri obscuri Leonardus Quercetanus et Petrus Summontius, eique nihil relinquunt præter nudam religionem, qua nos contenti sumus, et virum illum nobilitate et eruditione excellentissimum, majorem putamus, quam umbræ illæ viderint, et plus habere veteris elegantiæ Romanæ, quam ipsi aut intellexerint, aut assecuti sint.* Iterum in præfat. ad hymnum A. D. viii cal. Jan. *In publica censura usitatos olim studiorum liberalium honores petentibus fuisse proposita Aurelii Prudentii scripta, e viris doctissimis Andrea Comitiano, et Gaspare Bornero adolescens audivi, idque ab iis probatum fuisse memini.*

(*d*) Et in fine adnotationum. — Nam stylo sic satis perspecto, non magnopere in re laborandum fuit, utpote facili, et cuivis nota. Neque enim (ut et hoc libere dicam) in eo adhuc Erasmo assentiri possum, qui in apologia quadam contra Latomum negat Prudentium pueris prælegendum esse, quod a solis theologis queat intelligi. Quæ tandem sint illa obscura, C et a communi puerorum captu abstrusa, nondum potui reperire. Si de Apotheosi loquitur, (ut revera loquitur) fateor quædam esse ab usitata puerorum cognitione nonnihil remota, quæ nimirum quæstiones de divinæ triadis essentia controversas concernunt. Sed quantulum id, quæso? Imo si in ipso dicendi artificio nihil requireremus, quanta majore facilitate, quanto uberiore reipublicæ Christianæ fructu hæc a pueris addiscerentur, quam vanæ illæ poetarum historiæ, seu potius fabulæ, in quibus non exigua temporis portio miserrime conteritur. Accederent aliæ commoditates multo maximæ, quas hic recensere neque hujus est loci, neque nostri instituti. Ut igitur ad Prudentium redeam, etsi nulla justa sit causa, cur omnium manibus teratur, quam quod non leve sit incitamentum ad honestissima quæque tentanda, certe vel una hæc ratio satis valere debeat. Nam (libeat paucis evagari) quid non castum, quid non pium, quid non sanctum in eo est non reperire? D Totus est in agendis Deo gratiis, ejusque munificentia amplificanda : etiam minutissima in illius laudem convertit. Martyres præterea... suis laudibus exornat... Quid hoc fieri potest religiosius? Quid dignius in exemplum trahi? Postremo quando illi cum hostibus res est sive internis corporis (vitia, animique concupiscentias intelligo) sive externis, nempe hæreticis, sive gentibus idolorum cultoribus, Deus bone, quanta animi alacritate eos aggreditur? quo ardore depugnat, ac prosternit? Militem dicas adhuc esse, non poetam. *Et in præfatione secundæ editionis.* Magis illud miror, quo pacto fecundi pectoris vena in tam varia, et nova rerum maxime arduarum pertractatione nunquam exaruerit, nusquam defecerit, certe qui ex omni posteritate cum eo paria fecerit, adhuc vidi neminem.

MARCUS HOPPERUS.

(In præfatione Prudentio præfixa ad Joannem Rudolphum ab Erlach.)

249. De auctore hoc, quem tuum esse volo, vel lucubrationibus ejus quod multa dicam, nihil opus esse puto; cum eo semper loco a piis et eruditis habitus sit, quo quivis alius, quamlibet clarus, poeta: imo tanto majore dignus pretio et honore **213** quo circa quæ versatur, argumenta, quam quorumcunque ethnicorum, nobiliora, sanctiora et utiliora habentur: ut quæ ex sincerioris theologiæ fontibus pleraque omnia desumpta sint, et omnis generis pii exercitii materiam et causam præbeant (*a*).

JACOBUS SPIEGELIUS.

(In comm. hymni Omni hora.)

250. Quorum (*lyricorum*) princeps apud Græcos Pindarus, apud Latinos Horatius inter ethnicos: ut Prudentius inter eos, qui in veri Dei venerationem pietate plenos modulati sunt hymnos.

NIC. HEINSIUS.

(In epist. dedic. suæ editionis Prudentii ad Ferdinandum episcopum Paderbonensem.)

Aurelium Prudentium Clementem quo nemo veterum majore cum successu poesin Christiani argumenti dedit excultam, aut laudabiliore exemplo famæ, ac posteritati commendavit, etc. Hunc tu poetam jam ab ungue tenero familiarem habuisti; hunc tecum sic admiratus est Lucas ille tuus Holstenius, clarissimi vir nominis, ut animam jam agens ac moribundus, per te sibi ex Cathemerinis hymnum, qui exsequiis defunctorum datur, recitari voluerit, atque eo pacto in solatium vitæ melioris mente erectus, ac Deo plenus exspirarit.

CHAMILLARDUS.

(In epistola dedic. ad Delphinum.)

251. Summo fuit Prudentius apud Arcadium et Honorium in pretio, quia ipsis exemplum, quod sequerentur, in describendis illis catholicæ religionis heroibus proponebat. Idem tibi a summo illo poeta A proponitur. Favebis illi, opinor, et hominem ingenii ac pietatis gloria florentem, qui superiorum temporum injuria tantisper jacuit, benigne ut cæteros soles, accipies (*b*). Et in Vita **214** Prudentii: Illud mirere, licet de variis hæresibus multa dixerit, tamen ipsum nihil, quod in deteriorem accipi partem posset, aut erroris insimulari, scripsisse. Quin imo tanquam e puro fonte haurire ex illius scriptis possumus omnia sanctæ Ecclesiæ Romanæ dogmata; ac potissimum ea quæ Trinitatis mysterium spectant, Christi nativitatem divinitatemque; Mariæ Virginis integritatem, cultum sanctorum; illorumque apud Deum gratiam, et potestatem. Hinc quotquot fuere litterati viri, auctoritatem Prudentii minime contemnendam duxerunt.

B M. D. MULLER S. I. P. R.

(In præfatione editionis Prudentii anno 1701, cum notis Heinsii et aliorum.)

252. Aurelii Prudentii Clementis opera tanto minore commendatione egent, quanto magis se ab omni ævo ex quo scripta sunt commendarunt. Nullus certe poetarum Christianorum est antiqui illius temporis, cum quo non componi possit: neque quisquam etiam qui piorum et eruditorum manibus frequentius teratur, aut in quem curas suas utrique contulerint. Hoc toties repetitæ illius editiones, et a plurimis susceptæ in illum illustrationes, et conscripta testantur adnotata.

CELLARIUS.

(In præfat. suæ editionis.)

C 253. Christianorum poetarum principem Aurelium Prudentium Clementem vides curis nostris factum explicatiorem. Dum in **215** votis habui, ut cum Virgilio, Horatio ac Cicerone in Christianis scholis etiam Minucius Felix, et Lactantius ac Prudentius conjungantur, ut juventus nostra res Ecclesiæ antiquæ et ejus divinum sensum, et mores ac fata recte cognoscat (*c*).

(*a*) Pergit Hopperus singulorum carminum argumenta explanare. *Nam ut singulorum singulis quasi verbis opusculorum periochas cognoscendas tibi exhibeam: visne carnis adversus concupiscentias armari? In Psychomachia, quæ prima occurrit, te exerceto. Vis Domini nostri Jesu Christi miracula et immensa, quæ humano generi præstitit, beneficia cognoscere, laudesque ejus decantare? Cathemerinων repetito. Vis sanctorum martyrum exemplis fidem et constantiam tuam in religione Christiana corroborari? Peristephanων inspicito. Vis hæreticorum falsa vitare dogmata? Apotheosin et Hamartigenian legito. Vis horrendas gentilium superstitiones et idololatrias cum detestatione admirari? Ea quæ contra Symmachum scripsit cognoscito. Vis denique sacras utriusque Testamenti historias ἐν ἐπιτομῇ memoriæ mandare? Enchiridion (quod postremum est) evolvito.*

(*b*) In præfatione Chamillardus laudat in Prudentio studium insigne religionis, doctrinæ miram varietatem, magnos illos spiritus, quibus afflantur poetæ; quidquid in Græcis ac Latinis poetis sparsum ac fusum est, unum Prudentium ait collegisse compendioque repræsentasse: Erasmum et Heinsium locutionum Latinarum, quas imitarentur ipsi, formas et lepores a Prudentio esse mutuatos: præclarum de Prudentio judicium tulisse tres sapientissimos viros serenissimi Delphini adolescentiæ bonis artibus et litteris imbuendæ præfectos, Carolum Sancta-Mauræum, Montauserii ducem, Jacobum Benignum Bossuetium, et Petrum Danielem Huetium, qui Prudentium ad usum Delphini commentariis illustrandum censuerunt. Hanc Chamillardi editionem tanto apparatu procuratam, et a multis nunc expetitam, olim recudere cogitaveram, quod ita oportere judicasset D vir omnigena eruditione celeberrimus. Sed ab hoc consilio multa me deterruerunt. Primum editio illa Parisiensis potissimum quæritur ad seriem complendam similium editionum; eadem typis aliis repetita vilesceret. Deinde interpretatio sæpe obscura est, interdum imperfecta, ubi autem optima, solis pueris utilis. Tum plurimæ notæ in rebus pervulgatis ac contritis versantur; criticæ notæ, ex Heinsio petitæ, non sunt a nobis, qui codd. mss. consuluimus, exscribendæ, sed in examen vocandæ. Postremo loca sacræ Scripturæ, et SS. Patrum Chamillardus ex fontibus non limpidissimis plerumque descripsit. Hæc omnia singulis locis si ab eo, qui editionem Chamillardi repræsentaret, silentio præterirentur, cæteri indiligentiam accusarent: si notarentur, tædium incredibile tot rerum repetitiones lectori parerent.

(*c*) Audi nunc quæ Prudentio objici dicat Cellarius: *Prudentio, ejusque in scholis usui duo objici equidem non ignoro, videlicet utramque ejus ἀνωμαλίαν tam metri, in Græcis maxime vocabulis, quam religiosæ*

JOANNES PETRUS LUDEWIGIUS.
(In Vita Prudentii.)

254. Tot elogia quot testimonia ejus exstant. Ego vero acumen ejus in rebus maxime sacris, et prudentiam diviniorem, quam theologiam dicimus, admiror in illo non minus quam æstimo.

EMMANUEL RISCO.
(Tom. XXX Hisp. sacr.)

Haviendo yo cotejado los discursos de nuestro poeta en favor de la fe con los escritos de los teologos mas doctos de estos tiempos... hè hallado, que trahe Prudencio todos los argumentos, con que hoy se vindican de las cavilaciones hereticas los dogmas de nuestra santa fe (a).

CAROLUS AUGUSTINUS ANSALDUS.
(In præfat. ad versionem Italicam librorum contra Symmachum.)

Spero che quest opera sia per riuscire non affattò inutile, perchè oltre l'essere convincentissima per abbattere il gentilesimo, ella è sparsa di tanti lumi teologici, morali, fisici, politici, storici, che può giovare a qualunque stato di persone, e perchè vi si scopre una certa unzione, ed uno spirito del Christiancsimo, che sempre più conferma nella vera religione, ed ognor più persuade all' adempimento de Christiani doveri.

216 CL. JOSEPH TEOLIUS.
(In limine præfationis ad novam Parmensem editionem.)

Inde profecto omnes intelligent, quanti habitus quantique faciendus sit hujusmodi auctor; quamque de pietate, de religione, de eruditione, de historia ecclesiastica benemeritus fuerit; ita ut pudere plerosque Christianorum debeat in impuris profanisque poetis diu multumque versatos, hunc ne semel quidem attigisse, a cujus lectione non eruditiores tantum, sed etiam religiosiores discessissent.

255. Demum aliorum, qui Prudentium laudibus sunt prosecuti, indicabo nomina. Apud Weitzium in Votis doctorum virorum in ejus novam editionem, et in Elogiis Prudentii Cunradus Rittershusius. Georgius Remus, Fridericus Taubmannus, Adamus Theodorus Siberus, M. Michael Piccartus, Christianus Becmanus, Joannes Franciscus Mirandulanus, Christophorus Mylæus, Andreas Tiraquellus IC., Obertus Gifanius, Hadrianus Turnebus, Christophorus Colerus, Melchior Goldastus Haiminsfeldius, Gaspar Barthius, P. Christophorus Brower, Bernardinus de Bustis. Catalogus A testium veritatis, Cæsar Baronius, Joannes Ludovicus Vives, Matthæus Dresserus, Henricus Beberius, Zacharias Victor. Barthius in Adversariis, quæ Weitzius non allegat, sæpissime Prudentium nominat, ac vix unquam sine maximis laudibus, quas partim, cum occasio tulit, exhibui, partim exhibebo in commentariis. Alia elogia sparsim dedi in prolegomenis, et sæpe in commentariis ultro aliorum verba exscribam, quibus Prudentius celebratur. Consulere etiam potes scriptores Historiæ ecclesiasticæ, qui pene omnes Prudentii doctrinam, ingenium et eloquentiam commendant. Adde theologos, qui ejus carminibus dogmata religionis catholicæ confirmant, imprimis Dionysium Petavium, qui sæpe Prudentium appellat, et de SS. Trinitate disserens lib. v, cap. 9, num. B 17, elogium non vulgare Prudentii paucis his verbis contexuit: *Postremo quæ de divina generatione hucusque longiori disputatione percurrimus, versibus aliquot complexus est Prudentius, quos hic melius sit ascribere : Hoc solum scimus*, etc. Ascribit versus viginti duos ex Apoth. a vers. 268. Plurimi etiam interpretes sacræ Scripturæ Prudentii versus summa cum auctoris laude ad explicanda loca difficilia proferunt. Nonnemo affirmat, ab Estio Prudentium habitum pro optimo sacrarum Scripturarum interprete, et hujus mentem frequenter cæterorum omnium Patrum tam Græcorum quam Latinorum sensui Estium prætulisse in commentario **217** epistolarum apostolicarum : quod ego cum Prudentii tum Estii causa et cupio, et censeo esse falsum. Legesis num. 136. C Scriptores illi qui antiquitates Romanas, præsertim sacras, illustrant, passim celebrant Prudentium, ut Marcus Antonius Boldettus, qui lib. I Observationum, cap. 23, de vasis disputans, quibus sanguis martyrum in sepulcris asservatur, sic ait : *Più di ogni altro pero ne fa chiara testimonianza il non mai abbastanza lodato Prudenzio.* Ita etiam omnes illi qui bibliothecas ediderunt, ubi locus aliquis Prudentio esse potuit, præsertim qui de scriptoribus ecclesiasticis libros peculiares elucubrati sunt, in quibus eminet doctissimus Ceillierius, maximis eum laudibus celebrarunt. Neque omittendi sunt scriptionum liturgicarum auctores, qui sæpe poetam nostrum eximio aliquo elogio prosequuntur, nominatim vero D piissimus cardinalis Bona (b).

256. Poetæ Christiani veteres, qui post Pruden-

invocationis : quorum alterum decrescenti in Romanis Græcitati, alterum nascenti superstitioni, utrumque sic temporibus imputandum est, et quæ incommode nonnunquam dixit, aliis ubique locis tum puriore de Deo et sacris sensu, tum legitimo elegantique metro compensantur. Vides heterodoxum hominem ultro fatentem, cum Ecclesia catholica Prudentium de sanctorum invocatione sentire. Ejus notationes Prudentio veterique Ecclesiæ adversantes opportunis locis refellemus.

(a) Riscus in theologicis disciplinis tradendis plurimum versatus, *Hispaniæ Sacræ* post cl. Henricum Florez præclarissimus continuator (religiosæ familiæ Augustinianorum utrumque hoc decus debet Hispania) plurima addit de Prudentii eloquentia, eruditione, poetica laude et stylo puro, ac facili supra sui ævi captum, ut ad Augustæam Latinitatem accesserit; quem solum ab iis exponendum censet, qui religione catholica imbuti studia doctrinæ sacræ reconditioris litteris humanioribus conjungunt.

(b) Videri potest Thomas Pope Blount in Censura celebrium auctorum, et Adrianus Baillet in Judiciis virorum sapientum, qui inter Prudentii laudatores recenset Turnebum et Scaligerum filium, a quibus *elegans poeta* dicitur, additque Antonium de Godeau, Davidem Chytreum, et Olaum Borrichium, quanquam his opponit Renatum Rapin, et Philippum Briet S. J., quorum hic Sidonii comparationem inter Prudentium et Horatium rejicit, ille non audet Prudentium inter bonos poetas collocare. Confer num. 241, et judicia gravissimorum virorum quæ dedimus.

tium scripserunt, plerique illum sunt imitati, quasi eum poeseos Christianæ parentem agnoscerent, et quamvis quorumdam fama obscura sit, tamen nihil inde Prudentii gloriæ detrahitur, quemadmodum neque Virgilii et aliorum veterum quorum versus sæpe poetæ Christiani sequioris ævi exprimebant. Imo Prudentio hi magna ex parte debent, quod aliquibus luminibus eorum carmina splendeant, quandoquidem ea quæ in eis maxime emicant, ex Prudentiano fonte hauserint. Plura hujusmodi in commentariis proferam, nunc aliquorum nomina recensebo: Apollinaris Sidonius, Alcimus Avitus, Fortunatus, Theodulfus Aurelianensis, Dudo, Hericus, Arnulfus, Dares, seu Joseph Devonius, Corippus, Hartmannus, Wandelbertus.

CAPUT XXIX.

De variantium lectionum delectu. Quibus notis editiones, et manuscripti codices in commentariis indicentur.

218 257. Ut commentariorum facilior sit usus et intelligentia, nonnulla ante oportet explicare. Probabiles virorum doctorum conjecturas ultro exponimus, sed ita ut repugnantibus libris veteribus et editionibus antiquis, raro, aut nunquam adoptemus, præsertim cum sensus commodus, metrique lex a Prudentio observata sustineri potest. Ea vero lectio intelligitur a nobis prælata, quæ in carmine proponitur, quamvis in commentariis plures codices contra producamus, aut aliam lectionem æque bonam, aut fortasse meliorem videri pronuntiemus. In seligendis lectionibus rationem habuimus tum sensus, tum metri, tum consuetudinis poetæ, tum aliorum similium locorum, quæ aut is imitatus fuerit, aut alii antiqui ex eo expresserint. Sæpius plures et veterrimos codices paucioribus et recentioribus præferimus: nonnunquam paucos multis, recentes antiquis. Cum nihil contra variam aliorum scripturam disserimus, eam retineri posse existimamus. *Nostros* codices cum voco, intelligi volo præcipue Ratisb.,

A Prag., Angelicum, Alexandrinum, Mariettinum, Viennen. Vat. A et B. Nam ex aliis interdum lectionem a communi, et stabilita discrepantem non adnotavi, quod mendosa esset, aut aperte superflua. Plerumque etiam vetustate ferme consumptæ litteræ ita fugiebant, ut periculosum esset certo judicare quid esset scriptum. Manum primam exscriptoris a manu secunda, quod his notis indico, *m. pr.*, *m. sec.*, ita distinguo, ut veterem manum, tam secundam quam primam, intelligam, nisi cum recentem clare nomino. Codices vero mss. et editos, quorum frequentior mentio occurrit, primis tantum litteris soleo appellare, quos ut lector facile possit agnoscere, eorum catalogum subjiciam.

ALD. Editio Aldi Manutii, de qua supra num. 104 (*a*).

B **219** ALEX. Codex Alexandrinus 321 in bibliotheca Vaticana, de quo supra num. 78.

ALT. Codex Altinius apud Heinsium. Vide num. 100.

AMBR. Codex bibliothecæ Mediolanensis Ambrosianæ apud Heinsium. Num. 100.

ANG. Codex bibliothecæ Romanæ Angelicæ. Num. 76.

BOHER. Codex Boherianus vetustior et recentior apud Heinsium. Num. 100.

BONG. Codex Bongarsianus apud Weitzium. Num. 99.

BONON. Codex Bononiensis. Num. 75.

BREV. MOZ. Breviarium Mozarabicum, sive Isidorianum et Gothicum. Num. 104.

C CAUC. Cauchii codex et notæ apud Heinsium. Num. 104.

CELLAR. Editio Cellarii. Num. 117.

CHAM. Editio Chamillardi. Num. 117.

EGM. Codex Egmondanus apud Weitzium et Heinsium. Num. 99, 100.

ERF. Codex Erfurtensis apud Weitzium. Num. 99.

FABR. Editio Georgii Fabricii. Num. 111.

FULD. Codex Fuldensis apud Weitzium. Num. 99.

GALL. Editio Gallandii. Num. 114 (*b*).

(*a*) Aliud exemplar hujus editionis exstat in privata bibliotheca selectissima SS. D. N. Pii VI. P. M. Deest initium, sed finis respondet cæteris Aldinis Prudentii editionibus quas vidi. Ut autem quæstio illa, quam attigi num. 104 et seq., de triplici, duplici, vel, quod verius puto, unica Aldina Prudentii editione, ab iis qui alia exemplaria inspicere possint, facilius resolvatur, quasdam observationes addam. Aldus poetas Christianos excusit typis anno 1501, sed publicavit anno 1502. Eos dedicat Danieli Clario *Junio* 1511, quem ita alloquitur: *Christianos poetas jam annum in thermis nostris excusos tandem, mi Clari, emittimus.* Paginæ non distinguuntur numeris. Incipit Sedulius regimine *a*, quod continuatur ad *bb*. Omnes sunt quaterni, excepto *d*, duerno, et *bb* terno. In fine: *Venetiis apud Aldum* 1501 *mense Januario*. Sequuntur in duobus exemplaribus, quæ vidi, alia opuscula soluta oratione, et Homerocentones Probæ Falconiæ, sed alio regimine, neque in fine annus notatur editionis. Qui hoc volumen in manus sumat, nisi diligentius observet, facile existimabit, typis excusum anno 1502. Quod si carmina Prudentii, 1501 excusa et vulgata, simul sint compacta, ut in exemplari bibliothecæ Barberinæ cernere licet, opinabitur, etiam Prudentium editum anno 1502. Jam omnes Aldinæ editiones Prudentii, quas ego excussi, sine numeris paginarum hoc præditæ sunt regimine librorum. Incipiunt cum *ff*, et desinunt cum *yy*, qui postremus est quinternus. Aldus hoc regimen in limine indicavit, et fortasse voluerat post
D Aratorem illico Prudentium legi; nam Arator desinit in *ee*. Idem Aldus præmisit regimen opusculorum Græcorum Damasceni et aliorum, et carminum S. Prosperi. Verum alio ordine procedit hoc regimen, et ita sunt ea opera seorsum excusa, ut etiam seorsum compingi possint. Itaque ego Prudentium Aldi vidi alibi solum, alibi cum opusculis Græcis in principio, et versibus S. Prosperi in fine, alibi cum his versibus, et opusculis Græcis in fine, alibi cum cæteris simul poetis Christianis.

(*b*) Quem ordinem Gallandius tenuerit, dixi cit. num. 114, et conjeci, eum ordinem servari in editione Tornæsiana. Sed cum eadem editio a Latino Latinio in Bibliotheca Selecta collata fuerit cum vett. libris, et diversus ordo ostendatur, satis firma non est illa conjectura. Video autem, ab aliis *Tornæsium*, ab aliis *Tornæsium*, ab aliis *Tornesium* typographum appellari, nam editionem ipsam non vidi.

220 Gif. Obertus Gifanius Buranus in indice Lucretii Antuerpiæ 1565. Alii *Aubertum*, et *Giphanium* scribunt.

Gis. 1 ed., 2 ed. Editio prima, et secunda Giselini. Cum autem *Gis.*, aut *Giselinus* laudatur, et non distinguitur editio prima a secunda, intelligitur editio secunda correctior. Vide num. 110 et 111.

Gold. Codex Goldasti apud Weitzium. Num. 99.

Hails. Codex Hailsbronnensis apud Weitzium. Num. 99.

Heins. Editio Heinsii. Num. 117.

Hymn. Thom. Hymnarium editum a V. Thomasio.

I. Iso ita in glossis indicatur. Vide num. 16, 113, 114, 260.

Lat. Bibliotheca selecta Latini Latinii, opus posthumum.

Mar. Codex Joannis Antonii Marietti, nunc Vaticanus signatus num. 5821, de quo egi num. 77 et aliis in locis.

Nebr. Editio Ælii. Antonii Nebrissensis. Num. 107.

Noms. Codex Nomsianus apud Heinsium. Num. 100.

Ox. Codex Oxoniensis apud Heinsium. Num. 100.

Pal. Codex Palatinus apud Weitzium. Num. 99.

Prag. Codex Pragensis. Num. 79, pag. 68, in nota *a*.

Put. Codex Puteanus apud Heinsium. Num. 100.

Rat. Codex Ratisbonensis. Num. 79, pag. 68, in nota *a*.

Sich. Editio Sichardi. Num. 110.

Teol. Editio cl. Josephi Teolii. Num. 117.

Thuan. Codex Thuaneus apud Heinsium. Num. 100.

Torn. Tornæsiana editio apud Gallandium et Latinum Latinium.

Torr. Codices duo Torrentiani apud Heinsium. Num. 100.

Vall. Codex Vallicellanæ bibliothecæ in Urbe, quem post codices cap. 4 recensitos vidi (*a*).

Vat. Vaticanus. Vatt. Vaticani. Vat. A. Codex Vaticanus signatus num. 3851. Vat. B. Vaticanus num. 3860. Vat. C. Vaticanus 3267. Vat. D. Vaticanus 5356. Vat. E. Vaticanus 2766. 221 Vat. F. Vat. 2868. Vat. G. Vaticanus Alexandrinus 1439 (*b*). Vat. H. Vaticanus Alexandrinus 2078. Vat. I. Vaticanus Alexandrinus 348. Vat. L. Vaticanus Alexandrinus 1835. Vat. N. Vaticanus Alexandrinus 1838. Vat. O. Vaticanus Alexandrinus 58. Vat. P. Vaticanus Alexandrinus 74. Vat. Q. Vaticanus Alexandrinus 1702. Vat. R. Vaticanus Palatinus 242. Vat. S. Vaticanus Palatinus 1715. Vat. T. Vaticanus Palatinus 235. Vat. X. Vaticanus Otthobonianus 237. Vat. Y. Vaticanus Otthobonianus 1193. Vat. Z. Vaticanus Otthobonianus 1220. Vat. AA. Vaticanus Otthobonianus 1297. Vat. BB. Vaticanus Otthobonianus 1502. Vat. CC. Vaticanus Otthobonianus 3325. De quibus omnibus codicibus Vaticanis egi num. 77 et seqq.

Urb. Codex Vaticanus Urbinas 666. Vide num. 79.

Weit. Editio Weitzii. Num. 114.

Vulg. Editiones vulgatæ, nulla peculiari mentione dignæ.

258. Breviter nunc exponam, qui codices Vaticani ad singula Prudentii poemata allegentur. Codices Vaticani sub Prudentii nomine a me recogniti sunt omnino 28, ex his rejeci codicem Vaticanum 4318, tanquam plane inutilem, et codicem Vaticanum Alexandrinum 334, qui est Prudentii Trecensis episcopi (*c*). Supersunt 26 codices : quorum septem solam habent *Psychomachiam*, scilicet codd. Vatt. 2766, 2868, 3267, codd. Vatt. Alexandrini 1439, 1835, 2078, codex Vat. Palatinus 242. Alii septem codices tantum habent *Dittochæum*, videlicet cod. Vat. 5356, codex Vat. Alexandrinus 1838, codd. Vatt. Otthoboniani 1193, 1220, 1297, 1502, 3325. Duobus codd. Vatt. Palatinis solum *glossæ veteres* comprehenduntur, qui sunt signati num. 235, 1715. Codex Vat. Otthobonianus 237, *unum solum hymnum* continet. Restant igitur novem codices, in quibus plura sunt carmina. Solus Vat. Alexandrinus 321 222 omnia Prudentiana complectitur. In codice Vat. 5821, qui fuit Marietti, desideratur liber Cathemerinωn, sive decem primi hymni, ex libro Peristephanωn nonnulli versus, ex libro II in Symmachum pars maxima. In codice Vat. Urbinate deest sola Psychomachia. In Vat. 3859 deest Psychomachia et conclusio poematum. In Vat. 3860 desiderantur Hamartigenia, Psychomachia, libri contra Symmachum, et quædam ex libro Cathemerinωn. In Vaticano Alexandrino 348 desiderantur Apotheosis, Hamartigenia, Psychomachia, libri adversus Symmachum. In Vat. Alex. 58 desunt

(*a*) Hoc codice continetur solum Dittochæum, quod hoc titulo insignitur, *Eva columba*. Alii tituli in tetrastichis desunt. Orthographia codicis est *temptoria*, *deiscunt*, sine dihpthongis ; ætas sæculi circiter XIV, ut assentiebatur is ipse cujus beneficio codicem excussi, cl. P. Simon de magistris vir laudatissimus cum ob alia, tum ob *Danielem secundum septuaginta ex tetraplis Origenis ab eo primum editum ex codice Chisiano cum dissertationibus*. Romæ 1772, suppresso nomine. Utinam aliquando animum inducat, plura, quæ partim absoluta, partim affecta habet, luci et utilitati publicæ donare. Vidi ejus dissertationem nondum evulgatam *de adventu S. Pauli in Hispaniam ad R. P. Antonium Quevedo*.

(*b*) Dixi num. 78, in prima pagina hujus codicis esse notatum, *Nicolai Heinsii*, quasi is librum possederit, quod nunc confirmo ex Petro Burmanno Juniore, qui in Vita Nic. Heinsii præmissa hujus Adversariis editis Harlingæ 1742 in-4, pag. 15, refert, acceptissimum fuisse Christinæ Suecorum reginæ, *quod ad bibliothecam ejus, quam splendidissimam instruebat, adornandam, donatis codicibus suis mss. librisque egregiis undique conquisitis, nullam intermitteret opportunitatem*. Notum est autem, codices mss. Christinæ Suecorum reginæ in bibliothecam Vaticanam esse translatos.

(*c*) De hoc codice dixi num. 78, ubi legendum est, *inter L. Zaccagni libros inventus*, non ut editum est, *Zaragni*. Fuit is Laur. Zaccagnus custos doctissimus bibliothecæ Vaticanæ. Aliud autem opus ejusdem Prudentii Trecensis de Veteri et Novo Testamento, de quo in nota, erat quidem ineditum, dum Blanchinius *Flores psalmorum* vulgavit, sed postea cl. Joan. Chrysostomus Trombellius illud edidit inter opuscula veterum Patrum tom. II, part. 2, pag. 186 et seq. Quæ hic ego monere volui, monitus ipse a cl. præsule Reggio.

Apotheosis, Hamartigenia, libri Peristephanων, et in Symmachum. In Vat. Alex. 74 desiderantur Apotheosis, Hamartigenia, Psychomachia, libri contra Symmachum, Dittochæum.

259. Itaque in libro Cathemerinων hi proferuntur codices Vaticani, scilicet Vaticani 3859, 3860, 5821. Vaticani Alexandrini 58, 74, 321. 348, 1702, Vaticanus Urbinas 666.

In Apotheosi Vaticani 3859, 3860, 5821, Vaticani Alexandrini 321, 1702.

In Hamartigenia Vaticani 3859, 5821, Vatic. Alex. 321, Vat. Urb. 666.

In Psychomachia Vaticani 2766, 2868, 3267, 5821, A Vatt. Alex. 58, 321, 1439, 1835, 2078, Vat. Palat. 242, Vat. Otthob. 1502.

In Dittochæo Vaticani 3859, 3860, 4318, 4356, 5821, Vatt. Alex. 321, 1702, 1838, Vat. Urb. 666, Vatt. Otthob. 1193, 1220, 1297, 1502, 3325.

In libris adversus Symmachum Vaticani 3859, 5821, Vatic. Alex. 321, Vat. Urb. 666 (*a*).

223 260. Quoniam vero diverso inter se ordine plurimæ editiones procedunt, etiam id muneris mei esse arbitror, ut præcipuas editiones inter sese et cum mea conferam quod ita juvat explicare, ut numeri indicent, quem locum in singulis editionibus unumquodlibet poema occupet.

	1	2	3	4	5	6	7	8
Ald.	Psych.	Cath.	Apoth.	Ham.	Perist.	Adv. Sym.	Dittoch.	Epilogus.
Gis.	Psych.	Cath.	Perist.	Apoth.	Ham.	Adv. Sym.	Dittoch.	
Weitz.	Cath.	Perist.	Apoth.	Ham.	Psych.	Adv. Sym.	Dittoch.	
Heins.	Cath.	Perist.	Apoth.	Ham.	Psych.	Adv. Sym.	Dittoch.	Epilogus.
Galland.	Perist.	Apoth.	Ham.	Psych.	Adv. Sym.	Cath.	Dittoch.	
Editio Rom.	Cath.	Apoth.	Ham.	Psych.	Dittoch.	Adv. Sym.	Perist.	Epilogus.

Ad harum editionum ordinem cæteræ revocari possunt. In libro autem Peristephanων nonnulla est discrepantia, quod attinet ad hymnos collocandos. Weitzius ita eos disposuit : 1. SS. Hemeterius et Celedonius. 2. S. Vincentius. 3. S. Laurentius. 4. S. Hippolytus. 5. S. Cyprianus. 6. SS. apostoli Petrus et Paulus. 7. SS martyres Cæsaraugustani. 8. S. Agnes. 9. S. Eulalia. 10. S. Fructuosus. 11. S. Quirinus. 12. S. Cassianus. 13. De loco in quo martyres passi sunt. 14. S. Romanus. Alium ordinem exhibuerat Giselinus, quem nos sequemur, scilicet : 1. SS. Hemeterius et Celedonius. 2. S. Laurentius. 3. S. Eulalia. 4. Martyres Cæsaraugustani. 5. S. Vincentius. 6. S. Fructuosus. 7. S. Quirinus. 8. De loco duorum martyrum, ubi nunc baptisterium est. 9. S. Cassianus. 10. S. Romanus. 11. S. Hippolytus. 12. SS. apostoli Petrus et Paulus. 13. S. Cyprianus. 14. S. Agnes. Hic idem ordo exstat in prima editione B Heinsii, et in altera ab aliis procurata anno 1701, cum notis ejusdem Heinsii, commentario Nebrissensis, et glossis Isonis (*b*). Eumdem servant ordinem recentiores. Non omittam monere, **224** in numeris ipsis versuum varietatem inter editiones occurrere. Primum Weitzius in Apotheosi versus a præfationibus numerare cœpit, et continuavit ad finem usque poematis, alii numeros præfationum non continuant cum numeris poematis. Deinde nonnulli quosdam versus admittunt, quos alii ut spurios rejiciunt. Præterea typographorum incuria sæpius aberrant numeri, qua labe interdum inficitur editio Heinsiana, neque ab ea immunes sunt nobiles editiones Parisina et Parmensis. Difficile quidem est omnes hujuscemodi errores cavere; sed diligenter curabo primum, C ne quod mendum incidat, tum ut, si quod inciderit, ex quo decipi alii possint, lector opportune de eo admoneatur.

(*a*) Codices plures mss., qui ab aliis scriptoribus, præsertim criticis sæpe allegantur, distinctius nominabo, cum occasio inciderit. Fortasse Cæsaraugustæ, aut in aliqua Hispaniæ bibliotheca latent commentarii in Prudentium, quos Bartholomæum de Morlanes elaborasse tradit Vincentius Joannes de Lastanosa in præclaro opere. *Museo de las medallas desconocidas españolas. Huesca por Juan Nogues*, 1645, in cujus præfatione plures laudat, a quibus fuit adjutus, et in his doctorem Bartholomæum de Morlanes, Cappellanum, ut vocant, in Ecclesia Cæsaraugustana Deiparæ Virginis de Columna, de quo ait : *Y su piedad estudiosa no puso menor diligencia en comentar algunos poetas catolicos, quales son Aurelio Prudencio Cesaraugustano*, etc. Præstaret, eos commentarios aliquem consulere, sicubi asserventur : nam hujusce generis litteraturæ experientissimus ille fuisse videtur qui, ut refert Lastanosa, commentarios et notas scripsit in Claudianum, Virgilium, Martialem, Valerium Flaccum, Statium Papinium, Silium Italicum, Claudium Rutilium, Alcimum Avitum, Marium Victorium, Juvencum, Sedulium, Aratorem, Petrum Apolonum, Corippum, Justinum, Boetium, Titum Alexandrum, Crispum Sallustium, Lucium Florum. Ejus doctrinam celebrarunt Joannes Mariana, Joannes Ludovicus de la Cerda, Thomas Tamayo de Vargas in indice Defensionis Historiæ Marianæ, aliique. Præteritus est in Bib. Hisp. Nic. Antonii.

Ferrariæ exstant notæ mss. in Prudentii carmina, auctore cl. P. Angelo Maria Peverati, de quo plura P. Vezzosius in Scriptoribus ordinis Clericorum regularium S. Cajetani tom. II. Obiit Peveratus anno 1741, ejus in Sallustium notæ typis sunt editæ. In notis ad Prudentium acre judicium, et non vulgarem eruditionem litteris ad me datis laudavit is qui jure suo sententiam ferre potest, cl. Lucianus Gallisa, bibliothecæ publicæ Ferrariensis præfectus. Etsi autem sero id mihi nuntiatum est, tamen sedulo dedi operam, ut vel omnes Peverati notas, vel saltem præcipuas, et quæ ejus magis propriæ essent, ad me deferrentur, quibus, ut spero, Prudentius noster magis magisque illustrabitur.

(*b*) Hoc loco animadvertam, primam Heinsii editionem fuisse percusam anno 1667, ut ex epistola dedicatoria evincitur. Itaque necesse est ut falsus animi fuerit Remigius Ceillierius, qui affirmavit se habere editionem Prudentii ab Heinsio procuratam D Amstelodami 1631 et 1667. Addam, in secunda editione Heinsii fieri mentionem Isonis, sed quæ illustrari possit ex Mabillonio in An. Ben. ad an. 871, num. 29. Iso in monasterio S. Galli scholis exterioribus præfectus fuit; inde a Burgundionum duce ad erudiendos Grandivallenses monachos vocatus est, in quorum monasterio valida ætate anno 871 pridie idus Maii decessit non sine magna sanctitatis opinione. Plures clari nominis discipulos reliquit, Notkerum, Ratpertum, Tutilonem et alios, a quibus illi inditum est cognomen *Magistri*.

M. AURELII CLEMENTIS PRUDENTII

CARMINA.

INCIPIT PROOEMIUM.



Per quinquennia **225** A jam decem,
Ni fallor, fuimus : septimus insuper
226 Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.
Instat terminus, et diem
Vicinum senio jam Deus applicat :
Quid nos utile tanti spatio temporis egimus?
Ætas prima crepantibus
Flevit sub ferulis : mox docuit tog.

GLOSSÆ VETERES.

Versu 1. Per quinquennia decem, *per quinquaginta annos*, Iso; *quinquaginta annis*, Vaticanus codex A.

2. Fuimus, *viximus*, Iso et Vaticanus A.

3. Cardo, *annus. Cardo hic pro volubilitate ponitur; nam cardo proprie est lignum, in quo ostium volvitur, et dicitur cardo, quasi cor januæ*, Iso. *Cardo etiam rota plaustri dicitur*, Vat. A. — Sole volubili, *id est, hac vita, quæ semper volvitur*, I.

4. Terminus, *terminus vitæ*, I.

5. Senio, *Senectuti apponit*, I.

6. Egimus, *sc. nihil*, I.

7. Ætas, *describit singulas ætates ostendendo quid fecerit*, Vat. A. — Crepantibus, *resonantibus*, I.

8. Ferulis, *ferula proprie, qua grammatici utuntur, qua manus discipulorum feriunt. Unde Juvenalis dicit, Et nos manum ferulæ subduximus. Ferulæ dictæ a fervore, eo quod fervere, i. e. tremere faciant discipulos: grammatici autem ferulas portabant ad feriendos discipulos. Est autem proprie genus arboris, cujus succus thapsia vocatur*, Iso. *Ferula proprie est genus arboris, et cujus succus tapsia vocatur. Grammatici ferulas portabant ad feriendos discipulos. Hinc Juvenalis: Et nos ergo manum ferulæ subduximus*, Vat. A. — Toga, *vestis qua Romani utebantur. Ante quintum decimum pueri prætexta utebantur, postea vero sub disciplina, toga, juvenili robore: nam toga vestis est qua* B *soli liberi utebantur*, I. *Toga prætexta, qua utebantur pueri nobiles Romanorum usque ad quintum decimum annum, sic dicta quod ei latior purpura in capitio prætexebatur*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

Incipit proœmium. Ita codex Vat. A, et apud Heinsium Egmondanus. Plerique vocant Cathemerinων præfationem. Et in Vat. A post primam illam inscriptionem bis repetitur : *Liber Catemerinon incipit :* sic enim scribitur. Weitzius ex Hailsbron. posuit : *Incipit Hymnarius de tempore et de sanctis per totum annum.*

Versu 1. De prima littera P, cui imago Prudentii est incisa, vide prolegom. num. 58.

2. Quod ait Prudentius, *ni fallor*, non dubitat, sed formulam caute affirmandi adhibet. Inepte ergo aliquis conjecit, legendum *nil fallor*, quia postea se natum refert Salia consule; quam conjecturam in quibusdam schedis mss. reperi.

3. Peveratus in notis mss. volebat intelligi signum septimum zodiaci circuli in *cardo septimus.* Nec vita Prudentii, nec verba hanc explicationem patiuntur. Dicitur *cardo septimus* pro *cardo rotat annum septimum* per metonymiam. *Rotare, volvere*, de anni conversione passim apud poetas et sæpe apud nostrum, ut illico, *sole volubili.* Anacreon, oda IV :

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
Βίοτος, τρέχει κυλισθείς.
Ὀλίγη δὲ κεισόμεσθα
Κόνις, ὀστέων λυθέντων.

6. Lectionem *Utile quid tanti* in uno Vat., cui ratio metri repugnat, recte rejicit Teolius. Prudentii verba et sententiam expressit Dudo, S. Quintini decanus, lib. III de Morib. Norman., pag. 159 :

In vitam miseram me quina decennia versant,
Et formido premit supplicii Stygii.
Me quoniam memini gessisse aut quid bonitatis,
Et tanti spatio temporis utile nil.

Intellige *haud quid bonitatis.* Metrum etiam imitatus est Wandelbertus sive, ut nonnulli scribunt, Wandalbertus, qui anno 842 Martyrologium metricum edidit :

Trinis ecce decenniis
Vitam dego miser, quintus et insuper
Ævi curriculis orbis adest, atque meatibus
Me nunc nil recolens boni
Egisse, atque pii, concutior nimis.

8. Isonis glossæ similis est glossa in Vat. A. Confer Isidorum, lib. XVII Etym., cap. 9 de Ferula. Versus Juvenalis in proverbium abiit. Ferulam *pædagogorum sceptrum* vocat Martialis lib. X, epigram. 62 :

Ferulæque tristes sceptra pædagogorum.

C Et Ausonius in Protreptico de studio puerili ad Ausonium nepotem,

Quod sceptrum vibrat ferulæ, quod multa supellex
Virgea.

De hac ætate Prudentii aliisque consecutis vide proleg. num. 44 et seqq. Per togam Nebrissensis intelligit *togam virilem*, quam anno ætatis 18 pueri sumebant quo tempore, ut inquit Terentius,

Liberior erat vivendi potestas.

Et Persius :

Totaque impune suburra
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Glos. Vat. A, *toga prætexta, qua utebantur pueri nobiles Romanorum usque ad quintum decimum annum, sic dicta, quod ei latior purpura in capitio prætexebatur.* Et favet huic interpretationi, quod Prudentius videtur postea distinguere juventutem, *Tum lasciva protervitas... fœdavit juvenem.* Verum toga, cum nihil additur, virilis plerumque intelligitur. In exitu D anni 16 dari solebat; sub imperatoribus aliquando serius, aliquando citius. *Libera* etiam dicebatur, quod pueris initium quoddam libertatis erat. Vide plura apud Joannem Rosinum lib. V Antiq. Rom.

227 Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine. A
Tum lasciva protervitas,
Et luxus petulans (heu pudet, ac piget!)
Fœdavit juvenem nequitiæ sordibus, ac luto.
Exin jurgia turbidos
Armarunt animos, et male pertinax
228 Vincendi studium subjacuit casibus asperis.
Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium :
Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos.
Tandem militiæ gradu
Evectum pietas principis extulit,
229 Assumptum propius stare jubens ordine proximo.
Hæc dum vita volans agit,
Irrepsit subito canities seni,

GLOSSÆ VETERES.

9. Infectum, *pollutum*, I. — Falsa loqui, *rhetorica et dialectica, quæ aliquando falsa ex veris concludunt*, Vat. A. *Rhetoricam tangit.*—Non sine crimine, *quia in mendacio crimen est. Vel falsa, i. e. dialectica et rhetorica, quæ aliquando falsa concludunt*, I.

10. Protervitas, *protervia et protervitas, i. e. superbia scilicet. Solent enim judices in causa, quam præponunt, perseverare, donec vincant*, I. B

11. Luxus petulans, *livor lasciviens.* — Pudet, *verecundiæ.* — Piget, *pœnitentiæ.* — Pudet, ac piget, *me talium operum*, I. *Pudet dicimus de præsenti, piget de præterito, ut pudet facere, piget fecisse*, Vat. A.

12. Juvenem, *me*. I.

13. Exin, *pro exinde ; metri causa. i. e. statim, deinde*, I.

14. Armarunt, *durarunt, superbum fecerunt.* — Male pertinax, *perseverans. Malarum rerum perseverantia*, Iso.

16. Bis, *quia bis consul fuerat. In Messalia consul fuit*, Vat. T.

17. Frenos, *ligationes, consulatus. Et frena dicimus*, I.

18. Terruimus, *præfecturam exercendo*, I.

20. Evectum, *sublimatum*, I. — Principis, *ut quidam dicunt, Richaredi principis Hispaniarum pietas*, Vat. A. *Theodosii, vel filiorum ejus*, Rat.

21. Stare, *sc. me*, I.

22. Volans, *cito transiens.* — Agit, *facit, fecit*, I.

23. Irrepsit, *irrepere est aliquid latenter rapere*, I.

COMMENTARIUS.

9. Nebrissensis interpretatur adulationis vitium, *cum blandi comites*, etc., ex Persio, aut per togam vitam togatorum, qui regibus adulantur. Equidem puto, Prudentium fortasse innuere vitia propria ætatum, non disciplinarum.

10. Non placet glossa Isonis : nam sermo est de vitiis juventutis, non judicum. Nebrissensis ex his vocibus, *lasciva protervitas, luxus petulans, nequitiæ sordibus, ac luto*, libidinis peccata arguit : neque abnuo, si de propensione in ea vitia intelligas, et ea C quæ in prolog. loc. cit. de Prudentii humilitate Christiana protuli, habeas præ oculis ; quæ ita a me sunt disputata, non quasi exploratum habeam, de Prudentii innocentia liquido constare, sed tantum ut ostenderem, gravissima illa crimina minime esse comprobata.

11. *Et luxus*, contra Giselinum et Weitzium, qui habent *ac luxus ;* nam infra *sordibus, ac luto*, ubi in Hailsbron. *et luto*. Tum non male *ac luxus*. Teolius hoc et seq. versu ter *ac* posuit : *ac luxus... ac piget... ac luto*, et in *piget* punctum interrogationis adjecit.

12. In Hails., *et luto*. Vide vers. 11.

13. In Egm., *Dehinc* pro *Exin*.

14. Innocentius I. in epist. ad conc. Tolet. I, notat in jurisconsultis *pertinaciam obtinendi :* ita enim vocat quod Prudentius ait *male pertinax vincendi studium*. Scribebant autem fere eodem tempore : sed hanc præfationem Prudentius post eam epistolam composuit. D Etenim Innocentius litteras ad concil. Tolet. dedit anno 402, aut non multo post. Hinc diversæ ortæ sententiæ de anno quo celebratum est primum illud concilium Toletanum, quod plerique anno 400 ascribunt, alii tunc cœptum, ad annum sequentem protractum dicunt, alii iterum coactum sub Innocentio, alii Innocentium ad concilium, quod fuerat antea congregatum, scripsisse affirmant. In epistola dedicatoria *Hymnodiæ Hispanicæ* obiter dixi, in concilium celebratum fuisse sæculo IV exeunte, sive potius in ipso initio sæculi V, hoc est anno 400. Animadversum id fuit a quibusdam viris doctis, amicisque meis. Sed ut alias rationes prætercam, cur ita dicere potuerim, hoc ipsum est in controversia positum, sitne annus 400 finis sæculi IV, an initium sæculi V, quam his verbis proponit Joannes Petrus Ludewigius tom. II operum, opusculo 9, lib. II, col, 760 : *Quo anno sæculum finitum, an nonagesimo nono, an centesimo : communis nunc, sed frustranea quæstio est. Annus enim nativitatis Christi, et magis terminus anni scriptoribus adhuc dubius est ; qui contra Dionysium exiguum omnes disputant*,

16. Bivarii suspicionem legendum *ter* pro *bis*, repuli num. 57 prol. Chamillardus aliique putant indicari quot urbes rexerit Prudentius. Perperam, nam quoties, non quot urbes rexerit, exprimitur.

17. Iso innuit, Prudentium fuisse consulem. Vide prol. num 51.

18. Attingit duas juris partes, alteram de litibus judicandis, alteram de criminibus vindicandis. Aliorum interpretationes non placent. Adverte, *jus reddere* dici etiam de eo qui injuste judicat, lib. I Digest., tit. 1, leg. 11 : *Prætor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit : relatione scilicet facta non ad id quod ita prætor fecit, sed ad illud quod prætorem facere convenit.* Boni dicuntur qui rei non sunt criminum, sive in judicio aliquid petant sive quid ab eis alii petant : nam hoc sensu actor est is qui petit, reus a quo alius petit. Imo Cicero lib. II de Orat., fol. 75. edit. Ald. : *Reos autem*, ait, *appello non eos modo qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur : sic enim olim loquebantur.* At Prudentius clare innuit *reos* quorum crimina in quæstione versantur, et ab his distinguit *bonos ;* ut in cod. Theod. leg. 9 et 13, lib. XVI, tit. 5, *boni* dicuntur omnes qui non sunt *hæretici*.

20. Glossa Vat. A inepta est et insigni cum anachronismo. Melior Glossa Rat., *Theodosii, vel filiorum ejus*.

21. Exposui num. 50 prol., quid sit *ordo proximus*, sive *ordo proximatus*, et *jussio principis*.

22 Heinsius mallet *volens* pro *volans* contra Isonem, et omnes codd. mss, et ed.; excepto Thuan. Nihil proficit congestis exemplis, quæ alio respiciunt. Nam Prudentius non ait, vitam *libenter* hæc munia egisse, sed *cito transiisse :* ideoque addit, *Irrepsit subito canities*. Jam de brevitate et velocitate vitæ passim poetæ, *volatilis ætas, fugaces anni, properat cursu vita citato, volat ambiguis mobilis alis hora, vita volat*, et similia. Lege versus Juvenalis, quos nunc proferam.

23. Vaticani duo, *Obrepsit*, quod notavit Teolius. Et confirmari potest lectio hæc ex loco Juvenalis sat. 9, quem indicavit Nebrissensis, male Virgilium

Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens.
230 Sub quo prima dies mihi
Quam multas hiemes volverit, et rosas
Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis [probat.
Nunquid talia proderunt
Carnis post obitum vel bona, vel mala,
Cum jam, quidquid id est, quod fueram, mors [aboleverit?
Dicendum mihi : Quisquis es,
231 Mundum, quem coluit, mens tua perdidit:
Non sunt illa Dei, quæ studuit, cujus habe- [beris.
Atqui fine sub ultimo

GLOSSÆ VETERES.

24. Saliæ, *illius consulis*, Iso. *Messalia civitas Hispaniæ, ubi iste consul fuerat. Persius : Messalinæ lippa propago*, Vat. A. *Messalia regio, vel consul*, Vat. S. — Arguens, *me*. Iso.

25. Sub quo, *consule. Ex quo ad illum veni*, I.

27. Nix, *canities*, I.

29. Bona, vel mala, *vel prospera, vel adversa. Media dicit! Unde Salomon : Non est prudentia, non est sapientia apud inferos quo tu properas. Media ergo sunt, quæ in hac vita et bonis, et malis communiter eveniunt*, I. *Prospera, et adversa*; Vat. A.

30. Aboleverit, *deleverit*, I. *Aboleo componitur a verbo leo, quod non est in usu, sic deleo*, Vat. A.

31. Dicendum mihi, *sc. habes*. — Quisquis es, *o lector*, I.

32. Mens tua, *o Prudenti*. — Perdidit, *in morte*, I.

33. Illa, *sæcularia*. — Cujus habeberis, *cujus servus est. Ad quem solummodo pertinebis, aut ut te remuneret, aut certe damnet, i. e. ad puniendum, vel ad remunerandum*, I. *Cujus eris, et ad quem solum pertinebis; Dei enim solius potestas est animæ post mortem*, Vat. A.

34. Atqui, *potius, certe*, I.

COMMENTARIUS.

pro Juvenale laudans :

> Festinat enim decurrere velox
> Flosculus; angustæ, miseræque brevissima vitæ
> Portio : dum bibimus, dum serta, unguenta, rosasque
> Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Irrepsit legit Iso, cujus glossa, *Irrepere est aliquid latenter rapere*. Ego *a repo* compositum dico, et fortasse Iso scripserit *latenter repere*.

24. Thuan. et Alt. clare *me Saliæ*. Male Hails., Egm., Palat.. *Messaliæ*; Vat. O., *Mesaliæ*; Vatt. I. et P., Wid., Bong., Gold., *Messaliæ*; Angel., *Messalæ*; alii *Massiliæ*. Vid. prol. num. 39 et seq. In Vat. A ridicula est glossa. Cl. Gallandius monet, lectionem *me Saliæ* placuisse etiam Almeloveenio in Fastis Rom. cons., pag. 162, qui pag. 354 annos quibus Messalæ fuerunt consules, secus ac Chamillardus, digessit. Peveratus scripturam *me Galliæ*, quam apud nonnullos viderat, merito vocat ineptam. Latinius in Bibl. select. legit *me Saliæ*. Sed cum id opus sit posthumum, opinor, Latinium scripsisse *me Saliæ*. Muratorius in Novo Thesauro inscriptionum, tom. I, class. 5, pag. 379, diverso modo scripsit nomen hujus consulis, scilicet *Filippo et Salio Coss*. At inscriptio illa apud Muratorium non est fideliter descripta. Exstat in monasterio S. Pauli extra Urbem, et ita exarata est :

MIRI BONITATI ATQ. SANCTITATI
ESVBIAE IANVARIAE CONIVGI QVE VIXIT MECVM
ANNOS XVIII. M. V. D. XXV. ARRADIVS MELISSVS MARITVS
ET SIBI FECIT Ð DEPOSITA. IN. PACE. III. KAL. APR.
FILIPPO ET SALLIA COSS.

Muratorius edidit, *Mire bonitatis... L. Subie. Iannarie... D. XX. Varadius... Filippo et Salio coss*, Correctionem hujus inscriptionis Muratorianæ acceptam refero V. C. Aloysio Galletti, episcopo Cyrenensi cujus celeberrimum est nomen in tot voluminibus inscriptionum pridem excusis. Is olim privatus monachus dum esset, diligentia singulari magnam copiam veterum lapidum e pavimento basilicæ S. Pauli, monasterio, vicinisque prædiis collectam in claustro monasterii collocavit, et ordine digessit, scite distinguens inscriptiones Christianas et profanas : quod exemplum alii imitati sunt in ornando aditu ad museum Vaticanum, quod nostro denique tempore Pius VI, princeps munificentissimus, provexit et amplificavit ad aliarum gentium admirationem, et invidiam. Igitur inter Christianas inscriptiones in eo claustro collectas reperitur inscriptio a Muratorio allata, ubi legitur quidem *Sallia*; sed potius corrigenda est inscriptio ex Prudentio, quam Prudentius ex inscriptione, quæ in limine ipso offendit, *Miri bonitati*. Aldus Manutius Pauli F. in orthographia verbo *Tutellarius* affert veterem inscriptionem C. SALLIO. ARISTENETO. V. C. Contra certum est, a Romanis scribi *Salii*, et *Saliare carmen* unico *l*.

25. Aliqui male distinguunt, *Sub quo prima dies mihi, quam multas hiemes volverit*.

26. Carolus Paschalis, de Coronis pag. 147, lib. III, cap. 5, probans veris specimen esse rosas hos versus laudat. Ang. *ac rosas* pro *et*.

27. Horatius, lib. IV, od. 13, *et capitis nives*.

28. Male Eg. et Pal., *proferunt* pro *proderunt*.

29. Intelligi potest, Prudentium loqui de solis bonis fortunæ, quæ falso *bona* appellantur, et potius *mala* essent dicenda, cum in malum inducant : ideoque ait, talia vel bona, vel mala, ut vers. 35, Hym. 2 : *Quæcunque nos inflant mala*. Alcimus Avitus, lib. VI :

> Naturæque etiam, vel corporis, exteraque illa,
> Quæ bona fortunæ falso appellare solemus.

Savaro in Sidonium, pag. 470, plura in eam sententiam affert ad verba Sidonii : *Quæ bona stultis falso vocantur*, et ad verba : *Si quid agimus, nostrum, si quid habemus, alienum est*.

30. Alii glossæ etymologiam non admittunt, et *deleo* componi aiunt a verbo *oleo*, uti *aboleo* et *exoleo*. Vide Becmanum de Orig. ling. Lat. Pro *id est* in Pr., et Rat. *idem*, male. Melior est lectio Ang., *fuerim* pro *fueram*, quam amplecterer, nisi vetustiores codices dissentirent.

31. Isonis interpretationem tenet Nebrissensis. Sed verus sensus est : *Dicet mihi aliquis : Prudenti, vel quisquis es*. Martianus Capella, lib. VIII, paulo post initium : *Næ tu, ait, infelix, vel Capella, vel quisquis es*, etc.

32. Verba hæc sunt alloquentis Prudentium post obitum. Non audio Giselinum, qui enallagen temporis hoc loco agnoscit *perdidit* pro *perdet, amittet*.

33. In Pr. pro *studuit* est *fluunt*, male. *Cujus* vel est Hellenismus in casu gignendi pro *a quo habeberis*, vel est nominandi casus, ut apud Virgilium *cujum pecus*, quod maligne aliquis notavit hac parodia :

> Dic mihi, Damœta, cujum pecus? anne Latinum?
> Non; verum Ægonis : nostri sic rure loquuntur.

Cicero etiam in Ver. orat. 13, *Cuja res*. Plautus sæpe adhibet, *cuja, cujæ, cujum*. Vide Com. Servii in Virg. Eclog. 3, et Vossium de Vitiis serm. cap. 1, lib. I. Si intelligas esse *cujus* in gignendi casu, Græcismus est similis huic Juvenci lib. IV : *dominantur eorum*, phrasi ex sacris Litteris petita.

34. Sapientes viri cum ad senectutem accedunt,

A

Peccatrix anima stultitiam exuat :
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit.
Hymnis continuet dies,
232 Nec nox ulla vacet, quin Dominum canat :
Pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem.
Conculcet sacra gentium,
Labem, Roma, tuis inferat idolis :
Carmen martyribus devoveat, laudet apostolos.

GLOSSÆ VETERES.

35. Exuat, *abjiciat*, I.
36. Concelebret, *laudet*, I.
37. Hymnis, *laudibus*, I. — Dies, *pluralis accusativus.*
38. Canat, *laudet*, I.
39. Discutiat, *inquirat*, I.
40. Sacra, *idola despiciat*, I.
41. Roma, *o Roma*, Iso.

COMMENTARIUS.

sarcinas colligunt, seque ad alteram vitam præparant diligentius : quod propositum litteris solent consignare, si quid in vulgus tunc edunt. Varro, quamvis ethnicus, hoc usus est exordio in lib. I de Re rustica : *Cogitans esse properandum, quod, ut dicitur, si est homo bulla, eo magis senex. Annus enim octogesimus admonet, ut sarcinas colligam ante quam proficiscar e vita.* Vincentius Lirinensis in principio Commonit. : *Tempus, propterea quod cum ab eo omnia humana rapiantur, et nos ex eo aliquid invicem rapere debemus, quod in vitam proficiat æternam... Quippe cum aliquandiu variis ac tristibus sæcularis militiæ turbinibus volveremur... depositis vanitatis, ac superbiæ flatibus Christianæ humilitatis sacrificio placantes Deum*, etc. Sidonius, epist. 16, lib. IX :

Nam senectutis propiore meta,
Quidquid extremis sociamur annis,
Plus pudet, si quid leve lusit ætas,
Nunc reminisci.
Quod perhorrescens ad epistolarum
Trans uti cultum genus omne curæ,
Ne reus cantu petulantiore
Sim reus actu...
Persecutorum nisi quæstiones
Forsitan dicam, meritoque cœlum
Martyres, mortis pretio parasse
Præmia vitæ.

35. Vox *peccatrix* a Tertulliano adhibetur cap. 15 de Resurrect. carnis : *Caro peccatrix*. Vox *peccator* frequentissima est in Ecclesia, apud profanos non facile reperietur. *Exuere stultitiam*, ut apud Virg. Georg. 2 :

Exuerent silvestrem animum.

36. Quod addit, *si meritis nequit*, intellige de aliis operibus heroicis, sive excellentibus : nam *laudare Deum*, etc., si recte fiat, merito non vacat.

37. De antiquissima Christianorum consuetudine hymnos die noctuque concinendi ex Christi exemplo et apostolica traditione egi pluribus in dissertatione peculiari *Hymnodiæ Hispanicæ* præfixa : *De hymnis ecclesiasticis, eorumque correctione, atque optima constitutione*.

38. Hoc et superiori versu liber Cathemerinon exprimitur, quo hymni per diem, noctemque decantandi comprehenduntur. Quare non recte Rat., *vox ulla* pro *nox ulla*.

39. In Eg. *puget*, mendose, pro *pugnet*. Teolius hic notat : HÆRESES, *media producta* : voluit dicere, *prima correpta*. Apotheosi et Hamartigeniæ convenit *pugnare contra hæreses, et catholicam discutere fidem* : convenit etiam Psychomachiæ, quo in poemate primas partes agit fides catholica contra idola, et hæresin; et poeta impugnat hæreticos Photinianos, Antidicomarianitas, item Carpocratem, Ebionem, Cerinthum, et Tertullianum, ut ex Chamillardo notabimus ad vers. 79 Psychomachiæ. Quidni idem dicas de *Dittochæo*, quod exstat, et de Hexaemero, quod desideratur? Nonne hoc carminum genere fides catholica discutitur? *Discutere* est examinare, in ordinem digerere, illustrare, ut ex hoc Prudentii loco observat Barthius lib. LXIX Adv., cap. 5. Forcellinus in B suo locupletissimo vocabulario solum agnovit *discusse, discussor, discussio*, quibus tamen in verbis auctores Prudentio meliores non producit. In cod. Theod. tit. de Discussoribus non semel hoc verbum *discutio* occurrit; quod alibi etiam Prudentius repetivit. De appellatione *fidei catholicæ* vide in proleg. caput 21.

40. Hoc, et sequenti versu libri duo contra Symmachum indicantur.

41. *Labes* proprie est damnum, pernicies, hinc *labo, as*, ut quidam putant, et *labor, eris*. *Labem inferre integris* Ciceronis est pro Cœlio, pag. 46. Notio ecclesiastica *idoli* est pro commentitio Deo.

42. Liber Peristephanon hoc versu denotatur, in cujus hymno 12 celebratur passio apostolorum Petri et Pauli. Observa Prudentium neque nominasse, neque laudasse sanctos confessores, quia ejus ætate vel soli martyres, vel hi præcipue celebrabantur. Multo post Prudentium anno 632 solum hymni in laudem Dei, apostolorum et martyrum in concil. Tolet. IV, can. 13, memorantur : *Et quia* C *nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque apostolorum et martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt*, etc. S. Gregorius Magnus in decreto concilii Romani anno 597 plebem coercens, quæ Romanos pontifices recens defunctos veneratione facile prosequebatur, hæc habet : *Et cum adsint multa a sacris corporibus apostolorum, martyrumque velamina, a peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reverentia reservatur.* Nihilominus cultum publicum confessorum sæculo IV cœpisse exploratum est : et quamvis S. Martinus primus fortasse fuerit qui solemniori festo et officio ecclesiastico in diversis diœcesibus et regionibus cultum obtinuerit, ante eum tamen aliquos confessores honore publico religioso fuisse decoratos pro certo habeo. S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis refert, jussisse S. Antonium in loco ignoto suum corpus sepeliri, *ne Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad* D *villam suam sancti corpore* MARTYRIUM *fabricaretur.* Cur ita, si nullum præcesserat exemplum? Præterea S. Hilarionem, S. Ephremum Syrum, alios. Cæterum a martyribus, quæ maxima erat pars, nomen *martyrologia* sumpserunt, et non dubito, quin martyrum nomine, cum de sanctis est sermo, olim confessores quoque nonnunquam comprehenderentur : quod explicat S. Isidorus lib. VII Orig., cap. 11. S. Hieronymus *martyrium* vocavit sacellum, sive altare, quod Pergamius sublato corpore S. Antonii esset ædificaturus, et in epitaphio Paulæ ait cap. 13 : *Mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur : sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est.* Hac fere significatione martyr accipitur apud Ammianum Marcellinum lib. XXVII, cap. 7 : *Quos interfici tanquam noxios jubes, ut martyras, id est,* DIVINITATI ACCEPTOS, *colit religio Christiana.* Confer Benedictum pont. XIV, lib. I de Beat. cap. 5.

233 Hæc dum scribo, vel eloquor,
A Vinclis o utinam corporis emicem
Liber, quo tulerit lingua sono mobilis ultimo!

GLOSSÆ VETERES.

44. O utinam, *nunc*.— Emicem, *exsiliam, exeam. Emico est exsilio. Unde Virgil.: Emicant digiti. Ponimus emicare pro splendere, quia dum splendet, quasi exsilire videtur, et immotum est*, I. *Emicem, exeam, egrediar, exsiliam : id etiam, quod splendet, micare dicitur, quod exsilire videatur*, Vat. A.

45. Tulerit, *ad Christum videlicet*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

44. Vincla corporis vocat Prudentius ipsum corpus, quod vinculum est animæ. Scio, quibusdam theologis, nimium religiosis, displicere, quod corpus *carcer* aut *vinculum animæ* vocetur, quorum scrupulos eximam in hymno Exsequiarum. Nunc tantum afferam locum Apostoli cap. VII ad Roman.: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*. Et ad Philippens. cap. I, 33 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*. Quo respicit S. Ambrosius lib. II Comment. in Luc., cap. 2, loquens de sene Simeone : *Cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis exsolvi*, etc. *Vide justum, velut corporeæ carcere molis inclusum, velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo*.

45. In Rat. cod., *Explicit præfatio*. Vetus nostra inscriptio, et carmen ipsum satis arguunt, præfationem esse omnium opusculorum quæ tum edebat Prudentius. Dungalus adversus Claudium Taurinensem scribens *præfationem libri* appellavit. Vide prolegom. B num. 51 et 243. Scaliger, lib. VI Poetic., existimat, ante Claudianum primum et solum Persium præfationem suis carminibus affixisse. Scaligerum secutus est cl. Michael a S. Josepho Bibliogr. crit., verbo *Claudianus*. At non oportuit, Scaligerum ignorare, alios etiam præter Persium et ante Persium id fecisse: nam ut omittam nostrum Prudentium, Claudiani æqualem, Catullus præfatur, Cornelium Nepotem alloquens, *Cui dono lepidum novum libellum*. Martialis non solum epigrammate, sed etiam soluta oratione suis libris solet præfationem apponere, quam *epistolam* vocat, ut in Præf lib. I et II : *Quid nobis, inquis, cum* EPISTOLA?... *Video, quare tragœdi* EPISTOLAM *accipiant, quibus pro se loqui non licet Epigrammata... in quacunque pagina visum est*, EPISTOLAM *faciunt*. Prudentius etiam inter poetas Christianos habuit, quem imitaretur, Juvencum, qui libris *de Historia evangelica* prologum adjecit. De epilogis dicam suo loco.

INCIPIT LIBER CATHEMERINON.

234 I. HYMNUS AD GALLICINIUM.

Ales diei nuntius
Lucem propinquam præcinit :

GLOSSÆ VETERES.

Cathemerinωn, *genitiv. plur., id est, quotidianus, vel consecrationum, vel dedicationum*, I.

Vers. 1. Ales, *per gallum, qui diem canendo denuntiat, Christus significatur, qui mentes nostras ab infidelitate ad veram vitam, ad veram lucem vocat*, I.

COMMENTARIUS.

Cathemerinωn. Sic plerique codd. mss. et ed.; Gennadius, Theodulfus Aurelianensis lib. de Spiritu sancto, Bergomensis in Chron. ad an. 400, et Trithemius *Hymnorum librum* appellant. At non dubito, quin *Cathemerinωn* sit inscriptio Prudentiana : nam ita legit Iso, et codices Isone antiquiores. Isonis glossa est : *Cathemerinωn*, etc. Weitzius nescio ex quo codice hunc titulum fecit : *Incipit liber Cathemerinωn Aurelii Prudentii Clementis nobilissimi ac facundissimi poetæ*. In Rat. est : *Incipit liber Hymnorum Aurelii Prudentii Clementis nobilissimi ac facundissimi poetæ. Liber primus Cathemerinωn*. In Prag.: *Liber Hymnorum Aurelii Prudentii Clementis nobilissimi ac facundissimi poetæ, qui claruit sub Theodosio imperatore anno Domini 387. Scripsit Dirocheum, Sichomachiam, contra Symmachum*, etc. In editione antiqua, quam vidit Fabricius, *Diurnorum Hymnorum liber, qui et Cathemerinωn dicitur*. Quod vero nonnulli duos postremos hymnos loco movent, non recte faciunt, nisi simul moveant hymnum *Defunctorum*, *Jejunantium*, *Post jejunium*, atque etiam *Omni hora*, quibus non magis congruit inscriptio Cathemerinωn quam duobus postremis. Trithemius Hymnorum libros duos ex uno fecit, fortasse ut cathemerinos sive diurnos a reliquis discerneret. Verum hymni omnes, qui non sunt de Sanctis, apte in hunc librum conjiciuntur, Cathemerinωn nuncupatum a præcipua et maxima parte. Heinsio opinanti, Prudentium inscriptionem Cathemerinωn ab Act. apost. cap. VI, ubi occurrit διακονία καθημερινῇ, fuisse mutuatum, non assentior : nam res admodum diversa ibi proponitur : *In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in* MINISTERIO QUOTIDIANO *viduæ eorum*. Georgius Remus, qui in notis dixit, ejusdem argumenti esse ephemeriden Ausonii, et librum Cathemerinωn Prudentii, non videtur C legisse ephemeriden Ausonii, cujus est argumentum *totius diei negotium*.

Ad gallicinium, sic Vatt. A et I, et Weitz. Alii, *ad Galli cantum*; Vat. P., *ante lucem*. De Gallicinio vide Apuleium, et Isidor. lib. V Orig., cap. 30 et 31, cum notis Grialis. Horas, quibus preces erant Deo offerendæ, lib. VIII Constit. apost., cap. 34, habes expressas : *Precationes facite mane, hora tertia, ac sexta, et nona, et vespere, atque ad galli cantum. Mane gratias agentes, quod illuminarit nos, nocte sublata, et reddita die. Tertia, quod ea hora Pilatus judicium adversus Dominum pronuntiarit. Sexta, quod ea hora in crucem actus sit. Nona, quod tunc omnia mota, et tremefacta sint, Domino crucifixo : quia horrerent audaciam Judæorum, et contumeliam Domini ferre non possent. Vespere, quod noctem dederit ad requiescendum a laboribus diurnis. Ad galli cantum, quod ea hora nuntiat adventum diei ad faciendum opera lucis*. Non tamen putes, eas omnes horas ad orandum fuisse in Ecclesia jure veluti publico et universali præscriptas, sed D solum privatis religionis exercitiis inserviisse, quamvis apostolorum tempore, et paulo post ex Judæorum consuetudine tres potissimum horæ precibus erant destinatæ, ut dicam hymno 3, vers. 86. Teolius vult, intelligi in hoc hymno galli cantum non primum media nocte, sed postremum sub adventum lucis, qui proprie *gallicinium* dicitur; quia hoc tempore *strepunt aves... paulo antequam lux emicet*. Contrarius his est S. Isidorus loc. cit. cap. 30 : *Dies... inchoat... secundum Romanos a media nocte. Unde et tum gallicinium est, id est gallorum cantus, quorum vox diei ostendit præconium, quando et mesonyctius afflatus est*. Ad quem locum erudite Grialis : *Et quia noctis melior pars acta, solque ad nos jam flectitur, afflari radiis ejus*

235 Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, lectulos,
Ægro sopore desides,
236 Castique, recti, ac sobrii
Vigilate : iam sum proximus.
Post solis ortum fulgidi
Serum est cubile spernere :
Ni parte noctis addita
Tempus labori adjeceris :

A

Vox ista, qua strepunt aves,
Stantes sub ipso culmine,
Paulo antequam lux emicet,
237 Nostri figura est judicis.
Tectos tenebris horridis,
Stratisque opertos segnibus,
Suadet quietem linquere
Jam jamque venturo die.
Ut cum coruscis flatibus
Aurora cœlum sparserit,

GLOSSÆ VETERES.

3. Excitator, *quia excitat nos ad bonum*, I.
6. Desides, *deses vel reses, i. e. piger : quasi in uno loco residendo piger efficitur*, Iso.
8. Proximus, *Christus enim in suo servitio laborantibus semper proximus est*, I.
10. Serum, *tardum*. — Cubile spernere, *exsurgere*, I.
11. Ni parte noctis, *nisi parte noctis servitio laboraveris*, I.
13. Strepunt, *personant cum quodam strepitu*, I.
14. Culmine, *culmen domus dicitur a culmo, unde antiqui tecta sua eo operiebant*, I. *Culmen domus dicitur a culmo, quo antiqui culmina domorum cooperiebant*, Vat. A.

B

16. Nostri figura, *qui similiter monet nos a lituis exsurgere*, I.
17. Tenebris, *ignorantiæ*, I.
21. Coruscis flatibus, *solis impetu*, I.
22. Aurora, *aurora dicitur a splendore, hinc aurati dicuntur favitores. Eoos Græce dicitur primus splendor aeris, quem nos quasi per derivationem auroram vocamus, quasi eororam*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

orbis hic dicitur. Afflari autem magorum est verbum, qui adventante sole, simulacra nocturna aufugere credebant. Unde Philostratus, lib. III *de Vita Appollonii, negat Achill.s simulacrum gallicinium exspectasse. Quo pertinet illud quoque Anchisæ* :

Jamque vale : torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis oriens afflavit anhelis.

Eodemque modo interpretatur Servius illud Æneid. VI :

Ecce autem primi sub lumina solis et ortus.

ut lumina primi solis medium noctis intelligat. Porro Prudentius ea commemorat quæ media nocte et post solent accidere. Et Teolius quidem consentit veteres Christianos consuevisse non solum ante solis ortum, sed etiam nocte ipsa e lectulo surgere ad orandum. Nonnulli gallicinium post mediam noctem statuunt, et conticinium post gallicinium. Vide Commentar. ad tit. hymni seq. Plura de Gallis Barthius lib. XXXV Adv., cap. 7, ex Theognidis Gnomologia, et Heliodoro lib. I Æthiop., ex Martiali, Antipatro Thessalonicensi, Petro Venerabili lib. V contra Judæos. Videri etiam possunt commentatores hymnorum Breviarii Romani, Michael Timotheus, Gregorius Valentianus, et alii, nam pars hujus hymni canitur *feria 3 ad laudes*.

C

5. Ex Apost. ad Romanos XIII, 11 et seq.: *Et hoc scientes tempus : quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.*

6. Heinsius legit cum aliis, *lectulos ægros, soporos, desides*. Becmanus cap. 6 Manuduct. ad ling. Latin. ex cod. Palat. eamdem lectionem tuetur, quæ etiam exstat in Hymnar. 5 Thomasii, et a Teolio est adoptata. Aldus, Nebr., Vat. P et alii, *lectulos ægros, sopores desides*, Widm., Bong., Rat., Prag., Gis., in textu, *lectulos, ægros, sopore desides*. Præfero *lectulos, Ægros sopore desides*, cum Vat. A, Weitz., Gold., Gisel. ad oram, correctoribus hymnorum Breviarii Romani sub Urbano VIII; nam epitheton *ægro* mollius cohæret cum *sopore*, quam cum *lectulos*, et suavior decurrit versus. Vat. 1, *Ægro sopore desides*, sed supra *sopores;* et in *ægro* videtur erasum *s*. Intelligo etiam *desides* in vocandi casu, *o vos ægro sopore desides* : neque aliter sensisse videtur Iso in glossa. Iidem homines qui dormientes dicuntur *desides ægro sopore*, vigilantes vocantur *Castique, recti ac sobrii*. Ægritudo animi notatur, ut infra, et in hymno S. Ambrosii fe... a 4 ad ma...,

D

Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera :

Et in distichis Catonis :

Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

In edit. 1 Gis. versus 4 strophæ 1, est *Castique*, versus 2 strophæ 2, *Jam Christus;* vers. 3 ejusdem strophæ, *Ægros*, errore typographico, quem multi deinde sunt amplexi.

7. Weitz., Gold., Widm., *Casteque recti;* sed in Widm. supra, *Castique*. Prag., *Casteque, recte*. Rat., *Casteque, recte, ac sobrie*. Ita Vat. I a prima manu : supra, *Castique, recti, ac sobrii*.

8. Vigilandi verbum sæpe in sacris litteris occurrit. Epist. I S. Petri cap. V, 8 : *Sobrii estote, et vigilate*. Matthæi XXIV, 42 : *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*, etc.

9. Vox *fulgidus* in Lucretio antiquata creditur. Eam revocarunt Lampridius, Solinus, Arnobius, Juvencus. De qua iterum redibit sermo.

13. Teolius pro diversa scriptura, *Vox illa*. De avium *strepitu* plura ex Prudentii hoc loco aliisque scriptoribus habes in Burmanniana editione Propertii, quam cl. Laurentius Santenius, elegantissimus poeta, complevit, ac publici juris fecit an. 1780, ad versum 46 lib. I, eleg. 16 : *Et matutinis obstrepit alitibus*.

14. S. Paulinus Natali 6, *culmea tecti Culmina*. Virgilius ecloga 1, *congestum cespite culmen*. et *villarum culmina fumant;* et VIII Æn., vers. 456, *Et matutini volucrum sub culmine cantus*.

15 et 16. Apud Isonem legam *a lectis* exsurgere, non *a lituis*. In Vat. P hi duo versus ita leguntur : *Nova antequam lux emicet, Nostri forma est judicis*. Prior non absurde; posterior contra metrum. Vat. O, *Vestri figura est judicis*.

19. Teol. ad oram, *Monet quietem*.

21. Nebrissa interpretatur *flammis* aut *auris*, quæ sub auroram spirant. Chamillardus suspicatur legendum *fletibus*. Nihil mutaveris. Cœlum spargere coruscis flatibus est complere lumine. Flatus hic est oris halitus, ut I Sym. præf. vers. 86 : *Spirat sacrilegis flatibus inscius*. Cicero in Arato de Cane sidere : *Æstiferos validis erumpit flatibus ignes*. Sic Solis equi apud Ovid. Metamorph. lib. II : *Ignemque vomentes... hinnitibus auras Flammiferis implent*. De aurora Virgilius simili phrasi : *Et jam prima novo spargebat lumine terras*. Æn. lib. IV, vers. 584.

22. Extrema pars glossæ Vat. A desumpta est ex Isidoro, lib. V Etym., cap. 31. In prima parte lege *aurarii* pro *aurati* : nam *aurarii* dicebantur qui fave-

Omnes labore exercitos
Confirmet ad spem luminis.
Hic somnus, ad tempus datus,
Est forma mortis perpetis :
238 Peccata, ceu nox horrida,
Cogunt jacere, ac stertere.
Sed vox ab alto culmine
Christi docentis præmonet,
Adesse jam lucem prope,
Ne mens sopori serviat :
Ne somnus usque ad terminos
Vitæ socordis opprimat
Pectus sepultum crimine,
Et lucis oblitum suæ.
Ferunt, vagantes dæmonas
Lætos tenebris noctium,
A Gallo canente exterritos,
239 Sparsim timere, et cadere.
Invisa nam vicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ,
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum præscii
Norunt repromissæ spei :
Qua nos soporis liberi
Speramus adventum Dei.
Quæ vis sit hujus alitis,
Salvator ostendit Petro,
Ter, ante quam gallus canat,
Sese negandum prædicans.
B Fit namque peccatum prius

GLOSSÆ VETERES.

23. Exercitos, *exercitatos*, I.
25. Hic somnus, *sed peccatorum*, I.
26. Forma, *figura*, Iso.
28. Stertere, *runcare*, Vat. A.
34. Socordis, *pigræ*, I.
37. Ferunt, *homines*, I.
41. Invisa, *odiosa dæmonibus*, I.
43. Situ, *negligentia*, I.
44. Satellites, *sequaces*, I. *Dæmones*, Rat.
45. Hoc, *gallicinium*, Rat.—Præscii, *dæmones*, I.
47. Soporis, *vitiorum, mortis*, I.
49. Vis, *significatio*, Iso.

COMMENTARIUS.

bant, non ab *aurora*, ut putat glossæ auctor, sed ab *auris*, quas orario excitabant ii qui gestu favebant, ut vult Servius in illum Virgilii versum : *Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.* Explicat, *auris favoribus, unde et aurarii dicuntur fautores.* Sic *orarium* erit quasi *aurarium*. Casaubonus ab *orario* putat dictos *oriarios*, et euphoniæ gratia *aurarios; orarium* linteum dictum ori tergendo paratum. Vide notas ad Aurelianum Vopisci, qui refert, Aurelianum *primum donasse oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem.* Antea in ludis et theatris jactatione togæ soliti erant favere.

26. Put., *Mortis imago est perpetis*, repugnante C metro; ex quo Heinsius conjicit, *Imago mortis perpetis*. Retinendum est cum reliquis omnibus, *Est forma mortis perpetis :* nam forma a Græco μορφὴ est species, figura, idea. Sic Cicero passim, *forma reipublicæ;* et de Divinat. lib. II : *In nubibus nunquid animadvertisti leonis formam, aut hippocentauri.* Tuscul. lib. I, *somnum* vocat *mortis imaginem et simulacrum*. Prud., Apoth. vers. 309 : *Christus forma Patris, nos Christi forma et imago.* Weitzius pluribus confirmat, somnum esse mortis imaginem, quæ tibi vel non quærenti occurrent : ut mirer interpretes dicere Prudentium respexisse ad illud Nasonianum : *Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?* Cur non ad alia similia ?

29. Ald., *vox ablato culmine* ex trajectione litterarum pro *ab alto*. Vat. A *ab alato*, male.

31. In vulg. nonnullis, *Adesse lucem proxime.*

32. Peveratus censet posse hunc esse sensum : Ne Deus serviat peccatis per somni desidiam, juxta illud D Jeremiæ, *Servire me fecistis in peccatis vestris;* quia scilicet Deus a Platonicis vocatur *mens*, ut a Virgilio VI Æneid., *Mens agitat molem.* Subtilis est hæc interpretatio, sed non probanda.

34. Egm. a manu secunda, et Vat. P, *socordes*, male. Primum *o* corripitur raro exemplo, non enim secundo loco spondæum admittit poeta. Socordiam aliqui dictam volunt, quasi *sine corde*, alii a particula separandi *se*, et *cor :* nonnulli inde scribunt *secors* et *secordia*. Vat. unus apud Teol. perperam legit *mentes socordes*.

35. *Pectus sepultum crimine*, ut homines *vino somnoque sepulti* apud Virg.

37. S. Ambrosius Hexaem. lib. V, cap. 24, a Weitzio allegatur in hunc locum; sed nihil ibi Ambrosius de dæmonibus, sed de avibus nocturnis, imprimis de lusciniæ incubantis cantu, de noctua, vespertilione et gallo. S. Augustinus, lib. VIII de Civit. Dei, cap. 22, tradit, dæmones in aere versari, quod sæpe alias inculcat; et confirmat S. Gregorius Magnus lib. II Moral., cap. 24. Idem Augustinus, cap. 3 lib. XIV de Civ., docet, dæmonem esse in carceribus hujus caliginosi aeris æterno supplicio destinatum. Et serm. 103 : *Ista dæmonia seducere animas quærunt, sed ubi sol non ortus est, tenebræ enim sunt.* Fortasse dæmones intelligit S. Ambrosius hymno ad laudes dominicæ. *Hoc omnis erronum cohors Viam nocendi deserit.* De S. Isidoro et Grialis notis dixi ad titulum hymni

40. Etsi supra dixerit *vagantes dæmonas*, tamen recte nunc *sparsim* timere, et cedere eos affirmat, quia catervatim vagantur tenebris læti, sed adveniente luce dispersi aufugiunt. Conjecerat aliquis *passim*.

42. Vat. A, *numinis, al. numini, id est dæmoni.* Non assentior. Inauditum quippe est mihi, dæmonem ab ecclesiasticis scriptoribus *numinis* appellatione simpliciter donari, quamvis *Deus hujus mundi* in sacris Litteris dicatur.

43. Virgilius lib. VI describens Æneæ iter per Averni fauces ad inferos, ait : *Per loca senta situ.*

50. Matth. cap. XXVI, 34 : *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Ita Lucas et Joannes. Marcus vero cap. XIV, 30, *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.* Vossius putavit, hanc vocem *Salvator* post Tertulliani tempora inventam. Antiquiorem esse ostenditur ex hac inscriptione apud Gruterum : IOVI CVSTODI - QVIRINO SALVATORI - PRO SALVTE CAE-SARIS NERVAE - TRAIANI AVG-COL SARMIZ. At non deerunt qui dubitent sitne genuina hæc inscriptio. Cicero ausus non est eo verbo uti, cum *sotera* vellet interpretari. Merito redarguitur P. Castus Innocens Ansaldus, qui in Comm. de forensi Judæorum buccina statuit, cantum galli in Evangeliis fortasse intelligi clangorem forensis buccinæ. Vide cl. Cancellierium loco mox citando.

53. Ald., Gis. in edit. 1, *peccator*. Idem Gis. in edit. 2, *peccatum*, et falso *peccator* alios habere dicit, quia paulo post ait, mentem Petri mansisse integram, et cantu galli cognito justum destitisse peccare. Lego quidem *peccatum* ex mss. codd., sed rationem Giselini non probo : nam Petrus vere peccavit,

Quam præco lucis proximæ
240 Illustret humanum genus,
Finemque peccandi ferat.
Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas :
Cum mens maneret innocens,
Animusque servaret fidem.
Nec tale quidquam postea
Linguæ locutus lubrico est;
241 Cantuque galli cognito,
Peccare justus destitit,
Inde est, quod omnes credimus.
Illo quietis tempore,
Quo gallus exsultans canit,
Christum redisse ex inferis.
Tunc mortis oppressus vigor,
Tunc lex subacta est tartari,
Tunc vis diei fortior
242 Noctem coegit cedere.
Jam jam quiescant improba,
Jam culpa furva obdormiat,
Jam noxa lethalis, suum
Perpessa somnum, marceat.
Vigil vicissim spiritus,
Quodcunque restat temporis,
Dum meta noctis clauditur,
Stans, ac laborans excubet.
Jesum ciamus vocibus,

GLOSSÆ VETERES.

57. Negator, *Petrus*, I.
59. Cum mens, *quia quamvis voce Christum negaret, timore correptus, mens tamen et animus fidem servabat*, I, Vat. A.
62. Lubrica, *volubili*, I.
64. Destitit, *dimisit*, I.
70. Tunc lex, *lex Tartari erat talis, ut nemo post mortem resurgeret, quæ tunc destructa est*, Vat. A. — Subacta, *a Christo*, I.
73. Improba, *improbus dicitur nulli probabilis, probus autem quasi prohibus, id est, justus, qui se ab omni malo prohibet*, Vat. A.
74. Furva, *nigra*, I.
75. Lethalis, *mortalis*, I.
76. Marceat, *tepescat*, I.
79. Meta, *finis, terminus*, I.
80. Stans, *in Dei servitute*, I. — Excubet, *vigilet*, I.
81. Ciamus, *invocamus*, I.

COMMENTARIUS.

et tunc demum justitiam recuperavit, cum resipuit et destitit peccare, ut mox patebit. Plura hic peccat Chamillardus : notam versui 57 supponit, et ait, Nebrissam legere *negator*, quod falsum est de hoc versu 55. Addit, se scribere *peccator*, et in textu invenitur *peccatum*. Callandius hoc errore deceptus edidit vers. 57, contra legem metri, *Flevit peccator*, et auctorem hujus correctionis vel potius corruptionis laudat Chamillardum. Hujusmodi lapsus in scriptoribus præsertim insignioribus annotare prodest; ut solent scopulos et brevia indicare ii qui cursus maritimos in tabula pingunt.

59. Incassum aliqui conantur Prudentium erroris arguere, perinde quasi Petrum peccasse negaverit, in quibus est Cellarius, qui poetam non intellexit, dum eum ait errasse, *quia mens Petri magis quam lingua peccavit.* Præcesserat Clericus, tom. XII Bibl. univers., qui putat plus dixisse Prudentium quam voluit, sociumque illi dat S. Cyprianum pag. 127 edit. Oxoniens. de his qui tormentis cesserunt : *Infirmitas viscerum sensit, nec animus, sed corpus dolore defecit.* Rectius Calmetus ex hoc Prudentii loco veriorem sententiam confirmat, Petrum negationis externæ peccato fuisse implicitum, quod vere peccatum est, hominemque peccatorem efficit, sed fidem intus servasse; quandoquidem Christus rogavit ne illius fides deficeret. S. Augustinus lib. Contra mendacium, cap. 6 : *In illa negatione intus veritatem tenebat; foris mendacium proferebat.* Prudentius peccatum negationis externæ sæpius declarat : *Ter... sese negandum prædicans... Fit namque peccatum prius... Flevit negator denique Ex ore prolapsum nefas... Peccare destitit.* Confer S. Ambrosium lib. x in Evan. Luc. cum notis Maurinorum.

62. Legunt *lingua lubrica* Gis., Bong., Wid., Vat. I, Iso, Cell. et alii, non male, Rat. pariter, *Lingua locutus lubrica est*, sed supra *locutus* erat *a*, ut esset *locuta*, et quidem ab eadem manu. At metrum non patitur, in nominandi casu poni *lingua*. Prag. aut alius (non enim bene distinguit annotator editionis Coloniensis qua utor), *Lingua proloquitur lubrica*, male. Nostra lectio elegantior est, et ex Prudentii stylo, quam optimi et vetustissimi codd. tenent; quæ videtur etiam fuisse in Hail., et in Gold. erat supra. Vat. O, *Linguæ locutus lubrico sine est.*

63. S. Ambrosius in hymno *Æterne rerum conditor* ad laudes dominicæ pulchre conversionem hanc Petri, ex galli cantu admoniti, describit : *Hoc ipsa petra Ecclesiæ Canente culpam diluit*, etc. In tanta librorum copia, ne dicam turbam, quibus expenditur locus Matth. cap. XVI, 18 : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc., haud scio an alii animadverterint, ex hoc maxime loco interpretationem catholicam demonstrari. *Qui sensus*, ait S. Augustinus lib. IX Retract. cap. 21, *etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait : Hoc ipsa petra Ecclesiæ Canente culpam diluit.* Cum autem Ambrosiani hymni ad omnes, aut fere omnes Occidentis Ecclesias permanaverint, consequens est, eam interpretationem, qua Petrus *petra Ecclesiæ* dicitur, pro explorata esse habendam ex communi Ecclesiarum consensu. In officio quoque Isidoriano hymnus ad cathedram S. Petri incipit, *O Petre, petra Ecclesiæ.* Quare cum res sit de sacræ Scripturæ expositione, locum hic habet regula S. Augustini et theologorum, *Legem credendi lex statuat supplicandi.* Unus vel alter e SS. Patribus, qui aliam explicationem adhibent, ad hanc Ecclesiæ catholicæ interpretationem, si possint, revocandi sunt : si non possint, eorum expositio probabilis, per nos licet, censeatur, quoniam idem S. Scripturæ locus duos sensus habere potest; sed ita ut alteri certæ interpretationi non officiat.

65. Christum ex inferis resurrexisse, cum adhuc tenebræ essent, ex Evangelio liquet. Olim credebant Christiani, media nocte Christum esse venturum ad homines judicandos, ut videre potes prol. num. 148. Hinc est quod poeta non solum resurrectionis, sed etiam extremi judicii meminit, ut ex sequentibus patebit, et antea dixit : *Nostri figura est judicis.* Hymno 2 matutino similiter extremum judicium commemorat.

69. *Vigor.* Teol., Ald., Weitz., Gis. 1 ed., Rat., Prag., Vatt. A, I et P, et alii vetustissimi. Chamillardus cum Gis. 2 edit., et Heins., *rigor.* Sed melius dicitur *opprimere vim, potentiam, vigorem mortis*, quam *rigorem.* Et poeta infra hymno 2 vers. 8 : *Culpæ vigorem perdidit.* In Vat. A male *expressus* pro *oppressus.* Nota, tres primos hujus strophæ versus incipere *Tunc*, quibus respondent tres alii primi sequentis strophæ *Jam.*

Flentes, precantes, sobrii :
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.
Sat convolutis artubus
243 Sensum profunda oblivio
Pressit, gravavit, obruit,
Vanis vagantem somniis.
Sunt nempe falsa et frivola,

A Quæ mundiali gloria,
Ceu dormientes, egimus :
Vigilemus; hic est veritas.
Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Quæcunque nos inflant mala,
Fit mane, nil sunt omnia.
Tu, Christe, somnum disjice,

GLOSSÆ VETERES.

83. Intenta, *ad Deum*, I.
88. Somniis, *somnia gloria hujus mundi, nam fugit*, Vat. A.
89. Frivola, *vana, nihil valentia*, I.
92. Veritas, *Christus*, I.
95. Inflant, *in præsenti vita*, I.
96. Fit mane, *fit dies judicii*, I.
97. Disjice, *defectivum verbum est*, I. *Dissipa, et effuga, et discute. Dissice verbum defectivum est, et non habet amplius*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

82. Sichard. *sobrios* male pro *sobrii*. Vat. O, *sobrie*. Advertenda est ratio Christianorum maxime propria, qua Deum colunt, fletu cum precantes, ab iis qui antiquitates ecclesiasticas prosequuntur, aut penitus prætermissa, aut non satis illustrata. Poeta hymno 2, vers. 49, *Te mente pura et simplici, Te voce, te cantu pio Rogare curvato genu Flendo, et canendo discimus*. Judith populum hortabatur ut ab obsidione Bethuliæ liberari precaretur cum lacrymis, cap. VIII, 7 : *Dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam*. Exstant in Veteri Testamento alia exempla Davidis et Ezechiæ, in Novo S. Petri, Magdalenæ. Alia legi possunt in Vitis Patrum, quas Rosweydus collegit, ut in Vita abbatis Pauli Nazarbensis, abbatis Thallelei Cilicis. Historiæ sanctorum recentium donum lacrymarum passim commemorant, quo insignitum fuisse Prudentium colligo ex Passione Cassiani, vers. 99 : *Pareo, complector tumulum, lacrymas quoque fundo, Altare tepescit ore, saxum pectore*. S. Maximus Taurinensis, homil. 3, laudans S. Petri lacrymas ait : *Lacrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces sunt, veniam non postulant, et merentur; causam non dicunt, et misericordiam consequuntur*. Vide Raynaudum, tom. XV Heterocl. spirit., pag. 151, et Benedict. XIV, de Beat. lib. III, cap. 26. In utraque pœnitentia baptismatis, et lapsorum fundi lacrymæ olim solebant, quæ a SS. Patribus commendantur, si et constantes sint et ex corde intimo profluant.

84. Ald., Gis., Chamil., Vat. P, O et I a secunda manu, cum aliis ed. et mss. et Breviario Romano, *vetat*. Magis sensui congruit *vetet* cum Prag., Gold. (in quo supra *vetat*), approbante in notis Heinsio. (*Quiescant, obdormiat, marceat, excubet, cimus*, postulant *vetet*. Hymnarium Ven. Thomasii habet *vetat*, quod retineo.

88. Apud Teolium Vat. unus, *vacuis* non male pro *vanis*.

90. Aldus ediderat, *Quæ mundi alit gloria*, sed correxit. Tertullianus, de Anima cap. 54, *labes mundialium sordium*. Sulpicius Severus Hist. sacr. II, cap. 14, historicos profanos vocat *mundiales*. Significatio *mundi* pro improbis, pro vanitate, profanaque pompa ab ecclesiasticis invecta est.

95. Gisel. in 1 edit., *instant*, quo fortasse respicit glossa Isonis. Reliqui omnes, *inflant*. Vat. A, *male* pro *mala*. Communem lectionem amplector, et intelligo, vocari *mala* quæ alii *bona fortunæ* dicunt, aurum, voluptatem, gaudium, opes, honores, prospera, de quibus dixerat : *Sunt nempe falsa, et frivola, Quæ mundiali gloria Egimus*, etc. Et nunc, *Quæcunque nos inflant mala, nil sunt omnia*. Vide notata in præf. vers. 29, *vel bona, vel mala*.

96. Vat. A, *nihil* pro *nil*. Teolius punctum interrogationis adjicit, *Fit mane?* quod replicat in nota. An data opera, an mendo typographico?

97. Heinsius cum vetustissimis codd. et Weitzius, *dissice*. Rat., *dissice*, sed ablato altero *s* factum a correctore *disice*. Franciscus Juretus lib. III Paulini de Vita S. Martini, et Casperius in Electis, pag. 61, de hoc verbo pluribus disserunt, et legendum *dissice* contendunt. Nihil moveor. Scribo *disjice* cum vulg. nonnullis, et Hymnar. Thom., ut in Virgilio et aliis, a verbo *disjicio*, quo usus etiam est Prudentius in præsenti, hymno S. Laurentii vers. 209 : *Cum membra morbus disjicit*. Non ergo verbum est defectivum, quod nihil amplius habeat, quam *disjice* aut *dissice*. Tota controversia est orthographica, in qua vulgatam scribendi rationem sequor. In vulg. et in Brev. Rom. *discute* est pro *disjice*, quæ est glossa veterum codicum, ut vidimus. Hunc hymnum, ejusque elegantiam laudat Aringhus lib. VI Romæ subterran., cap. 57, quod est de Gallo gallinaceo. Ex ejus lib. VI, cap. 57, sequens monumentum exhibeo.



Vetus pictura ex cœmeterio Priscillæ via salaria.

Tu rumpe noctis vincula,
244 Tu solve peccatum vetus,
Novumque lumen ingere.

II. HYMNUS MATUTINUS.

245 Nox, et tenebræ, et nubila
Confusa mundi, et turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit, discedite.
246 Caligo terræ scinditur
Percussa solis spiculo :
A Rebusque jam color redit
Vultu nitentis sideris.
Sic nostra mox obscuritas,
Fraudisque pectus conscium,
Ruptis retectum nubibus,
Regnante pallescet Deo.
Tunc non licebit claudere,
Quod quisque fuscum cogitat :
Sed mane clarescent novo
247 Secreta mentis prodita.
Fur ante lucem squalido

GLOSSÆ VETERES.

6. Spiculo, *radio*, *spiculum proprie est sagitta*, I. *Radio*, Vat. A.

7. Color redit, *secundum physicos loquitur, qui dicunt, omnia colorata in nocte colorem perdere : sole iterum redeunte, illis colorem redire. Sic et illud : Nox abstulit atra colores. Quidam autem hoc negant, dicentes, squamas piscium nocte lucere*, Vat. A.

8. Nitentis, *splendentis. Secundum physicos loquitur, qui dicunt omnia colorata in nocte perdere colorem : sole redeunte, redire colorem.*—Sideris, *solis*. I.

12. Pallescit, *fulgescit*, Rat.

13. Claudere, *occultare*, I.

14. Fuscum, *vitiosum, denigratum peccatis*, I.

15. Mane, *adverb. est mane temporis significativum; sed hoc loco non est, cum conjungitur declinabili parti,* B *ut mane novo, i. e. in die judicii*, I.

16. Prodita, *manifestata*, Vat. A.

17. Squalido, *tenebroso*, I.

COMMENTARIUS.

Quippe Christiani veteres galli imaginem, vigilantiæ, necnon Christi Domini, et divini verbi præconum symbolum, exprimere solebant; neque solum juxta apostolum Petrum ejus imago frequenter occurrit, sed aliis in locis cœmeterialibus, ut in sarcophagis et lucernis, et in editiore subterraneorum cubiculorum prospectu, in fornicibus et absidibus. Inde in sublimioribus templorum nostrorum fastigiis gallus repræsentari cœpit. In codd. Vatt. Alexandr. 74 et 348 gallus in prima hujus hymni littera pingitur. Vide proleg. num. 78. Verum de gallis plura nuper edidit cl. Franciscus Cancellierius, qui quatuor voluminibus docte eleganterque conscriptis argumentum novum *de Secretariis basilicæ Vaticanæ* exhausit. Fuse disserit lib. I, cap. 14, § 4 et seqq. : *Cur veteres Christiani turribus campanariis gallos imponerent. De Christi verbis, Antequam gallus cantet. De galli symbolo apud Christianos.*

Matutinus, alia inscriptio Aldi., Rat., Gold., C Weitz., *Ad Matutinum* ex breviariis in codices videtur invecta. Alex., Vat. I et alii, *Hymnus matutinus*. Ex erudita præfatione excellentissimi archiepiscopi Toletani ad Breviarii Isidoriani novam editionem colligo, hunc hymnum posse vocari *ad pullorum Cantum* ex veteri Hispanica consuetudine. *In calce nostri codicis* (ait doctissimus præsul) *non solum horas matutinas et laudum invenies, sed etiam hymnos ad primam noctis vigiliam*, AD GALLI CANTUM, QUOD ERAT CIRCA MEDIUM NOCTIS, et AD PULLORUM CANTUM, *quod erat circa exsurgentem auroram; hunc secundum, ut a galli cantu mediæ noctis discernerent, hymnum* PULLORUM CANTUS *appellabant.* Egregie hæc consonant S. Isidori verbis cap. 21, lib. V Etymol., *Matutinum est inter abscessum tenebrarum et auroræ adventum.* Pars hujus hymni Matutini canitur feria 4 ad laudes Breviarii Romani, *Nox, et tenebræ, et nubila;* pars vero feria 5 ad laudes, *Lux ecce surgit aurea*, pro quo versu Prudentius habet, *Sol ecce surgit igneus.* Ricciolius part. 8 Prosod., cap. 6, reg. 2, *Quid*, inquit, *elegantius illo hymno Boethiano, qui canitur in laudibus feriæ 4, Nox, et tenebræ, et nubila*, etc.? Putarem, Boethii nomen excidisse pro Prudentio. Sed paulo ante dixerat : *In hymnis autem a S. Ambrosio, Boethio, aut Prudentio constructis utitur Ecclesia catholica iambicis hujusmodi, per strophas tetrastrophas distributis in horis canonicis.* Sed neque hic est hymnus Boethianus, neque alium iambicum dimetrum novi, a Boethio compositum, quo utatur Ecclesia catholica.

1. Egm., *jubila* pro *nubila*, mendose. Infra vers. 65, *Nox mundi*, ut hic, *Nox, tenebræ, nubila mundi;* quæ omnia inter se differunt.

3. Vetus codex in edit. Colon., *micat* pro *intrat*, male, et ex aliqua glossa. Hymnarium V Thomasii multis in locis correctione indiget, ut in hoc tertio versu, *intrat, albescit polus*, ubi deest *lux*.

4. *Discedite*, formula, qua e sacris abire jubentur profani, ut *Procul, o procul este profani;* et infra hymno 6, vers. 136 et seq., *Procul, o procul vagantum Portenta somniorum : Procul esto pervicaci Præstrigiator actu... Discede, Christus hic est : Hic Christus est, liquesce.* Imperatores cum ignominiæ causa milites dimittebant, hac formula utebantur, *Discedite, Quirites, atque arma deponite.* Vide Brissonium de formulis lib. IV.

6. Spiculum proprie est sagitta. Chamillardus post Fabricium ait, *spiculo* improprie dici pro *radiis*, et rectius alibi *radiorum spicula*, Hamart. vers. 87. Contra Gifanius in ind. Lucret., verbo *Tela diei*, observat, venuste et docte tela diei appellari *solis radios*, sicut Varro *jacula solis*, et Prudentius *spicula* dixerunt. Gifanius rationem addit, quia radius nihil est aliud Latine quam hastile, seu hasta sive ex ferro, sive ex materia. Hæc ratio non placet Becmano de Orig. linguæ Latinæ, verbo *Radius;* sed assentitur spiculum usurpari de solis lumine pariter, ut radium; quem consulere poteris.

8. Hails., *nitenti* pro *nitentis*, quod melius adhæret *sideris*, ut sol denotetur, ut recte interpretatur Iso. Concinnum tamen est, *vultu nitenti.*

9. Prag., *hic* pro *sic*, male.

12. Ald., Rat. (ubi glossa *fulgescit*), Gis., Fabricius, Weitz., Vatt. I, O, P, et alii legunt *pallescit*. In Vat. A et Alex. est *pallescet*, quod videtur exigere sensus. Agit enim poeta de extremo Dei judicio; ideoque adjungit : *Tunc non licebit claudere... Sed mane clarescent novo.* Nebrissensis habet : *Pallescat pro albescat, et alludit ad tempus matutinum, quo aurora* D *pallet.* Sed in contextu Nebrissensis legitur *pallescit*. Aurora primum pallida est, tum rosea, postremo candida, seu clara. Verum hæc vocabula, auroræ et matutini temporis propria, a Prudentio poetice ad extremum judicii diem, quo sol justitiæ apparebit, transferuntur.

15. Vat. I et Gold. a prima manu *clarescunt*, quod poterit sustineri, si supra legatur *pallescit*.

17. Cave ab Aldinæ editionis errore, *Furante* pro *Fur ante*. Mirifice poeta exornat hanc sententiam, *qui male agit, odit lucem*. Similia sunt apud SS. Patres. S. Ambrosius lib. II de Cain et Abel, cap. 8 : *Latro*

Impune peccat tempore :
Sed lux dolis contraria
Latere furtum non sinit.
Versuta fraus et callida
Amat tenebris obtegi,
Aptamque noctem turpibus
Adulter occultus fovet.
Sol ecce surgit igneus,
Piget, pudescit, pœnitet,
Nec teste quisquam lumine
Peccare constanter potest.
Quis mane sumptis nequiter
248 Non erubescit poculis,
Cum fit libido temperans,
Castumque nugator sapit?
Nunc nunc severum vivitur,
Nunc nemo tentat ludicrum,
Inepta nunc omnes sua
Vultu colorant serio.
Hæc hora cunctis utilis,
Qua quisque, quod studet, gerat :
Miles, togatus, navita,
Opifex, arator, institor.
Illum forensis gloria,
249 Hunc triste raptat classicum :
Mercator hinc, ac rusticus
Avara suspirant lucra.
At nos lucelli, ac fenoris,

GLOSSÆ VETERES.

19. Dolis, *furum*, I.
22. Amat, *cupit cooperiri*, I.
23. Turpibus, *rebus*, I.
24. Fovet, *amat*, Vat. A. et I.
26. Pœnitet, *adulterum sui sceleris*. I.
28. Constanter, *audacter*, *fiducialiter*, I. *Audacter*, Vat. A.
29. Mane, *si mane ebrius fuerit*, I.
31. Cum, *quando*, I.
32. Castum, *castitatem*, I. *Pro castitate, nomen*. Vat. A.
33. Severum, *adverb. graviter*, I. *Pro adverbio. i. e. graviter et honeste*, Vat. A.
34. Ludicrum, *ludibrium*, I.
35. Inepta, *incesta*, I.
36. Colorant, *laudant*. — Serio, *honesto*, *sobrio*, I. *Serio*, *i. e. mature*, *modeste*, *honeste*, Vat. A.
38. Qua, *in qua*, I.
39. Miles, *plebeius*, Vat. A. — Togatus, *pacatus*, *qui in foro disputat*, I.
40. Institor, *negotiator*, I.
41. Forensis, *a foro*, Iso.
42. Classicum, *tuba bellica*, I.
44. Suspirant, *desiderant*, I.
45. Lucelli, *diminutivum a lucro*. — Fenoris, *usuræ*. *Fenus dicitur a manipulo feni, quia sicut fenum manipulis augetur, ita fenus, i. e. pecunia augmentatur colligendo*, I.

COMMENTARIUS.

diem refugit, quasi criminis testem. Lucem adulter erubescit, quasi adulterii consciam. Poetæ fingunt ex Nocte Fraudem et Mendacium progenita, ut denotent noctem fraudibus esse aptam. Ethnici nocturnas congregationes primis Christianis objiciebant. Minucius Felix in Octavio : *Illic post multas epulas, ubi convivium caluit, et incestæ libidinis fervor ebrietate exarsit, canis, qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spatium lineæ qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur : sic everso et exstincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum sortis.* Quo respexit Tertullianus Apolog. cap. 7 : *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, et pabulo inde, et post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebras tum et libidinum impiarum inverecundiam procurent.* Et cap. 8 : *Præterea candelabra et lucernæ, et canes aliqui, et offulæ quæ illos ad eversionem luminum extendant.* Hanc fabulam et calumniam vel ex eo maxime depellebant Christiani, quod Deum semper præsentem, et cui nihil est clausum, cogitarent, et colerent ; quod in fere toto hoc hymno Prudentius exponit, ut patebit.

21. Oxon., *frons* pro *fraus*, sed longe melius est *fraus*.

29. Respicit consuetudinem fere omnium gentium, præsertim Judæorum, et inde Christianorum, vinum mane non bibendi : ex qua S. Petrus Actor. apost. cap. II a se, ab apostolis aliisque centum viginti hominibus, in quos Spiritus sanctus descenderat, suspicionem ebrietatis depulit : *Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.* Neque enim credibile erat, tot simul religiosos cordatosque viros contra consuetudinem, communemque vivendi modum, et præscriptam legem, vino se ante horam tertiam proluisse. Chamillardo et Teolio alia interpretatio placuit, quod sermo sit de poculis sumptis *die vel nocte superiore*. Non probo, nec videtur probare Iso.

32. Accipit *nugator* pro *libidinoso*, ut hymno 7, vers. 98 ; *Veteresque* NUGAS *condomare et frangere*, et Psych. vers. 433, *jocus*, *petulantia*, *voluptas*, *cupido* dicuntur NUGATRIX *acies*. *Castum* pro *caste*, et similia libenter usurpat : sic duobus proxime sequentibus versibus *severum* et *ludicrum*. Paulo ante *turpia* pro *rebus turpibus*, et mox *inepta sua* pro *suis ineptiis*.

36. In Isone *laudant* pro *colorant* non intelligo, nisi legendum sit *lavant*, aut, quod magis congruit, *larvant*. Ad marginem editionis Coloniensis reperio ex cod. ms. *cultu* pro *vultu*.

38. Præf. vers. 33 eodem sensu *studeo* occurrit, *Non sunt illa Dei, quæ studuit*.

39. Chamillardus *togatum* pro *judice* sumi vult, quia infra de togato dicitur, *illum forensis gloria*. Sed parum vidit : nam *forensis gloria* omnibus qui in foro versantur potest applicari, et hoc loco oratores potissimum significari declarat versus 16, qui huic respondet, *Fandique prorsus nescii*.

40. Male *insitor* Widm. et Bong., in quo supra *institor* : nam postea *mercator* idem nominatur. *Institor* dicitur qui instat negotio. Vide glossam.

42. Suspicio mihi nonnulla est de trajectione horum versuum, ut primum debeat esse, *Hunc triste raptat classicum*, tum *Illum forensis gloria*. Hoc enim ordine prius recensentur *miles*, *togatus*, et *mercator*, ut postea ordine inverso eædem artes indicantur, *At nos lucelli, ac fenoris*, etc. Notat poeta, plures vivendi certum genus non eligere, sed casu aut temeritate arripere : id enim est *raptat*. Confer primam satiram lib. I Horatii :

> Qui fit, Mæcenas, ut nemo quam sibi sortem
> Seu ratio dederit, seu sors objecerit, illa
> Contentus vivat?

et quæ addit de milite, de mercatore, de agricola et de jurisconsulto :

> Agricolam laudat juris legumque peritus.

45. Visne audire aliam fœneratoris, aut, ut alii scribunt, feneratoris etymologiam ex Varrone? eccillam : *Fenerator a fenere est cognominatus, fenus autem dictum a fetu, et quasi a fetura quadam pecuniæ pa-*

Fandique prorsus nescii,
Nec arte fortes bellica,
Te, Christe, solum novimus.
Te mente pura, et simplici,
250 Te voce, te cantu pio
Rogare curvato genu,
Flendo, et canendo discimus.
His nos lucramur quæstibus,
Hac arte tantum vivimus :
Hæc inchoamus munera,
Cum sol resurgens emicat.
251 Intende nostris sensibus,
Vitamque totam dispice :
Sunt multa fucis illita,

GLOSSÆ VETERES.

46. Fandi, *rhetoricæ*, Vat. A. — Nescii, *sumus*, I.
52. Canendo, *laudando*, I.
58. Dispice , *diligenter aspice* , *deorsum aspice*, I. *Diligenter inspice*. Vat. A.
59. Fucis, *peccatis*, *vel nigris*. *Fucus dicitur de omni colore, unde fucatas vestes dicimus quocunque modo tinctas : peccatis tenebrosa*, I. *Fucus est color niger, sed pro omni colore ponitur*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

rientis atque increscentis : et idcirco et M. Cato, et cæteri ætatis ejus feneratorem sine o littera pronuntiarunt, sicuti fetus ipse, et fecunditas appellata. Ex A. Gellio lib. XVI, cap. 12, Nonio et Marcello. Hac eadem ratione Græcis partus τόκος est fenus. *Lucelli* voce utitur Cicero.

45. Quærat aliquis, ex quorum persona Prudentius hæc proferat : non enim omnes Christianos potest comprehendere, in quibus erant milites, togati, nautæ, opifices, aratores, institores. Igitur quod ait *Hac arte tantum vivimus*, nempe laudandi Deum, solum ad clericos pertinet, et fortasse etiam ad eorum hominum collegia et societates, iu quibus religiosi ordines jam erant adumbrati, ut videri potest apud S. Augustinum lib. I de Moribus Ecclesiæ catholicæ, ubi præter anachoretas, præter cœnobitas in communem vitam congregatos, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, præter feminas habitaculis segregatas, ac remotas a viris quam longissime, adjungit aliud genus laudabile Christianorum, qui in civitatibus degunt, a vulgari vita remotissimi. *Vidi*, inquit, *ego diversorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat vir optimus et doctissimus. Romæ etiam plura cognovi*, etc. *Neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis; quibus item multis viduis, et virginibus simul habitantibus, et lana, ac tela victum quæritantibus, præsunt singulæ gravissimæ, probatissimæque.* Ac fortasse Prudentius ad aliquod hujusce generis diversorium secesserat.

49. His quatuor versibus præcipui ritus colendi et rogandi Deum continentur, primus internus in spiritu et veritate, *mente pura et simplici*, alter voce sine cantu, *te voce*, tertius *cantu pio*, quarto *curvato genu*, quintus *flendo*. De cantu ecclesiastico moderato ab ipsis Ecclesiæ nascentis initiis plura passim alii, et nonnihil nos in dissert. de Hymn. eccles., § 9 et seqq. De fletu inter orandum supra ad hymn. 1 vers. 82. Inflexio genuum inter primos Christianos adeo in usu erat, ut pro oratione ipsa in Actis S. Theclæ *inflexio genuum* ponatur. Binghamus, lib. XIII Antiq. eccles., cap. 8, tradit, hunc ritum usitatum fuisse in matutino et vespertino ministerio diebus profestis et stationariis, sive jejunio constitutis. Tertullianus in fine libri de Oratione : *Stationi militia nomen dedit, nam oratio.* Quarta quavis et sexta hebdomadis die fieri stationes solebant, in quibus jejunium simul cum statione solvebatur, ut dicam ad hymnum SS. Fructuosi et sociorum. His etiam diebus Christiani orantes genua flectebant. Quibus autem diebus non flecterent, S. Justinus, sive alius vetus auctor, quæst. 115 ad orthodoxos, explicat : *Si genuum inclinatio in precationibus magis Deo commendat, quam si stantes orent, quare diebus dominicis, et a Paschæ feriis ad Pentecosten usque precantes genua non flectunt? unde talis in Ecclesiam provenit consuetudo?* Quæstioni huic ita respondet : *Quia semper utriusque conservare memoriam oportebat, et lapsus nostri per peccatum, et gratiæ Christi, per quam a lapsu resurreximus. Eapropter genuum per sex dies inclinatio nota est lapsus nostri in peccatum. Quod vero die dominica genua non inflectimus, designatio est resurrectionis, per quam gratia Christi, et a peccatis et a mortificata cum eis morte liberati sumus. A temporibus autem apostolorum consuetudo talis accepit initium, prouti ait beatus Irenæus martyr et episcopus Lugdunensis, in libro de Paschate : ubi quoque mentionem facit Pentecostes, in qua genua non inflectimus, quoniam pari est cum die dominico potestate, justa eam, quæ de ista dicta est, causam.* Hujus ritus vestigia exstant in officio ecclesiastico, in cujus fine antiphonæ beatæ Mariæ flexis genibus dicuntur præterquam in diebus dominicis, et toto tempore paschali, quod idem observatur, cum campanæ sonitu deiparam salutare admonemur. De genuum inclinatione vide præter alios Cæsarium Arelatensem, homilia 34. *De genibus flectendis in oratione*, qui eos reprehendit qui, diacono clamante : *Flectamus genua*, ut columnæ erectæ stabant, quod, inquit, *Christianis, dum in ecclesia oratur, omnino nec licet nec expedit.* Dum autem Christiani stantes orationem fundebant, sæpe manus in crucis formam expandebant, quem ritum exponam ad hymnum S. Fructuosi.

56. Christiani veteres non solum oriente sole preces Deo offerebant, sed etiam orantes ad orientem respiciebant. S. Justinus loc. cit., quæstione 118 : *Cur cum omnia loca idonea sint ad Deum colendum pura mente, in solis orientis clima intentis oculis hymnos et orationes offerimus? et qui sunt qui hæc nobis tradiderunt?* Respondet : *Præstantissima quæque ad honorem Dei destinamus : oriens præstabilior est omnibus creaturis, ergo vultum ad orientem vertimus.* De ritu ad orientis regionem precandi exstat dissertatio Jacobi Thomasii. Etiam templa olim Christiani versus orientem exstruebant.

58. Gold., Widm., Bong., Vat. unus apud Teol., Weitz., *despice*. Prag., *despice*, ad oram *dispice*, Rat., *despice*, sed correctum *dispice*. Juretus ad lib. III de Vita beati Martini restituere volebat *dissice*. Legendum *dispice*. Catullus de coma Berenices : *Omnia qui magni dispexit lumina mundi*, quem ad locum plura congerit Joan. Antonius Vulpius in sua Catulli editione, quæ magnam partem etiam in lexicis invenies. Vulpius non semel in uberrimis suis in Catullum commentariis magno cum elogio poetæ nostri meminit.

59. Gisel. legendum contendit in 2 edit. *fuscis* ex vetustissimo libro, cum antea etiam poeta dixerit, *Quod quisque fuscum cogitat*, quod Heinsius, Hymnar. Thomasii, Alex. et alii approbant. Communior est alia lectio neque rejicienda, quam tenent Vatt. codd. optimæ notæ I, P aliique, Aldus, Weitzius, correctores hymnorum sub Urbano VIII, et pleræque editiones, non excepto cod. Egm., quem male pro *fuscis* Weitzius allegavit, cum diserte habeat *fucis*, prout Heinsius observavit. In Vat. O, *Sunt multa illita*, deest *fucis* aut *fuscis*. Teolius in notis ait, Cellarium post Weitzium habere *fucis inclita* (lege *inlita*), nec aliter Heinsium, si attendas, quæ habet in addendis. Sed Heinsius in addendis sententiam non mutavit. Hæc sunt verba connexa ex nota et ad-

Quæ luce purgentur tua.
Durare nos tales jube,
Quales remotis sordibus
A
Nitere pridem jusseras,
252 Jordane tinctos flumine.
Quodcunque nox mundi dehinc

GLOSSÆ VETERES.


61. Durare, *perseverare*, I.
63. Nitere, *lucere*, I.
64. Jordane flumine, *baptismate*, I, Vat. A

COMMENTARIUS.

dendis : *Bene* FUSCIS *Egmondanus codex apud Weitzium. Sed alium codicem is voluit designare. Nam Egmondanus ipse a me inspectus* FUCIS *disertim;* FUSCIS *tamen Giselinus ex veterrimo exemplari.* Teolius cum plerisque legit *fucis;* quæ lectio confirmatur ex simili phrasi in hymno S. Hippolyti, vers. 123 : *Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo Multicolor fucus digerit omne nefas.* Nebrissensis utramque lectionem amplectitur et explicat : *Maculata vitiis : legitur et* fuscis, *id est inquinata tenebris, et sic magis cohœret sequens littera, cum dicit, Luce purgentur tua, aut respicit ad aliam solis proprietatem, qui non solum illustrat, sed etiam purgat.*

63 Prag. male *prius* pro *pridem.*

64. Rat. male *Jordanis* pro *Jordane.* Jordanis aquas olim Christiani plurimum laudabant, quod eis Christus fuisset baptizatus; cujus rei hoc exstat monumentum :



Numisma vetus ex Museo Victorio.

Juvencus insolita, sed pia invocatione usus ait : *Ergo age : sanctificus adsit mihi carminis auctor Spiritus, et puro mentem riget amne canentis Dulcis Jordanis, ut Christo digna canamus.* Paulinus Petrocorius lib. IV de Vita S. Martini : *Castalias poscant lymphatica pectora lymphas : Altera pocla decent homines, Jordane renatos.* Huc etiam pertinet consuetudo, cujus est testis S. Hieronymus de Locis Hebraicis : *Trans Jordanem, ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat, unde et usque hodie plurimi de fratribus, hoc est, de numero credentium ibi renasci cupientes vitali gurgite baptizantur.* Valesius in notis ad cap. 62 lib. IV Vitæ Constantini, ubi narratur, Constantinum optasse in Jordane baptizari, observat, S. B Hieronymum verba Eusebii ex libro de Locis Hebraicis ita vertisse, ut de catechumenis exponeret, qui maximo studio ambibant in Jordane baptizari; sed intelligi ea posse de simplici lavacro, quod Christiani præcipue in festo Theophaniæ post baptismum parvulorum frequentabant; ex Itinerario Antonini martyris et Hodoeporico S. Willibaldi, quod edidit Canisius. Aquam ex Jordane in longinquas regiones quandoque exportatam, ut filii principum sacro baptismate abluerentur, probat doctissimus commendator Franciscus Victorius in commentario de nummo æreo veterum Christianorum, quem nos quoque exhibuimus, ut ejus antiquitatis ecclesiasticæ memoria latius pervagetur.

253 Infecit atris nubibus,
Tu, rex, eoi sideris
Vultu sereno illumina.
Tu, sancte, qui tetram picem
Candore tingis lacteo,
254 Ebenoque crystallum facis,
Delicta terge livida.
Sub nocte Jacob cærula
Luctator audax angeli
Eousque dum lux surgeret,

A Sudavit impar prælium.
Sed cum jubar clauresceret,
Lapsante claudus poplite,
Femurque victus debile,
255 Culpæ vigorem perdidit.
Nutabat inguen saucium,
Quæ corporis pars vilior,
Longeque sub cordis loco
Diram fovet libidinem.
Hæc nos docent imagines,

GLOSSÆ VETERES.

65. Dehinc, *post baptismum*, I.
66. Infecit, *maculavit peccatis*, I.
67. Rex, *Christe*. — Eoi sideris, *solis, qui ab oriente nascitur*, I.
69. Picem, *peccata, peccatorem*, I.
70. Candore, *justitia*, I. *Qui de sordidis, et peccatoribus candidos reddis, et justos*, Vat. A.
71. Ebenoque, *arbor nigerrima nigro ligno : ebenum est genus nigri ligni, vel ebenum genus est arboris, quod postquam incisum fuerit, et projicitur in aquas, ibidem quadam coagulatione durescit, et efficitur lapis niger, unde postea fiunt utilia instrumenta ad discretionem bonorum malorumque munerum*, I. *Ebenum genus ligni nigri, quod incisum vertitur in lapidem, ex quo dicitur altare in domo Domini fuisse, ubi ignis* B *semper erat*, Vat. A. — Crystallum, *perspicuitatem*, I.
72. Livida, *sordida*, I.
74. Luctator, *non brachiis, sed oratione, ut benediceret ei*, I.
75. Eousque, *usque; tantum significat quantum usque*, Iso.
76. Sudavit, *luctabatur, laboravit*, I.
77. Jubar, *sol, splendor diei*, I.
79. Femur, *figurata locutio, i. e. victum habens*.
80. Culpæ, *luxuriæ*, I.
81. Inguen, *synecdoche*.
82. Quæ, *ubi*. — Vilior, *est*, I.
83. Cordis, *sensus*, I.

COMMENTARIUS.

67. Pro *rex* habent *lux* Prag., Bong., Sichard. in contextu, Gis. in 1 editione, quod in Hymn. Thomas. repertum non displicebat Gallandio. Ego vultum eoi sideris intelligo. Chamillardus aliter distinguit : *Tu, rex eoi sideris, Vultu sereno illumina*. Minus bene interpungit editio Parmensis : *Tu, rex, eoi sideris, Vultu sereno illumina*. Correctores Romani sub Urbano VIII alium versum subrogarunt, *Tu vera lux cœlestium*, quod Ricciolius ait loc. cit. fecisse Urbanum VIII, quia prima in *eoi* plerumque longa est. Neque ratione neque exemplis mihi facile quisquam persuadebit, plerumque longam esse primam in *eoi*. In prima editione hymnorum correctorum ita legitur, *Tu lux eoi sideris*, quod mutatum est in aliud, *Tu vera lux cœlestium*, fortasse ob majorem claritatem. Ipsi correctores in præfatione animadvertunt, se plura reliquisse quæ meliora fieri potuissent, ut illud, *Nascendo formam sumpseris :* nam apud poetas nascendo *frequentius producitur, quam corripitur*. Non igitur mutandum esset *eoi*, quamvis verum esset, frequentius *e* produci, quam corripi. Cæterum correctores non sibi constiterunt, qui *dicendo* pro *dicens* induxerunt, *o* correpto, dominica ad vesperas in passione Domini, *Dicendo nationibus : Regnavit a ligno Deus*, cum antea esset, *Dicens*, *in nationibus Regnavit a ligno Deus*. Sed quoniam Prudentius sæpe *o* postremum in gerundiis corripit, obiter notabo, non esse tam certam, quam vulgo traditur, eam regulam, illud *o* frequentius produci, quasi id natura ipsa fiat. Servius ad illud Virg. Æn. lib. IV, vers. 413 : *Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando*, dicit *precando* et *cantando* bo breviare naturaliter. Hoc modo Terentianus : *Ut vitæ dubius varios renotando dolores*. Infra Prudentius corripit, *Luctando claudum et tabidum*. Omitto Catullum.

69. Weitzius et Mariettus observant, respexisse poetam ad illud Ovidii lib. III de Ponto, eleg. 3 : *Sed neque mutatur nigra pice lacteus humor, Nec quod erat candens, fit terebinthus, ebur*.

71. Vide Plinium, lib. XII, cap. 4. Utroque modo dicitur *ebenus* et *ebenum*, et scribitur etiam *hebenus*. Plinius ait, duo esse ebeni genera, sed melius *arboreum trunco enodi materia nigri splendoris*. De crystallo vide eumdem lib. XXXVII, cap. 2, et alios qui de fossilibus agunt. Prudentii sententia ex Isaiæ cap. I, 18, desumpta est.

72. Pro *terge* in Vat. A et Alex. *tergens;* ita etiam Bong., et a secunda manu Hailbr. Reliqui *terge*. Vet. cod. in edit. Coloniens. mendose *tegens*. Adverte, C promiscue usurpare Prudentium *tergere, illuminare, purgare, inficere, noctem, atras nubes, picem, ebenum*, ut significet, a Deo peccata deleri. Ita supra ex communiori lectione *fucis illita luce purgentur*.

73. Narratur hæc historia Genes. cap. XXXII, cujus etiam meminit Oseas cap. XII. Prudentius anagogice eam interpretatur. S. Ambrosius lib. II de Jacob, et Vita beata cap. 7, in simili interpretatione versatur. Huc pertinet Prudentii conclusio vers. 90. Teolius edidit *cærulea* pro *cærula*, nisi si forte mendum est typographicum. Retine *cærula*. Infra etiam hymn. quinto, vers. 41, *cærulæ noctis*.

74. Contra Isonem, et brachiis, et oratione pugnam illam factam, plerique exponunt.

75. Aldus legit *Eousque lux surgeret*, ubi omittitur *dum*. Fabricius separat hoc pacto *Eo usquedum*. Iso alio modo. Poteris etiam scribere *Eo usque dum*. Oxon., *Quousque* pro diversa scriptura. Heinsius suspicabatur *Eoa dum lux surgeret*.

D 76. Legunt *impar prælio* Rat., Widm., Bong., Ald., Nebr., Vatt. I, O, P, Vulg.; sed Giselinus optime ex suo ms. et Daventr. emendavit *prælium*, quod confirmavit Heinsius ex suis et poetæ stylo, qui sæpe cum accusandi casu utitur verbo *sudo*, ut Claudianus, *quæ prælia sudas? Prælium* etiam Vat. A et alii antiquissimi cum Alex.

78. Weitzius conjecit et legit *luxante* ex mendo in Gold. *laxante*, quod exstat etiam in Vat. I. Sed cur *lapsante* rejicietur, quod omnes habent? Vox hæc Virgilii est in eamdem significationem.

80. Dicam potius *pertinaciæ*, qua Deo restitit, quam *luxuriæ* cum Isone.

81. Pro coxendice positum est *inguen*. Nervus femoris tactus, et emarcuisse dicitur : nempe ille nervus, qui ligat caput ossis, quod in cotylen sive acetabulum inseritur.

83. Pro *loco* male *luco* Egm. et Pal.

Hominem tenebris obsitum,
Si forte non cedat Deo,
Vires rebelles perdere.
Erit tamen beatior,
Intemperans membrum cui
Luctando claudum, et tabidum
Dies oborta invenerit.
Tandem facessat cæcitas,
256 Quæ nosmet in præceps diu
Lapsos sinistris gressibus
Errore traxit devio.
Hæc lux serenum conferat,
Purosque nos præstet sibi.
Nihil loquamur subdolum,
Volvamus obscurum nihil.
Sic tota decurrat dies.
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculive peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator astat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur, quidquid est,
Humana quod mens concipit:
Hunc nemo fallit judicem.

257 III. HYMNUS ANTE CIBUM.

O Crucifer bone, lucisator,
Omniparens, pie, verbigena,

GLOSSÆ VETERES.

86. Tenebris, *peccatis*, I.
87. Si forte, *si fortuito*, I.
89. Beatior, *sc. ille*, I.
90. Intemperans membrum, *indomita libido*, I.
91. Claudum, *marcidum*, I.
92. Dies, *finis*. — Oborta, *quasi exorta*, I.
93. Fatescat, *discedat*, *facessat*, I.
97. Hæc lux, *Christus*. — Serenum, *serenitatem*, I.
100. Volvamus, *cogitemus*, I, Vat. A.
101. Dies, *vita*, I.
103. Lubrici, *instabiles*, I.
104. Noxa, *culpa*, I.
105. Speculator, *Christus*, Iso.
108. A luce prima, *infantia*. — In vesperum, *senectam*, I.
111. Concipit, *meditatur*, I.
2. Verbigena, *verbo genite*, I, Vat. A. *Verbo genite: tantum masculinum, quia solus Christus est genitus*, Vat. A. *Verbo genitum*. Vat. B.

COMMENTARIUS.

90. Dissyllabum est *cui* et pes iambus.

92. Fabricius ait: *Beatitudinem in abstinentia et castitate ponit, quibus luctamur contra intemperantiam ac libidinem. Sed non is verus et propius poetæ sensus est.* At alium sensum non exprimit ipse Fabricius. Prudentius in sacra Littera interpretanda insistit, scilicet vers. 31. *Ortusque est ei statim sol, postquam egressus est Phanuel : ipse vero claudicabat.* Noctem et tenebras intelligit peccatum, solis ortum Jesu Christi gratiam; hinc beatum vocat quem Christus, edomitis cupiditatibus, illuminaverit. Quæ interpretatio sequentibus versibus maxime corroboratur.

93. *Fatescat* aut *fatiscat* legit Iso, Weitz. et Wid., *fatescat;* sed in Wid. supra, *facessat*. Gis. ad oram 1 editionis, *fatiscas*, et mox, *Errore traxisti avio*. Georgius Remus videtur legisse *fatescas* aut *facessas*, qui vers. 94 legendum monet *Errore traxti devio*. In Vat. I, *fatiscat*. In Prag. et Rat., *fatiscat*. Sequor Vatt. A, O, vetustiores Heinsii, Ald., Nebr. et alios, qui legunt *facessat*.

96. Alii, qui legunt *fatiscas*, aut *facessas*, hic scribunt *Errore traxisti avio*, aut *traxti devio*. Vide vers. 93.

102. Rat., *nec manus*. Ita Vatt. I et P.

103. Vat. A, Egm., Bong., *oculine*. Melius alii, *oculive*. Vat. P, *nec peccent*.

105. Hanc sententiam, quod Deus ubique præsens est et corda intuetur, Christiani omni tempore præ oculis habuerunt, et in ecclesiastico officio prudentissime inseruerunt. Plura in eam rem congerunt Ouzelius, Woverus, Elmenhorstius ad Minucii locum : *Quanto magis Deus auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris?* Hæc nostri poetæ verba ab antiquitatum ecclesiasticarum scriptoribus aliisque, dum hoc argumentum tractant, proferri solent, et vel imprimis emicant.

107. *Actus, us*, pro actione passim veteres Christiani scriptores.

108. Teolius ad oram, *e luce*

Ante cibum. Christianorum vetus hic mos est, ut ante cibum Deum orent. Tertullianus Apolog. cap. 39: *Nec prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur.* In codice Ecclesiæ Hispan. edito a Dominico Lopez de Barrera, can. 65 ex 12 Carthag.: *Non oportet, clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando clericos, nisi hymno dicto, edere panem et post cibos gratias auctori Deo deferre.* Ita indicatur hic canon a Lopezio; sed in Collect. max. concil. Hisp. Sylvestri Pueyo, pag. 150, ad marg. legitur, *Can.* 12, *d.* 44. *In addit.* 4 Capitul. Reg. Franc., cap. 69 edit. *Paris. ann.* 1677.

1. Ald. primum *lucis sator*, postea correxit *lucisator*, in Rat. etiam a prima manu, *lucis sator;* Pal., *lucis auctor*. Burmannus, lib. IV Propertii eleg. 3 ad vers. *Lucis et auctores*, affert Prudentii hunc locum, et ait, in Egm. legi *lucis auctor*, et ad marginem *lucis sator*. Vera lectio *lucisator*, ex cujus verbi novitate aliæ lectiones falsæ inductæ sunt. Prudentius hoc vocabulum, uti mox *omniparens*, et *verbigena*, et prius *crucifer*, ex similium imitatione formavit, quanquam *omniparens* Virgilius etiam usus est Æn. VI, vers. 595. S. Prosper epigr. 59 effinxit *omnitenens*, et epigr. 61 *omnicreator*.

2. Vat. A, *omnipotens* pro *omniparens*. Chamillardus hoc loco allucinatur : negat enim sensum poetæ esse ut *verbigena* intelligatur *verbo genitus*, atque ipse exponit *verbum genitum*. Du Cangius in Glossario pariter affirmat, Isonem male exposuisse *verbo genitum*, et adducit versus ex Mamotrecto ad IV Reg. cap. XXV ex Græcismo : *Communis generis sunt quæ componis ab illis. Excipe* VERBIGENA, *quod Christo convenit uni*. Sed non dubitandum quin sensus poetæ sit *Verbo genitus*, quandoquidem hymno 11, vers. 17, idem repetit : *Ex ore quamlibet Patris Sis ortus, et Verbo editus*, ubi Chamillardus interpretatur : *Et editus, quando Pater nos est allocutus*. Quanam vero ratione Filius possit dici *Verbum verbo genitum*, theologice explicat Petavius lib. VI, cap. 8: *Non tamen mirum videtur, in hunc modum ista pronuntiari, ut ipsa Patris sapientia, qua sapiens est, appelletur Filius,...... illud ab usu communi remotius, idem et de λογῳ a veteribus usurpari, non solum quatenus rationem, sed etiam quatenus verbum significat.* Et cap. 3 num. 5: *Siquidem Verbum persona de Verbo Patre, id est, ratione vel intelligentia oritur.* Weitzius ad hunc Prudentii locum citat S. Augusti-

Edite corpore virgineo:
Sed prius in Genitore potens,
258 Astra, solum, mare quam fierent.
Huc nitido, precor, intuitu
Flecte salutiferam faciem
Fronte serenus: et irradia,
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sine dulce nihil, Domine:
Nec juvat ore quid appetere,
Pocula ni prius, atque cibos,
Christe, tuus favor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.

A Fercula nostra Deum sapiant,
Christus et influat in pateras:
Seria, ludicra, verba, jocos,
Denique quod sumus, aut agimus,
Trina superna regat pietas.
259 Hic mihi nulla rosæ spolia,
Nullus aromate fragrat odor:
Sed liquor influit ambrosius,
Nectareamque fidem redolet
Fusus ab usque Patris gremio.
Sperne, camœna, leves hederas,
Cingere tempora queis solita es,

GLOSSÆ VETERES.

14. Favor, *laus*. — Imbuerit, *benedicat, sanctificet*, I.

16. Fercula, *per id quod continet, id quod continetur, per fercula cibos*. Vat. A.

17. Pateras, *mensas. Patena est dicta a patendo. Patera vero, i. e. vas aptum receptui potus*, I.

18. Seria, *senum. Serium est honestas, inde seria pluraliter, honesta*. — Ludicra, *juvenum*. — Jocos, *infantum*, I.

19. Quod sumus, *et nos, et actus nostros regat superna pietas*. — Agimus, *facimus*, I.

B 21. Spolia, *sicut antiqui faciebant*, I.

22. Aromate, *hoc aroma facit in singulari numero nominativo*, I.

23. Ambrosius, *dulcis, divinus, pro divino ponitur; ambrosia est cibus deorum*, I.

24. Nectaream, *puram*, I.

25. Ab usque, *abusque et adusque licenter dicimus*, I.

26. Camœna, *camœnæ dicuntur quasi canenæ a canendo*. — Leves, *vanas*, Iso.

27. Queis, *quibus*, Iso.

COMMENTARIUS.

num lib. xi Confes., cap. 7, et S. Cyprianum in Expositione Symboli. Chamillardus putavit, eos hoc vocabulo *Verbigena* usos fuisse, idque fidenter affirmavit. At neque Augustinus, neque Rufinus Aquileiensis, cui illa Expositio adjudicatur, quidquam afferunt quo Prudentii locutio possit explanari, nedum vocem *Verbigena* usurpant. Lamius, contra Clericum defendens Prudentium, existimat, cum hoc loco, tum hymno 11, poetam loqui de secunda generatione, qua Verbum caro factum est. Hanc opinionem eo hymno 11 expendam.

4. Vat. unus apud Teol. *manens* pro *potens*.

14. Similes preces ante cibum faciendas præscribit Origenes tom. II, pag. 36, lib. II in Joannem.

15. In proleg. num. 170 dixi quid sit, *Omnia sanctificante fide*.

16. Prudentius hortatur ut fercula nostra Deum sapiant, et videtur indicare quod ait S. Cyprianus lib. ad Donatum in fine: *Sonet psalmos convivium sobrium; et ut tibi tenax memoria est, voce canora aggredere hoc munus ex more: magis charissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio, proleciet aures religiosa mulcedo*. Similia habent alii SS. Patres. S. Bernardus lib. II, ep. 2, verba S. Cypriani a nobis allata protulisse dicitur a Weitzio, quæ ego in Bernardo minime invenio.

17. In Miscellaneis observationibus editis in veteres auctores ab eruditis Britannis, tom. III, vol. III, pag. 320, conjicitur legendum esse *Spiritus influat in pateras:* sed nulla est idonea ratio cur vetus scriptura deseratur.

18. Si placet, ita distingue, ut ludus sit in actione, jocus in verbis; et postulat poeta, actiones et verba a Deo dirigi tam ea quæ ad continentiam pertinent, quam quæ ad eutrapeliam, sive ad animi quamdam remissionem: de qua virtute theologi agunt cum S. Thoma 2-2, quæst. 168, art. 2.

20. Heinsius *superne* pro *superna* præfert cum Put., Alt., Egm., quibus consonat Alex., et adhærent recentiores editi, quia *superne* syllabam postremam corripit. Non inficior, eam syllabam communem esse, sed retineo *superna* cum Isone, Hincmaro, Gothescalco, vetustissimis Vatt. A, I, O, P, Urb. Rat., Prag. Ald., Gis., Weit., aliis plerisque. Eruditi Britanni loc. cit. suspicantur *deitas* pro *pietas*. Nihil mutandum. Gothescalcus, ut adversus Hincmarum probaret recte dici

C TRINA DEITAS, hæc Prudentii verba cum aliis in medium protulit. Hincmarus in libro *De non trina deitate* respondet, Prudentium metri necessitate dixisse *trina pietas*, et alibi (in fine hymni de novo lumine sabbati paschalis) *numine triplici*, vel sicut in quibusdam codicibus legitur *nomine triplici*, et rursus (in præf. Apotheosis): *Est tria summa Deus, trinum specimen*. Quas locutiones improbat ipse Hincmarus; concedit tamen ab Aratore dici *trina potestas, trinum nomen*, a Prospero *trina majestas*, a Sedulio *trina fides*, et, *Quod simplex triplicet, quodque est triplicabile, simplet*, et explicationem congruentem addit: *Hoc tantum dixisse sufficiat, quia* TRINAM PIETATEM *Prudentius*, TRINAM POTESTATEM *Arator*, TRINAM MAJESTATEM *Prosper, pro personis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, qui relative in sancta Trinitate dicuntur, substantialia nomina* pietatem, potestatem, majestatem posuerunt. Vide com. vers. 2 Psychom.

21. Hic quidem erat ethnicorum mos; at Christiani veteres adeo ab unguentis et odoribus in conviviis abstinebant ut id ethnici ipsis exprobrarent, quod liquet ex verbis Minucii Felicis: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis: reservatis unguenta funeribus*. Vide Clementem Alexand., lib. II Pædag. cap. 8, et S. Chrysostomum tom. II, conc. 1 de Lazaro. Pro *rosæ* Prag. in marg. *rosea*, male.

22. Alii *flagrat* vel *fraglat* scribunt.

24. Ut *ambrosia* deorum cibus est, ita potus eorum D *nectar*. Verba quibus Prudentius utitur, *liquor ambrosius, redolet, fusus*, fortasse innuunt unguentum ambrosium, de quo videri potest Facciolatus.

25. Solet præponi *usque:* Virgilius tamen *ab usque Pachyno* dixit.

26. Camœnas quasi canenas a canendo dici tradit Macrobius lib. II in Somn. Scipion., cap. 3. Poetæ ex hederis quoque coronas sibi imponebant, quia Bacchi et Apollinis paria censebantur numina. Horatius lib. I, ode 1: *Me doctarum hederæ præmia frontium Dis miscent superis*. Ovidius lib. I, eleg. 6: *Deme meis hederas bacchica serta, comis. Ista decent lætos felicia signa poetas: Temporibus non est apta corona meis*. Confer Carolum Paschalem de Coronis, edit. 1610 pag. 60, lib. I, cap. 18, qui hunc Prudentii locum cum laude *pii poetæ* allegat.

27. Ex hoc versu aliquis colliget, Prudentium carminibus profanis componendis indulgere solitum. Non

260 Sertaque mystica dactylico
Texere docta liga strophio,
Laude Dei redimita comas.
Quod generosa potest anima,
Lucis, et ætheris indigena,
Solvere dignius obsequium :
Quam data munera si recinat,
Artificem modulata suum?
Ipse homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu,
Quæ polus, aut humus, aut pelagus
Aere, gurgite, rure creant,
Hæc mihi subdidit, et sibi me.
Callidus illaqueat volucres
Aut pedicis dolus, aut maculis,
261 Illita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt et abire vetant.
Ecce per æquora fluctivagos
Texta greges sinuosa trahunt :
Piscis item sequitur calamum,
Raptus acumine vulnifico,
Credula saucius ora cibo.
Fundit opes ager ingenuas
Dives aristiferæ segetis
Hic, ubi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna ubi bacca viret.
Hæc opulentia Christicolis
Servit, et omnia suppeditat.
Absit enim procul illa fames,
Cædibus ut pecudum libeat
262 Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum :
Nos oleris coma, nos siliqua

GLOSSÆ VETERES.

28. Sertaque mystica, *corona*, I.
29. Strophio, *cingulo aureo, strophium est cingulum : strophos enim dicitur Græce convertere : hinc dictum strophium, eo quod a posterioribus ad anteriora convertitur*, I. *Strophium est cingulum ita dictum, quod a renibus ad anteriora convertitur, strophe enim est conversio*, Vat. A.
30. Redimita, *figurata constructio.* — Comas, *per comas*, I.
31. Generosa, *nobilis a Deo creata*, Iso.
32. Indigena, *incola.* Iso.
34. Data, *sc. sibi a Domino*, I.
35. Artificem, *Christum*, I.
36. Ipse, *artifex*, I.
39. Aere, *in aere*, I.
40. Hæc mihi, *potestati hominis subdidit omnia creata, et hominem subdidit sibi*, I.
41. Callidus, *ingeniosus*, I.
42. Pedicis, *pedicæ sunt impedimenta gressuum; pedica est laqueus quo aves capiuntur.* — Maculis, *retibus*, I.
43. Glutine, *ae cortice gluten efficitur*, I.
44. Vimina, *virgulta*, I.
46. Fluctivagos, *per fluctus vagantes*, I.
47. Texta, *retia*, I.
48. Calamum, *hamum*, I.
50. Credula, *qui credidit.* — Saucius, *sauciatus habens*, I.
51. Ingenuas, *innatas, nobiles*, I.
53. Hic, *in isto loco, ubi ager est*, I.
54. Luxuriant, *abundant*, I.
55. Pacis, *insigne pacis ferebatur antiquitus oliva*, I.
57. Omnia, *ea necessaria.* — Suppeditat, *subjicit : suppedito vel suppeditor significat subministro, vel auxilior, unde suppetium nomen ; inde etiam pluralem legimus, ut nostra ei sint suppetia, i. e. auxilia.*
58. Absit, *longe a Christicolis*, I.
61. Fera, *silvatica, extranea.*— Indomitis, *quæ non habent jugum Christianitatis*, I.
63. Siliqua, *vagina leguminis. Demonstrat, siliquas esse folles, vel thecas esse omnium leguminum, unde Virgil., Siliqua quassante, i. e. resonante*, I

COMMENTARIUS.

ita judico. Nam poesim universe alloquitur, ut potius Dei laudes quam alia inepta canat. Adi prolegom. num. 63. Nonnemo ita explicat : O Camœna *mea*, docta texere serta mystica, queis solita es cingere tempora, *nunc* liga ea strophio dactylico. Nam alias ligaverat strophio iambico, sapphico, etc.

Hoc loco *strophium* intellige coronam cum Nebrissensi : est enim strophium quidquid circumflectitur et cingit, ut corona, cingulum. Plinius lib. XXI, *Tenuioribus utebantur antiqui coronis*, STROPHIA *appellantes.* Sensus est : *Camœna, docta texere serta mystica, liga tempora strophio dactylico*, quia carmen hoc est dactylicum. Ita fere interpretatur Chamillardus, nisi quod addit, *O mea musa*, quod mihi non probatur.

34. Hos duos versus ita interpungit Giselinus, *Quam data munera, si recinat Artificem modulata suum.* Quem sequuntur Heins., Chamil. et alii. Melius Aldus, *Quam data munera si recinat Artificem modulata suum*, aut, ut nos distinximus, sensum secuti; quam distinctionem exhibet etiam Teol., sed in textu omissa est virgula post *recinat*, quæ in nota apparet.

36. Prag., *qui* pro *quia*, male.

41. Lege Manilium lib. V de Artibus volucres piscesque capiendi.

42. *Maculas* pro retis foraminibus usurpavit Cicero : hinc Hispani *mallas* dicunt quod Nebr. observavit. Pro reti aliquando sumitur, ut apud Varronem lib. III de Re rustica, cap. 11, et hoc loco apud Prudentium.

44. Hails. habet *plumigenam* pro *plumigeram*. Nebrissa *seriem* exponit aves, quæ gregatim, et ex serie volant, sicut grues. Intelligi etiam potest multitudo quarumlibet avium, aut simpliciter series plumigera est genus volucrum.

48. *Calamus* est arundo, qua trahitur piscis : *acumen vulnificum* est hamus. Prudentius sæpe utitur vocabulo *texta*, ut *texta linea, spinea, squamosa.*

51. Nebrissa interpretatur *ingenuas, quas decet homines ingenuos esitare.* Sed *ingenuum* est nativum, proprium, non arte paratum; sic Lucretius lib. I *ingenui fontes*, Ausonius *ingenuam aquam*, Juvenalis *ingenuum tophum* dixerunt.

57. Aliqui *suppetiæ, arum* derivant a *suppeto, latenter peto*, et *suppedito* a *subjicio pedibus*. Hinc glossa Isonis *suppeditat, subjicit.* Aldus pro *suppeditat* habet *suppeditant*, mendose.

58. Quo sensu Prudentius hæc de abstinentia a carnibus quadrupedum pronuntiet, disserui in proleg. cap. 16.

62. Scribunt *quadripedum* Heins. et Cham., nisi mendum est utrobique.

63. Cibus hic designatur plebis infimæ. Persius sat. 3, *siliquis et grandi pasta polenta.* Horat. lib. I, epist. 1, *vivit siliquis, et pane secundo.* Siliquæ quædam sunt esculentæ, quædam non : aliquæ coctæ eduntur totæ ut phaseolorum, aliquarum sola superficies, ut pisorum, et ciceris columbini. Vide Becmanum de Origin. ling. Lat., verbo *Siliqua.*

Feta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.
Spumea mulctra gerunt niveos
Ubere de gemino latices,
Perque coagula densa liquor
In solidum coit, et fragili
Lac tenerum premitur calatho.
263 Mella recens mihi Cecropia
Nectare sudat olente favus :
Hæc opifex apis aerio
Rore liquat, tenuique thymo,
Nexilis inscia connubii.
Hinc quoque pomiferi nemoris
Munera mitia proveniunt :
Arbor onus tremefacta suum
Deciduo gravis imbre pluit,
Puniceosque jacit cumulos.
Quæ veterum tuba, quæve lyra
Flatibus inclyta, vel fidibus,
264 Divitis Omnipotentis opus,
Quæque fruenda patent homini
Laudibus æquiparare queat?
Te, pater optime, mane novo,
Solis et orbita cum media est,

GLOSSÆ VETERES.

64. Feta, *plena*, I.
65. Paverit, *pro pascat*, I.
66. Mulctra, *mulctrale est locus ubi mulgentur animalia : mulctrum vero vasculum in quo mulgentur*, I. *Mulctra, vas in quo mulgetur ; mulctrale, locus in quo*, Vat. T.
67. Ubere, *sc. ovium*, I.
68. Coagula, *sunt vasa quæ et calathi, ubi coagulatur lac*, Iso.
71. Cecropia, *a loco ubi abundant*. Iso.
72. Sudat, *stillat*, I.
73. Opifex, *hic et hæc opifex*, I.
74. Liquat, *extenuat*, I.
76. Hinc, *a rure*, I.
78. Tremefacta, *concussa vel quassata*, I.
79. Deciduo, *desursum cadente*, I.
80. Puniceos, *rubicundos, unde et mala Punica dicimus ; vel rubeos, ut sunt mala granata*, Iso. — Cumulos, *mala granata*, Vat. A.
81. Veterum, *sapientum*, Iso.
87. Solis et orbita cum media, *media die*, I.

COMMENTARIUS.

65. S. Hieronymus epist. 43, olim 18, hos cibos cum his qui sequenti stropha memorantur commendat : *Ibi cibarius panis, et olus nostris manibus irrigatum, et lac deliciæ rusticanæ, viles quidem, sed innocentes cibos præbent.*

66. Nebrissa ait, *mulctra* esse vasa exceptoria lactis, quæ et *mulctralia*, dicuntur, ex Virg. IV Georg., *implebunt mulctralia vaccæ*. Quo loco alii legunt *mulgaria*, alii *mulctraria*, eodem tamen sensu, ut vasa lac excipientia intelligantur. In Egm., *mulctra gerit*, non male pro diversa scriptura : nam femininum etiam est *mulctra*.

67. Uber etiam est caprarum et boum, quæ *bina ubera* habent. Sues, canes et alia animalia plures fetus alunt, ideoque pluribus uberibus prædita sunt.

68. *Coagulum* est a *coactum*, quia cogit, et densat ; hinc *densa* vocat coagula ex effectu. Peveratus ait, coagula esse vasa in quibus lac coagulatur. At apud veteres coagulum est id quod lacti admiscetur ut coaguletur. Aliud est *calathus*.

70. Tria hic distinguuntur lactis genera, aliud bibendum, quod mulctris geritur, aliud densum, et in solidum coactum a coagulis, aliud pressum calatho. *Calathus* Græcum est, Latine *fiscina*, qua lac premi solet. Distinctum est autem lac ita pressum a lacte coacto. Lac pressum puto esse illud casei teneri genus, quod Itali vocant *raviggiuolo ;* de quo etiam intelligo Virgilii locum, ecloga 1, *et pressi copia lactis*.

71. Mel Atticum est celeberrimum : Cecrops autem Athenas condidit.

74. In Bong. est *liquet* pro *liquat*, non recte. Nectar mellis *olens* dicitur, quia ipsa mella *redolent thymo*.

75. Apes non *indulgere concubitu* ad procreandos fetus Virgilius, Plinius aliique passim docent. Nunc aliqui tenent et observatum asseverant, necti etiam apes, ut prolem generent : distinguunt apes feminas, quæ rarissimæ sunt, mares, qui non ita sunt rari, et apes communes sexu carentes et mellis opifices, quarum maxima pars est. Mel cibum olim fuisse abstinentium, apparet ex S. Joanne Baptista, qui eo pasci solitus erat.

76. Aldus habet *Hic*, quod non omnino displicet. Hic alius cibus jejunantium, *munera mitia* (matura, ut *mitia poma* apud Virgilium) *arborum*. Quin etiam interdum Christiani xerophagiam, hoc est aridum victum adhibebant, ipsa uvidiora poma respuentes. Tertullianus cap. 1 de Jejuniis, jam hæreticis implicitus, novitatis notam a suis depellit, quod *xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, et omni jurulentia, et uvidioribus quibusque pomis, nequid vinositatis vel edamus, vel potemus ; lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui.*

81. Comprehendit carmen heroicum et lyricum, in quo utroque genere veteres præstiterant.

82. Plerique legunt *inclyta, inclita*, vel *inclula*, quod perinde est. Vat. A supra minutiori charactere, *incita ;* in Rat. et Egm. ex *inclita* correctum *incita*. Idem in Gold. ex correctione. Bong., Urb., Ald., Gis. et alii vulg., *incita*, quod posset sustineri, etiamsi mox *incita* subsequatur. Gallandius prætulit incita.

85. Heinsius scribit *æquiperare*.

86. Putant aliqui, his quinque versibus denotari actiones gratiarum, quæ Deo fieri debent quoties cibus sumitur, nempe mane, meridie et vespere, prætermissis comessationibus, quæ Christianos minime decent. Ab his quam longissime dissentio. Prudentius hoc loco sacram Scripturam et veterum Christianorum consuetudinem exprimit. Psalmo LIV, 17 et 18 : *Ego autem ad Deum clamavi : et Dominus salvabit me. Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo : et exaudiet vocem meam.* Hæc sunt tria tempora quibus Daniel quotidie orabat cap. VI, 10. Apostolos easdem tres horas, quas *tertiam, sextam* et *nonam* appellant, orationi destinasse ex Actibus apostolorum, Clemente Alexandrino et Cypriano colligitur. Tomo III Anecdotorum Muratorii integer est liber Tertulliani de Oratione, ubi cap. 25 ait : *De tempore vero non erit otiosa extrinsecus observatio etia n horarum quarumdam. Istarum dico communium, quæ diei interspatia signant tertia, sexta, nona, quas solemniores in Scripturis invenire est. Primus Spiritus sanctus congregatis discipulis hora tertia infusus est. Petrus qua die visionem communitatis omnis in illo vasculo expertus est, sexta hora ascenderat orandi gratia in superiora. Idem cum Joanne ad nonam in templum adibat, ubi paralyticum sanitati reformavit suæ.* Vide notas Muratorii. Ex Tertulliani loco alium S. Isidori lib. VI Orig., cap. 19, corrigendum monuit me cl. Giovenazzius. *Petrus*, ait Isidorus Tertullianum exscribens, *qua die visionem communicationis in illo vasculo expertus est, sexta hora orandi gratia ascenderat*. Legendum *visionem communitatis omnis*. Sed et ex Isidoro emendari poterit Tertullianus : PRIMUM *enim sanctus Spiritus congregatis discipulis hora tertia est infusus*. Ita Isidorus. In Tertulliano ergo lege PRIMUM *Spiritus sanctus*, non PRIMUS.

Te quoque luce sub occidua,
Sumere cum monet hora cibum,
Nostra, Deus, canet harmonia.
Quod calet halitus interior,
Corde quod abdita vena tremit,
Pulsat et incita quod resonam
265 Lingua sub ore latens caveam,
Laus superi Patris esto mihi.
Nos igitur tua, sancte, manus
Cespite composuit madido,
Effigiem meditata suam :
Utque foret rata materies,
Flavit, et indidit ore animam.
Tunc per amœna vireta jubet
Frondicomis habitare locis,
Ver ubi perpetuum redolet,
Prataque multicolora latex
Quadrifluo celer amne rigat.

A Hæc tibi nunc famulentur, ait,
Usibus omnia dedo tuis :
Sed tamen aspera mortifero
Stipite carpere poma veto,
266 Qui medio viret in nemore.
Hic draco perfidus indocile
Virginis illicit ingenium,
Ut socium malesuada virum
Mandere cogeret ex vetitis,
Ipsa pari peritura modo.
Corpora mutua (nosse nefas)
Post epulas inoperta vident,
Lubricus error et erubuit :
Tegmina suta parant foliis,
Dedecus ut pudor occuleret.
B Conscia culpa Deum pavitans
Sede pia procul exigitur.
Innuba femina quæ fuerat,

GLOSSÆ VETERES.

88. Occidua, *vespere*, I.

90. Harmonia, *modulatio suavissimum carmen vel organum : harmono Græce cano, inde harmonia, cantus cum laudibus*, I. *Hoc, quod vivo, et quod loqui possum, sit laus Dei*, Vat. A.

91. Halitus, *spiritus*, I.

93. Incita, *commota*. — Resonam, *sonoram*, I.

95. Esto, *sit*, I.

96. Manus, *divinitas*, I.

97. Composuit, *creavit*, I.

98. Effigiem *similitudinem*, I. — Meditata, *sic et Virgil. de Junone : Inachiæ pestem meditata juvencæ*, Vat. A.

99. Rata, *perfecta*, I.

101. Per amœna, *in paradiso*. — Vireta, *virentia*, I. *Ubicunque duo adjectiva ponuntur, unum pro fixo* C *accipiendum est, sic hic amœna per vireta, i. e. per amœnitatem virentem* Vat. A.

103. Redolet, *sc. flores*, I.

104. Multicolora, *varia*, I. — Latex, *fons*, I.

105. Quadrifluo, *quia quatuor sunt flumina paradisi*, I.

106. Ait, *Deus*, I.

107. Dedo, *sponte trado*, I.

109. Stipite, *arbore*, I.

110. Nemore, *paradisi*, I.

111. Hic, *tunc*. — Perfidus, *perdens fidem*, I. — Indocile, *valde docile; in enim præpositio aliquando auget, ut impulsus, intonsus*, Vat. A.

112. Illicit, *decipit*, I.

114. Vetitis, *pomis*, I.

119. Parant, *præparant*, I.

122. Exigitur, *expellitur*, I.

123. Innuba, *virgo prius in paradiso*, Vat. T.

COMMENTARIUS.

90. Vat. A glossa pertinet ad explicandam stropham sequentem. Weitzius legit *canit* pro *canet*.cum Widm., Hails., Gold.; sed *canet* nostri omnes, Ald., Gis., Put., Oxon., Heins., Pal.

93. *Resonat*, male Aldus.

96. Pro *sancte*, quod optimi et plerique habent, legunt *sancta manus*, minus bene, Prag., Rat., Weitz., Gis. 1 ed., Vatt. I, O.

97. Pro *luto* posuit poeta *Cespitem madidum*. Festus : *Cespes est terra in modum lateris cæsa*, cum herba, sive fructus recisus et truncatus est. Apud Isidorum lib. XVI, cap. 6, Orig.: *Cespites sunt frutices*. Vide Psych. vers. 904, *Num viscera limo Effigiata premunt animam*, etc.

100. In margine Vat. A, *Ore animam dedit ex proprio*, quem versum Put. et Vat. O habent in textu ipso, et concinniorem vulgato Heinsius dicit. Fortasse diversa est lectio ejusdem auctoris ex duplici editione operum nata. Alludit ad Gen. cap. II, 7. D Reliqua quæ hic narrat eodem loco legere poteris.

101. Vat. A pro *tunc* habet *hunc*, minus bene, et *directa* male pro *vireta*, quod est supra. Glossæ ejusdem et Isonis non placent. *Viretum* est nomen fixum, seu substantivum, non adjectivum. Virgilius lib. VI, *Devenere locos lætos, et amœna vireta*. Paradisum simili modo describit poeta hymn. 5 vers. 113, et Ham rt. vers. 856.

107. Ad oram Vat. A, *nisibus* pro *usibus*, quod omnino retinendum.

110. Rat., *medico* pro *medio*, sed abrasum est *c*, et recte : nam Gen. cap. II, 9 : *Lignum etiam vitæ in medio paradisi lignumque scientiæ boni et mali*.

111. Nebrissa *indocile* accipit aut pro indocto. et rudi, aut pro indocili bonarum artium, quæ in femina non reperiuntur, teste Aristotele. Ego intelligo Evæ ingenium indocile Dei præcepto non vescendi pomo vetito, quo Adam et Eva obstricti erant. Nam præceptum *Ne comedas* ponitur in singulari per enallagen pro *Ne comedatis*, uti Septuaginta habent. Nonnulli docent Evam ante hoc præceptum fuisse conditam, quamvis ejus formatio postea referatur.

112. Pro *illicit* habet *allicit* Prag.

116. Aldus ita interpungit : *Corpora mutua nosse nefas. Post epulas inoperta vident Lubricus error et erubuit*. Melius Rat., ubi legitur *videt* pro *vident* : *Post epulas inoperta videt Lubricus error, et erubuit*.

122. Aldus male, *sede propria*.

123. Recte Nebr. explicat, *innubam* dici Evam, quia nubere est minori conditione se conjugi suo dare, et nondum illi dictum fuerat, *Sub potestate viri eris, et ipse dominabitur tibi*. Vide an prosit etiam propria significatio *nubendi* ; nam *nubere* est velare, operire, et *nubere* aut *nubi* est proprium feminarum, quæ caput et genas, matrimonio copulandæ, operiebant, ut pudorem flameo occulerent. Lucanus lib. II : *Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem Lutea demissos velarunt flamea vultus*. Alii *flammeum* scribunt. Eva igitur, quamvis uxor Adamo a Deo data, eo sensu nupta non erat, neque flameo ad pudorem occultandum indigebat. In sacris Litteris hic ritus innuitur Gen. cap. XXIV, 65, ubi Rebecca, conspecto Isaac, *tollens cito pallium, operuit se ... Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, et accepit eam uxorem*. Obnubere, seu velare caput in feminis subjectionis est signum ex I ad Corinth. cap. XI, 5 et seqq. : *Omnis autem mulier orans aut prophetans, non*

267 Conjugis excipit imperium,
Fœdera tristia jussa pati.
Auctor et ipse doli coluber
Plectitur improbus, ut mulier
Colla trilinguia calce terat:
Sic Coluber muliebre solum
Suscipit, atque virum mulier.
His ducibus vitiosa dehinc
268 Posteritas ruit in facinus,
Dumque rudes imitatur avos,
Fasque nefasque simul glomerans,
Impia crimina morte luit.
Ecce venit nova progenies,
Æthere proditus alter homo,
A Non luteus, velut ille prior,
Sed Deus ipse gerens hominem,
Corporeisque carens vitiis.
Fit caro vivida sermo Patris,
Numine quem rutilante gravis
Non thalamo, neque jure tori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
269 Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis, atque hominis
Digladiabile discidium,
Quod modo cernua femineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namque Deum merita

GLOSSÆ VETERES.

128. Calce, *calcaneo*, I.

129. Muliebre solum, *plantam veretur*, I. *Solum dici potest, quidquid aliquid sustinet, sic terra solum est hominum et animalium, aer avium, mare piscium, solum, i. e. plantam*, Vat. A.

130. Suscipit, *sc. super se, timet*, I. *Timet*, Vat. A. *Timeam*. Prag.

131. His ducibus, *colubro et muliere*, I.

133. Rudes, *novos*, Vat. T. — Imitatur, *Evam videlicet et Adam*, I.

B 137. Proditus, *manifestus*, I.

139. Hominem, *substantiam veram hominis*, I.

141. Vivida, *vivens*, Iso.

142. Quem, *sermonem*, Iso.

144. Genialibus, *voluptuosis*, I.

148. Digladiabile, *plenum gladiis, periculosum, divisibile; digladiare, i. e. pugnare*, I.

149. Cernua, *curva, quasi cernens terram*, I.

151. Merita, *digna*, I.

COMMENTARIUS.

velato capite, deturpat caput suum ... Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. Hac ratione vir uxori nubere non recte dicitur, nisi cum irridetur. *Uxori nubere nolo meæ*, aiebat Martialis.

28, 129. *Solum* pro pede, seu ima pedis parte frequens est. Hymn. S. Agnetis vers. 116: *Nunc virginali perdomitus solo* de dracone; et Lucretius, *per agro loca nullius ante Trita solo.* Cicero Tuscul. pag. 246 in epist. Anacharsis ad Hannonem: *Mihi amictus est Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, cubile terra.* A solo pedis *solea* dicta, et Hispanicum *suela*, aliaque similia aliarum gentium. Potest etiam dubitari an huc pertineat quod Latini aiunt, *vertere solum, soli vertendi causa;* dicitur enim, *quo me vertam, quo se vertes, quo se vertent*, et proprie pedes alio se vertunt, non terra, cum ab ea quis recedit. Cicero tamen aliter intelligit pro Cor. pag. 69: *Qui civitatis alicujus solum civitatis mutatione vertissent:* apud quem vertere solum et mutare solum idem est. His versibus et sequentibus insigniter comprobari lectionem Vulgatæ, *Ipsa conteret caput tuum*, et B. Virginis conceptionem sine labe peccati originalis, quod ex SS. Patrum sententia in serpente est indicatum, demonstravi cap. 10 proleg. Et quoniam in Hispano poeta hæc interpretatio inter veteres maxime elucet, testimonium recentissimum pro eadem sententia ex Hispania petitum indicabo in *Oratione regii theologorum cœtus pro tuendo immaculatæ virginis Mariæ Conceptionis mysterio ad Carolum III super hodierno hujus S. mysterii cultu, piaque de illo sententia ad ulteriorem certitudinis gradum merito provehendam;* quæ edita est Matriti an. 1778, regi catholico Carolo III ab archiepiscopo Toletano Francisco Antonio Lorenzana consecrata.

130. In Prag. fuerat prius *suspiciatque*, et supra glossa, *timeat*. Widm., *suspiciatque;* Gold., *Suspicit, utque.*

131. Adde glossæ Adamum, quem Eva *mandere coegerat ex vetitis*. Prudentius, dum *his ducibus* ruere posteritatem in facinus, et rudes avos imitari affirmat, non sentit cum Pelagianis, quorum hæresin exponit S. Prosper carmine de Ingratis vers. 20 et seqq. Peccatum originale claris verbis Prudentius explicuit Apotheos. vers. 911 et seqq. Et observa, Laurentium Bertium lib. XIII de Theolog. disc., cap. 2, probare originale peccatum ad fidei pertinere fundamenta, ex Prudentii versibus Apoth. 909 et seqq., *Hæc prima est natura animæ.*

133. Simili phrasi Statius lib. III, silv. 3, *rudes populos, atque aurea regna colebas.* Sæpe Prudentius *rudem* pro novo et recenti accipit.

136. Ex Virgilii ecloga 4, *Jam nova progenies cœlo demittitur alto.*

C 137. Christus dicitur *secundus homo* et *novus homo*, uti Adam *primus* et *vetus homo*. S. Paul. 1 ad Cor. cap. XV: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.*

138. Editi omnes et plerique mss., *prius*. Rat., *primus* pro *prius* contra metrum. Melius *prior*, ut respondeat Apostoli verbis, *Primus homo de terra terrenus.* Urb. ita *prior*, quem solum sequi juvat.

142. *Quem* legit Rat. Weitz., Thuan. a secunda manu, Gis., Iso. *Quam* habet Heins. cum suis optimis, Ald., Vat. A, Prag. Vaticanis plerisque, et aliis: scilicet *quam carnem*. Magis placet *quem sermonem.*

144. Genialis sæpe conjugalibus rebus tribuitur, ut *lectus genialis, torus genialis* apud Horatium, Virgilium, Martialem et alios. Genius a veteribus habebatur Deus, qui hominem genitum suscipit ac tuetur. Geniales vero deos dixerunt aquam, terram, ignem, aerem. Ea enim sunt semina rerum.

D 148. Plerique scribunt *discidium*. Gis. *dissidium*, non male. Sed præstat retinere *discidium*, non a *dis* et *cædo*, quod Becmanus putat, nam tunc *i* secundum esset longum, sed a *discindo* in præterito *discidi*, sicut *exscidium* ab *exscindo*. Gifanius Ind. Lucret., verbo *Discidium*, ait *dissidium* esse animi, *discidium* corporis, et hanc vocem *discidium* apud omnes bonos scriptores depravatam esse, Catullum, Plautum, Tibullum, Terentium, Ciceronem minimum septies, in Pand. Florent., et apud Tacitum mansisse integram. Plura auctorum loca ipse restituit.

151. B. Virginem meruisse Deum edere multi SS. Patres affirmant, ut Augustinus. Ambrosius, Hieronymus pluresque alii. Hinc theologi quærunt an B. Virgo meruerit *merito proprie dicto* esse mater Dei, vel, ut loquuntur ipsi, *maternitatem Dei*. Et probabili satis ratione multi affirmant, quia eisdem verbis

Omnia virgo venena domat:
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger revomit,
Gramine concolor in viridi.
Quæ feritas modo non trepidat,
Territa de grege candidulo?
270 Impavidas lupus inter oves
A Tristis obambulat, et rabidum
Sanguinis immemor os cohibet.
Agnus enim vice mirifica
Ecce leonibus imperitat,
271 Exagitansque truces aquilas
Per vaga nubila, perque notos
Sidere lapsa columba fugat.

GLOSSÆ VETERES.

153. Inexplicitis, *innumerabilibus*, I.
154. Inerme, *nocuum*, Vat. A.
156. Non, *nonne*, I.
162. Leonibus, *leonem vocat diabolum ob ferocitatem*, Iso.
163. Exagitans, *persequens*, I. — **Aquilas**, *aerias potestates*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

SS. Patres probant, justos bonis operibus vitam æternam mereri, et Mariam Virginem meruisse, ut mater Dei efficeretur. Quæ omnia egregie disputat et illustrat Franciscus Suarez tom. I, in 3 part., quæst. 2, disput. 10, sect. 7 et 8, qui *meritum de congruo* admittit.

153. Poeta graphice depingit serpentem, qualis a pictoribus in mysterio Conceptionis solet effingi, *tractibus inexplicitis*, hoc est, in spiras et nodos coactus et implicitus.

154. Non video unde hæc significatio *nocui* pro *inermi* in glossa Vat. A sit tracta; nisi hic quoque dicas *in* augere, ut ejusdem Vat. A glossa supra aiebat vers. 3. At verus est sensus, *inerme* virus dici, quod attinet ad B. Virginem, quæ viperam cernuam pedibus proterit, et omnia venena domat, scilicet a peccato originali immunis. Hinc *anguis piger*, id est debilis.

155. Anguis dicitur *concolor in gramine viridi*, quia colubris hoc epitheton *viridis* apud Horatium, Virgilium aliosque passim poetas tribuitur.

157. *Gregem candidulum* vocat Christianos ex more sumendi vestes albas, cum baptismo abluerentur, quasi candidati essent vitæ Christianæ, et ad animæ puritatem significandam. Simili phrasi hymno 1 Perist., vers. 67: *Christus illic candidatis præsidet cohortibus*. Quamvis autem *omnis dies Domini sit*, ut ait Tertullianus de Baptismo cap. 19, *omnis hora, omne tempus habile baptismo; si de solemnitate interest, de gratia nihil refert*, tamen tempus solemne conferendi baptismum erant quinquaginta dies a Pascha ad Pentecosten, ut ex eo loco Tertulliani colligitur: *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat, cum et Pascha Domini, in quam tingimur, adimpleta est*. Baptizati per octo dies candido vestitu incedebant. Ab albis baptizatorum vestibus septimanam IN ALBIS appellarunt veteres eam quæ paschalem proxime sequitur. Nunc nomen hæsit *dominicæ in Albis*. In omnibus tamen feriis ejus septimanæ paschalis plura exhibet officium ecclesiasticum ad baptismum pertinentia, ut in hymno sabbati ad vesperas: *Ad regias agni dapes Stolis amicti candidis*. S. Ildefonsus de Cognitione baptismi cap. 140 habet *orationem propter albas tollendas*, et cap. 142 *sermonem dicendum ad infantes in die tertia post Pascha propter albas tollendas*. Fortasse respexit etiam Prudentius ad symbolum Christianorum justorum, quod erat niveus agnus, aut candida ovis, ad animæ candorem significandum, ex cap. XXV Matth., *Sicut pastor segregat oves ab hædis*. S. Paulinus epist. 12 ad Severum de pictura in abside, vel absida basilicæ (dubitat enim Paulinus, *absidane* an *abside* dici debeat): *Bis geminæ pecudis discors agnis genus hædi Circumstant solium: lævos avertitur hædos Pastor, et emeritos dextra complectitur agnos*. Antiquissimus quoque est mos exprimendi in sacris calicibus parabolam pastoris ovem humeris suis ad ovile reducentis. Tertullianus, lib. de Pudicitia, cap. 7, quanquam jam in hæresin lapsus, verbis illustribus rem hanc testatur: *Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in* B *illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano an ethnico peccatori de restitutione colliniet*. Et cap. 10: *Cui ille si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis.... de quo nihil libentius bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ*. Prudentius versu seq., *impavidas oves* Christianos appellat.

158. *Lupus* hoc loco est diabolus. Teolius id refert ad cap. XI Isaiæ vers. 6: *Habitabit lupus cum agno*, etc. Non assentior.

159. Prag., *rapidum*, minus bene.

160. Ald., *sanguis*, mendose.

161. Cum agnus paschalis in veteri lege typus fuerit Christi, qui etiam a S. Joanne Baptista AGNUS DEI vocatus fuit, agni figura veteres Christiani sæpissime Christum exprimebant. Jacobus Bosius, lib. VI de Cruce triumphante, cap. 12, hujusmodi antiquam imaginem affert agni sub cruce rupi insistentis, qui fontes quinque ad designanda quinque vulnera Christi emittit, unum ex pectore, et singulos ex singulis quatuor pedibus. S. Paulinus, epist. 12 ad Severum: *Stat Christus Agno: vox Patris cælo* C *tonat: Et per columbam Spiritus sanctus fluit*. Et postea: *Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in Agno*. Vide Aringhum lib. VI Rom. Subter., cap. 20, ubi ex consuetudine primorum Christianorum repetit morem Ecclesiæ Romanæ conficiendi agni imagines cereas instar numismatum; quod jam Panvinius docuerat.

165. Spiritus sanctus columbæ specie super Christum baptizatum apparuit Matth. cap. III. Inde pia consuetudo fidelium, apponentium columbas aureas et argenteas *in figuram Spiritus sancti* super lavacra et altaria, de qua concilium Constantinopolitanum anno 536, actione 5. Verum etiam Christiani ipsi hoc symbolo repræsentabantur. Paulinus loc. cit.: *Crucem corona lucido cingit globo, Cui coronæ sunt corona apostoli, Quorum figura est in columbarum choro*. Et pluribus aliis prætermissis: *Nos quoque perficies placitas tibi, Christe, columbas, Si vigeat puris pax tua pectoribus*. Respicit Christi præceptum Matth. cap. X: D *Estote simplices, sicut columbæ*. Per columbam unitatem Ecclesiæ significari, de qua dictum est: *Una est columba mea* (Cantic. cap. VI), docet S. Augustinus in hunc locum; idemque tradit in psalm. LIV, columbam pro signo dilectionis poni. Tertullianus adv. Valent. in princ. scribit, *columbam solitam demonstrare Christum*, quod Petrus Lazzeri dissert. de criticæ Regulis in rem nostram interpretatur. De Christo etiam intelligunt aliqui quod ait Tertullianus cap. 3: *Nostræ columbæ domus simplex, in editis semper, et apertis, et ad lucem*. Sedulius de Christo: *Sola columba redit, quæ totum circuit orbem: Discedant corvi, sola columba redit*. Lauretus in Silva allegoriarum, verbo *Columba*, SS. Patres indicat qui in columba ramum olivæ portante Christi typum agnoverunt, uti etiam iram Christi in ira columbæ, de qua sæpe mentio occurrit in sacris Litteris. Patet igitur Christum etiam recte a Prudentio dici *Columbam*: et fortasse antiqui nonnunquam ea specie Christum expresserunt: ut cum S. Basilius eucharistiam co-

Tu mihi, Christe, columba potens,
Sanguine pasta cui cedit avis :
Tu niveus per ovile tuum
Agnus hiare lupum prohibes,
272 Sub juga tigridis ora premens.
Da, locuples Deus, hoc famulis
Rite precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata levent,
Neu piger immodicis dapibus
Viscera tenta gravet stomachus.
Haustus amarus abesto procul,
Ne libeat tetigisse manu
Exitiale quid, aut vetitum :
Gustus et ipse modum teneat,
Sospitet ut jecur incolume.
Sit satis anguibus horrificis,
Liba quod impia corporibus,
Ah! miseram peperere necem.
273 Sufficiat semel ob facinus
Plasma Dei potuisse mori.
Oris opus, vigor igneolus
Non moritur; quia flante Deo
Compositus, superoque fluens
De solio Patris artificis,
Vim liquidæ rationis habet.
Viscera mortua quin etiam
Post obitum reparare datur,
Eque suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,
Pulvereo coeunte situ.
Credo equidem, neque vana fides,
Corpora vivere more animæ :
Nam modo corporeum memini
De Phlegethonte gradu facili

GLOSSÆ VETERES.

167. Avis, *aquila*, Vat. A.
170. Sub juga, *tua*, I.
171. Locuples, *locorum plene*, I.
172. Tenui, *modico*, I.
174. Neu, *pro ne, et est verbum apocopum*, I.
176. Haustus, *potio*. — Abesto, *absit*, I.
179. Modum, *mensuram*, Iso.
180. Sospitet, *sanet*.
183. Ah! *heu!* I.
186. Oris, *Dei*. — Vigor, *anima*, Vat. A. — Igneolus, anima, I.
195. Situ, *positione*, I.
197. More animæ, *spiritalia fore*, Vat. A.
199. Phlegethonte, *inferno; phlox Græce, ignis Latine, hinc Phlegethon igneus*, Iso.

COMMENTARIUS.

lumbæ aureæ inclusit et super altare suspendit, aut alii columbas, crucibus insidentes, vel eas supervolantes, appingebant. Sed longe probabilius est etiam tunc Spiritum sanctum designari. Etiam Tertulliani loca columbam figuram Spiritus sancti clare innuunt. Clemens Alexandrinus inter symbola quæ Christianos in annulorum palis sculpere deceret, *columbam* recenset : *Sint autem nobis signacula columba, vel piscis, vel navis, quæ cursu celeri a vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus.* Quos sensus mysticos ea symbola insinuent, ibidem explicat Rosweydus, scilicet baptismum, Petrum apostolum piscatorem hominum, lyram Davidis, Ecclesiam, etc.

167. Giselino, Chamillardo, aliisque vehementer displicet *cui* monosyllabum breve; et Giselinus putat, Prudentium versum hunc cum paucis aliis emendaturum fuisse. Vide proleg. num. 212. Nihil opus est correctione.

171. Etymologiam *locupletis*, quam explicat glossa, docuit Isodorus lib. x Etym. ex Tullio lib. II de Republica, et olim quidem agri *loci* dicebantur.

175. *Tenta* habent Vat. A, major pars Vatt. codd., Heinsius cum Put., Torrentianis duobus et aliis, Gis., Egm., Fabi., Pal. Alii legunt *tensa*, ut Widm., in quo supra *densa*, Bong. supra, Prag., Sich. Alii *tanta*, ut Ald., Gis. in 1 edit. Alii *densa*, ut Hails., Bong., Rat. Magis placet *tenta*. Horatius *ubera tenta*. Hanc lectionem approbat Becmanus cap. 6 Manuduct. ad ling. Lat. ex suo ms., qui ait alios legere *viscera tota*.

176. *Amarus* potus est, quia, si nimius sit, in tristitiam vertitur.

177. *Ne* pro *nec*, Vat. A, Put., Oxon. Heins. Recte etiam *nec*, quod alii tenent.

178. Ex hoc loco colligi posse videtur Teolio, præceptum abstinendi a carnibus Prudentii ætate jam obtinuisse saltem in Hispania. Verum Prudentius neque explicat quinam sint illi cibi vetiti, neque diem ullum designat. Cæterum consuetudo jejunandi sabbato in Hispania, Romæ, et aliis in Ecclesiis ex vetustioribus monumentis constat, nempe ex concilio Eliberitano, ac plurium SS. Patrum testimoniis. Origo vero jejuniorum, aut semijejuniorum feria 4 et 6 longe antiquior et illustrior est, atque adeo ab ipsis apostolis repetenda.

180. Jejunium prodesse (ac similiter modum in victu) animabus corporibusque medendis, vox communis est omnium, et canit Ecclesia.

182. Nebrissa interpretatur *liba*, quæ ante Christi natalem dæmonibus deferebantur. Chamillardus ait, Prudentium pro quocunque fructu *liba* accepisse. De solo paradisi pomo vetito, sive alius is fuerit fructus, *liba impia* ego intelligo, quæ ita dicuntur ex propria significatione verbi *libo*, quæ est delibare, decerpere, degustare apud Lucretium, Virgilium, Varronem et alios. Tota stropha hæc ad pœnam mortis, peccato originali inflictam, spectat.

184. Ald., *hoc facinus*, mendose.

185. *Plasmare* pro *fingere, creare*; *plasma* pro creatura, *plasmator* pro *creatore*, voces sunt scriptorum Christianorum propriæ, Tertulliani, Hieronymi, Alcimi Aviti et aliorum.

186. Virgilius lib. VI Æn., *Igneus est ollis vigor, et cœlestis origo.* Prudentius sæpe Deum *ignem* et *igneum* appellat.

193. *Eque* habent plerique. Gis. in ed. 2 *Deque*, neque Heinsius aliquid contra notat. Vat. A, *Etque*.

195. Nebrissa explicat *pulvereo situ*, *pulvere squalido*. Quid sit *situs* vide hymn. 1, vers. 43. Glossa non placet.

196. Rat., *quidem* pro *equidem*. Virgilius IV Æn., vers. 12, *Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.* Iterum VI, vers. 859, *Credo equidem.*

197. Prudentius non vult corpora fore *spiritualia* (quod ait glossa), sed esse æternum victura post resurrectionem, argumento ex Salvatoris resurrectione petito, quod in hymno Exsequiarum repetit.

199. Ait Prudentius *gradu facili*, quia Virgilius lib. VI dixerat, *facilis descensus Averni . . . . Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est.* Clericus Chamillardum arguit in Vita Prudentii, quod ex usitata nunc loquendi ratione interpretatus fuerit, Christum *ex limbis* rediisse. Idem Clericus colligit, Prudentii opinionem esse, Christum ad locum inferorum, ubi torquentur damnati, descendisse. Vide proleg. num. 181.

Ad superos remeasse Deum.
274 Spes eadem mea membra manet,
Quæ redolentia funereo
Jussa quiescere sarcophago,
Dux parili redivivus humo
Ignea Christus ad astra vocat.

IV. HYMNUS POST CIBUM.

Pastis visceribus, ciboque sumpto,
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo Patri rependat:
Patri, qui cherubim, sedile sacrum
A **275** Necnon et seraphim suum, supremo
Subnixus solio, tenet, regitque.
Hic est, quem Sabaoth Deum vocamus,
Expers principii, carensque fine,
Rerum conditor, et repertor orbis.
Fons vitæ liquida fluens ab arce,
Infusor fidei, sator pudoris,
276 Mortis perdomitor, salutis auctor.
Omnes quod sumus, aut vigemus, inde est
Regnat Spiritus ille sempiternus,
A Christo simul et Parente missus.
Intrat pectora candidus pudica,

GLOSSÆ VETERES.

201. Manet, *exspectat*, I.
203. Sarcophago, *nam* sarx *caro*, phago *manduco*, *est similis, quia fuit homo*, Iso.
2. Imbecilla, *infirma*, I.
4. Patri, qui cherubim: *hinc reprehenditur (Prudentius) quod dixerit, Deum sedere super cherubim et seraphim, ut enim beatus Hieronymus dicit, super cherubim tantum sedet; sed sciendum, quia vir iste sæcu-* B *laris erat, nec adeo in divinis mysteriis eruditus*, Vat. A. — Cherubim, *scil. super*, I.
5. Supremo, *excelso*, I.
6. Subnixus, *suffultus*, I.
12. Perdomitor, *moriendo in cruce*, Iso.
13. Inde, *de Christo*, I.
15. Parente, *Christi*, I.
16. Candidus, *Spiritus sanctus*, I.

COMMENTARIUS.

202. Indicatur mos ungendi corpora defunctorum. Vide prol. num. 156 et seqq.

203. Glossæ postrema verba, nescio quid sibi velint, nisi referenda sint, ut puto, ad vers. seq. *parili*. Sepulcrum dicitur *sarcophagus*, quasi carnes voret. Vide quæ ex Plinio habet Isidorus, lib. XVI, cap. 4. Orig., ubi ait, sarcophagum esse lapidem ex quo fiebant sepulcra, quod corpora defunctorum absumeret. Alia significatione sarcophagus est sandapila, vel feretrum; quod alii aiunt, mihi non liquet.

204. Ald. et Gis. in textu 1 edit. cum Urb. et Vat. C P legunt *Dux parilis redivivus homo*. Sic etiam Nebr. In Put., *Dux parili redivivus homo*; in Oxon., *Dux parilis redivivus humo*. Reliqui, *Dux parili redivivus humo*, etiam Egm. pro diversa scriptura.

Post cibum. Aldus inscribit: *Ode post cibum*. Janus Parrhasius, *Hymnus divi Prudentii sumpto cibo*. Ut ante cibum preces Deo sunt fundendæ, sic etiam post cibum. Tertullianus Apolog. cap. 39, *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. . . . Oratio convivium dirimit*. S. Basilius epistola ad S. Gregorium Theologum de Vita in solitudine agenda: *Orationes ante cibum digne fiant Dei donis, quæque nunc dat, et quæ in posterum reposuit. Orationes post cibum gratiarum actionem datorum habentes, et flagitationem promissorum.*

1. Parrh., *pastis corporibus*.

4. Parrh., *cubile sacrum*. Nebrissa ait, cherubim et seraphim esse vel in accusativo plurali (nam cherub et seraph est singularis), ut intelligatur cherubim et seraphim esse sedile, cui Deus innititur, vel in D genitivo plurali, quia sedile Dei ex cherubim et seraphim constat. S. Hieronymus comment. in Isaiam cap. VI, *errare*, ait, *qui solent in precibus dicere: Qui sedes super cherubim et seraphim, quod Scriptura non docuit*. Et in epist. ad S. Damasum de seraphim, etc., vocat *pium errorem* eorum qui in orationibus et oblationibus suis id audent dicere (vide glossam). Ex quo liquet, jam tempore S. Hieronymi preces aliquas fuisse, quibus id assereretur. Ac sane si id dicatur tanquam disertis verbis a sacris litteris expressum, recte ait S. Hieronymus, errorem esse. Nam psalmo LXXIX, 1, solum dicitur: *Qui sedes super cherubim, manifestare*. Prudentius vero solum affirmat Deum supremo subnixum solio *tenere ac regere cherubim et seraphim, sedile suum*. Quod verum est, dummodo utrique ad Dei sedile ornandum pertineant, eidemque assistant. Jam Isaias cap. cit. vers. 1 et 2 sic habet: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant*. Septuaginta vertunt: *Erant circa illum*, quod recte cohærere advertunt interpretes. Cornelius a Lapide plane ita exponit: *Juxta vel circa solium, puta super pedem aut pavimentum solii: decebat enim, eos esse humiliori gradu, quam erat ipsa sedes, et solium Dei. Hi seraphim stipant solium instar cherubim stipantium propitiatorium* Exodi cap. XXV. Ne plura; ut poetam ab inepta glossa vindicemus, satis hæc, superque.

7. In Rat., *Deum Sabaoth* pro *Sabaoth Deum*, male. Hinc collige poetam respexisse ad locum Isaiæ cap. VI, ubi seraphim clamabant: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum*. Hæc autem Hebraica nomina scribimus, uti in Vulgata editione invenimus, quanquam nos minime fugiat, quid contra a multis dici soleat. Sic etiam Prudentium longa defensione tueri nolumus, quod in his nominibus quantitatem syllabarum, ab Hebraicæ linguæ peritis præscriptam, interdum contempserit; de quo in proleg. diximus.

9. *Deus repertor orbis*, uti a Virgilio *hominum rerumque repertor*, et a Juvenco lib. IV, *vitæ lucisque repertor*. Vide infra hymn. 5, vers. 1: *Inventor luminis*. Contra apud Paulinum in obitum Celsi diabolus: *per Christum perditor ipse perit*.

10. Deus *fons vitæ* passim in sacris Litteris et SS. Patribus, et sæpe apud Prudentium. Sic *fons animarum, fons boni, fons bonorum omnium*, et similia.

13. Weitzius cum solo Hailsb. contra Vulg. et reliquos voluit legere *Omne*. Cur, cum repugnet legibus phalecii, quas videmus observare Prudentium? E Vaticanis solus unus *omne* apud Teol., e vetustioribus Heinsii solus Altinius *omne*, e nostris nullus. Gisel., Gold. et Weitz. habent *ac vigemus*. Aldus, nostri, Wid. supra, et Heins. cum Put., *aut vigemus*.

16. Vocatur *Spiritus candidus*, vel quia columbæ specie apparuit et repræsentatur, vel ob candorem quem animæ infundit. Processio Spiritus sancti a Patre, et a Filio his versibus non obscure innuitur, et quidem *missionis* verbo quo sacra Scriptura utitur. Chamillardus affirmat, in concilio Toletano jussu Leonis additam symbolo fidei particulam *Filioque*, cum in symbolo Nicæno tantum dicatur, *Qui ex Patre procedit*. Intelligit Leonem I, et concilium sive Toletanum, sive Hispaniense anno 447. Cl. Henricus Florez tomo VI Hisp. sacr., dissert. 1, late disserit de concilio Toletano I anno 400, et regula fidei ejus actis inserta, ubi invenitur particula *Filioque*. Probare

Quæ templi vice consecrata rident,
Postquam combiberint Deum medullis.
Sed si quid vitii, dolive nasci
Inter viscera jam dicata sensit,
Ceu spurcum refugit celer sacellum.
277 Tetrum flagrat enim vapore crasso
Horror conscius æstuante culpa,
Offensumque bonum niger repellit.
Nec solus pudor, innocensve votum
Templum constituunt perenne Christo
In cordis medii sinu ac recessu.
Sed ne crapula ferveat, cavendum est,
Quæ sedem fidei cibis refertam
Usque ad congeriem coarctet intus.
Parcis victibus expedita corda
Infusum melius Deum recepiant,
Hic pastus animæ est, saporque verus.
Sed nos tu gemino fovens paratu,
Artus, atque animas utroque pastu
Confirmas, Pater, ac vigore comples.
Sic olim tua præcluens potestas
278 Inter raucisonos situm leones
Illapsis dapibus virum refovit.
Illum fusile numen exsecrantem,
Et curvare caput sub expolita
Æris materia nefas putantem,
Plebs diræ Babylonis, ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicarant,
Sævis protinus haustibus vorandum.
O semper pietas, fidesque tuta!
Lambunt indomiti virum leones,
Intactumque Dei, tremunt alumnum.
Astant cominus, et jubas reponunt:
Mansuescit rabies, fameque blanda
Prædam rictibus ambit incruentis.

GLOSSÆ VETERES.

17. Quæ, *quia de illis scriptum est : Vos estis templum Dei viri*, I. — Rident, *gaudent*, I.
18. Medullis, *præcordiis*, Iso.
20. Dicata, *scilicet sibi*, I.
21. Spurcum. *spurcus, a, um; inde spurcitia.* — Sacellum, *ut doctrix*, I.
22. Tetrum, *pro tetre, nomen pro adverbio*, I.
24. Repellit, *a se*, I.
25. Innocens, *a pueritia*. I.
27. Sinu ac recessu, *introitu et exitu*, I.
28. Crapula, *apostoma, i. e. indigestio*, I.
31. Expedita, *libera vel parata*, I.
37. Præcluens, *clara, excellens*, oleo *Græce glorior; et* cluo *excello, et splendeo, et glorior*, I. *Præpotens, nobilis*. Vat. A.
38. Raucisonos, *dure, et terribiliter sonantes*, I.
39. Virum, *Danielem*, I.
44. Feris, *leonibus*, Iso.
49. Cominus, *juxta*.—Reponunt. *mites effecti*, I.
51. Rictibus, RINGO, *os aperio, hinc rictus nimia oris apertio*, Vat. A. — Ambit, *circumit*, Iso. *Circumdat, amplectitur, desiderat*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

contendit, præcessisse aliud concilium Toleti anno 396, collectorem actorum concilii Toletani, anno 400 celebrati, floruisse sæculo v exeunte, regulam fidei in hoc concilio fuisse factam, neque additionem *Filioque* esse supposititiam, cum omnes codices mss. librique impressi ita habeant, et in eo concilio actum fuerit adversus Priscillianistas, circa Spiritum sanctum errantes. Quæ confirmari possent ex his poetæ Hispani carminibus, quibus processio Spiritus sancti exprimitur, quasi regulam fidei, ejusque particulam *Qui ex Patre, Filioque procedit* præ oculis habuerit. Nihilominus censeo, rem non liquere, et mentionem Leonis papæ, quæ in titulo regulæ fidei occurrit, aperte indicare, eam longe posteriorem esse concilio Toletano anni 400, vel certe collectorem actorum ignorasse, ad quodnam tempus esset referenda.

17. Parrh., *hæc templi*. Præclare describit Prudentius, quale templum Deo in intimo corde sit constituendum.

20. Weitz., Gold. et Wid. supra Parrh., *intra* pro *inter*. Prag. et Rat., pariter *intra*. Ald., Gis., Heins., Vat. A, *inter*.

21. Nescio quid sit in glossa *doctrix* post *sacellum*.

22. Ald., Prag. a secunda manu, et Boherius alter, *fragrat* pro *flagrat*. Olim promiscue nonnulli scribebant *fragro* et *flagro*, quod in codd. mss. passim notatur.

23. *Conscius* interdum stimulos conscientiæ denotat, ut apud S. Paulum I Cor. IV, 4 : *Nihil mihi conscius sum;* et apud Horatium : *Hic murus aheneus esto Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*, ut alios prætercam.

25. Ald., Gis., Vat. I, Weitz., Prag., Parrh., *innocensque*. Vat. A, Alex. et pene omnes Vatt., item vetustiores Heinsii, *innocensve*.

27. *Recessus* non est exitus, neque *sinus* introitus, ut habet glossa. Cicero pro Marcello : *Cum in animis hominum tantæ latebræ sint, tanti recessus*. Hoc sensu *cordis sinus et recessus*.

28. Proprie *crapula* est dolor capitis ex nimio haustu, origine Græca.

32. Ald., *eum* pro *Deum*, non male.

33. Dubitat Chamillardus an hic pastus et sapor intelligendus sit de SS. eucharistia, an de divina providentia. Simplicius dicit Spiritum sanctum, sive Deum, in corde receptum, significari.

34. Egm. apud Weitz., *fove* pro *fovens*. Quidam Vat. apud Teol., *foves*.

35. Parrh., *animos*.

36. V. A, *confirmans* pro *confirmas*. In Prag., *atque* pro *ac* a manu secunda, perperam.

37. Parrh., *prænitens* pro *præcluens*. Verbo *cluo* non solum antiquiores Latini usi sunt, Ennius, Plautus, Lucretius, verum etiam Cicero. Lucretius *cluo, es*, adhibet, Prudentius *cluo, is*, ut aliis in locis potes observare. Est enim ex his verbis, quæ ad secundam et tertiam conjugationem æque pertinent. A *cluo* est *inclytus*, vel *inclitus*, vel *inclutus*.

38. Hæc historia narratur cap. XIV Danielis : qua providentia et misericordia divina erga justos declaratur.

43. Parrhasius, *et tyrannus*.

44. Parrhasius, *dicarunt*.

48. Sic in Dittochæo tetrasticho 9, *Tutus agit vir justus iter vel per mare magnum*. Ubi plus periculi est, ibi plus auxilii justis a Deo conferri, constans est sententia.

50. Gis. reposuit *fames* pro *fame*. Neque displicet hæc lectio; sed optimi mss. et editi legunt *fame*, quod, cum non abhorreat, retinendum est. In Vat. O mendum est *fama*. Nebrissæ falso imputatur in edit. Coloniens. anni 1701, quod agnoverit alios habere *famesque blanda*.

51. Hails., Gold., Bong., et a secunda manu Wid., Ald., *lambit* pro *ambit*. In Rat. videtur fuisse *lambit*, sed abraso primo charactere factum *ambit*. Hoc verum est : nunquam enim Prudentius litteram *s* elisit, prout opus erat, ut cum *rictibus lambit* versu

Sed cum tenderet ad superna palmas, A
279 Expertumque sibi Deum rogaret,
Clausus jugiter, indigensque victu :
Jussus nuntius advolare terris,
Qui pastum famulo daret probato,
Raptim desilit obsequente mundo.
Cernit forte procul dapes inemptas,
Quas messoribus Habacuc propheta
Agresti bonus exhibebat arte.
Hujus cæsarie manu prehensa,
Plenis, sicut erat, gravem canistris
Suspensum rapit, et vehit per auras.
Tum raptus simul ipse, prandiumque
Sensim labitur in lacum leonum,
Et, quas tunc epulas gerebat, offert.
Sumas lætus, ait, libensque carpas,
Quæ summus Pater, angelusque Christi
280 Mittunt liba tibi sub hoc periclo.
His sumptis, Danielus excitavit
In cœlum faciem, ciboque fortis
Amen reddidit, halleluia dixit.
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum,
Grates reddimus, et sacramus hymnos.
Tu nos, tristifico velut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu
Conclusos, regis, et feram repellis;
281 Quæ circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes,
Cur te, summe Deus, precemur unum.

GLOSSÆ VETERES.

53. Expertum, *notum*, *quem probatum habebat*, I. B
57. Mundo, *aere*, I. *Aere vel nube*, Rat.
58. Inemptas, *viles* : *res enim vilis quæ abundat*, *non emitur*, Vat. A.
60. Agresti, *rustica*, I.
61. Prehensa, *comprehensa*, I.
65. Sensim, *leniter*, Iso.
67. Sumas, *pro sume*.—Carpas, *pro carpe*, Iso.
69. Liba, *prandia*.—Hoc periclo, *leonum*. I.
70. Excitavit, *elevavit*, I.
75. Hymnos, *laudes*, I.
77. Impotentis, *valde potentis*, *furoris*, Vat. A.
78. Feram, *diabolum*, I.

COMMENTARIUS.

recte procederet. Gallandius edidit *lambit*, et subnotavit : *Sic Aldus cum aliis. Chamillardus.* AMBIT *typothetæ vitio*, *ut videtur*. Abhorrent poeticæ aures.

52. Ratio orandi Deum extensis manibus; de qua ad hymnum S. Fructuosi.

54. Prag., Rat., Weitz., Gis., *victu*. Ald., V. A, Put., Oxon., Egm., Alt., Pal., Heins. et alii, *victus*.

57. Parrh., *dissilit*. S. Isidorus lib. II Etymol., cap. 29 : *Mundus est is qui constat ex cœlo*, *et terra*, *et mari cunctisque sideribus*. Vide ejusdem cap. 1, lib. XIII, et notas Grialis.

58. Parrh., *cernens*. In Vat. A legitur *ineptas* pro *inemptas*. Sed ex ejus glossa corrigitur mendum. Alludit ad Virgilii locum *dapibus mensas onerabat* C *inemptis*, quod pariter de agricola dictum est lib. IV Georg. Horatius quoque de laudibus vitæ rusticæ epod. 2, vers. 48, *Dapes inemptas apparet*.

59. Mirum quantum discrepent codices in voce *Habacuc* exaranda. Alii *Abacuc*, alii *Abbacuc*, alii *Abbacum*, alii *Ambacum*, alii *Ambacuc*. De quo nomine vide indicem secundum Ricciolii, ubi Prudentium adversus Ludovicum Cavallum defendit quod in hoc hymno *a* primum produxerit juxta Syriacam aut Persicam radicem. Quamvis autem Habacuc a Prudentio propheta vocetur, non certo inde colligas, eumdem esse Habacuc, cujus exstat prophetia. Lege hanc quæstionem in præloquiis Jacobi Bonfrerii, sect. 11.

61. Widm., *cujus cæsarie* a prima manu.

62. Hæc phrasis, *sicut erat*, stylum ecclesiasticum videtur redolere : sed ab optimis antiquissimis Latinitatis auctoribus est usurpata.

68. Prudentius in hoc Habacuc sermone Christum D inducit per prolepsin : nondum enim Verbum caro factum fuerat, qui est Christus, ut notavit Nebrissa. Clericus in Vita Prudentii nonnihil cavillatur circa hujusmodi locutiones.

69. Ald., mendose, *libalibus*. Nebrissa mendum transcripsit, et interpretatus est, *gustui tuo*. Sensus et carmen *liba tibi* exposcit.

70. Danielem, cibo sumpto, Deo gratias egisse expressum quidem non est in sacra pagina. At poeta id colligit ex gratiarum actione, quæ præcessit vers. 36 et 37.

71. Parrh., *ciboque functus*.

72. Parrh., *Evieque dixit*, quod vitiosum est. Vox *amen* responsionibus adhiberi solebat in Veteri Testamento, quasi *certe*, *vere*, *hoc erit*, *veritas*, vel *ita fiat*. Deuter. XXVII, 15 : *Et respondebit omnis populus*, *et dicet*, *Amen*. In Ecclesia Christiana statim ab ipso initio hæc consuetudo reddendi *amen* post orationem sacerdotis videtur inducta : nam Apostolus I ad Corinth. cap. XIV, 15 et seq., ait : *Quid ergo est : Orabo spiritu*, *orabo et mente*, *psallam spiritu*, *psallam et mente. Cæterum si benedixeris spiritu*, *qui supplet locum idiotæ*, *quomodo dicet* AMEN, *super tuam benedictionem? quoniam quid dicas*, *nescit*. Justinus martyr in Apol. 2, sive, ut alii volunt, 1 : *Ubi ille* (antistes) *preces et eucharistiam absolvit*, *totus qui adest populus*, *fausta approbatione acclamat dicens* AMEN. S. Paulinus Natali 11 : *Cumque sacris pia turba ferat pastoribus* AMEN, etc. De voce *alleluia* confer Ricciolium in ind. secundo; neque tamen ei assentiaris, quod dicit, imitandum non esse Prudentium, qui *e* in hoc versu corripuit; quod pariter ab Orientio correptum est. S. Justinus quæst. 50 ad Orthod. testatur, Christianos, cum laudes et hymnos canerent, jam tunc uti hac voce *alleluia* et *osanna*, quod olim a pueris factum. Vide S. Hieronymum in epist. ad Marcellam, S. Augustinum in psalm. CVI, et notas Loaysæ ad can. 11 concil. IV Tolet. : *De non decantando in Quadragesima alleluia*.

74. In oratione S. Rosæ virginis Limanæ hic versus includitur mutatis verbis : *Bonorum omnium largitor omnipotens Deus*.

77. Cauchius castigabat *antro Conclusos regis*, acute, sed contra mss. Nebrissa *actum* interpretatur *actiones* mundi scilicet nimium potentis, et sævientis : nam hoc Latine est *impotens*. Heinsius *actum* accipit aut pro vago et incerto rerum humanarum motu, aut pro eo quod agunt homines. Hoc sensu alias usus est Prudentius.

79. Cum lacum leonum descripserit poeta, suo more sacræ litteræ inhærens, diabolum tanquam leonem repræsentat ex epist. I Petri cap. V, 8.

81. Ald., Nebr., Rat., Widm., Gold., *tunc te*. Hails., *nunc te*. Gis., Weitz., *cum te*. Parrh., *nec te*. Vat. A, Prag., Put., Thuan., Torren. duo *cur te*, quod placet Heinsio, quia ita frequenter occurrit apud Ciceronem. Horatius lib. I, ep. 8, *Irascar amicis*, *Cur me funesto properent arcere veterno*. Aldus in emendatis, *summe Deum*.

Vexamur, premimur, malis rotamur;
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt;
Juncta est suppliciis fides iniquis.
Nec defit tamen anxiis medela :
Nam languente trucis leonis ira,
Illapsæ superingeruntur escæ.
Quas si quis sitienter hauriendo
Non gustu tenui, sed ore pleno,
Internis velit implicare venis;
Hic sancto satiatus ex propheta,
Justorum capiet cibos virorum,
Qui fructum domino metunt perenni.
282 Nil est dulcius, ac magis saporum,
Nil, quod plus hominem juvare possit,
Quam vatis pia præcinentis orsa.
Ilis sumptis, licet insolens potestas
Pravum judicet, irrogetque mortem;
Impasti licet irruant leones.
Nos semper dominum Patrem fatentes
In te, Christe Deus, loquemur unum,
Constanterque tuam crucem feremus.

V. HYMNUS DE NOVO LUMINE PASCHALIS SABBATI.

Inventor rutili, dux bone, luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
283 Merso sole, chaos ingruit horridum
Lumen redde tuis, Christe fidelibus.

GLOSSÆ VETERES.

82. Rotamur, *volvimur*, I.
87. Super, *desuper*, I.
95. Juvare, *delectare*, Vat. A.
96. Quam, *prophetiæ et scripta divina*, I. — Orsa, *dicta*, I, Vat. A.
97. Insolens, *superba*, I.
98. Pravum, *prave.* — Irroget, *inferat*, Vat. A.
3. Chaos, *confusio noctis, profunditas tenebrarum*, I.

COMMENTARIUS.

82. Placet interpunctio Aldi, *premimur malis*, alii *premimur*, *malis rotamur*. Alex. cum Aldo facit. Sed Vatt. I, O, P cum aliis. Simile est illud apud S. Augustinum cap. 26 Enchiridii : *Jacebat in malis*, *vel etiam volvebatur, et de malis in mala præcipitabatur totius humani generis massa damnata*. Itaque præfero *malis rotamur.*

84. Nebrissa ita exponit: *fides sit*, *vel erit adhibita*. Gisel. videtur intellexisse, *crevit fides suppliciis*. Chamillardus, *fides objecta est suppliciis iniquis*. Id magis probo.

85. *Defit* pro *deficit*, vel *deest*. Lucretius, Virgilius et alii.

86. Put., Thuan., Vat. A, *truci ira*. Alii *trucis leonis ira*. Parrh., *nam languens trucis a leonis ira*.

87. In Rat. a prima manu, *desuper*, quod metro repugnat. Parrh., *super his geruntur*. Retine *superingeruntur*.

88. In Vat. A, *hariendo* mendum est pro *hauriendo*. Poeta, ad nos Danielis historiam transferens, ait cibum cœlestem non leviter gustandum, sed pleno ore.

91. In Rat., *hinc* pro *hic*, sed abrasum est *n*. Cave a mendo, quod nonnullas editiones occupavit, *sociatus* pro *satiatus*. Nempe satiatus escis, quas propheta Habacuc, sive alius affert. Inhæret enim poeta eidem historiæ, et per messores, quibus Habacuc cibum apparaverat, intelligit justos viros, quales sunt apostoli, aliique operarii, quos in *messem suam* Dominus mittit.

94. *Saporus* idem quod *sapidus*, ut loquitur Apicius de Arte culinæ.

96. Parrhasii scriptura mirum quantum a communi lectione discrepat, *Quam natum recinentis orsa verum*. Hoc etiam ex eadem historia petitum, nam Habacuc Danieli præcinuit.

101. Conjiciebam *Deum loquemur*. Ita edidit Parrhasius, sed *loquamur*, et vers. seq. *feramus*. Hac lectione admissa, unitas divinæ naturæ in Patre et Filio eleganter exprimitur. Vide correctionem Aldi ad vers. 81.

De novo, etc. Hunc titulum et hymnum fere totum fuse explanavimus cap. 12 et cap. 18 prolegom. Nunc addam, de miraculo luminis nuncupati S. sepulcri multo accuratius, quam P. Liberium a Jesu, egisse doctissimum virum P. Mamachium tom. II, Antiq. Christ. cap. 1, pag. 65, ubi contra Moshemium veritatem ejus miraculi tuetur. Drepanii versum in hymno *De cereo paschali* edidi, ut in quibusdam edd. reperi, *Hunc ut per totam possimus ducere noctem*. Sed in poetis Christianis Fabricii inveni aliam lectionem quæ verior est, *Hunc ut per totam possimus dicere noctem*. Brissonius in lib. de Spectac., pag. 351, fuse agit de pervigilio sabbati paschalis, et hunc hymnum inscribit : *De luminibus sabbati paschalis*. In Hymnario card. Thomasii pars hujus hymni bis inseritur, primum hoc titulo : *Ad accensionem cerei paschalis*, tum hoc altero : *Ad incensum lucernæ*.

1. Giselinus uberius solito hunc hymnum illustrat, et ex Georgio Cassandro statuit eum pertinere ad consuetudinem ejus ætatis, qua sabbato paschali, inclinante in vesperam die, ante solemnem baptismi celebrationem cereus a diacono consecrari solebat, et novo igne, qui aut ex silice percusso, aut crystallo soli objecta eliciebatur, accendi. Ex quo cerei neophytorum (quos nempe illi manibus ferebant) accendebantur. Ille ipse cereus per septem consequentes dies, qui neophytorum dicebantur, vespertino tempore ad sacrum neophytis progredientibus præferebatur. Sed vereor, ne tota hæc ratio consecrandi cereum paschalem cum cæteris adjunctis posterior sit ætate Prudentii. Gaspar Barthius nonnullam etiam operam huic hymno exponendo navavit lib. IX, cap. 20 Adversar., ex scheda ms. membranacea : *Quam*, inquit, *gavisus illico cum auctore*, *quem omnium carissimum habeo*, *contuli : integer est in ea hymnus* 5 *in cereum paschalem*. Quamvis autem censeamus, hunc hymnum non esse quotidianum, eum tamen hoc loco reponimus, quia ea certe hora canebatur, videlicet post cibum et ante somnum. In Breviario Mozarabico ejus quædam strophæ leguntur *in primo dominico post octavam Epiphaniæ ad vesperas :* videlicet prima, septima, trigesima quinta, trigesima octava, et tres sequentes. Ex eo varias lectiones indicabo. Circa adnotationes Nebrissensis in hunc et duos sequentes hymnos nonnihil animadverti in proleg. num. 106 contra Weitzium. Exordium ex re ipsa petitur. Deus *inventor luminis*, ut supra hym. 4, vers. 9, *repertor orbis*. Claudianus sive potius Merobaudes, in Elogio Christi, *lucisque repertor Ante tuæ, matrisque parens*. Barthius lib. I Advers., cap. 7, mallet legi *lucisque repertor*, *Nate*, *tuæ matrisque parens*. Poteris etiam ita distinguere verba *lucisque repertor*, *Ante tuæ matrisque parens*. Brev. Moz., male *rutilis*.

4. Ita hunc versum legit Theodulfus Aurelianensis in lib. de Spiritu sancto. Ita etiam legunt Barthius in sua scheda membranacea, Vatt. A, P, Hymnarium Thomasii, cum primum hunc hymnum exscribit Giselinus ad oram edit. 2. Alii aliter; Ald., Rat., Prag., Gis. in textu edit. 2, Heinsius cum suis codd., Vatt. I, O, Weitzius, *Lucem redde tuis*, *Christe fide-*

Quamvis innumero sidere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstra saxigeno semine quærere.
284 Ne nesciret homo, spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis unde genus venit.
Pinguis quos olei rore madentibus
A
Lychnis, aut facibus pascimus aridis:
285 Quin et fila favis scirpea floreis
Presso melle prius collita fingimus.
Vivax flamma viget, seu cava testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.
Nectar de liquido vertice fervidum
Guttatim lacrymis stillat olentibus:

GLOSSÆ VETERES.

5. Regiam, *tuam*, I. *Palatium. Ovid. Regia solis erat; Regia etiam janua dicitur*, Vat. A.

9. Ne nesciret, *ut sciret bene*, Iso.

13. Quos, *ignes*, Iso.

14. Lychnis, *lucernis*. — Facibus, *fax dicitur a comedendo*, fago *Græce comedere, nam facula, i. e. cortex arboris materiem præstat igni comedendi.*

15. Scirpea, *quia de flore favi efficiuntur*, I.

18. Linteolo, *filis ex cannabe vel lino*. — Suggerit, *præbet, subdit, ministrat*. — Ebrio, *madido de sagina vel oleo*, Vat. A.

20. Seu ceram *fontem cerei vel candelæ* Vat. A.

22. Alentibus, *crescentibus*, I.

B

COMMENTARIUS.

libus. Bong., Gis. in textu 1 edit., Thomas. Hymn. loco secundo, Brev. Moz., *Lucem, Christe, tuis redde fidelibus*, quod etiam tenuit Fabricius. Giselinus vero ad marginem 1 edit., *Lumen, Christe, tuis redde fidelibus*. De hoc vocabulo *fidelibus* pro Christiano inter se contendunt Christophorus Cellarius, et uterque Borrichius Olaus, et Andreas. Profanos antiquos illud adhibuisse eo sensu hi aiunt contra Cellarium, qui reponit, addendum esse *Christo* fideles. Nobis satis est, hanc notionem esse ecclesiasticam.

7. Vat. A male *Incussa*.

8. Rat., *Monstrans*, sed abrasum est *n*, quod vere abundat. Post hunc versum Aldus, Sichardus et Fabricius immittunt hos quatuor: *Hoc signas opere, conditor inclyte, Lumen veridicum mentibus omnium In Christo domino quærere jugiter, Quem petram loquitur doctor egregius.* Absunt a membranis nostris et aliorum. Barthius ait eos esse numeris verbisque obscuros, solœcis spurcos, meritoque a Giselino rejectos. Huic potius assentiaris quam Gallandio, qui dubitat, utri versus in textum sint admittendi, cum utrique Prudentio non indigni ei videantur, aut Teolio, qui fieri potuisse putat, ut Prudentius in prima operis editione versus ejectos scripserit, ac postea emendaverit. Nunquam credam, Prudentium duos dactylos fecisse ex *doctor egregius*. Rupertus in lib. v de divinis Officiis, cap. 34, eos versus non agnovit: *Prudentius*, inquit, *in hymno qui cantatur in sabbato sancto, cum dixisset, Lumina nos tamen Monstras saxigeno semine quærere, ut ostenderet fieri hoc ad commemorandum illud quod de lapide Christo procedit nobis ignis sancti Spiritus*, PROTINUS *adjunxit*, *Ne nesciret homo*, etc. In Ordine Romano, libro valde antiquo, versus illi spurii pariter omittuntur: et fortasse Rupertus ex eo versus alios protulit; inscribit autem caput illud, *De novo igne*.

11. Christus *petra stabilis* ex I Cor. cap. x, 4: *Petra autem erat Christus*.

12. In cod. antiquissimo Barthii, *Nostris igniculis unde penus venit. Elegantissima*, ait Barthius, *lectio. Quam recipiendam contenderim quovis pignore. Perscite enim inexhausta illa semina flammarum, quæ petra suppeditat, penum in ea ignium esse, atque scintillarum arguant: nil potuit magis poeticum, magisque venustum excogitari.* Nihil muto: nam et *genus* eleganter est dictum, et nostri omnes, et aliorum codices *genus* habent.

13. Gis. ed. 1, *Pingui* pro *pinguis*. Cod. Alex. mendose, *quoque* pro *quos*. De æneis lucernis fictilibusque Christianorum vide Bosium, Aringhum, Severanum, Fortunium Lycetum, Casalium et alios. S. Paulinus Natali 7 fuse describit lucernam vitream, cujus versus ad Prudentii explicationem aptissimi sunt: *Cominus in medio*, etc. Ex multis veterum Christianorum lucernis, quas in scriptoribus antiquitatum Christianarum observare licet, unam selegi æri incidendam, quæ ad multa alia explicanda utilis esse potest. Exhibita ea est a Dominico Georgio in dissertatione de Monogrammate Christi Domini, Romæ, 1738, pag. 11. Exstabat Pisauri in Musco Jo. Bapt. Passerii, et a Georgio dicitur insigne sacræ antiquitatis monumentum, ac auro pretiosius, quo Eusebii historia de visione Constantini adamussim exprimitur, et contra novatores defenditur. De aliis lucernis consule Victorium in Historia SS. septem dormientium, pag. 54, et Petrum Sanctem Bartolum, *le antiche Lucerne sepolcrali figurate*.

14. Glossæ repugnant alii, qui a φάος, *lumen, lux* melius *fax* deducunt. Vat. A, Egm., Hails., Widm., a secunda manu *ac* pro *aut*, quod non displicet. Pro hac lectione *ac*, Gallandius allegat Hymn. Thom., et Teolius duos Vatt.

15. Ex festo scirpus est id quod in palustribus C locis nascitur, leve et procerum, unde et tegetes fiunt. Olim sirpus dicebatur.

20. Non satis intelligo an *fontem*, an aliud glossa dicat. Rat., *bibat*, male.

21. *Notanda est*, ait Barthius, *ratio a nostri ævi* (sic) *diversa conficiendorum lychnorum, neque eam tam vive vereque ullo alio antiquitatis loco inveniri arbitror. Elegans hæc confectio fuit. Ut ignis superpendentem ceram aut oleum calfaciendum reddat liquidum, quod guttatim per fabre appositum foramen angustiæ convenientis distillans alat flammam eam, quæ ipsa ita sibi pabulum calore quærat. Possit nullo labore quis lucernam talem conficere quavis materia, et notanda veterum ingeniositas in compendio laboris perpetui, quem in affundendo stillatim liquore citra hoc artificium erant habituri.* Gronovius, Observat eccles. cap. 5, *admirabile et imaginosum Barthii commentum* irridet, neque Prudentium aliud canere ait, quam quod videmus quotidie in cereis aut sebaceis nostris. In Barthii ms. erat *vortice*, tanquam stagnum aliquod im- D pendentis humoris significaretur. Transpositi quoque erant priores duo versus, scilicet, *Ambustum quoniam vis facit ignea Imbrem de madido flere cacumine, Nectar de liquido vortice fervidum Guttatim lacrymis stillat olentibus*.

22. *Alentibus* Ald., Palat., Gis., Iso., Urb., Vatt., O, P: longe melius est *olentibus*, olet enim cera, et hoc epitheton cereis nonnunquam tribuitur. Prudentius hymno 3, vers. 62: *Nectare sudat olente favus*. Ac notandum, utrobique nectar dici ex Virgilio Æneid. 1: *et dulci distendunt nectare cellas*. Giselinus et cum eo Chamillardus volunt per synecdochen ex uno distillante liquore ceræ reliquos intelligi ex oleo et pinu. Sed non est necesse ut in hac stropha de aliis sermo sit præter cereum. Barthius de cera et oleo explicat, et odores additos ab antiquis docet, ut jucundior usus foret. Inde ortam existimo consuetudinem thuris

Ambustum quoniam vis facit ignea
286 Imbrem de madido flere cacumine.
Splendent ergo tuis muneribus, Pater
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentemque diem lux agit æmula,
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.
Sed quis non rapidi luminis arduam,
Manantemque Deo cernat originem?
Moses nempe Deum spinifera in rubo
Vidit conspicuo lumine flammeum.
287 Felix, qui meruit sentibus in sacris
Cœlestis solii visere principem,
Jussus nexa pedum vincula solvere,
Ne sanctum involucris pollueret locum.
Hunc ignem populus sanguinis inclyti
Majorum meritis tutus, et impotens,
Suetus sub dominis vivere barbaris,
Jam liber sequitur longa per avia.
Qua gressum tulerant, castraque cærulæ
Noctis per medium concita moverant,
Plebem pervigilem fulgure prævio
Ducebat radius sole micantior.
Sed rex Niliaci littoris, invido
Fervens felle, jubet prævalidam manum
In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratasque acies clangere classicum.
Sumunt arma viri, seque minacibus
288 Accingunt gladiis: triste canit tuba.
Hic fidit jaculis, ille volantia
Præfigit calamis spicula Gnossiis.

GLOSSÆ VETERES.

24. Flere, *fluere*, I. *Guttatim defluere*, Vat. A.
27. Agit, *persequitur*. Æmula, *imitatrix*, I.
28. Peplo, *veste*, *id est tenebris*, Vat. A.
36. Involucris, *calceamentis a volvendo*, I. *Hoc volucrum, et hæc volucra dicuntur, quo aliquid involvi potest*, Vat. A.
37. Sanguinis, *generis*, I.
38. Tutus, *protectus*, Vat. A. — Impotens, *valde potens*, I, Vat. A.
44. Radius, *nubes, vel columna nubis*, Vat. A. — Micantior, *clarior*, I.
45. Niliaci littoris, *Ægypti*, I
48. Classicum, *tubam bellicam*, I.
52. Gnossiis, *Creticis. Gnossium est oppidum in Creta insula.*

COMMENTARIUS.

paschali cereo infixi. S. Paulinus Nat. 3 lychnos, et cereos memorans odorem cereis attribuit, *Lumina ceratis adolentur odora papyris*. Prudentius *lacrymas* ait, ut mox *flere*.

23. Gifanius in Ind. Lucret., verbo FLERE, legit *Ambusti quoniam vis facit ignea, Nubem de madido flere cacumine*. Cæteri omnes *ambustum . . . imbrem*, excepto Hails., ubi *arbustum*, quod probare visus est Rittershusius.

24. Vide Gifan. loc. cit. de hoc verbo *flere* pro *stillare, rorare*, ubi, ut dixi, legit *nubem* pro *imbrem*.

26. Nostri *mobilibus*, ut infra vers. 141: *Pendent mobilibus lumina funibus*. Ita etiam Ald., Gis., Weitz. Alii *nobilibus*, ut Put., Thuan., Hails., Palat., Bong. sup., Rottendorphius, quem codicem, uti et Nomsianum posthac Heinsius adhibuit. In Brev. Moz. corrupte legitur hic versus: *Splendent perspicuo lumine ardua*.

27. Videtur imitatus Juvencum, lib. II, *furvamque super nox æmula pallam Sidereis pictam flammis per inane trahebat*. Eleganter quidem, ait Barthius, et non pauca in eo poeta (Juvenco), *quæ pressisse ingenium in gratiam materiæ arguunt*. Juvencum, nobilissimum presbyterum Hispanum, primum fuisse alicujus nominis poetam, qui musas inter Christianos ad argumentum sacrum revocaverit, quem deinde secutus Prudentius maximam laudem obtinuerit, advertit cl. Joannes Andreas in laudatissimo opere, quo omnis litteraturæ historiam eleganter non minus quam erudite illustrat. Vide ejus volumen I, pag. 92. Sane sicut Prudentio poeseos Christianæ principatum omnes concedunt, ita secundum locum nemo Juvenco negabit. Claudianus Mamercus lib. I, cap. 3, de Statu animæ hos versus laudat atque aliter legit: *Quia sicut nox immissu luminis rumpitur, ita lux tenebris vulneratur. Unde jucundissime Asclepiadeo lusit poeta notissimus, dicens: Absentemque diem nox agit æmula, Quam lux cum lacero victa fugit peplo*. Antea legebatur: *Asclepiades lusit poeta notissimus;* sed Schottus restituit *Asclepiadeo*. Amicus quidam Schotti conjiciebat, *Quam mox cum lacero victa fugit peplo*.

28. Glossa schedæ Barthii ridicula: *peplo, lacerato linteo, ex quo lychnus efficitur*. Melius Siberus observat, peplum vestem esse muliebrem. Ennodius hymno 10 Vespertino, *Nigrante noctem pallio*. In carmine de Resurrectione Domini inter opera Lactantii: *Æternæ noctis pallia crassa cadunt*. Dicitur autem nox fugere, quia *funalia*, ut ait Virgilius, *noctem vincunt*. In Hymnario V Thomasii loco hujus versus erat alius abnormis: *Noctem illuminans fulgure prævio*. Idem in Brev. Moz., sed *fulgore* pro *fulgure*.

29. Post hypotyposin *elegantissimis ornatam translationibus*, ut ait Adamus Siberus, Prudentius, sibi similis, ad S. Scripturæ historiam enarrandam progreditur, pervigilii paschalis maxime propriam, de igne, in rubo Moysi manifestato, et de columna ignea, quæ Israelitas, ex Ægypto fugientes, noctu præcedebat. Vide Exod. cap. III, XIII et XIV.

31. Pro *spinifera* habent *spinifero* Bong. et tres Vatt. apud Teol., et nonnulli vulg. Cæteri *spinifera*. Ex hoc loco secundum exemplar Vaticanum vetustius adhibuit Mariettus, quod I Vat. B nominamus.

35. In ed. Basil. ad oram, *hostis* pro *jussus* nescio quid sibi velit. Prag. in marg., *noxa* pro *nexa*, male. Benedictus Balduinus de Calceo antiquo cap. 11 probat, *vincula* apud poetas pro quovis calceo usurpari, sed præcipue pro *soleis*.

36. De quantitate hujus vocis *involucris* in proleg. egi. Vat. B pro *ne* habet *nec*, minus bene. Ms. Barthii, *maculis* pro *involucris*, inepte. Alii, *involuclis*. S. Bernardus explicans locum Moysis, voce *involucrorum* usus etiam est. Teolius in carmine S. Prosperi de Ingratis, corripi penultimam in *involucris* ait, quod ego non inveni, quamvis relegerim illud carmen.

38. Præpositio *in* auget in *impotens*, ut in aliis dictum est ad vers. 77 hymni 4. Barthius contendit legendum *tutus, at impotens*, pro *et*, et explicat *tutus*, at *timidus*. Quæ non est mala conjectura.

39. Gallandius recte refellit Heumannum, qui in Poecil. tom. II, pag. 364, legendum censet *et impotens Nutu sub domini vivere barbari*.

46. Rat., Bong., minus bene, *prævalida manu*.

49. Ms. Barthii, *seque micantibus*.

51. Vat. B mendose, *fudit*.

52. Gnossus est oppidum in Creta insula. Gold. *Gnoseis*, alii *Cnosiis*, alii *Gnossiis* scribunt. Spicula Gnossia a poetis celebrantur. Horat. lib. I, oda 16: *Nequidquam calami spicula Gnossii Vitabis*. Virgil. lib. V Æn.: *Gnossia bina dabo lævato lucida ferro Spicula*.

Densetur cuneis turba pedestribus, A
Currus pars, et equos, et volucres rotas
Conscendunt celeres, signaque bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.
Hinc jam servitii nescia pristini
Gens Pelusiacis usta vaporibus,
Tandem purpurei gurgitis hospita
Rubris littoribus fessa resederat.
289 Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert et validis prælia viribus.
Moses porro suos in mare præcipit
Constans intrepidis tendere gressibus.
Præbent rupta locum stagna viantibus
Riparum in faciem pervia, sistitur
Circumstans vitreis unda liquoribus,
Dum plebs sub bifido permeat æquore. B
Pubes quin etiam decolor asperis
Irritata odiis, rege sub impio,
Hebræum sitiens fundere sanguinem,
Audet se pelago credere concavo.
Ibant præcipiti turbine percita
Fluctus per medios agmina regia :
Sed confusa dehinc unda revolvitur
In semet revolans gurgite confluo.
Currus tunc, et equos, telaque naufraga,
290 Ipsos et proceres, et vaga corpora
Nigrorum videas nare satellitum,
Arcis justitium triste tyrannicæ.
Quæ tandem poterit lingua retexere
Laudes, Christe, tuas : qui domitam Pharon
Plagis multimodis cedere præsuli

GLOSSÆ VETERES.

53. Cuneis, *cuneus est collecta in unum multitudo militum; unde cuneus quasi coneus, a con, et eo*, I.

58. Pelusiacis, *Ægyptiis; Ægypti civitas*, I.

60. Rubris, *sic mare Rubrum dicitur, non quod rubrum sit per se, aqua enim per se colorem non habet; sed quia rubra habet littora : aqua autem ex rebus circumpositis, et cælo colorem trahit*. Vat. A.

62. Prælia, *ab imprimendo hostes; unde et præligna, quibus premitur uva*, I.

66. In faciem, *instar*, Vat. A.

69. Pubes, *juventus Ægyptiaca*. — Decolor, *nigra ob calorem solis*, Vat. A.

77. Naufraga, *mersa*, I.

79. Videas, *videre poteras*, Vat. A.

80. Arcis, *potestatis*, Vat. A. — Justitium triste, *luctus publicus; justitium est, ubi justitia stat, et justitium publicus luctus est, qui in arce cunctis, et ubique est*, I. *Justitium proprie est juris statio, sicut solstitium solis statio; ponitur autem pro luctu, luctus enim esse potest, cum justitia relinquitur*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

53. Legendum est *densetur* a *denseo, es*, quod verbum aliis etiam in locis est restituendum. Ita Heinsius cum suis codd. ex nostris Vatt. A, B, I, O, P, Alex., Prag. et Rat., in quo ex *e* factum est *a* ab inepto correptore. *Densatur* legunt Ald., Cham., Gis. in 1 edit., quod exstat in Urbinate. Gifanius in Ind. Lucret., verbo *Densere*, notat, in quibusdam Virgilii C locis mendose legi *densare* pro *densere*. Eodem verbo *densere* utitur Horatius, Ovidius, et sæpe Lucretius. Codices omnes habent *turba* in hoc Prudentii versu. Gronovius *turma* reposuit ex conjectura, quæ Heinsio placebat. Sed repugnantibus omnibus codd. nihil ausim mutare. Quid enim si Prudentius consulto *turba* posuit ad turbationem populi, ac tumultuarium exercitum significandum?

54. Idem Gronovius, Observ. eccles. cap. 5, conjicit, *Currus pars et equis et volucres rotis Conscendunt celeres*, nimirum conscendunt currus *et equis, et rotis volucres*, quod pariter Heinsio arrisit. Retinenda est vetus lectio, quæ elegantia poetica non caret, et trepidationem Ægyptiorum exprimit. Heinsius nihil mutavit, Cellarius conjecturas Gronovii amplexus est.

56. *Dracones*, qui post Trajani tempora a Romanis in bellicis signis adhibiti sunt, poeta ad Ægyptios transfert, *tropo sibi familiari*, ait Giselinus. Scilicet D *dracones* ponit pro vexilli insignibus. De hoc draconum usu vide hymnum 1 Peristeph., vers. 35.

57. Nostri *hinc*, nisi quod in Rat. videtur esse *hic*. Bong., Ald., Gis., *hinc*. Sed Heinsius cum suis potioribus, et Weitz., *hic*. Rottendorp. pro diversa scriptura *libera* loco *nescia*, fortasse ex glossa.

59. Vat. B., *purpurea*, male.

60. Græce mare hoc dicitur Erythræum. Nonnulli Rubrum dictum putant a rubente arena, Agatharcides apud Photium a rege Erythra; hunc regem fuisse Esau *Rufum* a rubente pilo nominatum, alii dicunt.

62. In glossa corrigo *prela ligna*.

63. Heinsius monet, suos potiores codd. habere *suos præcipit*; ignoro, quis aliud legerit. Notanda est proprietas adverbii *porro*, quod innuit tractum ulteriorem ad extrema; hinc *porricio* verbum ex augurum disciplina, *Porro tendere in mare* est longe, et procul progredi in mare.

65. Damascenus et Cosmas hymnos plures ab hoc mirabili facto inchoant. *Viandi* verbo usus est S. Damasus in S. Felice, Juvencus et alii.

66. Vat. B, *pervias*, mendose, pro *pervia*.

67. Hunc Israelitici populi triumphum olim in sabbato paschali cantatum in Ecclesia fuisse ex Ordine veteri Romano aliisque monumentis constat, idque confirmat Avitus lib. v in fine : *Inclytus egregium solemni carmine ductor Describit, toto quod psallitur orbe tropæum, Cum purgata sacris deletur culpa lavacris*.

68. Hic quoque Heinsius monet, in Rot. legi *dum permeat*, quod in omnibus legitur

76. In Vat. A et Prag. a secunda manu *refluo* pro *confluo*. Ex Weitzianis Egm., Pal. et Hailsb. a prima manu, ut videtur, *refluo* : pro quo Teolius citat duos Vatt.

79. Rat. supra *nare* addit *in*, ut sit *innare*, quod habet Vat. A. Repugnat metrum.

80. Aldus addit *ut*, nempe *justitium ut triste*, quod vere superfluum est. In membranis Barthii ineptissime *inscitium* pro *justitium*. Barthius multus est in hoc loco illustrando : ac fere cum glossis consonat. *Arcem* ait esse aulam, sive, ut hodie barbarissamus statum regium, *justitium* vindictam, sive eversionem luctuosam. Lucanus lib. II, *ferale per Urbem Justitium*. Hæc denique est summa, quod veteribus *justitium* luctus publicus erat.

81. Hunc locum expressit anonymus auctor hymni martyrum ad vesp. sæculo IX. Vide Hincmarum, de non trina Deitate.

82. Bong., Gis. 1 ed., *domitum Pharon*. Vat. B, *domitam Pharaon*. Rat., Gold., Widm., *domitum Pharaon*. Heinsius cum suis codd., Gifanio, et Cauchio *domitam Pharon*; ita etiam Ald., Gis. 2 ed., Prag., Vat. A, Egm., Palat. Fabr., Hailsb., Weitz., qui scribit *Faron*. Poeta *Pharon* insulam Alexandriæ proximam pro Ægypto posuit. Lucanus lib. x : *Tunc claustrum pelagi cepit Pharon : Insula quondam in medio stetit alta mari*, etc. In eadem insula fuit turris præalta, unde accensæ noctu faces cursum navigantium regebant, quæ *pharos* quoque dicta est.

83. Fabr., Gis., *præsidi;* alii, *præsuli*. Hic est

Cogis justitiæ, vindice dextera?
Qui pontum rapidis æstibus invium
Persultare vetas, ut refluo in salo
Securus pateat, te duce, transitus,
Et mox unda rapax ut voret impios.
291 Cui jejuna eremi saxa loquacibus
Exundant scatebris, et latices novos
Fundit scissa silex: quæ sitientibus
Dat potum populis axe sub igneo.
Instar fellis aqua tristifico in lacu
Fit ligni venia mel velut Atticum.
Lignum est, sapiunt aspera dulcius;
Nam præfixa cruci spes hominum viget.
Implet castra cibus tunc quoque ninguidus,
Illabens gelida grandine densius.
His mensas epulis, hac dape construunt,
A Quam dat sidereo Christus ab æthere.
Necnon imbrifero ventus anhelitu
Crassa nube leves invehit alites,
292 Quæ difflata in humum cum semel agmina
Fluxerunt, reduci non revolant fuga.
Hæc olim patribus præmia contulit
Insignis pietas numinis unici:
Cujus subsidio nos quoque vescimur,
Pascentes dapibus pectora mysticis.
Fessos ille vocat per freta sæculi,
Discissis populum turbinibus regens,
Jactatasque animas mille laboribus
Justorum in patriam scandere præcipit.
Illic purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus, calthaque pinguia

GLOSSÆ VETERES.

92. Axe, *sole*, I. *Sub perusta plaga, i. e. per Arabiam*, Vat. A.
94. Ligni, *crucis*. — Venia, *beneficio*, Vat. A. — Atticum, *quod invenitur dulcius omni melle*, I.
97. Ninguidus, *niveus*, I.
102. Alites, *coturnices*, Vat. A.

B 106. Numinis, *Filii Dei*, Vat. A.
109. Freta, *tempestates*, I.
113. Rosariis, *rosis*, *rosarium*, *et roselum idem sunt, i. e. locus in quo rosæ nascuntur*, I.
114. Calthaque, *pretiosa pigmenta*, *caltha virgultum in Ægypto, unde balsamum fluit.* — Pinguia, *herbæ*, I.

COMMENTARIUS

Moyses, præsul justitiæ. Giselinus vult, *dextera justitiæ vindice* intelligi, non *præsuli justitiæ:* hoc mihi magis placet, ut hymno 11, vers. 115, *Quem, te furoris præsule*.

85. Vat. A, *pontum rabidis*. Heinsius cum suis (nihil enim notat), Ald., Rat., Gis., Weitz., *pontum rapidis*. Scheda Barthii *rabidis*.

86. Prag., Gis. ed. 2, *persulcare*, Ald., Vat. B, Prag., Weitz., Vat. O, *persultare*, quod videtur voluisse Vat. A, ubi est *persultetre*. Barthii scheda pro *salo* habet *sale*, quod Virgilius adhibuit.

88. Pal., Ald., Weitz., *devoret*. Nostri et Heinsiani, *ut voret*. Gis. ad marg., *devoret*. Ita duo Vatt. apud Teol.

89. Ald., Gis. in textu 1 edit., *viæ* pro *eremi*. Id ideo factum, quia *eremi* habet *e* secundum longum. Sed notanda est consuetudo poetæ, et ejus temporis, ut uberius in prolegomenis explicui. Teolius ait, *Secundam in* EREMI *corripuit, alias producit*, et allegat vers. 39 præfat. At jam eo loco monui, secundam in *hereses* corripi, non produci; quod putabam per calami lapsum a Teolio dictum. *Eremus* vox ecclesiastica est apud Hieronymum, et æquales. In Heinsio mendum arbitror, quod ait, frequenter corripi primam in *eremus* a scriptoribus ecclesiasticis. Non dubito quin homo prosodiæ peritus secundam dicere voluerit: nam prima certo est brevis. Gis. in textu 1 edit. et Fabr., *madentibus* pro *loquacibus*.

93. *Tristificus* pro *amaro* hic, et tetrast. 13 Dittochæi: *Tristificos latices stagnanti felle tenebat*. Vide alia ibidem. Nebrissa *tristes lupinos*, *et tristes succos* eadem significatione in Virg. notavit. Inde Apoth. vers. 344, *Unguine amaro contristare comas*.

94. Becmanus, de Orig. ling. Lat., verbo VENIO: *Venia quæ optanti venit, aut per quam venire licet. Plane ex origine utitur Prudentius, Fit ligni venia, id est, interventu vel accessione, dum lignum advenit*. Barthius, lib. VIII Adv., cap. 20, interpretatur, *ligni ope*, *medicina*, *correctione*, *auxilio*. Recte Prudentius autumat, eo ligno crucem significari. Locus exstat cap. XV Exodi. Mel. Atticum, ut supra Cecropium hymno 3, vers. 71.

97. Gis. 1 ed., *cibus pinguidus*. Correxit *ninguidus*.

99. Hailsb., *ac* pro *hac*, minus bene.

101. Barthius observat, ventorum flatus *animas* dici ex Arnobio lib. I: *Nunquid exspiraverunt animas suas venti?* Addit, Prudentium hoc versu *anhelitum* pro *animabus* posuisse. Intelligit *animas venti:* sed cur non dicit potius, Prudentium anhelitum pro flatu posuisse, ut Arnobius *animas* pro *flatibus?*

103. Ald., Vatt. A, a prima manu, O, P, Weit., Widm., Hails., Pal. et alii, *conflata*, quod ex suo ms. amplectitur. Barthius, exponens, ventum eas aves compactas conglobatim terræ illisisse. Vat. B, Rat., Prag., Bong., Widm. supra, Gis., *difflata*. Aliqui *deflata*, quod erit veluti *disjecta* et *dissipata*. Teolius in textu Heinsii legi *conflata* affirmat, quamvis is monuerit in notis, *difflata* esse in duobus mss. vetustio-

C ribus. Giselinus vero, quem fere Heinsius sequitur, nisi cum contrarium aliquid notat, habet *difflata*, et in ipso Heinsii textu clare legitur *difflata*. Vat. A, *in unum*, quod recte correctum est supra charactere minutiori *in humum*.

104. Heinsius mallet *revolent*. At mss. non perperam, *revolant*. Barthius, *referunt*.

106. In Vat. A supra, *vel nominis* pro *numinis*, quod postremum retinendum est.

108. Ex dapibus, quibus refecti sunt Israelitæ, ad dapes mysticas, quibus Christiani in pervigilio sabbati paschalis vescebantur, poeta advolat. Vide proleg. num. 146.

109. *Sæculum* pro mundo rebusque mundanis passim ab ecclesiasticis scriptoribus adhibetur.

110. Nonnulli *discussis* pro *discissis*.

111. Gis. 1 ed. in textu, *raptatasque;* ad oram *jactatasque*. Virg. lib. I Æn. vers. 3, *terris jactatus*, *et undis*.

D 114. Gronovius in Observat. eccles. legendum ait *cultaque*, ut seges designetur, quod aliqua conjectura fulcire vult Heinsius. Videtur distinguere Iso *caltha* a *pinguibus*, quod non est necesse. Chamillardus ait, errasse poetam, quod neutro genere protulerit *caltham*, quæ apud omnes antiquos est feminini generis, flos scilicet lutei vel crocei coloris. Et hæc est ratio Gronovii cur malit *cultaque*, exemplo Virgilii X Æneid., *ubi pinguia culta*, etc. Nebrissa ex Virgilio, et Columella observarat, potius dici caltham femineo genere. Neque ego invenio, quis calthum dixerit, præter Prudentium; sed non eum damno.

293 Et molles violas, et tenues crocos
Fundit fonticulis uda fugacibus.
Illic et gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raraque cinnama
Spirant, et folium, fonte quod abdito
Prælambens fluvius portat in exitum.
Felices animæ prata per herbida
Concentu parili suave sonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
294 Calcant et pedibus lilia candidis.
Sunt et spiritibus sæpe nocentibus

A

Pœnarum celebres sub Styge feriæ
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis
Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens oceano lucifer imbuit,
Sed terris domini de cruce tristibus
Major sole novum restituens diem.
295 Marcent suppliciis tartara mitibus,
Exsultatque sui carceris otio
Umbrarum populus, liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure.

GLOSSÆ VETERES.

115. Crocos, *genus pigmenti*, I.
116. Fugacibus, *vivacibus, manantibus, vel viventibus fluentis*, I.
118. Rara, *pretiosa*, I.
119. Folium, *pigmentum optimum, genus aromatum*, I. *Folium est herba pretiosissima quæ dicitur venire de paradiso, unde fit unguentum pretiosum, de quo Juvenalis : Ad me venit meretrix foliato peruncta*, Vat. A.
120. Prælabens, *fluens*, Vat. T.

B

122. Suave, *suaviter*, Vat. A.
123. Melos, *laus, generis neutri singularis numeri*, I.
126. Styge, *Styx fluvius inferni interpretatur tristitia, luctus*. — Feriæ, *festa*, Iso.
128. Acheronticis, *sine gaudio, Phlegethon flammeus, phlox, Græce flamma*, I.
130. Imbuit, *expellit, impellit, vel illuminat*, I.
133. Mitibus, *mitefactis*, I.
135. Umbrarum, *defunctorum, aliter functorum*, I.

COMMENTARIUS.

115. Paschalis, de Coronis pag. 145, 147, 187 et 190 edit. 1610 Parisiis, hos versus memorat ac repetit. Virgilius *mollem violam* dixit, Ovidius *tenues crocos*.

116. Prag., *viventibus* in textu ex glossa; in marg. recte, *fugacibus*. *Uda* pro *unda* præfero cum Put., Thuan., Egm., Alt., Hein., Urbin., Alex., quod tenet etiam Gronovius in Observat. eccles. Eleganter, *humus, fonticulis uda, fundit violas*. Ita etiam cum Thuan. Perist. hym. 8, vers. 14, *terra uda* legendum arbitror.

118. Barthius in scheda reperit *prataque*, quasi vulgo, perque prata nascerentur cinnama. Sed si mutatio aliqua esset invehenda, melius legerem *grataque cinnama*. Sed *rara* epithethon est congruens cinnamo : Martialis, lib. IV, epig. 13 : *Tam bene rara suo misceantur cinnama nardo*.

119. In eadem scheda Barthii notatur, *spirare* ad odorem non vulgarem pertinere, et folium *spicæ* exponitur. Barthius intelligit folia, quæ varia variis unguentis indita, gustum pretiumque variabant, cum hodieque Gallorum, Belgarumque idiotismis folia sint flores nucum myristicarum. Juvenal. satyra 6, *mœchis foliata parantur*. Scholiastes, *unguenta foliis plena, vel aliis aromatibus*. Claudianus lib. I in Eutropium, *Te foliis ditent arabes, te vellere seres*. Lactantius, sive quis alius in Phœnice, *Cinnama dehinc, auramque simul spirantis amomi Congerit, et mixto balsama cum folio*. Medicorum innumera sunt loca Giselinus *folium* intelligi posse ait vel de bdellio arbore, vel de malobathro, indicis paludibus sine radice innatante.

120. Rat., Fabr. Alex., Urb., Gis. in textu *prælabens*. Ita Vat. Q. Cæteri, *prælambens*, et in Vat. I glossa, *de littore attrahens*, quod imitatus videtur Alcimus Avitus lib. I Poem. de Gange : *Motus odorifero quoties qui vertice crevit, Deciduas, pulchro quas spargunt flumina luco, Prælambens furatur opes*. Horat. lib. I, oda 21 : *vel quæ loca fabulosus Lambit Hydaspes*.

122. Put., Alex., et Rotten., *pariles* pro *parili*. Thuan., et Egm. *pariles suavisonantibus*, quod placebat Heinsio. Sic Lucretius, *suaviloquus*, *suaviloquens*, *suavidica* verba, et Prudentius, *flavicomantes*, *milliformis*, *multinodis*. Vide Indicem Lucretianum Gifanii.

124. *Calcare flores* felicitatis genus præsertim apud poetas. Martialis VIII, 77 : *Liber in æterna vivere digne rosa*. Persius similiter : *Quidquid calcaverit hic, rosa fiet*. Per translationem a lapillis, in urnam missis, quibus dies felices olim notabantur, *candidus* accipitur pro felici. Sic *pede candido*.

125. Quæstionem hinc exortam explicuimus proleg. cap. 18. Giselinus fictionem hanc esse poeticam affirmat, quamvis Æthiopes, ut auctor est Damianus Goes in Historia de illorum moribus, adhuc sentiant, animas, non quidem damnatas, sed purgandas, singulis diebus dominicis, et sabbati ab omni supplicio liberas esse. Chamillardus sane errare poetam ait, sive de damnatis, sive de purgandis animis loquatur, quamvis nonnulli ex SS. Patribus censuerint, levari aliquando pœnas damnatorum, quos inter S. Augustinus Enchiridii capite 112. Georgius Remus etiam statuit, poeticam hanc esse fictionem, neque verbo Dei niti. Georgius Fabricius id alibi non legi asseverat, et Hispanicum vidi ri commentum. Lege cap. cit. Videndum an hujuscemodi *feriæ sub Styge* ita explicari possint, ut solum levamen senserint animæ purgatorio igni addictæ, non aliæ æternum damnatæ. Olim enim inferorum nomine locum etiam ignis purgatorii comprehendebant, ubi dæmones quoque tormenta in animas purgandas exercebant. Confer S. Cæsarium Arelatensem mox laudandum ad vers. 129.

C

126. *Stygis* vera origo a στυγέω, *odi*. Hinc Virg. lib. VI, *tristique palus inamabilis unda Alligat, et novies Styx interfusa coercet*. INAMABILIS, quia odio est omnibus.

129. Vat. B dividit *Non sicut*. Lucretius usus quoque est voce *fulgidus*, quam nonnulli ad ævum cadentis Latinitatis rejiciunt. Cicero ait *fulgens*. S. Cæsarius Arelatensis videtur imitatus hunc locum in homilia 3 de Paschate : *Deus iste amplius ex sepulcro radiavit, quam de sole refulsit... Confestim igitur æterna nox inferorum Christo descendente resplenduit. Siluit stridor lugentium ille, soluta sunt onera catenarum, dirupta ceciderunt vincula damnatorum. Attonitæ mentis obstupuere tortores. Omnis simul impia officina contremuit, cum Christum repente in suis sedibus vidit*.

D

130. Non occurrit exemplum simile, *imbuere tenebras* pro *discutere, fugare, expellere*. Melior glossa *illuminat*.

135. Videtur Iso agnovisse hanc aliam lectionem, *functorum* pro *umbrarum*. Thuan., Rot., Alt., Noms., Sich., duo Torrent., Boher., Egm. in textu, Pal., Hailsbr. a prima manu, *functorum*. Aldus, Gis., Weitz., Rat., Vat. B, *umbrarum*. In Vat. A, *functorum*, supra charactere minutiori *umbrarum*. Putean. quoque et Egm. in margine *umbrarum*, quod præfero cum vetustissimis, et quia *functorum* videtur glossa, aut ex correctione inepti exscriptoris Prudentius hoc loco libere utitur verbis poetarum gentilium, ut alii veteres poetæ Christiani.

Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque prospera
Certatim vigili congerimus prece,
Exstructoque agimus liba sacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
296 Lucem perspicuo flamma jacit vitro.
Credas, stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare trionibus,

A

Et qua Bosphoreum temo regit jugum,
Passim purpureos spargier Hesperos.
O res digna, Pater, quam tibi roscidæ
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretiosius,
Lucem, qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
297 Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen, quod famulans offero, suscipe,

GLOSSÆ VETERES.

140. Agimus liba, *sacrificamus sacrificia*, I. — Sacrario, *sacrificio*, Vat. A.

141. Mobilibus, *laxabilibus*, *mollibus*, I.

142. Laquearia, *quæ cameram subtegunt et ornant, quæ et lacunaria dicimus; principaliter autem lacus dicitur, cujus diminutio lacunar facit. Inde fit alia diminutio, quæ per antisticon laquearia facit.* Iso.

143. Fota, *nutrita*. — Natatibus, *natatus dicitur olei, in quo papyrus natat*, Vat. A.

145. Desuper, *in templo*, Vat. A. — Aream, *planitiem*, I. *Planitiem, id est tabulatum templi*, Vat. A.

B

146. Geminis, *sic lucent luminaria in laquearibus dependentia, ut putes, esse geminos triones, id est duas ursas, helicem et cynosuram, quæ prælucidas habent stellas*, Vat. A. — Trionibus, *plaustris*, I.

147. Bosphoreum, *Luciferum vel Bootem : dicimus Bosphoreum, vel Phosforeum, id est igniferum phos enim ignis dicitur*, I.

148. Hesperos, *stellas*, I.

149. O res, *scil. est*, I.

COMMENTARIUS.

139. In Hymn. Thomas. et in Brev. Moz. pro hoc et sequenti versu immittuntur alii, *Concentu parili suave sonantibus Hymnorum modulis ora resolvimus.* In Brev. Moz. legitur *suavisonantibus.* Poeta ait, vota *congeri* ad indicandam vim orationis, quæ a multis, in unum congregatis, fieri solet. Tertullianus, Apolog. cap. 39, *Corpus sumus de conscientia religionis, et disciplinæ unitate, et spei fœdere. Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est.*

140. Barthius in suo ms. legit *Exstructo offerimus liba sacrario*, et durius illi videtur *agere liba*. Quid si legas *Exstructoque edimus liba sacrario?* Tunc sacrarium erit mensa sacrificii de qua hymno 11 Perist., vers. 171. Atque id, opinor, vult Prudentius, cum sermo illi sit de SS. eucharistiæ sacramento. Congruit autem verbum *exstructo*, nam Virgilius non semel illo utitur ad convivium describendum, Æneid. III, vers. 224 : *Exstruimusque toros*; XI, vers. 66 : *Exstructosque toros*. Verbum *ago* in sacrificiis usitatum erat, et nunc de sacrificio missæ dicimus, *Quod agimus mysteriis.* Fortasse hoc loco *agimus* est *admovemus*.

C

142. Glossa Isonis desumpta est ex Servio ad illud Virgilii, *Laquearibus altis*.

143. Latinius legit, *Et de pinguidulis fota namatibus*; fortasse Latinius scripserit *manatibus*, et Frontinus quidem usus est *manationis* vocabulo. Versus autem non constaret cum *manatibus*, neque est, cur *languidulis* loco moveamus. Macrus in Hierolexico confirmare nititur scripturam *namatibus*, quam ipse edidit in Bibl. select. Latinii. Ait Macrus, Græce *nama* esse laticem, undam, rivum decurrentem, et in codicibus mendosis Prudentii legi *natatibus*. Id arguere potest; a Latinio sive dedita opera, sive per errorem ascriptum fuisse *namatibus*. Cæterum hæc lectio probari nequit; nam præterquam quod nullum vidi codicem ubi ea exstet, probum est *natatibus*, quo vocabulo alibi etiam utitur Prudentius. A Latinis usurpatum non video *nama*.

D

145. In ms. Barthii erat *Credas, stelligerum desuper igneum Ornatum geminis stare trionibus*. Intelligo *ornatum* esse nomen substantivum. In Hailsb., *Credas, stelligerum desuver aerem Ornatum*, etc. Nihil mutandum.

147. Sermo hic est de jugo, quod boves ferunt : adeoque *Bosphoreum* scribendum; alii scribunt *Fosforeum*, alii *Vosforeum*, alii *Bosforeum*, alii *Bosporeum*, quod Heinsio non displicet in notis, quamvis in textu ediderit *Bosphoreum*. De re ipsa constat. Quod autem ait Teolius, scribi Græce *Bosporeum* sine aspiratione a *Bospore Cimmerio*, id non satis intelligo : nam *Bosphorus* sive Thracius, sive Cimmerius, a plerisque ita scribitur *Bosphorus*; neque assentior Cellario, qui BOSPOREUM JUGUM dici statuit a BOSPORO *Cimmerio*, qui antiquis maxime borealis erat. Magis placet interpretatio glossæ.

148. Vat. A, non recte, *sparsim* pro *passim*.

149. Put. *Pater*, quod Heinsio, aliisque placuit, nec mihi displicet. Alex., *Deus*; in nota *Pater*. In Brev. Moz. muta *residuæ* in *roscidæ*.

150. Rat., Brev. Moz., *offeret*; melius *offerat*. Ex hoc verbo, infra etiam repetito *quod famulans offero*, recte colligas, ritu ecclesiastico lucem tunc fuisse oblatam, neque solum in cereis, sed etiam in lucernis, et, ut arbitror, in facibus e pinu. Consuetudo benedicendi, et offerendi cereos in universa Ecclesia permansit : verum in Gothico officio benedictio lucernæ pariter adhibetur.

151. Figurata constructio, *O res digna lux, quam ucem*, fere ut apud Virgilium, *Urbem, quam statuo, vestra est.* Brev. Moz., *luce*, in hoc et in versu sequenti, non bene.

152. Codex Barthii glossam adjicit verbo RELIQUA, *id est pollicita*. Barthius ait, fortasse auctorem glossæ respexisse ad præmia æterna. Prudentius loquitur de præmiis seu muneribus hujus vitæ, et præclare asserit, luce, qua reliqua præmia cernimus, nullum munus a Deo concessum pretiosius. In Hymnario V. Thomasii deest *præmia*.

155. Nescio, cur in Hymnario V. Thomasii mutatus fuerit hic versus in alium, *Lumen, quod delibat plebs tua, suscipe*. Brev. Moz. corrupte etiam, *Lux quoque sensibus, Intus tu speculum, fons : lumen Quod delibat plebs tua, suscipe*. Chamillardus ait, omnes fere hunc locum de cereorum oblatione esse interpretatos, Giselinum vero de quocunque lumine. Fallitur. Giselinus hunc locum dicit esse quavis ubere gleba fecundiorem, quem plane steriliter de cereorum oblatione alii interpretati fuerant. Ipse vero eum explicare aggreditur, loco simili aliunde adducto, ubi Romanus precaturum se ait pro Cæsare ejusque militibus : *Ut idolorum respuant caliginem, Cernant ut illud lumen æternæ spei.* Nihil addit Giselinus, sed de interno animi, seu rationis lumine eum loqui apertum est. Ejus tamen sententiam non sequor : sed de oblatione cereorum et lucernarum interpretor. Et lucernas quidem hoc versu indicari arguo ex sequenti, *Tinctum pacifici chrismatis unguine*. Chrisma est oleum, et pacificum dicitur, quia oliva insigne est pacis. Peristeph.

Tinctum pacifici chrismatis unguine:
Per Christum genitum, summe Pater, tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria:
Qui noster dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum:
Per quem splendor, honos, laus, sapientia,
Majestas, bonitas, et pietas tua
Regnum continuat nomine triplici,
Texens perpetuis sæcula sæculis.

298 VI. HYMNUS ANTE SOMNUM.

Ades, Pater supreme,
Quem nemo vidit unquam,
Patrisque sermo Christe,
Et Spiritus benigne.
O Trinitatis hujus
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus.
Fluxit labor diei,
Redit et quietis hora:
299 Blandus sopor vicissim
Fessos relaxat artus.
Mens æstuans procellis,
Curisque sauciata,
Totis bibit medullis
Obliviale poclum.
Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec ullum
Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.
Lex hæc data est caducis,
Deo jubente, membris,
Ut temperet laborem

GLOSSÆ VETERES.

158. Gloria tua, *facta invisibilis per illum facta est visibilis*, Vat. A.
1. Ades, *pro adesto*, I.
9. Fluxit, *deficit*, I.
10. Quietis, *soporis*, Iso.
11. Vicissim, *inter diem et noctem*, I.
12. Relaxat, *in tranquillitate obtinet*, Iso.
13. Procellis, *in laborum procellis*, Iso.
14. Sauciata, *tuta*, I.
15. Bibit, *diligit*, I.
16. Obliviale poclum, *laboris senialis*, I.
18. Lethæa, *oblivialis*, lethes *Græce sopor*, Iso. *Sopor*, Vat. A.
19. Doloris, *laboris dies*, Iso.

COMMENTARIUS.

hymno 12, vers 33, *Frondem perennem, chrismatis feracem*. Nisi malis, *unguen pacifici chrismatis* innuere sacratiorem aliquem ritum, quo lumen sabbati paschalis offerri consueverit. S. Paulinus Natali 8 etiam usus est hoc nomine *unguen* in describenda lucerna, *Consumpto bibulum defecerat unguine lumen.*

157. *Genitus* nomen substantivum pro *filio* a Christianis poetis passim usurpatur. Fortunatus lib. I de Partu Virginis, *Curavit genitus, Virgo Maria, tuus.*

158. Plinius utitur *visibilis* pro *visivo*. Ciceronis phrasis est, *res quæ sub aspectum cadunt.*

160. Processio Spiritus sancti ex Patre Filioque hoc loco astruitur, ac repetitur initio hymni seq. Vide Petav. tom. II lib. VII, cap. 8. Filius *spirare* Paraclitum recte dicitur: nam et *spiritus* appellari potest, ut probat Hugo Grotius ad cap. II Marci vers. 8.

163. Prag., *contineat*, pro *continuat*. Rat., *contineat*, sed supra *continuat*. Widm. et Gold., *contineat*. Rat., Theodulfus in lib. de Spiritu sancto, *nomine*, alii *numine*. Alex., Vatt. A, O, P, Q, *numine*. Vat. I cum Urb., *nomine*. Brev. Moz. ita hic et alibi; sed male *tu* et *contines* pro *tua* et *continuet*. Hincmarus utramque lectionem agnovit. Vide Psych. vers 2. Aldus huic hymno addit *Amen. Finis*, quod nusquam alias.

Ante somnum. Ex libro Constitution. apost. diximus ad titulum hymni 1, precationes esse faciendas cum aliis horis, tum *vespere*, quod noctem dederit Dominus ad requiescendum a laboribus diurnis. Huc pertinet hic hymnus, ut ex versu 9 et seqq. patet, *Fluxit labor diei, Redit et quietis hora*. Completorium locum hujusmodi precationis nunc tenet. Citatur hic hymnus a Theodulfo in lib. de Spiritu sancto, ubi probat Spiritus sancti processionem ex hoc aliisque locis Prudentii, simul cum cæteris SS. Patribus laudati. Septem strophæ ultimæ hujus hymni leguntur in Breviario Mozarabico inter hymnos alios *de Completa*. S. Gregorius Turonensis lib. I de Gloria martyrum, cap. 162, ex hoc hymno nonnullos decerpit versus. *Juxta Prudentium, crux pellit omne crimen*, etc. Hujus hymni titulum alicubi esse *De quiete et somno, divino munere*, notavi proleg., num. 103.

3. Adversus novatorum effrenem libidinem, qui pro *Verbum* in Evangelio legunt *sermonem*, quia nonnulli SS. Patres ita locuti sunt, ut hoc loco Prudentius, videndus est Joannes Maldonatus, gravis in primis theologus, cujus aliqua verba in proleg. num. 140. retuli. Adducit autem Maldonatus inter alios SS. Patres hunc ipsum Prudentii locum.

6. In margine Vat. A additum erat *aliter*, *Vis, ac potestas una*. Ita etiam in Put., Alex. a secunda manu, et in schedis Grævianis. Salmasius quoque id volebat, qui locum Ausonii addiderat, *Majestas unius modi Sociata sancto spiritu*, ut in POTESTAS *a* corripiatur, sicut in MAJESTAS *a* postremum ab Ausonio corripitur. Verum nihil agit Salmasius: Ausonius enim sæpe loco secundo iambici dimetri spondæum intrudit. Et in hoc eodem iambico Ephemeridis ait: *Rei divinæ copia est.*

6. In Rat. abest *et*, sed videtur spatium abrasionis. Alt., *rediit*. Fabr. et Gis., *redit quietis*, sine *et*, quod habent reliqui omnes, exceptis Vatt. duobus quos laudat Teolius. Quod autem particulam *et* non patiatur hujus carminis indoles, idem affirmavit. Sed in hoc hymno passim anapæstus prima sede ponitur, quod minime repugnat metro.

12. Virgilius lib. V, *Vix primos inopina quies laxaverat artus*. Similia vulgo apud poetas. Cicero de Divin., *animus somno relaxatus*. Insignis est descriptio somni, quam poeta noster versibus suis complectitur. Descriptiones Somni ejusque domus collegit Joannes Baptista Gaudutius inter descriptiones poeticas. Confer etiam Lucret. lib. IV. Neque omittendus est hymnus S. Ambrosii, *Deus creator omnium.*

14. Pro, *sauciata* mallem in glossa *vulnerata*, *fessa*, quam *tuta*.

16. *Poculum* habent Aldus et Nebr. pro *poclum*, quod metrum exigit. Horatius epod. 14, *Pocula Lethæos ut si ducentia somnos*. Sumptum id ex fabulis. Sed licuit sanctissimo poetæ metaphoram continuare, et, quoniam *bibit* dixit, addere *poclum* pro *somno*. In glossa fortasse legendum *laboris sensualis*.

19. Fabricius in dolore molestias intelligit. Sed cur non verum dolorem esse dicamus, cujus sensus nullus est in dormiente? Sic paulo post *medicabilis voluptas*, quia somnus etiam sanitatem interdum inducit. In Hails., *ægris* pro *ægri*.

22. Teolius in uno Vat. vidit *Deo donante*, quod ratio carminis non patitur.

Medicabilis voluptas.
300 Sed, dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectusque feriatum
Placat rigante somno,
Liber vagat per auras
Rapido vigore sensus,
Variasque per figuras,
Quæ sunt operta, cernit.
Quia mens soluta curis,
Cui est origo cœlum,
Purusque fons ab æthra,
Iners jacere nescit.
Imitata multiformes
Facies sibi ipsa fingit,
Per quas repente currens
Tenui fruatur actu.
301 Sed sensa somniantum
A Dispar fatigat horror.
Nunc splendor intererrat,
Qui dat futura nosse.
Plerumque dissipatis
Mendax imago veris
Animos pavore mœstos
Ambage fallit atra.
Quem rara culpa morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux serena vibrans
302 Res edocet latentes.
At, qui coinquinatum
Vitiis cor impiavit,
Lusus pavore multo
Species videt tremendas.
B Hoc patriarcha noster
Sub carceris catena
Geminis simul ministris

GLOSSÆ VETERES.

27. Feriatum, *otiosum*, *quietum*, I.
35. Æthra, *splendor*, Vat. A.
36. Iners, *sine arte*.
39. Per quas, *facies*, I.
41. Sensa, *neutraliter*, *sensum meum ; in plurali numero facit hi sensus*, *et hæc sensa neutro genere*, I. *Plural. pro sensu ; hinc Tullius : Caro læsa lædit sensa; sic verum pro veritate*, *justum pro justitia*, Vat. A.
42. Horror, *somni*, I.
43. Splendor, *visio superna*, Vat. A. — Intererrat, *intermeat*, I.
47. Pavore, *de vel cum*, I.
48. Ambage, *circumventione*, I.
49. Quem, *aliquem virum*, I.
51. Vibrans, *illuminans*, I.
54. Impiavit, *inquinavit*, *corrupit*, Iso.
57. Patriarcha, *Joseph*, I.

COMMENTARIUS.

24. Vat. B, Prag., Widm., Gold., *medicalis*, contra regulas metri. Est autem somnus *medicabilis*, quia aut sanitatem corporis restituit, aut eam conservat. Utitur hoc verbo Ovidius pro eo cui medicina adhiberi potest, in epist. Œnones ad Paridem, *amor non est medicabilis herbis*.

25. Rat., *cum* pro *dum*.

27. Chamillardi mendum *feriarum*.

29. Vatt. B. I, Rat., Gold., Fabr., Widm., Bong., *vacat*, Vatt. A, O, P, Q, duo Torrentiani, tres Heinsiani, *vagas per auras*. Ald., Heins., Weitz., Put., Thuan., Prag., Gis., *vagat*, quod etiam tuetur Gifanius in Indice Lucretii, pag. 423, et Latinius in Bibl. sel. Videri potest Priscianus lib. VIII, qui de hujusmodi verbis, quæ olim antiqui usurpabant, ut *auguro*, *opino*, *exsecro*, agit diligentissime; et Nonius, qui de verbo *vago* adducit Plautum, Attium, Pacuvium, Ennium, Turpilium, Pomponium, Varronem, et his longe posteriorem Serenum.

35. Fontem igneum animarum Deum vocat poeta in hymno Exsequiarum vers. 1. Rat., *ab æthere*, sed inductum est medium *e* recte, ut fiat *ab æthra*, quod corrector videtur voluisse.

37. Mens sibi multiformes facies fingere dicitur ob diversitatem insomniorum. Nam etsi somniorum causa non solum sit interna, sed etiam externa, ut ex SS. Patribus explicat S. Thomas 2-2, quæst. 95, et Thomas Hurtado tom. I Tract. varior., tract. 5, cap. 6, resolut. 56, num. 1155 et seqq., tamen facies sive figuras et phantasmata mens ipsa sibi format : agit enim etiam tunc anima. Videtur autem poeta loqui de omnibus insomniis, quamvis vers. 40 dicat, *Tenui* FRUATUR *actu*.

41. Rat., *somniantium* a manu prima.

42. Conjicio legendum esse *error* pro *horror*, quantumvis nemo hac de re dubitaverit. Etenim *erro* proprie est *vagor*, ut apud Virgilium egloga 1, *Ille meas errare boves*, et noster poeta versu sequenti, *Nunc splendor intererrat*. Et quamvis fictionis nonnihil exprimi per errorem velis, eam in somnio poteris agnoscere : sic supra *fingit*, infra *intererrat*, *mendax imago veris dissipatis*, *ambage fallit*, et *lusus pavore multo*. Vide vers. 118, *Quos creber implet error*. Cur autem magis *error* quam *horror* sit præferendum, rationem peto ex ipsis insomniis ministrorum Pharaonis, in quibus nihil apparebat horridum, quamvis C ipsi vultu tristitiam manifestarent, quia non erat qui ea interpretaretur. Eorum vero interpretatio alteri quidem famulorum horrorem incussit, alterum vero gaudio complevit. Itaque Prudentius *dispar* somnium distinguit, et de primo nunquam verba horroris adhibuit : *Nunc splendor intererrat Qui dat futura nosse... Quem rara culpa morum Non polluit frequenter, Hunc lux serena vibrans Res edocet latentes*. Contra de altero : *Animos pavore mœstos Ambage fallit atra... Lusus pavore multo Species videt tremendas*.

43. Somnia a Deo aliquando immitti perspicuum est, et plurima sunt in Veteri Novoque Testamento exempla, quæ Durantus collegit tract. de Visionibus cap. 9. Æque autem certum est, insomnia, quæ aliquando vera accidunt, interdum ad casum pertinere. Quotus enim quisque vir sapiens rei futuræ veritatem dormiens agnovit? At omnes vulgo somniant. Quid autem mirum, si in tanto numero aliquid verum contingat? Recte Cicero lib. II de Divinat. cap. 59 : D *Quis est, qui totum diem jaculans non aliquando collineet ?*

51. *Vibrare* pro *fulgere*. Virgilius, Catullus, Cicero, aliique.

52. Vat. A, *frequenter*, supra charactere minutiori *latentes*, quod verum est.

53. Aldus male conjungit *Atqui*. Horatius utitur verbo *coinquino*.

54. Sidonius, Apuleius et alii usi sunt hoc verbo. Festus, *impiatus*, *sceleratus*. Rat. ex glossa pro *impiavit* posuit *inquinavit*.

56. Rat. et Vat. Q, *vidit*, repugnante metro, pro *videt*. De impiorum somniis, terrorem incutientibus, Salomon cap. XVIII Sap., vers. 17, *Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos*, *et timores supervenerunt insperati*. Et Job cap. VII, 14, *Terrebis me per somnia*, *et per visiones horrore concuties*.

59. Gold. et Widm. supra *magistris*. Ald., men-

Interpres approbavit.
Quorum reversus unus
Dat poculum tyranno :
Ast alterum rapaces
Fixum vorant volucres.
Ipsum deinde regem,
Perplexa somniantem,
Monuit famem futuram
303 Clausis cavere acervis.
Mox præsul, ac tetrarches,
Regnum per omne jussus
Sociam tenere virgam,
Dominæ resedit aulæ.
O quam profunda justis
Arcana per soporem
Aperit tuenda Christus !
Quam clara, quam tacenda !
Evangelista summi
A Fidissimus magistri,
Signata quæ latebant,
Nebulis videt remotis.
Ipsum Tonantis agnum,
De cæde purpurantem,
Qui conscium futuri
Librum resignat unus.
304 Hujus manum potentem
Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans utrinque
Duplicem minatur ictum.
Quæsitor ille solus
Animæque corporisque,
Ensisque bis timendus
Prima ac secunda mors est.
B Idem tamen benignus
Ultor retundit iram,
Paucosque non piorum

GLOSSÆ VETERES.

61. Unus, *magister pincernarum*,
62. Tyranno, *regi Pharaoni*, I. *Tyrannus Græce rex*. Vat. A.
66. Perplexa, *obscura*, I.
69. Præsul, *princeps*, I.
71. Virgam, *sceptrum*, I.
75. Tuenda, *videnda*, Vat. A.
77. Evangelista, *Joannes*, Vat. A.
86. Gladius, *verbum Dei*, Vat. A.
88. Ictum, *animæ et corporis*. Vat. A.
89. Quæsitor, *judex*. I.
92. Prima ac secunda, *corporis et animæ*, Iso.
95. Non piorum. *impiorum*, Iso.

COMMENTARIUS.

dose, *minister*. Historia narratur cap. XI Genes. Duo hi erant eunuchi; alter pincernis præerat, alter pistoribus; hic pistorum magister, ille pincernarum dicitur. Hinc aliquis *ministris* cum legisset, *magistris* correxit, quod simpliciter positum ineptum est.

60. Widm., mendose *abprobavit*.

61. Put., Vat. A supra, et Oxon., *regressus*. Ita Vatt. major pars apud Teolium, sed nonnulli præstantissimi habent *reversus*. Id etiam placuit Gallandio cum edd. Ald. et Tornæs., et tenuerunt Gis. et Weitz.

63. Genesis cap. cit. vers. 17, *Suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas*.

66. Lege hanc historiam cap. XLI Genes.

67. Put., Oxon.. cum aliis nonnullis Heinsianis, Weitz., Vatt. A, B, O, Q et I supra, Prag., Rat., Sich., Giselinus cum editione Daventriensi antiquissima, *monuit*. Aldus et Gis. 1 edit., *novit*. Non inepte *movit* amplexus est Fabricius, hoc est, *movendo impulit, persuadendo coegit*, et id legitur in Vat. O. Non dubito quin vera lectio sit *monuit*. Corruptæ nonnullæ Plauti editiones contrarium errorem tenuerunt *monuit mihi* pro *movit*, Trucul. act. IV, scen. 1, *Unum animos movit mihi*, quanquam alii legunt, *Unum animus monuit me*. Mirum est autem quod auctor dictionarii Taurinensis ex hoc Plauti loco tanquam exploratum tradiderit, *moneo* admittere casum dandi, cujus auctoritate alii, non inspectis optimis editionibus et interpretum monitis jam inde a Camerario repetitis, obscuram mihi litem intendere voluerunt ac probare, *æque facile* defendi posse verbum *moneo* cum dativo cohærere, ac secundam vocalem in *potitur* esse communem. Qui si defensionem aliquam tentare velint, aliam viam insistere debent, neque tamen, quod volunt, assequentur.

68. Pro frumenti cumulis *acervos* simpliciter posuit. Usus similiter est Horatius.

72. Ex hoc loco nonnulli colligunt vel, ut recte ait Fabricius in Comment. poet. Christ., somniant, Josephum ab uxore quoque Pharaonis fuisse sollicitatum.

76. In Vat. A, *clausa*, supra *vel clara*. Putean. pro diversa scriptura, *tuenda* pro *tacenda*.

77. Notat Fabricius, Prudentium dicere, evangelistam res obscuras, et obsignatas in clara luce vidisse, nebulis remotis, ipsum vero Joannem, se fuisse in spiritu vel, ut recentiores loquuntur *in exstasi*, Sedulium, hæc ipsum Joannem vidisse in somnis, quod Nebrissa antea monuerat. At Prudentius etiam C *per soporem* visionem accidisse affirmat, ut ex præcedenti stropha fit perspicuum. Et Sedulius, quem Fabricius nominat, est ipsemet Prudentius in Dittochæo, quod Fabricius Sedulio ascribit. Intelligo, Prudentium mystice loqui, et exstasin vocare somnum. Vide S. Bernardum serm. 52 in cantica, *De excessu, qui contemplatio dicitur, in qua sponsus facit quiescere animam*, etc.

86. Locus est ex cap. I Apocal., vers. 16, *Et habebat in dextera sua stellas septem : et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat*. Miratur Chamillardus cur Prudentius manum gladio armatam dicat, cum ex ore prodire gladium Joannes affirmet. At Prudentius progressum gladii ex ore ad manum attigit. In ore Christus gestat gladium, ut verbum Dei, sive sententia in extremo judicio indicetur : in manu vero, ut progressus in puniendo ostendatur. Psalmo VII, *gladium suum vibrabit*. Exodi XV, *Evaginabo gladium meum; interficiet eos manus mea*. Vide interpretes.

D 89. Rat., *quæsitus*, male. Virgilius lib. VI, *Quæsitor Minos urnam movet*.

92. Desumptum ex Apoc. XX, 14, *Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda*.

95. Nebrissensis exponit PAUCOS, *qui scilicet sunt immedicabiles*. Interpretor *medios* inter pios et impios, scilicet qui neque sanctitate eminent, neque infidelitatis crimine, aut aliis gravissimis opprimuntur. Ait igitur poeta, Deum pati, perire paucos eorum qui catholici sunt, et siquando in peccata incidunt, de his dolere et pœnitentiam agere student. Porro licuit Prudentio ita existimare de sui temporis Christianis catholicis, quos serio ad vitam æternam maxima ex parte contendere constabat, quamvis multi insigni, et heroica pietate non eminerent. Gravina libro Plazæ de Paradiso caput adjecit de majori numero sal-

Patitur perire in ævum.
305 Huic inclytus perenne
Tribuit pater tribunal :
Hunc obtinere jussit
Nomen supra omne nomen :
Hic præpotens cruenti
Exstinctor Antichristi :
Qui de furente monstro
Pulchrum refert tropæum.
Quam bestiam capacem,
Populosque devorantem,
Quam sanguinis charybdin,
Joannes exsecratur.
306 Hanc nempe, quæ sacratum
Præferre nomen ausa
Imam petit gehennam,
Christo perempta vero.
Tali sopore justus
Mentem relaxat heros,
Ut spiritu sagaci
Cœlum peragret omne.
Nos nil meremur horum,
Quos creber implet error.
Concreta quos malarum
Vitiat cupido rerum.
Sat est quiete dulci
Fessum fovere corpus :
Sat, si nihil sinistrum
307 Vanæ minentur umbræ.
Cultor Dei, memento,
Te fontis et lavacri
Rorem subisse sanctum;

GLOSSÆ VETERES.

97. Huic, *Christo*, Vat. A.
105. Capacem, *omnia recipientem*. Iso.
107. Charybdin, *voraginem*, *vorago naves sorbens*. *Ita vocat Antichristum, quia omnes ad se venientes in præcipitium trahit*, Iso.
110. Ausa, *scilicet est*, Iso.

COMMENTARIUS.

vandorum, merito proscriptum, quod sententiam benignam nimium amplificaret. Vide proleg. num. 175.

97. Vat. A, *hic* supra *huic*, *Christo*.

100. In quibusdam et in Widm. a secunda manu *super* pro *supra*. Hoc ratio carminis postulat, illud ex Vulgata editione cap. II ad Philippenses vers. 9 : *Et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*

101. Becmanus, de Orig. ling. Lat., verbo POTIOR contendit, melius de Deo usurpari vel *potens*, ut Lucæ cap. I et alibi in sacris Litteris, vel etiam in iisdem *omnipotens* quam *præpotens*, id est, *valde potens, et præ aliis*. Neque movetur auctoritate Ciceronis, cui Jupiter est *præpotens* : nam gentilium unus fuit Cicero. Ut autem alia prætercam, hoc loco idonee Christus dicitur *præpotens*, cum sermo sit de victoria ex Antichristo reportata, neque dedecet ea comparatio, ut potens præ Antichristo intelligatur. Vide ep. II ad Thessalon. cap. II, 8 et seq.

103. In Vat. A. a veteri manu abest *de*.

105. Rat., *rapacem*, sed videtur prius fuisse *capacem*. Hails. a secunda manu, Weitz., Gis., *rapacem*, quod non displicet. Cæteri, *capacem*. Gallandius edidit *rapacem* cum Ald. et Tornæs.; sed Aldus meus habet *capacem*. Perperam autem putat Gallandius, *mendose* scriptum a Chamillardo *capacem*.

107. Vat. A, *sanguini* pro *sanguinis*, male. Poeta respicit, opinor, ad cap. XVII Apocalyps., ubi mulier fornicaria describitur, sedens super bestiam coccineam ebria de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu. Aretas in cap. XI Apocal. vers. 7, *Bestiam vocat Antichristum ob crudelitatem, feritatem et sanguinis aviditatem*. Put. et alii legunt *charybdem*.

108. Put., *Joannis*, quod Heinsio aliisque placet, ut metro consulatur. Verum satis metro consulitur, si teneatur, finita in *es* sæpius, quam vulgo creditur, posse corripi. Vide Gifanium Indic. Lucr. pag. 440, *Is terminata*. Alex. scribit *Joannes* : ita Vatt. O, P, cum aliis duobus apud Teol., qui nihilominus Puteanam, sive Heinsianam lectionem secutus est.

109. Potiores Heinsiani, Ald., Alex., Vat. B, Egm., *hanc*. Alii *hæc*, et vers. seq. *ausa est*. Teolio planior videtur lectio *hæc*, et idem postea legit *ausa* sine *est*. Mihi aliisque non ita visum.

110. Videtur Iso legisse versu superiori *hæc* pro *hanc*. Gisel. 1 ed., *ausa est :* scilicet, quia legit *hæc*. De Antichristo cap. II, vers. 4, epist. II ad Thessalonicenses : *Qui adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*. Thomas Malvenda lib. VIII, cap. 2, de Antichristo congestis SS. Patrum testimoniis probat Antichristum a seipso appellandum Christum. In rem nostram maxime facit Lactantius lib. VII, cap. 19 : *Hic est autem qui appellatur Antichristus; sed se ipse Christum mentietur, et contra* VERUM *dimicabit*.

112. Gallandius approbare videtur quod Heumannus hunc versum sic restituere voluerit : *Christi perempta verbo*, quia Christus Antichristum *interficiet spiritu oris sui*. Sed eo pacto perit elegantia antitheseos inter *Christum verum* et eum *qui Christum mentietur*, ut ait Lactantius.

114. Heroes apud ethnicos dicebantur semidei, et viri excellenti quadam virtute præditi. Hinc heroes Christiani vocati sunt sancti, earumque virtutes heroicæ. S. Augustinus lib. X de Civit. Dei : *Hos* (martyres) *multo elegantius, si ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur, nostros heroes vocaremus*. Usus antiquissimus hanc appellationem in sanctis consecravit. Avitus rara significatione de Pharaone dixit lib. V, *impius heros*.

118. Widm. et Vat. O, *herror* pro *error*. Fortasse ex simili scribendi ratione vers. 42 *horror* irrepsit pro *error*. Intelligi etiam debet, poetam rursus hoc versu mentis, in somniis vagantis, errorem indicare.

123. Vat. A, *Sat est, si nil*, quod respuit carmen.

124. Rat., *minetur*, supra recte *minentur*.

127. Vat. B. *sacrum*, supra *sanctum*. Chamillardus intelligit immersionem in ipsum fontem baptisterii. Propertius *rorem* pro mari posuit, adeoque ea vox tam aspersioni quam immersioni potest aptari. Quamvis autem primis Ecclesiæ temporibus baptismus per immersionem collatus plerumque fuerit, tamen eos, qui vel per ætatem, vel per male affectam valetudinem immergi non poterant, per aspersionem baptismo fuisse ablutos non est negandum. Notum est de *clinicis*, qui in lecto baptizabantur, et de iis qui baptismum ad extrema vitæ tempora differebant. Multo minus persuaderi mihi poterit, ita immersionem fuisse ubique usurpatam, ut baptizandi (cujuscunque sexus, et ætatis essent) penitus nudi aquam ingrederentur. Etenim neque id necessarium erat, ut certe nunc non est, neque si ea consuetudo communis fuisset apud Christianos, ethnici, qui *oscula* pacis eis objiciebant, hujusmodi nuditatem tacuissent. Veterum quædam dicta non ita clare rem hanc probant, ut multis videtur. Qualiscunque tamen nuditas illa fuerit, non dubito, quin aut separatis feminarum, et masculorum baptisteriis, aut velis, aut alia ratione pudori fuerit

Te chrismate innotatum.
308 Fac, cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen :
Fugiunt crucem tenebræ :
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul, o procul vagantum
Portenta somniorum.
Procul esto pervicaci
309 Præstigiator astu.
O tortuose serpens,
Qui mille per Mæandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda,
Discede, Christus hic est :

GLOSSÆ VETERES.

131. Frontem, etc., *hæc sunt duo illa superliminaria quæ sanguine agni videbantur aspergi : sic enim frons superliminare capitis, sic et cor superliminare, et principale pectoris*, Vat. A.

139. Pervicaci, *pertinaci, perseveranti*, Iso.

140. Præstigiator, *præstrigium dicitur monstrum a præstringendo, i. e. illudendo improvise oculos.* — Astu. *astutione*, I.

142. Mæandros, *Mæander fluvius Cariæ faciens revolutiones multimodas. Sed hic ipse fluvius pro ipsis flexibus serpentis introducitur*, I.

COMMENTARIUS.

provisum. Vide Lupium, dissert. 1, num. 23 et seq., et scriptorem Vitæ S. Ottonis apud Surium ad diem 2 Julii, ubi ait : *Sacerdos vero, qui ad cuppam stabat, eum audisset potius quam vidisset, quod aliquis esset in aqua, velo paululum amoto, trina immersione capitis illius mysterium sacramenti perficit.*

128. Heinsius, etsi in Pal. et aliis ex vetustioribus invenerit *innotatum*, tamen amplexus est *innovatum* cum codd. quinque, et Oxon. in marg., et Gronovio in Observat. eccles. Rat., Sich. et Hailsb. supra pariter *innovatum*, quod exstat etiam in Urb., Vatt. I, O, Q, cujus glossa est *signatum;* et secutus est Teolius, ne ab Heinsio discederet. Lego cum vetustissimis Heinsii, Ald., Vatt. A, B, P, Alex., Nebr., Prag., Gold., Bong., Fabr., Gis. et aliis, *innotatum*, quod mirifice in hunc locum quadrat. Prudentius loquitur de sacramento confirmationis, quod a sacramento baptismi aperte hic et alibi distinguit. Dictum vero fuit sacramentum confirmationis *chrisma*, quia sacra unctione peragebatur : quod chrisma ampullæ inclusum servari solitum in Ecclesia, colligitur ex Optato contra Parmenionem lib. II. Hac voce chrismatis confirmationis sacramentum appellant Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus aliique multi. Quoniam vero frons confirmandi ab episcopo sacro chrismate signabatur, figura crucis inscripta, ideo nomen signaculi, aut sigilli eidem sacramento tribuebatur ; quo nomine usi sunt Cyprianus, Cornelius papa, Ambrosius et alii. Itaque Prudentius, duobus verbis duo hæc nomina complexus, egregie dixit, *Te chrismate innotatum*, et infra explicat, cur *innotatum* dixerit, *signum, quod ipse nosti.* Eodem pertinent Psychom. versus 358 et seqq. Apoc. vers. 487 et seqq., hymno 9 Cath. vers. 84, lib. I adversus Symmachum, vers. 587. *Unde sacrum referat regali chrismate signum.* Cave ergo a Cellario, qui non solum *innovatum* præfert, sed falso tradit, quosdam codd. habere *innotatum*, plures *innovatum.* Concedam nihilominus, in quibusdam codd. vetustis et in Breviario etiam Mozarabico esse *innovatum.* Vide Baronium ad an. 55, pag. 248 et seqq., qui istiusmodi unctionem, ab episcopis in fronte peractam, esse sacramentum diserte probat. Quid autem differat unctio hæc ab alia, quam presbyteri adhibent in vertice dum baptizant, explicant Bellarminus aliique theologi. Cl. Bertius lib. XXXII de Theol. Disc., cap. 10, non inepte his versibus utitur, ubi agit de alapa qua confirmatus leviter cæditur, *Cultor Dei momento*, etc. Lectionem vero nostram *innotatum* confirmant versus sequentes, ubi crucis figura commendatur.

129. Brev. Moz., *somnum ;* corrige *somno.*

132. Quam magnus in veteri Ecclesia honor cruci fuerit habitus, testantur antiquissima monumenta et inscriptiones. Vide Aringhum in plurimis Romæ subterraneæ locis, aliosque antiquitatum Christianarum scriptores. De consuetudine vero signandi cor, frontem et ora, confer Gretzerum de Cruce lib. IV, cap. 51, aliisque passim locis præclari ejus operis. S. Athanasius initio orationis contra idola : *Si enim post crucis adventum omnis simulacrorum cultus summotus est, omniaque dæmonum præstigia hoc signo propelluntur*, etc. Prudentius paulo post *præstigiatorem* vocat dæmonem. Inter alia veterum aliquot Galliæ theologorum scripta Parisiis 1586, exstat carmen bucolicum Severi Sancti seu Rhetoris de Mortibus boum, ubi hoc miraculum enarratur : *Hoc signum mediis frontibus additum Cunctarum pecudum certa salus fuit.*

133. In uno ex antiquissimis Vaticanis heterodoxus aliquis ad marginem recenti manu posuit : *Non bene.* SS. Patres, qui Domini crucem his et similibus præconiis prosecuti sunt, vide apud Gretzerum de Cruce.

135. In Brev. Moz., *tales*, male, pro *tali.*

137. Aldus, *Procul, procul*, omisso *o*, quod cæteri habent. Alex., *vagantium* pro *vagantum.* Id ob metrum retinendum. Prudentium videtur imitatus S. Eugenius Toletanus episcopus epigram. 29, pag. 52, inter opera SS. Patrum Toletanorum, studio et expensis D. Francisci de Lorenzana archiepiscopi Toletani edita : *Versus supra lectum : Imperat omnipotens, procul o procul effuge, dæmon*, etc. Confer ejusdem Eugenii versus supra lectum part. 2 operum, epigr. 3 et 4, ubi ait : *Crucis almæ fero signum : fuge, dæmon.*

140. Heinsio non displicet origo et orthographia glossæ in *præstrigiator.* Alii scribunt *præstigiæ* quasi *præstegiæ* a *tego*, quod illudant prætegantque oculos. Idem Heinsius tuetur *actu* pro *astu* cum Pal., Egm., et Noms. Malo *astu* cum Ald., Weitz., Nebr., Gis., Alex., Vatt. A et B, Rat., Prag. et aliis. Etenim cohæret sensus : *præstigiator, serpens tortuose, fraudes* postulant, legi *astu pertinaci.* Chamillardus et Cellarius Heinsium secuti sunt. In Brev. Moz., *æstu* videtur ex *astu.* Teolius præfert *actu* ex membranis, non *astu.* Sed etiam membranæ vetustissimæ habent *astu.*

141. Diabolum serpentem tortuosum plures SS. Patres appellant. Philippus presbyter, discipulus S. Hieronymi, in cap. XXVI Jobi, *Coluber tortuosus, utique ille serpens, qui est callidior omnibus animantibus super terram.* S. Gaudentius ad Germinium, vel potius Serminium, *Cujus serpentis tortuosa ingenia.* Phœbadius in lib. contra Arianos : *Lucifuga serpens, per anfractus evolvens seriem suam, tortuoseque procedens.*

142. Prima in *Mæander*, cum sit diphthongus, produci solet. Prudentius corripit quod ab ejus reprehensoribus non est animadversum. Scribo autem *mæander* cum diphthongo, quia etiam sic corripi potest prima ob vocalem sequentem.

145. Aldus, *lux est* pro *hic est*, repugnante metro et sensu. De hac formula vide hymn. 2, vers. 4.

Hic Christus est, liquesce :
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.
Corpus licet fatiscens
Jaceat recline paulum,
310 Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.

VII. HYMNUS JEJUNANTIUM.

O Nazarene, lux Bethlem, Verbum Patris,
Quem partus alvi virginalis protulit,
Adesto castis, Christe, parcimoniis,
Festumque nostrum rex serenus aspice,
311 Jejuniorum dum litamus victimam.
Nil hoc profecto purius mysterio

A Quo fibra cordis expiatur vividi :
Intemperata quo domantur viscera,
Arvina putrem ne resudans crapulam
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subjugatur luxus, et turpis gula ;
Vini, atque somni degener socordia,
Libido sordens, inverecundus lepos,
Variæque pestes languidorum sensuum
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu, et cibo,
Jejuna rite membra non coerceas,
Sequitur, frequenti marcida oblectamine,
312 Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusque pigris stertat in præcordiis.
Frenentur ergo corporum cupidines,

GLOSSÆ VETERES.

146. Liquesce, *evanesce*, *aeflue*, I. *Vanesce*, Vat. A.
149. Fatiscens, *deficiens*, Iso.
150. Recline, *reclinatum*, Vat. T et Iso.
3. Parcimoniis, *abstinentiis*, Iso.
5. Litamus, *sacrificamus : quidam putant, a litoribus dicta lita, id est sacrificia, quia post navigationem in litoribus maris sacrificabant; sed falsum est, nam litus* B *prima longa est, litum brevis*, I.
7. Expiatur, *mundatur*, *imbuatur*.—Vividi, *pleni*, I.
10. Obstrangulatæ, *suffocatæ*, Vat. A.
11. Subjugatur, *domatur*, Iso.
12. Degener, *ignobilis*.— Socordia, *pigritia*, I.
13. Lepos, *eloquium*, *eloquentia*, *dicimus et lepor*, I.
15. Parcam, *arctam*, I.

COMMENTARIUS.

146. Silius Italicus ex correctione Barthii initio lib. XVI : *Hannibal ipse etiam jam jamque modestior annis Ire videbatur, Martisque liquescere famam.*

149. Alii scribunt *fatescens.*

150. Fabr. et Vat. O, *reclive*, quod vehementer Chamillardo arrisit, quamvis fere omnes codices habeant *recline*, rejicitque Nebrissam, quod versum Ovidii Metam. X allegaverit pro *recline*, quem ita Chamillardus legit, *Inque sinu juvenis posita cervice reclivis*, neque usquam *reclinis* legi testatur. Giselinus, qui ex manuscr. *recline* prætulit, Lambini judicium secutum se ait, qui ita in suo Horatio legit. C Locus quærenti Giselino non se obtulit. Fabricius ex Virgilio protulit *posita cervice reclinis.* Ovidium voluit dicere, ubi cum aliis lego *renidens;* in Prudentio, Martiale, Tacito, *reclinis*, sicut Lambinus sat. 2 lib. II Horatii in Horatio, et aliis *acclinis*, non *acclivis.* Id, opinor, legerat Giselinus. Seneca epist. 26 : *Solet obrepere somnus in aliquod adminiculum reclinatis.* Isidorus lib. I Different. ait : *Inter decline et declive hoc interest, quod declinis sol, declivus locus : sic intelligendum est accline, acclive, ut acclivus* (lege *acclinus*) *homo, acclivus locus.* Idem dicam de *reclinis* et *reclivis ;* et in Isidoro legam *acclinis homo, acclivis locus*, et *hoc acclivum dicitur*, non *ex hoc acclivum dicitur.* Et supra *declivis locus.* In Brev. Mozarab. mendum est, quod nostram lectionem confirmat, *reclinet paululum* pro *recline paulum.* Nebrissa exponit *reclinatum in lecto :* et simili modo Chamillardus hymn. 5 Perist. vers. 365, ubi legit *recline*, sibi non constans. Pro *paulum* Ald., Vat. A, Rat., *paulo.* Gold. agnoscit utrumque. Prag., male, *paululum.* D

152. Rat., *meditatur*, inepte, pro *meditabimur*, quod etiam versus exposcit. Christum sub ipso sopore meditari proprium est eorum qui vigilantes eumdem meditantur, quorum cor vigilat, etiamsi dormiant. Teolius ex uno Vat. inferioris ætatis exscripsit in nota conclusionem hujus hymni, quæ minime sapit Prudentium : *Gloria æterno Patri, Et Christo novo regi, Paraclitoque sancto, Et nunc, et in perpetuum.* Ballerinii in præfat. append. operum S. Zenonis proferunt aliam hujus hymni clausulam, sed ex prima ejus stropha imperite compactam : *Laus sit Patri supremo, Quem nemo vidit unquam, Patris sermoni Christo, et Spiritui benigno.* Scilicet tractatus de Signo S. crucis, a nonnullis S. Zenoni ascriptus, constat ex hac conclusione et septem postremis strophis hujus hymni Prudentii.

Jejunantium. Hunc hymnum canunt Mozarabes, per ferias hebdomadis distributum, sed multis in locis corruptum. Factum a Prudentio puto ad omnes dies jejunii, præcipue quadragesimalis.

1. Ald., Vat. P et alii vulg., *dux* pro *lux.* Nostri plerique et potiores Heinsiani, *lux*, quod tenuit Weitzius. Giselinus Aldo adhæsit, cujus lectionem confirmat Nebrissa non inepte ex Matth. cap. II, 6 : *Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet dux*, etc. Vide hymn. 12, vers. 78.

4. Sichard., *accipe* pro *aspice. Aspicere* in Deo *misereri* est, ut notarunt etiam gentiles. Jejunium *festum* cur dicatur, vide vers. 13 hymni seq. in commentariis. Festum substantive rarum apud scriptores aurei et argentei sæculi in oratione soluta. Dicebant *festus dies.*

5. Alii *litare* deducunt cum Varrone a *luere;* alii a Græco λιτή, *preces*, *supplicatio;* inde etiam litania, quæ Latine redditur rogatio. Ratio Isonis non semper tenet.

6. Fabr. et Bong., *nihil* pro *nil*, non male.

7. Nescio quid sit in Isone *imbuatur.* Idem legit *vividi*, quod habent Sich., Alex., Weitz., Gis. ad marg. et omnes Heinsiani præter Rot., qui legit *lividi* cum Aldo, Heinsio et aliis : quod etiam in Hymnario Thomasii et edit. Fabricii exstat. Vat. P, *lividi.* Vatt. A, I, O, Q, Breviar. Moz., *vividi.* Vat. B, Prag., Rat., *uvidi.*

9. *Arvina* est pinguedo corporis. Alii sevum intelligunt. Prag. male *ve* pro *ne.*

11. De verbo *subjugandi* quæritur an ad argenteum sæculum revocari possit auctoritate Asconii. Eo utuntur Arnobius, Lactantius, Eutropius, Claudianus.

12. Laudes jejunii prosequitur S. Ambrosius lib. de Elia, et Jejunio, ut innumeros alios prætereoam.

13. Aldus, mendose, *sordes* pro *sordens.*

15. Ex glossa Widm. supra *arctam.* Gis. ad marg. 1 edit., *partam.* Aldus, *subacte.*

17. Brev. Moz., *coerceant*, corrigendum.

20. Rat., Heinsius cum schedis Grævianis, et Noms., *stertat in.* Ita etiam Weitzius, et Teol. cum codd., sed non bene innuit, omnes mss. ita habere. Nam plurimi habent *stertat ut*, etiam Vaticani. Pragensis vero, *pigris ut stertat in præcordiis*, quod non patitur carmen.

Te chrismate innotatum.
308 Fac, cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumque c·rdis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen :
Fugiunt crucem tenebræ :
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

A

Procul, o procul vagantum
Portenta somniorum.
Procul esto pervicaci
309 Præstigiator astu.
O tortuose serpens,
Qui mille per Mæandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda,
Discede, Christus hic est :

GLOSSÆ VETERES.

131. Frontem, etc., *hæc sunt duo illa superliminaria quæ sanguine agni videbantur aspergi : sic enim frons superliminare capitis, sic et cor superliminare, et principale pectoris*, Vat. A.

139. Pervicaci, *pertinaci, perseveranti*, Iso.

140. Præstigiator, *præstrigium dicitur monstrum a* B *præstringendo, i. e. illudendo improvise oculos.* — Astu. *astutione*, I.

142. Mæandros, *Mæander fluvius Cariæ faciens revolutiones multimodas. Sed hic ipse fluvius pro ipsis flexibus serpentis introducitur*, I.

COMMENTARIUS.

provisum. Vide Lupium, dissert. 1, num. 23 et seq., et scriptorem Vitæ S. Ottonis apud Surium ad diem 2 Julii, ubi ait : *Sacerdos vero, qui ad cuppam stabat, cum audisset potius quam vidisset, quod aliquis esset in aqua, velo paululum amoto, trina immersione capitis illius mysterium sacramenti perficit.*

128. Heinsius, etsi in Put. et aliis ex vetustioribus invenerit *innotatum*, tamen amplexus est *innovatum* cum codd. quinque, et Oxon. in marg., et Gronovio in Observat. eccles. Rat., Sich. et Hailsb. supra pariter *innovatum*, quod exstat etiam in Urb., Vatt. I, O, Q, cujus glossa est *signatum;* et secutus est Teolius, ne ab Heinsio discederet. Lego cum vetustissimis Heinsii, Ald., Vatt. A, B, P, Alex., Nebr., Prag., Gold., Bong., Fabr., Gis. et aliis, *innotatum*, quod mirifice in hunc locum quadrat. Prudentius loquitur de sacramento confirmationis, quod a sacramento baptismi aperte hic et alibi distinguit. Dictum vero fuit sacramentum confirmationis *chrisma*, quia sacra C unctione peragebatur : quod chrisma ampullæ inclusum servari solitum in Ecclesia, colligitur ex Optato contra Parmenionem lib. II. Hac voce chrismatis confirmationis sacramentum appellant Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus aliique multi. Quoniam vero frons confirmandi ab episcopo sacro chrismate signabatur, figura crucis inscripta, ideo nomen signaculi, aut sigilli eidem sacramento tribuebatur ; quo nomine usi sunt Cyprianus, Cornelius papa, Ambrosius et alii. Itaque Prudentius, duobus verbis duo hæc nomina complexus, egregie dixit, *Te chrismate innotatum*, et infra explicat, cur *innotatum* dixerit, *signum, quod ipse nosti*. Eodem pertinent Psychom. versus 358 et seqq. Apoc. vers. 487 et seqq., hymno 9 Cath. vers. 84, lib. I adversus Symmachum, vers. 587. *Unde sacrum referat regali chrismate signum.* Cave ergo a Cellario, qui non solum *innovatum* præfert, sed falso tradit, quosdam codd. habere *innotatum*, plures *innovatum*. Concedam nihilominus, in quibusdam codd. vetustis et in Breviario etiam Mozarabico esse *innovatum*. Vide Baronium ad an. 55, pag. 248 et seqq., qui istiusmodi unctionem, ab episcopis in fronte peractam, esse sacramentum diserte probat. Quid autem differat unctio hæc ab alia, quam presbyteri adhibent in vertice dum baptizant, explicant Bellarminus aliique theologi. Cl. Bertius lib. XXXII de Theol. Disc., cap. 10, non inepte his versibus utitur, ubi agit de alapa qua confirmatus leviter cæditur, *Cultor Dei momento*, etc. Lectionem vero nostram *innotatum* confirmant versus sequentes, ubi crucis figura commendatur.

129. Brev. Moz., *somnum ;* corrige *somno*.

132. Quam magnus in veteri Ecclesia honor cruci fuerit habitus, testantur antiquissima monumenta et inscriptiones. Vide Aringhum in plurimis Romæ subterraneæ locis, aliosque antiquitatum Christianarum scriptores. De consuetudine vero signandi cor, frontem et ora, confer Gretzerum de Cruce lib. IV, cap. 51, aliisque passim locis præclari ejus operis. S. Athanasius initio orationis contra idola : *Si enim post crucis adventum omnis simulacrorum cultus summotus est, omniaque dæmonum præstigia hoc signo propelluntur*, etc. Prudentius paulo post *præstigiatorem* vocat dæmonem. Inter alia veterum aliquot Galliæ theologorum scripta Parisiis 1586, exstat carmen bucolicum Severi Sancti seu Rhetoris de Mortibus boum, ubi hoc miraculum enarratur : *Hoc signum mediis frontibus additum Cunctarum pecudum certa salus fuit.*

133. In uno ex antiquissimis Vaticanis heterodoxus aliquis ad marginem recenti manu posuit : *Non bene.* SS. Patres, qui Domini crucem his et similibus præconiis prosecuti sunt, vide apud Gretzerum de Cruce.

135. In Brev. Moz., *tales*, male, pro *tali*.

137. Aldus, *Procul, procul*, omisso *o*, quod cæteri habent. Alex., *vagantium* pro *vagantum*. Id ob metrum retinendum. Prudentium videtur imitatus S. Eugenius Toletanus episcopus epigram. 29, pag. 32, inter opera SS. Patrum Toletanorum, studio et expensis D. Francisci de Lorenzana archiepiscopi Toletani edita : *Versus supra lectum : Imperat omnipotens, procul o procul effuge, dæmon*, etc. Confer ejusdem Eugenii versus supra lectum part. 2 operum, epigr. 3 et 4, ubi ait : *Crucis almæ fero signum : fuge, dæmon.*

140. Heinsio non displicet origo et orthographia glossæ in *præstrigiator*. Alii scribunt *præstigiæ* quasi *præstegiæ* a *tego*, quod illudant prætegantque oculos. Idem Heinsius tuetur *actu* pro *astu* cum Put., Egm., et Noms. Malo *astu* cum Ald., Weitz., Nebr., Gis., Alex., Vatt. A et B, Rat., Prag. et aliis. Etenim cohæret sensus : *præstigiator, serpens tortuose, fraudes* postulant, legi *astu pertinaci*. Chamillardus et Cellarius Heinsium secuti sunt. In Brev. Moz., *æstu* videtur ex *astu*. Teolius præfert *actu* ex membranis, non D *astu*. Sed etiam membranæ vetustissimæ habent *astu*.

141. Diabolum serpentem tortuosum [illegible] Patres appellant. Philippus presbyter [illegible] S. Hieronymi, in cap. XXVI Jobi, [illegible] *utique ille serpens, qui est call*[illegible] *bus super terram.* S. Gaud[illegible] potius Serminium, *Cuj*[illegible] Phœbadius in lib. c[illegible] *per anfractus evolv*[illegible] *cedens.*

142. Prima [illegible] produci solet [illegible] prehensori[illegible] *mæande*[illegible] test pr[illegible]

145. Ald[illegible] et sensu. De ha[illegible]

Hic Christus est, liquesce :
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.
Corpus licet fatiscens
Jaceat recline paulum,
310 Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.

VII. HYMNUS JEJUNANTIUM.

O Nazarene, lux Bethlem, Verbum Patris,
Quem partus alvi virginalis protulit,
Adesto castis, Christe, parcimoniis,
Festumque nostrum rex serenus aspice,
311 Jejuniorum dum litamus victimam.
Nil hoc profecto purius mysterio
Quo fibra cordis expiata vivescat,
Intemperata quæ domantur viscera,
Arvina putrem ne resultans crapulam
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subjugatur luxus, et turpis gula,
Vini atque somni degener socordia,
Libido sordens, inverecundus lepos,
Variæque pestes languidorum sensuum.
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu, et cibo,
Jejuna rite membra non coercuas,
Sequitur, frequenti marcida oblectamine,
312 Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusque pigris stertat in præcordiis.
Frenentur ergo corporum cupidines,

GLOSSÆ VETERES.

146. Liquesce, *evanesce, aeflue*, l. *Vanesce*, Vat. A.
149. Fatiscens, *deficiens*, Iso.
150. Recline, *reclinatum*, Vat. T et Iso.
3. Parcimoniis, *abstinentiis*, Iso.
5. Litamus, *sacrificamus : quidam putant, a litoribus dicta lita, id est sacrificia, quia post navigationem in litoribus maris sacrificabant; sed falsum est, nam litus* *prima longa est, litum brevis*, I.
7. Expiatur, [illegible]
10. Obstrangulatæ, *suffocatæ*, [illegible]
11. Subjugatur, *domatur*, Iso.
12. Degener, *ignobilis*. — [illegible]
13. Lepos, [illegible]
15. Parcam, *arctam*, I.

COMMENTARIUS.

146. Silius Italicus ex correctione Barthii initio lib. XVI : *Hannibal ipse etiam jam jamque modestior annis Ire videbatur, Martisque liquescere famam.*

149. Alii scribunt *fatescens.*

150. Fabr. et Vat. O, *reclive*, quod vehementer Chamillardo arrisit, quamvis fere omnes codices habeant *recline*, rejicitque Nebrissam, quod versum Ovidii Metam. x allegaverit pro *recline*, quem ita Chamillardus legit, *Inque sinu juvenis posita cervice reclivis*, neque usquam *reclinis* legi testatur. Giselinus, qui ex manuscr. *recline* prætulit, Lambini judicium secutum se ait, qui ita in suo Horatio legit. Locus quærenti Giselino non se obtulit. Fabricius ex Virgilio protulit *posita cervice reclinis*. Ovidium voluit dicere, ubi cum aliis lego *renidens*; in Prudentio, Martiale, Tacito, *reclinis*, sicut Lambinus sat. 2 lib. II Horatii in Horatio, et aliis *acclinis*, non *acclivis*. Id, opinor, legerat Giselinus. Seneca epist. 26 : *Solet obrepere somnus in aliquod adminiculum reclinatis.* Isidorus lib. I Different. ait : *Inter decline et declive hoc interest, quod declinis sol, declivus locus : sic intelligendum est accline, acclive, ut acclivus* (lege *acclinus*) *homo, acclivus locus.* Idem dicam de *reclinis* et *reclivis*; et in Isidoro legam *acclinis homo, acclivus locus*, et *hoc acclivum dicitur*, non *ex hoc acclivum dicitur*. Et supra *declivis locus*. In Brev. Mozarab. mendum est, quod nostram lectionem confirmat, *reclinet paululum* pro *recline paulum*. Nebrissa exponit *reclinatum in lecto* : et simili modo Chamillardus hymn. 5 Perist. vers. 365, ubi legit *recline*, [illegible] constans. Pro *paulum* Ald., Vat. A, Rat., [illegible] Gold. agnoscit utrumque. Prag., male, [illegible]

152. Rat., *meditatur*, inepte, pro *meditabimur*, [illegible] etiam versus exposcit. Christum sub ipso [illegible] -ditari proprium est eorum qui vigilantes [illegible] -atur, meditantur, quorum cor vigilat, etiam [illegible] [illegible] mel Teolius ex uno Vat. inferioris ætatis [illegible] -marunt, nota conclusionem hujus hymni, [illegible] -linus carPrudentium : *Gloria æterno Patri*, [illegible] *victum faciregi, Paraclitoque sancto, Et* [illegible] *enatæ cauli-*Ballerinii in præfat. append. oper. [illegible] -rial, animalcula ferunt aliam hujus hymni clau[illegible] animalia ejus stropha imperite compact[illegible] quoque *premo, Quem nemo vidit* [illegible] [illegible] -libus *sto, et Spiritui benigno.* Scili[illegible] cap. III crucis, a nonnullis S. Ze[illegible] quistas hac conclusione et sept[illegible] -im-

hymni Prudentii.

Jejunantium. [illegible] Augu-per ferias hebdomadæ [illegible] antiquis cis corruptum. [illegible] dixi, in-dies jejunii, præcipue [illegible] -stionem,

1. Ald., Vat. [illegible] silvas avo-plerique et [illegible] fissuris ela-Weitzius. Giselinus [illegible] melle manante, confirmat [illegible] omnino creden-*Et in Bethlehem* [illegible] -at, ejusmodi mel principibus [illegible] multo minus non hymn. 12, vers. 7 [illegible] -ndam quo Joannes,

4. Scilicet [illegible] -litus fuerit. Rabanus [illegible] -m, mel quo S. Joannes [illegible] -m candida et tenera quæ, cur dicatur [illegible], odorem et saporem melris. [illegible] existimant esse humorem ex et [illegible] -um, alii mel ericeum, de quo dies. [illegible] 46, ex erica frutice autumni tem-

5. [illegible] -ter Cornelium a Lapide ad cap. III Græc. [illegible] 117 et 118 Dittochæi.

Lat. [illegible] Aldi *corporis vetus.*

[illegible] -us in cod. Daventriensi lectionem in-[illegible] vel æque aptam, vel meliorem vulgari [illegible] -t, scilicet : *Hortator ille primus, et doctor* [illegible] -*utis, atque gratiæ doctor novæ.* In Mærano [illegible], qui dux fuit Giselino ad suas emendationes, [illegible] -ius erat hic locus. Hæc varietas lectionis non indicata neque a Weitzio, neque ab Heinsio, neque a recentioribus.

73. Ald., Nebr., Urb., Vat. Q, Brev. Moz., *veterum pietas*. Vatt. B, I, Prag. Rat., Gold., Vidm., Weitz., *pie vetustas*; Hailsb. contra metrum, *vetustas pie*. Legendum est cum Heinsianis, Bong., Wid. supra, Gis., *veterum piatas* : quod reperio in Alex., Vatt. O, P. Nebrissa suspicabatur *vietus*, ut supra *vieto in pectore*; vel *pietas* interjective positum, ut apud Virgilium, *Heu pietas, heu prisca fides!*

75. Spiritum sanctum super alios, quos Joannes baptizabat, specie visibili descendisse non recte colliges ex hoc loco. Vide comment. ad vers. seq. Narrationem Amphilochii in Vita S. Basilii, alias etiam ad Jordanem columbam Spiritus sancti descendisse, rejiciunt Baronius, et contra Franciscum Combefisium Bollandiani. Vide Commentar. Victorii de æneo nummo veter. Christ.

Detersa et intus emicet prudentia :
Sic excitato perspicax acumine,
Liberque flatu laxiore spiritus
Rerum parentem rectius precabitur.
Helia tali crevit observantia,
Vetus sacerdos, ruris hospes aridi :
Fragore ab omni quem remotum, et segregem
Sprevisse tradunt criminum frequentiam.
Casto fruentem Syrtium silentio.
313 Sed mox in auras igneis jugalibus,
Curruque raptus evolavit præpeti,
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus quietum mundus afflaret virum,
Olim probatis inclytum jejuniis.
Non ante cœli principem septemplicis
Moses tremendi fidus interpres throni
Potuit videre, quam decem recursibus
Quater volutis sol peragrans sidera
Omni carentem cerneret substantia.
Victus precanti solus in lacrymis fuit :
Nam flendo pernox irrigatum pulverem
Humi madentis ore pressit cernuo :
Donec loquentis voce præstrictus Dei
314 Expavit ignem non ferendum visibus.
Joannes hujus artis haud minus potens,
Dei perennis præcucurrit Filium :
Curvos viarum qui retorsit tramites,
Et flexuosa corrigens dispendia,
Dedit sequendam calle recto lineam.
Hanc obsequelam præparabat nuntius,
Mox adfuturo construens iter Deo,
Clivosa planis, confragosa ut lenibus
Converterentur, neve quidquam devium
Illapsa terris inveniret Veritas.

GLOSSÆ VETERES.

22. Detersa, *mundata*, I.
23. Excitato, *elevato*, Iso.
27. Sacerdos, *propheta*. — Ruris aridi, *eremi*, I. *Jepte, dum iret ad præliandum contra gentes, vovit, se Domino immolaturum, quidquid ei revertenti a prælio cum victoria occurrisset. At ille victor effectus, domumque revertens, invenit filiam sibi obviam cum tympanis venientem, quam voluit Domino sacrificare. Phinees autem sacerdos eam defendere non valens, relicto sacerdotio, adiit desertum. Ergo Judæi æstimant* (Vat. I, *autumant*) *eum fuisse Heliam. Unde a Prudentio vocatur vetus sacerdos*, Vat. A *et* I.
28. Segregem, *segregatum*, I.
29. Tradunt, *dicunt*, I.
30. Syrtium, *arenarum, solitudinum, saxorum syrtes, petrosaque terra*, I. *Eremi*. Vat. A.
31. Jugalibus, *quadrigis*, I.
34. Afflaret, *inveniret*, I.
40. Carentem, *ipsum Moysem*. — Substantia, *cibo, ciborum*, I.
43. Cernuo, *inclinato, curvo*, I.
44. Præstrictus, *tactus, captus*, I.
49. Flexuosa, *devia*. — Dispendia, *pericula, vel errores*, I.
50. Lineam, *viam*, I.
51. Obsequelam, *obsequium, vel obedientiam*, I.
53. Confragosa, *ardua, vel aspera*, I.
54. Converterentur, *commutarentur*, I.

COMMENTARIUS.

22. Put., Thuan., Vat. A, Prag., Alt., *Detersa et*. Alii *Detersa ut*.

26. Male Alex., Brev. Moz., Ald., Vatt. A, Q, *Helias*.

27. In Vat. A, minus bene, *ruris et hospes*. Lib. III Reg. cap. XVII, 2 et seq.: *Et factum est verbum Domini ad eum, dicens : Recede hinc, et vade contra orientem, et abscondere in torrente Carith*, etc. Chamillardus apposite notat, Heliam sacerdotem fortasse dici, quia holocaustum Domino obtulit, de quo agitur lib. cit. Reg. XVIII. Vide vers. 4 hymni 9 *Omni hora*, ubi David quoque vocatur sacerdos. Nebrissensis *prophetam* intelligit. Glossa non placet.

28. Multa affert Savaro de *segregis* vocabulo ad verba Sidonii, *Segreges facti* pag. 532, ex Seneca et aliis.

29. Conjici potest *civium frequentiam*.

30. Prima Syrtis vel Syrtium significatio spectat ad duplicem sinum maris Libyci periculosissimum, inde ad solitudines mediterraneas Libyæ extenditur. Has indicat Horatius lib. I, oda 22, *Sive per Syrtes iter æstuosas :* nisi mavis, Horatium quævis loca deserta comprehendere voluisse, maxime arenosa et silicu-losa. Prudentius, quod antea *rus aridum*, nunc *Syrtes* appellat., vide Apoth. vers. 443.

31. Vide lib. IV Reg. cap. II, 11. Cham., male, *sex mox*.

32. Vetustiores Heins., Vat. A, *præpete*. Ald., Vat. B, Weitz., Gis., *præpeti* cum Brev. Moz.

33. Ut supra dixit, Heliam fugisse criminum frequentiam, quia in hominum frequentia crimina patrari solent, sic nunc raptum ait, ne quid sordium ex propinquo contagio contraheret. Vide cap. IV Sapientiæ vers. 10 et seqq. Essæi, quo laudandos suscepit Philo, in solitudinem secedebant, existimantes, *ut contagionem aeris corporibus, sic conversationem vulgi animo nocere*.

34. Non placet Iso : melius *inficeret afflatu suo*, nisi fortasse Iso vere scripserit *inficeret*.

36. Juvencus lib. I, *Scinditur auricolor cœli septemplicis æthra*. Mar. Victor lib. II, *motu septemplicis axis*. Isidorus ex Ambr. Hexaem. lib. II, cap. 4. *Philosophi autem mundi septem cœlos, id est planetas globorum consono motu introduxerunt*. Alia nunc tradunt de cœlo philosophi.

40. Vide cap. XXXIV Exodi vers. 28. Ex hoc et præcedenti capite inferri videtur, Moysem vidisse tergum Domini, antequam jejunium quadraginta dierum peregisset. Opinio de duabus tantum quadragesimis, a Moyse observatis, et probabilior et communior est.

41. Vetustiores Heinsiani, Vatt. A, B, I, Ald., Weitz., Egm., Gold., Hails., *precanti*. Bong., Gis., *precantis*. Widm. utrumque agnoscit. Sich., *Victus precantis solis in lacrymis fuit*. Obstat lex carminis in *solis*. Brev. Moz., *precantis solum in*, minus bene.

44. Rat., Bong. et Vulg., *perstrictus*. Optimi et plerique, *præstrictus*, ut sæpe alias apud Prudentium, a *præstringo*. Put. a manu prima habebat *perstrictus*. Teolius legit *præstrictus*, additque ita habere codd. mss., excusos vero *perstrictus*. At codd. mss. variant, et excusi optimi habent *præstrictus*, ut Ald., Weitz., Heinsius, Cell. Cham. et alii.

46. Rat., *non* pro *haud*, male. Vide cap. I et III Lucæ.

48. *Retorquere* est dirigere, reflectere.

49. In Rat. recenti manu erant addita hæc, *dispendia dedit sequendam*, prioribus erasis.

51. Hoc Plautino verbo *obsequela* sæpe usus est Prudentius, ut Cellarius notavit,

53. Weitz. cum aliis, *lenibus*, quod etiam habent nostri. S. Paulinus de S. Joanne Baptista Carm. 5, *Leniet aspera*. Aldus *lævibus* vel *levibus*, minus bene. Gis. 1 edit., *lenibus ;* edit. 2, *lævibus*. Heinsius edidit *lenibus ;* sed nihil animadvertit.

54. Vat. B, Rat., Wid., *ne vel*, quod Weitzius est

Non usitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis jam vieto in pectore
Matris tetendit serus infans ubera:
315 Nec ante partu de senili effusus est,
Quam prædicaret virginem plenam Deo.
Post in patentes ille solitudines,
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
Setisve tectus, hispida et lanugine,
Secessit, horrens inquinari, ac pollui
Contaminatis oppidorum moribus.
A Illic dicata parcus abstinentia
Potum, cibumque vir severæ industriæ
In usque serum respuebat vesperum,
Parvum locustis, et favorum agrestium
316 Liquore pastum corpori suetus dare.
Hortator ille primus, et doctor novæ
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas:
Sed tincta postquam membra defæcaverat,
Cœlo refulgens influebat Spiritus.

GLOSSÆ VETERES.

56. Non usitatis, *insolitis*. — Ortus, *natus est*, Iso.
57. Jam vieto, *vetulo, maturo, antiquo, viribus privato*, I.
61. Patentes, *vastas, amplas*, I.
64. Secessit, *seorsum recessit*. — Horrens, *expavens*, I.
65. Oppidorum, *populorum*, I.
66. Parcus, *afflictus, abstinens*, I.
67. Industriæ, *diligentiæ*, I.
69. Locustis, *locusta est genus avis digitalis longitudinis acri volatu, sed deciduo cito*. — Favorum, *non revera mel comedebat, sed confricata folia cujusdam* B *ligni, quæ gratum saporem habebant velut mel*, I.
73. Piatas, *immundas*. — Notas, *maculas*, I.
74. Defæcaverat, *expiavit, mundavit, purificaverat*, I.

COMMENTARIUS.

amplexus contra leges carminis. Ald. et cæteri recte *neve*. In Rat., *quiquam*, sed correctum manu recentiori *quicquam*.

57. Vatt. B, I, Prag., Rat., Widm., Gold. supra *vigeto*. Bong., *vigeto in corpore* pro *vieto in pectore*. Terentius in Eunucho act. IV, scena 4: *Hic est vietus, vetus, veternosus senex*. Varro lib. IV de Ling. Lat.: *Viere est vincire, a quo est in Asoto Ennii, Ibant mane viere veneriam corollam*. Hinc *victus* proprie flexus, et per translationem languidus. Nonnulli putant, secundam in *vieto* esse brevem ex Horatii versu oda 12 Epod., *Qui sudor vietis, et quam malus undique membris*; sed recte notat Ricciolius Ind. 2, eam produci a Plauto, Terentio, Lucretio et Prudentio, cum sit a *vieo, es, vievi, vietum*. Horatius excusari potest ob synæresin, ut secundus pes sit spondæus. Quintianus Stoa communem esse putat.

58. Aldus mendose *verbera* pro *ubera*, uti vers. seq., *necante* pro *nec ante*.

59. Breviar. Moz., male, *ante partum*.

60. Vat. A a prima manu, *prædicare*, quod recte est emendatum.

63. Vat. B, *setisque*, non male. In Rat., Vat. I et Gold. deest *et*; sed debet addi, ut melius sensui consulatur, nempe *hispida et lanugine*.

64. *Et* pro *ac* Vat. A, Gis., et Teol.

68. *In usque*, ut *ad usque* et *ab usque*.

69. Giselinus *parum* prius ediderat cum Aldo, ut ipse ait, inepte. Castigavit postea *parvum* duriuscule, ut ipsi videbatur, et conjiciebat legi posse *parcum*, quod Heinsio non displicebat. In Vat. P et Brev. Moz., *parum*. Heinsius cum solo Put. *rarum* elegit pro *infrequenti victu*. Teolius Heinsium exscribit, quamvis PARVUM *omnium pene codd. Vatt. esse* fateatur. Sed cum cæteri Heinsiani præter Oxonium, qui habet *parum*, legant *parvum*, adhæreantque Lat., nostri, et Weitziani, hoc tenemus. Ita Sedulius in hymno abecedario, *Et lacte parvo pastus est*, nam *modico* pro *parvo* sine ulla necessitate correctores hymnorum invexerunt. Duplex hic oritur controversia: altera, *locustæ*, quibus S. Joannes vescebatur, fuerintne genus avis, an herbæ; altera, an verum mel Joannes comederit. Plurimi veterum existimarunt, herbas fuisse hujusmodi *locustas*. S. Paulinus carmine 5 de S. Joanne Baptista: *Præbebant victum facilem silvestria mella, Pomaque, et incultis enatæ cautibus herbæ*. Alios omitto. Qui animadvertat, animalcula *locustas* dicta Levit. cap. XI, 21 et 22, inter animalia munda recenseri, et aliorum populorum hunc quoque fuisse cibum, vix dubitabit, quin his animalibus S. Joannes victitaverit. Joannes Maldonatus in cap. III Matth. hæreticos nonnullos exagitat, quod locustas cancros marinos interpretati fuerint, lege quidem immundos, et vetitos; sed quos Joannes esitaret, ut libertatem evangelicam jam tum doceret. *Quis enim*, inquit, *dubitat, Joannem Baptistam Calvinistam aut Lutheranum fuisse?* Quamvis autem alii, Euthymio et Theophylacto referentibus, herbas, alii pyra silvestria, alii arborum frondiumque summas partes, quod Nicephoro placuit, locustas esse putaverint; Maldonatus ipse cum Origene, Hilario, Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, aliisque fere omnibus antiquis interpretibus animalia, sive aviculas, quas dixi, interpretatur. Quod attinet ad alteram quæstionem, mel silvestre exponit esse, quod apes in silvas avolantes in arborum truncis, aut in rupium fissuris elaborant: quod in Palæstina, lacte et melle manante, ut ea terra in sacris Litteris vocatur, omnino credendum est accidisse. Non autem probat, ejusmodi mel fuisse amarum et ori insuave, ac multo minus non fuisse verum mel, sed rorem quemdam quo Joannes, C ut olim populus in desertis, alitus fuerit. Rabanus Maurus tenet hanc sententiam, mel quo S. Joannes pascebatur fuisse folia arborum candida et tenera quæ, manibus confricata et trita, odorem et saporem mellitum exhiberent. Alii existimant esse humorem ex arborum foliis collectum, alii mel ericeum, de quo Plinius lib. XI, cap. 16, ex erica frutice autumni tempore florente. Confer Cornelium a Lapide ad cap. III Matth., et vers. 117 et 118 Dittochæi.

70. Error est Aldi *corporis vetus*.

72. Giselinus in cod. Daventriensi lectionem invenit, quam vel æque aptam, vel meliorem vulgari existimabat, scilicet: *Hortator ille primus, et doctor novæ Salutis, atque gratiæ doctor novæ*. In Mærano codice, qui dux fuit Giselino ad suas emendationes, mutilus erat hic locus. Hæc varietas lectionis non est indicata neque a Weitzio, neque ab Heinsio, neque a recentioribus.

73. Ald., Nebr., Urb., Vat. Q, Brev. Moz., *veterum pietas*. Vatt. B, I, Prag. Rat., Gold., Vidm., Weitz., D *pie vetustas*; Hailsb. contra metrum, *vetustas pie*. Legendum est cum Heinsianis, Bong., Wid. supra, Gis., *veterum piatas*: quod reperio in Alex., Vatt. O, P. Nebrissa suspicabatur *vietus*, ut supra *vieto in pectore*; vel *pietas* interjective positum, ut apud Virgilium, *Heu pietas, heu prisca fides!*

75. Spiritum sanctum super alios, quos Joannes baptizabat, specie visibili descendisse non recte colliges ex hoc loco. Vide comment. ad vers. seq. Narrationem Amphilochii in Vita S. Basilii, alias etiam ad Jordanem columbam Spiritus sancti descendisse, rejiciunt Baronius, et contra Franciscum Combefisium Bollandiani. Vide Commentar. Victorii de æneo nummo veter. Christ.

Hoc ex lavacro labe dempta criminum,
317 Ibant renati non secus, quam si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat :
Micet metalli sive lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.
Referre prisci stemma nunc jejunii
318 Libet, fideli proditum volumine,
Ut diruendæ civitatis incolis
Fulmen benigni mansuefactum Patris
Pie, repressis ignibus, pepercerit.
Gens insolenti præpotens jactantia
Pollebat olim : quam fluentem nequiter
Corrupta vulgo solverat lascivia :
Et inde bruto contumax fastidio
Cultum superni negligebat numinis.
Offensa tandem jugis indulgentiæ
Censura, justis excitatur motibus,
Dextram perarmat rhomphæali incendio,
Nimbos crepantes, et fragosos turbines
Vibrans tonantum nube flammarum quatit.
Sed pœnitendi dum datur diecula,
319 Si forte vellent improbam libidinem,
Veteresque nugas condomare ac frangere,
Suspendit ictum terror exorabilis,

GLOSSÆ VETERES.

76. Hoc ex lavacro, *hoc non est auctoratum*, *nam Joannes in aqua tantum baptizabat, non in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti : ergo illius baptisma nihil proderat*, *nisi Christo viam præpararet baptizaturo*, Vat. A.

77. Non secus, *non aliter*, I.

78. Pulchrum, *adverbium*, *nomen pro adverbio*, I.

80. Sudum, *adverbium*, *serene*, *id est serenum*.

81. Referre, *dicere*. — Prisci, *antiqui*. — Stemma, *coronam*, *corona regalis*, Iso.

82. Libet, *figurant de Ninivitis*. — Proditum, *manifestatum* I.

83. Ut, *quomodo*. — Diruendæ. *destruendæ*, I.

86. Insolenti, *improba superbia*, I.

88. Vulgo, *ubique per populos*, I.

89. Bruto, *stulto*. — Contumax, *superba*, I. *Fastu*, *superbia*, Vat. A.

91. Offensa, *irata*, I.

92. Censura, *Dei judicium*, I.

93. Romphæali, *gladiali vindicta*, I.

96. Diecula, *tempusculum*, I. *Tempus breve*, Vat. A.

98. Nugas, *vanitates*, I.

99. Suspendit, *elevavit*, I.

COMMENTARIUS.

76. Teolius glossatoris Vaticani sententiam adversus Prudentium approbat : sed Prudentius non aliter locutus est, ac multi alii SS. Patres qui diserte aiunt baptismum Joannis a baptismo Christi diversum fuisse, et nihilominus baptismo Joannis peccatorum maculas ablutas esse profitentur. Sapienter Maldonatus adversus hæreticos, qui nullum discrimen inter utrumque baptismum agnoscunt, *Poetas*, inquit, ad cap. III Matth., vers. 11, *nobis Prudentium, et Juvencum aliquis objiciat*, *qui uterque baptismum Joannis Christi baptismo videntur æquiparare. Peccata enim remisisse dicunt. Possem respondere*, *non subtiliter, sed poetice locutos*; *sed non opus est poesi sententiam excusare*, *cum possimus in bonam partem interpretari. Multi enim veteres auctores eodem modo locuti sunt, qui iidem tamen negant*, *eumdem Christi, atque Joannis fuisse baptismum.* In eis recenset Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Gregorium Magnum, Bedam, Theophylactum. S. Lucas cap. III, 3 : *Et venit*, ait de S. Joanne, *in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ* IN REMISSIONEM PECCATORUM. Hunc oculos SS. Patres intenderunt, cum baptismo Joannis peccata fuisse remissa asseruerunt, quatenus scilicet ad pœnitentiam excitabat, qua peccata remitterentur, et ad Christi baptismum præparabat, quo, ut theologi loquuntur, ex opere operato maculæ criminum penitus eluuntur. Juvencus lib. I ad cap. III Marci : *Nunc ego præteritas maculas in flumine puro Abluere institui : veniet sed fortior alter*, etc. S. Paulinus carm. 5 de S. Joanne Baptista : *Diluit infusis credentum crimina lymphis*, *Absolvitque metus hominum*, *pœnasque remittit Atque ignem restinguit aquis : oblivia suadet Errorum*, *præstatque novæ nova corpora vitæ*. Basilius lib. de Baptism. : *Simul atque accesserat quis*, *et peccata sua*, *quantacunque et qualiacunque fuissent*, *confessus fuerat*, *in Jordanis flumine baptizabatur*, *et confestim peccatorum remissionem accipiebat*. Chrysostomus theologicam distinctionem edocet serm. 137 : *Erat penes Joannem venia*, *sed non sine pœnitentia : erat remissio*, *sed luctibus comparata*. Eodem sensu Spiritus, sive donum gratiæ, *cœlo refulgens* invisibili modo *influebat :* ut refellas Nebrissam et Giselinum*, qui id in Prudentio reprehendunt. Quin etiam cl. Bertius lib. XXXI de Theol. Disc., cap. 2, probat, Prudentii versus *Hoc ex lavacro*, etc., accipiendos esse de remissione in spe, et quæ lavacrum Joannis non comitaretur, sed consequeretur, quia eodem in loco cecinit, *Sed tincta* POSTQUAM *membra defæcaverat*, *Cœlo refulgens influebat spiritus*.

81. In Vat. A erat *stema*. An legendum *schema?* *Stemma* quidem est corona a στέφω : et quia Romani majorum suorum imagines in coronæ speciem in atriis disponebant, idcirco insignia familiarum dicta sunt *stemmata*. Hoc loco *stemma* significare poterit imaginem, seu nobilitatem, et antiquitatem, ac veluti seriem jejunii. Alii *stemma* illustre exemplum interpretantur.

82. Isonis glossa quo pertineat, non intelligo. Fortasse loco suo mota est, ut in his usu solet evenire, et post *stemma* tanquam diversa glossa legendum erit, *figuram de Ninivitis*.

84. In *mansuefactum* diæresis fieri solet in *sue*, ut versus constet. Teolius in uno Vat. invenit *benignæ mansuefactum dextræ :* quod lex metri non patitur.

88. Nebrissa melius quam Iso, *vulgo*, *communiter*, et *passim* exponit; qui etiam *fluentem nequiter* interpretatur *lapsum in libidinem*. Verbum *fluere* et *diffluere* de libidinosis sæpe usurpatur.

89. *Fastigio* pro *fastidio* Hails.

90. Egm., et Vat. A a prima manu, *vultum* pro *cultum;* quod postremum longe melius est.

93. Romphæa est teli genus Thraciæ : alii hastam, alii gladium dicunt.

94. Rat., male, *fragrosas*.

95. Ald., *nubem* pro *nube*, mendose.

96. Donatus in Andria act. IV, scena 2, et Eun. act. IV, scena 5, brevem moram interpretatur *dieculam*. Teolius ex nota unius Vat. ad marginem id secundum LXX dictum confirmat, quia hi tres tantum dies conversioni Ninivitarum assignant, quam lectionem cum alia Vulgatæ 40 dierum conciliare vult S. Augustinus lib. XVIII, cap. 49, de Civit. Dei. Sed animadvertendum, tempus etiam 40 dierum dici potuisse breve, et *dieculam*, cum de re gravissima ageretur, scilicet pœnitentia scelerum inveteratorum.

98. Vide proleg. num. 217 de verbo *condomare*, quod Blanchinius in *condonare* perperam mutavit. Prudentius *nugas* ponere solet pro libidine aut lascivia.

99. Melius *continuit manum* cum Nebrissa, quam *elevavit* cum Isone.

Paulumque dicta substitit sententia.
Jonam prophetam mitis ultor excitat,
Pœnæ imminentis iret ut prænuntius.
Sed nosset ille cum minacem judicem
Servare malle, quam ferire ac plectere,
Tectam latenter vertit in Tharsos fugam.
Celsam paratis pontibus scandit ratem :
Udo revincta fune puppis solvitur.
Itur per altum : fit procellosum mare.
Tum causa tanti quæritur periculi :
Sors in fugacem missa vatem decidit.
Jussus perire solus e cunctis reus,
Cujus voluta crimen urna expresserat,
Præceps rotatur, et profundo immergitur.
320 Exceptus inde belluinis faucibus,
Alvi capacis vivus hauritur specu.
ransmissa raptim præda cassos dentium
Eludit ictus, incruentam transvolans
A Impune linguam ; ne retentam mordicus
Offam molares dissecarent uvidi,
Os omne transit, et palatum præterit.
Ternis dierum, ac noctium processibus
Mansit ferino devoratus gutture.
Errabat illic per latebras viscerum ;
Ventris mæandros circumibat tortiles
Anhelus, extis intus æstuantibus.
Intactus exin tertiæ noctis vice
Monstri vomentis pellitur singultibus,
321 Qua murmuranti fine fluctus frangitur,
Salsosque candens spuma tundit pumices,
Ructatus exit, seque servatum stupet.
In Ninivitas se coactus percito
Gressu reflectit ; quos ut increpaverat,
B Pudenda censor imputans opprobria,
Impendet, inquit, ira summi vindicis,
Urbemque flamma mox cremabit : credite

GLOSSÆ VETERES.

104. Plectere, *punire*, Iso.
105. In Tharsos, *cum debuisset navigare Ninivem*, *fugit in Tharsos*, I.
108. Per altum, *profunditatem*, I.
110. Vatem, *prophetam*, I.
115. Capacis, *vasti*.— Specu, *scilicet in*.—Hauritur, *sumitur*, *voratur*, Iso.
116. Raptim, *velociter*. — Cassos, *vacuos*, I.
117. Eludit, *decipit*, *fallit*, I.
118. Mordicus, *mordaciter*, I.
119. Uvidi, *uvidi dicuntur molares*, *quia semper saliva perluuntur*, Vat. A.
124. Mæandros, *recessus*, *secreta*, I.
126. Exin, *mox*, Iso.
131. Percito, *veloci*, I.
133. Censor, *judex*. — Imputans, *numerans*, I.
135. Credite, *mihi*, I.

COMMENTARIUS.

100. In Prag. prius *paulum*, sed inepte factum est *paululum*, cui metrum repugnat.

101. Hymno 6, vers. 93, *benignus ultor*. Sic nunc *mitis ultor*, et supra *fulmen mansuefactum*, *terror exorabilis*.

103. Heins. cum Put., Thuan., Noms., uno Torr., Oxon. in marg., *ille qui*. Ald., Gis., Weitz., et nostri, *ille cum*. Rott., *ille dum*.

104. Burmannus tom. I Antholog., pag. 736, conjicit *ac perdere*, quia præcedit *servare*.

105. Quænam sit hæc civitas, non una est interpretum sententia. Alii civitatem Ciliciæ, alii Carthaginem, alii Africam, alii mare Mediterraneum interpretantur ; nonnulli Indiæ regionem volunt esse, quidam Tartessum in Hispania. Probabilis mihi est opinio Bonfrerii in notis ad Onomasticum urbium et locorum sacræ Scripturæ, hoc nomine universe significari ea loca quæ navibus adiri possunt et solent, sive insulæ sint, sive loca transmarina.

108. Sich., *iter* pro *itur*, minus bene.

109. Weitzius et Cellarius nescio ubi invenerint *causa tanta*.

114. Non desunt interpretes qui cete illud balænam fuisse affirment, aliis repugnantibus, quod balæna arctiori sit gutture, quam ut hominem integrum glutire possit. Prudentius paulo post dicit *dentium* et *molares*, quod balænis convenire nonnulli negant. Alii non unius speciei balænas esse affirmant, et alias quidem nullo dente, alias unico, alias pluribus gaudere tradunt. Ceti nomine omnes pisces majoris cujusdam molis comprehendi, passim traditur. Piscem grandem, qui Jonam devoravit, fuisse eum qui *charcarias* dicitur, multi opinantur : cujus effigiem exhibet Aldrovandus lib. XIII, cap. 12 de Piscibus.

115. In Vat. A, *haritur*, a veteri manu.

119. Ald., Gis., Fabr. et alii cum Brev. Moz., *vividi*, quod Nebrissensis interpretatur *vividi*, *acuti*. Vatt. A et B, Prag., Rat., Heins. cum duobus vetustissimis *uvidi*. In Put., *disseparent*. Vat. A, *dissicarent*. Vat. B, *desecarent*. *Offa* accipi solet pro quali-bet massa informi quæ in os injicitur. Ejus diminutivum *ofella*.

121. Hails., *præcessibus*, perperam.

124. Ald., Nebr., Gis., nostri et Weitziani codd. præter Widm. in textu, Brev. Moz., Gallandius cum Tornaes, *recessus* pro *mæandros :* in Widm. etiam C ad marginem *recessus*. Weitz. et Heinsius cum Put., Oxon., Nom., Rot. et uno Torr. Vat. Q et Alex. ad oram, *mæandros*, quod magis placet : nam *recessus* videtur glossa, aut correctio alicujus, qui mæandros primam producere scierit, neque animadverterit, a Prudentio correptam hymno 6, vers. 142. In Egm., *ventris recessus tortilis*, quasi venter tortilis dicatur ; non placet. Pro *circumibat* alii edunt *circuibat*.

126. Alt., et a manu prima Egm., *vicem;* melius *vice*.

127. *Evomentis* sive Altinius, sive Egmondanus potius ; non enim clare locutus est Heinsius. Eques Victorius in prima littera dissertationis philologicæ exprimi curavit Jonam prophetam ex vetusta gemma, expansis elatisque manibus erumpentem, et fere medium prominentem ab ore ceti.

129. Mendum Vat. A *cadens* correctum est, ut sit *candens*. Apud Minucium Felicem aliqui legunt : *Ibi arenas extimas*, *velut sterneret ambulacro*, *perfundens* D *lenis unda tendebat*. Alii restituunt *tundebat*. Elmenhorstius adducit auctoritatem S. Hieronymi, qui similiter eo verbo utitur, et hunc locum Prudentii ; sed metrum corrupit uno verbo mutato : *Salsosque candens spuma tundit silices*. Ouzelius errorem transcripsit. Quid ergo mirum, si olim monachis tantum florentibus, ejusmodi maculæ Prudentio adhæserint, et ex uno in aliud exemplar permanaverint ? De cana et candenti spuma fluctuum multa ibi Ouzelius, et nihil frequentius apud poetas quam tempestates describere.

131. Aliqui. *Ninevitas* scribunt.

134. Vat. B, *judicis*, sed videtur fuisse *vindicis*. Rat. et alius Vat. apud Teol., *judicis*. Brev. Moz., *impendit*.

Apicem deinceps ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum turbidæ
Fumum ruinæ, cladis et diræ struem,
Tectus flagellis multinodi germinis,
Nato et repente perfruens umbraculo.
322 Sed mœsta postquam civitas vulnus novi
Hausit doloris, heu! supremum palpitat.
Cursant per ampla congregatim mœnia
Plebs, et senatus, omnis ætas civium,
Pallens juventus, ejulantes feminæ.
Placet frementem publicis jejuniis
Placare Christum: mos edendi spernitur.
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis, proque gemma, et serico
A Crinem fluentem sordidus spargit cinis.
Squalent recincta veste pullati patres,
Setasque plangens turba sumit textiles.
Impexa villis virgo bestialibus,
Nigrante vultum contegit velamine,
Jacens arenis et puer provolvitur.
323 Rex ipse Coos æstuantem murices
Lænam revulsa dissipabat fibula,
Gemmas virentes, et lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum
Turpi capillos impeditus pulvere.
Nullus bibendi, nemo vescendi memor:
Jejuna mensas pubes omnis liquerat:

GLOSSÆ VETERES.

138. Struem, *congeriem, cumulum*, I.

139. Flagellis, *surculis*. — Germinis, *cucurbitæ*, I.

142. Hausit, *audivit*, I.

146. Frementem, *irascentem*. — Publicis, *manifestis*, Iso.

148. Glaucos, *nigros, canos*, Iso.

151. Bullati, aliter pullati, *induti, ornati, gemmati. Pullati, i. e. nigri; qui in luctu vestibus nigris utuntur. Pulla vestis nigra dicitur, inde pullati patres, i. e.* B *nigri*, I.

152. Setasque, *ciliciis induebantur*, Iso.

156. Coos, *Græcos. Coensis, ab insula ubi nascitur*, I. *Coa est insula ubi optima purpura invenitur*, Vat. A. — Æstuantem, *ostendentem*. — Murices, *purpuram, purpuræ regalis*, I.

157. Lænam, *pallium imperatorum, genus vestis, pallium*. — Dissipabat, *scindebat*, I.

160. Impeditus, *fœdatus, maculatus*, I.

COMMENTARIUS.

136. Ald., *deinde*, minus bene; reliqui, *deinceps*. Teolius, nescio, an data opera *deinde*, nullum enim allegat cod.

137. Prag., *turbidum*; alii *turbidæ*.

139. Weitz., Gis., Teol., Vatt. B, I, P, Q, Urb., Rat., *multinodi*: quod Cellarius amplexus est, quia suavius profertur, et Apuleius usus est *multinodis voluminibus, multinodis ictibus*. Vat. O, mendose, *multimodi*, quod exstat etiam in Brev. Moz. Codex Alex., et Put. *multinodis* a *multinodis, multinode*, ut *trinodis, enodis*. Idem Egm., et Palat., et hoc comprobant Ald. et qui cum eo legunt *multimodis* mendose: non enim patitur carmen, uti neque *multimodi*, quod Pragensi insedit. Cellarius, et cum eo Teolius Heinsium arguunt, quod is negaverit *enodus* et *trinodus* dici. At Heinsius edidit *multinodi*, et solum ait in notis: *Sic clava* TRINODIS *poetis, non trinoda, et* ENODE *lignum*. Vide cap. IV Jonæ, vers. 6. Verior videtur sententia, fruticem Hebraice dictum *quiquaion* tantum nasci in Palæstina; hinc Græci, quibus hoc virgultum ignotum erat, *cucurbitam* verterunt, S. Hieronymus *hederam*, cui similius est. Ex picturis antiquis, ubi Jonas sub arbore dormiens exhibetur, ut in vitro antiquo olim musei Victorii, solum arguitur, auctorem picturæ in hac vel in alia fuisse sententia. Vide dissertationem Victorii de septem dormientibus, qui incassum conatur persuadere, auctoritate vitri sui antiqui, quo Jonas sub cucurbita repræsentatur, hanc quæstionem facile definiri.

140. Prag., *perfruente*, mendose. Brev. Moz., *hic et repente*.

142. Brev. Moz., male, *auxit* pro *hausit*.

143. Widm., *congregati*, non ita bene.

145. Hails., *pallans*; forte *palans*.

147. Latinius difficultatem hanc excitat: *At Christus nondum natus erat*. Eam præcepit ac dissolvit Nebrissa. Vide vers. 68 hymni 4.

150. Ald., *sordibus* cum Vat. A et aliis.

151. Heins. cum Put., Thuan. et aliis, *pullati*, quod habent etiam nostri. Weitz. cum Hails. et Gold., *bullati*. Utramque lectionem videtur Iso agnovisse. Pro *recincta* aliquis *relicta*.

152. Rat., *turma*; melius *turba*.

153. Vossius et Borrichius proscripserant vocem *bestialis*; eam ex Prudentio Cellarius sæculo æneo restituit.

154. Vat. A pro div. lect., *nigranti*. Carmen *nigrante* exigit. Hymn. 2 Perist., vers. 379, *nigrante sub velamine*.

156. Vat. B, Prag., Rat., Sich., Gold., Hails., Bong., Wid. ad oram *Chios*. Alii *Coos*, quod verum est: nam celebres erant vestes tenuissimæ, quæ fiebant in insula Coo. Vide Ovid., Proper., et alios C poetas. Prag. in mar. *Choos* indicat hoc ipsum *Coos*. Vat. A, *murice*, sed recentiori manu factum *murices*. Puto *Coo æstuantem murice*, quod in suis exemplaribus Torrentius invenit, et castigandum censuit *Coo exæstuantem murice*. Mihi non displicet illa lectio etiam sine castigatione. Etenim Prudentius, quod in verbis Græcis facere solet Virgilius, interdum vocalem ultimam per dialœphen non elidit. et hoc loco imitatus videtur illud IV Æneid., *Tyrioque ardebat murice læna*. Nihilominus Heinsius lectionem, quam codices constanter tuentur, vindicare satagit, pluribus allatis exemplis ex Prudentio et aliis, ut *æstuare sitim, cursum, æstum, annum*, et similia, quæ existimo, nonnihil esse diversa a re nostra *æstuare murices;* et ut concedam, dici posse, dubium semper mihi erit, an Prudentius id maluerit, quam *Coo æstuantem murice*. Locum hunc imitatus est Alcimus Avitus lib. IV, *Projicit hinc sceptrum, linquit sublime tribunal, Pallia blattarum spreto diffibulat auro, Serica despiciens*. De fibula vestiaria vide Pignorium in D comment. de Servis, pag. 78.

159. Hæc omnia ad dolorem significandum spectant, *scindere vestem, coronam regiam abjicere, cinere capillos conspergere*. Paschalis de Coronis ex his versibus probat usum abjiciendi diadema in magno aliquo dolore; ut etiam in metu ex aliis versibus Apoth., *Ipse quoque exanimis*. Vide ejus cap. 11, lib. X.

160. Paschalis legebat *impeditos*, et inepte monuit legendum *impediens*.

161. Agobardus in lib. adversus Amalarium hos versus allegat, et interpretationem Prudentii laudat: *A majori usque ad minorem. Videlicet usque ad lactentem, sicut senserunt, qui de hac laudabili pœnitentia scribere voluerunt: e quibus unus Prudentius, vir doctus, Nullus, inquit, bibendi*, etc.

162. Agobardus loc. cit. pro *omnis* habet *omnes*, quod exstat in Vat. A, Egm. et Weitz. *Pubes* an

Quin et negato lacte vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ:
324 Succum papillæ parca nutrix derogat.
Greges et ipsos claudit armentalium
Solers virorum cura, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,
Potum strepentis neve fontis hauriat;
Vacuis querelæ personant præsepibus.
Mollitus his, et talibus, brevem Deus
Iram refrenat, temperans oraculum
Prosper sinistrum: prona nam clementia
Haud difficulter supplicum mortalium
Solvit reatum, fitque fautrix flentium.
Sed cur vetustæ gentis exemplum loquor?
Pridem caducis cum gravatus artubus
Jesus, dicato corde jejunaverit:
Prænuncupatus ore qui prophetico
325 Emmanuel est, sive NOBISCUM DEUS
Qui corpus istud molle naturaliter,
Captumque laxo sub voluptatum jugo,
Virtutis arcta lege fecit liberum,
Emancipator servientis plasmatis,
Regnantis ante victor et cupidinis.
Inhospitali namque secretus loco,
Quinis diebus octies labentibus,
Nullam ciborum vindicavit gratiam,
Firmans salubri scilicet jejunio
Vas appetendis imbecillum gaudiis.
Miratur hostis, posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere, ac perpeti.
326 Explorat arte sciscitator callida,
Deusne membris sit receptus terreis:

GLOSSÆ VETERES.

164. Cunulæ, *cunabula*, I.
168. Rorulenta, *humida*, Iso.
169. Strepentis, *ebullientis*, *bullientis*, I.
172. Oraculum, *responsum*, *minam*.
173. Prosper, *propitius*. — Sinistrum, *minacem*, I.
175. Fautrix, *adjutrix*, Iso.
181. Molle naturaliter, *quod naturaliter infirmum est et fragile*, I.
184. Emancipator, *liberator*, *domitor*. — Plasmatis, *corporis*, I.
185. Cupidinis, *quia cupidinem*, *quæ antea regnabat in hominibus*, *ipse devicit penitus*, I.
188. Vindicavit, *usurpavit*, I.
190. Gaudiis, *cœlestibus*, *non sæcularibus*, I.
191. Tabidum, *tabescentem*, I.

COMMENTARIUS.

pubis scribatur, parum interest, dummodo constet, ultimam hoc loco corripi. Cellarius monet legendum *jejuna*, non *jejunas*, quod postremum a nemine dictum novi.

165. Vat. A. Put., Ambr., Oxon., Alex., unus Torrent., Weit., Pal., Bong., Hailsb., *derogat*. Alterum *denegat* sapit glossam; quod tamen exstat in Vatt. B, I, Prag., Ald., Gis., Hailsb. supra, et in Brev. Moz. Constat, Agobardum loc. cit. legisse *derogat*. Teolius legit ex mss. *derogat*, et in impressis ait esse *denegat*. Sed utrumque exstat tam in impressis quam in mss. Heins., Cel., Cham. post Veitz., *derogat*. Noms. vero *abnegat* cum Vat. Q.

166. In Ox., *armentarium* quasi armentariorum. Virgilius et *armentarius* et *armentalis* utitur.

168. Vossius et alii negarunt, Latinam vocem esse *rorulentus*. Ea usi sunt Columella, Plinius, Solinus.

169. Aldus diserte *hauriant*, quod in Thuan. et Ox. repertum Heinsio placuit. Sed cum præcesserit *contingat*, et in reliquis sit *hauriat*, hoc præfero.

173. Plerique *prosper*, quod optime cohæret cum verbo sequenti *sinistrum*. In duobus Heinsianis *prospere*, quod parum congruit. In uno Torren., *propter*. Sichardus margini apposuit, *Propter habent nonnulli codices*, *tanquam propere dicas*. Gis. 2 edit., *propere*; in 1 edit. hoc ipsum ad oram, in textu *prosper*. Brev. Moz., Fabr., Bong., *propere*.

174. Ald., Weit., Bong., Gold. a prima manu, Gis. 1 edit., Vat. A, *supplicem*. Vat. B, Prag., Rat., Gold. supra, *supplicum*.

178. Verbum *jejunare* solum reperitur apud ecclesiasticos scriptores, Tertullianum, Hieronymum et alios.

179. *Prænuncupo* ex analogia formatum, Exemplum antiquius deest.

181. Cham. edidit *corpus illud*.

184. Thuan. scribit *ecmancipator*.

186. Vides originem jejunii quadragesimalis: nam infra vers. 196, *Hoc nos sequamur*. Binghamus, qui lib. XXI, cap. 1 Antiq., tuetur, probabile esse, initio jejunium fuisse 40 horarum, non 40 dierum, ad hæc et similia SS. Patrum verba noluit animum advertere. Leges ipsæ imperatorum, quas ad vers. 14 hymni seq. exhibemus, quadraginta dies fuisse testantur. Equidem potius crediderim, in jejuniis remissionem aliquam esse invectam, quam ut quadraginta horæ in quadraginta dies fuerint conversæ.

187. Loquitur de quadraginta diebus, quibus jejunavit Christus Dominus. Hæc omnia habes cap. IV Matth. et cap. IV Luc.

188. *Gratiam ciborum* Nebrissa interpretatur suavitatem. Hic accipitur pro munere, favore, beneficio, quod nobis confertur. Vide hymn. 11 vers. 5. *Heu quam fugacem gratiam*.

190. Corpus vocat *animæ vas*, uti S. Paulinus de obitu Celsi: *Sola resurgendi caro perceptura vigorem*, *Quæ rationalis vas animæ fuerit*. Ex I Thessal. IV, 4, *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore*. Lupius, tom. I, dissert. 11, pag. 203 et seqq., probat multis exemplis, animas in sepulcris Christianorum sub columbarum specie effingi prope vas quod symbolum est corporis, uti columba symbolum est animæ. Vide Apoth. vers. 1025, et Hamartig. vers. 281. In cado vini corpus etiam repræsentari, quasi vino anima exprimeretur, idem Lupius suspicatus est. Vide comment. ad hymn. 9 vers. 28.

191. Non semel Prudentius *limum* de corpore humano dixit, quod ex luto factum.

194. Vat. A, mendose, *sit recertus*. Mira Dei providentia factum est ut mysterium Incarnationis diabolo celaretur, eique ignotus esset partus Virginis deiparæ. Rationem S. Ignatii martyris aliorumque Patrum, Christum a desponsata conceptum, ut ejus ortus ex virgine celaretur diabolo, explicant et defendunt Petavius aliique theologi. Hoc signum datum fuerat advenientis Messiæ. Isaiæ cap. VII, 11 et seqq.: *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo..... Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet et pariet filium*. Quærat aliquis quale hoc signi genus fuerit, si, ut partus Virginis celaretur diabolo, ea Josepho erat desponsata. Qua enim ratione Hebræi ex virgine natum Jesum scire poterant? Hanc quæstionem duobus distichis quidam complexus est et dissolvit: *Virgineum partum signum, pignusque salutis Promissæ Hebræis esse Deus voluit. Qui nosse id poterant? moniti si nempe Mariæ In vultum, et mores Virginis inspicerent*. Quod epigramma in gratiam cl. Josephi Bustinzuria, quem immaturo funere nuper raptum

A Sed, increpata fraude, post tergum ruit.
Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
Quod consecrati tu magister dogmatis
Tuis dedisti, Christe, sectatoribus,
Ut cum vorandi vicerit libidinem,
Late triumphet imperator spiritus.
Hoc est, quod atri livor hostis invidet,
Mundi polique quod gubernator probat,
Altaris aram quod facit placabilem,
Quod dormientis excitat cordis fidem,
327 Quod limat ægram pectorum rubiginem.
Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt nives,
Ut turbidarum scabra culparum seges
Vanescit almo trita sub jejunio,
Si blanda semper misceatur largitas.
Est quippe et illud grande virtutis genus
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus,
Unam paremque sortis humanæ vicem
Inter potentes atque egenos ducere.
Satis beatus quisque dextram porrigit
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cujus sinistra dulce factum nesciat.
Illum perennes protinus complent opes
Ditatque fructus fenerantem centuplex.

328 VIII. HYMNUS POST JEJUNIUM.

B Christe, servorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis,
Leniter frenas, facilique septos
Lege coerces,
Ipse cum portans onus impeditum
Corporis, duros tuleris labores,
Major exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.

GLOSSÆ VETERES.

198. Sectatoribus, *discipulis*, I.
204. Hoc est, *ut ipse triumphet super carnem; jejunium.* — Livor, *invidia*, I.
203. Altaris aram, *aram fidei.* — Aram, *planitiem*, I.
204. Fidem, *oblationem*, I.
205. Limat, *purgat. mundat*, I. — Pectorum rubiginem, *corporis contagia*, Prag.
206. Amne, *cum aqua*, I.
207. Calente, *ardente*, I.
208. Scabra, *aspera*, Vat. A et Iso.
210. Largitas, *eleemosyna*, Vat. A.
215. Ducere, *æstimare*, Iso.
220. Fenerantem, *fenus acquirentem*, Iso.
5. Impeditum, *valde gravatum*, I.
6. Tuleris, *patereris*, I.
7. Remisso, *levi*, *laxo*, I.
8. Palpas, *leviter tangis*, *leniter tractas*, *foves*, *blandiris*, I.
9. Rotat, *sc. jam.* — Submissum, *inclinatum*, Iso.

COMMENTARIUS.

amici lugemus, olim factum, vel hac de causa hic placuit inserere, ut bene merenti qualemcunque hanc memoriam consecrarem.

195. Quod Mazochius tom. III Spic. Bibl. censuerit, Prudentium hoc loco verum lapsum diaboli in tergum affirmare, et non solum quod diabolus Christum reliquerit, non probatur Teolio, mihi non displicet. Aliqui legerunt in Matth., *Abi retro.*

196. Prag., male, *sequamur unusquisque.*

197. Ald., *tum* pro *tu magister.*

199. Heinsio magis placet *vicerint* cum solo Ambr., idque secuti sunt Cell. et Teol. Sed recte *vicerit*, scilicet spiritus.

203. Veteres dicebant altaria esse tantum superorum deorum, ab altitudine nominata, aras deorum etiam inferorum, Prudentius aram altaris partem sanctiorem esse innuit. Vide Berthaldum de Ara cap. 2, qui ex Prudentio docet aram fuisse altaris fundamentum.

205. Vat. A, *corporis;* in margine, *Alii habent* PECTORUM RUBIGINEM. Oxon., Noms., Rottend., Egm., Pal., non omnino male, *corporis libidinem;* in Oxon. pro div. script., et in Brev. Moz., *pectorum rubiginem.* Amb., Hails., *corporis rubiginem.* Thuan., *peccati rubiginem*, obtinente metro.

209. Brev., Moz., male, *alvo* pro *almo.*

214. Inter cæteras virtutes recte hanc collocat, putare, omnes homines natura esse æquales, et, quam vocant, acceptionem personarum fugere.

216. Giselinus pro *quisque quisqui'* quasi *quisquis* reposuerat, ignorans, *quisque* pro *quisquis* a poetis adhiberi solitum. Ausonius in sententiis Pittaci: *Pareto legi quisque legem sanxeris.* Exempla alia sunt in Cypriano, Sidonio et similibus. Plauti etiam et Terentii loca quædam lexicographi proferunt; sed in Terentio non est ita certa et constans lectio. In codice Theodosiano *quisque* pro *quicunque* seu *quisquis* frequenter occurrit. Vide ejus Glossarium in fine tom. VI Gothofredi.

217. Cur poeta hic dicit dextram *rapacem laudis*, et illico ex Matth. cap. VI, *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua?* Quia eleemosyna quidem non est facienda, sicut hypocritæ faciunt, ut *honorificentur* C *ab hominibus;* sed nihilominus laus semper inde exsurgit, et, ut Matthæus pergit vers. 4: *Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

220. Hoc etiam desumptum ex cap. XIX Matth. vers. 29: *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Quo pertinent *opes perennes* versus superioris. Aliqui habent *centiplex*, ut Alex. Apud Plautum *centuplex* plerique legunt.

In Editione Parrhasii titulus hujus hymni 8 est: *Hymnus divi Prudentii post jejunium.*

3. Prag. *leviter*, mendóse, et ex glossa pro *leniter.* Parrh., *septus*, minus bene. Matth. cap. XI, vers. 30: *Jugum meum suave est.*

5. Vat. A et Prag. a secunda manu, *portas*, quod sustineri posset, si versu sequenti legeretur *toleras.*

6. Vat. A, *toleras labores.* Ait, Christum tulisse duros labores, et famulos *remisso dogmate* leniter tractasse, cum ob alia, tum ob jejunii legem. Siquidem D Christus quadraginta integris diebus jejunavit: nobis in ipso jejunii tempore post certam horam cibus est permissus. Hinc *major exemplis*, quia non omnia quæ fecit ipse, fieri a nobis præcepit.

7. Parrh., *exemplo.*

8. Glossa Isonis ex etymologia ducta est: nam *palpo* est leviter *palma*, seu manu contrectare.

9. Qua hora veteres jejunium solverint, ex hoc loco ostenditur. Ut noctem in vigilias quatuor, sic diem ab ortu ad occasum solis in quatuor partes dividebant, et *primam*, *tertiam*, *sextam*, *nonam horam* suo ordine eas nominabant. Igitur tribus lucis, hoc est, diei partibus evolutis quarta succedebat, *hora nona* dicta. Ineunte hora nona collectæ fiebant, et jejunium solvebatur. Binghamus lib. XIII, cap. 9 § 2 Antiq. Christ., et lib. XXI, cap. 3, § 3, distinguit inter jejunia quæ ad vesperam proferebantur, et stationes sive semijejunia quæ hora nona solveban-

Nona submissum rotat hora solem,
329 Partibus vixdum tribus evolutis,
Quarta devexo superest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti, dape vindicata,
Solvimus festum, fruimurque mensis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.
Tantus æterni favor est magistri :
Doctor indulgens ita nos amico
Lactat hortatu, levis obsequela ut
Mulceat artus.
330 Addit et, ne quis velit invenusto
A Sordidus cultu lacerare frontem :
Sed decus vultus, capitisque pexum
Comat honorem.
Terge jejunans, ait, omne corpus,
Neve subducto faciem rubore
Luteus tingat color, aut notetur
Pallor in ore.
Rectius læto tegimus pudore,
Quidquid ad cultum Patris exhibemus.
Cernit occultum Deus, et latentem
Munere donat.
331 Ille ovem morbo residem, gregique
Perditam sano, male dissipantem

GLOSSÆ VETERES.

10. Vixdum, *adhuc.*—Tribus, *horis*, *ex 12 horis*, I.
14. Solvimus, *fregimus.*—Festum, *jejunium*, *laudem*, I.
15. Affatim, *abundanter.*— Imbuatur, *satietur*, *refoveatur*, I.
17. Favor, *clementia*, I.
19. Lactat, *blanditur*, I.
21. Invenusto, *indecenti*, I.
B 22. Lacerare, *sordidare*, ..
24. Comat, *ornat* (lege *ornet*), I.
27. Luteus, *croceus*, *rubicundus*. — Tingat, *coloret*, I.
29. Pudore, *castitate*, I.
33. Morbo, *in morbo*. — Residem, *pigram*, I.
35. Vellus, *dicitur a vellendo*, *quia antiqui non tondebant oves*, *sed vellera ab eis evellebant*, I.

COMMENTARIUS.

tur : et de his stationibus intelligit Prudentium, advertitque FESTUM denotare stationem qua religiosi conventus in ecclesia observabantur. Ineptissima est hæc ratio, nam Prudentius hymno superiori, vers. 4, pariter ait : *Festumque nostrum rex serenus aspice*, ubi de jejunio quadragesimali certe agitur. Existimo, discrimen inter jejunium quadragesimale et stationum ratione durationis ætate Prudentii non fuisse ab omnibus observatum, et hora nona adveniente liberum fuisse jejunium solvere aut continuare, ut ex versu 65 et seqq. hujus hymni colligi potest.

12. Juvencus similiter lib. III, *Ultima labentis restabat portio lucis.*

13. In Rat. ex *vindicatæ* recte factum *vindicata*. Chamillardus interpretatur *paratis cibis*. *Vindicare* est aliquid sibi proprium facere. Christianis vetitus est cibus jejunii tempore, qui soluto jejunio restituitur, seu permittitur.

14. Intellige festum *brevis voti*, seu brevis jejunii. Vide supra hymno 7, vers. 4, ubi jejunii dies festus vocatur, quia jejuniorum victima litatur. Opinor Prudentium etiam respexisse Theodosii imperatoris legem 4 de Quæst. in cod. Theodos. : *Quadraginta dierum, qui auspicio cæremoniarum paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum.* Et leg. 5 : *Sacratis quadragesimæ diebus nulla supplicia sint corporis, quibus absolutio exspectatur animarum.* Ludos etiam et spectacula in diebus jejunii fuisse prohibita, ut in aliis diebus festis, multi opinantur.

15. Barthius, quia Prudentius mediam syllabam in *affatim* corripit, colligit cap. 11 lib. XL, *affatim* potius a *fatigando* dici quam a *copia fandi*. Dubium non est quin ea syllaba sit brevis, undecunque id adverbium derivetur. An possit produci exemplo Aratoris lib. II Historiæ apost., disputat Ricciolius Indice 2 Prosodiæ.

16. Hails. et Wid. supra, *voluntas*; Nebrissensis *pronam* dicit voluptatem, quia ad eam proni sumus. Poterit intelligi voluptas *prona in cibos*.

19. Verbo *lactandi* non semel utitur Prudentius significatione quadam ab aliis non animadversa. Alia significatione *lacto* est a *lacte*, sed hic est a *lacio*, a quo est *allicio*, *pellicio*, et frequentativa *oblecto*, *delecto*, *illecto*, *prolecto*. Igitur *lactat* est *attrahit alliciendo*. In Avito, lib. V, ita lego et intelligo, *Protinus et laxis verbo lactante venenis*. Hac significatione defendam vers. 613 Apoth., *lactantibus horis*. In sacris Litteris simili significatione verbum *lacto* adhibetur. Prov. I, 10 : *Si te lactaverint peccatores*; et cap. XVI, 29 : *Vir iniquus lactat amicum*; ubi vox Hebraica sonat allicere. Iterum brevitatem jejunii præscripti indicat his verbis, *levis obsequela*. Dum autem toties repetit benignitatem Dei, qui onus grave nobis non imponit, satis declarat, jejunium ex necessitate et cogente præcepto observandum, contra quam hæretici blaterant, qui veteres Christianos libere jejunasse tradunt. Sane si id quod Christianorum primi temporis pietas libere exsequebatur, esset attendendum, superflua essent hæc omnia *de hora nona*, *de* C *remisso dogmate*, *de brevi voto*, *levi obsequela*. Etenim, ut ex Irenæo refert Eusebius Hist. lib. V, cap. 25, alii jejunabant diem unum, alii biduum vel triduum, alii quadraginta horis diurnis ac nocturnis jejunium suum metiebantur. Vide quæ ex S. Augustino annotavi proleg. num. 172.

21. Aldus, mendose, *adit* pro *addit*, et *in venusto*. Hails., *in vetusto*, supra *invenusto*. Nebrissa, *invenuste*, adverbium. Exponit poeta sententiam Salvatoris Matth. cap. VI, 17 et 18 : *Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum*, etc.

22. Aldus, *cultum* : *cultu* exigit sensus. Aliqui codices Heinsiani et Gis. 1 ed., *sordibus* pro *sordidus*, quod longe melius est. Nebrissa legit *macerare* pro *lacerare*; sed *a* in *macero* est longum.

23. In Prag. ex *pexum* factum *plexum*. Sed *pexum* verum est. Capillos intellige.

26. Matth. VI, 16 : *Cum autem jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes.*

D 27. In glossa Isonis mendum latet, ut opinor. Color enim luteus non est rubicundus. Fortasse legendum erit *croceus*, *non rubicundus*. Ovidius, lib. XV Metam., sulphura *lutea* appellavit.

31. Parrh. *cernat*, et vers. seq., *munere ditet*. Heinsius argutam et ingeniosam putat conjecturam Gronovii, *patenti munere donat*, cum in Noms. repererit ipse Heinsius *latente*. Egm. quoque et Pal., et ex nostris Vat. A, *latente*. Mihi vero multo magis placet *latentem*, quod est in Ald., in plerisque Heins., Weitz., Vatt. B, I, O, P, Q, Urb., Alex., Prag., Rat., Gis. Insistit enim poeta in evangelicis verbis, qualia quidem nunc in Vulgata leguntur, et olim in Græco evangelio S. Matthæi legebantur; *et Pater tuus, qui videt* IN ABSCONDITO, *reddet tibi*, ubi nulla mentio muneris *patentis*, sed ejus qui *latens* jejunat.

34. Legendum *sano*, id est gregi, cum Vat. B, Rat., Put. Thu., Rot., Weitz., et suspendenda oratio usque ad sequentem stropham. Alii habent *sanat*.

35. Rot. et unus Vat. Apud Teolium, *affixum*, satis

Vellus affixis vepribus per hirtæ
Devia silvæ.
Impiger pastor revocat, lupisque
Gestat exclusis, humeros gravatus
Inde purgatam revehens aprico
Reddit ovili.
Reddit et pratis, viridique campo,
Vibrat impexis ubi nulla lappis
Spina, nec germen sudibus perarmat
Carduus horrens :
Sed frequens palmis nemus, et reflexa
332 Vernat herbarum coma : tum perennis
Gurgitem vivis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.
Hisce pro donis tibi, fide pastor,
Servitus quænam poterit rependi ?
Nulla compensant pretium salutis
Vota precantum.
Quamlibet spreto sine more pastu
Sponte confectos tenuemus artus,
Teque contemptis epulis rogemus
Nocte dieque :
Vincitur semper minor obsequentum
Cura, nec munus Genitoris æquat,
Frangit et cratem luteam laboris
Grandior usus.
Ergo, ne limum fragilem solutæ
Deserant vires, et aquosus albis
Humor in venis dominetur, ægrum
Corpus enervans,
333 Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neque nos severus
Terror impellit : sua quemque cogit
Velle potestas.
Sufficit, quidquid facias, vocato
Numinis nutu prius, inchoare,

GLOSSÆ VETERES.

38. Exclusis, *expulsis*, I. — Gravatus, *habens gravatos humeros*, Vat. A.
39. Revehens, *reportans*. — Aprico, *æstivo*, *calido*, *sereno*, *quasi Africo*, *i. e. locus*, *qui sine frigore*, I.
42. Vibrat, *crescit*. — Impexis. *horrentibus* I.
43. Sudibus, *spinis*, I.
45. Frequens, *densa*, Iso.
46. Vernat, *floret*. — Tum, *etiam*, I.
49. Hisce, *pro istis*, I.
51. Compensant, *rependunt*, I.
54. Confectos, *constrictos*, *afflictos*, I.
59. Luteam, *limosam*, *i. e. corpus*, *propter costas. Al. corpus a costis*, I.
60. Usus, *jejunii*, Iso.
61. Limum, *hominem*, I.
64. Enervans, *infirmans*, Iso
71. Tu, *sc. dum*, I.

COMMENTARIUS.

congrue, quod Cauchio placebat. Rat., minus bene, *affixit*. Etymologia Isonis in *vellus* deprompta est ex Varrone lib. IV de Ling. Lat. alii *vellus* dictum aiunt, quia *velat* ovem.

38. Aldi error est *gravatos*. In Egm. et Hails. pariter *gravatos*. Apud veteres interdum *u* per *o* scribebatur, ut *servos* pro *servus*.

39. Glossam Isonis ita intellige, ut *apricum* sit quasi *Africum*, hoc est sine horrore aut frigore a φρίκης. Hinc Africam nonnulli dictam putant, alii ab Apher, nepote Abrahami.

41. Mendum Aldi, *et patris*. Videtur Prudentius respexisse ad psal. XXII, vers. 2 : *In loco pascuæ ibi me collocavit*. Vide Barthium, lib. XXXII, cap. 2, qui hunc locum explicat de prato et rore psalmi XXIII, uti etiam carmen de Passione : *Te rore fovebunt Cælesti pratique boni dulcedine pascent*. Corrigit enim Barthius *prati* pro *pacti*. Hæc vero parabola de ove amissa, quam inveniens pastor, imponit in humeros suos gaudens, refertur Lucæ cap. XV, vers. 4 et seqq. Prati cœlestis similis descriptio supra hymno 5 vers. 113 et seqq.

42. Aldus, *implexis*, minus bene. *Lappæ* sunt herbæ quæ vulgo in pratis vestibus adhærent. Virg. Georg. lib. I, *subit aspera silva*, *Lappæque*, *tribulique*.

43. *Sudes* sunt valli e quocunque ligno in modum mucronum contra transgressum, aut transcensum eorum qui vellent insilire. Prudentius *sudes* posuit pro spinis, seu tribulis cardui.

46. Widm., *dum* ; melius *tum*.

47. Fabr. et Gis. 2 edit., *vivi*. Tum legi posset *fluenti*.

58. *Genitorem* Deum appellat, ut sæpius *Patrem* more evangelico.

59. Vat. B. *frangat*. Alii et sensus postulant *frangit*.

64. Cur *enervans*, prima correpta, efferatur, dixi proleg. num. 219. In vetustioribus Heinsii, et Ambrosianis schedis Parrh. et Alex. scribitur *inerrans*, et eodem modo in codice valde antiquo Althelmi de virginitatis Laude, qui exstabat in Bodleiana Oxoniæ bibliotheca. Gellius testatur, et vetusta exemplaria comprobant semel tantum exprimi *n* in vocabulis *innittor*, *innecto*, et similibus, quorum imitatione *inervans* aliqui putant factum, quasi *innervans*. Heinsius aliquando suspicatus est *inerrans*. Si conjectura esset utendum, mallem *inermans* ab *inermis*. Festus meminit verbi *inermo*, *as*, pro armis spoliare. Salmasius vult *inervans* pro *enervans* mutato *e* in *i*, ut possit corripi : sic Apoth. vers. 400 aliqui habent *inergima* pro *energema*.

65. Minime asseritur hoc loco libertas jejunandi, qualem hæretici defendunt : sed solum in jejuniis esse modum præscriptum, ultra quem abstinentiam protrahere cuilibet relinquitur liberum. Adducit enim poeta in exemplum ipsum cibum quem post jejunium sumebant, quem salubrem fore confidit. Binghamus cum Hieremia Taylorio perperam abutitur his versibus ad plenam jejunii libertatem sustinendam. Vide supra notata, et observa poetam in toto hymno sibi cohærere. Ne *grandior usus laboris frangat luteam cratem corporis*, ac *ne solutæ vires deserant limum fragilem*, concludit, *laxum ac liberum* MODUM *abstinendi esse cunctis positum*, hoc est, non esse præscripta nimium longa jejunia.

69. Pia et constans est Christianorum consuetudo Deum ad singulas actiones invocandi, ut per Deum semper incipiant, quod publicis precibus canimus, et per eum cœpta finiantur. I ad Corinth. X, 31 : *Sive ergo manducatis*, *sive bibitis*, *sive aliud quid facitis* : *omnia in gloriam Dei facite*. Vide ad Colos. cap. III, 17. In conviviis ne inter cibum, et potum Dei memoria elaberetur, Christiani antiqui vasa, quibus ad prandia utebantur, imaginibus Jesu Christi sanctorumque decorabant. Consule doctissimum opus Buonarotii de Vitris cœmeterialibus.

71. Prag., *mensas*. Heinsius cum suis omnibus, Ald., nostri, etiam Alex., Urb., Vatt. O, P, Q, Gis. 2 ed., *renuas*. Wid., *renues*. Weitz., Sich., Bong., Gold., Gis. in marg. 1 edit., *renoves*, quod etiam in uno Torrentii, et in Vat. 1 reperitur : et sic recte in Vat. 1, *cibumque*, non *cibumve*. Inde Heinsius olim

Sive tu mensam renuas, cibumve
Sumere tentes,
Annuit dexter Deus, et secundo
334 Prosperat vultu : velut hoc salubre
Fidimus nobis fore, quod dicatas
Carpimus escas.
Sit bonum, supplex precor, et medelam
Conferat membris, animumque pascat
Sparsus in venas cibus obsecrantum
Christicolarum.

IX. HYMNUS OMNI HORA.

Da, puer, plectrum, choreis ut canam fidelibus
335 Dulce carmen, et melodum, gesta Christi insignia.
Hunc camœna nostra solum pangat, hunc laudet lyra.
Christus est, quem rex sacerdos adfuturum protinus
Infulatus concinebat voce, chorda, et tympano,

GLOSSÆ VETERES.

73. Annuit, *consentit.* — Dexter, *prosper.* — Secundo, *prospero*, I.
74. Velut, *sicut*, I.
77. Bonum, *cibus*, I.
79. Sparsus, *ipsa esca, vel cibus*, I.
1. Puer, *Christe.* — Plectrum, *pro lingua.* — Choreis, *canticis*, I.
2. Melodum, *modulabile*, I.
3. Pangat, *sonet.* — Lyra, *dicitur a varietate chordarum : lyrin Græce varietas.*
4. Rex, *David*, I. — Sacerdos, *David, qui fuit sacerdos, quia ephod vestitus saltavit coram arca Dei* Vat. A.
5. Infulatus, *veste sacerdotali indutus*; Iso.

COMMENTARIUS.

conjeceerat *removes*, et vers. seq., *tentas* : frustra ut postea fassus est, nam vera lectio est *renuas*. Idem in suis vetustioribus reperit *cibumque*, in recentioribus *cibumve*. Hoc postremum in nostris sensus confirmat. Est enim sententia, *sive* mensam renuas, *sive* cibum sumas, ex verbis Apostoli. Teolius legit *renoves*, *cibumve sumere temptes* cum uno Vat. antiquissimo, et Weitzio. Sed Weitzius clare habet *cibumque*, et ita etiam Vat. antiquissimus, si est Vat. 1, ut esse puto. Nec placet quod idem sumit *temptes* pro *temnas*, nam *temptes* idem est ac *tentes*, in veteri scribendi ratione, non frequentativum a *temno*. Parrhasius nobis favet, sed non bene *tentas* edidit pro *tentes*.

77. Dixerat, fore salubre *hoc quod dicatas carpimus escas*, prout fidebat : precatur ut hoc ipsum sit reipsa salubre, bonum, faustum. Ex formula auspicato aliquid inchoandi, *Quod bonum, felix fortunatumque sit*. In Alex. et Urb., *amen* post hunc hymnum ascribitur.

Inscriptio 9 hymni non eadem est apud omnes. Aldus, *ad omnes horas*. Vatt. B, I, Rat., Bong., Thuan., *omni hora*. Oxon., *omnibus horis*. Rott., *hymnus semper canendus*. Gis., *hymnus omni hora, atque die*, et ad marg., *de miraculis Christi*. Spiegelius, qui in codice Peutingeri invenit *omni hora*, et in alio exemplari, *Ode de gestis et miraculis Christi*; in aliis vero exemplaribus, *Hymnus ad omnes horas de miraculis Christi*, hunc postremum titulum præposuit uberrimo commentario in hunc hymnum, ad quem perficiendum usus est codice Peutingeri *obsoletæ*, ut ait, *vetustatis*. Alium titulum : *De miraculis Salvatoris nostri*, vide proleg. num. 103. Vat. A, Put., Ambr., Weitz. et alii, *Hymnus omnis horæ*, sicut solet dici, *homo omnium horarum*. Et cum hactenus Prudentius hymnos statis horis canendos scripserit, hunc offert pro qualibet diei hora. Mozarabes hunc hymnum recitant in resurrectione Domini et feriis sequentibus, qui in editione recenti Breviarii Isidoriani exstat pag. 585 et pag. XCIX inter hymnos, stropharum ordine aliquatenus inverso. Variantes lectiones ascribemus, etiam vitiosas, ut possit aliquando emendatior exhiberi. Joan. Ludovicus Vives eumdem hymnum fere totum inseruit opusculo suo *Sacrum diurnum de sudore Christi*, sed ex editione aliqua mendosa, quales tunc erant in usu.

1. Giselinus Jacobo Meyero attribuit, quod hunc hymnum, et primum libri Perist. mutata carminis forma restituerit. Erant enim secti in Alcmanios et Euripidios. De qua sectione dixi in Proleg. Aldus integros trochaicos etiam edidit, et in codicibus quibusdam mss. pariter ea forma observatur, quod videtur voluisse Prudentius : nunquam enim post extremas syllabas Alcmanii ita versum conclusit, ut si esset distinctus, sed tanquam integrum versum sine ullo vocalium concursu Alcmanium et Euripidium continuavit. Vide etiam hymn. 1 lib. Perist. Crinitus inter hymnos Prudentii, quos celebrari asserit, recenset hymnum *De gestis et miraculis Christi*. Fabricius hunc hymnum expositurus inscripsit : *Pæan de vita et morte Christi*, postea vero addidit : *Omni hora atque die*. Pæan est carmen gratulatorium propter partam aliquam victoriam, quod Christo maxime congruit. Nemini fortasse in mentem venerit interpretatio glossæ : PUER, *Christe*. Prudentius more lyricorum poetarum servum vocat, qui plectrum afferat. Fabricius ait respexisse ad consuetudinem antiquorum, ut pueri lyra canerent, aut puero cithara ludente, alii canerent ; quod constat ex Athenæo. *Puer* antiquis est servus, sive famulus, fere ut nunc, Italico et Hispanico idiomate, ii qui serviunt *giovine* et *mozo* appellantur. Horatius, lib. I, od. 38 ; *Persicos odi, puer, apparatus* ; et lib. I, serm. 10 : *I, puer, atque meo citus hæc subscribe libello*. Propertius, lib. III, eleg. 19 : *I puer, et citus hæc aliqua propone columna*. Ex jure civili hæc ipsa significatio colligitur. In sacris quoque litteris idem mos observatur. Contra puto, a senioribus Italice et Hispanice *signori* et *senores* appellari, qui domini sunt. Cum enim olim senior e domo aut familia dominus rerum esset, et antonomastice *senior* vocaretur, fluxit inde ea vox ad eos omnes qui facultatibus essent præditi. Ita divitiæ naturam susque deque vertunt, efficiuntque ut et senes puerorum vocabulo notentur, et pueri seniorum nomine gaudeant. In nonnullis vulg. perperam *fidibus* pro *fidelibus*. Chorei sive trochei sunt pedes hujus carminis proprii, aut cantica his pedibus insignita. *Chorei* autem *fideles* vocantur, ut Fortunatus, sive quivis alius auctor hymni *Vexilla regis prodeunt*, dixit : *David fideli carmine*, et Prudentius hymno 7, *fideli proditum volumine*, et infra vers. 26, *fideles pag næ*.

2. Alex., *melodios*, forte *melodon*. Vat. A, *ac* pro *et*. Etymon vocis *lyra* deprompsit Iso ex Isidoro, lib. III, cap. 22 : *Lyra dicta ἀπὸ τοῦ λυρεῖν a varietate vocum, quod diversos sonos efficiat*. Credunt aliqui, lyram Græce et Latine dictam ab aspera illa soni exilitate lyr., lyr. Vide J. C. Scaligerum lib. I Poet.

4. Sacerdos iste a nonnullis creditur esse Melchisedech : quod ignorent, poetam id nominis prophetis dedisse, ut hymno 7, vers. 27, *vetus sacerdos* de Helia.

5. *Infulatus* dicitur David, vel quia ephod lineo accinctus saltavit ante arcam Domini, vel quia rex erat, et infula est fascia in modum diadematis. Infulam pulchre describit Lucretius lib. I : *Cui simul infula virgineos circumdata comptus Ex utraque pari malarum parte profusa est*. Vatt. A, B, Q, legunt *corde* pro *chorda*. Gold. *et* elidit.

A Spiritum cœlo influentem per medullas hauriens
336 Facta nos, et jam probata pangimus miracula,
Testis est orbis, nec ipsa terra, quod vidit, negat,
Cominus Deum docendis proditum mortalibus.
Corde natus ex parentis ante mundi exordium,
Alpha, et Ω cognominatus : ipse fons et clausula
Omnium, quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.
337 Ipse jussit, et creata dixit ipse et facta sunt,
Terra, cœlum, fossa ponti, trina rerum machina,
Quæque in his vigent sub alto solis, et lunæ globo.
Corporis formam caduci, membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret primoplasti ex germine,
Merserat quem lex profundo noxialis tartaro.
O beatus ortus ille, virgo cum puerpera
Edidit nostram salutem, feta sancto Spiritu,
Et puer redemptor orbis os sacratum protulit.
Psallat altitudo cœli, psallite omnes angeli :
338 Quidquid est virtutis usquam psallat in laudem Dei :

GLOSSÆ VETERES.

8. Orbis, *ordo angelorum*. — Terra, *homines*, I.
9. Cominus, *prope*, I.
14. Fossa ponti, *maris concavitas*, Vat. A.
B 16. Obnoxia, *debitricia*, I.
21. Os, *faciem*, I.

COMMENTARIUS.

6. Rot., Brev. Moz., *fluentem*.

7. Aliqui mendose, *nos etiam*.

8. Alex. Vat. B, Ald., Weit., *Testis est orbis*, quod mollius est, quam *Testis orbis est*, quod tenent Vatt. I, O, P, Gis., Heins., Teol. et alii. Vat. A, *Testis orbis terræ, nec ipsa*. Resistit metrum. Hails. et Vat. Q simili errore, *Testis est orbis, terra nec ipsa*.

10. Heinsio concinnius videtur, magisque ex Prudentii stylo *fusus* cum Amb., quamvis cæteri quos viderit habeant *natus* cum Ald., Weitz., Gis., nostris omnibus. Cl. Teolius agnoscit, veriorem lectionem esse *natus*, et retinet *fusus*. *Revocarem*, inquit, NATUS. *Sed nihil ad sensum*. Majori libertate uti debuit. Nam sive idem sit sensus, sive secus, excudendum est quod probabilius est ab auctore scriptum. Spiegelius in codice Cunradi Peutingeri alioque, sed minus fideli, reperit *fusus ;* ipse tamen Aldum, et Daventriensem editionem, secutus est ob auctoritatem ecclesiastici usus. Alex. quoque et Hymnarium Thomasii legunt *natus*, cum Urb., Vatt. I, O, P, Q. In codice Veliterno, de quo num. 212 proleg., sunt versus Fortunati in laude chrismatis, quod præter alios P. Michael Angelus Luchius Benedictinus notavit in nova editione Fortunati. Is in eo hymno hemistichium Prudentii transcripsit : *Corde natus ex parentis, alvum implens virginis*. Vide num. 43 proleg. de alio hymno, *Corde natus ex parentis*. Poeta exprimit locum psalmi CIX, 3 : *Ex utero ante luciferum genui te*.

11. Vat. B, A, *et* ω *cognominatur*, supra *cognominatus*. Alii *Alpha et* ω. Weitz., Gis. et nonnulli codd. recentiores, *cognominatur*. Vat. I, A, *et* ω *cognominatur*. Apocal. cap. XXI, 6 : *Ego sum* α *et* ω, *initium et finis*. Quare non est necesse addere *omega*, ut plerique faciunt. Magnus fuit harum litterarum usus inter veteres Christianos. S. Paulinus natali 11 crucem describit cum litteris α et ω utrinque locatis, vers. 645 ; *Alpha crucem circumstat, et* ω..... *Alpha itidem mihi Christus, et* ω. Confer hymnum de nominibus Christi, quem ex laudato Veliterno codice edidi num. 212 proleg. Reperiuntur nummi imperatorum cum α et ω inscripti. Constantinopoli duæ columnæ exstabant, et in earum basibus clypei cum his notis α ☧ ω. Sepulcris Christianorum passim insculptæ eædem notæ. Vide monumentum vetustum sanctorum septem Dormientium, et commentarium Victorii, qui illud hujusmodi ornatu insignivit. Earum litterarum occasione Marcus et Colobarsus hæresin suam in alphabeto Græco fundarunt, ut refert Tertullianus lib. Præscriptionum, cap. 50. Confer Rosweidum in notis ad Paulinum præter Gretzerum, et Lipsium de Cruce, Bosium, Aringhum, aliosque antiquitatum Christianarum scriptores.

12. Virgilius lib. IV Georg. vers. 392 : *Novit namque omnia vates, Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur*.

13. Genes. cap. I, 3 : *Dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux*. Et ita in reliquis. Psal. XXXII, 9 : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt*. Suspicantur aliqui, Pythagoram suum *Ipse dixit* ab Ægyptiorum vatibus didicisse : qui loquendi modus apud prophetas frequens est.

14. *Fossa ponti* pro *mari* parum decenter dictum videatur. Alii *stagna profundi* non dubitarunt dicere. Spiegelius *trinam rerum machinam* accipit pro triplici principio secundum opinionem Peripateticorum, qui existimant tria esse rerum principia, materiam, formam et privationem. Nugæ. Poeta tres orbis partes, quas enumeravit, intelligit, cœlum, terram, mare. Imitatus eum est Fortunatus : *Quem terra, pontus, æthera* (nunc legimus in Officio ecclesiastico *sidera*) C *Colunt, adorant, prædicant, Trinam regentem machinam Claustrum Mariæ bajulat*. Respexit Prudentius ad psal. CXLV, 6 : *Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt*.

16. Usus est voce Apostoli, cum ait *corporis formam*. At ne quis ad inanem speciem corporis detorqueret, addidit *membra morti obnoxia*.

17. Alex. et nostri cum Aldo, item vetustiores Heinsiani, Weitz., Gis. et alii, *primoplasti*. Quod non est alienum a consuetudine veterum Christianorum ; ut ex duabus vocibus, altera Græca, altera Latina, unam formarent. *Hibridas* hujusmodi voces Græcolatinas appellant. Alii *hybridas*, aut *ibridas* scribunt. Eas etiam a profanis scriptoribus usurpatas ex Quintiliano aliisque constat. Siculos sermone quodam aiunt esse usos, qui quasi cinnus ex Latino et Græco mixtus esset. Rot., Torrentiani duo, Fabricius et Spiegelius habent *protoplasti*, quod Nebrissæ arridebat, præsertim vero Jacobo Meyero. Brev. Moz., *primo plausti* male.

D 18. Ald., Weitz., Spiegelius, Gis. et alii, *quam*, id est *gentem*. Vat. B, Rat., Prag., Fabr., Egm., Bong., Put., Thuan., Ambr., Alex., *quem*, id est *primoplastum*.

19. Hails., Prag., *partus ille*.

22. Ald., *psallant te omnes angeli*. Vatt. A, B, I, O, P, Q, Urb., Brev. Moz., Rat., Weitz., Gis., *Psallant omnes angeli*. Meyerus cum hanc lectionem metro obversari vidisset, reposuit, *Psallat omnis angelus*, quod secutus est Fabr., et Spiegelius *ex codicibus non depravatis*. Placet *psallite omnes angeli* cum Alex., Ambr., Put., Thuan. et uno Torrentiano. Nonnulli putant, ad usum ecclesiasticum factum fuisse *psallant omnes angeli*. Verum in hymnario Thomasii est *psallite omnes angeli*.

Nulla linguarum silescat, vox et omnis consonet. A
Ecce, quem vates vetustis concinebant sæculis,
Quem prophetarum fideles paginæ spoponderant,
Emicat promissus olim: cuncta collaudent eum.
Cantharis infusa lympha fit Falernum nobile,
Nuntiat vinum minister esse promptum ex hydria.
Ipse rex sapore tinctis obstupescit poculis.
339 Membra morbis ulcerosa, viscerum putredines,
Mando, ut abluantur, inquit: fit ratum, quod jusserat,
Turgidam cutem repurgant vulnerum piamina.
Tu perennibus tenebris jam sepulta lumina
Illinis limo salubri, sacri et oris nectare:
Mox apertis hac medela lux reducta est orbibus.
Increpas ventum furentem, quod procellis tristibus
Vertat æquor fundo ab imo, vexet et vagam ratem:
340 Ille jussis obsecundat, mitis unda sternitur.
Extimum vestis sacratæ furtim mulier attigit:

GLOSSÆ VETERES.

28. Cantharis, *vasis, hydriis*, I.

30. Rex, *Architriclinus, regem architriclinum dicit. Architriclinus enim princeps lectorum.* CLINE *Græce lectus. Antiqui enim tres lectos habebant, unum domino, secundum dominæ, tertium hospiti. Regem vocat dominum domus, vel sacerdotem, qui ad benedicendas nuptias venerat.* — Sapore tinctis, *saporatis, coloratis, mutatis*, Iso.

B 32. Ratum, *firmum*, Iso.

33. Piamina, *medicamina, piacula, mundamina*, Iso.

35. Nectare, *sputo, saliva*, I.

36. Orbibus, *oculis: orbes vocamus oculos propter rotunditatem; hinc et orbem dicimus ob rotunditatem*, I.

38. Vexet, *moveat*, I.

39. Obsecundat, *obtemperat.*—Mitis, *mitefacta*, I.

40. Extimum, *extremitatem*, I.

COMMENTARIUS.

24. Brev. Moz. ita distinguit et legit: *Nulla linguarum silescat vox, sed omnis consonet.*

25. Spiegelius *vates* vult esse sibyllas. Haud liquere puto. Nostri, Aldus, Weitz., Gis. *concinebant*, In Torrentianis duobus *præcinebant;* in Rottend., *præcinebat;* in Thuan., Vat. I a prima manu, *concinebat.* Si *præcinebat* aut *concinebat* amplecti velis, intellige Davidem, quem antea laudavit. Brev. Moz., *concinebant*, et in textu *quam*, ad oram *quem*.

27. Unus Tor., *collaudent Deum*.

28. Incipit narrare Christi miracula ex evangelica historia. Jesus aquam in vinum convertit Joan. cap. II. Hoc miraculum sæpius in sarcophagis Christianorum veterum insculpebatur cum aliis resurrectionem corporum indicantibus. Lupius tomo I, dissert. 2, conjicit, cadum vini in sepulcris Christianis interdum expressum significare corpus, aliquando uniendum animæ, cujus figura sit vinum.

29. Thuan., *Nuntias vinum, minister, esse promptum ex hydria.* Ambr., *sumptum* pro *promptum. Vini minister*, et *vini ministerium* S. Ambrosius dixit lib. I Offic., cap. 29 et cap. 6 de Josepho.

30. Libenter legerem *colore tinctis poculis*, nisi omnes mss. obsisterent. Evangelii etiam locus saporem exprimit: *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam*, etc. Sedulius utrumque conjunxit *colorem* et *saporem* vini. De rege convivii Horatius oda 4, lib. I: *Nec* REGNA *vini sortiere talis*, ubi intelligit convivium, collatis symbolis celebratum. Ausonius in Ephemeride, et loco convivii: *Quinque advocavi: sex enim convivium Cum rege justum: si super, convicium est.* Rex convivii est, ut quidam volunt, qui præbet D convivium; vel, ut putant nonnulli, œconomus convivii, aut etiam sacerdos qui convivio Judæorum præesset. Universe rex vocatur interdum rei cujusque dominus, ut apud Virg. ecloga 1, *mea regna.* S. Paulinus Nat. 6 de Homine rustico: *Oblatumque sibi mox ipso in limine regem Cognoscunt hilares* (boves). Cicero de Oratore pag. 11: *Nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem*, intelligit Tusculanum Crassi. Hoc Christi miraculum et alia, quæ sequuntur, carminibus celebrant auctor sub Claudiani nomine *de Miraculis Christi*, Juvencus, Sedulius et alii.

31. Matth. cap. VIII leprosum curat Jesus et ad sacerdotes mittit. In editione Parmensi errorem typographi puto *membra mortis*. Corrige *morbis*.

33. Giselinus ad oram *ulcerum* pro *vulnerum*. Loc. cit. Matth. vers. 4: *Ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* Hæc sunt piamina. Emenda Brev. Moz., ubi est *repugnans*.

34. Joan. cap. IX Jesus cæco a nativitate visum restituit. *Perennes tenebræ* sunt ipsa cæcitas a nativitate, sive a primo ortu. Elmenhorstius, in Arnobium pag. 72 edit. Hamburg. 1610, hos versus laudat ad Arnobii verba *Oculorum orbiculos mobiles*, et exemplis plurium poetarum *orbes oculorum* dici confirmat.

35. Apoth. vers. 675, *illevit cæcos oculos et lumina limo Reddidit.* Vide alia ibid. de Christi miraculis, et C in Dittochæo. Brev. Moz., *odoris*, lege *et oris*.

36. Ovidius I Metam., *luminis orbis*, de oculo. Intelligi possunt *foramina*, intra quæ latent oculi, ut hymno 2 Peristephanon vers. 146: *Orbes cavatos præferens.* Corrige in Brev. Moz., *ac medulla*, et lege *hac medela*.

37. In Hails. et Brev. Moz. error est *increpans*. Spiegelius suspicatur, Prudentium legisse apud Matth. cap. VIII: *Tunc surgens increpavit ventis*, quod primitus fuisse scriptum Erasmus, annotans hunc Matthæi locum, opinatur. Certe ex Prudentio, inanis est, quæ ducitur conjectura, nam is potius Lucæ verba expressit cap. VIII, 24: *At ille surgens increpavit ventum et tempestatem aquæ, et cessavit: et facta est tranquillitas.* Prudentius verbo S. Matth. utitur Apoth. vers. 650: *Video luctantia magnis Æquora turbinibus tranquillo marmore tendi Imperio Christi.*

38. Fabr. et Hails., *verrat.* Cæteri, *vertat*, quod Heinsio unice probatur. Vat. A, *summo*, et pro diversa scriptura *fundo*. Vat. B, *fundo*, ad marg. *summum*, quod non omnino displicet. Communior et verior lectio est *fundo ab imo*. In Vat. A deerat *et* post *vexet*, quod recte additum aliena, ut videtur manu. Deerat etiam *et* in Vat. P. Quæ sit vis hujus verbi *vexo*, docent Asconius Pedianus, Probus, Gellius et Macrobius adversus Anneum Cornutum, qui in Virgilio notaverat, *Dulichias vexasse rates*, quasi levi verbo usus fuisset ad tantam calamitatem describendam.

39. Mendum in Brev. Moz., *ille jussit obsecundans*.

40. Mulierem a sanguinis profluvio liberat Jesus Matth. IX, 20; Marc. V, 25; Luc. VIII, 44. Extimum pro extremitate Latine et eleganter dicitur. Loco quinto spondæum admissum in *furtim* dixi Proleg.

Protinus salus secuta est, ora pallor deserit, A
Sistitur rivus, cruore qui fluebat perpeti.
  Exitu dulcis juventæ raptum ephebum viderat :
Orba quem mater supremis funerabat fletibus.
Surge, dixit. Ille surgit, matri et astans redditur.
  Sole jam quarto carentem, jam sepulcro absconditum
Lazarum jubet vigere, reddito spiramine :
Fetidum jecur reductus rursus intrat halitus.
  Ambulat per stagna ponti, summa calcat fluctuum :
Mobilis liquor profundi pendulam præstat viam,
Nec fatiscit unda sanctis pressa sub vestigiis.
  Suetus antro bustuali sub catenis frendere,
341 Mentis impos efferatis percitus furoribus
Prosilit, ruitque supplex, Christum adesse ut senserat.
Pulsa pestis lubricorum milleformis dæmonum,
Corripit gregis suilli sordida spurcamina,
Seque nigris mergit undis, fit pecus lymphaticum.
  Ferte qualis ter quaternis ferculorum fragmina,

GLOSSÆ VETERES.

43. Ephebum, *juvenem*, I.
51. Fatiscit, *deficit*, *affatim hiscit*, I.
52. Frendere, *frender est membranula quæ dividit superiora et inferiora ventris ; qui illam vitiatam habuerit, frenesim patitur ; ille autem freneticus efficitur*, Vat. A.
B 53. Impos, *impotens*.—Efferatis, *ferinis*, I.
56. Corripit, *detinet et arripit*, *sc. diabolus*, I.
57. Lymphaticum, *furens*, I.
58. Ferte, *dicit Deus*. — Qualis, *cophinis*, *corbibus*, I.—Qualus, *i. e. sporta*. — Ter quaternus, *i. e. duodecim corbes*. Vat. A.

COMMENTARIUS.

num. 229. Georgius Remus in notis ad hunc hymnum, ait, legem pedariam in voce *furtim* ultimam corripere, ut in illo Ovidiano *Circumeuntis oves*. Sed quis non illico persentiat disparem rationem ? nam post *circum* sequitur vocalis apud Ovidium, in Prudentio consonans post *furtim*. Idem Remus suspicatur legendum *forte*.

42. In Daven. edit., *perpetim*, non ita bene ac *perpeti*. In Brev. Moz. apposite, *rivus cruoris cum perpetim* : quod ibidem versu superiori legitur *hora* pro *ora* ex veteri scribendi modo provenit. In versu vero sequenti male *juventus raptum abevum*.

C 43. Filium unicum viduæ defunctum ad vitam Dominus Jesus revocavit Lucæ cap. VII et seqq.

44. Pro *quem* aliquis *quam*, male. *Orba*, ut in Romano vers. 690, *Infantis orba*. Alibi *orbare*, Cath. 12, vers. 139.

45. Vera lectio *matri et astans*. Rat., *mater et stans*, Aldus, *matri*, *et stans redditur*. In Brev. Moz. mendum. *retitur*.

47. Lazarus defunctus suscitatur Joan. XI. Male aliqui legerant *et sepulcro*. Mendose Brev. Moz. *jubet viere*.

49. Matth. XIV, Jesus ambulat super mare. Vide etiam Apoth. vers. 654 et seqq.

52. Marci v, 2 et seqq. de spiritu immundo, qui domicilium in monumentis habebat. Quæritur an dæmones loca immunda frequentare gaudeant. Vide Raynaudum, tom. V, pag. 55, qui ex Cassiano, Cyrillo et Procopio refert, dæmones delectari horrendis solitudinibus locisque aridis et inaquosis. Causas ex aliis inquirit Ribera in cap. XVIII Apocal. ad vers. D 1. Sacra Scriptura innuit, eos gaudere locis humentibus et paludosis. Hæc omnia mystice intelligas, velim. Nonnulli putant, dæmoniacos olim solitos in sepulcris habitare, ut homines in errorem Platonicorum a dæmone inducerentur, quod scilicet mortuorum animæ in dæmonas convertuntur. Erant autem vetera illa sepulcra cavernæ nostris cellis vinariis similes. Ald. et alii nonnulli legunt *bestiali*. Brev. Moz., *bustualis*.

53. Spiegelius, lege carminis vetante, scribit et explicat *inops* pro *impos*. Chamillardus etiam legit *inops*, sive, mendo typographico, sive Spiegelium transcripsit. Brev. Moz. in textu, *percitis*.

55. Pergit poeta enarrare miraculum de quo in superiori stropha ; cum scilicet legio dæmonum, ex energumeno in porcos immissa, in mare se præcipitem dedit. In Put. legitur *milliformis*, quod Teolius invenit in duobus Vatt., ut *multiformis*, et apud Prudentium vers. 295 Apoth., *caniformis*. Alii habent *mille formis*, aut *milleformis*, haud inepte. Urb., Alex. et Vat. I, *milleformis*. Vatt. O, P, Q, *mille formis*, quod habet etiam Brev. Moz. ; in quo versu sequenti *greges subilli* in textu, ad oram *gregis suilli*.

57. Weitz., Gis., Vatt. B, I, Prag., Sich., *fit*. Vatt. O, R, Ald., Oxon., Alt., Rottendor., *ut*. Brev. Moz., Vatt. A, Q, Put., Thuan. et Noms., *et*, quod secutus est Heinsius. Spiegelius in cod. Peutingeri invenit *fit*. Pecus *lymphaticum* idem ac *lymphatum*, sive furore percitum, ac proprie ex Festo de iis dicitur qui e conspectu aquæ insaniunt. Cellarius *pecus lymphaticum* simpliciter interpretatur pisces. Poeta exprimere voluit verba Matthæi VIII, 32 : *Et ecce cum impetu abiit totus grex per præceps in mare*. Confer. vers. 144 Dittochæi.

58. Magna est codicum discrepantia, in his tribus versibus ordinandis. Secuti sumus Vatt. B, I, Put., Ambr., Thuan., Isonem, Gold., Hailsb., Egm., Spiegel., Sich., Urb., Alex. a prima manu, Ald. ; nisi quod Aldus legit *Fertque qualis ter quaternis*, et Sich. *Fert qualis*. Egm., *Fert æqualis*, aperto mendo, quale in Hailsb., *Ferta qualis*. Alex., *Fertque qualus ter quaternus*, tum *Affatim*, tertio *Quinque*, Weitz., Widm. et Bong., *Ferte qualis Quinque panibus Affatim*. Prag., *Fertque qualus Quinque panibus Affatim*. Giselinus, quem, ut ait Heinsius, membranæ majori ex parte sequuntur, ita ordinat cum suo ms. et editione Daventriensi, *Quinque Affatim Fertque qualus ter quaternus*. Becmanus, in Manuductione ad ling. Lat., cap. 6, ex suo ms. sic disponit : *Quinque Affatim Ferte qualis ter quaternis*, et in ms. corrigit *Fert æqualis*, et legit *Ferte qualis*. Ita etiam Alex. a secunda manu, Vat. Q, O et P ; sed in O tertius versus mendosus, *Ferturque casus ter quaternis* ; in P, *Ferte qualus ter quaternus*. Brev. Moz. consonat Giselino, sed in tertio versu, *Fert equalis ter quaternis*, ubi legendum *Ferte qualis*. Fabricius contendit legendum *Fert ter in qualis quaternis* ex antiquis codd. In primo quidem versu legi non debet *fertque*, nam superflua esset hæc conjunctio. Aliunde, *ferte* videtur ex Evangelio petitum, ubi factum narratur Joannis VI, 12 : COLLIGITE *quæ superaverunt fragmenta, ne pereant*. Cum autem id dixerit Jesus, *ut impleti sunt discumbentes*, ordo postulare videtur ut prius ponatur versus *Quinque* ; secundo *Affatim*, tertio *Ferte*. Sed poeta rei gestæ ordinem servare non tenetur. Teolius ex duobus Vatt. hanc præfert dispositionem versuum ; *Quinque panibus peresis, et gemellis piscibus, Fertque qualus ter quaternus ferculorum fragmina : Affatim*. Sed non video quem sensum reddat conjunctio *que* in *fertque*

342 Affatim referta jam sunt accubantum millia,
Quinque panibus peresis, et gemellis piscibus.
Tu cibus, panisque noster, tu perennis suavitas;
Nescit esurire in ævum, qui tuam sumit dapem,
Nec lacunam ventris implet, sed fovet vitalia.
Clausus aurium meatus, et sonorum nescius,
Purgat ad præcepta Christi crassa quæque obstacula,
Vocibus capax fruendis, ac susurris pervius.
Omnis ægritudo cedit, languor omnis pellitur,
Lingua fatur, quam veterna vinxerant silentia,
343 Gestat et suum per urbem lætus æger lectulum.
A Quin et ipsum, ne salutis inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat, fracta cedit janua,
Vectibus cadit revulsis cardo dissolubilis.
Illa prompta ad irruentes, ad revertentes tenax,
Objice extrorsum recluso porta reddit mortuos,
Lege versa limen atrum jam recalcandum patet.
Sed Deus dum luce fulva mortis antra illuminat,
344 Dum stupentibus tenebris candidum præstat diem,
Tristia squalentis æthræ palluerunt sidera.
Sol refugit, et lugubri sordidus ferrugine

GLOSSÆ VETERES.

59. Referta, *satiata*, I.
63. Lacunam, *foveam*, *fossam*, I.
64. Meatus, *transitus*, I.
68. Veterna, *morbosa vel antiqua*, I.
71. Intrat, *Christus*, I.
B 74. Objice, *vecte*, I.
76. Fulva, *lucida*, I.
78. Squalentis, *nigrantis*, I.
79. Lugubri, *flebili*, *lacrymabili*. — Ferrugine, *nigredine*, I.

COMMENTARIUS.

59. Ambr., Alt., Noms., Davent. edit., *refecta*, plerique melius *referta*. Chamil., Cell., Teol. tenent *refecta*. Poeta videtur voluisse *referta*, ut in Apoth. de eodem miraculo, *saturata... crudus conviva resudat Congeriem ventris*. Aldus, *accumbentum* pro *accubantum*; Put., et Oxon., *adcubentum*, mendose. Nisi legas *accumbentum*, admisso spondæo quinta sede, ut vers. 40.

61. Ambr., *et perennis*, minus bene. Joan. VI, 56: *Caro mea vere est cibus*; et ibid., 51: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Et rursus vers. 59: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ex eodem capite, ubi miraculum est narratum, hæc pulcherrima apostrophe est desumpta, quamvis non illico ea verba a S. Joanne referantur.

63. Brev. Moz., *lacuna*, male.

65. Put., Oxon., Noms. et Vat. A pro diversa scriptura *clausa*. Magis probo *crassa* cum reliquis, etiam Brev. Moz., ubi mendose *grassa*: nam *clausus* vers. proxime præcedenti legitur, et congruentius dicitur *crassa auditus obstacula*, quam *clausa*. Historiam habes cap. VII Marci vers. 32.

66. Brev. Moz., *susurris prævius*.

67. Cap. XV Matth. vers. 30 et 31.

68. *Veternus* est inveteratus a *vetus*. De otio, pigritia et somno nimio solet dici. Fortasse legendum erit *veternô vinxerint silentia*. Sed concinnum est *veternus* adjective, quamvis magis in usu sit substantive. Brev. Moz., male, *lingua vatur*.

69. Hails., Brev. Moz., Wid. supra, et Gold. supra, *orbem* pro *urbem*.

70. Prag., non male, *Quin et, ipsi ne salutis inferi expertes forent*, *Tartara benignus intrat*.

71. Prag., *tartara*. Alii *tartarum*, quod carmini magis convenit. Christum ad inferos vere descendisse negarunt aliqui hæretici, quorum discrepantes opiniones exponunt et refellunt Bellarminus tom. I et Petavius tom. IV, part. II, qui hos Prudentii versus laudant. Christi animam ad omnia inferni loca descendisse probabile est. Brev. Moz., *facta* pro quo recte *fracta* conjecit editor. Ibid. vers. seq. male in textu *refulsis* pro *revulsis*.

72. Ald., Egm., Oxon., Noms., Alt., Rottend., *indissolubilis*, quod tenent etiam Vatt. A, B, O, P, Alex., Urb., et mihi nonnihil placet. Opinor, Prudentium spondæum quinta sede aliquando admisisse, ut *rotatiles* trochæos aliquantulum graviores redderet. Vide vers. 59 et 40. In Vat. I, *dissolubilis*, quod habent alii, et retineo, quia recte procedit sensus et metrum. *Cardo dissolubilis* quasi *dissolutus*, ut supra *fracta janua*, et infra *dissolutis vinculis*.

73. Vide hymn. 3, vers. 199 et notam. Tassus in *Hierusalem liberata* carm. VII, stropha 46, simili phrasi utitur: *Che quel serraglio è con mirabil uso Sempre all'entrar aperto, a l'uscir chiuso*. Brev. Moz., mendose, *ac revertentes*.

74. Aldus ediderat *obice retrorsum repulso*, correxit postea *obice retrorsum pulso*. Utrumque male. Put., Torrentius, Vat. A. *obice extrorsum repulso*. Prag., Rat., Torrentiani duo, Spiegel. cum Peuting., Sich., Vatt. B, I, O, P, Q, *objice extrorsum recluso*, quod forte voluit Brev. Moz. *objice extorsus recluso*. Teolius Puteanum Heinsii secutus est contra quinque Vatt. aliosque, et scripsit *obice extrorsum repulso*.
C Alex., Thuan., *objice extrorsum reclusa*, quod sustineri potest, nam *obex* feminino genere in membranis optimorum auctorum occurrit, et sæpe apud Alcimum Avitum. In Alex. tamen ad marg. est *repulso*. Oxonius audiendus non est *objice extrorsum excluso*. Ut vocalis prima producatur, scribi solet *objice*. In Urb., *introrsum*.

75. Brev. Moz. correctione indiget *lege vestra*, *et limen atrum*. Weitz., *porta reddit mortuos lege versa*, *et limen*. Heins., *mortuos: lege versa*, *limen*. Cell. et Teol., *mortuos: lege versa et limen*.

76. Prag., *antrum*. Heinsius putat legendum *furva*, ut ad *antra* referatur. Sed non male *luce fulva*, hoc est rutila. Sic aurum fulvum, sidera fulva, jaspis fulva in præstantissimis poetis.

78. Brev. Moz., male, *polluerunt*. Recte ad oram, *palluerunt*.

79. Tertio loco fortasse posuit spondæum pro trochæo, nisi malis, corripuisse primam vocalem in
D *lugubri*. Ald., Vat. B et plerique, *sordidus*. Vat. A, *sordibus*, addito supra *d*. Invenio alicubi notatum, Sichardum restituisse *sordibus*. At verior est lectio *sordidus*, ut infra *mœrens*. Prudentius tenebras in passione Domini factas enarrat, Virgilium imitatus I Georgicon in fine. Eodem fere modo Juvencus, et Sedulius in hoc argumento sunt versati. An verus solis defectus fuerit, a nonnullis in quæstionem vocatum est. Spiegelius putat, Prudentium non agnovisse verum deliquium solis, sed reipsa asserere, solem refugisse, et cœlum reliquisse; et eadem ratione locutos esse Juvencum et Sedulium, necnon S. Hieronyamum, ut impleretur prophetia: *Occumbet sol meridie, et contenebrabitur super terram in die lux*. Addit Spiegelius, tenebras solum factas fuisse super

Igneum reliquit axem, seque mœrens abdidit : A
Fertur horruisse mundus noctis æternæ chaos.
Solve vocem, mens, sonoram, solve linguam mobilem,
345 Dic tropæum passionis, dic triumphalem crucem,
Pange vexillum, notatis quod refulget frontibus.
O novum cæde stupenda vulneris miraculum!

GLOSSÆ VETERES.

81. Chaos, *tenebras. Chaos et melos neutri gener. numer. singul.* Iso.

COMMENTARIUS.

omnem terram Judæam, ac multa in ejusmodi sententiam disserit. Augustinus Calmet tom. VII dissertationem edidit *de Tenebris in obitu Christi*, erudite inquirit in causas, effectus, durationem et amplitudinem hujus celebratissimi prodigii, allatis etiam testimoniis scriptorum gentilium, Phlegontis et Thalli. Triplex proponi solet ratio hujus phænomeni explicandi : prima, solem radios in se suos, lumenque recepisse ; secunda, quæ communior nunc est, interjectu lunæ radios solis prohibitos, ne terram collustrarent, ut in eclipsibus accidit ; tertia, quæ commodior et facilior Calmeto visa est, præsertim si universæ terræ nomine Judæa tantum designetur, radios solis nubis alicujus densæ objectu fuisse prohibitos. Equidem nihil causæ esse video, cur hoc loco universæ terræ nomen ad solam Judæam referatur. Prudentius quidem clare innuit, totum mundum horruisse noctis æternæ chaos. Videtur imitatus verba Hilarii de Trinitate lib. III, cap. 11 : *Sol non occidit, sed refugit. Quid refugisse dico? Non receptus in nubem est, sed de cursu operis defecit.* Tam Prudentius quam Hilarius ad primam illam rationem explicandi miraculi alludere videntur.

81. Brev. Moz., *horruisse mundum.*

82. Ald., *solve lingua;* Alex., Brev. Moz., Vatt. A, B, I, O, Rat., *sonora*, quod etiam in Put. et aliis compluribus invenit Heinsius; in Ox. vero *Solve mens voce sonora.* Ex quo suspicatur *Solve voce mens sonora, solve linguam mobilem.* Weit., *Solve vocem mens sonora, solve linguam mobilem.* Gis., Urb. aliosque secuti sumus; sed fortasse magis ex fide mss. erit, *Solve vocem, mens, sonora solve lingua, mobilem*, ut *sonora lingua* sit in ablativo, et *mobilem* referatur ad *vocem*. Possumus etiam conjicere *Solve vocem mens sonoram, solve lingua mobili*, aut *Solve vocem mens sonoram, solve lingua mobilis.* Vat. Q, *Solve mens voce sonora*, eodem mendo quo Oxoniensis.

83. Hunc Prudentii locum viderat Fortunatus, qui cecinit, *Pange lingua gloriosi prœlium certaminis*, quod nunc dicimus, *Pange lingua gloriosi lauream certaminis.* Vox *passio* paucis profanis cognita, ab ecclesiasticis vulgo adhibita, exstat etiam in cod. Theod.

84. Crucis vexillum refulget notatis frontibus, quia in sacramento confirmationis frontes cruce notantur. Vide hymnum 6, vers. 128. Gifanius Collectan. in Lucret. verbo PANGO ait, Prudentium nove dixisse *pangere* pro *canere ;* nam *pangere* proprie est scribere, ceræ figere. Fortunatus, ut versu superiori vidimus, eadem significatione protulit *Pange lingua.* Equidem in antiquioribus eam significationem non invenio, neque celeberrimi lexicographi quidquam ea de re notant.

85. Ita legit Ald., Urb., Vatt. A, B, P, Q, Put., Oxon., Noms., Rottend., Gis., quod mihi placet. Vocat *cædem stupendam* punctionem militis, qua utrumque latus est perforatum, ut poeta existimat. Alex., Torrentiani duo, *cæde in stupenda*, ubi superfluum est *in*. Etenim *e* in *cæde* producitur ob *st* dictionis sequentis. Rat., Prag., Gisel. ad marg., Sich., Weitz., Vat. I, *cædis stupendæ*, quod Heinsius improbat. Brev. Moz. nobiscum facit, nisi quod in textu mendose *miracula* habet. In Hailsb. est rasura quæ indicat fuisse *cæde stupenda.* In schedis Ambrosianis, *O novum cædes stupenda vulneris miraculum*, ut per epexegesin cædes stupenda et vulneris miraculum dicantur. Quod sane nescio, cur tantopere recentioribus placuerit : non enim cædes stupenda est miraculum novum vulneris ; sed novum miraculum vulneris, inflicti cæde, seu punctione stupenda, est, quod sanguis et aqua fluxerit, hinc sanguis, inde aqua, ut ex versu sequenti manifestius redditur. Teolius Ambrosianum Heinsii expressit, et *vetustiores* Vatt. pro eadem scriptura laudat. Vellem, eos distinctius nominasset. Cæteri interpretes novitatem peculiarem miraculi non adverterunt. Primus Chamillardus notavit, Prudentium aperte velle utrumque latus fuisse perforatum, et discrepare ab evangelistis, B qui militem uno tantum lanceæ ictu latus Domini aperuisse scribunt. At Prudentii mentem non est assecutus : neque enim is asserit, duplici ictu utrumque latus fuisse apertum, et potuit fieri, ut uno ictu utrumque perforaretur, quod evangelistæ non negant ; ut omittam, expressum non esse in Evangelio, fuisse *unum tantum* lanceæ ictum. Cornelius a Lapide, qui Chamillardo peritius sacram paginam interpretari noverat, nostri poetæ opinionem amplexus est. Prudentius iterum ac tertio suam hanc sententiam inculcat hymn. 7 Perist., Dittoch. tetrasticho 42. Raynaudus tom. Philolog. pag. 103 ait, Prudentium exponi posse de perfossione unius lateris adeo profunda, ut ad cor atque adeo etiam aliquatenus ad sinistrum latus pervaserit, quamvis extrinsecus non nisi unum latus fuerit perfossum. Gretzerus lib. I de Cruce, cap. 35, dubitat an Prudentius tenuerit eam sententiam, quod miles lanceam transadigens, latus utrumque confoderit, sicut moris est apud C Japones. Sed verius putat, Prudentium altitudinem vulneris indicasse, nimirum tam alte dextro lateri lanceam intortam fuisse, ut et in sinistrum pertigerit, adeoque cor, quod in sinistro est, vulnerarit, et sic utrumque latus fuisse aliquo modo vulneratum, non tamen omnino trajecta lancea. Cæterum neque Gretzerus neque Raynaudus sententiam Prudentii expendunt, qua parte ait, *hinc* cruorem, *inde* aquam fluxisse. In sermone de passione Christi inter opera S. Cypriani similis est opinio : *De latere tuo fons egreditur... divisis limitibus aqua, et sanguis emanant.* Cornelius a Lapide ad cap. 19 Joan. docet videri, lanceam adactam per latus Christi dextrum, et transiisse per cor et pericardium, ita ut cuspis exierit per latus sinistrum ad papillam, quod confirmat ex Prudentio, Cypriano et Theophylacto, qui in plurali numero vocat hoc vulnus τύπους, et quia vulnus dextri lateris tantum fuit, ut Thomas manus posset immittere. Existimat Prudentium innuere, per majus, sive potentius vulnus sanguinem, per minus, et D pericardio vicinius aquam erupisse. Franciscus Xaverius de Idiaquez (nomen ter magnum pietate, doctrina, generis splendore), indefesso studio et exquisita eruditione, plurima ac pene dixerim omnia collegit quæ SS. Patres aliique auctores ecclesiastici de sacri cordis Jesu cultu ac de lateris vulnere litteris consignarunt. Ex ejus schedis quædam mecum communicata sunt, quibus hoc argumentum possit illustrari. Multi sunt qui latus *perforatum* aperte tradunt, cujus verbi ea est vis, ut lanceam ex una lateris parte in alteram totum corpus trajecisse non immerito argui possit. His omissis, neque enim uno verbo res tanta confici debet, S. Gregorius Nazianzenus in tragœdia *Christus patiens* ait : *Videte,... ut fons duplex scaturiat ejus e latere.* S. Eustathius episcopus Antiochenus apud Theodoretum dialogo 2 Inconfusus, tom. II, pag. 329 edit. Colonien., *Eorum autem oculis... perforata latera... subjiciens ostendebat.* Incidi postea in dissertationem G. Sagittarii *de lan-*

346 Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera:
Lympha nempe dat lavacrum, tum corona ex sanguine est.
Vidit anguis immolatam corporis sacri hostiam,
Vidit, et fellis perusti mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo, colla fractus sibila.
Quid tibi, profane serpens, profuit rebus novis
Plasma primum perculisse versipelli astutia?
347 Diluit culpam recepto forma mortalis Deo.
Ad brevem se mortis usum dux salutis dedidit,
Mortuos olim sepultos ut redire insuesceret,
Dissolutis pristinorum vinculis peccaminum.
Tunc patres, sanctique multi conditorem prævium
Jam revertentem secuti, tertio demum die
Carnis indumenta sumunt, eque bustis prodeunt.
Cerneres coire membra de favillis aridis,
348 Frigidum venis resumptis pulverem tepescere,
Ossa, nervos, ac medullas glutino cutis tegi.
Post, ut occasum resolvit, vitæ et hominem reddidit,
Arduum tribunal alti victor ascendit Patris,
Inclytam cœlo reportans passionis gloriam.
Macte judex mortuorum, macte rex viventium,
Dexter in parentis arce qui cluis virtutibus,
Omnium venturus inde justus ultor criminum.
Te senes, et te juventus, parvulorum te chorus,
Turba matrum, virginumque, simplices puellulæ,

GLOSSÆ VETERES.

87. Corona ex sanguine, *per martyrium est*, I.
88. Anguis, *antiquus hostis*, I.
89. Perusti, *consumpti*, I.
90. Sibila, *sibilosa*, Rat. et I.
92. Versipelli, *callido.* — Hortamine, *astutia*, Vat. A.
93. Diluit, *abluit*, I.
94. Dux, *Deus*, I.
95. Insuesceret, *consuesceret, activum*, I.
100. Cerneres, *si adesses, cernere posses*, Iso.
101. Tepescere, *incalescere*, I.
103. Occasum, *mortem*, I.
105. Cœlo, *ad cœlum*, I.
106. Macte, *salve, magis aucte*, I.
107. Cluis, *splendes, vel abundas*, I. *Polles*, Vat. A. *Gloriaris*, Prag.

COMMENTARIUS.

cea, qua latus Christi perfossum est, ubi allegat S. Leonem Magnum epist. 98, cap. 3, qui vocat *vulnera lateris*, et Eustathium apud Theodoretum dialogo 1 τὰς τετρωμένας πλευράς. Negat vero dialogo 2 legi *perforata latera.* Ego vero lego dialogo 2 τὰς τετρωμένας πλευράς; sed interpres vertit *latus* pro *latera* edit. Paris. 1642, tom. IV, pag. 90. Non tamen negaverim, sententiam et communiorem et evangelicis verbis congruentiorem esse unico ictu latus Domini (sive dextrum, sive sinistrum) fuisse apertum, ex quo aqua simul et sanguis effluxerint, quin ex altera parte aqua, ex altera sanguis divisis limitibus intelligantur emanasse.

87. Rat., *sanguine* sine *est.*

88. Brev. Moz. vitio se *immolatum.*

90. Lego *sibila* cum Isone, Put., Rat., Gold., Widm. a prima manu, Heinsio et aliis. Sic Virgilius lib. III Georg. vers. 421: *Tollentemque minas, et sibila colla tumentem.* Prudentius igitur recte dixit *colla fractus sibila.* In plerisque est *sibilat*, etiam in Fabricio, cui Teolius imputat *sibilas.*

92. Vat. A, *palma*; error est pro *plasma.* Hymn. 3, vers. 185, *Plasma Dei* de homine. Alex., Vat. A, B, P, Prag., Weitz., Gis. ad marg., Sich., *hortamine.* Ald., Fabr., Palat. ad oram, Gisel. in textu, *astutia*, quod placuit Heinsio, qui pro ea scriptura stare ait Put. et Oxon., et denuo occurrere *versipellem astutiam* Apoth. vers. 38 præfat. Idem mihi videtur, quia sermo est de serpente. Non tamen damno *hortamine*, quod videtur verbum Prudentianum, et cum *versipelli* indolem serpentis satis declarat.

93. Vat. A, *deluit.* Gis., Fabr., *recepta.*

94. Vat. B, Rat. a prima manu, Hailsb., Gold., Widm. a secunda manu, *reddidit.* Verius, *dedidit.* Spiegelius, *obtulit.*

95. In Aldo, *mortuosque.* Repugnat sensui ea conjunctio *que.* Brev. Moz., *sepultosque*, parum metro cohæret. Indicatur una ex causis resurrectionis Domini, ut homines se resurrecturos sperarent. Poeta explicat, mortuos olim sepultos resurrecturos contra errorem eorum qui putabant mortuos non sua, sed alia corpora esse resumpturos. Vide vers. seqq.

96. Vocabulum *peccamen*, quod Gildæ Vossius imputaverat, æneo sæculo ex Prudentio restituit Cellarius. Spiegelius *vincula pristinorum peccaminum* exponit de peccato originali. Sed diligenter cave a laudibus, quibus Fabrum et Erasmum prosequitur circa Apostoli locum Epist. ad Romanos cap. v, 12, asserens, expendendum, num consentaneum fuerit, Paulum statim illud mysterium gentibus aperire voluisse. Consule cl. Bertium lib. XIII de Theol. Disc., cap. 1, ubi Erasmum et Joan. Phereponum docte et nervose refellit.

97. Fabr. et Bong., *hunc* pro *tunc.* In Egm. et Palat. lectio est mendosa, sub qua aliquid recondi i latere suspicatur Heinsius, *Tunc patres sancti quem ultima virorum condidit.* In margine lectio vulgata. In Alt., *Tunc patres sancti, quos ultima sors virorum condidit.* In Vat. Q sola hæc lectio, *Tunc Patres sancti, quem ultima virorum condidit.*

98. Brev. Moz. mendum *diem* in textu.

99. Fabr. et Gis., *deque.* Lege cap. XXVII Matth. vers. 52 et 53. Recte Prudentius *tertio demum die* id accidisse narrat, quod a S. Matthæo relatum est per anticipationem, ut interpretes exponunt; quidquid contra cum suo Erasmo Spiegelius asserat, hanc interpretationem nonnihil esse detortam. Quod autem ait poeta, sanctos qui surrexerunt secutos esse conditorem prævium, sententiam illorum innuit qui eorum corpora cœlo invecta fuisse opinantur, ut ita Christus, primitiæ resurgentium, ascendens in altum, captivam duceret captivitatem. Aliis aliud videtur.

100. In Brev. Moz. pro *quoire* lege *coire*; et vers. 102. retine ex margine *medullas*, non *medulla.*

102. Vat. A, Egm., Hailsb., *et* pro *ac.* Weit. cum solo Aldo scribit *gluttino.*

103. Vide hymni 11 vers. 48, *Hominemque portaret Patri.*

104. In editione Parmensi typographus omisit *alti.* Sic enim legitur: *Arduum tribunal victor ascendit Patris.* Claudicat versus.

105. Rat., non bene, *inditam cœlo.*

110. Rat., mendose, *turba martyrum* a prima manu,

Voce concordes pudicis perstrepant concentibus.
Fluminum lapsus, et undæ, littorum crepidines,
Imber, æstus, nix, pruina, silva, et aura, nox, dies,
Omnibus te concelebrent sæculorum sæculis.

349 X. HYMNUS CIRCA EXSEQUIAS DEFUNCTI.

Deus, ignee fons animarum,
Duo qui socians elementa,
Vivum simul, ac moribundum,
350 Hominem, Pater, effigiasti.
Tua sunt, tua, rector, utraque,
Tibi copula jungitur horum :
Tibi, dum vegetata cohærent,
Et spiritus, et caro servit.
Rescissa sed ista seorsum

GLOSSÆ VETERES.

111. Perstrepunt, *personant*. — Concentibus, *simul cantantibus*, I.

1. Ignee, *quem Græci vocant* pyr noeron *ignem sensualem*, I.

2. Socians, *contingens corpus, et animam*, Vat. A.

3. Vivum, etc., *animam, et corpus*, I

4. Effigiasti, *finxisti*, Iso.

6. Tibi, *a te*, Iso.

7. Vegetata, *roborata*, Iso.

COMMENTARIUS.

111. Iso, Ambr., Rat., Vatt. B, I, *perstrepunt*, quod Weitzius invenit in Gold., Hails., Widm. supra. Aldus *perstrepent*. Vatt. A, O, P, Q, Egm., *perstrepant*. Brev. Moz., corrupte, *pestrepent*. Gis., Weitz. et Heinsius cum suis, *perstrepant*. Hoc placet; nam infra *concelebrent*. Sententia desumpta est ex psalmis, præsertim psalmo CXLVIII : *Laudate Dominum de cœlis*, etc., et ex cantico trium puerorum Danielis III. Iso *concentibus* nomen fecit participium, quasi *concinentibus*; perperam.

113. Rat., Prag. et Widm., *arva* minus bene pro *aura*. Cave etiam a Giselino *aura, silva*. In 1 edit. scripserat *silva, et aura*.

114. S. Damascenus cap. 1 libri secundi Orthodoxæ fidei : *Quod autem sæculorum sæcula dicuntur, ideo fit quod septem hujus mundi sæcula multa sæcula seu vitas hominum complectuntur. Atque unum illud sæculum sæcula omnia complexu suo tenet : sæculumque sæculi dicitur præsens hoc et futurum*. Ita ex editione Joannis Lequien.

Titulus hymni est, quem exhibent Vatt. A et B, Rat., Put., Thuan., Palat. Aldus, *In exsequiis defunctorum*. Fabr., *Ad defunctorum exsequias*. Oxon., et Rottend. *Circa exsequias defunctorum*. Alex., *Circa requies*. Hunc hymnum cum aliis paucis commentariolo illustravit Adamus Theodorus Siberus, et nonnullam ejus partem exposuit Barthius lib. XXI, cap. 4, qui hunc hymnum plane divinum vocat; et cap. 10 lib. XLII Prudentium laudans ait : *Unde longe eleganter Prudentius, cujus verba, imo totus ille funebris hymnus nullo verborum ambitu, nulla copia eruditionis enarrari satis possunt*. Eumdem hunc hymnum Crinitus intellexit, cum dixit, commendari Prudentii carmina de natali Domini, *De expiandis animis*, etc. Aliquæ strophæ hujus hymni leguntur in *Officio mortuorum* Missalis Mozarabici, edit. 2 pag. 149, nempe quatuor primæ, duodecima, decimaquinta et duæ sequentes, quadragesima et duæ sequentes. Lectiones variantes inde excerpemus.

1. Deum *igneum fontem animarum* vocat Prudentius non eo sensu quo ethnici philosophi Deum et animas ignem esse affirmabant; sed phrasi propria sacræ Scripturæ, ubi Deus igni comparatur, habitare in igne dicitur. Idem in Laurentio vers. 393 : *Sic ignis æternus Deus, Nam Christus ignis verus est*. Et Dittochæi tetrasticho 8 : IGNIS IN RUBO : *Sentibus involitans Deus igneus ore corusco*. Malachiæ III, 2 : *Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum*. Deuter. IV, 24 : *Deus tuus ignis consumens est. Fons animarum* dicitur Deus, quia fons est vitæ. Vide hymnum 4, vers. 10. Arnobius lib. II adversus Gent. : *Quia uno ex fonte omnium nostrum defluunt animæ*. Fortasse Prudentius rejicere voluit illorum errorem qui nescio quem fontem animarum fingebant, ex quo Deus animas educeret, non tum crearet, cum corporibus infunderet. Vide S. Augustinum, lib. X de Genesi ad litteram. Monet Barthius, huic hymno capiendo doctrinam Christianam de anima hauriendam esse e peculiari libello Gregorii Thaumaturgi de ea, e Nemesii commentario de homine, et aliorum libris.

2. Quo sensu *elementa* de corpore et anima dicantur, dixi proleg. num. 169. *Principia* intellige. Brev. Moz., *socias*, male.

3. Weitz., Gold., Widm. a prima manu. Vatt. B, I, O, Prag., Rat. *vividum*, quod bonam partem codicum habere asserit Barthius, sed crasse, et contra carminis legem. Vide proleg. num. 230. Rat., *morbidum* pro *moribundum*, male. Hoc loco *vivus* est immortalis, *moribundus* mortalis. Sic *vivus* Deus in sacris Litteris. Et eodem fere sensu Virgilius, Ovidius, et alii. *Moribundum* pro caduco seu mortali Virgilius lib. VI, vers. 732 : *Terrenique hebetant artus, moribundaque membra*. Cicero et alii *moribundum* pro morti proximo accipiunt. Brev. Moz. male distinguit *moribundum Hominem, pater effigiasti*.

4. *Effigiare* est formare ad imaginem. Eo verbo utuntur Apuleius, Sidonius, et sæpe noster Prudentius, quod eleganter usurpari ait Barthius, quasi ad artificium curamque poeta respexerit.

5. Cur *a* in *utraque* producatur, rationem reddidi in proleg. Giselinus in nonnullis Vulg. invenit *Tua sunt, tua recta utraque*, contra fidem mss. codd. Deus, qui est fons, ipse est rector.

6. Placet Barthio glossa Isonis, neque mihi prorsus displicet. Sed poterit etiam intelligi finis in voce *tibi*, ut statim *tibi dum vegetata cohærent*. Sic in Officio defunctorum *Regem, cui omnia vivunt*, etc. Addit Barthius, huc trahere aliquem posse *entelechiam* Aristotelis, de qua Nemesius. Clarius aliquis de unione, seu admirabili illa conjunctione et commercio corporis et animi locum hunc intelliget.

8. Giselinus Manilii exemplar secutus emendavit *Animus simul, et caro vivit*. Barthius assentitur, et barbare alios edere *spiritus* affirmat. Vide vers. 3. Aldus, Weitz. et alii legunt *spiritus*. Heinsius in suis vetustioribus reperit *Et spiritus, et caro servit*, quod placet, quia metro congruit, et exstat in Alex. et Urb., sed in hoc *vivit* pro *servit*. Vatt. A, B, I, O, P, Q, *Spiritus simul, et caro servit*, cum Brev. Moz. Prudentius aliis in locis primum i in *spiritus* produxit, adeoque rejicienda est lectio *Spiritus simul, et caro servit*, ubi corripitur. Cauchius conjiciebat *flatus* pro *animus*. In Hymnario V Thomasii, *Spiritus simul, et caro servit*. Vat. A, Prag., Widm. supra, Palat., Boug., Sich., *servit* pro *vivit*, quod est in aliis plurimis.

9. Versus sequentes edimus eo ordine quo sunt in Vatt. A, Q, Ald., Gis., Alex. In margine Vat. A nota : *Alii libri habent : Resoluta sed ista seorsum Proprios revocantur in ortus Petit halitus aere fervens, Humus excipit aere corpus. Quia cuncta*, etc. Pro *aere* legendum *aera* in versu *Petit halitus aera fervens* : in versu seq. ibidem notatur diversa lectio, quæ vera est *arida* pro *aere*. Vat. P, ut edidimus, sed ad oram : *Alii libri habent : Resoluta sed ista seorsum*, etc. Et ad marg. strophæ *Quia cuncta* pro div. lectione, *Sic cuncta*, etc.

351 Solvunt hominem, perimuntque :
Humus excipit arida corpus,
Animæ rapit aura liquorem.
Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactaque dissociari,
Et dissona texta retexi.

A **352** Hanc tu, Deus optime, mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inviolabile monstras,
Quo perdita membra resurgant.
Ut, dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa, ligantur,
Pars illa potentior exstet,

GLOSSÆ VETERES.

12. Liquorem, *serenitatem*, I.
15. Compacta, *conjuncta*, I.
16. Retexi, *dissolvi*, I. *Resolvi*, Vat. A.
19. Monstras, *monstrasti*, I.
21. Generosa, *nobilia animæ*. — Caducis, *corporis, in membris*, Iso.
22. Carcere, *in carne*, Iso.

COMMENTARIUS.

Vat. O : *Rescissa sed ista deorsum* (*supra seorsum*) *Proprios revocantur in ortus, Petit halitus æthera fervens, Solvunt hominem, perimuntque, Humus excipit arida corpus, Animæ rapit aura liquorem, Cuncta creata necesse est Labefacta senescere tandem, Compactaque dissociari, Et dissona texta texi, Obitum tolerare supremum, Ut semina dissociata, Sibi sumat origo resorbens*. Vat. B sic legit : *Recisa sed ista seorsum Proprios revocantur in ortus, Petit halitus æthera fervens, Humus excipit arida corpus, sic cuncta creata necesse est Obitum tolerare supremum, Ut semina dissociata Sibimet sumat origo resorbens Resoluta sed ista seorsum*, *Solvunt hominem*, *perimuntque*, *Humus excipit arida corpus Animæ rapit aura liquorem. Quia cuncta*, etc. Ita etiam Rat., et, ut puto, Ambros. Quæ melius sunt digesta quam in Vat. O et correctiora : nam in Vat. O mendum est *cuncta* pro *quia cuncta*, et *texi* pro *retexi*. Aliter Put. post versum *Et spiritus, et caro servit* illico *Resoluta sed ista seorsum Proprios revocantur in ortus, Petit halitus aera fervens, Humus excipit arida corpus. Sic cuncta creata necesse est Obitum tolerare supremum, Ut semina dissociata Sibi sumat origo resorbens. Hanc tu, Deus optime*, etc. Cum Put. faciunt Urb. et Vat. I, sed in his *rescissa* pro *resoluta*, et in Vat. I *sibimet sumat* pro *sibi sumat*. Egmondanus, ut in nostra lectione. Sed in margine pro diversa scriptura *Resoluta sed ista seorsum*, et tres sequentes versus, ut in Puteano. Weitz legit, ut in Vat. B, sed pro *sibimet sumat origo resorbens* melius habet *Sibi sumat origo resorbens*. Mendum antem est in Weitzio *arma* pro *aura* in versu *Animæ rapit aura liquorem*. Versus editionis Weitzianæ a 13 ad 21 absunt a Noms. et Rotten., in Oxonien. quædam exprimuntur ut in Weitzio, quædam non item, quod Heinsius testatur. Weitzius pro sua lectione allegat Fabr., apud quem est *rescissa* pro *resoluta*, Widm., Bong., Goldast. Ex tanta codicum discrepantia id Heinsius colligit, duas editiones carminum a Prudentio factas, ac nonnihil in utraque variatum. Igitur alii aliam lectionem amplexi sunt, nonnulli utramque in hoc hymno conjunxerunt. In versibus autem quos retinui quædam etiam est varietas lectionum. Hoc versu 9 Vat. A, *recisa* cum Gold. et Wid.; sed in Gold. supra, *relicta*. Multo melius *rescissa* cum Ald., Bong. et aliis.

11. Error est in Vat. A, *excidit* pro *excipit*.

12. Brev. Moz., mendose, *Anima rapit auræ liquorem*.

14. Fabricius legit *tabefacta*, minus bene, pro *labefacta*. In margine Vat. A nota : *Alii habent : Obitum tolerare supremum*. Hericus in suo poemate imitatus Prudentium ait *labefacta senescere*.

16. Sichard., *ut dissona*. *Detexta retexere* dixit Cicero de Oratore lib. II, pag. 72. Hericus de Resurrect. hominis mortui, *Qua virtute potest detexta retexere*. Breviter nunc attingam quæ Barthius tam in hos versus quam in alios omissos commentatur. Ait stropham illam Weitzii *Rescissa sed ista seorsum Proprios revocantur in ortus*, etc., posse retineri antiquitatis gratia, quamvis recte jam a Fabricio fuerit B omissa. Versum *Proprios revocantur in ortus* exponit aliis versibus Lucretii lib. II : *Cedit item retro*, etc., quos legesis proleg. num. 166. Addit editionem recentissimam (Weitzianam) intrusisse stropham inutilem et monachicum spirantem. Hanc intelligo esse stropham illam *Sic cuncta creata necesse est Obitum tolerare supremum*. In versu *Petit halitus æthera fervens* invenit apud veteres libros *Petit alter æthera fervens*, nec dubitat scribendum *Petit æther æthera fervens* : nam et Ovidius ultimam produxit, *Ipse meas æther accipe summe preces*. In *æther* quidem ultima apud Ovidium, et Prudentium, si ita hic versus legatur, vel solius cæsuræ ratione poterit produci. Gallandius ex Tornæs. Exscribit illum versum, *Petit alter æthera fervens*. Intelligi potest *alter* de spiritu. Pergit Barthius, animadvertens, *senescere* omnium rerum defectum notare, *texta* corpus dici, ut alibi *cratem*, *compacta* ab Arnobio lib. II in fine accipi pro *nexibus*, quibus pelliculæ et artus homini vero sunt affixi.

18. *Abolere mortem* proprium solius Dei : quod in sacris Litteris et Ecclesiæ precibus sæpe oc- C currit.

19. Ald., Egm., Put. et Oxonien., *monstrans*; Rott. *monstra*. Cæteri, et sensus ipse exigit, *monstras*.

22. Quod corpus animæ *carcer* dici possit, constat partim ex his quæ dixi ad vers. 44 præfat., et ad vers. 190 hymn. 7, partim ex his quæ addam. Multa in eam sententiam Plato ex Socratis et Ægyptiorum scitis disserit, et ex eo repetunt alii philosophi, ut videri potest apud Barthium Adv. cap. 5, lib. XLII, et Martinum de Roa de Die natali cap. 3. Christiani philosophi et SS. Patres eodem fere modo locuti sunt, ut Nemesius de Natura hominis, Theophridus abbas de Vener. sanctorum, Arnobius lib. II, S. Paulinus sæpe. In communi unius martyris ad laudes hymnus est ubi hos versus legimus : *Soluta sunt jam vincula Tui sacrati corporis*. Itaque quamvis ethnici philosophi corpus appellaverint *carcerem*, *vinculum*, *antrum*, *sepulcrum*, *vas animæ*, ita his vocibus abu- D tentes, ut veram et intimam animæ cum corpore unionem negarent, tamen ejusmodi voces a SS. Patribus vulgo usitatæ, Ecclesiastica consuetudine, atque adeo sacræ paginæ auctoritate comprobatæ, nequaquam rejici debent; quandoquidem inter Christianos de vero sensu constat, scilicet animam, dum corpori est unita, omnes suas functiones plene et libere exercere non posse. Apposite S. Ambrosius lib. V, epist. 21 : *Unaquæque anima videns se corporeo isto clausam gurgustio, quæ tamen terrenæ hujus habitationis consortio non degeneraverit, ingemiscit gravata corporis hujus conjunctione*. Animadvertere tamen oportet errorem, a concilio II Braccarensi damnatum can. 6 : *Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, et pro hoc in corpora humana in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit*. Cavillum Martini Lutheri refellam ad vers. 45 hymni 11, *Mortale corpus induit*.

Quæ germen ab æthere traxit.
353 Si terrea forte voluntas
Luteum sapit, et grave captat
Animus quoque pondere victus
Sequitûr sua membra deorsum.
At si generis memor ignei
Contagia pigra recuset,
Vehit hospita viscera secum,
Pariterque reportat ad astra.
Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensus.
Venient cito sæcula, cum jam
Socius calor ossa revisat,
354 Animataque sanguine vivo
A Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulcris
Impenditur : hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
355 Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaque myrrha sabæo
Corpus medicamine servat.
Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta?
B Nisi quod res creditur illis

GLOSSÆ VETERES.

26. Luteum, *non sobrie, nomen.* — Sapit, *vult.* — Captat, *appetit*, Iso.

29. Generis, *originis suæ.* — Ignis, *anima vivax*, Iso. — Memor, *anima*, Vat. A.

33. Requiescere, *in sepulcro*, I.

34. Sine mente, *sine anima*, I.

36. Repetat, *iterum suscipiat societatem animæ*, Vat. A. — Sensus, *animæ*, Iso.

38. Calor, *anima*, I.

45. Sepulcris, *cymitron Græce, Latine dormitorium: hinc cymiterium et cymiteria, dicuntur, id est dormitoria, in quibus sancti quasi dormire videntur usque ad diem judicii*, I.

48. Ambitus, *ornatus, vel honor*, Iso.

51. Sabæo, *thure*, I.

COMMENTARIUS.

25. Vat. unus Teol., *voluptas*, minus bene. Eucherius Lugdunensis in epistola ad Valerianum, pag. 382 : *Caro siquidem proclivis in vitia ad terram tanquam in originem suam nos revocat; hæc vero veniens a Patre luminum* (loquitur de anima), *sicut ferri ignibus mos est, in superiora nititur.* Barthius lib. XIV Adv., cap. 10, putat Eucherium expressisse hæc ipsa verba Prudentii, et alia non absimilia ex Psych.

29. Plerique legunt *ignis*, et Iso exponit de anima; quod pariter habent Vatt. O, P, et I cum glossa *anima*, Alex., Urb. et alii nostri; nec debuit hæc lectio mala Gallandio videri in Aldo et aliis. Sed Vat. Q, Noms., Rottend., Torrentianus unus, et schedæ Græviana, *ignei*, facta synæresi, quod mihi admodum placet, nam primo versu Deum *igneum fontem animarum* vocat. Vat. A videtur eodem modo legisse, saltem, qui glossam verbo *memor*, id est *anima*, apposuit. In Oxon., *igneoli*, mendum.

30. Ald., Nebris., Sich., Gis. 1 ed. ad oram, *nigra.* Plerique et optimi, *pigra;* quod longe congruentius est. Teol. in Vat. uno invenit *nigra.* Hericus Altisiodorensis, qui ab hoc hymno plura est mutuatus, exscripsit *contagia pigra.* Weitzius pro *nigra* allegat F.; si Fabricium intelligit, hic habet *pigra.*

33. Aliqui adverbii nota insigniunt *quod.* Ego relativum puto, ut intelligatur *corpus, quod videmus.*

38. Hericus, *Socius calor ossa revisit.* Virgilius lib. IX, vers. 475, *calor ossa reliquit.*

40. Ante Hadriani aut Antoninorum tempora non apparet hoc vocabulum *habitaculum* in usum inductum; post multi usurparunt etiam profani scriptores, Palladius, Gellius, Solinus, Ammianus.

45. Ex honore qui sepulcris impenditur, argumentum petitur resurrectionis mortuorum, quod Tertullianus aliique promovent. Novella Theodosii et Valentiniani de sepulcris tit. 5 : *Scimus, nec vana fides, et solutas membris animas habere sensum, et in originem suam spiritum redire cœlestem.... Nimis barbara est et vesana crudelitas munus extremum luce carentibus invidere.* Pignorius, de Servis pag. 230, hos versus adducit, ut probet, sepulcris etiam Christianorum vela candida prætendi consuevisse, ex more Hebræorum, ut ipse putat, apud quos visebantur sepulcra *dealbata*, quo fortasse allusit Paulus, cum Act. XXIII Ananiam vocavit *parietem dealbatum.* Sedulius lib. V carminum de Juda : *Velut omne sepulcrum Exteriora gerens albæ velamina formæ, Sordibus interius, fædoque cadavere plenum.* Vide infra vers. 49. Recenset poeta ea fere omnia C quæ peragi solebant, ut honos defunctis haberetur. Adhibebantur etiam candelæ, et, ut ex hoc hymno liquet, hymni vel psalmi. S. Hieronymus ad Eustochium de epitaphio Paulæ : *Cum alii pontifices lampadas cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent.* Et in Vita Pauli sub finem : *Hymnos quoque et psalmos de Christiana traditione decantans.* Victor Vitensis, lib. I, aliique eamdem consuetudinem comprobant. Concilii Toletani III, canon 22 exstat : *Religiosorum omnium corpora qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo psallentium vocibus debere ad sepulcra deferri. Nam funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari solet, vel pectoribus se, proximos, aut familias cædere omnino prohibemus.* Confer concil. Valent. an. 524, cap. 4; Braccar. I, cap. 16 et 17; et infra vers. 113.

47. Funus cum sepulcro est *honor ultimus*: in veteri epitaphio Popiliæ, *Extremum officium quoniam tibi reddere cogor.* Virgilius, lib. VI, vers. 213, D *et cineri ingrato suprema ferebat Munera.*

49. Plura de his diximus proleg. num. 156 et seqq. Videri possunt Baronius tom. I Annal., pag. 238, et S. Hieronymus de obitu Blesillæ, ubi meminit *velaminis aurei* quo feretrum obtendebatur, et in Vita S. Pauli, ubi pariter memorat *auratas vestes* quibus mortui obvolvebantur. Repete dicta vers. 45, et confer Jacobum Gretzerum, lib. I de Funere Christiano, cap. 3, ut plures alios prætercam, qui de funeribus universe scripserunt, et hos Prudentii versus laudarunt.

55. Ald., *res quod nisi creditur.* Codd. mss., *nisi quod res creditur.* Utrumque metro congruit, sed hoc postremum suavius est. Nescio cur Cellarius ediderit *res quod nisi*, eumque transcripserit Teolius, nullo ms. cod. producto.

Non mortua, sed data somno? A
Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, ut pote credens,
356 Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget.
Qui jacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.
Quin lex eadem monet omnes
357 Gemitum dare sorte sub una,
Cognataque funera nobis
Aliena in morte dolere.
Sancti sator ille Tobiæ,
Sacer, ac venerabilis heros,
Dapibus jam rite paratis
Jus prætulit exsequiarum.
Jam stantibus ille ministris
Cyathos, et fercula liquit,
Studioque accinctus humandi,
Fleto dedit ossa sepulcro.
Veniunt mox præmia cœlo,
Pretiumque rependitur ingens:
Nam lumina nescia solis

GLOSSÆ VETERES.

56. Non mortua, *unde in Job: Restituetur ut lutum signaculum, et stabit quasi vestimentum. Signaculum hominem vocat, qui in lutum redigitur, et quasi totum vestimentum reservetur*, I. B

58. Utpote, *ut æstimo, id est, quasi*, I.

59. Omnia, *post generalem resurrectionem*, Iso.

61. Qui, *de his qui mortuos sepeliunt*, I.

62. Aggere, *cumulo*, Iso.

66. Sorte sub una, *una sors est omnium, videlicet mori*, I.

69. Sator, *pater*, I.

71. Rite, *rationabiliter*, I.

72. Jus, *legem.* — Exsequiarum *exsequiæ ab exsequendo*, I.

75. Humandi, *sepeliendi*, I.

76. Fleta, *deplorata, plorata, lamentata*, I.

COMMENTARIUS.

56. In sacris Litteris, precibus ecclesiasticis sanctorumque Patrum voluminibus, mortui, præsertim sancti et qui ad vitam æternam resurrecturi sunt gloriosi, *dormientes* dicuntur. Hinc *cœmeterium*, aut *cœmiterium*, κοιμητήριον a κοιμάω, *dormio*. Corrigenda ergo est Isonis glossa, quæ *cymitron* et *cymiterion* scribit. Ex hac phrasi gravissimi viri natam existimant historiam de septem dormientibus, qui scilicet dormierant in Christo, hoc est, vere mortui fuerant et reperti sunt tanquam dormientes. Confer Baronium ad diem 27 Julii Martyr. Rom., Cuperum Acta SS., pag. 393, tom. VI, et Petrum Lazzeri, de critices Regulis § 7. Eruditissimus eques Victorius edidit C Romæ 1741 SS. septem Dormientium historiam ex ectypis musei Victorii expressam, dissertatione, et veteribus monumentis illustratam: qui cap. 12 observat, Prudentium his versibus mysticum sensum aperuisse, et subjicit epitaphium S. Alexandri martyris, quod mihi dubium est: ALEXANDER MORTUUS NON EST, SED VIVIT SUPER ASTRA. Multa alia affert, ut probet, sanctos illos *Dormientes* nuncupatos vere mortuos fuisse et martyrio coronatos. Etsi autem professus fuerit, se ex ectypis sui musei exhibere eam historiam accurate delineatam, et æri incisam, tamen cl. præsul Stephanus Borgia hujusmodi antiquitatum cultor eximius ex prototypo, quod in locupletissimo suo museo servat, notavit, litteras quibus nomina SS. martyrum exarantur, in icone Victorii non ea forma veteri esse descriptas qua exstant in suo vitro. Neque id solum me perhumaniter admonuit, sed etiam ex suo prototypo eamdem historiam diligenter D delineari curavit, ut eadem a me æri fideliter incisa hoc loco repræsentaretur. Intellexi vero postea, ectypon Victorii, quod nunc in Museo Vaticano asservatur, plane respondere prototypo musei Borgiani Velitris. Notandum est ab antiquo artifice formata etiam fuisse martyrii instrumenta, scilicet clavas nodosas, secures, clavos, faces ardentes, uncos. Nomina sunt *Constantinus, Maximianus, Martinianus, Joannes, Malchus, Sarapio, Danesius*, qui fortasse est *Dionysius*. Victorius ait, suum ectypon esse, ex sulphure multis abhinc annis fuso, ex gemma antiqua sumpto: ætatem gemmæ sive prototypi, quod periisse suspicabatur, refert ad sæculum VIII aut IX. Illud mirandum est, virum diligentiæ laude commendatum, parum curasse, ut imago æri incisa ectypo, quod ipse possidebat, conformaretur. Pignorius in comment. de Servis, pag. 234, advertit, non solum ex ecclesiastica loquendi consuetudine originem ducere decantatam septem Dormientium memoriam, sed etiam ea de causa a Romanis pontificibus sepulcris apostolorum adhibitos ex clero Romano custodes, qui *cubicularii* dicuntur.

59. Adverbium *protinus* hoc loco vim habet, quasi *porro tenus, demum.*

60. Vat. B, Rat. pro diversa scriptura, Sich., *arcet*, quod secutus est Weitzius cum Bong., Goldast., et Widm., in quo supra *urget*, quæ est lectio communior et verior. Sic Horatius lib. I, oda 24, *Ergo Quintilium perpetuus sopor Urget.* Ciceronis etiam est *somnus urget.* Hericus loc. cit., *Quæ sopor urgebat.* Giselinus in textu *arcet*, ad oram *urget.*

61. Hanc totam sententiam eloquenter Lactantius adornat lib. VI, cap. 12 Divin. Instit.: *Ultimum illud et maximum pietatis officium est peregrinorum et pauperum sepultura..... Non ergo patiemur, figuram et figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere, sed reddemus id terræ, unde ortum est..... In quo autem magis justitiæ ratio consistit, quam in eo, ut quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem, quæ est multo certior justiorque cum jam non homini præstatur, qui nihil sentit, sed soli Deo gratissimum sacrificium est opus justum.*

64. Egm., Ald., *prius*, quod amplexus est Nebrissa, exponens *in primis*; neque Chamillardo displicuit. Sed multo magis placere debet *pius*. In Vat. A est *prius*, et supra *pius*.

65. Ald. Weitz., Gis. 1 edit., *quia lex*, nihilque diversum ex mss. notat Mariettus. Gis. 2 edit., *quin lex*, nullamque varietatem Heinsius ex suis mss. animadvertit. Metrum et sententia utrolibet modo constant; quamvis *quia lex* Gallandio minus rectum visum fuerit in vett. edd. Brev. Moz., *movet omnes.*

66. Aldus edidit *forte sub una*, correxit vitiose *sorte sublima.*

67. Egm., Widm. supra, *munera.* Vat. A. *munera*, supra *funera.*

69. Lege Tobiæ librum cap. II.

70. Tobias pater *heros* dicitur, ut S. Joannes evangelista hymn. 6, vers. 114.

73. Verbum *stare* ministris conviviorum apte convenit, qui et *statores* dicebantur, auctore Petronio Arbitro: *Nisi aut servos viderint, aut statores altius cinctos.*

74. Vat. A., *ac fercula*; alii *et.*

76. Vat. B, P. I cum glossa, *plorata, lamentata*; Gold., Widm., Weitz., nonnulli Heinsiani. Iso, *fleta*, quod metro parum congruit. Bong., Fabr., Hails. supra, Thuan., Rat., Gis., *fletu*, minus bene; *fleto sepulcro* optimi codices. Aldus et alii.

Deus illita felle serenat.
Jam tunc docuit pater orbis,
Quam sit rationis egenis
Mordax, et amara medela,
358 Cum lux animam nova vexat.
Docuit quoque non prius ullum
Cœlestia cernere regna,
Quam nocte, et vulnere tristi
Toleraverit aspera mundi.
Mors ipsa beatior inde est,
Quod per cruciamina lethi
Via panditur ardua justis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis:
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere novit.
Hæc, quæ modo pallida tabo
Color albidus inficit, ora
Tunc flore venustior omni
Sanguis cute tinget amœna.
Jam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet,
Macies neque sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.

A **359** Morbus quoque pestifer, artus
Qui nunc populatur anhelos
Sua tunc tormenta resudans
Luet inter vincula mille.
Hunc eminus aere ab alto
Victrix caro, jamque perennis
Cernet sine fine gementem,
Quos moverat ipse, dolores.
Quid turba superstes inepta
Clangens ululamina miscet
Cur tam bene condita jura
Luctu dolor arguit amens?
Jam mœsta quiesce querela,
Lacrymas suspendite, matres,
Nullus sua pignora plangat:
B Mors hæc reparatio vitæ est.
Sic semina sicca virescunt
Jam mortua, jamque sepulta:
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.
360 Nunc suscipe, terra, fovendum,
Gremioque hunc concipe molli:
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa et fragmina credo.
Animæ fuit hæc domus olim,

GLOSSÆ VETERES.

80. Illita, *tincta.* — Serenat, *clara facit*, I.
82. Egena, *indigens quia necesse est ut habeat rationem*, I.
83. Mordax, *dura*, I.
84. Lux, *correctio divina*, Vat. A. — Vexat, *fatigat*, I. *Quia post longam tenebrarum insuetudinem lux cum labore suscipitur*, Prag.
85. Docuit, *Deus*, Iso.
87. Nocte, *nox pro tribulatione*, I.
96. Fatiscere, *resolvi, dissolvi*, Iso.
98. Color, *pallor.* — Inficit, *corrumpit.* — Ora, *facies*, Iso.
99. Venustior, *pulchrior*, I.
100. Tinget, *colorat, humectat*, I.
102. Carpet, *corrumpet*, I.
C 104. Adeso, *consumpto*, I.
105. Morbus, *diabolus, qui morbos infert*, I.
109. Eminus, *longe*, I.
112. Moverat, *excitaverat contra alios.* — Dolores, *morbos*, Iso.
127. Sequestro, *commendo, separo*, Iso.
129. Hæc, *caro*, I.

COMMENTARIUS.

82. Iso, Vat. B, I, Prag., Rat., Weitz. cum suis, *egena*. Ald., Vat. O, P. Q, Gis., *egenis*, quod secutus est Heins. cum suis. Probum est *rationis egenis*, hoc est peccatoribus, qui cæcis comparantur, et ratione, seu luce egent.

86. Torrentiani duo *scandere*. Sed *cernere* est in reliquis. Vide hymni 12 vers. 88.

90. Teol. pro diversa lectione *cum per*. Hailsb. supra *mundi* pro *lethi*.

93. S. Paulinus Natali 6: *Placida caro morte quiescit In spem non vacuam rediviva condita vitæ*. Verbo *mortificandi* utitur Tertullianus, et S. Prosper epigr. 96: *Vis est corporei mortificanda hominis*.

100. Iso videtur legisse *tingit*. Sed *tinget* exigit sensus.

101. Widm., Palat., Aldus cum nostris, Heinsius cum Thuan., Put. et duobus aliis, *jam*. Alii *nam*.

104. Weitz., Hailsb. a secunda manu, *abeso*.

107. Aldus, *sua nunc*, minus bene.

108. Aldus, male, *lucet*. Sichardus restituit *luet*, faventibus membranis.

112. Put. a manu secunda, *ipsa*.

113. Chamillardus intelligit præficas illas mulieres quæ conducebantur, ut mortuum carmine lugubri prosequerentur; non tamen diffitetur, locum explicari posse de lacrymis quorumlibet. Id innuunt verba *turba superstes*. Vide comment. ad vers. 45, et confer dissertationem Hieronymi Baruffaldi de Præficis, et Antonii Lanzoni de Luctu mortuali.

114. Fabr., *plangens* pro *clangens*.

115. Egm., *jam* pro *tam*.

118. Barthius lib. XLVI Adv., cap. 15, interpretatur, *matres* esse feminas ætatis provectioris, quales fere præerant planctibus, videlicet præficas sic dictas, quod planctibus præficerentur. Non assentior. Prudentius enim statim de pignoribus seu filiis loquitur.

121. Joan. XII, 24 et 25.

D 124. *Meditari* est moliri et quasi exprimere. Nam qui meditantur, proximi sunt, ut efficiant. Non semel Prudentius hoc sensu usurpavit *meditor*; et S. Paulinus in eodem argumento de obitu Celsi: *Cuncta resurgendi faciem meditantur in omni Corpore, et in terris germina, et astra polo*. Prudentius veteres aristas vocat, quia semina ex aristis prodeunt, et in aristas redeunt. Teolius invenit *imitantur* apud nonnullos.

125. Rat., *hunc* pro *nunc*. Egm., Vat. O, mendose *favendum*.

126. Prag., *nunc* pro *hunc*, male. Vigilius martyr, pag. 17, *gremium sepulcri* dixit, fortasse Prudentium imitatus, ex Barthii observatione.

127. Aldus, Vat. Q, male *nominis* pro *hominis*. Heinsius suspicatur *tibi sequestræ*. Sed *sequestro* sensum rectum præfert. Hoc verbo usi sunt Tertullianus, Sidonius et alii. Tertullianus de Resurr. carn. cap. 27: *Proinde enim et corpora medicata condimentis sepulturæ mausoleis et monumentis sequestrantur*.

Factoris ab ore creatæ :
Fervens habitavit in istis
Sapientia principe Christo.
Tu depositum tege corpus :
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor, et auctor ;
Propriique ænigmata vultus.
361 Veniant modo tempora justa ,
Cum spem Deus impleat omnem.
Reddas patefacta , necesse est

A Qualem tibi trado figuram.
Non , si cariosa vetustas
Dissolverit ossa favillis ,
Fueritque cinisculus arens
Minimi mensura pugilli ,
Nec , si vaga flamina , et auræ
Vacuum per inane volantes ,
Tulerint cum pulvere nervos ,
Hominem periisse licebit.
362 Sed dum resolubile corpus

GLOSSÆ VETERES.

131. In istis, *corpore*, I.
133. Depositum, *commendatum*, I.
135. Fictor, *plasmator*, I.
136. Ænigmata, *imagines*, I. *Ænigma in hoc loco pro imagine ponitur*, Vat. A. *Ænigmata, id est figuram*, Prag.
137. Modo, *cito*, Iso.

141. Cariosa, *corruptibilis : nam caries est putredo ligni. A carie. i. e. putredo , tremetes* (lege *teredines*) *vocantur vermes, qui ligna comedunt, et in putredinem* B *redire faciunt*, I.
145. Flamina, *venti*, I
146. Inane, *vacuum aerem*, I
149. Dum, *sc. usque*, I.

COMMENTARIUS.

130. In marg. Vat. A et P pro diversa scriptura, *Cui nobilis ex Patre fons est*, quam habent Put., Oxon., Hailsb., et schedæ Grævianæ Cauchii. Nomsianus utramque agnoscit.

134. Heinsius cum Put., *illa*. Heinsio adhærent Cham., Cellar., Teol., qui unum tantum Vat. vidit, in quo esset *ille*. Sed Fabr., Ald., Gis., Weitz., et nostri legunt *ille*, quod prætulit Gallandius.

135. Hails., *factor*, supra *fictor*.

136. Nebrissa suspicatur *schemata*, quod placet Chamillardo, quia homo tam perfecta figura, atque imago Dei est, ut ei nullo modo conveniat *ænigma*, nisi id omne quod aliud refert, *ænigma* dicatur. Contra ego puto, *ænigma* Dei recte hominem appellari. C Est enim *ænigma*, ut ait Giselinus, rei minus notæ imago. Quod si velis, *ænigma* esse imaginem aliquantum obscuram, ut plerique asserunt, optime homo ænigma Dei vocabitur, neque enim clare et perspicue Deum repræsentat. Vide hymnum S. Laurentii, vers. 118, *Argenteorum ænigmatum*.

137. Vat. B, Wid., Gold. a secunda manu, *venient*.

141. *Cariosa senectus* apud Ovidium lib. I Amor., eleg. 12.

142. Christiani defunctorum corpora non comburebant. Nihilominus *cinerem* et *favillas* nuncupabant reliquias in sepulcris asservatas, ut sæpissime apud scriptores ecclesiasticos licet observare, Prudentium, Paulinum, alios. Neque desunt exempla antiquiorum, quibus *favilla* de quovis minuto pulvere profertur, in quem homines post obitum fuerint redacti, sive igne, sive alio modo consumpti, verbo translato ex communi usu comburendi corpora.

143. Notat Nebrissa, cineris proprium esse epi- D theton *arens*. Sic Virgilius lib. VI, *bibulam favillam* dixit, quia arida est.

144. Barthius, lib. V Advers., cap. 10, hunc locum tuetur adversus G. Agricolam et G. Fabricium aliosque, qui illum incessunt, quod *pugillus* non sit mensuræ genus. Etenim apud medicos revera mensura est pugillus, ut ex Plinio, lib. III, cap. 26 , aliisque scriptoribus ostenditur. Apicius lib. III, cap. 10 : *Porros maturos fieri, pugnum salis, aquam, et oleum mixtum facies, et ibi coques*. Hoc igitur voluit poeta, hominis cinisculum pugno posse contineri ; quod Propertius quodammodo attigit, et cum Prudentio Burmannus Propertium confert, aliosque adjungit lib. IV, eleg. 11, vers. 14 : *En sum, quod digitis quinque levatur, onus*. Ubi loquitur Cornelia de suis cineribus, aut de sepulcralibus urnis, quæ plerumque erant minuta vascula. Scriptores ecclesiastici sæpe hanc phrasin adhibebant *pugillo* claudere, continere, ut de Deo auctor carminis de resurrectione Lactantio ascripti : *cujus clauduntur cuncta pugillo*. Et Venantius Fortunatus : *Mundum pugillo continens*.

145. Prag., inepte, *nec si flamma vaga*. Gis. 1 ed. in textu. Fab. et Bong., *vaga flumina*, minus bene.

148. Vat. A, *perisse*, sed *periisse* poscit carminis ratio.

149. Index librorum expurgandorum, cujus memini num. 184 proleg., jubet apponi margini hujus loci : *Caute lege : nam videtur docere, animas piorum, quæ nihil purgandum deferunt, egressas a corpore detineri in paradiso terrestri illo unde expulsus fuit Adam. Fortasse Prudentius per paradisum voluptatis et sinum Abrahæ nihil aliud intelligit quam essentialem animæ gloriam ante glorificationem corporis*. Hanc explicationem confirmat quod ante Prudentius dixit : *Veniant modo tempora justa, Cum spem Deus impleat omnem*. Et Hamart. vers. 839 similiter describit paradisum, et cœlum intelligit. In precibus, quibus anima ex hoc mundo egressura Deo commendatur, similes adhibentur voces, ut gloria cœlestis indicetur : *Beatæ quietis in sinu patriarcharum te complexus astringat... Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amœna virentia. Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas.... In sinum Abrahæ angeli deducant te*. Animas piorum post obitum in gremio Abrahæ, patris credentium, recipi veterum quorumdam fuit opinio. Paulinus in carmine de Obitu Celsi : *Et patriarcharum sinibus deponat ovantes, Unde gehenna procul sævit hiante chao*. In officio Mozarabico hæ strophæ Prudentii canuntur. Vide S. Ildefonsum cap. 90 de Cognitione baptismi ; Rigaltii notas ad cap. 13 Tertull. de Idololatria ; Isæum ad Lactantium lib. VII, cap. 21 ; Bellarminum, tom. I, controv. 7 ; Malvendam, de Paradiso voluptatis cap. 90 et seq., ubi auctores adducit, qui existimarunt animas piorum detineri in paradiso voluptatis, et hunc paradisum esse sinum Abrahæ. Hi autem recensentur Tertullianus, Origenes, S. Justinus in Quæst. ad orthodoxos, noster Prudentius, Theophylactus, Euthymius, Moses Bar-Cepha, S. Athanasius, S. Augustinus, S. Joannes Chrysostomus, Petrus Comestor. Horum auctoritates Malvenda partim rejicit, partim exponit, quod allegorice locuti fuerint ; Joan. Maldonatum refellit, qui verba Christi ad latronem Lucæ XIII, *Hodie mecum eris in paradiso*, de sinu Abrahæ vel limbo Patrum intelligit. Rigaltius loc. cit. apertius dicit, plurimos adhuc ævo illo valde fuisse harum rerum incertos et dubios; qui etiam Irenæi sententiam *in Abrahæ sinu resurrectionem exspectari* ex Quæst. Justini in fine libri allegat. Nunc jam damnatus est error asserentium animas sanctas non frui visione Dei usque ad diem judicii.

Revocas, Deus, atque reformas,
Quanam regione jubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, ut est Eleazar:
363 Quem floribus undique septum
Dives procul aspicit ardens.
Sequimur tua dicta, Redemptor,
Quibus, atra e morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradisi,
Licet et nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.
Illic, precor, optime ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exsul, et errans.
Nos tecta fovebimus ossa
Violis, et fronde frequenti:
364 Titulumque, et frigida saxa
Liquido spargemus odore.

XI. HYMNUS VIII KALENDAS JANUARIAS.

Quid est, quod arctum circulum

GLOSSÆ VETERES.

152. Requiescere, *usque ad resurrectionem*, I.
153. Senis, *Abrahæ*, I.
154. Eleazar, *qui et Lazarus*, I. *Lazarus mendicus*, Vat. A.
166. Famulam, *famulantem*, Iso.
169. Fovebimus, *ornemus*, Iso.
171. Titulum, *epitaphium*, I.
172. Odore, *odore, vel adodore* (lege *adore*). *Ador est genus farris, quod in sacrificiis deorum ponebatur: venit autem a verbo* ADORO, *unde producitur. Sed alia regula repugnat, nam omnia nomina neutri generis in* or *desinentia corripiunt* or, *ut marmor, marmoris, æquor, æquoris. Hisce ergo regulis invicem repugnantibus mansit indeclinabile* ADOR, Vat. A.

1. Quid est, *quasi nesciens interrogat quomodo sol ab australi circulo ad septentrionalem ascendendo recurrit.* — Arctum, *brevem*, *brumalem*, *australem*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

153. Put., Bong. et Palat., *addita*; quod tenuit Heinsius, et cum Heinsio Teolius. *Abdita* magis placet, quod exstat in plerisque mss., et Ald., Fabr., Gis., Weit. aliisque.

154. Vat. I a secunda manu, Weitz., Gis. 1 edit., *Recubabit, ut illa Lazari.* Aldus, nostri codd., omnes Heinsiani præter Put., Fabr., Tornæs., et ut Weitzio visum, Widm., *Recubabit*, *ut est Eleazar*; quod magis ad rationem metricam accedit. Gis. 2 edit. nescio unde traxit *Recubabit, ubi est Eleazar*, quod probarem, si mss. faverent. Cham., Cell. et Teol. secuti sunt Heinsium, et contra metrum ediderunt, *Recubabit*, *ut illa Lazari.*

158. Ald., Nebr., Fabr., Egm., Bong., Oxon. aliique duo Heinsiani, priscæ editiones, *atra morte*; Gis., Heins. cum suis optimis, Prag., *atra e morte.* In Vat. A additum erat *e*, ut esset *atra e morte*, sed rursus inductum erat *e*. Vat. B a prima manu, *atre*, a secunda manu *atra e*. Put. *triumphas.*

159. Oxon., Vat. B a prima manu, *mandans*. Eumdem locum intelligit poeta esse sinum Abrahæ et paradisum, quo a Christo latro perductus est.

164. Rat., non male, *hominem*, ita duobus versibus distinctis, *Licet et nemus illud adire Hominem, quod ademerat anguis.*

165. Ald., Gis., 1 ed., *illud*, *precor*.

170. Fab., Gis. ed. 2 diserte, *fronde sequenti*, neque mutavit, cum editionem hanc correxit. Heinsius, qui Giselinum sequi solet, ubi se ab eo discedere non monet, hoc loco legit *fronde frequenti*, sed nihil contra observavit. Verum cæteri, et ipse Gis. 1 edit., *fronde frequenti*. Posset conjici *recenti*, quod etiam in mentem venit Burmanno, tom. I Anthol. pag. 733; sed fortasse poeta innuit, eum honorem sepulcris sæpe et frequenter haberi. De his funerum ritibus vide proleg. num. 157, 158; Baronium, tom. I Annal., pag. 238; Kirchmannum, de Funeribus pag. 581; Carolum Paschalem de Coronis, aliosque innumeros.

171. De *titulo* plura dicam ad vers. 392 hymni S. Vincentii, *Titulumque figat martyris*. Pro epitaphio sumitur hoc loco; quo sensu apte titulus crucis Salvatoris eo nomine donatur.

172. Unguentum intelligo *liquidum odorem*. Chamillardus certe non erravit, dum *liquido odore* per eadem verba interpretatus est. Vide proleg. num. 159. Rot., Alt., Oxon. ad oram, Alex. pro divers. script., Vat. Q, *adore*, perperam, pro *odore*. Glossa falsa, et inepta est. In Vat. I, *Finit liber hymnorum.*

In vetustissimis codd. Put., Ox., Mar., Vat., B VIII *kal. Jan.* titulus est hujus hymni, quem Aldus aliique expresserunt. Vat., A, Eg., Rott., *Hymnus natalis Domini*. Alii utrumque titulum conjunxerunt, scilicet Weitz., Fabr. In Vat. B post hymnum præcedentem sic sequitur, *Finit liber primus hymnorum. Incipit liber Peristephanon*. Post hymnum vero S. Romani *Aurelii Prudentii Clementis. Incipit hymnus* VIII *Kal. Januarii.* Sic omnia in codice Marietti, in quo desunt alii hymni Cathemerinon præter hunc et sequentem, utpote alio loco a cathemerinis distincto conservatos, in Vatt. A et Q pariter hi duo hymni collocantur post hymnum S. Romani. In Rot. et Noms. claudunt agmen libri Peristephanon post passionem S. Romani. Equidem puto, ita fecisse exscriptores, qui cum hymnos de Tempore, ut vocabant, ab hymnis de Sanctis dividerent, duos hos hymnos, quibus festa natalis et Epiphaniæ Domini celebrantur, magis ad hymnos de Sanctis quam ad alios de Tempore spectare opinati sunt. Non tamen valde repugnabo, si quis contendat, ab ipso auctore hos duos hymnos fuisse a cathemerinis separatos, ex vett. codd. auctoritate. Hunc hymnum in paucis commendat Crinitus, et peculiari commentario Erasmus et Augustus Buchnerus illustrarunt. Buchnerus in conspectu carminis hæc habet: *Egregium illud ac plane divinum* (hoc carmen). *Cui neque ad dictionis elegantiam, nec concinnitatem numerorum, tum inventionis acumen atque ingenium quidquam deest: quodque perinde ut cætera pleraque principatum nostro facile asserat, quem Christianorum poetarum ipsi jam dudum summi sæculi viri attribuerunt.* Post Buchnerum commentatus est hunc hymnum Andreas Mollerus Pegavius, qui multus est in inscriptione illustranda *Ad diem* VIII *calendas Januarias*, sed potius scribere debuit *a. d.* hoc est, *ante diem*, nam ex his compendiis litterarum factum est, ut aliqui scriberent *ad.* Idem Buchnerus contendit, scribendum *calendæ*, non *kalendæ*, de qua controversia orthographica plures alii agunt. Baronius, Martyr. pag. 2 ad diem 1 Jan., primos versus laudat, quod divino plane consilio acciderit, ut eodem ferme tempore *uterque sol* diversa luce orbi terrarum affulserit. Scaliger putabat, neminem Ambrosio et Prudentio antiquiorem Domini natalem diem assignasse VIII kal. Jan., sive 25 Dec. Verum ejusdem natalitii diei meminit Victorinus episcopus Pictaviensis in carmine de Jesu Deo et homine, qui ante Constantinum floruisse dicitur. Sca-

365 Sol jam recurrens deserit?
Christusne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?
Heu, quam fugacem gratiam
Festina volvebat dies!
Quam pene subductam facem
Sensim recisa exstinxerat!
Cœlum nitescat lætius,
Gratetur et gaudens humus:
A Scandit gradatim denuo
Jubar priores lineas.
366 Emerge, dulcis pusio,
Quem mater edit castitas,
Parens, et expers conjugis,
Mediator, et duplex genus.
Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus, et Verbo editus,

GLOSSÆ VETERES.

2. Recurrens, *sursum*, I.
4. Tramitem, *viam*, I. *Viam: trames a tramittendo*, Vat. A.
5. Fugacem, *celerrime fugientem*. — Gratiam, *lucem*, Vat. A.
6. Festina, *cita*, Vat. A.
7. Subductam, *a brevitate diei*, I. — Facem, *quam prope subtractam lucem*, Vat. A.
8. Sensim, *leniter*, I. — Sensim, etc., *paulatim abbreviata dies, recisa per momenta*, Vat. A.
10. Gratetur, *gratuletur*, Vat. A.
11. Gradatim, *per gradus; per centum octoginta gradus ascendit sol quando crescunt dies, et per eosdem descendit; et tot sunt anni dies, additis quinque, qui intercalares dicuntur*, I. *Per gradus*, Vat. A. — Denuo, *iterum*. Iso. *Iterum. Sol centum octoginta gradus, vel lineas habet in ascensione. In descensione quoque ejusdem numeri gradus habet*, Vat. A.
12. Jubar, *sol*. — Priores, *septentrionales*, Vat. A.
B 13. Emerge, *ascende, vel exi a cœlis, Christe*, I. *Nascere*, Vat. A. — Pusio, *Jesu*, I. *Puer parve Christe*, Vat. A.
14. Edit, *parit, generat*, Vat. A.
15. Parens, *mater*, I, Vat. A. — Expers, etc., *ignara viri*, Vat. A.
16. Duplex, *hominis et Dei*, I. — Duplex genus, *Dei et hominis*, Vat. A.
17. Quamlibet, *quamvis*, Vat. A.
18. Verbo, *Patris*. — Editus, *angelo nominante*, I.

COMMENTARIUS.

ligerum refellit Petavius, et post Petavium Antonius Maria Lupius, in cujus dissertatione cum notis cl. Zachariæ de hoc argumento discrepantes plures opiniones, et hinc inde rationes allatæ possunt videri.

3. S. Petrus Chrysologus, serm. 159: *Crescere dies cœpit, quia verus dies illuxit*. S. Augustinus, aliique eamdem sententiam adornant.

4. Egm., *augit*, mendum.

5. Juvencus lib. IV Hist. pag. 507 edit. Fabric., *Amittet cursum lunaris gratia lucis*. Supra hymno 7, vers. 188, *ciborum gratia*.

9. Erasmus legit *nitescit*, non male. Cæteri, *nitescat*, quasi prophetico more.

10. Erasmus, *gratatur*. In cod. Marietti videtur prius scriptum *gratet*.

13. Fabricius ait, transpositionem horum versuum, quæ erat in codicibus, obscuritatem peperisse. Nescio quos dicat codices, nam ordo versuum idem est in omnibus quos aut vidi aut ab aliis excussos legi. Obscuritas in sequentibus versibus expendetur. Arator, lib. II, col. 601 edit. Fabricii: *Quæ conjugis expers Mater inest; natusque Dei de Virginis alvo Emicat, atque hominem mediator in omnia complet*. Igitur *emerge* idem ac *emica*, ut supra hymno IX, vers. 27, *Emicat*, etc.

14. Buchnerus orationem non satis apte nexam, et obscuritate quadam perplexam notat. Nam constructio hæc esse deberet *dulcis pusio, quem edit castitas matris parentis, et expertis conjugis mediatorem, et duplex genus*. Eadem fere difficultate sese implicuerunt Nebrissa, Erasmus, Chamillardus. Et Nebrissa quidem cum apud Aldum reperisset vers. 15, *Parens et Christus conjugis*, errorem metri animadvertens, ita correxit, *Parens et ipse conjugis*, et explicuit, *qui et filius, et pater matris, conjugis vero pro æternus cum Patre, a con, et jugis, juge compositum*. Sed non minus ipse contra metrum peccat; nam *u* in *conjugis, conjuge*, est longum, in *conjugis* genitivo a *conjux* breve. Restituta lectione, quam Aldus exhibuit hoc versu 14: *Quem mater edit castitas*, omnem obscuritatem evanescere facile quivis intelliget. Legitur vero *mater castitas*, non *matris castitas*, in Heinsianis, Vatt. A et B, Urb., Alex. et aliis. In præfatione Psychomachiæ, vers. 12, *matre virtute*: sic nunc *mater castitas*, hoc est, mater, quæ non solum sit casta, sed ipsa castitas: eo fere modo quo homo vitiosus, sceleratus, appellatur vitium, scelus.

15. Mendum Aldi *parens et Christus* non bene emendatur a Nebrissa *parens et ipse*, ut notatum nuper est. In Mariet. alius error a manu prima *parcens*.

16. Aiunt, Latinos nesciisse hanc vocem *mediator*: at eam noverunt primi Latini Christiani, qui Dominum Jesum Christum *mediatorem Dei et hominum* appellare non dubitarunt. Profecto Latine melius dici non potest. Mollerus observat, in Apuleii C vulgata editione lib. IX legi *mediatorum*, sed locum corruptum esse, et a Wowerio jam dudum emendatum, qui *metatorum* substituit. Petavius, tom. IV, part. 2, lib. XII, cap. 2, affirmat, Christianos *et quidem elegantes ac disertos* scriptores hac voce usos, ut Lactantium, Prudentium et plures alios.

17. Apud Latiniores scriptores sæpius, aut etiam semper *quamlibet* subjicitur. Prudentius præponit, quod alii auctores illius æquales similiter fecerunt. In antiquioribus non invenio exemplum, neque invenerat Erasmus.

18. Prag., *genitus*, repugnante carmine pro *editus*. Qua ratione Verbum dici possit *Verbo editum*, disserui hymn. 3, vers. 2, in voce VERBIGENA. Aliam interpretationem offerunt Buchnerus in comment., et Joannes Lamius de Recta Nicænorum PP. Fide cap. 22, scilicet Prudentium loqui de generatione qua Verbum caro factum est, et Mollerus explicatius ait, sensum esse quod Christus a Patre per prophetas in Veteri Testamento, et post per Gabrielem angelum, D nativitatem denuntiante, manifestatus atque completo tempore tandem homo editus sit. Neque dubium, quin in utroque hymno, maxime vero in hoc præsenti poeta Filii Dei generationem in tempore susceperit laudandam. Prudentius, cum ex Evangelio Joannis pateat omnia per Verbum facta esse et sine eo factum nihil, collegit, etiam Verbum per Verbum carnem factum esse, et editum, ita tamen, ut paterno in pectore prius viguerit, *nam*, ut ait, *Verbum Deus*. Prudentius ipse sæpe in eamdem sententiam erumpit, ut Apotheos. vers. 524. Consonant Ennodius Ticinensis lib. II, hymno 10: *Concepit aure Filium... Quod lingua jecit, semen est*. Sedulius in hymno abecedario: *Verbo concepit Filium*, quod in correctione metri mutatum est *Verbo recepit Filium*. Videtur Prudentius respexisse illud Ecclesiastici cap XXIV, 5: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*. Ex hoc et similibus locis æterna Filii generatio agnoscenda est et demonstranda,

367 Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius.
368 Quæ prompta cœlum condidit,
Cœlum, diemque, et cætera.
Virtute Verbi effecta sunt
Hæc cuncta : nam Verbum Deus.
Sed ordinatis sæculis,
Rerumque digesto statu,
Fundator ipse, et artifex
Permansit in Patris sinu :
Donec rotata annalium
Transvolverentur millia,
Atque ipse peccantem diu
Dignatus orbem viseret.
Nam cæca vis mortalium
Venerans inanes nænias,
369 Vel æra, vel saxa algida,

GLOSSÆ VETERES.

20. Sophia, etc., *sapientia, prudentia affluebas, vigebas, prudenter sapiebas, antequam aliquid faceres. Calleo verbum est, id est prudentia affluo. Unde callidus dicitur prudens, astutus; hinc etiam calvo dicitur, id est, decipio, a quo calumnia*, Vat. A. — Callebas, *calleo, vigeo, possum*, I.

21. Prompta, *parata*, I. *Sophia potens, parata ad omnia facienda*, Vat. A.

23. Effecta, *facta*, I.

26. Digesto, *disposito, ordinato*, I.

28. In Patris sinu, *cum Patre semper erat*, I.

29. Rotata, *discursa*. — Annalium, *temporum, vel librorum*, I.

34. Nænias, *vanitates, næniæ vanitates sunt titulorum, quæ adhibebantur mortuis, quæ nihil proficiunt*, I.

35. Algida, *frigida*, I.

COMMENTARIUS.

quamvis nonnunquam aliqui SS. Patres ea de generatione intellexerint qua Verbum caro factum est. Clericus quidem, contra quem Lamius disputat, inaniter cavillatur, asseritque Prudentium existimasse, Verbum paulo ante mundi effectionem generatione prolatum fuisse, cum antea ejus natura nondum existens modo quodam inenarrabili in Deo delituisset : quod ab aliis Patribus antenicænis pariter dictum pronuntiat. Doctrinam catholicam Prudentii indicatam habes proleg. num. 126. Tota Clerici difficultas in unico verbo *prius* est posita vers. 20, *Sophia callebas prius*. Ea autem prorsus diluitur cum ex prioritate originis, quam vocant et explicant theologi, tum ex diversa ratione qua Verbum divinum consideramus, alia prout est in Patre, alia prout est ad res creatas sermo prolatus : tum demum animadversa temporali generatione Verbi qua caro factum est. Vide Tournelyum De Trinit. quæst. 4, art. 2, sect. 2, et dissertationem Balleriniorum contra Petavium pro S. Zenone et Patribus antenicænis.

19. Abest *in* ab Egm. et Hailsbr.

20. Vat. B, *pollebas* pro *callebas*. Weitzius, Widm., Vat. I, Gold., Hails., Bong., *calebas*. Non patitur metrum. In exemplari edit. Weitz. apud cl. præsulem Reggium nescio quis correxerat *callebat* ex aliquo codice, ut videtur. Tertullianus lib. advers. Praxeam, cap. 6 : *Hæc vis, et hæc divini sensus dispositio apud Scripturas etiam in sophiæ nomine ostenditur. Quid enim sapientius ratione Dei, sive sermone. Itaque sophiam quoque exaudi, ut secundam personam conditam.* S. Zeno, serm. 5 de Æterna Generatione Filii, *In profundo suæ sacræ mentis arcano.* Locus etiam esse potest his quæ theologi disputant de mutua personarum in se invicem *inexistentia*, sive *circuminsessione*, ut vocant, ex cap. XIV Joan. vers. 10 : *Ego in Patre, et Pater in me est.*

21. Sophia seu sapientia dicitur prompta, quia manifestata est, cum mundum condidit, a *promo*. Tertullianus loc. cit. cap. 7 : *Tunc igitur etiam ipse sermo speciem et ornatum suum sumit, sonum, et vocem, cum dicit Deus, Fiat lux. Hæc est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit. . . . . apparet, unam, eamdemque vim esse nunc in nomine sophiæ, nunc in appellatione sermonis.*

22. Erasmus et Daventriensis editio, *noctem* pro *cœlum*. Alt. contra metri regulas *cœlum, noctemque, et tartara*. Heinsius suspicatur *solum diemque, et tartara*, ut hymno Romani, vers. 325 et 326, *una virtus condidit Cœlum, solumque*. Lectio, in cæteris omnibus codicibus recepta, non indiget correctione.

24. Prag., *nam Deus Verbum est*, Vat. Q, *nam Deus Verbum*. Neutrum cohæret metro.

27. Aldus, *fundatur*, male.

28. Joan., I, 18.

32. *Visendi* et *visitandi* vocabulo libenter SS. Patres utuntur, cum mysterium Incarnationis exponunt quod a sacris litteris mutuantur, ut in cantico Zachariæ cap. I, *Visitavit*, etc.

33. Non solum poetæ, verum etiam oratores vim pro multitudine accipiunt, ut Cicero et alii.

34. Idola vocat *nænias*, ut in Laurentio, vers. 496, et I in Sym. vers. 433, *nugas* : et ex probabili quorumdam codicum lectione vers. 515 hymno S. Laurentii : *Orare nænias Numæ* : Cicero, cap. 24 lib. II de legibus : *Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, easque etiam ad cantus, et ad tibicinem prosequuntor, cui nomen næniæ, quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.* Proprie etiam nugæ erant, quæ in mortuorum laudem canebantur. Recte igitur nænias, et nugas vocat poeta cultum hominum, quos post obitum alii homines in deos referebant. Nugæ etiam, et næniæ intelligi possunt fabulæ et inventa superstitiosa quibus idololatræ fidem præstabant. Nota sunt cogitata Numæ de cultu deorum.

35. Egm. et Palat., *vel ære, vel fixa*, mendose. Nonnulli hæretici, aliique semicatholici negant eo dementiæ ethnicos devenisse, ut ligna vel æra crederent esse deos. Honorem et cultum qui statuis Dei et sanctorum præstatur, vellent abolitum, quasi hæc esset vera illa idololatria, quæ ethnicis objiciebatur, non vero quod divinitatem rebus inanimis affingerent. Verum evidentissimis sacræ paginæ testimoniis refelluntur. Isaias cap. XLIV multa affert ut probet, Deum non esse idolum, quod homo suis manibus effingit, ejusdem idoli artificum idololatrarum vanitatem, imo stuporem aperte convincit. Sexcenta alia sunt hujuscemodi. Prudentius non solum hoc loco, sed in multis aliis eamdem ethnicorum insaniam coarguit. Non deerant inter gentiles, qui animadverterent, eatenus simulacris cultum exhiberi, quatenus deorum numen et potentiam referebant. Hos aliis rationibus nostræ religionis defensores oppugnabant. Res tota verbis Athenagoræ manifesta redditur in Legatione pro Christianis pag. mihi 17 : *Et ut paucis absolvam, omnes ubique imagines ab hominibus factæ sunt. Quod si dii isti ab initio non erant, illisne, a quibus facti sunt, posteriores erunt? vel cur, ut essent, hominibus, et arte indiguerunt? Terra hæc sunt, et lapides, et materia, et ars curiosa. Cæterum quoniam non desunt, qui hæc nihil, quam simulacra esse dicant, deos vero, quorum honori ea sint dedicata, et quæcunque in ipsos conferuntur, reditus, sacrificia ad ipsos pertinere deos, neque alio modo homines convenire posse deos (conspectusque deum gravis est, ut inquit poeta) et ad hoc comprobandum historias quasdam recitant idolorum quorumdam opera : ayedum, inquira-*

Vel ligna credebat Deum.
Hæc dum sequuntur, perfidi
Prædonis in jus venerant,
Et mancipatam fumido
Vitam barathro immerserant.
Stragem sed istam non tulit
370 Christus cadentum gentium;
Impune ne forsan sui
Patris periret fabrica.
Mortale corpus induit,
Ut excitato corpore
Mortis catenam frangeret,
Hominemque portaret Patri.
Hic ille natalis dies,
Quo te Creator arduus
Spiravit, et limo indidit,
371 Sermone carnem glutinans.
Sentisne, virgo nobilis,
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus

GLOSSÆ VETERES.

38. Prædonis in jus, *in diaboli potestatem*, I.
39. Mancipatam, *quasi mancipatum traditam*, I.
43. Impune, *sine pœna diaboli*, I.
45. Induit, *indidit*, I.
46. Excitato, *a morte*, I.
50. Te, *Christe*. — Creator, *Pater*,
51. Indidit, *corporavit*, I.
52. Glutinans, *ligans*, I.
54. Matura, *plena*. — Per fastidia, *dignitates, per temporales exspectationes*, I.

COMMENTARIUS

mus quænam illorum qui dii nominantur vis atque efficacia sit.

37. Diverso modo alii hos versus distinguunt, scilicet : *Hæc dum sequuntur perfidi*, *Prædonis in jus venerant*, ut *perfidi* sint qui adorant idola, quod explicat Erasmus. Cum Fabricio, Weitzio et Giselino *prædonis perfidi* præfero.

39. Gis. 1 ed. habebat *et mancipatum :* et una ex glossis Isonis *q. mancipatum*. Nescio, an aliquid lateat, nec video, cur non sit legendum *mancipatam*. Iso fortasse hoc voluit, *quasi ad mancipatum traditam*, vel *mancipatui traditam*.

42. Non eadem distinctione hi versus apud omnes scribuntur. Quidam habent *Christus cadentum gentium impune*, *ne*, etc. Melior est sensus *ne fabrica periret impune*.

45. Imitatus est Sedulius hymno alphabetico : *Servile corpus induit*, etc. Lutherus, tom. I, fol. 415, ait, nullos fuisse Patres aut doctores, qui non improprie aliquando sint locuti, si eorum dicta cavillari velis, et nihil magis hæreticum dici posse asserit, quam quod Christus *corpus induerit*, non enim vestis et corpus constituunt unam personam. Sed cum Apostolus et plerique SS. Patres simili loquendi formula usi sint, ea phrasis usu ipso ecclesiastico consecrata jam est, et rectum sensum præ se fert. Sic corpus dicitur carcer, vas animæ, et similia. Vide hymni 7 vers. 190, et 10 vers. 22.

46. Nebrissa pro *excitato* explicat *ascito*, vel *assumpto*. Sed melius interpretaberis *resuscitato*.

48. Prag., *reportaret*, contra metrum.

51. Erasmus contra fidem omnium mss. et edit. supposuit *Animavit*, *et limo induit*. Putavit vir criticus, dici non posse *Pater spirat Filium*, et hoc habebat omnino ille, ut quidquid non intelligeret, mutare, et corrigere arbitratu suo auderet. Hæc vera causa innumerabilium ejus in rebus sacris et theologicis emendationum, quæ in aliis auctoribus tolerari fortasse possent, in divina Scriptura nullo modo sunt ferendæ. Deum dici posse spiritum nemo negaverit. Poeta noster Apoth. vers. 666, *qui spiritus olim Ore superfusus patrio volitabat in undis Nondum discretis*, ubi Filium intelligit. Paulinus in poemate ult. : *Hic Deus est ex corde Dei*, *hic spiritus oris*, *Sancti sermo Patris*. Ubi Muratorius putavit, claudicare versum primum, neque advertit hiatum similem huic Virgiliano, *Posthabita coluisse Samo*, *hic illius arma*. Hugo Grotius ad cap. II Marci vers. 8, *Jesus spiritu suo*, etc., ex verbis Prudentii aliisque SS. Patrum probat, Verbum dici *spiritum* non tantum διὰ τὸ ἀσώματον, (*ob incorporalitatem*), quomodo Patri id nomen convenit, sed etiam quia laxiori vocabulo qualemcunque emanationem *spiritum* appellabant : quod loquendi genus mansit non solum post controversiam cum Arianis, sed etiam post natum cum Macedonio certamen.

52. Chamillardus interpretatur, *Verbi sui efficacitate corpus compingens*. Alii melius, ut puto, unionem hypostaticam intelligunt. Buchnero sordidum verbum videtur *glutinans* pro *copulans*, quamvis efficacius *miscendi* verbo, quo plerique SS. Patres utuntur. *Coagulandi* vocabulo subdole quosdam fuisse usos, ut naturarum in Christo confusionem innuerent, Phœbadius notavit. Plerumque accidit, ut quædam antiquorum verba humilia et sordida nos existimemus esse, quia vulgares nostræ voces quæ illis respondent, usu ipso et consuetudine sordidæ et humiles habentur. In sacris Litteris adhibetur vocabulum *conglutinandi* non semel ad res serias gravesque significandas, ut I Reg. XVIII, 1 : *Anima Jonatæ conglutinata est animæ David*. In codice Theodosiano argumenta *conglutinari* dicuntur, cum multæ conjecturæ congeruntur.

53. Hanc interrogationem vim negandi habere, Fabricio asserenti non assentior, nam sic negaret, *pudoris decus crescere*. Teolio placuit Fabricius. Hujus verba sunt : *Hæc interrogatio vim negandi habet*, *quasi diceret : Minime sentis illud fastidium quod aliæ matres sentiunt*. Aio igitur, interrogationem, si vim haberet negandi, hunc habituram sensum : Minime sentis, intactum decus crescere matura per fastidia ; quod poetæ menti contrarium est, ut ex contextu et stropha sequente colligitur. Prudentii hæc est sententia, crescere decus pudoris quo vicinior est partus. Nonnemo interpretatur, decus fuisse intactum per fastidia, hoc est, nulla fuisse fastidia quibus decus pudoris tangeretur. Simili significatione Horatius verbo *tangendi* utitur lib. III, od. 13 de fonte Blandusiæ : *Te flagrantis atrox hora caniculæ Nescit tangere* ; et Ovidius lib. III Metam. de fonte : *Quem neque pastores, neque pastæ monte capellæ Contigerant*, *aliudve pecus*.

54. Prag., *fastigia*, minus bene. Fortasse Iso legit etiam *fastigia* cum glossa *dignitates*. Buchnerus arbitratur, trajectam esse glossam Isonis ex versu 56, ubi est HONORE, *dignitate*, quod in hunc versum translatum in *dignitates* evaserit. Satis id est verisimile. Nemo melius Nebrissensi *fastidia* hæc exposuit : *Non*, inquit, *quod Virgini contigerint*, *quæ prægnantibus solent*..... *Sed loquitur ex more aliarum feminarum*, *sicut quod dicitur*, ENIXA EST PUERPERA, *et alibi :* ENIXA PUERPERA REGEM : *non quod in partu fuerit ille* NIXUS *cum doloribus*, *qui in aliis feminis contingit*, *sed quod salva integritate peperit*. Vide Franciscum Suarez, qui tom. II in 3 partem S. Thomæ, quæst. 28, disput. 5, sect. 1, ex S. Augustino, Fulgentio et Bernardo rem hanc mirum in modum illustrat. Alios addit Petavius lib. XIV, cap. 6, qui *communem* hanc veterum sententiam appellat.

Honore partus crescere ?
O quanta rerum gaudia
Alvus pudica continet!
Ex qua novellum sæculum
Procedit, et lux aurea
Vagitus ille exordium
372 Vernantis orbis prodidit :
Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit.
Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis floribus,
Ipsasque arenas Syrtium
Fragràsse nardo, et nectare.
Te cuncta nascentem, puer,
Sensere dura, et barbara :
Victusque saxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.
Jam mella de scopulis fluunt :
Jam stillat ilex arido
Sudans amomum stipite :
Jam sunt myricis balsama.
O sancta præsepis tui,
373 Æterne rex, cunabula,
Populisque per sæclum sacra
Mutis et ipsis credita.
Adorat hæc brutum pecus,

GLOSSÆ VETERES.

62. Vernantis, *florentis*, I.
64. Veternum, *peccatum*, *veternus morbus*, *qui intercutaneus dicitur*, I.
66. Rus, *superficiem*, I.
68. Nardo , *pretiosissimo unguento*. — Nectare, *fide*, I.
72. Cotibus, *lapidibus*, I.
74. Ilex, *quercus*, I.
75. Amomum, *genus pigmenti*, I.
76. Myricis, *genistæ*, *humillima arbor*, I.

COMMENTARIUS.

56. Id passim SS. Patres affirmant. Frustra nonnulli heterodoxi claris et innumeris SS. Patrum auctoritatibus pro integritate Virginis in partu paucas alias et obscuras opponunt. Vide Huetium Origenian. lib. II, q. 4.

59. Isaiæ IX, 6.

60. Congruenter *lux aurea* exponitur *aureum sæculum*.

61. Fortunatus, *Vagit infans*, etc.

62. Gis. ad marg., *orbis protulit*.

63. Vat. A, mendose, *renatis*.

65. Poeta exscribit, et exornat allegorias prophetarum, Joel III, 18; Amos IX, 13. Pervulgata et contrita sunt quæ Virgilius ex Sibyllæ vaticinio cecinit ecloga 4 : *Ultima Cumæi venit jam carminis ætas*, etc., quæ cum poetæ nostri hoc hymno conferri digna sunt.

66. Wid.. *dense*, supra *densis*.

67. Quas dicat *Syrtes*, vide hymno 7, vers. 50.

70. Notat Buchnerus, vocabulum *sentiendi* majestatem quamdam inferre, quod multis versibus Horatii, Ovidii, Claudiani, Sedulii et aliorum comprobatur.

72. Erasmus suspicatur, poetam scripsisse *cautibus*. Verum *cos* pro rupe etiam accipitur : sic Propertius, eleg. 3, lib. I : *Libera jam duris cotibus Andromede*. Quanquam tam in Prudentio quam in Propertio *cotibus* potest esse a *cautes*; nam *au* in *o* veteres sæpe commutabant, ut *clodus* pro *claudus*.

73. Animadvertit Erasmus, plus nostrum poetam dicere quam Virgilium ecloga cit. : *Et duræ quercus sudabunt roscida mella*.

75. Ald. et Fabr., *in stipite*.

76. In Egm., *sunt myrris*, mendum.

77. Gis. 1 edit., Weitz., *tua* pro *tui*. Aldus, codd. Heins., et nostri omnes, *tua*. Monet Buchnerus, poetam ex temporis sui ratione prædicere reverentiam, quæ præsepi Domini futuris sæculis esset habenda. Fortasse Prudentius solum innuit venerationem quæ tunc præsepi Domini habebatur; ejus tamen verba accommodari possunt ad nostra tempora. Nunc Romæ ostenditur præsepe ligneum, magnoque in honore est, favente prisca traditione; quam inepte subruere conatur Samuel Basnagius , Annal. politico-eccles. anno ante Dom. 5, num. 20, quia Tertullianus præsepe illud vocat *durum*, adeoque, ut argute concludit, non ligneum (quasi lignum sit molle), sed lapideum, et quia anonymus apud Chrysostomum in Luc. II ait : *Pro honore tulimus* (præsepe) *lateritium*, *et posuimus argenteum*, et Brocardus, seu Burchardus dicit *in rupe excisum*. Duo hæc testimonia inter se pugnant. Serryus, exercit. 30, recte docet, structuram quæ præsepe ligneum continebat, fuisse vel lapideam, vel lateritiam. Monumentum antiquum musei Borgiani præsepe ligneum nobis exhibet. Anno 642 circiter ex Bethlehemitica spelunca cuna et præsepe Romam advecta sunt. Vide Bianchinium, dissert. de Præs. et cun. Domini nostri Jesu Christi, et Gorium, præf. ad vers. Ital. poem. Sannazarii de Partu Virginis, ubi de quatuor vetustis præsepis imaginibus disserit.

79. In Aldo error metri *sæculum*.

80. Bovem et asinum ad Domini præsepe intellige, quod pia credidit antiquitas. In carmine de Passione inter Lactantii opera : *Hic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum Arida in angustis præsepibus herba cubile*. Post Claudiani opera exstant quædam carmina Christiana, quæ multi Claudiano adjudicant, sive principum Christianorum adulatori, sive denique Christianam fidem professo. In his est carmen de laude Christi, quod certe Claudianum non habet auctorem, sed Merobaudem, scholasticum Hispanum, cujus nomine editum est in collectione poetarum Christianorum, et in Biblioth. SS. Patrum. Merobaudes igitur in eo carmine ait : *Auctorem scirere Deum te, conscia partus Mater, et, attoniti pecudum sensere timores*. Sedulius, lib. III de Asello cui insedit Dominus : *Non illius impar, Qui patulo Christum licet in præsepe jacentem Agnovit tamen esse Deum*. Locus est Isaiæ I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit*, etc., quo respicit Prudentius. Ex quo factum est, ut hæc historia, si vera fuerit, in dubium ab his sit revocata, qui narrationem confictam existimarunt ob Isaiæ verba; contra si falsa fuerit, ex eisdem verbis a nonnullis fuerit inventa, quod crediderint, Isaiam non allegorice locutum, sed rem futuram prædixisse; quæ alioquin similis vero redditur, cum Salvatoris ortus in stabulo et præsepi contigerit. Quod autem Serryus in suis Exercitationibus ait, Patres qui bovis et asini meminerunt allegorice esse locutos, eorum verbis et menti aperte repugnat. Locus cap. III Habacuc ex versione LXX interpretum a multis SS. Patribus in eamdem rem adducitur, *In medio duorum animalium cognosceris*, sed firmam non esse eam versionem, docet S. Hieronymus. Exstant adhuc imagines antiquissimæ, quibus præsepe cum bove et asino exhibetur. A priscis usque sæculis hu-

Indocta turba scilicet :
374 Adorat excors natio,
Vis cujus in pastu sita est.
375 Sed cum fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens, et quadrupes,
Sapiatque, quod brutum fuit :
A Negat patrum prosapia,
Perosa præsentem Deum :
Credas venenis ebriam,
Furiisve lymphatam rapi.
Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quidquam tibi
Mentis resedit integræ,

GLOSSÆ VETERES.

83. Excors, *insensata*, Iso.
84. In pastu, *quia tantum de comestione curant*, Iso.
87. Quadrupes, *pecora vel pecorina*, I.
88. Sapiatque, *intelligat*, I.
89. Prosapia, *progenies.* — Patrum, *Judæorum*, Iso.
91. Credas, *o lector*, I.
92. Lymphatam, *furentem*, I. *Legitur in Evangelio Nazareorum, Sephoram fuisse obstetricem beatæ Mariæ, quæ cum manum inflexisset et agnovisset virginitatem illius mansisse, exclamans quasi lymphata dixit : Hæc virgo peperit, et virginitatem non amisit*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

jusmodi picturam ad nos manasse tradit Erasmus. Vetustum monumentum ex museo Borgiano Velitris B nos offerimus, eruditissimi præsulis Stephani Borgiæ liberalitate communicatum. Prodiit antea non dissi-



milis imago ex anaglyphis antiqui vitri in museo Victorino; eamque Victorius in dissertatione de Nummo æreo illustravit, ubi narrat, simile monumentum exstare apud dominos de Trautson, et aliud apud Paulum Sabbatinium. Monumentum musei Borgiani aut diversum est, aut certe nunc correctius laudati præsulis diligentia exhibetur ex ipso prototypo, quod contuli.

83. Giselinus ad oram indicat trajectionem horum versuum, ut primus sit *Vis cujus in pastu sita est*, secundus *Adorat excors natio*.

85. Fabricius impulsus studio erga *reformationem*, quam ipsi vocant, incassum laborat, ut peregrinationes hoc loco laudatas in alienum sensum detorqueat. Explicat *fideli spiritu* fide per spiritum sanctum accensa. Ait, ad præsepe Christi accurrere, non esse ire Hierosolymam, et loca illa muta calcare, sed Christum fide arripere, et per eum solum sperare remissionem peccatorum et vitam æternam. Argute. C Sed quis sibi persuadeat, Prudentium non commendare peregrinationem ad præsepe Domini *fideli spiritu* peractam, ea videlicet pietate qua ejus tempore præsertim fiebat, hortatore, impulsore, exemplumque præbente maximo Ecclesiæ doctore Hieronymo? Nonne certum est, poetam sæpe cum laude commemorare ejusmodi concursus hominum, qui ad sepulcra martyrum celebrabantur? Sane cum Fabricius frequenter impietatis arguere audeat Prudentium, quod de invocatione cultuque sanctorum idem dixerit et fecerit quod cæteri Patres quarti sæculi, nulla difficultate deterreri debuit, quominus hac etiam in parte nobis concederet Prudentium. Videndus præter alios de hoc argumento Gretzerus, qui etiam vatis nostri armis pugnat.

91. *Venena* hoc loco veneficia sunt, quibus mens alienatur.

92. Vat. A, *lymphatum*, mendose. In Cham. pariter mendum *furisve*.

Ducem tuorum principum.
Hunc, quem latebræ, et obstetrix
376 Et virgo feta, et cunulæ,
Et imbecilla infantia
Regem dederunt gentibus,
Peccator, intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Dejectus ipse, et irritis
Plangens reatum fletibus :
Cum vasta signum buccina
377 Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis solverit :
Insignis ipse, et præminens
Meritis rependet congrua :
His lucis usum perpetis,
Illis gehennam, et tartarum.
Judæa, tunc fulmen crucis
Experta, qui sit, senties,
378 Quem, te furoris præsule,

GLOSSÆ VETERES.

100. Dederunt, *ostenderunt.*
102. Celsum, *Christum : in nube enim apparebit in judicio*, Vat. A.
103. Irritis, *inanibus, nihil proficiendo*, Vat. A.
104. Reatum, *peccatum*, Vat. A.
105. Buccina, *vox angelica, hanc tubam, vel angelicam vocem describit beatus Effrem eremita in quadam homilia de die judicii dicens : O vos defuncti, quos abdit terra sepulcris, surgite, et auctori vestro celeres occurrite*, Vat. A.
107. Axis, *cœlum*, Vat. A.
109. Ipse, *Christus.* — Præminens, *excelsum super eminens*, Vat. A.
112. Illis, *malis.* — Gehennam, *nomen gehennæ in Evangelio scriptum reperitur. Interpretatur autem gehenna vallis gratuita. Erat enim locus amœnissimus juxta Hierusalem, quem præterluebat fons Siloa, descendens de monte Morian, in quo erat templum Domini. Ergo propter illius loci amœnitatem Judæi relicto templo ibi sacrificabant idolis. In quo etiam loco duplici pœna..... ab hostibus : in corpore perempti, in anima quoque puniti sunt. Unde et gehenna pro inferno ponitur, in quo peccatores cum corpore et anima puniuntur, calore videlicet et frigore*, Vat. A.
113. Fulmen, *potestatem*, Vat. A. — Epiphania, EPIPHANON, *apparere. Inde* EPIPHANIA, *superficies vel apparitio ;* THEOPHANIA *vero Dei apparitio*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

96. Erasmus conjicit *principem*. Nulla opus est conjectura.

97. Vat. B, *hunc, quem latebra obstetrix ;* quod et retineri potest, non elisa ultima in *latebra*, et sensum plausibilem reddit, quod in partu Virginis alia non astiterit *obstetrix*, nisi latebra. Ita etiam habent Egm. et Palat., eodemque spectat Vat. Q, *latebræ obstetris.* Cæteri habent *et*. Rat. *obstitrix* scribit. Heinsius cum Oxon., Rot., Alt., duobus Torrent., *latebra et obstetrix*. Cham., Teol. et Cellar., sicut eorum est mos, Heinsio adhærent. In Urb. et Alex. est *latebræ et obstetrix*. Explicatio interpretum fere omnium est, eamdem Virginem fuisse obstetricem. S. Hieronymus contra Helvidium : *Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intervenit. Ipsa Maria involvit infantem,* IPSA ET MATER, ET OBSTETRIX FUIT : *nam ipsa collocavit eum in præsepio, ipsa pannis involvebat. Unde commenta refelluntur apocryphorum.* Teolius fictioni poeticæ mentionem *fastidiorum*, et *obstetricis* ascribit. Verum negari nequit, quorumdam veterum hanc fuisse opinionem, quod obstetrix intervenerit. Legebatur enim in libris apocryphis, scilicet in Protoevangelio S. Jacobi, in Evangelio infantiæ, in libro de S. Maria et Obstetrice. Vide glossam ad vers. 92 de Sephora. Ejusdem narrationis meminit Clemens Alexandrinus VII Strom. pag. 543, eamque amplexus est S. Zeno lib. II, tract. 8. Vide quæ ad hunc locum annotarunt eruditissimi Ballerinii. Nullum erit flagitium, si censeamus, Prudentium, quod alii viri docti crediderunt, credidisse.

98. Barthius lib. VIII Advers., cap. 12, ait, Prudentium adeo tenacem esse suæ phraseos, ut in Dittochæo, tetrast. 28, *cunam* singulari numero repetiverit ex hoc hymno. Verum non invenio, quis *cunula* singulari numero referat, excepto Giselino 1 ed. Idem Gis. 2 edit. ad marg., *Virgoque*.

100. In Bongarsii codice hic lacuna est ; adeoque desunt Isonis glossæ ex hoc codice in versibus seqq. hujus hymni, et in hymno sequenti. Paucas ejusdem Isonis glossas ex Widmani codice ad hymnum sequentem protulit Weitzius.

101. Apocalyps. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Cf. Matth. XXIV, 30. Poeta a primo adventu, quo Jesus Christus humilis apparere dignatus est, progreditur ad secundum adventum enarrandum, quo vivos mortuosque judicabit.

105. Matth. XXIV, 31 : *Et mittet angelos suos cum tuba, et voce magna.* Apostolus I ad Cor. XV : *Canet enim tuba.*

106. Mundum extremi diei judicio flammis esse absumendum ex Veteri Novoque Testamento compertum est, Dan. VII, 9 ; II Petri III, 10. Lactantius, de Ira Dei cap. XXIII, versus Sibyllæ adducit, quæ *per indignationem Dei adversus injustos cataclysmum priore sæculo factum esse dixit, ut malitia generis humani exstingueretur, et simili modo deflagrationem postea futuram vaticinata est, qua rursus impietas hominum deleatur.* Permanavit igitur hæc opinio in ethnicos scriptores. In glossa lege *celeres occurrite vestro*, ut duo sint hexametri.

109. *Præeminens* habent nonnulli Vulg. Melius *præminens* facta crasi, ut apud Senecam et Avienum.

110. Sententia evangelica ex Joan. V, 28 et 29, cui concinit Apostolus ad Roman. II, 6. Apuleii et Palladii vox est *congruus*, Solini, ut plerique legunt, *congrue*. Antiquiores dicebant, *congruens*, *congruenter*.

111. Rat. et Mar., *perpetem*, non male. Sed alii melius *perpetis*.

113. Matth. VIII, 30 : *Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.* Hoc signum crucem esse futuram docent S. Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus aliique, quibus adhæret Prudentius. Mollerus aliique male eum exponunt de sola vi et majestate Jesu Christi crucifixi, ut crucis signum excludant.

114. Gloriatur Erasmus, se hunc versum restituisse, a sciolo depravatum, cum antea legeretur *Experta quæ sit, senties ;* fortasse in editione Daventr. ita legebatur. Aldus jam ediderat, *Experta, qui sit, senties*, quod tenet Mar. ; secutus est etiam Heinsius cum Giselino et, ut puto, cum suis optimis codd., necnon cum Weitzio, qui nullam varietatem codicum notant. Vat. B, non male, *quis sit*. Vat. A et Erasmus, minus bene, *quid sit*. In editione Weitziana, qua utor, ex aliquo codice notatum est ad oram *expertæ*, quod respuit carmen.

115. Gis. 1 ed. ad marg., *præsidi*. Fabr., *præside*. Notam hanc apposuit Sichardus : *Vetus exemplar non præsule, sed præside habebat, quod Prudentio magis convenit.* At Prudentius simili phrasi supra usus est hymno 5, vers. 83, *præsuli justitiæ*.

Mors hausit, et mox reddidit.

XII. HYMNUS DE EPIPHANIA.

Quicunque Christum quæritis,
Oculos in altum tollite :
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.
Hæc stella, quæ solis rotam
379 Vincit decore, ac lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.
Non illa servit noctibus,
Secuta lunam menstruam :
Sed sola cœlum possidens
Cursum dierum temperat.
Arctoa quamvis sidera
A In se retortis motibus
Obire nolint : attamen
Plerumque sub nimbis latent.
Hoc sidus æternum manet :
Hæc stella nunquam mergitur :
Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.
Tristis cometa intercidat,
380 Et si quod astrum Sirio
Fervet vapore, jam Dei
Sub luce destructum cadat.
En Persici ex orbis sinu,
Sol unde sumit januam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum magi.

GLOSSÆ VETERES.

1. Quicunque, *credentes alloquitur*, Vat. A.
2. Altum, *cœlum*, Vat. A.
4. Signum, *stellam : stella a stando dicitur*, Vat. A.
5. Rotam, *axem*, Vat. A.
9. Servit, *obsequitur, famulatur*, Vat. A.
10. Secuta, *sicut duodecim signa*, Vat. A.
12. Cursum, etc., *etiam diebus lucet*, Vat. A.
13. Arctoa, *polum septentrionalem dicunt*, Vat. A.
14. Retortis, *revolutis*, Vat. A.
15. Obire, *id est occidere, nam tribus elevatis, quatuor deponuntur (an deprimuntur?) rursus quatuor erectis tria deprimuntur*, Vat. A.
16. Nimbis, *nubibus latent, aliquando obscurantur*, Vat. A.
17. Æternum, *quia Christum qui æternus est, nuntiat*, Vat. A.
18. Mergitur, *occidit*, Vat. A.

B 19. Abdita, *abscondita*, Vat. A.
20. Obumbrat, etc., *obtenebrat contectam, clausam lucem*, Vat. A. — obductam, *coopertam; obductum vulnus dicimus clausum*, I.
21. Cometa, *a comis dicta.* — Intercidat, *occidat. Cometa..... dicitur, quod quando visitur* (al. *videtur*), *aut mortem regis, aut regni mutationem, aut etiam famem, vel pestilentiam significat, et ideo tristis dicitur*, Vat. A.
22. Sirio, *Sirius stella est in ore Canis, quæ in mense Julio oritur, et multa mala suo calore corporibus ingerit*, Vat. A. *Syrius stella. Syro, traho; inde Syria stella, a longo tractu*, I.
25. Sinu, *recessu, receptaculo, regione*, Vat. A.
26. Unde, *ab oriente.* — Januam, *exordium, quia ibi est oriens*, Vat. A. *Ortum*, I.

COMMENTARIUS.

116. Optimæ editiones habent *mox reddidit*, neque lectiones variantes observant Weitzius, Mariettus et Heinsius. Nihilominus Erasmus et Fabricius diserte legunt, *Mors hausit et mors reddidit*, quod et concinnum est, neque caret idoneo sensu. In Alex., Urb., Vat. I aliisque, *mox reddidit*; in Vat. Q, *Mors hausit et mox reddidit*. Legendum *hausit*.

Heinsius ex suis veteribus inscribit *Hymnus Epiphaniæ*, ut habent Aldus, aliique editi. Weitzius, *De Epiphania*. Ita Vat. A et B. In Rat. *Hymnus de Epiphania Domini*; in Mar., *Incipit hymnus de Epiphania*. Pars hujus hymni legitur in Transfiguratione Domini, *Quicunque*, etc. Alia pars in festo die SS. Innocentium martyrum, *Audit tyrannus anxius*, et *Salvete, flores martyrum*, ad matut. et laudes. Alia in Epiphania, *O sola magnarum urbium*. In codice Veliterno, de quo vide num. 212 proleg., est hymnus, quem nondum editum opinor, ubi quædam sunt ex Prudentio petita : *Lac cum cruore fundentes..... Quantam vagiens cœrulis tuis..... Floresque martyrum corusci*. Scilicet in festo SS. Innocentium.

5. Baronius, tom. I Annal., p. 68, de hac stella diligenter disputat. Dicitur solis rotam vincere, non quod sole esset major, sed quia puriori lumine fulgebat, Deumque verum sidus, et solem indicabat. Multa enim quæ de stella poeta profert, ad Jesum debent referri. Baronius auctoritate epistolæ S. Ignatii ad Ephesios (quæ interpolata censetur) probat, Prudentium non poetice, sed historice esse locutum. Alii simili modo stellam hanc laudarunt. Vide quæ notat Fabricius in cod. apocryph. Novi Testamenti, vol. I, pag. 115 edit. 1 et 2, et in Paralipomenis, vol. II, pag. 407, ubi versus hos verbis Glycæ illustrat. Præterea plures de stella quæstiones curiose et erudite agitat Trombellius in Vita Deiparæ.

6. Gold., Vat. I, Mar., *aut* pro *ac*.

12. Stella magos, interdiu etiam iter agentes, di- C rigebat.

15. Obitus stellarum est occasus earumdem. Duæ ursæ, sive arcti, major, et minor circa polum rotantur, et nobis numquam occidunt. Prag., *abire*, mendose.

17. Hæc partim de Christo intelliguntur, partim commode explicantur, stellam illam, quandiu opus fuit, nunquam occidisse, aut nubibus fuisse obductam.

21. Ex vulgari præsertim veterum opinione, putantium, semper aut plerumque cometas triste aliquid prænuntiare. Editio S. Isidori de Natura rerum cap. 26 corrigenda est : *Cometes stella est quæ velut comas luminis ex se fundit. Hæc cum nascitur, aut regni mutationem fertur ostendere, aut bella, aut pestilentias surgere. De qua Prudentius ait, Tristis cometa intercedit*. Lege *intercidat*.

25. Gold. et Mar. a prima manu, *Persæ*, male. Magos, qui Deum natum adoraverunt, fuisse Persas præter Prudentium docent Juvencus aliique veteres, neque pauci ex recentibus interpretibus. Probabilius alii ex D Arabia Deserta, aut Chaldæa, aut Mesopotamia eos venisse putant. Ab Oriente ad Hierosolymam venisse narrat evangelista Matthæus. Jeremias Felbingerus pugnat, vel somniat, fuisse Sinenses.

28. Egm. mendum est *vix illum* pro *vexillum*. De hac historia audiendus est Chalcidius, cap. 75 Comment. in Timæum Platonis : *Est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quæ perhibet, ortu stellæ cujusdam non morbos, mortesque denuntiatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conversationis, rerumque mortalium gratiam. Quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profecto sapientes viri, et consideratione rerum cœlestium satis exercitati quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili veneratos esse, et vot,*

Quod ut refulsit, cæteri
Cessere signorum globi :
Nec pulcher est ausus suam
381 Conferre formam Lucifer.
Quis iste tantus, inquiunt,
Regnator, astris imperans :
Quem sic tremunt cœlestia,
Cui lux, et æthra inserviunt?
Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati :
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cœlo, et chao.
Hic ille rex est gentium,
Populique rex Judaici,
Promissus Abrahæ patri,
Ejusque in ævum semini.
Æquanda nam stellis sua
Cognovit olim germina
Primus sator credentium,
Nati immolator unici.

A Jam flos subit Davidicus,
Radice Iesse editus :
382 Sceptrique per virgam virens,
Rerum cacumen occupat.
Exin sequuntur perciti
Fixis in altum vultibus,
Qua stella sulcum traxerat,
Claramque signabat viam.
Sed verticem pueri supra
Signum pependit imminens,
Pronaque submissum face
Caput sacratum prodidit.
Videre quod postquam magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
B Thus, myrrham, et aurum regium.
Agnosce clara insignia
Virtutis, ac regni tui,
Puer o, cui trinam Pater

GLOSSÆ VETERES.

29. Quod, *vexillum*, *sidus*, Vat. A.
32. Conferre, *æquare*, Vat. A.
33. Inquiunt, *magi*, Vat. A.
34. Imperans, *præcipiens*, Vat. A.
35. Tremunt, *expavescunt*, Vat. A.
36. Æthra, *per æthra omnia elementa intelliguntur*, Vat. A.
37. Cernimus, *regem pati*, Vat. A.
39. Interminum, *sine termino; multis utitur nominibus ad ostendendam Christi majestatem*, Vat. A. *Qui terminum non habebat*, I.
40. Chao, *primordiali confusione : chaos est primordialis confusio rerum, antequam elementa discernerentur*, Vat. A. *Confusio elementorum, quæ fuit in primordio*, I.
46. Germina, *filios suos*, Vat. A.
47. Primus, *Abraham*, Vat. A.
48. Nati, *Isaac*, Vat. A.
49. Flos subit, *Christus succrescit*, Vat. A.
50. Jesse, *Jesse insulæ sacrificium interpretatur*, Vat. A.
51. Sceptri, *regni*.— Virgam, *potestatem*.—Virens, *florens*, Vat. A.
52. Cacumen, *principatum omnium rerum*, Vat. A.
53. Veloces, *perciti*, Vat. A.
54. Altum, *cœlum*, Vat. A.
55. Sulcum, *viam quam fecit lumen stellæ*, Vat. A.
56. Signabat, *ministrabat*, Vat. A.
58. Signum, *stella*. — Imminens, *imminere res dicitur quæ super verticem pendet*, Vat. A.
C 59. Prona, *humiliata*. — Submissum, *inclinatum*. — Face, *lumine*, Vat. A.
60. Prodidit, *manifestavit*, Vat. A.
61. Quod, *signum*, Vat. A.
62. Eoa, *orientalia*, Vat. A.
64. Regium, *quia regibus offertur*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

Deo tanto convenientia nuncupasse, *quæ tibi* (Osium episcopum alloquitur) *multo melius sunt comperta quam cæteris*. Recte Prudentius *fidos interpretes* dixit viros sapientes, consideratione rerum cœlestium exercitatos. Barthius, lib. LVIII, cap. 2, suspicatur, in Chalcidio legendum esse *nocturno icti sidere* pro *nocturno itinere*, scilicet quasi obstupescentes. Quod autem addit Barthius, magos existimasse Deum per ipsam stellam descendisse : et ipsam stellam credidisse numen divinum, mihi non persuasit. Allegat eorum verba *Vidimus stellam ejus*, quod, ait, interpretatur Prudentius Apoth. vers. 218 : *Vidimus hunc*, *aiunt*, *puerum per sidera ferri*. Neque omittit versus ex hoc eodem hymno, *Illustre quiddam cernimus*. Nihil hæc movent. Nam *stella regis Judæorum*, et *puerum ferri per sidera* solum arguit, stellam indicasse ortum Salvatoris. Verba magorum apud Prudentium, *Illustre quiddam cernimus*, non ad stellam, sed ad id quod stella significat referuntur, ut ex orationis serie patet.

32. Sich., et Gis. ad oram, *flammam;* cæteri, *formam*. Lucifer Venus est, planeta splendidissimus, qui aliquandiu etiam lucente sole conspicitur, et noctu umbram jacit super terram.

39. Apollinaris Sidonius voce *interminus* usus est lib. VII, epist. 4.

40. Weitzius legit *choo* cum solo Widm., in quo fatetur supra esse *chao*. Glossæ Isonis nullæ sunt post hunc versum in hoc hymno. Propterea ex Vat. A plures sumpsi.

45. Vide Genes. cap. XXII.

49. In Aldo *Davidicus*. Vide Isaiæ cap. XI. In quodam Weitzii exemplari ex vet. cod. ad oram ascribitur *subdit* contra metrum.

50. Gis., *iessæa*, non adversante Heinsio, qui non solum ita legit, sed nullam discrepantem lectionem adnotavit. Alex., Mariet., Ald., Weitz. cum suis, aliique nostri *Iesse* cum hiatu, qui concinnus est in huiusmodi nominibus propriis exterorum, quæ omnia pronuntiari debent, ut clare intelligantur. Virgilius sæpe id facit in Græcis vocabulis. Nonnemo corrigebat *Iessis*. Cum *Iessæa* suavior est versus.

D 51. Prag., *sceptrumque*.

52. Alex., *occupet*. Melius, *occupat*.

56. Put. et Oxon. a secunda manu, *monstrabat viam;* cæteri habent *signabat*.

59. Rott., *subnixum face*.

63. Adventum et adorationem magorum in sarcophagis veterum Christianorum interdum expressam scriptores antiquitatum ecclesiasticarum Romæ exstantium exhibent.

67. Erasmus alicubi invenit scriptum *puero* mendose. Fortasse Prudentius scripsit *Puer*, *cui trinam Pater;* aliquis glossam supra addidit *o*, ut indicaret, esse in vocandi casu, ex qua postea una dictio effecta est *puero*, et correctius, *Puer*, *o cui trinam Deus*. *Trina indoles* quænam sit, stropha sequenti exponitur.

383 Prædestinavit indolem.
Regem, Deumque annuntiant
Thesaurus, et fragrans odor
Thuris Sabæi : at myrrheus
Pulvis sepulcrum prædocet.
Hoc est sepulcrum, quo Deus,
Dum corpus exstingui sinit,
384 Atque id sepultum suscitat,
Mortis refregit carcerem.
A O sola magnarum urbium
Major Bethlem : cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere
Altrice te, summo Patri
Hæres creatur unicus.
385 Homo ex Tonantis Spiritu,
Idemque sub membris Deus.
Hunc et prophetis testibus,

GLOSSÆ VETERES.

68. Indolem, *indoles est imago futuræ nobilitatis, quam in pueris videmus, in quibus non est adhuc virtus, sed signum virtutis*, Vat. A.

71. Sabæi, *Arabici. Saba Arabia, a potu* (*sic*) SABEIN, *id est a colendo : apud illos enim thus invenitur, Unde Deus. Myrrha interpretatur amara. Ideo et corpora putrefieri non permittit*, Vat. A.

B 74. Corpus, *suum.* — Exstingui, *mori.* — Sinit, *permittit*, Vat. A.

75. Id., *corpus*, Vat. A.

76. Carcerem, *infernum*, Vat. A.

80. Incorporatum, *incarnatum*, Vat. A.

81. Summo, *pro divinitate*, Vat. A.

82. Hæres, *Christus*, Vat. A.

84. Sub membris, *quia divinitus latebat*, Vat. A.

85. Hunc. *Filium*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

68. Verbum *prædestinare* idem significare ac *destinare*, quod præ se fert antecessionem, monent theologi. Vocem parum Latinam esse multi docuerunt : sed a Livio fuisse adhibitam fassus est Cellarius in Curis posterioribus de barbarismis, ab Olao Borrichio admonitus.

69. Magos divinitatem agnovisse, et adorasse explorata res est. Sedulius lib. II : *Aurea nascenti fuderunt munera regi, Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulcro.* Helpidius in carmine de Christi Jesu beneficiis. *Gens Chaldæa... dat munera, regi Divitias, dat thura Deo, myrrhamque sepulcro.* Juvencus lib. I : *Submissique simul mox mystica munera promunt : Aurum, thus, myrrham regique, Deoque, hominique Dona ferunt;* qui versus Juvenci laudantur a S. Hieronymo, Alcuino aliisque antiquis. Barthius lib. LVIII, cap. 2, in quodam ms. Juvenci reperit *Aurum, thus, myrrham, regique, hominique, Deoque.* Sed tunc hic alius ordo esset constituendus : *Aurum, myrrham, thus, regique, hominique, Deoque.* In S. Hieronymo lib. I Com. in cap. II Matth. : *Thus, aurum, myrrham regique, hominique, Deoque Dona ferunt.* Neque hoc modo ordo munerum servatur. Barthius ait, Prudentium Apotheosi *poemate docto et luculento* hæc munera *magnifice et Romana majestate* appellasse *fercula*. Vide Apoth. vers. 609 et seqq. In officio ecclesiastico Epiphaniæ canitur : *In auro ut ostendatur regis potentia; in thure sacerdotem magnum considera; et in myrrha dominicam sepulturam.* Sacerdotium magnum ita significatur thure, ut divinitas in ipso sacerdote magno inesse intelligatur.

70. In Put., *flagrans odos.* Alii etiam hic et alibi *flagrans* pro *fragrans*, ut ante dixi. Isidorus mavult *fragrans odor.*

71. Vat. B, Alex., Rat., *at myrrheus*, quod longe elegantius est, quam *ac myrrheus.* Heinsius quoque reperit in Oxon. *at*, et probavit, quamvis ediderit *ac;* in Put., *ad*, quod tantumdem est. In cæteris, etiam Vatt. I, Q, *ac.* Ibidem. Glossam corrige : ἀπὸ τοῦ σέβειν.

D 73. Alex., *hocem;* forte *hocce est.* Put., *hoc, hoc est sepulcrum.* Heinsius corrigit *hoc, hoc sepulcrum.* At si Puteanus est emendandus, ad alios codices potius quam ad arbitrium reducendus est : cæteri enim recte habent *hoc est sepulcrum.* Cham., Cell. et Teolius cum Heinsio legunt *hoc, hoc sepulcrum.* In Mar., *quod* pro *quo*, ut supra corrigitur. Erasmus quoque et Gis. ad oram legunt *quod.* Vat. B, male, *hoc sepulcrum, quo Deus.*

77. Comparativum pro superlativo adhibet *major* pro *maxima :* et tamen facile potuit *O sola magnis urbibus major.* Sed aliis etiam in locis hanc phrasin usurpavit. Vide hymn. S. Vincentii vers. 294, *Fortissimorum fortior;* Psych. vers. 530. *magnus discipulorum;* hymn. 14 Perist., vers. 110, *Et quod malorum tetrius omnium est*, Hellenismus hic est, et phrasis Vulgatæ editionis Matth. XXIII. 2 : *Qui major est vestrum.* Confer Drusium, Observat. lib. v, cap. 23. Curtii illud est : *Duo majora omnium navigia.* Antiqui aliquando etiam positivo adjunxerunt genitivum. Ennius lib. I, *Constitit inde loci propter sos dia dearum*, apud Festum. Virgilius lib. IV Æn., vers. 576, *sequimur te, sancte deorum.* potius quam *deorum quisquis es :* nam videtur sumpsisse ex Ennio : *Respondit Juno Saturnia, sancta dearum.* Græci δῖα θεάων eadem phrasi dicunt. Ludovicus Cavallus correctores hymnorum Breviarii Romani reprehendit, quod in hymno officii parvi B. Mariæ ad laudes ediderint, *O gloriosa virginum*, quod Latine dici deberet, *O gloriosissima virginum.* Verum exemplis, quæ attuli, correctores possunt vindicari. Fortunatus dixerat *O gloriosa Domina*, renuente metro.

C 78. Mar. et Rat., *Bethleem;* Wid., Gold., et Hailsb. pariter, *Bethleem*, quod retineri potest. In Egm., *Major Bethlem, et cui contigit*, non male. Drusius loc. cit. præfert *Bethlem* ex consuetudine antiqua Hebræorum, ut in hymno 5 Peristeph., *Belzebulis*, non *Beelzebulis.* Vide ejus lib. VII. cap. 18 et 19. Prudentius hic et alibi corripit primam in *Bethlem*, quamvis Græce scribatur per η. Nihil autem id mirum : nam corripuit etiam S. Hieronymus Hebraicæ linguæ peritissimus in epitaphio S. Paulæ. Eum dormitasse, et deceptos a muta et liquida, qui corripiunt, ait Ricciolius. At regulas non antiquis præscribere debemus, sed ab eis accipere. Ex hoc et seq. versu confirmatur, legendum vers. 1 hymni 7, *dux Bethlem*, quod semper mihi placuit, quamvis cum plerisque ediderim *lux.*

79. Prag., *lucem* pro *ducem*, quod verum est. Respicit enim poeta ad Matth. II, 6. *Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Pro adverbio *cœlitus* laudantur Lactantius, Cyprianus, Marcellinus Orosius, Hieronymus, Marius Victor.

80. Prag., *incorporatam*, ut cohæreat cum *lucem.* de quo vers. prox. super.

82. Psalm. II, 8 : *Dabo tibi gentes hæreditatem.* In Eg. mendum *creator.*

83. In Mar. erat *Tonanti*, sed recte aliena manu factum *Tonantis.* Gold. etiam et Wid. ad oram *Tonanti.* In Vat. I est *Tonanti*, sed videtur fuisse *Tonantis.*

85. Perstat in eadem sententia, *hæredem* unicum summo Patri dixit filium hominem et Deum, nunc appellat *testes*, *signatores* et *testatorem.* Pater est *testator :* testamentum novum et sempiternum est Evangelium. Prophetæ *testes* et *obsignatores*, sive notarii divinarum promissionum.

Iisdemque signatoribus,
Testator, et sator jubet
Adire regnum, et cernere.
Regnum, quod ambit omnia,
Dia, et marina, et terrea,
A solis ortu ad exitum,
Et tartara, et cœlum supra.
Audit tyrannus anxius,
Adesse regum principem :
386 Qui nomen Israel regat,
Teneatque David regiam.
Exclamat amens nuntio :
Successor instat, pellimur :
Satelles, i, ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.
Mas omnis infans occidat,
Scrutare nutricum sinus,
Interque materna ubera
Ensem cruentet pusio.
Suspecta per Bethlem mihi

A Puerperarum est omnium
Fraus, nequa furtim subtrahat
Prolem virilis indolis.
Transfigit ergo carnifex,
Mucrone districto furens,
387 Effusa nuper corpora
Animasque rimatur novas.
Locum minutis artubus
Vix interemptor invenit,
Quo plaga descendat patens
Juguloque major pugio est.
O barbarum spectaculum !
Illisa cervix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculosque per vulnus vomit.
B Aut in profundum palpitans
Mersatur infans gurgitem,
Cui subter arctis faucibus
Singultat unda, et halitus.
Salvete, flores martyrum,

GLOSSÆ VETERES.

86. Signatoribus, *symbolis ac signis*, Vat. A.
87. Testator, *deus Pater*, Vat. A.
88. Regnum, *a prophetis prædictum*, Vat. A.
89. Regnum, *dico*, Vat. A.
90. Dia, *cœlestia, id est omnia ambit regnum Christi. Dios dicitur generosus vel nobilis, hinc divos vocabant antiqui suos imperatores, id est cœlestes*, Vat. A.
91. Exitum, *occasum*, Vat. A.
93. Tyrannus, *Herodes*, Vat. A.
94. Principem, *invasorem*, *ut putabat*, Vat. A.
97. Nuntio, *nuntiatione magorum*, Vat. A.
98. Instat *aliter* instat, pellimur, *a regno*, Vat. A.
99. I, *vade, imperativus est. Satelles dicitur miles, quod satis agat regi obsequendo*, Vat. A.
101. Occidat, *moriatur*, Vat. A.
102. Scrutare, *ut inde auferas filios*, Vat. A.
104. Pusio, *puer*, Vat. A.
106. Puerperarum, *puellarum pueros parientium* Vat. A.
108. Prolem, *masculam*, Vat. A.
110. Districto, *nudato*, Vat. A.
112. Animas, *vitas*. — Rimatur, *investigat*, Vat. A
116. Jugulo, *collo*. — Pugio, *mucro, gladius, pugio dicitur a pugno*, Vat. A.
120. Vomit, *egerit*, Vat. A.
121. Palpitans, *moriens, diversa mortium describit genera*, Vat. A.
124. Halitus, *spiritus*, Vat. A.
125. Flores, *primitiæ*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

86. Alii scribunt *hisdem;* alii *isdem;* alii *iisdem.* Non obest hæc varietas versui.

87. In Hymn. Thom., *pater* pro *sator.*

88. In Hymn. Thomas. perperam *Ipsum audire, et cernere.* Mendose etiam Egm. et Palat., *audire regnum* pro *adire regnum.* Nebrissa *cernere* interpretatur *discernere et judicare;* cui Chamillardus astipulatur, *tenere et exercere regnum*, et Teolius, qui nihilominus innuit, aliam interpretationem adhiberi a Perizonio ad Sanctii Minervam lib. IV, cap. 15. Prudentius de hæreditate loquens verba jurisperitorum, imo Latinorum adhibet *adire* et *cernere.* Passim apud Ciceronem et optimos alios auctores *cernere hæreditatem* pro *possidere.* Ignoratio hujus significationis ansam errandi præbuit exscriptoribus, et cum *cernere* acciperent pro *videre*, scripserunt. *Audire regnum, et cernere*, et inde *Audire ipsum, et cernere.* Paulus Leopardus lib. I Emend., cap. 15, hac voce *cernere* eleganter usum poetam nostrum monet, *ubi perperam*, addit, *alter interpretum cernere valere putat* DISCERNERE *et* JUDICARE, *alter* DECERNERE. Prudentius supra hymno 10, vers. 86, de hominibus ait *Cœlestia cernere regna*, non dissimili sensu.

90. Erasmus legit *diva*, sed suspicatur, scriptum fuisse *dia*, ut vere est in nostris; hoc est *aerea, cœlestia.*

96. Herodes, regnum Jesu Christi in aliam partem accipiens, se regno spoliandum propterea existimabat, quia, ut pervulgata docet sententia, *nulla sancta societas, nec fides regni est.*

99. Ita habent Alex., Fabr., Ald., Gis. in textu, Put., Thuan., Nems., et vet. cod. ad marg. edit. Weitzianæ apud cl. præsulem Reggium, In Egm. abest i, scilicet *Satelles, ferrum rape.* Sic etiam in

C Vat. A, sed ob incuriam, nam supra est glossa; i, *vade, imperativus est.* Rat., Mar., Weitz., Gold. a secunda manu, Vat. B a prima manu, Erasmus, *Ferrum satelles corripe.* Vat. B a secunda manu, Urb., unus ex Boheriis, Gold. a secunda manu, *Ferrum satelles arripe.* Cæterum omnino male Widm. et Hailsb., *Satelles ferrum corripe.* Vide Apoth. vers. 37, *i, scriba, tripictis Digere versiculis.* Et hymn. 14 Perist., vers. 65, i, *stringe ferrum miles.* In Vat. Q mendum est *Satelles ferrum rapere.* In Nebr. fortasse mendum est *Satelles in ferrum rape.*

104. Egm., mendose, *cruentem.*

106. Abest *est* a Vatt. A, I, Q, Gold.

107. Intellige *nequa puerpera.*

110. Heinsius contra fidem librorum opinatur *destricto*, non *districto.* Verum apud Cæsarem et Horatium eodem modo legitur *gladium distringere, ensis districtus.* In Alex., Vatt. I, Q, *districto.*

112. Egm., male, *rimantur.*

D 115. Weitz cum Hails. scribit *discendat.* In Egm. et Palat., *discedat.* Vera lectio *descendat.* Ovidius, Statius, Claudianus aliique simili phrasi usi sunt. Burmanno, tom. I Anthol., pag. 535 rectius videtur *discedat*, quia plaga *discedere*, ferrum *descendere* dicitur. At *quo* petit *descendat.*

116. *Cum pugio*, ait Erasmus, *sit gladiolus brevior, tamen jugulo major. Est autem epiphonema rei narratæ.*

123. Aldi erratum *arcis* pro *arctis.*

124. Erasmus habet *singultit*, cæteri *singultat*, quo verbo Virgilius, Statius, aliique utuntur. Hoc mortis genus a pictoribus et scriptoribus, qui graphice Innocentium martyrum stragem describunt, prætermitti solet; nempe quod pueri aquis fuerint suffocati. Id

Quos lucis ipso in limine
388 Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma, et coronis luditis.
Quid proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem juvat?
Unus tot inter funera
Impune Christus tollitur,
Inter coævi sanguinis
Fluenta solus integer:
389 Ferrum, quod orbabat nurus,
A Partus fefellit virginis.
Sic stulta Pharaonis mali
Edicta quondam fugerat,
Christi figuram præferens
Moses, receptor civium.
Cautum, et statutum jus erat,
Quo non liceret matribus,
Cum pondus alvi absolverent,
Puerile pignus tollere.
Mens obstetricis sedulæ,
Pie in tyrannum contumax,
Ad spem potentis gloriæ
Furata servat parvulum.
Quem mox sacerdotem sibi

GLOSSÆ VETERES.

128. Turbo, *aufert*, Vat. A.
131. Aram ante ipsam, *ara passio est Christi: ante aram Christi dicitur, quia ante passionem Christi occisi sunt. Unde de aliis dicitur: Vidi sub altare animas occisorum, id est per passionem Christi*, Vat. A.
138. Integer, *illæsus*, Vat. A.
139. Orbabat, *orbas faciebat*, Vat. A.
140. Partus, *filius*, Vat. A.
141. Pharaonis, *Pharao dissipans interpretatur*, Vat. A.

B 144. Receptor, *liberator, quia recepit eosdem de servitute*, Vat. A.
145. Cautum, *firmum: cavo, cavis, est confirmo; inde cautum et cautio, et facit præteritum cævi. Cevo, cevi, indicativo modo est crisso, id est clunem moveo*, Vat. A.
148. Tollere, *nutrire, educare*, Vat. A.
150. Contumax, *suverba, quia ipsa superbia pietas fuit*, Vat. A.
153. Sacerdotem, *levitam*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

satis verisimile esse arbitror.

126. In Horis ad usum diœcesis Lugdun. edit. an. 1778, ut concursus vocalium vitaretur, ita hæc stropha est reformata: *Salvete, flores martyrum In lucis ipso limine Quos sævus ensis messuit, Ceu turbo nascentes rosas*. Cur non potius versus transpositi sunt? *Salvete, flores martyrum, Quos sævus ensis messuit In lucis ipso limine, Ceu turbo nascentes rosas*. Aliæ ineptæ trajectiones versuum reformatori ejus Breviarii placuerunt: ut in nota illa clausula, *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine*. Transposuit: *Qui natus es de Virgine, Jesu, tibi sit gloria*. Videtur legisse Augustinus Prudentium. Ita habet ille serm. 220 app: *Quos Herodis impietas lactentes matrum uberibus abstraxit, qui jure dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quædam persecutionis pruina decoxit*.

128. Statius, III, silv. 3: *Qualia pallentes declinant lilia culmos, Pubentesque rosæ primos moriuntur ad austros*.

131. Ita habent Ald., Sich., Weitz., Heins. cum suis, nostri codd., etiam Alex., Vatt. I, Q, Hymn. Thom. Widm., Hailsbr., Gold. Sed Erasmus, et cum eo Giselinus, *aram ante cujus*. Fabricius vero legit *aram ante et ipsam*; Egm. *aram ante ipsam et*. Torrentius et Cauchius *aram sub ipsam* ex Apocalypsis simili phrasi cap. VI, 9; quam lectionem præferrem, si codd. mss. suffragarentur. In solo Urb. recenti codice legi *aram sub ipsam*. Non dubium est quin prima sit proba lectio, non eliso *e* in *ante*, quod interdum consuevit Prudentius. Heinsius, Cellarius et Teolius aiunt, esse *synalœpham*, ego vero *dialœpham* sive *hiatum* voco, cum non absorbetur vocalis, *synalœpham* vero, cum absorbetur.

132. Alex., non male, *corona*.

133. Ald., Gis. et nostri, *quid*. Egm., *qui*. Heinsius cum Put., Amb., Thuan., Rott., Boh. priori, et Cauchii libris, *quo*. Teolius in Vatt. duobus reperit *quid*, cum aliis duobus et Heinsio legit *quo*. Allegat Erasmum et Weitzium pro *qui*: alios fortasse voluit nominare, nam mihi *quid* Weitzius, et apud Weitzium Erasmus. Rat., Prag. et Gis. ad oram, *profuit* pro *proficit*. Sententia eadem est, nihil adversus Dei consilia homines proficere, unum Jesum inter tot funera, e manibus quærentium eum, eripi.

136. Post hanc stropham nihil aliud hujus hymni exstat in codice Marietti. Sed statim sequitur, *De opusculis Prudentii*, ut in Vat. B. In Vat. B. integer exstat hic hymnus.

137. Sanguis innocentium Christo *coævus* erat. S. Hieronymus utitur hoc vocabulo, non Cicero, ut aliqui putarunt qui legerunt *coævus* pro *coquus*.

139. *Nurus* pro uxoribus Martialis lib. IV, epigr. 75: *Atque inter latias gloria prima nurus*. Poetæ feminas sive sponsas nonnunquam vocant *nurus*.

C 143. Put. a secunda manu, *quadam* pro *quondam fugerat*.

144. *Receptor* restitutor, liberator, Eutropius, Tacitus, alii. Historiam hanc lege Exodi cap. II. In Vat. B et Rat. semper legitur *Moyses* pro *Moses*.

145. Ald., Gis. in textu, Urb., Vat. Q, Weitz., *jusserat*. Gifanius ex veteri libro restituit *jus erat* in collectan. Lucr. verbo *jussa*: quod arripuit Heinsius cum Put., Amb., et Rotten. Idem notaverat Giselinus ad marginem. Cauchius conjecerat, *Cautus statuto jusserat*. Alicubi exstat mendose, *statum* pro *statutum*.

146. Egm. et Pal., *qui* pro *quo*, ut ante *qui proficit*.

147. Ald. error est *absolveret*.

148. Cauchius contra auctoritatem codd. corrigit *virile*. Recte *puerile* a puero. *Tollere* est educare.

149. Prag. et Widm., *sedula*.

D 153. Moyses *sacerdos* laxiori significatione, ut ante Helias et David: quanquam Moysem proprie fuisse sacerdotem, communior veriorque est sententia. Sed interdum Prudentio sacerdos dicitur, qui res divinas tractat, disserit, prænuntiat, concinit. Hac ratione poetæ sacerdotes Phœbi, philosophi naturæ vocantur. Propertius III eleg. 1: *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos*. Lactantius cap. 2 lib. V Instit. meminit cujusdam, qui *antistitem se philosophiæ profitebatur*. Prudentius vocabulum *præsulis*, quod etiam sacerdotum proprium erat, pro duce accipit. Vide hymni 11 vers. 115, et hymni 5 vers. 83, ubi idem Moyses *præsul justitiæ* appellatur. Atque hoc sensu nonnulli exponunt verba psalmi XCVIII, 6: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus*. Lorinus quinque diversas hujus loci explicationes affert, quamvis ipse teneat Moysem vere et proprie fuisse sacerdotem.

390 Assumpsit orbis conditor,
Per quem notatam saxeis
Legem tabellis traderet.
Licetne Christum noscere
Tanti per exemplum viri?
Dux ille, cæso Ægyptio,
Absolvit Israel jugo.
At nos, subactos jugiter
Erroris imperio gravi,
Dux noster, hoste saucio,
Mortis tenebris liberat.
Hic expiatam fluctibus
Plebem marino in transitu
Repurgat undis dulcibus,
Lucis columnam præferens.
391 Hic præliante exercitu,
A Pansis in altum brachiis,
Sublimis Amalech premit,
Crucis quod instar tunc fuit.
Hic nempe Jesus verior,
Qui longa post dispendia
Victor suis tribulibus
Promissa solvit jugera:
Qui ter quaternas denique
Refluentis amnis alveo
Fundavit, et fixit petras,
392 Apostolorum stemmata.
Jure ergo se Judæ ducem
Vidisse, testantur magi,
Cum facta priscorum ducum
Christi figuram pinxerint.
Hic rex priorum judicum,

GLOSSÆ VETERES.

155. Notatam, *descriptam*, Vat. A.
158. Per exemplum viri, *per figuram Moysis*. Vat. A.
159. Dux ille, *Moyses*, Vat. A.
161. Nos, *allegorizat, quid significaverit Moyses*, Vat. A.
163. Dux, etc., *Christus, diabolo vulnerato*, Vat. A.
165. Expiatam, *a Moyse*, Vat. A.
167. Repurgat, *iterum purgat*. — Undis, *Jordanis*, Vat. A.
168. Lucis, *ignis*, Vat. A.

B 169. Hic. *Moyses contra Amalech*. Vat. A.
173. Verior, *quam Moyses*, Vat. A.
174. Dispendia, *pericula 40 annorum*, Vat. A.
176. Jugera, *terram promissionis*, Vat. A.
178. Refluentis, *iterum fluentis, jam fluere incipientis*. — Alveo, *in medio Jordanis*, Vat. A.
180. Stemmata, *ordines*, Vat. A.
181. Ducem, *regem*, Vat. A.
183. Facta, *operata*. Vat. A.
184. Pinxerint, *finxerint, adumbraverint*. Vat. A

COMMENTARIUS.

155. Exodi XXXI et XXXII.

159. Ibid., cap. II. Vat. B, *ipse* pro *ille*.

161. Egm., *ad*, lege *at*.

165. Exodi XIII et XXXIII. Nota, quod *hic* est Jesus, cujus figura est Moyses. Poeta figuram, et id quod figura indicatur simul enarrat. Nebrissensis: *Hic, sc. Moyses, qui populum per mare Rubrum trajecit: per quod significabatur baptisma Christi, quod in dulcibus Jordanis aquis est postea consecratum*. Cellarius id non intellexit: *Nebrissensis ad Jordanem refert, per quem populus traductus fuit; at non Josue, sed Moysis hic facta narrantur. Unde* MALIM *ad dulcem aquam in Horeb Exod.* XVII *referri*. Cellarius a Teolio corripitur: *Hæc*, inquit, *sinistre Cellarius accipiens, interpretem hunc reprehendit, quod contra historiæ veritatem dixerit, Moysen per Jordanem trajecisse populum, quod ille nunquam somniavit*. Mihi Cellarius non videtur eum errorem Nebrissensi objecisse: nam Cellarius notam apponit versui 167: *Repurgat undis dulcibus*, quod de Moyse explicat Cellarius, Nebrissensis de Christo.

170. Ald., Weitz., Heinsius cum vetustioribus suis, nostri *pansis*. Sic restituerat Gifanius ex veteribus membranis verbo *dispansus* Ind. Lucr., ut in Psychom., *Cornibus oppansis*, et præfat. lib. I contra Symmach., *Vix panso poterat currere carbaso*, et *retunsis* in Romano pro *retusis*.

171. Vat. A, *sublimem*, mendose.

172. Lege Exodi caput XVII, et SS. Patres interpretesque, hanc historiam enarrantes.

173. *Jesus* est salvator, et hoc ipsum significat *Josue*, quocum nunc confert Jesum. Ut enim Josue in terram promissionis tribus Israelis duxit, sic Jesus genus humanum, a captivitate dæmonis liberatum, in patriam cœlestem invexit. Christus igitur est verior Jesus, quam Josue. Iso, Cham., Cellar., Teol. exponunt, *Josue est verior Jesus, seu salvator, quam Moyses*. Non placet. Vide not. vers. 165 et 177.

177. Erasmus legit *qui ter quaternis*, et infra vers. 179, *petris*, quod ad oram Giselinus annotavit: sed recte procedit sensus sine correctione mss. codicum: *fundavit duodecim petras, stemmata apostolorum*, per epexegesin Prudentio familiarem, hoc est petras, quæ sunt stemmata. Alludit poeta ad cap. III et IV Josue, ubi narratur, Jordanem conversum fuisse retrorsum, ut iter Israelitis pateret; et Josue jussisse, duodecim viros singulos e singulis tribubus eligi, qui rursus Jordanem ingressi, ex alveo singuli singulos lapides tollerent, ut ad posterorum memoriam reponerentur, et alios quoque duodecim lapides posuisse
C Josue in medio alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis. Duodecim apostolos in his duodecim viris et lapidibus allegorice poeta agnoscit, ut Tertullianus lib. IV contra Marc., cap. 13: *Totidem enim apostoli portendebantur.... lapides solidi fide, quos de lavacro Jordanis* JESUS VERUS *elegit*, etc. Cellarius duodecim lapides *in ripa Jordanis* positos interpretatur. Teolius non videtur alios agnoscere lapides, nisi eos qui *in medio Jordanis alveo* positi sunt. Josue loc. cit. et hos poni jussit et alios *in loco castrorum*.

179. Prag., *fecit petras*, minus bene.

180. Quid sit *stemma*, dictum est supra hymno 7, vers. 81. Hic etiam esset locus suspicandi, legendum *schemata*, hoc est *figuras*.

181. Vat. B et Rat., *Judææ*, non patitur carmen.

182. Magi non viderunt ducem Judæ in stella, sed stellam, eum indicantem. Vide supra notam vers. 28. Ex ratione quæ subjicitur amplius id liquet. Argu-
D mentum enim petitur ex factis priscorum ducum Israel, quæ, ut multi opinantur, magos non latebant.

183. Egm., perperam, *fracta* pro *facta*.

184. In Egm. et Pal., *Christo figuram finxerint*. Erasmus, Thuan., Noms., Boherianus prior, Gis. ad oram, Teol., *Christi figuram finxerint*. Ald., Weitz., Gis. in textu, Heins., Vat. B, Sich. et alii, Mar. et alii, *pinxerint*. In Vat. A, *finxerint*, supra aliter *pinxerint*.

185. Vat. B et Prag. contra metri rationem, *priscorum* pro *priorum*. In Vat. 1, *priorum* videtur factum ex *primorum*, quod cum carmine non cohærebat. Metro etiam adversatur Put., *Hic rex prior est judicum:* alioquin poterat id sustineri, ut ante vers. 77, *sola magnarum urbium major Bethlem*. Heinsius ex hoc errore existimat, a manu Prudentii fuisse *Hic rex priorum est judicum*. At vero cum Heinsius sæpissime

Rexere qui Jacob genus,
Dominæque rex Ecclesiæ,
Templi et novelli, et pristini.
Hunc posteri Ephraim colunt,
393 Hunc sancta Manasse domus,
Omnesque suscipiunt tribus,
Bis sena fratrum semina.
Quin et propago degener,
Ritum secuta inconditum,
Quæcunque dirum fervidis
Baal caminis coxerat:
Fumosa avorum numina.
Saxum, metallum, stipitem,
Rasum, dolatum, sectile,
In Christi honorem deserit.
Gaudete, quidquid gentium est,
Judæa, Roma et Græcia,
394 Ægypte, Thrax, Persa, Scytha:
Rex unus omnes possidet.
Laudate vestrum principem,
Omnes, beati ac perditi,
Vivi, imbecilli ac mortui:
Jam nemo posthac mortuus.

GLOSSÆ VETERES.

188. Pristini, *antiqui templi Judæorum*, Vat. A.
189. Posteri, *filii*. — Effrem, *id est, Effraim, et interpretatur frugifer*, Vat. A.
190. Manasse, *Manasse oblivio interpretatur. Significat autem populum gentium, cui dicitur: Obliviscere populum tuum*, Vat. A.
193. Degener, *ignobilis, degener dicitur, quia non sequitur nobilitatem patrum et parentum*, Vat. A.
196. Coxerat, *formaverat*, Vat. A.
198. Stipitem, *lignum*, Vat. A.
199. Rasum, etc., *tribus modis omnis forma lignorum componitur, radendo, dolando, secando*, Vat. A.
202. Judæa, *propter legem*. — Roma, *propter principatum*. — Græcia, *propter sapientiam*, Vat. A.
206. Perditi, *peccatores*, Vat. A.
207. Vivi, *sani*. — Imbecilli, *infirmi*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

epexegesin in Prudentio tueatur, non est, cur hanc rejiciat, stabilitam ab Aldo, Weitzio, Giselino cum Vat. A, B, multisque aliis codicibus: nullum enim dissentientem Heinsius protulit.

186. Vat. B, *domus*, correctum *genus*.

187. Cauchius in suis invenerat *nostræque*, ipse malebat *geminæque*. Nostri et Heinsiani cum editis, *dominæque*.

188. Ambr., Rat., Hails., Palat., *templi novelli* sine *et*. Cæteri, *templi et novelli*. Gis. ad marg., *templi novelli ac pristini*. Ecclesia a Christo fundata *templum novellum* est, ut supra hymn. 11, vers. 59, dixit *novellum sæculum*. Templum Salomonis templum est pristinum, templi novelli figura. Templum etiam post captivitatem restitutum nomine *templi pristini* comprehenditur.

189. Erasmus, Nebr., Gis., Fabr., *Ephraim*, ut Græci loquuntur. Heinsius cum vetustioribus suis, et Ald. cum aliis, *Effrem*, ut sit *sinalœpha*, inquit Heinsius; potius *dialœpha*, ut alibi dixi. Egm. scribit *Efrem*.

190. Heinsius mavult *Manassæ* quam *Manasse*. Sic etiam Giselinus. Ald., *Manasse*, nec discrepant nostri; idemque placuit Weitzio cum Widm. et Gold.

191. Ald., Nebr., Gis. in textu, Heins., *suspiciunt*. Vatt. A et B, Prag., Rat., Weitz. cum Widm. et Gold.. *suscipiunt*. Quod verbum petitum videtur ex cap. I Joan. vers. 11 et 12: *Et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem*, etc.

193. Vat. B, *qui et;* sed correctum *quin et*. Supra non solum tribum Juda, sed etiam omnes alias Deum colere asseruit: nunc idem de gentibus confirmat. *Degener propago* sunt, qui neque a patriarchis ortum ducunt, et ad idolorum cultum se converterunt.

194. Prag., *ritum incognitum*, minus bene.

195. Ald., Egm., Pal., Hails., Vat. A et Rat., *durum*, Vat. B, Erasmus, Weit., Gisel. et Heinsius, *dirum*.

196. Aldus, *coxerant*. *Baal* pro quovis idolo ponitur.

197. *Fumosa* ob antiquitatem, ut *fumosæ imagines* apud Ciceronem. Nam de fabrorum officinis nihil est, quare cogitemus in *saxo* et *stipite*.

198. Mendum est Vat. A, *stipem*.

199. Vatt. A, I et Weitz., *sectilem*. Numen *sectile* cum reliquis intelligo; neque *sectile* refertur ad *stipitem*, sed ad *saxum*. *Tres*, inquit Erasmus, *materias refert deorum, lapidem, æs, lignum. Opificium item triplex: metallum raditur lima, saxum secatur, lignum dolatur*.

203. Gisel., *Persa et Scytha*. Alii *Persa, Scytha*, quia ultima in Persa producitur ob *sc.* dictionis sequentis. In orthographia variant codices, *Scitha, Schita, Scyta, Scytha*. Ald., mendose, *Scythia;* Vatt. A et B, minus bene, *Scytæ*. Urb. *Persa et Scythia*.

205. Invitat omne hominum genus ad laudandum Deum, scilicet eos quos adversa premit fortuna, et qui prospera utuntur, qui bene valent, qui imbecilli sunt, qui jam mortui. Hæc quidem communis est interpretatio. Nihil tamen prohibet, quominus ad mores referas, ut omnes qui bonis moribus, qui perditis sunt, invitentur ad laudes Christo concinendas, sed ita ut *nemo posthac mortuus* sit, sed omnes ad bonam frugem conversi, vita, quam offert Christus, gaudeant.

208. Canit Ecclesia, Jesum Christum mortem moriendo destruxisse: quo sensu *nemo jam mortuus est*.

In cod. Vat. B post hunc hymnum sequitur: *Incipit de opusculis, Patri Deo immolat, per trochæum, et trimetrum endecasyllabum*. In cod. Ratisbonensi, *Finit Cathemerinon Prudentii Clementis*.

INCIPIT LIBER APOTHEOSIS.

Præfatio.

395 Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus. A
396 Corde Patris genita est Sapientia, Filius ipse est :
Sanctus ab æterno subsistit Spiritus ore.
Tempore nec senior Pater est, nec numine major :
Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se,
Per quod semper erat gignenda ad sæcula, Verbum.
Edere sed Verbum Patris est, at cætera Verbi,
Assumptum gestare hominem, reparare peremptum,
397 Conciliare Patri, dextraque in sede locare.

GLOSSÆ VETERES.

1. Summa, *principalia, principia.* — Specimen, *divisio personarum.* — Vigor, *virtus*, I.
5. Retro, *sine initio, id est ante sæculum, in perpetuum*, I.
7. Edere, *gignere*, Iso.

COMMENTARIUS.

Titulus apud Aldum est : *Aurelii Prudentii Clementis V. C. Apotheosis. Hymnus de Trinitate* : quæ etiam in Egm. est inscriptio hujus præfationis. In Vat. A: *Liber de Trinitate*; cætera desunt. Giselinus : *Apotheosis. Præfatio*, et ad marg. *Trinitatis confessio.* Weitzius : *Incipit Apotheosis, id est de Divinitate.* Vat. B et Mar. : *Incipit liber Apotheosis* cum explicatione, *id est de Divinitate*, quam ab auctore non esse judico. Sed in Mariet. liber hic ponitur post Dittochæum. In Alex. et Aldo statim post hymnum Epiphaniæ succedit *Apotheosis*. Vide in proleg. diversum ordinem operum cap. 3, 4 et 5. De hoc titulo Barthius lib. XLI, cap. 24 : *Prudentii is liber, qui Græco titulo Apotheosis inscribitur, nequaquam* DE DIVINITATE *est inscribendus : non enim disputat, an sit, vel quæ sit Divinitas. Sed scopus auctoris egregii est demonstrare divinitatem Christi, quod is divino honore colendus sit, nec dispar Patri, licet humana natura deitate recepta sit, quæ vera est apotheosis. Neque ego plane improbo, imo prope est plane, ut probem, veteris nostri codicis Helvetici interpretationem* DE DIVATIONE : *quæ licet expressa sic non sit, nam de divinatione præferunt membranæ, tamen antiquitus ita conceptam fuisse auguror.* C *Respondet enim divatio apotheosi, ut referre inter deos aliud Latinum vocabulum, unum quidem, non habet.* Joseph Rodriguez de Castro, qui in Bibl. Hisp. ait, librum Apotheosis inscribendum esse *de divinatione*, si fides Barthio sit adhibenda, fortasse dicere voluit *de divatione* : hoc enim pugnat Barthius. Emmanuel Riscus tomo XXXI Hisp. sacr. advertit, apotheosis vocabulum non esse stricto sensu accipiendum pro relatione inter divos, cum Prudentii scopus sit agere de divinitate Christi. Vat. A ante præfationem primam Apotheoseos aliter videtur hoc vocabulum interpretari : *Quomodo*, inquit, *homines in divinitatem transferuntur.* Facile assentiar, Prudentium composuisse hunc et sequentem librum, ut errorem Priscillianistarum, qui altas radices in Hispania egerat, funditus everteret. Sed non propterea negandum est, veteres errores, ab aliis jam confutatos, a Prudentio data opera impugnari : imo ab eo Sabellium, Marcionem, Manichæum nominatim refelli censeo, Prisci-D lliano nunquam nominato, ut ostenderet, quibus auctoribus illæ hæreses jam olim erupissent, aut fuissent propagatæ. Itaque non bene quidam hac ratione conjicit, lemmata librorum non esse a Prudentio, quia is Priscillianistas præsertim oppugnat. Vide not. ad titulum Apotheoseos.

1. In Trinitate sunt *tria summa*. S. Augustinus in append. de diversis serm. 30 : *Sancta Trinitas unus, et solus, in substantia solus, in personis tria.* Et lib. VII de Trin., cap. 4 : *Hæc tria simul unus Deus... Rursus non esse tria quædam, non poterat dicere* (humana inopia loquendi) *quod Sabellius, quia dixit, in hæresin lapsus est.* Et lib. VI de Trinitate, cap. 4 : *Sunt illa tria Deus unus.* Scilicet, ut loquuntur theologi, *tria individua.* Trinitas etiam personarum non incongruenter per *trinum specimen* significatur, eo sensu, B quo Græci tres characteres dicunt. S. Athanasius in Quæst. sec., quæst. 7 : *Tres personas confiteor, tres subsistentias, tria propria, tria individua, tres characteres.* His apprime consonat concilium Constantinopolitanum IV, actione 10 : *Unum quidem et singularem Deum secundum rationem substantiæ, trinum autem, vel tria, si eum secundum rationem personarum prædicamus.* Plures similes locutiones ex Patribus exponit Petavius tom. II, lib. VIII, cap. 9, quarum omnium eo redit ratio, ut pluralis numerus significet, personas singulas qualitatibus illis, si ita loqui fas est, affectas esse, quæ tamen divisæ non sunt ita, ut sua cuique propria suppetat, a qua denominantur, sed ut una et individua sit in tribus, quemadmodum et essentia. Hincmarus : *De non trina deitate* non probabat *trinum specimen* ; *Arator trinam potestatem, et Prudentius trinam pietatem dicunt metri necessitate... idem Prudentius fortasse metri lege coactus ad demonstrandum tres personas unius substantiæ alibi scribit, dicens : Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus. Sed quoniam ut Priscianus dicit, a specie deducitur specimen, in Deo trinum specimen catholice non potest dici, ut Augustinus in libro VII de Trinitate dicit, quia non sunt tres species unius essentiæ Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* At oportuit, Hincmarum hæc distinxisse : aliud est enim dicere *tres species*, aliud *trinum specimen*; sicut non est idem *trina deitas*, ac *tres dii*. Marius Victor lib. I dixit : *Virtus trina Deus.* Neque in Augustino quidquam reperio, quod Hincmari causæ ullo modo faveat. Dudo Decanus S. Quintini lib. III de Mor. Norman.. pag. 102, versum hunc a Prudentio mutuatus est : *Qui tria summa manet, trinum specimen, vigor unus.*

2. Post *genita* abest *est* a Pragen. Giselinus in utraque editione omisit *est* post *Filius ipse*, neque Heinsius quidquam annotavit, quamvis ediderit *ipse est*. Sæpe poeta id exprimit, Filium *corde* Patris genitum.

3. De processione Spiritus sancti vide hymnum 6 Cath.

4. Vat. B, Urb., Mar., Vat. I, Rat. a prima manu, *nomine.* Ald. et alii editi, *numine* cum Alex. et Widm. a prima manu.

5. Æterna Verbi generatio clarissime hic explicatur. Vide hymn. Cath. 11.

6. Vat. A et Prag., *semper erant*, mendose. S. Cyrillus Alexandrinus in Thesaur., assert. 5, plura in hanc sententiam congerit, probans, Patrem non exstitisse ante Filium, tametsi ingenitus sit.

8. Theologis nonnullis displicet hæc locutio *assumere*, aut *suscipere hominem* de Verbi incarnatione. Eam adhibet concilium Tolet. IV, can. 1 : *Unus de*

Spiritus ista Dei complet : Deus ipse fideles
In populos charisma suum diffundere promptus,
Et Patris, et Christi virtutem in corpora transfert.

Est vera secta? te, magister, consulo :
Rectamne servamus fidem?
An viperina non cavemus dogmata
Et nescientes labimur?
Arctam salutis vix viam discernere est
Inter reflexas semitas.
398 Tam multa surgunt perfidorum compita,
Tortis polita erroribus,
Obliqua sese conferunt divortia
Hinc inde textis orbitis :
Quas si quis errans, ac vagus sectabitur,
Rectum relinquens tramitem :
Scrobis latentis pronus in foveam ruet,
Quam fodit hostilis manus :
Manus latronum, quæ viantes obsidet,
Iter sequentes devium.
Quid non libido mentis humanæ struat?
Quid non malorum pruriat?
Statum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus :
399 Fidem minutis dissecant ambagibus,
Ut quisque lingua est nequior :
Solvunt, ligantque quæstionum vincula
Per syllogismos plectiles.

GLOSSÆ VETERES.

11. Populos, *Domini*. — Charisma, *gratiam, vel donum*. — Promptus, *paratus*, Iso.
12. Corpora, *scilicet fidelium*, I.
1. Secta, *electio*, I.
3. Cavemus, *vitamus*, Iso.
5. Vix, *difficile*, Iso.
6. Reflexas, *tortuosas*, I.
7. Perfidorum, *hæreticorum*, I, Vat. A.
8. Polita, *trita*, I.
9. Obliqua, *scilicet tam*. — Divortia, *dicta à divertendo, id est separationes viarum*, I.
10. Orbitis, *vestigiis viarum*, I.
17. Libido, *delectatio*, I.
18. Pruriat, *curiositatis vitio tentet*, Iso.
21. Minutis, *subtilibus*, Mar. — Minutis, *dialecticis subtilibus*. — Ambagibus, *circuitionibus, vel argumentis*, I.
24. Plectiles, *flexuosos*, Mar. — Syllogismos plectiles, *per insolubiles circumlocutiones, vel per contraratiocinationes subtiles. Syllogismus est contraratiocinatio*, I.

COMMENTARIUS.

sancta Trinitate anima, et carne perfectum suscipiens hominem. Vide vers. 779 Apoth. In Chamill. mendum est *peremptu*.

10. Codex Bononiensis, *fidelis*, minus bene.

11. Primam in *charisma* etiam produxit Fortunatus lib. IV de S. Martino.

12. Prag., *corpore*; Wid. supra, *tempora*. Alii recte, *corpora*. Notat Chamillardus, Prudentium, contra hæreticos disputaturum, sapienter præfationis loco posuisse catholicæ fidei professionem, ut si quid forte fidei contrarium ipsi excideret, non sponte factum constaret. Equidem in his paucis versibus indicatum video a poeta, quidquid in Apotheosi fusius explicatur.

Vat. A titulum huic secundæ parti præfationis affigit : *Prudentii liber* I *Apotheosis*. Vat. B et Mar. nullum præferunt titulum. Ald., *Hymnus in infideles*, quod Weitzius arripuit; plerique habent *Alia præfatio*. Neque ego hanc inscriptionem respuo, quamvis teneam, unicam esse præfationem, cujus prima pars hexametris, altera alio metro constet. In Paulino aliisque cernere licet unum idemque poema diversis carminum generibus compactum. Quærit Prudentius in hac secunda præfationis parte *Est vera secta?* id est, Estne vera hæc fidei regula, quam superioribus proximis versibus tradidi?

1. Giselinus margini apposuit *Infidelium reprehensio*, fortasse ut indicaret aliorum inscriptionem, *Hymnus in infideles*.

3. Vat. A, *servamus* pro *cavemus* contra carmen et sensum. Horatius lib. I, oda 8, *Cur olivum sanguine viperino cautius vitat*. Sunt autem hæreses viperinæ, quia et nocent ut viperæ, et latenter serpunt ut serpentes.

4. Vatt. A, B, I, Urb., Mar., Prag., Rat., Gis., Weitz., *nescienter*. Heinsius cum suis vetustioribus, præterea Ald. cum Egm., Pal., *nescientes*, quod et Latinius, et gratius est. Adhæret Bonon. et Alex.

5. Thuan. et Alex., *distinguere* pro *discernere*. Bonon., male, *viam vix*.

7. Veteres codices Vatt. A et B, Mar., Prag., Rat., scribunt *competa*. Vulg., *compita*. Salmasius, Plinian. Exercit. ad cap. 17, pag. 212, notat, in antiquissimis membranis Prudentii semper scribi *competum*; sunt autem *competa* loca, ubi multæ competunt et concurrunt viæ aut semitæ. Veteres sæpe *e* in *i* vertebant, et *compito*, *perfistus*, *distitus* dicebant. Hinc fluxit *compitum* pro *competum*.

9. In Vat. A, *Oblica*, quod recenti manu correctum est *obliqua*. Vat. B., Put., Thuan., Rotten., Prag., *conserunt*. Ald., Gis., Fabr., Weitz. cum Mar., Vat. A aliisque, *conferunt*. Heinsius amplexus est *conserunt*, cui Vatt. codd. astipulari ait Teolius, neque debuisse Cellarium quidquam immutare. Torrentius ex suis notarat *Obliqua qua se*. Discrepant alii, excepto Fabricio.

11. Rott. et Cauchius ex suis membranis, *quæ si quis errans*, scilicet, *quæ divortia*. Cæteri, *quas si quis errans*, sc. *semitas*, ut vult Heinsius, vel potius *orbitas*.

12. Alex., *linquens*. Metri obstat ratio.

13. Bonon., minus bene, *ruit* pro *ruet*. Vat. B, Mar., Rat., Prag., *cadet*. Mar. a secunda manu, Vat. A, Alex., Heins., Ald., Gis., Weitz, *ruet;* nullamque varietatem ex suis animadverit Heinsius.

15. Pro viatoribus *viantes* apud Apuleium, Solinum, aliosque ejusdem classis. S. Ambrosius hymno *Æterne rerum conditor* ait, *Nocturna lux viantibus*.

16. Bonon., mendose, *iter insequentis*.

19. Prag., renuente metro, *omnipotentis* pro *omnipollentis*. De similibus vocabulis vide not. ad hymn. 3 Cathem., vers. 2.

20. Verbum jurisconsultorum *lites calumniosæ*, quarum aperta est injustitia. Lites et actiones improbæ apud eosdem *calumniæ* nuncupantur.

21. Menda Vat. A, *mutis* pro *minutis*.

22. Widm., Bong., Rat., Vat. B, Mar., Bonon., Ald. miro consensu errorem metri admittunt *quisquis*. De voce *quisque* hymno 7 Cath., vers. 216. Alicubi abest *est* post *lingua*.

23. In Bonon. desideratur *ligantque*, legitur autem *solvuntque quæstionum*.

24. Paschalis, de Coronis pag. 38, imitatione Græcorum captiosum concludendi genus *syllogismos plectiles* a Prudentio vocari existimat. Dominicus Aulisius, lib. II, cap. 30 *delle Scuole sacre*, eleganter *syllogismos plectiles* a Prudentio vocari ait, non quia similes coronis plectilibus, de quibus Plautus, sed

Væ captiosis sycophantarum strophis!
  Væ versipelli astutiæ!
Nodos tenaces recta rumpit regula,
  Infesta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
  400 Ut concidant sophistica,
Deque imbecillis subjugavit fortia
  Simplex ut esset credere.
Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
  Impingat in quem vanitas:
Signum caventi, non caventi scandalum:
  Hunc sternit, illum dirigit.
Dum plura tentat cæcus incerto gradu,
  Incurrit id, quod obvium est.
Fax sola fidei est præferenda gressibus,
  Ut recta sint vestigia.
Queis in tenebris hostis errantes tamen
  401 Pulsat, trahitque, et proterit:
Qui sparsa ad ipsum commeantum transitum
  Frumenta sævus devorat:
Qui læta Christi culta fur interpolat,
  Addens avenas æmulas,
Quas de veneni lacte in herbam fertilem
  Patitur colonus crescere,
Ne forte culmum fibra inanis spiceum
  Simul revulsa internecet.
Exspectat ergo, dum dolosa, et farrea
  Fervens coquat maturitas,

GLOSSÆ VETERES.

25. Captiosis, *deceptibilibus, vel insidiosis.* — Sycophantarum, *calumniatorum, vel falsiloquorum. Sycophantas autem hac de causa appellatos dicunt, quod quondam juvenes soliti erant in hortos erumpere, ficosque inde furari. Quam ob causam lege est constitutum, ut qui id fecisset, capite truncaretur; quam pœnam qui persequeretur ob parvula detrimenta, sycophanta est appellatus.* — Strophis, *versutiis, vel fraudibus, reversionibus*, I.

28. Infesta, *gravis, vel importuna.* — Dissertantibus, *loquentibus, concertantibus*, I.

32. Credere, *credulitas, verbum pro nomine, infinitivus interpretatur per nominativum*, I.

34. Vanitas, *cæcitas hæreticorum*, I

41. Queis, *interrogando, illos duos versus pronuntiat, vel quis, pro quibus*, I.

43. Qui, *nisi ille*, I.

45. Interpolat, *intermiscet, vel interseminat*, Vat. A. *Subripiat, vel subnubilet*, Mar. *Intermiscet, a polo tractum*, Iso.

46. Æmulas, *inimicas, steriles*, I.

48. Colonus, *Deus, Pater*, I.

49. Fibra, *radix*, Vat. A.

51. Dolosa, *vitiosa, vel lolia.* — Farrea, *triticea*, I. — Vitiosa, *lolia.* — Farrea, *triticea*, Vat. Q.

COMMENTARIUS.

quia similes retibus, quod ad officium quidem capiendi pertinet. Aristo Chius apud Laertium et Stobæum affirmat, ratiocinationes dialecticorum similes esse telis aranearum, quæ artem præ se ferunt, sed nihil tandem prosunt aut efficiunt.

25. Prag., male, *ut* pro *væ*. In editione Parmensi hoc et seq. vers. apponitur interrogationis nota, quæ potius admirationis essé debet. Petavius in prolegomenis ad Theologiam elegantissimos dicit hos versus, quo elogio sæpius Prudentium celebrat insignis hic theologus, nec contemnendus poeta. Interpretationem Isonis de *sycophanta* alii rejiciunt, qui *sycophantam* dicunt appellatum fuisse servum, qui ipse ficos comederat, in alium vero innocentem servum culpam furti mendaciis et calumniis conjecerat. Paschalis, loc. cit. pag. 35, cap. 11, observat, tortuosum, et subdolum genus loquendi dici *strophas*, quia primæ coronæ *strophia* vocabantur.

26. Vat. A, male, *astutia* pro *astutiæ*.

28. Bonon., mendose, *dissentantibus*. *Dissertator* et *disserto* apud antiquiores non facile reperitur. Plinius tamen et Gellius utuntur nomine *dissertatio*, quamvis variant codices. Cato apud Festum *disserto*.

29. Egm. et Ox., *dilegit*. Pal., male, *diligit*. Vide hymnum S. Romani, vers. 609, et 1 Cor. I, 27.

31. Vat. A et Pal., *neque* pro *deque*, quod sensus postulat. Barthius lib. XVII, cap. 17, Advers., multis exemplis confirmat, *de* sæpe esse superfluum, neque solum apud Prudentium, Tertullianum, Symposium, Nemesianum, Cyprianum, Alcuinum aliosque non optimos Latinos, sed etiam apud Lucretium, Catullum et alios ejus generis. Sæpe etiam *de* significat instrumentum, et hæc significatio huic loco congruit.

32. Notavit Teolius, religionem Christianam ab Ammiano, ethnico scriptore, in fine lib. XXI vocari *absolutam et simplicem*.

33. Weitzius cum solo Widm. scripsit *offensaclo*, nihil metri sollicitus. Prag., non bene, *offendiculo*. *Lapis fixus* accipi potest pro signo, quod in bivio aut trivio poni solebat ad iter ostendendum; postea enim *signum* dicitur. Ethnici Terminum, lapidem informem ac rudem, colebant, qui solus, cum Tarquinius Capitolium facere vellet, cedentibus cæteris diis, mansit: quo respexit Virgilius lib. IX, vers. 448: *Capitoli immobile saxum*. Custos finium erat Terminus. Sibylla offensaculo saxeo errores gentium comparavit. Vide Lucæ XX, 17; Rom. IX, 32; I Petri II, 8.

34. Error Vat. A, *Impinguat in quem*.

35. Vat. A, *lignum*, supra *signum*. *Scandalum*, verbum ecclesiasticum. Hinc *scandalizari* Tertullianus et Hieronymus, ut alios omittam.

37. Ald., *in certo*, corrige *incerto*.

39. Vat. A, *fax*, pro diver. script. *lux*. In Palat. mendum puto *pax* pro *fax*.

41. *Quos* (gressus) malebat Cauchius. Sed aliter scripti, ut monet Heinsius. In Bonon. tamen *quos* pro *queis*. Intelligitur autem *quibus in tenebris*. Teolius hunc sensum in Cellario reprobat; et cum interrogationis nota exponit *quis hostis proterit?* Iso utramque interpretationem indicat.

42. In nonnullis Vulg., male, *et poterit*.

43. Vide Lucæ VIII, et Matth. XIII. 25, ubi hæc parabola exponitur.

45. Bonon., *interpululat*, male. Gis. ad oram, *grana* pro *culta*. Barthius, lib. XXIV, cap. 11, *elegantissime* id dictum ait; sed suspicatur, legendum *furtim* pro *fur*. Lectionem codd. præfero.

47. Ald., Weit., Gis. cum plerisque mss., *in herbam fertilem*. Heinsius *in herbam fertiles* (avenas) eleganter dictum putat cum Put., Thuan., Egm. a secunda manu, et Cauchiano. Bonon. etiam, et Alex., *in herbam fertiles*. Mihi non displicet *in herbam fertilem*. Barthius loc. cit. venustum esse ait, *lac* dicere primum incrementum herbarum: *Quas de veneni lacte*. *Venenum* vocat succum noxium avenarum.

48. In Ald. mendum *colonos*.

49. Ald., *inani*, lege *inanis*.

51. Ald., Weitz., Gis. cum plerisque codd., *dolosa, et farrea*. Heinsiani codd., Alex., et Weitz., Bong., et Wid. supra, *vitiosa, et farrea*; Bonon., *vitiosa farrea*. Utraque hæc lectio repugnat legibus non tam grammatices, ut aliquis dixit, quam poetices; illis certe quas in hoc metro Prudentius servat. Heinsius olim suspicatus est *otiosa, et farrea*. Nihil est causæ cur lectionem communiter receptam deseramus. Egm., *dolosa*; ad oram, *vitiosa*.

Det ventilabro lecta quæque ut horreis,
Urat recrementum focis.
A Refert sed ipsa nosse, quæ messem necant,
Zizaniorum semina.

GLOSSÆ VETERES.

55. Refert, *prodest, vel opus est*, I.

COMMENTARIUS.

53. Prag., *dat* pro *det.* Vatic. B, *de*, sed correctum *det*. Pro *ut horreis* Vat. A, a secunda manu, *et horreis.*

55. Egm., Palat. et Vat. A, *negant*, minus bene; Vat. Q, male, *secant* pro *necant*, ut paulo ante *internecet*. Vat. A, *defert* pro *refert*, mendose.

APOTHEOSIS.

402 Plurima sunt, sed pauca loquar, ne dira relatu
Dogmata catholicam maculent male prodita linguam.
403 Ille Patrem pellens solio detrudit in arctum
Corporis humani gestamen, nec pavet ipsum
Objectare neci, duroque affigere ligno.
Passibilisne Deus? cujus species, et imago
Nulli visa unquam; nec enim comprendier illa
Majestas facilis sensuve, oculisve, manuve.
B Joannis magni celebris sententia præsto est,

GLOSSÆ VETERES.

1. Dira relatu, *aspera dictu*, Iso.
2. Prodita, *prolata*, Iso.
3. Ille, *Sabellius, inde Sabelliani, et ab errore Patripassiani, quia Patrem passum affirmant*, Vat. A.
8. Facilis, *est*, I.
9. Celebris, *gloriosa vel famosa*, I.

COMMENTARIUS.

Plerique editi et mss. titulum primum ponunt *Contra hæresin, quæ Patrem passum affirmat.* Put., *dicit* pro *affirmat*. Aldus, *hæresem*, et in secundis curis *Contra hæreticos, qui Patrem passum affirmant.* Existimo, hujusmodi lemmata non esse ab auctore ascripta: quæ desunt in Vat. Q, et aliis. Gis. 2 edit. ea prætermisit, et hoc loco ad oram annotavit *Patripassiani.* In codice Florentino proleg. cap. 4, num. 87, nulla est capitum divisio, nisi post vers. 952: *Explicit Apotheosis contra omnes hæreses. Incipit contra Manichæos.* Inscriptio carminis est *Apotheosis*, hoc est, *deificatio hominis*: nam ethnici *apotheosin* vocabant, cum hominem aliquem inter deos referebant. Impugnat igitur poeta hæreticos errantes in Jesu Christi apotheosi explicanda. Primo capite, a vers. 1 ad vers. 177, refellit Patripassianos, qui, unam tantum in Deo personam agnoscentes, Patrem passum affirmabant. Secundo capite, a vers. 178 ad vers. 320 contra Sabellium et Unionitas disputat, eos scilicet hæreticos, qui cum Patripassianis quidem consentiebant in neganda personarum trinitate, sed ab eis dissentiebant, quod non defenderent, *Patrem esse passum.* Itaque Prudentius hoc loco potissimum demonstrat, Filium distinctam personam esse a Patre, ut colligat, Filium esse incarnatum, et Christum cum Patre esse Deum. Tertio capite Judæos, qui Christum non agnoscunt, coarguit a vers. 321 ad vers. 551. Quarto capite Christianos Judaizantes, sive Homuncionitas, refutat, qui Christum hominem tantum esse dicebant, a vers. 552 ad vers. 781. Quinto capite, a vers. 782 ad vers. 952, diversum errorem evertit, quod anima sit particula Dei. Sexto capite, a vers. 953 ad vers. 1062, Manichæos et Phantasmaticos oppugnat, quod negarent Christum verum corpus habuisse. Et cum hujus disputationis gratia de morte et resurrectione Christi disserat, in epilogo a vers. 1063 ad finem, exemplo Christi resurrectionem carnis humanæ probat. De hæreticis, qui hujusmodi errores amplexi sunt, non omnes uno modo loquuntur. Neque mirum: notum enim est hæreticorum ingenium et consuetudo variandi dogmata. Hinc accidit, ut Sabellio hæresis Patripassianorum tribuatur, quæ ejus tamen non fuit, sed Sabellianorum; qui trinitatem personarum cum Sabellio negabant, sed agnoscebant unionem hypostaticam, quam negabat Sabellius. Vide Petavium, lib. I de Incarnatione. Nestorius, apud Cyrillum, lib. II contra Nest., catholicis objiciebat, quod docerent, naturam humanam *ad apotheosin* esse perductam, quasi crederent naturam ipsam humanam in Deum esse conversam. Verum catholici nihil aliud hoc verbo significabant, nisi evectionem naturæ humanæ ad conjunctionem cum Verbo. Contra catholici negabant *apotheosin* in sensu Nestorii, quod homo jam constitutus, suis meritis in Dei statum et majestatem evectus fuerit. Prudentius catholicum sensum *apotheoseos* hoc carmine explicat, et tuetur.

1. Bonon. et Vat. Q, a prima manu, minus bene,
C *loquor*. Vat. B, male, *ni* pro *ne*.

2. Egm., mendose, *male perdita.*

3. Egm., *illa*, sc. hæresis; cæteri *ille*, Patripassianus hæreticus. Carmen hoc connexum est cum prologo: itaque *plurima sunt* refertur ad *zizaniorum semina, ille* ad *hostis, fur*, cujus mentio in prologo incidit.

7. In Vat. A, desideratur *illa.* Arnobius lib. I, pag. 10: *O maxime, o summe rerum invisibilium procreator! O ipse invise, et nullis unquam comprehense naturis.* Minutius Felix: *Hic non videri potest, visu clarior: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus, et soli sibi tantus, quantus est, notus.* Non est tamen neganda communicatio idiomatum, quam tradunt et exponunt theologi. *Deus est mortalis, est passibilis*, per communicationem idiomatum dici potest, non quod Divinitas pati aut mori possit, sed quia Christus, homo et Deus, passibilis et mortalis erat. Poeta hic loquitur de divinitate, sive de essentia divina, quæ in se ipsa sensu,
D oculis, manuve comprehendi non potest. Vis argumenti in eo sita est, quod Deitas non est passa, adeoque Pater passus non est, siquidem ex sacris Litteris constat Filium, non Patrem, naturam hominis assumpsisse. Illa certa regula est, per se ac natura sua, non minus Filium quam Patrem et Spiritum sanctum esse impassibilem et invisibilem. Ruffinus in Enarratione symboli apostolorum testatur, apud suos addi *invisibilem et impassibilem* ad articulum *Deum Patrem omnipotentem*, ut excluderetur hæresis Patripassiana. *Constat enim*, ait, *Filium non Patrem incarnatum... Quantum autem spectat ad illam Deitatis immortalem substantiam, quæ una ei, eademque cum Patre est; ibi neque Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus visibilis aut passibilis creditur.*

8. Christianis scriptoribus *majestatem* idem esse aliquando ac divinitatem, notatum est a Barthio lib. X Advers., cap. 5, ex Prudentio aliisque.

9. Joan. I, 18: *Deum nemo vidit unquam;* et VI, 46: *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a*

Haud unquam testata Deum potuisse videri.
Ille Pater, quem nulla acies violenta tuendo
Eminus ardentis penetravit acumine visus :
404 Qui se forma hominis non induit, et deitatis
Immensum assumpto non temperat ore, modo.
Aut evangelici pietas spernenda libelli
Jam, blaspheme, tibi est, aut nunquam visa beati
Vis intacta Patris, non admiscenda caducis.
Sed tamen et Patris est specimen, quod cernere fas sit,
Humanis aliquando oculis concurrere promptum :
Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco,
Humentique acie potuit nebulosus adire.
Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
405 Infusum vidit natum : nam Filius hoc est,
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum
Per species, quas posset homo comprendere visu.
Nam mera majestas est infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo nisi se moderamine formet.
Hoc vidit princeps generosi seminis Abram,
Jam tunc dignati terras invisere Christi
Hospes homo, in triplicem numen radiasse figuram.

GLOSSÆ VETERES.

11. Pater, *est*, I. — Violenta, *pro violenter, id est fortiter*, Mar.
12. Eminus, *longe, vel e contra*, I.
14. Immensum, *immensitatem.* — Ore, *facie*, I.
16. Visa, *cognita est*, I.
17. Non admiscenda, *spernenda est* (forte, *separanda*), I.
18. Et, *pro etiam*, I. — Specimen, *Filius.* — Cernere, *ob incarnationem*, Vat. A.
19. Oculis, *scilicet quid sit*, Iso.
20. Hebes, *stultus, vel retunsus.* — Glauco, *viridi*, I.
21. Humentique, *humida.* — Adire, *scilicet tamen*, I.
22. Ab ipso, *Patre*, I.
26. Mera, *pura, vel sincera, id est divinitas.* — Majestas, *Patris*, I.
28. Abram, *ubi tres suscepit, et velut uni loquebatur*, Iso.

COMMENTARIUS.

Deo, hic vidit Patrem. Vide hymnum 6 Cath., vers. 2, et hymn. S. Romani, vers. 312. Plurimi SS. Patres docent, in Antiquo præsertim Testamento solum Filium se hominibus conspiciendum præbuisse, qui *angelus* interdum vocatur, quod a Patre *mitteretur.* In ea sunt sententia Justinus, Origenes, Tertullianus, Irenæus, Patres, qui ex Antiochena synodo epistolam synodicam ad Paulum Samosatenum scripserunt, Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Hilarius, Ambrosius, Leo papa, Isidorus. Itaque falsum est, cæteris post S. Augustinum Patribus magis arrisisse, omnes Veteris Testamenti apparitiones per angelos esse factas, quod nuper aliquis affirmavit. Alii existimant, non solum Filium apparitiones illas omnes obiisse, sed Patrem etiam, alias solum, alias cum Filio et Spiritu sancto, nonnunquam vero solos angelos. Quam opinionem S. Augustinus præ cæteris corroborat lib. II de Trinit.

13. Heinsius ex suis mss., et Fabr., *Qui se forma hominis non induit.* Aldus et Weitzius, *Qui se formam hominis non induit ;* nullam lectionem ab hac dissidentem Mariettus annotavit. Utrolibet modo idem est sensus. Infra, vers. 436, *Deus se corpore matris induit.* Sed tunc metrum id postulabat. Alex. cum Aldo facit. De verbo *Deitatis* S. Augustinus lib. VII de Civit. Dei, cap. 1 : *Hanc divinitatem, vel, ut sic dixerim,* DEITATEM : *nam et hoc verbo uti jam nostros non piget, ut e Græco expressius transferant, quod illi θεότητα appellant.* Utitur etiam S. Hieronymus.

16. *Blasphemus, blasphemo, blasphemia,* voces sunt a solis scriptoribus ecclesiasticis usitatæ, ut a Tertulliano, Hieronymo, Orosio.

18. In Vat. A et uno Torrent. abest *est* post *Patris.* Egm. et Pal., *et specimen* pro *est specimen.* In Thuan. et Boher. priori, *Sed Patris tamen est specimen.* Egm., *fas est* pro *fas sit.* In Thuan., *Sed Patris tamen est specimen, quod cernere fas sit.*

19. Vat. A, *promptum est.*

20. Egm. et Pal., *clauso*, male, pro *glauco. Speculum* pro *pupula* posuit vers. 869. Hamart., *et speculatrix pupula*, ibid., vers. 308. A Græca voce γλαύξ, *ulula, noctua*, est *glaucus, glaucoma.* Celsus vocat *suffusionem.*

22. Noms., *memoratus*, minus bene.

25. Ald., Alex., Urb., Vat. Q et vetusti omnes Heinsii, *Per species, quas possit homo.* Vat. A et Egm., *quam.* Cellarius saltem in ed. 2, *Par species, quas possit.* Fortasse legendum erit *Par species, quam possit homo comprendere visu.* Melius tamen *per species, quas posset,* sive *possit.* Hoc enim discrimen exigui momenti est. Vatt. A, B et Mar., *posset.*

26. Majestas *mera* est, quæ nullam formam induit a sua natura distinctam. Scholastici dicerent *majestas nude sumpta.* Hymno S. Fructuosi, vers. 91, *calce mera* pro *pede nudo. Mera virtus* lib. II, contra Sym., vers. 744. Gifanius allucinatur, dum contendit Ind. Lucret., verbo MERUS, hanc vocem a linguæ Latinæ auctoribus tantum poni pro *vero, præstanti, non ficto, non simulato, pro insigni, et vehementi.* Vel ex his solis Prudentii locis refellitur. Vide alia quæ Becmanus de Orig. ling. Lat. adversus eum protulit. In eodem argumento Prudentius persistit. Natura divina conspici non potest oculis corporeis, nisi forma aliqua assumpta. Constat autem, Deum naturam hominis assumpsisse non in unitate naturæ, sed in singularitate personæ Verbi.

27. Aldus, *aliquos* pro *aliquo.* Sensus quidem idoneus subesse potest. Sed codd. habent *aliquo.* Heinsius in suis reperit *ni se*, quod tenent Ald., Bong., Vat. Q et Vulg. In nostris, Weitz., Gis., *nisi se.*

28. Adducit exempla ex sacra pagina, quibus Deus apparuisse dicitur, quæ omnia de Filio Dei exponit. Vide Genes. XVIII, 1 et seq. Dominum, quem Abraham alloquitur, vocat Christum per prolepsin, ut alibi, hoc est Verbum. Apparuerunt Abrahamo tres viri stantes, ut personarum Trinitas significaretur. *Triplex figura* sunt tres viri. In carmine in Genesin, cujus auctorem non esse Juvencum, ostendi in prolegom. versu 556 : *Dumque Deum trina positum sub imagine pascit.*

29. Arnobius, lib. I, pag. 1, queri gentiles ait, ipsos etiam cœlites, derelictis curis solemnibus, quibus quondam solebant *invisere res nostras*, terrarum a regionibus exterminatos.

Hoc colluctantis tractarunt brachia Jacob. A
Ipse dator legis divinæ accedere coram
406 Jussus, amicitiæ collato qui stetit ore
Cominus, et sacris conjunxit verba loquelis,
Carnis in effigie Christum se cernere sensit.
Sed majora petens, animum per vota tetendit
Inconcessa homini, plus quam mortale laborans
Ipsum, quantus erat, sine corpore visere Christum.
Denique post multi sermonis mutua, postque
Conspectum præsentis heri, et consortia longa,
Quæso, ait, ut liceat te nunc, Deus optime, nosse.
Respondit Dominus: Mea, non me, cernere justis
Posteriora dabo; quid apertius, absque aliena,
Quam sumat, facie, Verbum non posse videri,
Posse tamen, cum malit idem, nunquam Patre viso, B
Terrenis oculis, habitu se ostendere nostro?
Sæpe et in angelicas, vel mortales memoratum est
Induci species, queat ut sub imagine cerni.
Hoc Verbum est, quod vibratum Patris ore benigno
407 Sumpsit virgineo fragilem de corpore formam.
Inde figura hominis nondum sub carne, Moysi
Objecta, effigiem nostri signaverat oris,
Quod quandoque Deus Verbi virtute coactum
Sumpturus corpus, faciem referebat eamdem.
Sed tamen et sentam visa est excita cremare
Flamma rubum. Deus in spinis volitabat acutis,
Vulnificasque comas innoxius ignis agebat,
408 Essèt ut exemplo Deus illapsurus in artus

GLOSSÆ VETERES.

31. Tractarunt, *tetigerunt*, *vel palpaverunt*. — Jacob, *ubi colluctabatur cum angelo*, Iso.
32. Coram, *palam*, *vel prope*, I.
33. Collato qui stetit, *facie ad faciem locutus est*, I.
34. Cominus, *juxta*, I.
37. Plus quam, *scilicet debuisset*, I.
39. Mutua, *alternas collocutiones*, I.
40. Heri, *Dei*, I.
43. Posteriora, *Filium*, *sicut inquit ipse*, *quia major me est*, *carnem*. — Apertius, *huic rei*, I.
44. Verbum, *Filium*, I.
45. Idem, *Filius*, I.
46. Habitu, *in habitu*, I.
49. Vibratum, *emissum*, I.
50. Fragilem, *mortalem*, Iso.
51. Inde, *scilicet quod emicuit*, I.
52. Oris, *faciei*, I.
53. Coactum, *coagulatum*, I.
54. Referebat, *figurabat*, *simulabat*, I.
55. Sentam, *sentosam*. — Excita, *commota*, *excitata*, I.
57. Vulnificas, *vulnera facientes*. — Agebat, *circumdabat*, *tangebat*, *leniter tangebat*, I. — Comas, *rubi*. Vat. A.
58. Exemplo, *exemplum*. — Deus, *sc. quod erat*, I.

COMMENTARIUS.

31. De Jacob cum Domino luctante vide hymn. 2 Cath., vers. 73. Fuisse Filium, sive secundam Trinitatis personam plurimi tradunt.

32. Moyses Israelitis legem dedit a Domino traditam. Hunc locum attigi hymn. 7 Cath., vers. 40.

35. Put., *in effigiem*.

36. Prag., mendose, *potens* pro *petens*.

38. Ait Prudentius, desiderasse Moysem videre secundam Trinitatis personam sine forma ulla corporea, quod votum inconcessum homini recte asserit. Consule theologos disputantes, utrum Deus oculis corporeis cerni possit.

39. Bonon., *munia*; melius *mutua*.

43. *Posteriora* incarnationem intelligunt esse Hieronymus, Damascenus, Bernardus, alii. Iso videtur respexisse ad *prioritatem* et *posterioritatem originis*, quam explicant theologi, inter Patrem, et Filium. Alii referunt *posteriora* ad corpus lucidum, quo Deus apparuerit. Ald., male, *quod apertius*. Interrogatio continuatur ad vers. 46.

47. Giselinus, *et mortales*. Ald., Put., Rott., Cauchianus, Vat. A pro diversa scriptura, *moderatum*, cum glossa *temporatum illud Verbum*. Sallustius, et alii dixerunt *modero, as*; et Prudentius eadem significatione passiva *moderamen* non semel posuit. Vat. A a prima manu, Vat. B, Oxon., *memoratum*; Rat., Mar., Weitz., Prag., *memoratum est*. In Thuan. et Noms., *moderatum est*. Ita Vat. Q.

49. Vide hymnum 11 Cath., vers. 17.

53. Nempe Spiritus sancti virtute, ait Chamillardus exponens illa verba *Verbi virtute*. Non assentior. Solum Filium esse Verbum notionale Patris theologi asserunt, et S. Basilium laxiori sensu locutum aiunt, cum dixit lib. v contra Eunomium: *Dei quidem Verbum est Filius. Verbum autem Filii Spiritus*. Prudentius neque ipse vocat Verbum Spiritum sanctum, neque opus est, ut ita a nobis explicetur. Ait ergo, corpus coactum virtute Verbi, hoc est, Filii, sive secundæ personæ. Vide quæ notavi ad loc. cit. hymni 11. Infra, vers. 114: *Verbum conspicuum misit, missumque recepit, Cum voluit, Verbo præstrinxit viscera puræ Virginis, et Verbo struxit puerilia membra*. Omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod C factum est. Itaque per Verbum etiam factum est ut corpus, quod Deus erat assumpturus, fuerit coactum.

54. Sich., Bong., et Weit. ab alia manu ex glossa, *simulabat* pro *referebat*. Barthius lib. XLI, cap. 24, observat, poetas Christianos varie temporum modos transposuisse; ut Prudentius *faciem referebat eamdem*, hoc est, *relaturus sit*. At vero *referebat* potest et debet intelligi de tempore quo Deus se Moysi inspiciendum præstitit, non de tempore quo sumpturus erat corpus. Scilicet, *Deus*, *qui quandoque sumpturus erat corpus*, *faciem eamdem referebat*, *seu simulabat*, *cum Moysi apparuit*.

55. Vetustiores Heinsiani et nostri, Weit., *sentam*, sc. *sentam rubum*. Ald., Gis. et Vulg., *sentum*. Bonon., *sentem*, mendose. Fabricius putavit, esse syncopen *sentum* pro *sentium*. Sed poeta paulo post ait *contorta rubus*, et *sentum peccamen*. In hymno S. Eulaliæ, vers. 47, *Per loca senta situ*, et II in Sym., vers. 1039, *Extirpamus enim sentos de pectore vepres*, ubi alia D addit rei præsenti congruentia. Chamillardo visus est Prudentius non satis duo distinguere, quod in monte Sinai Deus Moysi legem dederit, et in monte Oreb ipsi apparuerit in rubo. Ego vel maxime hæc duo distinxisse poetam confirmo, quamvis temporis ordinem non servaverit. Hactenus de visione in monte Sinai locutus est, qua *figura hominis*, *nondum sub carne Moysi objecta*, *effigiem nostri signaverat oris*. Nunc progreditur ad visionem in figura ignis, rubum comburentis: *Sed tamen et sentam*, usque ad vers. 70. Vide Exod. III.

57. Bonon., *alebat* non omnino male, pro *agebat*. Vide Sedulium, lib. I: *Ignibus innocuis flagrans apparuit olim Non ardens ardere rubus*, etc. Prudentius in rubo ardenti ignem Verbum interpretatur, spinas humanitatem.

Spiniferos, sudibus quos texunt crimina densis, A
Et peccata malis hirsuta doloribus implent.
Inculto nam stirpe frutex vitiosus iniquis
Luxuriam virgis inhonesto effundere succo
Cœperat, et nodos per acumina crebra ligabat.
Cernere erat, steriles subito splendescere frondes,
Accensisque citum foliis magno impete late
Collucere Deum, nec spinea lædere texta,
Lambere sanguineos fructus, et poma cruenta,
Stringere mortiferi vitalia germina ligni.
Quandoquidem tristes purgantur sanguine culpæ,
Quem contorta rubus densis cruciatibus edit.
Ergo nihil visum, nisi quod sub carne videndum,
409 Lumen, imago Dei, Verbum Deus, et Deus ignis, B
Qui sentum nostri peccamen corporis implet.
Nam lucis genitor, Verbi sator, auctor et ignis
Creditur extra oculos, ut apostolus edocet auctor,
Qui negat, intuitu fontem deitatis adiri.
Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo.
Visibilis de fonte Deus, non ipse Deus fons
Visibilis, cerni potis est, qui nascitur : at non
Innatus cerni potis est; latet os Patris illud,
Unde Deus : qui visibilem se præstitit olim,
Tale aliquid formans in sese, quale secuta est
410 Passio, quæ corpus sibi vindicat : ardua nam vis
Est impassibilis : quoniam natura superni
Ignis ad horrificas nescit descendere pœnas,
Nec capit humanis angoribus excruciari :
Pura, serena, micans, liquido prælibera motu,

GLOSSÆ VETERES.

59. Texunt, *insimulatione*, Iso.
61. Inculto, *agresti*.—Iniquis, *non æquis, nequis*, I.
62. Luxuriam, *abundantiam*, I.
65. Impete, *pro impetu*. — Late, *ubique*, I.
67. Cruenta, *rubicunda*. I. *rubra*, Vat. A.
68. Stringere, *decerpere*, Iso, Mar.
69. Quandoquidem, *quoniam*.— Sanguine, *Christi*, Iso.
70. Contorta rubus, *Maria, passio Christi*.—Edit., *gignit, protulit, parit*, I. —Rubus, *passio Christi*, Vat. A. — *Christi corpus*, Mar.
73. Sentum, *sentosum*, I.
75. Extra oculos, *invisibilis*, I.
76. Fontem, *Patrem*, I.
77. Deum, *scilicet Patrem*, I.
78. Visibilis, *scilicet est*. — Fonte, *Patre*. — Deus, *Filius*. — Fons, *qui est fons*, I.
79. Visibilis, *Pater*. — Qui nascitur, *Filius, in quo est Pater*, I. — Potis est, *cerni possibilis*, Vat. A.
83. Vindicat, *usurpat*, I.
86. Capit, *potest. Nec valet, nec vult*. — Angoribus, *angustiis, anxietatibus*, I.
87. Liquido, *puro*, I.

COMMENTARIUS.

59. Lact. lib. VI, cap. 15 : *Nam sicut in sentes ager, qui est natura fecundus, exuberat : sic animus incultus, vitiis sua sponte invalescentibus, velut spinis obducitur.* Alcimus Avitus, lib. V : *Et rubus in rubeo viridis permanserat æstu, Quo signo spinas nostræ fervescere mentis.... pia pectora nossent.*

61. Prag., *inculta*. Ald., Weitz., Gis., vetustiores C Heinsiani et nostri, *inculto nam stirpe*.

62. Vetustiores, *luxuriam*, non *luxuriem*, quod habet Giselinus. Ald., *jurgis* mendum puto pro *virgis*. In Vat. A dignosci satis non potuit *jurgis*, an *virgis* esset.

63. Vat. A, *et nudos*, perperam.

65. Ald., *circum foliis*, contra metrum.

67. *Lambendi* verbo usus quoque est Sedulius loc. cit., et antea Virgilius lib. II Æneid., vers. 683, *tactuque innoxia molli Lambere flamma comas.*

68. Vat. A mendum *ostiferi* a prima manu.

71. Colligit, etiam in rubo nihil visum, nisi Verbum Deum : nam Verbum idem, quod *sentum nostri peccamen corporis implet*, repræsentabatur in igne innoxio, qui *in spinis volitabat acutis*. Implere sentum peccamen corporis est Deum assumere corpus in similitudinem peccati.

72. Filius dicitur imago Dei cap. I ad Coloss. vers. 15 : *Qui est imago Dei invisibilis*. Theologi ostendunt Filium esse imaginem Patris vel ex hoc loco D Apostoli : nam *Deus invisibilis* ibidem intelligitur Pater, ut ex SS. Patribus constat. Imo Filius solius Patris est imago : non enim ratio imaginis consistere potest sine vera processione, et Filius a Patre procedit, non a natura divina. Vat. A. legit *numen* pro *lumen* : hoc longe melius est.

74. Non placet glossa Vat. A : IGNIS, *Spiritus sancti*. Sermo hic tantum est de Verbo, quod est *Deus ignis*, ut paulo ante. Fabricius unum verbum facit *Verbisator*, et ait, epitheton Dei Patris esse, ut *Verbigena*. Sed hoc loco ratio metri postulat *Verbi sator*.

75. *Apostolum* aiunt esse Joannem evangelistam, cujus sententia laudata est supra vers. 9. Potest etiam intelligi Paulus apostolus, qui Patrem invisibilem vocat, ut exposui vers. 72. Est autem Pater fons deitatis, quatenus communicat deitatem : quo sensu frequens esse apud Patres vocare Patrem fontem deitatis et divinitatis, ex S. Dionysii aliorumque operibus demonstrat Suarezius lib. VIII de Trinitate, cap. 3. Minime vero Pater est fons deitatis, quasi eam producat.

78. Ald., Bong., et quatuor Heinsiani præstantioris notæ, *Dei fons*. Gis., Weitz., Vatt. A et B, Rat., *Deus fons*. In Mar. videtur esse *Deus*, licet sit aliqua litura. Utroque modo sensus constat. In editione glossarum Isonis Coloniæ 1701, trajectæ sunt glossæ, et falsa sententia irrepsit, scilicet : DE FONTE, *de Patre*; DEUS FONS, *Filius, qui est fons*. In Aldo quoque male hæc distincta sunt *non ipse Dei fons Visibilis cerni potis est, qui nascitur*.

79. In Bonon. scriptum est *poterit* pro *potis est*, ab aliquo sciolo invectum, tum hoc in loco, tum in aliis.

80. *Innatus* pro *non natus* Tertullianus. Pro *intus natus* Cicero, et alii. In Alex. deest unus versus, et ita alii leguntur : *Visibilis cerni potis est : latet os Patris illud, Unde Deus.*

83. In Thuan., *quem corpus sibi vindicat*, nempe *quem Deum*.

86. *Nec capit* idem est ac *non potest*, sive, ut alibi loquitur Prudentius, *incapax est*. Hieronymus et Paulinus etiam vocabulo *incapax* utuntur. Fabricius advertit, hunc versum esse ex his qui dicuntur fistulares, quod syllabarum numerus cum singulis verbis crescat.

87. Natura divina dicitur *prælibera liquido motu* ea significatione, qua interdum poeta noster *liquidum* usurpat, videlicet *puro spirituali motu*. Vide proleg. num. 164. Chamillardus arbitratur, poetam allusisse ad Deum volitantem in rubo, et nescio quæ alia addit, quod *Deo vitia carnis non nocent, licet sit in medio sanguinis, qui liquidus est, et movetur*. Hæc a mente poetæ longe aliena esse mihi videntur.

A Subdita nec cuiquam, dominatrix ut pote rerum:
Cui non principium de tempore, sed super omne
Tempus, et ante diem majestas cum Patre summo,
Imo animus Patris, et ratio, et via consiliorum.
Quæ non facta manu, nec voce creata jubentis,
Protulit imperium, patrio ructata profundo.
Hanc igitur non flagra secant, non sputa salivis
411 Aspergunt, alapis non vexat palma relisis;
Nec perfossa cruci clavorum vulnera figunt.
His affecta caro est hominis, quem femina prægnans
Enixa est sub lege uteri, sine lege mariti.
Ille famem patitur, fel potat, et haurit acetum;
Ille pavet mortis faciem, tremit ille dolorem.
B Dicite, sacrilegi doctores, qui Patre summo
Desertum jacuisse thronum contenditis illo
Tempore, quo fragiles Deus est illapsus in artus;
Ergo Pater passus? quid non malus audeat error?
Ille puellari conceptus sanguine crevit?
Ipse verecundæ distendit virginis alvum?
Et jam falsiloqua est divini pagina libri,
Quæ Verbum in carnis loquitur fluxisse figuram?
At non, qui Verbi Pater est, caro factus habetur.
Fige gradum, Scriptura, tuum, nil mobile et anceps
Affirmasse decet. Pater est, quem cernere nulli
Est licitum: Pater est, qui nunquam visus in orbe est,
412 Nec mundana inter radiavit lumina coram.
Verbum conspicuum misit, missumque recepit,
Cum voluit: Verbo præstrinxit viscera puræ
Virginis, et Verbo struxit puerilia membra.
Ipse quidem in terris virtute, et numine præsens
Semper adest quocunque loci, nec pars vacat ulla
Majestate Patris, nusquam est Genitor Deus absens:
Per Verbum sed semper adest, atque inde Philippo
Christus ait: Tanto tecum jam tempore versor,
Et Patrem te nosse negas, quem perspicis in me?
Est invisibilis donum Patris edere natum

GLOSSÆ VETERES.

90. Majestas, *Filii fuit*, I. *Christi divinitas*, Vat. A.
91. Animus, *ipse Filius est*, Iso.
93. Patrio profundo, *ex intima Patris substantia*, Mar.
94. Flagra, *flagella*, I.
97. Affecta, *afflicta*, Iso.
98. Enixa est, *parturit*, I.
106. Distendit, *intumescere fecit*, I.
107. Falsiloqua, *falsiloquens*, I.
109. At non, *scilicet ipse*. — Verbi, *Filii*, I.
110. Fige, *confirma*, I.
111. Cernere, *scilicet manifeste*, Iso.
113. Coram, *præsentialiter*, I. *Corporaliter*, Vat. A.
114. Recepit, *post ascensionem*, Vat. A.
115. Præstrinxit, *præoccupavit*, I. *Implevit*, Mar.
116. Struxit, *ornavit*, I.
118. Quocunque, *in omni loco*, I. *Ubicunque in omni loco*, Mar.
120. Per Verbum, *per Filium innotuit mundo*, I.
123. Donum, *officium*, I.

COMMENTARIUS.

C **89.** Æternitas, divinitas, et eadem natura Verbi cum Patre clarioribus verbis exprimi nequit.

91. Alex., Put., Thuan. et duo Torrentiani *ratio*, *via* sine *et*. Filium consiliarium vocat Isaias cap. IX: SS. Patres, et theologi mentem, animum, rationem Patris.

93. Cellarius in indice verborum duas metaphoras *indecoras* notat, alteram hanc *patrio ructata profundo*, alteram vers. 595, *evomuit*, etc. Dicam suo loco de secunda. Prima metaphora *indecora* dici non debet, quandoquidem Prudentius psalmi LXIV, 1, verba in suam sententiam accommodavit: *Eructavit cor meum verbum bonum*: quæ de æterna Verbi generatione interpretantur SS. Patres. Ambrosius lib. IV de Virg., cap. 1: *Ipse est quem Pater genuit ante Luciferum, ex utero generavit, ut Filium, ex corde eructavit, ut Verbum*. PATRIUM PROFUNDUM dixit, ut Zeno Veronensis sermone 1 de æterna generatione Filii, *profundum arcanum*. Vide not. hymn. 11, Cath., vers. 18 et seqq. usque ad 20. Quæ hic habet Prudentius, Theophilus D Antiochenus lib. II ad Autolycum uberius explanavit.

97. Ald., Weitz., Gis., Vat. B, *quam*. Mar., *quam*, sed supra *quem*. Vat. A et Pal., *quem*. Heinsius edidit *quem*, et nihilominus in notis id reprehendit in nonnullis editionibus. Mihi placet *quem* hoc maxime loco. Vide hymn. 3 Cath., vers. 142.

98. Put. scribit *enisa* pro *enixa*. Bonon. male, *viri* pro *uteri*.

100. Hinc comprobatur, narrationem orationis in horto esse vere evangelicam.

101. Ald. primum scripsit *quia*, correxit *qui a Patre*. Cæteri legunt *qui Patre*.

102. Sich. legit *Deum* pro *thronum*. Chamillardus ait vocem *thronus* non esse usitatam Latinis, quia solummodo exstat apud Plinium. Vel id solum Prudentium excusaret. Accedit, verbum id esse ecclesiasticum ex sacris Litteris petitum.

103. Vat. A, *fragilis*. Put., *illapsurus*, sed tunc amovendum esse verbum substantivum, monet Heinsius. Ego mendum puto *illapsurus* pro *illapsus*: et in Vat. A, *fragilis* esse pro *fragileis*, aut *fragiles*.

104. Avitus lib. V, *Quid non furor audeat amens?*

105. Heinsius cum suis potioribus, Ald., Vat. A, Pal., Widm. supra *ipse*. Weitz., Gis., Vat. B, Mar., Prag., Rat., *ille*. Teol. edidit *ipse*, et in fine versus admirationis notam apposuit.

112. In Vat. B deest verbum substantivum *est*: *visus in orbe*. S. Joan. VI, 46: *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem*.

115. Thuan. scribit *perstrinxit*.

117. Gisel. 1 edit. ad marginem, Sich. et Mariet. pro diversa scriptura *munere*. Cæteri *numine*.

118. Apud Heinsium Cauchius conjectabat *ubicunque*: ac revera ita habent apud Weitzium Egm. et Palat., necnon Vat. A, ubi ad oram discrepans lectio *quocunque*. In Rot. pro diversa scriptura *Semper adest, et ubique loci*, quod Heinsio placebat, neque mihi displicet. Sed *quocunque* habent plerique, et optimi mss. et vulg. Prudentianum est *quodcunque terrarum* in hymno S. Laurentii, vers. 431. In Mar. glossa est *ubicunque*, quæ in textum videtur irrepsisse. In Bonon. *una*, minus bene, pro *ulla*.

119. Ald. male distinguit *nusquam est genitor Deus absens Per Verbum, sed semper adest*.

121. Joan. XIV, 9.

123. *Innisibilis* mendum pro *invisibilis* in Fabr. Hanc vocem, quam Vossius rejecit, alii recte defendunt auctoritate Cornelii Celsi, Macrobii, Arnobii, Lactantii, et nostri poetæ.

Visibilem, per quem valeat Pater ipse videri : A
Nec solis sanctorum oculis, sed lumine cassis,
Cæcorum cæcos loquor : atra socordia quorum
Corde tenebroso verum perpendere nescit.
413 Quem si perspicuum mortalibus inficiaris,
Fare age, quem videat Babylonis ab arce tyrannus
Innocuas inter flammas procul expatiantem,
Calcantem rapidos inadustis fratribus ignes?
Nempe, ait, o proceres, tres vasta incendia anhelis
Accepere viros fornacibus : additus unus
Ecce vaporiferos ridens intersecat ignes.
Filius ille Dei est, fateorque et victus adoro.
Irrisas removete faces, tædasque tepentes B
Subtrahite, en friget succensi sulphuris ardor.
Filius, haud dubium est, agit hæc miracula rerum,
414 Quem video; Deus ipse, Dei certissima proles,
Imperat immensis ardoribus, et domat iras,
Insultans famulante rogo, piceosque furores
Comprimit, et rabiem flammarum algescere cogit.
Barbaricos calida aura sinus non tangere jussa
Præterit, et tenues stridens transcurrit amictus;
Ipse per Assyrias vetitus vapor ire tiaras,
Ne coma fusa humeris fumo obsordescat amaro.
Hæc ait, et varios jubet obmutescere cantus,
Organa, sambucas, citharas, calamosque, tubasque.

GLOSSÆ VETERES.

125. Lumine, *fide carentibus*, Iso.
126. Socordia, *stultitia, vel pigritia, quasi sopor cordis*, Iso.
128. Perspicuum, *manifestum fieri*. — Inficiaris, *negas*, I.
129. Tyrannus, *Nabuchodonosor*, Mar.
130. Expatiantem, *deambulantem*, I.
138. Filius, *Dei*. — Agit, *facit*, I.
141. Insultans, *deridens*. — Piceos, *Chaldaicos*, Iso.
143. Barbaricos, *alienos, id est Chaldaicos*. — Aura, *flamma*. — Jussa, *concessa*, I. — Barbaricos, *sarabanas, femoralia, quibus utebantur, cum inter barbaros versarentur*, Vat. A.
145. Vetitus, *scilicet est*. — Tiaras, *mitras*, I.
148. Calamos, *tibias*, Iso.

COMMENTARIUS.

124. Prag. error *visibilis* pro *visibilem*. Paulinus *visibiliter* usus est.

126. Prag., *cæcis* cum glossa *oculis*, idem *loquar* pro *loquor*. In *socordia o* corripitur. Si liceret, levi mutatione versus ad aliorum consuetudinem posset revocari : *Cæcorum cæcos loquar, et socordia quorum*.

127. Thuan., *verbum* pro *verum*, male.

128. Vat. B a prima manu *qui*, supra *si*. C

129. Bonon., *videant*. Aldus, *videar Babylonis ab arce tyranni*. Vera lectio, *quem videat Babylonis ab arce tyrannus*.

130. Vetustiores Heinsiani, Ald., Alex., Vat. A pro scriptura diversa, *expatiantem*. Urb., Weitz., Gisel., Vatt. B, Q, Mar., Prag., Rat., *inspatiantem*, quod non est æque Latinum. Gis. 1, edit., *expatiantem*.

131. *Fratres* vocat tres pueros in caminum ignis injectos ob eamdem religionem mutuumque inter se amorem. Ovidius usus est voce illa *inadustus*. Boldettus lib. I, cap. 39 tres pueros igne Babylonico probatos ex vitro antiquo expressit.

132. Vat. A et Put. scribunt *tris* pro *tres*, ut in vetustis Virgilii codicibus.

133. Vat. A mendum *accipere*.

135. Vide cap. III Danielis, ubi tota hujus facti series exponitur. Fuisse Filium Dei, qui sub angeli figura descendit in fornacem, et excussit flammam D ignis, colligit Prudentius ex verbis tyranni vers. 91 et 92 : *Tunc Nabuchodonosor obstupuit.... et respondit, et ait : Ecce ego video quatuor viros solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis Filio Dei*. In Urb., *fateor: quem evictus adoro*. Ald., Oxon., *fateor, quem victus adoro*. Sich., *fateorque, et victus adoro*, quod etiam habent Heinsiani, Gis. 1 edit., Vatt. A, Q, Mar., Alex., Rat., Weitzius. Nihil ergo fuit causæ, quamobrem Gis. in 2 edit. mutaret duriuscule *fateor quem, et victus adoro*. Weitzius ita legisse Aldum affirmat : fortasse dicere voluit Giselinum. Cum Giselino tamen facit Vat. B, *fateor quem, et victus*. Prag. non infeliciter *fateor, et victus adoro*, producto *o* in *fateor*.

137. *Subtrahite, friget*, Aldus, duo principes codd. Heinsiani. At Giselinus invexit *en* hoc pacto *subtrahite, en friget*, quod etiam reperitur in Torn. Prudentio solemne est vocalem brevem producere ob duas consonantes dictionis sequentis. Nihilominus *en* tenent Weitzius ex suis codd., Alex. supra, Vatt. A, B, Q, Prag., Urb., Rat., Mar., quos sequi præstat, quamvis dissentientibus Heinsio, Chamillardo, Cellario et Teolio, qui non bene affirmavit, codices omnes Vaticanos, uno excepto, habere *subtrahite, friget*.

138. Aldi error *ait* pro *agit*. An revera Verbum sub angeli figura in fornacem descenderit, disputant interpretes. Browerus in notis ad lib. V Fortunati ex plurium Patrum sententia, ac nominatim ex his versibus Prudentii, probat, hanc apparitionem in fornace attribui Verbo, idque confirmat, quia Ecclesia canit, *surrexisse Christum de sepulcro, qui liberavit tres pueros de camino ignis ardentis*. Et in Canone Theodori Studitæ de S. Cruce oda 7 dicitur : *Qui tres pueros a flammis eripuit, ille assumpta carne in terras advenit*.

143. Alex., *tangere visa*, minus bene. *Vestes barbaricas* pro pretiosis a poetis sumi advertit Chamillardus. Hic sinus barbarici sunt vestes sinuosæ, pallia, aut aliud vestis genus (variant enim interpretes de significatione vocis *sarabala* Dan. III, 95) quod barbarorum more factum fuerit, quoque tres illi pueri in captivitate Babylonica degentes fuerint induti. Cl. P. Simon de Magistris in suo Daniele refellit Grotium, quod Hieronymum et Vulgatam deseruerit, ut rabbinos sequeretur. Grotius *saraballa* (corrupte *sarabara* aut *saraba*) exponit *mantella*: lexicographi *tibialia apud Persas*. In laudato opere Danielis secundum LXX exhibetur Daniel, barbarico cultu exornatus in lacu leonum ex celebri Menologio Basilii Porphyrogeniti.

144. Prag., *percurrit amictus*.

145. Prag., *inde* pro *ipse*, aut *ire*. Ald., *Ipse per Assyrias metuit vapor ire tiaras* : sic Mar. pro diversa scriptura, et codd. Heinsiani; Gis. item ad marg., qui in textu habet, *Ire per Assyrias vetitus vapor ipse tiaras*. Weitz. cum Widm., Palat., Bong., nostri Vatt. A et B, Mar. a prima manu, *ipse per Assyrias vetitus vapor ire tiaras*. Sichardus, *Ire per Assyrias vetitus vapor ipse tiaras*. In Put. est *Assyrios tiaras* masculino genere, ut apud Virgilium, et Claudianum. Chamillardus *Assyrios* interpretatur Judæos, quia Europæi Assyriam cum Judæa confundebant. Malo accipere suo sensu pro *Babyloniis*, ut supra *barbaricos sinus*.

148. Chamillardus ex his quæ Isidorus scribit cap. 20, lib. II *de secunda divisione musicæ, quæ organica*

415 Stulta superstitio tacuit: vox festa quievit,
Quæ male conspicuæ celebrabat imaginis aurum.
Carmina sanctorum resonant jam sola virorum,
Concentu triplici regem laudantia cœli,
Qui mare, qui terras, qui lucida sidera fecit,
Ignibus et mediis securos texit alumnos.
Semper in auxilium sermo Patris omnipotentis
Descendit servando homini : mortalia semper
Admiscenda sibi proprio curavit amore,
Ut socianda caro, dominoque implenda perenni,
Degenerem vitam, quam tunc animalis agebat,
416 Exemplo mutaret heri, similesque per artus
Cernere consortem terreni assuesceret oris,
Participemque suum visu velut obside nosse,
Et consanguineo paulatim accodere Christo.
Ergo animalis homo quondam, nunc Spiritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
Infundendo Deum, mortalia vivificantem.
Nunc nova materies, solidata intercute flatu,
Materies sed nostra tamen, de virgine tracta,
Exuit antiquæ corrupta exordia vitæ,
Immortale bonum proprio spiramine sumens.
Filius ille hominis, sed Filius ille Tonantis,
Jam solus vultum Patris aspicit, et videt ipsum.
Nemo Patrem novit, nisi Filius, et cui monstrat
Filius, et nostri mediator, et Omnipotentis.
Denique concludam brevis ut compendia summæ,
417 Non Pater in carnem descendit, sed Patris arcem
Sumpta caro ascendit : natus per utrumque cucurrit.

GLOSSÆ VETERES.

149. Superstitic, *paganitas, vana reugio*. Festa. *inanis, festiva*, I.
150. Conspicuæ, *statuæ*, I.
151. Virorum, *scilicet sunt audita*, I.
152. Concentu, *cantu*, Iso.
156. Servando, *ad servandum hominem*, Iso.
159. Animalis, *pecorinus*. — Agebat, *duxit, ducebatur*, I.
160. Heri, *Dei*, I.
162. Obside, *ut visus obses, et testis fuisset ad videndum Deum*, I.
164. Animalis, *incredulus*, I.
165. Seminis, *deitatis*, I.
167. Materies, *Christi humanitas*. — Interoute flatu, *interiori spiritu*, Vat. A. — Intercute, *in cute manente, interiore; interiore spiritu*, I.
170. Spiramine, *Spiritu sancto*, Iso
171. Hominis, *Mariæ*, I.
175. Compendia, *scil. sint*. — Summæ, *numeri*, Iso.
177. Cucurrit, *descendit, et ascendit*, I. et Mar. — Contra Unionitas, *id est Sabellianos. Unionitæ sunt, qui dicebant unam substantiam, et unam personam;*

COMMENTARIUS.

dicitur, arguit apud antiquos organa fuisse eadem figura qua apud nos. *Organum*, ait Isidorus, *vocabulum est generale vasorum omnium musicorum. Hoc autem, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Ut autem organum dicatur, magis ea est vulgaris consuetudo*. Hic igitur vigebat usus saltem in Hispania, ubi nunc quoque organa maxime celebrantur. Et fortasse duplex erat genus organorum, hydraulicum et pneumaticum, ut dicam ad vers. 392. An autem in Gallia hæc consuetudo viguerit ante Pipini et Caroli Magni tempora, in dubium revocat cl. Hieronymus Tiraboschius tom. III Hist. lit. Ital., lib. III, cap. 1, num. 11 : qui in medium adducit verba anonymi monachi Engulismensis in Vita Caroli Magni : *Similiter erudierunt Romani cantores supradicti cantores Francorum in arte organandi*. Quibus ex verbis non satis constare ait, docuerintne Romani Francos artem conficiendi organa, an rationem eis utendi. Cl. Stephanus Arteaga in egregio suo opere de theatro Italico musico, tom. I, cap. 3, verbum *organandi* aliter explicat, et quamdam peculiarem musices rationem, et regulam eo loco significari ex idoneis auctoribus ostendit. Obiter dicam, non fuisse meum, ut Arteagæ opus, sæpe, et coram multis a me laudatum, pauculis verbis, quæ in hymnodia Hispanica de quibusdam nugis chronologicis exciderunt, et aliquis immerito in malam partem accepisse visus est, condemnarem.

150. *Aurum* intellige statuam auream, quam Nabuchodonosor rex fecit.

151. Mar., *resonantia* cum glossa *erant*. In Vat. B videtur idem fuisse, sed abrasum est: glossa addita ait *fiunt*, quod innuit legendum *resonantia*. Isonis glossa eodem pertinet. Cæteri habent *resonant jam*, quod clarius est.

152. Heinsius cum solo Put., *triplice concentu* pro *concentu triplici*, non male. Sed miror, ab Heinsio Apollinarem Sidonium laudatum, ut ostenderet, priorem in *triplex* produci posse. Quis id neget, aut quis nesciat, eam syllabam esse communem? Indicat Prudentius hymnum trium puerorum in fornace ignis *Benedicite*, etc.

159. Ald., Thuan., Cauch., Rat. a secunda manu, Mar., Egm., Widm., *quæ tunc*. Alii, *quam tunc*. Congruentem rationem Prudentius affert, cur Verbum, sermo Patris, semper apparuerit : ut scilicet caro, quam erat assumpturus, degenerem vitam mutaret, et *cernere consortem terreni assuesceret oris*.

160. Abest hic versus a Put. In Thuan., *fragilesque per artus*. Oxon., Rot., Noms., tres Torr., Pal., *similesque per actus*. Vide hymn. 4 Cath., vers. 77. Ald., Weitz., Gis. cum cæteris mss., *similesque per artus*. Vat. B pro diversa lectione, *actus*.

164. Potest accipi *Spiritus* pro tertia Trinitatis persona : sed nihil obest, quominus de secunda intelligatur, de qua hic potissimum agit. Vide supra vers. 53, et hymn. 11 Cathem., vers. 51. Petavius, tom. IV, part. 2, lib. II, cap. 9, his versibus confirmat theologicam hanc sententiam, quod non solum externa efficientia, sed interno quodam ac substantivo, ut antiqui loquuntur, illapsu Christus nobis justitia factus est per substantivam conjunctionem, applicationemque Spiritus sancti, tanquam formæ suo modo sanctificantis, quæ proprium munus est Christi incarnationis.

166. Vox ecclesiastica videtur *vivificare*. Usus ea est Minutius Felix. Tertullianus etiam *vivificatio*, et *vivificator*. Apud Ammianum *vivificus* legitur.

168. Cham., male, *tamen?* interrogans.

169. Vat. A, *corruptæ* a prima manu, mendum.

172. Ald., perperam, *solum* pro *solus*. Explicatio hujus vocis petitur ex sequentibus.

174. In Vat. A deest *et* post *mediator*, quod sensus postulat. Vide Matth. XI, 27.

175. In Vat. A erat *comprehendia*, sed factum *comprendia*, lege *compendia*.

Cede, profanator Christi, jam cede, Sabelli, A
Depositorque Patris, natique insane negator.
Nonne patrem violas, dum natum scire recusas?
Quandoquidem non est genitor, nisi filius exstet:
Nec vocitare patrem potis es, quem germine fraudas:
Sed fortasse velis patriæ pietatis honore
Despoliare Deum, contentus nomine nudo,
Quod Deus est, adimasque decus patris, et generis vim.
418 Ecquis in idolio recubans inter sacra mille,
Ridiculosque deos venerans sale, cespite, thure,
Non putat esse Deum summum, et super omnia solum?
Quamvis Saturnis, Junonibus, et Cythereis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras;
Attamen in cœlum quoties suspexit, in uno

GLOSSÆ VETERES.

Filium et Spiritum negabant, sed dicebant : Idem Deus, quando vult, Pater est; quando vult, Filius est: quando et Spiritus sanctus. Ariani dicebant, tres esse personas et tres substantias in Divinitate ; Sabelliani e contra unam personam, et unam substantiam. Fides autem catholica utriusque devitans errorem, unam Deitatis substantiam, et tres personas veraciter affirmat. B *Nam Ariani bene tres personas, male tres substantias; Sabelliani bene unam substantiam, male unam personam dicebant*, I.

178. Profanator, *blasphemator, contemptor profanus dicitur, quod porro a fano, id est a templo Dei, hoc est irreligiosus.* — Cede, *discede*, I.

179. Depositor, *negator*, I.

180. Violas, *negas.* — Natum, *Filium*, Iso.

181. Quandoquidem, *quoniam ille.* — Genitor, *pater*, I.

183. Patriæ, *paternæ, quod patris est*, I.

184. Nomine, *scilicet procreationis*, Iso.

185. Generis vim, *filii vigorem*, I.

186. Idolio, *paganitate, in loco idolorum*, Mar. — Idolio, *in sacrilegio, in loco idolorum, pro eo quis homo idolothitum est immolatum. Idolium vero est templum idoli.* — Recubans, *scilicet, quavis*, I.

187. Cespite, *cespes est terra avulsa cum herba, unde faciebant altaria*, I.

189. Saturnis, *pro omnibus diis posuit.*— Citheræis. *Citheræa, Venus*, I.

190. Portentisque, *idolis*, I.

COMMENTARIUS

178. Alex. titulus est ante hunc versum *Contra Unionitas.* Ita Weitz. et Vat. A. In Vat. B et Mar., *Contra Unionitas Sabellianos.* In Rat., *Contra Sabellianos.* In Ald. et Gis. 1 edit., *Contra Unionitas, id est Sabellianos.* Gis. 2 ed. ad oram *Unionitæ.* Confer Browerum pag. 223 ad Fortunatum, ubi argumenta Prudentii contra Unionitas cum laude *doctissimi Christianorum poetarum* commendat. Hujusmodi lemmata *Contra Unionitas*, et similia non ab auctore esse apposita, sed ab aliis addita, dicam etiam in Psycho- C machia. Petrus Coustant in Vindiciis mss. codd. non bene affirmat pag. 274, Sabellianos a Prudentio hoc oco vocari *Unionitas.* Prudentius deinceps pergit exponere, Patrem et Filium in Trinitate non esse duo nuda nomina, sed personas vere distinctas: nam Patripassiani ea ratione Patrem passum affirmabant, quod Pater a Filio non esset distinctus. *Unionitæ* hi hæretici nuncupantur, quia unam tantum personam in Patre, Filio et Spiritu sancto astruebant. In Urb. *Nam cede* legitur. Exscriptores veteres sæpe *jam* in *nam* commutabant.

179. Vat. B, *depositos*, mendose, vel ex consuetudine scribendi, qua veteres *s* pro *r* interdum ponebant, ut *honos, labos*, pro *honor, labor.* Poeta depositorem Patris vocat Sabellium, quia Patrem vere esse negabat, et Filium non vere genitum asserebat. Vocabulo *depositor* utitur Quintilianus in lemmat. Declamat.

184. Mar. scribit *dispoliare.*

186. In Rat. ineptus corrector, cæteris abrasis, substituit *quisnam idolorum*, ut scilicet metro consuleret. Vat. A, et Egmon., *ne quis* pro *ecquis*, aut *et quis.* Si legatur *ne quis*, auferenda est interrogatio versu 188, et sensus erit, ne quis non putat, etc. In Widm., *ut quis*, supra *et quis.* Gifanius Lucr. collect. verbo Et quantis, et quis observat, quædam verba ab antiquis duobus modis dicta, quæ recentiores unico proferre contendunt: dicebant enim *ecquis*, et *et quis*, et ita legit Gifanius in Prudentio ex veteri libro *et quis in idolio*, et similiter aliis in locis. Idolii voce utuntur Tertullianus, Hieronymus, et alii. Ut Minervium et Dianium erant Minervæ et Dianæ templum, sic idolium templum idolorum. Reperitur etiam Æsculapium pro Æsculapii templo. Corrigendi sunt nonnulli interpretes, qui I ad Corinth. VIII, 10, *in idolio recumbentem* accipiunt *idolium* pro mensa, aut epulo. Ethnici in templis suis recumbebant ad mensam, non in mensa, multo vero minus in epulo. Erant enim lecti, in quibus recumbebant, ut pranderent. Barthius lib. XXXIV, cap. 4, exponit, *in idolio recubans*, id est *paganismo deditus*, ut dicitur cubare in morbo. Cudworthus, cap. 4 System. intellect., num. 542, hos versus magna cum laude producit.

187. Vat. A, *rudiculos*, male, pro *ridiculos.* De ara cespititia dicam ad hymnum S. Eulaliæ et S. Vincentii.

189. Bonon. contra metrum *cæteris dis* pro *Cythereis.* Urb. mendose, *Cythareis.* Plurali numero *Saturnos, Junones, Cytheræas*, seu *Veneres* profert per contemptum, ut infra, vers. 292, *Deucalionum*, vel etiam ut indicet diversos titulos, quibus idem deus ab ethnicis insigniri et coli solebat. De hujusmodi vero falsis numinibus eorumque cultu fusius dicemus ad hymn. S. Eulaliæ vers. 122, S. Vincentii vers. 50, S. Laurentii, et præcipue S. Romani, et ad libros contra Symmachum.

191. Prag., male, *imo* pro *uno.* Radulphus Cudworthus, Syst. intellect. cap. 4, intelligit, *virtutum rationem* hoc loco esse amictum et habitum personarum, *ministros* vero esse dæmones, qui et dii audiebant, et quibus Deus ad mandata uteretur ex theologia scilicet gentilium, de quibus loquitur Prudentius. Putat enim Cudworthus plures gentiles credi- D disse sua numina nihil aliud esse quam unius Dei perfectiones, ac *virtutes personarum nomine indutas*: quam opinionem ad examen revocabo lib. II adversus Sym., vers. 58 : *Res incorporeas*, etc. Minucius Felix: *Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cœlum sustuleris, et quæ sunt infra, circaque lustraveris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur?* Vide quæ ibi notant Wowerus, Elmenhorstius, Ouzelius ex nostro poeta, ex Augustino, Hieronymo, Isidoro Pelusiota, Lactantio, Cicerone: est enim argumentum a multis pertractatum. Hoc scilicet est testimonium illud *animæ naturaliter Christianæ* de Deo uno, quod singulari libro adversus gentes ingeniose propugnavit Tertullianus. Vide ejus Apolog. cap. 17, et librum de Testimonio animæ.

419 Constituit jus omne Deo : cui serviat ingens A
Virtutum ratio, variis instructa ministris.
Quæ gens tam stolida est animis, tam barbara linguis,
Quæve superstitio tam sordida, quæ caniformem,
Latrantemque throno cœli præponat Anubem ?
Nemo Cloacinæ, aut Eponæ super astra deabus
420 Dat solium, quamvis olidam persolvat acerram,
Sacrilegisque molam manibus, rimetur et exta.
Consule barbati deliramenta Platonis,
Consule et, hircosus cynicus quod somniat, et quos

GLOSSÆ VETERES.

192. Jus, *religionem*, I.
193. Ministris, *angelis*, I.
194. Barbara, *alienigena*, Iso.
195. Superstitio, *paganitas*. — Caniformem, *canis habens formam*, Iso.
196. Anubem, *deum Ægypti, id est simiam, caput canis habentem. Mercurius lingua Ægyptiaca vocatur Anubis, qui deus eloquentiæ fertur. Unde cum canino capite depingitur, quia in animalibus nihil cane sagacius habetur. Latrare autem dicitur propter copiam* B *sermonis, unde et oratores rabulatores dicuntur. Deum Ægyptiorum similitudinem canis habentem*, I.
197. Cloacinæ, *Cloacina et Epona, deæ rusticæ sunt. Cloacina dea cloacarum.* — Epona, *dea hortorum. Cloacina et Epona, deæ rusticæ*, Vat. T.
198. Solidam, *plenam, olidam, putridam*, I. — Olidam, *putridam*, Vat. T. —Acerram, *vas thurarium, thuribulum*, Iso.
199. Molam, *sacrificium, vel notam; mola est genus sacrificii ex farre et sale, unde ignem aspergebant, et cultum, et hostiam.*— Rimetur, *vertat.*— Exta, *viscera*, I.
200. Barbati, *senis*, Mar. *Illius senis*, I. — Deliramenta, *dementiam, mendacia, amentiam.*— Platonis, *Plato dicitur a latitudine humerorum; qui primum athleta invictus, postea ad philosophiam conversus, omnes philosophos superavit*, I.
201. Hircosos, *adulterinos, vel caninos*, Vat. T. — Hircosus cynicus. *Epicurus*, Vat. A. — Hircosus cynicus, *propria nomina hæreticorum dicit, quorum alii propter immunditiem hirci dicuntur, alii canini, adulteri vocantur: κύων enim apud Græcos canis dicitur*, I.

COMMENTARIUS.

193. Virtutes cœlorum, sive angeli in varios ministrantium ordines distributi. S. Gregorius homil. 34: *Novem angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim.* Hebræi decem angelorum ordines distinguunt, ac varia eis nomina imponunt. Erasmum et Bezam, qui Apostoli locum I Ephes. xxi, *Supra omnem principatum*, etc., intelligunt universe de omnibus rebus creatis, refellit Petavius tom. III, lib. II, cap. 1, ex Ignatio, Irenæo, Athanasio, Cyrillo Hierosolymitano, Basilio, Epiphanio aliisque. *Virtutum* nomine, uti *angelorum*, interdum omnes angelici ordines intelliguntur, ut constat ex Chrysostomo, C Theodoreto, Hilario, Hieronymo et aliis. Græce in sacris Scripturis vocantur δυνάμεις, Hebraice *Sabaoth.*
196. Ald. et Gis., *Anubim.* Weitz., cum mss. codd. plerisque, *Anubem.*
197. Ald., Ox., Vat. Q. Noms., *Tiphonæ*, Urb., *Typhonæ.* Gis., *Hippo* ab *Hippo Hipponis*, ut *Dido Didonis.* Etenim dea equorum a Græco vocabulo dicenda est *Hippo* aut *Hippona.* Vat. A, *Ypone.* Præstantiores Heinsiani cum duobus Torrentianis, Vat. B, Alex., Prag., Rat., Mar., *Eponæ.* Quam veram lectionem Elmenhorstius est odoratus, et ante illum Gifanius Ind. Lucr. verbo Solida, ex veteribus libris. Eamdem lectionem approbat Adrianus Turnebus num. 791 advers., quia Latini ita, quæ Græca sunt, interdum efferunt, ut ortum ejurent suum, et quia in Juvenalibus bibliothecarum pulverulentis invenerat *Eponam.* Giselinus in Buslid. cod. reperit *Hippo*, et judicat scripturam depravatam *Tipho* et *Eponæ*, auctoritate Gyraldi, qui in Historia de diis gentium hanc deam male *Eponam* a quibusdam vocari putat, et quia media in *Epona* esset producenda. Barthius, lib. xxvi Advers., cap. 11, contendit legendum in Prudentio et aliis *Equona*, quia huic deæ cura equorum erat; et a Prudentio mediam corripi ait more Græco, ut solet Prudentius facere in nominibus Græcis. Retineri debet nomen *Eponæ*, quod exstat in antiquis monumentis et inscriptionibus. De Epona, mulionum dea, vide Plutarchum in Parallelis, Minucium in Octavio, et Tertullianum in Apologetico.
198. Ald., Weitz., Vatt. A et B, Mar. pro diversa scriptura, Gifanius ex quinis exemplaribus mss., *solidam*, ut Virgilius, a quo multa mutuatum fuisse Prudentium monet Gifanius; Æn. v, *plena supplex veneratur acerra.* Iso duas has lectiones explicat *solidam* et *olidam.* Heinsius cum suis, Giselinus permotus simili epitheto apud Juvenalem Sat. 8, *facies olida ad præsepia pietas*, Bong. a prima manu, Mar. a prima manu, Prag. et Rat. legunt *olidam.* Præfero *olidam:* nam epitheton *olida* de præsepibus congruenter, de acerra etiam bene dicitur, quia scilicet thus olet, Giselinus in Daventriensi invenit *solitam quamvis*, quod non dedecet.
199. Aldus aliter distinguit *Sacrilegisque molam manibus rimetur, et exta.* Iso quoque addit glossam : « Rimetur, *vertat*, » quasi *rimetur molam.* Sententia est, persolvat acerram, et molam, et rimetur exta. Chamillardus vero interpretatur : *quærat manibus scelestis ima viscera, et imam molam.* Si autem mola fiebat, quod ipse notat, ut ea frons victimarum, foci et cultri spargerentur, quid, quæso, est *imam molam rimari*, aut *quærere?* Festus docet *immolare* esse a *mola*, hoc est, *farre molito* et sale hostiam perspersam sacrare. Supra vers. 187, *venerans sale, cespite, thure.* Ex eodem Festo *exta* dicuntur, quod ea diis prosecentur, quæ maxime exstant emineutque. Alii *exta* vocari putant quasi exsecta.
201. Put., Gifan. verbo Solida ex vet. lib., Egm. a secunda manu, Urb., *hircosus cynicus quos somniat*, sc. *nervos.* Thuan., Rot., Torr. tres, Weitz., Ald., Pal., Mar. pro diversa scriptura, Prag., *hircosus cynicus.* Fab., Gis., Widm., Mar. a prima manu, *quos somniat.* Thuan., Rot., Torr. tres, Veitz., Alex., Ald., Mar. a secunda manu, *quod somniat.* Vat. B, male, D *hircosos cynicos quis somniat*, et Vat. Q, *hircosos cynicos quos somniat*, quod etiam exstat in Tornæsiana editione. Prag., *quid somniat.* In Vat. A abrasum erat *et hircosus cynicus quod somniat*, vel alia similia verba, et supra scriptum *somniat.* Jam *cynici hircosi* dicuntur, quia obsceni maleque olentes, nam etiam cynici ob caninam obscenitatem vocabantur, nisi malis, ob effrenatam licentiam obloquendi et quasi latrandi. Alii putant, neque absurde, cynicos dici hircosos ratione barbæ hircinæ, quæ propria erat philosophorum, et in proverbium abiit. Plato vers. superiori proximo *barbatus* appellatur non tantum quia senex, ut ait glossa, sed etiam ob barbam philosophicam. Longe alio more philosophi nunc amant vivere.

421 Texit Aristoteles torta vertigine nervos.
Hos omnes quamvis anceps labyrinthus, et error
Circumflexus agat, quamvis promittere et ipsi
Gallinam soleant, aut gallum, clinicus ut se
Dignetur præstare Deus morientibus æquum :
422 Cum ventum tamen ad normam rationis, [et artis,
Turbidulos sensus, et litigiosa fragosis
Argumenta modis concludunt numen in unum :
Cujus ad arbitrium sphera mobilis atque rotunda
Volvatur, serventque suos vaga sidera cursus.
Non recipit natura hominis, modo quadrupes ille
Non sit, et erecto spectet cœlestia vultu,
Non recipit, neget ut regimen pollere supremum.
423 Istud et ipse Numæ tacitus sibi sensit [haruspex,
Semifer et Cottus sentit cane milite pejor.

GLOSSÆ VETERES.

202. Torta, *Tortuosa circumlocutione.* — Nervos, *ludos, inenodabiles dictiones, syllogismos*, I. — Vertigine, *versione*, Vat. A.

203. Labyrinthus, *flexuosus. Idem vocat laborinthum, quod et errorem : laborinthus erat domus subterranea, centum habens ostia, quam Dædalus fecit ad Minotaurum, quam si quis semel ingrederetur, propter multitudinem ostiorum non poterat revertere; dicitur autem laborinthus, quia labor intus.* I.

204. Agat, *vexet; ducat*, I.

205. Gallinam, *Æsculapio gallina immolatur, qui clinis præest.* — Clinicus, *curvus.* Cline *Græce lectus dicitur : inde clinicus proprium nomen dei, qui præerat decumbentibus in lectum; vel ipse infirmus, a cumbendo in lecto*, I.

206. Æquum, *placatum*, Iso. *Propitium*, Vat. A.

208. Fragosis, *difficilibus*, I.

209. Modis, *syllogismis*, I. — In unum, *Deum*, Vat. A.

211. Suos, *proprios.* — Vaga sidera, *septem errantia sidera, dicit septem planetas, quæ interpretantur errativæ : non quod ipsæ errent, sed quod homines errare faciunt. Unde planoficiæ dicuntur melius, id est errorem facientes*, I.

212. Non recipit, *non intelligit.* — Natura, *id est, tantummodo quadrupes homo dicitur, qui irrationabiliter more animalium vivit, et deditus ad ventris ingluviem nihil de cœlestibus curat : nam omnia mortalia animalia præter hominem in terram prona sunt. Unde et quidam veridicus :* Pronaque cum spectent animalia cætera terram : Os homini sublime dedit, cœlumque tueri Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus. — Modo, *solummodo, tantummodo.* — Quadrupes, *animalis.* — Ille, *homo*, I.

214. Pollere, *valere*, I.

215. Numæ, *Numa Romanis sacra instituit. Numa genere Sabinus, quem post mortem Romuli populus Romanus imperatorem fecit : qui, volens Romanos ab armorum amore revocare, culturam deorum per magicam invenit artem, dicens, se omni nocte ab Ægeria nympha doceri. Post hujus mortem Romani, ejus libros magicos reperientes, igni tradiderunt. Sed licet se errasse viderent, in deorum cultura permanserunt.* — Haruspex, *sacerdos*, I.

216. Cottus, *unde Alpes Cottiæ*, I, Mar. — Cane milite, *molosso*, I.

COMMENTARIUS.

202. Widm., *Aristotelis*, male pro *Aristoteles*. Teolius in carmine, et in nota habet *tota vertigine* pro *torta*. Crediderim esse mendum typographi : nullum enim ms. allegat pro ea lectione. Recte poeta artem texendi nervos Aristoteli adjudicat, siquidem Cicero et alii Aristotelem *nervosum in dicendo*, et neminem *nervosiorem* eo dicunt. Celebris est ejus dialectica. Quid sit *torta vertigo*, alii *soritem* explicant, alii *pseudomenon*, quo disserentes implicantur. Ego vero minime implicarer. *Ego mentior*, dicat aliquis, verane, an falsa est hæc propositio ? Nego quemquam serio et ex animi sententia hanc propositionem posse dicere : nego ab aliquo posse quidquam intelligi, si ea ab alio proferatur. Intelligam quidem, si quis ita dicat, *Ego mentitus fui, ego mentiar :* at nescio prorsus quid sibi velit, *Ego mentior*. Simile quiddam est, quod nonnulli volunt fundamentum sciendi in ea propositione niti debere, *Ego cogito*, ut inferam *Ergo existo*. Quæ si ita sunt, plane fateor me nihil scire : nam verbis inaniter, et nulla subjecta sententia, dicam, *Ego cogito*, hanc vero cogitationem nunquam habui, neque assequi potui.

205. Notavit Giselinus sapientem illum Socratem, cum ex veneno hausto toto pene corpore frigeret, dixisse : *Æsculapio, o Crito, gallum debemus*, quod ita ex hac vita migraret, quasi a morbo convalesceret. Clinicus deus est Æsculapius : nam medici clinici dicuntur apud Martialem, et alios, quod lecto ægrotantium assidere solent, vel lecto affixis (hi enim proprie sunt clinici a Græco vocabulo κλινικός) opem ferunt ; hinc medicina *clinice*, et apud ecclesiasticos auctores *clinici*, qui in lecto ob morbum cubantes baptismatis aqua abluebantur, quod multi, quandiu poterant differebant, sæpe ad ipsum mortis momentum, qui jure a SS. Patribus reprehendebantur.

207. Vat. B, Mar., Prag., Rat., Gis. ad marg., Weitz., *convertunt* pro *cum ventum*. Distinguit Weitzius *convertunt turbidulos sensus;* quod non male procedit. Prag., *arcis;* in marg., *artis*.

208. Bonon. et Egm., *turpidulos* pro *turbidulos*. A *turpis* formandum esset *turpiculos* melius quam *turpidulos*.

209. Vat. A, minus bene, *concludent*.

211. Planetæ sunt vaga sidera, ideo planetæ, sive stellæ errantes vocantur : quia scilicet non perinde fixæ sunt ac cæteræ stellæ. Glossam aliter disserentem nauci habeas, uti cum supra vers. 203, *labyrinthus* a *labor intus* deducebat, quæ est inepta libido confingendi etymologias, ab antiquis, etiam doctis hominibus, ut Varrone aliisque usitata. Vide quæ in hanc rem disputat Becmanus, de Orig. ling. Lat., de propria significatione vocum contra eos qui *diabolum* a *duobus bolis*, *locustam* quia *longa pedibus sicut hasta* (quod apud Isidorum legitur), *colossum* quasi *colens ossa*, et innumera hujus generis effutiunt. Nam Zachæi Fabri intolerabilis fuit impudentia, qui cum *a* in *examen* corripuisset, contendere ausus est examen dici ab ἐξ, et ἀμήν, ut colligeret, *a* in *examen* posse corripi. Opera quædam posthuma celeberrimi viri Thomæ Serrano cum ejus vita, elegantia et judicio singulari a cl. Michaele Garcia scripta, nuper prodierunt in lucem, ubi acutum epigramma in re simili contra Ferrium excusum est.

212. In Rat. ineptus correptor, prioribus abrasis, subrogavit ; *quadrupes modo non sit ille sed.* Putavit fieri non posse *e* in *quadrupes* breve : *modo quadrupes ille Non sit, et.* Vide prol. In editione Parmensi claudicat hic versus : ita enim concluditur, *Non recipit natura hominis, modo quadrupes.* Prætermissum est *ille* typographi negligentia.

214. Prag., *regnum* pro *regimen*.

215. Error est in Vat. A, *studet ipse*. Gis. ad oram, *suspexit* pro *sibi sensit*.

216. Vat. B, Mar. a prima manu, Rat., Weitz., Widm., Bong. supra *Cottus*, quo respicit mendum Prag. *Coitus*. Iso idem est amplexus cum glossa *unde Alpes Cottiæ*. Quare hæc lectio non debuit Heinsio tantopere displicere. Meminit Prudentius Cottorum

Sed nos, qui dominum libris, et corpore jam bis
Vidimus, ante fide, mox carne, et sanguine coram,
Quique voluminibus vatum, cruce teste, probatis,
Rimantes digitos costarum in vulnera cruda
Mersimus, et manuum visu dubitante lacunas
424 Scrutati, æternum regem cognovimus Iesum,
Abjurare Deo titulum, nomenque paternum,
Credimus esse nefas, qui regem protulit ex se,
Non regem populi Parthorum, aut Romulidarum;
Sed regem summæ, et mediæ rationis, et imæ,
Atque ideo rerum dominum, et super omnia regem.
Carnis habet medium, summum Patris, et Stygis imum.
Defluit his gradibus, rursusque revolvitur in se.
Est Deus, est et homo, et fit mortuus, et Deus idem est.
Omnia percurrit naturæ munia pronæ,
425 Ut sursum Patris in gremium replicata reportet,
Mortua quæ fuerant: ipsos quoque subvehat artus.
Hæc fore cum veterum cecinissent organa vatum,
Nos oculis, manibus, congressu, voce, loquela
Experti, heroum tandem intelleximus orsa
Priscorum, et viso patefacta oracula Christo.

GLOSSÆ VETERES.

218. Coram, *præsentialiter*, I.

221. Lacunas, *Foramina*, *cavernas*, *fixuras*, *cicatrices*, *fossas*; *seipsum apostolis immiscet: in Evangelio enim Thomæ legitur adhuc minime credenti dixisse: Infer digitum tuum, etc.; sed ille clavorum fixuras intuens, tangere eum non ausus est, sed dixit: Dominus meus, et Deus meus. Ideo autem dicitur, Thomam manum in latus ejus misisse, cum tamen non miserit, quoniam, Domino jubente, hoc facere poterat*, I.

223. Abjurare, *denegare*, *tollere*. — Titulum, *laudem*, *vel potestatem*, I.

224. Regem, *Christum*, I.

226. Summæ, *cœlestium*; *mediæ*, *terrestrium*; *imæ*, *infernorum*, I. *Summa scilicet, ima et media ratio: media siquidem ratio est in homine... summa ratio est in angelis, ima in minimis animalibus. Unde et Salomon de Christo sub specie sapientiæ loquitur, Pertingens a fine usque ad finem, id est a summo angelo usque ad minimum vermiculum gubernando*, Vat. A.

228. Stygis, *inferni*, I.

229. Defluit, *descendit*. — In se, *cum ad cœlum ascendit*, *in unum*, I.

231. Munia, *officia*. — Pronæ, *humanæ*, I.

232. Replicata, *reducta*, *reparata*, *vel artus*, I.

233. Subvehat, *elevet ad cœlestia*, *ad cœlum*, I.

234. Organa, *voces*, I.

236. Heroum, *prophetarum*. — Orsa, *dicta*, *vel verba heroum*, *vel prophetarum*, I. *Dicta*, *locutiones*, Vat. A.

237. Patefacta, *manifestata*. — Oracula, *responsa*, *miracula*, I.

COMMENTARIUS.

hymn. S. Laurentii vers. 539, *Trans Cottianorum juga*. Ita appellata sunt a Cottio rege Gallorum sub Augusto. Giselinus in vulgatis edd. reperit *Gothus*; quod rejecit, quia omnes uno consensu primam in *Gothus* corripiunt, idque plane persuasit Chamillardo. Verum posse quoque produci, compertum est: nam Latini interdum *Guttones* et *Gottos* eam nationem appellant, ut nihil dicam de Græcis, qui non minus in hoc scribendo vocabulo variant. Est autem *Gothus* in Mar. a secunda manu, in Bongars. a prima manu, in Fabr. Sed Heinsius cum suis, cum Gis., Ald., Pal., Alex., Vat. Q, Bonon., *Scotus* aut *Scottus*. Giselinus feritatem Scotorum auctoritate S. Hieronymi lib. II contra Jovian. comprobat: ex qua certe patet eos fuisse pejores *cane milite*, hoc est molosso, aut castrensi, ut exponit Chamillardus: nam castrenses canes, cum vesci soleant carnibus occisorum in bellis, crudeles esse solent et feroces. Hæc autem feritas attribui etiam potest antiquis incolis Cottianarum Alpium, quæ famosæ erant latrociniis. Cottiæ Alpes Delphinatum a Pedemontio dividunt. Erat etiam promontorium in Mauritania Tingitana *Cottes* seu *Cotes* dictum, Hispanis *Cabo esparto*.

218. Bonon., inepte, *cordis* pro *coram*. Nec melius Pal., *fidem* pro *fide*.

219. Ald., Egm. et Vat. A a prima manu, *quinque* pro *quique*; hoc postremum tenendum est.

220. Fortasse innuit sententiam clarius a se expressam aliis in locis, de duplici vulnere lateris.

221. Prag., *atque manum*, fortasse *atque manu*, aut intelligit *mersimus digitos*, *atque manum*. Communis veraque lectio, *et manuum*, sc. *lacunas*, seu fixuras *manuum*.

222. Sciolus aliquis in Rat. pro *cognovimus* supposuit *veneramur*, ne *Iesum* esset dissyllabum a vocali incipiens. De quo satis in proleg. dictum. Ennodius similiter usus est lib. II, epigram. 34, *Suscipit oblatum*, *veniam cui contulit Iesus*. De *regno perpetuo* Christi passim SS. Patres et latissime Hieronymus in Com. ad cap. I Epist. ad Ephes.

223. Vat. A, Pal., *Deum*, non bene.

226. Gifanius Indic. Lucr. verbo PROVERBIA APUD LUCRETIUM corrigit *regionis* pro *rationis*, quia, ut ait, sæpe *regionis* et *rationis* nomina inter se librariorum vitio sunt depravata. Heinsius suspicatus est *stationis*, quo nomine imperium sæpe significatur. Chamillardus Heinsium non intellexit: hic asseruit membranas stare constanter pro hac scriptura *rationis*, et Chamillardus putavit membranas stare pro alia *stationis*, adeoque amplexus est *stationis*. Cellarius agnovit, *stationis* esse ex ingenio Heinsii; nihilominus *stationis* secutus est contra libros. Nihil muto, repugnantibus omnibus codd. mss. et edd.; et *rationis* recte dicitur. Non enim poeta aliud vult, nisi quod versibus sequentibus explanat: *Carnis habet medium, summum Patris, et Stygis imum*. Ecce summam, mediam et imam rationem. Visne aliam audire explicationem? Idem poeta paulo post: *Est Deus, est et homo, et fit mortuus, et Deus idem est, Omnia percurrit naturæ munia pronæ*. Jam ad hæc tria munia explicanda aptius vocabulum est *rationis*, quam aut *regionis* aut *stationis*. Confer glossas.

228. In Vat. A. aliquid est abrasum, pro quo recenti manu factum *imum*.

230. Bong., Vat. B, Mar., Rat., *et fit*. Alii omittunt *et*.

232. Ald. et Egm., *et*. Alii *ut*. Heinsius ex Put., Thuan., Noms., et a manu secunda Rott. restituit *sursum* pro *rursum* in aliis, quod aliqua tamen ratione posset defendi: nam supra *rursusque revolvitur in se*. Urb., *rursum*; Alex., Vat. Q, *sursum* cum Bonon.

233. Perstat in eadem sententia. Deus replicata munia reportat in cœlum, *mortua quæ fuerant*, vel corpus suum ex mortuis excitatum, vel aliorum sanctorum corpora: *ipsos quoque artus*, scilicet carnem suam; de qua supra, *carnis habet medium*, et *fit homo*.

Hæc est nostra salus, hinc vivimus, hinc animamur,
Hoc sequimur : nunquam detracto nomine nati
Appellare patrem : patris et sine nomine nunquam
Natum nosse Deum ; nunquam, nisi sanctus, et unus
Spiritus intersit, natumque, Patremque vocare.
Sic tamen hæc constare tria, ut ne separe ductu
Tres faciam : tribus his subsistat sed Deus unus.
Nec pater ipse autem, qui filius : ut, quia natum
Scimus ab innato, vere pater, et sata vere
Sit soboles ; nec sit genitor sibi filius ipse.
426 Perquam ridiculum est, et futile, natus ut ex se,
Sive pater natus fuerit, sive ipse repente,
Nascendi nova materies, ac se Deus ultro
Ediderit, natumque sibi se fecerit ipsum.
Nil falsum, aut mendax divina vocabula fingunt.
Qui pater est, gignendo pater : tum filius ex hoc
Filius, auctore ut genitus quod sit Patre summo :
Summus et ipse tamen : nec enim minor, aut Patre dispar.
Unde in utroque operis forma indiscreta, nisi omnem
Vim majestatis patriæ generosus haberet

GLOSSÆ VETERES.

243. Sic tamen, *sequimur.* — Tria *nomina.* — Separe, *separato : separ dicitur, sicut compar, et dispar.* — Ductu, *auctione, vel ductione*, I.
244. Tres, *substantias.* — Tribus, *personis*, I.
246. Innato, *Patre.* — Sata, *nata*, I.
248. Per quam, *in quantum, quam valde.* — Futile, *inane.* — Natus, ut ex se, *natus quasi ut ex se, scilicet sit, id est Filius*, I.
249. Natus, *ab alio.* — Ipse, *Filius*, Iso.
250. Nova, *mirabilis*, I.
251. Ediderit, *genuerit*, I.
252. Vocabula, *carmina*, I.
256. Indiscreta, *indivisa*, I.
257. Vim, *virtutem.* — Generosus, *nobilis*, I.

COMMENTARIUS.

241. Nota consuetudinem antiquissimam invocandi Patrem, Filium, et Spiritum sanctum in doxologia Trinitatis, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Egi de hac doxologia in dissert. de Hymn. eccles., num. 229 et seqq.

243. Vide præfationem 1, vers. 1 : *Est tria summa Deus.* In Prag. et Mar. pro diversa scriptura, *ut non* pro *ut ne.* Prag., *dictu* pro *ductu*, quod est retinendum.

244. Prag., male, *faciat* pro *faciam.* Hieronymus epist. 57 : *In tribus personis Deitas una subsistit.* Quartam subsistentiam in Deo jure negant plerique theologi. In eadem sententia est Petavius, qui lib. IV de Trinit., cap. 12, fuse disputat, *An sit in Deo quarta quædam subsistentia*, et pro opinione negante hæc ipsa Prudentii verba num. 3, laudat. Tournelyus etiam in Prælect. theolog., quæst. 5 de Trinit., art. 1, quærit, *An sint in Deo admittendæ tres subsistentiæ relativæ, et una absoluta tribus personis communis*, et quæstionis statum ita proponit : *Alii cum Cajetano 1 part., quæst. 29, art. 4, et quæst. 39, art. 43, Suarez lib. IV, cap. 4, quatuor admittunt subsistentias, unam videlicet absolutam, et tres relativas. Alii... communiter tres duntaxat agnoscunt relativas subsistentias, nullam vero absolutam, cui opinioni tanquam communiori subscribimus.* Bertius etiam, etsi reipsa in Deo subsistentiam absolutam agnoscat, tamen œconomiæ cujusdam causa concludit lib. IX, cap. 6 ; *Melius sentire censemus theologos, qui de hoc quæsito interrogati respondent, dari in Deo tres tantum relativas subsistentias.* Si quis autem a me nunc quærat an sint aliqui theologi qui præter tres subsistentias relativas quamdam communem in Deo subsistentiam tueantur, primum respondebo, vel ex his solis verbis quæ pro mea opinione adduxi, satis liquere non paucos esse theologos qui ita sentiant. Deinde proferam assertionem eminentissimi cardinalis Gotti, de Trinit. quæst. 4, dub. 2 : *Præter tres subsistentias relativas datur in Deo subsistentia absoluta, qua Deus præconceptus tribus personis in se subsistit. Hoc indicavit S. Augustinus... expresse vero docuit S. Thomas.* Centum alios theologos addere possem, si pulverulentis excutiendis voluminibus sesquihoram vellem insumere, ut dubitare jam merito quis possit, pluresne sint theologi, qui negant, quartam esse in Deo subsistentiam, an qui affirmant. Quid autem inter notionem subsistentiæ et personæ differat, et cur, admissis solum tribus personis in Trinitate, possit quarta subsistentia defendi, dicerem explicatius, si theologicas institutiones scriberem. Pauca hæc omittere non debui, ut gratum iis facerem qui amico erga me animo nonnullam explicationem desiderabant. Nam parum me aliorum voces commovissent, qui in circumforaneis indoctissimorum hominum circulis de sanctissimis religionis nostræ mysteriis effutire audent, quæ nunquam didicerunt : *e quibus ita sunt rudes nonnulli*, quod de similibus aiebat Ammianus lib. XXX, *ut nunquam se codices habuisse meminerint, et si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrantur.*

248. Editi ante Heinsium ita hos versus trajiciebant : *Sive Pater natus fuerit, sive ipse repente, Perquam ridiculum est et futile, natus ut ex se Nascendi nova materies, ac se Deus ultro Ediderit, natumque sibi se fecerit ipsum.* Nihil contra Weitzius, nihil Mariettus ex mss. notavit. Teolius ait tres vel quatuor Vaticanos Heinsio favere, cæteros Weitzio. Heinsius in suis omnibus mss. reperit versum *Perquam ridiculum* præponi illi *Sive Pater.* In Put. vero hic ita erat *Sive supernatus fuerit sibi ipse repente.* Putat autem Heinsius *Perquam ridiculum est et futile, natus ut ex se Sive supernatus fuerit, sibi ipse repente Nascendi nova materies :* nam *supernasci* verbum est elegans, et a Plinio usurpatum, et hiatus ille *sibi ipse* Prudentio est familiaris. In Vat. A etiam est *sibi ipse.* Heinsius ex conjectura addit posse etiam *sibi et ipse.* Cellarius secutus est Heinsium cum illo hiatu, quem hoc loco non probo. Alex. consonat codd. Heinsianis ; Urb. et Vat. Q editionibus antiquis. Vat. Q etiam, *sibi ipse ;* sed mendose *per quem* pro *perquam.* Bonon., perperam, *sive et ipse.*

252. Vat. B pro *nil* minus bene *ni.*

254. Teolius repugnante metro legit *Filius, auctore quod genitus sit Patre summo*, affirmatque sic habere præstantiores Vatt., Heinsium vero in notis paulo aliter. Puto, lapsum Teolium, et scribere voluisse, *Filius, auctore ut genitus quod.* Heinsius cum Put. edidit *Filius, auctore genitus*, quod non male procedit. Suspicatur Heinsius, a Prudentii manu fuisse : *tum Filius ex hoc Filius auctôre ut genitus qui sit Patre summo.* In Vat. A, *si*, nullo sensu, pro *sit.* Aldus male interpungit *tum Filius ex hoc. Filius auctore ut genitus quod sit Patre summo.* Patrem *auctorem* Filii S. Hilarius sæpissime vocat. Apud jureconsultos auctor appellatur is a quo jus in nos transit. Vide Petav. tom. II, lib. V, cap. 5.

257. In Weit. mendum *generosus patriæ.*

Filius, idque Deus genitor, quod filius esset? A
427 Pergunt ulterius scrutantes, quid sit id ipsum
Gignere, si fas est humanos tendere sensus
Usque ad secretum, quod tempora cuncta, diesque
Prævenit antiquos, et principium super ipsum
Eminet, et quodcunque potest homo quærere, transit.
Cum sit difficilis via noscere principiorum
Semina, cui dabitur mortali exquirere, quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit Verbum, quod principio caret omni?
Hoc solum scimus, quod traditur, esse Deum, quem
Non genitus genitor generaverit, unus et unum, B
Integer integrum, non cœptum, sed tamen ortum,
Et comperpetuum retro patri, sed patre natum.
428 Sed nec decisus Pater est, ut pars Patris esset
Filius : extendens nec se substantia tractim
Produxit, minuitve aliquid de numine pleno,
Dum mutata novum procudit portio natum.
Non convertibilis, nec demutabilis unquam
Est Deus, aut gignendo aliquid sibi detrahit : atqui
Totus, et ex toto Deus est, de lumine lumen.
Quando autem lumen sine lumine? quando refulgens
Lux fulgore caret? quando est, ut proditus ignis

GLOSSÆ VETERES.

259. Ulterius, *ultra licitum*, I.
260. Gignere, *spiritalis generatio*.—Fas, *justum*, I.
262. Super, *ultra*, I.—Principium, *mundi*, Vat. A.
264. Via, *ratio*, I.
265. Semina, *principia*.—Mortali, *homini*, I.
266. Ultra, *ante*.—Pacto, *lege*, *vel modo*, I.
268. Traditur, *in scripturis*, I.
271. Retro, *æternaliter ; hic præteritum verbum*, I.
272. Decisus, *decurtatus*, *vel detruncatus*, *minoratus*, I.
273. Extendens, *dilatando*.—Tractim, *paulatim*, I.
275. Mutata, *operata*.—Procudit, *vel producit*, *id est generat*, *vel fabricat*, *genuit*.—Portio, *substantia*, I.
276. Unquam, *sed certe*, I.
277. Atqui, *at ille*, I.
280. Proditus, *dispensus*, *vel manifestatus*, I.

COMMENTARIUS.

258. Interrogationis punctum post *esset* desideratur in plerisque editionibus ; ex quo sensus turbatur.

259. Egm. et Vat. B, *quod*. Legendum *quid*. Petavius, loc. cit. cap. 6, laudandam et imitandam esse ait veterum theologorum sanctissimorum et eruditissimorum hominum modestiam in causis hujus mysterii investigandis, et hos Prudentii versus adducit, quibus liberiora ingenia castigantur.

260. Weitz. cum Egm., Pal., Oxon. pro discrepanti scriptura, Vat. B a prima manu *gressus*. Cæteri *sensus*. C

262. Vat. A, Pal., mendose, *sprevit* pro *prævenit*.

264. Philosophos in rerum principiis *fecisse ruinam* Lucretius tradidit lib. I. Nostro ævo eadem difficultas noscendi principiorum semina persentitur, quidquid dicant nonnulli, systemata quædam nova amplectentes, aut antiquata jam et obsoleta denuo instaurantes.

265. Put., *qui*, sc. qua ratione, pro *cui* mortali. Utroque modo constat sententia.

268. Ald., *quod traditur esse Deumque Non genitus genitor generaverit*. Fabric., Gis., quibus accessit Cellarius, *quod traditur esse Deus*, *quem*. Heinsiani præstantioris notæ, et nostri, *esse Deum*, *quem*. Doctrinam theologicam, quam de divina generatione longiori disputatione Petavius tradidit, paucis his versibus esse comprehensam fassus est ipse Petavius, cujus verba lege num. 255 proleg. Mirabilis profecto est poetæ nostri theologia.

269. Rat., minus bene, *generaverat* pro *generaverit*. Put. et Rot., *generavit*, fortasse *generavit et unus et unum*. Sed melior communis lectio. Teolius edidit *generavit*, sed cum lex metri repugnet, et nihil ex mss. notaverit, opinor mendum esse typographicum. D

271. Weitzius, Vat. B, Mar., *Et comperpetuum retro Patri, sed Patre natum*. Gis. et Bong., *Et comperpetuum Patri retro, sed Patre natum*. Egm., *Et comperpetuum retro Patris*, *et Patre natum*. Pro hac scriptura allegatur Aldus a Weitzio et Heinsio. Sed Aldus mihi habet, *Et comperpetuum retro Patris, sed Patre natum*. Egmondano consonant Put., Thuan. et cæteri Heinsiani. Heinsius existimat fuisse *Et comperpetuum Patri retro*, *et Patre natum*. Omnes hæ lectiones admitti possunt, et omnium eadem est sententia. *Comperpetuus Patris* in gignendi casu non absurde dicitur, uti infra ex mss. *coæternus Patris*. Urb. et Alex. pariter *Patris*. Vat. Q, perperam, *cum perpetuum*.

273. Vat. A, *tractum*. Egm., *tactim ;* corrige *tractim*.

274. Rat., mendose, *minuit vel*. Deum constitui ex tribus Trinitatis personis, ita ut earum quælibet non esset plenè Deus, sed Dei portio, docuerunt nonnulli hæretici. Lamius in opere de recta PP. Nicænorum fide his allatis Prudentii versibus, aliisque aliorum verbis probat diserte, Filium ex Patre ortum, sed non per abscissionem, aut divisionem, aut ejusdem substantiæ mutationem.

275. In exemplari Weitzii, quo utor, ad oram *producit portio* ex vet. lib.

276. Concil. Tolet. I in regula fidei, de qua alibi dictum, can. 7 : *Si quis dixerit vel crediderit*, *deitatem Christi convertibilem* (al. *nascibilem*) *esse*, *vel passibilem*, *anathema sit*. Hæc vocabula in usum tunc venire cœperunt ad hæreses refellendas, et religionis sacra mysteria sine ambagibus exponenda. *Demutabilis* neminem Prudentio antiquiorem dixisse novi.

277. Aldus, *atque*. Alii, *atqui*. Vat. A, *atquin*.

278. In Vat. A, *totus ex toto*, contra metrum. Lege *totus*, *et ex toto*. Corippus lib. IV : *Natus*, *non factus*, *plenum de lumine lumen*. S. Methodius martyr, sive alius confessor, lib. de Simeone et Anna : *Tu lumen es verum ex lumine vero*. Verba symboli nota sunt.

280. Gif. ex vet. cod., *prodigus* pro igne multo, largo et copioso. Sic etiam Aldus et tres recentiores ex Heinsianis. Alii *proditus*, ut apud Nasonem : *Lumine qui semper proditur ipse suo*, quanquam Heinsius hoc loco ignem proditum interpretatur, qui porro extenditur, ut Nonius exponit illud Maronianum, *genus alto a sanguine Teucri Proderet*. Vat. Q et Alex. a secunda manu, *prodigus*. In Urb. deest totum hoc *quando est*, *ut prodigus ignis Ignem diminuat*. Peveratus ex Gifanio approbat *prodigus*, et eadem ratione dictum putat, ac *luxuriantes segetes* apud Virgilium.

429 Ignem diminuat? quando Pater, et Deus, et lux,
Non lucis Deus, et pater est? qui, si pater olim
Non fuit, et serum genuit post tempora natum,
Fit novus, inque novum jus proficit. Absit, ut unquam
Plenus proficiat, qui non eget incremento.
Et Deus, et genitor, lumenque, et gloria semper
Ille fuit : nec post sibi contulit, ut pater esset.
Sic fit, ut æternum credamus cum patre Christum,
Illo auctore satum, cui nullus præfuit auctor.
Hæc tu si dubitas nati mysteria Christi,
Perdite, catholica non es de plebe : sed unus
De grege thurifero venerator, Deucalionum
Devotus cippo, ficulni et stipitis unctor.
Quin potius scrutare Dei signacula in ipso
Fonte vetustatis, percurre scrinia primi
430 Scriptoris, quem non bardus pater, aut avus augur,
Fabula nec veteris famæ, nec garrula nutrix,
Nec sago clangore loquax, et stridula cornix
Rem docuere Dei : sed coram proditus ipse,
Ipse Deus trepidum mortalem mitis amico
Imbuit eloquio, seque, ac sua summa retexit.
Nimirum meminit scriptor doctissimus, illo
Orbis principio non solum, nec sine Christo
Informasse Patrem facturæ plasma novellæ.
Fecit, ait, condens hominem Deus, et dedit olli

GLOSSÆ VETERES.

282. Olim, *æternaliter, sine initio*, Iso.
290. Tu, *Sabelliane*, I.
292. Thurifero, *thurificante*. — Deucalionum, *deorum, idolorum. Deucalion et uxor sua lapides seminaverunt : inde viri et mulieres*, I.
293. Devotus, *inclinatus*. — Cippo, *trunco vel ipsi Deo*. — Unctor, *venerator*, I.
296. Scriptoris, *Moysis*. — Bardus, *stultus, ab elephanto, baburrus, stultus*. — Augur, *qui avium garritum vel augurium observat*, I. — Bardus, *stultus, ab elephanto*, Vat. T.
297. Nutrix, *anus*, I.
298. Sago, *magice vel præscio ; præscienti, magico vel sapienti*, I.
299. Rem, *statum divinum*. — Coram, *palam*. — Proditus, *manifestatus*, I.
300. Trepidum, *pavidum*. — Mortalem, *Moysem*. — Amico, *amicabili*, I.
301. Retexit, *aperit, aperuit*, I.
302. Meminit, *docet*, I.
305. Condens, *creans*, I.

COMMENTARIUS.

281. Ald. cum aliis scribit *deminuat*.

282. Rat. ita verba collocat, *non lucis pater, et Deus est*. Gis. 1 edit., *non lucis Deus, at pater est?* Fortasse *aut pater*.

290. Mar., Widm., Bong., *dubites*.

292. Vocat paganos *de grege thurifero* eo sensu quo Optatus dixit *thurificare*, et Cyprianus, *thurificatos*. In glossa erat scriptum *Deucalion lapides, et uxor sua seminaverunt*. Restitui ordinem verborum. Deucaliones numero plurali effert, ut contemptum exprimat. Vide vers. 189. In hymno S. Romani similiter mentio fit Pyrrhæ, uxoris Deucalionis. Ita enim ait tyrannus Asclepiades vers. 410 : *Vis summa rerum nosse? Pyrrham consule.*

293. Oxon. et Ald., *ficulni stipitis*. Pal. supra *auctor* pro *unctor* : hoc verum est. De ritu ungendi oleo simulacra, sacerdotes, lumina et ignes sacros, vide Jo. Guillelmum Stuckium Sacr. gentil. descript. fol. 55 terg. Peveratus ex hymno S. Romani, vers. 260, huc affert *fuliginosos lares*, quod olim simulacra deorum apud gentiles fumo et odoribus nigrescerent.

295. Fabr., Alex., Prag., *percurre et scrinia*; quod tenet Gis. et alii vulgati cum Urb. et Vat. Q. Sed Aldus, et Weitz., Put., et Vat. A, B, Mar., et plerique optimi *percurre scrinia*. Ita etiam erat in Rat.; sed recens corrector mutavit in *percurrens scrinia*, quod falso crediderit, *e* postremum in *percurre* produci non posse.

296. Vat. B, *pardus* ; Prag., *barrus* : quod utrumque falsum est pro *bardus*. Proprie *bardus* est *tardus, stultus*. Chamillardus ex Festo notat, Gallice cantorem fuisse appellatum *bardum* a gente Bardorum. Poeta fortasse id respicit, quod ante dixit, *Numæ haruspex, semifer Cottus*. Glossa Isonis *ab elephanto*, et postea *baburrus* indicat, ab eo lectum *barrus*, qui est elephas, et pro *baburrus* legendum est *barrus*. Bardorum gens duplex recensetur ; alii sunt Bardi seu Longobardi in Germania, ubi nunc est marchia Brandeburgica ; alii Bardi et Bardaici populi in Gallia.

298. Gis. 1 edit., *saga*, male. Cornix *augur aquæ* a veteribus dicebatur, quia suo clangore pluviam ab ea non tantum præsagiri, sed vocari etiam existimabant. Irridet poeta hujusmodi superstitiones. *Sagus* adjective exstat in inscriptionibus.

301. Weitz., Vat. B, Mar., Rat., Prag., *eloquio*. Ald. et Gis., *alloquio*. Nihil ad hoc vocabulum Heinsius ex suis observavit, Giselino adhærens.

303. Nonnulli Vulg., *ne sine* pro *nec sine*, quod postremum exigit sensus.

304. Prudentius sæpe pro *creatura* usurpat *factura*, quod non absurde fieri monet Barthius lib. XLII Adv., cap. 8, quanquam delicatiores talia abhorreant. Similiter Sedulius lib. II : *Ni pius ille sator culpas ignoscere promptus, Reddere difficilis, sua ne factura periret*. Alcimus Avitus lib. I : *placet ipsa tuenti Artifici factura suo*, et sæpe alias. Gregorius Bæticus non semel ; Tertullianus *factitamentum* vocat lib. de Anima, cap. 18.

305. Ad Trinitatis mysterium probandum petit argumentum ex Genes. cap. I, quod Deus creaverit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Theologi ita disserunt : « Cum ait Deus *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, loquitur in numero plurali, adeoque unica tantum persona divina intelligi non potest eo verbo *faciamus*. Quod autem ad imaginem et similitudinem dicit, naturæ unitas declaratur. » S. Basilius personas plures esse nervose concludit homil. 19 in Hexaemeron : *Quis faber aut ærarius, aut lignarius, aut certe coriarius sutor solus ipse quidem, nec alio quopiam sibi cooperante stipatus, interque suæ artis instrumenta desidens, quis, inquam, sibi soli admurmurat, dicens : Faciamus gladium, aut Compingamus aratrum, aut Conficiamus calceamentum, ac non potius silentio suam, cum libuerit, accommodatam ad artem exsequitur operationem?* S. Hilarius in Genes. : *Sed faciamus, ait, hominem. Dic, optime, cum quo Nunc loqueris? Clarum est, jam tum tibi Filius alto Assidet in solio*. Prudentius alia via eamdem sententiam concludit. Deus hominem fecit ad imaginem Dei. Quid aliud hoc est, nisi esse Verbum distinctum a Patre, quod sit Deus et imago Patris? Verbum esse formam et imaginem Patris, vers. 72 explicabamus. Tertullianus adversus Praxeam cap. 12 : *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum. Cur non suam, si unus, qui faciebat, et non erat, ad cujus faciebat? Erat autem ad cujus imaginem faciebat, ad*

431 Ora Dei, quidnam est aliud, quam dicere, A Solus
Non erat? atque Deo Deus assistebat agenti,
Cum dominus faceret domini sub imagine plasma?
Christus forma Patris, nos Christi forma, et imago.
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in nostram faciem post sæcula Christo.
Possum multa sacris exempla excerpere libris,
Ni refugis, quæ te doceant, non in Patre solo
Vim majestatis positam, sed cum Patre Christum
Esse Deum: velut illud ait genealogus idem.
A domino dominus flammas pluit in Sodomitas.
432 Quis dominus? de quo domino? si solus B ab arce
Siderea spectat Pater, aut ardescit in iras?
Filius armatam domini patris ignibus iram
Spargebat dominus, sunt unum fulmen utraque.
Hæc si Judaicos sic intellecta rigassent
Auditus, stupidas ut possent tangere fibras:
Audissent dominum virtutum, qui pereuntes
Venerat ut servaret oves: sed ab auribus omnis
Fluxerat ornatus, caput et jam coctile Baal
Finxerat, auriculasque suo spoliarat honore.
Dux populi peccantis adest de monte corusci
Luminis, alloquioque Dei; tabulasque tremendo
Incisas digito cæca ad tentoria defert.
433 Sed cadit in faciem plebs, non visura profundæ
Legis in effigie scriptum per enigmata Christum.
Infelix, quæ luce oculos præstricta paventes

GLOSSÆ VETERES.

306. Ora, *vultum, Imaginem*, Iso.
307. Deo Deus, *Filius Patri*, I.
311. Sæcula, *in fine sæculorum*, I.
315. Genealogus, *generis computator, id est Moyses, scriptor de generatione loquens*, I.
322. Stupidas, *ab stupendo*. — Fibras, *venas cordis*, I.
326. Suo, *proprio*, I.
327. Dux, *Moyses*. — Monte, *Sinai*, I.
328. Alloquioque, *fulgebat a colloquio Dei*, I.
329. Incisas, *scriptas*. — Cæca, *increduls*, I.
330. In faciem, *operuerunt faciem suam*, I.
331. Enigmata, *figuras, vel umbram*, I.
332. Præstricta, *circumdata*, I.

COMMENTARIUS.

Filii scilicet. Et cap. 6 de Resurrectione carnis: *Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed etiam pignus.* Hominem conditum ad imaginem Verbi complures veterum docent apud Petavium lib. II de Opificio sex dierum, qui observat eam sententiam displicere Augustino lib. XII de Trinit., cap. 6. Vide interpretes, C quorum aliqui volunt imaginem Dei esse Filium, similitudinem Spiritum sanctum.

312. Virgilii imitatio I Georg. vers. 176: *Possum multa tibi veterum præcepta referre, Ni refugis.*

313. Ald., *non Patre*, mendose.

315. Ald., *ille ait*, scilicet *ille idem genealogus*. Sed non est elidendum *e* in *ille*.

316. Heinsius in Cauchiano reperit *flamma*; in aliis vetustioribus *flammam*, quod concinnius existimat Vulgata lectione *flammas*. Editi et nostri, *flammas*. Chamillardus et Cellarius Heinsium exscribunt: locus Genesis exstat cap. XIX, vers. 24: *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur, et ignem a Domino de cœlo.* Interpretationem Prudentii multi docuerunt, Ignatius, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Augustinus, et alii præter concilium Sirmiense in Photinum. Vide Browerum, pag. 140 ad Fortunati lib. V. carm. 5, vers. *Filius, et Pater est a domino D dominus*, ubi docet Fortunatum vestigia majorum secutum, præsertim Prudentii, *non pudici magis, quam Christiani poetæ.*

320. Vat. A, male, *flumen*. In Rat. audax corrector posuit *sed idem sunt utraque fulmen*. Prag. ad marg., et Cauchius, *uterque*. Ita etiam Fabr. et Gis. 1 ed. Vera lectio *sunt unum fulmen utraque*. Cur *a* in *utraque* producatur, vide proleg. Sulphur et ignem, quem pluit Dominus, Prudentius *fulmen* interpretari videtur. Josephus lib. I, cap. 11, refert Deum in eas civitates jaculatum fuisse fulmina: quæ cum sulphure et bitumine abundarent, facile fulminibus et igni cœlesti absumi potuerunt.

321. Codd. Heinsiani, Alex., Mar., Rat., Aldus et alii habent hunc titulum: *Adversus* vel *Adversum Judæos*; alii omittunt. Gis. ad oram, *Judæi*.

322. Vat. B, Mar., Weit., Sich., *aut possent*. Aldus, Gis., Vat. Q, nonnulli Heinsiani, *ut possent*. Put., Noms., Palat., *ut possint*.

324. Cap. XV Matth., vers. 24.

325. Exod. XXXII, 2, de quo Tertullianus Scorpiaces, cap. 3: *Urgetur Aaron, et jubet inaures feminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in judicium sibi vera ornamenta aurium, Dei voces.* In Vat. A additum *et* post *caput* recenti manu: nam desiderabatur. Hebræos finxisse solum caput vituli, non totum vitulum, plures tradunt, ut videre poteris in dissertatione Francisci Monceii de Vitulo aureo, lib. I, cap. 21, qui hanc sententiam rejicit: ipse vero tenet, vitulum ex Aaronis mente fuisse Cherubum vituli volucris specie.

327. Exodi XXXI. Vide hymnum 6, vers. 36 et seqq. Cath.

330. Poeta cæcitatem Judæorum ex multis sacræ Scripturæ locis indicatis ostendit. Exodi XX: Judæi perterriti et pavore concussi, Deum loquentem audire noluerunt, sed Moysem. Ibid. XXXIV: videntes cornutam Moysis faciem timuerunt prope accedere, et Moyses posuit velamen super faciem suam. Chamillardus acute colligit poetam, si hanc respexit narrationem, sane errare: solum enim legimus, Moysem suam velasse faciem. At vero Prudentius explicationem hujus loci ab Apostolo est mutuatus II ad Corinth. cap. III, vers. 13 et seqq.: *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur. Sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur). Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses,* VELAMEN POSITUM EST SUPER COR EORUM. *Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Puto etiam Prudentium respexisse caput XVIII Joan., vers. 6, ubi Jesus, a Judæis ad necem quæsitus, cum dixisset: *Ego sum; abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.*

331. Vat. A et Egm., mendose, *regis in effigie*.

332. In Vat. A mendum *luee* pro *luce*. Pro *præstricta* Vatt. A et B, itemque alii *perstricta*. Gis. ad oram *perstrincta*.

Texerit, et presso faciem velarit amictu!
At nos detecto Christum velamine coram
Cernimus, atque Deum vultu speculamur aperto :
Nec sub lege gravi depressa fronte jacemus :
Sed legis radium sublimi agnoscimus ore.
Heu frondosa prius ramis felicibus arbos,
Pinguibus heu quondam radix oleagina baccis!
Ecce tibi inserto revirescit nunc oleastro
434 Truncus, et externi vestitur cortice libri.
Jam miserere tui, non se silvestris olivi
Surculus exsultans alieno stipite jactat:
Sed monet, ut generis proprii memor unguine amaro
Contristare comas desuescas, stirpe nec imo
Invideas missis in celsa cacumina virgis.
Blasphemas Dominum, gens ingratissima, Christum.
Pascha tuum, dic, dic, cujus de sanguine festum
Tam solemne tibi est? quis tandem cæditur agnus
Anniculus? sacer ille tibi redeuntibus annis:
Sed sacer in pecude, stultum est sic credere sacrum,
Sanguine balantis summos contingere postes,
Lascivire choris, similaginis azymon esse,
435 Cum fermentati turgescant crimine mores.
Non sapis, imprudens, nostrum te effingere pascha?
Legis et antiquæ præductis pingere sulcis
Omne sacramentum, retinet quod passio vera:
Passio, quæ nostram defendit sanguine frontem,
Corporeamque domum signato collinit ore?

GLOSSÆ VETERES.

333. Velarit, *ne videret Christi arcana*, I.
334. Coram, *manifeste*, I.
337. Sublimi, *erecto*, I.
338. Frondosa, *fructuosa*. — Felicibus, *fertilibus*, I.
339. Oleagina, *ab oleo*. — Baccis, *uvis*, I.
340. Tibi, *in te*. — Inserto, *indito*, I.
341. Cortice, *viriditate*, I.
343. Surculus, *ramus*. — Jactat, *gloriatur*, I.
344. Monet, *ipse surculus*, — Unguine, *unguento, oleo, vel succo, id est errore*, I.
345. Contristare, *amarescere*. — Comas, *ramos*. — Imo, *gentili populo*, I.
353. Similaginis, *farinæ, similæ*, Mar. — Lascivire, *lasciviam facere in suis carminibus*. — Choris, *cantibus*. —Esse, *edere, manducare, comedisse, ab edo*, Iso.
354. Fermentati, *antiqui, corrupti*, Iso.
355. Imprudens, *o Judæa*, I.
356. Præductis, *præfiguratis*. — Pingere, *præfigurare*.—Sulcis, *scriptis*, I.
357. Vera, *quæ potestatem diaboli destruxit*, I.
359. Collinit, *linit*, I.

COMMENTARIUS.

333. Vel intelligit oculos mentis, et velamen super cor positum, vel narrat id quod probabiliter accidit, ut perterriti et metu confusi, faciem ipsi quoque Judæi velarint.

334. Ald., Gis., Pal., *rejecto*. Sich., Weitz. et nostri, *detecto;* Heinsius in *rejecto* Giselini nihil animadvertit, plane illum secutus. Vide ep. II ad Cor. III. 18.

338. In Parmensi editione non bene in fine hujus et sequentis versus apponitur nota interrogationis. Virg. lib. II, vers. 81 Georgicon, *ramis felicibus arbos*.

339. Virg. loc. cit., vers. 31, *radix oleagina*.

340. Epist. ad Rom. cap. XI, vers. 17, hæc comparatio expressa est, quam attigit S. Augustinus enarrat. 1 in psalmum LVIII : *Sunt ergo Judæi, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus gentibus. Quare hoc? ut demonstraret nobis Deus in inimicis nostris misericordiam suam. In ramis superbiæ præcisis inserto misericordiam suam demonstravit oleastro.* S. Prosper lib. de Ingratis : *Tu vero, o nova gens, veteris quæ stirpe oleastri Velleris, et sacræ ramis inolescis olivæ.*

342. Pro *se* habent *sis* Vat. A, Mar., Rat., Egm., Pal., Widm., Bong., Sich. Sed sensus postulat *se*.

343. In Mar. est *sulculos* a prima manu, male.

345. Prudentius sæpe *triste* pro amaro adhibet. Vide hymnum Cath. 5, vers. 93. Judæos monet, ne oculis iniquis Christianos aspiciant.

346. In Vat. A *in* desideratur. Put. a prima manu, *cæca*. Legendum *celsa*.

349. Hujusmodi ritus legere poteris cap. XII Exodi.

350. Vat. A, *agniculus*, perperam.

351. Gis. 1 ed., *in pecude est*, cum aliis vulgatis. Heinsiani et nostri codd., item Weitzius sine *est*. Weitzius ita interpungit : *Sed sacer, in pecude stultum est sic credere sacrum*. Alii, *Sed sacer in pecude, stultum est*. Sic correxit Giselinus in erratis 2 edit., advertens, Pascha Judæorum solum consistere in pecude, cum jam agnus non sit typus veri agni. In Put. a manu prima, *Sed sacrum in pecude*. Alicubi *stultum est sic credere Christum* pro *sacrum;* non placet. In Alex. est interrogatio, *Sed sacer in pecude?*

353. Fabr., inepte, *Lascivire coris similaginis, azymon esse*. Mariettus ait, Germanos adhuc panem album vocare *semel* a similagine. Chamillardus censet, male Prudentium vocabulum *similaginis* adhibuisse pro quocunque pane, cum similago sit nobilis, et laudata farinæ pars, et panes azymi nec ad gustum suaves fuerint, nec ad nutritionem utiles. Miror Chamillardum Prudentii acumen et egregiam sententiam non fuisse assecutum. Prudentius in Judæorum mores invehitur, qui ita veteres ritus mordicus retinerent, ut contra legis spiritum multa peccarent, nempe non solum choreas ducerent, sed etiam *lascivirent*, et cum panes azymi ad corporis afflictationem deservire deberent, illi delicias addebant, ex similagine eos conficientes : ut jure inter Christianos reprehenduntur, qui delicias in ciliciis quærunt. Judæorum recentium eadem est consuetudo, qui panes azymos non tantum ex similagine conficere solent, sed nonnunquam etiam saccharo, lacte et ovis additis delicatiores reddunt pro ægrotis et amicis, quos vocant *Mazab hascirab*, hoc est *azyma ditia*, eosque Christianis aliquando impertiuntur. Vide Leonem Modena *De' riti Ebraici*, et Calmetum Dict. Biblic., verb. AZYMUS et PASCHA. Alii SS. Patres non dissimili modo Hebræorum mores depravatos descripserunt et castigarunt.

354. *Fermentum* est a *ferveo :* hinc mores crimine *fermentati* recte dicuntur : et eadem proprietate *turgescere* illis convenit. Contra scriptores ecclesiastici *azymum* et *sine fermento* accipere solent pro *sancto*, et *sine malitia*.

355. Ald., *fingere;* alii, *effingere*.

359. In Vat. A, male, unica dictione, *collinitore* pro *collinit ore*. Loquitur poeta de cruce inscripta frontibus in sacramento confirmationis, præcipue tamen commendat merita passionis Jesu Christi. Vide hymnum 3 Cath., vers. 125 et seqq.

Hanc fugit exclusis Ægyptia plaga flagellis,
Hæc regis Pharii regnum ferale resolvit,
Deque potestatis mundanæ grandine densa
Eripit Abraham cum stirpe, et gente fideli.
Abrahæ genus est verum : cui sanguis in ore
436 Creditur, inscriptusque rubet : cui visus in orbe,
Haud dubitante fide, Deus est, Deus ex Patre verus.
Ille Deum vidit, visum mox credidit : at tu
Posteritas carnis, carnaliter omnia credens,
Carnis opus sub lege geris, quam spiritus implet
Interior : nec enim cœlo lex carnea fluxit,
Quam tu carne colis : sed Christo feta, meamque
Spem paritura utero; quam spem ? nisi luminis almum
Lumen, et adventum Domini, quem viderat Abræ
A Prima fides, nostrisque pater promiserat olim
Perspiciendum oculis, et legis voce probandum :
Nec solum legis : nam quæ jam littera Christum
Non habet, aut quæ non scriptorum armaria Christi
Laude referta, novis celebrant miracula libris ?
Hebræus pangit stylus, Attica copia pangit,
Pangit et Ausoniæ facundia tertia linguæ.
437 Pilatus jubet ignorans : I, scriba, tripictis
Digere versiculis, quæ sit suffixa potestas.
Fronte crucis titulus sit triplex, triplice lingua.
Agnoscat Judæa legens, et Græcia norit,
Et venerata Deum percenseat aurea Roma.
Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit;
B Quidquid ab arcano vomit ingens spiritus haustu,
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,

GLOSSÆ VETERES.

360. Hanc, *domum*, I.
361. Hæc, *passio*. — Pharii, *Ægyptii; sacrilegi. Pharus Ægyptus dicitur.*—Ferale, *virosum, mortale.* —Resolvit, *quia Christi passio potestatem diaboli destruxit*, I.
364. In ore, *fronte*, I.
365. Creditur, *immittitur, vel commendatur*, I.
368. Credens, *cernens*, I.
369. Geris, *facis*, I.
371. Feta, *mysteriis Christi plena*, I, Mar.
377. Armaria, *scrinia, volumina*, I.
378. Referta, *repleta, plena, completa*, I.
379. Attica, *Atheniensis, Græca locutio*, I.
380. Ausoniæ, *Latinæ, Italiæ, Romanæ*, I.
381. Tripictis, *tripliciter conscriptis*, Iso.
382. Digere, *dic, ordina, vel scribe.* — Suffixa, *cruci*, I.
383. Fronte, *in stipite*, I.
385. Percenseat, *perlegat*, I.
386. Reboans, *sonans, canens*, I.
387. Ab arcano, *a pulmone.* — Vomit, *profert.* — Ingens, *magnus*, I.
388. Casta, *ideo dicit castam, quia cum ea laudem virginum canebant.*—Chelys, *cithara, musa. Chelæ, id*

COMMENTARIUS.

360. Nonnulli Vulg., *Ægypti;* Pal., *Ægyptica.* Gis. in textu, Ald., Vatt. A, Q, Thuan., Ox., Noms., Urb., Sich., *flagellis.* Nonnulli Heins., Alex. et alii, *procellis*, quod Weitzius amplexus est; *flagra* sive *flagella Ægypti* vocantur ab Alcimo Avito lib. v, Gregorio Nazianzeno, Fortunato et aliis; quod confirmat legendum *flagellis*, præsertim quia *plaga* poscit *flagellis.*

365. Thuan. et duo Torr., *creditus.*

366. Oxon., *ex Patre vero;* lege *verus.*

368. Vat. B a prima manu, Mar. ab aliena manu, Widm. supra, Bong. et nonnulli vulg., *cernens* pro *credens.* Glossa Isonis, *cernens*, potius est diversa lectio.

371. Ald., minus bene, *Christo fixa.*

372. Becmanus, cap. 6 Manuduct. ad ling. Lat., monet, in quibusdam mendose legi *sed Christo fixa, meamque Spem paritur ut oro* pro *feta, meamque Spem paritura utero.* Pro *luminis* omnes Heinsiani. Bong. supra, Ald., Gis., *numinis*, quod exstat in Vat. A a prima manu, in Mar. a secunda manu. Weitzius, Vat. B, Prag., Rat., Widm. supra, Vat. A supra, Mar. a prima manu *luminis.* Teolius cum Heinsio facit, ac solum agnovit, Vaticanum unum præstantissimum habere *luminis.* Gifanius ex veteri libro ita quoque legendum ait : sic ante *de lumine lumen*, et in fidei symbolo *lumen de lumine :* crebro *lumen*, et *numen* inter se commutasse librarios notum est.

375. Prag., male, *perficiendum oculis.*

376. In Aldo mendum *namque jam.*

377. Armarium sumi solet pro tabulariis sive forulis, quibus libri collocantur, ex interprete Juvenalis, Tertulliano, Sidonio et aliis.

378. Rat., *laude refecta* a prima manu, non bene.

381. Primus omnium Aldus edidit *I, scriba ;* sed cum mendum typographicum irrepsisset, nempe *sicriba*, et errorem clare correxisset in *emendatis*, alii editores posuerunt *tu scriba.* Nebrissa vero errorem transcripsit *sicriba.* Neque Heinsius correctionem animadvertit; sed cum Salmasio vestigium veræ lectionis in Aldina editione exstare affirmavit in *sicriba :* et ex suis vetustis pene omnibus restituit *I, scriba.* C Ex quo arguo, unam tantum exstare Aldinam editionem anno 1501 peractam : non enim credibile est, ut hic error *sicriba*, jam in prima animadversus et correctus, in secunda replicaretur. Codices nostri variant. Prag., *tu scriba.* Vatt. A, Q, *inscripta.* Rat., *scribenda.* Mar., *scribenda*, supra charactere minutiori *inscripta ;* in margine apparet fuisse *scriba*, licet evanuerint characteres. Non dubito, quin vera sit lectio *I, scriba*, quam exprimit Alex., et prope accedit Urb. *o scriba.* Librarii, quid esset illud *I* non intelligentes, ex ingenio suo novam lectionem procuderunt. Vide hymnum Cath. 12, vers. 99 : *Satelles, i, ferrum rape.*

383. Rat., *triplici*, quod recte emendatum est supra *triplice.* In editione Parmensi deest vocabulum *triplex, Fronte crucis : titulus sit triplice lingua.* Non constat versus, ut vides. De titulo crucis triplice lingua vide Joan. cap. XXIII, 38; Lipsium de Cruce II, in notis cap. 11, et alios. Sepulcro Gordiani Augusti milites titulum adhibuerunt litteris Græcis, Latinis, D Persicis, Judaicis et Ægyptiacis, ut ab omnibus legi posset, ut refert Capitolinus.

386. Ald., mendose *canore boans* pro *cavo reboans.* Fab., *Ære cavo quidquid reboans.* In meo exemplari Weitzii ad marginem est *hausto.* His versibus multi probant licere in ecclesia uti instrumentis musicis. Vide Baronium, tom. I Annal., pag. 578, ad ann. 60, qui Prudentii auctoritate ostendit Christum instrumentis musicis laudari solitum. Gis. huic præposuit versum seq.

387. Gis. 1 edit., *in arcano* pro *ab arcano.* Prag., *haustus;* Gis. ad marg., *hausto.* Melius alii, *haustu*, sc. arcano seu occulto haustu.

388. Videtur nonnullis idem esse *chelus* ac *testudo.*

Organa disparibus calamis quod consona miscent,
438 Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra:
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum
Muta etiam, fidibus sanctis animata, loquuntur.
O nomen prædulce mihi! lux, et decus, et spes,
Præsidiumque meum! requies o certa laborum!
Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons,
Castus amor, pulchra species, sincera voluptas!
Si gens surda negat sibi tot præconia de te,
Tam multas rerum voces, elementaque, tantæ
Nuntia lætitiæ, stolidas intrare per aures:
Audiat insanum bacchantis energima monstri,
439 Quod rabidus clamat capta inter viscera dæmon,
Et credat miseranda suis; torquetur Apollo,
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest: agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat antistes Domini: Fuge, callide serpens,
Exue te membris, et spiras solve latentes.
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas.

GLOSSÆ VETERES.

est, brachia, vel cithara magna in cœlo. Unde chelæ Scorpionis, id est brachia: est autem Græcum.—Testudo, *musa, vel cithara magna in cœlo*, I.

389. Disparibus, *non similibus*, I.

390. Æmula, *imitantia, respondentia, vel resonantia*, I.

392. Fidibus, *sonis*, I.

397. Surda, *Judaica.*—Sibi, *ad suam utilitatem.* — Præconia, *laudes*, I.

398. Elementaque, *significationes, quia res per figuras loquuntur*, I.

400. Insanum, *insane.* — Bacchantis, *furentis.* — Energima, *illusionem, vel imaginem, furias, vel pigritiam, vel inertiam, sive melius illusionem. Energima imaginatio, vel phantasia: unde qui phantasias dæmonum patiuntur, energumeni dicuntur*, Iso, Vat. T.

402. Credat miseranda, *miserabilis gens Judæorum. Judæa.* — Suis, *sociis, monstris, sive vicinis*, I.

403. Fulmina, *terrores verbi Dei.* I.

404. Tot verbera, *quot vicibus repetit sacerdos verba, dæmones adjurans, tot verberibus affliguntur*, Vat. A.

406. Antistes, *unusquisque Christianus dæmona expellens*, I.

407. Spiras, *tortitudines, vel calliditates, vel nodos*, I.

408. Mancipium, *servum.*

COMMENTARIUS.

Aliqui tympanum *chelyn* interpretantur.

391. *Concelebrat, sonat*, verum est: nam metrum rejicit *sonant*. Vat. B a secunda manu, *concelebrant, sonant*. Rat., Mar. a prima manu, *concelebrant*. Apud Weitzium Fabr., Gis. et Bong., *concelebret, sonet*, et infra *loquantur*; sed Giselinus mihi in utraque editione *concelebrat, sonat, loquuntur*. Fabricium recte citat, cui consonat Gallandius cum Torn.

392. Conradus Samuel Schurtzfleischius in Controversiis Antiq. Eccles. cap. 19, erudite de organis disserit; et in Occidente ante annum 757 organum visum negat. Sibi objicit ex Prudentio hunc versum, et alterum ex ead. Apoth. 148: *Organa, sambucas, citharas, calamosque tubasque:* quibus organa, quorum nunc est usus, fistulis plumbeis composita Prudentium non designare contendit. Sed melius poterat pro organis apud veteres allegare vers. 389: *Organa disparibus calamis quod consona miscent*, ubi instrumentum nostris organis simile describitur. Vide supra not. ad vers. 148. Organorum, quibus folles adhiberentur, antiquior est usus quam multi viri eruditi putant. S. Augustinus in psal. LVI: *Organum dicitur, quod grande est, et inflatur follibus.* De his intelligo Prudentii *organa disparibus calamis*, et organa Ecclesiæ Parisiensis, de quibus Fortunatus lib. II, carm. 19: *Hic puer exiguis attemperat organa cannis.* Organum nostris simillimum describit Claudianus, de Consulatu Mallii Theodori: *Et qui magna levi detrudens murmura tactu, Innumeras voces segetis moderatius ahenæ, Intonat erranti digito, penitusque trabali Vecte laborantes in carmina concitat undas.* Hydraulicum videtur hoc fuisse organum. Alia erant pneumatica, de quibus Augustinus, Isidorus et Plinius lib. VII, cap. 37, qui pneumatica et hydraulica organa videtur distinguere. Confer. Gloss. Ducangii.

395. Nomen Jesu Christi *dulce, blandus in ore sapor, mel in ore, in aure melos, in corde lætitia*, et similia apud S. Bernardum, serm. 15, in cant. et alios passim. Ex Prudentio id sumpsisse S. Bernardum putat Teolius. Idem scribit *flagrans odor*, nisi mendum est pro *fragrans*.

399. Egm., male, *auras* pro *aures*

400. Put., *inergima*; Pal., *inhergima*, Ald., Urb., Bong. a prima manu, Torn., *energia*, Mar., *inergia*; in marg., *inergima*; Sich., Alex., *energima*. Vat. Q, *inergia nostri*. Bonon., *inorgia*, sive *in orgia*, male. Græca vox effertur, ἐνέργημα; Latine ea usus est Tertullianus pro *opere, effectu, vi, efficacia*. Cur penultima corripiatur, dixi in proleg. Notat Mariettus, ad hunc locum respexisse Gregorium Turonensem lib. VII, pag. 414: *Nonnulli, arrepti a dæmone, per energiam debacchantes, martyrem declamabant.*

402. Dæmones, e corporibus obsessorum olim emigrare jussi, nomina deorum quos ethnici colebant, se habere profitebantur. Lactantius, lib. II, cap. 16: *Justos autem, id est, cultores Dei, metuunt* (dæmones) *cujus nomine adjurati, de corporibus exeunt: quorum verbis, tanquam flagris, verberati, non modo dæmones esse se confitentur, sed etiam nomina sua edunt, illa quæ in templis adorantur*, etc. Plura in hanc rem affert Baronius tom. I Annal., pag. 413, ubi maxime hæc Prudentii verba eminent, quibus quamdam exorcismi formulam contineri doctissimus cardinalis affirmat. Vide S. Paulinum Natali 11, vers. 95 et seqq., et quæ notant Wowerus, Elmenhorstius, Heraldus et Ouzelius hunc Minucii locum: *Hæc omnia sciunt plerique, pars vestrum, ipsos dæmonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus, et Serapis, et Jupiter, et quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt, eloquuntur.* Homines a malis dæmonibus vexati vocantur *energumeni*; quo pertinet, opinor, vox illa Prudentii, Severi Sulpicii, Gregorii Turonensis et aliorum *energima*. Siquidem energumenus est dæmoniacus, qui operationes diabolicas imitatur.

403. Rat., *nec flumina*, a prima manu, male.

407. Egm., male, *exui te* pro *exue te*. Heinsius conjicit *et spira solve latentem*, hoc est, *solve te spira, sub qua lates.* Lectio codicum magis placet *spiras solve latentes*, non enim magis latet dæmon, quam ejus spiræ.

408. Gis. ad oram, *cur, corruptissime, vexas?* Recentiores, *fur*, et *vexas?*

440 Desine, Christus adest, humani corporis fultor: A
Non licet, ut spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi, ventose liquor: Christus jubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Ejulat, et notos suspirat Juppiter ignes.
Ecce geraseuos legio ruit effera porcos,
Et, post multiplices busti sub rupe catenas,
Pœnarum gemitus longis grunnitibus edit.
Clamarat sed ab ore hominis: Cognoscimus, Iesu,
Nate Deo, nate sceptris, et germine David,
Qui sis, quid venias; qua nos virtute repellas,
441 Novimus, adventusque tui terrore jacemus.
Hæc, Judæa, tuas vox non pervenit ad aures?
Pervenit: mentem sed non penetravit egenam
Lucis, et a primis foribus disclusa refugit.
Audiit adventum Domini, quem solis Iberi
Vesper habet, roseus et quem novus excipit ortus.
Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas
Vox evangelica, Hyrcanas quoque fervida brumas
Solvit, ut exutus glacie, jam mollior amnis
Caucasea de cote fluat Rhodopeius Hebrus.
Mansuevere Getæ, feritasque cruenta Geloni
442 Lacte mero sitiens exsanguia pocula miscet,

GLOSSÆ VETERES.

410. Spolium, *corpus*, I.
411. Ventose, *defluens*, *instabilis*, I.
412. Cyllenius, *Mercurius*, *a monte Cylleno*, I.
413. Ignes, *furores*, *iras*, I.
416. Grunnitibus, *grunnitus proprie vox porcorum est*, Iso.
419. Quid, *cur*, I.
420. Jacemus, *prostrati*, I.
422. Egenam, *miseram*, I.
423. Lucis, *aurium tuarum*, Vat. A.
424. Iberi, *Hispanici*, *Iberia*, *Hispania*, I.
425. Ortus, *solis*, *qui habitat in Oriente*, I.

B 426. Laxavit, *calefecit*, *vel mollivit*, Vat. A. — Laxavit, *mollefecit*. — Pruinas, *in aquilone*, I.
427. Hyrcanas, *Scythicas*. — Brumas, *hiemes*, I.
428. Amnis, *Tanais*, I.
429. Caucasea, *petrosa*. — Rhodopeius, *Rhodope*, *mons*, *de quo emanat Hebrus fluvius*, I. — Cote, *rupe*, Mar.
430. Getæ, *Gothi*, *qui prius feroces erant*, I. — Geloni, *gentes Scythiæ*, *stigmata sibi*, *ut Sergius dicit*, *more Scottorum inurentes*; *populi Scythiæ*, I.
431. Mero, *puro*, I.

COMMENTARIUS.

410. Put. a manu prima, *Christus adhæsit*.

412. In Mar. a manu prima, *medius Cyllenias*.

413. In glossa IGNES dicuntur esse *iræ*, *furores*; melius intelligi possunt ignes, quibus dæmon ardet; ut Mercurius, sive Cyllenius dicitur etiam ardens, nisi mavis respexisse poetam ad Jovis libidinem, de qua multa fabulæ. Verior tamen interpretatio desumitur C ex Minucii verbis relatis ad vers. 402, *a nobis tormentis verborum*, *et orationis* INCENDIIS *de corporibus exiguntur*. Hinc restituendum putarem *nostros ignes*. Cauchius conjicit *admotos ignes*. Res constat ex Lactantio cap. 22, lib. V: *Nomine Dei veri fugantur. Quo audito tremunt*, *exclamant*, *et* URI *se*, *verberarique testantur*. Et lib. II, cap. 16: *Itaque maximis sæpe ululatibus editis*, *verberari se*, *et* ARDERE, *et jam jamque exire proclamant*. Poeta noster hymno 1 Perist. incendia orationum et gehennæ ignem quo dæmones ardent, conjungit vers. 106: *His modis spurcum latronem martyrum virtus quatit: Hæc coercet*, *torquet*, URIT. Denique fugit dæmon *Confitens* ARDERE *sese: nam gehennæ est incola*.

414. In Put., *gerasinos*. Optimæ membranæ, *ruit*; Fabr. et Gis., *irruit*. Widm. supra, Vat. A a prima manu *obruit*, quæ est glossa: nam *ruit* Virgilianum esse observavit Heinsius. Prudentius *a* in *gerasenos* producit, quamvis Juvencus corripuerit. Hæc eadem D historia exposita est hymno Cath. 9, vers. 55 et seqq.

417. Confer. Matth. cap. VIII, Marci cap. I, III et V, et Lucæ cap. IV et VIII. Ald., Egm., Palat., *Iesum*, alii *Iesu*.

418. Fabr. et Gis., *nate et sceptris*. Abest a codicibus *et*, quod revera superfluum est. In Urb., *nate ex sceptris*, in Vat. Q, *nec te sceptris*, male.

419. Ald., Gis., Urb., tres vetustiores Heinsiani, Vat. A, *quis sis*, *quid venias*. Rot., tres Torren., Fabr., Cauch., *qui sis*, *qui venias*. Prag., *qui sis*, *quid venias*. Vat. B, Alex., Mar., Weitz., *quid sis*, *quid venias*, Quolibet ex his modis sententia eadem constat, *qui sim* Virgilianum est. Burmannus, tom. I Antholog., pag. 417, ex Egm. præfert *quid sis*, et ab Ovidio ita dici confirmat. An dæmoni clare perspectum fuerit mysterium Incarnationis, quæri solet. Nonnulli putarunt dæmones illud agnovisse, non autem dæmonum principem diabolum; quod ineptum est. Alii tenent, ante prædicationem non cognovisse, post prædicationem vero ita cognovisse, ut redemptionem hominum per mortem ignorarent. Plerique cognitionem conjecturæ, non certam, statuunt.

421. In Heinsii editione, quod raro illi accidit, mendum irrepsit, *aureas* pro *aures*. In notis vero ejus editionis plura occurrunt menda, etiam contra sensum, et quæ non facile a quovis animadvertantur. Quod eo a nobis dictum est, ne alii fama editionis Heinsianæ et Elzevirianæ decipiantur. In Mar., mendose, *diras mox*.

423. Prag., *discussa*; alii *disclusa*. Glossa videtur trajicienda ad verbum *foribus*.

424. Error Aldi *solus* pro *solis*.

425. Heinsius cum Put., Thuan., Rot., duobus Torrent., *Vesper habet*, *roseos et qui novus excipit ortus*, quod omnino legendum existimat, quia *roseus vesper* perperam dicitur: id enim convenit *ortui*. Mihi aliorum lectio placet, si recte verba distinguantur: *quem solis iberi Vesper habet*, *roseus et quem novus excipit ortus*. Scilicet *roseus novus ortus*. Imo *qui novus excipit* minus recte dicitur, nisi *novus* significet *primus*. Ut autem ait *quem vesper habet*, sic *quem excipit ortus*. In *roseus* poeta more suo producit ultimam ratione cæsuræ. In Alex. abrasum est *roseus*, quod in Urb., Vat. Q et aliis clare legitur. Bonon. et Teol. cum Heinsio faciunt.

428. Noms., *exutus glaciem*, eleganti Græcismo ait Heinsius. Gis., *et exutus*.

429. *Cotem* pro *caute* dixit etiam hymn. 11 Cath., vers. 72. In Put., *Hebros* pro *Hebrus*, more Græcorum, vel etiam veterum Latinorum. Gis., *fluit*.

430. Prag., *Gelonum* quasi *Gelonorum*. De Gelonis vide Savaronem pag. 224 ad Sidonii verba *equimulgas Gelonos*, hoc est, mulgentes equos, et lac equinum sugentes.

Libatura sacros Christi de sanguine potus.
Novit et Atlantis pridem plaga perfida Mauri
Dedere crinitos ad Christi altaria reges.
Ex quo mortalem præstrinxit spiritus alvum,
Spiritus ille Dei, Deus, et se corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit:
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Non tripodas cortina regit, non spumat anhelus
443 Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit insanos mendax Dodona vapores,
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ,
Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon:
Ipsa suis Christum Capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum, destructaque templa
Imperio cecidisse ducum; jam purpura supplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Christi,
Vexillumque crucis summus dominator adorat.
Principibus tamen e cunctis non defuit unus,
444 Me puero, ut memini, ductor fortissimus [armis,

GLOSSÆ VETERES.

432. Libatura, *bibens, vel bibitura*, I.
433. Atlantis, *mons ad meridianum*. — Mauri, *populi*, I.
434. Dedere, *offerre*, I.
435. Præstrinxit, *prœoccupavit*, I.
438. Delphica, *Apollinea. Delphi locus est in Græcia, in quo Apollo colebatur.* — Antra, *responsa*, I.
439. Tripodas, *mensas Apollinis.* — Cortina, *secretum quod cortinis oppansum est.* — Spumat, *loquitur*, I.
440. Fanaticus, *fanorum sacerdos*, I.
441. Dodona, *silva, civitas Græciæ.* — Vapores, *hostias*, I.
442. Cumæ, *civitatis*, I.
443. Libycis, *Africanis arenis.* — Ammon, *Jovis. Juppiter Afrorum*, I.
444. Mœrent, *dolent, vel timent*, I.
446. Purpura, *regalis dignitas*, Vat. A.
447. Æneadæ, *Romani, quod de Ænea sint orti*, I. — Atria, *templa*, Vat. A.
448. Dominator, *imperator, Cæsar*, I. *Constantinus*, Vat. A.
449. Tamen, *etiam*, I.
450. Fortissimus, *Julianus*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

432. En apertum de præsentia corporis et sanguinis Jesu Christi in eucharistia testimonium. Nam olim Christianos sub utraque specie sacra synaxi refici solitos res nota est omnibus.

433. Bong., Widm. a manu prima, et nonnulli Vulg. apud Weitzium *fervida*, non absurde, quamvis jam præcesserit. Sic Avitus lib. v: *Plaga fervida cœli*. Sed Ald. cum Heinsianis et nostris, Weitz., Gis., *perfida. Punica fides* abiit in proverbium.

435. Gifanius Collect. Lucret. hunc locum illustrat. Videlicet EX QUO, *postquam, jam vero postquam;* PRÆSTRINXIT, *occupavit, obsedit, obumbravit, ut Scriptura loquitur.* Summa est, nato jam Christo evanuisse falsa ethnicorum oracula. Alii scribunt *perstrinxit*, alii *præstrinxit*.

436. Heinsius cum Put. et Thuan., *Spiritus ille Deus, Deus.* Alii, *Spiritus ille Dei, Deus.* Hoc etiam loco Verbum vocatur *Spiritus.* Vide quæ supra dixi.

438. Vat. A, *sordibus*, minus bene, pro *sortibus.* Gifanius ex vet. lib. *jacuerunt* pro *tacuerunt*, non probo.

439. Bong., Widm., Ald., Mar., Prag., *regit*, cum Alex., Urb. et Vat. Q. Alii fortasse melius *tegit*, quod Gifanius tuetur: nam cortina erat operculum, et integumentum æneum tripodis. Virgilius lib. III Æn., *adytis cortina reclusis.* Vocabatur etiam cortina tripus, sive vas illud ingens Delphis aureum, quo insternebatur mensa, in qua oracula fundens Pythia assidebat. Explicatius isthæc ab interpretibus Virgilii aliisque traduntur. Servius ait, esse locum, unde oraculum exit. Cortinæ in alio genere apud Isidorum lib. XIX, cap. 26, sunt aulæa, seu vela de pellibus. Illud a nobis aliquis quærat, verumne sit falsorum numinum oracula tacuisse, postquam Verbum caro factum est. Scriptus est Gallice liber anonymus, cujus auctor fuit Balthus S. I., de Silentio oraculorum adversus Antonium Van Dale, anabaptistam, medicum Harlemensem, et ejus defensorem D. Fontenelle, Latine redditus anno 1725. Balthus, part. 3, cap. 3, ostendit Prudentium hoc loco cum reliquis SS. Patribus consentire, quia etiamsi de incarnatione dominica loquatur, tamen conjungit idolorum eversionem et ruinam paganismi. Id confirmat interpretatio Gifanii, quam exposui, EX QUO, *postquam:* non enim poeta asserit, illico omnia ubique oracula siluisse. Plutarchus tractatum edidit de Silentio oraculorum, de quo libro fuse idem Balthus disserit part. 3, cap. 9. Nobis ad alia properantibus hæc indicasse sufficiat: sed non est omittendum responsum, quod ex oraculo Delphico accepit Augustus, cum misisset legatos suos sciscitatum de rebus futuris, ut referunt multi: *Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans, Cedere sede jubet, tristemque subire sub orcum. Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.* Confer etiam lib. I adversus Sym., vers. 245, ubi iterum Van Daleus refellitur.

440. Prudentium hoc loco rejicere carmina Sibyllina, quæ inter Christianos circumferebantur, nonne mo affirmat, mihi non liquet. Romani ad Sibyllinos libros, tanquam ad oracula, confugere solebant. Recenset Prudentius celeberrima veterum oracula, Delphicum, Sibyllinum, Dodonæum, quod in Dodonea Epiri silva quercus, et his insidentes columbæ reddebant, Cumæum, ubi antrum Cumanæ Sibyllæ, Ammonium in Libya.

441. Insanos vapores vocat furorem fanaticum, cujus materia a medicis vapor calidus, et urens in cerebrum elatus statuitur. Ita explicat medicus Giselinus, non infelix interpres in cæteris partibus, in hac vero optimus.

443. Non est reprehendendus poeta, quasi oraculum Ammonis in Marmarica regione, ubi *Syrtes* erant, collocaverit. De alia significatione Syrtium jam dixi hymno 7 Cath., vers. 30, et videri potest Turnebus num. 506 Advers., qui hunc versum citat.

444. *Capitolia Romula* pro Jove Capitolino sumi, præcipue a nostris scriptoribus, Augustino, Cypriano et aliis, observavit Peveratus.

446. *Purpura* pro imperatore, ut apud Claudianum III Stiliconis, *Posito jam purpura fastu*, Vide Bulengerum, de Imper. Rom. lib. II, cap. 4.

449. In Vat. A, male a prisca manu, *tamen cunctis.* S. Gregorius Turonensis lib. I de Gloria martyrum, cap. 4: *Sicut Prudentius noster in libro contra Judæos meminit*, etc., *Principibus tamen e cunctis*, etc., usque ad versum *Erigit in cœlum facies, atque invocat Iesum.* Multi alii, qui de crucis laudibus commentarios conscripserunt, hos Prudentii versus commemorant, et cum auctoris elogio describunt: omissi tamen sunt in opere Hispanico Petri Ordonez de Zevallos, Matriti, 1614, de hoc argumento: *Quarenta triunfos de la SS. Cruz de Christo*, ubi multa hujus generis congeruntur.

450. Gregorius Turonensis legit *quem puero memini:* mendum codicum puto. Contemnendæ glossæ sunt, quibus Symmachus ductor iste *perfidus* esse dicitur, de quo Prudentius. Fortasse eam ob causam recentio-

Conditor et legum, celeberrimus ore, manuque. A
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Relligionis, amans tercentum millia divum,
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus Urbi,
Augustum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis, et soleas Junonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incerare Dianæ:
445 Quin et Apollineo frontem submittere gypso,
Aut Pollucis equum suffire ardentibus extis.
Forte litans Hecaten placabat sanguine multo:
Pontificum festis ferienda securibus illic
Agmina vaccarum steterant, vitulasque revincta
Fronte coronatas umbrabat torta cupressus.
Jamque insertato reserabat viscera cultro
Vittatus de more senex, manibusque cruentis
Tractabat trepidas lethali frigore fibras,
Postremosque animæ pulsus in corde tepenti
Callidus interpres numeris, et fine notabat,
Cum subito exclamat media inter sacra sacerdos
Pallidus: En quid ago? majus, rex optime, majus,
Nescio quod numen nostris intervenit aris,
Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte,
446 Cæsarum sanguis pecudum, verbena, coronæ.
Accitas video longe dispergier umbras.
Territa Persephone vertit vestigia retro,
Exstinctis facibus, tracto fugitiva flagello.

GLOSSÆ VETERES.

451. Conditor, *constitutor, constructor.* — Celeberrimus ore, manuque, *famosissimus eloquio et potestate*, I.
453. Relligionis, *Christianitatis*, I.
455. Augustum, *nobile.* — Curvare, *solebat, vel curvabat*, I.
456. Soleas, *ima pedum, id est vestigia.* — Lambere, *lambebat*, I.
457. Advolvi, *advolvebatur, et incurvabat*, I.
458. Quin, *insuper.* — Gypso, *lapidi simulacro*, I.
459. Pollucis, *quia domitor fuit equorum.* — Suf- B fire, *infumare, fumigare.* — Extis, *visceribus*, I.
460. Hecaten, *Dianam*, I.
464. Insertato, *immisso.* — Reserabat, *secabat*, I.
466. Trepidas, *palpitantes*, I.
468. Callidus, *ingeniosus.* — Fine, *qualis sit finis.* — Notabat, *secundum consuetudinem illorum*, I.
472. Cymbia, *vasa oblonga. Cymbia, poculorum genera quæ et carchesia dicuntur, a similitudine cymbæ navis nuncupata*, I.
474. Umbras, *imagines dæmonum*, Iso.
475. Thesiphone, *Diana, vel Persephone*, I. — Thesiphone, *Diana*, Vat. T.

COMMENTARIUS.

rum aliquis Symmachum *apostatam* appellavit. Vide proleg. num. 52. Sermonem esse de Juliano Apostata nemo adeo erit insipiens qui neget. Mariettus prope videtur fuisse, ut glossæ de Symmacho loquenti fidem præstaret. Peveratus hinc colligit, Prudentium adfuisse præsentem sacrificio Juliani, quod a Prudentio describi putat in Romano, vers. 1011 et C seqq. Id mihi non probatur.

451. Marcellinus refert Julianum jura in melius correxisse.

454. Put. et Thuan., *orbi;* alii, *Urbi*. Recentiores amplexi sunt *orbi*, quod Gallandio non placet, mihi non displicet.

456. Apud Gregorium Turonensem diversa lectio ex Colbertino codice *plantas:* quæ admitti nequit. Adverte, *soleas* esse genus calcei feminarum proprium, neque eis uti solitos viros, nisi raro, et in conviviis; quibus probro vertebatur, si soleati incederent. Recte igitur Prudentius ait, *soleas Junonis*. Vide plura in hanc rem in Balduini opere de Calceo antiquo cap. 11, ubi hos versus laudat, quos pariter illustrat Heraldus, pag. 378 ad Arnobium.

457. Aldus cum Urb., Vat. Q, aliisque, *incurvare*. Alex., Put., Thuan., Oxon., Gregorius Turonensis, *incerare*, quod verum puto, et mutuatum a Juvenali satira 10, *genua incerare deorum*. Idem Prudentius D Hamartig. vers. 404, *Incerat lapides*, etc. Alii intelligunt, *incerare* esse tabellas cereas appendere ante statuas, alii toties statuas osculari, ut saxa sordida fierent, et quasi cera obducta. Neutra interpretatio placet: nam Prudentius lib. I adversus Sym., vers. 203, ait: *saxa illita ceris Viderat unguentoque lares humescere nigros*. Quod rem veram designat. Consuetudo fuit ethnicis ungendi oleo, aut cera statuas deorum. Arnobius lib. I Adversus gentes: *Siquando conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine odoratum tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco*. Clemens Alexandrinus lib. VII Strom.: *Hi sunt illi ipsi qui omne lignum et omne saxum, modo oleo inunctum vel lubricatum esset, adorabant*. Vide supra vers. 293. Corporis partes alias aliis diis ethnici consecrabant, genua *Misericordiæ*. Peveratus ex Apuleii Apologet. et Plinio epist. ad Trajanum colligit vota quæ pro alicujus incolumitate solvebantur, consuevisse non tantum tabellis mandari, sed et cera figi, et quidem plerumque in femore genuque deorum annulo obsignari, et ita explicat *incerare*.

460. Gregorius Turonensis *Achatem* pro *Hecatem*, male; *sanguine multo* apte de sacrificiis Juliani, quibus *agmina vaccarum* immolabantur. Consule historias.

463. Carolus Paschalius de Cor. pag. 256, cap. 17, lib. IV, victimas plerumque coronatas cupressu fuisse ex hoc loco maxime probat, et multa congerit de cupressu.

464. Ald., Egm., Heinsiani codd., *reserarat*, quod fuisse videtur in Vat. B a prima manu. Alii *reserabat* cum Weitz., et Gis. Paschalius, loc. cit. pag. 245, cap. 13, copiose disserit de sacerdotibus vittatis et coronatis ex Prudentio et aliis.

469. Weitzius, *tum;* alii *cum*.

471. Ald., Pal., Heinsiani codd., *numen, nescio, quod*. Alii, *nescio quod numen*.

472. Ex Virgilio lib. III Æn. vers. 66: *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte*.

473. Verbena adhiberi solita erat in sacrificiis: quo nomine etiam alias herbas quæ adhibebantur, vocatas aliqui putant.

474. Veteres libri, *accitas*, cum Gregorio Turonensi. Weitzius scripsit *ascitas*. Heinsius opinatur a prisca manu fuisse *eccitas*, hoc est *excitas*, quod proprium in re magica est verbum, ut multis ex locis constat.

475. In Thuan., *Thersisore*, Weitz. cum Widm. a prima manu, Vatt. B, Q, Prag., Rat., Mar. a prima manu *Thesiphone* vel *Tesiphone*. Cauchius ex conjectura, *Tisiphone*. Recte alii, *Persephone*, id est Proserpina, de cujus sacris hic agitur.

476. Rot., *fracto* pro *tracto*, non inepte: adhæret Egm., Heins., Cham. et Teol. Fortasse *torto*. Virg., *verbere torto*. Val. Flaccus, *torto furiarum erecta flagello*.

Nil agit arcanum murmur : nil Thessala prosunt A
Carmina : turbatos revocat nulla hostia manes.
Nonne vides, ut thuribulis frigentibus ignis
Marceat? ut canis pigrescat pruna favillis?
Ecce palatinus pateram retinere minister
Non valet, elisa destillant balsama dextra,
Flamen et ipse suas miratur vertice lauros
Cedere, et incertum frustratur victima ferrum.
Nescio, quis certe subrepsit Christicolarum
447 Hic juvenum ; genus hoc hominum tremit infula, et omne
Pulvinar divum. Lotus procul absit, et unctus.
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, et exsanguis collabitur : ac velut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum,
Ipse quoque exanimis posito diademate princeps
Pallet, et astantes circumspicit, ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo :
448 Qui Zoroastreos turbasset fronte susurros.
Armiger e cuneo puerorum flavicomantum
Purpurei custos lateris deprenditur unus ;
Nec negat, et gemino gemmata hastilia ferro
Projicit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosiluit pavidus dejecto antistite princeps,
Marmoreum fugiens nullo comitante sacellum,

GLOSSÆ VETERES.

477. Thessala, *magica*, I.
482. Elisa, *concussa, tremula*, I.
483. Flamen, *sacerdos Jovis, quasi filamen dicitur, quia filam rubeam in capite portabat*, I.
484. Frustratur, *eludit*. I.
486. Infula, *vestis sacerdotis*, I.
487. Pulvinar, *locus, vel collocatio*. — Lotus, *baptizatus, unctus, cum Chrismate*, I.
488. Proserpina, *Diana*, I.
490. Exerto, *emisso, nudato, vel expedito*. — Fulmine, *gladio*, I.

B 494. Zoroastreos, *Zoroastres idem dicitur Mesraim, qui auctor idololatriæ extitit ; vel Zoroastres, magorum primus, et rex Bactrianorum fuit, quem Ninus rex Assyriorum prælio interfecit, a quo Zoroastreus nomen adjectivum ; vel ad ejus sectatores, vel ad ipsam magicam artem pertinet. Zoroastreos, magica secreta. Mesraim Jupiter fulmine percussit, et ideo inter astra ferunt eum assumptum, quem ideo Zoroastren appellant, id est, vivens astrum*, I.
496. Lateris, *regis*, I. — Unus, *quidam ipsum Prudentium intelligi volunt*, Prag.

COMMENTARIUS.

477. Ald., *hircanum*, minus bene pro *arcanum*. Sidonius æmulatus videtur Prudentium in Panegyr. ad Anthemium, *Chaldæus in extis Pontificum de more senex arcana peregit Murmura*. Elmenhorstius in Arnobium pag. 31 plura habet de *murmure arcano* magorum, sive *fremore verborum*, ut Arnobius vocat.

483. Paschalius de Coronis pag. 247, cap. 13, lib. C IV, ex Prudentio se discere ait, flaminis Romani coronam fuisse lauream, his laudatis versibus.

485. Dulcissimos vocat hos versus Barthius lib. XLI, cap. 27 Adv. Diversa videtur esse historia, quam de eodem Juliano Apostata Gregorius Nazianzenus orat. 1 contra Julian. refert de Cruce coronata, seu circulo inclusa : alia erat crux coronata, cui scilicet corona supra imponebatur. De utraque docte disserit Rosweydus ad Paulinum in epist. 12. Historiam similem Lactantius narrat lib. IV, cap. 27 : *Cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant. Nec responsa potest consultus reddere vates. Et hæc sæpe causa præcipua justitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cum intelligerent haruspices, instigantibus iisdem dæmonibus, quibus prosecrarant, conquerentes, profanos* D *homines sacris interesse, adegerunt principes ipsos in furorem.*

486. Vat. A, *hoc* ; Vat. B. Mar., *hic juvenum* cum aliis. Sed Aldus non bene distinguit : *Christicolarum. Hic juvenum genus hoc hominum tremit, infula, et omne*, etc. Gis. 2 edit., *huc juvenum*. Fabr. *Huc juvenum : tremit hoc hominum genus infula* idoneo sensu. Heinsius edidit *hic*, sed non ait quos codices secutus, quamvis Giselinum deseruerit.

487. Lucianus in Pseudomante de impostore Alexandro : *Primo quidem die Atheniensium ritu denuntiatio fiebat hujusmodi : Si quis impius, aut Christianus, aut Epicureus mysteriorum explorator accessit, discedat. Cæterum qui Deo credunt et parent, sacris feliciter initientur. Sub hæc protinus exigebantur, illo præeunte, dicenteque : Foras pellantur Christiani.* His verbis *lotus et unctus* sacramentum baptismi et confirmationis exprimi certum est. Vide hymn. Cath. 6, vers. 128, et Baronium tom. I Annal., p. 249, ac confer Malvendam de Antichristo cap. 10, lib. VII, qui hos versus laudat ; ut Gretzerum de Cruce et alios innumeros prætercam.

490. Consule Baron. loc. cit., et Paschalium de Coronis p. 246, c. 13, lib. IV, qui ex hoc loco docet, ipsos principes, quoties sacrificabant, regalibus insignibus fuisse conspicuos.

491. In nonnullis Vulg., *examinis*, mendose, pro *exanimis*.

492. Put., *circum inspicit*, bono quidem sensu, quod præfert Teol. cum Heins., sed plerique habent *circumspicit*, quod exstat etiam apud Gregorium Turonensem loc. cit. Vat. B. *nequis* pro *et quis*, vel *ecquis*. Vide supra vers. 186 quod notat Gifanius de hac voce *et quis*.

493. Rot., *signarit*, quod placuit Heinsio. S. Gregorius Turonensis loc. cit., *signaret* ; sed in tertio ms., *signarit*, ut animadvertit editor. Codices Heinsiani, Mar., Sich., Urb., Alex. Vat. Q, Teol., Tornæs., editio Basil. in textu, Ald., Egm., Widm. a prima manu, *ligno*, quod aptius cohæret cum *signaret* quam *signo*. Aliunde tamen *lignum* Chrismatis non ita apposite dicitur. Chamillardus falso ait, omnes legere *signo* ; ipse legit *ligno* cum Heins. Gallandius mavult *ligno* quia postea vers. 498 occurrit *ac signum Christi*, quæ ratio imbecilla est. Præfero *signo*.

494. Aldi error *turbas et*. Prag., *turbarit*.

495. Noms., *armigero e cuneo* pro *armiger e cuneo*. Fabr. et Gis. 2 edit., *flammicomantum*, repugnantibus membranis, in quibus constanter est *flavicomantum*, excepto Vat. Q, ubi est *flammicomantum*. Juvencus lib. IV dixit *tædarum flammicomantum*. Vide Bulengerum, cap. 39, lib. III de Imper. Rom., *de Armigeris*, et Pignorium comment. de Servis pag. 119. Gifanius Ind. Lucret. verbo ET QUANTIS intelligit, pueros flavicomantes fuisse Germanos : sic Germania *flava* dicitur lib. IV Manil. Horatius Epod. 16 : *Nec fera cærulea domuit Germania pube*. Cur *pueros* vocet ministros, sive satellites custodes corporis, vide quæ diximus ad vers. 1 hymn. 9 Cath.

499. Fabr. et Gis., *prosiliit* ; codices mss., *prosiluit* : et ita scribendum esse monet Gifanius loc. cit. verbo DISSILUI.

Tum tremefacta cohors, dominique oblita, supinas
Erigit ad cœlum facies, atque invocat Iesum.
Jamne piget facti? jam pœnitet? en tibi Christum,
Infelix Judæa, Deum: qui sabbata solvens
Terrea, mortales æterna in sabbata sumpsit,
Gentibus emicuit, præfulsit regibus, orbem
Possidet, imperii dominam sibi credere Romam
Compulit, et simulacra deum Tarpeia subegit.
Disce tuis miseranda malis, quo vindice tandem
Vana superstitio, lex et carnaliter acta
Plectatur: cujus virtus te proterat ultrix.
Destructone jacent Salomonia saxa metallo,
Ædificata manu? jacet illud nobile templum.
Cur jacet? artificis quia dextra solubilis illud
Cæmentum struxit resolubile; jure solutum est,
Et jacet: in nihilum quoniam redit omne politum.
Quod fieri recipit, recipit quandoque perire.
Si nostrum contra quod sit, vis discere, templum:
Est illud, quod nemo opifex fabriliter aptans
Composuit, quod nulla abies, pinusve dolata
Texuit, exciso quod nunquam marmore crevit:
Cujus onus nullis fultum sublime columnis
Fornice curvato tenui super arce pependit:
Sed Verbo factum domini, non voce sonora;
Sed Verbo, quod semper erat, Verbum caro factum est:
Hoc templum æternum est, hoc finem non habet, hoc tu
Expugnare volens, flagris, cruce, felle petisti.
Destructum jacuit pœnis vexantibus, esto:
Matris enim ex utero, quod destrueretur, habebat.
Sed quod morte brevi materna ex parte solutum est,
Majestate Patris vivum lux tertia reddit.
Vidisti, angelicis comitatum cœtibus, alte
Ire meum, cujus servor munimine, templum:
Illius æternæ suspendunt culmina portæ,
Ac per inaccessas scalarum gloria turres
Tollitur, et gradibus lucet via candida summis.
At tua congestæ tumulant holocausta ruinæ.
Quid mereare, Titus docuit, docuere rapinis
Pompeianæ acies: quibus exstirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.
Exsiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, postquam patria de sede revulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christique negati

GLOSSÆ VETERES.

501. Domini, *imperatoris*, Vat. A.
503. En, *ostendendo*, I.
504. Sabbata, *requiem*, I.
511. Plectatur, *damnetur*, *puniatur*, I.
517. Recipit, *incipit*, I.
526. Hoc tu, *Judæa*, Vat. A.
528. Esto, *adverbium concedentis vel deliberantis*, I.

COMMENTARIUS.

501. Ald. Gis., *dum*; codd. mss. et alii editi, *tum*, quod est etiam in Gregorio Turonensi loc. cit. In Rat. corrector ineptus hunc et seq. versum emendavit vel corrupit potius, *supinis Vultibus erigitur cœlo, atque implorat Iesum.*

502. Ald. primum scripsit *Isum*, postea correxit *ipsum*. Hæc correctio Gallandium fugit, qui asseveravit, Aldum habere *Isum*. Lege *Iesum* ex dictis in proleg.

506. Mar. a prima manu, *præfulgit* pro *præfulsit*. Non prorsus ineptum est *præfulgit* tertiæ conjugationis. Egm. et Vat. A, *Urbem* pro *orbem*.

507. Fabr., Gis. 2 edit., Heinsiani scripti, *cedere*, quod Aldus quoque posuit. Gis. 1 ed., Weitz., Vatt. A et B, Mar., Rat., *credere*. Elmenhorstius in Arnobium pag. 41 illustrat id, quod Roma dicitur *imperii Domina* ex Arnobio et aliis.

510. *Carnaliter*, et infra *carnalis* voces sæculi ænei. S. Hieronymus usus quoque est adverbio *carnaliter*.

511. Pal., Vat. A, *virtus et* pro *virtus te*.

512. Put. et Egm. scribunt *solomonia*. Mar. a prima manu *salmonia*.

515. Fabr., *cæmento* pro *cæmentum*. Heinsius ita distinguit, *Cæmentum struxit resolubile*, *jure solutum est*, *Et jacet*. Quod sequor cum Alex., Urb., Vat. Q, quamvis Fabricius putaverit locum esse corruptum. Giselinus legit *cæmento* cum Fabricio, et distinguit *illud cæmento struxit; resolubile*, *jure solutum est*. Ita Ald. et Weitz., nisi quod hi cum membranis legunt *cæmentum*.

518. In Vat. B, male a recenti manu, *quid fieri*.

523. Præstantiores Heinsiani, Sich., Weitz., Gis. in textu, Bong. sup., *super arte*. Aldus, nostri, Vat. Q, Gis. 1 ed., et ad oram 2 edit., Widm. a secunda manu, *super arce*. Alex., Urb., *super arte*, cum Cham., Cell. et Teol., duce Heinsio. Mihi verum videtur *arce*, et puto respexisse poetam etymologiam *arcus*. S. Isidorus lib. Etym. XIV, cap. 2: *Arces sunt partes urbis excelsæ atque munitæ: nam quæcunque tutissima urbium sunt, ab arcendo hostem arces vocantur: unde et arcus, et arca.*

524. Vat. Q, a prima manu, *voce serena*.

525. Alii distinguunt *erat. Verbum*.

527. *Expurgare* pro *expugnare*, male, nescio ex quo codice ad mag. edit. Colon.

529. Thuan., *quo*; alii, *quod*.

531. Put., minus bene, *divum lux*.

533. In Ald. et Vat. B a prima manu error est *fervor* pro *servor*.

537. Vat. A, et a prima manu Vat. B, *cumulant*, minus bene, pro *tumulant*.

538. Vide Baronium tom. I Annal., pag. 657. Ruinæ Hierosolymitanæ monumentum præclarum Romæ visitur, arcus Titi, in quo Judæi vincti ad latera repræsentantur, intra candelabrum, tabulæ legis, mensa cum panibus, et alia templi supellex. Arcam in eo exhiberi plerique jure negant, ut dicam ad vers. 813 Psych. Inscriptio arcus hæc exstat. SENATVS POPVLVSQVE . ROMANVS DIVO . TITO . DIVI . VESPASIANI . F VESPASIANO . AVGVSTO . Vide Donatum de Roma veteri ac recenti.

539. Confer Florum lib. III, cap. 5, cum Joannis Camertis adnotationibus, et Orosium lib. VI, cap. 6.

542. Heinsiani scripti, *patriis*, cum Gis. Alii cum Ald. et Weitz., *patriæ*.

451 Sanguine respersus commissa piacula [solvit.
En quo priscorum virtus defluxit avorum!
Servit ab antiquis delapsa fidelibus hæres
Nobilitas, sed jam non nobilis : illa recentem
Susceptat captiva fidem; vis tanta novellæ
Credulitatis inest. Christum confessa, triumphat
Gens infida prius; Christi sed victa negatrix
Subditur imperio, dominos sortita fideles.
Sunt, qui Judaico cognatum dogma furori
452 Instituunt, media Christum ratione se- [cuti.
Hoc tantum, quod verus homo est; at cœlitus [illum
Affirmant non esse Deum, pietate fatentur,
Majestate negant, morum pro laude sacratum
Concelebrant, adimunt naturæ summa supernæ.
Omne opus egregium, per quod solertia pollens
Emicat, ingenii est, aut roboris; illud acuto
Corde viget; duris excellit viribus istud.
Mortale est sed utrumque homini : nam cana [senescunt
Ingenia, et validos consumunt sæcla lacertos.
Hæc nos in Domini virtute et laude perenni
453 Non sequimur; sequimur, nullo quod se- [mine terræ
Germinat : immundum quod non de labe virili
Sumit principium; tener illum seminat ignis,

GLOSSÆ VETERES.

546. Delapsa, *degenerata*, I.
548. Susceptat, *id est suspectat.* — Captiva, *peregrina*, I.
552. *Contra Homuncionitas dicta. Homuncionita est qui Dominum tantum hominem dicit*, I. *Contra Ebionitas dicta. Hæretici Ebionitæ interpretantur pauperes, quia pauperem de Christo sensum habent, affirmantes hominem bonum, non tamen Deum, nisi ut alii sancti dicuntur dii*, Prag.— Cognatum, *simile*, I.
554. Hoc, *hoc quidem*, I.
555. Pietate, *quia homo dignatus est fieri : hoc pietas fuit.*
556. Majestate, *ut Deus sit, qui majestatem habet.* —Pro laude, *quasi hoc laus sit, non revera*, Iso.
557. Summa, *divinitatem*, I.
558. Egregium, *egregius est, qui gregem antecellit, id est multitudinem.*—Solertia, *peritia multarum artium;* SOLLON *Græce multum : inde solemnitas, multorum conventus; inde solemniter facta dicitur, quæ in præsentia multa est acta*, I.
559. Ingenii, *animi*, Iso.
565. Labe, *semine*, I.
566. Illum, *Christum.* — Ignis, *Spiritus sanctus*, Vat. A. — Ignis, *de Spiritu sancto*, Iso.

COMMENTARIUS.

545. Weitz., Pal., Egm., *ex quo;* cæteri melius *en quo*. Sic Virgilius ecloga 1 : *En quo discordia cives Perduxit miseros, en queis consevimus agros.*

546. Put. et Rat. *dilapsa* scribunt.

548. Put., Egm., Palat., Vat. A, Heins., *susceptat;* alii *suspectat*, quod minus placet, et secutus est Teol. post Cellar.

549. Fabr., *crudelitatis*, mendose, pro *credulitatis*. Fidem hoc loco sonat *credulitas* theologica notione, ut Salviani III contra avaritiam : *Non quæro, ut mihi credulitatem tuam superioris vitæ actibus probes.* Contra *incredulitas* apud Hieronymum, *incredulus* apud Orosium vitium fidei contrarium significant.

551. Put., *priores* pro *fideles*, dissentiente Heinsio. Ac revera optime cadit *fideles* pro Christianis. Nam Judæos per omnem orbem dispersos, et imperio Christianorum magnam partem subditos, constat esse *testes iniquitatis suæ et veritatis nostræ*, ut vocat S. Augustinus, enarr. 1 in psalmum LVIII.

552. Ald., Put., Weitz., Mar., Rat., Vat. A, *Homuncionitas* pro titulo, Tornæs., *Homuntionitas.* Thuan., *Homucionitas.* Vat. B, *Contra Homuncionitas, id est Ebionitas, vel Marcionitas.* Rot. et alii, *Homusionitas;* Torrentiani *Omusionitas*, non bene. Etenim *Homusionitæ* per contumeliam catholici ab Arianis appellabantur, quod Dei Filium Patri consubstantialem dicerent, et *homusion* defenderent. *Homuncionitarum* meminit S. Hieronymus in libello de errore Judæorum, quem publici juris fecit Claudius Menardus, Vigilius Tapsensis lib. III de Trinitate, et auctor sub Prædestinati nomine, quem Jacobus Sirmondus edidit. Marius Mercator tradit, ab Ecclesia Romana *Homuncionitas* appellatos Photinum et ejus priores, Sabellianos vero cum antiquioribus similioribus eorum *Patripassianos.* Errorem, quem Prudentius impugnat, circa annum 70 docuerunt Ebion et alii : glossa videtur indicare Marcionem sive Marcionitas, tanquam hujus hæresis patronos. Sed Marcionitæ circa annum 150 in alio errore diverso versabantur, scilicet Christum Dominum carnem tantum apparentem habuisse, ut in Hamartigenia constabit. Prudentius potissimum impugnat Ebionitas, quos *Semijudæos* appellant Hieronymus III ad Galat., et Isidorus VIII Etym., cap. 5, de quibus Isidorus ait ex Eusebio : *Christum per profectum solum virum justum putant effectum.* Paulus Samosatenus, a quo Pauliani hæretici dicti, et Photinus similem errorem docuerunt, Christum a Maria sumpsisse initium, et ex profectu virtutis Deum esse factum, quibus quodammodo consonabat Nestorius, duas in Christo distinguens personas. Hi putabant hominem, filium Mariæ, suis meritis consecutum ut Christus fieret. Hæc erat apotheosis ethnicorum, qua homines in deos convertebantur : quod quam esset absurdum, ipsi ethnici non ignorabant, et Vespasianus prima extremi morbi accessione jocatus, *Ut*, inquit, *puto, deus fio.* Catholici alio sensu *apotheosin*, seu deificationem naturæ humanæ vocare possunt evectionem ejus ad unionem cum persona Verbi, vi cujus vere dicitur, *homo est deus*, et, ut multi SS. Patres et theologi loquuntur, *homo factus est deus :* sic eadem assumptio naturæ humanæ, qua Verbum caro factum est, dicitur *incarnatio Verbi*, hoc tamen discrimine, quod Verbum existebat ante unionem hypostaticam, natura humana Christi non ante exstitit, quam Verbo unita est.

560. Put., nostri, Weitzius, Ald., Gis., *excellet.* Heinsius *excellit* cum plerisque suis. Sensus postulat, ut sit in præsenti; sed plurima hujusmodi verba ad secundam et tertiam conjugationem spectabant, ut *fulgo, fulgeo, vido, video.*

561. Rat., *hominis.* Prag., *vana* pro *cana*, minus bene. Weitz. et Widm. ita distinguunt : *Mortale est sed utrumque, homini nam cana senescunt ingenia.* Tunc lectio Rat. non inepta *hominis.* Alii interpungunt, *Mortale est sed utrumque homini : nam cana senescunt ingenia.* In senibus prudentiam vigere, viribus corporis debilitatis, communis est persuasio. In eisdem delirare linguam mentemque, senescere ingenia alii aiunt. Distinguenda est ætas decrepita a vegeta senectute, atque hoc pacto contrariæ illæ sententiæ conciliandæ.

564. Fabr., Gis., *terra.* Melius *terræ.*

565. Ald., Gis. et alii, *germinat in mundum.* Mar., Weitz., Heinsius, *germinat : immundum quod non de labe virili.*

Non caro, nec sanguis patrius, nec fœda voluptas. A
Intactam thalami virtus divina puellam
Sincero flatu per viscera casta maritat.
Incomperta ortus novitas jubet, ut Deus esse
Credatur Christus sic conditus; innuba virgo
Nubit Spiritui, vitium nec sentit amoris.
Pubertas signata manet, gravis intus, et extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica
Jam mater, sed virgo tamen; maris inscia [mater.
Quid renuis? quid inane caput, non credule, [quassas?
454 Angelus hoc sancto pronuntiat ore, pla- [cetne
Credere, et angelicis aurem reserare loquelis?
Ipsa coruscantis monitum sacra virgo ministri B
Credidit, atque ideo concepit credula Christum.
Credentes nam Christus adit; dubitabile pectus
Sub titubante fide refugo contemnit honore.
Virginitas, et prompta fides Christum bibit alvo
Cordis, et intactis condit paritura latebris.
Crede, quod emissus solio Patris angelus infit:
Vel, si concretus liquidam de sidere vocem
Non capit auditus, mulier quid conjuge præ- [gnans
Clamet anus, credens, et tandem sobrius audi.
455 Mira fides! utero puer interceptus anili
Virgineum dominum materno ex ore salutat
Primus, et infantem non natus nuntiat infans
Jam nostrum vagire sibi: nam pusio nondum
Norat, et ora Deo reserabat garrula Christo.
Promite secretos fastos: date, pandite librum,

GLOSSÆ VETERES.

567. Caro, *materia, vel, ut alii solent nasci*, I.
568. Intactam, *ignaram, vel castam*, I.
569. Maritat, *fecundat, et prægnat: maritat pluvia terram, id est fecundat*, I.
570. Incomperta, *incognita, non inventa*, Iso. — Ortus, *nativitatis, genitivus*, I.
572. Nubit Spiritui, *non quod Spiritus sanctus pater fuisset Filii Dei; sed cooperante Spiritu sancto, Pater genuit eum, et fecit incarnari in utero Mariæ*, I.
573. Pubertas, *juvenilis castitas, id est virginitas.* — Signata, *clausa.* — Gravis, *gravida*, I.
576. Non credule, *o perfide, vel Homuncionita*, I.
577. Hoc, *fore*, I.
582. Contemnit *respuit*, I.
583. Bibit, *pro concepit*, I.
584. Latebris, *interioribus*, I.
585. Angelus infit, *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. Iso.
586. Concretus, *crassus, obduratus, vel spissus.* — De sidere, *descendere in corde*, I.
587. Conjuge, *marito Zacharia*, I.
589. Interceptus, *conceptus*, I.
590. Ex ore, *quia Joannes non locutus est, sed gestu corporis ostendit adventum Domini*, I.
593. Norat, *scilicet loqui.* — Garrula, *loquacia*, I,
594. Fastos, *secreta dicta, annales; fastus quartæ declinationis, superbia; fasti libri annales*, I.

COMMENTARIUS.

567. Ald., *non sanguis.*
569. Egm., Put., Vat. A, Pal., *flatu.* Alii, *afflatu.* Rott. et duo Torr., *affectu; flatu* videtur magis Prudentianum. C
571. In Vat. A abest *Christus* negligentia exscriptoris. *Innuba*, ut postea versu 614, *innupto ubere*, idem est, ac *maris inscia*, seu expers conjugis. Drepanius Florus in carmine de Cereo Paschali: *Intacto prægnans utero dedit innuba mater.* Notarunt aliqui, *nubere* aliquando metaleptice actum conjugalem significare; hinc illud: *peream, nisi nubere dulce est*, et *nupta verba.* Hinc Deipara *mater innupta, et innuba.* Psych. vers. 74: *Atque innupta Deum concepit femina mater.* Plautus Pseud. act. I, scen. 3: *Eho an nunquam hujus nupsisti patri?* B. Virginem *innuptam* multi Patres dixerunt, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Gregorius Magnus, Bernardus.
572. Error Vat. A, *subit* pro *nubit.*
573. Virginitas Deiparæ hoc loco demonstratur iisdem fere verbis quibus Arnulfus usus est: *Nec reserat partus signati claustra pudoris.* Vide ejus carmen apud Barthium lib. LVI Advers., cap. 16.
576. *Quassare caput* irridentis est, non solum ex testimonio Scripturæ *movere caput*, etc., sed etiam apud ethnicos, apud quos iræ, et luctus etiam id signum habebatur. Vide Delrium in Tragœd. Senecæ. D
577. Heins. cum Put., Thuan., Rot., duobus Torr., Cauchiano, *fore nuntiat.* Nostri et alii, *pronuntiat.* Chamillardus ab Heinsio recessit, secutus *pronuntiat.* Teolius edidit *fore nuntiat*, sed fassus est æque bonam lectionem esse *pronuntiat*, et in omnibus fere Vatt. reperiri. Angeli verba lege cap. I Lucæ, 28 et seqq.
579. Weitz., Gis., Rat., Prag., *monitis.* Fabr., *monitus.* Egm., Bong., Heinsiani plerique et nostri, *monitum.* Galland. cum Ald. et Tornæs. sequitur *monitum credidit*, ut vers. 368, *visum mox credidit*, et vers. 715, *jam crede Deum.* In Mar. recenti manu, *monitis.* Chamillardus legit *monitis*, et in nota interrogat, *nonne monitum? nam supra, Ille Deum vidit; visum mox credidit*, et alia addit ab Heinsio mutuata.
583. Petrus Lucensis, revelatione feminæ, aut falsa aut male intellecta, delusus, somniavit B. Virginem corde, non utero concepisse. Huic errori minime favet Prudentius, qui figurate hic loquitur, et clare aliis in locis veram sententiam amplectitur, ut vers. 58 hujus poematis, *Enixa est sub lege uteri.* In responsorio 5 Circumcisionis similia sunt: *Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria, angelo nuntiante, concepit: tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus.* Peveratus in not. mss. etiam propius ad Prudentii mentem et sententiam addit B. Virginem duplici modo concepisse, fide primum, ac spiritu, tum carne, dum Christi corpus utero complexa est, ex S. Augustino de Trinitate: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne portasset.*
586. Giselinus recte *auditum concretum* ex mole terrea compactum exponit, addito axiomate physico: *sensus exteriores ad objectum magnopere insigne hebere, eorumque judicium violari.*
587. Adi Lucæ I, 42 et seqq., de S. Elisabeth visitata a deipara Virgine.
593. Vat. A, *Deum*, mendose, pro *Deo.*
594. *Fastos* lego cum Vatt. B (ubi est *fastus*), Q, Urb., Alex. a secunda manu, Thuan., Egm. a secunda manu, et cæteris Heinsianis præter Put., ubi *fatos*, et Thuan. a secunda manu *festos.* Aldus quoque, Tornæs., Galland., Bong., *fastos.* Widm. supra, *fastus. Fasti* vocabantur tabellæ quibus dies festi profestique notari solebant. Vat. A, Mar., Weitz., Gis. et recentiores, *fatus.* Egm. apud Weitz., *fatos*; apud Heinsium, *fastos.* Andreas Wilkius ab hoc versu inchoavit suam Expositionem in festo trium regum, factam ex Apotheoseos quibusdam versibus: qui ipse etiam legit *fastos.* Bulengerus, de Rom. Imp. lib. I, cap. 20, plura habet de fastis. Isidorus in lib. Differentiar. docet *fastos* dici de libris, *fastus* de superbia.

Evomuit spirante Deo quem sanctus Isaias. A
Percensere libet, calamique revolvere sulcos,
Sidereis quos illa notis manus aurea duxit.
Ite hinc, dum rutilos apices submissus adoro,
Dum lacrymans veneror, dumque oscula dulcia figo.
456 Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletum
Advenit promissa dies, quam dixerat iste
Adfore versiculus, cum virgo puerpera, teste
Haud dubie sponso, pacti cui cura pudoris,
Edidit, Emmanuelque meum me cernere fecit.
Estne Deus jam noster homo? versatur, et astat
Nobiscum, nomenque probat, versumque vetustis
Obscurum sæclis præsenti illuminat ore.
Estne Deus, cujus cunas veneratus Eous
Lancibus auratis regalia fercula supplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert?
Quis tam pennatus, rapidoque simillimus austro
Nuntius auroræ populos, atque ultima Bactra
457 Attigit, illuxisse diem lactantibus horis,

GLOSSÆ VETERES.

596. Percensere, *investigare*, I.
598. Ite, *o perfidi*, I.
603. Pacti, *pactas dicimus sponsas fœdere firmatas*, I.
608. Eous, *orientalis*, I.
609. Lancibus, *lances scutellæ sunt; inde bilances dicuntur trutinæ, eo quod in modum scutellæ sunt factæ*. — Fercula, *dona*, Iso.
611. Pennatus, *velox*, I.
612. Auroræ *orientalis partis, populi Orientales*, — Bactra, *regio juxta Indiam*, I.
613. Lactantibus, *quia in illa hora puerum lactavit*, I.

COMMENTARIUS.

595. In Cellarii indice duæ, ut ante dixi, metaphoræ indecoræ Prudentianæ designantur. De prima vide vers. 93 Apoth. Hæc est altera *evomere librum*, quæ Wilkio etiam duriuscula videtur, quia quæ facere aliquem ægrum solent, si possunt, evomuntur. Fortasse huc respexit poeta : nam ipse Isaias condemnavit se, quod ante tacuerat cap. VI, vers. 5 : *Væ mihi, quia tacui*. Idem verbum de Deo ad episcopum Laodiciæ : *Incipiam te evomere ex ore meo*, Apocalyps. II, 16.

596. Gis. 1 ed., *resolvere sulcos*, male.

599. Mar. a prisca manu, *lacrymis*; a recenti, *lacrymans*. Describitur hoc loco veneratio qua veteres Christiani sacros libros excipiebant, quos submissi adorabant et osculabantur. Pia isthæc consuetudo apud catholicos jam pridem refrixit, quamvis inter cæremonias ecclesiasticas clarissima vestigia exstent. Hæretici eam inter suos instaurare allaborarunt : non male, nisi malo animo id agerent. Nam quia apud catholicos intermissus est aliquantulum hic usus venerandi, adorandi et osculandi sacra Biblia, C idcirco illi hæc venerationis signa externa passim inculcant, et simul catholicos irrident, quod sacras reliquias simili cultu prosequantur. Nec dubito quin pari ratione, si veterem illam consuetudinem inter catholicos vigere observassent, superstitionem et idololatriam esse dixissent, quod nunc ipsi agunt, quia a catholicis prætermissum putant. Colere, venerari, adorare sacra Biblia cum dico, cum SS. Patribus loquor; rem intelligo ipsam quam hæretici observant, scilicet osculari et similia venerationis signa exhibere. De hoc veteri ritu vide cardinalem Bona, lib. I Rer. liturg., cap. 25, num. 10.

600. Lacrymas præ gaudio sæpius effluere notum est, et multis exemplis ex sacra et profana historia comprobat Wilkius.

602. Versiculus Isaiæ est 14 cap. VII : *Ecce virgo concipiet*, de quo plura ad hymn. Cath. 7, vers. 194. Veteres quoque libros sacros in plures titulos et capitula distinguebant. Evangelium Matthæi divisum D erat in titulos LXVIII, in capitula CCCLV. Vide Suidam sub nominibus Matthæi et Marci.

605. In Vat. A hæc duæ voces, *Deus jam*, recenti manu sunt additæ, prioribus abrasis.

606. Emmanuel idem est ac *nobiscum Deus*. Versus *vetustis obscurus sæclis* est versiculus ille Isaiæ de quo vers. 602.

607. Veitz., *ore?* interrogans.

608. Vat. A, *veneratur*, sed recenti manu factum *veneratus*, quod sensus postulat.

610. Mar., *virgineum*; ad oram recentiori manu, *virginis*. De hac magorum historia et stella quam mox vocat *pennatum nuntium*., confer hymn. 12 Cath.

B 612. Ex Virgilio lib. VIII, vers. 687, *atque ultima secum Bactra vehit*. Bactra urbs, regio aut provincia sic cognominata in regione Scythiæ. Interpretes aiunt vocari *ultima* Bactra a Virgilio, quia imperium M. Antonii ultra non extendebatur. Prudentius Virgilii epitheton arripuit, et *ultima* Bactra dixit, quia imperium Romanum his finibus continebatur.

613. Valde hoc loco veteres libri inter se discrepant. Giselinus e suis mss., unus Torrentianus, et pro diversa scriptura. Rot., et Ox., *luctantibus*, addito duplici interpretamento in Ox. : LUCTANTIBUS, *quia a nativitate Christi horæ diei cum horis noctis quodammodo luctantur, volentibus crescere diebus*. LACTANTIBUS, *quia Christus lactabatur*. Giselinus præfert *luctantibus horis*, quasi horæ præ incredibili studio videndi Messiam sese mutuo prævertere conarentur, ut in hymno Epiphaniæ simili auxesi : *Quid est quod arctum circulum Sol jam recurrens deserit? Christusne terris nascitur, Qui lucis auget tramitem?* Heinsius hos eosdem versus considerans, aliquando suspicabatur *laxantibus horis*, diem videlicet : quia arctum circulum nascente Christo sol deserit. Sed postea agnovit verum esse *lactantibus horis*, hoc est foventibus, et quasi nutrientibus. Sic hymno S. Laurentii, vers. 572, *lactante complexus sinu* : vel *lactentibus horis*, hoc est recens natis, ut apud Alcimum Avitum lib. IV, *lactens orbis* pro recens natus. Vat. Q et Bonon. cum Aldo legunt *lactantibus oris*; in hanc lectionem inclinat Gall., et explicat *extimis Orientis plagis*, neque Mariettus lectionem ullam discrepantem adnotavit : quod etiam habent Noms., et a prima manu Rot. et Oxonius. Weitzius cum Egm., *lætantibus horis*; idem Weitzius allegat Ald., Fabr., Widm., Bong. pro, *lactantibus*, sed non distinguit an *oris* an *horis*. Fabricius quidem habet *horis*. Apud Heinsium Put., et Thuan., *lactantibus horis*, unus Weitzii, *luctantibus horis*. Verum in Weitzio nullum codicem hujus lectionis reperio, sed solam editionem Giselini. Exstat vero *luctantibus* in Alex. et Urb. Teolius præfert *lactantibus horis* cum quatuor, ut ait, vel quinque Vaticanis, in quorum uno ab interpretis manu est : *Quando Christus lactabatur*, et eadem manu ad marginem : *Quidam codd. habent* LUCTANTIBUS HORIS, *quia nativitate Christi horæ diei cum horis noctis quodammodo luctantur*. Intelligit Teolius horas quibus Christus ab ubere matris pendebat. Mihi placet *lactantibus*, sed eo sensu quem explicui ad hymn. 8 Cath., vers. 19, scilicet *allicientibus*, sive *allectantibus*. Aliter satis obscura videtur hæc locutio *illuxisse diem lactantibus horis*, aut *illuxisse diem luctantibus horis*. Clarior est Weitziana, *illuxisse diem lætantibus horis*; aut si ex multis mss. sumamus *oris*, hoc est terris, *illuxisse diem lætantibus oris*.

Qua tener innupto penderet ab ubere Christus? A
Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri,
Et super antiquos signorum ardescere tractus.
Diriguit trepidans Chaldæo in vertice pernox
Astrologus, cessisse anguem, fugisse leonem,
458 Contraxisse pedes lateris manco ordine [Cancrum,
Cornibus infractis domitum mugire juvencum,
Sidus et Hircinum laceris marcescere villis.
Labitur hinc pulsus puer Hydrius: inde Sagittæ:
Palantes geminos fuga separat: improba Virgo
Prodit amatores tacitos in fornice mundi.
Quique alii horrificis pendent in nubibus ignes,
459 Luciferum timuere novum: rota lurida [solis
Hæret, et excidium sentit jam jamque futurum,
Seque die medio velandum tegmine glauco,
Splendoremque poli periturum nocte diurna,
Orbe repentinis caput obnubente tenebris.
Hunc ego non cumulem myrrhæque, et thuris, [et auri
Muneribus? Scio quem videam, quæ dona re- [pendam.
Hunc ego non venerer, qui cœlo visus, humique
Inventus rex, atque Deus moderatur utrumque
Naturæ specimen, tumuloque inferna refringens
Regna, resurgentes secum jubet ire sepultos?
Cœlum habitat, terris intervenit, abdita rumpit
Tartara: vera fides, Deus est, qui totus ubique [est.

GLOSSÆ VETERES.

617. Pernox, *totam noctem vigilans*, Iso.

619. Manco, *curvo*, Mar. — Manco, *contracto, debilitato, mutilato, vel imminuto.* — Cancrum, *quia cancro in latere depinguntur pedes*, I.

621. Hircinum, *Capricornum. Capricornus Græce dicitur ægoceros.* — Laceris, *laceratis.* — Marcescere, *decrescere*, I.

622. Puer Hydrius, *Ganimedes, aquarius. Græce dicitur hydrochoos.* — Sagittæ, *Sagittarius*, I.

623. Palantes, *fugientes, diffugientes*, I.

624. Amatores tacitos, *id est Elicem et Cynosuram dicit meretrices: et pellices Junonis sunt in polo, et nunquam vertuntur, sicut alia sidera; et ideo tacitos dicit. Fornix mundi dicitur polus, quia ibi vertitur orbis, et curvatura cœli fornix dicitur.* — Fornice mundi, *in convexitate cœli, vel rotunditate*, I.

625. Ignes, *sidera*, I.

626. Lurida, *pallida, obscura: pallidus color luridus dicitur, et plumbeus*, Iso.

B 627. Hæret, *dubitat.* — Excidium, *in passione Christi die medio, quando mortuo Domino tenebræ factæ sunt a die medio usque ad horam nonam*, I.

628. Velandum, *sentit.* — Glauco, *obscuro, pallido*, I.

630. Orbe, *solis circulo*, Vat. A.

631. Cumulem, *honorem.* — Myrrhæque et thuris et auri, *aurum regem, vel fulgorem sapientiæ intelligimus; thus, quando Dominum credimus; myrrham, sepulturam, vel quando carnem nostram vitiis mortificamus, et offerimus*, I.

632. Rependam, *retribuam*, I.

633. Cœlo, *per stellam.* — Humique, *per magorum oblationem*, I.

634. Inventus, *aditus, vel visitatus*, I.

635. Specimen, *pulchritudinem.* — Inferna, *infernalia.* — Refringens, *confringens*, I.

637. Intervenit, *implet.* — Abdita, *occulta*, I.

COMMENTARIUS.

614. Prag., *pendebat* pro *penderet.*

615. Non puer sidere ferebatur, ut nonnemo hoc versu indicari existimavit, sed ejus ortus per sidus nuntiabatur. Confer hymnum 12 Cath., vers. 28.

616. Mendum in Heinsio *sigorum.*

617. Magos *Chaldæos* vocat. Vide loc. cit. vers. 25.

618. Miris laudibus hos versus extollunt interpretes: unum Giselinum adducam: *Nihil hac fictione liberalius, nihil vividius, nihil ingeniosius, præsertim, si ejusdem stellæ laudes supra elegantissime decantatas huc adducas, et cum hisce compares: incredibile, quanta ingenii vis, et elegantia utrobique elucebit.* De stellis quas nominat, consule Manil lib. I, et astrologos.

619. In Vat. A, *ex laceris*, recte factum recenti manu *lateris.* Virg. lib. I Georgic., *ipse tibi jam brachia contrahit ardens Scorpius.* Prudentius de Cancro loquitur.

621. Alii *Hirquinum* scribunt.

622. Gis., *Sagitta.* Vett. edd., *Sagittæ*, recte, nam signum est *Sagittarius.* Heinsius edidit *Sagitta*, sed in notis monuit scriptos habere *Sagittæ*, non *Sagitta*, etsi hoc malebat Cauchius. Nostri quoque codd., *Sagittæ.* Cham., Cell., Teol. cum Heinsii textu *Sagitta*, qui fortasse Heinsii notam non observarunt.

623. Vat. A, *palentes*, fortasse *pallentes* cum Egm. et Pal. Alii melius *palantes.* In eodem Vat. A, male, *reparat* pro *separat.* Gemini fratres sunt Castor et Pollux. In editione Parmensi mendum puto *reparat* contra sensum et metrum, nisi aliqua licentia adhibeatur.

624. Cur Virgo, signum cœleste, *improba* dicatur, et quid sit *prodere amatores tacitos in fornice mundi;* non video a recentibus commentatoribus satis explanatum. Chamillardus nude interpretatur: *falsa Virgo* C *deserit in cœlo suos procos tacitos.* Ac videtur quidem *prodere* accipiendum ea significatione qua apud Virgilium lib. II Æn.: *Nec jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.* Amatores ergo erunt aliæ stellæ, quæ tacitæ solent appellari; fornix mundi pro cœlo recte hoc loco, nam fornix est opus concameratum, et fornix etiam dicebatur, ubi prostitutæ pudicitiæ mulieres erant, ex quo *fornicari*, et *fornicariæ mulieres* in ecclesiasticorum auctorum voluminibus passim occurrit. Meursius in Critico Arnobii pag. 2, ut probet *mundum* pro *cœlo* sæpe accipi, hos versus adducit, sed nihil aliud animadvertit. Itaque sciendum ex Manilii lib. II et aliorum astrologorum doctrina, signa sese alia amare, alia non amare. Taurus et Arcitenens amant Virginem, quæ nullum amat. Illi ergo sunt amatores, quos fugiens Virgo deserit, *improba* fortasse dicta ob effecta non proba quæ ab astrologis illi adjudicantur.

625. Aldi menda *quinque* pro *quique.*

D 627. In Vat. A desideratur *et.* Ald., *sensit.* Melius *sentit.*

628. Aldus, Put. a manu prima, *velandam*, non male de rota solis. Alii, *velandum*, scilicet solem.

629. Pal., *perituro*, videlicet *orbe.* Reliqui aptius *periturum.*

634. Vat. B, *conventus* pro *inventus.* Prag., *utramque*, et versu seq., *speciem.* Alii, *utrumque specimen*, Aldus, male, *utrumque speciem.*

635. Fabr. *regimen.* Iso videtur legisse *speciem.* Vide vers. sup. in *utrumque.*

636. Confer not. ad hymn. 9 Cathemer., vers. 95 seqq.

638. S. Augustinus lib. XXII de Civ. Dei, cap. 29. *Non enim quia dicimus Deum esse et in cœlo et in terra* (*ipse quippe ait per prophetam: Cœlum et terram ego*

Nunquid vana viros aut mens, aut lingua fefellit?
460 Nunquid fortuitis frustrantia dona dederunt
Casibus, aut cæco votum sub honore dicarunt?
Quæ porro causa, aut ratio submittere colla
Ante pedes Mariæ, puerique crepundia parvi,
Si tantum mortalis erat, nec summa potestas
Implebat teneros divinis flatibus artus?
Sed jam tolle magos, thus, aurum, myrrhea dona,
Quæ verum docuere Deum: præsepia, pannos,
Matris adoratum gremium, face sideris ardens.
Ipsa Deum virtus factorum, et mira loquantur.
Insanos video subito mitescere ventos,
Cum jubeat Christus: video luctantia magnis
Æquora turbinibus tranquillo marmore tendi
Imperio Christi; video, calcatus eumdem
Cum patitur gurges, tergum solidante liquore.
Ipse super fluidas plantis nitentibus undas
Ambulat, ac presso firmat vestigia fluctu.
Increpat ipse notos, et flatibus otia mandat.
Quis jubeat sævis aquilonibus: Ite, silete
Carceribus vestris, amploque facessite ponto,
A Sit nisi cœlipotens, aquilonum conditor idem?
461 Ninguidus agnoscit boreas, atque imbrifer eurus
Nimborum Dominum, tempestatumque potentem,
Excitamque hiemem verrunt ridente sereno.
Quis pelagi calcarit aquas? quis per vada glauca
Gressibus impressis spatiatus, triverit udum
Non submersus iter, sola pendulus, et pede sicco,
Æquoreæ nisi factor aquæ? qui spiritus olim,
Ore superfusus patrio, volitabat in undis
Nondum discretis, nec certo littore clausis?
Sustinuit gressum Domini famulus liquor, ac se,
Mobilitate carens, solidos substrinxit ad usus.
B Quid diversa Dei memorem facta inclyta Christi,
Altius inspecta quem majestate negator,
462 Haud dubitans hominem, tute ipse fatebere numen?
Illevit cæcos oculos, et lumina limo
Reddidit, humectam sacro sputamine terram
Contrectans digitis. Luteum medicamen operta
Nox habuit: tenebras obducta uligo removit:
Insuper ostendit, quonam caligo lavacro

GLOSSÆ VETERES.

639. Lingua, *orietur stella ex Jacob*, I., Vat. A.
640. Frustrantia, *aliqua significatione frustrata*, I.
643. Crepundia, *puerilia dona, vel crepitacula ideo dicta, quia infantibus vagientibus tinnitus æris adiebatur* (*sic*), *aut sonitu illo oblectarentur, ornamenta*, I.
C 645. Divinis, *Spiritu sancto*, I.
648. Gremium, *quia illum continebat in gremio, per quem sidus fulgebat*, I, Mar.—Face, *lumine Christi*, I.
650. Insanos, *turbidos*, Iso.
651. Luctantia, *concertantia*, I.
652. Marmore, *planitie, æqualitate*, I.
657. Otia, *tranquillitatem*, I.
659. Facessite, *quiescite, vel deficite; discedite, vel recedite, lassate*, I.
663. Excitam, *commotam*. — Verrunt, *trahunt*. — Ridente sereno, *gaudente serenitate*, I.
665. Spatiatus, *immorans, vel ambulans; spatium emensus*. — Udum, *humidum*, I.
666. Pendulus, *suspensus*, Iso.
668. Volitabat, *spiritus Domini ferebatur super aquas*, I.
669. Discretis, *separatis*, I.
673. Inspecta, *perspecta*, I.
675. Illevit, *unxit*, I.
676. Humectam, *humectatam*, I.
677. Contrectans, *palpans*. — Operta, *occulta*, I.
678. Obducta, *cooperta*. — Uligo, *humor*, I.
679. Caligo, *lutum, in emundatione Siloæ*, I.

COMMENTARIUS.

impleo), *aliam partem dicturi sumus eum in cœlo habere, et in terra aliam; sed totus in cœlo est, totus in terra, non alternis temporibus, sed utrumque simul, quod nulla natura corporalis potest*. Expositio Wilkii ultra hunc versum non progreditur.

640. Vat. B et Mar. a prisca manu, *fortuitu*.

649. Egm., et Pal., *facturum*. De miraculis Christi vide hymnum 9 Cath.

650. In quibusdam vulg., *mutescere*, haud inepte. Infra vers. 658, *ite, silete carceribus*.

656. Bong., Vat. B, Mar. a prima manu, *et*. Aldus et Fabr. apud Weitzium, *et*; mihi Aldus, et Fabricius cum aliis, *ac*.

658. Alii, *silete, carceribus*, etc.

662. Virg. lib. I Æneid., vers. 84: *Nimborumque facis, tempestatumque potentem*.

663. Rat., *ridenti*: metrum exigit *ridente*. *Verrere* mare, cœlum, nubila apud Lucretium, Virgilium, Ciceronem, et optimos quosque scriptores.

664. Pal., *calcaret* pro *calcarit*.

666. *Sola* pro infimis pedum plantis: quod non intellexisse Fabricium ait Barthius lib. XXVI Advers., cap. 12. Fabricii interpretatio est, *habens sub se solum pendulum*. Recte exploditur a Barthio. Vide hymnum 3 Cath., vers. 129, et hymnum S. Agnes, vers. 116.

667. Verbum *spiritus* dicitur, ut antea adverti. Non assentior Petavio, qui lib. I de Opificio sex dierum, cap. 3, Prudentium exponit de Spiritu sancto. Repugnat mens poetæ, et quod addit, *Ore superfusus patrio*. Id enim Filio convenit. In Egm. a secunda manu, *cui spiritus*, non recte.

668. Fabr., perperam, *volitabit in undis*.

669. In Vat. B erat aliud, sed factum *certo* recenti manu. In Rot., et uno Torr., *certo limite*.

670. Sich., male, *axe* pro *ac se*.

671. Vat. A, *obstrinxit ad usus*.

D 673. Giselinus, quamvis in mss. et ed I. aliter hos versus et scriptos et interpunctos vidisset, eos ad hunc modum correxit, ut sensus commodior eruatur, plaudente Heinsio. Aldus ita habet: *Quid diversa Dei memorem facta inclyta Christi? Altius inspecta quæ majestate negantur. Haud dubitans hominem tute ipse fatebere numen*. Veterum librorum incredibilis est discrepantia. Put., Noms., Vat. B, Rat., Widm. a prima manu, *quæ majestate negator*. Aldo Oxonius consonat. Mar., *quæ a majestate negator*. Prag., Bong., *qua majestate negator*. In nonnullis Heinsianis, *qui majestate negatur*. In Cauchiano, *qui majestate negator*. Alex., *quem majestate negator*, supra *negatur*. Urb., *quæ majestate negator*. Vat. Q, *quæ majestate negatur*. Bonon., *quem majestate negatum*.

675. In Gis. 1 ed., *cæcis*, quod Heinsio placebat. Sed obstant membranæ, in quibus constanter est scriptum *cæcos oculos*.

679. Vat. A, *quoniam*, non bene, pro *quonam*. Vide Dittochæum tetr. 33 *Piscina Siloe*.

A

Expurganda foret. Variis Siloa refundit
Momentis latices, nec fluctum semper anhelat:
Sed vice distincta largos lacus accipit haustus.
Agmina languentum sitiunt spem fontis avari,
Membrorum maculas puro ablutura natatu.
Certatim interea roranti pumice raucas
Exspectant scatebras, et sicco margine pendent,
Hoc limum jubet impositum de fonte lavari
Christus, et infusa vultum splendescere luce.
463 Norat enim limo sese informasse figuram
Ante tenebrosam, proprii medicamen et oris
Adjecisse novo, quem primum finxerat, Adæ.
Nam sine divino Domini perflamine summi
Arida terra fuit, nulli prius apta medelæ:
Sed postquam liquidus cœlesti spiritus ore
Virgineam respersit humum, medicabilis illa est:

B

Inde trahit succum, lentoque humore salutem
Illinit, infunditque diem baptismate lota.
Cæcus adest, oculis jam Christi ex ore retectis,
Seque luto, et nitidis lucem sumpsisse fluentis
Clamat, et auctorem stupefacta per oppida mon-[strat.
Auctorem lucis, largitoremque dierum,
Non dedignatum medicæ purgamen aquai
Corpore sub proprio monstrare errantibus ægris
464 Millibus ex multis paucissima quæque re-[texam,
Summatim relegens, totus quæ non capit orbis.
Quinque in deserto panes jubet, et duo pisces
Apponi in pastum populis: qui forte magistrum,
Non revocante fame, stipabant undique septum,
Immemoresque cibi vicos, castella, macellum,

GLOSSÆ VETERES.

681. Anhelat. *emanat; non semper inundant aquæ illic*, Iso.

685. Roranti, *fluitanti*. — Raucas, *sonantes*, *vel morantes*, I.

686. Scatebras, *ebullitiones*. — Margine, *littore*, Iso.

689. Figuram, *hominem de limo*, I.

690. Medicamen, *spiramen; inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, Iso.

692. Sine divino, *antequam spiritum illi dedisset*, I.

694. Liquidus, *spiritualis*, I, Mar.

696. Lento, *adhærenti, flexibili*, I.

697. Diem, *lucem*, I, Mar.

700. Auctorem, *Christum*, Iso.

702. Medicæ, *medicantis*. — Aquai, *aquæ*. — Purgamen, *quia medicina peccatorum est baptismus: ipse enim in corpore proprio monstravit purgamen medicæ aquæ, baptismum suscipiens*, I.

703. Sub proprio, *sc. Christum monstrat in baptismo*, I.

705. Summatim, *breviter*, I.

706. Duo, *pro duos, sic ambo pro ambos*, I.

707. In, *pro ad*, I.

709. Macellum, *ubi tantum cibus, et potus venditur*, I.

COMMENTARIUS.

681. Quod hic ait, *nec fluctum semper anhelat*, loc. cit. aliis verbis effert, *latex, quem spiritus horis Eructat variis*. Prudentius eamdem esse vult probaticam piscinam *Bethsaida*, seu Bethezda dictam, ac natatoriam *Siloe*. De *Probatica* piscina, ubi jacebat multitudo magna languentium, exspectantium aquæ motum, Joannes cap. v: de natatoria *Siloe*, ad quam Jesus cæcum remisit, idem evangelista cap. IX. Recentiores plerique distinguunt; sed nonnulli veteres eamdem piscinam fuisse putant, in quam aquæ fontis Siloe confluxerint. Irenæus lib. IV adversus Hæreses, cap. 19: *Siloa etiam sæpe sabbatis curavit, et propter hoc assidebant ei multi die sabbatorum.* Arator lib. I: *Signantis etiam numero paralyticus annis Ille jacebat iners, cui proxima mota Siloa. Heu! nullas præstabat aquas.* Non ergo lapsus est poeta, aut confundit, et permiscet historias, ut nonnulli objiciunt, sed aliorum opinionem tenet.

684. Optimæ membranæ Heinsianæ, *ablutura;* Put., *ablitura*. Ald., Gis., Weitz., Urb., Vat., Q, aliique mss., *abluitura;* quod puto in Put. reponendum. Alex. a secunda manu, *ablutura*, quod teneo, quia Latinius est.

691. Mar., mendose, *adjecesse*

694. Ald., *cœlestis* pro *cœlesti*, quod debet præ- D ferri, nisi legas cum Cellario *liquido cœlestis spiritus ore:* quod nescio unde sumpserit. Fortasse opinatus est spiritum et liquidum non bene inter se cohærere. Id falsum esse ostendi proleg. num. 164, et glossa hoc loco explicat, LIQUIDUS, *spiritualis*. Poeta more suo baptismum allegorice in his Scripturæ locis intelligit, ut versibus sequentibus exponit.

697. *Baptisma, baptismus, baptizo*, vocabula ecclesiastica ex Græcismo. *Baptisterium* Plinii est lib. V, epist. 6. Recte *infundere diem* de lumine, et gratia baptismatis, quod a veteribus passim *illuminatio* appellatur. S. Joannes Chrysostomus, catechesi 1 ad illuminandos: *Vocatur et illuminatio, atque ita hoc ipsum* (baptisma) *Paulus ipse appellavit* (scilicet ad Hebr. VI, 4; X, 32). Ipse fons baptismatis φωτιστήριον sive *illuminatorium* vocabatur. Inde fortasse consue- C tudo invaluit, ut baptizati statim a suscepto baptismate accensos cereos manibus tenerent, ut lumen internum, quo erant perfusi, indicaretur.

702. In Egm., male, *purgamen in aquæ;* item in Pal. mendum *purgamina quæ*. In Aldo, *purgamina lymphæ*. Nostri mss. et vetustiores Heinsiani, *purgamen aquai:* quæ vera est lectio. *Aquai* pro *aquæ* apud Lucretium, Maronem et alios. Heinsius conjicit *purgamina aquai*, et in Tornæs. ita legi refert Gallandius.

704. Bong. et Widm. supra, *retexens*, et vers. seq., *relegam*. Heins., *e multis*.

705. Heinsius cum suis veteribus, *relegam*, quod habet Mar. a prima manu, et Vat. A, Weitz., Aldus, Vat. B, Rat., Gis., Fabr., *relegens;* Prag., *religens*. Cellarius nescio a quo sumpsit *paulatim* pro *summatim*, quod exigit sensus. Teolius videtur solum Cellarium exscripsisse; non enim allegat codd. mss. pro *paulatim*, et legit cum Cell. *paulatim relegens*. Barthius, lib. XLI, cap. 24 Advers., ex hoc loco Prudentii, quem obiter *theologum eruditissimum* appellat, colligit, postrema verba Evangelii S. Joannis non de numero librorum, sed de pondere mysteriorum esse intelligenda. Sedulius clare numerum librorum explicat in fine operis paschalis: *nec totus cingere mundus Sufficeret densos per tanta volumina libros.*

706. Ecclesiastici scriptores usurpant *desertum* singulare et substantivum, ut Tertullianus et S. Hieronymus. Profani antiquiores dicunt *deserta*. Veteres grammatici tradunt dici posse *duo* pro *duos*, et Fridericus Besselius Miscellan. syntagm. pag. 206 in Vegetio restituit ex mss., *Quadraginta duo pedes*.

708. Prag., *nec* pro *non*. *Undique septum* ex Virg. lib. IX, vers. 783.

Oppida, mercatus, et conciliabula, et urbes
Respuerant, largo contenti dogmate vesci.
Multa virum strato fervent convivia feno.
Centenos simul accubitus iniere sodales,
Seque per innumeras infundunt agmina mensas,
Pisciculis (jam crede Deum) saturanda duobus,
Et paucis crescente cibo per fragmina crustis.
Ambesis dapibus cumulatim aggesta redundant
465 Fercula, bis senos micarum molibus implent
Post cœnam cophinos, crudus conviva resudat
Congeriem ventris, gemit et sub fasce minister.
Quis cumulare potest epulas in grandia parvas?
Quis, nisi qui corpus, pastumque, et corporis omnem
Condens ex nihilo nulla existente creavit
Mundum materia? Non sicut sculptor ab æris
466 Rudere decoctam consuescit vivere massam.
Sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit.
Nil erat omne, quod est: nil id, procedere, et esse.
Atque novum fieri, mox et grandescere jussum est.
Parvum de nihilo primum fuit: addita parvo
Incrementa modis auxerunt omnia plenis.
Ergo ego, cum videam manibus sic crescere Christ
Parva alimenta hominum, possum dubitare, per ipsum
Exiguas rerum species, elementaque mundi
Ex nihilo primum modica, et mox grandia sensim
Crevisse, ex modicis quæ consummata videmus?
Ac ne post hominum pastus calcata perirent,
Neve relicta lupis, aut vulpibus, exiguisve
Muribus in prædam nullo custode jacerent:
Bis sex appositi, cumulatim qui bona Christi

GLOSSÆ VETERES.

710. Conciliabula, *ubi concilia agebantur*, Vat. A. *ubi concilia celebrabantur*, I.
712. Virum, *virorum*, I.
717. Aggesta, *cumulata*, I.
718. Micarum molibus, *fragmentis*, I.
719. Crudus, *plenus, satur, indigestus, rusticus*, I.
720. Congeriem, *satietatem*, Vat. A. — Congeriem ventris, *saturitatem*. — Sub fasce, *cophinorum*, I.
721. Grandia, *in tam multiplicia*, I.
723. Existente, *manente*, I.
725. Rudere, *mina a terra, ubi æs tollitur*, I.
726. Semine, *materia*, I.
727. Procedere, *unde processisset*, I.
728. Mox et grandescere, *non quo omnia quæ Deus creavit, perfectæ pietatis non fuissent* (sic), *sed poetice dicit*, I.
735. Consummata, *perfecta*, I.
736. Calcata, *fragmenta*, Vat. A.
739. Appositi, *scilicet sunt corbes, id est apostoli*, I. *De apostolis hoc intellige*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

710. Conciliabula sunt pagi, sive, ut alii aiunt, conciliabula sunt, ad quæ rustici emendi aut vendendi causa in vicis et agris conveniunt. Alex. a secunda manu, et Urb., *mercatos*.

718. In Rat. fuit *mollibus*, male, pro *molibus*: nisi velis, *mollia micarum* dici pro *micis mollibus*, quod non est absurdum, et favet glossa. Cham., *mollibus*; sed in interpretatione, *multitudine fragmentorum*.

719. In Mar. a prima manu, *cœnas*; in Vat. A recenti manu factum *cœnam*, abrasis prioribus litteris. Alii *cænam*.

720. Prag., *ministra*, non bene.

721. Cauchius conjiciebat *in prandia parvas* pro *in grandia parvas*: quod neque Heinsio, neque mihi probatur.

722. Mar., Weitz., *omne*; alii, *omnem*. Heinsius suspicatur *pastum quoque corporis omnem*; vel intelligi omnem *materiam*, quod vocabulum sequitur. Si mutatio esset invehenda, mallem *Quis, nisi qui corpus, et pastum corporis omnem Condens ex nihilo, nulla existente creavit Mundum materia?* In carminibus Prudentii sæpe errores ab his inducti sunt, qui poetæ consuetudinem ignorarunt, et metri rationem habere volentes, neque satis artis poeticæ scientes, veram lectionem corruperunt. Si legatur *corpus, et pastum* ultima in *corpus* ratione cæsuræ producitur, quod Prudentio est familiare. Cell., et Teol. Heinsii conjecturam secuti sunt.

724. Giselinus cum Daventriensi ed. legit *non sicut sculptor ab ære Crudam, et inexcoctam consuescit fingere massam*: qui putavit minus bene dici *rudus æris*. Ald., Put., Thuan., Oxon., Rot., tres Torr., Egm., Pal., Mar. a prima manu, Vaticani optimi, *non sicut sculptor ab æris Rudere decoctam consuescit vivere massam*. Scilicet *consuescit* pro *consuefacit*, ut lib. I contra Sym., vers. 541, *assuescit supero pollere in sæcula regno*, et hymno 9 Cath. *Omni hora*, vers. 95, *sepultos ut redire insuesceret*, quod prius Alcimum Avitum cogitasse ait Heinsius, oblitus Prudentium antiquiorem esse Avito, nisi voluit Heinsius dicere Alcimum Prudentii hunc locum fuisse imitatum. *Sed monendum* (ait) *prius Alcimum Avitum libro primo poematum hæc Prudentii cogitasse, quanquam sensu nonnihil* DIVERSO, *agit enim de creatione hominis: Inde ubi perfectis consuescit vivere membris Totus homo*. Ponitur *rudus æris* pro ære nondum excocto. Sic hymno S. Laurentii vers. 189: *Aurum quod ardenter sitis Effossa gignunt rudera*. Hinc porta ærata Romæ *raudusculn* dicta est, quia *rudus* vel *raudus* proprie est æris. Jam *vivere* de statuis affabre factis dici, multis exemplis confirmat Heinsius, et nemo est qui revocet in dubium. Pro *vivere* legunt *fingere* Weit., Mar. a recenti manu, Rat. vetustissimus, et quidem sine ulla litura, Vat. Q. Chamillardus more suo Heinsium fere exscribit, quod mirandum non est: nam in præfatione fatetur se Heinsii lectiones, quantum in se erit, secuturum. Teolius ait Heinsii lectionem ex membranarum fide unice veram esse, et gloriam ejus lectionis restitutæ totam Heinsii esse. Sed monendum plures codices variare, ut vidimus, et jam ante Heinsium in Aldo et aliis editis legi *consuescit vivere*: neque ita certam esse Heinsii lectionem, ut alia sustineri non possit, nam *fingere* de sculptore non absurde dicitur, neque satis huic loco congruit laudare peritiam artificis. Quia corpus ex materia existente factum est, sæpe Prudentius verbo *fingere* utitur ad ejus formationem explicandum. Ita nunc *fingere massam* non dedecet. Imo nonnemo existimat omnino præferendum esse *fingere massam*. In glossa *mina* pro fodina vox est medii ævi.

731. Prag., Mar. a prima manu, *age* pro *ego*.

732. In Mar. fuit *elementa*, male.

736. Vat. A, *At ne*; cæteri *ac ne*.

Servarent, gravidis procul ostentata canistris. A
Sed quid ego hæc autem titubanti voce retexo,
Indignus qui sancta canam? procede sepulcro
467 Lazare; dic, cujus vocem tellure sub ima
Audieris: quæ vis penetraverit abdita lethi?
Quod cum te Christus penitus nigrante profundo
Immersum vocat, ut redeas, ceu proximus, audis,
Nec remoratus ades? quæ tam vicina Charybdis
Regna tenebrarum tenui distantia fine
Conjungit superis? ubi tænara tristia vasto
In præceps dejecta chao, latebrosus et ille
Amnis inexpletis volvens incendia ripis?
Ante fores tumuli, quas saxa immania duro
Objice damnarant, scopulis substructa cavatis, B
Stat Dominus, nomenque ciet frigentis amici.
Nec mora, funereus revolutis rupibus horror
Evomit exsequias gradiente cadavere vivas.
468 Solvite jam lætæ redolentia vincla sorores,
Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat,
Nec de corporeo nidorem sordida tabo
Aura refert, oculos sanie stillante solutos
Pristinus in speculum decor excitat, et putrefactas
Tincta rubore genas paulatim purpura vestit.
Quis potuit fluidis animam suffundere membris?
Nimirum qui membra dedit: qui fictilis ulvæ
Perflavit venam madidam: cui tabida gleba
Traxit sanguineos infecto humore colores.
O mors, auritis jam mitis legibus! o mors,
Surda prius, jam docta sequi, quodcunque jubetur,

GLOSSÆ VETERES.

740. Gravidis, *plenis.* — Procul ostentata, *prope dispersa, præparata ad reponendum.* — Canistris, *vasis, cophinis*, I.

744. Abdita, *secreta*, I.

747. Charybdis, *Charybdis secundum fabulam femina fuit quam Hercules in mare præcipitavit, quia feratrix erat, et adhuc officium suum facit; quia naves venientes devorat; sed revera petra est, et hic pro inferno posuit, qui omnes ad se venientes in æternam trahit voraginem et interitum*, I.

748. Tenui, *angusto*, I.

749. Superis, *vivis.* — Trenara, *loca pœnalia, vel inferna, lamentationes reorum, vel loca infernalia*, I.

750. Præceps, *in præcipitium.* —Chao, *voragine*, I.

751. — Amnis, *Cocytus.* — Inexpletis, *insatiabilibus.* — Incendia, *ignes*, I.

753. Damnarunt, *clauserunt*, Iso.

754. Ciet, *vocat*, Mar. — Frigentis, *quatriduanus erat*, I.

759. Nidorem, *fetorem*,

763. Fluidis, *putridis, dissolutis*, I.

764. Fictilis, *imaginabilis.* — Ulvæ, *terræ; ulva, herba palustris; sed hic pro illo limo posuit, unde homo factus vel formatus est*, Iso.

765. Venam, *sanguinem.* — Cui, *ab illo, vel per quem.* — Tabida, *pigra*, Iso.

766. Infecto, *immisso*, I. *Corrupto*, Vat. A.

767. Auritis, *ab aure, quæ audis*, I.

COMMENTARIUS.

741. *Sed quid ego hæc autem*, Maro lib. II Æn., vers. 101. In Vat. A desideratur *autem*. In Rat., *audax*, ex correctione alterius manus, veteris tamen. Non probo. C

742. Fabr. et Gis., *tanta*. Codd. mss., et alii editi, *sancta*. Victorinus Pictaviensis: *Procede sepulcro, Lazare, clamat*.

743. Prudentius producit primam in *Lazare*, et corripit secundam, uti fecit etiam hymn. 9 Cath., vers. 47. Hinc confirmo, non recte Heinsium, Cham., Teol., et Cell. pro *Eleazar* posuisse *Lazari* vers. 154 hymni 10 Cath.

744. Rat., *audieras*; reliqui, *audieris*. Gis., *penetrarit ad*. Ald., *intima*; alii, *abdita*.

749. Prag., *ubi tristia tartara*. Vat. B, Widm., Bong., Mar., Rat., Urbin., *trenara tristia*. Alii, *thenara*, vel *tænara tristia*. Iso videtur legisse *threnara* a threnis seu lamentis. *Tænari* vox accipitur pro inferis, quia in monte Tænaro specus erat hiatu profundo.

751. Vat. B, *implexis*. Mar., *inexpletis*, sed recenti manu *et expletis*. Verum est *inexpletis*, hoc est, *insatiabilibus*, quod est epitheton inferorum proprium. D

753. Weitz., Iso, Mar., Prag., Rat., *damnarunt*. Prag., Egm., *substracta* vel *subtracta*. Rat., *substricta*, minus bene, pro *substructa*.

754. Recte notat Chamillardus ex Festo, *ciere* esse vocare, ut apud Virgilium, *Ære ciere viros*.

755. Vat. A, *funereis*; melius *funereus*.

757. Alloquitur Mariam Magdalenam et Martham, sorores Lazari. Vide Joan. XI.

759. Elmenhorstius in Arn. pag. 116, ex hoc Prudentii loco et ex hymno 2 Perist., vers. 388, collatis aliis auctoribus, plura habet de *nidore*, qui gravis est odor præsertim sacrificiorum.

761. Ex vero simili refert poeta, Lazarum speculo pristinum decorem vidisse: nisi malis ita explicare, oculos iterum vitæ redditos fuisse, et in morem speculi lucidos.

762. Mar. mendum a prima manu, *tincta robore*.

763. Ald., *qui*; cæteri, *quis*. Prag., Widm. supra, *diffundere*.

764. Latinius in Bibl. sel. legit *fictilis urnæ*. quæ non est absurda lectio, nisi contra mss. starent. In versu seq. pro *venam* nonnullæ editiones habent *vestam*, mendose: ex quo aliquis conjecit *vestem*, ut corpus dicatur madida vestis fictilis urnæ. *Urna proprie vas est quod pro condendis defunctorum cineribus adhiberi solet, de quo poeta: Cœlo tegitur, qui non habet urnam.* Hæc Isidorus noster XVI Etym. cap. 26.

767. Gis. in contextu, *auditis*; ad oram, *auritis*, quod habent alii. Sensus magis commodus videtur esse cum *auditis* quam cum *auritis*, neque enim leges audierunt mortem, sed mors leges Domini præcipientis. Vat. Q, perperam, *haustis* pro *auditis*. Teolius ait omnes Vatt. habere *auritis*, inter quos duo habent hanc interpretationem *auritis*, hoc est *exaudibilis*. Fortasse poeta intelligit leges mortis esse *auritas*. In Rat., *mitis jam*: in aliis *jam mitis*.

768. Fabr., *quacunque juberis*, quod Heinsio et mihi placeret, si per mss. liceret. Ald., Thuan., Oxon. et alii, *quacunque jubetur*. Vat. B, Noms., Bong., *quæcunque jubentur*. Rot., Cauch., *quocunque jubetur*. Præfero cum Put., Prag., Rat., Vat., A, Mar., Weitz., Gall., Tornæs. et aliis, *quodcunque jubetur*. Gis. in contextu, *quæcunque jubentur*; ad marg., *quocunque jubetur*; al. *quacunque*. Sich., *quæcunque jubentur*. Gallandius Aldum laudat pro *quodcunque jubetur*; sed Aldus mihi habet *quacunque*, idemque lego in exemplari Aldi in bibliotheca Sapientiæ.

469 Cui tantum de te licuit? convicta fatere, A
Esse Deum, solus qui me tibi præripit, Iesum.
Abde negatores Christi, nemo invidet, abde:
Utere sorte tua, blasphemis nocte tenendis
Perpetua: plebem justorum capta resolve,
Qui norunt hominem, atque Deum sic dicere Christum,
Ut verus, summusque Deus mortalia gestet.
Ipse gerit, quod struxit, opus, nec ferre pudescit,
Factor quod peperit: corpus loquor, atque animæ vim.
Finxerat hoc digitis, animam sufflaverat ore.
Totum hominem Deus assumit: quia totus ab ipso est,
Et totum redimit, quem sumpserat, omne reducens, B
Quidquid homo est: istud tumulis, ast illud abysso.

470 Occurrit dubitans hic dissertator, et illud
Objicit: Anne fides capit, ut substantia, flante
Inspirata Deo, cruciatum sentiat, atque
Inferni petat ima poli, barathroque coquatur?
Crede, animam non esse Deum: sed crede, creatis
Majorem cunctis: ipsam quoque crede creatam.
Formata est namque ore Dei, quæ non erat ante:
Sed formata habitu pulcherrima, pictaque rebus
Divinis, et plena Deo, similisque creanti.
Non tamen ipsa Deus: quoniam generatio non est,
Sed factura Dei est. Solus de corde parentis
Filius emicuit: verus Deus ille. Sed istud
471 Collatum est animæ, subito ut quæ non erat, esset.
Ille coæternus Patris est, et semper in ipso:

GLOSSÆ VETERES.

769. De te, *in te*, Iso.
771. Abde, *absconde*, I.
773. Capta, *a Christo*, I.
776. Gerit, *portat*, I.
780. Sumpserat, *in se*, I.
781. Istud, *corpus*. — Illud, *animam*. — Abysso, *abyssum vocat cœlum: quia sicut dicimus altum mare, sic etiam profundum cœlum. Sic etiam abyssum cœlum dicimus. — De natura animæ: Dicunt hæretici animam partem esse Dei. Substantia omnis trifariam dividitur, in Deum animam, corpus scilicet. Vel siquidem Deus summum bonum est, anima magnum bonum est, corpus quoddam bonum: sine his tribus nihil est*, I.
782. Dissertator, *concertator*, *disputator*, I.
783. Objicit, *opponit*, I.
784. Inspirata, *anima*. — Deo, *a Deo*, I.
785. Ima, *Canopum dicit, quem antipodes nostri vident; infernum dicunt aliqui esse*, I.
789. Pictaque, *imaginata*, I.

COMMENTARIUS.

769. Aldus excuderat *convicta fetere*: in emendationibus correxit *conjuncta fatere* novo errore. Virgilius, lib. VI, *Cui tantum de te licuit?*

770. Weitz., Sich., Mar., Prag., *es e Deum solum, qui*. Alii, *esse Deum, solus qui*. Ineptissima est correctio addita Ratisbonensi, erasa priori lectione, *Esse Deum, qui me tibi præripit unus, Iesum*, quasi aliter non constaret carmen.

772. *Utere sorte tua*, Virgilius lib. XII, vers. 932. Vat. A, *blasphemos nocte tenenti perpetua*. Ald., Vatt. B, Q, Mar., Rat., *blasphemis nocte tenendis perpetuam plebem justorum*. Hoc sequitur Weitzius ita distinguens, *Utere sorte tua blasphemis nocte tenendis! Perpetuam plebem*. Weitzius agnoscit probam esse lectionem Giselini *blasphemis nocte tenendis perpetua*; sed ait, refragari Ald., Fabr., Egm., Widm. In Egm. et Pal., *necte tenentis*. Heinsius hoc loco cessavit, Giselinum secutus, ac nihil notans. Mihi placet lectio Vat. A, *blasphemos nocte tenenti Perpetua, plebem justorum capta resolve*. Sed non displicet lectio Gis. et Prag., quam sequor.

777. Mar., *animavit*; et pro div. lect., *animæ vim*, quæ præferenda est.

779. Prag., *assumpsit*. Alii, *assumit*. Nonnulli SS. Patres hoc vocabulum *assumptionis* præsertim cum concreto *homo* noluerunt usurpare, quasi id Nestorio faveret. Alii illud adhibuerunt. Augustinus lib. XI de Civit. Dei, cap. 2, *homine assumpto, non Deo consumpto*. Vide plures apud Petavium, tom. IV, part. 1, lib. II de Incarnat. cap. 1, et Patres concilii Toletani IV et VI, ut alios recentiores omittam.

781. Hoc loco *abyssus* accipitur pro sede animarum post obitum. Vox ecclesiastica est pro inferis. Isidorus lib. XIII Etym., cap. 20 ait: *Abyssus, profunditas aquarum impenetrabilis, sive speluncæ aquarum latentium*. S. Hieronymus in Eccles. I: *Hanc matricem abyssum tartarum vocat Plato in Phædone*. Teolius explicat *abyssum* de cœlo cum glossa. Ego intelligo, corpus e tumulo, animam ex abysso extrahi.

782. Ald., Mar., Rat. et codd. Heinsiani cum Weitz. et aliis vulg. habent hunc titulum *De natura animæ*, quem auferendum esse putat Heinsius, quia et sequentia ad disputationem contra Homuncionitas referri par est. Gis. ad oram, *Animæ natura*. In Alex. et aliis exstat idem titulus *De natura animæ*. Vide not. seq. et quæ supra ad vers. 118 admonui. De voce *dissertator* dixi vers. 28 præfat. 2.

783. Prudentius sæpe ait animam esse a Deo flante inspiratam, oris divini esse opus, et similia, ut innuat esse spiritualem, nam spiritus et flatus eadem sunt significatione. Contra asserit corpus digitis Dei factum, ut constet ex materia existente productum, non denuo creatum. Nunc ergo diluit argumenta adversariorum, qui aiebant fieri non posse ut anima spiritualis et incorporea pœnis infernis torqueretur. Hanc quæstionem agitant S. Augustinus aliique Patres et theologi. Prudentius disputare videtur contra gnosticos, qui animam partem Dei esse affirmabant; adeoque non male diversus titulus adhibetur: nam Homuncionitarum alius erat error.

784. Weitz., Gis., Vat. B, Mar., Prag., Rat., *atque*. Ald., Egm. Pal., et vetusti Heinsiani cum Alex., Urb., Vat. Q, *utque*.

786. Giselinus his duobus versibus ter posuit *credo* pro *crede* perperam.

791. Quod ait *generatio non est*, intelligit animam non esse filium Dei.

793. Editi ante Heinsium, *Filius emicuit*, *verus Deus ille, sed istud*. In Alex. perperam, *verus verus Deus ille, sed istud*. Heinsius cum Put. et Thuan., *verus, verus Deus ille. Collatum est*, etc. Teolius sequitur Heinsium, et unum tantum Vat. allegat pro alia lectione. Sed in Mar. et nostris aliis, ut in edd. antiquis.

794. In exemplari Aldi, quod exstat in bibliotheca Sapientiæ, est nota ms., *Conflatum est animæ, scilicet spiraculum*. Sed vera lectio *collatum*.

795. Rat., Weitz., Bong., Gis., *Patri*. Plerique et vetustiores, *Patris*. Bong., *in ipso est*, quod cum Torn. retinuit Gallandius.

Nec factus, sed natus, habet, quodcunque paternum est. A
Hæc similis, velut umbra, Dei est. Sic ipse locutus
Factor utroque hominem meditans de figmine junctum
Ædificare sui similem; sed non habet umbra,
Quod corpus solidum, cujus imitatio in umbra est:
Atque aliud verum est, aliud simulatio veri.
Est similis, sæclis quod non consumitur ullis;
Quod sapiens, justique capax, reginaque rerum
Imperat: antevidet, perpendit, præcavet, instat;
Verborum, morumque opifex, instructaque mille
Artibus, et cœlum sensu percurrere docta.
472 His animam similem sibi conditor effigiavit,
Cætera dissimilem; quippe hanc comprendere promptum est,
B
Quam modus, et species determinat; at Deus ingens,
Atque superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, ut claudi valeat, sensuve teneri.
Incomprensa manet virtus, cui linea defit
Ultima, quam spatium non mensurabile tendit.
Ergo animam factam, magno et factore minorem,
Majoremque aliis, atque omnibus imperitantem,
Corruptela putris nascentem turbida carnis
Concipit, ac membris tabentibus interfusam
Participat de fæce sua; fit mixta deinde
Peccandi natura luto cum simplice flatu.
Sed fortasse animam, Domini quia fluxit ab ore,
Compositam, factamque neges; velut ipsa Dei pars,
473 Quod dictu scelus est, tetras trahat oblita culpas,
Et pessum damnata ruens; chaos intret opertum.
Sit res illa Dei, non abnuo: pars tamen illa

GLOSSÆ VETERES.

797. Hæc similis, *anima Deo*, Iso.
798. Utroque, *anima et corpore*. — Figmine, *figmento*, I.
799. Umbra, *anima perpetua est, sicut Deus; sed sicut umbra distat a corpore, ita anima distat a perpetuitate Dei*, I.
800. Corpus solidum, *majestas*, I.
802. Est similis, *anima similis Deo in hoc*, I.
804. Perpendit, *æstimat, discernit*. — Infit, *loquitur*, I.
805. Opifex, *artifex*, I.
807. His, *officiis, prædictis rebus*, Iso.
808. Cætera, *per cætera officia* — Promptum, *facile, manifestum est*, I.
809. Modus, *mensura ultima, linea*. — Species, *divisio*. — Determinat, *finit*, I.
810. Superfusus, *dilatatus*, I.
811. Extremum, *terminabile, finiabile*, I.
812. Incomprensa, *incomprehensibilis*. — Linea *terminus*. — Defit, *deest*, I.
815. Aliis, *creaturis*, Iso.
817. Tabentibus, *putrescentibus*, I.
818. Participat, *partem facit habere*. — Fæce, *de peccato corporis*, I.
819. Natura, *scilicet*.
822. Oblita, *circumdata*, I.
823. Pessum *perditione, male*. — Chaos, *voraginem*, I.
824. Non abnuo, *non nego*, I.

COMMENTARIUS.

798. Put., *junctim*; alii, *junctum*.
800. Thuan. et Gis. *simulatio*; cæteri, *imitatio*. Giselinus putavit, metro et sensui repugnare *imitatio*; falsum utrumque. Cæsuræ ratione sæpe brevem Prudentius producit. Umbram autem *imitationem* quamdam esse corporis quis neget?
801. Mar.; *at*, recenti manu factum *atque*: Tertullianus lib. II contra Marcionem, cap. 9, *Sicut enim imago, cum omnes lineas exprimat, veritatis vi tamen caret, non habens motum: ita et anima imago Spiritus, solam vim ejus exprimere non valuit, id est, non delinquendi felicitatem!*
802. Bon. a prima manu, et Sich., *quia*. Reliqui, *quod*, eodem sensu. Poeta imaginem, et similitudinem Dei in animæ nostræ immortalitate ex parte collocat. Faustus Reiensis, lib. I de Lib. Arb., cap. 1: *Quid vero aliud intelligendum est etiam in ipsa, qua homo conditus est, Dei imagine, nisi perennitatis insigne?* Adde Maximum martyrem cent. 3, cap. 25.
803. Vat. A, *quo*; melius *quod*. Sermo est de anima.
804. Gis., *instat*; ad oram, *infit*. Ita Iso. Gifanius Indic. Lucr. legit ex vet. cod. *antevidet* conjuncte, quod placet.
805. Weitzius invenit in vulgatis nescio quibus *rerumque* pro *morumque*.
806. De mentis velocitate passim auctores, et plura poetæ.
807. Hæc vox *effigio* explanata est hymno 10 Cath., vers. 4.
808. Egm. et Pal., *sumptum*, non video quo sensu pro *promptum*.
809. Prag., *ac* pro *at*.
810. Consule Wowerum, Ouzelium, Meursium ad Minucii verba, quæ excripsi in nota vers. 7 Apoth. C Petavius lib. III, cap. 9, tom. I, multa in hanc sententiam congerens, *Et pulcherrime*, ait, *Prudentius: At Deus ingens, Atque superfusus*.
813. Vegetius *mensurare* dixit, Claudianus Mamertus *mensurabile*, Salvianus *immensurabile*.
819. Weitzius allegat M. Berg. pro *peccanti*. In Cauch., Bonon. et Rot., *peccando natura luti*; tres Tor., *peccando natura luto*. Cauchius contendit castigandum *peccati natura luti*, ut *peccati* sit præteriti temporis participium, agentis verbi significatione. Terentiano exemplo ex Hecyra: *peccato mihi ignosci æquum*. Idem Cauchius aliam correctionem indigitat *peccantis natura luti*. Lectio communis non est sollicitanda, cujus rectus est sensus, *fit mixta deinde Peccandi natura luto cum simplice flatu:* scilicet ex conjunctione animæ et corporis fit peccandi natura, mixta ex luto et simplice spiritu: id enim est *mixta luto cum simplice flatu*. Iso interpretatur SIMPLICE, *sine peccato*, quod non probo.
D
822. Iso *oblita* reddit *circumdata;* melius *maculata* ab *oblino*.
823. Giselinus ait se loco movisse adulterinam dictionem *pressum;* fortasse ita erat in edit. Daventr., nam Ald. diserte habet *pessum*. Sich. et Fabr. post Aldum non debuerunt edere *pressum*. Contra Gnosticos et Manichæos, qui animam substantiam Dei esse asseverabant, probavit hactenus animam non esse Deum, quia sordibus corporis comprehenditur, quod a Deo alienum est, præterquam quod animæ *collatum est subito, ut quod non erat, esset*, hoc est, anima cœpit esse in tempore. Nunc quoniam respondere poterant, animam saltem esse partem Dei, eos hac etiam in parte refellit, et convincit.
824. Vat. A, Egm., *fit res*, non ita bene,

Haudquaquam dicenda Dei est, quæ tempore cœpit :
Nec prior, aut senior, quam primum plasma, putanda est.
Tunc etenim factam video, cum cordis amici
Intravit germana domum, limique recentis
Hospita, et ipsa recens fraterna sedit in aula.
Illa quidem flatus Domini est : sed spiritus, et vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
Quanto flans voluit flandi servare tenorem.
Est impossibile spectare profunda Sabaoth :
Sed speculum Deitatis homo est. In corpore discas
474 Rem non corpoream solers, interprete Christo,
Qui Patrem proprium mortali in corpore monstrat.
Perspice, quam varios fundamus ab ore vapores.
Spiramus quoties animæ sufflabilis auras.
Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat
Rorantes nebulas udis de faucibus efflans :
Cum libet, in gelidum flabrali frigore ventum
Spiritus existit tenuis, et sibilat aer.
Adde et distinctum, quem musica tibia flatum
Concipit : aut ille est presso modulamine parcus.
475 Aut tumidum largo sublimat flamine bombum,
Aut raucos frangit modulos, aut lene susurrat,
Aut exile trahens sonitus producit acutos,
Aut murmur tenerum sublidit voce minuta.
Hæc cum te videas mortali in corpore posse,
Cur non Æternum potuisse infundere credas,
Qualem animam voluit ? præscriptis quam quia condens
Efflavit, fuditque modis, sit facta, necesse est.
Denique multa sapit, sed non sapit omnia nostræ
Vis animæ, certum sapere, ac prænoscere jussa.

GLOSSÆ VETERES.

826. Primum, *Adam*, I.
827. Amici, *Adæ*, I.
829. In aula, *in corpore*, I.
830. Vis, *scilicet animæ*, I.
832. Flans, *Deus*. — Tenorem, *ordinem*, I.
833. Sabaoth, *Deus exercituum*, I.
834. Homo, *quia Deus non potuisset videri, nisi per hominem*. — Discas, *intelligas*, I.
835. Non corpoream, *divinam*.— Solers, *sagax, peritus, vel studiosus*, I. *Solertia peritia multarum artium* SOLLON *græce multum*, Vat. A.
837. Vapores, *spiritus*, I.
839. Anhelat, *Anhelanter emittit*, I.
840. Udis, *humidis*, I.
841. Cum libet, *cum placet*, I.
844. Parcus, *parvus, moderatus*, I.
845. Largo, *abundanti*. — Sublimat, *elevat*.— Bombum, *sonitum cornu, vel tibiæ ; et Ennius sonitum pedum appellat bombum*, I.
847. Exile, *subtiliter, scilicet murmur*.— Acutos, *bene sonantes*, I.
848. Minuta, *gracili*, I.
850. Æternum, *Deum*, I, Vat. A.
851. Condens, *creans*, I.

COMMENTARIUS.

825. Abest a Prag. *est*.

826. Ald., *putandest* pro *putanaa est*.

827. Ald., male, *videt concordis amici*, pro *video, cum cordis amici*. Prag., *concordis amici*. Rat., *cum cordis amica*.

828. Anima vocatur germana carnis ob unionem seu copulam, de qua in hymno Exsequiarum 10 Cath., vers. 6, et præf. Hamartig., vers. 56, *Caro in sororem*, etc.

830. Theodoretus, notante Chamillardo, *Nomine Flatus non intelliginus partem aliquam essentiæ divinæ secundum Cerdonis et Marcionis rabiem, sed animæ naturam per id denotari, quod anima spiritus sit rationalis et intellectualis*. Locus neque a Chamillardo indicatur, neque mihi quærenti occurrit.

832. Heinsiani scripti, *quanto*. Ita Vat. A, Bong., Widm. supra, Pragen. Alii cum Ald., Weitz., Mar., *quantum*. Gis., *quanto*. In Widm. supra, *tenore*.

833. Vox *impossibile* Latinior est quam plerisque videtur : eam adhibuerunt Quintilianus lib. v, cap. 13, Apuleius et alii.

835. Aldi mendum *soleres* pro *solers*.

836. Respicit ad id quod dixit Christus, *Pater in me est*, et quod theologi aiunt, et in symbolo Athanasiano exstat : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*.

837. Vat. A, *respice;* alii, *perspice;* apud Weitzium, Egm., Pal., Widm. supra, *respice*.

839. Chamillardus hoc loco agnoscit naturalem rhythmum vocis animatæ. Verum de re musica paulo post Prudentius; nunc tantum *flatum tepidum*, et *gelidum* commemorat, et distinguit.

841. Mar., *ingelidum;* alii, *in gelidum*. Sermo est de gelido, seu frigido flatu. Gifanius Ind. Lucr. in *e* longum ex vet. lib. legit *flabrare*, et concludit *e* esse interdum longum in fine dictionum. Verum cum sequatur muta et liquida, *frigore*, hac ratione illud *e* in *flabrare* posset produci. Goldastus, in notis ad Columbanum pag. 112, e duobus codd. antiquiss. S. Galli legit etiam *flabrare*. Id secutus est Weitzius. Widm. a prima manu *flabrari*. Plerique mss. et edd. *flabrali*: ita nostri et potiores Heinsiani. *A flatu* est *flabrum, flabellum, flabralis*. Vat. Q, Egm., Pal., *fabrili*, male.

844. Ald. Vat. A, Q, Mar., Gis., Weitz., *modulamine :* non displicet, quamvis postea iterum *modulos*. In Thuan., *moderamine*, hoc est moderatione, ut vers. 831. Prag. et Rat. adhærent Thuaneo. In Put., *paucus;* in Prag., *partus* pro *parcus*. De hac varietate sonorum Fabricius ita disserit : *Prudentius musicos sonos nominat raucum, lenem, exilem, acutum : quibus addit parcum, sublimem, minutum. Sed parcus sub leni, sublimis sub acuto, minutus sub exili comprehendi potest*. Hæc Fabricius in Comment., verbo MUSICA INSTRUMENTA, notans a Prudentio diversis locis hæc numerari, *fistulam, sambucam, chelim, lyram, tubam, tibiam, tympanum, organa*. Musicos, qui suo tempore melodias ediderant in Prudentium, et alios poetas pios, recenset Ludovicum Senflium, Martinum Agricolam, Joannem Mopsum, Joannem Reuschium, Lucam Hordisium, Sebastianum Forsterum, Wolfangum Figulum. Vide Isidorum lib. III Etym., cap. 5 et seqq. de Musica et ejus triformi divisione.

845. Verbum *sublimare* Ennii et Catonis, quod in obsoletis habetur, reduxerunt Vitruvius, Apuleius, Solinus, Lactantius, Mamertinus, Ammianus, Macrobius.

854. Boher. Prior, *pernoscere*.

Jam, cui certus inest modus, et cui nosse negatum est
Omnia, factura est : nam condita, et aucta probatur.
Collige de simili, sitne hæc factura : creavit
Nempe manus Domini corpus mortale, lutumque
Composuit digitis : nunquid manus articulatim
Est digesta Dei? nunquid vola? nunquid et ungues
476 Claudere flexibiles? patulam seu tendere palmam?
Ista figura manus nostræ est, quam non habet in se
Incircumscriptus Dominus : sed tradita forma est,
Humanis quæ nota animis daret intellectum.
Ut per corpoream speciem plasmasse feratur
Corporis effigiem : sic est plasmata vicissim
Flatu incorporeo res flabilis, oris et esse
Fertur opus, tenuis per quod constructa refulsit
Forma animæ, atque rudi factam se munere sensit.
Si non est factura manus caro nostra, nec oris
Est factura anima, flatu, et spiramine cœpta,
Inque locum deducta aliquem; namque omne, quod hora
Natalis profert, locus accipit, et locus ullus
Quod cohibere potest, modicum est, nec in omnia fusum.
Et quod tam modicum est, ut certa sede locetur,
Jam titubare potest; et quod titubaverit, intra
Naturam vitii est; vitiosum denique tristem
477 Decidit in pœnam; Deus hoc, mihi credite, non est.
Aut, si majestas anima est, ostendite quid sit,
Quod lapsam, Christique inopem nova gratia mundat,

GLOSSÆ VETERES.

855. Cui nosse, *qui sensu hebes est, id est, quia nulla potest creatura intelligere omnem sapientiam, nisi solus Deus*, I.
856. Factura, *Dei*, I.
857. Collige, *intellige*.— De simili, *ratione*.— Sitne hæc factura, *utrum sit hæc factura, an non? creatura, an creator?* I.
858. Manus, *manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me*, I.
860. Digesta, *ordinata*. — Vola, *medietas palmæ : inde involare dicimus, quia quidquid involamus, in palma recondimus, quæ Græce* THENAR *dicitur*, I.
861. Claudere, *claudebat*. — Tendere, *tendebat*, I.
863. Incircumscriptus, *inlocalis*, I.
865. Speciem, *figuram*, I.
867. Flatu, *insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, quasi ore Deus animam insufflasset homini*, I.
870. Si non est, etc., *consequentia ista sic melius legitur, si de antecedenti fiat consequens hoc modo : si anima, inspirante Deo facta, non est factura oris flantis Dei, neque caro nostra factura est manus Dei formantis. Sed caro nostra est factura Dei manus. Ergo et anima nostra est factura Dei oris. Ut sit locus ad deductionem consequentis*, Prag.
871. Cœpta, *inchoata*, I.
872. Inque locum, *in corpus*, I.
874. Cohibere, *claudere*, I.
876. Titubare, *errare*, I.
877. Vitiosum, *animæ*, I.
878. Decidit, *cadit*, I.
879. Majestas, *Dei. Deitas*. — Ostendite, *dicite*, I.
880. Lapsam, *in peccata, in peccatis*. — Gratia *in baptismate*, I.

COMMENTARIUS.

855. Prag., non bene, *posse* pro *nosse*.
857. Vatt. A, Q, Rat., Egm., Palm., Urb., *dissimilis*, scilicet *collige, dissimilis sitne hæc factura*. Melius *collige de simili*, hoc est ratione, ut Iso exponit. Vat. A contra carminis regulas, *futura* pro *factura*. In Rat., *creanti*. In eod. Rat. replicatur hic versus, ut in plerisque optimis invenitur, et eadem manu. Nimirum *Collige dissimilis sitne hæc factura creanti. Collige de simili, sitne hæc factura, creavit*; et in hoc secundo supra *creavit* aliter *creanti*. Alex., *collige dissimili*, lege *de simili*. Argumentum DE SIMILI est : sicut corpus digitis Dei (qui tamen proprie non habet digitos) formari dicitur, ideoque *factura* est, ita anima, quæ *oris divini fertur opus*, pari ratione *factura* est.
860. In exemplari editionis Aldinæ bibliothecæ Sapientiæ sciolus aliquis monuit, pro *vola* legendum *sola*, hoc est, terram. Involare a *vola* dictum, quod ait Iso, tradidit etiam Isidorus lib. XVII Etym., cap. 7.
863. Put., *incircuminscriptus*, non probo. S. Hieronymus in Lament. Jerem. cap. I : *Membra hominis, sicut et affectus humani tropice Deo ascribuntur, non proprie, quia incircumscriptum lumen, et immensa majestas lineamentis corporis circumscribi non novit.*
864. Prag., *oculis*; cæteri *animis*.
869. Prudentius videtur accipere *rudis* pro *novo, recenti*. Vide hymnum 3 Cath., vers. 133.
871. Aliquis addi volebat *et* post *anima*, ut metro consulatur. Carmen recte sine *et* procedit.
875. In Mar. videtur esse *quid tam*.
877. Ald., *triste*, corrige *tristem*.
878. Ald., Vat. A, meliores Heinsiani, Fabr., Weitz., Egm., *Recidit in pœnam*. Gis., Bong., Widm. Vatt. B, Q, Rat., Prag., *decidit in pœnam*. Mar., *in pœnam recidit*. Non male *recidit in pœnam*. Articulus *re* sæpe producitur in *reducere, refugere, recidere, referre*, et similibus. Vide Gifanium Ind. Lucr. in *re*, et in *recidere, reducere, refugere*. Alex., Urb., et alii legunt *reccidit*. Malo *decidit*.
879. Weitz., vetustiores Heinsiani, Gis. ad oram, Mar., Rat., *animæ*; alii *anima* cum Alex., quod melius puto.
880. Ald. et plures Heinsiani, *mundat*; alii cum Put., Thuan., Wid., Gis., Weit., ut puto, *inundat*. In Widm. supra, *nudat*: Alex., *mundat*. Vat. Q, *lavat*, repugnante metro. Quod ait Prudentius, post Adam lapsum *novam gratiam Christi mundare*, arguere potest ipsum credidisse Adamo præstitam fuisse gratiam, quod non solum *S. Augustini principiis valde cohæret*, ut ait Teol., sed etiam ad dogmata fidei pertinet. Gratia vero Christi nova est et inundans, quia major, validior, efficacior, potentior est quam gratia Adamo ante peccatum collata. Cum enim liberum arbitrium minime quidem amissum, et exstinctum fuerit in prævaricatione Adami, sed viribus tamen manserit attenuatum et inclinatum, consequens est ut necessaria sit major gratia in statu naturæ lapsæ quam in statu naturæ integræ. Hæc clara sunt : neque ad Prudentium illustrandum opportunus est difficillimus S. Augustini locus ex lib. de Corrept. et Grat., quod primo homini datum fuit adjutorium, per quod posset, ac sine quo non posset permanere, si vellet, non quo fieret, ut vellet : nunc vero per Christum datur adjutorium, sine quo permanere non pos-

Spiritus et sanctus baptismate justificatam A
Nobilitat, famulæque decus, quod defuit, addit:
Quod quia præstatur meritis, meritisque negatur,
Absurde fertur Deus, aut pars esse Dei, quæ
Divinum, summumque bonum de fonte perenni
478 Nunc bibit obsequio, nunc culpa, aut crimine perdit,
Et modo supplicium recipit, modo libera calcat.
Miraris, peccare animam, quæ carne coactam
Sortita est habitare domum, cum peccet et ipse
Angelus, hospitium qui nescit adire caducum
Cratis tabifluæ. Peccat, quia factus et ipse est,
Non genitus; quocunque modo sit factus, id unus
Scit factor Dominus; factum mihi credere sat sit.
Solus labe caret peccati Conditor orbis,
Ingenitus, genitusque Deus, Pater, et Patre natus,

GLOSSÆ VETERES

882. Nobilitat, *nobilem facit.* — Famulæ, *animæ, sibique servienti*, Iso.

883. Quod, *decus.* — Meritis *bonis.* — Meritisque, *malis*, I.

884. Absurde, *inconvenienter, incongrue.*

885. Fonte, *Christo*, I.

886. Nunc, *aliquando.* — Obsequio, *in obsequio Christi, id est pro servitio suo propter obedientiam*, I. *Bono opere*, Vat. A.

887. Calcat, *supplicia*, I.

888. Miraris, *o Homuncionita.* — Coactam, *Confirmatam, solidatam, vel collectam*, I.

889. Sortita est, *accepit, consecuta, vel adepta est*, I.

890. Caducum, *corpus;* I. *Corpus humanum.* Vat. A.

891. Tabifluæ, *defectivæ, mortiferæ, sordidæ*, I.

892. Non genitus, *sicut Filius*, I.

COMMENTARIUS.

sumus, etiamsi velimus, et tantum, ac tale, quo fiat ut velimus. Quam distinctionem *adjutorii, sine quo non*, et *adjutorii, quo* nunquam satis intellexi, quamvis in ea enucleanda multas horas consumpserim. Neque id fateri pudet in tanta discrepantia interpretationum. Quin imo censeo, hoc loco *novam gratiam* esse baptismum, quo homo renascitur. *Gratiam Christi* Cyprianus et alii vocant baptismum. Post hæc edita quidam theologus cum judicium suum de meo opere honorificum publice exposuisset, et hanc ipsam meam interpretationem approbasset, sermonem esse de baptismo, qui gratia Christi a SS. Patribus, et in actis martyrum sæpe dicitur, plura addidit de Augustiniana distinctione *auxilii quo* et *auxilii sine quo non*. Existimat, hac distinctione confirmari meam interpretationem. Sed cum Prudentius loquatur de baptismo, aut de gratia habituali quæ in baptismate infunditur, ut clare explicat vers. seqq.: *Christique inopem nova gratia mundat, Spiritus et sanctus baptismate justificatam Nobilitat*, oporteret, ut S. Augustinus illa sua distinctione gratiam habitualem, non vero gratiam actualem, comprehendisset: quod, ut opinor, theologus iste non fatebitur. Dixeram verba Prudentii nulli difficultati esse obnoxia, in exponenda vero distinctione Augustiniana theologos inter se maxime discrepare. Reponit theologus nullam apparere difficultatem, nullam obscuritatem, si animo quieto et sedato verba S. Augustini legantur, et cum aliis conferantur quæ idem S. doctor dixit eod. lib. de Corrept. et Grat., eod. cap. 12. Nucleus hujus responsionis est, tot theologos, qui de natura gratiæ actualis diversa systemata defendunt, adeoque diversas interpretationes distinctionis Augustinianæ expromunt, aut quieto et sedato animo verba S. Augustini non legisse, aut ea inter se non contulisse, his videlicet exceptis qui cum laudato theologo in systemate gratiæ adornando consentiunt. *Non equidem invideo, miror magis, undique totis Usque adeo turbatur agris.* Quid ergo? inquis: nonne Augustinus doctrinam gratiæ clare explicuit? explicuit certe omnium D maxime, et quam fieri potuit clarissime doctrinam catholicam de necessitate et efficacia gratiæ; at consecutiones, quas ex verbis Augustini ad diversa systemata gratiæ informanda plurimi theologi catholici (ut mittam nunc hæreticos) deducunt, cum omnes pro se evidenter facere Augustinum clament, quis mihi jure succenseat, si negem Augustinum clare explicuisse? Quod si a me quæras quænam mihi clarior aut probabilior interpretatio distinctionis Augustinianæ videatur, respondebo, ita mihi probari Petavii explicationem, ut alias aliorum catholicorum non despiciam. Petavius igitur, in Elencho Theriacæ Vincentii Lenis cap. 22 et seqq., adjutorium sine quo non exponit de sola perseverantia, sive perseverante B gratia. Eamdem interpretationem multis rationibus gravissime confirmavit in dissertatione de adjutorii sine quo non, et adjutorii quo vera germanaque notione ab Iprensibus præstigiis vindicata: ubi notat Jansenium tanti hunc locum Augustini fecisse, ut pene ducenties repetierit, et nullum aliud fundamentum suæ sententiæ substruxisse videatur.

881. Vocabulum theologicum *justificare* a SS. Patribus sumptum. Animam autem baptismate *justificari* fides nostra tenet. Vide concil. Trid. sessione 6, de justificatione cap. 4. Mentem *justificam* dixit Catullus.

883. Ex eo quod anima bonis operibus gratiam assequatur et retineat, malis vero amittat et perdat, arguit, neque Deum esse, neque Dei partem. Vide glossas.

888. Mutatio et varietas stirps est et origo peccati. Gregorius Nyssenus lib. Catech., cap. 6: *Omne quod creatione productum est, mutationi est affine.*

891. Nonnemo legit *gratis* male pro *cratis*. Alius C in editione Aldina bibliothecæ Alexandrinæ corrigebat *tabifice* (sic). Corpus vocat *cratem tabifluam*. Vide hymnum 8 Cath., vers. 59, et hymnum 11 Perist. vers. 57: *Ungula fixa cavis costarum cratibus altos Pandere secessus et lacerare jecur.* Non enim cavæ hæ crates significant instrumentum quo martyres cruciabantur, ut quidam doctissimus antiquitatum ecclesiasticarum scriptor affirmavit. Avitus Prudentium imitatur lib. I: *Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.*

892. Plures olim fuerunt et nunc etiam sunt quæstiones de natura angelorum, quæ videri possunt apud theologos et auctores controversiarum. Prudentius ait eos factos fuisse, quocunque demum modo fuerint facti: id satis esse, ut possint peccare. Hoc ipsum astruunt theologi, nullam esse creaturam impeccabilem; ita enim loquuntur. Vide S. Augustinum lib. III contra Manichæos, cap. 12, et concil. Bracar. I, can. 5: *Si quis animus humanas, vel angelos ex Dei credit substantia exstitisse, sicut Manichæus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.*

893. Cham., mendose, *s t factor.*

895. Heinsius in Oxon. hæc perspicua esse vidit: *Ac genitor, genitusque, Deus Pater, et Patre natus.* Ita etiam in Pragen. Eodem pertinent Rat. et Mar., *at genitor*, opinor pro *ac genitor;* sicut etiam Egm., Put., *agenitus:* quanquam alii magis accipiunt pro *ingenitus* more Græco. Alii plerique *ingenitus*, ut *innatus, insubjectus*, quod exstat etiam in Mar. supra pro diversa scriptura, Alex., Urb., Vat. Q, et placuit denique Heinsio, quia *ingenitus* vox est apud SS. Patres valde usitata. — Fortasse melius distingues *ingenitus genitusque, Deus Pater et Patre natus*, quam distinctionem scriptura codicis Oxon. confirmat.

Solus, et exceptus tormentum admittere triste, A
479 Inviolatus agit, nec quidquam sentit acerbi.
Exsortem dic esse animam crucis, atque doloris,
Si culpæ immunem, vacuamque a crimine nosti.
Quæ peccare valet, valet et succumbere pœnæ.
Ipsa quidem sincera fuit, dum conditur olim,
Quæ collata rudem fecit viviscere limum;
Ut pote de liquido naturæ semine primos
Accipiens habitus, superoque expressa sereno.
Sex mox, ut gravido jussa est innectier arvo,
Suavibus illecebris nimium blandita refrixit,
Deque volutabris pretiosum polluit ignem,
Dum transgressa Dei positum fas improba calcat.
Hæc prima est natura animæ, sic condita simplex,
Decidit in vitium per sordida fœdera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adæ.
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde;
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
480 Primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.
Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum
Sanguinis exemplo; cui texta propagine vena est.
Non animas animæ pariunt; sed lege latenti
Fundit opus natura suum, quo parvula anhelent
Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis.
Quæ quamvis infusa novum penetrot nova semper
481 Figmentum, vetus illa tamen de crimine avorum
Ducitur: illuto quoniam concreta veterno est.

GLOSSÆ VETERES.

896. Exceptus, *sequestratus, separatus*, I. B
897. Inviolatus, *insons*. — Agit, *valet, vivit, conversatur*, I.
898. Exsortem, *expertem*. — Crucis, *passionis, cruciatus*, I.
899. Immunem, *securam, incapacem*, I.
902. Collata, *conjuncta, a Deo creata*.
903. Ut pote, *sicuti, quasi*. — Liquido, *puro*. — Naturæ, *divinitatis*, I.
904. Habitus, *ornatus*. — Superoque, *de superno*. — Sereno, *serenitate*, I.
905. Arvo, *terræ*, I.
906. Illecebris, *delectationibus*, I.
907. Volutabris, *sordibus*. — Ignem, *animam*, I.
911. Exin, *deinde*. — Tincta, *polluta peccato*, I.
912. Infecit, *maculavit, violavit*, I.
913. Ortu, *in nativitate*, I.
915. Traduce, *transmissione, origine, traductione*, I.
916. Fons, *origo*, Vat. A.
917. Sanguinis, *seminis*. — Cui, *sanguini, generi*. — Propagine, *generatione, procreatione*, I.
918. Pariunt, *gignunt*, I.
919. Natura, *animæ; Deus*. — Suum, *proprium*. — Quo, *opere*. — Anhelent, *desiderent*, I.
920. Vascula, *corpora*. — Coactis, *membris, vasculis, corporibus solidatis*, I.
922. Figmentum, *corpus*, Vat. A. — Illa, *peccatrix*, I.
923. Veterno, *peste, peccato*, I.

COMMENTARIUS.

896. In Vat. A corrector antiquus, et ejusdem fere ævi, erasis prioribus, posuit *Spiritus et sanctus*, et supra charactere minutissimo *solus et exceptus*, cum glossa, *separatus, sequestratus*.
897. Vat. A, *sensit*; melius, *sentit*. C
898. Egm. a manu prima, *disce* pro *dic*.
899. In Ald. deest *a* post *vacuamque*. Quamvis enim propter duas consonantes dictionis sequentis produci posset *que*, tamen mss. codd. habent *a crimine*.
900. Prag., *Qui peccare*; cæteri *quæ*, scilicet, anima, nam sequitur *ipsa* versu seq.
901. Cellar. ed. 2, *conditor*, male.
902. Potiores, *viviscere*; alii, *vivescere*. Rudem limum dicit, ut supra vers. 869, *rudi munere* pro *novo*.
903. Rat., *natura*, male, pro *naturæ*.
904. Aldi error est *superque expressa*.
907. *Volutabra* sunt loca cœnosa, ubi sues et apri volutantur. Ignem vocat animæ puritatem et splendorem, ut sæpe alias.
914. Peccatum originale, quod Pelagiani negabant, clare explicat et astruit.
915. Notatur error eorum qui docebant peccatum originale ea ratione in Adami posteros traduci, quod non solum corpus, sed etiam animæ ex Adamo propagarentur. Qua in controversia valde dubius hæsit S. Augustinus, quod difficile ipsi videretur, ut anima in corpore tanquam in vase vitiaretur, nisi ipsa vitiosa ex Adamo traheretur. Nunc certum est apud omnes catholicos, animas non transfundi ex Adamo, peccatum vero originale vel ex eo solum contrahi, quod homines ex semine Adæ propagati nascuntur, in quo tanquam in capite omnes peccaverunt.
919. Sich., Gis. 1 edit. ad oram, Vat. Q, Heins., Cel., Teol., Cham., Pal., Bong. a prima manu, *quod*. Heinsiani omnes, itemque nostri mss. et editi, etiam Alex., et Urb., *quo*. Teolius Chamillardum accusat, quod typographico Heinsianæ editionis mendo deceptus nihil hic viderit. Contra ego puto Chamillardum optime vidisse quod in Heinsio scriptum exstat. In versibus editionis Heinsianæ nullum mendum typographicum deprehendo: in notis vero error est *corpora* pro *vascula*, qui ad rem de qua agimus non pertinet. Et Heinsius ipse in fine notæ ait, in Thuan. pro *vascula* legi *vincula*, quod recte illi displicet. Jam Heinsii mos in notis explicandis est, ut lectionem quam in Giselino reperit, primum ponat, tum eam aut rejiciat, aut defendat. Hoc igitur loco sic ait: QUO PARVULA ANHELENT, *sic nostri omnes; ut in duobus Weitzianis*, QUOD ANHELENT, *idque marginem editionum nonnullarum occupavit: probe, sic supra: Variis Siloa refundit Momentis latices, nec fluctum semper anhelat*, etc. Chamillardus legit et legendum ait *quod anhelent*, idque marginem editionum nonnullarum occupavisse. Teolius ait Weitzium voluisse QUO ANHELENT, *uti etiam habent editiones aliquot*. Weitzius ita certe edidit, quod etiam exstat in plerisque veteribus editionibus, sed duos codices indicavit, ubi legitur *quod anhelent*, et id revera exstabat ante Heinsium in margine nonnullarum editionum. Cæterum verum quidem est, *anhelare* cum accusandi casu reperiri apud Prudentium et alios; sed non æque certum, hoc loco poetam accusandi casum voluisse, nam sequitur: *vitalisque adsit scintilla coactis*, D scilicet *quo adsit*.
922. De voce *figmentum* plura Cellarius in Latinitate restituta sæculo æneo ex Apuleio, Ammiano, Cypriano, Aulo-Gellio, Macrobio, Minucio Felice, Lactantio, Tertulliano, Spartiano: qua voce pro re facta et creata eleganter usum Prudentium monet. Allegat etiam antiquius testimonium Asconii Pediani.
923. Ald., Put., Oxon., Alex., *dicitur*. Vat A, Mar., Rat. a prima manu, Urb., Weitz., *ducitur*. Heinsius suspicatur *diditur*. Gifanius Ind. Lucret. pag. 436, de incisione seu inciso loquens, ex vet. cod. legit *dicitur illato*, quod rectissimum putat. Mar., *in loco*; Rat., *in loto* pro *in luto*, ut explicat Mariettus, nam sæpe *o* habet pro *u*. Egm., *illuto*. Urb. et Alex. a prima manu, *in luto*. Metro repugnat *in luto* Alex.

Inde secunda redit generatio, et inde lavatur
Naturæ illuvies, iterumque renascimur intus
Perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam.
Quæ, quia materiam peccati ex fomite carnis
Consociata trahit, necnon simul ipsa sodali
Est incentivum peccaminis, implicat ambas
Vindex pœna reas, peccantes mente sub una,
Peccandique cremat socias cruciatibus æquis.
482 His crucibus Christus nos liberat, incorruptæ
Matris, et innocui gestator corporis. Unus
Naturam pœnæ expositam, sed non vitiorum
Naturam expositam contactibus indui Iesus :
Atque ideo pœnæ nil debuit : intemeratus,
Fraude carens, omni culparum aspergine liber.
Quid peccatorum prosapia corpore in illo,
Quid Christi in membris peccati sæva satelles
Pœna ageret? quid mors hominis sine crimine posset?
Nimirum cassis conatibus, et sine nervis
Concideret, sterilis peccati fomite nullo.
Mors alitur culpa : culpam qui non habet, ipso
Pastus defectu mortem consumit inanem.
Sic mors in Domini consumpta est corpore Christi
Sic periit, solitum dum non habet arida pastum.
Suspice quapropter solum inculpabile numen,
483 Virtutem Patris, et Christi, et jam desine nostræ
Invidiam conflare animæ, quod sit Deus, aut quod
Portio parva Dei, cum Christo abscidere quidquam,

GLOSSÆ VETERES.

924. Inde, *de baptismate.* — Generatio, *baptismi*, I.
925. Illuvies, *immunditia, pollutio*, *macula*, I.
926. Perfusi, *sacro lavacro*, I.
927. Materiam, *occasionem*, I.
928. Sodali, *corpori*, *carni*, I.
929. Incentivum, *incendium*. — Ambas, *naturas, animæ et corporis*, I.
930. Mente sub una, *sub una voluntate*, I.
932. Crucibus, *pœnis*, I.
933. Innocui, *quia solus ille sine peccato fuit*, I.
934. Expositam, *manifestatam, liberatam*, I.
935. Expositam, *datam*, *expertem*, *vel jactatam*. — Contactibus, *pollutionibus*, .
936. Intemeratus, *integer*, I.
938. Prosapia, *generatio*, I.
939. Satelles, *sequax*, I.
941. Cassis, *vacuis*, *inanibus*. — Nervis, *sine fortitudine*, I.
942. Conciderct, *caderet*. — Sterilis, *inanis*, *scilicet illa mors*. — Fomite, *nutrimento*, I.
944. Pastus, *genitus*, I.
946. Arida, *mors*, I. — Pastum, *peccatum*, Mar.
947. Suscipe, *honora*. — Inculpabile, *sine culpa*, I.
949. Invidiam, *injustitiam*, I.

COMMENTARIUS.

a secunda manu *illoto*. In Vat. B erat, *ducitur in luto*, sed factum *dicitur in luto*, in Vat. Q, *illuto*, quod retineo, a verbo *illuo*, a quo etiam est *illuvies* paulo post, quamvis recentiores malint *illoto*. Pro *illuto* nonnulli scribunt *inluto*. In Arnobio lib. I adversus gentes legitur, *Qui per altissimos gurgites pedem ferebat inlutum*

924. Pelagianos, negantes peccatum originale, refellit ex baptismo, quo renascimur, utique mortui per peccatum, quod ex Adami crimine contraximus. Vide S. Augustinum et theologos.

927. Fomes peccati in carne est, et in carne etiam post baptismatis lustralem undam remanet. Nihilo tamen minus anima ipsa peccat, quamvis a concupiscentiæ illecebris ad peccatum trahatur : quia et libere peccat, et sæpe concupiscentiæ vim acuit et accendit. Hinc pœna corpori et animæ sapienter est constituta.

928. In Prag., *sodale*; in Rat., *sodalis*.

929. In nonnullis edd., *impleat*; corrige *implicat*. *Incentivum* adjectivum Varronis est, substantivum auctoris panegyrici Constantino dicti, Hieronymi, Symmachi, Ammiani.

931. Animam igne torqueri, quamvis sit spiritualis, docent SS. Patres et theologi, quanquam nescio cur hæc consuetudo invaluit, ut theologos a SS. Patribus discernamus, nec theologorum nomine vulgo SS. Patres comprehendamus : nam hi maxime veri sunt theologi. Sed, ut aiebam, quæstionem de igne quo animæ crucientur utrique agitant, et nonnihil a nobis ea de re dictum est in proleg. num. 167.

932. In Vat. A recte factum *crucibus* ex *cruciatibus*, quæ est glossa. Nam *crucem*, et *affigi cruci* pro *cruciatu* et *cruciari* accipi, dicam ad hymnum S. Laurentii, vers. 21. Heins., Cham. mendum *nos librat*.

933. Gifanius ex veteri codice *gestatur* pro *gestator*. Non sequor.

935. Prag., *expositam contractibus*, ut vers. 989. Melius *contactibus* pro contagione. In Rat. recens sciolus pro *Iesus* posuit *ipse*.

938. Adest hic versus in Mar., Vat. Q, Prag., Rat., et quidem sine litura et eadem manu, in plerisque Weitzii, in Giselino et aliis. Abest. a Put., Thuan., Oxon., Tor. duobus, Ald., Pal., Urb., Alex.

939. Alex., *quidquid in membris*, fortasse *quidquid et in membris*.

940. Weitz., Gis., Gall., Tornæs., Rat., *homini*. Plerique et vetustiores, *hominis*, quod longe melius est.

942. Egm., Put., et Pal., *conciderent steriles*, quod non intelligo. Alii, *concideret*, *sterilis peccati fomite nullo*, hoc est mors, quæ ipsa *sterilis* dicitur : nam sequitur *mors alitur culpa*.

945. Ut supra hymno Exsequiarum, vers. 17 et 18, *abolere mortem*, ita nunc *mortem consumi in corpore Christi*.

947. Vat. A et B, *suscipe*. Mar., Ald., Weitz., Gis. et plerique *suspice*, quod sensui magis congruere videtur.

948. Put. pro *virtutem* habet *naturam*. Contra stant Alex., Urb. et alii nostri cum Vat. Q et editis.

950. Heinsiani omnes vetustiores, Gif., Alex., Urb., Vat. Q. Rat., Weitz., *abscidere*. Alii, *abscindere*. Nihil minus cogitaveram, quam ut hoc loco de cultu, et festo SS. Cordis Jesus, quod publica auctoritate Romæ innumerisque aliis in diœcesibus celebratur, verba mihi essent facienda, præsertim cum jam pridem causa finita sit. Sed omnino tacere non licet, quandoquidem recens interpres male Prudentium intellexit, subjecta hac nota verbis illis, CUM CHRISTO ABSCIDERE QUIDQUAM : *Hæc*, inquit, *velim*, *attendant nonnulli ex hodiernis SS. Cordis Jesu cultoribus*, *ne dum viridiorem in se ipsis et in aliis erga Christum Jesum affectum excitare student*, *corpus ejus*, *et carnem dividentes*, *et in frusta secantes*, *oculisque subjicientes*, *violatæ unitatis et integritatis rei peragantur*. Ego vero maxime attendo et video, Prudentium nequaquam agere de Christi corpore, sed *Christi* nomine intelligere Verbum, et divinitatem, ut vers. 29 Apoth. :

Et resecare Deo partem, vel carpere tantum
Numen non liceat, plenum sibi semper, et in se.
Est operæ pretium nebulosi dogmatis umbram
484 Prodere, quam tenues atomi compage minuta
Instituunt : sed cassa cadit, ventoque liquescit
Assimilis, fluxu nec se sustentat inani.
Aerium Manichæus ait sine corpore vero
Pervolitasse Deum, mendax phantasma, cavamque
Corporis effigiem, nil contrectabile habentem.
Ac primum specta, an deceat quidquam simulatum
Assignare Deo, cujus mera gloria falsi
Nil recipit : membris hic se fallacibus aptans
Fingeret esse hominem ventosa subdolus arte?
Mentitus toties, cum diceret, inveteratis

A Do veniam morbis, simul et peccata remitto.
485 Filius est hominis, pestem qui pellere carnis,
Et scelerum nexus laxare, ac solvere possit.
Surge valens, surge innocuus, jam tolle grabatum,
Filius hoc hominis jubeo. Dignusne videtur,
Qui testis sibi sit, seque, ac sua carnea norit?
Quid, cum discipulos, hominis quid Filius esset
Passurus, fido jam præscius ore monebat?
Nonne fatebatur, se cum virtute paterna
Esse hominem verum? quod si non credo, fefellit.
Si natura Dei quæ sit, Manichæe, requiris :
B Omne quod est, verum est; nam si mendosus agit quid,

GLOSSÆ VETERES.

953. Operæ pretium, *necesse vel congruum*, I.
954. Prodere, *detegere*. — Atomi, *dicunt hæretici, quod omnia quæ sunt, ex illa inanitate formata sunt quæ erat ibi ubi modo est aer, et ex atomis quatuor elementa formata. Et inde omne corpus phantasma*, PHAINO, *appareo; inde phantasmata falsæ imagines, quæ hominibus apparent*. — Minuta, *gracili*, I.
955. Cassa *inutilis*, I.
961. Mera, *pura*. — Falsi, *falsitatis*, I.
962. Membris, *an*, I.
963. Ventosa, *inani*, Vat. B.
964. Inveteratis, *in veteri homine conceptis*, I.
970. Carnea, *membra*, I.
972. Fido, *veraci*. — Monebat, *interrogabat*, I.
973. Paterna, *superna*, I.

COMMENTARIUS.

Hoc vidit princeps generosi seminis Abram, Jam tum dignati terras invisere Christi Hospes homo, et sæpe alias. Probat autem Prudentius animam non esse portionem Dei, *cum Christo abscidere quidquam, Et resecare Deo partem, vel carpere tantum Numen non liceat*. Hic enim erat quorumdam hæreticorum error, animam esse partem substantiæ Dei, qui nunquam somniarunt affirmare animam esse particulam corporis aut carnis Christi. Igitur aut Prudentii mentem C recens interpres non est assecutus, aut tota ejus argumentatio huc denique recidit : Prudentius ait divinam naturam resecari non posse; ergo qui SS. Cordi Jesu cultum exhibent, et ejus imagines quales in ecclesiis fidelium venerationi exponuntur, aut pingunt, aut pingi jubent, aut ita pictas adorant, corpus Christi et carnem dividunt, et in frusta secant oculisque subjiciunt, adeoque violatæ unitatis et integritatis rei peragi possunt. Nemo, opinor, huic consecutioni favebit, nisi si malæ causæ pejus patrocinium in aliquo advocato quæratur : nam theologus præceptor, qui sua studia cum Advocato conjunxit, minime potuit discipulum docere hanc arguendi rationem. Verum hæc satis, quod attinet ad Prudentium : alia (si tanti est semisopitas quæstiones excitare) dabunt Tetamus et Marquezius, quibus adjungere libet Mozzium in opere quo SS. Cordis Jesu cultum strenue vindicavit sub auspiciis fidelissimæ reginæ Lusitaniæ Mariæ, cujus pientissimæ feminæ in hocce cultu promovendo pietatem, clarissimis monumentis testatam et præstantissimorum artificum manibus consignatam, nulla delebit oblivio.

953. Ante hunc versum titulus est *Adversus phantasmaticos, qui Christum negant verum hominis corpus habuisse*. Ita Vat. B, Mar., Hat., Ald., Gis. 1 edit., Weitzius et alii. In Alex. et Vat. A deest *hominis*. In Urb., *Explicit Apotheosis adversus omnes hæreses, incipit adversus Manichæos*. Alii simpliciter, *Adversus Phantasmaticos*, quod margini Giselinus 2 edit. apposuit. De Manichæorum hæresi multa historici, et passim S. Augustinus in libris adversus eosdem. Inter alios hunc errorem defendebant, quem nunc describit et evertit Prudentius.

954. Gifanius in Indice Lucret., verbo ATOMI, miratur, tam studiose vitasse Titum Lucretium hoc uti vocabulo : *Credo*, ait, *quia versus leges non admitterent facile*. Sed Gifanius ipse agnovit Lucilium lib. XXVII hac voce usum fuisse : *Idola, atque atomos Epicuri vincere volim. Græcissans*, inquit Gifanius, *id fecit Lucilius :* quasi vero vox Latina sit *atomus*. Prætereo Ausonium, Apollinarem Sidonium, aliosque, in quorum carminibus id nomen inseritur. Nonnulli prosodiæ scriptores *a* in *atomus* longum indicant : alii non solum breve pronuntiant, sed veram regulam tradunt, in compositis Græcis præpositionem *a* corripi, ut in *atheos*, *apathos*. Putant aliqui Judæos dictos *apellas*, quasi sine pelle, et nihilominus recte corripi primam ab Horatio, *Credat Judæus apella*. Opportunius idem Gifanius observat atomos e sententia Epicuræorum esse prima rerum corpora, quæ nunquam sint visa, sunt tamen, et instar minutissimorum pulvisculorum, in sole vagantium, in inani jactantur, non vero sunt ramenta illa quæ in sole volitant.

956. Mar. a prima manu, *at similis*, male.

958. *Cavam* pro inani, pulchre. Paulinus Epith. Julian., *cava mundi gloria*.

960. Prag., *ad primum*. Lege *ac*.

763. Vat. A, *fixerit*, male, pro *fingeret*. Aldus, mendose, *ventos ac* pro *ventosa*.

964. Rat. a secunda manu, *inveteratis*. Prag., *dum* pro *cum*.

965. *Peccata remittere* phrasis ecclesiastica ex vulgata versione Bibliorum, et analogia similium, *remit-* D *tere pœnam*, etc.

966. Sæpe in Evangelio Christus *filius hominis* dicitur. Cur, inquit Prudentius, nisi ut eum verum esse hominem intelligamus?

967. Ald., Gis., Mar., *et solvere*.

968. Vide Matth. cap. IX.

971. In Vat. A hæc voces *hominis quid filius esset* additæ sunt recenti manu, prioribus abrasis. In Thuan., *quod filius*. Id Heinsio placebat, quia jam præcessit *quid*. Nostri, Alex., Urb., Vat. Q et alii *quid* habent; nec mutari necesse est.

973. Sich., Widm. supra, Bong. ad oram *superna*. Alii melius, *paterna*. Ald. et Tornæs., male, *secum* pro *se cum*.

974. Weitz. et Gis. distinguunt *quod si non; credo, fefellit*.

975. Put., *Manichæe, requires*.

976. Scripti et editi *agit*. Aldus *ait*, quod non di-

Nec Deus est; mendum divinus non capit usus,
Objicis æterno Domino, quod lubricus ad nos
Venerit, assimulans aliud, quam verus habebat.
Obmutesce, furor: linguam, canis improbe, morde
Ipse tuam, lacero consumens verba palato.
Latranti obsistit Mattheus, rabiemque refellit:
486 Qui notat omne genus carnalis stirpis, ad usque
Corporeum Christum, per sex septena virorum
Nomina descendens, et venam sanguinis alti
Ex atavis longo texens per stemmata filo.
Septimus hebdomadæ venit superaddere sextæ
Hunc numerum Christus: placidum qui conficit annum,
Cuncta remittentem contractibus illaqueata B

A Multimodis, hominemque hominis de morte levantem.
Imperfectus enim limus mortalis erat tunc:
487 Vir solus perfectus adest, atque integer Iesus:
Cui nihil ex septem septenis defuit, ex quo
Perficeret mortale genus virtute perenni.
Hic ille est, nobis qui septima sabbata complet,
Ut caro nostra Deo tandem sociata quiescat,
Quam bis terna malis vexabant sabbata noxis.
Curramus notis gradibus, regumque sequamur
Progeniem: Christum invenies de carne parentum
Effluxisse hominum; qui sit de semine David,
Stirpe recensita numerandus sanguinis hæres.
Quid, cum sanctiloquus revoluto germine Lucas

GLOSSÆ VETERES.

977. Mendum, *falsum hic pro mendacio. Sed mendam in scriptura; unde emendare dicimus, mendam de libro tollere*, I.
978. Lubricus, *serpens*, Vat. A.
980. Furor, *insania*, I.
981. Lacero, *lacerato*, I.
982. Latranti, *tibi*, I.
983. Notat, *scribit*, I.
984. Sex septena, *sex septem, quadraginta et duo*, I.
985. Venam, *ordinem*, I.
986. Stemmata, *generationes, vel circulos*. — Filo, *positione; filum appellat genealogiam ipsam hebdomadis*, I.
988. Qui, *numerus*. — Annum, *jubilæum*, I.
989. Contractibus, *peccatis*. — Illaqueata, *decepta, quæ diabolus illaqueaverat, Christus veniens remisit*. Iso.
990. Hominemque, *omnem hominem*. — Hominis, *Christi*, I.
991. Limus, *humana caro, quia nondum septima hebdomada completa erat in Christo*. — Mortalis, *per peccatum*, I.
993. Septem, *in septima requie*, I.
995. Sabbata, *requiem, quia sabbato Christus requievit in sepulcro; per quod perennis requies tradita est nobis*, I.
997. Quam, *carnem*. — Bis terna, *sex*, I.
1001. Recensita, *numerata*, I.

COMMENTARIUS.

plicet: nam de mendacio agitur, et paulo ante *Nonne fatebatur*, etc.

978. In Mar., *obicis* cum unico *i*. Ita fuit in Aldo, qui postea mutavit in *objicis*. Hoc loco *lubricus* valet *phantasticus*, ut illico explicatur. Pro *fallaci*. Virgilius lib. XI: *Nequidquam patrias tentasti lubricus artes*.

980. Ald., Vat. A, *obmutisce*. Aldus secundis curis reformavit *obmutesce*.

982. Audax corrector in Rat. fecit *Mattheus latranti obstat*, putabat scribi debere *Matthæus*, ut revera est in Aldo, Cham., Teolio, sed contra metrum. Alii ergo cum Vat. Q, *Latranti obsistit Mattheus, rabiemque refellit*, ut dissyllabum sit *Mattheus*. Mar. a prima manu, Bong. a prima manu, Sich. et Widm., *obsistet*. Mar. a prima manu, *refellat*. Giselinus edit. 2 ad oram, *Latranti obsistit Matthæus, et ora refellit*, invitis codd. mss. In Hamart. vers. 404 similiter legendum est *Chananeus*, non *Chananæus*, ut carmen constet.

986. Prag., *stilo*, et supra glossa, *id est, filo*. Hoc verum est; nam carmen non patitur *stilo*. De stemmate vide hymnum 7 Cath., vers. 81.

987. Sich., Weitz. et nostri, *hebdomadæ*. Aldus, Giselinus et alii, *hebdomadi*, quod apud Weitzium habet Palat. Prudentius sex septena virorum nomina, quæ Matthæus numerat, interpretatur sex hebdomadas ex septem, quibus annus jubilæi constabat: Christus additus septimam hebdomadam complevit. Matthæi verba sunt cap. I, 17: *Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim: et ad David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim: et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim*. Hæ sunt sex septenæ generationes, seu sex septena nomina virorum. Sed notandum tamen, a S. Matthæo solum recenseri ab Abrahamo ad Christum 40 viros; sive exciderit aliqua generatio, ut aliqui putarunt, sive idem homo bis censeatur, tanquam finis unius generationis, et principium alterius. Poeta C numerum mysticum assumit, ut locus sit allegoricæ interpretationi.

988. Plerique mss., *placidum*. Vat. Q, *placitum*. Teolius ex uno Vat. glossam adjicit: *Jubilæum, in quo per Christum omnia peccata dimittuntur*. Giselinus notat, Chrysostomum interpretationem Prudentianæ assimilem ad Matthæi locum cit. attulisse: nam allegorice numeros septenarios trahit ad sex dies, quibus creatus est orbis, quos appellat dies operum, laboris et miseriarum, a quibus Christus nos liberat et exsolvit. Judæi celebrabant diem septimum, qui sabbatum erat, annum septimum, qui annus sabbaticus dicebatur, et annum jubilæi, sive remissionis hebdomade septima annorum, scilicet anno quadragesimo nono mense septimo. Vide Levit. XXV. Putat nonnemo poetam respicere ad annum placidum Isaiæ LXI, 2. Ita quidem censeo; sed ab ipso Isaia indicatur annus jubilæus, qui typus fuit anni Christiani seu temporis evangelici.

992. Rat. sine litura, *ille* pro *Iesus*. Mariettus ad D vers. 1058 veretur ineptias recentis correctoris, qui ex IHC facile protuit facere *ille*.

995. *Sabbatum* accipit pro hebdomada. Perstat enim in eadem allegoria de hebdomada sexta et septima, quam Christus complevit.

998. Prag., *noctis* pro *notis*. Ald., *tergum* pro *regum*: mendosum utrumque.

999. Put., et Egm. a secunda manu, minus bene, *de corde* pro *de carne*.

1000. Rat., Oxon., Rot., Torr. duo, *hominem*; non placet Heinsio. Melius certe est *hominum* cum optimis. In Alex. tamen *homines*, qui est error.

1001. Nonnulli veteres scribunt *recenseta*, ut Vatt. B, Q, Mar., Rat. Ita etiam Aldus excuderat: sed emendavit *recensita*. In Vat. Q, *numerandos*; corrupte.

1002. Prag., male, *quod*; lege *quid*. Ald., Egm., Noms., vocabulo Græco Latino, *sanctilogus* pro *san*

Sursum versus agit seriem, scandente nepotis
488 Corpore, perque atavos cursum relegente vetustos?
Septenos decies conscendit Christus in ortus,
Et duo; nam totidem doctores misit in orbem:
Descensos nascendo gradus, redeundo retexit
Actus ad usque apicem terreni corporis Adam.
Inde parens Deitas recipit sua, nostraque mixtim,
Fitque Dei summi per Christum filius Adam.
Restat, ut aeriam fingas ab origine gentem,
Aerios proceres, Levin, Judam, Simeonem,
Aerium David, magnorum corpora regum
Aeria, atque ipsam fecundæ virginis alvum
Aere fallaci, nebulisque, et nube tumentem.
Vanescat sanguis perflabilis: ossa liquescant
Mollia: nervorum pereat textura volantum.
Omne, quod est gestum, notus auferat irritus: auræ
Dispergant tenues, sit fabula, quod sumus omnes.

A Et quid agit Christus, si me non suscipit? aut quem
Liberat infirmum, si dedignatur adire
Carnis onus, manuumque horret monumenta suarum?
489 Indignumne putat luteum consciscere corpus,
Qui non indignum quondam sibi credidit ipsum
Pertractare lutum, cum vas componeret arvo
Nondum viscereo: sed inertis glutine limi,
Impressoque putres sub pollice duceret artus?
Tantus amor terræ, tanta est dilectio nostri!
Dignatur præpinguis humi comprendere mollem
Divinis glebam digitis, nec sordida censet
B Hærentis massæ contagia. Jusserat, ut lux
Confieret: facta est, ut jusserat; omnia jussu
Imperitante novas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit Domini formabile dextra
Os capere, et fabro Deitatis figmine nasci.

GLOSSÆ VETERES.

1003. Seriem, *ordinem.* — Nepotis, *Christi; qui fuit nepos prophetarum, et patriarcharum*, I.

1005. Septenos decies, *septeni decies sunt septuaginta*, I.

1007. Retexit, *Lucas aperuit*, I.

1008. Actus, *ductus*, Iso.

1009. Mixtim, *copulatim*, I.

1018. Irritus, vanus, I.

1020. Me, *hominem*, I.

1022. Monumenta, *recordamenta, facturam*, Iso.

1023. Luteum, *lethæum, id est mortale.* — Consciscere, *adipisci, vel assumere*, I.

1025. Vas, *corpus Adæ.* — Arvo, *a terra, luto*, I.

1026. Inertis, *mortui*, I.

1029. Humi, *limi*, I.

1031. Hærentis, *glutinosæ*, I.

1033. Edita, *creata*, I.

1035. Os, *faciem, corpus, vultum.* — Fabro, *fabrili.* — Figmine, *formatione*, I. — Fabro, *fabrili*; C *magisteriali*, Rat.

COMMENTARIUS.

ctiloquus. Sich. restituit *germine*, cum alicubi invenisset *sanguine.* Aldus quidem *germine* excuderat. Hucusque habet Vat. B, cætera desunt. In Marietti codice est glossula, quæ fere evanuit, sed indicare videtur, plures quam septuaginta a Luca recenseri. Prudentius septenos decies et duos, id est septuaginta duos Christi progenitores ex Luca colligit fuisse. Invenio autem in Luca septuaginta quinque a S. Josepho ad Adamum usque, utroque comprehenso poeta, ut mysticam interpretationem adhiberet de 72 discipulis in hoc numero constitit. Fortasse S. Josephum et Adamum noluit hoc numero comprehendi, neque Cainam, a Mose omissum, de quo disputant interpretes. S. Augustinus serm. 83, alias 15, de Verbis Domini in Luca, 77 generationes a Christo usque ad Adam astruit, ut ex hoc numero mysticam explicationem confirmet. De ipso discipulorum numero diversæ sunt sententiæ, nam alii et Prudentius ipse in Dittochæo 70 fuisse dicunt.

1003. Aldus, *ait*, non bene, pro *agit.* Prag., male, D *nepotes.* Legi debet *nepotis.*

1004. In marg. exemplaris edit. Colon., *per quæ.* Legendum est *perque.* Mar., Vat. A, Prag., Rat., *cursu*; melius *cursum.*

1008. Ad marg. edit. Colon., *auctus ad usque*, male.

1009. Ald., *mixtum*; alii, *mixtim.*

1010. Adam *filius Dei* per Christum recte a Prudentio dicitur: nam certum est salutem æternam consecutum fuisse. Aliqui hac ratione tuentur quod in quibusdam Bibliis Adam *filius Dei* in generatione Christi enarranda vocatur. Sed vera lectio est, *Adam, qui fuit Dei*, hoc est, a Deo solo creatus, et non alterius hominis filius. Hunc versum ita aliquis interpretatus est: *Fitque Dei summi* (Filius) *per Christum filius Adam*; quia scilicet Verbum caro factum est, et natura humana evecta est ad unionem hypostaticam. Sed præterquam quod sensus implexus est, Prudentius in gignendi casu dixisset *Adæ*, ut alibi *Abræ*, *Abrahæ* et *Adæ.*

1011. In Ald., *ob* menda est pro *ab*, Oxon., Ald., Gis. in textu, aliique vulgati, *pingas.* Nostri, Weit., Heins., *fingas.*

1012. Aldus, *Levi, Juda, Simeonem.* Mar. et alii, *Levin, Judam, Simeona.*

1016. In nonnullis vulgatis, perperam, *sanguis perstabilis.*

1020. Widm. supra, *aut quid.*

1023. Rat., *indignumque putet.* Glossa inepta est: *luteum* enim a *luto* dicitur.

1025. Heinsius scribit *pertrectare.*

1026. Rat., *nondum corporeo* a prima manu.

1028. Virgilius, vers. 301 lib. II Georgicon: *Tantus amor terræ.* Animadvertit Weitzius. Ac sane elegans est hoc epiphonema, multo vero magis si Virgilianis verbis, non in hunc usum prolatis, expressum consideremus. Petavius de his Prudentii versibus non satis sibi constat; tom. I, lib. II, cap. 1, ait videri Prudentium sentire Deum in formando homine humanam induisse figuram, quam opinionem tenuit Augustinus Eugubinus. In opere vero de Opificio sex dierum tom. III, lib. II, cap. 1, melius explicat quid sit *homo Dei manibus fictus*, ut multi SS. Patres loquuntur, et *manus* ac *digitos* tropice et figurate intelligit. *Descripsit*, inquit, *hoc elegantissimis versibus Prudentius, Tantus amor terræ*, etc.

1029. In Rat., *præpignus*; et in Bong., *molem*: reforma *præpinguis, mollem.*

1031. *Jubeo ut* non est valde usitatum. Non desunt tamen auctores optimi qui ita sint locuti: idque ex Cicerone imitatos Prudentium, Victorem, Juvencum, Aratorem, observat Barthius lib. XXXVI, cap. 16 Adversar.

1035. Ald., Gis., Rott., Widm. supra, Torn., Alex., et Urbinas, item Vatt. A, Q, *flabro.* Plerique

Quorsum igitur limo tanta indulgentia nostro
Contigit, ut Domini manibus tractatus, honora
490 Arte sacer fieret, tactu jam nobilis ipso?
Decrerat quoniam Christum Deus incorrupto
Admiscere solo: sanctis quod fingere vellet
Dignum habuit digitis, et charum condere pignus.
Destituit natura quidem destructa coactæ
Telluris formam, mortique obnoxia cessit:
Sed natura Dei nunquam solvenda, caducam
Tellurem nostro vitiatam primitus usu
Esse suam voluit, ne jam vitiabilis esset.
Christus nostra caro est: mihi solvitur, et mihi surgit.
Solvor morte mea, Christi virtute resurgo,
Cum moritur Christus, cum flebiliter tumulatur,
Me video: e tumulo cum jam remeabilis astat,
491 Cerno Deum: si membrorum phantasma meorum est,
Et phantasma Dei est: mendax in utraque, necesse est,
Sit Christus specie, si Christus fallere novit.
Si non verus homo est, quem mors hominem probat ipsa,
Nec verus Deus est, operis quem gloria prodit
Esse Deum; vel crede mori, vel adesse refelle,
Et gemina verum Christum ratione negato.
Nam quid magnificum, si non est mortuus Iesus,
Et redit? illa Dei virtus memorabilis est, ut
Occisus redeat superis, surgatque sepultus.
Quisque Deum Christum vult dicere, dicat, eumdem
Esse hominem, ne majestas sua fortia perdat.
Nosco, meum in Christo corpus consurgere: quid me

GLOSSÆ VETERES.

1036. Quorsum, *unde*, *cur*. — Limo, *carni*, I.
1037. Honora, *honorabili*, I.
1039. Decrerat, *decreverat*. — Incorrupto, *virginali utero*, I.
1040. Solo, *carni Mariæ*, I.
1044. Nunquam solvenda, *quæ nunquam resolvitur*, *vel destituitur*. — Caducam, *mortalem carnem*, I.
1047. Mihi solvitur, *propter me moritur*. — Mihi, *propter me*, I.
1050. Me, *carnem*.— Remeabilis, *remeare*, *exire*, I.
1055. Operis, *resurrectionis*.— Prodit, *manifestat*, I.
1056. Mori, *Christum*, I.
1057. Negato, *quod nec Deus sit, nec homo*, I.
1058. Magnificum, *fecit*, I.

COMMENTARIUS.

Heinsiani cum Weitzio et Isone, *fabro*. Illud non displicet, et placuit Chamillardo. Ad vers. 778 dixi, sæpe Prudentium confirmare, corpus esse opus dextræ Dei, animam oris: *Finxerat hoc digitis, animam sufflaverat ore*. Lactantius lib. II, cap. 13: *Ficto enim corpore spiravit ei animam de vitali fonte spiritus sui*. Cæterum totus hic locus pertinere videtur ad solius corporis effectionem: itaque rectius dicetur *fabro* quam *flabro*. Vetustiores optimi habent *fabro*. Vide glossas, et infra de limo: *tractatus honora arte sacer fieret*, etc. Teolius legit etiam *fabro*, sed non vere ait omnes Vatt. præter unum habere *fabro*.

1038. Vat. A, mendose, *tactui nobilis* pro *tactu jam nobilis*.

1039. Rat., *decrevit quoniam*. Prag., *Pater* pro *Deus*.

1040. Bong., Gis., *velle*; cæteri *vellet* melius. Summa capitum, quibus Manichæos sive Phantasmaticos Prudentius oppugnat, hæc est: 1° Christum habuisse verum corpus, conficit ex muniis quæ obivit, ex verbis quibus se hominis filium dixit; 2° ex Christi genealogiis, arguens simili modo affirmari posse, Christi parentes aeria habuisse corpora, si Christi corpus solum fuit aerium; 3° in eadem hypothesi negari pariter posse concludit, Christum nostrum esse redemptorem et servatorem; 4° ex peculiari ratione, qua Deus hominem ex limo condidit, colligit id factum, quia æternus ejus Filius aliquando carne humana esset induendus; 5° ex resurrectione.

1046. Ald., Pal., *nec jam*. Alii, *ne jam*, congruentius.

1047. Ex Epist. ad Rom. IV, 53: *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram*.

1048. S. Ambrosius lib. II de Sacram., cap. 6: *Remedium datum est, ut homo moreretur, et resurgeret. . . . sed Christus invenit resurrectionem*, etc.

1050. Ald., *et tumulo* pro *e tumulo*.

1052. Vatt. A, Q, Mar., Prag., Rat., Weitz., Alex., a prima manu, Urb. et alii, *mendax in utraque necesse est sit Christus specie*. Put., Ald., Pal. et alii, *mendax in utroque necesse est sit Christus specie*. Sed tunc melius cum Egm., *mendax in utroque necesse est sit Christus species*. Mihi magis placet, *in utraque specie*, hoc est *in specie hominis et Dei*, mendax et phantasma: quam lectionem Giselinus quoque approbavit. Bonon. parum apposite. *Et phantasma Dei mendax, in utraque necesse est sit Christus species*. Gallandius citat Aldum pro *utraque*, in quo lego *utroque*. Ego quidem nunquam in diversis Aldi exemplaribus lectionum discrepantiam inveni. Verum etiamsi hæc varietas in diversis exemplaribus constaret, non tamen certum argumentum id esset, duplicis editionis Aldinæ. Nihil enim facilius, quam ut inter excudendum verba aliquot, si libeat, mutentur, ita ut in ejusdem editionis exemplaribus variantes lectiones appareant; quod in antiquissimis Bibliis Moguntinis contigisse puto.

1054. Prag., male, *ipse* pro *ipsa*.

1055. Vat. A, mendose, *hæc* pro *nec*. In Teolio metrum corruptum est, transpositis verbis *Nec Deus verus est*.

1058. Prag., *ille* pro *Iesus*. Vide vers. 992.

1059. Aldus mendose, *et redit illa Dei justus* pro *et redit? illa Dei virtus memorabilis est, ut*.

1061. Rat., *quique*; Gis., *quisqui*. Vera lectio *quisque*. Confer hymnum 7 Cath. vers. 216. Vat. A pro *dicere* habet *discere* cum glossa, *id est credere*.

1062. Vat. A, corrupte, *ne majestate*.

1063. Titulum ante hunc versum non agnoscunt Boher. prior, Put., Alex., Urb., Vat. A: quod Heinsius probat, quia hæc omnia ad Phantasmaticos referuntur. Nihilominus eum ascribunt alii veteres. Rat., *De resurrectione carnis*. Mar., *De resurrectione carnis humanæ*. Ita Ald., Weit., Gis. 1 ed. Sed in edit. 2 Gis. ad oram, *Resurrectio*. Egm. ad marg., *De resurrectione*. Trithemius tanquam librum diversum hos paucos versus recenset.

Desperare jubes? veniam, quibus ille revenit
Calcata de morte, viis; quod credimus, hoc est.
492 Et totus veniam : nec enim minor, aut alius, quam
Nunc sum, restituar : vultus, vigor, et color idem,
Qui modo vivit, erit; nec me vel dente, vel ungue
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulcri.
Qui jubet, ut redeam, non reddet debile quidquam :
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncavit edax senium populante veterno,
Omne revertenti reparata in membra redibit.
A Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulcri
Reddat curtum aliquid; quamvis jam curta vorarit
Corpora, debilitas tamen, et violentia morbi
Virtus mortis erat; reddet, quod particulatim
Sorbuerat quocunque modo, ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metum, mea membra, et credite vosmet
Cum Christo reditura Deo; nam vos gerit ille,
493 Et secum revocat : morbos ridete minaces;
Inflictos casus contemnite; tetra sepulcra
B Despuite; exsurgens quo Christus provocat, ite.

GLOSSÆ VETERES.

1064. Veniam, *resurgam*, I.
1072. Hausit, *consumpsit*, I.
1073. Edax, *consumens*.—Veterno, *morbo*, I.
1075. Victa, *a Christo*. — Fraude, *ne furetur aliquid*, I.
1076. Curtum, *debile*, Iso.
1083. Minaces, *quia solent mortem minari*, Iso.

COMMENTARIUS.

1066. Ostendit poeta, resurrectionem carnis futuram in eodem omnino corpore, in quo homo vixit. Ut enim traditur in concilio Toletano XVI, Christus *ejusdem carnis, qua occubuerat, veritate resumpta* surrexit, exemplum nobis sua resurrectione impendens, ut credamus, nos etiam resurrecturos *in veridicæ carnis substantia, in qua nunc sumus et vivimus*. Inanem, et damnatam subtilitatem quorumdam de vera resurrectione, etiamsi corpus idem numero non sit, contemnamus.

1069. Ald., Vat. Q, Mar. a prima manu, Cham. male, *removet*.

1076. Aldus, *voravit;* melius alii, *vorarit*. Prag. male, *forarent*, vel *foraret*.

1078. Gisel., *erit;* cæteri, *erat*. Bong. et præstantiores Heinsiani, *reddat*. Palat., *reddit*. Ald., Weit., Gis., Alex., Urb. et alii nostri, *reddet*.

1079. Aldi error *quodcunque*. Heins. et alii interpungunt *sorbuerat, quocunque modo*. Alii melius, ut edidi.

1081. Ald., mendose, *meo* pro *mea*. Thuan., *membra, credite* sine *et*, quod metro non adversari dixi in proleg. Spiegelius Comment. hymn. Cathem. *Omni hora* ad vers. 94, *Quo gravi carmine*, inquit, *et Christi, et carnis humanæ resurrectionem Prudentius confessus est*. Eumdem locum a Fabro sub nomine *cujusdam sanctorum* in primo ad Paulum commentario advo- C cari idem Spiegelius monet. Veram apotheosin Christi, sive deificationem hominis concludit Prudentius, exposita resurrectione, qua Christus, verus Deus et homo, resurrexit, et homines secum resurgentes cœlo invehit.

1084. Bong., *et atra;* alii, *tetra*. Ex editis tantum vidi Cellarium, qui tenuerit *et atra*, et Teolium post Cellarium, quamvis Teolius ex Vatt. codd. nihil notaverit. Uterque Heinsio adhærere solent; sed hac in re Heinsius cum cæteris sensit, neque ullam variantem lectionem observavit. Non dubito, quin verum sit *tetra*.

1085. Oxon., *despicite*. Ita Urbin. Alii, *despuite;* sed Put., Alex. et veterrimi scribunt *dispuite*. Ald., *et surgens*. In Vat. A, *Finit Apotheosis, id est deificatio*. In Mar., *Finit liber Apotheosis*. In Urb., *Explicit contra Manichæos*.

INCIPIT LIBER
HAMARTIGENIA.

Præfatio.

494 Fratres ephebi, fossor, et pastor, duo, A
495 Quos feminarum prima primos procreat,
Sistunt ad aram de laborum fructibus
Deo sacranda munerum primordia.
Hic terrulentis, ille vivis fungitur :
Certante voto discrepantes immolant,
Fetum bidentis alter, ast alter scrobis.
Deus minoris comprobavit hostiam,
Rejecit illam, quam paravit grandior.
Vox ecce summo missa persultat throno :
Cain, quiesce; namque si recte offeras,
496 Oblata nec tu lege recta dividas,

GLOSSÆ VETERES.

1. Ephebi, *juvenes.*—Fossor, *agricola.* I.
2. Procreat, *genuit*, I.
3. Sistunt, *ducunt*, I.
5. Terrulentis, *terræ fructibus.* — Vivis, *ovibus*, I., Vat. A.
7. Bidentis, *ovis.* — Scrobis, *terræ vel sulcorum*, I.
8. Comprobavit, *collaudavit*, I.
9. Grandior, *senior*, Iso.
10. Persultat, *personat*, Iso.
11. Quiesce, *hoc secundum LXX dictum est : Cain, peccasti, quiesce, a malo opere scilicet*, I.
12. Lege, *discretione*, I.

COMMENTARIUS.

Heinsius contendit Hamartigeniam partem esse Apotheosis ex ipso argumento et ex titulis codicum. Nam in Thuan. est, *Incipit Hamartigenia liber* II. In Put., *Incipit liber* II *Hamartigenia*, et in fronte paginarum omnium, *Prudentii liber* II *Hamartigenia*. Et postea *Prudentii liber* III *Psychomachia.* In Thuan., *Finit Hamartigenia liber* II. *Incipit Psychomachia liber* III. Egm., *Finit Apotheosis. Incipit liber unus Hamartigenia.* Et in fine, *Explicit liber secundus Prudentii Hamartigenia.* In nostris hi sunt tituli. Vat. A, *Incipit liber unus ad Martigenia* (lege *Hamartigenia*). Mar. et Rat. cum Weitz., *Incipit Hamartigenia, id est, de origine peccatorum.* Alex., *Finit Apotheoses. Incipit Hamartigenia liber.* Urb., *Incipit prologus adversus Marcionitas.* In Rot., *Incipit Hamartigenia de origine peccati ;* et postea, *Aurelii Prudentii Clementis Hamartigenia, id est, liber de origine peccati explicit.* Ex his omnibus titulis potius colligo Hamartigeniam opus esse ab Apotheosi omnino distinctum : præsertim quia diversa etiam præfatio eidem apponitur. Neque Heinsio assentior, aut cl. Risco tom. XXXI Hisp. sacr. asserenti, in quibusdam codicibus Hamartigeniam partem esse Apotheoseos. Quod enim dicatur *liber* II, non arguit esse partem Apotheosis, sed partem alicujus operis, cujus I liber sit Apotheosis, II Hamartigenia, et III Psychomachia : ut tituli indicant. Et, ut ego quidem arbitror, omnes hi tres libri pertinent ad opus quod Prudentius in præfatione omnium carminum innuit his verbis : *Pugnet contra hæreses, catholicam discutiat fidem.* Potest etiam dici, librum I, II et III numerari ab exscriptoribus, qui ita libros, quos ipsi in aliquod volumen conjecerint, distinguere voluerint. In Alexandrino quidem veteri libro ita, notatum invenio post Hamartigeniam : *Finit Hamartigenia liber* III. *Incipit Psychomachia liber* IIII. Nam in principio voluminis recensentur omnia Prudentii opera, quæ novem esse dicuntur : et cum liber I Cathemerinon astruatur, illico subditur Apotheosis, quæ propterea est liber II; tum sequitur Hamartigenia, quæ ideo liber III nuncupatur : succedit Psychomachia, quæ suo ordine liber est IIII. In eodem tamen codice post Psychomachiam legitur *Finit liber* III *Psychomachia*, sive mendum sit, sive III appelletur ex libris contra hæreticos, et ad discutiendam fidem exaratis.

1. Liber hic est adversus Marcionitas, qui duos deos esse astruebant : non enim intelligere poterant ex qua origine peccatum proflueret, nisi a deo malo : B hinc Græca inscriptio Hamartigenia, sive de origine peccati. Theodulfus Aurelianensis in lib. de Spiritu sancto Hamartigeniam appellat librum adversus Marcionistas. Vide num. 179 proleg. Giselinus advertit videri poetam in Marcionis errore confutando omnem ingenii vim ac robur explicuisse. *Materiam namque difficillimam*, inquit, *intricatissimamque de fato ac libera voluntate, mirum, quanta verborum et sententiarum dignitate, ac mole pertractet, ipsis rhetorum flosculis bellissime omnia referciens : adeo ut ex solo hoc poematio quis facile conjecerit, in quovis illum scientiæ ac litterarum genere excelluisse.* Quod autem Manem Marcion fuerit secutus, ut ait Giselinus, contra rationem temporum est. Etenim Marcion circa annum 134, Manes circa 277, errores suos disseminarunt. Ut hic Prudentii liber clarius intelligatur, Tertulliani adversus Marcionem libros soluta oratione scriptos, aliosque ligata sub ejus nomine vulgatos legere oportet. Chamillardus in Hamartigeniæ notis multo est C fecundior, quam solet, ut alium interpretem possis credere. *Ephebi* in primo versu aliter ab aliis scribitur. Mar. scribit *Ephobi*, Widm. *Ephœbi*, Egm. *Efybi*, alii *Ephœbi.*

2. Mar. a prima manu, *proximos creat.* Prag., *proximos procreat*, quod versui repugnat : supra in eodem Prag., *primos.*

5. S. Ambrosius lib. de Cain et Abel inter rationes, cur sacrificium Abel a Deo probatum fuerit, non vero Cain, etiam hanc assignat. *Plus est enim*, ait lib. I, cap. 10, *animalis, quam terrenus.*

9. Vat. A, *ille;* melius *illam.*

11. Prag., *nam*, quod amplexus est Weitzius cum Widm. perperam : obstant enim leges carminis. Pro *recte* Rat. a secunda manu, *recta.* Respicit Prudentius caput IV Genes., vers. 7 : *Nonne si bene egeris, recipies.* Giselinus advertit hæc verba aliter legi in sacris Bibliis vulgatis ; quæ tamen ipse legerit in quadam historia ms. e sacris Litteris excerpta. Idem Giselinus et Mariettus monent, id dictum secundum D LXX interpretes. S. Isidorus cap. 6, Quæst. in Genesin : *Dixit Deus ad Cain, Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.... Quiesce, sub te erit appetitus*, etc. S. Ambrosius lib. II, cap. 6 de Cain et Abel, ita etiam legit et explicat, Cainum non recte divisisse, quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, ut a gratia inchoaret auctoris. Jubetur autem Cain quiescere, quia non habebat quod excusaret.

12. Pro *recta* legunt *recte* Ald., Egm., Palat. For-

Perversa nigram vota culpam traxerint.
Armat deinde parricidalem manum
Frater, probatæ sanctitatis æmulus;
Germana curvo colla frangit sarculo,
Mundum recentem cæde tingit impia,
Sero expiandum, jam senescentem, sacro
Cruore Christi quo peremptor concidit.
Mors prima cœpit innocentis vulnere,
Cessit deinde vulnerato innoxio.
Per crimen orta, dissoluta est crimine;
Abel quod ante perculit, Christum dehinc,
Finita et ipsa est, finis exortem petens.
Ergo ex futuris prisca cœpit fabula,
Factoque primo res notata est ultima,
Ut ille mortis inchoator rusticus
497 Insulsa terræ deferens libamina,

A

Deumque rerum mortuarum deputans,
Rastris redacta digna sacris crederet,
Viventis atrox æmulator hostiæ.
Agnosco nempe, quem figura hæc denotet,
Quis fratricida, quis peremptor invidus
Prave sacrorum disciplinam dividat,
Mactare dum se vota censet rectius.
Marcion, arvi forma corruptissimi,
Docet, Duitas discrepare a spiritu,
498 Contaminatæ dona carnis offerens,
Et segregatim numen æternum colens.
Qui si quiescat, nec monentem negligat,
Pacem quietam diligat germanitas,
Unum, atque vivum fassa vivorum Deum.
Hic se caduco dedicans mysterio,
Summam profanus dividit substantiam,

GLOSSÆ VETERES.

13. Traxerint, *trahent, trahunt*, I.
15. Probatæ, *laudatæ*. — Æmulus, *inimicus*, *invidus*, I.
17. Tingit, *fœdavit, vel polluit*, I.
18. Expiandum, *ipsum mundum*, I.
19. Peremptor, *diabolus*, I., Rat.
21. Cessit, *victa est*. — Innoxio, *Christo*, I.
22. Crimen, *Cain*. — Crimine, *Judæorum*, *in Christo facto vel perpetrato*, Iso.
24. Ipsa, *mors*, I.
25. Fabula, *narratio*, I.

B

26. Factoque, *opere malo*, I.
27. Rusticus, *agricola*, *id est Cain*, I.
28. Insulsa, *rustica*, I.
30. Redacta, *laborata*, I.
31. Æmulator, *inimicus*, I.
36. Arui, *pinguedinis*, *id est*, *hæresis*, Rat.
37. Duitas, *duplicitas*, I., Vat. T. *Duplicatos, ut alter esset Deus animæ, et alter corporis*, Prag.
40. Qui, *Marcion*. — Monentem, *me*, I.
42. Fassa, *confessa*, *vel confitens*, I.
43. Caduco, *malo*, I.

COMMENTARIUS.

tasse melior est lectio Wid., *certa*. Sive *recta*, sive *certa* scribatur, intelligitur *lege certa* seu *recta*, in ablativo. Notatur æmulatio qua Cain diversa ab Abele munera offerebat. *Recte* offerre intelligendum est, secluso perverso voto, et quod attinet ad alias sacrificii leges.

16. Notat Browerus, Venantium Fortunatum, ut alibi non raro, sic etiam eleg. 2, lib. IX, Prudentii vestigia pressisse, quod docuerit Abelem sarculo fuisse exstinctum. Alii alio modo occisum tradunt, sive gladio, sive falce, sive ferro, sive lapidibus, sive manibus, sive morsibus. Quæ omnia cum conjectura solum probentur, non temere poeta sarculo exstinctum dicit, quo instrumento agricultores ad herbas inutiles evellendas utuntur. Abelem a Caino occisum plures picturæ in cœmeteriis veterum Christianorum exhibent. Vide cl. Mamachium tom. II Antiq. Christ., pag. 30.

19. Vat. A, minus bene, *perempto*.

20. Vat. A, Egm., Torr. unus, et Pal. a prima manu, *sors*; alii *mors*. Bong., *vulneris*, male.

21. Scripti et editi libri, *cessit*. Apud Weitzium M. Berg. legit *cessat*. Melius est *cessit*.

24. Bonon., *finit et*, perperam.

26. Mar., *facto primo* contra metrum.

31. Bonon., *immolator*, male: nam Cain non fuit immolator hostiæ viventis, sed æmulator. Ait Prudentius, hac narratione de Caino, qui victimæ fraternæ æmulus, fratrem morte affecit, denotari rem futuram; quam? Marcionis hæresim, qui disciplinam sacrorum perverse divisit, et numen æternum in duo segregavit. Cur autem, qui Deum in duos dividunt, in hoc toto prologo, et in primo carminis versu Caino comparentur, non satis explicant interpretes. Prudentius aut litteræ versionis LXX interpretum adhæsit, quod Cain non recte diviserit, aut solum divisionem et schisma omnium hæreticorum proprium Marcionitis objicit. Lauretus in Silva allegoriarum ex SS. Patribus ostendit Cainum esse figuram peccati, peccatoris, Judæorum, populi hæreticorum, alios hæreticos generantis, pravi dogmatis, et pravi sensus. S. Ambrosius, in lib. I de Cain et Abel, cap. 1, duas sectas considerat, sub duorum fratrum nomine invicem repugnantes et contrarias sibi. Hunc Ambrosii locum imitatum Prudentium puto.

32. Ald., *quæ*. Melius cæteri, *quem*.

C

33. Alex., Ald., Gis., Fab., Widm. supra, *fratricida*. Mar., Urb., Prag., Weitz., Sich., *parricida*. Heinsiani et Vat. A, *fratricida*, quod magis placet.

34. Fab., Bong., Gis., *dividit*. Heinsiani, Alex., Urb. et nostri, alii *dividat*, ut supra *denotet*.

36. Ald. et Urb., mendose, *Arii* pro *arui*. Marcionem corruptissimis moribus fuisse traditum est. Chamillardus objicit poetæ, quod penultimam in *Marcion* produxerit: et exemplum adducit ex libris contra Marcionem sub Tertulliani nomine: *Hæc vobis per Marcionem Cerdone magistro*. Verum alii, qui prosodiæ indices conficiunt, contra docent tres omnes vocales in *Marcion* esse producendas. Sane exemplum ex Tertulliano potest ita accipi, ut pes tertius sit spondæus facta synæresi ex *cio*. Sic Prudentius infra vers. 129 ait *Marcionita*, ubi *Marcio* est spondæus. Vide ibi notanda. Quod si auctoritate res hæc confici deberet, non Tertullianus commentitius Prudentio, sed Prudentius Tertulliano commentitio esset præferendus. Ultima vero in *Marcion* corripitur, ut in *dæmon*. Vide Proleg.

D

37. Vat. A, Prag., Pal., Egm., *dueta*; Aldus, Alex., *duetas*; Mar., Rat. et alii, *Duitas*. Ita vocat eos qui duos asserebant esse deos. Fortasse melius scribetur sine commate, *Docet Duitas discrepare a spiritu*. Glossæ inceptæ sunt.

41. Heinsiani scripti, *quieta*. Alex., Urb. et alii nostri, *quietam*, cum Gisel., Ald., Weitz.

42. Prag., *fessa*. Vat. A, *virorum*. Corrige *fassa* et *vivorum*.

43. Post hunc versum in multis mss. adest alius, in Mar., Rat., Prag., Weitz., Gis. et aliis, scilicet *Hic qui caduci rem laboris offerens*. Sed in Mar. deest vox *hic*, in Pragens. prius ponitur *Hic, qui caduci*, tum *Hic se caduco*. Abest ab Alex., Urb., Vat. A, Ald., Egm., Palat. et Heinsianis exemplaribus. Teolius, qui negat ullum Vaticanorum agnovisse hunc versum, non videtur observasse codicem Marietti.

Malum, bonumque, ceu duorum separans
Regnum deorum, sceptra committit duo;
Deum esse credens, quem fatetur pessimum,
Cain cruentus, unitatis invidus,
Mundi colonus, immolator squalidus;
Cujus litamen sordet, et terram sapit,
Terram caduci corporis, venam putrem,
Humore denso conglobatam, et pulvere:
Natura cujus fraude floret fertili,
Fecunda fundens noxiorum crimina,

A **499** Animæque vitam labe carnis enecat.
Caro in sororem tela mentem dirigit:
Mens in cerebro ventilatur ebrio,
Ex quo furores succulentos colligit
Madens veneno corporis lymphatico.
Deum perennem findit in duos deos:
Audet secare numen insecabile.
Cain peremptor, denegans unum Deum,
Cain triumphat, morte fratris allitus.

GLOSSÆ VETERES.

46. Committit, *firmat*, I.
48. Cain, *Marcion*, I.
50. Litamen, *oblatio*. — Sordet, *fetet*. — Sapit, *saporem terrenum habet*, I.
51. Venam, *scilicet sapit*, I.
57. Ebrio, *insano*, I.
58. Succulentos, *purulentos, vel insanos*, I.
59. Lymphatico, *furenti*, I.
63. Cain, *Marcion*, I.— Triumphat, *malo triumpho, et malo suo mulctatus*, Vat. A. — Alitus, *nutritus*, I., Vat. A.

B

COMMENTARIUS.

46. Prag., *regna duorum;* supra, *divorum*. Mar., *regna divorum;* supra, *duorum*. Rat., Bong., Widm. supra, *regna divorum*. Ald., Weitz., Palat., Widm. a prima manu, *regnum duorum*. Gis., *regnum deorum*. Assentitur Giselino Heinsius: neque id mihi displicet: nam *regna* et *divorum* metro repugnant; *duorum* jam dictum est versu superiori: nisi interpungas hoc modo *Malum, bonumque ceu duorum separans Regnum, duorum sceptra committit duo*. In Vat. A, Alex. et Urb. exstat utrumque *regnum* et *duorum*. Chamillardus et Cellarius Heinsio adhærent. Sich., *regnum divorum* contra metrum.

51. Vat. A, male, *terra caduci*.

54. Cauchius conjicit *noxiarum*.

56. Caro, *soror mentis*, ut supra Apoth. vers. 827, *cum cordis amici Intravit germana domum*, etc.

57. Ald., Mar., Prag. a prima manu, Widm. a prima manu, *illecebro*. Alii, *in cerebro*, quod sensus flagitat. Weitz., *illicebro*.

59. Prag., *lymphatici*, non ita bene.

60. Bonon., *fundit in duos*, male.

61. Ald., *nomen;* rectius, *numen*. Heinsius et Cham., *insecabile?* interrogans.

62. Weitz., Widm., Bong., Fabr., Alex., Rat., Mar. a secunda manu, *Cain peremptor*. Vat. A, Bonon., Prag., Mar. a prima manu Rat., supra, Egm., Put., Rott., tres Torr., *cadit perempta*, scilicet mens Marcionis. Thuan., *cadit peremptor*. Aldus, *cadet peremptor*. Widm. ad oram, *mens perempta cadit*, contra metrum. Teolius Heinsio inhæret, *Cadit perempta*, quamvis astruat, duos codd. Vatt. illi favere, cæteros *peremptor* præferre, ut in Vulgatis.

63. Ald., Fabr., Gis., *illitus*. Thuan., Rot., Cauch., tres Torr., Bonon., *oblitus* ab *oblino*, quod amplexus est Heinsius, et cum Heinsio recentiores. Plerique *halitus*, aut *alitus* cum glossa ridicula *nutritus* ut Vat. A, Alex., Urb., Mar., Prag., Rat., Weitz. Metrum non patitur *alitus* pro *nutritus*. Ego accipio *allitus* ab *allino*, quo verbo usus est Cicero, et Horatius in Arte poetica, *incomptis allinet atrum Transverso calamo signum;* et sensus est idem ac in *oblitus* aut *illitus*, hoc est maculatus. Omitti autem altera e duabus C consonantibus facile potuit. Isidorus lib. I Etym., cap. 27, ex Victorino ait, veteres non duplicasse litteras, sed supra sicilicos apposuisse, ut sella, ser'a, as'eres. In antiquis marmoribus sæpe desideratur una e duabus consonantibus quæ in aliqua voce essent duplicandæ. Prudentius Marcionem cum Caino confert: in eodem vero Marcione rursus inter carnem et mentem distinguit; carnem nomine Caini intelligit, quod male triumphaverit de mente, eam præcipitem trahens.

HAMARTIGENIA.

500 Quo te præcipitat rabies tua, perfide [Cain,
Divisor blaspheme Dei? tibi conditor unus
Non liquet, et bifidæ caligant nubila lucis.
Insincera acies duo per divortia semper
Spargitur, in geminis visum frustrata figuris.

GLOSSÆ VETERES.

1. Cain, *Marcionita*, I.
3. Liquet, *manifestatur, patet*. — Lucis, *oculorum*, Iso.
D 4. Insincera, *impura, non pura*. — Acies, *visus*. — Divortia, *deviamina, diverticula*, I.
5. Frustrata, *ipsa acies*, I.

COMMENTARIUS.

1. Argumentum operis titulo exprimitur *Adversus Marcionitas, qui duos deos esse affirmant*, in Rat., Prag., Thuan., Oxon., Alex. In Aldo, *affirmabant;* Vat., A, *asserunt*. Gis. 2 edit., *Hamartigenia*, aliis omissis, et ad oram *Duitæ*.

2. Lupus Ferrariensis epist. 20 ad Altuinum hunc versum et ejus auctorem hoc elogio prosequitur: *Græcus quidam Græcos* BLASPHEMUS *dicere correpta penultima mihi constanter asseruit..... Tamen Aurelius Prudentius, qui apud plerosque vehementissime celebratur, id nomen sic posuit*, DIVISOR BLASPHEME DEI. *Hinc igitur longe lateque manavit, ut* BLASPHEMUS, *et* BLASPHEMO *accentum in penultima syllaba sortirentur*. Lupus accentum cum syllabæ quantitate confundit: nam penultima in *blasphemus* est longa, accentus vero est in antepenultima. Vide Proleg.

5. Ex Tertull. lib. I adversus Marcion., cap. 2. *Quo facilius duos deos cæci perspexisse se existimaverunt. Unum enim non integre viderant. Lippientibus etiam singularis lucerna numerosa est.*

Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors
Dividuum regnare Deum super æthera credas.
Bina boni, atque mali glomerat discrimina sordens
Hic mundus : domino sed cœlum obtemperat uni
Non idcirco duos retinent cœlestia reges,
Quod duo sunt opera humanas agitantia curas.
Exterior terrenus homo est, qui talia cernens,
Conjicit, esse duo variarum numina rerum,
Dum putat esse Deum, qui prava effinxerit olim,
501 Et qui recta itidem condens induxerit, ambos
Autumat esse deos natura dispare summos.
Quæ tandem natura potest consistere duplex,
Aut regnare diu : quam fons divisus ab arce
Separat, alternaque apicum ditione recidit ?
Aut unus Deus est, rerum cui summa potestas :
At quæ jam duo sunt, minuuntur dispare summo.
Porro nihil summum, nisi plenis viribus unum :
Distantes quoniam, proprium dum quisque revulso
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt,
Jus varium non est plenum : quia non habet alter,
Quidquid dispar habet, cumulum discretio carpit.
Nos plenum sine parte Deum testamur, et unum :
In quo Christus inest, idem quoque plenus, et unus,
502 Qui viget, ac viguit super omnia, quique vigebit,
Participem nullum collato fœdere passus.
Summa potestatum simplex, dominatio rerum,
Virtutum sublime caput, fons unicus orbis,
Naturalis apex, generisque, et originis auctor :
Ex quo cuncta fluunt, et lux, et tempora, et anni,
Et numerus, qui post aliquid dedit esse secundum :

GLOSSÆ VETERES.

6. Obludit, *illudit.* — Excors, *stultus, sine corde*, I.
8. Glomerat, *colligit.* — Discrimina, *discretiones*, I.
11. Agitantia, *moventia*, I.
13. Conjicit, *divinat*, I.
15. Itidem, *iterum*, I.
16. Dispare, *separata*, I.
18. Ab arce, *a dignitate*, I. *Principio*, Vat. A.
19. Apicum, *celsitudinum summitatum*. I.
21. Aut quæ, *nihil summum, nisi unum*, Vat. A. — Summo, *summitate*, Mar. — Dispare summo, *separata summitate*, I.
22. Unum, *fuerit*, I.
23. Revulso, *separato*, I.
24. Vindicat, *usurpat.* — Omnia, *scilicet facere, vel esse*, Iso.
25. Varium, *duorum*, I.
26. Cumulum, *plenitudinem, vel summitatem*, I.
29. Viget, *vigorem tenet*, I.
30. Collato, *conjuncto.* — Fœdere, *amicitia*, I.
31. Summa, *summitas est ille, sublimitas.* — Simplex, *unica*, I.
33. Apex, *summitas capilli, et ponitur pro omni summitate*, I.
35. Aliquid, *unitatem.* — Secundum, *id est filium, et angelos, et homines*, I.

COMMENTARIUS.

6. Bong., *obludit ;* supra, *illudit.*

9. Aldus male interpungit *hic mundus domino* pro *hic mundus : domino.*

11. Bong., nonnulli vulg., *duo sint.*

14. Rat., *effinxerat ;* alii, *effinxerit.*

17. Gis. 1 edit. ad oram, Sich., Widm. supra, Bong. ad marg., *constare biformis ;* cæteri, *consistere duplex.*

19. *Apices* pro summo honore. Horatius, lib. III, oda 21, *Trementi regum apices, neque militum arma.*

20. En nervosum argumentum quo SS. Patres, theologi et philosophi Dei unitatem demonstrant. Deus aut unus est, aut si plures sunt, jam non sunt dii. Chamillardus frustra laborat id explicare : nam clarius Prudentius carmine, quam ipse interpretatione, aut commentariis rem conficit. Quod si SS. Patrum auctoritates desideras, theologos poteris consulere, qui eas exscribunt. Egregie S. Athanasius orat. adversus idola, *multitudo numinum, nullitas numinum*, a Prudentio adhibetur subtile argumentum, in scholis usitatum : quod si plures dii essent, unicuique deesset perfectio, quæ in omnium collectione reperitur. S. Irenæus, lib. II, cap. 1, eadem ratione utitur : *Deerit enim unicuique eorum partem minimam habenti, ad comparationem omnium reliquorum ; et solvetur omnipotentis appellatio.*

21. Gis., Bongar., Rat. a prima manu, *aut qui.* Alex., Sich., Rat. a secunda manu, Thuan., *aut quia.* Alii, *aut quæ.* Pro *summo* Alex. a prima manu, et Rot., *summa.*

22. Prag., Rat., Weitz., Mar. pro diversa lectione *usum.* Alii, *unum.*

24. Vat. A, male, *indicat* pro *vindicat.*

28. Prudentius ait nos fateri Deum unum, quamvis diversæ sint personæ : quia Verbum (idem dic de Spiritu sancto) cum Patre regnat *majestate sub una*, hoc est, ejusdem est naturæ ac substantiæ.

29. Ald., non bene, *quippe vigebit.* Gis. et alii vulg., *et viguit.*

31. Put., Egm. ad oram. *Summa potestatum Pater est*, quod Heinsio et Chamillardo non displicet, quia hæc, ut putant, de Deo Patre dicuntur. Longe aliter sentio. Etenim hæc omnia ad vers. 37 accipio de ipsa natura divina.

32. Arnobius, lib. II, pag. 44 : *Ille salus rerum Deus omnium, virtutum caput, benignitatis et columen*, Et supra : *bonorum omnium solus caput.*

33. In Rat., *generis* sine *que.* Ex hoc loco aliisque similibus Petavius tom. II, lib. IV, cap. 3, probat, *generis* nomen pro natura sumi interdum solere ab Hilario et Prudentio, quibus adjungit Facundum Hermianensem ex Eustathio Antiocheno, Eusebium vulgo Emissenum nuncupatum, Tertullianum et alios.

34. In Vat. A, *tempora, anni*, non bene.

35. A Deo, qui *summa potestatum simplex est*, per Verbum omnia facta sunt. Inter creata vero sunt ea quæ numerantur suo ordine. Nam Deus princeps et auctor numeri non potest numerari : neque enim est Deus primus, Deus secundus, Deus tertius : neque Pater est numero primus, aut anterior Filio, aut Filius secundus numero, et posterior Patre. Ut enim in symbolo Athanasiano dicitur, in hac trinitate *nihil prius, aut posterius.* Et quamvis nonnulli theologi veram prioritatem originis inter personam producentem et productam agnoscant ac tueantur, tamen ea non efficit numerum, *qui post aliquid dedit esse secun-*

Unus enim princeps numeri est, nec dinumerari A
Tantum unus potis est: sic, cum Pater, ac Deus alter
Non sit, item Christus non sit genitore secundus,
503 Aut numero anterior, cui Filius unicus uni est,
Ille Deus, meritoque Deus: quia primus, et unus:
In virtute sua primus; tum primus in illo,
Quem genuit: quid enim differt, generatio simplex?
Unum semper erit gignens, atque unus ab uno
Ante chaos genitus, numeroque, et tempore liber.

Quis dixisse duos rem majestate sub una
Regnantem, propriamque sibi, retroque perennem
Ausit, et unius naturæ scindere vires?
504 Nunquid adoptivum genitor sibi sumpsit, ut alter
Externi generis numerum præstare duorum
Debeat, et geminum distans inducere numen?
Forma Patris veri verus stat Filius, ac se
Unum rite probat, dum formam servat eamdem.
Non amor ascitus sociat, nec jungit utrumque
Conjurata fides; pietas sed certa, genusque
Unum, quod Deus est, summam revocatur ad unam.

GLOSSÆ VETERES.

36. Unus enim, *quia ab uno inchoamus semper numerum*, I. B
38. Secundus, *ac Deus Pater non sit ipse Pater anterior numero*, I.
40. Unus, *Filius Pater*, I.
43. Ab uno, *Patre*, I.
44. Chaos, *mundum, principium.* — Numeroque, *eo quod sit unus filius, sicut unus genitor est.* — Et tempore, *id est, æquales in temporibus*, I.
45. Duos, *scilicet deos*, I.
46. Retro, *ab initio*, Vat. A.
47. Ausit, *ausus est*, I.
48. Adoptivum, *Filium*, I.
50. Distans, *alio modo stans*, I.
51. Stat, *est*, I.
52. Unum, *Filium.* — Rite, *veraciter.* — Formam eamdem, *substantiam Patris*, I.
53. Amor, *adoptio*, I.

COMMENTARIUS.

dum, de quo loquitur Prudentius: ac solum ea prioritas significat personam producentem esse id a quo est persona producta, non vicissim, et hoc sensu in Trinitate sunt prima, secunda et tertia persona, quæ revera sunt tres personæ distinctæ. Sanctus Gregorius Nyssenus disertis verbis affirmat, nullo id sermone comprehendi posse, quemadmodum res eadem numerabilis sit et numerum fugiat. Consule laudatum Petavium lib. XII, tom. II, cap. 13, ubi explicatur naturæ divinæ singularitas et unitas numerica. C Theologi aiunt in proprietatibus relativis numerum adhiberi, non in absolutis. Simili modo S. Augustinus tract. 39 in Joan.: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt; non quod ad se sunt.*

39. Minime dubito quin legendum sit cum Rat. et Mar. a secunda manu: *Aut numero anterior, cui Filius unicus uni est.* Sensus est, quod Filius non est Patre posterior, Pater non est anterior Filio; sed Deus est unus primus in virtute sua, primus in illo quem ante chaos genuit, et unum sunt gignens et genitus, numeroque et tempore liber. S. Fulgentius in lib. de Fide ad Petrum Verbum Prudentii adhibuit, sententiamque explicuit: *Nullus horum extra quemlibet ipsorum est: quia nemo alium præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate: quia nec Filio, nec Spiritu sancto, quantum ad naturæ divinæ unitatem pertinet, aut* ANTERIOR, *aut major Pater est*, etc. In Vat. A mendum est *interior.* In aliis mss. et edd.: *Anterior numero est, cui Filius unicus uni est*, quod nescio qua ratione possit explicari. Latinitatem vocis *anterior* satis defendit Olaus Borrichius in Analectis ad Cogitationes de lingua Latina contra Vossium et Cellarium, ex Julio Cæsare in optimis exemplaribus, Prisciano, Symmacho, Sulpicio aliisque æqualibus. Proprietatem loquendi *Filius unicus uni est* recte notavit Tecliius ex S. Thoma part. 1, quæst. 31, art. 2: *Dicimus unicum Filium, quia non sunt plures filii in divinis: neque tamen dicimus unicum Deum, quia pluribus divinitas est communis.*

42. Generatio simplex est generatio æterna per communicationem ejusdem naturæ, non per divisionem, aut multiplicationem essentiæ: nam Filius est genitus, non creatus, aut factus. Ideo poeta theologus rogat, inter genitum et generantem per simplicem generationem, quænam differentia esse potest in natura, in virtute, in majestate?

43. Egm. a manu prima, *semper erunt.*

45. Repetere hic plura possemus ex symbolo Athanasiano, ut *non tres æterni, sed unus æternus, non tres dii, sed unus Deus, unus Pater, non tres patres*, etc.

47. Magis arridet *scindere* cum Mar., Rat., Weitz., Urb., quam *exscindere* cum Put., Thuan., Ald.

48. Hoc aliud est dogma catholicum: Verbum, atque adeo Jesus Christus Filius Patris est naturalis, non adoptivus; ex quo capite Marcionita non poterat asserere, aut arguere, alterum alterius generis, sive naturæ numerum duorum præstare, et geminum numen inducere. Prudentius præcipue loquitur de Christo, quatenus est Deus: nam sæpe Christum pro Verbo accipit. Hinc arguunt theologi, Christum, etiam quatenus est homo, non esse filium adoptivum Dei: etenim filius adoptivus est persona extranea adoptanti. Erat tunc in more positum, ut imperatores filium aliquem alterius generis sibi adoptarent, et ad imperii partem assumerent. Huc fortasse animum Prudentius advertit. *Genus* pro natura supra poeta usurpavit; eodemque vocabulo usi sunt plures SS. Patres, quod sæpe repetendum est contra Clerici sophismata. Vox illa *adoptivum* reperitur in concil. Bracarensi I, cap. 15: *Adoptiva femina ascititia*, et in Collectione canonum S. Martini Bracarensis. In oratione matutina, quæ a multis Ausonio, a nonnullis S. Paulino ascribitur: D *Stirpis adoptivæ meliore propage colendus.*

51. Filium esse formam, sive imaginem Patris, monui in Apoth. Ex quo colligitur, Filium ejusdem esse cum Patre naturæ: non enim perfecta hæc similitudo et ratio imaginis consistere posset inter duas distinctas naturas. Confer theologos, probantes unitatem essentiæ in tribus personis. Petavius tom. IV, lib. II, cap. 11, et lib. IV, cap. 15, observat, simili argumento usos Athanasium, Basilium, Cyrillum; sed adjungendam esse præterea divinæ generationis, vel productionis substantialis rationem, quæ id requirit, ut quod eodem modo producitur, non similitudinem solum, sed identitatem etiam habeat substantiæ.

55. Bong., *revocatus*; reliqui, *revocatur*.

A Hæc tibi, Marcion, via displicet; hanc tua damnat
Secta fidem, dominis cœlum partita duobus.
Quæ te confundunt nebulæ? quis somnus inerti
Incubat ingenio, cui per phantasmata duplex
Occurrit species, bivio dispersa superno?
505 Si vim mentis hebes stupor obsidet, aspice saltem
Obvia terrenis oculis elementa, quibus se
Res occulta Dei dignata est prodere signis.
Hanc heresin præsaga Patris præviderat olim
Majestas fore : quæ rectorem lucis, et orbis
Scinderet in partes, geminatum segrege regno.
Idcirco specimen posuit spectabile nostris
Exemplumque oculis, nequis duo numina credat
Imperitare vagis mundi per inania formis.
Una per immensam cœli caveam revolutos
Præbet flamma dies, texit sol unicus annum.
Triplex ille tamen nullo discrimine, trina
Subnixus ratione viget, splendet, volat, ardet,
Motu agitur, fervore cremat, tum lumine fulget.
Sunt tria nempe simul, lux, et calor, et vegetamen :
506 Una, eademque tamen rota sideris indiscretis
Fungitur his, uno servat tot munera ductu,
Et tribus una subest mixtim substantia rebus.
Non conferre Deo, velut æquiparabile, quidquam
Ausim, nec domino famulum componere signum :
Ex minimis sed grande suum voluit Pater ipse
Conjectare homines : quibus ardua visere non est.
Parvorum speculo non intellecta notamus,
Et datur occultum per proxima quærere verum.
B Nemo duos soles, nisi sub glaucomate, vidit :
Aut, si fusca polum suffudit palla serenum,
Oppositus quoties radiorum spicula nimbus
507 Igne repercusso mentitos spargit in orbes.
Sunt animis etiam sua nubila, crassus et aer :

GLOSSÆ VETERES.

60. Bivio, *divisione*, I.
62. Elementa, *signa*, I.
64. Præsaga, *prædivinatrix*, *præscia*, I.
66. Segrege, *separato*, Vat. A.
67. Specimen, *imaginem*. — Posuit, *Deus*, I.
71. Præbet, *ordinat*. — Flamma, *sol*. — Texit *ordinavit*, I.
73. Volat, *currit*, I.
75. Vegetamen, *vegetatio*, *commotio*, I.
76. Indiscreti, *motus indivisibilis*, I.
77. His, *officiis*. — Ductu, *ductione*, I.
78. Substantia, *sol*, I.
79. Æquiparabile, *simile*, *comparabile*, I.
C 80. Ausim, *audeam*. — Componere, *comparare*, I.
81. Grande suum, *majestatem suam*, I.
82. Conjectare, *præcognoscere*, *in hoc quod ad imaginem suam creati sumus*. — Quibus, *hominibus*. — Ardua, visere, *divina cognoscere*. — Non est, *possibile*, I.
83. Parvorum, *per visibilia*. — Non intellecta, *invisibilia*, *ea*, *quæ non possumus intelligere*, I.
84. Proxima, *quæ vidimus*, I.
85. Glaucomate, *albugine*, *offuscatione*, *infusione*. *Glaucoma est infirmitas oculorum*, I.
86. Fusca, *nigra*. — Suffundit, *obumbrat*. — Palla, *nubem appellat pallam*, *nubecula*, I.
87. Nimbus, *nubes*, I.
88. Mentitos, *infrustratos scilicet lumine*. — Orbes, *oculos*, I.
89. Aer, *animus*, I.

COMMENTARIUS.

60. Prag. scribit *disparsa*.

64. Aldus, ut metro consuleret, reformare voluit *heresin hanc*. Hoc ipsum ausus est librarius adnotare in Ratisb. Vera lectio *hanc heresin*.

68. Vat. A, male, *neque quis* pro *nequis*; Prag., *credens* pro *credat*, non bene.

69. Abest hic versus a Pal., Egm., Ald., omnibus Heins., uno Torr., Alex., Urb. Affertur a Weitz., Gis., Mar., Prag., Rat. et quidem sine litura, Bong., Fabr., et aliis. Sed in Fabr., Bong., et Mar. a prima manu, *vagas formas* pro *vagis formis*. Giselinus testatur hunc versum abesse ab edit. Daventr. Teolius in uno tantum Vat. eum esse ait, sed inductum a manu secunda (intelligo adjectum). Mariettus in suo codice nunc Vat. a manu prima eumdem versum exstare agnovit. Alex. a secunda manu hunc ipsum versum habet, et legit *vagas formas*.

70. Fabr., Gis., Bong., *resolutos*, perperam, pro *revolutos*. Vide Becmanum, de Orgine ling. Lat. cap. 6, qui ex mss. hanc lectionem defendit et explicat. Dies revoluti sunt, qui revolvuntur identidem, et redeunt.

71. Codd. mss. et edd., *texit*. Fabricius excudit *rexit*, cui favet glossa. Hoc exemplo usus est Alexander Magnus : *Neque terra potest duos soles, neque Asia duos reges tolerare*.

75. S. Augustinus, de Cognitione veræ vitæ cap. 10, exemplum lucis, splendoris et caloris, quæ sunt tria diversa vocabula, sed una et individua substantia, ad altissimum Trinitatis divinæ mysterium explicandum adducit. Et sermone 1 de Verbis Apostoli soli, et igni comparat Trinitatem : *Et ignis enim tria habet, et dividi non potest, hoc est, motum, lucem, et fervorem*. Chamillardus ait vitiose ab uno Prudentio dictum *vegetamen* pro *vegetatio*. Contra Barthius lib. x Advers., cap 24, elegantem vocem dicit, nec admodum usitatam *nutamen* in Silio Italico : *Niveæ tremulo nutamine pennæ*. *Quales*, inquit, *multas Prudentius finxit, temere inter barbaras a censoribus nimis delicatis recensitas*. Huc refero vocabulum *vegetamen*, et alia hujus generis, *peccamen*, *creamen*, *ructamen*, *ostentamen*, *oblectamen*. Vide in indice Fabricii ad poetas Christianos *affamen*, *conamen*, *exhortamen*, *testamen*. Plura similia sunt in Lucretio, quæ in indice Lucretiano Gifanius notavit.

76. Mar., Prag., Rat., Weitz., Gis., *indiscreti*, nempe solis. Scripti Heinsiani, Vat. A, Alex., Urb., Ald., Egm., Palat. *indiscretis*, scilicet his tribus.

78. Prag., *ex tribus*; alii, *et tribus*. Ald., *mixtum*;
D cæteri, *mixtim*, quod est præferendum.

80. *Famulus* adjective apud Ovidium non semel occurrit.

86. Vat. A, *et si* pro *aut si*, Mar., Rat., Weit., Gis., Sich., *suffundit*. Vat. A., Ald., Alex., Urb., Heinsiani *suffudit*. *Palla fusca* pro nube, sicut apud poetas *nube tegi*, *nube amictus*. Virgilius I Æneid.: *Et multo nebulæ circum dea fudit amictu*.

87. *Nimbus* pro *nube* apud Lucretium, Virgilium et alios. *Spicula radiorum*, *ut spiculum solis*, hymn. 2 Cath., vers. 6.

88. Ald., *mentitus*, reliqui, *mentitos*.

Est glaucoma, aciem quod tegmine velet aquoso, A
Libera ne tenerum penetret meditatio cœlum,
Neve Deum rapidis comprendat sensibus unum.
Spargitur in bifidas malesana intentio luces,
Et duplices geminis auctoribus exstruit aras.
Si duo sunt igitur, cur non sunt multa deorum
Millia ? cur numero Deitas contenta gemello est ?
An non in populos dispersa examina divum
Fundere erat melius, mundumque implere catervis
Semideis passim nullo discrimine monstris,
Quis fera barbaries perituros mactat honores?
Dissona discretum retinent si numina cœlum,
Convenit et nebulis, et fontibus, et reboanti
Oceano, et silvis, et collibus, et speluncis,
Fluminibus, ventis, fornacibus, atque metallis
Assignare deos proprios : sua cuique jura.
508 Vel, si gentiles sordet venerarier umbras,
Et placet, esse duos sceptris socialibus æquos,
Dic age, quis terras ditionis sorte retentet?
Quis regat æquoreas æterna lege procellas ?
Ede cohæredum distinctum jus dominorum.
Unus, ais, tristi residet sublimis in arce,
Auctor nequitiæ, scelerum Deus, asper, iniquus :
Qui, quodcunque malum vitioso fervet in orbe,
Sevit, et anguino medicans nova semino succo,
Rerum principium mortis de fomite traxit.
Ipse opifex mundi terram, mare, sidera fecit :
Condidit ipse hominem, lutulenta et membra coegit
Effigians, quod morbus edat, quod crimine multo
Sordeat, informi tumulus quod tabe resolvat.
Ast alii pietatis amor, placidumque medendi
B **509** Ingenium, recreans homines, mortalia servans.
Testamenta duo fluxerunt principe utroque ;
Tradidit iste novum melior, vetus illud acerbus.
Hæc tua, Marcion, gravis, et dialectica vox est;

GLOSSÆ VETERES

90. Glaucoma, *albugo, caligo.* — Aciem, *acumen visus*, I.
91. Tenerum, *subtile, intrectabile, vel serenum*, I.
92. Comprendat, *intelligat*, I.
93. Intentio, *sensus, studium*, I.
94. Geminis, *duobus.* — Auctoribus, *diis.* — Exstruit, *instruit*, I.
95. Duo, *numina, dii*, I.
96. Numero, *Virgil., numero Deus impare gaudet*, I.
100. Quis, pro *quibus*, Vat. A.
101. Discretum, *separatum*, I.
102. Reboanti, *sonanti*, I.
106. Vel si, *o Marcion.* — Sordet, *displicet adorare simulacra*, I.
110. Ede, *dic, profer*, I.
111. Ais, *dicis.* — In arce, *regno*, I.
114. Sevit, *seminavit.* — Medicans, *fundens*, I.
117. Coegit, *copulavit*, I.
118. Effigians, *formans.* — Morbus, *deus malus*, I.
120. Alii, *scilicet Deo*, I.
122. Utroque, *a principe tenebrarum, et a principe lucis*, I.
123. Acerbus, *pejor*, I.
124. Gravis, *importabilis.* — Dialectica, *disputantia, sophistica*, I. *Acuta*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

90. Ald., mendose, *vellet* pro *velet*, ut habent C Oxon., Widm., Mar., Prag., Rat., Urb. In Vat. A, Alex. et Heinsianis plerisque, *velat*, cum Weitz. et Gis.

91. Ald., non bene, *ne tetrum*.

93. Bong., Sich., Gis. 1 edit. ad oram *malefida intentio.*

95. Egm., et Gis. ita legunt : *Sunt duo? sunt, igitur cur non sunt multa deorum Millia?* Giselinus allegat etiam Daventriensem editionem. Alii scripti, *Si duo sunt igitur, cur non sint multa deorum Millia?* nisi quod in Rat. est *sunt multa* ut in Weit., Cham. et aliis. Vide Tertullianum lib. I adversus Marcionem, cap. 5 : *Primo enim exigam, cur non plura, si duo?*

97. Argute *examen divum fundere*, ut *examen apum*, quanquam de aliis etiam rebus *examen* dicitur.

101. Rat. a prima manu, *divum* pro *cœlum*. Recte emendatum est ab alia manu.

105. Gis. legit *sua jura cuique*. Scripti et alii editi, *sua cuique jura*, ut *cuique* sit dactylus. Gifanius Ind. Lucr. in *e breve* testatur etiam veteres libros Prudentii a se inspectos habere *sua cuique jura*, et alibi *sua cuique dextra est*, et *suus est mos cuique genti*. Illud tamen Gifanio non assentior, *e* in *cuique* a Prudentio produci, quasi versus illi essent spondaici, sive spondæum quinta sede haberent. Existimo potius, *u* primum produci, et dactylum fieri. Becmanus contra fidem aliorum mss. jubet, hæc verba transponi *sua jura cuique*, nec dissimulante inquit, ms. Hic codex erat Palatinus ex Hildeberga a Jano Grutero missus. Vide cap. 6 de Orig. ling. Lat. Codex abbatiæ Gronelandiæ, quo Torrentius est usus, uno versu est auctior : *Assignare deos proprios : elementaque ruris Dividui dominis addicere sigillatim.* Ubi Heinsius corrigit *juris* pro *ruris*, scilicet *elementaque juris.*

107. Placet *duos* cum Vat. A, Alex., Put., Thuan. et Rot. Non male *deos* Mar., Prag., Rat., Bong., Widm. a prima manu, Urb. Ex editis Aldus *duos* præter Heinsium et recentiores. Sichardus, Weitz., Gis., *deos*.

108. Mar., male, *ditiones* pro *ditionis :* minus male a prima manu, *gubernet*, a recente manu, *retentet.*

110. Gis. 1, edit. ad oram notat *Error Marcionis.*

111. In aliquo Vulg., *ait;* melius, *ais.*

114. Aldus scribit *anguineo* ; plerique *anguino.* Recentiores aliqui Aldo consonant. Prag., *meditans*, non bene, pro *medicans*. In mss. et editis antiquis est *succo*. In Thuan. tamen *fuco*, quod Heinsius probavit. Teneo, quod nostri, *succo*, sive *suco* unico *c*, ut D semper scribit Prag.

120. Gallandius suspicatur legendum, *est alii;* sed edidit *ast alii*, quia subintelligi potest *est.*

122. Id quoque suæ hæresi Marcion addebat. Confer Tertullianum lib. IV adversus Marcionem, ubi eum errorem evertit, et antitheses Marcionis refellit, librum scilicet ab eo compositum, ut inter se contraria duo Testamenta probaret. Nonnulli delicatiores *instrumentum* malunt dictitare, quam *testamentum*, quod sit illud vocabulum, de sacra Scriptura dictum, ab usu communi magis remotum.

Imo hæc attoniti phrenesis manifesta cerebri.
Novimus, esse patrem scelerum; sed novimus, ipsum
Haudquaquam tamen esse deum; quin imo gehennæ
Mancipium, Stygio qui sit damnandus Averno.
Marcionita deus, tristis, ferus, insidiator,
Vertice sublimis; cinctum cui nubibus atris
Anguiferum caput et fumo stipatur, et igni;
Liventes oculos suffundit felle perusto,
510 Invidia impatiens justorum gaudia ferre,
Hirsutos juba densa humeros errantibus hydris
Obtegit, et virides allambunt ora cerastæ.
Ipse manu laqueos per lubrica fila reflexos
In nodum revocat, facilique ligamine tortas
Innectit pedicas, nervosque in vincula tendit.
Ars olli captare feras, animalia bruta
Irretire plagis, retinacula denique cæcis
Indeprensa locis erranti opponere prædæ.
Hic ille est venator atrox, qui cæde frequenti
Incautas animas non cessat plectere Nebroth;
Qui mundum curvis anfractibus, et silvosis
Horrentem scopulis, versuto circuit astu.
Fraude alios, tectisque dolis innectere adortus;
511 Porro giganteis alios luctando lacertis
Frangere, funereos late exercere triumphos.
Improba mors, quid non mortalia pectora cogis?
Ipse suam (pudet heu!), contempto principe vitæ,
Perniciem veneratur homo: colit ipse cruentum
Carnificem, gladiique aciem jugulandus adorat.
In tantum miseris peccati nectare captis

GLOSSÆ VETERES.

125. Imo hæc, *certè vox.* — Attoniti, *concussi, vel contriti.* — Phrenesis, *insania, vel stridentissima febris, et est nomen de sono factum, onomatopœia*, I.
126. Patrem, *diabolum*, I.
128. Stygio, *profunditate inferni; Styx, fluvius infernalis*, I.
131. Anguiferum, *serpentinum.* — Stipatur *circumdatur*, I.
132. Felle, *ira*, I.
133. Invidia, *ob invidiam.* — Ferre, *pati*, I.
135. Obtegit, *scilicet illi.* — Ora, *faciem.* — Cerastæ, *diaboli, cerastæ, genus cornuti serpentis, serpens sagittarius, vel semitarius*, I.
139. Feras, *feroces homines.* — Bruta, *homines scilicet, qui nesciunt dæmonum laqueos prævidere; insipientes*, I.
140. Plagis, *maculis.*
141. Indeprensa, *occulta.* — Erranti, *non rectum gressum tenenti.* — Prædæ, *homini*, I.
143. Nebroth, *gigas fuit pessimus, qui primus ædificavit Babyloniam; sed hic pro diabolo ponitur ob nimiam crudelitatem*, I.
145. Astu, *ingenio, dolo*, I.
146. Tectisque, *occultis.* — Adortus, *conatus, ugrediens, incipiens*, I.
147. Lacertis, *brachiis*, I.
148. Funereos, *luctuosos.* — Late, *ubique*, I.
149. Improba mors, *diabole, diabolum vocat*, I.
151. Perniciem, *interitum*, I.
153. Nectare, *dulcedine*, I.

COMMENTARIUS.

125. Aldus metrum reformare voluit edens *cerebri manifesta phrenesis*, scripti *phrenesis manifesta cerebri.* Cur secunda in *phrenesis* a Prudentio corripiatur, vide proleg. Teolius notat: PHRENESIS. *Longa media.* Voluit, ut puto, dicere, *brevi media.* Aliqui ex origine Græca scribi malunt *phrenitis, pleuritis, arthritis*, etc.

127. Vat. A. *Haud nequaquam*, male. In editione Parmensi omissum est *tamen*, et uno pede brevior evasit versus: *Haudquaquam esse Deum: quin imo gehennæ.*

128. Ait poeta Marcionitam deum esse damnandum Averno, vel ex sententia eorum qui putant, dæmones supplicii et ignis expertes esse, donec extrema judicii dies advenerit, ut Chamillardus explicat, vel potius quia dæmon dignus supplicio ab omnibus debet judicari. Nam postea addit *cinctum cui nubibus atris Anguiferum caput et fumo stipatur, et igni.* Fortasse poeta scripserit *qui sit damnatus.*

129. Sæpe Prudentius *i* in *Marcion* produxit; ob licentiam in nominibus propriis modo corripit, modo producit, ut ait Giselinus infra vers. 610 in *Beliade*, vel potius quia synæresi hoc loco utitur, et prima sede spondæum locat, non dactylum.

130. Rot., *vertice sublimi*, quod Heinsius magis probat. Non audeo mutare, quod alii omnes habent *vertice sublimis.*

133. Giselinus aliter legit et distinguit *felle perusto invidiæ, impatiens.* Ad marg. *invidia* cum cæteris. Alii interpungunt *felle perusto invidia impatiens.* Alii *felle perusto, invidia impatiens*, quod teneo. De invidia diaboli cap. II Sapientiæ vers. 24: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

136. S. Bernardus fortasse hunc locum imitatur serm. 1 in die S. Andreæ: *Habet quippe nequissimus ille laqueos, habet et jacula, utpote callidissimus venator hominum, solum sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiosæ cujuslibet suggestionis, et in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat.*

140. Aldo, *irretit ore plagis*, corrupte.

141. Vat. A error, *indepressa locis.*

143. Plerique vetusti, *Nebroth;* alii, *Nembroth;* alii, *Nemroth;* alii, *Nimroth;* alii *Nemrod*, ut in Vulgata. Vide cap. X Genes.

144. Boher. vetustior, Gis. ad oram, *sinuosis* pro *siluosis*, quam lectionem in addendis præferri ab Heinsio ait Teolius, ego tantum ab eo referri puto. Fabricius censet *siluosis* esse quadrisyllabum. Sed stare potest quod versus quinta sede recipiat spondæum.

145. Epist. I Petri, V: *Diabolus circuit quærens quem devoret.*

146. Ald., *innectit.* In Rot., *adorsus.* In aliis etiam auctoribus codices prisci variant, in quibus modo *adorsus*, modo *adortus* invenias.

147. Corripit *o* in *luctando*, quod non esse reprehendendum dixi in proleg. Adverbia in *o*, ut *porro*, perperam quidam putant omnia producta esse. Vide Gifanium Ind. Lucr. in *e breve.*

149. Notum et contritum est illud Maronis lib. III Æn., vers. 56, *Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?*

153. Hanc phrasin *in tantum*, a magistris nescio quibus damnatam, Barthius tuetur lib. III Advers., cap. 25, non solum quia imitatio Græcorum est, apud quos exemplorum myrias, sed etiam quia neque ipsi Latini ab ea abhorruerunt; ut Virgilius lib. VI: *In tantum spe ducet avos*, præter Velleium, Tertullianum et alios. Juvencus in fine: *Et in tantum luxit mihi gratia Christi.*

Dulce mori est; tanta in tenebris de peste voluptas!
Qui mala principio genuit, deus esse putatur,
Quique bona infecit vitiis, et candida nigris.
Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
512 Consecrasse deas, Febrem, Scabiemque sacellis.
Inventor vitii non est deus; angelus illud
Degener infami conceptum mente creavit:
Qui prius augustum radiabat sidus, et ingens
Ex nihilo splendor nutrito ardebat honore.
Ex nihilo nam cuncta retro, factumque, quod usquam est:
At non ex nihilo deus, et sapientia vera,
Spiritus et sanctus; res semper viva, nec unquam
Cœpta, sed aerios etiam molita ministros.
Horum de numero quidam, pulcherrimus ore,
Majestate ferox, nimiis dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
513 Ostentatque suos licito jactantius ignes:
Persuasit, propriis genitum se viribus, ex se
Materiam sumpsisse sibi, qua primitus esse
Inciperet, nascique suum sine principe cœptum.

GLOSSÆ VETERES.

154. Tenebris, *scilicet ignorantiæ*, I.
156. Infecit, *polluit*, I.
157. Furor, *insania*. — Tradit, *narrat*, I.
160. Infami, *turpi*. — Creavit, *fecit*, *vel invenit*, I.
161. Augustum, *splendidum*, *nobile*. Iso.
162. Nutrito, *dilatato*. — Ardebat, *fulgebat*, I.
163. Retro, *a principio*, Vat. A.
164. Sapientia, *Filius Dei*, I.
166. Molita, *creans*, *formans*. — Ministros, *angelos*, I.
167. Quidam pulcherrimus, *ille de quo propheta dixit : Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, etc., I.
168. Auctus, *augmentatus*, I.
169. Grande, *adverbium*. — Tumens, *superbiens*. Iso.
170. Licito, *plus solito*. — Ignes, *honores*, I. *Animos*, Vat. A.
171. Persuasit, *dixit*, *æstimavit*.
173. Cœptum, *initium*, I.

COMMENTARIUS.

157. Minucius Felix in Octavio : *Cloacinam Titius et invenit et coluit, Pavorem Hostilius, atque Pallorem; mox nescio a quo Febris dedicata*. Exstat inscriptio, quæ spuria videri possit. FEBRI. DIUAE. FEBRI. SANCTAE. FEBRI. MAGNAE. CAMILLA. AMATA. PRO. FILIO. MALE. AFFECTO. Valerius Maximus lib. II, cap. 5 : *Cæteros quidem deos ad benefaciendum venerabantur. Febrem autem ad minus nocendum templis colebant*. Vide quæ ad Minucium animadvertunt Elmenhorstius, Wowerus et Ouzelius. Weitzius et Chamillardus observant unum Prudentium de sacello Scabiei meminisse. Conjiciebat aliquis, lib. I, cap. 20 Lactan. mendum subesse, et mentionem Scabiei, seu Pruriginis, eo correcto, fieri. *Quæ si vetus consecrari, respondebit tibi eadem illa Græcia, se alios deos colere, ut prosint, alios, ne noceant. Hæc enim semper excusatio est eorum qui mala sua pro diis habent, ut Romani Rubiginem, ac Febrem*. Legere volebat *Pruriginem*. Nam febris, et prurigo mala hominum sunt valde affinia. Verum constat aliunde, *Robigum* deum a Romanis cultum, ne rubigo occuparet segetes : ex quo *Robigalia*, seu *Rubigalia* festum. Imo *Robigo* dea etiam erat.

159. Elmenhorstius in Arnobium pag. 58 his versibus laudatis, notat Arnobium in disputatione de natura mali non se extricasse, cum non satis distinxerit inter malum culpæ et malum pœnæ.

161. Diabolus *sidus prius augustum* dicitur, ut *lucifer* ab Isaia cap. IV. 12, ex communi Patrum interpretatione partim litterali, partim allegorica.

162. Ex nihilo angeli, boni et mali facti, non minus quam cæteræ creaturæ. Erravit Simon Magus, vel somniavit potius, angelos a se ex Helena procreatos. Errarunt Angelici (nomen id hæreticorum est) qui asseruerunt angelos quædam numina esse. Vide S. Paulum, Epist. ad Coloss. I, 16, et concil. Later. III, cap. *Firmiter de summa Trinitate*. In epist. Leonis M. ad Turibium Asturicensem cap. 6 : *Sexta adnotatio indicat, eos* (Priscillianistas) *dicere quod diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura ejus opificium Dei sit, sed eum ex chao et tenebris emersisse, quia scilicet nullum sui habeat auctorem*. Rot. habet. *honorum* pro *honore;* ex quo conjicit Heinsius, legendum *nutritum ardebat honorem*. Quas criticorum conjecturas, ex mendis codicum desumptas, plerumque ingeniosas esse non diffiteor, sed nullo in pretio habendas judico, cum lectio pervulgata recte procedit, quæ mutari non debet, quamvis suspiciones contrariæ plausibiles videantur.

165. Simili phrasi utitur concilium Lateran. III sub Innoc. IV : *Una summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*.

166. Angelos dicit *aerios*, scilicet *spirituales*, nam Prudentio *aerius*, *liquidus*, idem est ac *spiritualis*.

169. Nihil frequentius apud SS. Patres, et theologos quam asserere, angelos superbiæ peccatum commisisse. Non æque inter eos constat, quali superbiæ genere, aut qua cogitatione tumuerint. Prudentius eorum opinioni videtur adhærere, qui aiunt diabolum eo sceleris devenisse, ut Deum imitari voluerit, ac se pro deo ostentaverit. Petavius, lib. III, de Angelis, cap. 2, tom. III, ait Prudentium poetica quadam exaggeratione superbum dæmonis factum sic explicuisse, tanquam nullum sui procreatorem agnoverit, sic luxuriæ ac ganeæ dediti pro deo ventrem habere dicuntur. Eam exaggerationem in aliis pariter intelligere possumus : nam, ut idem Petavius monet num. 21, diaboli peccatum plerique dicunt fuisse, quod Deo æqualis et similis esse voluerit, et num. seq. addit id non esse explicatu facile. Cyrillus, lib. V in Joan. : *Falsa opinione persuasit* (diabolus) *sibi posse creaturam ad naturam sui creatoris ascendere*. Alcimus Anitus, lib. II : *Tanquam conditor esset Ipse sui*. Nazianzenus, carm. 6 : *Dum deus esse cupit, tetra caligine totus Obrutus est*. Propius ad Prudentium verba Ezechielis cap. 18, 2 : *Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum;* quæ de principe Tyri dicta, nonnulli ad principem tenebrarum convertunt. Theologi plures cum S. Thoma p. 1, quæst. 63, art. 2, opponent, dæmonem naturali cognitione scivisse, se a Deo creatum. Prudentius quidem id non negaverit, sed ita se gessisse angelum dicet, quasi persuasum habuerit, propriis genitum se viribus. Etenim naturali quoque cognitione sciebat, se non posse contra Deum habere potestatem, et nihilominus hoc voluit. Potest etiam intelligi dæmonem hæreticis Marcionitis persuasisse se alterum deum esse. Hoc enim illi credebant, utique a dæmone edocti. Et videtur id innuere Prudentius vers. 174.

Hinc schola subtacitam meditatur gignere se- [ctam,
Quæ docet, e tenebris subitum micuisse tyran- [num :
Qui, velut æterna latitans sub nocte, retrorsum
Vixerit, et tecto semper regnaverit ævo.
Æmulus, ut memorant, opera ad divina re- [pente
Corrumpenda, caput caligine protulit atra.
Hoc ratio sed nostra negat : cui non licet unam
Infirmare fidem, sacro quæ tradita libro est.
514 Nil, ait, absque Deo factum, sed cuncta [per ipsum,
Cuncta : nec est alius quisquam, nisi factus ab [ipso.

A Sed factus de stirpe bonus, bonitatis in usum
Proditus, et primo generis de fonte serenus,
Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit invidia, stimulisque instigat amaris :
Arsit enim scintilla odii de fomite zeli,
Et dolor ingenium subitus conflavit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum et structile flatu
Concaluisse dei ; dominum quoque conditioni
515 Impositum, natura soli, pelagique, polique
Ut famulans homini locupletem fundere partum
Nosset, et effusum terreno addicere regi.
Inflavit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, deque acidis vim traxit acerba medullis,
Bestia, corde carens, cui tunc sapientia longi
Corporis enodem servabat recta juventam,

GLOSSÆ VETERES.

174. Hinc, *de hac ratione.* — Schola, *Marcionitarum, grex illius.* — Subtacitam, *occultam.* — Sectam, *pestem scilicet Marcionitarum*, I.
176. Retrorsum, *ab initio*, I., Vat. A.
178. Æmulus, *invidus*, I.
181. Infirmare, *corrumpere, ægram facere.* — Libro, *in Evangelio*, I.
183. Cuncta, *scilicet dico*, I.
184. Factus, *lucifer*, I.
185. Proditus, *manifestatus*, I.
187. Inficit, *violavit*, I.
190. Argillam, *limum.* — Simulacrum, *formam ho-* B *minis quæ de limo formata fuit*, I.
191. Dominum, *Adam vocat dominum quem Deus constituit dominum creaturæ suæ.* — Conditioni, *omni creaturæ*, I.
192. Soli, *terræ*, I. Homini, Vat. A.
194. Addicere, *subjugare vel commendare.* — Regi, *Adam*, I.
195. Stomachante, *irascente, furente.* — Fermento, *malitia*, I.
196. Bestia, *diabolus.* — Acidis, *acerbis*, I.
197. Bestia, *serpens.* — Longi, *sani sensus*, I.
198. Enodem, *sine nodo.* — Recta, *erecta*, I.

COMMENTARIUS.

174. Cham., male *sectam?* interrogans.
175. Aliqui, non bene, *qua docet.*
180. Mar. a prima manu, *non libet.* Prag., *una*, male, pro *unam.*
181. Prag., *tradita libro* sine *est.*
182. Giselinus confuse dictum existimat nil factum absque Deo, sed cuncta per ipsum. Nam cap. I Joan. C id proprie Deo Filio tribuitur: Verum poeta sapienter Deum memorat, quin Filium exprimat. Non enim nunc agitur de probanda Filii a Patre distinctione; sed illud contra Marcionitas est demonstrandum, nihil absque Deo, sed cuncta per Deum facta esse, adeoque ipsos angelos per Deum factos esse. Siquidem patet Deum esse Verbum, et a Deo facta esse, quæ per Verbum facta sunt.
183. Gis. ad oram, Prag., Rat. a prisco correctore, *facta.* Alii, *cuncta.*
184. Manichæi et Priscillianistæ docuerunt dæmones natura esse malos; contra quos exstat canon 7 concilii Bracar. I an. 561 : *Si quis dicit diabolum non fuisse prius bonum angelum a Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus, sed dicit eum ex chao et tenebris emersisse, nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium atque substantiam mali, sicut Manichæus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit.*
189. Ald., *ut dolor;* alii, *et dolor.*
191. Gifanius Ind. Lucret. in verbo *fac* ex vet. lib. legit *convaluisse.* Nostri omnes, *concaluisse*, cum Weitzianis et Heinsianis: nisi quod Prag. habet *decaluisse*, quod videtur placuisse Marietto, ut *deculcare* apud Plinium pro *calcare*, *decontari* apud Apuleium pro *cunctari*, *delitare* pro *litare*, Aldus et Giselinus *dominum quoque conditione* cum Oxon. : ex quo suspicatur Heinsius *dominum quoque conditione imposita.* Vat. A, *quem* pro *quoque.* Urb., *dominumque conditioni.* Prag., *dominum quoque conditionis:* Optimi, *dominum quoque conditioni impositum;* quod explicat Heinsius et Chamillardus, *impositum fabricæ mundi.* Nam Gennadius ait Prudentium scripsisse de fabrica mundi *usque ad conditionem primi hominis.* Profecto apud Ezechielem cap. XXVIII conditio pro creatione ponitur vers. 15 : *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Gallandius tuetur etiam *conditioni* pro rebus creatis ex veteri interprete S. Irenæi et Tertulliano. Giselinus suam lectionem *conditione impositum* ita interpretatur, hominem dominum conditione fuisse constitutum, hac scilicet, ut arbore scientiæ boni, et mali abstineret. Post hunc versum Mar., Prag., Rat., Urb. et alii interserunt hunc : *Qui cunctum proprio regeret moderamine mundum*, quem rectius Aldus rejecit post versum *Nosset, et effusum terreno addicere regi;* alii prorsus omittunt. Quod autem dæmon odio et invidia exarserit, docent Irenæus, Lactantius, Gregorius Nyssenus, Methodius, Cyprianus, Augustinus, Anastasius Sinaita, Tertullianus; sed alii aliter hoc peccatum invidiæ explicant. Aliqui utrumque peccatum in dæmone agnoscunt, superbiam et invidiam, quos poeta noster sequitur.
193. Elmenhorstius in Arnobium pag. 20 ad verba Arnobii *utero fusus* exemplis Ciceronis, Juvenalis, Lactantii et aliorum hanc phrasin comprobat.
194. Post hunc versum, ut paulo ante dixi, Aldus D collocat alium *Qui cunctum*, etc. Teolius quoque eidem versui hunc locum dedit; affirmatque in omnibus Vatt. esse, hoc discrimine, quod alii post vers. 191 collocant, alii hic reponunt.
195. Prag., mendose, *tumore.* Fermentum dicitur a *ferveo.* Hinc recte, *tumor inflatus fermento.* Horatius lib. I, oda 13 : *Fervens difficili bile tumet jecur.* Cum autem mira sit stomachi cum corde consensio, Latini *stomachum* et *stomachari* accipiunt pro ira et irasci. Scite igitur Prudentius dixit *fermento animi stomachante.*
197. Weitz., Gis. 2 edit., Mar., Prag., *corde carens*, scilicet ipsa bestia. Heinsiani scripti, Ald., Vat. A et alii, *sorde carens*, nempe sapientia.

Complicat esse novos sinuoso pectore nexus,
Involvens nitidam spiris torquentibus alvum.
Simplex lingua prius, varia micat arte loquendi,
Et discissa dolis resonat sermone trisulco.
Hinc natale caput vitiorum : principe ab illo
516 Fluxit origo mali; qui se corrumpere primum,
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.
Ultimus exitium subverso præside mundus
Sortitur, mundique omnis labefacta supellex.
Non aliter, quam cum incautum spoliare viantem
Forte latro aggressus, prædæ prius immemor, ipsum
Ense ferit dominum, pugnæ nodumque, moramque,
Quo pereunte trahat captivos victor amictus,
Jam non obstanti locuples de corpore prædo.
Sic homini subjecta domus, ditissimus orbis
Scilicet in facilem, domino peccante, ruinam
Lapsus, herile malum jam tunc vitiabilis hausit.
Tunc lolium, lappasque leves per adultera culta
Ferre malignus ager glebis male pinguibus ausus:
Triticeam vacuis segetem violavit avenis.
Tunc etiam innocuo vitulorum sanguine pasci,
Jamque jugo edomitos rictu laniare juvencos,
Occiso pastore, truces didicere leones.
517 Necnon et querulis balatibus irritatus
Plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas.
Omne animal diri callens solertia furti
Imbuit, et tortos acuit fallacia sensus.
Quamvis maceries florentes ambiat hortos,
Sepibus et densis vallentur vitea rura,
Aut populator edet gemmantia germina bruchus,
Aut avibus discerpta feris lacerabitur uva.
Quid loquar herbarum fibras, medicante veneno
Tinctas, lethiferi fudisse pericula succi?
Noxius in teneris sapor æstuat ecce frutetis,
Cum prius innocuas tulerit natura cicutas,
Roscidus et viridem qui vestit flos rhododaphnen
Pabula lascivis dederit sincera capellis.
Ipsa quoque oppositum destructo fœdere certe

GLOSSÆ VETERES.

200. Spiris, *volutionibus*, I.
202. Trisulco, *vario*, *triplici*, I.
204. Qui se corrumpere, *quando in superbiam se erexit*, I.
205. Informante, *docente*, I.
206. Exitium, *mortem*. — Præside, *homine*, *Adam*, I.
207. Sortitur, *adeptus est*, *consequitur*. — Supellex, *omnis substantia*, *pereunte principe*, *in deteriora versa est*, I.
215. Herile malum, *peccatum Adæ*. — Hausit, *sumpsit*, I.
216. Adultera, *vitiata*, I.
218. Avenis, *loliis*, I.
221. Truces, *feroces*. — Leones, *dæmones*, I.
222. Querulis, *lamentabilibus*. — Irritatus, *provocatus*, I.
223. Caulas *ovile*, I.
224. Callens, *versuta*, *vigens*. — Solertia, *diaboli*. — Furti, *adversitatis*, *ut contraria fuisset homini*, I.
225. Imbuit, *instruxit*, *violavit*, *implevit*. — Tortos, *pravos*, I.
230. Fibras, *radices*. — Medicante, *medicor τῶν μίσων est*, *quia dicimus*, *medicari sagittas*, *quando toxicantur*; *et cum aliquem ab infirmitate erigimus ad sanitatem*, *medicari dicimus*, I.
231. Tinctas, *maculatas*, I.
232. Frutetis, *vilibus virgultis*, I.
233. Prius, *primitus*, I.
234. Rhododaphnen, *herba venenosissima*, *foliis similis lauro : nam* DAPHNIS *Græce laurus dicitur; arcilaurum*, *genus herbæ*, *id est arcilauros*, *id est foliis similis lauro; nam daphnis Græce laurus dicitur*, I (sic).
235. Sincera, *salubria*, I.

COMMENTARIUS.

199. Expositio vers. 14 cap. III. Genes., *super pectus tuum gradieris*, satis probabilis. Alii aiunt, naturale fuisse serpenti serpere, quod nunc in pœnam etiam peccati habet.
200. Ald., *involuit nitidam*.
201. Wid. supra, *loquenti*, minus bene.
202. Teolius, mendose, *resonant*.
203. Ante dixit Deum *caput virtutum* : nunc dæmonem *caput vitiorum*.
205. Vat. A a prima manu, *hominum*.
210. Vat. A, Prag., *donum*, perperam, pro *nodum*. *Nodus* pro qualibet mora, et impedimento ponitur. Florus lib. IV Antonium vocat publicæ securitatis scopulum, *nodum et moram*. Vide quæ animadvertit Salmasius Plin. Exercit. tom. II, pag. 1089, *de Veneris nodo*.
213. Aldi error est *sublecta* pro *subjecta*. Idem Ald., Weitz., Gis., Vat. A, Mar. et alii, *hominis*, quod videtur fuisse in Rat.; Heinsius cum suis potioribus, *homini*, quod tenent Prag. et alii, magisque sensui congruit.
216. Docent SS. Patres, terram post Adæ peccatum maledictam fuisse, ut spinas et tribulos ferret, nisi diligenti cura excoleretur. Nonnulli interpretes putant, terram nunc majori copia et pluribus in locis tribulos ferre, qui alioquin non ita frequentes fuissent, sed alicubi tamen provenirent.
220. Prag., male, *jugi* pro *jugo*.
221. Glossa Isonis non placet.
226. Mar. scribit *macheries*. Usitatius est *maceria*, et versus stylo Prudentiano æque constabat producta ultima ob duas consonantes dictionis sequentis : et fortasse ita scripserit Prudentius. Pariter *avaritia* in *avarities* nonnulli mutarunt in Psychomachia.
227. Prag., *vinea rura;* non placet.
228. Ald., contra metrum, *aut populata rodet*. Sich., *aut populator edit*; cæteri *edet*, quod cohæret cum *lacerabitur*. Bruchus locustæ genus esse dicitur. Alcimus Avitus lib. V : *Surgit consumere fructum Bruchus*, *et excusso confidens crure locusta*.
231. Vat. A, minus bene, *fuci* pro *succi*. Prag., *monstri* pro *succi*.
232. Vat. A et Mar. a prima manu, *in tenebris*. Prag. a prima manu, *interius*. Lege *in teneris*.
234. Prag., non bene, *vescit* pro *vestit*. De rhododaphne vide Plinium et Dioscoridem.
236. Gis. et apud Weitzium Aldus, *impositum*. Aldus mihi, *oppositum*. Sichardus, Fabr., Bong., *appositum*. Prag. pro *destructo* habet *destructum*, male. Aliqui scribunt *distructo*.

518 Transcendunt elementa modum, rapiuntque, ruuntque A
Omnia, legirupis quassantia viribus orbem.
Frangunt umbriferos aquilonum prælia lucos,
Et cadit immodicis silva exstirpata procellis.
Parte alia violentus aquis torrentibus amnis
Transilit objectas, præscripta repagula, ripas,
Et vagus eversis late dominatur in agris.
Nec tamen his tantam rabiem nascentibus ipse
Conditor instituit : sed laxa licentia rerum
Turbavit placidas rupto moderamine leges,
Nec mirum, si membra orbis concussa rotantur,
Si vitiis agitata suis mundana laborat
Machina, si terras lues incentiva fatigat.
Exemplum dat vita hominum, quo cætera peccent : B
Vita hominum, cui, quidquid agit, vesania, et error
Suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa voluptas
Diffluat, impuro fervescat ut igne libido,
519 Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis
Gurges avaritiæ, finis quam nullus habendi
Temperat, aggestis addentem vota talentis.
Auri namque fames parto fit major ab auro;
Inde seges scelerum, radix et sola malorum,
Dum scatebras fluviorum omnes, et operta metalla
Eliquat ornatus, solvendi leno pudoris :
Dum venas squalentis humi scrutatur inepta
Ambitio, scalpens naturæ occulta latentis,
Si quibus in foveis radiantes forte lapillos
Rimata inveniat, nec enim contenta decore
Ingenito, externam mentitur femina formam.
520 Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hyacinthis
Pingere sutilibus redimitæ frontis in arce,

GLOSSÆ VETERES.

237. Elementa, *ignis, aer, aqua, terra*, I.
238. Legirupis, *legem rumpentibus*, I.
239. Aquilonum, *ventorum*, I.
240. Immodicis, *magnis, ingentibus.* — Procellis, *turbinibus*, I.
241. Torrentibus, *fortiter euntibus*, I.
242. Præscripta, *ordinata vel constituta, quæ fuerunt illi.* — Repagula, *obstacula, littora, serraturæ*, I.
245. Laxa, *concessa, laxata*, I.
247. Rotantur, *volvuntur*, I.
249. Lues, *pestis.* — Incentiva, *incentrix*, I.
250. Exemplum, *quia Adam peccando aliis dat exemplum*, I. C
251. Vita, *scilicet dico*, I.
252. Suppeditant, *subministrant, famulantur*, I.
253. Igne, *amore*, I.
256. Aggestis, *accumulatis*, I.
257. Fames, *cupiditas.*— Parto, *syncope, ab inquisito, vel præparato ; inde est exemplum : Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*, I.
259. Scatebras, *ebullitiones*, I.
260. Eliquat, *effluere facit; purgat.*—Ornatus, *de ornatu solvitur pudor.*—Solvendi, *ad solvendum pudorem*, I.
261. Inepta, *inutilis*, I.
262. Ambitio, *cupiditas.* — Scalpens, *investigans, scrutans.* — Latentis, *naturaliter aurum latere voluit, sed cupiditas fodit pretiosa pericula*, I.
264. Rimata, *ipsa ambitio quærens, investigans*, I.
267. Os, *faciem, formam.* Hyacinthis, *margaritis*, I.
268. Sutilibus, *quia ex gemma consuantur filo argenteo, aut aureo*, I.

COMMENTARIUS.

240. Apoth. vers. 539 etiam legitur *exstirpata*, et lib. II adversus Sym. vers. 1039, *exstirpamus.* Salmasius pag. 284 in Trebellium ait in vetustissimo libro Prudentii a se repertum *stirpare* pro *exstirpare*, ut in optimis Ciceronis exemplaribus Victorius invenit *scanduit* pro *exscanduit.* Sed in Apoth. et II in Sym. legi debet *exstirpare.*

241. Descriptio amnis torrentis apud poetas Lucretium, Virgilium, Claudianum, Ovidium passim occurrit.

242. Mar., Prag., Rat., Fabr., Gis., Widm., Bong., *objectæ præscripta repagula ripæ.* Alex., Urb., Vat. A, Weitz., Ald., Egm., Palat., *objectas, præscripta repagula, ripas*, per epexegesin, quæ lectio, licet elegans sit, non propterea cum Heinsio dicam, priorem illam inscita librariorum oscitatione invectam.

245. Widm. supra, *lata licentia.*

249. Rat., *luces;* sed *c* inductum sive deletum est. Alex., *lues;* supra, *luis.*

250. Aldus, Tornæs. apud Gallandium, male, *datura* pro *dat vita.* Vide Elmenhorstium in Arnobium pag. 57.

251. Ald., Egm., *vesania, terror.*

257. Pervulgata sententia, *amorem nummi crescere, quantum ipsa pecunia crescit*, ut ait Juvenalis a glossa indicatus.

258. I ad Timoth. VI, 10 : *Radix omnium malorum avaritia.*

259. Vat. A, Pal., *cum scatebras.* Mar. a prisca manu, *metalli.*

260. *Non potuit*, inquit Giselinus, *melius epitheton dari. Videmur enim ornatu tanquam lenone usi insitam nobis verecundiam et pudicitiam prostituere. Deus faceret aliquando, impiis Turcis hoc nomine minus essemus contemptui.* Quæ an ad mores nostros et ad nostra tempora possint accommodari, viderint alii. Weitzius contra mulierum ornatum alia affert ex Euripide, et ex lege Zaleuci apud Diodorum Siculum lib. XI Biblioth. Eodem pertinet illud Tertulliani de Corona militis cap. 12 : *Quid enim est in capite feminæ corona quam formæ lena, quam summa lasciviæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ?*

261. Videtur poeta noster ad manus habuisse Manilii illud lib. V. vers. 116 : *Hinc lenocinium formæ, cultusque repertus Corporis, atque auro quæsita est gratia frontis, Perque caput ducti lapides per colla, manusque, Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.* D *Ac ne materies tali sub munere desit, Quærere sub terris aurum... imperat*, etc. Vide etiam Cornelium Severum in Ætna. In Egm. est *cum* pro *dum.*

262. Prag., *sculpens*, non bene, pro *scalpens.*

265. Egm., *ingenita.* Legendum *ingenito.* Hæc Prudentii verba Tiraquellus laudat in leg. 3 Connubial., ubi plura in eamdem sententiam producit. Confer Tertullianum de Virginibus velandis, de Cultu feminarum; Ambrosium lib. VI Hexaemeron cap. 8, et lib. I de Virginibus; Hieronymum ad Furiam de viduitate servanda; Isidorum Pelusiotam, lib. II, epist. 53; Arnobium lib. 2 contra gentes; Senecam de Beneficiis lib. VII, cap. 9.

268. Alex., Urb., Mar., Vat. A, Prag., Rat. et optimi Heinsiani *sutilibus :* ut hymno octodecim mar-

Colla vel ignitis sincera incingere sertis,
Auribus aut gravidis virides suspendere baccas.
Nectitur et nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.
Tædet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei quæ plasmata fuco
521 Inficiunt, ut pigmentis cutis illita perdat,
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Hæc sexus male fortis agit: cui pectore in arcto
Mens fragilis facili vitiorum fluctuat æstu.
Quid, quod et ipse caput muliebris corporis, et rex,
Qui regit invalidam propria de carne resectam
Particulam, qui vas tenerum ditione gubernat,
Solvitur in luxum? Cernas, mollescere cultu
Heroas vetulos, opifex quibus aspera membra
Finxerat, et rigidos duraverat ossibus artus.
Sed pudet esse viros: quærunt vanissima quæque,
Queis niteant: genuina leves ut robora solvant,
522 Vellere non ovium, sed eoo ex orbe petitis
Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus
Gaudent, et durum scutulis perfundere corpus.
Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis

GLOSSÆ VETERES.

269. **Ignitis**, *radiantibus*.—**Sertis**, *monilibus, coronis*, I.

270. Baccas, *gemmas rotundas, qui uniones vocantur, eo quod in capite ostrearum aperto cerebro semel reperiantur in anno, et unus tantum, quos et perulos* (leg. *pæderos*) *vocant*, I.

271. Calculus, *margarita: calculos vocamus lapillos, quibus antea numerabant antiqui ante repertum numerum; sed hic pro quacunque pretiosa gemma ponitur*, Iso.

272. Texta catenis, *ordinata vittis*, Iso.

274. Dotata, *ornata*. — Plasmata, *facies*. — Fuco, *colore: unguentum, unde se mulieres pallidas faciunt*, I.

275. Inficiunt, *colorant*, I.

277. Male fortis, *infirmus*, I.

280. Invalidam, *particulam, dicit feminam, quæ fuit corporis Adæ, de costa formata*, I.

282. Cultu, *habitu*, I.

283. Heroas, *viros fortes*.—Aspera, *fortia*, I.

286. Niteant, *splendeant*. — Genuina leves, *pestis naturalis, ingenita; luxuria, interjective dicendum*, I.

287. Eoo, *orientali*.—Petitis, *acquisitis*, I.

288. Ramorum spoliis, *arboreis vestibus: in Oriente enim arbores sunt, ubi sæpissime reperitur sericum*. — Fluitantes, *superbientes*, I.

289. Durum, *fortem, firmum*. — Scutulis, *variatis, scutulatis vestibus pro omni veste, opere vario interserta, ponitur*.—Perfundere, *induere*, I.

COMMENTARIUS.

tyrum Cæsaraugust., *sutile vinclum*: nam quidquid suitur, sutile est. Ald., Fab., Gis., minus bene, *sculptilibus*. Weitzius in contextu *sutilibus*, adeoque mendum est *subtilibus* in lectionibus variantibus. Sichardus etiam ediderat *sutilibus*. Pignorius, de servis pag. 200, exhibet instrumenta delineata cultus muliebris, quæ olim exstabant Romæ apud Lælium Paschalinum, scilicet aureas acus crinales, nonnullas puras, nonnullas gemmatas, viriolam e minutis smaragdis, et brachio, et collo aptam, inaurem æream gemmis vitreis ornatam, stalagmium erudi amethysto, inaures, alteram ex auro totam, alteram distinctam margaritis, binos elenchos, seu margaritas oblongas. Rem illustrat his Prudentii versibus.

269. Prag., *cellis* pro *sertis*, corrupte.

270. Chamillardus recte Isonem refellit, quod virides baccas uniones interpretatus fuerit: cum potius sint smaragdi. Consule Plinium et Isidorum, lib. XVI, cum notis Grialii.

272. Rot., *rubet coma*. Heinsius lib. I Advers., cap. 17, ait, fortasse præstare *nexa* pro *texta*, et plura similia exempla congerit: neque pauciora congeri possent pro *texta*.

273. In Egm. et Pal. non video quid lateat sub hac voce *edita* pro *tædet*. Præter Pignorium Guascus in opere *delle Ornatrici* ann. 1775 multa erudite congerit, et de cosmetis sive ornatricibus docte disserit, ac plures inscriptiones sepulcrales earum exscribit: ut communia olim erant hæc elogia servis et ancillis, sive a propinquis, sive a dominis posita.

275. Vat. A, Alex., Urb., Mar., a secunda manu, Heinsiani *pigmentis* cum Widm. supra, et Palat. Melius id est quam *figmentis* in Prag., Ald., Gis. in contextu, et Weitzio. *Pigmenta* pro *unguentis* non semel noster, et Dracontius in Hexaemero.

276. Gis. ad oram, *quod fuit ex falso*.

277. Widm. supra, *imo* pro *arcto*. Muliebrem sexum infirmiorem esse, omnes uno ore consentiunt. Cave tamen ab iis, qui feminas in diversa quadam ab hominibus specie collocant. Vide Alcimum in lib. ad sororem: *Quod ne femineum post hæc quis spernere sexum Audeat, hic paucis visum est ostendere verbis*, etc.

278. Imitatio Maronis, cujus hæc sunt: *irarum fluctuat æstu; curarum fluctuat æstu; vario nequidquam fluctuat æstu*.

280. Vat. A a prima manu, *carne recisam*.

281. Petrus apostolus Epist. I cap. III, 7: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem*. Præter Tiraquellum loc. cit. vide P. Fabrum I Semestr., cap. 16. Nihil his versibus Prudentii nervosius ad feminarum immodicum, muliebremque hominum luxum redarguendum. Adde, si placet, illaboratam Chrysostomi eloquentiam in Matth. homil. 50, sive 49: *Quantum vobis dedecus esse putatis, cum serica licia, quæ nec vestibus quidem vir probus unquam subtexeret, diligenter inseritis! quantis hoc dignum cachinnis arbitramur? .... Dicitis enim pedum sublevatis deambulant in plateis, nimio plerumque inde mœrore confecti, ne cœno in hieme, aut pulvere in æstate calcei sui maculentur. Quid facis, homo?.... Quod si tu ab hujusmodi labe munda cupis calceamenta servare, cervicibus tuis, aut capiti connecte*.

286. Gisel. cum Pulmanni mss., et Daventr., Rat. a prima manu, Prag., Mar. a secunda manu, Weitz., Egm., Bong., Widm. a prima manu, *leves* Idem Alexand. cum glossa *flebiles*. Oxon. ex Heinsianis, Urbin. et Iso, *lues*, quod Aldus, aliique sunt secuti.

287. Plinius de Serum regione, et vestium opificio lib. VI, cap. 16: *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut matrona in publico transluceat*. Apud Seres e frondium lanugine vestes fiebant sericæ dictæ. De vestibus bombycinis idem Plinius lib. XI, cap. 23.

289. Heinsius cum Festo scribit *scutilis*. Nostri *scutulis* cum Ald., Sich., Gis. 2 edit. et aliis. Vestes *scutulatæ*, quæ orbiculis distinguuntur.

Illudant varias distincto stamine formas. A
Ut quæque est lanugo fere mollissima tactu,
Pectitur. Hunc videas lascivas præpete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis:
Illum pigmentis redolentibus, et peregrino
523 Pulvere femineas spargentem tupiter auras.
Omnia luxus habet nostræ vegetamina vitæ,
Sensibus in quinque statuens quæ condidit auctor.
Auribus atque oculis, tum naribus atque palato
Quæritur infectus vitiosis artibus usus.
Ipse etiam, toto pollet qui corpore, tactus,
Palpamen tenerum blandis e fotibus ambit.
Proh dolor, ingenuas naturæ occumbere leges, B
Captivasque trahi regnante libidine dotes!
Perversum jus omne viget, dum quidquid habendum
Omnipotens dederat, studia in contraria vertunt.
Idcircone, rogo, speculatrix pupula molli
Subdita palpebræ est, ut turpia semivirorum
Membra theatrali spectet vertigine ferri,
Incestans miseros fœdo oblectamine visus?
524 Aut ideo spirant, mediaque ex arce cerebri
Demittunt geminas sociata foramina nares,
Ut bibat illecebras male conciliata voluptas,
Quas pigmentato meretrix jacit improba crine?
Num propter lyricæ modulamina vana puellæ,
Nervorumque sonos, et convivale calentis
Carmen nequitiæ, patulas Deus addidit aures,
Perque cavernosos jussit penetrare meatus

GLOSSÆ VETERES.

291. Illudant, *colorent*, I.
292. Fere, *prope*, I.
293. Pectitur, *ornatur*, I.
294. Venantem, *ementem*.—Versicolorum, *diversis coloribus*, I.
295. Plumea, *mollia*, I. *Pluma dicitur acus*, *unde in Bibliotheca legitur* opere plumario, Vat. A.
296. Peregrino, *exotico*, I.
298. Luxus, *luxuria*, *vanitas*. —Vegetamina, *virtutes*, *fortitudinem*, *vel virilitatem*, *commotiones*, I.
300. Auribus atque oculis, *auditu*, *visu*, *olfactu*, *gustu*, I.
301. Quæritur, *ab illis sensibus*, *vel nobis*. — Infectus, *corruptus*, I.
303. Palpamen, *amictum*. — Fotibus, *nutrimentis*. — Ambit, *cupit*, *desiderat*, I.
304. Ingenuas, *nobiles*. *naturales*, I.
305. Dotes, *donationes Dei*, I.
306. Perversum, *perverse*. — Viget, *prævalet*, I.
307. Vertunt, *homines*, I.
308. Rogo, *interrogo*. — Pupula, *pupilla et pupula idem sunt*, I.
309. Semivirorum, *effeminatorum eunuchorum*, I.
310. Vertigine, *circuitione*, *rotatione*, I.
311. Incestans, *polluens*. — Fœdo oblectamine, *turpi delectatione*, I.
314. Illecebras, *fœditates*, *sorditates*. — Conciliata, *conglutinata*, *vel conjuncta*, I.
315. Jacit, *spargit*, I.
316. Lyricæ, *cytharalis*, *vel jocalis*, I.
317. Calentis, *ferventis*, I.
319. Cavernosos, *flexibiles*.— Meatus, *transitus*, I.

COMMENTARIUS.

291. Sich., male, *famine telas*. C

292. Ald., scripti Heinsiani, et quos vidit Mariettus, *feræ;* et suspicatur Heinsius, legendum *Ut cuique est lanugo feræ*. Alex., Urb., Weitz., Gis., *fere*, quod placet.

293. Lasciva tunicæ sunt aut sericæ, aut obscenis figuris variatæ, ut suspicatur Chamillardus. Nam libidines veterum in poculis ipsis et panibus expressæ intolerabiles erant. Vide Pignorium de Servis, pag. 67 et seqq.

294. Widm., mendose, *ventantem*. Heinsius notat, suos scriptos habere *avium quoque versicolorum;* et ita certe habent nostri. In Giselino quidem 1 et 2 edit. est *versiculorum*, sed mendum puto, non lectionis varietatem.

295. In glossa Vat. A, *Bibliothecam* intellige esse Biblia sacra, quæ eo nomine a veteribus sæpe appellabantur. Locus exstat I Exodi vers. 1: *Decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto variatas opere plumario facies*. De vestibus quæ ex plumis variis contexebantur vide Senecam ep. 91. *Plumarius* vocabatur antiquitus, qui hujusmodi vestes conficiebat, aut etiam qui in vestibus acu clavos et scutulas, et ea quæ plumas avium referunt, pingebat. Vide Turneb. Advers. lib. XI, cap. 25, num. 349, ad verba Vopisci in Carino: *plumandi difficultate pernobiles*. Putat Prudentium indicare vestes in quibus *sine assumento acu pingendo plumæ avium referuntur*.

296. Weitz., *et peregrino*. Aldus, *ex*. Giselinus 1 et 2 edit. habet *et* cum plerisque vetustissimis Mar., Rat., Prag., Vat. A et aliis.

297. Apud Weitzium M. Berg. legit *aures* pro *auras*.

299. Pulcherrima descriptio quinque sensuum et corruptelæ qua ab hominibus pervertuntur.

300. Prag., male, *tam* pro *tum*.

301. Oxon., Prag., et Mar. a secunda manu, *artubus*. Legendum *artibus*.

302. Alcimus Avitus lib. I, vers. 85: *Tactus ad hæc solus toto qui corpore judex Sentiat*, etc. Cicero, II, de Natura deorum: *Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est*, etc. Alia ibi de sensibus Cicero.

303. Mar., *et;* supra, *e*. Prag., Widm., *et*. Aldus et apud Weitzium Giselinus, *ex;* sed alium voluit dicere, nam Giselinus 2 edit. habet *e;* vel intelligit Weitzius editionem 1 Giselini.

307. Imitatio Maronis lib. II, *studia in contraria*.

308. Notandum est Chamillardum ad vers. 874 errorem suum agnovisse, quo *pupulam*, quæ est oculi pupilla, interpretatus est hic *puellam*.

310. Theatri veteris obscenitas hoc loco indicatur, de qua satis constat: quanquam non dubito quin in recenti theatro multa sint quæ *incestent miseros fœdo oblectamine visus*. D

312. Rat., *atque ideo*, non ita bene.

313. Ald., Prag., Widm., *dimittunt*.

315. Vat. A., *Quis pigmentato meretrix jacet improba crine*. Melius alii, *quas jacit*.

316. Citharœdas olim in ministerio fuisse observat Pignorius de Servis pag. 78 et 79, qui epitaphium Auxesis citharœdæ profert, et hoc ministerium eleganter tetigisse Prudentium advertit. Apud eumdem videre poteris aliquot citharæ species delineatas.

317. Ald., *et convivæ recalentis*, quod poterat retineri; sed membranæ præferunt *et convivale calentis carmen nequitiæ*.

Vocis iter? numquid madido sapor inditus ori
Vivit ob hanc causam, medicata ut fercula pigram
Ingluviem, vetitamque gulam ganeonis inescent?
Per varios gustus instructa ut prandia ducat
525 In noctem, lassetque gravem sua crapula ventrem?
Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum, gelidumve, Deus cognoscere nosmet
Attactu voluit, palpandi interprete sensu.
At nos delicias plumarum et linea texta
Sternimus, atque cutem fulcro attenuante polimus.
Felix, qui indultis potuit mediocriter uti
Muneribus, parcumque modum servare fruendi!
Quem locuples mundi species, et amœna venustas,
Et nitidis fallens circumflua copia rebus
Non capit, ut puerum, nec inepto addicit amori:
Qui sub adumbrata dulcedine triste venenum
Deprendit latitare boni mendacis operto.
Sed fuit id quondam nobis sanctumque, bonumque
Principio rerum, Christus cum conderet orbem:
526 Vidit enim Deus, esse bonum: velut ipse Moyses
Historicus mundi nascentis testificatur.
Vidit, ait, Deus, esse bonum, quodcunque creavit.
Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo,
Inspirante Deo quod sanctus vaticinator
Prodidit antiquæ recolens primordia lucis,
Esse bonum, quidquid Deus et sapientia fecit.
Conditor ergo boni Pater est, et cum Patre Christus.
Nam Deus, atque Deus Pater est, et Filius unus:

GLOSSÆ VETERES.

321. Vivit, *factus est.* — Medicata, *pigmentata, condita, vel infusa pigmentis.* — Fercula, *cibos*, I.

322. Ganeonis, *luxuriosi : ganeo, superfluus in cibo, vel potu, seu etiam in luxuria; ganeonem appellat glutonem, sed ganeo est proprie caupo, devorator, glutto, ambro et helluo.* — Inescent, *cibent, saturent, satient*, I.

323. Instructa, *parata.* — Ducat, *glutto prolonget*, I.

327. Interprete, *discernente*, I.

329. Fulcro, *fulcimento, lecto : fulcrum vocamus quidquid sustentat aliquid.* — Attenuante, *pro attenuato.* — Polimus, *ornamus*, I.

330. Indultis, *concessis*, I.

334. Addicit, *deputat, subjugat*, I.

335. Dulcedine, *suavitate*, I.

336. Deprendit, *comperit*, — Boni, *in divitiis.* — Operto, *occulto, cooperto*, I.

337. Sanctumque, *quia omnia quæcunque fecit Deus, bona sunt in sua natura; sed nobis male utentibus mala sunt*, I.

342. Hoc sequor, *ego Prudentius*, I.

344. Recolens, *narrans.* — Primordia, *initia.* — Lucis, *temporis*, I.

345. Esse, *scilicet recolens, dicens.* — Sapientia, *Filius Dei*, I.

COMMENTARIUS.

321. Vat. A, *aut*, male, pro *ut*; fercula *medicata* sunt nimium delicate apparata.

322. Heinsius cum Put., Oxon., Rot., et tribus Torr., *vegetamque*, quod habent Ald., Vat. A, Alex. et Urb. In aliis, ut in Mar., Rat., Weit., *vetitam*. Giselinus dubitat utrum verius : nam utrumque huic loco congruit. In Prag. est recenti manu *fetaque*, abrasis prioribus. In Rot. pro diversa lectione *labeonis* cum glossa *gulosi*. Weitzius scribere ausus est *inæscent*, quia ita invenit in Widm., et Bong. Quid ineptius? An apertos errores unius vel alterius codicis reddere oportet, prætermissa vera aliorum lectione? In glossa Isonis *glutto*, AMBRO, nescio an sit aliquid quod ad vocabulum Hispanum *hambre* pro fame possit referri. *Ambro* devorator est in Glossario Isidoriano. Vide etiam Ducangium, qui plures auctores medii ævi allegat.

324. Hæc omnia breviter complexus est Tertullianus lib. de Spectaculis, cap. 2: *Neque oculos ad concupiscentiam sumpsimus, et linguam ad maliloquium, et aures ad exceptaculum maliloquii, et gulam ad gulæ crimen, et ventrem ad gulæ societatem, et manus ad vim, et gressus ad vagam vitam.*

325. Prag., *leve*, pro *lene*. Fortasse vera lectio est *læve*, seu *leve* pro polito et lubrico : nam sequitur *quid horrens*.

327. Ald. et Bong., *attactum* vel *ad tactum*. Melius alii, *attactu*.

328. Sich. et Bong. a manu prima, *palmarum* pro *plumarum*. De lectis plumeis Apuleius lib. x Metamorph. Quod autem *linea texta* in deliciis Prudentius numerat, arguit usum lini non fuisse apud veteres Romanos valde communem.

329. Aldus, mendose, *cute*. Mariettus, aut glossam veterem, aut notam suam adducit : *Dum enim in lectis versamur, cutis attenuatur et politur.*

330. Imitatio Virgilii : *Felix qui potuit rerum cognoscere causas*, lib. II Georg. vers. 490.

331. Prag., non bene, *partumque*.

334. Thuan., Weitz., *amore* : non placet.

335. Egm., Pal., *obumbrata*. In Vat. A, *quis obumbrata*, cum glossa OB, pro *ad*.

336. Ald., *operta*. Apud Weitzium M. Berg. legit *opertu*.

337. In editione Parmensi, *sanctum*, *bonumque*, contra metri regulas.

338. Vide Gen. cap. I. Christus per prolepsin, ut sæpe alias, scilicet Filius Dei, per quem omnia facta sunt.

340. Vat. A, Prag., Rat., Urb., Weitz., Rot., Gis. et alii, *testificatur*, quo spectat Mar., *testificator*. Alex. cum plerisque Heinsianis, *testificatus*; id secutus est Teolius.

342. Weit., *sequor* pro *sequar*.

347. Widm. et Mar. a secunda manu, *unus*; alii, *unum*, et distinguunt *Pater est*. Giselinus, *Vide*, ait, *hominis religionem. Singularem numerum bis repetere maluit quam usurpare pluralem, ut quam longissime a gentilibus recederet. Quam prope igitur ab illis eum abesse existimas, qui nuper a tribus diis superum ducibus donatos libellos tribus diis hominum ducibus obtulit?* Hoc in genere Lipsius, Cent. misc. II, epist. 17, in Bembo irridet *persuasio* pro *fides* : *aqua et igni interdictio* pro *excommunicatio*: *deos superos*, *manesque illi placare* pro *peccata morituro remittere*, et quod Senatus Venetus ad Julium pontificem scripserit, *uti fidat diis immortalibus, quorum vicem gerit in terris.* Alia omitto.

Quippe unum natura facit: quæ constat utrique A
Una voluntatis, juris, virtutis, amoris.
Non tamen idcirco duo numina, nec duo rerum
Artifices; quoniam generis dissensio nulla est.
527 Atque ideo nulla est operis distantia, nulla
Ingenii; peperitque bona omnia conditor unus.
Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Nascitur, aut primæ violatur origine venæ;
Sed, dum liventes liquor incorruptus arenas
Prælambit, putrefacta inter contagia sordet.
Nunquid equus, ferrum, taurus, leo, funis, olivum
In se vim sceleris, cum formarentur, habebant?
Quod jugulatur homo, non ferrum causa furoris, B
Sed manus est: nec equum vesania fervida circi
Auctorem levitatis habet, rapidive fragoris.
Mens vulgi rationis inops non cursus equorum
Perfurit: infami studio perit utile donum.
Sic Lacedæmonias oleo maduisse palæstras
Novimus, et placidum servire ad crimina succum.
528 Inde per aerium pendens audacia funem,
Ardua securis scandit proscenia plantis.
Inde feras volucri temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortisque inter discrimina ludunt,
Sanguinis humani spectacula publicus edit
Consessus, legesque jubent venale parari
Supplicium, quo membra hominum, discerpta cruentis
Morsibus, oblectent hilarem de funere plebem.

GLOSSÆ VETERES.

354. Nec turbidus humor, *origo nostra pura et inculpabilis*, I.
357. Prælambit, *prænatat*, I.
358. Olivum, *in palæstris*, I, Vat. A.
361. Circi, *ludi illius*, I.
362. Levitatis, *velocitatis*. — Fragoris, *inordinati soni*, I.
363. Inops, *iners*. I.
364. Infami, *turpi*. — Donum, *equus*, I.
365. Lacedæmonias, *Lacedæmonia, ipsa est Sparta, civitas Græciæ, ubi primum usus iste repertus est.* — Palæstras, *luctationes;* PALO, *id est fugio vel luctor: inde palæstræ*, I.
366. Succum, *olei*, Mar.
368. Proscenia, *Vestibula, vel atria ante scenam. Palæstrita, collucatator; proscenia ipsos passus funis dicit; proscenia et pulpita, gradus scenæ; de schænobatis, id est funambulis*, I.
369. Feras, *equos*. — Volucri, *veloci*, I.
370. Discrimina, *pericula*, I.
371. Edit, *profert, cernit*, I.
372. Publicum, *venale*. Iso.

COMMENTARIUS.

348. Vat. A, *fecit*, contra metrum.
350. Rat., *nec tamen*.
351. Prag., *nullâ* sine *est*. Clericus asserere ausus est Nicænos Patres nihil aliud contra Arium definivisse, nisi divinitatem non in tres diversæ speciei naturas, sed in tres ejusdem formæ et æqualis ordinis essentias esse diductam; et vocabulo homousion solum significari substantiæ æqualitatem et naturæ similitudinem quamdam seu affinitatem, non vero identitatem. Eamdem impudentem opinionem inculcat in Vita Prudentii, tom. XII Bibl. univers. Ait nimirum, Prudentium hoc versu negare, esse tres artifices rerum, specie seu genere diversos: *quoniam generis dissensio nulla est*. Quid magis alienum a Prudentii mente fingi potest? Nonne sæpissime Prudentius *genus* pro natura accipit? nonne toto hoc libro in eo est ut probet eamdem esse in tribus personis naturam, et non posse duos natura distinctos deos consistere? Vide supra vers. 47: *Ausit et unius naturæ scindere vires*. *Genus* pro natura ab aliis etiam sumi, notavi ad vers. 33. Confer quæ Joannes Lamius adversus Clerici Artem criticam disserit in dissertat. de Recta Patrum Nicænorum Fide, ubi egregie nostrum poetam defendit.
353. Prag., *peperit quoniam omnia*. Mar. a secunda manu, Egm., Fab., Gis. ad oram, Urb., *peperitque*. Giselinus in contextu, *peperit bona nam omnia*. Vetusti alii *peperit bona omnia*, non eliso *a* in *bona*, quod Prudentio non esse insolens multi putant.
357. Prag., Vat. A, a secunda manu, Mar. a prima manu, *sordent*. Alii, *sordet*, quod sensui convenit. Verbo *prælambo* alias usus est poeta. *Lambere, mordere, stringere, radere*, passim fluminibus tribuitur.
361. Aldus, male, *nece cum* pro *nec equum*. Isidorus lib. XVIII Etym., cap. 59: *Nihil esse debet Christiano cum circensi insania*.
362. Duo veterrimi Heinsiani, Rot., Alex., *rabidi*, quod in Chamillardo displicuit Gallandio. Mar. utrumque, *rabidi* et *rapidi*. Alii plerique, *rapidi*. Statius lib. III Silv. ad Claudiam, *nec aut rapidi mulcent te prælia circi*. C
365. Weit., *Lacedæmonicas*. De his Propertius et alii. Etymologiam, quam glossa attingit, explanat Servius lib. II Georgicon.
367. Illi Terentio vocantur *funambuli*, aliis *funirepi*, aliis *schœnobatæ*. Manilius lib. V eorum artem describit.
369. Giselinus auditum a se refert, istiusmodi ludum apud Italos magno esse in pretio, quo tauros acuminatis et ardentibus calamis exstimulantes in rabiem agunt. Verum si qua est ea gloria, Hispanorum propria est. Vide ejus ludi amœnam descriptionem in Prædio rustico Vanieri. Confer Claudianum carm. 17, vers. 294 et seqq. de pompa amphitheatrali, et Cassiodorium lib. V, epist. Theodori regis 42, ubi plura de simili ludo in amphitheatro Romano Titi, et hæc de saltu: *Tunc in aere saltu corporis elevato, quasi vestes levissimæ supinata membra jaciuntur, et quidam arcus corporeus supra belluam libratus, dum moras discedendi facit, sub ipso velocitas ferina discedit*. D
372. Put., Rot., Mar. a prima manu, *consensus*, quod recentiores editores sequi maluerunt. Teneo *consessus* cum Alex., Vat. A, Prag., Urb. et plerisque aliis, cum editis, tum mss. codd. Virgilius lib. V Æn.: *Circus erat, quo se multis cum millibus heros Consessu medio tulit, exstructoque resedit..... Hic totum caveæ consessum ingentis..... clamoribus implet*. Omitto Ciceronem et alios. Prudentius ipse II in Symmachum, vers. 1090: *Inde ad consessum caveæ*. Arnobius lib. II: *Interficere se alios nullius ob meriti causam, sed in gratam voluptatem consessorum*. In glossa lege: Venale, *publicum*.
374. Put., Ald., *hilaram*, cum Alex. et Vat. A; quo spectat Egm., *philaram*. Alii, *hilarem*, et ex nostris Mar., Rat., Prag., Urb.

Mille alia stolidi bacchantia gaudia mundi A
Percensere piget: quæ veri oblita Tonantis
Humanum miseris volvunt erroribus ævum.
Nemo animum summi memorem genitoris in [altum
Excitat, ad cœlum mittit suspiria nemo:
529 Nec recolens apicem solii natalis ad ipsum
Respicit auctorem, nec spem super aera librat:
Sed mentem gravidis contentam stertere curis,
Indigno subdit domino, perituraque pronus
Diligit, et curvo quærit terrestria sensu.
Hoc pulchrum, quod terra parit, quod gloria [confert
Lubrica, commendat quod perniciosa voluptas,
Quod, velut excitus difflato pulvere ventus,
Præterit, exemplo tenuis quod transvolat [umbræ. B
His ægras animas morborum pestibus urget
Prædo potens: tacitis quem viribus interfusum
Corda bibunt hominum. Serit ille medullitus [omnes
Nequitias, spargitque suos per membra mini-[stros.
Namque illic numerosa cohors sub principe tali
Militat, horrendisque animas circumsidet armis;
530 Ira, superstitio, mœror, discordia, luxus,
Sanguinis atra sitis, vini sitis, et sitis auri,
Livor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum,
Informes horrent facies, habituque minaces;
Ambitio ventosa tumet; doctrina superbit;
Personat eloquium; nodos fraus abdita nectit.
Inde canina foro latrat facundia toto.
Hinc gerit Herculeam vilis sapientia clavam,
Ostentatque suos vicatim gymnosophistas.

GLOSSÆ VETERES.

375. Stolidi, *stulti*. — Bacchantia, *insanientia*, I.

376. Percensere, *enumerare*, Iso.

378. Altum, *cœlum*, I.

379. Excitat, *elevat*, I.

381. Aera, *ad cœlestia*.— Librat, *ponit*, *provehit*, I.

382. Contentam, *sufficientem*. — Stertere, *requiescere*, *dormire*, *id est*, *runcare mens dicitur cum terrenis succumbitur curis*, *nec se mente ad superna ullo modo vult erigi*, I. *Runcare*, Vat. T.

383. Domino, *diabolo*. — Perituraque, *hujus mundi*, I.

384. Curvo, *pravo*, *averso*, I.

386. Lubrica, *instabilis*, — Commendat, *concedit*. — Perniciosa, *periculosa*, I.

387. Velut, *scilicet putat pulchrum*. — Excitus, *commotus*, *velox*, I.

388. Exemplo, *similitudine*, *similiter*. — Transvolat, *præterit*, I.

389. Pestibus, *generibus*, *perturbationibus*. — Urget, *commovet*, I.

390. Prædo, *diabolus*, I.

391. Bibunt, *concipiunt interius*, *intra præcordia*. — Medullitus, *in interioribus animæ*, *circa præcordia*, I.

392. Ministros, *morbos*, *vel vitia*, I.

393. Illic, *in medullis*, *vel membris*. — Numerosa, *multiplex*. — Cohors, *diabolorum*, *vitiorum*. — Principe, *diabolo*, I.

394. Circumsidet, *illa cohors*, I.

395, Superstitio, *vana religio*, *gentilitas*. — Mœror, *tristitia*.— Luxus, *luxuria*, *vel ventris ingluvies*, I.

396. Sitis, *cupiditas*; *homicidium*. — Vini sitis, *ebrietas* — Sitis auri, *avaritia*, *concupiscentia*, I.

397. Livor, *invidia*. — Adulterium, *fraus conjugii*. — Obtrectatio, *detractio*, I.

398. Horrent, *horrende apparent*.— Facies, *supradictæ imagines*, *vel species*, I.

399. Ambitio, *concupiscentia*; *superbia vana*, *vel inanis*, I.

400. Personat eloquium, *intonat*, *alte loquitur*, I.

401. Canina, *a canibus dicta*, I.

402. Vilis, *sæcularis*. — Clavam, *baculus Herculis*, *quo omnes vincebat*; *inde clavam appellat dialecticos* C *syllogismos*, *quibus se vincere putant ubique*; *fustem Herculis*, I.

403. Vicatim, *per singulos vicos*. — Gymnosophistas, *philosophos*, *qui nudi disputabant*; *nudos sapientes*; *gymnosophistæ perhibentur nudi philosophari in solitudinibus in die*, Iso.

COMMENTARIUS

378. Egregie dictum *Nemo animum*, etc., postquam scilicet inanes hominum occupationes et perniciosa studia recensuerat.

382. Ald., Prag. et nonnulli Vulg. cum Pal., *contentam sternere*. Optimi *contentam stertere*. Bong., *contentus* pro *contentam*, exstatque *contentus* in nonnullis Vulg., sed non in Aldo, ut putavit Weitzius, nisi duplex fuerit Aldi editio, quod non credo.

384. Ex Persio sat. 2. *O curvæ in terras animæ et cœlestium inanes*.

385. Widm., *perit*; supra, *parit* et *capit*. Bong., *capit*. Cæteri, *parit*, quod verum est.

390. Diabolus prædo et latro sæpe ab ecclesiasticis scriptoribus dicitur. In præf. 2 Apoth. vers. 45, et in Apoth. vers. 408, *fur* idem vocatur.

394. Mar. a prima manu, *horrendas*, male. Ald., *circumsedit*; Weitz., Vat. A, *circumsedet*. Legendum cum aliis *circumsidet*.

395. Epist. B. Pauli ad Galatas, v, 19: *Manifesta autem sunt opera carnis*, *quæ sunt fornicatio*, *immunditia*, *impudicitia*, *luxuria*, *idolorum servitus*, *veneficia*, *inimicitiæ*, *contentiones*, *æmulationes*, *iræ*, *rixæ*, *dissensiones*, *sectæ*, *invidiæ*, *homicidia*, *ebrietates*, *comessationes et his similia*. Vat. A et Pal., *luctus*; non bene, pro *luxus*.

398. Ald. et Mar., contra rationem carminis, *habitu* pro *habitu*, quod vult etiam Vat. A, ubi est *abitu*. Habitus est forma, facies, status, cultus corporis. Virgil. I. Æn., *Virginis os*, *habitumque gerens*.

399. I ad Corinth. VIII, 1: *Scientia inflat*, *charitas vero ædificat*.

400. Ald., non recte, *addita* pro *abdita*.

401. Jurisconsultorum *canina facundia* in proverbium abiit.

402. Fabricius Herculeam clavam sapientiæ adjudicat, quia Hercules a doctis colebatur, qui laboriosi et benefici esse debent, adeoque Herculi commune fuit cum musis templum in circo Flaminio. Giselinus probabilius putat, hoc loco notari Cynicos, quorum supellex erat baculus et pera. Clavam inter philosophorum insignia numerari, constat ex Apollinari Sidonio carm. 15, *Tetrica nodosæ commendat pallia clavæ*. Sirmondus ad Sidonium p. 45 multa affert de barba, pallio et clava philosophorum, et hos ipsos Prudentii versus de clava philosophica exponit. Chrysostomus de Statuis VII: *Ubi nunc sunt qui palliis amiciuntur*, *et promissam barbam ostentant*, *et clavas dextra gestant externi philosophi?* S. Augustinus, lib XIV de Civit. Dei, cap. 17: *Videmus adhuc esse philosophos*, *qui non solum amiciuntur pallio*, *verum etiam clavam ferunt*.

403. In editione Parmensi typographi mendum *Ostenta* corrigendum est. In glossa Isonis legendum *Indiæ* pro *in die* ex Isidoro lib. VIII, cap. 6.

531 Incerat lapides fumosos idololatrix
Relligio, et surdis pallens advolvitur aris.
Heu quantis mortale genus premit improbus [hostis
Armigeris! quanto ferrata satellite ductor
Bella gerit; quanta victos ditione triumphat!
Surgit in auxilium Chananeus, atque agmina [denset
Casside terribilis, setarum pondera mento
Concutiens, dextramque gravi cum cuspide [quassans.
Ast alia de parte furens exercitus ardet
532 Regis Amorrhæi: tum millia Gergeseorum
Effundunt aciem toto volitantia campo:
Eminus hi feriunt, confligunt cominus illi.
A Ecce Jebusaicæ fervent ad prælia turmæ,
Aurea tela quibus, de sanguine tincta draconis,
Mortifero splendore nitent, radiantque, ne- [cantque.
Necnon terrificas pilis armare catervas
Te Cethæe, juvat: sed gens Phereza sagittis
Insultat virtute pari, sed dispare ferro.
Postremum cuneum rex promovet Hevaeorum,
Squamosum thoraca gerens de pelle colubri.
His subnixa viris scelerum perversa potestas
Edomat invalidas mentes: quæ simplicitate
533 Indociles, bellique rudes sub fœdere falso
Tristis amicitiæ primum socia agmina credunt,
Mammoneamque fidem pacis sub amore se- [quuntur.

GLOSSÆ VETERES.

404. Idololatrix, *idola colens, idolis serviens*, I.
405. Advolvitur, *inclinatur*, I.
406. Premit, *constringit*, I.
407. Armigeris, *vitiis, insidiis*. — Ferrata, *dura*. — Satellite, *milite*, I.
408. Triumphat, *superat*, I.
409. Chananeus, *populus; interpretatur motus eorum : Cham, calidus, commotus interpretatur; commemorat modo hic septem gentes quæ insurrexerunt contra filios Israel, sed pro septem posuit vitiis, seu nequitias spirituales insinuat, quæ insurgunt contra hominem*, I.
410. Casside, *galea*. — Setarum, *barbæ; in barba*, I.
411. Cuspide, *hasta*, I.
412. Furens, *iratus*. — Ardet, *stridet*, I.
413. Amorrhæi, *tristitia Amorrhæus, amarus, vel loquens*. — Gergeseorum, *Gergeseus, colonum ejiciens, vel advena propinquus*, I.
B 414. Volitantia, *propter celeritatem equorum*, Iso.
415. Eminus, *longe, contra*. — Confligunt, *pugnant*. — Cominus, *prope*, I.
416. Jebusaicæ, *Jebuseus, id est calcatus, sive præsepe eorum*, I.
417. Aurea tela, *avaritia*. — Tincta, *venenata*, I.
420. Cethæe, *Cethæus, abscissus a Christianitate*. — Juvat, *delectat*. — Phereza, *Pherezeus, separatus, vel absque muro*, I.
422. Rex, *diabolus*. — Hevæorum, *Hevæus feralis, vel ferox*, I.
423. Thoraca, *thorax, pectus, vel cassis, quia pectus cooperit*, I.
424. Subnixa, *subjecta, elevata*. — Viris, *vitiis*, I.
428. Mammoneamque, *diabolicam, pecuniosam, vel sæcularem, avaram*, I.

COMMENTARIUS.

404. Aldus ediderat *idololatrix*, correxit *incærat lapides fumosos idolatres*, perperam *incærat*, et *idolatres*. Nec melius recens corrector in Rat., *vana deorum* pro *idololatrix*, seu *idololatris*. Gronovio, Observat. eccles. cap. 5, placuit *idololatris*, neque displicuit Heinsio aliisque recentioribus editoribus; et facilis quidem fuerit mutatio *s* in *x* ob soni similitudinem. Sed scripti jubent legi *idololatrix*, et hæc fuit consuetudo Prudentii, ejusque ætatis, ut quædam vocabula Græco-Latina formaret, ut *primoplastus*. In editione Parmensi metrum corruptum est *incerat fumosos lapides*.

406. Corrector in Rat., erasis prioribus, inepte substituit *Heu quot mortale genus premit improbus hostis Militibus*. Gis., Fabr., Cell. ediderunt *premit genus*. Ald. et nostri, *genus premit*. Id tenuit Heins.

408. *Triumpho* active in Vulgata reperitur : eo verbo ita usi sunt Livius, Tacitus, Plinius, scilicet *triumphor* passive.

409. Aldus primum edidit *Chananæus, atque agmina denset*, postea emendavit *Chananæus, et agmina denset*. Giselinus hoc postremum amplexus est. Latinius in Torn. legit *Chananæus, atque agmina denset*, sed animadvertit legendum vel *Chananeus* trisyllabum, vel, si quadrisyllabum sit, *Chananæus, et agmina*. In Bibl. Latinii mendum opinor esse *surgite* pro *surgit*. Scripti *Chananeus, atque agmina denset*, ut sit diphthongus *eus*. Vide in Apoth. vers. 982 *Mattheus*. Pro *denset* Prag. *densat*, et apud Weitzium Giselinus, qui tamen in ed. 2 habet *denset*. Allegoricam interpretationem harum nationum vide apud Lauretum in Silva Allegoriarum, qui loca SS. Patrum similia indicat.

410. Ald., *terribili*; cæteri, *terribilis*. Fabricius pro *pondera mento* excudit *ponderamento*, errore non typographico : nam in Indice advertit Prudentium usum nomine *ponderamentum*; quod confirmat in
C Comment., docens sumi pro *pondere*. Multi hujusmodi errores ex conjunctione vocum in Prudentium irrepserunt. Ac revera in Aldo legitur *ponderamento*.

411. Prag., *vibrans*: supra, *quassans*.

413. Vat. A, mendose, *greges eorum* pro *Gergeseorum*. Hi omnes erant populi terræ Chanaan, de quibus vide Josue lib. et interpretes.

416. Put., Egm. et Vat. A, *Zebusiacæ*. Mar., Prag., Gis., *Jebusaicæ*. Weitz. et Urb., *Jebusiacæ*. Aldus et Alex., *Gebusaicæ*.

418. Ald., Mar. a prima manu, Widm., Bong., *micant, radiantque, micantque*. In Prag. videtur fuisse *micant, radiantque, nutantque*, quod metro repugnat. In Oxon., *micant, radiantque nitentque*. Fabr. et Gis., *nitent, radiantque, micantque*. Vetustiores plerique *micant, radiantque, necantque*. Emendandus est error typographicus editionis Parmensis. *radiantque, necatque*.

420. Put., *Cittee*; Egm., *Chitee*. Alii, *Cethæe*;
D Gisel. vero 2 edit., *Gethee*. In Put., *gens Phereza*, quod sequor, nam *Pherezæa* carmini adversatur. Chamillardus vellet *Bettæe*, si metrum pateretur. Alius error hic occurrit in editione Parmensi, *sed gens Pherezae sagittis*. Teolius fortasse voluit *Pherezæa*.

422. Put., Rot., Ald., Pal., Egm., *Euveorum*. Vat. A et Bong., *aeveorum*. Mar., Prag., Weitz., *Eveorum*. Alii, *Bevaeorum*; alii paulo aliter. In nonnullis vulg., *præmovet* pro *promovet*.

424. *Scelerum potestas*, ut *potestas tenebrarum* in sacra pagina.

426. *Indociles* eo sensu quo hymno 3 Cathem., vers. 111, diximus, *indocile* accipi posse pro *docili*, ut *infractus* pro *fracto*.

427. Imitatur illud Maronis lib. II Æneid., *socia agmina credens Inscius*, et alia quæ sequuntur. Vide etiam vers. 551 et seqq. Psychomachiæ.

Mox faciles ad vincla rapi, juga dura volentes A
Addictis subeunt cervicibus, et nebulonum
Spirituum jussis servire ferocibus optant.
Ille, supervacuis augens patrimonia fundis,
Finitimisque inhians contempto limite agellis,
Ducitur innexus manicis, et mille catenis
Ante triumphales currus post terga revinctus,
Nec se barbaricis addictum sentit habenis:
Hic, qui ventosæ scandit fastigia famæ,
Inflaturque cavo pompæ popularis honore,
Qui summum, solidumque bonum putat ambitionis
Crescere successu, præconum voce trementes
534 Exanimare reos, miserorum in corpora fasces
Frangere, terribiles legum exercere secures, B
In laqueum jam colla dedit, jam compede dura
Nectitur, et pedibus servilia vincula limat.
Credite, captivi mortales, hostica quos jam
Damnatos cohibent ergastula, quos famulatu
Pœnarum virtus non intellecta coercet:
Hæc illa est Babylon, hæc transmigratio nostræ
Gentis, et horribilis victoria principis Assur,
Carmine luctifico quam deflens Ieremias,
Orbatam propriis ululavit civibus urbem.
Num latet, aut dubium est, animas de semine Jacob
Exsilium gentile pati: quas Persica regna
535 Captivas retinent, atque in sua fœdera cogunt?
Illic natali desuescunt vivere ritu,
Moribus et patriis exutæ, in barbara jura
Degenerant, linguamque novam, vestemque sequuntur,
Deque profanato discunt sordescere cultu,
Nutricemque abolent petulanti e pectore Sion.

GLOSSÆ VETERES.

430. Addictis, *subjugatis, deputatis.* — Nebulosum, *nigrorum*, I.

432. Ille, *aliquis, quidam.* — Supervacuis, *per rapinam abundantibus.* — Fundis, *prædiis, hæreditatibus, ædificiis, terris vel prædiis; fundus dicitur ager, eo quod nobis fundat fructus*, I.

436. Barbaricis, *diabolicis* — Habenis, *vinculis*, I.

437. Hic, *quidam, aliquis*, I. — Ventosæ, *vacuæ*, Vat. A.

438. Cavo, *vacuo*, I.

439. Ambitionis, *avaritiæ*, I.

440. Successu, *prosperitate.* — Trementes, *timentes*, I.

441. Exanimare, *mortificare.* — Fasces, *potentias, dignitates*, I.

442. Exercere, *augere.* — Secures, *arma lictorum*, I.

444. Limat, *purgat*, I.

445. Hostica, *hostilia*, I.

446. Cohibent, *constringunt.* — Ergastula, ΕΡΓΟΝ, *opus; inde ergastulum, locus ubi exercetur constructio alicujus operis*, I.

449. Assur, *dirigens interpretatur*, I.

450. Quam, *gentem*, I.

451. Orbatam, *viduatam.* — Ululavit, *lamentat.* — Urbem, *Jerusalem*, I.

452. Num, *nunquid*, I.

453. Persica, *diabolica*, I.

456. Barbara, *pagana*, I.

458. Profanato, *sordido*, I.

459. Abolent, *obliviscuntur, illorum malignorum suasu; alienatio est abominabilis perditio*, I.

COMMENTARIUS.

430. Egm., Weitz., Iso, Gisel. ad oram, Gifan. C Ind. Lucret., verbo VESTIRE, ex vet. lib., *nebulosum* quasi *nebulosorum*. Ita etiam Rat. cum glossa *fallacium, tenebricosorum*. Plerique, ut Alex., Urb., Mar. Vat. A, Prag., Heinsiani, *nebulonum*. Nec dubium quin *nebulo*, ut *nebulosus*, de diabolo apposite dicatur.

431. Egm. et Ald., *aptant;* alii, *optant*. In Mar. ex *feracibus* recte factum *ferocibus*.

433. Vat. A et Egm., *contento limite*, quasi extento; vel cum limes ipse sit contentus, homines finitimis agellis inhiant. Melius cæteri, *contempto*. Horatius lib. II, sat. 6: *O si angulus ille Proximus accedat, qui nunc denormat agellum*. Teolius omnes Vatt. allegat pro *contempto*, vel ut ipse scribit *contemto*. Facile potuit *n* videri esse *m*, aut contra.

435. Mos hic erat ducendi captivos ante triumphalem currum.

440. Prag., male *successum*. Præconis inter alia munus erat judicia et sententias publicare.

441. Egm., Wid., Mar. a secunda manu, Prag., D Vat. A, Ald., *examinare*. Mirum quod hic error tot codices occupaverit. Metrum postulat *exanimare*, quod exstat in aliis. In Rat. est *exanimare* a recentiori manu; alioqui erat *examinare*. In Alexan., *exanimare;* sed glossa *investigare*, quasi is qui glossema addidit, legisset *examinare*. Ald., Alex., Urb., Gis., *in corpora*, ut hymno S. Cassiani vers. 47, *in ora frangere tabellas*. Heinsius nihil contra ex suis adnotavit. Mar., *corpore*, recente manu *in corpore*. Prag., Rat., Weitz., *in corpore*.

446. Glossæ adde ex Isidoro lib. XV, cap. 6, quod ergastula etiam sunt, ubi deputantur noxii ad aliquod opus.

447. Chamillardus, *virtus non intellecta* accipit pro vitiis, quæ specie virtutis decipiunt. Cellarius interpretatur de vera virtute, quæ ignorantiam sui et contemptum vindicat famulatu pœnarum. Fortasse melius *virtus non intellecta* dicetur esse vis quædam occulta et non intellecta ab ipsis qui pœnis sunt subjecti. Sic supra vers. 436: *Nec se barbaricis addictum sentit habenis.*

448. Widm. supra, *nostra*, minus bene. Pergit declamare in vitia, quæ specie virtutis fallunt, hominesque captivos in servitutem redigunt. De hujusmodi vitiis Juvenalis satira 14.

450. Jeremias cap. I Thren., vers. 1: *Quomodo sedet sola civitas, plena populo: facta est quasi vidua domina gentium.*

452. Ex diversa scribendi ratione Prag. et Rat., *aud;* Egm. et Vat. A, *haud* pro *aut*.

453. Prag., *quos*, et versu seq. *captivos*, non ita bene ac *quas* et *captivas*, sc. animas.

455. Vat. A scribit *disuescunt*.

456. Rat., *ex patriis*. Prag., *exuti*, ut supra *quos captivos*. Hæc omnia videri possunt in Lamentationibus Jeremiæ.

458. Captivi Israelitæ, et qui ad Ægyptum confugerant, ad idolorum cultum secesserant, quos Jeremias objurgavit.

459. Palat., Widm., Egm. pro diversa lectione, Weitz., Vat. A, *petulantia pectora*. Heinsiani, *petulanti e pectore*, cum Ald. et aliis. Mar. a prima manu, Rat., Prag., *petulanti pectore*. In Mariet. aliena manu *a* vel *e pectore*. S. Paulinus psal. CXXXVI: *Cum patrium memori traheremus pectore Sion*. Ubi etiam producitur prima vocalis, quam Fortunatus quoque produxit. Vide alia exempla in indice Fabricii ad poetas Christianos. Alii corripiunt quod in his nomi-

Jam patriæ meminisse piget: jam mystica frangunt A
Organa, et externi laudant anathemata regni.
Nonne fuit melius, sævum Memphitidis aulæ
536 Imperium tolerasse patres, penitusque sinistris
Assedisse focis? positos Pharaonis iniqui
Sub pedibus, limo, et paleis servire paratos,
Carnis et immodicæ spurco ructamine crudos?
Quo tantum auxilii per prodigialia signa
Effudit Dominus, populum dum forte rebellem
Servat ope immerita, vinclis dum subdita colla
Solvit, et Ægyptum virga serpente coercet?
Quid juvat æquoreum, pelago cedente, profundum
Pulverea calcasse via: cum conscia ponti B
Saxa sub ignoto patuerunt prodita cœlo,
Aruit et medio sitiens in gurgite limus?
Si victor virtute Dei, mediasque tenebras
Luce columnari scindens exercitus olim,
Perdidit inventi vallem Botryonis opimam?
537 Si nescit versare solum, cui melle perenni
Gleba fluens niveos permiscet lactea rivos
Si domitam Jerichon lituis, atque ære canoro
Rursus in antiquos patitur consurgere muros
Si ripis reflui Jordanis pellitur, et jam
Deserit ascriptam dimensa in jugera sortem?
Denique si structam tantis sudoribus urbem,
Et quæ nubigenas transcendunt culmina nimbos,
Defensare nequit? si nescit, quis lapis ille est
Hostibus obsistens, ut inexpugnabile turris
Præsidium: quem non ærato machina rostro

GLOSSÆ VETERES.

461. Organa, *laudes Dei*.—Anathemata, *perditiones. alienationes*, I. *Alienationes*, Vat. T.
462. Memphitidis, *Ægyptiacæ*, I.
463. Tolerasse, *pati*.—Sinistris, *contrariis*, I.
464. Pharaonis, *qui nominabatur Cenclis*, *Chenclis*, I.
465. Sub pedibus, *dominatione*, *potestate*, I.
466. Immodicæ, *magnæ*, *in multitudine*. Spurco, *immunda eructatione*.—Crudos, *saturatos*, *plenos*, *indigestos*, I.
467. Quo, *cur illic*, I.
468. Rebellem, *infidelem*, I.
469. Ope, *auxilio*, I.
470. Virga, *quia virga mutata est in serpentem*.—Serpente, *existente*, I.
472. Calcasse, *ambulare*, I.
473. Prodita, *ostensa*, I.
477. Perdidit, *pro perdit*.—Botryonis, *terram promissionis*.—Opimam, *fertilem*, I.
478. Versare, *arare terram*, *subvertere*, *colere*, I.
480. Jerichon, *civitatem diaboli*, *sancta prædictione superatam*, I.
484. Sudoribus, *laboribus*.—Urbem, *Jerusalem*, I.
485. Culmina, *virtutes*, *desideria*, I.
486. Lapis, *Christus est; qui murus*, *et lapis est inexstinguibilis*, *et præsidium indeficiens*, I.
488. Vis, *immissa cum fortitudine*, I.

COMMENTARIUS.

nibus fieri posse, monui in proleg. E Judæis captivitate Babylonica detentis, nonnulli erant qui recordarentur Sion et idolorum cultum horrerent, ut liquet ex psalmo cit.: *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, cum recordaremur Sion*. Prudentius illos cum Jeremia reprehendit, qui gentium mores et ritus fuerunt secuti. C

460. Apud Weitzium, Widm., *nam* pro *jam*. Sed non explicat Weitzius sitne *nam patriæ*, an *nam mystica*, an utrumque: nam bis repetitur *jam*. Chamillardus opinionem Pinedæ lib. VII de Salomone, cap. 10, refert Judæos citharas suas appendisse salicibus, quæ erant ante Beli Jovis templum in ipsa urbe Babylone, ex interpretatione psalmi CXXXVI: *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra*, et in eadem opinione fuisse Prudentium affirmat. Mihi id non liquet: nam Prudentius Judæos illos reprehendit qui organa fregerant, non qui suspenderant. Neque opinionem Pinedæ approbat Lorinus, qui fuse docteque hac de re ad eum psalmum disputat.

461. In Vat. A desideratur *et* post *organa*. *Anathemata* hic sunt sacrilicia, mores et ritus profani. *Anathema* pro homine exsecrabili vox ecclesiastica, ut *anathematizare* apud S. Hieronymum et alios. Teolius monet *anathemata*, *priori porrecta*, *ut hic*, esse donaria numini dicata. Fortasse scribere voluit *tertia porrecta*. Conjici posset *anademata*. Lucr. lib. IV, *anademata mitræ*.

462. Longissimum esset ea omnia proferre quæ e sacris Litteris Poeta indicat aut refert. Quæ hoc loco attingit, videri possunt Exod. cap. I, 5 et seqq.

466. Ait poeta Israelitas carne immodica se in Ægypto refecisse, quia ipsi Exod. XVI, 3, dixerunt: *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti*, *quando sedebamus super ollas carnium*, *et comedebamus panem in saturitate*.

467. Horatius lib. I, ep. 5: *Quo mihi fortunas*, *si non conceditur uti?*

472. Cauchius ex scripto suo malebat *purpurea*, quia sermo est de mari Rubro. Sed venustius est *pulverea* cum reliquis scriptis, quasi Israelitæ non solum sicco pede trajecerint mare, sed etiam via mare per medium fuerit pulverulenta. Sic mox *aruit limus*. Paulinus etiam Nat. 9 dixit *arente profundo*, et *pulverulenta vestigia* de transitu Jordanis.

474. Weitz. et Gis., *sub gurgite*. Heinsiani, Pal. et nostri codd., *in gurgite*.

475. Vat. A et Egm., *sic victor*, male.

477. Martialis lib. XI, epigr. 38: *Nec dignam toto te botryone putat*. Alii hic intelligunt racemum uvæ conditilliæ, alii ova sepiarum, sive liquamen ex ovis piscium. Palladius certe pro uvæ racemo posuit *botryonem*. Prudentius loquitur de botris seu racemis terræ promissionis. Consule Num. XIII, Josue VI et seqq.

480. Ald. scribit *Hierico*, alii *Hiericon*, aut *Jericon*, aut *Jerichon*. D

482. Ald., *rivis*; alii *ripis*. Vat. A, *refluis* pro *reflui*.

486. Ald. habet *illest* pro *ille est*. Perspicuum est Christum hunc esse lapidem, de quo Paulus ad Ephes. II, 20 et seqq. Vide etiam Dittochæum tetrasticho 31, *Pinna templi*.

487. Sich. et Bong. a prima manu, *terris* pro *turris*. Vat. A, mendose, *inexpugnabilis*.

488. Ita legunt veterrimi Put. et Thuan. apud Heinsium et Alex. a prima manu. Cætera quæ alii addunt, superflua sunt et tautologiam redolent, *hostibus obsistens*, *hosticus*, *arietis vis quatit*, *arietat*, *insiliens*. Giselinus: *Præsidium*, *quem non fragor hosticus*, *arietis aut quem Vis impacta quatit*, *non æris machina rostro Arietat insiliens*, *nec ferrea verbera quassant*; et ad oram, *non ærea machina*. Aldus, *Præsidium*, *quem non fragor hosticus arietis*, *aut*

Arietat insiliens, nec ferrea verbera quassant? A
538 Angulus hic portæ in capite est: hic continet omnem
Saxorum seriem, constructaque limina firmat:
Quem qui rite suis per propugnacula muris
Noverit insertum, seque, ac sua mœnia vallo
Præcingat triplici, celsa stans eminus arce,
Fretus amore petræ, castis et pervigil armis:
Non illum regina Tyri, non accola magni
Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus,
Tempora pennatis redimitus nigra sagittis.
Quin, si fulmineos cogens ad bella gigantas
Allophylus tua castra velit delere tyrannus,
Tutus eris: nec te firma statione movebit
Ipse Charon mundi, numen Marcionis: ipse,
Qui regit aerio vanas sub sole tenebras.
539 Nam vanum, quidquid sol aspicit: ex elementis B
Cuncta solubilibus, fluxoque creamine constant.
Fallo, creaturam nisi doctor Apostolus omnem
Subjectam vanis non sponte laboribus orsus,
Perjuro ingemuit miserans servire latroni.
Errat, ait, qui luctamen cum sanguine nobis,
Et carne, et venis ferventibus, et vitioso
Felle putat, calidisque animam peccare medullis.
Non mentem sua membra premunt, nec terrea virtus
Oppugnat sensus liquidos, bellove lacessit:
Sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieque
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste,
Et pigris densus nebulis obtemperat aer.
Scilicet hoc medium, cœlum inter, et infima terræ
Quod patet, et vacuo nubes suspendit hiatu,
Frena potestatum variarum sustinet, ac sub
Principe Belia rectoribus horret iniquis.
His colluctamur prædonibus, ut sacra nobis

GLOSSÆ VETERES.

489. Arietat, *sternit, commovet.* — Insiliens, *cum tumore saliens.*—Quassant, *lædunt*, I.
491. Seriem, *ordinem*, I.
494. Eminus, *e contra.*—Arce, *alte ; fide*, I.
495. Fretus, *confisus*, Iso.
496. Regina Tyri, *avaritia*, I.
497. Parthus, *hæreticus.*—Rapiet, *scilicet captivum.*—Indus, *immunditia*, I.
499. Gigantas, *sequaces diaboli*, I.
500. Allophylus, *diabolus ; Philistæus ; pro diabolo posuit, alienigena a Deo*, I.
501. Tutus, *protectus*, I.
502. Charon, *navigator inferni, diabolus.* — Numen, *Deus ; malus deus*, I.
505. Fluxo, *labili, deficienti*, I.
506. Fallo, *mentior, decipio*, I.
507. Orsus, *dixisset*, I.
508. Perjuro, *fallaci.* — Latroni, *diabolo*, I.
509. Ait, *Apostolus : Quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, I.
515. Congredimur, *prœliamur*, I.
519. Frena, *dominationes*, I.
520. Belia, *diabolo*, I.
521. Ut, *sicut*, I.

COMMENTARIUS.

quem Vis impacta quatit, non æris machina rostro Arietat. Weitzius, *Præsidium, quem non fragor hosticus, arietis aut vis Concutit impacta, aut ærato machina rostro Arietat.* Gis. 1 edit. ad marg., *Præsidium, quem non fragor hosticus, arietis aut quem Vis quatit impacta, ærato non machina rostro Arietat.* Sichardus, *Præsidium, quem non fragor hosticus, arietis vis Concutit impacto, aut ærato non machina rostro Arietat.* Ita ad oram: nam in textu cohæret primæ editioni Giselini. Membranæ æque inter se discrepant. Cum Weitzio faciunt Rat., Prag., Mar. a recente manu, et Egm., nisi quod in hoc legitur mendose *arietus* pro *arietis*. Tres codices Vatt. pro eadem lectione Teolius allegat. Mihi aliter visum. Mariettus a prima manu, *Hosticus arietis aut Vis impacta quatit, non ærato machina rostro.* Mariettus non bene allegaverat Sichardum, qui in sua prima editione a me visus, ita edidit ut modo dixi. Alex. ad oram. Urb., Oxon., *Præsidium, quem non fragor hosticus, aut arietis Vis impacta quatit, non ærato machina rostro* contra metrum. In Rot. et tribus Torr., *Vis impacta quatit, quem ærato machina rostro.*

490. De Christo, lapide angulari, qui et parietes et fundamentum continet, vide Chrysostomum hom. 6, cap. II, ad Ephes.

494. Weit., Gis., *præcingit.* Rat., *præcingit*, aut *præcinget.*

496. Inepte aliqui ad reginam Saba, alii ad Didonem id transtulerunt. Tyrios intelligit Prudentius esse vel avaritiam, vel superbiam, quæ per Tyrum allegoricè significatur. Vide Ezechiel. XXVIII, Rupertum Tuitientem cap. IX Osee, et Sylvam allegoriar. Laureti.

498. Carolus Paschalius, de Coronis pag. 200, ex his versibus colligit Indos, et in his Bactrianos, quod C sagittando valent, sagittis solitos caput redimire.

499. Scripti Heinsiani et Alex., *gigantas ;* alii *gigantes.* Harum gentium vocabulis intelliguntur vitia quæ eis quodammodo dominabantur, aut dæmones, qui ea vitia inspirant. Vide glossas.

500. Cur in *Allophylus y* corripiatur, dixi in proleg. Allophylus Græce sonat *alienigena.* A Christianis scriptoribus passim pro Philistæo accipitur; et pro Philistæis LXX interpretes vertunt *allophylos.* S. Orientius in Commonit. lib. I novæ collect. Edmundi Martene pag. 11 : *Illum mirifico famosum robore Samson Forma decem sævis tradidit Allophylis.* S. Paulinus Natali 8 : *Credite, non armis, neque viribus esse timendos Allophylum populos.* Et in carmine ad Cytherium de naufragio Martiniani *Allophyla mulier est mihi lex carnea.* Alia videri possunt in Severo Sulpicio, in Attone de obsidione Lutetiæ.

503. Prag., *varias* pro *vanas.*

504. Vat. A, *Jam vanum.* Prag., *Nam vanum est.*

505. Pal., *cuncta volubilibus*, minus bene. D

506. In nonnullis vulg., male, *creaturum* pro *creaturam.* Epist. ad Rom. VIII, 20 : *Vanitati enim creatura subjecta est non volens*, etc. : *scimus enim quod omnis creatura ingemiscit..... et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes redemptionem corporis nostri.*

509. Hæc non ex Epistola ad Romanos, sed ex alia ad Ephesios VI, 12, sumit Prudentius, cujus interpretationem vindicavimus proleg. cap. 9.

518. Gis. et Fabr., *ac vacuo.*

520. Egm., *Bellia.* Vulg., *Belial.* Vetustiores, *Belia.* Ita enim Prudentius hujusmodi nomina propria efferre solet *Helia, Belia, Iuda*, quæ alioquin in *as* terminantur. Quod autem in *Belia*, aut *Belial* duæ primæ ab aliis corripiantur, nihil refert.

Oris apostolici testis sententia prodit.
540 Nemo habitum naturæ, aut irritamina [peccans
Corporis accuset : facile est frenare rebelles
Affectus carnis, nimiosque retundere pulsus
Materiæ fragilis, et viscera victa domare.
Quippe animus longe præstantior, utpote summo
Æthere demissus, subjectos si velit artus
Imperio quassare gravi, jussisque severis
Dedere, regnanti domino vis nulla resistet.
Major inest vis illa homini, quæ flatile virus
Ingerit, et tenuem tenui ferit aere mentem.
Parthica non æque ventos transcurrit arundo,
Cujus iter nullus potis est comprendere visus :
Præpes enim, volucres dum pennis transvolat [auras,
Improvisa venit, nec stridor nuntiat ante
Adventum lethi, quam pectoris abdita rumpat,
Securam rapiens medicato vulnere vitam.
Sed magis aligera est, magis et medicata sa- [gitta,
541 Quam jacit umbrosi dominatio lubrica [mundi,
Eludens excussa oculos, calamique volantis

A Præpete transcursu cordis penetralia figens.
Nec segnis natura animæ est, aut tarda ca- [vendi
Vulneris : ignitum quoniam Deus indidit olli
Ingenium, purum, sapiens, subtile, serenum,
Mobile, sollicitum, velox, vegetabile, acutum :
Factorem modo casta suum veneretur, et ipsi
Militet, ac victum proculcet sobria mundum;
Nil de pestiferis opibus, aut falsificatis
Terrarum spoliis stulto oblectamine libans,
Ne sub fasce jacens, alieno et dedita regno
Non queat argutas hostis vitare sagittas.
Sed quid ego omne malum mundique, homi- [numque maligni
Hostis ad invidiam detorqueo : cum mala no- [stra,
B Ex nostris concreta animis, genus, et caput, [et vim.
542 Quid sint, quid valeant, sumant de corde [parente?
Ille quidem fomes nostrorum, et causa malo- [rum est.
Sed tantum turbare potest, aut fallere quan- [tum.

GLOSSÆ VETERES.

522. Prodit, *dicit*, Iso.
523. Irritamina, *provocamina*, *provocationes*, *quia*, *corpore provocante et suggerente*, *anima consentit peccatum aliquando*, I.
525. Affectus, *desideria*, I.
527. Præstantior, *melior*, *nobilior scilicet corpore*, I.
529. Quassare, *fatigare*, *edomare*, *premere*, *domare*, I.
530. Dedere, *occupare*, *animo tradere*. — Domino, *animo*. — Vis nulla, *scilicet corporis*, I.
531. Major, *de animo dicit*. — Vis illa, *diaboli*, I.
532. Ingerit, *immittit*. — Tenuem, *fragilem*. — Ferit, *percutit*. — Aere, *persuasione*, I.
533. Æque, *similiter*, *non sic*. — Arundo, *sagitta*, I.
535. Præpes, *velox*, I.
538. Medicato, *illito*, *toxicato*, I.
539. Aligera, *velox*. — Medicata, *venenata*, I.
540. Umbrosi, *tenebrosi*. — Mundi, *diaboli*, I.
541. Eludens, *decipiens*. — Excussa, *sagittata*. —
C Calami, *teli*, I.
546. Agitabile, *mobile*, I.
550. Libans, *cupiens*, I.
551. Fasce, *onere*, I.
552. Argutas, *scilicet viles*, I.
554. Detorqueo, *converto*, I.
555. Concreta, *coagulata*, Iso.
557. Ille, *diabolus*. — Fomes, *incentivum*, *vel incendium*, I.

COMMENTARIUS.

525. Mar., *nimiosque*, sed supra recentiori manu, *minimosque*.
530. Alex. cum Heinsianis nonnullis *resistet*. Ald. et alii editi cum Urb. aliisque mss., *resistit* : quod nescio cur Heinsius damnet : nam idem est sensus. Perperam autem vulgati distinguebant *dedere regnanti domino*.
533. Prag., *transcendit* pro *transcurrit*. Veruti, seu teli cursum eleganter dici a Lucretio notat Gifanius, et hoc Prudentii exemplum allegat.
535. Ald., Weitz., Mar., *volucris*, melius alii, *volucres*; in mss. antiquis casus hujusmodi sæpe in *is* terminantur, ex quo ea varietas oriri potuit.
537. Fabr., Bong., Mar., Sich., *rumpit*, non male.
538. Egm., a secunda manu, Bong., Sich. ad oram, Put., Oxon., Thuan., *penetrans*. Egm. a prima manu, Alex., Urb., aliique nostri cum vulg., *rapiens*.
543. Egm., *segni*, non bene, pro *segnis*. Ald., *ut*; alii, *aut*.
546. Legunt *nobile* Rat. a prima manu, Mar., Prag., Weitz., Gis. Sed in omnibus Heins., Ald., Vat. A, Alex., Rat. a secunda manu, *mobile*. Sic melius est *vegetabile* cum Thuan. a manu prima, Alex., Boherio pervetusto. Nam *agitabile*, quod alii habent, idem sonat ac *mobile*. Non est autem contemnenda lectio *nobile*, *agitabile*, quæ exstat in Urb. et aliis. Teolius in uno tantum Vat. vidit *nobile*.
547. Optimi Heinsiani, Mar., Rat., Alex., Sich., Weitz., *casta*. Vat. A, Ald., Gis., Urb., *facta*.
549. In Rat. fuit *falsificantis*, sed *n* est inductum. *Falsificus* Plauti est. Facciolatus *falsificare* ad barbara rejecit, cum plura alia verba solius Prudentii auctoritate inter Latina reposuisset. In editione 2 Giselini, et in quodam exemplari editionis Weitzianæ ad marg., *vel* pro *aut*.
D 551. Mar., Weitz., *ne*; alii, *nec*. Rat., *non*. Nonnulli vulgati male distinguunt *nec sub fasce jacens alieno*, *et dedita regno*. In Heinsio mendum est *nec sub face*.
552. Aldus, *ne* pro *non*.
553. Weitz., *mundi hominumque*; cæteri, *mundique*, *hominumque*, rectius. Cum demonstraverit Prudentius Deum non esse peccati auctorem, sed diabolum eum esse qui homines in peccata traxerit, ne in contrariam partem declinare videatur, et, ut alium Marcionitarum errorem evertat, ad libertatem arbitrii ostendendam aggreditur.
556. Alii habent *de corde parenti*. Sentententia sumpta est ex Matth. XV, 19 : *De corde enim exeunt cogitationes malæ*, *homicidia*, etc.

Nos volumus: qui decrepito suggesta leoni A
Armamenta damus: friget fera futile frendens,
Humani generis ni per suffragia gliscat.
Gignimus omne malum proprio de corpore nostrum:
Ut genuit David, alias pater optimus, unum
Crimen Abessalon: tetrum pater ille, sed unum
Innocuas inter soboles genuit patricidam:
Ausus in auctorem generis qui stringere ferrum,
Ah pietas! signis contraria signa paternis
Egit, et unius commisit sanguinis arma.
Nostra itidem diros urente propagine natos
Pectora parturiunt: versis qui protinus in nos
543 Morsibus insuescunt gignentum vivere pœnis: B
Depopulantur enim nimium fecunda parentum
Viscera, et interitu genitalis stirpis aluntur.
Progeniem verum ille suam, rex utpote summus,
Atque Dei vates, pariturae et virginis auctor,
Tristibus atque piis variaverat, ut Salomonis
Frater Abessalon sereret sua crimina justis
Pignoribus, dulcemque domum turbaret amaris.
Nos dignum Salomone nihil: nos degener implet
Solus Abessalon, lacerans pia viscera ferro.
Si licet ex ethicis quidquam præsumere, vel si
De physicis exempli aliquid; sic vipera, ut aiunt,
Dentibus emoritur fusæ per viscera prolis.
544 Mater morte sua, non sexu fertilis, aut de
Concubitu distenta uterum; sed cum calet igni
Percita femineo, moriturum obscena maritum
Ore sitit patulo; caput inserit ille trilingue

GLOSSÆ VETERES.

559. Decrepito, *antiquo, seni, veterano.* — Suggesta, *subministrata.* — Leoni, *hosti*, I.
560. Armamenta, *utensilia, arma, vel adjutoria.* — Futile, *inaniter, inutiliter*, I.
561. Suffragia, *auxilia.* — Gliscat, *crescat*, I.
564. Tetrum, *infaustum, infelicem. Abessalon, et Absalon utrumque dicimus*, I.
565. Patricidam, *qui patrem occidit*, I.
566. In, *contra.* — Stringere, *nam voluit patrem interficere*, I.
567. Ah! *heu! ubi est modo pietas? interjectio dolentis*, — Signa, *vexilla*, I.
568. Egit, *portavit, elevavit, duxit, portavit.* — Unius, *proprii; Judæos cum Judæis.* — Commisit, *fecit committi.* — Arma, *civile bellum*, I.
569. Itidem, *item.* — Propagine, *procreatione.* — Natos, *suasiones malignorum*, Iso.
571. Gignentum, *patrum, quia ipsi peccatis nostris excruciamur*, I.
574. Verum, *sed*, I.
575. Virginis, *Mariæ, quia de genere David fuit Dei genitrix*, I.
576. Tristibus, *malis natis.* — Piis, *bonis*, I.
577. Justis, *fratribus, vel sanctis scilicet operibus, sanctis filiis*, I.
578. Pignoribus, *filiis.* — Amaris, *scilicet operibus*, I.
579. Salomone, *Salomonem vocat justitiam.* — Nihil, *scilicet agimus vel habemus, quia nos vitiis plus implemus quam Salomone, qui significat virtutes*, I.
580. Abessalon, *vitia.* — Lacerans, *oppugnans*, I.
581. Licet, *licitum est.* — Ethicis, *moralibus, de moribus.* — Præsumere, *sumere, attingere*, I.
582. De physicis, *naturalibus, de scripturis naturalium rerum, de naturis*, I.
585. Distenta, *repleta, vel gravida*, I.
586. Percita, *insaniens*, I.
587. Sitit, *cupit.* — Trilingue, *serpens, quamvis*

COMMENTARIUS.

559. Diabolus leoni rugienti comparatur Epist. I, C Pet. v, 8.
560. In Mar. fuit *futtule* pro *futile*, corrupte.
561. S. Augustinus, sive potius Cæsarius Arelatensis sermone 37 append. S. Augustini, alias 197 de Tempore, diabolum cani alligato comparans, ait: *Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem.*
562. Ald., Fabr., Bong. cum aliis, *de corpore nostro.* Plerique, *nostrum.*
564. Ita LXX interpretes efferunt *Abessalon*, qui in Vulgatis Bibliis dicitur *Absalom*, de quo lege lib. II Regum xv et seqq. Alii scribunt *Abessolon.*
565. Gis. ad oram, *paricidam* pro *patricidam.*
567. Imitatio Lucani initio Pharsaliæ.
569. Weitzius pro *duros* allegat Ald., Fabr., Bongar. Sed Aldus mihi habet *diros.* In Fabricio etiam lego *diros.* Gis. ad marg., *duros*, quod in prima editione tenuerat. Melius cæteri, *diros.* De peccatis, quæ ex corde parente exeunt, sermo est.
572. Vat. A, *depopulatur;* recte manu recenti factum *depopulantur.*
574. Cauchius ex conjectura, *vero* pro *verum.* Non video, qui locus esse huic conjecturæ possit, invitis membranis.
576. *Tristes* pro malis seu improbis hic accipi, nota ex glossa. Significat etiam *tristis* iratum, difficilem, sævum, asperum, infelicem.
577. Alex., Put., Thuan., Rot., Egm., Palat. a prima manu, Cauchianus, *sereret sua crimina;* neque abludit Vat. A. Verum Mar., Urb., Ald., Weitz., Gis. cum aliis, *misceret crimina.* Utrumlibet potest retineri.
578. Vat. A, *turbasset;* rectius supra, *turbaret:* nam versu sup. est *sereret.*
581. Ald., mendose, *ex ethnicis* pro *ex ethicis*: qui error nonnullos veteres codices insedit, ut Mar. et Prag., in quibus recente manu correctio adhibita est. In Rat., *et ethicis* pro *ex ethicis.* Neque Chamillardus, neque Teolius, neque Cellarius in suis indicibus adverterunt, *e* in *ethicis*, quæ longa est, a Prudentio corripi.
582. Observat Giselinus recte adjicere poetam *ut aiunt;* revera enim fabula est a Plinio aliisque veteribus adoptata. Obiter monebo non peccare scriptores pios, aut depravati judicii esse arguendos, quod hujusmodi historiolas aut falsas, aut non satis comprobatas in exemplum ad informandos mores transferunt; quibus illi tanquam veris factis, si evenerint, aut tanquam apologis, si fuerint conficta, suo jure utuntur. Teolium non intelligo, qui ait Prudentium aliter esse locuturum, si in hoc nostrum ævum fuisset D delatus, *cum constet omnia animalia cujuscunque generis ex ovo nasci, in quo sunt formata.* Negatne Prudentius ex ovo, in quo est formata, viperam nasci? Claris verbis postea ait, *postquam semine adulto*, etc. Plinius lib. x, cap. 62: *Rursus in terrestribus ova pariunt serpentes..... Viperæ mas caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Terrestrium eadem sola intra se parit ova unius coloris, et mollia, ut pisces.* De insectis illa est quæstio, an ex putri, ut aiunt, nascantur.
584. Vat. A, *sexus* pro *sexu.*
587. Aldus edidit *trilinguæ*, emendavit *triligue;*

Conjugis in fauces atque oscula fervidus intrat,
Insinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta, voluptatis vi saucia, mordicus haustum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur,
Infusasque bibit, caro pereunte, salivas.
His pater illecebris consumitur, at genitricem
Clausa necat soboles; nam postquam semine [adulto
Incipiunt calidis corpuscula parva latebris
Serpere, motatumque uterum vibrata ferire,
Æstuat interno pietatis crimine mater,
545 Carnificemque gemit damnati conscia [sexus
Progeniem, septi rumpentem obstacula partus.
Nam, quia nascendi nullus patet exitus, alvus
Fetibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis prodit grex ille dolorum,
Ingressum vitæ vix eluctatus, et ortum
Per scelus exsculpens: lambunt natale cadaver
Reptantes catuli, proles, dum nascitur, orba,
Haud experta diem, miseræ nisi posthuma [matris.
Non dispar nostræ conceptus mentis; ab ore
Vipereo infusum sic combibit illa venenum
Conjuge Beliade, sic oscula devorat haustu,
Interiusque rapit, sic felle libidinis ardens
546 Impletur vitiis, perituro mixta marito.
Tunc prægnans lethale genus, concepta maligni
Fert opera ingenii, de semine complicis hydri:
Quem pœnis pensare prius sua facta necesse est
Corruptæ pro stupro animæ, proque orbe per- [empto.
Ipsam porro animam crudelia vulnera carpunt
Mille puerperiis, soboles dum parturit ex se
Contra naturam genitas, peccamina crebra
Scilicet, et pastos materno funere natos.
Hinc illa est Domini justa objurgatio Christi:
Nonne pater dæmon, vos increpo, peccatores,
Concubitu carnis semen sitientis iniquum
Vos genuit? Sanctum, lector, percense volu- [men:

GLOSSÆ VETERES.

non habeat nisi linguam unam, tanta tamen celeritate eam movet, ut videantur tres esse, I.

588. Oscula, *per*, I.
589. Insinuans, *immittens*. — Coitu, *pro, in*, I.
590. Nupta, *conjux*. — Saucia, *sauciata*. — Mordicus, *adverbium, mordaciter, mordendo*. — Haustum, *devoratum, in ore assumptum*, I.
591. Frangit, *mordet*. — Amatoris, *mariti*, I.
592. Caro, *marito*, I.
593. Pater, *ille masculus*. — Illecebris, *voluptatibus*, I.
594. Necat, *occidit*, I.
596. Motatum, *commotum*. — Vibrata, *pulsata*, I.
597. Pietatis, *prolis*. — Crimine, *quia maritum occidit: dolet enim se esse carnificem mariti*, I.
598. Carnificem, *se*, I.
599. Septi, *inclusi, reconditi, circumdati*, I.
603. Obitu, *morte*. — Altricis, *matris*, I.
604. Eluctatus, *evadens*, I.
605. Exsculpens, *sulcans, investigans; sculpere rem dicimus, cum difficultate investigare*, I.
606. Orba, *orbata*, I.
607. Diem, *vitam*. — Posthuma *proles, post mortem; posthuma proles dicitur quæ post mortem patris aut matris nata est*, I.
609. Vipereo, *diabolico*, I.
610. Beliade, *diabolo; patronymicum a Belial*. — Haustu, *consumptu*, I.
613. Prægnans, *mens*, Iso.
614. Complicis, *socii, consocii, conjuncti, complices; frequentius in malo ponuntur*, I.
615. Pensare, *recompensare, vel resolvere*, I.
616. Orbe, *orbem; hominem appellat, vel mundum, qui in similitudinem orbis est conditus; vel ipsum orbem, quem laqueis suis conatur decipere, et interficere*, I.
618. Puerperiis, *nativitatibus, parturitionibus*, I.
619. Peccamina, *peccata*, I.
621. Objurgatio, *increpatio*, I.
624. Percurre, *perquire*, Iso.

COMMENTARIUS.

opinor, voluit dicere *trilingue*. Ita habent Alex., Urb., Fabr., Bong., Gis. in contextu. Pal., Thuan., Weitz., et alii *trilinguæ* a *trilinguus*, quod Salmasio probatum refert Heinsius, qui non viderat Aldi correctionem, cum asseruerit Aldum non aliter expressisse.

593. Gisel., Palat. supra, Mar. *ac* pro *at*. Vat. A, perperam *ad*.

594. Vat. A, *sobolis*; alii, *soboles*, Bong. *adulta*; supra, *adulto*.

596. Giselinus, *motatu*; cæteri, *motatum*.

597. Gisel., *pectore*; ad marg., *crimine*, quod est in aliis omnibus; et significantissime dictum observat M. Bergius apud Weitzium, quia pietas est quod fetus patris necem ulciscitur, at crimen quod matrem occidit.

600. Burmannus tom. I Antholog., pag. 463, ex Egm. legit *jam quia*, et multis probat librarios veteres sæpe mutasse *jam* in *nam*. Hæc diversa lectio in Egmondano cod. fugit Weitzium et Heinsium.

603. Ex veterum opinione, cui recentiorum experientia opponitur. Plinius ita rem exponit lib. x, cap. 62: *Tertia die intra uterum catulos excludit; deinde singulos singulis diebus parit viginti fere numero. Itaque cæteri tarditatis impatientes perrumpunt latera, occisa parente.*

606. Vat. A, *prolis* pro *proles*.

607. Ald., Gis. et alii vulg., *matri;* vetustiores Heins., Rat., Mar. a prima manu, Prag., Alex., Urb., *matris*, cum Weitzio aliisque.

610. Ald. et Fab., male, *Beliadæ*, neque melius Ald., *hausto*. Giselinus ait, in hoc nomine patronymico *Beliade* corripi secundam, quæ prius in *Belia* producta fuit vers. 520, ob licentiam in nominibus propriis. Præter hanc licentiam potest etiam admitti synæresis in secunda et tertia, ut sit spondæus *Belia*. Legam, si per membranas liceat *conjuge Belia*: nihil enim necesse est patronymicum deducere: nam postea de *semine complicis hydri*, qui est ipse Belia aut Belial, hoc est diabolus.

614. *Complex* ad Latinitatem prolapsam refertur. Ita locuti sunt Sidonius, Cassiodorius, et æquales. Isidorus lib. x. Etym. notat, ad bonum nunquam *complicem* dici, quo Iso respicit.

618. Prag., *proles;* cæteri, *soboles*.

620. Heinsiani et nostri cum Weitzianis, *pastos*. Ald. et Gisel. in contextu, *partos*.

622. *Joan.* VIII, 44: *Vos ex patre diabolo estis*.

624. Weitz. cum Fabr. et Gis., repugnantibus scriptis fere omnibus, *percurre*. Bong., Widm. supra, Sich., *perquire*. Heinsiani omnes, Egm., Alex., Urb., *percense*, cum Aldo et aliis nostris, nisi quod Mar.

Quod loquor, invenies, Dominum dixisse profanis
Vera objectantem mortalibus. Ex Patre nam vos
547 Esse meo genitos, pietas, ait, ipsa probaret,
Ac pietatis opus : proh cæca libido! quid hoc est?
Quod, cum se thalamis desponsam mens bona justis
Noverit, inque torum regis nuptura vocetur,
Et regis semper juvenis, senioque repulso
Divinum decus æterno servantis in ore,
Malit adulterium, fulvo et se münere vilem
Vendat nocticolæ spurcis complexibus indi,
Aspernata Dei fusam per virginis artus
Progeniem, dulcesque vocans in fornice natos?
Sentio, quam contra moveat pellaçia, litem,
Quo dente obnitens spinosa calumnia pugnet,
Nosque lacessito vocet ad luctamina vero.
548 Si non vult Deus, esse malum, cur non vetat? inquis.
Nil refert, auctor fuerit, fautorque malorum,
Anne opera in vitium sceleris pulcherrima verti,
Cum possit prohibere, sinat? qui si velit omnes
Innocuos agere omnipotens, nec sancta voluntas
Degeneret, facto nec se manus inquinet ullo.
Condidit ergo malum Dominus, quod spectat ab alto,
Et patitur, fierique probat, tanquam ipse crearit.
Ipse creavit enim, quod, cum discludere possit,
Non abolet, longoque sinit grassarier usu.
Damna aures, Pater alme, meas, et claude meatus
Obbrutescentis capitis, ne pervia tales

GLOSSÆ VETERES.

626. Objectantem, *opponentem.* — Ex Patre, *qui est ex Deo, verbum Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Nam gloriabantur se patrem habere Deum; quod si fuisset, ipsa pietas quam haberent erga Filium hoc probaret*, I.
628. Proh, *interjectio detestantis, vel irascentis*, I.
631. Semper, *scilicet qui est*, I.
633. Malit, *magis vult*, I.
634. Nocticolæ, *noctem colentis.* — Spurcis, *immundis.* — Indi, *diaboli*, I.
635. Virginis, *Mariæ*, I.
636. Progeniem, *Filium Dei, Christum.* — In fornice, *in lupanari de adulterio, fornicatione; fornicem vocat domunculas subterraneas, ubi meretrices veniebant noctibus*, I.
637. Sentio, *intelligo.* — Contra, *e contra.* — Pellacia, *fallacia; pellax, id est fallax*, I.
638. Dente, *verbo, vel ratione*, I.
639. Lacessito, *provocato.* — Vero, *veritate*, I.
640. Si non vult, *vox Marcionis dicis*, I.
641. Refert, *distat scilicet utrum*, I.
644. Agere, *vivere.* — Sancta voluntas, *pura mens*, I.
645. Facto ullo, *in operibus et cogitationibus*, I.
646. Condidit, *dicis tu.* — Alto, *cœlo*, I.
647. Probat, *permittit*, I.
648. Discludere, *separare*, I.
649. Grassarier, *crescere, vel densari*, I.
650. Damna, *obstrue*, I.
651. Obbrutescentis, *insanientis, stolidi*, I.

COMMENTARIUS.

ad marg. habet *percurre.* Heinsius aliquando cogitaverat *pertende ;* postea agnovit verum esse *percense*, quo verbo uti amat Prudentius. Est autem *percenseo* ex his quæ plerumque ad secundam conjugationem pertinent, sed nonnunquam ad tertiam transferuntur, ut *luceo, ferveo, frendeo, extorqueo.* Alcimum Avitum lib. II ex *contine* dactylum fecisse monuit Heinsius.

627. Gis., *esse Deo.* Alii, *esse meo.* Mar., a prima manu, et Bon. supra, *aut* pro *ait.* Sich. etiam *aut*, quod non probo. Heins. edidit *Deo*, sed in notis præfert *meo.*

628. Prag., *Ah* pro *ac*, et *proh cæca.*

630. Ald., Wid., supra, *inque thronum*, minus bene.

633. Egm. scribit *mallit.* Put., Thuan., Alex., Sich., *fulvo*, nempe *auro.* Mar., Urb., aliique editi et mss., *furvo*, quod non repugnat.

636. *Fornix* pro lupanari Juvenalis satira 3 : *Lenonum pueri quocunque in fornice nati.* Vide Apoth. vers. 624. Teolii interpretatio non placet : quod *Deus vocare dulces natos in fornice dicatur, cum eos a peccatis ad se invitat ac revocat.* Constructio recta est *mens malit adulterium... et se vendat spurcis complexibus.... aspernata progeniem Dei, vocansque dulces natos in fornice.* Neque aliter construit Chamillardus, a Teolio rejectus. Mens ergo adultera filios in fornice natos sibi dulces putat, scilicet in malis operibus delectatur.

637. Mar., *quem contra*, supra aliena manu, *quam.* Gifanius Ind. Lucret., verbo PELLACIA totum hunc locum, quem perelegantem dicit, ascripsit emendatum et interpunctum ex vett. libris. Locus est in jure civili de eo qui prohibere cum possit, non prohibet : eum enim æque teneri aiunt ac si ipse fecerit. Hoc ergo est hæreticorum argumentum, de quo plura disputavi prolegom. cap. 16.

638. Ald., *quod dente*, minus bene. Vat. A, *purget*, sed factum *pugnet.* Ita etiam in Rat., *dente nitens;* supra, *obnitens.*

640. Præstantiores Heinsiani, Urb., Ald., Weitz., Gifan., *inquit*, quo alludit Alex., *inquid.* Vat. A, Mar., Prag., Rat., Gis., Bong., Sich. et alii, *inquis.*

641. Alex., Rot., *fautorque*, quod Heinsio placebat, quia *auctor*, et *factor* eadem significatione sunt : alii habent *factorque*, nisi quod in Gis. et aliis Vulg. est *factorve.* Teolius non recte affirmavit, in omnibus Vatt. esse *factor.* Heinsius edidit *factorque*, sed non improbat *fautorve* in Cauchiano.

643. Alex. a prima manu, Put., Rot. cum tribus Torrent., Egm., Palat., *qui si velit.* Gifanius cum aliis, *quod si velit.*

644. Gifan. et Gisel., *ne* pro *nec :* quod postremum habent Alex., Urb., Thuan. et alii complures, ac sensus ipse exposcit. In antiquissimo Boherio *ne sanà voluntas.*

645. Aldus perperam *degéner, et facto* pro *degeneret, facto.* Gis., *Degeneret, nec se facto.* Alii, *facto nec se.* Heinsius hanc varietatem præteriit, nihil animadvertens, sed a Giselino contra suum morem recessit tacitus.

648. Vat. A, *creavit quod :* emenda *creavit enim quod.*

649. Error Aldi *crassarier usu.*

650. Cum poeta hæreticorum sophismata dilucide exposuerit, recte a Deo petit ut aures ejus obstruat, ne hujuscemodi argutiis capiatur. Sane non video quid vel in ipsa oratione soluta afferri possit efficacius ad eam impiam sententiam suadendam. Utitur verbo *damnare* significatione simillima vulgari Hispanicæ *danar.*

651. Mar. a prima manu, Rat., *obmutescentis*, mi-

549 Concipiat flexura sonos. Est perdere tanti A
Exstinctum vitæ officium de parte cerebri,
Immunem modo sese anima, expertemque nefandi
Auditus, felix stolida conservet ab aure.
Quis ferat hæc injecta Deo convicia, qui se
Divinis meminit præcellere nobilitatum
Muneribus? multa ut taceam, vel sola benignum
Res probat esse Deum, vetiti quod amore peremptos
Excitat e tumulis homines, regnique per ævum
Participes jubet esse sui : qui, si foret auctor,
Servatorque mali, nunquam post damna salutis,
Peccantumque obitus redivivam ferre medelam
Vellet, et amissos opere instaurare secundo.

550 Labi hominis, servare Dei est ; meritus perit iste :
Ille abolet pereuntis opus, meritumque resolvit.
Argumentum ingens, Dominum, qui talia præstet,
Nolle malum, nec, quod post abluit, ante probare.
Invitone aliquis potis est peccare Tonante,
Cui facile est in corde hominis componere sensus,
Quos libeat, fibrasque omnes animare pudicis
Pulsibus, et totum venis infundere honestum?
Nescis, stulte, tuæ vim libertatis ab ipso
Formatore datam? nescis, ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas,
Et super ingenio proprio, laxæque soluto

GLOSSÆ VETERES.

652. Tanti, *pretii ; melius, mihi amabilius, placet. Melius est si oculus tuus vel pes tuus scandalizarit te, etc.*, I.
653. Officium, *aures.* — Cerebri, *capitis*, I.
654. Immunem, *mundam, securam.* — Modo, *tantummodo*, I.
656. Convicia, *improperia*, I.
657. Nobilitatum, *justificatum, qui floret nobilitate catholicæ fidei*, I.
658. Ut taceam, *quæ dicere non possum.* — Vel, *etiam.* — Benignum, *non mala creantem, nec volentem*, I.
659. Vetiti, *pomi, vel cibi*, I.
664. Opere secundo, *resurrectione*, I.
665. Labi, *peccare; per peccatum.* — Servare, *per pœnitentiam servat hominem.* — Iste, *homo*, I.

B 666. Ille, *Dominus, Deus.* — Resolvit, *peccata dimittit, quod debuerat damnari, indulsit*, I.
667. Argumentum, *declaratio, exemplum, vel signum.* — Qui talia, *qui tanta indulget hominibus peccata*, I.
668. Nolle, *scilicet dixisse.* — Probare, *laudare*, I.
669. Invitone, *dicis tu : vel dicit hæreticus*, I.
672. Honestum, *scilicet honestum, ut ipse consentiat*, I.
673. Stulte, *o Marcion.* — Libertatis, *arbitrii*, I.
674. Origine, *initio*, I.
675. Famulo, *famulanti sæculo.* — Super, *desuper*, I.
676. Ingenio, *id est, liberum arbitrium habes.* — Laxe, *adverbium, libere*, I.

COMMENTARIUS.

nus bene, pro *obbrutescentis*. Weitz. et alii scribunt *obbrutiscentis*, Gifanius Ind. Lucr., verbo OBBRUTESCO, accipit pro *obstupescere*, omnemque amittere sensum ex hoc loco Prudentii, ex Lucretio, Festo, Afranio. In Vat. A, et Mar. a prima manu, *nec pervia*. Melius alii, *ne pervia*.

652. Locus Evangelii, quem Iso indicat, exstat cap. XVIII Matth., vers. 8 et seqq. In Heinsio mendum *concipias*.

655. In nonnullis Vulg. *ab arce*, male, pro *ab aure*. Giselinus 1 ed., *ab arce*, 2 ed., *ab aure*, sed ad marg., *ab arce*.

659. Sermonem hic esse de peccato originali, quo omnes homines perierunt, exploratum est. Giselinus autem existimat loqui poetam de Adamo et Eva, aliisque una cum resurgente Christo ad immortalitatem translatis. *Sed quid*, inquit, *hoc ad confirmationem ejus de quo agitur?* Chamillardus propterea putat, solum mentionem esse de reparatione hominum per Christi incarnationem, non vero de iis qui cum Christo resurrexerunt. Arbitror poetam hæc duo conjunxisse, nempe homines fuisse redemptos et e tumulis excitatos, ut una cum Christo in cœlo regnarent : nam utrumque pertinet ad voluntatem salvandi homines, quam in Deo astruit Prudentius : quæque eo major est, quo magis Deus hominem gloria afficit. De resurrectione Prudentius Apoth. vers. 780 : *Omne reducens, Quidquid homo est; istud tumulis, ast illud abysso.*

661. Prag., *facit;* cæteri, *jubet.*

664. Put., Thuan., Widm. et Bong. ad oram, Alex. a prima manu, Prag., Rat. a prisca manu, *ope restaurare secunda*, quod Heinsio placuit. Alii veteres, *opere instaurare secundo*, quod in antiquis editionibus apparet : nam recentiores Heinsium fere sequuntur. Burmannus tom. I Anthol., pag. 459, cum Egm. con- C tendit legendum *opere instaurare secundo*, quod Latinius certe est, adeoque retinendum. Prudentius alibi etiam verbo *instaurandi* usus est, et de resurrectione loquens eam vocat *instaurationem* Apoth. vers. 1071.

665. Hæc omnia argumenta adversus Marcionem cum alii Patres urgent, tum præcipue Tertullianus in lib. adversus eumdem. Seneca lib. I de Clementia, cap. 26 : *Hæc divina potentia est gregatim, ac publice servare.*

666. *Meritum resolvere* est condigna illa pro peccato satisfactio, ad quam aiunt theologi necessariam fuisse incarnationem.

667. Prag., Bong., a manu prima, *præstat;* cæteri, *præstet*; Gis. 1 ed., *præstet;* in ed. 2 *præstat.*

668. Gis. in contextu 1 ed. et ad marg. 2, *ne, quod post abluit, ante probaret.* Alii, *nec, quod post abluit, ante probare.*

669. Reponit Marcionita neminem posse invito D Deo peccare, cui respondet Prudentius, a Deo concessam esse homini libertatem, ut digna laude gereret : qua proinde homo et bene et male uti potest. Vide proleg. cap. 16.

674. Pro *nescis* Fabr. et Bong. *nescisque* apud Weitzium, qui Aldum quoque allegat pro hac lectione. Mihi Aldus, *nescis ab origine*, quod concinnius est. Claudius Marius Victor præfat. Comment. in Genesin idem argumentum pertractat, cujus notandi sunt hi versus : *Porro etiam* (*mihi si fas est hoc dicere, salva Pace tua, Genitor*) *majus fortassis apud te est Non peccasse bonum per lubrica tempora vitæ, Quam miseris peccasse malum ; sed videris, ut se Hoc habeat, causas uni cui credimus omnes.*

676. Put., Alex., Urb., *laxæque*, scilicet *voluntatis*. Alii habent *laxe;* sed nil mirum de multis, in quibus desunt diphthongi. Iso clare vult *laxe*.

551 Jure voluntatis, liceat cui velle, sequique, A
Quod placitum, nullique animum subjungere vinclo?
An cum te dominum cunctis, quæcunque crearat,
Præficeret, mundumque tuis servire juberet
Imperiis, cumque arva, polum, mare, flumina, ventos
Dederet, arbitrium de te tibi credere avarus
Nollet, ut indigno, libertatemque negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis ut esset,
Non rex ipse sui, curto fœdatus honore?
Nam quis honos domini est, cujus mens libera non est:
Una sed impositæ servit sententia legi?
Quæ laus porro hominis, vel quod meritum, sine certo
Inter utramque viam discrimine vivere juste?
Non fit sponte bonus, cui non est prompta potestas
Velle aliud, flexosque animi convertere sensus.
Atqui nec bonus est, nec collaudabilis ille,
552 Qui non sponte bonus: quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, sordetque ingloria virtus.
Nec tamen est virtus, ni deteriora refutans
Emicet, et meliore viam petat indole rectam.
Vade, ait ipse parens, opifexque, et conditor Adæ:
Vade, homo, et afflatu nostri prænobilis oris,

GLOSSÆ VETERES.

678. Placitum, *scilicet tibi*, I. B

682. Credere, *dare tibi*, *commendare*. — Avarus *ipse Deus: sensus est*, *cum Deus omnia homini dedit, suæque potestati subdidit, quasi avarus homini nollet libertatem dare, et arbitrium boni vel mali*, I.

683. Ut, *quasi*, I.

684. Quale, *qualis res*.—Rex, *homo*, I.

685. Curto, *brevi*, I.

686. Domini, *hominis*.—Mens, *nam homo in hoc honorem non haberet, si libero arbitrio non uteretur*, I.

687. Impositæ, *scilicet sibi*.—Sententia, *bonitatis*, *hominis*.—Legi, *ligni in paradiso*, I.

689. Inter utramque, *inter bonum et malum*.—Discrimine, *arbitrio*, *vel decreto*, *et judicio discriminari inter bonum et malum*, I.

690. Prompta, *libera*, I.

691. Velle, *concupiscere*.—Aliud, *quam bonum*, I.

692. Atqui, *certe*, Iso.

693. Probitate, *bonitate*.—Coacta, *probitati invitæ*, I.

694. Ingloria, *ingloriosa*, *sine gloria*. — Virtus, *scilicet aliter*, I.

695. Refutans, *respuens*, I.

696. Emicet, *clarescat*.—Indole, *nobilitate*, I.

COMMENTARIUS.

677. Ald., Fabr., *jure potestatis*.

678. Ald., Weitz., Widm., Mar. a secunda manu, *quod placitum est*.

679. Prag., *dominus*, minus bene.

682. Vat. A, *dederat*; Ald., Egm., *dederit*. Neutrum bene. Legendum *dederet*.

684. In Vat. A desideratur *electus*.

686. Widm. supra, *homini*; Bong. supra, *hominis*; cæteri, *domini*. Wid. pro *cujus* habet *cui*.

688. Wid. supra, *sine nullo*, male. Hæc ratio efficax est, qua SS. Patres, theologi, philosophi ad stabiliendam libertatem utuntur, nullam esse futuram laudem, nullum meritum, nisi certum sit discrimen vivendi juste inter utramque viam; dicam vocabulis scholæ, nisi adsit libertas indifferentiæ. SS. Patrum auctoritates plena manu dabunt theologi.

690. Vat. A, *sit* pro *fit*. Prudentius magis magisque libertatem indifferentiæ explicat, et clarius fortasse, quam nonnulli vellent. Vide alia I in Symmach. vers. 335, quæ plurimum laudat Petavius.

693. S. Augustinus ad laudabiliter agendum voluntatem ab omni necessitate liberam sæpius requirit his rationibus, quas poeta noster complectitur. Lib. de Natura et Gratia cap. 65 vehementer approbat hæc S. Hieronymi verba: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec corona est.* Quibus ita concinit: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat!* Quidni hanc indifferentiam liberi arbitrii S. Augustinus agnosceret, cum eam a pastoribus, a poetis, ab indoctis, a doctis, a magistris, ab *antistitibus*, ab omni genere humano laudari fateretur. Audi ejus verba cap. 11, lib. de duabus Animabus contra Manichæos: *Etiamne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest? Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum? Quod si nemo vituperatione vel damnatione dignus est, aut non contra vetitum justitiæ faciens, aut quod non potest non faciens, quis dubitet tunc esse peccatum, cum et velle injustum est, et liberum nolle: et ideo definitionem illam et veram esse, et ad intelligendum facillimam, et non modo nunc, sed tunc quoque a me potuisse dici: Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere.* Quod C explicatius tradit cap. seq.: *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus.* Itaque S. Augustinus, qui de libertate ad bene agendum necessaria se eadem cum doctis, magistris, antistitibus, imo cum pastoribus, cum poetis, cum indoctis sentire professus est, certe non tenuit eam sententiam, quam frustra in pastoribus, in poetis, in indoctis quæsieris, ne commemorem nunc magistros, doctores, antistites, qui ante eum aut cum eo vixerunt: quos ultro nobis concedunt qui Augustini mentem alio detorquent. Quorsum hæc autem? quorsum? ut pateat catholicam esse nostri poetæ de libertate sententiam, qui ea tantum docerit quæ magnus gratiæ doctor Augustinus obviis D ulnis amplectebatur.

697. Giselinus invenit *vade, ait*, sed prætulit *unde ait*, quia magis servit orationis connexioni, et facilis fuit mutatio. Ita quidem habent aliqui codd., sed tres vetustiores Heinsiani, Alex., Urb. cum Ald., Fabr., *vade*, *ait*. Elmenhorstius in Arnobium lib. II, pag. 60, sententiam hanc illustrat, confirmatque quod ait Arnobius: *Nulli Deus infert necessitatem.*

698. In Pal. abest *et* post *homo*, ut in Ald., et Mar. a prima manu. Cauchius, *vade, homo, ait flatu*. Alex. cum Pal., *vade, homo afflatu*. Urb., Prag., Weitz., Gis., *vade, homo, et afflatu*. Mariettus notat ex Prag. et Rat., *unde* pro *vade, homo*. Defendi id posset, *vade, homo, afflatu*, sed ita ut non elidatur aut *e* in *vade*, aut *o* postremum in *homo*.

553 In subjecta potens, rerum arbiter, arbiter idem, A
Et judex mentis propriæ, mihi subdere soli
Sponte tua, quo sit subjectio et ipsa soluto
Libera judicio; non cogo, nec exigo per vim:
Sed moneo, injustum fugias, justumque sequaris:
Lux comes est justi, comes est mors horrida iniqui;
Elige rem vitæ, tua virtus temet in ævum
Provehat, æternum tua damnet culpa vicissim,
Præstet et alterutram permissa licentia sortem.
Hac pietate vagus, et tanto munere abundans,
554 Transit propositum fas, et lethalia prudens
Eligit, atque volens, magis utile dum sibi credit,
Quod, prohibente Deo, persuasit callidus anguis.
Persuasit certe hortatu, non impulit acri
Imperio. Hoc mulier rea criminis exprobranti
Respondit Domino: suadelis se malefabris
Illectam, suasisse viro: vir et ipse libenter
Consensit. Licuitne hortantem spernere recti
Libertate animi? licuit: namque et Deus ante
Suaserat, ut meliora volens sequeretur: at ille
Spernens consilium, sævo plus credidit hosti.
Nunc inter vitæ Dominum, mortisque magistrum
Consistit medius: vocat hinc Deus, inde tyrannus
Ambiguum, atque suis se motibus alternantem.
Accipe gestarum monumenta insignia rerum,
555 Prælusit quibus historia spectabile signum.
B Loth fugiens Sodomis ardentibus, omnia secum
Pignora cara domus properabat, sede relicta,
Nubibus urbicremis subducere: sulphure cum jam

GLOSSÆ VETERES.

699. In subjecta, *super terrena omnia.* — Arbiter, *magister.* — Idem, *tu ipse*, I.
701. Quo, *ut*, I.
703. Injustum, *injustitiam.* — Justum, *justitiam*, I.
704. Lux, *Deus.* — Mors, *diabolus*, I.
705. Tua, *ut tua*, I.
706. Æternum, *aliter.* — Damnet, *damnetur*, Iso.
707. Præstet, *eligat.* — Licentia, *quia licentia est permissa cuique, sequi, sive velit bonum, sive etiam malum*, I.
708. Pietate, *Dei.* — Vagus, *homo*, I.
709. Propositum fas, *ne comedas de ligno scientiæ boni et mali.* — Prudens, *superbus, vel subtilis*, I.
710. Volens, *voluntarius*, I.
713. Exprobranti, *arguenti*, I.
714. Suadelis, *ingeniis serpentis.* — Malefabris, *fictis, artificiosis*, I.
715. Illectam, *deceptam*, I.
718. Volens, *libenter*, Iso.
719. Consilium, *Domini*, I.
720. Magistrum, *diabolum*, I.
721. Medius, *nam hinc vocat Deus ad vitam, inde tyrannus ad mortem*, I.
723. Accipe, *intellige.* — Monumenta, *documenta*, I.
724. Prælusit, *ostendit, scripsit.* — Spectabile, *venerabile, memorabile*, I.
727. Urbicremis, *quæ urbem cremabant*, I.

COMMENTARIUS.

699. Put., Oxon., Ald., Gis., Urb., Boher., Egm. C cum aliis, *insubjecte*, ut *innatus*, *ingenitus*, non male; sed cum agatur de hominis dominio in res creatas, melius Iso, Alex., Vat. A, Prag., Rat., Weitz., Mar. et alii, *in subjecta potens.* Egm., *orbis arbiter*, et suspicatur Heinsius *orbis*, *et arbiter idem.* In Vat. A, *rerum arbiter idem*, mendose. Bene est *rerum arbiter, arbiter idem.*

704. Heinsius cum Giselino legit *nox horrida*, quod recentiores secuti sunt; quasi hoc loco ageretur de illa sententia: *Qui male agit, odit lucem.* Gallandius affirmat postulare *nox horrida* antithesin *lux, et nox.* Nostri, Weitziani cum Ald., Sich. et aliis, *mors*, recte, quia sermo est de præmio boni operis, quod *lux* dicitur, et de pœna mali, quæ est *mors. Elige rem vitæ*, pergit poeta. Weitzius, qui legit *mors*, nihilominus in commentariis intrudit *nox*, et multus est in vulgari illa sententia comprobanda, quod peccator amat tenebras: quem partim exscribit Chamillardus. Poeta respicit ad illud Ecclesiastici xv, 14 et seqq.: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et Deuteronomii xxx, 19: *Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam*, etc.

706. Aldus, *alternum*; alii scripti et editi, *æternum*, et in Mar. notat glossa esse adverbium. Iso videtur legisse *alternum*, cujus est glossa *aliter.* Oxon., *alterum.* In Parmensi editione *damnet tua* pro *tua damnet* mendum puto, quo tamen neque sensus, neque metrum turbatur.

708. Legunt *vagus* Heinsiani codd. cum Aldo, Egm., Palat., Alex., Vat. A, Urb., in quo postremo mendum est *hæc* pro *hac pietate.* Alii, etiam veteres, *vigens*, ut Mar., Prag., Rat. cum Weitz., Gis., Torn. et Vulgatis. In *vagus* ultima producitur ratione cæsuræ. Teolius pro *vigens* aliquos Vatt. codd. allegat, quod ego in solo Mar. vidi.

709. In Egm. corrupte, *propi situm* pro *propositum.*

710. Ita Mar. a prima manu, Alex., Urb., Gis. 1 ed., et ad marg. 2 edit., Boher., Egm., Oxon., Rot., aliique. Heinsius cum aliis et Weitzius, *Eligit; atque volens illud magis utile retur.*

712. Vat. A, perperam, *agri* pro *acri.* In serm. 37 append. sub Augustini nomine: *Non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet a nobis consensum, sed petit.*

713. Ald., *hæc*; alii, *hoc.* Lectio Aldi stare potest, si intelligatur mulierem respondisse Domino hæc, seu talia: non *hæc mulier*, ut ad ipsam *hæc* referatur. Responsio Evæ legitur cap. iii Genesis.

718. Prag., *ipse* pro *ille.*

D 721. Vat. A, inepte, *consistit melius.*

722. Animadvertit Mariettus, *alternantem* videri esse modo in hanc, modo in illam partem inclinantem, ut infra vers. 776: *Dividit huc illuc*, etc. Hac certe significatione verbo *alternandi* utuntur Latini scriptores, Columella, Virgilius et alii.

724. Fabr. et Gis. 2 ed., *historiæ*; alii, *historia.* Prag., *sectatile*, male, pro *spectabile.*

725. Historia hæc legitur cap. xix Genes.

726. In Vat. A videtur esse *cura*; sed legendum est *cara.*

727. Gifanius Ind. Lucr., verbo Nisus, pro *nubibus* ex vett. libris legendum ait *nisibus*, qua voce mirifice usum Prudentium dicit: *Nisus enim videtur appellare omnia illa molimenta, furores, labores, fugas ignis, ho-*

Nimboso ignitus cœlum subtexeret aer,
Flagrantemque diem crepitans incenderet imber.
Angelus hanc hospes legem præscripserat ollis,
Emissus virtute Dei sub imagine dupla;
Omnis ut e portis iret domus, atque in apertum
Dirigeret constans oculos, nec pone reflexo
Lumine regnantes per mœnia cerneret ignes.
Nemo memor Sodomæ, quæ mundi forma cremandi est
Ut semel e muris gressum promoverit, ore
Post tergum verso, respectet funera rerum.
556 Loth monitis sapiens obtemperat; at levis uxor
Mobilitate animi torsit muliebre retrorsus
Ingenium, Sodomisque suis revocabilis hæsit.
Traxerat Eva virum diræ ad consortia culpæ;
Hæc peccans sibi sola perit, solidata metallo
Diriguit fragili, saxumque liquabile facta
Stat mulier, sicut steterat prius, omnia servans,
Caute sigillati longum salis effigiata,
Et decus, et cultum, frontemque, oculosque, comamque,
Et flexam in tergum faciem, paulumque relata
Menta retro, antiquæ monumenta rigentia noxæ.
Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda;
557 Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ
Sentit deliquio; quantumque armenta saporum
Attenuant saxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritamque cutem per damna reformat.
Hoc meruit titulo peccatrix femina sisti,
Infirmum, fluidumque animum per lubrica solvens
Consilia, et fragilis jussa ad cœlestia. Voti
Propositum contra non commutabile servat
Loth ingressus iter, nec mœnia respicit, alto
In cinerem collapsa rogo; populumque perustum,

GLOSSÆ VETERES.

729. Flagrantem, *ardentem.* — Diem, *ignem.* — Imber, *scintilla*, I.
730. Legem, *fugiendi*, I.
731. Dupla, *quia duo angeli erant. Patris et Filii duplicem imaginem sub specie duorum virorum dicit*, I.
732. Apertum, *ante, vel præ se*, I.
733. Constans, *in mente.* — Pone, *retro : adverbium, id est, post*, I.
735. Quæ, *Sodoma*, Iso.
736. Ore, *facie*, I.
738. Monitis, *præceptis.* — Uxor, *uxor Lothi sola perit*, I.
739. Mobilitate, *mollitia*, I.
742. Hæc, *uxor Loth*, I. — Metallo, *ad instar metalli*, Vat. A.
743. Diriguit, *induruit.* — Facta, *mutata in statuam salis*, I.
745. Caute, *in caute, in petra.* — Sigillati, *imaginati, simulati.* — Semper, *æternaliter, vel longum; per ævum*, I.
747. Paulum, *paululum.* — Relata, *versa*, I.
748. Monumenta, *memoramenta.* — Rigentia, *dura*, I.
749. Loquitur, *defluit*, I.
750. Dispendia, *pericula, minorationes*, I.
751. Deliquio, *defectu, defectione.* — Saporum, *saporatum, id est dulce*, Iso.
753. Sufficit, *subministrat.* — Attritam, *consumptam*, I.
754. Titulo, *signo*, Iso.
756. Fragilis, *mulier.* — Voti, *præcepti*, I.
757. Non commutabile, *incommutabile*, I.
758. Alto, *profundo*, I.

COMMENTARIUS.

minum, bestiarum, etc. Giselinus ad oram, *ignibus.* Scripti Heinsiani, Weitziani, et nostri, *nubibus.*

728. In nonnullis Vulg., *subtexerat.* Corrige *subtexeret*; ut vers. seq. legendum *incenderet*, non *incenderat.*

731. Glossa Isonis non cohæret sententiæ Prudentii, qui in Apotheosi sæpe negat Patrem unquam apparuisse.

732. Egm., perperam, *postis* pro *portis.* Mar., Ald., Weitz. et alii, *atque.* Fabr., Bong., Gis. et nonnulli recentiores, *utque*, non male. In Chamillardi interpretatione mendum est : *Lothum respicere flammas per urbem dispersas jubent angeli. Vetant* voluit scribere, aut *non respicere.*

735. Alcimus Avitus, lib. III, vers. 46 et seqq., ignem extremi judicii flammis Sodomiticis comparat. Vide notas ad hymn. 11 Cath., vers. 106. Cyprianus, sive alius in carmine de Sodoma ex hoc incendio natam fabulam Phaetontis refert : *Hinc habet in falso de verbo fabula famam, Solis progeniem currus optasse paternos*, etc. Ita legitur in Poetis Christianis Fabricii; sed ex aliis edd. emendandum est *de vero* pro *de verbo.*

737. Rat., *respectat*, non bene.

739. Egm. et Gis. ad marg., *traxit* pro *torsit.* Prag., Rat., *retrorsum.*

741. Ald. et Oxon., *traxerit.*

743. Ald., *fragilis*; cæteri, *fragili.* Vat. A, *licabile*, supra *liquabile.* Vide vers. 749. *Liquitur illa quidem.*

744. Exstare uxoris Loth statuam, et si quid ex ea decerptum fuisset, restitui, et succrescere, tradidit etiam Irenæus lib. IV, cap. 51, et Cyprianus, sive Tertullianus, sive alius in carmine de Sodoma : *Quin etiam si quis mutilaverit advena formam, Protinus ex sese suggestu vulnera complet.* Josephus lib. I Antiquit., cap. 19, se statuam vidisse refert. Calmetus in Diction. et Comment. diversas interpretandi rationes affert, et auctores indicat qui peculiares dissertationes in eam rem ediderunt. Ego sensum quem sacra Littera præfert, mordicus teneo, nisi certa ratio contrarium suadeat. An autem statua illa salis per tot sæcula permanserit et adhuc permaneat, ad historiæ humanæ fidem pertinet.

745. Prag., *sigillatim*, minus bene. Widm. a prima manu, Mar., Prag., Rat., *semper* pro *longum.* De verbo *effigiata* vide hymnum Cath. Exsequiarum. Ex uxore Loth poetas finxisse fabulam Niobes, docet Clemens Alexandrinus in Protreptico. Eodem spectare videtur, quod Eurydice ab Orpheo, cum ex inferis revocaretur, respiciens, retracta est. In Chamillardi indice *caute* adverbium dicitur. Sed Prudentius nunquam hujusmodi adverbia corripuit. Vide glossas.

746. Prag. et Widm. a manu prima, *manusque*; cæteri, *comamque.*

747. In Rat. ex *flexum* recte factum *flexam.* In Vat. A, *reducta*, et aliena manu *vel relata.*

749. Innuit, opinor, quod in carmine de Sodoma clarius profertur : *Dicitur et vivens alio jam corpore sexus Munificos solito depungere sanguine menses.* Irenæus loc. cit. hoc ipsum affirmat.

751. Prag., *de liquido.* Rat. etiam, sed pro div. lect., *deliquio*, et glossa *id est defectu.* Vat. A, mendose, *armata* pro *armenta.* Sale armenta delectantur.

754. *Titulus* hic est sepulcrum. In carm. de Sodom., *stetit ipsa sepulcrum.*

758. Prag., *alta.* Alii, *alto.*

759. Prag., contra metrum, *in cineremque collapsa.*

A Et mores populi, tabularia, jura, forumque,
Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra,
Et circum cum plebe sua, madidasque popinas.
558 Quidquid agunt homines Sodomorum, incendia justis
Ignibus involvunt, et Christo judice damnant.
Hæc fugisse semel satis est : non respicit ultra
Loth noster : fragilis sed conjux respicit, et quæ
Fugerat, inverso mutabilis ore revisit,
Atque inter patrias perstat durata favillas.
En tibi signatum libertatis documentum,
Quo voluit nos scire Deus, quodcunque sequendum est,
Sub nostra ditione situm, passimque remissum
Alterutram calcare viam. Duo cedere jussi
De Sodomis : alter se proripit, altera mussat.
Ille gradum celerat fugiens, contra illa renutat.
Liber utrique animus : sed dispar utrique voluntas.
Dividit huc illuc rapiens sua quemque libido.
Talem muta sacris speciem notat orbita libris.
559 Aspice Ruth gentis Moabitidis, et simul Orphan.
Illa socrum Noemin fido comitatur amore ;
Deserit hæc atqui thalamis, et lege jugali
Exutæ, Hebræisque toris, sacrisque vacantes,
Jure fruebantur proprio, sed pristinus Orphæ

GLOSSÆ VETERES.

760. Tabularia, *mercatus*. — Jura, *leges ; ubi juramenta dabantur*, I.

761. Balnea, *loca juxta balnea sita. loca bibendi post balnea*. — Propolas, *loca vendentium, ubi pigmenta et aliarum rerum exercebantur venalia*. — Meritoria, *lupanaria ; et dicta est meretrix, eo quod mereat pretium, vel meritas mercedes accipit*. — Theatra, *spectacula*, I. — Propolas, *tabernas*, Vat. A.

762. Circum, *amphitheatra, vel ubi ludi exercebantur*. — Popinas, *loca potandi, vel loca juxta balnea sita, dictaque propinæ, a propinantibus*, I.

764. Judice, *scilicet existente*, I.

766. Loth, *anima*. — Conjux, *caro, quia si voluisset, libera fuisset : tantum si non respiceret*, I.

767. Inverso, *retro verso*. — Ore, *facie*. — Revisit, *respexit*, I.

768. Perstat, *permanet*, I.

B 769. En tibi, *o Marcion*. — Signatum, *indicatum scilicet est, de Loth, et uxore ejus, et de Adam liberi arbitrii. Et hactenus contra Marcionem de libero arbitrio disputat*. — Libertatis, *liberi arbitrii*, I.

771. Situm, *positum, concessum*. — Passim, *ubique*, I.

772. Cedere, *discedere*. — Jussi, *sunt*, I.

773. Mussat, *tardat, dubitat, deficit*, I.

774. Ille, *Loth*. — Illa, *uxor*. — Renutat, *prohibet*, I.

776. Libido, *voluptas*, I.

777. Muta : *ideo muta dicitur, quia rem mysticam signat*. — Orbita, *significatio, pagina, rota temporis*, I.

779. Illa, *Ruth*, I.

780. Hæc, *Orpha. Gesbidonop gigas fuit, filius Orphæ. Orpha ipsa est Arpha*. — Atqui, *certe*. — Thalamis, *maritis*, I.

COMMENTARIUS.

761. Vat. A, mendose, *propalas*. Lege *propolas*, ut ex ejusdem glossa patet. Fabricius notavit, *propolam* esse eum qui emit quod vendat majori pretio ; sed hic genere femineo a Prudentio sumi pro locis, in quibus propolæ homines merces suas exponunt. Prudentius primam producit exemplo Lucilii et Terentii in *prologus*. Vide Scalig. in Culicem Virg. *Meritoria* sunt ædificia ubi impuræ mulieres seu meretrices prostabant. Barthius lib. XLII Advers., cap. 17, explicans hunc Prudentii locum, ait, meritoria fuisse pluribus scalis exaltata, pergulisque distincta, in quibus videlicet collocatæ mulieres, cellisque suis distinctæ secundum pretia prostabant.

762. In Gis. et ed. Weitziana, de qua sæpe, ad oram manu est scriptum *propinas* pro *popinas*. Glossa Isonis de *popina*, et *propina* exstat etiam apud Isidorum, qui corrupte *propinas* dici affirmat.

763. Imitatio Juvenalis satira 1, vers. 86 : *Quidquid agunt homines*, etc. Plerique interpungunt *homines, Sodomorum incendia*.

767. Vat. A, Prag., *motabilis*. Alii Latinius *mutabilis*.

769. Supra dixit, historiam nobis proposuisse *spectabile signum* libertatis in Lotho et ejus uxore, quorum alter, quia voluit, libere Deo paruit, altera, quia voluit, contra Dei præceptum oculos in Sodomam retorsit. Nunc ergo concludit : *En tibi signatum libertatis documentum*.

770. Pal., Gis., Prag., Rat. et recentes edd., *quo*. Mar., Vat. A, Ald., Weitz., *quod*.

772. Vat. A, *jussit*, male.

773. Ald., Fabr., Bong., *prœripit*.

774. De verbo *renuto*, quo usus etiam est Lucretius, vide Gifanium Ind. Lucr.

776. Prag., *huc illud*, male. Virgilianum est, *trahit sua quemque voluptas*.

777. Egm., Widm., Bong. supra, Weitz., Rat., Mar. a prima manu, Sich., Iso, *muta*. Ald., Gis., C Prag. et recentes edd., *multa*. Heinsius nihil ex suis notavit.

778. Weitz., *generis* ; alii, *gentis*. Put., *Orfan* ; Ald., *Orfam*. Vat. A, Mar., Prag., *Orphan*. Rat., *Ortan*. Historia hæc refertur lib. Ruth., quam etiam Paulinus Natali 9 ad libertatis argumentum transfert. *Brevis ista videtur Historia, at magni signat mysteria belli*. Noemi cum bas Moabitidas in earum patriam reverti suaderet : Orpha osculata est socrum (Noemin) ac reversa est ; Ruth *adhæsit socrui suæ*, cap. I, 14. Eam Orphan deinde matrem fuisse gigantis Goliath Philo, sive quis alius sub Philonis nomine, et plures rabbini tradunt : quibus assentiri videtur Prudentius vers. 784, *stirpem nutrire Goliæ*. Chamillardus hanc opinionem vanam et absurdam esse definit, quia Goliæ mater fuit Philistæa, ex Geth urbe Palæstinæ, ac Saulis temporibus, Orpha vero nurus Noemi Moabitis, et æqualis Ruth. Teolius putat, licentia poetis usitatissima potuisse Goliam pro quovis barbaro ac D fero homine poni. Sed non video quisnam sensus subesse possit, nisi verus Golias designetur hoc suo nomine. Nic. Serarius Comment. in Ruth cap. 1, quæst. 10, sententiæ illi rabbinorum Prudentium adhæsisse confirmat. Sed verba Prudentii non tam significant, Orphan matrem fuisse gigantis, quam hunc ex ejus stirpe ortum.

779. Put., Egm., *Noomin*. Alii, *Noemi* aut *Noemin*.

780. Vat. A, *atqui in thalamis*. Rat. *an quin thalamis*, sed factum *at quin*. Mar. et Prag., *atque in*. Heinsius ex suis notat *atquin*. Res clara est *atqui*, sive malis exarare *atquin*. Prudentius cum exposuerit Orphan a socru Noemi recessisse, non vero Rutham, addit : atqui utraque libera erat, utraque virum suum amiserat, utraque toris, sacrisque jam vacua, jure fruebatur proprio.

782. Serarius, qui commentarium suum in Ruth his versibus Prudentii illustrat, *pristinum* fanorum ritum ait esse *inveteratum*, non quod Orpha ab idolo-

Fanorum ritus præputia barbara suasit
Malle, et semiferi stirpem nutrire Goliæ.
Ruth, dum per stipulas agresti amburitur æstu,
560 Fulcra Booz meruit, castoque ascita cubili
Christigenam fecunda domum, Davidica regna
Edidit, atque Deo mortales miscuit ortus.
Sæpe egomet memini fratres geminos ad hiulcum
Pervenisse simul bivium, nutante juventa,
Et dubitasse diu bifido sub tramite, quodnam
Esset iter melius: cum dextrum spinea silva
Sentibus arctaret, scopulosaque semita longe
Duceret aerium clivoso margine callem:
At lævum nemus umbriferum per amœna vireta
Ditibus ornaret pomis, et lene jacentem
Planities daret ampla viam: squalentibus unum
Contentum spinis reptasse per ardua saxa,
Porro alium campo sese indulsisse sinistro;
Illum sideribus caput immiscere propinquis,
561 Hunc in cœnosas subito cecidisse paludes.

A Omnibus una subest natura; sed exitus omnes
Non unus peragit, placitorum segrege forma.
Haud secus, ac si olim per sudum lactea forte
Lapsa columbarum nubes descendat in arvum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Prætendit, lentoque illevit vimina visco,
Sparsit et insidias siliquis vel farre doloso.
Illiciunt alias fallentia grana, gulamque
Innectunt avidam tortæ retinacula setæ,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:
Ast aliæ, quas nullus amor prolectat edendi,
Gressibus innocuis sterili spatiantur in herba,
Suspectamque cavent oculos convertere ad escam.
Mox, ubi jam cœlo revolandum, pars petit æthram
B Libera sidereum, plaudens super aera pennis:
Pars captiva jacet, laceris et saucia plumis
Pugnat humi, et volucres nequidquam suspicit auras.
Sic animas cœli de fontibus unicoloras

GLOSSÆ VETERES.

783. Fanorum, *deorum*, I.

785. Amburitur, *circumuritur*, I.

786. Fulcra, *lectos*, *sustentacula vel lectorum*, *vel aliarum rerum quæ testiphadia nominamus. Fulcra etiam dicimus, quæ nobis subterponimus equitantes, a quibus sustentamur.* — Booz, *vir locuples*, *qui ascivit Ruth in conjugium, colligentem spicas, Orpha idolis se tradidit, et diabolo se deputavit.* — Ascita, *vocata*, I.

789. Hiulcum, *patens*, *divisum*, *apertum*, I.

790. Nutante, *vacillante*, I.

792. Dextrum, *iter.* — Spinea, *spinosam et scopulosam viam dexteram dicit*, *propter labores sanctorum*, *quos sustinent pro Deo*, I.

794. Aerium, *cœlestem.* — Clivoso, *tortuoso excelso.* — Margine, *apice*, I.

795. Lævum, *iter.* — Vireta, *a viriditate*, I.

C 797. Squalentibus, *sordidis*, *acutis.* — Unum, *scilicet memini*, *vidi ex illis duobus fratribus.* I.

800. Immiscere, *scilicet vidi*, I.

803. Peragit, *ducit.* — Placitorum, *voluntatum scilicet opera.* — Segrege, *segregata*, *separata*, I.

804. Haud secus, *non aliter : comparatio humani generis.* — Ac si, *quasi.* — Sudum, *quasi semiudum*, *id est serenum*, I.

806. Auceps, *aves capiens*, I.

807. Visco, *glutine*, I.

808. Siliquis, *leguminibus*, I.

809. Illiciunt, *decipiunt : quia capiuntur*, Iso.

812. Prolectat, *delectat*, *illicit*, I.

813. Herba, *arena*, I.

814. Suspectam, *insidiosam*, *contemptibilem*, I.

815. Cœlo, *in aera.* — Revolandum, *est*, I.

817. Laceris, *laceratis.* — Saucia, *vulnerata*, I.

819. Unicoloras, *puras*, *et immaculatas*, *et unius naturæ*, I. *Puras*, *immaculatas et unius coloris*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

rum cultu unquam recessisset. Nonnulli putant Orphan et Ruth errores patrios abjurasse, cum Hebræis fratribus nupserunt.

783. Ricciolius ait melius corripi secundam in *præputium* cum Mario Victore, *Nato præputium mox aufert dicta Sephora*, quam produci cum Juvenale, *Quæ pater abstinuit, mox et præputia ponunt*. At nescio cur Victor Juvenali sit præferendus. Præterea apud Victorem potest non corripi secunda in *præputium*, facta syneresi ex duabus ultimis, at apud Juvenalem et Prudentium necessario producitur.

784. Vide not. vers. 778.

785. Put., Thuan., Rot., Ald., Alex., Fab., *agresti amburitur*. Prag., *agrestis aburitur*, quod amplectitur Weitzius, et exstat etiam in Mar., sed a prima manu *agresti*, supra *agrestis*. Gis. in contextu et Bong. ad oram, *agrestis oburitur*. Urb , *agresti exuritur*.

786. Put. scribit *Boos* pro *Booz*.

787. Ald., Vat. A, Mar. aliique scribunt constanter *Davitica*. Plerique et optimi, omisso *et*, per epexegesin *domum*, *Davitica regna*, ut Alex., Urb., Ald., Heinsiani præstantiores. Gallandius improbat in Aldo *et Davitica regna*. Aldus meus non habet conjunctionem.

788. Heinsius reprehendit Weitzium, quod prætulerit *artus* pro *ortus*. Nihilominus in Mar. et Rat. antiquissimis legitur *artus*, quod haud scio an melius sit. Pro diversa scriptura *artus* notat Teolius ad marginem.

789. De hoc bivio virtutis et vitii multi agunt. Poemation exstat sub Virgilii nomine de littera Y. *Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni Humanæ vitæ speciem præferre videtur*, etc. Hericus in Vita S. Germani hunc Prudentii locum imitatur. Vide, quæ de hac duplici via notant ibi Bollandiani ad diem 7 Julii.

794. Gis., *clivosa margine callem*, et ad marg. 1 ed., *tramite collem*.

802. Ald., *omnis*; Fabr., *omnia* pro *omnes*, quod sensus requirit.

803. Egm., *placitum quoque*. Rectius *placitorum*.

804. Ald., *aut si*, et postea *forma*, mendose, pro *ac si forte*.

805 Ald., *descendit*; melius *descendat*.

806. In nonnullis Vulg., male, *anceps* pro *auceps*.

809. Ald., *fallantia grana*, male.

814. Prag., *spectatamque*, minus bene, pro *suspectamque*.

816. Vat. A, *sidereum*, fortasse *æthra sidereum* pro D *ethera sidereum*. Prag., *super æthera*. Rat., *sub aere*, male.

818. Prag., *suscipit*. Melius, *suspicit*.

819. Ald., Wid., Mar., Gis. et alii, *unicolores*. Libri Heinsiani, Vat. A, Weitz., Egm., Alex., *unicoloras*; quam lectionem defendit Gifanius Ind. Lucr. verbo Tripectorus, ex vet. lib., et quia alibi Prudentius dixit *versicolorus paries*. Id vocabulum ex iis est quæ utroque modo efferuntur : et fortasse Prudentius alibi dixit *unicolorus* , alibi *unicolor*, quod magis usitatum est. Meursius pag. 186 in Critico Arnobii etiam legit *unicoloras* , ut in Arnobio *decolorus*.

562 Infundit natura solo : sed suavibus istic A
Devinctæ illecebris retinentur, et æthera paucæ
Conscendunt reduces : multas viscosus inescat
Pastus, et ad superas percurrere non sinit auras.
Præscius inde Pater liventia tartara plumbo
Incendit liquido, piceasque bitumine fossas
Infernalis aquæ furvo suffodit Averno,
Et Phlegethonteo sub gurgite sanxit edaces
Perpetuis scelerum pœnis inolescere vermes.
Norat enim, flatu ex proprio vegetamen inesse
Corporibus nostris, animamque ex ore perenni
Formatam non posse mori : non posse vicissim
Pollutam vitiis sursum ad convexa reverti,
563 Mersandam penitus puteo ferventis abyssi.
Vermibus, et flammis, et discruciatibus ævum B
Immortale dedit, senio ne pœna periret,
Non pereunte anima. Carpunt tormenta, foventque
Materiem sine fine datam : mors deserit ipsa
Æternos gemitus, et flentes vivere cogit.
At diversa procul regionibus in paradisi
Præmia constituit majestas gnara futuri
Spiritibus puris, et ab omni labe remotis,
Quique Gomorrhæas non respexere ruinas :
Aversis sed rite oculis, post terga tenebras
Liquerunt, miseri properanda pericula mundi.
Ac primum facili referuntur ad astra volatu,
Unde fluens anima structum vegetaverat Adam.
Nam, quia naturam tenuem declivia vitæ
564 Pondera non reprimunt, nec tardat ferrea compes,
Concretum celeri relegens secat aera lapsu,
Exsuperatque polum fervens scintilla remensum,
Carcereos exosa situs, quibus hæserat exsul.
Tunc postliminio redeuntem suscipit alto
Cana fides gremio, tenerisque oblectat alumnam
Deliciis, multos post diversoria carnis
Ore renarrantem querulo, quos passa, labores.

GLOSSÆ VETERES.

820. Natura, *scilicet divinitatis.* — Solo, *corporis*, I.
821. Devinctæ, *devictæ*, I.
822. Conscendunt reduces, *ascendunt revenientes.* —Viscosus, *glutinosus.* — Inescat, *decipit, saturat*, I.
824. Inde, *proinde.* — Liventia, *nigra*, I.
826. Furvo, *nigro*, I.
827. Sanxit, *decrevit.* —Edaces, *rodentes*, I.
828. Inolescere, *crescere*, I.
829. Vegetamen, *animam, commotionem, vitam*, I.
831. Infusam, *formatam*, Iso.
832. Convexa, *poli, cæli; ad cœlestia*, I.
833. Puteo, *in puteo*, I.
834. Discruciatibus, *pœnis*, I.
835. Senio, *ætate.* — Periret, *deficeret*, I. C
836. Pereunte, *deficiente*, I.
837. Materiem, *animam.* — Mors, *consumptio*, I.
842. Gomorrhæas, *Sodomiticas, id est terrenas delectationes*, Iso.
844. Properanda, *celeriter fugienda, cita*, I.
846. Structum, *plasmatum.* — Vegetaverat, *animaverat*, I.
847. Naturam, *animam*, I.
849. Concretum, *densum.* — Secat, *anima*, I.
850. Scintilla, *anima*, I.
851. Situs, *habitationes, positiones*, I.
852. Postliminio, *introitu, exsilio, de captivitate: postliminium est reversio de captivitate, quando longo quis tempore limen domus suæ dimissum repetit; quod etiam sancti doctores solent dicere, quando stylum ad alia transmittunt; tunc iterum ad ea revertentes, hoc postliminium solent dicere*, I.
853. Oblectat, *nutrit animam*, I.
855. Querulo, *conquerenti.* — Passa, *scilicet sit, vel erat*, I.

COMMENTARIUS.

821. Ald., Bong., Gisel., non repugnante Heinsio, *et æthera*. Weitz., Mar., Prag., Rat., *ad æthera* sine *et*.

824. Mar., *liquentia tartara* a prima manu.

825. In quibusdam vulg., *liquide*.

826. *Infernalis* in Latinitate prolapsa Cellarii solum Prudentium habet auctorem.

828. In vulg. nonnullis, *pennis*, male, pro *pœnis*. De vermibus damnatorum vide Isaiam cap. LXVI.

831. Mar., Prag., Weitz. aliique, *infusam : putatque* Mariettus, glossema esse *formatam;* ac revera glossa est Isonis. Verum omnes Heinsiani, Ald., Gis., Vat. A, Alex. ac multi præterea habent *formatam*, quod mihi Prudentianum videtur. Ex Weitzianis Bongars. et Widm. supra, *formatam*.

832. Aldi error palmaris *virtus* pro *vitiis*. Heinsius pro *rursum* reposuit *sursum*, ut aliis in locis. Thuan., Boher. et Alex., *sursum*. Mariettus vero in suis omnibus legisse videtur *rursum*, quod est in Ald., Weitz., Gis., Urb. et aliis; nec contemnenda quidem est hæc lectio. D

833. Widm. a prima manu, *mersandum*.

835. Mira est hoc loco Aldi correctio. Ediderat *immortale dedit, senio ne pœna periret*. Emendavit : *Immortale dedit, senio, pœnane periret*. Quo ista mutatio, quæ ipsi sententiæ adversatur?

837. Mar., Gis. et alii *materiem* scribunt. Ald. cum nonnullis, *materiam*. Heinsius lib. I Advers. posth., cap. 6, corrigendum putat *ratam* pro *datam*. Non faciam invitis membranis. In Vat. A, *ipsam :* corrigendum *ipsa*. De æterno supplicio, quo animæ semper puniuntur, neque intereunt, videri possunt Tertul. Apol. c. 48, Minucius Felix, Augustinus et alii.

839. Prag. minus bene, *et diversa* pro *at*. In nonnullis vulg., *adversa* pro *diversa*.

843. Gis., *recte;* sed in 1 ed., *rite*.

844. Weitz., Pragens., Rat. et Mar. a secunda manu, *miseri et properanda*. Alii, *miseri properanda* per epexegesin. Dicuntur pericula properanda, qu a propere ac festinanter cavenda et fugienda, ut explicant Iso et Mariettus. In nonnullis vulg. est *properando :* et ita Gis. in utraque edit., non absurdo sensu : *liquerunt properando*, sive *properantes*. Explicari etiam potest pericula quæ imminent, properant seu properantur. Horatius lib. Epodon XII : *Muricibus tyriis iteratæ vellera lanæ Cui properabantur!*

846. Vat. A, *vivificaverat*, recte emendatum supra *vegetaverat*. Hoc verbo active usus est A. Gellius lib. XVII, cap. 2, et alii.

847. Prag., *terræ;* cæteri, *vitæ*.

850. Chamillardus asserit poetam loqui ex sententia gentilium philosophorum, quod animam vocet scintillam ferventem. Falsum puto. Nam Prudentius non solum animam, sed Deum etiam appellat ignem, non quia ex igne Deum, aut animam constare existimet, sed propter nonnullam similitudinem quæ ex rebus corporeis peti potest ad spirituales aliquo modo intelligendas.

852. Weit. cum Egm. scribit *postlimineo*.

853. Virgilii est *cana fides*.

855. Rat., *dolores;* alii, *labores*.

Illic purpureo latus exporrecta cubili,
Floribus æternis spirantes libat odores,
Ambrosiumque bibit roseo de stramine rorem.
565 Ditibus, et longo fumantibus intervallo,
Fluminaque, et totos cœli sitientibus imbres
Implorata negat digitum insertare palato,
Flammarumque apices humenti exstinguere [tactu.
Nec mirere, locis longe distantibus inter
Damnatas, justasque animas concurrere visus
A **566** Conspicuos, meritasque vices per magna [notari
Intervalla, polus medio quæ dividit orbe.
Errat, quisque animas nostrorum fine ocu- [lorum
Æstimat, involvit vitreo quos lucida palla
Objice, queis speculum concreta coagula texunt,
Impediuntque vagas obducto humore fenestras.
Numne animarum oculis denso vegetamine guttæ
Volvuntur teretes? aut palpebralibus extra

GLOSSÆ VETERES.

856. Latus, *latus habens exporrectum; extenta, vel jacens*, I.
857. Libat, *degustat, accipit*, I.
858. Ambrosium, *ambrosia, cibus deorum; sed ponitur pro omni suavitate*, I. — Aliæ, *animæ*, I. — Piis, *animabus*. — Quis, *animabus*. — Patris, *Abraham*. — Ægri, *Lazari*. — Abysso, *a gremio*. — Exclusis, *scilicet de gaudiis paradisi*. — Morte, *cum interitu animæ*, I.
859. Ditibus, *divitibus*. — Fumantibus, *tangit de divite et paupere*, I.
861. Implorata, *rogata, scilicet fides justi, anima justa*. — Insertare, *immittere*, I.
863. Locis, *cœlo et inferno*, I.
865. Conspicuos, *claros, manifestos*. — Notari, *videri, cognoscere*, I.
866. Orbe, *mundo, rotunditate terræ, spatio*, Iso.
867. Fine, *termino*, I.
868. Palla, *vestis, qua sacrificabatur Palladi; sed* B *ponitur pro omni veste; hic pro pellicula, quæ tegit pupillam*, I.
869. Objice, *objectione*. — Speculum, *visum*. — Concreta, *densa*. — Coagula, *aeris*, I.
870. Humore, *aeris*. — Fenestras, *oculorum*, I.
872. Teretes, *rotundæ*, I.

COMMENTARIUS.

856. Mariettus interpretatur, *latus exporrecta, commode jacens*, ut solent qui longum iter fecerunt.

858. Put., Oxon., Rot., tres Torr., Egm., Ald., Alex., Vat. A, Mar., *stramine* pro toro, aut stramento. Urb., Gis., Weitz., Prag., Rat., *gramine*. Neque absurdum est *roseo gramine*: nam gramen est quæcunque herba viridis. Florem gramini dat Seneca in Medea. Vide Burmannum, pag. 490, tom. I Anthol. Post hunc versum inseruntur alii sex in nonnullis codicibus, qui absunt ab omnibus Heinsianis, Egm., Pal., Ald., Alex., Urb., et ab Heinsio ejecti sunt, quod orationis sensum turbent. Eos interserunt Rat., Mar., Weitz., Gis. et plures vulgati. C Ita Giselinus eos senos versus producit: *Ast aliæ, quas dira lues, errorque malignus Immersit tenebris vastoque obsedit Averno, Haud impune piis, ah! semel abesse fatentur Conciliis, meritas ferre et per sæcula pœnas, Queis patris antiqui aut ægri reverentis abyssus Exclusis, mundique bonis cum morte potitis Ditibus, et longo*, etc. Versu 3: Mar., *piis semel deesse*, et supra *abesse*. Duo Torrentiani et Rat., *semel deesse*. Gifanius quoque *piis semel deesse*. Versu 4: Mar., duo Torrentiani, Gifanius, Rat., *meritas pœnas per sæcula ferre*. In Mar. pro diversa lectione *ferre et per sæcula pœnas*. Versu 5: Mar., *Quis patris antiquo*, supra *antiqui*. Mar. et Boher. recentior, *Quis patris antiquo reverentius ager abysso*. In Mar. ad Marg., *aut ægri reverentis abysso*. In Prag., *Quis Patris antiqui, aut æger reverentis abysso*, cum glossa QUIS, *pro quibus*, EXCLUSIS ABYSSO, *id est per abyssum, videlicet per chaos magnum*. Gifanius Ind. Lucr. verbo CONCILIUM, hæc ait: *Sic ex vet. lib. legendum puto, nam* D *vulg. abyssus mihi, ut ingenue dicam, minime placet. irrepsit credo ob non intellectum longius hyperbaton: illud enim*, IMPLORATA NEGAT, *non recte accommodetur* ABYSSO, *sed majestati Dei; itaque arcessetur huc, quod ante positum est*, MAJESTAS GNARA FUTURI. Heinsius ait Gifanium in his spuriis versibus explicandis æstuasse plus satis. Verum is lectionem veterem explicare conabatur, quam tunc omnes recipiebant. Marietto non plene satisfecit Gifanius. Igitur Mariettus ex conjectura eum locum restituere et illustrare aggreditur; putat legendum *aut ægri reverentia abysso*. Hæc vero est explicatio, qua versus a nobis omissi cum adductis in contextu uniuntur et declarantur. Quibus (animabus damnatis) abysso, seu per totum abyssum exclusis, et divitibus bonis mundi cum morte (seu usque ad mortem) potitis, et longo intervallo distantibus, et cruciatis, et tanta siti æstuantibus, ut flumina, et totos cœli imbres se bibere posse arbitrarentur, patris antiqui, hoc est Abrahami, aut ægri, hoc est Lazari reverentia implorata negat digitum insertare palato. Poeta respicit parabolam, sive melius historiam de divite avaro apud Lucam cap. XVI. Iso etiam, qui glossas his versibus apposuit, pro Prudentianis habuit. Giselinus, qui e mss. reposuit *abyssus* pro *abysso*, difficultatem loci agnoscens, *Si*, inquit, *in sanando hoc vulnere tam fuissem crudelis medicus quam Mannutius aliquando fuit, nihil fuisset facilius; sed aliud est corpus pristinæ sanitati restituere, aliud, cum melius possis, extremo remedio adhibito, partem aliquam mutilare.* Weitzius falso ait, Aldum legisse *abyssus*, nisi aliam præ manibus habuit editionem: nam e sex versibus quos omisit Aldus (septem non bene numeravit Giselinus), unus erat is ipse ubi abyssi mentio occurrit.

859. In Oxon., *divitibus longo*. Heinsius conjicit *ditibus at longo*.

860. Ald., male, *totos* pro *totos*.

861. In nonnullis Vulg., *palatu*, mendose. Cell. *implorata* explicat de *cana fide* ex vers. 853. Malo intelligere de anima beata, quæ in paradiso a Prudentio collocatur, tanquam in sinu Abrahæ.

866. Fortasse alludit ad sententiam theologorum qui sedem damnatorum in terræ visceribus collocant. Post hunc versum aliqui addunt lemma: *De integritate visionis animæ.*

868. Wid., Bong. a secunda manu, et Ald., *Æstimat involvi, vitreo quos lucida palla*. Alii, *Æstimat, involuit vitreo quos lucida palla*. Cauchius ex conjectura, *pala*. Non placet Heinsio. Vide glossas. Senas oculi tunicas recensent aliqui, *conjunctivam, corneam, uveam, araneam, retinam, vitream*. Laudat hanc descriptionem organi visorii Giselinus interpres et medicus, qui septem tunicas oculi distinguit et notat, oculos speculi formam præ se ferre, cujus præcipua pars sunt tres humores concreti, seu coagulati; ex quo intelliges quid sint *concreta coagula*.

870. Oculi fenestræ animæ dicuntur a Gregorio Magno lib. XXI Moral. Lucretium *postes* elegantissime posuisse pro ipsis oculis, advertit Gifanius lib. III: *Jam magis exemptis oculis debere videtur Cernere res animus sublatis postibus ipsis.*

871. Vat. A, vitiose, *oculi lenso*.

Horrescunt setis, ciliove umbrante teguntur? A
Illis viva acies, nec pupula parva, sed ignis
Trajector nebulæ, vasti et penetrator operti est.
Nil ferrugineum, solidumve tuentibus obstat.
567 Nocturnæ cedunt nebulæ: nigrantia cedunt
Nubila, prætenti cedit teres area mundi.
Nec tantum aerios visu transmittit hiatus
Spiritus: oppositos sed transit lumine montes,
Oceani fines atque ultima littora Thules
Transadigit, volucresque oculos in tartara mittit.
Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores
Visibus, et cæco delentur tempore formæ.
Nunquid et exutæ membris, ac viscere perdunt
568 Agnitione notas rerum, vel gressibus errant?
Una animas semper facies habet, et color unus
Aeris, ut cuique est meritorum summa, sinistri,
Seu dextri: alternas nec commutabile tempus
Convertit, variatque vices: longum atque perenne est,
Quidquid id est: unus volvit sua sæcula cursus.
Expertus dubitas, animas percurrere visu
Abdita, corporeis oculis cum sæpe quietis
Rore soporatis cernat mens viva remotos,
Distantesque locos, aciem per rura, per astra,
Per maria intendens? nec enim se segregat ipsa
Ante obitum vivis ex artubus, aut fugit exsul
Sanguinis, et carnis penetralia, seque medullis

GLOSSÆ VETERES.

873. Setis, *setas vocat cilios, quos nos etiam tantones proprie nominamus*, I. B
874. Illis, *animabus, oculis animarum.* — Ignis, *igneus vigor*, I.
875. Trajector, *penetrator, transmissor*, I.
876. Ferrugineum, *nigrum, tenebrosum*, I.
878. Prætenti, *velocis.* — Area, *rotunditas, planities.* — Mundi, *cœli*, I.
879. Tantum, *sicut facit oculus corporis.* — Visu, *cum.* — Hiatus, *apertiones vel vastitates*, I.
880. Spiritus, *anima.* — Oppositos, *contra positos.* — Lumine, *sapientia*, I.
881. Thules, *ultima insularum*, I.
882. Transadigit, *transit*, I.
884. Cæco, *in nocte*, I.
885. Exutæ, *spiritus, animæ, formæ.* — Viscere, *carne*, I.
886. Notas, *rationes.* — Gressibus, *rationibus*, I.
888. Cuique, *unicuique.* — Summa, *qualitas.* — Sinistri, *mali, adversitatis*, I.
889. Dextri, *boni, prosperitatis; dextrum vel sinistrum aerem vocat dextram vel sinistram, quarum una ad vitam, altera ad mortem tendit*, I.
890. Vices, *tempora*, I.
891. Quidquid, *sive requies, sive pœna sit*, I.
892. Expertos, *probatos*, I.
893. Abdita, *secreta loca.* — Quietis, *somni, quietudinis*, I.
894. Rore, *suavitate; in nocte.* — Soporatis, *hominibus*, Iso.
895. Aciem, *visum.* — Astra, *cœlum*, I.
896. Intendens, *bene prospiciens.* — Ipsa, *anima*, I.
897. Vivis, *ut ante mortem exeant a corpore*, I.
898. Penetralia, *secreta.*—Medullis, *ab interioribus*, I.

COMMENTARIUS.

873. Vat. A, error, *aliove umbrante.* C
874. In Alexandr., Thuan., Rot. et tribus Torr., *et pupula.* Alii, *nec pupula*, quod sensui congruere videtur; et secuti sunt Cell. et Teol. Suspicatur Heinsius *nec pupula prava.* Mihi lectio unice vera est *nec pupula parva.*
875. Vat. A, *nebulæ et vasti penetrator.* Descriptionem oculorum videre etiam poteris apud Ciceronem lib. II de Natura deorum.
876. In edit. Parmensi emendari debet mendum *solidumve mentibus*, et reponendum *solidumve tuentibus.*
878. Ald. contra metrum, *patenti cedit.*
881. Alii scribunt *Tile*, alii *Thyle*, alii *Thule*, et in gignendi casu *Thulæ*, vel *Thules.* De *Thule* vide Elmenhorstium ad Arnobii verba lib. VI, *Ultimam Thylem. Ultima* hæc insula antiquis dicebatur, quod ultra progressi non fuissent: ea est *Islandia.* Notum est Senecæ vaticinium (ita enim vocant) de novo mundo aliquando inveniendo. In Medea ita canit chorus act. II: *Venient annis Sæcula seris, quibus oceanus Vincula rerum laxet, et ingens Pateat tellus, Tiphysque novos Detegat orbes: nec sit terris Ultima Thule.* Quæ dum lego, nihil Senecam de novo orbe nostro cogitasse puto, sed ea solum laudare voluisse, quæ in expeditione Britannica a Claudio gerebantur: nam eam tragœdiam de Medea et Jasone fecisse, ut occasione primæ navigationis Claudio adularetur, et ab exsilio revocari obtineret, multi asserunt et exploratum videtur. Igitur chorum inducit, prædicentem ea quæ suo tempore accidere videbat, de posteris ipse nihil sollicitus, exaggerans tamen Claudii maritimos triumphos. De quo audi Pomponium Melam lib. III: *Britannia qualis sit et quales progeneret, mox certiora et magis explorata dicentur. Quippe tandiu clausam aperit ecce principum maximus, nec indomitarum modo ante se, verum* IGNOTARUM *quoque gentium victor; qui propriarum rerum fidem ut bello affectarit, ita triumpho* D *declaraturus portat.*
882. Præstantiores, ut Vat. A, Mar., Heinsiani, Weitz., *transadigit.* Gis., *transadiit*, cum Ald., Bongar. a prima manu. Ad oram Gis., *transcurrit*; al., *transuadit.* In Vulg., *transabiit.* Egm. et Widm., *transadigit.* Verbum esse Virgilianum *transadigere* monuit Heinsius.
883. Vat. A, Egm., Pal., *oculis* pro *omnes.* Non placet. Quo sensu pereant nocte colores, dictum est hymno 2 Cath., vers. 7.
885. Thuan., Mar., Prag., Rat., Gis., Weitz., *exutæ*, id est animæ. Heinsiani omnes præter Thuan., *exuti*, quod habent Alex., Urb. et alii. Tunc viri intelliguntur exuti. Prag., *viscera*, Vat. A, *pendunt*; utrumque falsum pro *viscere* et *perdunt.*
887. Ald., *animam*; alii, *animas.* Locus hic distorsit Chamillardum. Lege glossam Isonis, et intellige rem esse de extremo judicio, et de sorte, seu bona, seu mala, quam animæ sunt habituræ. Nescio quid Trolius amplecti voluerit, *animam*, an *animas*: nam errorem typographicum puto *Una anima semper facies habet*; sed recte ad hunc locum affert illud Eccles. XI, 3: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*
892. Ita Put., Oxon., Cauch., Rot., tres Torr., Alex., Urb., Rat. a manu secunda, Eg., Ald. et Bonon. Alii legunt *expertos visus* cum Mar., Rat. a manu prima, Prag., Weitz., quod edidit Giselinus; sed monuit postea, in quibusdam apographis esse *Experto dubitas animas percurrere visu*, quod ipsi apprime placebat; et in prima editione adoptaverat. Ante Giselinum Sichardus secutus fuerat *expertos visus.* In Thuan. erat a manu prima *expertas*, a secunda manu *expertis.* Poeta exemplum adducit eorum, quæ in somnis experimur. Plerique male hunc locum interpungunt. Conjicio *expertes*, hoc est, animas separatas.
896. Prag., *nec sese segregat*, inconcinne.
897. In nonnullis vulg., *artibus*, male.

Exuit, abductamve abigit de pectore vitam : A
569 Viscerea sed sede manens, speculatur acutis
Omnia luminibus, et qua circumtulit acrem
Naturæ levis intuitum, nullo objice rerum
Disclusa, ante oculos subjectum prospicit orbem,
Atque orbis sub mole situm sordens elementum.
Objacet interea tellus, nec visibus obstat.
Quin, si stelligerum vultus convertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus impedit ignem
Pervigilis animæ : quamvis denseta graventur
Nubila, et opposito nigrescat vellere cœlum.
Sic arcana videt tacitis cooperta futuris
Corporeus Joannes adhuc, nec carne solutus,
Munere sed somni, paulisper carne sequestra
Liber ad intuitum, sensuque, oculisque peragrans B
Ordine dispositos venturis solibus annos.
570 Procinctum videt angelicum jam jamque cremandi
Orbis in excidium, raucos et percipit aure
Mugitus gravium mundi sub fine tubarum.
Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus,
Secedente anima, non discedente, videbat.
Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit,
Corporis involucris tumulo frigente repostis?
Certa fides, rapidos subterna nocte caminos,
Qui pollutam animam per sæcula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remoti
Pauperis expositos; nec secius aurea dona
571 Justorum dirimente chao, rutilasque coronas

GLOSSÆ VETERES.

899. Abigit, *pellit*, I.
901. Acrem, *clarum, vel acutum*, I.
903. Disclusa, *separata*, *aperta*. — Ante oculos, *scilicet habens omnia*, I.
904. Elementum, *infernum*, I.
905. Visibus, *animæ*, Iso.
907. Obtutibus, *visibus*, I.
908. Pervigilis, *semper vigilantis*. — Denseta, *spissa*, I.
909. Vellere, *nube tenebrosa*, I.
910. Sic, *tali modo*.— Arcana, *mirabilia*, I.
912. Sequestra, *separata*, I.
914. Dispositos, *ordinatos*. — Solibus, *diebus vel temporibus*, I.
915. Procinctum, *exercitum*, *apparatum*, I.
916. Raucos, *tristes*, I.
917. Mugitus, *qui erunt in die judicii*. — Gravium, *magnarum*, *raucarum*, I.
919. Secedente, *vagante*, I.
920. Flatus, *anima*, I.
921. Involucris, *involutionibus : volucra dicimus involutiones vestimentorum, sed hoc in loco involutionem corporis mortui in sepulcro vocat involucra*, I. *Volucra, vel volucla dicuntur involutiones*, Vat. T.
922. Certa, *æterna ; scilicet est*. — Subterna, *ubi perpetua nox est*, Iso.
925. Pauperis, *Lazari*. — Expositos, *manifestatos, scilicet esse caminos*. — Secius, *tardius*. — Aurea, *pulchra*, I.
926. Dirimente, *dividente*. — Chao, *confusio tenebrarum; quia confusione distante non possumus misceri felices et mali*, I.

COMMENTARIUS.

899. Ald., perperam, *abiit de pectore*. C
900. Ald., mendose, *manens speculator*.
903. In somnis res ita repræsentantur, quasi oculis corporeis videantur.
904. In Vat. A contra metrum est *positum ;* supra recte, *situm*.
906. In Vat. A desideratur *vultus*. In nonnullis vulg., *vultu*, male.
907. Vat. A, *nihil*, monosyllabum.
908. Vat. A, *denseta ;* Alex., Mar. et alii, *densata*. Utroque modo dicitur, *denso* et *denseo*. Heinsius præfert *denseta* cum Put. et Oxon.
910. Præstantiores Heinsiani, Alex., Ald., Weitz., aliique nostri, *futuris*. Fabr., Sich., Prag., Bong., Gis., *figuris*.
911. Alii, *Joannes*, alii, *Joannis*, alii utroque modo, ut Alex.
912. An S. Joannes Apocalypsin in somno viderit, disserui Cath. hymno 6, vers. 74. Fabricius in Comment. ad Poet. Christ., verbo EVANGELISTÆ, ait Prudentium affirmare evangelistam Joannem ea quæ scripsit vidisse animo, non oculis, neque somniantem, sed vigilantem, nebulis remotis; Sedulius vero Fabricio videtur testari Joannem ea vidisse in somnis. Scire tamen oportet hunc Sedulium esse ipsissimum Prudentium, cujus Dittochæum Fabricius Sedulio affingere volebat. Prudentius iterum atque iterum in Apocalypsi referenda somnum Joannis memorat.
913. Mar., Sich., in nonnullis vulg. ad oram, *liberat intuitum*, minus bene.
914. In Rat. erat *venturus*, perperam.
916. In Put. et Thuan. a manu secunda *tristes* pro *raucos*. De extremo orbis excidio per ignem, et de tuba, cujus mugitus præcedet, vide hymn. 11 Cath., versus finem. Ea quæ in Apocalypsi revelata sunt, usque ad mundi finem non esse complenda, tenent plerique; alii jam esse completa existimant.
918. Corpus esse animæ carcerem quemdam, dictum satis hymno 10 Cath. Aliqui putant, id desumptum ex Ægyptiorum et Socratis scitis. Nihil est causæ, quamobrem eo confugiamus, cum pateant sacra volumina. Alii corpus *antrum*, alii *vincula*, alii *vas* appellant, quod jam monuimus.
920. Prag., *notabis*. Rat., *notabat*. Melius *notabit*.
921. Aldus primum edidit *involuclis;* deinde correxit *involucris*. Ita habent omnes editi et plures mss. Sed in nonnullis pervetustis membranis invenio *involuclis* a secunda, sed prisca manu, et in glossa, bis terve *involucla*, quasi *involucula*, et per contractionem *involucla*.
922. Potiores Heinsiani cum Egm., Ald., Alex., Vat. A, Urb., *rapidos*. Multi alii, Mar., Prag., Rat., Weitz., Gis., Fabr., Widm., Bongars., *rabidos*. Venustius est *rapidos caminos*. Ald., Egm., præstantiores Heinsiani, Alex., Urb., Vat. A, Mar., *subterna*. D Weitz., Fabr., Gis., *sub tetra*. Prag. et Rat., *æterna*, quod videtur legisse Iso. Teolius, nisi erravit typographus, divisit ita, *sub terna*. Præferendum *subterna*, qua voce usus etiam est lib. I in Symm., vers. 392. *Subternus* ex Fabricii explicatione est subterraneus : quanquam dubitat Fabricius an sit legendum lib. I in Sym. *sub terris*. Videtur dictum *subternus* a *subter*, ut *supernus* a *super*.
924. Ald., *remotis ;* alii *remoti*, hoc est Lazari pauperis.
925. Monet Heinsius, in vetustissimis codicibus scribi *setius*, non *secius*, non solum apud Prudentium, sed etiam apud Virgilium, Ovidium, Silium, alios passim. Vides controversiam orthographicam, in qua minime sequar Weitzium, qui auctoritate solius Bongarsiani edidit *secius*.

Eminus ostendi pœnarum carcere mersis. A
Hinc paradisicolæ post ulcera dira beato
Proditur, infelix, ululans in peste reatus,
Spiritus : inque vicem meritorum mutua cernunt.
O Dee cunctiparens, animæ dator, o Dee Christe,
Cujus ab ore Deus subsistit Spiritus unus :
Te moderante regor, te vitam principe duco,
Judice te pallens trepido, te judice eodem
Spem capio, fore, quidquid ago, veniabile apud te,
Quamlibet indignum venia faciamque, loquarque.
Confiteor (dimitte libens, et parce fatenti !)
Omne malum merui : sed tu bonus arbiter aufer, B
Quod merui : meliora favens largire precanti.
Dona animæ quandoque meæ, cum corporis hujus
Liquerit hospitium, nervis, cute, sanguine, felle,
Ossibus exstructum, corrupta quod incola luxu
Heu ! nimium complexa fovet cum flebilis hora
Clauserit hos orbes, et conclamata jacebit
572 Materies, oculisque suis mens nuda fruetur :
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum,
Immitem, rabidum, vultuque et voce minaci,
Terribilem, qui me maculosum aspergine morum
In præceps, ut prædo, trahat, nigrisque ruentem
Immergat specubus, cuncta exacturus ad usque
Quadrantem minimum damnosæ debita vitæ.
Multa in thesauris Patris est habitatio, Christe,
Disparibus discreta locis ; non posco beata
In regione domum : sint illic casta virorum
Agmina, pulvereum quæ dedignantia censum,
Divitias petiere tuas : sit flore perenni
Candida virginitas, animum castrata recisum.
At mihi tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.
Esto, cavernoso, quia sic pro labe necesse est
573 Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno :
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æstuque calor languente tepescat.
Lux immensa alios, et tempora vincta coronis
Glorificent : me pœna levis clementer adurat.

GLOSSÆ VETERES.

927. Eminus, *e contra*, I.
928. Paradisicolæ, *Lazaro, paradisum colenti*, I.
930. Spiritus, *scilicet divitis*, I.
932. Subsistit, *est*, I.
933. Moderante, *regente*. — Principe, *scilicet existente*, I.
936. Indignum, *quod sit*, I.
937. Confiteor, *scilicet omnia mea commissa*, I. C
939. Favens, *adjuvans*, I.
940. Quandoque, *olim*, I.
944. Condefleta, *defleta, conclamata*, I.
949. Præceps, *profundum*, I.
952. Multa, *multiplex*. — Habitatio, *mansio*, Iso.
955. Pulvereum, *terrenum*. — Censum, *pecuniam*, I.
957. Castrata, *castigata*, I.
966. Glorificent, *lætificent*, Iso.

COMMENTARIUS.

927. Ald. Urb., *ostendit*, non probe.

930. Post hunc versum Mar. et Rat. pro titulo *Oratio*. Giselinus ad oram *Precatio* : quæ sitne Prudentii, nonnulli dubitant, sed immerito, cum eam Prudentio omnes membranæ et Theodulfus Aurelianensis vindicent.

931. Gis. ad marg., *cunctipotens* ; in contextu, *cunctiparens*, quod habent alii, et legitur etiam hymno 14 Perist., vers. 128.

939. Quidam continuant *precanti Dona*, hoc est largire meliora dona.

944. Weitz. cum Widm. et Isone, *condefleta*. Alii, *conclamata*.

946. Assentior Teolio, qui putat Hieronymum Vidam hunc locum aliquatenus imitatum : *Da, Pater, extremæ cum vitæ advenerit hora, Te præsente, mori, nil me terrentibus umbris : Inque tuos animam amplexus effundere ovantem.* Scribo *amplexus*, non *complexus*, quod mendum est metro repugnans in D editione Parmensi, ubi etiam male Hieronymus Vida dicitur *Hieron. Suida*, et locus indicatur xxv *Christiad.*, cum solum sint sex libri Christiados, et illi versus legantur in fine hymni 1 *Deo Optimo Maximo*, vol. I, pag. 214, Patavii, 1731, typis Josephi Comini, ubi subjungitur alius versus, ex quo imitatio Prudentii clarior apparet : *Hoc tantum mihi, plura aliis optantibus, adde.*

947. Rat., *rapidum*, minus bene, pro *rabidum*.

954. Prag., male, *sint illinc castra*.

956. Prag., *sic flore*. Melius est *sit*.

957. Explicat illud Matth. xix, 12 : *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum :* quod aliqui stulti male intellexerant de corpore, cum de animo sit accipiendum, qui ab omni voluptate carnisque illecebris est cohibendus.

959. Mar. a prima manu, *occurrit* ; recte emendatum *occurrat*, nam postea est *devoret*. In editione Parmensi mendum esse puto *avida* pro *avidæ*.

961. In Mar. ex *acto* correctum probe *esto*. Posset distingui hic versus *esto cavernoso*, ut *esto* significet *etsi*.

963. Aldus, *mirificos* ; rectius, *mitificos*.

966. *Glorifico* verbum ecclesiasticum est, ex analogia similium factum. In Vat. A post *clementer adurat* legitur *Explicit liber* ii *Admartigenia*. In Marietti codice, *Finit de Amartigenia liber D*, quod Marettus interpretatur *liber dictus*. In aliis, *Finit Hamartigenia.*

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. GELASIUS PAPA I.

S. AVITUS.

AD SIRMONDIANAM AVITI EDITIONEM AUCTARIUM.

JOANNES DIACONUS.

FINIS TOMI QUINQUAGESIMI NONI.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LX.

PRUDENTII TOMUS POSTERIOR. — DRACONTII TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1847

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

PRUDENTIUS.

DRACONTIUS.

Paris.— Imprimerie de Vrayet de Surcy, rue de Sèvres, 37.

QUINTI SÆCULI

POETARUM

SERIES

CONTINUATUR,

NOVAQUE ET ACCURATISSIMA EDITIONE DONANTUR

AURELII PRUDENTII

NECNON

DRACONTII

CARMINA OMNIA,

JUXTA EDITIONEM AREVALI, GLOSSAS VETERES, LECTIONES VARIAS ERUDITISSIMOSQUE COMMENTARIOS EXHIBENTEM.

PRUDENTII TOMUS POSTERIOR. — DRACONTII TOMUS UNICUS.

PRIX : 7 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER, OU PETIT-MONTROUGE.

1847.


CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA I.



Sancti martyres in crucem, capitibus ad cœlum elevatis, tollebantur.
Appendebantur quandoque brachiis post tergum revinctis : quorum pedibus a diaboli ministris gravia pondera vinciri aliquando solebant.
Item cruci, capitibus in terram versis, affigebantur.
Mulieres christianæ capillis suspendebantur.

TABULA II.



A **Martyr pedibus suspendebatur, igne, ut suffocaretur, supposito.**
B **Martyr laqueo appenditur.**
C D **Martyres in crucem agebantur**

TABULA III.



A Martyr funibus corpori alligatis appensus, humeros oneratos habens glebis salis, in cujus ore lignum ad majorem pœnam immittebatur.
B Martyr unco suspensus.
C Martyr ambobus pedibus appensus, cujus caput malleis contundebatur.
D Postremus denique, oneribus collo et pedibus ligatis.


TABULA IV.



A Christianis quandoque suspensis lentus ignis supponebatur ut, fumo ex illo proveniente, faucibus premerentur. Hi quidem erant, qui cum sancto Propheta Davide canere poterant : Igne, dulcissime Jesu, nos examinasti, et non est inventa in nobis iniquitas.

CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA V.



A SS. Martyres nonnunquam, ut muscarum et fucorum aculeis excruciarentur, stipitibus erectis, melle delibuti, radiisque solis expositi appendebantur.
B Aliquando vel utroque pede, ingentibus saxis ad eorum cervices alligatis :
C Vel altero pede, fumo supposito :
D Vel etiam apicibus pollicum manuum, eorum pedibus gravibus additis oneribus :
E Vel demum altero quoque pede in genu deflexo, et genu ferreo injecto vinculo, altero deinde pede ferri pondere gravato.

TABULA VII.



A Martyres quandoque rotis, mucronibus undique affixis, ligati, super cuspides ferreos circumagebantur.
B Aliquando, quibus affixi non erant prænotati mucrones, super cuspides item ferreos.
C Aut saltem, ut misere vitam finirent, super ardentes prunas.
D Demum rotarum convexis alligati, e loco sublimi præcipitabantur.
E Aut rotarum radiis intexti, sic ad plurimos dies, ut interirent, relinquebantur.

TABULA VI.



A Cyphonis supplicium.
B Martyres corio bovis inclusi radiis solis objiciebantur.
C Scaphismi supplicium.
D Martyres quandoque humi positi, radiis item solis ad maximum eorum cruciatum exponebantur.

TABULA VIII.



A Martyres torculari premebantur, eo prorsus modo, quo uvæ olivæque ad vinum oleumque exprimendum premuntur.
B Trochleis extendebantur.
C Iisdem item elevabantur.

TABULA IX.



A Martyr in equuleo.
B Martyr pendens ab equuleo.
C Lampades accensæ. }
D Scorpiones. } His torquendi instrumentis qui in equuleum agebantur excruciari aliquando solebant.

TABULA X.




Modi sunt hi, quibus sancti Martyres loris, vel flagris, aut consimilibus cædebantur.
A Unum horum indicat,
B Alterum,
C Tertium.

TABULA XI.



Duo alii itidem modi quibus pariter SS. Martyres cædebantur.
A Primum ostendit atque demonstrat,
B Alterum : qui modus, in sanctorum Martyrum rebus gestis, his verbis exprimitur : *Cathomo cædatur.*

TABULA XII.



A Martyres aliquando hoc modo lapidibus premebantur :
B Pugnis, alapis, calcibus, aliisve modis percutiebantur :
C Lapidibus item quandoque obruebantur.

TABULA XIII.



A **Ungulæ.**
B **Uncus.**
C **Ferrei pectines.**
His instrumentis sancti Martyres discerpebantur.

TABULA XIV.



A **Martyres torrebantur,**
B **Vel tædis,**
C **Vel funalibus.**
D **Aut ardentibus lampadibus, quarum figura etiam in equuleo exprimitur.** *Tabula IX, lit. C.*

TABULA XV.



A **Martyres de equuleo depositi, divaricatis cruribus, vi ad quartum aut quintum foramen distendebantur.**
B **Aut viva calce, oleoque ebullienti, et consimilibus perfundebantur.**
C **Vel denique nudi super testaceis fragmentis premebantur, volvebanturque.**

TABULA XVI.



A **Martyres in crate ferrea torrebantur,**
B **Aliquando etiam vel in lecto ferreo,**
C **Aut in ignita sartagine,**
D **Aut in olla,**
E **Vel in tauro æneo,**
F **Et demum quandoque in lebete.**
G **Ferro hujus formæ utebantur gentiles in his SS. Martyrum carnificinis.**

TABULA XVII.




Igni tradebantur SS. Martyres vel in fossis ardentibus carbonibus refertis,
Vel ad quatuor stipites alligati,
Vel in cupas,
Aut in rogum injecti,
Quandoque vel stipitibus erectis, funibus oleo et consimilibus illitis ligati.
Aut in propriis ædibus, vel carcere inclusi,
Denique vel in fornacem deturbati,
Aut in navim impositi. et in altum devecti

TABULA XVIII



A **Martyres ardentibus prunis impositi volutari in eis solebant.**
B **Nonnunquam in lectulis ferreis ligati, liquato plumbo, resina ferventi, et pice cruciabantur.**
C **Aliquando sub axillis, ferris ignitis semiustulabantur.**
D **Aut etiam nudis pedibus per candentes carbones incedere cogebantur.**

TABULA XIX.



A **Urgebantur sancti Martyres de carnibus immolatis, deque sacrificii vino degustare. Qui tamen ad hoc sacrilegium perpetrandum nulla vi nullisque minis adduci unquam potuerunt.**


TABULA XX.



A **Sanctæ Christi Virgines ignominiæ causa vel ad meretricum prostibula vi ducebantur,**
B **Vel sic ad turpitudinem radebantur.**

CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA XXI.




A Martyribus ob Christi fidem vel pellis detrahebatur,
B Vel eisdem adhuc tepentibus cor et viscera extrahebantur :
C Securi quandoque ipsorum capita contundebantur :
D Aliqui gladio obtruncabantur,
E Alii telis configebantur,
F Vel præacuta sude aut consimilibus transverberabantur :
G Alii ad duarum arborum ramos alligati discerpebantur :
H Aliqui demum acutis calamis sub manuum pedumque unguibus infixis torquebantur.

TABULA XXII.



A Sanctorum Martyrum vultus notis deturpabantur :
B Eisdem crura confringebantur.
C Alii vel ferarum pellibus induti, } canibus objiciebantur.
D Vel hoc qui expressus est modo }
E Alii præterea aut in puteos præcipites dabantur :
F Aut culeo } in profluentem projiciebantur :
G Vel denique plumbeis loculis inclusi }

TABULA XXIII.



A Christianorum aliqui vel muribus rodendi, ea, quam hæc figura demonstrat, forma, tradebantur,
B Vel unus super alium perinde ac agmina locustarum in angustioribus custodiis includebantur,
C Vel etiam immissis equitibus obterebantur.

TABULA XXIV.



A Sancti Martyres vestibus denudati vel super ferreos murices premebantur.
B Vel sic alligati per diversa loca ducebantur,
C Aut in calcis fornacem conjiciebantur.
D Vel demum ex altissimis locis præcipites dabantur.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. GELASIUS PAPA I.

S. AVITUS.

AD SIRMONDIANAM AVITI EDITIONEM AUCTARIUM.

JOANNES DIACONUS.

FINIS TOMI QUINQUAGESIMI NONI.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

MNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ. TOMUS LX.

PRUDENTII TOMUS POSTERIOR. — DRACONTII TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1847

Fanorum ritus præputia barbara suasit A
Malle, et semiferi stirpem nutrire Goliæ.
Ruth, dum per stipulas agresti amburitur æstu,
560 Fulcra Booz meruit, castoque ascita cubili
Christigenam fecunda domum, Davidica regna
Edidit, atque Deo mortales miscuit ortus.
Sæpe egomet memini fratres geminos ad hiulcum
Pervenisse simul bivium, nutante juventa,
Et dubitasse diu bifido sub tramite, quodnam
Esset iter melius: cum dextrum spinea silva
Sentibus arctaret, scopulosaque semita longe
Duceret aerium clivoso margine callem;
At lævum nemus umbriferum per amœna vireta
Ditibus ornaret pomis, et lene jacentem
Planities daret ampla viam: squalentibus unum B
Contentum spinis reptasse per ardua saxa,
Porro alium campo sese indulsisse sinistro;
Illum sideribus caput immiscere propinquis,
561 Hunc in cœnosas subito cecidisse paludes.
Omnibus una subest natura; sed exitus omnes
Non unus peragit, placitorum segrege forma.
Haud secus, ac si olim per sudum lactea forte
Lapsa columbarum nubes descendat in arvum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Prætendit, lentoque illevit vimina visco,
Sparsit et insidias siliquis vel farre doloso.
Illiciunt alias fallentia grana, gulamque
Innectunt avidam tortæ retinacula setæ,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:
Ast aliæ, quas nullus amor prolectat edendi,
Gressibus innocuis sterili spatiantur in herba,
Suspectamque cavent oculos convertere ad escam.
Mox, ubi jam cœlo revolandum, pars petit æthram
Libera sideream, plaudens super aera pennis:
Pars captiva jacet, laceris et saucia plumis
Pugnat humi, et volucres nequidquam suspicit auras.
Sic animas cœli de fontibus unicoloras

GLOSSÆ VETERES.

783. Fanorum, *deorum*, I.

785. Amburitur, *circumuritur*, I.

786. Fulcra, *lectos*, *sustentacula vel lectorum, vel aliarum rerum quæ testiphadia nominamus. Fulcra etiam dicimus, quæ nobis subterponimus equitantes, a quibus sustentamur.* — Booz, *vir locuples, qui ascivit Ruth in conjugium, colligentem spicas, Orpha idolis se tradidit, et diabolo se deputavit.* — Ascita, *vocata*, I.

789. Hiulcum, *patens, divisum, apertum*, I.

790. Nutante, *vacillante*, I.

792. Dextrum, *iter.* — Spinea, *spinosam et scopulosam viam dexteram dicit, propter labores sanctorum, quos sustinent pro Deo*, I.

794. Aerium, *cœlestem.* — Clivoso, *tortuoso excelso.* — Margine, *apice*, I.

795. Lævum, *iter.* — Vireta, *a viriditate*, I. C

797. Squalentibus, *sordidis, acutis.* — Unum, *scilicet memini, vidi ex illis duobus fratribus.* I.

800. Immiscere, *scilicet vidi*, I.

803. Peragit, *ducit.* — Placitorum, *voluntatum scilicet opera.* — Segrege, *segregata, separata*, I.

804. Haud secus, *non aliter: comparatio humani generis.* — Ac si, *quasi.* — Sudum, *quasi semiudum, id est serenum*, I.

806. Auceps, *aves capiens*, I.

807. Visco, *glutine*, I.

808. Siliquis, *leguminibus*, I.

809. Illiciunt, *decipiunt: quia capiuntur*, Iso.

812. Prolectat, *delectat, illicit*, I.

813. Herba, *arena*, I.

814. Suspectam, *insidiosam, contemptibilem*, I.

815. Cœlo, *in aera.* — Revolandum, *est*, I.

817. Laceris, *laceratis.* — Saucia, *vulnerata*, I.

819. Unicoloras, *puras, et immaculatas, et unius naturæ*, I. *Puras, immaculatas et unius coloris*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

rum cultu unquam recessisset. Nonnulli putant Orphan et Ruth errores patrios abjurasse, cum Hebræis fratribus nupserunt.

783. Ricciolius ait melius corripi secundam in *præputium* cum Mario Victore, *Nato præputium mox aufert dicta Sephora*, quam produci cum Juvenale, *Quæ pater abstinuit, mox et præputia ponunt.* At nescio cur Victor Juvenali sit præferendus. Præterea apud Victorem potest non corripi secunda in *præputium*, facta syneresi ex duabus ultimis, at apud Juvenalem et Prudentium necessario producitur.

784. Vide not. vers. 778.

785. Put., Thuan., Rot., Ald., Alex., Fab., *agresti amburitur.* Prag., *agrestis aburitur*, quod amplectitur Weitzius, et exstat etiam in Mar., sed a prima manu *agresti*, supra *agrestis.* Gis. in contextu et Bong. ad oram, *agrestis oburitur.* Urb., *agresti exuritur.*

786. Put. scribit *Boos* pro *Booz.*

787. Ald., Vat. A, Mar. aliique scribunt constanter *Davitica.* Plerique et optimi, omisso *et*, per epexegesin *domum, Davitica regna*, ut Alex., Urb., Ald., Heinsiani præstantiores. Gallandius improbat in Aldo *et Davitica regna.* Aldus meus non habet conjunctionem.

788. Heinsius reprehendit Weitzium, quod prætulerit *artus* pro *ortus.* Nihilominus in Mar. et Rat. antiquissimis legitur *artus*, quod haud scio an melius sit. Pro diversa scriptura *artus* notat Teolius ad marginem.

789. De hoc bivio virtutis et vitii multi agunt. Poemation exstat sub Virgilii nomine de littera Y. *Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni Humanæ vitæ speciem præferre videtur*, etc. Hericus in Vita S. Germani hunc Prudentii locum imitatur. Vide, quæ de hac duplici via notant ibi Bollandiani ad diem 7 Julii.

794. Gis., *clivosa margine callem*, et ad marg. 1 ed., *tramite collem.*

802. Ald., *omnis*; Fabr., *omnia* pro *omnes*, quod sensus requirit.

803. Egm., *placitum quoque.* Rectius *placitorum.*

804. Ald., *aut si*, et postea *forma*, mendose, pro *ac si forte.*

805. Ald., *descendit*; melius *descendat.*

806. In nonnullis Vulg., male, *anceps* pro *auceps.*

809. Ald., *fallantia grana*, male.

814. Prag., *spectatamque*, minus bene, pro *suspectamque.*

816. Vat. A, *sidereum*, fortasse *æthra sidereum* pro *ethera sidereum.* Prag., *super æthera.* Rat., *sub aere*, male. D

818. Prag., *suscipit.* Melius, *suspicit.*

819. Ald., Wid., Mar., Gis. et alii, *unicolores.* Libri Heinsiani, Vat. A, Weitz., Egm., Alex., *unicoloras*; quam lectionem defendit Gifanius Ind. Lucr. verbo Tripectorus, ex vet. lib., et quia alibi Prudentius dixit *versicolorus paries.* Id vocabulum ex iis est quæ utroque modo efferuntur: et fortasse Prudentius alibi dixit *unicolorus*, alibi *unicolor*, quod magis usitatum est. Meursius pag. 186 in Crit co Arnobii etiam legit *unicoloras*, ut in Arnobio *discolorus.*

562 Infundit natura solo: sed suavibus istic A
Devinctæ illecebris retinentur, et æthera paucæ
Conscendunt reduces: multas viscosus inescat
Pastus, et ad superas percurrere non sinit auras.
Præscius inde Pater liventia tartara plumbo
Incendit liquido, piceasque bitumine fossas
Infernalis aquæ furvo suffodit Averno,
Et Phlegethonteo sub gurgite sanxit edaces
Perpetuis scelerum pœnis inolescere vermes.
Norat enim, flatu ex proprio vegetamen inesse
Corporibus nostris, animamque ex ore perenni
Formatam non posse mori: non posse vicissim
Pollutam vitiis sursum ad convexa reverti,
563 Mersandam penitus puteo ferventis abyssi.
Vermibus, et flammis, et discruciatibus ævum B
Immortale dedit, senio ne pœna periret,
Non pereunte anima. Carpunt tormenta, foventque
Materiem sine fine datam: mors deserit ipsa
Æternos gemitus, et flentes vivere cogit.
At diversa procul regionibus in paradisi
Præmia constituit majestas gnara futuri
Spiritibus puris, et ab omni labe remotis,
Quique Gomorrhæas non respexere ruinas:
Aversis sed rite oculis, post terga tenebras
Liquerunt, miseri properanda pericula mundi.
Ac primum facili referuntur ad astra volatu,
Unde fluens anima structum vegetaverat Adam.
Nam, quia naturam tenuem declivia vitæ
564 Pondera non reprimunt, nec tardat ferrea compes,
Concretum celeri relegens secat aera lapsu,
Exsuperatque polum fervens scintilla remensum,
Carcereos exosa situs, quibus hæserat exsul.
Tunc postliminio redeuntem suscipit alto
Cana fides gremio, tenerisque oblectat alumnam
Deliciis, multos post diversoria carnis
Ore renarrantem querulo, quos passa, labores.

GLOSSÆ VETERES.

820. Natura, *scilicet divinitatis.* — Solo, *corporis*, I.
821. Devinctæ, *devictæ*, I.
822. Conscendunt reduces, *ascendunt revenientes.* — Viscosus, *glutinosus.* — Inescat, *decipit, saturat*, I.
824. Inde, *proinde.* — Liventia, *nigra*, I.
826. Furvo, *nigro*, I.
827. Sanxit, *decrevit.* — Edaces, *rodentes*, I.
828. Inolescere, *crescere*, I.
829. Vegetamen, *animam, commotionem, vitam*, I.
831. Infusam, *formatam*, Iso.
832. Convexa, *poli, cœli; ad cœlestia*, I.
833. Puteo, *in puteo*, I.
834. Discruciatibus, *pœnis*, I.
835. Senio, *ætate.* — Periret, *deficeret*, I. C
836. Pereunte, *deficiente*, I.
837. Materiem, *animam.* — Mors, *consumptio*, I.
842. Gomorrhæas, *Sodomiticas, id est terrenas delectationes*, Iso.
844. Properanda, *celeriter fugienda, cita*, I.
846. Structum, *plasmatum.* — Vegetaverat, *animaverat*, I.
847. Naturam, *animam*, I.
849. Concretum, *densum.* — Secat, *anima*, I.
850. Scintilla, *anima*, I.
851. Situs, *habitationes, positiones*, I.
852. Postliminio, *introitu, exsilio, de captivitate: postliminium est reversio de captivitate, quando longo quis tempore limen domus suæ dimissum repetit; quod etiam sancti doctores solent dicere, quando stylum ad alia transmittunt; tunc iterum ad ea revertentes, hoc postliminium solent dicere*, I.
853. Oblectat, *nutrit animam*, I.
855. Querulo, *conquerenti.* — Passa, *scilicet sit, vel erat*, I.

COMMENTARIUS.

821. Ald., Bong., Gisel., non repugnante Heinsio, *et æthera.* Weitz., Mar., Prag., Rat., *ad æthera* sine *et.*

824. Mar., *liquentia tartara* a prima manu.

825. In quibusdam vulg., *liquide.*

826. *Infernalis* in Latinitate prolapsa Cellarii solum Prudentium habet auctorem.

828. In vulg. nonnullis, *pennis*, male, pro *pœnis.* De vermibus damnatorum vide Isaiam cap. LXVI.

831. Mar., Prag., Weitz. aliique, *infusam:* putatque Mariettus, glossema esse *formatam;* ac revera glossa est Isonis. Verum omnes Heinsiani, Ald., Gis., Vat. A, Alex. ac multi præterea habent *formatam*, quod mihi Prudentianum videtur. Ex Weitzianis Bongars. et Widm. supra, *formatam.*

832. Aldi error palmaris *virtus* pro *vitiis.* Heinsius pro *rursum* reposuit *sursum*, ut aliis in locis. Thuan., Boher. et Alex., *sursum.* Mariettus vero in suis omnibus legisse videtur *rursum*, quod est in Ald., Weitz., Gis., Urb. et aliis; nec contemnenda quidem est hæc lectio. D

833. Widm. a prima manu, *mersandum.*

835. Mira est hoc loco Aldi correctio. Ediderat *immortale dedit, senio ne pœna periret.* Emendavit: *Immortale dedit, senio, pœnane periret.* Quo ista mutatio, quæ ipsi sententiæ adversatur?

837. Mar., Gis. et alii *materiem* scribunt. Ald. cum nonnullis, *materiam.* Heinsius lib. I Advers. posth., cap. 6, corrigendum putat *ratam* pro *datam.* Non faciam invitis membranis. In Vat. A, *ipsam:* corrigendum *ipsa.* De æterno supplicio, quo animæ semper puniuntur, neque intereunt, videri possunt Tertul. Apol. c. 48, Minucius Felix, Augustinus et alii.

839. Prag. minus bene, *et diversa* pro *at.* In nonnullis vulg., *adversa* pro *diversa.*

843. Gis., *recte;* sed in 1 ed., *rite.*

844. Weitz., Pragens., Rat. et Mar. a secunda manu, *miseri et properanda.* Alii, *miseri properanda* per epexegesin. Dicuntur pericula properanda, quia propere ac festinanter cavenda et fugienda, ut explicant Iso et Mariettus. In nonnullis vulg. est *properando:* et ita Gis. in utraque edit., non absurdo sensu: *liquerunt properando*, sive *properantes.* Explicari etiam potest pericula quæ imminent, properant seu properantur. Horatius lib. Epodon XII: *Muricibus tyriis iteratæ vellera lanæ Cui properabantur!*

846. Vat. A, *vivificaverat*, recte emendatum supra *vegetaverat.* Hoc verbo active usus est A. Gellius lib. XVII, cap. 2, et alii.

847. Prag., *terræ;* cæteri, *vitæ.*

850. Chamillardus asserit poetam loqui ex sententia gentilium philosophorum, quod animam vocet scintillam ferventem. Falsum puto. Nam Prudentius non solum animam, sed Deum etiam appellat ignem, non quia ex igne Deum, aut animam constare existimet, sed propter nonnullam similitudinem quæ ex rebus corporeis peti potest ad spirituales aliquo modo intelligendas.

852. Weit. cum Egm. scribit *postlimineo.*

853. Virgilii est *cana fides.*

855. Rat., *dolores;* alii, *labores.*

Illic purpureo latus exporrecta cubili,
Floribus æternis spirantes libat odores,
Ambrosiumque bibit roseo de stramine rorem.
565 Ditibus, et longo fumantibus intervallo,
Fluminaque, et totos cœli sitientibus imbres
Implorata negat digitum insertare palato,
Flammarumque apices humenti exstinguere tactu.
Nec mirere, locis longe distantibus inter
Damnatas, justasque animas concurrere visus
A **566** Conspicuos, meritasque vices per magna notari
Intervalla, polus medio quæ dividit orbe.
Errat, quisque animas nostrorum fine oculorum
Æstimat, involvit vitreo quos lucida palla
Objice, queis speculum concreta coagula texunt,
Impediuntque vagas obducto humore fenestras.
Numne animarum oculis denso vegetamine guttæ
Volvuntur teretes? aut palpebralibus extra

GLOSSÆ VETERES.

856. Latus, *latus habens exporrectum; extenta, vel jacens*, I.

857. Libat, *degustat, accipit*, I.

858. Ambrosium, *ambrosia, cibus deorum; sed ponitur pro omni suavitate*, I. — Aliæ, *animæ*, I. — Piis, *animabus*. — Quis, *animabus*. — Patris, *Abraham*. — Ægri, *Lazari*. — Abysso, *a gremio*. — Exclusis, *scilicet de gaudiis paradisi*. — Morte, *cum interitu animæ*, I.

859. Ditibus, *divitibus*. — Fumantibus, *tangit de divite et paupere*, I.

861. Implorata, *rogata, scilicet fides justi, anima justa*. — Insertare, *immittere*, I.

863. Locis, *cœlo et inferno*, I.

865. Conspicuos, *claros, manifestos*. — Notari, *videri, cognoscere*, I.

866. Orbe, *mundo, rotunditate terræ, spatio*, Iso.

867. Fine, *termino*, I.

868. Palla, *vestis, qua sacrificabatur Palladi; sed* B *ponitur pro omni veste; hic pro pellicula, quæ tegit pupillam*, I.

869. Objice, *objectione*. — Speculum, *visum*. — Concreta, *densa*. — Coagula, *aeris*, I.

870. Humore, *aeris*. — Fenestras, *oculorum*, I.

872. Teretes, *rotundæ*, I.

COMMENTARIUS.

856. Mariettus interpretatur, *latus exporrecta, commode jacens*, ut solent qui longum iter fecerunt.

858. Put., Oxon., Rot., tres Torr., Egm., Ald., Alex., Vat. A, Mar., *stramine* pro toro, aut stramento. Urb., Gis., Weitz., Prag., Rat., *gramine*. Neque absurdum est *roseo gramine*: nam gramen est quæcunque herba viridis. Florem gramini dat Seneca in Medea. Vide Burmannum, pag. 490, tom. I Anthol. Post hunc versum inseruntur alii sex in nonnullis codicibus, qui absunt ab omnibus Heinsianis, Egm., Pal., Ald., Alex., Urb., et ab Heinsio ejecti sunt, quod orationis sensum turbent. Eos interserunt Rat., Mar., Weitz., Gis. et plures vulgati. C Ita Giselinus eos senos versus producit: *Ast aliæ, quas dira lues, errorque malignus Immersit tenebris vastoque obsedit Averno, Haud impune piis, ah! semet abesse fatentur Conciliis, meritas ferre et per sæcula pœnas, Queis patris antiqui aut ægri reverentis aybssus Exclusis, mundique bonis cum morte potitis Ditibus, et longo*, etc. Versu 3: Mar., *piis semet deesse*, et supra *abesse*. Duo Torrentiani et Rat., *semet deesse*. Gifanius quoque *piis semet deesse*. Versu 4: Mar., duo Torrentiani, Gifanius, Rat., *meritas pœnas per sæcula ferre*. In Mar. pro diversa lectione *ferre et per sæcula pœnas*. Versu 5: Mar., *Quis patris antiquo*, supra *antiqui*. Mar. et Boher. recentior, *Quis patris antiquo reverentius ager abysso*. In Mar. ad Marg., *aut ægri reverentis abysso*. In Prag., *Quis Patris antiqui, aut æger reverentis abysso*, cum glossa QUIS, *pro quibus*, EXCLUSIS ABYSSO, *id est per abyssum, videlicet per chaos magnum*. Gifanius Ind. Lucr. verbo CONCILIUM, hæc ait: *Sic ex vet. lib. legendum puto, nam* D *vulg. abyssus mihi, ut ingenue dicam, minime placet. irrepsit credo ob non intellectum longius hyperbaton: illud enim*, IMPLORATA NEGAT, *non recte accommodetur* ABYSSO, *sed majestati Dei; itaque arcessetur huc, quod ante positum est*, MAJESTAS GNARA FUTURI. Heinsius ait Gifanium in his spuriis versibus explicandis æstuasse plus satis. Verum is lectionem veterem explicare conabatur, quam tunc omnes recipiebant. Marietto non plene satisfecit Gifanius. Igitur Mariettus ex conjectura eum locum restituere et illustrare aggreditur; putat legendum *aut ægri reverentia abysso*. Hæc vero est explicatio, qua versus a nobis omissi cum adductis in contextu uniuntur et declarantur. Quibus (animabus damnatis) abysso, seu per totum abyssum exclusis, et divitibus bonis mundi cum morte (seu usque ad mortem) potitis, et longo intervallo distantibus, et cruciatis, et tanta siti æstuantibus, ut flumina, et totos cœli imbres se bibere posse arbitrarentur, patris antiqui, hoc est Abrahami, aut ægri, hoc est Lazari reverentia implorata negat digitum insertare palato. Poeta respicit parabolam, sive melius historiam de divite avaro apud Lucam cap. XVI. Iso etiam, qui glossas his versibus apposuit, pro Prudentianis habuit. Giselinus, qui e mss. reposuit *abyssus* pro *abysso*, difficultatem loci agnoscens, *Si*, inquit, *in sanando hoc vulnere tam fuissem crudelis medicus quam Manutius aliquando fuit, nihil fuisset facilius; sed aliud est corpus pristinæ sanitati restituere, aliud, cum melius possis, extremo remedio adhibito, partem aliquam mutilare*. Weitzius falso ait, Aldum legisse *abyssus*, nisi aliam præ manibus habuit editionem: nam e sex versibus quos omisit Aldus (septem non bene numeravit Giselinus), unus erat is ipse ubi abyssi mentio occurrit.

859. In Oxon., *divitibus longo*. Heinsius conjicit *ditibus at longo*.

860. Ald., male, *totos* pro *totos*.

861. In nonnullis Vulg., *palatu*, mendose. Cell. *implorata* explicat de *cana fide* ex vers. 853. Malo intelligere de anima beata, quæ in paradiso a Prudentio collocatur, tanquam in sinu Abrahæ.

866. Fortasse alludit ad sententiam theologorum qui sedem damnatorum in terræ visceribus collocant. Post hunc versum aliqui addunt lemma: *De integritate visionis animæ*.

868. Wid., Bong. a secunda manu, et Ald., *Æstimat involvi, vitreo quos lucida palla*. Alii, *Æstimat, involvit vitreo quos lucida palla*. Cauchius ex conjectura, *pala*. Non placet Heinsio. Vide glossas. Senas oculi tunicas recensent aliqui, *conjunctivam, corneam, uveam, araneam, retinam, vitream*. Laudat hanc descriptionem organi visorii Giselinus interpres et medicus, qui septem tunicas oculi distinguit et notat, oculos speculi formam præ se ferre, cujus præcipua pars sunt tres humores concreti, seu coagulati; ex quo intelliges quid sint *concreta coagula*.

870. Oculi fenestræ animæ dicuntur a Gregorio Magno lib. XXI Moral. Lucretium *postes* elegantissime posuisse pro ipsis oculis, advertit Gifanius lib. III: *Jam magis exemptis oculis debere videtur Cernere res animus sublatis postibus ipsis*.

871. Vat. A, vitiose, *oculi denso*.

Horrescunt setis, ciliove umbrante teguntur? A
Illis viva acies, nec pupula parva, sed ignis
Trajector nebulæ, vasti et penetrator operti est.
Nil ferrugineum, solidumve tuentibus obstat.
567 Nocturnæ cedunt nebulæ: nigrantia cedunt
Nubila, prætenti cedit teres area mundi.
Nec tantum aerios visu transmittit hiatus
Spiritus: oppositos sed transit lumine montes,
Oceani fines atque ultima littora Thules
Transadigit, volucresque oculos in tartara mittit.
Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores
Visibus, et cæco delentur tempore formæ.
Nunquid et exutæ membris, ac viscere perdunt
568 Agnitione notas rerum, vel gressibus [errant?
Una animas semper facies habet, et color unus
Aeris, ut cuique est meritorum summa, sinistri,
Seu dextri: alternas nec commutabile tempus
Convertit, variatque vices: longum atque [perenne est,
Quidquid id est: unus volvit sua sæcula cursus.
Expertus dubitas, animas percurrere visu
Abdita, corporeis oculis cum sæpe quietis
Rore soporatis cernat mens viva remotos,
Distantesque locos, aciem per rura, per astra,
Per maria intendens? nec enim se segregat ipsa
Ante obitum vivis ex artubus, aut fugit exsul
Sanguinis, et carnis penetralia, seque medul- [lis

GLOSSÆ VETERES.

873. Setis, *setas vocat cilios, quos nos etiam tautones proprie nominamus*, I. B

874. Illis, *animabus, oculis animarum.* — Ignis, *igneus vigor*, I.

875. Trajector, *penetrator, transmissor*, I.

876. Ferrugineum, *nigrum, tenebrosum*, I.

878. Prætenti, *velocis.* — Area, *rotunditas, planities.* — Mundi, *cœli*, I.

879. Tantum, *sicut facit oculus corporis.* — Visu, *cum.* — Hiatus, *apertiones vel vastitates*, I.

880. Spiritus, *anima.* — Oppositos, *contra positos.* — Lumine, *sapientia*, I.

881. Thules, *ultima insularum*, I.

882. Transadigit, *transit*, I.

884. Cæco, *in nocte*, I.

885. Exutæ, *spiritus, animæ, formæ.* — Viscere, *carne*, I.

886. Notas, *rationes.* — Gressibus, *rationibus*, I.

888. Cuique, *unicuique.* — Summa, *qualitas.* — Sinistri, *mali, adversitatis*, I.

889. Dextri, *boni, prosperitatis; dextrum vel sinistrum aerem vocat dextram vel sinistram, quarum una ad vitam, altera ad mortem tendit*, I.

890. Vices, *tempora*, I.

891. Quidquid, *sive requies, sive pœna sit*, I.

892. Expertos, *probatos*, I.

893. Abdita, *secreta loca.* — Quietis, *somni, quietudinis*, I.

894. Rore, *suavitate; in nocte.* — Soporatis, *hominibus*, Iso.

895. Aciem, *visum.* — Astra, *cœlum*, I.

896. Intendens, *bene prospiciens.* — Ipsa, *anima*, I.

897. Vivis, *ut ante mortem exeant a corpore*, I.

898. Penetralia, *secreta.*—Medullis, *ab interioribus*, I.

COMMENTARIUS.

873. Vat. A, error, *aliove umbrante.*

874. In Alexandr., Thuan., Rot. et tribus Torr., *et pupula*. Alii, *nec pupula*, quod sensui congruere videtur; et secuti sunt Cell. et Teol. Suspicatur Heinsius *nec pupula prava*. Mihi lectio unice vera est *nec pupula parva.*

875. Vat. A, *nebulæ et vasti penetrator.* Descriptionem oculorum videre etiam poteris apud Ciceronem lib. II de Natura deorum.

876. In edit. Parmensi emendari debet mendum *solidumve mentibus*, et reponendum *solidumve tuentibus.*

878. Ald. contra metrum, *patenti cedit.*

881. Alii scribunt *Tile*, alii *Thyle*, alii *Thule*, et in gignendi casu *Thulæ*, vel *Thules*. De *Thule* vide Elmenhorstium ad Arnobii verba lib. VI, *Ultimam Thylem. Ultima* hæc insula antiquis dicebatur, quod ultra progressi non fuissent: ea est *Islandia*. Notum est Senecæ vaticinium (ita enim vocant) de novo mundo aliquando inveniendo. In Medea ita canit chorus act. II: *Venient annis Sæcula seris, quibus oceanus Vincula rerum laxet, et ingens Pateat tellus, Tiphysque novos Detegat orbes: nec sit terris Ultima Thule.* Quæ dum lego, nihil Senecam de novo orbe nostro cogitasse puto, sed ea solum laudare voluisse, quæ in expeditione Britannica a Claudio gerebantur: nam eam tragœdiam de Medea et Jasone fecisse, ut occasione primæ navigationis Claudio adularetur, et ab exsilio revocari obtineret, multi asserunt et exploratum videtur. Igitur chorum inducit, prædicentem ea quæ suo tempore accidere videbat, de posteris ipse nihil sollicitus, exaggerans tamen Claudii maritimos triumphos. De quo audi Pomponium Melam lib. III: *Britannia qualis sit et quales progeneret, mox certiora et magis explorata dicentur. Quippe tandiu clausam aperit ecce principum maximus, nec indomitarum modo ante se, verum* IGNOTARUM *quoque gentium victor; qui propriarum rerum fidem ut bello affectavit, ita triumpho* C *declaraturus portat.*

882. Præstantiores, ut Vat. A, Mar., Heinsiani, Weitz., *transadigit*. Gis., *transadiit*, cum Ald., Bongar. a prima manu. Ad oram Gis., *transcurrit*; al., *transuadit*. In Vulg., *transabiit*. Egm. et Widm., *transadigit*. Verbum esse Virgilianum *transadigere* monuit Heinsius.

883. Vat. A, Egm., Pal., *oculis* pro *omnes*. Non placet. Quo sensu pereant nocte colores, dictum est hymno 2 Cath., vers. 7.

885. Thuan., Mar., Prag., Rat., Gis., Weitz., *exutæ*, id est animæ. Heinsiani omnes præter Thuan., *exuti*, quod habent Alex., Urb. et alii. Tunc visus intelliguntur exuti. Prag., *viscera*, Vat. A, *pendunt*; utrumque falsum pro *viscere* et *perdunt.*

887. Ald., *animam*; alii, *animas*. Locus hic distorsit Chamillardum. Lege glossam Isonis, et intellige rem esse de extremo judicio, et de sorte, seu bona, seu mala, quam animæ sunt habituræ. Nescio, quid Trolius amplecti voluerit, *animam*, an *animas*: D nam errorem typographicum puto *Una anima semper facies habet*; sed recte ad hunc locum affert illud Eccles. XI, 3: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

892. Ita Put., Oxon., Cauch., Rot., tres Torr., Alex., Urb., Rat. a manu secunda, Eg., Ald. et Bonon. Alii legunt *expertos visus* cum Mar., Rat. a manu prima, Prag., Weitz., quod edidit Giselinus; sed monuit postea, in quibusdam apographis esse *Experto dubitas animas percurrere visu*, quod ipsi apprime placebat; et in prima editione adoptaverat. Ante Giselinum Sichardus secutus fuerat *expertos visus*. In Thuan. erat a manu prima *expertas*, a secunda manu *expertis*. Poeta exemplum adducit eorum, quæ in somnis experimur. Plerique male hunc locum interpungunt. Conjicio *expertes*, hoc est, animas separatas.

896. Prag., *nec sese segregat*, inconcinne.

897. In nonnullis vulg., *artibus*, male.

Exuit, abductamve abigit de pectore vitam : A
569 Viscera sed sede manens, speculatur acutis
Omnia luminibus, et qua circumtulit acrem
Naturæ levis intuitum, nullo objice rerum
Disclusa, ante oculos subjectum prospicit orbem,
Atque orbis sub mole situm sordens elementum.
Objacet interea tellus, nec visibus obstat.
Quin, si stelligerum vultus convertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus impedit ignem
Pervigilis animæ : quamvis denseta graventur
Nubila, et opposito nigrescat vellere cœlum.
Sic arcana videt tacitis cooperta futuris
Corporeus Joannes adhuc, nec carne solutus,
Munere sed somni, paulisper carne sequestra
Liber ad intuitum, sensuque, oculisque peragrans B
Ordine dispositos venturis solibus annos.
570 Procinctum videt angelicum jam jamque cremandi
Orbis in excidium, raucos et percipit aure
Mugitus gravium mundi sub fine tubarum.
Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus,
Secedente anima, non discedente, videbat.
Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit,
Corporis involucris tumulo frigente repostis?
Certa fides, rapidos subterna nocte caminos,
Qui pollutam animam per sæcula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remoti
Pauperis expositos; nec secius aurea dona
571 Justorum dirimente chao, rutilasque coronas

GLOSSÆ VETERES.

899. Abigit, *pellit*, I.
901. Acrem, *clarum*, *vel acutum*, I.
903. Disclusa, *separata*, *aperta*. — Ante oculos, *scilicet habens omnia*, I.
904. Elementum, *infernum*, I.
905. Visibus, *animæ*, Iso.
907. Obtutibus, *visibus*, I.
908. Pervigilis, *semper vigilantis*. — Denseta, *spissa*, I.
909. Vellere, *nube tenebrosa*, I.
910. Sic, *tali modo*.—Arcana, *mirabilia*, I.
912. Sequestra, *separata*, I.
914. Dispositos, *ordinatos*. — Solibus, *diebus vel temporibus*, I.
915. Procinctum, *exercitum*, *apparatum*, I.
916. Raucos, *tristes*, I.
917. Mugitus, *qui erunt in die judicii*. — Gravium, *magnarum*, *raucarum*, I.
919. Secedente, *vagante*, I.
920. Flatus, *anima*, I.
921. Involucris, *involutionibus : volucra dicimus involutiones vestimentorum*, *sed hoc in loco involutionem corporis mortui in sepulcro vocat involucra*, I. *Volucra*, *vel volucla dicuntur involutiones*, Vat. T.
922. Certa, *æterna ; scilicet est*. — Subterna, *ubi perpetua nox est*, Iso.
925. Pauperis, *Lazari*. — Expositos, *manifestatos*, *scilicet esse caminos*. — Secius, *tardius*. — Aurea, *pulchra*, I.
926. Dirimente, *dividente*. — Chao, *confusio tenebrarum; quia confusione distante non possumus misceri felices et mali*, I.

COMMENTARIUS.

899. Ald., perperam, *abiit de pectore*.
900. Ald., mendose, *manens speculator*.
903. In somnis res ita repræsentantur, quasi oculis corporeis videantur.
904. In Vat. A contra metrum est *positum* ; supra recte, *situm*.
906. In Vat. A desideratur *vultus*. In nonnullis vulg., *vultu*, male.
907. Vat. A, *nihil*, monosyllabum.
908. Vat. A, *denseta* ; Alex., Mar. et alii, *densata*. Utroque modo dicitur, *denso* et *denseo*. Heinsius præfert *denseta* cum Put. et Oxon.
910. Præstantiores Heinsiani, Alex., Ald., Weitz., aliique nostri, *futuris*. Fabr., Sich., Prag., Bong., Gis., *figuris*.
911. Alii, *Joannes*, alii, *Joannis*, alii utroque modo, ut Alex.
912. An S. Joannes Apocalypsin in somno viderit, disserui Cath. hymno 6, vers. 74. Fabricius in Comment. ad Poet. Christ., verbo EVANGELISTÆ, ait Prudentium affirmare evangelistam Joannem ea quæ scripsit vidisse animo, non oculis, neque somniantem, sed vigilantem, nebulis remotis; Sedulius vero Fabricio videtur testari Joannem ea vidisse in somnis. Scire tamen oportet hunc Sedulium esse ipsissimum Prudentium, cujus Dittochæum Fabricius Sedulio affingere volebat. Prudentius iterum atque iterum in Apocalypsi referenda somnum Joannis memorat.
913. Mar., Sich., in nonnullis vulg. ad oram, *liberat intuitum*, minus bene.
914. In Rat. erat *venturus*, perperam.
916. In Put. et Thuan. a manu secunda *tristes* pro *raucos*. De extremo orbis excidio per ignem, et de tuba, cujus mugitus præcedet, vide hymn. 11 Cath., versus finem. Ea quæ in Apocalypsi revelata sunt, C usque ad mundi finem non esse complenda, tenent plerique; alii jam esse completa existimant.
918. Corpus esse animæ carcerem quemdam, dictum satis hymno 10 Cath. Aliqui putant, id desumptum ex Ægyptiorum et Socratis scitis. Nihil est causæ, quamobrem eo confugiamus, cum pateant sacra volumina. Alii corpus *antrum*, alii *vincula*, alii *vas* appellant, quod jam monuimus.
920. Prag., *notabis*. Rat., *notabat*. Melius *notabit*.
921. Aldus primum edidit *involuclis* ; deinde correxit *involucris*. Ita habent omnes editi et plures mss. Sed in nonnullis pervetustis membranis invenio *involuclis* a secunda, sed prisca manu, et in glossa, bis terve *involucla*, quasi *involucula*, et per contractionem *involucla*.
922. Potiores Heinsiani cum Egm., Ald., Alex., Vat. A, Urb., *rapidos*. Multi alii, Mar., Prag., Rat., Weitz., Gis., Fabr., Widm., Bongars., *rabidos*. Venustius est *rapidos caminos*. Ald., Egm., præstantiores Heinsiani, Alex., Urb., Vat. A, Mar., *subterna*. D Weitz., Fabr., Gis., *sub tetra*. Prag. et Rat., *æterna*, quod videtur legisse Iso. Teolius, nisi erravit typographus, divisit ita, *sub terna*. Præferendum *subterna*, qua voce usus etiam est lib. I in Symm., vers. 392. *Subternus* ex Fabricii explicatione est subterraneus : quanquam dubitat Fabricius an sit legendum lib. I in Sym. *sub terris*. Videtur dictum *subternus* a *subter*, ut *supernus* a *super*.
924. Ald., *remotis* ; alii *remoti*, hoc est Lazari pauperis.
925. Monet Heinsius, in vetustissimis codicibus scribi *setius*, non *secius*, non solum apud Prudentium, sed etiam apud Virgilium, Ovidium, Silium, alios passim. Vides controversiam orthographicam, in qua minime sequar Weitzium, qui auctoritate solius Bongarsiani edidit *sæcius*.

Eminus ostendi pœnarum carcere mersis.
Hinc paradisicolæ post ulcera dira beato
Proditur, infelix, ululans in peste reatus,
Spiritus : inque vicem meritorum mutua cernunt.
O Dee cunctiparens, animæ dator, o Dee Christe,
Cujus ab ore Deus subsistit Spiritus unus :
Te moderante regor, te vitam principe duco,
Judice te pallens trepido, te judice eodem
Spem capio, fore, quidquid ago, veniabile apud te,
Quamlibet indignum venia faciamque, loquarque.
Confiteor (dimitte libens, et parce fatenti!)
Omne malum merui : sed tu bonus arbiter aufer,
Quod merui : meliora favens largire precanti.
Dona animæ quandoque meæ, cum corporis hujus
Liquerit hospitium, nervis, cute, sanguine, felle,
Ossibus exstructum, corrupta quod incola luxu
Heu! nimium complexa fovet cum flebilis hora
Clauserit hos orbes, et conclamata jacebit
572 Materies, oculisque suis mens nuda fruetur:
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum,
Immitem, rabidum, vultuque et voce minaci,
Terribilem, qui me maculosum aspergine morum
In præceps, ut prædo, trahat, nigrisque ruentem
Immergat specubus, cuncta exacturus ad usque
Quadrantem minimum damnosæ debita vitæ.
Multa in thesauris Patris est habitatio, Christe,
Disparibus discreta locis; non posco beata
In regione domum : sint illic casta virorum
Agmina, pulvereum quæ dedignantia censum,
Divitias petiere tuas : sit flore perenni
Candida virginitas, animum castrata recisum.
At mihi tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.
Esto, cavernoso, quia sic pro labe necesse est
573 Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno:
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æstuque calor languente tepescat.
Lux immensa alios, et tempora vincta coronis
Glorificent : me pœna levis clementer adurat.

GLOSSÆ VETERES.

927. Eminus, *e contra*, I.
928. Paradisicolæ, *Lazaro, paradisum colenti*, I.
930. Spiritus, *scilicet divitis*, I.
932. Subsistit, *est*, I.
933. Moderante, *regente*. — Principe, *scilicet existente*, I.
936. Indignum, *quod sit*, I.
937. Confiteor, *scilicet omnia mea commissa*, I.
939. Favens, *adjuvans*, I.
940. Quandoque, *olim*, I.
944. Condefleta, *deflcta, conclamata*, I.
949. Præceps, *profundum*, I.
952. Multa, *multiplex*. — Habitatio, *mansio*, Iso.
955. Pulvereum, *terrenum*. — Censum, *pecuniam*, I.
957. Castrata, *castigata*, I.
966. Glorificent, *lætificent*, Iso.

COMMENTARIUS.

927. Ald. Urb., *ostendit*, non probe.

930. Post hunc versum Mar. et Rat. pro titulo *Oratio*. Giselinus ad oram *Precatio* : quæ sitne Prudentii, nonnulli dubitant, sed immerito, cum eam Prudentio omnes membranæ et Theodulfus Aurelianensis vindicent.

931. Gis. ad marg., *cunctipotens*; in contextu, *cunctiparens*, quod habent alii, et legitur etiam hymno 14 Perist., vers. 128.

939. Quidam continuant *precanti Dona*, hoc est largire meliora dona.

944. Weitz. cum Widm. et Isone, *condefleta*. Alii, *conclamata*.

946. Assentior Teolio, qui putat Hieronymum Vidam hunc locum aliquatenus imitatum : *Da, Pater, extremæ cum vitæ advenerit hora, Te præsente, mori, nil me terrentibus umbris : Inque tuos animam amplexus effundere ovantem*. Scribo *amplexus*, non *complexus*, quod mendum est metro repugnans in editione Parmensi, ubi etiam male Hieronymus Vida dicitur *Hieron. Suida*, et locus indicatur xxv *Christiad.*, cum solum sint sex libri Christiados, et illi versus legantur in fine hymni 1 *Deo Optimo Maximo*, vol. I, pag. 214, Patavii, 1731, typis Josephi Comini, ubi subjungitur alius versus, ex quo imitatio Prudentii clarior apparet : *Hoc tantum mihi, plura aliis optantibus, adde*.

947., Rat., *rapidum*, minus bene, pro *rabidum*.

954. Prag., male, *sint illinc castra*.

956. Prag., *sic flore*. Melius est *sit*.

957. Explicat illud Matth. xix, 12 : *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum* : quod aliqui stulti male intellexerant de corpore, cum de animo sit accipiendum, qui ab omni voluptate carnisque illecebris est cohibendus.

959. Mar. a prima manu, *occurrit*; recte emendatum *occurrat*, nam postea est *devoret*. In editione Parmensi mendum esse puto *avida* pro *avidæ*.

961. In Mar. ex *acto* correctum probe *esto*. Posset distingui hic versus *esto cavernoso*, ut *esto* significet *etsi*.

963. Aldus, *mirificos*; rectius, *mitificos*.

966. *Glorifico* verbum ecclesiasticum est, ex analogia similium factum. In Vat. A post *clementer adurat* legitur *Explicit liber II Admartigenia*. In Marietti codice, *Finit de Amartigenia liber D*, quod Mariettus interpretatur *liber dictus*. In aliis, *Finit Humartigenia*.

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI QUINQUAGESIMI NONI.

PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LX.

PRUDENTII TOMUS POSTERIOR. — DRACONTII TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1847

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

PRUDENTIUS.

DRACONTIUS.

Paris.— Imprimerie de Vrayet de Surcy, rue de Sèvres, 37.

QUINTI SÆCULI

POETARUM

SERIES

CONTINUATUR,

NOVAQUE ET ACCURATISSIMA EDITIONE DONANTUR

AURELII PRUDENTII

NECNON

DRACONTII

CARMINA OMNIA,

JUXTA EDITIONEM AREVALI, GLOSSAS VETERES, LECTIONES VARIAS ERUDITISSIMOSQUE COMMENTARIOS EXHIBENTEM.

PRUDENTII TOMUS POSTERIOR. – DRACONTII TOMUS UNICUS.

PRIX : 7 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER, OU PETIT-MONTROUGE.

1847.

CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA I.




Sancti martyres in crucem, capitibus ad cœlum elevatis, tollebantur.

Appendebantur quandoque brachiis post tergum revinctis : quorum pedibus a diaboli ministris gravia pondera vinciri aliquando solebant.

Item cruci, capitibus in terram versis, affigebantur.

Mulieres christianæ capillis suspendebantur.

TABULA II.




A Martyr pedibus suspendebatur, igne, ut suffocaretur, supposito.

B Martyr laqueo appenditur.

C D Martyres in crucem agebantur

TABULA III.



A Martyr funibus corpori alligatis appensus, humeros oneratos habens glebis salis, in cujus ore lignum ad majorem pœnam immittebatur.

B Martyr unco suspensus.

C Martyr ambobus pedibus appensus, cujus caput malleis contundebatur.

D Postremus denique, oneribus collo et pedibus ligatis.


TABULA IV.



A Christianis quandoque suspensis lentus ignis supponebatur ut, fumo ex illo proveniente, faucibus premerentur. Hi quidem erant, qui cum sancto Propheta Davide canere poterant : Igne, dulcissime Jesu, nos examinasti, et non est inventa in nobis iniquitas.

CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA V.



A SS Martyres nonnunquam, ut muscarum et fucorum aculeis excruciarentur, stipitibus erectis, melle delibuti, radiisque solis expositi appendebantur.

B Aliquando vel utroque pede, ingentibus saxis ad eorum cervices alligatis :

C Vel altero pede, fumo supposito :

D Vel etiam apicibus pollicum manuum, eorum pedibus gravibus additis oneribus :

E Vel demum altero quoque pede in genu deflexo, et genu ferreo injecto vinculo, altero deinde pede ferri pondere gravato.

TABULA VI.



A Typhonis supplicium.

B Martyres corio bovis inclusi radiis solis objiciebantur.

C Scaphismi supplicium.

D Martyres quandoque humi positi, radiis item solis ad maximum eorum cruciatum exponebantur.

TABULA VII.



A Martyres quandoque rotis, mucronibus undique affixis, ligati, super cuspides ferreos circumagebantur.

B Aliquando, quibus affixi non erant prænotati mucrones, super cuspides item ferreos.

C Aut saltem, ut misere vitam finirent, super ardentes prunas.

D Demum rotarum convexis alligati, e loco sublimi præcipitabantur.

E Aut rotarum radiis intexti, sic ad plurimos dies, ut interirent, relinquebantur.

TABULA VIII.




A Martyres torculari premebantur, eo prorsus modo, quo uvæ olivæque ad vinum oleumque exprimendum premuntur.

B Trochleis extendebantur.

C Iisdem item elevabantur.

TABULA IX.



A Martyr in equuleo.
B Martyr pendens ab equuleo.
C Lampades accensæ.
D Scorpiones.
} His torquendi instrumentis qui in equuleum agebantur excruciari aliquando solebant.

TABULA X.




Modi sunt hi, quibus sancti Martyres loris, vel flagris, aut consimilibus cædebantur.
A Unum horum indicat,
B Alterum,
C Tertium.

TABULA XI.




Duo alii itidem modi quibus pariter SS. Martyres cædebantur.
A Primum ostendit atque demonstrat,
B Alterum : qui modus, in sanctorum Martyrum rebus gestis, his verbis exprimitur: *Cathomo cædatur.*

TABULA XII.




A **Martyres aliquando hoc modo lapidibus premebantur :**
B **Pugnis, alapis, calcibus, aliisve modis percutiebantur :**
C **Lapidibus item quandoque obruebantur.**

TABULA XIII.




A Ungulæ.
B Uncus.
C Ferrei pectines.
His instrumentis sancti Martyres discerpebantur.

TABULA XIV.




A **Martyres torrebantur,**
B **Vel tædis,**
C **Vel funalibus.**
D **Aut ardentibus lampadibus, quarum figura etiam in equuleo exprimitur.** ***Tabula IX, lit. C.***

TABULA XV.



A Martyres de equuleo depositi, divaricatis cruribus, vi ad quartum aut quintum foramen distendebantur.
B Aut viva calce, oleoque ebullienti, et consimilibus perfundebantur.
C Vel denique nudi super testaceis fragmentis premebantur, volvebanturque.

TABULA XVI.



A Martyres in crate ferrea torrebantur,
B Aliquando etiam vel in lecto ferreo,
C Aut in ignita sartagine,
D Aut in olla,
E Vel in tauro æneo,
F Et demum quandoque in lebete.
G Ferro hujus formæ utebantur gentiles in his SS. Martyrum carnificinis.

TABULA XVII.



Igni tradebantur SS. Martyres vel in fossis ardentibus carbonibus refertis,
Vel ad quatuor stipites alligati,
Vel in cupas,
Aut in rogum injecti,
Quandoque vel stipitibus erectis, funibus oleo et consimilibus illitis ligati.
Aut in propriis ædibus, vel carcere inclusi,
Denique vel in fornacem deturbati,
Aut in navim impositi. et in altum devecti

TABULA XVIII



A Martyres ardentibus prunis impositi volutari in eis solebant.
B Nonnunquam in lectulis ferreis ligati, liquato plumbo, resina ferventi, et pice cruciabantur.
C Aliquando sub axillis, ferris ignitis semiustulabantur.
D Aut etiam nudis pedibus per candentes carbones incedere cogebantur.

TABULA XIX.




A Urgebantur sancti Martyres de carnibus immolatis, deque sacrificii vino degustare. Qui tamen ad hoc sacrilegium perpetrandum nulla vi nullisque minis adduci unquam potuerunt.

TABULA XX.



A Sanctæ Christi Virgines ignominiæ causa vel ad meretricum prostibula vi ducebantur,
B Vel sic ad turpitudinem radebantur.

TABULA XXI.




A Martyribus ob Christi fidem vel pellis detrahebatur,
B Vel eisdem adhuc tepentibus cor et viscera extrahebantur :
C Securi quandoque ipsorum capita contundebantur :
D Aliqui gladio obtruncabantur,
E Alii telis configebantur,
F Vel præacuta sude aut consimilibus transverberabantur :
G Alii ad duarum arborum ramos alligati discerpebantur :
H Aliqui demum acutis calamis sub manuum pedumque unguibus infixis torquebantur.

TABULA XXII.



A Sanctorum Martyrum vultus notis deturpabantur :
B Eisdem crura confringebantur.
C Alii vel ferarum pellibus induti, } canibus objiciebantur.
D Vel hòc qui expressus est modo }
E Alii præterea aut in puteos præcipites dabantur :
F Aut culeo } in profluentem projiciebantur :
G Vel denique plumbeis loculis inclusi }

TABULA XXIII.




A Christianorum aliqui vel muribus rodendi, ea, quam hæc figura demonstrat, forma, tradebantur,
B Vel unus super alium perinde ac agmina locustarum in angustioribus custodiis includebantur,
C Vel etiam immissis equitibus obterebantur.

TABULA XXIV.




A Sancti Martyres vestibus denudati vel super ferreos murices premebantur.
B Vel sic alligati per diversa loca ducebantur,
C Aut in calcis fornacem conjiciebantur.
D Vel demum ex altissimis locis præcipites dabantur.

TABULA XXV.




A B Dabantur Sancti Martyres in metalla :
C Quandoque vero, præsertim nobiles, animalium rationis expertium pastores ac custodes constituebantur :
D Alii aut ad arenam fodiendam,
E Aut ad segetes desecandas damnabantur.
F Vel denique camelorum curæ ascribebantur.

TABULA XXVI.



Instrumenta Martyrii Romæ in cœmeteriis reperta.

Specimen codicis de quo supra in Prolegomenis Dracontii operum, in fine capitis VII, col. hujus tomi 640.



Inscriptio dedicatoria.

SANCTISSIMO. PATRI
ET. D. N. PIO. VI. PONT. MAX.
QVI. PRO. EXIMIO. ET. SINGVLARI. STVDIO
ECCLESIASTICAE. DOCTRINAE
EXCOLENDAE. AMPLIFICANDAE. COHONESTANDAE
EDITIONI. ROMANAE. CARMINVM
M. AVRELII. CLEMENTIS. PRUDENTII
TITVLVM. SACRATISSIMI. NOMINIS. PRAESCRIBI
BENIGNISSIME. INDVLSIT
VOLVMEN. ALTERVM. QVO. CATHOLICVS. POETA
CONCVLCAT. SACRA. GENTIVM. LABEM. INFERT. IDOLIS
CARMEN. MARTYRIBVS. DEVOVET. LAVDAT. APOSTOLOS
FAVSTINVS. AREVALVS
POST. HVMILLIMA. PEDVM. OSCVLA. BEATORVM
D. D. L. MERITO.

PRÆFATIO.

Habes, L. B., commentarium in Prudentii carmina, quæ supererant excudenda, serius fortasse quam multorum opinio, aut etiam exspectatio ferebat, verum multo citius quam aut res ipsa pati debere videbatur, aut quam destinatum mihi erat ut opus ex animi mei sententia in lucem prodiret. Equidem volumen prius e manibus mihi elabi, atque in vulgus venire, haud ægre tuleram, quod ita mecum constitueram fieri posse ut aliorum qua monitis, qua reprehensionibus doctior factus, aut nonnulla jam dicta retractarem, in meliusque converterem, aut deinceps dicenda ad severiorem judicandi normam exigerem. Hujus mei consilii exstiteritne aliquis fructus, ultro aliis judicandum relinquerem, nisi rem ita esse grati animi causa præstaret profiteri. Verum, si quod aliud scriptionis genus, commentarius certe in doctissimum poetam Christianum diuturni temporis mora indiget ad maturitatem. Nam in varietate et copia argumentorum prope infinita quam multa, etiam dum aliud agimus, tempus et casus offerunt, quæ incassum alias quæreres, ac ne cogitatio quidem quærendi facile excitaretur? Quid in ipsa adeo familiari et quotidiana sermonis communicatione consilia doctorum hominum et cogitata commemorem? Romæ præsertim, ubi tam multi sunt qui in antiquitatibus sacris et profanis investigandis juvare te possint et velint, nusquam ut alibi majora adsint adjumenta ad hujusmodi rerum commentationes perficiendas. Cæterum ne tarditatis et procrastinationis arguar, aut cessasse potius videar quam temporis opportunitatem voluisse exspectare, quoad opus maturesceret, aliorum demum consilio acquievi, moremque voluntati gessi. Illud etiam addebat animos, quod industriam a me in priori volumine positam multi viri graves sibi non solum gratam, verum etiam ratam fuisse haud obscura animi significatione declararunt : viri, inquam, graves, a partium studio semoti, et acri judicio præstantes, quique præterea liberam sententiam omnium maxime proferre possunt. Quanquam de me quis liberrime non judicet? qui liberiores quorumlibet hominum censuras, præjudicatas etiam non legentium castigationes, fastidia eorum qui, cum meliora fortasse facere ipsi possint, nihil tamen extricant, maluntque in republica litteraria judicia ferre quam subire, nec cohibere possim, si velim, neque adeo velim, si possim. Quo majorem gratiam his habere debeo, qui bene de me sunt meriti. Accedebat, quod cum duobus voluminibus carmina Prudentii comprehendere decrevissem, ita eorum moles mihi necopinanti accrevit, ut plura resecare, quædam in aliud opus rejicere coactus sim. Atque id præcipuum illud est, quod ante monere volui, ne sine causa præfari videar. Quippe pollicitus fueram duas me diatribas commentario posterioris hujus voluminis præpositurum, alteram de Eversione aræ Victoriæ, alteram de Fide Prudentii in actis SS. martyrum referendis. Quibus de rebus cum locus non sit uberius disserendi, in commentariis ea dixi quæ necessaria visa sunt, et satis esse debent ad poetam explanandum, ejusque auctoritatem vindicandam. Alia quæ in utroque argumento distinctius et explicatius pertractando addi possunt, ita separato opere complecti est animus, ut ad Prudentii interpretationem absolvendam non supervacanea sint, si accedant, neque, si absint, magnopere desiderentur. Itaque Prudentium perinde nunc edo, ac sua opera absolvere solent nonnulli architecti, qui ædibus quamvis amplissimis, et quibus nihil jam ad perfectionem et absolutionem videatur deesse, ita tamen fastigium imponunt, ut ex aliquo latere projecturas, et crepidines murorum, quasi vestigia continuandi operis, relinquant, unde ædificium possit vel ab ipsis, vel ab aliis, si usus veniat, aliquando amplificari, et in augustiorem formam redigi. Vale.

PRÆFATIO PSYCHOMACHIÆ.

577 Senex fidelis, prima credendi via,
Abram, beati seminis serus pater,
578 Adjecta cujus nomen auxit syllaba,
A
Abram parenti dictus, Abraham Deo.
579 Senile pignus qui dicavit victimæ,
Docens, ad aram cum litare quis velit,

GLOSSÆ VETERES.

Psychomachia, *Græce; Latine dicitur animæ certamen, eo quod ibi bella figurentur, quibus adversus vitia fidelis anima præliatur, sed textum narrationis de libro Genesis assumpta præcedit præfatio, ut sequens opus divina melius commendet auctoritas*, Iso.

Versu 1. Prima, *ita recte vocatur Abraham, ut scriptum est : Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam; propterea non solum pater est circumcisionis, sed et omnium eorum qui sectantur ejus vestigia fidei*, I.

2. Beati, *Christi sexus* (leg. *servus*) *pater exstitit, ut non tantum dilatione desideria crescerent, sed etiam ut ad excipiendam gratiam multis eruditionibus corda præpararentur, diuque exspectata redemptio tandem adveniens gratior haberetur*, I.

3. Adjecta, *aiunt Hebræi, quod he litteram de nomine suo quod apud eos tetragrammaton est, Abræ Deus dederit; ut, qui prius pater excelsus appellabatur, postea multorum, subauditur populorum sive gentium, pater vocaretur*, Iso.

5. Senile, *qui in senectute datus ei fuerat; offerens filium, qui fuit senile pignus.* — Pignus, *pignora filii nuncupantur, eo quod in eis spes habeatur futuræ posteritatis.* — Dicavit, *consecravit.* — Victimæ, *ad victimam*, Iso.

6. Litare, *immolare : lito derivatur a linio, et est frequentativum, licet aliud significare videatur*, I.

COMMENTARIUS.

Titulus in codice Marietti est *Incipit præfatio in Christi nomine Psychomachiæ.* In cod. Vat. C, *Incipit liber Prudentii Aurelii Psychomachia.* In Alex., *Incipit Psychomachia liber* IV, sed fortasse est error, nam in fine dicitur *Finit liber* III *Psychomachia*, nisi liber IV vocetur quia quartus est ordine in eo volumine, qui idem tertius est contra hæreticos.

Versu 1. In codicibus Vaticanis antiquissimis A et B deest *Psychomachia;* adest vero in aliis compluribus, quibus hoc opus separatim comprehenditur. Cum enim plura contineat, ad vitam spiritualem dirigendam valde opportuna, monachi illud præ cæteris adamarunt, et sæpius exscripserunt; in aliis vero codicibus omnino Psychomachia prætermissa est, quod, ut ego arbitror, hoc carmen nimis jam vulgatum videretur. Itaque neque in Urbinate elegantissimo codice, neque in Florentino comparet. Psychomachiæ codices seorsum exarati in bibliotheca Vaticana sunt ii quos distinximus litteris C, E, F, G, H, L. Cum nonnullis autem operibus Prudentii Psychomachia exstat in codd. O, BB, de quibus omnibus vide proleg. cap. 4, ubi etiam observare poteris, an et quos titulos singuli codices habuerint. De codice Psychomachiæ bibliothecæ Angelicæ egi cod. cap. Alia huc pertinentia dedi in not. ad præfationem Prudentii vers. 39, et in not. ad titulum Hamartigeniæ. In prolegom. num. 216 notavi, divisionem capitum a Barthio judicari ex monachorum ingenio profectam, sive, ut ille ait, monachicam. De versione Psychomachiæ Hispanica consule proleg. num 119, de Græca num. 91 et 121. Psychomachiam quod alii *De Pugna animi*, alii *De Compugnantia animi*, vel *animæ*, alii *De Certamine virtutum et vitiorum* Latine inscribunt, non male quidem faciunt; videtamen an melius possit exponi *Pugna spiritualis*, qua inscriptione celeberrimus editus est liber Italice sine auctoris nomine sæpius recusus, et in plures linguas conversus, et jam pridem suo auctori vindicatus V. P. Laurentio Scupoli ord. cler. reg. Theatinorum. Conferendi tamen sunt duo alii libri Hispanici ejusdem tituli, alter *Una Lucha y Combate del alma con sos afectos desordenados*, Barcinone, 1610, auctore Ludovico de Vera Carthusiano : alter *De la Perfecion de la vida Christiana*, auctore Joanne de Castaniza Benedictino : quod opus cum titulo *Pugnæ spiritualis* Latine et Belgice redditum prodiit. Quod autem Prudentius virtutes et vitia quasi personas in hoc poemate inducit, novum non est. Vide quæ J. C. Scaliger notat lib. III Poetices, cap. 3, *de Quasi Personis*, ut inopia, fama, luxuria, etc. Illud vero ante Prudentium ab alio factum non memini, totum carmen ex hujusmodi quasi personis componi. Legi dignus est libellus Emmanuelis Martini de animi Affectibus, quo Græca nomina vitiorum et virtutum exponit, post ejus epistolas in editione quam Petrus Wesselingius procuravit. Tractatus de Agone Christiano exstat tom. VI operum S. Augustini, et alius de Conflictu vitiorum et virtutum, qui postremus S. Isidori potius creditur esse. Alii auctorem dicunt fuisse S. Ambrosium, alii S. Leonem, Maurini Ambrosium Autpertum, quod est probabilius. Prudentius, certamen inter virtutes et vitia descripturus, exemplum vincendi nobis proponit Abrahamum senem fidelem. Primas enim partes ac postremas pariter habet fides in hoc triumpho, atque adeo congruenter de Abrahamo præfatur poeta. Sicut enim ille, quamvis senex, C quia Deo credidit, hostes debellavit, ita nos, quamvis natura infirmi et debiles, tamen fidei scuto armati, adversarios et vitia superare poterimus. In editis ante Heinsium, Aldo, Torn., Gis., Weitzio legebatur *prima credendi via est.* Heinsius removit *est*, allegans suos codd. Favent illi Bonon., Alex. et alii. In Vat. C est abrasum verbum substantivum *est.* Beda de Arte metrica versum hunc exscribit sine *est.* Nihilominus exstat *est* in Mar., Rat., Vienn., Prag, Vatt. G et L, et aliis. Gallandius expunxit *est*, sed non agnoscit epexegesin : putat enim, hæc omnia regi a verbis *suasit, dedit*, in versu 10, quod magis poeticum est, et ad Pindari morem expressum. Totam Abrahami historiam habes cap. XI et seqq. Genesis.

3. Loc. cit., cap. XVII, vers. 9 : *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham. quia patrem multarum gentium constitui te.*

4. Plerique editi et optimi mss., *parenti.* Aldus, *parente*, cum cod. Ang. et Vatt. O, BB, minus bene.

D 5. *Dicare victimæ* est *in vicem victimæ.* Quam locutionem confirmans Barthius lib. XXIV Adversar., cap. 5, *elegantium rerum thesaurum* esse Prudentium testatur, et similia dixisse Catullum, Germanicum, Martialem, Claudianum observat. Huc faciunt notanda ad hymn. 3 Peristeph., vers. 118 : *Aut facibus data fumificis.*

6. *Litare* alii a *luo* derivant, alii verius a λιτή, λιτά. id est *preces, supplicatio.*

Quod dulce cordi, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.
Pugnare nosmet cum profanis gentibus
Suasit, suumque suasor exemplum dedit :
Nec ante prolem conjugalem gignere,
Deo parente, matre virtute editam,
580 Quam strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis servientis vicerit.
Victum feroces forte reges ceperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomæ et Gomorrhæ, quas fovebat advena,
Pollens honore patruelis gloriæ.
Abram, sinistris excitatus nuntiis,
A Audit, propinquum, sorte captum bellica,
Servire duris barbarorum vinculis :
Armat trecentos, terque senos vernulas,
Pergant ut hostis terga euntis cædere :
581 Quem gaza dives, ac triumphus nobilis
Captis tenebant impeditum copiis.
Quin ipse ferrum stringit, et plenus Deo
Reges superbos mole prædarum graves
Pellit fugatos, sauciatos proterit,
Frangit catenas, et rapinam liberat,
Aurum, puellas, parvulos, monilia,
Greges equarum, vasa, vestem, buculas.
Loth ipse ruptis expeditus nexibus

GLOSSÆ VETERES.

7. Quod, *sicut Abraham unigenitum, quem diligebat, obtulit, sic offerendum Deo credat fidelis, quidquid præcipuum cordis invenerit.* — Cordi, *scilicet est.* — Pium, *dilectum*, I.

9. Profanis, *profanæ gentes sunt passiones animæ, et vitia sunt portenta cordis et animæ passiones, quæ cupiditas, lætitia, et ægritudo; unde et Virgilius canebat :* Cupiunt, gaudentque, dolentque, Iso.

10. Exemplum, *sicut ille veros reges perdidit, ita nos exterminare vitia suasit, quibus in quinque sensibus subjugati sumus. Nam Abraham spiritum bellicosum significat; quinque reges quinque sensus corporis; Loth fidem captam a vitiis; quam relaxat spiritus bellicosus;* CCCXVIII *vernaculi fidem significat quæ in Nicæno concilio est constituta a* CCCXVIII *episcopis, sed* X *ad decalogum,* VIII *ad octo beatitudines pertinere possunt; qui his omnibus caret, nunquam ad prædictas beatitudines perveniet*, Iso.

11. Prolem, *fructum boni operis*, Iso.

12. Editam, *prolatam, procreatam*, Iso.

13. Strage, *cæde.* — Bellicosus spiritus, *ratio, quæ est in anima, pugnam exercens contra vitia ab harum servitute cum cor bellicosus spiritus liberaverit, erit consequens ut de matre virtute placens Deo proles creetur boni scilicet operis fructus*, I.

14. Portenta, *monstra, vel vitia*, Iso.

15. Ceperant, *merito capitur, qui cum criminosis moratur ; imo delegerat immorari; contra quod Moyses ad populum, Discedite, inquit, a tabernaculis hominum impiorum ; haud dubium quin dicat abire, ne et ipsi* B *involvantur in peccatis eorum*, Iso.

16. Immorantem, *habitantem*, Iso.

17. Fovebat, *incolebat, diligebat*, Iso.

18. Pollens, *crescens, sive fulgens, vel abundans sicut scriptum est : Recordatus est Deus Abraham, et liberavit Loth de subversione urbis.* — Honore, *ob honorem patrui Loth pollebat, sicut scriptum est, etc., vel certe quia apud omnes Abraham propheta Dei habebatur.* — Patruelis, *Abrahæ*, Iso.

19. Sinistris, *contrariis ; sinister nuntius erat qui adversa captivitatis nepotemque captum servire barbaris nuntiabat.* — Excitatus, *conturbatus*, Iso.

21. Barbarorum, *gentilium*, Iso.

22. Terque senos, XVIII, Iso.

24. Quem, *euntem hostem divitis gazæ copia impeditum fecerat*, Iso.

25. Impeditum, *hostem pro hostibus posuit, singulare pro plurali, ut est illud : Venit musca gravissima.* — Copiis, *divitiis*, Iso.

26. Stringit, *evaginat.* — Plenus Deo, *quoniam plenus Deo erat, ideo adversas acies facile superabat*, Iso. C

27. Mole, *magnitudine*, Iso.

28. Pellit, *hic invenitur schema, quod hypozeuxis appellatur; videlicet ubi diversa verba singulis quibusque clausulis proprie junguntur.* — Sauciatos, *vulneratos*, Iso.

30. Monilia, *ornamenta, pro omni ornatu*, Iso.

31. Buculas, *vaccas, greges vaccarum, armenta boum*, Iso.

32. Expeditus, *liberatus, velox, vel solutus*, Iso.

COMMENTARIUS.

7. In Vat. D, contra metrum, *quod est dulce cordi.* Ald., Gis. et alii vulg., *quod dulce cordi est.* A veteribus libris Heinsianis, a Mar., Rat., Weitz., Vatt., C, F, G, L, et aliis plerisque abest verbum substantivum *est* per epexegesin, ut in versu primo.

8. Scholiastes Persii ad illud *Lusca sacerdos* satyra 5 ait : *Solent mulieres deformes et aliqua corporis parte mancæ ad deorum ministeria se conferre.* Contra faciendum exemplo suo docuit Abrahamus.

10. Ald., mendose, *suasit, et suum.*

12. Mar., Rat., Weitz. cum aliis, Gis.. *parente.* Heinsiani omnes, Alex., Vatt. F, G, et plerique alii, *placentem.* Fuldens. male, *placente.* Heinsius ait in suis esse *Deo placentem* cum Aldo; addit Teolius, editiones omnes Heinsio anteriores, Aldina excepta, habere *Deo parente.* At non solum in Aldina editione, sed in aliis etiam antiquis invenio *Deo placentem*, ut in Basileensi anni 1540, Coloniensi 1594, et aliis. Sichardo placet *parente*, quia sequitur *matre virtute*, ut Cicero gloriabatur, se suæ nobilitatis *parentem* habere laborem. Virtus mater dicitur, ut *castitas mater* hymno 11 Cathem. vers. 14.

14. Ald., Gis., Erfurt., Bong., Aug. cum Vatt. C, G, O, R, BB, et aliis, *sævientis.* Put., Oxon., Egm., Widm., Bonon., Alex., Mar., Rat. a prima manu, et alii *servientis*, quo verbo simili ratione sæpe usus est Prudentius. Barthius, lib. XLIII, cap. 7 Advers., in quodam ms. invenerat *sævientis*, quod optimum putat ; sed fatetur in plerisque codd. esse *servientis*, et explicat, nisi cor redegerit in servitutem, et ita portenta ejus, sive malignas cogitationes vicerit.

15. In Mar. error est *ceperit*, correctum supra *ceperant.* Simile mendum in Vat. C, *ceparat.*

22. Pignorius, de Servis pag. 22 et seqq., de vernæ et vernulæ appellatione disserit ; ita vocabant antiqui servos domi natos. Sed aliquando *vernæ* vox latiore notione pro quibuslibet servis accipiebatur, ut exemplis confirmat Pignorius. D

23. Mar., *pergat;* supra *pergant*, recte.

24. Sichardus, perperam, *triumphator* pro *triumphus.* Triumphus nobilis dicitur, ut oda 1 Horatii : *Palmaque nobilis.*


25. Scripti Heinsiani, Alex., Vat. F, Ald., Bonon., Egm. et alii, *captis tenebant.* Weitzius, Gis., Mar., Rat., Vatt. C, F et alii, *captis tenebat.* Viennensis, *captum tenebat.*

26. Vienn., *tunc ipse ;* alii, *quin ipse.* Erfurt. a prima manu, *strinxit* pro *stringit.*

31. Elmenhorstius in Arnobium pag. 16, *buculam* pro bove, juvenca, bacca ex glossis veteribus, Virgilio, Aldhelmo dici comprobat. Ald. et Aug., *vestes ;* alii, *vestem.*

32. Mar. et Bonon. cum Heinsianis, præter Puteanum, *expeditus vinculis*, quos sequi noluit Heinsius.

TABULA I.



Sancti martyres in crucem, capitibus ad cœlum elevatis, tollebantur.

Appendebantur quandoque brachiis post tergum revinctis : quorum pedibus a diaboli ministris gravia pondera vinciri aliquando solebant.

Item cruci, capitibus in terram versis, affigebantur.

Mulieres christianæ capillis suspendebantur.

TABULA II.



A Martyr pedibus suspendebatur, igne, ut suffocaretur, supposito.

B Martyr laqueo appenditur.

C D Martyres in crucem agebantur

TABULA III.



A Martyr funibus corpori alligatis appensus, humeros oneratos habens glebis salis, in cujus ore lignum ad majorem pœnam immittebatur.

B Martyr unco suspensus.

C Martyr ambobus pedibus appensus, cujus caput malleis contundebatur.

D Postremus denique, oneribus collo et pedibus ligatis.


TABULA IV.



A Christianis quandoque suspensis lentus ignis supponebatur ut, fumo ex illo proveniente, faucibus premerentur. Hi quidem erant, qui cum sancto Propheta Davide canere poterant : Igne, dulcissime Jesu, nos examinasti, et non est inventa in nobis iniquitas.

CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA V.



A SS. Martyres nonnunquam, ut muscarum et fucorum aculeis excruciarentur, stipitibus erectis, melle delibuti, radiisque solis expositi appendebantur.
B Aliquando vel utroque pede, ingentibus saxis ad eorum cervices alligatis:
C Vel altero pede, fumo supposito:
D Vel etiam apicibus pollicum manuum, eorum pedibus gravibus additis oneribus:
E Vel demum altero quoque pede in genu deflexo, et genu ferreo injecto vinculo, altero deinde pede ferri pondere gravato.

TABULA VI.



A Cyphonis supplicium.
B Martyres corio bovis inclusi radiis solis objiciebantur.
C Scaphismi supplicium.
D Martyres quandoque humi positi, radiis item solis ad maximum eorum cruciatum exponebantur.

TABULA VII.



A Martyres quandoque rotis, mucronibus undique affixis, ligati, super cuspides ferreos circumagebantur.
B Aliquando, quibus affixi non erant prænotati mucrones, super cuspides item ferreos.
C Aut saltem, ut misere vitam finirent, super ardentes prunas.
D **Demum rotarum convexis alligati, e loco sublimi præcipitabantur.**
E **Aut rotarum radiis intexti, sic ad plurimos dies, ut interirent, relinquebantur.**

TABULA VIII.



A Martyres torculari premebantur, eo prorsus modo, quo uvæ olivæque ad vinum oleumque exprimendum premuntur.
B **Trochleis extendebantur.**
C **Iisdem item elevabantur.**

TABULA IX.



A Martyr in equuleo.
B Martyr pendens ab equuleo.
C Lampades accensæ.
D Scorpiones. } His torquendi instrumentis qui in equuleum agebantur excruciari aliquando solebant.

TABULA X.




Modi sunt hi, quibus sancti Martyres loris, vel flagris, aut consimilibus cædebantur.
A Unum horum indicat,
B Alterum,
C Tertium.

TABULA XI.




Duo alii itidem modi quibus pariter SS. Martyres cædebantur.
A Primum ostendit atque demonstrat,
B Alterum : qui modus, in sanctorum Martyrum rebus gestis, his verbis exprimitur : *Cathomo cædatur.*

TABULA XII.




A Martyres aliquando hoc modo lapidibus premebantur :
B Pugnis, alapis, calcibus, aliisve modis percutiebantur :
C Lapidibus item quandoque obruebantur.

TABULA XIII.




A Ungulæ.
B Uncus.
C Ferrei pectines.
His instrumentis sancti Martyres discerpebantur.

TABULA XV.




A Martyres de equuleo depositi, divaricatis cruribus, vi ad quartum aut quintum foramen distendebantur.
B Aut viva calce, oleoque ebullienti, et consimilibus perfundebantur.
C Vel denique nudi super testaceis fragmentis premebantur, volvebanturque.

TABULA XIV.



***A* Martyres torrebantur,**
***B* Vel tædis,**
***C* Vel funalibus.**
D* Aut ardentibus lampadibus, quarum figura etiam in equuleo exprimitur. *Tabula IX, lit. C.

TABULA XVI.



A Martyres in crate ferreo torrebantur,
B Aliquando etiam vel in lecto ferreo,
C Aut in ignita sartagine,
D Aut in olla,
E Vel in tauro æneo,
F Et demum quandoque in lebete.
G Ferro hujus formæ utebantur gentiles in his SS. Martyrum carnificinis.

TABULA XVII.




Igni tradebantur SS. Martyres vel in fossis ardentibus carbonibus refertis,
Vel ad quatuor stipites alligati,
Vel in cupas,
Aut in rogum injecti,
Quandoque vel stipitibus erectis, funibus oleo et consimilibus illitis ligati.
Aut in propriis ædibus, vel carcere inclusi,
Denique vel in fornacem deturbati,
Aut in navim impositi. et in altum devecti

TABULA XVIII



A Martyres ardentibus prunis impositi volutari in eis solebant.
B Nonnunquam in lectulis ferreis ligati, liquato plumbo, resina ferventi, et pice cruciabantur.
C Aliquando sub axillis, ferris ignitis semiustulabantur.
D Aut etiam nudis pedibus per candentes carbones incedere cogebantur.

TABULA XIX.




A Urgebantur sancti Martyres de carnibus immolatis, deque sacrificii vino degustare. Qui tamen ad hoc sacrilegium perpetrandum nulla vi nullisque minis adduci unquam potuerunt.

TABULA XX.



A Sanctæ Christi Virgines ignominiæ causa vel ad meretricum prostibula vi ducebantur,
B Vel sic ad turpitudinem rapiebantur.

TABULA XXI.




A Martyribus ob Christi fidem vel pellis detrahebatur,
B Vel eisdem adhuc tepentibus cor et viscera extrahebantur :
C Securi quandoque ipsorum capita contundebantur :
D Aliqui gladio obtruncabantur,
E Alii telis configebantur,
F Vel præacuta sude aut consimilibus transverberabantur :
G Alii ad duarum arborum ramos alligati discerpebantur :
H Aliqui demum acutis calamis sub manuum pedumque unguibus infixis torquebantur.

TABULA XXII.



A Sanctorum Martyrum vultus notis deturpabantur :
B Eisdem crura confringebantur.
C Alii vel ferarum pellibus induti, } canibus objiciebantur.
D Vel hoc qui expressus est modo }
E Alii præterea aut in puteos præcipites dabantur :
F Aut culeo } in profluentem projiciebantur :
G Vel denique plumbeis loculis inclusi }

TABULA XXIII.



A Christianorum aliqui vel muribus rodendi, ea, quam hæc figura demonstrat, forma, tradebantur,
B Vel unus super alium perinde ac agmina locustarum in angustioribus custodiis includebantur,
C Vel etiam immissis equitibus obterebantur.

TABULA XXIV.



A Sancti Martyres vestibus denudati vel super ferreos murices premebantur.
B Vel sic alligati per diversa loca ducebantur,
C Aut in calcis fornacem conjiciebantur.
D Vel demum ex altissimis locis præcipites dabantur.


CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA XXV.




A B Dabantur Sancti Martyres in metalla :
C Quandoque vero, præsertim nobiles, animalium rationis expertium pastores ac custodes constituebantur :
D Alii aut ad arenam fodiendam,
E Aut ad segetes desecandas damnabantur.
F Vel denique camelorum curæ ascribebantur.

TABULA XXVI.



Instrumenta Martyrii Romæ in cœmeteriis reperta.

Specimen codicis de quo supra in Prolegomenis Dracontii operum, in fine capitis VII, col. hujus tomi 640.



Inscriptio dedicatoria.

SANCTISSIMO. PATRI
ET. D. N. PIO. VI. PONT. MAX.
QVI. PRO. EXIMIO. ET. SINGVLARI. STVDIO
ECCLESIASTICAE. DOCTRINAE
EXCOLENDAE. AMPLIFICANDAE. COHONESTANDAE
EDITIONI. ROMANAE. CARMINVM
M. AVRELII. CLEMENTIS. PRUDENTII
TITVLVM. SACRATISSIMI. NOMINIS. PRAESCRIBI
BENIGNISSIME. INDVLSIT
VOLVMEN. ALTERVM. QVO. CATHOLICVS. POETA
CONCVLCAT. SACRA. GENTIVM. LABEM. INFERT. IDOLIS
CARMEN. MARTYRIBVS. DEVOVET. LAVDAT. APOSTOLOS
FAVSTINVS. AREVALVS
POST. HVMILLIMA. PEDVM. OSCVLA. BEATORVM
D. D. L. MERITO.

PRÆFATIO.

Habes, L. B., commentarium in Prudentii carmina, quæ supererant excudenda, serius fortasse quam multorum opinio, aut etiam exspectatio ferebat, verum multo citius quam aut res ipsa pati debere videbatur, aut quam destinatum mihi erat ut opus ex animi mei sententia in lucem prodiret. Equidem volumen prius e manibus mihi elabi, atque in vulgus venire, haud ægre tuleram, quod ita mecum constitueram fieri posse ut aliorum qua monitis, qua reprehensionibus doctior factus, aut nonnulla jam dicta retractarem, in meliusque converterem, aut deinceps dicenda ad severiorem judicandi normam exigerem. Hujus mei consilii exstiteritne aliquis fructus, ultro aliis judicandum relinquerem, nisi rem ita esse grati animi causa præstaret profiteri. Verum, si quod aliud scriptionis genus, commentarius certe in doctissimum poetam Christianum diuturni temporis mora indiget ad maturitatem. Nam in varietate et copia argumentorum prope infinita quam multa, etiam dum aliud agimus, tempus et casus offerunt, quæ incassum alias quæreres, ac ne cogitatio quidem quærendi facile excitaretur? Quid in ipsa adeo familiari et quotidiana sermonis communicatione consilia doctorum hominum et cogitata commemorem? Romæ præsertim, ubi tam multi sunt qui in antiquitatibus sacris et profanis investigandis juvare te possint et velint, nusquam ut alibi majora adsint adjumenta ad hujusmodi rerum commentationes perficiendas. Cæterum ne tarditatis et procrastinationis arguar, aut cessasse potius videar quam temporis opportunitatem voluisse exspectare, quoad opus maturesceret, aliorum demum consilio acquievi, moremque voluntati gessi. Illud etiam addebat animos, quod industriam a me in priori volumine positam multi viri graves sibi non solum gratam, verum etiam ratam fuisse haud obscura animi significatione declararunt : viri, inquam, graves, a partium studio semoti, et acri judicio præstantes, quique præterea liberam sententiam omnium maxime proferre possunt. Quanquam de me quis liberrime non judicet? qui liberiores quorumlibet hominum censuras, præjudicatas etiam non legentium castigationes, fastidia eorum qui, cum meliora fortasse facere ipsi possint, nihil tamen extricant, maluntque in republica litteraria judicia ferre quam subire, nec cohibere possim, si velim, neque adeo velim, si possim. Quo majorem gratiam his habere debeo, qui bene de me sunt meriti. Accedebat, quod cum duobus voluminibus carmina Prudentii comprehendere decrevissem, ita eorum moles mihi necopinanti accrevit, ut plura resecare, quædam in aliud opus rejicere coactus sim. Atque id præcipuum illud est, quod ante monere volui, ne sine causa præfari videar. Quippe pollicitus fueram duas me diatribas commentario posterioris hujus voluminis præpositurum, alteram de Eversione aræ Victoriæ, alteram de Fide Prudentii in actis SS. martyrum referendis. Quibus de rebus cum locus non sit uberius disserendi, in commentariis ea dixi quæ necessaria visa sunt, et satis esse debent ad poetam explanandum, ejusque auctoritatem vindicandam. Alia quæ in utroque argumento distinctius et explicatius pertractando addi possunt, ita separato opere complecti est animus, ut ad Prudentii interpretationem absolvendam non supervacanea sint, si accedant, neque, si absint, magnopere desiderentur. Itaque Prudentium perinde nunc edo, ac sua opera absolvere solent nonnulli architecti, qui ædibus quamvis amplissimis, et quibus nihil jam ad perfectionem et absolutionem videatur deesse, ita tamen fastigium imponunt, ut ex aliquo latere projecturas, et crepidines murorum, quasi vestigia continuandi operis, relinquant, unde ædificium possit vel ab ipsis, vel ab aliis, si usus veniat, aliquando amplificari, et in augustiorem formam redigi. Vale.

PRÆFATIO PSYCHOMACHIÆ.

577 Senex fidelis, prima credendi via, A
Abram, beati seminis serus pater,
578 Adjecta cujus nomen auxit syllaba,
Abram parenti dictus, Abraham Deo.
579 Senile pignus qui dicavit victimæ,
Docens, ad aram cum litare quis velit,

GLOSSÆ VETERES.

Psychomachia, *Græce; Latine dicitur animæ certamen, eo quod ibi bella figurentur, quibus adversus vitia fidelis anima præliatur, sed textum narrationis de libro Genesis assumpta præcedit præfatio, ut sequens opus divina melius commendet auctoritas*, Iso.

Versu 1. Prima, *ita recte vocatur Abraham, ut scriptum est : Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam; propterea non solum pater est circumcisionis, sed et omnium eorum qui sectantur ejus vestigia fidei*, I.

2. Beati, *Christi sexus* (leg. *serus*) *pater exstitit, ut non tantum dilatione desideria crescerent, sed etiam ut ad excipiendam gratiam multis eruditionibus corda præpararentur, diuque exspectata redemptio tandem adveniens gratior haberetur*, I.

3. Adjecta, *aiunt Hebræi, quod he litteram de nomine suo quod apud eos tetragrammaton est, Abræ Deus dederit; ut, qui prius pater excelsus appellabatur, postea multorum, subauditur populorum sive gentium, pater vocaretur*, Iso.

5. Senile, *qui in senectute datus ei fuerat; offerens filium, qui fuit senile pignus.* — Pignus, *pignora filii nuncupantur, eo quod in eis spes habeatur futuræ posteritatis.* — Dicavit, *consecravit.* — Victimæ, *ad victimam*, Iso.

6. Litare, *immolare : lito derivatur a linio, et est frequentativum, licet aliud significare videatur*, I.

COMMENTARIUS.

Titulus in codice Marietti est *Incipit præfatio in Christi nomine Psychomachiæ.* In cod. Vat. C, *Incipit liber Prudentii Aurelii Psychomachia.* In Alex., *Incipit Psychomachia liber* IV, sed fortasse est error, nam in fine dicitur *Finit liber* III *Psychomachia*, nisi liber IV vocetur quia quartus est ordine in eo volumine, qui idem tertius est contra hæreticos.

Versu 1. In codicibus Vaticanis antiquissimis A et B deest *Psychomachia;* adest vero in aliis compluribus, quibus hoc opus separatim comprehenditur. Cum enim plura contineat, ad vitam spiritualem dirigendam valde opportuna, monachi illud præ cæteris adamarunt, et sæpius exscripserunt; in aliis vero codicibus omnino Psychomachia prætermissa est, quod, ut ego arbitror, hoc carmen nimis jam vulgatum videretur. Itaque neque in Urbinate elegantissimo codice, neque in Florentino comparet. Psychomachiæ codices seorsum exarati in bibliotheca Vaticana sunt ii quos distinximus litteris C, E, F, G, H, C L. Cum nonnullis autem operibus Prudentii Psychomachia exstat in codd. O, BB, de quibus omnibus vide proleg. cap. 4, ubi etiam observare poteris, an et quos titulos singuli codices habuerint. De codice Psychomachiæ bibliothecæ Angelicæ egi cod. cap. Alia huc pertinentia dedi in not. ad præfationem Prudentii vers. 39, et in not. ad titulum Hamartigeniæ. In prolegom. num. 216 notavi, divisionem capitum a Barthio judicari ex monachorum ingenio profectam, sive, ut ille ait, monachicam. De versione Psychomachiæ Hispanica consule proleg. num 119, de Græca num. 91 et 121. Psychomachiam quod alii *De Pugna animi*, alii *De Compugnantia animi*, vel *animæ*, alii *De Certamine virtutum et vitiorum* Latine inscribunt, non male quidem faciunt; vide tamen an melius possit exponi *Pugna spiritualis*, qua inscriptione celeberrimus editus est liber Italice sine auctoris nomine sæpius recusus, et in plures linguas conversus, et jam pridem suo auctori vindicatus V. P. Laurentio Scupoli ord. cler. reg. Theatinorum. D Conferendi tamen sunt duo alii libri Hispanici ejusdem tituli, alter *Una Lucha y Combate del alma con sos afectos desordenados*, Barcinone, 1610, auctore Ludovico de Vera Carthusiano : alter *De la Perfeccion de la vida Christiana*, auctore Joanne de Castaniza Benedictino : quod opus cum titulo *Pugnæ spiritualis* Latine et Belgice redditum prodiit. Quod autem Prudentius virtutes et vitia quasi per onas in hoc poemate inducit, novum non est. Vide quæ J. C. Scaliger notat lib. III Poetices, cap. 3, *de Quasi Personis*, ut inopia, fama, luxuria, etc. Illud vero ante Prudentium ab alio factum non memini, totum carmen ex hujusmodi quasi personis componi. Legi dignus est libellus Emmanuelis Martini de animi Affectibus, quo Græca nomina vitiorum et virtutum exponit, post ejus epistolas in editione quam Petrus Wesselingius procuravit. Tractatus de Agone Christiano exstat tom. VI operum S. Augustini, et alius de Conflictu vitiorum et virtutum, qui postremus S. Isidori potius creditur esse. Alii auctorem dicunt fuisse S. Ambrosium, alii S. Leonem, Maurini Ambrosium Autpertum, quod est probabilius. Prudentius, certamen inter virtutes et vitia descripturus, exemplum vincendi nobis proponit Abrahamum senem fidelem. Primas enim partes ac postremas pariter habet fides in hoc triumpho, atque adeo congruenter de Abrahamo præfatur poeta. Sicut enim ille, quamvis senex, quia Deo credidit, hostes debellavit, ita nos, quamvis natura infirmi et debiles, tamen fidei scuto armati, adversarios et vitia superare poterimus. In editis ante Heinsium, Aldo, Torn., Gis., Weitzio legebatur *prima credendi via est.* Heinsius removit *est*, allegans suos codd. Favent illi Bonon., Alex. et ali . In Vat. C est abrasum verbum substantivum *est.* Beda de Arte metrica versum hunc exscribit sine *est.* Nihilominus exstat *est* in Mar., Rat., Vienn., Prag., Vatt. G et L, et aliis. Gallandius expunxit *est*, sed non agnoscit epexegesin : putat enim, hæc omnia regi a verbis *suasit, dedit*, in versu 10, quod magis poeticum est, et ad Pindari morem expressum. Totam Abrahami historiam habes cap. XI et seqq. Genesis.

3. Loc. cit., cap. XVII, vers. 9 : *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.*

4. Plerique editi et optimi mss., *parenti.* Aldus, *parente*, cum cod. Ang. et Vatt. O, BB, minus bene.

5. *Dicare victimæ* est *in vicem victimæ.* Quam locutionem confirmans Barthius lib. XXIV Adversar., cap. 5, *elegantium rerum thesaurum* esse Prudentium testatur, et similia dixisse Catullum, Germanicum, Martialem, Claudianum observat. Huc faciunt notanda ad hymn. 5 Peristeph., vers. 118 : *Aut facibus data fumificis.*

6. *Litare* alii a *luo* derivant, alii verius a λιτή, λιτά, id est *preces, supplicatio.*

Quod dulce cordi, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.
Pugnare nosmet cum profanis gentibus
Suasit, suumque suasor exemplum dedit :
Nec ante prolem conjugalem gignere,
Deo parente, matre virtute editam,
580 Quam strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis servientis vicerit.
Victum feroces forte reges ceperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomæ et Gomorrhæ, quas fovebat advena,
Pollens honore patruelis gloriæ.
Abram, sinistris excitatus nuntiis,
A Audit, propinquum, sorte captum bellica,
Servire duris barbarorum vinculis :
Armat trecentos, terque senos vernulas,
Pergant ut hostis terga euntis cædere :
581 Quem gaza dives, ac triumphus nobilis
Captis tenebant impeditum copiis.
Quin ipse ferrum stringit, et plenus Deo
Reges superbos mole prædarum graves
Pellit fugatos, sauciatos proterit,
Frangit catenas, et rapinam liberat,
Aurum, puellas, parvulos, monilia,
Greges equarum, vasa, vestem, buculas.
Loth ipse ruptis expeditus nexibus

GLOSSÆ VETERES.

7. Quod, *sicut Abraham unigenitum, quem diligebat, obtulit, sic offerendum Deo credat fidelis, quidquid præcipuum cordis invenerit.* — Cordi, *scilicet est.* — Pium, *dilectum*, I.

9. Profanis, *profanæ gentes sunt passiones animæ, et vitia sunt portenta cordis et animæ passiones, quæ cupiditas, lætitia, et ægritudo ; unde et Virgilius canebat :* Cupiunt, gaudentque, dolentque, Iso.

10. Exemplum, *sicut ille veros reges perdidit, ita nos exterminare vitia suasit, quibus in quinque sensibus subjugati sumus. Nam Abraham spiritum bellicosum significat ; quinque reges quinque sensus corporis ; Loth fidem captam a vitiis ; quam relaxat spiritus bellicosus ; CCCXVIII vernaculi fidem significat quæ in Nicæno concilio est constituta a CCCXVIII episcopis, sed X ad decalogum, VIII ad octo beatitudines pertinere possunt ; qui his omnibus caret, nunquam ad prædictas beatitudines perveniet*, Iso.

11. Prolem, *fructum boni operis*, Iso.

12. Editam, *prolatam, procreatam*, Iso.

13. Strage, *cæde.* — Bellicosus spiritus, *ratio, quæ est in anima, pugnam exercens contra vitia ab harum servitute cum cor bellicosus spiritus liberaverit, erit consequens ut de matre virtute placens Deo proles creetur boni scilicet operis fructus*, I.

14. Portenta, *monstra, vel vitia*, Iso.

15. Ceperant, *merito capitur, qui cum criminosis moratur ; imo delegerat immorari ; contra quod Moyses ad populum, Discedite, inquit, a tabernaculis hominum impiorum ; haud dubium quin dicat abire, ne et ipsi* B *involvantur in peccatis eorum*, Iso.

16. Immorantem, *habitantem*, Iso.

17. Fovebat, *incolebat, diligebat*, Iso.

18. Pollens, *crescens, sive fulgens, vel abundans sicut scriptum est : Recordatus est Deus Abraham, e liberavit Loth de subversione urbis.* — Honore, *ob honorem patrui Loth pollebat, sicut scriptum est, etc., vel certe quia apud omnes Abraham propheta Dei habebatur.* — Patruelis, *Abrahæ*, Iso.

19. Sinistris, *contrariis ; sinister nuntius erat qui adversa captivitatis nepotemque captum servire barbaris nuntiabat.* — Excitatus, *conturbatus*, Iso.

21. Barbarorum, *gentilium*, Iso.

22. Terque senos, XVIII, Iso.

24. Quem, *euntem hostem divitiis gazæ copia impeditum fecerat*, Iso.

25. Impeditum, *hostem pro hostibus posuit, singulare pro plurali, ut est illud : Venit musca gravissima.* — Copiis, *divitiis*, Iso.

C 26. Stringit, *evaginat.* — Plenus Deo, *quoniam plenus Deo erat, ideo adversas acies facile superabat*, Iso.

27. Mole, *magnitudine*, Iso.

28. Pellit, *hic invenitur schema, quod hypozeuxis appellatur ; videlicet ubi diversa verba singulis quibusque clausulis proprie junguntur.* — Sauciatos, *vulneratos*, Iso.

30. Monilia, *ornamenta, pro omni ornatu*, Iso.

31. Buculas, *vaccas, greges vaccarum, armenta boum*, Iso.

32. Expeditus, *liberatus, velox, vel solutus*, Iso.

COMMENTARIUS.

7. In Vat. D, contra metrum, *quod est dulce cordi.* Ald., Gis. et alii vulg., *quod dulce cordi est.* A veteribus libris Heinsianis, a Mar., Rat., Weitz., Vatt., C, F, G, L, et aliis plerisque abest verbum substantivum *est* per epexegesin, ut in versu primo.

8. Scholiastes Persii ad illud *Lusca sacerdos* satyra 5 ait : *Solent mulieres deformes et aliqua corporis parte mancæ ad deorum ministeria se conferre.* Contra faciendum exemplo suo docuit Abrahamus.

10. Ald., mendose, *suasit, et suum.*

12. Mar., Rat., Weitz. cum aliis, Gis., *parente.* Heinsiani omnes, Alex., Vatt. F, G, et plerique alii, *placentem.* Fuldens. male, *placente.* Heinsius ait in suis esse *Deo placentem* cum Aldo ; addit Teolius, editiones omnes Heinsio anteriores, Aldina excepta, habere *Deo parente.* At non solum in Aldina editione, sed in aliis etiam antiquis invenio *Deo placentem*, ut in Basileensi anni 1540, Coloniensi 1594, et aliis. Sichardo placet *parente*, quia sequitur *matre virtute*, ut Cicero gloriabatur, se suæ nobilitatis *parentem* habere laborem. Virtus mater dicitur, ut *castitas mater* hymno 11 Cathem. vers. 14.

14. Ald., Gis., Erfurt., Bong., Ang. cum Vatt. C, G, O, R, BB, et aliis, *sævientis.* Pal., Oxon., Egm., Widm., Bonon., Alex., Mar., Rat. a prima manu, et alii *servientis*, quo verbo simili ratione sæpe usus est Prudentius. Barthius, lib. XLIII, cap. 7 Advers., in quodam ms. invenerat *sævientis*, quod optimum putat ; sed fatetur in plerisque codd. esse *servientis*, et explicat, nisi cor redegerit in servitutem, et ita portenta ejus, sive malignas cogitationes vicerit.

15. In Mar. error est *ceperit*, correctum supra *ceperant.* Simile mendum in Vat. C, *ceparat.*

22. Pignorius, de Servis pag. 22 et seqq., de D vernæ et vernulæ appellatione edisserit : ita vocabant antiqui servos domi natos. Sed aliquando *vernæ* vox latiore notione pro quibuslibet servis accipiebatur, ut exemplis confirmat Pignorius.

23. Mar., *pergat ;* supra *pergant*, recte.

24. Sichardus, perperam, *triumphator pro triumphus.* Triumphus nobilis dicitur, ut oda 1 Horatii : *Palmaque nobilis.*

25. Scripti Heinsiani, Alex., Vat. F, Ald., Bonon., Egm. et alii, *captis tenebant.* Weitzius, Gis., Mar., Rat., Vatt. C, F et alii, *captis tenebat.* Viennensis, *captum tenebat.*

26. Vienn., *tunc ipse ;* alii, *quin ipse.* Erfurt. a prima manu, *strinxit* pro *stringit.*

31. Elmenhorstius in Arnobium pag. 16, *buculam* pro bove, juvenca, bacca ex glossis veteribus, Virgilio, Aldhelmo dici comprobat. Ald. et Ang., *vestes ;* alii, *vestem.*

32. Mar. et Bonon. cum Heinsianis, præter Puteanum, *expeditus vinculis*, quos sequi noluit Heinsius.

Attrita boiis colla liber erigit.
582 Abram triumphi dissipator hostici.
Redit, recepta prole fratris inclytus,
Ne quam fidelis sanguinis prosapiam
Vis pessimorum possideret principum.
Adhuc recentem cæde de tanta virum
583 Donat sacerdos ferculis cœlestibus,
Dei sacerdos, rex et idem præpotens,
Origo cujus fonte inenarrabili
Secreta nullum prodit auctorem sui
Melchisedech, qua stirpe, queis maioribus
Ignotus, uni cognitus tantum Deo.
Mox et triformis angelorum trinitas
Senis revisit hospitis mapalia.
Et jam vieta Sara in alvo fertilis

GLOSSÆ VETERES.

33. Boiis, *boia est apta catena colli.* Baccas *nominat vincula ob rotunditatem; sed et teretes gemmæ* bacæ *dicuntur; ut illud :* Oneretque bacis colla rubri littoris : *nam et oleæ fructus, sive lauri bacas vocamus.* Baga *ferrum dicitur, quo captiva sæpe mancipia strictis collis, et manibus aguntur,* Iso. — Bacis, *catenis*, Vat. T.

34. Hostici, *hostilis.*

36. Quam, *aliquam.* — Sanguinis, *cognationis.* — Prosapiam, *posteritatem, progeniem; indignum quippe erat ut progeniem fidelis sanguinis pessimi possiderent principes*, Iso.

37. Vis, *potestas*, Iso.

39. Ferculis, *cibis; metaphora : escis, vel mensis*, Iso.

40. Sacerdos, *Melchisedech.* — Præpotens, *valde potens*, Iso

42. Secreta, *scriptura, ut Apostolus ait : Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque enim init um dierum, neque finem vitæ habens; nihil enim eorum scriptura refert : assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum et figuram Dei tenuit, qui sine initio vel principio fuit*, Iso.

43. Melchisedech *interpretatur rex justitiæ : nam Græce* melchos *rex* salech *justitia, et jure, quia ipse significat Christum, qui est rex justitiæ.* — Queis majoribus, *quibus antecessoribus natus, id est patribus*, Iso.

45. Triformis, *triplex*, Iso.

46. Magalia, *mapalia et magalia idem sunt, id est casæ pastorum, quæ et tugurium*, Iso.

47. Quietam, *a partubus, id est sterilis.* Vieta *dicitur curva; unde et vimina a curvando.* — Sara, *nam*

COMMENTARIUS

Rat., *expeditur vinculis.* Plerique, *expeditus nexibus.*

33. Weitzius amplexus est conjecturam Gruteri *artita*, quasi ab *arto*, seu *arcto*. Antiqui dicebant quidem *artita* pro *artata* seu *arctata*, *impetrita* pro *impetrata*, *dolita* pro *dolata*. Aliqui sumunt etiam *artitus* pro *bonis artibus instructus*. Sed hoc loco *attrita* ab *attero* verum est, et a pluribus similiter usurpatum. Alcimus lib. I, *Oppressos cophinis humeros, attritaque colla*, ut Virgil., Ovid. aliosque prætercam. Egm. scribit *adtrita*. Idem dicendum hymno 1 Peristeph., vers. 72 : *Et chalybs attrita colla, gravibus ambit circulis.* De bacis magna est dissensio. Ita scribunt Ang., Alex., Vatt. F, G, L, Egm., Pal., apud Weitzium Aldus (nam is mihi *baccis*), Put., Teol. et vetustiores Heinsiani. In Aldo, Vatt. D, BB, *baccis*, quod perinde est, quamvis orthographia *bacis* magis probetur. In Rottendorpio priore est glossa : *Bacæ proprie dicuntur fructus lauri, sive racemi hederarum, sed hic pro nodis catenarum ponuntur. Baccæ vero per duo cc ministræ Bacchi sunt* Gifanius Ind. Lucret., verbo vestis ex veteribus libris legendum ait *bacis* aut, quod perinde est, *bagis*. Et *bagis* quidem habet Vat. O cum Erfurt. Fabricius vero vel *baiis*, vel *boiis*. Sed vocem *baia* præfert ex cod. ms. Borneri, et *baias* interpretatur folia palmarum ex S. Hieronymo, aut ramos palmarum ex veteri interprete apud Joannem evangelistam, e quorum surculis suspicatur facta fuisse vincula, quibus colla captivorum includerentur. Sich., Vienn., *bogis*. Mar., *boiis* vel *bois*. Rat., *boiis*. Vat. R, *bois*. Thuan., *boigis*. Weitzius et Giselinus, *boiis*. Giselinus advertit, Jacobum Meyerum in primo hymno Peristeph., ab eo perpurgato, voculam hanc, Plauto in Asinaria non incognitam, Prudentio restituisse : et recte quidem Giselinus rejicit lectionem *baccis*, si intelligatur, colla attrita baccis fuisse, quia monilia baccata, seu gemmata gestabant, antequam caperentur; quæ quidem est interpretatio Nebrissæ. Latinius etiam in Bibl. select. pro *baccis*, in Torn. posuit *boiis*. In Glossario Ducangii *boia* est compes, aut torques vinculorum; ex quo conjicitur carnifices *boias* ab Italis vocari, quamvis alii dissentiant; pro eodem vero sumitur *boga*, *bogia*, *baga*, *bodia*. S. Hieronymus lib. v in Jerem. cap xxvi, ad vers. *Fac tibi vincula, et catenas*, ait, vincula et catenas illas, seu furcas ligneas, quæ collo imponendæ erant, sermone vulgari *boias* dici. Et observandum Jeremiam quoque loqui de captivis. Mariettus sine dubio corrigendum ait *bogis*, quod adhuc apud Insubres remaneat vocabulum *boghe* de jugo boum, quo eorum colla atteruntur. Isidorus lib. v, cap. 27 : *Boia*, inquit, *torques damnatorum, quasi jugum boum* (al. *in bove*) *ex genere vinculorum est.* Agit eo cap. de pœnis in lege constitutis. Aliqui scribunt *boya* in S. Isidoro. Festus docet, boias fuisse tam ligneas, quam ferreas, et vinculorum genus esse. Existimo, rem eamdem diversis nominibus fuisse vocatam, ut assolet, et de *bacis* innuit Hieronymus. Itaque sive *boiis*, sive *bacis*, sive alio quovis modo scribas, intellige catenas collo impositas, tum hoc loco, tum hymno 1 Peristeph., vers. 46 : *Carcer illigata duris colla boiis impedit.* Mariettus ex hoc versu suspicabatur, legendum *Astricta boiis colla liber erigit*, scilicet colla antea boiis astricta, impedita et illigata. Nihil mutandum, nam concinnius est *attrita*, ut eodem hymno 1 Peristeph., vers. 71 : *Et chalybs attrita colla gravibus ambit circulis.* Notandum etiam, versum, quem Iso allegat, *Oneretque baccis colla rubri littoris* esse, Boethii lib. III de Consolatione, metro 3, ubi legitur *baccis* in editione qua utor, et sermo est de gemmis.

34. Ald., *Abraham*; alii, *Abram*.

36. Mar. a prima manu, Vat. C, F, L, cum Ald., *nequa*, quod approbavit Gifanius ex vet. lib. Idem exstat in Oxon. Sed Alex., Bonon., Vat. G et alii, necnon Heinsiani, Weitz., Gis., *nequam*. Weitzius, *prosapiem* scripsit. Non placet.

39. Vocantur panis et vinum *fercula cœlestia*, quia ea obtulit Melchisedech, et sacramentum eucharistiæ eis significabatur, ut intelliges ex glossis seqq.

41. Hic et sequens versus desunt in Put.

43. Vienn., *Melchisech*. Metrum exigit *Melchisedech*. Hoc nomen regem justitiæ significat, ut ait Iso, sed ex origine Hebraica, non Græca ut ille existimat.

44. Bonon. contra carminis leges, *uni tantum Deo cognitus*.

45. Peccat idem Bonon. contra metrum et sensum, *mox et informis* pro *mox et triformis*. De hoc angelorum hospitio vide Dittochæum tit. 4.

46. Mar., Rat., omnes Heinsiani, Weitz., *magalia*, Alex., Gis., et alii, *mapalia*, cum Ald., et Bonon. Alii scribunt *mappalia*, ut Bong. et Vat. C. Sed *a* primum breve est apud Virg. et alios. Vide Savaronem de *mapaliis* Afrorum casis, ad Sidonium pag. 120, vel ex correctione 111.

47. Ald., Gis. in contextu, Vat. F et alii, *Et jam vieta Sara in alvo fertilis Munus juventæ mater exsanguis stupet.* Videlicet, et Sara mater exsanguis stu-

584 Munus juventæ mater exsanguis stupet, A
Hærede gaudens, et cachinni pœnitens.
Hæc ad figuram prænotata est linea
Quam nostra recto vita resculpat pede:
Vigilandum in armis pectorum fidelium,
Omnemque nostri portionem corporis,
Quæ capta fœdæ serviat libidini,
585 Domi coactis liberandam viribus.
Nos esse large vernularum divites,
Si quid trecenti, bis novenis additis,
Possint, figura noverimus mystica.
Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est
Parente inenarrabili, atque uno satus,
Cibum beatis offerens victoribus,
Parvam pudici cordis intrabit casam,
586 Monstrans honorem Trinitatis hospitæ.

GLOSSÆ VETERES.

Sarai ante vocabatur, quæ interpretatur princeps mea, id est gentis Judæorum; postea mutato nomine Sara dicta est, id est princeps, absolute subauditur, omnium gentium, Iso.—Quietam *scilicet a partubus exsanguis: desierant enim ei et muliebria*. Vat. T.

48. Exsanguis, *sicut scriptum est: Desierant Saræ fieri muliebria*, Iso.

49. Cachinni, *de risu patris, non matris, dictus est Isaac, quoniam iste venerat ex dubitatione, propter quod et mulier reprehenditur; ille vero de gaudio*, Iso.

50. Linea, *umbra, figura, forma, ut pictorum est, futuras imagines quibusdam prius lineis adumbrare: ita omnia in figura contingebant illis, scripta autem sunt propter nos; quæ utique rectis gressibus adimplenda sunt*, Iso.

51. Quam, *lineam*. — Resculpat, *renovet*. — Pede, *tramite, sensu*, Iso.

52. In armis, *armis scilicet lucis induti portionem nostri corporis, quæ per Loth, qui interpretatur declinans, accipitur, a fœdæ libidinis servitute cohibeamus, adunatis introrsum viribus, ut illud: Quodcunque invenerit manus tua, constanter operare, quia neque opus, neque ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas*. — Arma, *arma pectorum virtutes sunt*, Iso.

54. Capta, *apprehensa*. — Serviat, *pro serviebat*, Iso.

55. Domi, *in te: domus nostra est mens nostra*. — Coactis, *collectis, congregatis*, Iso.

56. Nos, *scilicet docet*. — Large, *abundanter. Abunde domesticorum divites sumus, si* CCCXVIII *fidem Patrum inconcussam tenuerimus*. — Vernularum, *bonarum virtutum, virtutibus*, I.

57. Trecenti, *isti trecenti mysterium significant, scilicet crucis. Tau enim, qui figuram sanctæ crucis, trecentos significat. Si vis scire de decem et octo, lege arithmeticæ minorem numerum intra novem computabis*; B *significat in templo Constantini* CCCXVIII *episcopos defendisse Ecclesiam Dei contra hæresim Arianorum*, I.

58. Figura, *in figura*, Iso.

59. Mox ipse, *per fidem igitur perturbationibus superatis, sensibusque corporis libertate donatis, nihilque de nobis vindicante peccato; tum demum Christus, qui sacerdos verus seipsum obtulit immaculatum Deo, victoribus dignanter occurrens, panem corporis, vinumque sui sanguinis offert*, I.

60. Parente, *ut ait propheta: Generationem ejus quis enarravit?* Iso.

61. Cibum, *æternam refectionem*, Iso.

62. Pudici, *cordis etiam pudici humilem mentem hospita Trinitas intrare dignabitur juxta illud: Ego et Pater veniemus et mansionem apud eum faciemus*. — Casam, *mansuetudinem; justitiam scrutans uniuscujusque cordis*, I.

63. Hospitæ, *si nos bellum contra vitia gesserimus, tunc intrabit Trinitas habitaculis nostris, et fecundabit* C *ea filiis virtutum; hospita apud veteres feminini generis; apud nos communis generis*, I.

COMMENTARIUS.

pet in alvo jam victa munus fertilis juventæ. Heinsius ex suis scribendum ait, *Et jam vietam Sara in alvum fertilis Munus juventæ mater exsanguis stupet*, quod explicat, Saram esse fertilem in alvum jam vietam, ut præfat. Apotheos. vers. 47, ex quibusdam mss., *fertilis in herbam*. Ego quidem ingens discrimen esse puto inter has duas locutiones, *fertilis in herbam*, et *fertilis in alvum vietam*, quarum primam non respuo, alteram non probo. In membranis magna est varietas. Vienn., *Et jam quieta Sara in alvum fertile Munus venire mater exsanguis stupet*. Mar., *Et jam quietam Sara in alvum fertilis Munus venire*. Rat., *Et jam quietam Sara in alvum fertile Munus venire*; quod Weitzius expressit. Alex., *Et jam vieta Sara in alvum fertilis Munus juventæ*. Benon., *Et jam vietam Sara in alvum fertilis*; sed mendose postea, *majus juventæ*, uti etiam perperam Fuld., *Et jam fetam*. Palat. et Oxon. faciunt cum Alex. In Thuan. est *quietam*; cætera, ut in Alexandrino. Fabricius Aldo assentitur. In D margine quarumdam editionum, *Et jam quietam Saræ in alvum fertile Munus venire*. Iso *quietam* et *vietam* videtur legisse. Munus juventæ pro facultate pariendi ponitur, ut a Paulino in carm. de S. Joan. Baptista: *Et venit effeto munus juvenile sub ævo*. Multi scribunt *Sarra*.

50. Nebrissa *lineam* interpretatur semitam angustam, quam vita nostra debet recto pede resculpere, hoc est, atterendo dilatare. Confer Isonis glossam. *Sculpere* artis statuariæ proprium verbum est. *Resculpo* iterum sculpo, seu fingo, et renovo. Eo verbo usi sunt Tertullianus, Augustinus, Ruffinus. Vide Rigaltium ad cap. 5 Tertull. de Jejuniis: *Nam et primus populus primi hominis resculpserat crimen*.

51. Fabr. *rescalpit* pro *resculpit*.

52. S. Prosper prope fin. Epigrammat.: *Nunquam tela bonis, nunquam certamina desunt, Et quocum certet, mens pia semper habet*.

53. Egm., Widm., Pal., Mar., Rat., *pectoris*. Alii cum editis, *corporis*. In Viennens., *Omnemque docet nostri portionem corporis*. Deest verbum *docet* in aliis, neque stare potest cum metro.

54. Ald. et Weitz. *fœde*, adverbium. Alii editi, *fœdæ* libidini. E mss. alii habent diphthongum in ultima, alii non habent. Sed in multis omnino desunt diphthongi.

56. Hunc locum fuse explicuimus cap. 20 proleg. Eis, qui in 318 vernaculis Abrahami Patres Nicænos interpretantur, annumerandus est S. Marcus monachus sæculo IV, opusc. 10, num. 8, tom. VIII Bibliothecæ Gallandianæ. Barthius observat mendum esse in suo vet. libro *non esse* pro *nos esse*.

57. Viennens., mendose, *trecentis*. In nonnullis vulg., *his novenis additis*, non bene. In glossa post verba *figuram sanctæ crucis* supple habet, vel quid aliud simile.

58. Barthius conjicit *prosint* pro *possint*. Sed optime *possint*, aut si quid velis mutare, *possunt*, ut Virgilius lib. IX Æneid.: *Si quid mea carmina possunt*.

59. In Vat. C trajectio præpostera *Mox ipse Christus, qui verus est sacerdos*. Has non dicimus varietates lectionum, sed exscriptorum errata.

60. Plerique, ut Ald., Erfurt., Widm., Bong., Gifanius Ind. Lucret., *de hiatu*, pag. mihi 437, Putean., Sich., Mar., Rat., Viennens., Vatt. D, F, L, O, BB, *Parente natus alto, et ineffabili*. Magis placet Alex., *Parente inenarrabili, atque uno satus*, cum Gis. et Pal. a prima manu. Vat. G, Fuld., *Parente natus alto, atque inenarrabili*. Fabricius, *Parente natus alto, et inenarrabili*. Prima lectio proba est, ut putat Heinsius, et quartus pes tribrachys, exclusa elisione. Giselinus ex hac diversitate duas editiones operum Prudentii arguit.

62. Aug., non bene, *pudici pectoris*.

CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA I.




Sancti martyres in crucem, capitibus ad cœlum elevatis, tollebantur.

Appendebantur quandoque brachiis post tergum revinctis : quorum pedibus a diaboli ministris gravia pondera vinciri aliquando solebant.

Item cruci, capitibus in terram versis, affigebantur.

Mulieres christianæ capillis suspendebantur.

TABULA II.




A Martyr pedibus suspendebatur, igne, ut soffocaretur, supposito.

B Martyr laqueo appenditur.

C D Martyres in crucem agebantur

TABULA III.



A Martyr funibus corpori alligatis appensus, humeros oneratos habens glebis salis, in cujus ore lignum ad majorem pœnam immittebatur.

B Martyr unco suspensus.

C Martyr ambobus pedibus appensus, cujus caput malleis contundebatur.

D Postremus denique, oneribus collo et pedibus ligatis.


TABULA IV.



A Christianis quandoque suspensis lentus ignis supponebatur ut, fumo ex illo proveniente, faucibus premerentur. Hi quidem erant, qui cum sancto Propheta Davide canere poterant : Igne, dulcissime Jesu, nos examinasti, et non est inventa in nobis iniquitas.

CRUCIATUS SANCTORUM MARTYRUM.

TABULA V.



A SS. Martyres nonnunquam, ut muscarum et fucorum aculeis excruciarentur, stipitibus erectis, melle delibuti, radiisque solis expositi appendebantur.
B Aliquando vel utroque pede, ingentibus saxis ad eorum cervices alligatis :
C Vel altero pede, fumo supposito :
D Vel etiam apicibus pollicum manuum, eorum pedibus gravibus additis oneribus :
E Vel demum altero quoque pede in genu deflexo, et genu ferreo injecto vinculo, altero deinde pede ferri pondere gravato.

TABULA VI.



A Cyphonis supplicium.
B Martyres corio bovis inclusi radiis solis objiciebantur.
C Scaphismi supplicium.
D Martyres quandoque humi positi, radiis item solis ad maximum eorum cruciatum exponebantur.

TABULA VII.



A Martyres quandoque rotis, mucronibus undique affixis, ligati, super cuspides ferreos circumagebantur.
B Aliquando, quibus affixi non erant prænotati mucrones, super cuspides item ferreos.
C Aut saltem, ut misere vitam finirent, super ardentes prunas.
D Demum rotarum convexis alligati, e loco sublimi præcipitabantur.
E Aut rotarum radiis intexti, sic ad plurimos dies, ut interirent, relinquebantur.

TABULA VIII.



A Martyres torculari premebantur, eo prorsus modo, quo uvæ olivæque ad vinum oleumque exprimendum premuntur.
B Trochleis extendebantur.
C Iisdem item elevabantur.

TABULA IX.



A Martyr in equuleo.
B Martyr pendens ab equuleo.
C Lampades accensæ. } His torquendi instrumentis
D Scorpiones. } qui in equuleum agebantur excruciari aliquando solebant.

TABULA X.




Modi sunt hi, quibus sancti Martyres loris, vel flagris, aut consimilibus cædebantur.
A Unum horum indicat,
B Alterum,
C Tertium.

TABULA XI.




Duo alii itidem modi quibus pariter SS. Martyres cædebantur.
A Primum ostendit atque demonstrat,
B Alterum : qui modus, in sanctorum Martyrum rebus gestis, his verbis exprimitur: *Cathomo cædatur.*

TABULA XII.




A Martyres aliquando hoc modo lapidibus premebantur :
B **Pugnis, alapis, calcibus, aliisve modis percutiebantur :**
C **Lapidibus item quandoque obruebantur.**

TABULA XIII.



A Ungulæ.
B Uncus.
C Ferrei pectines.
His instrumentis sancti Martyres discerpebantur.

TABULA XIV.




A Martyres torrebantur,
B Vel tædis,
C Vel funalibus.
D Aut ardentibus lampadibus, quarum figura etiam in equuleo exprimitur. *Tabula IX, lit. C.*

TABULA XV.



A Martyres de equuleo depositi, divaricatis cruribus, vi ad quartum aut quintum foramen distendebantur.
B Aut viva calce, oleoque ebullienti, et consimilibus perfundebantur.
C Vel denique nudi super testaceis fragmentis premebantur, volvebanturque.

TABULA XVI.



A Martyres in crate ferrea torrebantur,
B Aliquando etiam vel in lecto ferreo,
C Aut in ignita sartagine,
D Aut in olla,
E Vel in tauro æneo,
F Et demum quandoque in lebete.
G Ferro hujus formæ utebantur gentiles in his SS. Martyrum carnificinis.

TABULA XVII.



Igni tradebantur SS. Martyres vel in fossis ardentibus carbonibus refertis,
Vel ad quatuor stipites alligati,
Vel in cupas,
Aut in rogum injecti.
Quandoque vel stipitibus erectis, funibus oleo et consimilibus illitis ligati.
Aut in propriis ædibus, vel carcere inclusi,
Denique vel in fornacem deturbati,
Aut in navim impositi. et in altum devecti

TABULA XVIII



A Martyres ardentibus prunis impositi volutari in eis solebant.
B Nonnunquam in lectulis ferreis ligati, liquato plumbo, resina ferventi, et pice cruciabantur.
C Aliquando sub axillis, ferris ignitis semiustulabantur.
D Aut etiam nudis pedibus per candentes carbones incedere cogebantur.

TABULA XIX.




A Urgebantur sancti Martyres de carnibus immolatis, deque sacrificii vino degustare. Qui tamen ad hoc sacrilegium perpetrandum nulla vi nullisque minis adduci unquam potuerunt.

TABULA XX.



A Sanctæ Christi Virgines ignominiæ causa vel ad meretricum prostibula vi ducebantur,
B Vel sic ad turpitudinem radebantur.

TABULA XXI.



A Martyribus ob Christi fidem vel pellis detrahebatur,
B Vel eisdem adhuc tepentibus cor et viscera extrahebantur :
C Securi quandoque ipsorum capita contundebantur :
D Aliqui gladio obtruncabantur,
E Alii telis configebantur,
F Vel præacuta sude aut consimilibus tran verberabantur :
G Alii ad duarum arborum ramos alligati discerpebantur :
H Aliqui demum acutis calamis sub manuum pedumque unguibus infixis torquebantur.

TABULA XXII.



A Sanctorum Martyrum vultus notis deturpabantur :
B Eisdem crura confringebantur.
C Alii vel ferarum pellibus induti, } canibus objiciebantur.
D Vel hòc qui expressus est modo }
E Alii præterea aut in puteos præcipites dabantur :
F Aut culeo } in profluentem projiciebantur :
G Vel denique plumbeis loculis inclusi }

TABULA XXIII.




A Christianorum aliqui vel muribus rodendi, ea, quam hæc figura demonstrat, forma, tradebantur,
B Vel unus super alium perinde ac agmina locustarum in angustioribus custodiis includebantur,
C Vel etiam immissis equitibus obterebantur.

TABULA XXIV.




A Sancti Martyres vestibus denudati vel super ferreos murices premebantur.
B Vel sic alligati per diversa loca ducebantur,
C Aut in calcis fornacem conjiciebantur.
D Vel demum ex altissimis locis præcipites dabantur.

TABULA XXV.




A B Dabantur Sancti Martyres in metalla :
C Quandoque vero, præsertim nobiles, animalium rationis expertium pastores ac custodes constituebantur :
D Alii aut ad arenam fodiendam,
E Aut ad segetes desecandas damnabantur.
F Vel denique camelorum curæ ascribebantur.

TABULA XXVI.



Instrumenta Martyrii Romæ in cœmeteriis reperta.

Specimen codicis de quo supra in Prolegomenis Dracontii operum, in fine capitis VII, col. hujus tomi 640.


Rex immense deus cunctorum conditor rerum
Quem tremit omne solum qui regit igne polum

Explicit satisfactio Dracontii ad Gunthamundum regem Guandalorum dum esset in vinculis

Inscriptio dedicatoria.

SANCTISSIMO. PATRI
ET. D. N. PIO. VI. PONT. MAX.
QVI. PRO. EXIMIO. ET. SINGVLARI. STVDIO
ECCLESIASTICAE. DOCTRINAE
EXCOLENDAE. AMPLIFICANDAE. COHONESTANDAE
EDITIONI. ROMANAE. CARMINVM
M. AVRELII. CLEMENTIS. PRUDENTII
TITVLVM. SACRATISSIMI. NOMINIS. PRAESCRIBI
BENIGNISSIME. INDVLSIT
VOLVMEN. ALTERVM. QVO. CATHOLICVS. POETA
CONCVLCAT. SACRA. GENTIVM. LABEM. INFERT. IDOLIS
CARMEN. MARTYRIBVS. DEVOVET. LAVDAT. APOSTOLOS
FAVSTINVS. AREVALVS
POST. HVMILLIMA. PEDVM. OSCVLA. BEATORVM
D. D. L. MERITO.

PRÆFATIO.

Habes, L. B., commentarium in Prudentii carmina, quæ supererant excudenda, serius fortasse quam multorum opinio, aut etiam exspectatio ferebat, verum multo citius quam aut res ipsa pati debere videbatur, aut quam destinatum mihi erat ut opus ex animi mei sententia in lucem prodiret. Equidem volumen prius e manibus mihi elabi, atque in vulgus venire, haud ægre tuleram, quod ita mecum constitueram fieri posse ut aliorum qua monitis, qua reprehensionibus doctior factus, aut nonnulla jam dicta retractarem, in meliusque converterem, aut deinceps dicenda ad severiorem judicandi normam exigerem. Hujus mei consilii exstiteritne aliquis fructus, ultro aliis judicandum relinquerem, nisi rem ita esse grati animi causa præstaret profiteri. Verum, si quod aliud scriptionis genus, commentarius certe in doctissimum poetam Christianum diuturni temporis mora indiget ad maturitatem. Nam in varietate et copia argumentorum prope infinita quam multa, etiam dum aliud agimus, tempus et casus offerunt, quæ incassum alias quæreres, ac ne cogitatio quidem quærendi facile excitaretur? Quid in ipsa adeo familiari et quotidiana sermonis communicatione consilia doctorum hominum et cogitata commemorem? Romæ præsertim, ubi tam multi sunt qui in antiquitatibus sacris et profanis investigandis juvare te possint et velint, nusquam ut alibi majora adsint adjumenta ad hujusmodi rerum commentationes perficiendas. Cæterum ne tarditatis et procrastinationis arguar, aut cessasse potius videar quam temporis opportunitatem voluisse exspectare, quoad opus maturesceret, aliorum demum consilio acquievi, moremque voluntati gessi. Illud etiam addebat animos, quod industriam a me in priori volumine positam multi viri graves sibi non solum gratam, verum etiam ratam fuisse haud obscura animi significatione declararunt : viri, inquam, graves, a partium studio semoti, et acri judicio præstantes, quique præterea liberam sententiam omnium maxime proferre possunt. Quanquam de me quis liberrime non judicet? qui liberiores quorumlibet hominum censuras, præjudicatas etiam non legentium castigationes, fastidia eorum qui, cum meliora fortasse facere ipsi possint, nihil tamen extricant, maluntque in republica litteraria judicia ferre quam subire, nec cohibere possim, si velim, neque adeo velim, si possim. Quo majorem gratiam his habere debeo, qui bene de me sunt meriti. Accedebat, quod cum duobus voluminibus carmina Prudentii comprehendere decrevissem, ita eorum moles mihi necopinanti accrevit, ut plura resecare, quædam in aliud opus rejicere coactus sim. Atque id præcipuum illud est, quod ante monere volui, ne sine causa præfari videar. Quippe pollicitus fueram duas me diatribas commentario posterioris hujus voluminis præpositurum, alteram de Eversione aræ Victoriæ, alteram de Fide Prudentii in actis SS. martyrum referendis. Quibus de rebus cum locus non sit uberius disserendi, in commentariis ea dixi quæ necessaria visa sunt, et satis esse debent ad poetam explanandum, ejusque auctoritatem vindicandam. Alia quæ in utroque argumento distinctius et explicatius pertractando addi possunt, ita separato opere complecti est animus, ut ad Prudentii interpretationem absolvendam non supervacanea sint, si accedant, neque, si absint, magnopere desiderentur. Itaque Prudentium perinde nunc edo, ac sua opera absolvere solent nonnulli architecti, qui ædibus quamvis amplissimis, et quibus nihil jam ad perfectionem et absolutionem videatur deesse, ita tamen fastigium imponunt, ut ex aliquo latere projecturas, et crepidines murorum, quasi vestigia continuandi operis, relinquant, unde ædificium possit vel ab ipsis, vel ab aliis, si usus veniat, aliquando amplificari, et in augustiorem formam redigi. Vale.

PRÆFATIO PSYCHOMACHIÆ.

577 Senex fidelis, prima credendi via,
Abram, beati seminis serus pater,
578 Adjecta cujus nomen auxit syllaba,
Abram parenti dictus, Abraham Deo.
579 Senile pignus qui dicavit victimæ.
Docens, ad aram cum litare quis velit,

GLOSSÆ VETERES.

Psychomachia, *Græce; Latine dicitur animæ certamen, eo quod ibi bella figurentur, quibus adversus vitia fidelis anima præliatur, sed textum narrationis de libro Genesis assumpta præcedit præfatio, ut sequens opus divina melius commendet auctoritas*, Iso.

Versu 1. Prima, *ita recte vocatur Abraham, ut scriptum est : Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam; propterea non solum pater est circumcisionis, sed et omnium eorum qui sectantur ejus vestigia fidei*, I.

2. Beati, *Christi sexus* (leg. *serus*) *pater exstitit, ut non tantum dilatione desideria crescerent, sed etiam ut ad excipiendam gratiam multis eruditionibus corda præpararentur, diuque exspectata redemptio tandem adveniens gratior haberetur*, I.

3. Adjecta, *aiunt Hebræi, quod he litteram de nomine suo quod apud eos tetragrammaton est, Abræ Deus dederit; ut, qui prius pater excelsus appellabatur. postea multorum, subauditur populorum sive gentium. pater vocaretur*, Iso.

5. Senile, *qui in senectute datus ei fuerat; offerens filium, qui fuit senile pignus.* — Pignus, *pignora filii nuncupantur, eo quod in eis spes habeatur futuræ posteritatis.* — Dicavit, *consecravit.* — Victimæ, *ad victimam*, Iso.

6. Litare, *immolare : lito derivatur a linio, et est frequentativum, licet aliud significare videatur*, I.

COMMENTARIUS.

Titulus in codice Marietti est *Incipit præfatio in Christi nomine Psychomachiæ.* In cod. Vat. C, *Incipit liber Prudentii Aurelii Psychomachia.* In Alex., *Incipit Psychomachia liber* IV, sed fortasse est error, nam in fine dicitur *Finit liber* III *Psychomachia*, nisi liber IV vocetur quia quartus est ordine in eo volumine, qui idem tertius est contra hæreticos.

Versu 1. In codicibus Vaticanis antiquissimis A et B deest *Psychomachia;* adest vero in aliis compluribus, quibus hoc opus separatim comprehenditur. Cum enim plura contineat, ad vitam spiritualem dirigendam valde opportuna, monachi illud præ cæteris adamarunt, et sæpius exscripserunt; in aliis vero codicibus omnino Psychomachia prætermissa est, quod, ut ego arbitror, hoc carmen nimis jam vulgatum videretur. Itaque neque in Urbinate elegantissimo codice, neque in Florentino comparet. Psychomachiæ codices seorsum exarati in bibliotheca Vaticana sunt ii quos distinximus litteris C, E, F, G, H, L. Cum nonnullis autem operibus Prudentii Psychomachia exstat in codd. O, BB, de quibus omnibus vide proleg. cap. 4, ubi etiam observare poteris, an et quos titulos singuli codices habuerint. De codice Psychomachiæ bibliothecæ Angelicæ egi cod. cap. Alia huc pertinentia dedi in not. ad præfationem Prudentii vers. 39, et in not. ad titulum Hamartigeniæ. In prolegom. num. 216 notavi, divisionem capitum a Barthio judicari ex monachorum ingenio projectam, sive, ut ille ait, monachicam. De versione Psychomachiæ Hispanica consule proleg. num 119, de Græca num. 91 et 121. Psychomachiam quod alii *De Pugna animi*, alii *De Compugnantia animi*, vel *animæ*, alii *De Certamine virtutum et vitiorum* Latine inscribunt, non male quidem faciunt; vide tamen an melius possit exponi *Pugna spiritualis*, qua inscriptione celeberrimus editus est liber Italice sine auctoris nomine sæpius recusus, et in plures linguas conversus, et jam pridem suo auctori vindicatus V. P. Laurentio Scupoli ord. cler. reg. Theatinorum. Conferendi tamen sunt duo alii libri Hispanici ejusdem tituli, alter *Una Lucha y Combate del alma con sos afectos desordenados*, Barcinone, 1610, auctore Ludovico de Vera Carthusiano : alter *De la Perfeccion de la vida Christiana*, auctore Joanne de Castaniza Benedictino : quod opus cum titulo *Pugnæ spiritualis* Latine et Belgice redditum prodiit. Quod autem Prudentius virtutes et vitia quasi personas in hoc poemate inducit, novum non est. Vide quæ J. C. Scaliger notat lib. III Poetices, cap. 3, *de Quasi Personis*, ut inopia, fama, luxuria, etc. Illud vero ante Prudentium ab alio factum non memini, totum carmen ex hujusmodi quasi personis componi. Legi dignus est libellus Emmanuelis Martini de animi Affectibus, quo Græca nomina vitiorum et virtutum exponit, post ejus epistolas in editione quam Petrus Wesselingius procuravit. Tractatus de Agone Christiano exstat tom. VI operum S. Augustini, et alius de Conflictu vitiorum et virtutum, qui postremus S. Isidori potius creditur esse. Alii auctorem dicunt fuisse S. Ambrosium, alii S. Leonem, Maurini Ambrosium Autpertum, quod est probabilius. Prudentius, certamen inter virtutes et vitia descripturus, exemplum vincendi nobis proponit Abrahamum senem fidelem. Primas enim partes ac postremas pariter habet fides in hoc triumpho, atque adeo congruenter de Abrahamo præfatur poeta. Sicut enim ille, quamvis senex, quia Deo credidit, hostes debellavit, ita nos, quamvis natura infirmi et debiles, tamen fidei scuto armati, adversarios et vitia superare poterimus. In editis ante Heinsium, Aldo, Torn., Gis., Weitzio legebatur *prima credendi via est.* Heinsius removit *est*, allegans suos codd. Favent illi Bonon., Alex. et alii. In Vat. C est abrasum verbum substantivum *est.* Beda de Arte metrica versum hunc exscribit sine *est*. Nihilominus exstat *est* in Mar., Rat., Vienn., Prag., Vatt. G et L, et aliis. Gallandius expunxit *est*, sed non agnoscit epexegesin : putat enim, hæc omnia regi a verbis *suasit*, *dedit*, in versu 10, quod magis poeticum est, et ad Pindari morem expressum. Totam Abrahami historiam habes cap. XI et seqq. Genesis.

3. Loc. cit., cap. XVII, vers. 9 : *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham. quia patrem multarum gentium constitui te.*

4. Plerique editi et optimi mss., *parenti.* Aldus, *parente*, cum cod. Aug. et Vatt. O, BB, minus bene.

5. *Dicare victimæ* est *in vicem victimæ.* Quam locutionem confirmans Barthius lib. XXIV Adversar., cap. 5, *elegantium rerum thesaurum* esse Prudentium testatur, et similia dixisse Catullum, Germanicum, Martialem, Claudianum observat. Huc faciunt notanda ad hymn. 5 Peristeph., vers. 118 : *Aut facibus data fumificis.*

6. *Litare* alii a *luo* derivant, alii verius a λιτή, λιτά. id est *preces*, *supplicatio*.

Quod dulce cordi, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.
Pugnare nosmet cum profanis gentibus
Suasit, suumque suasor exemplum dedit :
Nec ante prolem conjugalem gignere,
Deo parente, matre virtute editam,
580 Quam strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis servientis vicerit.
Victum feroces forte reges ceperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomæ et Gomorrhæ, quas fovebat advena,
Pollens honore patruelis gloriæ.
Abram, sinistris excitatus nuntiis,
Audit, propinquum, sorte captum bellica,
Servire duris barbarorum vinculis :
Armat trecentos, terque senos vernulas,
Pergant ut hostis terga euntis cædere :
581 Quem gaza dives, ac triumphus nobilis
Captis tenebant impeditum copiis.
Quin ipse ferrum stringit, et plenus Deo
Reges superbos mole prædarum graves
Pellit fugatos, sauciatos proterit,
Frangit catenas, et rapinam liberat,
Aurum, puellas, parvulos, monilia,
Greges equarum, vasa, vestem, buculas.
Loth ipse ruptis expeditus nexibus

GLOSSÆ VETERES.

7. Quod, *sicut Abraham unigenitum, quem diligebat, obtulit, sic offerendum Deo credat fidelis, quidquid præcipuum cordis invenerit.* — Cordi, *scilicet est.* — Pium, *dilectum*, I.

9. Profanis, *profanæ gentes sunt passiones animæ, et vitia sunt portenta cordis et animæ passiones, quæ cupiditas, lætitia, et ægritudo; unde et Virgilius canebat :* Cupiunt, gaudentque, dolentque, Iso.

10. Exemplum, *sicut ille veros reges perdidit, ita nos exterminare vitia suasit, quibus in quinque sensibus subjugati sumus. Nam Abraham spiritum bellicosum significat; quinque reges quinque sensus corporis; Loth fidem captam a vitiis; quam relaxat spiritus bellicosus;* CCCXVIII *vernaculi fidem significat quæ in Nicæno concilio est constituta a* CCCXVIII *episcopis, sed* X *ad decalogum,* VIII *ad octo beatitudines pertinere possunt; qui his omnibus caret, nunquam ad prædictas beatitudines perveniet*, Iso.

11. Prolem, *fructum boni operis*, Iso.

12. Editam, *prolatum, procreatam*, Iso.

13. Strage, *cæde.* — Bellicosus spiritus, *ratio, quæ est in anima, pugnam exercens contra vitia ab harum servitute cum cor bellicosus spiritus liberaverit, erit consequens ut de matre virtute placens Deo proles creetur boni scilicet operis fructus*, I.

14. Portenta, *monstra, vel vitia*, Iso.

15. Ceperant, *merito capitur, qui cum criminosis moratur; imo delegerat immorari; contra quod Moyses ad populum, Discedite, inquit, a tabernaculis hominum impiorum; haud dubium quin dicat abire, ne et ipsi involvantur in peccatis eorum*, Iso.

16. Immorantem, *habitantem*, Iso.

17. Fovebat, *incolebat, diligebat*, Iso.

18. Pollens, *crescens, sive fulgens, vel abundans sicut scriptum est : Recordatus est Deus Abraham, e liberavit Loth de subversione urbis.* — Honore, *ob honorem patrui Loth pollebat, sicut scriptum est, etc., vel certe quia apud omnes Abraham propheta Dei habebatur.* — Patruelis, *Abrahæ*, Iso.

19. Sinistris, *contrariis; sinister nuntius erat qui adversa captivitatis nepotemque captum servire barbaris nuntiabat.* — Excitatus, *conturbatus*, Iso.

21. Barbarorum, *gentilium*, Iso.

22. Terque senos, XVIII, Iso.

24. Quem, *euntem hostem divitis gazæ copia impeditum fecerat*, Iso.

25. Impeditum, *hostem pro hostibus posuit, singulare pro plurali, ut est illud : Venit musca gravissima.* — Copiis, *divitiis*, Iso.

26. Stringit, *evaginat.* — Plenus Deo, *quoniam plenus Deo erat, ideo adversas acies facile superabat*, Iso.

27. Mole, *magnitudine*, Iso.

28. Pellit, *hic invenitur schema, quod hypozeuxis appellatur; videlicet ubi diversa verba singulis quibusque clausulis proprie junguntur.* — Sauciatos, *vulneratos*, Iso.

30. Monilia, *ornamenta, pro omni ornatu*, Iso.

31. Buculas, *vaccas, greges vaccarum, armenta boum*, Iso.

32. Exocditus, *liberatus, velox, vel solutus*, Iso.

COMMENTARIUS.

7. In Vat. D, contra metrum, *quod est dulce cordi.* Ald., Gis. et alii vulg., *quod dulce cordi est.* A veteribus libris Heinsianis, a Mar., Rat., Weitz., Vatt., C, F, G, L, et aliis plerisque abest verbum substantivum *est* per epexegesin, ut in versu primo.

8. Scholiastes Persii ad illud *Lusca sacerdos* satyra 5 ait : *Solent mulieres deformes et aliqua corporis parte mancæ ad deorum ministeria se conferre.* Contra faciendum exemplo suo docuit Abrahamus.

10. Ald., mendose, *suasit, et suum.*

12. Mar., Rat., Weitz. cum aliis, Gis., *parente.* Heinsiani omnes, Alex., Vatt. F, G, et plerique alii, *placentem.* Fuldens. male, *placente.* Heinsius ait in suis esse *Deo placentem* cum Aldo; addit Teolius, editiones omnes Heinsio anteriores, Aldina excepta, habere *Deo parente.* At non solum in Aldina editione, sed in aliis etiam antiquis invenio *Deo placentem*, ut in Basileensi anni 1540, Coloniensi 1594, et aliis. Sichardo placet *parente*, quia sequitur *matre virtute*, ut Cicero gloriabatur, se suæ nobilitatis *parentem* habere laborem. Virtus mater dicitur, ut *castitas mater* hymno 11 Cathem. vers. 14.

14. Ald., Gis., Erfurt., Bong., Ang. cum Vatt. C, G, O, R, BB, et aliis, *sæcientis.* Put., Oxon., Egm., Widm., Bonon., Alex., Mar., Rat. a prima manu, et alii *servientis*, quo verbo simili ratione sæpe usus est Prudentius. Barthius, lib. XLIII, cap. 7 Advers., in quodam ms. invenerat *sævientis*, quod optimum putat; sed fatetur in plerisque codd. esse *servientis*, et explicat, nisi cor redegerit in servitutem, et ita portenta ejus, sive malignas cogitationes vicerit.

15. In Mar. error est *ceperit*, correctum supra *ceperant.* Simile mendum in Vat. C, *ceparat.*

22. Pignorius, de Servis pag. 22 et seqq., de vernæ et vernulæ appellatione edisserit : ita vocabant antiqui servos domi natos. Sed aliquando *vernæ* vox latiore notione pro quibuslibet servis accipiebatur, ut exemplis confirmat Pignorius.

23. Mar., *pergat;* supra *pergant*, recte.

24. Sichardus, perperam, *triumphator* pro *triumphus.* Triumphus nobilis dicitur, ut oda 1 Horatii : *Palmaque nobilis.*

25. Scripti Heinsiani, Alex., Vat. F, Ald., Bonon., Egm. et alii, *captis tenebant.* Weitzius, Gis., Mar., Rat., Vatt. C, F et alii, *captis tenebat.* Viennensis, *captum tenebat.*

26. Vienn., *tunc ipse;* alii, *quin ipse.* Erfurt. a prima manu, *strinxit* pro *stringit.*

31. Elmenhorstius in Arnobium pag. 16, *buculam* pro bove, juvenca, bacca ex glossis veteribus, Virgilio, Aldhelmo dici comprobat. Ald. et Ang., *vestes;* alii, *vestem.*

32. Mar. et Bonon. cum Heinsianis, præter Puteanum, *expeditus vinculis*, quos sequi noluit Heinsius.

Attrita boiis colla liber erigit.
582 Abram triumphi dissipator hostici.
Redit, recepta prole fratris inclytus,
Ne quam fidelis sanguinis prosapiam
Vis pessimorum possideret principum.
Adhuc recentem cæde de tanta virum
583 Donat sacerdos ferculis cœlestibus.
Dei sacerdos, rex et idem præpotens,
Origo cujus fonte inenarrabili
Secreta nullum prodit auctorem sui
Melchisedech, qua stirpe, queis majoribus
Ignotus, uni cognitus tantum Deo.
Mox et triformis angelorum trinitas
Senis revisit hospitis mapalia.
Et jam vieta Sara in alvo fertilis

GLOSSÆ VETERES.

33. Boiis, *boia est apta catena colli.* Baccas *nominat vincula ob rotunditatem; sed et teretes gemmæ* bacæ *dicuntur; ut illud* : Oneretque bacis colla rubri littoris : *nam et oleæ fructus, sive lauri bacas vocamus.* Baga *ferrum dicitur, quo captiva sæpe mancipia strictis collis, et manibus aguntur,* Iso. — Bacis, *catenis,* Vat. T.

34. Hostici, *hostilis.*

36. Quam, *aliquam.* — Sanguinis, *cognationis.* — Prosapiam, *posteritatem, progeniem; indignum quippe erat ut progeniem fidelis sanguinis pessimi possiderent principes,* Iso.

37. Vis, *potestas,* Iso.

39. Ferculis, *cibis; metaphora : escis, vel mensis,* Iso.

40. Sacerdos, *Melchisedech.* — Præpotens, *valde potens*, Iso.

42. Secreta, *scriptura, ut Apostolus ait : Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque enim initium dierum, neque finem vitæ habens; nihil enim eorum scriptura refert : assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum et figuram Dei tenuit, qui sine initio vel principio fuit,* Iso.

43. Melchisedech *interpretatur rex justitiæ : nam Græce* melchos *rex* salech *justitia, et jure, quia ipse significat Christum, qui est rex justitiæ.* — Queis majoribus, *quibus antecessoribus natus, id est patribus,* Iso.

45. Triformis, *triplex,* Iso.

46. Magalia, *mapalia et magalia idem sunt, id est casæ pastorum, quæ et tugurium,* Iso.

47. Quietam, *a partubus, id est sterilis.* Vieta *dicitur curva; unde et vimina a curvando.* — Sara, *nam*

COMMENTARIUS

Rat., *expeditur vinculis.* Plerique, *expeditus nexibus.*

33. Weitzius amplexus est conjecturam Gruteri *artita*, quasi ab *arto*, seu *arcto*. Antiqui dicebant quidem *artita* pro *artata* seu *arctata*, *impetrita* pro *impetrata*, *dolita* pro *dolata*. Aliqui sumunt etiam *artitus* pro *bonis artibus instructus*. Sed hoc loco *attrita* ab *attero* verum est, et a pluribus similiter usurpatum. Alcimus lib. I, *Oppressos cophinis humeros, attritaque colla*, ut Virgil., Ovid. aliosque prætercam. Egm. scribit *adtrita*. Idem dicendum hymno 1 Peristeph., vers. 72 : *Et chalybs attrita colla, gravibus ambit circulis*. De bacis magna est dissensio. Ita scribunt Ang., Alex., Vatt. F, G, L, Egm., Pal., apud Weitzium Aldus (nam is mihi *baccis*), Put., Teol. et vetustiores Heinsiani. In Aldo, Vatt. D, BB, *baccis*, quod perinde est, quamvis orthographia *bacis* magis probetur. In Rottendorpio priore est glossa : *Baccæ proprie dicuntur fructus lauri, sive racemi hederarum, sed hic pro nodis catenarum ponuntur. Baccæ vero per duo* cc *ministræ Bacchi sunt*. Gifanius Ind. Lucret., verbo VESTIS ex veteribus libris legendum ait *bacis*, aut, quod perinde est, *bagis*. Et *bagis* quidem habet Vat. O cum Erfurt. Fabricius vero vel *baiis*, vel *boiis*. Sed vocem *baia* præfert ex cod. ms. Borneri, et *baias* interpretatur folia palmarum ex S. Hieronymo, aut ramos palmarum ex veteri interprete apud Joannem evangelistam, e quorum surculis suspicatur facta fuisse vincula, quibus colla captivorum includerentur. Sich., Vienn., *bogis*. Mar., *boiis* vel *bois*. Rat., *boiis*. Vat. R, *bois*. Thuan., *boiqis*. Weitzius et Giselinus, *boiis*. Giselinus advertit, Jacobum Meyerum in primo hymno Peristeph., ab eo perpurgato, voculam hanc, Plauto in Asinaria non incognitam, Prudentio restituisse : et recte quidem Giselinus rejicit lectionem *baccis*, si intelligatur, colla attrita baccis fuisse, quia monilia baccata, seu gemmata gestabant, antequam caperentur; quæ quidem est interpretatio Nebrissæ. Latinius etiam in Bibl. select. pro *baccis*, in Torn. posuit *boiis*. In Glossario Ducangii *boia* est compes, aut torques vinctorum; ex quo conjicitur carnifices *boias* ab Italis vocari, quamvis alii dissentiant; pro eodem vero sumitur *boga*, *bogia*, *baga*, *bodia*. S. Hieronymus lib. V in Jerem. cap. XXVI, ad vers. *Fac tibi vincula, et catenas*, ait, vincula et catenas illas, seu furcas ligneas, quæ collo imponendæ erant, sermone vulgari *boias* dici. Et observandum Jeremiam quoque loqui de captivis. Mariettus sine dubio corrigendum ait *bogis*, quod adhuc apud Insubres remaneat vocabulum *boghe* de jugo boum, quo eorum colla atteruntur. Isidorus lib. V, cap. 27 : *Boia*, inquit, *torques damnatorum, quasi jugum boum (al. in bove) ex genere vinculorum est*. Agit eo cap. de pœnis in lege constitutis. Aliqui scribunt *boya* in S. Isidoro. Festus docet, boias fuisse tam ligneas, quam ferreas, et vinculorum genus esse. Existimo, rem eamdem diversis nominibus fuisse vocatam, ut assolet, et de *bacis* innuit Hieronymus. Itaque sive *boiis*, sive *bacis*, sive alio quovis modo scribas, intellige catenas collo impositas, tum hoc loco, tum hymno 1 Peristeph., vers. 46 : *Carcer illigata duris colla boiis impedit*. Mariettus ex hoc versu supicabatur, legendum *Astricta boiis colla liber erigit*, scilicet colla antea boiis astricta, impedita et illigata. Nihil mutandum, nam concinnius est *attrita*, ut eodem hymno 1 Peristeph., vers. 71 : *Et chalybs attrita colla gravibus ambit circulis*. Notandum etiam, versum, quem Iso allegat, *Oneretque baccis colla rubri littoris* esse, Boethii lib. III de Consolatione, metro 3, ubi legitur *baccis* in editione qua utor, et sermo est de gemmis.

34. Ald., *Abraham*; alii, *Abram*.

36. Mar. a prima manu, Vat. C, F, L, cum Ald., *nequa*, quod approbavit Gifanius ex vet. lib. Idem exstat in Oxon. Sed Alex., Bonon., Vat. G et alii, necnon Heinsiani, Weitz., Gis., *nequam*. Weitzius, *prosapiem* scripsit. Non placet.

39. Vocantur panis et vinum *fercula cœlestia*, quia ea obtulit Melchisedech, et sacramentum eucharistiæ eis significabatur, ut intelliges ex glossis seqq.

41. Hic et sequens versus desunt in Put.

43. Vienn., *Melchisech*. Metrum exigit *Melchisedech*. Hoc nomen regem justitiæ significat, ut ait Iso, sed ex origine Hebraica, non Græca ut ille existimat.

44. Bonon. contra carminis leges, *uni tantum Deo cognitus*.

45. Peccat idem Bonon. contra metrum et sensum, *mox et informis* pro *mox et triformis*. De hoc angelorum hospitio vide Dittochæum tit. 4.

46. Mar., Rat., omnes Heinsiani, Weitz., *magalia*. Alex., Gis., et alii, *mapalia*, cum Ald., et Bonon. Alii scribunt *mappalia*, ut Bong. et Vat. C. Sed *a* primum breve est apud Virg. et alios. Vide Savaronem de *mapaliis* Afrorum casis, ad Sidonium pag. 120, vel ex correctione 111.

47. Ald., Gis. in contextu, Vat. F et alii, *Et jam vieta Sara in alvo fertilis Munus juventæ mater exsanguis stupet*. Videlicet, et Sara mater exsanguis stu-

584 Munus juventæ mater exsanguis stupet, A
Hærede gaudens, et cachinni pœnitens.
Hæc ad figuram prænotata est linea
Quam nostra recto vita resculpat pede:
Vigilandum in armis pectorum fidelium,
Omnemque nostri portionem corporis,
Quæ capta fœdæ serviat libidini,
585 Domi coactis liberandam viribus.
Nos esse large vernularum divites,
Si quid trecenti, bis novenis additis,
Possint, figura noverimus mystica.
Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est
Parente inenarrabili, atque uno satus,
Cibum beatis offerens victoribus,
Parvam pudici cordis intrabit casam,
586 Monstrans honorem Trinitatis hospitæ.

GLOSSÆ VETERES.

Sarai ante vocabatur, quæ interpretatur princeps mea, id est gentis Judæorum; postea mutato nomine Sara dicta est, id est princeps, absolute subauditur, omnium gentium, Iso.—Quietam *scilicet a partubus exsanguis: desierant enim ei et muliebria*. Vat. T.

48. Exsanguis, *sicut scriptum est: Desierant Saræ fieri muliebria*, Iso. B

49. Cachinni, *de risu patris, non matris, dictus est Isaac, quoniam iste venerat ex dubitatione, propter quod et mulier reprehenditur; ille vero de gaudio*, Iso.

50. Linea, *umbra, figura, forma, ut pictorum est, futuras imagines quibusdam prius lineis adumbrare: ita omnia in figura contingebant illis, scripta autem sunt propter nos; quæ utique rectis gressibus adimplenda sunt*, Iso.

51. Quam, *lineam.* — Resculpat, *renovet.* — Pede, *tramite, sensu*, Iso.

52. In armis, *armis scilicet lucis induti portionem nostri corporis, quæ per Loth, qui interpretatur declinans, accipitur, a fœdæ libidinis servitute cohibeamus, adunatis introrsum viribus, ut illud: Quodcunque invenerit manus tua, constanter operare, quia neque opus, neque ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* — Arma, *arma pectorum virtutes sunt*, Iso.

54. Capta, *apprehensa.*— Serviat, *pro serviebat*, Iso.

55. Domi, *in te: domus nostra est mens nostra.* — Coactis, *collectis, congregatis*, Iso.

56. Nos, *scilicet docet.*— Large, *abundanter. Abunde domesticorum divites sumus, si* CCCXVIII *fidem Patrum inconcussam tenuerimus.* — Vernularum, *bonarum virtutum, virtutibus*, I.

57. Trecenti, *isti trecenti mysterium significant, scilicet crucis. Tau enim, qui figuram sanctæ crucis, trecentos significat. Si vis scire de decem et octo, lege arithmeticæ minorem numerum intra novem computabis; significat in templo Constantini* CCCXVIII *episcopos defendisse Ecclesiam Dei contra hæresim Arianorum*, I.

58. Figura, *in figura*, Iso.

59. Mox ipse, *per fidem igitur perturbationibus superatis, sensibusque corporis libertate donatis, nihilque de nobis vindicante peccato; tum demum Christus, qui sacerdos verus seipsum obtulit immaculatum Deo, victoribus dignanter occurrens, panem corporis, vinumque sui sanguinis offert*, I.

60. Parente, *ut ait propheta: Generationem ejus quis enarravit?* Iso.

61. Cibum, *æternam refectionem*, Iso.

62. Pudici, *cordis etiam pudici humilem mentem hospita Trinitas intrare dignabitur juxta illud: Ego et Pater veniemus et mansionem apud eum faciemus.* — Casam, *mansuetudinem; justitiam scrutans uniuscujusque cordis*, I.

63. Hospitæ, *si nos bellum contra vitia gesserimus, tunc intrabit Trinitas habitaculis nostris, et fecundabit* C *ea filiis virtutum; hospita apud veteres feminini generis; apud nos communis generis*, I.

COMMENTARIUS.

pet in alvo jam vieta munus fertilis juventæ. Heinsius ex suis scribendum ait, *Et jam vietam Sara in alvum fertilis Munus juventæ mater exsanguis stupet*, quod explicat, Saram esse fertilem in alvum jam vietam, ut præfat. Apotheos. vers. 47, ex quibusdam mss., *fertilis in herbam*. Ego quidem ingens discrimen esse puto inter has duas locutiones, *fertilis in herbam*, et *fertilis in alvum vietam*, quarum primam non respuo, alteram non probo. In membranis magna est varietas. Vienn., *Et jam quieta Sara in alvum fertile Munus venire mater exsanguis stupet*. Mar., *Et jam quietam Sara in alvum fertilis Munus venire*. Rat., *Et jam quietam Sara in alvum fertile Munus venire*; quod Weitzius expressit. Alex., *Et jam vieta Sara in alvum fertilis Munus juventæ*. Bonon., *Et jam vietam Sara in alvum fertilis*; sed mendose postea, *majus juventæ*, uti etiam perperam Fuld., *Et jam fetam*. Palat. et Oxon. faciunt cum Alex. In Thuan. est *quietam*; cætera, ut in Alexandrino. Fabricius Aldo assentitur. In D margine quarumdam editionum, *Et jam quietam Saræ in alvum fertile Munus venire*. Iso *quietam* et *vietam* videtur legisse. Munus juventæ pro facultate pariendi ponitur, ut a Paulino in carm. de S. Joan. Baptista: *Et venit effeto munus juvenile sub ævo*. Multi scribunt *Sarra*.

50. Nebrissa *lineam* interpretatur semitam angustam, quam vita nostra debet recto pede resculpere, hoc est, atterendo dilatare. Confer Isonis glossam. *Sculpere* artis statuariæ proprium verbum est. *Resculpo* iterum sculpo, seu fingo, et renovo. Eo verbo usi sunt Tertullianus, Augustinus, Ruffinus. Vide Rigaltium ad cap. 5 Tertull. de Jejuniis: *Nam et primus populus primi hominis resculpserat crimen*.

51. Fabr. *rescalpit* pro *resculpit*.

52. S. Prosper prope fin. Epigrammatum: *Nunquam tela bonis, nunquam certamina desunt, Et quocum certet, mens pia semper habet*.

53. Egm., Widm., Pal., Mar., Rat., *pecto is*. Alii cum editis, *corporis*. In Viennens., *Omnemque docet nostri portionem corporis*. Deest verbum *docet* in aliis, neque stare potest cum metro.

54. Ald. et Weitz. *fœde*, adverbium. Alii editi, *fœdæ libidini*. E mss. alii habent diphthongum in ultima, alii non habent. Sed in multis omnino desunt diphthongi.

56. Hunc locum fuse explicuimus cap. 20 proleg. Eis, qui in 318 vernaculis Abrahami Patres Nicænos interpretantur, annumerandus est S. Marcus monachus sæculo IV, opusc. 10, num. 8, tom. VIII Bibliothecæ Gallandianæ. Barthius observat mendum esse in suo vet. libro *non esse* pro *nos esse*.

57. Viennens., mendose, *trecentis*. In nonnullis vulg., *his novenis additis*, non bene. In glossa post verba *figuram sanctæ crucis* supple habet, vel quid aliud simile.

58. Barthius conjicit *prosint* pro *possint*. Sed optime *possint*, aut si quid velis mutare, *possunt*, ut Virgilius lib. IX Æneid.: *Si quid mea carmina possunt*.

59. In Vat. C trajectio præpostera *Mox ipse Christus, qui verus est sacerdos*. Has non dicimus varietates lectionum, sed exscriptorum errata.

60. Plerique, ut Ald., Erfurt., Widm., Bong., Gifanius Ind. Lucret., *de hiatu*, pag. mihi 437, Putean., Sich., Mar., Rat., Viennens., Vatt. D, F, L, O, BB, *Parente natus alto, et ineffabili*. Magis placet Alex., *Parente inenarrabili, atque uno satus*, cum Gis. et Pal. a prima manu. Vat. G, Fuld., *Parente inenarrabili, atque alto satus*. Fabricius, *Parente natus alto, et inenarrabili*. Prima lectio proba est, ut putat Heinsius, et quartus pes tribrachys, exclusa elisione. Giselinus ex hac diversitate duas editiones operum Prudentii arguit.

62. Aug., non bene, *pudici pectoris*.

Animam deinde spiritus complexibus
Pie maritam, prolis expertem diu,
Faciet perenni fertilem de semine.
Tunc sera dotem possidens puerpera,
Hærede digno patris implebit domum.

GLOSSÆ VETERES.

64. Animam, *quam Sara significat.* — Spiritus, *per spiritum intelligere vult Abraham, per animam Saram*, I.

65. Maritam, *syncopa, id est conjunctam, quasi maritatam, a verbo, quod est, marito, as.* — Prolis, *virtutum spiritualium.* — Expertem, *ignotam*, I.

66. Fertilem, *fructiferam cum bonis operibus.* — Semine, *si semen est verbum Dei, consequenter et filii opera sunt, quorum utique mercede in fine dominabimur; non feminam, id est non molle quid ac resolutum, sed puerum, id est, forte ac solidum parientes, ut illud: cum autem pepererit puerum*, etc., I.

67. Dotem, *scilicet virtutum, vitam beatam, vel justam vitam; hos sinit intrare quos dignos probat.* — Puerpera, *puerum pariens*, Iso.

68. Hærede-digno, *secundum illud: Filii tui, sicut novellæ olivarum, et alibi: Dirige filios eorum; ac paulo post: Et opera manuum nostrarum dirige super nos.*— Patris, *ostenditur per divinitatem et humanitatem; quæ cum sint duo, non tamen duo, sed unus est Christus*, Iso.

COMMENTARIUS.

64. Ald., Gis. in contextu 1 ed., *connexibus*; alii melius *complexibus*.

65. Aldus, *piæ*, minus bene, pro *pie*. In nonnullis vulg., *expertam*; corrige *expertem*. Cauchius ex codice scripto malebat *pie maritans*.

67. Ald., Nebr., et alii vulg., *Sarra*. Plerique editi et mss., *sera*, ut ante vers. 2, *Abraham serus pater* dicitur. In Vat. C, *sera* a prima manu, *Sarra* supra.

68. Palat., *implevit*; melius *implebit*.

PSYCHOMACHIA.

587 Christe, graves hominum semper miserate labores,
Qui patria virtute cluis, propriaque, sed una,
(Unum namque Deum colimus de nomine trino:

GLOSSÆ VETERES.

1. Graves, *magnos.*— Miserate, *participium a verbo miseror, aris, quod regit accusativum; hinc etiam miserans ait: Venite ad me omnes, qui laboratis*, Iso.

2. Patria, *paterna: paterna virtus Christus est substantiva, non accidens; neque secunda qualitas Patris, sed Filius ejus est; quia non a se, sed ab eo ipso genuit se.* —Cluis, *crescis, polles.* — Una, *scilicet substantia*, I.

3. Nomine trino, *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*, I.

COMMENTARIUS.

1. In Rat. hic est titulus, *Incipit Psychomachiæ liber Aurelii Prudentii Clementis de pugna virtutum atque vitiorum*. In Mar., *Invocatio*. In veteribus aliis codd. desunt interdum tituli. Sæpius autem inscriptio libri reperitur in præfationis limine, quam in ejusdem præfationis fine. Primus iste versus ex imitatione Virgilii conformatus est lib. vi Æneid., vers. 56: *Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores.*

3. In not. ad præf. Apoth. vers. 31 dixi *de* Prudentio aliisque Latinis scriptoribus sæpe esse superfluum; adeoque idem est *de nomine trino*, ac *nomine trino*. Heinsius legit *de nomine utroque* cum suis, Egm., Bonon. et Pal.: quia, inquit, de Deo Patre et Filio tantum agit. Barthius lib. i Advers., cap. 11, reperit camdem lectionem in cod. membr. vetusto, sed conjicit legendum *te nomine trino*, vel potius *te numine trino. Unum*, ait, *Deum nomine tantum trinum dicere ego non satis pium existimo, neque consonum iis quæ eo tempore Augustinus, Hilarius, Athanasius, Cyrillus, Hieronymus et alii infiniti de eodem mysterio scripserunt, quorum sane nullus ita loquatur... Si quis autem scriptor circumspectus in mysteriis fidei, is sane, etiamsi poeta, quod genus licent a majore uti dicitur, est Prudentius noster, eo etiam nomine omnium commendatione dignissimus.* Verum illud Barthius errat, quod putet alios SS. Patres, Prudentii æquales, Deum *nomine trino* nunquam dixisse: quod enim addit, non esse satis pium dicere, Deum esse nomine *tantum* trino, non repugno; sed adverbium *tantum* de suo ille adjunxit, quod in Prudentio non legitur. S. Gregorius Nazianzenus in tractatu de Fide, post initium: *Tria*, ait, *nomina, et tres personas unius esse essentiæ, unius majestatis, atque potentiæ credimus.* S. Paulinus Natali 9: *Sic animas steriles in nomine gratia trino, Innovat*; et ibid. iterum: *Fassus enim est unum trino sub nomine regem.* Et epistola 12 ad Severum: *Ecce velut trino colit unam nomine mentem, Sic trinum sancta mole sacravit opus.* In versibus qui Claudiani nomine circumferuntur, sed, ut alibi monui, adjudicandi sunt Merobaudi Scholastico Hispano: *Tu solus Patrisque comes, et Spiritus insons, Et toties unus triplicique in nomine simplex.* Sequiori etiam tempore similis locutio erat in usu. Drepanius Florus, poeta supra suum sæculum, in carmine de cereo paschali: *Unum quæ trino celebrant sub nomine numen*, ubi imitatus videtur Prudentium. Instrumentum concessionis Ordonii III anno 955, tom. XXXIV Hispaniæ sacræ. pag. 459, ita incipit: *In nomine triplo, simplo, divino, ego Ordonius nutu Dei rex*, etc. Alia, quæ huc adduci possent, attuli supra Cathem. hymn. 3, vers. 20, et præfat. Apotheos. vers. 1, ubi similes loquendi formulas contra Hincmarum defendi. Porro habent *de nomine trino* codd. Vatt., C, D, F, G, L, R, O, BB. In cod. Vat. II, *utroque* a prima manu, supra *trino*. In Alex., *utroque*. Viennens., Mariett., Rat., Ald., Gis., Weitz. et veteres editi, *trino*, quod Chamillardus prætulit. Cellarius, Heinsii auctoritate permotus, *utroque* edidit, quod tenuit etiam Teolius. Confer Petrum Constantium in Vindiciis veterum codicum confirmatis, qui Gottescalcum contra Hincmarum tuetur, et Lamium de recta Nicænorum Patrum Fide cap. 33. num. 10, qui in Missali edito a card. Thomasio *trina veritas* in interrogationibus ad baptizatos dici observat, Berniniumque refellit, quod Histor. sæculi viii cap. 7 asseruerit, Gottescalcum defendisse hanc locutionem *triplex deitas*: nam Lamius *trina deitas* dici posse ait, *triplex deitas* negat.

588 Non tamen et solum, quia tu Deus ex [Patre, Christe) A
Dissere, rex noster, quo milite pellere culpas
Mens armata queat nostri de pectoris antro.
Exoritur quoties turbatis sensibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat,
Quod tunc præsidium pro libertate tuenda,
Quæve acies furiis inter præcordia mixtis
Obsistat meliore manu; nec enim, bone ductor,
589 Magnarum virtutum inopes, nervisque [carentes
Christicolas vitiis populantibus exposuisti.
Ipse salutiferas obsesso in corpore turmas
Depugnare jubes: ipse excellentibus armas
Artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
Oppugnanda potens tibi dimicet, et tibi vincat.
Vincendi præsens ratio est, si cominus ipsas
Virtutum facies, et colluctantia contra
Viribus infestis liceat portenta notare.
Prima petit campum dubia sub sorte duelli

GLOSSÆ VETERES.

4. Non tamen, *sic in Deo credamus unitatem, ut solitudinem non admittamus. Unus est enim, non solitarius*, I.

5. Dissere, *ostende, vel dic.* — Milite, *exercitu fugare vitia*, I.

6. Armata, *arma, inquit Apostolus, militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Dei.* — Queat, *possit.* — Antro, *cogitatione*, Iso.

7. Exoritur, *excrescit, vel evenit.* — Turbatis, *congregatis*, Iso.

8. Seditio, *discordia. Caro concupiscit adversus spiritum, et retro.* — Animam, *cogitationem.* — Morborum, *vitiorum.*—Rixa, *contentio.*—Fatigat, *tribulat*, I.

9. Præsidium, *auxilium.* — Pro libertate, *quæ est ad protegendum. Absit, ut in se Christus credentes vitiis exposuerit, viribusque reddiderit destitutos, etiamsi maximis virtutibus nequaquam præditi sint, cum dicat: Noli timere, pusillus grex; benedicatque pusillis cum majoribus, state, et nolite iterum jugo servitutis contineri; alioquin qui facit peccatum, servus est peccati.* — Pro libertate, *bona facere*, I.

10. Acies, *scilicet obsistit.* — Furiis, *vitiis, vel suggestionibus.* — Præcordia, *interiora; integrum mentis ingenium*, I.

11. Obsistat, *contra stet.* — Meliore, *cœlesti multitudine, vel virtute.* — Nec enim, *quia.* — Ductor, *auctor, vel dux*, I.

12. Nervis, *virtutibus, viribus*, I.

13. Christicolas, *Christianos, qui Christum colunt.* — Populantibus, *vastantibus.* — Exposuisti, *contra posuisti, non deposuisti*, I.

14. Ipse, *Induite, inquit, armaturam Dei.* — Salutiferas, *signatas.* — Obsesso, *circumsepta anima.* — Turmas, *virtutes*, I.

15. Depugnare, *contra vitia procinis pugnare.* — B Excellentibus armas artibus, *excellentibus adjuvas virtutibus*, I.

16. Ingenium, *ingenium potens, Christo potius vincat. Unde et Psalmista: Non nobis, Domine, sed nomini tuo da gloriam; itemque: In Deo faciemus virtutes.* — Ludibria, *ad ludos; immunditiem*, I.

17. Potens, *habens cœleste adjutorium.* — Tibi, *ad tuum honorem.* — Et tibi, *ad tuam laudem.* — Vincat, *tunc caro lætatur, cum vitia vincit*, I.

18. Præsens, *omni tempore parata ad prælium.* — Cominus, *contra, sine intermissione, prope; in sequenti siquidem opere contra invicem posita sunt, et repugnantia vitia, ex expugnantes virtutes: unde conjicitur, velut pictis historiis omne carmen ab auctore fuisse distinctum*, I.

19. Colluctantia, *obstantia, repugnantia*, I.

20. Viribus, *suggestionibus.* — Portenta, *jure vitia portenta nuncupantur, non enim secundum naturam sunt, sed naturæ contraria.* — Notare, *componere, scribere*, I.

C 21. Prima, *rectissime a fide cœpit, quæ, teste Apostolo, et initium bonorum, et virtutum est fundamentum, alioquin quidquid non est ex fide, peccatum est.* — Petit, *intravit.* — Campum, *campus est mundus, in cujus fines prædicatorum sonus exivit; nec apud eos, sed apud incredulos sors dubia videbatur.* — Duelli, *belli. Duellum, quasi duorum hominum bellum*, I.

COMMENTARIUS

4. Cap. LXIV Isaiæ, vers. 24: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum.* A Prudentio dicitur unus Deus, non tamen solus: recte, quia Isaias eo loco, populum ab idolorum cultu revocare contendens, naturæ divinæ unitatem astruit, quod fatetur poeta noster, simul plures personas asserens.

8. Rat., Erfurt., Bong., *animum.*

10. Vitia non immerito dicuntur *furiæ*. Lactantius, lib. VI, cap. 21: *Tres sunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido. Propterea poetæ tres furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitent, ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates.* Nunc septem vitia principalia sive capitalia numerantur; olim octo recenseri consueverunt; de quo vide Theodulphum Aurelianensem Capitul. ad presbyteros cap. 31.

13. Erfurt., *spoliantibus*; cæteri, *populantibus*. Hac ratione Simonidis error evertitur, qui Deum nobis invidisse jactabat, quod tot vitiis obnoxios esse permiserit. Nam simul *salutiferas obsesso in corpore turmas depugnare jubet.*

15. Egm., Pal. et Barthii codex, *armis* perperam pro *armas*. Barthius, quem nunc sæpe advocabo, de hoc suo codice et correctionibus loquitur lib. L Advers., cap. 11; item cap. 9, lib. LI; cap. 12 lib. LIV; et cap. 18 ejusdem libri. Erant autem Barthii membranæ *perveteres*, *picturisque antiquitatem referentibus exornatæ*.

19. Erfurt., male, *acies* pro *facies*.

20. Vat. G, *infectis*; recte emendatum *infestis*. Post hunc versum titulus in plurimis codicibus ponitur, quanquam Prudentius nullos posuisse videatur. In Mar. et Rat., *Fides*. In Viennen., *De Bello fidei et Culturæ deorum.* Aldus, *Fidei et Idololatriæ pugna*: ipse scribit *idolatriæ*. Chamillardus, *Fides et Idololatria*. Weitzius et Giselinus Aldo adhærent.

21. Poeta virtutes et vitia graphice describit. Multa D ad hunc libellum illustrandum peti possent ex Characteribus Theophrasti cum commentariis Casauboni, quos ex mss. Vaticanis nuper auxit cl. Joann. Christophorus Amadutius, et paulo ante in sermonem Hispanum cl. Ignatius Lopez de Ayala converterat. Alia etiam philosophus Seneca pos et suppeditare. Etenim de virtutibus et vitiis philosophi ethnici vere et argute aliquando disseruerunt. Sed ex sacris potissimum Litteris et Ecclesiæ doctoribus doctrinam suam hausit Prudentius: quos ego fontes dum attingo, philosophos gentiles ita laudo, ita verum interdum invenientes mirari soleo, ut homines utroque oculo captos, qui labore et industria id demum assequuntur, ut certa quadam via recte incedant, quin offendant. Prima inducitur fides *dubia sub sorte duelli*: ubi non credo, poetam solum respexisse ad naturam

590 Pugnatura Fides, agresti turbida cultu, A
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos.
Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi:
591 Pectore sed fidens valido, membrisque retectis
Provocat insani frangenda pericula belli.
Ecce lacessentem collatis viribus audet
Prima ferire Fidem veterum Cultura deorum.
Illa hostile caput, phalerataque tempora vittis
Altior insurgens labefactat, et ora, cruore
De pecudum satiata, solo applicat, et pede calcat
Elisos in morte oculos: animamque malignam
Fracta intercepti commercia gutturis arctant,
Difficilemque obitum suspiria longa fatigant.
Exsultat victrix legio: quam mille coactam
Martyribus regina Fides animarat in hostem.
Tunc fortes socios parta pro laude coronat
592 Floribus, ardentique jubet vestirier ostro.
Exin gramineo in campo concurrere prompta
Virgo Pudicitia speciosis fulget in armis:

GLOSSÆ VETERES

22. Agresti, *non enim ad prædicandum philosophos, sed piscatores elegit.* — Turbida, *irata, deformis, non secundum carnem militans.* — Cultu, *habitu*, I.

23. Nuda, *prompta ad bona opera.* — Humeros, *nudos habens humeros.* — Intonsa, *inculta; quæ non colebatur, ut virtus.* — Exerta, *nudata ad prælium. In carne, inquit, ambulantes, non secundum carnem militantes.* — Lacertos, *brachia*, I.

24. Repentinus, *et factus est repente de cœlo sonus*, Iso.

25. Nec telis meminit, *non enim in sapientia verbi syllogismos Aristotelis, sive contorta Chrysippi sancti prædicatores jaculati sunt*, I.

26. Valido, *hujus omnino validum pectus erat, qui dicebat: An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur, Christi?* — Membris, *membra etiam retexerat: Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum.* — Retectis, *nudatis*, I.

27. Frangenda, *ne idololatria, atque cultura deorum ulterius coleretur.* — Belli, *secli*, I.

28. Lacessentem, *provocantem; fidem prima ferit idololatria, cum fidei prædicatores insequitur.* — Collatis, *collectis*, I.

30. Illa, *fides.* — Hostile, *hostile caput labefactat, cum reges, sive philosophi ad cultum curvantur religionis.* — Caput, *idololatriæ.* — Phalerata, *ornata*, I.

31. Ora, *aspicientes vana pro nihilo computantur: nam et moriuntur, cum meditantur, ut videant*, I.

B 33. Elisos, *confractos*, I.

34. Commercia, *mutuata vicissitudines flatuum; tæniæ.* — Arctant, *constringunt*, I.

36. Legio, *scilicet fidei.* — Coactam, *collectam*, Iso.

37. Animarat, *instigabat, animum dederat*, I.

38. Socios, *virtutes.* — Parta, *syncopa, parta, acquisita, præparata; et venit a verbo parior*, I.

39. Floribus, *flores sunt immarcessibilis viror æternæ mercedis; quia per sanguinis sui undam vitam æternam promeruerunt; voluptatibus.* — Ardente, *pro ardore dilectionis posuit.* — Ostro, *purpura*, I.

40. Exin, *deinde.* — Gramineo, *graminoso.* — Campo, *exercitium continentiæ virore jugi jucundum est.* — Concurrere prompta, *pugnare parata*, I.

41. Pudicitia, *jure post fidem pudicitia ponitur; quoniam sicut integritas fidei virginitas est mentis, ita castitas carnis exordium est sanctæ operationis: has enim destructa, omnis virtutum fabrica ruit.* — Speciosis, *speciosa sunt utrinque arma lucis, ut illud: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes*, I.

COMMENTARIUS.

belli, in qua fortuna plerumque dominari solet, ut Nebrissa, Weitzius et Chamillardus explicant; sed potius ad liberam hominum voluntatem, ut Iso innuit. Sichardus ait, adeo alacrem fidem describi, ut ex primo ejus aspectu facile tibi victoriam pollicearis. Alcimus Avitus de Laude virginitatis vers. 363: *At tu, virgo Dei, sanctis quam moribus ornant, Hinc pudor, inde fides, internis fortior armis Belli geris... Hæc virtutis opes, hæc sunt solatia belli... Quæ prudenti olim cecinit Prudentius ore.* Ubi Psychomachiæ argumentum repræsentat. Iso Apostoli verba ad Rom. XIV, 23, *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*, accipit de fide qua in Deum credimus: et ita quidem nonnulli SS. Patres eumdem locum explicant. Sed hi ipsi *peccatum* intelligunt hoc loco dici opus inutile ad vitam æternam consequendam. Cæterum plerique melius Apostolum interpretantur de fide, sive conscientia, qua credimus aliquod opus nobis licere, ut ex ipso contextu liquet. Certum quidem est non omnia infidelium opera esse peccata, nec philosophorum virtutes esse vitia.

22. Fuld., non inepte, *vultu* pro *cultu*. Poeticam hanc fidei descriptionem Iso satis feliciter interpretatur. Addam interpretationem Ruperti Tuitiensis, qui lib. VI de Oper. Sp. S., cap. 16, ait: *Fuerunt tamen quam plurimi, qui non ejusmodi stolis* (bonorum operum) *adornati cucurrerunt ad confessionem sancti nominis, et adhuc recenti baptismo nitentes, nullis operum præculti ornatibus, induerunt gloriam martyrii. De talium fide quidam ita cecinit: Prima petit campum*, etc. Ubi versu 24 contra metrum legitur *calor laudis*...

23. Exerimus lacertos, seu nudamus brachia, cum operi alicui seu labori maxime expediti et intenti esse volumus. Notat Giselinus, fidem alacritate et con- C stantia communiri, idololatriam phaleris ornari: apposite.

24. Viennens., *jamque;* alii, *namque.* Put., *labor;* cæteri melius *calor;* sed Vat. F. perperam voces trajecit *calor laudis* pro *laudis calor.* Vide vers. 22.

27. *Pericula frangenda* ait, ut hymno 1 Cath., vers. 43: *rupto tenebrarum situ.* Sic etiam dicitur *frangere audaciam, consilia, sententiam, morbum.* Post hunc versum in Mar. et Rat. titulus est: *Cultura deorum.*

30. Tam in Mar. quam in Rat. exaratum est *tympora* pro *tempora.*

31. Imitatio Maronis, qui non semel lib. XI et XII, *Altior insurgens.*

32. In quibusdam vulg., *e pecudum.* Superfluum sæpe est *de*, ut monui vers. 3.

33. Weitzius, Gis., Mar., Vat. R, *in mortem.* Plerique alii nostri et Heinsiani cum Aldo, *in morte;* et Heinsius id confirmat, quia poetæ aiunt, *Oculi in morte natantes.* Ipse ediderat *in mortem.*

D 34. Perperam in editione Weitziana notatum ad oram *arctans* pro *arctant.*

37. Viennens., *armarat.* Fuld., *armabat.* Alii melius *animarat.* In ms. optimæ notæ, collato a Michaele Piccarto apud Weitzium, est *armarat.*

38. Pro *tunc* habet *nunc* Vienn., Mar., Rat., Bong., Torn., Gall. et alii. Carolus Paschalis, de Coronis pag. 115, lib. II, cap. 15, multa affert, quibus suadeat flores a poetis interdum poni pro coronis, quod e floribus confici soleant.

39. Post hunc versum titulus in Aldo, *Pudicitiæ pugna.* In Mar., et Rat., *Pudicitia;* in Viennens. nullus est titulus.

40. Fabr., Gis., Vat. F. G, *gramineo campo* sine *in.* Nebrissa legit *prona;* alii *prompta.*

41. Omnes virtutes *virgines* dicuntur, præsertim

Quam patrias succincta faces Sodomita Libido A
Aggreditur, piceamque ardenti sulphure pinum
Ingerit in faciem, pudibundaque lumina flammis
Appetit, et tetro tentat suffundere fumo.
Sed dextram furiæ flagrantis, et ignea diræ
Tela lupæ saxo ferit imperterrita virgo,
593 Excussasque sacro tædas depellit ab ore.
Tunc exarmatæ jugulum meretricis adacto
Transfigit gladio: calidos vomit illa vapores,
Sanguine concretos cœnoso: spiritus inde
Sordidus exhalans vicinas polluit auras.
Hoc habet, exclamat victrix regina, supremus
Hic tibi finis erit, semper prostrata jacebis:
594 Nec jam mortiferas audebis spargere flammas
In famulos, famulasve Dei: quibus intima casti
Vena animi sola fervet de lampade Christi.
Tene, o vexatrix hominum, potuisse resumptis
Viribus exstincti capitis recalescere flatu?
Assyrium postquam thalamum cervix Holofernis

GLOSSÆ VETERES.

43. Piceamque, *omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum, quæ succensa intrinsecus nidore fetent, et lumine carent; sed piceam facem appellat, quia in libidine ardor et fetor est*, — Pinum, *facem*, I.

44. Lumina, *intellectum perspicuæ veritatis immundis cupit delectationibus obscurare*, I.

45. Appetit, *quæsivit*, I.

46. Dextram, *immunditias blandæ persuasionis rigore propositi gravi celeriter ab aspectu depellit*, I.

47. Lupæ, *meretricis.* — Imperterrita, *petra erat Christus*, I.

48. Ore, *scilicet suo*, I.

49. Exarmatæ, *sine armis.* — Jugulum, *pectus, vel cervicem*, I.

50. Gladio, *repulsis igitur cogitationibus immundis, gladio utitur, quod est verbum Dei; ut illud: Fornica-* B *tores enim et adulteros judicabit Deus*, I.

51. Sanguine, *quod non potest a vigilantibus torquere, dormientibus velut invitis molitur; nec ulterius procedere sinitur.*—Concretos, *commixtos.*—Cœnoso, *fœdo, lutulento. Cœnos græce lutum dicitur*, I.

53. Exclamat, *castitas ad suos conversa inquit*, I.

54. Hic, *talis; in hoc loco.*—Semper, *æternum*, P.

58. Tene, *miror*, I.

59. Recalescere, *revivescere*, I.

COMMENTARIUS.

vero pudicitia. De fide in hymno S. Romani vers. 352: *Foresque primas virgo custodit fides.* De justitia sive Astræa Ovidius et alii. In Mar. et Rat. titulus post hunc versum, *Libido*.

42. Mar., *Sodamita* pro *Sodomita*. In Rat. corrector ineptus, erasis prioribus, apposuit *Sodomitis erimnis*, ita enim scripsit: quasi non licuerit Prudentio feminino genere efferre *Sodomita*, ut dicitur femina sacerdos, testis, et similia. Aiunt dici debere *Sodo-* C *mitis, Sodomitidis*. Testem veterem afferant qui id asseveret, ac Prudentii auctoritatem elevet: non enim grammaticis recentibus fidem præstabo, qui neque veteribus præsto, cum scriptor pariter antiquus est arguen us. Furiis faces poetæ tribuunt; libidinis vero faces magis propriæ sunt, ut tædæ, de quibus mentio infra occurrit; et dicuntur *patriæ*, quia ipsa appellatur *Sodomita*. De incendio Sodomitico in Hamartigenia egimus.

44. Luxuriam oculos invadere, et videndi facultatem eripere, probe notat Peveratus ex Chrysost. homil. 2 ad Cor. I.

47. *Lupa* antiquis est meretrix, ex quo *lupanar*. Giselinus observat aptissimam esse antithesim *faces sulphureas* pro *libidinis armis*, et *saxum* pro *telo pudicitiæ*, neque id a medicorum scitis alienum esse probat auctoritate Galeni lib. ult. de Conservanda Valetud. Glossa videtur trajecta e verbo *saxo* ad *imperterrita*.

51. Barthius lib. XXXVI, cap. 7, putat, hoc loco *cœnoso* esse a *cœna*, non a *cœno*, seu luto: et intelligit sanguinem ex cœna hesterna. Sed verius puto, esse a *cœno*, ut statim spiritus libidinis *sordidus* dicitur. Quod autem Barthius plura colligit nomina in *osus*, quæ oblitterata habentur pro barbaris, nec auctores habent omnino improbandos, minime id arguit in his nominibus esse reponendum *cœnosus* a *cœna*, aut eo usum fuisse Prudentium hac significatione. Multa vero profert Barthius, quæ, nescio cur oblitterata aut pro barbaris haberi existimet, ut *ventosus*, *verbosus*, *gratiosus*, *luminosus*, *clamosus*, *aquosus frondosus*. Scaliger lib. VI Poetic., cap. 7, congerit nomina in *osus*, quibus usus est, et delectari videbatur Horatius: *æstuosus*, *obliviosus*, *periculosus*, *libidinosus*, *otiosus*, *luctuosus*, *pretiosus*, *damnosus*, *vitiosus*, *sumptuosus*, *studiosus*, *speciosus*, *caliginosus*, *maculosus*, *belluosus*, *siticulosus*, *imperiosus*, *ulcerosus*, *generosus*, *crebrosus*, *plagosus*, *laboriosus*, *injuriosus*, *formidolosus*, *dolosus*, *tumultuosus*, *fastidiosus*, *operosus*, *umbrosus*, *famosus*, *bellicosus*, *jocosus*, *animosus*, *fabulosus*, *ventosus*, *probrosus*. Heinsius suspicatur *sanioso*, et a manu male feriata esse *cœnoso*, quia *lutulenta libido* postea dicitur. Non probo conjecturam. Glossam Isonis ita intellige vel potius corrige: κοινός Græce est communis, et quia ea quæ promiscuo omnium usui patent, solent con- C taminari sordesque colligere, idcirco accipitur etiam pro impuro, impolluto.

52. Weitzius pro *sordibus* advocat Giselinam: intelligo primam hujus editionem, nam in secunda correcta *sordidus* cum cæteris omnibus habet.

53. Alex., Vatt. G, H, O, BB, Heinsiani, Erfurt., Palat., Mar., Rat., *Hoc habet*, *exclamat*. Sic Virgilius lib. V, *Hoc habet: hæc melior magnis data victima divis*. Terentius in Andria, *Captus est*, *habet*. Proverbium e gladiatorum ludo, quo indicatur habere vulnus lethale, qui victus et vulneratus est. Alii aliter legunt. Vienn., Gifanius, Vatt. F, L, *Hoc habe*, *exclamat*, per hiatum. Ang., *Hac habe*, *exclamat*. Vat. D, male, *Hoc habeto*, *exclamat*. Aldus, *Hoc tibi habe*, *exclamat*, quod in contextu Giselinus posuit, sed dubius, an præferret *Hoc habe*, *exclama'*, quod amplexi sunt Sich., Weitz. et alii recentiores. Lipsius, lib. II Serm. Saturnal. cap. 21, agit de clamore ad vulnus, *Hoc habet*, et Prudentium citans ait, D Prudentius meus Psychomachia, *Hoc habet*, *exclamat*. Fortasse *suum* Prudentii exemplar laudat

57. Bene habet, quod Giselinum, haud ignobilem medicum, Prudentii interpretem audire possumus, cujus auctoritate poetæ doctrina illustretur. Docet Giselinus quod *cum jecur*, *ut alia omnia viscera*, *fibris suam soliditatem debeat*, *unarumque omnium fons sit et origo*, *recte per metalepsim ex istis omne genus libidines et cupiditates*, *ipseque adeo animus intelligitur*, *tum hic*, *tum aliis innumeris locis*. *Infra vers.* 761, *quia scissa voluntas Confundit variis arcana biformia fibris; et vers.* 238, *Anne pudicitiæ gelidum jecur utile bello est?* Opponit vero Prudentius *lampada Christi lampadi Veneris*, seu *Cupidinis*, de qua passim apud poetas.

60. Weitz. cum Erfurt. et Boug., *cervixque* minus bene pro *cervix*. Mar., Rat., Vienn. et alii cum Vulgata, *Holofernis*, Heinsiani *Olofernis*, Aldus *Olopherni*. Alii *Oloferni*. Hanc historiam habes in libro Judith cap. XIII.

Cæsa, cupidineo madefactum sanguine lavit,
Gemmatumque torum mœchi ducis aspera Judith
Sprevit, et incestos compescuit ense furores,
Famosum mulier referens ex hoste tropæum
Non trepidante manu, vindex mea, cœlitus audax.
At fortasse parum fortis matrona sub umbra
Legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat,
595 Vera quibus virtus terrena in corpora fluxit,
Grande per infirmos caput excisura ministros.
Nunquid et intactæ post partum virginis ullum
Fas tibi jam superest? Post partum virginis, ex quo
Corporis humani naturam pristina origo
Deseruit, carnemque novam vis ardua sevit,
Atque innupta Deum concepit femina Christum,
Mortali de matre hominem, sed cum Patre numen.
Inde omnis jam diva caro est, quæ concipit illum,
Naturamque Dei consortis fœdere sumit:
Verbum quippe caro factum, non destitit esse,
596 Quod fuerat, Verbum, dum carnis glutinat usum,
Majestate quidem non degenerante per usum
Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
Ille manet, quod semper erat, quod non erat, esse
Incipiens: nos, quod fuimus, jam non sumus, aucti

GLOSSÆ VETERES.

61. Cupidineo, *libidinoso, luxurioso.*—Lavit, *humectavit*, I.

62. Torum, *lectum.*—Mœchi, *adulteri, stupratoris*, I.

63. Sprevit, *amor carnis amore Christi, tanquam clavus clavo extruditur.*—Incestos, *illicitos.*—Compescuit, *prohibuit*, I.

64. Tropæum, *sicut etiam ipsa precabatur: Conforta me, omnipotens rex sæculorum*, I.

65. Cœlitus, *divinitus*, I.

66. At, *poeta.*—Parum, *parumper.*—Fortis, *scilicet fuit.*—Sub umbra, *legis Moysi, in qua occultabatur ritus Ecclesiæ; in infidelitate cordis. Sensus est: propterea potuisti resurgere, quia sub umbra legis pugnabat, non sub gratia*, I.

67. Tempora nostra, *qualiter Christiani agere deberent*, I.

68. Quibus, *in quibus scilicet temporibus*, I.

69. Caput, *vitiorum: ut nequissimum caput, id est diaboli, a suo corpore, quod erat humanum genus, separaret, fierentque de vasis iræ vasa misericordiæ; diabolum, vel vitia.*—Excisura, *percussura.*—Ministros, *per virgines; per apostolos, qui infirmi ministri erant*, I.

72. Origo, *peccatum*, I.

73. Deseruit, *ut exspoliantes veterem hominem.*—Carnemque, *immortalitatem. Dabo vobis cor carneum*, etc., I.

75. Numen, *Deum; non amittendo deitatem*, I.

76. Inde, *verbum Dei, quod Christus est, credendo sive intelligendo concipimus cum dulcedine operando, parimus cum labore, sed mercede cum gaudio fruimur.*—Diva, *divina vel sancta.*—Concipit, *in baptismate*, I.

78. Destitit, *desinit; nostra, per quæ redimeremur, suscepit, non sua, ad quæ proveheremur, amisit*, I.

79. Glutinat, *conjungit, in se sumit.*—Usum, *naturam*, I.

80. Non degenerante, *illi majestati assumpta humanitas nihil contulit, nihil comminuit; neque enim aliquid radiis solis oculus confert*, I.

81. Trahente, *majestate*, I.

83. Aucti, *in baptismate*, I.

COMMENTARIUS.

62. Ald., Weitz., Gis., Vat. C, Mar., Rat., Vienn., et alii *gemmatum.* Heinsius prætulit *gemmantem* cum Put., Thuan., et priori Rott., quibus accedunt Alex., et alii. Utroque modo utitur eo verbo Prudentius, et usi sunt alii.

64. Vienn., *ex hoste triumphum.*

65. Aldus ediderat *mea vindex*, emendavit *vindex mea.* Nebrissa correctionem non advertit, aut neglexit.

68. Ald., Thuan., Oxon., Rott., et unus Vat. apud Teol., *terreno in corpore fluxit*, unde censebat Heinsius *terreno in corpore fulsit.* Sed quid opus est conjectura, cum plerique, Mar., Vienn., Rat., Alex., et alii habeant *terrena in corpora fluxit?*

70. Vienn., *illum;* alii, *ullum.*

72. Ald., Fabr. et Gis. in contextu 2 edit., *prisca propago.* Alii, *pristina origo*, Cauchius, *naturam pristinam origo.*

73. Rott. prior, *carnique novam vis ardua sevit*, hoc est, naturam novam carni insevit. Nebrissa suspicabatur *sumpsit* pro *sevit;* et in Vienn. quidem legitur *sumpsit.*

74. Quod Prudentius *innuptam feminam* concepisse asserit, non intelligit solum Virginem concepisse, antequam desponsaretur, sed potius viri expertem concepisse. Nubere sæpe accipitur pro re venerea, ut notavi ad vers. 571 Apoth.

75. Weitzius cum solo Erfurt., *mortalem de matre hominem;* quod non est contemnendum.

76. Vienn., *unde;* alii, *inde.* Chamillardus ait: *Mihi hoc legenti venit in mentem D. Hieronymi locus plane similis lib.* II *contra Jovinianum: Verbum caro factum est, ut nos transiremus in verbum de carne.* Idem locus in mentem Weitzio venerat, qui illum exscripsit, et alium præterea similiorem ex Athanas. apud Theodoret. dialog. 2 contra Hæretic.: *Quia* Λόγος *assumpsit carnem, ideo* ἐθεοποιήθη ὁ ἄνθρωπος. Cellarius ad Latinitatem cadentem revocat *divus* adjective pro *sanctus;* non persuadet, et hoc exemplum, quod adducit ex Prudentio, non minus recte procedit, quam quæ ipse probat, *diva mater, diva Juno, divi penates.*

77. Put., Egm., Palat., Alex., *consortis;* alii *consorti.* In Viennens. pro *sumit* est *sumpsit*, quod videtur etiam fuisse in Alex.

79. Put., duo Rottendorphii, Alex., *dum carnis glutinat usum.* Alii, *carnis dum glutinat usum.* De verbo *glutino* dictum est supra hymno 11, vers. 52. Chamillardus animadvertit, agere poetam adversus Photinianos et Samosatenos, qui Christum merum esse hominem asserebant; refutare Carpocratem, Ebionem, Cerinthum, qui Jesum ex Josephi et Mariæ conjugio, cæterorum hominum more, progenitum docuerunt; oppugnare Tertullianum et Antidicomarianitas qui credebant Mariam non fuisse post partum virginem. Itaque jure Psychomachiam inter ea carmina reponimus, de quibus Prudentius in prologo: *Pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem.*

82. Ænigma simile theologicum de Christo a Peverato ascribitur: *Sum quod eram, nec eram quod sum, nec dicor utrumque. Mater homo, pater est mi sine fine Deus.*

Nascendo in melius: mihi contulit, et sibi mansit.
Nec Deus ex nostris minuit sua: sed sua nostris
Dum tribuit, nosmet dona ad cœlestia vexit.
Dona hæc sunt, quod victa jaces, lutulenta Libido,
Nec mea post Mariam potis es perfringere jura.
Tu princeps ad mortis iter, tu janua lethi,
597 Corpora commaculans, animas in tartara mergis.
Abde caput tristi jam frigida pestis abysso,
Occide, prostibulum, manes pete, claudere Averno,
Inque tenebrosum noctis detrudere fundum.
Te volvant subter vada flammea, te vada nigra,
Sulphureusque rotet per stagna sonantia vortex.
Nec jam Christicolas, furiarum maxima, tentes:
Ut purgata suo serventur corpora regi.
Dixerat hæc, et læta Libidinis interfectæ
Morte Pudicitia, gladium Jordanis in undis
Abluit infectum: sanies cui rore rubenti
598 Hæserat, et nitidum macularat vulnere ferrum.
Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro
Victricem victrix, abolens baptismate labem
Hostilis juguli: nec jam contenta piatum
Condere vaginæ gladium, ne tecta rubigo

GLOSSÆ VETERES.

84. Contulit, *multa bona; suam divinitatem.*—Mansit, *Deus*, I.

85. Ex nostris, *membris.*—Sua, *ideo nostræ humanitatis factus est particeps, ut nos suæ divinitatis participes faceret*, I.

87. Dona, *quia nemo potest esse continens, nisi Deus det.*—Lutulenta, *polluta: libido semper immunditiis, ac sordibus delectatur*, I.

90. Corpora, *secundum Apostolum: Cætera peccata extra corpus sunt: hoc autem ipsa corpora commaculat, et corrumpit*, I.

91. Abde, *absconde.*— Frigida, *victa*, I.

92. Claudere, *clausa sis*, I.

93. Detrudere, *detrusa sis.*— Fundum, *tartarum*, I.

94. Vada flammea. *merito sulphure torquetur, et igne, qui calores hic fœtidos neglexit contemnere*, I.

95. Rotet, *volvat*, I.

97. Suo, *proprio.*— Regi, *Christo*, I.

99. Gladium, *gladius enim verbum Dei est, ut Apostolus*, I.

100. Abluit, *pœnitentiam agens.*— Infectum, *maculatum.* —Sanies, *impossibile est ut humanam mentem carnea fragilitas non obscuret; sed inde post solidius assurgit in contemplationem, quo infirmitatis suæ memor nunquam inflatur ex bono opere.*— Rore rubenti, *sanguine rubro*, I.

101. Nitidum, *splendentem*, I.

102. Expiat, *mundat.* —Aciem, *ipsas siquidem maculas cogitationis fletibus abluit piæ compunctionis.* — Lavacro, *baptismo*, I.

103. Abolens, *lavans*, I.

104. Hostilis juguli, *concupiscentiæ*, I.

105. Condere, *abscondere, intentionem scilicet casti propositi non vult celari; non vult sibi committi, sed Deo; ut luceat, et glorificetur. non ipse, sed Deus*, I.

COMMENTARIUS.

87. Heinsiani scripti, Alex., Ang., Weitz., Vienn., Rat., Mar., Vatt. C, F, G, Sich. et alii, *quod victa jaces*, quam lectionem Barthius ex suis membranis præferebat. Alii *queis*, vel *quis victa jaces*. In Vat. C mendum est *luculenta* pro *lutulenta*.

88. Ang. et Vat. C, *poteris;* sed in Vat. C abrasa sunt priora. Etiam in Vat. D abrasum est aliquid. Vera lectio est *potis es*. Ald., *perstringere;* alii, *perfringere.*

89. Aldus, Nebrissa aliique veteres editi, *tu præceps, ad mortis iter*, quod explicat Nebrissa, *præceps* active pro *præcipitans*, seu *præcipitanter impellens.* Peveratus eamdem lectionem confirmat, quia magna libidinis et mortis consensio est; quod significabat priscus ille Romanorum ritus vendendi in æde Veneris Libitinæ ea quæ ad sepulcrum spectabant: de quo consule Kirchmanum de Fun. lib. I, cap. 9. Codd. constanter *tu princeps*, sic e nostris Alex., Ang., Vienn., Rat., Mar. (ubi tamen est *princes*, mendose), Vatt. D, F, G, H, L, ut alios omittam. Eamdem lectionem tuentur Barthius loc. cit., et Becmannus in Manuduct. ad ling. Lat., cap. 6, ex cod. Pal., qui etiam Ciceronis verba de Amicitia producit: *Amor princeps est ad benevolentiam conjungendam.*

90. Uterque Rott., *commaculas.*

91. Ald., *jam fervida*, quod Nebrissensis exponit de Veneris ignea natura. Cæteri melius *jam frigida.* Non tamen probo Chamillardi interpretationem, frigidam vocari, quia crudelius venenum, ac magis præsentaneum frigidum est. Libentius audio Leonem: FRIGIDA *victa*, vel potius *extincta*. Virgilius IV Georg.: *Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.* Fracastorius Prudentium imitatur in Syphil.: *Abde caput, Benace, tuo et te conde sub amne.*

95. Vat. F, mendose, *sulfineus* pro *sulphureus*. In Put. semper *solporeus* et *vertex* scribitur.

97. Bong. et Sich., *Christo* pro *regi*. In Erfurt. erat *Christo* pro glossa.

98. Beda de Arte metrica hunc versum citat, et docet ita veteres pronuntiare consuevisse *interfectæ*, ut dactylus quinto esset loco. Non assentior: nam antiquiores grammatici diserte tradunt, nonnunquam sede quinta spondæum in versu hexametro collocari.

100. In Vat. C metri error est, *cui sunies* pro *sanies cui*. In cod. Piccarti, *sanies cui ore*, quod defendere videtur Piccartus ratione hiatus; sententia vero poscit *cui rore*, nisi *cui* referatur ad *pudicitiam*. Cur autem Jordanis in undis pudicitia abluerit gladium, patet ex versibus seqq. et ex not. ad vers. 64 hymni 2 Cathem.

103. Ang., *ultricem* pro *victricem;* fortasse vera est lectio *ultricem*.

105. Ald., *vagina*. Alii plerique, *vaginæ*. Giselinus 2 edit. ediderat *vaginæ*, sed in correctionibus supposuit *vagina*. Idem Giselinus, *ne sorde latenti Occupet ablutum rubigo scabra nitorem.* Heinsius non intelligit qua auctoritate id fiat, cum omnes sui scripti et Weitziani constanter cum Aldo habeant, *ne tecta rubigo Occupet ablutum scabrosa sorde nitorem.* Aldus male distinguit *ne tecta rubigo Occupet. Ablutum scabrosa sorde nitorem Catholico in templo divini fontis ad aram Consecrat.* Giselino non placuit hæc lectio, et cum *rubigo* apud ipsum Prudentium alibi et apud alios primam producat, carmen alio modo reformavit, *donec manuscripti*, inquit, *veram lectionem restituerint.* Nostri omnes Mar., Rat., Vienn., Alex., Vatt. C, D, F, G, H, L, Bonon. et Ang. habent *ne tecta rubigo Occupet ablutum scabrosa sorde nitorem.* In solo Vat. O est lectio quæ Giselino favet, *ne sorde latenti Occupet ablutum rubigo scabrosa nitorem.* Ubi fortasse est mendum *scabrosa* pro *scabra*, nisi malis utramque corripi *u* et *i* in *rubigo*. Cæterum communis lectio retinenda est. Quid enim prohibet, primam in *rubigo* esse communem? A Martiali corripitur lib. II, epigr. 61, *Uteris ore aliter, nimiaque rubigine captus*, et ab Ovidio VIII Metam. vers. 803, *Labra incana situ, scabraque rubigine dentes.* Scio alios

Occupet ablutum scabrosa sorde nitorem,
Catholico in templo divini fontis ad aram
599 Consecrat, æterna splendens ubi luce [coruscet.
600 Ecce modesta gravi stabat Patientia vultu,
Per medias immota acies, variosque tumultus,
Vulneraque, et rigidis vitalia pervia pilis
Spectabat defixa oculos et lenta manebat.
Hanc procul Ira tumens, spumanti fervida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,

GLOSSÆ VETERES.

107. Catholico, *in sancta Ecclesia; pudicitia gladium suum sub latere recondit.*—Divini, *ad confessionem divini baptismatis*, I.

108. Coruscet, *æterna prædicatione splendens*, I.

109. Ecce, *tres esse partes humanæ animæ, philosophi asserunt; videlicet rationalem, irascibilem et concupiscibilem; et ideo post fidem, qua ratione* (forte *ratio*) *regitur, et pudicitiam, qua concupiscentia refrenatur, patientia ponitur, per quam ira frangitur; ut homo diligat Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute.* — Gravi, *maturo*, I.

111. Vitalia, *cordium penetralia, viscera scilicet hominum.* — Pilis, *telis, spiculis*, I.

112. Spectabat, *intuebatur.* — Defixa, *inclinata.* — Lenta, *tranquilla, secura*, I.

113. Procul, *contra*, I.

114. Sanguinea, *ita Psalmista : Turbatus est, in-*

COMMENTARIUS

aliter legere : sed ita legi posse, nonnihil probat etymon nominis, quod est a *rubeus*, cujus prima brevis est. In ms. Barthii legitur, ut in aliis, sed pro *ablutum* est *ablatum* perperam : legitur etiam *ra,inæ*, non *vagina*.

107. In Rat. audax et ineptus corrector pro *catholico* posuit *consecrat*, et versum sequentem ita penitus erasit, ut nullum omnino supersit vestigium. Poeta narrat pudicitiam gladium consecrasse in templo; quo innuitur consuetudo illorum qui victores aut emeriti arma templis affigebant. Horatius epist. 1 : *Veianius armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro.* Virgilius lib. XI : *Mezenti ducis exuvias tibi magne tropæum Bellipotens*, etc. De gladio Goliath, quo ipse a Davide percussus est, involuto pallio post Ephod, vide lib. I Reg. XXI, 9. Prudentius vero *templum catholicum* vocat, quia eo tempore templi vocabulo fere idolorum fana intelligebantur, ut liquet ex codice Theodosiano. Christiani loca ubi oraturi congregabantur appellabant *ecclesias, conventus ecclesiarum, conventicula, conciliabula, oratoria, dominica*, *domus Dei*, *domus orationis*, et similia. Pace Ecclesiæ reddita, et hujusmodi ædibus sacris amplificatis, paulatim templi nomen accessit. Quod autem gentiles primis Christianis objiciebant, eos nulla templa, nullas aras habere, solum arguit, Christianos non habuisse templa et altaria ea magnificentia et eo solemni more dedicata, quo ethnici consueverant. Apud Eusebium lib. VIII Hist. eccles., cap. 14, ex interpretatione Rufini Maximianus imperator concessit : *Ut rursum sint Christiani, et conventicula, in quibus orare consueverunt, exstruant et reædificent; ita tamen ut nihil contra disciplinam publicam gerant.* Quis autem primus *templi* nomenclaturam Christianis ecclesiis attribuisse videatur, incertum est. Aliqui aiunt S. Ambrosium. Apud S. Zenonem Veronens. serm. de psalmo CXXVI, sive potius S. Hilarium, qui verus est auctor, mentio templi de Ecclesia Christiana occurrit, nisi depravatus est locus. Vide Gothofredum in titulum de paganis cod. Theod., et Scipionem Maffeium in not. ad lib. I, tract. 5, S. Zenonis Veronensis, et commentar. ad vers. 215 hymni 3 Peristeph. Basilicarum appellationem libentius Christiani arripuerunt. Suspendit vero pudicitia gladium *divini fontis ad aram* : persistit enim poeta in baptismatis gratia prædicanda. Hoc enim innuunt *Jordanis undæ*, *fluviale lavacrum, baptisma*, et nunc *divinus fons*. Barthius interpretatur *divinum fontem* baptismum, *aram* baptisterium, quia in eo offertur Deo, qui mundo denascitur. Posset legi *ad aulam*, quæ vox a veteribus de ædificiis sacris satis frequenter usurpabatur. Paulinus Nat. 10 : *Feramur in aulas*, *Miremurque sacras veterum monumenta figuras.* Et postea : *Est etiam interiore sinu majoris in aulæ Insita cella procul*, etc. Itaque si per mss. liceret, dicerem gladium pudicitiæ affixum fuisse in aula, sive sacello baptisterii. Nam etiam Fortunatus lib. II, carm 12, baptisterium appellat *baptismatis aulam*. Et in inscriptione baptisterii Mediolanensis S. Teclæ apud Gruterum : *Octachorum sanctos templum surrexit in usus, Octagonus fons est munere dignus eo. Hoc numero decuit sacri baptismatis aulam Surgere, quo populis vera salus rediit.* De sacris vero baptisteriis digna legi est dissertatio Italica Antonii Mariæ Lupi S. J. cum notis, et continuatione cl. Francisci Antonii Zachariæ : ubi late disseritur de nominibus quibus baptisteria donari solebant, iis scilicet fere omnibus quibus balnea gentilium significabantur : qualia sunt *baptisterium*, *balneum*, *piscina*, *lavacrum*, *colymbus*, *nymphæum*, *fons*, *concha*, *lacus*, *gurges*, *alveus*, et quædam alia : quanquam de nymphæo certum non est. Alia veterum nomina multis exemplis Lupius egregie confirmat, præsertim *lavacrum*, *fontem* et *piscinam*, ubi disserit de symbolico nomine ΙΧΘΥΣ hoc est *piscis*, Jesu Christo tribui solito, quia componitur ex primis litteris harum vocum : *Jesus Christus Dei Filius salvator*, Græce scilicet prolatis. Ex quo Christiani dicti *pisciculi;* et in fontibus aquæ lustralis adhuc Romæ pisces apparent e marmore efficti. Tomo XLI opusculorum Calogerianorum, pag. 247, exstat dissertatio P. Anselmi Costadoni Camaldulensis : *Sopra il pesce come simbolo di Gesù Cristo presso gli antichi cristiani.*

108. Erfurt., Widm., *sub luce*, minus bene. Ald., Fabr., *nitescat*. Cæteri, *coruscet*. Post hunc versum in Mar. et Rat., *Patientia* pro titulo. In Aldo, *Patientiæ et Iræ pugna*. Weitzius, *Patientiæ et Iræ conflictus*.

109. Josephi Devonius, qui Daretis nomine bellum Trojanum decantavit, lib. I de Patientia, hæc habet : *Discite dura pati; sola est quæ conterit hostem Virtutesque regit patientia, sola triumphis Militat innocuis, et honestæ consulit iræ.* Quod Barthius lib. XXII, cap. 11, expressum observat ex Prudentii Psychomachia, *divinissimo*, ut ait, *poemate*. Vide librum Tertulliani de Patientia.

110. Weitzius ridicule edidit *tumultos*, quod in solo Widman. cod. reperit; quasi non potuerit exscriptor ejus codicis *o* pro *u* mendose ponere.

112. Vincentius Bellovacensis, lib. XVII Speculi hist., cap. 102, de flosculis Prudentii ita hunc versum legit : *Spectabat defixa oculos, et læta manebat;* ad oram autem affigitur *lenta* pro diversa lectione. Editi et scripti constanter habent *lenta*, quod epitheton apprime convenit patientiæ. Cicero de Orat. lib. II, *Nimium patiens, et lentus existimor.* Constantiæ signum quoque est, quod spectet *defixa oculos*, ut observat Chamillardus ex Virg. VI Æneid., *Illa solo fixos oculos aversa tenebat.* Post hunc versum Mar. et Rat. habent titulum *Ira*. Descriptiones Iræ passim invenies apud poetas, oratores sacros et profanos, historicos. Hanc descriptionem Prudentianam imitari visus est Galterus lib. V Alexand. vers. 222. De pugna iræ consule Ambrosium lib. de Offic., et Lactantium lib. I, cap. 9.

114. Widm., contra metrum, *sanguineaque involvens.*

A

Ut belli exortem, teloque, et voce lacessit,
Impatiensque moræ conto petit, increpat ore,
Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.
En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,
601 Excipe mortiferum securo pectore ferrum:
Nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem.
Sic ait, et stridens sequitur convicia pinus
Per teneros crispata notos, et certa sub ipsum
Defertur stomachum, rectoque illiditur ictu:
Sed resilit duro loricæ excussa repulsu.
Provida nam virtus conserto adamante trilicem
Induerat thoraca humeris, squamosaque ferri
Texta per intortos commiserat undique nervos.
Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
Telorum nimbos, et non penetrabile durans:
602 Nec mota est jaculo monstri sine more furentis,
Opperiens propriis perituram viribus Iram:
Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
Barbara bellatrix impenderat, et jaculorum
Nube supervacuam lassaverat irrita dextram.
Cum ventosa levi cecidissent tela volatu,
Jactibus et vacuis hastilia fracta jacerent:
Vertitur ad capulum manus improba, et ense corusco
Connisa in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediumque ferit librata cerebrum.
Ærea sed cocto cassis formata metallo

GLOSSÆ VETERES.

quit, a furore oculus meus. Ut irati solent videre oculis torvis.—Suffuso, *subterfuso*, I.

115. Ut, *quasi*.—Exortem, *expertem*, I.

117. Quatiens, *agitans*. —Cristas, *summa pars cassis*, I.

118. Tibi, *do; ad tuum interitum*.—Martis, *belli*.—Spectatrix, *ira patientiam increpat*, I.

119. Excipe, *hic est tropus, qui sarcasmus appellatur, id est hostilis irrisio*, I.

120. Nec doleas, *ironia*. — Turpe, *est*, I.

121. Stridens pinus, *sagittam intelligi vult*, I.

125. Adamante, *adamans Christus est*. — Trilicem, *triplicem lapidem Christum possumus intelligere*, I.

126. Thoraca, *Græcus accusativus; loricam: lorica fidei nimirum triplex est, ob Trinitatis confessionem, cui adamans invictus confertur; cum in auctorem fidei, Jesum, semper aspicitur*. — Squamosa, *splendida, vel*

B

nitentia, I.

127. Commiserat, *circumdederat, nexaverat, vel succinxerat*. — Nervos, *circulos*, I.

129. Penetrabile, *nomen est pro adverbio positum, id est, impenetrabiliter*, I.

131. Opperiens, *exspectans*, I.

132. Indomitos, *inquietos*. — Stomachando, *irascendo, sæviendo*. — Lacertos, *brachia*, I.

133. Impenderat, *fatigaverat*, I.

134. Supervacuam, *inutilem*. — Irrita, *impedita, vel vitiata: impedita, quia nullo telo eam vulneraverat*, I.

136. Hastilia, *tela*, I.

137. Vertitur, *ira patientiam gladio percutit*, I.

138. Plagam, *vulnus; cædem*. — Aure, *capite*, I.

139. Ferit, *percutit*. — Librata, *mensurata*, I.

140. Cassis, *lorica*. — Metallo, *æs cæteris metallis durabilius fertur; unde etiam pro tolerantia ponitur*, I.

COMMENTARIUS.

117. Rat. et Vienn., *galeato vertice* sine *in*. Weitzius legit *hirsuto*, neque lectionem discrepantem notat.

119. Ald., Erfurt., Vat. H a secunda manu, *securo in pectore*. In aliis deest *in*.

120. Ald. et Gifanius verbo VESTIS in Indic. Lucret., *gemuisse dolore*; alii, *dolorem*. Vat. C a prima manu., *dolores*. Erfurt., *turpe tibi est*; in aliis deest verbum substantivum, excepto Angel., ubi male legitur *turpe tibi est genuisse dolorem* pro *gemuisse*.

122. Nebrissa suspicatus est *tenues* pro *teneros* haud absurde. Sed Chamillardus non debuit ex sola conjectura hoc nomen in textum intrudere. Neque vero est causa cur notus dici nequeat *tener*, ut dicitur *lenis, mitis*.

123. Rat., *recto*; melius *rectoque*.

124. Seneca lib. III de Ira, cap. 5: *Ut tela a duro resiliunt, et cum dolore cædentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum injuria ad sensum sui abducit, fragilior eo quod petit.*

125. Virgilius lib. V: *Lævibus huic hamis consertam, auroque trilicem Loricam.* Invicta vis patientiæ ostenditur. Peveratus *provida virtus* exponit prudentiam, ut apud Petronium *libera virtus* est libertas. Non displicet hæc interpretatio, sed ita ut Providentia patientiam armaverit.

126. Pro *thoraca* Vienn., Rat., Mar., Vat. C scribunt *thoracem*. In Widm., mendose, *thoracha*. In Boug., *humeros* non male pro *humeris*. Ita etiam Giselinus. Bober., prior, *indurat* pro *induerat*.

127. In nonnullis vulg., *innumeros* pro *intortos*. Texta squamosa ferri sunt ipsa lorica ferrea ex hamis in modum squamarum contexta, quæ primum e loris de corio fiebat, postea ex annulis ferreis, quibus nervi ad majorem securitatem interponebantur, ut ex hoc loco Nebrissa conjicit.

129. Chrysostomus, dialogo 6 de Sacerdotio, elegantissime depingit prælium, pugnæque apparatum,

C

ubi etiam occurrit *telorum imber*.

130. Vienn., *tacta est*, et *sine fine*.

134. Placet magis *supervacuam*, hoc est dextram, cum Vienn., Rat., Mar., Vat. G, H et aliis, quam *supervacua nube*. Ang., *loxaverat*, male, pro *lassaverat*.

136. Potiores Heinsiani et nostri, Sich., Weitz., *jactibus*. Ald., Gis. in contextu, Nebris., Vat., C, F, G, O, *ictibus*. Vat. D scribit *hictibus*. Codex Piccarti, *ictibus et variis*.

137. Vienn., *in capulum*.

138. Præstantiores nostri, *connisa*. Alii scribunt *conisa*; alii *connixa*. Gifanius Ind. Lucr., verbo Nisus, approbat *connisa*. Egm. pro *plagam* habet *galeam*: sic Virgilius lib. X, *In clypeum assurgit*. His vocibus *conniti, erigi in clypeum, in jaculum, assurgere*, frequenter a poetis exprimitur habitus et conatus militaris.

139. Vienn., *vibrata*; alii, *librata*. Gifanius loc. cit., verbo VOLGATA, ex vet. cod. legit *vibrata*, et, ut putat, rectius quam Vulg. *librata*: nam vibrantur gladii, librantur missilia. Existimat autem, vim

D

agendi habere *vibrata*, ut apud Lucretium *vulgata*, et apud Ciceronem epistola ad Pætum ant quus poeta quidam, *Usurpata duplex cubile*. Non persuadet: nam hoc loco manus dicitur librata, non ensis, ut observavit etiam Heinsius. *Libratum ab aure* Virgilii est.

140. In Vat. G desideratur *sed* post *ærea*; in Vat. F, *sed cocto formata cassis metallo*, renuente carmine. Gis. 2 ed., Weitz. et alii, *ærea sed cassis cocto formata*. Potiores nostri cum Alex., Ald., Ang. et aliis, *ærea sed cocto cassis formata*. In Put. error metri est *ærea sed cocto cassis informata metallo*, ex quo opinatur Heinsius Prudentium dedisse *sed cassis cocto informata metallo*, nam *informare* apud Maronem occurrit pari significatione. Ego vero non video cur exploratus error Puteani cod. obesse debeat claræ lectioni, tot codicum auctoritate stabilitæ, *sed cocto cassis formata*, aut *sed cassis cocto formata*: non enim

603 Tinnitum percussa refert, aciemque retundit A
Dura resultantem : frangit quoque vena rebellis
Illisum chalybem, dum cedere nescia cassos
Excipit assultus, ferienti et tuta resistit.
Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas,
Jam capulum retinente manu sine pondere ferri
Mentis inops, ebur infelix, decorisque pudendi
Perfida signa abicit, monumentaque tristia longe
Spernit, et ad proprium succenditur effera lethum :
Missile de multis, quæ frustra sparserat, unum
Pulvere de campi perversos sumit in usus,
Rasile figit humi lignum, ac se cuspide versa B
Perfodit, et calido pulmonem vulnere transit.
604 Quam super assistens Patientia, Vicimus, inquit,
Exsultans vitium, solita virtute, sine ullo
Sanguinis, ac vitæ discrimine : lex habet istud
Nostra genus belli, furias, omnemque malorum
Militiam, et rabidas tolerando exstinguere vires.
Ipsa sibi est hostis vesania, seque furendo
Interimit, moriturque suis Ira ignea telis.
Hæc effata, secat medias impune cohortes,
Egregio comitata viro : nam proximus Iob
Hæserat invictæ dura inter bella magistræ,
Fronte severus adhuc, et multo funere anhelus:
Sed jam clausa truci subridens ulcera vultu,
Perque cicatricum numerum sudata recensens
Millia pugnarum, sua præmia, dedecus hostis.
Illum Diva jubet tandem requiescere ab omni
Armorum strepitu, captis et perdita quæque
Multiplicare opibus, nec jam peritura referre.
Ipsa globos legionum, et concurrentia rumpit
605 Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres,
Omnibus una comes virtutibus associatur,
Auxiliumque suum fortis Patientia miscet.
Nulla anceps luctamen init virtute sine ista
Virtus : nam vidua est, quam non Patientia firmat.

GLOSSÆ VETERES.

141. Tinnitum, *tinnitum percussa refert patientia, cum injuriis lacessita doctrinæ medicamenta non deserit.* — Aciem, *scilicet ensis*, I.

142. Dura, *cassis.* — Resultantem, *resilientem, vel resistentem.* — Vena, *cassis*, I.

143. Illisum, *percussum.* — Chalybem, *ferrum*, I.

144. Assultus, *ictus, vel sonitus*, I.

145. Ira, *gladius iræ frangitur in capite patientiæ*, I.

147. Capulum, *capulus sine pondere ferri retinetur; cum verba, nullas vires habentia, frustra funduntur*, I.

148. Ebur, *capulum : metonymia*, I.

149. Perfida, *prava arma.* — Longe, *valde*, I.

151. Missile, *a mittendo dictum est, quod manu* C *emittitur*, I.

154. Pulmonem, *merito pulmonem transfigit, quæ levitati parcere non verebatur : nec defuit exemplum in Saule qui cum mitem David persequeretur, eousque insania ejus excrevit, ut sua furens hasta conciderit*, I.

156. Exsultans vitium, *gaudentem iram*, I.

157. Discrimine, *periculo.* — Istud, *tale*, I.

159. Militiam, *ut Apostolus inquit : Cum infirmor, tunc fortior sum, et potens*, I.

162. Secat, *segregat*, I.

163. Iob, *sicut diversi diversis effulsere virtutibus, ut Noe perseverantia, Abraham obedientia, Jacob tolerantia; ita sanctus Job patientia claruit*, I.

165. Funere, *infirmitate*, I.

167. Sudata, *elaborata*, I.

168. Pugnarum, *castigationum, vulnerum.* — Dedecus, *nam Job fuit dedecus hostis, id est, vitiis, quia vincebantur ab eo*, I.

169. Illum, *patientia cum Job loquitur*, I.

171. Peritura, *prius perdita flere* (forte *fuere*), I.

172. Globos, *exercitus*, I.

173. Vulniferos, *vulnera ferentes.* — Intacta, *quia etsi corpore plerumque læditur, intentione tamen nullo modo superatur.* — Imbres, *per jacula*, I.

174. Una, *patientia, devictis vitiis, virtutibus associatur*, I.

176. Anceps luctamen, *dubium bellum*, I.

177. Vidua est, *sine patientia vero neminem perfici posse, Dominus ostendit, ubi ait : In patientia possidete animas vestras; absque possessione siquidem animæ nulla virtus aliquid efficit*, I.

COMMENTARIUS.

minus bene dicitur *formare* quam *informare*.

142. Vienn., *frangebat vena* non probe, nam supra est *refert, retundit*.

143. Præcipui e nostris, Mar., Rat., Vienn. cum Weitz., Sich., *cassis :* scilicet, cassis ipsa cedere nescia excipit assultus. Alii, *cassos* assultus. Teolius non recte affirmat omnes præter Weitzium et unum Vat. habere *cassos*. Hæret Chamillardus, sed in contextu edidit *cassos*. Clarior procedit sententia cum *cassos*, et *vena* ipsa, sive cassis ex vena æris aut ferri intelligitur *cedere nescia*. In Aldo mendum est *cædere* pro *cedere*.

144. Vat. F, *assaltus;* cæteri, *assultus :* neque *assaltus* Latinum est.

149. Ald. scribit *abjicit;* melius alii, *abicit*. Idem male *munimentaque* pro *monumentaque*, seu *monimentaque*.

150. Gifanius, verbo MŒNERA, MUNERA, observat Prudentium antiquitatis studiosissimum fuisse, ut probant verba *densere*, *vagare*, *clepere*, et hoc loco *spernere* pro *abjicere*, quod Ennii est.

153. Viennens., *humo;* alii, *humi*.

165. Gis., Rat., Gal., Vienn., *vulnere anhelus*. Heinsius ediderat *vulnere*, sed in addendis prætulit *funere* cum omnibus suis mss. Teolius mavult *vulnere*, quod ait habere cum edd. omnes Vat., uno excepto. Sed Aldus, et pleræque editiones ante Giselinum constanter habent *funere*, quod exstat etiam in codice Marietti, et in glossa Isonis, neque debuit Gallandio in Aldo displicere.

166. Vienn., *vulnera;* lege *ulcera*.

170. Ald., *quæ sunt;* cæteri *quæque*, exceptis veteribus D editionibus. Giselinus hoc loco æstuat et pro *captis* legendum suspicatur *partis*. Sententia est, patientiam effecisse, ut Jobus perdita quæque multiplicaret captis opibus, sive partis. Historiam habes in ejus libro.

172. Weitz., *illa* pro *ipsa*. Fabr. et Bong., *globum* pro *globos*.

177. Ita Ald., Gis., Weitz., Mar., Rat., Vienn., Alex. a prima manu, Ang., Vatt. C, F, O. Ita etiam legit Albertus Eiin, vel Eyn in Marga ita poetica edit. anni 1487. Heinsius cum Thuan., et Put., et Vat. H, *Virtus : et vidua est, quam non patientia firmat.* In Vatt. L et BB error est, *Virtus namque vidua est, quam non patientia firmat.* Possumus etiam alio modo dis-

Forte per effusas inflata Superbia turmas
Effreni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, et validos villis oneraverat armos:
Quo se fulta jubis jactantius illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu,
Turritum tortis caput accumularat in altum
600 Crinibus, exstructos augeret ut addita [cirros
Congeries, celsumque apicem frons ardua ferret.
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens a pectore nodum.
A cervice fluens tenui velamine limbus
Concipit ingestas textis turgentibus auras.

A Nec minus instabili sonipes feritate superbit,
Impatiens madidis frenarier ora lupatis.
Huc, illuc frendens obvertit terga, negata
607 Libertate fugæ, pressisque tumescit ha- [benis.
Hoc sese ostentans habitu ventosa virago,
Inter utramque aciem supereminet, et phale- [ratum
Circumflectit equum, vultuque, et voce minatur,
Adversum spectans cuneum: quem milite raro,
Et paupertinis ad bella coegerat armis
Mens humilis: regina quidem, sed egens alieni
Auxilii, proprio nec sat confisa paratu,

GLOSSÆ VETERES.

181. Quo, *ut.* — Fulta, *alta.* — Ferinis, *ferinus superbiæ habitus, ac femineus pariter, et equestris describitur, ut ab humano more, id est, a ratione degenerasse superbos ostenderet, sed neque virtute fortes, nec suimet compotes*, I.

182. Fastu, *superbia*, I.

183. Accumularat, *erexerat*, I.

185. Ardua, *alta*, I.

186. Carbasea, *candida; carbasum, genus optimi lini.* — Summo, *pleno*, I.

189. Ingestas, *immissas*, *vel infestas.* — Textis, *vestimentis*, I.

190. Nec minus, *superbia equitat.* — Sonipes, *equus; quia pedibus sonat*, I.

191. Frenarier, *frenata esse.* — Ora, *quando passivi generis verbo accusativus adjungitur, figurata locu-* B *tio est, et potest subaudiri, vel habens, participium, vel per, præpositio; ut habens ora, per ora.* — Lupatis, *camo*, I.

193. Habenis, *capistris*, I.

194. Hoc, *superbia comminatur turbis*, I.

195. Inter, *humilitatis et superbiæ.* — Phaleratum, *ornatum, et proprie ad equum pertinet*, I.

197. Adversum, *contra positum; contrarium, et hic nomen est adjectivum: id est, contrarium sibi videns superbia cuneum humilitatis.* — Spectans, *circumspiciens.* — Cuneum, *populum.* — Raro, *pauco*, I

198. Coegerat, *collegerat*, I.

199. Mens humilis, *humilitas sine spe caret constantia; et ideo tunc etiam non erit virtus, sed vitium: erit enim pusillanimitas.* — Regina, *erat*, I.

COMMENTARIUS.

tinguere *Nulla anceps luctamen init virtute sine ista: Virtus nam vidua est quam non patientia firmat.* Post hunc versum titulus est in Aldo, *Superbiæ et Humilitatis pugna.* In Viennensi, *De duello humilitatis et superbiæ;* In Rat. et Mar., *Superbia.* In aliis, *Superbia et humilitas.*

178. Widm. et in quibusdam vulg. ad marg., *morte;* alii, *forte*, quod verum videtur, magisque elegans.

179. Vienn., *effreno;* alii, *effreni*, quod retinendum est: quamvis enim quædam hujusmodi vocabula utroque modo proferantur, ut *inermus, inermis, hilarus, hilaris*, tamen nihil novum temere est admittendum. Giselinus margini adjecit *effreno.*

180. Gis., *ornaverat*, quod e suo ms. videtur approbare Piccartus, adducto loco Plauti, *Ornamenta Ajacis.* Pulchre superbia equo insidens describitur: nullum enim animal equo elatius.

181. Vienn. et Ang., *jactantibus.* Alii melius, *jactantius.*

185. Vides veterem consuetudinem ornandi capillos, usui nostrorum temporum haud absimilem. Exstant in museis capita et statuæ feminarum in hanc formam adornatæ. Apud veteres frequens mentio. Juvenalis, satir. 6, vers. 502, gradus, quibus in fastigium capilli attollebantur, vocat *ordines. Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum Ædificat caput, Andromachen a fronte videbis, Post minor est.* Ovidius de ancilla ornatrice lib. II Amor., el. 8: *Ponendis in mille modos præfecta capillis.* Videri etiam possunt Manilius, Horatius, et alii: e Christianis Gregorius Nazianzenus, Hieronymus in epist. ad Demetriadem, qui *turritum verticem alienis capillis struere* dixit, et Tertullianus de Cultu feminarum cap. 7: *Affigitis præterea nescio quas enormitates capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, et operculum verticis, nunc in cervicum retro suggestum. Mirum, quod contra Domini præcepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi adjicere posse pronuntiatum est: vos vero adjicitis ad pondus.* Paulinus etiam dixit *turritum caput.* Confer Carolum Paschalium de Coronis lib. I, cap. 5, et dissertationem Antonii M. Lupi 13, tom. II, de inscriptione, quam ipse explicat, et ita legit: *Gnome, Pierinis ancilla, ornatrix elata est ante diem quintum calendas Februarias, imperatore* C *Cæsare tertium decimum, Marco Plautio Silvano consulibus.* His adde Eugenium Guasco: *Dissertazione tusculana sopra un' antica iscrizione sepolcrale appartenente ad un'ornatrice.* Romæ, 1771, in-8.

187. Fuld., *in pectore.*

188. Vienn., *limbi*, non bene, pro *limbus.* Elmenhorstius, in Arnobium pag. 55 ad verba Arnobii, *Imminuerent frontes limbis*, allegat etiam ex Statio in Achill., *Gemmatis aut nectunt tempora limbis.*

189. Gis., Mar., Rat., Weitz., *ingestas.* Alex., *infestas* vel *ingestas* cum glossa *immissas.* Ang., *infestas* cum glossa *contrarias.* Ald., Widm. ad oram, Vatt. C, D, G, H, *infestas*, quod non probavit Heinsius, quamvis ita in suis omnibus mss. legeretur. Mihi non adeo displicet *infestas*, nam vestes turgescunt auris contrariis. Sich. et Vienn. pariter habent *infestas.*

190. Vienn., *instabilis.*

192. In Rat. sciolus correxerat *huc illucque fremens*, prioribus erasis.

D 193. In Vienn. desideratur *que* in *pressisque.*

194. Virtutes vocat *virgines*, superbiam *viraginem*, quod aliud longe diversum est; et superbiæ quidem opera in viros magis quam in feminas cadunt.

196. Post hunc versum in Mar. et Rat. titulus *Humilitas.*

198. *Paupertinus* verbum Apuleii, Varronis apud Nonium, A. Gellii, Symmachi, Ammiani, Sidonii. Jonas episcopus Aurelianensis, lib. II de Cultu sacr. imag., Prudentium secutus est: *Paupertina ejus arma contemnens*, ubi male nonnulli legunt *pauperina*, vel *pauperrima.*

199. Voces hujusmodi *humilis* et *humilitas* pro virtute apud profanos scriptores non inveniuntur. Quod Spartianus ait in vita Juliani cap. 9: *Objecta est superbia, cum ille etiam in imperio fuerit* HUMILLIMUS, intelligit vitium superbiæ contrarium, non virtutem inter utrumque mediam.

Spem sibi collegam conjunxerat, edita cujus, A
Et suspensa ab humo est opulentia divite regno,
608 Ergo humilem postquam malesana Superbia mentem
Vilibus instructam nullo ostentamine telis
Aspicit, in vocem dictis se effundit amaris.
Non pudet, o miseri, plebeio milite claros
Attentare duces, ferroque lacessere gentem
Insignem titulis : veteres cui bellica virtus
Divitias peperit, lætos et gramine colles
Imperio calcare dedit? Nunc advena nudus
Nititur antiquos, si fas est, pellere reges.
En qui nostra suis in prædam cedere dextris
Sceptra volunt! en, qui nostras sulcare novales,
Arvaque capta manu popularier hospite aratro
Contendunt, duros et pellere Marte colonos.
Nempe, o ridiculum vulgus! natalibus horis
609 Totum hominem, et calidos a matre amplectimur artus.
Vimque potestatum per membra recentis alumni
Spargimus, et rudibus dominamur in ossibus omnes.
Quis locus in nostra tunc vobis sede dabatur,
Congenitis cum regna simul ditionibus æquo
Robore crescebant? nati nam luce sub una
Et domus, et domini paribus adolevimus annis.
Ex quo plasma novum, de consepto paradisi
Limite progrediens, amplum transfugit in orbem,
Pellitosque habitus sumpsit venerabilis Adam,

GLOSSÆ VETERES.

201. Collegam, *sociam.* — Edita, *elevata.* — Cujus, *spei*, I. B
202. Opulentia, *opulentia spei ab humo suspensa est, quia non de deorsum repromittitur, sed desursum.* — Divite *cœlesti*, I.
203. Ergo, *superbia iterum.* — Malesana, *vesana*, I.
204. Vilibus, *quoniam stulta et ignobilia, et contemptibilia elegit Deus, per quæ superba quæque destrueret*, I.
206. Non pudet, *per ironiam.* — Plebeio, *rustico, rusticano*, I.
207. Attentare, *aggredi*, I.
208. Titulis, *gladiis*, I.
209. Colles, *dominationes*, I.
211. Si fas est, *si possibile est*, I.
212. En, *per ironiam dicit, id est quales.* — Cedere, *contingere*, I.
213. Sceptra, *regna.* — Qui, *quales*, I.
214. Hospite, *alieno, quos rex superbiæ, id est diabolus vel tyrannus, invaserat aratro prædicationis, per humilitatis prædicatores melius excoluntur*, I.
215. Duros, *scilicet nos.* — Pellere, *scilicet volunt.* — Marte, *bello*, I.
216. Ridiculum, *est*, Mar.
218. Alumni, *pueri*, I.
219. Rudibus, *novis*, I.
221. Ditionibus, *imperiis nostris*, I.
223. Domus, *familia.* — Adolevimus, *crevimus*, I.
224. Plasma, *Adam.* — Consepto, *angusto*, I.
225. Limite, *margine.* — Transfugit, *ibat*, I.

COMMENTARIUS.

202. Giselinus putat alludere poetam ad etymon humilitatis, cum ait, opulentiam spei ab humo suspensam, neque probat vulgatam interpretationem, spem omnium rerum abundantia procreatam, et e C terra sublevatam, eo modo, quo apud Romanos recens nati in terra primum statuuntur, deinde Levanæ deæ auxilio implorato tolluntur. Mibi non displicet Bergii apud Weitzium expositio, locum illum intelligi : *Beati pauperes, quia regnum Dei possidebunt.* Sententia hæc est, spem tantum esse in terra, ejus opulentiam, et dives regnum in cœlo. In edit. Coloniensi Mariettus aut alius ad marginem e ms. cod. notaverat, *et suspensa ab hamo :* non patitur versus, neque intelligo quid hic sibi velit *hamus*.

204. Vienn., Vatt. C et O, *extructam;* alii, *instructam*.

205. Barthius, cap. 15, Advers. lib. XXIV, observat verissime id dictum, ut ex ms. apud Boetium : *Debilis heu! mœstos cogor in ire modos* potius quam *inire modos*. Ald. et Vat. C, *se fundit;* plerique, *se effundit*, etiam Barthius. Cell., *se fundit*.

208. Sich., Weitz., Bong., *telis*. Alii rectius, *titulis*. Widm. supra, *gladiis*.

209. Piccarti codex, *germine colles*.

210. Ald. Weitz., Gis. et alii, *nunc advena*. Gis. 1 edit. in contextu, et vetus codex ad marginem editionis Weitzianæ apud cl. præsulem Reggium, *unde advena*, non male, si aliter distinguas.

212. Imitatio Maronis ecl. 1, *En queis consevimus agros!* et Æneid. lib. IX, vers. 600, *En qui nostra sibi bello connubia poscunt!*

213. Aldus, Fabr. cum nonnullis ex nostris scribunt *nostros* pro *nostras*. Mar. et plerique alii, *nostras*. Utroque modo dicitur. Virg. eclog. cit., *Culta novalia*.

215. Ang., Vat. C, *duros expellere*.

216. Weitz., Mar., Vienn., Rat., *nempe hoc ridiculum;* et glossa in Mar., *est*. Alii, *nempe, o ridiculum*. Vienn., *non talibus horis*, male. Ald. et Erfurt., *natalibus oris*, puto, quia veteres nonnunquam aspirationem omittebant. Gloriatur superbia hominem ab ipso natali die in sua esse potestate.

217. Juvenalis sat. 7, vers. 196. *Et adhuc a matre rubentem*.

219. Vienn., perperam, *damnamur in ossibus*. Prudentius pro *novis* sæpe *rudes* usurpat, quanquam ossa hominis recens nati recte rudia seu imperfecta appellantur. Superbia loquitur de suis militibus seu vitiis, ad id genus spectantibus, quæ supra vocavit *antiquos reges*.

221. Vienn., *ditioribus*, non bene.

222. Vienn., non male, *nati cum luce sub una*. Ang., perperam, *natis sub luce*.

223. *Domus* est ipse homo; *domini*, qui *reges* ante dicti, diversa superbiæ vitia, sive ei affinia.

225. Vienn., *limine progrediens*. Weitzius cum solo Piccarti cod., *transfluxit* pro *transfugit*. Vat. F, male, *urbem* pro *orbem*.

226. Rosweydus, in notis ad Paulinum, pag. 871, ad illa verba, *multo bove pelleatus*, ex hoc loco Pru- D dentii aliisque Hieronymi, Ciceronis et Propertii, observat pelles fuisse vetustissimos habitus primorum Patrum. Weitzium non intelligo, qui ait aliam causam nobis oggerere sacram Genesin cap. III, 21, Cyprianum, Basilium. Nisi valde me omnia fallunt, ex Genesi loc. cit. et SS. Patribus superbia causa fuit cur Adamus e paradiso exsulare fuerit jussus. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos. Et ait : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum : nunc ergo ne forte mittat manum suam*, etc., et supra vers. 5, serpentis vox, quod ipsum est superbiæ præceptum : *Eritis sicut dii.* Elmenhorstius in Arnobium pag. 61 ex Lucretio illustrat similem locum Arnobii, *Amiciri desierunt pellibus*.

Nudus adhuc, ni nostra foret præcepta secutus. A
Quisnam iste ignotis nunc hostis surgit ab oris
610 Importunus, iners, infelix, degener, amens,
Qui sibi tam serum jus vindicat, hactenus exsul?
Nimirum vacuæ creduntur frivola famæ,
Quæ miseros optare jubet quandoque futuri
Spem fortasse boni, læta ut solatia mollem
Desidiam pigro rerum meditamine palpent.
Quidni illos spes palpet iners, quos pulvere in isto
Tirones Bellona truci non excitat ære,
Imbellesque animos virtus tepefacta resolvit?
Anne Pudicitiæ gelidum jecur utile bello est?
An tenerum pietatis opus sudatur in armis?
Quam pudet, o Mavors, et virtus conscia, talem
Contra stare aciem, ferroque lacessere nugas, B
Et cum virgineis dextram conferre choreis!
611 Justitia est ubi semper egens, et pauper Honestas:
Arida Sobrietas, albo Jejunia vultu,
Sanguine vix tenui Pudor interfusus, aperta
Simplicitas, et ad omne patens sine tegmine vulnus,
Et prostrata in humum, nec libera judice sese
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.
Faxo ego, sub pedibus stipularum more teratur
Invalida ista manus : neque enim perfringere duris
Dignamur gladiis, algenti et sanguine ferrum
Imbuere, fragilique viros fœdare triumpho.
Talia vociferans, rapidum calcaribus urget
Cornipedem, laxisque volat temeraria frenis,
Hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini
Sternere, dejectamque supercalcare ruinam.
612 Sed cadit in foveam, præceps quam callida forte
Fraus interciso suffoderat æquore furtim :

GLOSSÆ VETERES.

228. Oris, *finibus*, I.
229. Importunus, *qui in nulla re propinquus, vel aptus est : humilitatem dicit*, I.
230. Hactenus, *hucusque*. — Exsul, *qui extra suum solum est*, I.
231. Creduntur, *ab illis*, I.
232. Futuri, *futura contendit evacuare, ut præsentium delectatione decipiat infelices*, I.
234. Desidiam, *pigritiam*. — Palpent, *temperent, mulceant*, I.
235. Quidni, *certe; quid aliud*. — Pulvere, *terra; in hoc sæculo*, I.
236. Bellona, *bellatrix, dea belli*. — Ære, *cornu*, I. C
238. Bello, *ad bellum*, I.
239. Pietatis, *pudicitiæ*. — Sudatur, *laboratur*, I.
240. Mavors, *deus belli*. — Virtus, *mea; noster exercitus*, I.
241. Nugas, *inutiles*, I.
245. Pudor, *rubor*, I.
246. Tegmine, *clypei*, I.
247. Prostrata, *inclinata*. — Sese, *seipsa*, I.
248. Prodit, *manifestat*, I.
249. Faxo, *facio*, I.
250. Manus, *multitudo*, I.
252. Imbuere, *maculare*, I.
254. Cornipedem, *equum, quia formatos pedes cornibus habet*, I.
255. Cupiens, *superbia irruere nititur super humilitatem et spem*. — Impulsu, *pectore equi*, I.
257. In foveam, *superbia cadit in foveam*, I.
258. Æquore, *terræ : campo, ab æquitate*, I.

COMMENTARIUS

227. Aldus, Vat. C, supra, *nisi nostra*.

228. Mar. et Rat., *horis*, cum Weitzio. Alii, *oris*, quod verum est. Veteres interdum aspirationem adjiciebant, ubi opus non erat, ut *honus* pro *onus*. Contra alii faciebant, ut dixi ad vers. 216. Vatt. C, O et alii nonnulli, *hostis nunc surgit*.

231. Gis. 1 edit., *creduntur*; in 2 edit., *credentur*, quod iterum in Animadvertendis et corrigendis mutavit in *creduntur*. Has auctorum correctiones et secundas curas multi non observant. In Vat. C, Ang., Mar., Vienn., Ald., Weitz., *creduntur*. Giselinus asserit, poetam mira imo inaudita uti miosi in irridenda spe, in qua tamen comite humilitatis opes omnes paulo ante constituerat. Verum superbiæ sensa nunc exprimit, antea sua et aliorum vera sensa explicuit. D

232. Ald., Vienn., Alex., Vat. F, Pal., Heinsiani scripti, *jubet*. Mar. Rat., Weitz., Gis. et alii, *jubent*.

233. Vienn., *spem fortasse bonam*, minus bene. Ald., Fuld., Put., Oxon., *lenta ut solatia*. Nostri potiores, Alex. a prima manu, Mar., Rat., Vienn., *læta* cum Thuan. a prima manu, Weitz., Gis. et aliis.

234. Castigatiores Heinsiani et nostri, Alex., Mar., Rat. cum Weitz., Gis. et aliis, *meditamine*. In Vat. C, *medicamine;* supra, *meditamine*. Aldus cum nonnullis, *medicamine*.

238. Vide not. ad vers. 57, *Vena animi*.

242. Aldus, *cumque hanc virgineis dextram*. Conjiciat aliquis, *Et cum virgineis dextram hanc conferre choreis*. In nonnullis vulg., *ac cum* pro *et cum*.

243. Ald., *justitia est nam semper egens*. Alii, *justitia est ubi semper egens*. Justitiam egentem, bonestatem pauperem vocat ex his quæ sæpe accidunt.

244. Vienn., Ang., Vat. C a secunda manu, Rat. a manu recenti, *jejunaque*; alii, *jejunia*.

248. Vienn., *prodet*. Vat. C, abrasis prioribus, *trepidatio prodit*. Virg. lib. IV Æneid., vers. 13, *Degeneres animos timor arguit*.

249. Plautus actu I, scena 1 militis gloriosi : *Cujus tu legiones difflavisti spiritu, Quasi ventus folia, aut peniculam tectoriam*.

250. Ald., Fabr., Vat. C, *perstringere*, minus bene quam *perfringere*. Exstat etiam *perstringere* in Mar. et Rat., aliisque : sed, ut advertit Giselinus, *perstringere* est leviter tangere : hoc loco aptius cadit *perfringere duris gladiis*.

252. Ald. et Rat., ex recenti inepta correctione, *Imbuere et fragili vires fœdare triumpho*. Cellarius hunc eumdem errorem exscripsit; ita certe lego in 2 ejus editione, qui fortasse deceptus est ex mendo in notis 2 editionis Heinsianæ. Gravius errat Gallandius, qui mendose a Chamillardo editum ait *imbuere, fragilique viros*, et ipse, invitis musis, legit *imbuere, fragilique vires*.

253. Erfurt., *rabidum;* alii, *rapidum*.

255. Aldus male, *impulsuum bonis equini*. Pariter alii mendose apud Becmanum in Manuduct. ad ling. Lat., *impulsum bonis equini*, aut *impulsum bovis equini*. Nebrissensis umbonem equinum intelligit clypeum, sive cetram ex corio equi

256. Alex., *ruinis;* alii, *ruinam*.

A

Fraus detestandis vitiorum e pestibus una,
Fallendi versuta opifex, quæ præscia belli
Planitiem scrobibus violaverat insidiosis,
Hostili de parte latens, ut fossa ruentes
Exciperet cuneos, atque agmina mersa voraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere posset
Cauta acies, virgis adopertas texerat oras,
Et superimposito simularat cespite campum.
At regina humilis, quamvis ignara, manebat
Ulteriore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
Venerat, aut foveæ calcarat furta malignæ.
Hunc eques illa dolum, dum fertur præpete cursu,
Incidit, et cæcum subito patefecit hiatum:
613 Prona ruentis equi cervice involvitur, ac sub

B

Pectoris impressu fracta inter crura rotatur.
At Virtus placidi moderaminis, ut levitatem
Prospicit obtritam monstri sub morte jacentis,
Intendit gressum mediocriter, os quoque parce
Erigit, et comi moderatur gaudia vultu.
Cunctanti Spes fida comes succurrit, et offert
Ultorem gladium, laudisque inspirat amorem.
Illa cruentatam correptis crinibus hostem
Protrahit, et faciem læva revocante supinat.
Tunc caput orantis flexa cervice resectum
Eripit, ac madido suspendit colla capillo.
Exstinctum Vitium sancto Spes increpat ore.
Desine grande loqui: frangit Deus omne superbum:
Magna cadunt: inflata crepant: tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cavere
Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.
614 Pervulgata viget nostri sententia Christi:
Scandere celsa humiles, et ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris, animisque Goliam
Invalida cecidisse manu: puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore lapillum,
Trajectamque cavo penetravit vulnere frontem.

GLOSSÆ VETERES.

260. Versuta, *callida artifex*, I.
261. Scrobibus, *foveis*, I.
263. Cuneos, *exercitus*. — Agmina, *virtutum*, I.
264. Deprendere, *præscire*, I.
265. Cauta, *clara*. — Oras, *summitates*, I.
267. Regina, *humilitas iterum*, I.
270. Illa, *scilicet superbia*, I.
271. Hiatum, *scrobem*, I.
274. Levitatem, *instabilitatem*, I.
276. Os, *faciem*. — Parce, *mediocriter*, I.
277. Comi, *honesto, severo, ornato, amœno*, I.
278. Cunctanti, *dubitanti*, I.
280. Illa, *humilitas amputat caput superbiæ*, I.
284. Exstinctum, *exstinctam superbiam*, I.
287. Supercilium, *superbiam*, I.
288. Sublime, *gloriose*, I.
289. Pervulgata, *valde*, I.
293. Torsit, *jecit*, I.
294. Trajectam, *per trajectam*, I.

COMMENTARIUS.

C

259. Ald., Ang., Vat. C a prima manu, *vitiorum pestibus* sine *e*, quod necessarium certe est. In Aldo, *una est*: abundat verbum substantivum.

261. Heinsio placet cum Put. solo *vitiaverat*, et post Heinsium, Chamillardo aliisque. Sed cur displiceat *violaverat* cum veteribus editis, cum nostris Mar., Rat., Vienn., Alex., Vatt. C, F, G, O aliisque innumeris? Verbo *vitiandi*, inquis, usus est aliquando Prudentius: quasi vero verbo *violandi* sæpius non fuerit usus. Mihi magis placet *violare* planitiem scrobibus quam *vitiare*. Ovidius III Met., *violare silvam* dixit pro *securi cædere*.

264. Weitz., *at ne*; alii, *ac ne*. In nonnullis vulg., *possit*.

265. Ald., Widm. supra, Vienn., Vatt. C, L, BB, Ang., *clara acies*. Rat., Mar. et alii optimi, *cauta*, quod magis placuit Gallandio.

269. Vienn., *Venerat, ut foveæ calcaret furta malignæ*. In Vat. C, mendose et contra metrum, *Venerat aut foveæ nondum calcarat malignæ*. Ad marg. post *calcarat* est *furta*, sed *nondum* semper abundat.

D

270. Egm., Pal. et Barthius, *hinc eques*. Vienn., *huc eques*. Retine *hunc*.

271. In Vat. F præpostera est trajectio horum versuum: primo legitur *Prona*, tum *Incidit*. *Dolum incidit*, ut initio lib. II Juvenci: *Jamque dies prono decedens lumine pontum Inciderat*.

272. Vienn., *una*: lege *prona*. In Rat. ineptus corrector, de quo sæpe, *cervice rotata superque Pectoris impressu quadripes provolvitur ipse*.

273. Fabr., *vectoris pressu*. Ita Giselinus edidit in 2 edit., sed postea in fine correxit *pectoris impressu* ex mss.: quæ correctio nonnullos latuit. In priore Rott., *pectoris impulsu*. In Vat. F, *inter dura*. Communis lectio, *Pectoris impressu fracta inter crura rotatur*.

274. Bong., *et virtus*; melius, *at virtus*. *Moderamen* pro *moderatione*: vide Apoth. vers. 47.

275. Vienn., Mar., *conspicit obtritam*. Rat., Gis., Weitz., *perspicit obtritam*. Fuld., *prospicit obstrictam*. Præstantiores cum Aldo, *prospicit obtritam*.

276. Fuld., *parte*; lege *parce*.

280. Vienn., *cruentatum*, minus bene.

281. Vienn., *contrahit*; melius, *protrahit*.

282. Virgilius Æneid. x, *Reflexa cervice resectum*.

283. Ald. et alii, *et madido*.

285. Virgilius lib. x, *Dixerat ille aliquid magnum*. Consule Erasm. Adag., *Ne magna loquaris*. Corippus, lib. II, vers. 40, imitatus videtur Prudentium: *Colla superborum, furiataque pectora frangis*.

287. Supercilium sedes superbiæ. Vide Plinium lib. XI, cap. 37. Elmenhorstius, in Arnobium pag. 44, hunc Prudentii versum confert cum verbis Arnobii, *Supercilium deponere*.

289. Vienn., *divulgata viget*.

291. Pauci hi versus, tanquam opus Prudentii diversum et inscriptum *Monomachia Davidis et Goliathi*, notantur in indice, alioqui accuratissimo, bibliothecæ Casanatensis. Exstant videlicet in Criticis sacris, Londini, 1660, tom. VIII, col. 277, in fine operis: *In historiam monomachiæ Davidis et Goliathi Reg. I, cap. XVII, inquisitio, Matthæo Horstio auctore*: ubi legitur: *Prudentius monomachiam his versibus in Psychomachia breviter perstringit: Exstinctum vitium*, etc.

293. Pro *fundali* habent *funali* Thuan., Egm., Pal., Alex. a prima manu, Vat. H et codex Barthii, cui tamen non placuit *funali*. Heinsio non prorsus displicet et advertit alibi quoque Prudentium hac voce usum fuisse, scilicet infra vers. 868.

294. Alii *trajectam*, alii *transjectam* scribunt. Plerique ex optimis, *trajectam*.

Ille minax, rigidus, jactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,
Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras :
Expertus, pueri quid possint ludicra parvi,
Succubuit teneris bellator turbidus annis.
Me tunc ille puer virtutis pube secutus,
Florentes animos sursum in mea regna tetendit,
Servatur qua certa mihi domus omnipotentis
Sub pedibus Domini, meque ad sublime vo-[cantem
615 Victores cæsa culparum labe capessunt.
Dixit et auratis præstringens aera pennis,
In cœlum se virgo rapit : mirantur euntem
Virtutes, tolluntque animos in vota, volentes
Ire simul, ni bella duces terrena retardent.
Confligunt vitiis, seque ad sua præmia servant.
Venerat occiduis mundi de finibus hostis
616 Luxuria, exstinctæ jam dudum prodiga [famæ,
Delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
Perdita deliciis : vitæ cui causa voluptas,
Elumbem mollire animum, petulanter amœnas
Haurire illecebras, et fractos solvere sensus.
Ac tunc pervigilem ructabat marcida cœnam :

GLOSSÆ VETERES.

295. Truculentus, *torvus*, I.
296. Indomitum, *indomite*. — Formidabile, *adverbium*. — Terret, *fervet*, I.
304. Cæsa, *victa*, I.
305. Et auratis, *humilitas ascendit in cœlum : virtutes mirantur*. — Aera, *accusativus Græcus*, I.
309. Confligunt, *pugnant adhuc*, I.
311. Jam dudum, *statim*. — Prodiga, *ostentatrix*, I.
312. Delibuta, *uncta*.— Comas, *per*, I.
314. Elumbem, *mollem*, I.
315. Illecebras, *delectationes*, I.
316. Ac tunc, *luxuria, auditis tubis, ad bellum currit*, I.

COMMENTARIUS.

295. Vat. C hunc ordinem servat *Ille minax. Dum sese. Dum tumet*. Vat. D, *Ille minax. Dum tumet. Expertus, pueri. Dum sese*. Alii ordinem hic exhibitum retinent.

296. Vienn., *indomite*, quod sapit glossema. Tres vetustiores Heinsiani, Alex., Ald., Widm. supra, Gis., *fervet*. Alii etiam veteres *terret*, nempe Mar., Vienn., Rat. cum Weitzio, et uno Cauchiano.

297. Aliqui distinguunt alio modo, *Dum sese ostentat, clypeo dum territat auras* cum Weitzio. Vat. C, *dum irritat auras*, male. In Pal., *dum territat ense*.

298. Mar. et Rat., *quid possent*.

299. Ald. et alii vulg., *armis* pro *annis*. Barthius mendose, *anciis*.

301. Erfurt. a prima manu, *florentes annos*.

302. Weitz. cum Put., *quia certa*.

304. Prior Boher. et Thuan. a secunda manu, *lictores cæsa*.

305. Vat. C, *perfringens :* non placet. Ald. cum aliis, *præstringens*.

309. Post hunc versum Vienn., *De Sobrietate et Luxuria*. Mar. et Rat., *Luxuria*. Aldus, *Luxuriæ, et Sobrietatis pugna*. Giselinus, *Luxuria et Sobrietas*.

310. Lepidus est hoc loco Giselinus. Rejicit interpretationem quam dubitans Nebrissa indicavit, intelligendum id esse de ætate mundi ad occasum vergente, ut Hispaniam suam, inquit Giselinus, et Africam hac ignominia liberaret. Tum probabile existimat, poetam ex his regionibus organa luxuriæ accersivisse, cum eæ, imprimis vero Hispania, auri, argenti, lanæ, aromatum, aliarumque rerum ad effeminandos mores pertinentium, copia mirifice celebres fuerint. *Quæ* (verba ejus audis) *si suis se finibus continuissent, nunquam fortasse nos Belgæ laudem a Jul. Cæsare nobis tributam amisissemus*. Recte, quod Belgas laudem veterem amisisse fatetur; quod autem causam in Hispanos conjicit, fortasse nunc negaret, antiquos dominos Hispanos ab his populis laudari et desiderari observans. Illud vero Giselino assentior, poetam potius respexisse totum Occidentem, quatenus ea mundi pars ab Orientali distinguitur. Etenim ut tradit Sulpicius in Vita S. Martini, luxus immodicus in Occidente magis quam in Oriente dominabatur. In Occidentis vocabulo diabolum significari plures docent. Sed cum imperium Romanum divisum tunc esset, et Orientis et Occidentis mentio passim occurreret, probabilius est Prudentium intelligere imperium Occidentale, et præcipue ejus caput Romam, ubi eo tempore insigni er effervescebat luxuria, ut fuse narrat Ammianus Marcellinus, qui inter alia ait : *Alii summum decus in carrucis solito altioribus, et ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum*, etc. *Mensarum enim voragines et varias voluptatum illecebras, ne longius progrediar, prætermitto.... Denique pro philosopho cantor, et in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur : et bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis organa fabricant ut hydraulica*, etc. *Postremo ad id indignitatis est ventum, ut cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab Urbe præcipites, sectatoribus disciplinarum liberalium impendio paucis sine respiratione ulla extrusis, tenerentur mimarum asseclæ veri, quive id simularunt ad tempus ; et tria millia saltatricum ne interpellata quidem cum choris, totidemque remanerent magistris. Et licet, quocunque oculos flexeris, feminas affatim multas spectare cirratas, quibus, si nupsissent, per ætatem ter jam nixus poterat suppetere liberorum, adusque tædium pedibus pavimenta terentes, jactari volubilibus gyris, dum exprimunt innumera simulacra, quæ finxere fabulæ theatrales*. Quæ omnia Prudentianæ descriptioni luxuriæ apprime conveniunt. Haud equidem negaverim, illo ipso tempore luxum in Oriente effrenum etiam fuisse, ut arguitur ex his vitiis quæ Chrysostomus gravissime et concionatorio stylo reprehendit. Sed sive Antiochia, sive Constantinopolis Romæ conferatur, non dubito quin multo major fuerit licentia et corruptio morum Romæ quam in aliis Orientis urbibus.

311. Cornelius Tacitus Annal. lib. XI : *Infamiæ apud prodigos novissima voluptas est*.

312. Secunda in *delibuta* producitur ob metri necessitatem. Imitatus est Galterus lib. V Alex. vers. 218 : *Sanieque recenti Delibuta comas*. Rott. prior, *oculos vaga, languida vocem*, Græco more, ut *delibuta comas*. Nostri omnes cum aliis, *oculis vaga, languida voce*, excepto Cauchiano, qui illud prius habet. Heinsius edidit *oculos.... vocem;* secuti sunt Cham., Gall., et Teol. Barthius cum Prudentio confert Bachiarium nostrum, qui oculos hominis lapsi *vagos* dicit, luxuriam et libidinem indicando.

313. Vienn., *edita;* melius *perdita*. Boher. prior, *cura* pro *causa* minus bene. *Vivendi causa* solent dici virtutes. Juvenalis satyra 8, vers. 84 : *Et propter vitam vivendi perdere causas*. Ratione contraria luxuriosis vitæ causa est voluptas.

314. Persius satyra 1, vers. 104, *Summa delumbe saliva*. Auctor dialogi de Oratore usurpavit *elumbis*.

315. Verbum solemne, cum de luxuria agitur, FRANGERE. Vide quæ notat Gothofredus ad verba FRACTA *molliter plebe*, cod. Theod. lib. VI ad legem Juliam de adulteris ex nostro poeta et aliis.

316. Rat., Mar., Weitz., Alex., *ac tunc*. Ald., *et*

Sub lucem quia forte jacens ad fercula, raucos A
Audierat lituos, atque inde tepentia linquens
Pocula, lapsanti per vina, et balsama gressu,
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.
Non tamen illa pedes, sed curru invecta venusto
Saucia mirantum capiebat corda virorum.
O nova pugnandi species! non ales arundo
617 Nervo pulsa fugit, nec stridula lancea torto
Emicat amento, frameam nec dextra minatur:
Sed violas lasciva jacit, foliisque rosarum
Dimicat, et calathos inimica per agmina fundit.
Inde, eblanditis virtutibus, halitus illex
Inspirat tenerum labefacta per ossa venenum;
Et male dulcis odor domat ora, et pectora, et arma, B
Ferratosque toros obliso robore mulcet.
Dejiciunt animos, ceu victi, et spicula ponunt
Turpiter, heu! dextris languentibus obstupefacti,
Dum currum varia gemmarum luce micantem
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
Et solido ex auro pretiosi ponderis axem
618 Defixis inhiant obtutibus, et radiorum
Argento albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.
Et jam cuncta acies in deditionis amorem
Sponte sua versis transibat perfida signis,
Luxuriæ servire volens, dominæque fluentis
Jura pati, et laxa ganearum lege teneri.
Ingemuit tam triste nefas fortissima virtus
Sobrietas, dextro socios decedere cornu,
Invictamque manum quondam sine cæde perire.
Vexillum sublime crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat, defixa cuspide sistit,

GLOSSÆ VETERES.

317. Sub lucem, *usque ad lucem.* — Jacens, *sedens.* — Fercula, *lectulos*, I.
319. Lapsanti, *nutanti.* — Balsama, *balsamo uncta erat, quia odoris gratia sparsa fuit domus balsamo et floribus*, I.
321. Pedes, *pedestris*, I.
322. Capiebat, *decipiebat*, I.
323. O nova, *luxuria blandimentis virtutes decipit.* — Ales arundo, *velox sagitta, a rectitudine*, I.
325. Emicat, *exsilit*, I.
327. Calathos, *plenos rosarum spargit*, I.
328. Halitus, *spiritus.* — Illex, *illicita peragens*, I.
331. Ferratosque, *colla loricata.*—Toros, *brachia, vel densitates brachiorum.*—Obliso robore, *fracta fortitudine*, I.
332. Ceu victi, *viri dejectis armis, sequuntur luxuriam*, I.
334. Currum, *luxuriæ*, I.
335. Bracteolis, *laminis, vel filis*, I.
340. Et jam, *cuncta acies versis signis ad deditionem transit.* — Deditionis, *potestatis avaritiæ*, Iso.
341. Versis, *positis*, Iso.
343. Ganearum, *scortorum vel cantorum, helluonum vel gulosorum*, I.
344. Ingemuit, *sobrietas increpat acies, suadens eis, ne sequantur luxuriam.* — Virtus, *virgo*, I.
345. Cornu, *de exercitu sobrietatis*, I.
346. Manum, *multitudinem.* — Sine cæde perire, *sine pugna decedere*, I.
347. Agmine, *exercitus.* Iso.
348. Dux, *sobrietas*, I.

COMMENTARIUS.

tunc. Vienn., Gisel., Pal., *at tunc.* Heinsiani cum C nostris faciunt *ac tunc.*
321. Vienn., *nec tamen*,
323. Egm., *alis*; lege *ales.*
324. Aug. minus bene *nervo pulsa fuit.* Put. et Egm. a manu prima *nervum pulsa fugit.* Heinsius suspicatur *nervo impulsa fugit*, quod amplexus est Cellarius. Non mutaverim lectionem communem *nervo pulsa fugit* in Alex., Vatt. C, D, G, L, O, BB, Mar., Rat., Vienn., Ald., et aliis. In Vat. H est *nervum pulsa fugit.*
325. Ald., Gis., Fabr., Vat. G, *framea.* In Vat. C desideratur hic versus. In aliis et in margine Gis., *frameam. Amenta* ex Festo sunt *quibus, ut mitti possint, vinciuntur jacula.* Hinc *amentare* apud Lucanum et Martianum Capellam reperitur.
327. Rat., *per agmina fudit.*
328. Erfurt., *inde blanditis.* Ang., *inde eblanditis.* Legendum *inde eblanditis.* Alii *inlex*, alii *illex* scribunt. *Illex* ab *illiciendo, illix*, aut *inlex*, a quo lex non servatur, quod vult Iso. D
331. Ald., *oblito*, minus bene, pro *obliso.* Nec melius *choros* alter Rott. cum Bonon. pro *toros*: nam quod in quibusdam mss. exaratur *thoros*, nil moror. Gis. non omnino rejicit *oblito*, ut apud Virgilium eclog. 9, *Nunc oblita mihi tot carmina.* Post hunc versum in Vienn., Angel., Vatt. C, L, BB leguntur hi duo versus: *Luxuria huc violas curru delata venusto Per populos jacit, ut mala credula corda tepescant.* Giselinus eosdem invenerat in quodam cod. ms. Theodori Pulmanni, et altero Daventriæ excuso, sed efflctos recte existimavit. Giselinus vero legit *credita corda.*
332. Alii, *deiciunt*; alii, *dejiciunt.*
335. *Bracteolis* scribas, an *bratteolis*, controversia orthographica est.
337. Vienn., *dum fixis inhiant.*
338. Palat., *quem*, scilicet axem. Alii, *quam*, nempe seriem.
339. Vienn., *orbem*, non bene.
341. In quibusdam vulg., *perdita* pro *perfida*; quod postremum longe venustius est.
342. Vienn., *jubentis* pro *fluentis*, hoc est fluxæ, quod proprium est luxuriæ.
343. Veterrimi Heinsiani, Vienn., Mar., Rat., Weitz., Gall. et alii, *ganearum.* Aldus cum Torn. et nonnullis aliis, *ganeorum*, quod non improbo, nam *ganeum* fornix est. Giselinus ait, pro voce *ganearum* substituere quosdam *ganeonum.* Quorsum? inquit. Anne eædem leges ganeis et ganeonibus? *Ganea*, et *ganeum* in Græca origine scribuntur per η seu *e* longum. Becmanus de Origin. ling. Lat., verbo GANEUM, observat Latinos sæpe η in *a* commutasse, et in *e* breve, ut *Gynæceum* apud Terentium penultima brevi, *Cyclopeus* apud Maronem, *conopeum* apud Horatium oda 9 Epod. Ganeo est, ut ait Isidorus lib. x, *luxuriosus, et tanquam in occultis locis et subterraneis, quæ Græci ganea vocant.* Post hunc versum Mar. et Rat. pro titulo *Sobrietas.*
347. Gretserus lib. II, cap. 18 de Cruce, alludere Prudentium ait ad morem præferendi imaginem crucis in præliis, quem morem pluribus eo loco confirmat.

Instauratque levem dictis mordacibus alam,
Exstimulans animos, nunc probris, nunc prece mixta :
619 Quis furor insanas agitat caligine mentes?
Quo ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem,
Proh pudor, armigeris amor est perferre lacertis,
Lilia luteolis interlucentia sertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas?
His placet assuetas bello jam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier ulnas?
Ut mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum,

A

Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Ungentum regale datum est, et chrisma perenne :
Ut tener incessus vestigia syrmate verrat,
620 Sericaque in fractis fluitent ut pallia membris,
Post immortalem tunicam, quam pollice docto
Texuit alma Fides, dans impenetrabile tegmen
Pectoribus lotis, dederat quibus ipsa renasci.
Inde ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens
Despuit effusi spumantia damna Falerni,
In mensam cyathis stillantibus, uda ubi multo
Fulcra mero, veterique toreumata rore rigantur?

GLOSSÆ VETERES.

349. Instaurat, *armat.* — Levem, *velocem*, I.
350. Exstimulans, *hortans.* — Nunc, *interdum*, I.
352. Ruitis, *tenditis*, I.
353. Proh, *interjectio exprobrantis*, I.
354. Luteolis, *rubris*, I.
355. Ferrugineo, *purpureo.* — Vernantes, *florentes*, I.
356. Palmas, *scilicet vestras*, I.
357. Nexibus, *doctrinis*, I.
358. Cohibens, *constringens*, I.

B

359. Nardum, *florem*, I.
362. Syrmate, *longa vestis*, I.
363. Membris, *scilicet tuis*, I.
365. Tegmen, *albam vestem*, I.
367. Inde, *descendisti*, I.
368. Despuit, *effudit, vel efflavit.*—Falerni, *vini*, I.
370. Fulcra, *tripodes, lecti.* — Mero, *vino.* — Toreumata, *cælatura, vel tornatilia; toreuma, id est, cælatura*, I. *Tornata vasa*, Mar. — Rore, *lectorum, id est potu*, I.

COMMENTARIUS.

350. Præcipui Heinsiani cum Aldo et aliis, *instimulans.* Nostri præstantiores, Mar., Rat., Alex., Gis., Weitzius et alii, *exstimulans.*

351. Barthius improbat *insanus* pro *insanas*, quamvis illud in suo ms. invenerit. Egm. quoque, *insanus.*

353. Vienn., *ah pudor!* alii *pro* aut *proh pudor!* Vienn., *proferre lacertis.* Paschalius, de Coronis lib. II, cap. 15, pag. 124, notat ex hoc loco florum mixturam in coronis imitatione naturæ. Vide Tertullianum de Coron. milit., qui inventos ait flores non capiti ornando, sed naribus oblectandis.

C

355. Iso et alii veteres interpretantur *ferrugineo*, hoc est *purpureo*. Mariettus cum ex glossa notasset *purpureo* pro *ferrugineo*, subjunxit, videndum, nunquid purpura cum ferrugine. Est certe *ferrugo* purpura nigrior apud Virgilium I Georg. : *Cum caput obscura nitidum ferrugine texit*, et IX Æneid. : *Ferrugine clarus Ibera*, ubi Servius Ponticam ferrugineum, non Hispanicam, intelligit : alii contra.

357. Weitz., Erfurt., *ac rigidas.*

359. Ang., perperam, *cum bibat* pro *combibat*. Heinsiani et nostri meliores, *infusum*. Vatt. BB et alius apud Teol., Cauchianus codex, Weitz., *infusam*. Egm. pro *religamine* habet *relegamine*, non recte. Sacramentum confirmationis describitur, de quo supra hymn. Cath. 6, vers. 128. Vide Baronium tom. I Annal. pag. 249, et Joann. Laurentium Bertium lib. XXXII de Theol. Disc. cap. 10 *de unctionis Forma*, præter alios qui his Prudentii versibus sacramentum confirmationis explicant. Simul notat Prudentius effeminatos virorum mores, qui utebantur mitra, ornamento meretricum, et reticulo croceo comas involvebant. Juvenalis sat. 3 : *Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.* Sat. 6 : *Sed nigrum flavo crinem abscondente galero.* Sat. 2 : *Reticulumque comis auratum ingentibus implent.*

D

360. Weitz., Erfurt., *postquam*. Ita Widm. a secunda manu, sed a prima manu *post quæ*. Alii *per quæ.*

362. Vienn., *et tener;* melius *ut*. Luxus denotatur, quod vestis ad terram usque efflueret. Cyprianus sive alius, de Jejun. Christ. : *Paludamentis talaribus pavimenta verrentes.*

363. Giselinus explicat *in fractis*, mollibus et effeminatis, ut duæ, inquit, sint dictiones. Si jubeat scribi *in fractis*, necessarium quidem id non est : nam *infractus* unica dictio sonat etiam *fractus*. Verbum tamen fluitare poscere videtur *in membris fractis*. Plurimi conjungunt *infractis*. De verbo frangere vide vers. 315.

364. Weitzio placuit cum solo Widm. edere *tonicam*, et prætermittere *tunicam*, quod exstat in aliis omnibus : ridicule. Ang., *dextro* pro *docto*, non ita bene. Sermo est de gratia baptismatis, quam significant stolæ candidæ quibus recens baptizati induuntur.

367. Heinsiani, excepto Oxon., et nostri potiores, Ang., Mar., Rat., Vat. H cum Weitz., *inde*. Multi alii Vatt. C, F, G, L, O, BB cum Oxon., Ald. et Giselino, *ite*, quod tenuit Gifanius ex vet. lib. in Ind. Lucretii. In codice Barthii, *inde :* ubi etiam vers. seq., *dispuit* pro *despuit*. *Inde* magis placet, et interrogatio tunc protrahitur ad versum 370, *rigantur?* Peveratus putat hunc locum desumptum ex VII Æneid.; fortasse vers. 146 et seq.

369. Ald., *Immensam cyathis stillantibus undam ubi multo Fulcra mero*, quod ex vet. lib. approbat Gifanius loc. cit., et non invenuste id dictum a docto poeta asserit, sicut rorem etiam vocat vinum, et in Dittochæo, *Unde meri veteris defunditur unda*, tetrach. 32 vers. 128. Giselinus restituit *In mensam cyathis stillantibus, uda ubi multo Fulcra mero*, et observat in hoc poeta ex temeraria et falsa præpositionis cum suo casu connexione plura fuisse corrupta. Sane in plerisque codd. antiquis ita inter sese verba quandoque sunt conjuncta, ut judicio acri opus sit ad singulas voces separandas. Non tamen negaverim Aldi, Gifanii et Fabricii lectionem in veteribus membranis reperiri, quam exhibent Vatt. C, G, L, BB, nisi malis legere, *In mensam cyathis stillantibus undam, ubi multo Fulcra mero.* In Ang., mendose, *unda*. In Vat. H plane corruptum, *stillantibus daubis multo Fulcra mero.* Vienn., *cyathis stipulantibus*, quod nulli est usui. Ad hunc Prudentii locum videtur respexisse Salvianus lib. IV adversus Avaritiam : *Natant tricliniorum pavimenta vino; Falerno nobili lutum faciunt, mensæ eorum, ac toreumata mero jugiter madent, semper uda sunt.* Ex quibus lectio *uda* confirmatur.

370. *Toreumata* pro *toralibus* accipienda monet Sirmondus ad Sidonium, hos versus laudans ad epist. 2 lib. IX. Fabricius tenet, hoc etiam loco toreumata

621 Excidit ergo animis eremi sitis : excidit ille A
Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga
Elicuit, scissi salientem vertice saxi?
Angelicusne cibus prima in tentoria vestris
Fluxit avis : quem nunc sero felicior ævo
Vespertinus edit populus de corpore Christi?
His vos imbutos dapibus jam crapula turpis
Luxuriæ ad madidum rapit importuna lupanar:
Quosque viros non ira fremens, non idola bello
622 Cedere compulerant, saltatrix ebria flexit.
State, precor, vestri memores, memores quoque Christi.
Quæ sit vestra tribus, quæ gloria, quis Deus, et rex, B
Quis dominus, meminisse decet : vos nobile Judæ
Germen ad usque Dei genitricem, qua Deus ipse
Esset homo, procerum venistis sanguine longo.
Excitet egregias mentes celeberrima David
Gloria, continuis bellorum exercita curis.
Excitet et Samuel, spolium qui divite ab hoste
Attrectare vetat, nec victum vivere regem
Incircumcisum patitur : ne præda superstes
Victorem placidum recidiva in prælia poscat,
Parcere jam capto crimen putat ille tyranno :
At vobis contra vinci, et succumbere votum est.
Pœniteat, per siqua movet reverentia summi
Numinis, hoc tam dulce malum voluisse nefanda
Proditione sequi : si pœnitet, haud nocet error.
Pœnituit Jonathan jejunia sobria dulci
623 Conviolasse favo sceptri, mellisque sapore
Heu! male gustato, regni dum blanda voluptas
Oblectat juvenem, jurataque sacra resolvit.

GLOSSÆ VETERES.

371. Animis, *vestris*, I.
372. Patribus, *vestris*, I.
373. Elicuit, *extulit*, I.
377. Imbutos, *ductos*, I.
378. Lupanar, *prostibulum*, I.
386. Excitet, *vobis*, I.
389. Attrectare, *manu tangere prohibet*. — Regem, *Agag*, I.
390. Incircumcisum, *crossum*, I.
391. Victorem, *Saulem*, I.
393. Votum, *voluntas*, I.
394. Per siqua, *per reverentiam juro, vel oro*, I.
396. Proditione, *traditione*. — Pœnitet, *vos*, I.
399. Regni, *Philistinorum*, I.
400. Resolvit, *rumpit; quia non est occisus*, I.

COMMENTARIUS.

esse opera torno facta, politaque, quod etiam docent glossæ; sed id minus placet. Relege Salviani verba vers. sup.

371. In Rat. insulsus corrector posuit *Excidit ergo animis sitientibus ille in eremo Fons patribus*, ne scilicet secunda in *eremo* corriperetur. Historiam sacram legere poteris Exodi cap. XVI et XVII.

373. Ald., *e vertice*. In aliis abest *e*. In Vat. F, *saliente*, et in nonnullis vulg. *scissis* mendum est.

374. In quibusdam vulg., *angelicusve*. Cauchii codex, *patria in tentoria*. Heinsiani, Mar., Rat., Alex. et Vatt. C, D, G, H, L, O, BB, Weitz., aliique, *vestris*. Ald., Gis., Vat. F, Ang., a prima manu, *nostris*. Ita etiam videtur fuisse in Viennensi.

375. Rat., *feliciter*, minus bene.

376. Erfurt., *de sanguine Christi*. Vides clarum testimonium catholicæ fidei de præsentia corporis Christi in eucharistia, cum similitudine cibi angelici *manna* a SS. Patribus sæpe indicata. Inter opera Cypriani sermone de Cœna : *Panis iste angelorum omne delectamentum habens virtute mirifica...... amplius quam manna illud eremi implet; et satiat edentium appetitus*, etc. Fabricius ait mire dictum a Prudentio *vespertinum populum* pro eo qui est extremis temporibus victurus, sumpta sermonis forma ab illis verbis, *Mane nobiscum, quoniam advesperascit*. Nullum est dubium quin populus Christianus intelligatur; sed hac alia ratione, quod per *vesperam* in sacris Litteris sæpe intelligitur Christus, aut ejus adventus, et septima ætas mundi. Patres, qui has allegorias exponunt, vide indicatos a Laureto in Silva Allegor. Peveratus opinatur populum Christianum a Prudentio *vespertinum* vocari, quia post horam nonam et tempore vespertino in stationibus edebat de corpore Christi. Non ea mens Prudentii esse mihi videtur.

379. In nonnullis vulg., *viris*, male. In Rat. corrector, consuetudinis ævi Prudentiani ignarus, prioribus erasis, scripsit *idolaque bello*. Ald. ediderat recte *non idola bello*; correxit inepte *idolaque bello*. Giselinus advertit, Aldum Manutium, si usquam alibi, certe in hujus auctoris editione præsertim secunda, diligentissimum, mediam hujus Græci vocabuli dictionibus transpositis produxisse : quod tamen ab auctore non profectum esse certo constat. Illud vero non probo in Giselino, quod litterarum Græcarum cognitionem in Prudentio desiderare videtur, cum simul fateatur, eum sui sæculi auctoritatem secutum, C accentus Latini aliarumque regularum ratione habita, quantitatem genuinam neglexisse. Cur enim non poterat Prudentius scientiam sibi reservare, usum populo concedere?

385. Ald. et vett. edd., *natus homo* pro *esset homo*. Giselinus quoque in contextu *natus homo*, quod magis arridebat Gallandio, quamvis ediderit *esset homo*.

388. Adisis lib. I Regum cap. XV.

390. Vienn., *pariter*, non recte, pro *patitur*. Fabr., *neu præda*; melius *ne præda*. In glossa *crossus* idem est ac *grossus*.

391. Rat., Mar., Heinsiani (excepto priori Rott.) Gis., Weitz., *recidiva*. Ald. cum aliis vulgatis *redivivа*.

393. Ald., *nobis* pro *vobis*; quod postremum verum est. Ang. a prima manu *notum est*, recte correctum per *votum est*.

394. Fuld., contra legem matri, *per siqua moveat*.

396. In Margarita poetica Alberti Eyb. canonici Bambergensis, *si pœnitet, aut nocet error*, ex veteri D quorumdam scribendi ratione pro *haud* vel *haut*.

397. Vide lib. I Reg. cap. XIV.

398. Heinsiani omnes, Pal., Fuld., Widm., Erfurt., Weitz. cum nostris Mar., Rat., Vienn., Alex., Vat. H, O, Bonon., *favo sceptri*. In Mar. glossa *id est virgæ*; in Erfurt., glossa *melle accepto per sceptrum*. Ald., Torn., Gis., *favo sumpto*. Gallandius ait, vocem *gustato* vers. seq. fortasse obstare huic lectioni *favo sumpto*. Ang., Vatt. L, BB, non male, *conviolasse favo, sumpti mellisque sapore*. Vat. D, mendose, *favo cepit*. In Vat. C, desunt hic et sequentes versus usque ad vers. 450, scilicet integro folio avulso.

399. In Vat. D error metri *mala voluptas* pro *blanda*.

400. Vienn., *jura resolvit*. Postrema pars glossæ, *quia non est occisus*, videtur spectare ad versum sequentem, *nec sors lacrymabilis illa est*.

Sed quia pœnituit, nec sors lacrymabilis illa est, A
Nec tingit patrias sententia sæva secures.
En ego Sobrietas, si conspirare paratis,
Pando viam cunctis virtutibus, ut malesuada
Luxuries, multo stipata satellite, pœnas
Cum legione sua Christo sub judice pendat.
Sic effata, crucem Domini ferventibus offert
Obvia quadrigis, lignum venerabile in ipsos
Intentans frenos : quod ut expavere feroces
Cornibus oppansis, et summa fronte coruscum,
624 Vertunt præcipitem cæca formidine fusi
Per prærupta fugam : fertur resupina reductis
Nequidquam loris auriga, comamque madentem
Pulvere fœdat humi : tunc et vertigo rotarum
Implicat excussam dominam : nam prona sub axem B
Labitur, et lacero tardat sufflamine currum.
Addit Sobrietas vulnus lethale jacenti,
Conjiciens silicem rupis de parte molarem.
Hunc vexilliferæ quoniam fors obtulit ictum,
Spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti,
Casus agit saxum, medii spiramen ut oris
625 Frangeret, et recavo misceret labra palato.
Dentibus introrsum resolutis, lingua resectam
Dilaniata gulam frustis cum sanguinis implet.
Insolitis dapibus crudescit guttur, et ossa
Colliquefacta vorans revomit, quas hauserat, offas.
Ebibe jam proprium post pocula multa cruorem,
Virgo ait increpitans : sint hæc tibi fercula tandem
Tristia præteriti nimiis pro dulcibus ævi.
Lascivas vitæ illecebras gustatus amaræ

GLOSSÆ VETERES.

403. Conspirare, *coadunare*, I.
404. Viam, *præbendo*, I.
405. Stipata, *circumdata*, I.
406. Pendat, *solvat*, I.
407. Crucem, *sobrietas crucem Domini offert currui luxuriæ*, I.
409. Intentans, *impingens*, I.
410. Cornibus, *crucis, id est vexilli.*—Fronte, *contra faciem offert lignum*, I.
415. Axem, *antiptosis*, I.
417. Addit, *sobrietas lapidem jacit, et percussit os luxuriæ*, I.
418. Conjiciens, *jaciens, retinens*, I.
420. Insigne, *vexillum.* — Gerenti, *magnifice regenti*, I.
421. Casus, *eventus*, I.
427. Ebibe, *sobrietas increpat luxuriam exstinctam*, I.
429. Tristia, *acerba.* — Dulcibus, *luxibus*, I.
430. Vitæ, *tuæ*, I.

COMMENTARIUS.

401. Vienn., Fuld., Widm. supra, *ulla est*, cum Barthii codice.

402. Ald., Ang., Fabr., *tinxit;* alii, *tingit*, sive, ut nonnulli scribunt, *tinguit.*

408. Ald., Ang., Gall., Weitziani, excepto Pal., ac nostri præcipui cum Gis. aliisque, *quadrigis.* Recentiores edd. cum Weitz., Put., Rot., *quadrijugis*, C quod minus placet Gallandio. Observa potentiam, crucis, quam sæpe noster poeta, invitis hæreticis inculcat.

410. Heinsiani omnes, Mar., Rat., Vienn., Vat. O, Weitz., *oppansis* aut *obpansis.* In Egm., *obpannis* emendatum per *obpansis.* Vat. L, Barthii membranæ, Giselinus cum tribus mss. et editione Daventriensi, quæ jure illi instar optimi antiqui, *oppassis.* Aldus cum aliis vulg., *expansis* aut *expassis*, quod minus probatur, præsertim cum Prudentius amet hujusmodi vocabula præpositione *ob* composita, ut *oblidere*, *obbrutescere*, *obtrudere*, *oppallesco*, quod jam pridem observarat Giselinus. Aulus Gellius *passum* a *pando* semper dici contendit lib. XV, cap. 15 a quo dissentit Gifanius Ind. Lucr., verbo Dispansus, qui adducit auctoritatem veterum codicum in hoc aliisque Prudentii et aliorum locis. Prudentius non semel *pansus* dixit. In Erfurt, ita hic cum superiori versu legitur, *quod ut expavere coruscum Cornibus oppansis, et summa fronte renitens;* supra *coruscum* legitur *feroces;* supra *renitens*, *coruscum.* Ac sane *renitens* ratione metri rejiciendum est, si sumatur pro *coruscum.*

413. Ald., *comasque madentes;* alii, *comamque madentem.*

414. Ovidius VIII Metamorph., *Pulvere canitiem genitor, vultusque seniles Fœdat humi fusus.* Quo videtur Prudentius respexisse. Græcismum, quem Heinsius et recentiores amplectuntur cum Put., utroque Rott., et ex nostris Alex., Vat. H a prima manu, necnon cum Barthio, non agnoscunt plerique ex nostris, Mar., Rat., Vienn., Vat. F, G, L, Ald., Gis., Weitzius. Scilicet illi legunt *pulvere fœdatur* pro *pulvere fœdat humi.* Eum Græcismum respuit etiam Teolius, sed non debuit affirmare nullum ejus exstare vestigium in suis mss.

415. Ald. cum nonnullis etiam vetustis, *sub axe.*

416. *Sufflamen* est machina quæ rotæ nimio impetu decurrenti supponitur, ut retineatur. De corpore ipso luxuriæ rotis implicito non male locum hunc intelligit Teolius.

418. Vienn., *prima de parte*, non bene.

419. Plerique *fors* scribunt, alii *sors.* Utrumvis elige.

421. Barthius affirmat, in suis membranis diserte legi *medii spiramen odoris*, quod inquit, examinare velim, qui poetam nostrum post nos tractabunt. Quid alii peritiores judicaturi sint, non audeo definire. Mihi quidem nihil certius occurrit, nisi mendum esse *spiramen odoris* pro *spiramen ut oris*, qualia multa passim in codicibus veterrimis inveniuntur. Hoc ipso loco clarus error est in Vat. D, G, O, in quibus scriptum est *spiramen oris* sine *ut.* Fortasse hæc conjectura Barthio placeret, legendum *Casus agit saxum, medii ut spiramen odoris Frangeret;* ut nasus saxo confractus intelligatur. Sed quæ sequuntur, lectionem communem magis probant : et contra gulam in hoc certamine agitur, non contra odoratum.

422. Erfurt., *frangeret, atra cavo.* Alcimus Avitus D lib. I, *Recavo sic lingua palato.*

423. Non satis intelligitur cur gula resecta. Fortasse legere præstabit *lingua retectam dilaniata gulam.*

424. Gis 1 edit., *frustis et sanguine complet.*

428. Fuld., Erfurt., *pocula* pro *fercula.* Præcesserat *pocula.* De ferculis hymn. 3 Cathem., vers. 16.

429. Ald., *nimiis sub luxibus*, quod in Widm. glossæ vicem sustinet. Alii, *pro luxibus*, ut Piccarti codex et Vaticani plures F, G, L, BB cum Ang., et nonnullis Heinsianis. Barthius cum suo ms. veritatem lectionis ait esse *nimiis pro dulcibus ævi :* cui consentiunt præstantiores nostri, Mar., Alex., Rat., Vat D, H. In Vienn. erat *dolcibus*, quod perverse factum est *doloribus.* Put., Thuan., Cauch., Weitz., Gis. in contextu, pariter *dulcibus.* Præcessit *tristia*, hoc est amara.

Mortis, et horrifico sapor ultimus asperet hau- A
[stu.
Cæde ducis dispersa fugit trepidante pavore
Nugatrix acies. Jocus, et Petulantia primi
Cymbala projiciunt : bellum nam talibus armis
Ludebant resono meditantes vulnera sistro.
626 Dat tergum fugitivus Amor : lita tela ve-
[neno,
Et lapsum ex humeris arcum, pharetramque
[cadentem
Pallidus ipse metu sua post vestigia linquit.
Pompa ostentatrix vani splendoris, inani
Exuitur nudata peplo, discissa trahuntur
Serta Venustatis, collique, ac verticis aurum
Solvitur, et gemmas Discordia dissona turbat.
Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
Ire Voluptatem : quoniam vis major acerbam
Compellit tolerare fugam : formido pericli
Prædurat teneras iter ad cruciabile plantas.
627 Qua se cunque fugax trepidis fert cur-
[sibus agmen,
Damna jacent, crinalis acus, redimicula, vittæ,
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.
His se Sobrietas, et totus Sobrietatis
Abstinet exuviis miles, damnataque castis
Scandala proculcat pedibus, nec fronte severos
Connivente oculos prædarum ad gaudia flectit.
Fertur Avaritia, gremio præcincta capaci,
Quidquid Luxus edax pretiosum liquerat, unca
Corripuisse manu, pulchra in ludibria vasto
Ore inhians ; aurique legens fragmenta caduci
Inter arenarum cumulos : nec sufficit amplos

GLOSSÆ VETERES.

431. Horrifico, *amaro potu*, I.
433. Nugatrix, *inutilis*. — Jocus, *jocus cymbala projiciens fugit*, I.
435. Sistro, *tuba, genus symphoniæ*, I.
436. Lita, *arma uncta*, I.
440. Peplo, *pallio*, I.
441. Serta, *ligamenta capitis*, I.
447. Agmen, *exercitus*, I.
448. Redimicula, *ornamenta*, I.

B

449. Fibula, *virginale pallium*, I.
451. Miles, *exercitus*. — Damnata, *nefanda*, I.
452. Severos, *graves*, I.
454. Avaritia, *philargyria, id est avaritia aurum inter arenas legit*. — Gremio, *sinu*, I.
455. Luxus, *delectatio*. — Unca, *avara*, I.
456. In ludibria, *in risum nobis Christianis sit, vel pecunias*, I.

COMMENTARIUS.

431. Fuld., Widm. supra, Oxon., *horrificos sapor ultimus asperet haustus*. Plerique, *horrifico sapor ultimus asperet haustu*. Sed in Vat. H, Ald., Gis., Weitz. et aliis *asperat*. Sententia nota est, amaros esse voluptatis exitus.

433. In Ang., *locus*, corrige *jocus*. De nugis et acie nugatrice dictum hymn. 2 Cath. vers. 32.

434. Aliqui veteres scribunt *proiciunt*, ut Vienn., Mar. et alii.

435. Erfurt., Fuld., *prælia*. Et Juvenalis quidem dixit *meditari prælia*, satyra 7, vers. 128 : *Statua meditatur prælia lusca*. Sed in Prudentio jam præcessit *bellum*. De sistro vide comment. ad vers. 527 et 528, lib. II contra Symmachum. Virgilius lib. VIII de Cleopatra : *Regina in mediis patrio vocat agmina sistro*.

C

437. Weitz. cum solo Widm., *et lapsum humeris arcum*. Sed cur hic hiatus admittendus erit, dissentientibus cæteris codicibus ?

438. Erfurt., *liquit*, non ita bene.

439. Rabanus Maurus de sacris Ordinibus cap. 12 : *Pompam ambitionem, sive jactantiam, et his similia intelligi debere propheticus sermo demonstrat, cum dicit : Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum ingredientes pompatice domum Israel. Sed Clemens et Prudentius, disertissimus atque Christianissimus poeta, in hac significatione pompam posuit in libro Psychomachiæ : Pompa ostentatrix*, etc. Theodulfus episcopus Aurelianensis de Ord. bapt. cap. 12 hæc ipsa verba ante Rabanum perscripserat.

D

442. Fuld., *concordia dissona*. Heinsiani, nostri præcipui, Alex., Vien., Mar., Vat. D, *turbat ;* alii *turpat* cum Aldo.

443. Barthius in suo ms. legit. *artitis pedibus*, quod explicat, contractis ob sensum doloris, et confirmat simili lectione in præfat. Psychom., *artita colla* pro *attrita*, quam eo loco explosimus.

444. Lucretius lib. VI de his qui exercentur in metallis eruendis, et ad id opus damnantur, *Quos opere in tali cohibet vis magna*. Eodem fere modo Prudentium locutum *quoniam vis major*, etc., observat Gifanius Ind. Lucr. verbo VIS MAGNA, qui addit : *Eum poetam Christianum, quia nunc, ut opinor, fere totum vindicavimus a mendis innumerabilibus, addamus et aliquot, ut ita dicam, manticas*. Intelligit Gifanius menda quæ in cit. Ind. emendare studuit. Qui asserunt Gifanium aliam operam illustrando Prudentio impendisse, fortasse ex hoc loco decepti sunt. Quid sit *vis major*, explicant jurisperiti ad leg. *Ex conducto ;* leg. *Si merces*, § *Vis major*, ff. *Locat*.; leg. *fluminum*, § *Servius quoque de damn. infect.* Intelligunt, esse vim divinam, quæ accidit supra omnem hominum custodiam.

446. Ang., Ald., Gifanius Ind. Lucr., Widm. a secunda manu, *perdurat ;* alii, *prædurat*. Gifanius verbo PER contendit, hoc articulo juncta fuisse apud veteres plurima quæ hodie vel in *præ*, vel aliter sunt commutata. Sed idem posset dici de articulo *præ*. Vide hymn. S. Vincentii vers. 178, ubi occurrit verbum *præduro*.

447. Mar., *gressibus* pro *cursibus*.

448. Vienn., non bene, *crinialis*. *Damna* intellige *spolia*. Pignorius, de Servis pag. 195, agit de acu qua sustinebantur et figebantur capilli, quæ ab Apuleio dicitur etiam *acus crinalis* lib. VIII Metam. Calamistrum erat acus major quæ calefacta intorquebat capillos.

452. Fuld., *non fronte ;* Weitz., *ne fronte :* neutrum placet.

453. Weitzius, *flectat*, quia supra *ne* posuit. In Mar. ex *conibente* emendatum *conivente*. Huic versui succedit in Mar. et Rat. titulus *Avaritia ;* in Aldo *Avaritiæ et Largitatis pugna ;* in aliis *Avaritia et Operatio*. In Vienn. hoc loco nullus titulus.

454. Rat., *avarities*. Recte alii, *avaritia*, producta ultima.

456. Mar., Rat., Alex., Vatt. G, H, O, *pulchra in ludibria*. Hoc voluisse credo Vat. C, et codicem Piccarti *pulchra illudibria*, de qua voce amplius quærendum censebat Weitzius. Duo Vatt. L, et BB, *pulchra et ludibria*. Aldus cum aliis, *pulchra ad ludibria*.

457. Heinsius opinatur *aurique legens ramenta*, et agi de auro nondum excocto. Non probo.

Implevisse sinus : juvat infarcire crumenis
Turpe lucrum, et gravidos furtis distendere fiscos :
628 Quos læva celante tegit, laterisque sinistri
Velât oprimento : velox nam dextra rapinas
Abradit, spoliisque ungues exercet aenos.
Cura, Fames, Metus, Anxietas, Perjuria, Pallor,
Corruptela, Dolus, Commenta, Insomnia, Sordes,
Eumenides variæ, monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris Avaritiæ nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis
Germanus vidit commilito, non timet ensem
Exerere, atque caput socio mucrone ferire,
De consanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius exstinctum belli sub sorte cadaver
Aspexit si forte patris, fulgentia bullis
629 Cingula, et exuvias gaudet rapuisse cruentas :
Cognatam civilis agit Discordia prædam,
Nec parcit propriis Amor insatiatus habendi
Pignoribus, spoliatque suos Fames impia natos.
Talia per populos edebat funera victrix
Orbis Avaritia, sternens centena virorum
Millia vulneribus variis : hunc lumine adempto,
Effossisque oculis velut in caligine noctis
Cæcum errare sinit, perque offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.
Porro alium capit intuitu, fallitque videntem,
Insigne ostentans aliquid : quod dum petit ille,
Excipitur telo incautus, cordisque sub ipso
Saucius occulto ferrum suspirat adactum,
Multos præcipitans in aperta incendia cogit,
630 Nec patitur vitare focos, quibus æstuat aurum,
Quod petit arsurus pariter speculator avarus.

GLOSSÆ VETERES.

459. Juvat, *delectat*. — Crumenis, *marsupiis : crumenia sunt proprie fragmenta auri*, I.
460. Fiscos, *sacculos*, I.
461. Læva, *sinistra*, I.
464. Cura, *multitudo vitiorum, quæ avaritia nigro creat lacte*, I.
468. Crimina, *peccata*. — Grassantia, *vastantia*, I.
469. Creata, *id est vitia, vel culpæ*, I.
470. Fratris, *sui*. — Fulvis ceraunis, *rubris monilibus, vel lapillis : cerauna proprium nomen gemmæ, fulvum habens colorem, nam Græce fulgor*, I.
472. Exerere, *educere, vel eripere*, I.
475. Bullis, *gemmis*, I.
480. Talia, *avaritia plurimos sternit ; alios cæcos errare sinit*, I.
482. Hunc, *quemdam*. — Adempto, *ablato*, I.
485. Baculo, *baculum non permisit portare*, I.
486. Porro, *avaritia, dum aliquid ostendit, jaculo percutere vult ; capit*. — Intuitu, *decipit visu oculorum*, I.
489. Adactum, *infixum*, I.
490. Multos, *avaritia multos præcipitat in incendium*, I.
491. Focos, *ignes, vel tartareas pœnas Stygis*. — Æstuat, *coquitur*, I.

COMMENTARIUS.

459. Fuld., *implicuisse sinus*, minus bene. Pro *infarcire* alii *infercire*, pro *crumenis* vetusti nonnulli *cruminis*. Etymon crumenæ dicitur esse a κρεμάω, quia sit pendula. Glossa non placet.
460. Fuld. pro *fiscos* habet *saccos*.
461. Veteres plerique legunt *laterisque sinistri*. Heinsius edidit *laterisque ministri*, sed cum nullam variantem lectionem promat, dubium est an id casu exciderit. Chamillardus Heinsio adhæsit.
462. Barthius, Heins., *opermento ;* Ang., *adoperto*, quod postremum aperte mendosum est. Plerique nostri *oprimento*.
465. In Rott. priore, *insomnia, sortes*. Alii, *sordes*. Prudentius *sortes* egregie dicere potuit, si ludus iste quem *lotto* vulgo appellant, tunc temporis viguisset : cui non inepte accommodes hos duos versiculos : *Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sortes, Eumenides variæ monstri comitatus aguntur.*
466. Ald., *Eumenides furiæ ;* alii, *Eumenides variæ*, et in Mar. *furiæ* est glossema. Pro *variæ* Fabr. et Gis. *variæ*. Gallandius edidit *variæ*, sed in notis putat esse vitiosam repetitionem *variæ*, cum eæ singillatim prius recenseantur. Verum id nihili est : nam Eumenides illæ dicuntur esse variæ, hoc est inter se diversæ. Poeta imitatur Virgilium XII Æneid. vers. 336 : *Iræque, insidiæque dei comitatus aguntur.*
467. Boetius, fortasse imitatus Prudentium, avaritiam lupo comparavit lib. IV, prosa 3.
468. In Ald. et Mar. a prima manu error est *crassantia*, ut in Vat. C, *cessantia ;* lege *grassantia*.
479. Sive *pigneribus*, sive *pignoribus* scribas, antiquos duces sequeris. Idem de *fames*, et *famis* assero. Scribunt *fames* Vatt. C, F, G, L, O, BB. Neque objicias versum non constare : nam Gifanius, qui Ind. Lucr. ex vet. cod. legit *fames*, inde colligit Prudentium in *es* finita sæpe facere brevia. Heinsius *famis* magis approbat. Contra Giselinus reprehendit Aldum, quod aliquando hujusmodi nomina in *is* terminaverit, ut hymn. S. Hippolyti vers. 190, *omnis adorat Pubis, eunt, redeunt*. Quippe negat Giselinus, Prudentium ad consuetudinem veterum respexisse, qui istiusmodi nominativos per *es* et *is* aliquando extulerint. Pro *impia* Pal. *improba*. Albertus Eyb., qui in Margarita poetica locum poetæ nostro dedit, legit *fames inopia*, quod mendum est carmini repugnans.
480. Vienn., *generabat* pro *edebat* ex aliquo insulso glossemate.
481. In Rat. ex *avaritia* recenti manu factum *avarities*, frustra.
484. In Put. et Ang., *offendicula*. Alii melius *offensacula :* nam, ut observat Heinsius, lex metri rejicit *offendicula :* quod enim idem putat, Prudentium de his non fuisse valde sollicitum, qui priorem in *mitra* corripuerit, et in *rubigine* primam, id non est satis idonea causa ad lectionem regulis contrariam admittendam, relicta meliori : neque prima in *mitra* necessario est producenda. Cauchianus codex habet *secum errare facit*, non *sinit*.
487. In Mar. erat *quod cum petit*.
491. Ang., male, *auram* pro *aurum*.
492. Heinsius iterum e duobus vetustissimis defendere conatur *peculator* contra carminis leges, asseritque vix locum habere *speculator*. Verum non video cur ei non placeat Nebrissæ interpretatio : *qui videt res pretiosas incendio perire*. Jam pridem Ricciolus in Indic. syllab. controvers. monuit, ex mss. codd., teste Vossio, legendum *speculator*, non *peculator*. Aldus, Gis., Weitz., recentiores præterea cum nostris omnibus codd. Mar., Rat., Vienn., Alex., Ang., Vatt. C, D, F, G, H, L, O, BB, habent *speculator*. Bonon., mendose, *speculatum*.

Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta A
Occupat interitu: neque enim est violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus ævum
Mundani involvat populi, damnetque gehennæ.
Quin ipsos tentare manu, si credere dignum est,
Ausa sacerdotes Domini: qui prælia forte
631 Ductores primam ante aciem pro laude [gerebant
Virtutum, magnoque implebant classica flatu.
Et fors innocuo tinxisset sanguine ferrum,
Ni Ratio armipotens, gentis Levitidis una
Semper fida comes, clypeum objectasset, et [atræ
Hostis ab incursu claros texisset alumnos.
Stant tuti Rationis ope, stant turbine ab omni-
Immunes, fortesque animi: vix in cute summa
Præstringens paucos tenui de vulnere lædit
Cuspis Avaritiæ, stupuit lues improba, castis
Heroum jugulis longe sua tela repelli:
Ingemit, et dictis ardens furialibus infit.
632 Vincimur, heu! segnes, nec nostra po- [tentia perfert
Vim solitam; languet violentia sæva nocendi,
Sueverat invictis quæ viribus omnia ubique
Rumpere corda hominum: nec enim tam fer- [rea quemquam
Formavit natura virum, cujus rigor æra
Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis auro,
Ingenium omne neci dedimus, tenera, aspera, [dura,

GLOSSÆ VETERES.

493. Mortalia, *homines*, I.
494. Violentius, *fortius*, Iso, Mar.
501. Fors, *forsitan*, Mar.
504. Alumnos, *filios*, I.
505. Tuti, *securi*. — Ope, *adjutorio*, I.
507. Paucos, *de militibus*, Iso.
509. Jugulis, *pectoribus*, I.
510. Ingemit, *stupuit, vel ingemuit*, I.
515. Formavit, *duravit*. — Rigor, *duritia*, I.
517. Ingenium, *hominum*.—Tenera, *omnem ætatem dicit*, I.

COMMENTARIUS.

493. Vienn., male, *omnem hominem rapit*.

494. In vulg., *neque enim est*. Heinsius aliquando putaverat *neque ea violentius ullum*. Postea ex scriptis agnovit hiatum. Giselinus, *neque enim est*, quod placet. Ald. et Weitz. cum mss., *neque est*.

497. *Si credere dignum est* ex Virgilio III Georgic.

498. Erfurt., *fortes*, non male, pro *forte*. Nescio cur Nebrissa dubitaverit de quibus sacerdotibus veteris legis poeta loquatur: nam clarissimum est de sacerdotibus novæ legis sermonem esse, cum pugna virtutum et vitiorum in anima Christiana describatur. At Chamillardus de ecclesiastico ordine mentionem haberi lubentius autumat, quod Prudentius in luxuriæ pugna objurgaverit Hispanorum fastum, qui consiliis sacerdotum non obtemperabant. Equidem nihil video in ea pugna ex quo argui possit, Prudentium objurgasse Hispanorum fastum, aut Hispanos sacerdotum consiliis non obtemperasse, nisi forte quod animadversum est ad versum 310. Sed aliud est in Hispania ob regionis ubertatem collocari posse *organa*, ut dicebat Giselinus, *luxuriæ*, aliud quod Prudentius luxuriam Hispanis potissimum exprobraverit, quod non nisi temere affirmabitur. Chamillardus vero cum videret vulgo objici Hispanis fastum, Prudentium, de luxuria loquentem, interpretatus est ad fastum Hispanorum respexisse. Atqui fastus sive superbiæ vitium non eo loco a Prudentio exagitatur, sed luxuria et quæ inde nascuntur vitia, jocus, petulantia, lascivus amor. Nemini autem venerit in mentem, hæc vitia Hispanorum fuisse aut esse propria, cum in omnibus æque terris dominentur. Imo qui geographicas institutiones tradunt, quamvis faciles sint in vitiis virtutibusque pro libitu unicuique genti assignandis, tamen virtutem luxuriæ ejusque vitiis contrariam, nullius gentis propriam esse jactant.

499. Widm. supra, *primi ante aciem*. Neque id displicet.

501. Post hunc versum Mar. et Rat. pro titulo *Ratio*.

502. Weitzius ex M. Bergio observat, fortasse alludere poetam ad rationale Mosaicum, quod erat in pectore pontificis, suo ornatu induti. Ego nihil aliud hoc loco reperio, nisi Prudentium ecclesiasticorum famæ consuluisse, etiam dum avaritiæ crimen eis aliquatenus objicit. Sane de ratione, et mente, quibus sacerdotes sui temporis præstabant, multa vere poterat prædicare, cum nullo tempore doctiores in Ecclesia viri floruerint. Qui hac tempestate nostra B passim, et licenter adversus ecclesiasticum ordinem debacchantur, Prudentii exemplo moniti, modestiam in ejus ordinis vitiis objurgandis poterant discere. Avaritiam vero sacerdotibus tanquam vitium eorum magis peculiare plures affingunt, certe vehementer reprehendunt. Hieronymus jure suo acrius in avaritiam ecclesiasticorum invehitur epist. 52 ad Nepotianum de vita clericorum et monachorum, quem legere juvabit. Nam quod Ammianus lib. XXVII ostentationem cupiditatemque Romanis pontificibus sæculi IV objicit, id ab homine ethnico confictum liquet, ut detraheret auctoritati, *qua potiuntur æternæ urbis episcopi*, ut loquitur lib. XV.

503. Erfurt., *objectaret;* sed *objectasset* poscit sensus, et postea sequitur *texisset*.

506. Fuld., *fortesque animo;* elegantius est *animi*.

507. Meliores Heinsiani, Barthius, Egm., Fuld., Widm., *præstringens* cum Rat., cujus glossa est *parum vulnerans*, Weitzio, et aliis. Ald., Gis., Aug., C Mariett., Vat. C. aliique, *perstringens*. Utrolibet modo recte dixeris, et fortasse Prudentius alio loco *præstringo*, alio *perstringo* scripsit, ut nihil dicam de exscriptoribus etiam vetustissimis, qui sæpius scribendi rationem arbitratu suo reformabant.

508. Vienn., *cassis* mendum pro *castis*. De *lues* sive *luis* vide vers. 479 in *fames*.

510. Fuld., *inquit;* cæteri, *infit*.

511. Giselinus, cum Ald. et ed. Daventriensi *præfert* melius putat quam *perfert*. Sed Aldus Weitzio, Heinsio, et mihi ait *perfert*. Hoc quoque argumentum est duplicis editionis Aldinæ. Verum Weitzius nunc lectionem eamdem ac nos exhibet, aliis in locis diversam. Sæpe quidem accidit, aliquam lectionem cuidam auctori attribui, cujus vere non est: sed ejus nomen excidit, cum alius esset nominandus. Weitzius habet *refert* cum Widm. In Fuld., *profert;* in Cauch., *præfert*. Heinsiani omnes, Fabr. Widm. supra, nostri plerique, *perfert*, quod bene cum sententia procedit.

D 515. Erfurt., Vat. C a prima manu, *duravit*. In hoc Vat. supra *formavit*. Giselinus ad oram, *duravit*. In Fuld., *vigor æra*. Giselinus ex plerisque mss. præfert *rigor:* nam dura *rigere*, non *vigere* dicuntur,

517. Imitatio Maronis III Georg., *Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum*. Sententiam eamdem amplexus est Horatius lib. II, sermone 3: *Omnis enim res, Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris Divitiis parent*.

Docta, indocta simul, bruta, et sapientia, A necnon
Casta, incesta meæ patuerunt pectora dextræ.
Sola igitur rapui, quidquid Styx abdit avaris
Gurgitibus: nobis ditissima tartara debent,
Quos retinent, populos: quod volvunt sæcula nostrum est:
Quod miscet mundus, vesana negotia, nostrum.
Qui fit, prævalidas quod pollens gloria vires
Deserit, et cassos ludit fortuna lacertos?
633 Sordet Christicolis rutilantis fulva monetæ
Effigies, sordent argenti emblemata, et omnis
Thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
Quid sibi docta volunt fastidia? Nonne triumphum
Egimus e Scariot? magnus qui discipulorum
Et conviva Dei, dum fallit fœdere mensæ
Haudquaquam ignarum, dextramque parapside jungit,
634 Incidit in nostrum flammante cupidine telum,
Infamem mercatus agrum de sanguine amici
Numinis, obliso luiturus jugera collo.
Viderat et Jericho propria inter funera, quantum
Posset nostra manus; cum victor concidit Achan,
Cædibus insignis, murali et strage superbus,
Succubuit capto victis ex hostibus auro:
Dum vetitis insigne legens anathema favillis,
Mœsta ruinarum spolia insatiabilis haurit.

GLOSSÆ VETERES.

518. Bruta, *stulta*, I.
519. Incesta, *immunda*, I.
520. Styx, *infernus, ad infernum vadit*, I.
521. Gurgitibus, *fluminibus*, I.
523. Quod miscet, *quod agit mundus mali*, I.
524. Vires, *virtutes suas*, I.
525. Cassos, *inutiles*. — Ludit, *delusa est*. — Fortuna, *felicitas nostra*, I.

B

526. Fulva, *rubra*, I.
527. Emblemata, *figuræ, vel abundantiæ*, I.
528. Nigrante, *dispecto*, I.
532. Haudquaquam, *nequaquam*, I.
533. Flammante, *ardente*, I.
534. Infamem, *detestabilem*, I.
535. Numinis, *deifici*, I.
539. Succubuit, *scilicet nostra suggestione*, I.

COMMENTARIUS.

522. In Mar., *retinet*, recenti manu scite correctum per *retinent*.

523. In Rat. desideratur *est*, ut in plerisque editis et mss. In Ald. et Ang. exstat *nostrum est* eodem modo ac in versu superiori.

524. In Rat. fuit *quid fit*, sed factum est *qui fit*. In Mar., *qui*; ad oram, *vel quid est*. Sich., editi nonnulli, *quid*, cum Bong., ubi *quid sit*. Plerique, *qui fit*. Ang. et Vat., C, *quid fit*.

526. Ang., *forma monetæ*; lege *fulva*.

528. Weitz., *migrante*, ex Piccarti cod.; alii omnes, *nigrante*, quæ verior est lectio.

529. Ang., *fastigia*, non absurde, pro *fastidia*. Ne- C brissensis explicat homines, qui thesauros fastidiunt. Intelligi potest *docta fastidia*, *docti homines*, scilicet sacerdotes, de quibus nunc agitur, fastu, et superbia ob doctrinam elati, aut etiam pecuniam fastidientes. Ald., Alex., Vatt. E, O, Mar., Rat., Vienn., Weitz., præcipui Heinsiani, aliique, *nonne triumphum Egimus ex Schariot*. In quibusdam *egimus e Scharioth*. Mendose in Vat. G, *egimus Excarioth*; et in Ang., *Ex Scharioth egimus*. Giselinus nescio quo auctore in textu, *nonne triumpho Egimus Ischarioth*. Idem in marg. 2 edit., et in textu 1 edit., *nonne triumphum Egimus e Scharioth*. Gifanius, *triumphos egimus ex Scariot*: nam ita veteres locutos affirmat. Vide Indicem Lucretii verbo Vestis.

530. Weitz., Vatt. C, G, O, Pal. a secunda manu, *summus*, cum Sich., Vienn., et Mar. a secunda recenti manu. Cæteri nostri et præstantiores Heinsiani cum Aldo, Giselino et aliis, *magnus*. Casus gignendi cum *magnus*, ut notatum est hymno 12 Cath., vers. D 77. Heinsius observat Judam non fuisse *summum* discipulum Christi, adeoque penitus explodendam lectionem *summus*. Sed cum avaritia hoc loco orationem habeat, fortasse poeta eam inducere voluit falsis laudibus suum præclarum alumnum cumulantem. Ex Weitzii opinione, qui *summus* edidit, id ironice dici, ubi legerit Teolius, non invenio.

531. Vienn., Fuld., Widm., *fœdera mensæ*.

532. Ita habent vetustiores Heinsiani. In Put., *dextraque parabside jungit*; et sic multi scribunt *parabside*. Nostri etiam, Mar., Rat., Alex., Vatt. C, D, G, O, *dextramque parapside jungit*. In Vienn. eodem modo, sed desideratur conjunctio *que* post *dextram*. Consonant nostris Gifanius Ind. Lucr. in Vestis, et Weitzius. Ald. et Fabr., *dextramque parapside tingit*. Giselinus, *dextramque paropside jungit*, ad oram *tingit*. Multa Heinsius de orthographia hujus vocis *parapsis*, quam præfert *paropsidi*, quamvis fateatur quosdam ita distinguere, ut *paropsis* sit scutella escaria, *parapsis* ἐμβάφιον vel ὀξυβάφιον. In glossariis veteribus *parapsis* est acetabulum majus et suffusorium, quod aliqui catinum appellant. Apud S. Isidorum, Etymol. lib. xx, cap. 4, est *quadrangulum et quadrilaterum vas, id est, paribus absidis*. Alii scribunt *absidibus*, et Paulinus dubitabat, *absis* an *absida* dici deberet. Barthius ex suo codice legit *paropside jungit*, ac negat legi posse *tingit*: non enim manum tingebat in patina, sed huic utique jungebat. Sed fortasse argute diceretur, Judam manum ipsam in patina *tinxisse*, ut sordes hominis notarentur.

534. Judæ ascribit, mercatum fuisse agrum de sanguine amici, quod acceptis ab eo argenteis principes sacerdotum, et seniores illum fuerint mercati. Notandum etiam est loqui avaritiam, ex cujus ore non mirum est, si diverso modo, ac evenerunt, res enarrentur. Sed Prudentius potius respexerit locum ex Act. apostol. i, 18: *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius*. Ubi Judas dicitur figurate possedisse agrum, quia pretio, quod ipsi datum est, emptus est ager.

535. Aldus, *eliso*; alii, *obliso*. Vide supra comm. ad vers. 331.

537. Rat., *decidit*; alii, *concidit*. Pro *Achan* vel *Achar* nonnulli *Acham*.

538. Ang., *murali strage* sine *et*.

539. Historiam hanc de Achar, sive, ut in Vulgata editione legitur, *Achan*, lege cap. vii Josue, vers. 1 et seqq.

540. De voce *anathema* et quantitate penultimæ magna est controversia. Alii censent semper corripiendam, sive donarium sacrum, sive *excommunicationem* significet. Alii corripiendam docent, cum accipitur pro excommunicatione, producendam, quando rem quæ Deo consecrata est significat: nam tunc Græce per η scribitur, ut cap. cit. Josue aliisque in locis sacræ Scripturæ. Ricciolius Ind. syllab. controv. cum Carolo Stephano et Suida tenet, utrovis sensu corripi et produci posse, cum utrovis sensu per η et per ε possit scribi.

541. Vienn., *festa*; alii, *mæsta*. Non absurde *festa*

Non illum generosa tribus, non plebis avitæ A
Juvit Juda parens, Christo quandoque propinquo
Nobilis, et tali felix patriarcha nepote.
635 Queis placet exemplum generis, placeat quoque forma
Exitii : sit pœna eadem, quibus et genus unum est.
Quid moror aut Judæ populares, aut populares
Sacricolæ summi (summus nam fertur Aaron)
Fallere fraude aliqua, Martis congressibus impar?
Nil refert, armis contingat palma, dolisve.
Dixerat, et torvam faciem, furialiaque arma
Exuit, inque habitum sese transformat honestum.
Fit virtus specie, vultuque, et veste severa, B
Quam memorant frugi, parce cui vivere cordi est,
Et servare suum : tanquam nil raptet avare,
Artis adumbratæ meruit, ceu sedula, laudem.
636 Hujus se specie mendax Bellona coaptat,
Non ut avara lues, sed virtus parca putetur :
Necnon et tenero pietatis tegmine crines
Obtegit anguinos, ut candida palla latentem
Dissimulet rabiem, diroque obtenta furori,
Quod rapere, et clepere est, avideque abscondere parta,
Natorum curam dulci sub nomine jactet.
Talibus illudens male credula corda virorum
Fallit imaginibus ; monstrum ferale sequuntur,
Dum credunt virtutis opus : capit impia Erinnys
Consensu faciles, manicisque tenacibus arctat.
Attonitis ducibus, perturbatisque maniplis,
Nutabat virtutum acies errore biformis
Portenti, ignorans, quid amicum credat in illo,
Quidve hostile notet : lethum versatile, et anceps

GLOSSÆ VETERES.

543. Christo, *adventum Christi dicit*, I.
544. Nepote, *Christo*, Iso.
545. Generis, *male operandi*, I.
546. Exitii, *perditionis*. — Eadem, *una*, I.
549. Fraude, *in fabricatione vituli*. — Impar, *id est, Levita pugnare non debuit*, I.
550. Nil refert, *nulla discretio est*, I.
553. Severa, *gravis*, I.
554. Parce vivere, *vel filiis servare*, I.
556. Artis, *parcitatis*, Iso.
557. Coaptat, *conjungit*, I.
560. Obtegit, *renitens paulisper avaritia*. — Anguinos, *serpentinos*. — Latentem, *sub specie bonitatis*, I.
561. Rabiem, *formam*, I.
562. Clepere, *cleps fur dicitur : inde clepere, id est furari*. — Parta, *parata*, I.
565. Imaginibus, *formis*. — Ferale, *mortale*, Iso.
566. Capit, *decipit*, I.
568. Attonitis, *virtutum acies dubitat, avaritiam non plene cognoscens*. — Ducibus, *virtutibus*. — Maniplis, *vexilliferis*, I.

COMMENTARIUS.

dici possunt spolia quæ tulit *de anathemate*, etc.; C *mœsta* vero ex effectu.

543. Fuld., *propinquus*, minus bene. Adnotator edit. Colon. in *Juda* advertit correctum a Sichardo, sed legi non potuisse. In edit. Basil. anni 1527, ubi ad oram inveniuntur omnes correctiones Sichardo ascriptæ, invenio *jura* ad marginem pro *Juda*.

545. Vienn., *placet his quoque forma*. Sensus magis postulat *placeat quoque*.

548. Avaritia Christianos sacerdotes vocat populares Aaron eodem jure quo diaconi vocantur levitæ. Confer ea quæ contra avaritiam profert operatio vers. 606 seq.

550. Vienn., *nil distat;* quæ est glossa in Marietti codice. Avaritia, Martis congressibus impar, ad dolum convertitur. Sententia Virgiliana est lib. II Æneid., *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* Dolus ipse ex eodem Maronis loco adumbratus est, ubi Trojani sua arma cum Græcorum armis commutarunt, ut inter hos admixti facilius stragem ederent. Vitia D autem specie virtutum sæpe fallere notius est quam ut probari debeat. In Vat. C corrige mendum *nil referet*.

553. In Mar. et Rat., *cultuque, et veste severa*. Weitzius cum Erf. et Widm. *vultuque, et voce severa:* sed in Erf. et Widm. supra, *veste severa*. Heinsius putavit Weitzium ex Egmondano protulisse *et voce*, eumque falli, cum in Egm. sit *vultuque, et veste*, cum Aldo et reliquis Heinsianis, excepto priore Rott., in quo est *et voce*. Sed in eo errat Heinsius, quod *Erfurtensem* codicem, a Weitzio laudatum per *E*, crediderit esse *Egmondanum*, qui per *Eg.* a Weitzio laudari solet. Heinsius præfert *vultuque, et voce severa*, quia hæc duo Prudentius amat conjungere, ut in hymno S. Romani, vers. 720. *Vultu, et severis vocibus sic increvat*. Exemplum non placet, quia res est valde diversa ; et Prudentius videtur præ oculis habuisse Juvenalis locum satyra 14 : *Fallit enim vitium specie virtutis, et umbra, Cum sit triste habitu, vultuque, et veste severum*. Quod cum Weitzius adverterit, non video cur ipse legerit *vultuque, et voce severa*. Cell. et Teol. ab Heinsio recedunt. In margine edition. Colon. ex cod. ms. *voce* est pro diversa lectione.

554. Rat., *memorent*.

555. [1] Juvenalis satyra cit., *Nec dubie tanquam frugi laudatur avarus, Tanquam parcus homo, et rerum tutela suarum*.

556. Ang., mendose, *ceu scedula*.

557. Avaritiam Bellonam vocat tanquam hujus belli deam ; mendacem vero, quia facta est virtus specie.

560. Apud alios *anguineos* reperies, apud alios *anguinos*.

561. Bong. et Erf., *formam*; supra *rabiem*. Ald., *intenta furori*.

562. Vienn., *et rapere est*. Græcis κλέπτης est fur, a quo κλέπτειν, et Latine *clepere*.

563. Vienn., contra legem carminis, *jacit*. Ald. et Vat. C, *jactat*. Mar., Rat., Widm., *lactet;* plerique *jactet*.

565. Vienn., Ang., Vat. C, obsistente metro, *monstrumque ferale :* quod Weitzius edidit secutus solum Bong., ac professus, in reliquis esse *monstrum ferale*.

566. In re simili Hamartig. vers. 427 : *Sub fœdere falso Tristis amicitiæ primum socia agmina credunt*, ex Virg. lib. II Æneid. In Aldo error est *caput* pro *capit*.

571. Ald. et Fabr., *vocet;* alii, *notet*. Vienn., *notet lævum*, non bene. Nebrissa in *anceps* notat *scilicet erat*. Alii cum Giselino aliter distinguunt, ut *lethum lubricet incertos visus*.

Lubricat incertos dubia sub imagine visus.
637 Cum subito in medium frendens Operatio campum
Prosilit auxilio sociis, pugnamque capessit
Militiæ postrema gradu, sed sola duello
Impositura manum, ne quid jam triste supersit.
Omne onus ex humeris rejecerat, omnibus ibat
Nudata induviis, multo et se fasce levarat:
Olim divitiis gravibusque oppressa talentis,
Libera nunc miserando inopum, quos larga benigne
Foverat, effundens patrium bene prodiga censum.
Jam loculos ditata fide spectabat inanes,
Æternam numerans redituro fenore summam. B
Horruit invictæ virtutis fulmen, et impos
638 Mentis Avaritia stupefactis sensibus hæsit,
Certa mori: nam quæ fraudis via restet, ut ipsa
Calcatrix mundi, mundanis victa fatiscat
Illecebris, spretoque iterum sese implicet auro?
Invadit trepidam virtus fortissima duris
Ulnarum nodis, obliso et gutture frangit
Exsanguem, siccamque gulam: compressa ligantur
Vincla lacertorum sub mentum, et faucibus arctis
Extorquent animam: nullo quæ vulnere rapta
Palpitat, atque aditu spiraminis intercepto
Inclusam patitur venarum carcere mortem.
Illa reluctanti genibusque, et calcibus instans,
Perfodit et costas, atque ilia rumpit anhela.
Mox spolia exstincto de corpore diripit, auri

GLOSSÆ VETERES.

573. Operatio, *largitas pugnat contra avaritiam, et spolia ejus pauperibus erogat*, I.
574. Pugnam, *bellum*, I.
575. Militiæ, *exercitus*, I.
576. Triste, *acerbum*, I.
578. Induviis, *indumentis*, I, Mar.
583. Fenore, *pignore*, I.
584. Virtutis, *operationis*, I. — Impos, *impotens*, Mar.
585. Hæsit, *dubitavit*, I.
587. Calcatrix, *operatio*. — Fatiscat, *deficiat*, I.
590. Nodis, *brachiis*. — Obliso, *arctato*, I.
591. Gulam, *guttur*, I.
593. Rapta, *rupta*, I.
596. Illa, *largitas avaritiam genibus, et calcibus perfodit*, I.

COMMENTARIUS.

572. Fabr., Egm., Bong., *incertus;* tunc distinctione Nebrissæ utendum est, quanquam ipse Nebrissa intelligit, aciem lubricare incertos visus. Post hunc versum in Mar. et Rat. titulus est *Operatio*.

573. Ald., *dum subito*. Fuld., *tum subito*. In antiquis editis, *miseratio;* in mss., *operatio*. Sichardus ante Giselinum hanc vocem restituit. Alcimus Avitus de Laude virginitatis eadem voce utitur, et alii antiquiores, Tertullianus, Cyprianus, Optatus Milevitanus, Paulinus; de qua voce confer Rosweydum in not. ad S. Paulinum pag. 763 et seqq. ad verba Fidelium operatio. Hinc opera misericordiæ, et titulus libri S. Cypriani de Opere et Eleemosynis. Origo nominis, ut nonnulli putant, ex Marci xiv, 6: *Bonum opus operata est*. C

574. Weitzius cum Bong. et Erf., *capescit*. Scribendum cum cæteris *capessit*.

575. In vetustiore Bon., *prima duello*, quod Gallandius in notis sibi placere ait, quod præcesserit *postrema*.

576. Fabr., *tam triste*. Barthius, lib. xii Advers., cap. 41, ex hoc loco observat, Christianos *manum imponere* simpliciter usurpasse pro absolvere: *Extremam manum imponere* veteres dicebant, vel *summam*, aut *supremam*.

577. Vienn., *dejecerat;* melius *rejecerat*.

578. Ald., Fuld., Vat. C, *exuviis* pro *induviis*, cujus glossa in Mar. est *indumentis*. Bong., Vat. C, *multo se fasce levarat*. Vat. H, male, *induviis, multo et fasce levarat;* nec melius Vat. G, *induviis, et multo se fasce levarat*. Imitatio est Maronis ecl. 9, *Ego hoc te fasce levabo*. D

580. Ald., Widm. supra, Bong., *miserendo* In nonnullis vulg., *inopes*.

581. Vienn., *male prodiga*. Sensus omnino postulat *bene prodiga*.

582. Put. et Thuan., *ditata fidem*, quem Græcismum nostri præcipui, Alex., Mar., Rat., aliique non agnoscunt: neque agnoverant alii ante Heinsium, qui illum expressit. In Erfurt., *aspectabat inanes*.

583. Rat., *æternam memorans*. Weitz. cum solo Erfurt. a vet. manu, *reddendo*, minus bene. De fenore in cœlis redituro vide Matth. xix, 21 et 29.

584. Ald. et vett. edd., *fulmen inopsque*, quod in Erfurt. glossam refert pro *impos*. In Vat. C et Sich., *fulmen et inops*, quod respuit ratio carminis. In aliis *impos*, cujus glossa in Mar. *impotens*.

585. In Rat. corrector aliquis inepte *avara lues* pro *avaritia;* putaverat fortasse, ultimum *a* in *avaritia* carmini obstare.

586. Erfurt., *fraudi*, quod non displicet Heinsio, qui eam lectionem ex Egmondano petit, nisi male intellexerit Weitzium, qui solum Erfurtensem per *E* allegat. Vid. not. adversus 555 et 593. Aldus, Gis., Bong., Ang., Vat. C, *restat*. Heinsiani, Mar., Rat., Alex., Weitz. aliique, *restet*.

587. *Calcatrix* ut *amatrix*, et similia. Calpurnius usurpavit *calcator*. Apud Weitzium in glossa mendum est *speratio* pro *operatio*.

590. Aldus, *eliso gutture*. Weitzius, *obliso robore*, cum Widm., in quo supra est *gutture*. Legere præstat cum aliis *obliso gutture*.

591. Erfurt., *compressa ligabat Vincla lacertorum sub mentum faucibus arctis*. Bong., Ang., *compressa ligabant*.

593. Vienn., *sanguine rupto;* Rat., Boher. vetustior, Widm. a secunda manu, *rupta*. Weitz. cum Erfurt. (non Egmond., ut Heinsius putavit) scribere voluit *rumpta*, quod abhorret. Egmondanus et alii Heinsiani, *rapta*, quod habet Mar., Ald., Gis., Vat. C et alii. Pal., Barth., *raptam*, velut dicat (inquit Barthius) *instar talis*, quomodo sæpissime loquitur Apuleius.

594. Ven. Beda, lib. de Arte metrica, asserit veteres extulisse *interecepto*, ut quinta sede dactylus locaretur, quod non persuadet. Vide not. ad vers. 98.

596. Erf., Vienn., *genibus, et calcibus*.

598. Nostri præstantiores. Alex., Mar., Rat., aliique, *exstincto*, probe. In Put., *exuncto*, in Erf., *exuto*, quod in Egm. exstare ait Heinsius, qui fortasse deceptus est Egmondanum accipiens pro Erfurtensi, quem Weitzius laudat. Fallitur etiam Chamillardus, qui *exstincto* legi in ms. regio Parisiensi, sive Put. affirmat. Heinsius putat legendum *exuto*, quia Prudentius eo verbo in re simili usus est, et idem Paulinus, et Tertullianus usurparunt. Sed ea ratio non est satis efficax: siquidem similia exempla in *exstincto* possent proferri. Barthius legit *exuncto*. Cellarius ex Heinsii conjectura *exuto*. Suspicor antiquum esse verbum *exucto*, quod etiam lego in Helpidio: *Curva*

639 Sordida frusta rudis, nec adhuc fornace recoctam A
Materiem : tineis etiam marsupia crebris
Exesa, et virides obducta ærugine nummos
Dispergit servata diu, victrix et egenis
Dissipat, ac tenues captivo munere donat.
Tunc circumfusam vultu exsultante coronam
Respiciens, alacris media inter millia clamat.
Solvite procinctum, justi, et discedite ab armis :
Causa mali tanti jacet interfecta, lucrandi
Ingluvie pereunte, licet requiescere sanctis.
Summa quies nil velle super, quam postulet usus
Debitus : ut simplex alimonia, vestis et una
640 Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus,
Expletumque modum naturæ non trahat extra. B
Ingressurus iter peram ne tollito, neve
De tunicæ alterius gestamine providus ito :
Nec te sollicitet res crastina, ne cibus alvo
Defuerit : redeunt escæ cum sole diurnæ.
Nonne vides, ut nulla avium cras cogitet, ac se
Pascendam, præstante Deo, non anxia credat?
Confidunt volucres victum non defore viles,
Passeribusque subest modico venalibus asse
Indubitata fides, Dominum curare potentem,
Ne pereant : tu cura Dei, facies quoque Christi,
An dubitas, ne te tuus unquam deserat auctor?
Ne trepidate, homines : vitæ dator, et dator escæ est.
Quærite luciferum cœlesti dogmate pastum,
641 Qui spem multiplicans alat invitiabilis ævi,
Corporis immemores : memor est, qui condidit illud,
Suppeditare cibos, atque indiga membra fovere.
His dictis curæ emotæ, metus, et labor, et vis,
Et scelus, et placitæ fidei fraus infitiatrix,
Depulsæ vertere solum. Pax inde fugatis
Hostibus alma abigit bellum, discingitur omnis

GLOSSÆ VETERES.

601. Nummos, *denarios*, I.
603. Tenues, *pauperes*, I.
606. Procinctum, *parationem belli, vel conventum*, I.
609. Postulet, *indiget*, I.
611. Recreet, *sustinet*, I.
614. Tunicæ alterius, *significant igitur duæ tunicæ dubitationem fidei; ut qui Christum induit, vestimenta perfidiæ non attingat*, I.
615. Nec te sollicitet, *sufficit diei sua malitia*, I.
617. Ut, *quomodo*, I.
622. Facies, *imago*, I.
625. Lucifluum, *luciferum*, Iso.
626. Invitiabilis, *inviolabilis vitæ*, Iso.
628. Suppeditare, *dare*. — Indiga, *egentia*. — Fovere, *refocillare*, I.
630. Infitiatrix, *negatrix, corruptrix*, I.
631. Depulsæ, *omnes*.—Solum, *pulverem terræ*, Iso.
632. Discingitur, *discessit*, I.

COMMENTARIUS.

nec exucto sulcabitur ore senectus; et fortasse inde C Hispani dicunt *enjuto* id quod siccum est, et quasi sine succo. Fortasse etiam *exucto* est quasi *exsucto* ab *exsugo*.

599. Erf., Barthii codex, Palat., *recocta*, minus bene.

600. Put., *materiam*. Idem et Egm., *tiniis*, quod alias in optimis exemplaribus ita exaratum Heinsius invenerat. Puteanus etiam scribit *marsuppia*. Nos orthographiam communiorem sequimur. Aldus, mendose, *cinctis*, pro *tineis*. Idem Ald., Gis., Weitzius, *etiam*, neque dissentit Heinsius. Fortasse verior est lectio Vienn. et aliorum, *tineis et jam marsupia;* sæpe in codicibus veteribus dictiones conjunguntur, ut non facile appareat quandoque, sitne una, an duplex.

601. Fuld., Widm. supra, *subducta ærugine*.

604. Bong., Sich., *multum exsultante*, nullo sensu. Ex Fuld., *tum* pro *tunc* notat Weitzius.

606. Rat., *justi discedite* sine *et*.

607. Codex Barthii mendosus hoc loco *causa militanti*. D

608. Mar., Sich., Bong., *illuvie;* rectius, *ingluvie*.

609. Weitz., *supra quam*.-Ald., Gis., Ang., alii, *postulat*. Vide Columbanum carmine contra Avaritiam. Sententia aurea est, sed pervulgata, magisque in ore hominum quam in vita conspicua.

610. Ald., *et simplex*. Votum hoc est Pauli epist. I ad Timoth. VI, 8 : *Habentes autem alimenta*, etc. Vestis una etiam exprimitur ex consilio evangelico Matthæi X, 9 et 10.

612. In Fuld., *non trahat ultra*. In edit. Coloniensi ad marginem lego *Ald. naturam*. Explicari potest, Non trahat extra naturam. Sed Aldus meus habet *naturæ*. Rursus duplex editio Aldina conjici potest.

613. Erf., *non tollito*. Fuld., *nec tollito*, non ita bene. Expressa sententia est ex Evangelio Matth. loc. cit.; Marc. VI, 8 et 9; Luc. IX, 3; et XXII, 35.

614. Heinsiani, et nostri præcipui, *ito*, cum Sich., Weitz. et aliis. Ald., Gis. in textu, *esto*, quod est glossema in Erfurt. Weitzius excudit *tonicæ*, quia ita legit in Bong., quod ridiculum est.

615. Æmulatus est nostrum Columbanus : *Nec te sollicitet circumflua copia rerum*. Albertus. Eyb non bene, *ne te sollicitet*, pejus vero vers. seq. *deserit* pro *defuerit*.

616. Egm., Erf., Palat., Barthius, *cum sole diurno*.

619. Oxon., *non defore vitæ*. Vide Matth. VI, 26, et X, 29.

623. Tres vetustiores Heinsiani, Pal., Weitz., Barthius, Vat. H, *addubitas*. Ald., Gis., Ang., Vat. C, F, G, O, et Albertus Eyb., *an dubitas*. Mar., Rat., Alex., Sich., Bong., Widm., *at dubitas*. Fuld., *ast dubitas*. Vienn., *nec te*, male, pro *ne te*. Idem *deseret* pro *deserat*.

624. Ald., Bong., *vitæ dator est dator escæ*. Ita Eyb in Margarita poetica. In Aldo male interpungitur *vitæ dator, est dator escæ*. In Vat. C, *vitæ dator, et dator escæ* deest verbum substantivum *est*.

625. Weitzius cum solo Widm. a prima manu, *quærite lucifluum*. Glossa Isonis diversa est lectio.

626. Erfurt., Ald., *alit*. Mar., Rat., Alex., Vat. II, Barthius, Put., Weitzius, Heins., Widm. a prima manu *invitiabilis*. Rott. prior. Vienn., Sich., *insatiabilis*. Heinsiani plerique, Ald., Erfurt., Widm. supra, Ang., Vat. G, Eybelius, Torn. *inviolabilis*. In Vat. BB, *inviolabilis orbis*, supra *aliter ævi*. Sententia horum versuum ex Matth. VI, 33 : *Quærite ergo primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis*.

630. Heinsiani meliores, Alex., Mar., Weitz. aliique, *placitæ*. Aldus, Gis., Vat. C aliique, *placidæ*.

631. Fuld., *evertere solum*. Legendum *vertere*. Isonis glossa est *pulverem* pro *solum*. Vide quæ notavi ad Cathem. hymnum 3, vers. 129.

632. Ald., Vat., C, Fabr., Bong. a secunda manu *discinditur*. Ita etiam in vet. lib. legit Gifanius : Sed ex versu sequenti patet præferendum *discingitur*.

A Terror, et avulsis exfibulat ilia zonis,
Vestis ad usque pedes descendens defluit imos,
Temperat et rapidum privata modestia gressum.
Cornicinum curva æra silent : placabilis implet
Vaginam gladius : sedato et pulvere campi
Suda redit facies liquidæ sine nube diei,
Purpuream videas cœli clarescere lucem.
642 Agmina casta super vultum sensere Tonantis
Arridere hilares, pulso certamine, turmæ,
Et Christum gaudere suis victoribus arce
Ætheris, ac patrium famulis aperire profundum.
Dat signum felix Concordia, reddere castris
Victrices aquilas, atque in tentoria cogi.
Nunquam tanta fuit species, nec par decus ulli
B Militiæ, cum dispositis bifida agmina longe
Duceret ordinibus, peditum psallente caterva,
Ast alia de parte equitum resonantibus hymnis.
Non aliter cecinit respectans victor hiantem
Israel rabiem ponti post terga minacis,
Cum jam progrediens calcaret littora sicco
Ulteriora pede, stridensque per extima calcis
Mons rueret pendentis aquæ, nigrosque relapso
Gurgite Nilicolas fundo deprenderet imo,
643 Ac refluente sinu jam redderet unda natatum
Piscibus, et nudas præceps operiret arenas.
Pulsavit resono modulantia tympana plectro
Turba Dei, celebrans mirum, ac memorabile sæclis
Omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
Fluctibus incisis, et subsistente procella
Crescere, suspensosque globos potuisse teneri.
Sic, expugnata vitiorum gente, resultant
Mystica dulcimodis virtutum carmina psalmis.
Ventum erat ad fauces portæ castrensis, ubi arctum
Liminis introitum bifori dant cardine claustra.
Nascitur hic inopina mali lacrymabilis astu
Tempestas, placidæ turbatrix invida Pacis,
Quæ tantum subita vexaret clade triumphum.
Inter confertos cuneos Concordia forte,
Dum stipata pedem jam tutis mœnibus infert,
Excipit occultum vitii latitantis ab ictu

GLOSSÆ VETERES.

633. Ilia, *intestina*. — Zonis, *cingulis*, I.
635. Privata, *specialis*, I.
636. Cornicinum, *tubæ silent : gladii reconduntur in vaginas*, I.
638. Suda, *serena*. — Sine nube diei, *perturbationis ; sine vindicta ; dies diei eructat verbum*, I.
639. Purpuream, *virtutum legio gaudet, victo certamine*, I.
643. Profundum, *altitudinem*, I. *Sublimitatem*, Mar.
644. Dat, *concordia jubet reducere vexilla in castra*, I.
C 645. Aquilas, *vexilla*. — Cogi, *congregari*, I.
646. Nunquam, *turmæ psallentium equitum, ac pedestrium*, I.
647. Bifida, *bina*, I.
651. Ponti, *maris*. — Minacis, *perturbationem semper imminentem significat*, I.
653. Extima, *exteriora*, I.
655. Nilicolas, *Ægyptiacos, qui Nilum colunt. Ægyptii significant diaboli instigationes*, I.
656. Unda, *gratia divina, per quam evaserunt*, Iso.
663. Resultant, *exsultant*, I.
667. Astu, *ferro, vel astutia*, I.
668. Tempestas, *persecutio*, I.
671. Stipata, *circumdata*, I.

COMMENTARIUS.

633. Pro *exfibulare* solum Prudentium laudat Forcellinus. Otium indicatur.
634. Weitzius cum Gifanio, *vestis et usque* non *vestis ad usque*. Gifanius verbo DISCINDO affirmat, *usque pro ad usque* eleganter dici; et verbo VESTIS asserit, veteres ita usurpasse cujus ignoratio mendum in Prudentio pepererit. Displicet id Heinsio, nec mihi sane placet.
635. Erfurt., *temperat et rabidum*.
637. Giselinus, *sedato pulvere* sine *et*.
638. In Erf., *nuda*; ad marg., *suda*.
640. In nonnullis vulg. *agmina casta simul*, cum Egm.
642. Apocalypsis III, 21 : *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus*. In Mar. et Alex., *arce*, cum tribus veterrimis Heinsianis, quod placet : hoc est, in arce ætheris. Heinsius nescio cur suspicatur *arces*, cum habeat *arcem* in plerisque. Barthius, lib. V, cap. 12, legit *arcem*, et affert glossam, id est *imperium*.
D 643. Ald., Fabr., *portum*; et Nebrissa interpretatur pro regno cœlesti, quia portus quo profundior, eo securior. Vera lectio *patrium profundum*, cujus glossa in Mar., id est *sublimitatem*. Vide Gifanium Ind. Lucret., verbo PROFUNDUM. Post hunc versum in Mar. inscriptio *Concordia*.
646. Aldus excuderat *spes*; emendavit recte *species*. Idem, *Deus ulli*. Ang., *decus unquam*. Verior lectio *nec par decus ulli*.
648. In Vat. II, mendose *Duceret hordinibus peditum stupere catervas*.
650. Giselinus monet hunc versum non esse sententiæ superiori annectendum, ut alii inepte fecerant. Historiam sacram habes cap. XIV Exodi.
651. In nonnullis vulg., *minantis*.
653. Erfurt., *callis*; supra, *calcis*.
654. Weitzius cum Erf., Widm., *repulso*, supra *relapso* tam in Erf. quam in Widm. Cæteri, *relapso*; Put., *relaxo*.
655. Erf., *Niliacos*; idem et Barthius, *dependeret imo*.
656. *Natatus* nomine usus est Apoth. vers. 684. Eodem nomine substantive utitur Statius Silv. lib. I, silv. 3 et 5.
662. Actum hac de re hymno 5 Cath., vers. 65 et seqq.
664. Piccarti codex, *multimodis*.
665. Ang., *ad belli fauces castrensis*. Ex his carminibus colligit Barthius, militem fuisse Prudentium, vel certe ab eo scite describi portam castrensem ait, quia in castris militaverat. Confer vitam Prudentii in prolegom. Plures erant portæ in castris; de quibus Turnebus lib. XXX Advers., cap. 24, Lipsius de Militia Rom. lib. V, dial. 5. Post hunc versum in Mar. titulus *Discordia*, et charactere minuto *cognomento hæresis*. Ita etiam in Rat.
667. In quibusdam vulg., *hinc* pro *hic*.
669. Ald., *vexavit*; alii, *vexaret*. Apud Aldum et alios hoc loco titulus *Concordiæ et discordiæ pugna*.
670. Erf., non bene, *inter consertos*

Mucronem lævo in latere, squalentia quamvis A
644 Texta catenato ferri subtemine corpus
Ambirent, sutis et acumen vulneris hamis
Respuerent, rigidis nec fila tenacia nodis
Impactum sinerent penetrare in viscera telum.
Rara tamen chalybem tenui transmittere puncto
Commissura dedit, qua sese extrema politæ
Squama ligat tunicæ, sinus et sibi conserit oras.
Intulit hoc vulnus pugnatrix subdola victæ
Partis, et incautis victoribus insidiata est.
Nam, pulsa culparum acie, Discordia nostros
Intrarat cuneos, sociam mentita figuram.
Scissa procul palla, structum et serpente flagellum
Multiplici, media camporum in strage jacebant.
Ipsa redimitos olea frondente capillos B
Ostentans, festis respondet læta choreis:
645 Sed sicam sub veste tegit, te, maxima virtus,
Te solam tanto e numero, Concordia, tristi
Fraude petens, sed non vitalia rumpere sacri
Corporis est licitum: summo tenus extima tactu
Læsa cutis, tenuem signavit sanguine rivum.
Exclamat virtus subito turbata: Quid hoc est?
Quæ manus hic inimica latet? quæ prospera nostra
Vulnerat, et ferrum tanta inter gaudia vibrat?
Quid juvat indomitos bello sedasse furores,
Et sanctum vitiis pereuntibus omne receptum,
Si virtus sub Pace cadit? Trepida agmina mœstos
Convertere oculos: stillabat vulneris index
Ferrata de veste cruor, mox et pavor hostem
Cominus astantem prodit: nam pallor in ore,
Conscius audacis facti, dat signa reatus,
Et deprensa tremunt languens manus, et color albens.
Circumstat propere strictis mucronibus omnis
Virtutum legio, exquirens fervente tumultu
Et genus, et nomen, patriam, sectamque, Deumque,
646 Quem colat, et missu cujatis venerit. Illa
Exsanguis, turbante metu, Discordia dicor,
Cognomento Heresis: Deus est mihi discolor, inquit.

GLOSSÆ VETERES.

673. Mucronem, *sicut sicarii habent breves gladios.* — Squalentia, *nitentia*, Iso. *Splendentia*, Mar.
675. Hamis, *circulis*, I.
676. Tenacia, *firma*, I.
678. Rara, *parva, vel tenuis*, I.
679. Commissura, *conjunctura, vel flexura*, Iso.
689. Sicam, *gladius est, in medio capulum habens, et hinc inde acutus*, I.
691. Vitalia, *viscera*, I.
692. Extima, *extrema*, I.
697. Bello, *ferro*, I.
702. Cominus, *juxta, vel propius.*—Ore, *in facie*, I.
706. Exquirens, *interrogans*, Iso.
707. Sectam, *doctrinam, dogma*, I.
708. Cujatis, *de qua gente missa esset; vel cujus gentis*, I.

COMMENTARIUS.

673. In Rat. corrector poetices ignarus pro *lævo in latere* posuit *latere in lævo*, non advertens, postremum *e* recte in *latere* produci posse ob duas consonantes dictionis sequentis, quod familiare est Prudentio.

674. Alii, *subtegmine*; alii, *subtemine*. Vide scriptores rei orthographicæ, sive lexicographos.

675. In Erf., mendum *ambierent*.

679. In edit. Colon. ad oram, Ald. *conjunctura*. Aldus meus, *commissura*.

681. Mar. a secunda manu, *intulit huc vulnus*, a prima manu *hoc vulnus*.

683. Fabr., *lætos*; melius *nostros*. Gifanius Fabricio consonat Indic. Lucr.

684. Innuit Prudentius, latenter irrepere interdum discordiam sub amicitiæ simulatione. Observat Weitzius, poetam attingere morem militiæ, ut diversa diversi milites veste uterentur; uti alios non paucos militiæ mores hoc carmine exposuit.

685. Virgilius lib. VIII Æneid., vers. 702: *Et scissa gaudens vadit discordia palla, Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.* Petronius in Satyrico: *Et mœrens lacera concordia palla.* Heinsiani, Alex., Vatt. G, O, Ald., Rat. a prima manu *structum et serpente*, quasi instructum a *struo*. Usus etiam est in hymno S. Laurentii, vers. 176: *Structos talentis ordines.* Mar., Rat. a secunda manu, Ang., Weitz., *strictum et serpente.* Vat. C, *palla structum serpente.* Vat. BB, *et structum serpente.* Gifanius apud Heinsium, *et structum.*

686. Mar., *medio*, perperam. Vetustiores Heinsiani, Alex., Vienn., Rat., Mar., Gis., Weitz., aliique, *jacebant.* Aldus, Fuld., Vat. C, *jacebat.*

687. Widm., *oleo*; supra *olea*. Pacis insigne olea est, qua discordia præcingitur *sociam mentita figuram*. Se- C cunda in *redimitos* producitur, raro, et haud scio, an unico hoc exemplo. Posset legi *coronatos*, nam sæpe alias Prudentius corripit secundam in *redimire*. Sed nihil mutandum.

688. Ald., Fabr., Widm., Ang., *respondit.*

690. Ald., *tanto in numero.* Mar., *tanto ex numero.* Rat., *et solam tanto e numero.* Vienn., *te solam e tanto numero.* Plerique, *te solam tanto e numero.*

695. Giselinus in vetustis omnibus, quos vidit, invenit *prospera nostra*. Idem Heinsiani, et nostri. Ald. et alii vulg., *pectora.* Barthius quoque legit *prospera nostra vulnerat*, et observat. *vulnerare* ad res etiam inanimas trahi, ex Eutropio lib. X de Juliano: *Fuerunt nonnulli, qui vulnera ejus gloriæ inferrent*, et Symmacho lib. II, epist. 30: *Siciliense negotium vulneratum.* Similia exempla quivis poterit invenire.

697. Mar., *ferro sedasse* fortasse melius, quam *bello.* Intelligo tamen idem esse *ferro sedasse* ac *bello sedasse*; alioquin bene est *bello*, præsertim cum sequatur *pace.* D

699. Widm. supra, *castos* pro *mœstos*. Arator lib. II: *Sed et acrior hostis Intus erit, graviusque malum discordia portat, Quæ vulnus sub pace creat.*

704. Vienn., *et deprensa fuit.* Ald., Gis., Weitz., Ang., Vat. C, Rat., *et deprensa tremit.* Mar., Ang. cum tribus vetustioribus Heinsii, *et deprensa tremunt.* Id tenent recentiores.

708. Ald., *et jussu*. In Vat. C abrasum est unum verbum, sive *jussu*, sive potius *missu*, quod exstat in omnibus aliis. Ang., *venerat ipsa*; Mar., Rat., a prima manu, *venerat illa.* Cæteri, *venerit illa.*

709. Vienn., male, *discordia discors.*

710. In Rat. corrector, de quo sæpe, *a Styge duco genus*, prioribus abrasis, ne scilicet prima in *heresis* corripiatur, quam toties noster corripit.

Nunc minor, aut major : modo duplex, et modo simplex : A
Cum placet, aerius, et de phantasmate visus,
Aut innata anima est, quoties volo ludere, numen,
Præceptor Belia mihi, domus, et plaga mundus.
Non tulit ulterius capti blasphemia monstri
Virtutum regina Fides : sed verba loquentis
Impedit, et vocis claudit spiramina pilo,
647 Pollutam rigida transfigens cuspide linguam.
Carpitur innumeris feralis bestia dextris :
Frustatim sibi quisque rapit, quod spargat in auras.
Quod canibus donet, corvis quod edacibus ultro
Offerat, immundis cœno exhalante cloacis
Quod tradat, monstris quod mandet habere marinis.
Discissum fœdis animalibus omne cadaver
Dividitur : ruptis Heresis perit horrida membris.
Compositis igitur rerum, morumque secundis

GLOSSÆ VETERES.

711. Nunc, *interdum*. — Modo, *interdum*, Iso.
717. Pilo, *mucrone*, Iso.
718. Cuspide, *hasta*, I.
722. Cœno, *luto*. — Exhalante, *fetente*. — Cloacis, *fossis, lacubus vel latrinis ; lacus, excipiens sordes in medio civitatis, cloaca dicitur*, Iso.
726. Secundis, *prosperis*, I.

COMMENTARIUS.

712. Vat. L et Fuld., *complacet*, male ; nec melius Vat. D, *Cum placet aerius est, et de phantasmate visus*.

713. Vienn., Fuld., *haut innata ;* alii, *aut innata*. Apud Heinsium Thuan. a manu secunda, *animam*, nullo sensu ; Rott., *haut innata*. Mar., Rat. a prima manu, *nomen*, minus bene. Discordia argute ait, sibi Deum esse *numen*, hoc est, verum Deum, quoties vult ludere, non cum serio agit. Alii distinguunt *ludere numen*.

714. Ita Mar., Barthius, Put., et Thuan. cum tribus Weitzii, Egm., Erfurt. et Widm., quos ipse sequitur. Aldus, Ang., Vatt. C, G, L, *Præceptor Belial mihi est, domus est plaga mundi*. In priore Rott., *Præceptor Belial mihi sit, domus, et plaga mundus*. In altero, *Præceptor Belial mihi adest, domus, et plaga mundi*. Vat. D cum priore Rott. facit. Vatt. F, O, *Præceptor Belial mihi, domus, et plaga mundus*. In quibusdam vulg., *Præceptor Belial mihi fit, domus est plaga mundi ;* in aliis, *Est mihi præceptor Belial, domus est plaga mundi*. Chamillardus edidit, repugnante metro, *Præceptor Belial mihi, domus et plaga mundus*. Idem a Gallandio exscriptum, cui tamen magis placebat telestichium Aldi in hoc versu, *Præceptor Belial mihi est : domus est plaga mundi*. At vitium carminis in principio versus, quem excudit, deprehenditur. In Rat. corrector improbus, *Est mihi præceptor Belial*, abrasis prioribus : tum prisca manu, *domus et plaga mundus*. Giselinus 2 edit. primum excudit, *Est mihi præceptor Belial, domus est plaga mundi ;* postea in emendatis ex unico ms. optimum putavit, *Præceptor mihi Belial, domus et plaga mundi*.

715. Fabr., *blasphemica monstri*. Certe *blasphemia* in plurali numero est : formandum ergo erit nomen *blasphemium*. Commodianus dixit etiam *blasphemium, ignominium, infamium*.

716. Fidei laudes egregias habes toto cap. XI Pauli ad Hebræos. Intellige nihilominus, majorem esse charitatem.

719. Weitzius cum solo Fuld., *furialis bestia*. Habebat hoc omnino Weitzius, ut sæpe lectionem deteriorem eligeret, ex unico codice desumptam.

721. Aldus, *corvisque edacibus*. Alii melius, *corvis quod edacibus*. Barthius, *ultor* pro *ultro ;* non placet.

723. Mar. et Widm., *quod trudat*, in Mar. supra charact. minut., *tradat*. In Put. et cæteris Heinsianis, *trudat*, excepto Thuan., ubi *tradat*, quod in plerisque mss. et editis retinetur, nisi quod Teolius quatuor Vatt. pro *trudat* allegat.

724. Vienn., contra metrum, *discissum feris ;* in Rat. idem, sed additum recenti manu, *que ;* Weitzius temere amplexus est *discissum feris*, nostra lectione prætermissa, aut hac alia non mala *discissumque feris* cum Mar., Rott., Ang. In Vat. C error metri, *discissumque fœdis*.

725. Aldus ediderat *ruptis hæresis perit horrida* B *membris*, recte, nisi quod *hæresis* cum diphthongo scripsit. Correxit male secundis curis *ruptis perit hæresi horrida membris :* quæ correctio Gallandium aliosque fugit, qui contendunt Aldum legisse *heresis perit*. In Rat. eadem correctio recenti manu Giselinus poetam defendit contra Nebrissam, qui eum accusaverat, quod eamdem syllabam nunc longam, nunc faciat brevem : quippe Nebrissa cum Aldo legerat *perit hæresis*. Præposterum verborum ordinem esse cum Giselino consentio ex mss., non ea ratione quam adducit, casum nominandi suo verbo debuisse præponi. Post hunc versum Mar. et Rat. pro titulo, *De fide et concordia*.

726. Inter tot varias lectiones quæ hic occurrunt difficile est quænam verior sit definire. Lectionem quam damus tenent Heins., Gis., Chamillardus, aliique vulgati, et magna ex parte consentiunt libri veteres. Aldus, *Compositis igitur rerum, morumque secundis In commune bonis tranquillæ plebis ad unum* C *Contigit hac statione frui, valloque foveri Pacificos sensus, et in otia solvere curas. Exstruitur*. Vienn. cum Aldo, sed *postquam intra tuta morari* pro *tranquillæ plebis ad unum*. Mar., Ang., *Compositis... in commune bonis tranquillæ plebis ad unum Sensibus in tuta valli statione locatis, Contigit hac statione frui, valloque foveri, Exstruitur*. Ratisbonensis, *Composito tandem postquam requiesse tumultu*, quod est ab inepto correctore, prioribus erasis, ita tamen, ut appareat fuisse prius *compositis ;* aliorum nullum vestigium. *In commune bonis postquam intra tuta morari* (corrector hunc versum induxit, non erasit) *Contigit ac statione frui, valloque teneri* (totus versus est a vetere librario, excepta voce *teneri*, quæ est recenti manu), *Pacificas virtutum acies, quas pestis iniqua Turbarat meditata dolos, et solvere curas In commune datum tranquillæ plebis ad unum*, omnia ab inepto correctore, prioribus erasis, præter partem primæ dictionis *pacific*. Nihil aliud notat Mariettus ex hoc codice Rat., in quo, ut puto, sequitur *exstruitur*, etc. Put., D Rott., *In commune bonis tranquillæ plebis ad unum Sensibus in tuta valli statione locatis, Exstruitur*. Egmondanus cum Giselino, sed a manu interpolatrice, tum in margine, *Alius liber habet, In commune bonis*, etc. (ut in Put.). Thuan. et Oxon. cum Giselino, sed post *solvere curas* addunt *Sensibus in tuta valli statione locatis*. Weitzius Giselino adhæret, sed ait, *valloque fovere* pro *valloque foveri*. Heinsio placet Græcismus *valloque foveri pacificos sensus*. Widm., *Compositis... In commune bonis tranquillæ plebis ad unum In commune bonis, postquam intra tuta morari Contigit, ac statione frui, valloque fovere Pacificos sensus, et in otia solvere curas Sensibus in tuta valli statione locatis, Exstruitur*. Versus *Sensibus in tuta* in Fuldensi ad oram notatus est. In Erfurth., *In commune bonis postquam intra tuta morari Contigit, ac statione frui*,

648 In commune bonis, postquam intra tuta morari A
Contigit, ac statione frui, valloque foveri
Pacificos sensus, et in otia solvere curas :
Exstruitur media castrorum sede tribunal
649 Editiore loco : tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam, subjecta unde omnia late
Liber inoffenso circumspicit aere visus.
Hunc sincera Fides, simul et Concordia, sacro
Fœdere juratæ Christi sub amore sorores,
Conscendunt apicem : mox et sublime tribunal
Par sanctum, carumque sibi supereminet æquo
Jure potestatis : consistunt aggere summo
Conspicuæ, populosque jubent astare frequentes. B
Concurrunt alacres castris ex omnibus omnes,
Nulla latet pars mentis iners, quæ corporis ullo
Intercepta sinu per conceptacula sese
Degeneri languore tegat : tentoria apertis
Cuncta patent velis : reserantur carbasa, ne quis
Marceat obscuro stertens habitator operto.
Auribus intentis exspectat concio, quidnam
Victores post bella vocet Concordia princeps,
650 Quam velit atque Fides virtutibus addere legem.
Erumpit prima in vocem Concordia tali
Alloquio : Cumulata quidem jam gloria vobis,
O Patris, o Domini fidissima pignora Christi,
Contigit, exstincta est multo certamine sæva
Barbaries, sanctæ quæ circumsepserat urbis
Indigenas, ferroque viros, flammaque premebat.
Publica sed requies privatis rure, foroque

GLOSSÆ VETERES.

727. Ad unum, *ad unitatem*, I.
731. Editiore, *excelsiore, vel altiore*, I.
732. Excitat, *extollit*, I.
744. Carbasa, *pallia*, I.
745. Stertens, *dormiens*, Iso.
746. Auribus, *caritas virtutum turmas alloquitur.*—Concio, *congregatio.*—Quidnam, *cur*, Iso.
753. Barbaries, *gentilitas*, I.
754. Premebat, *ira et libido*, I.
755. Privatis, *specialibus.*—Rure, foroque, *in villis et civitatibus*, I.

COMMENTARIUS.

valloque fovere Pacificos sensus, et in otia solvere curas, Compositis igitur rerum, morumque secundis, Exstruitur. Codex Picarti, *In commune bonis tranquilla et pace solutis Sensibus ut tuta valli statione locari Contigit, ac statione frui, valloque foveri, Exstruitur.* Vat. C. *In commune bonis tranquillæ plebis ad unum Sensibus in tuta valli statione locatis In commune bonis* C *postquam intra tuta morari.* Reliqua, ut in Giselino. Vatic. D, *In commune bonis tranquillæ plebis ad unum* (quod est a secunda manu; sequitur a prima) : *Contigit, ac statione frui, valloque foveri Pacificos sensus, et in omnia solvere curas Sensibus locatis valli in tuta statione*, (qui ordo verborum præposterus est, et contra metrum) *Exstruitur.* Vat. F, *Compositis..... In commune bonis tranquillæ plebis ad unum Sensibus in tuta valli statione locatis Contigit, ac statione frui, valloque foveri Pacificos sensus, et in otia solvere curas, Exstruitur.* Vat. G cum Aldo, sed inserit versum *Sensibus in tuta valli statione locatis* inter versus *Pacificos*, et *Exstruitur.* Vat. L ut Vat. F, sed *hac statione*, et *curam* pro *curas*, et mendose *sensus in otia.* Vat. BB ut Vat. F, sed *curam* pro *curas.* Vat. O cum Giselino, addito versu *Sensibus*, etc., ante *Exstruitur.* Bonon., *tranquillæ plebis ad unum Sensibus in tota vallis statione locatis, Exstruitur*, etc. Quis tantam in codicibus varietatem crederet? Heinsius duplicem editionem operum a Prudentio factam ex hoc loco suspicatur. D

727. Glossa aliam lectionem respicit.

730. Fuld., *construito media*, perperam. Mos Romanorum exprimitur exstruendi in castris tribunal imperatoris cespititium : de quo Lipsius de Milit. Rom., Tacitus Annal. I : *Simul congerunt cespites, exstruunt tribunal.* Confer Vopiscum in Probo. Alii aggerem vocant, et poeta noster infra vers. 738. Pal. pro *castrorum* habet *camporum*, non ita bene.

731. Vienn., *quod*, id est, tribunal; alii, *quem locum.*

732. Mar., Angel., *in speculum*, non probo. Uterque, *inde omnia*, non male.

733. Heinsius probat *circuminspicit* ex Put. Sequor reliquos, qui bene referunt *circumspicit* cum Alex., Vat. C, Prag., Rat., Vienn. Teolius ait mss. habere *circuminspicit*, sed non explicat quinam sint, et an omnes ita habeant.

734. In Put. et Egm., *huc*; in Oxon., *hinc* : neutrum arridebat Heihsio. Barthius etiam legebat in suo ms. *huc*, sed sincerius putabat *hunc*, quod tenent nostri cum Aldo et aliis. Erfurt., *tunc.*

737. Cham., mendose, *per sanctum.*

738. Dictum ad vers. 730 de aggere, et tribunali cespititio. Hujusmodi tribunalium imagines exhibet Montfauconius tom. IV Antiq., pag. 103, qui aliquando pro opportunitate fuisse lapidea existimat.

739. In Vat. O deest *que* in *populosque.* In Fuldensi, *conspicuæque jubent populos*, quod Weitzio placuit.

740. Rat., *alacres e castris omnibus.*

743. Weitzius, unum Fuldensem secutus, *degenerem.*

746. Heinsius cum Put. et Thuan. prætulit *exspectant*, qualia multa se restituisse ait apud priscos auctores ope membranarum. Sed cum utrumque recte dicatur, et nostri omnes Mar., Rat., Vienn., Alex., Ang., Vatt. C, F, G cum aliis mss. et editis ante Heinsium habeant *exspectat*, nihil mutandum est.

748. Vienn., *victoribus addere.*

749. Vienn., *erupit.* Ald., Fabr., *primam in vocem.* Ang., *prima se voce*, contra carminis rationem, et insolita phrasi.

750. In priore Boher., *sat gloria*; alii, *jam gloria.*

752. Heinsius Weitzium arguit, quod pro *contigit* intempestive huc revocaverit *hoc habet*, de quo ad vers. 53. At Weitzius præter Widm. a prima manu, quem allegat, e nostris habet sibi consentientes Mar., Vienn., Rat. Gifanius Ind. Lucr. pag. 436, *de incisione, sive inciso* ex vet. lib. legit, *Contigit exstincta multo certamine sæva.* Cum Gifanio facit Vat. C. Non placet.

753. In editione Aldi, qua utor, nota est Marietti, ut opinor, quod urbs sancta videtur hic intelligi Roma, ex qua fugatam poeta dicit universam barbariem, seu gentilitatem. Confer initium lib. II adversus Symmach., *Credebam vitiis*, etc., et proleg. num. 69 et seqq.

755. Fuld., *publica jam requies.* Præclara sententia, quippe evangelica, ex Matth. XII, 25 : *Omne regnum divisum contra se desolabitur : et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit.*

Constat amicitiis : scissura domestica turbat A
Rem populi, titubatque foris, quod dissidet intus.
Ergo cavete, viri, ne sit sententia discors
Sensibus in nostris, ne secta exotica tectis
Nascatur conflata odiis : quia fissa voluntas
Confundit variis arcana biformia fibris.
651 Quod sapimus, conjungat amor : quod [vivimus, uno
Conspiret studio : nil dissociabile firmum est.
Utque homini, atque Deo medius intervenit [Iesus.
Qui sociat mortale Patri, ne carnea distent
Spiritui æterno, sitque ut Deus unus utrumque :
Sic, quidquid gerimus mentisque, et corporis [actu,
Spiritus unimodis texat compagibus unus.
Pax plenum virtutis opus, pax summa labo- [rum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumque peri- [cli.
Sidera pace vigent, consistunt terrea pace :

Nil placitum sine pace Deo, non munus, ad aram
Cum cupias offerre, probat, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro :
Nec si flammicomis Christi pro nomine martyr
Ignibus insilias, servans inamabile votum
Bile sub obliqua, pretiosam proderit Iesu
652 Impendisse animam : meriti quia clau- [sula pax est.
Non inflata tumet, non invidet æmula fratri,
Omnia perpetitur patiens, atque omnia credit.
Nunquam læsa dolet, cuncta offensacula donat.
Occasum lucis venia præcurrere gestit
Anxia, ne stabilem linquat sol conscius iram.
Quisque litare Deo mactatis vult holocaustis,
Offerat imprimis pacem : nulla hostia Christo
B Dulcior : hoc solo sancta ad donaria vultum
Munere convertens, liquido oblectatur odore.
Sed tamen et niveis tradit Deus ipse columbis
Pennatum tenera plumarum veste colubrum
Rimante ingenio docte internoscere, mixtum
Innocuis avibus : latet et lupus ore cruento

GLOSSÆ VETERES.

756. Domestica, *civilis*, I.
757. Rem, *statum*, I.
759. Exotica, *mortifera*.—Tectis, *coopertis*, I.
760. Fissa, *divisa vel separata*, I.
761. Arcana, *secreta*.—Biformia, *divisa*.—Fibris, *nervis*, *cogitationibus*, I.
763. Conspiret, *confirmet*, I.
773. Probat, *placet*, I.
776. Servans, *habens contra fratrem*.—Votum, *voluntatem*, Iso.
777. Bile sub obliqua, *felle sub obscuro*, I.
778. Impendisse, *dare*, I.
781. Donat, *dimittit*, I.
782. Præcurrere gestit, *prævenire festinat*, I.
788. Tradit, *docuit*.—Columbis, *Christianis*, I.
789. Colubrum, *diabolum*, I.
790. Innocuis, *virtutibus*, *vel columbis*, I.

COMMENTARIUS.

759. Ald., Gis., *in vestris*. Heinsiani et nostri cum C Weitzianis, *in nostris*. In Mar., *nec secta;* alii, *ne secta*. Vox *exotica* Plautina est, ab aliis revocata.

760. Alex., Mar., Vatt. F, G, Giselinus ad marg., Heinsiani, *fissa*, excepto Thuan., in quo a manu prima, *fusa*, et Rott. priore, ubi *fixa*. Barthius quoque et Weitzius, *fissa*. Vat. C. *scisa*. Erfurt., Angel., Ald., Gis. a prima manu, *scissa*. *Fissum* appellabatur jecur cæsæ victimæ, quo fortasse respicit vox *fibris*.

761. Widm. ad oram, *infundit variis*, minus bene.

762. Weitz. cum solo Erfurt., *conjunctet*. Cur non potius cum aliis *conjungat?*

764. Ald., *medium intervenit*. Legendum *medius intervenit*. Corrector ridiculus codicis Rat. fecit *genus intervenit :* siquidem arbitrabatur carmen non alio modo constare. Fuld., *atque homini*, *atque Deo medius :* non displicet. Ex hujuscemodi loquendi formula, atque sententia natum est vocabulum *mediator* de Christo. Vide Cath. hymn. 11, vers. 16.

765. *Carneus* nomine usus etiam est in Apoth.

771. Boetius imitatus videtur Prudentium lib. iv, metro 6 : *Si vis celsi jura tonantis Pura solers cernere mente, Aspice summi culmina cœli. Illic justo fœdere rerum Veterem servant sidera pacem.... Hæc concordia temperat æquis Elementa modis*, etc.

773. Testis hujus rei Matthæus, cap. v, vers. 23. Plerique, *probat*. Heinsius cum Thuan. rectius putat, et tenet *probet*.

775. Ald., *flammivomis*. Melius *flammicomis* cum scriptis. Sic Marius Victor lib. ii in Genesim : *Crinita incendia late Extendens*. Et Juvencus lib. iv : *Ignicomæque ruent stellæ*, et paulo post : *Ornatu accinctæ tædarum flammicomantum*. In editione Parmensi mendum est *flammicolis*, quod in nota repetitur.

777. Bilis *obliqua* est perfida, dolosa, ut carmen obliquum. Consule lexica. Sententiam vide apud Paulum. I ad Corinth. xiii. 3. In Ald.. Fabr. et Rat manu correctoris improbi, *prosit Iesu*. In not. ad vers. 764 observavi correctoris Ratisbonensis audaciam, qui *genus* pro *medius* invexit, ut *Iesus* esset trisyllabum.

779. Pergit poeta sententiam Apostoli ex eodem capite complecti.

781. Egm. et Pal., *contra offensacula*. Barthius, qui ita in suis membranis reperit, *Non puto*, inquit, CONTRA *a librariis excogitatum*.

782. Rursus Apostoli expositionem vides ex cap. iv Ephes. vers. 26.

783. Fuld., *concitus;* rectius, *conscius*.

784. Giselinus hoc loco monet, particulam *quisqui'*, ut ipse scribit, *facilioris intelligentiæ causa* ita a se fuisse positam, quamvis putet, Prudentium scriptum reliquisse *quisque*. Sane præstitisset non mutare, quod Prudentium scripsisse fatetur Giselinus : et mihi quidem difficilius intellectu videtur *quisqui'*, quam *quisque*. Adisis not. ad hymn. vii Cathem., D vers. 216.

786. Giselinus edit. 1 ad oram, *facta ad donaria ;* et advertit in Commentariis edit. 2, *donaria* esse vel munera Deo consecrata. vel loca his muneribus destinata : loca dici posse sancta, dona vero non item, quod commendari debeant ab integritate et innocentia offerentis, adeoque hoc sensu *facta ad donaria* legi posse. Nihil moveor ea distinctione : etiam dona sancta dici valent non per se, sed quia Deo dicata.

787. Pal., *puro* pro *liquido*.

789. Gifanius Ind. Lucr., verbo VESTIS, observat Lucretium dixisse *vestis araneæ*, *vestis anguis*, ut Virgilius mira venustate *exuviæ anguis*, et non minore elegantia Prudentius hoc loco *vestis plumarum ;* quam tribuit draconi, sive serpenti aligero, hoc est dæmoni.

790. Hoc etiam ex Matth. vii, 15 : *Attendite a fal-*

653 Lacteolam mentitus ovem sub vellere molli, A
Cruda per agninos exercens funera rictus.
Hac sese occultant Photinus, et Arrius arte,
Immanes feritate lupi: discrimina produnt
Nostra, recensque cruor, quamvis de corpore summo,
Quid possit furtiva manus. Gemitum dedit omnis
Virtutum populus, casu concussus acerbo.
Tum generosa Fides hæc subdidit: Imo secundis
In rebus cesset gemitus: Concordia læsa est,
Sed defensa Fides: quin et Concordia sospes,
Germanam comitata Fidem, sua vulnera ridet.
654 Hæc mea sola salus: nihil hac mihi triste recepta.
Unum opus egregio restat post bella labori,
O proceres: regni quod tandem pacifer hæres
Belligeri, armatæ successor inermus et aulæ
Instituit Salomon: quoniam genitoris anheli
Fumarat calido regum de sanguine dextra.
Sanguine nam terso, templum fundatur, et ara
Ponitur, auratis Christi domus ardua tectis.
Tunc Jerusalem templo illustrata, quietum

GLOSSÆ VETERES.

795. Produnt, *ostendunt*, I.
796. Recensque, *factus a discordia*, I.
797. Furtiva, *occulta; hoc ideo dixit, quia discordia latenter eam vulnerabat*, I.
798. Casu, *concordiæ*, I.
799. Secundis, *prosperis*, I.
800. Cesset, *nunc*, I.
B 802. Sua, *propria*, I.
804. Opus, *domus*. — Restat, *nobis faciendum*, I.
805. Proceres, *virtutes*. — Tandem, *olim*, I.
806. Belligeri, *David*, I.
807. Instituit, *carnaliter*. — Genitoris, *David*, I.
808. Regum, *gentilium*, I.

COMMENTARIUS.

sis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Vide etiam cap. x, 16: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, etc. Quod autem Pal. legit *ovibus* pro *avibus*, falso id legit: nam illud pertinet ad sententiam priorem de avibus innocuis, et dracone.

793. Vienn., *anguineos*; Ang. a prima manu, *anguinos*. Legendum *agninos* ab *agno*; qua voce utuntur Horatius, Plautus et alii. Barthius observat, *funera* esse cædes, latrocinia et pestilentiam apud L. Septimium de Bello Trojano. Lactantius, sive alius de Passione dominica: *Sum factus homo, atque horrentia passus Funera*.

794. In Rat., *sese ostentant*: quæ lectio Marietto non displicebat, quia supra etiam vers. 688 de discordia *ostentans*, etc., cum tamen se occultaret. Argutiæ ista quam verius dicuntur, nisi fallor. Discordia ostentabat capillos olea frondente redimitos, quamvis falsam virtutis speciem induerit. Arius et Photinus *hac arte* feritatem suam occultabant.

798. Virgilius lib. v, vers. 700: *Casu concussus acerbo*, et vers. 869: *Casuque animum concussus amici*. Ut autem ego puto, poeta Hieronymi verba legerat dialog. adv. Lucif. num. 19: *Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est*. Ponitur a Prudentio scite *populus* pro quacunque multitudine. Exempla vide in Lexicis.

799. Vienn. *cum generosa*; Aldus, *tunc* cum aliis. In nonnullis, *tum*.

801. Ex Heinsianis solus Thuan., *sed defensa fide*; cæteri, *fides*. Non intelligo cur recentiores, Chamillardus aliique vulg. amplexi fuerint *fide*: nam concinnior est sententia *Concordia læsa est, sed defensa fides; quin et concordia sospes germanam comitata fidem sua vulnera ridet*. Et *fides* quidem legitur in Mar., Alex., Weitzio cum suis, Sich., Rat., quamvis non ita clare, aliisque. In Vatt. C, G, *fide*, quod exstat in Vat. F a manu secunda. Giselinus, Aldum et Nebrissensem secutus, legit *fide*, etsi alii haberent *sed defensa fides*, quia, inquit, fides jam victrix defensione hic non indigebat, quam rationem arripuit etiam Teolius, putans probatiores Vatt. habere *fide*. Sed nihil inde conficiunt: nam asseritur, defensam ab omni vulnere esse fidem, læsa concordia; ideoque sequitur *quin et concordia*, etc.

803. Æmulatus est Maronem lib. ix, vers. 262: *Nihil illo triste recepto*.

804. Præstantiores Heins., Rat. a prima manu, Fabr., Vat. G, Picc., Alex., *egregio*, cum Gis. et aliis, Rat. supra, Mar., Vienn., Ald., Weitz., Vatt. C, F, et alii *egregium*. Utrumlibet teneas, licet, sive *opus egregium*, sive *egregio labori*.

805. Vienn., *tantum*: melius, *tandem*.

806. Vienn., *belliger*, mendose. Sermo est de Salomone *pacifero* hærede regni sub Davide *belligeri*. In duobus veterrimis Heins., in Egm. et Pal., quos Weitzius est secutus, *inermus*. Idem in Vatt. F, L, et Alex., ubi exaratur *inhermus*: et in codice Barthii, qui *inermus* scitius esse dicit quam *inermis*. Equidem *inermus* libenter ego, ut apud Virgilium *vulgus et pectus inermum*, non tamen improbaverim *inermis* in Ald., Mar., Rat., Vienn., plurimis Heinsianis, Gis., Vatt. C, BB.

807. In nonnullis vulg. ad marg., *instruxit Salomon*.

809. Erf., *jam terso*. Vat. C, trajecit verba; metrumque evertit, *fundatur templum, et ara*.

C 811. Alii scribunt *Jerusales*, alii *Jerusalem*, alii *Hierusalem*, sive *Hierusales*. Cauchius ex suo codice annotarat *Jerusale*, quod probare videbatur; Aldus, *tunc hic Jerusalem*. Giselinus, *tunc et Jerusalem*. Optimi et plerique sine *et*, et sine *hic*. Aldus, *lustrata* pro *illustrata*. Alex., Vat. O, Mar., Rat., Heinsiani, *quietum*, cum Weitzio et Giselino. Alii, *quieto*. Giselinus 1 edit. et ad oram 2 ed., *Hierusalem templo tunc illustrata quieto*. De quantitate syllabarum in *Jerusalem* non disputo. Barthius singularem lectionem ex suis membranis profert, *Tunc templo Hierusalem illustratura quieto Suscepit jam diva Deum*. Fridericus Besselius, Miscellan. syntagm.. pag. 31, legit *quietum*, et recte explicat de arca, quæ a Salomone primitus illata templo est, ut sedem ibi fixam haberet, lib. I Reg., cap. 4, vers. 7: *Timuerunt Philisthiim dicentes: Venit Deus in castra*. Arcam, a Jeremia sepultam, nondum inventam esse, neque in secundo templo fuisse, neque a Tito in triumpho portatam, plerique interpretes affirmant. Eam intra arcum Titi esse expressam D non solum aliqui interpretes Prudentii docuerunt ad vers. 538 Apoth., sed multi etiam scriptores antiquitatum Romanarum, ut alios omittam. Sed diligentissimus Villalpandus, re accuratius inspecta, deprehendit, arcam in arcu Titi non exhiberi: eos, qui aliter scripserunt, deceptos fuisse aut falsis aliorum narrationibus, aut quia ipsi arcum videntes mensam, quæ ibi cernitur, putarunt esse arcam. Nonnulli non in parte, in qua est mensa, sed in parte adversa arcam collocant. Nihilominus Villalpando as-

655 Suscepit jam diva Deum, circumvaga postquam A
Sedit marmoreis fundata altaribus arca.
Surgat et in nostris templum venerabile castris:
Omnipotens cujus sanctorum sancta revisat.
Nam quid terrigenas ferro pepulisse phalangas
Culparum prodest, hominis si filius arce
Ætheris illapsus, purgati corporis urbem
Intret inornatam, templi splendentis egenus?
Hactenus alternis sudatum est cominus armis:
Munia nunc agitet tacitæ toga candida pacis,
Atque sacris sedem properet discincta juventus.
656 Hæc ubi dicta dedit, gradibus regina superbis
Desiluit, tantique operis Concordia consors,
Metatura novum jacto fundamine templum.
Aurea planitiem spatiis percurrit arundo
Dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes,
Ne commissuris distantibus angulus impar
Argutam mutilet per dissona semetra normam.
Auroræ de parte tribus plaga lucida portis
Illustrata patet: triplex aperitur ad austrum
Portarum numerus: tres occidualibus offert
657 Janua trina fores, toties aquilonis ad axem
Panditur alta domus: nullum illic structile saxum;
Sed cava per solidum, multoque forata dolatu

GLOSSÆ VETERES.

812. Diva, *divina*, I.
813. Arca, *quæ signat carnem Christi*, I.
815. Cujus, *templi*. — Sancta, *sanctas animas*, I.
816. Phalangas, *vitia, multitudines*, I.
817. Filius, *Christus*, I.
818. Purgati, *in baptismo*, I.
819. Egenus, *carens*, I.
820. Sudatum, *dimicatum est*. — Cominus, *juxta*, I.
821. Munia, *cantica, officia domus*. — Agitet, *faciat*. — Tacitæ, *tranquillæ*, I.
822. Sacris, *Christi*. — Properet, *acceleret*. — Discincta, *a bello*, I.
823. Regina, *fides*. — Superbis, *gloriosis, vel pulchris*, I.
824. Desiluit, *a solio*, I.

B 825. Fundamine, *aliud fundamentum nemo ponere potest*, etc., I.
826. Planitiem, *campum templi*, I.
827. Frontes, *quatuor anguli*, I.
828. Commissuris, *conjunctionibus*. — Distantibus, *imparibus mensuris*, I.
829. Argutam, *subtilem, angustam*. — Mutilet, *corrumpat*. — Semetra, *semis mensura; pendens lapillus*, I. — Dissona, *dissonantia*. — Semetra, *mensuras*, Vat. T.
830. Auroræ, *oriens significat pueros, auster juvenes, occidens maturitatem, aquilo decrepitam*, I.
831. Austrum, *meridiem*, I.
835. Solidum, *soliditatem*. — Multo, *in alto*. — Dolatu, *foramine*, I.

COMMENTARIUS.

sentior: nam in recentioribus imaginibus arcus Titi arca nusquam describitur. Vide Riberam in Haggæum, C cap. 1, num. 15 et seqq., qui ipse videns arcum, aliquando deceptus est.

815. Post hunc versum in Erf. collocatur vers. 820: *Hactenus alternis*, etc., postea *Nam quid terrigenas*.

816. Rat. a prima manu, Egm., *nunquid*. Giselinus ediderat *nunquid*, sed in Emendatis reposuit *nam quid*, quod non videtur advertisse Heinsius. Plerique veteres habent *phalangas*. Nihilominus lego *phalanges* in Alex., Vatt. C, F et aliis. Fuld., *phalanga*.

818. Mendose Vienn., *illapsum*.

819. Rat., *intrat*; alii, *intret*. Lactantius in Epit. divinar. institut., cap. 8: *Evacuetur omni labe pectus, ut templum Dei esse possit, quod non auri, nec eboris nitor, sed fidei et castitatis fulgor illustrat*. Confer hymnum S. Romani, vers. 341. Hæretici locis hujusmodi abutuntur, ut ornatum templorum refellant: ineptissime, non enim quia melior est ornatus cordis quam templi, continuo colligas rejiciendum ornatum templi, quem Prudentius noster sæpius laudat. D

820. In vulg. nonnullis, *hactenus alterius*.

821. Gifanius Ind. Lucr., pag. 362, in verbo Mœnera, asserit, studiosissimum fuisse antiquitatis Prudentium: et ex quodam vet. lib. legit *mœnia nunc agitet* pro *munia*, ut in Lucretio *mœnera* pro *munera*. Alii melius *munia*. In Vat. F, *Menia nunc agitet*. Egm., *munia nunc agit en*, quod Barthius, in suo ms. repertum, putabat optimum.

822. Ald., Alex., Mar., Rat., Vienn., Vat. F, Ang., Widm., Weitz., duo veterrimi ex Heinsianis, *atque sacris sedem*. Sich., *adque sacri sedem*. Pal., *adque sacris sedem*. Oxon., *atque sacri sedem*. Gis., *atque sacris ædem*; qui Giselinus asserit, antea legi *adque sacri sedem*. *Ridicule* (inquit). *Sedes enim nondum erat delecta: ecquo igitur properaretur?* Pro *discincta* multi veteres apud Heinsium non bene *distincta*. Barthius legit *properat discincta juventus*; *Prudentius*, ait, *felicitatem suorum temporum alludit, et indicat..... ipse nullo non nomine, tempore, loco, studio commendabilis*. Intellige felicitatem, de qua mentio recurrit in contra Symmach., vers. 545 et seqq. Post hunc versum titulus in Mar. et Rat., *Ædificium fidei et concordiæ:* de quo vide proleg. num. 65. Weitzius eamdem inscriptionem apposuit.

824. Heinsiani, Aldus, Gifanius Ind. Lucret., verbo Dissiluit, Mar., Weitz., *desiluit* vel *dissiluit*. Giselinus, Rat., Cellar., Teol., *desiliit*. Mar., *concors* pro *consors*, quod postremum verius est.

825. Vienn., male, *meditatura novum*. Rat. non melius, *metitura*. Thuan., *læto* pro *jacto*. Mihi hæc lectio non arridet; et *lato fundamine* suspicatur Heinsius. Quanto melius *jacto*, quod est in reliquis omnibus? Vide Apocalyps. cap. XII.

827. Vat. D, ridicula trajectione, *frontes undique*.

829. Vienn. et Rat., *mutilet argutam*. Magis congruit metro *argutam mutilet*. Giselinus et Aldus, *symmetra*, quod sequi maluit Gallandius et Fabricius explicat *distantiam eamdem habentia*. Heinsiani fideliores *semetra*: et, ut observat Heinsius, *semetra* videtur poeta symmetris contraria facere. Vocabulum est dimidia ex parte Latinum, ut *primoplastus*. In Fuld., *semeta*; in Rat., *semitra*; in Ang., *argutam normam mutilet per dissona*, ubi aliquid desideratur. Mar., Alex., Vatt. C a secunda manu, D, F, L, O, BB, *Argutam mutilet per dissona semetra normam*. Nebrissa docet normam Hispanis esse *el cartabon*, non *carbaton*, ut alicubi mendose editum est.

832. In Rat. imperitissimus corrector pro *occidualibus* posuit *qua sol occidit*.

833. Fabr., *totidemque aquilonis*.

834. In Egm., *strictile saxum*, crediderim mendum. Thuan., *nullum hic* cum hiatu.

835. Chamillardus nomen *dolatus*, *dolatus*, apud veteres inauditum asserit. Sed audivitne ipse omnes veteres? legitne omnia quæ scripserunt? Apuleius dixit *dolamen* eadem significatione. In Erfurt., *dolata*

Gemma relucenti limen complectitur arcu,
Vestibulumque lapis penetrabile concipit unus.
Portarum summis inscripta in postibus auro
Nomina apostolici fulgent bis sena senatus.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
Ambit, et electos vocat in præcordia sensus,
Quaque hominis natura viget, quam corpore toto
658 Quadrua vis animat, trinis ingressibus aram
Cordis adit, castisque colit sacraria votis :
Seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos
Incendat nimius, seu consummabilis ævi
Perficiat lux plena viros, sive algida borræ
Ætas decrepitam vocet ad pia sacra senectam :
Occurrit trinum quadrina ad compita nomen,
Quod bene discipulis disponit rex duodenis.
Quin etiam totidem gemmarum insignia textis
Parietibus distincta micant, animasque colorum
Viventes liquido lux evomit alta profundo.
659 Ingens chrysolithus, nativo interlitus auro,
Hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum,
Distantesque nitor medius variabat honores,
Hic chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi

GLOSSÆ VETERES.

836. Limen, *introitum.* — Arcu, *fornice*, I.
839. Senatus, *nominibus apostolorum; per quorum prædicationem Spiritus sanctus amplectitur arcana cordis*, Iso.
840. Titulis, *nominibus apostolorum.* — Recondita, *occulta hominum*, I.
841. Ambit, *circumdat*, *intrat.* — Præcordia, *in anima*, I.
842. Natura, *hominis*, I.
843. Quadrua, *quatuor elementa, quæ animant hominem, ignis, aer, terra, aqua : quatuor partes mundi.* — Vis animæ, *status vitæ.* — Trinis, *sancta Trinitas, vel triplicis naturæ est, id est, rationabilis, concupiscibilis, irascibilis.* — Aram, *sedem.* Iso.
845. Agat, *nutriat : qui in pueritia sunt.* — Ephebos, *juvenes, qui in juventute sunt*, I.
846. Ævi, *qui in senectute sunt*, I.
849. Occurrit, *his singulis.* — Numen, *trinus Deus, per quatuor latera domus*, I.
850. Disponit, *ordinavit.* — Duodenis, *quos in quadratum orbem misit*, I.
851. Insignia, *ornamenta*, I.
852. Animasque, *splendores, qui figurant animas.* — Colorum, *diversorum*, I.
853. Evomit, *emisit*, Iso.
855. Hinc, *ex uno latere*, I.
856. Honores, *sapphiri et berylli*, I.
857. Hebes, *in splendorem*, I.

COMMENTARIUS.

foratu pro *forata dolatu.* In Vat. G a secunda manu, *forata dolatu*, prioribus abrasis.

836. Mar., *lumen;* supra charactere minori, *limen.* Apocalyps. XXI, 11, dicitur : *Et lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum :* Giselinus ait, videri poetam legisse : *Et limen ejus simile lapidi pretiosissimo, tanquam jaspidi, crystallizanti ;* cæteroquin de suo januæ descriptionem affinxisse. Præmiserat vero Giselinus, vix esse, qui hanc allegoriam rectius et venustius accommodarit. Pro *arcu* Put. *actu.* Non placet *relucenti actu ;* et *arcu* habent Mar., Rat., Vienn., Alex., Vatt. C, D, F, aliique præter editiones veteres. Sermo est de duodecim portis cœlestis Hierusalem Apocal. loc. cit., vers. 21 : *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, et singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Itaque singulæ portæ ex singulis margaritis ingentibus constabant, quæ margaritæ perforatæ aditum præbebant. Huc respexit Prudentius, non ad vers. 11, ut putavit Giselinus. Vide comment. Ludovici ab Alcazar.

838. In quibusdam vulg., *summus ;* legendum *summis.*

840. Hic locus ex Pauli verbis intelligitur ad Ephes. II, 18 et seqq. : *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Ergo jam non estis hospites, et advenæ; sed estis cives sanctorum, et domestici Dei : superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.*

841. Prior Bœh., *intrat, et electos.*

842. Erf., *qua hominis.* Weitzius, *qua corpore*, cum Mar. et Rat.

843. Mar., Rat., Sich., *vis animæ :* ita Weitzius, qui propterea legit *qua corpore toto.* Tunc *quadrua vis animæ* aram cordis adit. Nebrissa quadruam hanc vim interpretatur quatuor hominis ætates.

845. Egm., mendose, *seu pueros sub primus agat.*

847. Erf. a prima manu, *lux alta*, non absurde. Duo vetustiores Heinsiani, Alex. a prima manu, Ald., Mar., Weitz., *borræ :* idem fere est *borrhæ* in Gis., *borreæ* in Vat. L et Ang. Alii, *boree*, ut Erf., Fabr., Egm., tres Heinsiani, Vatt. C, F, et alii. In Widm., *borræ* et *boreæ;* in Vat. D, *boræ ;* in Vienn. et Rat., *boreæ ;* in Mar. *algidæ borræ;* supra bene correctum *algida.* Gronovius, Observat. eccles. cap. 5, plorare jubet nescio quem codicem, ex quo ostentatur *boreæ algida sive ;* Græci et βόῤῥης et βορέας dicunt. In Teolio mendum puto *seu* pro *sive algida borræ.* Idem Teolius videtur sensisse, in nullo ms. Vat. exstare *borreæ*, quod falsum est. Carmini magis consonat *borræ :* et ita legitur apud Paulinum in oda ad Nicetam : *Te patrem dicit plaga tota borræ.*

848. Vienn., *fovet* pro *vocet.*

849. Potiores ex Heinsianis cum Aldo, Vatt. F, L, G, a prima manu, *nomen.* Gis., Weitz., Mar., Rat., Vienn., Alex., Vat. C, *numen*, quod Iso amplectitur. Heinsio rectius videtur *nomen*, quod mihi etiam placet. In Vat. O, *Occurrit numen quadrina ad compita trinum.*

852. Nove et mire dictum *animæ colorum viventes* pro vivis coloribus.

853. Gifanius Ind. Lucr. ait Prudentium sine dubio Virgilii locum ex lib. II Georg. imitatum : *Si non ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit ædibus undam.* Sic *lux evomit.*

854. Weitzius scribit *chrisolitus*, quia ita reperit in Widm. Sed nonne fuisset melius *chrysolithus* cum cæteris?

855. Corrector audacissimus in Rat., abrasis prioribus, substituit *et beryllum*, ne prima in *beryllum* corriperetur. Eam corripuit Fortunatus, et Fridegodus in Vita S. Wilfridi num. 46, *Protinus admisso micuit syntagma beryllo.*

856. Fuld., Pal., *variarat* pro *variabat.* Heinsius edidit *variarat*, sed varias lectiones non adnotavit, ut solet, cum a vett. edd. recedit. Heinsium Chamillardus, et Teolius secuti sunt; Cellarius et Gallandius restituerunt *variabat.*

857. Ratisbonensis corrector de quo nuper, iterum inscitiam suam prodit *Chalcedon hebes hinc perfunditur.* Weitz., scripti Heinsiani, Pal., Alex., *hic chalcedon.* Ald., Gis., Mar., Rat., Vienn., Vat. F, Gall. et alii, *hinc chalcedon.* De his gemmis vide interpretes.

Lumine vicino : nam forte cyanea propter
Stagna lapis cohibens ostro fulgebat aquoso.
Sardonychen pingunt amethystina : pingit iaspis
Sardonium juxta appositum, pulcherque topazon.
Has inter species smaragdina gramine verno
Prata virent, volvitque vagos lux herbida fluctus.
Te quoque conspicuum structura interserit, ardens
660 Chrysoprase, et sidus saxis stellantibus addit.
Stridebat gravidis funalis machina vinclis,
Immensas rapiens alta ad fastigia gemmas.
At domus interior septem subnixa columnis
Crystalli algentis, vitrea de rupe recisis,
Construitur, quarum tegit edita calculus albens
In conum cæsus capita, et sinuamine subter
661 Subductus conchæ in speciem, quod mille talentis
Margaritum ingens, opibusque, et censibus hastæ

GLOSSÆ VETERES.

858. Propter, *juxta cyaneum stagnum, in quo iste lapis invenitur*, I.
859. Stagna, *aquas*. — Lapis, *hyacinthus*. — Cohibens, *coagulans*. — Ostro, *nam purpureum colorem habet*, I.
862. Species, *colores*. — Smaragdina, *smaragdus viret*, I.
863. Voluit, *facit*. — Fluctus, *splendores*, I.
864. Structura, *lapidum*, I.
866. Funalis, *in fune pendens*. — Machina, *domus*, I.
867. Fastigia, *ad cœlum : nam ædificatam domum ad cœlum trahebant*, I.
869. Recisis, *sectis*, I.
870. Quarum, *columnarum*. — Calculus, *corona*, I.
871. Capita, *summitates*, I.
873. Margaritum, *calculus*, I.

COMMENTARIUS.

861. Egm., Pal., Alex., Put., *Sardium*, quod vix hoc loco ferri posse pronuntiat Heinsius, qui præfert *Sardoum* cum Thuan., nam a Sardinia *sardous* lapis, et *Sardoa* herba dicuntur. Heinsium ex cod. Regio edidisse *Sardoum* affirmat Teolius; sed animadvertendum, regii codicis nomine apud Heinsium intelligi Puteanum, ubi est *Sardium*. In Ang., *Sordonium*. Ald., Gis., Weitz. cum Mar., Rat., Vienn. et aliis, *Sardonium*. In altero Rott., *Sardon ibi appositum*. Pro *appositum* Gis. et Fabr. *appositus*. Gifanius ex vet. lib. tuetur *topazion*, per episynalœpham; posse id stare non nego, sed male in aliis legi *topazon*, non assentior. Apud Venantium Fortunatum lib. I de partu Virg., *Quando vavimentis ulba topazus inest*. Fortasse Prudentius dixerit masculino genere *topazus*, vel *topazos*.

862. Hic quoque Weitzius singularem unius codicis Egm. lectionem voluit tenere, scilicet *smaragdina*.

863. Ang., *vomitque vagos*. Metrum rejicit *vomit*. *Herbidus* pro colore herbeo, seu viridi apud Ovidium, Columellam, Plinium, Plautum, Sidonium, Paulinum et alios.

865. Pal., Vat., C et nonnulli ex vetustioribus Heinsianis, *saxis stillantibus*, quos audiendos non esse, monet Heinsius. Alii *chrisoprase*, alii *crysoprase* scribunt. Venantius Fortunatus lib. III Vitæ S. Martini ait : *Quæ palla ex humeris mixto chryso praso beryllis*. In Glossario Cangii, aucto et illustrato opera Maurinorum, dubitatur an *mixto* auro, seu *chryso* cum *prasoberyllis*, an vero unica vox *chrysoprasoberyllis*. In codice ms. S. Germani Parisiensis ita legitur : *Quæ palla ex humeris mixto chrysophara beryllis* : quo pacto obscurior est versus. Ego opinor, Venantium loqui de *chrysopraso*, sed ita ut inflectat *chrysoprasis, is* : adeoque verba ita sunt separanda *mixto chrysoprase beryllis*. In quantitate syllabarum discrepant Prudentius et Fortunatus, quod in hujusmodi nominibus Græcis minime est mirandum. In postrema editione Fortunati Romæ procurata legitur *mixto chrysopraso beryllis*. Sed *o* in auferendi casu a Venantio corripi, quis credat?

866. Post hunc versum nihil est aliud in exemplari bibliothecæ Viennensis, quorum Mariettus superiora contulit : qui asserit, hoc Psychomachiæ fragmentum satis corruptum, et negligenter scriptum, neque alia Prudentii carmina in eo codice inveniri.

868. Virgilius I Æn., vers. 641 : *At domus interior*, etc. Cap. IX Proverb., vers. 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum ; excidit columnas septem*.

869. Weitzius ridicule, ut solet, *cristalli* edidit, solius Widm. auctoritate permotus, cum in aliis scribatur *crystalli*. In Mar., Rat., Palat., Widm., Egm. supra *albentis*. Aldus cum aliis *algentis* : quod magis placet, nam statim versu proximo *calculus albens*. Crystallus algens, quia ex gelu concrescere dicitur. Vide Cath. hymn. 2, in not. ad vers. 71.

870. Heinsius cum Egm., et Pal., *quadrum* pro *quarum*, scilicet *quadrum in conum*, uti etiam in cod. vet. legisse Barthium Heinsius affirmat. Barthii locum non invenio : et quamvis Heinsius ex Paschasio Radberto proferat *quadro sub cardine cœli*, et ex Herico Altissiodorensi lib. II de Vita S. Germani, *quadrum lignum*, *quadrus orbis*, nihilominus sequor codices optimos, Heinsianos, omnes, Mar., Rat., Alex., Vatt. C, F, G, Ald., Gis., Weitz. aliosque, *quarum tegit*, etc. Sensus vero optimus est *quarum* (columnarum) *edita capita tegit calculus albens in conum cæsus*. Iso nobiscum facit : Quarum, *columnarum*. Recentiores, Cham., Cell., Teol. Heinsium ducem sunt secuti. Gallandius vero mendum putavit in Chamillardo *quadrum*.

871. Pal. scribit *in quonum*. *Conus* est cacumen, sive capitellum mavis dicere, cum scilicet ex peripheria in unum punctum plures lineæ assurgunt. Ald. et Vat. C, *sinuamina*.

872. Ald., *subductum conchæ in speciem*; alter Rott., *ducto concharum in speciem*, Weitzius, *ductus concharum in speciem*, cum Erfurtensi. Communior et verior lectio, *subductus conchæ in speciem*; in Vat. C, *in specie*.

873. In Aldo error *margaritarum* pro *margaritum*. *Margaritum* neutro genere recte dici ex Servio, Varrone, fragmento epistolæ Augusti, aliisque probat Burmannus tom. I Antholog., pag. 413. S. Hieronymus sæpe ita locutus est. Giselinus e duobus Pulmanni apographis restituit *opibusque, et censibus hastæ Addictis*, neque rejiciendam censet aliam lectionem in suo *opibusque, et viribus arcæ Adductis*. Prius illud approbat Heinsius cum Put. et Egm. In cæteris ejus erat *opibusque, et viribus hastæ*, vel *arte*, vel *haustæ* : unde conjiciebat Gauchius *opibusque, et jure sub hastæ Addictis*, merito improbante Heinsio. Weitzius in Egm. legit *hasta*, non *hastæ*. Fuld. et Widm., *viribus haustæ*; ita etiam Erf., supra *hausta*, quod exstat in Palat. Fabr., *arte adductis*. Ald., *opibus et viribus arte adductis*. In quibusdam apud Weitz., *arcæ adductis*. Mar. et Rat., *opibusque, et viribus hauste addictis*. Alex., *opibusque, et juribus hastæ addictis*, cum glossa Juribus, *hoc est belli, vel victoriæ*; Hastæ, *scilicet renditioni, vel captioni*. Vat. C, *opibusque, et viribus arte adductis* : idem subobscure in Vat. D. Notandum enim est, in codicibus mss. veteribus

Addictis, animosa fides mercata pararat. A
Hoc residet solio pollens Sapientia, et omne
Consilium regni celsa disponit ab aula,
Tutandique hominis leges sub corde retractat.
In manibus dominæ sceptrum, non arte politum :
662 Sed ligno vivum viridi est, quod stirpe recisum,
Quamvis nullus alat terreni cespitis humor,
Fronde tamen viret incolumi : tum sanguine tinctis
Intertexta rosis candentia lilia miscet,
Nescia marcenti florem submittere collo.
Hujus forma fuit sceptri gestamen Aaron
Floriferum : sicco quod germina cortice trudens,
Explicuit tenerum spe pubescente decorem,
Inque novos subito tumuit virga arida fetus.
663 Reddimus æternas, indulgentissime doctor,
Grates, Christe, tibi, meritosque sacramus honores
Ore pio : nam cor vitiorum stercore sordet.
Tu nos corporei latebrosa pericula operti,
Luctantisque animæ voluisti agnoscere casus.
Novimus, ancipites nebuloso in pectore sensus
Sudare alternis conflictibus, et variato
Pugnarum eventu, nunc indole crescere dextra,
Nunc inclinatis cervicibus ad juga vitæ
Deteriora trahi, seseque addicere noxis
Turpibus, et propriæ jacturam ferre salutis.
O quoties animam, vitiorum peste repulsa,
Sensimus incaluisse Deo : quoties tepefactum

GLOSSÆ VETERES.

875. Solio, *calculo.* — Sapientia, *Deus*, I. B

878. Dominæ, *sapientiæ.* — Non arte, *non aureum fuit*, I.

882. Miscet, *huic sceptro ad ornamentum affixit*, I.

883. Florem, *proprium.* — Collo, *summitati*, I.

885. Trudens, *emittens*, I.

886. Spe, *florendi*, I.

891. Pericula, *vitia.* — Operti, *occulti*, I

893. Ancipites, *humanos.* — Nebuloso, *obscuro*, I.

895. Indole, *spe vincendi.* — Dextram, *nostram*, Iso

896. Cervicibus, *virtutibus*, I.

900. Tepefactum, *defectum*, I

COMMENTARIUS.

sæpe non satis distingui, legendumne sit *juribus* an *viribus*. Vat. F, *opibusque*, *et juribus arte additis;* ita etiam Vat. G a prima manu. Vatt. L, BB, *opibusque, et viribus arte additis*. Ex his omnibus rejici certe debet *additis*, quod metro adversatur. Gifanius ex vet. lib. præfert *opibusque et viribus hastæ addictis*, et *censibus* glossam sapere affirmat. Heinsius contra pulcherrimum putat *censibus*. Mihi non displicet *juribus*. Existimo præterea omnino legendum *hastæ*: in Ang. erat *viribus..... additis*, et desiderabatur ea vox. In Bonon., *viribus astu et addictis*. De verbo *addicere* pro *vendere* vide comment. ad vers. 77 hymni 2 Perist. C

874. Salmasius, qui in Jul. Capit. pag. 90 ex codice Put. legit etiam *opibusque, et censibus hastæ addictis*, explicat deinde, quid sit *animosa fides*: scilicet quæ pretio non parcit, et impensas minime veretur, ut *animosus homo* in cod. Theod., et *animose comparare* apud Suetonium. Weitz., Mar., Rat., *parabat*. Prudentius attingit parabolam ex cap. XIII Matth., vers. 45 et 46 : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Hinc intelligitur quid sit *opibus, et censibus hastæ addictis*, seu *venditis*, nimirum homo fide animosus vendidit omnia quæ habuit, et emit illud margaritum, sive regnum cœlorum.

876. In altero Rott., *concilium*.

878. Ang., *nec arte;* lege *non arte*. Paschalius, de Coronis cap. 8, lib. III, notat, in sceptris apponi consuevisse lilia, aut rosas, aut utrumque.

879. Ita Heinsiani, Erfurt., Widm., Weitz., Alex., Vat. O, Mar., Rat. et Bononiensis. In Ald., Gis., Vatt. C, L, *Sed lignum vivum est, viridi quod stirpe recisum;* quam lectionem admittendam negat Gallandius, quia vers. 881 dicitur *Fronde tamen viret incolumi*. Fuld., Pal., *Sed lignum vivum, viridi est quod stirpe recisum*. Vat. C, *Sed lignum vivum viride est, quod stirpe recisum*. Vat. F, *Sed lignum vivum viridi de stirpe recisum*. Ang., *Sed lignum vivum, viridi quod stirpe recisum est*. In Put., mendose, *recisos;* in Thuan. et Oxon., *Sed lignum vivum viridi est, quod stirpe reciso*. Salmasius, teste Heinsio, locum veteris grammatici codici Put. ascripserat, quem opinatur ad hæc ipsa Prudentii allusisse : *Stirps in significatione sobolis feminino genere dicitur. Sed cum materiam significat, masculino modo stirpem recisum dixerunt.* Quod ego non puto. Quintilianus lib. I, cap. 6, ait poetas metri necessitatem excusare, nisi siquando varianti, nihil impediente in utroque modulatione pedum, qualia sunt : *Imo de stirpe recisum*. Locus indicatur Virgilii XII vers. 208 : *Cum semel in silvis imo de stirpe recisum*. Virgilium, qui de sceptro quoque loquitur, æmulatur Prudentius.

881. Ald., *tunc sanguine;* alii *tum*. Vat. C, perperam, *te*.

882. In Widm. supra, *intertexta*, ut in cæteris; in textu, *intertecta*, quod nescio cur Weitzio arriserit.

884. Crucem Domini (nam hoc est sceptrum hactenus descriptum) virgæ Aaron comparat S. Augustinus serm. 31 append. : *Omnes ergo principes tribuum habeant necesse est virgas suas; sed unus est solus, sicut Scriptura dicit, verus pontifex ille, cujus Aaron sacerdos præferebat figuram. Hujus ergo virga germinavit. Sicut enim virga Aaron germinavit in populo Judæorum, ita crux Christi floruit in populo gentium.* Plura in eamdem rem egregie Augustinus, sive potius Origenes. De virga Aaron vide Numeror. cap. XVII. In Aaron duas primas ex Hebræo idiomate corripi, plerique aiunt. Ricciolius credit secundam a Prudentio produci, quia Hebraice minus est brevis quam prima : siquidem secunda est *patach*, sive *a* breve, prima *chatef patach*, scilicet *a* brevissimum. De his uberius in Proleg.

885. Gis., Weitz., Vat. F, *florigerum*. Heinsiani et plerique nostri, *floriferum*. Pro *germina* habent *germen* Thuan., Oxon., Erf., Egm., Fuld.

887. Ald., *viruit virga*, cum nonnullis vulg. Post hunc versum in Mar. et Rat. titulus *Gratiarum actio*.

D

893. Ang., *nebuloso pectore* sine *in*.

895. Giselinus suspicabatur *dextra*, quamvis edidisset *dextram;* ac reipsa invenit *dextra* in codice Pulmanni. Confirmant *dextra* Put., Thuan., duo Rott., Cauch., Egm. Sed nostri plerique cum Aldo et Weitzio, *dextram;* sic Mar., Ratt., Alex., Vat. C, F, Ang. Præfero *dextra*, scilicet indole. Iso mavult *dextram*, ut ex glossa colliges.

896. Put., Egm., Palat., Vatt. G, H, L a prima manu, *virtutibus*, quod supra est in Widm., et glossæ vicem subit. Editi et plerique mss., *cervicibus*.

897. Fuld., *flammis;* cæteri, *noxis*.

899. Weitz., *revulsa*, non male; sed plerique alii, *repulsa*, melius.

900. Egm., mendose, *inclausisse Deo*. Fabr., *tepefactus*, male

Cœleste ingenium post gaudia candida tetro
Cessisse stomacho! fervent bella horrida, fervent
Ossibus inclusa : fremit et discordibus armis
664 Non simplex natura hominis : nam viscera limo
Effigiata premunt animum : contra ille, sereno
Editus afflatu, nigrantis carcere cordis
Æstuat, et sordes arcta inter vincla recusat.
Spiritibus pugnant variis lux, atque tenebræ.
Distantesque animat duplex substantia vires :
Donec præsidio Christus Deus adsit, et omnes
Virtutum gemmas componat sede piata.
Atque, ubi peccatum regnaverat, aurea templi
Atria constituens, texat spectamine morum
Ornamenta animæ : quibus oblectata decoro
Æternum solio dives Sapientia regnet.

GLOSSÆ VETERES.

902. Bella, *virtutum et vitiorum*, Iso.
903. Ossibus, *humanis*, I.
906. Editus, *emissus vel factus; spiritus hominis*.— Cordis, *carnis*, I.
908. Lux, atque tenebræ, *spiritus et vitia*, I.
910. Præsidio, *ad præsidium*, I.
912. Ubi, *prius*, I.
De 12 lapidibus. — *In jaspide ergo fidei viriditas, in sapphiro spei cœlestis altitudo, in chalcedone flamma charitatis internæ figuratur. In smaragdo autem ejusdem fidei fortis inter adversa confessio, in sardonico sanctorum inter virtutes humilitas, in sardio reverendus martyrum cruor exprimitur. In chrysolitho vox spiritalis inter miracula, in beryllo prædicantium perfecta operatio, in topazio eorumdem ardens contemplatio monstratur. Porro in chrysopraso beatorum martyrum opus pariter et præmium, in hyacintho doctorum cœlestis ad alta sublevatio et propter infirmos humilis ad humana descensio, in amethisto cœlestis semper regni in humilium animo memoria designatur. Singulique lapides pretiosi singulis sunt fundamentis deputati; qui licet omnes perfecti, quibus civitas Dei nostri in monte sancto ejus ornatur atque fundatur, spiritalis gratiæ sunt luce fulgentes : alii tamen per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii genera linguarum, alii fides in eodem spiritu*, etc., Iso.

COMMENTARIUS.

901. Weitzius e ms. Piccarti notat *post gaudia candida retro*.
902. Ald. et nonnulli vulgati cum Picc., *cessisse e stomacho*. Vera lectio est *cessisse stomacho*, neque ullum codicem dissentientem reperimus.
903. Simili ratione Ald., Giselin. et alii, *ossibus, atque inclusa fremit*. Heinsiani, Erf., Egm., Widm., Pal., Mar., Rat., Ang., Alex., Vatt. F, G, H, L, *Ossibus inclusa : fremit et discordibus armis*. Fuld. et Palat. distinguunt, *Ossibus, inclusa fremit et discordibus armis*.
905. De verbo *effigio* vide hymnum 10 Cathem., vers. 4, circa exsequias. Put., *animam*, cui adhæret Vat. C. Alii, *animum*.
906. Ang., male, *nigrantis in carcere cordis*. Vat. C, *nigranti carcere cordis*. Alii, *nigrantis carcere cordis*.
909 Erf., *distantes animo*. In Vatt. L, O, *distantes animat*. In Vat. D est locus vacuus duobus versibus post hunc idoneus; tum sequitur *Donec præsidio*.
910. Paschalius, de Coronis pag. 124, lib. II, cap. 15, intelligit flores mystico sensu esse has gemmas virtutum.
911. Picc., Gis. ad oram, *sede beata*. Vat. O, male, *sede privata*. Confer pulcherrimum hymnum, *Cœlestis urbs Hierusalem*.
915. In Vatt. F, L, *regnat;* alii, *regnet*. In Marietti codice, *Explicit liber Prud. de Psychomachia*. In Vat. C, *Explicit liber Prudentis*. In Vat. F, *Explicit liber Prud. de Sichomachia*. In Vat. D, *Explicit liber*.

DITTOCHÆUM.

TESTAMENTUM VETUS.

665 1. *Adam et Eva.*
Eva columba fuit tum candida, nigra deinde
666 Facta, per anguinum malesuada fraude venenum,

GLOSSÆ VETERES

1. Eva columba, *sunt tetrasticha*.— Tum, *primo*, I.

COMMENTARIUS.

1 et 2. Hoc opus Aldus vocat *Dittochæum;* et non video cur alii titulum mutaverint, et de novo inveniendo cogitaverint. In Prag. inscriptio est *Dicta Prudentii Aurelii :* versus omnes sunt continuati absque ullo titulo. In Mar., *Incipiunt tituli historiarum per Adam et Adam* (legendum *per Adam et Evam*). In cod. Vat. A nullus titulus, et negligentissime omnia scripta. In Vat. B, *Tituli historiarum per Adam et Evam;* ita etiam in Rat. In Alex., *Incipiunt tituli historiarum;* ad marginem charactere veteri, sed minutiori, *Iste liber Dirocheum vocatur, id est duplex refectio*. In Urbinate cod., *Incipit liber Ditrocheus, qui continetur in titulis historiarum*. In Vat. I, *Incipiunt tituli historiarum per Adam et Eva*. In Vat. Q desunt tituli. Alia vide proleg. cap. 3, 4 et 5, ubi de operibus Prudentii agitur. In Mar. ponitur *Dittochæum* post odem *Immolat Deo Patri*, quæ est epilogus in Aldo et in nostra editione. In Vat. B ponitur post librum Peristephanων. Chamillardus cum aliis *Enchiridion* inscribit, et addit nonnullos cum Fabricio hoc poemation tribuere Amœno cuidam ignoto priscis poetæ, alios cum Sichardo Sedulio, quia scilicet cultius hoc poema est cæteris carminibus Prudentii. Ante Chamillardum Philippus Labbeus asseruerat, hoc carmen cæteris Prudentii præstare, ideoque Prudentio a multis abjudicari. Idem affirmat Bailletus in Judiciis Sapientum de Prudentio. Aldus in Vita Prudentii contrarium testatur : Διττοχαίον, *duplex cibus*, διττὸς *duplex*, et ὀχή *cibus*. *Sunt enim tituli historiarum Veteris et Novi Testamenti, atque hinc puto Dittochæum, hoc est, duplicem cibum appellatum hunc librum a Prudentio. Sed quoniam non sic excultus est et elaboratus hic liber, ut cæteri a poeta compositi, sunt qui non esse Prudentii dicunt. Ego vero ipsum a cæteris separare non sum ausus, tum quia Gennadium, qui post divum Hieronymum scripsit de viris illustribus, Dittochæum a Prudentio compositum dicit, tum etiam quia in antiquissimo codice cæteris Prudentii operibus insertus et hic erat libellus, et pro* DITTOCHÆUM, DIRROCHÆUM *titulus, scriptorum culpa, quod conjicio facile, quia interpretatum inibi est antiquissimis characteribus*, DUPLEX REFECTIO *pro* DUPLEX

667 Tinxit et innocuum maculis sordentibus Adam. A
Dat nudis ficulna draco mox tegmina victor.

2. *Abel et Cain.*

Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
Æstimat, accipiens viva, et terrena refutans.
Rusticus invidia pastorem sternit. In Abel
Forma animæ exprimitur: caro nostra in munere Cain.

GLOSSÆ VETERES.

3. Tinxit, *infecit*. — Maculis, *peccatis*, I.
4. Tegmina, *alias perizomata*, I.
5. Nutu distante, *discretiva potestate*, I.
6. Refutans, *respuens*, I.
7. In Abel, *moraliter*, I.

COMMENTARIUS.

CIBUS. De hoc titulo antiquissimo in codd. et interpretatione vide proleg., præsertim toto capite quarto. Heinsius ex suis notat: In glossa Oxon., *Iste liber proprie Dirochæum vocatur:* in Oxonio altero codice, *Incipiunt tituli historiarum Aurelii Prudentii Hispaniensis, quod Dirocheum de utroque Testamento vocatur*. In Thuan. sub titulo *Historiarum* citatur initio operis, ubi index poematum Prudentianorum exhibetur. Et sub finem hujus poematis, *Explicit Tituli historiarum*. In Cauch., *Tetrasticha de Veteri et Novo Testamento*. Heinsius *Diptychon* inscribit ex conjectura Gifanii, negatque fetum Prudentii esse: sed quod Aldum idem censuisse affirmat, fallitur, ut ex verbis Aldi patet. Ex Thuan. cod. lemmata tetrastichorum expressit Heinsius, quo vetustius aliud exemplar non viderat. Sichardus ait, se inscriptionem vulgatam hujus libri mutasse, nixum exemplaribus veteribus, quæ non habent *Dittochæum*, sed *Enchiridion:* fatetur vetustissima quæque exemplaria in eo mire convenire, ut Prudentio adjudicent hoc opus, sed suspicatur esse Sedulii, aut Amœni cujusdam, cujus nomen præfixum viderat in vetusto codice Argentoratensi. Hunc codicem fuisse Werneri Wolflini Argentoratensis refert ipse Sichardus in præfatione ad omnia opera. Fabricius non recte ait, Sichardum in ea esse opinione, ut opus sit Sedulii: nam dubius est Sichardus. Quod autem Fabricius in hæsitatione putat sequendum, quod libro antiquo teste probaretur, adeoque carmen Amœno adjudicandum, non satis sibi constat, nam versus Dittochæi passim laudat sub nomine Sedulii, et aliunde fatente Sichardo vetustissima quæque exemplaria Prudentio illud attribuunt. Verum exemplaria nostra vetusta ab exemplaribus Sichardi dissident, nam *Dittochæum* habent, non *Enchiridion*. Existimo etiam, Prudentio nomen *Amœni* adhæsisse ex ipso opere, quod *amœnum* ab aliquo dictum fuerit. Weitzius ex codice, ut videtur, Goldasti Dittochæum hac inscriptione, et versibus antiquis decoravit: *Prudentii Amœni Diptychon, sive Tituli historiarum Veteris et Novi Testamenti. Incipiunt Tituli libri manualis amœni*. Reliquos versus habes in proleg. num. 244. Non dubito quin auctor vetus horum versuum *Manuale amœnum* vocaverit, sive librum manualem amœnum. Aliquis intellexit *Manuale Amœni*, ut *Facetus* quidam poeta nunc nominatur, quia in principio carminis anonymi vox *facetus* occurrit. Ex Gennadio quidem elogium petitum est, ut cernere licet proleg. cap. 3, ubi eadem sunt verba *Exceptis personis*. Eadem fere ratione Enchiridii appellatio est conficta, quod liber facile manu gestari posset, sive esset manualis; et cum eo lemmata, seu tituli historiarum contineantur, *tituli historiarum* est vocatus. Minus mirum est vocabulum *tetrastichorum*, quod ex genere carminis petitur: solet enim in antiquis codicibus Prudentii genus metri singulis carminibus affigi. In Rat. cod. elogium Prudentii ex Gennadio refertur, et cum in Gennadio plerique *Dittochæum*, nonnulli *Dirocheum* legant, Rat. habet χειροχαῖον, addita glossa, *i. e. manualem librum*. Itaque dubius hæsi aliquandiu, an *Chirochæum* a Prudentio scriptum crederem: sed *Dittochæum* non mutandum decrevi. Hoc opusculum sæpius est seorsum editum, et in Bibliotheca Patrum inter opera Prudentii, et sub Amœni nomine, ubi carmina esse interpolata, monuit Heinsius. Prisca manu in scriptis nusquam reperi inscriptionem *Diptychon*, seu *Diptychion*, ut restituendum suspicatus est Gifanius Indic. Lucr. pag. 359, verbo MARE MAGNUM, quia in jure occurrit multa mentio *Diptychi* et *Diptychii*, non quod in veteribus membranis hanc lectionem seu ejus vestigium invenerit, ut Cellarius asseruit: ait enim Gifanius, in vet. lib., et in Gennadii Vita Prudentii esse *Dittocheum, Dirocheum, Chirocheum*. Giselinus etiam agnovit a quibusdam vocari *Chirocheum*, quod *manuale* vertebant; sed auctoritate sui cod. et alterius Buslid. prætulit titulum *Tetrasticha de Veteri et Novo Testamento;* cujus similes sunt inscriptiones in Ausonio et aliis. Glossas hujus opusculi deprompsi ex Manuali biblico sacræ Scripturæ edito anno 1610, de quo vide proleg. cap. 4. Quamvis enim Joannes Fabricius Biblioth. Lat. vet. lib. III, cap. 2, num. 20 affirmet, eas glossas in Weitzii Prudentio obvias esse, falsum tamen id est, nam Weitzius ignorans eas glossas, quæ ante prodierant, ex cod. ms. paucula sumpsit, ut conferenti utrasque fiet manifestum. Labbeus, in Nov. Biblioth. mss. pag. 64, codicem ms. hujus operis Prudentiani laudat, qui emendatior erat Tetrastichis Manualis biblici Goldasti. Imagines rerum, quas Prudentius describit, exstare plures depictas in antiquorum Christianorum sepulcris observare potes tom. III Antiq. Christ. doctissimi viri P. Thomæ Mariæ Mamachii, pag. 30 et seqq., ubi explicationes et significationes adducit. Barthius, cap. 12 lib. VIII Adversar., ex multis locis similibus arguit, auctorem Dittochæi esse Prudentium, ex quo nos proficiemus, plura alia addentes. Eva primum candida columba, tum nigra dicitur, ut Psych. vers. 787, *Niveis tradit Deus ipse columbis:* nam quod ait Barthius, alibi Prudentium dixisse de Paulo, *Corvos mutare columbis*, hoc in ipso Dittochæo exstat vers. 192. Vide cap. 2 Genes. Plurimi vers. 2 scribunt *anguinum*, alii *anguineum*. Non semel hoc vocabulo usus est Prudentius. Pro *malesuada* habent *malesuasa* Vatt. N, Y, Z, AA, BB, CC, quos minime sequar.

4. In uno Vat. reperit Teolius *Mox draco dat nudis ficulnea tegmina victor*. In Vall. exstat *dat nudis ficulnea mox draco tegmina victor*. Barthius observat non esse ex textu sacri libri, sed ex interpretatione Judæorum, quod draco, seu Satanas Adamo et Evæ texuerit velamina ficulnea. At pro nostro poeta responderi potest ejus verba esse *dat victor draco tegmina*, non quod texuerit, sed quia causa fuit peccati, ex quo tegmina ficulnea consecuta sunt.

Titulus 2 abest a Vat. B. In Vatt. A, D, Alex., *Abel et Cain*. In Mar., Rat., Vat. 1, *Cain et Abel*. Ald., et Thuan. *De Abel et Cain*. In Vallicellano nulli sunt tituli tetrastichis præfixi. Vide Genes. IV.

6. Gold., *occipiens*, mendum puto, pro *accipiens*. De hac historia Prudentius in præfat. Hamartigeniæ, ubi vers. 5: *Hic terrulentis, ille vivis fungitur*. In hymno Exsequiarum caro terrea, spiritus vivus dicitur, et in Hamartigenia caro exemplo Caini exprimitur et exponitur.

Titulus 3 in Vatt. B, I, Mar., Rat., et Thuan., *Arca Noe*. In Vat. A Ald., *De Noe et diluvio*, cum Alex. In Vat. D, *De arca Noe et diluvio*. Vide Genesis cap. VIII.

3. *Arca Noe.*

Nuntia diluvii jam decrescentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
668 Corvus enim ingluvie per fœda cadavera captus
Hæserat: illa datæ revehit nova gaudia pacis.

4. *Ad ilicem Mambre.*

Hospitium hoc Domini est, ilex ubi frondea Mambre
Armentale senis pertexit culmen: in ista
Risit Sara casa, sobolis sibi gaudia sera
Ferri, et decrepitum sic credere posse maritum.

5. *Monumentum Saræ.*

Abraham mercatus agrum, quo conderet ossa
A Conjugis: in terris quoniam peregrina moratur
669 Justitia, atque fides: hoc illud millibus emptum
Spelæum, sanctæ requies ubi parta favillæ est.

6. *Somnium Pharaonis.*

Bis septem spicæ, vaccæ totidem Pharaoni
Per somnum visæ portendunt dispare forma
Uberis, atque famis duo per septennia tempus
Instare: hoc solvit patriarcha, interprete Christo.

7. *Joseph a fratribus agnitus.*

Venditus insidiis fratrum puer: ipse vicissim
Cratera in farris sacco clam præcipit abdi,
Utque reos furti Joseph tenet, auctio fallax

GLOSSÆ VETERES.

14. Pertexit, *vel protexit*, I.
16. Ferri, *dari*, I.
17. Quo, *ut*, I.
19. Hoc illud, *scilicet est*, I.
20. Spelæum, *spelunca*, I.
22. Portendunt, *significant*, I.
23. Uberis, *ubertatis*, I.
26. Cratera, *scyphum*, I.

COMMENTARIUS.

12. Heinsius lib. I Advers. posth., cap. 6, corrigi B vult *ratæ* pro *datæ*. Nihil opus est correctione. Teolius in verbo *hæserat* notat, Prudentium legisse juxta LXX, *Qui* (corvus) *egrediebatur, et non revertebatur*. Sed cur non juxta Vulgatam, quæ eodem modo legit?

Titulus 4 in Gisel. et Thuan., *Ilex Mambre*. Vatt. B, I, Rat., Mar., Weitz., *Ad ilicem Mambre*. Alex., *De Abraham et hospitio ejus*. Vat. D, *De hospitio Saræ*. Aldus, *De Abraham et hospitio*. Vide Genes. cap. XVIII.

13. Vat. A, *hæc* pro *hoc*, male. In uno Vat. desiderari *hoc* advertit Teolius, quod pariter abest a Vallic. Interpretes plures putant Abrahamum Dominum ipsum, non angelos, hospitio excepisse, et SS. Trinitatis mysterium agnoscunt. In eadem sententia est Prudentius Apotheos. vers. 28 et seqq., ubi Abraham hospes Christi, hoc est Verbi dicitur.

14. Vat. A, mendose, *armentalis enim*. Rat., Weitz., C Gold. apud Weitzium supra, *prætexit*. Prag., *prætexit*. Mar., *pertexit*. Ald., Gis., Urb., *protexit*. Goldastus in Manuali biblico, *pertexit*, quod ex eodem Goldasto in textu indicavit Weitzius. Alexandr. quoque *pertexit*, ut alios omittam. *Culmen* aliquando sumitur pro vili casa, ut apud Virgilium ecloga 1, *Pauperis et tuguri congestum cespite culmen*. Confer not. hymn. 1 Cath., vers. 14, *Stantes sub ipso culmine*.

15. In Vall., *gaudia tarda*, et pro diversa scriptura *sera*.

Titulus 5. Plerique optimi, *Monumentum Saræ* pro titulo 5, nisi quod nonnulli scribunt *Sarræ*. Vat. D, *De Abraam et agro empto*. Aldus, *Abraham agrum emisse*. Genes. XXIII.

17. Weitz., Gis., *mercatur*, cum Pal. et Goldasto Weitzii. Scripti fere omnes *mercatus*, sed in nonnullis mendose additur verbum substantivum *est*, nam mercatus agrum dicitur per epexegesim. Contra metrum vero est *mercatus est agrum*, quod in uno D Vat. invenit Teolius. Heinsius cum Thuan., Egm. et nonnullis aliis, *cui conderet*, quod Aldus expresserat. Nostri plerique *quo*, ut Mar., Rat., Prag., Vall., Vatt. I et Y. In Vat. D, *in quo*. In aliis tamen est *cui*, ut Alex. et Vat. A. Etiam in nonnullis nostris est *mercatur* a secunda manu, scilicet in Mar. et Rat. Teolius edidit *quo*, sed in notis ad hunc versum et ad vers. 105 Psychomachiæ videtur præferre *cui*.

18. Vat. A et Palat., *moratus*, perperam.

19. In uno Vat. apud Teol., *hoc illi millibus emptum*.

20. Vall. contra metrum, *sepulcrum* pro *spelæum*. *Favilla* pro defunctorum, quorum corpora non comburuntur, reliquiis alibi etiam a poeta accipitur. Vide Cath. hymnum *Omni ora*, vers. 100, et hymn. *Exsequiar.*, vers. 142.

Titulus 6 est *Somnium Pharaonis* in plerisque. Aldus, *Pharao somnium vidisse*. Vat. D, *De somno Pharaonis*. Adisis Genesis cap. XLI et hymnum 6 Cath., vers. 57.

21. In Rat., Prag., Goldasto apud Weitzium, Vat. uno apud Teol., *spicæ et vaccæ*, quod tenuit Weitzius. In reliquis *spicæ, vaccæ*. Vall., *spicæ et totidem vaccæ*.

22. Giselinus ad oram, *portendunt visæ per somnum*. Ita Sichardus.

23. In Bong. et Vat. I, *tum* pro *duo*. In Mar. etiam *dum*, vel *tum*, supra *duo*. Pro *uberis* Vat. A *verberis*, mendose.

24. Hoc etiam sæpissime a Prudentio usitatum, ut Christum pro Deo, et Verbo divino ponat. Vide Cath. hymn. 4, vers. 68.

Tituli 7 lemma in plerisque, *A fratribus agnitus Joseph*, vel *Joseph a fratribus agnitus*; hoc secundo modo habent Vatt. B, I, Alex., Mar., Rat. In Vat. D, *De Josephi venditione a fratribus*. Consule Genes. cap. XLIV.

25. Vat. B, *venditur*.

26. Vat. A, male, *in terris sacco*. Fabr., Pal., *Cratera in fratris sacco*. Weitzius *crateram* cum Urb. Giselinus cum Goldasto in Manuali biblico et multis mss. vett., *cratera*. Aldus quoque *cratera*, et a Weitzio allegatur pro *fratris sacco*; apud me habet *in farris sacco*. Codices Vatt. recentiores, ut D, N, AA et alii, *in fratris sacco*. Alii, *farris saccó*, ut I, Q. In Vat. D, et Vallic., *in sacco fratris*. Vat. B, Mar., Rat., Prag., *Crateram in farris sacco*.

27. Heinsiani, Mar. a prima manu, Urb., Alex., Vatt. A, I, Weitzius, Gisel. ad oram, Vallic., *auctio fallax*, quam lectionem probant verba sequentis versus *veniaque pudescunt*, nempe venia a Josepho data ob auctionem seu venditionem ipsius, quæ tunc prodita fuit et manifestata. Legunt *actio fallax* Vatt. B, D, N, Q, Mar. a secunda manu, Rat., Prag., Widm. et alii, qui intelligunt actionem, qua Josephus fratres, rei gestæ ignaros, aliquandiu fefellit.

670 Proditur, agnoscunt fratrem, veniaque pudescunt. A

8. *Ignis in rubo.*

Sentibus involitans Deus igneus ore corusco
Compellat juvenem, pecoris tunc forte magistrum.
Ille capit jussus virgam : fit vipera virga.
Solvit vincla pedum : properat Pharaonis ad arcem.

9. *Iter per mare.*

Tutus agit vir justus iter, vel per mare magnum.
Ecce Dei famulis scissim freta Rubra dehiscunt,
Cum peccatores rabidos eadem freta mergant.
Obruitur Pharao : patuit via libera Mosi. B

10. *Moses accepit legem.*

Fumat montis apex divinis ignibus : in quo

671 Scripta decem verbis saxorum pagina Mosi
Traditur, ille suos suscepta lege revisit :
Forma sed his vituli solus Deus, et Deus aurum.

11. *Manna et coturnices.*

Panibus angelicis albent tentoria patrum.
Certa fides facti : tenet urceus aureus exin
Servatum manna ; ingratis venit altera nubes,
Atque avidos carnis saturat congesta coturnix.

12. *Serpens æneus in eremo.*

Fervebat via sicca eremi serpentibus atris,
Jamque venenati per livida vulnera morsus
Carpebant populum : sed prudens ære politum
Dux cruce suspendit, qui virus temperet, anguem

13. *Lacus myrrhæ in eremo.*

Aspera gustatu populo sitiente lacuna
672 Tristificos latices stagnanti felle tenebat.

GLOSSÆ VETERES.

33. Tutus agit, *protectus agit.* — Vel per mare, *vel etiam*, I.
37. Montis apex, *Sinai*, I.
38. Saxorum pagina, *tabulæ*, I.
48. Cruce suspendit, *propter figuram mysticam*, I.
49. Lacuna, *fossa aquæ*, I.
50. Tristificos, *amaros*, I.

COMMENTARIUS.

28. Gis. ad marg., *veniaque pudescunt* cum plerisque ; in textu *vanique pudescunt.* Hoc verbo usus est Prudentius Cath. hymn. 2, vers. 26, et Apoth. vers. 776. Teolius ex uno Vat. notat *veniamque petiscunt* pro *petissunt*, vel *petessunt* cum glossa *poscunt.* In Vall., male, *veniamque poscunt*, cujus glossa *petunt cum pudore* videtur facta pro *pudescunt.*

Titulus 8 in fere omnibus *Ignis in rubo.* Aldus *Mosem rubum vidisse ardentem.* Res narratur cap. III et IV Exodi. C

29. *Deus igneus* Prudentianum est, ut hymn. Cath. Circa exsequias, *Deus, ignee fons animarum*, et sæpe alias. Confer not. in vers. 1 ejus hymni. Hanc eamdem historiam poeta noster complexus est hymno 5 Cath., vers. 31 et seqq., ubi similes phrases. Vide etiam Apotheos. vers. 58 et seqq., *Sed tamen et sentam*, etc.

Titulus 9, *Iter per mare*, ex scriptis et editis. Aldus, *Pharaonem in mari submersum.* Legi potest cap. XIV Exodi.

33. Idem poeta Cath. hymno 4, vers. 46, *O semper pietas, fidesque tuta.* Cyprianus in epistola ad Donatum extrema laudat *mentem in Deum solidam, fidem tutam*, quem locum frustra sollicitat Gronovius Observat. eccles. cap. 3, nam rectissime *fides tuta* dicitur. *Mare magnum* passim apud poetas, e Græco sumptum ; de quo Gifanius Indic. Lucr., verbo Mare magnum. Celebris est hic titulus cujusdam veteris bullæ, et nunc Romæ recentis poematis Italici. In Vall. legitur *vel per mare Rubrum*, quod est glossema. D

34. Vat. A, mendose, *scissum* pro *scissim.* Bong., *sensim.* In hymno S. Vincentii, vers. 842, *Rubrum salum dehiscere.*

35. Ald., Prag., Alex., Vallic., *rapidos ;* in aliis, *rabidos.*

In 10 titulo lemma *Moses accepit legem* cum Alex., Vatt. B, I, Mar., Rat., et Weitzio ; in Giselino et aliis, *accipit.* Aldus, *Mosi legem datam.* Relege cap. Exodi XIX et XX, et Cath. hymnum 7, vers. 36 et seqq.

37. Vall., *Montis fumat apex.*

39. Error Vat. A, *rejussit* pro *revisit.*

40. Egm., Vat. A, *vitulis*, male, nam forma vituli Deus erat Hebræis.

Titulus 11. *Manna et coturnices.* Aldus, *Manna in deserto datum.* Habes historiam Exodi cap. XVI, et Psychom. vers. 374, ubi occurrunt eadem fere verba *angelicus cibus* et *tentoria.*

44. Torn., *conjecta coturnix.* Hymno 5 Cath. multi ex his titulis comprehenduntur. In eo hymno, vers. 101 et seqq., de nube coturnicum, quam hic iterum refert.

Lemma tituli 12, *Serpens æneus in eremo.* Alii, *æreus.* Ita in Rat., sed recenti manu, prioribus abrasis. Aldus corrigendus est *in remo* pro *in eremo.* Consule cap. XXI Numerorum.

45. Aldus, *Aspide sicca malo via defervebat eremi ;* eodem prorsus modo Rat. recenti manu, prioribus erasis. Emendationes hujusmodi ineptis illis correctoribus debentur, qui ea quæ non intelligunt, audacter corrigunt. Nolebant, secundam in *eremi* corripi, et eam ob rem novum versum invexerunt. In Vat. B recenti manu factum est *acris* pro *atris*, et interpungitur versus *Fervebat via sicca eremi serpentibus ; acris, Jamque venenati.*

46. In Urb., Pal. ac nonnullis aliis, *per vulnera livida.*

48. In Vat. A, *virus qui temperet.* In Vat., B, *qui verus*, sed factum *qui virus.* Vat. I, Weitz., *virus ut temperet.* Communior lectio, *qui virus temperet.*

Titulus 13. *Lacus myrrhæ in eremo* in Vat. B, Mar., Rat., Weitz., Thuan. In quibusdam scribitur *heremo*, ut in Vat. I. Giselinus habet *Lacus deserti amarus.* Aldus, *Moses aquas amaras per lignum in dulcedinem vertit.* Alex., *Lacus amara in eremo.* Videndum caput XV Exodi, et hymnus 5 Cath. de novo lumine vers. 93. Loco cit. Exod., vers. 23, id habetur : *Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ : unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem.* Hinc Alexandrini inscriptio : *Lacus amara*, fortasse *Lacus mara ;* in aliis, *myrrha*, quod ea sit amara. S. Paulinus epist. 27 ad Victricium : *Quibus* (epistolis) *mentem nostram de peccatis amaram, quasi myrrham illam in manu Moysi per lignum mysterii*, etc. Et Natali 8 : *Quo myrrham tristem sacri dulcedine ligni In populi potus crucis immutavit imago ;* et mox, *Quasi tristia myrrhæ Pocla hominem mutat.* Prudentius cum hic, tum alibi usurpat *tristificos, contristare*, ut amarum significet. Vide Rosweydum in not. ad Paulin., pag. 860.

Moses sanctus ait : Lignum date, gurgitem in istum
Conjicite: in dulcem vertentur amara saporem.

14. *Elim lucus in eremo.*

Devenere viri, Mose duce, sex ubi fontes,
Et sex forte alii vitreo de rore rigabant
Septenas decies palmas : qui mysticus Elim
Lucus apostolicum numerum libris quoque pinxit.

673 15. *Duodecim lapides in Jordane.*

In fontem refluo Jordanis gurgite fertur,
Dum calcanda Dei populis vada sicca reliquit.
Testes bis seni lapides, quos flumine in ipso
Constituere patres, in formam discipulorum.

16. *Domus Raab meretricis.*

Procubuit Jericho : sola stant atria Raab.
Hospita sanctorum meretrix (tanta est fidei vis)
Incolumis secura domus spectabile coccum
674 Ignibus adversis in signum sanguinis offert.

17. *Samson.*

Invictum virtute comæ leo frangere Samson
Aggreditur; necat ille feram : sed ab ore leonis
Mella fluunt: maxilla asini fontem vomit ultro.

GLOSSÆ VETERES.

53. Moysi, *pro Moyse*, Iso.
54. Vitreo, *lucido*, Iso.
55. Septenas decies, *septuaginta*, Iso.
56. Pinxit, *figurat*, I.
62. Meretrix, *al. meritrix.* — Tanta fidei vis, *est*, *vel erat*, I.
64. Offert, *scilicet seipsa*, I.

COMMENTARIUS.

51. Vat. unus apud Teol., *gurgite in isto*, quod reperitur etiam in Vallic.

52. Plerique veteres scribunt *conicite*, non *conjicite*; quæ tamen nunc est orthographia communior. Vat. I, *concite*, et supra *et*, ut sit *concite*, *et in dulcem*. Bongars., *Concite, et in dulces vertentur amara sapores*. Legendum *conjicite*. Fabr., *Conjicite, in dulces vertentur amara sapores*.

Titulus 14 in Vat. B, *Helim locus in eremo*. Ita Alex., Mar., et Vat. I cum Weitzio et aliis. Rat. et Thuan., *Helim lucus in eremo*. Aldus, *De* XII *fontibus et* LXXX *palmis* (legendum LXX). Giselinus, *Fontes duodecim, et palmæ septuaginta*. Vide cap. XV Exodi.

53. Aldus, *Mosi duce*; alii, *Mose duce*, aut *Moyse*. Teol., *Moysi duce*, nescio an data opera.

55. Aldus ediderat *qui mysticus ælim*; correxit *qui mysticus olim* : præstitisset non emendare. Scribendum quidem est *Helim* : sed Egm. habet *ælim*; alii *Elim*, quod amplector cum Vulg. edit. sacræ Scripturæ.

56. Egm., *locus*. Ratio metri postulat *lucus*. Apostolicus numerus in duodecim fontibus signatus; numerus discipulorum, qui quodammodo apostolicus potest appellari, in palmis septuaginta. In Vulgata quidem legitur, septuaginta duos fuisse discipulos : sed in textu græco solum est ἑβδομήκοντα, septuaginta : de qua controversia vide Brugensem ad cap. X Lucæ, vers. 1, et criticos sacros. Nos Vulgatæ lectionem præferimus, et a Prudentio aliisque minorem numerum negligi defendimus. S. Ildefonsus cap. 9 de Itinere deserti, tomo I PP. Toletanorum, p. 236, *Inde venitur ad duodecim fontes aquarum dulcium, et septuaginta palmarum, quæ nobis ostendunt duodecim apostolos, et septuaginta discipulos*, etc. Alia habet Ildefonsus, quibus Dittochæum possis illustrare. Confer Isidorum, Quæst. in Exod. cap. 21, et quæ ex eo exscribit S. Martinus Legionensis, serm. 2 de Natali Domini, § 20, pag. 297 et seq., t. m. I operum, quæ ex autographo notis illustrata publicavit Segoviæ 1782 eminentissimus D. D. Franciscus Antonius de Lorenzana, archiepiscopus Toletanus, primas Hispaniæ, suis aliorumque scriptis editis de Ecclesia benemerentissimus, nunc ipsum, dum hæc edimus, merito suo ac summo omnium plausu in sacrum cardinalium collegium cooptatus.

In titulo 15 lemma *Duodecim lapides in Jordane*, quod exstat in Vatt. B et I, Alex., Mar., Rat., Thuan. et aliis. Giselinus, *Lapides duodecim in Jordane*. Aldus, *Filii Israel Jordanem transeunt, et ex eo lapides colligunt*. Vide cap. IV Josue, et Cath. hymn. 12, vers. 177, ubi *refluens amnis* dicitur, et Hamartig. vers. 482, *Si ripis reflui Jordanis*.

58. Wid., *populus*, non bene, pro *populis*. Vat. B, Rat., Mar., Prag., Weitz., Urb., Vat. I, *reliquit*. Aldus, Alex., Gis. et alii, *relinquit*.

60. Sich., Gisel. ad oram, Fabr., Egm., Bong. supra, *ad formam*. Vall., *in forma*.

Titulus 16, *Domus Raab meretricis*, Thuan., *Raab meretrix*. Giselinus, *Domus Rahab*. Aldus, *Raab in Hierico speculatores recepit*. Cap. II Josue.

61. Ald., Fabr., Gisel. ad marg., *sola astant*; melius reliqui *sola stant*. Giselinus simile hoc putat licentiæ illi *via sicca eremi* supra vers. 45, sed fallitur; nam ob *st* dictionis sequentis vocalis brevis sæpe producitur.

62. Nonnulli antiqui scribunt *meritrix*. Giselinus putat, posse hunc versum contra omnium codicum fidem ita inverti, *vis tanta fidei est*, quamvis Prudentius aliis in locis semper secundam corripuerit. Scripti constanter, *tanta est fidei vis*, excepto Goldasto, qui in manuali biblico legit *tanta fidei vis*. Paulinus non semel secundam produxit, et in re simillima carm. de S. Joanne Bapt. habet : *Auscultat nato genitrix* (*vis tanta fidei*). Ita legerem in Prudentio, si aliquando is *e* in *fidei* produxisset, aut si membranæ paterentur. Carolus Cangius Adnotat. in offic. Cicer. laudat hemistichium Prudentii *levisque fidei*, et reprehendit sciolos, qui ausi sint ita mutare *fidei quoque plenus*. In operibus quæ exstant Prudentii hujusmodi hemistichium non comparet. Parrhasius vers. 428 Passionis Romani legit *Aliter precabor, quam fidei ut militent* : sed scripti et alii editi quos vidi habent *fidele*. Iso apud Goldastum in glossis legit *tanta fidei vis*, aut *vis tanta fidei*, nam addit *est*, *vel erat* pro glossa.

63. Weitz., Ald., Gis., Vall., et alii vulg., *incolumi secura domo*, cum Alex. a prima manu. Goldastus, a Weitzio laudatus, Vat. B, Urb., Rat., Mar. a prima manu, *incolumis secura domus*, et in Vat. B glossa *domus esse genitivum*, ut intelligamus, Raab esse securam domus incolumis, vel quod domus incolumis esset servanda. In Prag., *Incolumis*, *secura domo*, quod habet Mar. a secunda manu. *Spectabile coccum* vocat poeta funiculum coccineum, quo speculatores e fenestra suspensi fuerunt : de quo cap. cit. Josue.

Titulus 17. Ald., Vat. B, Mar., Rat., *Samson*. In Thuan., *Samson leonem necat*. Gis., Weitz., *Samson's leo*. In Vat. A desideratur hoc tetrastichon, uti etiam in Vat. I. Deerat quoque in Alex., sed subjectum est in fine paginæ. Barthius Prudentio adjudicandum censet, quamvis in suo codice illud non invenerit. Abest præterea ab Egm. et Palat. apud Weitzium. Historia exposita patet cap. XIV et XV Judicum.

67. Ald., Weitz., Heins., Teol., *asinæ*; alii, *asini*, quod verius est : nam sæpe in hoc loco sacra pagina *asinum*, non *asinam* vocat.

Stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus.

18. *Item Samson.*

Ter centum vulpes Samson capit, ignibus armat,
Pone faces caudis circumligat, in sata mittit
Allophylum, segetesque cremat. Sic callida vulpes
Nunc heresis flammas vitiorum spargit in agros.

19. *David.*

David parvus erat, fratrum ultimus, et modo Jesse
675 Cura gregis, citharam formans ad ovile paternum:
Inde ad delicias regis; mox horrida bella
Conserit, et funda sternit stridente Goliam.

20. *Regnum David.*

Regia mitifici fulgent insignia David:
Sceptrum, oleum, cornu, diadema, et purpura, et ara.
Omnia conveniunt Christo: chlamys, atque corona,
Virga potestatis, cornu crucis, altar olivum.

21. *Ædificatio templi.*

Ædificat templum sapientia per Salomonis
Obsequium: regina Austri grave congerit aurum.
Tempus adest, quo templum hominis sub pectore Christus
Ædificet, quod Graia colant, quod barbara ditent.

676 22. *Filii prophetarum.*

Forte prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripa, cecidit discussa bipennis.
Gurgite submersum est ferrum: sed mox leve lignum
Injectum stagnis, ferrum revocabile fecit.

23. *Captivitas Israel.*

Gens Hebræorum peccamine capta frequenti,
Fleverat exsilium diræ Babylonis ad amnes:
Tum patrios cantare modos præcepta recusat,

GLOSSÆ VETERES.

70. Pone faces, *post, juxta*, I.
71. Vulpis *pro vulpes*, I.
72. Nunc heresis, *scilicet, quæ.* — In agros, *id est, Ecclesiæ*, I.
73. Et modo, *et tantum*, I.
75. Inde ad delicias, *scilicet formans, id est adductus*, I.
80. Altar, *crucis*, I.
84. Gaza, *bona operatio.* — Barbara, *inculti mores*, I.
90. Exsilium, *scilicet suum*, I.

COMMENTARIUS.

68. Asino stultitiam indicari notum est.

Lemma tetrastichi 18. *Item Samson* in Vat. B, Mar. et Rat. Aldus, *De Samson.* Giselinus *Samsonis vulpes.* Thuan., *Samson vulpes capit.* Alex., *Samson.* Legesis caput XV Judicum.

69. Egm., mendose, *trecentum.*

71. Hac voce *allophylus* usus est Prudentius Hamartig. vers. 500. Vide notas. Hic pro *Philistæis* ponitur. Aldus, ut prima in *heresis* non esset brevis, ita hos versus reformavit: *Allophylum, segetesque cremat, nunc hæresis ignes, Callida quæ vulpes, vitiorum spargit in agros.* Reclamant scripti, et consuetudo Prudentii, qui primam in *heresis* semper corripuit. Pro *vulpes* alii *vulpis*, ut sæpe dictum est. Fabr., *quæ callida vulpes.*

Titulus 19. *David* in Rat., Mar., Vatt. B et I, Weitzio et aliis. Aldus, *David pastor ovium in regem evadit.* Thuan., *David Goliam sternit.* Giselinus, *David pastor.* Lege lib. I Regum XVI et XVII.

73. Vat. A, *Jessem;* melius *Jesse.*

74. Weitzius ex Egm. notat hanc lectionem variantem *olive;* ego voco mendum pro *ovile.*

76. Alii *Golian*, alii *Galiam* scribunt. Pugnam Davidis poeta descripsit Psychom. vers. 291 et seqq., ubi ait *fundali stridore*, quod nunc dicit *funda stridente.*

Tetrastichon 20. *Regnum David* in Mar., Rat., Vatt. B, I, Weitzio et aliis. Aldus, *David rex ungitur.* Thuan., *De regno David.* Giselinus, *David rex.* In Alex. hoc lemma et nonnulla alia sequentia desiderantur.

77. Egm., Vatt. A et Q, Alex., Heinsiani, *mitifici.* Plerique nostri, *mirifici*, ut Vatt. B, Q, Mar., Prag., Rat., Urb., Vall., cum Ald., Weitz., Giselino aliisque multis. Itaque id retineri posset, licet non negem, verbo *mitificus* poetam usum aliquando. Paschalius, de Coronis pag. 47, lib. I, cap. 15, hos versus laudat.

78. Mar., Vat. I, *oleum, et cornu;* alii, *oleum, cornu*, sine *et.*

80. Hoc quoque vocabulum Prudentianum est *altar* pro *altare*, hymn. S. Cassiani vers. 100, et hymno S. Eulaliæ vers. 212. In Glossario nomine Isidori est *altar* et *altare.* Utuntur hac voce Alcuinus, Beda et alii.

Titulus 21 est *Ædificatio templi* in Vatt. B, I, Mar., Rat., Gis., Thuan., Weitz. Aldus, *Salomon templum ædificat, et regina austri munera affert.* Vide lib. III Regum VI et X.

83. Egm., *sub tempore Christum.* Vat. A, *sub pectore Christum.* Vera lectio, *sub pectore Christus.*

84. Aldus, Gis. in textu, Palat., Alex., *quod Graia colant, quod barbara ditent*, et in Alex. glossa GRAIA, *id est Græca.* Ex Egmondano citat Weitzius, *quod Ia*, fortasse *quod dia*, nam in Vat. A est *quo dia colant, quo barbara ditent*, nescio quo sensu. In Vat. N, *Quo Gaza colat, quo barbara ditent*, et glossa *Quo, id est templo.* Urb., Vatt. B, I, Q, Iso et alii cum Weitz., *Quod Gaza colat, quod barbara ditent.* Consonant Mar. et Rat. In Prag. *quod Gaza colit, quod barbara ditent.* Gis. ad marg., Goldastus in Manuali biblico, *quod Gaza colentum barbara ditet.* Hoc ipsum in Aldo esse Weitzius refert; non tamen sic exstat in mea editione. Sichardus habet *quod Gaza colant, quod barbara ditent.* In Vall., *quod Gaza colat, quo barbara dicet*, cum glossa *sanctificet.* Sed *dicet* a verbo *dico, dicas*, repugnat carmini. Gallandius *Gaza* mendum esse putabat.

Tetrastichon 22. Aldus, *De filiis prophetarum ligna cædentibus.* Weitzius, *Filii prophetarum ligna cædunt;* cæteri, *Filii prophetarum.* De quibus agitur lib. IV Regum VI.

Titulus 23. *Captivitas Israel* in plerisque. Aldus, *De captivitate Hebræorum.* Confer lib. IV Regum XX, et psalmum CXXXVI.

89. Hæc quoque vox *peccamen* Prudentium redolet.

90. Teolius observavit in uno Vat., *ad arces.* Sed *ad amnes* verum est ex psalmo laudato. De hoc hemistichio *diræ Babylonis ad amnes* vide proleg. num. 74, in nota.

91. Sichardus, *dum patrios.* Goldastus apud Weitzium, *Tum patrios cantare modos præcepta, recusat*

Organaque in ramis salicis suspendit amaræ. A
24. *Domus Ezechiæ.*
Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos
Præscriptum proferre diem, legemque obeundi
Tendere : quod gradibus, quos vespera texerat umbra,
677 Lumine perfusis docuit sol versus in ortum.

TESTAMENTUM NOVUM.

25. *Gabriel ad Mariam.*
Adventante Deo descendit nuntius alto
Gabriel Patris ex solio, sedemque repente
Intrat virgineam. Sanctus te Spiritus, inquit,
Implebit Maria : Christum paries, sacra virgo.
26. *Civitas Bethlehem.* B
Sancta Bethlem caput est orbis : quæ protulit Iesum,
Orbis principium, caput ipsum principiorum.
Urbs hominem Christum genuit : qui Christus agebat
Ante Deus, quam sol fieret, quam lucifer esset.
678 27. *Magorum munera.*
Hic pretiosa magi sub virginis ubere Christo
Dona ferunt puero, myrrhæque, et thuris, et auri.
Miratur genitrix tot casti ventris honores,
Seque Deum genuisse hominem, regem quoque summum.
28. *Ab angelis pastores admoniti.*
Pervigiles pastorum oculos vis luminis implet
Angelici, natum celebrans ex virgine Christum.
Inveniunt tectum pannis, præsepe jacenti
Cuna erat, exsultant alacres, et numen adorant.
29. *Occiduntur infantes in Bethlehem.*
Impius innumeris infantum cædibus hostis

GLOSSÆ VETERES.

93. Hic, *in hac domo*, I.
94. Præscriptum, *ætatis*, I.
95. Tendere, *prolongare.* — Gradibus, *lineis.* — Vespera, *vel vespere*, I.
101. Bethlem, *hct liquida*, I.
103. Agebat, *vivebat*, I., Mar

COMMENTARIUS.

Organa, quæ in ramis salicis suspendit amaræ. Idem habet Vat. I. Melius alii distinguunt *præcepta recusat, Organaque.*

92. In uno Vat. apud Teolium *amaris* exstat pro *amaræ.* De salice amara vide quæ notat Savaro ad Sidonium pag. 119 ex Virgilio, *salices carpetis amaras*, ex Vitruvio, Plinio et Columella.

Titulus 24. Weitz., Mar., Vatt. B, I, *Domus Ezechiæ.* Giselinus, *Domus Ezechiæ regis.* Aldus, *De Ezechia rege.* Thuan., *De rege Ezechia.* In Rat. nullus titulus. In Urbinate trajecta sunt hæc duo tetrasticha, primo loco ponitur *Domus Ezechiæ*, secundo *Captivitas Israel.* Lege lib. IV Regum xx.

95. Aldus, Alex., Egm., Gisel., *quod gradibus, quos vespera texerat umbra.* Et Giselinus quidem advertit, antea legi *tot gradibus quot*, quasi ipse primus restituisset, quod jam Aldus excuderat. Vatt. B, N, Urb., Mar., Prag., Rat. aliique, *tot gradibus quot.* Alex. cum Giselino facit. Heins., *umbram :* secuti sunt alii.

96. Prag., *lumine profusis*, vel *præfusis.* Alii, *perfusis.* Vall., *lumine perfuso.*

Post hoc tetrastichum in Vat. B, et Mar., *Incipit de Novo Testamento.* Vat. I, Weitz., Rat., *Finit Vetus Testamentum. Incipit Novum Testamentum. Maria et angelus Gabriel.* In Aldo solum id est *Adventus Domini.* In Thuan., *Testamentum Novum. Annuntiatio dominica.* Giselinus, *Testamentum Novum. Gabriel ad Mariam.* Alii aliter. Ea quæ sequuntur, usque ad titulum 39, exposita sunt Cath. hymn. 9, 11, 12, et Apoth. vers. 650 et seqq. Capita Evangeliorum tantum indicabo. Annuntiatio dominica Lucæ cap. I narratur.

100. Etiam hac eadem quantitate Prudentius *Maria* dixit Apoth. vers. 643, et Psych. vers. 88. Pro *implebit* habent *implevit* Ald., Egm., Pal., Thuan., Oxon., Heins., Teol. et alii. *Implebit* magis congruit verbis Evangelii. In Rat. aliena et recenti manu, prioribus erasis, *O Maria, implebit*, ineptissime. Prudentius in verbis Lucæ videtur accipere *Spiritum sanctum* pro Verbo, ut fusius dicam ad vers. 266 lib. II in Symmach.

Titulus 26 *Civitas Bethlem*, seu *Bethleem*, seu *Bethlehem* in Mar., Vat. B, Rat., Gis., Thuan., Weitz. aliisque. Aldus, *Bethlem caput orbis.* In Vat. I, *Civitas Bethel* a prima manu, recte emendatum a secunda manu. Consule cap. II Matth., ubi *Bethlehem* scribitur, sed poetis contractione uti licet.

101. Aldus probe ediderat *Sancta Bethlem caput est orbis, quæ protulit Iesum :* secundis curis improbe correxit *quæ protulit ipsum.* Prudentius non semel ex duabus primis *Iesus* unam longam fecit. Pro *Bethlem* alii scribunt *Bethlehem*, quod non reprehendo : C nam synæresis fieri potest.

103. Mar., Rat., *hominem Iesum.*

104. Prag., Mar. a prima manu, Gold. in textu, *ante Deum*, male.

Tetrastichon 27. *Magorum munera.* Aldus, *Magi dona ferunt.* In Epiphaniæ hymno et Apotheosi hæc de magis historia simillimis verbis exponitur ex cap. II Matth.

108. Ald., Gis. in textu, *regemque supremum.* Scripti nostri, Heinsiani et Weitziani, *regem quoque summum.*

Titulus 28, *Ab angelis pastores admoniti* in scriptis cum Weitzio. Aldus, *Nuntiat pastoribus natum Christum.* Giselinus, *Angeli ad pastores.* Vide Lucæ cap. II.

110. Ald., Pal. et alii, *De virgine.* Mar., Rat., Vat. I, Weitz. aliique, *Ex virgine.* Giselinus, *E virgine.*

112. Barthius observat, adeo tenacem phraseos esse Prudentium, ut *cuna* in singulari numero repetiverit ex Cath. hymno 11. Sed in eo hymno, vers. D 98, legi solet *Et virgo feta, et cunulæ*, ut in notis docuimus.

Lemma tetrastichi 29, *Occiduntur infantes in Bethlehem.* Ita Rat., Ald., Alex., Thuan. In Vat. I et Gold. Manuali biblico, *Occiduntur in Bethlehem infantes.* Giselinus, *Infantum in Bethlehem cædes.* Vat. B et Mar., *Occisio infantium in Bethlehem.* Weitzius, *Occiduntur in Bethlehem pueri.* Historiam habes Matth. cap. II.

113. In Thuan., *cædibus noctis*, emendatum *actis.* Alii, *hostis.* Herodes impius hostis dicitur etiam a Sedulio in hymno abecedario, *A solis ortus cardine*, scilicet, *Hostis Herodes impie*, pro quo nunc recitamus, *Crudelis Herodes, Deum Regem venire quid times?* ut metri ratio constet. Sed ut alias in Hymnodia Hispanica monui, dulcius restitui posset, *Herodes hostis impie :* atque ita fortasse Sedulius scripserit ; ita certe edidit Fabricius in poetis Christianis, sed, ut puto, ex conjectura Erasmi, non ex fide codicum.

Perfurit Herodes, dum Christum quærit in illis, A
Fumant lacteolo parvorum sanguine cunæ,
679 Vulneribusque madent calidis pia pectora matrum

30. *Baptizatur Christus.*

Perfundit fluvio pastus Baptista locustis,
Silvarumque favis, et amictus veste cameli,
Tinxerat et Christum : sed Spiritus æthere missus
Testatur tinctum, qui tinctis crimina donat.

31. *Pinna templi.*

Excidio templi veteris stat pinna superstes.
680 Structus enim lapide ex illo manet angulus, usque
In sæclum sæcli, quem spreverunt ædificantes;
Nunc caput est templi, et lapidum compago novorum.

32. *Ex aqua vinum.*

Fœdera conjugii celebrabant auspice cœtu
Forte Galilæi : jam deerant vina ministris

GLOSSÆ VETERES.

117. Perfudit fluvio, *subaudi populum*, I.
121. Pinna, *sancta Ecclesia, vel penna, sicut Maximus, posito exemplo, qui ambulas super pennas*, I.
122. Angulus, *spiritalis sensus ; ipsa Ecclesia, quia in Ecclesia Golgotha, vel potius Christus*, I.
125. Auspice, *felici*, I.

COMMENTARIUS.

115. Sæpe voce *lacteolo* utitur Prudentius; in re eadem vers. 699 Passionis Romani : *Tenerumque duris ictibus tergum secent, Plus unde lactis, quam cruoris, defluat*. Juvenalis de hædulo satira 11, *Qui plus lactis habet, quam sanguinis*. Ausonius de Ostreis epist. 7, *Carnem lacteoli sanguinis indicat*. Hartmannus Sangallensis in festivitate Innocentium poetam nostrum æmulatus est : *Salve, lacteolo decoratum sanguine festum*.

116. Prag., *udis* pro *calidis*.

Titulus 30, *Baptizatur Christus*, ex Vatt. B, I, Mar., Rat., Alex. In Aldo, *Christus in Jordane baptizatur*. Idem in Giselino. Thuan., *Christus baptizatur*. Lege in caput Matthæi.

117. Mar., Rat., Vallic., Vat. I, Alex. a prima manu, Thuan., *perfudit*, quod ex suis amplexus est Weitzius. Alii, *perfundit*. Et syllabam et rem imitatum esse Prudentium ex hymno Jejunantium, monet Barthius ad hæc verba *pastus Baptista locustis*. Certe; sed cur alia quantitate *locustis* efferre debuit? Juvencus pariter lib. I, *Arvis qui solitus ruralibus esse locustas*. In Copa Incerti, sive Virgilii legebatur : *Nunc vero in gelida sede locusta sedet*. Burmannus, tom. I Anthol., pag. 716, cum aliis vult legi *lacerta*, sed rationem non afferunt cur debeat *o* in *locusta* esse longum. Fabricius. Comment. in poet. Christ., ait eos qui locustas putant esse Hispanorum *ragustas*, nondum probasse. Fabricius fortasse voluit dicere *langostas*, nam Hispanis nihil est *ragustas*.

118. Goldastus in Manuali biblico, *silvarum favis*, sine conjunctione *que*, quam exigit carmen. Male etiam Aldus, *amictu* pro *amictus*, et ridicule Vat. A, *cameli* pro *cameli*.

119. Teolius ex uno Vat. indicavit *tinxit* pro *tinxerat*. At metrum non patitur *tinxit*.

120. Vat. unus apud Teol., *qui cunctis*, quod ego invenio in Vallic.

Titulus 31, *Pinna templi*, magno codicum scriptorum et editorum consensu. Confer Matth. cap. XXI, et psalmum CXVII, vers. 22 : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. D

121. In nonnullis vulg. *prima* mendum pro *pinna*. Barthius late exponit vulgarem traditionem veterum de pinna templi. Christiani quemdam lapidem, qui templi pinna olim fuit, sepositum habebant pro lapide illo angulari, cujus similitudine dixerit de se Dominus, se nimirum ex seposito lapidem factum esse angularem. Unde religio, an superstitio, velut dicti quoddam testimonium lapidem quemdam angulis conspicuum commonstrabat. Quod Barthius colligit ex hoc Prudentii loco, et ex Itinerario vetustissimo Burdigalensi, quod Petrus Pithœus edidit, ubi hæc legere licet : *Ibi est et lapis angularis magnus, de quo dictum est : Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes. Item ad caput anguli et sub pinna turris ipsius sunt cubicula plurima, ubi Salomon palatium habebat*. B Fragmenta ejusdem lapidis, quem *revolutum* dicebant, cum sanctis reliquiis pari veneratione colebantur, referente Gunthero monacho apud Canisium tom. V Antiquit. Eadem traditio usque ad recentiora tempora duravit, ut liquet ex Petro Bellonio, Observat. lib. II, cap. 83. Illud Barthio ultro concedo, verba sacræ paginæ, quibus Christus dicitur lapis angularis, de ipso esse intelligenda, *ut ornamentum domus, vivus lapis*, et similia per figuram dicuntur. Et Prudentius quidem videtur ita de Christo sacra testimonia explicare, ut traditionem illam agnoscat. Cæterum nihil aliunde obstaret, quominus Dominus similitudine ejus lapidis, quem Christiani veteres ostendebant, dixerit Matth. XXI, 42 : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli;* et vers. 44 : *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum :* cujus rei fama ad posteros permanaverit. Cæterum si quis malit affirmare, Prudentium in hoc C versu minime agnoscere traditionem illam vulgarem de lapide angulari superstite, neque, me invito, id affirmabit, neque facile revincetur.

123. Aliqui vulg., Vatt., N, Y, Z, AA, *spernunt;* vetustiores, *spreverunt*. Giselinus ad oram 2 ed., *quem Judæi reprobarunt*. Aliter scripti.

124. Sich., Ald., Rat., Prag. a secunda manu, Mar., Alex., Vatt. A, B, I, Q. Weitz. cum suis mss., *et lapidum compago novorum*. In Prag. a prima manu, *et lapidum compago priorum*. Gisel. in textu, *et laterum compago duorum*. Heinsiani et Gis. ad marg., *et lapidum compago duorum*, quod exstat in Vall., Vatt. N, Y, Z, AA, BB. Barthius præfert *laterum compago duorum*. *Faciet enim*, inquit, *protuberantem angulum duobus sibi junctis eminentior, unde et lapis offensionis dicitur*. Sed recte procedit *lapidum compago novorum*, nam Christus caput est novi templi (Ecclesiæ) et *compago lapidum novorum*, ex quibus templum hoc consurgit, tanquam ex vivis et electis lapidibus. Ad Ephes. II, 19 et seq. : *Estis cives sanctorum, et domestici Dei : superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*.

Titulus 32, *Ex aqua vinum* in Alex., Thuan., Ald., Weitz. In Rat., Vat. I, *Aqua vinum*. Vat. B, Mar., *Aqua in vinum conversa*. Giselinus, *Vinum ex aqua factum*. Vide Joann. cap. II. Angelus M. Bandinius edidit Florentiæ anno 1746 Observationes in antiquam tabulam eburneam sacra quædam D.N.J.C. mysteria anaglyphico opere exhibentem. Anterior tabulæ hujus facies miraculum exhibet, quo Christus aquam sex hydriis contentam in vinum convertit.

126. Vatt. B, I, Rat., Weitz., *forte Galilæis jam deerant;* cæteri, ut edidimus. Prag., *deerant jam*. Gifanius ex vet. cod., pag. 438 Ind. Lucr. in *synecphonesi seu episynalœpha* communem lectionem tenuit.

Christus vasa jubet properanter aquaria lymphis A
681 Impleri; inde meri veteris defunditur unda.

33. *Piscina Siloa.*

Morborum medicina latex, quem spiritus horis
Eructat variis, fusum ratione latenti,
Siloam vocitant: sputis ubi collita cæci
Lumina Salvator jussit de fonte lavari.

34. *Passio Joannis.*

Præmia saltatrix poscit funebria virgo
Joannis caput, abscissum quod lance reportet
Incestæ ad gremium matris: fert regia donum
Psaltria, respersis manibus de sanguine justo.

682 35. *Per mare ambulat Christus.*

It mare per medium Dominus, fluctusque liquentes B
Calce terens, jubet instabili descendere cymba
Discipulum: sed mortalis trepidatio plantas
Mergit, at ille manum regit, et vestigia firmat.

36. *Dæmon missus in porcos.*

Vincla sepulcrali sub carcere ferrea dæmon
Fregerat: erumpit, pedibusque advolvitur Iesu.
Ast hominem Dominus sibi vindicat, et jubet hostem
Porcorum furiare greges, ac per freta mergi.

37. *Quinque panes et duo pisces.*

Quinque Deus panes fregit, piscesque gemellos:
His hominum large saturavit millia quinque.
683 Implentur nimio micarum fragmine corbes
Bis seni: æternæ tanta est opulentia mensæ.

38. *Lazarus suscitatus a mortuis.*

Conscius insignis facti locus in Bethania

GLOSSÆ VETERES.

127. Vasa aquaria, *hydrias*, I.
128. Inde, *vel unde*.—Meri veteris, *vini nobilis*, I.
129. Latex, *scilicet erat*.—Spiritus, *scilicet ventus*, *vel flatus*, I.
131. Siloam, *id est missum*, I.
134. Lance, *disco*, I.
135. Incestæ, *maculatæ*, *vel stupratæ*, I.
136. Saltria, *saltatrix*, I.
138. Calce, *pede*.—Instabili, *vento jactata*.—Cumba, *nave*, *aliter cymba*, Iso.
139. Discipulum, *Petrum*.—Plantas, *scilicet ejus*, I.
144. Furiare, *in furias agere*, I.

COMMENTARIUS.

127. *Vas aquarium* Varro dixit. Vide Lexicon Forcellini.

128. Gifan. loc. cit., verbo UNDA, legit *unde meri veteris defunditur unda*, et notat, doctum hunc poetam vini undam dixisse, ut Psych. vers. 370 *rorem* vocat vinum. Glossa Rat. interpretatur *undam* copiam magnam. Plerique habent *inde meri;* Giselinus *unde*. Fabr., *perfunditur*, pro quo alii *defunditur*, alii *diffunditur*, alii *difunditur*. In Vat. A mendum insigne *ordo* pro *unda*. C

Titulus 33, *Piscina Siloa*, consentientibus plerisque scriptis, et editis. In cod. Vat. I, *Piscina Syloa*. Legendum cap. IX Joann., et Apoth. vers. 680.

129. Ald., Egm., *latet*, *quam*. Pal. et Vat. A, *latet*, *quem*, cum Heinsianis. In Vatt. B, I, Mar., Prag., Rat., Alex., Weitz., Gis. et aliis, *latex*, *quem*. Teol. in uno Vat. invenit *latet*, *quem* correctum per *latet*, *quam*. Aliqui habent *oris*, sed legendum *horis*.

130. Fabr., Ald., *fusam*, scilicet *medicinam*, quod ex correctione exstat in uno Vat. apud Teol.

132. Alex. a prima manu, *jussi;* Egm., *jussis*, mendose.

Tetrastichon 34, *Passio Joannis* in plerisque. Giselinus, *Cædes Joannis*. Weitzius *Passio Joannis Baptistæ*. Consule cap. XIV Matth.

133. Diligentiam Giselini in secundis curis effugit hoc mendum *salvatrix* corrigendum per *saltatrix*. Prag., *posuit*, male, pro *poscit*.

134. Aldus ita interpungit, *Joannis caput abscissum quod lance reportat. Incestæ gremium ad matris fert regia donum Psaltrix*. Giselinus, Alex., Vat. A, *reportet*. Vat. B, Mar., Prag., Rat., *reportat*. D

135. Fabr., Gis., *in gremium*.

136. Rat., Sichardus, Mar., Weitz., Urb., Vatt. B, I, Q, CC, *saltria*. Prag., Gis., *psaltria*. Alex., *psalteria*, correctum *psaltria*. Aldus, *psaltrix*. Vatt. D, N, *saltatrix sparsis;* Vall., *salta*, et supra *saltria*. Præfero *psaltria*. Macrobius lib. II Saturn., cap. 1: *Non defuere qui psaltriam intromitti peterent, ut puella ex industria supra naturam mollior, canora dulcedine, et saltationis lubrico exerceat illecebris philosophantes.* Ita etiam vocant Livius et Quintilianus. Vide Bulengerum, de Conviviis.

Titulus 35, *Per mare ambulat Christus*. Aldus, *Per mare ambulasse Christum*. Gis., *Christus per mare ambulat*. Ex Matth. cap. XIV.

138. Pro *cymba* alii *cumba*, alii *cimba* habent.

139. Apud Weitzium Giselinus, *mortales;* sed alium Weitzius voluit indicare, nam Giselinus habet *mortalis*. In Oxon., *plantis*. Vide not. vers. seq.

140. Gifanius Ind. Lucr., verbo MARE MAGNUM, legit *mergitat*, non *mergit*, *at*. Giselinus, *mersitat*. In Egm., *plantas mergitur* eleganti Græcismo, ut putat Heinsius. In Oxon., *plantis mergitur*. Apud Weitzium in unis Gold., *mergitat;* in Pal., *mergitur*. Aldus, Weitz., Mar., Rat., Prag., Alex., multique Vat., *mergit*, *at*. Aldus, *manum legit;* alii, *manum regit;* nonnulli, *manu regit*, ut Vatt. D, Z, AA, et Rott., quod Heinsius non audet damnare: nam in simili versu Virgilii in Æneid., *Trunca manum pinus regit, et vestigia firmat*, in pervetustis exemplaribus non paucis invenerat *manu:* et Prudentius Virgilium imitatus est.

Tetrastichon 36, *Dæmon missus in porcos*, ex scriptis et editis, Aldus, *Dæmonium missum in porcos*. Vide Matth. VIII, Marci V, Lucæ VIII.

142. In Rat. recenti manu, prioribus erasis, *pedibus revolutus Iesu:* de quo corrigendi vel corrumpendi potius genere sæpius locuti sumus.

144. Vatt. B, I, Mar., Rat. a prima manu, Sich., Gis. in textu, Weitz., *furiare :* quod æmulatus videtur Theodulfus de eadem re, *Das pecorum furiare greges, justissime judex* apud Heinsium. Horatius lib. I, od. 25. *Quæ solet matres furiare equorum*. Heinsiani, Ald., Pal., Vall., Alex., Urb., Vatt. D, Q, Z, *raptare*. Vat. N, *captare*, Vat. A, *reputare*, quæ duo postrema penitus sunt rejicienda. In Mar. glossa GREGES, *id est*, *per greges*.

Titulus 37. *Quinque panes, et duo pisces*, consentientibus omnibus editis et scriptis quos vidi.

147. Fabr., Gis., *minimo*. Alii, etiam Gifanius Ind. Lucr. verbo VISU, pag. 450, *nimio*. Dicit autem *nimium fragmen*, quod superfuisset, quasi superfluum, ut notat Mariettus. Hæc et alia de Christi miraculis simillimis verbis in hymno *Omni hora* et in Apoth. explicari, ante monui.

148. Egm., mendose, *opitulentia* pro *opulentia*.

Titulus 38, *Lazarus suscitatus a mortuis*, ex præstantioribus mss., Aldo, Weitzio, et aliis. Gis., *Lazarus suscitatus*. Lege Joann. XI. Cætera desunt in Vat. A, qui corruptissimus est in aliis quæ adsunt.

Vidit ab inferna te, Lazare, sede reversum.
Apparet scissum fractis foribus monumentum,
Unde putrescentis redierunt membra sepulti.

39. *Ager sanguinis.*

Campus Hacheldemach sceleris mercede nefandi
Venditus, exsequias recipit tumulosus humandas.
Sanguinis hoc pretium est Christi. Juda eminus arctat
Infelix collum laqueo pro crimine tanto.

684 40. *Domus Caiphæ.*

Impia blasphemi cecidit domus alta Caiphæ:
In qua pulsata est alapis facies sacra Christi.
Hic peccatores manet exitus: obruta quorum
Vita ruinosis tumulis sine fine jacebit.

41. *Columna ad quam flagellatus est Christus*

Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ
Annexus tergum dedit, ut servile, flagellis.
Perstat adhuc, templumque gerit veneranda columna,
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

42. *Passio Salvatoris.*

Trajectus per utrumque latus, laticem, atque cruorem
685 Christus agit. Sanguis victoria: lympha lavacrum est.
Tunc duo discordant crucibus hinc inde latrones
Contiguis: negat ille Deum, fert iste coronam.

43. *Sepulcrum Christi.*

Christum non tenuit saxum, non claustra sepulcri:

GLOSSÆ VETERES.

153. Acheldemach, *aliter Acheldama, nomen agri, id est, ager sanguinis*, Iso.
154. Exsequias, *corpora*, I.
159. Hic peccatores, *hic, id est talis*, I.
161. Stetit, *aliter stitit*.—Atque columnis, *scilicet his*, I.
165. Per utrumque latus, *poetica exaggeratione rei*, I.

COMMENTARIUS.

Titulus 39, *Ager sanguinis*. Aldus, *Ager Acheldemah*. Factum narrat Matthæus cap. XXVII.

153. Aldus, *Acheldemach*. Mar., *Acheldema*, sed additum *ch*, ut sit *Acheldemach*, quod exstat etiam in Prag. In Rat., *Acheldemac*; in Gis., *Haceldema*. Weitzius, *Hacheldemach*. In Vulgata, *Haceldama*, quod in textum posset induci. Mazochius vol. III Spicileg. Bibl., pag. 55, probat, adhuc medio sæculo XII hunc campum retinuisse nomen *Haceldama*, in eoque peregrinos fuisse tumulatos.

155. Aldus perperam, *Judæ munus arctat Infelix collum laqueus*. Vat. Q, Gis. ad oram, *Judæ nimis arctat Infelix collum laqueus*. Gis. ad marg. pro diversa lectione, Gifanius in MARE MAGNUM Ind. Lucr., *Juda nimis arctat Infelix collum laqueo*. In Nomsio, *Judæ minus arctat Infelix collum laqueus*. Vatt. D, O, N, *Judas eminus arctat Infelix collum laqueus*. Vatt. Y, AA, CC, BB, *Judas eminus arctat Infelix collum laqueo*. In editione Parmensi male interpungitur: *Juda eminus arctat Infelix collum laqueo, pro crimine tanto*. Vera lectio est *Juda eminus arctat Infelix collum laqueo*, quam tenent Alex. (in quo supra est *laqueus*), Mar., Rat., Prag., Vatt. B, I, Z, Urb., Gis., Weitz., Vall. et alii. Frustra conjicit Heinsius *Judæ munus arctat Infelix collum laqueo*. Frustra Gifanius putat, Prudentium non ita locutum *Juda*; ut enim dicit *Helia*, *Belia*, et similia, sic *Juda* dicere potuit. Eleganter *eminus* ponitur ad significandum, Judam suspensum periisse. In passione Romani vers. 109, *Eviscerandum corpus eculeo eminus Pendere*. Cathem. hymno 9, vers. 109: *Hunc eminus aere ab alto*. Mariettus pro *eminus* suspicabatur *munus*, id est pretium. Sed repugnat metrum.

Titulus 40, *Domus Caiphæ*. Consule Matth. XXVI.

157. Ald., Urb., Alex. a secunda manu, Heins., Teol., *ecce*; alii, *alta*, cum Mar., Vatt. B, I, Rat., Prag.

159. Aldus, mendose, *peccatoris*.

Tetrastichon 41. Giselinus, *Columna, ad quam Christus flagellatus est*. Alii ut posui in textu. Vide Marci XV.

161. Vatt. B, D, I, Prag., Rat., Mar., Weitz., *atque columnis*. Alex., Urb., Gis., Ald., Pal. et alii, *columnæ*, quod magis placet: nam infra *veneranda columna*.

162. Vat. I, Rat. a prima manu, Mar. a prima manu, Weitz., *annexum tergum*. Pro *servile* in Mar. erat *servire*, et glossa *scilicet potuisset*; postea factum *servile*.

163. De templo venerandæ Columnæ lego apud S. Hieronymum epist. 27, de Locis Hierosolymit.: *Ostendebatur illic columna*, ECCLESIÆ PORTICUM SUSTINENS, *infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur et flagellatus*. Hinc intelligis, quid sit *templumque gerit*. Beda in medio ecclesiæ suo tempore fuisse testatur. Meminit quoque columnæ hujus et miraculorum Gregorius Turonensis in lib. de Gloria martyrum. Vide Lipsium lib. II de Cruce cap. 4, ubi probat, *solitos ad columnam verberari*. Ea sacra columna nunc Romæ exstat in templo S. Praxedis. Quippe facile hæc memoria inter pios Christianos ad nos usque potuit et debuit conservari.

164. Egm., *immuneres*, male, pro *immunes*.

Titulus 42 idem in omnibus quos vidi, *Passio Salvatoris*.

165. In aliis, *transjectus*; in aliis, *trajectus*. Conjectura quorumdam, legendum *Trajectusque latus dextrum*, ne scilicet utrumque latus dicatur trajectum, explosa est in not. ad hymn. Cath. 9, vers. 86, ubi hanc singularem sententiam expendimus. Vel ex hoc solo tetrasticho asseri potest, Prudentium Dittochæi esse auctorem, sibi ubique constantem. In edit. Colon. ad marg. ex vet. lib. notatum est, *laticemque cruorem* pro diversa scriptura, sed *laticem, atque cruorem* vera est scriptura. Gaspar Sagittarius edidit dissertationem de lancea, qua perforatum est latus Jesu Christi; de qua locutus sum in comment. loc. cit. Nonnulli eum vocant Carolum Sagittarium, quod nominis ejus sola prima littera exprimi soleat *C*. Sed ea littera indicat Casparem, pro quo nos frequentius Gasparem dicimus.

166. In Gold. glossa AGIT, *fudit*. Aldus, *victoria sanguis*. Alii plerique, *sanguis victoria*. In Aldo deest verbum substantivum *est* post *lavacrum*. Per sanguinem, qui e latere Salvatoris fluxit, martyrium, per aquam baptismum indicari multi aiunt. Orientius apud Martenium tom. V Anecd., *Martyrium sanguis sibi vindicat, unda lavacrum*.

Tetrastichon 43 deest in Aldo, Torn. et in multis codd. mss. Vide Matth. XXVIII; et de resurrectione sanctorum qui dormierant, cap. XXVII, vers. 53. Versus hi non videntur Prudentiani; sed constat nihilominus ex antiquis monumentis, sepulcrum et resurrectionem pingi et sculpi olim consuevisse. Exemplo

686 Mors illi devicta jacet : calcavit abyssum.
Sanctorum populus superas simul ivit ad oras,
Seque dedit multis tactuque oculisque probandum.

44. *Mons Oliveti.*

Montis Oliviferi Christus de vertice sursum
Ad Patrem rediit, signans vestigia pacis.
Frondibus æternis præpinguis liquitur humor :
Qui probat infusum terris de chrismate donum.

45. *Passio Stephani.*

Primus init Stephanus mercedem sanguinis, imbri
Afflictus lapidum : Christum tamen ille cruentus
Inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi
Hostibus. O primæ pietas miranda coronæ!

687 46. *Porta speciosa.*

Porta manet templi, Speciosam quam vocitarunt,
Egregium Salomonis opus : sed majus in illa
Christi opus emicuit : nam claudus, surgere jussus
Ore Petri, stupuit laxatos currere gressus.

47. *Visio Petri.*

Somniat illapsum Petrus alto ex æthere discum

GLOSSÆ VETERES.

175. Frondibus æternis, *semper virentibus*, I.
176. Probat, *confirmat*, I.
177. Imbri, *grandine*, Iso.
179. Fraudi, *crimini*, Iso.
184. Damnatos currere gressus, *debilitatis sibi pedibus*. — Damnatos, *debiles*, Iso, Vat. I. *Lassatos*, Prag.

COMMENTARIUS.

sit nummus vetus cum Græca epigraphe *Anastasis*, sive resurrectio, sepulcro, militibus exterritis, etc., quem beneficio eminentissimi Stephani Borgiæ, antiquitatum omnium studiosissimi et peritissimi, hoc ipso tempore in sacrum cardinalium collegium ascripti, delineatum hoc loco repræsento, ut judicium facilius ferri possit.



Ex ære Vilitris in Museo Borgiano.

De simili nummo diu litigarunt Joannes Tristanus a S. Amante et Jacobus Sirmondus. Eumdem expendit Franciscus Vavassorius cap. 2 de Forma Christi, et parum exacte delineatum e suo museo cl. Victorius exhibuit in comment. de Nummo æreo, ubi de antiquis imaginibus Christi disputat, et templum rotundum vocat quod nos sepulcrum Christi diximus. Sirmondus enim existimat, esse templum *Anastasin* a veteribus dictum, et in loco resurrectionis erectum.

Titulus 44, *Mons Oliveti*. In Aldo, *Mons Olivetum*. Lege cap. I Actuum apost.

173. Egm. et Gis. ad oram *oliveti* pro *oliviferi*. Latinius recte *oliviferi* posuit pro *oliferi*, quod reperit in Torn.

174. Heins., Gif. ex vet. lib. ita interpungunt, *signans vestigia pacis Frondibus æternis : præpinguis liquitur humor*. Non placet : nam poeta videtur intelligere vestigia quæ Christus, ad Patrem ascendens, dicitur impressa reliquisse : quæ *pacis* vocat, ad montem oliviferum alludens, et effectum ascensionis considerans. Postea frondibus olivarum manasse humorem ait, qui donum chrismatis significaverit. Appellat autem *frondes æternas* olivæ, ut Virgilius lib. II Georgic., *Palladia gaudent silva vivacis olivæ*, ut mysticum sensum prætercam. Sic hymno 12 Peristeph., vers. 34 : *Frondem perennem chrismatis feracem de oliva*, melius quam alii *fontem*. De vestigiis in vertice montis Oliveti impressis plura exstant Patrum testimonia, Augustini, Paulini, Severi Sulpicii, Optati, Bedæ, quorum loca indicat Calmetus in Dict. Bibl.

175. In Rat. a prima manu, *linquitur*, recte emendatum per *liquitur*.

Titulus 45, *Passio Stephani*. In Vat. B, I, Mar., Rat., Weitzio, *Passio S. Stephani*. Vide cap. VI et VII Act. apostolorum.

177. Vatt. B, I, Mar., Prag., Rat., *imbre*. Ald., Gis., Alex., Urb. et alii, *imbri*, more Lucretii et antiquiorum. Omitto Weitzium, qui, nescio ex quo codice, *ymbre* edidit. In hymno S. Laurentii, vers. 571, *Stephanus per imbrem saxeum*.

178. Mar. a prima manu, *cruenta*.

180. Mar., Sich., Vatt. B, I a prima manu, Q, AA, Rat., Weitz., Vall., Gold. a prima manu, *miseranda*. Multo magis probo *miranda* cum Ald., Gis., Alex., Prag. et aliis. *Primam coronam* vocat protomartyrem *Stephanum*, pulchre alludens ad ejus nomen. Bembus in hymn. ad S. Stephanum falsò ait, minores nomen Stephano ex martyrii corona fecisse : nam ante martyrium Stephanus vocabatur.

Tetrastichon 46, *Porta speciosa*. Ex cap. III Act. apost.

181. Prag., minus bene, *speciosa*.

182. Manebat superstes pars atrii gentium a Salomone constructi. Vide Villalpandum lib. III de Templo, cap. 9. Porta vero illa *Speciosa* ex ære Corinthio fuisse a Josepho dicitur.

183. In multis antiquis mss., *clodus* ex usu veteri pro *claudus*.

184. Ald., Gis. in textu, Alex., Torn., Gall., Rat. pro diversa scriptura, Prag. pro glossa, *laxatos*. Vatt. B, I, Q, AA, Urb., Mar., Prag., Rat. a prima manu, Thuan., Weitz., Torn. in margine, Heinsius et alii, *damnatos*. In Vat. I glossa, *debiles*. Confer glossam Isonis. Heinsius ex *laxatos*, et apud Egm., *laxatus*, conjicit *luxatos* : quanquam putat, eleganter et poetice omnino dici posse *damnatos* gressus, ut Hamartig. vers. 650 : *Damna aures, Pater alme, meas*. Teolius conjecturæ Heinsii adhæsit, advertens tantum duos Vatt. habere *damnatos*.

Lemma tituli 47, *Visio Petri*. In Mar. et Rat., *Somnium Petri*. Lege cap. X Act. apost.

185. Solent mystici visionem etiam claram, in mentis excessu a Deo infusam, *somnium* appellare. Prudentius, semper sui similis, de Apocalypsi Joannis evangelistæ hymn. 6 Cath., vers. 113 : *Tali sopore justus Mentem relaxat heros*. Cum enim visiones fere contingant in ecstasi seu alienatione mentis a sensibus corporis, congruenti vocabulo visiones per similitudinem *somnia* dicuntur. Somnium Epimenidis Cretensis philosophi ad annos 57 aut 50, ut alii dicunt, necnon cujusdam pueri apud Plinium lib. VII, cap. 57, ad annos 57 per mentis excessum explicant, qui eas historias credunt : ac similiter dicunt, qui tuentur, septem sanctos Dormientes somno captos in spelunca ad ducentos fere annos revera dormiisse, quod cl. Joseph Simonius Assemanius tom. I Bibl. Orient.,

Confertum omnigenis animalibus. Ille recusat A
Mandere : sed Dominus jubet omnia munda [putare.
Surgit, et immundas vocat ad mysteria gentes.

688 48. *Vas electionis.*

Hic lupus ante rapax vestitur vellere molli :
Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus.
Mox recipit visum, fit apostolus, ac populorum
Doctor, et ore potens corvos mutare columbis.

49. *Apocalypsis Joannis.*

Bis duodena senum sedes pateris, citharisque,
Totque coronarum fulgens insignibus, agnum
Cæde cruentatum laudat : qui evolvere librum,
Et septem potuit signacula pandere solus.

GLOSSÆ VETERES.

188. Surgit, *e somno*, I.
192. Et ore potens, *scilicet fit*, Iso.
195. Qui evolvere, *vel quia volvere*, Iso.

COMMENTARIUS.

pag. 335 et seqq., multis rationibus conatus est persuadere. Vide hymnum 10 Cath., not. ad vers. 56. S. Bernardus de sublimi animæ contemplatione explicat somnum sponsæ in Canticis cantic., ut dixi in comment. ad vers. 77 hymn. 6 Cathem.

Titulus 48, *Vas electionis.* Giselinus, *Paulus vas electionis.* Adisis cap. IX Act. apost.

189. Prag. et Rat., *vestitus.* Nomina et adverbia locum præsentem demonstrantia, ut *hic*, *in his ædibus*, et similia, ostendunt hos titulos pro picturis quæ in templis exhiberi solebant fuisse compositos, ut dictum est num. 66 proleg. S. Paulinus de hujusmodi pictura Nat. 9 : *Quæ super exprimitur titulis, ut littera monstret Quod manus explicuit.* Ex eodem Paulino intelligitur cur duplicis Testamenti pictura duplex cibus, sive Dittochæum possit appellari : *Qui videt hæc vacuis agnoscens vera figuris, Non vacua fidam sibi pascat imagine mentem.*

190. Prag., *fit dempto.*

191. Vatt. AA, BB, *fit apostolus apostolorum*, per peram et contra metrum. Paulus doctor populorum dicitur, ut in hymn. SS. Apostolor. Petri et Pauli *gentium magister.*

Tetrastichon 49, *Apocalypsis Joannis.* Visio exponitur ex Apocalypsi cap. IV et V.

195. Ald., Mar., Rat., Prag., Vat. B, 1, Gis. in B textu, Weitz. et alii, *qui evolvere.* Alex., Thuan., Urb., Vat. Q, Egm., *qui volvere.* Gisel. ad marg., *quis volvere.* Diversa lectio in Vall. et Vatt. Y, Z, AA, BB, CC, *qui solvere.* Et placet hæc lectio, quæ propius accedit ad Apocalypsis verba : *Aperire librum, et solvere signacula ejus.* Cæterum gravior est auctoritas codicum, in quibus est *evolvere :* et *evolvere* pro *aperire* recte de *volumine* dicitur. In Vat. 1, post ultimum versum, *Expliciunt tituli historiarum.* In Goldasti Manuali biblico hoc ipsum, et postea, *Sequuntur glossæ Isonis.*

PRÆFATIO LIBRI PRIMI
CONTRA SYMMACHUM.

689 Paulus præco Dei, qui fera gentium C
Primus corda sacro perdomuit stylo,
Christum per populos, ritibus asperis
Immanes, placido dogmate seminans,
Immansueta suas ut ceremonias
Gens pagana Deo sperneret agnito,

GLOSSÆ VETERES.

1. Paulus, *quia grande negotium est vincere vipeream linguam tanti oratoris, præmisso exemplo Pauli apostoli, quem vipera momordit, sed non læsit, etiam ipse invocat divinum auxilium contra vipereum documentum*, Prag.
2. Stylo, *prædicatione*, Iso.
4. Immanes, *feroces, vel crudeles.* — Seminans, *docens*, I.

COMMENTARIUS.

Inscriptionem apposui quam habet Mar. In Vat. A, nullus est titulus. In Alex., *Incipit contra orationem Symmachi liber I.* Ald., *contra Symmachum liber I.* Egm., *Contra Symmacon.* Boher. prior, *Contra orationem Symmachi.* In Vat. T, qui glossemata continet, *Contra Symmachum lib. I. Nunc de præfatione.* Alicubi a primo verbo hic liber vocatur *Paulus.* Vide alia cap. 4 proleg. Juretus et Grangæus peculiaribus commentariis hos libros illustrarunt. Ansaldus sermone Italico convertit, de quibus a nobis dictum cap. 3 proleg. Juretus elegantissimos hos libros dicit, eisque Symmachi rationes accurate refelli, atque convelli affirmat. Usus est vetustissimo codice, ex cujus collatione varietates Scripturæ exhibet.

V. 1. Nomen *præco Dei* apostolis a primis Ecclesiæ sæculis tribuebatur, ut cernere licet in Vita S. Petri, quæ S. Clementi attribui solet. Sæculo IV videtur fuisse in nonnullis Ecclesiis præco, qui fideles ad ecclesiam convocaret. B. Eusebius episcopus Alexandrinus in oratione de Die dominico : *Vocat ad ecclesiam præco* (ὁ κήρυξ), *omnes somnum obtendunt et infirmitatem.* Prudentius Paulum *præconem Dei* nominat, Petrum vero in præfatione lib. II, *summum discipulum Dei*, ut unicum Ecclesiæ caput innuat.

4. Oxon., *placito dogmate.*

5. Egm., *et*, male, pro *ut.* Ald. et Teol. scribunt *cærimonias;* melius *ceremonias*, aut *cerimonias*, ut metro consulatur. Heinsio non displicet *jam mansueta* in priori Rott. Potest etiam accipi *immansueta* pro *mansueta*, ut *infractus* pro *fractus.* Giselinus ait, in excusis duo esse verba *in mansueta*, quod vitium putat contigisse ex inepto illo et aspero scribendi modo *inmansueta*, *inlustris*, *inludo*, *inradio*, et auctoritate Virgilii, Ciceronis, M. Scauri, Prisciani, Servii contrariam D scribendi rationem tueri conatur. Nunc plerique aliter sentiunt, et *adpellare*, aliaque asperiora me non rivali libenter scribunt.

6. Mar., *mens pagana.* Melius *gens*, agitur enim de apostolo gentium. *Paganus* pro ethnico et gentili, sive idolorum cultore, accipitur a Christianis scriptoribus. Orosius lib. I, cap. 1 : *Præceperas mihi uti adversus vaniloquam pravitatem eorum qui alieni a civitate Dei, ex locorum agrestium compitis, et pagis pagani vocantur, sive gentiles*, etc. Alii alias rationes hujus signifi-

690 Actus turbinibus forte nigerrimis,
Hibernum pelagus jam rate debili
Et vim navifragi pertulerat noti.
Sed cum cærulei prælia gurgitis
Jussisset Domini dextra quiescere,
Ad portum fluitans cymba relabitur,
Exponitque solo littoris uvidi
Contractos pluvio frigore remiges.
Tunc de littoreis sepibus algidi
Arentum propere brachia palmitum
Convectant, rapidos unde focos struant.
Fascem quisque suum congerit ignibus,
Exspectans calidi luxuriam rogi.
Paulus, dum fragiles cogere surculos,
691 Et densere foci congeriem studet.
Incautam cumulis inseruit manum,
Torpebat glacie pigra ubi vipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans,
Quæ postquam intepuit fomite fumeo,
Laxavitque ferox colla rigentia,

A Jam flecti facilis, rettulit ad manum
Vibrato capite spicula dentium.
Hærentem digiti vulnere mordicus.
Pendentemque gerens Paulus inhorruit.
Exclamant alii, quod cute livida
Virus mortiferum serpere crederent.
At non intrepidum terret apostolum
Tristis tam subiti forma periculi.
Attollens oculos, sidera suspicit,
Christum sub tacito pectore murmurans,
692 Excussumque procul decutit aspidem.
Abjectus coluber verberat aera,
Atque oris patuli solvit acumina.
Mox omnis sanies deserit, et dolor,
Ceu nullo laceram vulnere, dexteram
B Siccatusque perit vipereus liquor
Hydrum præcipitem dum rotat impetus,
Arsurum mediis intulit ignibus.
Sic nunc post hiemem, vimque trucis freti,
Quo jactata ratis tunc sapientiæ est,

GLOSSÆ VETERES.

7. Actus, *auctus*. — Turbinibus, *tempestatibus*, I.
8. Hibernum, *tempestuosum*. — Debili, *infirma*, I.
9. Navifragi, *naufragium facientis*. — Pertulerat, *passus est*. — Noti, *venti*, I.
10. Prælia, *tempestatem*, I.
11. Dextra, *potestas*, I.
12. Cymba, *cumba Latine, Græce* CYMBA, I.
14. Contractos, *fatigatos*. — Pluvio, *pluviali*, I.
15. Algidi, *frigidi*, I.
16. Propere, *festinanter*. — Brachia, *sarmenta*, I.
18. Congerit, *comportat*, I.
19. Luxuriam, *abundantiam*, I.
21. Congeriem, *palmitum*, I.
24. Laqueos implicans, *involvens*, I.
25. Intepuit, *incaluit*. — Fomite, *igne*, I.
26. Laxavit, *erexit*. — Rigentia, *ante rigentia frigore*, I.
27. Facilis, *post calorem*, I.
28. Spicula, *acumina*, I.
29. Mordicus, *mordaciter, id est in mordendo; ad verbium*, I.
31. Quod, *eo quod*. — Livida, *nigra, livore plena*, I
32. Mortiferum, *trahendo*. — Serpere, *crescere, inde serpens*, I.
36. Murmurans, *orans*, I.
37. Aspidem, *aspides vocamus omnes serpentes minores*, I.
45. Hiemem, *post persecutionem*, Vat. A. *Post persecutionem regum et imperatorum gravissimam : figura mystica*. — Trucis freti, *asperi mundi*, Iso.
C 46. Ratis, *Ecclesia, vel fides sanctæ Ecclesiæ : allegorizat, quid significaverit illa tempestas, quid dextera manus Pauli, quid morsus serpentis*. — Sapientiæ, *Christi*, I.

COMMENTARIUS.

cationis investigant, et tradunt. Vide comment. ad vers. 448 hujus lib. I, et Gothofredum ad tit. cod. Theod. de Paganis. Quod ait Prudentius *Deo agnito*, fortasse respicit DEUM IGNOTUM Atheniensium, de quo in Actis apostolorum.

7. Historia hæc refertur cap. XXVII et XXVIII Act. apost. Virgilii est *Tempestatibus actus*, et XI Æn., *Nigro circumdata turbine corpus*.

9. Prag., Urb. male *naufragii*. In nonnullis vulg., *naufragi*, contra metrum.

10. Poetice venti in mari *certare*, et *præliari* dicuntur, quod multis exemplis patet.

12. Nonnulli scribunt *cumba*. Portus hic indicatus est insulæ Melitensis.

13. Vat. A, male, *littoris solo*. Nec melius Urb., *exponit solo*.

14. Heinsius sine idonea ratione mavult *contactos*, uti apud Virgilium et Phædrum. Agnovit postea apud Phædrum etiam legi *Musca contracta frigore*. Teol. ex conjectura Heinsii edidit *contactos*. Præcesserat Cellarius. *Pluvium frigus* Maronis est III Georg.

15. Rat., Prag., Mar., *e littoreis*.

16. Brachia vitibus attribuit Virgil. II Georg., *Tunc brachia tende*.

19. Pal., *exspectant*, minus bene.

20. Egm., *congere*, corrupte.

21. Ald., Widm. supra, Bong., Urb., vulg., *densare*.

23. Grangæus notat, proprie viperam feminam hic vocari, quæ incuriosius postea *coluber*, *aspis*, *hydrus*, dicitur. Auctor Act. apost. vocat ἔχιδνα, scilicet viperam feminam.

24. Vat. A a prima manu, *laqueis*, male.

34. Cell. et Teolius, *jam subiti*. Teol. ad marg., *tam subiti*, quod habent plerique edd. et mss.

35. Rat., *at tollens*. Mos hic attollendi lumina in cœlum communis etiam erat ethnicis. Virg. IV Æn., *oculos attollere*.

36. Vat. A, perperam, *substracto pectore*. Chamillardus hanc phrasin *Christum murmurans* ferre non D potest. *Hæc phrasis*, ait, *tam insolens mihi videtur, tam dura et barbara, ut vix credam alium ea usum*. At vero insolens non est accipi verbum *murmuro* hac significatione, scilicet loquendi submissa voce, ita ut sonus aliquis audiatur, non autem verba intelligantur. Ovidius VI Metamorph., *Quodque licet, tacito venerantur murmure numen*; et lib. XI, *Flebile lingua Murmurat exanimis*. Vide Peristeph. hymn. 1, vers. 17, *Voce murmur fuderit*.

37. Vat. A, Egm., Palat., *discutit*. Heinsius mallet *depulit*, vel *dispulit*, quia præcessit jam *excussum*.

38. Vat. A, *objectus coluber*.

41. Mar., contra metrum, *dextram*.

42. Vat. A, vitiose, *vipreus liquor*.

46. Ald., Mar. a prima manu, Rat. pro diversa lect., *sapientia*. Alii, *sapientiæ*; sed Heins. nullam varietatem animadvertit.

Cum sub sacricolis territa regibus,
Vix panso poterat currere carbaso,
Afflictosque suos turbine sæculi
Vectarat, rabidis fluctibus innatans,
Morsum vulnificum lex pia pertulit.
Occultabat enim se prius abditum
693 Virus, nec gravidum protulerat caput,
Contentum involucris, atque cubilibus
Subter comprimere clausa silentia.
Sed dum forte latens impietas riget,
Dextram justitiæ pigra momorderat,
Succensi stomacho fellis inæstuans.
Heu, quam catholicam nil prope profuit
Puppim nasse sacri remigio styli,
Quem Paulus variis gentibus edidit
Vix portu placido tuta quieverat
Victrix, edomitis mille furoribus :
Vix astricta suis jam retinaculis
Vectores stabili condiderat solo :
Erumpit subito triste periculum.
Nam, dum præcalidos igniculos sibi
Solvendis adolent et senio, et gelu,
694 Dum virgas steriles, atque superfluas
Flammis de fidei palmite concremant,
Ut concreta vagis vinea crinibus
Silvosi illuviem poneret idoli,
Palpavit nimius perniciem tepor.
Seps insueta subit serpere flexibus,
Et vibrare sagax eloquii caput.
Sed dextra impatiens vulneris irritos
Oris rhetorici depulit halitus,
Effusum ingenii virus inaniter
Summa Christicolis in cute substitit.
Salvator generis Romulei, precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum statuis non operis tui
Mortalem, facili quem releves manu,
Hujus, si potis est, jam miserescito

GLOSSÆ VETERES.

47. Sacricolis, *sacrilegis*, I.
48. Carbaso, *doctrina apostolorum*, I.
51. Morsum, *hæreticam doctrinam*. — Pia, *Christiana*. — Pertulit, *passa est*, I.
52. Abditum, *sub Constantino*, I.
54. Involucris, *involutionibus*, I.
56. Impietas, *quæ intelligitur per viperam*, I.
58. Succensi, *invidi*. — Stomacho, *iracundia*, I.
60. Nasse, *natasse*. — Styli, *sacræ prædicationis*, I.
61. Edidit, *scripsit*, I.
62. Tuta, *puppis*, I.
65. Condiderat, *commendaverat*. — Solo, *firmæ fidei*, Iso.
67. Igniculos, *caritatis*, I.
68. Adolent, *incendunt*. — Senio, *mundi, id est idolorum*. — Gelu, *sine caritatis ardore*, I.
69. Superfluas, *frigore infidelitatis*, Iso.
71. Concreta, *nata*. — Crinibus, *virgis*, I.
72. Poneret, *deponeret*, I. — Idoli, *pro idolii*, Mar
73. Palpavit, *invenit*. — Perniciem, *errorem*. — Tepor, *calor, vel negligentia*, I.
74. Serpere, *cœpit*, I.
75. Eloquii, *hæreticorum*, I.
76. Dextra, *justitia*. — Irritos, *vacuos*, I.
77. Rhetorici, *eloquentis*, I.
82. Qui nullum, *qui nullum fecisti, qui non egeat tua gratia*, I.
83. Releves, *a peccatis*, I.
84. Hujus, *Symmachi, si est prædestinatus ad vitam*, Vat. A. — Si potis, *si possibile est*, I.

COMMENTARIUS.

47. Juretus in suo cod. reperit *sacricolis*, sed addit, defendi posse, quod in quibusdam vulg. est *sacrilegis*.

48. In nonnullis vulg., *vix passo*, quod non est ubique rejiciendum. Gifanius contra A. Gellium verbo DISPANSUS contendit, a *pando* non semper dici *passum*, sed vel id, vel *pansum*.

50. Mar. et Rat. pro div. script., minus bene, *vexarat* pro *vectarat*. Prag., Rat., Mar., Weitz., Fabr., Widm., Gis., *rapidis*; melius videtur *rabidis*, quod habent alii.

52. Ait Prudentius fidem Christianam sub imperatoribus ethnicis jactatam, et territam fuisse, et post illam tempestatem pertulisse morsum vulnificum. Etsi enim occultabat se virus abditum idololatriæ sub principibus Christianis, tamen erupit iterum, videlicet in oratione Symmachi. In Rat. abrasis prioribus, hic et seq. versus ita legebantur, *se prius abdita. Viro nec nec gravidum protulerat caput*, quod totum ineptum est.

54. Vat. A erasis quæ prius fuerant, *Contentum implicitis vipera nexibus*. Id ideo factum, ne tertia in *involucris* corripiatur : de quo vide proleg. Alex. a secunda manu *involuclis*.

55. Mar., Rat., Ald., Tornæs., Widm. supra, *quo premeret* : Palat., *cum premeret*. Alii, *subter comprimere*, stylo Prudentiano, ait Heinsius, scilicet producto *e* postremo in *comprimere* ratione cæsuræ.

59. Vat. A, *catholica*, male. Egm., *quam propero fuit*. Pal., *quam properum fuit*.

60. Alii *puppem*, alii *puppim* scribunt. Gis., *enasse*; Heins. suspicatur *innasse*.

61. Rat. a prima manu *quam*, minus bene.

63. Rat., *laboribus*; eadem manu pro div. lect., *furoribus*. Mar., male, *domitis*. Fortasse legendum *et domitis*.

64. *Retinacula* pro fune navis Propertius, Virgilius et alii.

65. *Vector* dicitur tam qui vehit quam qui vehitur. Heins. conjicit *crediderunt solo*.

66. Ald. *erupit subito*.

69. Vat. A, *cum virgas*.

70. Joann, cap. XV, de palmite qui non manet in vite, et in ignem mittitur.

71. *Crines*, ut *comæ* de vineis poetice. Vat. A, male, *et concreta*.

72. In Rat. audax corrector, abrasis prioribus, *idoli illuviem poneret impii*.

73. Rat., Weitz. scribunt *pernecitem*.

74. De emendatione hujus versus scilicet *seps* pro *sepes* multa a nobis dicta sunt cap. 22 proleg. Chamillardus interpretatur SEPS INSUETA *sepes nova*. Cellarius exscribit Isonis glossam SERPERE *cœpit*. Puto intelligi posse *insueta* pro *assueta* : nam Prudentius non semel usurpavit *insuescere* pro *assuescere*.

84. Heins. edidit *si potis est*, sed magis probare videtur *si potis es*, quod vidit in altero Rott., et exstat etiam in Vat. A. Sed plerique habent *si potis est*, quod defendit Gifanius in Ind. Lucr. verbo VIRIDANS, et intelligi potest, *si potis est Symmachus relevari, vel misericordiam consequi*. Gifanius explicat *si potis est*, ut in Terentio et antiquis, *si potest, si poterit* pro *si fieri potest*. Heinsius putat tunc dicendum *si pote est*, non *si potis est*. At posse etiam dici *si potis est* pro *si fieri potest*, ostendit Forcellinus in Dict.

695 Præruptam in foveam præcipitis viri. A
Spirat sacrilegis flatibus inscius,
Erroresque suos indocilis fovet.
Obtestor, juvenes, ne citus impetus
Arsurum mediis inferat ignibus.

GLOSSÆ VETERES.

85. Præcipitis, *cadentis*, I.
86. Spirat, *pugnat*, I.
87. Fovet, *nutrit*, I.
88. Obtestor, *rogo, ut*, I. *Precor*, Rat.

COMMENTARIUS.

87. Vat. A a prima manu corrupte, *indocibilis*. Diversam vel potius contrariam significationem videtur habere *indocilis* hymn. 3 Cath., vers. 111.

89. Redit ad vers. 44, *Arsurum*, etc. In Mar., *Explicit præfatio*. De causa vero cur Prudentius hos duos libros contra Symmachum scripserit, quanquam animus est uberius olim disserendi, pauca nunc dicam. Augustus post Actiacam pugnam curiam Juliam in honorem Julii Cæsaris exstruxit, in eaque collocavit statuam et aram Victoriæ, ut senatores illuc convenientes thure ac mero supplicarent. Primus Constantius Constantini Magni filius eam aram diruit: non ita multo post reposuit Julianus Apostata, B nec Jovianus et Valentinianus Senior, Christiani imperatores, removerunt. Gratianus, Valentiniani Senioris Filius, non solum ejusmodi aram diruit, verum etiam sacerdotibus gentilibus Romanis ac virginibus Vestalibus emolumenta præstari solita negavit. Symmachus anno 382 gentilium senatorum nomine aram Victoriæ et emolumenta sacerdotum restitui a Gratiano postulavit; sed Damasus pontifex Romanus ad Ambrosium Mediolanensem episcopum libellum plurium senatorum Christianorum misit, qui nihil se tale mandare affirmabant. Itaque, agente Ambrosio, Symmachus ne auditus quidem fuit. Sed post Gratiani obitum Symmachus Valentiniano Juniori, Gratiani fratri, Relationem suam pro ara Victoriæ sacerdotumque privilegiis obtulit; quam Ambrosius, *memor legationis*, biennio ante sibi a Damaso mandatæ, duplici libello refutavit. Valentinianus Ambrosii consilium secutus est, neque aliter profecto fecit Theodosius, cui postea *intimata fuit senatus legatio hujusmodi*, oblata, ut ex his verbis Ambrosii colligitur, eadem Relatione Symmachi vel summa rationum quibus innitebatur. Iterum Valentiniano legatio missa in Gallias, nihil extorquere potuit, etiam absente Ambrosio. Postea vero Eugenius tyrannus, cum gentilium petitioni semel et iterum restitisset, tamen tertio postulantibus annuit. Theodosius, Eugenio anno 394 profligato, ejus acta pro superstitione pagana rescidit. Sub Honorio sæculo V ineunte cum Gothi Italiam invasissent, Symmachus, occasione hinc arrepta, iisdem rationibus quibus prius usus fuerat, de ara Victoriæ repetenda agere cœpit, cujus conatus Prudentius penitus repressit. Colligitur autem ex Prudentio, statuam Victoriæ tanquam Urbis ornamentum diutius permansisse: quod confirmat Claudianus in Panegyr. de VI consulatu Honorii.

CONTRA SYMMACHUM

LIBER PRIMUS.

696 Credebam vitiis ægram gentilibus Urbem C
Jam satis antiqui pepulisse pericula morbi,
Nec quidquam restare mali, postquam medicina
Principis immodicos sedarat in arce dolores.
Sed, quoniam renovata lues turbare salutem
Tentat Romulidum, Patris imploranda medela est,
Ne sinat antiquo Romam squalere veterno,
Neve togas procerum fumoque, et sanguine tingi.
Inclytus ergo parens patriæ, moderator et orbis
Nil egit, prohibendo, vagas ne pristinus error
Crederet esse deum nigrante sub aere formas:
Aut elementorum naturam, quæ Patris ars est

GLOSSÆ VETERES.

1. *Ægram, dicit propter idola*. Urbem, *Romam*, I.
4. Principis, *Constantini*. — Immodicos, *magnos*. — In arce, *in principatu, in Roma*, I. *Roma*, Vat. A.
6. Patris, *omnipotentis Dei*. — Medela, *auxilium*, Iso.
7. Squalere, *sordescere*. — Veterno, *morbo, veternus morbus est qui et intercus*, I.
8. Tingi, *pollui*, I.
9. Parens, *Constantinus*. Rat. *Constantinus, propter nimiam pietatem vocat eum parentem*, I.
10. Egit, *profuit*. — Error, *cultura deorum*, I.
11. Formas, *idola, dæmones*, I.

COMMENTARIUS.

In Mar. et Rat. exstat titulus quem ascripsi. In Urb., *Explicit prologus. Incipit liber* I. Prudentius libro primo idololatriam impugnat, altero Symmachi rationes diluit.

3. Prag. scribit *nec quitquam*, et sic semper. Alii, *nec quicquam*.

4. Cellarius cum Isone intelligit Constantinum. Ex tota carminis serie clare colligitur hunc principem esse Theodosium. Vide vers. 529 et seq. hujus libri.

5. Innuit poeta, post Theodosium novos exstitisse conatus pro idololatria.

6. *Patrem* hic intelligo Deum cum Isone.

7. Veternus sumi solet pro somno nimio, sive inexpugnabili fere dormiendi necessitate. A *vetus* fit *veternus*, et argute ait Prudentius antiquum veternum, D arguens veteres errores. Isoni non assentior, quanquam aquam intercutem *veternosam* recte dixit Arnobius lib. I, id est veterem.

9. Iterum redit sermo de Theodosio non de Constantino.

10. Vat. A., Egm., Pal., *vagus*, minus bene. Vocat formas *vagas*. Ritus gentilitius vocatur *error veterum* leg. 17, tit. 10, lib. XV de Paganis cod. Theod.

11. Egm., Pal., *credent*, male.

12. Aldus, mendose, *natura*. Recte dictum *Patris ars est*, quia etsi Deus arti alligandus non sit, tamen mirabili artificio operatur. Paulinus Nat. 7, *Arte creatoris, qua totum perficit orbem*. Hinc Deus *artifex* mundi solet vocari.

697 Omnigeni, summa pro majestate sacraret? A
Vir solus, cui cura fuit, ne publica morum
Plaga cicatricem summa leviter cute clausam
Duceret, et latebram tabentis vulneris alte
Impressam, penitusque putri de pure peresam,
Juncta superficies, medico fallente, foveret.
Sed studuit, quo pars hominis generosior intus
Viveret, atque animam lethali peste piatam
Nosset ab interno tutam servare veneno.
Illa tyrannorum fuerat medicina, videre,
Qui status ante oculos præsentibus, ac perituris
Competeret rebus, nec curam adhibere futuris.
Heu, male de populo meriti, male patribus ipsis
Blanditi! quos præcipites in tartara mergi
Cum Jove siverunt, multa et cum plebe deorum. B
Ast hic imperium protendit latius ævo
698 Posteriore, suis cupiens sancire salutem.
Nimirum pulchre quidam doctissimus, Esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, vel regnarent sapientes.
Estne ille e numero paucorum, qui diadema
Sortiti, ætheriæ coluerunt dogma sophiæ?
Contigit ecce hominum generi, gentique togatæ
Dux sapiens; felix nostræ res publica Romæ
Justitia regnante viget: parete magistro
Sceptra gubernanti: monet, ut deterrimus error,
Utque superstitio veterum procul absit avorum,
Nec putet esse deum, nisi qui super omnia summus
Emineat, magnique immensa creaverit orbis.
Num melius Saturnus avos rexisse Latinos
699 Creditur, edictis qui talibus informavit
Agrestes animos, et barbara corda virorum?
Sum deus, advenio fugiens, præbete latebras,
Occultate senem, nati feritate tyranni
Dejectum solio: placet, hic fugitivus, et exsul

GLOSSÆ VETERES.

14. Solus, *primus*, I.
17. Pure, *putredine*, I.
19. Studuit, *Constantinus*. — Quo, *ut*. — Generosior, *nobilior*, I.
20. Lethali, *mortali*, I.
22. Tyrannorum, *antiquorum regum*.— Videre, *ut videretur*, I.
24. Competeret, *conveniret*. — Futuris, *animæ*, I.
28. Hic, *Constantinus*, I.
29. Suis, *Romanis*. — Sancire, *constituere*, I.
30. Quidam, *Plato*, I.
32. Sapientes, *scilicet reges*, I.
33. Ille, *Constantinus*, I, Rat. — Diadema, *regiam potestatem*.
34. Sortiti, *consecuti*. — Ætheriæ, *cœlestis*, I.
35. Togatæ, *pacificatæ*, I. *Prudentius contemporaneus fuit Theodosii et Valentiniani. Potest autem credi, durasse usque ad mortem Theodosii, cujus duo filii, Honorius et Arcadius, successerunt in imperio: incertum quem horum nominet ubi ait*, *Contigit*, Vat. A.
39. Avorum, *Arianorum*, I.
43. Informavit, *instruxit*, I.
46. Tyranni, *Jovis*, I

COMMENTARIUS.

15. Perstat in eadem metaphora morbi et medicinæ, qua eo tempore auctores frequenter utebantur. C

18. Egm., Pal. contra metrum, *medico favente*. Laudat Theodosium, quod radicitus idololatriam exstirpare studuerit.

21. Vat. A, *Posset ab*. Rat., *servare veterno*. Barthius lib. XII Advers., cap. 8, hunc Prudentii locum confert cum simili alio Claudiani lib. II in Eutropium, *Ulcera possessis alte suffusa medullis*, etc.

22. Chamillardus tyrannos interpretatur esse Constantium, Julianum, Valentem, Valentinianum Seniorem, rituum veterum fautorem. Teolius addit Magnentium. Sed probabilius Prudentius tantum loquitur de tyrannis quos Theodosius superavit, Maximo et Eugenio, et quos iterum *tyrannos* appellat vers. 410 et 463. Et Constantii quidem plures ac gravissimæ leges exstant cod. Theod. De paganis contra ethnicorum sacrificia, templa et simulacrorum cultum. Facilius credam Magnentium hoc loco una cum Eugenio et Maximo tyrannum appellari.

23. Egm., Pal., *quis status*.

25. Vat. A, *ceu male;* melius *heu*.

27. Capella lib. V, *Vulgusque minorum Cœlicolum trepidat*.

28. Videtur loqui de vita æterna. Prag., minus bene, *prætendit*.

30. Celeberrima Platonis sententia, de qua vide Barthium lib. XX, cap. 18. Sed caute Prudentius loquitur de his qui *ætheriæ coluerunt dogma sophiæ*.

31. Post hunc versum in Prag. deest una pagina usque ad vers. 116.

34. Vat. A, *ætheria*, minus bene.

35. Sich. et Gis. I ed. ad oram, *est operæ pretium* pro *contigit ecce hominum*.

36. Romam vocat *nostram*, quia patria erat communis. Sed potest id trahi ad eludendas rationes pro Cæsaraugusta, vel Calagurri, de Prudentii patria certantibus.

37. In Rat., *fidet*, sed videtur fuisse *fiet*. Manu recentiori, *viget*.

38. Bong. a prima manu, Rat., *teterrimus*. Ald. aliique edd. et mss., etiam tres codd. Gifanii, et unus Jureti, *deterrimus*, quod rectius putat Gifanius. Gis. 1 ed. etiam *deterrimus*, sed in ed. 2, *teterrimus*, quod expresserunt Fabr. et Heins., quamvis hic ex mss. nihil adnotaverit. Idololatria dicitur deterrima superstitio leg. 20 cod. Theod. de Paganis.

39. Vat. A, *atque superstitio*. Isonis glossa non placet. *Avos* aio esse Romanos veteres, vel Italos, idolorum cultores. Infra vers. 180. *Hæc Italos induxit avos*.

41. Post hunc versum Inscriptio est in Mar., Rat. et aliis, *De Saturno*. Deest in Vat. A. Alii ad marg. notant *Saturnus*, sive *De Saturno*, et ita in titulis seqq.

42. Egm., *avus* pro *avos*. De hac fabula aliisque D quas Prudentius memorat et gentilibus objicit, videri possunt præter poetas et poetarum interpretes antiqui mythologi Hyginus, Palæphatus, Fulgentius Placiades, Phornutus, Albricus philosophus, Aratus, Apollodorus. E recentioribus in hoc argumento elaborarunt Lilius Gyraldus, Natalis Comes, Joannes Seldenus, Joannes Gerardus Vossius, Banierus in opere Gallice edito Parisiis 1738, aliique innumeri. Isonis explicationes minime sunt contemnendæ. Discrepant sæpe auctores in eadem fabula exponenda: quod mirum videri non debet, cum in narrationibus historicis hoc ipsum frequenter accidat. Saturni schemata pauca supersunt. Ejus imaginem integram exhibet Montfauconius lib. I tom. II Antiq., pag. 30. In nummis quoque consularibus senili capite conspicitur cum falce a tergo posita.

45. Vat. A, *cum Deus*, non bene.

Ut lateam : genti, atque loco Latium dabo nomen. A
Vitibus incurvum, si qua est ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon et mœnia vestri
Fluminis in ripa statuam Saturnia vobis.
Vos nemus, appositasque meo sub honore sacrantes
(Sum quia nam cœlo genitus) celebrabitis aras.
Inde deos, quorum patrias, peccata, sepulcra

700 Scimus, in ære hebetes informavere minores :
Advena quos profugus gignens, et equina libido
Intulit Italiæ. Tuscis namque ille puellis
Primus adhinnivit simulato numine mœchus.
Mox patre deterior silvosi habitator Olympi
701 Juppiter incesta spurcavit labe lacænas :
Nunc bove subvectam rapiens ad crimen amatam :

GLOSSÆ VETERES.

49. Putandis, *amputandis*, Iso.

50. Procudam, *excudam, fabrico falcem.* — Chalybem, *falciculam ad secandas vites*, I.

52. Nemus, *scilicet meum*, I.

53. Cœlo genitus, *cœli filius*, I.

55. Minores, *posteri*, Vat. A.

56. Profugus, *Saturnum dicit.* — Equina libido, *Saturnus concubuit cum Philyra nympha; quibus Opis* B *supervenit, qui, ne deprehenderetur, convertit se in equum ; ideo dicitur Tuscis adhinire puellis*, I.

59. Olympi, *Olympus, quasi Ololampus, totus incensus*, I.

60. Spurcavit, *stupravit.* — Lacænas, *Græcas mulieres. Lacæna civitas est Græciæ, ex qua fuit Leda. Jovis, versus in cygnum, vitiavit Ledam matrem Helenæ, quæ ovum peperit, unde nati sunt Pollux et Castor et Helena*, I.

61. Nunc bove, *Jovis voluit concumbere cum Europa; ideo convertit se in bovem pulchrum; et sic vitiavit eam.* — Subvectam, *Europam, quæ uxor Phœnicis.* — Crimen, *stuprum*, Iso.

COMMENTARIUS.

48. Virgilius lib. VIII totam hanc fabulam enarrat : *Latiumque vocari Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.* Minucius in Octavio : *Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam de suo nomine.* Arnobius lib. IV, Lactantius lib. I, cap. 14, Tertullianus Apologet. cap. 10 hoc ipsum gentilibus exprobrant.

49. Egm., Pal., male, *cura potandis.*

51. Oxon., perperam, *Saturnia nobis.*

53. Vat. A, *tum quia*; lege *sum quia.* Gallandius notat, *quianam* interrogative usurpari apud veteres. Ita quidem plerumque accidit; sed sine interrogatione C per pleonasmum recte dicitur *quia nam :* Sic Plautus Amph. act. II, sc. 2, vers. 34 : *Quia enim sero advenimus.* Saturnus Cœli et Terræ filius putabatur. Hinc veteres dicebant, cœlo eos descendisse, qui improviso apparebant, et *terræ filios* vocabant ignotos homines. Auctor est Minucius. *Terræ enim et cœli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus : ut in hodiernum inopinato visos cœlo missos, ignobiles et ignotos terræ filios nominamus.* Vide Muretum lib. XIII Var., cap. 7; Tertullianum Apologet. cap. 10, cum notis Heraldi; et Lactantium lib. I, cap. 2.

54. Heinsius ait, potiores habere *patria spectata sepulcra*, quod alii perperam interpolarunt, nec recte Cauchium *in patria.* Juretus in suo libro invenit *quorum patrias, peccata, sepulcra*, quam lectionem veram esse defendit, quia Prudentius ridiculos deos esse arguit, de quorum patria, sive ortu, vita scelerata et obitu, sive sepulcris constat, ut arguit etiam Lactantius lib. I Divin. instit. Weitzius legit *quorum patrias spectare sepulcra.* Mar., *patrias, spectata sepulcra.* D Rat., *patriam, spectata sepulcra.* Urb., *patria spectare sepulcra*, quod videtur fuisse in Egm. et Palat. In Widm. et Bong., *patria..*, sed non explicat Weitzius an sequatur *spectare*, an aliud. Lectio codicis Jureti mihi videtur præferenda. Pro *inde* Vat. A *unde.* A Saturno origo deorum in Italia repetitur. Tertullianus Apolog. cap. 10 : *Ante Saturnum deus penes vos nemo, ab illo census totius vel potioris vel notioris divinitatis.*

55. In ora codicis Jureti pro div. lect., *minore*, quod vitiosum est. *Minores* pro posteris accipiunt Lucretius, Plinius et alii. In re nostra Arnobius lib. V : *Falciferum vetustas edidit prisca, et minorum transmisit ætati.* De usu æris in statuis fuse Juretus ex Plinio, Isidoro, Cassiodorio et aliis. Adde Bulengerum, de Pictur. et Statuar. lib. II, cap. 11, quod est *De statuis æreis fusis.*

56. *Equinam libidinem* et *adhinire* de immodica libidine usurpari observant Barthius, Turnebus aliique critici. Sed præterea Prudentius respicit fabulam, de qua Iso et Hyginus fabul. 138 : *Saturnus... in Thracia cum Philyra Oceani filia in equum conversus concubuit, quæ ex eo peperit Chironem centaurum.* Propius ad Prudentium Virgilius III Georg. : *Talis et ipse jubam cervice effudit equina Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.* Valerius Flaccus lib. V, vers. 152 : *Philyræque a nomine dicta Littora, quæ cornu pepulit Saturnus equino.*

58. Egm., minus bene, *simulato nomine mœchus.* His quæ de Saturno narrantur contrarium videtur esse quod ait Juvenalis sat. 6 : *Credo pudicitiam, Saturno rege, moratam in terris, visamque diu.* Certe parum sibi constant poetæ in sæculi aurei felicitate describenda. Ovidius I Fast. : *Vix ego Saturno quemquam regnante videbam, Cujus non animo dulcia furta forent.* Post hunc versum in Rat., Mar. et aliis titulus est *De Jove.*

59. Heinsius ait, pessimo exemplo Weitzium Becmani conjecturam *sinuosi* admisisse in contextum pro *silvosi*, quod de Olympo recte dicitur, ut *frondosus* et *opacus.* Hoc monitum sequi debuerunt, qui Heinsii conjecturas nonnunquam sine ulla causa adoptarunt. Ex glossa Isonis emendari potest Isidorus lib. XIV, cap. 8 : *Dictus autem Olympus, quasi ololampus, id est, quasi cœlum.* Melius glossa, *id est, totus incensus*, vel potius *lucidus* aut *splendidus.* Isidorus ex Virgilio citat *nubes excedit Olympus*, quod in Virgilio non reperiri notat Grialius. In Lucano hoc hemistichium invenio lib. II. Jovem in monte Olympo habitasse, docet historia : hinc fabula de Jove in cœlo regnante. Vide Lactantium lib. I Divin. Instit., cap. 11.

60. Heinsius in Gis. improbat *incestas*, quia potiores habent *incesta.* Ald. et Urb., *incestas.* In Rat. est *incesta*, sed glossa *pollutas.* In glossa pro *Lacæna civitas est Græciæ* lege vel intellige *Lacedæmon*, vel, ut in nonnullis dictionariis hæc urbs nominatur *Lacon*, nam *lacæna* est mulier Spartana. Leda, Helena, Hermione, feminæ Lacedæmoniæ, infamia impudicitiæ laborarunt.

61. Vat. A, *tunc* pro *nunc.* Pro *bove* scribunt *boe* Rat., Mar. a prima manu, Widm. a prima manu. Weitzius expressit etiam *boe*, quia Colerius ad Valer. Max. pag. 568 in suis membranis ita scribi affirmat. Adverte, has membranas easdem esse quas sub Mar. nomine laudamus. Pro *subvectam* habent *subjectam* Widm., Bong., Mar., Rat., Gis. 1 ed. ad marg. In editione Parmensi mendum est *ad crinem* pro *ad cri-*

Nunc tenera pluma levior, blandosque susurros A
In morem recinens suave immorientis oloris:
Capta quibus volucrem virguncula ferret amorem.
Nunc foribus surdis, sera quas, vel pessulus arctis
702 Firmarat cuneis, per tectum dives amator
Imbricibus ruptis, undantis desuper auri
Infundens pluviam gremio excipientis amicæ:
Armigero modo sordidulam curante rapinam,
Compressu immundo miserum afficiens catamitum,
Pellice jam puero magis indignante sorore.
Hæc causa est, et origo mali, quod sæcla vetusto
Hospite regnante crudus stupor aurea finxit,
Quodque novo ingenio versutus Juppiter, astus
Multiplices, variosque dolos texebat, ut illum,
Vertere cum vellet pellem, faciemque, putarent
Esse bovem, prædari aquilam, concumbere cygnum,
703 Et nummos fieri, et gremium penetrare puellæ.
Nam quid rusticitas non crederet indomitorum
Stulta virum, pecudes inter, ritusque ferinos
Dedere sueta animum, diæ rationis egenum?
In quamcunque fidem nebulonis callida traxit

GLOSSÆ VETERES.

62. Tenera, *cygnea*, I.

63. Immorientis, *olor, dum moritur, dulces dat sonos; vel perpetui et immortalis, quia sidus in cœlo est*, I.

64. Capta, *decepta*. — Quibus, *susurris*. — Virguncula, *Leda uxor Thesei*, I.

65. Surdis, *clausis*. — Pessulus, *vectis*, I.

66. Dives amator, *Jovis*, I.

67. Imbricibus, *tectis*, I.

68. Amicæ, *Danaæ uxoris Acrisii*, I.

69. Modo, *nunc*, I.

70. Miserum, *stupratum*. — Afficiens, *comprimens*. — Catamitum, *Ganymedem: catamitus et succuba unum sunt*, I.

71. Pellice, *concubina*. — Indignante sorore, *indignabatur Juno, soror Jovis, Heben sororem suam de* B *ministerio depositam, et Ganymedem loco ejus suscepisse*, I.

73. Hospite, *Saturno*. — Crudus, *incultus, novus, indigestus*. — Stupor, *stultitia*. — Finxit, *sub Saturno aurea sæcula fuerunt, quia pax optima fuit*, I.

76. Pellem, *suam transferendo*. — Faciemque, *suam*, I.

77. Esse bovem, *cum vitiavit Europam*. — Prædari, *cum rapuit Ganymedem*. — Concumbere, *Alcmenam*. — Cygnum, *per cygnum*, I.

78. Et nummos, *imbrem aureum nummos vocat, vel pecuniam quam dedit custodibus*, I.

81. Dedere, *sponte sua tradere*. — Diæ, *divinæ: dia, nobilis, eugenes unum sunt*, I.

82. Nebulonis, *deceptoris*, I.

COMMENTARIUS.

men. Jovis imagines, quibus hæc fabula, aliæque re- C præsentantur, exhibet Montfauconius lib. II Antiquit. tom. I.

62. Heinsius cum suis scriptis, codex Jureti, Egm., Palat., *nunc tener, ac pluma levior*. Ald., Mar., Rat., Gis., Weitz., Fabr. et alii, *nunc tenera pluma levior*. Vat. A, *tunc tener, ac*. Arnobius lib. IV, *Juppiter ipse rex mundi nonne a vobis infamis est esse per innumeras species, et petulantis amoris flammis servilibus obumbravisse fallaciis? Nunquid a nobis aliquando conscriptus est, libidinosa ut perficeret furta, modo esse in aurum versus, modo in satyrum ludicrum, in draconem, in alitem, in taurum?* Vide quæ notat Elmenhorstius ad Arnobium pag. 91. Tertullianus in Apolog. Jovem vocat *plumatum amatorem*, quia in cygnum conversus ob amores Ledæ, et in aquilam, ut Ganymedem raperet. Alia est sententia Chamillardo, qui hunc versum referri mavult ad Jovem conversum in cuculum, ut Junone potiretur, aut in aquilam, ut Asteriem comprimeret. Quod plerique de Leda narrant, alii de Nemesi referunt. Nonnulli Ledam post mortem nomen Nemesis accepisse tradunt. D

64. Vat. A, minus bene, *rapta* pro *capta*. Fabr., *volucrum*, quod merito rejicit Heinsius. Gronovius conjiciebat *volucrem amantem*. Gis. 2 ed., *volucrum*, sed correxit *volucrem* de solo olore, ut explicat.

65. Vat. A, *Tunc foribus surdis sura quas ve*, perperam.

66. Thuan., Vat. A., codex Jureti *firmarant*, quod tenuit Heinsius. Ald. et nostri alii, *firmarat*. Tertullianus in Apolog. hanc etiam fabulam tangit. Julius Firmicus de Errore prof. relig.: *Adulterio delectatur aliquis, Jovem respicit, et inde cupiditatis suæ fomenta conquirit, probat, imitatur, et laudat, quod deus suus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in satyro, et ut liberalis in flagitiis esse consuescat, quod inclusam auro largiter fluente corruperit*. Hinc nata fabula est. Quod custodes Danaes auro corrupti fuerint, in imbrem aureum conversum Jovem poetæ finxerunt.

69. Egm., Pal., Vat. A, *causante rapinam*. Notum est, armigerum Jovis esse aquilam.

70. Rat., cod. Vat. A, Mar., meliores Heinsiani, Sich., Gis., Fabr., Widm., Pal., Bong., *afficiens*, Ald., Gis. in contextu I ed., *cupiens*. Gifanius, verbo AFFIGERE sive ADFIGERE, ex optimo vet. lib. *affigens*, quod placuit Weitzio. Vat. A scribit *Calamintum*; idem nomen in Julio Firmico legebatur corrupte *Cantamitus*. Ald., *Catamytum*; plerique *Catamitum*; aliqui *Catamithum*. Cicero Philip. 2: *Ego ut te catamitum ostenderem*, etc. De catamitis sive mollibus plura Barthius lib. XXIII Advers., cap. 7.

71. Vat. A, mendose, *quam puero*. Rat. scribit *pelice* cum uno *l*.

74. Vat. A, male, *quo'que novo*.

75. In Cell. edit. 2, *illam*, mendose.

77. Vat. A, Weitz., *concumbere*. Heinsius cum recentioribus hoc ipsum, sed non explicant quorum codicum auctoritate. Gis., Fabr., Mar., Colerus loc. cit., Rat., *concingere*; in Rat. Glossa addita, *pro concinere causa metri*, quod ridiculum est, supra pro div. Scriptura, *concumbere*. Mariettus retinendum putat *concingere*, hoc est, quasi alis complecti. Ovidius lib. VI Metamorph.: *Fecit olorinis Ledam recubare sub alis*. Aldus a Weitzio laudatur pro *concingere*; sed ego in Aldo, Gis. 1 ed., aliisque vulg. invenio *confingere*, quæ non est spernenda lectio.

78. Mar., apud Heinsium alter Rottend., Rat. a prima manu, Weitz., Gifanius verbo NINGUERE ex tribus vett. lib., *serere*, quod elegantissime dictum, ait Gifanius. Malo *fieri* cum aliis.

79. Rat., vitiose, *rusticitans*.

80. Heinsius cum Thuan., *ritusque*, quod perperam in *rictus* mutasse Gifanium affirmat. Juretus quoque in suo cod. reperit *ritus*. Exstat nihilominus *rictus* in Mar., Rat., Urb., et, ut videtur, in Alex. a secunda manu, et in vulgatis exstabat ante Gifanium. Imo Gifanius referens hunc versum ait: *pecudes inter rictusque* (*hic in 2 vers. legi* RITUSQUE).

81. Gif., verbo DIVA, legit *degere*, et *diræ*. Ald., Mar., Weitz., Toro, et alii, *diræ rationis*. Codex Jureti pro div. lect., *diæ*, quod tenent plerique.

82. Vat. A, Pal., inepte, *callida struxit*.

Nequitia, infelix facilem gens præbuit aurem. A
Successit Jovis imperio corruptior ætas:
Quæ docuit rigidos vitiis servire colonos,
Expertes furandi homines: hac imbuit arte
Mercurius, Maia genitus: nunc magnus habetur
Ille deus, cujus dedit experientia fures:
Nec non Thessalicæ doctissimus ille magiæ
704 Traditur exstinctas sumptæ moderamine virgæ
In lucem revocasse animas, Cocytia lethi
Jura resignasse, sursum revolantibus umbris.
Ast alias damnasse neci, penitusque latenti
Immersisse chao: facit hoc, ad utrumque peritus
Ut fuerit, geminoque armarit crimine vitam; B
Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque sepulcrales scite incantare favillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.
Artificem scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri,
Aligerisque leves pedibus transcurrere ventos.
705 Ecce deum in numero formatus, et æneus astat
Graius homo, augustaque Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti dominus quidam fuit agri,
Hortorumque opibus memorabilis; hic tamen idem
Scortator nimius, multaque libidine suetus
Rusticulas vexare lupas, interque salicta,

GLOSSÆ VETERES.

85. Rigidos, *stultos, fortes*, I.

87. Mercurius, *magus fuit astutissimus; qui magicos thesauros inveniebat; propter thesauros enim homines fures sunt.* — Maia, *mater Mercurii. Maia et Electra sorores fuerunt filiæ Atlantis: ex Maia Græci venerunt, ex Electra Trojani*, I.

89. Thessalicæ, *quia ibi magica ars abundabat in qua iste valde peritus.* — Magiæ, *magicæ artis*, I.

90. Virgæ, *caduceo: per virgam et serpentem homines magicis artibus suis resuscitasse dicitur, atque necasse*, I.

91. Lucem, *hanc vitam.* — Cocytia, *infernalia*, I.

92. Resignasse, *resolvisse.* — Umbris, *animabus* I.

94. Ad utrumque, *ad vitam et mortem*, I.

95. Gemino, *mortificandi et vivificandi*, I. C

96. Excire, *huc vocare*, I.

97. Scite, *docte, vel sapienter*, I.

101. Aligeris, *quia pennas in pedibus habere dicitur, quæ petasi nomine vocantur: petasum est volatile, nam peto volo dicitur.* — Leves, *veloces*, I.

103. Graius, *Græcus enim fuit.* — Augustaque, *pulchra*, I.

104. Strenuus, *de Priapo dicit, qui fuit Deus hortorum; qui ob nimiam magnitudinem virilis membri de numero deorum est ejectus.* — Fuit; *scilicet ille*, I.

105. Hortorum, *dicitur Priapus præesse hortis ob eorum fecunditatem, cum enim alia terra aliquid ferat in anno, horti nunquam sine fructu sunt*, I.

107. Lupas, *meretrices*, I.

COMMENTARIUS.

83. Post hunc versum Mar., Rat. et alii pro titulo *De Mercurio.*

86. Lact. lib. I Divin. Instit., cap. 10, *Fur ac nebulo Mercurius quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum?* Confer Elmenhorstium in Arnobium pag. 89 et 98.

89. In Rat. sciolus aliquis, abrasis prioribus, *Thessalicæ magiæ doctissimus ille.* Heinsius edidit *Thessalicæ*, sed notavit in Thuan. esse *Thessaliæ*, ut *Arcadius* pro *Arcadicus*, et talia complura. Cellar. et Teol. tenuerunt *Thessaliæ*. Liberius a Jesu tom. I Posthum., col. 761, affirmat, necromantiæ artem apud Hispanos in pretio fuisse ob clarum auctoris nomen, Mercurii scilicet Trismegisti, teste Prudentio lib. I contra Symmachum. Arbitror, non alium locum, nisi hunc, a Liberio indicari. At Prudentius hoc loco nihil de Hispanis, nihil de Mercurio Trismegisto. S. Isidorus lib. VIII Etym., cap. 9: *Prudentius quoque de Mercurio sic ait: Traditur exstinctas*, etc. Eosdem versus ex Isidoro desumit S. Martinus Legionensis tom. II, pag. 23. Sed in hoc mendum est *Traditur* HINC *exstinctas* ASSUMPTO *moderamine*. In Abraxæis a superstitiosis hæreticis sæculi II exhibebatur Mercurius cum inscriptione *Michael*. Vide Montfauconium tom. II Antiq., pag. 366.

92. Ratione cæsuræ *e* postremum in *resignasse* producitur. De his legendus Virgilius IV Æneid., et Horat. od. 10 lib. I.

93. Pal., Egm., *alia*, male, pro *alias*. Editor operum S. Martini Legionensis notavit, in ms. esse *alios*.

94. Vat. A, *ad utrumque paratus*; et fortasse imitatio est Virgilii II Æneid. *Atque in utrumque paratus.*

96. In S. Martino Legionensi mendum *excitare* pro *excire*; quod proprie de re magica dici, notatum alibi est, ac multis constat exemplis. Juretus recte rejicit *murmure nam magno* in quodam cod. De murmure magico vide Apoth. vers. 477. Consule etiam Lactantium, lib. VII, cap. 13, et quæ multa ejus adnotatores congerunt. Nimium essem longus, si vel nominare tantum vellem criticos omnes qui hos Prudentii versus laudant.

98. Vat. A, Pal., *vita idem*, male.

101. Vat. A, mendose, *aligeres*. Post hunc versum titulus *De Priapo* in Rat., Mar. aliisque.

102. Oxon., corrupte, *foratus* pro *formatus*. Heinsius inde arguit fortasse scribendum *tornatus*, ut ita conjungantur æneus et ligneus, sive saxeus. Tornari enim non ligna tantum, sed etiam saxa dicebantur. Chamillardo placet conjectura. Non video cur lectio codicum debeat sollicitari. Nam in Oxonio *foratus* error est ex *formatus*, non ex *tornatus*. Hos versus et historiam de Priapo illustrat Vulpius ad carm. 18 Catulli.

103. Vat. A et codex Jureti, *angusta* pro *augusta*, quod verum est. Inter hujusmodi affinia nomina sæpe mutatio accidit. Chamillardus Numæ arcem intelligit Janiculum, ubi Numa sepultus est, vel domum Numæ, D quæ in Vestæ templum mutata fuit. Malo accipere de Roma ipsa; ac docte mentio facta Numæ, qui, ut ait Lactantius lib. I Divin. Instit., cap. 22, *harum vanitatum apud Romanos auctor et constitutor fuit.* Cæterum interpretationi de templo Vestæ favet, quod fascinus a Vestalibus colebatur.

104. Ald. et nonnulli vulg., *quondam* pro *quidam*. Juretus *quidam* dictum ait quasi in contemptum. Veteres in summum odium alicujus ne nominandum quidem censebant. De Hellespontiaco Priapo videndus Arnobius, lib. III.

107. Barthius, lib. X Adv., cap. 2, legit ex aliquo codice *ruricolas*, sed cum in antiquioribus invenisset *rusticolas*, conjecit *lustricolas*: nam lustra densa et obscura ferarum latibula sunt, ubi scorta initio habitabant, dicta propterea lupæ. Postea urbanæ earumdem speluncæ appellatæ etiam sunt *lustra*. Heinsius non videtur legisse aut intellexisse Barthium: ait enim, Barthio arridere *ruricolas*. Juretus etiam alicubi invenit *ruricolas*, sed ex suo codice emendavit

Et densas sepes obscena cubilia inire :
706 Indomitum intendens animum, semperque paratum
Ad facinus, nunquam calidis dabat otia venis.
Hic deus e patrio prænobilis Hellesponto
Venit adusque Italos sacris cum turpibus hortos :
Sinum lactis, et hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris servat vineta Sabini,
Turpiter affixo pudeat quem visere ramo
Herculeus mollis pueri famosus amore
A
Ardor, et in transtris jactata efferbuit Argo.
707 Nec maris erubuit Nemea sub pelle fovere
Concubitus, et Hylan pereuntem quærere cælebs.
Nunc Saliis, cantuque domus Pinaria templum
Collis Aventini convexa in sede frequentat.
Thebanus juvenis superatis fit deus Indis,
Successu dum victor ovans lascivit, et aurum
Captivæ gentis revehit, spoliisque superbus
Diffluit in luxum cum semiviro comitatu,

GLOSSÆ VETERES.

110. Otia, *securitatem*, I.

111. Hic, *talis : per ironiam dicit.* — Hellesponto, *Hellespontus est civitas in Lampsaco insula*, I.

113. Sinum, *vas in quo mulgetur.* — Quotannis, *singulis*, I.

114. Vineta, *a vinea, viteta a vite, dumeta a dumis.* — Sabini, *Italici, oppidum Italiæ*, I.

115. Turpiter, *ramum enim gerit in manu, unde videtur vineas defendere et hortos sibi commissos.* — Pudeat, *unumquemque*, I.

116. Mollis, *stuprati*, I.

117. Ardor, *amor, minna.* — Jactata, *pro in jactatione fatigata ; naufragio.*—Efferbuit, *arsit.* — Argo, *nave*, I.

118. Maris, *masculini.* — Nemea sub pelle, *Colchida : nam Nemea, filia regis Colchorum, quam illa Herculi dedit. Hercules cum Pallantea, Evandri filia, concubuit sub pelle leonis, qui in Nemea silva captus est*, Iso.

119. Hylan, *nec erubuit ille cælebs, id est cælestem* (forte *cælibem*) *vitam ducens.* — cælebs, *abstinens*, I.

B 120. Saliis, *saltationibus : salii dicuntur, qui tripudiantes aram circumeunt Herculis : require fabulam in Virgilio : dicti ab exsiliendo.* — Domus, *familia.* — Pinaria, *Pinarius et Potitius sacerdotes Herculis fuerunt*, I. — Saliis, *saltationibus*, Rat.

121. — Aventini, *mons dictus ab adventu avium : nam ex Tiberi fluvio emergentes, excelsa ipsius montis petunt*, I.

122. Thebanus juvenis, *Liber pater*, I.

123. Successu, *prosperitate.* — Lascivit, *luxuriose egit*, I.

125. Diffluit, *dissolvitur in luxuriam.* — Semiviro, *castrato : nam castratum habuit secum quemdam, mollem et enervem*, I.

COMMENTARIUS.

rusticulas. In nonnullis vulg. est *rusticolas*, et erat etiam in Aldo, sed is correxit *rusticulas*. Ex editis solum invenio *ruricolas* in Fabricio. Codd. mss. alii, *rusticolas*, ut Alex. et Urb. ; alii *rusticulas*, quod præferendum videtur, et exstat etiam in Cicerone, Martiali, Ausonio, quasi diminutivum a *rusticus*. Teolius edidit *rusticolas*, et existimat, a Prudentio *rusticolas* lupas fortasse accipi pro puellis quæ pecorum pastui invigilant. Lactantius lib. I Divin. Instit., cap. 20, de Lupa nutrice Romuli : *Fuit Faustuli uxor, et propter vulgati corporis vilitatem Lupa inter pastores, id est meretrix, nuncupata est, unde etiam lupanar, dicitur.* Vat. A, male, *salictas*.

108. S. Paulus fornicem seu lupanar videtur appellare simpliciter *cubilia* ad Rom. XIII, 13 : *Non in cubilibus, et impudicitiis*, etc.

109. Cum recte procedat sensus, nescio cur Heinsius lectionem codd. sollicitare voluerit, conjiciens *Indomito intendens animo, semperque parato*. Gronovius *nervum* pro *animum* reponi malebat.

111. Sich., Mar., Weitz., *et patrio*. Lampsacus urbs est sita e regione Callipolis in Chersoneso Thraciæ ad Hellespontum fretum, quo Chersonesus ab Asia sejungitur. Glossa plane corrupta est, ut fere in omnibus aliis descriptionibus geographicis.

112. Vat. A, *sacros*, a prima manu. Codex Jureti, Egm., Pal., Vat. A, *cultoribus* pro *cum turpibus*, quod postremum retineri debet. Sacra turpia sunt Priapeia, de quibus Meursius lib. v de Festis Græcorum, et Montfauconius lib. I Antiquit. tomo I, part. 2.

113. Weitzius scribit *quodannis*, quia ita invenit in Egm. Cur non *quotannis*, cum ita alii scribant? Versus hic Virgilii est eclog. 7 : *Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quotannis Exspectare sat est, custos es pauperis horti.*

114. Intelligo rus Sabinum Horatii.

115. Egm., Pal., vitiose, *puderat* pro *pudeat*. Grangæus et Heinsius *ramum* intelligunt partem obscenam. Iso de ramo, quem gerit in manu, exponit. Horatius lib. I, satira 8, de Priapo sui ruris : *Nam fures dextra coercet . . . . . Ast importunas volucres in vertice arundo Terret fixa.* Virgilius lib. IV Georg. :
C *Et custos furum, atque avium cum falce saligna.* Huic versui in Rat. et Mar. subjicitur inscriptio *De Hercule.*

116. Barthius, lib. XXI, cap. 15, Adv., ait, pulchre Prudentium Herculis Græcum nomen Latinitate donasse, ut Horatius *Ulysseum*, Virgilius *Achilleum*. At hoc loco *Herculeus* adjectivum esse debet, scilicet *ardor Herculeus*, nisi pro *ardor* legatur *arsit*. Sensus est : Ardor Herculeus fuit famosus amore mollis pueri. Horatius lib. I. od. 3, *Herculeus labor*.

117. Thuan., *jactata ferbuit Argo*. Vat. A, *jacta*, mendose, et *efferbuit Argo*. Mar., Prag., Rat. a prima manu, *jactata efferbuit Argo*. Alii, *jactatæ efferbuit*, vel *ferbuit Argo*. Heinsius opinatur *jactatæ efferbuit Argus ;* Barthius contendit, legendum *jactatæ efferbuit Argo*, ita ut *Argo* non declinaverit. Urb., male, *ardor in transtris*. In glossa nescio quid sit *minna*, nisi forte intelligatur *migma*, aut *mimax*, hoc est, mixtura ignea adeo violenta, ut etiam sub aqua arderet. Vide Macri Hierolex.

D 118. Vat. A, corrupte, *nec mea suppelle*. Ald. et Vulg., *Nemæa pelle*. Mar., *Nemæa sub pelle*. Rat., Prag., Jureti codex, *Nemea sub pelle*, ut castigarunt Gifanius et Heinsius. Sic VIII Æneid., *Nemea sub rupe*, ex codd. emendatis. In Vat. A error metri *efferbuit* pro *erubuit*.

119. Nonnulli scribunt *Hilan*, et *cæleps*. Arnobius lib. IV, *Hylam nescio quis diligit*. Firmicus de Error. prof. relig., Valerius Flaccus lib. III Argon., Hyginus fab. 207.

120. Salii sacerdotes erant Herculis et Martis. Virg. VIII Æneid. : *Tum Salii ad cantus incensa altaria circum Populeis adsunt evincti tempora ramis.* De domo Pinaria idem Virg. : *Et domus Herculei custos Pinaria sacri.* Vide Macrobium, Servium, et alios.

121. Post hunc versum in Mar. et Rat. inscriptio *De Libero, qui et Bacchus*. Deest in Aldo et nonnullis aliis.

125. Rat., *defluit*. Codex Jureti, *in lusum*, ex veteri more scribendi. Lactantius lib. I, cap. 10 : *De-*

Atque avidus vini, multo se proluit haustu,
Gemmantis pateræ spumis, mustoque Falerno
708 Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur, et virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt : quod et ebria jam tunc
Ante oculos regis satyrorum insania fecit,
Et fecisse reor stimulis furialibus ipsas
Mænadas, inflammante mero in scelus omne rotatas.
A 709 Hoc circumsaltante choro, temulentus adulter
Invenit expositum secreti in littoris acta
Corporis egregii scortum : quod perfidus illic
Liquerat incesto juvenis satiatus amore.
Hanc jubet assumptam fervens post vina Neæram
Secum in deliciis fluitantis stare triumphi,
Regalemque decus capitis gestare coronam.
Mox Ariadnæus stellis cœlestibus ignis
Additur : hoc pretium noctis persolvit honore

GLOSSÆ VETERES.

127. Musto, *novo.* — Falerno, *mons vini optimi ferax*, I.

128. Perfundens, *jactabat vinum in equos.* — Ferarum, *nam tigrides in curru ejus esse feruntur*, I.

129. Caper, *quia contrarius est vitibus*, I.

130. Discindunt, *mordent.* — Chelydros, *serpentes*, I.

131. Bromium, *Bromius minister fuit Liberi. Bromius, id est Bacchus, a bromo, id est cellario; vel a bruma, in qua multum comeditur; cui etiam caper immolatur, quia vineis valde nocet*, I.

132. Satyrorum, *satyri rustici sunt, eo quod saturari libidine nequeunt; vel poetæ, qui nunquam sapientia saturantur*, I.

134. Mænadas, *feminas, quæ et Bacchæ, id est insanientes.* — Rotatas, *præcipitatas*, I.

135. Temulentus, *a temeto, id est vino antiquo.* I.

136. Acta, *in viriditate; amœnitas littorum; acta, loca arenosa, vel amœna : nam* ΑΚΤΕ *Græci dicunt littus*, I. *amœnitate*, Rat.

B 137. Scortum, *Neæram*, I. *Ariadnem, filiam Minois, quam Theseus reliquerat*, Vat. A.

138. Incesto, *illicito, vel polluto*, Iso.

139. Neæram, *pellicem vel concubinam*, I. *Neæram dixit, quasi communem amicam*, Rat.

142. Ariadnæus, *Ariadnem, natam Minois regis Cretæ, Liber pater in conjugium accepit; propter cujus honorem inter astra locata est, vel uxor Liberi fuit; quam cum accepisset, attulit Vulcanus coronam, in qua erant septem lapides : quam Liber ob amorem Ariadnæ in cœlo collocavit : quam modo coronam dicunt.*—Ignis, *amor, minna*, I.

143. Honore, *propter honorem*, I.

COMMENTARIUS.

latus enim Cretam cum semiviro comitatu, nactus est impudicam mulierem in littore. Imitatio Maronis IV Æneid. : *At nunc ille Paris cum semiviro comitatu.*

126. Vat. A a prima manu, *hastum*, corrupte.

127. Becmanus, in Manuduct. ad ling. Lat. cap. 6, correxit *pateræ* pro *patere*, quod in nonnullis vulg. exstabat. Ald., Bong., Torn., Widm., et alii veteres, *multo*. Sed verius videtur *musto* Heinsio cum Egm., Cauch., quia præcesserat *multo haustu*. In Alex. etiam et Jureti codice est *musto*, et in Widm. supra *novo*, ut *musto* respondeat. Mihi non displicet *multo*, nam sæpe Prudentius hujusmodi repetitionibus utitur. Imitatio Virgilii lib. I : *Ille impiger hausit Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.*

128. Rat. a prima manu, male, *injugum* pro *bijugum*. Tigrides et lynces currui Bacchi tribui solent.

130. Prag., minus probe, *creditur* pro *cæditur*. Prag., Widm. supra, Rat. a secunda manu, *chelindros*. Bong., Widm., *celindros*. Rat. a prima manu, *chelidris*. Legendum cum aliis *chelydros*. Ita etiam habet Mar., sed supra *chelyndros* cum glossa *pilos*. Martinus Roa lib. II Sing., part. 2, cap. 10, ostendit vini et colubri similitudinem, et explicat Proverbiorum D locum : *Vinum mordebit, ut coluber*. Hinc Baccho dicatus est draco; caper vero illi cædebatur, quia nocet vitibus. Virgilius lib. II Georg. : *Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Cæditur, et veteres ineunt proscenia ludi.* Arnobius lib. V : *Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen omophagiis Græcum est : in quibus furore mentito, et sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque, ut vos plenos dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oris dissipatis.* Vide etiam S. Augustinum de Civit. Dei lib. VII, cap. 21, et Julium Firmicum de Error. prof. relig. Prudentius hoc peculiare narrat, quod mænades non solum colubris coronarentur, verum etiam eos ore comprimerent : hoc enim est *discindunt*, sive, ut in codice Jureti legitur, *descindunt*, quasi colubros lacerarent dentibus. Barthius lib. XI Advers., cap. 15, putat legendum in Arnobio *ophiophagiis*, uti etiam in Clemente Alexandrino, cujus verba traduxit Arnobius. Sic Prudentius recte ait *ore discindunt*, nam ophiophagia sonant dilacerationes seu devorationes C serpentium : qualia non pauca hodie quoque a præstigiatoribus fieri videmus. Etsi autem chelydri virides dicantur etiam racemi in speciem serpentium circumpendentes, aliud tamen arguunt verba Prudentii.

131. Mar. a prima manu, itemque Rat. a prima manu, *placere;* recte emendatum *placare*, quod metrum et Latinitas exposcit.

134. Nonnulli scribunt *menadas*. Pal., mendose, *rotatus*. De his vide Catulli carmen Nupt. Pelei et Thetidos.

135. Prag., *hic* pro *hoc*. Ricciolius in Indice syllab. controvers. multis probat, primam et secundam in *temulentus* esse communem. Barthius loc. cit. contendit legendum *merulentus*, quod mihi non persuasit.

136. Juretus rejicit *arca* pro *acta ;* nescio autem ubi invenerit *arca*. Notat, *actam* esse secretum et amœnum littus, et olim lupanaria in littoribus fuisse constituta, unde videri potest defluxisse nomen Gallicum, *bordeau*.

137. Vat. A, vitiose, *cortum* et *illis* pro *scortum* et *illic*. Perfidus hic juvenis fuit Theseus.

138. Egm., *liquerat ingesto*.

139. Vat. A, male, *Neærem*. Bong., mendose, *Neætram*. Antonius Delrius Comm. in Herculem Oet. Senecæ observat, hoc loco Ariadnem a Prudentio vocari Neæram, quia meretrices bene habitas, et succi plenas, quas Attici *pugiles*, Romani vocabant Neæras. Tibullus, Horatius aliique passim hoc appellant nomine meretrices, aut suas amicas.

142. Rat. scribit *Ariadneus ;* Prag. *ariagneus*. De corona Ariadnes plura ac varia Hyginus Poetic. Astronom. lib. II, cap. 5. Paschalius de Coronis cap. 9, lib. I, de hac ipsa corona Ariadnes astris addita fuse disserit. De voce *minna* in glossa vide comment. ad vers. 117.

143. Heinsius conjicit *honoræ*, scilicet noctis; Gronovius, *hunc... honorem* per epexegesin, *persolvit hunc honorem, pretium noctis*. Mihi clarior videtur lectio codicum, *hoc honore persolvit pretium noctis.*

Liber, ut ætherium meretrix illuminet axem. A
Tantum posse omnes illo sub tempore reges,
710 Indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,
Ut transire suis cum sordibus induperator
Posset in æternum cœli super ardua regnum.
Regia tunc omnis vim majestatis, et omnis,
Parva licet, cœli imperium retinere potestas
Credita; thure etiam ducibus, parvoque sacello
Impertitus honos: quem dum metus, aut amor, aut spes
Accumulant, longum miseris processit in ævum
Mos patrius. Cœpit falsæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloso errore nepotes.
Tum quoque, quæ vivis veneratio regibus ante
Contigerat, functis eadem jam munere lucis
Cessit, et ad nigras altaria transtulit urnas.
Inde puellarum ludibria, pignora, partus,
Et furtivus amor juvenum, et deprensa jugalis
711 Corruptela tori: quoniam regalibus aula
Fervere tunc vitiis solita est, nec perdita luxu
Divorum soboles sancti meminisse pudoris.
Atque ut, Roma, tuos cœlesti ex sede parentes,
Queis te semideam jactant auctoribus ortam,
Præstringam breviter, Gradivum, vel Cythercam,
Ille sacerdotem violat: contra illa marito
Succubuit Phrygio: coitus fuit impar utrique.
Nec terrestre deam decuit mortale subire
Conjugium, nec cœlicolam descendere ephebum
Virginis ad vitium, furtivoque igne calere.
712 Sed Venus, augusto de sanguine femina, vili,
Privatoque viro vetitum per dedecus hæsit.
Et, si Rhea sacram lascivi Martis amore
B Lusa pudicitiam fluviali amisit in ulva,
Crediderim generosæ aliquem stirpis, sed eumdem

GLOSSÆ VETERES.

146. Ducebat, *æstimabat*. — Ineptia, *stultitia*, I.
149. Regia, *aula*, I.
154. Mos patrius, *fuit, cum dicebant: Hos coluerunt patres nostri, et ideo nos similiter*, I.
155. Nebuloso, *mendaci*, I.
157. Lucis, *vitæ*, I.
158. Cessit, *contigit*, I.—Urnas, *sepulcra*, I, Rat.
159. Ludibria, *erant: puellæ, cum audissent ita egisse, ludebant, et ad libidinem magis excitabantur*, I.
160. Furtivus, *stuprum*.—Jugalis, *matrimonialis*, *vel legalis*, I.
163. Meminisse, *scilicet solita est*, Iso.
166. Præstringam, *commemorabo*. — Gradivum, *Martem*. — Cythercam, *Venerem*, I.
167. Ille, *Mars*. — Sacerdotem, *Rheam Silviam, sacerdotem Palladis, de qua nati sunt Remus et Romulus*. — Illa, *Venus*, I.
168. Phrygio, *Anchisæ*, I. *Trojano Anchisæ*, Vat. A, I.
169. Deam, *Venerem*, I.
170. Cœlicolam, *Martem*, I.
172. Augusto, *nobili*. — Sanguine, *Jovis*, I.
173. Privato, *pauperi, Anchisæ*, I.
175. Ulva, *herba*, I.
176. Crediderim, *ego Prudentius*. — Generosæ, *nobilis*, I.

COMMENTARIUS.

144. Prag., non male, *arcem* pro *axem*.
145. Thuan., *illo sed tempore*.
146. Prag., *dicebat ineptia;* Palat., *fatuique docebat*. Utrumque potest defendi. Muretus lib. XVIII Var. Lect., cap. 9, laudat *ineptia, ineptiæ* ex Terentio et Prudentio contra grammaticos, qui inepte *ineptiam* dici vetant, *ineptias* jubent.
147. *Induperator* pro *imperator* Ennius, Lucretius, Juvenalis aliique.
148. Rat., *possit;* melius *posset*.
151. Urb., *thura;* Egm., Widm. supra, *tura;* alicubi *turæ*, et *cura et ducibus*, vitiose. Egm., Pal., Widm. supra, Rottend. prior, *parvusque*. Opinatur Heinsius *parilisque*. Jureti codex, *thura, et ducibus parvusque*.
152. In nonnullis vulg. mendose, *imperitus honor*. Vat. A et Jureti codex, non bene, *aut honor* pro *aut amor*.
156. Ald., Bong., Gis., Heins. et recentiores, *tum quia*. Weitzius cum plerisque suis, Mar. a secunda manu, Rat., *tum quoque*. Prag. hoc ipsum voluit in *tu quoque*. Rectior videtur sensus *tum quoque*. Sententia est Lactantii lib. I, cap. 15.
159. Gronovius volebat *pignora, raptus*, quæ conjungi ita possunt (ait Heinsius), ut *raptus* sit secundus casus. Prudentius intelligit filios et partus puellarum non nuptarum. In plurimis vett. codd. scribitur *pignera*, cum sermo est de liberis et affectibus: quod Juretus confirmat his Agrætii verbis: *Pignora rerum, pignera liberorum et affectionum*.
160. Gronovius conjiciebat *defensa jugalis*. Sed melius est *deprensa*. Alii scribunt *deprehensa*.
162. Barthius, lib. LVI, cap. 9, ait, *fervere vitiis* summa elegantia a Prudentio dici, quæ parum tamen attenditur a plerisque, quia frequentissime usurpatur. Utuntur *fervo, is* Propertius, Valerius Flaccus, Petronius et alii. Illa differentia statuitur inter *fervit* et *fervet*, quod *fervit* est quod nunc æstuat, *fervet* quod diu tenet fervorem. Lucilius apud Quintilianum lib. I, cap. 6, al. 10: *Fervit aqua, et fervet, fervit nunc, fervet ad annum*. C
163. Huic versui in Rat., Mar. et aliis subjicitur inscriptio *De Marte, et Venere, Junone, et Cybele*, aut *Cybelle*, ut in quibusdam scribitur.
164. Mar. a prima manu, *ut Romanos;* recte emendatum *ut, Roma, tuos*.
165. Weitz., Widm. supra, Gifanius loc. cit., verbo AUCTUS, ex vet. lib. emendatissimo *auctam* pro *ortam*.
166. Ald., Gis., Alex., Urb., et alii, *perstringam*. Weitz., Heins. cum suis, codex Jureti, Mar., *præstringam*, quod Heinsius putat esse Prudentianum. Alii *Cythereum*, alii *Cytherean*, alii *Cithercam* scribunt.
168. Ald., Gis., Widm. supra, Bong., Mar. et alii, *succumbit*.
169. Duo Rottendorph., Widm. supra, Bong. a secunda manu, codex Jureti, *mortalis obire*, quod tenuit Heinsius, quia *terrestre* et *mortale* idem sonant. Cham., Cell. et Teol. cum Heinsio faciunt. Gis. et D nonnulli vulg., *mortalis inire*. Ald., Sich., Weitz. cum suis, Fabr., Urb., Mar., Thuan. aliique Heinsiani et nostri, *mortale subire*. Gifanius loc. cit., verbo EPITHETA GEMINATA, ex vet. lib. legit *mortale subire*, et Servium aliosque grammaticos reprehendit quod vitiosum in versu esse docuerint, duo uni nomini attribui epitheta, cum sæpe Virgilius et Lucretius id fecerint, Ennius et antiquissimi sæpissime, quod tamen non est probandum. Exempla ipse congerit, et videri alia possunt apud Vulpium in Comment. Catulli vers. 1 præfat., ut alios omittam.
171. Mar., Prag., *furtitove igne*.
174. Prag., male, *Citherea sacram*.
175. Widm. supra, mendose, *nisa* pro *lusa*. Vat. A, minus bene, *misit*, et a prima manu, *in ulvam*.

Moribus infamem, compressa virgine per vim, A
Se dixisse deum, ne stuprum numinis ullus
Objicere auderet turpi, miseræque puellæ.
Hæc Italos induxit avos vel fama, vel error,
Martia Romuleo celebrarent ut sacra campo,
Utque Palatinis Capitolia condita saxis
Signarent titulo proavi Jovis, atque Pelasgæ
713 Palladis, et Libyca Junonem ex arce vocarent,
Cognatos de Marte deos, Veneris quoque nudum
Accirent proceres Erycino e vertice signum.
Utque deum mater Phrygia veheretur ab Ida,
Bacchica de viridi peterentur ut orgia Naxo:
Facta est terrigenæ domus unica majestatis,
Et tot templa deum Romæ, quot in orbe sepulcra
714 Heroum, numerare licet: quos fabula Manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.
Hos habuere deos Ancus, Numitor, Numa, Tullus.
Talia Pergameas fugerunt numina flammas.
Sic Vesta est, sic Palladium, sic umbra Penatum:
Talis et antiquum servavit terror asylum.

GLOSSÆ VETERES.

180. Induxit, *decepit*, I.
181. Martia, *campus Martis Romæ*. — Sacra, *sacrificia*, I.
182. Capitolia, *templa*. — Condita, *constructa*, Iso. B
183. Titulo, *memoriæ*. — Pelasgæ, *græcensis, græcæ. Pelasgi dicuntur Græci, a Pelasgo ductore Græco nominati*, I.
184. Palladis, *Minervæ*. — Libyca, *Africana*, I.
185. Cognatos, *parentes Martis*. — Nudum, *clarum, vel purum, quia nuda Venus pingebatur*, I.
186. Accirent, *vocarent*. — Erycino, *Eryx mons*. — Vertice, *de vertice*, I.
187. Mater, *Opis, quæ in Ida monte colebatur*, I.
188. Viridi, *quia viret olivis, vel vitibus*. — Orgia, *sacrificia*. — Naxo, *mons, vel insula, ubi Bacchus colebatur*, I.
191. Manes, *deos inferni*, I.
193. Ancus, etc., *hi fuerunt principes Romanorum*, I.
195. Sic Vesta, *talis*. — Sic Palladium, *tale est templum Minervæ*, I.
196. Terror, *divinitas*. — Asylum, *domum refugii*, I.

COMMENTARIUS.

180. Tertullianus cap. 4 de Idolol.: *Omnia igitur colit humanus error præter ipsum omnium conditorem*. Minucius pariter tradit Romanos omnia omnium falsa numina coluisse, quem ad locum plura disserunt Elmenhorstius, Ouzelius, Wowerus, Rigaltius. Sententia hæc erat Romanorum, *omnes deos colendos esse sapienti:* idcirco verum Deum et religionem Christianam aversabantur, quod hic cultus cultui falsorum deorum esset contrarius. Hinc intelliges, imbecillum esse argumentum nonnullorum qui putant exaggeratas esse persecutiones Romanorum in Christianos, quia Romanorum religio omnes religiones admittebat. Siquidem aliæ gentes ita deos suos venerabantur, ut non negarent alios coli debere. Contra Christiana religio bellum omnibus idolis indixit. Accedebat implacabile Judæorum in Christianos odium, quo sæpe ethnicos instigatos compertum est.

181. Hæc sacra *equiria* dicebantur, quæ erant ludi in honorem Martis, in campo Martio per cursum equorum celebrati. Ovidius in Fastis lib. III.

182. Cellar. et Teol. notant, montem Palatinum diversum esse a Capitolino, adeoque laxe sumi pro quolibet colle Romano. Pro Jove Capitolino sumi *Capitolia* observatum est vers. 444 Apoth. Chamillardus ait accipi *Capitolia* pro quovis templo sublimi et insigni, maxime Jovi dicato. Sed recte addit templum Jovis Capitolini posse dici conditum saxis Palatinis, quia montis Palatini saxis fuerit exstructum. In templo Capitolino tria erant delubra, medium Jovis, dextrum Minervæ, lævum Junonis, ut comprobat Donatus lib. II de Urbe Roma, cap. 4.

183. Juppiter pater Martis fuit; hinc proavus Romanorum. Chamillardus proavum vocari ait, quia Veneris fuit parens. Sed sermo hic est de diis cognatis ex Marte, ut vers. 185.

184. Juno a Carthaginiensibus maxime culta. Virgilius lib. I Æneid.

185. Displicet Heinsio quod Barthius curis secundis ad Claudianum castigare voluerit *cognatos dei Sparta deos*. Giselinus explicat, deos contingentes sese mutuo, quod sorte bellica victi similiter Romam traducti essent. Sed suspicatur legendum *cognatos de matre deos*, hoc est Castorem et Pollucem, natos ex eodem ovo, quod Leda, a Jove compressa, peperit. Hæc conjectura multum arridet Chamillardo. Ego puto, a Prudentio clare vocari Jovem, Palladem et Junonem deos Romanorum cognatos de Marte, sive ex parte Martis.

186. Celeberrimum Veneris templum erat in monte Eryce in Sicilia.

187. Vide Ovidium lib. IV Fastor.

188. Alter Rott., *Bacchia*. Vat. A, mendose, *Bacchida*. Naxus insula Baccho dicata.

189. S. Leo in serm. 1 de SS. Petro et Paulo: *Diligentissima superstitione habebatur collectum* (Romæ) *quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum*.

190. Weitzius cum suis, Thuan., alter Rott., Prag., Rat., Gif., verbo AUCTUS, ex vet. lib., *quot in orbe sepulcra*: quod omnino verum esse ait Heinsius. Ald., Gis., Mar., Vat. A, Urb., Teol. et alii, *in urbe*. Juretus approbat *in urbe sepulcra Heroum*. Sed falso putat omnes libros et vulgatos et veteres ita habere, excepto quodam deterioris notæ, ubi legit *quot in urbe sepultos Heroes*. Advertit, templa paganorum primum fuisse sepulcra, ut docent Clemens Alexandrinus, S. Cyrillus Alexandrinus, Julius Firmicus, Arnobius et alii. Kirchmannus lib. II, cap. 16 de Funer. Rom., hinc confirmat plurima olim sepulcra intra Urbem exstitisse, præsertim clarissimorum virorum et virginum Vestalium. Eutropius fortasse de sepulcris imperatorum loquitur, cum ait de Trajano: *Solus omnium intra Urbem sepultus est. Ossa collata in urnam auream in foro quod ædificavit sub columna sita sunt*. Inanis quorumdam opinio est urnam illam auream supra columnam fuisse collocatam; neque dubito quin adhuc sub columna sit. Cæterum mihi multo magis placet *in orbe*. Id enim objicit poeta Romanis, quod heroes omnes, quorum in orbe exstarent sepulcra, templis venerarentur. D

191. In Prag. pro *manes* videtur esse *inanes*; Egm., *manens*, lege *manes*. Conjicio *quot fabula manes*: ita enim procedit sententia Romanos colere quotquot fabula jam mortuos nobilitaverat. Horatius lib. I, Od. 4: *Jam te premet nox, fabulæque manes*.

192. Prudentius populum Romanum vocat *nostrum populum*, quamvis Romæ natus non fuerit. Non ergo ratio hæc satis est efficax, ut Cæsaraugustanus, aut Calagurritanus censeatur.

193. Vat., corrupte, *Tellus*, pro *Tullus*.

194. Prag., vitiose, *fugierunt*.

195. De Palladio vide vers. 544 lib. II; de Penatibus vers. 965 ejusdem lib. II in Symmach.

196. Ald. et nonnulli alii, *terra asservavit asylum*. Heinsius aliquando putabat *reseravit terror*: Grono-

Ut semel obsedit gentilia pectora patrum
Vana superstitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus. Tener horruit hæres,
Et coluit, quidquid sibimet venerabile cani
Monstrarant atavi : puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit : gustaverat inter
Vagitus de farre molæ : saxa illita ceris
Viderat, unguentoque Lares humescere nigros.
715 Formatum fortunæ habitum cum divite cornu,
Sacratumque domi lapidem consistere parvus
Spectarat, matremque illic pallere precantem.
Mox, humeris positus nutricis, trivit et ipse
Impressis silicem labris, puerilia vota
Fudit, opesque sibi cæca de rupe poposcit,
Persuasumque habuit, quod quis velit, inde petendum.
716 Nunquam oculos, animumque levans rationis ad arcem
Rettulit : insulsum tenuit sed credulus usum
Privatos celebrans agnorum sanguine divos.
Jamque domo egrediens, ut publica festa, diesque
Et ludos stupuit, celsa et Capitolia vidit,
Laurigerosque deum templis astare ministros,
Ac Sacram resonare viam mugitibus ante
Delubrum Romæ (colitur nam sanguine et ipsa

GLOSSÆ VETERES.

203. Molæ, *mala genus sacrificii de farre et sale.* — Illita, *polita*, I.
204. Unguento, *cum oleo.* — Lares, *ignes*, I.
205. Fortunæ, *deæ.* — Divite cornu, *id est aureo. Fortuna fertur habere in dextra manu cornu, quod nymphæ omnibus bonis repleverint*, I.
208. Trivit, *osculatus est*, Rat.
211. Persuasum, *certum, speratum*, I.
213. Insulsum, *stultum, imprudentem*, I.
214. Privatos, *pauperes*, I.
216. Capitolia, *templa*, I.
218. Sacram viam, *Sacra via est Romæ, sicut et Latina : in ea via reconciliati sunt Sabini et Romani.* — Mugitibus, *a mugitibus scilicet boum vel ovium.* — Ante, *coram se*, I.
219. Delubrum, *templum Veneris et Romæ deæ pari altitudine se extollebant.* — Et ipsa, *ironia.* I.

COMMENTARIUS.

vius, *sacravit terror.* Non est sollicitanda lectio communis *antiquum servavit terror asylum;* in Oxon. *antiquam*, minus bene. Virgilius lib. VIII : *Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum Rettulit.* Post hunc versum Mar., Rat. et alii pro titulo : *Unde error invaluit.*

198. Vat. A et Prag., *una superstitio.*

199. Juretus notat, passim ab optimis scriptoribus horrorem et venerationem simul conjungi.

201. Rat., *monstrarent.* Ald., Weitz., Palat., Gis., Heins. et alii, *primo.* Mar., Prag., Rat. et alii Weitziani, *prima.*

204. Mar. scribit *ungento.* De consuetudine veterum ungendi terminos, sive lapides qui pro terminis erant, dicam ad lib. II. Hoc eodem sensu explicari valet *saxa illita ceris* vers. super., ut alibi ostendi : quanquam intelligi etiam potest, statuas ipsas ceris versicoloribus, quod ab antiquis usitatum est, fuisse pictas. Janus Rutgersius Var. Lect. lib. V, cap. 4, multa affert, quibus suadet, *genua incerare deorum* nihil aliud esse nisi vota affigere cera in femore, ex Apuleio et Juvenali, satira 9 : *Quando ego figam aliquid?* Satis in hanc rem evidentia sunt verba Luciani in Philopseude de quadam statua : *Multi ante pedes ejus oboli jacebant, ac alia quoque numismata, nonnulla argentea cera ejus cruri affixa; laminæque ex argento, vota alicujus.* Potest igitur ita etiam exponi hic locus, præsertim quia sæpe vota vetis superaddebantur. Lucretius lib. VI, *Nec votis nectere vota.* Olearius ad Philostrati Heroica, cap. 2, not. 13, pag. 673, hunc Prudentii locum explicat, et distinguit eos qui deos inungebant honoris causa, et qui genua deorum incerabant, sive saxa ceris illinebant, scilicet cera tabulam affigebant quæ vota contineret. Philostrati verba de statua hæc sunt : *Atterendoque eam et tempus, et illi, ita me amet Juppiter, qui inungere solent, aut vota cera affigunt, speciem immutarunt ejusdem.*

205. Arnobius lib. VI sæpe *habitum* usurpat de forma statuarum : *Mulciber fabrili cum habitu : aut fortuna cum cornu, pomis, ficis, aut frugibus autumnalibus pleno.*

206. *Lapidem* pro simulacro Arnobius, Minucius, etiam Livius accipiunt. Primis temporibus lapides et stipites pro simulacris deorum habitos, multi opinantur. Sed stipites, lapides et columnæ, quæ pro diis colebantur, ut ego quidem existimo, plerumque aliqua rudia lineamenta humanæ formæ præferebant

209. Egm., Pal., Vat. A, codex Jureti, *impressit:* quæ lectio defendi potest simili loco Propertii lib. I, eleg. 16 : *Osculaque impressis nixa dedi genibus.* Pro alia lectione facit S. Hieronymus epist. 3. ad Rufinum : *Quam illud os, quod merum vel erravit aliquando, vel sapuit impressis figerem labiis?* Confer notationes Woweri, Elmenhorstii, Heraldi, Rigaltii et Ouzelii ad hæc Minucii verba : *Manum ori admovens, osculum labiis pressit.*

210. Heinsius conjecit *cæsa* pro *cæca.* Hanc conjecturam secutus est Cellarius. Teolius etiam *cæsa* expressit, et utrumque in Vatt. esse confirmavit. Mariettus solum vidit *cæca* in suis, et id mihi magis placet; quia scilicet cæca et surda simulacra solent dici. Rat. et Weitz. cum suis, *opemque*, non male.

211. Fabr. Boug., *quid quis.* Egregie probat Prudentius, ethnicos ex errore cœpisse deos colere, ex præjudicatis, et præconceptis a tenera ætate opinionibus in eodem cultu perstitisse. Simili arguendi ratione nonnulli impii homines veritatem religionis Christianæ infirmare conantur : sed ineptissime. Nam Prudentius prius ostendit cultum deorum aperto mendacio et errore cœpisse : tum addit vers. seqq., gentiles nunquam rationes sui cultus ad trutinam revocasse, sed solum ob usum et consuetudinem in superstitione perstitisse. At religio Christiana illico qualis esset, patuit, neque erroribus invalescentibus aucta est. Eam, quamvis multa obscura tradentem et difficilia præcipientem, homines jam adulti aliisque religionibus innutriti susceperunt. Nunc quidem plerique in ea nati educatique sunt; sed nihilominus argumenta quibus ejus veritas demonstratur obvia passim sunt, et omnem dubitationem valent expellere.

212. Ald., Torn., mendose, *non qui*, pro *nunquam.* Egm., Palat., Vat. A, codex Jureti, *animamque.*

215. Mar. a prima manu, *namque domo.*

216. Virgilius, Cassiodorius et alii, *Capitolia celsa.* Confer glossas.

217. Rat. a secunda manu, *lanigeros.* Retine *laurigeros.*

218. Ald., *at Sacram;* alii, *ac Sacram.* In Mar. et Rat. post hunc versum lemma *De simulacro Romæ, et variis simulacris.* Alii solum, *De simulacro Romæ.*

219. Smyrnei primi templum urbis Romæ tanquam deæ statuerunt. Alabandenses secuti sunt exemplum, et ludos anniversarios addiderunt. Adrianus in Urbe ipsa struxit Veneris et Romæ templum. Vide Lip-

717 More deæ, nomenque loci, ceu numen, habetur, A
Atque Urbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa: simul geminis adolentur thura deabus),
Vera ratus, quæcunque fiant auctore senatu,
Contulit ad simulacra fidem, dominosque putavit
Ætheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.
Illic Alcides, spoliatis Gadibus, hospes
Arcadiæ fulvo ære riget: gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
Nocturnique equites, celsæ duo numina Romæ,
718 Impendent, retinente veru, magnique triumphi

GLOSSÆ VETERES.

222. Deabus, *Romæ et Veneri*, I.
223. Vera ratus, *infantia puerorum*, *vel omnis paganus*, I. *Scilicet puer, de quo supra*, Vat. A.
226. Illic, *in templo Romæ*. — Alcides, *Hercules*, *ab Alcæo patre*. — Gadibus, *Gades sunt insulæ juxta Britanniam, quas Hercules spoliavit, ibique Geryonem interfecit*. — Hospes, *Evandri*, I.
227. Riget, *illic stat*. — Gemini, *Castor et Pollux, scilicet stant*, I.
228. Corrupta, *ignobili*. — Ledeia, *epexegesis*, *filii Ledæ*, I.
229. Nocturni, *quia in nocte splendent, et quia domitores equorum erant. Equites, quia forte adhuc vivi nocte equitabant; vel propter duas stellas dicit, quæ, dum moventur, equitare videntur*, I, Vat. T.
230. Impendent, *scilicet curvi*. — Retinente, *scilicet cursum, quo utebantur*, Vat. T. — Retinente veru, *id est sagitta*, Vat. S.

COMMENTARIUS.

sium lib. III de Magnit. Rom. imp., cap. 6, et Patinum imper. Roman., numism. pag. 5, ubi exhibet numismata cum inscriptione ΘΕΑ ΡΩΜΗ, et plura addit de cultu Romæ exhibito a Synnadensibus, Temenothuritanis, Amorianis, Ancyranis. Prudentius loquitur de templo quod Adrianus Veneri, Æneadum matri; et Romæ, quasi ejus proli, statuit. Donatus, de Urbe Roma lib. III, cap. 5, putat idem fuisse templum cum duabus ædiculis: Teolius cum Ciampinio tenet fuisse duo diversa, sed simul juncta, et postea in ecclesiam SS. Cosmæ et Damiani conversa. Claudianus alio in loco templum Romæ videtur collocare lib. II Stilic., videlicet in monte Palat.: *Conveniunt ad tecta deæ, quæ candida lucet Monte Palatino.* Sermo est de Romæ templo. In hortis S. Mariæ Novæ, sive monasterii S. Franciscæ Romanæ exstant adhuc muri duorum templorum quæ inter se unita erant, quæ alii putarunt esse Isidis et Serapidis, alii Solis et Lunæ. Famianus Nardinus lib. III, cap. 12, Romæ antiquæ, pro certo habuit hæc esse templa Veneris et Romæ. Cl. Carolus Fea, qui in eadem erat opinione, C cum mihi commonstravit, remque ita se habere plane persuasit. Ut enim adhuc apparet, pari culmine hæc duo templa se tollebant, et ita inter se postica parte adhuc conspiciuntur unita, ut in ipso medio muro quo conjunguntur magnum pateat ostium arcuatum; ac fortasse in hoc ostio ara communis erecta erat, qua geminis simul deabus thura adolebantur. Exstant hæc duo templa in monte Palatino, unde in viam Sacram prospectus erat: non enim via Sacra arcum Titi intercurrebat, ut nonnulli putant, sed eo fere loco procedebat quo nunc est ecclesia S. Mariæ Novæ: qui locus olim multo erat humilior et depressior, nunc ruderibus ædificiorum congestis sublimis apparet. Clare igitur jam intelligitur cur dicat Prudentius: *Sacram resonare viam mugitibus ante delubrum Romæ.* Huic vero sententiæ comprobandæ maxime favent verba Xiphilini e Dione Cassio in Adriano, de quo ait: *Formam templi Veneris, quod Romæ fecit, ad eum* (Apollodorum architectum) *misit, ut magnum opus absque opera ejus fieri posse ostenderet: tum quæsivit ex eo, num id templum bene et ratione ædificatum esse videretur. Is rescripsit altius ampliusque multo fieri oportuisse, quo magis et propter altitudinem suam in viam Sacram emineret, et propter amplitudinem machinas reciperet, quæ clam in eo compactæ de improviso in theatrum perducerentur. Porro simulacra majora esse dicebat, quam ratio altitudinis amplitudinisque templi pateretur. Etenim*, inquit, *si deæ surgere atque inde exire voluerint, non poterunt.* Confer comment. ad vers. 765 lib. II. In nummis plurium imperatorum ex ære licet templum sex columnarum cum inscriptione *Romæ Æternæ*: de qua appellatione fuse disserit Juretus ad lib. II Symmach. B epist. 55. Consuli possunt de Romæ templo Ammianus Marcellinus, Spartianus, Tacitus, Cassiodorius, Xiphilinus.

223. Ald., Torn., Gall., *Vera ratus quæcunque senatu auctore probentur*. Ita Vat. A, sed *probantur*, non *probentur*. Cum Vat. A faciunt Alex., Egm., Pal., Widm. supra, codex Jureti. Heinsius ait, Thuan. et alios tam suos quam Weitzianos habere *quæcunque senatu auctore probentur*. Sed Weitzius habet *probantur*; quanquam affirmat, ita Aldum edidisse, in quo ego solum invenio *probentur*. Idem Weitzius innuit in Widm. a prima manu esse *quæcunque fiant auctore senatu*; ad oram, *fuant*. Colerus etiam invenit *fuant*, Cauchius *cluant*, et ita emendandum censet quoties in Prudentio occurrit *fiat*, prima correpta. Prag., Mar., unus Rott., Weitz., Gis. aliique recentiores, *quæcunque fiant auctore senatu*. Rat., recenti manu, *fiant quæcunque*, abrasis prioribus. In Mar., mendum est *sanatu*. Notum est, senatum Romanum C de religionibus judicasse. Tertullianus, cap. 5 Apolog., *Vetus erat decretum, ne qui deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus.*

224. Vat. A error est *putabit*.

226. Vat. A, Rat. a prima manu, Mar. a prima manu, Urb. vitiose, *spoliatis gradibus*. Existimat Grangæus, Prudentium loqui de foro quod construxit Augustus, in cujus altera porticu erant statuæ regum Latinorum, in altera Romanorum. Hercules dictus est Alcides ab Alcæo avo, non patre, ut ait Iso; qui male *Gades* exponit.

227. Ald., Weitz., Widm., Bong., scribunt *Archadiæ*. Rat., Mar., *Arcadia*. Prag., *Archadio*. Heinsio videtur durus et insolens loquendi modus *hospes Arcadiæ* pro *hospes Arcadis*, hoc est Evandri. Gronovius opinabatur *Arcadii*, Heinsius *Arcadis e fulvo*. Fortasse Prudentius vult, Alcidis statuam ex ære Arcadiæ esse, quasi ab Evandro jam olim positam. Scilicet *riget ære Arcadiæ*.

228. Prag. pro *nothi* habet *riget*, et supra glossa D *in statuis aureis*. Imitatur illud *Supposita de matre nothos* lib. VII Æn.

229. Vat. A, depravate, *avo* pro *duo*. Lactantius, lib. II, cap. 8: *Deinde illud, quod Castor et Pollux bello Latino apud lacum Juturnæ visi sunt equorum sudorem abluere, cum ædes eorum, quæ juncta fonti erat, sua sponte patuisset, iidem bello Macedonico equis albis insidentes P. Vatinio Romam* NOCTE *venienti, se obtulisse dicuntur, nuntiantes, eo die regem Persen victum atque captum.* Iso aliter explicat *nocturni equites*.

230. Fabr., Gis., Weitz. cum suis, Mar., Rat., Prag., alter Rott., vulg., *retinentque veru*, et Prag. addit glossam *hastam*, quam lectionem et explicationem approbat Mariettus. Ald., Vat. A, Jureti ms, *impendent retinente solo*; unus Rott., *dependent reti*

Nuntia suffuso figunt vestigia plumbo.
Assistunt etiam priscorum insignia regum,
719 Dux Italus, Janusque bifrons, genitorque [Sabinus,
Saturnusque senex, maculoso et corpore Picus,
Conjugis epotum sparsus per membra venenum.
Omnibus ante pedes posita est sua cuique sordens
Arula. Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis, epulisque sacris, quas inveterato,
Heu! miseri sub honore agitant, et gaudia ducunt
A Festa Calendarum. Sic observatio crevit,
Ex atavis quondam male cœpta: deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta.
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,
720 Mosque tenebrosus vitiosa in sæcula fluxit.
Hunc morem veterum docili jam ætate secuta
Posteritas, mense, atque adytis, et flamine, et aris
Augustum coluit, vitulo placavit, et agno.

GLOSSÆ VETERES.

232. Insignia, *statuæ*, I.
234. Picus, *filius Saturni, de quo Virgilius: Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas*, I.
235. Epotum, *syncope pro epotatum; datum a conjuge.* — Sparsus, *sparsum habens*, I.
237. Mense, *Januario*, I.
238. Auspiciis, *ominibus, auguriis*, Iso.
239. Agitant, *frequentant*, I.
240. Calendarum, *vocationum*, I.
243. Catenam, *malam consuetudinem quæ ligat hominem*, I.
246. Mense, *quia in honorem ejus octavus mensis appellatus est.* — Adytis, *templis, sacrificiis.* — Flamine, *sacerdote*, I.
247. Augustum, *Octavianum*, I.

COMMENTARIUS.

nente solo. Thuan., Oxon., Alex., Urb., Heins. et recentiores, *impendent retinente veru.* Sed Chamillardus et Heinsius putant, *veru* esse hastam sive instrumentum bellicum, ut *veru sabellum* apud Virgilium, et ita vertit versu Italico Ansaldus: *Sono appoggiati alle lor' aste, e fatti Di fuso piombo arrestano i lor passi.* Holstenius in epist. de Fulcris seu Verubus Dianæ Ephesiæ, ex glossario Latino optimæ notæ, in tribus codicibus Vatt. tradit, verua esse virgas aut virgulas ferreas. Exponit autem Prudentium de hujuscemodi fulmentis ferreis oblongis, quibus statuæ solent retineri, ac putat errorem vulgi notari, eas statuas impendentes, et jam jam casuras admirantis. Hac lectione, quam Holstenius in codice Urbinate viderat, tuetur aliam similem lectionem editionis principis Romanæ Minucii: *Diana interim est alte succincta venatrix; et Ephesia mammis multis, et verubus exstructa; et Trivia trinis capitibus, et multis manibus horrifica.* Scilicet verubus tota mammo si pectoris moles sustinebatur: nam illud signum instar Ægyptiorum simulacrorum pedibus erat arcte compressis. Holstenius affirmat, Georgium Fabricium, cum in suis exemplaribus constanter reperisset *retinente veru*, perperam correxisse *retinentque veru*. Nescio quo loco Fabricius id fassus fuerit, nisi quod in Comment. in poetas Christ. verbo GEMINI FRATRES affirmat lectionem hactenus depravatam fuisse; sed constat in veteribus edd. et mss. varias fuisse lectiones. Lectio et explicatio Holstenii mihi admodum placet; sed alia etiam defendi potest. Etsi enim legas *retinente veru*, adhuc intelligere licebit retinente ipsa hasta, cui innituntur.

231. Vat. A, vitiose, *suffusa*. Egm. et Pal., *suffosso*. Antiquus est mos infundendi plumbum basi, ut statuæ firmius hærerent. Christiani scriptores occasionem inde sumebant irridendi numina gentilium. Arnobius, lib. VI: *Jam dudum istos videretis deos..... a ruinarum casibus et dissolutionis metu, subscudibus et catenis, uncis, atque ansulis retentari: interque omnes sinus, commissurarumque juncturas plumbum ire suffusum, et salutares moras signorum diuturnitatibus commodare.* Et postea: *Si permanendi necessitatem patiuntur, quid miserius his esse, aut quid infelicius poterit, quam si eos in basibus ita unci retinent et plumbeæ unctiones?* Juretus multis probat ethnicos solitos aliquando vincula statuis injicere, ne dei aufugerent. Arguit etiam imperitiam scioli cujusdam, qui ad oram sui codicis adjecerat, Prudentii verba designare statuas fusiles et plumbeas. Tertullianus, cap. 12 Apolog., meminit plumbi in statuis: *Ante plum-* B *bum, et glutinum, et gomphos sine capite sunt dii vestri.*

233. Gis., Rat., Egm., Cauch., Widm. supra, *Tros Italus*: quod etiam volunt Oxon., *Dros Italus*, et Vat. A, *Ros Italus*, corrupte, vel quia in Vat. A. primæ litteræ versuum nonnunquam desiderantur. Mar. et Widm. iterum supra, *dux Salius*. Alii, *dux Italus*. Heinsius ita legit et distinguit *Tros*, *Italus*, ut *Tros* significet Æneam. De Italo, Sabino, Jano, Saturno vide Virgilium lib. VII, ad quem respicere videtur Prudentius. Itaque assentior Giffanio verbo *strata viarum*, qui ex V lib. legit *dux Italus*, quem ducem appellat, quia princeps auctor fuit nominis Italiæ.

236. Rat. ex correctione alicujus scioli *sua sordida cuique*. Ald., Mar. a secunda manu, Gis. et alii, *sua cuique vetusta*. Vat. A, *sua cuique vetusto*. Egm., Palat., *sua cuique vetustas*. *Agna Jano etiam*. Prag., Mar a prima manu, Oxon., Widm., Fabr., *sua cuique sordens*, ut *cuique* sit dactylus: de quo jam dixi. Molinæus, in tractatu de Altaribus, putat multitudinem C altarium, quam gentilibus exprobrat Prudentius, catholicos a paganis hausisse: at impudenter. Nam poeta irridet arulas sanguine sordidas, ante pedes hominibus monstrisque ubique locorum consecratas. Quid isthæc cum altaribus catholicorum?

237. Vat. A, male a prima manu, *de mense ligatur*. Celeberrimæ erant calendæ Januariæ, contra quas sermo exstat S. Maximi. Vide Binghamum, Orig. Christ. tom. IX, lib. XX, cap. 1, § 3, qui has ferias sine ritibus idololatricis sub imperatoribus Christianis continuatas docet, sed ita ut concilia et Patres adversus eas inveherentur.

240. Ald. male legit ac interpungit *gaudia ducunt. Festa Calendarum sic observantia crevit.* In collect. Canonum S. Martini Brachar., cap. 73 ita habet: *Non liceat iniquas observationes agere calendarum, et otiis vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc observatio paganismi est.*

244. Huic versui in Mar., Rat. et aliis succedit D lemma *De simulacro Augusti.*

246. Prag., Pal. et nonnulli alii, *mensa*, quod probat Cauchius, quia mensæ in sacrificiis pro aris erant. Heinsius ait in vetustioribus esse *mensæ*; sed ipse scripserit *mense*, nam id edidit in contextu, et ita legunt plerique. Hic mensis est sextilis, *Augustus* nuncupatus in honorem Augusti. De honoribus Augusto etiam viventi exhibitis, passim scriptores. Vide Horatium lib. II, ep. 1. Ejus caput in nummis radiis coronatum cernitur. Constat etiam feminas fuisse ejus flamines seu sacerdotes.

Strata ad pulvinar jacuit, responsa poposcit.
Testantur tituli, produnt consulta senatus,
Cæsareum Jovis ad speciem statuentia templum.
Adjecere sacrum, fieret quo Livia Juno,
Non minus infamis thalami sortita cubile,
Quam cum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
721 Conceptamque viri sobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravidæ fulcrum geniale paratur,
Jam sponsus, saliente utero nubentis, amicos
Advocat, haud sterilem certus fore jam sibi pactam.

A

Vitricus antevenit tardum præfervidus ortum
Privigni nondum geniti; mox editur inter
Fescennina novo proles aliena marito.
Idque deum sortes, id Apollinis antra dederunt
722 Consilium: nunquam melius nam cedere tædas
Responsum est, quam cum prægnans nova nupta jugatur.
Hanc tibi, Roma, deam titulis, et honore sacratam
Perpetuo Floras inter, Veneresque creasti.
Nec mirum: quis enim sapiens dubitaverat, illas

GLOSSÆ VETERES.

248. Strata, *posteritas.* — Pulvinar, *lectus deorum, lectisternium altare*, I.
249. Tituli, *inscriptiones, honores*, I.
250. Cæsareum, *Octaviani*, I.
251. Quo, *ut.* — Livia, *uxor Octaviani*, I.
255. Viri, *alterius, quam Octaviani*, Iso.
256. Geniale, *nuptiale*, I.
257. Sponsus, *adhuc*, I.

B

258. Pactam, *conjunctam, sponsam*, Iso.
259. Ortum, *nativitatem*, I.
261. Fescennina, *nuptialia carmina dicta ab urbe Fescenna; sive quia fascinum pellunt. Item Fescenninus deus nuptiarum dicitur*, Iso. *Nuptialia carmina*, Mar.
262. Deum sortes, *deorum responsa*, I.
263. Tædas, *nuptias*, I.
266. Floras, *inde floralia.*— Creasti, *deputasti*, I.

COMMENTARIUS.

250. Tacitus lib. I Annal.: *Cæterum sepultura more perfecta, templum et cœlestes religiones decernuntur:* Quod ait poeta *Jovis ad speciem*, intelligo templum Augusto decretum, perinde ac Jovi solebant templa erigi. Chamillardus aliique probabili ratione putant, imaginem Augusti specie Jovis fuisse exhibitam. Post hunc versum in Mar., Rat. et aliis, *De simulacro Liviæ, uxoris Augusti.*

251. Ald., mendose, *adjacere.* Ouzelius ad verba Minucii, *Et divi cæteri reges, qui consecrantur*, plura disputat de apotheosi Liviæ, quam habitu et nomine Junonis consecratam fuisse, ex his versibus colligit. Accedit Chamillardus. Mihi id non clare liquet. Nam verba poetæ solum innuere videntur, Liviam deam esse factam more gentilium, et honores consecutam qui Junoni tribuebantur. Livia etiam vivens per adulationem vocabatur Juno, ut Augustus Jupiter. Grangæus affirmat veteres libros habere *quo Julia Juno*, et bene, si adoptionem spectas. Nam Livia ab Augusto marito fuit adoptata, adeoque nomen Juliæ obtinuit. Exstant nummi in quibus *diva Julia Augusti filia* vocatur. Nescio autem quinam illi sint libri veteres. Giselinus quidem conjiciebat legendum *Julia* pro *Livia*, quia Augustus Juliam *filiam* Agrippæ obtrusit, a se, ut suspicio erat, corruptam. Sed dubium non est quin de Livia sit sermo.

254. Suetonius de Augusto cap. 62: *Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis, et quidem prægnantem abduxit.*

256. Ald. legit et distinguit *gerebat, Pronuba jam gravidæ fulcrum, et geniale parantur.* Ita etiam videtur legisse Mariettus in suis, excepto Prag., ubi est *paratur.* Adhæret Weitzius cum suis, sed in Bong. deest *et* post *fulcrum.* In Oxon., Alex., Urb., *fulcrum et geniale parantur.* Vera videtur lectio Giselini et aliorum, *gerebat Pronuba: jam gravidæ fulcrum geniale paratur.* Sic *lectus genialis* apud Horatium; et lib. II in Sym., vers. 615, *genialia fulcra;* vers. 1083, *fulcra jugalia.* Pro *jam* Widm. *tam*, minus bene. Colerus, pag. 568 ad cap. 1 lib. VI Valerii Maximi, putat, Prudentium dehiscere in lectum genialem, de quo Valerius: *Sanctissimumque Juliæ genialem torum.* Liviam hic intelligi Lipsius docuit. Colerus hoc loco laudat suum codicem ms. Prudentii, quem nos sub Marietti nomine allegamus: ipsum vero Prudentium vocat *ardentem, et piissimi zeli plenum poetam.*

257. Juvenalis satir. 6, vers. 599: *Et vexare uterum pueris salientibus.*

259. Augustus est vitricus, Drusus privignus; quia Livia erat uxor Augusti, mater Drusi.

261. Livia intra tertium mensem peperit: adeoque quodammodo inter nuptialia carmina. Giselinus objicit Liviam ex adulterio cum Augusto concepisse, et Suetonium testem allegat. Verum Suetonius solum ait suspicionem ejus rei fuisse. A Fescennio Etruriæ oppido versus nuptiales, obscenitate pleni, Romam allati dicuntur. Hinc *Fescennina licentia* apud Horatium. *Fescennia* minus bene in nonnullis vulg.

C

262. Gifanius, verbo FAC, contendit legendum *Utque deum sortes, sic Apollinis antra dederunt*, ex vett. libris, in quibus tamen erat *atque deum*, et in uno cum litura *idque deum.* Heinsio displicet quod Gifanius pessimo exemplo ita castigare voluerit, nihil legem metricam moratus. Verum ipse Heinsius sæpe ita peccat. Weitz., ut videtur, cum suis, Thuan., alter Rott., Mar., Prag., Rat., Alex., *id Apollinis.* Ald., Gis., Urb., *et Apollinis.* Balthus, de Silentio oraculorum part. 2, cap. 5, hos versus intelligit de responsis haruspicum, non de oraculis, quæ jam cessaverant; negat vero ex his versibus argui, vetera oracula meras fuisse sacerdotum imposturas, etiamsi intelligantur de oraculis. Revera Dio non Apollinem, sed pontifices consultos narrat. Id tamen non prohibet quominus etiam Apollinis aliquod oraculum aut verum, aut confictum fuerit divulgatum. Juvenalis, sat. 6, vers. 553: *Quidquid Dixerit astrologus, credent a fonte relatum Ammonis, quoniam Delphis oracula cessant, Et genus humanum damnat caligo futuri.* Van Dalens, dissert. 2 de Oraculis, ex toto hoc Prudentii loco arguit Augustum post mortem reddidisse oracula (conficta scilicet), et dum viveret oracula in vulgus fuisse sparsa, sive per ipsum, sive per ipsius et Tiberii adulatores.

D

263. Ald., perperam, *cederet ædes.* Pal., Vat. A, *credere thedas.* Mar., Prag., *cædere tedas.* Egm., Widm. summa, *credere tædas.* Alii probe, *cedere tædas.*

264. Mar., Widm. supra, *nupta vocatur.* Mar., aliena manu, *jugatur.*

266. Ald., Mar., *flores inter, Veneresque*, minus bene. Prag., *Veneremque.* Circus, et templum Floræ inter Quirinalem, et Pincium montem collocantur.

267. In Vat. A desideratur *sapiens.* Prag., contra

Mortali de stirpe satas vixisse, et easdem
Laude venustatis claras, in amoribus usque
Ad famæ excidium formæ nituisse decore?
Quid loquar Antinoum cœlesti in sede locatum?
Illum delicias nunc divi principis, illum
723 Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianique dei Ganymedem, non cyathos diis
Porgere : sed medio recubantem cum Jove fulcro,
Nectaris ambrosii sacrum potare lyæum,
Cumque suo in templis vota exaudire marito?
Ergo his auspicibus, Trajanus, Nerva, Severus,
Et Titus, et fortes gesserunt bella Nerones :
Quos terrena viros illustres gloria fecit,
Et virtus fragilis provexit in ardua famæ
Ascita e terris sub relligione jacentes.
724 Quam pudet, hoc illis persuasum, talibus ut se,
Romanasque acies censerent Martis amore
Posse regi, dum se Paphiæ male blandus adulter
Venditat, Æneadasque suos successibus auget?
Felices, si cuncta Deo sua prospera Christo
Principe disposita scissent, qui currere regna
Certis ducta modis, Romanorumque triumphos
Crescere, et impletis voluit se infundere sæclis.

GLOSSÆ VETERES.

272. Divi, *omnes imperatores Romanorum divi vocantur.* — Principis, *Hadriani*, I.
273. Gremio, *lecto, lectulo.* — Spoliatum, *castratum*, I.
274. Hadrianique, *bonus propter hoc tantum.* — Ganymedem, *amasium.* — Cyathos, *vascula*, I.
275. Porgere, *pro porrigere.* — Jove, *Hadriano*, I.
276. Ambrosii, *liquidi, divini.* — Lyæum, *vinum, quia leniter intrat*, I.
277. Vota, *preces.* — Marito, *Antinoum, quia sic propter turpitudinem maritum dicit. Ganymedes fuit amasius Jovis; ita Antinous Hadriani*, I.
279. Nerones, *reges*, I.
282. Ascitæ, *evocatæ*, I.
283. Persuasum, *placitum*, I.
285. Paphiæ, *Veneri, a Papho insula, ubi colebatur.* — Adulter, *Vulcanus*, I.
286. Successibus, *prosperitatibus, felicitatibus.* — Suos, *suos dicit Æneadas, quia ex genere Veneris Romani venerunt per Æneam*, I.
290. Impletis, *quando venit plenitudo temporis*, I.

COMMENTARIUS.

metrum, *nec mirum, si quis enim sapiens.* Cauch., Urb., bini Rott., *dubitaverit*, quod tenuit Heinsius.

270. Cauch., Weitz., *enituisse.* Sed Weitzius nullam discrepantem scripturam advertit, cum plerique habeant *nituisse.* Post hunc versum in Mar., Rat. aliisque multis exstat hæc inscriptio : *De cultu Hadriani, et Catamiti ejus.*

271. Jureti codex, Weitz., Mar., Prag., Rat. et alii, *in sede.* Gis. in contextu, et plures vulg. cum Ald., *cœlesti sede.* Hunc locum explicat Picus Mirandulanus, lib. IV de rerum Prænotione, cap. 4 : *Nec Hadriani Cæsaris exemplum longe abest, quando fœdo est Antinoi captus amore; ob idque mortuo illi et divini honores designati, et cognomina urbs parata, compositis etiam, et ementitis oraculis, ut Spartianus, et ex nostris Athanasius, Aur. Prudentius, Eusebius, alii prodiderunt. Sed et in ipso lunæ circulo ementita sedes excogitata, ut scribit Tatianus Adversus gentes, et innuit Prudentius quando ait illum* CŒLESTI SEDE LOCATUM. Athenagoras scribit Græcos novum sidus *Antinoum* inter cœlestes imagines confinxisse. De Antinoo videri etiam possunt Pausanias, Aurelius Victor, Tertullianus in Apolog., Casaubonus ad Spartianum, Bulengerus de Rom. Imp., Pignorius de Servis pag. 223, Baronius tom. II Annal. pag. 81, et Franciscus Mediobarbus Biragus Imper. Roman. numism. pag. 187, ubi multa affert. de Antinoi statuis per universum orbem terrarum, templo apud Mantineam et numismatibus.

272. Romani pueros procaces et quibus ad nefariam impudicitiam uterentur, *delicias* et *delicia* appellabant, ut ex Virgilio et Statio colligi potest. Catullus idem nomen transtulit ad passerem et amicas, Martialis ad columbam. Vide Pignorium loc. cit., pag. 95 et 96.

273. Fabr., *morte virili;* mendum puto.

274. Ald., *non erat os dis Pergere.* Legendum *cyathos diis Porgere.*

275. Medio in lecto amici discumbebant in conviviis, ut facile amatoris gremio incumberent, ut notat Chamillardus. Alioquin si tres in eodem lecto accumberent, in medio erat dignissimus. Feminæ per initia assidebant, post etiam in sinu aut gremio virorum accubuerunt. Huc opinor respexisse Prudentium; quasi Antinous uxor fuerit Hadriani. Consule Bulengerum, de Conviviis lib. I, cap. 32.

276. Ald. et vulg. nonnulli, *portare;* melius *potare.* Ganymedes Jovi pocula ministrabat, Antinous cum Hadriano simul potabat. Quamvis ambrosia fuerit deorum cibus, nectar potus, recte poeta nectar vocat ambrosium, quia ambrosius sonat immortalem. Vide vers. 22 et seqq. hymn. 3 Cath.

277. In glossa, MARITO, *Antinoum*, corrigendum est *Hadriano.*

281. Thuan., *fragiles* pro *fragilis.* Nourriemo ad hunc locum id adnotat : *Paganorum virtutes veras virtutes non fuisse, ostendit S. Augustinus contra Pelag. innumeris locis.* Nihil magis invitus ago quam ut odiosis hujusmodi quæstionibus respondeam. Itaque solum dicam, S. Augustinum quovis alio sensu potius exponendum esse, quam ut videatur docuisse theses in Baio damnatas, scilicet 22 : *Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Rom.* II, *Gentes quæ legem non habent*, etc., *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* 25 : *Omnia infidelium opera sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.* 27 : *Liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Prudentio *virtus fragilis* est, quæ nihil conducit ad gratiam et gloriam æternam.

282. Mar., Egm., Widm., Weitz., *jacentis.* Heinsius conjiciebat *Ascita terris sub relligione jacentes.* Secutus id est Teolius cum uno Vat. probatissimo. Fortasse intelligit Alex., ubi tamen est *Ascita e terris sub relligione jacentes*, cum glossa *illos.* Alii, *ascitæ*, scilicet *famæ*, quod fortasse factum est ex *ascita e terris.*

284. Alicubi, *censerunt*, et vers. seq., *blandes adulter*, vitiose.

285. Rat., Weitz., Bong., *cum se.* In glossa legendum *Mars*, non *Vulcanus.*

289. Ald., Prag., Gis., *triumphis.*

290. In Vat. A desideratur *se.* Apostolus vocat *plenitudinem temporis* ad Galat. IV, 4.

Sed caligantes animas, et luce carentes,
In Jovis, Augustique adytis, templisque duarum
Junonum, Martisque etiam, Venerisque sacellis
Mactatas, terro lethi immergere barathro,
Supremum regimen crassis in partibus orbis
Esse rati, mersoque poli consistere fundo.
Quidquid humus, quidquid pelagus mirabile gignit,
725 Id duxere deos : colles, freta, flumina, flammas,
Hæc sibi per varias formata elementa figuras
Constituere patres, hominumque vocabula mutis
Scripserunt statuis, vel Neptunum vocitantes
Oceanum, vel Cyaneas cava flumina nymphas,
Vel silvas Dryadas, vel devia rura Napæas.
Ipse ignis, nostrum factus qui servit ad usum,
A Vulcanus perhibetur, et in virtute superna
Fingitur, ac delubra deus et nomine, et ore
Assimulatus habet, necnon regnare caminis
Fertur, et Æoliæ summus faber esse, vel Ætnæ.
Est, qui conspicuis superos quæsivit in astris,
Ausus habere deum solem : cui tramite certo
726 Conditio imposita est, vigilem tolerare laborem,
Visibus objectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, tereti que globo per inane volantem,
Et quod nemo negat, mundo, cœloque minorem.
Area major enim, quam qui percurrit in illa,
Et longe campi spatium diffusius, in quo
B Emicat, ac volucri fervens rota volvitur axe.
Quamvis nonnullis placeat, terram breviorem
Dicere circuitu, quam sit pulcherrimus ille

GLOSSÆ VETERES.

291. Luce, *sapientia*, I.
292. Adytis, *templis*, I.
293. Junonum, *Junonis et Liviæ*, I.
295. Crassis, *stultis*, I.
298. Id duxere, *Romani in religionem suam*, I.
299. Figuras, *deorum*, I.
301. Statuis, *imaginibus vel columnis*. — Neptunum, *deum maris*, I.
302. Cyaneas, *aquosas*, I, Vat. A.
303. Dryadas, *deas sylvarum*. — Napæas, *deas montium*, I.
305. Perhibetur, *vocatur*, I.
307. Regnare, *dominari*, I.
308. Æoliæ, *octo insulæ sunt Siciliæ, Vulcano propter ignis emissionem deputatæ*. — Ætnæ, *montis Siciliæ, qui semper ardet*, I.
309. Conspicuis, *claris, lucidis*. — Superos, *cœlestes deos*, I.
311. Conditio, *lex*. — Vigilem, *continuum*, I.
312. Orbe, *circuitu*, I.
313. Præcipitem, *velocem*. — Per inane, *quia nec sol, neque planetæ cœteri septem fixi sunt in firmamento; sed per inane discurrunt*, I.
315. Area, *spatium campi*, I.
316. Diffusius, *latius*, I. *Latius est*, Mar.
317. Emicat, *salit*, I.

COMMENTARIUS.

292. Vat. A, male, *angustique adytis*.

293. Giselinus alteram Junonem intelligit Proserpinam. Alii Liviam : quo confirmatur conjectura, Liviam specie Junonis consecratam fuisse, ut alii imperatores et eorum uxores forma deorum dearumque exprimebantur.

294. Prag., *barathri*, perperam.

295. Ald., mendose, *orbem*.

296. Mar., *hæserat*, eadem manu correctum *esse rati*. Idem Mar., *immersoque*. Scilicet ex *esse rati*, *mersoque* factum est *hæserat*, *immersoque*. Post hunc versum, Rat., Mar., *De cultura elementorum sub specie quorumdam non deorum, sed dæmonum*.

297. Ald., Gis. in contextu, et nonnulli vulg. : *Quidquid humus, pelagus, cœlum mirabile gignunt*. Alii, *Quidquid humus, quidquid pelagus mirabile gignit*. Codex Jureti, *gignunt*, cum Widm. supra, Pal., Bong., Alex. a prima manu. Gallandius Aldi lectionem improbat, quia agit poeta de cultu elementorum, neque cœlum quis dixerit *gignere*; et mox in seqq. de sole et luna sermo instituitur. Ego puto, in Aldi scriptura *cœlum* pro aere recte accipi posse.

298. Weitz. cum suis, Rott. alter, Ox., Prag., Rat., Colerus ad Valerium Maximum pag. 568, *induxere deos*. Vat. A. Mar., *adduxere deos*. Rottend. prior, *id dixere deos*. Potiores Heinsiani, *id duxere deos*. Suspicatur Heinsius *induxere deo*, vel *deis*. Cassiodorus, lib. x Tripart. Hist., cap. 30, id dixit *deificare elementa*. Hanc insaniam exagitant S. Athanasius in orat. advers. gentes, et Lactantius lib. II, cap. 5 et 6.

299. Ald., Jureti codex, Pal., Egm., Widm. supra, *formant elementa*.

302. Cyane in fluvium conversa fingitur a poetis.

303. Ald., *silvam*. Aliqui scribunt *Napheas*, alii
C *Napeas*, alii *Naparas*.

305. Ald., *perhibetur qui virtute*. Pal., *qui in virtute*.

306. Heinsius conjicit *deis et nomine*, *et ore Assimulatus* : idque in nonnullis editionibus exstat. Alex., *deus nomine*, supra recte *et nomine*.

307. Prag., Mar., Bong., Gis., Heins., *assimulatus*. Ald., Weitz., Teol. cum aliis, *assimilatus*. Weitz., Prag., Mar. a prima manu, Rat. a veteri manu, *nec jam regnare*. Melius *necnon*.

308. Huic versui subjicitur lemma *De cultura solis, quem putant Apollinem*.

309. Vat. A, minus bene, *conspicuus*. Hic versus et duo sequentes leguntur lib. IV Astron. poet. Hygini, cap. 13 de Sole, in fine, ab impudenti sciolo inserti, quod multi non adverterunt, etiam præmonente Delrio Comment. in Med. Senecæ, pag. 72 et 73, qui notat priores duos citari a Calparnio Basso Comment. in Germanici Phainom. simili flagitio, nisi
D Bassus hic ignobilis quispiam, et tanto recentior Prudentio sit, aut imponant qui eos Commentarios illi imputant. Vide infra notanda ad vers. 365. Romani solem præcipuo honore colebant. Templum Solis et Lunæ exstabat prope amphitheatrum. Augustus soli obeliscum horarium in campo Martio dedicavit, qui nunc augustea Pii VI P. M. munificentia ante curiam Innocentianam erigitur. De hoc obelisco exstat integer liber Angeli Bandinii.

315. Heinsius suspicatur *procurrit*

317. Prag., male, *hic volucri*.

318. Heins. cum Thuan., Mar., Prag., Weitz., Gis. in contextu, *breviorem*. Alii *breviore*. Nunc quidem omnibus placet terram breviorem sole dicere. Olim dissentiebant Stoici, Lucretius, Lactantius, alii.

Circulus, et flammas immensi sideris ultra
Telluris normam porrecto extendere gyro.
Numne etiam cœli minor, et contractior orbis,
Cujus planitiem longo transmittere tractu
Circinus excurrens meta interiore laborat?
Ille Deus verus, quo non est grandior ulla
Materies, qui fine caret, qui præsidet omni
Naturæ, qui cuncta simul concludit, et implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coercet.
727 Temporibus variis distinguitur: aut subit ortu,
Aut ruit occasu, latet aut sub nocte recurrens:
Nec torquere facem potis est ad signa trionum,
Orbe nec obliquo portas aquilonis adire,
Nec solitum conversus iter revocare retrorsum.
Hic erit ergo Deus, præscriptis lege sub una
Deditus officiis? Libertas laxior ipsi
Concessa est homini: formam cui flectere vitæ,
Atque voluntatis licitum est, seu tramite dextro
Scandere, seu lævo malit decurrere campo,
Sumere seu requiem, seu continuare laborem,
Seu parere Deo, sive in contraria verti.
Ista ministranti regimen solemne dierum
Haudquaquam Soli datur a factore potestas;
Sed famulus subjectus agit, quodcunque necesse est.
Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti, et radios capitis, et verbera dextræ,
728 Et frenos, phalerasque, et equorum pectora anhela
Æris inaurati, vel marmoris, aut orichalci,
Jusserunt nitido fulgere polita metallo.
Post trabeas, et eburnam aquilam, sellamque curulem
Cernuat ora senex barbatus, et oscula figit
Cruribus æripedum, si fas est credere, equorum:
Immotasque rotas, et flecti nescia lora
Aut ornat redimita rosis, aut thure vaporat.
Hoc tamen utcunque est tolerabile, quid, quod et ipsæ

GLOSSÆ VETERES.

320. Sideris, *solis*, I.
322. Contractior, *brevior*. — Orbis, *circulus*, I.
324. Circinus, *circulus solis*, *sol*. — Meta, *fine*, I.
329. Subit ortu, *ascendit*, *crescit*, *surgit*, I.
331. Facem, *splendorem*. — Trionum, *septentrionum ad septentrionalem plagam*, I.
334. Hic erit, *ironice*, I.
341. Solemne, *solitum*, Vat. A.
342. Haudquaquam, *nequaquam*, I.
343. Agit, *facit*, I.
344. Agitare, *ducere*, I.
345. Commenti, *arbitrantur*. — Radios, *coronam auream*. — Verbera, *flagello utitur*, I.
346. Anhela, *fatigabunda*, I.
347. Inaurati, *deaurati*. — Orichalci, *aurichalcum dicitur quasi auri æs, nam calchos Græce, æs vocatur Latine. Vel si dicas orichalcus, montis æs interpretabitur*; ori *enim mons*, I.
348. Jusserunt, *ludendo pinxerunt*, Iso.
349. Trabeas, *genus vestimenti, vel vestem regalem*. — Curulem, *sedem curulem*, *sedes curialis*, I.
350. Cernuat, *humiliat*, *inclinat*, I.
351. Æripedum, *quia æneos pedes habent*. — Equorum, *tanta stultitia, ut homo crura equorum oscularetur*, Iso.
354. Hoc tamen utcunque, *quod solem et lunam et stellas adorabant, utcunque dicit tolerabile; quod tamen deos inferorum colebant, hoc pejus multo judicat*, Iso.

COMMENTARIUS.

320. Pal. a prima manu, *circinus*. Legendum *circulus*.
322. Vat. A, *nonne*. Cauch., *cœlo minor*.
323. Rat., *cursu*. Pro div. lect. supra minuto charactere *tractu*.
324. Vat. A, mendose, *interiora*. Prag., *laboret*, minus bene.
328. Vat. A, corrupte, *molem* pro *solem*. Aldi error *regia* pro *regio*. Vide quæ Elmenhorstius et Ouzelius notant ad Minucii verba pag. 238: *Sol demergit et nascitur*.
329. Prag. minus bene, *ortus*.
331. Ald., *non torquere*.
334. Prag., *Ergo erit ille deus, præscriptus lege sub una*. Non probo.
335. Petavius, tom. I, lib. V, cap. 3, de libertate agendi et non agendi disputans, *Hoc*, inquit, *veterum illa omnia persuadent testimonia, quæ hactenus adduximus: quæque nos disertissimis ad idem institutum versibus concludemus*. Tum profert hunc versum et seqq., *Libertas laxior ipsi*, etc. Confer vers. 693 Hamart.
338. Juvenalis sat. 1: *Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo*.
342. Prudentium imitatus videtur Corippus vers. 344: *Sed factor solis, postquam sub sole videri Se voluit*.
343. Ald., non bene, *subjectus ait*.
344. De curru solis aliisque adjunctis Ovidius lib. II Metamorph., soli quadrigæ, lunæ bigæ attribui solent.
345. Vat. A, vitiose, *rapidos capitis*, Urb., Gis., *et capitis radios*; id factum ab iis qui vim cæsuræ in producenda syllaba, et consuetudinem Prudentii ignorabant. Juretus fuse hic disserit de radiis quibus ornari solebant capita, ex Velleio, Suetonio et aliis; arguitque morem formandi in templis simulacra sanctorum ex simili consuetudine in statuis Cæsarum videri profluxisse. Consule de hoc cœlitum nimbo Comment. Antonii Francisci Gorii de Mitrato Jesu Christi Capite. In Aldo mendum est *verbere*.
346. Vat. A, *ut frenos*.
347. Vat. A, Ald., *inaurata*, minus bene.
349. Inter insignia consulatus erat scipio eburneus, cui insidebat aquila. Juvenalis sat. 10: *Da et volucrem, sceptro quæ surgit eburno*. Vide Hymnum S. Romani, vers. 148 et seqq. Grangæus solos eos putat designari qui triumphum adepti fuerant. Trabea est toga virgis purpureis instar trabium distincta. Sella curulis propria erat dictatoris, consulis, censoris, ædilis curulis.
350. Ald., Mar. a prima manu, Gis., *cernuaque ora*. Plerique, *cernuat*, etiam Gifan. et Jur. codd.
351. Ald., codex Jureti et Gis. ad oram, *æripedum*, quod malebat Cauchius, et rectissimum dicit Gifanius ex vet. lib., improbante Heinsio.
353. Vat. A, depravate, *tura* pro *thure*. Virg. IV Æn., *Et templum thure vaporat*. Paschalius, de Coronis lib. III, cap. 6, lora currus quo sol vehitur, rosis operta ex hoc loco notat, et pluribus confirmat roseum colorem a poetis in cœlum invectum. Post hunc versum inscriptio in Rat. et Mar. hæc exstat: *De lunæ cultura, quam et Dianam dicunt*.
354. Lib. XIII Sapient., vers. 6, de his qui elementa, solem et lunam deos putaverunt: *Sed tamen adhuc in his minor est querela*. In Mar. a prima manu,

Dant tibi, Roma, deos inferni gurgitis umbræ? A
Eumenidum domina Stygio caput exerit antro,
729 Rapta ad tartarei thalamum Proserpina regis,
Et, siquando suos dignatur adire Quirites,
Placatur vaccæ sterilis cervice resecta,
Et regnare simul cœloque, Ereboque putatur:
Nunc bigas frenare boves, nunc sæva sororum
Agmina vipereo superis immittere flagro,
Nunc etiam volucres capreārum in terga sagittas
Spargere, terque suas eadem variare figuras.
Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu:
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux
730 Imperitat furiis, et dictat jura Megæræ. B
Si verum quæris: Triviæ sub nomine dæmon
Tartareus colitur: qui te modo raptat ad æthram,
Sidereoque deum venerandum suadet in astro:
Per silvas modo mortiferi discurrere mundi,
Erroresque sequi subigit, nemorumque putare
Esse deam, quæ corda hominum pavitantia figat,
Quæque feras perimat lethali vulnere mentes:
Depressos modo subter humum formidine sensus
Obruit, implorent ut numina lucis egena,
Seque potestati committant noctis opertæ.
Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infausta fusus gladiator arena,
Heu! male lustratæ Phlegethontia victima Romæ.
731 Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi?
Quid mortes juvenum? quid sanguine pasta voluptas?

GLOSSÆ VETERES.

356. Eumenidum, *furiarum.* — Stygio, *infernali.* — Exerit, *elevat*, I.
358. Adire, *cum responso.* — Quirites, *Romanos*, I.
364. Spargere, *quia venatrix erat*, I.
365. Sublustri, *sublucido, parum lucenti*, I.
366. Calamos, *sagittas.* — Latonia, *a Latona matre. Lucina vel Luna in cœlo, Diana vel Latonia in terris, Proserpina vel Hecate apud inferos, id est centum potestatum*, I.
367. Solio, *barathro*, I.
368. Megæræ, *illius furiæ: nomen furiæ*, I.
369. Triviæ, *tribus viis*, I.
373. Subigit, *compellit*, Mar. *Compellit ipse dæmon*, I.
374. Figat; *sagittat*, I.
379. Sacraria, *templa.* — Ditis, *Plutonis*, I.
380. Infausta, *infelici.* — Fusus, *interfectus.* — Arena, *metonymia, id est in theatro*, Iso.
381. Lustratæ, *purgatæ.* — Phlegethontia, *infernalis.* — Romæ, *homines diis infernalibus immolabantur*, I.

COMMENTARIUS.

est colorabile, mendose. Ald., Toro., *quid? quod et istos.* Pal., Rat., *et ipse*, quod defendi nequit. Apud Gall. aliqui, *tolerabile quidquid et istos*, perperam.

356. In Rat., prioribus abrasis, inepte subrogatum est *Regina Eumenidum Stygio* ab sciolo, qui metricæ legis ignarus metrum voluit reformare. De Proserpina et ejus cultu Minucius Felix: *Diana interim est alte succincta venatrix*, etc. Ubi commentatores ex Prudentio aliisque rem totam illustrant.

359. Virgilius, lib. VI, *Sterilemque tibi Proserpina vaccam.*

360. Ibid. Virgilius, *Voce vocans Hecatem cœloque, Ereboque potentem.*

361. Cis., *nunc bijugas.* Alii constanter *bigas.* Ausonius et Claudianus juvencos et juvencas tribuunt lunæ. Ovidius et vetera anaglypta Capitolina et musei Pio-Clementini equos, Festus mulos. Hic etiam imitatur Virgilium, lib. VI, *Vocat agmina sæva sororum.*

362. Oxon., *super his*, ut boves œstratos, quos vocat Columella, designet. Id notat Heinsius. Lectio vulgata unice vera est.

365. Egm., *splendit.* Hic versus cum duobus seqq. ab inepto aliquo sciolo insertus est libro IV Astron. Hygini, cap. de Luna: qui propterea in editionibus recentioribus Hygini omissi sunt. Delrius jam olim id observavit. Vide supra comment. ad vers. 309. In Commentariis in Arati Phænomena sub nomine Cæsaris Germanici inseritur hic et vers. seq. in prognosticis, ubi de Luna. *Luna eadem Diana, eadem Proserpina vocata, id est cœlestis, terrestris et infernalis. De qua quidam: Denique*, etc. In vers. seq. male, *jacet calamis.* Meursius, lib. IV, cap. 3, Crit. Arnob., suspicatur librarium festinantem omisisse, vers. 367, *Cum subnixa sedet*, etc.

366. Palat., *calamis*, perperam. *Succinctæ crura Dianæ* in statuis veteribus adhuc cernere licet. Hac de causa Æneas, cum se illi conspiciendam præbuisset Venus *Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes*, dubitavit *An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una* esset. Virgil. lib. I Æn.

367. Prag., *dum subnixa.* Ald. aliique scribunt *conjunx.* Post hunc versum Weitz., Widm., Boug., Mar. a prima manu, Prag., Rat., Urb. et alii inserunt hunc alium, *Cum rapitur, furia est, et torvi Plutonis uxor.* C In Prag., *Dum rapitur.* Deest in Alex., optimis Heinsianis aliisque. Heinsius ait, alibi quoque a Prudentio corripi secundam in *Plutonis.* Falsum puto. Non enim invenio in Prudentio *Plutonis*, aut alium casum obliquum, nisi infra vers. 398, *Plutonis fera vota sui*, ubi secunda producitur. Ita etiam *o* in *Plutonia* longa effertur. Quod autem vers. 99 hymni 5 Peristeph. Weitzius legit *Illos reorum Plutones*, aliter esse legendum ostendam ad eum locum. Versus aperte superfluus est; posset autem ad rationem metri legi *Cum rapitur, furia est, torvi Plutonis et uxor.*

369. Mar., Weitz. cum suis, Prag., *quæras.*

373. Egm., *erroremque.*

375. Prag., *lethali funere*, minus bene.

376. Mar. a prisca manu, *deprensos*; Prag., *depressas*, male.

377. Prag., *obruat.*

378. Huic versui in Mar. et Rat. succedit titulus *Quod venerabatur in spectaculis.*

379. Lipsius Saturnal. serm. lib. I, cap. 3, ostendit gladiatores Marti vel Saturno potius fuisse dicatos: et hæc Prudentii verba intelligi posse ait de D Saturno, ut poeta Ditem pro Saturno posuerit, aut etiam gladiatores Diti sacros fuisse, quia Manibus placandis dabantur. Tertullianus et Salvianus affirmant gladiatorum spectacula sacra fuisse Marti; Lactantius, Ausonius et Plutarchus Saturno. Prudentius ita explicari potest, ut hæc spectacula *sacraria Ditis* appellet, quia his homines pereunt, et ad inferos detruduntur. Eadem difficultas iterum occurrit vers. 397 seq., *Ad aram Plutonis.*

381. Prag., *lustrante*, perperam.

382. In Vat. A videtur esse *sed quid*, ut revera est in Egm. et Pal.

383. Ald., minus bene, *quid mores juvenum.* In plurali numero alii etiam dixerunt *mortes*, ut Manilius, Seneca, sive quis alius in lib. Controvers., et Lactantius, qui librum edidit *de Mortibus persecuto-*

Quid pulvis caveæ semper funebris, et illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompæ?
Nempe Charon, jugulis miserorum se duce dignus
Accipit inferias, placatus crimine sacro.
Hæ sunt deliciæ Jovis infernalis: in istis
Arbiter obscuri placidus requiescit Averni.
Nonne pudet regem populum, sceptrisque potentem,
Talia pro patriæ censere litanda salute?
Relligionis opem subternis poscere ab antris?
Evocat, heu! pœnis tenebrosa ex sede ministrum
Interitus, speciosa hominum cui funera solvat.
A **732** Incassum arguere jam Taurica sacra solemus:
Funditur humanus Latiari in munere sanguis,
Concessusque ille spectantum solvit ad aram
Plutonis fera vota sui. Quid sanctius ara,
Quæ bibit egestum per mystica tela cruorem?
Anne fides dubia est tibi, sub caligine cæca
Esse deum, quem tu tacitis rimeris in umbris?
Ecce deos Manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant: Dis Manibus illic
733 Marmora secta lego, quacunque Latina vetustas

GLOSSÆ VETERES.

384. Caveæ, *arenæ*, *theatri*, Mar. — Funebris, *mortalis*, I.

385. Amphitheatralis, *circulus*; *vel luxuriose amphitheatrum, muro circumdatus locus theatri: theatrum est spectaculum ubicunque positum*, Iso.

386. Charon, *diabolus*, I.

387. Inferias, *exsequias mortuorum*. — Sacro, *exsecrabili*, *ut auri sacra fames*; *vel secundum eos qui ita putabant*, I.

388. Jovis infernalis, *orci*, I.

389. Arbiter, *index*, *judex*, Iso.

390. Regem, *regnantem*, I.

391. Censere, *construere*. — Litanda, *sacrificia*, I.

392. Relligionis, *divinitatis*. — Subternis, *subterre*-B*nis infernalibus*, I.

393. Ministrum, *diabolum*, I.

395. Taurica sacra, *Taurica regio*, *in qua Junoni peregrini immolabantur*, *quod Romani reprehendebant*; *quod tamen ipsi novissime fecerunt*, I.

396. Latiari, *Romano a Latio*, I.

398. Quid sanctius, *ironice*, I, Vat. A.

399. Egestum, *effusum*, I.

401. Rimeris, *scruteris*, I.

402. Inficiaris, *negas*, I.

403. Manibus, *infernalibus*, I.

404. Marmora secta, *scripta*, Vat. A. *In quibus scriptum erat* Dis Manibus. — Lego, *video*. — Latina, *via*, I.

COMMENTARIUS.

rum. Lipsius, loc. cit., cap. 14, refert Prudentii verba *pasta voluptas*, et ad marginem addit *Malo* PARTA. In Vat. A est *parta*. Prudentius dixit *sanguine pasta* de aquila hymn. 3 Cath. vers. 167. Grangæus ait alios legere *pacta*. Frequenter de hoc spectaculo *voluptas* usurpatur. Vide quæ Brosseus congessit ad lib. v Cassiodori, ep. 42, *Voluptatem præstat sanguine suo*.

387. Prior Rott. pro div. script., Cauch., *munere sacro*, ut ad munera arenæ alludat. Vat. A, *sanguine sacro*.

389. Ald., prior Rott., *obscuro placidus requiescit Averno*. Et distinguit Ald. *in istis. Arbiter*. Non placet.

390. Gifanius, verbo PROMERITA in vet. lib. observavit *regem populum*, cum antea in vulg. legeretur *regem populis*. Sententia non cadit in imperatorem vel imperatores, quos Prudentius alloquitur in hoc opere. Imitatio Virgilii est I Æn., *Hinc populum late regem, belloque superbum*. Exstat etiam *populum* in Thuan. Urb., Alex. a prima manu. Intellige populum Romanum.

392. Weitz. pro div. script., *sub terris*. Vide comment. ad vers. 922 Hamart., et vers. 443 hujus libri.

394. Vat. A. Cauch., Jureti codex, *funera donet*, cum Egm., Pal.

395. Prag., *manutaurica*, corrupte, pro *jam Taurica*. Mar. a prisca manu, *jam turica*; male. Nonnulli, qui hunc versum allegant, trajiciunt ita verba *Arguere incassum jam Taurica sacra solemus*. Legendum cum mss. *Incassum arguere jam*. Producitur *e* postremum in *arguere* ratione cæsuræ. Colerus, ad Valer. Max. pag. 568, sacra Taurica intelligit esse suovitaurilia. Weitzius exponit de sacrificiis quæ Plutoni tauris et nigra pecude fiebant. Nullus est dubitandi locus, quin sermo sit de sacrificiis Tauricæ insulæ, sive, ut frequentius et verius loquimur, peninsulæ. Hyginus fabula 120: *Quorum* (Tauricorum) *fuit institutum*, *ut qui intra fines eorum hospes venisset*, *templo Dianæ immolaretur*. De Diana Taurica et victimis humanis illi cæsis agunt Tertullianus, Athanasius, Augustinus, Lactantius, Cassiodorius, Eusebius Cæsariensis, ut plures ethnicos prætercam. In glossa pro *Junoni* legam libentius *Dianæ*.

396. Ald., *Latiali*; Vat. A. *Laciari*; Plerique, *Latiari*. Prag., *Funditur humanum Latiari in sanguine munus*. Prudentius loquitur de ludo gladiatorio in honorem Jovis Latiaris. Lipsius, de Amphitheatro, monet *Latiari* esse in dandi casu, scilicet *Latiari Jovi*. Ex hoc ac similibus locis nonnulli arguunt victimas C humanas Jovi Latiari solitas immolari. Verum intelligendum est, Jovem sanguine humano eorum coli, qui aut in certamine gladiatorio occidebantur, aut damnati ad bestias peribant. Tertullianus, cap. 9 Apolog.: *Remitto Tauricas fabulas theatris suis. Ecce in illa religiosissima urbe Æneadum piorum est Juppiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine. Sed bestiarii, inquitis. Hoc, opinor, minus quam hominis*. Videri possunt notæ Pamelii, Minucius, Julius Firmicus, Lactantius, Tatianus et alii, qui hujuscemodi immanitatem Romanis exprobrabant. Eam a religione Christiana tandem abolitam, inter maxima beneficia hominibus a Christo collata reponimus.

397. Ineptus corrector in Rat., abrasis prioribus, supposuit *Illeque consessus spectantum*. Pal., *concessusque*. Egm. a prima manu, *consessosque*, male. In ed. 2 Cell. mendum puto *consessus ille*. De consessu in amphitheatro vide comment. ad vers. 372 Hamart.

404. Mar. a prima manu et Weitz. cum suis, *quæcunque*. Longe melius est *quacunque*. In viis publicis D sepulcra olim Romani collocabant, et, ut videtur, etiam Judæi. Genes. xxxv, 19: *Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via quæ ducit Ephratam*. De via Latina Juvenalis satir. 1: *Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina*. Et sat. 5: *Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ*. In via Salaria *monumentum* erat *pretiosi operis* Licinii tonsoris et liberti Augusti, ut tradit Cornutus sat. 2 in Persium. Viæ aliæ sepulcris celebres fuerunt Appia, Aurelia, Lavicana, Laurentina, Ostiensis, Prænestina, Tiburtina. Dissertationem de Viis publicis anno 1786 Romæ edidit cl. Vincentius Bartoluccius, primi subsellii jureconsultus. An autem hæc sigla D. M. aut D. MA., quæ in sepulcris Christianis nonnunquam apparent, significent *Diis Manibus*, an aliud, inter Fabrettum et Mabillonium certatum est, quorum hic inscriptionem illam semper profanam esse contendebat, ille negabat.

Custodit cineres, densisque Salaria bustis. A
Dic, quibus hunc scribis titulum : nisi quod trucis Orci
Imperium, veræ ceu majestatis, adoras?
En quibus implicita squalebat regia summi
Imperii, tractis majorum ab origine sacris.
Cum princeps, gemini bis victor cæde tyranni,
734 Pulchra triumphali respexit mœnia vultu:
Nubibus obsessam nigrantibus aspicit Urbem,
Noctis obumbratæ caligine : turbidus aer
Arcebat liquidum septena ex arce serenum.
Ingemuit miserans, et sic ait : Exue tristes,
Fida parens, habitus : equidem prædivite cultu
Illustrata cluis, spoliisque insigne superbis
Attollis caput, et multo circumfluis auro.
Sed nebulis propter volitantibus obsitus alti
B Verticis horret apex : ipsas quoque livida gemmas
Lux hebetat, spissusque dies, et fumus ob ora
Suffusus rutilum frontis diadema retundit.
Obscuras video tibi circumferrier umbras,
Cæruleasque animas, atque idola nigra volare.
Censeo, sublimem tollas super aera vultum,
Sub pedibusque tuis nimbosa elementa relinquas.
Omne, quod ex mundo est, tibi subjacet, hoc deus ipse
Constituit : cujus nutu dominaris, et orbi
Imperitas, et cuncta potens mortalia calcas.
735 Non decet, ut submissa oculos regina caducum
Contemplere solum, majestatemque requiras
Circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas.
Non patiar, veteres teneas ut me duce nugas,
Ut cariosorum venereris monstra deorum.
Si lapis est, senio dissolvitur, aut crepat ictu
Percussus tenui : mollis si bractea gypsum

GLOSSÆ VETERES.

405. Salaria, *via : salarium est cibus qui sepulcra mortuorum custodientibus datur; sed pro omni præbenda ponitur*, I. — Bustis, *sepulcris*, Vat. A.
406. Orci, *Orco juro : inde Orcus, eo quod jurat, neminem se sine morte dimittere*, I.
408. Regia, *aula*, I.
410. Princeps, *Constantinus*. — Gemini tyranni, *Maxentii et Licinii*, I.
414. Arcebat, *expellebat*. — Septena ex arce, *ex septem collibus qui sunt in Roma. Septenam arcem dicit quia in septem colliculis constat Roma*, I.
415. Ingemuit, *Constantinus*, I.
416. Equidem, *certe*, Iso.
417. Cluis, *abundas*, *præcelles*, I.
418. Circumfluis, *abundas*, I.
419. Propter, *juxta*, Iso.
420. Livida, *obscura*, Iso.
421. Hebetat, *obumbrat*. — Ob, *circum*, I.
424. Cæruleas, *nigras*, I.
425. Tollas, *ut*, I.
426. Nimbosa, *tenebrosa*, Iso.
430. Submissa, *inclinata*. — Regina, *Roma*, I.
432. Superstas, *superior es*, Vat. A.
433. Nugas, *ineptias*, I.
434. Cariosorum, *putridorum*, *deficientium*; *caries, putredo, quam teredines faciunt in ligno*, I.
436. Bractea, *lamina auri*. — Gypsum, *genus terræ est*, *de qua imagines faciunt*, I.

COMMENTARIUS.

Lupius, in dissert. de Baptisteriis, num. 158 et 159, C inscriptionem profert, quam Christianam esse censet, et *Diis Manibus* ab ignaro aliquo neophyto positum, et a presbytero qui cœmeterio præerat non animadversum; quod interdum accidisse satis est verisimile. Inscriptio est hujusmodi :

DIS MANIBVS PRINCI
PIO FILIO DVLCISSIMO SVO PO
SVIT QVI VIXIT ANNIS VI. DIE
XXVII. IN PACAE

Cl. Cajetani Migli recondita de Diis Manibus exstat dissertatio, de qua rursus pag. 1172.

405. Cornutus in Persium ait salarium proprie esse victum unius diei, cui sal imprimis inseruit. Iso minus placet. Post hunc versum Rat. et Mar. apponunt lemma *Romam alloquitur*.

406. Prag., *hic quibus hunc titulum scribis*. Ald., *dic, quibus hinc scribis titulum*. Vat. A et nonnulli Heins., *dic, quibus inscribis titulum*. Plerique, *dic, quibus hunc scribis titulum*.

407. Vat. A, vitiose, *verito ceu*.

410. Pal., Vat. A, *gemini victor de cæde*. Egm., male, *gemini victor cæde* : a secunda manu, *gemini victor de cæde*, aut *gemini devictor cæde* : non enim clare explicat Weitzius lectionem hanc Egm. et Pal. Principem hunc esse Theodosium, certum est. Tyrannos intellige Maximum et Eugenium. Grangæus objicit Prudentio, quod in hac historia enarranda paululum a vero deflectit : siquidem Theodosius, victo Maximo, triumphavit anno 389, nec, devicto multis annis postea Eugenio, Romam rediit. At vero etsi concederem ordinem narrationis aliquatenus esse turbatum, non tamen esset propterea falsitatis arguendus poeta qui non ait aperte Theodosium triumphasse, postquam duos tyrannos vicerat. Cæterum in ipsa quæ sequitur oratione Theodosii mentio iterum fit gemini tyranni a Theodosio victi.

413. Ald., *noctis adumbratæ*.

414. Vat. A, mendose, *arcebit*. De hac loquendi ratione *liquidum serenum*, *superum serenum* et similibus, Dausqueius in Comment. ad Silium, lib. XII, vers. 4.

417. Egm., Jureti membranæ, *clues*. Mar. a prima manu, *superbum*.

421. Heins., Cham., Teol., mendose, *ab ora*. Egm. scribit *hebitat*. Prag., *obumbrat* pro *ob ora*. Rutilius, lib. I Itin., vers. 193, puritatem cœli Romani laudans, ait : *Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo.*

423. Prag., *obfusas video*. Widm. et Bong. a prima manu scribunt *circumferier*.

424. Ald., *et nigra idola volare*, Rat., prioribus erasis, *idolaque nigra volare*. Neutrum est ab auctoris D manu. Grangæus Aldo adhæsit.

430. Scriptores Prudentii æquales passim Romam *reginam* appellant.

432. Rat., *superstes*, lege *superstas*.

433. *Nugas* vocat idolorum cultum et fabellas aniles a Numa inventas. Aliqui ipsa idola *nugas* vocari dicunt, ut *næniæ* alibi.

434. Prudentius non semel *monstra*, et *portenta* deos gentilium vocat. Minucius : *Tot sunt Jovis monstra quot nomina*. Virgilius VIII Æn., *Omnigenumque deum monstra, et latrator Anubis*.

435. In cod. Theod., tit. de Paganis, leg. 12, quæ lex a Theodosio lata est anno 392 ; *Si quis vero mortali opere facta, et ævum passura simulacra imposito thure venerabitur*, etc.

436. In Rat. ex *gypsus* factum *gypsum*. Prag., male, *gypsea*. De gypseis veterum imaginibus Arnobius lib.

Texerat, inlido rarescit glutine sensim.
Si formam statuæ lamnis commisit aenis
Lima terens, aut in partem cava membra gravato
738 Pondere curvantur, scabra aut ærugo peresam
Conficit effigiem, crebroque foramine rumpit :
Nec tibi terra deus, cœli nec sit deus astrum,
Nec deus oceanus, nec vis, quæ subter operta est,
Infernis triste ob meritum damnata tenebris.
Sed nec virtutes hominum deus, aut animarum,
Spirituumve vagæ tenui sub imagine formæ.
Absit ut umbra deus tibi sit, geniusve, locusve,
Aut deus aereas volitans phantasma per auras.
Sint hæc barbaricis gentilia numina pagis :
737 Quos penes omne sacrum est, quidquid formido tremendum
Suaserit : horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monstra deos, quos sanguinolentus edendi
Mos juvat, ut pinguis luco lanietur in alto
Victima, visceribus multa inter vina vorandis.
At te, quæ domitis leges, ac jura dedisti
Gentibus, instituens, magnus qua tenditur orbis,
Armorum morumque feros mansuescere ritus,
Indignum, ac miserum est, in relligione tenenda
Hoc sapere, immanes populi de more ferino
Quod sapiunt, nullaque rudes ratione sequuntur.
Seu nos procinctus maneat, seu pace quietas
Dictemus leges, seu debellata duorum

GLOSSÆ VETERES.

437. Rarescit, *deficit.* — Sensim, *paulatim*, Iso.
439. Terens, *planans*, I.
441. Conficit, *corrumpit.* — Crebro, *multiplici*, I.
442. Astrum, *sol, vel luna*, I.
447. Geniusve, *deus loci*, I.
449. Pagis, *villaticis : Pige Græce fons : inde pagani, villani, quia circa fontes antiqui villas ponebant, et ideo villani dicuntur, quia longe remoti sunt a civitate Dei*, I.
450. Penes, *juxta*, I.
453. Lanietur, *sacrificetur*, I.
455. Te, *o Roma*, I.
459. Immanes, *crudeles*, I.
460. Rudes, *stulti*, I.
461. Procinctus, *apparatus bellicus, vel bellica præparatio*, I.
462. Dictemus, *constituamus*, I.

COMMENTARIUS.

vi, Firmicus, Capitolinus in Gordiano. Imagines gypseæ nonnunquam bracteis metalli inducebantur. Confer versionem Italicam operis Joannis Winkelmann, *Storia delle arti del disegno*, cum eruditis adnotationibus Caroli Fea l. c. lib. vii, cap. 1.

437. Vat. A, Mar., Rat., Prag., Egm., Pal., Bong., Weitz. aliique, *texerat*. Ald., Gis., vulg. nonnulli, *texerit*, quod nescio an sit melius. Alicubi *texeris*, mendose. Notanda est efficacia verbi *rarescit*.

438. Ald., Bong., Widm., Mar., *laminis*. Rat., *lamminis*. Vat. A, Weitz., Gifanius ex vet. cod., *lammis*. Egm., *lammis commisit avenis*, male. Verior est lectio *lamnis* tam in Prudentio quam in Horatio, lib. ii, oda 2. Gifanius contendit veteres extulisse *lamma* pro *lammina*.

439. Vat. A, *in parte*. Egm., corrupte, *impartæ*, apud Weitzium. Heinsius in eodem Egm. invenit *in parte*, et a secunda manu, *impacta*. Ald., Torn., *gravata*. Weitz. cum Bong. et Widm. a prima manu, *cavato*. Mariettus innuit ex his verbis *lima terens* corrigi posse Isidorum in *scobina*. Puto, indicari caput 19 lib. xix : *Taratrum quasi teratrum. Scofina dicta, quod hærendo scophen faciat;* ubi fortasse legendum *quod terendo*.

441. Codex Jureti, Vat. A, Oxon., *contegit*. Pal., Egm. a secunda manu, *contiguam effigiem*. Egm. a prima manu *contigiem*, *effigiem*. Heinsius hinc conjicit *contigit effigiem*. Plerique, *conficit effigiem*.

443. Supra vers. 392, *subternis antris* de inferis, et hac vi quæ *subter operta est*.

444. Prag., Widm. a prima manu, *inferni*, minus bene.

445. Aldus ediderat *Sed nec virtutes Deus hominum, aut animarum*. Emendavit *Sed nec virtutes Deus aut hominum, aut animarum*. Alii habent *Sed nec virtutes hominum Deus, aut animarum*. Prag., *aut tenebrarum*. Sententia est, Deum non esse virtutes hominum, ut pudicitiam, fidem, neque vagas formas animarum et spirituum, ut dæmonum et angelorum, tenui sub imagine.

446. Ald., mendose, *vagi*. Virgilius vi : *Et ni docta comes tenues sine corpore vitas Admoneat volitare cava sub imagine formæ.*

447. Juretus advertit, alias legi *tibi sit lucus, geniusve*, et defendi posse hanc scripturam, cum maximam religionem pagani lucis tribuerint. Prudentius idola sæpe vocat umbras : sic supra vers. 195, *Umbra Penatum*.

449. Cur ethnici a pagis dicti fuerint pagani, plures afferri solent causæ, ut indicavi ad vers. 6 præfationis hujus libri. Vide etiam infra ad vers. 621. Mihi vera hæc esse videtur, quæ ex his versibus depromitur, quia scilicet in pagis superstitio maxime vigebat, adeoque illi omnes qui superstitiose idolorum cultui post religionem Christianam ubique disseminatam adhæserunt, jure pagani vocati sunt. Heraldus, in Arnobium pag. 4, intelligit *paganos* idololatras dictos, quia non amplius terrarum orbem occupabant, sed in angustum coarctati et quasi pagis quibusdam conclusi erant. Putat, obscuram fuisse etiam olim originem hujus appellationis, sicut nec nos adhuc satis liquido scimus unde *Huguenoti* appellati fuerint. Gothofredus ad leg. 13 de Paganis cod. Theod. appellationem paganorum sub Christianis imperatoribus cœpisse affirmat, cujus antiquissima, quæ ipsi occurreret, mentio exstat in leg. 18 de Episcopis anno 365 : *Gentiles, quos vulgo paganos appellant.* Existimat autem vulgus Christianorum, qui variis olim dicteriis a gentilibus fuerant appellati, nomen paganorum gentilibus reposuisse, quasi simplices, rusticos et agrestes dicerent.

450. Mar. a prima manu, *quis penes*, perperam. Aldi etiam error est *penes omnes*.

451. Mar. a prima manu contra metrum et sensum, *honorificos quos*.

452. De *monstris* diis jam dixi. Vide Heraldum ad Tertullianum, cap. 22 Apolog., et ad Minucii verba : *Ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati.*

453. Egm. scribit *lucu* pro *luco*.

455. Prag., *et jura*.

458. Prag., *tenendum*, non ita bene.

459. Aldus, *id sapere*.

460. Prag., *nulla fidei ratione*.

461. Ald. *seu vos*, lege *seu nos*.

Colla tyrannorum media calcemus in Urbe : A
Agnoscas, regina, libens mea signa, necesse est :
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
738 Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.
Hoc signo invictus transmissis Alpibus ultor
Servitium solvit miserabile Constantinus.
Cum te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Ut scis ipsa, patres : aut sponsus fœdera pactæ
Intercepta gemens, diroque satellite rapta,
Immersus tenebris dura inter vincula flebat :
Aut si nupta, torum regis conscendere jussa,
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
739 Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum patribus ergastula sævi
Principis : abducta genitor si virgine mussans
Tristius ingemuit : non ille impune dolorem
Prodidit, aut confessa animis suspiria traxit
Vim libertatis nimiæ, patriumque dolorem.
Testis Christicolæ ducis adventantis ad Urbem
Milvius, exceptum Tiberina in stagna tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Majestate regi, quod signum dextera vindex

GLOSSÆ VETERES.

463. Tyrannorum, *Maxentii et Licinii*, I.
467. Signo, *crucis*, I.
469. Te, *o Roma*, I.
471. Pactæ, *sponsæ*, I.
472. Intercepta, *ablata*, I.
473. Tenebris, *carcereis*, Iso.
474. Nupta, *virum habens*. — Regis, *regem dicit quemcunque dominum*, I.
475. Furorem, *amorem*, I.
476. Dabat, *sustinebat*, I.
477. Ergastula, *ergastron operatorium*; ergon *enim* B *opus*, *vel* erga *pluraliter, unde synergus cooperator*, I.
478. Mussans, *murmurans*, Iso.
480. Prodidit, *manifestavit*. — Convexa, *curva*, I.
482. Christicolæ, *Christicolam ducem se vocat Constantinus*, I. *Constantini*, Vat. A.
483. Milvius, *pons dicitur in Tiberi, ubi Constantinus Maxentium interfecit*, I.
Tyrannum, *Maxentium*, Vat. A.
484. Quanam, *cur*. — Victricia, *ita crucem Christi vocat, quam in vexillis gerebant*, I.

COMMENTARIUS.

463. Vide Demsterum, pag. 66 ad vers. Corippi : *Regnaque sub vestris venient fortissima plantis*. Prudentius poetice loquitur : non enim Theodosius triumphavit aut Romam venit post victum Eugenium.

464. Prag., *agnoscat*. Retine *agnoscas*.

465. Muretus lib. XIII Var. Lect., cap. 8, Petrum Crinitum egregie refellit quod Theodosio hanc impiam C legem affingere non dubitaverit lib. IX de Honesta Disciplina, cap. 9 : *Cum sit nobis cura diligens in rebus omnibus superni numinis religionem tueri, signum Salvatoris Christi nemini quidem concedimus coloribus, lapide, aliave materia fingere, insculpere, aut pingere. Sed quodcunque reperitur, tolli jubemus, gravissima pœna eos multando, qui contrarium decretis nostris et imperio quidquam tentaverint*. Verba legis cod. Justin. lib. I, tit. 8 sunt : *Signum Salvatoris Christi nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere vel pingere : sed quodcunque reperitur, tolli, gravissima pœna multando eo qui contrarium statutis nostris tentaverit, specialiter imperamus*. In versibus Prudentii *crux gemmata* intelligi potest in vexillorum purpura, gemmis intexta, solido ex auro in vertice hastarum. Confer Baronium ad annum 312, ac plures alios qui triumphos crucis prædicant.

466. Post hunc versum in Aldo, Mar., Rat. et aliis D titulus est *De potentia crucis*. In Urb., *De laudibus crucis, et ejus potentia*. Hujusmodi lemmata in multis desunt.

467. Vat. A, mendose, *vinctus* pro *invictus*. Ald., Egm., Pal., *ultro*, minus bene, pro *ultor*. Theodosius exemplum Constantini allegat, ut Romanis potentiam crucis persuadeat. Non ergo loquitur Constantinus, ut vult Chamillardus et cum eo nonnulli recentiores. Nam qui loquitur vers. 422 ait, *Obscuras video*, etc., postea *Censeo.... Non patiar... Me duce... Dictemus... Calcemus*. Et post expositum exemplum Constantini, *Ergo cave, egregium caput orbis..... Deponas jam festa velim*, etc. Et Constantini quidem victoria, ut jam antiqua, narratur : *Scis ipsa... Meminit clarissimus ordo, qui tunc*, etc. Historiam narrat Eusebius in Vita Constantini.

468. Egm., *solvit mirabile*. Non probo.

469. Prag., male, *pestiferam*.

471. Vat. A, mendose, *ut sis*.

472. Mar. scribit *dyroque*. Gallandius malebat *raptæ*, ut ad *pactæ* referatur. Sed bene est *rapta*, hoc est fœdera intercepta et rapta.

473. Heins. cum Thuan., *inter vincula flebat* ; secuti eum sunt recentiores. Prag., *inter vincla gemebat*. Mar., *lugebat*, repugnante metro. Plerique, *inter vincla luebat*. Constructio est : Sponsus immersus tenebris dura inter vincula luebat fœdera sponsæ intercepta, diroque satellite rapta. Sed non satis concinnum est *luere fœdera intercepta*, et sponsus melius dicitur *gemens fœdera intercepta*.

475. Mar. a prima manu, *domino*, male.

476. Hæc non esse a Prudentio exaggerata, ex Eusebio aliisque antiquis historicis constat. In Mar. a prima manu, Bong. a prima manu, *maritales* ; melius *maritalis*.

477. Ald., Gis., *puellarum, patrumque*. Scripti plerique, *puellarum patribus*. Pal., male, *patribusque*.

480. Mar., Weitz., Prag., Rat., Colerius ad Valerium Max. pag. 568. Widm., *convexa animis*. Potiores Heinsiani, Ald., Gis., Heinsius, *confessa nimis*. Ita Alex. cum glossa *publicata*. Alii, *connexa animis*. Opinatur Heinsius *confessa animos suspiria*.

481. Abest hic versus ab Egm., Boherio veterrimo, priore Rott., Vat. A, Pal. Adest in aliis. Aldus habet *nimiam* pro *nimiæ*, et distinguit *traxit. Vim*, cum intelligi potius debeant *suspiria confessa vim libertatis*. Gallandio placet *nimiam* cum Aldo, non *nimia* cum Chamillardo. Ego in Chamillardo lego *nimiæ*, nempe libertatis, quod melius est.

482. Vat. A a prima manu, *Christicolis*, male. Non loquitur Constantinus, ut vult Iso, sed Theodosius. Æmulatur Horatium lib. IV, od. 4 : *Testis Metaurum flumen, et Asdrubal Devictus*.

483. Heinsius contendit legendum *Mulvius*, non *Molvius*, aut *Milvius*. Alii præterea scribunt *Mylvius*, alii *Molbius*. Aldus ediderat *Mulvius*, et correxit *Milvius*, quod etiam observavit Gallandius, ut intelligas, non aliam præ manibus ipsum habuisse Aldinam editionem, nisi eam qua ego utor et unicam credo. Nunc *Milvii* nomen est *Ponte Molle*. Maxentius simpliciter *tyrannus* dicitur ter in panegyri Nazarii ad Constantinum et in aliis monumentis et scriptoribus antiquis.

Prætulerit, quali radiarint stemmate pila. A
Christus purpureum gemmanti textus in auro
740 Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo:
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexusque pedes victoris, ad inclyta flendo
Procubuit vexilla jacens; tunc ille senatus
Militiæ ultricis titulum, Christique verendum
741 Nomen adoravit, quod collucebat in armis.
Ergo cave, egregium caput orbis, inania posthæc
Prodigia, et larvas stolido tibi fingere cultu,
Atque experta Dei virtutem spernere veri.
Deponas jam festa velim puerilia, ritus
Ridiculos, tantoque indigna sacraria regno.
Marmora tabenti respergine tincta lavate,
O proceres: liceat statuas consistere puras,
Artificum magnorum opera, hæc pulcherrima, malim,

GLOSSÆ VETERES.

486. Stemmate, *figura*. — Pila, *lanceæ*, l. *Hastæ*, Vat. A.
487. Gemmanti, *pro gemmato*, Rat.
488. Labarum, *vexillum, vel frenum*. — Insignia, *ornamenta*, I.
489. Ardebat, *fulgebat*, l. *Splendebat*. — Cristis, *galeis*, Vat. A.
494. Jacens, *prosternens*, Iso.
495. Titulum, *crucem*, I.
497. Caput, *o Roma*, Vat. A.
499. Spernere, *cave, spernas*, I.
500. Deponas, *ut*, I.
501. Sacraria, *templa*, I.
502. Marmora, *marmoreas statuas*. — Tabenti, *sordida*. — Respergine, *sanguinis*, I. B

COMMENTARIUS.

486. Mar. a prima manu, perperam, *radiarit*. Prag., *radiarunt*.
487. Egm., corrupte, *gemmati*.
488. Egm., Pal., *lavacrum* male pro *labarum*. Turnebus, Advers. num. 459, testatur in vetusto lexico dici *laborum* pro *labarum*. Gyraldus dialog. 25 gloriatur, se primum aperuisse hunc Prudentii versum, et explicat labarum esse signum bellicum pretiosissimum, quod Constantinus in crucis signum convertit. Utuntur hac voce *labarum* Tertullianus, Ambrosius et alii. Rabanus Maurus in carmine de Cruce mutavit quantitatem: *Hinc signant cherubin hæc labara sancta triumphum*. Nonnulli affirmant id nomen sub Constantino demum inventum, et in Tertulliano legunt *cantabra*, uti etiam in Minucio: *Nam et signa ipsa, et cantabra, et vexilla castrorum*. Rigaltius ad hunc locum ait cantabra fuisse quoddam genus vexillorum, quæ carmine inscripta aliquid grati et jucundi militibus significabant. Aliqui originem ex Cantabria repetunt, nescio an meliori jure. Bulengerus, de Rom. Imper. lib. v, cap. 5, plura habet de labaro. Innumeri sunt critici aliique auctores qui hos Prudentii versus laudant. Descriptionem labari vide apud Aringhum, Rom. Subterr. lib. vi, cap. 23.
489. S. Hieronymus, epist. 107 ad Lætam, *Vexilla militum crucis insignia sunt. Regum purpuras et ardentes diademattum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat*. S. Augustinus in psalmum xxxvi: *Finita est* (crux) *in pœna, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes imperatorum*.
491. Dicit *concreto crine* ex more reorum apud Romanos. Eadem proprietate hymno 11 Peristeph.: *Carcereo crinita situ stare agmina contra Jusserat*.
495. Antea dixit *ultor, vindex*, nunc *militiæ ultricis*. Hoc ipsum exprimit inscriptio arcus triumphalis Constantini.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO . MAXIMO
P. F. AVGVSTO . S. P. Q. R.
QVOD . INSTINCTV . DIVINITATIS . MENTIS
MAGNITVDINE . CVM . EXERCITV . SVO
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS
FACTIONE . VNO . TEMPORE . IVSTIS
REMPVBLICAM . VLTVS . EST . ARMIS
ARCVM . TRIVMPHIS . INSIGNEM . DICAVIT

Inscriptio ex ipso archetypo descripta est: nam exemplaria edita aliquantum variant. Intra arcum majorem ad latera legitur:

FVNDATORI QVIETIS
LIBERATORI VRBIS

Supra minores utrinque arcus:

VOTIS X
VOTIS XX

Et in aversa parte supra eosdem arcus minores:

SIC X
SIC XX

Constat ex Prudentio, non solum crucem in labaro fuisse expressam, verum etiam Christi nomen, scilicet monogramma Christi ☧, quæ sunt duæ litteræ Græcæ nominis Christi X et P, neque significant *pro Christo*, ut multi putant, martyrii signum esse credentes. Itaque cum Christi nomen esset labaro impressum, et mos esset ut labarum a militibus adoraretur, quod semper imperatorem antecederet, recte ait Prudentius, senatum adorasse nomen Christi, quod collucebat in armis.
497. Ald., Gis., Heins., *posthac*. Weitziani, et plerique nostri *post hæc*.
498. Heinsius Weitzium rejicit, quod legerit *Prodigia esse deos stolido tibi fingere cultu*. Atqui ita legunt C Rat., Mar., Prag., Urb. et alii. Ald., Tornæs., *solito* pro *stolido*. Thuan., *olido*. Alii cum Vat. A, Gis., probante Heinsio, *Prodigia, et larvas solito tibi fingere cultu*. Apud Weitzium Ald., Gis., Palat., *Prodigia, et larvas stolido confingere cultu*. Verum Ald. et Gis. legunt ut modo exposui.
500. Egm., vitiose, *vel in puerilia*.
502. Ald., Egm., Palat., *lavare*, melius lavate. Ex Festo *respersum* vinum dicebatur, quia sacris novendialibus mortui sepulcrum vino spargebatur. Sed Prudentius potius loquitur de tabo et sanguine victimarum quibus simulacra deorum erant respersa. Cl. Fea tom. III oper. Winkelm., pag. 279, apposite refellit Bandinium, qui id de statuis virorum illustrium, non deorum, accipi voluerat.
503. Lib. xvi cod. Theod., tit. 10 de Pag., permittuntur simulacra *artis pretio, non divinitate metienda*, ut colligitur ex leg. 8 cum commentariis Gothofredi. D Ea lex 5 a Theodosio Magno lata est anno 382. Postea Honorius anno 399 tulit legem 15 ejusdem tituli: *Sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta servari*. Hoc loco atque adeo apud Prudentium *ornamenta* sunt simulacra deorum publicis operibus affixa, ut lavacris, foro, plateis, compitis, porticibus, de quibus Tertullianus cap. 8 de Spectaculis, et Ambrosius adversus Symmach. Hæc ipsa publica ornamenta ab Honorio prohibita fuerunt per Africam anno 399 leg. 18, et universe anno 408 et 415 leg. 19 et 20: *Ne illecebram errantibus præstent*.
504. Mar., Rat., Prag., *pulcherrima*, *malim*, quod placet, quamvis in edd. omnibus sit *pulcherrima no-*

742 Ornamenta fiant patriæ nec decolor usus
In vitium versæ monumenta coinquinet artis.
Talibus edictis Urbs informata refugit
Errores veteres, et turbida ab ore vieto
Nubila discussit, jam nobilitate parata
Æternas tentare vias, Christumque vocantem
Magnanimo ductore sequi, et spem mittere in ævum.
Tunc primum senio docilis sua sæcula Roma
Erubuit: pudet exacti jam temporis, odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.
743 Mox, ubi, contiguos fossis muralibus agros
Sanguine justorum innocuo maduisse recordans,
Invidiosa videt tumulorum millia circum:
Tristis judicii mage pœnitet, ac ditionis
Effrenis, nimiæque sacris pro turpibus iræ.
Compensare cupit teterrima vulnera læsæ
Justitiæ sero obsequio, veniaque petenda,
Ne tanto imperio maneat pietate repulsa
Crimen sævitiæ, monstrata piacula quærit,
Inque fidem Christi pleno transfertur amore.
Laurea victoris Marii minus utilis Urbi,
Cum traheret Numidam populo plaudente Jugurtham,
Nec tantum Arpinas consul tibi, Roma, medelæ
Contulit, exstincto justa inter vincla Cethego,
Quantum præcipuus nostro sub tempore princeps
Prospexit, tribuitque boni; multos Catilinas
744 Ille domo pepulit, non sæva incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed tartara nigra animabus,
Internoque hominum statui tormenta parantes.

GLOSSÆ VETERES.

507. Informata, *docta vel instructa*, I.
508. Vieto, *senili, veteri*, I. *Vigetum dicitur corpus humanum, dum vis et ætas in eo valet; sic Roma hic valida fuit, cum imperante Constantino idololatriam refutavit*, Vat. A.
509. Nobilitate, *ex nobilitate*, I.
512. Senio, *in senectute*, I.
514. Relligionibus, *dæmonibus*, I.
515. Contiguos, *vicinos, propinquos*, I.
519. Nimiæ, *intemperatæ*, I.
520. Compensare, *restaurare*, I. *Emendare*, Mar.
521. Petenda, *quæ erat ad petendum*, I.
522. Imperio, *in Roma.* — Pietate, *sanctitate*, I.
523. Piacula, *purgationes*, Iso.
525. Laurea, *corona, victoria; lauro enim coronabantur victores*, I.
527. Arpinas, *ex oppido Cicero Arpinas dicitur*, I.
528. Cethego, *Cethegus, et Lentulus et alii conjuratores fuerunt ut exurerent Romam et senatores interficerent*, I.
529. Præcipuus, *maximus.* — Princeps, *Constantinus*, Iso.
530. Catilinas, *dæmonas, hostes, perversos, ut fuit Catilina, qui hostis fuit Romanorum*, I.
532. Sicas, *prælia*, I.
533. Interno, *animæ, quæ est interior homo*, I.

COMMENTARIUS.

stræ. Heinsius cum Thuan., *hæ* pro *hæc*, et ad statuas refert. Recentiores Heinsium sequuntur. Plerique veteres, *hæc ornamenta*, æque bene.

505. Codex Jureti, Ald., Mar., Rat., Weitz., Widm. supra, Egm., Coleri codex et alii, *fuant*, quod non displicet Gallandio. Vat. A, Prag., Widm. iterum a secunda manu, Thuan., Cauch., Urb., *fiunt*. Bong., Gis., Widm., *cluant*, quod placuit Heinsio et recentioribus. In Egm. interpretamentum verbi *fuant* est *erunt*. Hæ omnes lectiones admitti possunt, non vero *fugant* in Ox., et *fluant* in priore Rott. In Alex., *fiant* a prima manu, *fuant* a manu secunda.

506. Gis. ad oram, *arcis*, minus bene. Vera lectio *artis*. Ex hac postrema orationis parte colligo, post eversam Victoriæ aram adhuc in curia Julia statuam ejusdem deæ permansisse, sed sine ullo cultu et solum ornatus gratia. De hac statua intelligo Claudianum in VI consulatu Honorii: *Jure paludatæ jam curia militat aulæ. Adfuit ipsa suis alis Victoria templis, Romanæ tutela togæ, quæ divite penna Patricii reverenda foret sacraria cœtus.* Vide commentar. ad vers. 28 et 29 lib. II.

508. Multi, etiam veteres et probati, scribunt *vigeto* pro *vieto*. Glossa Vat. A videtur accipere *vieto* pro *vegeto*. At *vietus* hic significat languidum, rugosum: neque sermo est de Constantino, sed de Theodosio, ejusque edictis jam olim promulgatis, et post superatum Maximum confirmatis et ampliatis. Non autem negat Prudentius, ante Theodosii edicta fuisse plures senatores Romanos Christianæ religioni addictos, sed affirmat solum Theodosii exemplo et persuasione factum ut Roma in fidem Christi pleno transferretur amore, ut ait vers. 524. Ac notandum, a Prudentio vocari etiam *edicta* vers. 41 orationem qua Saturnus idololatriam antiquis Latinis persuasit.

510. Ald. et plerique mss., *vocante*. Bong. a prima manu, et nonnulli vulg., *vocantem*.

511. In Ald. mendum puto *majnanimo doctore*; legendum *ductore*.

512. Aldi error *prima n* pro *primum*.

514. Barthius, lib. XL Advers., cap. 7, cum his versibus confert Lucretii verba: *Quod contra sæpius olim Relligio peperit scelerosa atque impia facta.*

515. In Mar. erat hæc scriptura, *Mox ubi contiguit fossis muralibus, agros*, etc., quæ sane depravata est.

517. Notandus est hic locus adversus eos qui jactant exiguum fuisse martyrum numerum.

518. Vat. A, corrupte, *magne pœnitet, ac editionis.*

520. Vat. A, mendose, *vulnere.*

521. Vat. A, Egm. *petendæ*, male, nec melius Alex., *venia quæ petenda.*

523. Egm. apud Weitz., *solvit*, pro *quærit*. Heinsius nihil tale reperit in Egm., sed expressum id ait a Gis. ex suis. In prima quidem Giselini editione exstat *solvit*, at in secunda clare *quærit*.

524. Mar., *veri transfertur amore*; supra pro div. script., *pleno transfertur amore*. Mariettus primam lectionem præfert: sensus enim est *transfertur in fidem Christi amore veritatis*, quod confirmat glossula Ratisbonensis ad marg., *id est, pro veritatis*, quæ apposita certe est nomini *veri*, non *pleno*.

528. Ald., *contigit*; corrige *contulit*. In Rat. glossa est ineptissima: CETHEGO *rege quodam.*

530. Ald., Gis. 1 ed. in textu, *præscripsit* pro *prospexit*. Sermo est de Theodosio, non de Constantino, qui anno 337 obiit. Hinc colligitur Prudentium illa Theodosii oratione comprehendere omnia ejus acta contra paganismum, etiamsi ad diversa tempora pertineant.

533. Prag., *Internaque hominum strage tormenta parantes*, et glossa, secundum aliquos produci *ge* in ablativo. Mar. a secunda manu, Weitz., *Internoque hominum stravit*: scilicet *stravit parantes tormenta interno hominum*. Mar. a prima manu, *internaque hominum stravit*. Rat. a secunda manu, *internaque ho-*

Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanumque forum, et Capitolia celsa tenebant :
Qui conjuratas ipsa ad vitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente veneno,
Consuerant tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumphator latitanti ex hoste togatus
Clara tropæa refert sine sanguine, remque Quirini
Assuescit supero pollere in sæcula regno.
Denique nec metas statuit, nec tempora ponit :
Imperium sine fine docet, ne Romula virtus
Jam sit anus, norit ne gloria parta senectam :
745 Exsultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum,
Candidiore toga niveum pietatis amictum
Sumere, et exuvias deponere pontificales.
Jamque ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis,
Ad sincera virum penetralia Nazareorum,
Atque ad apostolicos Evandria curia fontes,
Anniadum soboles, et pignora clara Proborum :
Fertur enim ante alios generosus Anicius Urbis

GLOSSÆ VETERES.

534. Hostes, *dæmones*. — Passim, *ubique*, I.
536. Vitalia, *animas*, Iso.
537. Serpente, *nato*, Iso.
539. Triumphator, *Constantinus*, I.
540. Tropæa, *victoriam*. — Quirini, *Romani*, I.
544. Anus, *senex*, I.
545. Videas, *o Symmache*, I.
546. Gestire, *gaudere*. — Catonum, *principum Romanorum, consiliariorum*, I. — *Sapientum Romanorum propter Catonis sapientiam*, Vat. A.
547. Toga, *consiliariorum*, Vat. A. — Pietatis, *sanctitatis*, I.
548. Pontificales, *idolis consecratas*, Vat. A.
549. Ruit, *festinat*, I.
550. Nazareorum, *Christianorum*, I.
551. Evandria, *ab Evandro, qui primus fertur struxisse curiam*, I.
552. Proborum, *electorum*, I.
553. Generosus, *nobilis*. — Anicius, *nobilissimus fuit, de cujus genere Boetius fuit, et a quo familia Anniadum dicitur*, I.

COMMENTARIUS.

minum statui : sic *interna* refertur ad *tormenta*. Communior lectio, *Internoque hominum statui tormenta parantes*.

535. Supra, vers. 216, *celsa ad Capitolia*.

536. Egm. a secunda manu, *quin conjuratas*. Idem, *vitalia, plebes*, male.

539. Mar., Rat., *latitante*. Egm., *cogator*, supra *negator*; corrige *togatus*. *Triumphator* vocabulum est Apuleii, Cypriani, et in inscriptionibus ævi inferioris frequens.

540. Egm. supra, *resque Quirini*.

541. *Assuescit pollere*, ut hymno 9 Cath., vers. 95, *redire insuesceret mortuos*.

542. Ex Virgilio I Æneid., *His ego nec metas rerum, nec tempora pono, Imperium sine fine dedi*. Nescio qua ratione Heinsius contra fidem codd. velit conjicere *Denique nec metas statui, nec tempora poni*. Et illico addit : DOCET *nimirum, quod sequitur*. Chamillardus ita intelligit conjecturam Heinsii, ut *statui* et *poni* referatur ad *docet*. Lectio codd. clara est, nec sollicitari debet.

544. Post hunc versum in Rat., Mar., titulus *De senatus conversione*, qui exstat in Alex. ad marg. In Urb., *De conversione senatus*. Aldus habet *Romanorum senatum conversum ad Christum*.

545. De hujuscemodi elogiis senatus Romani testimonia veterum plena manu affert Juretus ad verba Symmachi epist. 46, lib. I : *Pars melior humani generis senatus*.

547. Alter Rott., *candidiora togæ*, quod haud inelegans visum est Heinsio. Ego nihil aliud hic video nisi mendum *candidiora* pro *candidiore*. De toga candida ac de his ipsis versibus Prudentii, critici et antiquarii innumeri agunt. Accipe summam. Toga Romanorum semper erat alba; sed cum diebus festis vestibus recentibus, et non sordidis, uterentur, *albati* peculiari ratione his in diebus dicebantur et erant. Præterea candidati togas creta candidiores reddebant : unde illis *candidatorum* nomen hæsit. Intelligitur ergo quid velit Prudentius, scilicet Romanos tanquam in die festo candidiorem togam sumere. Sic hymno 11 Peristeph., vers. 203 : *Nec minus Albanis acies se candida portis Explicat, et longis ducitur ordinibus*. Videtur autem Prudentius hoc loco etiam significationem mysticam denotare, videlicet pietatis et innocentiæ candorem. Nec mihi displicet quod ait Dominicus Macrus in Hierolex., verbo BAPTISMUS, alludere Prudentium ad vestes albas recens baptizatorum.

549. Ald., *in rupe retectis* : intelligo *latentibus* sive *tectis*.

550. In codice Jureti hic versus ita erat interpolatus, *penetralia noxa reorum*, nullo sensu aut contrario. In Egm. erat *noxa virorum*, ex quo factum *noxa reorum*.

552. Fabr., Widm., Bong. a secunda manu, Mar., Rat., *Æneadum* mendose. Vat. A, Prag., *Amniadum* : in hoc versu duæ familiæ, quæ in unam coaluerint, memorantur, *Annii* et *Probi*. Tertia his addita, scilicet *Anicii*, ut ex vers. seq. liquet. Glossa *electorum* inepta est.

553. Conjiciat recte aliquis legendum *orbis Illustrasse caput*. Supra vers. 497, *Ergo cave, egregium caput orbis*. Sed Prudentius senatum fortasse vocat *caput Urbis*. Hic Anicius Anniorum et Proborum soboles erat. Nonnulli hæc nomina quærunt sub Constantino. At Prudentius clare loquitur de his qui post edicta Theodosii, vel certe sub ejus imperio, ejurata superstitione pagana, fidem catholicam amplexi sunt. Non ergo audiendus est Baronius, qui putat hunc Anicium esse Anicium Julianum, qui consul fuit cum Petronio Probiano anno Domini 322. Chamillardus putat esse Sextum Petronium Probum, præfectum prætorio Valentiniani principis, consulem cum Gratiano anno 371. Is certe dicitur *Anicianæ domus culmen* in inscriptione cujusdam monumenti, quod filius ejus Anicius Hermogenianus Olybrius, consul ordinarius, et Anicia Juliana dedicarunt. Ego vero non video cur non potius filius Sexti Petronii Probi, qui in ea inscriptione Anicius Hermogenianus vocatur, sit is Anicius qui primus Christo nomen dederit post leges de religione Christiana et eversione idolorum a Theodosio promulgatas. De his familiis, earumque nobilitate legi possunt Claudianus, Marcellinus, Zosimus, Ausonius et alii. S. Hieronymus epist. ad Demetriadem : *Scilicet non mihi Proborum et Olybriorum clara repetenda sunt nomina, et illustre Anicii sanguinis genus .... Aut proferendus Olybrius virginis nostræ pater, quem immatura morte subtractum Roma congemuit*. In notis dicitur hunc Olybrium consulatum egisse anno 305; sed legendum fortasse 395. In fastis consulum hos reperio descriptos, qui ad has familias possint pertinere : Anno 322, Petronius Probianus et Anicius Julianus. Anno 341 : Probinus cum Marcellino.

746 Illustrasse caput : sic se Roma inclyta jactat.
Quin et Olybriaci generisque et nominis hæres
Adjectus fastis, palmata insignis abolla,
747 Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, et Ausoniam Christo inclinare securim.
Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit

GLOSSÆ VETERES.

556. Fastis, *libris, quod fecit libros potestatibus.* — Palmata, *victrici*, I.

557. Martyris, *cujuscunque.* — Fasces, *dignitates quas habuit Brutus consul*, Iso.

558. Ambit, *desiderat.* — Ausoniam, *Italicam.* — Christo, *propter Christum.* — Securim, *potestatem*, I.

COMMENTARIUS.

Anno 371 : Sextus Anicius Probus cum Gratiano. Anno 379 : Hermogenianus Olybrius cum Ausonio. Anno 395 : Sex. Anicius Olybrius et Sex. Anicius Probinus. Anno 406 : Sex. Anicius Petronius Probus cum Arcadio. Anno 408 : Anicius Bassus cum Philippo.

555. Weitz. in Var. Lect. ait *numinis Pal. nominis;* sed in contextu edidit *nominis*, quod unice verum est. Becmanus videtur legisse in aliquo vulg. *numinis hæres;* nam corrigit ex suo ms. *nominis*. Duo fuere Prudentii tempore Olybrii celeberrimi : alter Olybrius præfectus Urbis, Valentiniano et Valente iterum coss.; alter ejus filius Olybrius, qui cum fratre Probino consulatum gessit. De filio libentius intelligo Prudentium, qui certo est *Olybriaci generisque et* NOMINIS *hæres*. Olybrius pater uxorem duxerat Probam filiam Sexti Petronii Probi, de quo paulo ante dixi. De his nobilibus Romanis plura affert Gothofredus ad cod. Theod.

556. Sich., Widm., Boug., Weitz., Rat., Mar., *ab aula*, Prag., *ab olla*, quod perinde est, nam *au* in *o* sæpe commutabatur. Ald., Gis., *abolla :* id exscripsit Heinsius, et secuti sunt recentiores, nulla tamen indicata varietate lectionum. Atqui lectio illa prima sustineri posset. Nam vestes consulum *palmatæ* dicebantur, quin aliud adderetur. Cassiodorius, lib. VI, epist. 1 : *Nos habemus labores consulum, et vos gaudia dignitatum : palmatæ siquidem vestræ nostræ probantur esse victoriæ .... Pinge vastos humeros vario colore palmatæ.* Olybrius igitur adjectus fastis consulum, palmata insignis, ambibat ab aula submittere fasces consulares ante fores martyris, ut puto, principis apostolorum. Ita etiam Grangæus *martyrem* interpretatur. Fabricius *abolla* in Aldino exemplari recte legi comprobat, quia abolla vestis senatorum, ut toga equitum, fuit : et utraque *palmata* dicebatur. Abolla imperatorum fortasse dicta fuit *palmata* a *palma*, seu victoria. Abolla consulum et toga equitum *palmata* videtur dicta a latitudine clavi, hoc est a *palmo*. *Palmatæ* nomen ad ecclesiasticam vestem translatum notat Teolius cum Hugone Menardo : nam in Missa, ab Illyrico edita, fit mentio vestis quæ *palmatica* dicitur, et in epist. 66, lib. I, S. Gregorii Magni memorantur vestes *palmatianæ*. Illud vellem clarioribus testimoniis a Teolio confirmatum, quod Christiani ejus temporis simul ac præturam et consulatum erant adepti, ad ædes apostolorum accurrere solebant, ac pauperibus pecuniam ac vestes largiri. Quod enim (ut putat Teolius) a gentilibus id postremum factitatum docet Ammianus lib. XXVII de Symmacho, hujus quem Prudentius impugnat patre, scilicet : *Accitos e Vaticano quosdam egentes opibus ditaverat magnis;* non liquet id accipiendum de ædibus apostolorum aut de pauperibus Christianis. Ammianus ita refert, non de Symmacho, sed de Lampadio : *Hic cum magnificos prætor ederet ludos, et uberrime largiretur, plebis nequiens tolerare tumultum, indignis multa donari sæpe urgentis, ut liberalem se. et multitudinis ostenderet contemptorem, accitos a Vaticano quosdam egentes opibus ditaverat magnis.* Valesius, qui ad hunc locum opinionem Teolii expresserat, quædam in eamdem sententiam expromit, sed verbis Prudentii obscuriora. Ammianus intelligit pauperes qui in Vaticano habitabant. Ut enim probat Olaus Borrichius cap. 16 Dissert. Compend. de antiqua Urbis facie, contemptus olim erat Quiritibus Vaticanus ob gravius ibi cœlum, aquas otiosas et stagnantes, halitus impuros, fetorem e cadaveribus. Prudentium simplicius ita intelligo, ut Olybrius consul seipsum, suamque adeo dignitatem Christo subjecerit; non repugnabo tamen, si quis addat ritum aliquem jam tum invectum submittendi fasces et inclinandi securem, dum consul Christianus ecclesiam ingrederetur : qualia venerationis signa in militibus ad sacra stantibus cernere licet.

558. Heinsio magis Prudentianum videtur *securem* quam *securim*.

559. Laudatur hoc loco S. Paulinus, Nolanus episcopus, de cujus conversione et sanctis moribus plura Ambrosius, Augustinus, Hieronymus et alii æquales. Gesta enarrant Sacchinus, Le Brunius et Muratorius. E nobilissima familia Romana in Aquitania ortus est : maximis honoribus, etiam consulatu auctus, Hispaniam adiit, ubi uxorem duxit Therasiam, ut videtur, Hispanam, ex qua Compluti suscepit filium, ibique defunctum ad sepulcrum SS. martyrum Justi et Pastoris sepelivit. A Delphino Burdigalensi antistite baptizatus est, a Lampio episcopo Barcinonensi presbyter ordinatus, *in sacerdotium*, ut ipse ait, *tantum Domini, non etiam in locum ecclesiæ dedicatus*. Conversio Paulini ascribitur anno circiter 380. An autem Bassus, cujus mentio hic occurrit, sit Junius Bassus qui præfectus Urbis ac neophytus decessit anno 358, ut constat ex inscriptione apud Sirmondum in notis ad Ennodium, dubitari potest. Plerique affirmant, quibus adhæret Philippus Laurentius Dionysius Vatic. basilic. Monument. tab. LXXXI. Sed cum Prudentius videatur eos tantum recensere proceres qui sub Theodosio Christi fidem amplexi sunt, alium intelligo. Ad hanc Bassorum familiam pertinere puto Bassulam, piam feminam, Severi Sulpicii socrum, cujus mentio exstat in epistolis Paulini et Severi. Anicius Bassus consulatum egit anno 408, ut paulo ante dixi. Nonnulli negant *Bassum* familiæ nomen esse. Parum id nostra interest, neque ipsi, quod volunt, probant. Tom. I Musei Pio-Clementini exstat inscriptio vetus, repetita ex præfatione cl. Petri Francisci Fogginii ad Fastos Romanos Verrii Flacci, quæ ad hunc Anicium Bassum spectat, adeoque hoc loco omittenda non est.

BASSI
ANICIO AVCHENIO
BASSO VC. PROCONS
CAMP. PROVISORI EIVS
DEM PROVINCIAE RES
TITVTORI GENERIS
ANICIORVM
OB MERITA
EIVS INLVSTRIA
ORDO PVPVLVSQVE CIVITA
TIS PRAENESTINAE
PON. CENS

Reperta fuit hæc inscriptio Præneste anno circiter 1779, ex eaque colligi ait Fogginius cur Bassus appellatus fuerit Anicii nomine : quod vellem enucleatius explicuisset.

748 Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam
Gentis patriciæ venturo attollere sæclo.
Jam quid plebicolas percurram carmine Gracchos,
Jure potestatis fultos, et in arce senatus
Præcipuos, simulacra deum jussisse revelli,
Cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
749 Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet ad Christi signacula versas,
Turpis ab idolii vasto emersisse profundo.
Si persona aliqua est, aut si status Urbis in his est,
Si formam patriæ facit excellentior ordo,
Hi faciunt, juncta est quoties sententia plebis,
Atque unum sapiunt plures, simul ac potiores.
Respice ad illustrem, lux est ubi publica, cellam,
Vix pauca invenies gentilibus obsita nugis
Ingenia, obtritos ægre retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat servare tenebras,
750 Splendentemque die medio non cernere solem.
Post hinc ad populum converte oculos, quota pars est,
Quæ Jovis infectam sanie non despuat aram?
Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,

GLOSSÆ VETERES.

560. Superbam, *nobilem*, I.
561. Patriciæ, *patricii erant consules qui more patrum populum regebant*, I.
562. Plebicolas, *plebem amantes*, I.
564. Præcipuos, *principes*, I, Vat. A.
565. Lictoribus, *ministris vel militibus*, I.
567. Domos, *familias*, I.
568. Placet, *licet*, I.
569. Idolii, *paganismi. Idolium est locus in quo idolis immolabatur. Idolothytum sacrificium; idolum, res ipsa cui immolatur.* — Emersisse, *exisse*, I.
570. Si persona, *id est, si dignitas temporalis aliquid valet apud Deum*, I.
571. Formam, *pulchritudinem*, I.
573. Potiores, *excellentiores. meliores*, I.
574. Cellam, *ecclesiam, templum, ubi congregabantur nobiles Romanorum*, I. *Ecclesiam S. Petri*, Rat.
576. Obtritos, *consumptos.* — Ægre, *difficile*, I.
577. Exactas, *præteritas*, Iso.
578. Solem, *Christum*, I.
579. Quota, *quam magna*, I.
580. Infectam, *pollutam.* — Sanie, *putredine*, I.
581. Cœnacula, *Capitolia*, I.

COMMENTARIUS.

562. Jureti codex, vitiose, *Græcos* pro *Gracchos*, sive, ut nonnulli scribere malunt, *Graccos*. In ora ejusdem codicis nugator quispiam magistellus interpretationis causa ascripserat, Græcos, utpote viciniores Romanis, jungi solitos nuptiarum et dignitatum pignoribus. In nonnullis vulg., *poplicolas*, quod non male prætulit Weitzius auctoritate codicis Egm., in quo tamen Heinsius invenit *plebicolas*. Vocat *plebicolas* Gracchos, quia eorum majores C. et Tib. Gracchi plebi in lege agraria propugnanda consuluerant. Gracchus vero, quem Prudentius innuit, fuit Lætæ consanguineus, quem laudat S. Hieronymus epist. 107: *Ante paucos annos propinquus vester Gracchus nobilitatem patriciam nomine sonans, cum præfecturam gereret Urbanam, nonne specum Mithræ, et omnia portentuosa simulacra quibus corax, nymphus, miles, leo, perses, helios, Bromius pater* (al. *Dromo pater*) *initiantur, subvertit, fregit, exussit, et his quasi obsidibus ante præmissis, impetravit baptismum Christi?* Id accidisse anno Domini 383 vult Baronius, Gothofredus et Pagius anno 376, probabilius Philippus a Turre de Mithra cap. ultim. non ante annum 378 a Graccho præfecturam Urbanam initam existimat. In antro Mithræ celebantur symbola astrorum et planetarum, quorum aliqua recenset Hieronymus. Vide notas Vallarsii.

564. Bong. a prima manu, *jussisse repelli*.

566. Ald., Egm., Pal., *se congregasse*, contra rationem metri.

567. Mar., Prag., Rat., *domus*.

568. Glossa contrario modo legenda est: Licet, *placet*, nisi *placet* sit diversa scriptura apud Isonem.

569. Ald., *idoli*, contra consuetudinem Prudentii, qui corripit secundam. Vat. A, Egm., Pal., *profano* pro *profundo*, quod postremum retineri debet. Prag., male, *mersisse*.

572. Prag. semper scribit *hii* pro *hi*. Alter Rott., *juncta quoties*, quod Prudentiano more factum putat Heinsius.

574. In Mar. desiderabatur *est*. Glossæ *cellam* explicant ecclesiam; malim curiam. Sic supra *lumina mundi* senatores vocavit. Senatus in templis aliisve in locis consecratis congregari solebat; et in templis diversæ erant cellæ, sive ædiculæ, et sacella. Prudentius ergo cellam, in qua habebatur senatus intelligit. Cl. Antoninus Valsecchius ord. Præd., scriptis pro religione Christiana editis laudatissimus, hos versus Prudentii, ut alios aliis in locis, carmine Italico reddidit in opere *la Religione vincitrice*, part. 2, cap. 2, contra inanem et sophisticam philosophiam Frereti, qui verbis Symmachi, nec satis fideliter descriptis, permotus, in suo Critico Examine contendit illustriorem senatus partem cum Symmacho sensisse. Valsecchius eum refutat auctoritate Ambrosii et Prudentii: *Poeta*, addit argute, *ben degno d'essere udito ed apprezzato anche da un segretario perpetuo dell' accademia reale delle iscrizioni e belle lettere*.

576. Jureti membranæ *obstrictos* cum Ald. et Gis. ad oram. Plerique, etiam Gifanius et Colerus ad Val. Max., *obtritos*, id est rejectos et omnino contemptos.

578. Aldus, *nec cernere*; alii, *non cernere*: ex proverbio id sumptum. Post hunc versum titulus in Mar. et Rat., *De credulitate plebis*, qui etiam exstat in Urb. et Alex. ad marginem. Aldus habet *Plebem Romanam in Christum credidisse*.

579. Ald. et Gis. in contextu 1 ed., *quæ in Urbe est*, *Qui*. Alii, *quota pars est*, *Quæ*. In Vat. A desideratur *est*.

580. Egm., Thuan., Pal., corrupte, *disputat*; Weitz., *dispuit*. Rat., Gis., *despuit*. Plerique, *despuat*. Tertullianus lib. de Idololatr. cap. 11: *Quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet et exsufflabit, quibus ipse prospexit?* et cap. 13 de Spectac.: *Nec minus templa quam monumenta despuimus*. Minucius in Octavio: *Templa ut busta despiciunt, deos despuunt, rident sacra*; etc. Vide quæ notant ad hunc locum Heraldus, Elmenhorstius, Wowerus, Ouzelius. Origenes, lib. VIII contra Celsum, id in Christianis videtur improbare. *Quis*, inquit, *nostrum adeo stultus est ut hæc dicat, nec videat nihil ejusmodi valere ad tollendam de diis persuasionem?* Distinguenda autem sunt tempora. Nam sub imperatoribus gentilibus id sine peculiari aliquo instinctu a Deo immisso palam fieri non posset nisi imprudenter; sub imperatoribus Christianis jam licebat. Confer comment. ad hymni S. Eulaliæ vers. 128.

581. Prag., *celso*: lege *celsa*. Heinsius putat *vulgus* ex glossemate irrepsisse: nam vulgus manifeste de-

Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis :
751 Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses :
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Unde sacrum referat regali chrismate signum.
Et dubitamus adhuc, Romam tibi, Christe, dicatam
In leges transisse tuas? omnique volentem
Cum populo, et summis cum civibus ardua magni
Jam super astra poli terrenum extendere regnum?
Nec moveor, quod pars hominum rarissima clausos
Non aperit sub luce oculos, et gressibus errat.
Quamlibet illustres meritis, et sanguine clari
Præmia virtutum titulis, et honoribus aucti
Ardua retttulerint, fastorumque arce politi
Annales proprio signarint nomine chartas,
Atque inter veteres cera numerentur et ære :
752 Attamen in paucis, jam deficiente caterva,
Nec persona sita est patriæ, nec curia constat,
Et quodcunque fovet studii privata voluntas,
Hoc jam rara tenet : sed publica vota reclamant,
Dissensu celebri trepidum damnantia murmur.
Si consulta Patrum subsistere conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si
Tercentum sensisse senes legerentur in unum :
Servemus leges patrias : infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte silescat.

GLOSSÆ VETERES.

582. Terit, *pedites*, I.
583. Et quem, *pauperes*. — Dispensus, *dispensatus*, I.
584. Vaticano, *ubi requiescit corpus S. Petri*. — Tumulum, *sepulcrum*, Iso.
585. Quo, *ubi*. — Genitoris, *Petri*. — Obses, *dicitur, qui loco pacis datur, et obses B. Petrus fuit Romanis, qui pacem eis attulit*, I.
586. Lateranas, *ad basilicam S. Joannis baptizantis, ubi ecclesia est in honore duodecim apostolorum*, I.
591. Extendere, *protelare*, I.
593. Luce, *fide Evangelii*, I.
594. Meritis, *bellorum virtutibus*. — Sanguine, *genere, nobilitate*, I.
595. Titulis, *inscriptionibus*, I.
596. Fastorum, *annorum librorum*, I.
598. Veteres, *principes*. — Cera, *quia statuas cereas et æreas antiqui nobilissimi faciebant*. — Ære, *æreis tabulis*, I.
599. Caterva, *multitudine*, I.
604. Si consulta, *non aliter licitum servare fidem Christi, quam Patres constituerunt, quam eam quam trecenti constituerunt*, I.

COMMENTARIUS.

signatur per hanc circumscriptionem, et conjicit, a manu Prudentii fuisse *Omnis qui celsa scandit cœnacula scalis*, vel *Omnis qui scandit cœnacula celsa domorum*. Mihi non videtur superfluum esse *vulgus*. Nam *vulgus* nominatur, simulque ejus descriptio poetice exprimitur, quod haud inconcinnum est. In cœnaculis pauperes habitabant, ut ex Juvenali, Martiali et aliis ostenditur.

582. Ald., Egm., *variis discussibus*. Silicis Romanæ color ater est. Juvenalis sat. 6 : *Nec melior, pedibus silicem quæ conterit atrum*. Anno 1784 Romæ prodiit dissertatio Italica *Del selce Romano*, auctore Joanne Hieronymo Lapio, qui negat silicem Romanum e massa incendiis antiquis montium liquefacta et postea in lapidem congelata fuisse formatum, contra quam multi opinantur.

583. Gifanius verbo VERTERE, monet, veteres originis et non junctis verbis usos sæpenumero, ut *vertere* pro *evertere*. *Tale*, inquit, *est illud Prudentii admirabile sane* DISPENSUS pro DISPENSATUS. Titulus est lib. XLV cod. Theod. *De annonis civicis et pane gradili*. Panis civibus distribui solebat e gradibus, ne qui distribuebant a populo premerentur. Hinc *gradilis* dictus. Alii aiunt, in gradibus distribui panem solitum. Lib. II in Symm., vers. 498 : *Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira Sustinet?* Lipsius, Elect. lib. I, cap. 8, ex Prudentio colligit, videri in singulis regionibus Urbis gradus erectos fuisse, ubi hæc divisio fieret.

584. S. Hieronymus epist. 107 ad Lætam anno 403 : *Auratum squalet Capitolium. Fuligine et aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt. Movetur Urbs sedibus suis, et inundans populus ante delubra semiruta accurrit ad martyrum tumulos ..... Solitudinem patitur et in Urbe gentilitas*.

586. Ald., Gis., Egm., Pal., Alex., Urb., *Laterani accurrit*. Vat. A, *magni Laterani accurrit*. Optimi plerique, *magnis Lateranas currit ad ædes*. Nonnulli his versibus confirmant, jam Prudentii ætate in ædibus Lateranis exstitisse baptisterium a Constantino scilicet constructum.

587. Vat. A, *regale*.

588. Virgilii imitatio VI lib. : *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?*

593. Oxon., *non aperit sublime oculos*. Teolius ita etiam edidit, et ita edidisse Heinsium innuit. At Heinsius in contextu edidit *sub luce oculos*, et in notis solum refert discrepantiam lectionis in Oxonio, et quædam similia exempla profert.

594. Ald., *quamvis illustres*.

596. Fasti nominibus consulum signabantur, ut notum est.

597. Rat., *signarent*, minus bene.

598. Widm. supra, *charta*; lege *cera*.

600. Rat., *nec curia conflat*, male.

601. Ald., Mar. a prima manu, Thuan., Egm., Ox., Pal., Alex. a prima manu, Urb., *fovent*. Tum ita est distinguendum, *et quodcunque fovent* (pauci illi) *studii privata voluntas, Ac jam rara tenet*.

602. Ald., *ac publica*. In aliis, *sed publica*. Prag., Mar. ad marg., Rat., *hoc jam rara tenet*. Alii, *ac jam*. Si legatur *fovet*, tunc melius est *hoc jam rara tenet*.

604. Ald., Weitz., Heins., *sic consulta Patrum*. Heinsio consonant de more recentiores. At Heinsius contra morem a Giselino recessit, quin varietatem lectionis indicaret. Gis., Rat., Prag., Mar. et alii, *si consulta*, quod magis probo.

606. Prag., *tunc centum*; lege *tercentum*.

608. Rat., *numeri*, *et partita in parte*; supra, *et parva*. Retine *parvaque*. Symmachus huic argumento nihil objicere poterat : qui lib. IV, epist. 27, ait : *Facit autem lex curiæ nostræ, ut majoris apud me numeri antistet auctoritas*. Hinc formula hæc erat in curia : *Numera senatum*. Post hunc versum lemma Mar., Rat., Alex., *Symmachum alloquitur*. In Urb., *De senatus fide sequitur*.

Aspice, quam pleno subsellia nostra senatu
Decernant infame Jovis pulvinar, et omne
753 Idolium longe purgata ex Urbe fugandum.
Qua vocat egregii sententia principis, illuc
Libera cum pedibus, tum corde frequentia transit.
Nec locus invidiæ est, nullum vis aspera terret,
Ante oculos sic velle patet, cunctique probatum,
Non jussum, sola capti ratione sequuntur.
Denique pro meritis terrestribus æqua repen- [dens
Munera, sacricolis summos impertit honores
Dux bonus, et certare sinit cum laude suorum:
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet: quoniam cœlestia nunquam
Terrenis solitum per iter gradientibus obstant.
Ipse magistratum tibi consulis, ipse tribunal
Contulit, auratumque togæ donavit amictum,
754 Cujus relligio tibi displicet, o pereuntum
Assertor divum: solus qui restituendos
Vulcani, Martisque dolos, Venerisque peroras,
Saturnique senis lapides, Phœbique furores:
Iliacæ matris Megalesia, Bacchica Nisi,
Isidis, amissum semper plangentis Osirim,
Mimica, ridendaque suis solemnia calvis,

GLOSSÆ VETERES.

609. Subsellia, *judicia*, Iso.
610. Infame, *detestabile*. — Pulvinar, *templum; a pulvinariis, id est lectisterniis quæ in templis deorum faciebant, ubi responsa accipiebant a diis*, I.
612. Principis, *Theodosii*, I.
613. Frequentia, *multitudo*, I.
614. Terret, *ut in Christum cogeret credere: unusquisque sua sponte Christum credebat*, I.
616. Ratione, *prædicatione*, I.
618. Sacricolis, *paganis*, I.
620. Pago, *paganismo*, Vat. A.
622. Obstant, *cogendo*, I.
623. Ipse, *deus, imperator*, I. — Tibi, *o Symmache*, Vat. A.
626. Assertor, *o Symmache*, I.
628. Furores, *minna*, I.
629. Iliacæ, *Opis*. — Megalesia, *sacrificia solemnia*. — Bacchica, *sacra Liberi patris*. — Nisi, *a civitate Nisa, in qua colebatur Liber*, I.
631. Mimica, *stulta, scurrilia*. — Calvis, *deceptoribus*, I.

COMMENTARIUS.

609. Mar. a prima manu, *plena*, perperam. Errorem Fabricii, qui ex his versibus collegerat plures fuisse senatores gentiles, cum hæc scriberet Prudentius, notavi in proleg. num. 70, in nota *c* (*Col.* 615 *Patrol. tom. LIX, n.* a). Prudentio concinit Paulinus Natali 11: *Tota pio Christi censetur nomine Roma*. Cæterum nonnulli viri principes adhuc Romæ paganismum retinebant, ut ex carmine ejusdem Paulini ad Licentium manifesto liquet: *Nec tibi nobilitas videatur libera, quam nunc Sublimem attonita conspicis Urbe vehi, Quam cernis tanta sibi libertate videri, Ut dedignetur flectere corda Deo*.

610. Ald., Egm., Pal., *discernant*; longe melius est *decernant*.

611. Ald., Rat., non bene, *idolum* pro *idolium*; pejus Vat. A, *furandum* pro *fugandum*.

612. Prag., Rat. a secunda manu, *quo vocat*. Vat. A, male, *qui vocat*. Hoc loco recte procedit glossa de Theodosio principe, sed non satis sibi constat aliis in locis, ubi intelligit Constantinum pro Theodosio.

613. Vat. A, corrupte, *libera compedibus*. Ald., Teol., *tum pedibus*; alii, *cum pedibus*. Freretus in Examine Critico (ut vocat ipse) auctorum qui apologias pro religione Christiana scripserunt, impudenter affirmat Christianorum imperatorum violentia factum ut religio Christiana propagaretur. His Prudentii versibus et facto ipso quod narrat ea calumnia refellitur. Et religionem Christianam martyrum sanguine crevisse quis ignorat?

615. Ald., *cunctique probatu, Non jussu*.

616. In Rat. videtur esse *capiti ratione*, quod mendum est, uti in Palat., *capitis ratione*.

617. Rat., *promeritis*, atque ita semper in Prudentio legi jubet Gifanius verbo Promerita, quia Prudentius, etsi recentior, libenter antiquiores imitatur. Ita autem distinguendum censet hunc locum: *Denique pro meritis terrestribus æqua rependens Munera, sacricolis summos impertit honores Dux bonus*. Alii interpungebant *munera sacricolis, summos*, etc.

620. Vat. A, mendose, *nec pago illicitos*. Barthius, lib. xvii, cap. 1, notat, *pagum* apud Prudentium in Romano et hoc loco idololatriam sonare, quia stupidior gens habitans pagos, ineptiores deos, et cruda ligna colebat. Severus Sulpicius gentiles vocat *rusticos* et Aldhelmus de Laude Virg., *Ruricolas mutans ad cœli regna phalanges*. Vide supra ad vers. 449.

626. Ald., male, *assertor regum*. In Romano vers. 1, *Romane, Christi fortis assertor Dei*. Egm., *solis* pro *solus*. Mihi non displicet hæc scriptura, quamvis postea sequatur *Phœbique furores*: nam poeta videtur notare Veneris et Martis adulterium, quod Sol manifestavit, Vulcanus vindicavit.

627. Virgilius lib. iv Georg., *Vulcani, Martisque dolos, et dulcia furta*.

628. Egm., *Fybique furores*. Saturnus cum filium suum Jovem comedere vellet, Opis conjux pro Jove obtrusit lapidem, quem protinus ille devoravit, credens suum esse filium. *Phœbi furores* indicant insaniam qua vates Apollinis agebantur, dum aliquid prænuntiabant. Virgilius lib. vi de Sibylla: *Ea frena furenti Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo. Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt*. Iso exponit *minna*; de quo vocabulo vide supra comment. ad vers. 117.

629. Alter Rott., *Bacchia Nisi*. Heinsius lib. i Advers. posth., cap. 19, legendum putat *Nisei* vel *Nisæ*, non *Nisi*. Niseus est Bacchus: alii scribunt *Nyseus*. Nisus fuit nutritius Bacchi. Igitur quolibet ex his modis festa Bacchi intelliguntur. Prag. pro *Megalesia* habet *Magalesia*. Megalesia sunt ludi in honorem Cybeles, quæ Iliaca dicitur ab Ilio, ubi præcipue colebatur. De his vide Livium lib. ii, et Ovidium iv Fast., *Protinus incœpto Berecynthia tibia cornu*, etc. Adde quæ notat Fogginius in Fastos Verrii Flacci, pag. 42 et seqq. Verum de his ludis iterum nos in Romano.

630. Mar. scribit *Osirin*. De his sacris Minucius: *Isis perditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit, et Isiaci miseri cædunt pectora, et dolorem infelicissimæ matris imitantur: mox invento parvulo, gaudet Isis, exsultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur: nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Nonne ridiculum est vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas?* Eadem fere repetunt Lactantius lib. i, cap. 21, Athanasius Adv. gentes, Firmicus de Error. prof. relig., Origenes, Cyprianus, Eusebius, Augustinus, Paulinus, aliique Christiani scriptores, ut de gentilibus taceam.

631. Gis. et nonnulli vulg., *mimicaque et ridenda suis*. Ita etiam Rat., sed abrasis prioribus. Codd. mss., Ald., Weitz. aliique, *mimica, ridendaque suis*, probe. In *ridenda a* producitur, non ea ratione qua

Et, quascunque solent Capitolia claudere, larvas. A
O linguam miro verborum fonte fluentem,
755 Romani decus eloquii, cui cedat et ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas!
Os dignum, æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum: cui sordida monstra
Prætulit, et liquidam temeravit crimine vocem.
Haud aliter, quam si rastris quis tentet eburnis
Cœnosum versare solum, limoque madentes
Excolere aureolis si forte ligonibus ulvas,
Splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
Et pretiosa acies squalenti sordet in arvo.
Non vereor, ne me nimium confidere quisquam
Arguat, ingeniique putet luctamen inire.
Sum memor ipse mei, satis et mea frivola novi:
756 Non ausim conferre pedem, nec spicula tantæ
Indocilis fandi conjecta lacessere linguæ.
Illæsus maneat liber, excellensque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam:
Sed liceat tectum servare a vulnere pectus,
Oppositaque volans jaculum depellere parma.
Nam si nostra fides, sæclo jam tuta quieto,
Viribus infestis, hostilique arte petita est:
Cur mihi fas non sit, lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas jactu pereunte sagittas?
Sed jam tempus iter longi cohibere libelli,
Ne tractum sine fine ferat fastidia carmen.

GLOSSÆ VETERES.

638. Liquidam, *nitidam*, *pulchram*, Iso.
643. Pretiosa acies, *splendor auri*. — Acies, *acumen*, I.
646. Frivola, *ineptias*, Iso. B
648. Indocilis, *ego*. — Lacessere, *provocare*, I.
649. Liber, *Symmachi*, I.
650. Partam, *paratam*. — Fulmine, *cum tonitru*, Iso.

COMMENTARIUS.

ait Gifanius in *A*, quia scilicet *a* a veteribus contra *vulgatos grammatices canones sæpe producitur*; sed potius ob encliticam *que*: facit enim hæc dictio encltica, ut accentus in *a* collocetur. Vide proleg., ubi ejusmodi regulam explicuimus.

636. Nisi opera Symmachi ad nos pervenissent, ex laudibus quas Prudentius, Ambrosius, Ausonius, Prosper Aquitanicus, Macrobius aliique veteres in eum contulerunt, divina quadam eloquentia viguisse hominem, judicandum esset. Nunc quoniam aliud dicendi genus placet, ejus epistolæ tantum non despiciuntur.

638. Prag., *liquido*; melius *liquidam*.

639. Vat. A, mendose, *ut aliter*. Ald., *quam cum rastris quis tentat*. Ita etiam quatuor vetustiores apud Heinsium, Alex., Urb. Heinsio magis placet *quam si rastris quis tentet*. Sed lib. I Advers. posth. conjecit *rustris* pro *rastris*, quia *rustrum* est species ligonis. At vero rastra inter instrumenta rustica ab Isidoro C lib. xx, cap. 14, recensentur, ita dicta, ut ait ex Servio, *aut a radendo terram*, *aut a raritate dentium*. Pro instrumento fossorio accipi dicam etiam ad vers. 283 lib. II. Clemens Alexandrinus, notante Chamillardo, tale aliquid dixit: *Nemo ligonem argenteum facit*, *nemo falcem auream*; *nam utendum apta materia ad agriculturam*, *non divite*. Et Tertullianus lib. de Habitu muliebri: *Certe nec ager auri opere paratur*, *nec navis argenti vigore contexitur*. *Nullus bidens aurum demergit in terram*. Inter adagia recensentur: *Eburneis rastris solum vertere*, *Ligonibus aureis terram fodere*, *Aureo hamo piscari* pro *re insigni et præclara male abuti*. Judæi vero cum sub Juliano Apostata templum instaurare vellent, ligones, palas et corbes ex argento confecerunt. Vide Theodoret. lib. III Hist., cap. 20.

640. Egm., corrupte, *verrare solum*.

642. Posset etiam scribi *scrobes*, ut *lues*, *fames*, *Joannes*, correpta ultima.

646. Aldus distinguit *Sum memor ipse mei satis*, *et mea frivola novi*. Symposius: *Sed frivola multa locuta*. Ausonius: *Misi itaque ad te frivola gerris Siculis vaniora*. Juvenalis sat. 3: *Jam frivola transfert Ucalegon*. Sidonius lib. IV, epist. 3, imitari videtur Prudentium.

649. Aldi error *manet* pro *maneat*.

655. Ald., *cur mi fas*. Cicero in Catilinam: *Quot ego tuas petitiones ita conjectas*, *ut vitari nullo modo possent*, *parva quadam declinatione*, *et*, *ut aiunt*, *corpore excessi?* Catullus carm. 114: *Contra nos tela ista tua evitamus amictu*. Vide Comment. Vulpii.

656. Lipsius Saturn. lib. II, cap. 20, conjicit *sarissas* pro *sagittas*, quia hastæ jaciuntur, non sagittæ. Heinsio non placet hæc conjectura. Sagittæ *ventosæ* dicuntur ob eloquentiam ventosam, ut in præf. lib. II: *Ventisque eloquii tumet*. Petronius dixit *ventosa loquacitas*.

657. Imitatio Virgilii eclog. I: *Et jam summa procul*; et II Georg.: *Et jam tempus equum fumantia solvere colla*.

658. Ald., *Finit contra Symmachum liber primus*. Alex., *Explicit contra Symm. lib. I*: Urb., *Explicit lib. I contra Symmachum*.

PRÆFATIO LIBRI SECUNDI

CONTRA SYMMACHUM.

757 Simon, quem vocitant Petrum,
Summus discipulus Dei,

COMMENTARIUS.

In Vat. A nullus est titulus. In Rat. et Mar., *Præfatio libri II adversus eumdem*. In Alex., *Incipit liber II feliciter amen*. In Urb. *Incipit prologus in librum II*.

1. Ex phrasi sacræ paginæ Matth. IV, 18: *Simonem, qui vocatur Petrus*; et X, 2: *Simon, qui dicitur Petrus*.

2. Barthius, lib. XLIII Advers., cap. 8, hunc locum D illustrat, et post plures SS. Patrum similes auctoritates addit: *Infinita alia sunt a disceptatoribus eventilata*, *quibus infinita totidem alia addi possint quæ auctoritatem Petri inter apostolos vel primariam astruant*. Vide vers. 1 præfat. lib. I.

Lucis forte sub exitu,
Cum vesper croceus rubet,
Curvam avulserat anchoram,
Captans flamina linteis,
Et transnare volens fretum.
Nox ventum movet obvium,
Fundo qui mare misceat,
Jactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus æthera
Plangens, atque ululans ferit
Cum stridore rudentium:
Nec quidquam suberat spei
758 Mergendis prope naufragis,
Cum Christum procul aspicit
Pallens turba periculis,
Calcantem pedibus mare,
Ac si per solidam viam
Siccum littus obambulet.
Hæc miracula cæteri
Vectores pavidi stupent.
Solus non trepidus Petrus
Agnoscit Dominum poli,
Terræque, et maris invii:
Cujus omnipotentiæ est
Plantis æquora subdere.
Tendit suppliciter manus,
Notum subsidium rogat.

A Ast ille placide annuens,
Puppi ut desiliat, jubet.
Jussis obsequitur Petrus:
Sed vestigia fluctibus
Summis tingere cœperat.
Et lapsante gradu pedes
Pessum mergere lubricos.
759 Mortalem Deus increpat,
Quod sit non stabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Christum valeat sequi.
Tum dextra famulum levat,
Sistitque, et docet ingredi
Tergum per tumidum freti.
Sic me, tuta silentia
B Egressum, dubiis loquax
Infert lingua periculis:
Non ut discipulum Petrum
Fidentem et merito, et fide,
Sed quem culpa frequens levem
Volvat per freta naufragum.
Sum plane temerarius,
Qui noctis mihi conscius,
760 Quam vitæ in tenebris ago
Puppim credere fluctibus
Tanti non timeam viri:
Quo nunc nemo disertior

GLOSSÆ VETERES.

3. Exitu, *recedente die*, I.
6. Flamina, *ventos*, I.
10. Jactatam, *fatigatam*, I.
19. Ac si, *quasi*, I.
20. Obambulet, *circumambulet*, Iso.
36. Pessum, *deorsum*, *perditioni*, *pessime*, *vel male*, I.
40. Nec, *scilicet ideo*, I.
44. Sic me, *figura mystica*, I.
49. Quem, *me*, I.
51. Plane, *certe*. — Temerarius, *præsumptor*, I.
52. Noctis, *ignorantiæ*, *peccati*, I.
53. Ago, *duco*, I.
56. Disertior, *doctior*, *eloquentior*, I.

COMMENTARIUS.

4. Virgilius lib. I Georg.: *Illic sera rubens accendit lumina vesper.*

5. Weitz., Ald., Heinsius cum suis codd., *vulserat*. Mar., Rat., Prag., Gis. aliique, *avulserat*.

6. Hæc historia narratur cap. XIV Matth. et ab aliis evangelistis.

8. Mar., *mox;* bene correctum *nox*. In Rat. pro div. script. Prag. *mox ventum videt*. In Rat., ex *obviam* eadem manu factum *obvium*.

9. Ald., contra metrum, *qui misceat mare*.

11. Virg. V Æneid.: *Ferit æthera clamor Nauticus*, et I Æn.: *Insequitur clamorque virum*, *stridorque rudentum.*

14. Rat., Prag., *nec quidquam superat*, quod omnino rectum Marietto visum est.

17. Prag., *spallens turba*, male.

18. Hujus miraculi sæpius meminit Prudentius.

20. Rat., *obambulat;* supra, *obambulet*.

26. Gis. 1 ed., *Cujusque omnipotentiæ est;* 2 ed., *Cujus cunctipotentiæ est*. Metuebat ne pes primus esset choreus. Sed exemplum exstat apud Horatium lib. I, od. 15, *Ignis Iliacas domos*. Catullus ita fere semper. Apud Ducangium occurrit *cunctipotentia* ex prologo Vitæ S. Turiani.

30. Jureti codex, *ast illi*.

33. *Vestigia* pro pedibus passim apud poetas; ut etiam *vestigia tingere*, sive malis scribere *tinguere*.

36. *Pessum* est adverbium, aut adverbii simile, scilicet in profundum. Silius lib. VIII, *Labi mergente sinistro Consule res, pessumque dari*. Plautus in Truculento I, 1, 15: *Quando abiit rete pessum*, *tum adducit sinum*. Vide Barthium cap. 12. Advers. lib. XXXIII.

C 38. Ald., Gis., *qui sit;* plerique, *quod sit*. Egm., Pal., *quid sit*, quod elegans et Prudentianum censet Heinsius. In Egm. ait Heinsius esse interpretamentum *cur;* in Pal. Weitzius affirmat supra esse *cur*, quæ non tam est glossa quam diversa lectio: et hæc quidem elegans, et Prudentiana mihi videtur. Vide comment. ad vers. 81 hymni 4 Cath., *Cur te, summe Deus, precemur unum*.

41. Mar., *dum;* a secunda manu, *tum:* probe.

42. Prag., perperam, *sistit et*, *docetque*.

43. Poetis frequens est *tergum æquoris* dicere, ut Græcis νῶτα θαλάσσης. Adisis Wowerum, Elmenhorstium, Ouzelium in Comment. ad verba Minucii *Vel dorsum maris raderet*, atque iterum Elmenhorstium ad Arnobium lib. I, pag. 27: *Calcabat* (Christus) *ponti terga undis ipsis stupentibus*.

48. Ald., Prag., Gis., Weitz. et alii, *fidentem merito* sine *et;* Mar., alter Rott., Ox., Bong., Fabr., Heins. et alii, *et merito*.

D 49. En rursus præclaram animi demissionem qua Prudentius se peccatorem fatetur eo etiam tempore quo inter omnes constat vitam illum Christianis moribus præditam egisse; quo defensio in prolegomenis a nobis suscepta confirmatur, scilicet ex præfatione operum humilitatem ipsius potius argui quam ante actæ vitæ gravissima scelera quæ illi vulgo imputantur.

50. Prag., mendose, *solvat per freta naufragum*.

53. Prag., *vitæ tenebris* sine *in*.

54. Alii *puppem*, alii *puppim* scribunt: Simili metaphora vel potius allegoria utitur Sidonius lib. II, epist. 16: *Jam per alternum pelagus loquendi*, etc.

Exsultat, fremit, intonat,
Ventisque eloquii tumet :
Cui mersare facillimum est
Tractandæ indocilem ratis :
Ni tu, Christe potens, manum
A Dextro numine porrigas,
Facundi oris ut impetus
Non me fluctibus obruat :
Sed sensim gradiens, vadis
Insistam fluitantibus.

GLOSSÆ VETERES.

57. Exsultat, *suadendo.* — Fremit, *indignando.* — Intonat, *minando*, Vat. A.

60. Tractandæ, *gubernandæ.* — Indocilem, *me*, I.

65. Sensim, *paulatim*, I.

COMMENTARIUS.

57. *Tonare* de eloquentibus dicunt Cicero, Propertius et alii.

58. Vat. A, *ventis eloquii* sine *que.*

59. Ald., *cui versare;* lege *mersare.*

63. In Prag. videtur esse *ni impetus*, quod nec metro nec sententiæ congruit.

64. Vat. A, vitiose, *nomine* pro *non me.* Imitatur id Arator lib. II : *Sed non ego linguam Tam fragilem committo vadis, rapidasque procellas Aufugiam tentare diu, ne forte canenti Obruat exiguam violentior unda loquelam.*

65. Vat. A, depravate, *sed sim gradiens.*

66. Animadvertit Grangæus ex Virgilio *insistere* esse firmo gradu inhærere. In Aldo, *Finit præfatio;* in Alex., *Explicit præfatio.*

CONTRÁ SYMMACHUM
LIBER SECUNDUS.

761 Hactenus et veterum cunabala prima deorum,
Et causas, quibus error hebes conflatus in orbe est,
Diximus, et nostro Romam jam credere Christo.
Nunc objecta legam, nunc dictis dicta refellam.
B Unde igitur cœpisse ferunt, aut ex quibus orsum,
Quo mage sancta ducum corda illice flecteret arte?
Armorum dominos, vernantes flore juventæ,
762 Inter castra patris genitos, sub imagine avita
Eductos, exempla domi congesta calentes,

GLOSSÆ VETERES.

1. Cunabula, *initia*, Iso, Vat. A.

2. Hebes, *stultus*, I.

4. Objecta, *mihi a Symmacho.* — Legam, *colligam*, I.

5. Unde, *dicam*, Vat. A. — Cœpisse, *hanc hæresim colere.* — Quibus, *causis.* — Orsum, *incœptum*, I. *Scilicet esse*, Vat. A.

6. Quo, *ut.* — Illice, *suasoria arte, deceptibili, deceptrice*, I.

7. Armorum, *præliorum.* — Dominos, *Romanos*, I.

8. Patris, *patrum.* — Genitos, *nutritos.* — Imagine, *filio, qui est imago patris.* — Avita, *antiqua*, I.

9. Exempla, *per.* — Congesta, *cumulata*, I.

COMMENTARIUS.

In Rat. est titulus *Adversus Symmachum liber II incipit.* In Mar., *Aurelii Prudentii Clementis;* nihil præterea. In aliis nulla inscriptio.

3. Jureti codex, *cedere Christo*, quod nescio, cur a Cellario præferatur, tanquam dignius poeta.

5. Widm. ad oram, *inde;* melius *unde.*

6. Vat. A scribit *inlice.* Post hunc versum inseruntur in multis codicibus verba hæc ex Symmachi relatione. *Quis ita familiaris est barbaris, ut aram Victoriæ non requirat? Cauti in posterum simus; et talium rerum ostenta vitemus. Reddatur saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa Victoriæ debet æternitas vestra, et adhuc plura debebit. Aversentur hanc potestatem, quibus nihil profuit. Vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista votiva est. Nemo colendam neget, quam profitetur optandam.* Nonnullæ occurrunt varietates lectionum in codicibus. In Vat. A, *arma Victoriæ* pro *aram Victoriæ.* In Aldo, *non quærat* pro *non requirat.* Vat. A, mendose, *aut in posterum* pro *cauti in posterum.* Plerique, etiam Heinsius, *sumus*, et postea *vitamus :* mihi magis placet cum Aldo *simus, vitemus.* Vat. A, *ostentavimus;* Mar. a prima manu, *ostentamus;* Prag., *ostenta videmus;* alii recte, *ostenta vitemus* aut *vitamus.* In Mar., abrasis prioribus, *dignitas vestra.* Etiam Rat. a prima manu, et Sich., *dignitas* pro *æternitas.* Mar., *arceant hanc.* Prag., corrupte, *nociva* pro *votiva*, cujus glossa in Vat. A est *chara.* Ante verba Symmachi nonnulli C inscribunt *Symmachus*, et post ea *Prudentius.*

7. In Prag. et Ald. mendum *venerantes* pro *vernantes :* Heinsius mallet *vernantis.* Becmanus in Manuduct. ad ling. Lat. correxit etiam hunc errorem *venerantes*, et ex suo ms. reposuit *vernantes.* Putarunt aliqui armorum hos dominos esse Constantini filios; alii Valentinianum II et Arcadium, qui fratres postea dicantur, quod Theodosius Valentiniano loco patris fuerit. At dubium non est quin de Arcadio et Honorio Prudentius loquatur. Quod enim vers. 10 ait, *Orator catus instigat*, id intelligi potest, vel quia Symmachus fortasse obtulerat his imperatoribus suam relationem, vel quia ex ea relatione, ad alios imperatores habita, juvenum imperatorum animi, aliis instigantibus, permoveri poterant, nisi valida responsione refelleretur.

8. Mar., *patres*, a prima manu; Prag., *patrum :* legendum *patris.* Vat. A, Prag. et Rat. a secunda manu, *vitæ* male, pro *avita.* Mariettus hoc loco quærendum ait quænam uxores maritos sequerentur in castra, et D ibi susciperent liberos. Ego puto, *inter castra patris* intelligi posse, dum pater militaret, non ita ut in ipsis castris nati fuerint. Vide etiam glossam, ubi *patrum* diversa est lectio, sed non bona.

9. Vat. A. Weitz cum suis, *edoctos;* sed in Bong. supra erat *eductos*, quod habent reliqui et recte pro *educatos*, uti apud Plautum, Terentium, Juvenalem et alios. Mar., Alex., Urb., Weitz., Sich., Ox.,

Orator catus instigat, ceu classica belli
Clangeret, exacuitque animos, et talia jactat.
Si vobis vel parta, viri, Victoria cordi est,
Vel parienda dehinc, templum dea virgo sacra- [tum
Obtineat, vobis regnantibus. Et quis amicus
Hostibus hanc vestro sancte negat esse colen- [dam
763 Imperio, cui semper adest, quod laudi- [bus implet?
Hæc ubi legatus : reddunt placidissima fra- [trum
Ora ducum : Scimus, quam sit victoria dulcis

A

Fortibus, Ausoniæ vir facundissime linguæ :
Sed quibus illa modis, qua sit ratione vocanda,
Novimus : hac primum pueros pater imbuit [arte ;
Hanc genitore suo didicit puer ipse magistro.
Non aris, non farre molæ victoria felix
Exorata venit : labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura,
764 Hanc tribuunt, durum tractandis robur [in armis :
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamvis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, et multis surgat formata talentis :

GLOSSÆ VETERES.

10. Catus, *doctus : Symmachus*, I.
11. Jactat, *ad senatum dicit*, I.
15. Sancte, *religiose*, I.
17. Reddunt, *respondent*, I.
19. Ausoniæ, *Romanæ*. — Vir, *Symmache*, I.

B

21. Pater, *Romulus*, I.
22. Hanc, *artem, victoriam*, I.
23. Aris, *sacris*. — Farre, *sacrificio farris*, I.
26. Hanc, *victoriam*, I.
29. Explicet, *expandat*. — Talentis, *metallis*, I.

COMMENTARIUS.

Cauch., et a manu prima Thuan., Rat. a secunda manu, Torn. ad oram, *calentes*. Pal., Widm. supra, Prag., Rat. a prima manu, Ald., Torn. in textu, Gis., *tenentes*. Gis. ad marg., *colentes*. Heinsius et recentiores, *calentes*, quod Prudentianum Heinsio videtur, eum amet Prudentius verba cum quarto casu conjuncta, ut *æstuare*, *sudare*, *flere*, *vivere*, *anhelare*, *arietare*, *currere*, *suspirare*, *credere*, *sitire*, *spirare*, *pluere*, *prurire*, *ludere*, *mendicare*, *glorificare*, *resultare*, *ruere*, *spumare*, *sufflare*, *susurrare*, *sapere*, *tumere*, *triumphare*, *strepere*, *cogitare*, *ardere*.

10. Egm. supra, *ortator catus*, hoc est, *hortator*. Retine *orator*.

13. Dionysius Halicarnasseus lib. I de monte Palatino agens : *In vertice vero tumuli Victoriæ fano exstructo, rem divinam ei alternis annis fieri instituerunt* (Arcades), *quod et nostra ætate Romani faciunt*. Cicero vero, lib. II de Nat. deorum, cap. 61, et Livius, lib. XXIX, testantur, in Palatino fuisse templum ejusdem deæ. Dio lib. XLV memorat templum Victoriæ in quo erat cella sive ædicula Jovis Capitolini. P. Victor in descriptione Urbis regione octava recenset templum Victoriæ in Foro. Livius lib. XXXV, cap. 9 : *Iisdem diebus ædiculam Victoriæ Virginis prope ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit*.

14. Fabr., Gis., *ecquis*; alii, *et quis*. Ald., *et quis magnus* : melius *et quis amicus*.

15. Vat. A, *hanc vestro sancto*. Ald. et alii, *hanc sancte vestro*. Prag., *neget*. Hoc ipsum est quod aiebat Cæcina lib. VI Ep. fam. Ciceron. : *Nemo nostrum est, ut opinor, quin vota Victoriæ suæ fecerit : nemo quin, etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tempore, ut quamprimum Cæsar superaretur, optaret*.

16. Vat. A, *quid* ; legendum *quod*.

17. Ald., Gis. ad oram 1 ed., *hæc ubi dicta dedit*, quod passim a Virgilio usurpari observat Grangæus. Idem notat recte *reddunt* pro *respondent* adhiberi, quoniam *dare* aliquando est dicere.

18. Mar. a prima manu, *victoria ducis*, male.

19. Ald., *fortibus Ausoniæ, vir facundissime lingua*, minus bene.

22. Teolius in not. ad vers. 8 colligit ex hoc versu 22, avum Arcadii et Honorii fuisse religioni Christianæ addictum, quod clare liquere non puto : nam ratio parandi victoriam, quæ subjicitur, etiam in ethnicis valet. Illud constat ex Orosio, eorum avum, antequam occideretur, baptizari voluisse. Post hunc versum cætera in Pragensi codice desiderabantur.

23. Ald., *non farre sale*. Lege *non farre molæ*. Barthius ex charta, manu veteri probeque exarata, diversas scripturas ad hunc et seqq. versus adnotat lib. XX, cap. 8. Hic versus ita ibi legebatur, *Non arris, non farre, mola Victoria velox*. Mendose *arris*. At *farre*, *mola*, optime disjungi arbitratur Barthius, ut copia major sit poeticæ eloquentiæ. *Velox* non illi displicet : cui enim non ales Victoria?

24. In ms. Barthii, *labor, impigra et aspera virtus*, quæ lectio ab eo negligitur.

25. Teolius ait, pene omnes Vaticanos et Heinsii plerosque habere *violentia, cura*; sed Heinsio in notis magis arridere lectionem *vigilantia, curæ*, quæ Chamillardo unice probatur. Nescio quinam codices habeant *vigilantia, curæ*. Heinsius ad verba *violentia, cura*, id tantum notat : *Ita codices :* VIGILANTIA CURÆ *nihilominus videtur castigandum*. Neque aliud addit Chamillardus, qui edidit *violentia, cura*, et in nota

C

solum ait : *Ita codices, inquit Heinsius, nihilominus* VIGILANTIA *videtur castigandum*. Heinsius conjecturam fortasse sumpsit ex Barthio, qui in suo ms. legit. *Vis animi excellens, ardens violentia, curæ*, et præferendum putat *curæ* ; tum existimat, *violentia* commutandum in *vigilantia*. Verum, dissentientibus codd. mss., nihil mutandum, cum *violentia* hic etiam locum habeat pro audacia ; aut eo sensu quo in sacra pagina dicitur, *violentos* rapere regnum Dei. Catullus in carm. Nupt. ait : *Amat victoria curam*.

26. In ms. Barthii legitur *Hanc tribuunt, durum et tractandis robur in armis*. Sed Barthius mavult *durum tractandis robur in armis* sine *et*, ut hæc verba sint definitio quædam victoriæ, *quæ nihil aliud est, nisi invictum robur, inscium cedere in armis*. Mihi id non placet : nam potius accipio *durum robur* in nominativo, ut etiam robur intelligatur tribuere victoriam. Tota hæc sententia expressa est apud Sallustium in Catilina, et Arnobium lib. VII, quod notavit Chamil-

D

lardus.

28. Turnebus, num. 390 Advers., rutilas Victoriæ pennas explicat Ciceronis verbis III de Natura deorum, ubi *Victoriolas aureas* memorat, quod scilicet ex auro eas facere solerent. Claudianus, Panegyr. de sexto consulatu Honorii de Victoria in curia Julia : *Romanæ tutela togæ, quæ divite penna Patricii reverenda fovet sacraria cœtus*. Apud Romanos plerumque ales effingebatur Victoria : in quodam tamen nummo Titi sine alis exhibetur. Lacedæmonii etiam et Athenienses Victoriam involucrem repræsentabant, tanquam semper apud eos mansuram.

29. Ald., Tornæs. in textu, Galland., Gis. in textu e ed., et ad marg. 2 ed., *formata metallis*. Apud Isonem *metallis* videtur diversa lectio, non glossa. Prudentius videtur potissimum loqui de Victoria quæ in curia Julia exstabat, vere formata multis talentis. Dio lib. LI de Augusto post victoriam Actiacam : *His per-*

Non aderit, versisque offensa videbitur hastis.
Quid, miles, propriis diffisus viribus, aptas
765 Irrita femineæ tibimet solatia formæ?
Nunquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? sua cuique dextra [est,
Et Deus omnipotens: non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque recincta,
766 Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.
Aut vos pictorum docuit manus assimulatis
Jure poetarum numen componere monstris:
Aut lepida ex vestro sumpsit pictura sacello,
Quod variis imitata notis, ceraque liquenti

GLOSSÆ VETERES.

30. Versis, *Cum in fugam vertuntur homines*, I.
32. Formæ, *Victoriæ deæ, quæ formam feminæ habet*, I.
34. Anhelantum, *sudantium bello*, I.
36. Pexo, *ornato.* — Virago, *fortis femina, Victoria*, I.
37. Suspensa, *elevata.* — Strophio, *cingulo*, I.
38. Tumidas, *per tumidas*, I.
40. Jure, *quia hoc lex poetarum est*, I.
41. Lepida, *aperta, eloquens, pulchra.* — Sacello, *templo*, I.
42. Notis, *figuris, coloribus*, I.

COMMENTARIUS.

actis, Minervæ templum, et quod Chalcidicum vocatur, tum curiam Juliam, in honorem patris sui factam, dedicavit: in eaque imaginem Victoriæ posuit, quæ hodie quoque exstat, Tarento olim Romam advecta, ac a Cæsare tum in curia posita et spoliis Ægyptiis decorata: quo Cæsar nimirum ostendebat imperium se ex Victoria esse adeptum. In veteri Romano Maffeiorum Calendario *Ara Victoriæ in curia dedicata* legitur v cal. Sept. De hac Victoria aurea pondo 320 ab Hierone missa vide Livium lib. xxii, cap. 37 qui refert in Capitolio et in templo Jovis fuisse locatam. De Victoriarum aureis simulacris, Valentiniano a Tripolitanis oblatis, agit Ammianus lib. xxviii.

30. Pal., *non aderint*, male. Juretus testatur, in quibusdam schedis pro *hastis* legi *alis*, et utrumque ait rectissime dici: nam Victoria ales fingitur, et hastas vertit, cum vim omnem alio convertit: adeoque putat, a vetere et recepta lectione non temere discedendum, quæ suas habet veneres.

31. Ald., Pal., Mar. a prima manu, codices Heins. præter alterum Rott., et nostri plerique, *aptas*, et in Alex. glossa *id est, associas*. Jureto etiam concinnius videtur *aptas*, quod in suo ms. exstabat. Urb., Weitz., Gis., *optas*. Barthius ita legi et distingui in suo ms. affirmat: *Quid miles propriis diffisus viribus; optas Irrita femineæ tibimet solatia formæ?* ut videatur abruptus quidam sensus velut indignantis esse Victoriæ.

34. Ald., Mar. a prima manu *Vidit anhelantem, regeret quæ tela virorum*, minus bene.

35. Ald., Mar., Weitz., Gis., *sua dextera cuique est*. Vat. A, Egm., Jureti codex, Pal., Widm. supra, *sua dextera forti est*, quod præfert Juretus, quia non cujusvis, sed fortium virorum est victoriam adipisci: idque exstat in Alex. pro diversa scriptura. Fabr., Gisan. in *e breve*, Thuan., Urb., Alex., *sua cuique dextra est*, quod placet Heinsio, quia superiora satis evincunt hoc ipsum de fortibus esse accipiendum. Heinsius pro hac ipsa lectione allegat codicem Pal., qui a Weitzio affertur pro alia, ut vidimus. Confer Comment. ad vers. 105 Hamartigeniæ *sua cuique jura*. Barthius legit *sua dextera cuique est*, et hoc versu vult confirmare, victoriam esse *durum tractandis robur in armis*, de quo vers. 26, sed non persuadet: nam ibi mentio erat de victoria tanquam jam obtenta, hic de causa ipsa victoriæ, quam deam fingebant veteres. Arnobius lib. iv: *Victoria, pax, æquitas, et cætera quæ in superioribus dicta sunt, quanam ratione, qua via, intelligi possunt dii esse, atque ad superiorum concilium pertinere? nos enim nihil horum sentimus et cernimus habere vim numinis, neque in aliqua contineri sui forma, sed esse virtutem viri, salutem salvi, victoris victoriam.*

36. Schulzius, in dissertatione de Ara Victoriæ, ex hac descriptione et monumentis Græcis Latinisque colligit, his signis simulacrum Victoriæ cognosci posse: *Figura muliebris stans, rarius sedens, capite nudo vel operto, revincta strophio et tunica muliebri usque ad talos dependente, vel astricta magis, vel laxiore et fluente, pedibus nudis insistens terræ, vel globo, vel galeæ, vel proræ navis, alas binas humeris affixas gerens, mox ad terram dependentes, mox explicatas ad utrumque latus, aliquando sursum sublatas, dextra coronam oleaginam, quercinam vel ex lauro confectam tenens, sinistra vero palmam vel tropæum; sæpius ambabus manibus arma ad tropæum suspendens, vel clypeo litteras inscribens.*

37. Ald., Rat. a prima manu, Mar., Vat. A, Bong., Alex., Urb., Gis., Cell., Teol., Galland. cum Tornæs., *recincta*. Heinsius cum Cauchiano, Weitzio et plerisque Weitzianis, *revincta*, quod præstare ait Heinsius, quia aliud quid designat *recingi*, et Cauchius confirmat in veteribus nummis Victoriam exprimi strophio *revinctam*. Cellarius contra ait, Prudentii quoque esse *recincta veste* in Romano vers. 236, ex Æn. iv, vers. 518. Fortasse poterit intelligi, *strophio recincta* idem esse ac *corona*, seu *strophio cincta caput*. Alio sensu *recingi* est discingi. Sic etiam *revincio* duplicem contrariam significationem habet. Victoria suspensa pede interdum effingebatur, ut instabilem eam esse constaret.

38. Bong., Widm., *fluitantes investita* supra *fluitante sinu investita*, quod tenuit Weitzius. Alii, *fluitante sinu vestita*. In museo Pio-Clementino statua marmorea Victoriæ asservatur, ubi prorsus nudæ ostenduntur papillæ. Fortasse si legatur *investita*, verbum hoc vim negandi habebit. *Investis* Tertulliano nudus est de Pallio cap. 3, *Nudus et investis* (Adamus) *figulo suo consistit*. Pueri imberbes dicebantur etiam *investes*.

39. Ald., Mar. a prima manu, *at vos*. Ald., Weitz., *assimilatis*, quod Heinsio non placet pro *assimulatis*.

40. Egm., Pal., Bong. supra, *nomen* pro *numen*, minus bene. Weitz., Mar., Widm. a prima manu, Bong. a prima manu, *numen imponere*. In Barthii codice *manus, assimilatis Jure poetarum monstris, componere numen*.

41. Barthii codex a prima manu, *ex vestro prompsit*. Giselinus putat libros poetarum a Prudentio vocari ironice *sacellum*, sive sacrarium gentilium. Ego intelligo sacellum esse fanum, templum, et superstitionem gentilium, quam pictura socii poematis arte auxerit. Ut enim ex tota serie orationis patet, in habitu Victoriæ confingendo poesin, picturam et superstitionem suas habuisse partes Prudentius confirmat. De pictura egregius est locus Sap. xv, 4: *Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores.*

42. Veteres solebant ceris pingere et picturam cera liquenti inurere, ut docet Plinius lib. xxxv, cap. 11, et lib. xxi, cap. 14. Eam ob causam antiqui scriptores, tum profani tum ecclesiastici, cum de pictura verba faciunt, passim ceram simul commemorant. S. Paulinus epist. 8 ad Severum: *Non in tabulis putribilibus, neque ceris liquentibus, sed in tabulis carnalibus cordis tui pinxit.* Vide notam Frontonis Ducæi ad hæc Paulini verba. Ut alios omittam qui de veterum pingendi ratione scripserunt, Joannes de Fonseca et

767 Duceret in faciem, sociique poematis arte A
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic unum sectantur iter, et inania rerum
Somnia concipiunt et Homerus, et acer Apelles,
Et Numa, cognatumque malum, pigmenta, camœnæ,
768 Idola, convaluit fallendi trina potestas.
Hæc si non ita sunt, edatur, cur sacra vobis

GLOSSÆ VETERES.

44. Ludere, *pingere.* — Fucis, *mendaciis*, I.
46. Homerus, *poeta magister.* — Acer, *fortis, sagax.* — Apelles, *pictor*, I.
47. Numa, *cultor idolorum, et ædificator templorum.* — Cognatum, *cognatam vocat rem, ex his tribus scilicet, pictore, poeta et mago coadunatam.* — Camœnæ, *poetarum*, Iso.
48. Idola, *id est magorum.* — Docta, *in pictura et in poemate*, I.
49. Edatur, *dicatur, proferatur a vobis.* — Cur sacra, *verba senatus*, I.

COMMENTARIUS.

Figueroa librum ms. *de veteri Pictura* reliquit, quem laudat Nic. Antonius. Cl. Requenus non multis ante annis veterem pingendi rationem, et cera pro oleo utendi, jam pridem deperditam, feliciter invenit, aut aliam novam similem excogitavit; quam Petrus Garcia de la Huerta, multis adhibitis experimentis et doctis observationibus, quas in vulgus edere cogitat, feliciter promovit. Id opportune monere volui, ut melius intelligantur cl. Stephani Antonii Morcelli verba in commentariis elegantissimis ad calend. Constantinop. tom. I, pag. 116 : *Tabulas encausto pictas aqua non lædit, ut nuper encaustica rursum inventa, pictores in Urbe verissimum experimento deprehenderunt.* Recte ostendit Morcellus ex concilio Nicæno II, adhuc sæculo VIII hanc pingendi rationem pictoribus fuisse familiarem : *Non tabulam cera perfusam honorantes, sed regem.... Quanquam imago nihil aliud est quam lignum, et colores cera commixti et temperati.* In Ephemeridibus Romanis anni 1781, pag. 119, exponitur opusculum Anglicum domini R. E. Raspe, Londini 1780, quo probat verisimile esse, apud Ægyptios, Græcos et Romanos consuetudinem oleo pingendi fuisse, aut veteres pictores proxime ad eam accessisse : certum esse ait sæculo X aut XI eam consuetudinem viguisse. Inserit duos tractatus sæculi X aut circiter, alterum Theophili presbyteri, alterum Heraclii *De coloribus et artibus Romanorum.* Carmen Hispanicum de Pictura cum notis Segoviæ editum, auctore D. Didaco Antonio Rejon de Silva, in eisdem Ephemeridibus Romanis anno 1786, num. 47, summis laudibus commendatur; eum novis edendis libris ad liberales artes illustrandas egregie incumbere, compertum nobis est.

45. Heinsius cum altero Rott., Fabr., Widm., Bong., Teol., Cham., Gis. ad marg., Sich., Vat. A, Rat., Torn. ad oram, Mar. *sic cassa figuris.* Urb., *sic segnia rerum.* Alex. a prima manu, Weitz., Widm. ad oram, Bongars. ad oram, Gisanius ex tribus vett. libris, Oxon., Thuan., Egm., *sic inania rerum.* Contendit Gifanius, *sic* posse corripi, ut *fac.* Repugnat Heinsius, qui non bene Aldum citat pro hac lectione *sic inania :* nam Aldus ita quidem ediderat, sed emendavit *et inania rerum*, quæ lectio mihi probatur, et exstat in Alex. pro div. script., et in textu Giselini recepta est. Gallandius ait, in Tornæs. esse cum Aldo *inania rerum* in textu; sed non explicat an sit *et inania*, an *sic inania.* Sæpe accidit ut in Prudentio veram lectionem corruperint inepti correctores, qui syllabam brevem ratione cæsuræ ab eo frequenter produci ignorabant.

46. Gifanius, qui verbo FAC totum hunc locum laborat explicare, *acrem* sonare ingeniosum advertit. In Vat. A mendum est *acer Apellas.* Indicatur poesis in Homero, pictura in Apelle, et superstitio in Numa.

47. Ald., Gifanius loc. cit., Weitz., Widm. supra, Alex., Urb., Gis. ad oram, Thuan., Boher. vetustior, *cognatumque volunt.* Vat. A, codex Jureti et Thuan. a secunda manu, *cognatumque vocant.* Mar., Rat., alter Rott., Ox., Fabr., Gis., Bong., Widm., Heins., Teol., *cognatumque malum* per epexegesin, ut pigmenta, camœnæ, idola sint cognatum malum. Pro *pigmenta* Bong., Widm. a prima manu, Gifanius, *figmenta.* Retine *pigmenta*, et intellige picturam. Heinsius præterea scribit et scribendum ait *camœnas*, repugnantibus membranis; quem tamen secutus est tacitus Teolius. Mihi certe non displicet lectio Heinsii, et B in mentem etiam antea venerat : sed videndum est an lectio codicum defendi valeat. Gifanius legit *cognatumque volunt figmenta camœnæ*, et explicat *acri cognatum volunt, hoc est*, idem volunt figmenta camœnæ Egeriæ. Scilicet Egeriam *camœnam* vocari putat, quia grata fuit camœnis, ut ait Ovidius in Fastorum. *Eodem ergo*, inquit, *pertinet figmentum illud Numæ de Egeria.* Quæ explicatio mihi non probatur. Puto ergo legendum *cognatumque malum, pigmenta, camœnæ, Idola, convaluit fallendi trina potestas :* ut cognatum malum convaluerit, scilicet pigmenta, camœnæ, idola, quod malum est trina fallendi potestas : et favet huic lectioni, quod in nonnullis post *idola* est comma. Vide vers. seq.

48. In Rat. pro *idola* sciolus apposuerat *spectraque.* Aldus quoque cum edidisset *Idola conflavit fallendi trina potestas*, inepte voluit emendare *Trinaque conflavit fallendi idola potestas*, ne scilicet *o* in *idolum*, corriperetur. Ald., Gis., Heins.. *conflavit.* C Plerique scripti, *convaluit*, ut Vat. A, Mar., Rat., Urb., Gifanii et Jureti codices, Weitzius cum suis. Alex., *conflarunt* a prima manu, *conflavit* a manu secunda. Heinsius rejecit *docta potestas*, quod hactenus, inquit, circumferebatur. At jam ante Heinsium *trina potestas* ediderant Aldus et Weitzius, neque contemnendum est *docta potestas*, quod reperitur in Mar., Rat., Bong., Gifanii codice, Fabr., Gis. Barthius quoque lib. VI, cap. 26 Advers., legit *docta potestas*, et id referendum putat ad eloquentiam eorum qui idola invexerunt : ubi notat, Prudentium eadem verbo usum quod in Varronis satyra *Nosce teipsum* Nonius explanat. *Nihil sunt musæ? Poesis vestra quas artifici duxit.* Sic enim legit verba illa : *Nihil sunt musæ policis vestræ quas ærifice duxti*, quæ Janus Rutgersius aliter, aliter Lipsius emaculant. Sensus tunc erit, Cognatum malum conflavit idola; hoc autem cognatum malum sunt pigmenta (pictura. Apelles), camœnæ (musæ, Homerus), fallendi docta potestas (superstitio, Numa). Melius tamen est *trina* D *potestas*, ut pictura, poesis et superstitio comprehendantur. Poesin autem cum pictura quamdam inter se cognationem et similitudinem habere nihil est cur probemus, cum satis pateat. Hoc proprium est Prudentii, quod superstitionem his fingendi artibus ingeniose conjunxerit. Heinsii explicatio est quod trina fallendi potestas conflavit (ita enim legit) pigmenta, camœnas et idola, quæ sunt cognatum malum. Nostra magis ad codd. mss. et ad mentem Prudentii accedit, quod cognatum malum, trina fallendi potestas, videlicet pigmenta, camœnæ, idola, convaluit, hoc est simul valuit, viresque mutua ope accepit : hoc enim pugnat Prudentius.

49. Hæc si negent gentiles, respondeant, inquit Prudentius, rationemque reddant cur sacra ipsi sumant ex pictura fabulisque poeticis? Exempli loco cur sacerdotes Cybeles seipsos castrant, nisi quia fabula poetica Attin fingit exsectum sive castratum,

Ex tabulis, cerisque poetica fabula præstat?
Cur Berecynthiacus perdit truncata sacerdos
769 Inguina, cum pulchrum poesis castraverit Attin?
Cur etiam templo Triviæ, lucisque sacratis
Cornipedes arceatur equi, cum musa pudicum
Raptarit juvenem volucri per littora curru,
A Idque etiam paries tibi versicolorus adumbret?
Desine, si pudor est, gentilis ineptia, tandem
Res incorporeas simulatis fingere membris.
770 Desine, terga hominis plumis obducere: frustra
Fertur avis mulier, magnusque eadem dea vultur.

GLOSSÆ VETERES.

50. Tabulis, *imaginibus, ex pictura.* — Præstet, *antestet*, I.
51. Berecynthiacus, *a Berecyntho, Opis monte.* — Perdit, *adhuc*, I.
52. Inguina, *virilia.*—Poesis, *fictio poetica : poesis est materia uniuscujusque carminis.*—Castraverit, *castratum narraverit*, I.
53. Triviæ, *Dianæ, vel Proserpinæ*, I.
55. Raptarit, *raptatum dixerit.*—Juvenem, *Hippolytum*, I.
56. Adumbret, *figuret, imaginet*, I.
57. Si, *pro siquidem.*—Ineptia, *stultitia*, I.
58. Simulatis, *in*, I.
59. Plumis, *cum*, Iso.
60. Fertur avis, *multos et viros, et mulieres legimus in fabulis versos in aves, unde commemorat*, I.

COMMENTARIUS.

idque etiam picturæ exhibent? Simile est in aliis sacris, quibus equi a templo Dianæ arceantur. Quid, inquam, hæc innuunt, nisi quod poesi et pictura idolorum cultus coaluerit?

50. Vat. A, mendose, *ex fabulis*. Rat., Weitz., Widm., Boup., *præstet;* alii *præstat*, ut postea *perdit*.

51. Mar. a secunda manu, *perdat*. Imitatur Prudentius Minucium in Octavio : *Cybelæ Dindyma pudet dicere, quæ adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis et vetula, ut multorum deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, ut deum scilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam, et semiviri sui corporis supplicio colunt.* Catullus et Arnobius narrant Attidem sibi genitalia desecuisse. Qui plura de his velit, legere poterit commentatores Minucii, ut mythologos præteream.

52. Ald., Gis., *cum pulcher sese castraverit Attis.* Plerique et potiores, *cum pulchrum poesis castraverit Attin.* Teolius ait locum antea corruptum ita restituisse Heinsium. At Weitzius cum suis omnibus mss. jam ediderat *cum pulchrum poesis castraverit Attin ;* et ita antea restituerant Sich. et Gifanius, et legerat in suo codice Juretus, et in margine vett. edd. exstare confirmat Gallandius. Hic præterea invenit *cur pulchrum ;* sed alii habent constanter *cum*, et Gifanius monet observandum usum particulæ *cum : Cur Galli Cybeles se excidunt*, cum ex fabulis poeticis cognoscatur Attin fuisse castratum : hoc est, cur se excidunt, nisi quia cognoscitur, etc. Cur a templo Dianæ arceantur equi, nisi quod musa, seu poesis Hippolytum raptatum faciat, etc. Nonnulli scribunt *Atys ;* sed hoc loco melius est *Attis*, ut prima producatur, quæ corripi solet in *Atys*.

53. Ex Virgilio lib. VII : *Unde etiam templo Triviæ, lucisque sacratis Cornipedes arcentur equi.*

54. Ald., Widm. supra, Pal., Vat. A, Gis., Alex. a secunda manu, et apud Gallandium vett. edd., *cum Phædra pudicum.* Jureti codex *cur Phædra.* Grangæus interpretatur Phædram fuisse causam cur raptaretur Hippolytus, ut narrat Hyginus fabula 47. In Egm. mendum est *pudicam*. Verior et communior lectio *cum musa pudicum*, de qua Gronovius in Diatribe Statiana, quem adeundum suadet Heinsius.

55. Gifanius, Gis. ad oram, *littora cursu.*

58. Rat., *similatis*, minus bene, pro *simulatis*. Cudworthus System. intellect. cap. 4 observat Prudentium, Græcos imitatum, vocare *res incorporeas* rerum affectiones, et eventus, qualis erat victoria : et ex vers. 236 hujus libri et vers. 191 Apoth. colligit, Symmachum et alios gentiles credidisse, multa veterum numina fuisse perfectiones unius Dei, nomine personarum indutas, neque aliud fuisse Victoriam deam nisi virtutem unam e multis unius Dei. Verum frustra laborat Cudworthus : etsi enim certum sit, gentiles in suorum numinum vi et potestate B explicanda non satis sibi constitisse, tamen ex Prudentii versibus mox afferendis solum constat Divinitatem a Symmacho in varias partes fuisse divisam : quem ideo arguit Prudentius, quod cum Deus unus sit neque dividi possit, ipse numina mille inducere voluerit. Vide Comm. ad eum vers. 236. Valsecchius ad Cudworthi interpretationem accedere videtur : nam ex Apotheosis loc. cit. colligit lib. I de Fundamentis relig., cap. 9, idololatras unum Deum credidisse, diversa vero numina aut unius Dei perfectiones, aut virtutes homine superiores, sed ministras Dei fuisse.

59. Aldus aliique male distinguunt *plumis obducere frustra.* Heinsius monuit interpungendum *obducere : frustra Fertur avis.*

60. Mar., *ab his ;* supra eadem manu *avis* cum reliquis. Mariettus primam sui codicis lectionem approbat, et *avis* ait esse glossam imperite translatam a verbo *vultur* ad verba *ab his ;* exponit autem : C *Fertur eadem victoria ab his plumis, dum fingitur volare, et mulier, et vultur magnus ; id est, monstrum ridiculum eam efficitis, dum illam et mulierem simul et avem facitis.* Heinsius opinabatur *magicusque :* nam id vocabulum sæpe in *magnus* degenerare ob cognationem litterarum ad Nasonem compluribus exemplis pervicerat : quanquam vel sic versus hic cum proxime præcedenti suspectus illi est. Iso interpretatur de fabula qua mulier in avem, exempli loco, in vulturem conversa dicatur. Chamillardus ait Victoriam magnum vulturem dici, vel quod alata vulturum more exercitus supervolet, vel quod omnis avis magna dici possit vultur. Grangæus notat Ægyptios vulturis imagine matrem, et cœlum, quod feminam putant, Pallada etiam et Junonem repræsentare, quod nullum marem credant esse inter vultures, quæ vento concipere dicuntur. Addit, fortasse per vulturem hic intelligi Isidem. Baronius enim tom. III Annal. in vita Juliani numismatis meminit, cujus prima parte Deus est Serapis vultu Juliani exsculptus, D altera duæ Isides cum aspidum sertis in capite, gladiis in manibus, vulturum alis in dorso : adeoque avis illa mulier vultur deæ Isidi sacra est. Federicus Morellus a Grangæo hac de re consultus sic rescripsit. Confirmari id potest, quia Ælianus lib. X de Animalibus, cap. 22, refert Ægyptios Isidis statuam pennis vulturinis ornare ; et multi putant ab Ægyptiis coli vultures. Sed ut verum fatear, magis placet interpretatio Chamillardi, quod frustra fingatur Victoria mulier, dea et vultur, sive magnis alis tanquam vultur instructa. Huc trahi potest, quod vultures Marti erant sacri, et quod veteres imperatores accurate explorare soliti essent in quam belli partem spectarent vultures, inde victoriam sperantes, vel profligationem : de quibus adisis Rhodiginum Lect. antiq. lib. VIII, cap. 18, Ægyptios, Persas, Græcos Victoriam sibi imagine accipitris repræsentasse litte-

Vis decorare tuum, ditissima Roma, senatum? A
Suspende exuvias, armis, et sanguine captas,
Congere cæsorum victrix diademata regum,
Frange repulsorum fœda ornamenta deorum:
771 Tunc tibi non terris tantum victoria parta,
Sed super astra etiam media servabitur æde.
Talia principibus dicta interfantibus, ille
Prosequitur, magnisque tubam concentibus inflat:
Allegat morem veterum: nil dulcius esse
Affirmat solitis, populosque, hominesque teneri
Lege sua. Sicut variæ nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ: sic urbibus affert
Hora, diesque suum, cum primum mœnia surgunt, B
Aut fatum, aut genium, cujus moderamine regnent,
Addit et arcanum rerum, verique latebras
Prosperitate aliqua deprendi posse secundi
Per documenta boni; si sint felicia, quæ quis
Experiendo probet: cessisse parentibus omne
Idolium semper feliciter, et pede dextro.
772 Enumerat longi vim temporis: excitat ipsam
Crinibus albentem niveis, et fronte vietam,
Ore reposcentem querulo sua numina Romam.
Libera sum, liceat proprio mihi vivere more.
Et quis erit qui mille meos reprehenderit annos?
Uno omnes sub sole siti, vegetamur eodem
Aere: communis cunctis viventibus aura.
Sed, qui sit, qualisque deus, diversa secuti,
Quærimus, atque viis longe distantibus, unum
Imus ad occultum. Suus est mos cuique genti:
Per quod iter properans est ad tam grande profundum.
His tam magnificis, tantaque fluentibus arte,
Respondet vel sola fides, doctissima primum
Pandere vestibulum veræ ad penetralia sectæ.
Nam, cum divinis agimus de rebus, et illum,

GLOSSÆ VETERES.

62. Exuvias, *spolia.*—Armis, *cum*, I.
63. Congere, *collige tu.*—Victrix, *Roma.*—Diademata, *coronas*, I.
64. Repulsorum, *abjectorum*, I.
66. Æde, *in cœlo*, I.
68. Prosequitur, *Symmachus respondet.* — Tubam, *gutture vocem*, I.
69. Allegat, *nuntiat, ratiocinabatur, vel instruebat.* — Dulcius, *beatius*. I.
70. Solitis, *legibus*, I.
74. Genium, *naturalem loci genium*, I.
75. Addit, *ille, Symmachus.* — Arcanum rerum, *sensus est, arcanum rerum, et latebras varii boni posse deprehendi aliqua prosperitate*, I. C
76. Secundi, *prosperi*, I.
79. Idolium, *gentilitatem.*—Dextro, *secundo*, I.
81. Vietam, *antiquam*, I.
83. Libera, *Roma dicit; vox Romæ*, I.
85. Siti, *scilicet sumus.*—Eodem, *uno*, I.
87. Diversa, *idola*, I.
88. Distantibus, *dissimilibus*, Iso.
89. Occultum, *Deum, omnipotentem.*—Suus, *proprius*, I.
90. Grande, *quod Deus est summus*, I.
92. Respondet, *fides Symmacho.* — Vel, *etiam.*— Fides, *fideles homines*, I.
93. Penetralia, *secreta.* — Sectæ, *doctrinæ, fidei*, I.

COMMENTARIUS.

ris traditum est. Ægypti vero accipitrem et aquilam videntur coluisse, tanquam numina, a quibus victoriam orarent. Fortasse inde ales Victoria pingitur.

62. Egm., Gis. ad oram, *sanguine ruptas.*

64. Cauchius malebat *vetera ornamenta deorum.* Nihil est causæ cur sollicitetur lectio codicum *fœda ornamenta*, quamvis Juvenalis dixerit *vetera ornamenta deorum*, et alibi Prudentius *veteres dei.* Hoc enim loco concinnius est *fœda ornamenta deorum*, cum præcesserit descriptio ridiculorum numinum, sive monstrorum.

65. In editione Parmensi mendum puto *nunc tibi* pro *tunc tibi*, quod exigit sensus.

67. Ald., *in te fantibus*, Alex. a prima manu mendose, *interfuntibus.*

68. Thuan., *persequitur*, quod Heinsio et Teolio placuit. De eloquentia *tubam* Sidonius, Claudianus Mamertus aliique dixerunt.

69. Mar. a prisca manu, Pal., *more*, male. Thuan., Egm., Boher. antiquior, Heins. et recentiores, *morem veterem.* Alii veteres mss. et edd., *morem veterum.*

73. Ald., Egm., Pal., Heinsiani plerique, Jureti codex, *suus;* Thuan., *suis*, quod placuit Heinsio; sed præstat *suum*, scilicet fatum, aut genium, cum Mar., Rat., Weitz., Gis. et aliis. *Mœnia surgunt* ex Virg. I Æn.

74. Vat. A, *regnant.* Weitzius pro *regnet* allegat Ald. et Egm., sed Aldus meus habet *regnent.*

76. Egm. et Pal., *secundis Per documenta bonis.* Weitzius Aldum etiam allegat pro hac scriptura: et est quidem *secundis* in Aldo, sed postea *boni;* quod utrumque simul defendi nequit.

79. Aldus *idolum*, ne videlicet *e* corripiatur. Rat. etiam *idolum*, sed, ut conjicio, a recenti manu.

81. Ald., *fronte vieta.* Widm., *rigetam.*

82. Mar. a prima manu, *queruloso*: correctum *querulo sua.*

84. Nonnulli conjungunt *ecquis*: utroque modo dicitur. Vide Gifanium, verbo ET QUANTIS.

86. Heinsius edidit *communis cunctis viventibus aura*, sed in notis monuit omnino scribendum *communi aura*, quidquid obnituntur membranæ, et ad præcedens proxime *vegetamur* referendum. Sed non video cur non ita possit scriptura vetus explicari: *Vegetamur eodem aere, communis est cunctis viventibus aura:* nam Prudentius sæpe omittit verbum substantivum *est*, ut Heinsius ipse notavit ad vers. 26 hymni 1 Cath.

87. Vat. A, Urb., *sed quis sit.*

89. Gif. in *e breve*, Mar., Weitz., Sich., Alex. a prima manu, Heinsiani fere omnes, *suus est mos cuique genti*, quod puto fuisse in Rat., ubi, abrasis prioribus, nunc legitur *nam genti est cuique suus mos.* Egm., Alex. a secunda manu, Ald., Gis., Pal., Vat. A, *proprius genti cuique est mos.* Giselinus fatetur, in plerisque antiquis esse *suus est mos cuique genti:* sed fallitur, quod affirmat alibi semper primam in *cuique* a Prudentio corripi ex fide mss. Vide Comment. ad vers. 105 Hamart., *sua cuique jura.*

94. Apposite contra Bailium hos versus profert Valsecchius lib. II de Fundam. relig., cap. 6. Cum enim Deus, quippe infinitus a nobis comprehendi nequeat, non est exigendum ut clare natura ejus explicetur.

773 Qui vel principio caruit, vel fine carebit, A
Quique chao anterior fuerit, mundumque crearit,
Conjectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenii, tantoque angusta labori:
Quippe minor natura aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi,
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo
Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?
Sed facilis fidei via provocat Omnipotentem
Credere: qui bona non tantum præsentia donat,
Sed ventura etiam, longisque intermina sæclis
Promittit, ne totus eam resolutus inane
In nihilum, pereamque brevem post luminis usum. B
Muneris auctores ipso de munere pendas,
Æterna æternus tribuit, mortalia confert
774 Mortalis: divina Deus, peritura caducus.
Omnia, quæ tempus peragit, quæque exitus aufert,
Vilia sunt brevitate sui, nec digna perenni
Largitore: cui propria est opulentia, nunquam
Desinere, idque homini dare, quod non desinat unquam.
Nam si corruptum, corrumpendumve Deus quid
Præstat, habetque nihil, quod sit pretiosius istis:
Pauper, et infirmus, et summo indignus honore,
Et non omnipotens, sed inanis numinis umbra est.
Hac ratione fides sapienter conjicit, imo
Non dubitat, verum esse Deum: qui, quod sumus, et quod
Vivimus, illæsum semper fore, si mereamur,
Nos sperare jubet. Cœlestia si placet, inquit,
Scandere, terrenas animo depellite curas.
Nam quantum subjecta polo tellus jacet infra,
Dividiturque ab humo convexi regia cœli,
Tantum vestra meis distant mundana futuris,
Dira bonis, scelerata piis, tenebrosa serenis.
775 Quidquid obire potest, fugiatis, censeo: quidquid
Naturæ ratione capit vitium, atque senescit,
Pro nihilo, in nihilum quia sunt reditura, putetis.
Cuncta quidem, quæ gignit humus, quæ continet, ipse

GLOSSÆ VETERES.

96. Chao, *mundo, initio*, I.
99. Natura, *homines*, I.
100. Supremi, *altissimi*, I.
101. Visum, *mentem, acumen intellectus*, I.
103. Hebetem, *pigram*, I.
106. Intermina, *interminabilia, infinibilia in æternitate*, I.
107. Eam, *transeam*, I.
108. Luminis, *istius vitæ*, Iso.
109. Pendas, *æstimes*, Iso.
110. Æternus, *Deus*, Iso.
111. Mortalis, *mundus, homo*, I.
115. Desinere, *finiri*, I.
116. Quid, *aliquid*, Iso.
117. Istis, *præsentibus bonis*, I.
120. Conjicit, *narrat*, I.
123. Inquit, *Deus*, Iso.
129. Obire, *transire, vel finiri: verba Dei.* — Censeo, *judico, præcipio*, I.

COMMENTARIUS.

96. Hymno 12 Cath., vers. 40, *Antiquius cœlo, et chao.*

97. Vat. A, *animo concedimus*, non bene. Sententia ex sacris Litteris petita est, Proverb. XXV, 27; Eccles. III, 22, et aliis in locis.

98. Mar. a prima manu, *ingeni*, male.

99. Mar. a prima manu, *naturæ:* legendum *natura.*

101. In editione Parmensi error contra metrum et sensum, *lacessere visu.* Ald. et Oxon. *lassescere visum* pro *visu.*

102. Thuan., *sub tempore parvo*, quod Salmasio placebat, quamvis *sub* redundet; nam alibi etiam Prudentius, Alcimus Avitus et Dracontius *sub tempore* simili modo dixerunt. Præfero communem lectionem *sub pectore parvo.*

106. Non semel Prudentius utitur voce *interminus:* usus ea est Ausonius epist. 16: *Felicitate intermina.* Avienus in Periergesi: *Musis intermina vita.* Sidonius et Salvianus etiam *interminabilis* dixerunt.

107. Ald., *nec tótus*, non bene.

109. Ald., Weitz., Gif., præstantiores Heinsiani, Egm., Pal., Alex., *auctorem*, quod sequuntur Heinsius et Cham. Teneo *auctores* cum Mar., Rat., Urb., Widm., Bong., Fabr., Gis., aliis. Gifanius præfert *auctorem*, quia sequitur *æternus, mortalis*, et ibi est *muneris.* Non satis intelligo quid sibi velit. Cur enim non recte dicatur, *Pende auctores muneris ipso de munere. Æterna æternus tribuit, mortalia confert mortalis*, ubi auctores diversorum munerum inter se conferuntur.

114. Vat. A, mendose, *largitor.* Alter Rott., *cui proprium est opulentia.*

115. Aldi error *desinerem.* Gis. ad oram, *atque homini.* Weitz., Gis., Mar., *non desinet.* Rat., *desinit.* Codex Jureti, Alex., Urb., Vat. A, Ald., Egm., Pal., potiores Heinsiani, *desinat unquam.*

116. Weitzius cum nonnullis, *corrumpendumque Deus quid.*

117. Vat. A, *præstet;* alii, *præstat.*

118. Fabr., *summoque.* Gis. 1 ed., *et summo;* 2 ed., *summoque.* Codices potiores, *infirmus et summo:* nam familiare est Prudentio brevem ratione cæsuræ producere. Vide Gifanium verbo INCISIO.

119. Alex. a prima manu, Urb., Mar., *et inanis*, non male. Rat., *nominis umbra est*, minus bene.

121. Eadem sententia iisdem fere verbis hymni 4, Cath. vers. 13.

125. Mar., Rat., Weitz. cum suis, Sich., Gis., alter Rott., *subjecta polo.* Heinsiani plerique, Gis. 1 ed. in textu, Ald., Urb., Alex., Vat. A. *subjecta situ.* Teolius ita edidit, sed non bene allegat Aldum pro *polo:* nam Aldus Weitzio, Heinsio, et mihi dat *situ*, quod tenuit Heinsius. Sententia desumpta est ex Isaia, cap. LV, vers. 9: *Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.*

126. Lucretius lib. IV: *A terris quantum cœli patet altus hiatus.*

131. Widm. supra, Mar., *quæ sunt.*

132. Heinsius cum suis præstantioribus, *cuncta equidem*, et *continet ipsa* cum iisdem, Ald., Vat. A, Alex. a secunda manu. Alii plerique nostri mss., et edd., *cuncta quidem*, et *continet, ipse Principio insti-*

Principio institui, nitidoque insignia mundo
Ornamenta dedi, speciosaque semina finxi.
Sed tamen esse modum volui, parcisque fruenda
Moribus indulsi, quantum moribundus, et æger
Corporis, ac vitæ volucris sibi posceret usus :
Non ut captus homo studiis, et inaniter ardens,
Duceret omne bonum positum in dulcedine [rerum,
Et specie tenui, quas currere tempore jussi,
776 Atque ævum statui, sub quo generosa [probarem
Pectora, ne torpens, et non exercita virtus,
Robur enervatum gereret sine laude palæstræ.
Illecebrosus enim sapor est, et pestifer horum,
Quæ, dum prætereunt, miro oblectamine mentes
Implicitas, vinctasque tenent : vincenda vo- [luptas,
Elaqueanda animi constantia, ne retinaclis
Mollibus, ac lentis nexa, et captiva prematur.
Luctandum summis conatibus : inter acerba
Sectandum virtutis iter : ne suavia fluxæ
Conditionis amet, nimium nec congerat aurum,
777 Nec varios lapidum cupide spectare [colores
Ambitiosa velit : nec se popularibus auris
Ostentet, pulchroque inflata tumescat honore.
Ne natale solum, patrii ne jugera ruris
Tendat, et externos animum diffundat in agros,
Et ne corporeis addicat sensibus omne,
Quod vult, aut quod agit : ne præferat utile justo,

GLOSSÆ VETERES.

135. Parcis moribus, *frugalitatibus*, I.
137. Volucris, *quæ cito transit*, I.
138. Non, *non ideo distribuit*, Iso.
139. Duceret, *æstimaret*, I.
143. Enervatum, *infirmum*. — Palæstræ, *certaminis, luctaminis*, I.
144. Illecebrosus, *illicitus*. — Horum, *delectamentorum*, I.
147. Constantia, *ligata a diabolo*, Iso.
148. Lentis, *flexibilibus*, I.
149. Acerba, *supplicia*, I.
153. Auris, *favoribus*, I.
154. Ostentet, *glorietur, jactet*. — Pulchroque, *sicut hominibus videtur*, I.
156. Tendat, *dilatet, ad se trahat*, I.
157. Addicat, *tribuat*. I.
158. Utile justo, *utilitatem justitiæ, vel terrenum*, I.

COMMENTARIUS.

tui. Teolius cum Heinsio facit, sed non bene distinguit *quæ continet*, *ipsa Principio institui*, nisi fortasse Theolius intelligat *ipsa cuncta* quæ gignit humus. Heinsius intelligit, *quæ continet ipsa humus*. Alii, *ipse ego*, institui.

134. Nonnulli vulg., male, *spatiosaque semina*.

135. Vat. A, vitiose, *parcique*. In Heinsio difficultatem parit depravata hoc loco scribendi ratio *volvi* pro *volui*. Chamillardus quoque edidit *volvi*.

136. Ald., *ægri*; melius *æger*. Alex. a prima manu vitiose, *ager*.

138. Gis. in quodam codice invenit *captus humo*. Thuan., *inaniter usus*.

140. Gis., Bong. in textu, Mar. a prima manu, Gis. in textu, *et species tenues*. Jureti codex, Sich., Alex., Vat. A, Weitzius cum plerisque suis, Thuan., Egm., Boher. et Rott. priores, *et specie tenui*. Urb. legit et distinguit *et specie*, *tenui quas currere tempore jussi*. Gifanius, verbo VIS MAGNA, cum alium locum Prudentii adduxisset, *Eum*, inquit, *poetam Christianum quia nunc, ut opinor, fere totum vindicavimus a mendis innumerabilibus*, *addamus et aliquot*, *ut ita dicam, manticas*, *et hunc imprimis e lib.* II *in Symmachum :* tum hos versus exscribit, et explicat. Sed opportune antea monebo, fortasse ex his verbis deceptos, qui Gifanium notas mss. in Prudentium reliquisse affirmant. Gifanius quidem nihil aliud hoc loco ait, nisi Prudentium fere totum a se in illo ipso indice Lucretiano a mendis vindicatum. Explicatio autem Gifanii innititur verbis *et tenui specie :* et ait *: Vetat nos bonum omne collocare in voluptate*, *quæ ex rebus et earum tenui specie seu nitore capitur*. Putat nullo sensu dici *et species tenues*. Giselinus cum suo ms. legendum contendit *et species tenues*, quia respicit ad illud *speciosaque semina finxi*, quibus parce et certo modo utendum est. Mariettus etiam hanc lectionem approbat et confirmat ex vers. 733 : *Exiguas rerum species*. Tunc sensus erit : *Duceret, esse bonum omne positum in dulcedine rerum, et esse bonum species tenues*, *quas currere tempore jussi*. Verior mihi, et clarior videtur alia lectio, quæ etiam est Aldi, Heinsii et recentiorum.

143. Post hunc versum Fab., Bong., alter Rott. inducunt alios duos, *Enervare suum corrupta per otia robur Posset*, *et in nullo luctamine pigra jaceret*. Alii omittunt hunc versum *Robur enervatum*, etc., et illos duos ejus loco apponunt, ut Jureti codex, prior Rott., Ox., Vat. A, prior Boher., Egm., ut se legisse affirmat Heinsius, quamvis Weitzius id neget. Alii solum agnoscunt versum *Robur enervatum*, ut Widm. et Mar. In Rat. videtur hic solus versus fuisse, et recenti manu additi sunt duo illi a Giselino et ab aliis merito omissi. In Urb. et Alex. exstant hi duo versus, sed pro diversa lectione, non ut tres illi simul recipi debeant. Weitzius putavit Aldum tribus his versibus locum dedisse : et ita quidem fecerat, sed monuit postea delendum primum versum *Robur enervatum gereret sine laude palestræ*. Perspicuum est duos alios versus additos ab aliquo, qui primum *e* in *enervatum* nollet corripi : de quo dixi satis ad vers. 64 hymni 8 Cath. In Alex. scribitur *inervatum*, uti etiam in Thuan.

146. Lactantius cap. 22, lib. VI : *Carenda sunt igitur oblectamenta ista*, *tanquam laquei*, *et plagæ*, *ne suavitatum mollitie capti*, *sub ditionem mortis cum ipso corpore redigamur*, *cui nos mancipamus*. Agit Lactantius de saporis et odoris voluptatibus.

147. *Elaqueare* laqueis exsolvere apud Sidonium; *elaqueatus* apud Ammianum.

149. Ald., Gis., Jureti codex, Oxon., Egm., Vat. A, *nitendum summis*. Heinsius hanc lectionem prætulit in brevi indiculo erratorum aut mutandorum, ut dicam ad vers. 719 in Romano; in textu edidit *luctandum*, etc. Teolius Heinsio imputat *nitendum;* sed Heinsius clare edidit *luctandum* cum plerisque suis et nostris : neque aliud in notis advertit nisi *nitendum* habere Oxon., Egm. et Ald.

151. Ald., Pal., *ne congerat*. Gis. legit et distinguit *amet nimium : ne congerat aurum :* ita in textu, sed in indiculo de quo paulo ante, *amet*; *nimium ne congerat aurum*. Plerique *amet*, *nimium nec congerat aurum*. Mar. male, *nec congeret*. Fabricius, *ne congerere aurum*, scilicet *velit*, quod mox sequitur.

153. Virg. lib. VI. *Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris*. De auris popularibus vide comment. ad vers. 22 hymni 1 Cath.

154. Mar. a prima manu, *tumescit* male.

156. Salvianus lib. I ad Eccles. cath. adversus avaritiam : *Videtis*, *quas parari opes a parentibus filiis Deus jubeat*, *non pecuniarios thesauros..... non fundos interminabiles*, *et notitiam possessoris sui excedentes*, *qui consortes pati indignum æstiment*, *et vicinitatem injuriam putent*. Eadem sententia passim ab ethnicis ipsis repetitur, Horatio, Juvenale et aliis.

Spemque suam in me omnem statuat, nunquam peritura, A
Quæ dedero, longoque die mea dona trahenda.
Hæc igitur spondente Deo, quis fortis, et acer,
Virtutisque capax breve quidque perennibus in se
Prætulerit? vel quis sapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quam vivæ præmia mentis?
Nonne hominem, ac pecudem distantia separat una,
Quod bona quadrupedum ante oculos sita sunt? ego contra
778 Spero, quod extra aciem longum servatur in ævum?
Nam, si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quidquam, B
Quis mihi regnator cœli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ jam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus:
Incestabo toros: sacrum calcabo pudorem:
Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum: tenues avidus spoliabo clientes:
Longævam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus dominum dilata morte secundum.
Nec formido malum: falluntur publica jura.
Lex armata sedet, sed nescit crimen operum,
Aut, si res pateat, judex corrumpitur auro.
779 Rara reos justa percellit pœna securi.
Sed quid ego hæc meditor? revocat Deus ecce severa
Majestate minax: negat interitura meorum
Per mortem momenta operum. Non occidet, inquit,
Interior, qui spirat, homo: luet ille perenne
Supplicium, quod subjectos male rexerit artus.
Nec mihi difficile est liquidam circumdare flammis

GLOSSÆ VETERES.

159. Me, *in Deum*. — Peritura, *scilicet sunt*, Iso.
160. Trahenda, *scilicet sunt*, I.
161. Acer, *ingeniosus*, I.
162. Breve, *transitorium aliquid*, I.
164. Mentis, *acuminis, animæ*, I.
165. Nonne, *affirmando*, I.
166. Ante oculos, *in præsentia*, I.
167. Aciem, *visum oculorum, invisibiliter*. — Servatur, *mihi*, I.
169. Funera, *mortem*, I.
173. Incestabo, *polluam*. — Toros, *legitimos*, I.
174. Inficiabor, *negabo*, I.
175. Depositum, *commendatum*. — Tenues, *pauperes*. — Clientes, *parentes, socios, servos, vel socios minores*, I. C
176. Longævam, *vetulam*. — Magico, *veneno*, I.
177. Tardat, *quoniam*. — Anus, *vetula mater*. — Dominum, *hæredem, id est filium vel vitricum*. — Dilata, *diu rivendo*, Iso.
178. Formido, *timeo facere*. — Falluntur, *mea fraude*, I.
179. Armata, *ad puniendum*, I.
180. Si, *scilicet contigerit, ut*, I.
181. Percellit, *interficit*. I.
182. Meditor, *narro*. — Revocat, *ab hoc facto prohibet me*. — Severa, *aspera*, I.
184. Monimenta, *memorias*, I.
185. Luet, *persolvet*, I.
186. Quod, *eo quod*, I.

COMMENTARIUS.

159. Ald., Mar., Pal., Widm., Gifanius ex vet. lib., Alex., Heinsius cum plerisque suis, Weitzius, Sich. et alii, *spemque in me omnem statuat*, admisso hiatu, quem Prudentio familiarem putat Heinsius. Confer Gifanium verbo HIATUS. Hunc hiatum cum hoc loco, tum alibi nonnulli codices fugiunt. Alter Rott., Urb., *spemque in me statuat omnem*. Vat. A, Gis. in textu, *spemque suam in me omnem statuat*; ad marg., *spemque in me omnem*. Fabr., *omnem spemque in me statuat*. Gis. 1 ed., *in me spemque omnem statuat*.

160. Ald., Gis. 1 ed., *sunt: æternum mea dona manebunt*. Alii plerique, *longoque die mea dona trahenda*. Fabr., Gis. 2 ed., *longoque die mea dona manebunt*.

161. Egm., *qui fortis*. Mar., *et acris*; supra, *acer*.

162. Rat., *breve quidve*.

168. Vide Apost. I Cor. XV, 19 et 32. Cicero 1 De legibus. *Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi testem et judicem?* Vide quæ contra Bailium disputat Valsecchius lib. III de Fundamentis relig., part. 1, cap. 3, ubi hos Prudentii versus carmine Italico reddit. D

172. Mar., *fluxus*; Alex. a prima manu, *luxos*; lege *luxus*.

174. Egm., *habens aliquid*.

175. Rat., *avidis* a prisca manu, male.

178. Weitzius et post eum Chamillardus citant Bernardum alicubi de corrupto judiciorum usu sui temporis simili modo edisserentem. *Incisæ sint leges XII tabulis, et publico ære præfixo jura præscripta sint: inter ipsa jura peccatur*, etc.; qui locus quærenti mihi non occurrit. Incidi postea in hæc ipsa verba, non apud Bernardum, sed apud Cyprianum epist. 1 ad Donatum, ubi ita ait: *Incisæ sint leges duodecim tabulis, et publice ære præfixo jura præscripta sint: inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur*. Weitzius pro Cypriano Bernardum appellavit, quod non semel illi accidit. Chamillardus Weitzium sine ullo examine in hujusmodi auctoritatibus exscribendis sequi solet, quæ mihi causa fuit, ut alias nunc omittam, cur inopportunum judicaverim editionem ad usum Delphini recudere.

179. Barthius, lib. II Advers., cap. 17, ad hunc versum illustrandum notat, Trebellium Pollionem in præfatione dixisse, *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed et legibus oportet esse armatam*. Juretus, in notis ad epist. 13 lib. II Symmachi, multa in eamdem sententiam congerit, quod minari leges sæpe dicuntur, tanquam affectu moveantur. Inde *terrores legum*, et apud Prudentium in Romano vers. 203, *Laqueis minacis implicatus Juliæ*. Constantinus in l. 31 ad leg. Juliam de Adult. *insurgere leges*, et *armari jura gladio ultore* scripsit; Marius Victor eodem respicit lib. II Comm. in Genes., *Armatæ leges gladiis, et vindice ferro*.

184. Rat., Mar., Weitz., Gis. cum aliis, *monimenta* vel *monumenta*, quod in Tornæs. repertum unice verum visum est Gallandio. Alex., Urb., Egm., Pal., Thuan., prior Boher., Ald. et Heins., *momenta*. Ald., Weitz., Mar., Rat., Vat. A, *occidit*. Gis. et plerique Heinsiani *occidet*.

185. Ald., Vat. A a prima manu mendose, *qui sperat*. Mar. a prima manu *luat*, recte correctum per *luet*. Vide Matth. III et V.

187. Cur anima vocetur *liquida* et quo sensu, dictum abunde in prolegom. cap. 15 contra nugas canoras Bailii.

Naturam, quamvis perflabilis illa feratur
More noti: capiam tamen, et tormenta adhibebo
Ipse incorporeus, ac spirituum sator unus.
Quin et corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam: possum quoniam renovare favillas
Antiquam in faciem; nec desperanda potestas.
Qui potui formare novum, reparabo peremptum.
780 Non desunt exempla meæ virtutis: in ipsis
Seminibus natura docet revirescere cuncta
Post obitum: siccantur enim pereunte vigore,
Quo vixere prius, tunc sicca, et mortua sulcis,
Aut foveis mandata latent, et more sepulcri
Obruta, de tumulis redivivo germine surgunt.
Nunquid nosse potes, vel conjectare, quis istud
Tam solers opifex struat? aut quæ vis agat intus?
Nil vos, o miseri, physicorum dogmata fallant.
En ego gignendi dominus, ac restituendi,
Quod periit, fluxitque, potens: arentia quæque
In veteres formas aut flore, aut fronde reduco.
Idque ipsum quandoque homini facturus, inani
Surgat ut ex cinere, structuraque pristina constet:
Quæ mihi pro meritis vel per tormenta rependat
Crimina, vel summæ virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc, quacunque in sorte manebit.
Interea, dum mixta viget substantia in unum,
Sit memor auctoris proprii, veneretur, et oret
781 Artificem submissa suum; non condidit alter
Halantis animæ figmentum, et corporis alter:
Nec bona præsentis vitæ numerosa gubernat
Numina. Non alius segetes, et spicea farra
Suppeditat Deus: aut alius dat musta racemis,
Purpureumque gravi fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, virides oleas pinguescere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui lucinas tribuo nascentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera sexus
Gignere amat sobolem, generisque propagine gaudet:

GLOSSÆ VETERES.

188. Naturam, *animam*, Iso.
189. Noti, *venti*, I.
191. Peremptum, *mortuum*, I.
197. Siccantur, *semina*. — Vigore, *humore*, I.
198. Quo, *vigore*, I.
202. Solers, *sapiens*. — Agat, *vivat*, *ducat*, I.
203. Physicorum, *naturas rerum tractantium*, I.
209. Mihi, *a me*. — Rependat, *persolvat*, I.
211. Quacunque, *aut ad bonum*, *aut ad malum*, I.
212. Viget, *vivit*. — Substantia, *corporis et animæ*, I.
215. Halantis, *spirantis*, I.
216. Numerosa, *multa*, I.
218. Suppeditat, *subministrat*, I.
219. Gravi, *onerato*, I.
221. Graia, *Græca*. — Pallade, *Minerva*, I.
222. Lucinas, *natales*, *a luce*, *in lucem venientes*, I. *Lucidas*, Mar.
224. Sobolem, *filios*, I.

COMMENTARIUS.

188. Alicubi, *perstabilis*, perperam, pro *perflabilis*.

189. In Rat. videtur fuisse *adhibentur*, recenti manu factum *adhibebo*.

190. In Thuan., *spirituus*, quod Heinsius affirmat esse pro *spiritibus*. Ego puto mendum pro *spirituum*.

191. Ald., *parili consortia pœna*.

192. Advertit Mariettus sumi *favillas* pro cinere, in quo permixtæ latere solent: nam infra ait poeta *surgat et ex cinere*. Alibi a nobis notatum, cinerem et favillam accipi pro quovis minuto pulvere, in quem corpora defunctorum etiam non combusta rediguntur.

193. Mar. scribit *disperanda*.

194. Aldus male distinguit: *Qui potui formare, novum reparabo peremptum*. De resurrectione consimilia alii dixerunt. Lactantius lib. VII, cap. 23: *Si a principio Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instituit; credamus, ab eodem restitui veterem posse, qui novum fecit*. Minucius in Octavio: *Cæterum quis tam stultus aut brutus est ut audeat repugnare, hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum, et ante obitum nihil fuisse: sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari?* Exemplum etiam seminum, quæ non nisi corrupta revirescunt, profert Minucius. Innumeri alii idem argumentum versant. Vide Cath. hymn. 10, vers. 121.

203. Ald., Alex., *ne vos*. Alii, *nil vos*. Egm. et Pal., *ad vos*; opinatur Heinsius *at vos*. Teolius ita distinguit, *nil vos, o miseri; physicorum dogmata fallant*, nisi forte erravit typographus, quod libenter credo. Barthius lib. XI Adv., cap. 21, admonuit a Prudentio *physicos* vocari gnaros scientiæ naturalium rerum, medicos ad extremum hoc nomine vocatos.

205. Ald., Gis. 1 ed., Gall. cum vett. edd., *siccissima quæque*.

206. Ald. contra metrum, *aut flores*.

209. Gifan. in PROMERITA, ut jam dixi, Alex., Urb., *promeritis*, conjunctim. Egm. depravate, *reprendat*.

213. Sich. ita verba in hoc et seq. versu trajicit, *Sit memor artificis proprii, veneretur, et oret Auctorem submissa suum*.

216. Mar. perperam a prima manu, *gubernat*.

218. Mar., *ast*: ita Rat., sed pro div. script. *aut*. Weitzius etiam *ast*, quod tenent Alex. et Urb.; sed in Alex. videtur præterea esse *aut*. Gis., Heins. et recentiores, *aut*. Ald., Torn. et alii vulgati, *haud*, quod solum probat Gallandius.

220. Oseæ II, 8: *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum*, etc.

222. Juno *Lucina* dicebatur, quia partui præesse credebatur, a *luce vitali*. Diana quoque *Lucina* simili de causa vocabatur. Turnebus, Advers. num. 390, horas lucis et vitæ a Prudentio *lucinas* appellatas ait esse *ipsa novitate admirandum et insigne*. Salmasius, pag. 66 in Ælium Spartianum, ait *lucinas* dici, ut *colossum* pro *colosseum*, *aurus* pro *aureus*, *electrum* pro *electreum*, et similia. Sicut non Pallas, sed Deus oleum hominibus præstat, sic Deus ipse, non Juno, nascentibus horas lucis tribuit.

224. Rat., Mar. a prima manu, Widm. a prima manu, Bong. a secunda manu, Weitz., *gignere habet*. Ald., Gis., Heinsiani, Alex., Urb., Vat. A, *gignere amat*.

Quem vos lascivis violatis amoribus ignem,
Et stupra vestra deæ Veneris prætexitis umbra.
Unus ego hæc elementa rego, nec mole laboris,
782 Ut miser, infirmusve aliquis fragilisve fatigor.
Lux immensa mihi est, et non resolubilis ætas,
Sensibus et vestris haud intellecta vetustas.
Inde ministeriis ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes, sociosve requiro.
Porro autem angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nosse meum est, et quæ natura creatis
Subsistat, qualesque mihi serventur ad usus.
Tu, me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parere meis virtutibus, ut me
783 Per varias partes minuas : cui nulla recidi
Pars, aut forma potest : quia sum substantia simplex,
Nec pars esse queo. Solis divisio rebus
Compositis, factisque subest : me nemo creavit,
Ut scindi valeam, cunctorum Conditor unus.
Crede, quod ex nihilo formavi, pars mea non est,
Quare age, mortalis, soli mihi construe templum,
Meque unum venerare Deum, cæmenta remitto,
Et quæ saxa Paros secat, et quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaque Synna.
Nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum.
Templum mentis amo, non marmoris : aurea in illo

GLOSSÆ VETERES.

225. Ignem, *amorem; minna*, I.
226. Umbra, *adumbratione*, I.
230. Vetustas, *æternitas*, I.
231. Inde, *deinde*, I.
234. Creatis, *rebus*, I.
236. Tu, *o Symmache.*— Præterito, *neglecto, prætermisso, derelicto.* — Numina mille, *dicebant namque hæretici, Symmachus et alii, unum tantum esse summum Deum, qui imperat terræ, mari et cæteris elementis*, I.
237. Parere, *splendere : pareo, ex quo appareo*, I.
238. Cui, *mihi*, I.
244. Age, *adverbium, o homo*, I.
246. Paros, *insula, ubi invenitur purius lapis candidissimus.* — Punica, *Africana*, I.
247. Lacedæmon, *mons.* — Synna, *civitas, ubi nascitur marmor varii coloris*, I.
248. Ostrum, *purpuram*, Iso.
249. Aurea, *colorem auri habentia*, I.

COMMENTARIUS.

225. De voce glossæ *minna* dictum ad vers. 117, lib. I.

227. Alex., Egm., Widm., Bong., Weitz., scripti Heinsiani, Sich., Vat. A, Mar., Rat., *Unus ego elementa*. Gis. 1 ed., Urb., Cauch., *Unus ego hæc elementa*. Gis. in textu 2 ed., Fabr. *unus ego ipse elementa*. Weitzius non bene allegat Aldum pro sua lectione : ediderat quidem Aldus *unus ego elementa*, sed emendavit *unus ego hæc elementa*. Non placet hiatum cum Heinsio et recentioribus toties admittere.

228. In vulg., *aut miser*, male.

229. Jureti codex, Ald., Egm., Pal., scripti apud Heinsium, excepto altero Rott., Alex., Urb., Vat. A, *et non resolubilis ætas*. Mar., Rat., Gis., Weitz., *nec morte solubilis ætas*.

231. *Ministeria* pro ipsis *ministris*.

234. Oxon., *et quam natura creatis*.

235. Vat. A, *servatur ad usus*.

236. Jureti codex *nomina mille* minus bene. Isonis interpretatio non placet : nam Prudentius ait, a Symmacho unum verum Deum præteriri, et numina mille fingi, in quæ virtutes Dei divideret, adeoque Deum ipsum per varias partes minueret. Non ergo Symmachus aiebat plura illa numina uni Deo esse subjecta, aut unius simplicis Dei esse virtutes, quod putare videtur Cudworthus, de quo supra ad vers. 58. Sed Prudentius arguit omnia illa commentitia numina non esse vere numina, sed esse virtutes unius Dei, qui simplex est, neque in varias partes scindi potest. Virtutes autem Dei non sunt reipsa plures, sed, ut cum theologis loquar, virtualiter tantum aut formaliter inter se distinguuntur. Summa argumenti hæc est : Divinitas una est, simplex, indivisibilis, non ergo plura sunt numina inter se divisa, adeoque virtutes illæ quas deas vocant gentiles non debent coli tanquam numina diversa, sed unus colendus est Deus, qui virtutum omnium caput et fons est. Petavius tom. I, lib. II, cap. 2, paulo aliter errorem gentilium explicat, dum simplicitatem divinæ naturæ ex hoc loco astruit : *Prudentius hanc ipsam theologicam rationem poetico lepore condivit in secundo libro contra Symmachum, ubi gentilium castigat inscitiam, qui virtutes Dei varias minutatim ac separatim colebant, quasi partes illius : Tu me præterito*, etc.

237. Widm. supra, *simulas*. Hoc loco *parere* non est obedire, subjici, quæ secunda est significatio verbi *pareo*. Iso ait *splendere*; sed proprie est inesse, adesse, præsto esse, ex qua prima significatione verbi *pareo* oritur altera obediendi. Symmachus ergo simulabat seu fingebat, numina inter se distincta virtutibus divinis, quæ vere distinctæ non sunt, inesse, sive eis divinitatem divisam inhærere. Sed, ut dixi, varia erat gentilium theologia.

242. Rat. perperam, *valeat*, a prima manu.

243. In Rat. hic versus et tres alii seqq. recenti manu sunt descripti.

245. Jureti codex *cæmenta remitte*.

246. Egm., Jureti codex, *rupis*, more antiquo, ut alibi *famis, luis*. De luxuria veterum in marmoribus vide Savaronem ad Sidonium, pag. 109. Prudentius quinque marmorum genera recenset, *Parium* candidum, *Punicum* flavum, *Synnadicum* maculis distinctum, *Lacedæmonium* viride, et *Ægyptium* purpureum, quod poetice vocat *nativum scopuli ostrum* : quo intelligitur porphyrites, cujus nominis causa, quod *rubeat ut purpura*, ait Isidorus lib. XVI Orig., cap. 5, quem vide, uti etiam Plinium lib. XXXVI, a cap. 5 usque ad 8. Diversa marmorum genera Statius in Silvis passim describit. Easdem marmorum species exstare adhuc in templorum ornamentis Romæ et Senis jam pridem observavit Fabricius, et mirantur exteri.

247. Aldus, ne postrema in *Lacedæmon* brevis efferretur, versum licenter mutavit, *Quæ maculosa tenet Synna, et viridis Lacedæmon*. In Urb., *Et quæ viridis Lacedæmon habet*, abundat *et*. Rat., *quæ viridis Lacedæmon habes*. Alii scribunt *Synna*, alii *Sinna*. Heinsius ait, omnino scribendum *Synnas*, ut habet cum Cauchio pro div. script. Thuan. Martialis quidem, et Juvenalis *Synnas* dicunt, sed non video cur non possit utroque modo dici, ut in aliis nominibus propriis, præsertim e Græco petitis, accidit. Iso ait Lacedæmonem esse montem : cur non potius urbs Peloponnesi, Menelai regia?

248. Vat. A, corrupte *decidet ostrum*.

249. Hæretici hæc aliaque similia verba avide ar-

784 Fundamenta manent fidei : structura nivali A
Consurgit pietate nitens ; tegit ardua culmen
Justitia interius : spargit sola picta rubenti
Flore pudicitia : pudor almus et atria servat.
Hæc domus apta mihi est, hæc me pulcherrima sedes
Accipit, æterno, cœlestique hospite digna.
Nec novus hic locus est : fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei : Deus illustravit alumnam
Materiem, corpusque parens habitabile fecit
Ipse sibi, placito ut posset requiescere templo.
Condideram perfectum hominem, spectare superna
Mandaram, totis conversum sensibus in me
Recto habitu, celsoque situ, et sublime tuentem : B
Sed despexit humum, seque inclinavit ad orbis
785 Divitias, pepulitque meum de pectore numen.
Restituendus erat mihimet : submissus in illum
Spiritus ipse meus descendit, et edita limo
Viscera divinis virtutibus informavit.
Jamque hominem assumptum summus Deus in deitatem
Transtulit, ac nostro docuit recalescere cultu.
Scire velim, præcepta Patris quibus auribus hæc tu
Accipias, Italæ censor doctissime gentis.
An veterem tantum morem ratione relicta
Eligis, et dici id patitur sapientis acumen,
Ingeniumque viri? Potior mihi pristinus est mos,
Quam via justitiæ ; pietas quam prodita cœlo,
Quamque fides veri, rectæ quam regula sectæ.
786 Si, quidquid rudibus mundi nascentis in annis
Mos habuit, sancte colere, ac servare necesse est,

GLOSSÆ VETERES.

251. Consurgit, *in illo*. — Pietate, *sanctitate*, I.
252. Sola, *pavimenta*, I.
253. Pudor, *castitas*, I.
256. Gloria, *divinitas, filius Mariæ virginis*, I.
257. Alumnam, *nutricem*, I.
258. Parens, *pater, creator*, I.
261. Viribus, *sensibus*, I.
267. Informavit, *docuit*. I.
270. Tu, *apostrophe ad Symmachum*, I.
271. Censor, *judex*, I.
274. Potior, *ex persona Symmachi*, Rat.
275. Pietas, *deitas*. — Prodita, *manifestata*, I.
277. Rudibus, *novis*, I.

COMMENTARIUS.

ripiunt, ut contra ornatum cultumque templorum declament. At quam inepte? Ex Prudentio enim potius arguitur, bene hæc duo cohærere, quod præcipue templum mentis amet Deus, et quod nihilominus honestum sanctumque sit templa marmoribus auroque ornare, siquidem Prudentius idem sæpius meminit cum laude marmorum et divitiarum, quibus C templa Christianorum splendebant, ut cernere licet in hymnis S. Eulaliæ, S. Hippolyti, et SS. Apostolorum Petri et Pauli.

252. Ald. male interpungit *Justitia* ; *interius spargit : sola picta rubenti*, etc. Gifanius in *e breve* legit, et distinguit *interius spargit sola picta rubenti Flore pudicitia : pudor almus et atria servat* ex vet. cod. opt., quod elegantissimum dicit. Et in Alex. quidem est *pudicitia*, et Prudentianum est brevem sæpe ratione cæsuræ producere. Alii plerique legunt et distinguunt *interius spargit sola picta rubenti Flore pudicitiæ pudor almus, et atria servat*. Concinnior est lectio Gif. et Alex. Multi distinguunt *justitia : interius*.

257. Ald., Fabr. *ut lux* ; melius *et lux*.

258. Ald., Vat. A, Mar. et, ut videtur, factum a secunda manu, Alex., *corpusque parans*. Vat. A, Egm., Widm. ad oram, *dubitabile*, minus bene pro habitabile.

259. Rat. a prima manu male, *poscit*. Idem supra, D Alex., Urb., *possit*, quod Weitz., Heins. aliique recentiores tenuerunt. Alii, etiam Giselinus, *posset*, neque discrepantiam scripturæ Heinsius observavit. Quod Teolius *placido* pro *placito* ediderit, mendum puto, non lectionis varietatem.

260. Eamdem sententiam præter Ovidium et Juvenalem Minucius in Octavio exponit.

261. Weitzius cum Widm. ad oram, Gis., Fabr., *viribus* pro *sensibus*, minus bene. Glossa potius est diversa lectio.

262. Widm. supra, *sublime tuendum*.

263. Fabr., *respexit humum*. Alii, *despexit* vel *dispexit*, ut scribunt Egm., Pal., Oxon. Hucusque habet Marietti exemplar, *Omnium*, inquit ipse, *optimum, et correctissimum, quæ hucusque viderim*.

265. De homine loquitur, ad quem reparandum missus est Filius Dei.

266. Exprimit verba angeli ad Mariam Lucæ I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Iso exponit : INFORMAVIT, *docuit*. At hic sermo est de visceribus limo editis, seu de corpore, quod Filius Dei assumpsit; vel intelligi etiam potest poni a Prudentio pro illis verbis : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Verbum Dei a Prudentio aliisque interdum *Spiritum* vocari, quia emanat a Patre, alibi a nobis notatum. Explicatio verborum Lucæ similis huic Prudentianæ a multis veteribus traditur, ut a Justino martyre, Tertulliano, Ambrosio, Hilario, quos nonnulli recentiores sequuntur. Aiunt hæc verba *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* repetitionem esse præcedentium, et utrisque significari, Spiritum, Dei Filium, in Virginem descendisse eamque obumbrasse. Consule Comment. Calmeti. Prudentius in Dittoch. vers. 99 simili modo : *Sanctus te Spiritus, inquit, Implebit, Maria : Christum paries, sacra virgo*.

268. Hanc locutionem *hominem assumptum* alibi defendimus.

270. In Vat. A desideratur vox *Patris*.

272. Ald., Alex., *veterum tantum morem*. Antea, vers. 69, similis occurrit varietas : *Allegat morem veterum* seu *veterem*. Bong. et Widm. a prima manu *tantummodo rem*, minus bene, pro *tantum morem*. In editione Basileensi 1540 lego etiam *tantummodo rem*, neque Sichardus aliam scripturam margini apposuit, ut solet. Becmanus, cap. 6 Manuduct. ad ling. Lat. non videtur aliam lectionem in editis observasse : nam ex ms. suo verius corrigendum ait *an veterem tantum morem*.

273. Heinsius cum Thuan. omittit et omittendum ait *id* post *dici*. Mihi non videtur supervacaneum esse *dici id patitur*, quamvis recentiores Heinsio adhæreant.

276. Post hunc versum verba Symmachi hæc solent inserri : *Suus cuique mos, suus cuique ritus est. Jam si longa ætas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot sæculis fides, et sequendi sunt nobis parentes, qui feliciter secuti sunt suos*. Vat. A incipit *Jam si longa ætas*. Rat., *Suus cuique mos, suum cuique jus est*. Ita etiam Sichardus. Vat. A, *sunt nobis feliciter parentes*. Rat., *sunt parentes*.

Omne revolvamus sua per vestigia sæclum A
Usque ad principium: placeat damnare gradatim,
Quidquid posterius successor repperit usus.
Orbe novo nulli subigebant arva coloni.
Quid sibi aratra volunt? quid cura superflua [rastri?
Ilignis melius saturatur glandibus alvus.
Primi homines cuneis scindebant fissile lignum:
Decoquat in massam fervens strictura secures
Rursus, et ad proprium restillet vena metallum.
Induvias cæsæ pecudes, et frigida parvas
787 Præbebat spelunca domos: redeamus [ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi, feritate subacta
Edomiti, jam triste fremant, iterumque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recur- [rant.
Præcipitet Scythica juvenis pietate vietum.
788 Votivo de ponte patrem: sic mos fuit [olim.
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,

GLOSSÆ VETERES.

279. Vestigia, *per singula*, I.
280. Damnare, *derelinquere*. — Gradatim, *per ordinem, paulatim*, Iso.
281. Posterius, *postea*. — Repperit, *usque huc*, I. B
282. Subigebant, *fodiebant, arabant*, I.
284. Ilignis, *quernis, ab ilice*, I.
286. Strictura, *massa ferri calidi*, I.
287. Restillet, *reliquetur*, I.
288. Induvias, *indumenta*. — Cæsæ pecudes, *pelles*, I.
291. Immanes, *feroces*. — Feritate, *populi*. — Subacta, *superata*, I.
292. Triste, *adverbium*. — Ferinos, *quia singuli sicut feræ tunc habitabant*, I.
293. Prisca, *opera*, I.
294. Scythica, *Scythia regio est in qua filii patres de collibus vel de pontibus altis in mare præcipitabant, præveniendo mortem illorum, puta* (forte *putando*) *pietatem esse; vel etiam comedebant, præstando eis tam pia sepulcra*. — Vietum, *senem unumquemque, viribus privatum*, I.
295. Votivo, *quia voluntas patris erat*, I.

COMMENTARIUS.

279. Ex Virgilio Georg. II, vers. 402: *Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*

281. Cicero I Acad. Quæst., *Recentissima quæque sunt correcta et emendata maxime.* Virgilius, II Georg., vers. 22, *Ipse via sibi repperit usus.*

282. Itidem ex Virgilio I Georg., *Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.* Vocat *orbem novum*, ut vers. 338 et seq., *terras recentes, vacuum orbem.*

283. Chamillardus advertit poetas hoc vocabulo *rastrum* uti pro instrumento fossorio, imo Plinium et alios. Sic etiam Suetonius in Nerone: *Primus rastello humum effodit.* Vide comment. ad vers. 639 lib. I. C

284. Glandes dicuntur *quernæ* a quercu, *ilignæ* ab ilice. De *quernis* Virgilius, de *ilignis* Horatius satira 4, lib. I, *Umber et iligna nutritus glande.* Glandibus primos homines vesci solitos, passim veteres narrant.

285. Hoc etiam ex Virgilio I Georg., *Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.* Prudentius Symmachum coarguit adducta narratione moris veteris, qualem gentiles ipsi describebant; cum tamen constaret, prudenter homines ab illo recessisse.

286. Virgilius lib. VIII, *Stricturæ chalybum.* Vide glossas. Vat. A et Jureti codex, *securim* pro *secures.*

288. Egm., *indubias*; corrige *induvias*. E Lucretio lib. V et Juvenali sat. 6 hæc repetita sunt. Lucretius: *Sic odium cepit glandis, sic illa relicta Strata cubilia sunt herbis et frondibus aucta. Pellis item cecidit, vestis contempta ferina est.* Juvenalis: *Cum frigida parvas Præberet spelunca domos.* Arnobius contra gentiles hoc idem argumentum promovebat lib. II: *Quid enim si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis, atque antiquissimis sæculis, quod inventis frugibus glandes spreverint et repudiaverint arbuta, quod corticibus contegi et amiciri desierint pellibus, postquam vestis excogitata est textilis, usu et commoditate succinctior, aut quod structis domibus et lautioribus successibus institutis, non antiquas adamaverint casulas, nec sub rupibus et cavernis præoptaverint, ut belluæ, permanere?* Vide Elmenhorstium ad hunc locum pag. 61.

290. Bong. *hirsutis*, sed adfuisse aliud, demonstrat rasura. Vat. A, *hircos* pro *hirtos*, mendose.

293. Vat. A, corrupte, *immemores redeant.*

294. Juretus monet lectionem cujusdam schedæ *Scythica juvenis feritate* deteriorem esse: nam ironice pietas hic nominatur, ut in fine libri Vestalium *pudor almus et expers sanguinis.* Vat. A scribit *Scythyca*, Rat. *Scithica.* Idem Rat. *vigetum* pro *vietum*, cum Bong., Widm., de quo alibi. Crudelitas Scytharum nota est: a parentibus vix, ac ne vix quidem abstinebant; eos certe jam defunctos devorabant. Duo hic quæri possunt, an vere Scythæ patres suos senes e ponte præcipitarent, et an hic mos aliquando apud Romanos invaluerit. De Scythis affirmat Fortunatianus lib. II Artis rhetoricæ: *Mos, ait, apud Scythas fuit, ut sexagenarii per pontem mitterentur. Scytha Athenis sexagenarium patrem per pontem dejecit: reus est parricidii. Hic enim se dicit gentis suæ more fecisse.* Romanis proverbium erat *Sexagenarios de ponte dejicere.* Festus narrat ex Manilio, sexagenarios olim e ponte dejici, quod aborigines, qui primi Romam incoluerint, hominem sexagenarium immolare quotannis Diti patri soliti fuerint; postea institutum, ut scirpeæ hominum effigies de ponte in Tiberim mitterentur. Addit ex aliis, post Urbem a Gallis captam ob inopiam cibatus, cœptos sexaginta annorum homines jaci in Tiberim. *Sed exploratissimum,* inquit, *illud est causæ, quo tempore primum per pontem cœperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi quam illi deligerent imperatorem: cujus sententiæ est etiam Sinnius Capito; vanam autem opinionem de ponte Tiberino confirmavit Afranius in Repudiato.* Videtur Festus negare vere e ponte in flumen sexagenarios fuisse dejectos: quod confirmant alii ex Varrone apud Nonium Marcellum. Prudentius innuit sexagenarios e ponte, in quo ferebantur suffragia (nam ab ecclesiasticis scriptoribus suffragia *vota* dicuntur, unde *pons votivus*) in fluvium fuisse præcipitatos, et respexit ad illud Ovidii V Fast.: D *Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli, Pontibus infirmos præcipitasse senes.* Ovidius aliam refert et sequitur opinionem.

296. De infantibus, qui Saturno propter odium Jovis immolabantur, legendus est Lactantius lib. I, cap. 21, Tertullianus in Apolog., aliique. Arnobius lib. II: *Ante adventum in Italiam Herculis cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus supplicaretur, et hunc similiter morem non fraude callidula, et nominum ambiguitate mutastis?* Hoc sacrificium in nonnullis Africæ partibus peragi solitum plerique tradunt, nominatim Minucius, cujus commentatores plura de eo congerunt. Idolum Moloch, de quo sæpe mentio occurrit in sacris Litteris, et cui Ammonitæ filios filiasque cremabant, idem est ac Saturnus, si Saturnus est sol, ut Servius et Macro-

Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo :
Sic tradunt habitasse Remum. Regalia feno
789 Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis ursæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent :
Talia Trinacrius ductor, vel Tuscus habebant.
Roma antiqua sibi non constat versa per ævum,
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis ;
Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino :
790 Instituit quædam melius, nonnulla refugit,
Et morem variare suum non destitit, et, quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos, Romane senator,
Objectas, cum scita patrum, populique frequenter
Instabilis placiti sententia flexa novarit?

GLOSSÆ VETERES.

298. Texat, *tegat*, I.
300. Fulcra, *sedilia*. — Libystidis, *Africanæ*, I.
301. Villoso, *intonso*, I.
302. Talia, *scilicet indumenta*. — Trinacrius, *Siciliensis, vel Sicilius Acestes*. — Tuscus, *Evander*, I.
303. Constat, *non stabilis est*. — Ævum, *ætatem*, I.
304. Sacris, *cum sacris*, I.
305. Quirino, *Romulo, a Quirino monte*, I.
306. Nonnulla, *multa*. — Refugit, *vitavit*, I.
309. Ritus, *mores*. — Senator, *Symmache*, I.
310. Scita, *constituta, vel constitutiones*, I.

COMMENTARIUS.

bius docent : quanquam volunt aliqui, infantes in honorem Moloch non combustos, sed per ignem tantum traductos.

299. Prior Rott., *habuisse Remum* : et notat Heinsius *habuisse* esse pro *habitasse*. Potest etiam intelligi, *Sic tradunt Remum habuisse casam*. *Remus* pro Romulo ponitur, ut apud Propertium lib. II, el. 1 : *Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim Unus erat fratrum maxima regna focus*. Certe apud poetas non raro Remus pro Romulo accipitur, et alii qui soluta oratione scribunt, non Remi, sed Romuli casam dicunt. Veteres de hac *Romuli casa* sæpe mentionem injiciunt. Valerius Max. lib. IV, cap. 4 : *Per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, et æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos, juro*, etc. In Controversiis sub Senecæ Patris nomine lib. I, contr. 6 : *Inter hæc tam effusa mœnia nihil est humili casa nobilius*. Gothofredus legendum putat *Romuli casa nobilius*. Ejusdem meminerunt Ovidius lib. III Fast., Vitruvius lib. II, Seneca filius in Consol. ad Helviam cap. 9, Macrobius I Saturnal., Martialis lib. VIII. Barthius lib. XXII Advers., cap. 4, Prudentium ad Romuli casam allusisse confirmat, et S. Hieronymi verba e præfatione ad libros Didymi de Spiritu sancto profert : *Illico ego velut postliminio Hierosolymam sum reversus, et post Romuli casam, et ludorum Lupercalia diversorium Mariæ, et Salvatoris speluncam aspexi*. Allegat idem Barthius Tacitum Annalium XV de eadem casa : *Numæque regia, et delubrum Vestæ cum penatibus populi Romani exusta*. Verum quæram a Barthio, quo pacto Romuli casa tempore S. Hieronymi visebatur, si Neroniano incendio fuit combusta ; nam *penates populi Romani* explicat casam Romuli. Verius igitur puto, a Tacito intelligi templum penatium deorum, quos aiunt ab Ænea olim in Italiam advectos, nisi malis intelligere ipsos deos penates in templo Vestæ asservatos. Halicarnasseus lib. I de casa Romuli sic ait : *Vita autem erat eis* (Remo et Romulo) *pastoralis et operosa : in montibus sæpe ex lignis et arundinibus tuguria figentes, seipsos contegebant ; quorum etiam ætate mea unum superat in angulo ex palatio ad circum divertente* CASA ROMULI *dictum : quod adhuc custodiunt sacrum ii, quibus est horum cura, nihil illi magnificentius addentes, sed si laboret aliquid aut per hiemem, aut vetustate, quod reliquum est, munientes, et diruta, quantum possint, similia prioribus restituentes*.

300. Widm. scribit *Lybistridis*, Egm. *Libytidis*, Bong. *Lybistidis*. Virgilius lib. VIII : *Stratisque locavit Effultum foliis, et pelle Libystidis ursæ* ; et lib. V : *Horridus in jaculis, et pelle Libystidis ursæ*. Plinius lib. VIII, cap. 36, in Africa gigni ursos negat ; multi, etiam veteres, affirmant, sed nonnulli putant, *ursos Libycos et Numidicos* dictos a Romanis leones. Vide Ruæum ad lib. V Virgilii, vers. 37.

301. Ald., Pal., *villosam*. Egm., *vestent*, Pal., *vestant*, mendose, pro *gestent*.

302. Rat., Gis., *habebat* ; plerique, *habebant*. Cellarius suspicatur hunc Tuscum esse Tyrrenum fratrem Lydi, de quo Velleius cap. 1. Melius Iso Evandrum intelligit : videtur enim Prudentius duos illos Virgilii versus comprehendere voluisse, quorum alter ad Evandrum, alter ad Acestem refertur. Cellarius ait, Evandrum cis Tiberim condidisse Pallanteum. Vere id quidem ; sed Tuscia vel Hetruria proxime trans Tiberim extendebatur, et ipse Tiberis Tuscus et Tyrrenus sæpe dicitur. Virgilius lib. X de militibus quos Æneæ Evander dedit, ait : *Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris Ænean, armetque rates*, etc. Evander inter alia Æneæ ostendit Janiculum lib. VIII : *Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem : Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen*. Mons autem Janiculus jam exstat in vetere Hetruria. Ex hujusce rei ignoratione doctissimi scriptores Historiæ litterariæ Hisp. fratres Mohedani difficultatem, quam in Vita Columellæ ipsi creaverant, non satis feliciter explicuerunt. Tomo VIII, qui totus est de Columella, pag. 40 et seqq., quærunt cur Columella prædium Ceretanum in Hetruria, ubi nunc est oppidum *Cervetere*, possederit, cum ipse præscribat prædia debere esse vicina. Respondent Columellam duorum aut trium dierum itinere potuisse ad agrum Ceretanum se conferre. Putabant scilicet Hetruriam olim iisdem terminis contineri, quibus nunc ditio magni Hetruriæ ducis continetur. Alioquin Cere, sive sit *Cervetere*, aut *Cervetri*, sive, quod probabilius puto, *Ceri* (nam *Cervetri* Agyllam fuisse existimo), in Hetruria quidem veteri situm est, sed ab Urbe tantum viginti quinque millia passuum circiter distat.

303. Prior Rott., *Roma sibi antiqua :* suspicatur Heinsius *Roma sibi antiquum non constat versa per ævum*. Arnobius, lib. II : *Nam si mutare sententiam culpa est ulla vel crimen, et a veteribus institutis in alias res novas voluntatesque migrare, criminatio ista et ad vos spectat, qui toties vitam consuetudinemque mutastis, qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione transistis*.

307. Vat. A, male, *morem servare*.

311. Rat., Weitz., Gis. ad marg. 1 ed., et in textu 2 ed., Sich., *in tabulis*, quod secutus est Heinsius, quin ullam variantem lectionem adnotaverit. Heinsio consonant recentiores. Ast Jureti codex, Alex., Urb., Ald. aliique, *instabilis placiti*, quod Jureto arridet : exprimitur enim inconstantia senatus populique Romani in retractandis legibus ac moribus. Simili modo Tertullianus in Apolog. cap. 4 : *Nonne et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem et squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus truncatis et cæditis?* Vide Theodosii novellam 2 de Invasoribus, et A. Gell. lib. ult. c. 1. In Egm., et Pal. est *novarat* pro *novarit*, in Alex. a prima manu mendose, *noverit*.

Nunc etiam, quoties solitis decedere prodest, A
Præteritosque habitus cultu damnare recenti,
Gaudemus compertum aliquid, tandemque retectum,
Quod latuit. Tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, et longo proficit usu.
Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo :
Sic variat natura vices. Infantia repit,
Infirmus titubat pueri gressusque, animusque:
Sanguine præcalido fervet nervosa juventa :
Mox stabilita venit maturi roboris ætas :
791 Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit mentem purgata senectus.
His genus humanum per dissona tempora duxit
Curriculis ævum mutabile : sic hebes inter
Primitias, mersumque solo, ceu quadrupes, egit. B
Mox tenerum docili ingenio, jamque artibus aptum
Noscendis, varia rerum novitate politum est.
Inde tumens vitiis, calidos adolevit in annos,
Donec decocto solidaret robore vires.
Tempus adest, ut jam sapiat divina senectæ
Mentis consilio, vivacius abdita solers
Quærere, et æternæ tandem invigilare saluti.
Quanquam si tantus amor est, et cura vetusti
792 Moris, et a prisco placet haud discedere ritu,
Exstat in antiquis exemplum nobile libris,
Jam tunc diluvii sub tempore, vel prius, uni
Inseruisse Deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras, vacuoque habitavit in orbe.
Unde genus ducit nostræ porrecta propago
Stirpis, et indigenæ pietatis jura reformat.
Sed, quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
Non multos coluisse deos, rarisque sacellis
Contentum, paucas posuisse in collibus aras.
Innumeros post deinde deos, virtute subactis

GLOSSÆ VETERES.

314. Retectum, *manifestum*, I.
318. Repit, *quia rectius non potest ambulare*, I.
320. Nervosa, *fortis*, I.
321. Maturi, *perfecti*, I.
323. Purgata, *purgatam habens mentem*, I.
324. His, *talibus*, I.
325. Curriculis, *volutionibus*.— Hebes, *imprudens*, I.
326. Primitias, *initia, in infantia*. — Ceu quadrupes, *quando et manibus, et pedibus repit, non rectus incedere valens*. — Egit, *ducit vivit*, I.
327. Jamque, *deinde*, I.
328. Politum, *nutritum*, I.
329. Calidos, *in juventute*. — Adolevit, *crevit*, I.
330. Decocto, *perfecto*. — Robore, *fortitudine*, I.
332. Vivacius, *perspicacius*. — Solers, *sagax*, I.
334. Si tantus, *tantum studium est*, I.
339. Vacuo, *lato*, I.
340. Porrecta, *extenta*, I.
341. Stirpis, *naturalis*, I.
343. Hectorei, *Romani*, I.
344. Sacellis, *templis*, I.
346. Virtute, *Romanorum*, I.

COMMENTARIUS.

313. Juretus videtur non observasse emendationem Giselini, qui ediderat quidem *damnare retenti*, sed in addendis correxit *damnare recenti*. Heinsius simili errore edidit *retenti*, nec correxit.

316. Elmenhorstius in Arnobium pag. 45 plura de his ad verba Arnobii *Pauperrimæ necessitatis inventa* ex Columella, Virgilio, Lucretio.

318. Hæc omnia mutuatus videtur Prudentius a Lucretio lib. III, vers. 446 et seqq.

322. Prior Rott., *consilii melior*, quod eleganter dictum ait Heinsius, quomodo sæpe utitur Silius Italicus. Mihi elegantius videtur *consiliis melior, sed viribus ægra*.

324. Rat., Gis. ad oram, Weitz., *fluxit*. Alex., Urb., Vat. A et plerique alii, *duxit*, scilicet *ævum*.

325. Ita Alex., Urb., Widm., Weitz., Gis., uterque Bober., Heins. et alii. Aldus, Vat. A, Bong. a prima manu, Fabr., Rat. a manu recenti, erasis prioribus, *sic hebes inter Primitias, mersumque solo titubavit, et instar Quadrupedis pueri lactantia viscera traxit*. In Aldo est *versumque* pro *mersumque*. Teolius ait Heinsium hæc ut superflua resecuisse; sed resecuerat antea Giselinus, et post Giselinum Weitzius. Giselinus vero prolixius, sed non omnino male in impressis ita legi monuit. Egmondanum pro nostra lectione stare affirmat Weitzius, negat Heinsius, qui melius inspexit.

326. Alludit ad ænigma Sphingis, quod solvit Œdipus. Vide Hyginum fab. 77, et Palæphatum lib. I, cap. de Sphinge. Ænigma erat quodnam esset animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes. Œdipus hominem esse interpretatus est.

327. Ald., perperam, *artibus aptus*.

330. Virgilius II Æneid., *Solidæque suo stant robore vires*.

334. Sich., Gis. ad oram in utraque editione, Widm. a prima manu, Bong., Weitz., Alex., Urb., Heinsius cum plerisque suis, *si tantus amor est*. Et C videtur ex Virgilio II Æn. sumptum, *Sed si tantus amor casus cognoscere nostros*. Ald., Torn., princeps Boher., prior Rott., Egm., *si tantum studium est*, quæ est Isonis glossa. Gronovius, cap. 5 Observat. eccles. in mss., legi fatetur *quanquam si tantus amor est*, sed suspicatur legendum *si tibi tantus amor*, quia aliud est vitium metri inexcusabile, et nunquam a Prudentio profectum. Verum jam observavi et aliis poetis frequens esse brevem syllabam ob cæsuram producere, et hoc ipsum Prudentio esse valde familiare : neque oportuit Gronovium hujus rei esse inscium.

335. Thuan., *ut a prisco*, male.

339. Virgilius I Georg., vers. 62: *Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem*.

340. Ald., *nostræ ducit*.

341. In Rat. a prima manu, *indigæ*; sed glossa *inde genitæ* indicat mendum.

343. Tertullianus Apolog. cap. 25 : *Nam etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris, aut templis res divina apud Romanos constabat. Frugi religio, et pauperes ritus, et nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, et vasa adhuc samia, et nidor ex illis, et deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Tuscorum fingendis simulacris Urbem inundaverant*. D Adde S. Augustinum de Civit. Dei cap. 12, lib. III, et cap. 31, lib. IV.

345. Rat., *concentum*; recte supra, *contentum*. Gis. ad oram, *paucis*. Observat Chamillardus ex Melanthe et Apollonio veteres solitos suis numinibus, præsertim Jovi, templa in sublimibus locis exstruere. Jovis Latiaris templum in monte Albano fuit collocatum : ejus rudera vidimus. Mazochius tom. I Spicil., pag. 67, *excelsa* in sacris Litteris idola appellari ait ab excelsa statura excelsoque loco, et originem repetit a turri Babel.

346. Ald., *post inde*. Minucius : *Inde adeo per uni-*

793 Urbibus, et claris peperit sibi Roma triumphis, A
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum, venerans ceu numina, vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi:
Illud ab incensis in prædam sumpsit Athenis.
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies: quasdam, domitis Ammonis arenis,
Syrtica cornutas facies habuere tropæa.
Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plausibus excepit, toties altaria divum
Addidit, et spoliis sibimet nova numina fecit:
794 Numina, quæ, patriis cum mœnibus eruta, nullum
Præsidium potuere suis afferre sacellis.
Cernis, ut antiqui semper vestigia moris
Gressibus incertis varie titubasse probentur,
Asciscendo deos majoribus incompertos,
Seque peregrina sub relligione dicasse,
Nec ritus servasse suos? Quodcunque sacrorum est,
Exsulat, externumque inimicam venit in Urbem.
795 Frustra igitur solitis, prava observatio, inhæres.
Non est mos patrius, quem diligis, improba: non est.
At solers orator ait, fataliter Urbem

GLOSSÆ VETERES.

351. Signum, *simulacrum*. — Bimaris, *propter duo maria, quibus cingitur*. — De strage, *sicut Numenius fecit*, I.

352. Athenis, *Græcis*, I.

353. Canini, *Anubis, Mercurii. Mercurius capite canino depingitur propter prudentiam sermonis, et cane* B *nihil est sagacius*, I.

354. Ammonis, *Jovis*, I.

355. Syrtica, *arenosa*. — Cornutas, *propter Jovem, qui cornutus erat*, I.

361. Ut, *quomodo*, I.

363. Majoribus, *patribus*. — Incompertos, *ignotos*, I.

COMMENTARIUS.

versa imperia, provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, et deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Martem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astartem Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, universa Romanos. Tertullianus cap. 10 Apolog.: *Nec ego per singulos decurram, tot ac tantos, novos, veteres, barbaros, Græcos, Romanos, peregrinos, captivos, adoptivos, proprios; communes, masculos, feminas, rusticos, urbanos, nauticos, militares.* Vide lib. I, vers. 180 seqq., et de iis qui texunt catalogos deorum municipalium, Sirmondum ad Sidonium pag. 138.

347. Egm., Widm. supra, *viribus*, non bene, pro *urbibus*. Ald., Egm., Widm. supra, Gis., Rat., *ex claris*; melius *et claris*. C

351. Corinthum *bimarem* appellant Horatius, Ovidius, Sidonius et alii, quod inter duo maria, Ionium et Ægeum, sita sit: quod epitheton ex simili alio Græcorum Mureto in libris Var. lect. videtur factum. L. Mummius Corinthum evertit: de qua strage Florus lib. II, cap. 26, ubi narrat, Corinthium æs inde avectum et nominatum: *Quia incendio permixtis plurimis statuis atque simulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.* Isidorus lib. XVI Orig., cap. 20, id evenisse ait cum Corinthum Hannibal cepit: sed μνημονικὸν ἁμάρτημα, id est Hannibalem pro L. Mummio posuit. In glossa *Numenius* mendum pro *Mummius*.

352. Sylla Athenas expugnavit, unde columnas templi Jovis Olympii Capitolinis ædibus advexit. Plinius lib. XXXVI, cap. 6, Plutarchus in ejus Vita.

355. De Nasamonibus, gente Syrtica, id intelligi vult Chamillardus, de quibus Curtius lib. IV, sect. 29: *Incolæ nemoris, quos Ammonios vocant, dispersis tuguriis habitant.* D

358. Hæc *nova* numina videntur esse dii *novensiles* ex Cincii sententia apud Arnobium lib. III: *Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis..... Cincius numina peregrina* NOVITATE EX IPSA *appellata pronuntiat. Nam solere Romanos deos omnes urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare: ac ne aliquid deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, brevitatis et compendii causa uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari.* Alias aliorum de Novensilibus opiniones refert et irridet Arnobius. Tertullianus, laudatus ad vers. 346, etiam *deos novos* commemorat. Tullius lib. II de Legibus ait: *Separatim nemo habessit deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice ascitos, privatim colunto.*

359. S. Augustinus lib. III, cap. 12, de Civit. Dei, et lib. IV, cap. 31, hac eadem ratione deorum gentilium impotentiam ostendit.

364. Notat hoc loco Mariettus (neque a nobis omittendum est) in Rat. semper scribi *relligione* duplici *ll*. Nonnulli putant non rite id fieri, etiamsi syllaba alio quin brevis producenda sit. Ego autem censeo veteres poetas, ut syllabam brevem producerent, sæpe geminasse consonantem sequentem, et pronuntiasse atque scripsisse *repperit, reccidit, relligio*, et similia.

365. Tertullianus cap. 6 Apolog. *Ubi religio? ubi veneratio majoribus debita a vobis? Habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proavis renuntiastis. Laudatis semper antiquitatem, et nove de die vivitis.*

366. Vat. A, prior Rott., Cauch., Gis. ad oram, Urb., *externumque migrans devenit in orbem*, ex quo conjicit Heinsius *externamque migrans devenit in urbem*; quanquam non illi displicet *externum orbem*, cum *urbem* paulo post habeamus. Addit, *Possis et* EMIGRANS VENIT. *Certe in Egmondano* EXSULTAT, EXTERNUMQUE MICAM VENIT IN URBEM, *in quo veræ scripturæ manifesta apparent vestigia.* Quod ego non satis intelligo. Weitzius citat Egmondanum pro *externumque migrans devenit in orbem*. Heinsius cum plerisque suis scriptis, Weitz., Widm., Bong., Alex., Rat., *externumque inimicam venit in urbem*. Weitzius pro hac scriptura citat Giselinum, qui tamen legit *æternumque inimicam venit in urbem*. Gifanius in verbo *vestire* ex vet. lib. legendum ait *externumque* pro *externorum*. Fortasse simili figura Fabricius edidit *externamque inimicum venit in urbem*, hoc est, *inimicum* pro *inimicorum*. Gallandius sequitur communiorem lectionem Heinsii, sed in Ald., Tornæs. laudat *æternumque inimicam*, tanquam satis apte ad mentem Prudentii, qui hæc omnia a Tertulliano cap. 25 Apolog. mutuatus est. Recte Tertullianus ibid.: *Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot tropæa; tot de diis, quot de gentibus triumphi; tot manubiæ, quot manent adhuc simulacra captivorum deorum, et ab hostibus ergo suis sustinent adorari, et illis imperium sine fine dederunt, quorum magis injurias quam adulationes remunerasse debuerant. Sed qui nihil sentiunt, tam impune læduntur, quam frustra coluntur.* Verrius Flaccus narrat in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari deum, cujus tutelæ ea urbs commissa esset, atque illi eumdem aut majorem locum apud Romanos promitti, ut in ejus fragmentis legitur apud Plinium lib. XXVIII, cap. 2.

369. Ald., Egm., Pal., Widm. supra, Jureti codex et Rat., *sed solers*. Alii, *at solers*. Heinsius edidit *sed solers*, nihil tamen animadvertens, quamvis a Giselino discesserit.

Sortitam, quonam genio proprium exigat ævum. A
Cunctis nam populis, seu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut genius, nostrarum more animarum,
Quæ sub disparili subeunt nova corpora sorte.
Jam primum, qui sit genius, vel qui status illi
Competat, ignoro : quid possit, et unde oriatur
Spiritus informis, sine corpore, formave, et ulla
Sit species, et quid sapiat, quæ munera curet.
Contra, animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfusas intelligo, sanguis ut ex his
Accipiat motumque levem, tenerumque vaporem. B
Unde pererratis vegetet præcordia membris,
Frigida succendat, riget arida, dura relaxet.
796 Sic hominis vitam sibi temperat, atque gubernat
Vivida mens : quam tu ficto componere tentas
Membrorum genio, qui nusquam est, nec fuit unquam.
Quin et corporibus versat mens viva regendis
Summum consilium, fida ut tutacula nudis,
Invalidisque paret, metuenda pericula vitet,
Utile prospiciat, varias agitetur ad artes,
Consultet, cui se domino submittat, et orbis
Quem putet auctorem, quem rerum summa sequatur.
At tuus hic Urbis genius, dicas, volo, quando
Cœpit adhuc parvæ primum se infundere Romæ,
Fluxit ab uberibus nemorosa in valle lupinis,
Infantesque aluit, dum nascitur ipse, gemellos?
An cum vulturibus volitans ignota per auras
Umbra, repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus summis sedet, an penetralia servat.
797 Instituit mores, et jura forensia condit?
An castrorum etiam fossis intervenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, urget in hostem?
Quæ quis non videat sapientum digna cachinno?
Fingamus tamen, esse aliquam, quæ tali curet,
Umbram, sive animam : per quam respublica fatum
Hauserit, et calidis animetur tota medullis.
Cur non hæc eadem de relligione colenda

GLOSSÆ VETERES.

367. Solitis, *moribus*, *rebus*, I.
370. Sortitam, *accipientem*, I.
375. Competat, *congruat*, I.
376. Spiritus, *utrum sit, an sit*, I.
377. Munera, *officia*, I.
379. His, *animabus*, I.
381. Vegetet, *confirmet*, *sustentet*, *roboret*, I.
382. Succendat, *calore*, *calefaciat*. — Riget, *mobilitate infundat*. — Relaxet, *molliat*, I.
384. Componere, *regere*, *comparare*, I.
387. Tutacula, *defensacula*. — Nudis, *membris : nudam rem dicimus, quæ omni parte consilio indiget*, I.
389. Agitetur, *commoveatur*, I.
390. Consultet, *provideat*, I.
395. Gemellos, *nota fabula de vulturibus quos illi duo fratres Remus et Romulus in initio, cum regnare cœpissent, de monte Aventino volare viderunt, et fingit poeta, simul cum ipsis venire genium : deridendo dicit, puto, tunc primum genium se parvæ Romæ infundere, cum Remum et Romulum lupa nutrivit in valle nemorosa; tunc etiam simul genium nutrivit cum illis*, I.
C
398. Penetralia, *interiora*, *habitacula*, I.
399. Forensia, *civilia*, *publica*, I.
400. Acres, *fortes*, I.
401. Urget, *compellit Romanos*, I.
402. Digna, *esse*, I.
403. Fingamus, *componamus*, I.
405. Hauserit, *sumpserit*, *acceperit*. — Animetur, *firmetur*, *vel vivificetur*. — Medullis, *in interioribus*, I.

COMMENTARIUS.

373. Post hunc versum ingeruntur in multis codd. hæc Symmachi verba : *Varios custodes urbibus mens divina distribuit. Ut animæ nascentibus ita populis fatales genii dividuntur*. Vat. A, *Custodes urbibus mens divina varios distribuit*. Aldus, *induntur* pro *dividuntur*.

374. Vat. A, *quid sit genius*.

375. Ald., *et possit*. Gis. ita edidit, sed correxit *ignoro : quid possit*, quod non videtur advertisse Heinsius.

376. Ald., *formane, an ulla*. Gis., Weitz., *formave, an ulla*. Vat. A, Rat., Alex., Urb., Jureti codex, Heinsius cum suis *formave, et ulla Sit species*. Gallandius minus rectum id judicat, et cum Aldo præfert *formane, an ulla*. Sed lectio communior codicum retinenda est, scilicet hoc sensu, *ignoro etiam, sit forma, et ulla species*. Elmenhorstius ad verba Arnobii lib. I, *Civitatumque genios*, rem his versibus exponit.

377. Vat. A, *munere*, minus recte.

378. Vat. A, *inde pererratis*; melius *unde*. Aldus mendose, *viget et* pro *vegetet*.

384. Vat. A, *mens ficto quam tu componere tentas*.

385. Alex., Ald., Gis. et alii, *membrorum*. Plerique *murorum*, quod genuinum Prudentii videtur Heinsio. Nihilominus vers. 446. occurrit *perque omnia membra, Urbis*.

386. Vat. A, *qui nec corporibus*, male.

387. Bong., Wid., *consilium fit, ut aut tutacula*, quod obscurum est.

390. Widm., Bong., Rat., Sich., *consulet et cui*. Weitzius allegat Aldum pro *consulte cui se*; non ergo advertit Aldi correctionem *consultet cui se*.

391. Ald., *quem putat*. Idem et Thuan. a prima manu *quæ rerum summa sequatur*.

396. Vat. A, scribit *innota*. Romulus et Remus de condenda urbe augurium cepisse dicuntur, quorum hic sex vultures in Aventino monte vidit, ille duodecim in Palatino : *Statur et arbitrium Romulus urbis habet*, ait Ovidius, qui lib. IV Fast. historiam narrat, ut alios prætercam. In numismatibus antiquis Roma cum vulturibus interdum exhibetur. D

397. Thuan., prior Boher., alter Rott., *repentina de nube*. Egm. mendose, *repentini*. Alii mss. et edd., *repentinam*.

398. Alex., Ald., potiores Heins., *servat*, quod placet. Rat., Torn., Gall., Weitz., *servans*. Gis., *servat*; ad marg., *servans*; et pro div. script., *curans*.

401. Prior Rott., Cauch., *lituo ciet*. Egm., Ox., Jureti codex, *lituos ciet*. Plerique *lituis ciet*.

405. Gis. ad oram, *et calidas animet curata medullas*.

406. Rat. Weitz. cum suis, excepto Bong., *de religione tenenda*.

Consultat? cur non suspectat libera cœlum? A
Cur sibi præscriptum non commutabile fatum,
Ut captiva, putat? genesis cur vincula fingit?
Cui jam nolle licet, quod tunc voluisse licebat,
Erroresque abolere suos, ac flectere sensus?
Sic septingentis erravit circiter annis,
Lubricaque, et semper dubitans, quæ forma placeret
Imperii, quæ regnandi foret æqua potestas.
798 Regius exortam jam tunc habuit status Urbem,
Non sine grandævis curarum in parte locatis.
Mox proceres de stirpe senum tractasse videmus
Clavum consilii: plebeias inde catervas,
Collatas patribus mixtim ditionibus æquis,
Imperitasse diu, belloque, et pace regendis.
Consule nobilitas viguit: plebs fisa tribuno est.
Displicet hic subito status, et bis quina creantur
Summorum procerum fastigia: quos duodeni
Circumstant fasces, simul et sua quemque securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, et consulibus dat condere fastos.
Ultima sanguineus turbavit sæcla triumvir.
Fluctibus his olim fatum, geniusve, animusve
799 Publicus erravit: tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput augustum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi, atque senatus
Rectorem, qui militiæ sit ductor, et idem
Dictator, censorque bonus, morumque magister,
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.
B Quod si tot rerum gradibus, toties variatis
Consiliis, ægre tandem pervenit ad illud,
Quod probet, ac sancto reverentia publica servet
Fœdere: quid dubitat divina agnoscere jura.

GLOSSÆ VETERES.

407. Consultat, *providet interrogat*, I.
409. Fingit, *componit*, I.
410. Licet, *licitum est*, Iso.
412. Erravit, *pene*, I.
413. Lubrica, *instabilis*, I.
414. Æqua, *justa*, I.
416. Grandævis, *senatoribus*, *consulibus*, I.
417. Proceres, *juniores et nepotes*, Iso.
418. Clavum, *regimen*, *dignitatem*, Iso.
419. Collatas, *conjunctas*, I.
421. Consule, *sub consule*, I.
422. Creantur, *constituuntur*, I.
423. Procerum, *dictatorum*, Iso.
424. Fasces, *honores*. — Sua, *propria*. — Securis, *potestas*, *vindicta*, I.
426. Fastos, *libros*, I.
428. Fluctibus, *erroribus*, *instabilitatibus*, I.
430. Augustum, *nobile*. — Diademate, *corona*, I.
433. Dictator, *imperator*. — Censor, *judex*, I.
434. Tutor, *qui rempublicam tuebatur*. — Largitor honorum, *retributor dignitatum*, I.
436. Ægre, *difficulter*, *vix*, I.
437. Probet, *laudet*, I.

COMMENTARIUS.

407. Ald., Gis. in textu, Jureti codex, *prospectat*. Widm., Bong., Gis. ad oram, *aspectat*. Plerique alii, etiam Gis. ad oram pro div. lect., Gifanii et Becmani codices, *suspectat*. Virgilius lib. I vers. 375 Georg. *Bucula cœlum Suspiciens, patulis captavit naribus auras*.

408. Ald., *cur tibi*; alii *cur sibi*.

409. Juvenalis sat. 14, vers. 246, *Nota mathematicis genesis tua*.

410. Ald., Gis., *cur jam*. Plerique, *cui jam*, et glossa ad oram Widm., *cui genio licet nolle*. Tertullianus cap. 6 Apolog: *Nunc religiosissimi legum, et paternorum institutorum protectores, et ultores respondeant, velim, de sua fide, et honore, et obsequio erga majorum consulta, si a nullo desciverunt?*

412. Florus a rege Romulo in Cæsarem Augustum septingentos annos numerat; alii septingentos octo annos circiter recensent.

414. Ald. Gis., Weitz., *imperii et quæ*. Abest *et* a codd. Heinsianis et nostris.

416. Ald. mendose, *curatum in parte*. De his imperii Romani mutationibus lege Florum et Joannis Camertis adnotationes, qui breviter alios historicos, aut consentientes aut dissentientes, indicat.

417. Reges anno Urbis conditæ 245 vel 254 exacti sunt, consulesque tunc creati.

418. Anno 387 lex lata est, ut alter consul e plebe crearetur, quæ anno 309 rogata fuerat. De primo consule, homine novo, L. Sextio id intelligit Grangæus; de tribunis plebis anno 259 ob secessionem plebis creatis Chamillardus, quod verius est ut ex seqq. patet, *Displicet hic subito status*, etc.

421. Hic versus a Vat. A, Egm., Oxon., Rottend. rejicitur post versum *Publica res*. Ald. male distinguit *plebs*, *fisa*.

422. Decemviri anno Urbis 301 circiter pro con- C sulibus legum ferendarum causa creati, qui sunt *bis quina fastigia*, etc. De insignibus, fascibus et securibus Livius lib. III, cap. 36: *Cum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium in orbem suum cujusque vicem per omnes iret, subito omnes cum duodenis fascibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverant, et fascibus secures illigatas præferebant*.

425. Egm. corrupte, *doctoris* pro *ductoribus*. Anno Urbis 304 iterum duobus consulibus imperium mandatum est.

426. Post hunc versum a nonnullis collocatur versus 421, *Consule nobilitas*.

427. Triumviratus Cæsaris, Lepidi et Antonii, *cujus atrocitas nihil in se minus habet quam numerum centum quadraginta senatorum* (proscriptorum). *Exitus fœdi, truces, miserabiles*, etc. Florus lib. IV, cap. 5.

429. Prior Rott., *reprendere rectum*.

430. Gis. ad marg., *diademate texit*. Item Giselinus ita catalogum harum mutationum ordinavit: D *Primum reges regnarunt. Post eos cœpere consules anno ab Urbe condita* CCXLV. *Consules et senatores cum tribunis plebis* CCLXI. *Decemviri soli* CCCIII. *Consules etiam e plebe* CCCVI. *Triumviri post Cæsaris necem* DCCXII. *Solus Octavius* DCCXXIII. Concludit, recte illum versum *Consule nobilitas* eo loco poni quo a nobis est insertus.

431. Suetonius cap. 58 in Augusto: *Senatus te consentiens cum populo Romano consalutat patriæ Patrem*.

433. Augustus ob facta ingentia dictator perpetuus, et Pater patriæ dictus. Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur. Sed sanctius et reverentius visum est nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur. Vide Florum in fine Hist.

436. Aldus, *ægræ*; lege *ægre*.

Ignorata prius sibimet, tandemque retecta?
Gratemur, jam non dubitat: nam subdita Christo
Servit Roma Deo, cultus exosa priores.
800 Romam dico viros, quos mentem credimus Urbis
Non genium, cujus frustra simulatur imago.
Quanquam cur genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos genios? perque omnia membra
Urbis, perque locos, geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra?
Restat, ut et fatum similis dementia cunctis
Ædibus imponat: paries ut quisque sub astro
Fundatus, structusque suo, qua sorte maneret,
801 Quando autem rueret, primis acceperit horis.
Ascribunt saxis Lachesis male fortia fila,
Tectorumque trabes fusis pendere rotatis
Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis:
Ceu distet, cujus stellæ sit fraxinus ortu
Eruta, quæ summum conscenderet ardua culmen.
Denique nulla hominum res est, nulla actio mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem.
Quæ quia constituunt, dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis: aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, et inevitabile mergunt.

GLOSSÆ VETERES.

440. Gratemur, *pro gratulemur*, I.
445. Thermis, *balneis*. — Tabulis, *tabernis, loca tabularia*, I.
446. Membra, *mœnia*, I.
452. Acceperit, *quando natus fuit*, Iso.
453. Lachesis, *Lachesis, Cloto, Atropos, nomina sunt Fatorum: una colum tenet, alia trahit, tertia rumpit*, I.
457. Eruta, *diruta*, I.
460. Constituunt, *docent*, Iso.
461. Rubrica, *nomen legis, lex, linea cœmentariorum, quibus aspiciunt an sit recta ipsa maceries, an non; sed pro lege ponitur, aut judicio*, I.
462. Ferrea, *dura*, I.
463. Inevitabile, *scilicet supplicium*, I.

COMMENTARIUS.

441. Veteres sæpe hæc duo conjungebant *Christus Deus*, et sæpius id occurrit apud nostrum. Militare Christianorum sacramentum id refertur a Vegetio lib. II, cap. 5: *Jurant autem per Deum, et per Christum, et per Spiritum sanctum, et per majestatem imperatoriam, quæ secundum Deum generi humano diligenda et colenda est.* Quæ verba nonnulli male ita referunt: *Per Deum Christum, et Spiritum sanctum*, ut ad Prudentii verba accommodent. In inscriptionibus antiquis reperitur etiam hoc argumentum divinitatis Christi adversus Arianorum hæresim. Lupius epitaph. S. Severæ inscriptionem Græcam e museo Kirkeriano profert, ubi legitur *in Deo Domino Christo*. Vide etiam Gasparem Aloysium Odericum Syllog. Inscript. pag. 263 et seq., ubi tamen non bene hunc trahit hunc titulum ex cœmeterio S. Saturnini: ☧ PRIMA. VIVIS. IN. GLORIA. DEI. ET. IN. PACE. DOMINI. NOSTRI. ☧ Nam hic *Christus* non conjungitur cum Deo. Opportuniores sunt aliæ inscriptiones apud Georgium de Monogramm. Christi Domini cap. 4 OLYMPIODORE VIVAS IN DEO ☧. — HILARI VIVAS IN DEO ☧. — HIC IACET PERPETVVS IN CHRISTO DEO SVO.

444. De geniis veterum multi scripserunt: de quo argumento librum ab Emmanuele Navarro editum laudat Emmanuel Martinus lib. IV, epist. 10. Elmenhorstius in Arnobium pag. 14, Heraldus in Arnob um pag. 40, Lactantius lib. II, cap. 15, et ejus interpretes plura habent de geniis. Barthius lib. LII Adv., cap. 12 copiose disserit de geniis veterum, de horum in iis colendis religione, cultu, superstitione, de geniorum etymo, frequentia, habitibus, de geniis urbium, locorum, domorum, regionum, hominum, aliarum rerum. Affirmat gentilium opinionem qui omnibus locis et operibus suos tales dæmonas inesse autumabant, neminem scitius Prudentio confutasse luculento hoc carmine. Petavius tom. III, lib. II, cap. 6, theologice disserit de tutela et custodia, quam tum publice universorum, tum singulorum privatim suscipiunt angeli: quod de geniis ethnici communi consensu prædicabant. Genius Romæ in nummis sæpe dicitur *genius populi Romani*, et apud Ammianum *genius publicus*. Martialis lib. VI, epigr. mihi 41, acute dixit: *Victurus genium debet habere liber*: nunc dicere possumus *angelum custodem*. Vide Censorinum de Die natali.

445. Rat. et Iso minus bene, *tabulis soleatis*.

446. *Membra Urbis* etiam dixit Ammianus lib. XVI: *Deinde intra septem montium culmina per acclivitates, planitiemque posita urbis membra collustrans*, etc. Non autem sunt mœnia, ut ait Iso, sed partes Urbis.

447. Mariettus hoc loco advertit in Rat. semper scribi *milia* uno *l*, quæ recta est scribendi ratio, et multis magis placet quam *millia*.

449. Ald., non recte, *similis clementia*.

452. Pal. scribit *oris* pro *horis*.

453. In glossa hexametrum invenio, si verba recte legantur et trajiciantur: *Una colum retinet, trahit altera, tertia rumpit*.

454. Ald. non bene, *rectorumque trabes*.

455. Tigillum, a *tego* et *tignum*, est trabs cui tectum imponitur.

456. Vat. A, corrupte, *cujus stillæ*. Ald., Alex., *hortu*: scribendum *ortu*.

458. Petavius lib. III de Opif., cap. 7, optime a Prudentio his versibus expressum ait, quod fati necessitas libertati humanæ voluntatis adversetur, etsi hanc ad volendum adigat. Nam voluntatem ad volendum necessitate compelli, gentiles affirmabant.

461. Leges *rubricas* appellari, jam multi notarunt vel ex hoc Prudentii versu. Persius sat. 5, vers. 90: *Excepto si quid Masuri rubrica notavit.* Juvenalis sat. 14, vers. 191: *Perlege rubras Majorum leges.* Scilicet rubrica, quæ herba est minio proxima, leges scribebantur. Hinc rubricarum nomen in libris ritualibus. Hermanus Hugo de prima Origine scribendi pag. 103, cap. 12, docet imperatoribus valde familiare fuisse encausto scribere, et ob hanc causam fere omnia juris capita fuisse miniata, id quod fiebat cum majestatis tum etiam terroris causa, ut nempe legibus sinopide, aut cinnabari notatis, et sanguineum quiddam ac cruentum minantibus majestas accresceret: quod his versibus insinuat Prudentius. Cur autem *minari* lex dicatur, vide comment. ad vers. 179, *Lex armata sedet*. De sanctione qua pœna irrogatur, vide Ant. Augustinum de Legib.

463. Vat. A, Gis., *ad facinus cogunt*. Scripti Heinsiani et nostri cum Weitzio et Aldo, *cogunt ad facinus*.

Naturam, quamvis perflabilis illa feratur
More noti: capiam tamen, et tormenta adhibebo
Ipse incorporeus, ac spirituum sator unus.
Quin et corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam: possum quoniam renovare favillas
Antiquam in faciem; nec desperanda potestas.
Qui potui formare novum, reparabo peremptum.
780 Non desunt exempla meæ virtutis: in ipsis
Seminibus natura docet revirescere cuncta
Post obitum: siccantur enim pereunte vigore,
Quo vixere prius, tunc sicca, et mortua sulcis,
Aut foveis mandata latent, et more sepulcri
Obruta, de tumulis redivivo germine surgunt.
Nunquid nosse potes, vel conjectare, quis istud
Tam solers opifex struat? aut quæ vis agat intus?
Nil vos, o miseri, physicorum dogmata fallant.
En ego gignendi dominus, ac restituendi,
Quod periit, fluxitque, potens: arentia quæque
In veteres formas aut flore, aut fronde reduco.
Idque ipsum quandoque homini facturus, inani
Surgat ut ex cinere, structuraque pristina constet:
Quæ mihi pro meritis vel per tormenta rependat
Crimina, vel summæ virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc, quacunque in sorte manebit.
Interea, dum mixta viget substantia in unum,
Sit memor auctoris proprii, veneretur, et oret
781 Artificem submissa suum; non condidit alter
Halantis animæ figmentum, et corporis alter:
Nec bona præsentis vitæ numerosa gubernant
Numina. Non alius segetes, et spicea farra
Suppeditat Deus: aut alius dat musta racemis,
Purpureumque gravi fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, virides oleas pinguescere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui lucinas tribuo nascentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera sexus
Gignere amat sobolem, generisque propagine gaudet:

GLOSSÆ VETERES.

188. Naturam, *animam*, Iso.
189. Noti, *venti*, I.
194. Peremptum, *mortuum*, I
197. Siccantur, *semina*. — Vigore, *humore*, I.
198. Quo, *vigore*, I.
202. Solers, *sapiens*. — Agat, *vivat*, *ducat*, I.
203. Physicorum, *naturas rerum tractantium*, I.
209. Mihi, *a me*. — Rependat, *persolvat*, I.
211. Quacunque, *aut ad bonum*, *aut ad malum*, I.
212. Viget, *vivit*. — Substantia, *corporis et animæ*, I.
215. Halantis, *spirantis*, I.
216. Numerosa, *multa*, I.
218. Suppeditat, *subministrat*, I.
219. Gravi, *onerato*, I.
221. Graia, *Græca*. — Pallade, *Minerva*, I.
222. Lucinas, *natales*, *a luce*, *in lucem venientes*, I. *Lucidas*, Mar.
224. Sobolem, *filios*, I.

COMMENTARIUS.

188. Alicubi, *perstabilis*, perperam, pro *perflabilis*.

189. In Rat. videtur fuisse *adhibentur*, recenti manu factum *adhibebo*.

190. In Thuan., *spirituus*, quod Heinsius affirmat esse pro *spiritibus*. Ego puto mendum pro *spirituum*.

191. Ald., *parili consortia pœna*.

192. Advertit Mariettus sumi *favillas* pro cinere, in quo permixtæ latere solent: nam infra ait poeta *surgat et ex cinere*. Alibi a nobis notatum, cinerem et favillam accipi pro quovis minuto pulvere, in quem corpora defunctorum etiam non combusta rediguntur.

193. Mar. scribit *disperanda*.

194. Aldus male distinguit: *Qui potui formare*, *novum reparabo peremptum*. De resurrectione consimilia alii dixerunt. Lactantius lib. VII, cap. 23: *Si a principio Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instituit; credamus, ab eodem restitui veterem posse, qui novum fecit*. Minucius in Octavio: *Cæterum quis tam stultus aut brutus est ut audeat repugnare, hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum, et ante obitum nihil fuisse: sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari?* Exemplum etiam seminum, quæ non nisi corrupta revirescunt, profert Minucius. Innumeri alii idem argumentum versant. Vide Cath. hymn. 10, vers. 121.

203. Ald., Alex., *ne vos*. Alii, *nil vos*. Egm. et Pal., *ad vos*: opinatur Heinsius *at vos*. Teolius ita distinguit, *nil vos, o miseri; physicorum dogmata fallant*, nisi forte erravit typographus, quod libenter credo. Barthius lib. XI Adv., cap. 21, admonuit a Prudentio *physicos* vocari gnaros scientiæ naturalium rerum, medicos ad extremum hoc nomine vocatos.

205. Ald., Gis. 1 ed., Gall. cum vett. edd., *siccissima quæque*.

206. Ald. contra metrum, *aut flores*.

209. Gifan. in PROMERITA, ut jam dixi, Alex., Urb., *promeritis*, conjunctim. Egm. depravate, *reprendat*.

213. Sich. ita verba in hoc et seq. versu trajicit, *Sit memor artificis proprii, veneretur, et oret Auctorem submissa suum*.

216. Mar. perperam a prima manu, *gubernat*.

218. Mar., *ast*: ita Rat., sed pro div. script. *aut*. Weitzius etiam *ast*, quod tenent Alex. et Urb.; sed in Alex. videtur præterea esse *aut*. Gis., Heins. et recentiores, *aut*. Ald., Torn. et alii vulgati, *haud*, quod solum probat Gallandius.

220. Oseæ II, 8: *Et hæc nescivit*, *quia ego dedi ei frumentum*, *et vinum*, *et oleum*, etc.

222. Juno *Lucina* dicebatur, quia partui præesse credebatur, a *luce vitali*. Diana quoque *Lucina* simili de causa vocabatur. Turnebus, Advers. num. 590, horas lucis et vitæ a Prudentio *lucinas* appellatas ait esse *ipsa novitate admirandum et insigne*. Salmasius, pag. 66 in Ælium Spartianum, ait *lucinas* dici, ut *colossum* pro *colosseum*, *aurus* pro *aureus*, *electrum* pro *electreum*, et similia. Sicut non Pallas, sed Deus oleum hominibus præstat, sic Deus ipse, non Juno, nascentibus horas lucis tribuit.

224. Rat., Mar. a prima manu, Widm. a prima manu, Bong. a secunda manu, Weitz., *gignere habet*. Ald., Gis., Heinsiani, Alex., Urb., Vat. A, *gignere amat*.

Quem vos lascivis violatis amoribus ignem, A
Et stupra vestra deæ Veneris prætexitis umbra.
Unus ego hæc elementa rego, nec mole laboris,
782 Ut miser, infirmusve aliquis fragilisve fatigor.
Lux immensa mihi est, et non resolubilis ætas,
Sensibus et vestris haud intellecta vetustas.
Inde ministeriis ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes, sociosve requiro.
Porro autem angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nosse meum est, et quæ natura creatis
Subsistat, qualesque mihi serventur ad usus.
Tu, me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parere meis virtutibus, ut me B
783 Per varias partes minuas : cui nulla recidi
Pars, aut forma potest : quia sum substantia simplex,
Nec pars esse queo. Solis divisio rebus
Compositis, factisque subest : me nemo creavit,
Ut scindi valeam, cunctorum Conditor unus.
Crede, quod ex nihilo formavi, pars mea non est,
Quare age, mortalis, soli mihi construe templum,
Meque unum venerare Deum, cæmenta remitto,
Et quæ saxa Paros secat, et quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaque Synna.
Nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum.
Templum mentis amo, non marmoris : aurea in illo

GLOSSÆ VETERES.

225. Ignem, *amorem; minna*, I.
226. Umbra, *adumbratione*, I.
230. Vetustas, *æternitas*, I.
231. Inde, *deinde*, I.
234. Creatis, *rebus*, I.
236. Tu, *o Symmache*.— Præterito, *neglecto, prætermisso, derelicto*. — Numina mille, *dicebant namque hæretici, Symmachus et alii, unum tantum esse summum Deum, qui imperat terræ, mari et cæteris elementis*, I.
237. Parere, *splendere : pareo, ex quo appareo*, I.
238. Cui, *mihi*, I.
244. Age, *adverbium, o homo*, I.
246. Paros, *insula, ubi invenitur parius lapis candidissimus*. — Punica, *Africana*, I.
247. Lacedæmon, *mons*. — Synna, *civitas, ubi nascitur marmor varii coloris*, I.
248. Ostrum, *purpuram*, Iso.
249. Aurea, *colorem auri habentia*, I.

COMMENTARIUS.

225. De voce glossæ *minna* dictum ad vers. 117, lib. I.
227. Alex., Egm., Widm., Bong., Weitz., scripti Heinsiani, Sich., Vat. A, Mar., Rat., *Unus ego elementa*. Gis. 1 ed., Urb., Cauch., *Unus ego hæc elementa*. Gis. in textu 2 ed., Fabr. *unus ego ipse elementa*. Weitzius non bene allegat Aldum pro sua lectione : ediderat quidem Aldus *unus ego elementa*, sed emendavit *unus ego hæc elementa*. Non placet hiatum cum Heinsio et recentioribus toties admittere.
228. In vulg., *aut miser*, male.
229. Jureti codex, Ald., Egm., Pal., scripti apud Heinsium, excepto altero Rott., Alex., Urb., Vat. A, *et non resolubilis ætas*. Mar., Rat., Gis., Weitz., *nec morte solubilis ætas*.
231. *Ministeria* pro ipsis *ministris*.
234. Oxon., *et quam natura creatis*.
235. Vat. A, *servatur ad usus*.
236. Jureti codex *nomina mille* minus bene. Isonis interpretatio non placet : nam Prudentius ait, a Symmacho unum verum Deum præteriri, et numina mille fingi, in quæ virtutes Dei divideret, adeoque Deum ipsum per varias partes minueret. Non ergo Symmachus aiebat plura illa numina uni Deo esse subjecta, aut unius simplicis Dei esse virtutes, quod putare videtur Cudworthus, de quo supra ad vers. 58. Sed Prudentius arguit omnia illa commentitia numina non esse vere numina, sed esse virtutes unius Dei, qui simplex est, neque in varias partes scindi potest. Virtutes autem Dei non sunt reipsa plures, sed, ut cum theologis loquar, virtualiter tantum aut formaliter inter se distinguuntur. Summa argumenti hæc est : Divinitas una est, simplex, indivisibilis, non ergo plura sunt numina inter se divisa, adeoque virtutes illæ quas deas vocant gentiles non debent coli tanquam numina diversa, sed unus colendus est Deus, qui virtutum omnium caput et fons est. Petavius tom. I, lib. II, cap. 2, paulo aliter errorem gentilium explicat, dum simplicitatem divinæ naturæ ex hoc loco astruit : *Prudentius hanc ipsam theologicam rationem poetico lepore condivit in secundo libro contra Symmachum, ubi gentilium castigat inscitiam, qui virtutes Dei varias minutatim ac separatim colebant, quasi partes illius : Tu me præterito*, etc.
237. Widm. supra, *simulas*. Hoc loco *parere* non est obedire, subjici, quæ secunda est significatio verbi *pareo*. Iso ait *splendere*; sed proprie est inesse, adesse, præsto esse, ex qua prima significatione verbi *pareo* oritur altera obediendi. Symmachus ergo simulabat seu fingebat, numina inter se distincta virtutibus divinis, quæ vere distinctæ non sunt, inesse, sive eis divinitatem divisam inhærere Sed, ut dixi, varia erat gentilium theologia.
242. Rat. perperam, *valeat*, a prima manu.
243. In Rat. hic versus et tres alii seqq. recenti manu sunt descripti.
245. Jureti codex *cæmenta remitte*.
246. Egm., Jureti codex, *rupis*, more antiquo, ut alibi *famis, luis*. De luxuria veterum in marmoribus vide Savaronem ad Sidonium, pag. 109. Prudentius quinque marmorum genera recenset, *Parium* candidum, *Punicum* flavum, *Synnadicum* maculis distinctum, *Lacedæmonium* viride, et *Ægyptium* purpureum, quod poetice vocat *nativum scopuli ostrum :* quo intelligitur porphyrites, cujus nominis causa, quod *rubeat ut purpura*, ait Isidorus lib. XVI Orig., cap. 5, D quem vide, uti etiam Plinium lib. XXXVI, a cap. 5 usque ad 8. Diversa marmorum genera Statius in Silvis passim describit. Easdem marmorum species exstare adhuc in templorum ornamentis Romæ et Senis jam pridem observavit Fabricius, et mirantur exteri.
247. Aldus, ne postrema in *Lacedæmon* brevis efferretur, versum licenter mutavit, *Quæ maculosa tenet Synna, et viridis Lacedæmon*. In Urb., *Et quæ viridis Lacedæmon habet*, abundat *et*. Rat., *quæ viridis Lacedæmon habes*. Alii scribunt *Synna*. alii *Sinna*. Heinsius ait, omnino scribendum *Synnas*, ut habet cum Cauchio pro div. script. Thuan. Martialis quidem, et Juvenalis *Synnas* dicunt, sed non video cur non possit utroque modo dici, ut in aliis nominibus propriis, præsertim e Græco petitis, accidit. Iso ait Lacedæmonem esse montem : cur non potius urbs Peloponnesi, Menelai regia?
248. Vat. A, corrupte *decidet ostrum*.
249. Hæretici hæc aliaque similia verba avide ar-

784 Fundamenta manent fidei : structura nivali
Consurgit pietate nitens ; tegit ardua culmen
Justitia interius : spargit sola picta rubenti
Flore pudicitia : pudor almus et atria servat.
Hæc domus apta mihi est, hæc me pulcherrima sedes
Accipit, æterno, cœlestique hospite digna.
Nec novus hic locus est : fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei : Deus illustravit alumnam
Materiem, corpusque parens habitabile fecit
Ipse sibi, placito ut posset requiescere templo.
Condideram perfectum hominem, spectare superna
Mandaram, totis conversum sensibus in me
Recto habitu, celsoque situ, et sublime tuentem :
Sed despexit humum, seque inclinavit ad orbis
785 Divitias, pepulitque meum de pectore numen.
Restituendus erat mihimet : submissus in illum
Spiritus ipse meus descendit, et edita limo
Viscera divinis virtutibus informavit.
Jamque hominem assumptum summus Deus in deitatem
Transtulit, ac nostro docuit recalescere cultu.
Scire velim, præcepta Patris quibus auribus hæc tu
Accipias, Italæ censor doctissime gentis.
An veterem tantum morem ratione relicta
Eligis, et dici id patitur sapientis acumen,
Ingeniumque viri? Potior mihi pristinus est mos,
Quam via justitiæ ; pietas quam prodita cœlo,
Quamque fides veri, rectæ quam regula sectæ.
786 Si, quidquid rudibus mundi nascentis in annis
Mos habuit, sancte colere, ac servare necesse est,

GLOSSÆ VETERES.

251. Consurgit, *in illo*. — Pietate, *sanctitate*, I.
252. Sola, *pavimenta*, I.
253. Pudor, *castitas*, I.
256. Gloria, *divinitas*, *filius Mariæ virginis*, I.
257. Alumnam, *nutricem*, I.
258. Parens, *pater*, *creator*, I.
261. Viribus, *sensibus*, I.
267. Informavit, *docuit*. I.
270. Tu, *apostrophe ad Symmachum*, I.
271. Censor, *judex*, I.
274. Potior, *ex persona Symmachi*, Rat.
275. Pietas, *deitas*. — Prodita, *manifestata*, I.
277. Rudibus, *novis*, I.

COMMENTARIUS.

ripiunt, ut contra ornatum cultumque templorum declament. At quam inepte? Ex Prudentio enim potius arguitur, bene hæc duo cohærere, quod præcipue templum mentis amet Deus, et quod nihilominus honestum sanctumque sit templa marmoribus auroque ornare, siquidem Prudentius idem sæpius meminit cum laude marmorum et divitiarum, quibus templa Christianorum splendebant, ut cernere licet in hymnis S. Eulaliæ, S. Hippolyti, et SS. Apostolorum Petri et Pauli.

252. Ald. male interpungit *Justitia* : *interius spargit : sola picta rubenti*, etc. Gifanius in *e breve* legit, et distinguit *interius spargit sola picta rubenti Flore pudicitia : pudor almus et atria servat* ex vet. cod. opt., quod elegantissimum dicit. Et in Alex. quidem est *pudicitia*, et Prudentianum est brevem sæpe ratione cæsuræ producere. Alii plerique legunt et distinguunt *interius spargit sola picta rubenti Flore pudicitiæ pudor almus, et atria servat*. Concinnior est lectio Gif. et Alex. Multi distinguunt *justitia : interius*.

257. Ald., Fabr. *ut lux*; melius *et lux*.

258. Ald., Vat. A, Mar. et, ut videtur, factum a secunda manu, Alex., *corpusque parans*. Vat. A, Egm., Widm. ad oram, *dubitabile*, minus bene pro *habitabile*.

259. Rat. a prima manu male, *poscit*. Item supra, Alex., Urb., *possit*, quod Weitz., Heins. aliique recentiores tenuerunt. Alii, etiam Giselinus, *posset*, neque discrepantiam scripturæ Heinsius observavit. Quod Teolius *placido* pro *placito* ediderit, mendum puto, non lectionis varietatem.

260. Eamdem sententiam præter Ovidium et Juvenalem Minucius in Octavio exponit.

261. Weitzius cum Widm. ad oram, Gis., Fabr., *viribus* pro *sensibus*, minus bene. Glossa potius est diversa lectio.

262. Widm. supra, *sublime tuendum*.

263. Fabr., *respexit humum*. Alii, *despexit* vel *dispexit*, ut scribunt Egm., Pal., Oxon. Hucusque habet Marietti exemplar, *Omnium*, inquit ipse, *optimum, et correctissimum, quæ hucusque viderim*.

265. De homine loquitur, ad quem reparandum missus est Filius Dei.

266. Exprimit verba angeli ad Mariam Lucæ I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Ita exponit : INFORMAVIT, *docuit*. At hic sermo est de visceribus limo editis, seu de corpore, quod Filius Dei assumpsit; vel intelligi etiam potest poni a Prudentio pro illis verbis : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Verbum Dei a Prudentio aliisque interdum *Spiritum* vocari, quia emanat a Patre, alibi a nobis notatum. Explicatio verborum Lucæ similis huic Prudentianæ a multis veteribus traditur, ut a Justino martyre, Tertulliano, Ambrosio, Hilario, quos nonnulli recentiores sequuntur. Aiunt hæc verba *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* repetitionem esse præcedentium, et utrisque significari, Spiritum, Dei Filium, in Virginem descendisse eamque obumbrasse. Consule Comment. Calmeti. Prudentius in Dittoch. vers. 99 simili modo : *Sanctus te Spiritus, inquit, Implebit, Maria : Christum paries, sacra virgo*.

268. Hanc locutionem *hominem assumptum* alibi defendimus.

270. In Vat. A desideratur vox *Patris*.

272. Ald., Alex., *veterum tantum morem*. Antea, vers. 69, similis occurrit varietas : *Allegat morem veterum* seu *veterem*. Bong. et Widm. a prima manu *tantummodo rem*, minus bene, pro *tantum morem*. In editione Basileensi 1540 lego etiam *tantummodo rem*, neque Sichardus aliam scripturam margini apposuit, ut solet. Becmannus, cap. 6 Manuduct. ad ling. Lat., non videtur aliam lectionem in editis observasse : nam ex ms. suo verius corrigendum ait *an veterem tantum morem*.

273. Heinsius cum Thuan. omittit et omittendum ait *id* post *dici*. Mihi non videtur supervacaneum esse *dici id patitur*, quamvis recentior s Heinsio adhæreant.

276. Post hunc versum verba Symmachi hæc solent inserseri : *Suus cuique mos, suus cuique ritus est. Jam si longa ætas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot sæculis fides, et sequendi sunt nobis parentes, qui feliciter secuti sunt suos*. Vat. A incipit *Jam si longa ætas*. Rat., *Suus cuique mos, suum cuique jus est*. Ita etiam Sichardus. Vat. A, *sunt nobis feliciter parentes*. Rat., *sunt parentes*.

Omne revolvamus sua per vestigia sæclum A
Usque ad principium: placeat damnare gradatim,
Quidquid posterius successor repperit usus.
Orbe novo nulli subigebant arva coloni.
Quid sibi aratra volunt? quid cura superflua [rastri?
Ilignis melius saturatur glandibus alvus.
Primi homines cuneis scindebant fissile lignum:
Decoquat in massam fervens strictura secures
Rursus, et ad proprium restillet vena metallum.
Induvias cæsæ pecudes, et frigida parvas
787 Præbebat spelunca domos: redeamus [ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi, feritate subacta
Edomiti, jam triste fremant, iterumque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recur- [rant.
Præcipitet Scythica juvenis pietate vietum
788 Votivo de ponte patrem: sic mos fuit [olim.
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,

GLOSSÆ VETERES.

279. Vestigia, *per singula*, I.
280. Damnare, *derelinquere*. — Gradatim, *per ordinem, paulatim*, Iso.
281. Posterius, *postea*. — Repperit, *usque huc*, I. B
282. Subigebant, *fodiebant, arabant*, I.
284. Ilignis, *quernis, ab ilice*, I.
286. Strictura, *massa ferri calidi*, I.
287. Restillet, *reliquetur*, I.
288. Induvias, *indumenta*. — Cæsæ pecudes, *pelles*, I.
291. Immanes, *feroces*. — Feritate, *populi*. — Subacta, *superata*, I.
292. Triste, *adverbium*. — Ferinos, *quia singuli sicut feræ tunc habitabant*, I.
293. Prisca, *opera*, I.
294. Scythica, *Scythia regio est in qua filii patres de collibus vel de pontibus altis in mare præcipitabant, præveniendo mortem illorum, puta* (forte *putando*) *pietatem esse; vel etiam comedebant, præstando eis tam pia sepulcra*. — Vietum, *senem unumquemque, viribus privatum*, I.
295. Votivo, *quia voluntas patris erat*, I.

COMMENTARIUS.

279. Ex Virgilio Georg. II, vers. 402: *Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*

281. Cicero I Acad. Quæst., *Recentissima quæque sunt correcta et emendata maxime*. Virgilius, II Georg., vers. 22, *Ipse via sibi repperit usus.*

282. Itidem ex Virgilio I Georg., *Ante Jovem nulli subigebant arva coloni*. Vocat *orbem novum*, ut vers. 338 et seq., *terras recentes, vacuum orbem.*

283. Chamillardus advertit poetas hoc vocabulo *rastrum* uti pro instrumento fossorio, imo Plinium et alios. Sic etiam Suetonius in Nerone: *Primus rastello humum effodit*. Vide comment. ad vers. 639 lib. I. C

284. Glandes dicuntur *quernæ* a quercu, *ilignæ* ab ilice. De *quernis* Virgilius, de *ilignis* Horatius satira 4, lib. I, *Umber et iligna nutritus glande*. Glandibus primos homines vesci solitos, passim veteres narrant.

285. Hoc etiam ex Virgilio I Georg., *Nam primi cuneis scindebant fissile lignum*. Prudentius Symmachum coarguit adducta narratione moris veteris, qualem gentiles ipsi describebant; cum tamen constaret, prudenter homines ab illo recessisse.

286. Virgilius lib. VIII, *Stricturæ chalybum*. Vide glossas. Vat. A et Jureti codex, *securim* pro *secures*.

288. Egm., *indubias*; corrige *induvias*. E Lucretio lib. V et Juvenali sat. 6 hæc repetita sunt. Lucretius: *Sic odium cepit glandis, sic illa relicta Strata cubilia sunt herbis et frondibus aucta. Pellis item cecidit, vestis contempta ferina est*. Juvenalis: *Cum frigida parvas Præberet spelunca domos*. Arnobius contra gentiles hoc idem argumentum promovebat lib. II: *Quid enim si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis, atque antiquissimis sæculis, quod inventis frugibus glandes spreverint et repudiaverint arbuta, quod corticibus contegi et amiciri desierint pellibus, postquam vestis excogitata est textilis, usu et commoditate succinctior, aut quod structis domibus et lautioribus successibus institutis, non antiquas adamaverint casulas, nec sub rupibus et cavernis præoptaverint, ut belluæ, permanere?* Vide Elmenhorstium ad hunc locum pag. 61.

290. Bong. *hirsutis*, sed adfuisse aliud, demonstrat rasura. Vat. A, *hircos* pro *hirtos*, mendose.

293. Vat. A, corrupte, *immemores redeant*.

294. Juretus monet lectionem cujusdam schedæ *Scythica juvenis feritate* deteriorem esse: nam ironice pietas hic nominatur, ut in fine libri Vestalium *pudor almus et expers sanguinis*. Vat. A scribit *Scythyca*, Rat. *Scithica*. Idem Rat. *vigetum* pro *vietum*, cum Bong., Widm., de quo alibi. Crudelitas Scytharum nota est: a parentibus vix, ac ne vix quidem abstinebant; eos certe jam defunctos devorabant. Duo hic quæri possunt, an vere Scythæ patres suos senes e ponte præcipitarent, et an hic mos aliquando apud Romanos invaluerit. De Scythis affirmat Fortunatianus lib. II Artis rhetoricæ: *Mos, ait, apud Scythas fuit, ut sexagenarii per pontem mitterentur. Scytha Athenis sexagenarium patrem per pontem dejecit: reus est parricidii. Hic enim se dicit gentis suæ more fecisse*. Romanis proverbium erat *Sexagenarios de ponte dejicere*. Festus narrat ex Manilio, sexagenarios olim e ponte dejici, quod aborigines, qui primi Romam incoluerint, hominem sexagenarium immolare quotannis Diti patri soliti fuerint; postea institutum, ut scirpeæ hominum effigies de ponte in Tiberim mitterentur. Addit ex aliis, post Urbem a Gallis captam ob inopiam cibatus, cœptos sexaginta annorum homines jaci in Tiberim. *Sed exploratissimum, inquit, illud est causæ, quo tempore primum per pontem cœperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi quam illi deligerent imperatorem: cujus sententiæ est etiam Sinnius Capito; vanam autem opinionem de ponte Tiberino confirmavit Afranius in Repudiato*. Videtur Festus negare vere e ponte in flumen sexagenarios fuisse dejectos: quod confirmant alii ex Varrone apud Nonium Marcellum. Prudentius innuit sexagenarios e ponte, in quo ferebantur suffragia (nam ab ecclesiasticis scriptoribus suffragia *vota* dicuntur, unde *pons votivus*) in fluvium fuisse præcipitatos, et respexit ad illud Ovidii V Fast.: D *Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli, Pontibus infirmos præcipitasse senes*. Ovidius aliam refert et sequitur opinionem.

296. De infantibus, qui Saturno propter odium Jovis immolabantur, legendus est Lactantius lib. I, cap. 21, Tertullianus in Apolog., aliique. Arnobius lib. II: *Ante adventum in Italiam Herculis cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus supplicaretur, et hunc similiter morem non fraude callidula, et nominum ambiguitate mutastis?* Hoc sacrificium in nonnullis Africæ partibus peragi solitum plerique tradunt, nominatim Minucius, cujus commentatores plura de eo congerunt. Idolum Moloch, de quo sæpe mentio occurrit in sacris Litteris, cui Ammonitæ filios filiasque cremabant, idem est ac Saturnus, si Saturnus est sol, ut Servius et Macro-

Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo :
Sic tradunt habitasse Remum. Regalia feno
789 Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis ursæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent :
Talia Trinacrius ductor, vel Tuscus habebant.
Roma antiqua sibi non constat versa per ævum,
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis ;
A Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino :
790 Instituit quædam melius, nonnulla refugit,
Et morem variare suum non destitit, et, quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos, Romane senator,
Objectas, cum scita patrum, populique frequenter
Instabilis placiti sententia flexa novarit?

GLOSSÆ VETERES.

298. Texat, *tegat*, I.
300. Fulcra, *sedilia*. — Libystidis, *Africanæ*, I.
301. Villoso, *intonso*, I.
302. Talia, *scilicet indumenta*. — Trinacrius, *Siciliensis, vel Sicilius Acestes*. — Tuscus, *Evander*, I.
303. Constat, *non stabilis est*. — Ævum, *ætatem*, I.
304. Sacris, *cum sacris*, I.
305. Quirino, *Romulo, a Quirino monte*, I.
306. Nonnulla, *multa*. — Refugit, *vitavit*, I.
309. Ritus, *mores*. — Senator, *Symmache*, I.
310. Scita, *constituta, vel constitutiones*, I.

COMMENTARIUS.

bius docent : quanquam volunt aliqui, infantes in honorem Moloch non combustos, sed per ignem tantum traductos.

299. Prior Rott., *habuisse Remum :* et notat Heinsius *habuisse* esse pro *habitasse*. Potest etiam intelligi, *Sic tradunt Remum habuisse casam*. *Remus* pro Romulo ponitur, ut apud Propertium lib. II, el. 1 : *Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim Unus erat fratrum maxima regna focus*. Certe apud poetas non raro Remus pro Romulo accipitur, et alii qui soluta oratione scribunt, non Remi, sed Romuli casam dicunt. Veteres de hac *Romuli casa* sæpe mentionem injiciunt. Valerius Max. lib. IV, cap. 4 : *Per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, et æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos, juro*, etc. In Controversiis sub Senecæ Patris nomine lib. I, contr. 6 : *Inter hæc tam effusa mœnia nihil est humili casa nobilius*. Gothofredus legendum putat *Romuli casa nobilius*. Ejusdem meminerunt Ovidius lib. III Fast., Vitruvius lib. II, Seneca filius in Consol. ad Helviam cap. 9, Macrobius I Saturnal., Martialis lib. VIII. Barthius lib. XXII Advers., cap. 4, Prudentium ad Romuli casam allusisse confirmat, et S. Hieronymi verba e præfatione ad libros Didymi de Spiritu sancto profert : *Illico ego velut postliminio Hierosolymam sum reversus, et post Romuli casam, et ludorum Lupercalia diversorium Mariæ, et Salvatoris speluncam aspexi*. Allegat idem Barthius Tacitum Annalium XV de eadem casa : *Numæque regia, et delubrum Vestæ cum penatibus populi Romani exusta*. Verum quæram a Barthio, quo pacto Romuli casa tempore S. Hieronymi visebatur, si Neroniano incendio fuit combusta ; nam *penates populi Romani* explicat casam Romuli. Verius igitur puto, a Tacito intelligi templum penatium deorum, quos aiunt ab Ænea olim in Italiam advectos, nisi malis intelligere ipsos deos penates in templo Vestæ asservatos. Halicarnasseus lib. I de casa Romuli sic ait : *Vita autem erat eis* (Remo et Romulo) *pastoralis et operosa : in montibus sæpe ex lignis et arundinibus tuguria figentes, seipsos contegebant ; quorum etiam ætate mea unum superat in angulo ex palatio ad circum divertente* CASA ROMULI *dictum : quod adhuc custodiunt sacrum ii, quibus est horum cura, nihil illi magnificentius addentes, sed si laboret aliquid aut per hiemem, aut vetustate, quod reliquum est, munientes, et diruta, quantum possint, similia prioribus restituentes*.

300. Widm. scribit *Lybistridis*, Egm. *Libytidis*, Bong. *Lybistidis*. Virgilius lib. VIII : *Stratisque locavit Effultum foliis, et pelle Libystidis ursæ* ; et lib. V : *Horridus in jaculis, et pelle Libystidis ursæ*. Plinius lib. VIII, cap. 36, in Africa gigni ursos negat ; multi, etiam veteres, affirmant, sed nonnulli putant, *ursos Libycos et Numidicos* dictos a Romanis leones. Vide Ruæum ad lib. V Virgilii, vers. 37.

301. Ald., Pal., *villosam*. Egm., *vestent*, Pal., B *vestant*, mendose, pro *gestent*.

302. Rat., Gis., *habebat* ; plerique, *habebant*. Cellarius suspicatur hunc Tuscum esse Tyrrenum fratrem Lydi, de quo Velleius cap. 1. Melius Iso Evandrum intelligit : videtur enim Prudentius duos illos Virgilii versus comprehendere voluisse, quorum alter ad Evandrum, alter ad Acestem refertur. Cellarius ait, Evandrum cis Tiberim condidisse Pallanteum. Vere id quidem ; sed Tuscia vel Hetruria proxime trans Tiberim extendebatur, et ipse Tiberis Tuscus et Tyrrenus sæpe dicitur. Virgilius lib. X de militibus quos Æneæ Evander dedit, ait : *Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris Ænean, armetque rates*, etc. Evander inter alia Æneæ ostendit Janiculum lib. VIII : *Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem : Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen*. Mons autem Janiculus jam exstat in vetere Hetruria. Ex hujusce rei ignoratione doctissimi scriptores Historiæ litterariæ Hisp. fratres Mohedani difficultatem, quam in Vita Columellæ ipsi creaverant, non satis feliciter C explicuerunt. Tomo VIII, qui totus est de Columella, pag. 40 et seqq., quærunt cur Columella prædium Ceretanum in Hetruria, ubi nunc est oppidum *Cervetere*, possederit, cum ipse præscribat prædia debere esse vicina. Respondent Columellam duorum aut trium dierum itinere potuisse ad agrum Ceretanum se conferre. Putabant scilicet Hetruriam olim iisdem terminis contineri, quibus nunc ditio magni Hetruriæ ducis continetur. Alioquin Cere, sive sit *Cervetere*, aut *Cervetri*, sive, quod probabilius puto, *Ceri* (nam *Cervetri* Agyllam fuisse existimo), in Hetruria quidem veteri situm est, sed ab Urbe tantum viginti quinque millia passuum circiter distat.

303. Prior Rott., *Roma sibi antiqua :* suspicatur Heinsius *Roma sibi antiquum non constat versa per ævum*. Arnobius, lib. II : *Nam si mutare sententiam culpa est ulla vel crimen, et a veteribus institutis in alias res novas voluntatesque migrare, criminatio ista et ad vos spectat, qui toties vitam consuetudinemque* D *mutastis, qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione transistis*.

307. Vat. A, male, *morem servare*.

311. Rat., Weitz., Gis. ad marg. 1 ed., et in textu 2 ed., Sich., *in tabulis*, quod secutus est Heinsius, quin ullam variantem lectionem adnotaverit. Heinsio consonant recentiores. Ast Jureti codex, Alex., Urb., Ald. aliique, *instabilis placiti*, quod Jureto arridet : exprimitur enim inconstantia senatus populique Romani in retractandis legibus ac moribus. Simili modo Tertullianus in Apolog. cap. 4 : *Nonne et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem et squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus truncatis et cæditis?* Vide Theodosii novellam 2 de Invasoribus, et A. Gell. lib. ult. c. 1. In Egm., et Pal. est *novarat* pro *novarit*, in Alex. a prima manu mendose, *noverit*.

Nunc etiam, quoties solitis decedere prodest, A
Præteritosque habitus cultu damnare recenti,
Gaudemus compertum aliquid, tandemque retectum,
Quod latuit. Tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, et longo proficit usu.
Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo :
Sic variat natura vices. Infantia repit,
Infirmus titubat pueri gressusque, animusque:
Sanguine præcalido fervet nervosa juventa :
Mox stabilita venit maturi roboris ætas :
791 Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit mentem purgata senectus.
His genus humanum per dissona tempora duxit
Curriculis ævum mutabile : sic hebes inter
Primitias, mersumque solo, ceu quadrupes, egit. B
Mox tenerum docili ingenio, jamque artibus aptum
Noscendis, varia rerum novitate politum est.
Inde tumens vitiis, calidos adolevit in annos,
Donec decocto solidaret robore vires.
Tempus adest, ut jam sapiat divina serenæ
Mentis consilio, vivacius abdita solers
Quærere, et æternæ tandem invigilare saluti.
Quanquam si tantus amor est, et cura vetusti
792 Moris, et a prisco placet haud discedere ritu,
Exstat in antiquis exemplum nobile libris,
Jam tunc diluvii sub tempore, vel prius, uni
Inseruisse Deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras, vacuoque habitavit in orbe.
Unde genus ducit nostræ porrecta propago
Stirpis, et indigenæ pietatis jura reformat.
Sed, quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
Non multos coluisse deos, rarisque sacellis
Contentum, paucas posuisse in collibus aras.
Innumeros post deinde deos, virtute subactis

GLOSSÆ VETERES.

314. Retectum, *manifestum*, I.
318. Repit, *quia rectius non potest ambulare*, I.
320. Nervosa, *fortis*, I.
321. Maturi, *perfecti*, I.
323. Purgata, *purgatam habens mentem*, I.
324. His, *talibus*, I.
325. Curriculis, *volutionibus*.—Hebes, *imprudens*, I.
326. Primitias, *initia, in infantia*. — Ceu quadrupes, *quando et manibus, et pedibus repit, non rectus incedere valens*. — Egit, *ducit vivit*, I.
327. Jamque, *deinde*, I.
328. Politum, *nutritum*, I.
329. Calidos, *in juventute*. — Adolevit, *crevit*, I.
330. Decocto, *perfecto*. — Robore, *fortitudine*, I.
332. Vivacius, *perspicacius*. — Solers, *sagax*, I.
334. Si tantus, *tantum studium est*, I.
339. Vacuo, *lato*, I.
340. Porrecta, *extenta*, I.
341. Stirpis, *naturalis*, I.
343. Hectorei, *Romani*, I.
344. Sacellis, *templis*, I.
346. Virtute, *Romanorum*, I.

COMMENTARIUS.

313. Juretus videtur non observasse emendationem Giselini, qui ediderat quidem *damnare retenti*, sed in addendis correxit *damnare recenti*. Heinsius simili errore edidit *retenti*, nec correxit.

316. Elmenhorstius in Arnobium pag. 45 plura de his ad verba Arnobii *Pauperrimæ necessitatis inventa* ex Columella, Virgilio, Lucretio.

318. Hæc omnia mutuatus videtur Prudentius a Lucretio lib. III, vers. 446 et seqq.

322. Prior Rott., *consilii melior*, quod eleganter dictum ait Heinsius, quomodo sæpe utitur Silius Italicus. Mihi elegantius videtur *consiliis melior, sed viribus ægra*.

324. Rat., Gis. ad oram, Weitz., *fluxit*. Alex., Urb., Vat. A et plerique alii, *duxit*, scilicet *ævum*,

325. Ita Alex., Urb., Widm., Weitz.. Gis., uterque Bober., Heins. et alii. Aldus, Vat. A, Bong. a prima manu, Fabr., Rat. a manu recenti, erasis prioribus, *sic hebes inter Primitias, mersumque solo titubavit, et instar Quadrupedis pueri lactantia viscera traxit*. In Aldo est *versumque* pro *mersumque*. Teolius ait Heinsium hæc ut superflua resecuisse; sed resecuerat antea Giselinus, et post Giselinum Weitzius. Giselinus vero prolixius, sed non omnino male in impressis ita legi monuit. Egmondanum pro nostra lectione stare affirmat Weitzius, negat Heinsius, qui melius inspexit.

326. Alludit ad ænigma Sphingis, quod solvit Œdipus. Vide Hyginum fab. 77, et Palæphatum lib. I, cap. de Sphinge. Ænigma erat quodnam esset animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes. Œdipus hominem esse interpretatus est.

327. Ald., perperam, *artibus aptus*.

330. Virgilius II Æneid., *Solidæque suo stant robore vires*.

334. Sich., Gis. ad oram in utraque editione, Widm. a prima manu, Bong., Weitz., Alex., Urb., Heinsius cum plerisque suis, *si tantus amor est*. Et C videtur ex Virgilio II Æn. sumptum, *Sed si tantus amor casus cognoscere nostros*. Ald., Torn., princeps Bober., prior Rott., Egm., *si tantum studium est*, quæ est Isonis glossa. Gronovius, cap. 5 Observat. eccles. in mss., legi fatetur *quanquam si tantus amor est*, sed suspicatur legendum *si tibi tantus amor*, quia aliud est vitium metri inexcusabile, et nunquam a Prudentio profectum. Verum jam observavi et aliis poetis frequens esse brevem syllabam ob cæsuram producere, et hoc ipsum Prudentio esse valde familiare : neque oportuit Gronovium hujus rei esse inscium.

335. Thuan., *ut a prisco*, male.

339. Virgilius I Georg., vers. 62: *Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem*.

340. Ald., *nostræ ducit*.

341. In Rat. a prima manu, *indigæ;* sed glossa *inde genitæ* indicat mendum.

343. Tertullianus Apolog. cap. 25 : *Nam etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris, aut templis res divina apud Romanos* D *constabat. Frugi religio, et pauperes ritus, et nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, et vasa adhuc samia, et nidor ex illis, et deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Tuscorum fingendis simulacris Urbem inundaverant.* Adde S. Augustinum de Civit. Dei cap. 12, lib. III, et cap. 31, lib. IV.

345. Rat., *concentum;* recte supra, *contentum*. Gis. ad oram, *paucis*. Observat Chamillardus ex Melanthe et Apollonio veteres solitos suis numinibus, præsertim Jovi, templa in sublimibus locis exstruere. Jovis Latiaris templum in monte Albano fuit collocatum : ejus rudera vidimus. Mazochius tom. I Spicil., pag. 67, *excelsa* in sacris Litteris idola appellari ait ab excelsa statura excelsoque loco, et originem repetit a turri Babel.

346. Ald., *post inde*. Minucius : *Inde adeo per uni-*

793 Urbibus, et claris peperit sibi Roma triumphis, A
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum, venerans ceu numina, vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi:
Illud ab incensis in prædam sumpsit Athenis.
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies: quasdam, domitis Ammonis arenis,
Syrtica cornutas facies habuere tropæa.
Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plausibus excepit, toties altaria divum
Addidit, et spoliis sibimet nova numina fecit:
794 Numina, quæ, patriis cum mœnibus eruta, nullum
Præsidium potuere suis afferre sacellis.
Cernis, ut antiqui semper vestigia moris
Gressibus incertis varie titubasse probentur,
Asciscendo deos majoribus incompertos,
Seque peregrina sub relligione dicasse,
Nec ritus servasse suos? Quodcunque sacrorum est,
Exsulat, externumque inimicam venit in Urbem.
795 Frustra igitur solitis, prava observatio, inhæres.
Non est mos patrius, quem diligis, improba: non est.
At solers orator ait, fataliter Urbem

GLOSSÆ VETERES.

351. Signum, *simulacrum*. — Bimaris, *propter duo maria, quibus cingitur*. — De strage, *sicut Numenius fecit*, I.

352. Athenis, *Græcis*, I.

353. Canini, *Anubis*, *Mercurii. Mercurius capite canino depingitur propter prudentiam sermonis, et cane* B *nihil est sagacius*, I.

354. Ammonis, *Jovis*, I.

355. Syrtica, *arenosa*. — Cornutas, *propter Jovem, qui cornutus erat*, I.

361. Ut, *quomodo*, I.

363. Majoribus, *patribus*. — Incompertos, *ignotos*, I.

COMMENTARIUS.

versa imperia, provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, et deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Martem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astartem Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, universa Romanos. Tertullianus cap. 10 Apolog.: *Nec ego per singulos decurram, tot ac tantos, novos, veteres, barbaros, Græcos, Romanos, peregrinos, captivos, adoptivos, proprios; communes, masculos, feminas, rusticos, urbanos, nauticos, militares*. Vide lib. I, vers. 180 seqq., et de iis qui texunt catalogos deorum municipalium, Sirmondum ad Sidonium pag. 138.

347. Egm., Widm. supra, *viribus*, non bene, pro *urbibus*. Ald., Egm., Widm. supra, Gis., Rat., *ex claris*; melius *et claris*. C

351. Corinthum *bimarem* appellant Horatius, Ovidius, Sidonius et alii, quod inter duo maria, Ionium et Ægeum, sita sit: quod epitheton ex simili alio Græcorum Mureto in libris Var. lect. videtur factum. L. Mummius Corinthum evertit: de qua strage Florus lib. II, cap. 26, ubi narrat, Corinthium æs inde avectum et nominatum: *Quia incendio permixtis plurimis statuis atque simulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere*. Isidorus lib. XVI Orig., cap. 20, id evenisse ait cum Corinthum Hannibal cepit: sed μνημονικὸν ἁμάρτημα, id est Hannibalem pro L. Mummio posuit. In glossa *Numenius* mendum pro *Mummius*.

352. Sylla Athenas expugnavit, unde columnas templi Jovis Olympii Capitolinis ædibus advexit. Plinius lib. XXXVI, cap. 6, Plutarchus in ejus Vita.

355. De Nasamonibus, gente Syrtica, id intelligi vult Chamillardus, de quibus Curtius lib. IV, sect. 29: *Incolæ nemoris, quos Ammonios vocant, dispersis tuguriis habitant*. D

358. Hæc *nova* numina videntur esse dii *novensiles* ex Cincii sententia apud Arnobium lib. III: *Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis..... Cincius numina peregrina* NOVITATE EX IPSA *appellata pronuntiat. Nam solere Romanos deos omnes urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare; ac ne aliquid deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, brevitatis et compendii causa uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari*. Alias aliorum de Novensilibus opiniones refert et irridet Arnobius. Tertullianus, laudatus ad vers. 346, etiam *deos novos* commemorat. Tullius lib. II de Legibus ait: *Separatim nemo habessit deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice ascitos, privatim colunto*.

359. S. Augustinus lib. III, cap. 12, de Civit. Dei, et lib. IV, cap. 31, hac eadem ratione deorum gentilium impotentiam ostendit.

364. Notat hoc loco Mariettus (neque a nobis omittendum est) in Rat. semper scribi *relligione* duplici *ll*. Nonnulli putant non rite id fieri, etiamsi syllaba alio quin brevis producenda sit. Ego autem censeo veteres poetas, ut syllabam brevem producerent, sæpe geminasse consonantem sequentem, et pronuntiasse atque scripsisse *repperit*, *reccidit*, *relligio*, et similia.

365. Tertullianus cap. 6 Apolog. *Ubi religio? ubi veneratio majoribus debita a vobis? Habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proavis renuntiastis. Laudatis semper antiquitatem, et nove de die vivitis*.

366. Vat. A, prior Rott., Cauch., Gis. ad oram, Urb., *externumque migrans devenit in orbem*, ex quo conjicit Heinsius *externamque migrans devenit in urbem*; quanquam non illi displicet *externum orbem*, cum *urbem* paulo post habeamus. Addit, *Possis et* EMIGRANS VENIT. *Certe in Egmondano* EXSULTAT, EXTERNUMQUE MICAM VENIT IN URBEM, *in quo veræ scripturæ manifesta apparent vestigia*. Quod ego non satis intelligo. Weitzius citat Egmondanum pro *externumque migrans devenit in orbem*. Heinsius cum plerisque suis scriptis, Weitz., Widm., Bong., Alex., Rat., *externumque inimicam venit in urbem*. Weitzius pro hac scriptura citat Giselinum, qui tamen legit *æternumque inimicam venit in urbem*. Gifanius in verbo *vestire* ex vet. lib. legendum ait *externumque* pro *externorum*. Fortasse simili figura Fabricius edidit *externamque inimicum venit in urbem*, hoc est, *inimicum* pro *inimicorum*. Gallandius sequitur communiorem lectionem Heinsii, sed in Ald., Tornæs. laudat *æternumque inimicam*, tanquam satis apte ad mentem Prudentii, qui hæc omnia a Tertulliano cap. 25 Apolog. mutuatus est. Recte Tertullianus ibid.: *Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot tropæa; tot de diis, quot de gentibus triumphi; tot manubiæ, quot manent adhuc simulacra captivorum deorum, et ab hostibus ergo suis sustinent adorari, et illis imperium sine fine dederunt, quorum magis injurias quam adulationes remunerasse debuerant. Sed qui nihil sentiunt, tam impune læduntur, quam frustra coluntur*. Verrius Flaccus narrat in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari deum, cujus tutelæ ea urbs commissa esset, atque illi eumdem aut majorem locum apud Romanos promitti, ut in ejus fragmentis legitur apud Plinium lib. XXVIII, cap. 2.

369. Ald., Egm., Pal., Widm. supra, Jureti codex et Rat., *sed solers*. Alii, *at solers*. Heinsius edidit *sed solers*, nihil tamen animadvertens, quamvis a Giselino discesserit.

Sortitam, quonam genio proprium exigat ævum.
Cunctis nam populis, seu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut genius, nostrarum more animarum,
Quæ sub disparili subeunt nova corpora sorte.
Jam primum, qui sit genius, vel qui status illi
Competat, ignoro : quid possit, et unde oriatur
Spiritus informis, sine corpore, formave, et ulla
Sit species, et quid sapiat, quæ munera curet.
Contra, animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfusas intelligo, sanguis ut ex his
Accipiat motumque levem, tenerumque vaporem.
Unde pererratis vegetet præcordia membris,
Frigida succendat, riget arida, dura relaxet.
796 Sic hominis vitam sibi temperat, atque gubernat
Vivida mens : quam tu ficto componere tentas
Membrorum genio, qui nusquam est, nec fuit unquam.
Quin et corporibus versat mens viva regendis
Summum consilium, fida ut tutacula nudis,
Invalidisque paret, metuenda pericula vitet,
Utile prospiciat, varias agitetur ad artes,
Consultet, cui se domino submittat, et orbis
Quem putet auctorem, quem rerum summa sequatur.
At tuus hic Urbis genius, dicas, volo, quando
Cœpit adhuc parvæ primum se infundere Romæ,
Fluxit ab uberibus nemorosa in valle lupinis,
Infantesque aluit, dum nascitur ipse, gemellos?
An cum vulturibus volitans ignota per auras
Umbra, repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus summis sedet, an penetralia servat.
797 Instituit mores, et jura forensia condit?
An castrorum etiam fossis intervenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, urget in hostem?
Quæ quis non videat sapientum digna cachinno?
Fingamus tamen, esse aliquam, quæ talia curet,
Umbram, sive animam : per quam respublica fatum
Hauserit, et calidis animetur tota medullis.
Cur non hæc eadem de relligione colenda

GLOSSÆ VETERES.

367. Solitis, *moribus, rebus*, I.
370. Sortitam, *accipientem*, I.
375. Competat, *congruat*, I.
376: Spiritus, *utrum sit, an sit*, I.
377. Munera, *officia*, I.
379. His, *animabus*, I.
381. Vegetet, *confirmet, sustentet, roboret*, I.
382. Succendat, *calore, calefaciat*. — Riget, *mobilitate infundat*. — Relaxet, *molliat*, I.
384. Componere, *regere, comparare*, I.
387. Tutacula, *defensacula*. — Nudis, *membris : nudam rem dicimus, quæ omni parte consilio indiget*, I.
389. Agitetur, *commoveatur*, I.
390. Consultet, *provideat*, I.
395. Gemellos, *nota fabula de vulturibus quos illi duo fratres Remus et Romulus in initio, cum regnare cœpissent, de monte Aventino volare viderunt, et fingit poeta, simul cum ipsis venire genium : deridendo dicit, puto, tunc primum genium se parvæ Romæ infundere, cum Remum et Romulum lupa nutrivit in valle nemorosa; tunc etiam simul genium nutrivit cum illis*, I.
398. Penetralia, *interiora, habitacula*, I.
399. Forensia, *civilia, publica*, I.
400. Acres, *fortes*, I.
401. Urget, *compellit Romanos*, I.
402. Digna, *esse*, I.
403. Fingamus, *componamus*, I.
405. Hauserit, *sumpserit, acceperit*. — Animetur, *firmetur, vel vivificetur*. — Medullis, *in interioribus*, I.

COMMENTARIUS.

373. Post hunc versum ingeruntur in multis codd. hæc Symmachi verba : *Varios custodes urbibus mens divina distribuit. Ut animæ nascentibus ita populis fatales genii dividuntur*. Vat. A, *Custodes urbibus mens divina varios distribuit*. Aldus, *induntur* pro *dividuntur*.

374. Vat. A, *quid sit genius*.

375. Ald., *et possit*. Gis. ita edidit, sed correxit *ignoro : quid possit*, quod non videtur advertisse Heinsius.

376. Ald., *formane, an ulla*. Gis., Weitz., *formave, an ulla*. Vat. A, Rat., Alex., Urb., Jureti codex, Heinsius cum suis *formave, et ulla Sit species*. Gallandius minus rectum id judicat, et cum Aldo præfert *formane, an ulla*. Sed lectio communior codicum retinenda est, scilicet hoc sensu, *ignoro etiam, sit forma, et ulla species*. Elmenhorstius ad verba Arnobii lib. I, *Civitatumque genios*, rem his versibus exponit.

377. Vat. A, *munere*, minus recte.

378. Vat. A, *inde pererratis*; melius *unde*. Aldus mendose, *viget et* pro *vegetet*.

384. Vat. A, *mens ficto quam tu componere tentas*.

385. Alex., Ald., Gis. et alii, *membrorum*. Plerique *murorum*, quod genuinum Prudentii videtur Heinsio. Nihilominus vers. 446. occurrit *perque omnia membra, Urbis*.

386. Vat. A, *qui nec corporibus*, male.

387. Bong., Wid., *consilium fit, ut aut tutacula*, quod obscurum est.

390. Widm., Bong., Rat., Sich., *consulet et cui*. Weitzius allegat Aldum pro *consulte cui se*; non ergo advertit Aldi correctionem *consultet cui se*.

391. Ald., *quem putat*. Idem et Thuan. a prima manu *quæ rerum summa sequatur*.

396. Vat. A, scribit *innota*. Romulus et Remus de condenda urbe augurium cepisse dicuntur, quorum hic sex vultures in Aventino monte vidit, ille duodecim in Palatino : *Statur et arbitrium Romulus urbis habet*, ait Ovidius, qui lib. IV Fast. historiam narrat, ut alios prætercam. In numismatibus antiquis Roma cum vulturibus interdum exhibetur.

397. Thuan., prior Boher., alter Rott., *repentina de nube*. Egm. mendose, *repentini*. Alii mss. et edd., *repentinam*.

398. Alex., Ald., potiores Heins., *servat*, quod placet. Rat., Torn., Gall., Weitz., *servans*. Gis., *servat*; ad marg., *servans*; et pro div. script., *curans*.

401. Prior Rott., Cauch., *lituo ciet*. Egm., Ox., Jureti codex, *lituos ciet*. Plerique *lituis ciet*.

405. Gis. ad oram, *et calidas animet curata medullas*.

406. Rat. Weitz. cum suis, excepto Bong., *de religione tenenda*.

Consultat? cur non suspectat libera cœlum?
Cur sibi præscriptum non commutabile fatum,
Ut captiva, putat? genesis cur vincula fingit?
Cui jam nolle licet, quod tunc voluisse licebat,
Erroresque abolere suos, ac flectere sensus?
Sic septingentis erravit circiter annis,
Lubricaque, et semper dubitans, quæ forma placeret
Imperii, quæ regnandi foret æqua potestas.
798 Regius exortam jam tunc habuit status Urbem,
Non sine grandævis curarum in parte locatis.
Mox proceres de stirpe senum tractasse vidémus
Clavum consilii: plebeias inde catervas,
Collatas patribus mixtim ditionibus æquis,
Imperitasse diu, belloque, et pace regendis.
Consule nobilitas viguit: plebs fisa tribuno est.
Displicet hic subito status, et bis quina creantur
Summorum procerum fastigia: quos duodeni
Circumstant fasces, simul et sua quemque securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, et consulibus dat condere fastos.
Ultima sanguineus turbavit sæcla triumvir.
Fluctibus his olim fatum, geniusve, animusve
799 Publicus erravit: tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput augustum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi, atque senatus
Rectorem, qui militiæ sit ductor, et idem
Dictator, censorque bonus, morumque magister,
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.
Quod si tot rerum gradibus, toties variatis
Consiliis, ægre tandem pervenit ad illud,
Quod probet, ac sancto reverentia publica servet
Fœdere: quid dubitat divina agnoscere jura.

GLOSSÆ VETERES.

407. Consultat, *providet interrogat*, I.
409. Fingit, *componit*, I.
410. Licet, *licitum est*, Iso.
412. Erravit, *pene*, I.
413. Lubrica, *instabilis*, I.
414. Æqua, *justa*, I.
416. Grandævis, *senatoribus*, *consulibus*, I.
417. Proceres, *juniores et nepotes*, Iso.
418. Clavum, *regimen*, *dignitatem*, Iso.
419. Collatas, *conjunctas*, I.
421. Consule, *sub consule*, I.
422. Creantur, *constituuntur*, I.
423. Procerum, *dictatorum*, Iso.
424. Fasces, *honores*. — Sua, *propria*. — Securis, *potestas*, *vindicta*, I.
426. Fastos, *libros*, I.
428. Fluctibus, *erroribus*, *instabilitatibus*, I.
430. Augustum, *nobile*. — Diademate, *corona*, I.
433. Dictator, *imperator*. — Censor, *judex*, I.
434. Tutor, *qui rempublicam tuebatur*. — Largitor honorum, *retributor dignitatum*, I.
436. Ægre, *difficulter*, *vix*, I.
437. Probet, *laudet*, I.

COMMENTARIUS.

407. Ald., Gis. in textu, Jureti codex, *prospectat*. Widm., Bong., Gis. ad oram, *expectat*. Plerique alii, etiam Gis. ad oram pro div. lect., Gifanii et Becmani codices, *suspectat*. Virgilius lib. I vers. 375 Georg. *Bucula cœlum Suspiciens, patulis captavit naribus auras*.

408. Ald., *cur tibi*; alii *cur sibi*.

409. Juvenalis sat. 14, vers. 246, *Nota mathematicis genesis tua*.

410. Ald., Gis., *cur jam*. Plerique, *cui jam*, et glossa ad oram Widm., *cui genio licet nolle*. Tertullianus cap. 6 Apolog: *Nunc religiosissimi legum, et paternorum institutorum protectores, et ultores respondeant, velim, de sua fide, et honore, et obsequio erga majorum consulta, si a nullo desciverunt?*

412. Florus a rege Romulo in Cæsarem Augustum septingentos annos numerat; alii septingentos octo annos circiter recensent.

414. Ald. Gis., Weitz., *imperii et quæ*. Abest *et* a codd. Heinsianis et nostris.

416. Ald. mendose, *curatum in parte*. De his imperii Romani mutationibus lege Florum et Joannis Camertis adnotationes, qui breviter alios historicos, aut consentientes aut dissentientes, indicat.

417. Reges anno Urbis conditæ 245 vel 254 exacti sunt, consulesque tunc creati.

418. Anno 387 lex lata est, ut alter consul e plebe crearetur, quæ anno 309 rogata fuerat. De primo consule, homine novo, L. Sextio id intelligit Grangæus; de tribunis plebis anno 259 ob secessionem plebis creatis Chamillardus, quod verius est ut ex seqq. patet, *Displicet hic subito status*, etc.

421. Hic versus a Vat. A, Egm., Oxon., Rottend. rejicitur post versum *Publica res*. Ald. male distinguit *plebs*, *fisa*.

422. Decemviri anno Urbis 301 circiter pro consulibus legum ferendarum causa creati, qui sunt *bis quina fastigia*, etc. De insignibus, fascibus et securibus Livius lib. III, cap. 36: *Cum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium in orbem suum cujusque vicem per omnes iret, subito omnes cum duodenis fascibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverant, et fascibus secures illigatas præferebant.*

425. Egm. corrupte, *doctoris* pro *ductoribus*. Anno Urbis 304 iterum duobus consulibus imperium mandatum est.

426. Post hunc versum a nonnullis collocatur versus 421, *Consule nobilitas*.

427. Triumviratus Cæsaris, Lepidi et Antonii, *cujus atrocitas nihil in se minus habet quam numerum centum quadraginta senatorum* (proscriptorum). *Exitus fœdi, truces, miserabiles*, etc. Florus lib. IV, cap. 5.

429. Prior Rott., *reprendere rectum*.

430. Gis. ad marg., *diademate texit*. Item Giselinus ita catalogum harum mutationum ordinavit: *Primum reges regnarunt. Post eos cœpere consules anno ab Urbe condita* CCXLV. *Consules et senatores cum tribunis plebis* CCLXI. *Decemviri soli* CCCIII. *Consules etiam e plebe* CCCVI. *Triumviri post Cæsaris necem* IↃCCXII. *Solus Octavius* IↃCCXXIII. Concludit, recte illum versum *Consule nobilitas* eo loco poni quo a nobis est insertus.

431. Suetonius cap. 58 in Augusto: *Senatus te consentiens cum populo Romano consalutat patriæ Patrem*.

433. Augustus ob facta ingentia dictator perpetuus, et Pater patriæ dictus. Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur. Sed sanctius et reverentius visum est nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur. Vide Florum in fine Hist.

436. Aldus, *ægræ*; lege *ægre*.

Ignorata prius sibimet, tandemque retecta?
Gratemur, jam non dubitat: nam subdita Christo
Servit Roma Deo, cultus exosa priores.
800 Romam dico viros, quos mentem credimus Urbis
Non genium, cujus frustra simulatur imago.
Quanquam cur genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos genios? perque omnia membra
Urbis, perque locos, geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra?
Restat, ut et fatum similis dementia cunctis
Ædibus imponat: paries ut quisque sub astro
Fundatus, structusque suo, qua sorte maneret,
801 Quando autem rueret, primis acceperit horis.
Ascribunt saxis Lachesis male fortia fila,
Tectorumque trabes fusis pendere rotatis
Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis:
Ceu distet, cujus stellæ sit fraxinus ortu
Eruta, quæ summum conscenderet ardua culmen.
Denique nulla hominum res est, nulla actio mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem.
Quæ quia constituunt, dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis: aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, et inevitabile mergunt.

GLOSSÆ VETERES.

440. Gratemur, *pro gratulemur*, I.
445. Thermis, *balneis*. — Tabulis, *tabernis, loca tabularia*, I.
446. Membra, *mœnia*, I.
452. Acceperit, *quando natus fuit*, Iso.
453. Lachesis, *Lachesis, Cloto, Atropos, nomina sunt Fatorum: una colum tenet, alia trahit, tertia rumpit*, I.
457. Eruta, *diruta*, I.
460. Constituunt, *docent*, Iso.
461. Rubrica, *nomen legis, lex, lineà cæmentariorum, quibus aspiciunt an sit recta ipsa maceries, an non; sed pro lege ponitur, aut judicio*, I.
462. Ferrea, *dura*, I.
463. Inevitabile, *scilicet supplicium*, I.

COMMENTARIUS.

441. Veteres sæpe hæc duo conjungebant *Christus Deus*, et sæpius id occurrit apud nostrum. Militare Christianorum sacramentum id refertur a Vegetio lib. II, cap. 5: *Jurant autem per Deum, et per Christum, et per Spiritum sanctum, et per majestatem imperatoriam, quæ secundum Deum generi humano diligenda et colenda est.* Quæ verba nonnulli male ita referunt: *Per Deum Christum, et Spiritum sanctum*, ut ad Prudentii verba accommodent. In inscriptionibus antiquis reperitur etiam hoc argumentum divinitatis Christi adversus Arianorum hæresim. Lupius epitaph. S. Severæ inscriptionem Græcam e museo Kirkeriano profert, ubi legitur *in Deo Domino Christo*. Vide etiam Gasparem Aloysium Odericum Syllog. Inscript. pag. 263 et seq., ubi tamen non bene huc trahit hunc titulum ex cœmeterio S. Saturnini: ☧ PRIMA. VIVIS. IN. GLORIA. DEI. ET. IN. PACE. DOMINI. NOSTRI. ☧ Nam hic *Christus* non conjungitur cum Deo. Opportuniores sunt aliæ inscriptiones apud Georgium de Monogramm. Christi Domini cap. 4 OLYMPIODORE VIVAS IN DEO ☧. — HILARI VIVAS IN DEO ☧. — HIC IACET PERPETVVS IN CHRISTO DEO SVO.

444. De geniis veterum multi scripserunt: de quo argumento librum ab Emmanuele Navarro editum laudat Emmanuel Martinus lib. IV, epist. 10. Elmenhorstius in Arnobium pag. 14, Heraldus in Arnob um pag. 40, Lactantius lib. II, cap. 15, et ejus interpretes plura habent de geniis. Barthius lib. LII Adv., cap. 12 copiose disserit de geniis veterum, de horum in iis colendis religione, cultu, superstitione, de geniorum etymo, frequentia, habitibus, de geniis urbium, locorum, domorum, regionum, hominum, aliarum rerum. Affirmat gentilium opinionem qui omnibus locis et operibus suos tales dæmonas inesse autumabant, neminem scitius Prudentio confutasse luculento hoc carmine. Petavius tom. III, lib. II, cap. 6, theologice disserit de tutela et custodia, quam tum publice universorum, tum singulorum privatim suscipiunt angeli: quod de geniis ethnici communi consensu prædicabant. Genius Romæ in nummis sæpe dicitur *genius populi Romani*, et apud Ammianum *genius publicus*. Martialis lib. VI, epigr. mihi 41, acute dixit: *Victurus genium debet habere liber*: nunc dicere possumus *angelum custodem*. Vide Censorinum de Die natali.

445. Rat. et Iso minus bene, *tabulis soleatis*.

446. *Membra Urbis* etiam dixit Ammianus lib. XVI: *Deinde intra septem montium culmina per acclivitates, planitiemque posita urbis membra collustrans*, etc. Non autem sunt mœnia, ut ait Iso, sed partes Urbis.

447. Mariettus hoc loco advertit in Rat. semper scribi *milia* uno *l*, quæ recta est scribendi ratio, et multis magis placet quam *millia*.

449. Ald., non recte, *similis clementia*.

452. Pal. scribit *oris* pro *horis*.

453. In glossa hexametrum invenio, si verba recte legantur et trajiciantur: *Una colum retinet, trahit altera, tertia rumpit.*

454. Ald. non bene, *recto umque trabes*.

455. Tigillum, a *tego* et *tignum*, est trabs cui tectum imponitur.

456. Vat. A, corrupte, *cujus stille*. Ald., Alex., *hortu*: scribendum *ortu*.

458. Petavius lib. III de Opif., cap. 7, optime a Prudentio his versibus expressum ait, quod fati necessitas libertati humanæ voluntatis adversetur, etsi hanc ad volendum adigat. Nam voluntatem ad volendum necessitate compelli, gentiles affirmabant.

461. Leges *rubricas* appellari, jam multi notarunt vel ex hoc Prudentii versu. Persius sat. 5, vers. 90: *Excepto si quid Masuri rubrica notavit.* Juvenalis sat. 14, vers. 191: *Perlege rubras Majorum leges.* Scilicet rubrica, quæ herba est minio proxima, leges scribebantur. Hinc rubricarum nomen in libris ritualibus. Hermanus Hugo de prima Origine scribendi pag. 103, cap. 12, docet imperatoribus valde familiare fuisse encausto scribere, et ob hanc causam fere omnia juris capita fuisse miniata, id quod fiebat cum majestatis tum etiam terroris causa, ut nempe legibus sinopide, aut cinnabari notatis, et sanguineum quiddam ac cruentum minantibus majestas accresceret: quod his versibus insinuat Prudentius. Cur autem *minari* lex dicatur, vide comment. ad vers. 179, *Lex armata sedet*. De sanctione qua pœna irrogatur, vide Ant. Augustinum de Legib.

463. Vat. A, Gis., *ad facinus cogunt*. Scripti Heinsiani et nostri cum Weitzio et Aldo, *cogunt ad facinus*.

Quin et velle adigunt, pravum insinuantia votum, A
802 Ne liceat miseris vetitum committere nolle.
Cedite, si pudor est, gladiumque retundite vestrum,
Aspera nil meritos pœnis plectentia jura:
Antrum carcereum dissolvite, corpora sub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt, quod vivitur, ac fit:
Imo nocens, quicunque volens, quod non licet, audet.
Alterutrum quia velle suum est, nec fata reatum
Imponunt homini: sed fit reus ipse suopte
Arbitrio, placitumque nefas, et facta rependit
Impia suppliciis, merito, non sorte peremptus.
Quisque putat, fato esse locum, sciat, omniparentem B
803 Esse Deum, nulli vetitum fatalibus astris,
Nec mathesis præscripto aliquo pia vota repelli,
Spirat enim majora animus, seque altius effert
Sideribus, transitque vias: et nubila fati,
Et momenta premit pedibus, quæcunque putantur
Figere propositam natali tempore sortem.
Huc ades, omne hominum genus, huc concurrite et urbes:
Lux immensa vocat: factorem noscite vestrum.
Libera secta patet: nil sunt fatalia, vel si
Sunt aliqua, opposito vanescunt irrita Christo.
Sed multi duxere dei per prospera Romam:
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
804 Ergo age, bellatrix, quæ vis subjecerit, ede,

GLOSSÆ VETERES.

464. Adigunt, *cogunt*, *compellunt*. — Insinuantia, *ostendentia*, I.

467. Plectentia, *punientia*, I.

472. Alterutrum, *bonum vel malum*. — Suum, *proprium*, I.

476. Sciat, *quin tantummodo in Dominum credat, et nulla fata nocent*, I.

477. Vetitum, *scilicet esse*, I.

478. Mathesis, *siderum cursu*. — Præscripto, *constituto, impedimento*. — Repelli, *scilicet posse*, Iso.

479. Effert, *exerit*, *elevat*, Iso.

481. Momenta, *recordationes*. — Premit, *spernit cogitationibus*, I.

482. Sortem, *fatum*, I.

484. Lux, *Christus*, I.

485. Secta, *doctrina*, I.

488. Donata, *ornata*, I.

489. Age, *vox orantis*. — Bellatrix, *Roma*. — Ede, *dic, sicut alibi: Ede Martialem, id est, dic, vel canta*, I.

COMMENTARIUS.

466. Heinsius mallet *gladiumque recondite*. Verum ad poetæ mentem melius est *retundite*. Vult enim gladium justitiæ omnino retundi, tanquam jam superfluum, si homines non libere peccant. Ita postea non ait, carcerem claudi, sed dissolvi.

468. *Antrum carcereum* est interior carceris custodia: Hispani vocant *calabozo*. Describitur a Prudentio in hymno S. Vincentii, ubi plura afferam, et a Sallustio de Bello Catil.: *Est locus in carcere, quod* TULLIANUM *appellatur: ubi paululum descenderis ad lævam circiter viginti pedes humi depressus; eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus juncta, sed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies est.* Si carcer Mamertinus ad radices montis Capitolini, quo SS. apostolos Petrum et Paulum detentos fuisse acta narrant, non est is ipse locus *Tullianum* dictus, certe admodum similis illi est. Cl. Cancellierius multis rationibus carcerem Tullianum ac Mamertinum eumdem fuisse egregie confirmat in opere: *Notizie del carcere Tulliano detto poi Mamertino*, etc., Romæ, 1788.

473. Alex., Urb., Ald., Widm. supra, Pal., Ox., Egm. a secunda manu, veteri scriptura prorsus erasa, *sed fit reus ipse suapte Arbitrio*. Rat., Widm. a prima manu, Bong., Fabr., Gis. ad oram, Cauch., *sed fit reus ipse per amplum Ingenium*. Gis. in textu, codex Jureti, *suopte Arbitrio*. Thuan., *suopte Ingenio*. Prior Rott., *suapte Ingenio*; alter, *suopte Ingenium*. Heinsius edidit *suopte Arbitrio*. Sed ait scribi oportere *sed fit reus ipse suapte. Ingenitum placitumque nefas*. Scilicet *suapte*, *sua sponte*. Intelligit autem, *ingenitum nefas* esse peccatum originale, ut vers. 913 Apoth., *Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu Primi hominis maculas*. Neque Heinsio displicet *suopte ingenio*. Sic *ingenium* pro ingenita animi vi, aut pro natura poni Apuleius nonnunquam. Mihi verum videtur *suopte* vel *suapte arbitrio*, ut homo intelligatur peccare suo arbitrio et sponte sua.

475. Ald., *suppliciis et merito*: contra metrum intruditur *et*. Urb., *ne sorte*; lege *non sorte*.

476. Plerique, *quisque putat fato esse locum*. Urb., *putet*. Ald., *quis putat esse locum fato*, scilicet in emendatis, nam, repugnante metro, ediderat *quis putat esse fato locum*. Ponitur *quisque* pro *quisquis*: de quo jam dictum, et videri potest Burmannus in Antholog. Ald., minus bene, *omnipatentem*.

477. Ald., duo Boher., Thuan., Egm., Oxon., Pal., Gis. in textu, *nosse Deum*, quod exstat etiam in Alex. C Alii, *esse deum*, cum Rat., Urb., Weitz., altero Rott., Heinsio. Prior Rott., *posse Deum*. Deinde omnes Heinsiani, Jureti codex, Ald., Gis. ad oram, Fabr., Bong., Pal., Rat., Alex., Urb., *fatalibus*; nonnulli, *fallacibus*. In Rat. videtur esse *veritum*, male, pro *vetitum*. Sententia est, nec bona nec mala opera necessario fieri.

478. Ald. et Rat. recenti manu, prioribus aliis omnino abrasis, *Nec præscripto aliquo pellit pia vota mathesis*. Voluerunt recentes correctores, *mathesis* a Prudentio secunda producta efferri, quia ipsi ita efferebant. In Egm. *perscripto* est pro *præscripto*. Astrologia præcipue *mathesis* nomine solebat a veteribus intelligi.

482. Rat., Widm., Bong., Alex. a prima manu, Thuan., uterque Rott., Gis. ad oram, Sich., *fingere*. Alii, *figere*, quod arripuit Heinsius, quia verbum est mathematicum.

483. *Huc ades*, genus loquendi Virgilio aliisque D frequentissimum.

484. Rat., *vacat*; supra, *vocat*.

486. Post hunc versum verba hæc sunt Symmachi: *Accedit utilitas, quæ maxime homini deos asserit. Nam cum ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum?* In Rat., *deos esse asserit*. Ald., *quam memoria*.

487. Rat., *si multi duxere dei*. Alex., *sed multi*. Urb., *sed multa duxere dii*, quod placuit Aldo, neque mihi displicet. Recte enim *prospera multa*: nam agitur de utilitate, quam deos attulisse Symmachus affirmabat.

489. Rat., *subjecerat*, recenti manu; non bene. De hac superstitione Romanorum, qui auxilio deorum se orbem subegisse jactabant, legi etiam possunt Minucius et Tertullianus cap. 25 Apolog. Iso indicat

Europam, Libyamque tibi : dic nomina divum. A
Juppiter, ut Cretæ domineris, Pallas, ut Argis,
Cynthius, ut Delphis, tribuerunt omine dextro.
Isis Nilicolas, Rhodios Cytherea reliquit.
Venatrix Ephesum virgo, Mars dedidit Hebrum.
Destituit Thebas Bromius, concessit et ipsa
Juno suos Phrygiis servire nepotibus Afros.
Et quam subjectis dominam dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque,
Jussit Romuleis addictam vivere frenis.
Perfidiane deum indigenum cecidere tot urbes?
Destructæque jacent, ipsis prodentibus, aræ?
805 O pietas, o sancta fides! traduxit alumnos
Majestas infida locos, et creditur istis
Numinibus, qui transfugio meruere sacrari?
An voluit servare suos, luctataque multum
Relligio, infestas tentavit pellere turmas
Romanis obnisa globis, sed fortior illam
Virtus luctifico camporum in pulvere fregit?
Imo ita id est: armis et viribus indiga veri
Victa superstitio est, et inanem gloria fugit.
Sed nec difficilis fuit, aut satis ardua genti
Natæ ad procinctus victoria, frangere inertes,
806 Molliaque omnigenum colla inclinare deorum.
Nunc cum Dictæis bellum corybantibus asper
Samnitis, Marsusque levi sudore gerebat.

GLOSSÆ VETERES.

491. Cretæ, *insulæ*. — Pallas, *Minerva*. — Argis, *Græcis*, I. B
492. Cynthius, *Apollo, a Cyntho monte, ubi nutritus est*.—Delphis, *Delphos locus, ubi ara Apollinis fuit*, I.
493. Isis, *dea Ægypti*. — Nilicolas, *Ægyptios*. — Rhodios, *populos*. — Cytherea, *Venus*, I.
494. Venatrix, *Diana*. — Ephesum, *civitatem*. — Dedidit, *sponte dedit*. — Hebrum, *fluvium Thraciæ*, I.
495. Destituit, *dereliquit*. — Thebas, *populos*. — Bromius, *Bacchus*, I.
496. Phrygiis, *Trojanis, Romanis*, I.
497. Dominam, *Africam, civitatem Carthaginem*, I.
498. Fovetque, *animo*, I.
499. Romuleis, *sub Romuleis*. — Addictam, *gentem*. — Frenis, *legibus*, I.
501. Prodentibus, *concedentibus, tradentibus*, I.
502. Alumnos, *nutritos ministeriales, famulos*, I.
504. Transfugio, *fuga*, I.
506. Infestas, *inquietas*, I.
507. Obnisa, *contra posita, resistens, reluctans*. — Globis, *exercitibus*. — Illam, *religionem*, I.
508. Virtus, *Romana*, I.
509. Est, *ut prædixi*. — Indiga, *indigens*. — Veri, *veritatis*, I.
510. Superstitio, *religio, inanis cultus*, I.
511. Genti, *Romanorum*, I.
512. Procinctus, *ad præparationes bellicas, ad expeditionem bellicam*, I.
514. Nunc, *aliquando, vel tunc fuit hoc*. — Dictæis, *Creticis*. — Corybantibus, *illis populis*, I.
515. Samnitis, *dux de Samnia provincia. Samnitis et Marsus populi fuerunt Beneventani*, I.

COMMENTARIUS.

versum 144 hymni 4 Per. SS. octodecim martyrum Cæsaraugust., qui sic habet : *Ede Successum, cane Martialem*. Pro *dic* ponitur *ede*. Juvenalis sat. 3, vers. 296, *Ede, ubi consistas*. C

491. Pallas Argiva hæc est quæ Argis colebatur Σάλπιγξ dicta, de qua Eustathius lib. vi Iliados. Vide Priapeia : *Dodona est tibi, Juppiter, sacrata*, etc.

493. Latinius videtur reperisse in Tornæs. *Nicolas*, quod recte emendat per *Nilicolas*. Ald., Nebr., *Venus alma;* alii, *Cytherea*. Urb., vitiose, *Citharea*.

494. Urb., Alex. a prima manu, *dedit*. Metri lex postulat *dedidit*. In Alex. perperam scribitur *Effesum* pro *Ephesum*.

496. Vat. A, *suis;* corrige *suos*.

497. Virgilius i Æneid., *Hoc regnum dea gentibus esse, Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque*. Tertullianus cap. 25 Apol. hoc ipsum Romanis objicit, ut dicam ad vers. 510.

500. Heinsius cum Cauchio censet, legendum *indigetum* vel sine auctoritate codicum. Sed defendi potest lectio codicum, *indigenum*, ut *omnigenumque deum monstra*, et supra vers. 341, *Indigenæ pietatis jura reformat*. Significatio eadem est. D

501. Rat., *distructæque jacent*.

502. Virg. vi, *Heu pietas, heu prisca fides!*

504. Alex., scripti Heinsiani et Gifanius ex vet. lib., *qui transfugio*. Perspicuum est unde manarit *quæ*, scilicet quia præcessit *numinibus*, et exscriptores hanc figuram, quæ mutatio generis dicitur, ignorabant. *Dei* vi et notione conveniunt cum *numinibus:* itaque mutatur genus *numinum* in genus *deorum*. Exempla vide apud Gifanium verbo *generis mutatio*, et in addendis ejusdem Gifanii. Ludovicus Cavallus in opere ms. contra correctionem hymnorum Breviarii Romani sub Urbano VIII, de quo egi in proleg. cap. 23, in hymno ad Matut. dominicæ adventus, reprehendit quod corrector hymni illius a genere neutro ad masculinum transierit : *Verbum supernum prodiens E Patris æterni sinu, Qui natus orbi subvenis*, etc. Verum hac mutatione generis, quam veteres sæpe adhibebant, hymnus ille defendi potest: ponitur enim *Verbum* pro *Filio Dei*.

507. *Globum* pro multitudine conglobata Virgilius, Livius, Nepos, aliique.

508. Heinsius, *fregit.*, cum puncto; melius cum interrogatione *fregit?*

509. Gis., *imo ita id est*. Codices cum hiatu, de quo sæpe locuti sumus, *imo ita est*.

510. Vat. A, contra metrum et sensum, *gloria fugat*. Egm., *fugat;* supra, *inanis gloria fugit*. Tertullianus cap. 25 Apolog., *Vellet Juno Punicam urbem posthabita Samo dilectam ab Æneadum utique gente deleri? Quod sciam, hic illius arma, hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse, si qua fata sinant jam tum tenditque, fovetque, misera illa conjux Jovis, et soror adversus fata non valuit. Plane fato stat Juppiter ipse*.

512. Rat., *latæ procinctus;* et supra glossa, *procinctus* esse numeri pluralis. Weitzius edidit *late procinctus*, sed in lectionibus variantibus scribit *nate procinctus* cum Widm. et Bong. Puto *nate* excidisse pro *late*. Rott. alter etiam *late procinctus*. In Thuan., utroque Boher., Egm., Ald., Oxon., Alex., Jureti et Gifanii codd., *natæ ad procinctus*. In priore Rott., Cauch., Urb., Vat. A, Teol., *natæ ad procinctum*, quod Heinsio concinnius videtur, quamvis ediderit *natæ ad procinctus*. Heinsius et Juretus non videntur animadvertisse mendum Giselini *natæ procinctus* ab eodem Giselino fuisse emendatum per *natæ ad procinctus*. Mariettus putat lectionem Ratisbonensis *latæ procinctus* veram esse, et *procinctus* esse accusativum verbi *latæ*, hoc est, *amplas habenti copias*. Verior lectio *genti natæ ad procinctus*, vel *procinctum*, hoc est ad bella.

514. Vat. A, corrupte, *nunc cum dicta eis*. Ald., Widm. supra, Pal., Teol., Jureti codex, Urb., *tunc* vel *tum cum Dictæis*. Rat., Weitz., Gis. aliique, *nunc cum Dictæis*. Dicte mons est insulæ Cretæ, ubi nutritus est Jupiter.

515. Vat. A, Urb., *Samnites*. Vat. A, Urb., Alex., Rat. aliique, *gerebat*. Ald., *gerebant*. Egmond., aliis

Nunc Mastigophoris, oleoque, et gymnadis arte A
807 Unctis pugilibus, miles pugnabat Hetruscus :
Nec petaso insignis poterat, Lacedæmone capta,
Mercurius servare suas de clade palæstras.
Apenninicolam peditem Cybeleius hostis
Congressu excipiens, Asiam defendere, et Idam
Qui potuit, cogente acies in prælia Gallo?
Idalias nisi forte rosas, laurum citharœdi
Vatis, silvicolæ calamos, arcumque puellæ
Dedere servitio, calcataque sacra domare
Difficilis operis fuit, immensique laboris.
808 Fluctibus Actiacis signum symphonia belli

GLOSSÆ VETERES.

516. Marrucophoris, *populis Asiæ.* — Gymnadis, *exercitii*, Iso.

517. Pugilibus, *gladiis, brevibus armis.* — Hetruscus, *Latinus, Italicus*, I.

518. Petaso, *petasum calceamentum Mercurii, quo volare solebat : et petasum volatile dicimus. Petasum a petendo sursum dictum est, videlicet talaria et calcaria Mercurii*, Iso.

519. Palæstras, *luctationes, vel ludos suos*, I.

520. Apenninicolam, *Apennini montes sunt.* — Peditem, *exercitum.* — Cybeleius, *Asiaticus*, I.

521. Congressu, *cum pugna, bello*, I.

522. Qui, *quomodo.* — Cogente, *congregante.* — Gallo, *duce*, I.

523. Idalias, *ab Ida.* — Citharœdi, *Apollinis*, Iso.

524. Calamos, *sagittas.* — Puellæ, *Dianæ*, I.

B 525. Calcataque, *superata*, Iso.

527. Actiacis, *acteis.* — Symphonia, *tuba*, I.

COMMENTARIUS.

omissis, *levi sudoris oleoque et gymnadis arte*, quod vitiosum est. Facile fuit Romano exercitui (ait Prudentius), qui Marsis, Samnitibus, Hetruscis constabat, Phrygios in Asia (quos ironice Corybantes seu Gallos, id est Cybeles sacerdotes, nominat) uti etiam Lacedæmonios, oleo tanquam pugiles madentes et mastigophoros, seu pugilum ministros bello superare. Ita fere Giselinus, qui observat poni *Samnitis* pro *Samnis*, ut in hymno S. Hippolyti, et in *pugil* primam produci, cum in *pugillaris* corripiatur hymno 9 Peristeph., vers. 15, *quanquam*, ut addit, *illud a pugno, hoc a pungere deducunt.* Verum in *pugilibus* prima produci poterit ob necessitatem illam quam dicunt cum tres quatuorve breves concurrunt, ut in *catholicus, strigilibus*, aliisque hujus generis. In *pugillar* nescio cur nonnulli dicant, primam esse necessario longam. Quod autem ait Giselinus, *Dictæos corybantes* vocari Phrygas, fortasse melius explicabitur de Cretensibus : nam in Creta proprie erant corybantes Dictæi, ut diversi hi sint ab eis corybantibus, qui vers. 522 memorantur.

516. Ald., Weitz., Gis., Jureti codex et alii, *mastigophoris*, quo respicit Alex. *mastigoforis :* quod vocabulum sonat *flagriferos.* Rat., Sich., Widm., Bong., alter Rott., *marrucophoris*, sive *marrucoforis*; Urb., *masucoforis :* utrumque videtur positum pro *mastrucophoris*, quod, ait Heinsius, in margine unius Weitziani pro diversa occurrebat scriptura. Ne vero quem Heinsius fallat, monendum Heinsium sæpe editiones quas laudat Weitzius accipere, ut videtur, pro codd. mss. Weitzianis; ut hoc loco citatur G. ad oram, videlicet editio Giselini ad oram. Tunc *mastrucophori* intelligi possunt qui cæstibus pugnabant ; nam mastruca seu mastruga est vestis scortea, ut paulo post dicetur. Non dubito quin verum sit *mastigophoris*, quod verbum occurrit in lib. ult. Arcad., § 1 de Muner. et Honor. : *Mastigophori quoque, qui agonothetas in certaminibus comitantur, et scribæ magistratus personali muneri serviunt.* Quinam autem hoc nomine vocarentur, non una est omnium sententia. Alii interpretantur gymnasiarchas, qui pugilibus præerant, et exemplo Mercurii, palæstritarum dei, virgam in manu tenebant, qua luctantium procaces gestus compescerent nexusque dissolverent; alii flagriferos ad submovendam turbam; alii gladiatores ipsos, quod verberari solerent; alii eos qui præibant agonothetas seu athlothetas. Videri potest Savaro pag. 109 ad Sidonium.

518. Pal. supra, *pegaso;* lege *petaso.* Glossæ in hujus verbi explicatione a vero aberrant, ut in *pugilibus.* Petasus est a Græco πετάζω, quod est extendo, et est pileus ita extentus, ut solem defendat. Apuleius vocat pilei umbraculum, et Hispani ab umbra *sombrero.* Vide Becmanum de Orig.

519. Arnobius lib. III, *Mercurius ceroma pugillatibus et luctationibus præstat.*

520. Rat., *Appenninicolem*, minus bene.

521. Chamillardus non ad Asiam, tertiam orbis partem, id refert, sed ad regionem Trojanam, quæ Asia dicta fuit ab Asio philosopho : non enim Cybele per totam Asiam singulari honore colebatur. Mæonia, seu Lydia Asia etiam dicta fuit, unde *palus Asia.* Troja in Asia Minore sita erat : et non procul mons Ida, ubi præcipue Cybele colebatur.

522. Sacerdotes Cybeles *Galli* sunt dicti, et eorum princeps *Archigallus*, a Gallo flumine Phrygiæ, vel a viro quodam nomine Gallo, qui primus fortasse sacerdos Cybeles fuerit. Hieronymus, comment. in Osee cap. IV, aliam adhibet causam : *Hi sunt, quos hodie Romæ matri non deorum, sed dæmoniorum servientes Gallos vocant, eo quod de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys, quem eunuchum dea meretrix fecerat, sacerdotes illius manciparint : propterea autem Gallorum gentis homines effeminantur, ut qui urbem Romam ceperint, hac feriantur ignominia.* Quæ histo-C ria mihi falsa videtur, aliis etiam ridicula. Nec deest, qui hæc verba operibus S. Hieronymi assuta suspicetur.

523. *Idalias* non ab Ida monte intellige, ut exponit glossa, sed ab Idalio monte et nemore Cypri. Sermo enim est de Venere. Neque poetæ ab *Ida* deducunt *Idalius*, sed *Idæus*, ut alibi etiam Prudentius dixit. Præterea magis consentaneum est, Idalio et Veneri tribuere rosas, quam Idæ et Cybele, aut Epheso et Dianæ. In lauro Apollinis intelligi possunt Delos et Delphi, in arcu vero Dianæ Delos et Ephesus.

526. Urb., Gis., *difficilisque operis fuit.* Veteres et optimi codd., etiam Jureti et Gifanii cum Weitzio, *difficilis operis.* Gifanius verbo Incisio multa similia loca adducit, quæ fere depravata sunt in libris pervulgatis, propterea quod Correctores vim incisionis, seu cæsuræ, et poetarum consuetudinem non consideraverint sæpenumero.

527. Vat. A scribit *Acciacis.* Propertius et Virgilius sistro in bello Actiaco Antonium et Cleopatram D usos aiunt. Prudentius vocat symphoniam, quod genus quoddam instrumenti musici est, et non bene tuba ab Isone dicitur. Isidorus lib. III Orig., cap. 22: *Symphonia vulgo appellatur lignum cavum, ex utraque parte pelle extenta, quam virgulis hinc et inde musici feriunt. Fitque in ea ex concordia gravis et acuti suavissimus cantus.* Hieronymus epist. 21, al. 146 ad Damas., ait, male quosdam Latinorum putare symphoniam esse genus organi, cum concors in Dei laudibus concentus hoc vocabulo significetur : *Symphonia quippe*, ait, *consonantia exprimitur in Latino.* Verum etsi hæc sit prima et propria symphoniæ significatio, consuetudo tamen invaluit ut pro quodam instrumento musico acciperetur. Et hoc sensu explicandum puto locum Daniel. III, 10: *Qui audierit sonitum tubæ, fistulæ et citharæ, sambucæ et psalterii, et symphoniæ, et universi generis musicorum.* Isidorus autem sistrum a symphonia distinguit, quamvis non explicet quale

Ægypto dederat: clangebat buccina contra. A
Institerant tenues cymbæ, fragilesque phaseli
Inter turritas Memphitica rostra liburnas:
809 Nil potuit Serapis deus, et latrator Anubis.
Stirpis Juleæ ductore exercitus ardens
Prævaluit, gelido quem miserat Algidus axe.
810 Non armata Venus, non tunc clypeata [Minerva
Venere auxilio, non divum degener ordo,
Et patria extorris, Romanis adfuit armis,
Victus et ipse prius, inimica nec agmina juvit,
Si tamen antiquum norat retinere dolorem.

GLOSSÆ VETERES.

528. Buccina, *Romanorum*, I.
529. Phaseli, *naviculæ*, Iso.
530. Memphitica, *Ægyptiaca.* — Liburnas, *hæ sunt maximæ naves*, I.
531. Potuit, *defendere.* — Serapis, *dii Ægyptiorum*, I.
532. Ductore, *Octaviano*, I.
536. Patria, *a patria.*—Extorris, *exsul.*—Adfuit, *ad auxilium fuit*, I.

COMMENTARIUS.

instrumenti musici genus sit sistrum. Videri potest dissertatio Francisci Blanchini Veronensis de tribus Generibus instrumentorum musicæ veterum organicæ Romæ 1742, ubi cap. 3 de Genere instrumentorum B musicorum pulsatili, disserit ad quod genus symphonia et sistrum pertinent. Tabula VIII, fig. 12, æreum crepitaculum quadrichorde, quæ est sistri species, describitur. Fig. 7, tab. VII, tympanum bellicum, quod symphonia Isidori videtur esse, exprimitur. Confer peculiarem dissertationem Benedicti Bacchinii de Sistris eorumque figuris, ac differentia cum dissertatiuncula, et notulis adjectis Jacobi Tollii. Mazochius tom. I Specim. Bibl., pag. 308 et seqq., fuse disputat de symphonia in Danielis libro expressa, et contendit esse tibiam seu fistulam, quæ *ambubaja* etiam dicebatur. Probabile est eodem nomine diversa instrumenta diversis temporibus et locis fuisse significata.

528. Propertius de eadem pugna Actiaca lib. III, eleg. 8, *Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.*

529. Ald., Widm. ad oram, Jureti codex, Egm., Oxon., Urb., prior Rott., *Institerant tenues cymbæ, fragilesque phaseli*, quod verum putat Heinsius, quia C Prudentius per ironiam cymbas Ægyptiacas cum liburnis Romanis componit. Alex. ita habet, sed scribit *tenuis*, et a prima manu *fragilis*, tum *instabant* ex correctione pro *institerant*. Weitzius, Giselinus, Sichardus et nonnulli alii, *Instar erant tenuis cymbæ, fragilisque phaseli*, quod eodem sensu exponi potest.

530. Liburnæ seu liburnicæ erant genus navis velocissimæ, a Liburnis Illyrici populis nomen adeptæ. Augustum contra Antonium liburnis usum fuisse narrant Horatius, Propertius et Suetonius. Dio et Florus naves Antonii longe majores navibus Augusti fuisse commemorant. Cur autem Prudentius *turritas* vocat liburnas? Turnebus lib. XII Advers., cap. 14, quærit, in his versibus Horatii oda 1 Epod., *Ibis liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula*, utrumne inter altarum navium propugnacula et turres Mæcenas iret, an inter alta ipsarum liburnarum propugnacula et turritas moles. Respondet verba Horatii priorem sensum recipere ex Dione et Floro, qui magnitudinem navium Antonii celebrant, posteriorem vero ex D hoc versu Prudentii, et aliis Propertii lib. III, eleg. 9: *Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin. Et Tiberim Nili cogere ferre minas: Romanamque tubam crepitanti pellere sistro, Baridos et contis rostra liburna sequi.* At Grangæus in versu Prudentii hypallagen agnoscit, quasi voluerit dicere Prudentius, naves turritas Memphiticas respectu liburnarum Augusti fuisse instar phaseli, vel levissimæ alicujus cymbæ. Eodem modo interpretatur Propertium, quasi omnia Antonii armamenta fuissent veluti conti exiguæ alicujus cymbæ. Ego opinor duplex fuisse liburnarum genus, alterum exigua mole, alterum magna, utrumque velocitate commendatum. In Horatio intelligo ipsarum liburnarum alta propugnacula, et in Prudentio easdem liburnas turritas fuisse. Non tamen propterea Antonii naves exiguæ erant; sed a Prudentio cymbis tenuibus, fragilibusque phaselis, et a Propertio baridibus, hoc est, navigiolis Ægyptiacis comparantur, quod maxima facilitate a classe Augusti fuerint dejectæ. Imo Dioni Floroque non invitus assentiar, Antonii naves fuisse majores. Virgilius tam naves Augusti quam Antonii turritas appellat lib. VIII: *Pelago credas innare revulsas Cycladas, aut montes concurrere montibus altos: Tanta mole viri turritis puppibus instant.* Verum ne quid dissimulem, Prudentius videtur affirmare Augusti liburnas majores fuisse navibus Ægyptiacis Antonii: quærit enim causas cur Augustus sine auxilio deorum Antonium vicerit. Consule Schefferum de navium Variet., et Vossium de trirem. et liburn. Construct.

531. Vide Propertium nuper laudatum, Virgilium loco indicato, et S. Augustinum lib. VIII Confess., cap. 2: *Omnigenum deum monstra, et Anubem latratorem, quæ aliquando contra Neptunum, et Venerem, contraque Minervam tela tenuerant, et a se victis jam Roma supplicabat*, etc. Agit eo loco Augustinus de Victorino rhetore ad fidem in senectute converso, qui antea cum tota fere Romana nobilitate ea monstra defenderat.

532. Urb., Sich., nonnulli Heinsiani *ductor exercitus.* Suspicatur Heinsius *ductorem exercitus ardens*, quod non probo.

533. Alex., *miserat Alcidus:* pro qua scriptura Weitzius Aldum appellat: quia scilicet non advertit, in emendatis Aldum substituisse *Algidus.* Heinsius Aldum habere ait *gelido quam miserat Alcidus axe:* ego in Aldo invenio *quem miserat Algidus.* Cauchius in suis libris reperit *gelido quem miserat arctos ab axe*, et de Maximo tyranno accepit, qui adversus Theodosium ex Occidente expeditionem infeliciter suscepit. At nemo non videt adhuc sermonem continuari de pugna Actiaca. Alter Rott., *boreæ quem miserat algidus axis*, quod secutus est Heinsius, quia de Algido monte nugæ sunt. Eodem fortasse respicit Sich., *gelido quem miserat algidus axis.* Heinsio adhærent Cham., Cell., Teol. Verum Rat., Urb., Ald., Weitz., Gis., aliique, *gelido quem miserat Algidus axe*, ut intelligatur mons Algidus XX lapidibus ab Urbe distans: et Grangæus conjecturam addit liburnas Augusti ex ligno hujus montis fuisse ædificatas: nam Horatius lib. III, oda 23, ait: *Nam quæ nivali pascitur Algido Devota, quercus inter et ilices.* Idem Horatius lib. I, oda 21: *Et nemorum coma Quæcunque aut gelido prominet Algido.* Gronovius, cap. 5 Observat. eccles., lectionem Rottendorphii præfert, *boreæ quem miserat algidus axis*, quia Italia Ægypto opposita in septentrionem spectat. Mihi magis arridet communior codicum lectio, *gelido quem miserat Algidus axe.* Ut enim supra Samnites et Marsos nominavit, sic nunc Algidum, montem nivalem et gelidum appellat, ut gentem robustam significet, quam molli exercitui Antonii opponat.

534. Arnobius lib. VI: *Militari sub galea puellula delitescens.* Lacedæmonios Venerem pinxisse armatam refert Lactantius lib. I, cap. 20, schemata Veneris armatæ et victricis exhibet Montfauconius.

535. Sich., Gis. ad oram, Weitz., *vexere auxilium.* Alii, *venere auxilio.*

536. Vat. A, Pal., *ex patria.*

A

Sed dicis, legisse deos, ubi sanctior usus
Templorum cultu celebri sine fine maneret,
Æneadumque ultro victricia signa virorum
Regis amore Numæ, nullo cogente, secutos.
Num Diomedis item tentoria, et acris Ulyssi
Castra volens Pallas, cæsis custodibus arcis,
Legit, ubi humenti sudaret mœsta sigillo?
811 Aut quoties ductor Macedum fortissimus [altos
Templorum cineres victis cumulavit Amyclis:
Optarunt prædis domini se numina capta
Misceri, Assyriæque vehi Babylonis ad arcem?
Non fero, Romanum nomen, sudataque bella,
Et titulos, tanto quæsitos sanguine, carpi.
Detrahit invictis legionibus, et sua Romæ
Præmia diminuit, qui, quidquid fortiter actum est,
Ascribit Veneri: palmam victoribus aufert.
Frustra igitur currus summo miramur in arcu
812 Quadrijugos, stantesque duces in curri- [bus altis,
Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos,
Sub pedibusque ducum captivos poplite flexo
Ad juga depressos, manibusque in terga re- [tortis,
Et suspensa gravi telorum fragmina trunco:
Si Brennum, Antiochum, Persen, Pyrrhum, [Mithridatem,
Flora, Ceres, Matuta et Larentina subegit.

GLOSSÆ VETERES.

539. Dicis, *o Symmache*, I.

540. Celebri, *venerabili*, I.

542. Numæ, *imperator fuit Romanorum, qui primus culturam deorum invenit, ut populum revocaret ab amore belli*, I.

543. Diomedis, *fabula nota est in Virgilio; cum Diomedes et Ulysses rapuerunt Palladium, ascendentes murum per funiculos, et detulerunt id in castris suis, ubi gutta sanguinis sudabat; quod erat signum tristitiæ*, Iso.

545. Legit, *elegit*.—Sigillo, *simulacro*, I.

546. Ductor, *Alexander*.—Macedum, *pro Macedonum*, I.

548. Optarunt, *obtulerunt*, *elegerunt*, I.

B

550. Non fero, *non sustineo*, *non patior*.—Sudata, *elaborata*, I.

551. Titulos, *honores*.—Carpi, *vituperari*, I.

552. Detrahit, *o Symmache*.—Legionibus, *Romanorum*, I.

553. Diminuit, *scilicet qui talia dicit*, I.

555. In arcu, *in fornice, in cujus summitate quadrijugos currus sculpebant*, I.

557. Fabricios, *duces Romanorum nobilissimos commemorat hic*, I.

561. Brennum, *ducem Gallorum*.—Antiochum, *regem Syriæ*.—Persen, *regem Macedonum*.—Pyrrhum, *regem Epiri*.—Mithridatem, *regem Ponti*, I.

562. Flora, *dea*, I.

COMMENTARIUS.

540. Rat., Fabr., *cultu celebris*.

544. Jureti codex, Ald., Vat. A, Alex., Urb., Cauch., Heinsiani plerique, Pal., *custodibus arcis*. Rat., *custodibus ultro: Legit*. Gis., Weitz., alter Rott., et Boher. *cæsis custodibus, ultro Legit*. Primam lectionem confirmat locus, et versus Virgilii, quem Prudentius imitatur, lib. II Æneid., *Palladium cæsis summæ custodibus arcis*.

C

545. Ald., Fab., Thuan. et vetustiores Heinsii, Alex., Urb., Vat. A, *legit, ubi*. Sich., Gis. ad oram 1 ed., Rat., Weitz. cum suis *legit, ut*. Vat. A, vitiose, *sugillo* pro *sigillo*. Prudentius alibi etiam *sigillo* pro statua usus est; hic autem omnino proprie pro Palladio, de quo Apollodorus Biblioth. lib. III. A cœlo hoc delapsum est, et Ilo regi traditum. Erat autem magnitudine tricubitale, habitu quasi ingredientis, dextra hastam sublatam præferebat, sinistra fusum et colum; cujus historiam fuse narrat Apollodorus. Prudentius respicit Virgilii locum cit.: *Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus Sudor iit*.

546. Vat. A, *altus*, non bene, pro *altos*. Vetustiores Heinsiani cum Oxon., Rott. priore, *ductor Macetum*, quod tenent recentiores, non male, quandoquidem *Macedo* et *Maceta* eadem gens est.

D

547. Sich., Gis. 1 ed. ad oram, Fabr., Bong., Cauch., *cumulavit ab Indis*. Heinsius suspicabatur *Aphidnis*, quæ Lacedæmoniæ ditionis; agit enim de bello quod Alexander Magnus cum Lacedæmoniis gessit. Agnovit autem, sic etiam *Amyclis* esse locum. Revera ita plerique legunt, et, ut Lacedæmon urbs est Peloponnesi regia Menelai, ita Amyclæ urbs etiam Peloponnesi. Tindari regia, Castoris et Pollucis patria. Aphidnarum obscurius apud veteres scriptores est nomen.

548. Egm., *dominis*, non ita bene.

549. Fabr., Gis. ad marg., *Assyriaque vehi Babylonis ab arce*. Bong., *Assyriæque vehi Babylonis ab arce*. Melius *ad arcem*. Babylone exstinctus est Alexander.

550. De hac phrasi *sudataque bella* vide hymn. 2 Cath., vers. 76.

553. Alii *deminuit*, alii *diminuit* scribunt. Quærat aliquis annon eadem ratione præmia diminuant, qui, quidquid fortiter actum est a Christianis militibus, ascribunt peculiari auxilio Dei. Verum Christiani, qui ultro fatentur nihil se habere quod a Deo non acceperint, multo magis ejusdem beneficentiæ libenter attribuunt quidquid peculiari ejus auxilio factum esse constiterit. Neque tamen idcirco bona hominum opera, quæ libere ab ipsis efficiuntur, gloria ac præmio carent.

554. Quod ait de Venere, de aliis quoque diis intellige: quanquam Veneris victricis templum Romæ a Pompeio dedicatum fuit, et imperatores Veneri victrici suas victorias passim ascribebant, cujus rei memoria exstat in nummis veteribus.

555. Rat., alter Rott., Weitz., *summa miramur in arce*. Plerique, *summo miramur in arcu*. Jureti codex, *mirantur*. Heinsius ait *arce* de Capitolio posse intelligi, *arcu* arcus triumphales designare. Vide etiam quæ de arcu et arce notavi ad vers. 525 Apoth.

556. Pal., Egm., *quadrijugo*, mendose. Juvenalis sat. 8, vers. 3: *Et stantes in curribus Æmilianos*.

558. Statuæ triumphales fingebantur, hostibus ad pedes jacentibus, et prostratis, ut adhuc cernere licet. Statius in Equo Maximo: *Vacuæ pro cespite terræ Ænea captivi crinem terit ungula Rheni*. Propertius lib. IV, eleg. ultima: *Sub quorum titulis, Africa tonsa, jaces*. Tituli sunt inscriptiones basis.

559. Jureti codex, *depressis*, minus bene.

560. Tropæa proprie erant corpora trunca cum spoliis, qualia hodieque exstant Romæ ante Capitolium, et Mario erecta dicuntur. Turres etiam, aras et columnas pro tropæis antiqui adhibebant, imo truncos rudes arborum, quibus spolia suspendebant: quæ omnia fuse explicata vide in notis Ouzelii ad Minucium, pag. 229, ubi explicat Minucii verba: *Tot de diis spolia, quot de gentibus et tropæa*.

562. Vat. A, *Flora, Ceres, Matuta*. Alii, *Flora, Matuta, Ceres*. Egm., Alex. a prima manu, *Larentina*, quod melius Heinsio videtur quam *Laurentina*. Weitzius Egmondano imputat *Larventina;* rectius

His tamen auspicibus successus dextra dederunt A
Omina lætificos, et felix affuit ales.
Quid sibi vult virtus, quid gloria, si Corvinum
813 Corvus Apollineus penna, vel gutture juvit?
Sed tamen hic corvus cur defuit exitiali
Forte die, infaustas tegerent cum funera Cannas,
Oppeteretque super congesta cadavera consul?
Cur Cremeræ in campis cornice, vel oscine parra
Nemo deum monuit perituros Marte sinistro
Tercentum Fabios, vix stirpe superstite in uno?
814 Nullane tristificis tritonia noctua Carris
Advolitans, præsto esse deam prænuntia Crasso
Prodidit? aut Paphiam niveæ vexere columbæ,
Cujus inauratum tremeret gens Persica limbum?
Sed video, quæ te moveant exempla vetustæ
Virtutis: dicis, domitum terraque, marique
Orbem: res lætas, et prospera quæque retexis:
Mille triumphorum memoras ex ordine pompas,
Ductaque per mediam spoliorum fercula Romam.
Vis dicam, quæ causa tuos, Romane, labores
In tantum extulerit? queis gloria fotibus aucta

GLOSSÆ VETERES.

563. His, *o Symmache*.—Successus, *prosperitates*, I. B

564. Lætificos, *jucundos*.—Ales, *aquila, quia in auspicio felix erat*, Iso.

565. Si, *pro non*.—Corvinum, *dux Romanorum fuit, qui, cum hostibus premeretur, Apollo misit ei corvum in adjutorium, quo liberatus est*, I.

566. Apollineus, *qui Appollini consecratus est*. — Penna, *volatu*. — Gutture, *voce*. — Juvit, *in bello*, I.

568. Cannas, *ignobilis vicus Apuliæ, sed magnitudine cladis famosus emersit, ubi famosissimum bellum illud fuit, quando Hannibal nobilitatem Romanorum interfecit*, I.

569. Oppeteret, *moreretur*. Cadavera, *corpora*. — Consul, *Paulus*. I.

570. Cremeræ, *civitas Italiæ*. — Oscine, *augurio, ab ore et cano; avis augurium quærebat, quando cum Hannibale pugnavit*. — Parra, *avis malo omine*, I.

571. Sinistro, *adverso*, I.

572. Fabios, *qui omnes interfecti sunt, uno tantummodo superstite, qui postea magnus Fabius dictus est*. — Superstite, *remanente*, Iso.

573. Tritonia, *quia Minervæ est consecrata*. — Noctua, *ideo Palladi est consecrata, quia nocte videt; et Pallas, quæ sapientia dicitur, nullis tenebris offuscatur*. — Carris, *populis*, I.

574. Crasso, *duci, consuli*, I.

575. Paphiam, *Venerem*. — Columbæ, *sub tutela Veneris erant*, I.

576. Tremeret, *timeret*.—Limbum, *ora vestimenti*, Iso.

578. Domitum, *subjugatum*, Iso.

581. Fercula, *mensas, sustentacula*, Iso.

582. Romane, *o Symmache*, I.

583. Fotibus, *nutrimentis*. — Fortibus, *principibus, nutrimentis, vel auxiliis*, I.

COMMENTARIUS.

Heinsius legerit *Larentina*. Hæc fuit uxor Faustuli, C nutrix Remi et Romuli, cujus in honorem *Larentalia* sunt instituta. *Matuta* dea, quæ præest tempori matutino. Hanc lectio Vat. A magis accedit ad rationem metri, ideoque a nobis præferenda est.

564. Meursius in nonnullis vulg. invenit *omnia*, ac recte monuit in notis ad Arnob. corrigendum *omina*. Prævenerat Aldus, quem secutus est Weitzius. *Omina* confirmant nostri, meliores Heinsiani, et codex Jureti.

566. Livius lib. VII, cap. 25, historiam hanc narrat. Corvus pro Marco Valerio pugnans Gallum hostem rostro, unguibus alisque turbabat: cur autem Prudentius dicat *vel gutture*, ratio peti poterit ex cantu augurioque corvi, quasi crocitans in Gallum insiluerit. Virgilius I Georg. vers. 410: *Corvi presso ter gutture voces, Aut quater ingeminant*; et vers. 423: *Et ovantes gutture corvi*.

568. *Funera* pro corporibus defunctorum nonnunquam sumuntur.

569. Florus de hac strage lib. II, cap. 6: *Paulum puduit, Varro non desperavit*.

570. Rat., Urb., Widm., Bong., *partha*. Fabr., *parta*. Latinius etiam videtur invenisse *parta* in Tornæs., pro quo substituit *parra*, ut plerique scribunt. Nonnulli habent *parrha*, quod perinde est. Juretus, nescio ubi invenerit, *parca*. Cantus parræ injucundissimus est. Horatius lib. III, od. 27: *Impios parræ recinentis omen Ducat*. Aves *oscines* dicuntur, quæ ore augurium faciunt, ut *alites*, quæ alis. Glossa ait *Cremeram* esse civitatem; fluvium Tusciæ plerique dicunt esse, et fortasse et flumen et oppidum hujus nominis fuerit. Fabios, qui perierunt, alii tercentum sex numerant: sed plerumque numerus rotundus ponitur etiam ab iis qui diversitatem aliquam inesse sciunt. Ovidius aliquando trecentos dixit, aliquando trecentos sex. Poetarum in his major est licentia: serviunt enim ipsi suis numeris. Juvenalis utramque hanc cladem conjunxit sat. 2 lib. I: *Quid Cremeræ legio, et Cannis consumpta juventus?* Romæ anno 1784 prodiit *Lettera sopra l' uccisione dei 306 Fabj*. Auctor anonymus conjecturis probat non omnes fuisse e familia Fabiorum, sed plerosque ad eam tantum pertinuisse aut ob consanguinitatem, aut ob clientelam, aut quavis alia ratione.

571. Jureti codex, *novit*, Vat. A, *juvit*: lege *monuit*. Nullus deorum monuit, cornice vel parra oscine, tercentum perituros. Aldus male interpungit *parra*. *Nemo deum*. Notanda est phrasis *nemo deum*: de homine solet dici *nemo*, scilicet *ne homo*. Prudentius etiam dixit *nemo dies* in Romano vers. 744, quod non reperio ab alio usurpatum. Virgilius lib. IX, vers. 6: *Turne, quod optanti divum promittere nemo Auderet*.

573. Alex. scribit *Carrhis*, Urb. et Ald. *Carris*, Rat. *Charris*. Ad Carras Crassus a Parthis disjectus fugatusque est: de qua strage obvii sunt historicorum libri. Carræ vero non sunt populi, ut ait glossa, D sed urbs Mesopotamiæ a fluvio cognomine nuncupata. Nonnulli Carras urbem Arabiæ esse dicunt.

576. Ald., Urb., *lembum*, et Grangæus interpretatur baltheum. Cauchius exponit de Veneris cæsto: invenerat autem in suis membranis *libum*. Fabr. legit *nimbum*, scilicet splendorem, qui cum numinibus semper est, ut ait Servius. Vetustiores codices nostri, et Heinsiani, *limbum*. Rat. scribit *lymbum*. Pro *Persica* fortasse legendum *Parthica*, quanquam Parthi eo tempore Persarum imperio potiebantur.

578. Urb., Weitz., *dices*; Rat., *dicens*; Alex. e alii edd. et mss., *dicis*.

579. Rat. recenti manu, prioribus abrasis, *cuncta* pro *quæque*. Idem, *retexit*; supra, *retexis*.

581. *Fercula* solent dici missus carnium; aliquando pegmata, ubi feruntur spolia ad triumphi pompam. Hac eadem significatione *fercula* posuit Plinius in Panegyrico Trajani, ubi triumphum graphice describit.

583. Ald., Alex., Gis. et alii, *fortibus*. Rat., Urb.,

Sic cluat impositis, ut mundum frenet habenis?
Discordes linguis populos, et dissona cultu
815 Regna volens sociare Deus, subjungier uni
Imperio, quidquid tractabile moribus esset,
Concordique jugo retinacula mollia ferre
Constituit, quo corda hominum conjuncta teneret
Relligionis amor : nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes.
Sola Deum novit concordia, sola benignum
Rite colit tranquilla Patrem : placidissimus illum
Fœderis humani consensus prosperat orbi,
Seditione fugat, sævis exasperat armis,
Munere pacis alit, retinet pietate quieta.
Omnibus in terris, quas continet occidualis
Oceanus, roseoque aurora illuminat ortu,
Miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armabatque feras in vulnera mutua dextras.
Hanc frenaturus rabiem Deus, undique gentes
Inclinare caput docuit sub legibus iisdem,
Romanosque omnes fieri, quos Rhenus et Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Iberus,
816 Corniger Hesperidum quos interlabitur, et quos
Ganges alit, tepidique lavant septem ostia Nili.
Jus fecit commune pares, et nomine eodem
Nexuit, et domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus haud secus, ac si
Cives congenitos concludat mœnibus unis
Urbs patria, atque omnes lare conciliemur avito.
Distantes regione plagæ, divisaque ponto
Littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum,
Et commune forum, nunc per commercia, et artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii : nam sanguine mixto

GLOSSÆ VETERES.

584. Habenis, *legibus*, I.
589. Quo, *ut*, I.
590. Copula, *amicitia*, I.
594. Prosperat, *placat*, I.
596. Alit, *nutrit*, Iso.
599. Bellona, *dea belli*, Iso.
602. Iisdem, *unis scilicet Romanorum*, I.
603. Ister, *Danubius*, I.
604. Tagus, *fluvius Thraciæ in quo aurum sumitur.* — Aurifluus, *aureas arenas habens.* — Iberus, *fluvius Hispaniæ*, I.
605. Corniger, *Eridanus, vel Padus*, I.
609. Haud secus, *non aliter.* — Ac, *quam*, I.
610. Congenitos, *simul genitos*, I.
611. Lare, *igne, vel domo.* — Conciliemur, *congregemur.* — Avito, *patrio, antiquo*, I.
613. Vadimonia, *mercimonia*, I.
615. Genialia, *voluptuosa, vel nuptialia.* — Fulcra *lectos*, I.

COMMENTARIUS.

Widm., alter Rott., duo Boher., *fotibus*, quod Weitzius aliique postea in edd. secuti sunt. Iso utramque lectionem agnoscit. Rittershusius ad oram libri sui adjecerat *fontibus;* tum alius suspicetur *fontibus orta.* De phrasi *in tantum* dictum est ad vers. 153 Hamartig.

584. Rat., *sic cluet.* Bong. et Widm., *quis valet;* supra, *cluat.* Sich., *sic valet.*

591. Arator lib. I Hist. apost. : *Ecce tot egregiis unum cor inesse catervis Cernitis, utque animam populus nanciscitur unam.* Eamdem sententiam Prudentius promovet in hymno S. Laurentii, neque video quid melius possit excogitari ad religionis sub uno capite unitatem persuadendam.

593. Vat. A, mendose, *placidissimum.*

594. Widm. supra, Gis. 1 ed. ad oram, Urb., *seminis humani*, non ita probe. Codex Jureti Vat. A, Egm., Pal., *orbem.* Alii, *orbi.*

597. Rat. recenti manu, prioribus erasis, *in terris, occasu quas vagus ambit.* Alex., Oxon., Thuan., prior Boher., *quas distinet occidualis.* Ald., Vat. A, Rat., Urb. et vett. edd., *quas continet occidualis.* Heinsius et recentiores, *destinet.*

598. In Vat. A, desideratur conjunctio *que* post *roseo.*

600. Alex., Vat. A, Ald., Weitz. cum plerisque suis, *armabatque.* Bong., Gis., Urb., Fabr., *armaratque.* Heinsius Giselino adhæsit, sed varietatem lectionis non indicavit. Rat., *armaratque ferens;* supra, *feras.* Sed Marietto placebat *ferens*, ut ibi est sine ulla litura, non *feras*, quod aliena manu superpositum.

604. Iso Tagum accipit pro fluvio Thraciæ. Fortasse legendum *Lusitaniæ.* Tagum auriffuum Hispaniæ flumen esse omnes consentiunt, neque de alio Tago flumine quidquam audivi.

605. Rat., corrupte, *coniger Hesperidum.* In eodem sciolus recens, prioribus erasis, hæc e sua penu adjecit, *Hesperidum quos labitur inter aquarum Regnator, tepidique lavant septem ostia Nili. Quos alit et Ganges, solus qui tendit ad ortum Fontibus incertis patulum diffusus in amnem.* In Widm. male est *et quas* pro *et quos.* Videtur indicari Tiberis, de quo Virgilius lib. VIII, *Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.* Fluvii a poetis *corniger*i dicuntur. Cornua fluminum apud Virgilium, Lucretium, Ovidium et alios sunt flexus et cursus obliqui. Alii aliter explicant, nec desunt qui opinentur vim aquarum cornibus indicari, ut potentiam in sacris Litteris.

606. Alex. scribit *Ganges*, alii *Gangis, ut Joannis, famis.* Gis. in 2 ed., *trepidique :* rectius in 1, *tepidique*, cum aliis edd. et mss., et Nilus quidem *tepidus* dicitur a Juvenale, Propertio et aliis, quia nivibus æstu dissolutis Ægyptum inundat.

611. Gis. in textu, *concilientur;* ad oram, *conciliemur*, cum scriptis. Egm., *concilianur.* Roma communis patria dicitur a Cicerone, Seneca Philosopho, Claudiano, Symmacho et aliis. Ita etiam appellatur lege 33, D, ad municip., et lege 4, D, de exc. tut. : et hæc est ratio cur Ulpianus scribat in lege 7, D, de interd. et releg., constitutum fuisse eum cui patria interdictum erat etiam Urbe abstinere debere. Claudianus, in de Laudibus Stiliconis, plura his versibus consona effert.

615. Geniales lecti proprie dicebantur, qui puellis nubentibus sternebantur.

616. Juretus in quadam scheda invenerat *æterni ad jus connubii*, quam lectionem merito rejicit. Ulpianus lib. Regularum, tit. 5, scribit cives Romanos cum civibus Romanis habere connubium, cum Latinis autem et peregrinis, si concessum esset. Idem antiquus mos constat ex Seneca lib. IV de Benef., cap. 35, *Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti. Non est mihi cum extraneo connubium. Eadem me lex defendit, quæ vetat.* Exstant

817 Texitur alternis ex gentibus una propago. A
Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
Romani imperii : Christo jam tum venienti,
Crede, parata via est : quam dudum publica nostræ
Pacis amicitia struxit moderamine Romæ.
Nam locus esse Deo quis posset in orbe feroci,
Pectoribusque hominum discordibus, et sua jura
Dissimili ratione tuentibus, ut fuit olim ?
Sic incompositos humano in pectore sensus,
Disjunctasque animi turbato fœdere partes
Nec liquida invisit sapientia, nec Deus intrat.
818 At si mentis apex, regnandi jure potitus,
Pugnacis stomachi pulsus, fibrasque rebelles
Frenet, et omne jecur ratione coerceat una,
Fit stabilis vitæ status, et sententia certa
Haurit corde Deum, domino et subjungitur uni.

En ades, Omnipotens, concordibus influe terris:
Jam mundus te, Christe, capit, quem congrege nexu
Pax, et Roma tenent : capita hæc, et culmina rerum
Esse jubes, nec Roma tibi sine pace probatur.
Et pax ut placeat, facit excellentia Romæ,
Quæ motus varios simul et ditione coercet,
Et terrore premit : nec enim spoliata prioris
Robore virtutis senuit, nec sæcula sensit,
Nec tremulis, cum bella vocant, capit arma lacertis,
Nec tam degeneri venerandis supplicat ore
Principibus, quam vult prænobilis ille senator,
Orandi arte potens, et callida fingere doctus,
B Mentitumque gravis personæ inducere pondus:
Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.

GLOSSÆ VETERES.

621. Moderamine Romæ, *Roma hoc moderante*, I.
624. Ut fuit, *præterito tempore, nam ante feroces homines erant*, I.
625. Incompositos, *turbatos*, I.
628. Mentis apex, *nus græce*, Iso.
632. Haurit, *sumit*, I.
633. En, *invocat Christum*, I.
634. Congrege, *conjuncto*, I.
635. Capita, *principatum*, I.
636. Probatur, *placet*, I.
642. Supplicat, *adulat*, I.
645. Inducere, *scilicet sibi*, I.
646. Ut tragicus, *quando enim aliquid blasphemiæ dicebant, largius ora tegebant, ne agnoscerentur.* — Ligno, *quod vulgo schema dicitur*, I.

COMMENTARIUS.

autem monumenta connubii civibus Romanis cum barbaris et exteris concessi : quæ concessio nunc *dispensatio* diceretur. E verbis Prudentii colligunt interpretes ætate Prudentii exolevisse priscum morem quo peregrini a jure connubii Romani arcebantur, atque ita affirmat Juretus ad hunc locum. Verum distinctione opus est : nam Macrobius, qui eodem ævo scribebat, tradit cum Romanis nullam peregrinos habere consuetudinem. Et in cod. Theod. lib. III, tit. 14, exstat constitutio Valentiniani qua statuit nulli provincialium, cujuscunque ordinis aut loci fuerit, cum barbara uxore esse conjugium, nec ulli gentilium provincialem feminam copulari oportere; quod si tales nuptiæ exstiterint, capitale minatur supplicium : quæ est lex unica ejus tituli lata anno 570. Ubi gentiles non sunt infideles aut pagani, sed barbari et speciatim ii qui ex variis gentibus se ad Romanum imperium contulerant. Gothofredus rejicit opinionem eorum qui putant ex famosa Antonini constitutione, quæ memoratur in I. orbe Romano 17, D, de statu hom., barbaros omnes qui in exercitus Romanos recepti fuissent, civium Romanorum numero habendos fuisse. Prudentius externi jus connubii, tanquam aliquid novum et Evangelii recepti fructum, commemorat. Post Valentinianum ejusmodi nuptiæ ex rescripto peti et indulgeri cœperunt; et lex ipsa Valentiniani, utpote abolita, a Triboniano omissa est. C

621. In editione Parmensi *paci* pro *pacis* error est contra metri legem.

622. Heinsius edidit *possit*; sed cum alii edd. et mss. habeant *posset* et id magis sententiæ congruat, puto excidisse *possit* pro *posset*. Chamillardus, Heinsium secutus, edidit *possit*.

623. Aldus edidit *rectoribusque hominum*, quod cum esset metro repugnans, correxit *principibusque*. Vera lectio est *pectoribusque*.

627. Sapient. I, 4 : *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

628. Egm., Vat. A a prisca manu, *ut si*.

633. Ald., *una ades*. Alii, *en ades*.

635. Rat., *pax, et Roma tenet.*

641. Florus, lib. I, cap. 1, de Roma : *Inertia Cæsarum quasi consenuit, atque decoxit, nisi quod sub Trajano principe movet lacertos.*

646. Vat. A, mendose, *ora caveto.* Virgilius, lib. II Georg. : *Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.* Vide Bulengerum, de Theatro lib. I, cap. 45. Tragicus cantor est histrio tragœdus ; cantor pro histrione ponitur, ut aliqui putant, ab Horatio in Arte poetica : *Donec cantor, Vos plaudite, dicat.* Æschylus primus introduxit personam in theatro, sive vultum fictum e ligno cavato, cujus per hiatum verba audiri possent. Vide Ficoronum de Larvis scen.

647. *Hiatus* de tragœdis a Juvenale, Persio et aliis dicitur, et proprie de hiatu personæ. Juvenalis sat. 3: *Cum personæ pallentis hiatum In gremio matris formidat rusticus infans.* Personas et cætera histrionum ornamenta describit Lucianus lib. de Saltat. Grangæus ait alios habere *carmen anhelet*; sed melius esse *crimen*, quia in tragœdiis gentilium quot carmina, tot sunt crimina, ita ut eleganter dixerit tragicos cantores non tam carmina quam crimina anhelasse. Ego libenter D adoptarem *carmen*, si idoneos auctores haberem; et favet Juvenalis similis locus sat. 6, vers. 635 : *Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.* Quod vetus scholiastes interpretatur, *Tragœdiam scribimus.* Vides *carmen, grande, hiatu*, quæ voces in versu Prudentii videntur transcriptæ : nam pro *bacchamur* recte positum est *anhelet*. Neque video cur omnia tragœdiarum gentilium carmina dicenda sint crimina. Hoc retenta communi lectione, *crimen* accipio non de carmine, sed materia ipsa tragœdiæ, quæ plerumque in grandi aliquo crimine versatur. Post hunc versum verba succedunt Symmachi : *Romam nunc putemus assistere, atque his vobiscum agere sermonibus. Optimi principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Utar cæremoniis avitis : neque enim pœnitet. Vivam more meo : quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit. Hæc sacra Annibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt. (Ad hoc ego servata sum, ut longæva reprehendar? videam, quod instituendum*

819 Si vocem simulare licet, nempe aptior A ista
Vox Romæ est, quam nunc ejus sub nomine promam.
Quæ, quia turpe putat templorum flere repulsam,
Ægidaque in dubiis pro se pugnasse periclis
Dicere, seque gravem senio inclinante fateri,
Ductores complexa suos, sic læta profatur :
O clari salvete duces, generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam flavescere rursus
Canitiem : nam cum mortalia cuncta vetustas
820 Imminuat, mihi longa dies aliud parit ævum.
Quæ vivendo diu didici contemnere finem.
Nunc nunc justa meis reverentia competit annis :
Nunc merito dicor venerabilis, et caput orbis,
Cum galeam sub fronde oleæ, cristasque rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula serto,
Atque armata Deum sine crimine cædis adoro.
Crimen enim, piget heu ! crimen persuaserat atrox
Juppiter, ut sacro justorum sanguine tincta,
Assuetum bellis scelerarem funere ferrum.
Illius instinctu primus Nero, matre perempta,
Sanguinem apostolicum bibit, ac me strage piorum
Polluit, et proprium facinus mihi sævus inussit.
Post hunc et Decius, jugulis bacchatus apertis,
Insanam pavit rabiem : mox et sitis arsit
821 Multorum similis, per vulnera tristia flagrans,
B Extrahere insignes animas, ac ludere pœnis.
Undantesque meum in gremium diffundere mortes,
Et sub jure fori non noxia colla secare.
Hac me labe ream modo tempora vestra piarunt.

GLOSSÆ VETERES.

649. Promam, *proferam*, I.
650. Repulsam, *repulsionem*, I.
651. Ægida, *capra nutrix Jovis, cujus pellem postea pro scuto habuit brevi*, I.
654. Generosa, *nobilis*, I.
655. Principis, *Constantini*. — Renascens, *per baptismum*, I.
656. Flavescere, *juvenescere, albescere*, I.
659. Finem, *mortem*, I.
662. Fronde oleæ, *sub pace*, I.
663. Fera, *bellica*. — Cingula, *arma*. — Serto, *corona*, I.
664. Armata, *signo crucis*, I.
666. Tincta, *maculata*, I.
667. Scelerarem, *polluerem*. — Funere, *morte*, I.
668. Illius, *Jovis*. — Instinctu, *suasione*, I.
669. Apostolicum, *Petri et Pauli*, I.
670. Inussit, *in me convertit : inurere est culpam propriam in alium transferere*, I.
671. Hunc, *Neronem*. — Jugulis, *interfectionibus martyrum*, I.
C 674. Ludere, *id est ludebant*. — Pœnis, *Christianorum*, I.
675. Diffundere, *diffundebant*, I.
676. Jure, *lege publica*. — Non noxia, *innoxia*. — Secare, *secabant*, I.
677. Piarunt, *purgabant*, I.

COMMENTARIUS.

putatur ? Sera tamen et contumeliosa est emendatio senectutis. Ergo diis patriis, diis indigetibus pacem rogamus.) Verba uncis inclusa desunt in Aldo et aliis, exstant apud Giselinum et Heinsium. Codex Vat. A corruptissimus est in his aliisque Symmachi verbis. Scribit *reverimini* pro *reveremini*, et post *in quos* omittit *me*. Alter Rott. habet *reveremini canos meos*.

651. Jupiter ægida scutum suum Palladi donavit, cui illa caput Medusæ imposuit. Hic intellige Jovem et Pallada, vel potius deos omnes.

653. Vat. A, Rat. a prima manu, *fatetur*. Cauch., *profetur* ; lege *profatur*.

655. Theodosius Magnus hic laudatur, non Constantinus : nam hujus filii non erant Honorius et Arcadius. Hinc etiam arguitur, principem qui libro I Romam alloquitur fuisse Theodosium.

658. Rat., *aliud parat ævum*.

659. Vat. A, *quæ videndo*, recenti manu recte factum *vivendo*.

661. S. Leo serm. 1 in natali SS. apostolorum Petri et Pauli : *Per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina quam dominatione terrena*. Prosper Carm. de Ingratis in princ.: *Sedes Roma Petri quæ pastoralis honoris Facta caput mundo, quidquid non continet armis, Relligione tenet*.

665. Rat., *persuaserit*, non recte.

667. Ald., *belli*. Vat. A, *scelerare*. Pal., *scelerarei*. Alex. a prima manu, *fenere* ; a secunda manu, *funere*. Ald., Gis. ad oram, *in funere*. Legendum *bellis scelerarem funere*. Ferri potest *in funere* et *belli*.

670. Fortasse Prudentius alludit ad incendium Neronianum.

671. Weitzius Aldum allegat pro *post hæc* ; alium fortasse voluit indicare, nam in Aldo lego *post hunc*. Decius septimam persecutionem, ut vulgo numerant, excitavit, sed plane crudelem et Neronianæ simillimam. De persecutionibus Christianorum sub imperatoribus paganis acri judicio multaque doctrina disseruit cl. Franciscus Maria Luchinius in præfatione ad Acta martyrum Ruinartii Italice a se conversa. Undecim persecutiones distinguit et explicat, primam sub Nerone, secundam sub Domitiano, tertiam sub Trajano, quartam sub M. Aurelio, quintam sub Severo, sextam sub Maximino, septimam sub Decio, octavam D sub Valeriano, nonam sub Aureliano, decimam sub Diocletiano, undecimam sub Juliano Apostata.

672. Ald., *mox hæc sitis*.

674. Egm., Gis. ad oram, *et trahere*. Giselinus in notis ait tolerari posse *extrahere*, se tamen malle lectionem sui codicis et editionis Daventriensis, ut per vulnera tristia animas trahere idem sit quod ludere pœnis. Vat. A, mendose, *extraxere*. *Ludere pœnis* quibusdam cruciatibus Christianorum satis apte congruit. Tacitus lib. XV Annal. cap. 44 : *Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur*.

675. Alex. cum aliis, *defundere*. Urb. aliique, *diffundere*. Virg. X Æneid. in fine : *Undantique animam diffundit in arma cruore*. Hic etiam locus est animadvertendi audaciam illorum qui magnum fuisse SS. martyrum numerum negant.

Vivo pie vobis auctoribus, impia pridem
Arte Jovis fateor : quid enim non ille cruentum
Tradidit, aut quid mite sibi, placidumve poposcit ?
Qui, dum præmetuit cultus inolescere Christi,
Sæviit, ac miserum fœdavit sanguine sæclum.
Et sunt, qui nobis bella exprobrare sinistra
Non dubitent, postquam templorum sprevimus aras,
Affirmentque Libyn Collinæ a cardine portæ
Annibalem Jovis imperio, Martisque repulsum :
822 Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Cum super excelso pugnarent numina saxo ?
Qui mihi præteritam cladem veteresque dolores
Inculcant iterum, videant, me tempore vestro
Jam nil tale pati : nullus mea barbarus hostis
Cuspide claustra quatit : non armis, veste, comisque
Ignotus capta passim vagus errat in urbe,
Transalpina meam rapiens in vincula pubem.
Tentavit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens juratus ab Istro,
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Solvere, mastrucis proceres vestire togatos.
823 Jamque ruens, Venetos turmis protriverat agros,
Et Ligurum vastarat opes, et amœna profundi
Rura Padi, Tuscumque solum victo amne premebat.
Depulit hos equitum nimbos non pervigil anser,
Proditor occulti tenebrosa nocte pericli :
Sed vis cruda virum, præfractaque congredientum

GLOSSÆ VETERES.

680. Tradidit, *docuit*, I.
681. Inolescere, *crescere dies festos*, I.
685. Libyn, *Africanum*, I.
688. Saxo, *in Capitolio*, I.
690. Inculcant, *imputant*, I.
695. Geticus, *Radagisus, vel Alaricus*, I.
696. Istro, *Danubio*, I.
698. Mastrugis, *mastruga quasi monstruosa vestis, de pellibus facta : vocamus etiam mastrugas renones, quæ rustice crotina vocantur*, I.
699. Venetos, *Venetiæ*, I.
700. Ligurum, *Liguria regio maritima et amœna*, I.
701. Victo amne, *transito Tiberi*, I.
704. Cruda, *fortis*. — Congredientum, *pugnantium*, I.

COMMENTARIUS.

678. Vat. A, Pal., Egm. vitiose, *vobis aucta mihi impia.*

682. Vat. A, *sævit;* lege *sæviit.*

683. Ald., *qui vobis*. Hæc vetus fuit ethnicorum querela adversus Christianos. Arnobius, lib. I : *Nam quod nobis objectare consuestis bellorum frequentiam, causas, vastationes urbium, Germanorum et Scythicas irruptiones, cum pace hoc vestra et cum bona venia dixerim, quale sit istud quod dicitis, calumniarum libidine non videtis.* Etiam cum nulla jam ipsis supererat spes veterem idolorum cultum recuperandi, hujusmodi querimonias instaurabant, quas ut retunderet, S. Augustinus libros de Civit. Dei scripsit, Orosioque auctor fuit, ut libros historiarum conficeret, et calamitates quæ ante Christianismum obvenerant, singillatim notaret.

686. Prudentius Symmachi verba refellit. Annibalem fulminibus deterritum, cum Romam oppugnaret, traditum est. *Seu cœlum, seu Roma tonat*, ait Claudianus de Bello Getico.

688. Urb., Egm., Widm., Bong., scribunt *ecelso*, quod expressit Weitzius. Heinsius ait in scriptis esse *e celso*. At Alex., Rat., *excelso*, cum Ald., Gis. et aliis, et hoc ipsum puto esse *ecelso*, quamvis etiam possit dividi *e celso*. Virgilius lib. IX Æn., *Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum Accolet.*

691. Vat. A, *nullis;* emenda *nullus*.

692. Virgilius et Juvenalis *claustra portarum* dicunt : ac fere simili modo Catullus, Ovidius, Seneca. Savaro ad epist. 2, lib. I Sidonii de Gothis hunc locum interpretatur. Grangæus ait pro certo debere intelligi de Gallis, qui armis, veste comisque erant Romanis dissimiles, scilicet, Nullus barbarus hostis, ut Annibal cuspide claustra mea quatit; nullus armis, veste comisque ignotus, ut Brenni miles et Senonum exercitus, capta errat in urbe. Id magis probo.

695. Geticus tyrannus est Alaricus. Gothi *Getæ* dicebantur. Inscriptio poematis Claudiani est : *De Bello Getico, vel Pollentiaco.*

696. Etsi Gothi e septentrione venerant, tamen diu apud Istrum consederant : hinc *patrium* Istrum vocat. Innuit autem morem barbarorum, qui flumina jurabant. De eodem Alarico Claudianus carm. de Bello Getico : *Patrii numen juraverat Istri.* Fluvius numen aliquod inesse Romani etiam ac Græci in fabulis tradunt.

698. Alex., *astrucis;* supra, *mastrucis*. Rat., *mastrugis*, quod tenuit Weitzius; alii scribunt *mastrucis*, seu *mastrycis*. Mastruca vestis erat e pellibus ferarum, quam Sardis tribuit Cicero. Quintilianus lib. I, cap. 5 : *Mastruca, quod Sardum est, illudens Cicero ex industria dixit.* Ciceronis verba conservavit Isidorus. Hieronymus dialog. 1 contra Luciferian. : *Defendebat, non sine causa Christum mortuum fuisse, nec ob Sardorum tantum mastrucam Dei Filium descendisse.* Gothi hujusmodi vestibus induebantur, qui propterea *pelliti* appellantur a Rutilio et a S. Hieronymo. Turnebus, num. 312 Advers., ait mastrugam esse vestem scorteam gravissime et pessime olentem. Glossæ verbum huc trahi potest *crotina*. *Rhenones* in eadem glossa sunt vestis Germanorum propria, ut patet ex S. Isidoro, lib. XIX Etymol., cap. 23. Quamvis autem mastruca dicatur vestis propria Sardorum, rhenones sive renones Germanorum, tamen cum utraque sit e pellibus, recte hoc loco a Prudentio mastruca usurpatur. Apud S. Isidorum nonnulli legunt *Mastruca vestis Germanica;* sed non est dubium quin sit legendum *vestis Sarda*, ut arguitur ex verbis subjunctis Ciceronis, et numero 1 cap. cit. Ut autem glossa Isonis intelligatur, addam etymologiam *mastrucæ* ex Isidoro : *Mastruca autem dicta, quasi monstruosa.* De vestibus pellitis S. Paulinus carm. de Reditu Nicetæ : *Et Getæ currunt, et uterque Dacus : Qui colit terræ medio, vel ille Divitis multo bove pelleatus Accola ripæ.* Ubi in notis multa Rosweydus affert de hoc vetustissimo habitu primorum populorum.

699. Rat., Weitz., Bong., Widm., *prostraverat.* Alii, etiam Widm. supra, *protriverat.*

701. Iso Tiberim amnem intelligit : an recte, vide comment. ad vers. 719.

702. Ald., male, *hos equitum nimbus*. Alii, *hos nimbos equitum*. Claudianus in prim. consul. Stiliconis vers. 332 : *Sed didicit... non fusum crebris hastilibus imbrem, Non equitum nimbos latiis obsistere pilis.* De ansere pervigili, cujus clangore excitati Romani Gallos, nocte subeuntes, dejecerunt, agunt fere omnes poetæ historicique Romani.

704. Ald., scripti Heinsiani, Alex., Urb., Egm.,

Pectora, nec trepidans animus succumbere letho
Pro patria, et pulchram per vulnera quærere laudem.
Nunquid et ille dies Jove contulit auspice tantum
Virtutis pretium? Dux agminis, imperiique
824 Christipotens nobis juvenis fuit, et comes ejus,
825 Atque parens Stilico : Deus unus Christus utrique :
Hujus adoratis altaribus, et cruce fronti
Inscripta, cecinere tubæ : prima hasta dracones

GLOSSÆ VETERES.

708. Dux, *Constantinus*, I.

709. Christipotens, *Theodosius Arcadii filius, consul et socer Honorii.* — Juvenis, *qui juvenis erat adhuc*, I.

710. Utrique, *Constantino et Stiliconi*, I.

712. Draconis, *crucis : vox illa Romana caput draconis habens*, I.

COMMENTARIUS.

Palat., Widm., Bong., *perfractaque*. Fabr., Gis., *præfractaque*. Rat., *perfectaque*. Videtur præferendum, *præfractaque* : nam ita Virgilius XI Æneid., *Præfractaque quadrupedantum Pectora pectoribus rumpunt*.

706. Rat. a prima manu, *quærere mortem*. Virgilius lib. IX : *Et pulchram properet per vulnera mortem*; et lib. XI : *Pulchramque petunt per vulnera mortem*.

708. Glossæ de Constantino, Theodosio Arcadii filio, Honorii socero, anachronismis et erroribus scatent. Honorius *dux agminis imperiique* dicitur, non quod ipse præsens prælio Pollentino adfuerit, sed quod ejus auspicio et imperio a Stilicone, vel potius a Saule duce, ut dicam ad vers. 719, gestum fuerit. Neque longe Honorius aberat, quippe degens Ravennæ.

710. Stilico dicitur comes Honorii non tam ratione illius dignitatis, quæ ævo medio *comitatus* nuncupabatur, quam ob munus tutoris Honorii, quod Theodosius morti proximus Stiliconi commendavit, et quia Stilico duas filias, quas ex Serena Theodosii fratre genita susceperat, Mariam primo, et subinde, ea mortua, Thermantiam Honorio in matrimonium copulaverat. His pariter de causis *parens* appellatur. S. Ambrosius orat. in funere Theodosii : *De filiis enim nil habebat novum, quod conderet, quibus totum dederat, nisi ut eos præsenti commendaret parenti*. Claudianus de Tertio Consul. Honorii Theodosium morti propinquum Stiliconi ita dixisse cecinit : *Ergo age, me quoniam cœlestis gloria poscit, Tu curis succede meis, tu pignora solus Nostra fove, geminos dextra tu protege fratres..... Indue mente patrem*. Giselinus ex hoc loco conjicit Prudentium non vixisse usque ad Stiliconis proditionem et necem, quæ accidit circa annum 413, ut ipse ait, vel potius 408, ut ex historia constat. Alioqui nomen Stiliconis, quod postea e marmoribus eradebatur, in suo opere induxisset, quomodo pro *Nola* substituit *ora* Virgilius, Nolanis iratus. At neque ex omnibus marmoribus nomen Stiliconis eradi potuit, et longe difficilius est in aliquo scripto jam evulgato quidquam inducere aut mutare. Virgilius Æneidem nondum publicaverat cum decessit, adeoque membranis intus positis delere illi licuit quod non placuit. Teolius temporum rationem turbat, *Hinc*, ait, *aperte patet, ante annum* 405, *quo Stiliconis casus contigit, poetam hæc cecinisse*. Rei vero rationem falsam allegat : nam Stiliconis casus ante annum 408 non contigit. Quod autem dixi, Stiliconis nomen non ex omnibus marmoribus erasum, ex hac inscriptione patet :

FL. STILICHONI. V. C.
FLAVIO STILICHONI INLVSTRISSIMO VIRO
MAGISTRO EQVITVM PEDITVMQVE
COMITI DOMESTICORVM TRIBVNO PRAETORIANO
ET AB INEVNTE AETATE PER GRADVS CLARISSIMAE MILITIAE AD COLVMEN GLORIAE
SEMPITERNAE ET REGIAE ADFINITATIS EVECTO
PROGENERO DIVI THEODOSI COMITI DIVI
THEODOSI AVGVSTI IN OMNIBVS BELLIS
ADQVE VICTORIIS ET AB EO IN ADFINITATEM
REGIAM COOPTATO ITEMQVE SOCERO D̄ N̄
HONORI AVGVSTI AFRICA CONSILIIS EIVS
ET PROVISIONE LIBERATA EX S C

Exstat hæc inscriptio Romæ in area palatii posterioris De la Valle, quam Smetius et Manutius viderunt, et refert Gruterus pag. CCCCXII. Smetius scribit *progeneri*, Gruterus *progenero*, ut revera est in marmore quod vidi et contuli. Nunc abest primus versus, qui fortasse olim fuit in capite basis. Quædam ad archetypum correxi; nonnulla erasa sunt, vix ut legi possint. Ad eumdem Stiliconem pertinere videtur inscriptio Christiana apud Gruterum pag. MLIII, quæ incipit, C NVLATV. M. F. STILICONIS SECVNDO C̄C̄ DEPOSITVS PVER. Stilico quidem Christianum nomen profitebatur; sed ejus filius Eucherius, quem in imperio substituere conatus est pater, jam inde a puero, privatoque persecutionem Christianorum meditabatur. Alias inscriptiones ubi Stiliconis mentio occurrit, vide apud Guascum tom. III Inscript. Capitol., num. 1246, 1247, ubi nomen aliquando exaratur *Stilico*, aliquando *Stilicho*, aliquando *Stiliko*. Adeo difficile est e lapidibus veram orthographiam restituere.

712. Rat., Weitz., *draconis* : ita etiam Fabr., quem male Weitzius appellat pro *dracones*. Plerique, *dracones*; et Giselinus male *draconis* in singulari nonnullos habere ait : nam *prima hasta* labarum imperatorium intelligitur, in quo erat Christi monogramma, et nemo credet Christi apicem cum draconis effigie conjunctum fuisse. Contra Grangæus defendit et explicat lectionem *draconis*, quia mos ferendi effigies draconum in exercitu sub Christianis retentus est, sed ita ut supra ipsos dracones Christi monogramma exstaret : et ideo subjungit Prudentius *quæ Christi apicem sublimior effert*. Utraque explicatio probabilis : non autem probo rationem Giselini : cur enim non potuerit vexillis, in quibus draco esset pictus, Christi apex desuper imponi? Glossa Isonis fortasse ita poterit emendari : *Vexilla Romana caput draconis habent*. De militibus draconariis vide hymnum 1 Peristephanων. Præclarum argumentum pietatis veterum militum Christianorum ex his versibus eruitur : non enim solum altaria adorabant, scilicet Deum coram altaribus, verum etiam pugnam inituri cruce frontem signabant. S. Augustinus in psal. LXIII : *Quid times fronti tuæ, quam signo crucis armasti?* Fortasse eodem respexit Sedulius lib. I : *Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ, Arma quibus domini tota virtute geruntur, Et fixum est in fronte decus, decus, armaque porto, Militiæque tuæ, bone rex, pars ultima resto*. Solitos Christianos ab ipso nascentis Ecclesiæ initio os, pectus, præcipue vero frontem sæpius crucis signo munire, res nota est omnibus et alibi etiam a nobis exposita. Tertullianus egregie dixit de Corona milit. cap. 3, *Frontem crucis signaculo terimus*, ut frequentiam denotaret. Sagittarius, cap. 16 de Cruciat., hunc locum intelligit vel de signo crucis, saltem digito in aerem facto, vel de signaculo crucis quod Christiani veteres

826 Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior [effert.
Illic ter denis gens exitiabilis annis
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta jacent. Mirabere seris,
Posteritas, sæclis inhumata cadavera late,
Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.
A **827** Si potui manibus Gallorum excisa levare
De cinerum squalore caput, redeunte Camillo
Signa renidenti fumans si fronte recepi :
Si potui miseras sertis redimire ruinas
Et male pendentes lauro præcingere turres :
Quo te suscipiam gremio, fortissime princeps,
Quos spargam flores, quibus insertabo coronis
Atria, quæ festis suspendam pallia portis,

GLOSSÆ VETERES

713. Effert, *elevat*, I.
715. Pependit, *persolvit*. I.
717. Mirabere, *apostrophe*, I.
718. Inhumata, *dispersa*, I.
720. Manibus, *de manibus*. — Excisa, *perempta*, I.
721. Redeunte, *Romam*, I.
722. Fumans, *adhuc*, I.
723. Redimire, *ornare*, I.
724. Lauro, *victoria*, I.
725. Princeps, *Theodosi, vel Stilico, vel Constantine*, I.
726. Insertabo, *ornabo*, I.

COMMENTARIUS.

inscriptum frontibus circumferebant : ac multa unde que colligit quibus utramque hanc consuetudinem confirmet. Quibus addere juvat verba Orosii lib. VII, cap. 35, ubi Theodosii contra Eugenium pugnam describit : *Sciens vero* (Theodosius) *se esse non solum signo crucis tuendum, sed et victoriam adepturum, signo crucis se muniens, signum victoriæ dedit, ac signo crucis signum prœlio dedit, ac se in bellum, etiam si nemo sequeretur, victor futurus immisit.*

713. Gis., *sublimior offert*, ad oram *sublimiter effert*. Alii, *sublimior effert*.

714. Claudianus de bello Getico, *Unoque die Romana rependit Quidquid terdenis acies amisimus annis*. Gothi a Stilicone cæsi sunt anno 403, cum 30 ante annos imperium Romanum invasissent. Cassiodorius in Chronico perperam ad consulatum quintum Arcadii et Honorii, qui incidit in annum 402, bellum Pollentinum rejecit.

715. In Rat. hic versus postponitur sequenti *Corpora*. Sensus aliud poscit. Intelligitur *gens Pannoniæ*; erat autem duplex Pannonia, altera superior, ubi nunc pars orientalis Austriæ est, altera inferior, ubi nunc magna pars Hungariæ inferioris cum parte Sclavoniæ. Pannoniam Sirmiensem Gothorum sedem nominat Cassiodorius lib. III Variarum ad Colosseum.

716. Rat., *dicata rapinis*, contra metrum.

717. Gis. ad oram, *conjecta jacent*.

719. Claudianus loc. cit., *O celebranda mihi cunctis Pollentia sæclis*. Pollentia Liguriæ urbs nunc *Polenzo* apud Tanarum. Multi scribunt *Polentia*. Alia est Pollentia in Piceno, nunc *Monte Melone*. Omitto aliam Pollentiam in Baleari majori, nunc *Pollenza*. De Pollentia Liguriæ bellum Pollentinum intelligitur. Et Claudianus quidem de Bello Getico tradit Alaricum fusum *Ligurum regione suprema*. Sed cur Prudentius vers. 701 dixit, *Tuscumque solum victo amne premebat?* Puto Alaricum ad Tusciam et Tiberim pervenisse, et postquam inde excessisset, ad Pollentiam victum. Vide comment. ad vers. 729. Cassiodorius et Jornandes narrant Stiliconem cum exercitu Romano a Gothis Pollentiæ victum fugatumque fuisse. Verum potius fides præstanda est scriptoribus æqualibus Prudentio, Claudiano et Orosio. Et Orosius quidem post Stiliconis scelus et obitum scribebat, neque gesta apud Pollentiam laudat, vicisse tamen Romanos concedit. Ita scribit lib. VII, cap. 37 de Rufino et Stilicone : *Gentes barbaras ille immisit, hic fovit. Taceo de Alarico rege cum Gothis suis sæpe victo, sæpe concluso, semperque dimisso. Taceo de infelicibus illis apud Pollentiam gestis, cum barbaro et pagano duci, hoc est Sauli, summa belli commissa est : cujus improbitate reverendissimi dies et sanctum Pascha violatum est, cedentique hosti propter religionem, ut pugnaret, extortum est : cum quidem ostendente in brevi judicio Dei, et quid favor ejus posset, et quid ultio exigeret,* B *pugnantes vicimus, victores victi sumus. Taceo de ipsorum inter se barbarorum dilacerationibus, cum se invicem Gothorum cunei duo, deinde Alani atque Hunni variis cædibus populabantur. Rhadagaisus*, etc. Pergit narrare stragem Rhadagaisi ejusque exercitus. Existimo Orosium in illis verbis *victores victi sumus* innuere, Romanos, fovente Gothos Stilicone, ab ipso Alarico victos fuisse, cum Urbem obsedit et irrupit; nisi malis accipere de aliqua levi victoria, quam Gothi victi contra Romanos victores, et post prælium Pollentinum negligentes, obtinuerint, quod narrationi Claudiani minime consonat. Nam is in panegyr. de Sexto Consul. Honorii aliam victoriam post Pollentinum prælium a Stilicone prope Veronam partam commemorat : *Ubi Roma periclo Jam procul, et belli medius Padus arbiter ibat*. Cassiodorius et Jornandes sive, ut alii vocant, Jordanus fortasse decepti sunt, quod Orosium non bene intellexerint. Illi certe Prudentii versus aperte ostendunt ita fuisse Pollentiæ Gothos disjectos, ut Roma jam secura censeretur. C Ex Orosio colligitur etiam non ipsum Stiliconem prælio Pollentino adfuisse, sed Saulem ducem, cui summa belli commissa fuit.

721. Aldus inserit *et* post *caput*, quod tamen lex carminis respuit. Camillus Gallos Capitolium obsidentes ejecit.

722. Ald., Fab., *signa renitenti;* renuit metrum : *renidenti* est pro *ridenti*.

723. Egm., *misera;* Vat. A, *miserans;* alii, *miseras*.

724. Thuan., *lauru* pro *lauro*.

725. Ex hoc loco recte arguitur Prudentium hæc scripsisse antequam Honorius triumphasset, adeoque inter victoriam Pollentinam et triumphum Honorii, qui accidit anno 403 exeunte, ut ait Tillemontius. Grangæus ex Claudiano de Sexto Consul. Honorii arguit fuisse annum 404, cum Honorius et Aristenætus consulatum tenerent.

727. Colligit Prudentius ea omnia quæ in triumpho aliquo celebrando a populo fieri solebant, sertis redimire muros, lauro præcingere turres, spargere flores, atria coronis decorare, portis suspendere pallia. D Quæ omnia multis possent confirmari; sed res est certa, nec minus obvia et clarissima adhuc exstant, Romæ præsertim, vestigia. Victorius in Dissert. philolog. probat, olim in usu fuisse vela ex serico et auro ad ornatum, cultum et decorem alicujus ædis sacræ, arcubus, zophorisque accommodata ad modum encarpi : de quibus hoc loco Prudentius. At Prudentius de ornatu templorum nunc minime agit. Illum autem morem in ecclesiis servatum Paulinus non semel significavit, de quo videri possunt Ciampinius in opere de Sacris ædificiis, et Buonarrotius in Observation. ad sacra diptycha. Grangæus dubitat an tantum portæ triumphali, an cæteris Urbis portis pallia in triumpho suspenderentur. Conjicit tamen *portas* hic sumi pro januis, quod mihi exploratum

828 Immunis tanti belli, ac te stante sub armis
Libera, et aure tenus Geticos experta tumultus?
Scande triumphalem currum, spoliisque receptis
Huc, Christo comitante, veni: date, vincula demam
Captivis gregibus: manicas deponite, longo
Tritas servitio, matrum, juvenumque catervæ.
Dediscat servire senex, laris exsul aviti,
Discat et ad patrium limen genitrice reversa
Ingenuum se nosse puer: timor omnis abesto.
Vicimus: exsultare libet. Quid tale, repulso
Pœnorum quondam duce, contigit? Ille petitæ
Postquam perculerat tremefacta repagula portæ,
Baianis resolutus aquis durissima luxu
829 Robora destituit, ferrumque libidine fregit.
At noster Stilico congressus cominus, ipsa
Ex acie ferrata virum dare terga coegit.
Hic Christus nobis Deus adfuit, et mera virtus:
Illic lascivum, Campania fertilis, hostem
Deliciæ vicere tuæ, non Juppiter acrem
Protexit Fabium: sed juvit amœna Tarentus,
Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quæ præmia digna rependam,
Non habeo: membra statuis effingere vile est.
Virtutem nil vile decet: nam vile, quod ætas
Eripit: æra cadunt, aut fulvum defluit aurum,
Aut candor perit argenti, si defuit usus:
Et fuscata situ corrumpit vena colorem.
Viva tibi, princeps, debetur gloria, vivum
Virtutis pretium, decus immortale secuto.
830 Regnator mundi Christo sociabere in ævum:
Quo ductore meum trahis ad cœlestia regnum.
Nil te permoveat magni vox rhetoris, oro:
Qui sub legati specie sacra mortua plorans,

GLOSSÆ VETERES.

728. Immunis, *secura*, I.
731. Date, *permittite*. — Demam, *ut tollam ego Roma*, I.
732. Manicas, *ligamina manuum*, Iso.
734. Laris, *domus*, I.
738. Pœnorum, *Africanorum*. — Duce, *Annibale*, I.
739. Repagula, *vectes, pessulos*, I.
740. Baianis, *campanis*. — Luxu, *luxuria*, I.
742. At, *longe postea*. — Stilico, *socius Constantini*. — Cominus, *statim*, I.
745. Hostem, *Annibalem*, I.
746. Acrem, *fortem*, I.
747. Fabium, *unus ex tercentis*, I.
750. Statuis, *imaginibus*, I.
754. Situ, *negligentia vel vetustate*, I.
757. Regnator, *Constantine*, I.
758. Quo, *illo*, I.
759. Te, *o Symmache*, I.

COMMENTARIUS.

videtur. Etiam hæc consuetudo adhuc permanet, ut diebus solemnioribus, ecclesiarum et domorum januæ et fenestræ peristromatis et palliis ornentur.

728. Vat. A, corrupte, *accestante sub armis*.

729. Rat., Egm., Widm. a prima manu, Gis., *Alpe tenus*. Ald., Alex., Urb., Vat. A, Weitz., Thuan., præstantiores Heinsiani, Jureti codex, *aure tenus*, quod longe melius est. Vat. A, *tumultos*: corrige *tumultus*. Alaricum non procul ab Urbe fuisse ex hoc versu colligitur, uti etiam ex versu 701, *Tuscumque solum victo amne premebat*. Et Claudianus refert, mœnia Romæ, audito rumore, fuisse reparata, vi consul. Honor., *Addebant pulchrum nova mœnia vultum Audito perfecta recens rumore Getarum*. Ac revera Jordanus de Rebus Getic. narrat Alaricum ad pontem applicuisse Condiniani, qui tertio milliario a Ravenna aberat, ubi degebat tunc Honorius; a quo cum Alaricus sibi suoque exercitui Gallias Hispaniasque obtinuisset, Italia discessit, et in Alpibus Cottiis apud Pollentiam pugnare coactus est: quod videtur confirmare Orosius ad vers. 719 laudatus. Fortasse *Tuscum solum* recte intelligitur de Tuscia Circumpadana, ut ita Alaricus nulla ex parte Hetruriam ac Tiberim attigerit, et Roma aure tenus experta fuerit Geticos tumultus, quia Alaricus ad pontem Condiniani applicuerat, non ultra progressus.

730. Rat., Weitz., *spoliisque repertis*.

731. Gis. et alii vulg., *data vincula demam*. Aldus cum scriptis jam ediderat *date*, monuitque Gifanius, verbo Vestire, eleganter id dici *date, vincula demam*. Virgilius iv Æn., *Date, vulnera lymphis Abluam*. Prudentius ipse Apoth. vers. 594, *Date, pandite librum*.

733. Egm. a manu prima, *caterva*.

736. Vat. A, male *ingenium se nosse*. Ex Virgilio xi Æn., *timor omnis abesto*. Imitatus etiam id est Juvencus lib. iii, *Tum pavidis Christus loquitur, timor omnis abesto*.

739. Aldi error *postquam pertulerat*. Ante Prudentius dixit *claustra*, quæ nunc *repagula portæ*.

742. Heinsius cum suis scriptis, Rat., Weitz., Gis. ad oram, *congressus*. Ald. Vat. A, Urb., Alex. et alii *congressum*. Melius *congressus*. — Quamvis prælio Pollentino Stilico non adfuerit, dicitur tamen *congressus cominus*, quia ejus consiliis et providentia omnia gerebantur, et prælio alteri trans Padum præsens videtur adfuisse.

743. Gis. in texto, *virum*; ad oram, *virûm*. Claudianus, vi Consul. Honorii: *Ut chalybe indutos equites, et in ære latentes Vidit cornipedes: Quanam de gente, rogabat, Ferrati venere viri?* Si versu superiori legas *congressum*, constructio erit, Coegit virum, congressum cominus, dare ex ipsa acie terga ferrata. Non assequor quem sensum reddat *virûm* seu *virorum* ad marginem Giselini, et in aliis edd.

744. Gis. 2 ed., *et mea virtus*. Melius in 1 ed. cum scriptis et aliis edd., *et mera virtus*. De hac voce *mera* iterum loqui nihil est necesse.

747. Rat., Alex., Urb. aliique, *juvit amœna*, et glossa Alex. scilicet *illum*. Ald., Weitz, *vicit*, nempe Annibalem. Melius *juvit*, quod tenuit Heinsius, quamvis codicum discrepantiam non adverterit. Fabius hic est Cunctator ille celeberrimus, *Unus qui nobis cunctando restituit rem*.

749. Gifanium legere *promeritis* non semel monui et ita quidem reperitur in Alex. et Urb.

750. Vat. A, *statui*; lege *statuis*.

751. Vat. A, *nil tale decet*.

752. Heinsius ait in scriptis esse *eripit*, non *eruit*. Nescio quis *eruit* ediderit.

753. Vat. A a prima manu *defluit usus*.

756. Ald., Gis., *secuto*, cum Alex., Urb, et aliis. Id tenuit Heinsius, sed nihil ex mss. monuit. Weitzius cum suis, Rat., *secutum*. Melius est *secuto*.

759. Vat. A, *rhetoris oris*. Alex., *ore*. Alii melius *rhetoris, oro*. Mariettus hinc arguit Symmachi novam hanc fuisse legationem ad Honorium, ob quam ut responderet, hos libros ad Honorium scripsit Prudentius.

Ingenii telis, et fandi viribus audet
Heu! nostram tentare fidem: nec te videt, ac [me
Devotos, Auguste, Deo: cui sordida templa
Clausimus, et madidas sanie dejecimus aras.
Unus nostra regat, servetque palatia Christus,
Ne quis Romuleas dæmon jam noverit arces:
Sed soli pacis domino mea serviat aula.
Sic affata pios Roma exoravit alumnos,
Spernere legatum, non admittenda petentem:
Legatum Jovis ex adytis ab haruspice missum,
At non a patria: patriæ nam gloria Christus.

GLOSSÆ VETERES.

769. Non admittenda, *non recipienda*, I.
770. Ab haruspice, *ab Apolline, a magis*, I.
771. Patria, *Roma*, I.

COMMENTARIUS.

765. *Palatia* dicta sunt domus superbæ et ampiæ, quales in monte Romæ Palatino primum structæ sunt. Ipse mons Palatium quoque vocatum est. Censeo Prudentium alludere ad templum Romæ deæ, de quo egi ad vers. 219 lib. I, quod in monte Palatino fuisse ex Claudiano colligitur. De eodem templo accipio verba mox legenda, *Mea serviat aula:* nam aulam pro templo sumi fusius alibi ostendi. Nihil tamen prohibet quominus de tota Roma ejusque ædibus intelligatur.

768. Rat., Gis., *sic effata.* Concinnius est *affata* cum aliis.

771. Aldus male distinguit *a patria patriæ, nam.* Oxon., *patriæ sua gloria.* Prudentius Symmachum legatum a patria missum negat, quia plerique nobiles Romani jam ad fidem conversi erant cum ipse Symmacho respondebat, et quia etiam olim, cum Symmachus relationem suam Valentiniano secundo obtulit, multi Christiani senatores dissentiebant. Alioquin exploratum est ex ejus Relatione et ex Ambrosii Responsionibus, revera Symmachum hujusmodi legationibus pro restituenda ara Victoriæ functum fuisse, a senatu missum. Quo loco quærendum et expendendum a nobis est an inscriptio quædam vetus quæ circumfertur, ad eum pertineat: nam Weitzius et Chamillardus, qui eam proferunt atque huic Symmacho attribuunt, nullam rationem dubitandi adverterunt, quamvis jam olim Juretus contenderit ad Symmachum hunc epistolographum inscriptionem hanc non spectare. Profecto de patre Symmachi epistolographi plerique accipiunt verba Ammiani lib. XXVII: *Multo tamen antequam hoc contingeret, Symmachus Aproniano succes it* (in Urbis præfectura) *inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiæ, quo instante Urbs sacratissima otio copiisque abundant us solito fruebatur, et ambitioso ponte exsultabat, atque firmissimo, quem condidit ipse, et magna civium lætitia dedicavit, ingratorum, ut res docuit apertissima: qui consumptis aliquot annis domum ejus in transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt.* Inscriptio vero hæc est:

PHOSPHORII
L. AVR.... AVIANIO. SYMMACHO. V. C.
PRAEFECTO. VRBI. CONSVLI. PROPRAEFECTIS
PRAETORIO. IN. VRBE. ROMA. FINITIMISQVE
PROVINCIIS. PRAEFECTO. ANNONAE. VR
BIS. ROMAE PONTIFICI. MAIORI. QVINDE
CEMVIRO. S. F. MVLTIS. LEGATIONIBVS
PRO. AMPLISSIMI. ORDINIS. DESIDERIIS
APVD. DIVOS. PRINCIPES. FVNCTO. QVI
PRIMVS. IN. SENATV. SENTENTIAM. ROGA
RI. SOLITVS. AVCTORITATE. PRVDENTIA. ATQ
ELOQVENTIA. PRO. DIGNITATE. TANTI. ORDI
NIS. MAGNITVDINEM. LOCI. EIVS. IMPLEVE
RIT. AVRO. INLVSTREM. STATVAM. QVAM
A. DOMINIS. AVGVSTISQ. NOSTRIS. SENATVS
AMPLISSIMVS. DECRETIS. FREQVENTIB. IN
PETRABIT. IDEM. TRIVMFATORES. PRINCIPES
NOSTRI. CONSTITVI. ADPOSITA. ORATIONE. IVS
SERVNT. QVAE. MERITORVM. EIVS. ORDINEM
AC SERIEM. CONTINERET. QVORVM. PERENNE
IVDICIVM. TANTO. MVNERI. HOC. QVOQVE. AD
DIDIT. VT. ALTERAM. STATVAM. PARI. SPLEN
DORE. ETIAM. APVD. CONSTANTINOPOLIM
COLLOCARET

Hanc inscriptionem, cum conferre vellem, non reperi. Eam refert Gruterus pag. CCCLXX, num. 3, ex Smetio et Boissardo. In ea describenda Smetium potius secutus sum, qui testatur a se visam in basi sub Capitolio, sed certum locum non designat. Boissardus, 5 part. Antiq. monum., pag. 53, apud Franciscum Lisca exstare inscriptionem affirmat. A dextro latere basis legebatur:

DEDICATA. III. KAL. MAIAS
D. N. GRATIANO. IIII ET MEROBAVDE COS

Gratianus et Merobaudes consules fuerunt anno 377. Hinc ratio Jureti petitur, quia Symmachus auctor epistolarum consulatum non gessit ante annum 391, et præterea Symmachus, qui ea inscriptione laudatur, Lucius dicitur, Symmachus vero epistolographus Quinti prænomen in vett. codd. et apud Macrobium et Sidonium habet. Cæterum cum omnia inscriptionis elogia optime in Symmachum epistolographum cadant, cum nullus alius tunc floruerit Symmachus quem tantam nominis celebritatem habuisse constet, cum in fastis consularibus Lucii prænomen Symmacho epistolographo attribuatur, valde probabile judico huic eidem Symmacho inscriptionem convenire. Prænomen Quinti forsasse illi in codd. hæsit, quia filius ejus Quintus epistolas post obitum patris edidit. Neque satis liquet an patrem an filium Macrobius nominet. Quod si titulus consulis in inscriptione expressus de consulatu ordinario intelligendus est, nullus in fastis consularibus apparet Symmachus cui statua adjudicari possit, nisi forte Symmachus ille qui cum Gallicano consul fuit anno 330 hoc est 47 annis antequam statua dedicaretur. Quid autem prohibet quominus Symmachus epistolographus consul suffectus fuerit ante annum 377? Imo vestigia ejus dignitatis non obscura deprehendo in epist. 1, lib. I, ubi de se ait: *Hos inter juvenile decus, sed honore senili Bis seno celsus, Symmache, fasce cluis.* Juretus id intelligit de consulatu ordinario Symmachi anno 391 atque inde arguit Symmachum juvenem consulem renuntiatum. At parum congruit ratio temporum. Compertum est Symmachum jam anno 382 fuisse senatus legatum ad Gratianum pro repetenda ara Victoriæ. Præterea cum Symmachus præfecturam Urbis accepit, ita gratias Valentiniano juniori egit epist. 15, lib. X: *Quieto mihi, et jam pridem a desideriis honorum remoto præfecturam, multis cupitam, sponte tribuistis;* et Theodosio epist. seq.: *Me dudum proconsularem virum, cedentem jam diu potentium moribus, ante capere magistratum quam exspectare voluistis.* Minime ergo consentaneum est dicere hunc Symmachum adhuc anno 391 juvenem fuisse. Quin etiam hunc ipsum a Marcellino verbis quæ supra ascripsi laudatum fuisse suspicor. Majorem difficultatem creat alia inscriptio, quam proferam et expendam ad vers. 909, ubi de pontificatu Symmachi disseram.

831 Persistit tamen affirmans, iter esse viandi A
832 Multiplicem, variumque, Deus cum quæritur unus.
Hinc alios, ast inde alios properare seorsum,
Quemque per anfractus proprios: sed compita eodem
833 Fine coarctari, simul et concurrere in unum.
Quin etiam cœlum, atque solum, ventos, mare, nubes
Omnibus in commune dari, vel qui colimus te,
Christe, vel exta litant sculptis qui tabida saxis.
Non nego communem cunctis viventibus usum
Aeris, astrorum, pelagi, telluris, et imbris.
Imo etiam injustus pariter, justusque sub uno
Axe habitant: unas capit impius, et pius auras: B
Castus, et incestus: meretrix, et nupta: nec alter
Ore sacerdotis, quam mirmillonis anhelat
Spiritus, aerio vitam qui temperat haustu.
Nubes verna pluit zephyro impellente: sed æque
Furis, et innocui fecundat rura coloni.
Gurgitis æstivi sic pura fluenta viator,
Ut latro fessus, adit: sic piratis mare servit,
Ut mercatori: nec fluctus secius hosti
834 Obsequitur, quam cum licitæ fert transtra carinæ.
Ergo capax utriusque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet discernere dispar
Viventum meritum, quos tantum pascere jussa est.
Servit enim mundus, non judicat: hoc sibi summus
Naturæ dominus præscripta in tempora servat.
Nunc adsunt homini data munera legibus iisdem,
Queis concessa semel: fons liquitur, amnis inundat,
Velivolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aer,
Et res naturæ fit publica, promptaque cunctis,
Dum servant elementa suum famulantia cursum.
Sic probus, atque reus capitalis criminis iisdem
Sideribus, facilisque poli bonitate fruuntur.
Vivere commune est: sed non commune mereri.
Denique Romanus, Daha, Sarmata, Vandalus, Hunnus,
Gætulus, Garamans, Alamannus, Saxo, Galaulas,

GLOSSÆ VETERES.

772. Viandi, *ad veritatem*, I.
775. Compita, *competum dicitur, ubi multæ viæ competuntur, id est junguntur.* — Eodem, *uno*, I.
779. Litant, *sacrificant*, I.
780. Cunctis, *esse*, I.
783. Axe, *cœlo*, I.
784. Incestus, *pollutus*, I.
785. Ore, *de ore* — Mirmillonis, *scurræ. Mirmillo gladiator fuit, et ponitur pro omni homicida*, I.
787. Verna, *vernalis*, I.
790. Piratis, *marinis latronibus*, I.
793. Utriusque, *boni et mali*, I.
797. Servat, *in die judicii*, I.
802. Promptaque, *quia servit omnibus*, Iso.
804. Capitalis, *quo reus capite plecti debet*, I.
808. Garamans, *populi Siciliæ*. — Galaulas, *populi in Oriente*, I.

C

COMMENTARIUS.

772 et 773. Vat. A, *esse vocandi*, minus bene. Videtur Prudentius agnoscere Symmachum unum Deum fateri. Non tamen ita est: nam argumentum Symmachi in eo versatur, quod multæ sunt viæ quærendi Divinitatem; nam æque eam quærunt qui unum ac qui plures Deos astruunt. Vide vers. 879.

774. Ald., Alex., Urb., Weitz., *seorsum*. Heins., Gis., Rat., *seorsim*.

775. Alex., Rat., *anfractos*. Alii, *anfractus*. Vat. A, Rat., Widm. scribunt *competa*. Weitzius, qui Aldum allegat pro *competa*, non viderat hujus correctionem *compita*. Vide comment. ad. vers. 7 præf. 2 Apoth., ubi plura dixi de orthographia vocis *compitum*.

779. Huic versui verba Symmachi subjiciuntur: *Æquum est, quidquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra: commune cœlum est: idem nos mundus involvit. Quid interest, qua quisque prudentia verum requirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum.*

780. Ald., *commune cunctis viventibus ipsum*, perperam. In Torn. etiam erat *ipsum*, quod Latinius correxit.

786. Egm., Vat. A. *hausto*. Alex., *austu*; supra, *haustu*, quod verum est.

787. *Nubis* Vat. A, more antiquo.

789. *Æstiva* sunt loca umbrosa in quibus per æstatem pecora vitant calorem solis, ex Servio ad III Georg., ubi addit ex Statio, *Et umbrosi patuere æstiva lycæi*. Prudentius gurgitem *æstivum* dicit non tam quod umbrosus esse possit, quam quia per æstatem ejus aqua vitatur calor.

790. Vat. A, *mare ferret*; melius alii *servit*. Rat. a prima manu, *servat*; supra, *servit*. Seneca lib. IV de Benef., cap. 26, *Si deos imitaris, da et ingratis beneficia. Sceleratis sol oritur, et piratis patent maria.*

791. In Vat. A desiderantur hæc verba, *nec fluctus secius hosti*. Egm., mendose, *sedius*, pro *secius*.

792. Ald., Tornæs., Galland., Gis. in textu, *dominæ*. Rat., Weitz., Widm., Palat., Heinsiani et recentiores, *licitæ*.

800. Heinsius mallet *impluit imber*.

804. Arnobius lib. IV, *Fervorem genitalem solis Deus, noctis et tempora, ventos, pluvias, fruges cunctis subministrat æqualiter, bonis, malis, injustis, servis, pauperibus, divitibus*. Matth. v, 45: *Ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

807. Urb., Widm., Rat., *Dana*; Vat. A, *Deba*; Ald., Heins., Weitz., Egm., Alex., *Daha*; Gis., *Daa*; D Fabr., *Dea*. Rat. scribit *Wandalus*, Fabr. *Vandulus*, alii *Vandalus*. Alex., *unus*, emendat *Hunnus*.

88. Heinsiani scripti et alii, *Garamans*, et *Alamannus*: Heinsius tamen edidit *Garamas*, *Alamanus*. Glossa inepte Garamantas populos Siciliæ dicit, ut Galaulas populos in Oriente. Nonnulli scribunt *Alemannus*. Rat., Thuan., *Galaula*: fortasse *Galaules*. Orosius lib. I, cap. 2, in Africæ descriptione: *A meridie gentes Autolum (al. Autolum) quas nunc Gaulales (sic) vocant, usque ad oceanum Hesperium contingentes. Hic est terminus universæ Africæ.* Autoles sive Autoles a Lucano lib. IV vocantur *Autololes*, et sunt populi Numidis ac Getulis finitimi. Grangæus ait se apud geographos non legisse quis ille sit populus, et

835 Una omnes gradiuntur humo, cœlum omnibus unum est.
Unus et oceanus, nostrum qui continet orbem.
Addo aliud, nostros potant animalia fontes.
Ipso rore mihi seges est, quo gramen onagris,
Spurca sues nostro amne natat, nostra intrat et ipsos
Aura canes, animatque levi fera corpora flatu.
Sed tantum distant Romana, et barbara, quantum
Quadrupes abjuncta est bipedi, vel muta loquenti :
Quantum etiam qui rite Dei præcepta sequuntur,
Cultibus a stolidis, et eorum erroribus absunt.
Non facit ergo pares in relligione tenenda
836 Aeris, et cœli communio : corpora tantum
Gignit, alit, reparat, recidivaque semina servat;
Nec refert, cujus generis, cujusve figuræ,
Aut cujus meriti : modo sint, ut corpora terra
Edita, terrenis quibus est vigor ex elementis,
Artificis quia Patris opus discrimine nullo
Influit in medium, nec avaro munere currit,
Ante datum, quam primus homo sordesceret Adam.
Nec vitio utentum restrictum deficit, aut se
Subtrahit indignis, nec fœda, aut turpia vitat.
Haud aliter solis radius colluminat omnes
Diffuso splendore locos : ferit aurea tecta :
Sed ferit et nigro sordentia culmina fumo.
Intrat marmoribus Capitolia clara : sed intrat
Carceris et rimas, et tetra foramina clausi
Stercoris, et spurcam redolenti fornice cellam.
Sed non illud erunt obscura ergastula, quod sunt
837 Regia geminato laquearia fulva metallo.
Nempe magis non illud erunt, qui numen in urnis
Quærunt, ac tumulis, et larvas sanguine placant,
Quod sunt, qui summum cœli dominum venerantur,

GLOSSÆ VETERES.

811. Nostros, *quos nos potamus*, I.
812. Onagris, *onos asinus; inde onager, asinus agrestis*, I.
813. Suis, *nominativus*. — Nostro, *quo nos natamus*, I.
814. Fera, *fortia*, I.
815. Romana, et barbara, *Christiana, et gentilia*, I.
816. Bipedi, *homini*, I.
819. Tenenda, *quæ est servanda*, I.
822. Refert, *distat, vel interest, nulla distantia est*, I.
823. Terra, *de terra*, Iso.
825. Discrimine, *discretione*, I.
826. In medium, *in commune*, I.
827. Sordesceret, *peccaret*, I.
838. Magis, *dicam*. — Erunt, *vana res*, I.

COMMENTARIUS.

dubitat jam in transpositione dictum fuerit *Galaulas* pro *Gaulalas*, cujus gentis meminit Orosius. Suspicatur etiam legendum *Galaudas*: nam in Æthici Cosmographia invenerat *A meridie gentes Aulolum, quas nunc Galaudas vocant, usque ad oceanum Hesperium contingentes*. Verum hæc ipsissima sunt Orosii verba, nisi quod *Galaudas* scribitur pro *Gaulalas*. Hæc nomina propria facile ab exscriptoribus corrumpuntur, neque difficile est ut auctores alii alio modo ea enuntient. Cæterum in nonnullis Orosii editionibus revera legitur *Galaules*.

812. Gis. ad marg., Widm., Rat. a prima manu, *n agris* pro *onagris*. Glossa Widm. etiam stat pro *onagris*, et in Rat. aliena manu est *onagris*. Urbin. scribit *honagris*.

813. Ald., Rat. aliena manu, Egm., Widm. supra, Fabr., Gis. ad oram, *sordida sus*. Gis in textu *spurcaque sus*. Urb., Rat. a prima manu, Widm. a prima manu, duo Boher., *spurca suis*. Heins., Alex., Thuan., *spurca sues*, Rectus casus *sues*, vel *suis*, ut *plebs, plebes, plebis*, et am in nominativo more antiquo. Thuan., *et ipsas Aura canes*. Canes femineo genere passim a poetis usurpari animadvertit Heinsius.

816. Rat. recenti manu, prioribus erasis, *Abjuncta est quadrupes*, sequitur deinde antiqua librarii manu *bipedi vel muta loquenti*. Ald., Fabr., Tornæs., *Quadrupedes bipedi abjunctæ, mutæve loquenti*, quod exstat pariter in Egm. et Oxon., ne quis recentem correctionem esse putet. Heinsius non videtur notasse, mendum typographicum in textu 2 ed. Giselini *adjuncta* ab hoc fuisse correctum per *abjuncta*. Idem Giselinus in notis monet, numeri æquabilitatem servandam esse ex mss. *quadrupes*, non *quadrupedes*. Gifanius quoque verbo Incedere legit ex vet. lib. *Quadrupes abjuncta est*, etc. In Hymno 2 Peristeph., *abjunctas plagas*. Ut supra *distant*, sic nunc eodem sensu *abjuncta est*. Apud Avitum *abjunctæ partes, abjuncta elementa*. Apud Hericum Altissiodorensem *abjuncto corpore*.

817. Ald., Alex., Gis., Heins. et recentiores, *quantum etiam*. Rat., Weitzius cum suis scriptis, et Urb., *tantum etiam*.

818. Heinsius corrupte, *errolibus absunt*.

819. Vat. A male, *nos facit*. Rat., *in religione tuenda*. Heinsius id expressit, Weitzium secutus, nam Gis. et plerique alii, *in religione tenenda*.

821. Ald., Heinsius cum suis membranis, Weitz., Widm. supra, *recidivaque*. Gis., Fabr., Widm. a prima manu, Rat., *redivivaque*. Præstat *recidivaque*, quod exstat etiam in Alex., Urb., Jureti codice, et Gifanii vet. lib. in verbo Victus.

826. Barthius lib. LX Adv., cap. 15, monet *in medium* venire dici, quod omnium usibus datur, ex hoc versu Prudentii, et Virgilio I Georg., *In medium quærebant, ipsaque tellus Omnia liberius, nullo poscente, ferebat*. Ovidius lib. XV Metam., *In medium discenda dabat*.

828. Rat., *ac se*; alii, *aut se*.

830. Lat., Urb., Alex. a prima manu, Gis., Weitz., *colluminat*. Ald., Rat., Tornæs., Vat. A, *cum luminat*. Magis sensui congrui *colluminat*. Alioqui verbum Prudentianum est *luminat*.

832. Tertullianus, de Spectaculis cap. XX: *Sol, imo ipse deus de cœlo spectat, nec contaminatur. Plane sol et in cloacam radios suos defert, nec inquinatur.*

833. Vat. A, vitiose, *Capitoli ut lara*. Duo erant Capitolia Romæ, et alia alibi. Sed Prudentius ædes superbas intelligit.

835. Ald., Egm., Alex., Torn. mendose, *redolent in fornice*. Urb., Rat., potiores Heinsiani, Weitz., *redolenti fornice*. Gis. ad oram, *redolenti in fornice*.

836. Giselinus in emendatis monuit *quod* esse particulam referentem, ut infra etiam *quod sunt, qui summum*.

838. In glossa legerem *una res*.

840. Rat., Torn., *quot sunt*, minus bene. Idem, *qui celsi dominum venerantur Olympi*, sed duæ voces *cœli*

Justitiamque litant, et templum pectoris ornant. A
Secretum sed grande nequit rationis opertæ
Quæri aliter, quam si sparsis via multiplicetur
Tramitibus, et centenos terat orbita calles,
Quæsitura Deum variata indage latentem.
Longe aliud verum est : nam multa ambago [viarum
Anfractus dubios habet, et perplexus errat :
Sola errore caret simplex via, nescia flecti
In diverticulum, biviis nec pluribus anceps.
Non tamen inficior, duplex occurrere nobis
Semper iter, geminis mortalia partibus ire,
838 Cum dubitant, quonam ferat ignorantia [gressum.
Altera multifida est : at simplex altera, et una.
Una Deum sequitur, divos colit altera plures, B

Et tot sunt ejus divortia, quot templorum
Signa, quot aeriis volitant phantasmata mon- [stris.
Aut hos thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia festa,
Aut docet, occultus quæ sacra Diespiter infans
Inter tinnitus solvi sibi poscat ahenos.
Jamque lupercales ferulæ, nudique petuntur
Discursus juvenum. Megalesius hinc spado, diris
Incensus furiis, cæca ad responsa vocatur.
Sunt, qui quadriviis brevioribus ire parati
839 Vilia Niliacis venerantur oluscula in hor- [tis :
Porrum, et cepe deos imponere nubibus ausi,
Alliaque, et Serapin cœli super astra locare.
Isis enim, et Serapis, et grandi simia cauda.

GLOSSÆ VETERES.

842. Nequit, *non valet*, I.
843. Sparsis, *divisis*, I.
845. Indage, *investigatione. Utrumque facit : indago indaginis, et indago indagis ; indagatione*, I.
846. Longe, *valde, pro verius est quam tu dicis*, I.
847. Anfractus, *circuitus*, I.
850. Inficior, *nego*, *infiteus*, *negator rationis meæ*, I.
851. Geminis, *in bonum et malum*, I.
852. Dubitant, *ipsi mali*, I.
857. Thyrsigeri, *thyrsum gerentis*. — Rapit, *via*. — Dionysia, *ad servitia, sacrificia, vel festa ; nam Dionysius est Bacchus*, I.
858. Illicit, *seducit*. — Saturnalia, *Saturni*, I.
859. Diespiter, *Juppiter ideo vocabatur, quia dierum pater apud eos credebatur ; pater diei*, I.
861. Lupercales, *festa Panis, quæ ita celebrabantur, ut nudi per plateas cucurrissent homines*, I.
862. Megalesius, *sacerdos Opis a Megula civitate, in qua colebatur Berecynthia*, I.
863. Cæca, *occulta*, I.
868. Isis, *quæ et Inachi filia*. — Serapis, *deus*

COMMENTARIUS.

dominum sunt a recenti manu, prioribus erasis, reliquæ eadem manu veteris librarii.

841. Argumentum Symmach.

844. Vat. A, mendose, *obita calles*. Gis., Fabr., *tramitibus si centenos*. Heinsius in notis, *tramitibus si centenis* correxit e suis potioribus per *tramitibus et centenis* : puto excidisse mendum, ac legi in ejus notis debere TRAMITIBUS SI CENTENOS, *tramitibus et centenos*. C Ita enim edidit *tramitibus et centenos*, quod habent alii edd., et mss. cum Jureti codice.

845. Rat., *latenter* ; alii, *latentem*.

846. Heins., Cham. male, *multa ambage*. Hoc ipsum Prudentii argumentum adversus eos hæreticos promoveri potest qui salutem æternam in qualibet secta esse jactant : quod egregie, his laudatis versibus, præstitit Joannes Hessels de Officio pii et Christianæ pacis vere amantis viri, exsurgente aut vigente hæresi, cap. 34.

847. Rat., *anfractos* ; supra, *anfractus*.

848. Ex Proverb. x, 9 : *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*.

849. Potiores Heinsiani, *in deverticulum* : quo respicit Alex. *indeverticulum*.

850. Egm., Widm. ad oram, *infiteus* : ex quo suspicatur Weitzius *infiteor*.

851. Lactantius lib. VI, cap. 3 : *Omnis ergo hæc de* D *duabus viis disputatio ad frugalitatem ac luxuriam spectat. Dicunt enim humanæ vitæ cursum Y literæ esse similem, quod unusquisque hominum, cum primum adolescentiæ limen attigerit et in eum locum venerit, partes ubi se via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac nesciat in quam se partem potius inclinet*. De hoc bivio virtutis et vitii vide comment. ad vers. 789 Hamartigeniæ.

853. Rat., *multifidi* ; supra recte, *multifida*. Weitzius cum suis, Gis. ad oram, et Heinsius cum altero Rott., *altera et unum Una Deum* quod concinnius videtur Heinsio quam *altera et una*, quod exstat in plerisque aliis. Mihi magis placet *et una*, ut versu seq. iterum occurrit *una*, quæ eadem simplex est.

854. Hinc liquet, plures deos a Symmacho affirmari, non unum, cui plures virtutes obediant.

860. Rat., *tinnitos* ; non bene. Minucius, *Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus editur*. Ovidius IV Fast., *Ardua jam dudum resonat tinnitibus Ide, Tutus ut infanti vagiat ore puer*. Scilicet Corybantes pulsabant æribus æra, ut ait Lucretius.

861. Hæ ferulæ lupercorum erant hircinæ pelles, quarum ictus *catomus* dicebatur, ut colligi videtur ex Juvenalis Scholiaste ad vers. 142, sat. 2, *Nec prodest agili palmas præbere luperco*. Lupercorum iterum mentio recurrit in Laurentio vers. 518, et Romano vers 162. De voce *catomus* vide comment. ad vers. 697 in Romano.

862. Rat., *magalesius* ; alii, *megalesius*. Nota hypallagen *discursus nudi* pro *discursus nudorum juvenum*.

863. Oracula *responsa* dicebantur, ut *responsa sibyllæ*, *responsa deorum*.

865. Rat. scribit *holuscula*. Juvenalis sat. 15, *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina*. Ibidem Juvenalis plura de ridicula superstitione Ægyptiorum, ut *Porrum, et cepe nefas violare, et frangere morsu*.

867. Vat. A et potiores Heinsiani, *Serapen*, non *Serapin*. Rat. etiam *Serapen*, quantum poterat vestigiis veteris scripturæ conjici : nam corrector ineptus abrasit, et sic versum concinnavit, *Alliaque, et cœli super astra locare Serapin*, et post hunc versum, abrasis etiam prioribus, *Et pastam colubris Ibin : redeunt sed eodem*. Deinde in margine, *Ista, Serapis enim, et prægrandi simia cauda*. Omnino volebat secundam in *Serapis* produci. Intellige versum margini additum connecti versui præcedenti hoc sensu, *redeunt sed eodem ista*. Martialis quidem secundam in *Serapis* produxit, eamdem tamen corripuit Martianus Capella lib. II, *Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim*. In nominibus propriis, præsertim barbaris, permissa est hæc licentia poetis, ut ea quolibet intervallo efferant. Advertendum Serapin fuisse in ritum Isidis, et hoc innuit glossa, ubi fortasse post *maritus* nomen Isidis intercidit.

868. Vat. A corrupte, *et grandissima cauda*. Juvenalis loc. cit., *Effigies sacri nitet aurea cercopitheci*.

Et crocodilus idem, quod Juno, Laverna, Pria- A
[pus.
Hos tu, Nile, colis, illos tu, Tibris, adoras.
Una superstitio est, quamvis non concolor error.
840 Hinc alia exoritur, tenebrosis tecta fru-
[tetis,
Semita: quam pecudes, et muta animalia car-
[punt,
Quæque latent silvis: operitur nescia cœli
Mens hominum, sævo vivens captiva tyranno.
Hæc putat, esse deum nullum: namque omnia
[verti
Casibus, et nullo sub præside sæcla rotari.
Hoc iter haudquaquam magno discrimine distat
Hisce viis, quas vos teritis, qui numina multa,
Et portenta, Deum summum, numerosa putatis. B
Simplicis ergo viæ dux est Deus: ille per unam
Ire jubet mortale genus: quam dirigit ipse
Sublimem dextro celsa ad fastigia clivo.
Prima viæ facies inculta, subhorrida, tristis,
Difficilis: sed fine sui pulcherrima, et amplis
Prædita divitiis, et abundans luce perenni,
Et quæ præteritos possit pensare labores.
Multiplici dux dæmon adest, qui parte sinistra
Centifidum confundit iter, trahit inde sophistas.
841 Barbatos, trahit hinc opibus, vel honore
[potentes,
Illicit et volucrum linguis, et haruspice fallit:
Instigat bacchantis anus ambage sibyllæ,
Involvit mathesi, magicas impellit in artes,
Omine sollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis, ut una via est, multis anfractibus errans,
Talem passa ducem, qui non sinat ire salutis
Ad dominum, sed mortis iter per devia mon-
[stret?
Devia, picta bonis brevibus, sed fine sub ipso
Tristia, et in subitam præceps immersa Cha-
[rybdim.

GLOSSÆ VETERES.

Ægyptiorum; maritus. — Grandi cauda, *quia genus simiorum est, qui magnas habent caudas, et ipsi cercopitheci dicuntur; et aliud genus spina d citur, quod est villosum; et tertium genus est sine cauda*, I.

869. Crocodilus, *monstrum Ægypti.* — Laverna, *a lavando.* — Priapus, *deus hortorum*, I.

872. Hinc, *post hæc.* — Frutetis, *erroribus*, I.

873. Carpunt, *incedunt*, I.

874. Cœli, *veritatis*, I.

875. Sævo, *sub diabolo*, I.

878. Discrimine, *discretione*, I.

881. Unam, *viam*, I.

883. Clivo, *veritate*, I.

884. Prima, *quæ ducit ad vitam.*— Facies, *qualitas.* — Tristis, *in præsenti*, I.

887. Pensare, *recompensare*, I.

888. Multiplici, *scilicet viæ, de via sinistra dicit*, I.

890. Barbatos, *fortes*, I.

891. Illicit, *scilicet illos decipit*, I.

892. Ambage, *circuitu*, I.

896. Talem, *id est diabolum, vel Symmachum*, I.

899. Charybdim, *voraginem*, I.

COMMENTARIUS.

De cercopithecò Martialis lib. XIV, epigr. 202: *Callidus* C *emissas eludere simius hastas, Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.*

869. Widm. scribit *crocodrillus*. Alex. *crocodillus*, alii, *crocodilus*. Oxon., *Idem est*. Thuan. et alii fere omnes Heinsiani, Alex., Urb. cum Aldo, *idem, quod*. Weitz. cum suis, Gis., Rat., *id est, quod*. Ald. mendose, *Lavena*. Becmanus, Manud. ad ling. Lat., nescio ubi invenit *Laurena*, quod recte emendat per *Laverna*, seu *Laberna*, quæ est dea furum.

870. Ald., Gis., *Hos tu, Nile, deos colis, et tu, Tibris, adoras*. Rat., *Hos tu, Tibri, colis; illos Nilus adorat*. Sed hæc verba *Tibri, deos colis, illos Nilus* sunt ab audaci correctore, prioribus erasis: Gifanius recte ex vet. lib. legit *Hos tu, Nile, colis, illos tu, Tibris, adoras*, quod secutus est Weitzius cum suis, et adhærent nostri et Heinsiani. In *colis* ultima producitur ratione cæsuræ, quod familiare esse Prudentio sæpe diximus.

871. Juretus monet, recte *una superstitio* esse in D omnibus, non *vana superstitio*, et eodem fere modo locutos Honorium et Theodosium in lege 60 de Hæreticis, cod. Theod. lib. XVI: *Quorum sectas piissimæ sanctioni tædet inserere, quibus cunctis diversa sunt nomina, sed una perfidia.*

874. Ald., Fabr., Alex., Rat., Vat. A, *Quæque latent silvis: operitur nescia cœli*. Urb., *latet*. Gis., Weitz. cum Widm. a prima manu, *Quæque latens silvis operitur: nescia cœli*. Heinsius nullam discrepantiam agnovit, Giselinum secutus. Fortasse legendum erit, et distinguendum *Quæque latens silvis operitur nescia cœli*. Heinsius admirationis punctum adjecit verbo *tyranno* versu seq. Scilicet *Quæque latens silvis operitur: nescia cœli Mens hominum, sævo vivens captiva tyranno!*

880. *Portenta*, ut alibi *monstra deum*. Hic etiam Prudentius numina multa, quibus inesset summa divinitas, ab ethnicis agnosci confirmat.

883. Ald., *celsam*, minus bene; nec melius Teolius *Sublime dextro celsam ad fastigia clivo*. Lege *sublimem* et *celsa*.

888. Ald., Fabr., *multiplici dæmon sed adest*. Gis., *multiplicis dux dæmon at est*. Rat., *Multiplicis dæmon dux est*; sed tria verba *dæmon dux est* sunt ab audacissimo correctore, prioribus erasis. Widm., Weitz., *multiplicis dux dæmon adest*. Pal., codices Jureti, et Gifanii verbo VESTIS, Heins. cum priore Rott., Oxon., *multiplici dux dænion adest*. Weitzius, Egmondanum allegat pro *multiplicis*, Heinsius pro *multiplici*. Cum Heinsio faciunt Alex. et Urb., sed in Alex. scribitur *demon*, non *dæmon*. Dici autem potest *dux alicui*, et *alicujus*. Ald. et Fabr., *morte sinister*; alii, *parte sinistra*.

890. Juvenalis sat. 14, vers. 12, *Barbatos licet admoveas mille inde magistros*. Vat. A, male, *barbatus*.

891. Gifanius verbo MARE ex vet. lib. optimo *illicitat volucrum linguis*. Non approbat Mariettus, quia Prudentius intelligit cantus avium, sive augurium et haruspicinam, quibus multi decipiebantur. Heinsius vero eamdem lectionem rejicit, quia *illicitat* parum Latinum est: dicendum enim esset *illectat*. Mariettus fortasse illa sua ratione refellebat *haruspide*, quod legit in Gifanio, ac revera in eo exstat. Sed *haruspide* puto esse mendum pro *haruspice*.

892. Weitz. cum Widm. a prima manu, *bacchatus*. Alii, *bacchantis*. Vat. A, male, *sibylla*.

893. Ald., Rat. ab ignaro correctore, qui priora erasit, Fabr., vett. edd. apud Gall., *In magicas artes trahit, involvitque mathèsi*. Ita factum ab iis qui secundam in *mathesi* produci sciebant, et veterem consuetudinem contrariam ignorabant.

897. Ald., Alex., Urb., Fabr., Egm., *monstrat*. Vat. A, Rat., Weitz., Gis., Heins., *monstret*.

899. Vat. A, *tristitia et subita præceps*. Urb. *tristis, et in subitam*, quod non displicet. Alii *Charybdim*, alii *Charybdem* scribunt. Sententia desumpta est ex Matth. VII, Lucæ XIII, Eccles. XVI.

Ite procul, gentes : consortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei : discedite longe,
Et vestrum penetrate chaos, quo vos vocat ille
Prævius infernæ perplexa per avia noctis.
842 At nobis, vitæ Dominum quærentibus, [unum
A Lux iter est, et clara dies, et gratia simplex.
Spe sequimur, gradimurque fide, fruimurque [futuris :
Ad quæ non veniunt præsentis gaudia vitæ,
Nec currunt pariter capta, et capienda voluptas.
Ultima legati defleta dolore querela est,

GLOSSÆ VETERES.

903. Perplexa, *difficilia*, Iso.

909. Ultima, *in novissimo*, I.

COMMENTARIUS.

903. Rat., *prævius infelix*.

904. Rursus multitudinem deorum ab ethnicis assertam indicat.

905. Rat., *lux est iter :* non patitur metrum.

906. Jureti codex, *spem sequimur, gradimurque fides*. Sed non tam recte ut videtur, ait Juretus. Imo *gradimurque fides* non recte dici puto. *Spe sequimur* etiam Paulinus ad Ausonium scribens dixit. Minucius in Octavio *Securi spe futuræ felicitatis, fide præsentis ejus majestatis animamur*. Ad quem locum Elmenhorstius laudat cum pluribus aliis SS. Patribus hunc versum Prudentii, et legit *Spem sequimur, gradimurque fide*.

908. Post hunc versum hæc solent apponi verba orationis Symmachi : *Quanto commodo ærarii vestri Vestalium virginum prærogativa detracta est? Sub largissimis imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt. Honor solus est in illo velut stipendio castitatis. Ut vittæ earum capiti decus faciunt : ita insigne ducitur sacerdotii vacare muneribus. Nemo me putet tueri solam causam religionum. Ex hujusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honoraverat lex parentum vestales virgines, ac ministros deorum victu modico, justisque privilegiis. Stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacræ castitatis alimenta verterunt. Secuta est hoc fames publica,* C *et spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum. Nihil imputemus austris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit. Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Quid tale provinciæ pertulerunt, cum religionum ministros honor publicus pasceret? (Commendabat enim terrarum proventus victus antistitum, et remedium magis quam largitas erat. An dubium est, pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vindicavit?)* Heinsius legit *sacri ærarii*. Aldus edidit *prærogativa detracta est, sub largissimis*. Correxit *detracta*, *sub*. Ratisb., *in illud velut stipendium*. Ald. et Rat., *ex ejusmodi facinoribus orta sunt cuncta humani generis*. Aldus, *privilegiis stetit*, sine puncto. Idem, *trapezetas*. Idem, *falimenta*, male, pro *alimenta*. Heinsius, *austris*; Rat., *astris*. Ald. edidit *imputemus austris*, emendavit *astris*. Rat., *fruges necuit*. Prior Rott., Egm. cum Aldo, *quid tale proavi pertulerunt*. Codices vetusti, etiam fatente D Heinsio, deficiunt post illa verba *publicus pasceret*. Igitur verba uncis inclusa ex Heinsio petita sunt.

909. Vat. A, *deleta dolore*, non recte. Agros, quos vestalibus et sacerdotibus Numa tribuerat, alii etiam privati auxerant, sub Valentiniano et Theodosio anno 383 fiscus occupavit : quo anno fames publica secuta est. Hinc Symmachus in Relatione anni 384 sacrilegio annum exaruisse Christianis exprobrat. Ex hac ultima Symmachi querela arguitur eum pontificem fuisse, quod ex ejus etiam epistolis colligitur, ubi de vestalibus loquitur, tanquam si earum causa ad se pertineret. In inscriptione, quam retuli ad vers. 771 et huic Symmacho convenire posse censui, L. Aur. Avianius Symmachus *pontifex major* dicitur. In hortis Cœlimontanis Casaliorum prope S. Stephanum Rotundum, ut vocant, exstant duo lapides a Q. Fab. Memmio Symmacho dicati, quorum inscriptiones juvat proferre. Exstat autem prima a manu dextra legentis, altera a sinistra

I.

EVSEBII
Q. AVR. SYMMACHO. V̄C̄.
QVAEST. PRAET. PONTIFICI
MAIORI . CORRECTORI
LVCANIAE ET BRITTIORVM
COMITI ORDINIS TERTII
B PROCONS. AFRICAE. PRAEF
VRB . CO̅S̅ . · ORDINARIO
ORATORI . DISERTISSIMO
Q. FAB. MEM. SYMMACHVS
V̄C̄ . PATRI OPTIMO

II.

VIRIO NICHOMACHO FLAVIANO V̄C̄
QVAEST PRAET. PONTIF. MAIORI
CONSVLARI . SICILIAE
VICARIO . AFRICAE
QVAESTORI. INTRA PALATIVM
PRAEF. PRAET. ITERVM. CO̅S̅. ORD
HISTORICO DISERTISSIMO
Q̄. FAB. MEMMIVS. SYMMACHVS. V̄C̄
PROSOCERO . OPTIMO.

Utramque hanc inscriptionem protulit Corsinius de præfect. Urbis, primam ex Sponio, alteram ex Reinesio. Eas ad archetypum emendavi. Q. Fabius Memmius Symmachus filius creditur esse Symmachi epistolographi, adeoque ejus pater Q. Aur. Symmachus is ipse est, quem oppugnat Prudentius. Igitur diversus videtur fuisse L. Aur. Avianius Symmachus, de quo ad vers. 771, si fideliter descriptum est elogium ibi exhibitum ex marmore. Sirmondus in præfat. notarum ad Sidonium et in nota ad primam epistolam observat, post reipublicæ casum magnam fuisse in nominibus et prænominibus varietatem, et sæpe unum eumdem hominem quinque nominibus fuisse appellatum. In veteribus inscriptionibus non raro hæc duo nomina conjunguntur, *Lucius Quintus*, aut *Quintus Lucius*. Itaque adhuc dubitandi locus est an idem Symmachus in utraque inscriptione laudetur, qui scilicet vocatus fuerit Q. Luc. Aur. Avianius Symmachus. Corsinius ex cod. Theod. colligit Q. Aur. Symmachum anno 368 fuisse Lucaniæ et Bruttiorum correctorem anno 370 sive 373 proconsulem Africæ. Secunda inscriptio, hoc loco a nobis allata, ad nos etiam aliquatenus pertinet, non solum quia monumentum a Memmio Symmacho positum est, cujus prosocer erat Nicomachus, sed quia is ipse Nicomachus pro idolorum cultu reparando vehementissime laboravit, eaque de causa auctor fuit Eugenio, ut tyrannidem arriperet. Nicephorus lib. XII, cap. 30, vocat eum virum in disciplinis præclarum: inscriptio eumdem appellat consularem Siciliæ, historicum disertissimum. Non ergo dubium est, quin ad hunc Nicomachum referendæ sint subscriptiones, quæ in multis codd. mss. Titi Livii apparent, quarum plures e membranis Vaticanis cl. Giovenazzius collegit, mihique exhibuit. Sed duo sunt Nicomachi, alter Nicomachus Dexter, qui codicem Titi Livii emendavit ad exemplum Clementiani parentis sui, alter Nicomachus Flavianus, cujus est hæc subscriptio in fine lib. VII cod. Vat. signato num. 1840: *Emendavi Nicomachus Flavianus Titi Livii ter præfect. urbis apud Hennam ab urbe condita Victorian' VC emendabam dominis Symmachis. explicit liber septi-*

843 Palladiis quod farra focis, vel quod stipis ipsis A
844 Virginibus, castisque choris alimenta negentur:
Vestales solitis fraudentur sumptibus ignes.
Hinc ait et steriles frugescere rarius agros,
845 Et tristem sævire famem, totumque per orbem
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.
Quæ tanta exstiterit præsenti tempore, tamque
Invidiosa fames, quam Triptolemi, Cererisque
Moverit ira penu pro virginis ulciscendo,
Non memini: nec tale aliquid vel fama susurrat.
846 Audio, per Pharios Nilum discurrere campos
More suo, viridisque sata stagnare Canopi.
Aut veniat, sicco qui flumine nuntius affert
Jejunam squalere siti sub pulvere Memphim,

GLOSSÆ VETERES.

910. Palladiis, *sacrificiis Minervæ*, I.
915. Ait, *legatus*. — Rarius, *minus*, I.
917. Triptolemi, *inventor frugum*. — Cereris, *dea frumenti*, I.
918. Penu, *stipem*, I.
920. Pharios, *Ægyptios*, ..
921. Stagnare, *irrigare*. — Canopi, *oppidum Ægypti*, I.
922. Affert, *nuntiat*, I.
923. Memphim, *Ægyptum*, *civitatem Ægypti*, I.

COMMENTARIUS.

mus. Hujusmodi subscriptiones a Sirmondo in notis ad Sidonium, a Petro Burmanno juniore in not. ad Critic. Valesii aliisque doctissimis hominibus ita exarantur, ut emendatio ab Urbe condita intelligatur facta; neque ipsi distinctionem notant, aut aliis notandam exponunt. Ita enim fere scribunt: *Emendavi Nicomachus Flavianus ab Urbe condita. Victorianus* VC *emendabam dominis Symmachis*. At correctores illi antiqui inter lineas codicis suam subscriptionem inserebant; exscriptores vero posteriores omnia verba a se reperta uno ductu continuabant, ut a nobis in ea subscriptione factum est, quæ tamen ita legi distinguique debet: *Titi Livii ab Urbe condita explicit liber septimus*. Tum quasi supra, et inter lineas: *Emendavi Nicomachus Flavianus ter præfect. Urbis apud Hennam. Victorianus* VC *emendabam dominis Symmachis*. Intelligitur autem *iterum* præfectus, nam *ter* mendosum est pro *iter*. aut *iterum*. Henna civitas Siciliæ erat, ubi Nicomachus consularis fuit. Præfectura urbana Nicomachi subscriptionibus indicatis codicum Titi Livii a Corsinio potuisset illustrari.

910 et 911. Ald., vetusti codices Heinsiani, *stipis*, cum Alex., Urb., Rat. et aliis. Weitz. cum Widm., *stipes*. Utroque modo dici potest in recto casu more veteri. *Stips* usus recentior poscit. In versu vero mox sequenti Rat., Vat. A, Jureti codex, Weitz, Widm., Egm., Pal., Heinsiani veteres codd., Gis. ad oram, Alex., Urb., *castisque choris*. Ald., Gis. et alii vulg., *castisque toris*, quod non displicet. Gifanius tamen verbo Vestis ex suo vet. lib. præferendum ait *choris*.

913. Alex., Jureti codex, Ald., Egm., Fabr., Heinsiani, excepto altero Rott., *rarius agros*. Rat., Urb., Weitz., Gis., *parcius agros*. *Frugescere* Tertullianus etiam dixit. De verbis in *escere* vide Hispaniolum in Apolog., ubi ait Furium Antiatem hujusmodi vocabulis delectatum, ut *lapidescere*, *serescere*, *diescere*, *noctescere*, *caulescere*, *virescere* (pro *vires assumere*) *opulescere*, *lutescere*.

914. Ald., Alex., Urb., Rat., Jureti codex, omnes Heinsiani, *sævire famem*. Gis. et alii Vulg., male, *servire famem*.

917. Aldus omiserat hunc versum, et ita eum in emendatis adjecit *invidiosa fames, qua Treptolemi, Cererisque*. Cæteri, *fames, quam Triptolemi;* nonnulli scribunt *famis*. Vat. A contra metrum, *Treptolemique, Cererisque*. Triptolemus a Virgilio lib. I Georg. dicitur *Uncique puer monstrator aratri*. A Cerere fruges serere didicit.

918. Thuan. *peno* pro *penu*.

919. De fame quæ anno 383 contigerit mentio occurrit apud Ammianum, cujus verba ascripsi ad vers. 310 Psychomachiæ et apud S. Ambrosium lib. III Officior., cap. 7. De hac enim fame loqui videtur: *Quanto hoc utilius quam illud, quod proxime Romæ factum est, ejectos esse urbe amplissima, qui jam plurimam illic ætatem transegerant?... et certe arriserat* B *anni fecunditas, invectitio Urbs sola egebat frumento*, etc. Symmachus lib. II, epist. 7 ad Flavianum fratrem: *Dii facite gratiam neglectorum sacrorum. Miseram famem pellite*. Cur igitur Prudentius negat hujusmodi famem? Responderi potest Prudentium disertis verbis loqui de tempore quo scribebat, *præsenti tempore*. At cum Symmachi oratio anno 384 exhibita fuerit, quid juvat respondere non esse famem, cum scribebat Prudentius, si vere fuerit, cum Symmachus fuisse affirmat? Aliqui aiunt, Prudentium oblitum fuisse quod jam plures anni ab illa fame effluxissent: addi potest quod probabiliter Prudentius ab Urbe tempore famis longe aberat, adeoque non est mirum si nihil resciverit. Profecto S. Ambrosius, qui famem anno 383 fuisse fatetur, addit in Responsione: *Et tamen etiam superiore anno plerasque novimus provincias redundasse fructibus. De Galliis quid loquar solito ditioribus?* Præterea existimo, orationem eamdem Symmachi, quam anno 384 Valentiniano obtulit, vel a Symmacho vel ab aliis ejus amicis paganis Honorio traditam fuisse, ut eam legeret. C Multa enim quæ Prudentius affert hujusmodi novum aliquem gentilium conatum suadent, et cum Prudentius veterem orationem refellat, puto eamdem a gentilibus avide retentam, denuo fuisse in vulgus emissam et imperatori oblatam. Itaque Prudentius recte ex his quæ suo tempore fieri videbat, argumenta Symmachi convellit. Symmachus ipse inania hæc argumenta fuisse aliquando fassus est: ita enim interpretor ejus epistolam 82 ad Rufinum lib. III: *Tantum de ripa Tiberis (nam per fines meos fluvius elabitur) onusta specto navigia, non jam sollicitus, ut ante, de fame civium. Ex inopia namque publicus metus versus est in gaudium, postquam venerabilis pater patriæ Macedonicis commeatibus Africæ damna pensavit: quem nunc omnes ut altorem generis humani deum diligunt. Nihil enim passus est austris contumacibus adversus Romam licere*. In relatione ait, *Nihil austris imputemus*.

920. Widm., *varios*, supra, *Pharios*, sive, ut nonnulli scribunt, *Farios*.

D 922. Giselinus invenerat *aut veniat sicco*, ex conjectura correxit *haud venit a sicco*, quod postea vidit a codice Buslidiano probatum. Id amplexus est Heinsius, nihil peculiare ex suis animadvertens; et Heinsium secuti sunt recentiores. Weitzius cum Egm., Widm., Gifanio, legerat *aut veniat sicco*. Quod autem Weitzius Aldum pro se allegat, fallitur: nam Aldus ediderat quidem *aut veniat*, sed emendavit *haud veniat*, quod Fabricium non fugit. Certe is edidit *haut veniat sicco*. Nihilominus teneo lectionem Weitzii, quam confirmant Rat., Vat. A, Alex., Urb., et explicat Gifanius verbo Vestis. Legendum sine controversia ex vet. lib. ait *aut veniat sicco*, etc. Scilicet, si falsa commemoro, prodeat aliquis qui dicat, sicco jam Nilo Ægyptum fame perire.

923. Rat., Weitz. cum suis, *sitis*, Ald., Alex., Urb., Gis. et alii, *siti*.

Nec Pelusiacæ limum sudare paludis.
Num fons arcano naturæ tectus operto
Aruit, et tenuem vix stillat vena liquorem?
Num refugus nostras odit præstringere ripas
Amnis, et exustos cursum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bibulus vorat alveus undam
Fluminis, et subito stagna absorbentur hiatu:
Ne sulcos operire vadis, neve arida possint
Ægypti per plana trahi, glebasque rigentes
Infusis ad pingue lutum mollire fluentis:
Unde seges late crinitis fluctuet agris,
847 Densius et gravidis se vestiat æquor aristis?
Respice, num Libyci desistat ruris arator
Frumentis onerare rates, et ad ostia Tibris
Mittere triticeos in pastum plebis acervos?
Nunne Leontini sulcator solvere campi
Cesset frugiferas Lilybæo ex littore cymbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congesta vehens granaria classis?
Ergo pyris mensas silvestribus implet arator
Pœnus, et avulsas Siculus depascitur herbas?
848 Jamque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, jam corna cibus lapidosa Quiritum?
Quis venit esuriens magni ad spectacula circi?
Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet: aut quæ Janiculi mola muta quiescit?

GLOSSÆ VETERES.

924. Pelusiacæ, *Pelusium promontorium Ægypti*, I.
925. Fons, *Nilus*, I.
927. Nostras, *proprias*, I.
935. Æquor, *campos*, I.
936. Libyci, *Africani*, I.
938. Acervos, *cumulos*, Iso.
939. Leontini, *Siculi*.—Sulcator, *arator*, I.
940. Lilybæo, *Siciliæ promontorium, ubi abundat plurima annona*, I.
941. Rumpat, *dissipet pro multitudine frugum*, I.
942. Sardorum, *populorum*, I.
943. Ergo, *ironice*, I.
944. Pœnus, *Africanus*, I.
945. Remi, *Romano*, I.
946. Suppeditat, *subministrat*, Iso.
947. Circi, *theatri*, I.
948. Regio, *pars*.—Gradibus, *scenæ*, I.
949. Sustinet, *patitur*.—Jani uli, *Janiculus mons est ubi templum Jani erat et multæ molæ constructæ*.—Muta, *prius*, I.

COMMENTARIUS.

924. De Pelusio Ammianus audiendus est potius quam Iso, lib. XXII, cap. 16: *In Augustamnica oppidum Pelusium est nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrari deorum monitu jussus in lacu, qui ejusdem civitatis alluit mœnia.*

925. Fons Nili, ignotus olim, jam pridem detectus est in Lunæ montibus Goyami Abyssinorum regni.

926. Arnobius lib. I, *Cum enim flumina cognoverimus ingentia limis inaruisse siccatis.* Virgilius eclog. 7, *Videas et flumina sicca, Aret ager.* Plura Elmenhorstius ad Arnobium.

927. Scripti potiores Heinsiani et nostri scribunt *præstringere*, non *perstringere*.

928. Egm., *exustus*; melius *exustos*.

930. Rat., Urb., *obsorbentur*.

931. Vat., A, Alex. a prima manu, Urb., *nec sulcos*; melius *ne sulcos*.

933. Vat. A, *ad pingue solum*.

934. *Seges fluctuat*, phrasis poetica ex Virgilio et aliis. Sic *crinitii agri*, ut *coma arborum*. Salvianus, lib. VII de Gubern. Dei, Aquitaniam vocat *circumdatam messibus*.

935. Mire dictum ait Gifanius verbo VESTIS Indic. Lucr., *Æquor se vestiat aristis*. Sic Columella dixit *ripas gramine vestitas*, et Virgilius lib. VIII, *Tum mihi prima genas vestibat flore juventas*, ut legit Gifanius ex V lib., vel *juventus*, ut alii. Cicero II de Natura deor., *vestita terra floribus*, Ovidius IV Fast., *vestitos messibus agros*; Propertius lib. III, *vestitas frondibus uvas*.

936. Horatius, Seneca in Thyeste, Claudianus, Lucanus, Petronius, Apollinaris, Juvenalis, Rutilius aliique passim confirmant annonam frumentorum Romam ex Africa potissimum advectam.

937. Notat Grangæus ad historiam id pertinere: nam Ægyptus Constantinopolin sua frumenta mittebat, Africa Romam. Claudianus de Bello Gildonico vers. 62, *Ægyptia rura In partem cessere novam; spes unica nobis Restabat Libye*. Frumentum ex Africa aliisque regionibus Romam per ostia Tiberis adveniebat. Symmachus lib. X, epist. 22 ad Theodosium et Arcadium Ægyptii frumenti meminit: *Mittetis etiam regiam classem: quæ annonariis copiis augeat devotæ plebis alimoniam. Hanc ergo in Tiberinis ostiis mixtus populo senatus excipiet. Venerabuntur tanquam sacras puppes, quæ felicia onera Ægyptiæ frugis invexerint.*

939. In re frumentaria Leontini agri laudantur a Cicerone, Plinio, Apollinari et aliis. Ita dicti sunt a Leontio Siciliæ civitate. Vide Lexic. Ferrarii.

940. Egm., *frugigeras*; alii. *frugiferas*.

941. Rat., *horrea frangat*; cæteri, *rumpat*. Virg. I Georg., *Illius immensæ ruperunt horrea messes*. Sidonius lib. I epist. 6, *Esto, multiplicatis tibi spumabunt musta vinetis, innumeros quoque cumulos frugibus rupta congestis horrea dabunt*. Teolius putat id, nisi sit hyperbole, ad horrea pensilia esse referendum. Ad hyperbolen magis refero.

942. Rat., *Sardonum*; lege *Sardorum*. E Sardinia etiam frumentum Romam deferebatur ex Strabone, Horatio, Floro, Valesio, Salviano, Symmacho et aliis. Loca indicat Gothofredus ad lib. IX cod. Theod., tit. 40, leg. 3.

944. Virgilius III Æn., vers. 649, *Victum infelicem, baccas, lapidosaque corna Dant rami; et vulsis pascunt radicibus herbæ*. S. Ambrosius, Symmacho respondens, similia habet.

945. In Rat. ineptus corrector recenti manu prioribus erasis substituit *quernas*, et aliam vocem quæ nec legi quidem potuit a Marietto; abraserat vero *quernas Sardinia*, ne videlicet secunda in *Sardinia* producatur, quæ corripi solet. Verum in hujusmodi nominibus propriis majori quadam licentia veteres poetæ utebantur; neque licet nobis eorum consuetudinem improbare.

946. Prior Rott., Heins., *cibos*, ut a superioribus hæc dependeant. Virgilius II Georg., *Prunis lapidosa rubescere corna*.

948. De pane gradili vide comment. ad vers. 583 lib. I.

949. Ald., Gis., Fabr., *Janiculo mola nota*. Ald. ediderat *mota*, sed in emendatis posuit *nota*. Rat., Urb., Vat. A, Weitz. et plerique Heinsiani, *Janiculi mola mota*. Heinsius cum Thuan. priore Rott. et utroque Boher., *Janiculi mola muta* verum putat: cui accedit Alex. Procopius lib. I de Bello Goth. tradit. omnes

Quantos quæque ferat fructus provincia, quamque
Ubere fecundo large fluat orbis opimus,
Indicio est annona, tuæ quæ publica plebi,
Roma, datur, tantæque manus longa otia pascit.
Sit fortasse aliquis paulo infecundior annus:
849 Nil mirum, nec in orbe novum didicere priores,
Perpessi plerumque famem, si tabidus aer
Siccavit tenues ardenti sidere nubes,
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber,
Fruge nova, et viridi si messis adulta, priusquam
Conceptas tenero solidaret lacte medullas,
Afflatum calido succum contraxit ab Euro,
Jejunosque tulit calamos, atque irrita vota
Agricolæ sterilis stipularum silva fefellit.
His, ni fallor, ager vitiis corruptus et ante
Subjacuit, quam Palladium, quam Vesta Penates
Sub lare Pergameo servarent igne reposto,
Quam Priami genitor conductis mœnia fabris
Exstrueret, quam virgo suas fundaret Athenas
850 Pallas: in his quoniam vestalis origo favillæ
Urbibus, ut memorant, primo de fomite sumpta est,
Sacraruntque focos aut Phryx, aut Graius alumnos.
Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo discussa modo plerumque feruntur
In casus alios, quam lex habet, aut iter anni:
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
Aeris ex vitio, nunc culpam vere tepenti
Post zephyros gelidi glacies aquilonis inurit,

GLOSSÆ VETERES.

953. Manus, *multitudines*, I.
956. Tabidus, *corruptus*, I.
957. Sidere, *sole*, I.
959. Adulta, *nata*, I.
962. Jejunos, *steriles*, I.
966. Lare Pergameo, *domo Pergamea, Trojano*, I.
967. Genitor, *Laomedon pater Priami conduxit Neptunum, et ei primum promisit, ut ei Trojam ædificaret; sed non dato pretio, illius instinctu iterum Græcis destruxit.* — Mœnia, *Trojæ.* —Fabris, *Apolline et Neptuno*, I.
971. Phryx, *Trojanus.*—Graius, *Græcus*, I.
972. Labant, *vacillant.*—Erroribus, *de peccatis*, I.
973. Legitimo, *a recto.*—Discussa, *acta, compulsa*, I.
975. Maligni, *corrupti*, I
976. Culpam, *corruptionem.*—Vere tepenti, *si post ver tepens, et post zephyros glacies aquilonis venit, tunc sterilitas venit*, I.

COMMENTARIUS.

molas ad Janiculi radices fuisse. Vide Lipsium, Elect. cap. 8, lib. I, ubi hunc locum illustrat. Procopii verba sunt: *Ad cujus* (Janiculi) *radices et ipso in Tiberi civitatis molæ omnes constructæ antiquitus fuerant, quia in angustum ibi primo aquarum ingens vis cogitur, et per canalem deinde in præceps deducta, ut in declivi violentissimo cursu defertur.*

952. In editione Parmensi mendum est *tua quæ* pro *tuæ quæ*.

953. Ald., Alex., Vat. A, Heinsiani, præter Thuan. et alterum Rott., Gis. in textu, *tantæque manus longa otia pascit.* Rat., Weitzius cum suis, Urb. et nonnulli alii, *tantasque manus longa otia pascunt.* Quo glossa respicit.

954. Heinsius suspicatur *si fortasse*, quod sequentia, ait, confirmant. Verum æque bene sequentibus cohæret *sit fortasse.* Fac, fortasse aliquem esse annum paulo infecundiorem. Nil mirum. Arnobius lib. I: *Quod si ad credendum difficilis res esset, testimoniis agere possemus auctorum, quantæ, quoties et quæ gentes famem senserint horridam.* Fateri videtur Prudentius famem quæ anno 383 contigit.

955. Rat., Urb., Weitz., Gis. in Emendatis, Heinsiani scripti *nec in orbe novum*, quod verum puto. Ald. et nonnulli alii, *nec in orbe novo.* Alex., *nec orbe novum;* supra recte, *nec in orbe novum.*

959. Thuan., *et viridi*, recte, inquit Heinsius, si distinctione locus adjuvetur, scilicet *fruge nova, et viridi: si messis adulta*, quod tenuit ipse Heinsius. In Egm. omittitur *si*, quod tamen necessarium est metro. Urb. *Fruge nova, et viridis messis sed adulta.* Puto, distingui debere, *Nec vernas infudit aquas creberrimus imber, Fruge nova, et viridi si messis adulta*, etc.

960. Virgilius I Georg., vers. 315: *Frumenta in viridi stipula lactentia turgent.* Passim apud poetas *lac* per translationem de succo plantarum dicitur.

961. Statius, Silv. 1, lib. v: *Plena maligno Afflantur vineta noto.*

965. Plerique interpungunt *Vesta, Penates.* Palladium, Vestam et Penates conjunxit etiam poeta vers. 195 lib. I: *Sic Vesta est, sic Palladium, sic umbra Penatum.* In foro Romano prope Vestæ templum erat templum Penatum, ubi, ut refert Halicarnasseus lib. I erant duo juvenes viri, sedentes, hastis armati, veterique more sculpti. Hi erant Penates, quos secum advexisse dicitur Æneas. Idem Halicarnasseus narrat, in antiquis templis alias fuisse statuas eorumdem deorum, omnes militari cultu. Nonnulli opinantur magnos deos, Jovem, Neptunum, Plutonem, Vestam, Apollinem, et alios Geniorum, Larium Penatumque loco fuisse.

966. Virgilius v Æn., vers. 743: *Cinerem, et sopitos suscitat ignes, Pergameumque larem, et canæ penetralia Vestæ.*

969. Gis. ait, in quibusdam mss. esse *quonam*, in aliis *quomodo*, inepte. Aldus habet *quonam.* Vera lectio *quoniam.* Lipsius in Syntagm. de Vesta et Vestalibus cap. 2 ait, Athenis quidem ignem cultum, sed certiorem originem vestalis ignis a Trojanis et ab Alba sumi, ubi mansit sacrum. Pallas Ἀθήνη Græce dicitur, adeoque ab ea et fundatæ et nuncupatæ sunt Athenæ.

970. Disputat Chamillardus, utrum Vesta a terra, seu a vi stando, an ab igne vim suam et originem habeat. Utrumque ex antiquis scriptoribus, et nummis videtur colligi. Consule Lipsium, cap. 1 de Vesta, et Ovidium, lib. vi Fast. Putarunt etiam aliqui, Vestæ nullum fuisse simulacrum, quia, ut ait Ovidius, l b. vi Fast., *Ignis inexstinctus templo celatur in illo; Effigiem nullam Vesta, nec ignis habet.* Sed id intelligendum est de simulacro in templo Vestæ, ubi tantum erat ara ad sacrificandum. Vestæ imago passim in nummis, et statuis expressa est, ut videre licet apud Lipsium de Vesta.

971. Lipsius loc. cit. legit *sacravitque.*

974. Vat. A, *alias;* lege *alios.* Legem vocat propensionem naturæ, quæ phrasis philosophis satis familiaris est. Minucius in Octavio: *Mari intende, lege littoris stringitur.*

975. Virgilius lib. III Georg., *Nunc et frumentis labor additus, ut mala culmos Esset rubigo.* Servius: *Rubigo est genus vitii, quo culmi pereunt... Ex nebula nasci solet.*

976. Rat., *culpam in vere*

Ambustumque caput culmi fuligine tingit. A
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
851 Continuis, nimiisque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri affigere fibram:
Mox ejecta solo glacie sidente superfit,
Nudaque subducto radix avellitur arvo.
Ancipites tribuli subeunt, et carduus horrens.
Hos fert sicca sitis: hunc ebrius educat humor.
Temperies, effusa minus, vel plus, agit istos
Terrarum morbos, et mundum vulnerat ægrum.
Non aliter nostri corruptus corporis usus
In vitium plerumque cadit, nec in ordine recto
Perstat, et excessu moderaminis afficit artus:
Unus enim status est mundique, et corporis hujus,
Quod gerimus: natura eadem sustentat utrumque.
Edita de nihilo crescunt, nihilumque futura
Aut titubant morbis, aut tempore victa senescunt.
Nec natura caret vitio, cui terminus instat,
Semper, crede, polus variis proventibus annos
Texuit: hos multa ditavit fruge fluentes:
852 Quosdam infelices astris damnavit iniquis,
Spe cassa, et sterili curam frustratus agrestem.
Sed, si vestales ulciscitur ista puellas
Pestis ab infido quæ gignitur improba mundo,
Cur non Christicolum tantum populatur agellos,
Per quos virginibus vestris stata dona negantur?
Utimur et ruris reditu, et ratione colendi:
Exercere manus non pœnitet, et, lapis illic

GLOSSÆ VETERES.

978. Ambustum, *exustum.*—Caput, *spicam*, *pro initio ponitur.*—Fuligine, *nigredine*, I. B
981. Fibram, *radicem*, I.
982. Residente, *remanente*, I.
984. Ancipites, *acuti.*— Subeunt, *crescunt*, I.
985. Educat, *nutrit*, I.
986. Temperies, *scilicet aeris*, I.
990. Excessu, *prævaricatione*, I.
993. Edita, *prolata.*— Futura, *sunt*, I.
996. Proventibus, *utilitatibus, fructibus*, I.
997. Texuit, *ordinavit.*— Fluentes, *abundantes, venientes*, I.
998. Astris iniquis, *auris nequis.*— Damnavit, *claudit*, I.
999. Cassa, *inutili.*— Frustratus, *decipiens, scilicet populus*, Iso.
1001. Infido, *quia nunquam in uno statu permanet*, I.
1004. Reditu, *fructu, quia labor post laborem venit*, I.

COMMENTARIUS.

977. Virgilius I Georg., vers. 93, *Aut boreæ penetrabile frigus adurit.* Frigus, gelu, nives, glaciem urere passim apud scriptores invenies. Id cur ita dicatur, nonnulli quærunt, et rationem philosophicam invenire student. Vera illa est ratio, quod in corporis membris satis plures effectus æque a nimio frigore proveniunt, atque ab igne aut nimio calore.

978. Cham., Cell., Teol. post Heinsium, nescio quorum mss. fidem secuti, *fuligine tingunt.*

980. Vat. A, male, *continuisque minus perit.* Nec melius Aldus, *continuis, nimiisque parit.* C

981. Error Aldi *affligere fibram.*

982. Weitz., *mox erecta solo;* Ald., Gis., scripti Heinsiani et nostri constanter *mox ejecta.* Rat., *glacie residente:* perperam autem scribit *glaciæ.*

984. Cathem. hymn. 8. Post jejunium vers. 44, *Carduus horrens.*

985. Prior Rott., *crebrior eancat.*

990. Egm., *præstat.* Alex. a prima manu, *pestat*, correctum per *perstat.*

993. Teolius monet commodam interpretationem adhibendam, ut *nihilumque futura* significet quamcunque dissolutionem: nam corpora etiam in æternum perennatura alibi Prudentius docuit. Certe ita docuit, corpora post resurrectionem æternum victura. Nunc autem comparatione mundi, et corporis instituta, morbos, senectutem, et obitum cum variis mundi casibus, et extremo excidio componit.

995. Egm., *carit*, corrupte, pro *caret.*

996. Egm., *semper, credo, polus.*

997. Ex hoc loco confirmatur, legendum vers. 71 Hamart., *Texit sol unicus annum*, a *texo, texis*, non *rexit.*

998. Iso videtur legisse *austris*, non *astris.* Confer verba Symmachi.

999. Rat., *frustravit agrestem.*

1000. Ald., *vestalis:* Alex. a prima manu, *retales:* lege *vestales.*

1002. Alter Rott., *Christicolas.* Et Heinsio concinnius omnino videtur *Christicolas agellos.* Cæterum ipse edidit *Christicolum*, quod ego quidem concinnius esse arbitror.

1005. Egm., *statuta* pro *stata;* sed non explicat Weitzius an omittat *dona*, an legat *vestris statuta negantur*, an *vestris statuta dona negantur.* Utrumque metri legibus adversatur. Urb., *vestris hæc dona.*

1005. Plurimi critici hos Prudentii versus de Termino et ritibus, quibus eum pagani venerabantur, illustrant. Videri potest Petrus Pithœus parte 2 Advers. subsecivor., cap. 14. Qui ritus in terminis defigendis servarentur, Siculus Flaccus lib. de Condit. agrorum exponit: *Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram rectos collocabant proxime ea loca quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos coronabant. In fossis autem, in quibus posituri eos erant, sacrificio facto hostiaque immaculata cæsa, facibus ardentibus injectis in fossa cooperti (al. cooperati) sanguinem instillabant, eoque thura et fruges jactabant: favos quoque et vinum, aliaque quibus consuetudo est terminis sacrum fieri, in fossa adjiciebant, consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant, adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus, circumcalcabant, quo firmius starent.* Hæc, aliaque Siculus Flaccus. Antiquis vero temporibus Numa vetuerat, quidquam animarum sacrificari Termino, præsidi pacis, et amicitiæ custodi. Ex hoc Prudentii loco arguitur non solum, cum terminus primum defigebatur, sed etiam aliis diebus, et fortasse quotannis die aliquo definito terminalia festa celebrari, de quibus accipio Horatii verba Epod. 1, *Vel agna festis cæsa terminalibus.* Erat D autem terminus vel lapis, vel stipes, aut arbor. Ovidius II Fast.: *Termine, sive lapis, sive es defossus in agris Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.* Ubi *desertus* est quasi *satus, defixus.* Alii legunt *defossus*, nonnulli *desectus:* nam termini sive lapides, sive stipites plerumque effigiabantur. Minucius in Octavio: *Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane, et unctos, et coronatos.* Prudentius in Romano vers. 381, *Deasciato supplicare stipiti.* Apuleius in Florid., *Truncus dolamine effigiatus.* Puto autem nonnunquam arbores ipsas vicem terminorum supplevisse. Paulus I. C. lib. V Receptar. sent., tit. 22, dicit *arbores terminales.* Ita etiam in leg. 1, § 3, D. de Term. moto, appellantur indiscriminatim *arbores, lapidesve terminales.* Aliquando etiam acervi lapidum pro terminis erant, qui Mercurii acervi dicebantur.

853 Si stetit antiquus, quem cingere sueve- A
[rat error
Fasciolis, vel gallinæ pulmone rigare,
Frangitur, et nullis violatur terminus extis,
Et, quæ fumificas arbor vittata lucernas
854 Servabat, cadit ultrici succisa bipenni.
Nec tamen idcirco minor est aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia læta serenæ,
Temperet aut pluvius qui culta novalia ventus.
Sed nec magno opus est frugi viventibus, et cum
Maxima proveniunt, non amplo in gaudia censu
Solvimur, inque lucrum studio exsultamus avaro.
Nam quibus æternum spes informatur in ævum,
Omne bonum tenue est, quod præsens ingerit
[ætas.
O felix nimium sapiens, et rusticus idem,
Qui terras animumque colens, impendit utrisque
Curam pervigilem : quales, quos imbuit auctor
855 Christus, et assumptis dedit hæc præce-
[pta colonis.
Semina cum sulcis committitis, arva cavete
Dura lapillorum macie, ne decidat illic

GLOSSÆ VETERES.

1007. Rigare, *placare*, I.
1008. Terminus, *limes*. — Extis, *in sacrificando*, I.
1010. Bipenni, *dolatura*, I.
1012. Tempestatis, *auræ*. — Serenæ, *puræ*, Iso.
1014. Magno, *alimento, re*. — Frugi, *abstinenter, vel parce*, I.
1020. Utrisque, *terrenis et cœlestibus*, I.
1022. Assumptis, *electis*. — Colonis, *apostolis*, I.
1023. Cavete, *vitate*, I.

COMMENTARIUS.

ac fortasse sunt illi ipsi acervi de quibus Proverb. B xxvi, 8 : *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem.* Nonnullum vestigium hujus superstitionis memini me videre in Hispania. Variam fuisse consuetudinem celebrandi terminalia, vel ex ipso Siculo Flacco patet : *Favos quoque, et vinum, aliaque, quibus erat consuetudo terminis sacrum fieri, in fossa adjiciebant.* Solus Prudentius, quod sciam, meminit pulmonis gallinæ, quo videlicet Terminus rigabatur, sive ungebatur : nam *rigare*, non *rogare* censeo legendum vers. 1007. Terminos, aliosque omnes veterum deos, sertis et coronis fuisse decoratos, res nota est omnibus ; quo fortasse pertinet illud Lucretii lib. v : *Non pietas ulla est velatum sæpe videri Vertier ad lapidem.* Confer Paschalium, de Coronis lib. iv, cap. 4.

1007. Ald., Alex., Thuan., Ox., *fasceolis*; alii, *fasciolis*. Gifanius, verbo Lapis, putat legendum *rigare*, et Juretus affirmat nonnullos profiteri in suis veteribus membranis legi *rigare*. Weitz. cum plerisque suis, C ut videtur, *rigare*. Id mihi apprime placet, et respondet versus sequens *et nullis violatur terminus extis*, hoc est, nullis ungitur extis, quod ab ethnicis fieri solebat, ut ex Siculo Flacco et Minucio constat ; quibus adde Arnobium lib. i : *Siquando conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine sordidatum.* Apuleius lib. i Florid : *Neque enim justius religiosam moram viatori objecerit aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata ; vel etiam colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Non vero assentior Teolio, qui existimat, *gallinæ pulmone rogare* significare consuetum auspicia captandi ritum per avium et pecorum viscerum inspectionem. Victimarum intestina in sacrificium ab ethnicis offerri consuevisse exploratum est Persius sat. 2 : *Aut quidnam est, qua tu mercede deorum Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?*

1009. Lipsius, lib. i Elect., cap. 3, ex hoc loco notat D arboribus sacris veteres appendisse lucernas : quia scilicet res sacra erat lucerna, adeoque sacrificuli et vates lucernam et laurum præferebant ex Seneca de Vita beata cap. 27. *Arborem vittatam* dicit Prudentius, quia, ut paulo ante vidimus, arbores etiam coronabantur : de quo videri possunt hymnus 10 Peristeph., vers. 302, et quæ notat Winkelmannus tom. I laudati operis, pag. 57, ex Philostrato, Statio et Æliano, ubi vetus monumentum existens in villa Romana excellentissimæ domus Albaniæ, et arborem tæniis ornatam, quæ in eo repræsentatur, explicat. Existimo in singulis agris fuisse aliquam veterem et insignem arborem, quam possessores colerent, qualis illa est quercus a Lucano descripta, et cui Pompeius comparatur lib. i : *Stat magni nominis umbra. Qualis frugifero quercus sublimis in agro Exuvias veteres populi, sacrataque gestans Dona ducum : nec jam validis radicibus hærens, Pondere fixa suo est : nudosque per aera ramos Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram : At quamvis primo nutet casura sub Euro, Tot circum silvæ firmo se robore tollant, Sola tamen colitur.* Virgilius vii : *Laurus erat... Sacra comam, multosque metu servata per annos.* Ad consuetudinem appendendi lucernas arboribus referri potest Martialis lib. x, epigr. 6 : *Quando erit ille dies quo campus, et arbor, et omnis Lucebit latia culta fenestra nuru?* Tænias seu vittas arboris, quas *discolorani lanam* vocat Prudentius loc. cit. Romani, exprimit Statius lib. ii Thebaid. : *Ab arbore casta Nectent purpureas niveo discrimine vittas.* Arnobius lib. v : *Quid compti violaceis coronis, et redimiti arboris ramuli?* In cod. Theod. tit. de Paganis, leg. 12, *Redimita vittis arbore*, ubi probat Gothofredus, hujusmodi superstitionem diu perseverasse.

1010. Widm., *servebat* : lege *servabat*.

1013. Ald., Weitz., Gis., *temperat*. Heinsiani scripti, Rat., Alex., Urb. et alii, *temperet*. Ald., Heins., Gis. in textu, Alex., Rat., Fabr., *aut pluvius*, rectius quam *aut pluviis* Weitz., Gis. ad oram.

1014. Widm., *venientibus*; ad oram recte positum *viventibus*.

1015. Gronovius cap. 5 Observat. eccles. conjecit *censu* pro *sensu* : quam conjecturam satis confirmat correcto alio loco S. Cypriani ex lib. de discipl. Cauchius etiam malebat *censu*, quod in Boher. priore repertum arripuit Heinsius, et cum eo recentiores. Gallandius addit in vett. edd. mendose esse *sensu* pro *censu*. Mihi non displicet lectio codd. *sensu* : ut enim vers. seq. ait poeta, Christianos *non exsult re studio avaro in lucrum*, ita nunc affirmat eos *non solvi amplo sensu in gaudia*. Non tamen dissimulabo, epitheton *amplo* magis congruere *censui* quam *sensui*.

1021. Giselinus enallagen numeri agnoscit in *quales, quos*, ut in illo Terentii Phorm. act. v, sc. 11 : *Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.* Parabola Christi hic indicata exstat Matth. xiii.

1023. Virgilius i Georg. vers. 223 : *Debita quam sulcis committas semina.*

1024. Weitz. cum Vat. A, Egm., Fabr., Widm. supra *dura lapillorum acie*, minus bene. Alii *macie*, etiam Aldus, quem perperam Weitzius allegat pro *aciem* : nam id, quod primum posuerat, in emendatis mutavit in *macie*. Rat. scribit *maciæ*, mendose. *Macies lapillorum* est *glarea tenuis*, quæ occurrit vers. 1043. Vat. A, *decidit*, corrigendum *decidat*. Urb., *nec decidat*.

Quod serit r : primo quoniam præfertile germen A
Luxuriat; succo mox deficiente, sub æstu
Sideris igniferi sitiens torretur, et aret.
Neve in spinosos incurrant semina vepres :
Aspera nam segetem surgentem vincula texunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus arctat acutis.
Et ne jacta viæ spargantur in aggere grana :
Hæc avibus quia nuda patent, passimque vorantur,
Immundisque jacent fœda ad ludibria corvis.
His Deus agricolam confirmat legibus; ille
Jus cœleste Patris non summa intelligit aure :
Sed simul et cordis segetem disponit et agri,
Ne minus interno niteant præcordia cultu,
856 Quam cum læta suas ostentant jugera B messes.
Exstirpamus enim sentos de pectore vepres,
Ne vitiosa necent germen vitale flagella,
Ne frugem, segetemque animæ spinosa malorum
Impediat sentix scelerum peccamine crebro.
Glarea ne tenuis jejunis siccet arenis
Marcentem sub corde fidem, ne pectoris æstu
Flagret, et effetis urat charismata venis.
Denique ne jecoris detrita in parte relinquat
Vilis cura Deum, ne spem, qua vescimur intus,
Deserat, obscenisque avibus permittat edendam,
Et projecta fides hosti sit præda volucri.
Talis nostrorum solertia centuplicatos
857 Agrorum redigit fructus : quibus acrius instat,
Nec metuit, ne congestum populetur acervum
Curculio, vel nigra cavis formica recondat.
Sunt et virginibus pulcherrima præmia nostris,

GLOSSÆ VETERES.

1026. Luxuriat, *abundat*, I.
1027. Sideris, *solis*, I.
1029. Surgentem, *crescentem*, I.
1031. Aggere, *itinere*, I.
1032. Hæc, *præcepta dedit*, I.
1036. Cordis segetem, *verbum prædicationis*. — Disponit, *statuit*, I.
1039. Exstirpamus, *evellimus*, I.
1043. Glarea, *terra petrosa, vel arenosa*, I.
1045. Effetis, *infecundis*, *vacuatis*. — Charismata, *dona Dei*, I.
1046. Detrita, *conculcata a dæmonibus*, I.
1047. Intus, *quasi semine*, I.
1048. Deserat, *in via, sed in bona terra*, I.
1050. Solertia, *studium, si ita studiose hæc facta fuerint*, I.
1051. Redigit, *restituit*. — Acrius, *fortius vel fortiter*, I.
1052. Metuit, *nostra fides*, I.
1053. Curculio, *vermis pro diabolo*, I.

COMMENTARIUS.

1025. Urb., Rat., Weitz., *primum*. Ald., Alex., Widm. supra, Gis., Heins., *primo*.

1026. Vat. A, *deficientis ab æstu* non probe.

1029. Notanda est novitas phrasis de spinis, *Aspera vincula texunt segetem surgentem*.

1030. Vat. A contra metrum et sensum, *robur arctat*. C

1031. Viæ publicæ, ut imber deflueret, aggeribus muniebantur. Hinc *agger* pro via aliquando usurpatur. Agger viæ frequenter dicitur. Virgilius V Æn. *Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens*.

1034. Meursius lib. I, cap. 10. Critic. Arnob. mallet *conformat* pro *confirmat*.

1035. Thuan. pro div. script., *non surda intelligit aure*. At *summa aure* Prudentianum est, ut *summum corpus*, *summus tactus* in Psych. vers. 793, 692, et Cicero *summam aquam* dixit de aquæ superficie.

1039. Rat., alter Rott., *exstirpemus*. Widm., Rat., *nostro de pectore*. Alii *sentos*, scilicet vepres. Non semel Prudentius dixit *sentus* pro *senticosus*, Terentium imitatus.

1041. Hanc parabolam ad vitia animi, quæ spinis significantur, passim SS. Patres et interpretes egregie transferunt, ab ipso Christo edocti : et Prudentius ipse idem argumentum versat Apoth. vers. 59 D et seqq., ubi plures similes phrases occurrunt. Ubique enim sui similis est.

1042. Ald., Urb., Thuan., Gis., prior Rott., Heins., *sentis*. Alex., prioribus erasis, *sentix*. Ita etiam Rat., Egm., Widm., Weitzius. Gifanius in *lateramina* ait, mire dixisse Prudentium *sentix* pro *sentis*, nam *sentix* habebant tres vett. libri planissime, et in margine adnotatum ut rarius verbum *hæc sentix* : sic *junix* pro *juvenca*, dixit Plautus et Persius; sic et *pistrix*, et *pistris* fortasse dixerunt veteres : sic *curax*, et *vigilax* dixit Caius I. C. Mariettus, qui exemplar Lucretii viderat notis mss. Gifanii illustratum, affirmat Gifanium ad marginem hujus loci manu notavisse sibi magis placere *sentis*, quod in meliori veteri libro repererat. Gifanius observat Lucretium amare verba hujuscemodi *lateramen*, *augmen*, *momen*, *vocamen*, *conamen*, *glomeramen*, *duramen*, et Prudentium hoc versu *peccamen*.

1043. Virgilius II Georg., vers. 212 : *Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris*, ubi Servius jejunam explicat *siccam et sterilem terram*; unde vers. 1024, *macies lapillorum*.

1045. Ald. *affectis*; alii *effetis*. In *charisma* primam produxit etiam præf. 1, Apoth. vers. 11.

1048. Ald., Urb., Alex. supra, *edendum*.

1050. Vide hymn. 7 Cath., vers. 220, *Ditatque fructus fenerantem centuplex*.

1051. Ald. Urb., *rediget*. Rat., Alex., scripti Heinsiani, Weitz., *redigit*, Fab., Gis., *reddit*; Widm. supra, *redit*. Verius videtur *redigit*, ut vers. 1059, *rediguntur in horrea fructus*. Weitzius, *acriter*; sed *acrius* habent Ald., Gis. et nostri scripti.

1052. *Acervum* simpliciter posuit pro tritici acervo etiam Cath. 5, vers. 68, *Clausis cavere acervis*. Virg. I Georg., *Populatque ingentem farris acervum Curculio*.

1054. E parabola fructus centuplicis in regno cœlorum transit ad virgines Christianas, quibus hoc promissum est præmium, ut exprimit vers. 1059, *Hinc decies deni*. Luculentissimum vero hoc exstat antiquitatis testimonium de perpetua castitate ac vita sanctissima nostrarum virginum, quas Prudentius confert, et longe præfert virginibus vestalibus. Nostræ illæ virgines *Deo devotæ* dicebantur, et virginitas Deo promissa *devota* pariter nuncupabatur. Ausonius, quamvis non Christianus, aut ex Christiano iterum ethnicus, certe non valde pius, ut ex ejus scriptis patet, tamen virgines Deo devotas laudat; sic Parent. 6, titulus : *Æmilia Hilaria matertera, virgo Deo devota*. Tum hoc epigramma : *Feminei sexus odium tibi semper, et inde Crevit devotæ virginitatis amor. Quæ tibi septenos novies est culta per annos : Quique ævi finis, ipse pudicitiæ*. Hoc ipsum mox Prudentius, *Lexque pudicitiæ vitæ cum fine peracta*. Ausonius vero iterum de Julia Cataphronia amita : *Innuba devotæ quæ virginitatis amorem Parcaque cnus coluit*.

858 Et pudor, et sancto tectus velamine vultus, A
Et privatus honos, nec nota, et publica forma,
Et raræ tenuesque epulæ, et mens sobria semper,
Lexque pudicitiæ vitæ cum fine peracta.
Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non unquam obnoxia furi.
Nam cœlum fur nullus adit: cœlestia nunquam
Fraude resignantur: fraus terris volvitur imis.
Quæ nunc vestalis sit virginitatis honestas,
Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primum parvæ teneris capiuntur in annis,

GLOSSÆ VETERES.

1055. Pudor, *castitas*, I.
1057. Tenues, *viles vel parvæ*, I.
1059. Hinc, *post hæc.* — Decies, *de viduis dicit modo : decies seni sexaginta faciunt, et sex sexagenarius numerus viduis pertinet*, Iso.
1060. Horrea, *scilicet dico*, I.
1064. Pudoris, *castitatis*, I.

COMMENTARIUS.

Ex his licet perspicere virginitatem perpetuam Deo olim fuisse promissam etiam in ætate non admodum adulta : imo ex argumento quo Prudentius vestalium virginitatem refellit, satis evincitur virgines B Christianas in juventute Deo fuisse consecratas, *Tandem virgineam fastidit Vesta senectam.* Si virgines Christianæ solum senectuti proximæ vovere virginitatem potuissent, reponi contra Prudentium posset : Vesta fastidit virgineam senectam, at religio vestra fastidit virgineam juventutem. Adverte etiam, Æmiliam, quam Ausonius laudat, virginitatem devotam coluisse septenos novies per annos. Quis autem satis mirari valeat intolerandam Pawii, impii hominis, impudentiam, qui declamationem Prudentii contra vestales mox proferendam ad nostras moniales ita accommodaverit, quasi Prudentius crimini vestalibus verterit quod virginitatem conservaverint? En verba ex opere *Recherches philosophiques sur les Américains, par M. de Paw, tome II, à Berlin*, 1777, *pag.* 95 : « *Prudence a fait une satire chrétienne contre les Vestales qui étaient encore à Rome de son temps, à qui il fait un crime d'avoir conservé leur virginité : si ce pieux déclamateur avait pu prévoir alors que la chrétienté serait un jour surchargée de religieuses, il se serait tu.* » Si Pawius prævidisset aliquando hæc verba subjicienda fore elogio quo Prudentius perpetuam virginitatem Christianam prosequitur, atque illi ipsi declamationi qua tantum damnat coactam, temporariam, ac mille vitiis expositam virginitatem vestalium, nescio sane an sibi manus intulisset ; sed certe ex hominum conspectu aufugere debuisset, si frontis quidquam habuisset. Qui enim fieri potuit ut Prudentius virginitatem conservatam crimen esse putaverit, cum ex lege pudicitiæ, vitæ cum fine peractæ, colligat, *Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus?* Verum de Pawio paulo post redibit sermo.

1055. Tertullianus, de Virginibus velandis præsertim cap. 16, probat Scripturam legem de velando mulieris capite condidisse, naturam contestari, consuetudinem exigere, maxime in virgine, quæ Christo nupsit. Tertulliano concinit Cyprianus in lib. de Disciplina et habitu virginum.

1059. Ald., Alex., Jureti codex, *decies seni.* Rat., D Urb., Gis., Weitz., Heins., *decies deni :* quod magis placet ; nam videtur Prudentius iterum commemorare fructus centuplicatos, quanquam primum illud non displicet. Vide comm. ad vers. 121 hymn. S. Agnes. Interpretationes de fructu tricesimo, sexagesimo, centesimo diversæ proferuntur, et prout diversi vitæ status inter se comparantur, ita alii aliter judicant. Theodulfus Aurelianensis, lib. VI, carm. 7 : *Terdena in nuptu, in viduis sexdena coruscat. Ista duo superat tertius ordo boni. Et data virginibus centeni gloria fructus, Martyrioque sacer congruit hic numerus.* Glossa non placet.

1060. Alex. male, *nonnunquam.* Urb., *Orrea non unquam nocturno obnoxia furi.*

1065. Discat hinc Pawius quid in virginitate vestalium Prudentius reprehendat : primum quod teneris in annis capiuntur etiam invitæ et reluctantes. Tum quod cæcum vulnus, et amissas suspirant tædas, non solum quia in eum cœtum coactæ sunt ingredi, antequam libera secta voluntatis propriæ condemnaret vincula justa maritandi sexus, sed etiam quia non totum spes salva interficit ignem, quandoquidem tempore præscripto resides flammas adolere licebit. Præterea vestalibus exprobrat quod ad spectacula publica, etiam ad sanguinolentum gladiatorium ludum convenirent, cædesque hominum non tantum viderent, sed etiam imperarent, et voluptatem ex eis caperent. Hæc clara sunt in Prudentio; at Pawius fingit quod ille vestalibus *fait un crime d'avoir conservé leur virginité.* Juretus ait omnino legendum esse ex veteri codice et melioribus excusis *capiuntur*, non *rapiuntur*, quanquam et hoc postremum non sine colore defendi possit, quia adhibita vi et extorta voluntate ut plurimum, virgines tenellæ sacris addicebantur. Proprie autem *capi* vestales dicebantur. Ulpianus lib. regularum tit. 10 : *In potestate parentum esse desinunt et hi, qui flamines diales inaugurantur, et quæ Vestæ virgines capiuntur.* Aulus Gellius, lib. I, cap. 12 : *Qui de vestali virgine capienda scripserunt... minorem quam annos sex, majorem quam annos decem* C *natam negaverunt capi fas esse.* Suetonius, cap. 31, in Augusto : *Sacerdotum et numerum, et dignitatem, sed et commoda auxit, præcipue vestalium virginum. Cumque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi ne filias in sortem darent, adjuravit, si cujusquam neptium suarum competeret ætas, oblaturum se eam.* Tacitus lib. XV Annal., *Defunctaque virgo vestalis Lælia, in cujus locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.* Ita etiam loquitur S. Ambrosius, Symmacho respondens. A. Gellius loc. cit. rationem hujus vocabuli tradit : *Capi virgo propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu prehensa ab eo parente in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur.* Paulo post Prudentius, *Captivus pudor ingratis addicitur aris.* Hac autem formula pontifex maximus utebatur : SACERDOTEM. VESTALEM. QVAE. SACRA. FACIAT. QVAE. IOVS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO. ROMANO. QVIRITIBVS. Q. VTEI. QVAE. OPTVMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Quibus in verbis nonnulli cum A. Gellio lib. I, cap. 12, putant *Amatam* virginem captam vocari, quia prima virgo vestalis Amata dicta fuit. Addunt alii Virgilium ea de causa matri Laviniæ nomen Amatæ fecisse. Mihi verius videtur *amatam* hic significare electam. Quæ ita a me fuse exposita sunt, ut discrimen inter nostras moniales et virgines vestales evidentius pateat. Longe enim a Teolio dissentio, qui ex his versibus recte colligi affirmat, *nonnisi matura ætate tum temporis nostras virgines Deo sacrari consuevisse : quod enim receptum apud nos esset, id in gentibus damnare nunquam sibi noster sumpsisset. Et sane eodem quo Prudentius ævo, ne virgines ante quadragesimum annum consecrarentur veli susceptione, sancitum a S. Leone Magno fuit.* Dissentio, inquam, si intelligat Christianas virgines nonnisi matura ætate virginitatem suam Deo vovisse : nam aliud erat velum consecrationis, velut præmium virginitatis probatæ tunc collatum. Prudentius damnat in gentilibus quod puellæ ante annum decimum, vel eo non majores, tanquam bello

859 Ante voluntatis propriæ quam libera secta
860 Laude pudicitiæ fervens, et amore deorum,
Justa maritandi condemnet vincula sexus.
Captivus pudor ingratis addicitur aris,
Nec contempta perit miseris, sed adempta voluptas
Corporis intacti; non mens intacta tenetur,
Nec requies datur ulla toris: quibus innuba cæcum
Vulnus, et amissas suspirat femina tædas.
Tum quia non totum spes salva interficit ignem:
Nam resides quandoque faces adolere licebit,
Festaque decrepitis obtendere flammea canis.
Tempore præscripto membra intemerata requirens,
Tandem virgineam fastidit Vesta senectam.
Dum thalamis habilis tumuit vigor, irrita nullus
Fecundavit amor materno viscera partu.
Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore,
861 Desertisque focis, quibus est famulata juventas,

GLOSSÆ VETERES.

1068. Vincula, *connubia*, I.
1070. Contempta, *despecta*. — perit, *sponte*, I.
1072. Cæcum, *occultum*, I.
1074. Ignem, *amorem*, *minna*, I.
1075. Resides, *pigras*. — Faces, *amoris*. — Adolere, *incendere*, Iso.
1076. Obtendere, *operire*. — Flammea, *libidinosa*, I.
1077. Præscripto, *in quinquagesimo anno*, *in anno octogesimo*. — Requirens, *Vesta*, I.

COMMENTARIUS.

capiantur, quin vel in ea ætate libera ipsis sit voluntas damnandi matrimonii. Non ergo recte colligitur solum matura ætate virgines nostras Deo consuevisse consecrari, nisi maturam ætatem intelligas cum jam per ætatem virgines possent matrimonii vinculum aut eligere, aut respuere. S. Damasus de sorore sua Irene: *Voverat hæc sese Christo, cum vita maneret, Virginis ut meritum sanctus pudor ipse probaret, Bis denas hyemes necdum compleverat ætas;* ubi plerique intelligunt mortuam Irenem anno vicesimo ætatis, alii eo anno virginitatem vovisse. De veli autem susceptione varia olim fuit disciplina. Concil. Carthagin. II, can. 4, *Placuit ut ante viginti quinque annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.* Concil. Agath. can. 19, *Sanctimoniales, quamlibet vita earum et mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.* Concil. Cæsaraugust. anno 380, can. 8, *Item lectum est, non velandas esse virgines quæ se Deo voverint, nisi quadraginta annorum probata ætate, quam sacerdos comprobaverit.* Basilius epist. canonic. can. 18, ætatem supra sexdecim aut septemdecim annos postulat, ut in sacrarum virginum catalogum virgo referatur.

1068. Ald., Fabr., Urb., Alex. a prima manu, *condemnat*, Gis. ad oram, *contemnat;* Rat., *contemnet;* Weitz., *condemnet*, quod ex Giselino sumpsit Heinsius, quin nihil ex suis scriptis notaverit. Concinnius aliis videtur *condemnat*, ut apud Virgilium II Æneid., *Ante, pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.* Ita enim legendum esse, non *violem*, *resolvam*, multi jam monuerunt; sic etiam eleganter *Antequam ea dico.* Corradus, lib. VI de Ling. Lat., aliter sentit, et appositam adhibet distinctionem.

1070. Ald., *contenta:* lege *contempta*.

1071. Imo neque oculi intacti erant: nam de fascino ait Plinius lib. XXVIII, cap. 4, *Qui deus inter sacra Romana a vestalibus colitur.*

1076. *Flammeum* pro velo quo novæ nuptæ velabantur accipe, quamvis aliter Iso sentiat.

1079. Ald., Heinsiani scripti, Widm. ad oram, Alex., Urb., Rat., et alii, *dum thalamis*. Bong., Fabr., Gis., *tum*. Weitzius, *cum*. Aldus male, *timuit vigor*.

1081. Nonnulla difficultas hinc oritur, cur Prudentius anum veteranam vocet vestalem, quæ suo perfuncta labore nuberet: quam difficultatem mendaciis exaggerat Pawius in nota loc. cit. *Après vingt-trois ans de service, elle était réputée émérite, et acquérait la liberté de se marier, comme on peut s'en convaincre en lisant dans les poésies de Prudence la satire qu'on vient de citer: il est assez surprenant que cet écrivain dise dans son libelle, que les ex-vestales qui entraient dans le lit conjugal n'y apportaient plus une seule étincelle du feu de l'amour, que les désirs et la vieillesse avaient éteint dans leur cœur usé. Une ex-vestale qui se mariait à trente ans n'encourait certainement pas ce reproche.* Quid ab hoc scriptore, cum de Americanis rebus loquitur, sperare possis, cum tam impudenter commentitiam vestalium historiam repræsentet, Prudentiique carmina in eamdem rem alleget? Ait vestales post viginti tres annos ministerii emeritas censeri et nubere potuisse, adeoque anno tricesimo ætatis licuisse vestalibus matrimonium contrahere. Verum ubinam id docuit Prudentius? Imo quis rem ita se habere tradidit? Dionysius lib. I aperte ait: *Tempus tricennale manere eas oportet castas, et a nuptiis vacuas, sacra ex more facientes. Quo tempore decem annos discere debent, decem sacris operari, decem docere.* Vides triginta annos sacerdotio vestalium destinatos, post quos nuptias celebrare poterant, scilicet anno ætatis trigesimo septimo, aut post eum annum, non ante. Neque item verum est Prudentium affirmare, penitus amoris ignem in vestalibus, quo anno nubere ipsis permissum erat, jam fuisse exstinctum: addit enim, *Discit et in gelido nova nupta tepescere lecto.* Cæterum si vestales anno circiter quadragesimo ætatis matrimonio poterant copulari, merito quæri poterit, cur *anus veterana* vestalis tunc nupta dicatur. Puto id ita a Prudentio dictum, ut significet vestales in juventute, aut in meliore juventutis parte, cum thalamis magis habiles erant, a matrimonio fuisse repulsas, quod tandem ipsis concedebatur in senectute, aut in ætate proxima senectuti. Nemo enim negaverit feminam in ætate annorum circiter 40 minus jam esse aptam ad nuptias contrahendas. Certe Statius lib. II vestalem sacerdotem longævam vocat: *Pervigilemque focis ignem longæva sacerdos Nutriet.* Alii putant, Prudentium respexisse ad vestales Albanas, quæ quinquaginta annos serviebant, ut docet Dionysius lib. I, apud quem nonnulli male legerant πενταετεῖς pro πεντηκονταετεῖς, nempe quinquennio pro quinquaginta annos, ut observavit Lipsius Syntagm. de Vesta et Vestalib. Cæterum in verbis Prudentii nulla major inest difficultas quam in verbis Ambrosii cap. 4, lib. I de Virginib.: *Quis mihi prætendit Vestæ virgines, et Palladis sacerdotes? Qualis ista est non morum pudicitia, sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? Petulantior est talis integritas, cujus corruptela seniori servatur ætati. Ipsi docent, virgines suas non debere perseverare, nec posse, qui virginitati finem dederunt. Qualis autem est illa religio, ubi pudicæ adolescentes jubentur esse impudicæ anus?*

1082. Alex., Egm., Fabr., unus Rott., Heins., Gis. in textu, *juventas*. Weitz., Thuan. et alter Rott., *juventa*. Heinsius pro *juventas* citat priorem Rottendorphium, et iterum pro *juventa* priorem Rottendorphium: fortasse voluit dicere *alterum* aut posteriorem, sed rem satis distinguere non valeo. Idem

A

Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas,
862 Discit et in gelido nova nupta tepescere lecto,
Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fatalesque adolet prunas innupta sacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas,
863 Pilento residens molli, seque ore retecto
Imputat attonitæ virgo spectabilis Urbi.

GLOSSÆ VETERES.

1083. Emeritas, *veteranas, senio plenas. emeriti dicuntur milites, quia* (fortasse *qui*) *cessant mereri, id est militare*, I.

1086. Adolet, *incendit*, I.

1088. Pilento, *pilentum, et esseda et petorritum genus vehiculi sunt, et una eademque* (forte *eademque res*), I.

1089. Attonitæ, *stupenti.* — Exspectabilis, *desiderabilis*, I.

COMMENTARIUS.

Heinsius, et Weitzius Aldum allegant pro *juventas :* adeoque non adverterunt, *juventas* ab Aldo in emendatis mutatum fuisse in *juventus*. Gis. ad oram, Widm., Bong. supra, Urb. legunt *juventus*. Gifanius, verbo INVALIDUS, legendum putat *juventa*, id est in *juventa;* cum esset puella. In vett. tamen fere invenerat *juventus*, in aliis *juventas : Quod*, inquit, *nescio* B *quid sibi velit*. Atqui idem Gifanius, verbo VESTIRE, in Virgilio lib. VIII legit : *Tum mihi prima genas vestibat flore juventas*. Idem est *juventas* ac *juventus;* et etiamsi legas *juventa*. non intelligo cum Gifanio et Jureto *in juventa*, sed juventam ipsam fuisse famulatam focis.

1084. Gifanius, verbo INVALIDUS, ait se reperisse in quodam veteri *ingelido* pro valde gelido, ut *indurus* pro valde duro, et apud Lucretium *invalidus* pro valde valido. De voce *indocilis* eadem significatione dixi ad hymnum 3 Cath., vers. 111. In alio vet. vidit Gifanius *in gelido, quod*, ait, *fortasse sit rectius;* et est certe rectius, quanquam etiam in Urb. et Alex. est *ingelido*. Sæpe tamen in codd. vett. et in Alex. sæpius verba inter se uniuntur vitio exscriptorum : Juretus quoque in suo cod. legit conjunctim *ingelido*, sed non assequor interpretationem : *id est, valde frigido et tepido*. Nam illa particula *in* auget vim dictionis. Sic Penelope Ulyssi : *Non ego deserto jacuissem frigida lecto*. C Fortasse in Jureto legendum *valde frigido et gelido*.

1085. Prudentius in vestalium ornatu describendo memorat infulam, vittas, tæniolas, licia crinibus addita. Hæc omnia sæpe pro eadem re sumuntur; sed distinguebantur tamen inter sese. De infula sacerdotum propria vide comment. ad vers. 5 hymni 9 Cath. Vitta erat redimiculum capitis magis commune, et erant vittæ virgineæ, quibus scilicet utebantur virgines a vittis matronarum distinctæ. Fabrettus, de Columna Trajan. cap. 6, putat vittas ab infula ita fuisse distinctas, ut vittæ fluitaverint, infula caput præcinxerit, quod ostendit in duabus virginum vestalium imaginibus, ubi vittæ ad infulas se habent, ut lemnisci ad corollas, de quibus Festus : *Lemnisci, id est fasciolæ coloriæ dependentes ex coronis*. Iso infra ait tæniolas esse summitatem vittæ. Vittarum simul et infulæ meminit S. Ambrosius in responsione ad Symmachum : *Infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices*. Dionysius vittas potius nominavit : *Licet nubere post annos impletos, sed depositis vittis, et* D *quæ alia sunt sacerdotii insignia*. Ovidius, ut significaret Iliam, virginitate amissa, dignam jam non esse sacerdotalibus insignibus, dixit lib. III Fast. : *Ignibus Iliacis aderam, cum lapsa capillis Decidit ante sacros lanea vitta focos*. Contra Juvenalis, ut scelus vestalis apertius indicaret sat. 4 : *Cum quo nuper vittata jacebat Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos*. Nam incesti rea vestalis ex instituto Numæ terra vivens obrui deberet.

1086. Credebant Romani, igne Vestæ exstincto, mali aliquid imperio portendi. Livius lib. XXVI, cap. 27.

1087. Vat. A, *ut publica pompa sacerdos*. Corrige *pompa plateas*, Barthius lib. XLII, cap. 17, censet Prudentium respexisse ad morem deducendi mulierculas ad lupanar cum symphoniacis, turba et pompa. Melius tamen idem Barthius lib. XXXV, cap. 14, exponit de pompa qua statuæ deorum circumferebantur. Sic Plautus in Milite : *Ut te hodie quasi pompam illuc prœterducerem*, hoc est velut deum ministris suis et mundo omni instructum. Horat. 1, serm. 3, *Persæpe velut qui Junonis sacra ferret*. Huc spectant verba Isidori vers. seq. afferenda : *Ferre sacra*, et *ducere sacra*, ut ait Virgilius, est supellectilem ad sacrificia necessariam portare.

1088. Lipsius, syntagm. de Vesta cap. 12, docet vestales lectica ferri solitas, etiam pilento ex hoc loco Prudentii et Tacito Annal. XII. Prudentius expressit illud Virgilii lib. VIII : *Castæ ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus*. Servius pilentum molle interpretatur pensile : fortasse dictum est pilentum a πῖλος lana coacta, quæ adhibebatur, ut mollius sederent. Chamillardus improprie S. Ambrosium et Prudentium locutos ait, quorum alter lectica vehi vestales, alter pilento scripsit, siquidem constat ex Tacito lib. XII, carpento usas fuisse : *Suum quoque fastigium Agrippina altius tollere, carpento Capitolium ingredi : qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus, venerationem augebat feminæ*. Verum ex versu Virgilii patet sacra pilentis etiam duci. Deinde etsi mos sacerdotibus concessus fuerit *carpento Capitolium ingredi*, tamen id non prohibet, quominus per plateas vestales lectica aut pilento veherentur. Lipsius ex eodem Taciti libro pilento usas fuisse vestales concludit. Isidorus lib. XX, cap. 12, carpentum definit esse *pompaticum vehiculi genus quasi carrum pompaticum*. Itaque pilentum, ad pompam ornatum et instructum, vocari potest carpentum. Pyrrhus Ligorius, de Vehiculis cap. 23, docet pilentum, carpentum et vehiculum unum pro altero accipi posse, quia omnia hæc matronæ usurpabant ad deambulationes et sacrificia. Joannes Schefferus in notis affirmat auctores, si accurati sint, distinguere : sed in opere de Re vehiculari cap. 25 probat pilentum carpento honoratius fuisse, et pilento matronas ad ludos et sacrificia vehi solitas, ac simili modo vestales, quibus jura omnia, matronarum propria, erant concessa. Livius lib. V, cap. 25, de auro a matronis in ærarium collato, ait : *Grata ea res, ut quæ maxime fuit, honoremque ob eam magnificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque uterentur*.

1089. Barthius lib. XLII, cap. 17, legit *spectabilis*, neque consulte agere criticos ait, qui *exspectabilis* reponunt. Legunt etiam *spectabilis* Ald., Gis. et alii vulg. cum Heinsio. Alex., Urb. At Weitzius cum suis et Rat. reposuerat *exspectabilis*, quod exstabat etiam in Sich. et Gis. 1 ed. ad oram. Pro *imputat* Giselinus margini apposuit *implicat* ex codice Pulmanni; sed non approbavit. Quonam enim modo se vestalis implicat, et immiscet urbi, si pilento molli residet, si spectabilis est, ut publica pompa, si in meliore podii parte sedet? Explicat ergo Giselinus IMPUTAT, *objicit, ostenditque ignominiose, et quasi eo ipso urbem impensæ perditæ coarguens*. Verbo imputandi eodem sensu usus est Suetonius in Tiberio cap. 53. Teolius ex cod. Vat. Alex. adjicit glossam IMPUTAT, *exprobrat, sibi, suæque virginitati reipublicæ salutem deberi*. Fortasse nihil aliud voluerit Prudentius, nisi quod vestalis se ostentat spectabilis ore retecto. Nam antea in nostris virginibus laudaverat *sancto tectum velamine vultum*, et vestales velamine capitis non fuisse usas ex nummis veteribus perspicitur. Quamvis autem pilentum superne esset tectum, et in cameræ modum constructum, tamen ex hoc versu colligitur patuisse ad latera, quibus sese conspiciendas vestales præbe-

Inde ad consessum caveæ pudor almus, et expers A
864 Sanguinis it pietas, hominum visura cruentos
Congressus, mortesque, et vulnera vendita pastu
Spectatura sacris oculis : sedet illa verendis
Vittarum insignis phaleris, fruiturque lanistis.
O tenerum, mitemque animum ! consurgit ad ictus,
Et, quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi :
865 Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,
Altius impresso dum palpitat ense secutor.
Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
Excubias Latii pro majestate palati,
Quod redimunt vitam populi, procerumque salutem ?
Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt

GLOSSÆ VETERES.

1090. Caveæ, *theatri*, I.
1091. Sanguinis, *generationis*, I.
1092. Congressus, *certamina*.—Vendita, *empta, quia ad hoc visebantur, ut in theatro ludis interficerentur*, I.
1094. Phaleris, *muliebribus ornamentis; phalera proprie ornamenta equorum, et phaleratum sermonem vocamus valde ornatum*.—Lanistis, *gladiatoribus*, Iso. B
1095. O, *ironice*, Iso.
1097. Ait, *dicit*, I.
1099. Vitalibus, *præcordiis*, I.
1100. Secutor, *gladiator*, I.
1102. Latii, *Italici*, I.
1104. Bene, *male*, *vel bene dicit*, *quia aliquando ornate cingebant, aliquando turpiter*, I.

COMMENTARIUS.

bant. Aldus nullo sensu interrogationis notam post hunc versum affixit.

1090. Heraldus in Arnobium pag. 274, et Elmenhorstius in eumdem pag. 54, hos versus illustrant. Cyprianus ep. 2 ad Donatum : *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet.. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat : homo occiditur in hominis voluptatem, et, ut quis possit occidere, peritia est; scelus non tantum geritur, sed et docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici ?... Quid illud, oro te, ubi se feris objiciunt, quos nemo damnavit ?*

1092. Gladiatores suam artem exercebant, ut alerentur : hinc *vulnera vendita pastu* vocat. Propertius eleg. 8 lib. IV : *Qui dabit immundæ venalia fata saginæ*. Vide notas Vulpii.

1093. Ald., Tornæs., *sed et*; lege *sedet*. Verbum *sedet* videtur proprium ad exprimendam arrogantiam feminæ. Sic Juvenalis sat. 10, *Sedet illa parato Flammeolo*. C

1094. De vittis paulo ante. Lipsius lib. I Saturn. serm., cap. 15, Prudentium quasi bardum aliquem nostri ævi hominem, aut puerum de schola traducit, et tantum non vapulare jubet. *Lanista*, ait, *carnificem designat ex Isidoro. Pro gladiatoribus Prudentius usurpat : parum proprie, imo imperite*. Primum a Lipsio quæram cur Prudentium Isidoro non præferat, si forte de vocis alicujus significatione inter se dissideant? Præterea apud Isidorum lib. X Etym., lit. L, ita lego : *Lanista gladiator, id est carnifex Tusca lingua appellatus, a laniando scilicet corpora*. Donatus in Eunucho act. II, scen. 2, *lanios* ait esse qui laniant pecora, unde et lanistas dictos qui laniandis præsunt gladiatoribus. Janus Gruterus ad Senecæ lib. VI de Benef., cap. 12, fuse exponit quinam fuerint lanistæ. Aliqui docent fuisse magistros et institutores gladiatorum. Juvenalis sat. 3, vers. 157 : *Hic plaudat nitidi præconis filius inter Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ*. Ubi alii exponunt filios principis gladiatorum qui gladiatores instruebat, alii filios magistri gladiatorum qui artem armorum tractandorum docebat. Prudentius primæ significationi vocis *laniare* inhæret. D

1095. In editione Parmensi mendose, *adictus*, conjunctim.

1097. Rat., *agit esse* cum glossa *æstimat*.

1098. Juretus testatur, in quibusdam codd. legi *virgo molesta* facili lapsu. *Modesta* ironice vera est lectio : ut antea *pudor almus*, *et expers sanguinis*. Veteres pollicem vertebant cum favorem denegabant, et in spectaculis, cum mortem imperabant. Juvenalis sat. 3, vers. 36, *Verso pollice vulgi, Quemlibet occidunt populariter*. Contra *pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio jubemur*, aiebat Plinius lib. XXVIII, cap. 2. Hunc ritum illustrat Angelus Politianus Miscel. syllog. cap. 42. Romani plerumque gladiatores qui vitam in certamine impetrare cupiebant occidi imperabant, illisque favebant, qui libenter morerentur, aut ferociter gladium insererent jugulo. Ejus rei testimonia sunt apud Senecam lib. I de Tranquillit. vitæ cap. 11, et lib. I de Ira, cap. 2. Nostri hanc crudelitatem gentilibus exprobrabant, ut Tertullianus in lib. de Spectat., et Lactantius lib. VI, cap. 20: *Quæro nunc an pii possint et justi homines esse, qui constitutos sub ictu mortis ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia et inhumana suffragia, nec vulneribus satiati, nec cruore contenti : quin etiam percussos jacentesque repeti jubent, et cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat*. Ab hujusmodi cruentis spectaculis semper abhorruisse Christianos, multo vero magis eos qui inter Christianos sacrorum ministerio vacarent, notum est.

1100. De secutore hæc Isidorus lib. XVIII Etym., cap. 55. *Secutor ab insequendo retiarium dictus. Gestabat enim cuspidem, et massam plumbeam, quæ adversarii jaculum impediret, ut antequam ille feriret reti, hic exsuperaret. Hæc armatura sacrata erat Vulcano: ignis enim semper aquam insequitur ; ideoque cum retiario componebatur, quia ignis et aqua semper inter se inimica sunt*. De retiario autem idem Isidorus cap. præced. : *Retiarius ab armaturæ genere in gladiatorio ludo contra alterum pugnantem occulte ferebat rete (quod* JACULUM *appellatur) ut adversarium cuspide insequente* (forte *insequentem*) *operiret, implicitumque viribus superaret. Quæ armatura pugnabat Neptuno tridentis causa*.

1102. Vat. A corrupte *alatii* pro *latii*. Ald. minus bene, *palatii*. Intelligo *palatium* ipsam Romam, ut ante vers. 765 *palatia*; aut etiam imperii pignus, de quo Livius lib. XXVI, cap. 27, *Vestæ ædem petitam, et æternos ignes, et conditum in penetrali fatale pignus imperii Romani*. Quod pignus esse Palladium, nonnulli putant.

1103. Vestales dicebantur vitam populi redimere, vel quia sacra pro eo faciebant, vel quia, ut tradit Plutarchus in Numa, *Si reo ad supplicium qui ducitur fortuitu factæ sint obviæ, is pœna liberatur. Oportet autem jurare, a casu, non a consilio, fuisse hunc occursum*. Rualdus in Animadvers. opponit verba prætoris ex edicto perpetuo apud A. Gellium lib. X, cap. 15 : *Sacerdotem vestalem, et flaminem dialem in omni mea jurisdictione jurare non cogam*.

1104. Iso videtur legisse *bene, vel male;* sed verum est *bene, vel bene*. Plinius, lib. XVI, cap. 44, ita scribit: *Antiquior illa est* (lotos,) *sed incerta ejus ætas, quæ capillata dicitur, quoniam vestalium virginum capillus ad eam defertur*. Fabrettus, de Columu. Trajan. cap. 6, vestalibus comam attonsam et astrictam fuisse con-

866 Tempora tæniolis, et licia crinibus addunt?
Et quia subter humum lustrales testibus umbris
In flammam jugulant pecudes, et murmura miscent?
An quoniam podii meliore in parte sedentes
A **867** Spectant, æratam faciem quam crebra tridenti
Impacto quatiant hastilia, saucius et quam
Vulneribus patulis partem perfundat arenæ,
Cum fugit, et quanto vestigia sanguine signet?
Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,
Te precor, Ausonii dux augustissime regni,

GLOSSÆ VETERES.

1105. Tæniolis, *summitas vittæ, sed hic pro tota tunica*, I.
1106. Lustrales, *quæ lustrant, id est, purgant*, I.
1108. Podii, *circi, vel theatri*, I.
1109. Faciem, *gladiatoris*, I.
1110. Impacto, *immisso*, Iso.
1113. Quod, *hoc*, Iso.
1114. Dux, *o Theodosi : Ad Constantinum loquitur, filium Constantini. Theodosius*, I.

COMMENTARIUS.

tendit. Melius Lipsius distinguit, et in ingressu religionis semel tonsas fuisse, postea comam aluisse tradit, quam etiam ad colla diffusam hic Prudentii locus evidenter convincit; quod contra Fabrettum confirmat Montfauconius tom. III Antiquit. pag. 217. Nam ex Festo novæ nuptæ senis crinibus caput ornabant, quo ornatu vestales utebantur. Ovidius, lib. III Fast. de Sylvia vestali, matre Remi et Romuli: *Fessa resedit humo, ventosque accepit aperto Pectore, turbatas restituitque comas*; et mox : *Cum lapsa capillis Decidit ante sacros lanea vitta focos.*

1105. Aldus scribit *litia.* In glossa legam libenter *pro tota vitta*, non *pro tota tunica.*

1106. Fabr., et Gis. ad oram, *tristibus umbris.* Urb. male, *tectibus umbris. Subter humum* sacra faciebant Vestæ, quia eam terram esse credebant. Fortasse eam ob causam *testibus umbris* ait Prudentius : vel, ut putat Chamillardus, quia veteres credebant manes aris et focis adesse.

1107. *Murmur* sæpe a Prudentio adhibetur pro voce submissa orantium. Vide præf. lib. I, vers. 36.

1108. Suetonius cap. 44 in Augusto : *Virginibus vestalibus locum in theatro separatim, et contra prætoris tribunal dedit.* Meminit etiam *podii* Juvenalis sat. 2: *Omnibus ad podium spectantibus.* Est autem podium in amphitheatro mœnianum supra zonam muri, qui C campum ambibat, quod simul ornatus, simul spondæ obtinebat locum, eratque aliquanto capacius cæteris gradibus. In podio considebant senatores, aliique dignitate præstantes. Jos. Emmanuel Miniana, vir laudatissimus, in dialog. de theatro Saguntino quærit qua ratione in theatro podium *in fronte scenæ* esse potuerit, cum constet ex Suetonio et Prudentio, vestalibus concessum fuisse locum in podio contra prætoris tribunal. Qua de re cum Emmanuelem Martinum consuluisset, is nodum non aliter dissolvit, nisi correcto Suetonio, ut legatur *in amphitheatro* pro *in theatro*, aut *juxta prætoris tribunal* pro *contra prætoris tribunal.* Sed, ut ego puto, podium in theatro contra scenam quidem erat, sed hemicyclum ita formabat, ut locus vestalibus assignatus contra prætoris tribunal esse potuerit, si scilicet ex una parte hemicyclus ab hoc tribunali inciperet, et ex alia in vestalium sedem desineret. Miniana acute observat, recte Prudentium dixisse *podii meliore in parte*, quia Tiberius decrevit ut quoties Augusta *theatrum introisset, sedes inter vestalium consideret*, ex Tacito IV Annal. Fortasse lux aliqua major huic rei accedet ex verbis Bulengeri lib. I de Theatro, cap. 9 : *Theatrum non constitisse solo hemicyclo figura ejus, quod Romæ est, M. Marcelli ostendit. Cum enim flexis post semicirculum lineis uterentur, ex integro circuli ambitu quartam partem adimentes, quod reliquum erat, theatro dabant.* Arnobius lib. IV pariter objicit gentilibus quod sacerdotes et vestales sederent in spectaculis publicis. *Sedent in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia, pontifices maximi, et maximi curiones; sedent quindecimviri laureati, et diales cum apicibus flamines; sedent augures interpretes divinæ mentis et voluntatis; necnon et castæ virgines, perpetui nutrices et conservatrices ignis.* Illud animadverto, videri jam ævo Prudentii cessasse ludum athletarum : nam Nero, ut in ejus Vita refert Suetonius cap. 12, *ad athletarum spectaculum invitavit et vestales : quia Olympiæ quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur.* Si autem Prudentii ætate vestales athletarum ludo adfuissent, Prudentius non prætermisisset argumentum inde petere contra earumdem B pudicitiam.

1109. Ald., Gis., *tridente.* Alii, *tridenti.* Ald. male distinguit *spectant æratam faciem?* Mirmillo ferro faciem tegebat : hic est secutor, de quo ante dixi, qui cum retiario componebatur. Retiarius tridenti, seu fuscina, et reti armatus erat.

1110. Widm., *quatiunt.* Ald. male distinguit *hastilia saucius, et quam.*

1111. Vat. A perperam, *arenis.* Urb. et Alex. scribunt *harenis.*

1112. Rat., *quando*, supra recte, *quanto.* Ex his versibus Prudentii colligitur vestales suo tempore nondum abolitas fuisse. Lipsius quærit quo tempore desierint, et respondet sub Theodosio seniore id accidisse, et hoc ipsum plerique affirmant. Verum solum constat a Theodosio aliisque antiquioribus imperatoribus Christianis redditus et privilegia vestalibus negata fuisse : sed permanebant ipsæ nihilominus post hujusmodi edicta, et privilegia etiam nonnulla aut conservabant, aut connivente magistratu, iterum sibi arrogabant. Sic per Orientem anno 396 privilegia sacerdotum penitus ab Arcadio abolita sunt lege 14 cod. Theod. de pag. *Nec gratulentur*, ait, *se privilegio esse munitos, quorum professio per legem cognoscitur esse damnata.* Tamen nonnulla privilegia remansisse observat Gothofredus, puta, Alytarchæ urbis Antiochenæ privilegium, cupressi videlicet unius ex luco Daphnensi exscindendæ, quod tandem a Justiniano abolitum fuit. Igitur vestales virgines, subtractis redditibus, et diminutis aut abolitis privilegiis, sensim evanuerunt, ut conjicere licet. Ac fortasse huc respicit epistola Symmachi 99, lib. IX, ad virginem vestalem : *Diceris ante annos legibus definitos vestali secreto velle decedere. Nondum credo rumori, sed assertionem tuæ vocis exspecto.* In inscriptionibus quas ad vers. 909 exaravi, Symmachus et Nicomachus *pontifices majores* multo post abolita privilegia vestalium appellati sunt.

D 1114. Honorium intelligi dubium non est, quidquid glossæ dicunt, quæ inter se contrariæ sunt, neque ulla ex parte verum attingunt. Lipsius, lib. I Saturn. serm., cap. 12, de ludo gladiatorio hæc fere refert : Nervam sumptus numerumque gladiatorum minuisse, non penitus sustulisse, quod falso dixit Zonaras; Constantinum ex Sozomeno, Eusebio, Callisto lib. VII, eos ludos vetuisse; sub Constantio iterum ludos irrupisse, ut colligitur ex cod. Theod., Augustino, et Prudentio. Lex Constantini hæc est lib. XI, tit. 43 cod. Just. : *Cruenta spectacula in otio civili et domestica quiete non placent : quapropter omnino gladiatores esse prohibemus :* quæ lata fuit Paulino et Juliano conss., anno Christi 325. Guillelmus Pyrrho in notis Claudiani ad usum Delphini Paneg. Mallii Theodori ait, inter alios ludos a Claudiano non

868 Et tam triste sacrum jubeas, ut cætera, tolli. A
Perspice, nonne vacat meriti locus iste paterni,
Quem tibi supplendum Deus, et genitoris amica
Servavit pietas? solus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, Partem tibi, nate, reservo,
Dixit, et integrum decus intactumque reliquit.
Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam,
Quodque patri superest, successor laudis habeto.
Ille Urbem vetuit taurorum sanguine tingi:
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.
Nullus in Urbe cadat, cujus sit pœna voluptas;
Nec sua virginitas oblectet cædibus ora.
Jam solis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
869 Sit devota Deo, sit tanto principe digna,
Et virtute potens, et criminis inscia Roma,
Quemque ducem bellis sequitur, pietate sequatur.

GLOSSÆ VETERES.

1116. Vacat, *residuus est.* — Paterni, *Arcadii*, I.
1121. Dux, *o Theodosi*, I.
1123. Tingi, *maculari*, *immolari*, I.
1124. Litari, *sacrificari*, I.
1125. Voluptas, *delectatio aliorum*, I.
1126. Cædibus, *miserorum*, I.
1127. Arena, *theatrum*, I.

B

COMMENTARIUS.

recenseri gladiatorios, quia sublati erant a Constantino. Melius dixisset *ab Honorio.*

1115. Lipsius loc. cit. notat bene *sacrum* dici, quia diis inferis placandis ludus gladiatorius erat sacer. Arma ipsa diis erant sacra. Vide comment. ad vers. 1100. Isidorus, de Spectaculis lib. XVIII, cap. 16: *Igitur in Hetruria inter cæteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine* (Lydi) *instituerunt. Inde Romani accersitos artifices mutuati sunt.*

1118. Ald. mendose, *servabit pietas.*

1122. Fabr., Bong., Gis., Alex. a prima manu, *patris.* Alii, *patri*, melius.

1125. Scriptores veteres passim spectacula vocant *voluptates*; et Isidorus loco citato ait: *Spectacula, ut opinor, generaliter nominantur voluptates, quæ non per semetipsa inquinant; sed per ea quæ illic geruntur.* Symmachus ad Theodosium et Arcadium scribens ep. 19, lib. X, de Populo Romano, ait: *Orat igitur clementiam vestram, ut post illa subsidia quæ victui nostro largitas vestra præstabit, etiam curules ac scenicas voluptates circo et Pompeianæ caveæ suggeratis.* Apud C Cassiodorium aliquoties mentio fit tribuni voluptatum.

1128. Recte *homicidia ludat*, quia ut notat Grangæus, ars ipsa gladiatorum *ludus* dicitur.

1131. Ald., Urb., Weitz., Gis. et alii, *belli.* Oxon., prior Rott., Heins., Alex., a prima manu, recentiores, etiam Gallandius, *bellis.* Heinsius præterea laudat pro *bellis* nonnullos Weitzianos: sed Weitzius edidit *belli*, neque ullam discrepantem scripturam adnotavit. Concinnius certe et congruentius est *bellis sequitur*, ut illico *pietate sequatur.*

Aldus post versum ultimum addit *Finit contra Symmachum*; Rat., *Explicit liber secundus*; Vat. A nihil; quem codicem in secundo libro contra Symmachum esse corruptissimum, nec in priori valde bonum monuit hoc loco Mariettus.

LIBER PERISTEPHANON.

870 I. HYMNUS IN HONOREM SS. MARTYRUM HEMETERII ET CELEDONII.

Scripta sunt cœlo duorum martyrum vocabula.

COMMENTARIUS.

Libro Peristephanon plerique odam *Immolat Deo Patri* tanquam præfationem apponunt, quam auctoritate optimorum codicum ad finem operum nos rejicimus. Titulus in fere omnibus est *Liber Peristephanon*, aut *Incipit liber Peristephanon*, ut habet Vat. A, et Egm. In Vat. S. inscriptio *De coronatis.* Melius S. Gregorius Turonens., lib. I de Gloria martyrum, cap. 93, *Præbet hujus rei testimonium Aurelius Clemens in libro Coronarum his versibus dicens: Illa laus occulta non est*, etc. Nam liber Peristephanon Latine inscribendus esset *de Coronis*, scilicet SS. martyrum. Etsi autem hic liber commendatione non egeat, tamen juvat audire Petrum Crinitum lib. V de Poetis Lat. *Præcipuam laudem consecutus est* (Prudentius) *judicio doctiorum ex eo poemate, quo prosequitur illorum probitatem atque constantiam qui seipsos devoverunt pro Christiana religione.* Giselinus observat, eorum maxime SS. martyrum laudes celebrari qui in Hispaniæ regno oppetierunt, *tum ut haberent posteri quorum vestigia insistere firmiterque persequi possent, tum ut eadem opera scirent quibus auctoribus summum illud fidei bonum acceptum ferendum esset.* Non dissimili studio Io. Ignatius de Larralde S. J. an. 1749 Matriti edidit in-8° opus inscriptum: *Annus sanctus poetice concinnatus*: quod ante a me quæsitum, ut in Hymnodia Hispanica ejus mentionem facerem, postea indicavit cl. Raymundus Diosdado a se repertum, dum librorum cognitionem ad bibliothecam Hispanam, quam aliquando edere optamus, diligenter comparat undecunque.

Vers. 1. Inscriptio primi hymni apud Aldum est *Hymnus SS. martyrum Hemeterii, et Cheledonii Calagurritanorum.* Ita enim correxit, cum prius edidisset *Emiterii et Chaledonii*; correctionem non vidit Hein- D sius, qui Aldum scripsisse affirmat *Emiterii et Chaledonii.* Codex Ambrosianus, *Incipit Aur. Prudentii Clementis hymnus in laudem SS. martyrum Emeteri, et Chelidoni Calagorritanorum.* In quo codice Ambr., ut in Aldo, hic hymnus proxime subsequitur martyrium Romani, quod libro separato in multis codd. continetur. Thuan. scribit *Emateri et Cheledoni Caleguerritanorum.* Rot., *Passio Hemetrii et Celedonii. Metrum trochaicum.* Alt., *Hymnus in honorem SS. martyrum Hemiterii*, etc. Egm., *Hymnus SS. martyrum Emeteri et Cheledoni Calagurritanorum.* Heinsius cum Put., *Hymnus in honorem SS. martyrum Emeterii et Chelidonii Calagurritanorum.* Vat. A, *Hymnus SS. martyrum Emetri et Chelidoni Cæsarauguatanorum* [lege *Calagurritanorum*]. Vat. B, *Hymnus in honorem martyrum....* (lacera est pagina hoc loco, *et Celedonii Calagurritanorum.* Alex., *Hymnus in honore SS. Emiterii, et Chelidonii*, a secunda manu) *in honorem.* In aliis codicibus nullus est titulus. Equidem hæc nomina in tanta veterum codicum varietate ita scribo, ut in breviariis nostris invenio: quamvis antiquitatem redolere videatur *Chelidonius.* Lesleus

871 Aureisque quæ Christus illic adnotavit litteris,
Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem terra Ibera stemmate.
872 Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hic calentes hausit undas cæde tinctus duplici.
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.
Exteri nec non et orbis huc colonus advenit:
Fama nam terras in omnes percucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant,
873 Nemo puras hic rogando frustra congessit preces:

GLOSSÆ VETERES.

Vers. 3. Notis, *characteribus*, Iso.
4. Pollet, *splendet*. — Ibera, *Hispanica*, I.
8. Arenas, *sepulcra*, I.
10. Exteri orbis, *alienæ provinciæ*, I.
12. Ambiant, *desiderant*, I.
13. Congessit, *cumulavit*, Iso.

COMMENTARIUS.

in not. ad Missale mozarab. advertit, Acta horum martyrum antiquissima, quæ olim in Hispania legebantur, omnino consentire cum Missali mozarabico et hymno Prudentii. An autem fuerint Calagurritani hi duo martyres, dicam in fine hymni. Nam in lemmate Calagurritani martyres dicuntur, quia Calagurri passi sunt; nec constat a Prudentii manu ita scriptum. Hi versus in codice Marietti terni, et terni distinguuntur per characteres majusculos et rubros. Aldus hanc distinctionem neglexit. Alii ita singulos versus dividunt. *Scripta sunt cœlo duorum Martyrum vocabula*. Giselinus in comment. ad hymnum Cathem. *Omni hora* hos versus omnino per integros trochaicos scribendos esse contendit, et Jacobum Meyerum laudat, quod elegantissime illum hymnum et hunc primum Peristephanων mutata carminis forma restituerit, cum antea essent secti in Alcmanios et Euripidios. Revera Alcmanius et Euripidius integrum versum tetrametrum catalecticum faciunt. Verum non solum in multis veteribus membranis, sed etiam in editis ante Meyerum integri trochaici horum hymnorum descripti reperiuntur. Initium hujus hymni venustissime petitum est ex Lucæ x, 20: *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Neque semel Prudentius de hoc libro vitæ locutus est. *Cœlo* pro *in cœlo* Paulinus Nat. 11.

2. Egm., *aureisque*, minus bene.

3. Gis., *notis et idem:* Bollandiani etiam ita ediderunt; nescio an ex suis codd., an quia ita in Giselino invenerunt. Giselinus metro consulere voluit: sed scripti habent *eadem*, et hæc erat tunc consuetudo ut in accusativo et nominativo plurali *utraque*, *eadem* secunda produceretur. Etiam in breviario mozarabico legitur *eadem*. Exstat autem hic hymnus in eo breviario ad diem 3 Martii, ex quo lectiones discrepantes adnotabo. Becmanus, in Manuductione ad ling. Lat., cap. 11, affirmat, in hoc hymno, ut tunc vulgo imprimebatur, vicies, aut ultra, sententiam pendere, et implexam esse, quod distinctiones per commata, cola, puncta vel omitterentur, vel non suo loco figerentur. Initium ejusdem hymni ex ms. Palatino emendavit et distinxit. Hunc autem versum ita legit, *Sanguinis notis ea idem scripta terris tradidit.* Recte quod attinet ad metrum; sed, ut puto, non ex fide veterum mss. Weitzius, qui codicem hunc ipsum Palatinum, ut ego arbitror, consuluerat, hanc varietatem non indicavit. In Urb. reperi *notis eorum.* Ut autem in cœlo aureis litteris nomina adnotata dicit Prudentius, ita eadem in terris scripta ait notis sanguinis per martyrium fusi. Sunt enim notæ velut compendia litterarum, ut ad hymnum S. Cassiani explicabimus.

4. Hoc loco *terra Ibera* pro regione peculiari Hispaniæ *Iberia* dicta, congruentius accipitur quam pro tota Hispania. Barthius, lib. XL Advers., cap. 7, notat *stemma* scriptoribus ævi cadentis esse pro corona: qua voce Ennodius uti amavit, sed a Sirmondo et Schotto, qui Ennodio vindices uno eodemque anno contigerunt, *stemmata* in *schemata* mutata sunt: quod Barthio displicet, quia stemmata pro ornamentis sequior ætas mille locis dixit. Ego puto Prudentium ad inscriptionem ipsam sui libri respexisse: inscripsit librum *Peristephanων*, et statim canit, *hoc stemmate* pollere terram Iberam. Qui Græce sciat, *stemma* et *stephanos* eadem esse origine et significatione, facile norit. Horicus Altissiodorensis verba hujus versus expressit lib. II, *Virgineo plane pollebit stemmate felix.* Pro corona etiam videtur accipere Paulinus de Obitu Celsi: *At quos cœlesti pietas evexerit actu Participata gerent stemmata rege deo.* Vide Comment. ad vers. 81, hymn. 7. Cathem. Gifanius verbo Pollere miratur hoc verbum vix hodie notum esse, quod antiquioribus hominibus tam fuit familiare, ipsi etiam Ciceroni, pro *valere*.

7. Egm. vitiose *hicalentes* pro *hic calentes*. Brev. Moz. corrupte *hauxit undas cædit ictu*.

8. Vat. A male, *arenæ*. Gretzerus, de Sacr. Peregrin. lib. I, cap. 18, egregie hos versus ad suum argumentum comprobandum producit. Baronius in martyr. Rom. ad diem 3 Martii eosdem versus laudat ad pium fidelium cultum ostendendum. Peveratus prudenter observat quanta veneratione primi Christiani sanguinem SS. martyrum prosecuti fuerint, quandoquidem *illitas cruore arenas confrequentaverint obsecrantes.* Posthinc notis mss. doctissimi hominis commodum, suisque in locis utar, quas a cl. Antonio Polop singulari studio ac diligentia descriptas, atque e Ferraria missas penes me habeo.

10. Brev. Moz., *Exter hic nec non et urbis ut colonus*, quod indiget correctione. Notandus est concursus non solum Hispanorum, sed aliarum etiam gentium ad sepulcra martyrum. Hospinianus, de Orig. fest. Christ. pag. 12 et 13, agens de memoriis martyrum, innuit solum post S. Augustinum peregrinationes ad sepulcra martyrum originem sumpsisse: quod non solum Prudentii carminibus, sed innumeris etiam Augustini locis refellitur.

11. Fabr., Gis., Ald., Brev. Moz., *præcucurrit*. Plerique, etiam Bollandiani, *percucurrit*. Gifanius in Per legit ex vet. lib. *percucurrit*, et affirmat vocabula articulo *per* juncta apud veteres fuisse plurima, quæ hodie vel in *præ* vel aliter sunt commutata; ut *perdurat teneras* in Psychomachia. Petavius, tom. IV, lib. XIV, cap. 11, ex hoc aliisque locis Prudentii observat, eum in triumphis martyrum eleganti carmine describendis sæpius eorumdem reliquias et sepulcra, ac tam his cultum et honorem tributum quam indidem repensa beneficia commemorare. Patres Latinos Græcosque consentientes adducit Petavius.

12. Brev. Moz., *ambiunt*. Cellarius, non infelix grammaticus, hoc loco theologum infeliciter agit. Patronos mundi. *At hic*, inquit, *unus est Christus.* Ne sutor ultra crepidam. Pace non solum grammatici heterodoxi, verum etiam omnium theologorum reformatorum liceat Prudentio, liceat nobis SS. martyres *patronos mundi* dicere ea phrasi ac significatione, quam jam ætate Prudentii fama proditrix in omnes terras percurrens annuntiavit, *Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.* S. Augustinus non semel martyres *patronos*, et martyrum *patrocinium* dixit, præsertim in lib. de Cura pro mortuis.

13. Cellarius ait, ultimam in *frustra* insolenter correptam esse. Dubium mihi non est, quin ultima in

Lætus hinc tersis revertit supplicator fletibus,
Omne, quod justum poposcit, impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est,
Non sinunt, inane ut ullus voce murmur fuderit:
Audiunt, statimque ad aurem regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt:
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant.
874 Nil suis bonus negavit Christus unquam testibus:
Testibus, quos nec catenæ, dura nec mors terruit
Unicum Deum fateri sanguinis dispendio:
Sanguinis sed tale damnum lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum est: hoc probis dignum viris,
Membra morbis exedenda, texta venis languidis,
Hostico donare ferro, morte et hostem vincere.
Pulchra res ictum sub ense persecutoris pati:
875 Nobilis per vulnus amplum porta justis panditur:
Lota mens in fonte rubro sede cordis exsilit.

GLOSSÆ VETERES.

17. Murmur, *precem*, I.

21. Testibus, *martyribus, nam martyres testes interpretantur*, I.

23. Dispendio, *in dispendio*, I.

25. Probis, *probatis, bonis; et dicitur probus, quasi probitate, vel bonitate probatus*, I.

27. Hostico, *hosticus, et hostilis unum sunt*, I.

30. In fonte rubro, *sanguinis*, I.

COMMENTARIUS.

frustra communis sit, quamvis sæpius producta inveniatur. Avienus in Arateis corripuit.

15. Egm., *justum est poposcit*, male.

16. Ald., Brev. Moz., *suffragantum*: lege *suffragantium*.

17. Ald., Gis., Noms., Rott., Bollandiani, *sinant*; alii, *sinunt*. Nebrissensis legit *sinant*, et ait ordinem esse, *Audiunt, et statim ferunt preces ad Deum, ut non sinant inane murmur, (subaudi quod) fuderit ullus voce*. Obscura sane constructio. Lege *non sinunt*, et sententia clare procedet. Cham. mendose, *murmure* pro *murmur*. De hac voce vide præf. lib. I contra Symm. vers. 36, quæ hoc loco Chamillardo displicere non videtur. Hic iterum Cellarius notulam impiam apponit: NON SINUNT .... AUDIUNT: *Ex mysterio iniquitatis operari tum incipiente*. Quid ineptius? Prudentius sancte affirmat hanc persuasionem et consuetudinem in omnes terras permanasse, et Cellarius docere nos vult mysterium id esse iniquitatis, deinde id mysterium jam tum incipere. Verius possumus dicere religionem et pietatem; qua sanctos colere et invocare decet, primis Ecclesiæ sæculis viguisse, nunc refrigescere. Vide proleg. cap. 7.

18. Vide, non mysterium iniquitatis, sed catholicam doctrinam de invocatione sanctorum: *Ad aurem Regis æterni ferunt. Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt*. Deus igitur, fons bonorum omnium, terris dona immittit intercedentibus sanctis; quos proinde æquum est rogare et venerari.

19. Gis. ad oram, *unde larga*. Brev. Moz. corrupte, *inde largo fonte abyssi*. Deum fontem esse omnium bonorum, noster sæpissime profitetur.

20. Vat. A mendose, *supplicium*. Nebrissa acute animadvertit *causas* hic esse morbos; unde *causarii* dicuntur valetudinarii, et *causaria missio* quæ propter valetudinem laboribus militiæ solvit. Giselinus in libris suis, hoc est medicis, hanc significationem non videtur invenisse: exponit enim; *Efficiunt, ut quarumcunque rerum causa venere, exoratores abeant*. Prudentius verbo jurisconsultorum et militum usus est ad morbos indicandos: quanquam jureconsulti Dig. lib. XLIX, tit. 16, leg. 13, definiunt, missionem causariam esse, cum quis *vitio animi, vel corporis* minus idoneus militiæ renuntiatur. Simili significatione valetudinarium, sive infirma valetudine utentem Itali dicunt *cagionevole*, et Hispani *achacoso*. Etsi enim in Diction. academ. Hisp. prima significatio vocis *achaque* dicatur esse infirma valetudo, unde postea accipitur pro prætextu sive excusatione, diligentius tamen quærendum esset an res contrario modo se habeat.

21. Hailsbr., Widm. supra, *suis bonis*. Melius *bonus*. Martyres Latine sunt testes: hinc *suis testibus*.

22. Brev. Moz. contra metrum, *isti sunt, quos*. Rat. et Brev. Moz. non male, *quos nec catena dura, nec mors terruit*. Alii, *quos nec catenæ, dura nec mors terruit*. Pro *dura* multi habent *dira* cum Bolland., Ald., Weitz., Gis., Vat. A et B. Verum Giselinius cum veteri lib. *dura* omnino legendum contendit: nam de horrore mortis agitur, ideoque *dura* dicit, non de genere mortis, quod *dira* postularet. Exstat *dura* in Alex., Put., Thuan., duobus Torrentianis, Heinsio, et aliis. Catenas, quibus martyres vinciri solebant, sæpe memorat Prudentius, ut paulo post in hoc hymno, in S. Fructuoso, in Cypriano, Augustinus in psalmum CXXXVI: *Gaudet iniquus in pompa, gaudet martyr in catena*. Plura ex Tertulliano, Lactantio, Cypriano, Hieronymo, et Actis martyrum proferunt Gallonius cap. 3 de Cruciatibus SS. martyrum, et Gaspar Sagittarius in opere de eodem argumento cap. 2.

23. Ald. male distinguit *fateri, sanguinis dispendio Sanguinis sed*. Nec bene Teolius, *sanguinis dispendio: Sanguinis; sed tale*.

24. Gis. ad oram utriusque editionis, *rependit largior* non male; cæteri, *longior*.

25. In Vat. A, Egm., Palat., Alt., Rott., Noms. omittitur *est* post *decorum*. Melius addetur, ne hujusmodi hiatus magis familiares Prudentio faciamus quam Prudentius ipse voluerit. Cauch. pro *probis* in cod. vet. invenit *probum*, ex quo conjiciebat *probrum* non inconcinne, ut putat Heinsius.

26. Vat. A, *membra mortis: emenda morbis*. Ita in Brev. Moz. pro *excidenda* legendum *exedenda*. Hic etiam membra *texta* dicuntur, ut in hymno Exseq., *Et dissona texta retexi*. Alibi *crates lutea corporis*.

27. Egm. corrupte, *histico* pro *hostico*. Vat. B, Prag., Rat., Weitz., Gis., Bollandiani *domare*. Ald., Alex., scripti Heinsiani *donare*, quod elegantius esse Heinsius existimat: et ita etiam legitur in Brev. Moz. Teolius cum ait, non aliter habere Vaticanos codices, non omnes, puto, intelligit. Weitz., Egm., Widm., *mortem, et hostem*. Burmannus in Anthologia testatur, in Egm. ita legi, quamvis ab Heinsio hæc varietas animadversa non fuerit. Heinsiani cum Brev. Moz., Bollandianis legunt *morte et hostem vincere*. Sed Alex., Vatt. A et B, Rat., *mortem, et hostem*. Aliud magis placet.

28. Brev. Moz. contra metrum et sensum, *patitur*. Arnobius lib. I adversus gentes: *Nemo unquam innocens male interemptus, infamis est: nec turpitudinis alicujus commaculatur nota, qui non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur sævitiam*.

29. Hymno 10 Cathem., vers. 90: *Quod per cruciamina lethi Via panditur ardua justis*.

30. Brev. Moz. mendose, *rubrosi decoris* pro *rubro sede cordis*. Martyrium dicitur *baptismus sanguinis*, et baptisterium appellatur fons. Hinc ethnici S. Pudentem sanguine perfusum irridebant: *Salvum lotum*,

A

Nec rudem crudi laboris ante vitam duxerant
Milites, quos ad perenne cingulum Christus vocat,
Sueta virtus bello, et armis, militat sacrariis.
Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis,
Proque ventosis draconum, quos gerebant, palliis,
876 Præferunt insigne lignum, quod draconem [subdidit.
Vile censent expeditis ferre dextris spicula,
Machinis murum ferire, castra fossis cingere,
Impias manus cruentis inquinare stragibus.
877 Forte tunc atrox secundos Israelis posteros
Ductor aulæ mundialis ire ad aram jusserat,
Idolis litare nigris, esse Christi defugas.
Liberam succincta ferro pestis urgebat fidem:

GLOSSÆ VETERES.

31. Rudem, *inconsuetam.*— Laboris, *qui antea bene vixerant, sed excocti diversis suppliciis*, I.
32. Perenne, *milites cingulo utebantur.* — Cingulum, *coronam*, I.
33. Sueta, *antea, quondam.* — Militat, *nunc, gladio spiritus.* — Sacrariis, *Christi templis*, I.
35. Draconum, *quia vexilla regum erant in modum draconum, vento in se recepto*, Iso.
37. Vile, *scilicet esse.* — Expeditis, *in paratis, vel porrectis*, I.
42. Defugas, *defuga, vel refuga, vel perfuga vocatur qui unum reliquit, et ad alium confugit*, I.

COMMENTARIUS.

solvum totum, ut in Actis S. Perpetuæ legitur. Adisis Ruinartium.
31. Ald. contra metrum, *ante viam.*
32. Ald. probe ediderat *Milites, quos ad perenne cingulum Christus vocat.* Nescio, cur male correxerit *Milites, quos ad perenne cinguli Christus vocat.* Iso cingulum exponit *coronam :* melius diceret *militiam*, qua perennis corona acquiritur.
33. Brev. Moz. corrupte, *bello ense armis militat sacratis.* In Put., *nunc fidei militat* pro *militat sacrariis.* Tunc producenda esset secunda in *fidei*, ut revera producitur a Lucretio, et sæpius a Paulino. Sed cum Prudentius sæpissime eam corripuerit, Puteani lectionem non admitto. Vide comment. ad vers. 62 Dittochæi. Dubitare aliquis posset an hi SS. martyres, relicta militia Cæsaris, inter clericos militaverint ex his verbis *militant sacrariis.* Et trahi huc possent voces infra referendæ, *orarium* et *annulus*, quæ ornamenta etiam erant ad clericos spectantia. Sacrarium plerumque accipiebatur pro altari. Vide hymn. S. Vincentii vers. 517, *Subjecta nam sacrario*, et hymnum S. Laurentii vers. 51, *Talenta sub sacrariis.* Cæterum cum Prudentius clare locutus non fuerit, eos inter clericos recensens, solum intelligitur eos militiam Christianam fuisse amplexos, ut ex versu seq. liquet.
34. Brev. Moz. trajicit verba et metrum corrumpit, *signum crucis eligunt.* Christiani interdum militiam Cæsaris abjiciebant, quia, ut ait Ruinartius de Maximiliano martyre, sub imperatoribus ethnicis, qui milites sæpius sacrificare diis jubebant, frequentes erant militibus occasiones peccandi. Itaque Dioni interroganti, *Qui militant, quæ mala faciunt?* respondit Maximilianus: *Tu enim scis quæ faciunt.* Vide ejus et S. Marcelli Acta.
35. Vat. A mendose, *draconem.* Fabr. male, *quod gerebant.* Conjici potest *quæ gerebant.* Lipsius de Milit. Rom. lib. IV, dialogismo 5, multa disserit de draconibus, signis militaribus, et quærit an in velo sic depicti fuerint, aut acu texti, an potius totum corpus solidum fuerit e pannis. Putat autem Prudentium in primam sententiam inducere. Grangæus in Comment. ad lib. II Symmach., vers. 713, censet Prudentium his duobus versibus respexisse ad effigiem Constantini, quæ picta erat in tabula ante vestibulum palatii, in qua erat draco medio ventre cruce transfixus, ut docet Eusebius in Vita Constantini, lib. III, cap. 3. Accipe Eusebii verba: *Quin etiam in sublimi quadam tabula ante vestibulum palatii posita, cunctis spectandum proposuit salutare quidem signum capiti suo superpositum : infra vero hostem illum et inimicum, qui impiorum tyrannorum opera Ecclesiam Dei oppugnaverat, sub draconis forma in præceps ruentem... Idcirco imperator draconem telis per medium ventrem confixum, et in profundos maris gurgites projectum, sub suis suorumque liberorum pedibus cera igne resoluta depingi, proponique omnibus voluit.* Ubi notanda est ratio pingendi cera igne resoluta διὰ τῆς κηροχύτου γραφῆς. Hæc quidem tabula nummis plu-

B

ribus expressa fuit, quorum figuram exhibet Baronius tom. III Annal., ad an. 325, num. 206. Hoc ait Prudentius, duos hos martyres, cum antea fuissent draconarii, prætulisse crucem, quæ draconem subdidit; sive quia respexit ad effigiem Constantini, ut non immerito suspicatur Grangæus, sive quia vere draco, hoc est dæmon, virtute crucis subactus est. Ammianus signorum quibus draco exhibebatur, vivam imaginem ob oculos ponit lib. XVI : *Alternumque potestatis gressus multiplices alios purpureis subtegminibus texti circumdedere dracones, hastarum aureis, gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto perflatiles, et ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.* Quod autem Chamillardus cum Nebrissensi *ventosa pallia* interpretatur vana et superba potius quam vento agitata vel tumentia, non assentior. Peveratus explicat VENTOSIS *ita textis draconibus per rotunditatem et inanitatem, ut vento turgescerent, quem per guttur admittebant.* Postea vero ad verbum PALLIIS colligit, ex mente Prudentii dracones solum fuisse depictos, aut acu textos in velo, non ut vento per guttur concepto sibilarent, quod nonnulli affirmant ex Claudiani versibus. Ego puto pallia dici ventosa, quia vento agitata tumescunt, et dracones eodem sensu sibilasse, quod pallia vento impulsa sonum sibilo similem edunt. Claudiani versus sunt de tertio consul. Honorii : *Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum Colla levant, multusque tumet per nubila serpens Iratus, stimulante noto, vivitque receptis Flatibus, et vario mentitur sibila tractu.* Dracones per singulas cohortes a draconariis ferebantur ad bellum, aquilæ per legiones: adeoque aquila erat militiæ princeps signum.

C

36. Thuan. male, *in signo lignum.* Suspicabatur Heinsius *insigne ligni.*
37. Brev. Moz., *spiculum.* Vegetius lib. I : *Quid ipsi draconarii atque signiferi, qui sinistra manu hastas gubernant.* Quæ verba a Chamillardo adnotata sunt et exstant cap. 20 ejus lib. I. Sed cur Prudentius ait *dextris?* Opinor, quia Prudentius enumerat ea fere omnia quæ milites solent facere, etiam draconarii, si res postulet, depositis interea signis.

D

38. Brev. Moz., *castra forte*, male.
39. In Vat. A erat hæc vox *manus* addita supra minutioribus characteribus.
40. Christianos vocat secundos Israelis posteros, quia, primis Israelitis rejectis, illi successerunt.
41. Brev. Moz. minus bene, *auctor aulæ.*
42. Brev. Moz., Fabr., *refugas*, non ita bene ac *defugas.* Latinius, *perfugas.* In Alex. est *defugas*, sed *g* videtur factum recentiori manu. Hoc vocabulum *defuga* etiam reperitur lib. XII cod. Theod. tit. et lege ult., *Curiæ vel collegii defugas.* Barthius, lib. XLI. Advers. cap. 15, asseruit *refugas* esse mendum, et in vett. codd. et edd. legi *transfugas;* quod ego nusquam vidi. Existimat autem Barthius utrumque esse vitiosum, et *apostatas* olim fuisse : quod minime persuadet. Nebrissa ait *litare* esse sacrificare improprie; nam proprie est sacrificio impetrare. Giselinus

Illa virgas, et secures, et bisulcas ungulas
878 Ultro fortis expetebat, Christi amore in- A [territa.
Carcer illigata duris colla boiis impedit,

GLOSSÆ VETERES.

44. Illa, *fides*.—Ungulas, *genus tormenti quo corium martyribus detrahebatur*, I.
45. Expetebat, *desiderabat*, I.

46. Boiis, *boia et baga unum sunt; bacæ in plurali sunt catenæ*, I. — Bagis, *id est bouga*, Vat. S.

COMMENTARIUS.


hanc differentiam perpetuam et constantem esse negat, et aliquando *litare* sumi pro sacrificare contendit. Non autem probat id proprie fieri. Cæterum aliorum consuetudo in ea significatione adhibenda Prudentium tuetur, sive propria illa dicatur, sive impropria. Nescio tamen cur Giselinus fidenter affirmet, *nostri poetæ auctoritatem nullam esse:* nam quod addit *præsertim in quo illum critici uno ore damnarunt*, videndum id est, quinam hi sint critici, et cur damnent.

44. Brev. Moz. male scribit *bissulcas*. SS. martyres interdum securi, sæpius gladio fuisse percussos, quia gladio occidi major erat ignominia, probat Gallonius cap. ult. de Cruciat., ubi etiam confirmat gladio percutiendos virgis primum cædi consuevisse. S. Ambrosius de securi pulchre class. 1, epist. 25: *Scio plerosque gentilium gloriari solitos, quod incruentam de administratione provinciali securim revexerint.* Aringhus dubitat an artis, an martyrii insigne fuerit securis in duobus lapidibus sepulcralibus insculpta, quam exhibet tom. II Romæ Subterr., lib. VI, cap. 50. In imagine SS. septem Dormientium, quam ex vetusto monumento exhibui tom. I, pag. 356, cernere licet duas secures, alteram prope S. Malcum, alteram prope S. Martinianum, quæ martyrii eorum sunt instrumenta, ut clavæ nodosæ prope Maximianum et Joannem, clavi prope Constantinum et Danesium, fax ardens prope Sarapionem, et uncus ad ejusdem pedes quo scilicet corpora defunctorum martyrum ad scalas Gemonias, aut ad cloacas publicas, aut ad flumina trahi solebant. Diversa alia forma erat uncus quo martyrum corpora discerpebantur, de quo agam ad vers. 173 hymni S. Vincentii. Ungulæ erant forcipes ferreæ quibus discerpebantur et sulcabantur corpora martyrum. S. Hieronymus, S. Augustinus, aliique, ungulis sulcari corpora tradiderunt: *bisulcas* vocat Prudentius hoc aliisque locis, quia duplices sulcos imprimebant, ut figuram ungularum tabula 15 cruciatuum SS. martyrum iit. A consideranti patebit. Descriptæ autem sunt a Gallonio ex ungulis asservatis in basilica Vaticana, et sub Paulo III inventis, quas scorpiones fuisse male aliqui opinabantur. Scorpiones expressi sunt tabula 9, lit. D. Comprehenduntur scorpiones *virgarum* nomine, et erant virgæ nodosæ et aculeatæ, *scorpiones* dictæ, quod arcuato vulnere in corpus infligerentur, ut ait Isidorus. Virgæ erant aut ex ulmo, aut ex betula arbore Gallica, aut ex quercu, aut ex fraxino, aut ex salice, aut ex vite. Virgæ quæ non erant nodosæ, lenes dicebantur. Aliæ virgæ fiebant ex ferro, quod interdum ignitum corpori applicabatur, aut ex plumbo. De modis quibus SS. martyres cædebantur, vide tab. 10 et 11. Forma scorpionum, quam Sagittarius cap. 17 exhibet, Gallonianæ imagini similis est. Magis differt ectypum ungulæ bisulcæ, quod ibidem Sagittarius profert, ab ectypo Gallonii: nam in ectypo Sagittarii tres ferrei mucrones tantum capiti affiguntur; in ectypo Gallonii tum hi, tum alii tres in medietate; et fortasse ob hanc rationem bisulcæ dicuntur, quod mucrones capitis duo adversus unum sulcum imprimebant, ac similiter mucrones medietatis alterum sulcum. Fallitur autem Sagittarius, quod ait ungulas quas Gallonius describit, suam ingenio scriptoris magis quam antiquis monumentis formam debere: nam vere ungulæ quales Gallonius describit, in basilica Vaticana exstant, ut tradit etiam Aringhus pluribus in locis, qui non semel ectypum earum profert. Aliud genus est ungulæ instar chirothecæ ferreæ tribus digitis, quæ reperta fuit in cœmeterio Calepodii. Vide tabulam 26, et Aringhum tom. II, pag. 687. An autem fidiculæ sint idem quod ungulæ, disputatum est inter viros doctos, quorum aliqui putarunt esse vincula nervea, quibus membra reorum equuleo adhærebant: plerique ungulas ferreas esse confirmant, quibus clare favent Isidorus et Prudentius in Romano. Dicebantur autem *fidiculæ* a B *findendo*, vel *fodicando*, ut nonnullis placet; *ungulæ* vero, quod imitarentur ungulas ferarum, quæ propterea in cod. Theod. IX, tit. 12, lege 1, diserte nominantur *vestigia ferarum, ungulæ ferarum*. Vide vers. 481, in Romano.

45. Brev. Moz., *fortis expectabat*, renuente metro.

46. De carceribus antiquis vide comment. ad lib. II contra Symmach., vers. 468, et tab. 23. Rat. pro *duris* habet *furvis*. In Brev. Moz. mendum est *baccis impetit*. De diversa scriptura vocis *boiis* dictum ad præfat. Psychomachiæ, vers. 35. Eadem hic occurrit varietas. Vat. A, Alex., Ald., Egm., Torrentianus unus et Heinsiani, *bacis*, sive *baccis*. Id fere placuit recentioribus. Hailsbr., Vat. B, *bagis*. Idem Hailsbr. supra, Prag., Rat., *bogis*. Fabr., *baiis*. Weitz., Gis., Bollandiani, nonnulli alii, *boiis*, ut legendum esse suspicatus est Nebrissensis. Iso videtur agnovisse *boia*, *baga* et *baca*. Mihi placet scriptura hæc *boia* pro instrumento quo martyrum colla illigabantur, dum carceri inclusi erant: quale postea Prudentius C describit, *Et chalybs attrita colla gravibus ambit circulis.* Insigne antiquitatis monumentum ab eminentissimo cardinale Stephano Borgia e celeberrimo suo museo Velitris nobiscum liberaliter communicatum exhibemus æri incisum.

D



Ex ære Velitris in Museo Borgiano.

879 Barbaras forum per omne tortor exercet manus:
Veritas crimen putatur : vox fidelis plectitur.
Tunc et ense cæsa virtus triste percussit solum,
Et rogis ingesta mœstis, ore flammas sorbuit :
Dulce tunc justis cremari, dulce ferrum perpeti.
Hic duorum cara fratrum concalescunt pectora :
Fida quos per omne tempus junxerat sodalitas.
Stant parati ferre quidquid sors tulisset ultima.
Seu foret præbenda cervix ad bipennem publicam :
Verberum post vim crepantum, post catastas igneas,
880 Sive pardis offerendum pectus, aut leonibus.
Nosne Christo procreati mammonæ dicabimur,
Et Dei formam gerentes serviemus sæculo?
Absit ut cœlestis ignis se tenebris misceat.
Sit satis quod capta primo vita sub chirographo,

GLOSSÆ VETERES.

48. Plectitur, *punitur*, *condemnatur*, Iso.
50. Ingesta, *facie*, I.
51. Dulce, *dulcis res fuit*, I.
53. Sodalitas, *sodales dicuntur, quasi simul edales, id est, simul comedentes*, I, Vat. A.
56. Catastas, *genus tormenti, id est lecti ferrei quibus impositi martyres, ignis supponebatur*, I.
58. Mammonæ, *dæmoni, vel divitiis mundanis*, I.
60. Cœlestis ignis, *anima*, I.
61. Chirographo, *manualis conscriptio*, I.

COMMENTARIUS.

Videri etiam possunt vincula S. Petri, quæ in ecclesia bujus nominis religiose asservantur, et a cl. cancellierio in suo erudito opere de Carcere Mamertino, ejusdem eminentissimi cardinalis Borgiæ cura pariter delineata, æri incisa proferuntur, in quorum extremitate boiam, sive circulum ferreum observare licet. Ad majorem cruciatum in parte interna circuli interdum acumina ferrea eminebant, ut colla aut immota permanerent, aut, si flecterentur, in aculeos impingerent, ut apparet in boia quam nos exhibemus. De boiis agunt Gallonius cap. 3, Sagittarius cap. 2, ubi de variis vinculorum generibus disserunt.

47. Weitz., *barbarus*, qui solum agnovit, in Vulg. et Widm. supra esse *barbaras*. Plerique tamen legunt *barbaras*. Notandum est ex Actis martyrum, in foro hujusmodi carnificinas exerceri solitas. Interdum autem fiebant extra urbem, et carnifices ipsos extra urbem habitasse probat Kirchmannus de Funer. Rom., cap. 24, libr. II, cujus consuetudinis nonnullum Romæ exstat vestigium.

49. Gis. ad oram *percussit solum*. Ense martyrem cæsum exprimit tabula 21, lit. D.

50. Diversos modos quibus martyres igni tradebantur, vide in tab. 16 et 17.

51. In Thuan. et Boher. priore, vetustissimis codicibus, *jussit* pro *justis*. Conjicit Heinsius *jus fit*. Melior est scriptura pervulgata, *Dulce tunc justis cremari ;* et in Heinsii notis legendum est *dulce tunc*, non *dulce nunc*.

52. Ald., Fabr., Weitz., Bollandiani, *convalescunt* pro *concalescunt*, quod magis est Prudentianum. Gifanius a Weitzio et Heinsio citatur pro *convalescunt*. Vat. A, Rat., *corpora* quod alicubi invenit Weitzius. Retine *pectora*.

53. Prag., *vinxerat sodalitas*.

55. Bipennis est securis, ita dicta a duabus pinnis seu pennis, hoc est fastigiis, quæ utrinque acuta erant. Peveratus ex Baronio ad martyr. Rom. IX cal. Aprilis dubitat an eo tempore securis in usu fuerit. Verum etsi credibile sit majorem Christianorum partem gladio potius quam securi fuisse percussam, ut nuper ex Gallonio aiebam, dubitandum minime est quin aliquando securi cæsi fuerint, ut vel ex solo Prudentio demonstratur, et pluribus confirmat Sagittarius cap. 7 de Cruciat. Savaro ad Sidonium, pag. 88, hanc phrasin notat, *præbere cervices*, ex Apollinari et ex Adone Trevirensi : *Ita ut sponte cervices suas securibus darent*. Martyres ultro præbuisse cervices carnifici secandas, sexcentis exemplis in eorum actis et martyrologiis constat.

56. Vat. A, *crepantem*, minus bene. Nebrissa pro *igneas* conjiciebat *ligneas ;* neque hæc conjectura Sagittario, cap. 10, displicebat : qui addit, de pegmate editiori in quo rogus accenderetur, per tropum dici posse *catastas igneas*, scilicet multo igne radiantes. Advertit nihilominus apud Isonem et vetus aliud glossarium catastam esse lectum ferreum. Giselinus *ligneas* reperit in ed. Daventr.; sed, ut ipse observat, cum in hymno S. Laurentii vers. 399, crates ferrea, quæ jam ignita erat, *catasta* dicatur, nihil est causæ quamobrem *igneus* mutetur in *ligneas*. Apud Christianos scriptores sæpe catasta significat locum eminentiorem ubi de reis sumebatur supplicium. Putant aliqui inde dictum Hispanis *cadahalso*, et Italis *catafalco*.

57. Vulgaris erat gentilium acclamatio : *Christianos ad leonem*, ut Tertullianus, Cyprianus, et alii referunt. Nonnunquam : *Christianos ad bestias*. Hieronymus utrumque conjungit lib. VII in Isaiam, cap. 18. De pardis, quorum laniatui exponebantur Christiani, meminit Eusebius lib. I Hist., cap. 16. In martyrio S. Ignatii pro leonibus nonnulli leopardos memorant.

58. Ex Matth. VI, 24 : *Non potestis Deo servire et mammonæ*. Barthius lib. LV, cap. 4, Advers., ait Isonem non debuisse disjungere *diabolo, vel divitiis mundanis*. Mammon enim non aliter idolum est opum et divitiarum, quam belli Mars. Alius glossator apud eumdem Barthium exponit, *mammoneam fidem, pecuniosam, sæcularem, avaram*. Plura ibi Barthius, et cap. seq. de mammona pro dæmone, pro avaritia, pro divitiis. Scripsit autem hunc versum : *Nosne Christo procreati serviemus mammonæ?* puto, errore memoriæ.

59. Cauchius malebat *serviemus idolo*. Nihil est necesse, ait Heinsius.

60. Aldus recte ediderat *absit ut*. Non intelligo quid sibi voluerit, cum, renuente metro, correxit *absit ne*. Probe emendavit *ignis* pro *igni*. Sententia petita est ex II Cor. VI, 14 : *Quæ societas luci ad tenebras ?*

61. In Aldo error *capra* pro *capta*. Nebriss. suspicatur *cœpta*. Chirographum esse militare sacramentum, inutile sit monere. Ex Ambrosio Morales Peveratus notavit ecclesiam Toletanam codicem pervetustum habere quo vita martyrum continetur, ubi verba ab Eulogio de his martyribus adducta habentur, scilicet tanquam prolata a Celedonio Hemeterium hortante. Addit magnopere esse animadvertendum quam ea historia sit antiqua, quæ tempore Eulogii fuerit conscripta. Verum Eulogio longe antiquior est Prudentius. Eulogius lib. I Memor. mart. ita habet : *Sic nimirum beati martyres Hemeterius et Celedonius, cum tradere pro Domino animas anhelarent, tali sese invicem ad passionem astantes hortatu impellunt : Ferint ubique hostem missilibus suis vibrata*

881 Debitum persolvit omne functa rebus Cæsaris. A
Tempus est Deo rependi quidquid est proprium Dei.
Ite, signorum magistri: et vos, tribuni, absistite.
Aureos auferte torques, sauciorum præmia:
Clara nos hinc angelorum jam vocant stipendia.
Christus illic candidatis præsidet cohortibus.
Et throno regnans ab alto, damnat infames deos,
Vosque, qui ridenda vobis monstra divos fingitis.
Hæc loquentes obruuntur mille pœnis martyres,
Nexibus manus utrasque flexus involvit rigor,
Et chalybs attrita colla gravibus ambit circulis.
882 O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama et ipsa exstinguitur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit:
Ne tenacibus libellis erudita sæcula
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum

GLOSSÆ VETERES.

64. Tribuni, *super mille*. — Absistite, *discedite*, I.
65. Torques, *circulos*. — Sauciorum, *infirmorum*. — Præmia, *quæ sunt*, I.
68. Infames, *sine bona fama, ingloriosos*, I.
71. Rigor, *duritia*, I.
72. Chalybs, *ferrum*, *chalybs Græce sideros*, I.
73. Obsoleta, *inveterata*, I.

COMMENTARIUS.

confessio, et latentem fidei inimicum ubicunque fuerit inquiramus. Eminentissimus archiepiscopus Toletanus Franc. Lorenzana in pereruditis notis tom. II SS. Patrum Toletanorum ait, in Actis martyrum a Joanne Tamaio Salazar primum editis, postea ab Antuerpiensibus ad diem 3 Martii, ac postremo ab Emmanuele Risco tom. XXXIII. Hisp. Sacr., Append. 2, videri, esse verba unius e duobus martyribus, *Feriat ubique hostem missilibus suis vibrata confessio*, et juxta nonnullos mss. codd. Hemeterii, reliqua vero alterius, nempe Celedonii.

62. Matth. xxii, 21: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*.

63. Rat. et duo Heinsiani contra legem metri, *quidquid proprium est Dei*. Vat. B, Weitz., Cauch., Widm. a prima manu, *quidquid est suum Dei*. Alii bene, *quidquid est proprium Dei*.

64. Brev. Moz. mendose, *adsistite*. Bollandiani, *assistite*. Scripti Heinsiani, Ald., Weitziani, nostri, *et vos*. Giselinus omisit *et*. Sermo est de tribunis militum, sive præfectis legionum, non de tribunis plebis. Confer glossam Isonis.

65. Aldus ediderat *aureos auferte torquens;* in emendatis novo errore posuit *aureos auferre torques*. Vat. A, *afferte*, recte emendatum supra, *auferte*. Idem Vat. A, *aureas;* alii, *aureos*. Brev. Moz. perperam, *aureos offerte*. Vegetius lib. ii, cap. 7, *Torquarii duplares, torquarii simplares, quibus torques aureus solidæ virtutis præmium fuit*. Stewechius in Comment. ait, auxiliares milites aureis torquibus a Romanis donatos, at cives non nisi argenteis. Iso *sauciorum* explicat *infirmorum:* melius intelliges eos indicari qui vulnera bello acceperunt.

66. Brev. Moz. male, *clara vox angelorum vocant stipendia*.

67. Exercitus martyrum *candidatus* dicitur in hymno *Te Deum laudamus*. Vide Comment. ad vers. 157 hymn. 3 Cath.

69. Brev. Moz. non male, *Quæque deridenda nobis monstra divos fingitis*.

71. *Rigor* pro duritie ponitur, ut *rigor ferri* apud Virgilium i Georg., *rigor auri* apud Lucretium, in cujus indice vide notata a Gifanio in RIGOR *auri*. Paulinus Natali 4, *Stat manibus colloque chalybs*.

72. Ald. recte impresserat *circulis*, quod non recte mutavit in *cyclis*. Vide quæ disserui in notis ad Hymnodiam Hispanicam die 3 Martii de hoc eodem versu, et intelliges contra metri rationem esse *gravis ambit circulis*, ut edidit Weitzius cum Hailsbr. et Widm. Nec melius Vat. Q, *gravis ambit circulus*. Male etiam Vat. P, *circuit* pro *circulis*. Weitz. cum Hailsbr. scribit *calyps;* Alex. et Widm., *calips*. Gruterus volebat *artita*, quod secutus est Weitzius. Hailsbr. *atrita*. Widm. ad oram, Vatt. A, B, Prag., Rat., *astricta;* alii *attrita*, quod unice probat Heinsius ex B suis scriptis. Confer præfat. Psychomachiæ vers. 33, *Attrita boiis colla liber erigit*. In Brev. Moz. hæc est discrepantia, *colla duriter ambit* pro *gravibus*.

75. Arnobius lib. iv, prope finem: *Quod si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potius litteras, hos exurere debuistis olim libros, istos demoliri . . . . Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerint damnari? cur conventicula dirui?* Eusebius lib. viii, cap. 2 meminit edicti quo Diocletianus sacros Christianæ religionis codices cremari, et ecclesias ad solum usque dirui jussit. Ejuscemodi rei mentio exstat apud Optatum, S. Augustinum, et plurima Acta SS. martyrum. Id anno 303 circiter contigit. S. Hieronymus, lib. ii. Comment. in Zachariam, cap. 8, *Hæc persecutionis tempore in Ecclesia Christi expleta conspeximus, quando in tantam rabiem persecutorum feritas excitata est, ut etiam conciliabula nostra destruerent, divinos libros ignibus traderent*. Adisis Ruinartium præfat. in Act. martyr. De hac consue- C tudine comburendi scripta, ejusque origine apud Romanos non satis inter se conveniunt Tacitus, et auctor Controversiarum et Suasoriarum sub nomine Senecæ Patris. Hic in prooemio lib. v, Controvers., de Labieno loquens ait: *In hunc primum excogitata est nova pœna. Effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova et insueta, supplicia de studiis sumi. Bono hercule publico ista in pœnas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inventa est . . . . Ejus qui hanc in scripta Labieni sententiam dixerat, postea viventis scripta combusta sunt: jam non malo exemplo, quia suo . . . . . . Cassii Severi, hominis Labieno junctissimi belle dicta res ferebatur. Illo tempore quo libri Labieni ex senatusconsulto urebantur: Nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici*. Audi nunc Tacitum lib. iv. Annal., cap. 5, ubi causam de Annalibus Cordi Cremutii in senatu anno Urbis 778, imperii Tiberii 10, ita exponit: *Cornelio Cosso, Asinio Agrippa coss., Cremutius Cordus postulatur novo; ac tunc primum audito crimine, quod editis* D *annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset . . . . . Cremutius relinquendæ vitæ certus, in hunc modum exorsus est: Verba mea, patres conscripti, arguuntur, adeo factorum innocens sum . . . . Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum, sed multum cum acerbitate habent carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Cæsarum* (forte *Cæsaris*) *lequntur, sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus et tulere ista, et reliquere*. Alia addit Tacitus, e quibus colligas tunc primum libros ex senatusconsulto combustos fuisse. Equidem magis Tacito assentior; nodum fortasse alio tempore dissolvam.

77. Hos SS. martyres sæculo iv ineunte, aut paulo ante martyrium subiisse, multi recentiores affirmant. Sed melius est cum Prudentio et auctore Actorum apud Bollandianos, fateri tempus passionis ignorari.

883 Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent. A
Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia,
Jugibus longum catenis an capillum paverint:
Quo viros dolore tortor, quave pœna ornaverit.
Illa laus occulta non est, nec senescit tempore,
Missa quod sursum per auras evolarunt munera,
Quæ viam patere cœli præmicando ostenderent.
Illius fidem figurans, nube fertur annulus:
Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium:
884 Quæ superno rapta flatu lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem fulgor auri absconditur,
Ac diu visum sequacem textilis candor fugit:
Subvehuntur usque in astra, nec videntur amplius.
Vidit hoc conventus astans: ipse vidit carnifex,
Et manum repressit hærens, ac stupore oppalluit:
Sed tamen peregit ictum, ne periret gloria.
Jamne credis, bruta quondam Vasconum gentilitas,
885 Quam sacrum crudelis error immolarit sanguinem?
Credis, in Deum relatos hostiarum spiritus?

GLOSSÆ VETERES.

84. Patere, *illis*, I. B
85. Annulus, *qui signat fidem sine fine figurans*, I.
86. Orarium, *ab ore, id est sudarium*, I.
87. Intimum, *secretum*, I.
88. Liquentis, *liquidi, vel sereni*, I.
89. Visum, *hominum*, I.
92. Hærens, *dubitans*, I.
96. In, *pro ad*. — Spiritus, *animas*, I.

COMMENTARIUS.

80. Brev. Moz. corrupte, *catenis ad capillum tracti*. Nebrissensis id notat: *Non constat quo mortis genere sint affecti; mortui sint in catenis, et nutrierint longum capillum et barbam: restituimus autem ordinem versuum, qui erant confusi, et turbabant sensum*. Ita autem disponit: *Dulcibus*, *Quo viros*, *Jugibus*, *Hoc tamen*, *Illa laus*. Verum ordo quem codices præferunt, rectum sensum efficit. Apud Romanos rei comam nutriebant, adeoque juges catenæ, sive longum carceris tempus ex longo capillo dignosci poterant. Vide vers. 53 hymni 11 Peristeph., ubi *crinita agmina* vocantur martyres carceribus detenti.

81. Hailsbr., Widm. supra, Brev. Moz., Gis. ad marg., Vatt. A, P, Q, *quave pompa*, quod placet Heinsio, tanquam de victimis agatur. Gallandius putabat C contextum respuere *pompa*, et pro *pœna* allegat præstantem Aldinam editionem anni 1501, nimirum hanc ipsam qua nos utimur. Thuan., Alex., *quœve pompa*. Vat. B, Urb., Weitz., Bollandiani, aliique, *quave pœna*. Mihi id non displicet, nam præcedit *dolore tortor*; pro *ornaverit* autem mallem *affecerit*, aut aliud similis significationis. Verum poetice et figurate recte id dicetur.

85. Aldi error *nubæ*. Teolius, cum fateatur quæcunque de his duobus martyribus scimus ea nos debere Prudentio, nihilominus affirmat post Chamillardum, annulum esse Hemeterii, orarium Celedonii: quod ita distinctum in Prudentio non invenio. Bene tamen ex hoc loco arguit Teolius consuevisse veteres Christianos annulos gestare, quorum aliqui asservantur in museo Vaticano ab equite Victorio illustrati. Cur autem annulus fidem figuret, si quærat aliquis, dicam etiam ab sponso sponsæ annulum dari ad fidem conjugalem significandam. Itaque Innocentius III, D annulum Fulconi abbati Corbeiensi concedens, his verbis scripsit: *Inter cæteros ornatus prælatis Ecclesiarum conceditur annulus, qui est signaculum fidei, juxta quod pater filio revertenti dare annulum in manu præcepit, ut videlicet Ecclesiam sibi commissam prælatus ipsius intemerata fide custodiat, ad quam fideliter observandam per visibilem speciem jugiter admonetur.* Vide Macrum in Hierolex. verbo *annulus*, ubi Innocentii verba exponit.

86. Orarium usu ecclesiastico olim sumebatur pro stola, ut notum est. Hæc appellatio aliquatenus conservata apparet in Latinitate corrupta sæculi x cujusdam instrumenti donationis, quod exstat tom. XXXIV Hispaniæ sacræ, pag. 455, ubi Ovecus episcopus legionensis circa annum 951 inter alia donabat *albas cum easdem amictis* 10, *orales* 10, *quod scripturas dicunt stolas*. Hac significatione orarium hic accipi non puto. Pro sudario, quo os abstergitur, orarium dixerunt Ambrosius et alii; et in glossa legam *a tergendo sudore oris*, vel *a tergendo ore*. Chamillardus existimat orarium ab *os oris* posse accipi pro operculo capitis quo utebantur antiqui dum invocabant Deum: quo sensu orarium erit signum pietatis Celedonii. Sed nullum illius significationis adducit testem. Itaque adhæreo glossæ. Peculiarem etymologiam *orarii* ab *aurariis* et *auris* explicui ad hymn. 1 Cath., vers. 22. Animadvertendum etiam est, nonnunquam oculos martyrum qui gladio erant feriendi, linteo sive oratio fuisse ligatos. Ado, VI cal. Junii: *Sic accepto orario, ligans* (S. Julius) *sibi oculos martyrii palmam gladio cædente percepit*. Et VI cal. Decembris: *Beatus Alexander cum duceretur, obviavit ei quædam vidua, quam beatus martyr rogavit dicens: Commoda mihi orarium. At illa præstitit ei. Officiales autem dixerunt mulieri: Perdidisti orarium tuum. Facto itaque signo crucis, exspoliavit se beatus martyr tunica, et in linea stans, texit sibi de oratio oculos, dein positis genibus suscepit gladium.*

88. In Prag. desideratur *per* ante *poli*.

89. Vat. A a prima manu, *visus*; a secunda manu, *visu*. Lege *visum*.

92. Vat. A, *et manus*. Gis. ad oram, *palluit*, et pro alia scriptura, *expalluit*. Vatt. P, Q, Urb. scribunt *obpalluit*, Alex. *oppalluit*.

93. Nebrissensis *peregit ictum* exponit *percussit truncavitque martyres*: sed addit id contrarium esse ei quod supra dixerat. Mihi non videtur contrarium, non solum si attendantur tormenta citra mortem, ut Nebrissensis interpretatur, sed etiam si præ oculis habeatur mortis genus. Prudentius ante dixit, satellitem chartulas abstulisse, ne posteri modum passionis, ordinem, tempus scirent, et ignorari qua pœna fuerint affecti. Nunc ait, carnificem peregisse ictum, ex quo nec modus passionis, nec pœna liquido perspicitur. Hæc ratio *ne periret gloria* ab aliis etiam adhibetur in martyrum passionibus enarrandis. Thomas Hurtado, in opere de Vero martyrio resolut. 35, digress. 2, ubi fuse agit de aliquibus instrumentis quibus tyranni martyres torquebant, sect. 10 quærit, *cur martyres fere semper gladio cesserunt, gladius vero raro martyribus cessit*, et rejectis aliis rationibus cum Delrio respondet, rationem esse, quia gladius est præcipuum et maxime legitimum ordinariumque justitiæ ultricis instrumentum. Censeo addi posse martyres cessisse mitissimo mortis generi, interdum vero superstites fuisse aliis, in quibus tormenta doloresque incredibiles sustineri debent, ut eorum constantia soli virtuti divinæ ascriberetur.

95. Rat., *immoluret*. Brev. Moz., *herorum* pro *error*, male.

96. Brev. Moz., *relatum hostiarum spiritum.*

Cerne, quam palam feroces hic domentur dæmones:
Qui lupino capta rictu devorant præcordia,
Strangulant mentes et ipsas, seque miscent sensibus.
Tunc suo jam plenus hoste sistitur furens homo,
Spumeas efflans salivas, cruda torquens lumina,
Expiandus quæstione non suorum criminum.
Audias, nec tortor astat, ejulatus flebiles:
Scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur,
886 Crescit et suspensus ipse vinculis latentibus.
His modis spurcum latronem martyrum virtus quatit;
Hæc coercet, torquet, urit; hæc catenas incutit;
Prædo vexatus relictis se medullis exuit.
Linquit illæsam rapinam: faucibus siccis fugit:
Ungue ab imo usque ad capillum salva reddit omnia,
Confitens, ardere sese: nam gehennæ est incola.
Quid loquar purgata longis alba morbis corpora?
Algidus cum decoloros horror artus concutit:
Hic tumor vultum relinquit, hic color verus redit.
Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, præstitit,
Martyrum cum membra nostro consecravit oppido:
887 Sospitant quæ nunc colonos, quos Iberus alluit.
State nunc, hymnite, matres, pro receptis parvulis:

GLOSSÆ VETERES.

102. Quæstione, *examinatione*, Iso.
105. Crescit, *tumescit*, I.
113. Algidus, *febris*, I.
117. Iberus, *fluvius Hispaniæ*. — Alluit, *influit*, I.
118. Hymnite, *canite*, I. *Hymnizantes*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

97. Ald., Vat. B, Alex., Urb., Bollandiani, *domantur*. Vatt. A, P, et plerique edd., *domentur*. Vat. Q mendose, *domuntur*. De miraculis ad sepulcra martyrum patratis superfluum est dicere: plena enim sunt Acta SS. martyrum.

98. Vatt. A, B, P, Alex. a secunda manu, Hailsbr., Widm. supra, Bollandiani, *rictu*. Vat. Q, Urb. et plerique edd., *ritu*. Pro *devorant* perperam Breviar. Mozarab., *deformant*.

99. Vat. A. corrupte, *stragulant*.

100. Gis. ad oram, *nunc suo nam*. Fabricius verbo *pœnæ* ait: *Pœnæ Christianorum persecutoribus Dei judicio sæpe horrendæ sunt inflictæ, ut de Hispano quodam Steph. primo scribit Prudentius, qui in furorem actus, et a Satana flagellis cæsus, ligatus, atque suspensus est.* Prudentium Fabricius non intellexit: non enim hic qui a dæmone torquetur, persecutor Christianorum a Prudentio dicitur.

101. Breviar. Mozarab., *spumans*, contra metrum.

102. Nebrissa, *non suorum criminum* interpretatur, quia illud crimen non est hominis, sed dæmonis. Chamillardus ait posse fieri ut homines innocentes a dæmone vexentur; additque dæmoniacos non peccare dum verba proferunt, aut turpia facinora patiant invitI. Teolius plane Chamillardo consonat. Existimo Prudentium *quæstionem non suorum criminum* posuisse pro formula exorcismi, quæ jam tum in usu erat, et videri potest quodammodo descripta in Apoth. vers. 406. *Fuge, callide serpens*, etc., ubi multa a Prudentio et a nobis dicta sunt quæ totum hunc locum de dæmoniacis et exorcismis possint illustrare.

103. Brev. Moz. versum hunc vitiose exhibet *Audiens hæc tortor adest ejulatu flebili*. Teolius edidit *nec tortor instat*; nescio an suorum codicum auctoritate permotus, an quia in notis Heinsii legerit, *instat* esse in Nomsio et sched s Cauchianis, et *astat* jam præcessisse. Cellarius etiam hac nota Heinsii impulsus edidit *instat*. Cæterum Heinsius in textu posuit *astat*, et quod ait, jam præcessisse *astat*, falsum est, nisi intelligat *astans*, quod legitur vers. 91. Nonnulli scribunt *hejulatus*.

105. Brev. Moz. male, *latentibus est*.

106. Cellarius reponit in notis: *Vis divina torquet diabolum*. Videtur improbare phrasim *virtus martyrum*. At SS. Patres ita locuti sunt, et theologi nostri scite distinguunt inter virtutem propriam faciendi miracula, quæ Deo soli convenit, et virtutem seu facultatem patrandi eadem miracula, a Deo communicatam, de qua Matth. x, 8: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite*.

107. Vat. A male, *cohercit*. Ab hoc versu incipit codex Marietti.

108. Brev. Moz. non inepte, *e medullis exilit*.

109. Imitatio Virgilii II Æn., *Catulique relicti Faucibus exspectant siccis*. Nebrissa ait translationem esse sumptam ex lupis qui relinquunt prædam incruentam, et abeunt faucibus siccis. At Virgilius loquitur de catulis qui exspectant: nam de lupis præmiserat, *Lupi ceu Raptores atra in nebula, quos improba ventris Exegit cæcos rabies, catulique relicti*, etc.

110. Cum ait *ungue ab imo*, satis exprimit unguem pedum.

111. Brev. Moz., *nec gehennæ*, quod aliqua ratione defendi posset.

113. Ald., Mar., Weitz., vetustiores Heinsiani, *decoloros*, pro qua scriptura Heinsius allegat Egmondanum Weitzii, qui a Weitzio videtur mihi citatus pro *decolores*. Habent etiam *decoloros* Vatt. B, P, Q, Urb., et Alex. a secunda manu, Brev. Moz. In Prag., Vat. A, Bollandianis et aliis, *decolores*. Giselino magis placet *decolores*, quia alibi Prudentius usus est *decolor*; neque hæc ratio non placet Chamillardo. Verum hujusmodi vocabula *unicolor*, *multicolor*, *decolor*, ad secundam declinationem etiam inflecti possunt; et Prudentius ipse alibi dixit *multicolor fucus*, alibi *multicolora prata*, et tam hoc quam illud a metro illis in locis exigitur. Aliis in locis discrepantia non obest, sive *decolores* sive *decoloros* dicatur. Algidum horrorem vocat horripilium sive frigus quod febrim præcedit.

114. Egm., Vatt. A, Q, *reliquit*; alii, *relinquit*. Widm. supra, *color versus*. Brev. Moz., *hinc tumor... hinc color*.

116. Brev. Moz., *quod membra*.

117. Mar., *sospitansque*, et ad oram pro div. script. *sospitantque*. Alex., *sospitantque*; melius *sospitant quæ*.

118. Vat. B mendose, *martyres* pro *matres*. Bal., Vatt. B, Q, Mar., Prag., Weitz., præstantiores Heinsiani, Alex., Urb., Bollandiani, et alii, *hymnite*. Ald., Nebr., Fabr., Sich., Egm., Gis. ad oram, Gall., *hymnistæ*, Pal. et, ut videtur, Vat. Q, *hymnitæ*. Cauchius conjiciebat *Clara nunc hymnistriarum pro receptis parvulis*. Brev. Moz., *invictæ matres*. Vera lectio est *hymnite* a Græco ὑμνεῖτε. Vossius de Vitiis ser-

Conjugum salute læta vox maritarum strepat :
Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium.

A

II HYMNUS. INCIPIT PASSIO S. LAURENTII.

888 Antiqua fanorum parens,

GLOSSÆ VETERES.

Vers. 1. Fanorum, *idolorum. Fana dicta templa ab eo, quod est fano, id est vox, id est a responsis.* — Parens, *mater*, I.

COMMENTARIUS.

monis Latini lib. III, cap. 14, contendit legendum *hymnistæ*, quia, ut ait, ævo Prudentii *æ* sonabat ut *e*, neque tamen ullum simile exemplum e Prudentio profert. Imo ipse affirmat, hymnistam tantum generis esse virilis, neque de hymnos canente hymnistam, sed hymnetem recte dici. Cur igitur lectionem optimorum codicum *hymnite* rejicit? Atqui in mss. glossarii sui antiqui idem Wossius invenit *imnio* pro *hymnum cano*, ut refert lib. IV, cap. 10. Neque Teolius recte asserit verbum hoc *hymnio* singulare esse Prudentio, et apud alium Latinum scriptorem non B inveniri. In veteri hymno S. Æmiliani officii Mozar. ad diem 12 Novembr. legitur, *Hymnite mecum consonante carmine.* Vide quæ animadverti ad diem 3 Martii in Hymnodia Hispanica. Cur autem Prudentius dicat *state*, et an hinc colligatur hymnos a stantibus cani solitos, merito quærat aliquis. Arbitror Prudentium respexisse ad vocabulum *stationis*, quæ in vigiliis sabbati, diei dominicæ, et anniversariis martyrum solemnitatibus habebatur. Chrysostomus, hom. 1 de verbis Isaiæ in principio: *Unde perspicio sermones ad opus proficere? Nimirum ex hoc concursu... ex hac pernocte perpetuaque statione, ex eo quod angelicorum ordinum stationem imitantes, sine cessatione laudes et hymnos offertis Conditori.* De stationibus dixi ad hymn. 8 Cathem., vers. 9.

119. Ald., Mar. a prima manu, Gis. in textu, Weits., Alex., Bollandiani, Heinsius, *mariturum.* Prag., Rat., Widm. et alii, *maritorum.* Ald., Fabr., Sich., Gis. prima ed., *strepet.* Gis. ad oram utriusque C ed., *crepet.* Melius *strepat.*

120. Brev. Moz. non male, *sit sacrata gaudiis.* Post hunc hymnum in Vatt. A, B, Mar., sequitur passio S. Vincentii martyris; in Aldo et aliis hymnus S. Laurentii. De patria horum martyrum dissident eruditi scriptores. Ex hoc hymno Prudentii tantum colligitur eos martyrium subiisse in oppido Vasconum, quod Iberus alluit. Ex alio vero hymno SS. octodecim martyrum Cæsaraugustanorum arguitur hoc oppidum esse Calagurrim : *Nostra gestabit Calagurris ambos, Quos veneratur.* Dubium non est quin in utroque hymno sermo sit de SS. Hemeterio et Celedonio, quamvis eorum nomina non exprimantur. In hujus hymni inscriptione diserte statuitur hymnum esse in laudem horum martyrum qui in multis antiquissimis codicibus dicuntur Calagurritani. Non autem constat an hæc appellatio a Prudentii manu sit, et an ea tantum indicet martyres Calagurri passos. Traditio et sententia communis est eos fuisse e civitate Legione in Hispania, filios S. Marcelli centurionis, cujus duodecim filii martyres recensentur. Riscus, tom. XXXIV D Hispan. sacr., pag. 315, refert in quodam codice ecclesiæ Legionensis ab Aria, viro erudito, notam anno 1069 ascriptam fuisse, qua filii S. Marcelli Legionensis nominantur: *Hæc sunt nomina sanctorum quæ in archivo Toletano reperta sunt. Emeterium et Celedonium Calahorritana ecclesia suscepit*, etc. Videri etiam idem potest tom. XXXIII, pag. 276. Nebrissa eosdem SS. martyres Calagurritanos fuisse, confirmare vult ex hymno 18 martyrum Cæsaraugustanorum; et putat dictos fuisse e Legione, quia milites legionarii fuerunt, scilicet ex quadam legione imperatoria; sed non persuadet. Teolius tamen pro certo tradit fuisse Calagurritanos; sed contra faciunt Acta antiqua apud Bollandianos ad diem 3 Martii, et martyrologium Romanum, Usuardi, et pleraque alia, in quibus hi martyres Legionenses, et clarius ex civitate Legione in Hispania fuisse dicuntur. Ex Actis quidem antiquis nonnulli solum colligunt eos in hac urbe Legione militasse; sed aperte mihi Legionarii dici videntur quia in ea nati sunt. Illud tamen nobis liceat observare, patriam eorum a Prudentio non fuisse expressam, ut jam rationem cl. Perezii de Bayer illustrare incipiamus, qui in dissertatione de S. Laurentio Hispanis asserto et vindicato, negat Prudentium solitum SS. martyrum patriam designare. Teolius fidenter reponit, *id demum esse lectorum credulitate nimis abuti, cum ex quatuordecim SS. MM. hymnis quibus hic Peristephanon liber constat, tribus vel quatuor demptis, cæteri omnes martyris patriam disertis verbis produnt, imo et prædicent.* In hoc primo hymno vidimus neque Calagurrim, quæ a Teolio patria SS. horum martyrum creditur, esse proditam aut prædicatam tanquam patriam, neque Legionem, quæ verius fuit eorumdem patria. Sermo autem est de Calagurri Vasconum, quæ nunc *Calahorra* dicitur, non de alia veteri Calagurri prope Oscam, ubi nunc est *Loharre.* Olim plerique Calagurrim, quæ nunc existit, et vocatur *Calahorra*, putabant a Romanis dictam fuisse *Fibulariam* sive *Fibularensem;* aliam Calagurrim prope Oscam *Nassicam.* Cl. Riscus, tom. XXXIII Hisp. sacr., tract. 69, cap. 3, erudite opinionem Marcæ, Cellarii, et Wesselingii confirmat, quod Calagurris Vasconum sit ipsa *Julia Nassica*, cujus plures antiquos nummos profert Florezius in opere de Nummis ant. Hisp.; altera vero Calagurris Oscæ vicina fuit Fibularia : quæ sententia satis est probabilis, ut ad hymn. 4, vers. 13, comprobabo. Bartholomæus Leonardus de Argensola, in epistola ad Joannem Marianam, quam laudavi cap. 2 Prolegom., dubitat etiam an Calagurri, an Tudelæ, an in oppido Tauste, aut in alio Cæsaraugustæ viciniori, SS. martyres martyrium subierint. Verum hæc dubitatio satis refellitur antiqua et constanti traditione, ac certissimis monumentis, quæ Prudentium de Calagurri esse intelligendum omnino confirmant. Quod autem opponit, Calagurrim fuisse coloniam nobilissimam, et *oppidum* inferius esse urbe aut civitate, neque apposite de Calagurri dici posse, id plane falsum esse demonstrabo ad vers. 513 hymni S. Vincentii, *Coire toto ex oppido.* Obiter notabo ejusdem Bartholomæi alium errorem esse, quod Aldus Romæ Prudentii opera ediderit.

Vers. 1. Titulum excripsi ex Vat. B, ubi ponitur hic hymnus post hymnum S. Vincentii, ut etiam in codice Marietti. In Vat. A, *Passio beatissimi Laurentii*, et ponitur post hymnum S. Agnetis, quod notandum est, ne quis firmum argumentum ex ordine hymnorum confici putet ad S. Laurentium Hispanis asserendum, et vindicandum. Variant enim codices in hoc ordine statuendo, neque facile demonstrari potest ordo a Prudentio observatus. Alex., Thuan., *Incipit passio Laurentii beatissimi martyris.* Ald., Put., Ox., *Hymnus in honorem passionis Laurentii beatissimi martyris.* Janus Parrhasius, *Passio beatissimi martyris Laurentii.* Hac editione Parrhasii mihi antea ignota, neque ab aliis indicata, nunc uti incipiam. Libellus est in-8, ita inscriptus : *Sedulii carmen paschale. Aurelii Prudentii poemata.* Absoluto carmine paschali Sedulii, ponitur elogium Prudentii a Gennadio conscriptum, quod falso S. Hieronymo ascribitur : *Divus Hieronymus de viris illustribus :* ubi hæc peculiaris lectio animadvertenda est, *agnoscitur palatinus simul fuisse* pro *miles fuisse.* Post elogium, *Aurelii Prudentii Clementis Christiani poetæ περὶ στεφάνων, id est, de coronis liber.* Solum autem hoc libello conti-

889 Jam Roma Christo dedita,
Laurentio victrix duce
890 Ritum triumphas barbarum.
Reges superbos viceras,
Populosque frenis presseras:
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperii jugum.
Hæc sola deerat gloria
Urbis togatæ insignibus,
Feritate capta gentium,
Domaret ut spurcum Jovem.
Non turbulentis viribus,
Cossi, Camilli, aut Cæsaris:
Sed martyris Laurentii
Non incruento prælio.
Armata pugnavit fides.
891 Proprii cruoris prodiga:
Nam morte mortem diruit,
Ac semet impendit sibi.
Fore hoc sacerdos dixerat
Jam Xystus affixus cruci,

GLOSSÆ VETERES.

2. Roma, *tu*. — Dedita, *tradita*, I.
4. Triumphas, *vincis*. — Barbarum, *gentilem*, I.
6. Frenis, *legibus*, I.
7. Monstruosis, *terribilibus*, I.
10. Togatæ, *nobili*, *pacificatæ*. — Insignibus, *ornamentis*, *cum absolutum est*; *cum adjectivum*, *gloriosis*, I.
14. Cossi, Camilli, *duorum ducum*. *Cossus Afrorum lingua rugosus*, *Camillus ingenuus*. *Cossi ducis*, *Camilli consulis*, I.
18. Prodiga, *perditrix*; *prodigus*, *qui porro adiens*, *id est*, *porro distribuens*, I.
21. Fore, *futurum esse*, I.
22. Cruci, *Gesta non habent*, *Xyxtum crucifixum*, *sed gladio jugulatum*: *quia crucem suam bajulat*, *quisquis pro Christo animam ponit*, *quamlibet Xyxti passionem vocamus crucifixionem*. *In hoc sensu potest accipi*, *quod hic dicitur*: *Jam Xyxtus affixus cruci*: *item crucis sub ipso stipite*, *id est*, *imminentis passionis agone*, Prag.

COMMENTARIUS.

nentur hymni S. Romani, SS. Petri et Pauli, S. Laurentii, S. Hippolyti, S. Cassiani, S. Agnetis, SS. octodecim martyrum Cæsaraugustanorum, SS. Fructuosi et sociorum, et ex libro Cathemerinon *Hymnus divi Prudentii sumpto cibo*, sic enim inscribitur, et *Hymnus divi Prudentii post jejunium*. Post hymnos exstat epistola Jani Parrhasii ad Franciscum Medullam Atellanum, Mediolanensem Vicarium: in qua Sedulium et Prudentium multis in locis illustrat, et exponit, et nonnullas emendationes adjicit. In fine: *Impressum Mediolani*, *sumptibus Jani*, *et Catelliani Cottæ*, *dexteritate Guillelmorum le Signerre fratrum*. Annus editionis colligitur ex privilegio Ludovici Francorum regis, ac Mediolani ducis die 1 Julii 1501, ex quo constat, *Sedulium atque Prudentium præstantissimos religionis nostræ poetas suis impensis* (Jani) *et industria nuper in lucem datos*, ubi etiam Janus dicitur *de vero Dei cultu benemeritus*. Hanc editionem ignorasse videtur Argelatus, qui in bibliotheca Mediolanensi editiones ante annum 1501 factas aggressus recensere, alias antiquas anni incerti, et editionem Claudiani anno 1501, opera Parrhasii procuratam, commemoravit, hanc Sedulii et Prudentii penitus omisit. Cum rarissima hac editione, casu inventa, uti jam cœpissem, humanissimis litteris cl. Jacobi Morelli, custodis selectissimæ bibliothecæ S. Marci Venetiis, ad me datis accepi, eamdem editionem nuper bibliothecam S. Marci acquisivisse. Parrhasius codicem veterem videtur nactus, quo Sedulii carmen, et pauci hi hymni Prudentii tantum continebantur: in quo tamen sunt non paucæ discrepantes lectiones minime pœnitendæ, et fama ipsa celeberrimi editoris magnopere commendandæ, quas accurate tanquam ex vet. cod. describam. Unum e præclaris Blanchini argumentis pro Romano natali S. Laurentii est, quod Roma a Prudentio versu primo vocatur *fanorum parens*. Vim conclusionis ipse viderit. Nisi codicem illum suum vetustum Sacramentarii in tabulario Capituli Veronensis invenisset, ubi hæc nova opinio tot sæculis quot ipse malit, consepulta jacuerat, opinor, etiam isthæc arguendi ratio periisset. Certe Rupertus Tuitiensis non tam fuit acutus, qui lib. vi de Oper. Spiritus S., cap. 18, initium hujus hymni excripsit, et id collegit quod mox proferam. In Breviario Moz. festum S. Laurentii celebratur paucis strophis ex hoc hymno desumptis, quod propterea minus frequenter laudabimus.

2. Aldus contra metrum, *Christo dicata*.

4. Ald., Put., Ambr., Heinsius, Vat. A, Gis., Bong., Fabr., *triumphas*. Vatt. B, P, Q, Urb., Alex., Mar., Weitz. et alii, *triumphans*. Rupertus legit *Ritus triumphas barbaros*.

6. Ald. et Rupertus mendose, *populos frenis*.

9. Weitz. cum Hailsbr., *derat*. Alex. *aberat*; ad oram, *deerat*.

10. Virgilius *gentem togatam* dixerat.

12. Infra vers. 248, *spurca stupra*.

13. Vat. A dividit et scribit *turbo lentis*. Weitz. cum Hailsbr., Widm., Vat. B, Mar. edidit *turbolentis*.

14. De his ducibus ejusque victoriis passim historici Romani. In codice Marietti supra charactere minuto additur diversa scriptura, sed incepta *Classica millia ut Cæsaris*. Merenda, § 3 de Damasi Operib., evidenter hinc colligi ait Laurentium non minus Romæ natum quam Cossum, Camillum et Cæsarem. Contra Rupertus Tuitiensis loc. cit. cum hos ipsos versus retulisset, *Et quidem* (ait) *hoc de omnibus dici potuisset sanctæ Romanæ Ecclesiæ martyribus*, *quia ducibus illis ritus Roma triumphavit barbaros*, *sed hic triumphi illius dux præcipuus est*, *quippe cujus mors insolita*, *sive inusitata*, *quasi totius belli tuba maxima universo mundo audita est*, *et jugiter personat*. Error vero metri est apud Rupertum *Camilli*, *atque Cæsaris*.

16. Gifanius in vet. lib. invenit *incruente*, quasi Prudentius dixerit *incruens*, ut *opulens*, *suaviloquens*. Vide indicem Lucretii verbo *suaviloquens*. Facile ex *incruento*, quod alii omnes habent, exscriptor aliquis errans posuerit *incruente*: quanquam in Alex. etiam est *incruente*.

17. Ald., Brev. Moz., *pugnabat fides*.

18. Egm., Hailsbr. male, *cruoris prodita*. Horatius lib. I. ode 12, *Animæque magnæ Prodigum Paulum*.

21. Fabr., Bong., Hailsbr. supra, Gis. *fore hæc*, Alii, *fore hoc*.

22. Alii scribunt *Xistus*, alii *Xystus*, alii *Sixtus*. Nebrissa scribendum ait *Xistus*, non, ut vulgus scribit litteris inversis, *Sixtus*. Fortasse alii homines *Sixti*, alii *Xysti* dicebantur, aut idem nomen utroque modo efferebatur. *Xystus* Græce est porticus, in qua athletæ per hiemem exercebantur. Sichardus aliique putarunt hunc Xystum esse Xystum primum, qui Alexandro successit tempore Adriani Cæsaris anno 116. Verum Xystus de quo in hoc hymno agitur est Xystus secundus. qui post Stephanum I pontificatum tenuit anno 257 sub Valeriano imperatore. Plerique affirmant Xystum capite truncatum fuisse.

Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite.
Desiste discessu meo
892 Fletum dolenter fundere :
Præcedo, frater, tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox episcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit : nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem ?
Quo passionem carmine
A
Digne retexens concinam ?
Hic primus e septemviris,
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior,
Claustris sacrorum præerat,
893 Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasque dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus Urbi regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri, et sanguinis.

GLOSSÆ VETERES.

32. Palmam, *coronam*, I.
39. Levita, *levita interpretatur assumptus, sicut diaconus minister.* — Gradu, *in ministerio*, I.
40. Præstantior, *nobilior, sublimior, quia præstat*, I.
44. Votasque, *oblatas*, Mar. *Devotas, votivas, obla-*
B *tas*, I.
45. Versat, *cogitabat.* — Famem, *cupiditatem, desiderium*, I.
48. Exactor, *quæsitor*, I.

COMMENTARIUS.

Cyprianus epist. 82, al. 80, *in cœmeterio animadversum* ait, non vero *gladio animadversum*, ut multi jactant : quanquam *gladii* mentio in martyrologiis fit, ubi mors S. Xysti annuntiatur. Pamelius in notis ad Cyprian. Prudentii hunc locum exponit de cruce in genere pro quovis cruciatu, aut cujuslibet generis supplicio, et ita quidem explicat glossa Pragensis. Mariettus hanc ipsam interpretationem comprobat, quia Prudentius in hymno S. Vincentii vocat Vincentium collegam propriæ crucis Christi, cum constet Vincentium non fuisse cruci affixum. Favet etiam versus 254 in eodem hymno Vincentii, *Crucis peritus artifex.* Gallonius, de Cruciat. SS. martyr. pag. 65 et C 66 probat equuleum et alia torquendi instrumenta *cruces* olim fuisse appellata. Cæterum, etsi interpretes communi consensu tradant solum Prudentium narrasse Xystum fuisse crucifixum, tamen in Hymnario Ven. Thomasii exstat hymnus in honorem S. Laurentii sine auctoris nomine ubi hæc lego : *Pontifex Xystus monuit ministrum Fixus in ligno crucis, Exsequeris Me cito.* Exstat in eodem Hymnario alius hymnus in honorem S. Laurentii sub S. Ambrosii nomine, et alius ex hoc Prudentii hymno confectus. Bollandiani non audent temeritatis notam ei inurere, qui verbum Cypriani *animadversum* cum Prudentio determinet ad mortem crucis.

25. Recte notavit Barthius lib. XLII Advers., cap. 11, *discessum* et *discedere* a veteribus Christianis pro morte et mori usurpari, ex Prudentio et Cassiano. In editione Weitzii ad hunc versum nota hæc Nebrissæ apponitur DISCESSU MEO, *quo a te divellor per mortem. Qua voce poeta dicit se imparem ad describendam tam grandem materiam.* Quid hæc sibi volunt? D Disjunge hæc verba, et ad vers. 33 differ notam, QUA VOCE, *Poeta dicit*, etc. Ita enim in editione Hispana hæ notæ disjunguntur.

26. Weitzius, *fletus ;* alii, *fletum.*

30. Hymn. ven. Thom., *pronunciatrix.*

32. Vat. A perperam, *prædictum.* Thom. *palam*, repugnante metro. Put., Noms., *prætulit*, hoc est præ se tulit, ut Heinsius explicat.

34. Parrhasius, *celbrabo*, nescio an consulto, nihil enim in hoc versu correxit, ut fecit in aliis. Metri lex *celebrabo* admittit.

37. Parrhasius scribit bene *septemviris.* Sozomenus lib. VII, cap. 19 : *Apud Romanos diaconi non plures sunt hactenus quam septem instar eorum qui ab apostolis primum ordinati sunt. Apud alios vero haudquaquam definitus est diaconorum numerus.* Adhuc in Ecclesia Romana idem numerus constat in septem diaconis cardinalibus. Officia primi diaconi sive archidiaconi egregie a Prudentio describuntur. Alii edunt *septem viris.*

39. Ald. distinguit *Levita sublimis gradu Et cæteris præstantior.* Dicitur *sublimis gradu*, quia primus erat et cæteris præstantior, et fortasse, dum diaconi ad aram proximi astabant, primus diaconus sublimiori gradu eminebat. Isidorus lib. II de Eccles. Offic., cap. 8 : *Ex hinc jam decreverunt apostoli, vel successores apostolorum per omnes Ecclesias septem diaconos, qui sublimiori gradu cæteris proximi circa aram Christi, quasi columnæ altaris assisterent.*

41. Thesauro ecclesiæ, ubi sacra supellex asservabatur, præerat primus diaconus. In S. Laurentio id agnoscunt Ambrosius, Augustinus, Maximus, Leo, Petrus Chrysologus. De diaconorum cardinalium origine vide Panvinium in libro, qui est de Septem Urbis ecclesiis, cap. 5.

44. Chamillardus ait id esse ex sententia eorum dictum qui affirmant veteres Christianos etiam conjugatos paupertatem vovisse. Opes de quibus Prudentius erant certe oblatæ a Christianis. Verum etiamsi credamus, per votum paupertatis fuisse oblatas, nondum consequitur, omnes Christianos etiam conjugatos vovisse paupertatem.

45. *Fames pecuniæ*, ut apud Virgilium *Auri sacra fames*, et mox *Aurum, quod ardenter sitis.*

46. Ald., Weitz., Heinsiani minus antiqui, Vat. P, Q, Urb. et alii, *Urbis.* Duo vetustiores Heinsiani, Alex., Gis., Fabr., Parrh. et alii *Urbi.* De præfectis Urbis videri possunt Contelorius et Corsinius. Anno 258, quo B. Laurentius martyrii palmam adeptus est, præfectus Urbi dicitur fuisse Cornelius Secularis sub Valeriano imperatore. Error Chronici Eusebiani, quo asseritur Laurentium sub Decio imperatore passum multos decepit. Simul cum præfecto Urbis imperatorem martyrio præsentem adfuisse, sine idoneis testibus Ignatius Comus affirmavit.

48. Aldus ediderat *Exactor hauriet sanguinis*, in emendatis correxit *Exactor auri, et sanguinis.* Nebrissensis correctionem non vidit, et censuit legendum *Exactor hausti sanguinis.* Neque Giselinus ad Aldi correctionem advertisse videtur, nam ex mss. emendatum locum exhibet. Parrhasius quoque jam ediderat *auri, et sanguinis.* In nonnullis vett. edd. legitur *Exactor haurit sanguinis.* Hoc munus eisdem verbis expressum *exactor auri* reperitur in antiquis inscriptionibus, ut apud Muratorium class. 9, pag. 1029, num. 8 : *Exactor auri et argenti trium provinciarum.* Unde apparet acumen Prudentii *Exactor auri,*

Qua vi latentes eruat
Nummos, operta existimans
894 Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi.
Laurentium sisti jubet :
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, et fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sævire nos justo amplius,
Cum Christiana corpora
Plusquam cruente scindimus.

A

Abest atrocioribus
Censura fervens motibus :
Blande, et quiete efflagito,
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse vestris orgiis
Moremque, et artem proditum est :
895 Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
896 Astare fixos cereos.

GLOSSÆ VETERES.

50. Nummos, *a Numa Cæsare* (Lege *rege*), I.
51. Arcam, *ab arcendo visum.* — Ditibus, *aureis*, I.
55. Refertam, *plenam*, I.
56. Monetæ, *moneta dicitur, eo quod monet mentem inscriptione nominis regis ne paracaraximi, id est falsi nummi fiant.* — Conditos, *absconditos*, I.
57. Conqueri, *causari, deplorare*, I.
61. Abest, *absit*. I.
65. Orgiis, *officiis, orgia ministeria; ministeriis, vel*

B

sacrificiis, I. *Orgia dicebantur sacrificia Baccho dicata: translato itaque nomine a sacrificiis ad sacrificia deridet impius judex Christi mysteria, in quibus vinum offerri prodiderat jam fama*, Prag.
66. Proditum est, *dictum est*, I.
68. Libent, *sacrificent*, I.
69. Scyphis, *vasculis.* — Ferunt, *dicunt homines*, I.
71. Sacris, *officiis*, I.

COMMENTARIUS.

et sanguinis. In museo Pio-Clementino inscriptionem his verbis conceptam, *Exactor auri*, in quadam basi memini me olim legere.

50. Etymologia *nummi* vel, ut alii malunt scribere, *numi*, a Numa, quæ a glossa asseritur, ridicula quidem videtur, sed auctorem habet Suetonium; quod tamen ineptum videtur Scaligero in Conject., et Becmano de Orig. ling. Lat., qui Græcam originem repetunt a νόμος, a quo est *nomisma*, de quo paulo post. Alii cum Varrone vocem Siculam affirmant esse.

53. *Sisti* proprie de reo, qui ad tribunal judicis trahitur, quod notavit Peveratus ex Actis martyrum, Apuleio, et veteris inscriptionis versiculo. SISTI . QVAE LVNCTOS . IVBET . AD . VADIMONIA . MORTI.

56. Nebrissa *montes* monetæ Hispanice explicuit *montones*. Respicit fortasse Prudentius ad proverbium *aureos montes polliceri*.

60. Weitz. cum solo Hailsbr., *scidimus*. Retine *scindimus*.

63. Rat., Vat. B, *afflagito*.

64. Ald., *quos*; Egm., *quo*. Verum est *quod*. In Vat. A abest *obire*. Vat. B, Prag., *adire*; Mar., *obire*, ad oram *obedire*, vel *adire* ; sed *obedire* non congruit metro.

65. *Orgia* peculiari significatione ea sacra sunt in quibus mysteria et sacramenta peragebantur : et hac de causa nocturna Christianorum sacra orgiis comparantur ab ethnicis, qui sæpius suis in orgiis ad nefanda facinora initiabantur. Si de vino, quod in Christi sanguinem convertitur, ethnicis aliquid subolueerat, hac ratione nocturna Christianorum sacra *orgia* fortasse appellabant, tanquam sacra Bacchi seu Liberi. Cum autem orgia simpliciter accipiantur pro quibusvis cæremoniis, ut auctor est Servius ad IV Æneid., etiam hoc sensu orgia hic locum habent. Etymologia ab aliis dicitur ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est furore vel ira, ab aliis ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est montibus, quod in montibus fierent. Virgilius lib. IV, vers. 302 : *Ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.* Ab aliis ἀπὸ τῶν ὀργάδων, scil. cet a locis deo alicui consecratis.

67. Rat., *Hanc esse disciplinam fœderis :* sed *esse* ex glossa aliqua contra metrum immissum est.

68. In Mar. codice abest *ut*, recte additum supra. Calices aliquando ligneos, vitreos, marmoreos, corneos fuisse in nonnullis ecclesiis, vel ob penuriam earum, vel ob incuriam ministrorum, vel quod gentilium cupiditatem et avaritiam vellent Christiani ef-

fugere, satis certum videtur. Fuisse autem plerumque ejusmodi vasa sacra aurea et argentea non obscure ex hoc loco colligitur; quod confirmat S. Ambrosius, lib. II de Officiis, cap. 28 : *Nunquid dictum est S. Laurentio : Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ; vasa sacramentorum vendere?... In his tribus generibus vasa ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.* Tempore S. Augustini qualis esset hac de re fidelium persuasio, luculenter comprobatur paucis ejus verbis, in alium usum prolatis, epist. 26 : *Si calicem aureum invenisses in terra, donares illum ecclesiæ Dei.* Confer prolegom. cap. 13.

C

69. Weitz. scribit *scyfis* cum Hailsbronnensi. In Widm. est *sciphis*.

70. Vat. A, *libare sacrum*. Alludit præfectus ad fabulam de qua Minucius in Octavio : *Jam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis, occultisque vulneribus occiditur : hujus proh nefas! sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hac fœderantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur.* Huic calumniæ Simon Magus, Menander, Carpocrates, Nicolaitæ et Gnostici occasionem præbuisse dicuntur, quod similia flagitiosa facta in suis sacris perpetrarent. Heraldus in notis ad Minucium ait calumniam istam omnibus Christianorum apologiis confutatam, neque inventum esse aliquem, qui ejus immanitatis sectam ullam hæreticorum vel levissima suspicione asperserit,

D

adeoque existimat quæ de Gnosticis et Quintilianis Epiphanius, et nonnulli alii postea tradiderunt, ea omnia falsa esse et conficta. Confer etiam Elmenhorstium in notis ad eumdem Minucium. Gis. ait, ethnicos nonnullos *teste August.* Cereris et Bacchi adorationes Christianis malitiose impegisse. Fortasse hoc intelligit præfectus *fumare sacrum sanguinem*, scilicet vinum conversum in sanguinem. In Giselino *teste August.* explicandum est *teste Augustino*. Chamillardus *teste Augusto* scripsit.

71. Cum tyranni in Christianos sævirent, non alio tempore hi poterant convenire ad sacra celebranda, nisi nocte. Tertullianus lib. de Fuga, cap. 14 : *Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo dominica solemnia celebrabimus?... Si colligere interdiu non potes, habes noctem.*

72. De cereorum usu in ecclesia lege proleg. cap. 11.

Tum summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia.
Addicta avorum prædia
897 Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigiis

A

Exaggeratos obtines :
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Ut dedita stipendiis
Ducem juvet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio.
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
898 Nomisma nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da : nempe justum postulo.
Ni fallor, haud ullam tuus

GLOSSÆ VETERES.

73. Tum, *insuper*. — Fratribus, *vobis*, Iso.
75. Fundis, *possessionibus, agris*, I.
76. Sestertiorum, *talentorum : sestertium quinque sextarii, id est duo scrupuli et semis*, I. *Sestertius, ut quidam aiunt, quinque stateres valet, stater autem 2 didragmas, didragma autem 2 dragmas, una autem dragma 3 denarios facit*, Mar.
77. Addicta, *assignata, id est ab avis addicta hæredibus, vel deputata, tradita*, Iso.
78. Fœdis, *quibus vobis fœde augetis*. — Auctionibus, *venditionibus*, I.
79. Exhæres, *carens hæreditate*, I.
80. Sanctis, *ironice*, I.

B

81. Occuluntur, *absconduntur, occultantur*, I.
86. Præstigiis, *maleficiis, doctrinis, præstrigiæ dicuntur a præstringendo, eo quod præmoneant hominem, et constringant timere suis demonstrationibus*, I.
87. Exaggeratos, *accumulatos*, I.
89. Poscit *indiget*, I.
90. Fiscus, *sacculus in quo publica pecunia portabatur*. — Ærarium, *gazophylacium*, I.
91. Dedita, *tradita*. — Stipendiis, *publicis*, I.
94. Suum, *proprium*, I.
96. Nomisma, *imaginem*, I.
98. Nempe, *quippe*, I.

COMMENTARIUS.

73. Weitzius ineptissime edidit *Tum summa est cura fratribus*, cum notaverit in Bong. esse *Tum summa cura est fratribus*, quod et metrum poscit et alii habent. Nam Aldus etsi ediderit *Tum summa est cura*, id in emendatis correxit. Notandum olim passim omnes Christianos vocatos fuisse *fratres*, ut etiam e sacris Litteris constat. Hinc gentiles nostris illudebant. Minucius : *Ac se promiscue appellant fratres et sorores.* Animadvertendum sacra hæc nomina gentilibus fuisse inter lasciva et amatoria : hoc ergo per calumniam innuere volebant gentiles apud Minucium.

75. Ex prima Ecclesiæ disciplina Act. apost. IV, 34, 35 : *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum.* Qui nostro ævo antiquæ Ecclesiæ paupertatem vulgo jactant, si ad hanc consuetudinem revocarentur, potius nostros mores laudarent, quibus ecclesiasticis ministris non tam nova dona offeruntur, quam vetera auferuntur.

76. Sestertius appellatus fuit quasi semistertius, quia valebat asses tres dempto semisse. Sestertium neutro genere valebat mille sestertios. In veteribus libris pro *sestertius* scribitur *HS.*, vel *IIS.*, quia duæ lineolæ asses binos notant, *S.* vero semissem. Vossius in Etymologico ait sestertium genere virili esse nummum argenteum quatuor assium, sive quartam partem denarii, qui sexdecim valebat assibus. Prudentius speciem pro genere ponit.

77. Rat. male a prima manu, *addita* pro *addicta*. Pro *vendita* apud jurisconsultos *addicta* usurpatur : exstatque titulus in D. de in diem Addictione, ubi Paulus : *In diem addictio ita fit : Ille fundus centum esto tibi emptus, nisi si quis intra calendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res a domino abeat.* Weitzius ex Rudolpho Forner. lib. V Rer. quotid., cap. 23, observat juris auctores non facile permittendum credidisse, ut quis majorum prædiis, laribus, sepulcris carere cogeretur. *Inde prædia paterna, vel avita abalienare minus honestum, contraque distracta recuperare laudabile semper habitum est.* Id tamen ita est accipiendum, ut honesta præsertim religionis causa interveniente laudabile sit abalienare, quod nulla lege debet retineri, aut ad posteros transmitti. Calumnia vero est, quod parentes Christiani liberos exhæredare consueverint, ut objicit præfectus.

78. In glossa non satis liquet an *quibus*, an aliud legi debeat.

C

80. Vat. A, Prag., *satis* : lege *sanctis*. Ironice loquitur præfectus, et ut vocabulum Christianorum ipsis exprobret : nam *sancti* hi dicebantur, ut liquet in epistolis S. Pauli : *Dilectis Dei, vocatis sanctis.*

86. Scribunt *præstrigiis* Weitzius, Wilm., Parrhasius, Put., et nonnulli alii. Vide Comment. ad vers. 140 hymn. 4 Cath. In *præstringere* est etiam quædam scribendi varietas : nam aliqui malunt exarare *præstinquere*.

87. Vat. A, *exaggerandos*, minus bene.

90. Nebrissa recte ita distinguit, ut fiscus sit principis ærarium reipublicæ.

91. Heinsius cum Put., *ut didita*, quomodo Cauchium restituisse innuebat Torrentius. Schedæ Cauchii et Parrhasius, *debita*. Alii, *dedita*. Vat. Q. mendose, *suspendiis* pro *stipendiis*.

94. Hailsbr. supra, *reddite*.

96. Ald. Weitz., aliique edd. et mss. constanter *nomisma*, nisi quod in Alex. scribitur *numisma*, in editione Parrhasii *nummisma*, in Vat. Q videtur esse

D

nommisma, in nonnullis Vulg. *numisma*. Heinsius ait non esse audiendum Wowerum, qui ad Minucium castigabat *Ænigma nummis inditum*, etsi consentientem habuerit Joannem Gerardum Vossium. Wowerus quidem dicit fortasse rectius esse *ænigma*. *Sed* (addit) *νόμισμα et χάραγμα et nummum notat.* De nomismate vide supra comment. ad vers. 50, et Glossarium *Ducangii*.

97. Matth. XXII, 19, et seqq. : *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.*

98. Parrhas., *Da. Nempe justum postulo?*

99. Hailsbr., *aut*, ex quorumdam veterum scribendi ratione, pro *haud* vel *haut*, ut scribit Weitz. Ruinartius edidit *aut*.

Signat Deus pecuniam.
Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit:
Præcepta sed verbis dedit,
Inanis a marsupio.
Implete dictorum fidem.
Quam vos per orbem venditis:
899 Nummos libenter reddite:
Estote verbis divites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum.
Sed ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est dives, inquit, non nego
Habetque nostra ecclesia
Opumque et auri plurimum,
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus, arcem possidens,
900 Cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam Numinis:
Vulgabo cuncta, et proferam
Pretiosa quæ Christus tenet.
Unum sed orans flagito,
Induciarum paululum,

GLOSSÆ VETERES.

100. Signat, *vindicat, curat*, I. — *Nomen illius non scribitur in nummis.* Vat. A.

101. Aureos, *Mancusa, Philippei Mancosi; sed hic Philippos metri causa. Mancuosa Philippis est civitas de qua in Evangelio: Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi*, I. — *Philippeos, id est, Bizanteos, vel Mancosos, alio modo Mancones, vel denarios aureos.* Vat. A.

106. Venditis, *spargitis*, I.

110. Refert ad ista, *respondet*, I.

112. Annuit, *consentit*, I.

117. Tantum, *tam multum*, I.

118. Ænigmatum, *figuras, denariorum. Ænigma obscura parabola; inde ænigma dicit nummorum; nam metallis insensatis, obscuris, nomen regis capitur et imponitur*, I. — *Denariorum.* Mar.

119. Augustus, *Octavianus*, I.

122. Locupletis, *divitis, locuples talentis.* — Arcam Numinis *thesaurum Dei*, I. — Numinis, *id est Dei.* Vat. A.

COMMENTARIUS.

100. Tertullianus cap. 10 Apolog., *Ab ipso Saturno primum tabulæ, et imagine signatus nummus.* Minucius Jano attribuit, quod Italos docuerit *nummos signare.* Id Lampridius in Alexandro Severo dixit *nummos figurare.* Ducangius aliique putant Justinianum anno 685 circiter Christi signo nummos primum figurasse. Hi quidem Prudentii versus probare possunt tempore S. Laurentii non fuisse nummos Christi imagine aut nomine signatos; non autem recte allegantur ad probandum id ætate Prudentii non accidisse. Nam Prudentius ex persona præfecti accommodate ad hujus tempora loquitur.

102. Egm., Hailsbronnens., Vat. P, male, *Philippus.* Vat. A, Urb., *Philippeos*, Alex. *Filippos*; lege *Philippos* a Philippo rege ita dictos. Horatius *regale nomisma Philippos.* Glossæ exponunt *Bizanteos*, seu *Mancosos.* Glossæ de Mancuosa civitate Philippi aut corrupta est, aut inepta, aut utrumque.

104. Parrhasius scribit *marsyppio.*

106. Ald., Vat. A a prima manu, Oxon., Gis. in textu, Vat. Q, Urb., *quæ vos*, scilicet *dicta*: plerique *quam*, nempe *fidem.* Put., *qua*; etiam Alex., *qua*; sed supra, *quæ* cum Vat. P et aliis.

113. Gis. ad marg., *Prædives, inquit.*

115. Gis. ad oram, *opesque et auri.*

116. Ald., Mar. a prima manu, Bong., omittunt *est* post *orbe.*

118. Nebrissa legendum ait *emblematum*, et intelligit vasa emblematis insignita. Revera ita legit Parrhasius, et Weitzius testatur quædam exemplaria habere *emblematum.* Vera tamen est lectio *ænigmatum.* Giselinus ex Huberto Goltzio observavit aversas numismatum epigraphas, quæ summorum virorum officia et munera, sæpe etiam propria symbola certis signis ostendebant, vulgo, exteris posterisque vera ænigmata fuisse. Argumento sunt in eum usum scripta a Joanne Pierio hieroglyphica. In glossariis Latino-Barbaris ænigma moneta dicitur. Gothofredus, lib. IX cod. Theod., tit. 22, lege 1, opinatur Prudentium *ænigmata* vocare numismata Cæsarum effigie cusa, et in veteri glossario *ænigma* monetam exponi confirmat. Addit Arabes numismata Christianorum quæ caput humanum præferunt, vocare *methalia*, quod verbum proprie significat εἰκόνας. Hinc Hispani et Itali vocant *medallas* et *medaglie*, vel potius a *metallo.*

119. Io ridicule *Augustum* exponit Octavianum. Omnes imperatores Augusti appellabantur. Suspicabar legendum *Augustus, arcam possidens, Cui nummus omnis scribitur.* Neque refert quod paulo post occurrat *Locupletis arcam Numinis*, nam Prudentius sæpe idem verbum in brevi orationis periodo repetit, et hoc loco concinnum est comparare locupletis Numinis arcam arcæ, *cui nummus omnis scribitur*, sive in qua nummi undique congeruntur. Veteres arcam fisci, publicam, vel populi pro ærario interdum usurparunt, ut ex inscriptionibus veteribus patet. Erant etiam arcæ pontificum, collegiorum, privatorum: unde arcarii dicti qui eas administrabant. Erant præterea arca vinaria, olearia, frumentaria, quæstoria, de quibus vide Gothofredum lib. XII cod. Theod., tit. 6, lege 14, et Salmasium not. in Ælium Lampridium; et de arcis ecclesiarum Ducangium. Si legatur *arcem*, simpliciter arx ponitur pro imperio, ut notavit Barthius lib. V Adv., cap. 12, ex glossa veteri in codice prisco ad vers. Prudentii in Psychomachia, *Et Christum gaudere suis victoribus arcem.*

120. Nebrissa et alii interpretantur imaginem Augusti in omni nummo scribi. Sic Juvenalis dixit sat. 6, vers. 204: *Scripto radiat Germanicus auro.* Potest etiam intelligi *cui Augusto, sive arci, aut arcæ nummus omnis scribitur, sive penditur.* Scribere nummos alicui dicitur, qui pro iis in certam diem solvendis creditori cavet chirographo. Vide Plautum Asin. 2, 4, 34, et Horatium II, sat. 3, vers. 69.

122. Vat. B, Prag., Mar. a prima manu, *minis*, male, pro *numinis*. Tertullianus et Augustinus vocant etiam arcam, Paulinus mensam, Cyprianus corbonam, alii gazophylacium, secretarium, sacrarium, ubi scilicet opes ecclesiæ servabantur. Prudentius ante vers. 42, *cœlestis arcanum domus.* Vide Rosweydum ad Paulini epist. 34, et Binghamum tom. I, pag. 333, lib. II, cap. 21, ubi probat archidiaconum vocari *arcæ custodem.* Paulinus Petricordius, lib. IV de Vita S. Martini, *Protinus astanti diacono, quem more priorum Antistes sanctæ custodem legerat arcæ.*

123. Prag. scribit *volgabo.*

124. Ald., *quæ Christi*, minus bene.

126. Nebrissa recte notat vocem *induciarum*: quia scilicet Laurentius post triduum bellum cum præfecto gesturus erat.

Quo fungar efficacius
Promissionis munere.
Dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur:
Nam calculanda primitus,
901 Tum subnotanda est summula.
Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spe devorat
Aurum, velut jam conditum
Domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui:
Laudatus inde absolvitur
Laurentius, sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per Urbem cursitat
Diebus: infirma agmina,
Omnesque qui poscunt stipem,
Cogens in unum et congregans.

A Illic utrisque obtutibus
Orbes cavatos præferens
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
902 Vel crure trunco semipes,
Breviorve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem
Est ulcerosis artubus
Qui tabe corrupta fluat;
Est cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, assuetos ali
Ecclesiæ matris penu,
B Quos ipse promus noverat.
Recenset exin singulos,
903 Scribens viritim nomina,

GLOSSÆ VETERES.

127. Fungar, *utar*. — Efficacius, *operosius, melius, perfectius*, I.
128. Munere, *officio*, I
129. Digestim, *ordinatim, ordinabiliter, rationabiliter*, I.
130. Supellex, *substantia, thesaurus*, I.
131. Calculanda, *numeranda, ordinanda*, I.
132. Summula, *numerus. Stipendium dicitur summula a sumendo*, I.
136. Gestiens, *gaudens, exsultans*, Iso.
139. Sponsor, *promissor*, I.
143. Stipem, *eleemosynam*, I.
144. Cogens, *colligens*, I.
145. Illic, *scilicet fuit*. — Obtutibus, *visibus*, I.
146. Orbes, *orbes dicunt vestigia aratri, sed non hic, nam scilicet sunt cavati oculi*, I.
149. Infracto, *valde fracto: genua habens, sed non utitur*, I.
150. Trunco, *syncope*, I.
153. Est, *scilicet illic*, Iso.
154. Tabe, *a tabe*, Iso.
155. Arens, *arida*, Iso.
159. Penu, *ærario, cellario*, I.
161. Exin, *mox, deinde, unde, exinde*, I.
162. Viritim, *sigillatim, per singulos, ordinatim, singulariter, per singulos viros*, I.

COMMENTARIUS.

130. In editione secunda Cellarii et in Parmensi scribitur *suppellex*, quod non patitur lex carminis.

131. Parrhasius, *Nam calculandum primitus. Calculare* occurrit apud Sidonium et alios non veteres; *calculator* apud Martialem, Ulpianum et vett. inscriptiones.

132. Alii habent *tum*, alii *tunc*.

134. Ald., Mar., Rat., Ambr., et alii antiquissimi Heinsiani, Parrhasius, Gis., *spem devorat*. Weitz. cum Pal. restituit *spe devorat*, ut legitur in Vatt. A, B, Alex., Rott., et conjectaverat Cauchius. Peveratus etiam legerat *spe devorat*, ac similem phrasim ex Cicerone pro Flacco allegaverat: *Amissum enim est præter spem, quod erat spe devoratum*. Veteres legebant et distinguebant *ac spem devorat. Aurum*, etc.

136. Fortasse præ oculis habuit locum Ciceronis in Pisonem: *Nummus interea mihi, Cæsar, neglectis ferculis triumphalibus, domi manet, et manebit*.

138. Rat., *Laudatur, inde absolvitur*.

141. Hailsbr. inepte, *per orbem*.

143. Nonnulli scribunt *omnisque*.

144. Ald., Parrhasius, Gis. ad oram, Weitz. scripti Heinsiani et nostri, *Cogens in unum, et congregans*. Fabr., Gis. in contextu, *Cogens in unum congregat*.

149. Parrhasius, *est claudus* pro *et*. Vat. B, *gradu*; supra, *genu*.

150. Mar., *truncus semipes*, supra *trunco*. Rat., *truncus, semipes*.

151. Tria claudorum genera describit, *fracto genu, trunco crure, breviore planta altera*.

156. Rott., *in unum contrahat*. Egm., *in ulnam contrahit*. Ulna est os brachii.

158. Weitz. scribit *asuetos*, quia ita invenit in Widm. Sæpe dixi ineptissimum esse ex unius vel alterius codicis errore certam scribendi rationem sequi.

159. Laudabilis olim hæc erat consuetudo, ut ec- C clesiarum penu pauperes alerentur; quæ maxime viguit in Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum matre ac magistra, quamvis quævis Ecclesia mater eorum qui in ea educantur recte etiam dicatur. Ante fores ecclesiæ pauperes consistebant, ut eleemosynas acciperent. Vide vers. 178.

160. Omnes vett. edd., etiam Parrhasius, ediderant *ipse primus*. Heinsius ex Pal. restituit *promus*, quod in Boher. pervetusto confirmatum reperit. Teolius in uno Vat. invenit *promus*, qui fortasse est Alex., ubi id videtur esse pro div. lect. In Vat. P est *primos*. Recentiores omnes sine ulla dubitatione arripiunt *promus*. Et sane *promus* convenienter dicitur, quia præcessit *penu*, et diaconi arcæ ecclesiæ præerant, ut notat Heinsius. Addo ex S. Paulino epist. 12 ad Severum inscriptionem a dextra apsidis: *Hic locus est, veneranda penus qua conditur, et qua Promitur alma sacri pompa ministerii*. Itaque primus diaconus, qui penum *fidis gubernabat clavibus*, ut ante dicebat D Prudentius (nam cœlestis arcanum domus sic hæc penus) non immerito *promus*, et *promus condus* vocabitur. Nihilominus non penitus damno communem tot codicum lectionem *primus*, quæ etiam exstabat in antiquissimo codice Bollandianorum sæculi VIII aut IX. Potest enim intelligi Laurentium novisse pauperes, quia primus erat e septemviris seu diaconibus, ut vers. 37 expressum est, et ad primum diaconum cura pauperum spectabat, ut ex vers. 44 patet, *Votasque dispensans opes*, et colligitur ex concil. IV Carth. can. 17: *Ut episcopus gubernationem viduarum, pupillorum, ac peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat*. In comment. Ezechiel. cap. 48, Hieronymus ait: *Qui* PRIMUS *fuerit ministrorum, quia per singula concionatur in populos, et a pontificis latere non recedit, injuriam putat, si presbyter ordinetur*.

Longo et locatos ordine
Astare pro templo jubet.
Præscriptus et jam fluxerat
Dies : furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum martyr : Assistas velim,
904 Coramque dispostas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam :
Stabant catervæ pauperum,
A Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur :
Præfectus horrescit stupens
Conversus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille, Quid frendens, ait,
Minitaris ? aut quid displicet?
Num sordida hæc, aut vilia?
Num despuenda existimas?
905 Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat,
B Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.

GLOSSÆ VETERES.

164. Pro templo, *coram*, I.
165. Præscriptus, *a judice, deputatus*. — Fluxerat, *venerat, præteriit*, I.
168. Efflagitans, *postulans*, I.
169. Tum martyr, *ait*. — Assistas, *ut*, I.
170. Coramque, *palam*, I.
175. Patentes, *amplas*, I.
176. Structos, *cumulatos*, Mar.
181. Fragor, *clamor*, I.
183. In Laurentium, *contra Laurentium*, I.
188. Despuenda, *contemnenda*, I.
189. Sitis, *desideras*, I.
190. Rudera, *arizzi*, *vel stercora. Rudera dicunt maceriam ruinæ*, I.
192. Pœnalis, *durus*. — Excudit, *fabricat*, *excoquit*, I.
194. Arenis, *sicut Pactolus et alii*, I.

COMMENTARIUS.

163. Teolius Ignatium Comum impugnat, quod affirmaverit Prudentium in his rerum adjunctis enarrandis paulo aliter ac in Actis referuntur, aut poetica licentia abusum, aut longe ab Urbe binis remotum Alpibus rem, uti accidit, non bene didicisse. Etsi autem descriptiones poeticæ amœniores narrationibus historicis esse debeant, tamen si qua sit in re ipsa varietas, fides potius adhibenda est Prudentio quam Actis anonymis. Nam quod ait Comus, Prudentium hunc hymnum fecisse juvenem, et antequam Romam venisset, et poeta palatinus fuisset renuntiatus, nugæ hæ sunt sine ullo idoneo auctore prolatæ.

164. Nunc ait *pro templo*, postea vers. 173, *ingens atrium*; vers. 175, *per patentes porticus*; vers. 178, *sacratam januam* : quæ omnia probant Romæ domum amplam fuisse in quam Christiani ætate S. Laurentii conveniebant; et quæ tunc saltem a præfecto Urbis fuerit cognita. Hujusmodi ædes sacræ a primis Christianis non appellabantur *templum*, quod hæc vox nescio quid consecrationis paganæ indicaret. De re plane constat. Ad 1 sæculum pertinet quod auctor Recognition. in fin. refert : *Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam ecclesiæ nomine consecravit*. Eusebius, lib. VIII, cap. 1, narrat Christianorum numerum inter Valeriani et Diocletiani persecutionem adeo crevisse, ut *priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias*. Optatus Milevitanus lib. I testatur ante persecutionem Diocletiani basilicas plures fuisse quæ Christianis ablatæ sunt, postea restitutæ. De ecclesiis in ultima persecutione Diocletianea solo æquatis passim loquuntur Arnobius, Lactantius, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gildas, et alii.

165. Gis. *en jam* : in prima ed., *et jam*, quod reliqui habent.

166. Ald., Put., Oxon., *fervidus Judex avaro* : plerique, etiam Heinsius, et Parrhasius, *fervido Judex avarus*.

170. Ald., Sich., Mar., et nonnulli alii cum Gis., Weitz., *dispostas*. Castigatiores Heinsiani, Alex., *dispositas*, quod a metro minime respuitur. Parrhasius edidit *dispositas*, in emendationibus subrogavit *dispostas*, quod aures magis probant.

172. Utitur Laurentius voce ambigua *sanctis*, qua intelligi possent sacraria et secretaria ecclesiæ, seu arca, vel etiam ipsum templum, et simul significantur pauperes Christiani : nam, ut constitit ad vers. 80, sanctorum appellatio Christianis omnibus tribuebatur : *Sanctum* pro templo non est vox solum ad Latinitatem inscriptionum referenda, quod nonnulli putarunt. Persius pro templo posuit *sanctum* sat. 2, vers. 69 : *Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum*.

181. Hailsbr., *fragor*, supra *clamor*.

183. Prag., *conversus ad*.

184. In Mar., Vatt. A, B, Rat. desideratur *que* post *oculis*.

185. Mar. a prima manu, Widm., *quid frens*.

186. Parrhasius emendavit *minaris* : sed probum est *minitaris*.

188. Parrhasius scribit *dispuenda*.

189. De siti auri vide vers. 45.

190. Sich. *stercora*. Retine *rudera*, Codex Ambr. scribit *offossa*, quod damnare non audet Heinsius; nam in veterrimis Maronis exemplaribus occurrunt *offugere*, *offulgere*, *offore*, *obvolvi aris*, et similia. Vide Comment. ad vers. 410. Psychomachiæ. In glossa *arizzi* vocabulum est quod solum Isonem habet auctorem apud Ducangium.

192. Mar. a prima manu, Prag., Rott., *excludit*. Vox *pœnalis* Paulini, Prosperi, Sedulii, Aviti et similium est. Tertullianus etiam de eadem re cap. 27 Apolog. : *Itaque cum vice rebellantium ergastulorum, sive carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis servitutis erumpunt adversus nos*. De quo genere pœnæ agunt Gallonius et Sagittarius.

193. Rat., Bong., Widm., *et amnis* pro *vel amnis*. Vat. A, Egm., Hailsbr. a prima manu, *turbidus*.

195. Hac voce *terrulentus* usus etiam est in præf. Hamart., vers. 5.

196. Weitzius scribit *dequoqui* cum Hailsbr. Alii recte, *decoqui*.

Pudor per aurum solvitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges et ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis et magni putas?
Si quæris aurum verius,
906 Lux est, et humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus disjicit,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
907 Si fervor effetus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium
Et confer alternas luces,
Carnisne morbus fœdior,
An mentis et morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum,
Qui veste et ore prænitent,

GLOSSÆ VETERES.

197. Pudor, *castitas, verecundia*, I.
198. Integritas, *virginitas*, I.
199. Occidit, *deficit*, Iso.
201. Quid, *quare.* — Venenum, *avaris.* — Gloriæ, *aurum dicit*, I.
202. Magni, *pretii esse*, I.
204. Et, *etiam.* — Humanum, *scilicet aurum*, I.
205. Hi, *mendici.* — Alumni, *socii, vel filii.* — Luminis, *regni cœlorum*, I.
206. Arctat, *affligit*, I.
208. Insolescat, *superbiat, sine consuetudine vivat, intumescat.* — Turgida, *superba*, I.
209. Cum, *quando.* — Disjicit, *secat, consumit, lacerat; disperdo, disjicio*, I.
210. Viget, *interius*, I.
211. Vicissim, *mutuatim*, Iso.
212. Sensuum, *mentium*, I.
213. Nam, *quoniam.* — In, *ad*, I.
215. Effetus, *infructuosus, vacuatus*, I.
216. Elumbe, *infirmam libidinem, quia sine viribus facit, infirmum, debile, infirmam libidinem.* — Contrahat, *colligat*, I.
221. Committe, *compara.* — Pestium, *vitiorum*, I.
223. Carnisne, *utrum*, Iso.
227. Venusti, *pulchri*, I.
229. Valentes, *robustos*, I.
231. Mancum, *curve*, I. *Adverbium.* Prag.
233. Quemvis, *quemcunque affer*, I.
234. Ore, *facie*, I.

COMMENTARIUS.

200. Lucanus lib. III, vers. 118: *Usque adeo solus ferrum mortemque timere Auri nescit amor: pereunt discrimine nullo Amissæ leges.* Virgilius, lib. VI, vers. 652, *Fixit leges pretio, atque refixit.* Verum de avaritia, radice omnium malorum, hujusmodi sententiæ passim sese offerunt.

201. Nebrissa explicat aurum esse venenum gloriæ, quia eo vera gloria perit, aut quia more christiano gloria accipitur pro vita æterna. Prima interpretatio magis placet: sic *pudor per aurum solvitur, violatur auro integritas*, etc.

204. Teolius ita hunc versum exponi posse arbitratur: *Si quæris aurum, illius splendore raptus, scias humanum genus esse lucem, et pauperes esse alumnos seu participes lucis.* Verius et simplicius Nebrissensis: *Christus, qui est lux mundi, et homines ab eo redempti. Unde subdit: Hi sunt alumni luminis; de quo lumine Joannes præbuit testimonium cap.* I. Sane Laurentius occasione auri, quod præfectus cupiebat, Christum verum aurum et lucem opportune illi prædicavit. Toletus in cap. I Joannis, *Magno consilio utraque locutione Joannes in præsenti usus est: dixit enim: In ipso vita erat, ubi vita pro ea quam Verbum efficit et dat nobis, ponitur. Postea subjunxit: Et vita erat lux, ubi vita pro ipso Verbo, quod est causa vitæ, accipitur.*

209. De hoc verbo *disjicit*, aut *dissice*, ut plerique codd. scribunt, aut uno *s disicit*, ut habet Rat., dictum jam est ad hymn. 4 Cath., vers. 97. Ald., Fabr., Gis. in contextu, *dissecat*. Parrhasius, Gis. ad oram, Sich. et alii, *dissicit*. Gifanius in PROICERE ait se in Ovidii et Prudentii mss. invenisse *dissicit*, et in quodam vet. Prudentii *disicit;* et apud Virgilium in vet. lib. *dissice* constanter exaratum, monuisse Pierium. *Cæterum* (adjit) *ut ingenue dicam quod sentio, de his locis mihi non liquere profiteor, sed mutationes odi... Quærendum ergo amplius.* Weitzius et Heinsius amplexi sunt *dissicit*.

210. Ep. II ad Cor., cap. XII, v. 10: *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Ludovicus a Ponte egregium librum edidit de Thesauro ægritudinum corporis.

211. Ald., *mentis*. Sich. cum id invenisset, recte restituit *membris*. Parrhasius jam ediderat *membris*.

213. Parrhasius *in culpam cordis*, quod metri lex non patitur.

215. Mar. scribit *fervos*. Hailsbr., *effectus malis*. Lege *effetus*.

222. Parrhasius primum scripsit *luces;* quod metro adversatur, correxit *vices:* sed melius est *lues*. Hailsbr., *alteras lues*.

228. Ald., Vat. A supra, Pot., Oxon. et alii edd. atque mss., *laboris.* Urb., Vatt. B, Q, Weitz., Mar., Rat., Sich., *languoris*, quod rectius est. Alex., Parrhasius scribunt *langoris*. Vat. Q, mendose, *langores experti*. Weitzius edidit *languoris experti*. Lege *expertes*.

231. Parrhasius, *errorque mancus*. Mar. pro div. script. *mance*.

233. Ald., Vat. A supra, Widm. supra, Fabr., Gis. prima ed., *principum*. Melius alii, *divitum*, ut respondeat mox *pauperum*.

234. Vat. A. *prænitet*, quod pro diversa scriptura a Weitzio indicatur, et exstat in Fabricio. Giselinus mendose edidit *pœnitent*, et correxit *prænitent;* Heinsius et Chamillardus mendose etiam *pœnitent*. Ruinartius ex ms. S. Michaelis restituit *prænitent*. Verum *prænitent* jam olim exstabat in editione Aldina, et Tornæsiana an. 1553, Parrhasiana aliisque. Suspicatur Ruinartius legendum *et auro;* quo fortasse alludit Alex., *Qui veste et oro præni ent.*

908 Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.
Hunc, qui superbit serico,
909 Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus.
Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas in volam,
Plicans et uncis unguibus,
Laxare nervos non valet.
Istum libido fetida
Per scorta tractum publica
Luto, et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid ille fervens ambitu,
910 Sitimque honoris æstuans,

GLOSSÆ VETERES.

236. Pauperum, *scilicet sit*, I.
237. Serico, *purpura*, I.
239. Hydrops, *hunc*, I.
242. Volam, *in mediam palmam, medietas palmæ*, Iso.
243. Uncis unguibus, *ungulis curvis*, I.
246. Scorta, *scortum, quasi sortum. Sortum est solea: sicut enim solea maceratur in manu sutoris, sic pellicula meretricis ab adulteris*, I.
247. Cloacis, *lacubus, sordibus. Cloacæ sunt loca in quibus adunatur stercus civitatis*, I.
249. Fervens, *ardens desiderio.* — Ambitum, *cupiditatem, honorem*, Iso.
250. Æstuans, *desiderans*, I.

COMMENTARIUS.

236. Ald., Bong., *meorum pauperum*, sine *est*.

237. Teolius ex Mazochio tom. I Specim. Biblic., dissert. 8, part. 2, etymon *serici* refert ad arborem sorek, cujus mentio fit Genes. XLIX, 11. De eodem origine jam disserueral Becmanus de Orig. Lat. ling. verbo SER ex Buxtorfio et Kimchio, qui tamen *sorek* proprie interpretantur surculus. Accipitur plerumque *sorek* pro vinea. Communis opinio etiam antiquissimorum scriptorum etymologiam repetit a seribus, quod nomen est animalium nentium metaxam, sive rude sericum, et populorum ubi hæc animalia nutriuntur. Nonnulli ex arboribus sericum sine bombycum opere fieri putant: sed verius videtur, antiquos scriptores arborum mentionem facere, quod in arboribus vermiculi seres lanam, sive sericum texunt. De comparationibus morborum corporis cum vitiis animi videri possunt Chrysostomus, Basilius aliique SS. Patres, qui in eis explicandis frequentes sunt. Giselinus, quoniam medicum agebat, diligentius, et peritius, quantum quidem ad rem medicam pertinet, hos versus illustrat, cujus explicationem juvat proferre. Elatos homines ac superbos hydropicis similes facit Prudentius, quibus crudorum humorum copia vitiatæ sanguinis massæ affusa, cutim prætumidam reddidit. Ambitiosos, et honorum cupidos καύσῳ laborantibus; his enim, cum a curis, vigiliis intensisque cogitationibus morbus oriatur, perpetua frigidæ sitis, ampla et frequens exspiratio, bilis vomitus, immensus ac mordicans totius corporis calor fere adsunt. Avaros, et ὀξύχειρας, quod iis manus tenaces sint, et ad rapiendum paratæ, chiragricis comparat: tales, ne dolorem ab humore maligno in digitorum vincula, et articulos impacto excitatum augeant, neque manus adducunt omnino, neque etiam explicant: sed in medio quodam situ continent, qui et maxime doloris sit expers, et naturæ consentaneus. Sic etiam malevolos obtrectatores hepaticis seu spleneticis: fortasse quod cum his omnia membra sint arida et præ inedia consumpta, tamen cibum fastidiant, bilis vomitione prorumpat, ungues denique a scalpendo non contineant: quæ omnia ad calumniatores non illepide quis traduxerit. Invidos præterea cum strumosis, seu χοιραδώδεσι confert, nec male, quoniam hujusmodi morbi genus adipem carni circumsitum, ipsamque adeo cutim exedit, et ulcus in dies serpendo ulterius reddit malignius. Postremo idololatras regio morbo laborantibus non dissimiles esse ait: quod quemadmodum isti, ut valetudinem recuperent, lectis mollioribus, ludis, lasciviaque demulceri debent: ita infelices dæmonum cultores, cum religio iis pro ludo et inani plebeculæ terriculamento sit, ex impotenti fere mollitie, insolentia, et dissolutione eo cæcitatis abripiantur. Rude et incultum quid iis Deus sonat. Dii immortales dicendi sunt eis sua fata, cœli cursus, orbiumque cœlestium genios alfingunt, idque animi causa, cæteroquin ἄθεοι, et nihil minus, quam immortalitatem somniantes. Quod ad ganeones attinet, qui se ad putidissima usque scorta complectenda abjiciunt, eos non ægrotis, sed infimæ sortis hominibus foricas, latrinas, et cloacas everrentibus pares facit.

239. Ald., Heinsiani omnes, Fabr., Weitzius, nostri, Sich., *lucido*, et notat Nebr. ex Horatio, *Turgescit vitrea bilis*; ex Persio, *splendida bilis*; Heinsius vero ex Horatio, *Aquosus albo corpore languor*. Gis. ad oram, *lurido*, quod Heinsio non displicebat. Parrhasius, *livido*. Teolius ait *lucido* habere mss. omnes, *lurido* editiones. At pleræque editiones clare *lucido* præferunt.

240. Heraldus in Arnobium lib. II, pag. 149, plura de avarorum moribus habet, et hos ipsos versus ex Prudentio, quos tamen ex martyrio Vincentii desumptos per memoriæ errorem dicit.

242. Gronovius, cap. 5 Observat. eccles., ex Widm. Weitzii legit *Manus recurvas in volam*, et cum in vulg. sit *Manus recurvas, et volam*, ipse restituere vult *Manus recurvas in volam, et Plicans*. Heinsius cum vulg. facit, et cum Heinsio Teolius, qui Heinsio favere melioris notæ codices Vaticanos affirmat. Cellarius secutus est codicem Widmanianum, cui revera astipulantur Vat. B, Mar., Rat., Prag. Recte dicitur *contrahere manus recurvas in volam*, ut vers. 156, *Nervos in ulnam contrahat*. De avaris Psychom. vers. 465, *Spoliisque ungues exercet aenos*.

243. Quod Gronovius volebat *in volam, et plicans aduncis unguibus*, concinnius ex nostris codicibus Mar., Rat., Prag., Vat. B, restituimus, scilicet *Plicans et uncis unguibus*, non *plicans aduncis*, ut hactenus editum est. Egm., Pal., Widman. supra minus recte, *ungulis* pro *unguibus*. Ungula dici solet de animalibus, quæ digitos non habent. In Isone *ungulis* fortasse est diversa lectio.

246. In glossa corrigendum videtur *corium* pro *sortum*: nam etymon *scorti* trahitur a *corio*; et *scortum* proprie est pellis crassior.

248. Plautus Amph. act. IV, sc. 2, vers. 12: *Quia senecta ætate a me mendicas malum.*

249. Widm., Bong., Sich., Mar., Vat. B, Rat., *ambitum, Sitimque*, quod tenuit Teolius, quia ab Heinsio hæc lectio commendatur. Ipse Heinsius edidit *ambitu, Sitimque*, ut exstat in Ald. et multis mss. Miratur Teolius Chamillardum adhuc habere cum vett. edd. *ambitu, Sitique*. At in Chamillardo idem lego quod in Heinsio, *ambitu, sitimque*, nisi quod Heinsius scribit *sitem* cum Egm. Becmanus verbo *es* ex Pal. ms. legit *ambitu*, et mendosum *ambitum* in aliis esse putat. Notat vero ambitum pro ambitione poni. De hac phrasi *æstuare sitim* vide comment. ad vers. 9, lib. I contra Symmachum.

250. Parrhasius cum aliis vett. edd., ut dictum est vers. sup., legit *ambitu, Sitique*.

Mersisne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, et scalpit jecur,
Scabiemque cordis sustinet.
Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta et livida
Malignitatum vulnera?
Tute ipse, qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.
Hi, quos superbus despicis,
911 Quos exsecrandos judicas,
Brevi ulcerosos exuent
Artus, et incolumes erunt
Cum carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi,
Pulcherrimo vitæ statu
In arce lucebunt Patris:

A Non sordidati, aut debiles,
Sicut videntur interim;
Sed purpurantibus stolis
Clari, et coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes sæculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et mucculentis naribus,
Mentum salivis uvidum,
Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius.
912 Nil tam leprosum aut putridum:
Cruda est cicatrix criminum,
B Oletque ut antrum tartari.
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam,

GLOSSÆ VETERES.

251. Mersis, *occultis, in mentem mersis*, I.
254. Prurit, *quasi perurit, ardet. Prurigo ex ardore nimio venit*, I.
255. Vexatur, *se cædit*. — Scalpit, *scabit*, I.
258. Strumas, *tumores, chelen*. — Retexam, *referam*, I.
259. Purulenta, *putrida, venenosa, a pus, puris*, I.
264. Morbo regio, *elephantico. Regius morbus, et arcuatus, et ictericus, et elephanticus. Regius ideo dicitur, quia non potest curari nisi regiis cibis; aut quod regionem mortis pandat; elephantinus, eo quod elephantino osse curetur: arcuatus, eo quod colorem arcus cœlestis habet*, I., Vat. A.
267. Brevi *tempore, statim*, I.
274. Interim, *nunc usque dum, hic est*, I.
277. Facultas, *possibilitas*. — Suppetat, *abundat*, I
280. Recensendos, *numerandos*, Iso.
282. Mucculentis, *sordidis. Murcus, qui præcisum habet nasum*, I.
284. Lipposque, *scilicet oculos*. — Putri, *humida*, I
285. Tetrius, *nigrius*, I.
C 286. Leprosum, *leprosus a laterum pruritu*, I.
289. Animabus, *vacat*. — Inversa vice, *una pars*, I
290. Forma, *imago*, I.
293. En ergo, *scilicet habes, præsentatim*, I.
294. Proxime, *nuperrime*, I.

COMMENTARIUS.

251. Parrhasius, *mersusne*, quod melius fortasse est quam *mersisne*. Hailsbr., *habebat*, male, pro *anhelat*.

256. Vat. A, *sordis*, supra recte *cordis*.

261. Ald., Pal., Parrhasius, Heinsius, cum aliis edd., *tute ipse*. Weitzius, *tu et ipse*, quod confirmant Vatt. A, B, Mar., Rat., Prag.

263. Heinsius cum Put., *colis*. Alii edd. et mss., *coles*, nisi quod Cellarius et Chamillardus Heinsio adhærent.

269. Weitz., *quin carne*. Alii, *cum*.

273. Mar., Rat., *ac debiles*.

276. Weitzius explicat coronas aureas martyribus donari ad similitudinem militum. Verum hic sermo est de Christianis pauperibus, qui in arce lucebunt Patris, si recte vixerint, sive martyres fuerint, sive secus. Omnes igitur qui vitam æternam consequentur, coronis aureis, quas vers. 926 Hamartigeniæ *rutilas* Prudentius vocat, donabuntur. Paschalius, de Coronis lib. VIII, cap. 5, ostendit ex Prudentio martyres Christi ad similitudinem militum, sicuti triumphatores tyrannicæ impietatis, coronis aureis insigniri.

277. Ald. et alii scribunt *tunc si*.

281. Terentius Heaut. II, 3, 53, *Pannis obsita, neglecta, immunda illuvie*.

285. Ald., *nihil*; ita edidit Parrhasius, sed emendavit *nil*. Posset retineri *nihil* monosyllabum, aut recepto tribrachy secundo loco.

286. Pro *aut*, Mar., Rat., Vat. P, habent *ac*. Egm., Hailsbr., Palat., Vat. A, Heinsiani potiores, *putidum* Ald., vett. edd., etiam Parrhasius, Vat. P, Q, Alex., Urb., Mar., Rat., aliique multi, *putridum*; neque video cur Teolius Vaticanos pene omnes pro *putidum* allegaverit. Heinsius quidem legit *putidum*, sed duabus manibus rationibus permotus, quia *putri* jam præcessit, et quia Prudentius primam in *putris* solet corripere. Nollem id ab Heinsio dictum. Nam præcessit *putris*, non *putridus*, et sensu nonnihil diverso. Quod autem Prudentius primam in *putris* corripere solitus sit, quid vetat quominus syllabam certo communem vel in *putris*, vel in *putridus* aliquando produxerit? Imo produxit in *putris* hymn. 7 D Cath., vers. 9. *Arvina putrem ne resudans crapulam*.

288. Virgilius VI Æn., *Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis: talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat. Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum.* Hinc *fauces graveolentis Averni*.

289. Scriptores posterioris ætatis ita sæpe sunt locuti; et præponebant quidem participium *versa vice*, non *vice versa*: Prudentius metri causa *inversa vice*. In glossa *vacat* mendum cubare videtur. Prudentius ait, animabus quas olim pulcher aspectus delectaverat in corpore, econtrario corruptam formam infligi, quod explicat Nebrissa verbis Aristotelis in Ethic.: *Pœnæ medicinæ quædam sunt, ut quæ per contraria fieri debent, ut qui dum viverent erant ornatus studiosi, in morte sint deformati*

Quos nec favillis obruat,
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes :
Gemmas corusci luminis,
913 Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ :
His illa gemmis comitur,
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.

A Eccum talenta suscipe,
914 Ornabis urbem Romulam,
Ditabis et rem principis,
Fies et ipse ditior.
Ridemur, exclamat fremens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur,
Et vivit insanum caput!
Impune tantas, furcifer,
Strophas cavillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas
915 Tractare nosmet ludicris?

GLOSSÆ VETERES.

303. Damnum, *amissionem*, I.
304. Ignis, *amoris*. — Nescias, *viduas*, I.
305. Monile, *ornamentum*, I.
306. Comitur, *ornatur*, I.
307. Dotata, *ornata*, I.
309. Eccum, *ecce*, I.
317. Furcifer, *exclamative, succensor ignis*, I.
318. Strophas, *versutias, fraudes; versutias, stropha fraus quæ techna vocatur, unde strophosus fraudulentus vocatur.* — Cavillo, *derisione, vel deceptione. Ca-* B *villum convicium cum joco ; illusione vel deceptione derisoria.* — Mimico, *scurrili*, I.
319. Nexuisse, *involvisse*, I.
320. Saltas, *saltare facis, vel saltando dicis*, I.
321. Concinna, *composita*. — Visa, *scilicet est*. — Urbanitas, *eloquentia. Conveniens urbanitas, id est pulchritudo. Cinnum genus potionis ex diversis mixturis compositæ; inde concinna res, ex diversis composita sententiis*, Iso.

COMMENTARIUS.

295. Hailsbr., *quod nec*. Ex Luc. XII, 33 : *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis : quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

299. Ald., Gis. prima ed. in textu, *numinis*; melius alii *luminis*. Sic vers. 205, *Hi sunt alumni luminis* : quanquam hoc loco gemmarum splendor intelligi poterit.

300. Singulare hoc notandum, quod relativo *quibus* absolvatur stropha, raro trajectionis exemplo.

301. Mar. a prima manu, Prag., Widm., *cerne*; Hailsbr., *cernes*. Alii, *cernis*.

302. Bong., Fabr., Pal., Gis. prima ed., *mireris*, alii, *miraris*. Nebrissensis et Chamillardus *anus intactas* intelligunt esse viduas *ignis secundi nescias* post damnum primi tori, quamvis alias a Virgilio *intacta* virgo dicatur. Existimo hic etiam ipsas sacratas virgines vocari *intactas anus*, quod virginitatem ad senectutem conservaverint; tum his addi viduas *ignis secundi nescias*. Scilicet aliæ sunt intactæ, aliæ ignis secundi nesciæ. Aldus quidem et Parrhasius ita distinguunt, ut interrogationis notam post *intactas anus* apponant, et Iso glossam *viduas* apponit post *nescias*. Gothofredus, in lege 2 cod. Theod., lib. IX, tit. 25, suspicatur legendum *inviras*, quasi univiras, seu viduas pro *vel invitas*, quia a Prudentio hoc loco aliisque Patribus viduæ et virgines junguntur, raptusque earum exæquantur. Verba ejus legis, a Joviano latæ anno 364, ita habent : *Si quis non dicam rapere, sed vel attentare matrimonii jungendi causa sacratas virgines, vel invitas ausus fuerit, capitali sententia feriatur.* Conjicit præterea legi posse *vel non invitas*. Sed mihi sententia legis recte procedere videtur; scilicet prohibetur attentari matrimonii jungendi causa virgines sacratas, etiam non invitas, aliasque non sacratas invitas : quod pluribus confirmare possem, sed non vacat.

305. Hoc elogium virginum et viduarum addi poterit innumeris aliis quibus Christiana castitas merito celebratur. S. Cyprianus in libr. de Disciplina et Habitu virginum : *Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas : quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.*

307. Ecclesia comparatur sponsæ ornatæ viro suo Apocalyps. cap. XXI. In hymno Dedicationis ecclesiæ ad vesperas, *Sponsæque ritu cingeris... Dotata Patris gloria.*

309. Sichardus, *talentum*. Alex., *alenta*, supra *te-* C *lenta*. Parrhasius, *Hæc tu talenta suscipe*, quod Latinius est. Alioquin *eccum* erit purum adverbium.

311. Horat., ep. 1, lib. I, *Ut rem facias, rem Si possis recte, si non, quocunque modo rem.* Patrimonium *res* significat.

313. Parrhasius, Rat. a prima manu, Vat. A a prima manu, Mar., Vat. B, Egm., Pal., Hailsbr., Ambr., Thuan., Alt., Rott., tres Torrent., Heinsius, Gis. ad oram, *fremens*. Weitzius cum aliis, *furens*

314. Ald., *et miris*; alii, *ac miris*.

317. Isonis glossam non intelligo. Notum est *furciferum* vocatum servum qui ignominiæ magis quam supplicii causa furcam circa viciniam, aut per urbem ferre cogebatur. De furca tam veteri quam nova Lipsius lib. III de Cruce.

318. Thuan., *capillo*, male. Apud Sedulium lib. V perperam circumferri *tabellis*, et *favillis* pro *cavillis*, notavit Heinsius : *Jam jamque volant mendacia mille In Dominum vanis hominum conflata cavillis.* Mimus D ab imitatione rerum vilium et personarum dicitur : hinc pantomimus omnium rerum imitator. Solebant autem mimi jocos et sententias in illa sua repræsentatione miscere, ac celebres sunt sententiæ Publii Mimi. Lactantius, lib. VII, cap. 12. *Sententia deliri hominis ridicula mimo dignior quam schola fuit* quod sumpsisse videtur ex Minucio : *Non philosophi sane studio, sed mimico vitio digna ista sententia visa est.* Alii legunt *mimico officio*, alii *mimi convicio*. Heraldus vero suspicatur legendum *mimi cavillo*, vel *cavillitio*, vel *mimico cavillitio*, quia *cavillari* proprium est mimorum.

319. Recte *strophas nectere* dicitur. Ammianus lib. XV, *Et Paulo quidem* CATENÆ *inditum est cognomen, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis.*

320. Saltabantur etiam fabulæ et carmina, hoc est, saltu repræsentabantur, de quo plura ad Romanum. Ovidius, lib. V Trist., eleg. 7 : *Carmina quod pleno saltari nostra theatro.*

Egon' cachinnis venditus
Acroma festivum fui?
Adeone nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis: Libenter oppetam:
Votiva mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
916 Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, et differam

A Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
917 Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.

GLOSSÆ VETERES.

324. Acroma, *gloriosus ludus. Acroma proprie lyrarum auditio; hic autem jocus accipitur, vel carmen scenicum*, I.

325. Adeone, *nonne adeo*, I. — Austeritas, *severitas*, Mar. — *Severitas, asperitas*, I.

326. Fascibus, *honoribus*, I.

327. Adeon', *in tantum*, I.

329. Oppetam, *moriar. Oppetere quasi terram petere; nam viri fortes, dum moriuntur, terram more (forte morsu) petunt, ne vox audiatur*, I.

330. Votiva, *desiderabilis*, I. — *Cara*, Mar.

333. Impertiam, *sinam*, Mar.

B 335. Compendiosus, *brevis, difficilior*, I.

339. Inextricabilis, *infinibilis, vel insolubilis, indissolubilis*, I. — *Infinalis, indissolubilis*, Mar.

344. Abdita, *occulta, secreta*, I.

345. Senescens, *deficiens*, I.

347. Sensim, *leniter*.

348. Semustulati, *semiusti: semustulatus et semiustus unum sunt*, I.

350. Mysteriarches, *princeps mysteriorum*, Mar. —*Princeps minister, mysterii princeps; et Græcum est.* —Incidit, *scilicet in pœnam*, I.

352. Debeant, *scilicet alii*, I.

COMMENTARIUS.

323. Parrhasius, Heinsius cum Ambr., Ruinartius, *ergon' cachinnis;* Hailsbron., *ego*; alii, etiam codex Bolland., *egon' cachinnis*. Bong. male, *chachinnus*.

324. Vat. A, Parrhasius, *ac Romæ festivum*, renuente metro et sensu. Heinsiani scripti, Ald., Vat. B, Mar., *acroma*; alii, *acroama*, quod defendi potest. *Acroama*, sive malis scribere *acroma*, Latine est auditio, sed accipitur pro festiva jucundaque narratione, et interdum pro homine qui eam recitat. Prudentius fortasse imitatus est Ciceronem 6 in Verrem: *Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario discederet;* et pro Sextio: *Ille ipse ludius non solum spectator, sed etiam actor et acroama*. Ruinartius auditionem seu auditorem etiam ejuscemodi narrationis acroamatis nomine aliquando designari putat, quod ego dubium esse de auditore judico.

325. Parrhasius, *adeo nulla;* Ald., *adeone ulla*. Utrumque male.

326. Heinsius non assentitur Salmasio, qui hoc loco censuram capit pro dignitate: sic censura oris, ut ait, et vir censorius sumitur pro pulchro. Chamillardus favet Salmasio. Melius tamen intelligitur censuram esse severitatem, cui mox respondet lenitas. Nihil enim obest quod præcesserit austeritas; nam eadem sententia amplificatur.

327. Mar., *adeone securim*, quod non ausim damnare. Vocat *securim publicam*, ut hymn. super. vers. 55, *bipennem publicam*. Parrhasius scribit *securem*.

328. Ald., Parrhas., *retudit*, male.

329. Glossæ etymon non accipio. *Oppetere* dicitur qui rem sibi contrariam petit: sic *oppetere mortem*, et simpliciter *oppetere* dicitur de viro forti qui mortem petit, quamvis contra naturam sit.

332. Vanum et ineptum credebant ethnici in Christianis velle mori spe futuræ vitæ. Minucius: *Proh! mira stultitia et incredibili audacia spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt et futura; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent*. Lactantius, lib. VII, cap. 5: *Ita necesse est sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona quæ non cernuntur, dimittit e manibus quæ videntur.... Quod accidit nobis cum neque cruciatum neque mortem pro fide recusamus*. Nota vocem *persuasionis*, quæ pro opinatione vana et inepta sumi solebat, et præsumptio etiam dicebatur. Minucius: *Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari*. Ammianus, quamvis ethnicus, hanc constantiam in Christianis C laudare videtur lib. XXII: *Qui deviare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur.*

333. Parrhasius perperam, *sed jam*.

336. Arnobius lib. II, in fine: *Itidem et vos flammis, exsiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis et diu vexatis nostra*. Alii paulo aliter legunt.

337. S. Augustinus, tract. 27 in Joann., de S. Laurentio: *Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est: imo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est*. S. Cyprianus ad Demetrianum: *Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici, ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia.*

338. Petrus Faber, lib. III Semestrium, cap. 8 mallet *moratam*. Sed nihil est necesse, ut monet Heinsius.

339. Prag., Mar. a prima manu, ut videtur, *ut mors;* alii, *et mors. Mors inextricabilis* sumitur pro D morte lenta, et quæ finem invenire nesciat, ut notavit Mariettus.

340. Mar., Prag., Rat., Widm. supra, Urb. a prima manu *protrahat*. Sic melius, *ut... mors protrahat*. Alii, *protrahet*.

345. *Vapor* pro calore apud optimos quosque scriptores, Lucretium, Virgilium, Horatium, etc., sæpe ponitur. Virgilius lib. V, *Lentusque carinas Est vapor*. Vide Gifanium verbo VAPOR indic. Lucr.

348. Ald., et codex Bolland., *semustulati:* Parrhasius et alii, *semiustulati*.

350. Mysteriarches dicitur, quia primus et princeps erat diaconorum, quibus cura incumbebat erudiendi fideles de mysteriis fidei. Vide comment. ad vers. 160.

352. Weitz., Gis. ad oram, *quod mox;* ita etiam Mar., Prag.

A
Conscende constratum rogum;
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa,
Nil esse Vulcanum meum.
918 Hæc fante præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra, et tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgorque circumfusus est.
Talem revertens legifer
De monte vultum detulit:
Judæa quem plebs, aureo
Bove inquinata, et decolor
Expavit, et faciem retro
Detorsit impatiens Dei.
Talemque et ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
919 Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat:
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
Ægyptiæ plagæ in modum,
Quæ, cum tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
B
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet:
His nidor, illis nectar est.

GLOSSÆ VETERES.

356. Vulcanum, *ignem*, I.
359. Nudare, *despoliare*, I.
360. Vincire, *ligare*, I.
361. Os, *facies*, I.
363. Legifer, *Moyses*, I.
368. Impatiens, *non sustinens*, I.
371. Per imbrem, *per densitatem*, I.
373. Illuminatum, *manifestatum*, *manifestum*. —Hoc, *genus fuit*.—Eminus, *elonge*, I.
374. Recens, *recenter*. — Piatis, *baptizatis*, I.
378. Os, *faciem*.—Oblitum, *circumdatum*. — Situ *tenebris*, I.
379. Nigrante, *nigro*, I.
380. Clarum, *claritatem*, I.
384. Sudo, *sereno*. *Sudum dicimus*, *quasi sub udum serenitas quæ post pluvias fit*, I.
385. Quin, *insuper*.— Qualitas, *scilicet Laurentii*, I.
388. Nidor, *fetor*. — Nectar, *dulcedo*. *Omnis suavitas odoris dicitur nectar*, *odor suavis*, I.

COMMENTARIUS.

353. Gis. ad oram, Weitzius cum plerisque suis, *constructum*. Melius, *constratum*, ut supra, *Prunas tepentes sternite*.

354. Gallonius, cap. 7, tabula 17, describit craticulam ferream qua assatus est S. Laurentius, quæ religiose asservatur partim in ecclesia S. Laurentii in Lucina, partim in Paneperna. Sagittarius descriptionem Gallonianam in dubium vertit cap. 10, cum non possimus, ut ait, Laurentianæ craticulæ Romæ asservatæ reliquiis tuto præstare fidem. At præter venerabilem antiquitatem, eo majorem fidem his reliquiis præstare possumus, quod tribus costis cratis illa constet. Ado ita lectulum sive cratem ferream describit: *Allatus est autem lectus cum tribus costis*, *et exspoliatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream: et allati sunt batuli cum prunis, et miserunt sub cratem ferream. Qui cum furcis ferreis coarctaretur desuper*, *dixit*, etc. A batulo, qui est pala ferrea, fit diminutivum batillus, Hispanis, *badil*. Gallonius inter cratem et lectum ferreum distinguit, quod lectus ferreus esset instar veri strati, craticula pluribus costis ad longum inter se distantibus esset fabricata. Vide tabulam 17. Sagittarius de hac distinctione dubitat. Hoc quidem loco lectulus pro crate ferrea ponitur. De veneratione qua S. Laurentii craticula jam a Justiniani imperatoris et a S. Gregorii Magni temporibus colebatur, videri possunt Bollandiani.

355. Rat., Vat. B, Mar., Prag., *tunc si licebit*. Alii, *libebit*.

356. Prag. scribit *Volcanum*. Intelligitur de deo et de igne. Nam Laurentius deos irridebat: sic vers. 403: *Et fac periclum, quid tuus Vulcanus ardens egerit*.

358. Hailsbr. male, *torrentes parant*.

359. Mar., Parrhasius, Rat., *amictum*. Melius *amictu*.

360. Alex. a prima manu, *vincere;* Vat. A, *vinciri*. Utrumque corrigendum.

363. Vide Exod. XXXII et XXXIV

366. Male nonnulli vulg., *et die color* pro *et decolor*

369. Vide Act. apost. VI et VII.

372. *Cœlos* numero plurali Lucretius dixit, vix alius e profanis. Apud Christianos usitatissimum id est e
C
sacris Litteris et Hebraico stylo.

373. Nebrissa suspicatus est aliter esse legendum; exponit autem *illuminatum* de fulgore, quem videbant baptizati, et non pagani: sed hæret dubius an sermo sit de fulgore Stephani an de Laurentii; nam huic etiam *os decore splenduit*. Giselinus Ægyptiis cæciores esse pronuntiat, qui mendum subesse putant, eosque affirmat in media luce cæcutire: rem tamen sibi claram cæteris non explicuit. Cellarius ait sensum esse Christianos omnes qui astabant, cœlum apertum vidisse: non autem paganos, indignos tanta luce. Videtur ergo id accipere de cœlo aperto, dum Stephanus lapidibus obrueretur. Certum tamen mihi est Prudentium de fulgore S. Laurentii loqui: de cujus odore simile miraculum pergit narrare vers. 385, *Quin ipsa odoris qualitas*.

375. Heinsius, lib. I Adv., cap. 6, conjicit *baptisma ratum*. Nihil est necesse mutare. Hi videntur esse Patres, qui postea laudantur vers. 490.

D
379. Cath. hymn. 7, vers. 154, *Nigrante vultum contegit velamine*.

386. Virgilius lib. XII: *Nidoremque ambusta dedit*. Vide Elmenhorstium ad Arnobium lib. VII, pag. 146.

387. Rat., *diverse*, non male.

388. De nidore vide comm. ad vers. 759 Apoth. *Nectar* sumitur pro odore ex nectare effluente. Ovidius Metam. lib. IV: *Nectare odorato sparsit corpusque locumque*. Lucretius lib II: *Et nardi florum, nectar qui naribus halat*. Prudentius, hymn. S. Vincentii, vers. 280, *Redolente nectar carcere*. Gifanius advertit translationes ex uno sensu in alium sumi solere, ideoque poni nectar pro odore suavissimo. Sed melius diceret causam poni pro effectu: ut si quis vinum pro odore vini suavissimo usurpet.

Idemque sensus, dispari
Variatus aura, aut afficit
Horrore nares vindice,
920 Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus:
Nam Christus ignis verus est:
Is ipse complet lumine
Justos, et urit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro e catasta judicem
Compellat afflatu brevi.
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter,
Et fac periclum quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: Coctum est, devora,
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat:
921 Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam.
O Christe, Numen unicum,

A

O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Atque auctor horum mœnium,
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Servire, et armis cedere:
Ut discrepantum gentium
Mores, et observantiam,
Linguasque, et ingenia, et sacra,
Unis domares legibus:
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus:
Idem loquuntur dissoni
922 Ritus, id ipsum sentiunt.

B

Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcunque terrarum jacet,
Uno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas:
Per quam dedisti ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderentur omnia

GLOSSÆ VETERES.

390. Aura, *odore*. — Afficit, *affligit*, *afflixit*, I.
391. Vindice, *vindicante*, I.
392. Oblectamine, *delectatione*, I.
397. Diutinus, *longus*, I.
399. Ultro, *sponte*. — E catasta, *e craticula: qui in catasta erat*, I. *E craticula*, Mar.
403. Periclum, *inquisitionem*, *separationem*, I.

C

404. Vulcanus, *dicitur ignis*, I.
406. Tunc ille, *scilicet ait*, I.
409. Ludibundus, *similis ludenti*, I.
419. Quirinali, *Romanæ*, I.
425. Remi, *imperatoris Romanorum*, I.
426. Concessit, *convenit*, *scilicet Dominus*, I.
430. Jus, *lex*, Mar.
435. Cæteris, *gentibus*, I.
436. Mens, *fides*, I.
437. Confœderentur, *conjungantur*, I.

COMMENTARIUS.

390. Aldus, *variatur*: melius *variatus*.

392. Rupertus Tuitiensis, lib. VIII de Divin. Offic., cap. 10, de S. Laurentio: *Cujus assatura suaviter in tota Christi fragrat Ecclesia*.

393. Cur Deus vocetur ignis, vide Hamartig. vers. 71.

396. Egm., Palat., *uret*; alii, *urit*.

399. Parrhasius scribit *cathasta*. Josephus lib. de Machab. memorat *catastas frixorias*, et ait igni in catasta martyrem objici. Suspicor a Prudentio hoc loco catastam sumi pro crate ferrea. Vide comment. ad vers. 56 hymn. 1 Peristeph. Sagittarius cap. 10 ait id explicari posse de editiori pegmate, in quo excruciatum esse Laurentium verisimile est.

400. Hailsbr., *affectu brevi*; supra *afflatu*, probe.

407. Bong., *experimento* non ita bene. Antepenultima in *experimentum* brevis solet indicari; a Prudentio producitur per diastolen vel necessitate metri.

408. Hailsbr., *sic crudum*: lege *sit*.

409. Quærat aliquis an hic jocus in martyre Laurentio debeat laudari. Quæstionem resolvunt SS. Patres, qui laudarunt. Augustinus serm. 303, alias 123 de Diversis: *Quid pluribus? Craticula admota est, et tostus est. Et cum ex uno latere arsisset, dicitur tanta tranquillitate illa tormenta tolerasse, ut impleretur in eo quod modo in Evangelio audivimus: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Denique flamma ustus, sed patientia tranquillus: Jam, inquit, coctum est: quod superest, versate me, et manducate. Tale duxit martyrium, ista gloria coronatus est.*

413. Put., Ambr., *nomen unicum*, quam lectionem Heinsius fulcire conatur, quia vers. 139 hymni seq. legitur: *Nomen et ipsa sacrum loquitur purpura sanguinis eliciti*. Verum longe diversum est cruorem quodammodo loqui nomen Christi, ac Christum vocari *nomen unicum*, dum invocatur. Melius fortasse allusio fieret ad *nomen super omne nomen*.

D

414. In Romano vers. 468, *Christus paternæ gloriæ splendor*. Ep. ad Hebr., cap. I, v. 3: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*.

419. Mar. perperam, *et mundum*.

421. Vide Prolegom. cap. 8.

423. S. Augustinus, lib. XIX de Civit. Dei, cap. 7: *At enim opera data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret; per quam non deesset, imo et abundaret etiam interpretum copia.*

428. Ald., *ad ipsum*; melius *id ipsum*.

429. Ald. Weitz., Parrhasius et alii, *quo magis*. Nonnulli *quod*.

431. Gis. ad oram, Rat. a secunda manu *quocunque*; Oxon., *quacunque*; præstantiores, *quodcunque*.

432. Bong., Fabr., Rat., Gis. ad oram, Teol. ad oram, *illigares*.

434. Ald. mendose, *Christiani*.

437. Ald., Parrhasius, Put., Oxon., Heins., *confœderantur*, et postea *mansuescit*. Ita etiam Cellarius, qui pro hac lectione mss. codd. citat; et Teolius, qui probatiores pro eadem allegat. Nihilominus *confœderentur* exstat in Vat. A, Mar., Prag., Rat., Weitzianis, plerisque Heinsianis, cod. Bolland., et aliis. Gallandius prætulit *confœderentur*, et *mansuescat* cum emendatissima editione Tornæsiana, S. Leo Magnus serm. 88 non solum sententiam hanc expressit, sed etiam verba ipsa Prudentii sumpsisse videtur: *Dis*

Hinc inde membra in symbolum :
Mansuescat orbis subditus,
Mansuescat et summum caput.
Advertat abjunctas plagas
923 Coire in unam gratiam :
Fiat fidelis Romulus,
Et ipse jam credat Numa.
Confundit error Troicus
Adhuc Catonum curiam,
Veneratus occultis focis
Phrygum penates exsules.
Janum bifrontem, et Sterculum
Colit senatus (horreo
Tot monstra patrum dicere),
Et festa Saturni senis.
Absterge, Christe, hoc dedecus.
924 Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat ut verum Deum
Errans Iuli cæcitas.
Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei :
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.
Discede, adulter Juppiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam
Plebemque jam Christi fuge.
925 Te Paulus hinc exterminat,

GLOSSÆ VETERES.

438. In symbolum, unitatem, *fidem catholicam, concilium, unam fidem*, I.— *In unitatem*, Mar.
439. Mansuescat, *mitis fiat*, I.
441. Advertat, *sentiat, intelligat*. — Abjunctas, *separatas*, I.
443. Fidelis, *credulus*, I.
444. Numa, *consul, id est Sabini*, I.
446. Catonum, *consulum, consiliariorum, vel sapientum, legis doctorum*. — Curiam, *familiam*, Iso.
448. Phrygum, *Trojanorum*, I.
449. Sterculum, *adjectivum, id est cloacinum*, Iso.
454. Gabriel, *fortitudinem tuam*, Iso.
456. Errans Iuli cæcitas, *Roma, Romana Ascanii*, I — *Ascanii*, Mar.
461. Alter, *unus*. — Vocator, *prædicator*, I.
463. Recludit, *aperit*. — Creditas, *scilicet sibi*, Iso.
466. Oblite, *vocativi casus*, I.
468. Plebemque, *Christianitatem*, I,
469. Exterminat, *depellit, extra terminum minat*, I.

COMMENTARIUS.

posito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, et cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. In eamdem sententiam disserunt Hieronymus in Isaiam; Eusebius lib. I, cap. 4, Præpar. evang.; Origenes lib. II contra Celsum, Ambrosius in psalm. XLV. Verbo *confœderare* utuntur Hieronymus, Orosius, et Tertullianus Apologet. cap. 2: ubi tamen alii legunt *ad conferendam*.

438. Ald., *hic ide membra*, vitiose.

439. Vat. A, *mansuescat et orbi* non bene. Marietti codex *mansuescit*, quamvis vers. 437 habeat *confœderentur*.

440. In Romano vers. 167 Roma vocatur *sæculi summum caput;* ab Orosio lib. II, c. 12, *caput gentium*.

441. Heinsiani omni, Ald., Mar., Parrhasius, Sich., Weitz., Gis. ad marg., Vat. Q et alii, *abjunctas*, quod ex vet. lib. probavit Gifanius in INCEDERE. Vatt. A, B, P, Fabr., Egm., Pal., Hailsbr., Bong., et Widm. a secunda manu, *adjunctas*, non ita bene. De verbo *abjunctus* pro diviso, disjuncto, vide vers. 816 lib. II in Symmachum.

443 Parrhasius, *fiatque fidelis*, quod sustineri potest.

445. Troius Æneas deos suos Latio intulit, ut ait Virgilius init. Æneid.

446. Libr. I in Symm., vers. 546, *Conciliumque senum gestire Catonum*. Duo præcipue Catones Romæ sapientes habiti sunt, Juvenalis sat. 2, vers. 40, *Tertius e cœlo cecidit Cato*. Vide Ruæum ad vers. 841 Æn. lib. VI.

447. Vatt. B, P, Mar., Bong., Parrhasius, *veneratur*. Plerique, *veneratus*. Sermo est de igne vestalium, qui in locis abditis ardebat. Virgilius, II Æn., vers. 296 : *Sic ait : et manibus vittas Vestamque potentem, Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

448. Weitzius maluit scribere *Frigum* cum Widm., et Bong., quam cum aliis optimis codd., *Phrygum*. Penates exsules secum Æneam advexisse notum est ex Virgilio. De eorum templo egi in comment. ad vers. 965 lib. II in Symm.

449. Iso non videtur agnovisse deum *Sterculum*, sive is fuerit ipse Saturnus, ut explicat Macrobius, aut quispiam Fauni filius, Italiæ rex, stercorationis inventor. Sterculium vocat Plinius, alii Sterculium: eum irrident Lactantius lib. I, cap. 10; Tertullianus Apologet. cap. 25.

451. Apud Teolium Vat. unus, *referens*, minus bene, pro *dicere*. De monstris portentisque deum gentilium, ac de festis Saturnalibus, dictum jam est in libris contra Symmach.

452. Ruinartius, *lenis*; Bollandiani hoc ipsum cum Ruinartio, sed ad marg. notant in ms. eorum esse *senis*. Addere potuissent *lenis* esse contra metrum, neque Saturno congruere.

454. Barthius, lib. VIII Adv., cap. 12, ait Prudentium, sibi constantem, eamdem syllabarum quantitatem in *Gabriel* secutum hoc loco, et vers. 98 dittochæi, ubi ait : *Gabriel Patris ex solio, sedemque repente*. At secunda in eo versu dittochæi necessario est longa in *Gabriel :* in hoc vero *Emitte Gabriel tuum* brevis esse posset, facto iambo in tertia sede.

456. Ald., Parrhasius, Palat., plerique nostri, et Heinsiani, Gis. in contextu, et quidam ms. quem is vidit, *Iuli*. Gis. prima ed., unus Rott., Bong., *Iulica*, male; neque melius Weitz. cum Widm., *Iulia*. Gis. ad oram ex suo ms., unus Rott., *Iula*, quod placuit Cauchio. In Vat. P. *Iulii* valet *Iuli*. Virgilius I Æn. *Iulius, a magno demissum nomen Iulo*. Widm. supra, *civitas* pro *cæcitas*.

460. De his versibus egi in Proleg.

463. Sive *primus* legatur, sive *primam*, eadem est sententia de principatu Petri apostoli, rejecto errore Ecclesiæ bicipitis. Hæ vero sunt lectionis varietates. Ald., Widm. supra Put., Thuan., Oxon., Rott., Noms., Gis. in textu, Fabr., Rat. a prima manu, Vat. B a secunda manu, Mar. a prima manu, et clare ad marginem, *primam*. Weitz., codex Bolland., tres Torr. Alt., Palat., Hailsbr., Parrhasius, Sich., *primus*. In Ambr. videtur esse *primas*, et in eodem *creditus*.

465. Baronius, tom. I Annal. ad annum 69, his Prudentius versibus de religionis in melius mutatione explicat quædam oracula et prodigia quæ finem Romani imperii imminere portendebant.

466. Juno Jovis *et soror, et conjux*.

468. Aliqui interpungunt *Plebemque jam Christi: fuge*.

Te sanguis exturbat Petri.
Tibi id, quod ipse armaveras
Factum Neronis officit.
Video futurum principem
Quandoque, qui servus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat.
Qui templa claudat vectibus,
926 Valvas eburnas obstruat,
Nefanda damnet limina,
Obdens aenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine
A Tandem nitebunt marmora,
Stabunt et æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.
Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis; erupit volens
Vocem secutus spiritus.
Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam patres,
927 Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles

GLOSSÆ VETERES.

472. Officit, *valde nocet, obest*, I.
473. Principem, *Constantinum*, Mar. *Constantinum vult dicere*, I.
476. Sinat, *non consentit*, I.
478. Valvas, *fenestras, seras*, I.
479. Damnet, *claudat Constantinus*, I.
480. Obdens, *opponens, contra dans*. — Pessulos, *sectes*, I.
481. Pura, *Deo dicata*. — Sanguine, *inquinamento*, I.
483. Æra, *idola*, I.
485. Hic, *tunc*. — Orandi, *scilicet S. Laurentii*.
486. Vinculi, *corporis*, I.
B 491. Libertas, *fiducia Laurentii*, I.
492. Ambire, *desiderare*. I.
493. Recens, *repentina*. — Medullas, *viros*. — Indoles, *nobilitas*, I.

COMMENTARIUS.

471. In Vat. B. ex *armaveras*, factum est *amaveras*, non ita bene.

472. Tertullianus cap. 50 Apologet.: *Nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum..... Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est æmulatio divinæ rei et humanæ.*

473. Interpretes omnes, cum veteres tum recentes, hunc principem affirmant esse Constantinum. Equidem magis credo, a Prudentio suum vel potius nostrum Theodosium laudari. Theodosius enim vere ille fuit qui Romam servire idolis vetuit, templa clausit vectibus, et fecit ut æra innoxia starent, quæ olim habebantur idola, dum permisit, stare simulacra *artis pretio, non divinitate metienda*. Vide lib. I in Symm., vers. 503. De eodem Theodosio post Prudentium ita scribit Orosius lib. VII, cap. 34: *Cum afflictum ac pene collapsum reipublicæ statum videret* (Gratianus), *eadem provisione qua quondam legerat Nerva Hispanum virum Trajanum, per quem respublica reparata est, legit et ipse Theodosium, æque Hispanum virum et restituendæ reipublicæ necessitate apud Syrmium purpuram induit, Orientisque et Thraciæ simul præfecit imperio, in hoc perfectiore judicio; quia cum in omnibus humanæ vitæ virtutibus iste par fuerit, in fidei sacramento religionisque cultu sine ulla comparatione præcessit: siquidem ille persecutor, hic propugnator Ecclesiæ.* Animadvertendum est, usque ad Theodosii imperium præcipuam nobilitatem Romanam idolorum cultui fuisse addictam. Augustinus Confess. lib. VIII, cap. 2, de Victorino loquens ait: *Statuam in Romano foro meruerat et acceperat usque ad illam ætatem venerator idolorum sacrorumque sacrilegorum particeps, quibus tunc tota fere Romana nobilitas inhiabat.*

474. Ald., Mar. supra aliena manu, nonnulli vulg., *servos*. Lege *servus*. Idem Theodosius *princeps bonus* vocatur hymn. 12 Peristephan., vers. 47.

477. Hoc loco templa accipit pro fanis idolorum, quæ a primis Christianis proprie templa dicebantur. Hieronymus ad Riparium ep. 109, al. 53, de Vigilantio: *Et cum Juliano persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret.* Zeno Veronensis serm. de continent. lib. I tract. 5: *Tibi ecclesia, illi adeunda sint templa.* Supra autem Prudentius, vers. 164, basilicam sive conventiculum Christianorum, ut appellant Arnobius, Lactantius, Orosius, Ammianus, *templum* dixit. Vide vers. 107 Psychomach. Theodosius anno 391 legem tulit cod. Theod., de Paganis l. XI: *Nulli sacrificandi tribuatur potestas, nemo templa circumeat, nemo delubra suscipiat, interclusos sibi nostræ legis obstaculo profanos aditus recognoscant.* Quod uberius confirmavit anno et leg. seq.

479. Ald., Parrhasius, Pal., omnes Heinsiani, et nonnulli alii, *nefasta*. Vat. B, Mariettus, Rat., Prag., Weitz., Gis. et alii *nefanda*.

480. Gis. 2 ed., *aeno*, in prima ed., *aenos* cum cæteris, excepto Parrhasio, qui habet *aenis pessulis*. Alii *ahenos*, alii *aenos* scribunt. Alex. mendose, *aænos*.

483. Ald., *Stabunt et vera innoxia*; Parrhasius, *Et stabunt æra innoxia*: utrumque contra metrum. Alt., Noms., Rott., *Stabunt ut æra innoxia*. Vera lectio, *stabunt et æra innoxia*. Theodosius lib. I in Symm. ita Romanos alloquitur: *Marmora tabenti respergine tincta lavate, O proceres; liceat statuas consistere puras, Artificum magnorum opera.*

C 486. Sich., *et finis item*: repugnat lex metri. In Ald. pro *vincula* lege *vinculi*.

487. Gallandius cum Ruinartio rescripsit *volans* pro *volens*. At *volens* verum est ex fide mss. et concinnum hoc loco: sic vers. 329, *Dicis, Libenter oppetam*. Vide comment. ad vers. 22 præfat. carminum. Non tamen spernendum est *volans*. Et ita legit Latinius.

489. A loco martyrii, scilicet a colle Viminali, ut fama refert, ubi nunc ecclesia est S. Laurentii in Panisperna, corpus delatum fuit in alium locum, nempe in prædium Cyriacæ in agro Verano, via Tiburtina, ubi alia est ecclesia S. Laurentii, quam fuse describit Montfauconius in Diario Italico, et Ciampinius de Ædific.

490. In Actis vulgatis S. Laurentii et apud Adonem, Patres qui corpus S. Laurentii vexerunt dicuntur Justinus et Hippolytus. Verum hi jam pridem erant Christiani, et Prudentius nominat Patres, quo nomine senatores videntur designari, recens ad fidem conversi ob admirabilem libertatem et constantiam martyris. Igitur præter Hippolytum et Justinum, quorum mentio fit apud Adonem, alii ad deferendum corpus convenerunt. Teolius Comum redarguit, quod per Patres a Prudentio indicatos Justinum et Hippolytum intelligi commode posse affirmaverit. Bollandiani eosdem Justinum et Hippolytum intelligi censuerunt. Fortasse quod mox ait Prudentius, *Ambire Christum*, explicari poterit de desiderio martyrii. Sed aliud suadent versus seqq. et 375.

D 493. Ambr., tres Torrentiani, Rottendorphius, Cauchianus, *replens*, quod exstat etiam in Parrhasio, ubi mendose *indole*. Cellario placuit *replens*; plerique

Longo et locatos ordine
Astare pro templo jubet.
Præscriptus et jam fluxerat
Dies : furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum martyr : Assistas velim,
904 Coramque dispostas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam :
Stabant catervæ pauperum,
A Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur :
Præfectus horrescit stupens
Conversus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille, Quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid displicet?
Num sordida hæc, aut vilia?
Num despuenda existimas?
905 Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat,
B Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.

GLOSSÆ VETERES.

164. Pro templo, *coram*, I.
165. Præscriptus, *a judice, deputatus*. — Fluxerat, *venerat, præteriit*, I.
168. Efflagitans, *postulans*, I.
169. Tum martyr, *ait*. — Assistas, *ut*, I.
170. Coramque, *palam*, I.
175. Patentes, *amplas*, I.
176. Structos, *cumulatos*, Mar.
181. Fragor, *clamor*, I.
183. In Laurentium, *contra Laurentium*, I.
188. Despuenda, *contemnenda*, I.
189. Sitis, *desideras*, I.
190. Rudera, *arizzi, vel stercora. Rudera dicun maceriam ruinæ*, I.
192. Pœnalis, *durus*. — Excudit, *fabricat, excoquit*, I.
194. Arenis, *sicut Pactolus et alii*, I.

COMMENTARIUS.

163. Teolius Ignatium Comum impugnat, quod affirmaverit Prudentium in his rerum adjunctis enarrandis paulo aliter ac in Actis referuntur, aut poetica licentia abusum, aut longe ab Urbe binis remotum Alpibus rem, uti accidit, non bene didicisse. Etsi autem descriptiones poeticæ amœniores narrationibus historicis esse debeant, tamen si qua sit in re ipsa varietas, fides potius adhibenda est Prudentio quam Actis anonymis. Nam quod ait Comus, Prudentium hunc hymnum fecisse juvenem, et antequam Romam venisset, et poeta palatinus fuisset renuntiatus, nugæ hæ sunt sine ullo idoneo auctore prolatæ.

164. Nunc ait *pro templo*, postea vers. 173, *ingens atrium*; vers. 175, *per patentes porticus*; vers. 178, *sacratam januam* : quæ omnia probant Romæ domum amplam fuisse in quam Christiani ætate S. Laurentii conveniebant; et quæ tunc saltem a præfecto Urbis fuerit cognita. Hujusmodi ædes sacræ a primis Christianis non appellabantur *templum*, quod hæc vox nescio quid consecrationis paganæ indicaret. De re plane constat. Ad i sæculum pertinet quod auctor Recognition. in fin. refert : *Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam ecclesiæ nomine consecravit*. Eusebius, lib. VIII, cap. 1, narrat Christianorum numerum inter Valeriani et Diocletiani persecutionem adeo crevisse, ut *priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias*. Optatus Milevitanus lib. I testatur ante persecutionem Diocletiani basilicas plures fuisse quæ Christianis ablatæ sunt, postea restitutæ. De ecclesiis in ultima persecutione Diocletianea solo æquatis passim loquuntur Arnobius, Lactantius, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gildas, et alii.

165. Gis. *en jam* : in prima ed., *et jam*, quod reliqui habent.

166. Ald., Put., Oxon., *fervidus Judex avaro* : plerique, etiam Heinsius, et Parrhasius, *fervido Judex avarus*.

170. Ald., Sich., Mar., et nonnulli alii cum Gis., Weitz., *dispostas*. Castigatiores Heinsiani, Alex., *dispositas*, quod a metro minime respuitur. Parrhasius edidit *dispositas*, in emendationibus subrogavit *dispostas*, quod aures magis probant.

172. Utitur Laurentius voce ambigua *sanctis*, qua intelligi possent sacraria et secretaria ecclesiæ, seu arca, vel etiam ipsum templum, et simul significantur pauperes Christiani : nam, ut constitit ad vers. 80, sanctorum appellatio Christianis omnibus tribuebatur : *Sanctum* pro templo non est vox solum ad Latinitatem inscriptionum referenda, quod nonnulli putarunt. Persius pro templo posuit *sanctum* sat. 2, vers. 69 : *Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum*.

181. Hailsbr., *fragor*, supra *clamor*.

183. Prag., *conversus ad*.

184. In Mar., Vatt. A, B, Rat. desideratur *que* post *oculis*.

185. Mar. a prima manu, Widm., *quid furens*.

186. Parrhasius emendavit *minaris* : sed probum est *minitaris*.

188. Parrhasius scribit *dispuenda*.

189. De siti auri vide vers. 45.

190. Sich. *stercora*. Retine *rudera*, Codex Ambr. scribit *offossa*, quod damnare non audet Heinsius; nam in veterrimis Maronis exemplaribus occurrunt *offugere, offulgere, offore, obvolvi aris*, et similia. Vide Comment. ad vers. 410. Psychomachiæ. In glossa *arizzi* vocabulum est quod solum Isonem habet auctorem apud Ducangium.

192. Mar. a prima manu, Prag., Rott., *excludit*. Vox *pœnalis* Paulini, Prosperi, Sedulii, Aviti et similium est. Tertullianus etiam de eadem re cap. 27 Apolog. : *Itaque cum vice rebellantium ergastulorum, sive carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis servitutis erumpunt adversus nos*. De quo genere pœnæ agunt Gallonius et Sagittarius.

193. Rat., Bong., Widm., *et amnis* pro *vel amnis*. Vat. A, Egm., Hailsbr. a prima manu, *turbidus*.

195. Hac voce *terrulentus* usus etiam est in præf. Hamart., vers. 5.

196. Weitzius scribit *dequoqui* cum Hailsbr. Alii recte, *decoqui*.

Pudor per aurum solvitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges et ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis et magni putas?
Si quæris aurum verius,
906 Lux est, et humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus disjicit,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
907 Si fervor effetus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium
Et confer alternas lues,
Carnisne morbus fœdior,
An mentis et morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum,
Qui veste et ore prænitent,

GLOSSÆ VETERES.

197. Pudor, *castitas, verecundia*, I.
198. Integritas, *virginitas*, I.
199. Occidit, *deficit*, Iso.
201. Quid, *quare*. — Venenum, *avaris*. — Gloriæ, *aurum dicit*, I.
202. Magni, *pretii esse*, I.
204. Et, *etiam*. — Humanum, *scilicet aurum*, I.
205. Hi, *mendici*. — Alumni, *socii, vel filii*. — Luminis, *regni cœlorum*, I.
206. Arctat, *affligit*, I.
208. Insolescat, *superbiat, sine consuetudine vivat, intumescat*. — Turgida, *superba*, I.
209. Cum, *quando*. — Disjicit, *secat, consumit, lacerat; disperdo, disjicio*, I.
210. Viget, *interius*, I.
211. Vicissim, *mutuatim*, Iso.
212. Sensuum, *mentium*, I.
213. Nam, *quoniam*. — In, *ad*, I.
215. Effetus, *infructuosus, vacuatus*, I.
216. Elumbe, *infirmam libidinem, quia sine viribus facit, infirmum, debile, infirmam libidinem*. — Contrahat, *colligat*, I.
221. Committe, *compara*. — Pestium, *vitiorum*, I.
223. Carnisne, *utrum*, Iso.
227. Venusti, *pulchri*, I.
229. Valentes, *robustos*, I.
231. Mancum, *curve*, I. *Adverbium*. Prag.
233. Quemvis, *quemcunque affer*, I.
234. Ore, *facie*, I.

COMMENTARIUS.

200. Lucanus lib. III, vers. 118: *Usque adeo solus ferrum mortemque timere Auri nescit amor: pereunt discrimine nullo Amissæ leges*. Virgilius, lib. VI, vers. 652, *Fixit leges pretio, atque refixit*. Verum de avaritia, radice omnium malorum, hujusmodi sententiæ passim sese offerunt.

201. Nebrissa explicat aurum esse venenum gloriæ, quia eo vera gloria perit, aut quia more christiano gloria accipitur pro vita æterna. Prima interpretatio magis placet: sic *pudor per aurum solvitur, violatur auro integritas*, etc.

204. Teolius ita hunc versum exponi posse arbitratur: *Si quæris aurum, illius splendore raptus, scias humanum genus esse lucem, et pauperes esse alumnos seu participes lucis*. Verius et simplicius Nebrissensis: *Christus, qui est lux mundi, et homines ab eo redempti. Unde subdit: Hi sunt alumni luminis; de quo lumine Joannes præbuit testimonium cap.* I. Sane Laurentius occasione auri, quod præfectus cupiebat, Christum verum aurum et lucem opportune illi prædicavit. Toletus in cap. I Joannis, *Magno consilio utraque locutione Joannes in præsenti usus est: dixit enim: In ipso vita erat, ubi vita pro ea quam Verbum efficit et dat nobis, ponitur. Postea subjunxit: Et vita erat lux, ubi vita pro ipso Verbo, quod est causa vitæ, accipitur.*

209. De hoc verbo *disjicit*, aut *dissice*, ut plerique codd. scribunt, aut uno *s disicit*, ut habet Rat., dictum jam est ad hymn. 1 Cath., vers. 97. Ald., Fabr., Gis. in contextu, *dissecat*. Parrhasius, Gis. ad oram, Sich. et alii, *dissicit*. Gifanius in PROICERE ait se in Ovidii et Prudentii mss. invenisse *dissicit*, et in quodam vet. Prudentii *disicit*; et apud Virgilium in vet. lib. *dissice* constanter exaratum, monuisse Pierium. *Cæterum* (adjiit) *ut ingenue dicam quod sentio, de his locis mihi non liquere profiteor, sed mutationes odi... Quærendum ergo amplius*. Weitzius et Heinsius amplexi sunt *dissicit*.

210. Ep. II ad Cor., cap. XII, v. 10: *Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Ludovicus a Ponte egregium librum edidit de Thesauro ægritudinum corporis.

211. Ald., *mentis*. Sich. cum id invenisset, recte restituit *membris*. Parrhasius jam ediderat *membris*.

213. Parrhasius *in culpam cordis*, quod metri lex non patitur.

215. Mar. scribit *fervos*. Hailsbr., *effectus malis*. Lege *effetus*.

222. Parrhasius primum scripsit *luces*; quod metro adversatur, correxit *vices*: sed melius est *lues*. Hailsbr., *alteras lues*.

228. Ald., Vat. A supra, Pot., Oxon. et alii edd. atque mss., *laboris*. Urb., Vatt. B, Q, Weitz., Mar., Rat., Sich., *languoris*, quod rectius est. Alex., Parrhasius scribunt *langoris*. Vat. Q, mendose, *langores experti*. Weitzius edidit *languoris experti*. Lege *expertes*.

231. Parrhasius, *errorque mancus*. Mar. pro div. script. *mance*.

233. Ald., Vat. A supra, Widm. supra, Fabr., Gis. prima ed., *principum*. Melius alii, *divitum*, ut respondeat mox *pauperum*.

234. Vat. A. *prænitet*, quod pro diversa scriptura a Weitzio indicatur, et exstat in Fabricio. Giselinus mendose edidit *pœnitent*, et correxit *prænitent*; Heinsius et Chamillardus mendose etiam *pœnitent*. Ruinartius ex ms. S. Michaelis restituit *prænitent*. Verum *prænitent* jam olim exstabat in editione Aldina, et Tornæsiana an. 1553, Parrhasiana aliisque. Suspicatur Ruinartius legendum *et auro*: quo fortasse alludit Alex., *Qui veste et oro præni ent*.

908 Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.
Hunc, qui superbit serico,
909 Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus.
Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas in volam,
A Plicans et uncis unguibus,
Laxare nervos non valet.
Istum libido fetida
Per scorta tractum publica
Luto, et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid ille fervens ambitu,
910 Sitimque honoris æstuans,

GLOSSÆ VETERES.

236. Pauperum, *scilicet sit*, I.
237. Serico, *purpura*, I.
239. Hydrops, *hunc*, I.
242. Volam, *in mediam palmam*, *medietas palmæ*, Iso.
243. Uncis unguibus, *ungulis curvis*, I.
246. Scorta, *scortum*, *quasi sortum*. *Sortum est solea : sicut enim solea maceratur in manu sutoris, sic pellicula meretricis ab adulteris*, I.
247. Cloacis, *lacubus*, *sordibus*. *Cloacæ sunt loca in quibus adunatur stercus civitatis*, I.
249. Fervens, *ardens desiderio*. — Ambitum, *cupiditatem*, *honorem*, Iso.
250. Æstuans, *desiderans*, I.

COMMENTARIUS.

236. Ald., Bong., *meorum pauperum*, sine *est*.

237. Teolius ex Mazochio tom. I Specim. Biblic., dissert. 8, part. 2, etymon *serici* refert ad arborem sorek, cujus mentio fit Genes. XLIX, 11. De eodem origine jam disseruerat Becmanus de Orig. Lat. ling. verbo SER ex Buxtorfio et Kimchio, qui tamen *sorek* proprie interpretantur surculus. Accipitur plerumque *sorek* pro vinea. Communis opinio etiam antiquissimorum scriptorum etymologiam repetit a seribus, quod nomen est animalium nentium metaxam, sive rude sericum, et populorum ubi hæc animalia nutriuntur. Nonnulli ex arboribus sericum sine bombycum opere fieri putant : sed verius videtur, antiquos scriptores arborum mentionem facere, quod in arboribus vermiculi seres lanam, sive sericum texunt. De comparationibus morborum corporis cum vitiis animi videri possunt Chrysostomus, Basilius aliique SS. Patres, qui in eis explicandis frequentes sunt. Giselinus, quoniam medicum agebat, diligentius, et peritius, quantum quidem ad rem medicam pertinet, C hos versus illustrat, cujus explicationem juvat proferre. Elatos homines ac superbos hydropicis similes facit Prudentius, quibus crudorum humorum copia vitiatæ sanguinis massæ affusa, cutim prætumidam reddidit. Ambitiosos, et honorum cupidos καύσῳ laborantibus ; his enim, cum a curis, vigiliis intensisque cogitationibus morbus oriatur, perpetua frigidæ sitis, ampla et frequens exspiratio, bilis vomitus, immensus ac mordicans totius corporis calor fere adsunt. Avaros, et ὀξύχειρας, quod iis manus tenaces sint, et ad rapiendum paratæ, chiragricis comparat : tales, ne dolorem ab humore maligno in digitorum vinculis, et articulos impacto excitatum augeant, neque manus adducunt omnino, neque etiam explicant : sed in medio quodam situ continent, qui et maxime doloris sit expers, et naturæ consentaneus. Sic etiam malevolos obtrectatores hepaticis seu spleneticis : fortasse quod cum his omnia membra sint arida et præ inedia consumpta, tamen cibum fastidiant, bilis vomitione prorumpat, ungues denique a scalpendo D non contineant : quæ omnia ad calumniatores non illepide quis traduxerit. Invidos præterea cum strumosis, seu χοιραδώδεσι confert, nec male, quoniam hujusmodi morbi genus adipem carni circumsitum, ipsamque adeo cutim excedit, et ulcus in dies serpendo ulterius reddit malignius. Postremo idololatras regio morbo laborantibus non dissimiles esse ait : quod quemadmodum isti, ut valetudinem recuperent, lectis mollioribus, ludis, lasciviaque demulceri debent : ita infelices dæmonum cultores, cum religio iis pro ludo et inani plebeculæ terriculamento sit, ex impotenti fere mollitie, insolentia, et dissolutione eo cæcitatis abripiantur. Rude et incultum quid iis Deus sonat. Dii immortales dicendi sunt eis sua fata, cœli cursus, orbiumque cœlestium genios affingunt, idque B animi causa, cæteroquin ἄθεοι, et nihil minus, quam immortalitatem somniantes. Quod ad ganeones attinet, qui se ad putidissima usque scorta complectenda abjiciunt, eos non ægrotis, sed infimæ sortis hominibus foricas, latrinas, et cloacas everrentibus pares facit.

239. Ald., Heinsiani omnes, Fabr., Weitzius, nostri, Sich., *lucido*, et notat Nebr. ex Horatio, *Turgescit vitrea bilis*; ex Persio, *splendida bilis*; Heinsius vero ex Horatio, *Aquosus albo corpore languor*. Gis. ad oram, *lurido*, quod Heinsio non displicebat. Parrhasius, *livido*. Teolius ait *lucido* habere mss. omnes, *lurido* editiones. At pleræque editiones clare *lucido* præferunt.

240. Heraldus in Arnobium lib. II, pag. 149, plura de avarorum moribus habet, et hos ipsos versus ex Prudentio, quos tamen ex martyrio Vincentii desumptos per memoriæ errorem dicit.

242. Gronovius, cap. 5 Observat. eccles., ex Widm. Weitzii legit *Manus recurvas in volam*, et cum in vulg. sit *Manus recurvas, et volam*, ipse restitui vult *Manus recurvas in volam, et Plicans*. Heinsius cum vulg. facit, et cum Heinsio Teolius, qui Heinsio favere melioris notæ codices Vaticanos affirmat. Cellarius secutus est codicem Widmanianum, cui revera astipulantur Vat. B, Mar., Rat., Prag. Recte dicitur *contrahere manus recurvas in volam*, ut vers. 156, *Nervos in ulnam contrahat*. De avaris Psych. om. vers. 465, *Spoliisque unques exercet aenos*.

243. Quod Gronovius volebat *in volam, et plicans aduncis unguibus*, concinnius ex nostris codicibus Mar., Rat., Prag., Vat. B, restituimus, scilicet *Plicans et uncis unguibus*, non *plicans aduncis*, ut hactenus editum est. Egm., Pal., Widman. supra minus recte, *ungulis* pro *unguibus*. Ungula dici solet de animalibus, quæ digitos non habent. In Isone *ungulis* fortasse est diversa lectio.

246. In glossa corrigendum videtur *corium* pro *sortum* : nam etymon *scorti* trahitur a *corio*; et *scortum* proprie est pellis crassior.

248. Plautus Amph. act. IV, sc. 2, vers. 12 : *Quia senecta ætate a me mendicas malum*.

249. Widm., Bong., Sich., Mar., Vat. B, Rat., *ambitum*, *Sitimque*, quod tenuit Teolius, quia ab Heinsio hæc lectio commendatur. Ipse Heinsius edidit *ambitu*, *Sitimque*, ut exstat in Ald. et multis mss. Miratur Teolius Chamillardum adhuc habere cum vett. edd. *ambitu*, *Sitique*. At in Chamillardo idem lego quod in Heinsio, *ambitu*, *sitimque*, nisi quod Heinsius scribit *sitem* cum Egm. Becmanus verbo *es* ex Pal. ms. legit *ambitu*, et mendosum *ambitum* in aliis esse putat. Notat vero ambitum pro ambitione poni. De hac phrasi *æstuare sitim* vide comment. ad vers. 9, lib. I contra Symmachum.

250. Parrhasius cum aliis vett. edd., ut dictum est vers. sup., legit *ambitu*, *Sitique*.

Mersisne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, et scalpit jecur,
Scabiemque cordis sustinet.
Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta et livida
Malignitatum vulnera?
Tute ipse, qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.
Ili, quos superbus despicis,
911 Quos exsecrandos judicas,
Brevi ulcerosos exuent
Artus, et incolumes erunt
Cum carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi,
Pulcherrimo vitæ statu
In arce lucebunt Patris:

A Non sordidati, aut debiles,
Sicut videntur interim;
Sed purpurantibus stolis
Clari, et coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes sæculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et mucculentis naribus,
Mentum salivis uvidum,
Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius.
912 Nil tam leprosum aut putridum:
Cruda est cicatrix criminum,
B Oletque ut antrum tartari.
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam,

GLOSSÆ VETERES.

251. Mersis, *occultis, in mentem mersis*, I.
254. Prurit, *quasi perurit, ardet. Prurigo ex ardore nimio venit*, I.
255. Vexatur, *se cædit*. — Scalpit, *scabit*, I.
258. Strumas, *tumores, chelen*. — Retexam, *referam*, I.
259. Purulenta, *putrida, venenosa, a pus, puris*, I.
264. Morbo regio, *elephantico. Regius morbus, et arcuatus, et ictericus, et elephanticus. Regius ideo dicitur, quia non potest curari nisi regiis cibis; aut quod regionem mortis pandat; elephantinus, eo quod elephantino osse curetur: arcuatus, eo quod colorem arcus cœlestis habet*, I., Vat. A.
267. Brevi *tempore, statim*, I.
274. Interim, *nunc usque dum, hic est*, I.
277. Facultas, *possibilitas*. — Suppetat, *abundat*, I
280. Recensendos, *numerandos*, Iso.
282. Mucculentis, *sordidis. Muccus, qui præcisum habet nasum*, I.
C 284. Lipposque, *scilicet oculos*. — Putri, *humida*, I
285. Tetrius, *nigrius*, I.
286. Leprosum, *leprosus a laterum pruritu*, I.
289. Animabus, *vacat*. — Inversa vice, *una pars*, I
290. Forma, *imago*, I.
293. En ergo, *scilicet habes, præsentatim*, I.
294. Proxime, *nuperrime*, I.

COMMENTARIUS.

251. Parrhasius, *mersusne*, quod melius fortasse est quam *mersisne*. Hailsbr., *habebat*, male, pro *anhelat*.
256. Vat. A, *sordis*, supra recte *cordis*.
261. Ald., Pal., Parrhasius, Heinsius, cum aliis edd., *tute ipse*. Weitzius, *tu et ipse*, quod confirmant Vatt. A, B, Mar., Rat., Prag.
263. Heinsius cum Put., *colis*. Alii edd. et mss., *coles*, nisi quod Cellarius et Chamillardus Heinsio adhærent.
269. Weitz., *quin carne*. Alii, *cum*.
273. Mar., Rat., *ac debiles*.
276. Weitzius explicat coronas aureas martyribus donari ad similitudinem militum. Verum hic sermo est de Christianis pauperibus, qui in arce lucebunt Patris, si recte vixerint, sive martyres fuerint, sive secus. Omnes igitur qui vitam æternam consequentur, coronis aureis, quas vers. 926 Hamartigeniæ *rutilas* Prudentius vocat, donabuntur. Paschalius, de Coronis lib. VIII, cap. 5, ostendit ex Prudentio martyres Christi ad similitudinem militum, sicuti triumphatores tyrannicæ impietatis, coronis aureis insigniri.
277. Ald. et alii scribunt *tunc si*.
281. Terentius Heaut. II, 3, 53, *Pannis obsita, neglecta, immunda illuvie*.
285. Ald., *nihil*; ita edidit Parrhasius, sed emendavit *nil*. Posset retineri *nihil* monosyllabum, aut recepto tribrachy secundo loco.
286. Pro *aut*, Mar., Rat., Vat. P, habent *ac*. Egm., Hailsbr., Palat., Vat. A, Heinsiani potiores, *putidum* Ald., vett. edd., etiam Parrhasius, Vat. P, Q, Alex., Urb., Mar., Rat., aliique multi, *putridum*; neque video cur Teolius Vaticanos pene omnes pro *putidum* allegaverit. Heinsius quidem legit *putidum*, sed duabus manibus rationibus permotus, quia *putri* jam præcessit, et quia Prudentius primam in *putris* solet corripere. Nollem id ab Heinsio dictum. Nam præcessit *putris*, non *putridus*, et sensu nonnihil diverso. Quod autem Prudentius primam in *putris* corripere solitus sit, quid vetat quominus syllabam certo communem vel in *putris*, vel in *putridus* aliquando produxerit? Imo produxit in *putris* hymn. 7 D Cath., vers. 9. *Arvina putrem ne resudans crapulam*.
288. Virgilius VI Æn., *Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis: talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat. Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum*. Hinc *fauces graveolentis Averni*.
289. Scriptores posterioris ætatis ita sæpe sunt locuti; et præponebant quidem participium *versa vice*, non *vice versa*: Prudentius metri causa *inversa vice*. In glossa *vacat* mendum cubare videtur. Prudentius ait, animabus quas olim pulcher aspectus delectaverat in corpore, econtrario corruptam formam infligi, quod explicat Nebrissa verbis Aristotelis in Ethic.: *Pœnæ medicinæ quædam sunt, ut quæ per contraria fieri debent, ut qui dum viverent erant ornatus studiosi, in morte sint deformati*

Quos nec favillis obruat,
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes :
Gemmas corusci luminis,
913 Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ :
His illa gemmis comitur,
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.

A Eccum talenta suscipe,
914 Ornabis urbem Romulam,
Ditabis et rem principis,
Fies et ipse ditior.
Ridemur, exclamat fremens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur,
Et vivit insanum caput!
Impune tantas, furcifer,
Strophas cavillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas
915 Tractare nosmet ludicris?

GLOSSÆ VETERES.

303. Damnum, *amissionem*, I.
304. Ignis, *amoris*. — Nescias, *viduas*, I.
305. Monile, *ornamentum*, I.
306. Comitur, *ornatur*, I.
307. Dotata, *ornata*, I.
309. Eccum, *ecce*, I.
317. Furcifer, *exclamative, succensor ignis*, I.
318. Strophas, *versutias, fraudes; versutias, stropha fraus quæ techna vocatur, unde strophosus fraudulentus vocatur.* — Cavillo, *derisione, vel deceptione. Ca-* B *villum convicium cum joco; illusione vel deceptione derisoria.* — Mimico, *scurrili*, I.
319. Nexuisse, *involvisse*, I.
320. Saltas, *saltare facis, vel saltando dicis*, I.
321. Concinna, *composita*. — Visa, *scilicet est*. — Urbanitas, *eloquentia. Conveniens urbanitas, id est pulchritudo. Cinnum genus potionis ex diversis mixturis compositæ; inde concinna res, ex diversis composita sententiis*, Iso.

COMMENTARIUS.

295. Hailsbr., *quod nec*. Ex Luc. XII, 33 : *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis : quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

299. Ald., Gis. prima ed. in textu, *numinis*; melius alii *luminis*. Sic vers. 205, *Hi sunt alumni luminis* : quanquam hoc loco gemmarum splendor intelligi poterit.

300. Singulare hoc notandum, quod relativo *quibus* absolvatur stropha, raro trajectionis exemplo.

301. Mar. a prima manu, Prag., Widm., *cerne;* Hailsbr., *cernes*. Alii, *cernis*.

302. Bong., Fabr., Pal., Gis. prima ed., *mireris*, alii, *miraris*. Nebrissensis et Chamillardus *anus intactas* intelligunt esse viduas *ignis secundi nescias* post damnum primi tori, quamvis alias a Virgilio *intacta* virgo dicatur. Existimo hic etiam ipsas sacratas virgines vocari *intactas anus*, quod virginitatem ad senectutem conservaverint; tum his addi viduas *ignis secundi nescias*. Scilicet aliæ sunt intactæ, aliæ ignis secundi nesciæ. Aldus quidem et Parrhasius ita distinguunt, ut interrogationis notam post *intactas anus* apponant, et Iso glossam *viduas* apponit post *nescias*. Gothofredus, in lege 2 cod. Theod., lib. IX, tit. 25, suspicatur legendum *inviras*, quasi univiras, seu viduas pro *vel invitas*, quia a Prudentio hoc loco aliisque Patribus viduæ et virgines junguntur, raptusque earum exæquantur. Verba ejus legis, a Joviano latæ anno 364, ita habent : *Si quis non dicam rapere, sed vel attentare matrimonii jungendi causa sacratas virgines, vel invitas ausus fuerit, capitali sententia feriatur.* Conjicit præterea legi posse *vel non invitas*. Sed mihi sententia legis recte procedere videtur; scilicet prohibetur attentari matrimonii jungendi causa virgines sacratas, etiam non invitas, aliasque non sacratas invitas : quod pluribus confirmare possem, sed non vacat.

305. Hoc elogium virginum et viduarum addi poterit innumeris aliis quibus Christiana castitas merito celebratur. S. Cyprianus in libr. de Disciplina et Habitu virginum : *Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas : quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.*

307. Ecclesia comparatur sponsæ ornatæ viro suo Apocalyps. cap. XXI. In hymno Dedicationis ecclesiæ ad vesperas, *Sponsæque ritu cingeris... Dotata Patris gloria.*

C 309. Sichardus, *talentum*. Alex., *alenta*, supra *talenta*. Parrhasius, *Hæc tu talenta suscipe*, quod Latinius est. Alioquin *eccum* erit purum adverbium.

311. Horat., ep. 1, lib. I, *Ut rem facias, rem Si possis recte, si non, quocunque modo rem*. Patrimonium *res* significat.

313. Parrhasius, Rat. a prima manu, Vat. A a prima manu, Mar., Vat. B, Egm., Pal., Hailsbr., Ambr., Thuan., Alt., Rott., tres Torrent., Heinsius, Gis. ad oram, *fremens*. Weitzius cum aliis, *furens*

314. Ald., *et miris*; alii, *ac miris*.

317. Isonis glossam non intelligo. Notum est *furciferum* vocatum servum qui ignominiæ magis quam supplicii causa furcam circa viciniam, aut per urbem ferre cogebatur. De furca tam veteri quam nova Lipsius lib. III de Cruce.

318. Thuan., *capillo*, male. Apud Sedulium lib. V perperam circumferri *labellis*, et *favillis* pro *cavillis*, notavit Heinsius : *Jam jamque volant mendacia mille In Dominum vanis hominum conflata cavillis.* Mimus D ab imitatione rerum vilium et personarum dicitur : hinc pantomimus omnium rerum imitator. Solebant autem mimi jocos et sententias in illa sua repræsentatione miscere, ac celebres sunt sententiæ Publii Mimi. Lactantius, lib. VII, cap. 12. *Sententia deliri hominis ridicula mimo dignior quam schola fuit* quod sumpsisse videtur ex Minucio : *Non philosophi sane studio, sed mimico vitio digna ista sententia visa est.* Alii legunt *mimico officio*, alii *mimi convicio*. Heraldus vero suspicatur legendum *mimi cavillo*, vel *cavillitio*, vel *mimico cavillitio*, quia *cavillari* proprium est mimorum.

319. Recte *strophas nectere* dicitur. Ammianus lib. XV, *Et Paulo quidem* CATENÆ *inditum est cognomen, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis.*

320. Saltabantur etiam fabulæ et carmina, hoc est, saltu repræsentabantur, de quo plura ad Romanum. Ovidius, lib. V Trist., eleg. 7 : *Carmina quod pleno saltari nostra theatro.*

Egon' cachinnis venditus
Acroma festivum fui?
Adeone nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis: Libenter oppetam:
Votiva mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
916 Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, et differam

A Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite.
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
917 Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.

GLOSSÆ VETERES.

324. Acroma, *gloriosus ludus. Acroma proprie lyrarum auditio; hic autem jocus accipitur, vel carmen scenicum*, I.

325. Adeone, *nonne adeo*, I. — Austeritas, *severitas*, Mar. — *Severitas, asperitas*, I.

326. Fascibus, *honoribus*, I.

327. Adeon', *in tantum*, I.

329. Oppetam, *moriar. Oppetere quasi terram petere; nam viri fortes, dum moriuntur, terram more (forte morsu) petunt, ne vox audiatur*, I.

330. Votiva, *desiderabilis*, I. — *Cara*, Mar.

333. Impertiam, *sinam*, Mar.

B 335. Compendiosus, *brevis, difficilior*, I.

339. Inextricabilis, *infinibilis, vel insolubilis, indissolubilis*, I. — *Infinalis, indissolubilis*, Mar.

344. Abdita, *occulta, secreta*, I.

345. Senescens, *deficiens*, I.

347. Sensim, *leniter*.

348. Semustulati, *semiusti: semustulatus et semiustus unum sunt*, I.

350. Mysteriarches, *princeps mysteriorum*, Mar. —*Princeps ministe r, mysterii princeps; et Græcum est.* —Incidit, *scilicet in pœnam*, I.

352. Debeant, *scilicet alii*, I.

COMMENTARIUS.

323. Parrhasius, Heinsius cum Ambr., Ruinartius, *ergon' cachinnis*; Hailsbron., *ego*; alii, etiam codex Bolland., *egon' cachinnis*. Bong. male, *chachinnus*.

324. Vat. A, Parrhasius, *ac Romæ festivum*, renuente metro et sensu. Heinsiani scripti, Ald., Vat. B, Mar., *acroma*; alii, *acroama*, quod defendi potest. *Acroama*, sive malis scribere *acroma*, Latine est auditio, sed accipitur pro festiva jucundaque narratione, et interdum pro homine qui eam recitat. Prudentius fortasse imitatus est Ciceronem 6 in Verrem: *Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario discederet*; et pro Sextio: *Ille ipse ludius non solum spectator, sed etiam actor et acroama*. Ruinartius auditionem seu auditorem etiam ejuscemodi narrationis acroamatis nomine aliquando designari putat, quod ego dubium esse de auditore judico.

325. Parrhasius, *adeo nulla*; Ald., *adeone ulla*. Utrumque male.

326. Heinsius non assentitur Salmasio, qui hoc loco censuram capit pro dignitate: sic censura oris, ut ait, et vir censorius sumitur pro pulchro. Chamillardus favet Salmasio. Melius tamen intelligitur censuram esse severitatem, cui mox respondet lenitas. Nihil enim obest quod præcesserit austeritas; nam eadem sententia amplificatur.

327. Mar., *adeone securim*, quod non ausim damnare. Vocat *securim publicam*, ut hymn. super. vers. 55, *bipennem publicam*. Parrhasius scribit *securem*.

328. Ald., Parrhas., *retudit*, male.

329. Glossæ etymon non accipio. *Oppetere* dicitur qui rem sibi contrariam petit: sic *oppetere mortem*, et simpliciter *oppetere* dicitur de viro forti qui mortem petit, quamvis contra naturam sit.

332. Vanum et ineptum credebant ethnici in Christianis velle mori spe futuræ vitæ. Minucius: *Proh! mira stultitia et incredibili audacia spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt et futura; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent*. Lactantius, lib. VII, cap. 5: *Ita necesse est sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona quæ non cernuntur, dimittit e manibus quæ videntur.... Quod accidit nobis cum neque cruciatum neque mortem pro fide recusamus*. Nota vocem *persuasionis*, quæ pro opinatione vana et inepta sumi solebat, et præsumptio etiam dicebatur. Minucius: *Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari*. Ammianus, quamvis ethnicus, hanc constantiam in Christianis laudare videtur lib. XXII: *Qui deviare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur*.

C 333. Parrhasius perperam, *sed jam*.

336. Arnobius lib. II, in fine: *Itidem et vos flammis, exiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis et diu vexatis nostra*. Alii paulo aliter legunt.

337. S. Augustinus, tract. 27 in Joann., de S. Laurentio: *Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est: imo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est*. S. Cyprianus ad Demetrianum: *Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici, ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia*.

338. Petrus Faber, lib. III Semestrium, cap. 8 mallet *moratam*. Sed nihil est necesse, ut monet Heinsius.

339. Prag., Mar. a prima manu, ut videtur, *ut mors*; alii, *et mors*. *Mors inextricabilis* sumitur pro

D morte lenta, et quæ finem invenire nesciat, ut notavit Mariettus.

340. Mar., Prag., Rat., Widm. supra, Urb. a prima manu *protrahat*. Sic melius, *ut... mors protrahat*. Alii, *protrahet*.

345. *Vapor* pro calore apud optimos quosque scriptores, Lucretium, Virgilium, Horatium, etc., sæpe ponitur. Virgilius lib. V, *Lentusque carinas Est vapor*. Vide Gifanium verbo VAPOR indic. Lucr.

348. Ald., et codex Bolland., *semustulati*: Parrhasius et alii, *semiustulati*.

350. Mysteriarches dicitur, quia primus et princeps erat diaconorum, quibus cura incumbebat erudiendi fideles de mysteriis fidei. Vide comment. ad vers. 160.

352. Weitz., Gis. ad oram, *quod mox*; ita etiam Mar., Prag.

Conscende constratum rogum;
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa,
Nil esse Vulcanum meum.
918 Hæc fante præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra, et tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgorque circumfusus est.
Talem revertens legifer
De monte vultum detulit:
Judæa quem plebs, aureo
Bove inquinata, et decolor
Expavit, et faciem retro
Detorsit impatiens Dei.
Talemque et ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
919 Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat:
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
Ægyptiæ plagæ in modum,
Quæ, cum tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet:
His nidor, illis nectar est.

GLOSSÆ VETERES.

356. Vulcanum, *ignem*, I.
359. Nudare, *despoliare*, I.
360. Vincire, *ligare*, I.
361. Os, *facies*, I.
363. Legifer, *Moyses*, I.
368. Impatiens, *non sustinens*, I.
371. Per imbrem, *per densitatem*, I.
373. Illuminatum, *manifestatum*, *manifestum*. —Hoc, *genus fuit*.—Eminus, *elonge*, I.
374. Recens, *recenter*.—Piatis, *baptizatis*, I.
378. Os, *faciem*.—Oblitum, *circumdatum*.—Situ *tenebris*, I.
379. Nigrante, *nigro*, I.
380. Clarum, *claritatem*, I.
384. Sudo, *sereno*. *Sudum dicimus, quasi sub udum serenitas quæ post pluvias fit*, I.
385. Quin, *insuper*.—Qualitas, *scilicet Laurentii*, I.
388. Nidor, *fetor*.—Nectar, *dulcedo*. *Omnis suavitas odoris dicitur nectar, odor suavis*, I.

COMMENTARIUS.

353. Gis. ad oram, Weitzius cum plerisque suis, *constructum*. Melius, *constratum*, ut supra, *Prunas tepentes sternite*.

354. Gallonius, cap. 7, tabula 17, describit craticulam ferream qua assatus est S. Laurentius, quæ religiose asservatur partim in ecclesia S. Laurentii in Lucina, partim in Paneperna. Sagittarius descriptionem Gallonianam in dubium vertit cap. 10, cum non possimus, ut ait, Laurentianæ craticulæ Romæ asservatæ reliquiis tuto præstare fidem. At præter venerabilem antiquitatem, eo majorem fidem his reliquiis præstare possumus, quod tribus costis cratis illa constet. Ado ita lectulum sive cratem ferream describit: *Allatus est autem lectus cum tribus costis, et exspoliatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream: et allati sunt batuli cum prunis, et miserunt sub cratem ferream. Qui cum furcis ferreis coarctaretur desuper, dixit*, etc. A batulo, qui est pala ferrea, fit diminutivum batillus, Hispanis, *badil*. Gallonius inter cratem et lectum ferreum distinguit, quod lectus ferreus esset instar veri strati, craticula pluribus costis ad longum inter se distantibus esset fabricata. Vide tabulam 17. Sagittarius de hac distinctione dubitat. Hoc quidem loco lectulus pro crate ferrea ponitur. De veneratione qua S. Laurentii craticula jam a Justiniani imperatoris et a S. Gregorii Magni temporibus colebatur, videri possunt Bollandiani.

355. Rat., Vat. B, Mar., Prag., *tunc si licebit*. Alii, *libebit*.

356. Prag. scribit *Volcanum*. Intelligitur de deo et de igne. Non Laurentius deos irridebat: sic vers. 403: *Et fac periclum, quid tuus Vulcanus ardens egerit*.

358. Hailsbr. male, *torrentes parant*.

359. Mar., Parrhasius, Rat., *amictum*. Melius *amictu*.

360. Alex. a prima manu, *vincere;* Vat. A, *vinciri*. Utrumque corrigendum.

363. Vide Exod. XXXII et XXXIV

366. Male nonnulli vulg., *et die color* pro *et decolor*

369. Vide Act. apost. VI et VII.

372. *Cœlos* numero plurali Lucretius dixit, vix alius e profanis. Apud Christianos usitatissimum id est e sacris Litteris et Hebraico stylo.

373. Nebrissa suspicatus est aliter esse legendum; exponit autem *illuminatum* de fulgore, quem videbant baptizati, et non pagani: sed hæret dubius an sermo sit de fulgore Stephani an de Laurentii; nam huic etiam *os decore splenduit*. Giselinus Ægyptiis cæciores esse pronuntiat, qui mendum subesse putant, eosque affirmat in media luce cæcutire: rem tamen sibi claram cæteris non explicuit. Cellarius ait sensum esse Christianos omnes qui astabant, cœlum apertum vidisse: non autem paganos, indignos tanta luce. Videtur ergo id accipere de cœlo aperto, dum Stephanus lapidibus obrueretur. Certum tamen mihi est Prudentium de fulgore S. Laurentii loqui: de cujus odore simile miraculum pergit narrare vers. 385, *Quin ipsa odoris qualitas*.

375. Heinsius, lib. I Adv., cap. 6, conjicit *baptisma ratum*. Nihil est necesse mutare. Hi videntur esse Patres, qui postea laudantur vers. 490.

379. Cath. hymn. 7, vers. 134, *Nigrante vultum contegit velamine*.

386. Virgilius lib. XII: *Nidoremque ambusta dedit*. Vide Elmenhorstium ad Arnobium lib. VII, pag. 146.

387. Rat., *diverse*, non male.

388. De nidore vide comm. ad vers. 759 Apoth. *Nectar* sumitur pro odore ex nectare effluente. Ovidius Metam. lib. IV: *Nectare odorato sparsit corpusque locumque*. Lucretius lib II: *Et nardi florum, nectar qui naribus halat*. Prudentius, hymn. S. Vincentii, vers. 280, *Redolente nectar carcere*. Gifanius advertit translationes ex uno sensu in alium sumi solere, ideoque poni nectar pro odore suavissimo. Sed melius diceret causam poni pro effectu: ut si quis vinum pro odore vini suavissimo usurpet.

Idemque sensus, dispari
Variatus aura, aut afficit
Horrore nares vindice,
920 Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus:
Nam Christus ignis verus est:
Is ipse complet lumine
Justos, et urit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro e catasta judicem
Compellat affatu brevi.
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter,
Et fac periclum quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: Coctum est, devora,
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat:
921 Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam.
O Christe, Numen unicum,
A O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Atque auctor horum mœnium,
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Servire, et armis cedere:
Ut discrepantum gentium
Mores, et observantiam,
Linguasque, et ingenia, et sacra,
Unis domares legibus:
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus:
Idem loquuntur dissoni
922 Ritus, id ipsum sentiunt.
B Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcunque terrarum jacet,
Uno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas:
Per quam dedisti ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderentur omnia

GLOSSÆ VETERES.

390. Aura, *odore.* — Afficit, *affligit*, *afflixit*, I.
391. Vindice, *vindicante*, I.
392. Oblectamine, *delectatione*, I.
397. Diutinus, *longus*, I.
399. Ultro, *sponte.* — E catasta, *e craticula: qui in catasta erat*, I. *E craticula*, Mar.
403. Periclum, *inquisitionem*, *separationem*, I.
404. Vulcanus, *dicitur ignis*, I.
406. Tunc ille, *scilicet ait*, I.
409. Ludibundus, *similis ludenti*, I.
419. Quirinali, *Romanæ*, I.
C 425. Remi, *imperatoris Romanorum*, I.
426. Concessit, *convenit*, *scilicet Dominus*, I.
430. Jus, *lex*, Mar.
435. Cæteris, *gentibus*, I.
436. Mens, *fides*, I.
437. Confœderentur, *conjungantur*, I.

COMMENTARIUS.

390. Aldus, *variatur:* melius *variatus.*

392. Rupertus Tuitiensis, lib. VIII de Divin. Offic., cap. 10, de S. Laurentio: *Cujus assatura suaviter in tota Christi fragrat Ecclesia.*

393. Cur Deus vocetur ignis, vide Hamartig. vers. 71.

396. Egm., Palat., *uret;* alii, *urit.*

399. Parrhasius scribit *cathasta.* Josephus lib. de Machab. memorat *catastas frixorias*, et ait igni in catasta martyrem objici. Suspicor a Prudentio hoc loco catastam sumi pro crate ferrea. Vide comment. ad vers. 56 hymn. 1 Peristeph. Sagittarius cap. 10 ait id explicari posse de editiori pegmate, in quo excruciatum esse Laurentium verisimile est.

400. Hailsbr., *affectu brevi;* supra *affatu*, probe.

407. Bong., *experimento* non ita bene. Antepenultima in *experimentum* brevis solet indicari; a Prudentio producitur per diastolen vel necessitate metri.

408. Hailsbr., *sic crudum:* lege *sit.*

409. Quærat aliquis an hic jocus in martyre Laurentio debeat laudari. Quæstionem resolvunt SS. Patres, qui laudarunt. Augustinus serm. 303, alias 123 de Diversis: *Quid pluribus? Craticula admota est, et tostus est. Et cum ex uno latere arsisset, dicitur tanta tranquillitate illa tormenta tolerasse, ut impleretur in eo quod modo in Evangelio audivimus: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Denique flamma ustus, sed patientia tranquillus: Jam, inquit, coctum est: quod superest, versate me, et manducate. Tale duxit martyrium, ista gloria coronatus est.*

413. Put., Ambr., *nomen unicum*, quam lectionem Heinsius fulcire conatur, quia vers. 139 hymni seq. legitur: *Nomen et ipsa sacrum loquitur purpura sanguinis eliciti.* Verum longe diversum est cruorem quodammodo loqui nomen Christi, ac Christum vocari *nomen unicum*, dum invocatur. Melius fortasse allusio fieret ad *nomen super omne nomen.*

414. In Romano vers. 468, *Christus paternæ gloriæ splendor.* Ep. ad Hebr., cap. I, v. 3: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.*

419. Mar. perperam, *et mundum.*

421. Vide Prolegom. cap. 8.

423. S. Augustinus, lib. XIX de Civit. Dei, cap. 7: *At enim opera data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret; per quam non deesset, imo et abundaret etiam interpretum copia.*

428. Ald., *ad ipsum;* melius *id ipsum.*

429. Ald. Weitz., Parrhasius et alii, *quo magis.* Nonnulli *quod.*

D 431. Gis. ad oram, Rat. a secunda manu *quocunque;* Oxon., *quacunque;* præstantiores, *quodcunque.*

432. Bong., Fabr., Rat., Gis. ad oram, Teol. ad oram. *illigares.*

434. Ald. mendose, *Christiani.*

437. Ald., Parrhasius, Put., Oxon., Heins., *confœderantur*, et postea *mansuescit.* Ita etiam Cellarius, qui pro hac lectione mss. codd. citat; et Teolius, qui probatiores pro eadem allegat. Nihilominus *confœderentur* exstat in Vat. A, Mar., Prag., Rat., Weitzianis, plerisque Heinsianis, cod. Bolland., et aliis. Gallandius prætulit *confœderentur*, et *mansuescat* cum emendatissima editione Tornæsiana, S. Leo Magnus serm. 88 non solum sententiam hanc expressit, sed etiam verba ipsa Prudentii sumpsisse videtur: *Dis*

Hinc inde membra in symbolum :
Mansuescat orbis subditus,
Mansuescat et summum caput.
Advertat abjunctas plagas
923 Coire in unam gratiam :
Fiat fidelis Romulus,
Et ipse jam credat Numa.
Confundit error Troicus
Adhuc Catonum curiam,
Veneratus occultis focis
Phrygum penates exsules.
Janum bifrontem, et Sterculum
Colit senatus (horreo
Tot monstra patrum dicere),
Et festa Saturni senis.
Absterge, Christe, hoc dedecus.
924 Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat ut verum Deum
Errans Iuli cæcitas.
Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei :
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.
Discede, adulter Juppiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam
Plebemque jam Christi fuge.
925 Te Paulus hinc exterminat,

GLOSSÆ VETERES.

438. In symbolum, *unitatem*, *fidem catholicam*, *concilium*, *unam fidem*, I.— *In unitatem*, Mar.
439. Mansuescat, *mitis fiat*, I.
441. Advertat, *sentiat*, *intelligat*. — Abjunctas, *separatas*, I.
443. Fidelis, *credulus*, I.
444. Numa, *consul*, *id est Sabini*, I.
446. Catonum, *consulum*, *consiliariorum*, *vel sapientum*, *legis doctorum*. — Curiam, *familiam*, Iso.
448. Phrygum, *Trojanorum*, I.
449. Sterculum, *adjectivum*, *id est cloacinum*, Iso.
454. Gabriel, *fortitudinem tuam*, Iso.
456. Errans Iuli cæcitas, *Roma*, *Romana Ascanii*, I — *Ascanii*, Mar.
461. Alter, *unus*. — Vocator, *prædicator*, I.
463. Recludit, *aperit*. — Creditas, *scilicet sibi*, Iso.
466. Oblite, *vocativi casus*, I.
468. Plebemque, *Christianitatem*, I,
469. Exterminat, *depellit*, *extra terminum minat*, I.

COMMENTARIUS.

posito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, et cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. In eamdem sententiam disserunt Hieronymus in Isaiam; Eusebius lib. I, cap. 4, Præpar. evang.; Origenes lib. II contra Celsum, Ambrosius in psalm. XLV. Verbo *confœderare* utuntur Hieronymus, Orosius, et Tertullianus Apologet. cap. 2; ubi tamen alii legunt *ad conferendam*.

438. Ald., *hic ide membra*, vitiose.

439. Vat. A, *mansuescat et orbi* non bene. Marietti codex *mansuescit*, quamvis vers. 437 habeat *confœderentur*.

440. In Romano vers. 167 Roma vocatur *sæculi summum caput;* ab Orosio lib. II, c. 12, *caput gentium*.

441. Heinsiani omni, Ald., Mar., Parrhasius, Sich., Weitz., Gis. ad marg., Vat. Q et alii, *abjunctas*, quod ex vet. lib. probavit Gifanius in INCEDERE. Vatt. A, B, P, Fabr., Egm., Pal.. Hailsbr., Bong., et Widm. a secunda manu, *adjunctas*, non ita bene. De verbo *abjunctus* pro diviso, disjuncto, vide vers. 816 lib. II in Symmachum.

443 Parrhasius, *fiatque fidelis*, quod sustineri potest.

445. Troius Æneas deos suos Latio intulit, ut ait Virgilius init. Æneid.

446. Libr. I in Symm., vers. 546, *Conciliumque senum gestire Catonum.* Duo præcipue Catones Romæ sapientes habiti sunt, Juvenalis sat. 2, vers. 40, *Tertius e cœlo cecidit Cato.* Vide Ruæum ad vers. 841 Æn. lib. VI.

447. Vatt. B, P, Mar., Bong., Parrhasius, *veneratur*. Plerique, *veneratus*. Sermo est de igne vestalium, qui in locis abditis ardebat. Virgilius, II Æn., vers. 296 : *Sic ait : et manibus vittas Vestamque potentem, Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

448. Weitzius maluit scribere *Frigum* cum Widm., et Bong., quam cum aliis optimis codd., *Phrygum*. Penates exsules secum Æneam advexisse notum est ex Virgilio. De eorum templo egi in comment. ad vers. 965 lib. II in Symm.

449. Iso non videtur agnovisse deum *Sterculum*, sive is fuerit ipse Saturnus, ut explicat Macrobius, aut quispiam Fauni filius, Italiæ rex, stercorationis inventor. Sterculium vocat Plinius, alii Sterculium : eum irrident Lactantius lib. I, cap. 10; Tertullianus Apologet. cap. 25.

451. Apud Teolium Vat. unus, *referens*, minus bene, pro *dicere*. De monstris portentisque deum gentilium, ac de festis Saturnalibus, dictum jam est in libris contra Symmach.

452. Ruinartius, *lenis*; Bollandiani hoc ipsum cum Ruinartio. sed ad marg. notant in ms. eorum esse *senis*. Addere potuissent *lenis* esse contra metrum, neque Saturno congruere.

454. Barthius, lib. VIII Adv., cap. 12, ait Prudentium, sibi constantem, eamdem syllabarum quantitatem in *Gabriel* secutum hoc loco, et vers. 98 dittochæi, ubi ait : *Gabriel Patris ex solio, sedemque repente.* At secunda in eo versu dittochæi necessario est longa in *Gabriel :* in hoc vero *Emitte Gabriel tuum* brevis esse posset, facto iambo in tertia sede.

456. Ald., Parrhasius, Palat., plerique nostri, et Heinsiani, Gis. in contextu, et quidam ms. quem is vidit, *Iuli*. Gis. prima ed., unus Rott., Bong., *Iulica*, male; neque melius Weitz. cum Widm., *Iulia*. Gis. ad oram ex suo ms., unus Rott., *Iula*, quod placuit Cauchio. In Vat. P. *Iulii* valet *Iuli*. Virgilius I Æn. *Iulius, a magno demissum nomen Iulo*. Widm. supra, *civitas* pro *cæcitas*.

460. De his versibus egi in Proleg.

463. Sive *primus* legatur, sive *primam*, eadem est sententia de principatu Petri apostoli, rejecto errore Ecclesiæ bicipitis. Hæ vero sunt lectionis varietates. Ald., Widm. supra Put., Thuan., Oxon., Rott., Noms., Gis. in textu, Fabr., Rat. a prima manu, Vat. B a secunda manu, Mar. a prima manu, et clare ad marginem, *primam*. Weitz., codex Bolland., tres Torr. Alt., Palat., Hailsbr., Parrhasius, Sich., *primus*. In Ambr. videtur esse *primas*, et in eodem *creditus*.

465. Baronius, tom. I Annal. ad annum 69, his Prudentius versibus de religionis in melius mutatione explicat quædam oracula et prodigia quæ finem Romani imperii imminere portendebant.

466. Juno Jovis *et soror, et conjux*.

468. Aliqui interpungunt *Plebemque jam Christi: fuge*.

Te sanguis exturbat Petri.
Tibi id, quod ipse armaveras
Factum Neronis officit.
Video futurum principem
Quandoque, qui servus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat.
Qui templa claudat vectibus,
926 Valvas eburnas obstruat,
Nefanda damnet limina,
Obdens aenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine
Tandem nitebunt marmora,
Stabunt et æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.
Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis; erupit volens
Vocem secutus spiritus.
Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam patres,
927 Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles

GLOSSÆ VETERES.

472. Officit, *valde nocet, obest*, I.
473. Principem, *Constantinum*, Mar. *Constantinum vult dicere*, I.
476. Sinat, *non consentit*, I.
478. Valvas, *fenestras, seras*, I.
479. Damnet, *claudat Constantinus*, I.
480. Obdens, *opponens, contra dans.* — Pessulos, *sectes*, I.
481. Pura, *Deo dicata.* — Sanguine, *inquinamento*, I.
483. Æra, *idola*, I.
485. Hic, *tunc.* — Orandi, *scilicet S. Laurentii*.
486. Vinculi, *corporis*, I.
491. Libertas, *fiducia Laurentii*, I.
492. Ambire, *desiderare*, I.
493. Recens, *repentina.* — Medullas, *viros.* — Indoles, *nobilitas*, I.

COMMENTARIUS.

471. In Vat. B. ex *armaveras*, factum est *amaveras*, non ita bene.

472. Tertullianus cap. 50 Apologet.: *Nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vob s. Semen est sanguis Christianorum..... Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est æmulatio divinæ rei et humanæ.*

473. Interpretes omnes, cum veteres tum recentes, hunc principem affirmant esse Constantinum. Equidem magis credo, a Prudentio suum vel potius nostrum Theodosium laudari. Theodosius enim vere ille fuit qui Romam servire idolis vetuit, templa clausit vectibus, et fecit ut æra innoxia starent, quæ olim habebantur idola, dum permisit, stare simulacra *artis pretio, non divinitate metienda.* Vide lib. I in Symm., vers. 503. De eodem Theodosio post Prudentium ita scribit Orosius lib. VII, cap. 34: *Cum afflictum ac pene collapsum reipublicæ statum videret* (Gratianus), *eadem provisione qua quondam legerat Nerva Hispanum virum Trajanum, per quem respublica reparata est, legit et ipse Theodosium, æque Hispanum virum et restituendæ reipublicæ necessitate apud Syrmium purpuram induit, Orientisque et Thraciæ simul præfecit imperio, in hoc perfectiore judicio; quia cum in omnibus humanæ vitæ virtutibus iste par fuerit, in fidei sacramento religionisque cultu sine ulla comparatione præcessit: siquidem ille persecutor, hic propagator Ecclesiæ.* Animadvertendum est, usque ad Theodosii imperium præcipuam nobilitatem Romanam idolorum cultui fuisse addictam. Augustinus Confess. lib. VIII, cap. 2, de Victorino loquens ait: *Statuam in Romano foro meruerat et acceperat usque ad illam ætatem venerator idolorum sacrorumque sacrilegorum particeps, quibus tunc tota fere Romana nobilitas spirabat.*

474. Ald., Mar. supra aliena manu, nonnulli vulg., *servos.* Lege *servus.* Idem Theodosius *princeps bonus* vocatur hymn. 12 Peristephan., vers. 47.

477. Hoc loco templa accipit pro fanis idolorum, quæ a primis Christianis proprie templa dicebantur. Hieronymus ad Riparium ep. 109, al. 53, de Vigilantio: *Et cum Juliano persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret.* Zeno Veronensis serm. de continent. lib. I tract. 5: *Tibi ecclesia, illi adeunda sint templa.* Supra autem Prudentius, vers. 164, basilicam sive conventiculum Christianorum, ut appellant Arnobius, Lactantius, Orosius, Ammianus, *templum* dixit. Vide vers. 407 Psychomach. Theodosius anno 391 legem tulit cod. Theod., de Paganis l. XI: *Nulli sacrificandi tribuatur potestas, nemo templa circumeat, nemo delubra suscipiat, interclusos sibi nostræ legis obstaculo profanos aditus recognoscant.* Quod uberius confirmavit anno et leg. seq.

479. Ald., Parrhasius, Pal., omnes Heinsiani, et nonnulli alii, *nefasta.* Vat. B, Mariettus, Rat., Prag., Weitz., Gis. et alii *nefanda.*

480. Gis. 2 ed., *aeno*, in prima ed., *aenos* cum cæteris, excepto Parrhasio, qui habet *aenis pessulis.* Alii *ahenos*, alii *aenos* scribunt. Alex. mendose, *acenos.*

483. Ald., *Stabunt et vera innoxia*; Parrhasius, *Et stabunt æra innoxia:* utrumque contra metrum. Alt., Noms., Rott., *Stabunt ut æra innoxia.* Vera lectio, *stabunt et æra innoxia.* Theodosius lib. I in Symm. ita Romanos alloquitur: *Marmora tabenti respergine tincta lavate, O proceres; liceat statuas consistere puras, Artificum magnorum opera.*

486. Sich., *et finis item:* repugnat lex metri. In Ald. pro *vincula* lege *vinculi.*

487. Gallandius cum Ruinartio rescripsit *volans* pro *volens.* At *volens* verum est ex fide mss. et concinnum hoc loco: sic vers. 329, *Dicis, Libenter oppetam.* Vide comment. ad vers. 22 præfat. carminum. Non tamen spernendum est *volans.* Et ita legit Latinius.

489. A loco martyrii, scilicet a colle Viminali, ut fama refert, ubi nunc ecclesia est S. Laurentii in Panisperna, corpus delatum fuit in alium locum, nempe in prædium Cyriacæ in agro Verano, via Tiburtina, ubi alia est ecclesia S. Laurentii, quam fuse describit Montfauconius in Diario Italico, et Ciampinius de Ædific.

490. In Actis vulgatis S. Laurentii et apud Adonem, Patres qui corpus S. Laurentii vexerunt dicuntur Justinus et Hippolytus. Verum hi jam pridem erant Christiani, et Prudentius nominat Patres, quo nomine senatores videntur designari, recens ad fidem conversi ob admirabilem libertatem et constantiam martyris. Igitur præter Hippolytum et Justinum, quorum mentio fit apud Adonem, alii ad deferendum corpus convenerunt. Teolius Comum redarguit, quod per Patres a Prudentio indicatos Justinum et Hippolytum intelligi commode posse affirmaverit, Bollandiani eosdem Justinum et Hippolytum intelligi censuerunt. Fortasse quod mox ait Prudentius, *Ambire Christum*, explicari poterit de desiderio martyrii. Sed aliud suadent versus seqq. et 375.

493. Ambr., tres Torrentiani, Rottendorphius, Cauchianus, *replens*, quod exstat etiam in Parrhasio, ubi mendose *indole*, Cellario placuit *replens*; plerique

Longo et locatos ordine
Astare pro templo jubet.
Præscriptus et jam fluxerat
Dies : furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum martyr : Assistas velim,
904 Coramque dispostas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam :
Stabant catervæ pauperum,
A Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur :
Præfectus horrescit stupens
Conversus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille, Quid frendens, ait,
Minitaris ? aut quid displicet ?
Num sordida hæc, aut vilia ?
Num despuenda existimas ?
905 Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat,
B Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.

GLOSSÆ VETERES.

164. Pro templo, *coram*, I.
165. Præscriptus, *a judice, deputatus*. — Fluxerat, *venerat, præteriit*, I.
168. Efflagitans, *postulans*. I.
169. Tum martyr, *ait*. — Assistas, *ut*, I.
170. Coramque, *palam*, I.
175. Patentes, *amplas*, I.
176. Structos, *cumulatos*, Mar.
181. Fragor, *clamor*, I.
183. In Laurentium, *contra Laurentium*, I.
188. Despuenda, *contemnenda*, I.
189. Sitis, *desideras*, I.
190. Rudera, *arizzi, vel stercora. Rudera dicunt maceriam ruinæ*, I.
192. Pœnalis, *durus*. — Excudit, *fabricat, excoquit*, I.
194. Arenis, *sicut Pactolus et alii*, I.

COMMENTARIUS.

163. Teolius Ignatium Comum impugnat, quod affirmaverit Prudentium in his rerum adjunctis enarrandis paulo aliter ac in Actis referuntur, aut poetica licentia abusum, aut longe ab Urbe binis remotum Alpibus rem, uti accidit, non bene didicisse. Etsi autem descriptiones poeticæ amœniores narrationibus historicis esse debeant, tamen si qua sit in re ipsa C varietas, fides potius adhibenda est Prudentio quam Actis anonymis. Nam quod ait Comus, Prudentium hunc hymnum fecisse juvenem, et antequam Romam venisset, et poeta palatinus fuisset renuntiatus, nugæ hæ sunt sine ullo idoneo auctore prolatæ.

164. Nunc ait *pro templo*, postea vers. 173, *ingens atrium;* vers. 175, *per patentes porticus;* vers. 178, *sacratam januam :* quæ omnia probant Romæ domum amplam fuisse in quam Christiani ætate S. Laurentii conveniebant; et quæ tunc saltem a præfecto Urbis fuerit cognita. Hujusmodi ædes sacræ a primis Christianis non appellabantur *templum*, quod hæc vox nescio quid consecrationis paganæ indicaret. De re plane constat. Ad id sæculum pertinet quod auctor Recognition. in fin. refert : *Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam ecclesiæ nomine consecravit.* Eusebius, lib. VIII, cap. 1, narrat Christianorum numerum inter Valeriani et Diocletiani persecutionem adeo crevisse, D ut *priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias.* Optatus Milevitanus lib. I testatur ante persecutionem Diocletiani basilicas plures fuisse quæ Christianis ablatæ sunt, postea restitutæ. De ecclesiis in ultima persecutione Diocletianea solo æquatis passim loquuntur Arnobius, Lactantius, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gildas, et alii.

165. Gis. *en jam :* in prima ed., *et jam*, quod reliqui habent.

166. Ald., Put., Oxon., *fervidus Judex avaro :* plerique, etiam Heinsius, et Parrhasius, *fervido Judex avarus.*

170. Ald., Sich., Mar., et nonnulli alii cum Gis., Weitz., *dispostas*. Castigatiores Heinsiani, Alex., *dispositas*, quod a metro minime respuitur. Parrhasius edidit *dispositas*, in emendationibus subrogavit *dispostas*, quod aures magis probant.

172. Utitur Laurentius voce ambigua *sanctis*, qua intelligi possent sacraria et secretaria ecclesiæ, seu arca, vel etiam ipsum templum, et simul significantur pauperes Christiani : nam, ut constitit ad vers. 80, sanctorum appellatio Christianis omnibus tribuebatur : *Sanctum* pro templo non est vox solum ad Latinitatem inscriptionum referenda, quod nonnulli putarunt. Persius pro templo posuit *sanctum* sat. 2, vers. 69 : *Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum.*

181. Hailsbr., *fragor*, supra *clamor*.

183. Prag., *conversus ad*.

184. In Mar., Vatt. A, B, Rat. desideratur *que* post *oculis*.

185. Mar. a prima manu, Widm., *quid furens*.

186. Parrhasius emendavit *minaris :* sed probum est *minitaris*.

188. Parrhasius scribit *dispuenda*.

189. De siti auri vide vers. 45.

190. Sich. *stercora*. Retine *rudera*, Codex Ambr. scribit *offossa*, quod damnare non audet Heinsius; nam in veterrimis Maronis exemplaribus occurrunt *offugere, offulgere, offore, obvolvi aris*, et similia. Vide Comment. ad vers. 410. Psychomachiæ. In glossa *arizzi* vocabulum est quod solum Isonem habet auctorem apud Ducangium.

192. Mar. a prima manu, Prag., Rott., *excludit*. Vox *pœnalis* Paulini, Prosperi, Sedulii, Aviti et similium est. Tertullianus etiam de eadem re cap. 27 Apolog. : *Itaque cum vice rebellantium ergastulorum, sive carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis servitutis erumpunt adversus nos.* De quo genere pœnæ agunt Gallonius et Sagittarius.

193. Rat., Bong., Widm., *et amnis* pro *vel amnis*. Vat. A, Egm., Hailsbr. a prima manu, *turbidus*.

195. Hac voce *terrulentus* usus etiam est in præf. Hamart., vers. 5.

196. Weitzius scribit *dequoqui* cum Hailsbr. Alii recte, *decoqui*.

Pudor per aurum solvitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges et ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis et magni putas?
Si quæris aurum verius,
906 Lux est, et humanum genus.
Ili sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus disjicit,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
907 Si fervor effetus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium
Et confer alternas lues,
Carnisne morbus fœdior,
An mentis et morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum,
Qui veste et ore prænitent,

GLOSSÆ VETERES.

197. Pudor, *castitas, verecundia*, I.
198. Integritas, *virginitas*, I.
199. Occidit, *deficit*, Iso.
201. Quid, *quare*. — Venenum, *avaris*. — Gloriæ, *aurum dicit*, I.
202. Magni, *pretii esse*, I.
204. Et, *etiam*. — Humanum, *scilicet aurum*, I.
205. Ili, *mendici*. — Alumni, *socii, vel filii*. — Luminis, *regni cœlorum*, I.
206. Arctat, *affligit*, I.
208. Insolescat, *superbiat, sine consuetudine vivat, intumescat*. — Turgida, *superba*, I.
209. Cum, *quando*. — Disjicit, *secat, consumit, lacerat; disperdo, disjicio*, I.
210. Viget, *interius*, I.
211. Vicissim, *mutuatim*, Iso.
212. Sensuum, *mentium*, I.
213. Nam, *quoniam*. — In, *ad*, I.
215. Effetus, *infructuosus, vacuatus*, I.
216. Elumbe, *infirmam libidinem, quia sine viribus facit, infirmum, debile, infirmam libidinem*. — Contrahat, *colligat*, I.
221. Committe, *compara*. — Pestium, *vitiorum*, I.
223. Carnisne, *utrum*, Iso.
227. Venusti, *pulchri*, I.
229. Valentes, *robustos*, I.
231. Mancum, *curve*, I. *Adverbium*. Prag.
233. Quemvis, *quemcunque affer*, I.
234. Ore, *facie*, I.

COMMENTARIUS.

200. Lucanus lib. III, vers. 118: *Usque adeo solus ferrum mortemque timere Auri nescit amor: pereunt discrimine nullo Amissæ leges*. Virgilius, lib. VI, vers. 622, *Fixit leges pretio, atque refixit*. Verum de avaritia, radice omnium malorum, hujusmodi sententiæ passim sese offerunt.

201. Nebrissa explicat aurum esse venenum gloriæ, quia eo vera gloria perit, aut quia more christiano gloria accipitur pro vita æterna. Prima interpretatio magis placet: sic *pudor per aurum solvitur, violatur auro integritas*, etc.

204. Teolius ita hunc versum exponi posse arbitratur: *Si quæris aurum, illius splendore raptus, scias humanum genus esse lucem, et pauperes esse alumnos seu participes lucis*. Verius et simplicius Nebrissensis: *Christus, qui est lux mundi, et homines ab eo redempti. Unde subdit: Hi sunt alumni luminis; de quo lumine Joannes præbuit testimonium cap.* I. Sane Laurentius occasione auri, quod præfectus cupiebat, Christum verum aurum et lucem opportune illi prædicavit. Toletus in cap. I Joannis, *Magno consilio utraque locutione Joannes in præsenti usus est: dixit enim: In ipso vita erat, ubi vita pro ea quam Verbum efficit et dat nobis, ponitur. Postea subjunxit: Et vita erat lux, ubi vita pro ipso Verbo, quod est causa vitæ, accipitur*.

209. De hoc verbo *disjicit*, aut *dissice*, ut plerique codd. scribunt, aut uno *s disicit*, ut habet Rat., dictum jam est ad hymn. 4 Cath., vers. 97. Ald., Fabr., Gis. in contextu, *dissecat*. Parrhasius, Gis. ad oram, Sich. et alii, *dissicit*. Gifanius in PROICERE ait se in Ovidii et Prudentii mss. invenisse *dissicit*, et in quodam vet. Prudentii *disicit*; et apud Virgilium in vet. lib. *dissice* constanter exaratum, monuisse Pierium. *Cæterum* (addit) *ut ingenue dicam quod sentio, de his locis mihi non liquere profiteor, sed mutationes odi... Quærendum ergo amplius*. Weitzius et Heinsius amplexi sunt *dissicit*.

210. Ep. II ad Cor., cap. XII, v. 10: *Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Ludovicus a Ponte egregium librum edidit de Thesauro ægritudinum corporis.

211. Ald., *mentis*. Sich. cum id invenisset, recte restituit *membris*. Parrhasius jam ediderat *membris*.

213. Parrhasius *in culpam cordis*, quod metri lex non patitur.

215. Mar. scribit *fervos*. Hailsbr., *effectus malis*. Lege *effetus*.

222. Parrhasius primum scripsit *luces*; quod metro adversatur, correxit *vices*: sed melius est *lues*. Hailsbr., *alteras lues*.

228. Ald., Vat. A supra, Pot., Oxon. et alii edd. atque mss., *laboris*. Urb., Vatt. B, Q, Weitz., Mar., Rat., Sich., *languoris*, quod rectius est. Alex., Parrhasius scribunt *langoris*. Vat. Q, mendose, *langores experti*. Weitzius edidit *languoris experti*. Lege *expertes*.

231. Parrhasius, *errorque mancus*. Mar. pro div. script. *mance*.

233. Ald., Vat. A supra, Widm. supra, Fabr., Gis. prima ed., *principum*. Melius alii, *divitum*, ut respondeat mox *pauperum*.

234. Vat. A, *prænitet*, quod pro diversa scriptura a Weitzio indicatur, et exstat in Fabricio. Giselinus mendose edidit *pœnitent*, et correxit *prænitent*; Heinsius et Chamillardus mendose etiam *pœnitent*. Ruinartius ex ms. S. Michaelis restituit *prænitent*. Verum *prænitent* jam olim exstabat in editione Aldina, et Tornæsiana an. 1553, Parrhasiana aliisque. Suspicatur Ruinartius legendum *et auro*: quo fortasse alludit Alex., *Qui veste et oro præni ent*.

908 Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.
Hunc, qui superbit serico,
909 Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus.
Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas in volam,
Plicans et uncis unguibus,
Laxare nervos non valet.
Istum libido fetida
Per scorta tractum publica
Luto, et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid ille fervens ambitu,
910 Sitimque honoris æstuans,

GLOSSÆ VETERES.

236. Pauperum, *scilicet sit*, I.
237. Serico, *purpura*, I.
239. Hydrops, *hunc*, I.
242. Volam, *in mediam palmam*, *medietas palmæ*, Iso.
243. Uncis unguibus, *ungulis curvis*, I.
246. Scorta, *scortum*, *quasi sortum*. *Sortum est solea : sicut enim solea maceratur in manu sutoris, sic pellicula meretricis ab adulteris*, I.
247. Cloacis, *lacubus*, *sordibus*. *Cloacæ sunt loca in quibus adunatur stercus civitatis*, I.
249. Fervens, *ardens desiderio*. — Ambitum, *cupiditatem*, *honorem*, Iso.
250. Æstuans, *desiderans*, I.

COMMENTARIUS.

236. Ald., Bong., *meorum pauperum*, sine *est*.

237. Teolius ex Mazochio tom. I Specim. Biblic., dissert. 8, part. 2, etymon *serici* refert ad arborem sorek, cujus mentio fit Genes. XLIX, 11. De eadem origine jam disseruerat Becmanus de Orig. Lat. ling. verbo SER ex Buxtorfio et Kimchio, qui tamen *sorek* proprie interpretantur surculus. Accipitur plerumque *sorek* pro vinea. Communis opinio etiam antiquissimorum scriptorum etymologiam repetit a seribus, quod nomen est animalium nentium metaxam, sive rude sericum, et populorum ubi hæc animalia nutriuntur. Nonnulli ex arboribus sericum sine bombycum opere fieri putant : sed verius videtur, antiquos scriptores arborum mentionem facere, quod in arboribus vermiculi seres lanam, sive sericum texunt. De comparationibus morborum corporis cum vitiis animi videri possunt Chrysostomus, Basilius aliique SS. Patres, qui in eis explicandis frequentes sunt. Giselinus, quoniam medicum agebat, diligentius, et peritius, quantum quidem ad rem medicam pertinet, hos versus illustrat, cujus explicationem juvat proferre. Elatos homines ac superbos hydropicis similes facit Prudentius, quibus crudorum humorum copia vitiatæ sanguinis massæ affusa, cutim prætumidam reddidit. Ambitiosos, et honorum cupidos καύσῳ laborantibus ; his enim, cum a curis, vigiliis intensisque cogitationibus morbus oriatur, perpetua frigidæ sitis, ampla et frequens exspiratio, bilis vomitus, immensus ac mordicans totius corporis calor fere adsunt. Avaros, et ὀξύχειρας, quod iis manus tenaces sint, et ad rapiendum paratæ, chiragricis comparat : tales, ne dolorem ab humore maligno in digitorum vincula, et articulos impacto excitatum augeant, neque manus adducunt omnino, neque etiam explicant : sed in medio quodam situ continent, qui et maxime doloris sit expers, et naturæ consentaneus. Sic etiam malevolos obtrectatores hepaticis seu spleneticis : fortasse quod cum his omnia membra sint arida et præ inedia consumpta, tamen cibum fastidiant, bilis vomitione prorumpat, ungues denique a scalpendo non contineant : quæ omnia ad calumniatores non illepide quis traduxerit. Invidos præterea cum strumosis, seu χοιραδώδεσι confert, nec male, quoniam hujusmodi morbi genus adipem carni circumsitum, ipsamque adeo cutim exedit, et ulcus in dies serpendo ulterius reddit malignius. Postremo idololatras regio morbo laborantibus non dissimiles esse ait : quod quemadmodum isti, ut valetudinem recuperent, lectis mollioribus, ludis, lasciviaque demulceri debent : ita infelices dæmonum cultores, cum religio iis pro ludo et inani plebeculæ terriculamento sit, ex impotenti fere mollitie, insolentia, et dissolutione eo cæcitatis abripiantur. Rude et incultum quid iis Deus sonat. Dii immortales dicendi sunt eis sua fata, cœli cursus, orbiumque cœlestium genios attingunt, idque animi causa, cæteroquin ἄθεοι, et nihil minus, quam immortalitatem somniantes. Quod ad ganeones attinet, qui se ad putidissima usque scorta complectenda abjiciunt, eos non ægrotis, sed infimæ sortis hominibus foricas, latrinas, et cloacas everrentibus pares facit.

239. Ald., Heinsiani omnes, Fabr., Weitzius, nostri, Sich., *lucido*, et notat Nebr. ex Horatio, *Turgescit vitrea bilis* ; ex Persio, *splendida bilis* ; Heinsius vero ex Horatio, *Aquosus albo corpore languor*. Gis. ad oram, *lurido*, quod Heinsio non displicebat. Parrhasius, *livido*. Teolius ait *lucido* habere mss. omnes, *lurido* editiones. At pleræque editiones clare *lucido* præferunt.

240. Heraldus in Arnobium lib. II, pag. 149, plura de avarorum moribus habet, et hos ipsos versus ex Prudentio, quos tamen ex martyrio Vincentii desumptos per memoriæ errorem dicit.

242. Gronovius, cap. 5 Observat. eccles., ex Widm. Weitzii legit *Manus recurvas in volam*, et cum in vulg. sit *Manus recurvas, et volam*, ipse restituere vult *Manus recurvas in volam*, *et Plicans*. Heinsius cum vulg. facit, et cum Heinsio Teolius, qui Heinsio favere melioris notæ codices Vaticanos affirmat. Cellarius secutus est codicem Widmanianum, cui revera astipulantur Vat. B, Mar., Rat., Prag. Recte dicitur *contrahere manus recurvas in volam*, ut vers. 156, *Nervos in ulnam contrahat*. De avaris Psychom. vers. 465, *Spoliisque unques exercet aenos*.

243. Quod Gronovius volebat *in volam*, *et plicans aduncis unguibus*, concinnius ex nostris codicibus Mar., Rat., Prag., Vat. B, restituimus, scilicet *Plicans et uncis unguibus*, non *plicans aduncis*, ut hactenus editum est. Egm., Pal., Widman. supra minus recte, *ungulis* pro *unguibus*. Ungula dici solet de animalibus, quæ digitos non habent. In Isone *ungulis* fortasse est diversa lectio.

246. In glossa corrigendum videtur *corium* pro *sortum* : nam etymon *scorti* trahitur a *corio* ; et *scortum* proprie est pellis crassior.

248. Plautus Amph. act. IV, sc. 2, vers. 12 : *Quia senecta ætate a me mendicas malum*.

249. Widm., Bong., Sich., Mar., Vat. B, Rat., *ambitum*, *Sitimque*, quod tenuit Teolius, quia ab Heinsio hæc lectio commendatur. Ipse Heinsius edidit *ambitu*, *Sitimque*, ut exstat in Ald. et multis mss. Miratur Teolius Chamillardum adhuc habere cum vett. edd. *ambitu*, *Sitique*. At in Chamillardo idem lego quod in Heinsio, *ambitu*, *sitimque*, nisi quod Heinsius scribit *sitem* cum Egm. Becmanus verbo *es* ex Pal. ms. legit *ambitu*, et mendosum *ambitum* in aliis esse putat. Notat vero ambitum pro ambitione poni. De hac phrasi *æstuare sitim* vide comment. ad vers. 9, lib. I contra Symmachum.

250. Parrhasius cum aliis vett. edd., ut dictum est vers. sup., legit *ambitu*, *Sitique*.

Mersisne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, et scalpit jecur,
Scabiemque cordis sustinet.
Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta et livida
Malignitatum vulnera?
Tute ipse, qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.
Hi, quos superbus despicis,
911 Quos exsecrandos judicas,
Brevi ulcerosos exuent
Artus, et incolumes erunt
Cum carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi,
Pulcherrimo vitæ statu
In arce lucebunt Patris:
A Non sordidati, aut debiles,
Sicut videntur interim;
Sed purpurantibus stolis
Clari, et coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes sæculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et mucculentis naribus,
Mentum salivis uvidum,
Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius.
912 Nil tam leprosum aut putridum:
Cruda est cicatrix criminum,
B Oletque ut antrum tartari.
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam,

GLOSSÆ VETERES.

251. Mersis, *occultis, in mentem mersis*, I.
254. Prurit, *quasi perurit, ardet. Prurigo ex ardore nimio venit*, I.
255. Vexatur, *se cædit*. — Scalpit, *scabit*, I.
258. Strumas, *tumores, chelen*. — Retexam, *referam*, I.
259. Purulenta, *putrida, venenosa, a pus, puris*, I.
264. Morbo regio, *elephantico. Regius morbus, et arcuatus, et ictericus, et elephanticus. Regius ideo dicitur, quia non potest curari nisi regiis cibis; aut quod recionem mortis pandat; elephantinus, eo quod elephantino osse curetur: arcuatus, eo quod colorem arcus cælestis habet*, I., Vat. A.
C
267. Brevi *tempore, statim*, I.
274. Interim, *nunc usque dum, hic est*, I.
277. Facultas, *possibilitas*. — Suppetat, *abundat*, I
280. Recensendos, *numerandos*, Iso.
282. Mucculentis, *sordidis. Murcus, qui præcisum habet nasum*, I.
284. Lipposque, *scilicet oculos*. — Putri, *humida*, I
285. Tetrius, *nigrius*, I.
286. Leprosum, *leprosus a laterum pruritu*, I.
289. Animabus, *vacat*. — Inversa vice, *una pars*, I
290. Forma, *imago*, I.
293. En ergo, *scilicet habes, præsentatim*, I.
294. Proxime, *nuperrime*, I.

COMMENTARIUS.

251. Parrhasius, *mersusne*, quod melius fortasse est quam *mersisne*. Hailsbr., *habebat*, male, pro *anhelat*.
256. Vat. A, *sordis*, supra recte *cordis*.
261. Ald., Pal., Parrhasius, Heinsius, cum aliis edd., *tute ipse*. Weitzius, *tu et ipse*, quod confirmant Vatt. A, B, Mar., Rat., Prag.
263. Heinsius cum Put., *colis*. Alii edd. et mss., *coles*, nisi quod Cellarius et Chamillardus Heinsio adhærent.
269. Weitz., *quin carne*. Alii, *cum*.
273. Mar., Rat., *ac debiles*.
276. Weitzius explicat coronas aureas martyribus donari ad similitudinem militum. Verum hic sermo est de Christianis pauperibus, qui in arce lucebunt Patris, si recte vixerint, sive martyres fuerint, sive secus. Omnes igitur qui vitam æternam consequentur, coronis aureis, quas vers. 926 Hamartigeniæ *rutilas* Prudentius vocat, donabuntur. Paschalius, de Coronis lib. VIII, cap. 5, ostendit ex Prudentio martyres Christi ad similitudinem militum, sicuti triumphatores tyrannicæ impietatis, coronis aureis insigniri.
277. Ald. et alii scribunt *tunc si*.
281. Terentius Heaut. II, 3, 53, *Pannis obsita, neglecta, immunda illuvie*.
285. Ald., *nihil*; ita edidit Parrhasius, sed emendavit *nil*. Posset retineri *nihil* monosyllabum, aut recepto tribrachy secundo loco.
286. Pro *aut*, Mar., Rat., Vat. P, habent *ac*. Egm., Hailsbr., Palat., Vat. A, Heinsiani potiores, *putidum* Ald., vett. edd., etiam Parrhasius, Vat. P, Q, Alex., Urb., Mar., Rat., aliique multi, *putridum*; neque video cur Teolius Vaticanos pene omnes pro *putidum* allegaverit. Heinsius quidem legit *putidum*, sed duabus manibus rationibus permotus, quia *putri* jam præcessit, et quia Prudentius primam in *putris* solet corripere. Nollem id ab Heinsio dictum. Nam præcessit *putris*, non *putridus*, et sensu nonnihil diverso. Quod autem Prudentius primam in *putris* corripere solitus sit, quid vetat quominus syllabam certo communem vel in *putris*, vel in *putridus* aliquando produxerit? Imo produxit in *putris* hymn. 7 D Cath., vers. 9. *Arvina putrem ne resudans crapulam*.
288. Virgilius VI Æn., *Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis: talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat. Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum*. Hinc *fauces graveolentis Averni*.
289. Scriptores posterioris ætatis ita sæpe sunt locuti; et præponebant quidem participium *versa vice*, non *vice versa*: Prudentius metri causa *inversa vice*. In glossa *vacat* mendum cubare videtur. Prudentius ait, animabus quas olim pulcher aspectus delectaverat in corpore, econtrario corruptam formam infligi, quod explicat Nebrissa verbis Aristotelis in Ethic.: *Pœnæ medicinæ quædam sunt, ut quæ per contraria fieri debent, ut qui dum viverent erant ornatus studiosi, in morte sint deformati*

Quos nec favillis obruat,
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes:
Gemmas corusci luminis,
913 Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ:
His illa gemmis comitur,
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.
A Eccum talenta suscipe,
914 Ornabis urbem Romulam,
Ditabis et rem principis,
Fies et ipse ditior.
Ridemur, exclamat fremens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur,
Et vivit insanum caput!
Impune tantas, furcifer,
Strophas cavillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas
915 Tractare nosmet ludicris?

GLOSSÆ VETERES.

303. Damnum, *amissionem*, I.
304. Ignis, *amoris*. — Nescias, *viduas*, I.
305. Monile, *ornamentum*, I.
306. Comitur, *ornatur*, I.
307. Dotata, *ornata*, I.
309. Eccum, *ecce*, I.
317. Furcifer, *exclamative, succensor ignis*, I.
318. Strophas, *versutias, fraudes; versutias, stropha fraus quæ techna vocatur, unde strophosus fraudulentus vocatur.* — Cavillo, *derisione, vel deceptione. Ca-* B *villum convicium cum joco; illusione vel deceptione derisoria.* — Mimico, *scurrili*, I.
319. Nexuisse, *involvisse*, I.
320. Saltas, *saltare facis, vel saltando dicis*, I.
321. Concinna, *composita*. — Visa, *scilicet est*. — Urbanitas, *eloquentia. Conveniens urbanitas, id est pulchritudo. Cinnum genus potionis ex diversis mixturis compositæ; inde concinna res, ex diversis composita sententiis*, Iso.

COMMENTARIUS.

295. Hailsbr., *quod nec*. Ex Luc. XII, 33: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

299. Ald., Gis. prima ed. in textu, *numinis*; melius alii *luminis*. Sic vers. 205, *Hi sunt alumni luminis*: quanquam hoc loco gemmarum splendor intelligi poterit.

300. Singulare hoc notandum, quod relativo *quibus* absolvatur stropha, raro trajectionis exemplo.

301. Mar. a prima manu, Prag., Widm., *cerne;* Hailsbr., *cernes*. Alii, *cernis*.

302. Bong., Fabr., Pal., Gis. prima ed., *mireris*, alii, *miraris*. Nebrissensis et Chamillardus *anus intactas* intelligunt esse viduas *ignis secundi nescias* post damnum primi tori, quamvis alias a Virgilio *intacta* virgo dicatur. Existimo hic etiam ipsas sacratas virgines vocari *intactas anus*, quod virginitatem ad senectutem conservaverint; tum his addi viduas *ignis secundi nescias*. Scilicet aliæ sunt intactæ, aliæ ignis secundi nesciæ. Aldus quidem et Parrhasius ita distinguunt, ut interrogationis notam post *intactas anus* apponant, et Iso glossam *viduas* apponit post *nescias*. Gothofredus, in lege 2 cod. Theod., lib. IX, tit. 25, suspicatur legendum *inviras*, quasi univiras, seu viduas pro *vel inv tas*, quia a Prudentio hoc loco aliisque Patribus viduæ et virgines junguntur, raptusque earum exæ- D quantur. Verba ejus legis, a Joviano latæ anno 364, ita habent: *Si quis non dicam rapere, sed vel attentare matrimonii jungendi causa sacratas virgines, vel invitas ausus fuerit, capitali sententia feriatur.* Conjicit præterea legi posse *vel non invitas*. Sed mihi sententia legis recte procedere videtur; scilicet prohibetur attentari matrimonii jungendi causa virgines sacratas, etiam non invitas, aliasque non sacratas invitas: quod pluribus confirmare possem, sed non vacat.

305. Hoc elogium virginum et viduarum addi poterit innumeris aliis quibus Christiana castitas merito celebratur. S. Cyprianus in libr. de Disciplina et Habitu virginum: *Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.*

307. Ecclesia comparatur sponsæ ornatæ viro suo Apocalyps. cap. XXI. In hymno Dedicationis ecclesiæ ad vesperas, *Sponsæque ritu cingeris... Dotata Patris gloria.*

309. Sichardus, *talentum*. Alex., *alenta*, supra *ta-* C *lenta*. Parrhasius, *Hæc tu talenta suscipe*, quod Latinius est. Alioquin *eccum* erit purum adverbium.

311. Horat., ep. 1, lib. I, *Ut rem facias, rem Si possis recte, si non, quocunque modo rem*. Patrimonium *res* significat.

313. Parrhasius, Rat. a prima manu, Vat. A a prima manu, Mar., Vat. B, Egm., Pal., Hailsbr., Ambr., Thuan., Alt., Rott., tres Torrent., Heinsius, Gis. ad oram, *fremens*. Weitzius cum aliis, *furens*.

314. Ald., *et miris*; alii, *ac miris*.

317. Isonis glossam non intelligo. Notum est *furciferum* vocatum servum qui ignominiæ magis quam supplicii causa furcam circa viciniam, aut per urbem ferre cogebatur. De furca tam veteri quam nova Lipsius lib. III de Cruce.

318. Thuan., *capillo*, male. Apud Sedulium lib. V perperam circumferri *labellis*, et *favillis* pro *cavillis*, notavit Heinsius: *Jam jamque volant mendacia mille In Dominum vanis hominum conflata cavillis.* Mimus ab imitatione rerum vilium et personarum dicitur: hinc pantomimus omnium rerum imitator. Solebant autem mimi jocos et sententias in illa sua repræsentatione miscere, ac celebres sunt sententiæ Publii Mimi. Lactantius, lib. VII, cap. 12. *Sententia deliri hominis ridicula mimo dignior quam schola fuit* quod sumpsisse videtur ex Minucio: *Non philosophi sane studio, sed mimici vitio digna ista sententia visa est.* Alii legunt *mimico officio*, alii *mimi convicio*. Heraldus vero suspicatur legendum *mimi cavillo*, vel *cavillitio*, vel *mimico cavillitio*, quia *cavillari* proprium est mimorum.

319. Recte *strophas nectere* dicitur. Ammianus lib. XV, *Et Paulo quidem* CATENÆ *inditum est cognomen, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis.*

320. Saltabantur etiam fabulæ et carmina, hoc est, saltu repræsentabantur, de quo plura ad Romanum. Ovidius, lib. V Trist., eleg. 7: *Carmina quod pleno saltari nostra theatro.*

Egon' cachinnis venditus
Acroma festivum fui?
Adeone nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis: Libenter oppetam:
Votiva mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
916 Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, et differam
Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
917 Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.

GLOSSÆ VETERES.

324. Acroma, *gloriosus ludus. Acroma proprie lyrarum auditio; hic autem jocus accipitur, vel carmen scenicum*, I.

325. Adeone, *nonne adeo*, I. — Austeritas, *severitas*, Mar. — *Severitas, asperitas*, I.

326. Fascibus, *honoribus*, I.

327. Adeon', *in tantum*, I.

329. Oppetam, *moriar. Oppetere quasi terram petere; nam viri fortes, dum moriuntur, terram more* (forte *morsu*) *petunt, ne vox audiatur*, I.

330. Votiva, *desiderabilis*, I. — *Cara*, Mar.

333. Impertiam, *sinam*, Mar.

335. Compendiosus, *brevis, difficilior*, I.

339. Inextricabilis, *infinibilis, vel insolubilis, indissolubilis*, I. — *Infinalis, indissolubilis*, Mar.

344. Abdita, *occulta, secreta*, I.

345. Senescens, *deficiens*, I.

347. Sensim, *leniter*.

348. Semustulati, *semiusti: semustulatus et semiustus unum sunt*, I.

350. Mysteriarches, *princeps mysteriorum*, Mar. —*Princeps minister, mysterii princeps; et Græcum est.* —Incidit, *scilicet in pœnam*, I.

352. Debeant, *scilicet alii*, I.

COMMENTARIUS.

323. Parrhasius, Heinsius cum Ambr., Ruinartius, *ergon' cachinnis*; Hailsbron., *ego*; alii, etiam codex Bolland., *egon' cachinnis*. Bong. male, *chachinnus*.

324. Vat. A, Parrhasius, *ac Romæ festivum*, renuente metro et sensu. Heinsiani scripti, Ald., Vat. B, Mar., *acroma*; alii, *acroama*, quod defendi potest. *Acroama*, sive malis scribere *acroma*, Latine est auditio, sed accipitur pro festiva jucundaque narratione, et interdum pro homine qui eam recitat. Prudentius fortasse imitatus est Ciceronem 6 in Verrem: *Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario discederet*; et pro Sextio: *Ille ipse ludius non solum spectator, sed etiam actor et acroama*. Ruinartius auditionem seu auditorem etiam ejuscemodi narrationis acroamatis nomine aliquando designari putat, quod ego dubium esse de auditore judico.

325. Parrhasius, *adeo nulla*; Ald., *adeone ulla*. Utrumque male.

326. Heinsius non assentitur Salmasio, qui hoc loco censuram capit pro dignitate: sic censura oris, ut ait, et vir censorius sumitur pro pulchro. Chamillardus favet Salmasio. Melius tamen intelligitur censuram esse severitatem, cui mox respondet lenitas. Nihil enim obest quod præcesserit austeritas; nam eadem sententia amplificatur.

327. Mar., *adeone securim*, quod non ausim damnare. Vocat *securim publicam*, ut hymn. super. vers. 55, *bipennem publicam*. Parrhasius scribit *securem*.

328. Ald., Parrhas., *retudit*, male.

329. Glossæ etymon non accipio. *Oppetere* dicitur qui rem sibi contrariam petit: sic *oppetere mortem*, et simpliciter *oppetere* dicitur de viro forti qui mortem petit, quamvis contra naturam sit.

332. Vanum et ineptum credebant ethnici in Christianis velle mori spe futuræ vitæ. Minucius: *Proh! mira stultitia et incredibili audacia spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt et futura; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent*. Lactantius, lib. VII, cap. 5: *Ita necesse est sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona quæ non cernuntur, dimittit e manibus quæ videntur.... Quod accidit nobis cum neque cruciatum neque mortem pro fide recusamus*. Nota vocem *persuasionis*, quæ pro opinatione vana et inepta sumi solebat, et præsumptio etiam dicebatur. Minucius: *Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari*. Ammianus, quamvis ethnicus, hanc constantiam in Christianis laudare videtur lib. XXII: *Qui deviare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur*.

333. Parrhasius perperam, *sed jam*.

336. Arnobius lib. II, in fine: *Itidem et vos flammis, exsiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis et diu vexatis nostra*. Alii paulo aliter legunt.

337. S. Augustinus, tract. 27 in Joann., de S. Laurentio: *Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est: imo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est*. S. Cyprianus ad Demetrianum: *Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici, ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia*.

338. Petrus Faber, lib. III Semestrium, cap. 8 mallet *moratam*. Sed nihil est necesse, ut monet Heinsius.

339. Prag., Mar. a prima manu, ut videtur, *ut mors*; alii, *et mors*. *Mors inextricabilis* sumitur pro morte lenta, et quæ finem invenire nesciat, ut notavit Mariettus.

340. Mar., Prag., Rat., Widm. supra, Urb. a prima manu *protrahat*. Sic melius, *ut... mors protrahat*. Alii, *protrahet*.

345. *Vapor* pro calore apud optimos quosque scriptores, Lucretium, Virgilium, Horatium, etc., sæpe ponitur. Virgilius lib. V, *Lentusque carinas Est vapor*. Vide Gifanium verbo VAPOR indic. Lucr.

348. Ald., et codex Bolland., *semustulati*: Parrhasius et alii, *semiustulati*.

350. Mysteriarches dicitur, quia primus et princeps erat diaconorum, quibus cura incumbebat erudiendi fideles de mysteriis fidei. Vide comment. ad vers. 160.

352. Weitz., Gis. ad oram, *quod mox*; ita etiam Mar., Prag.

Qua vi latentes eruat
Nummos, operta existimans
894 Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi.
Laurentium sisti jubet :
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, et fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sævire nos justo amplius,
Cum Christiana corpora
Plusquam cruente scindimus.

A Abest atrocioribus
Censura fervens motibus :
Blande, et quiete efflagito,
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse vestris orgiis
Moremque, et artem proditum est :
895 Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
896 Astare fixos cereos.

GLOSSÆ VETERES.

50. Nummos, *a Numa Cæsare* (Lege *rege*), I.
54. Arcam, *ab arcendo visum.* — Ditibus, *aureis*, I.
55. Refertam, *plenam*, I.
56. Monetæ, *moneta dicitur, eo quod monet mentem inscriptione nominis regis ne paracaraximi, id est falsi nummi fiant.* — Conditos, *absconditos*, I.
57. Conqueri, *causari, deplorare*, I.
61. Abest, *absit*, I.
65. Orgiis, *officiis, orgia ministeria; ministeriis vel* B *sacrificiis*, I. *Orgia dicebantur sacrificia Baccho dicata: translato itaque nomine a sacrificiis ad sacrificia deridet impius judex Christi mysteria, in quibus vinum offerri prodiderat jam fama*, Prag.
66. Proditum est, *dictum est*, I.
68. Libent, *sacrificent*, I.
69. Scyphis, *vasculis.* — Ferunt, *dicunt homines*, I.
71. Sacris, *officiis*, I.

COMMENTARIUS.

et sanguinis. In museo Pio-Clementino inscriptionem his verbis conceptam, *Exactor auri*, in quadam basi memini me olim legere.

50. Etymologia *nummi* vel, ut alii malunt scribere, *numi*, a Numa, quæ a glossa asseritur, ridicula quidem videtur, sed auctorem habet Suetonium; quod tamen ineptum videtur Scaligero in Conject., et Becmano de Orig. ling. Lat., qui Græcam originem repetunt a νόμος, a quo est *nomisma*, de quo paulo post. Alii cum Varrone vocem Siculam affirmant esse.

53. *Sisti* proprie de reo, qui ad tribunal judicis trahitur, quod notavit Peveratus ex Actis martyrum, Apuleio, et veteris inscriptionis versiculo. SISTI . QVAE C IVNCTOS . IVBET . AD . VADIMONIA . MORTI.

56. Nebrissa *montes* monetæ Hispanice explicuit *montones*. Respicit fortasse Prudentius ad proverbium *aureos montes polliceri*.

60. Weitz. cum solo Hailsbr., *scidimus*. Retine *scindimus*.

63. Rat., Vat. B, *afflagito*.

64. Ald., *quos*; Egm., *quo*. Verum est *quod*. In Vat. A abest *obire*. Vat. B, Prag., *adire*; Mar., *obire*, ad oram *obedire*, vel *adire*; sed *obedire* non congruit metro.

65. *Orgia* peculiari significatione ea sacra sunt in quibus mysteria et sacramenta peragebantur : et hac de causa nocturna Christianorum sacra orgiis comparantur ab ethnicis, qui sæpius suis in orgiis ad nefanda facinora initiabantur. Si de vino, quod in Christi sanguinem convertitur, ethnicis aliquid suboluerat, hac ratione nocturna Christianorum sacra *orgia* fortasse appellabant, tanquam sacra Bacchi seu Liberi. D Cum autem orgia simpliciter accipiantur pro quibusvis cæremoniis, ut auctor est Servius ad IV Æneid., etiam hoc sensu orgia hic locum habent. Etymologia ab aliis dicitur ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est furore vel ira, ab aliis ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est montibus, quod in montibus fierent. Virgilius lib. IV, vers. 302 : *Ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.* Ab aliis ἀπὸ τῶν ὀργάδων, scilicet a locis deo alicui consecratis.

67. Rat., *Hanc esse disciplinam fœderis :* sed *esse* ex glossa aliqua contra metrum immissum est.

68. In Mar. codice abest *ut*, recte additum supra. Calices aliquando ligneos, vitreos, marmoreos, corneos fuisse in nonnullis ecclesiis, vel ob penuriam earum, vel ob incuriam ministrorum, vel quod gentilium cupiditatem et avaritiam vellent Christiani effugere, satis certum videtur. Fuisse autem plerumque ejusmodi vasa sacra aurea et argentea non obscure ex hoc loco colligitur; quod confirmat S. Ambrosius, lib. II de Officiis, cap. 28 : *Nunquid dictum est S. Laurentio : Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ; vasa sacramentorum vendere?... In his tribus generibus vasa ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.* Tempore S. Augustini qualis esset hac de re fidelium persuasio, luculenter comprobatur paucis ejus verbis, in alium usum prolatis, epist. 26 : *Si calicem aureum invenisses in terra, donares illum ecclesiæ Dei.* Confer prolegom. cap. 13.

69. Weitz. scribit *scyfis* cum Hailsbronnensi. In Widm. est *sciphis*.

70. Vat. A, *libare sacrum*. Alludit præfectus ad fabulam de qua Minucius in Octavio : *Jam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis, occultisque vulneribus occiditur : hujus proh nefas! sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hac fœderantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur.* Huic calumniæ Simon Magus, Menander, Carpocrates, Nicolaitæ et Gnostici occasionem præbuisse dicuntur, quod similia flagitiosa facta in suis sacris perpetrarent. Heraldus in notis ad Minucium ait calumniam istam omnibus Christianorum apologiis confutatam, neque inventum esse aliquem, qui ejus immanitatis sectam ullam hæreticorum vel levissima suspicione asperserit, adeoque existimat quæ de Gnosticis et Quintilianis Epiphanius, et nonnulli alii postea tradiderunt, ea omnia falsa esse et conficta. Confer etiam Elmenhorstium in notis ad eumdem Minucium. Gis. ait, ethnicos nonnullos *teste August.* Cereris et Bacchi adorationes Christianis malitiose impegisse. Fortasse hoc intelligit præfectus *fumare sacrum sanguinem*, scilicet vinum conversum in sanguinem. In Giselino *teste August.* explicandum est *teste Augustino*. Chamillardus *teste Augusto* scripsit.

71. Cum tyranni in Christianos sævirent, non alio tempore hi poterant convenire ad sacra celebranda, nisi nocte. Tertullianus lib. de Fuga, cap. 14 : *Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo dominica solemnia celebrabimus?... Si colligere interdiu non potes, habes noctem.*

72. De cereorum usu in ecclesia lege proleg. cap. 11.

Tum summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia.
Addicta avorum prædia
897 Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Depromе thesauros, malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines:
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Ut dedita stipendiis
Ducem juvet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio.
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
898 Nomisma nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe justum postulo.
Ni fallor, haud ullam tuus

GLOSSÆ VETERES.

73. Tum, *insuper*. — Fratribus, *vobis*, Iso.
75. Fundis, *possessionibus, agris*, I.
76. Sestertiorum, *talentorum: sestertium quinque sextarii, id est duo scrupuli et semis*, I. *Sestertius, ut quidam aiunt, quinque stateres valet, stater autem 2 didragmas, didragma autem 2 dragmas, una autem dragma 3 denarios facit*, Mar.
77. Addicta, *assignata, id est ab avis addicta hæredibus, vel deputata, tradita*, Iso.
78. Fœdis, *quibus vobis fœde augetis*. — Auctionibus, *venditionibus*, I.
79. Exhæres, *carens hæreditate*, I.
80. Sanctis, *ironice*, I.
81. Occuluntur, *absconduntur, occultantur*, I.
86. Præstigiis, *maleficiis, doctrinis, præstrigia dicuntur a præstringendo, eo quod præmoneant hominem, et constringant timere suis demonstrationibus*, I.
87. Exaggeratos, *accumulatos*, I.
89. Poscit *indiget*, I.
90. Fiscus, *sacculus in quo publica pecunia portabatur*. — Ærarium, *gazophylacium*, I.
91. Dedita, *tradita*. — Stipendiis, *publicis*, I.
94. Suum, *proprium*, I.
96. Nomisma, *imaginem*, I.
98. Nempe, *quippe*, I.

COMMENTARIUS.

73. Weitzius ineptissime edidit *Tum summa est cura fratribus*, cum notaverit in Bong. esse *Tum summa cura est fratribus*, quod et metrum poscit et alii habent. Nam Aldus etsi ediderit *Tum summa est cura*, id in emendatis correxit. Notandum olim passim omnes Christianos vocatos fuisse *fratres*, ut etiam e sacris Litteris constat. Hinc gentiles nostris illudebant. Minucius: *Ac se promiscue appellant fratres et sorores*. Animadvertendum sacra hæc nomina gentilibus fuisse inter lasciva et amatoria: hoc ergo per calumniam innuere volebant gentiles apud Minucium.

75. Ex prima Ecclesiæ disciplina Act. apost. IV, 34, 35: *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum*. Qui nostro ævo antiquæ Ecclesiæ paupertatem vulgo jactant, si ad hanc consuetudinem revocarentur, potius nostros mores laudarent, quibus ecclesiasticis ministris non tam nova dona offeruntur, quam vetera auferuntur.

76. Sestertius appellatus fuit quasi semistertius, quia valebat asses tres dempto semisse. Sestertium neutro genere valebat mille sestertios. In veteribus libris pro *sestertius* scribitur *IIS.*, vel *IIS.*, quia duæ lineolæ asses binos notant, *S.* vero semissem. Vossius in Etymologico ait sestertium genere virili esse nummum argenteum quatuor assium, sive quartam partem denarii, qui sexdecim valebat assibus. Prudentius speciem pro genere ponit.

77. Rat. male a prima manu, *addita* pro *addicta*. Pro *vendita* apud jurisconsultos *addicta* usurpatur: exstatque titulus in D. de in diem Addictione, ubi Paulus: *In diem addictio ita fit: Ille fundus centum esto tibi emptus, nisi si quis intra calendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res a domino abeat*. Weitzius ex Rudolpho Forner. lib. V Rer. quotid., cap. 23, observat juris auctores non facile permittendum credidisse, ut quis majorum prædiis, laribus, sepulcris carere cogeretur. *Inde prædia paterna, vel avita abalienare minus honestum, contraque distracta recuperare laudabile semper habitum est*. Id tamen ita est accipiendum, ut honesta præsertim religionis causa interveniente laudabile sit abalienare, quod nulla lege debet retineri, aut ad posteros transmitti. Calumnia vero est, quod parentes Christiani liberos exhæredare consueverint, ut objicit præfectus.

78. In glossa non satis liquet an *quibus*, an aliud legi debeat.

80. Vat. A, Prag., *satis*: lege *sanctis*. Ironice loquitur præfectus, et ut vocabulum Christianorum ipsis exprobret: nam *sancti* hi dicebantur, ut liquet in epistolis S. Pauli: *Dilectis Dei, vocatis sanctis*.

86. Scribunt *præstrigiis* Weitzius, Wilm., Parrhasius, Put., et nonnulli alii. Vide Comment. ad vers. 140 hymn. 4 Cath. In *præstringere* est etiam quædam scribendi varietas: nam aliqui malunt exarare *præstinguere*.

87. Vat. A, *exaggerandos*, minus bene.

90. Nebrissa recte ita distinguit, ut fiscus sit principis ærarium reipublicæ.

91. Heinsius cum Put., *ut didita*, quomodo Canchium restituisse innuebat Torrentius. Schedæ Cauchii et Parrhasius, *debita*. Alii, *dedita*. Vat. Q. mendose, *suspendiis* pro *stipendiis*.

94. Hailsbr. supra, *reddite*.

96. Ald. Weitz., aliique edd. et mss. constanter *nomisma*, nisi quod in Alex. scribitur *numisma*, in editione Parrhasii *nummisma*, in Vat. Q videtur esse *nommisma*, in nonnullis Vulg. *numisma*. Heinsius ait non esse audiendum Wowerum, qui ad Minucium castigabat *Ænigma nummis inditum*, etsi consentientem habuerit Joannem Gerardum Vossium. Wowerus quidem dicit fortasse rectius esse *ænigma*. *Sed* (addit) νόμισμα *et* χάραγμα *et nummum notat*. De nomismate vide supra comment. ad vers. 50, et Glossarium *Ducangii*.

97. Matth. XXII, 19, et seqq.: *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*.

98. Parrhas., *Da. Nempe justum postulo?*

99. Hailsbr., *aut*, ex quorumdam veterum scribendi ratione, pro *haud* vel *haut*, ut scribit Weitz. Ruinartius edidit *aut*.

Signat Deus pecuniam.
Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit:
Præcepta sed verbis dedit,
Inanis a marsupio.
Implete dictorum fidem.
Quam vos per orbem venditis:
899 Nummos libenter reddite:
Estote verbis divites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum.
Sed ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est dives, inquit, non nego
A Habetque nostra ecclesia
Opumque et auri plurimum,
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus, arcem possidens,
900 Cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam Numinis:
Vulgabo cuncta, et proferam
Pretiosa quæ Christus tenet.
Unum sed orans flagito,
Induciarum paululum,

GLOSSÆ VETERES.

100. Signat, *vindicat*, *curat*, I. — *Nomen illius non scribitur in nummis.* Vat. A.

101. Aureos. *Mancusa*, *Philippei Mancosi*; *sed hic Philippos metri causa. Mancuosa Philippis est civitas de qua in Evangelio: Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi*, I. — *Philippeos, id est, Bizanteos, vel Mancosos, alio modo Mancones, vel denarios aureos.* Vat. A.

106. Venditis, *spargitis*, I.

110. Refert ad ista, *respondet*, I.

112. Annuit, *consentit*, I.

B 117. Tantum, *tam multum*, I.

118. Ænigmatum, *figuras*, *denariorum. Ænigma obscura parabola*; *inde ænigma dicit nummorum*; *nam metallis insensat s, obscuris, nomen regis capitur et imponitur*, I. — *Denariorum.* Mar.

119. Augustus, *Octavianus*, I.

122. Locupletis, *divitis*, *locuples talentis*. — Arcam Numinis *thesaurum Dei*, I. — Numinis, *id est Dei*. Vat. A.

COMMENTARIUS.

100. Tertullianus cap. 10 Apolog., *Ab ipso Saturno primum tabulæ, et imagine signatus nummus.* Minucius Jano attribuit, quod Italos docuerit *nummos signare.* Id Lampridius in Alexandro Severo dixit *nummos figurare.* Ducangius aliique putant Justinianum anno 685 circiter Christi signo nummos primum figurasse. Ii quidem Prudentii versus probare possunt tempore S. Laurentii non fuisse nummos Christi imagine aut nomine signatos; non autem recte allegantur ad probandum id ætate Prudentii non accidisse. Nam Prudentius ex persona præfecti accommodate ad hujus tempora loquitur.

102. Egm., Hailsbronnens., Vat. P, male, *Philippus.* Vat. A, Urb., *Philippeos*, Alex. *Filippos*; lege *Philippos* a Philippo rege ita dictos. Horatius *regale numisma Philippos.* Glossæ exponunt *Bizanteos*, seu *Mancosos.* Glossa de Mancuosa civitate Philippi aut corrupta est, aut inepta, aut utrumque.

104. Parrhasius scribit *marsyppio.*

106. Ald., Vat. A a prima manu, Oxon., Gis. in textu, Vat. Q, Urb., *quæ vos*, scilicet *dicta*: plerique *quam*, nempe *fidem.* Put., *qua*; etiam Alex., *qua*; sed supra, *quæ* cum Vat. P et aliis.

113. Gis. ad marg., *Prædives*, *inquit.*

115. Gis. ad oram, *opesque et auri.*

116. Ald., Mar. a prima manu, Bong., omittunt *est* post *orbe.*

118. Nebrissa legendum ait *emblematum*, et intelligit vasa emblematis insignita. Revera ita legit Parrhasius, et Weitzius testatur quædam exemplaria habere *emblematum.* Vera tamen est lectio *ænigmatum.* Giselinus ex Huberto Goltzio observavit aversas numismatum epigraphas, quæ summorum virorum officia et munera, sæpe etiam propria symbola certis signis ostendebant, vulgo, exteris posterisque vera ænigmata fuisse. Argumento sunt in eum usum scripta a Joanne Pierio hieroglyphica. In glossariis Latino-Barbaris ænigma moneta dicitur. Gothofredus, lib. IX cod. Theod., tit. 22, lege 1, opinatur Prudentium *ænigmata* vocare numismata Cæsarum effigie cusa, et in veteri glossario *ænigma* monetam exponi confirmat. Addit Arabes numismata Christianorum quæ caput humanum præferunt, vocare *methalia*, quod verbum proprie significat εἰκόνας. Hinc Hispani et Itali vocant *medallas* et *medaglie*, vel potius a *metallo.*

119. Ironice ridicule *Augustum* exponit Octavianum. Omnes imperatores Augusti appellabantur. Suspicabar legendum *Augustus*, *arcam possidens*, *Cui nummus omnis scribitur.* Neque refert quod paulo post occurrat *Locupletis arcam Numinis*, nam Prudentius sæpe idem verbum in brevi orationis periodo repetit, C et hoc loco concinnum est comparare locupletis Numinis arcam arcæ, *cui nummus omnis scribitur*, sive in qua nummi undique congeruntur. Veteres arcam fisci, publicam, vel populi pro ærario interdum usurparunt, ut ex inscriptionibus veteribus patet. Erant etiam arcæ pontificum, collegiorum, privatorum: unde arcarii dicti qui eas administrabant. Erant præterea arca vinaria, olearia, frumentaria, quæstoria, de quibus vide Gothofredum lib. XII cod. Theod., tit. 6, lege 14, et Salmasium not. in Ælium Lampridium; et de arcis ecclesiarum Ducangium. Si legatur *arcem*, simpliciter arx ponitur pro imperio, ut notavit Barthius lib. V Adv., cap. 12, ex glossa veteri in codice prisco ad vers. Prudentii in Psychomachia, *Et Christum gaudere suis victoribus arcem.*

120. Nebrissa et alii interpretantur imaginem Augusti in omni nummo scribi. Sic Juvenalis dixit sat. 6, vers. 204: *Scripto radiat Germanicus auro.* Potest etiam intelligi *cui Augusto, sive arci, aut arcæ nummus omnis scribitur, sive penditur.* Scribere nummos alicui D dicitur, qui pro iis in certam diem solvendis creditori cavet chirographo. Vide Plautum Asin. 2, 4, 34, et Horatium II, sat. 3, vers. 69.

122. Vat. B, Prag., Mar. a prima manu, *minis*, male, pro *numinis.* Tertullianus et Augustinus vocant etiam arcam, Paulinus mensam, Cyprianus corbonam, alii gazophylacium, secretarium, sacrarium, ubi scilicet opes ecclesiæ servabantur. Prudentius ante vers. 42, *cœlestis arcanum domus.* Vide Rosweydum ad Paulini epist. 34, et Binghamum tom. I, pag. 333, lib. II, cap. 21, ubi probat archidiaconum vocari *arcæ custodem.* Paulinus Petricordius, lib. IV de Vita S. Martini, *Protinus astanti diacono, quem more priorum Antistes sanctæ custodem legerat arcæ.*

123. Prag. scribit *volgabo.*

124. Ald., *quæ Christi*, minus bene.

126. Nebrissa recte notat vocem *induciarum*: quia scilicet Laurentius post triduum bellum cum præfecto gesturus erat.

Quo fungar efficacius
Promissionis munere.
Dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur:
Nam calculanda primitus,
901 Tum subnotanda est summula.
Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spe devorat
Aurum, velut jam conditum
Domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui:
Laudatus inde absolvitur
Laurentius, sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per Urbem cursitat
Diebus: infirma agmina,
Omnesque qui poscunt stipem,
Cogens in unum et congregans.

A Illic utrisque obtutibus
Orbes cavatos præferens
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
902 Vel crure trunco semipes,
Breviorve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.
Est ulcerosis artubus
Qui tabe corrupta fluat;
Est cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, assuetos ali
Ecclesiæ matris penu,
B Quos ipse promus noverat.
Recenset exin singulos,
903 Scribens viritim nomina,

GLOSSÆ VETERES.

127. Fungar, *utar.* — Efficacius, *operosius, melius, perfectius*, I.
128. Munere, *officio*, I.
129. Digestim, *ordinatim, ordinabiliter, rationabiliter*, I.
130. Supellex, *substantia, thesaurus*, I.
131. Calculanda, *numeranda, ordinanda*, I.
132. Summula, *numerus. Stipendium dicitur summula a sumendo*, I.
136. Gestiens, *gaudens, exsultans*, Iso.
139. Sponsor, *promissor*, I.
143. Stipem, *eleemosynam*, I.
144. Cogens, *colligens*, I.
145. Illic, *scilicet fuit.* — Obtutibus, *visibus*, I.
146. Orbes, *orbes dicunt vestigia aratri, sed non hic, nam scilicet sunt cavati oculi*, I.
149. Infracto, *valde fracto: genua habens, sed non utitur*, I.
150. Trunco, *syncope*, I.
153. Est, *scilicet illic*, Iso.
154. Tabe, *a tabe*, Iso.
155. Arens, *arida*, Iso.
159. Penu, *ærario, cellario*, I.
161. Exin, *mox, deinde, unde, exinde*, I.
162. Viritim, *sigillatim, per singulos, ordinatim, singulariter, per singulos viros*, I.

COMMENTARIUS.

130. In editione secunda Cellarii et in Parmensi scribitur *suppellex*, quod non patitur lex carminis.

131. Parrhasius, *Nam calculandum primitus. Calculare* occurrit apud Sidonium et alios non veteres; *calculator* apud Martialem, Ulpianum et vett. inscriptiones.

132. Alii habent *tum*, alii *tunc*.

134. Ald., Mar., Rat., Ambr., et alii antiquissimi Heinsiani, Parrhasius, Gis., *spem devorat.* Weitz. cum Pal. restituit *spe devorat*, ut legitur in Vatt. A, B, Alex., Rott., et conjectaverat Cauchius. Peveratus etiam legerat *spe devorat*, ac similem phrasim ex Cicerone pro Flacco allegaverat: *Amissum enim est præter spem, quod erat spe devoratum.* Veteres legebant et distinguebant *ac spem devorat, Aurum*, etc.

136. Fortasse præ oculis habuit locum Ciceronis in Pisonem: *Nummus interea mihi, Cæsar, neglectis ferculis triumphalibus, domi manet, et manebit.*

138. Rat., *Laudatur, inde absolvitur.*

141. Hailsbr. inepte, *per orbem.*

143. Nonnulli scribunt *omnisque.*

144. Ald., Parrhasius, Gis. ad oram, Weitz. scripti Heinsiani et nostri, *Cogens in unum, et congregans.* Fabr., Gis. in contextu, *Cogens in unum congregat.*

149. Parrhasius, *est claudus* pro *et.* Vat. B, *gradu;* supra, *genu.*

150. Mar., *truncus semipes*, supra *trunco.* Rat., *truncus, semipes.*

151. Tria claudorum genera describit, *fracto genu, trunco crure, breviore planta altera.*

156. Rott., *in unum contrahat.* Egm., *in ulnam contrahit.* Ulna est os brachii.

158. Weitz. scribit *asuetos*, quia ita invenit in Widm. Sæpe dixi ineptissimum esse ex unius vel alterius codicis errore certam scribendi rationem sequi.

159. Laudabilis olim hæc erat consuetudo, ut ec- C clesiarum penu pauperes alerentur; quæ maxime viguit in Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum matre ac magistra, quamvis quævis Ecclesia mater eorum qui in ea educantur recte etiam dicatur. Ante fores ecclesiæ pauperes consistebant, ut eleemosynas acciperent. Vide vers. 178.

160. Omnes vett. edd., etiam Parrhasius, ediderant *ipse primus.* Heinsius ex Pal. restituit *promus*, quod in Boher. pervetusto confirmatum reperit. Teolius in uno Vat. invenit *promus*, qui fortasse est Alex., ubi id videtur esse pro div. lect. In Vat. P est *primos.* Recentiores omnes sine ulla dubitatione arripiunt *promus.* Et sane *promus* convenienter dicitur, quia præcessit *penu*, et diaconi arcæ ecclesiæ præerant, ut notat Heinsius. Addo ex S. Paulino epist. 12 ad Severum inscriptionem a dextra apsidis: *Hic locus est, veneranda penus qua conditur, et qua Promitur alma sacri pompa ministerii.* Itaque primus diaconus, qui penum *fidis gubernabat clavibus*, ut ante dicebat D Prudentius (nam cœlestis arcanum domus est hæc penus) non immerito *promus*, et *promus condus* vocabitur. Nihilominus non penitus damno communem tot codicum lectionem *primus*, quæ etiam exstabat in antiquissimo codice Bollandianorum sæculi VIII aut IX. Potest enim intelligi Laurentium novisse pauperes, quia primus erat e septemviris seu diaconibus, ut vers. 37 expressum est, et ad primum diaconum cura pauperum spectabat, ut ex vers. 44 patet, *Votasque dispensans opes*, et colligitur ex concil. IV Carth. can. 17: *Ut episcopus gubernationem viduarum, pupillorum, ac peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat.* In comment. Ezechiel. cap. 48, Hieronymus ait: *Qui* PRIMUS *fuerit ministrorum, quia per singula concionatur in populos, et a pontificis latere non recedit, injuriam putat, si presbyter ordinetur.*

Longo et locatos ordine
Astare pro templo jubet.
Præscriptus et jam fluxerat
Dies : furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum martyr : Assistas velim,
904 Coramque dispositas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam :
Stabant catervæ pauperum,
A Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur :
Præfectus horrescit stupens
Conversus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille, Quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid displicet?
Num sordida hæc, aut vilia?
Num despuenda existimas?
905 Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat,
B Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.

GLOSSÆ VETERES.

164. Pro templo, *coram*, I.
165. Præscriptus, *a judice, deputatus*. — Fluxerat, *venerat, præteriit*, I.
168. Efflagitans, *postulans*, I.
169. Tum martyr, *ait*. — Assistas, *ut*, I.
170. Coramque, *palam*, I.
175. Patentes, *amplas*, I.
176. Structos, *cumulatos*, Mar.
181. Fragor, *clamor*, I.
183. In Laurentium, *contra Laurentium*, I.
188. Despuenda, *contemnenda*, I.
189. Sitis, *desideras*, I.
190. Rudera, *arizzi, vel stercora. Rudera dicun maceriam ruinæ*, I.
192. Pœnalis, *durus*. — Excudit, *fabricat, excoquit*, I.
194. Arenis, *sicut Pactolus et alii*, I.

COMMENTARIUS.

163. Teolius Ignatium Comum impugnat, quod affirmaverit Prudentium in his rerum adjunctis enarrandis paulo aliter ac in Actis referuntur, aut poetica licentia abusum, aut longe ab Urbe binis remotum Alpibus rem, uti accidit, non bene didicisse. Etsi autem descriptiones poeticæ amœniores narrationibus historicis esse debeant, tamen si qua sit in re ipsa C varietas, fides potius adhibenda est Prudentio quam Actis anonymis. Nam quod ait Comus, Prudentium hunc hymnum fecisse juvenem, et antequam Romam venisset, et poeta palatinus fuisset renuntiatus, nugæ hæ sunt sine ullo idoneo auctore prolatæ.

164. Nunc ait *pro templo*, postea vers. 173, *ingens atrium;* vers. 175, *per patentes porticus;* vers. 178, *sacratam januam :* quæ omnia probant Romæ domum amplam fuisse in quam Christiani ætate S. Laurentii conveniebant; et quæ tunc saltem a præfecto Urbis fuerit cognita. Hujusmodi ædes sacræ a primis Christianis non appellabantur *templum*, quod hæc vox nescio quid consecrationis paganæ indicaret. De re plane constat. Ad I sæculum pertinet quod auctor Recognition. in fin. refert : *Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam ecclesiæ nomine consecravit*. Eusebius, lib. VIII, cap. 1, narrat Christianorum numerum inter Valeriani et Diocletiani persecutionem adeo crevisse, D ut *priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias*. Optatus Milevitanus lib. I testatur ante persecutionem Diocletiani basilicas plures fuisse quæ Christianis ablatæ sunt, postea restitutæ. De ecclesiis in ultima persecutione Diocletianea solo æquatis passim loquuntur Arnobius, Lactantius, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gildas, et alii.

165. Gis. *en jam :* in prima ed., *et jam*, quod reliqui habent.

166. Ald., Put., Oxon., *fervidus Judex avaro :* plerique, etiam Heinsius, et Parrhasius, *fervido Judex avarus*.

170. Ald., Sich., Mar., et nonnulli alii cum Gis., Weitz., *dispostas*. Castigatiores Heinsiani, Alex., *dispositas*, quod a metro minime respuitur. Parrhasius edidit *dispositas*, in emendationibus subrogavit *dispostas*, quod aures magis probant.

172. Utitur Laurentius voce ambigua *sanctis*, qua intelligi possent sacraria et secretaria ecclesiæ, seu arca, vel etiam ipsum templum, et simul significantur pauperes Christiani : nam, ut constitit ad vers. 80, sanctorum appellatio Christianis omnibus tribuebatur : *Sanctum* pro temple non est vox solum ad Latinitatem inscriptionum referenda, quod nonnulli putarunt. Persius pro templo posuit *sanctum* sat. 2, vers. 69 : *Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum*.

181. Hailsbr., *fragor*, supra *clamor*.

183. Prag., *conversus ad*.

184. In Mar., Vatt. A, B, Rat. desideratur *que* post *oculis*.

185. Mar. a prima manu, Widm., *quid frens*.

186. Parrhasius emendavit *minaris :* sed probum est *minitaris*.

188. Parrhasius scribit *dispuenda*.

189. De siti auri vide vers. 45.

190. Sich. *stercora*. Retine *rudera*, Codex Ambr. scribit *offossa*, quod damnare non audet Heinsius ; nam in veterrimis Maronis exemplaribus occurrunt *offugere*, *offulgere*, *offore*, *obvolvi aris*, et similia. Vide Comment. ad vers. 410. Psychomachiæ. In glossa *arizzi* vocabulum est quod solum Isonem habet auctorem apud Ducangium.

192. Mar. a prima manu, Prag., Rott., *excludit*. Vox *pœnalis* Paulini, Prosperi, Sedulii, Aviti et similium est. Tertullianus etiam de eadem re cap. 27 Apolog. : *Itaque cum vice rebellantium ergastulorum, sive carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis servitutis erumpunt adversus nos*. De quo genere pœnæ agunt Gallonius et Sagittarius.

193. Rat., Bong., Widm., *et amnis* pro *vel amnis*. Vat. A, Egm., Hailsbr. a prima manu, *turbidus*.

195. Hac voce *terrulentus* usus etiam est in præf. Hamart., vers. 5.

196. Weitzius scribit *dequoqui* cum Hailsbr. Alii recte, *decoqui*.

Pudor per aurum solvitur,
    Violatur auro integritas,
    Pax occidit, fides perit,
    Leges et ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
    Extollis et magni putas?
    Si quæris aurum verius,
    906 Lux est, et humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
    Quos corpus arctat debile,
    Ne per salutem viscerum
    Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus disjicit,
    Animus viget robustior:
    Membris vicissim fortibus
    Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
    Minus ministrat virium,
    907 Si fervor effetus malis
    Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
    Malim dolore asperrimo
    Fragmenta membrorum pati,
    Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium
    Et confer alternas lues,
    Carnisne morbus fœdior,
    An mentis et morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
    Intus decoris integri,
    Sensum venusti innoxium
    Languoris expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
    Interna corrumpit lepra,
    Errorque mancum claudicat,
    Et cæca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum,
    Qui veste et ore prænitent,

GLOSSÆ VETERES.

197. Pudor, *castitas, verecundia*, I.
198. Integritas, *virginitas*, I.
199. Occidit, *deficit*, Iso.
201. Quid, *quare.* — Venenum, *avaris.* — Gloriæ, *aurum dicit*, I.
202. Magni, *pretii esse*, I.
204. Et, *etiam.* — Humanum, *scilicet aurum*, I.
205. Hi, *mendici.* — Alumni, *socii, vel filii.* — Luminis, *regni cœlorum*, I.
206. Arctat, *affligit*, I.
208. Insolescat, *superbiat, sine consuetudine vivat, intumescat.* — Turgida, *superba*, I.
209. Cum, *quando.* — Disjicit, *secat, consumit, lacerat; disperdo, disjicio*, I.
210. Viget, *interius*, I.
211. Vicissim, *mutuatim*, Iso.
212. Sensuum, *mentium*, I.
213. Nam, *quoniam.* — In, *ad*, I.
215. Effetus, *infructuosus, vacuatus*, I.
216. Elumbe, *infirmam libidinem, quia sine viribus facit, infirmum, debile, infirmam libidinem.* — Contrahat, *colligat*, I.
221. Committe, *compara.* — Pestium, *vitiorum*, I.
223. Carnisne, *utrum*, Iso.
227. Venusti, *pulchri*, I.
229. Valentes, *robustos*, I.
231. Mancum, *curve*, I. *Adverbium.* Prag.
233. Quemvis, *quemcunque affer*, I.
234. Ore, *facie*, I.

COMMENTARIUS.

200. Lucanus lib. III, vers. 118: *Usque adeo solus ferrum mortemque timere Auri nescit amor: pereunt discrimine nullo Amissæ leges.* Virgilius, lib. VI, vers. 622, *Fixit leges pretio, atque refixit.* Verum de avaritia, radice omnium malorum, hujusmodi sententiæ passim sese offerunt.

201. Nebrissa explicat aurum esse venenum gloriæ, quia eo vera gloria perit, aut quia more christiano gloria accipitur pro vita æterna. Prima interpretatio magis placet: sic *pudor per aurum solvitur, violatur auro integritas*, etc.

204. Teolius ita hunc versum exponi posse arbitratur: *Si quæris aurum, illius splendore raptus, scias humanum genus esse lucem, et pauperes esse alumnos seu participes lucis.* Verius et simplicius Nebrissensis: *Christus, qui est lux mundi, et homines ab eo redempti. Unde subdit: Hi sunt alumni luminis; de quo lumine Joannes præbuit testimonium cap.* I. Sane Laurentius occasione auri, quod præfectus cupiebat, Christum verum aurum et lucem opportune illi prædicavit. Toletus in cap. I Joannis, *Magno consilio utraque locutione Joannes in præsenti usus est: dixit enim: In ipso vita erat, ubi vita pro ea quam Verbum efficit et dat nobis, ponitur. Postea subjunxit: Et vita erat lux, ubi vita pro ipso Verbo, quod est causa vitæ, accipitur.*

209. De hoc verbo *disjicit*, aut *dissice*, ut plerique codd. scribunt, aut uno *s disicit*, ut habet Rat., dictum jam est ad hymn. I Cath., vers. 97. Ald., Fabr., Gis. in contextu, *dissecat.* Parrhasius, Gis. ad oram, Sich. et alii, *dissicit.* Gifanius in PROICERE ait se in Ovidii et Prudentii mss. invenisse *dissicit*, et in quodam vet. Prudentii *disicit;* et apud Virgilium in vet. lib. *dissice* constanter exaratum, monuisse Pierium. *Cæterum* (addit) *ut ingenue dicam quod sentio, de his locis mihi non liquere profiteor, sed mutationes odi... Quærendum ergo amplius.* Weitzius et Heinsius amplexi sunt *dissicit.*

210. Ep. II ad Cor., cap. XII, v. 10: *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Ludovicus a Ponte egregium librum edidit de Thesauro ægritudinum corporis.

211. Ald., *mentis.* Sich. cum id invenisset, recte restituit *membris.* Parrhasius jam ediderat *membris.*

213. Parrhasius *in culpam cordis*, quod metri lex non patitur.

215. Mar. scribit *fervos.* Hailsbr., *effectus malis.* Lege *effetus.*

222. Parrhasius primum scripsit *luces;* quod metro adversatur, correxit *vices:* sed melius est *lues.* Hailsbr., *alteras lues.*

228. Ald., Vat. A supra, Pal., Oxon. et alii edd. atque mss., *laboris.* Urb., Vatt. B, Q, Weitz., Mar., Rat., Sich., *languoris*, quod rectius est. Alex., Parrhasius scribunt *langoris.* Vat. Q, mendose, *langores experti.* Weitzius edidit *languoris experti.* Lege *expertes.*

231. Parrhasius, *errorque mancus.* Mar. pro div. script. *mance.*

233. Ald., Vat. A supra, Widm. supra, Fabr., Gis. prima ed., *principum.* Melius alii, *divitum*, ut respondeat mox *pauperum.*

234. Vat. A, *prænitet*, quod pro diversa scriptura a Weitzio indicatur, et exstat in Fabricio. Giselinus mendose edidit *pœnitent*, et correxit *prænitent;* Heinsius et Chamillardus mendose etiam *pœnitent.* Ruinartius ex ms. S. Michaelis restituit *prænitent.* Verum *prænitent* jam olim exstabat in editione Aldina, et Tornæsiana an. 1553, Parrhasiana aliisque. Suspicatur Ruinartius legendum *et auro:* quo fortasse alludit Alex., *Qui veste et oro præni ent.*

908 Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.
Hunc, qui superbit serico,
909 Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus.
Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas in volam,
A Plicans et uncis unguibus,
Laxare nervos non valet.
Istum libido fetida
Per scorta tractum publica
Luto, et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid ille fervens ambitu,
910 Sitimque honoris æstuans,

GLOSSÆ VETERES.

236. Pauperum, *scilicet sit*, I.
237. Serico, *purpura*, I.
239. Hydrops, *hunc*, I.
242. Volam, *in mediam palmam*, *medietas palmæ*, Iso.
243. Uncis unguibus, *ungulis curvis*, I.
246. Scorta, *scortum*, *quasi sortum. Sortum est solea : sicut enim solea maceratur in manu sutoris, sic pellicula meretricis ab adulteris*, I.
247. Cloacis, *lacubus*, *sordibus*. *Cloacæ sunt loca in quibus adunatur stercus civitatis*, I.
249. Fervens, *ardens desiderio*. — Ambitum, *cupiditatem*, *honorem*, Iso.
250. Æstuans, *desiderans*, I.

COMMENTARIUS.

236. Ald., Bong., *meorum pauperum*, sine *est*.

237. Teolius ex Mazochio tom. I Specim. Biblic., dissert. 8, part. 2, etymon *serici* refert ad arborem sorek, cujus mentio fit Genes. XLIX, 11. De eodem origine jam disseruerat Becmanus de Orig. Lat. ling. verbo SER ex Buxtorfio et Kimchio, qui tamen *sorek* proprie interpretantur surculus. Accipitur plerumque *sorek* pro vinea. Communis opinio etiam antiquissimorum scriptorum etymologiam repetit a Seribus, quod nomen est animalium nentium metaxam, sive rude sericum, et populorum ubi hæc animalia nutriuntur. Nonnulli ex arboribus sericum sine bombycum opere fieri putant : sed verius videtur, antiquos scriptores arborum mentionem facere, quod in arboribus vermiculi seres lanam, sive sericum texunt. De comparationibus morborum corporis cum vitiis animi videri possunt Chrysostomus, Basilius aliique SS. Patres, qui in eis explicandis frequentes sunt. Giselinus, quoniam medicum agebat, diligentius, et peritius, quantum quidem ad rem medicam pertinet, hos versus illustrat, cujus explicationem juvat proferre. Elatos homines ac superbos hydropicis similes facit Prudentius, quibus crudorum humorum copia vitiatæ sanguinis massæ affusa, cutim prætumidam reddidit. Ambitiosos, et honorum cupidos χαύσῳ laborantibus; his enim, cum a curis, vigiliis intensisque cogitationibus morbus oriatur, perpetua frigidæ sitis, ampla et frequens exspiratio, bilis vomitus, immensus ac mordicans totius corporis calor fere adsunt. Avaros, et ὀξύχειρας, quod iis manus tenaces sint, et ad rapiendum paratæ, chiragricis comparat : tales, ne dolorem ab humore maligno in digitorum vinculis, et articulos impacto excitatum augeant, neque manus adducunt omnino, neque etiam explicant : sed in medio quodam situ continent, qui et maxime doloris sit expers, et naturæ consentaneus. Sic etiam malevolos obtrectatores hepaticis seu spleneticis : fortasse quod cum his omnia membra sint arida et præ inedia consumpta, tamen cibum fastidiant, bilis vomitione prorumpat, ungues denique a scalpendo non contineant : quæ omnia ad calumniatores non illepide quis traduxerit. Invidos præterea cum strumosis, seu χοιραδώδεσι confert, nec male, quoniam hujusmodi morbi genus adipem carni circumsitam, ipsamque adeo cutim exedit, et ulcus in dies serpendo ulterius reddit malignius. Postremo idololatras regio morbo laborantibus non dissimiles esse ait; quod quemadmodum isti, ut valetudinem recuperent, lectis mollioribus, ludis, lasciviaque demulceri debent : ita infelices dæmonum cultores, cum religio iis pro ludo et inani plebeculæ terriculamento sit, ex impotenti fere mollitie, insolentia, et dissolutione eo cæcitatis abripiantur. Rude et incultum quid iis Deus sonat. Dii immortales dicendi sunt eis sua fata, cœli cursus, orbiumque cœlestium genios affingunt, idque B animi causa, cæteroquin ἄθεοι, et nihil minus, quam immortalitatem somniantes. Quod ad ganeones attinet, qui se ad putidissima usque scorta complectenda abjiciunt, eos non ægrotis, sed infimæ sortis hominibus foricas, latrinas, et cloacas everrentibus pares facit.

239. Ald., Heinsiani omnes, Fabr., Weitzius, nostri, Sich., *lucido*, et notat Nebr. ex Horatio, *Turgescit vitrea bilis;* ex Persio, *splendida bilis;* Heinsius vero ex Horatio, *Aquosus albo corpore languor*. Gis. ad oram, *lurido*, quod Heinsio non displicebat. Parrhasius, *livido*. Teolius ait *lucido* habere mss. omnes, *lurido* editiones. At pleræque editiones clare *lucido* præferunt.

240. Heraldus in Arnobium lib. II, pag. 149, plura de avarorum moribus habet, et hos ipsos versus ex Prudentio, quos tamen ex martyrio Vincentii desumptos per memoriæ errorem dicit.

242. Gronovius, cap. 5 Observat. eccles., ex Widm. Weitzii legit *Manus recurvas in volam*, et cum in C vulg. sit *Manus recurvas, et volam*, ipse retinere vult *Manus recurvas in volam, et Plicans*. Heinsius cum vulg. facit, et cum Heinsio Teolius, qui Heinsio favere melioris notæ codices Vaticanos affirmat. Cellarius secutus est codicem Widmanianum, cui revera astipulantur Vat. B, Mar., Rat., Prag. Recte dicitur *contrahere manus recurvas in volam*, ut vers. 156, *Nervos in ulnam contrahat*. De avaris Psychom. vers. 465, *Spoliisque ungues exercet aenos*.

243. Quod Gronovius volebat *in volam, et plicans aduncis unguibus*, concinnius ex nostris codicibus Mar., Rat., Prag., Vat. B, restituimus, scilicet *Plicans et uncis unguibus*, non *plicans aduncis*, ut hactenus editum est. Egm., Pal., Widman. supra minus recte, *ungulis* pro *unguibus*. Ungula dici solet de animalibus, quæ digitos non habent. In Isone *ungulis* fortasse est diversa lectio.

246. In glossa corrigendum videtur *corium* pro *sortum :* nam etymon *scorti* trahitur a *corio;* et *scortum* proprie est pellis crassior.

D 248. Plautus Amph. act. IV, sc. 2, vers. 12 : *Quia senecta ætate a me mendicas malum.*

249. Widm., Bong., Sich., Mar., Vat. B, Rat., *ambitum*, *Sitimque*, quod tenuit Teolius, quia ab Heinsio hæc lectio commendatur. Ipse Heinsius edidit *ambitu*, *Sitimque*, ut exstat in Ald. et multis mss. Miratur Teolius Chamillardum adhuc habere cum vett. edd. *ambitu*, *Sitique*. At in Chamillardo idem lego quod in Heinsio, *ambitu*, *sitimque*, nisi quod Heinsius scribit *sitem* cum Egm. Becmanus verbo *æs* ex Pal. ms. legit *ambitu*, et mendosum *ambitum* in aliis esse putat. Notat vero ambitum pro ambitione poni. De hac phrasi *æstuare sitim* vide comment. ad vers. 9, lib. I contra Symmachum.

250. Parrhasius cum aliis vett. edd., ut dictum est vers. sup., legit *ambitu*, *Sitique*.

Mersisne anhelat febribus,
 Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans
 Silenda prurit prodere,
 Vexatur, et scalpit jecur,
 Scabiemque cordis sustinet.
Quid invidorum pectorum
 Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta et livida
 Malignitatum vulnera?
Tute ipse, qui Romam regis,
 Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
 Morbo laboras regio.
Hi, quos superbus despicis,
 911 Quos exsecrandos judicas,
 Brevi ulcerosos exuent
 Artus, et incolumes erunt
Cum carne corruptissima
 Tandem soluti ac liberi,
 Pulcherrimo vitæ statu
 In arce lucebunt Patris :
A Non sordidati, aut debiles,
 Sicut videntur interim;
 Sed purpurantibus stolis
 Clari, et coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
 Coram tuis obtutibus
 Istos potentes sæculi
 Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
 Et mucculentis naribus,
 Mentum salivis uvidum,
 Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius.
 912 Nil tam leprosum aut putridum :
 Cruda est cicatrix criminum,
B Oletque ut antrum tartari.
Animabus inversa vice
 Corrupta forma infligitur,
 Quas pulcher aspectus prius
 In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
 Quos proxime spoponderam,

GLOSSÆ VETERES.

251. Mersis, *occultis, in mentem mersis*, I.
254. Prurit, *quasi perurit, ardet. Prurigo ex ardore nimio venit*, I.
255. Vexatur, *se cædit.* — Scalpit, *scabit*, I.
258. Strumas, *tumores, chelen.* — Retexam, *referam*, I.
259. Purulenta, *putrida, venenosa, a pus, puris*, I.
264. Morbo regio, *elephantico. Regius morbus, et arcuatus, et ictericus, et elephanticus. Regius ideo dicitur, quia non potest curari nisi regiis cibis; aut quod regionem mortis pandat; elephantinus, eo quod elephantino osse curetur: arcuatus, eo quod colorem arcus cœlestis habet*, I., Vat. A.
267. Brevi *tempore, statim*, I.
274. Interim, *nunc usque dum, hic est*, I.
277. Facultas, *possibilitas.*— Suppetat, *abundat*, I
280. Recensendos, *numerandos*, Iso.
282. Mucculentis, *sordidis. Murcus, qui præcisum habet nasum*, I.
284. Lipposque, *scilicet oculos.*— Putri, *humida*, I
285. Tetrius, *nigrius*, I.
C 286. Leprosum, *leprosus a laterum pruritu*, I.
289. Animabus, *vacat.*— Inversa vice, *una pars*, I
290. Forma, *imago*, I.
293. En ergo, *scilicet habes, præsentatim*, I.
294. Proxime, *nuperrime*, I.

COMMENTARIUS.

251. Parrhasius, *mersusne*, quod melius fortasse est quam *mersisne*. Hailsbr., *habebat*, male, pro *anhelat*.

256. Vat. A, *sordis*, supra recte *cordis*.

261. Ald., Pal., Parrhasius, Heinsius, cum aliis edd., *tute ipse*. Weitzius, *tu et ipse*, quod confirmant Vatt. A, B, Mar., Rat., Prag.

263. Heinsius cum Put., *colis*. Alii edd. et mss., *coles*, nisi quod Cellarius et Chamillardus Heinsio adhærent.

269. Weitz., *quin carne*. Alii, *cum*.

273. Mar., Rat., *ac debiles*.

276. Weitzius explicat coronas aureas martyribus donari ad similitudinem militum. Verum hic sermo est de Christianis pauperibus, qui in arce lucebunt Patris, si recte vixerint, sive martyres fuerint, sive secus. Omnes igitur qui vitam æternam consequentur, coronis aureis, quas vers. 926 Hamartigeniæ *rutilas* Prudentius vocat, donabuntur. Paschalius, de Coronis lib. VIII, cap. 5, ostendit ex Prudentio martyres Christi ad similitudinem militum, sicuti triumphatores tyrannicæ impietatis, coronis aureis insigniri.

277. Ald. et alii scribunt *tunc si*.

281. Terentius Heaut. II, 3, 53, *Pannis obsita, neglecta, immunda illuvie*.

285. Ald., *nihil;* ita edidit Parrhasius, sed emendavit *nil*. Posset retineri *nihil* monosyllabum, aut recepto tribrachy secundo loco.

286. Pro *aut*, Mar., Rat., Vat. P, habent *ac*. Egm., Hailsbr., Palat., Vat. A, Heinsiani potiores, *putidum* Ald., vett. edd., etiam Parrhasius, Vat. P, Q, Alex., Urb., Mar., Rat., aliique multi, *putridum;* neque video cur Teolius Vaticanos pene omnes pro *putidum* allegaverit. Heinsius quidem legit *putidum*, sed duabus manibus rationibus permotus, quia *putri* jam præcessit, et quia Prudentius primam in *putris* solet corripere. Nollem id ab Heinsio dictum. Nam præcessit *putris*, non *putridus*, et sensu nonnihil diverso. Quod autem Prudentius primam in *putris* corripere solitus sit, quid vetat quominus syllabam certo communem vel in *putris*, vel in *putridus* aliquando produxerit? Imo produxit in *putris* hymn. 7 D Cath., vers. 9. *Arvina putrem ne resudans crapulam.*

288. Virgilius VI Æn., *Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis : talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat. Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum.* Hinc *fauces graveolentis Averni*.

289. Scriptores posterioris ætatis ita sæpe sunt locuti; et præponebant quidem participium *versa vice*, non *vice versa :* Prudentius metri causa *inversa vice*. In glossa *vacat* mendum cubare videtur. Prudentius ait, animabus quas olim pulcher aspectus delectaverat in corpore, econtrario corruptam formam infligi, quod explicat Nebrissa verbis Aristotelis in Ethic. : *Pœnæ medicinæ quædam sunt, ut quæ per contraria fieri debent, ut qui dum viverent erant ornatus studiosi, in morte sint deformati*

Quos nec favillis obruat,
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes:
Gemmas corusci luminis,
913 Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ:
His illa gemmis comitur,
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.

A Eccum talenta suscipe,
914 Ornabis urbem Romulam,
Ditabis et rem principis,
Fies et ipse ditior.
Ridemur, exclamat fremens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur,
Et vivit insanum caput!
Impune tantas, furcifer,
Strophas cavillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas
915 Tractare nosmet ludicris?

GLOSSÆ VETERES.

303. Damnum, *amissionem*, I.
304. Ignis, *amoris*. — Nescias, *viduas*, I.
305. Monile, *ornamentum*, I.
306. Comitur, *ornatur*, I.
307. Dotata, *ornata*, I.
309. Eccum, *ecce*, I.
317. Furcifer, *exclamative*, *succensor ignis*, I.
318. Strophas, *versutias*, *fraudes*; *versutias*, *stropha fraus quæ techna vocatur*, *unde strophosus fraudulentus vocatur*. — Cavillo, *derisione*, *vel deceptione*. B *Cavillum convicium cum joco*; *illusione vel deceptione derisoria*. — Mimico, *scurrili*, I.
319. Nexuisse, *involvisse*, I.
320. Saltas, *saltare facis*, *vel saltando dicis*, I.
321. Concinna, *composita*. — Visa, *scilicet est*. — Urbanitas, *eloquentia*. *Conveniens urbanitas*, *id est pulchritudo. Cinnum genus potionis ex diversis mixturis compositæ*; *inde concinna res*, *ex diversis composita sententiis*, Iso.

COMMENTARIUS.

295. Hailsbr., *quod nec*. Ex Luc. XII, 33: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt*, *thesaurum non deficientem in cælis: quo fur non appropiat*, *neque tinea corrumpit*.

299. Ald., Gis. prima ed. in textu, *numinis*; melius alii *luminis*. Sic vers. 203, *Hi sunt alumni luminis*: quanquam hoc loco gemmarum splendor intelligi poterit.

300. Singulare hoc notandum, quod relativo *quibus* absolvatur stropha, raro trajectionis exemplo.

301. Mar. a prima manu, Prag., Widm., *cerne*; Hailsbr., *cernes*. Alii, *cernis*.

302. Bong., Fabr., Pal., Gis. prima ed., *mireris*, alii, *miraris*. Nebrissensis et Chamillardus *anus intactas* intelligunt esse viduas *ignis secundi nescias* post damnum primi tori, quamvis alias a Virgilio *intacta* virgo dicatur. Existimo hic etiam ipsas sacratas virgines vocari *intactas anus*, quod virginitatem ad senectutem conservaverint; tum his addi viduas *ignis secundi nescias*. Scilicet aliæ sunt intactæ, aliæ ignis secundi nesciæ. Aldus quidem et Parrhasius ita distinguunt, ut interrogationis notam post *intactas anus* apponant, et Iso glossam *viduas* apponit post *nescias*. Gothofredus, in lege 2 cod. Theod., lib. IX, tit. 25, suspicatur legendum *inviras*, quasi univiras, seu viduas pro *vel invitas*, quia a Prudentio hoc loco aliisque Patribus viduæ et virgines junguntur, raptusque earum exæquantur. Verba ejus legis, a Joviano latæ anno 364, ita habent: *Si quis non dicam rapere, sed vel attentare matrimonii jungendi causa sacratas virgines*, *vel invitas ausus fuerit*, *capitali sententia feriatur*. Conjicit præterea legi posse *vel non invitas*. Sed mihi sententia legis recte procedere videtur; scilicet prohibetur attentari matrimonii jungendi causa virgines sacratas, etiam non invitas, aliasque non sacratas invitas: quod pluribus confirmare possem, sed non vacat.

305. Hoc elogium virginum et viduarum addi poterit innumeris aliis quibus Christiana castitas merito celebratur. S. Cyprianus in libr. de Disciplina et Habitu virginum: *Flos est ille ecclesiastici germinis*, *decus atque ornamentum gratiæ spiritalis*, *læta indoles*, *laudis et honoris opus integrum atque incorruptum*, *Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini*, *illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas*, *atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas*: *quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit*, *tanto plus gaudium matris augescit*.

307. Ecclesia comparatur sponsæ ornatæ viro suo Apocalyps. cap. XXI. In hymno Dedicationis ecclesiæ ad vesperas, *Sponsæque ritu cingeris*... *Dotata Patris gloria*.

C 309. Sichardus, *talentum*. Alex., *alenta*, supra *talenta*. Parrhasius, *Hæc tu talenta suscipe*, quod Latinius est. Alioquin *eccum* erit purum adverbium.

311. Horat., ep. 1, lib. I, *Ut rem facias*, *rem Si possis recte*, *si non*, *quocunque modo rem*. Patrimonium *res* significat.

313. Parrhasius, Rat. a prima manu, Vat. A a prima manu, Mar., Vat. B, Egm., Pal., Hailsbr., Ambr., Thuan., Alt., Rott., tres Torrent., Heinsius, Gis. ad oram, *fremens*. Weitzius cum aliis, *furens*

314. Ald., *et miris*; alii, *ac miris*.

317. Isonis glossam non intelligo. Notum est *furciferum* vocatum servum qui ignominiæ magis quam supplicii causa furcam circa viciniam, aut per urbem ferre cogebatur. De furca tam veteri quam nova Lipsius lib. III de Cruce.

318. Thuan., *capillo*, male. Apud Sedulium lib. V perperam circumferri *labellis*, et *favillis* pro *cavillis*, notavit Heinsius: *Jam jamque volant mendacia mille In Dominum vanis hominum conflata cavillis*. Mimus D ab imitatione rerum vilium et personarum dicitur: hinc pantomimus omnium rerum imitator. Solebant autem mimi jocos et sententias in illa sua repræsentatione miscere, ac celebres sunt sententiæ Publii Mimi. Lactantius, lib. VII, cap. 12. *Sententia deliri hominis ridicula mimo dignior quam schola fuit* quod sumpsisse videtur ex Minucio: *Non philosophi sane studio*, *sed mimici vitio digna ista sententia visa est*. Alii legunt *mimico officio*, alii *mimi convicio*. Heraldus vero suspicatur legendum *mimi cavillo*, vel *cavillitio*, vel *mimico cavillitio*, quia *cavillari* proprium est mimorum.

319. Recte *strophas nectere* dicitur. Ammianus lib. XV, *Et Paulo quidem* CATENÆ *inditum est cognomen*, *eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis*.

320. Saltabantur etiam fabulæ et carmina, hoc est, saltu repræsentabantur, de quo plura ad Romanum. Ovidius, lib. V Trist., eleg. 7: *Carmina quod pleno saltari nostra theatro*.

Egon' cachinnis venditus
Acroma festivum fui?
Adeone nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis: Libenter oppetam:
Votiva mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
916 Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, et differam
Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
917 Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.

GLOSSÆ VETERES.

324. Acroma, *gloriosus ludus. Acroma proprie lyrarum auditio; hic autem jocus accipitur, vel carmen scenicum*, I.

325. Adeone, *nonne adeo*, I. — Austeritas, *severitas*, Mar. — *Severitas, asperitas*, I.

326. Fascibus, *honoribus*, I.

327. Adeon', *in tantum*, I.

329. Oppetam, *moriar. Oppetere quasi terram petere; nam viri fortes, dum moriuntur, terram more (forte morsu) petunt, ne vox audiatur*, I.

330. Votiva, *desiderabilis*, I. — *Cara*, Mar.

333. Impertiam, *sinam*, Mar.

335. Compendiosus, *brevis, difficilior*, I.

339. Inextricabilis, *infinibilis, vel insolubilis, indissolubilis*, I. — *Infinalis, indissolubilis*, Mar.

344. Abdita, *occulta, secreta*, I.

345. Senescens, *deficiens*, I.

347. Sensim, *leniter*.

348. Semustulati, *semiusti: semustulatus et semiustus unum sunt*, I.

350. Mysteriarches, *princeps mysteriorum*, Mar. —*Princeps minister, mysterii princeps; et Græcum est.* —Incidit, *scilicet in pœnam*, I.

352. Debeant, *scilicet alii*, I.

COMMENTARIUS.

323. Parrhasius, Heinsius cum Ambr., Ruinartius, *ergon' cachinnis;* Hailsbron., *ego;* alii, etiam codex Bolland., *egon' cachinnis*. Bong. male, *chachinnus*.

324. Vat. A, Parrhasius, *ac Romæ festivum*, renuente metro et sensu. Heinsiani scripti, Ald., Vat. B, Mar., *acroma;* alii, *acroama*, quod defendi potest. *Acroama*, sive malis scribere *acroma*, Latine est auditio, sed accipitur pro festiva jucundaque narratione, et interdum pro homine qui eam recitat. Prudentius fortasse imitatus est Ciceronem 6 in Verrem: *Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario discederet;* et pro Sextio: *Ille ipse ludius non solum spectator, sed etiam actor et acroama*. Ruinartius auditionem seu auditorem etiam ejuscemodi narrationis acroamatis nomine aliquando designari putat, quod ego dubium esse de auditore judico.

325. Parrhasius, *adeo nulla;* Ald., *adeone ulla*. Utrumque male.

326. Heinsius non assentitur Salmasio, qui hoc loco censuram capit pro dignitate: sic censura oris, ut ait, et vir censorius sumitur pro pulchro. Chamillardus favet Salmasio. Melius tamen intelligitur censuram esse severitatem, cui mox respondet lenitas. Nihil enim obest quod præcesserit austeritas; nam eadem sententia amplificatur.

327. Mar., *adeone securim*, quod non ausim damnare. Vocat *securim publicam*, ut hymn. super. vers. 55, *bipennem publicam*. Parrhasius scribit *securem*.

328. Ald., Parrhas., *retudit*, male.

329. Glossæ etymon non accipio. *Oppetere* dicitur qui rem sibi contrariam petit: sic *oppetere mortem*, et simpliciter *oppetere* dicitur de viro forti qui mortem petit, quamvis contra naturam sit.

332. Vanum et ineptum credebant ethnici in Christianis velle mori spe futuræ vitæ. Minucius: *Proh! mira stultitia et incredibili audacia spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt et futura; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent*. Lactantius, lib. VII, cap. 5: *Ita necessè est sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona quæ non cernuntur, dimittit e manibus quæ videntur.... Quod accidit nobis cum neque cruciatum neque mortem pro fide recusamus*. Nota vocem *persuasionis*, quæ pro opinatione vana et inepta sumi solebat, et præsumptio etiam dicebatur. Minucius: *Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari*. Ammianus, quamvis ethnicus, hanc constantiam in Christianis laudare videtur lib. XXII: *Qui deviare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur*.

333. Parrhasius perperam, *sed jam*.

336. Arnobius lib. II, in fine: *Itidem et vos flammis, exsiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis et diu vexatis nostra*. Alii paulo aliter legunt.

337. S. Augustinus, tract. 27 in Joann., de S. Laurentio: *Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est: imo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est*. S. Cyprianus ad Demetrianum: *Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici, ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia*.

338. Petrus Faber, lib. III Semestrium, cap. 8 mallet *moratam*. Sed nihil est necesse, ut monet Heinsius.

339. Prag., Mar. a prima manu, ut videtur, *ut mors;* alii, *et mors*. *Mors inextricabilis* sumitur pro morte lenta, et quæ finem invenire nesciat, ut notavit Mariettus.

340. Mar., Prag., Rat., Widm. supra, Urb. a prima manu *protrahat*. Sic melius, *ut... mors protrahat*. Alii, *protrahet*.

315. *Vapor* pro calore apud optimos quosque scriptores, Lucretium, Virgilium, Horatium, etc., sæpe ponitur. Virgilius lib. V, *Lentusque carinas Est vapor*. Vide Gifanium verbo VAPOR indic. Lucr.

348. Ald., et codex Bolland., *semustulati:* Parrhasius et alii, *semiustulati*.

350. Mysteriarches dicitur, quia primus et princeps erat diaconorum, quibus cura incumbebat erudiendi fideles de mysteriis fidei. Vide comment. ad vers. 160.

352. Weitz., Gis. ad oram, *quod mox;* ita etiam Mar., Prag.

Conscende constratum rogum;
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa,
Nil esse Vulcanum meum.
918 Hæc fante præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra, et tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgorque circumfusus est.
Talem revertens legifer
De monte vultum detulit:
Judæa quem plebs, aureo
Bove inquinata, et decolor
Expavit, et faciem retro
Detorsit impatiens Dei.
Talemque et ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
919 Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat:
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
Ægyptiæ plagæ in modum,
Quæ, cum tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet:
His nidor, illis nectar est.

GLOSSÆ VETERES.

356. Vulcanum, *ignem*, I.
359. Nudare, *despoliare*, I.
360. Vincire, *ligare*, I.
361. Os, *facies*, I.
363. Legifer, *Moyses*, I.
368. Impatiens, *non sustinens*, I.
371. Per imbrem, *per densitatem*, I.
373. Illuminatum, *manifestatum*, *manifestum*. —Hoc, *genus fuit*.—Eminus, *elonge*, I.
374. Recens, *recenter*. — Piatis, *baptizatis*, I.
378. Os, *faciem*.—Oblitum, *circumdatum*. — Situ *tenebris*, I.
379. Nigrante, *nigro*, I.
380. Clarum, *claritatem*, I.
384. Sudo, *sereno*. *Sudum dicimus, quasi sub udum serenitas quæ post pluvias fit*, I.
385. Quin, *insuper*.— Qualitas, *scilicet Laurentii*, I.
388. Nidor, *fetor*. — Nectar, *dulcedo*. *Omnis suavitas odoris dicitur nectar*, *odor suavis*, I.

COMMENTARIUS.

353. Gis. ad oram, Weitzius cum plerisque suis, *constructum*. Melius, *constratum*, ut supra, *Prunas tepentes sternite*.

354. Gallonius, cap. 7, tabula 17, describit craticulam ferream qua assatus est S. Laurentius, quæ religiose asservatur partim in ecclesia S. Laurentii in Lucina, partim in Paneperna. Sagittarius descriptionem Gallonianam in dubium vertit cap. 10, cum non possimus, ut ait, Laurentianæ craticulæ Romæ asservatæ reliquiis tuto præstare fidem. At præter venerabilem antiquitatem, eo majorem fidem his reliquiis præstare possumus, quod tribus costis cratis illa constet. Ado ita lectulum sive cratem ferream describit: *Allatus est autem lectus cum tribus costis, et exspoliatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream: et allati sunt batuli cum prunis, et miserunt sub cratem ferream. Qui cum furcis ferreis coarctaretur desuper, dixit*, etc. A batulo, qui est pala ferrea, fit diminutivum batillus, Hispanis, *badil*. Gallonius inter cratem et lectum ferreum distinguit, quod lectus ferreus esset instar veri strati, craticula pluribus costis ad longum inter se distantibus esset fabricata. Vide tabulam 17. Sagittarius de hac distinctione dubitat. Hoc quidem loco lectulus pro crate ferrea ponitur. De veneratione qua S. Laurentii craticula jam a Justiniani imperatoris et a S. Gregorii Magni temporibus colebatur, videri possunt Bollandiani.

355. Rat., Vat. B, Mar., Prag., *tunc si licebit*. Alii, *libebit*.

356. Prag. scribit *Volcanum*. Intelligitur de deo et de igne. Nam Laurentius deos irridebat: sic vers. 403: *Et fac periclum, quid tuus Vulcanus ardens egerit*.

358. Hailsbr. male, *torrentes parant*.

359. Mar., Parrhasius, Rat., *amictum*. Melius *amictu*.

360. Alex. a prima manu, *vincere;* Vat. A, *vinciri*. Utrumque corrigendum.

363. Vide Exod. XXXII et XXXIV

366. Male nonnulli vulg., *et die color* pro *et decolor*

369. Vide Act. apost. VI et VII.

372. *Cœlos* numero plurali Lucretius dixit, vix alius e profanis. Apud Christianos usitatissimum id est e sacris litteris et Hebraico stylo.

373. Nebrissa suspicatus est aliter esse legendum; exponit autem *illuminatum* de fulgore, quem videbant baptizati, et non pagani: sed hæret dubius an sermo sit de fulgore Stephani an de Laurentii; nam huic etiam *os decore splenduit*. Giselinus Ægyptiis cæciores esse pronuntiat, qui mendum subesse putant, eosque affirmat in media luce cæcutire: rem tamen sibi claram cæteris non explicuit. Cellarius ait sensum esse Christianos omnes qui astabant, cœlum apertum vidisse: non autem paganos, indignos tanta luce. Videtur ergo id accipere de cœlo aperto, dum Stephanus lapidibus obrueretur. Certum tamen mihi est Prudentium de fulgore S. Laurentii loqui: de cujus odore simile miraculum pergit narrare vers. 385, *Quin ipsa odoris qualitas*.

375. Heinsius, lib. I Adv., cap. 6, conjicit *baptisma ratum*. Nihil est necesse mutare. Hi videntur esse Patres, qui postea laudantur vers. 490.

379. Cath. hymn. 7, vers. 154, *Nigrante vultum contegit velamine*.

386. Virgilius lib. XII: *Nidoremque ambusta dedit*. Vide Elmenhorstium ad Arnobium lib. VII, pag. 146.

387. Rat., *diverse*, non male.

388. De nidore vide comm. ad vers. 759 Apoth. *Nectar* sumitur pro odore ex nectare effluente. Ovidius Metam. lib. IV: *Nectare odorato sparsit corpusque locumque*. Lucretius lib II: *Et nardi florum, nectar qui naribus halat*. Prudentius, hymn. S. Vincentii, vers. 280, *Redolente nectar carcere*. Gifanius advertit translationes ex uno sensu in alium sumi solere, ideoque poni nectar pro odore suavissimo. Sed melius diceret causam poni pro effectu: ut si quis vinum pro odore vini suavissimo usurpet.

Idemque sensus, dispari
Variatus aura, aut afficit
Horrore nares vindice,
920 Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus:
Nam Christus ignis verus est:
Is ipse complet lumine
Justos, et urit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro e catasta judicem
Compellat affatu brevi.
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter,
Et fac periclum quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: Coctum est, devora,
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat:
921 Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam.
O Christe, Numen unicum,
O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Atque auctor horum mœnium,
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Servire, et armis cedere:
Ut discrepantum gentium
Mores, et observantiam,
Linguasque, et ingenia, et sacra,
Unis domares legibus.
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus:
Idem loquuntur dissoni
922 Ritus, id ipsum sentiunt.
Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcunque terrarum jacet,
Uno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas:
Per quam dedisti ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderentur omnia

GLOSSÆ VETERES.

390. Aura, *odore.* — Afficit, *affligit*, *afflixit*, I.
391. Vindice, *vindicante*, I.
392. Oblectamine, *delectatione*, I.
397. Diutinus, *longus*, I.
399. Ultro, *sponte.* — E catasta, *e craticula: qui in catasta erat*, I. *E craticula*, Mar.
403. Periclum, *inquisitionem*, *separationem*, I.
404. Vulcanus, *dicitur ignis*, I.
406. Tunc ille, *scilicet ait*, I.
409. Ludibundus, *similis ludenti*, I.
419. Quirinali, *Romanæ*, I.
425. Remi, *imperatoris Romanorum*, I.
426. Concessit, *convenit, scilicet Dominus*, I.
430. Jus, *lex*, Mar.
435. Cæteris, *gentibus*, I.
436. Mens, *fides*, I.
437. Confœderentur, *conjungantur*, I.

COMMENTARIUS.

390. Aldus, *variatur*: melius *variatus*.

392. Rupertus Tuitiensis, lib. VIII de Divin. Offic., cap. 10, de S. Laurentio: *Cujus assatura suaviter in tota Christi fragrat Ecclesia.*

393. Cur Deus vocetur ignis, vide Hamartig. vers. 71.

396. Egm., Palat., *uret*; alii, *urit*.

399. Parrhasius scribit *cathasta*. Josephus lib. de Machab. memorat *catastas frixorias*, et ait igni in catasta martyrem objici. Suspicor a Prudentio hoc loco catastam sumi pro crate ferrea. Vide comment. ad vers. 56 hymn. 1 Peristeph. Sagittarius cap. 10 ait id explicari posse de editiori pegmate, in quo excruciatum esse Laurentium verisimile est.

400. Hailsbr., *affectu brevi*; supra *affatu*, probe.

407. Bong., *experimento* non ita bene. Antepenultima in *experimentum* brevis solet indicari; a Prudentio producitur per diastolen vel necessitate metri.

408. Hailsbr., *sic crudum*: lege *sit*.

409. Quærat aliquis an hic jocus in martyre Laurentio debeat laudari. Quæstionem resolvent SS. Patres, qui laudarunt. Augustinus serm. 303, alias 123 de Diversis: *Quid pluribus? Craticula admota est, et tostus est. Et cum ex uno latere arsisset, dicitur tanta tranquillitate illa tormenta tolerasse, ut impleretur in eo quod modo in Evangelio audivimus: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Denique flamma ustus, sed patientia tranquillus: Jam, inquit, coctum est: quod superest, versate me, et manducate. Tale duxit martyrium, ista gloria coronatus est.*

413. Put., Ambr., *nomen unicum*, quam lectionem Heinsius fulcire conatur, quia vers. 139 hymni seq. legitur: *Nomen et ipsa sacrum loquitur purpura sanguinis eliciti.* Verum longe diversum est cruorem quodammodo loqui nomen Christi, ac Christum vocari *nomen unicum*, dum invocatur. Melius fortasse allusio fieret ad *nomen super omne nomen*.

414. In Romano vers. 468, *Christus paternæ gloriæ splendor.* Ep. ad Hebr., cap. I, v. 3: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.*

419. Mar. perperam, *et mundum*.

421. Vide Prolegom. cap. 8.

425. S. Augustinus, lib. XIX de Civit. Dei, cap. 7: *At enim opera data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret; per quam non deesset, imo et abundaret etiam interpretum copia.*

428. Ald., *ad ipsum*; melius *id ipsum*.

429. Ald. Weitz., Parrhasius et alii, *quo magis*. Nonnulli *quod*.

431. Gis. ad oram, Rat. a secunda manu *quocunque*; Oxon., *quacunque*; præstantiores, *quodcunque*.

432. Bong., Fabr., Rat., Gis. ad oram, Teol. ad oram, *illigares*.

431. Ald. mendose, *Christiani*.

437. Ald., Parrhasius, Put., Oxon., Heins., *confœderantur*, et postea *mansuescit*. Ita etiam Cellarius, qui pro hac lectione mss. codd. citat; et Teolius, qui probatiores pro eadem allegat. Nihilominus *confœderentur* exstat in Vat. A, Mar., Prag., Rat., Weitzianis, plerisque Heinsianis, cod. Bolland., et aliis. Gallandius prætulit *confœderentur*, et *mansuescat* cum emendatissima editione Tornæsiana, S. Leo Magnus serm. 88 non solum sententiam hanc expressit, sed etiam verba ipsa Prudentii sumpsisse videtur: *Dis*

Signat Deus pecuniam.
Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit:
Præcepta sed verbis dedit,
Inanis a marsupio.
Implete dictorum fidem.
Quam vos per orbem venditis:
899 Nummos libenter reddite:
Estote verbis divites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum.
Sed ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est dives, inquit, non nego
Habetque nostra ecclesia
Opumque et auri plurimum,
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus, arcem possidens,
900 Cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam Numinis:
Vulgabo cuncta, et proferam
Pretiosa quæ Christus tenet.
Unum sed orans flagito,
Induciarum paululum,

GLOSSÆ VETERES.

100. Signat, *vindicat, curat*, I. — *Nomen illius non scribitur in nummis.* Vat. A.

101. Aureos, *Mancusa, Philippei Mancosi; sed hic Philippos metri causa. Mancuosa Philippis est civitas de qua in Evangelio: Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi*, I. — *Philippeos, id est, Bizanteos, vel Mancosos, alio modo Mancones, vel denarios aureos.* Vat. A.

106. Venditis, *spargitis*, I.

110. Refert ad ista, *respondet*, I.

112. Annuit, *consentit*, I.

117. Tantum, *tam multum*, I.

118. Ænigmatum, *figuras, denariorum. Ænigma obscura parabola; inde ænigma dicit nummorum; nam metallis insensatis, obscuris, nomen regis capitur et imponitur*, I. — *Denariorum.* Mar.

119. Augustus, *Octavianus*, I.

122. Locupletis, *divitis, locuples talentis.* — Arcam Numinis *thesaurum Dei*, I. — Numinis, *id est Dei.* Vat. A.

COMMENTARIUS.

100. Tertullianus cap. 10 Apolog., *Ab ipso Saturno primum tabulæ, et imagine signatus nummus.* Minucius Jano attribuit, quod Italos docuerit *nummos signare.* Id Lampridius in Alexandro Severo dixit *nummos figurare.* Ducangius aliique putant Justinianum anno 685 circiter Christi signo nummos primum figurasse. Hi quidem Prudentii versus probare possunt tempore S. Laurentii non fuisse nummos Christi imagine aut nomine signatos; non autem recte allegantur ad probandum id ætate Prudentii non accidisse. Nam Prudentius ex persona præfecti accommodate ad hujus tempora loquitur.

102. Egm., Hailsbronnens., Vat. P, male, *Philippus.* Vat. A, Urb., *Philippeos*, Alex. *Filippos*; lege *Philippos* a Philippo rege ita dictos. Horatius *regale numisma Philippos.* Glossæ exponunt *Bizanteos*, seu *Mancosos.* Glossa de Mancuosa civitate Philippi aut corrupta est, aut inepta, aut utrumque.

104. Parrhasius scribit *marsyppio.*

106. Ald., Vat. A a prima manu, Oxon., Gis. in textu, Vat. Q, Urb., *quæ vos*, scilicet *dicta*: plerique *quam*, nempe *fidem.* Put., *qua*; etiam Alex., *qua*; sed supra, *quæ* cum Vat. P et aliis.

113. Gis. ad marg., *Prædives, inquit.*

115. Gis. ad oram, *opesque et auri.*

116. Ald., Mar. a prima manu, Bong., omittunt *est* post *orbe.*

118. Nebrissa legendum ait *emblematum*, et intelligit vasa emblematis insignita. Revera ita legit Parrhasius, et Wenzius testatur quædam exemplaria habere *emblematum.* Vera tamen est lectio *ænigmatum.* Giselinus ex Huberto Goltzio observavit aversas numismatum epigraphas, quæ summorum virorum officia et munera, sæpe etiam propria symbola certis signis ostendebant, vulgo, exteris posterisque vera ænigmata fuisse. Argumento sunt in eum usum scripta a Joanne Pierio hieroglyphica. In glossariis Latino-Barbaris ænigma moneta dicitur. Gothofredus, lib. IX cod. Theod., tit. 22, lege 1, opinatur Prudentium *ænigmata* vocare numismata Cæsarum effigie cusa, et in veteri glossario *ænigma* monetam exponi confirmat. Addit Arabes numismata Christianorum quæ caput humanum præferunt, vocare *methalia*, quod verbum proprie significat εἰκόνας. Hinc Hispani et Itali vocant *medallas* et *medaglie*, vel potius a *metallo.*

119. Iso ridicule *Augustum* exponit Octavianum. Omnes imperatores Augusti appellabantur. Suspicabar legendum *Augustus, arcam possidens, Cui nummus omnis scribitur.* Neque refert quod paulo post occurrat *Locupletis arcam Numinis*, nam Prudentius sæpe idem verbum in brevi orationis periodo repetit, et hoc loco concinnum est comparare locupletis Numinis arcam arcæ, *cui nummus omnis scribitur*, sive in qua nummi undique congeruntur. Veteres arcam fisci, publicam, vel populi pro ærario interdum usurparunt, ut ex inscriptionibus veteribus patet. Erant etiam arcæ pontificum, collegiorum, privatorum: unde arcarii dicti qui eas administrabant. Erant præterea arca vinaria, olearia, frumentaria, quæstoria, de quibus vide Gothofredum lib. XII cod. Theod., tit. 6, lege 14, et Salmasium not. in Ælium Lampridium; et de arcis ecclesiarum Ducangium. Si legatur *arcem*, simpliciter arx ponitur pro imperio, ut notavit Barthius lib. V Adv., cap. 12, ex glossa veteri in codice prisco ad vers. Prudentii in Psychomachia, *Et Christum gaudere suis victoribus arcem.*

120. Nebrissa et alii interpretantur imaginem Augusti in omni nummo scribi. Sic Juvenalis dixit sat. 6, vers. 204: *Scripto radiat Germanicus auro.* Potest etiam intelligi *cui Augusto, sive arci, aut arcæ nummus omnis scribitur, sive penditur.* Scribere nummos alicui dicitur, qui pro iis in certam diem solvendis creditori cavet chirographo. Vide Plautum Asin. 2, 4, 34, et Horatium II, sat. 3, vers. 69.

122. Vat. B, Prag., Mar. a prima manu, *minis*, male, pro *numinis.* Tertullianus et Augustinus vocant etiam arcam, Paulinus mensam, Cyprianus corbonam, alii gazophylacium, secretarium, sacrarium, ubi scilicet opes ecclesiæ servabantur. Prudentius ante vers. 42, *cœlestis arcanum domus.* Vide Rosweydum ad Paulini epist. 34, et Binghamum tom. I, pag. 333, lib. II, cap. 21, ubi probat archidiaconum vocari *arcæ custodem.* Paulinus Petricordius, lib. IV de Vita S. Martini, *Protinus astanti diacono, quem more priorum Antistes sanctæ custodem legerat arcæ.*

123. Prag. scribit *volgabo.*

124. Ald., *quæ Christi*, minus bene.

126. Nebrissa recte notat vocem *induciarum*: quia scilicet Laurentius post triduum bellum cum præfecto gesturus erat.

Quo fungar efficacius
Promissionis munere.
Dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur:
Nam calculanda primitus,
901 Tum subnotanda est summula.
Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spe devorat
Aurum, velut jam conditum
Domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui:
Laudatus inde absolvitur
Laurentius, sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per Urbem cursitat
Diebus: infirma agmina,
Omnesque qui poscunt stipem,
Cogens in unum et congregans.

A Illic utrisque obtutibus
Orbes cavatos præferens
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
902 Vel crure trunco semipes,
Breviorve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.
Est ulcerosis artubus
Qui tabe corrupta fluat;
Est cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, assuetos ali
Ecclesiæ matris penu,
B Quos ipse promus noverat.
Recenset exin singulos,
903 Scribens viritim nomina,

GLOSSÆ VETERES.

127. Fungar, *utar.* — Efficacius, *operosius, melius, perfectius*, I.
128. Munere, *officio*, I.
129. Digestim, *ordinatim, ordinabiliter, rationabiliter*, I.
130. Supellex, *substantia, thesaurus*, I.
131. Calculanda, *numeranda, ordinanda*, I.
132. Summula, *numerus. Stipendium dicitur summula a sumendo*, I.
136. Gestiens, *gaudens, exsultans*, Iso.
139. Sponsor, *promissor*, I.
143. Stipem, *eleemosynam*, I.
144. Cogens, *colligens*, I.
145. Illic, *scilicet fuit.* — Obtutibus, *visibus*, I.
146. Orbes, *orbes dicunt vestigia aratri, sed non hic, nam scilicet sunt cavati oculi*, I.
149. Infracto, *valde fracto: genua habens, sed non utitur*, I.
150. Trunco, *syncope*, I.
153. Est, *scilicet illic*, Iso.
154. Tabe, *a tabe*, Iso.
155. Arens, *arida*, Iso.
159. Penu, *ærario, cellario*, I.
161. Exin, *mox, deinde, unde, exinde*, I.
162. Viritim, *sigillatim, per singulos, ordinatim, singulariter, per singulos viros*, I.

COMMENTARIUS.

130. In editione secunda Cellarii et in Parmensi scribitur *suppellex*, quod non patitur lex carminis.
131. Parrhasius, *Nam calculandum primitus. Calculare* occurrit apud Sidonium et alios non veteres; *calculator* apud Martialem, Ulpianum et vett. inscriptiones.
132. Alii habent *tum*, alii *tunc*.
134. Ald., Mar., Rat., Ambr., et alii antiquissimi Heinsiani, Parrhasius, Gis., *spem devorat.* Weitz. cum Pal. restituit *spe devorat*, ut legitur in Vatt. A, B, Alex., Rott., et conjectaverat Cauchius. Peveratus etiam legerat *spe devorat*, ac similem phrasim ex Cicerone pro Flacco allegaverat: *Amissum enim est præter spem, quod erat spe devoratum.* Veteres legebant et distinguebant *ac spem devorat, Aurum*, etc.
136. Fortasse præ oculis habuit locum Ciceronis in Pisonem: *Nummus interea mihi, Cæsar, neglectis ferculis triumphalibus, domi manet, et manebit.*
138. Rat., *Laudatur, inde absolvitur.*
141. Hailsbr. inepte, *per orbem.*
143. Nonnulli scribunt *omnisque.*
144. Ald., Parrhasius, Gis. ad oram, Weitz. scripti Heinsiani et nostri, *Cogens in unum, et congregans.* Fabr., Gis. in contextu, *Cogens in unum congregat.*
149. Parrhasius, *est claudus* pro *et.* Vat. B, *gradu*; supra, *genu.*
150. Mar., *truncus semipes*, supra *trunco.* Rat., *truncus, semipes.*
151. Tria claudorum genera describit, *fracto genu, trunco crure, breviore planta altera.*
156. Rott., *in unum contrahat.* Egm., *in ulnam contrahit.* Ulna est os brachii.
158. Weitz. scribit *asuetos*, quia ita invenit in Widm. Sæpe dixi ineptissimum esse ex unius vel alterius codicis errore certam scribendi rationem sequi.
159. Laudabilis olim hæc erat consuetudo, ut ec- C clesiarum penu pauperes alerentur; quæ maxime viguit in Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum matre ac magistra, quamvis quævis Ecclesia mater eorum qui in ea educantur recte etiam dicatur. Ante fores ecclesiæ pauperes consistebant, ut eleemosynas acciperent. Vide vers. 178.
160. Omnes vett. edd., etiam Parrhasius, ediderant *ipse primus.* Heinsius ex Pal. restituit *promus*, quod in Boher. pervetusto confirmatum reperit. Teolius in uno Vat. invenit *promus*, qui fortasse est Alex., ubi id videtur esse pro div. lect. In Vat. P est *primos.* Recentiores omnes sine ulla dubitatione arripiunt *promus.* Et sane *promus* convenienter dicitur, quia præesset penu, et diaconi arcæ ecclesiæ præerant, ut notat Heinsius. Addo ex S. Paulino epist. 12 ad Severum inscriptionem a dextra apsidis: *Hic locus est, veneranda penus qua conditur, et qua Promitur alma sacri pompa ministerii.* Itaque primus diaconus, qui penum *fidis gubernabat clavibus*, ut ante dicebat D Prudentius (nam cœlestis arcanum domus est hæc penus) non immerito *promus*, et *promus condus* vocabitur. Nihilominus non penitus damno communem tot codicum lectionem *primus*, quæ etiam exstabat in antiquissimo codice Bollandianorum sæculi VIII aut IX. Potest enim intelligi Laurentium novisse pauperes, quia primus erat e septemviris seu diaconibus, ut vers. 37 expressum est, et ad primum diaconum cura pauperum spectabat, ut ex vers. 44 patet, *Votasque dispensans opes*, et colligitur ex concil. IV Carth. can. 17: *Ut episcopus gubernationem viduarum, pupillorum, ac peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat.* In comment. Ezechiel. cap. 48, Hieronymus ait: *Qui* PRIMUS *fuerit ministrorum, quia per singula concionatur in populos, et a pontificis latere non recedit, injuriam putat, si presbyter ordinetur.*

Longo et locatos ordine
Astare pro templo jubet.
Præscriptus et jam fluxerat
Dies : furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum martyr : Assistas velim,
904 Coramque dispostas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam :
Stabant catervæ pauperum,
A Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur :
Præfectus horrescit stupens
Conversus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille, Quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid displicet?
Num sordida hæc, aut vilia?
Num despuenda existimas?
905 Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat,
B Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.

GLOSSÆ VETERES.

164. Pro templo, *coram*, I.
165. Præscriptus, *a judice, deputatus.* — Fluxerat, *venerat, præteriit*, I.
168. Efflagitans, *postulans*, I.
169. Tum martyr, *ait.* — Assistas, *ut*, I.
170. Coramque, *palam*, I.
175. Patentes, *amplas*, I.
176. Structos, *cumulatos*, Mar.
181. Fragor, *clamor*, I.
183. In Laurentium, *contra Laurentium*, I.
188. Despuenda, *contemnenda*, I.
189. Sitis, *desideras*, I.
190. Rudera, *arizzi*, *vel stercora. Rudera dicun maceriam ruinæ*, I.
192. Pœnalis, *durus.* — Excudit, *fabricat*, *excoquit*, I.
194. Arenis, *sicut Pactolus et alii*, I.

COMMENTARIUS.

163. Teolius Ignatium Comum impugnat, quod affirmaverit Prudentium in his rerum adjunctis enarrandis paulo aliter ac in Actis referuntur, aut poetica licentia abusum, aut longe ab Urbe binis remotum Alpibus rem, uti accidit, non bene didicisse. Etsi autem descriptiones poeticæ amœniores narrationibus historicis esse debeant, tamen si qua sit in re ipsa C varietas, fides potius adhibenda est Prudentio quam Actis anonymis. Nam quod ait Comus, Prudentium hunc hymnum fecisse juvenem, et antequam Romam venisset, et poeta palatinus fuisset renuntiatus, nugæ hæ sunt sine ullo idoneo auctore prolatæ.

164. Nunc ait *pro templo*, postea vers. 173, *ingens atrium;* vers. 175, *per patentes porticus;* vers. 178, *sacratam januam :* quæ omnia probant Romæ domum amplam fuisse in quam Christiani ætate S. Laurentii conveniebant; et quæ tunc saltem a præfecto Urbis fuerit cognita. Hujusmodi ædes sacræ a primis Christianis non appellabantur *templum*, quod hæc vox nescio quid consecrationis paganæ indicaret. De re plane constat. Ad I sæculum pertinet quod auctor Recognition. in fin. refert : *Theophilus, qui erat cunctis potentibus in civitate sublimior, domus suæ ingentem basilicam ecclesiæ nomine consecravit.* Eusebius, lib. VIII, cap. 1, narrat Christianorum numerum inter Valeriani et Diocletiani persecutionem adeo crevisse, D ut *priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias.* Optatus Milevitanus lib. I testatur ante persecutionem Diocletiani basilicas plures fuisse quæ Christianis ablatæ sunt, postea restitutæ. De ecclesiis in ultima persecutione Diocletianea solo æqualis passim loquuntur Arnobius, Lactantius, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gildas, et alii.

165. Gis. *en jam :* in prima ed., *et jam*, quod reliqui habent.

166. Ald., Put., Oxon., *fervidus Judex avaro :* plerique, etiam Heinsius, et Parrhasius, *fervido Judex avarus.*

170. Ald., Sich., Mar., et nonnulli alii cum Gis., Weitz., *dispostas.* Castigatiores Heinsiani, Alex., *dispositas*, quod a metro minime respuitur. Parrhasius edidit *dispositas*, in emendationibus subrogavit *dispostas*, quod aures magis probant.

172. Utitur Laurentius voce ambigua *sanctis*, qua intelligi possent sacraria et secretaria ecclesiæ, seu arca, vel etiam ipsum templum, et simul significantur pauperes Christiani ; nam, ut constitit ad vers. 80, sanctorum appellatio Christianis omnibus tribuebatur : *Sanctum* pro templo non est vox solum ad Latinitatem inscriptionum referenda, quod nonnulli putarunt. Persius pro templo posuit *sanctum* sat. 2, vers. 69 : *Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum.*

181. Hailsbr., *fragor*, supra *clamor.*

183. Prag., *conversus ad.*

184. In Mar., Vatt. A, B, Rat. desideratur *que* post *oculis.*

185. Mar. a prima manu, Widm., *quid frens.*

186. Parrhasius emendavit *minaris :* sed probum est *minitaris.*

188. Parrhasius scribit *dispuenda.*

189. De siti auri vide vers. 45.

190. Sich. *stercora.* Retine *rudera*, Codex Ambr. scribit *offossa*, quod damnare non audet Heinsius ; nam in veterrimis Maronis exemplaribus occurrunt *offugere*, *offulgere*, *offore*, *obvolvi aris*, et similia. Vide Comment. ad vers. 410. Psychomachiæ. In glossa *arizzi* vocabulum est quod solum Isonem habet auctorem apud Ducangium.

192. Mar. a prima manu, Prag., Rott., *excludit.* Vox *pœnalis* Paulini, Prosperi, Sedulii, Aviti et similium est. Tertullianus etiam de eadem re cap. 27 Apolog. : *Itaque cum vice rebellantium ergastulorum, sive carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis servitutis erumpunt adversus nos.* De quo genere pœnæ agunt Gallonius et Sagittarius.

193. Rat., Bong., Widm., *et amnis* pro *vel amnis.* Vat. A, Egm., Hailsbr. a prima manu, *turbidus.*

195. Hac voce *terrulentus* usus etiam est in præf. Hamart., vers. 5.

196. Weitzius scribit *dequoqui* cum Hailsbr. Alii recte, *decoqui.*

Pudor per aurum solvitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges et ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis et magni putas?
Si quæris aurum verius,
906 Lux est, et humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus disjicit,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
907 Si fervor effetus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium
Et confer alternas lues,
Carnisne morbus fœdior,
An mentis et morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum,
Qui veste et ore prænitent,

GLOSSÆ VETERES.

197. Pudor, *castitas, verecundia*, I.
198. Integritas, *virginitas*, I.
199. Occidit, *deficit*, Iso.
201. Quid, *quare*. — Venenum, *avaris*. — Gloriæ, *aurum dicit*, I.
202. Magni, *pretii esse*, I.
204. Et, *etiam*. — Humanum, *scilicet aurum*, I.
205. Hi, *mendici*. — Alumni, *socii, vel filii*. — Luminis, *regni cœlorum*, I.
206. Arctat, *affligit*, I.
208. Insolescat, *superbiat, sine consuetudine vivat, intumescat*. — Turgida, *superba*, I.
209. Cum, *quando*. — Disjicit, *secat, consumit, lacerat; disperdo, disjicio*, I.
210. Viget, *interius*, I.
211. Vicissim, *mutuatim*, Iso.
212. Sensuum, *mentium*, I.
213. Nam, *quoniam*. — In, *ad*, I.
215. Effetus, *infructuosus, vacuatus*, I.
216. Elumbe, *infirmam libidinem, quia sine viribus facit, infirmum, debile, infirmam libidinem*. — Contrahat, *colligat*, I.
221. Committe, *compara*. — Pestium, *vitiorum*, I.
223. Carnisne, *utrum*, Iso.
227. Venusti, *pulchri*, I.
229. Valentes, *robustos*, I.
231. Mancum, *curve*, I. *Adverbium*. Prag.
233. Quemvis, *quemcunque affer*, I.
234. Ore, *facie*, I.

COMMENTARIUS.

200. Lucanus lib. III, vers. 118: *Usque adeo solus ferrum mortemque timere Auri nescit amor: pereunt discrimine nullo Amissæ leges*. Virgilius, lib. VI, vers. 632, *Fixit leges pretio, atque refixit*. Verum de avaritia, radice omnium malorum, hujusmodi sententiæ passim sese offerunt.

201. Nebrissa explicat aurum esse venenum gloriæ, quia eo vera gloria perit, aut quia more christiano gloria accipitur pro vita æterna. Prima interpretatio magis placet: sic *pudor per aurum solvitur, violatur auro integritas*, etc.

204. Teolius ita hunc versum exponi posse arbitratur: *Si quæris aurum, illius splendore raptus, scias humanum genus esse lucem, et pauperes esse alumnos seu participes lucis*. Verius et simplicius Nebrissensis: *Christus, qui est lux mundi, et homines ab eo redempti. Unde subdit: Hi sunt alumni luminis; de quo lumine Joannes præbuit testimonium cap*. I. Sane Laurentius occasione auri, quod præfectus cupiebat, Christum verum aurum et lucem opportune illi prædicavit. Toletus in cap. I Joannis, *Magno consilio utraque locutione Joannes in præsenti usus est: dixit enim: In ipso vita erat, ubi vita pro ea quam Verbum efficit et dat nobis, ponitur. Postea subjunxit: Et vita erat lux, ubi vita pro ipso Verbo, quod est causa vitæ, accipitur*.

209. De hoc verbo *disjicit*, aut *dissice*, ut plerique codd. scribunt, aut uno *s disicit*, ut habet Rat., dictum jam est ad hymn. 1 Cath., vers. 97. Ald., Fabr., Gis. in contextu, *dissecat*. Parrhasius, Gis. ad oram, Sich. et alii, *dissicit*. Gifanius in PROICERE ait se in Ovidii et Prudentii mss. invenisse *dissicit*, et in quodam vet. Prudentii *disicit*; et apud Virgilium in vet. lib. *dissice* constanter exaratum, monuisse Pierium. Cæterum (adjit) *ut ingenue dicam quod sentio, de his locis mihi non liquere profiteor, sed mutationes odi*... *Quærendum ergo amplius*. Weitzius et Heinsius amplexi sunt *dissicit*.

210. Ep. II ad Cor., cap. XII, v. 10: *Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Ludovicus a Ponte egregium librum edidit de Thesauro ægritudinum corporis.

211. Ald., *mentis*. Sich. cum id invenisset, recte restituit *membris*. Parrhasius jam ediderat *membris*.

213. Parrhasius *in culpam cordis*, quod metri lex non patitur.

215. Mar. scribit *fervos*. Hailsbr., *effectus malis*. Lege *effetus*.

222. Parrhasius primum scripsit *luces*; quod metro adversatur, correxit *vices*: sed melius est *lues*. Hailsbr., *alteras lues*.

228. Ald., Vat. A supra, Put., Oxon. et alii edd. atque mss., *laboris*. Urb., Vatt. B, Q, Weitz., Mar., Rat., Sich., *languoris*, quod rectius est. Alex., Parrhasius scribunt *langoris*. Vat. Q, mendose, *langores experti*. Weitzius edidit *languoris experti*. Lege *expertes*.

231. Parrhasius, *errorque mancus*. Mar. pro div. script. *mance*.

233. Ald., Vat. A supra, Widm. supra, Fabr., Gis. prima ed., *principum*. Melius alii, *divitum*, ut respondeat mox *pauperum*.

234. Vat. A. *prænitet*, quod pro diversa scriptura a Weitzio indicatur, et exstat in Fabricio. Giselinus mendose edidit *pœnitent*, et correxit *prænitent*; Heinsius et Chamillardus mendose etiam *pœnitent*. Ruinartius ex ms. S. Michaelis restituit *prænitent*. Verum *prænitent* jam olim exstabat in editione Aldina, et Tornæsiana an. 1553, Parrhasiana aliisque. Suspicatur Ruinartius legendum *et auro*: quo fortasse alludit Alex., *Qui veste et oro præni ent*.

908 Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.
Hunc, qui superbit serico,
909 Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus.
Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas in volam,
A Plicans et uncis unguibus,
Laxare nervos non valet.
Istum libido fetida
Per scorta tractum publica
Luto, et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid ille fervens ambitu,
910 Sitimque honoris æstuans,

GLOSSÆ VETERES.

236. Pauperum, *scilicet sit*, I.
237. Serico, *purpura*, I.
239. Hydrops, *hunc*, I.
242. Volam, *in mediam palmam*, *medietas palmæ*, Iso.
243. Uncis unguibus, *ungulis curvis*, I.
246. Scorta, *scortum*, *quasi sortum. Sortum est solea : sicut enim solea maceratur in manu sutoris, sic pellicula meretricis ab adulteris*, I.
247. Cloacis, *lacubus*, *sordibus*. *Cloacæ sunt loca in quibus adunatur stercus civitatis*, I.
249. Fervens, *ardens desiderio*. — Ambitum, *cupiditatem*, *honorem*, Iso.
250. Æstuans, *desiderans*, I.

COMMENTARIUS.

236. Ald., Bong., *meorum pauperum*, sine *est*.

237. Teolius ex Mazochio tom. I Specim. Biblic., dissert. 8, part. 2, etymon *serici* refert ad arborem sorek, cujus mentio fit Genes. XLIX, 11. De eadem origine jam disseruerat Becmanus de Orig. Lat. ling. verbo SER ex Buxtorfio et Kimchio, qui tamen *sorek* proprie interpretantur surculus. Accipitur plerumque *sorek* pro vinea. Communis opinio etiam antiquissimorum scriptorum etymologiam repetit a Seribus, quod nomen est animalium nentium metaxam, sive rude sericum, et populorum ubi hæc animalia nutriuntur. Nonnulli ex arboribus sericum sine bombycum opere fieri putant : sed verius videtur, antiquos scriptores arborum mentionem facere, quod in arboribus vermiculi seres lanam, sive sericum texunt. De comparationibus morborum corporis cum vitiis animi videri possunt Chrysostomus, Basilius aliique SS. Patres, qui in eis explicandis frequentes sunt. Giselinus, quoniam medicum agebat, diligentius, et peritius, quantum quidem ad rem medicam pertinet, C hos versus illustrat, cujus explicationem juvat proferre. Elatos homines ac superbos hydropicis similes facit Prudentius, quibus crudorum humorum copia vitiata sanguinis massæ affusa, cutim prætumidam reddidit. Ambitiosos, et honorum cupidos χαύσῳ laborantibus ; his enim, cum a curis, vigiliis intensisque cogitationibus morbus oriatur, perpetua frigidæ sitis, ampla et frequens exspiratio, bilis vomitus, immensus ac mordicans totius corporis calor fere adsunt. Avaros, et ὀξύχειρας, quod iis manus tenaces sint, et ad rapiendum paratæ, chiragricis comparat : tales, ne dolorem ab humore maligno in digitorum vinculis, et articulos impacto excitatum augeant, neque manus adducunt omnino, neque etiam explicant : sed in medio quodam situ continent, qui et maxime doloris sit expers, et naturæ consentaneus. Sic etiam malevolos obtrectatores hepaticis seu spleneticis : fortasse quod cum his omnia membra sint arida et præ inedia consumpta, tamen cibum fastidiant, bilis vomitione prorumpat, ungues denique a scalpendo D non contineant : quæ omnia ad calumniatores non illepide quis traduxerit. Invidos præterea cum strumosis, seu χοιραδώδεσι confert, nec male, quoniam hujusmodi morbi genus adipem carni circumsitum, ipsamque adeo cutim excedit, et ulcus in dies serpendo ulterius reddit malignius. Postremo idololatras regio morbo laborantibus non dissimiles esse ait : quod quemadmodum isti, ut valetudinem recuperent, lectis mollioribus, ludis, lasciviaque demulceri debent : ita infelices dæmonum cultores, cum religio iis pro ludo et inani plebeculæ terriculamento sit, ex impotenti fere mollitie, insolentia, et dissolutione eo cæcitatis abripiantur. Rude et incultum quid iis Deus sonat. Dii immortales dicendi sunt eis sua fata, cœli cursus, orbiumque cœlestium genios affingunt, idque B animi causa, cæteroquin ἄθεοι, et nihil minus, quam immortalitatem somniantes. Quod ad ganeones attinet, qui se ad putidissima usque scorta complectenda abjiciunt, eos non ægrotis, sed infimæ sortis hominibus foricas, latrinas, et cloacas everrentibus pares facit.

239. Ald., Heinsiani omnes, Fabr., Weitzius, nostri, Sich., *lucido*, et notat Nebr. ex Horatio, *Turgescit vitrea bilis* ; ex Persio, *splendida bilis* ; Heinsius vero ex Horatio, *Aquosus albo corpore languor*. Gis. ad oram, *lurido*, quod Heinsio non displicebat. Parrhasius, *livido*. Teolius ait *lucido* habere mss. omnes, *lurido* editiones. At pleræque editiones clare *lucido* præferunt.

240. Heraldus in Arnobium lib. II, pag. 149, plura de avarorum moribus habet, et hos ipsos versus ex Prudentio, quos tamen ex martyrio Vincentii desumptos per memoriæ errorem dicit.

242. Gronovius, cap. 5 Observat. eccles., ex Widm. Weitzii legit *Manus recurvas in volam*, et cum in vulg. sit *Manus recurvas*, *et volam*, ipse restituere vult *Manus recurvas in volam*, *et Plicans*. Heinsius cum vulg. facit, et cum Heinsio Teolius, qui Heinsio favere melioris notæ codices Vaticanos affirmat. Cellarius secutus est codicem Widmanianum, cui revera astipulantur Vat. B, Mar., Rat., Prag. Recte dicitur *contrahere manus recurvas in volam*, ut vers. 156, *Nervos in ulnam contrahat*. De avaris Psychom. vers. 465, *Spoliisque unques exercet aenos*.

243. Quod Gronovius volebat *in volam*, *et plicans aduncis unguibus*, concinnius ex nostris codicibus Mar., Rat., Prag., Vat. B, restituimus, scilicet *Plicans et uncis unguibus*, non *plicans aduncis*, ut hactenus editum est. Egm., Pal., Widman. supra minus recte, *ungulis* pro *unguibus*. Ungula dici solet de animalibus, quæ digitos non habent. In Isone *ungulis* fortasse est diversa lectio.

246. In glossa corrigendum videtur *corium* pro *sortum* : nam etymon *scorti* trahitur a *corio* ; et *scortum* proprie est pellis crassior.

248. Plautus Amph. act. IV, sc. 2, vers. 12 : *Quia senecta ætate a me mendicas malum*.

249. Widm., Bong., Sich., Mar., Vat. B, Rat., *ambitum*, *Sitimque*, quod tenuit Teolius, quia ab Heinsio hæc lectio commendatur. Ipse Heinsius edidit *ambitu*, *Sitimque*, ut exstat in Ald. et multis mss. Miratur Teolius Chamillardum adhuc habere cum vett. edd. *ambitu*, *Sitique*. At in Chamillardo idem lego quod in Heinsio, *ambitu*, *sitimque*, nisi quod Heinsius scribit *sitem* cum Egm. Becmanus verbo *es* ex Pal. ms. legit *ambitu*, et mendosum *ambitum* in aliis esse putat. Notat vero ambitum pro ambitione poni. De hac phrasi *æstuare sitim* vide comment. ad vers. 9, lib. I contra Symmachum.

250. Parrhasius cum aliis vett. edd., ut dictum est vers. sup., legit *ambitu*, *Sitique*.

Mersisne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, et scalpit jecur,
Scabiemque cordis sustinet.
Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta et livida
Malignitatum vulnera?
Tute ipse, qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio.
Hi, quos superbus despicis,
911 Quos exsecrandos judicas,
Brevi ulcerosos exuent
Artus, et incolumes erunt
Cum carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi,
Pulcherrimo vitæ statu
In arce lucebunt Patris:
Non sordidati, aut debiles,
Sicut videntur interim;
Sed purpurantibus stolis
Clari, et coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes sæculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et mucculentis naribus,
Mentum salivis uvidum,
Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius.
912 Nil tam leprosum aut putridum:
Cruda est cicatrix criminum,
Oletque ut antrum tartari.
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam,

GLOSSÆ VETERES.

251. Mersis, *occultis, in mentem mersis*, I.
254. Prurit, *quasi perurit, ardet. Prurigo ex ardore nimio venit*, I.
255. Vexatur, *se cædit.* — Scalpit, *scabit*, I.
258. Strumas, *tumores, chelen.* — Retexam, *referam*, I.
259. Purulenta, *putrida, venenosa, a pus, puris*, I.
264. Morbo regio, *elephantico. Regius morbus, et arcuatus, et ictericus, et elephanticus. Regius ideo dicitur, quia non potest curari nisi regiis cibis; aut quod regionem mortis pandat; elephantinus, eo quod elephantino osse curetur: arcuatus, eo quod colorem arcus cœlestis habet*, I., Vat. A.
267. Brevi *tempore, statim*, I.
274. Interim, *nunc usque dum, hic est*, I.
277. Facultas, *possibilitas.*— Suppetat, *abundat*, I
280. Recensendos, *numerandos*, Iso.
282. Mucculentis, *sordidis. Murcus, qui præcisum habet nasum*, I.
284. Lipposque, *scilicet oculos.*— Putri, *humida*, I
285. Tetrius, *nigrius*, I.
286. Leprosum, *leprosus a laterum pruritu*, I.
289. Animabus, *vacat.*— Inversa vice, *una pars*, I
290. Forma, *imago*, I.
293. En ergo, *scilicet habes, præsentatim*, I.
294. Proxime, *nuperrime*, I.

COMMENTARIUS.

251. Parrhasius, *mersusne*, quod melius fortasse est quam *mersisne*. Hailsbr., *habebat*, male, pro *anhelat*.

256. Vat. A, *sordis*, supra recte *cordis*.

261. Ald., Pal., Parrhasius, Heinsius, cum aliis edd., *tute ipse*. Weitzius, *tu et ipse*, quod confirmant Vatt. A, B, Mar., Rat., Prag.

263. Heinsius cum Put., *colis*. Alii edd. et mss., *coles*, nisi quod Cellarius et Chamillardus Heinsio adhærent.

269. Weitz., *quin carne*. Alii, *cum*.

273. Mar., Rat., *ac debiles*.

276. Weitzius explicat coronas aureas martyribus donari ad similitudinem militum. Verum hic sermo est de Christianis pauperibus, qui in arce lucebunt Patris, si recte vixerint, sive martyres fuerint, sive secus. Omnes igitur qui vitam æternam consequentur, coronis aureis, quas vers. 926 Hamartigeniæ *rutilas* Prudentius vocat, donabuntur. Paschalius, de Coronis lib. VIII, cap. 5, ostendit ex Prudentio martyres Christi ad similitudinem militum, sicuti triumphatores tyrannicæ impietatis, coronis aureis insigniri.

277. Ald. et alii scribunt *tunc si*.

281. Terentius Heaut. II, 3, 53, *Pannis obsita, neglecta, immunda illuvie*.

285. Ald., *nihil*; ita edidit Parrhasius, sed emendavit *nil*. Posset retineri *nihil* monosyllabum, aut recepto tribrachy secundo loco.

286. Pro *aut*, Mar., Rat., Vat. P, habent *ac*. Egm., Hailsbr., Palat., Vat. A, Heinsianí potiores, *putidum* Ald., vett. edd., etiam Parrhasius, Vat. P, Q, Alex., Urb., Mar., Rat., aliique multi, *putridum*; neque video cur Teolius Vaticanos pene omnes pro *putidum* allegaverit. Heinsius quidem legit *putidum*, sed duabus manibus rationibus permotus, quia *putri* jam præcessit, et quia Prudentius primam in *putris* solet corripere. Nollem id ab Heinsio dictum. Nam præcessit *putris*, non *putridus*, et sensu nonnihil diverso. Quod autem Prudentius primam in *putris* corripere solitus sit, quid vetat quominus syllabam certo communem vel in *putris*, vel in *putridus* aliquando produxerit? Imo produxit in *putris* hymn. 7 Cath., vers. 9. *Arvina putrem ne resudans crapulam*.

288. Virgilius VI Æn., *Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis: talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat. Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum*. Hinc *fauces graveolentis Averni*.

289. Scriptores posterioris ætatis ita sæpe sunt locuti; et præponebant quidem participium *versa vice*, non *vice versa*: Prudentius metri causa *inversa vice*. In glossa *vacat* mendum cubare videtur. Prudentius ait, animabus quas olim pulcher aspectus delectaverat in corpore, econtrario corruptam formam infligi, quod explicat Nebrissa verbis Aristotelis in Ethic.: *Pœnæ medicinæ quædam sunt, ut quæ per contraria fieri debent, ut qui dum viverent erant ornatus studiosi, in morte sint deformati*

Quos nec favillis obruat,
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes:
Gemmas corusci luminis,
913 Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ:
His illa gemmis comitur,
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.
Eccum talenta suscipe,
914 Ornabis urbem Romulam,
Ditabis et rem principis,
Fies et ipse ditior.
Ridemur, exclamat fremens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur,
Et vivit insanum caput!
Impune tantas, furcifer,
Strophas cavillo mimico
* Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas
915 Tractare nosmet ludicris?

GLOSSÆ VETERES.

303. Damnum, *amissionem*, I.
304. Ignis, *amoris*. — Nescias, *viduas*, I.
305. Monile, *ornamentum*, I.
306. Comitur, *ornatur*, I.
307. Dotata, *ornata*, I.
309. Eccum, *ecce*, I.
317. Furcifer, *exclamative*, *succensor ignis*, I.
318. Strophas, *versutias*, *fraudes*; *versutias*, *stropha fraus quæ techna vocatur, unde strophosus fraudulentus vocatur*. — Cavillo, *derisione, vel deceptione. Cavillum convicium cum joco; illusione vel deceptione derisoria*. — Mimico, *scurrili*, I.
319. Nexuisse, *involvisse*, I.
320. Saltas, *saltare facis, vel saltando dicis*, I.
321. Concinna, *composita*. — Visa, *scilicet est*. — Urbanitas, *eloquentia. Conveniens urbanitas, id est pulchritudo. Cinnum genus potionis ex diversis mixturis compositæ; inde concinna res, ex diversis composita sententiis*, Iso.

COMMENTARIUS.

295. Hailsbr., *quod nec*. Ex Luc. XII, 33: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

299. Ald., Gis. prima ed. in textu, *numinis*; melius alii *luminis*. Sic vers. 205, *Illi sunt alumni luminis*: quanquam hoc loco gemmarum splendor intelligi poterit.

300. Singulare hoc notandum, quod relativo *quibus* absolvatur stropha, raro trajectionis exemplo.

301. Mar. a prima manu, Prag., Widm., *cerne*; Hailsbr., *cernes*. Alii, *cernis*.

302. Bong., Fabr., Pal., Gis. prima ed., *mireris*, alii, *miraris*. Nebrissensis et Chamillardus *anus intactas* intelligunt esse viduas *ignis secundi nescias* post damnum primi tori, quamvis alias a Virgilio *intacta* virgo dicatur. Existimo hic etiam ipsas sacratas virgines vocari *intactas anus*, quod virginitatem ad senectutem conservaverint; tum his addi viduas *ignis secundi nescias*. Scilicet aliæ sunt intactæ, aliæ ignis secundi nesciæ. Aldus quidem et Parrhasius ita distinguunt, ut interrogationis notam post *intactas anus* apponant, et Iso glossam *viduas* apponit post *nescias*. Gothofredus, in lege 2 cod. Theod., lib. IX, tit. 25, suspicatur legendum *inviras*, quasi univiras, seu viduas pro *vel invitas*, quia a Prudentio hoc loco aliisque Patribus viduæ et virgines junguntur, raptusque earum exæquantur. Verba ejus legis, a Joviano latæ anno 364, ita habent: *Si quis non dicam rapere, sed vel attentare matrimonii jungendi causa sacratas virgines, vel invitas ausus fuerit, capitali sententia feriatur*. Conjicit præterea legi posse *vel non invitas*. Sed mihi sententia legis recte procedere videtur; scilicet prohibetur attentari matrimonii jungendi causa virgines sacratas, etiam non invitas, aliasque non sacratas invitas: quod pluribus confirmare possem, sed non vacat.

305. Hoc elogium virginum et viduarum addi poterit innumeris aliis quibus Christiana castitas merito celebratur. S. Cyprianus in libr. de Disciplina et Habitu virginum: *Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.*

307. Ecclesia comparatur sponsæ ornatæ viro suo Apocalyps. cap. XXI. In hymno Dedicationis ecclesiæ ad vesperas, *Sponsæque ritu cingeris... Dotata Patris gloria.*

309. Sichardus, *talentum*. Alex., *alenta*, supra *talenta*. Parrhasius, *Hæc tu talenta suscipe*, quod Latinius est. Alioquin *eccum* erit purum adverbium.

311. Horat., ep. 1, lib. I, *Ut rem facias, rem Si possis recte, si non, quocunque modo rem*. Patrimonium *res* significat.

313. Parrhasius, Rat. a prima manu, Vat. A a prima manu, Mar., Vat. B, Egm., Pal., Hailsbr., Ambr., Thuan., Alt., Rott., tres Torrent., Heinsius, Gis. ad oram, *fremens*. Weitzius cum aliis, *furens*

314. Ald., *et miris*; alii, *ac miris*.

317. Isonis glossam non intelligo. Notum est *furciferum* vocatum servum qui ignominiæ magis quam supplicii causa furcam circa viciniam, aut per urbem ferre cogebatur. De furca tam veteri quam nova Lipsius lib. III de Cruce.

318. Thuan., *capillo*, male. Apud Sedulium lib. V perperam circumferri *fabellis*, et *favillis* pro *cavillis*, notavit Heinsius: *Jam jamque volant mendacia mille In Dominum vanis hominum conflata cavillis*. Mimus ab imitatione rerum vilium et personarum dicitur: hinc pantomimus omnium rerum imitator. Solebant autem mimi jocos et sententias in illa sua repræsentatione miscere, ac celebres sunt sententiæ Publii Mimi. Lactantius, lib. VII, cap. 12. *Sententia deliri hominis ridicula mimo dignior quam schola fuit* quod sumpsisse videtur ex Minucio: *Non philosophi sane studio, sed mimico vitio digna ista sententia visa est*. Alii legunt *mimico officio*, alii *mimi convicio*. Heraldus vero suspicatur legendum *mimi cavillo*, vel *cavillitio*, vel *mimico cavillitio*, quia *cavillari* proprium est mimorum.

319. Recte *strophas nectere* dicitur. Ammianus lib. XV, *Et Paulo quidem* CATENÆ *inditum est cognomen, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis.*

320. Saltabantur etiam fabulæ et carmina, hoc est, saltu repræsentabantur, de quo plura ad Romanum. Ovidius, lib. V Trist., eleg. 7: *Carmina quod pleno saltari nostra theatro.*

Egon' cachinnis venditus
Acroma festivum fui?
Adeone nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis: Libenter oppetam:
Votiva mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
916 Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, et differam
A Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
917 Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.

GLOSSÆ VETERES.

324. Acroma, *gloriosus ludus. Acroma proprie lyrarum auditio; hic autem jocus accipitur, vel carmen scenicum*, I.

325. Adeone, *nonne adeo*, I. — Austeritas, *severitas*, Mar. — *Severitas, asperitas*, I.

326. Fascibus, *honoribus*, I.

327. Adeon', *in tantum*, I.

329. Oppetam, *moriar. Oppetere quasi terram petere; nam viri fortes, dum moriuntur, terram more (forte morsu) petunt, ne vox audiatur*, I.

330. Votiva, *desiderabilis*, I. — *Cara*, Mar.

333. Impertiam, *sinam*, Mar.

B 335. Compendiosus, *brevis, difficilior*, I.

339. Inextricabilis, *infinibilis, vel insolubilis, indissolubilis*, I. — *Infinalis, indissolubilis*, Mar.

344. Abdita, *occulta, secreta*, I.

345. Senescens, *deficiens*, I.

347. Sensim, *leniter*.

348. Semustulati, *semiusti: semustulatus et semiustus unum sunt*, I.

350. Mysteriarches, *princeps mysteriorum*, Mar. —*Princeps minister, mysterii princeps; et Græcum est.* —Incidit, *scilicet in pœnam*, I.

352. Debeant, *scilicet alii*, I.

COMMENTARIUS.

323. Parrhasius, Heinsius cum Ambr., Ruinartius, *ergon' cachinnis;* Hailsbron., *ego;* alii, etiam codex Bolland., *egon' cachinnis*. Bong. male, *chachinnus*.

324. Vat. A, Parrhasius, *ac Romæ festivum*, renuente metro et sensu. Heinsiani scripti, Ald., Vat. B, Mar., *acroma;* alii, *acroama*, quod defendi potest. *Acroama*, sive malis scribere *acroma*, Latine est auditio, sed accipitur pro festiva jucundaque narratione, et interdum pro homine qui eam recitat. Prudentius fortasse imitatus est Ciceronem 6 in Verrem: *Hic quasi festivum acroama, ne sine corollario discederet;* et pro Sextio: *Ille ipse ludius non solum spectator, sed etiam actor et acroama*. Ruinartius auditionem seu auditorem etiam ejuscemodi narrationis acroamatis nomine aliquando designari putat, quod ego dubium esse de auditore judico.

325. Parrhasius, *adeo nulla;* Ald., *adeone ulla*. Utrumque male.

326. Heinsius non assentitur Salmasio, qui hoc loco censuram capit pro dignitate: sic censura oris, ut ait, et vir censorius sumitur pro pulchro. Chamillardus favet Salmasio. Melius tamen intelligitur censuram esse severitatem, cui mox respondet lenitas. Nihil enim obest quod præcesserit austeritas; nam eadem sententia amplificatur.

327. Mar., *adeone securim*, quod non ausim damnare. Vocat *securim publicam*, ut hymn. super. vers. 55, *bipennem publicam*. Parrhasius scribit *securem*.

328. Ald., Parrhas., *retudit*, male.

329. Glossæ etymon non accipio. *Oppetere* dicitur qui rem sibi contrariam petit: sic *oppetere mortem*, et simpliciter *oppetere* dicitur de viro forti qui mortem petit, quamvis contra naturam sit.

332. Vanum et ineptum credebant ethnici in Christianis velle mori spe futuræ vitæ. Minucius: *Proh! mira stultitia et incredibili audacia spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt et futura; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent*. Lactantius, lib. VII, cap. 5: *Ita necesse est sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona quæ non cernuntur, dimittit e manibus quæ videntur.... Quod accidit nobis cum neque cruciatum neque mortem pro fide recusamus*. Nota vocem *persuasionis*, quæ pro opinatione vana et inepta sumi solebat, et præsumptio etiam dicebatur. Minucius: *Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari*. Ammianus, quamvis ethnicus, hanc constantiam in Christianis laudare videtur lib. XXII: *Qui deviare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur*.

C

333. Parrhasius perperam, *sed jam*.

336. Arnobius lib. II, in fine: *Itidem et vos flammis, exsiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis et diu vexatis nostra*. Alii paulo aliter legunt.

337. S. Augustinus, tract. 27 in Joann., de S. Laurentio: *Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est: imo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est*. S. Cyprianus ad Demetrianum: *Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici, ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia*.

338. Petrus Faber, lib. III Semestrium, cap. 8 mallet *moratam*. Sed nihil est necesse, ut monet Heinsius.

339. Prag., Mar. a prima manu, ut videtur, *ut mors;* alii, *et mors*. *Mors inextricabilis* sumitur pro

D morte lenta, et quæ finem invenire nesciat, ut notavit Mariettus.

340. Mar., Prag., Rat., Widm. supra, Urb. a prima manu *protrahat*. Sic melius, *ut... mors protrahat*. Alii, *protrahet*.

345. *Vapor* pro calore apud optimos quosque scriptores, Lucretium, Virgilium, Horatium, etc., sæpe ponitur. Virgilius lib. V, *Lentusque carinas Est vapor*. Vide Gifanium verbo VAPOR indic. Lucr.

348. Ald., et codex Bolland., *semustulati:* Parrhasius et alii, *semiustulati*.

350. Mysteriarches dicitur, quia primus et princeps erat diaconorum, quibus cura incumbebat erudiendi fideles de mysteriis fidei. Vide comment. ad vers. 160.

352. Weitz., Gis. ad oram, *quod mox;* ita etiam Mar., Prag.

A

Conscende constratum rogum;
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa,
Nil esse Vulcanum meum.
918 Hæc fante præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra, et tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgorque circumfusus est.
Talem revertens legifer
De monte vultum detulit:
Judæa quem plebs, aureo
Bove inquinata, et decolor
Expavit, et faciem retro
Detorsit impatiens Dei.
Talemque et ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
919 Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat:
At impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
Ægyptiæ plagæ in modum,
Quæ, cum tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet:
His nidor, illis nectar est.

B

GLOSSÆ VETERES.

356. Vulcanum, *ignem*, I.
359. Nudare, *despoliare*, I.
360. Vincire, *ligare*, I.
361. Os, *facies*, I.
363. Legifer, *Moyses*, I.
368. Impatiens, *non sustinens*, I.
371. Per imbrem, *per densitatem*, I.
373. Illuminatum, *manifestatum*, *manifestum*. —Hoc, *genus fuit*.—Eminus, *elonge*, I.
374. Recens, *recenter*. — Piatis, *baptizatis*, I.
378. Os, *faciem*.—Oblitum, *circumdatum*. — Situ *tenebris*, I.
379. Nigrante, *nigro*, I.
380. Clarum, *claritatem*, I.
384. Sudo, *sereno*. *Sudum dicimus, quasi sub udum serenitas quæ post pluvias fit*, I.
385. Quin, *insuper*.— Qualitas, *scilicet Laurentii*, I.
388. Nidor, *fetor*. — Nectar, *dulcedo*. *Omnis suavitas odoris dicitur nectar, odor suavis*, I.

COMMENTARIUS.

353. Gis. ad oram, Weitzius cum plerisque suis, *constructum*. Melius, *constratum*, ut supra, *Prunas tepentes sternite*.

354. Gallonius, cap. 7, tabula 17, describit craticulam ferream qua assatus est S. Laurentius, quæ religiose asservatur partim in ecclesia S. Laurentii in Lucina, partim in Paneperna. Sagittarius descriptionem Gallonianam in dubium vertit cap. 10, cum non possimus, ut ait, Laurentianæ craticulæ Romæ asservatæ reliquiis tuto præstare fidem. At præter venerabilem antiquitatem, eo majorem fidem his reliquiis præstare possumus, quod tribus costis cratis illa constet. Ado ita lectulum sive cratem ferream describit: *Allatus est autem lectus cum tribus costis, et exspoliatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream: et allati sunt batuli cum prunis, et miserunt sub cratem ferream. Qui cum furcis ferreis coarctaretur desuper, dixit*, etc. A batulo, qui est pala ferrea, fit diminutivum batillus, Hispanis, *badil*. Gallonius inter cratem et lectum ferreum distinguit, quod lectus ferreus esset instar veri strati, craticula pluribus costis ad longum inter se distantibus esset fabricata. Vide tabulam 17. Sagittarius de hac distinctione dubitat. Hoc quidem loco lectulus pro crate ferrea ponitur. De veneratione qua S. Laurentii craticula jam a Justiniani imperatoris et a S. Gregorii Magni temporibus colebatur, videri possunt Bollandiani.

C

355. Rat., Vat. B, Mar., Prag., *tunc si licebit*. Alii, *libebit*.

356. Prag. scribit *Volcanum*. Intelligitur de deo et de igne. Nam Laurentius deos irridebat: sic vers. 403: *Et fac periclum, quid tuus Vulcanus ardens egerit*.

358. Hailsbr. male, *torrentes parant*.

359. Mar., Parrhasius, Rat., *amictum*. Melius *amictu*.

360. Alex. a prima manu, *vincere;* Vat. A, *vinciri*. Utrumque corrigendum.

363. Vide Exod. XXXII et XXXIV

366. Male nonnulli vulg., *et die color* pro *et decolor*

369. Vide Act. apost. VI et VII.

372. *Cœlos* numero plurali Lucretius dixit, vix alius e profanis. Apud Christianos usitatissimum id est e sacris Litteris et Hebraico stylo.

373. Nebrissa suspicatus est aliter esse legendum; exponit autem *illuminatum* de fulgore, quem videbant baptizati, et non pagani: sed hæret dubius an sermo sit de fulgore Stephani an de Laurentii; nam huic etiam *os decore splenduit*. Giselinus Ægyptiis cæciores esse pronuntiat, qui mendum subesse putant, eosque affirmat in media luce cæcutire: rem tamen sibi claram cæteris non explicuit. Cellarius ait sensum esse Christianos omnes qui astabant, cœlum apertum vidisse: non autem paganos, indignos tanta luce. Videtur ergo id accipere de cœlo aperto, dum Stephanus lapidibus obrueretur. Certum tamen mihi est Prudentium de fulgore S. Laurentii loqui: de cujus odore simile miraculum pergit narrare vers. 385, *Quin ipsa odoris qualitas*.

375. Heinsius, lib. I Adv., cap. 6, conjicit *baptisma ratum*. Nihil est necesse mutare. Hi videntur esse Patres, qui postea laudantur vers. 490.

D

379. Cath. hymn. 7, vers. 154, *Nigrante vultum contegit velamine*.

386. Virgilius lib. XII: *Nidoremque ambusta dedit*. Vide Elmenhorstium ad Arnobium lib. VII, pag. 146.

387. Rat., *diverse*, non male.

388. De nidore vide comm. ad vers. 759 Apoth. *Nectar* sumitur pro odore ex nectare effluente. Ovidius Metam. lib. IV: *Nectare odorato sparsit corpusque locumque*. Lucretius lib II: *Et nardi florum, nectar qui naribus halat*. Prudentius, hymn. S. Vincentii, vers. 280, *Redolente nectar carcere*. Gifanius advertit translationes ex uno sensu in alium sumi solere, ideoque poni nectar pro odore suavissimo. Sed melius diceret causam poni pro effectu: ut si quis vinum pro odore vini suavissimo usurpet.

Idemque sensus, dispari
Variatus aura, aut afficit
Horrore nares vindice,
920 Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus :
Nam Christus ignis verus est :
Is ipse complet lumine
Justos, et urit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro e catasta judicem
Compellat affatu brevi.
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter,
Et fac periclum quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille : Coctum est, devora,
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat :
921 Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam.
O Christe, Numen unicum,

A O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Atque auctor horum mœnium,
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Servire, et armis cedere :
Ut discrepantum gentium
Mores, et observantiam,
Linguasque, et ingenia, et sacra,
Unis domares legibus :
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus :
Idem loquuntur dissoni
922 Ritus, id ipsum sentiunt.
B Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcunque terrarum jacet,
Uno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas :
Per quam dedisti ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderentur omnia

GLOSSÆ VETERES.

390. Aura, *odore.* — Afficit, *affligit*, *afflixit*, I.
391. Vindice, *vindicante*, I.
392. Oblectamine, *delectatione*, I.
397. Diutinus, *longus*, I.
399. Ultro, *sponte.* — E catasta, *e craticula : qui in catasta erat*, I. *E craticula*, Mar.
403. Periclum, *inquisitionem*, *separationem*, I.
404. Vulcanus, *dicitur ignis*, I.
406. Tunc ille, *scilicet ait*, I.
409. Ludibundus, *similis ludenti*, I.
419. Quirinali, *Romanæ*, I.
425. Remi, *imperatoris Romanorum*, I.
C 426. Concessit, *convenit*, *scilicet Dominus*, I.
430. Jus, *lex*, Mar.
435. Cæteris, *gentibus*, I.
436. Mens, *fides*, I.
437. Confœderentur, *conjungantur*, I.

COMMENTARIUS.

390. Aldus, *variatur :* melius *variatus.*

392. Rupertus Tuitiensis, lib. VIII de Divin. Offic., cap. 10, de S. Laurentio : *Cujus assatura suaviter in tota Christi fragrat Ecclesia.*

393. Cur Deus vocetur ignis, vide Hamartig. vers. 71.

396. Egm., Palat., *uret ;* alii, *urit.*

399. Parrhasius scribit *cathasta.* Josephus lib. de Machab. memorat *catastas frixorias*, et ait igni in catasta martyrem objici. Suspicor a Prudentio hoc loco catastam sumi pro crate ferrea. Vide comment. ad vers. 56 hymn. 1 Peristeph. Sagittarius cap. 10 ait id explicari posse de editiori pegmate, in quo excruciatum esse Laurentium verisimile est.

400. Hailsbr., *affectu brevi ;* supra *affatu*, probe.

407. Bong., *experimento* non ita bene. Antepenultima in *experimentum* brevis solet indicari ; a Prudentio producitur per diastolen vel necessitate metri.

408. Hailsbr., *sic crudum :* lege *sit.*

409. Quærat aliquis an hic jocus in martyre Laurentio debeat laudari. Quæstionem resolvunt SS. Patres, qui laudarunt. Augustinus serm. 303, alias 123 de Diversis : *Quid pluribus ? Craticula admota est, et tostus est. Et cum ex uno latere arsisset, dicitur tanta tranquillitate illa tormenta tolerasse, ut impetretur in eo quod modo in Evangelio audivimus : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Denique flamma ustus, sed patientia tranquillus : Jam, inquit, coctum est : quod superest, versate me, et manducate. Tale duxit martyrium, ista gloria coronatus est.*

413. Put., Ambr., *nomen unicum*, quam lectionem Heinsius fulcire conatur, quia vers. 139 hymni seq. legitur : *Nomen et ipsa sacrum loquitur purpura sanguinis eliciti.* Verum longe diversum est cruorem quodammodo loqui nomen Christi, ac Christum vocari *nomen unicum*, dum invocatur. Melius fortasse allusio fieret ad *nomen super omne nomen.*

414. In Romano vers. 468, *Christus paternæ gloriæ splendor.* Ep. ad Hebr., cap. I, v. 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.*

419. Mar. perperam, *et mundum.*

421. Vide Prolegom. cap. 8.

423. S. Augustinus, lib. XIX de Civit. Dei, cap. 7 : *At enim opera data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret ; per quam non deesset, imo et abundaret etiam interpretum copia.*

428. Ald., *ad ipsum ;* melius *id ipsum.*

429. Ald. Weitz., Parrhasius et alii, *quo magis.* Nonnulli *quod.*

431. Gis. ad oram, Rat. a secunda manu *quocun-* D *que ;* Oxon., *quacunque ;* præstantiores, *quodcunque.*

432. Bong., Fabr., Rat., Gis. ad oram, Teol. ad oram, *illigares.*

434. Ald. mendose, *Christiani.*

437. Ald., Parrhasius, Put., Oxon., Heins., *confœderantur*, et postea *mansuescit.* Ita etiam Cellarius, qui pro hac lectione mss. codd. citat ; et Teolius, qui probatiores pro eadem allegat. Nihilominus *confœderentur* exstat in Vat. A, Mar., Prag., Rat., Weitzianis, plerisque Heinsianis, cod. Bolland., et aliis. Gallandius prætulit *confœderentur*, et *mansuescat* cum emendatissima editione Tornæsiana, S. Leo Magnus serm. 88 non solum sententiam hanc expressit, sed etiam verba ipsa Prudentii sumpsisse videtur : *Dis*

Hinc inde membra in symbolum :
Mansuescat orbis subditus,
Mansuescat et summum caput.
Advertat abjunctas plagas
923 Coire in unam gratiam :
Fiat fidelis Romulus,
Et ipse jam credat Numa.
Confundit error Troicus
Adhuc Catonum curiam,
Veneratus occultis focis
Phrygum penates exsules.
Janum bifrontem, et Sterculum
Colit senatus (horreo
Tot monstra patrum dicere),
Et festa Saturni senis.
Absterge, Christe, hoc dedecus.
924 Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat ut verum Deum
Errans Iuli cæcitas.
Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei :
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.
Discede, adulter Juppiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam
Plebemque jam Christi fuge.
925 Te Paulus hinc exterminat,

GLOSSÆ VETERES.

438. In symbolum, unitatem, *fidem catholicam, concilium, unam fidem*, I.— *In unitatem*, Mar.
439. Mansuescat, *mitis fiat*, I.
441. Advertat, *sentiat*, *intelligat*. — Abjunctas, *separatas*, I.
443. Fidelis, *credulus*, I.
444. Numa, *consul*, *id est Sabini*, I.
446. Catonum, *consulum*, *consiliariorum*, *vel sapientum*, *legis doctorum*. — Curiam, *familiam*, Iso.
448. Phrygum, *Trojanorum*, I.
449. Sterculum, *adjectivum*, *id est cloacinum*, Iso.
454. Gabriel, *fortitudinem tuam*, Iso.
456. Errans Iuli cæcitas, *Roma*, *Romana Ascanii*, — *Ascanii*, Mar.
461. Alter, *unus*. — Vocator, *prædicator*, I.
463. Recludit, *aperit*. — Creditas, *scilicet sibi*, Iso.
466. Oblite, *vocativi casus*, I.
468. Plebemque, *Christianitatem*, I,
469. Exterminat, *depellit*, *extra terminum minat*, I.

COMMENTARIUS.

posito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, et cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. In eamdem sententiam disserunt Hieronymus in Isaiam; Eusebius lib. I, cap. 4, Præpar. evang.; Origenes lib. II contra Celsum, Ambrosius in psalm. XLV. Verbo *confœderare* utuntur Hieronymus, Orosius, et Tertullianus Apologet. cap. 2; ubi tamen alii legunt *ad conferendam*.

438. Ald., *hic ide membra*, vitiose.

439. Vat. A, *mansuescat et orbi* non bene. Marietti codex *mansuescit*, quamvis vers. 437 habeat *confœderentur*.

440. In Romano vers. 167 Roma vocatur *sæculi summum caput;* ab Orosio lib. II, c. 12, *caput gentium*.

441. Heinsiani omni, Ald., Mar., Parrhasius, Sich., Weitz., Gis. ad marg., Vat. Q et alii, *abjunctas*, quod ex vet. lib. probavit Gifanius in INCEDERE. Vatt. A, B, P, Fabr., Egm., Pal., Hailsbr., Bong., et Widm. a secunda manu, *adjunctas*, non ita bene. De verbo *abjunctus* pro diviso, disjuncto, vide vers. 816 lib. II in Symmachum.

443 Parrhasius, *fiatque fidelis*, quod sustineri potest.

445. Troius Æneas deos suos Latio intulit, ut ait Virgilius init. Æneid.

446. Libr. I in Symm., vers. 546, *Conciliumque senum gestire Catonum*. Duo præcipue Catones Romæ sapientes habiti sunt, Juvenalis sat. 2, vers. 40, *Tertius e cælo cecidit Cato*. Vide Ruæum ad vers. 841 Æn. lib. VI.

447. Vatt. B, P, Mar., Bong., Parrhasius, *veneratur*. Plerique, *veneratus*. Sermo est de igne vestalium, qui in locis abditis ardebat. Virgilius, II Æn., vers. 296 : *Sic ait : et manibus vittas Vestamque potentem, Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

448. Weitzius maluit scribere *Frigum* cum Widm., et Bong., quam cum aliis optimis codd., *Phrygum*. Penates exsules secum Æneam advexisse notum est ex Virgilio. De eorum templo egi in comment. ad vers. 965 lib. II in Symm.

449. Iso non videtur agnovisse deum *Sterculum*, sive is fuerit ipse Saturnus, ut explicat Macrobius, aut quispiam Fauni filius, Italiæ rex, stercorationis inventor. Sterculium vocat Plinius, alii Sterculium : eum irrident Lactantius lib. I, cap. 10; Tertullianus Apologet. cap. 25.

451. Apud Teolium Vat. unus, *referens*, minus bene, pro *dicere*. De monstris portentisque deum gentilium, ac de festis Saturnalibus, dictum jam est in libris contra Symmach.

452. Ruinartius, *lenis*; Bollandiani hoc ipsum cum Ruinartio, sed ad marg. notant in ms. eorum esse *senis*. Addere potuissent *lenis* esse contra metrum, neque Saturno congruere.

454. Barthius, lib. VIII Adv., cap. 12, ait Prudentium, sibi constantem, eamdem syllabarum quantitatem in *Gabriel* secutum hoc loco, et vers. 98 dittochæi, ubi ait : *Gabriel Patris ex solio, sedemque repente*. At secunda in eo versu dittochæi necessario est longa in *Gabriel :* in hoc vero *Emitte Gabriel tuum* brevis esse posset, facto iambo in tertia sede.

456. Ald., Parrhasius, Palat., plerique nostri, et Heinsiani, Gis. in contextu, et quidam ms. quem is vidit, *Iuli*. Gis. prima ed., unus Rott., Bong., *Iulica*, male; neque melius Weitz. cum Widm., *Iulia*. Gis. ad oram ex suo ms., unus Rott., *Iula*, quod placuit Cauchio. In Vat. P. *Iulii* valet *Iuli*. Virgilius I Æn. *Iulius, a magno demissum nomen Iulo*. Widm. supra, *civitas* pro *cæcitas*.

460. De his versibus egi in Proleg.

463. Sive *primus* legatur, sive *primam*, eadem est sententia de principatu Petri apostoli, rejecto errore Ecclesiæ bicipitis. Hæ vero sunt lectionis varietates. Ald., Widm. supra Put., Thuan., Oxon., Rott., Noms., Gis. in textu, Fabr., Rat. a prima manu, Vat. B a secunda manu, Mar. a prima manu, et clare ad marginem, *primam*. Weitz., codex Bolland., tres Torr. Alt., Palat., Hailsbr., Parrhasius, Sich., *primus*. In Ambr. videtur esse *primas*, et in eodem *creditus*.

465. Baronius, tom. I Annal. ad annum 69, his Prudentius versibus de religionis in melius mutatione explicat quædam oracula et prodigia quæ finem Romani imperii imminere portendebant.

466. Juno Jovis *et soror, et conjux*.

468. Aliqui interpungunt *Plebemque jam Christi: fuge*.

Te sanguis exturbat Petri.
Tibi id, quod ipse armaveras
Factum Neronis officit.
Video futurum principem
Quandoque, qui servus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat.
Qui templa claudat vectibus,
926 Valvas eburnas obstruat,
Nefanda damnet limina,
Obdens aenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine

A

Tandem nitebunt marmora,
Stabunt et æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.
Illic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis; erupit volens
Vocem secutus spiritus.
Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam patres,
927 Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles

GLOSSÆ VETERES.

472. Officit, *valde nocet*, *obest*, I.
473. Principem, *Constantinum*, Mar. *Constantinum vult dicere*, I.
476. Sinat, *non consentit*, I.
478. Valvas, *fenestras*, *seras*, I.
479. Damnet, *claudat Constantinus*, I.

B

480. Obdens, *opponens*, *contra dans*. — Pessulos, *sectes*, I.
481. Pura, *Deo dicata*. — Sanguine, *inquinamento*, I.
483. Æra, *idola*, I.
485. Illic, *tunc*. — Orandi, *scilicet S. Laurentii*.
486. Vinculi, *corporis*, I.
491. Libertas, *fiducia Laurentii*, I.
492. Ambire, *desiderare*. I.
493. Recens, *repentina*. — Medullas, *vires*. — Indoles, *nobilitas*, I.

COMMENTARIUS.

471. In Vat. B. ex *armaveras*, factum est *amaveras*, non ita bene.

472. Tertullianus cap. 50 Apologet.: *Nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vob s. Semen est sanguis Christianorum..... Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est æmulatio divinæ rei et humanæ.*

473. Interpretes omnes, cum veteres tum recentes, hunc principem affirmant esse Constantinum. Equidem magis credo, a Prudentio suum vel potius nostrum Theodosium laudari. Theodosius enim vere ille fuit qui Romam servire idolis vetuit, templa clausit vectibus, et fecit ut æra innoxia starent, quæ olim habebantur idola, dum permisit, stare simulacra *artis pretio, non divinitate metienda*. Vide lib. I in Symm., vers. 503. De eodem Theodosio post Prudentium ita scribit Orosius lib. VII, cap. 34: *Cum afflictum ac pene collapsum reipublicæ statum videret* (Gratianus), *eadem provisione qua quondam legerat Nerva Hispanum virum Trajanum, per quem respublica reparata est, legit et ipse Theodosium, æque Hispanum virum et restituendæ reipublicæ necessitate apud Syrmium purpuram induit, Orientisque et Thraciæ simul præfecit imperio, in hoc perfectiore judicio; quia cum in omnibus humanæ vitæ virtutibus iste par fuerit, in fidei sacramento religionisque cultu sine ulla comparatione præcessit: siquidem ille persecutor, hic propagator Ecclesiæ.* Animadvertendum est, usque ad Theodosii imperium præcipuam nobilitatem Romanam idolorum cultui fuisse addictam. Augustinus Confess. lib. VIII, cap. 2, de Victorino loquens ait: *Statuam in Romano foro meruerat et acceperat usque ad illam ætatem venerator idolorum sacrorumque sacrilegorum particeps, quibus tunc tota fere Romana nobilitas inhiabat.*

474. Ald., Mar. supra aliena manu, nonnulli vulg., *servos*. Lege *servus*. Idem Theodosius *princeps bonus* vocatur hymn. 12 Peristephan., vers. 47.

D

477. Hoc loco templa accipit pro fanis idolorum, quæ a primis Christianis proprie templa dicebantur. Hieronymus ad Riparium ep. 109, al. 53, de Vigilantio: *Et cum Juliano persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa converteret.* Zeno Veronensis serm. de continent. lib. I tract. 5: *Tibi ecclesia, illi adeunda sint templa.* Supra autem Prudentius, vers. 164, basilicam sive conventiculum Christianorum, ut appellant Arnobius, Lactantius, Orosius, Ammianus, *templum* dixit. Vide vers. 107 Psychomach. Theodosius anno 391 legem tulit cod. Theod., de Paganis l. XI: *Nulli sacrificandi tribuatur potestas, nemo templa circumeat, nemo delubra suscipiat, interclusos sibi nostræ legis obstaculo profanos aditus recognoscant.* Quod uberius confirmavit anno et leg. seq.

479. Ald., Parrhasius, Pal., omnes Heinsiani, et nonnulli alii, *nefasta*. Vat. B, Mariettus, Rat., Prag., Weitz., Gis. et alii *nefanda*.

480. Gis. 2 ed., *aeno*, in prima ed., *aenos* cum cæteris, excepto Parrhasio, qui habet *aenis pessulis*. Alii *ahenos*, alii *aenos* scribunt. Alex. mendose, *acenos*.

483. Ald., *Stabunt et vera innoxia*; Parrhasius. *Et stabunt æra innoxia*: utrumque contra metrum. Alt., Noms., Rott., *Stabunt ut æra innoxia*. Vera lectio, *stabunt et æra innoxia*. Theodosius lib. I in Symm. ita Romanos alloquitur: *Marmora tabenti respergine tincta lavate, O proceres; liceat statuas consistere puras, Artificum magnorum opera.*

C

486. Sich., *et finis item*: repugnat lex metri. In Ald. pro *vincula* lege *vinculi*.

487. Gallandius cum Ruinartio rescripsit *volans* pro *volens*. At *volens* verum est ex fide mss. et concinnum hoc loco: sic vers. 329, *Dicis, Libenter oppetam*. Vide comment. ad vers. 22 præfat. carminum. Non tamen spernendum est *volans*. Et ita legit Latinius.

489. A loco martyrii, scilicet a colle Viminali, ut fama refert, ubi nunc ecclesia est S. Laurentii in Panisperna, corpus delatum fuit in alium locum, nempe in prædium Cyriacæ in agro Verano, via Tiburtina, ubi alia est ecclesia S. Laurentii, quam fuse describit Montfauconius in Diario Italico, et Ciampinius de Ædific.

490. In Actis vulgatis S. Laurentii et apud Adonem, Patres qui corpus S. Laurentii vexerunt dicuntur Justinus et Hippolytus. Verum hi jam pridem erant Christiani, et Prudentius nominat Patres, quo nomine senatores videntur designari, recens ad fidem conversi ob admirabilem libertatem et constantiam martyris. Igitur præter Hippolytum et Justinum, quorum mentio fit apud Adonem, alii ad deferendum corpus convenerunt. Teolius Comum redarguit, quod per Patres a Prudentio indicatos Justinum et Hippolytum intelligi commode posse affirmaverit, Bollandiani eosdem Justinum et Hippolytum intelligi censuerunt. Fortasse quod mox ait Prudentius, *Ambire Christum*, explicari poterit de desiderio martyrii. Sed aliud suadent versus seqq. et 375.

493. Ambr., tres Torrentiani, Rottendorphius, Cauchianus, *replens*, quod exstat etiam in Parrhasio, ubi mendose *indole*. Cellario placuit *replens*; plerique

Afflarat, et coegerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
Cultus deorum turpium :
Plebs in sacellis rarior;
Christi ad tribunal curritur.
928 Sic dimicans Laurentius,
Non ense præcinxit latus :
A Hostile sed ferrum retro
Torquens in auctorem tulit.
Tum dæmon invictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternum jacet.
Mors illa sancti martyris
Mors vera templorum fuit :
Tunc Vesta Palladios lares

GLOSSÆ VETERES.

496. Nugas, *idola*, I.
497. Refrixit, *gelavit*, I.
499. Sacellis, *templis deorum*, I.
500. Tribunal, *ad ecclesiam*, I.
501. Dimicans, *pugnans*, I.
502. Ense, *gladio*, I.
504. Auctorem, *diabolum*, I.
505. Tum, *usque*, I.
506. Lacessit, *provocat cum prælio*, I.
508. Æternum, *æternaliter, in æternum*, I.
511. Vesta, *dea ignis*, I. — Lares, *ignes*, I, Mar.

COMMENTARIUS.

legunt *repens*, hoc est repentina indoles, quæ a Giselino exponitur *libera quædam, et nobilis generositas*. Poterit etiam intelligi *repens* tanquam adverbium pro *repente* ut in Eulalia vers. 161, *Emicat inde columba repens*.

496. Nugæ pristinæ sunt aniles fabulæ de cultu deorum. Aliqui putant *nugas*, *nænias*, accipi etiam pro larvis et idolis. Res in idem recidit, sive idola intelligas, sive fabulosam doctrinam de idolis. Vide comment. ad vers. 34 hymni 11 Cath., *Venerans inanes nænias*.

497. Huc faciunt quæ de multitudine Christianorum, ante Diocletianeam persecutionem crescente, dixi ad vers. 164. Plinius etiam ante S. Laurentii martyrium epist. 97, lib. x, querebatur *prope jam desolata templa fuisse*, quod multi ex omni ordine Christiani fierent. Cicero simili significatione dixit ep. 1 lib. I ad Atticum : *Cum Romæ a judiciis forum refrixerit*. Vulpius ad carmen Catulli 62 putat id imitatum Prudentium, *veterum*, ut ait, *elegantiarum studiosissimum*, et eodem sensu accipit Catulli verba : *Tepida limina*.

500. Cauchius conjiciebat *cursitat* : sed bene est *curritur*. Hos duos versus ita legit Latinius, cum in Torn. invenisset *Plebs ad tribunal curritur Christi in sacellis rarior*. Ad tribunalia basilicarum respici a poeta, monet idem Cauchius. De hoc tribunali Prudentius hymn. 11 Perist. vers. 225 : *Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal Tollitur, antistes prædicat unde deum*. P. Franciscus a Puteo ex recenti nostra loquendi ratione rem voluit explicare : *Nempe ad sacra baptisteria, et ad ecclesiarum tribunalia, in quibus Christiani sacerdotes resident, ut reos a peccatis abluant, absolvantque juxta ritus a Christo institutos, et potestatem sibi divinitus collatam*. Videtur intelligere confessionalia, ut nunc loquimur, quæ tribunalia pœnitentiæ solent appellari. Vereor ne id irrideant hæretici.

505. In Mar. videtur esse *tum demum*; male.

511. Vat. A, *Palladis*; Egm., *Pallidios*; Vat. B, *Palladeos*; Weitz., *Paljdios*. Verum est *Palladios*. Quid autem sibi volunt *Palladii lares*? Nebrissa ait templum, ubi erat Palladium. Chamillardus vult intelligi lares seu deos domesticos, Palladios dictos ob Palladium, illam scilicet Palladis statuam quæ urbem in qua erat inexpugnabilem reddere dicebatur. In interpretatione vero ait nec Vestam nec Palladium jam a Romanis adorari. Cellarius ex Herodiano lib. I, cap. 14, notat in Vestæ templo Palladium custoditum. Marietti Glossa cum Isone *lares* interpretatur ignes : quod recentes interpretes animadvertisse non videntur. Aliorum interpretatio mihi non placet : haud scio, an mea aliis placebit. Sermo hic est de igne vestalium, de quo vers. 447 : *Veneratus occultis focis Phrygum penates exsules*. Postea narrat vestales ad Christum conversas, vers. 527, *Vestalis intrat Claudia*. Ait, *impune deseri* ignem vestalem, quia flagris verberari debebant virgines vestales, quarum negligentia ille ignis exstingueretur. Ignis autem Vestæ Palladius dicitur, tum quia apud vestales Palladium conservabatur, tum quia Athenis, urbe a Pallade condita, hic ignis aut originem habuit aut singulari honore colebatur. Prudentius lib. II in Symm., vers. 164 et seqq. : *His, ni fallor, ager vitiis corruptus, et ante Subjacuit, quam Palladium, quam Vesta Penates Sub lare Pergameo servarent igne repostο, Quam Priami genitor conductis mœnia fabris Exstrueret, quam virgo suas fundaret Athenas Pallas : in his quoniam Vestalis origo parilis Urbibus, ut memorant*. Etsi autem Prudentius dicat, *Tum Vesta*, tamen de suo tempore loquitur, ut ex versibus seqq. liquido patet. Denique Lares esse ignes, aut pro eis accipi, docent glossæ Isonis et Marietti. Ignis sacer erat Laribus : et ut ego puto, instrumenta ipsa ferrea quæ ad ignem alendum, conservandum, et ad ejusdem usum circa focum erant, quibusdam imagunculis erant ornata, quæ pro diis Laribus colebantur. De his Laribus sive diis, sive instrumentis in deorum formam effictis, accipio illud Horatii Epod. 2, *Positosque vernas, Ditis examen domus, Circum renidentes Lares*; et vers. 204 lib. II in Symm., *Unguentoque Lares humescere nigros*. Prudentius, qui Lares irridet, vocat eos *nigros* ob fumum culinæ; Horatius *renidentes*, ut significet curam eos expoliendi, nisi mavis *renidentes* explicare oleo quo ungebantur nitentes. Imo quod ait Isidorus lib. XX Etym. cap. 2, *lardum* dictum quia in *laribus*, hoc est domibus conservatur, non ita videtur probabile, ac *lardum* dictum a Laribus, a quibus pendebat, vel prope quos conservabatur, vel quod eo Lares religionis causa ungerentur. Hispani *llares* vocant catenam ferream ex qua ad ignem lebetes pendent : eam vocem ex laribus trahere originem, verum fortasse non erit, sed est certe verisimile : quod etiam Covarrubiæ nostro placuisse video. Recte enim Barthius de Hispano sermone, qui *romanze* dicitur, mihi pronuntiasse videtur libr. XLVII Adv., cap. 13 : *Romanæ vero linguæ titulum sibi vindicant hodieque Hispani, et certe puto nullum idiotismum illi propiorem esse, nec ullus magis integra servavit verba*; *itaque magna nos delectatione cepit Castilianismus hodiernus*. Quod eo vel maxime confirmare posset, quia in Hispanorum lingua tot sunt verba Latina simul et Hispanica, ut et oratione soluta, et metro Hispano plura exstent opuscula verbis Hispano Latinis composita a Joanne de Mena Ferdinando Perez de Oliva, Ambrosio Morales, Ludovico Gonzalez, Francisco de Castilla, Joanne de Gusman, Magistro Martinez, Didaco de Aguiar, Joanne Rodriguez de Leon, Joanna Agnete de la Cruz, aliisque multis. Sed, ut ad Lares redeam, non est omittendum Larium mentionem, uti etiam Penatum sæpe occurrere in describendo igne vestali. Virgilius lib. v, vers.

929 Impune sensit deseri.
Quidquid Quiritum sueverat
Orare simpuvium Numæ,
930 Christi frequentans atria,
Hymnis resultat martyrem.
Ipsa et senatus lumina,
Quondam luperci, aut flamines,
Apostolorum et martyrum
A Exosculantur limina.
931 Videmus illustres domos
Sexu ex utroque nobiles
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberum.
Vittatus olim pontifex
Ascitur in signum crucis,
Ædemque, Laurenti, tuam

GLOSSÆ VETERES.

513. Quiritum, *Romanorum*, I.

514. Simpuvium, *combarbationem* ♭ *nam simulacrum illius barbatum fuit. Barbati in pictura.* — Numæ, *consulis*, *Cæsaris*, I. — *Vas cum quo sacrificabatur Numæ*. Vat. A. — Simbuvium, *id est barbatum simulacrum*, Vat. S.

516. Resultat, *laudat*, I.

517. Lumina, *principes*, *principalia*, .

518. Luperci, *idoli. Sacerdotes Panis dicti, quod lupos ab ovibus arceant. Hi vere pastores sunt. Lupercal vero templum Panis, ita appellatum, quod ei so- B lemnia ludicra celebrantur, unde lupercalia prostibula dicuntur.* — Flamines, *sacerdotes deorum. Flamen est dictum, quasi filamen, eo quod filo caput cingebant antiqui*, I.

521. Domos, *familias*, I.

522. Sexu ex utroque, *virorum, et mulierum*, Iso.

523. Pignora, *pueros*, I.

524. Liberum, *hominum*, I.

525. Pontifex, *sacerdos*, I.

526. Ascitur, *acquiritur*, I.

527. Ædem, *ecclesiam*, I.

COMMENTARIUS.

744, *Pergameumque larem, et canæ penetralia Vestæ*. De Prudentio in hoc eodem hymno, et lib. II contra Symmachum jam vidimus. Nec mirum : nam ipsam Vestam Macrobius lib. III Saturnal., cap. 4, *inter deos penates*, aut certe eorum comitem recenset.

512. Hailsbronn., *deleri :* corrige *deseri*.

514. Put., Noms., Torrentiani duo, Oxon. a secunda manu, Thuan., Widm., Weitz., Vat. A a secunda manu, Vat. Q, Alex., a prima manu, Rat., Mar. a prima manu, Prag., *Orare simpuvium Numæ*. Ruinartius, Gallandius cum ms. S. Michaelis in Periculo maris, Hailsbr. supra, Egm. ad oram, Gifanius verbo MOENERA, ex vet. lib., *Ornare simpubium Numæ*. Ald., Torn., Fabr., Sich., *Ornare res vanas Numæ*. Vat. A, a prima manu, Hailsbr. a prima manu, Egm. a prima manu, Oxon. a prima manu, Alex. ad oram pro div. script., Vat. P., *Ornare res impias Numæ*; C quam lectionem Aldo non jure affingit Teolius. Urb., *Ornare res Numæ impias*. Gis. ex ms., Hailsbr. ad oram, *Ornare næmias Numæ*; quam lectionem confirmat Giselinus ex vers. 34 hymni 11 Cath. : *Venerans inanes nænias*. Affirmat Giselinus in aliis esse, *ornare res sacras Numæ*. Parrhasius legit, *Orare in pulvinar Numæ :* non patitur metrum. Sustineri posset *Ornare pulvinar Numæ*. Sic Horatius lib. I, oda 37, *Ornare pulvinar deorum*. Verum Weitzius, aliique recentiores editores Prudentii merito præferunt *Orare simpuvium Numæ*, quod placebat etiam Cauchio. Alii scribunt *simpuvium*, alii *sinpuvium*, alii *simpubium*, alii *simpulum*, alii *simpullum*. Id erat vas sacrificiis aptum, quia omnes sacerdotes simul inde bibebant, sive a *sumendo* ita dictum, sive aliam originem id vocabulum habuerit. Simpuvium quo Numa usus fuerat, posteri summo in honore habebant. Cicero Paradoxo 1, *Quid autem. Numa Pompilius? minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam deli-* D *catas aliorum pateras arbitramur?* Persius sat. 2, *Aurum, vasa Numæ*. Apuleius in apol. 1 eodem respicit : *Paupertas etiam populo Romano imperium a primordio fundavit proque eo in hodiernum diis immortalibus simpulo et catino sacrificat*. Juven. sat. 6, *Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum*. Quod expressit Prudentius. Ait autem *orare simpuvium*, quia pagani illud venerabantur, et ad illud orabant. Quam interpretationem ex lib. I in Sym. confirmari, monuit Mariettus, sed locum non indicavit. Plura de simpuvio vide apud Meursium in lib. IV Arnobii, c. 9.

516. Nonnulli Vulg., *martyrum;* quod fortasse verius.

517. Senatores *lumina senatus*, *curiæ* passim dicunt Cicero, Lactantius et alii.

518. Ald., Torn., Gall., Parrnasius, *aut flamines*. Ita etiam in multis mss. Sed Heinsius mutavit in *et flamines* cum Geselino. Tria erant Romæ lupercorum collegia, duo antiquissima Fabianorum et Quintilianorum; tertium Julianorum a C. Julio Cæsare additum.

519. Parrhasius, *aut martyrum*.

520. Exstat *de Liminibus apostolorum disquisitio historica habita a Petro Salomoni Romæ* 1777. Auctor dissertationis est Petrus Lazzeri, qui nuper Romæ obiit, cum magna singularis doctrinæ opinione diu floruisset : probat limina hæc in basilica Vaticana fuisse non limina exterioris ambitus, sed confessionis, quam vocant; quæ scilicet est solium sive locus ubi recondita sunt corpora SS. apostolorum Petri et Pauli. Etsi autem id verum sit, ritus tamen osculandi limina in ipsis januis templorum videtur hic indicari : sane antiquissimus ille ritus est, S. Paulinus Natali 6 : *Ingressusque sacram magnis cum fletibus aulam, Sternitur ante fores, et postibus oscula figit, Et lacrymis rigat omne solum, pro limine sancto Fusus humi.* Chrysostomus homil. 30 in Epist. II ad Corinth. : *Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula et aditum osculamur cum alii alios osculamur. An non cernitis quotnam homines etiam hujusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes. Ac per has portas et januas ingressus est Christus; et ad nos ingreditur, cum communicamus*. Etiam nunc pia hæc consuetudo a multis religiose observatur. V. plura ad hunc ritum pertinentia apud Rosw. in not. ad carm. 18 et 21 Paulini, et apud Murator. in not. ad Nat. 12, ubi minus bene dubitat an Chrysostomi verba de templo Dei mystico, quod nos sumus, liceat interpretari : nam exploratum est Chrysostomum e veneratione, quæ templorum vestibulis exhibebatur, argumentum ad nos petere. Opus Martini Kempii de Osculis, ubi de osculis Christianorum agit, multa indiget correctione.

521. Parrhasius, *illustres domo*.

523. Hanc consuetudinem offerendi liberos Deo confirmat Paulinus Natali 13, vers. 64 : *Et simul Eunomia æternis jam pacta virago. — In cœlo thalamis, quam matris ab ubere raptam Festino placitam sibi Christus amore dicavit*. Et vers. 261, de Asterio : *Quem simul unanimes vera pietate parentes Infantem Christo constituere sacrum*. Muratorius in notis ad hunc versum heterodoxos recte redarguit, quod in monachismum, et religiosorum vota invehantur, cum veteres Christiani ab ipsis incunabulis Deo liberos consecrarent. Vide comm. ad vers. 164 lib. II in Sym.

524. Latinius legit *Clarissimorum*, quod omnino præferendum videtur, præsertim si faveant mss.

526. Vat. A scribit *asscitur*. Nescio cur moneat Giselinus *adscitur* esse in libris calamo exaratis : nam ita etiam est in Aldo aliisque libris impressis, quanquam alii scribunt *ascitur*. Tractam metaphoram ab iis qui in aliquod collegium sive societatem asciscuntur, non immerito opinatur Gis. Cham. edidit *accitur*.

527, 528. Mar. non bene, *Eademque ad Lauren-*

932 Vestalis intrat Claudia.

933 O ter, quaterque, et septies

GLOSSÆ VETERES.

528. Vestalis, ***quæ fuit sacra in vestibus.*** **— Claudia,** ***virgo Vestæ. Quædam famula Vestæ Claudii filia fuit; familia,*** **I.**

COMMENTARIUS.

tium : quanquam aliquo pacto defendi posset. Pro quavis virgine vestali nominat Claudiam, quia familia Claudia erat nobilissima, de qua uberrime agit Suetonius in Tiberio cap. 1, ex qua virgo vestalis fratrem injussu populi triumphantem, ascenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset. Ejusdem etiam gentis Claudia fuit quæ navem cum sacris matris deum deæ obhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, *ut ita demum se sequeretur, si sibi pudicitia constaret.* Montfauconius in Antiq. Explic. tom. I, lib. II, imagines exhibet Belliciæ, Modestæ, Neratiæ, et Tucciæ vestalium. De Tuccia Valerius Max. lib. VIII, cap. 2. Lipsius e memoriis priscis plures inscriptiones de vestalibus in Syntagm. de Vest. exscribit. Ex hoc loco conjicit Victorius Prudentium loqui de æde S. Laurentii nuncupata *Palis pernæ*, seu *Panis pernæ*, quæ a monialibus Franciscanis nunc tenetur. Verum hæc ratio exigui roboris est : nam quod vestales ædem S. Laurentii ingrederentur, probat eas ex vestalibus factas Christianas, ut antea ait Prudentius, senatores quondam Lupercos aut flamines, exosculari limina apostolorum. Nullum autem vel levissimum argumentum petitur ex hoc versu, *Vestalis intrat Claudia*, jam tempore Prudentii eam ecclesiam annexam fuisse monasterio sanctimonialium. Gravior conjectura pro æde S. Laurentii in Palisperna duci potest ex consuetudine adhuc permanente, quod populi Romani Conservatores quotannis S. Laurentio ad ejus ædem Palispernæ argenteum calicem et patenam argenteam cum cereis funalibus quatuor offerunt. Oblatio cerei ad altare S. Laurentii exprimitur in antiqua Victorii lamina ex plumbo, cujus hoc est ectypum :

Romæ ex Museo Victorio.



Plumbi mensura.

Prodiit in lucem *Dissertatio philologica, qua nonnulla monimenta sacræ vetustatis ex museo Victorio deprompta æri incisa tabula vulgantur, expenduntur, illustrantur Romæ*, 1751, *in-4, ex typ. Palladis.* Auctor est ipse Victorius. Quod attinet ad S. Laurentium, explicat gemmam annularis moduli, in qua visitur S. Laurentius super craticulam. Hanc gemmam exhibebimus ad vers. 563, simul cum aliis quinque monumentis veteribus, quibus antiquus cultus S. Laurentio Romæ præstitus illustratur. Deinde Victorius exponit antiquam, ut dicebam, ex plumbo laminam rotundam, quæ ab aliquo Christiano, ut credere æquum est, deferebatur collo appensa, veluti sacrum amuletum ad ejusdem apud Deum obtinendam intercessionem, de quibus sacris amuletis multa ibi Victorius. In ea lamina seu numismate post martyrem stare videtur femina, vel in aera non nihil sublata, vel loco a terra edito cœlum oculis respiciens, ad mamillas succincta, manibusque orantis in modum apertis elatisque; quæ fortasse Laurentii animam designat. Apud ethnicos etiam animæ forma feminea effingi consueverunt. De anima Laurentii Prudentius vers. 487, *Erupit volens Cœlum secutus spiritus.* In altera numismatis parte cælatum est altare quatuor columnis teretibus, cui nomen vetus est *confessio*; et in Cæremoniali episcoporum lib. I, cap. 12, § 4, legitur : *Locus qui in plerisque ecclesiis sub altari majori esse solet, ubi SS. martyrum corpora requiescunt, martyrium seu confessio appellatur.* Anastasius Bibliothecarius in vita Sixti III loquitur de confessione, transenna, altari S. Laurentii, ut videtur, in basilica agri Verani, ac deinde de alia basilica S. Laurentii, quæ probabiliter est ecclesia S. Laurentii in Lucina. Plura addit Victorius de templis S. Laurentii quæ Romæ exstant, et de ejusdem martyris cultu. Ignatius Como in opere de S. Laurentio, ubi agit de gloria posthuma, decem præcipuas ejus ecclesias Romæ existentes ita enumerat, ut prima ab eo ponatur basilica in agro Verano, de qua Prudentium locutum existimat, cum in ea jaceat corpus S. martyris, secunda ecclesia S. Laurentii in Lucina, tertia in Damaso, quarta in Panisperna, quinta in fonte ad radices Exquilini montis, sexta parochia, ubi ad montem Capitolinum ascenditur ab orientali parte, septima in Miranda apud antiquum forum Romanum, octava in Burgo, aliter in Piscibus, nona SS. Benedicti et Laurentii in Piscinula, decima Lateranense pontificium oratorium, sive Sancta Sanctorum. De hoc sacello pontificio vidi libellum eruditum *dell' Oratorio di S. Lorenzo nel Laterano, hoggi detto Sancta Sanctorum, discorso di Benedetto Millino.* Romæ 1666. De aliis celeberrimis templis S. Laurentii, præsertim Florentino et Scorialensi agunt Bollandiani § 4 de Gloria posthuma S. Laurentii, et idem Ignatius Como, ubi cap. 3 cramben ab exteris centies repetitam, ac millies ab Hispanis rejectam, profert, scilicet Foxio architecto Parisiensi constructionem ejus fabricæ deberi. Monumentis certissimis constat primum architectum fuisse Joann. Baptistam de Toledo, Joannem Herrera ejus discipulum magnam operis partem perfecisse. De aliis vero ecclesiis S. Laurentii, quæ olim Romæ exstabant, videri potest Martinellius. Excepta enim Deipara, nullus videtur fuisse sanctus cui tot Romæ consecrata fuerint templa.

529. Fabr., Gis., *quaterque o septies.* Virgilius I Æn. *O terque quaterque beati.* Hujusmodi invocationum pleni sunt hymni Prudentii, uti etiam carmina Damasi, Paulini et aliorum. Neque vero hæc parvi sunt facienda, quasi a poetis dicantur; sed potius in exemplum adduci debent, quod in cœtibus publicis ecclesiarum cani solerent. Responsio hæreticorum quam sit inepta et impudens, collige ex Sagittarii verbis de Martyrum Natalitiis cap. 5, num. 42; siquidem non erubescit affirmare, quod *His sæculis nulli essent qui superstitiosas illas et erroneas invocationes cum auctoritate corrigerent vel reprimerent.* Quasi vero tot sanctissimis ac doctissimis viris, qui sæculo IV floruerunt, ad superstitiones et errores corrigen-

Beatus Urbis incola :
Qui te ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossuum.
934 Cui propter advolvi licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.
Nos Vasco Iberus dividit
Binis remotos Alpibus,
Trans Cottianorum juga,
935 Trans et Pyrenas ninguidos.
Vix fama nota est, abditis
Quam plena sanctis Roma sit,
Quam dives urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.
Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Cœlum intuemur eminus.
Sic, sancte Laurenti, tuam
Nos passionem quærimus :
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus urbi municeps,
936 Æternæ in arce curiæ
Gestas coronam civicam.

GLOSSÆ VETERES.

530. Incola, *Romani cives*, I.
531. Cominus, *prope*, I.
532. Sedem ossuum, *sepulcrum*, I.
533. Propter, *juxta*.— Advolvi, *prosternere*, I.
534. Fletibus spargit, *plorat*, I.
536. Murmure, *oratione*, *susurratione*, I.
537. Iberus, *fluvius Hispanicus*, I.
538. Alpibus, *montibus*, I.
539. Cottianorum, *Alpium. Duæ Alpes, Cottianæ, et Pirenææ. Cottianorum, Scottorum*, I.
540. Ninguidos, *a nive*, I.
543. Urbanum, *civile*, I.
547. Coram, *præsentialiter*, *manifeste*, I.
548. Cœlum, *ad Deum*. — Intuemur, *operibus propinquamus*.— Eminus, *longius*, I.
550. Passionem, *passionis diem*, I.
554. Allectus, *electus*, *advocatus*.— Municeps, *telonearius minister*, *vel civis*, I.
556. Civicam, *angelicam*, *vel domesticam*, *cœlestium civium*, *cœlestem*, I.

COMMENTARIUS.

dos auctoritas aut voluntas defuerit : imo ipsi ejusmodi corruptelas foverent.

531. Vat. A a prima manu, Egm., Pal. a prima manu, cod. Bolland., *qui te præsentem*, contra metrum.

532. Egm., vetustiores Heins., Vat. A, Bong., Hailsb. *ossuum*, quod placet Heinsio; et certe *ossua* pro *ossa* sæpe in antiquis inscript. occurrit. Hailsb. male, *sede*.

533. Veterum fuit hic mos complectendi tumulos eorum quos sibi caros haberent. Leo, novella 53, *Quorum dolori atque orbitati magnum sane solatium est, si amici sui sepulcrum amplexari ac in id lacrymas profundere possint.* At Christiani religionis et venerationis causa tumulis martyrum advolvebantur. Testis est Prudentius multis in locis, testes alii scriptores ecclesiastici.

534. Hailsbr., *spargat*, minus recte.

535. Vat. A, *aspectus :* supra, *qui pectus*, quod est retinendum.

536. In Put. *murmuræ*, mendose. Heinsius contra fidem mss. legit *murmura:* sic supra, ut ait, *Votasque dispensat opes*, quod et ibi perperam immutarant. Ignoro quinam illum versum 44 immutarint, nisi quod ibi omnes legunt *Votasque dispensans opes*, Heinsius in hac nota *Votasque dispensat opes* errore typographico. Teolius Heinsium secutus est, et addit in nonnullis editionibus legi *murmure*, sed hic esse *murmura vota*, hoc est votiva, sive S. Laurentio nuncupata. Idem Gallandio cum Chamillardo placuerat. At ante Heinsium omnes editiones habebant *murmure*, neque ullus ms. citatur pro *murmura*. Nihil ergo muto. Imo si inter se codices mss. dissiderent, præferrem *murmure*. Prudentius enim ait vota fundi submissa voce, quod sæpius explicat hoc vocabulo *murmure*. Atque ita exponit Iso. Quod si mutationi locus esset, rescriberem potius *Qui voce fundit murmura:* nam simili phrasi usus est Prudentius hymno 1, vers. 17, *Voce murmur fuderit*.

537. Alt., Vulg. nonnulli, Cauch. ex conjectura, *Iberos:* melius *Iberus*, sive *Hiberus*, qui fluvius *Vasco* dicitur, quod Vascones alluit, non quod in Vasconia ortum ducat, ut affirmavit Nebrissensis. Vide Prolegom. num. 35 et 36, et confer Wesselingium ad Vet. Rom. Itin. pag. 393. Teolius exponit *nos Hispanos fluvius Iber separat*. At non omnes Hispanos Iber separat a Roma, sed eos tantum qui trans flumen siti sunt. Virgil. ecl. 1, *Toto divisos orbe Britannos*. Ovid. eleg. 9 Pont., lib. I, *Atque tuis toto dividor orbe rogis*.

538. In editione Teolii peccat metrum *Nos binis remotos Alpibus :* dele *nos*. Binas has Alpes esse Cottianas et Pyrenæas, monuit Nebrissa. Gellius de Catone loquens ita ait : *cum de Hispanis Alpinis scriberet, qui circa Iberum colunt*. Et Ausonius ad Paulinum in Hispania degentem *Nunc tibi trans Alpes et marmoream Pyrenen :* quod Scaliger, lib. II Auson. lect., cap. 16, intelligit de Pyrenæis montibus, qui Alpes dicantur. Isidor. lib. XIV Orig. cap. 8, *Gallorum lingua Alpes montes alti vocantur*. De Alpibus Cottianis vide comm. ad v. 216 Apoth. Ald. scribit *Cotianorum*. In glossa *Scottorum* mendose vel imperite scriptum est.

540. In nonnullis vulg. scribitur *ningidos*. Bollandiani et Franciscus a Puteo post Ruinartium pro diversa scriptura, aut pro glossa ad oram adjecerunt *nividos*, quod neque Latinum est, et metro adversatur. *Ninguidus* ab antiquo *ninguis*, a quo etiam *ninguere*. Utitur *ninguidus* Ausonius epist. 22, *Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenei*.

541. De multitudine SS. martyrum dicam ad vers. 1 hymni S. Hippolyti.

544. Servius ait Ennium, Lucretium, Virgilium verbo *florendi* usos variis omnino in rebus. Lucretius dixit : *Florent flumina flammis, Florent urbes pueris, Floret mare navibus.* Sed elegantissimum est hoc Prudentii, *Solum urbanum floret sepulcris martyrum.* Quod aperte imitatus est Isidorus lib. XV Etym., cap. 1, *Cæsaraugusta .... florens SS. martyrum sepulturis.* Fortasse Isidorus scripserit *sepulcris :* nam phrasim desumit ex Prudentio.

545. Parrhasius, *sed quia*, non bene.

546. In vasis, in linteolis, in spongiis sanguinem SS. martyrum accurate conservatum, vel ex hoc loco discas. Confer in Hippolyto vers. 140 et seqq.

548. Parrhasius, *cœlum tuemur*.

551. Bayerius, in dissert. de S. Laurentii patria, cap. 4, argute excogitavit Prudentium hanc sententiam ex Cicerone expressisse, qui de M. Porcio Catone Tusculi nato loquens, ait lib. II de Legib., sub initium : *Ego mehercule et illi, et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis.*

554. De cœlesti Jerusalem Apocalyps. cap. XXI.

555. Weitz. cum Egm., Hailsbr., Widm., *æterne*. Alii, *æternæ*, probe.

556. Weitz., Egm., *gestis* pro *gestas*. Mariettus glossam vel suam, vel alterius apponit : *Civicam, civium, quod Laurentius cives ab idolis liberaverit. Civica enim*

Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum,
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.
Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
937 Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere:
Poscunt, litantur, indicant,
938 Et tristis haud ullus redit.

GLOSSÆ VETERES.

557. Videor videre, *mihi cernitur*, I.
558. Virum, *Laurentium*, I.
559. Roma cœlestis, *Hierusalem*, I.
560. Legit, *elegit*, I.
561. Credita, *scilicet tibi illi*, I.
562. Datum, *scilicet illi*, I.
563. Quiritum, *militum*, I.
564. Annuis, *subvenis*, *vel consentis*, *adjuvas*, I.
565. Postulat, *orat*, I.
568. Ullus, *scilicet hominum*, I.

COMMENTARIUS.

dabatur ei qui civem liberasset. Teolius vult *civicam* dici, quod Laurentius *cives suos* liberaverit: scilicet præludit suæ opinioni de Roma, natali solo S. Laurentii. At quis unquam somniavit eum qui civica corona donaretur intelligi natum Romæ? Aulus Gellius, lib. v, cap. 6: *Civica corona appellatur, quam civis civi a quo servatus est in prælio, testem vitæ, salutisque perceptæ dat. Ea fit e fronde querna.. Hac corona civica L. Gellius, vir censorius, in senatu Ciceronem consulem donari e republica censuit.* Paschalius, de Coronis lib. vii, cap. 8, putat Prudentium ex omnibus coronis elegisse civicam, qua Laurentium donaret in cœlo degentem, ob solam hujus præmii dignitatem.

557. Vulpius ad carmen 60 Catulli ex hoc loco Prudentii conjicit in Catullo legendum *Flammeum videor videre*, non *venire*.

561. Weitzius hoc loco allegat Lessium de Justitia et jure lib. ii, cap. 36, et Chemnitium in Exam. part. 3, pag. 352. Verum, ut Lessii doctrinam de veneratione sanctorum ambabus ulnis excipimus, sic Chemnitii aliorumque novatorum hæreses auctoritate Prudentii ac SS. Patrum unanimi suffragio abominamur.

563. S. Augustinus serm. 304, alias de diversis 37, *Quam gloriosa enim, et quanta virtutum multitudine, quasi florum varietate, distincta Laurentii martyris sit corona, universa testis est Roma.* Ac revera præter ea quæ ad vers. 528 attuli, ex pluribus antiquissimis monumentis liquet quam singulari cultu Romani S. Laurentium prosecuti sint. In tabula ærea annexa



ostenduntur quatuor hujusmodi monumenta e vitro in cœmeteriis Romanis reperta, ac quatuor primis numeris distincta; quæ omnia Constantini ætatem videntur præcessisse, ut ex præfatione Buonarrotii ad opus de Vitris cœmet. colligitur. Sex autem hæc monumenta, quæ repræsentamus, exstant etiam simul collecta apud virum pium doctumque Franciscum a Puteo in opusculo anonymo: *Memorie della vita, del martirio, de' miracoli, del culto, etc., di S. Lorenzo. Romæ* 1766. Primo numero exhibetur fragmentum vitri quod asservatur in museo Vallicellano, jam ab Aringho et Victorio editum. Laurentii nomen litteris aureis inscriptum est: in capite apparet monogramma Christi, et ex uno latere o mega, cui ex altero respondebat, ut recte arguitur, alpha. Circum hæc verba tantum supersunt ANE VIVAS IN CR. Crux quæ tergo S. Laurentii supereminet, indicat S. martyrem crucem Domini ad martyrium usque portasse, vel etiam fuisse diaconum, cujus munus erat proprium crucem in sacris officiis portare: quæ fortasse est causa cur S. Laurentius in antiquissimis picturis musivis crucem manu ferens exhibeatur. In altero vitro num. 2, inter SS. apostolos Petrum et Paulum S. Laurentius depingitur, tanquam si ab ipsis in cœlesti solio fuerit collocatus. Manu sinistra Evangelium Laurentius tenet, quod ad diaconum legere Evangelium pertineat: adeoque similes Laurentii imagines antiquæ plures exstant apud Aringhum, Ciampinium, Bolland. Propyl. pag. 918. In vitro num. 3 volumen Evangelii aliquantum explicatum S. Laurentius ostendit; circum autem inscriptum est litteris aureis: VICTOR VIVAS IN NOMINE LAURETI. Ubi in nomine Laurentii litera *N* omissa est ex veterum Græcorum et Latinorum usu, aut fortasse ex imperitia vel incuria artificis. In vitro num. 4 Christus duos sanctos, qui nominati non sunt, coronat; circum autem repræsentantur Petrus, Paulus, Laurentius, Sustus (Sixtus), Ciprianus (Cyprianus), Epolitus (Hippolytus). Num. 5 ejusdem tabulæ S. Laurentius in craticula, igne supposito, torquetur: duo carnifices ignem palis admovent, tertius carbones in sacco videtur afferre, quibus ignem augeat. In 6 num. martyrium etiam S. Laurentii in vitro expressum est, vivis flammis subjectis: in S. Laurentio limbum cœlestem, et tonsuram clericorum propriam licet observare. Hoc postremum monumentum Panormi in museo Martiniano exstabat. Joannes Fellus, qui in not. ad epist. 80 Cypriani affirmat, ad passionem Laurentii confirmandam *auctorem aliquem martyrologiis vulgatis fide digniorem desiderari*, parum legerat: siquidem non solum tot veterrima monumenta, verum etiam innumera Patrum antiquissimorum testimonia, quibus martyrium idem comprobatur, ignorabat, aut martyrologiis recentiora censebat.

567. Heinsiani plerique, etiam Ambr., et tres Torrent., Parrhasius, Bong., Vat. B., Alex., Prag., Rat., Sich., *poscunt*, *jocantur*: neque ausus est obniti Heinsius, et ad oram expressit id ipsum Giselinus, quamvis in contextu cum Ald. ediderit *litantur*. Id tenuit Nebrissensis, qui exponit *litantur* pro *litant*,

Ceu præsto semper adsies,

570 Tuosque alumnos urbicos

GLOSSÆ VETERES.

569. Adsies, *pro adsis*, I.

570. Alumnos, *filios*, I.

COMMENTARIUS.

scilicet impetrant quod poscunt. Vat. A, Alt., Egm., Palat., *lætantur*, contra metrum. Widm., *jocanter; supra, lætantur*. Hailsbr., *latenter*, quod non est absurdum, ut murmura et vota occulta indicentur; supra *lætanter*. Weitzius scripsit *licenter* ex Fabricio, qui habet *licentur*, quod pariter Giselinus pro diversa scriptura margini apposuit. Heinsius putavit a Weitzio allegari codicem Fuldensem, deceptus nota F, quæ me etiam semel aut bis decepit in primis hymnis libri Cathemerinωn. Sed certum est hac littera Fabricium a Weitzio indicari: nam Fuldensi codice solum in Psychomachia usus est Weitzius; quem codicem solet appellare *Fuld*. Chamillardus Weitzii conjecturam fidenter secutus est: *Nec litantur, nec jocantur legendum esse, quis non videt?* Ita ille: cujus opinioni adhæsit etiam Gallandius. At si a codd. mss. licet recedere, restituendum putarem *Poscunt, litant et indicant*.

569. Ald. scribit *assies*, Vat. A, *adsias*, alii *adsies*, quod pro *adsis* a Terentio etiam positum est. Pro *ceu* suspicor *tu præsto*.

570. Sicut Roma antonomastice *Urbs* dicitur, ita Romani *Urbici*. Simili modo Ambrosius in epist. ad Valentinianum contra Symmachum *Urbicorum sacerdotum dispendia*, quod de sacerdotibus ethnicis Romanis intelligitur. Paulinus *papam Urbicum* Siricium vocavit ep. 1 ad Severum. Quia vero Romanis tanquam patronus favet Laurentius, illi alumni vocantur. Sic in inscriptionibus veteribus reperitur: *Patronus alumno posuit*. Sensum horum versuum nemo ignoraret, nisi studio partium abriperetur. *Tu, o Laurenti, complexus lactante sinu Romanos, qui tui sunt alumni, eos tanquam pater, sive amore paterno nutri*. Quis contra hiscere ausit? At quoniam ea nunc libido invaluit, ut argumenta undique conquirantur quibus suadeatur S. Laurentium natum Romæ, etiam ex his versibus hanc opinionem recentiores quidam Itali confirmare laborant. Possem illico eludere eorum conatus, si cum præstantissimo codice Alexandrino a prisca et prima manu legerem *orbicos*: quasi omnes, qui per totum orbem Laurentii opem implorant et sentiunt, intelliguntur. In eamdem rem adducerem vers. 573, HOS INTER, *o Christi decus, Audi et poetam rusticum*. Sed legamus *urbicos*. S. Leo serm. 2 in nat. SS. Apost. Romanos vocat *alumnos* S. Petri. In Prudentio *tuos cives* interpretatur Teolius, *Quos, nisi Romanos?.... Hoc unum dicam, qui in ea adhuc sententia permanent, ut S. levitam Hispanis accensendum velint, eos ad argumentum ex Prudentii silentio petitum, nihil habere quod respondeant; nam regerere, uti faciunt P. Perez et novus auctor de Sanctitate S. Laurentii, Prudentium solitum non esse martyrum patriam designare, id demum est lectorum credulitate nimis abuti, cum ex quatuordecim SS. martyrum hymnis quibus hic Peristephanon liber constat, tribus vel quatuor demptis, cæteri omnes martyris patriam disertis verbis prodant, imo et prædicent*. Quisnam sit is P. Perez, quem pro diobolari aliquo fratre aut monacho Teolius traducere videtur, dixi cap. 5 Proleg., num. 106, in nota. Hymnus Prudentii quid probet, Pinius in comment. prævio § 4 declarat: *De patria* (S. Laurentii) *ac parentibus nihil novi memoriæ proditum a Patribus, uti nec a Prudentio in hymno quem is de Sancto panxit*. Et 11: *Ad urbem Romanam quod attinet, quasi in ea natales hauserit Prudentius, adeo omni probabilitatis specie videtur destitui opinio quæ hoc asserit, ut ne proponi quidem, nedum refutari mereatur*. Neque silentium Prudentii obstitit quominus Bollandiani Prudentium Hispanis adjudicarent. Breviter nunc rationes doctissimi et laudatissimi viri Perezii de Bayer, bibliothecæ Hisp. reg. præfecti, contra Teolium exponam. Ait Perezius Prudentium solitum non esse martyrum patriam designare. Id verissimum est, ac clarius intelligitur, si idonea distinctio adhibeatur et explicetur. Ut duplex est martyrum natalis, alter quo terris, alter quo cœlo nascuntur, ita duplex est patria huic duplici natali respondens, altera ubi huic mortali vitæ, altera ubi æternæ vitæ nascuntur. Simili ratione sicut in martyribus aliisque sanctis ille natalis præcipue celebratur, quo vitam æternam consecuti sunt, ita non tam eorum patria qua in hanc miseram lucem prodierunt, prædicari solet, quam locus ille (sive patriam alteram voces, sive id nomen dare renuas) quo ad cœlum evolarunt, et quo eorum cineres conservantur. Prudentius hunc secutus est morem: laudat sæpe urbes in quibus martyres coronati sunt, et in quibus eorum ossa requiescunt; de loco ubi nati sunt, in plerisque hymnis nihil sollicitus. Vide vers. 176 hymni 4 Perist. Exemplo sit hic ipse hymnus quem præ manibus habemus. Nusquam dicit Romæ natum Laurentium, aut Romam hoc alumno et germine gloriari posse. Quid enim ait Romanos celebrare? *Beatus Urbis incola, Qui te ac tuorum cominus Sedem celebrat ossuum*. Locus hic erat indicandi Romæ etiam primam lucem vidisse Laurentium. Quid ergo est quod Teolius affirmat in plerisque Prudentii hymnis patriam martyrum disertis verbis prodi, imo et prædicari? In primo hymno adeo non proditur patria SS. martyrum, ut Teolius putaverit eos fuisse Calagurritanos, cum potius fuerint Legionenses. In Eulalia Emeritam ejus patriam prædicari facile concedo, quamvis nonnulli dubitent. Vide comment. ad vers. 4. De octodecim martyribus Cæsaraugustanis vide vers. 15, 107, 113, hymni 4. Neque Paulus, qui in eo hymno Narboni tribuitur, patria fuit Narbonensis, neque de aliis ibidem laudatis constat an in eis urbibus nati fuerint quæ eorum reliquiis aut patrocinio gloriantur. Succedit hymnus 5 de S. Vincentio, ubi patria ejus nullo modo memoratur, ut dicam ad hymni inscriptionem. Pariter ad titulum hymni 6 observabo, de patria S. Fructuosi et sociorum non constare ex hymno Prudentii. Sequitur hymnus 7 S. Quirini, ubi ad vers. 5 dicam dubium esse an hæc verba, *Complexu patrio fovent*, Sisciam patriam ejus fuisse indicent. In hymno autem 8 versus ad ornatum baptisterii alicujus proferuntur, quin resciri possit ubinam exstiterit illud baptisterium, et quinam fuerint illi duo sancti martyres qui eo loco passi dicuntur. Neque ex hymno 9 constat S. Cassianum, qui eo laudatur, in Foro Cornelii natum fuisse, ut ad titulum ejus hymni notabo. In hymno 10 nihil est ex quo argui possit S. Romanum genere fuisse Palæstinum. Vide comment. ad inscriptionem hymni. Quænam fuerit S. Hippolyti patria, neque Prudentius hymno 11 indicavit, neque aliunde nobis liquido constat. In hymno 12 patria SS. apostolorum Petri et Pauli nullo modo memorata est, nedum prædicata. Punicam terram S. Cyprianum tulisse, ex hymno 13 scimus, nihil aliud ex eo certo exsculpimus. Sepulcrum S. Agnes Romæ esse hymnus 14 expresse declarat; de natali solo hujus virginis nihil in eo exprimitur. Quo ergo jure Teolius infert, ex quatuordecim his hymnis, tribus vel quatuor demptis, cæteros omnes martyris patriam disertis verbis prodere, imo et prædicare? Argumenta Blanchini Bayerius

939 Lactante complexus sinu
940 Paterno amore nutrias.
Hos inter, o Christi decus,
Audi et poetam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus agnosco et scio
Quem Christus ipse exaudiat :
Sed per patronos martyres
A Potest medelam consequi.
Audi, benignus, supplicem
Christi reum Prudentium :
Et servientem corpori
Absolve vinclis sæculi.

III HYMNUS. IN HONOREM B. EULALIÆ MARTYRIS.

941 Germine nobilis Eulalia,

GLOSSÆ VETERES.

571. Lactante, *satiante*, I.
583. Corpori, *peccato*, I.
1. Germine, *generatione*. — Eulalia, *interpretatur boniloqua. B. Eulalia, boniloqua. Eusebia bona, cultura. Theosebia, Dei cultura*, I.

COMMENTARIUS.

egregie refellit, præsertim verba petita ex Sacramentario veteri sub S. Leonis nomine commoda explicatione excipit. Sane periodus illa, si mendosa non est, obscura certe est; ita enim habet : *Quamvis enim Sanctorum tuorum, propagante te, Domine, toto orbe clara sit gloria, de beati tamen solemnitate Laurentii peculiarius præ cæteris Roma lætatur, cujus nascendo civis, sacer minister, et dicatum nomini tuo munus est proprium.*

571. Vat. A, B, P, Q, Alex. Mar. pro div. script., Prag. pro div. script., Parrhasius, Rat., Gis., Weitz., Heins., *lactante*, neque ullam codicum discrepantiam Weitzius et Heinsius notant. Ald., Prag. a prima manu, *jactante*, quod prætulit Gallandius, quia *jactare* sumitur pro in aliquem se corpore inclinare. Ego vero de hujusmodi significatione valde dubito, nisi *jactor* passive, aut *jactare se* dicatur. Mar. a prima manu, *laxante*. Alex. a prima manu, *lactente*. Prag. pro *complexus*, non bene, *complexos* cum Mar. a prima manu.

573. P. Franciscus a Puteo luculentissimum hoc, ut vocat, IV sæculi auctoris docti, maximeque orthodoxi testimonium de invocatione sanctorum multis aliis allatis testimoniis eruditissime confirmat. Qua de re nos plura diximus cap. 7 Prolegom. Weitzius lectorem remittit ad Camerarium in lib. de piis Precibus. At noverint tandem heterodoxi Camerario nos auctore uti ad Plautum explanandum, minime vero ad fidei Christianæ doctrinam explicandam.

574. Ald., Weitz., Parrhasius, Heins. et alii, *audi poetam*. Mar., Prag., Rat., Bong., *audi et poetam*.

579. Heinsius, Parrhasius, Alex., et alii, *martyras*. Ald. cum aliis, *martyres*. Martyres *patronos* Prudentius sæpe dicit, quod nos sæpius, invitis hæreticis, repetere juvat. Ambrosius, ep. 22, class. 1, de SS. Gervasio et Protasio : *Patronos habebamus, et nesciebamus.*

580. Vatt. A, B, Mar., Rat., Prag., *medela*. Melius *medelam*.

582. Reus Christi dicitur, ut apud Ciceronem Clodius *reus Milonis*, quia a Milone accusatus est.

584. *Ablue* error Aldi est, ab ipso emendatus, quod non videtur advertisse Becmanus cap. 6 Manuduct. Correxit enim *absolve* ex ms. Pal. Sæculum ab ecclesiasticis scriptoribus sumitur pro mundo rebusque mundanis. Sic Hieronymus ep. 22 dixit *codices sæculares*. In Vat. B, post hunc hymnum sequitur hymnus S. Hippolyti, uti etiam in Parrhasio.

1. In Vat. B. est hic titulus, *Aurelii Prudentii Clementis V. C. ymnus in honore Eulaliæ martyris*. Ita etiam Mar., sed addit *Incipit hymnus in honore beatæ Eulaliæ*, etc. Rat., *Incipit ymnus in honore Eulaliæ B. martyris*. Vat. A, *Hymnus in honore passionis Eulaliæ beatissimæ virginis*. Aldus, *Ode in laudem Eulaliæ martyris*. Heinsius, qui Put. et Oxon. sequitur in titulis hymnorum hujus libri adnotandis, *In honorem passionis Eulaliæ beatissimæ martyris*. Nostri codices hic, et alibi sæpius scribunt *in honore*, non *in honorem*, perinde quasi *in festo* dicerent. Osiander, Epitom. hist. eccles. cent. 4, lib. I, cap. 9, martyrium Eulaliæ a Prudentio eleganti carmine descriptum observat. Ruinartius hymnum hunc Prudentii aliis actis vulgatis merito prætulit, martyrium S. Eulaliæ ad annum 304 revocandum censuit. Ad Prudentii fidem in hujus martyrii narratione vindicandam plura disserui in Hymnodia Hispanica ad diem 9 Decembris. Putarunt nonnulli Prudentium acta S. Eulaliæ Barcinonensis ad S. Eulaliam Emeritensem per errorem transtulisse. Cæterum cum Prudentius eodem sæculo vixerit quo Eulalia Emeritensis martyrium subiit, cum in provincia Tarraconensi scripserit, ubi potius Eulaliæ Barcinonensis laudes rescire et prædicare potuit, quam Eulaliæ Emeritensis, cum de Eulalia Emeritensi luculenta proferant testimonia Idatius, Isidorus, auctor vitæ S. Fructuosi Bracarensis antistitis sæculo VII, codex Veronensis officii Gothici plusquam millenarius a Josepho Blanchinio editus, Gregorius Turonensis, Fortunatus, aliique veteres : contra ex antiquis primus certus auctor Eulogius sæculo IX clare mentionem fecerit, ut dubium Quirici hymnum et acta anonyma prætermittam, quæ certe non majoris sunt ponderis quam acta Eulaliæ Emeritensis; cum, inquam, hæc omnia ita se habeant, jure verba Lucii Andreæ Resendii repetere hoc loco possum ex epistola ad Bartholomæum Quevedo : *De Emeritensi exstant et acta, et sacer ille Prudentius. De altera viderint cives Barcinonenses, et solertius investigent.* In martyrologio ecclesiæ Germanicæ, quod per septingentos annos latuerat, et in publicum prodiit e bibliotheca Friderici Beckii anno 1687, mense Decembri IV id., fit mentio *Eulaliæ virg. Melciadis papæ.* Mense vero Februario nulla Eulalia nominatur. Nuper magno animorum æstu hujusmodi controversia in Hispania agitabatur, ut vel ex inscriptione hujus operis arguere poteris. *Justa repulsa del argumento negativo, y equivocaciones, en que cimentaba la defensa de su censura, que dio a luz el M. R. P. M. Fr. Agustin Sala a fin de impugnar algunos hechos del martirio de la insigne virgen y protomartir S. Eulalia Barcelonesa. Por D. Josef Pedros y Riera. In 4 pp. 256. Madrid por Hilario Santos Alonso* 1787. Vidi opuscula quædam, quæ præcesserant, tum Boriæ, tum Salæ, quorum hic ut suas opiniones tueatur, Prudentii fidem debilitare, ille corroborare studet. Et Sala quidem eo usque progressus est, ut affirmaverit, ipsi etiam Prudentio suos errores fuisse cognitos, siquidem fassus est acta martyrii SS. Hemeterii et Celedonii periisse. Cujus argumenti vim plane non percipio. Quod autem addit, Prudentium in Romano, in Hippolyto, in Cypriano errasse, id cujusmodi sit, suis in locis videbimus. Neque vero si viro cuiquam docto errasse aliquando Prudentius visus est, ita etiam judicare Salæ licebit, levioribus rationum momentis permoto.

942 Mortis et indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
943 Qui tulit hoc decus egregium,
Urbe potens, populis locuples :
Sed mage sanguine martyrii,
Virgineoque potens titulo.
Curriculis tribus atque novem
Tres hyemes quater attigerat,
Cum crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Jam dederat prius indicium,
Tendere se Patris ad solium,
Nec sua membra dicata toro :
944 Ipsa crepundia reppulerat,
Ludere nescia pusiola.
Spernere succina, flare rosas,

GLOSSÆ VETERES.

2. Indole, *ingeniosa, vel bona spe : spe, vel virtute. Indoles est imago quædam propriæ virtutis*, I.
3. Emeritam, *Emerita, civitas Hispaniæ dicta, quod ibi emeriti, id est veterani milites erant*, I.
6. Occiduo, *in fine*, I.
7. Tulit, *genuit, detulit*, I.
10. Titulo, *sepulcro*, I.
11. Curriculis, *annis*, I.
13. Crepitante, *sonante*.—Pyra, *pyra ignis dicitur genus qui antequam succendatur rogus vocatur*, I.
14. Aspera, *fortis*, Vat. A.
15. Rata, *arbitrata*, I.
17. Patris, *omnipotentis*, I.
18. Toro, *conjugio*, I.
19. Crepundia, *monilia, ornamenta, gemmas, insignia, vel indicia, quæ expositis infantibus adhibentur : jocalia ornamenta*, I.—Lusus, *pueriles jocos*, Mar.
20. Pusiola, *parvula, juvencula puella. Diminutivum a pusione, qui est communis generis, et significat puerum vel puellam fortiorem jam: inde pusiolus et pusiola diminutiva pusiola, pusilla. Pusio dicitur primus natu*, I.
21. Spernere, *scilicet cœpit. Spernebat, id est abominabatur*.—Succina, *gemmæ fulvicolores, quæ ex lacrymis arborum fluunt, et in lapidem durescunt. Et sunt succina a succo dicta. Oscula in ore infantum*.—Flare, *flabat*.—Rosas, *jucunditates mundanas*, I.

COMMENTARIUS.

Multo vero minus ei liceat affirmare, sæculo IV, quo doctrina et religio Christiana maxime floruit, exactam judicandi rationem defuisse. Omissa vellem hæc ejus verba, Prudentium sæpius in rebus historicis sanctorum errasse *por ser aquellos tiempos tan calamitosos, las memorias, y actas de los martires muy raras y escasas, la critica poco exacta, y la credulidad sobrada*. S. Eulaliæ Barcinonensis acta quovis modo defendantur, per me licet : dummodo sua fides Prudentio ejusque æqualibus constet.

2. *Indoles* vocari solet spes quam ex vultu colligimus, futuræ virtutis in pueris, et a Græcis dicitur χαρακτὴρ. Hic ergo sumitur pro charactere, aut genere mortis. Nebrissensis exponit *virtute* ut ponatur effectus pro causa; quia indoles præcedit virtutem. Heinsius monet in scriptis esse *mortis et*, non *mortis at*, aut *mentis et* pro *mortis et*. Gis. et Weitz. ediderant *mortis at*. Cauchius conjiciebat *moris at* : sed ex Statio observat Heinsius *Ingenium crudele necis*. In Romano vers. 665, *Lactentis oris indolem*. Cath. 12, 68, *Puer o cui trinam Pater Prædestinavit indolem*.

4. Patriam S. Eulaliæ Emeritam hic declarari, nullus dubito. Riscus, tom. XXX Hisp. Sacr. cap. 10, modeste rejicit virum clarissimum Hispanum, qui affirmaverat Prudentium nunquam designasse patriam martyrum quos celebravit. Certe Bayerius in dissert. de S. Laurent. aperte profitetur Prudentium dixisse, sed obiter tantum, Emeritæ in lucem editam fuisse Eulaliam. Ego non video qui possit intelligi, *Cujus ab ubere progenita est*, nisi dicamus Emeritæ ortam S. Eulaliam. Giselinus tamen, de hac nostra Eulalia loquens, in civitate Barcinonensi a Donato presbytero catechizatam puellam dicit; quod narrationi Prudentianæ parum congruit. Florezius tom. XIII Hisp. Sacr., tract. 61, cap. 6, plures alias opiniones de patria S. Eulaliæ in examen vocat, meritoque rejicit, Prudentii auctoritate fretus. At notandum est etiam hoc loco Prudentium illud præcipue in Emeritæ laudem vertere, quod martyrio et sepulcro S. Eulaliæ claruerit, ut in fine hymni superioris monebam, et ex versibus 186 et seqq. hujus hymni manifestius patet. De Emerita ad eos versus nonnihil commentabor. Illud nunc præmonebo, Schelstratum in append. ad opus geographic. antiq. Eccles. parum caute affirmasse Emeritæ civitatis nihil modo nisi ruinas superesse.

5. Brev. Mozarabicum totum hunc hymnum in officio S. Eulaliæ inserit. Ex quo lectiones variantes ascribam. Hoc loco male ibi legitur *amoreque colit*.

6. Barthius, lib. V Advers. cap. 21, ex scheda ms. in qua hymnus Eulaliæ erat descriptus, nonnullos versus illustrat, et scripturam diversam adnotat. Ait *occiduum* non addito solis nomine plagam occidentalem designare, ut apud Calpurnium : *Dicitur occiduas impellere Bœtis arenas*. Addi vel præferri possunt Ovidius, Claudianus, et alii. Hoc autem peculiare est Prudentio, quod *occiduum* sine sole, sine orbe, sine aqua aut simili aliquo substantivo ponat pro *occidenti*.

7. Prag., *qui attulit*. Scheda Barthii, *Qui tulit egregium decus hoc*. Etiam ex hoc versu liquet Eulaliam Emeritæ progenitam. Nam idem locus qui tulit Eulaliam, martyrio hujus et sepulcro illustrior dicitur.

8. Brev. Moz. perperam, *urbs potens*. Idem scribit minus bene *locuplex*. Chamillardus in contextu et in nota legit *orbe potens*. Nescio an consulto; non enim monet se ab aliis omnibus recedere. Si lectio cod. esset deserenda, libentius legerem *arce potens*. Sic Auson. in epigr., quod mox in examen vocabo: *Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certant*.

9. Prag. contra metrum, *martyris*.

10. *Titulus* pro sepulcro, ut sæpe Prudentius uti solet, quanquam hic etiam basilica cum sepulcro intelligi potest.

11. Annorum duodecim ætas his duobus versibus exprimitur. Monuit id Barthius, ne quis annos viginti quatuor intelligeret. Siquidem postea puellula, e thalamo proxima dicitur.

13. Mox vers. 156, *Flamma crepans volat in faciem*. Virg. I Georg. 85, *Crepitantibus urere flammis*.

14. Nebrissa et Teolius exponunt *aspera in semetipsam*. Magis probo glossam *fortis*. Et voces *trepidos terruit* aliquo sensu in carnifices *asperam*, sive eis terribilem innuunt. Adde orationem martyris ad tyrannum, et vers. 127 et seqq., *Infremit, inque tyranni oculos Sputa jacit*.

15. Brev. Moz. perperam, *subit* pro *sibi*.

18. Brev. Moz., *et sua* : lege *nec sua*. Prag., *dicare toro*.

19. Plerique codices nostri unico *p* scribunt *repulerat* : sed cum prima sit longa, hoc loco recte scribetur *reppulerat*.

20. Brev. Moz., *pusilla* : corrige *pusiola*.

21. *Sucina* unico *c* scribunt aliqui codices. Sich., Weitz., Bong., Iso, *flare*, quod Salmasio placebat, et

Fulva monilia respuere :
Ore severa, modesta gradu,
Moribus et nimium teneris
Canitiem meditata senum.
Ast ubi se furiata lues
945 Excitat in famulos Domini,
Christicolasque cruenta jubet
Thura cremare, jecur pecudis
Mortiferis adolere deis,
Infremuit sacer Eulaliæ
Spiritus, ingeniique ferox
Turbida frangere bella parat,
Et, rude pectus anhela deo,
Femina provocat arma virum.
Sed pia cura parentis agit,
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure, et ab urbe procul :
Ne fera sanguinis in pretium
Mortis amore puella ruat.
Illa perosa quietis opem
A Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste movet,
946 Septaque claustra fugax aperit,
Inde per invia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris
Per loca senta situ, et vepribus,
Angelico comitata choro :
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium :
Scindere qui tenebrosa potens
Nocte viam face perspicua
Præstitit, intereunte chao.
Non aliter pia virgo, viam
B Nocte secuta, diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cum fugeret,
Et super astra pararet iter.
Illa gradu cita pervigili,

GLOSSÆ VETERES.

22. Fulva, *aurea.*—Monilia, *splendida ornamenta in vertice mulierum.*—Respuere, *respuebat*, I.
23. Ore severa, *facie stricta*, *sobria.* — Modesta, *quieta*, I.
25. Canitiem meditata, *morem imitata est*, I.
26. Furiata lues, *persecutio*, *mortalitas*, *vel morbus*, I.
30. Adolere, *incendere ; aliter crescere*, I.
32. Ferox, *fertilis*, I.
34. Anhela, *spirans*, I.
35. Virum, *syncope pro virorum*, I.
36. Parentis, *matris.* — Agit, *operatur*, I.
38. Rure, *in pago*, I.
43. Teste, *vidente.* — Movet, *aperit*, I.
45. Invia, *loca sine via*, I.
46. Laceris, *laceratis*, I.
53. Qui, *radius*, I.
54. Face, *luce*, I.
55. Chao, *chaos*, *confusio rerum*, I. *Confusione noctis*, Vat. A.
57. Secuta, *dum sequebatur*, I.
59. Canopica, *Ægyptiaca*, *id est mundana*, I.
61. Cita, *velox*, I.

COMMENTARIUS.

verum putavit Heinsius in notis, et ita demum correxit. Cellarius quoque expressit *flare*, et confirmavit auctoritate Suetonii Calig. cap. 38 : *Julii et Augusti diplomata, ut vetera, et obsoleta deflabat.* Apud scriptores ecclesiasticos *exsufflare* pro indicio spernendi passim sumitur : sic etiam *insufflare* in Romano vers. 920, *Insufflat*, *ipsos ceu videret dæmonas.* Ambr. et Oxon., *flore rosas*, quod Chamillardo placebat, id est, nascentes in flore rosas. In Brev. Moz. legitur *succina flores rosas ;* sed id metro repugnat. Quod autem miratur Chamillardus, *quod nullus hujus loci mendum tollere ausus fuerit*, et putat legendum *flare* aut *flore*, parum diligenter Heinsium legisse arguitur, a quo discere potuit Weitzium ex Bongarsiano edidisse *flare*, præter Sichardum, qui ad marginem idem ascripsit. Cæterum nostri codices, et Heinsiani plerique legunt *flere rosas*, quod explicat Nebrissensis *cum flatu abjicere.* Et Gallandio aptius contextui visum est *flere*, scilicet *spernere*, *flere*, *respuere.* Mihi verius videtur *flare*, et contextui aptius : nam flare et respuere simili fere ratione contemptum indicant. Editor postremæ editionis Parisiensis Patrum idem judicium tulit ac Chamillardus.

23. Nonnulli Vulg., *serena :* corrige *severa.* Noms., Rott., *modesta gradum* quod tenuit Heins., noto, ut ait, Græcismo. Sed perpendendum an contra auctoritatem optimorum codd. tot Græcismos liceat admittere quot vult Heins. Ego quidem non faciam.

25. Barthius interpretatur *Fovens canitiem proximam declarationi.* De significatione hujus verbi *meditor* plura dixi ad vers. 124 hymn. 10 Cath.

26. Vat. B, Mar., Prag., Rat., a prisca manu, *furiata dies.*

28. Rat., *Christicolas cruenta*, a prima manu ; sed a secunda manu recte *Christicolasque.*

29. Jecur in sacrificiis adhiberi solitum fuisse, no- C tum est. Symm. II, vers. 1007, *Gallinæ pulmone rigare.* Et hymno S. Cypriani, vers. 82, *Salis aut micam, jecur aut suis litarent.*

30. Alii *deis*, alii *diis*, scribunt.

32. In Barthii scheda *ingeniique ferax* cum glossa *fertilis.* Idem videtur legisse Iso, cujus eadem est glossa. Thuan., Ruinartii ms., nisi fortasse est idem Thuan., *ingeniumque ferox ;* non placet Heinsio. *Ferox* pro *forti*, *terribili*, recte. Nebrissa ita verba ordinat ad constructionem : *Et rude pectus*, *et ferox ingenio parat frangere*, *id est superare*, etc. At non male procedit hic ordo : *Spiritus ingenio ferox parat frangere bella*, *et rudi pectore ipsa scilicet femina anhela deo*, *provocat arma virum.*

34. *Pectus rude* pro inexperto. *Rudis* pro novo, recenti, sæpe a Prudentio usurpatur.

38. An rus, ubi virgo Eulalia latebat, fuerit *Porceiana*, an alius locus, inutili labore a nonnullis quæritur, cum vetera desint monumenta.

39. *Efferata amore martyrii*, ait Nebr. ad voc., *fera.*

D 41. Prudentius non jungit *perosus* cum gignendi casu, ut affirmant Cellarius et Teolius, sed ait Eulaliam perosam tolerare opem quietis.

47. Ex Virg. VI Æn. vid. com. ad v. 43 hym. 1 Cath.

48. Prag., contra metri legem, *comitatu*, pro *comitata.*

50. Ruinartius, *lucis tamen habet*, male.

51. Exod. XIII. Vide hymn. 5 Cath., ubi fuse historia hæc narratur.

56. Manifestam versuum trajectionem ex suo ms. corrigere voluit Barthius. Dixi jam proleg. cap. 22.

58. Ipsa virgo Eulalia non tenebris adoperta fuit, cum mundum, per regna Ægyptiaca significatum, fugeret. Hanc difficultatem ope suæ schedæ vitare voluit Barthius.

59. Vat. A perperam trajicit voces *Regna cum fu-*

Millia multa prius peragit,
Quam plaga pandat eoa polum :
947 Mane superba tribunal adit,
Fascibus astat et in mediis.
Vociferans : Rogo, quis furor est
Perdere præcipites animas,
Et male prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremque negare deum?
Quæritis, o miseranda manus,
Christicolum genus? En ego sum
948 Dæmonicis inimica sacris :
Idola protero sub pedibus :
A Pectore, et ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus et ipse nihil :
Illa nihil, quia facta manu :
Hic, manuum quia facta colit :
Frivola utraque, et utraque nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, voveatque suis
Numinibus caput ipse suum :
Pectora cur generosa quatit?
949 Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine pascitur innocuo :

GLOSSÆ VETERES.

62. Peragit, *percucurrit*, I.
63. Eoa, *orientalis*, I.
64. Superba, *nobilis*, I.
65. Fascibus, *honoribus*, *potestatibus*, *vel pompis*, I.
66. Rogo, *interrogo : ad paganos dicit*, I.
69. Sternere, *flectere ad orationem*. — Rasilibus scopulis, *rasis lapidibus, id est dolatis per imagines*, I. *Idolis dolatis in lapidibus*, Rat.
71. Manus, *multitudo*, I.

B 72. Christicolum, *Christicolarum*, I.
76. Isis, *dea Ægyptiorum*, I.
80. Frivola, *vana, vel mendacia*, I
82. Cliens, *servus*, *vel socius*, *servitor*, *amicus minor*, I. *Servus*, *vel amicus*, Mar.
83. Prostituat, *tradat*, *vel turpiter se inclinet*, I.
85. Generosa, *Christiana*. — Quatit, *persequitur*, I.
86. Dux bonus, *per ironiam*, I.

COMMENTARIUS.

geret Canopica. Thuan., Mar. a prima manu *Canopia*. S. Damasus de sorore sua Irene : *Cum fugeret mundum, dederat mihi pignus honestum, Quam sibi cum raperet melior tum regia cœli.* Alii legunt, *quem sibi.*

64. Breviar. Moz., *tribunalia*. Metrum poscit *tribunal*. Sæpius *superbus* in malam partem accipitur, nonnunquam in bonam, ut a Prudentio hoc et aliis in locis. In censura hymnorum Santolii Victorini scripsi mihi non placere de S. Barbara dici *Christo superba conjuge*. Posset hoc exemplum Prudentii allegari. Responderem, non tam dedecere hoc epitheton in S. Eulalia forti et intrepido animo adversus tyrannum pugnatura, quam in S. Barbara, quæ ea solum C ratione superba videtur appellari, quod Christum haberet sponsum. Sala, in opusculo de S. Eulalia Barcinonensi, ait, pag. 129, S. Eulogium lib. I Mem. SS. negare, Eulaliam Emeritensem non quæsitam se judici obtulisse. Verum neque Eulogius id negat, neque, si negaret, major ei fides quam Prudentio, fere æquali Eulaliæ, esset præstanda. Ac fortasse ea jam tum opinio irrepserat, eamdem esse S. Eulaliam Barcinonensem et Emeritensem. Illud constat ex operibus Eulogii, maximam tunc fuisse Cordubæ librorum ecclesiastic. inopiam, quod advertit etiam Amb. Morales. Certe si Eulogius Prudentii librum Perist. legisset in Memoriali martyrum ejus auctoritate usus fuisset.

65. Lictores fasces et securim magistratibus præferebant, fasces ad quædam leviora supplicia, securim ad mortem irrogandam.

66. Breviar. Moz., *Vociferans ita : Quis pudor est.* Ald., Urb., *Vociferans : Rogo, quis pudor est.* Alex., *quid furor est.*

67. Animas paganorum intelligit.

68. Breviar. Moz., omittit *sui*.

69. Nebrissa *rasilibus* explicat *viscera vestra radentibus*. Videtur id totum accipere de morte paganorum, qui ad inferos detruduntur. At sermo certe est de cultu idolorum, quæ vocat *scopulos rasiles*. Consule glossas. Ex hoc loco posset confirmari scriptura nonnullorum v. 210 lib. I in Sym., *Cæsa de rupe poposcit.*

70. Helpidius in carmine de Christo *omniparis* voce usus est : *Illic omniparis succrevit gloria Verbi.* Prudentius non semel *omniparens* dixit. Fortasse hic etiam præstaret *omniparemque. Cunctipater* exstat apud Teodulfum carm. 1, vers. 69 : *Cui tria cunctipater voluit superaddere lustra.*

72. Teolius *Christicolarum genus :* metri lex obstat. Alia apud hunc prætereo, quæ etiamsi metro repugnare videantur, tamen vitium tollitur, si recta scribendi ratio adhibeatur, ut ante vers. 39, *sanguinis in prœlium*, et vers. 42, *tollerare mora*. Nam cuivis in promptu est legere *pretium* et *tolerare*, et tunc recte procedit metrum. Post hunc vers. 72 in Aldo irrepserunt duo alii, qui sunt ordine vers. 110 et 111 : *Proxima dotibus, et thalamo. Non movet aurea pompa tori :* qui suo loco iterum ab Aldo immittuntur.

73. Tertullianus, et Sedulius utuntur etiam vocabulo *dæmonicus*.

74. Rat., abrasis prioribus, *Et simulacra terens pedibus*, scilicet manu recentis correctoris, qui secundam in *idola* corripi nolebat.

77. Estne hic Maximianus Herculeus an Galerius Maximianus? Gifanius hujus potius jussu Eulaliam mortuam ait verbo *viridans*. Cellarius intelligit Maximianum Herculeum, qui anno 303 imperator erat, quamvis fax et concitator fuerit Galerius Maximianus tunc Cæsar. In eadem sententia est Ruinartius : quia anno 304 in Hispania, quæ Maximiano Herculeo parebat, Datianum sæviisse certum est. Actis, quæ Eulaliam sub Calphurniano præside passam referunt, auctoritatem Prudentii merito præfert.

78. Sapient. xv, 16 et 17 : *Homo enim fecit illos... Cum enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his, quos colit, quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem nunquam.*

80. Rat., prioribus abrasis, recenti manu, *utraque frivola* pro *frivola utraque*. Cauchius malebat *Frivolum utrumque, et utrumque nihil.* Nihil est necesse. Alibi etiam in *utraque* nominandi casu *a* produxit Prudentius.

D 82. Christiani scriptores idola per contemptum vocant lapides. Arnobius lib. I, *Si quando conspexeram lubricatum lapidem.* Minucius, *lapides... effigiatos sane, unctos, et coronatos.* Nebrissa notat, *clientem* esse cultorem, quia cliens a colendo dicitur.

87. Inscript. Hispaniensem Gruterus pag. 280 profert ex Schotti aliorumque schedis, si tamen vera est.

DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET
MAXIMIAN. HERCVLEVS
CAES. AVGG.
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM. ET. OCCIDENTEM
IMP. ROM
ET
NOMINE. CHRISTIANORVM
DELETO. QVI. REMP. EVER
TEBANT

Corporibusque piis inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet et excruciare fidem.
Ergo age, tortor, adure, seca,
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem facile est :
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait : Rape præcipitem,
Lictor, et obrue suppliciis :
Sentiat, esse deos patrios,
Nec leve principis imperium.
Quam cuperem tamen ante necem,
950 Si potis est, revocare tuam,
Torva puellula, nequitiam!

A Respice, gaudia quanta metas,
Quæ tibi fert genialis honor.
Te lacrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus, et thalamo.
Non movet aurea pompa tori,
Non pietas veneranda senum,
Quos temeraria debilitas?
951 Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitii.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facibus data fumificis,

GLOSSÆ VETERES.

88. Inhians, *appetens, vel nimis cupiens*, I.
90. Excruciare, *extorquere*, I.
92. Coacta, *conjuncta*, I.
94. Penetrabitur, *interficitur*, I.
95. Exagitante, *fatigante*, I.
96. Talibus, *verbis*. — Excitus, *commotus*. *Exitiabilis*, I.
98. Lictor, *carnifex a ligando*, I.
101. Quam, *in quantum*, I.

B 102. Si potis est, *si possibile est*, I.
103. Torva, *aspera vel minax, vel contumax*, I.
105. Genialis, *nuptialis, lectus nuptialis, vel honor gratus*, I.
110. Thalâmo, *conjugio*, I.
113. Temeraria, *præsumptrix*. — Debilitas, *deludis, excrucias, fœdas; infirmitas* (forte *infirmas*), I.
114. Ecce, *aspice*. — Parata, *scilicet sunt*, I.
115. Exitii, *periculi vel mortis*, Iso.

COMMENTARIUS.

Quæ inscriptio Cluniæ in Hispania exstabat in pulchra columna. Ibidem ex schedis Schotti similis hæc inscriptio Cluniæ.

DIOCLETIAN. CAES
AVG. GALERIO. IN ORI
ENTE. ADOPT. SVPERST
TITIONE. CHRIST.
VBIQ. DELETA. ET CVL
TV. DEOR. PROPAGATO

Vide Baronium ad an. 304, n. 9 et 10.

C 88. Prag. omittit *que*, quod desideratur ad metri rationem.

93. Ovidius III Trist., eleg. 11, *Et minimæ vires frangere quassa solent.*

99. Caligulæ illud traditur fuisse præceptum : *Ita feri, ut se mori sentiat.*

100. Breviar. Moz., *ne temneat :* emenda *nec leve.*

102. Ald., Breviar. Moz., Heinsius cum suis vetustioribus, Fabr., Hailsbr., Bong., Ruinartius aliique, *si potis es*. Urb., Vatt. P, Q, Weitz., Egm., Widm., *si potis est*, quod videtur exstare in Alex., et ex vet. lib. defenditur a Gifanio in *viridans*, quod venuste dici putat, ut apud Terentium, et antiquos *si potest, si poterit*. Id non placet Heinsio, quia ex antiquorum imitatione dici deberet *si pote est*, non *si potis est*. Vide comment. ad vers. 84 præf. lib. I in Symmach. Etsi autem Gifanius hoc carmen de S. Eulalia vocet elegantissimum, tamen satis sordide protulisse Prudentium ait *revocare nequitiam*. Fortasse hoc vitare voluit Giselinus, qui in contextu edidit *Si potis es, revocare viam Torva puellula, nequitiæ :* quod eodem fere tempore expressit Fabricius. Repugnant scripti codices. Et Ovidius simili sensu dixit IX Met. : *Si facta mihi revocare liceret*; et Seneca de Benef. lib. IV : *Revocare promissum*. Sic etiam *revocare se* pro *mutare sententiam* apud Ciceronem.

103. Quod Eulalia duodecennis *puellula* non immerito vocetur, ostendi in Hymnodia Hispanica in nota ad hymnum S. Eulaliæ et pluribus aliis exemplis posset confirmari.

104. Vat. B, *petas :* melius *metas.*

105. *Genialis honor* pro nuptiis a Genio deo generationis : hinc lectus *genialis.*

109. Put. *sole* pro *flore*, quod non esse ex nihilo, ait Heinsius : siquidem Salmasius similem ex Hamartigenia ascripserat locum, *Ut pueros sol primus agit.* Verum epitheton *tenero* exigit *flore*, et locus ex Psychomachia (non ex Hamartigenia), vers. 845 : *Seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos Incendat nimius*, etc., non valde similis est huic phrasi *occidere in sole tenero*. Heinsius cum Put. et Oxon., *thalamis*, ex quo suspicatur *thalami*. Alii probe, *thalamo*. Recentiores, *thalamis*, cum Heinsio.

114. *Ministeria* pro *ministris* et instrumentis supplicii. Apuleius III Met. : *Tunc me per proscenium medium velut quamdam victimam publice ministeria perducunt*. Adde utrumque Plinium, Tacitum, alios.

115. Oxon., *Excruciatilis exitii*, minus bene : sed pejus Breviar. Moz., *Ex cruciabilibus exitiis.*

116. Notat Peveratus *gladio feriatur* esse formulam qua interdum rei damnabantur, ut in eos gladio animadverteretur. Pontius diaconus in Vita S. Cypriani : *Sententia ex tabella recitata est in hæc verba : Cyprianus gladio feriatur*. Plura alia addit Sagittarius cap. 7 de Cruciat. de hac formula *feriatur*, *gladio feriatur*, *securi feriatur*, ex jure civili, SS. Patribus, Martyrologiis. Vide tabulam XXI.

117. Intelligi potest de supplicio crucis, in qua relinquebantur rei dilaniandi a canibus et rapacibus volucribus; de quo Horatius, *Non pasces in cruce corvos*. Vide Lipsium de Cruce lib. III, cap. 11, et tabulam I et II, ubi martyres in crucem acti exprimuntur. Gifanius tamen putat, accipi posse *feros* pro equis, ut accipiuntur in hymno S. Hippolyti, qui ab equis distractus est.

118. Barthius affirmat id elegantissime dictum, quod vulgo aliquis diceret : *In usum faculæ accensa*. Catullus, *Et non pistrino traderis, atque asino :* hoc est ad molam vice asini. Vide comment. ad præfat. Psych., vers. 5. Hujus generis supplicii in Christianos Tacitus meminit XV Annalium : *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Quod fere totidem verbis narrat Sulpicius Hist. sacr. lib. II. Vide tabulam XVII. Cellarius consuetam com-

Flebiliterque ululanda tuis
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est fugere?
952 Si modicum salis eminulis
Thuris et exiguum digitis
Tangere, virgo, benigna velis,
Pœna gravis procul abfuerit.
Martyr ad ista nihil : sed enim
Infremit, inque tyranni oculos
A Sputa jacit : simulacra dehinc
953 Dissipat, impositamque molam
Thuribulis pede prosubigit.
Nec mora, carnifices gemini
Juncea pectora dilacerant,
Et latus ungula virgineum
Pulsat utrinque, et ad ossa secat,
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi, Domine,

GLOSSÆ VETERES.

121. Rogo, *interrogo*, I.

122. Eminulis, *longe præeminentibus, ab eminus diminutivum*, I. *Valde parvis*, Mar.

126. Nihil, *respondit*, I.

129. Mola, *mola est quoddam genus sacrificii ex farre et sale, quo hostia et cultri, atque ipsi ignes aspergebantur*, Vat. A.

130. Prosubigit, *suovertit. Subigo multa significat : 1° acuo, ut Subigunt in cute secures; 2° compello, ut Subigitque fateri; 3° fodio vel conculco, ut Pede subigit terram*, I.

132. Juncea, *tenera, juvenilia propter viriditatem*, I.

134. Ad ossa, *usque ad ossa*, I.

135. Notas, *figuras, maculas vel cicatrices*, I.

COMMENTARIUS.

bustionem tantum intelligit. Sagittarius, cap. 10, credibile putat Prudentium respexisse ad supplicii genus quo Nero Christianos affecit, sed posse etiam explicari de facibus quibus martyres nonnunquam ustulati sunt. Vestem, qua martyres comburendi involvebantur, vocabant tunicam molestam et ardentem : de qua Seneca epist. 14 : *Cogita hoc loco carcerem, et cruces, et eculeos, et uncum, et adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, et distracta in diversum actis curribus membra, illam tunicam alimentis ignium et illitam, et intextam, et quidquid aliud præter hæc commenta sævitia est.* Barthius legit *Aut facibus data funificis*, nescio an ex sua scheda, an *funificis* exciderit pro *fumificis* : nam *fumificis* exstat in aliis.

121. Videtur judex verbis S. Eulaliæ vers. 66 : *Rogo, quis furor est?* aliis similibus respondere.

122. Ald. non bene disjungit *e minulis*. *Digitis eminulis* est summis digitis, quasi prominentibus sive eminentibus. Lactantius lib. I, cap. 20 : *Colunt enim thure, ac summis digitis, quæ sensibus intimis horrere debuerunt.* Et lib. V, cap. 19 : *Docui, ut opinor, cur populus noster apud stultos stultus habeatur. Nam cruciari atque interfici malle quam thura tribus digitis comprehensa in focis jactare tam ineptum videtur, quam in periculo vitæ, alterius animam magis curare quam suam. Nesciunt enim quantum sit nefas adorare aliud, præterquam Deum.* Hieronymus epist. ad Heliodor. *Non est in eo tantum servitus idoli, si quis duobus digitulis thura compressa in bustum aræ jaciat.* Hinc *mica thuris* apud Ovidium, Columellam, Plinium. Confer Brissonium de Formulis lib. I, et vers. 82 hymni S. Cypriani. Voce *eminulus* utuntur Varro et Apuleius. C Peveratus observat locupletes solitos focis acervos thuris ingerere, pauperes vero grana aliquot summis digitis injicere. Fit autem salis mentio ob salsam molam, de qua paulo post. Teolius probabiliter censet, usum salis in sacrificiis ex Hebræis ad ethnicos permanasse. Calmetus autem ad cap. II Levit., vers. 13, tradit temporibus heroicis sal in sacrificiis minime fuisse adhibitum. Recentiores vero Græci et Latini D nulla sacrificia conficiebant sine salsa mola.

125. Breviar. Moz., corrupte, *pœnam gravem procul aufugeris.* Urb., Vat. P, Aldus et alii, *abfuerit*, quod magis placet quam *affuerit*, cum Vat. Q, aut *afuerit*, ut scribunt Alex., Weitz., Egm., Hailsbr., Bong., Heinsius, qui pro hac lectione allegat duos veterrimos codices, et sic legi affirmat apud Maronem, Gellium, alios passim in antiquissimis exemplaribus. Teolius Heinsium sequitur, quamvis fateatur, in uno tantum Vat. codice esse *afuerit*, in cæteris *abfuerit*. Sed excipiendus est Vat. Q, ut dixi.

126. Baronius II Annal., pag. 734, ad ann. 303, censet hinc permotos Patres concilii Elliberitani, ut statuerent, in numerum martyrum non recipi qui B idola fregerit et ibidem fuerit occisus. At Gabriel Vasquez tom. 1, in 3 part., quæst. 25, art. 3, disp. 105, cap. 2, id probabile non putat, quia Eulaliam non solum laudare, sed et imitari quisque deberet, cum ea tempestate Christiani ad sacrificandum idolis cogerentur : qua occasione conculcare idola non solum licet, sed gloriosum quoque est. Damnat tamen temeritatem nonnullorum qui intempestive martyrio se objecerunt.

128. Benedictus pontifex XIV, lib. III de Beatific., cap. 16 et 17, late hanc quæstionem agitat, an liceat se ultro offerre ad martyrium, tyrannum provocare ad mortem inferendam, idola despuere et confringere, ex quo mors certo sit secutura. Summa omnium est, hujusmodi actiones sæpius non licere, nisi peculiari impulsu Spiritus sancti exerceantur. Vide comment. ad vers. 580 lib. I contra Symmach. In Eulalia hunc impulsum fuisse ex ejus constantia in perferendis tormentis et ex miraculis consecutis, aperte colligitur. Putabam legi posse *inque tyranni oculis*, quasi coram tyranno despueret idola. Certe exemplum simile non legi : quamvis multa alia sint in Actis martyrum de iis qui idola conspuerunt aut simulacra flatu contempserunt. Neque tamen aliud ab Eulalia factum intelligo, nisi ut hunc contemptum sufflans, vel leviter exspuens indicaret. Videndus loc. cit. Gabriel Vasquez.

130. Breviar. Moz., *pede prosilnit.* Rectum est *prosubigit*, sumptum ex III Georgic., *et pede prosubigit terram.*

132. Breviar. Moz., vitiose, *lancea* pro *juncea*. Boria in opusculo de S. Eulalia Barcinonensi deceptus est, existimans *juncea* esse in ablativo, et significare instrumentum quo pectora dilacerata sunt. Explicat Hispanice *con juncos.* Prudentius pectora vocat *juncea.* Terentius, Eunuch. act. II, scen. 3, de tenui femina : *Deducunt cibum, tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas.* Huc respexit Prudentius. Catullus simili metaphora *laneum latusculum* pro *molli* dixit, et idem atque Lucretius contraria significatione feminas arido et exsucco corpore vocant *ligneas*. Quod Chamillardus opinatur, Prudentium intelligere pulchre deducta et composita membra, ut sunt opera ex junco facta, id mihi non persuasit, quamvis Nebrissensem videatur secutus, qui pectora juncea exponit *pulchre deducta et composita.* Magis mihi probatur Isonis glossa. Terentii verba a Donato ita exponuntur : Bona, *plena, magna et pinguis.* Junceas, *tenues et pallidas.*

134. Breviar. Moz., et nonnulli vulg., *pulsat utrumque.*

135. Proprie notæ erant compendia litterarum, ut fusius dicam ad hymnum Cassiani. Ex hac significatione sequitur in stropha seq., *scriberis*, *apices*, etc.

Quam juvat hos apices legere,
Qui tua, Christe, tropæa notant!
954 Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Hæc sine fletibus et gemitu
Læta canebat, et intrepida.
Dirus abest dolor ex animo,
Membraque picta cruore novo
Fonte cutem recalente lavant.
Ultima carnificina dehinc,
Non laceratio vulnifica,
Crate tenus nec arata cutis :
Flamma sed undique lampadibus
In latera stomachumque furit.
Crinis odorus et in jugulos
Fluxerat, involitans humeris,
955 Quo pudibunda pudicitia,
Virgineusque lateret honos,
A Tegmine verticis opposito.
Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata, caput
Occupat, exsuperatque apicem :
Virgo, citum cupiens obitum,
Appetit et bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi :
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt, abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur :
956 Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ovans,
B Templaque celsa petit volucer.
Vidit et ipsè satelles, avem
Feminæ ab ore meare palam,

GLOSSÆ VETERES.

137. Quam juvat, *in quantum jucundum est.* — Hos, *martyrii*, I.
140. Eliciti, *expressi vel extracti*, Iso.
146. Carnificina, *locus vel excruciatio*, I.
151. In jugulos, *in pectora.* Mar.
161. Emicat, *salit.* — Repens, *subita*, I.
165. Innocuus, *sicut columba est.* I.
169. Plaudit, *ludit, jocatur*, I.
171. Satelles, *minister; vel sequax*, I.

COMMENTARIUS.

144. Breviar. Moz., *tincta*, fortasse melius quam *picta :* nam sequitur *lavant.*

145. Widm., *recalente levant;* supra, *lavant*, probe.

148. Vat. A, Hailsbr., Egm., Pal., Bong. a prima manu, *ore tenus.* Alii melius *cratetenus* vel *crate tenus.* Breviar. Moz., male, *cratis tenus.* Non semel Prudentius *cratem* pro *costis* usurpavit, uti Virgilius aliique poetæ. Boria loc. cit., *cratem* videtur accepisse pro eculeo, quod defendi nequit.

149. De hoc supplicio inspice tabulam IX et XIV. An alia supplicia quæ de Emeritensi Eulalia in ejus actis referuntur, pro certis habenda sint, disputant nonnulli. Narratio Prudentii certa mihi est ; alia, quæ adduntur, aut falsa aut minus certa sunt.

151. Breviar. Moz., corrupte, *Crinis et odor ut in jugulos.* Ald., Put., Thuan., Alt., Rott., *Crinis odorus ut in jugulos :* neque id immutari debuisse, ait Heinsius. Nihilominus Vat. B, Mar., Rat., Prag., Weitz. et alii habent *et in jugulos.* Giselinus etiam *et*, sed in emendandis monuit in plerisque libris legi *ut* pro *et*, et orationem esse suspendendam usque ad alterum quinionem sive stropham. *Crinem odorum* vocat, quod divino miraculo suaviter fragraverit, ut Virgilius ait I Æneid. vers. 403, *Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem Spiravere.* Nebrissa hunc versum Virgilii laudat; sed *odorus* explicat *non tunc*, *sed qui solebat odoribus suffiri.* Recte ab aliis interpretibus rejicitur. Suspicabar *crinis honorus.* Puto autem crinem odorum dici, quia cum per comas vegetaretur flamma, ut postea narrat, crinis fetorem emittere debebat, sed odorem suavem emittebat. Simile miraculum in odore qui e corpore S. Laurentii emanabat, expositum fuit vers. 385 et seqq. Adde *odorum* posse capi pro bene vel male olente.

152. Palat., *humeros*, non male. Alex. scribit *umeris.*

153. In passione Agnetis, vers. 42, vocat *verendum locum.*

154. Breviar. Moz., *lateat :* legendum *lateret* ad regulas metri.

158. Mar. a prima manu, *exsuperat apicem.*

159. Nonnulli vulg., *cito cupiens.*

161. Mar. ad marg. pro diversa lect., *columba recens.* Breviar. Moz., *replens.* Latinius ex ingenio, ut puto, sed acute, *columba tepens.* Petrus Lazzeri, in dissertat. de regulis critices, § 6, affirmat in actis S. Polycarpi verba illa, *Egressa est columba*, solum significare animam exivisse : nam, ut ex Aringho aliisque constat, in cœmeterialibus Christianorum
C monumentis, certe in sepulcralibus eorumdem titulis frequenter deprehenditur columba ad indicandas animas justorum. Recenset alias historias quibus egressa columba dicitur, ut hanc S. Eulaliæ in Prudentio et in missali Mozarabico de utraque Eulalia Emeritensi et Barcinonensi, S. Potiti, S. Quintini, S. Reparatæ, S. Devotæ, S. Spei abbatis, S. Felicis Trevirensis, S. Meningi Fullonis, S. Blasii Armentarii, SS. Viti, Modesti. et Crescentiæ, S. Olivæ, S. Amatoris, S. Scholasticæ. Lazzerus suspicatur aliquos ex simplici phrasi, *Egressa est columba*, miraculum adornasse. Quidquid autem sit de aliis historiis, Prudentius clarissime narrat columbam emicuisse nive candidiorem, quæ os martyris visa fuit relinquere, et astra sequi : quam spiritum esse Eulaliæ interpretatur. Vide infra vers. 171. De columbis earumque significatione confer comment. ad hymn. 3 Cathem., vers. 165.

165. Barthius, lib. VI, cap. 28, Advers., ait *lacteum*
D a Latinis dici, quod est ab omni labe alienum atque remotum, ut *lacteolus* a Prudentio hoc loco, et a Chalcidio in Empedoclis versuum interpretatione, *Et tali sexu inde animal, tum lactea virgo.*

168. Pax datur corpori, tanquam si bellum cum tyranno et tormentis gesserit.

170. In Vat. A desideratur *que* post *templa.* Prudentium credidisse puras animas hinc decedentes ad cœlum evolare, quin in secreta aliqua sede detineantur, resurrectionis diem exspectantes, manifeste ex hoc loco atque aliis similibus in hoc libro de Coronis ostenditur.

171. Heinsius edidit *vidit et ipse;* sed in notis videtur velle *vidit ut ipse*, nisi mendum irrepserit. Teolius etiam *vidit ut ipse*, nescio quorum mss. fide: nam plerique cum editi tum mss. habent *vidit et ipse.*

172. Aldus mendose, *femina.*

Obstupefactus, et attonitus
Prosilit, et sua gesta fugit,
Lictor et ipse fugit pavidus.
Ecce nivem glacialis hyems
Ingerit, et tegit omne forum:
Membra tegit simul Eulaliæ,
Axe jacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.

A Cedat amor lacrymantum hominum,
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat et officium:
Ipsa elementa, jubente Deo,
Exsequias tibi, virgo, ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo
957 Clara colonia Vettoniæ:
958 Quam memorabilis amnis Ana

GLOSSÆ VETERES.

180. Vice, *in similitudine*, I.
187. Vettoniæ, *provinciæ Hispaniæ*, I.
188. Ana, *fluvius*, I.

COMMENTARIUS.

174. Mar., et Rat. pro divers. lectione, *sua facta*.

177. In comment. ad vers. 47 hymni 1 observatum est plerumque in foro martyres martyrium passos.

178. Breviar. Moz., *membraque tegit* contra metrum.

179. Breviar. Moz. corrupte, *ossa jacent sub gelido*.

182. Prag., *suprema solet*.

186. Prag., *hunc locum*, mendose. Vat. P male, *non locus*. Ald., Heins., Mar. a secunda manu, Alex., Vat. Q, Urb., Weitz. et alii, *nunc locus*. Rat., Widm., *hic locus*. Florezius, tom. XIII Hisp. sacr., tract. 41, cap. 6, putavit voce *tumulo* declarari locum eminentem ubi sita est Emerita. Mihi exploratum est, credo etiam aliis, sermonem esse de sepulcro Eulaliæ, quod suo tempore Emeritæ esse ait Prudentius. Ubi autem nunc sint reliquiæ hujus sanctæ virginis, erudite edisserit Florezius.

187. Lucanus lib. IV producit *o* in *Vettones*, aut *Vectones*; *Vettonesque leves, profugique a gente vetusta Gallorum*. *Vettonia*, non *Vectonia* scribunt vetustiores Heinsiani et nostri; in Alex. tamen *Vectoniæ*, in Vat. Q *Vetoniæ*. Prudentius corripit secundam in *Vettonia* licentia in nominibus propriis valde communi. Vettones a Ruinartio, Chamillardo et Teolio locantur inter Durium et Tagum. At tunc Emerita extra Vettoniam esset, cum inter Durium et Tagum sita non sit, sed potius ejus mœnia præterfluat et lavet Anas. Cellarius Vettoniam collocat inter Durium et Anam, præsertim posteriori ævo, et veterem inscriptionem producit ex Grutero pag. 383.

PROC. PROVINCIAE LUSITAN
ET . VETTONIAE

Quam inscriptionem Gruterus exstare ait in Hispali nova e Fabricio et Morali. Similem inscriptionem e Resendio adducit Gruterus pag. 591, quæ Emeritæ in domo Petri Mexiæ visebatur. A Prudentio hymno seq., vers. 37, Emerita dicitur *Lusitanorum caput oppidorum*: adeoque Vettonia ad Lusitaniam pertinere videtur. Non ergo satis intelligitur qua ratione in veteri inscriptione Lusitania et Vettonia distinguantur: nisi dicas Emeritam coloniam Vettoniæ fuisse, et simul caput Lusitaniæ, quod rationi communi loquendi non satis congruit. Nebrissa etiam putat Vettones populos esse Lusitaniæ. Florezius, ut quæstionem solvat, loc. cit. advertit Emeritam a Prudentio in Vettonia collocari, a Strabone in Turdulis, a Mela, Dione Cassio, Aggeno, in Lusitania, ab Hygino in Bæturia. Rem ita explicat, ut alii provinciam intellexerint, alii regiones: scilicet Emerita caput erat provinciæ Lusitaniæ, exstabat in regione Turdulorum, et in confinibus Vettonum et Bæturiæ. Scaliger, in Lection. Auson. cap. 30, ex Prudentii verbis colligit Emeritam dici *Emeritam Augustam Vectonicæ*, ubi intelligendum *Vectonicæ*, id est civitatis: nam Vectones sunt populi Lusitaniæ: in quibus Emerita fuit princeps ac matrix totius provinciæ Lusitaniæ. At vero cum Prudentius dicat Emeritam esse claram coloniam Vettoniæ, magis videtur consentaneum judicare Vettoniam esse regionem populorum Vettonum, quam esse aliud nomen Emeritæ Augustæ. Contendit etiam Scaliger epigramma Auso- B nii 8 de urbibus Emeritæ convenire, ut lectio vulgata habebat, non Hispali, cujus nomen exstat in mss. vett. Sic enim olim legebatur: *Jure mihi posthac memorabere, nomen Iberum, Hispalis æquoreus quam præterlabitur amnis. Summittit cui tota suos Hispania fasces, Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certant, Quæque sinu pelagi jactat se Bracara dives*. Scaliger legit *Emerita* pro Hispalis, quia Hispalim non præterfluit æquoreus amnis, sed Emeritam, testemque producit Prudentium. Ana enim fluvius hanc alluit; quod disertissime, ut ait, a Prudentio his versibus explicatur. Contra ego existimo æquoreum amnem Hispalim præterlabi, non Emeritam. Scaliger explicat æquoreos amnes dici quorum ostia, quia in Oceanum exonerantur, æstum Oceani patiuntur. Ego addo æquoreum amnem, qui aliquam alluit urbem, intelligi de amne qui in ea parte ubi æstum Oceani patitur, urbem præterlabitur: nam alioquin de omnibus fluviis qui in Oceanum se exonerant id promiscue C dici posset. Jam Bætis Hispalim præterfluit, et, ubi eam alluit, æstus maris percipitur. Emerita vero ita amni Anæ apposita est, ut ab æstu maris longe sit remota. Accedit *nomen Iberum*, quod ait Ausonius, de Hispali recte dici, minus recte de Emerita, quæ potius est nomen Latinum sive Italum, ut de suo nomine dixit Ausonius epist. 16: *Apologos en misit tibi Ab usque Rheni limite Ausonius, nomen Italum, Præceptor Augusti tui*. Et erat quidem etiam tum celeberrima urbs Hispalis, Colonia Romula, apud Florezium tab. 29 in veteribus nummis dicta. Hæc cum ita ego cogitassem de Ausonii loco restituendo, incidi postea in commentarios Gothofredi ad cod. Theod. lege 5, tit. de sponsal., ubi Constantini lex exponitur ad Tiberianum vicarium Hispaniarum data et accepta Hispali anno Christi 336. Ait Gothofredus ex hac lege colligi sedem vicarii Hispaniarum fuisse Hispalim, et in Ausonii epigrammate legi Hispalis in veter. libro, et Hispali congruere laudes quas ibi tribuit Ausonius. Addit Ausonii verbis, *Summittit cui tota* D *suos Hispania fasces*, non innui in ea urbe fuisse proconsulis tribunal, qui eo tempore nullus erat, sed eam primam urbem totius Hispaniæ esse.

188. Teolius scribit *Anas*, plerique *Ana*: utrolibet modo licet. Marietti codex conjungit, et scribit *Amnisana*: ita prorsus ediderat Aldus, sed correxit *amnis Ana*. Neque ratione caret *Amnisana*, ut civitates quædam ex communi civitatis nomine, et alio peculiari simul conjunctis appellantur. Nunc flumen hoc vocatur *Guadiana* composito nomine ex *guad*, lingua Arabica *amnis*, et Ana veteri nomine Latino fluminis: ut aliæ similes appellationes ex Arabico idiomate sunt in Hispania *Guadalquibir* (Bætis), *Guadalupe* (Aquæ Lupiæ). Heinsius ex Vossiano codice corrigendum monet in epistola Ausonii ad Paulinum quæ incipit *Excutimus*, etc., versum illum, *Emeritæque amnes, latæque fluenta Garumnæ*, ac legendum, *Emeritensis Anæ, latæque fluenta Garumnæ*.

Præterit, et viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lavit.
Hic, ubi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor
959 Et peregrinus, et indigena,
Relliquias cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis,
Saxaque cæsa solum variant,
Floribus ut rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite :
Non caret his genialis hyems,
Laxat et arva tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos.
Ista comantibus e foliis
Munera, virgo, puerque, date :
Ast ego serta choro in medio
960 Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar et impositum
Illa Dei sita sub pedibus

GLOSSÆ VETERES.

189. Viridante, *irrigante.* — Rapax, *velox turbiter*, I.
190. Luit, *lavit*, I.
192. Nitor, *scilicet marmorum*, Mar.
196. Super, *desuper*, I.
198. Solum, *pavimentum*, I., Vat. A.
199. Rosulenta, *a rosa, sicut rorulenta a rore*, I.
203. Non caret, *quia et in hyeme ibi sunt.* — Genialis, *nobilis*, I.
206. Comantibus, *constantibus*, I.
210. Festa, *festiva*, I.
213. Sita, *posita*, I.

COMMENTARIUS.

189. Gurgitem Anæ vocat *viridantem* propter arbores, ait Nebrissa, vel herbas adjacentes, quod illius fluminis est proprium. Herbæ scilicet in pratis Anæ celeberrimæ sunt, ad quas hyeme depascendus pecora e montibus Asturum longissimo quamvis itinere aguntur. Quod autem ait Nebrissa, Anam dividere Bæticam a Lusitania, recenti more ita est explicandum, ut Anas Extremaduram interfluat, tum Portugalliam extremo Algarvios a Bætica dividat.

190. Ald., Urb., Vat. P, et alii, *lavat.* Mar., Rat., Weitz., Wdm. a secunda manu, *luit.* Vat. B, Q, Hailsbr. supra, Alex. a prima manu, Heinsius cum Noms., et duobus vetustissimis suis, *lavit* ab antiquo *lavo, lavis*, ut Virgilius, Horatius et alii utuntur. Breviar. Mozar., *pluit*, non recte.

191. Vat. A, *præspicuo.*

192. Vat. B, Sich., Fabr., Bong., Gis., in contextu, *alta*, quod ex conjectura placebat Gallandio. Plerique et vetustiores cum Aldo, *alma.* Breviar. Mozar. corrupte, *Atria luminant alma viator Et peregrinus*, etc. Notandi sunt hi et sequentes versus ad ornatum cultumque templorum, de quo in prolegom. cap. 13.

198. Pavimenta marmoribus sectis vermiculata, arte musiva distincta, in templis Emeritæ etiam nunc conspici, testis est Nebrissa. De Romanis antiquissimis templis res nota est.

199. Breviar. Moz., *rorulenta :* lege *rosulenta* a rosis et floribus in pavimento formatis. *Rosulenta* dixit per analogiam, ut *rorulenta* hymni 7, vers. 168. *Rosatus* et *rosulatus* voces sunt sequioris ævi apud Ducangium.

201. De floribus quibus sepulcra ornari solebant, dictum cap. 14 prolegom.

202. Rat., *sanguineos;* recenti manu, *sanguineosque*, quod metrum poscit.

203. Breviar. Moz., *gemellis :* corrige *genialis.* Apud Virgilium lib. I Georg., vers. 302, *Invitat genialis hyems*, Ait Prudentius Emeritæ propter aeris elementiam flores provenire; aut etiam innuit ante diem florere annum, ut sepulcrum Eulaliæ decoretur. Paulinus Natali 3, *Purpureum ver spiret hyems, sit floreus annus Ante diem, sancto cedat natura diei. Martyris ad tumulum debes et, terra, coronas.*

204. Prag. a prima manu, *aura tepens*, quod mihi non displicet, ut *glacies* sit in accusativo plurali. Breviar. Moz. male *laxat et arctat tepens glacies.*

208. Breviar. Moz. mendose, *choro et in medio.* Poetæ sua carmina *serta* et *coronas* vulgo appellant quibus caput illius quem laudant aiunt ornari.

209. Exprimit metri genus quo utitur carmen dactylicum, ut sæpe alias. Blanchinum male correxisse *dactylo* pro *dactylico*, notavi proleg. num. 217.

211. Breviar. Moz. contra metrum *venerari* pro *venerarier*, ut vers. seq., *altare* pro *altar.* Vide vers. 80 Dittochæi.

212. Consuetudo hæc vetus fuit, ut ossa martyrum sub altari reconderentur, vel potius, ut ubi corpora martyrum sepulta jacebant, ibi altaria superextruerentur. Hoc ipsum iterum docet Prudentius hymn. seq., vers. 189 : *Hæc sub altari sita sempiterno;* in passione Vincentii vers. 517, *Subjecta nam sacrario;* et in Hippolyto vers. 169, *Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis, Propter ubi apposita est ara dicata Deo.* Etiam nunc hæc consuetudo in multis altaribus observatur, ut corpus alicujus sancti sub altari positum sit : et quoniam olim altaria erigi non solebant, nisi reliquiæ sanctorum supponerentur, adhuc sacerdos ad altare accedens orat sanctos *quorum reliquiæ*, inquit, *hic sunt.* Advertendum tamen est consuetudinem recentem non valde a veteri differre. Non enim nunc licet arcam ubi corpus alicujus sancti reconditum est, super altare collocare, et venerationi fidelium exponere ; quamvis partes aliquæ corporis hierothecis decentibus inclusæ supra altare exponi possint. Vide cap. 2 prolegom., num. 27. Cardinalis Baronius, ex verbis, quæ ibi exscribit, Eunapii, religionis Christianæ sub Juliano Apostata acerrimi hostis, ad an. 389, num. 82, id vere colligit : *Sed et ille veteris observantiæ usus attendendus ex verbis Eunapii, non solum sub altaribus claudi martyrum reliquias, sed et foris relinqui præcipua eorumdem membra certis diebus cunctis perspicua et adoranda.*

213. Prudentius Eulaliam *Dei sub pedibus* sitam ait, quia supra erat eucharistiæ sacramentum, aut sacrificium missæ peragebatur, ut apertius explicat in Hippolyto loc. cit. S. Felix Romanus pontifex, qui anno 274 decessit, apud Anastasium Bibliothecarium constituisse dicitur supra sepulcra martyrum missas celebrari. Hieronymus, adversus Vigilantium tom. II operum, pag. 395 : *Male facit ergo Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solum unius Urbis, sed totius orbis errant episcopi*, etc. Ambrosius, epist. 22, tom. II operum, de reliquiis SS. Gervasii et Protasii : *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est : sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui*

961 Prospicit hæc, populosque suos
Carmine propitiata fovet.

IV HYMNUS. IN HONOREM XVIII MARTYRUM CÆSARAUGUSTANORUM.

Bis novem noster populus sub uno
962 Martyrum servat cineres sepulcro
Cæsaraugustam vocitamus urbem,
Res cui tanta est.
Plena magnorum domus angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,

GLOSSÆ VETERES.

215. Propitiata, *placata.* — Fovet, *nutrit*, I.
3. Cæsaraugustam, *una civitas a Cæsare Augusto ipsius conditore*, I.
4. Res cui, *scilicet credita*, I.

COMMENTARIUS.

illius redempti sunt passione. Nonnulli putant, ethnicis interrogantibus cur Christiani nullas aras, nulla templa haberent, Minutium, Origenem, Clementem Alexandrinum, Arnobium, Lactantium ideo respondisse, aram nullam anima justi gratiorem Deo posse dicari, quia tabulæ sive opercula sub quibus condita erant martyrum corpora, primis Christianis pro aris erant. Quod ego subtiliter magis quam vere excogitatum censeo. Profecto ethnici quærebant de aris et templis qualia ipsi habebant: et talia apud se esse Christiani negabant, quamvis et ecclesias haberent et sacra peragerent. Nullum pura anima sanctius templum, nullam aram gratiorem esse addebant, ut innuerent religionem internam præcipue esse laudandam. An vero corpora sanctorum non solum sub altari, sed etiam sub ara olim collocarentur, quandoquidem inter aram et altare nonnulli distinguunt, dicam ad hymnum S. Hippolyti loc. cit. Alia quæstio hinc etiam oritur, an Prudentius existimaverit animas martyrum et sanctorum sub altari requiescere, exspectantes beatam spem resurrectionis. Prudentius quidem minime in ea fuit sententia: nam vers. 169 diserte affirmavit: *Flatus in æthere plaudit ovans.* Et in Vincentio cum de ossibus sacrario subjectis esset locutus, vers. 521 ait: *Sic corpus: ast ipsum Dei Sedes receptum continet.* Syxtus Senensis Biblioth. sanct. lib. VI adducit plurium Patrum opiniones, qui verba Apocalypsis VI: *Vidi sub altari Dei animas interfectorum*, ita videntur interpretari, ut negent animas sanctorum ante resurrectionem corporis divinæ visionis gloria frui, Prudentiumque recenset, quasi hymn. seq., *Hæc sub altari sita sempiterno*, animas martyrum sub altari collocaverit. Sed ut de aliis taceam, Prudentius quidem ad verba Apocalypsis alludit, sed ita ut sententiam catholicam de animabus justis in cœlum ante corporis resurrectionem recipiendis sæpius expresserit. Neque aliud innuit, nisi cineres sanctorum sub altari terreno esse, eamque consuetudinem tumulandi ossa martyrum sub altari ex verbis Apocalypsis permanasse: quæ multorum est probabilis opinio. Respicit etiam thronum Dei in cœlis, sub quo sunt animæ sanctæ.

215. Breviar. Moz. corrupte, *Carmine propitio tali foveat.* Mendose pariter Ruinartius, *propitiata foret.* Post hunc hymnum in Vat. B et Mar. ponitur hymnus Fructuosi episcopi, etc. In Vat. A, *Liber de beato Romano martyre.* In Alex. sequitur hymnus S. Vincentii, et post hunc hymnus SS. octodecim martyrum. Weitzius cum Vat. B et Mar. facit: reliqui editi cum Aldo hunc, quem sequimur, ordinem tenent. Equidem tantæ varietatis codicum in hymnis Peristeph. collocandis nullam satis idoneam causam invenio.

1. Inscriptionem exhibui quæ exstat in Vat. A, nisi quod in eo, ut in plerisque aliis, legitur *in honore*, ut dixi ad hymnum præcedentem. Vat. B, *Incipit hymnus in honore martyrum Cæsaraugustanorum.* Mar., *Incipit hymnus in honore* XXIII *martyrum Cæsaraugustanorum.* Rat., *Incipit hymnus in honore* XVIII *martyrum Cæsaraugustanorum.* Ald. *Ode in laudem SS.* XVIII *martyrum Cæsaraugustanorum.* Heinsius, *Hymnus in honorem SS.* XVIII *martyrum Cæsaraugustanorum.* In Vat. A ponitur post passionem S. Vincentii; in Vat. B. et Mar. post passionem SS. apostolorum Petri et Pauli. Verior videtur titulus *In honorem* XVIII *martyrum Cæsaraugustanorum*: nam alii martyres qui recensentur videntur huc tanquam in episodio adducti, scilicet Vincentius, Encratis, Caius, Crementius, qui cum XVIII sunt XXII; adeoque nescio cur Marietti codex habeat *In honore* XXIII. De martyribus octodecim Cæsaraugustanis martyrologium Romanum ad diem 16 Aprilis: *Cæsaraugustæ in Hispania natalis SS. decem et octo martyrum, Optati, Luperci, Successi, Martialis, Urbani, Juliæ, Quinctiliani, Publii, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Eventii, Primitivi, Apodemii et aliorum quatuor, qui Saturnini vocati esse referuntur. Hi omnes sub Datiano Hispaniarum præside simul pœnis affecti atque interempti sunt: quorum illustre martyrium Prudentius versibus exornavit.* Ordo ipse nominum ex Prudentio petitus est, non ex aliis actis antiquioribus: nam Prudentius, ut metro consuleret, ita ea disponere debuit; neque facile quis dicet ita casu in vetustioribus actis fuisse collocata. Martyrium horum SS. martyrum contigit circa annum 304, in Maximiani persecutione sub Datiano præside. Eorum festum alii diei 15 Aprilis, alii diei 16 ejusdem mensis consignant. Hymnum Prudentii inter Acta sincera Ruinartius profert pag. 516 edit. Parisin. 1689. Eumdem exscripserant Bollandiani ad diem 16 Aprilis.

2. Rodriguez. de Castro in Biblioth. Hisp. ait Prudentium sepulcri unius nomine fortasse comprehendisse omnia sepulcra SS. martyrum qui in conventu Cæsaraugustano exstabant: siquidem scopus Prudentii fuit de aliis etiam martyribus qui Cæsaraugustæ sepulti non erant loqui. Sic Lucretius terram *commune sepulcrum* dixit. Ego vero puto Prudentium clare loqui de uno sepulcro Cæsaraugustæ existente, cum addat, *Cæsaraugustam vocitamus urbem, res cui tanta est.* Intelligo autem hos octodecim martyres sub uno altari conditos, quod jure a Prudentio vocatur sepulcrum, ut ab aliis *confessio, martyrium, memoria martyrum.* Confer vers. 189 et seqq., *Hæc sub altari sita sempiterno.* Advertendum etiam sæpe Prudentium verbum *servare* de reliquiis martyrum usurpare, ut hymn. sup., *Servat humus veneranda sinu*, et rursus in hoc hymno vers. 191, *Turba quam servat procerum creatrix Purpureorum.* In Hippolyto vers. 173, *Servat ad æterni spem judicis ossa sepulcro.* Ex initio autem et fine hymni liquido constat scopum Prudentii esse laudare octodecim martyres Cæsaraugustanos, quamvis in laudem Cæsaraugustæ occasione ex hoc magno numero sumpta alios martyres adjungat.

4. Latinius, *res ubi;* bene et vere est *res cui.* Parrhasius ait ignoscendum quidem Prudentio, sed ferendum non esse, quod *cui* fiat bisyllabum, et ultima consonans vertatur in vocalem. Qua ego de voce dixi proleg. num. 209, 212, in nota, Martialis simili prorsus modo *cui* dissyllabum protulit.

6. Chamillardus ex hoc aliisque locis Prudentii colligit poetam nostrum in ea fuisse opinione, terram in fine mundi penitus destructum iri. Mihi non ita clarum videtur id sensisse Prudentium; nam ejus verba, sicut alia similia sacræ Scripturæ, de magna mundi commutatione apte possunt intelligi. Porro post resurrectionem cœlum et terram, et elementa omnino alia ab his quæ nunc existunt esse instituenda, multi opinantur. Plerique mundum non prorsus in nihilum esse redigendum, sed in melius commutandum, defendunt. Vide dissert. Calmeti de fine et mundi statu post judicium, ante epist. Pauli ad Galat.

963 Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.
Cum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus justam positurus æquo
Pondere libram :
Orbe de magno caput excitata
A Obviam Christo properanter ibit
Civitas quæque pretiosa portans
964 Dona canistris.
Afra Carthago tua promet ossa,
Ore facundo Cypriane doctor;
Corduba Acisclum dabit, et Zoellum,
965 Tresque coronas.

GLOSSÆ VETERES

7. Gestans, *dum gestat*, I.
9. Cum, *quando*, I.
10. Nube, *in nube enim in qua cœlum ascendit, credimus venire ad judicium.* — Rubente, *ignea*, I., Mar.
13. Excitata, *elevata, erigens caput*, I. — Caput, *per caput*, Mar.
14. Properanter, *celeriter*, I.
16. Canistris, *sarcophagis*, I., Mar.
17. Afra, *Africana*, I.
20. Tresque coronas, *scilicet aliorum martyrum. Tres martyres, id est, Faustum, Januarium, Martialem*, I.— *Tres martyres*, Mar.

COMMENTARIUS.

9. Breviar. Moz. corrupte, *quem Dei dextram.*
10. Breviar. Moz. mendose, *rubentem*. Vide hymn. 11 Cathem., vers. 101 et seqq., cum comment.
11. Breviar. Moz., *posituros*, male. Quod Deus describatur extremi judicii die altera lance bona opera, altera mala appendens, originem trahere potest ex Job vi, 2 : *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in statera :* et ex Danielis v, 27 : *Appensus es in statera, et inventus es minus habens.* Vide Mazochium Spicileg. Biblic., vol. II, pag. 285. Cæterum ut unicuique æquo pondere jus veluti appendatur, Græci veteri proverbio dicunt *libram tenere*, cujus meminit Eustathius ad lib. vii Iliad., Ζυγοῦ πρὸς δίκην εὐθύστερος. Consule notata ab Elmenhorstio et Heraldo ad Minucii verba, *Ut libram teneas æquissimi judicis, nec in alteram partem propensus incumbas.* Homerum imitatus est Virgilius lib. xii, vers. 725, *Jupiter ipse duas æquato examine lances Sustinet.*
13. In Alex. cod. omissa erat tota hæc stropha, C quæ a veteri manu ad marginem est addita. Aberat etiam a cod. Thuan. Ait Prudentius *caput excitatas* civitates, sive earum caput excitari, ut in hymno Fructuosi de Tarracone : *Attollit caput ignibus coruscum*, et *Quo nostræ caput excitatur urbis.*
15. Ald., Tornæs. et nonnulli vulgat., *civitas omnis*, quod non satis Latinum esse ait Gifanius in *E longum*. Scripti *civitas quæque*, ut *e* postremum sit longum ob *pr* dictionis sequentis; quod familiare est Prudentio, et nullo modo reprehendendum. Breviar. Moz., *civitas quoque*, vitiose. Teolius, *pretiosa dona* explicat *martyres* INDIGENOS, *quos decem et octo offeret Christo Cesaraugusta.* Teolius adhuc cogitat de patria S. Laurentii. Prudentius certe hoc loco intelligit martyres qui in singulis civitatibus sunt sepulti, ac præcipue qui earum civitatum sunt patroni, sive indigenæ sint, sive secus. Neque vero evidens est omnes et singulos martyres octodecim Cæsaraugustanos Cæsaraugustæ natos esse. Contra constat Felicem, quem Gerundæ ascribit, et Cucufatem, quem Barcinoni D tribuit, in Hispania natos non fuisse.
16. Glossæ *canistris* exponunt SARCOPHAGIS. Prudentius fortasse huc respexerit, quod et dona canistris ferri soleant, et marmora sepulcrorum nonnulla sint in canistrorum formam scalpta.
17. Weitzius cum Widm. scribit *Kartago*, et ex Hailsbr. notat *Chartago*. Dicit *Afra Carthago*, ut discernat a Carthagine nova, quæ Spartariæ etiam nomen habet, nunc *Cartagena* in Hispania, cujus nominis alia recentior in America condita est. Nebrissensis ait solam Carthaginem Africæ ex urbibus peregrinis a Prudentio poni, cum cæteræ omnes sint in Hispania. Non video qua ratione dici possit in Hispania esse Arelatem et Narbonem, quo tempore scribebat Prudentius, neque adhuc Gallia Narbonensis a Gothis erat occupata.
18. De S. Cypriano hymnus exstat in hoc libro decimus tertius : ubi Prudentius cum *amore nostrum*, id B est Hispanum vocat. In Vat. B hi versus ita leguntur, *Afra Carthago, Cypriane doctor Ore facundo, tua promet ossa.*
19. Vat. A, Rat., *Acisdum*. Prag., *Ascisclum.* Widm., *Asclisclum*, Egm., Pal., *Aclisdum*. Alii, *Acisclum* cum Aldo et nonnullis martyrologiis. Vetustiores Heinsiani, *Aclisclum*, vel *Aclisdum*, nisi quod Put., *Aciscum*. In Ox., *Ascisdum* pro *Asciselum*, quomodo in martyrologio Adonis. Heinsio *Acisclus* genuinum martyris nomen videtur : ex *Acisculo* fit per contractionem *Acisclus*, et in familia Valeria nonnulli Acisculi dicti sunt ab instrumento latomico. Philippus a Turre, in Monum. vet Antii, cap. 2, fuse de Acisculo cognomine gentis Valeriæ disserit ex nummis ejusdem gentis : et hunc nostrum martyrem genti Valeriæ ascribi posse monet. Mazochius de Dedicatione sub ascia id minime posse colligi confirmat. Pro *Zoellum* Vat. A *Zoelum*, supra minutiori charactere *Zolutum;* Rat., *Zoelum*, Mar. a prima manu, Vat. A, *Encellum*, Prag. *Enetellum*. De Acisclo martyrologium Rom. die 17 Nov. de Zoello, sive Zoilo idem martyrologium die 27 Junii : *Cordubæ sanctorum martyrum Zoili et aliorum decem et octo.* Ecclesiam ab eo denominatam S. Eulogius in Memor. sanct. libr. ii, cap. 6, refert. In Breviario Mozarabico die 17 Novembris fit officium *S. Aciscli et comitum ejus.* In orationibus plerumque nominantur *Acisclus et Victoria*, nonnunquam *Acisclus et socii ejus*. In eodem Breviario die 27 Junii fit officium S. Zoili cum hymno proprio, versibus ex præsenti hymno Prudentii hinc inde sumptis ac male consutis. Sepulcrum Aciscli Cordubæ exstitisse constat etiam ex S. Isidoro in Chronico ad æram 587, ubi de Agila : *Iste adversus Cordubensem urbem prælium movens, dum in contemptum catholicæ religionis, beatissimi martyris Aciscli injuriam inferret, hostiumque ac jumentorum cruore sacrum sepulcri ejus locum ut profanator pollueret, inito adversus Cordubenses cives certamine, pœnas dignas, sanctis inferentibus, meruit.*
20. Chamillardus quærit cur *tres coronas* dicat Prudentius, cum ex Martyrologio Romano constet alios undeviginti cum Zoilo fuisse martyrii palma donatos. Respondet, apud Surium in vita S. Anastasiæ, corpus Chrysogoni martyris fluctibus delatum fuisse ad littus maris, ubi Zoilus, vir pius, et presbyter, diversabatur apud Agapen, Chioniam et Irenem sorores: cui Chrysogonus in somnis apparens prædixit illum brevi pro Christo vitam finiturum, ac pariter tres illas Christi ancillas. Has igitur colligit Chamillardus esse tres coronas a Prudentio indicatas. Bollandiani vero putant per tres coronas intelligi Victoriam, quæ totidem coronas cœlo delabi vidit, ideoque duobus istis tertiam se adjunxit. Iso autem verius ait esse tres martyres *Faustum, Januarium et Martialem*. Horum trium festus dies agitur in officio Mozarabico die 13 Octobris. Gallandius cum Ruinartio de his intelligit Prudentium, cum hi Cordubæ passi fuerint ac monet Ruinartius, in codice

Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum.
Tarraco : intexit cui Fructuosus
966 Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est :
Emicant juxta lapides gemelli,
A Ardet et splendor parilis duorum
Igne corusco
Parva Felicis decus exhibebit
967 Artubus sanctis locuples Gerunda,
Nostra gestabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.

GLOSSÆ VETERES.

25. Strophio, *Ornamento, cingulo. Strophium cingulum ab eo quod est strophæ, id est convertere*, I.

26. Gemelli, *duo diaconi*, I., Mar.

31. Ambos, *duos*, I.

32. Quos veneramur, *scilicet martyres quos supra dixit, Hemeterium et Celedonium*, I.

COMMENTARIUS.

Regio annorum 800 glossam esse *martyres*. Horum trium martyrum Cordubensium missa habetur in missali Mozarab. Leslei pag. 387, IV cal. Octobr. Acta ex quatuor codd. mss. Ruinartius protulit. Martyrologia in eorum die festo designando dissentiunt.

21. Weitzius censet Prudentium alludere ad morem eo ævo usitatum, quo virgines nomina sua monilibus intexta gestabant: de quo Aristenætus lib. I, epist. 1, et Meursius Exercit. crit. part. 2, lib. II, cap. 16. Paschalius, de Coronis lib. IX, cap. 11, observat Prudentium in diademate agnovisse tres gemmas, non quod ibi solæ sint, sed quod oculos primæ feriant. Intelligit autem esse gemmas de quibus Capella : *Quippe tres fuerant a fronte gemmæ, lychnis, astrites et ceraunos :* quod non puto cogitasse Prudentium. S. Leo Magnus, cum aliis in locis, tum in hoc satis clare imitatus videtur Prudentium serm. 1 SS. apostolorum Petri et Pauli : *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; et semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo ista præclara divini germina seminis* (SS. Petrus et Paulus) *in quantam sobolem germinarint, beatorum millia martyrum protestantur, qui apostolicorum æmuli triumphorum urbem nostram purpuratis et longe lateque rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.*

23. Tarraco a Ptolomæo et veteribus monumentis in Cosetanis collocatur, ad oram maris Mediterranei. Vide Cellarium Geogr. ant. lib. II, cap. 1. Chamillardus monet vina Tarraconensia olim in pretio habita ex Martiali lib. XIII, *Tarraco Campano tantum cessura lyæo.* Idem confirmant Plinius et Silius Italicus. Addi potest etiamnum ea vina in pretio esse : nisi quod nunc tot sunt diversi generis vina in Hispania, quæ ubique maximo in pretio habentur, ut multa alia Tarraconensibus debeant præferri. Ac mirari subit cur aut Romani olim ea vina ignoraverint, aut contempserint, aut, quod magis credo, Hispani suas vineas diligentius excolere non curaverint. Non enim apud veteres vini Hispani tam frequens occurrit mentio quam aliorum. Video tamen, ejus usum ab Ovidio præscribi ad custodes aut fallendos, aut deliniendos, aut consopiendos : *Fallitur et multo custodis cura lyæo : Illa vel Hispano lecta sit uva jugo.* De Fructuoso et sociis hymnum 6 hujus libri habemus.

24. Paschalius ait *sutile vinclum* esse gemmam laminæ assutam, qua diadema clauditur et subnectitur sicuti fibula. Quod Virgilio est aurea fibula in hoc versu : *Aurea purpuream subnectit fibula vestem*, Prudentio est in diademate *fibula gemmea* sive *sutile vinclum.* Prudentius *lapillos sutiles* Cathem. 7, vers. 158; et *hyacinthos sutiles* dixit Hamart. vers. 268, qui in coronam consuuntur, vel diademati assuuntur.

25. Ald. contra metrum, *hoc nomen gemmæ*. Aldus, Weitzius, Giselinus, edd. vett., *illigatum est*, quod exstat in plerisque codicibus nostris, Thuan., Noms., Ambr., Put., Parrhasius, *illigatæ*, quod tenent recentiores, et rectius putat Heinsius. Verum S. Isidorus jam legerat *illigatum est* lib. XIX Etym., cap. 33. *Strophium est cingulum aureum cum gemmis, de quo ait Cinna : Strophio lactentes cincta papillas. Et Prudentius : Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est.* Hemistichium primum Catulli est in Nuptiis Pelei, sed potuit illi esse commune cum Cinna, ut observavit adnotator Isidori. Paschalius suspicabatur *Nomine hoc gemma est strophio illigata.* Nebrissensis conjiciebat *Hoc novæ gemmæ strophio illigatum est.* B At recte procedit lectio codicum, sive quam Heinsius sequitur, sive quam nos utpote antiquiorem cum S. Isidoro retinuimus.

27. Theolius, *ardet splendor :* corruptum est metrum omisso *et*.

29. Martyrologium Rom. 1 Augusti : *Gerundæ in Hispania natalis S. Felicis martyris; qui post diversa tormentorum genera a Datiano tandiu jussus est laniari, donec invictum Christo spiritum redderet.* In Breviario Mozarabico ad diem 1 Augusti ejus festum celebratur, exstatque hymnus trochaicus, quem facile Prudentio adjudicarem, nisi quod nonnulli versus injuria temporum et negligentia exscriptorum corrupti apparent, ut factum esse constat in aliis hymnis eidem breviario insertis, qui certo sunt Prudentii. De nonnullis aliis hymnis Breviarii Mozarabici idem judicium fero : fortasse aliquando eos ex mss. et conjecturis suo auctori suoque nitori restituam. Ita incipit hymnus S. Felicis : *Fons Deus vitæ perennis,* C *lux origo luminis, Aspice plebem canentem festa summi martyris.* Vides stylum Prudentianum, exactamque metri legem : hæc turbatur vers. seq. *Excipe vota precantum, sume laudum cantica :* quanquam sustineri id potest ratione cæsuræ. Auctor fortasse *Sume vota teprecantum, sume laudum cantica.* Felix Cæsarea Mauritaniæ Gerundam usque martyrii cupidus perrexit, ut ex hymno cit., et S. Eulogio colligitur lib. I Memorial. martyrum : *Sic namque et felicissimus Felix, cum fideli relatu persecutionem catholicorum quæ apud Gerundam, Hispaniæ urbem confinem Galliæ, gerebatur, comperiret, crudeliterque Ecclesiam Dei ibidem a paganis infestari cognosceret, extemplo litteraturæ liberalis studium derelinquens, quod in Cæsarea Mauritaniæ positus excolebat, præpeti navigatione æquore transmisso, prædictum oppidum adiit, ibique martyrium, quod patriæ suæ deerat, devotus miles Christi triumphabiliter consummavit.* De hoc S. Felice S. Gregorius Turonensis lib. I, cap. 92. Ruinartius acta S. Felicis in nonnullis mss. vi- D derat, sed aliquatenus, ut putabat, depravata.

30. Gerunda, nunc *Girona*, dicitur urbs in Ausetanis, olim conventus Tarraconensis.

31. Vat. A, Mar. scribunt *Calagurris :* Gis. in contextu, Cellarius, *præstabit*. Scripti nostri et Heinsiani cum Aldo, *gestabit*. Weitzius in nonnullis suis videtur legisse *præstabit*. Gregorius Turonensis, lib. I de Gloria martyr., cap. 93 : *Calagurris urbs Hispaniæ Hemeterium Celedoniumque martyres gestat*, etc. Alludit ad hos versus Prudentii, ex quo elogium eorum martyrum sumit. Parrhasius scribit *Calaguris*, atque ita etiam in aliis monumentis legitur, ut in fragmento anecdoto Titi Livii, quod e pervetustis membranis rescriptis, ut vocant, bibliothecæ Vaticanæ primus publicavit

32. Alicubi legi *veneratur*. Sed scripti et editi plerique *veneramur*.

Barcinon claro Cucufate freta
968 Surget, et Paulo speciosa Narbo,
Teque præpollens Arelas habebit,
Sancte Genesi.
Lusitanorum caput oppidorum
Urbs adoratæ cineres puellæ
Obviam Christo rapiens, ad aram
A Porriget ipsam.
Sanguinem Justi, cui Pastor hære,
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
969 Membra duorum.
Ingeret Tingis sua Cassianum,
Festa Massylum monumenta regum :

GLOSSÆ VETERES.

33. Barcinon, *civitas*. — Cucufate, *martyre*. — Freta, *confisa*, I.
34. Narbo, *civitas*, I.
35. Arelas, *civitas*, I.
37. Lusitanorum, *Lusitania regio est Indiæ, dicta a lusibus faunorum et satyrorum, qui Libero patri saltantes occurrerunt*, Vat. A. — *A patria Lusitania provincia*. — Caput, *quæ est caput*, I.
42. Ferculum, *sarcophagum*, Mar.
43. Complutum, *civitas, oppidum*. — Juvabit, *delectat ferre*, I.
44. Duorum, *martyrum*, I.
45. Tingis, *civitas Cotiæ*. — Sua, *propria*, I.
46. Monumenta, *recordationes*, I.

COMMENTARIUS.

publicavit, scholiisque illustravit cl. Vitus M. Giovenazzius. Quæ Livii verba ad Calagurris situm investigandum plurimum conferunt. *Profectus* (Sertorius) *inde in Bursaonum, et Casuantinorum* (leg. *Cascantinorum*) *et Graccuritanorum fines, evastatis omnibus, proculcatisque segetibus, ad Calagurim Nasicam sociorum urbem venit; transgressusque amnem propinquum urbi, ponte facto, castra posuit*. Ex quo loco Giovenazzius sententiam de Calagurri Vasconum, quæ eadem sit Nasica, sive Nassica, ut alii scribunt, egregie confirmavit. Cum enim Livius dicat Sertorium ex Graccuritanorum finibus ad Calagurim venisse, tum ponte facto, amnem propinquum urbi fuisse transgressum, id certe efficitur, Calagurim cognomento Nasicam ultra Iberum fuisse sitam. Quare quæ cis flumen erat, quid relinquitur, nisi ut Fibulariensis et esset, et cognominaretur ? Graccuris Vasconiæ etiam urbs est ex Ptolomæo.

33. Vat. B, Mar., Prag., Weitz., Widm., Hailsbr., Bong., Sich., *Barcilon*. Rat., *Parcilon*. Fabr., *Barcinon*. Vetustiores Heinsiani cum Aldo, *Barchinon*. Unus Torrent., *fœta* pro *freta*. In breviario Mozarabico die 30 Julii hymnus incipit *Barchinon læto Cucufate vernans*. Corpus S. Cucufatis olim Barcinone, aut non procul in monasterio S. Cucufatis *Sant Colgat del Valles* exstabat, nunc in Parisiensi monasterio S. Dionysii asservari dicitur. Baronius, martyr. Rom. pag. 309, ad diem 25 Julii, hymnum qui in breviario Toletano canitur, aliis actis vulgatis hujus martyris præfert : intelligit, opinor, hymnum breviarii Mozarabici, ubi ex urbe Scillitana Hispaniam venisse narratur. Plura de eo Bollandiani ad diem 25 Julii.

34. *Narbo* masculino etiam genere solet efferri. De S. Paulo Martyrologium Romanum 22 Martii : *Narbonæ in Gallia natalis sancti Pauli episcopi, apostolorum discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum proconsulem, qui a beato apostolo Paulo baptizatus, et cum in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem episcopali dignitate donatus est. Ubi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migravit in cœlum*. Confer Bollandianos.

35. Arelas, nobis *Arles*, civitas est in Gallia Narbonensi sita.

36. Diversus est hic Genesius ab alio ejusdem nominis, mimo, et postea martyre. Vide Baronium ad Martyr. Rom. VIII cal. Septem., et Rosweydum in notis ad homiliam martyrii Genesii Arelatensis sub Paulini Nolani nomine vulgatam.

37. Glossa Vat. A contemnenda est.

38. Ald., *Urbs adoratæ et cin res puellæ*. Widm., *Urbs adorata et cineres piorum*. Urb., *Urbs adorate : et cineres puellæ*. Vat. Q, Rat., *Urbs adorata cineres puellæ*. Mar., *Urbs adoratas cineres puellæ*; recentiori manu, *adoratos*, quod non displicet. Verior est lectio Vatt. A, B, Rat., Parrhasii, Alex., Gis., Weitz., Heins. et aliorum, *Urbs adoratæ cineres puellæ*. Sermo est de Eulalia, quam Emerita caput Lusitaniæ colebat, ut vidimus hymn. 3.

39. Heinsius conjicit *obvia Christo*. Rat., Mar. a prima manu, *radians*. Melius *rapiens*.

40. Prag., *porrigit*, non ita bene.

41. SS. martyrum Complutensium Justi et Pastoris festum celebratur die 6 Augusti in officio Mozarabico cum hymno de quo disserui in Hymnodia Hispanica : quem ab Asturio antistite Toletano, qui corpora reperit, compositum aiunt. Paulinus Nolanus in panegyri de obitu Celsi, Justum et Pastorem intelligit cum de filiolo suo loquens ait : *Quem Complutensi mandavimus urbe, propinquis Conjunctum tumuli fœdere martyribus : Ut de vicino sanctorum sanguine ducat, Quo nostras illo purget in igne animas*.

43. Nebrissensis ait Complutum civitatem esse Hispaniæ Tarraconensis, *fortasse Alcala; nam id omnes opinantur*. Cellarius in Geograph. ant. ait neminem dubitare quin Complutum sit *Alcala de Henares*. Nihilominus nonnulli graves scriptores id negant, quorum rationes videri possunt in Historia oppidi *Guadalaxara*, cap. 5 et 6, auctore Alfonso Nunez de Castro. Nescio an aliquid huic opinioni communi adversetur, qua Complutum *Alcala de Henares* esse dicitur.

45. Prag., *ingerit :* melius *ingeret*. Iso Tingim vocat civitatem *Cotiæ*, fortasse quia in Mauritania, ubi Tingis (*Tanger*) sita est, mons est dictus eo nomine. Vide comment. ad vers. 216 Apoth. Alius est Cassianus, quem peculiari hymno hujus libri IX laudat Prudentius. Martyrologium Romanum : *Tingi in Mauritania passio sancti Cassiani martyris, qui exceptoris diu gerens officium, tandem cœlitus inspiratus, exsecrabile duxit neci Christianorum deservire : unde renuntians eidem officio sub Christiana confessione triumphum meruit obtinere martyrii, tertio nonas Decembris anno Christi* 303. Ejus acta sincera profert Ruinartius. Ado ad diem 3 Decembris Tingim vocat *metropolim*.

46. Weitz. scribit *Massilum*, Hailsbr. *Massellum*, supra *Masilum*. Alii *Massylum*, scilicet pro *Massylorum*. De his Virgilius lib. IV, *Massylique ruunt equites*. Ubinam hæc gens sita esset, non omnium eadem est opinio. Ab aliis prope Barcæos, ab aliis apud Getulos, ab aliis ad occidentem in Numidia collocatur. His favet Prudentius. Papebrochius, tom. II, Aprilis die 16, pag. 409, conjicit legendum *Fessa*, seu *Fezza* pro *festa*, et intelligit Fezam (*Fez*) urbem nobilissimam Mauritaniæ Tingitanæ. Wesselingius, ad Vet. Rom. Itiner., pag. 58, ait optimum esse *festa, Et quis*, inquit, *veterum Fessæ, seu potius Fezæ meminit ?* Bernardus Aldrete, lib. III Antiquit. Hisp., cap. 7 et 8, ostendit a Saracenis primum eam urbem conditam. Poterit autem hic esse sensus : Tingis ingeret suum Cassianum, qui est festum monumentum Massylorum regum, quod in Massylia ejus memoria celebretur : quo alludit Teolius. Aut cum Chamillardo : Tingis,

Qui cinis gentes domitas coegit
Ad juga Christi.
Singulis paucæ, tribus, aut duobus,
Forsan et quinis aliquæ placebunt
Testibus Christi, prius hostiarum
Pignore functæ.
970 Tu decem sanctos revehes, et octo,
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flavis oleis revincta
Pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti:
Sola prædives pietate multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pœni,
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te, decus nostrum, superare in isto
Munere digna est.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus invidorum
Dæmonum, et nigras pepulit tenebras
971 Urbe piata.
Nullus umbrarum latet intus horror:
Pulsa nam pestis populum refugit.
Christus in totis habitat plateis:
Christus ubique est.
Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris, chorus unde surgens
Tendit in cœlum niveus togatæ
Nobilitatis.
Inde, Vincenti, tua palma nata est,
Clerus hic tantum peperit triumphum:
Hic sacerdotum domus infulata

GLOSSÆ VETERES.

48. Juga, *fidem*, I.
49. Paucæ, *urbes, civitates*, I. — *Scilicet urbes*. Mar.
52. Functæ, *usæ*, I.
53. Revehes, *referes*, I.
57. Numerosiores, *pluriores*, I.
61. Parens orbis, *Carthago*, Vat. A. — *Carthago, mater*. — Pœni, *Africani*, I.
69. Umbrarum, *dæmonum*, I.
77. Inde, *scilicet Cæsaraugustæ*, I.
78. Clerus, *cohors clericorum, id est Cæsaraugusta*, I.
79. Infulata, *ornata*, I.

COMMENTARIUS.

ubi Massylorum reges mandant r sepulturæ, ingeret suum Cassianum, qui nunc cinis est, sed olim gentes domitas ad juga Christi coegit. Ruinartius ait incertum esse quid *Massylum* nomine intelligi debeat, et in ms. S. Michaelis leg. *Maxillum*. Mihi locus nonnihil obscurus est; sed poetæ mens satis intelligitur.

49. Ex urbibus quas memoravit Prudentius, Calagurris duos martyres, Tarraco tres, Corduba quinque offert. Cæsaraugustam numero martyrum præferendam ait.

51. Vat. B, *Christo*; alii *Christi*, quod tenendum est. Sæpe Prudentius *testes* pro martyribus ponit. Paulinus, Natali 13, vers. 85 et 86: *Hinc ergo sanctis sive confessoribus, Seu consecratis passione testibus*. Muratorius male, *sive consecratis*.

53. Rat., Widm., *revehis*.

54. Vat. A, Pal., Put., Oxon., Ald., tres Torrentiani, *Christo*.

55. Ald., *vertice*: melius *verticem*. Cæsaraugusta caput oleis redimita describitur, quia oleis abundat, quæ sunt pacis insigne et honor. Vide epigramma Nebrissensis ad suam Prudentii editionem proleg. num. 107, in nota.

56. Heinsius cum scriptis edidit *honore*; sed suspicatur legendum *honoræ*. Teolius in textu *honoræ*, sed in nota habet: *Sic Heinsius; nostri pene omnes* HONORE: *nec aliter Ruinartius*.

57. Hæ numerosiores turbæ martyrum intelliguntur esse innumerabiles martyres Cæsaraugustani, quorum festum agitur die 3 Novembris. In breviario Mozarabico non fit eorum mentio. De Prudentio dubitare aliquis possit an ipsos octodecim martyres Cæsaraugustanos vocet turbas numerosiores, quam sint martyres ab aliis urbibus Christo offerendi. At ea quæ sequuntur rem distinctam, et innumerabiles martyres satis demonstrant. Martyrologium Romanum, Flori, Usuardi, Galesini, sub innumerabilium martyrum nomine eos celebrant. Massam candidam appellari, quia eorum cineres ab alienis candore discreti, ac simul congesti reperti sunt, plurimi confirmant. Ruinartius ait id miraculum in mss. vetustioribus desiderari.

61. Breviar. Moz. male, *Penis* pro *Pœni*. Vocem *populosus* nonnulli suspectam habuerunt: ea usi sunt Apuleius, Solinus, Ammianus, Vegetius, et alii, quorum verba in lexicis indicantur.

66. Mar., *excludit*, ut videtur.

68. Mar., *orbe piato*, sed supra *orbe* glossa, *id est urbe*. Aliquis etiam ibidem correxit *urbe piata*.

69. Parrhasius mendose, et contra metrum, *lato tinctus horror*.

72. Mar., *ubique* sine *est*, quod recentiori manu est additum.

73. Nebrissensis recte explicat *martyrum patriam, ubi martyres nimia fertilitate proveniunt*.

75. Martyres candidatos vocat ob stolas albas, de quibus Apocalyps. VII. *Nobilitatem togatam* eodem sensu accipio potius quam ut gens togata, id est Romana, intelligatur. Infra vers. 191 eosdem martyres vocat purpureos proceres ob fusum sanguinem.

77. Riscus tom. XXX. Hisp. sacr. hinc colligit Vincentium Cæsaraugustanum fuisse, ac jure refutat Doddwellum in dissert. 19 Cyprianica, et Joannem Morinum lib. IX, cap. 19, de Administr. sacram. pœnitent., qui negant persecutionem Diocletiani et Maximiani ad Hispanos pervenisse. Existimant nonnulli primum martyrio coronatum Vincentium, tum octodecim martyres, ac postremo innumerabiles. At contrarius est Prudentius vers. 105, *Noverat templo celebres in isto Octies partas, deciesque palmas*.

78. Vat. A, Fabr., Bong., Gis., *clerus hinc*, ut vers. seq. iidem *hinc sacerdotum*. Heinsius a Giselino recessit, et edidit utrobique *hic*, neque tamen varietatem lectionis advertit. Heinsio concinit Teolius, quamvis ex duobus Vatt. melius fortasse dicat *hinc*. In plerisque est *hic*, etiam in Parrhasio.

79. Prag., *sic sacerdotum*. Peveratus putat unum eumdemque fuisse Valerium Cæsaraugustanum episcopum, qui interfuit concilio Eliberitano, et cujus diaconus fuit S. Vincentius, quamvis Prudentius numero plurali Valerios nominet: quam sententiam tenuit Baronius ad ann. 305. Chamillardus ad hunc locum ait: *Quia Ecclesia Cæsaraugustana unum tantum agnoscit Valerium episcopum, hanc sequor opinionem, licet Prudentius alia esse videatur*. Sed cum Ecclesia Cæsaraugustana exactum et perpetuum catalogum suorum episcoporum non habeat, potuerunt duo vel plures esse Valerii episcopi, quin eos nunc agno-

972 Valeriorum.
Sævus antiquis quoties procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris.
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.
Nonne, Vincenti, peregre necandus
973 Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus, et paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamvis procul hinc in urbe
Passus ignota dederit sepulcri
Gloriam victor prope littus altæ
974 Forte Sagunti.
Noster, et nostra puer in palæstra

GLOSSÆ VETERES.

80. Valeriorum, *episcopi erant*, I.
85. Nostrum, *pro nostrorum*, I.
88. Grandine, *persecutione*, I.
89. Peregre, *in peregrinatione*, I.
91. Futuri, *temporis*, I.
99. Prope littus, *promontorium maris*, I.
100. Sagunti, *civitatis Hispaniæ*, *civitas Hispaniæ, fida Romanis, et est generis feminini*, I.
101. Palæstra, *luctatione*, I. *Certamine*, Mar.

COMMENTARIUS.

scat; adeoque imbecilla est isthæc ratio, ut Prudentii opinionem, imo historicam narrationem deseramus. An autem ex Prudentii verbis certo argui valeat ipsum plures Valerios episcopos agnovisse, affirmare non ausim; sed certe id innuit, in familia Valeria plures floruisse episcopos. Vide proleg. num. 51, 52, 58, et Baron. ad Martyrol. Rom. 28 Januarii. Posset dubitari an Prudentius domum infulatam Valeriorum vocet etiam quia in ea familia sæpe erat unus aliquis flamen apud Romanos: in cujus nummis insigne cernitur apex sacerdotalis in egregia collectione nummorum reipublicæ Romanæ apud cl. baronem Alminusæ Alexandrum Recuperum Catanensem, qui novum de asse Romano systema proferet in lucem.

80. Parrhasius scribit *Valleriorum*. Apud Florezium Valeriorum nomine multi nummi Cæsaraugustani et Calagurritani inscripti apparent tab. 4 et tab. 9. Bollandiani ad diem 23 Januarii hæc verba breviarii Cæsaraugust. ed. an. 1572 proferunt: *Et pietate et doctrina insignis Valerius ex consulari Valeriorum turba, teste Prudentio, Cæsaraugustæ ortus est.*

83. Nebrissa *templum* intelligit Christianos, qui templum Dei sunt. Melius intelliges ecclesiam, sive urbem Cæsaraugustanam, ut infra vers. 105, *Noverat templo celebres in isto.*

85. Henschenius legerat *Nec furori quis sine laude nostrum;* sed postea in appendice tom. II Aprilis correxit *Nec furor quisquam sine laude nostrum.* Sensus est, Cæsaraugustæ in omnibus persecutionibus plurimos martyrium subiisse.

87. Numerum Christianorum crevisse, quo plures martyrio coronabantur, certum est, et id voluisse Prudentium plerique interpretes affirmant. Sed fortasse Prudentius hoc loco solum innuit Cæsaraugustæ numerum martyrum in singulis persecutionibus fuisse semper majorem, ac plures passos in extrema persecutione quam in præcedentibus.

88. Grandinem pro adversa fortuna sumi monuit Barthius lib. IV Adv., cap. 9, ut apud Ovidium, *Cum Deus intonuit.*

89. Ald., Vat. P., Urb., Gis. ad oram, *necatus;* alii *necandus*. Alex. supra, Vat. P., Urb., Ald., Gis., aliique edd., et scripti, *peregre*. Gifanius ex vet. lib. in indice Lucr. verbo COLLI restituit *peregri*, quod ex suis scriptis amplexus est Heinsius, et cum Heinsio Teolius: qui nihilominus omnes Vatt. allegat pro *peregre*. Ego in Vat. Q et Alex. a prima manu reperi *peregri*. Versus cum *peregre* etiam recte procedit. Parrhasii lectio peculiaris est, *peregrine quamvis*.

90. Nebrissensis ad verba *tenui rore sanguinis* hoc notat: *Forte propterea dicit, quod ibi didicit, quo pacto deberet esse martyr, cum videret cives suos martyrium pati.* Chamillardus interpretatur: *Nonne, o Vincenti, qui altera in regione morti debebas occumbere, hic tenui quidem cruoris tui effusione notasti, quam dum mors immineret, dolores patereris toleranter!* Rem proferam, quæ levis fortasse videatur, sed cujus habeo auctorem gravissimum S. Eugenium, Toletanum episcopum. Antequam S. Vincentius Cæsaraugusta ad martyrium educeretur, sanguis ex ejus naribus effluxit, qui Cæsaraugustæ religiose asservabatur. Huc respexit Prudentius. Audi epigramma Eugenii *De Basilica S. Vincentii in Cæsaraugusta, ubi dicitur cruor ejus effluxisse*, tom. I Operum PP. Toletanorum, pag. 23: *Macte decus proprium, Vincenti martyr alumne, Unica spes nobis, macte decus proprium. Purpureus niveum meruisti sanguine cœlum, Et sequeris Agnum purpureus niveum. Passio sacra tuum provexit ad æthera nomen, Conservet populum passio sacra tuum. Hic jacet ille cruor, quem das pro corpore pignus, Nare fluente, tuus hic jacet ille cruor. Hic tua nunc tunica, quod Christi fimbria præstat, Tactu nam salvat hic tua nunc tunica. Hic veniam culpæ merentur, vota favorem; Gaudia summa ferat, qui petit hic veniam.* Incertum mihi, an sponte ille sanguis fluxerit, an sive a Vincentio ipso evocatus, sive ab aliquo percutiente.

91. Bayerius in dissert. de S. Laur. acute suspicatus est legendum *specimen futuri*. Pronum est conjicere hoc specimen esse stolam S. Vincentii Cæsaraugustæ asservatam, cujus portionem Childebertus rex Galliæ Parisios detulit, de qua Ado in Chron. ad annum 527, Gregorius Turonensis lib. III Hist. Franc., cap. 29, et alii.

93. Nebrissensis ait legi posse *hunc colunt cives*. Exponit autem *hoc*, scilicet quod Cæsaraugustæ natus et institutus est ad fidem. Mihi videtur *hoc* esse *specimen*, de quo paulo ante dixi, scilicet cruorem e naribus ejus effusum, sive tunica, sive stola, sive linteolo exceptum. Ruinartius mendose, *velut ipso*.

94. Breviar. Moz. in festo S. Zoili contra metrum legit, *suos et paternos*.

98. Gis. in contextu, Fabr., Bong. a prima manu *sepulcro*.

99. Vat. A, *gloria :* lege *gloriam*.

100. Vat. A, *Sagonti;* Egm., *Saginti*, Saguntus, nunc *Monvedro*, condita fuit, ut dicitur, a Zacynthiis, et fortasse hoc sensu *alta* sive antiqua vocatur. A Valentia, ubi passus est Vincentius, non procul distat. *Forte* ejus littus dicitur, quod cives Hannibali acriter restiterint, a quo demum urbs deleta est. Opinionem nonnullius, qui *forte* adverbium esse putat, quasi Prudentius de loco martyrii dubitaverit, non probo. Vocat autem Prudentius Valentiam urbem ignotam ipsi Vincentio, hoc est externam. Livius scripsit, Saguntum a mari distare passus mille ferme, Plinius tria millia passuum; nunc magis distat, quod mare recessisse arguit. Vide Florezium tom. VIII Hisp. sacr., tract. 25, cap. 4.

101. Petrus Mantuanus *nostra in palæstra* inter-

Arte virtutis, fideique olivo
Unctus horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Noverat templo celebres in isto
Octies partas, deciesque palmas
Laureis doctus patriis, eadem
Laude cucurrit.
975 Hic et, Encrate, recubant tuarum
Ossa virtutum: quibus efferati
Spiritum mundi violenta virgo
Dedecorasti.
Martyrum nulli remanente vita
Contigit terris habitare nostris:
Sola tu morti propriæ superstes
Vivis in orbe.
976 Vivis, ac pœnæ seriem retexis,
Carnis et cæsæ spolium retentans,
Tetra quam sulcos habeant amaros
Vulnera, narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,

GLOSSÆ VETERES.

105. Templo, *scilicet Vincentis*, I,
106. Partas, *syncope*. — Palmas, *martyres*, Iso.
107. Laureis, *coronis*, Iso.
108. Cucurrit, *coronatus est*, I.
109. Encrate, *proprium nomen mulieris. Encrates abstinens Græce dicitur. Hinc Encratici hæretici vocantur, qui creaturas Dei damnant. Dicunt non esse bonum manducare carnem et bibere vinum*, I. — *Encrates Latine abstinens. Hinc Encratici hæretici, qui a cibis quos Deus creaverat abstinebant*, Vat A.—*Encrate Græcum nomen positum in vocativo: sic Socrate alicubi*, Prag.
110. Ossa virtutum, *id est fortia opera: nam vi a erat quando hæc fuerunt scripta.* — Quibus efferati, *ossibus sævi*, I.
112. Dedecorasti, *deturbasti*—(forte *deturpasti*), I.
115. Tu morti, *tu sola post martyrium viva fuisti*, I.
117. Seriem, *ordinem*, I.
118. Carnis et cæsæ, *abscisa carne, frusta est*, I.
121. Barbarus, *durus*, I.

COMMENTARIUS.

pretatur de Valentia prope Saguntum; quod absurdum esse jam multi observarunt. Palæstra hic est Christiana religio vel militia, ut explicat Nebrissa, vel locus certaminis, ut innuit glossa. Hymn. seq. vers. 213: *Ventum ad palæstram gloriæ, Spes certat, et crudelitas.* Quod autem dicitur *nostra*, aperte id significat esse palæstram Cæsaraugustanam. In Breviario Mozarabico hæc stropha applicatur etiam S. Zoilo.

102. Hic et tres seqq. versus absunt in Put. codice. In breviar. Moz. ad festum S. Zoili corrupte legitur *fidei collybo* pro *fideique olivo*. Cum poeta nominaverit palæstram, apposite addit *fidei olivo*: nam et oleum chrismatis innuitur, et athletarum mos indicatur, qui oleo inungebantur. Observat Peveratus, hinc olei nomine impensam significari sumptumve, qui fit ad scientiam, artemve aliquam perdiscendam, unde natum proverbium, *Oleum et operam perdidi*, ducta scilicet metaphora ab athletis, quos aliptæ et pædotribæ inungere solebant.

103. Pal. male, *vinctus* pro *unctus*. Breviar. Moz. in festo S. Zoili, *cunctis*, repugnante metro.

107. Ald., Weitz., Egm., Oxon., *doctas*, quod non audet damnare Heinsius; scilicet *cucurrit palmas doctas*. Confer comment. ad vers. 53 hymni 12. Riscus ex his verbis *laureis patriis*, et ex vers. 191, *Turba, quam servat procerum creatrix Purpureorum*, arguit, hos octodecim martyres patria fuisse Cæsaraugustanos, et satis quidem probabiliter. Bollandiani etiam ita opinantur, adeoque sententiam Lusitanis martyres illos octodecim adjudicantem rejiciunt. Non tamen propterea certo affirmabo, omnes et singulos tam ex octodecim martyribus quam ex innumerabilibus Cæsaraugustæ fuisse natos, cum Prudentio satis sit, quod plerique in ea urbe ortum habuerint, et cæteri in ea vixerint, palmamque martyrii obtinuerint. Eapropter vers. 175 et seq. ait octodecim martyres *Urbis unius regimen tenere jure sepulcri.* Hic ipse conatus quo multis rationibus persuadet Vincentium annumerari debere Cæsaraugustanis, probat a Prudentio in aliis civitatibus præcipue laudari gloriam sepulcri et martyrii.

109. Ald. edidit *Encrati*: emendavit *Encratis*, quod Heinsius non animadvertit, qui Put., Ambr. cum Aldo pro *Encrati* allegat. Mar., Rat., Prag., Rot., Weitz., et alii, *Encrate*; Gis., *Encrates*; Parrhasius, *Eucrate*; Oxon., *Encratia*; breviar. Moz., *Engrati*. Nunc Hispanice hæc sancta virgo *Engracia* nuncupatur. Heinsius et recentiores habent *Encrati*, quod exstat etiam in Alex. codice. Martyrologium Romanum xvi, cal. Maii: *Ibidem* (Cæsaraugustæ) *natalis S. Encratidis virginis et martyris, quæ laniato corpore, mamilla abscissa, et jecore avulso, adhuc superstes, in carcere inclusa est, donec ulceratum corpus putresceret.* Quod ex hymno Prudentii videtur esse depromptum.

110. Isoni non assentior, quod vivam Encratidem dicit cum hæc sunt scripta. Confer comment. vers. 137.

111. Breviar. Moz., *spiritu*: lege *spiritum*. Hailsbr., *violata*; supra recte, *violenta*. Ex Evangelii verbis videtur id sumptum Matth. xi, 12: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

113. Breviar. Moz., *remeante vita*, et ita etiam legitur ibidem in festo S. Zoili, cui hæc stropha canitur. Ex hoc et seq. versu probat V. C. Bayerius patriam octodecim martyrum Cæsaraugustanorum non fuisse Cæsaraugustam, quasi martyrum nullus, dum viveret, Cæsaraugustæ habitasset. Dissentit Riscus, quia Prudentius solum refert S. Encratidem post tormenta superstitem, Cæsaraugustæ vixisse, quod aliis martyribus Cæsaraugustanis non contigit. Ita prorsus existimo.

115. Breviar. Moz. vitiose, *solus*, et *subprestes*. In festo S. Zoili etiam *solus*, sed *superstes*; et de S. Zoilo *solus* non quidem metrice, sed grammatice recte dicitur; de S. Encratide neque metrice, neque grammatice.

116. Breviar. Moz., *Vivis in orbem*. Vat. A, *Vivis in urbe*, quod non abhorret.

117. *Retexere* proprie est quod textum, infectum reddere. Sic Prudentius hymno 10 Cath., vers. 16, *Et dissona texta retexi.* Alias est renarrare, ut hic, et vers. 81 hymni 5 Cath.: *Quæ tandem poterit lingua retexere Laudes, Christe, tuas?*

118. Ald., *recentans*, quod interpretatur Nebrissa *renovans, et quasi exulcerans*, quod jam in cicatricem coierat. Alii, *retentans*. Breviar. Moz. scribit *retemtans*. Mihi non displicet *recentans*: nam *recento* est recens facio, ut observare licet apud Nonium et A. Gellium. Fortasse etiam trahi poterit a *canto*, quasi recanto, sive recino. Isonis glossa videtur corrupta. Fortasse legendum *frustata est* a verbo *frusto*, in frusta concido, quod nonnulli Floro tribuunt.

119. Breviar. Moz. male, *Terra quam sulcos habeat amaros Vulnera narrans.*

Sanguis impensus, lacerata membra;
Pectus abscisa patuit papilla
Corde sub ipso.
Jam minus mortis pretium peractum est:
Quæ venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
977 Fine soporo.
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor hæsit ardens,
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Invidus quamvis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit:
Plena te, martyr, tamen, ut peremptam,
Pœna coronat.
Vidimus, partem jecoris revulsam
Ungulis longe jacuisse pressis,
Mors habet pallens aliquid tuorum,
978 Te quoque viva.
Hunc novum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
Juge viventis domus ut dicata

GLOSSÆ VETERES.

122. Impensus, *effusus est*, *redditus*, I.
125. Minus, *id est non*, I.
126. Abolens, *delens*, I.
128. Soporo, *soporifero*, I.
129. Cruda, *recens*. — Longum, *diu*, *longe*, I.
140. Viva, *vivente*, Mar.
141. Titulum, *hoc decus*. — Fruendum, *habendum* Iso.
143. Juge, *diu*, I.

COMMENTARIUS.

122. Gifanius docet *impensus* veteribus idem sonare quod magnus, ingens; quod Lucretii et Cæsaris auctoritate confirmat, adducitque hunc Prudentii versum. Verum *sanguis impensus* hic significat sanguinem effusum, et quia *impensus* sonat effusus, profusus, idcirco nonnunquam idem valet ac magnus, ingens: ut impensa libido, impensum pretium.

123. Nonnulli scribunt *abscissa* cum duplici *s*, vetustiores *abscisa* cum uno. Martyrologium Romanum fortasse ex Prudentio sumpsit, *Mamilla abscisa*, *et jecore avulso*. In basilica SS. octodecim martyrum asservabatur papilla abscisa, ut constat ex epigrammate S. Eugenii, quod exscribam ad vers. 145.

125. Ald., Oxon., Urb., *peractæ* sine *est*. Ambr., vetusti Heinsiani, Mar., Rat., Prag., Bong., *peractæ est*. Vatt. A, B, P, Q, Widman. a prima manu, *peractum est*. In Alex. est *pa*,. et reliqua obscura. Weitzius citat Fabricium pro *per ictum*: sed alium voluit dicere, nam Fabricius legit *peractum est*. Breviar. Moz. mendose *peracta est*. Nebrissensis explicat, *Non multi æstimandum*. Pretium *namque aliquando pœnam significat*. Certe hoc loco non significat, nam Prudentius ait minori laude videri dignos martyres qui occubuerunt, quam Encratidem, quæ martyrio fuit superstes.

127. Breviar. Mozar. vitiose, *concita membra*.

128. Ald., Breviar. Moz., *fine supremo*. Plerique et vetustiores, *soporo*. Utrumque agnoscunt Gis., Prag., Palat., Widm., Sich. et alii.

129. Hailsbr., *te longe*. Alicubi *tenuat*, male, pro *tenuit*.

131. Vat. B, Rat. supra, Weitz., *tenuit*; melius est *tenuat*.

133. S. Cyprianus epist. 53 de iis qui per tormenta superantur: *Cum cupientibus mori non permittebatur occidi*, *sed tandiu fessos tormenta laniarent*, *quandiu non fidem*, *quæ invicta est*, *vincerent*, *sed carnem*, *quæ infirma est*, *fatigarent*.

134. Egm., Hailsbr., Vat. A a secunda manu, *negaret*. Vat. A a prima manu, *neca. et*; Prag., *necarit*: utrumque male.

135. Breviar. Moz. perperam, *perempta*.

137. Hinc fortasse nonnulli putarunt Prudentium martyrio Encratidis præsentem adfuisse. Sed Prudentio illud videre per ætatem non licuit. Lupercius Leonardus in epist. ad Marianam impugnat Ambrosium Morales quod ex hoc versu collegerit Prudentium affirmare se partem jecoris Encratidis vidisse. Reponit Lupercius Prudentium poetice loqui quasi præsens martyrio fuisset. Bartholomæus Leonardus in altera epist. ad Marianam idem argumentum confirmat; sed videtur esse mendum, quod Encratis *tres minimum* annos ante Prudentium passa fuerit. Nebrissa in hunc fere modum interpretatur, *Videre potuimus*, *si adfuissemus*. Accedit, in hujuscemodi hymnis multa a Prudentio dici ex persona civitatis, seu populi, qui præsens fuerit aut esse potuerit, quasi non multo post mortem hæ laudes canerentur a populo. Opinor, partem illam jecoris Prudentii ætate conservatam fuisse, et ejus mentem esse, videri et ostendi partem jecoris quæ longe jacuerat. Confer epigramma S. Eugenii infra ad vers. 145.

138. Vat. A pro diversa lect., *late jacuisse*. Breviar. Moz. contra sensum et metrum, *jacuisset*. Nebrissa *pressis* explicat *in ipsa thoracis penetralia impressis*: ut scilicet simplex *premo* accipiatur pro composito *imprimo*. Sic *verto* pro *everto* poetæ usurpant.

139. Breviar. Moz., Sichardus et nonnulli alii vulg., *pellens*. Legendum *pallens* epitheto proprio mortis: *Pallida mors* passim occurrit. In *tuorum* interpretes subaudiunt *membrorum*. Sed poterit sumi *tuorum* pro *tuarum rerum* neutro genere, et quasi substantive. Sententia est, partem jecoris avulsam mortuam fuisse, dum adhuc Encratis esset superstes.

140. Mariettus notavit *quoque* videri valere *adhuc*.

141. Cum martyrum sepulcra ab epitaphiis inscriptis, quibus nomen est titulus, tituli dicerentur, acute dixit poeta hunc novum titulum Cæsaraugustæ Christum dedisse, ut esset domus dicata, ac veluti sacellum, et martyrium martyris Encratidis adhuc viventis.

143. Ald., Parrhasius, Rat., Weitz., omnes Heinsiani, et plerique alii, *juge viventis*. Ita Gis. 1 ed., sed in ed. 2, in contextu, *tumba*, cum Fabr., Bong. supra, Vat. B, Sich., et obscure Mar. In Vat. A est *jure*, Vat. B pro divers. script. *luge*: vera lectio *juge*. Bivarius contendit episcopos olim nonnunquam templa consecrasse in honorem martyrum, qui suppliciis superstites vivebant, et adducit vers. 113, *Martyrum nulli*, etc., et hanc stropham. Eum jure refellit Riscus, quippe cum Prudentii versus non ita debeant intelligi, neque ullum sit in tota antiquitate vestigium tam absurdæ consuetudinis. Apud commentitium Marcum Maximum exstat hic de S. Encratide versiculus: *Templa dicata sibi vidit hæc in corpore degens*. Verum nemo non videt, hujusmodi versum a recenti aliquo sycophanta confictum, ut sinistra interpretatio versuum Prudentii corroboraretur. Prudentius, ut supra Cæsaraugustam appellavit *domum plenam angelorum*, et *templum*, sic nunc vocat domum dicatam martyris juge viventis. Non tamen vehementer repugnabo, si quis ex epigrammate S. Eugenii mox exhibendo colligat, reliquias S. Encratidis adhuc viventis, scilicet *pallam cruore rubentem*, *papillam fibris sectam* in aliqua basilica fuisse custoditas, aut etiam post Encratidis obitum domum ejus in ecclesiam fuisse consecratam.

Martyris esset.
Ergo ter senis sacra candidatis,
979 Dives Optato, simul et Luperco,
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede Successum, cane Martialem,
Mors et Urbani tibi concinatur,
Julium cantus resonet, simulque
Quintilianum.
Publium pangat chorus, et revolvat,

A

980 Quale Frontonis fuerit tropæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.
Quantus, Eventi, tua bella sanguis
Tinxerit; quantus tua, Primitive,
Tum tuos vivax recolat triumphos
Laus, Apodemi.
Quatuor posthinc superest virorum
Nomen extolli, renuente metro:
Quos Saturninos memorat vocatos

GLOSSÆ VETERES.

145. Sacra, *civitas*. — Candidatis, *martyrizatis*, I.
147. Conscriptum, *deputatum*, I.
148. Pangere, *laudare*, I.
149. Ede, *profer*, *compone*, *vel canta*, I.
150. Tibi, *a te*. — Concinatur, *canqtur*, I.
155. Tulerit, *sustinuerit*, I.
157. Bella, *scilicet martyrum*, I.
158. Quantus tua, *scilicet sanguis bella*, I.
161. Posthinc, *postea*, I.
162. Renuente, *respuente*, I.
163. Saturninos, *nam barbara nomina erant; ideo in metro ponere nequibat*, I.

COMMENTARIUS.

145. Ter seni candidati sunt octodecim martyres, quos supra vers. 74 vocavit *chorum niveum togatæ nobilitatis*. Eorum nomina, ait Teolius, singulatim recenset, præter quatuor Saturninos, quos simul conjungit, quia, ut ait vers. 162, respuebat eos metrum, cum prima in his syllaba producatur. Non satis intelligo an ex mente Teolii prima syllaba in nominibus quæ Prudentius omisit producatur, et cur id metrum respuat, an in nomine *Saturninos* ea dicatur a Teolio produci. Si hoc tantum velit, *Saturninos*, quamvis renuente metro, tandem nominavit Prudentius. Explicanda ergo est ratio cur peculiaria nomina quatuor Saturninorum, si alia nomina hi habuerunt, tacuerit. Nonnulli negarunt quatuor Saturninos propriis suis nominibus singulos fuisse insignitos: habuerunt tamen sua nomina, et ea exprimit S. Eugenius epigrammate *de Basilica sanctorum decem et octo*, tom. I operum PP. Toletanorum, pag. 22, quod hoc loco exhibebo: *Incolit hoc templum sat felix turba piorum, Quorum promeruit sors benedicta polum.* C *Hic montes sacros virtutum culmine celsos, Unica ter senos continet urna viros. Fumea cœnosi liquerunt gaudia mundi, Proque fide Domini membra dedere neci. Hic etiam compar meritis Encratia martyr. Sorte sepulcrali dissociata jacet. Hujus inexhaustum testantur sancta triumphum Palla cruore rubens, secta papilla fibris. Nomina sanctorum si mavis nosse virorum, Edicet cursim subdita summa tibi. Sed quia cuncta simul metrum non suscipit unum, Accipe diversis hæc variata metris. Quintilianus adest, Eventius, atque Cassianus, Felix, Lupercus, Januariusque, Julius, Urbanus, Apodemius, inde Primitivus, Optatus, Publius, Cæcilianus. Hic Successus inest, hic Matutinus habetur. Ecce Faustus, ecce Fronto, postque Martialis. Hæc tibi turba potens concedat prospera, lector, Et veniam præstet hæc tibi turba potens.* Ad marginem diversæ hæ scripturæ indicantur *nomina magnorum* pro *sanctorum*, et *Evotius* pro *Eventius*. Nomina Saturninorum a Prudentio non expressa hæc sunt *Cassianus*, *Januarius*, *Matutinus*, *Faustus*. Ex his *Faustus* metro sapphico D nomen aptissimum est, *Cassianus* non minus quam *Martialis*, et *Primitivus*, eodem metro alligari potest. *Januarius* et *Matutinus* non ita facile, sed aliquo tamen modo in eodem carminis genere sonare possunt.

146. Aldus scribit *optato* et *luperco*, perinde quasi nomina propria non essent. Error clarus est glossæ Mar., *luperco*, *sacerdote*. Ambr. scribit *et Tæpecco*, Pal. *Obtato*. Parrhasius *et Nepæo*. In nummis Cæsaraugustanis apud Florezium non semel mentio fit *Luperci*. Peveratus notat ex Baronio Lupercum passum fuisse in Novempopulonia, ex Scaligero in Ausonium, passum sub Decio. Citat Scaliger vitas quasdam veteres martyrum Aquitanorum. Verum Lupercus ille B a nostro diversus esse debet, ut probant Bollandiani ad diem 28 Junii.

147. Martyres Cæsaraugustanos antea vers. 75 vocavit *togatam nobilitatem*, nunc senatum conscriptum. Sic Laurentium in ejus hymno vers. 560, *consulem perennem* appellavit.

151. In edd. et plerisque mss., etiam martyrologio Romano legitur *Juliam*: sed restituere oportet *Julium* ex monumentis pervetustis domesticis, videlicet epigrammate Eugenii, Actis S. Braulioni ascriptis, et breviario Mozarabico. Consentiunt Usuardus, Ado, codex ms. S. Michaelis apud Ruinartium, et unus Vat. apud Teolium. Widm., *resonat*, pro *resonet*.

152. Prag., *Quintilianam*.

153. Prag., Breviar. Moz., Fabr., Gis., Vatt. A, B, et alii, *pangat*, Heinsius cum tribus scriptis, Aldum secutus, *pandat*, ut apud Valerium Flaccum initio operis: *Versa proles tua pandat, Idume, Namque potest, Solymo nigrantem pulvere fratrem*. Mariett. etiam, et Rat. a prisca manu, *pandat*.

157. Breviar. Moz., Rat., Vat. B, Widm. a prima manu, Mar., Thuan., Noms., *Euvoti*. Vat. A, Prag., *Evanti*. Put., *Evovoti*. Alt., Weitz., codex S. Michaelis apud Ruinartium, *Euvdnti*; Ambr., *Eunoti*; Boug., Sich., *Heuvanti*. Ald., pleraque martyrologia, et multi scripti, *Eventi*. Parrhasius, *Eugori*. Rott., et unus Torrent., *Evoti*: quod aliis præferendum acriter pugnat Heinsius adducto testimonio ex martyrologii Usuardi libro pervetusto, et ad ipsius Usuardi ætatem propius accedente, quod scilicet Lutetiæ Parisiorum ad S. Germani asservabatur, ubi recensentur nomina octodecim martyrum eo modo quo ab Eugenio describi diximus, nisi quod *Evoti* nomen, non *Eventii* profertur. Allegat itidem martyrologium Adonis vetustissimum ejusdem bibliothecæ, ejusdem Adonis martyrologium a Rosweydo editum, Usuardi martyrologium in bibliotheca Bigotiana, pervetusta manu exaratum, et editionem ejusdem Usuardi Lutetiæ per Joannem Capellam collegii Navarræi concentorem anno 1490 procuratam. Quibus propositis, Heinsius Eventium posthac e martyrologiis exsulare jubet. Huic sententiæ nondum acquiesco, cum tot veterrima stent contra monumenta. Recentiores, etiam Gallandius cum Ruinartio et Papebrochio, reddunt *Evoti*.

159. Aldus, Sichardus, et nonnulli Vulg., *cum tuos*.

163. Cur metrum renuat *Saturninorum* nomen carmine sapphico exprimi dixi in proleg. num. 211. Iso etiam putavit barbara illa nomina fuisse, quod falsum esse constat ex epigrammate S. Eugenii supra ad vers. 145, et Actis nomine S. Braulionis. In opere Hispanico eruditissimi Florezii de Nummis mentio Saturnini occurrit inter nummos Calagurritanos. Notandum est in martyrologio Romano id referri ex

981 Prisca vetustas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parvi facit, et loquendi
Cura de sanctis vitiosa non est,
Nec rudis unquam.
Plenus est artis modus, adnotatas
Nominum formas recitare Christo:
Quas tenet cœli liber, explicandus
Tempore justo.
Octo tunc sanctos recolet decemque
Angelus coram Patre, Filioque,
Urbis unius regimen tenentes
Jure sepulcri.
Quin ad antiquum numerum trahentur

A **982** Viva post pœnæ specimen puella,
Morsque Vincenti, cui sanguis hinc est,
Fons et honoris.
Additis Caio (nec enim silendi),
Teque, Crementi: quibus incruentum
Ferre provenit decus ex secundo
Laudis agone.
Ambo confessi Dominum, steterunt
Acriter contra fremitum latronum:
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum.
983 Hæc sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam servat procerum creatrix

GLOSSÆ VETERES.

166. Parvi facit, *contemnit*, I.
168. Rudis, *nova*, I. — *Indocta*, Mar.
171. Explicandus, *pronuntiandus*, I.
173. Recolet, *numeret*, I.
176. Jure, *lege*, I.
177. Ad antiquum numerum, *decem et septem* (forte *et octo*), I.
178. Specimen puellæ, *pulchritudinem Encrate*, I.

B 179. Sanguis, *genus*, Mar.
180. Fons, *origo*, I.
181. Silendi, *scilicet estis*, I.
183. Secundo, *prospero*, I.
184. Agone, *certamine*, I.
189. Sub altari, *sub secreto Dei*, Mar.
191. Creatrix, *parens*, I., Mar.

COMMENTARIUS.

Prudentio, *Et aliorum quatuor, qui Saturnini vocati esse referuntur.* Usuardus quatuor propria nomina ex Eugenio aut Braulione videtur hausisse. Quæram tamen cur Prudentius *priscam* vetustatem ad commune Saturninorum nomen proferendum testem advocet, siquidem sæculo IV ineunte hi martyres coronam adepti sunt? Alibi etiam eodem fere modo loquitur: nimirum tempus ante actum, quamvis non longissime distans, vocat vetustatem.

165. Hinc patet nullum omissum fuisse a Prudentio nomen martyrum quia illud metro adversaretur: sed contra carminis leges positum vocabulum *Saturninos*. Dicit *nomina aurea*, ut initio hymn. 1 Peristeph., *Aureis quæ Christus illic adnotavit litteris.*

167. Aldus, *otiosa*. Sichardus restituit *vitiosa* ad fidem codd., et carminis leges, quod jam ediderat Parrhasius.

168. Ald., *hæc rudis:* lege *nec rudis*.

169. Egm., *modus adnotator*.

171. Mar., Prag., Rat, Heinsius cum suis, præter Oxon., Sich., Gis. Parrhasius aliique, *explicandus*. Ald., Oxon., et nonnulli alii scripti, *explicandas*. Egm., Hailsbr., *explicandos* apud Weitzium. De hoc vitæ libro vide Apocalypsin Joannis cap. III, XX et XXI. Fortunatus, lib. VIII, carm. 4, *Felices, quarum Christi contingit amore Vivere perpetuo nomina fixa libro.*

174. Prudentius de extremo die judicii loquitur, et de angelis qui separabunt malos de medio justorum. Chamillardus intelligit angelum custodem ecclesiæ Cæsaraugustanæ: nam SS. Patres angelos adesse tradunt non solum populis et nationibus, sed multo magis ecclesiis et oratoriis, ubi sacra Christiana celebrantur. Non repugno; et fortasse hac de causa Prudentius vers. 5 Cæsaraugustam dixit *plenam magnorum domum angelorum.*

176. Prudentius clare præfert in martyribus jus sepulcri juri patriæ.

177. Ald., Parrhasius, Vat. B, Mar., Weitz., *trahentur*. Vat. A a secunda manu, *tracentur*, vitiose. Giselinus edidit *trahetur;* adhæsit Heinsius, quin varietates scripturæ notaret. Heinsium recentiores plerumque sine ullo examine exscribunt. Riscus ex hoc versu arguit martyrium S. Encratidis fuisse posterius martyrio SS. octodecim martyrum Cæsaraugustanorum: sed cum Prudentius simul adjungat Vincentium, cujus martyrium in Actis Braulionis prius enarratur quam Encratidis passio, probabile quidem est quod ex hoc hymno petitur argumentum, sed non omnino certum. Acta vero Braulioni ascripta quantam mereantur fidem, alii judicent.

179. Put. et Ox. pro div. script., *Tuque, Vincenti* Vat. P mendose, *morse Vincenti*.

180. Parrhasius, *Pons et honoris:* in emendatis pro div. script., *fons*.

181. Ald. scribit *Gagio*, Weitz., Rat., *Gaio*. Plerique *Caio*. Hi octo versus sequentes absunt a Put. Idem de Tiliano codice testabatur Salmasius. Martyrologium Romanum XVI cal. Maii ex his Prudentii

C versibus, ut clarum est: *Caius et Crementius secundo confessi, et in fide perseverantes, martyrii calicem gustaverunt XVI cal. Maii anno* 303. Bollandiani suspicantur primum agonem fuisse sub Ruffino præside, secundum sub Datiano.

182. Nonnulli Vulg. contra metrum et sensum, *quibus incrementum*.

183. Id est, quod ait martyrologium Romanum, *secundo confessi*. Dubito autem an non potius *secundus agon laudis* a Prudentio dicatur confessio: nam primus et præcipuus martyrium est. Scilicet Caius et Crementius incruentum decus tulerunt ex confessione, quæ est secundus, minusque gloriosus agon, sive certamen laudis.

185. Confessores olim vocabantur qui coram tyrannis Christum confessi sunt, non tamen palmam martyrii obtinuerunt. S. Paulinus, Natali 13, de S. Felice, vers. 94: *Confessionis ante functus prœlia, Sed incruento consecratus exitu.*

187. Ald., *leniter:* metrum poscit *leviter*. Riscus

D opinatur hos versus non excludere martyrium, sed indicare mortem minus fuisse acerbam. Non ita quidem judico: nam *incruentum decus* et *ambo confessi* verba sunt quæ confessores, non martyres, significant. Eodem, ut ego opinor, pertinet *secundus laudis agon*.

189. De corporibus martyrum, sub altari conditis, sæpius occurrit mentio. Sed hoc loco observanda est glossa Marietti. Altare sempiternum dicitur, ut apud S. Paulinum epist. 12 ad Severum: *Sancta sub æternis altaribus ossa quiescunt.* Scilicet quia Christus sacerdos est in æternum, neque unquam nostra altaria deficient.

190. Breviar. Moz. mendose, *lapsisque nostris*. Ambr., Parrhasius, *precantur*.

191. An ex hoc loco certo colligatur, omnium oc-

Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis : deinde
Mox resurgentes animas, et artus
Tota sequeris.

A V HYMNUS. PASSIO S. VINCENTII MARTYRIS.

984 Beate martyr, prospera
985 Diem triumphalem tuum,
Quo sanguinis merces tibi
Corona, Vincenti, datur.
Hic te ex tenebris sæculi,
Tortore victo, et judice,
Evexit ad cœlum dies,
Christoque ovantem reddidit.
Nunc angelorum particeps,
Collucis insigni stola :

GLOSSÆ VETERES.

192. Purpureorum, *pro purpuratorum*, I.
193. Date, *sinite, ut*, I.
194. Sulcos, *litteras; epitaphia*, Mar.
197. Generosa, *nobilis*, I.
1. Prospera, *prosperum age*, I.
10. Collucis insigni stola. *Quando sanctus a præsenti vita transit, quasi una stola lucet ; cum vero dies judicii venerit, et animo et corpore remunerabitur, tunc duabus stolis collucet*, I.

COMMENTARIUS.

todecim martyrum natale solum fuisse Cæsaraugustam, vide comment. ad vers. 107.

193. Pal., *hos pio*. De verbo *date* consule comment. ad vers. 594 Apoth. Idem sonat ac *age*.

194. Nebrissa et Cellarius interpretantur, in cineribus spem resurgendi opertam esse. Planius est quod etiam Teolio visum, intercessione martyrum, quorum cineres illis marmoribus tegebantur, veniam peccatorum sperasse Prudentium.

195. Breviar. Moz., Parrhasius, *ut absolvat*, scilicet *spes*, non ita bene.

196. Alex. a prima manu, *vincla eorum*, male.

197. Breviar. Moz. perperam, *te toga*. Parrhasius corrupte, *Sternet et o tam generosa sanctis Civitas mecum : tumulis deinde Mox resurgentes animas, et artus Tota sequestris.*

199. Breviar. Moz., *resurgentis : lege resurgentes animas*.

200. Prag. pro hoc versiculo *Tota sequeris* habet hæc verba *Tot si quæris, inter dispersa reperies*. Mariettus ad hæc, *Quid sit*, ait, *nescio*. Neque ego quidem aliud cogito esse, nisi exscriptoris alicujus aut ignari, aut inepti errorem. In Vat. A, post hunc hymnum sequitur *Hymnus in honore beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi, Augorii et Eulogii*. In Vat. B et Mar., *Passio S. Agnetis*.

In hoc titulo plerique codices consentiunt : in quorum nonnullis hic hymnus ponitur post hymnum 4, ut ad finem ejus dixi. Fabricius habet *Hymnus v Divo Vincentio martyri Cæsaraugustano*. Aldus, *Ode in laudem S. Vincentii martyris*. In codice pervetusto ecclesiæ Veliternæ, de quo dixi in Proleg. num. 212, in nota, exstat hymnus de S. Vincentio, quem, quoniam nondum editum puto, hoc loco transcribere non pigebit : *Præcelsa sæclis colitur dies omnibus fidelibus clara, In honore martyris Christi Vincentii rite dicata, In cujus hodie natali solvimus laudes debitas. Insignis olim fulsisti, levita, gemina sub Valerio glissens dogmata. Flagrans amore divino calcasti lubrica mundi gaudia fortis athleta. Tempsisti sæva pœnarum genera, risisti sereno corde plurima, vincla, verbera, furias, faculas, catenas, ungulas, ac craticulam. Carcer te teter nil terruit, aut ulla tortoris crudelitas, nec torrida ferri machina..... Flammas testularum aspera fragmina ultro subisti impavidus. Septus cuneis mox sidereis ymnihabas mystica lætus carmina. Sonant organa permirifica modulatis vocibus concrepantia. Victis victor hostibus victorem cernebas comminus angelorum psallebas caterva voce tinnula..... Eya, miles invicte, posita caduca sarcina arce poli florida necteris nos. Post tot tormentorum supplicia feliciter peracta, atque devicta penetrasti cœli sidera. Stola laureatus perspicua agnum sequens fulgida inter lilia agonista jam tripudias. Jam jam sancta* B *anima funde pia precamina pro nostro fœdo facinore prece sedula. Fove, o martyr, immeritos famulos tuos noxa pellens, et commoda præbens omnia. Coæterna una tecum in gloria jocundemur cantantes alleluia.* Ubi puncta sunt addita, annotatur in codice, tanquam diversa lectio, primo loco *teterrima trusus pelea*, secundo *ter collega*, quæ duo equidem non intelligo. Aliis in locis facilius intelligitur mendum cubare, quam vera lectio reperitur : nec tanti est eam investigare. Epigramma S. Eugenii de Basilica S. Vincentii exhibui hymn. super. ad vers. 90. In Prudentii hymno nulla fit mentio patriæ S. Vincentii, neque oppidum, in quo passus est, nominatur; quamvis nomine populi, ut sæpe in aliis, loquatur vers. 556, *Exosculamur lectulum*, et 565, *Si sub tuorum gaudio Vestigiorum sternimur*. Locum, ubi passus est, vocat oppidum vers. 333. *Coire toto ex oppido*; quod fuisse Valentiam prope littus Sagunti, ex Actis apud Ruinartium et Bollandianos constat. Esse autem hunc hymnum factum, ut die emortuali S. Vincentii caneretur, prima et secunda C stropha aperte ostendunt. Ruinartius putat Prudentium ex Actis antiquis, quæ ipse profert, hymnum maxima ex parte concinnasse. Id satis est verisimile, cum Prudentii hymnus interdum etiam in verbis cum Actis consentiat, et Acta videantur esse antiquiora et fortasse statim post Diocletiani persecutionem confecta : quæ in ecclesiis lecta fuisse ex S. Augustini sermonibus perspicitur. Cæterum nonnullæ sunt conjecturæ, ut Acta quæ nunc exstant post Prudentium concinnata fuisse credamus. Ruinartius plura habet de cultu S. Vincentii, præsertim in Gallia, et quædam nos quoque animadvertimus in notis ad Hymnodiam Hispanicam. Vide etiam tom. V Actor. SS. ordin. Benedict., et Florezium tom. VIII. Hisp. sacr., tract. 25, cap. 7. Nicolaus Antonius, Bibl. Hisp. tom. II, pag. 109, laudat ineditam dissertationem Michaelis Joannis Vimbodini, et Queralt de S. Vincentii levitæ Hispani martyris sacri corporis translatione. Apud Boldettum lib. I, cap. 39, Observ. D exstat monumentum vetus expressum e cœmeterio Callixti, quo SS. martyres *Vincentius, Agnes, Poltus* (Hippolytus) in vitro repræsentantur.

4. Sententia desumpta est ex II ad Timoth. II, 5 : *Nam et qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit.* Etsi autem poeta fortasse id non cogitaverit, notandum est dici posse *tibi vincenti*, et *tibi, o Vincenti*. Non dubito quin Prudentius nomen Vincentii ad coronam quæ vincenti datur ultro applicuerit. Paschalius, lib. I de Coronis, cap. 6, pag. 19, de corona quæ præmium est martyrii copiose disserit.

10. Ald., Weitz. cum suis, scripti plerique Heinsiani, Vatt. omnes, excepto Alex., *colluces*, vel *conluces*. Put., Alex. a prima manu, Cauch. codex, scbe-

Quam testis indomabilis
Rivis cruoris laveras.
Cum te satelles idoli,
Præcinctus atris legibus,
986 Litare divis gentium
Ferro et catenis cogeret.
Ac verba primum mollia
Suadendo blande effuderat;
Captator ut vitulum lupus
Rapturus, alludit prius.
Rex, inquit, orbis maximus,
Qui sceptra gestat Romula,
Servire sanxit omnia
Priscis deorum cultibus.
Vos, Nazareni, assistite,
Rudemque ritum spernite,
Hæc saxa, quæ princeps colit,
Placate fumo, et victima.
Exclamat hic Vincentius,
987 Levita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem e columnis lacteis.
Tibi ista præsint numina;
Tu saxa, tu lignum colas:
Tu mortuorum mortuus
Fias deorum pontifex.
Nos lucis auctorem Patrem,
Ejusque Christum Filium,
Qui solus, ac verus Deus,
Datiane, confitebimur.

GLOSSÆ VETERES.

11. Quam, *scilicet tu*, I.
13. Idoli, *species doli ab idea*, I.
21. Maximus, *ille*, I.
23. Sanxit, *decrevit*, I.
24. Priscis, *prioribus*, Mar.
25. Nazareni, *Nazareni vocabantur prius qui nunc Christiani, quod nomen prius repertum est apud Alexandriam, ubi beatus Petrus episcopus factus est*, Vat. A.
26. Rudem, *novum*, Mar.
28. Fumo, *thuris*, Mar.
30. Levita, *in templo additus*, I. — Sacra, *Ecclesia*, I. *De sancta Ecclesia*, Mar.
32. Columnis, *septem donis Spiritus sancti*, I. — *Columnas septem appellat septem ministros Ecclesiæ: to enim prius ab apostolis fuerunt ordinati*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

dæ Grævianæ, *collucis*. Gifanius legit *colluces*, et ait Prudentium *es* sæpe corripere, ut in *fames*. Barthius, lib. IV Advers., cap. 9, putat *colluces* crassius omnino erratum esse, quam ut poetæ tanto concedi possit: adeoque ex conjectura corrigit *Luces coinsigni stola*. Giselinus pariter, ut idem vitium effugeret, edidit *Luces in insigni stola*, quod cur non observavit Barthius, in commentariis Giselini alias versatus? At vero cum multi nobiles codices habeant *collucis*, et plurima sint hujusmodi verba quæ ad secundam et tertiam conjugationem spectant, de quibus agit Priscianus lib. X, et cum Prudentius id etiam observaverit in *percenseo*, *extorqueo*, omnino legendum est *collucis*.

13. Glossa de *idolo* contemnenda est: vel lege *species. Idolum ab idea*.

14. Conjiciat aliquis *arctis* pro *atris*.

15. Thuan., *divis gentibus*: fortasse fuerit *dis gentilibus*, ut conjicit Heinsius.

18. Vat. A, *effuderet*, male.

20. Vat. A, *prius*; supra, *pius*.

22. Put., et pro diversa script. Oxon., *publica* pro *Romula*, quod non displicet Heinsio. Weitz. cum Hailsbr., et Widm. a prima manu, *gestit* pro *gestat*, minus bene.

25. Put., *Nazoreni*. Pro *assistite* conjici posset *absistite*, quasi desistite a vestra religione. Sic absistere bello, incœpto, et simpliciter Virgilius lib. I Æn., 196. *Nec prius absistit*. Christiani olim a gentilibus et Judæis contumeliose vulgo Nazaræi, seu Nazareni vocabantur, quo de nomine plura scriptores antiquitatum Christianarum, Mamachius, Binghamus, alii. In glossa legendum *Antiochiam*, non *Alexandriam*. Fortasse etiam legendum erit *receptum*, non *repertum*: nam scriptura ambigua est. Sed bene est *repertum*. In aliis verbis *factus est* intellige, vel corrige *fuit*.

26. Vat. B, corrupte, *rudumque*.

27. Giselinus fatetur omnes libros formis editos habere *hæc saxa*: nihil dicit de mss., in quibus idem observatur. Nihilominus legit *hæc sacra*, ut infra vers. 105 et seq., *Tibi ergo soli, contumax, Tarpeia calcentur sacra?* Non enim, addit, Datianus fateretur *saxa* a se coli pro numinibus quæ saxis repræsentabantur. Vera tamen lectio est *saxa*, quibus divinitatem inesse putabant gentiles, ut ex responsione Vincentii colligitur, et fusius ostendi in comment. ad hymn. 11 Cath., vers. 35. Neque apposite diceretur *sacra placare fumo, et victima*. Colebant autem gentiles saxa, quia intus habitare spiritus credebant. Vide vers. 77.

30 Ad rem S. Isidorus lib. VII Etym., cap. 12: *Levitæ ex nomine auctoris vocati: de Levi enim levitæ exorti sunt, a quibus in templo Dei mystici sacramenti ministeria explebantur. Hi Græce diaconi, Latine ministri dicuntur, quia sicut in sacerdote consecratio, ita in diacono mysterii dispensatio habetur.*

32. Apud Hispanos videtur viguisse eadem consuetudo quæ in Ecclesia Romana de septem diaconorum numero, quem apostoli statuerunt, dum diaconos eligerent Act. cap. VI. Cur autem dicantur *columnæ lacteæ*, Iso septem dona Spiritus sancti commemorat, Chamillardus innocentiam et castitatem qua præditi esse debebant, et quod tunc Ecclesiam veluti sustentarent. Existimo Prudentium alludere ad stolam, cujus supra meminit, et ad morem standi ante altare. Canon 4 concilii Barcinonensis: *Ut diaconus in consessu presbyteri non sedeat*. Et cap. 60 collect. Martini Bracar.: *Non licet diaconum ante presbyterum sedere, nisi cum jussione presbyteri.* Vide vers. 58 hymni S. Laurentii: *Qui stant ad aram proximi.*

35. Acta: *Nam quos jubes deos confiteri, idola sunt lignea et lapidea. Tu illorum testis, tuque mortuorum fias mortuus pontifex.* Ubi clare perspicitur convenientia inter acta et Prudentium.

37. In proleg. cap. 22, exposui conjecturam V. C. Giovenazzii legendum *Nos lucis auctorem Patrem, Qui solus, ac verus Deus, Ejusque Christum Filium, Datiane, confitebimur.* Quam ille multis gravissimisque rationibus ex theologia et antiquitate ecclesiastica petitis corroboratam servat in suo ms. commentario in Hymnum S. Hilarii, *Hymnum dicat turba fratrum*, quod jam diu votis et utilitati litteratorum hominum debet.

39. Rat., *qui est solus*. In Actis: *Profitemur nos Christianæ religionis esse cultores, et unius ac veri Dei permanentis in sæcula famulos ac testes.*

40. Rat., *fatebimur*, contra metrum. Hujus Datiani memoria exstat in inscriptione Hispanica apud Gruterum, pag. CXCIX. Scilicet Datianus præses Hispaniarum lapidem poni curavit terminum inter Elorenses et Pacenses, imperantibus Diocletiano et Maxi-

988 Hic ille jam commotior :
Audesne, non felix, ait,
Jus hoc deorum, et principum
Violare verbis asperis?
Jus et sacratum, et publicum,
Cui cedit humanum genus?
Nec te juventæ fervidæ
Instans periclum permovet?
Hoc namque decretum cape :
Aut ara thure, et cespite
989 Precanda jam nunc est tibi,
Aut mors luenda est sanguine.
Respondit ille altrinsecus :
Age ergo, quidquid virium,
Quidquid potestatis tibi est,
Palam reluctor, exere.
Vox nostra quæ sit accipe :
Est Christus, et Pater Deus :
A Servi hujus ac testes sumus :
Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima,
Mors Christianis ludus est.
O vestra inanis vanitas,
Scitumque brutum Cæsaris!
Condigna vestris sensibus
Coli jubetis numina :
Excisa fabrili manu,
990 Cavis recocta et follibus :
Quæ voce, quæ gressu carent,
Immota, cæca, elinguia.
His sumptuosa splendido
B Delubra crescunt marmore
His colla mugientium
Percussa taurorum cadunt.

GLOSSÆ VETERES.

41. Hic ille, *tunc ipse.*
42. Non felix, *infelix*, I.
43. Jus, *conditio, vel imperium*, I.
47. Juventæ fervidæ, *tuæ juventutis*, I.
49. Cape, *intellige*, I.
50. Cespite, *sicut tunc mos erat*, I.
52. Luenda, *persolvenda*, I.
53. Altrinsecus, *econtra*, I., Mar.
56. Reluctor, *ego*, I.
66. Scitumque brutum, *imprudens*, Mar. — *Decretum stultum*, I.
72. Elinguia, *sine lingua*, I.
73. His, *talibus diis*, I.

COMMENTARIUS.

miano Herculeo, ut initio inscriptionis fusius declaratur. Tum legitur :

TERMINVS. INTER
PACENS. ET. EBORENS
CVRANTE. P. DATIANO
V. P. PRAESIDE. H. II.

41. Prag., *hic;* supra, *hinc.*

47. Ald. et alii vett., *Nec te jubente fervide.* Giselinus restituit *Nec te juventæ fervidæ*, faventibus mss. Heemanus in Manuduct. ad ling. Lat. ex cod. Pal. restituebat *Nec te juventa fervide*, quam scripturam ex eodem, ut puto, Pal. allegat Weitzius, qui tamen præfert *juventæ fervidæ.*

48. Aldi error *periculum.*

50. Barthius, lib. XXV, cap. 7, Advers., ita legit hos versus : *Aut ara thure e cespite Precanda jam nunc est tibi. Aut mora luenda est sanguine.* Intelligit aram *e cespite.* Burmanno in Anthologia pag. 734, tom. I, displicet hæc emendatio, quam Sagittarius cap. 10 de Cruciat. non solum adoptavit, verum etiam affirmavit hunc locum vulgo parum emendate legi. Barthius suæ correctioni hæc addiderat : *Talia multa in divino poeta a nobis observata sunt : a cujus spiritu etiam poetico reliqui Christiani vates longe absunt.* Precor *ita etiam usurpat Ausonius Ephemer.: Deus precandus est mihi, Ac Filius summi Dei.* De ara cespititia, quæ *graminea* a Virgilio dicitur, videndus est Petrus Berthaldus, de Ara, edit. 1636, in-8, pag. 57 et 58, cap. 6. Veteres non solum aras cespititias ex tempore et in castris exstruebant, sed etiam sæpe alias cespite ad aram exstruendam utebantur, vel in ea jam exstructa cespite ad sacrificium utebantur. Cur Prudentius thus cum cespite conjungat, fortasse patebit ex Horatio lib. III, od. 8 : *Quid velint flores et acerra thuris, Plena, miraris, positusque carbo in Cespite vivo*, et lib. I, od. 19 : *Hic vivum mihi cespitem, hic Verbenas, pueri, ponite, thuraque.* Accedit Ausonius in Ephemer. : *Nec liba crusti mellei. Foculumque vivi cespitis Vanis relinquo altaribus.* Teolius observat Mazochium Specim. Biblic. tom. II, dissert. 3 de Mosaico altari cespititio, plura hac de re habere et juniores castigare, quod *cæspes* cum diphthongo scribant. Cellarius cum Festo, et aliis *cæspes* a *cædendo* dictum, et cum diphthongo scribendum contendit. In hujusmodi controversiis orthographicis nihil fere firmum stabiliri potest : nam plerumque veteres ipsi inter se dissentiunt.

C

51. *Placanda* malebat Cauchius : sed recte *precanda.* Vide vers. superiorem.

52. Ald., *tuenda*, male. Ab Hailsbr. et Rott. abest verbum *est.* Vide vers. 50.

53. Nonnulli vulg., *respondet.* Plautus etiam usurpavit *altrinsecus.*

56. Gifanius Ind. Lucr. verbo Conata patrare fortasse hunc locum Prudentii intelligit cum ait eum dicere *exerere* pro *instituta perficere, conata patrare.* Idem verbum legitur in Actis : *Siquid malignitatis viribus potueris, exere.*

57. In Vat. A a prima manu abest *nostra.*

60. *Extorque* in tertia conjugatione.

62. De laminis ardentibus Horatius, Plautus, Cicero aliique profani, et passim scriptores Christiani. Vide Gallonium cap. 6, Sagittarium cap. 10, et Baronium ad diem 18 Maii de S. Dioscoro, qui *novissime laminis ardentibus adustus, martyrium consummavit.*

D

63. Put., *quæque ipsa.* Thuan., *aut ipsa.*

66. Vat. B corrupte, *socrumque brutum.*

68. Gis. in contextu, *jubentis*, scilicet Cæsaris : sed monet in notis *jubetis* esse in aliis, et sic orationem vehementem esse et concitatam magis.

69. Confer quæ notat Elmenhorstius ad Minucii verba de Deo gentium : *Funditur, fabricatur, sculpitur, tunditur malleis;* et Arnob. lib. VI, *Simulacra ista, quæ vos terrent, quæque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt*, etc.

70. Barthius loc. cit. distinguit *Cavis recocta, et follibus*, et intelligit *cavum* fornacem. Sed videtur *cavis* epitheton esse pro ventosis seu inanibus, et ventum recipientibus; quamvis certum sit *cavum* substantive etiam dici.

Adsunt et illic spiritus :
Sunt sed magistri criminum,
Vestræ et salutis aucupes,
Vagi, impotentes, sordidi :
991 Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare justos cædibus,
Plebem piorum carpere.
Norunt et ipsi, ac sentiunt,
Pollere Christum, et vivere,
Ejusque jam jamque affore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique,
Pulsi e latebris corporum
Virtute Christi et nomine,
Divique, et iidem dæmones.
His intonantem martyrem
Judex profanus non tulit,
Conclamat : Os obtrudite,
Ne plura jactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
Raptimque lictores date,
992 Illos reorum carnibus
Pastos, manuque exercitos.
Jam faxo, jus prætorium
Conviciator sentiat,
Impune ne nostris sibi
Diis destruendis luserit.
Tibi ergo soli, contumax,
Tarpeia calcentur sacra ?
Tu porro solus obteras
Romam, senatum, Cæsarem ?
Vinctum retortis brachiis,

GLOSSÆ VETERES.

79. Aucupes, *venatores, vel captores*, I.
87. Affore, *futurum esse*, I.
93. Intonantem, *loquentem*, I.
95. Obtrudite, *claudite*, I.
98. Lictores, *carnifices*, I.
101. Faxo, *facere volo.* — Jus prætorium, *regalem potestatem*, I.
103. Tibi, *a te*, I.
106. Tarpeia, *Romana, ubi idolorum maxima pars fuit, quod in Tarpeio monte cuncta idola congregata fuerunt*, I.
107. Obteras, *contemnis*, I.

COMMENTARIUS.

77. Put., *at sunt* pro *adsunt*, quod ab aliis scriptis confirmari ait Heinsius, in quibus est vers. seq. *Sunt; sed magistri criminum*, quasi hic versus respondeat primo, *At sunt et illic spiritus*, quod aiunt gentiles. Eam lectionem amplexus est Heinsius, et cum eo plerique recentiores, etiam Ruinartius. Gallandius scr pturam veterem retinuit, neque sibi aliam probari ostendit. Sententia eadem est, in statuis idolorum latere dæmones, qui dii esse non possunt, cum magistri sint criminum, ad quæ, impuram religionem docentes, provocant. Alludit Prudentius ad deos gentilium, qui erant ipsi dæmones; et cum ex statuis aut corporibus obsessorum expellebantur, nomina illa se habere affirmabant sub quibus in templis colebantur. Vide comment. ad vers. 402 Apoth. Ii autem *divique, et iidem dæmones*, ut ait vers. 92, etiam exemplo suo magistri erant criminum.

78. Gis., *sed sunt*. Plerique. *sunt sed*.

79. Rat., Vat. B, Mar., Prag., Alex. a secunda manu, Gis., *aucupes*. Alex. a prima manu, et vetustiores Heinsiani scribunt *aucipes*. Ald., Fabr., Egm., *auspices*. Hailsbr., *aucupes;* supra, *auspices;* infra, *capaces*, quod neque metro, neque sensui convenit.

80. Minucius de oraculis gentilium loquens, ait : *Spiritus sunt insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati. Isti igitur spiritus, posteaquam simplicitatem substantiæ suæ, onusti, et immersi vitiis, perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi*, etc. Chamillardus ait ex his quæ de dæmonibus scripsit Prudentius, facile colligi eos meros esse spiritus, ac corporis expertes existimasse. Addit Chamillardus : *Constare tamen possent corporibus æthereis ac subtilibus, quæ nihil quominus spiritus appellarentur prohiberent.* Nescio an id ex Prudentii sententia disserat, ex qua nihil hujusmodi certo colligitur. Barthius, lib. IV, cap. 9 Advers., notat, *sordidus* apud Christianos epitheton esse proprium diaboli.

81. Vat. A mendose, *latentes. Incitus* significat percitum, incitatum. Catullus in Galliambo, sive carmine in Atyn : *Alios age incitatos, alios age rabidos.*

82. Vat. A, *compellant*, et pro div. script., *compellunt.*

86. Vat. B et Mar., *ac* pro *et*.

87. Vat. B, *ejus jam*, sine *que*, quod necessarium est. Rott., *jam, jam affore*, ut hiatus relinquatur, qui tamen minime tam solemnis est Prudentio quam vult Heinsius. Fabr. et Gis. in contextu, *jam mox affore.* Elegantius est *jam jamque.*

88. *Perfidus* pro *infideli*, vox a scriptoribus Christianis usurpata.

89. De his clamoribus dæmonum dictum ad vers. 413 Apoth. Hæc stropha deerat in ms. S. Michaelis.

90. Vat. A, Q, Hailsbr., *pulsi ex.* Pro *corporum* habent *viscerum* Put. et Oxon., non male. Ita edidit Heinsius.

92. Peveratus nescio ubi invenerit *denique* pro *divique :* neque *denique* cohæret metro. Alii scribunt *idem*, alii *iidem.*

95. Nebrissa oblitus est quid metrum exigeret, cum affirmavit puriorem esse lectionem *obstruite* quam *obtrudite*, aut, ut scribit Weitz. cum Widm., *obstrudite.* Melius tamen *obtrudite.*

99. Egm., Widm. ad oram, Put., *Illos reorum Plutones, Pastos resectis carnibus.* Hanc lectionem præ oculis habuit Heinsius ad vers. 362 lib. I contra Symmachum, ut ibi diximus. Cellarius notat, lucrum ex reorum suppliciis facere carnifices, qui plerumque lacertosi sunt, tanquam carnibus pasti.

103. Heinsius cum Put., *Ne impune, ne nostris sibi:* putat enim Heinsius hanc repetitionem vim egregiam addere orationi. Recentiores Heinsio adhærent, Gallandio excepto.

107. Egm., Hailsbr., Vat. A, *tu modo.* Non constat ratio metri.

109. Describitur tormentum eculei, de quo vide tabulam IX, et Gallonium de Cruciat. SS. mart. cap. 3, et Sagittarium, qui cap. 17 non dissimilem imaginem eculei exhibet, et eculeum definit esse ligneam machinam ad equi similitudinem fabricatam, in quam levati homines eidemque alligati sursum ac deorsum tendebantur ac variis modis torquebantur. Hinc phrases illæ, *levari in eculeo, suspendi in eculeo.* Corrigit autem Sagittarius locum lib. V Etym. S. Isidori cap. 27, *Eculeus autem dictus, quod extendatur;* et hoc modo suppleri posse existimat : *Eculeus autem dictus, quod ei tanquam equo reus impositus extendatur.* Verum in editione postrema Matritensi ita legitur, *Eculeus autem dictus quod extendat*, et pro diversa scriptura *quod extendatur.* S. Hieronymus epist. ad

Sursum ac deorsum extendite,
993 Compago donec ossuum
Divulsa membratim crepet.
Posthinc hiulcis ictibus
Nudate costarum abdita,
Ut per lacunas vulnerum
Jecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.
Ac jam omne robur fortium
Eviscerando cesserat,
Nisusque anhelus solverat
Fessos lacertorum toros
Ast ille tanto lætior

A

994 Omni vacantem nubilo
Frontem serenam luminat,
Te, Christe, præsentem videns.
Quis vultus iste? proh pudor!
Datianus aiebat furens:
Gaudet, renidet, provocat
Tortore tortus acrior.
Nil illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in isto proficit,
Ars et dolorum vincitur.
Sed vos, alumni carceris,
995 Par semper invictum mihi,
Cohibete paulum dexteras,
Respiret ut lassus vigor.
Præsicca rursus ulcera,

B

GLOSSÆ VETERES.

112. Membratim, *per singula membra*, Mar.
113. Hiulcis, *apertis, fissis.* — Ictibus, *ungulis*, I
122. Eviscerando, *lacerando*, I.
126. Nubilo, *caligine*, I.
129. Proh pudor! *cum pudore loquor*, I.
131. Renidet, *splendet lætitia, a nidore renidet*, I.
137. Alumni, *ministri*, Mar.
138. Par, *consortium, vel sodalitas*, I.

COMMENTARIUS.

Innocentium 1, al. 49, *At vero mulier..... cum eculeus corpus extenderet et sordidas fetore carceris manus post tergum vincula cohiberent, oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit in cœlum.* Vide etiam in Romano, vers. 110, ubi aliam Barthii opinionem de eculeo exponam. In eculeo corpus extendebatur, dum ipse eculeus cochleis extenderetur. Præterea jacentes in eculeo torquebantur ungulis, sive fidiculis, ut stropha seq. explicat Prudentius, et nonnunquam etiam lampadibus accensis. S. Cyprianus de Lapsis: *Nunc eculeus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret.*

110. Extensio corporis eculeo tribuitur, tanquam vis propria hujus tormenti. Cyprianus ep. 1 ad Donatum: *Et carnifex præsto est, ungula effodiens, eculeus extendens, ignis exurens.* Cæterum hæc descriptio convenire etiam potest tormento frequentatæ elevationis corporis trochleis factæ, quam Hispani *trato de cuerda*, Itali similiter *tratto di corda* appellant. De hoc supplicio Victor Vitensis lib. III de Persec. Vand.: *Qui post cædes innumerabilium fustium trochleis frequentibus elevatus dum tota præ urbe penderet, nunc in sublime ictu se tollente celeri, dimissis iterum cannabinis, super silices platearum pondere corporis veniens, ut lapis super lapide corruebat. Sed et sæpius tractum, et lapidibus acutissimis defricatum, et cutibus separatis, pelles corporis lateribus, dorsoque videres, et ventre pendere.* Vide tabulam VIII, et Nicolaum Agnellum de Pœna funis, seu de funis ictuum atrocitate, Ferrariæ, 1786. Sed notandum, in Actis S. Vincentii mentionem eculei fieri; et plerique ita explicant Prudentium.

111. Plerique libri vett., *ossuum.*

113. Alex., *iulcis ictibus*, quod expressit Teolius in contextu, nescio an consulto, nam in notis habet *hiulcis*. Ox., *bisulcis*, non male, nam de ungulis est sermo, quas *bisulcas* dixit vers. 44 hymni 1 Peristeph. De eisdem ungulis in Romano vers. 432, *Mucrone hiulco*, ut multi interpretantur.

115. Pal., Ox., *latebras vulnerum*. Apotheos. vers. 221 etiam dixit *lacunas*, loquens de Jesu Christi vulneribus.

117. Prag., *ridebat hic*, minus bene.

119. Rat., *quo;* recenti manu, *quod.*

121. Vatt. A, *sic jam.* In editione 1 Giselini, Coloniæ repetita, ad marg. est *satellitum*, veluti glossa verbi *fortium.*

123. Ald., *anhelos :* lege *anhelus.* Hæc fere omnia similiter in Actis : *Defatigata lictorum manus, dum* per sancti latera pendet, victa defecit..... fortium robur emarcuit..... anhelum pectus fessis intremuit..... Rimetur acrior ungula intima costarum..... Tunc denuo subridens Vincentius,* etc.

126. *Mœroris nubilum, dolorum, mentis nubila* apud Sidonium, Cassiodorium et alios æquales passim. Tempora nubila apud Ovidium et alios. Nubem pro tristitia ipse Ovidius posuit vers. Trist., el. 5 : *Pars vitæ tristi cætera nube vacet;* et alibi sæpius.

C

127. Fabr., Gis., Widm. supra, *illuminat.* Heinsius ait suos habere constanter et vere *luminat*, quia ita etiam dixit in hymno S. Eulaliæ, vers. 192, *Atria luminat alma nitor.* Chamillardus ulterius addidit Fabricium et Giselinum cum Weitzio (cum uno Weitzii dicere debuit, ut Heinsius dixit, intelligens codicem Widmani) habere *illuminat*, sed male. Mihi placet *luminat;* sed non ausim damnare *illuminat*, quod exstat in pervetustis membranis Vat. B, Rat. et Mar. Sæpius etiam Prudentius dixit *illuminat* quam *luminat.* Vossius in notis ad Velleium Paterculum lib. II, cap. 35, confirmat legendum in Velleio *In altissimo luminavit*, quia *luminat* legerat hoc loco in suo codice Prudentii; sed melius allegasset vers. cit. hymn. S. Eulaliæ : nam illic metro necessarium est *luminat*, nec variant codices. Hic stare etiam potest *illuminat.* Cælius Aurelianus sæpius usus est hoc verbo *lumino.* Dicit autem Prudentius *frontem serenam*, ut opponat *nubilo.*

131. Hailsbronn. perperam, *gaudet, renitet. Renidere* est ridere, ut apud Catullum et alios; supra Prudentius ait *ridebat.*

D

132. Aldus, *Tortor, et tortus;* Vat. A, *Tortorem tortor :* utrumque mendose. S. Cyprianus epist. 8, *Steterunt torti torquentibus fortiores.* Et de Laude martyrii : *Nam prædurantibus licet guttis resultans ungula recurrat in vulnus, exeuntibus flagellis cum avulsa corporis parte rediens habena ducatur, stat immobilis tamen pœnis suis fortior*, etc. Inter opera Cypriano ascripta id opus collocatur.

134. Prag., *noxiarum;* lege *noxiorum.*

138. Vat. Q, Ald., Sich., *Pars semper invictam mihi.* Urb., Widm. ad oram, *Invicta pars semper mihi.* Fabr., *Pars semper, invictam mihi Cohibete paulum dexteram.* Giselinus fortasse primus veram lectionem restituit.

139. In Actis : *Sed vos continete paulisper dexteras, vires resumite, ut improbum hostem innovatus miles ad pœnam durius coerceat.*

Dum se cicatrix colligit
Refrigerati sanguinis,
Manus resulcans diruet.
His contra Levites refert ;
Si jam tuorum perspicis
Languere virtutem canum :
Age ipse, major carnifex.
Ostende, quo pacto queant
Imos recessus scindere,
996 Manus et ipse intersere,
Rivosque ferventes bibe.
Erras, cruente, si meam
Te rere pœnam sumere
Cum membra morti obnoxia
Dilancinata interficis.
Est alter, est intrinsecus,
Violare quem nullus potest,
Liber, quietus, integer,
Exsors dolorum tristium.
Hoc, quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas est solutum, ac fictile,
Quocunque frangendum modo
Quin imo nunc enitere
Illum secare, ac plectere :
997 Qui perstat intus, qui tuam
Calcat, tyranne, insaniam.
Hunc hunc lacesse, hunc discute
Invictum, et insuperabilem,
Nullis procellis subditum,
Solique subjectum Deo.
Hæc fatur, et stridentibus

GLOSSÆ VETERES.

149. Quo pacto, *quomodo*, *quemadmodum*, *qua ratione*, *qua virtute*, I.
150. Recessus, *profunditates*, I.
154. Rere, *reris*, *arbitrare*, I.
156. Dilancinata, *laniata*, *dilaniata*, *dilacerata*, I.
160. Exsors, *expers*, I.
165. Quin imo, *quin potius*. — Enitere, *stude*, I.
169. Lacesse, *irrita*. — Discute, *perquire*. I.
171. Procellis, *laboribus*, I.

COMMENTARIUS.

142. Hic deficit codex Puteanus.

144. Noms. et schedæ Græviànæ, *diluet*. Vat. A, *diruat* ; alii, *diruet*.

146. Ald., Weitz., *suam tuorum*, quod parum Latinum Becmano videbatur. Cauchius conjiciebat *satin' tuorum*. Plerique scripti, etiam Pal. apud Becmanum, *si jam*, pro qua lectione non bene Weitzius allegat Aldum. *Pro perspicis* Vat. A, *præspicis*.

147. Paulinus, Natali 5, de satellitibus quærentibus S. Felicem : *Illudente canes Domino frustratus hiantes*. Barthius lib. VIII, cap. 14 Advers., notat hoc loco satellites vocari canes, quod convicium hodieque acerrimum est apud Turcas, Ungaros, Polonos, alios : addo ego nominatim Hispanos, Italos, et, ut ex Veteri Testamento liquet, Hebræos. Æschylus in Prometheo vincto Jovis aquilam, quæ hujus imperatis præsto erat, vocat canem. Apud Homerum et Quintum Calabrum valde usitatum convicium id est. Furias et Harpyas nominatas etiam canes ex Æschylo et Hygino tradit idem Barthius lib. XI, cap. 1, qui rursus lib. XLI, cap. 9, advertit proverbium esse *Cane pejor*, et vers. 216 Apoth. allegat *Semifer et Gothus sensit cane milite pejor* : ita enim legit et colligit, canes a Gothis in aciem ductos. Existimo peculiare fuisse satellites canes appellare, ut ex hoc versu Prudentii et loc. cit. Paulini colligi potest, quibus mirifice consonat Cicero 1 in Verr. : *Debere eum aiebat* (Verres) *suam quoque rationem ducere : multa sibi opus esse*, *multa canibus suis*, *quos circa se haberet*.

149. Vat. A, *ostendo*, non ita bene.

153. Sumere pœnam *meam* pro *de me* durum, et plane insolens videtur Giselino aliisque post eum. *Sed quid facias*, addit Giselinus, *ubi aliena sunt in manibus, non nostra*. Non intelligo quid sibi hæc velint. Hailsbr. legit, *si novam* pro *si meam*. Falsus animi fuit Chamillardus, cum affirmavit, omnes ad unum habere *si meam*, et Weitzius jam Hailsbronnensem allegaverat. Possessivum *meus* vim eamdem habet ac *de me*, sive *a me* : est enim mirus, ac varius ejus usus.

154. Widm., *vitam* pro *pœnam*.— Latinius in Torn. recte emendavit *te rere* pro *terere*.

156. Seneca eadem significatione usurpat *lancino*. Arnobius lib. II, *Corpora lancinatis*, *et diu vexatis nostra*. Catullus dixit *bona lancinata*, et Plinius *aures lancinare*, metaphorice.

157. Vat. B, Mar., Prag., Rat., Weitz., Gis. aliique, *Est alter*, *est intrinsecus*. Gis. 1 ed., *Est alter hic intrinsecus*. Fabr., *Homo alter est intrinsecus*. Ald., Torn., Galland., *Est alter homo intrinsecus*. Hoc prætulit Cellarius, et inter vitia metrica Prudentii objecit *homo* prima longa. Vide quæ contra disputavi proleg. num. 208 in nota. Heinsius Giselino adhæsit, nullamque discrepantiam codicum ascripsit. Prudentius respicit illud Apostoli II Corinth. IV, 16 : *Propter quod non deficimus : sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem*.

159. Vat. A, *lætus* pro *liber*.

160. Rat., *expers*, et quidem sine litura, supra pro div. script., *exsors*.

163. Ex Apostolo corpus vas dicitur. Vide comment. vers. 190 hymni 7 Cath.

164. Apostolus loc. cit. vers. 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*.

169. Widm., *hunc lacesse*, pro quo Weitzius Aldum appellat ; sed Aldus emendavit *hunc tu lacesse*. Alii, *hunc*, *hunc lacesse*.

170. Ald., Weitz., Vat. P, *Invictum*, *insuperabilem*, quod cum hiatu defendi posset : adeoque non tam apertus est hic error, quam vult Chamillardus, qui hiatus in Prudentio alias agnoscit. Heinsius etiam, qui sæpe testatur, hiatum Prudentio esse familiarem, immerito nunc pronuntiat, versum hoc modo claudicare. Thuan. et tres Torr., Alex., Urb. *Invictum inexsuperabilem*. Heinsius hinc jubet legi *Invictum*, *inexsuprabilem*, quas contractiones litterarum Prudentium amare ait. Heinsio concinit Teolius. Sed cur hujusmodi contractionem (qualem vix aliam in Prudentio invenias) contra codicum fidem admittemus ? Nam versus recto stat talo *Invictum*, *et insuperabilem*, recepto anapæsto tertia sede, quod et licet, et Prudentio solemne est. Chamillardus jure lectionem Heinsii *inexsuprabilem* (non *inexsuperabilem*, ut ait Gallandius) rejecit. Idem Chamillardus legit *Invictum*, *et insuperabilem*, quod exstat in Fabricio. Giselinus ita in contextu, sed ad oram *Invictum*, *et inexpugnabilem*.

173. Egm., *et tridentibus*, quod non displicet, ut unci fuerint tridentes, ut patet in monumento veteri SS. septem Dormientium exhibito tom. I, pag. 356, de quo dixi etiam ad vers. 44 hymni 1 Peristeph. Cæterum alii unci, quibus martyrum corpora laniabantur, erant clavi incurvi, ut eos repræsentat tabula XIII Gallonii, et tabula XXVI a nobis addita, in

Laniatur uncis denuo:
Cui prætor ore subdol
Anguina verba exsibilat.
998 Si tanta callum pectoris
Prædurat obstinatio,
Pulvinar ut nostrum manu
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas,
Librosque opertos detege,
Quo secta pravum seminans
Justis cremetur ignibus.
His martyr auditis, ait,
Quem tu, maligne, mysticis
Minitaris ignem litteris,
Flagrabis ipse hoc justius.
Romphæa nam cœlestium
Vindex erit voluminum,

A

Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.
Vides favillas indices
Gomorrheorum criminum.
Sodomita nec latet cinis,
999 Testis perennis funeris.
Exemplar hoc, serpens, tuum est:
Fuligo quem mox sulfuris,
Bitumen et mixtum pice
Imo implicabunt tartaro.
His persecutor saucius
Pallet, rubescit, æstuat,
Insana torquens lumina,
Spumasque frendens egerit.
Tum deinde cunctatus diu,

B

Decernit, extrema omnium
Igni, grabato, et laminis

GLOSSÆ VETERES.

174. Denuo, *iterum*, Iso.
175. Prætor, *præses*, Iso.
176. Anguina, *serpentina*, I.
177. Callum, *duritia in pedibus rusticanis*, I.
179. Pulvinar, *lectum deorum, res divina, cæremoniæ, sacra*, I.
185. Secta, *dogma*, I.
189. Romphæa, *ultio divina, igneus gladius*, I.
198. Quem mox, *te cito*, I.
201. His, *cum*, I.
204. Egerit, *exportat*, I.
205. Cunctatus, *dubitans, vel moratus*, I.
206. Extrema, *supplicia*, I.
207. Grabato, *craticula*, I., Mar

COMMENTARIUS.

qua exhibetur uncus, olim repertus in cœmeterio S. Agnetis, cujusdam martyris capiti affixus. Figuram ejus exhibet Sagittarius cap. 17, num. 18; quæ simi'i est unco tabulæ xiii Gallonii lit. B. Cl. Mamachius in opere *De' costumi de' primitivi Cristiani*, cap. 6, pag. 306, formam ejusdem unci aliquantulum diversam repræsentat. Aringhus tom. II Romæ subterr., lib. ult., cap. 1, ita uncum in cœmeterio S. Agnetis repertum delineavit, ut a nobis tabula xxvi producitur. Erant autem unci tam ad suspendendum quam ad trahendum, discerpendum et laniandum apti. Horatius lib. I, ode 35, *Nec severus uncus abest, liquidumque plumbum*. Ammianus lib. vii, *Intendebantur eculei, uncosque parabat carnifex*. Elmenhorstius ad lib. I Arnobii, pag. 38, de uncis carnificum agit. Vide vers. 63 Peristeph. 11.

176. Mox vers. 197 Prætor vocatur *serpens*. Nunc recte *anguina verba exsibilat*.

177. Hæc metaphora *calli* de animo occupata a Cicerone aliisque est.

179. Arnobius lib. vii adversus gentes: *Lectisternium Cereris erit idibus proximis: habent enim dii lectos, atque ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur, atque excitatur impressio.*

180. Mar. scribit, *abhomineris*.

181. Rat., *saltim*. Ethnicos diligenter quæsivisse libros Christianorum, ut eos igni traderent, expositum est hymn. 1 Peristeph. In persecutione Diocletiani hic furor maxime viguit, unde *traditorum* nomen iis inhæsit, qui libros tradiderunt. Vide Optatum lib. I. Elmenhorstius in Arnobium, pag. 69 libri III, plura habet de more in bene constitutis rebuspublicis libros, qui religionibus derogabant, igne comburendi. In Actis S. Vincentii hujus rei mentio non exstat.

187. Mar., Rat., Widm., Weitz., *minaris* pro *minitaris*.

189. Alex., Hailsbr. scribunt *romfea*; Weitz., Heins., *rhomphea*; alii, *rhompæa*. Gis. ad oram *jam* pro *nam*.

195. Vat. B, Widm. a prima manu, Rat., Mar. a veteri manu, *Sodomæ nec*. Vat. Q, *Sodomite*. Sichardus, *Sodomus*. Latinius, *Sodomus*. Recte *Sodomita cinis*: nam sicut Sodomita de cive Sodomæ dicitur, cur de cinere Sodomæ dici non possit? In Psychoma-

C

chia etiam dixit *Sodomita libido*. Hoc loco etiam intelligi potest Sodomita in cinerem conversus. In hymno octodecim martyrum de S. Cassiano: *Quos cinis gentes domitas coegit Ad juga Christi*.

197. Egm., Palat., Hailsbr. a prima manu *semper* pro *serpens*; quod postremum probum est. Vide ante vers. 176, *Anguina verba exsibilat*.

198. Weitz., *sulphoris*, et Aldum pro hac scriptura allegat, apud quem invenio *sulphuris*.

202. Elmenhorstius in notis ad Arnobium, pag. 9 libri I, verba similia Arnobii illustrat: *Flammæ æstuent, anhelum pectus spiritum jaciat ex ore*: et lib. v: *Ardescit..... spumat, anhelat, exæstuat*.

204. Egmond. apud Burmannum tom. I Anthol., pag. 736, pro div. lectione, *digerit*, quod non probat Burmannus pro *egerit*. Hæc varietas lectionis in Egmondano codice, a Burmanno notata, Weitzium, Heinsiumque fugerat.

205. Heraldus ad Arnobium, pag. 37 libri I, advertit recte ab Arnobio ignem ultimum tormentum numerari, *Torquetis, dilaceratis, exuritis*, ut in his etiam Prudentii versibus observare licet. Seneca lib. I de Ira, cap. 19: *Torserat per omnia, quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tabularibus, eculeo, igni, vultu suo*. Apuleius Miles. x: *Nec rota, vel eculeus*

D

more Græcorum tormentis ejus apparata jam deerant. Sed obfirmatus mira præsumptione, nullis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni. Post ignem extremus agon feræ, aut gladius sequebantur.

206. Pal., *discernit*: legendum est *decernit*. Ita interpunxi. Alii, *Decernit extrema omnium: Igni*, etc.

207. Fabr., *ignis grabato*. Ox., *igni ut grabato*. Rott., *ligno, grabato*. Gifanius in *vemens* pro *vehemens* præfert *lamminis*, et ita in vet. lib. scribi ait, quoties ea voce Prudentius utitur. In aliis est *laminis*. An lectus ferreus a craticula ferrea fuerit distinctus, inter Gallonium et Sagittarium disputari, dixi ad vers. 354 in Laurentio. S. Vincentium in crate ferrea ustulatum in Martyrologio Romano traditur. Prudentius, Ado, Beda lectum et grabatum ferreum vocant. Existimo craticulam sæpe vocatam lectum, quia in ea martyres recumbebant; sed fuisse nihilominus lectos ferreos, qui craticulæ formam non referrent: nam in martyrologiis hæc distinctio sæpe clare exprimitur. Beda xiv cal. Maii: *Eleutherius primum vicit lectum*

1000 Exerceatur quæstio.
Hæc ille sese ad munera
Gradu citato proripit,
Ipsosque pernix gaudio
Pœnæ ministros prævenit.
Ventum ad palæstram gloriæ :
Spes certat, et crudelitas
Luctamen anceps conserunt
Hinc martyr, illinc carnifex.
Serrata lectum regula
Dente in frequenti exasperat :
Cui multa carbonum strues
Vivum vaporat halitum.
Hunc sponte conscendit rogum
1001 Vir sanctus ore interrito :
Ceu jam coronæ conscius
Celsum tribunal scanderet.

A Subter crepante aspergine
Scintillat excussus salis,
Punctisque fervens stridulis
Sparsim per artus figitur
Arvina posthinc igneum
Impressa cauterem lavit.
Vis unde roris fumidi
In membra sensim liquitur.
Hæc inter immotus manet
1002 Tanquam dolorum nescius,
Tenditque in altum lumina :
Nam vincla palmas presserant.
Sublatus inde fortior,
Lugubre in antrum truditur :
Ne liber usus luminis
B Animaret altum spiritum
Est intus imo ergastulo

GLOSSÆ VETERES.

208. Exerceatur, *imperativus*. — Quæstio, *pœna, examinatio*, I.
209. Munera, *officia*, I.
211. Pernix, *velox*, I.
213. Palæstram, *ad certamen*, I.
214. Spes, *in Vincentio*. — Crudelitas, *in tyranno*, I.
215. Anceps, *duplex*, I.
217. Serrata, *serra vocatur lima*, I.
222. Ore, *facie*, I.
226. Excussus, *excussio*, I., Rat.
227. Punctis, *guttis*, Vat. A.
229. Igneum, *ignitum*, I.
230. Cauterem, *lectum ferreum*, Vat. A. *Torrem* Mar. *Cauter et cauterium dictum, quod urat; quod interdum pro signo, interdum pro cura adhibetur, ut vis morbi ignis ardore siccetur. Cauteriata caro; id est incensa cauterio. Inde Paulus : Cauteriatam conscientiam habentes, id est corruptam; quia sicut caro cauterio, ita mens prava doctrina corrumpitur.* — Lavit. *humectavit*, I.
238. Lugubre, *flebile*, I.

COMMENTARIUS.

ferreum, deinde craticulam, et ignem suppositum, postea sartaginem cum pice, et adipe ferventem. Vide etiam Martyr. Rom. ad diem 18 Aprilis.

209. Vat. B, *illi :* corrige *ille*.

211. In editione Teolii erratum est *pernox* pro *pernix*.

212. Alex., Widm., *pœne :* lege *pœnæ*.

214. In glossa mendum erat *in Laurentio* pro *in Vincentio*.

216. Ald., *hic martyr :* lege *hinc*.

217. Nebrissa ait commodius dici potuisse *lamina* pro *regula*, ut apud Virgilium I Georg., vers. 143 : *Argutæ lamina serræ*. Acta habent : *Jam enim truculentus minister proferri lectum cum ferreis jusserat costis, et addita subter carbonum congerie exurendum Dei martyrem applicare.*

218. Ald., Weitz. cum Vat. Q, Urb. et plerisque aliis mss., *dente infrequenti*, quod Nebrissa exponit *valde frequenti*, nam *in* sæpe auget. Giselinus testatur in nonnullis esse *dente frequenti*, quod amplexi sunt Cauchius, Salmasius, Heinsius et recentiores, producta ultima in *dente* ob mutam et liquidam dictionis sequentis, quod defendi quidem potest. Giselinus edidit *dente in frequenti*, quod revera confirmatum reperi in Vat. P, et satis clare in Alex. Errores hujusmodi ex dictionum diversarum conjunctione sæpe in Prudentio occurrunt, ut infra vers. 537, plerique legebant *obis* pro *o bis*.

224. Putat Peveratus alludere Prudentium ad priscum morem quo victores coronas ipsi assumerent, sed non aliter quam interposito prius Hellanodicarum judicio, ad quorum tribunal athletæ post peractum certamen accedebant. Paschalius, lib. VI de Coron., cap. 22, ostendit coronam ipsis judicum manibus illius capiti imponi consuevisse, quem præco victorem renuntiasset.

226. Mariettus ex suo codice notat pro diversa lectione *excussio*, quæ est glossa, ut puto, tum in eo codice, tum in Rat. Heinsius accepit *salis* in nominativo. Id displicet Chamillardo, qui suspicatur, *excussum sale*, quo nominativo usus est Ennius, Gallandius conjicit *rogus excussus aspergine salis*, ut ex vers. 221 subintelligatur *rogus*. Quod additur *Punctisque fer-* C *vens stridulis*, arguit intelligi excussum salem. Nebrissa recte putat cum auctoribus glossarum, *excussus* esse substantivum pro *excussione*. Sic hymno 5 Cath., vers. 7, *Incussu silicis* Giselinus, editionem Daventriensem secutus, edidit *excussus cinis*, aliamque lectionem ineptam putat. In Actis id ita explicatur: *Salis ignibus sparsi crepitantes minutiæ per membra dissiliunt*. In sermone olim S. Augustino et S. Leoni ascripto, qui verius est S. Leandri, ut probat Florezius tom. VIII Hisp. sacr. append. 1, *Strepentis in patentibus visceribus salis injectio*. Non invenio apud Gallonium et Sagittarium distinctam hujus tormenti mentionem.

227. Puncta Mariettus explicat guttas salis, ex glossa veteri, opinor.

228. Cauchius conjiciebat, *frigitur :* sed melius *figitur*, scilicet sal.

229. Gis. prima ed., *post hæc*; alii, *posthinc*.

230. Widm. scribit *chauterem*.

D 231. Vat. B, *vis inde;* alii, *vis unde*.

232. Rat., Widm. supra, Mar. ad oram, *immersa*; melius *in membra*.

235. Virgilius II Æneid., *Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra : Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas*. S. Hieronymus : *Oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit in cœlum*. Vide alia in Comment. ad vers. 109.

238. Pal., *traditur*, Egm., *Lugubræ in antrum traditur*. Vat. A, *Lugubre in antra truditur*. Peveratus ait, describi hoc loco carcerem Tullianum : fortasse intelligit carcerem similem Tulliano; non enim Vincentius Romæ carceri inclusus fuit.

241. Augustinus in Joann., *Et in ipso carcere non omnes, sed pro meritis causarum in ima carceris detruduntur*. De carcerum differentiis consule Sagittarium de Cruciat. cap. 5.

Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Æterna nox illic latet,
Expers diurni sideris :
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum conjicit
Truculentus hostis martyrem,
1003 Lignoque plantas inserit,
Divaricatis cruribus.
Quin addit et pœnam novam
Crucis peritus artifex,
Nulli tyranno cognitam,
Nec fando compertam retro.

A

Fragmenta testarum jubet
Hirta impolitis angulis.
1004 Acuminata, informia
Tergo jacentis sternerent.
Totum cubile spiculis
Armant dolores anxii :
Insomne qui subter latus
Mucrone pulsent obvio.
Hæc ille versutus, vafra
Meditatus arte, struxerat :
Sed Belzebulis callida
Commenta Christus destruit.
Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morsus stipitis

GLOSSÆ VETERES.

244. Strangulant, *claudant*, Vat. A.
246. Diurni sideris, *solis*, I.
249. Barathrum, *nomen immensæ profunditatis*, I.
252. Divaricatis, *separatis, disjunctis, vel commutatis*, I.
254. Crucis, *supplicii*, I.
265. Vafra, *callida*, I.

B

268. Commenta, *commentor excogito. Commentum liber, qui ab aliquo doctore excogitatur, sicut commentum Servii liber, quem excogitavit super Virgilium; et facit præteritum commentus sum, non commentatus*, Iso.
270. Fulgurat, *splendet*, I.
271. Morsus, *punctos dicit, id est foramina nervi, quæ appellantur in Scriptura puncti*, I.

COMMENTARIUS.

247. Hailsbr., *horrendos*. Concinne hoc dictum, ut suos inferos, hoc est, interiorem tutioremque custodiam subter humum carcer habere intelligatur. In Actis SS. Chrysanthi et Dariæ : *Erat IMA custodia in carcere Tulliano, unde putor horribilis ascendebat, quia cloacarum cuniculis digesta domorum stercora illic jugiter decurrebant. Et in hoc decursorio erat ima, et lutea, et tenebrosa custodia, ut penitus lucifluus aer nec signum ibi diei, nec vestigium aliquod lucis ostenderet.* In martyrio S. Ignatii : *Tollite eum, imponite ei ferrea vincula, et in ligno pedes ejus concludite, et custodite eum in IMO carceris, et nemo eum neque per foramen videat.* Vide comment. ad vers. 468 lib. II in Symmachum.

C

251. De hoc supplicio Eusebius, lib. V, cap. 1, Hist. eccles., *Cum in carcerem conjecti in locis horrida caligine obsitis, et plenis molestiarum jacerent, et illorum pedes in crassas compedes impositi distinerentur, et ad quintum usque foramen longa intercapedine interposita distenderentur.* S. Paulinus Natali 4, *Nervoque rigescunt Diducente pedes :* Ruffinus etiam hanc ligneam compedem *nervum* vocavit; puto, nomine tracto a nervis, quibus pedes in foramina tanquam in ocreas, inserti astringebantur. Sed nervus accipitur etiam pro quovis vinculo quo pedes aut colla vinciuntur. In Actis SS. martyrum sæpe lignea illa compes *cippus* appellatur, mansitque nomen apud Hispanos *cepo*. Cap. XVI Act. apost., vers. 24, *lignum* dicitur : *Misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno.* Græci κατ' ἐξοχήν vocant etiam *lignum*, ξύλον. Henricus Valesius ad loc. cit. Eusebii ita illud describit : *Truncus fuit ligneus, quinis hinc, et inde foraminibus certo invicem spatio divisis excavatus. In hæc foramina, tanquam in ocreas quasdam, pedes inserebantur noxiorum, et vinculis seu nervis astringebantur.* Vide plura apud Sagittarium cap. 2.

D

252. In Actis : *Divaricatis præterea, et distentis cruribus, ligno pedes ejus constringite.*

256. *Fando* dicitur vel passive, vel active. Virgilius II Æneid., *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.* Idem lib. cit., *Quis talia fando.* Quærat aliquis an ante S. Vincentium alii fragmentis testarum suppositis cruciati fuerint. De S. Felice hoc ipsum tradidit S. Paulinus Natal. 4, *Sternuntur fragmina testæ, Arceat ut somnum pœnalis acumine lectus.* Pari supplicio affectus est Eustratius apud Nicephorum lib. VII, cap. 14; quanquam Nicephorus potius innuit fragmentis testarum corpus Eustratii fuisse confricatum. S. Damasus de Eutychio martyre : *Testarum fragmenta parant, ne somnus adiret.* Novam pœnam vocavit etiam S. Damasus : *Carceris illuviem sequitur nova pœna per artus.* Prudentius fortasse solum intelligit novam hanc, et inauditam fuisse pœnam in oppido aut provincia ubi Vincentius torquebatur. Sagittarius cap. 2 hunc cruciatum expendit, neque solum in carcere, sed etiam extra eum hanc volutationem in testulis aliisque rebus acutis locum habuisse ostendit. Constat præterea testaceis hujusmodi fragmentis corpora martyrum defricuisse tortores, ex Eusebio Cæsariensi, Socrate et Martyrologiis.

257. Vat. A scribit, *fracmenta*. Mar. male pro div. script., *testarum præbet*.

258. Hailsbr. scribit *herta*. Mar., *ungulis*; supra recenti manu pro div. lect., *angulis*, quod verum est.

259. *Acuminare* verbum est Plinii et Lactantii.

260. Tornæs., nonnulli Weitziani, *jacenti*. Rott., Gis. ad oram, *sternere*. Conjicit Heinsius *jacentis sternier*. Sed non male procedit lectio vulgata.

261. Cellarius ait interpretes non attigisse hunc locum, quia aliquid dissonum est in sententia, nisi forte legendum, *Totum cubile spiculis Armant dolores anxios.* At Prudentius videtur, metonymia usus, ponere *dolores anxii* pro fragmentis ipsis testularum, quibus dolores anxii efficiuntur.

263. Prag. mendose, *insomno*. Widm. supra, Prag., *subtus latus*.

266. Vat. B, Rat., Mar. supra, Weitz., *meditator*. Melius *meditatus*.

267. Weitz. cum. Egm., Hailsbr., *Beelzibulis*. Widm., *Beelzeb.* Alex. a prima manu, *Belzebolis*. Vide comment. ad vers. 78 hymni 12 Cath. ubi dixi Drusium præferre *Belzebulis*.

268. Weitz. scribere maluit *comenta* cum Hailsbr. Glossa a vero longe aberrat, nam *commentus* est præteritum verbi *comminiscor*. Præterea *commentor* facit *commentatus*.

269. *Carceralis*, *carcereus*, vocabula sunt vix ab antiquioribus Prudentio usitata.

270. Ald., Vat. A a prima manu, Weitz., Hailsbr., Widm., Gifanius ex vet. lib., in *fulgere* legunt *fulgorat*.

271. *Morsus stipitis* non sunt ligni foramina, quasi lignum plantas morderet, sed est morsus ille quo

1005 Ruptis cavernis dissilit.
Agnoscit hic Vincentius
Adesse, quod speraverat;
Tanti laboris præmium,
Christum datorem luminis.
Cernit deinde, fragmina
Jam testularum mollibus
Vestire se net floribus,
Redolente nectar carcere.
Quin et frequentes angeli
Stant ac loquuntur cominus;
Quorum unus ore augustior
Compellat his dictis virum.
Exsurge, martyr inclyte,
Exsurge securus tui,
Exsurge, et almis cœtibus
Noster sodalis addere.
Decursa jam satis tibi
Pœnæ minacis munia,
Pulchroque mortis exitu
Omnis peracta est passio.
1006 O miles invictissime,
Fortissimorum fortior,
Jam te ipsa sæva, et aspera
Tormenta victorem tremunt.
Spectator hæc Christus Deus
A Compensat ævo interminο,
Propriæque collegam crucis
Larga coronat dextera.
Pone hoc caducum vasculum,
Compage textum terrea,
Quod dissipatum solvitur,
Et liber in cœlum veni.
Hæc ille, sed clausas fores
Interna rumpunt lumina,
Tenuisque per rimas nitor
Lucis latentis proditur.
Hoc cum stuperet territus
Obsessor atri liminis,
1007 Quem cura pernox manserat
Servare feralem domum:
B Psallentis audit insuper
Prædulce carmen martyris,
Cui vocis instar æmulæ
Conclave reddit concavum.
Pavens deinde introspicit,
Admota quantum postibus
Acies per arctas cardinum
Intrare juncturas potest.
Vernare multis floribus
Stramenta testarum videt,

GLOSSÆ VETERES.

273. Hic, *tunc*, I.
280. Nectar, *omnem suavitatem*, I.
282. Cominus, *prope*, I.
283. Augustior, *excellentior*, *nobilior*, I.
284. Compellat, *nominat*, I.
290. Munia, *ministeria*, *vel officia*, I.
298. Compensat, *retributionem reddit*. — Interminο, *interminato*, *infinito*, Iso.
299. Collegam, *collega: lego, legas, legatione fungor: inde collega, qui simul legatione fungitur; et collega, socius crucis. Potest appellari omnis passio* C *quæ in martyribus potest inferri*, I.
301. Pone, *pro depone*, I.
305. Hæc ille, *aiebat angelus*, I.
309. Hoc, *tamen*, I.
310. Obsessor, *custos*, I.
312. Feralem, *asperam*, I.
314. Prædulce *valde dulce*, I.
315. Æmulæ, *imitatricis*, Iso.
316. Reddit, *imitatrix per echo respondit*; *nam æmula vox imitatrix dicitur*, Iso.
318. Admota, *adjuncta*, I.

COMMENTARIUS.

duo ligna compedis incastrantur. Ducangius docet apud scriptores infimæ ætatis præsertim *puncta* dici ea quæ in singularum linearum initio et fine describuntur, vel subula punguntur, intra quæ exarantur ipsarum linearum ductus quos sulcos vocant, quod maxime in codicibus e pergamenis confectis observatum. Id Ducangius verbis Isonis in glossa confirmat.

272. Giselinus in suo ms. et editione Daventriensi invenit *ruptis catenis*, et intelligit ferrea vincula quibus ligna ἡμικυκλικῶς certis locis excavata committebantur, arcteque vinciebantur, adeoque existimat sententiæ auctoris magis convenire *catenis* quam *cavernis*; sed ad marg. apposuit *catenis*. Foramina ipsa cippi intelliguntur esse cavernæ, si *cavernis* legatur, ut habent plerique.

273. Rat. contra metrum, *agnoscit tunc*.

279. Widm., *vestiri*, perperam.

280. Nebrissa ait *nectar* poni pro ambrosia, *quæ divinum spirat odorem*, Verum etiam *nectar* divinum spirat odorem. Vide comment. ad vers. 388 hymni 2 Peristephanon.

284. Egm., Hailsbr., *hic*: lege *his*.

289. Ald. mendose, *decussa jam*.

294. Ald., Torn., Gall., *Fortissimisque fortior*. Vera lectio *Fortissimorum fortior*, de qua loquendi ratione dictum ad vers. 77 hymni 12 Cath. In Rat. recens corrector, abrasis prioribus, scripserat *Et fortium fortissime*.

299. Ald., *proprieque*, minus recte. In glossa forte legendum *collega crucis socius crucis*. *Crux potest appellari*.

301. Abest *hoc* a Rat. et Mar., quod tamen addi necesse est. *Vas* pro corpore mire et nove a Lucretio, et hoc loco venustissime a Prudentio dictum, observat Gifanius: de quo nos plura alibi. Prudentius in conclusione operum vers. 26, *Ut obsoletum vasculum caducis Christus aptat usibus*.

304. Animas ab omni labe puras statim post obitum in cœlum abire, rursus fatetur Prudentius.

308. Hailsbr., *proditor*, quod Heinsio non displiceret, si alii codices assentirentur. Melius tamen est *proditur*, quod in plerisque codd. legitur.

310. In Rat. videtur fuisse *luminis*; sed recte factum est *liminis*.

D 313. Psalmos hymnosque sacros inter tormenta sæpe martyres concinebant. Vide Romanum vers. 837 et seq., et Agnem vers. 53 et seq.

315. *Instar* loco nominis ponitur.

316. *Conclave* pro cubiculo secretiori Terentius et Plautus posuerunt.

318. Heumannus in Pœcil. tom. II, lib. III, pag. 364, monet legendum *admota* pro *admonita*. At *admota*, ut observat Gallandius, jam legebatur: neque ego scio quis legerit *admonita*.

321. Chamillardus *vernare* exponit *splendere*, sicut Plinius lib. VIII, cap. 27, ait de angue, *Nitidusque vernat*. Melius tamen propria significatione tam apud Plinium quam apud Prudentium *vernare* accipietur pro *novo quasi vere renidere, et pullulare*.

Ipsumque vulsis nexibus
Obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
Prætoris hoc miraculo :
Flet victus, et volvit gemens
Iram, dolorem, dedecus.
Exemptus, inquit, carceri,
Paulum benignis fotibus
1008 Recreetur, ut pastum novum
Pœnis refectus præbeat.
Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præfultum torum,
Siccare cruda vulnera.
Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis :
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique vestem linteam
1009 Stillante tingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.
Tunc ipse manceps carceris,
Et vinculorum janitor,
Ut fert vetustas conscia,
Repente Christum credidit.
Hic obseratis vectibus
Densæ specum caliginis
Splendore lucis advenæ
Micuisse clausum viderat.
At vero postquam lectuli
Martyr quietem contigit :
Æger morarum tædio,
Et mortis incensus siti :
Si mors habenda ejusmodi est,
1010 Quæ corporali ergastulo

GLOSSÆ VETERES.

327. Volvit, *cogitat*, I.
330. Benignis fotibus, *blandis, mitibus nutrimentis*, I.
334. Cerneres, *si adesses*, I.
335. Præfultum, *stratum*, I.
336. Siccare, *tergere*, I.
341. Linteam, *ad reliquias faciendas*, I.
343. Tutamen, *firmamentum, protectionem*, I.
345. Manceps, *custos, manu capiens; manceps, qui mancipat, et qui mancipatur, servus inde emancipatus liber a servitio nec mancipi, id est, liber, indeclinabile*, I.

COMMENTARIUS.

329. Duo Heinsiani cum Thuan., Vat. Q, Alex. recentiores, *exemptus carceri*; alii, *carcere*.

333. Cellarius *ex oppido* interpretatur *Saguntum*. At certum est ex Actis esse Valentiam. Hymn. 1 Per Calagurris dicta est *oppidum*, et quævis urbs recte oppidum dicitur. Cod. Theod., leg. 2 de Monachis, civitas et oppidum pro eodem ponuntur. Diaconi præcipue ad visitandos martyres in carceribus detentos videntur fuisse destinati. Sed dubium non est quin alii etiam Christiani viri et feminæ id fecerint, ut ex historiis Actisque martyrum liquet.

335. Gis., *perfultum*; alii, *præfultum*. Giselinus et Chamillardus explicant durum et asperum quomodo solent esse distenta et farta : a quibus longe dissentio. Nam cum fulcrum sumatur pro lecto, quod fulcris lectus erigatur et fulciatur, et fulcrum dictum sit a *fultum*, hinc præfultum torum vocat ab ipsis fulcris, quasi bene erectum et fultum. In sermone S. Leandri, de quo supra : *Jubet invida mens, lenioris strati fulcra substitui*.

337. Duplices sulci dicuntur, quia ungulis bisulcis excarnificatus martyr fuerat. Vide hymn. 1 Per., vers. 44.

338. Notanda est consuetudo veterum Christianorum, qui catenas et vulnera martyrum religiose deosculabantur. Tertullianus lib. II ad Uxorem : *Quis* (paganus) *ad osculanda vincula martyris reptare* (uxorem Christianam) *patietur?* Confer Martyrologium Adonis nonis Junii, VI idus Septembris, et Martyrologium Romanum IX cal. Julii. Constantinum cicatricibus eorum qui Christum confessi fuerant et tormenta subierant, labra admovisse refert Theodoretus lib. I, cap. 2. Optatus lib. I contra Parmenianum ad hanc consuetudinem respicere videtur : *Os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur :* quod ait de Lucilla Donatistarum patrona.

341. Ald., Gis., *lineam*; potiores, *linteam*. Mirabile fuit veterum Christianorum studium in reliquiis martyrum conservandis, præsertim in sanguine colligendo, quod a nemine clarius quam a Prudentio descriptum est : cui aperte concinunt Acta : *Videres circumstantium frequentiam sancti vestigia certatim deosculando prolambere, vulnera totius laceri corporis pia curiositate palpare, sanguinem linteis excipere, sacra veneratione posteris profuturum*. Hæretici, qui venerationem sacrarum reliquiarum insectantur, vellem, adverterent, hæc ipsa Acta in ecclesia S. Augustini tempore legi consuevisse, et sæpius a S. Augustino laudari.

345. Chamillardus *mancipem* intelligit præfectum carceris, ut in cod. Theod. dicitur manceps thermarum, manceps salinarum; quin necessarium sit ut manceps carceris illi ministerio fuerit mancipatus, quod vult Nebrissensis. Proprie autem manceps est qui manu capit. Turnebus Adversar. lib. I, cap. 13, *mancipem* in Prudentio explicat custodem carceris, quem *optionem carceris* ab Ambrosio appellari observat.

347. Hic etiam Prudentius *vetustatem consciam* appellat ut in hymno octodecim martyrum, vers. 164, *priscam vetustatem*. Atqui sæculo IV res isthæc accidit.

348. Prag., *Christo*. Alex., *reddidit*; supra, *credidit*, quod retineri debet.

350. Rat., Vat. B a prima manu, *densum*. Mar., *densæ*, sed *sæ* factum, abrasis prioribus litteris.

354. Mar., *contulit*; ad marg., *contigit*, cum aliis. Nebrissensis *quietem* explicat, quia obdormivit paululum. Acta ita habent : *Delatus namque Dei martyr ad lectulum, ac piis sanctorum manibus in strati mollitie repositus, mox pretiosam resolutus in mortem cælo spiritum reddidit*.

356. Gis. 1 ed., *est mortis*; in 2 ed., *et mortis*, sed emendavit *est mortis*, quod non displicet. Alii plerique *et*, ut suspendatur oratio usque ad vers. 367. Et tunc *victor spiritus* est oppositio : quasi dicatur, Vincentius, hoc est victor ejus spiritus cœlum capessit.

357. Ald., Weitz., Gis. in contextu, *hujusmodi*. Plerique, *ejusmodi*.

358. S. Fulgentius in sermone de S. Stephano : *Hodie miles egressus est de ergastulo carnis*. Cum ergastulum sit pœnarum locus in quo vincti operantur, belle id corpori convenire observat Chamillardus, cui tamen barbarum et insolens verbum videtur *corporalis*. At Seneca ep. 58 et 78 non semel eo usus est, etiam composito *incorporalis*.

Mentem resolvit liberam,
Et reddit auctori Deo :
Mentem piatam sanguine,
Mortis lavacris erutam,
Quæ semet, ac vitam suam
Christo immolandam præbuit :
Ergo, ut recline mollibus
Rejecit aulæis caput,
Victor relictis artubus
Cœlum capessit spiritus :
Cui recta celso tramite
Reseratur ad Patrem via,
Quam fratre cæsus impio
Abel beatus scanderat.
Stipant euntem candidi
1011 Hinc inde sanctorum chori,
Parique missus carcere
Baptista Joannes vocat.
At Christiani nominis
Hostem coquebant irrita
Fellis venena, et lividum
Cor efferata exusserant.
Sævire inermem crederes
Fractis draconem dentibus.
Evasit exsultans, ait,
Rebellis, et palmam tulit?
Sed restat illud ultimum,
Inferre pœnam mortuo :
Feris cadaver tradere,
Canibusve carpendum dare.
Jam nunc et ossa exstinxero,
Ne sit sepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
1012 Titulumque figat martyris.

GLOSSÆ VETERES.

362. Erutam, *ablutam*, I.
366. Rejecit, *degit*. — Aulæis, *palliis lectuli : aulæa proprie ab aula Attali regis dicta proprie cortinæ; sed hic pro vestimentis lectuli ponitur*, I.
369. Tramite, *a transmittendo*, I.
373. Stipant, *circumstant*, I.
378. Irrita, *provocata*, I.
379. Lividum, *invidum*, I.
380. Efferata, *ferina*, I.
391. Gregalis, *collecta : plebs est rustica, et proprie gregales vel gregarii vocantur qui equitum greges proficiscentium in hostem minant*, I
392. Titulumque, *epitaphium, memoriam*. —Figat, *scribat*, I.

COMMENTARIUS.

363. Ald., Tornæs., Gis., et nonnulli vulg., *inclytam*. Egm., Pal., Ambr., Thuan, Altin., Oxon., Rott., *elutam*, quod tenent recentiores, etiam Ruinartius cum Heinsio; et id placebat Gallandio ob vocem *lavacris*, quamvis ediderit *inclytam*. Exstat etiam *elutam* in Vatt. A, P, Alex., ubi glossa *ablutam*, in Urb. *ablutam* in contextu. Weitz. cum nonnullis suis, Vatt. B et Q, Mar., Prag., Rat., *erutam*, et in Mar. supra *lavacris*, recentiori manu pro div. lect. *periclis*. Cum tot veterrimi sint codices pro *erutam*, et id metri lex postulare videatur, præfero *erutam*, nam *inclytam* in mss. non reperitur, et ex Aldi ingenio profluxisse jure existimat Heinsius. Quod si *elutam* legas, tunc secunda corripienda erit, et vel solius Prudentii auctoritate id fieri posse sustinebo. Posset conjici *elitam* ab *elino*, purgo, quod verbum Lucilio tribuitur.

365. Aldus ediderat *recline*, probe : correxit *reclive* : nihil erat necesse mutare. Vide comment. ad vers. 150 hymni 4 Cath., *Jaceat recline*.

366. Rat., Mar. a prisca manu, *redegit* : melius *rejecit*. In glossa legam *redegit*.

370. Vat. A, *servatur* : lege *reseratur*.

371. Prag., *cæsus ab impio*, non male.

375. Vat. A., et a secunda manu B, Mar. ad oram, Pal., omnes Heinsiani, et alii, *missum*. Ald., Weitz., Gis. cum multis mss., *missus*, quod mihi magis arridet. Cellarius et Teolius aiunt mss. habere *missum*, non *missus*. At mss. variant, et vett. edd. nobiscum faciunt.

383. Ald. male distinguit *exsultans ait Rebellis*.

390. Romani sceleratos homines morte affectos honore sepulcri privabant, eorumque corpora aut in Tiberim unco protrahebant, aut avibus et canibus discerpenda relinquebant. Christianos vero hac ignominia afficiebant, ne fideles ad eorum sepulcra confluerent. Eleganter Lactantius, libr. v, cap. 11, de crudelitate adversus Christianos : *Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem ferreis dentibus sævit, et non tantum artus hominum dissipat, sed et ossa ipsa comminuit, et in cineres furit, ne quis exstet sepulturæ locus. Quasi vero id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant?* Plura ex historiis et Martyrologiis congesta Gallonius et Sagittarius proferunt.

391. *Gregalis* de contubernalibus, aut sociis, præsertim vilibus hominibus, quasi per contemptum dici solet.

392. Vatt. A, P, Alex., Oxon., Alt., Thuan., duo Torrent., scripti Chauchiani, Heinsius, *fingat*. Ald., Vatt. B, Q, Mar., Weitz., Gis., *figat* : quod magis placet. Sermo est de sepulcri epitaphio, quod titulus dicebatur : et a titulo seu inscriptione sepulcrum ipsum dictum est titulus. Chamillardus affirmat Nebrissensem non intellexisse hunc locum, quia de epitaphio explicuit, et provocat ad vers. 45 hymni 12 Perist., *Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis*. Verum hoc ipso loco quid prohibet intelligi sepulcri inscriptionem, quæ poetice ponatur pro ipso sepulcro? Præterea ab inscriptione sepulcrum dictum est titulus, ut dixi, et poterit titulus pro epitaphio hic sumi, alibi pro sepulcro. Martinus Roa, de Die natali sacro et profano, cap. 21, de titulis erudite disserit. Ait vela olim ante aras fuisse posita, interdum pura, interdum picta, quæ tituli dicebantur : quæ cortinas regias appellavit Ambrosius ad Marcellinam scribens. Addit titulum etiam accipi pro ecclesia, quod in loco ubi erat erigenda, crux in titulum poneretur, et ita explicat Prudentii versum, *Titulumque figat martyris*, id est titulum in crucem statuat, ut sacer locus significetur ecclesiæ designatus. Sed redit iterum ad vela : nam hæc cum depictis martyrum imaginibus, aut sola nominis inscriptione tituli martyrum dicebantur. Conjectatur etiam ex Paulino, et consuetudine Romana etiamnum vigente, eos titulos pro foribus ecclesiæ collocari solitos. Nunc enim Romæ festus adhibetur ornatus, id est ramorum ac frondium serta, quæ *festones* vocant. In his orbes, aut quadra ex intervallo relicta, quibus tituli sive vela depictis sanctorum imaginibus includuntur. Paulinus : *Sanctaque præfixis obducant limina lamnis*. De quibus titulis Roa Prudentium accepit in Hippolyto vers. 183, *Ipsa, illas animæ exuvias quæ continet intus, Ædicula argento fulgurat ex solido*. Verum ut rem ad sua principia revocemus, a titulo sive epitaphio sepulcri, ut aiebam, nomen tituli translatum est ad sepulcrum, memoriam, confessionem, basilicam martyrum, ac. si vis,

1013 Sic frendit, et corpus sacrum
Profanus, ah! dirum nefas
Nudum, negato tegmine,
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames
Aut bestiarum, aut alitum
Audet tropæum gloriæ
Fœdare tactu squalido.
Quin si qua clangens improba
Circumvolaret eminus,
Trucis volucris impetu
Depulsa vertebat fugam.
Nam corvus, Eliæ datus
Olim, ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulo,
1014 Et irremotus excubat.
Hic ex frutetis proximis
Infestus alarum sono,
Oculosque pennis verberans,
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credera

A Ausit, rapacem belluam
Tauris paratam congredi,
Cessisse plumis mollibus?
Ibat malignum murmurans,
Levi volatu exterritus:
Prædamque visam fugerat
Custodis imbellis minis.
Quis audienti talia,
Datiane, tunc sensus tibi?
Quantis gementem spiculis
Figebat occultus dolor?
Cum te perempti corporis
Virtute victum cerneres,
Ipsis et impar ossibus,
Vacuisque jam membris minor?
B Sed quis, tyranne pertinax,
Hunc impotentem spiritum
1015 Determinabit exitus?
Nullusne te franget modus?
Nullus: nec unquam desinam.
Nam, si ferina immanitas

GLOSSÆ VETERES.

394. Ah! *interjectio*, I.
396. Exponit, *projecit.* — Carices, *carectum locus, ubi carices nascuntur; carix vero herba similis cirario crescens in locis palustribus; unde etiam carex herba vilissima similis cibaria; quæ lixa dicitur*, I.
401. Clangens, *ales canens*, I.
403. Impetu, *de*, I.
408. Excubat, *vigilat*, I.
410. Infestus, *non fessus*, I.
411. Oculosque, *scilicet lupi*, I.
412. Exegit, *pellit corvus*, I.
414. Ausit, *possit*, I.
417. Malignum, *adverbium*, I. *Maligne*, Mar.
423. Spiculis, *angustiis*, I.
424. Figebat, *perdurat*, I.
428. Vacuisque, *ab anima, id est mortuis*, I.
430. Hunc, *tuum*, I.
433. Nullus, *respondet ille*, I.
434. Immanitas, *feritas*, I.

COMMENTARIUS.

ad illa vela de quibus Roa disserit, et quibus, ut ego conjicio, imagines, quæ nunc al aribus imponuntur, originem debent suam. Consuetudo vero illa erigendi crucem in titulum antiquissima est, ut videri potest in notis Baronii ad Martyrologium Romanum, et in libro Sagittarii de martyr. Natal. cap. 3. Ac notandum sæpius occurrere phrasin *crucem figere*, ut in Prudentio, *Titulumque figat martyris:* adeoque probabile est Prudentium eam consuetudinem innuere. In Ecclesia Romana antonomastice tituli appellatio hæsit iis ecclesiis quæ cardinalibus in titulum conceduntur. Verisimile etiam est titulum qui pro quolibet sacerdote ordinando requiritur, inde traxisse nomen, quod olim plerumque non admitterentur ad sacros ordines, nisi alicui titulo, sive basilicæ, aut ecclesiæ addicti essent. Quod autem Roa aliique aiunt, quoties ecclesia olim esset erigenda, crucem erectam in titulum, id inde profluxisse opinor, quod cum primis temporibus ecclesiæ erigi consuevissent ubi titulus sive sepulcrum martyrum esset, postea erectæ etiam fuerunt ubi nullum erat hujusmodi sepulcrum, et crux erigebatur, quæ pro titulo esset. Mazochius ex cap. XXVIII Genes., vers. 18 originem repetit: *Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem superposuerat capiti suo, et erexit in titulum*, etc. Ait Mazochius titulum esse quemvis etiam mutum lapidem, modo ad transmittendam memoriam valeat.

393. Widm., *frendet;* supra, *frendit.*

394. Vat. A, *addirum.* Vat. B, *ac dirum.* Mar., Rat., *a dirum.* Alex., *adirum;* supra, *ah! dirum*, quod verum est.

397. Ambr., Thuan., Vat. A scribunt *famis;* alii, etiam veteres, *fames.*

400. Hailsbr., *tractu:* melius *tactu.*

401. Chamillardus ad solam aquilam id refert, C quia clangere proprie aquilarum est. Sed cum in Actis dicatur: *Cum adventantes aves reliquas, ac pernicibus metuendas alis quodam impetu eminus fugaret*, et aquilæ non nominentur, nihil prohibet quominus *si qua clangens* de quavis ave accipiatur. Et clangor non minus ad grues aliasque aves, quam ad aquilas referri potest, quamvis auctor carminis Philomelæ aquilis *clangorem* tribuat. Est enim *clango* verbum expressum ad similitudinem soni. Itaque *clangor* ab antiquis ascribitur fulicæ, accipitri, anseri, gruibus, passeri, phœnici, gallinis. Exempla exhibent lexicographi. Etiam de latratu canum clangor dicitur.

402. Alex., Ambr., Thuan., *circumvolarat*, quod Heinsio rectius videtur. Plerique *circumvolaret.*

404. Hailsbr., *fuga:* legendum *fugam.*

405. Vide lib. III Regum, cap. XVII.

406. Notat Teolius *portitor muneris* occurrere apud Arnobium, et *portitores* apud Sidonium: addere potuit Virgilium, Statium et alios qui ea voce utuntur.

D 407. Plerique Heinsiani, Vat. A., Hailsbr. a prima manu, Alex. et alii, *sedule*, quod minus obvium est quam *sedulo*. Ald., Mar., Weitz., et alii, *sedulo.* Egm. perperam, *sedulæ.*

408. *Irremotus* pro *non remotus* ex solo Prudentio a Forcellino recensetur.

410. Iso fortasse legit *infessus*, aut exposuit *non fessus.*

413. *Perfidi* pro infidelibus sumitur a scriptoribus ecclesiasticis, ut dictum est.

415. Virg. I Æn., *Impar congressus Achilli.* Catullus in Epithal., *Pugnare duobus.*

416. Vat. A corrupte, *cessisce.*

421. Ald. mendose, *audiendi.* Virgilius lib. IV Æneid., *Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus!*

432. Weitz cum suis, Rat., *frangit.*

Mansuescit, et clementia
Corvos voraces mitigat,
Mergam cadaver fluctibus:
Insana nunquam naufragis
Ignoscit unda, et spumeum
Nescit profundum parcere.
Aut semper illic mobilis
Incerta per ludibria
Vagis feretur flatibus,
Squamosa pascens agmina:
Aut sub fragosis rupibus
Scabri petrarum murices
1016 Inter recessus scrupeos
Discissa rumpent viscera.
Ecquis virorum strenue
Cymbam peritus pellere
Remo, rudente, et carbaso,
Secare qui pontum queas?
Rapias palustri e cespite
Corpus, quod intactum jacet,

A Levique vectum lembulo
Amplum per æquor auferas.
Sed complicatum sparteus
Claudat cadaver culleus.
Quem fune connexus lapis
Præceps in altum deprimat.
At tu per undas emices
Rorante præpes palmula,
1017 Donec relictum longius
Abscondat aspectus solum.
Hæc jussa quidam militum
(Eumorphio nomen fuit),
Violentus, audax, barbarus,
Furore fervens arripit.
Funale textum conserit,
B Suto quod implet corpore.
Emensus et multum freti
Inter procellas exuit.
O præpotens virtus Dei,
Virtus creatrix omnium:

GLOSSÆ VETERES.

439. Ignoscit, *mitescit, parcit*, I.
446. Scabri, *sævi*. — Murices, *Petrarum summitates*, I. — *Murices sunt summitates altissimæ petræ; aliter murex ponitur pro purpura*, Vat. A.
447. Recessus, *secreta*. — Scrupeos, *asperos, id est lapideos*, I.
450. Cymbam, *navis*, I.
455. Lembulo: *lembus navicula piratica, vel extrema pars inauratæ vestis*, I.
457. Sparteus, *spartus est frutex spinosa, vel juncus*, Mar. *De sparto follis, id est de palma; unde et sportulana: et Romani parricidas cum gallo, et simia, et serpente in culleum, id est in tergum bovis undique consutum in mare præcipitabant*, I.
458. Culleus, *fasciola assuta intrinsecus, culleus tunica ex sparto: spartus est frutex sine foliis ab asperitate vocatus; culleus saccus in quo rei inclusi mittebantur in mare*, I. *Culleus est corbis ex viminibus contexta, sive follis ex corio factus*, Mar.
461. Emices, *vadas, exibas*, I.
462. Præpes, *velox*. — Palmula, *remo*, I.
466. Nomen, *scilicet cui*, I.
467. Barbarus, *rusticus*, I.
469. Funale, *funerale*, I.
471. Emensus, *navigans*, I.

COMMENTARIUS.

437. Ammianus, lib. XXII, de Georgio et sociis sub Juliano: *Quo non contenta multitudo immanis dilaniata cadavera peremptorum camelis imposita vexit ad lacus: iisdemque subito igne crematis, cineres projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectis supremis, ædes illis exstruerentur, ut reliquis qui, deviare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur*. Rittershusius in comment. ad epist. Plinii de Christianis legit *vexit ad litus*, et *subdito igne*. Epiphanius hæresi 76 cineres Georgii in ventos dispersos narrat: negat autem inter martyres recipi debere, quia non ob Christiani nominis professionem, sed ob violentiam qua civitatem et populum oppresserat, a gentilibus fuerat peremptus. Erat autem Georgius episcopus Arianus intrusus, exturbato Athanasio.
441. Hailsbr., *mobile*, non male.
442. De motu in aqua Virgilius, lib. I Georg. vers. 369, *Aut summa nantes in aqua colludere plumas*. Idem Virgilius de agitatione ventorum lib. VI Æneid., *Foliis ne carmina manda, Ne turbata volent rapidis ludibria ventis*. Horatius, de Navi lib. I oda 14, *Ventis Debes ludibrium*.
443. Ald., Tornæs., et nonnulli vulg., *Austris feretur flatibus*, ex quo conjiciebat Canebius *Austris feretur flantibus*, vel *Austri feretur flatibus*. Plerique, *Vagis feretur flatibus*, nisi quod in Thuan., Gis. ad oram, et Fabr. est *fluctibus* pro *flatibus*.
445. Widm. vitiose, *aut suffragosis*.
447. Virgilius lib. VI, *Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu Scrupea*.
449. Ald., Mar. a prima manu, Weitz., *et quis*. C Eadem varietas alibi occurrit.
450. Mar., *paratus*, et loco glossæ, *peritus*. Plerique scribunt *cumbam*. Equidem nescio quo pacto scripserit Prudentius, et communior est scriptura *cymba*.
453. Widm., Mar., *palustri cespite*.
458. Uxoricidæ in Hispania post strangulationem, in vase ligneo cum gallo, angue, cane, fele inclusi in flumen projiciuntur, idque Hispanice dicitur *encubar*. Confer Hurtadum de Martyr. res. 35, digr. 2, qui id ita refert; sed, ut audio, gallus, anguis, canis, felis non vivi cum occisi rei corpore includuntur, sed solum supra culleum, sive dolium humanitatis simul, et infamiæ causa depinguntur. Fortasse temporum et locorum varia fuit, et est consuetudo. In Actis: *Insuatur, inquit, complicitum cadaver in culleo parricidæ*.
459. Weitz. cum Widm. et Hailsbr. scribere voluit *conexus*.
461. Virgilius lib. VI Æn., *Juvenum manus emicat ardens*.
D 462. Giselinus indicat *rotante* tanquam diversam lectionem pro *rorante*. Vat. A pro div. script. *præpes* pro *præceps*. Heinsius prætulit *præpes* cum Ambr., Thuan., Rott., tribus Torr., præsertim cum paulo ante *præceps* præcesserit. Certe sententiæ magis convenit *præpes*.
469. Mar., *funalem*, recte supra correctum per *funale*. Glossa Isonis ridicula est, quasi *funalis* sit a *funere*, et non potius a *fune*. De *texto* substantivo vide exempla apud Gifanium, et comment. ad vers. 16 hymni 10 Cathemerinon.
470. Vat. A, *suto*, cum aliis, sed supra pro div. lect., *sancto*. Prag., *scuto*, male.

Quæ turgidum quondam mare
Gradiente Christo straverat,
Ut terga calcans æquoris
Siccis mearet passibus,
Plantas nec undis tingeret
Vasti viator gurgitis.
Hæc ipsa virtus jusserat,
Rubrum salum dehiscere,
Patente dum fundo aridum
1018 Secura plebs iter legit.
Nec non et ipsa nunc jubet,
Servire sancto corpori
Pontum quietis lapsibus
Ad curva pronum littora.
Saxum molaris ponderis,
Ut spuma candens, innatat,
Tantique custos pignoris
Fiscella fertur fluctibus.
Cernunt stupentes navitæ,
Vectam remenso marmore,
A Labi retrorsum leniter
Æstu secundo, et flamine.
Certant et ipsi concito
Pontum phaselo scindere:
Longe sed artus prævolant
1019 Telluris ad mollem sinum.
Prius relatos denique
Humus quieta suscipit,
Quam pulsa summis nisibus
Carina portum tangeret.
Felix amœni littoris
Secessus ille, qui sacra
Fovens arenis viscera
Vicem sepulcri præbuit:
B Dum cura sanctorum pia
Deflens adornat aggerem,
Tumuloque corpus creditum
Vitæ reservat posteræ.
Sed mox subactis hostibus,

GLOSSÆ VETERES.

476. Straverat, *compescuerat*, I.
480. Vasti, *ampli*, I.
482. Dehiscere, *dividi*, I.
483. Dum, *usque dum*, I.
485. Ipsa, *virtus*, I.
491. Pignoris, *commendationis*, I.
494. Vectam, *scilicet fiscellam*.— Marmore, *mari*, I.
498. Phaselo scindere, *navi sulcare*, I.
501. Relatos, *artus*, I.
504. Carina, *ima navis*, I.

COMMENTARIUS.

475. Narrat id Matthæus cap. XIV.

478. Virgilius in fine lib. VII: *Celeres nec tingeret æquore plantas*.

483. Ald., Sich., et alii ante Giselinum contra metrum, *dum profundo aridum*. Vat. A, Hailsbr. a prima manu, *dum fundo crido*, quod non displicet. Hamartig. vers. 474, *Aruit et medio sitiens sub gurgite limus*. Vide comment. ad hunc versum.

484. Ald., Tornæs., Galland., Sich., *Secura plebs incesserit*. Mar. a prima manu, Rat. a prima manu, Vat. B, Alex., nonnulli Heinsiani, Weitz., Hailsbr. supra, *iter terit*, quod etiam invenit Giselinus in quodam codice emendatissime exarato canonicorum B. Catharinæ Noviomagensium. Ipse præfert *iter legit* cum suo ms., et alio Buslidiensi, utpote mollius et poeticum magis. Thuan., *Secunda plebs iter legit*. Unus Torr., *Secura plebs iter terat*; Rat., *iter gerat*. Mar. a secunda manu, Egm., Pal., Vat. A, *iter gerit*. Rat. aliena manu, *iter tulit*. Plerique recentiores cum Giselino, *iter legit*.

485. Vat. A pro div. script., *et ipse*. De S. Quirino in ejus hymno eadem fere commemorantur.

487. Prag., Vat. Q, Urb., *passibus*. Alex. cum aliis, *lapsibus*; supra, *cursibus*.

490. Vat. A, *spuma cadens*, male.

494. Virgilius lib. II Æn., *Pelagoque remenso*. Pro mari *marmor* apud Virgilium, aliosque passim.

496. Æstus maris hic intelligi potest pro agitatione ex vento orta, et non pro fluxu, ut hic refluxui opponitur. Nebrissa de fluxu id accepit, quod, ut opinor, voluit Teolius, qui tamen scripsit, *Undarum refluxu sequente, et vento*. Chamillardus sententiam viri peritissimi et, ut ait, mathematicorum facile principis, profert, qui putabat in profundo maris fieri eodem modo quo in corporibus febriculosorum, fermentationem cujusdam materiæ, qua fermentatione inflatur mare ut massa dum fermentescit. Addebat æstus periodos non esse magis supra captum intelligentiamque nostram, quam periodos febris tertianæ aut quartanæ.

501. Vat. A, *delatos*: corrige *relatos*.

506. Mar. a prima manu, *successus*, sed factum cum plerisque *secessus*. Aldus et nonnulli vulg., *recessus*.

509. Widm., Mar., *tum cura*. Victorius, Dissert. philolog., pag. 16, hinc ostendit difficultatem quæ persecutionum tempore erat sepeliendi corpora SS. martyrum, adducitque hæc verba ex epitaphio S. C Alexandri martyris sub Antonino Pio: *O tempora infausta, quibus inter sacra et vota ne in cavernis quidem salvari possimus. Quid miserius vita? Sed quid miserius in morte, cum ab amicis et parentibus sepeliri nequeant?* Vide Aringhum Rom. subterr. lib. I, cap. 3 et seqq., ubi certiora ad eam difficultatem confirmandam invenies monumenta: nam inscriptionem S. Alexandri non esse confictam frustra nonnulli laborant persuadere. Pietas vero Christianorum in corporibus defunctorum, etiam non martyrum, sepeliendis insignis erat, ut ex hymno Exsequiarum liquet; neque ethnicis ignota: eam enim laudat Julianus Apostata, etiam cum impiam religionem Christianam vocat, epist. 49 ad Arsacium pontificem: *Convertamus oculos ad ea quibus impia Christianorum religio creverit, id est, ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis præstitam, et ad sanctimoniam vitæ quam simulant.*

512. Horatius, lib. III, oda 30, dixit *laudem posteram*. Nebrissa vitam posteram intelligit diem judicii D satis apposite, quod confirmari potest hymn. S. Fructuosi vers. 136, *Sed ne relliquias resuscitandas, Et mox cum Domino simul futuras, Discretis loca dividant sepulcris*, etc. Sed fortasse Prudentius intelligit corpus S. Vincentii a fidelibus fuisse reservatum posteris, sive in posterorum beneficium. Sic ante vers 343, de ejusdem martyris cruore: *Tutamen ut sacrum suis Domi reservent posteris*.

513. Steph. Antonius Morcellus, in elegantibus et pereruditis commentariis ad calendarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, tom. I, pag. 134 et seq., his versibus confirmare nititur veterem fuisse consuetudinem, quod olim Christiani solemnem martyrum cultum a translatione maxime auspicati fuerint: Quippe putat apud nostrates idem plane fuisse *levare corpora martyrum*, atque honores cœlestes martyri-

1020 Jam pace justis reddita,
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.
Subjecta nam sacrario,
Imamque ad aram condita,
Cœlestis auram muneris
1021 Perfusa subtus hauriunt.
Sic corpus : ast ipsum Dei
Sedes receptum continet,
Cum Machabæis fratribus,
Sectoque Isaiæ proximum.
Simplex sed illis contigit
Corona pœnarum : quibus
Finem malorum præstitit
Mortis supremus exitus.
Quid tale sector ausus est?
Truncata numquid corporis
1022 Segmenta post serram feris
Objecit, aut undis dedit?
Num Machabæi martyris
Linguam tyrannus erutam,
Raptamve pellem verticis

GLOSSÆ VETERES.

515. Altar, *recessus*, I.
517. Subjecta, *membra*, I.
519. Auram, *gratiam*, I.
520. Perfusa, *scilicet cœlesti gratia*, I.
521. Corpus, *locus*, I.
525. Illis, *Machabæis*, I.
527. Malorum, *laborum*, I.
528. Supremus, *novissimus*, I.
529. Sector, *Isaiæ*, I.
531. Segmenta, *partes : proprie sunt vestes muliebres, sed non in hoc loco*, I., Vat. A.

COMMENTARIUS.

bus rite decernere. Advertit sic a Prudentio utramque sepulturam memorari, ut priore justa mortuo persoluta, posteriore summum honorem martyri habitum facile intelligatur. Quam interpretationem libens exposui, ut eam teneant quibus probetur : acute enim excogitata ea est. Sed Prudentius nihil, ut puto, aliud vult, nisi S. Vincentio non potuisse honorificum erigi altare persecutionis tempore, quod, pace reddita, erectum fuerit : cum interea eum Christiani pro martyre haberent et colerent, cujus reliquias, etiam dum viveret, reservarunt, ut suis posteris essent tutamen. In Actis id luculenter expressum est : *Itaque propter gentilium furorem non valentes eum digno venerationis tumulare cultu, ad quamdam parvulam detulerunt basilicam sepeliendum. Tandem autem cessante perfidorum crudelitate, ac fidelium crescente devotione, beatissimus martyr ad sepulturæ honorificentiam inde levatus, digna cum reverentia deportatur, et sub sacro altari extra muros ejusdem civitatis Valentiæ ad quietem reponitur.* In actis S. Saturnini : *Tumulariam* (al. *tumultuariam*) *eo tempore meruit sepulturam*, scilicet propter furorem gentilium. S. Valerium, qui non diu post S. Vincentium obiit, templum S. Vincentii sui diaconi nomine erigi in oppidulo Aneto curasse lectiones officii proprii Hispanici referunt : quod monumentis antiquis non confirmatur.

515. Rat., *quietam*, sed correctum *quietem*. Ald., *debitum*, videlicet *altar debitum*. Giselinus ita ediderat, sed correxit *debitam*, quod habent codd. vetustiores nostri et Heinsiani.

517. Chamillardus ait Prudentium accepisse *sacrarium* pro pastophorio seu secretario, nempe illa templi parte ubi sacra reponuntur, et ubi sunt sancta sanctorum. Sed cum sacrarium significet etiam altare, de altari potius id accipio, de quo paulo ante Prudentius, et cui ossa SS. martyrum subjici, testatur in fine Eulaliæ et octodecim martyrum Cæsaraugustanorum.

518. Vatt. A, B, Mar., Rat., Prag., *jam jamque ad aram*. Melius *imamque ad aram*. Alex. a prima manu, *imamque ad oram*, minus apposite. Videtur innuere Prudentius distinctionem inter aram et altare, et corpora sanctorum fuisse condita sub altari, et non sub ara, sed ad aram subter humum. Vide comment. ad vers. 170 Passionis Hippolyti.

519. Nebrissensis, Chamillardus, Cellarius explicant ossa martyrum integra manere conservata divino munere. Teolius multo melius intelligit de sacramento eucharistiæ, quod in altari et super ossa martyrum peragebatur. Vide comment. ad hymn. S. Eulaliæ vers. 213. Existimo etiam Prudentium alludere ad foramen vel foramina quæ in superiore parte sepulcrorum SS. martyrum aperiebantur, per quæ oraria, nardus, et oleum immittebantur, ut per contactum tumuli virtus miraculorum manifestior redderetur : quasi vellet Prudentius eam virtutem e cœlestis muneris, sive eucharistiæ aura effluere. S. Paulinus in fragm. Natalis incerti, sive 9 : *Et licet a veteri tumulis abscondita ævo, Viva tamen, vegetante Deo, membrisque superstes Gratia divinum spirantia martyris ossa Clarificat populis, merito vivente sepulti*; et Natali 13, de sepulcro S. Felicis : *Ista superficies tabulæ gemino patet ore, Præbens infusæ subjecta foramina nardo. Quæ cineris sancti veniens a sede reposta Sanctificat medicans arcana spiritus aura.* In hymno S. Hippolyti de ejus sepulcro, *Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.*

520. Ald., Gis., *subter*. Weitz. cum plerisque mss., *subtus*. Cellarius ad vocem Perfusa allegat vers. 131 Fructuosi, *Et perfusa mero leguntur ossa :* quod jam indicaverat Barthius lib. LXI, cap. 9 Adv. At in eo hymno sermo est de ossibus nondum sepultis : nunc de ossibus sacrario subjectis.

523. Lib. II Machab., cap. VII, historia, et mors septem horum fratrum describitur qui Machabæi dicti sunt, quod in eo libro narratio de eorum tormentis et obitu contineatur. Confer in Romano vers. 751 et seqq.

524. Alex. scribit *Esaiæ* cum Weitzio et aliis. Ald., Gis. prima ed., Fabr., *secto* sine *que*. Isaiam prophetam serra lignea dissectum fuisse, constantissima est Judæorum traditio, quæ pluribus auctoritatibus Justini, Origenis, Lactantii, Basilii, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, et aliorum Patrum confirmatur. Adisis interpretes ad vers. 37 cap. XI. Epist. Apostoli ad Hebræos : *Lapidati sunt, secti sunt*, etc. Hoc notatur discrimen inter proximum et vicinum, quod proximus is dicitur quo nemo est vicinior, vicinus vero potest non esse proximus, si alius sit vicinior. Plautus, Terentius, Cicero, et alii eleganter conjungunt *vicinus proximus*; potest enim aliquis esse proximus, et non vicinus, ut apud Virgilium lib. V, *Proximus huic, longo sed proximus intervallo.* Interdum hoc discrimen non observatur, et *proximus* ponitur pro vicino proximo.

525. Ald. vitiose, *contingit*.

532. Giselinus ait receptam scripturam esse *aut vinclis dedit*, sed non sine gravi mendo : fortasse ita erat in editione Daventriensi, quam non vidimus : ita certe est in Sich. et Fabr., sed in Aldo clare legitur *aut undis dedit*.

533. Ald., Gis. prima ed., *nam* pro *num*. Weitzius pro *nam* citat Fabricium, qui tamen legit *num*. Id unice verum est.

535. Widm. supra, Gis. ad oram, *ruptamve*. Melius *raptamve*. Pellis *rapta* proprie est viventi adlu

Avibus cruentis obtulit?
Tu solus, o bis inclyte,
Solus brabii duplicis
Palmam tulisti: tu duas
Simul parasti laureas.
In morte victor aspera.
Tum deinde post mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore.
Adesto nunc, et percipe
1023 Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris.
Per te, per illum carcerem,
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, ungulas,
Per carceralem stipitem,
Per fragmen illud testeum,
Quo parta crevit gloria,
Per quem trementes posteri
Exosculamur, lectulum:
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si rite solemnem diem
1024 Veneramur ore et pectore,
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur:
Paulisper huc illabere,
Christi favorem deferens,
Sensus gravati ut sentiant
Levamen indulgentiæ
Sic nulla jam restet mora,
Quin excitatam nobilis
Carnem resumat spiritu,
Virtute perfunctam pari.
Ut, quæ laborum particeps

GLOSSÆ VETERES

538. Brabii, *muneris vel mercedis*, I.
540. Laureas, *coronas, vel victorias; laurus enim pro corona ponitur*, I.
541. Victor, *scilicet tu*,
552. Stipitem, *per nervum, cippum*, I.
553. Testeum, *testæ enim confringebantur subtus martyrem, ut durius jaceret*, I.
554. Parta, *syncope*, I.
561. Diem, *suum diem*, I.
562. Ore et pectore, *laude et voto*, I.
566. Favorem, *auxilium*, I.
572. Perfunctam, *servitutem*, I.
573. Quæ, *caro*, I.

COMMENTARIUS.

detracta, ut apud Senecam, *Fibra vivis rapta pectoribus*; apud Virgilium, *Viscera vivis eripuit*. Vide Brissonium de Formulis pag. 23, qui plura veterum exempla profert, et monet ideo rapi exta, ut exspirantia adhuc et palpitantia consuli possent.

537. In nonnullis vulg. irrepsit error *obis* pro *o bis*: ansam dedit Aldus, qui aut sic edidit, aut non satis clare divisit. Nebrissensis jam legit *o bis*, et legerant etiam alii ante Barthium, qui hujus correctionis ignarus aliam aggressus est lib. LXI, cap. 9 Advers. Sic ergo legit: *Solus tu obis bis inclyte*. Lectio codicum retinenda est.

538. *Brabium* est victoriæ præmium. *Braveium* malunt recentiores, et Chamillardus ait corrupte dici *bravium*: ita tamen in vulgata legitur, neque tam corrupte quam videtur Chamillardo. Alii scribunt *brabeum*, alii *bravium*, sed a Græcis, a quibus ad ecclesiasticos scriptores ea vox devenit, scribitur *βραβεῖον*.

544. *Latronem* intelligo Datianum potius quam dæmonem, ut nonnulli interpretantur. In hymno octodecim martyrum, vers. 186, *Ambo confessi Dominum steterunt Acriter contra fremitum latronum*.]

548. Cellarius opponit, soli Christo id convenire. Verum doctrina de intercessione sanctorum non a grammaticis, non a Cellario ejusque gregalibus petenda est, sed a Prudentio ejusque æqualibus SS. Patribus, qui uno omnes ore ita loquuntur.

549. Precandi formula poetis oratoribusque valde familiaris.

552. Gifanius verbo ROBUR putat carceris stipitem a Prudentio vocari eculeum. Sed ex epitheto *carceralis*, et ordine narrandi supplicia constat, carceralem stipitem esse lignum vel cippum, ut ait glossa, cui pedes fuerunt inserti. Vide supra comment. ad ver. 251.

555. Heinsius cum Ald., Oxon., Sich., *per quem*: quod a Weitzio non debuisse mutari, definit Heinsius. At Weitzius fidem potiorum codicum secutus est: nam legunt *et quem* Vatt. A, B, P, Q, Alex., Mar., Rat., Prag., aliique; neque Heinsius codicem ullum ms. allegat, excepto Oxonio. Elegantius tamen est *per quem*, magisque superioribus cohærens.

556. Lectulum in quo S. Vincentius jacuit, religionis causa conservatum fuisse, non leve argumentum est curæ veterum Christianorum in reliquiis martyrum comparandis et caute custodiendis. Ex quo facile respondetur quærentibus qui fieri potuit ut tot et ex tam priscis temporibus reliquiæ martyrum ad nos continua successione devenerint.

561. Formula similis precandi apud Græcos Latinosque sæpe occurrit. Terentius in prolog. Hecyr., *Si nunquam avare statui pretium arti meæ..... Sinite impetrare me.*

562. Breviar. Moz., *veneremur*: lege *veneramur*, ut postea *sternimur*.

563. Vat. A, Mar., Rat., Weitz., *gaudia*. Plerique, etiam veteres, *gaudio*.

565. Fabr., Sich., Gis., *huc tu illabere*. Concinnius Aldus et mss., *huc illabere*.

567. Vat. B, Rat., Mar., a prima manu, et nonnulli apud Weitz., *sensu*.

568. Mar. pro div. script., *solamen indulgentiæ*.

569. Mar., Rat., Weitz. cum suis, *restat*. Ald., Gis., et plerique scripti, *restet*, quod probum est. Nam particula *sic*, cum post preces ponitur, optativum modum importat. Idem Prudentius in Hippolyto, postquam Valerianum episcopum rogaverat ut festum Hippolyti diem in sua diœcesi celebraret, vers. 239 et seqq. ait: *Sic te pro populo, cujus tibi credita vita est Orantem Christus audiat omnipotens*. Ac vide felicissimam poetæ veniam, et nota quid Valeriano optet, quid Vincentio. Nam ex unione corporis cum anima in die judicii completam hominis gloriam consurgere certum est, et ipsi animæ gloria aliqua accidentalis, ut theologi loquuntur, in resurrectione corporis accedet. Mariettus, qui in suo codice legerat *restat*, colligebat Prudentium in ea fuisse opinione, in qua multi alii Patres, adventum Domini et diem extremi judicii proximum esse.

570. Breviar. Moz., *cum excitatam*.

571. Pragensis trajicit hos versus, primum ponit *Virtute*, tum *Carnem*.

572. Nonnulli vulg. male, *perfuncta*.

573. De resurrectione corporis vide hymnum Ex-

Commune discrimen tulit,
Sit et cohæres gloriæ
Cunctis in ævum sæculis.

VI HYMNUS.

BEATISSIMORUM MARTYRUM FRUCTUOSI EPISCOPI ECCLESIÆ TARRACONENSIS, ET AUGURII, EULOGII QUE DIACONORUM.

1025 Felix Tarraco, Fructuose, vestris
1026 Attollit caput ignibus coruscum
Levitis geminis procul relucens.
Hispanos Deus aspicit benignus,
Arcem quandoquidem potens Iberam
Trino martyre Trinitas coronat.
Ardens Augurius capessit æthram:
Nec non Eulogius simul supernum
Christi lucidus ad sedile tendit.
Dux et prævius, et magister illis
Ad tantum decus ex episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat.
Accitus quia præsidis repente
Jussu venerat ad forum sacerdos
Levitis comitantibus duobus.
Inde ad carceream viros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat:
1027 Gaudet currere Fructuosus ultro.
Ac ne quis socios timor feriret,

GLOSSÆ VETERES.

574. Tulit, *passa est*, I.
1. Tarraco, *civitas*. — Fructuose, *vocativus*, I.
5. Quandoquidem, *quia*, *quoniam*, I.
7. Æthram, *cœlum*, I.
8. Superbum, *nobile*, I.
10. Prævius, *ostendens viam*, I.
13. Accitus, *vocatus*, I.
14. Forum, *concilium : pro loco judiciali posuit*, I.
18. Ultro, *sponte*, I.
19. Quis, *aliquis*, I.

COMMENTARIUS.

sequiarum. Post hunc S. Vincentii hymnum in Vat. A sequitur hymnus in honorem decem et octo martyrum Cæsaraugustanorum, in Vat. B. Passio S. Laurentii.

Inscriptio desumpta est ex Mar. et Rat., in quibus hic hymnus ponitur post hymnum S. Eulaliæ. In Vat. A *Hymnus in honore beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi, Augorii, et Eulogii* : ubi ponitur post hymnum octodecim martyrum. Aldus, *Ode in laudem beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi Ecclesiæ Terraconensis, et Augurii, et Eulogii diaconi*. Aldus scribit *Terraconensis*, et mox vers. 1, *Terraco*. Heinsius, *Hymnus in honorem beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi Ecclesiæ Tarraconensis, et Augurii, et Eulogii diaconorum*, et notat pro *Augurio* in Ambr. legi *Augorii*, in Ox. *Aucorii*. Weitzius nobiscum fere facit. In Alex., post passionem Agnetis, *Finit Passio Agnetis. Incipit hymnus in honorem*, etc., ut in Heinsio. Parrhasius, *Hymnus in laudem beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi Tarraconensis, et Eugorii, et Eulogii diaconorum*. Et deinde etiam scribit *Eugorius*; sed in emendatis ait quosdam legere *Augori*. Heinsius monet in martyrologiis XII cal. Septembr. celebrari natalem SS. Julii, Juliani, Vincentii, Auguri, et Eulodi ex codice vetustissimo, teste Holstenio in adnotationibus ad eum locum. Verum hi diversi videntur esse a S. Fructuoso et sociis, quorum festum agitur die 21 Januarii. Acta ad eum diem a Bollandianis exscripta pro authenticis habuit Ruinartius, et S. Augustini Prudentiique auctoritate confirmavit. Ruinartius ea edidit aliquanto auctiora ex codd. mss. Neque alia sunt martyrum Hispanorum antiquiora aut sinceriora Acta. Martyrium eorum refertur ad ann. 259 diem 21 Januarii, quæ in feriam 6 incidit. De his sanctis eorumque reliquiis dixi in Hymnodia Hispanica ad diem 21 Januarii. Eos Tarraconenses fuisse Nebrissa et Chamillardus affirmant; sed neque ex hymno Prudentii id colligitur, neque ex Actis sacris constat. Florezius, tom. XXV Hisp. sacr., tract. 63, cap. 2, arguit eos fuisse Tarraconenses ex quibusdam verbis officii Gothici, ubi satis clare id exprimitur, et quia Prudentius hymn. 4 Perist. dixit: *Tu tribus gemmis diadema pulchrum Offeres Christo, genitrix piorum Tarraco*, etc. Certe ii sancti inter illos recensendi sunt quorum patriam Prudentius in eorum hymno non expressit: neque alia de causa Tarraconem celebrat, nisi ob martyrium, ut ex primis versibus liquet. In Breviario Mozarabico die 21 Januarii totus hic hymnus legitur, ubi versus quaterni, et quaterni per strophas distinguuntur. Prima stropha quam sit depravata facile perspicies, si cum Prudentio conferas; ita enim in eo breviario est descripta: *Felix Tarraco, Fructuoso vestris, Adtolit caput ignibus chorus Cum levitis geminis procul relucens. His piis nos Deus adspicit benignus.* Vides unam dictionem *coruscum* corruptam esse, et divisam in duos versus *chorus Cum* et ex *Hispanos* tres voces factas *His piis nos*, ut alia omittam.

1. Egm. vitiose *ventris* pro *vestris*.

2. Egm. mendose, *coruscam*. Urbes caput habere a poetis dicuntur. Virgilius eclog. 1, *Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes*. Vide infra vers. 143, *Quo nostræ caput excitatur urbis*. Pulchre autem caput coruscum ignibus, et relucens geminis levitis, quandoquidem de martyrio per ignem agitur.

7. Ald. et Breviar. Moz., *capescit*. Videtur innuere Prudentius, Augurium veluti vi ignis capessere æthram; quoniam ea virtus olim igni tribuebatur, ut in æthram tenderet.

8. Parrhasius, Thuan., Egm., Heins., Weitz., Pal., Hailsbr., Bong., Alex., Vatt. A, P, Q, *superbum*, quod approbant recentiores, quia apud Virgilium exstat *fores, et sedes superbæ*, et apud eumdem Prudentium vers. 823 Psych., *Gradibus regina superbis Desiluit*. Attamen magis e re videtur esse *tendere ad supernum sedile*. Et *supernum* quidem legunt Vat. B., Urb., Mar., Ald., Breviar. Mozar., Gis., Fabr. et alii. Mox vers. 26, *Ad superna cœli*; et vers. 97, *Celsa scandere contigit Tonantis*.

10. Mar., *minister*, ad oram pro div. script., *magister*: sed utraque vox *prævius* et *minister* facta recentiori manu, abrasis prioribus.

12. Tria epitheta ex igne desumpsit *ardens Augurius*, *lucidus Eulogius*, *clarus Fructuosus*.

13. Weitzius cum aliis, *ascitus*. Vat. A, *qui a*: legendum *quia*.

16. Ald., *inde et carceream*, male.

17. Ald. corrupte, *carnis extrahebat*. Hymno super., vers. 99 et 100, lictores dicuntur *reorum carnibus pasti*; hymn. 4 Cath., vers. 107, de aquila, *Sanguine pasta cui cedit avis*; lib. I in Sym. vers. 383, *Sanguine pasta voluptas*. Claudianus, lib. II Stilic. vers. 14, *Pœnis hominum, vel sanguine pasci*. Cicero II Phil., *Versatus in bello est, saturavit se sanguine*. Chamillardus nomina carnificum recenset ex Martyrologio Hispano. In Actis hi recensentur beneficiarii, sive apparitores, ut exponunt Bollandiani : Aurelius, Festucius, Elius, Pollentius, Donatus, et Maximus. *Beneficiarii* ex Fesro dicebantur milites qui vacabant muneris beneficio, ex aliis imperiales ministri, ex aliis satellites prætoris, qui a muneribus plebis vacabant.

19. Ald. mendose, *socio*. Vat. A supra pro div. script., *socios subiret*. Sed melius est *feriret*, ut cum dicitur, *Magno perculsus timore*. Becmanus id intro-

Præceptor vehemens eundo firmat,
Inceditque fidem calore Christi.
Mecum state, viri, vocat cruentus
Ad pœnam coluber Dei ministros:
Ne mors terreat, est parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronæ est,
Carcer provehit ad superna cœli,
Carcer conciliat Deum beatis.
His dictis, adeunt specum reorum.
Exercent ibi mysticum lavacrum,
Et purgamen aquæ stupent tenebræ.
1028 Sex hic continuis latent diebus,
Tandem stant trucis ad tribunal hostis,
Fratres tergeminos tremunt catastæ.
Judex Æmilianus imminebat,
Atrox, turbidus, insolens, profanus,

A Aras dæmonicas coli jubebat.
Tu, qui doctor, ait, seris novellum
Commenti genus, ut leves puellæ
Lucos destituant, Jovem relinquant,
Damnes, si sapias, anile dogma.
Jussum est Cæsaris ore Gallieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
1029 Hæc fanti placidus refert sacerdos:
Æternum colo principem, dierum
Factorem, dominumque Gallieni:
Et Christum Patre prosatum perenni,
Cujus sum famulus, gregisque pastor.
Subridens ait ille: Jam fuisti.
Nec differt furor, aut refrenat iram,
Sævis destinat ignibus cremandos:
Exsultant, prohibentque flere vulgum.

GLOSSÆ VETERES.

20. Præceptor, *magister*. — Vehemens, *sævus contra vitia*, I.
21. Calore, *amore*, I.
24. Palma, *remuneratio*, I.
25. Coronæ, *decoris*, I.
28. Specum, *Ubi fures et alii mali includebantur*, Rat.
29. Exercent, *populos baptizant*, I.
30. Purgamen, *peccatorum*, I.

B 33. Catastæ, *eculei ardentes, lectus ferreus*, I.
35. Insolens, *superbus*, I.
40. Damnes, *necesse est: pro damna, id est, desere* — Si sapias, *si aliquid sapias*. — Anile, *vetus, inane*, I.
43. Refert, *respondet*, Mar.
46. Prosatum, *natum*, I.
50. Destinat, *adjudicat, deputat: distinat est repellit; sed destinat, deputat*, I.

COMMENTARIUS.

duct. ad ling. Lat., pro *minor feriret* ex cod. Pal. *timor feriret*. Torn., Sich. habebant *minor:* Latinius corrigebat *minis*.

24. Vat. A, Egm., Hailsbr., Pal., *nec mors*. Plerique *ne mors*. Breviar. Mozar., *en* pro *est*, non inconcinne.

25. Carcerem martyres læto et alacri animo adibant. Damasus de S. Agatha, *Deliciæ cui carcer erat*.

30. Ald., Hailsbr., Vat. Q, et, ut videtur, Alex., *et purgamen aquæ* cum Noms., Ox., Alt., Thuan., Gis., Heins., Brev. Moz., et aliis. Vat. P. repetit mendose *et purgamen aquæ aquæ*. Urb., Parrhasius, Vat. B, Mar., Rat., Weitz., *et purgamina quæ*. Egm., Pal., Vat. A, *expurgamen aquæ*. De baptismate et sacramento pœnitentiæ id intelligit Chamillardus. Rogatianum in carcere baptizatum Acta referunt: de sacramento alio pœnitentiæ non nisi divinando quis conjiciet. De carceris tenebris antea Prudentius in Vincentio vers. 237 et seqq., et in Cypriano vers. 51 et seqq. Vide Sagittarium de Cruciatibus, cap. 2, ubi ostendit a tenebris dici consuevisse carceres *antra, specum, barathrum*.

33. Christiani olim *fratres* vocabantur, ut dixi ad vers. 73 hymni S. Laurentii. Aliæ conjecturæ ut hi tres martyres fratres dicantur, inanes sunt. Hoc etiam loco *catasta* sumitur pro patibulo in quo martyres erant comburendi, ut hymno 1 Peristeph. vers. 56, *Post catastas igneas*.

34. Vat. A a prima manu, et Rat. scribunt *Emelianus*. Alii *Emilianus*, alii *Æmilianus*. Hic Æmilianus præfecturam in Hispania gerebat anno 259, adeoque diversus est ab imperatore Æmiliano, qui anno 253 aut 254 occisus est.

36. Breviar. Moz. male, *dæmoniacas*.

37. Gentiles id Christianis objiciebant et exprobrabant, quod mulieres et imperitos ad religionem Christianam pellicerent. Minucius: *Qui de ultima fæce collectis imperitioribus et mulieribus credulis, sexus sui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis instituunt*. Vide quæ ad hunc locum notant Heraldus, Elmenhorstius, Wowerus.

39. Weitz. cum Hailsbr. scribit *distituant*. Lucos et montes præcipue ad deos suos adorandos ethnici eligebant; idque innuitur Deuter. XII, 2: *Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, et colles, et subter omne lignum frondosum*.

40. Rat. a prima manu. Mar. supra pro div. script., Parrhasius, *damna*, quod conjecerat Bigotius ex *damnas* in Ambros., quomodo etiam in Rat. supra. Plerique, *damnes*. Breviar. Moz. corrupte, *Augusti dogma* pro *anile dogma*. Lactantius, lib. I, cap. 13: *Si enim feminæ sexus infirmitate labuntur (nam interdum isti muliebrem et anilem superstitionem vocant), viri certe sapiunt*. Et cap. 20: *Jam profecto ab aniculis, quas contemnunt, et a pueris nostratibus error illorum, ac stultitia irridebitur*.

C 42. Vatt. A, P, Alex., Egm., Hailsbr., Pal., Widm. supra, Gis., *ut colamus*, quod tenuit Heinsius cum Giselino, nihil ex suis scriptis advertens. Vatt. B, Q, Urb., Mar., Ald., Torn., Galland., Weitz., *hoc colamus*. Weitzius ait Aldum habere *omne* pro *omnes*. Mihi Aldus cum aliis *omnes*. Fabricius a Weitzio etiam citatur pro *ut*. Fabricius utrumque affert *ut* et *hoc*; videlicet *Jussum est Cæsaris ore Gallieni, ut Quod princeps colit, hoc colamus omnes*.

44. Nebrissensis nihil mutandum censuit, sed suspicabatur *deorum* pro *dierum*, quod Chamillardo non displicebat, quasi diceret *deum deorum*.

46. Prag., Parrhasius, *satum*, contra metrum.

48. Ex Actis: *Æmilianus præses Fructuoso episcopo dixit: Episcopus es? Fructuosus episcopus dixit: Sum. Æmilianus dixit: Fuisti*. Verbum energicum *fuisti*, ut apud Virgilium *Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens Gloria Teucrorum*. *Vixi, viximus*. Prudentius in præfatione carminum *Per quinquennia jam decem, Ni fallor, fuimus*. Plutarchus in Alexandro

D refert veterem gymnosophistam Alexandro interroganti, vivine an mortui plures essent, respondisse, Vivos: nam mortui ne sunt quidem. Hic gymnosophista irrideret phrasin *abiit ad plures* pro *mortuus est*. His loquendi modis *fuisti, viximus, fuimus*, finem vitæ instare significatur. Hericus Altissiodorensis, lib. v, *Viximus, et jussas ævi decurrimus horas*.

49. Rat., Parrhasius, repugnante metro, *furorem* pro *furor*. Prag., *ut refrenet*, non male.

51. Rat., *vulgus*. Acta narrant ab ipsis quoque ethnicis amatum fuisse Fructuosum: *Quia talem amorem habebat non tantum a fratribus, sed etiam ab ethnicis*.

Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes :
Jejunamus, ait; recuso potum.
1030 Nondum nona diem resignat hora :
Nunquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet :
Sic Christus sitiens crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare volens, sitim peregit.

A Intrant interea locum rotunda
1031 Conclusum cavea : madens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat :
Cum spectacula perstrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, et fremit voluptas.
Hic flammante pyra niger minister
Ardens supplicium parare jussus,
Construxit facibus rogum supremis.

GLOSSÆ VETERES.

53. Libandum, *gustandum*, I.
55. Resignat, *aperit*, I.
56. Jus dicatum, *jejunium*, I.
57. Sacrum, *jejunium*, I., Mar.
58. Crucis, *passionis*, I.
61. Locum, *amphitheatrum*, Mar.
62. Cavea, *amphitheatro*, I.
64. Perstrepunt, *personant*, I.
66. Fremit, *gaudet*.—Voluptas, *aspiciendo, delectatio videntium talia*, I.
69. Supremis, *altis*, I. *Maximis*, Mar.

COMMENTARIUS.

53. Mar., Weitz. cum nonnullis suis, *poculum ferentes*. Baronius i Annal. ann. 34 ostendit veteres consuevisse eis qui ad mortem damnati erant, potum aliquem exhibere, quo a mente abalienati sensu doloris carerent, ubi de myrrhato vino Salvatori oblato agit, et hos versus allegat. Plura de hoc eodem argumento Joannes Tamaius de Salazar in Martyrologio Hispano.

54. Cum hi SS. Martyres die 21 Januarii passi fuerint, non aliud jejunium tunc occurrere potuit, nisi id quod veteres Christiani observabant feria 4, 6 et sabbato, ut dixi ad hymnum Jejunantium, et Post jejunium. Et erat certe jejunium, quod hora nona solvi poterat, ut vers. seq. exprimitur. Notandum est etiam veteres Christianos, dum jejunabant, abstinuisse a potu vini.

55. De semijejunio, quod in die stationis celebrabatur, hoc loco agi satis constat ex hora nona, quæ nominatur, tanquam tempus aptum ad solvendum jejunium. Hic enim erat mos catholicorum, cum Montanistæ stationem protraherent ad vesperam usque, de quibus Tertullianus, lib. de Jejuniis, sive adversus Psychicos (ita vocat Catholicos), cap. 10 : *Æque stationes nostras, ut indignas, quasdam vero et in serum constitutas novitatis nomine incusant, hoc quoque munus et ex arbitrio obeundum esse dicentes, et non ultra nonam detinendum, de suo scilicet more..... De ipsis prius expostulandum unde hanc formam nona dirimendis stationibus præscribant.* Rigaltius legendum putat *stationes nostras, ut indictas* : Priorius existimat Montanistas hoc loco impugnari a Tertulliano, non catholicos : quod nulla ratione confirmat. De hora nona, qua statio solvi poterat, plura habet Binghamus lib. xxi, cap. 3, § 3. Cassianus collatione 2, cap. 26 : *Commodum satis et utile hora nona refectionis tempus indultum est.* Alardus Gazæus in notis advertit hoc refectionis tempus quasi ex gratia et indulgentia quadam fuisse indultum, eo quod primi monachi ad vesperam usque jejunarent. Hoc ipsum innuit Prudentius Cathem. 8, vers. 65 : *Laxus ac liber modus abstinendi Ponitur cunctis.* SS. Basilius et Benedictus horam etiam nonam solvendi jejunii præscribunt.

56. Baronius ad ann. 262, num. 65, putat Fructuosum his verbis non innuere consuetum jejunium, sed arctius et diuturnius nempe a feria 4 ad feriam 6; quia, ut constat ex Tertulliano, episcopi persecutionum tempore, et urgente aliqua gravi necessitate, jejunia strictiora indicebant. Verum Prudentius satis clare jejunium stationis describit, et SS. martyres jejunium servasse non tam ex voto aliquo quam ex lege consuetudinis ecclesiasticæ, ostenditur ex nominibus quibus jejunium appellat, scilicet *jus dicatum*, *sacrum* : similiter in hymno Jejunantium, et Post jejunium vocavit *festum*, *victimam*. Idem confirmant Acta : *Cumque multi lex fraterna caritate eis of-*

B *ferrent, uti conditi permixti poculum sumerent, ait : Nondum est hora solvendi jejunii. Agebatur enim hora diei quarta. Siquidem in carcere quarta feria solemniter celebraverant. Igitur sexta feria lætus atque securus festinabat, ut cum martyribus et prophetis in paradiso, quem Dominus præparavit amantibus se, solveret stationem.*

57. Sic hymno 8 Cath. Post jejunium : *Nona submissum rotat hora solem..... Solvimus festum.*

58. Prag., *crucis sub ara.*

61. Amphitheatrum describitur, quod veluti e duobus theatris constabat; et ea de causa dicitur locus rotunda cavea conclusus. Cavea dicebatur area quæ etiam arena appellari solebat, quod arena spargeretur, ne gladiatores facile laberentur. Caveæ etiam nomen habebat carcer, ubi feræ detinebantur, et in circo gradus, unde populus spectabat, in quibus gradibus erat summa, media, et infima cavea. Cavea prima, seu ima, senatui et equitibus; media plebi;
C summa et ultima, feminis attributa, ut colligitur ex Seneca lib. xi de Tranquill. Antiquiores caveam de theatro dicebant. Lipsius lib. de Amphitheatro, cap. 2, auctoritatibus Tertulliani, Prudentii et similium, probat de amphitheatro etiam caveam dici. Ruinæ amphitheatri Tarraconensis adhuc exstant, sed ruinæ tantum.

64. Chamillardus notat spectacula gladiatorum a rege Theodorico omnino prohibita. At prohibita multo ante ab Honorio constat, ut dixi in comment. ad finem lib. ii contra Symm.

65. Latinius, *ense diro.*

66. *Voluptatem* peculiari significatione de spectaculis dici, notatum est in comm. ad lib. ii in Symm. vers. 1125. Illud nunc occurrit, Horatii versum in arte poetica, *Ficta voluptatis causa sint proxima veris*, intelligi posse de his quæ finguntur, ut in theatro repræsententur : nam de poemate is theatralibus eo loci agit Horatius.

67. Aliam descriptionem pyræ ad martyres comburendos vide in Romano vers. 846 et seqq. Celeriter hujusmodi rogi exstruebantur : ut enim refert
D Eusebius lib. iv, cap. 11, ex epistola Smyrnensium de S. Polycarpi martyrio : *Populus confestim ligna et sarmenta partim ex officinis, partim ex balneis incredibili celeritate comportabant; præcipue vero Judæis alacri animo, ut solent, operam suam in id conferentibus.*

69. Breviar. Moz., *fascibus* metri lex postulat *facibus*. Nebrissensis faces supremas intelligit ultimas in ordine apparandi. Cellarius ait posse *supremis* sumi pro *feralibus, funestis*. In rogo faces, quæ corpori cremando proximiores erant, et ultimæ cum corpore ardebant, dici poterant ultimæ, et quia pyra in altum erigebatur, summæ, et supremæ. Sed hoc loco Cellarii interpretatio magis arridet.

Qui dum corpora concremanda solvit,
1032 Ferventes animas amore lucis
Fracto carceris expediret antro.
Certant officiis pii sodales :
Plantis calceamenta dissolutis,
Pronus detrahere studebat unus :
Sed sanctus vetat ora Fructuosus
Inclinata premi. Facessite, inquit,
Ne nostram gravet obsequela mortem.
Atquin ipse meos pedes resolvam,
Ne vestigia præpedita vinclis
Tardis gressibus irruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes?
Cur vestri memor ut fiam, rogatis?
1033 Cunctis pro populis rogabo Christum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum : velut Moyses
Quondam fecerat ad rubum propinquans.
Non calcare sacram cremationem,
Aut astare Deo prius licebat,
Quam vestigia pura figerentur.
Stabat calce mera, resultat ecce
Cœlo spiritus, et serit loquelam,
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non est, credite, pœna, quam videtis,
Quæ puncto tenui citata transit :
Nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animæ : quibus per ignem
Celsa scandere contigit Tonantis,
1034 Quas olim fugiet perennis ignis!
Hæc inter rapidis focos crepantes
Intrant passibus, et minantur ipsis

GLOSSÆ VETERES.

70. Qui, *rogus.* — Solvit, *destruxit : per ignem in favillas*, I.
71. Lucis, *cœli*, I.
72. Carceris, *corporis.* — Antro, *corpore*, I.
73. Sodales, *scilicet sui*, I.
77. Facessite, *recessite*, I.
78. Gravet, *impediat.* — Obsequela, *hoc obsequium dicimus et hæc obsequela feminino genere, sicut suasio et suadela sub una significatione*, I.
79. Atquin, *certe*, I.
85. Ediderat, *protulerat*, I.
88. Cremationem, *rubum*, I.
90. Pura, *nuda*, Vat. A.
91. Calce mera, *pede puro, vel nudo*,
94. Credite, *cuncti*, I.
95. Citata, *velox*, I.
98. Contigit, *evenit*, I.
99. Olim, *in futuro*, I., Mar.

COMMENTARIUS.

70. Ald. mendose, *contremenda solvi.* Vat. B, Alex., Mar., Parrhasius, *concremata solvit.* Heinsius ita etiam edidit cum Oxon., Thuan., Ambr. Recentiores Heinsium sequuntur, excepto Gallandio, cui non placet *concremata.* Legunt *concremanda* Vatt. A, P, Q, Urb., Breviar. Moz., Weitz. cum suis, Prag., aliique vett. In Rat. ex *concremenda* correctum *concremanda.* Prag., *solum* pro *solvit*, sed nullus est sensus.

72. Vat. A, B, Alex. a prima manu, Mar., Prag. a prima manu, Rat., Widm., Hailsbr., Bong. a prima manu, Thuan., Heins., *expediret.* Vatt. P, Q, Urb., plerique Heinsiani, Ald., Pharrasius, Breviar. Moz., Weitz. aliique, *expedivit*, quod tenuit Gallandius, quamvis non ei displiceret *expediret.*

73. Alex., Vat. Q, Mar., Prag., Rat., *pii* cum plerisque edd. Aldus, Breviar. Moz., Parrhasius, Vat. P, Urb. aliique, *piis.*

74. Ald., Parrhasius, Breviar. Moz. scribunt *calciamenta.*

75. Is in Actis Augustalis dicitur Lector Fructuosi.

76. In Mar. videtur prius fuisse *ora*, sed factum deinde *ore*, et in margine pro div. script., *ora*, quod solum verum est.

77. Ald. mendose, *premit.* Parrhasius corrupte, *sat est, si te, inquit*, et ita quidem in plurimis exemplaribus legi affirmavit in emendatis, sed scribendum censuit, *facessite, inquit.*

78 Mar., Prag., Vat. A, *ne nostram.*

79. Breviar. Moz. non recte separat *at quin.* Judæi ad adorationem nudis pedibus incedere solebant. Eadem fuit aliarum gentium consuetudo. Vide Broverium de Adorat. cap. 16, ubi probare contendit nudipedalia Hebræorum proprium festum non fuisse ; et Christianos nonnullos in processionibus et crucis adoratione nudis pedibus incedere consuevisse ostendit. Videtur Fructuosus non coactus, sed libere id fecisse, fortasse exemplo Moysis permotus, quod postea refertur.

83. Ald., *ut siem.* In Alex. videtur fuisse *ut fuam.* Vera lectio, certe communior codicum, est *ut fiam*, correpta prima in *fiam.* Al bi etiam corripuit Prudentius : ac simili modo fecerunt Arator, Tertullianus et alii. Gis. in 1 ed. posuit *siem*, quod in 2 ed. mutavit in *fiam*, sciolos correctores arguens quod codicum lectionem pervertissent. Cellarius notat quod *superstitem. et vivum rogant, non mortuum.... Necdum illo ævo mortuorum invocatio invalueral.* Quis non rideat plumbeum hominis acumen? Semel occurrit quod vivum rogaverint, et inepte colligit, necdum illo ævo mortuorum invocationem invaluisse. Centies ait Prudentius rogari martyres vita functos a provinciis integris, et non propterea credit, invaluisse illo ævo invocationem mortuorum, ac vix fatetur. tunc cœpisse. In hoc ipso hymno, vers. 145, præclara sunt hæc verba, *Exsultare tribus libet patronis, Quorum præsidio fovemur omnes Terrarum populi Pyrenearum.* Invalueratne illo ævo invocatio mortuorum? Erat quidem tunc in usu, ut nunc etiam est, ut Christiani sese precibus viventium commendarent. Sed invocatio hæc viventium, sicut nostro ævo invocationi mortuorum non opponitur, ita neque ævo Prudentii, aut ante illud opponebatur.

87. Egm., *rubrum* : emenda *rubum.* Adisis comment. ad hymn. 5 Cath.

91. Ald., Gis., Urb., Alex. supra, Parrhasius, Breviar. Moz., *mero.* Plerique *mera.* Juvenalis satyr. 6 : *Observant ubi festa mero pede sabbata reges.* Broverius loc. cit. ait Juvenalem nugas de Judæis prodere, qui potius quam ut nudipedes incederent omnibus vestibus sabbatinis sese induebant, ut sabbatum vestium luxu honorarent. De hac voce *merus* vide comment. ad vers. 26 Apoth.

94. In Thuan., *credita pœna.*

95. Mariettus monet videndum an legi debeat *punctu*; nam in suo codice ita legitur diserte sine litura, in Rat. *puncto*, sed sub litura, et omnino videbatur fuisse *punctu.*

99. *Olim* de futuro tempore Virgilius lib. IV Æn. : *Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires.* Et lib. I : *Hunc tu olim cœlo spoliis Orientis onustum Accipies.*

100. Prag. mendose, *nec inter.* Mar., *cremantes*, et ad oram eadem manu, *crepantes*, pro div. script.

101. Mar., Gis., Alex., *ipsi.* Plerique, *ipsis* : ut supra *tremunt catastæ.* sic nunc *minantur caminis* ad robur animi demonstrandum : quod, ut Prudentius poetice, ita oratorie describit Hilarius in psalmum LXV, num. 21 : *Alii enim in vinculis carcerum glorian-*

Flammarum trepidantibus caminis.
Nexus denique, qui manus retrorsus
In tergum revocaverant revinctas,
Intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas,
In morem crucis ad Patrem levandas :
1035 Solvit brachia, quæ Deum precentur.
Priscorum specimen trium putares :
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens tyrannus.
Illis sed pia flamma tum pepercit,
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decus inchoante Christo.
Illos cum defugeret vaporus ardor,

A Orant, ut celer ignis advolaret,
Et finem daret anxiis periclis.
Exorata suos obire tandem
Majestas famulos jubet, caducis
Missos corporibus, sibique reddi.
Vidit præsidis ex domo satelles
1036 Cœlum martyribus patere apertum,
Insignesque viros per astra ferri.
Quin et filiolæ monens herili
Ostendit sceleris notam paterni :
Cœlo vivere, quos forum peremit.
Hæc tum virginitas palam videre
Per sudum meruit, parente cæco,

GLOSSÆ VETERES.

105. Nexus, *ligamina*, I.
106. Cohibere, *constringere*, I.
109. Specimen, *figuram*, I.
111. Stupuit, *obstupuit*, I.
115. Vaporus, *calidus*, I.
116. Orant, *sancti*, I.

B 120. Missos, *pro dimissos*, I.
121. Domo, *familia*, Mar.
123. Insignesque, *gloriosos*, I.
125. Notam, *signum*, Iso.
126. Forum, *concilium*, Iso.
128. Sudum, *serenitatem*, I.

COMMENTARIUS.

tur, alii cæsi in verberibus gratulantur, alii potestati irreligiosorum desecanda felicium colla submittunt, plures in exstructos rogos currunt, et, trepidantibus pœnæ ministris, ignem saltu devotæ festinationis insiliunt; alii in profundum demergendi non in aquas necaturas, sed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt. In Actis dicitur stipites, quibus martyres ligati fuerant, permansisse: adeoque Florezius poetice locutum Prudentium censet, cum eos in ignem insiluisse narrat. Verum Acta exponi possunt de furca, quæ sæpe collo inserebatur, retortis in tergum brachiis eorum, qui in rogum injiciendi erant. Vide comment. ad vers. 851 in Romano.

102. Hailsbr., Bong. a prima manu, Gis. ad oram, *crepitantibus* : melius *trepidantibus*.

103. Breviar. Moz., Teol., *retrorsum*. Martyres comburendi stipiti, vel funibus alligabantur, vel clavis affigebantur. Hinc Christiani dicti *semaxii* ab *axe*, vel stipite. *Licet nunc sarmentitios, et semaxios appelletis, qui ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur*, ut ait Tertullianus in Apologet. cap. 50. Vide tabulam XVII. Hoc loco intelliguntur brachia in tergum retorta, antequam pyram ingrederentur.

104. Brev. Moz. male, *renovaverant*.

106. Vatt. B, Q, Prag., *pœna cohibere*, sed lex metri poscit *cohibere pœna palmas*.

107. Veteres Christiani, dum orarent, brachia levabant et extendebant in morem crucis. Usitatum id quoque fuit ab Hebræis, ut ipse Prudentius cecinit hymno 12 Cath. vers. 170, de Moyse : *Pansis in altum brachiis.... Crucis quod instar tunc fuit.* Vide etiam vers. 52 hymni 4 Cath. Victorius edidit Romæ 1760 veteris gemmæ ad Christianum usum exscalptæ explanationem, ubi exhibet Deiparæ imaginem, quæ a non pœnitendo artifice sæculi IX exscalpta Victorio videtur in sardonyche bicolore manibus, ita ut dixi, in formam crucis expansis, in speciem orantis, seu Deum deprecantis. Plures vetustissimas similes picturas, et marmorea toreumata Bosius, Aringhus, Ciampinius, Buonarrotius, Boldettus, Blanchinius, Bottarius, Broverius alique illustrant.

110. Parrhasius *Babylonium* minus bene. De hac historia trium puerorum dictum in Apoth.

114. Ald. scribit *inchoante*.

115. Breviar. Moz. contra metrum, *vaporeus*. Gis. 1 ed. *vaporis*. Chamillardus durum et barbarum esse pronuntiat *vaporus ardor*, neque apud alium occurrere *vaporus* pro vaporifero, nisi apud Prudentium. Verum ante Prudentium *vaporus* dixit Arnobius lib.

VI, *Illud in rigoribus algidum, hoc vaporum*, nisi aliqui minus bene legunt *vaporeum*. Nemesianus clare eclog. 4. vers. 63 : *Ter vittis, ter fronde sacra, ter thure vaporo Lustravit.* Et *vapor* pro calore apud optimos scriptores sonat, jam monui in hymno S. Laurentii ad v. 345.

116. Vatt. A, B., *orant sancti ut* : non patitur metrum. Vat. Q, *advocaret*; supra recte, *advolaret*.

117. Brev. Moz., *periculis*, contra metrum.

120. Prag., Gis. ad oram, Bong., Fabr., *missis*; alii, *missos*. Nebrissensis exponit *sibi*, hoc est *sibi ipsis*. Melius tamen *sibi*, scilicet *ipsi Deo*. Confer hymnum Exsequiarum.

C 121. Egm. scribit *satellis*. Hinc etiam patet animas piorum ex Prudentii sententia ad cœlum evehi, cum nihil purgandum remanet. Chamillardus ait, hoc in loco nonnulla mutavisse Prudentium, quia in Actis legitur, Babylonium et Mygdonium vidisse cœlum apertum, necnon ex familia Æmiliani filiam, quæ matri suæ Fructuosum et socios in cœlum euntes ostendebat. Verum optime Prudentio convenit cum Actis, quæ ita habent : *Apertumque est cœlum, videntibus Babylan et Mygdonio fratribus nostris ex familia Æmiliani præsidis, qui etiam filiæ ejusdem Æmiliani, dominæ eorum carnali, ostendebant sanctum Fructuosum episcopum cum diaconibus, adhuc stipitibus, quibus ligati fuerant, permanentibus, in cœlum ascendentes coronatos. Cumque Æmilianum vocarent, dicentes, Veni, et vide..... Cum Æmilianus venisset, videre eos non potuit.*

126. Ambr., *quo foro*, ex quo Heinsius conjiciebat *quos foro*. Hoc loco forum accipi potest pro loco in D quo rei suppliciis afficiuntur : quod solebat fieri in foro ipso, in amphitheatris, in circis.

127. Mar. a prima manu, Prag., *hæc dum*, minus recte. Virginitas pro virgine, ut apud Claudianum, carm. 18, lib. I in Eutrop., *Virgini as vestalis adit.*

128. Ald., Vatt. B, Q, Urb., Mar., Prag., Rat., Hailsbr. a secunda manu, Sich., Gis., Ald., Widm. a prima manu, Weitz., *patente cœlo*. Ambr., Alt., Thuan., Vat. A a prima manu, Vat. P, Hailsbr. a prima manu, *parente cæco*. Alex., Widm. supra, *parente cœlo*. Vat. A supra, *patendo cœlo*. Breviar. Moz. corrupte, *Perfidum meruit parentem cæcum.* In Actis legitur : *Æmilianus veniens videre eos non fuit dignus.* Si Acta hæc Prudentium certe præcessissent, non dubium esset, quin huc Prudentius respexisset. Alioquin *patente cœlo* non est lectio contemnenda. *Per sudum* Virgilianum est lib. VIII, *Per sudum rutilare vident.*

Ut crimen domini domus timeret.
Tum de corporibus sacris favillæ
Et perfusa mero leguntur ossa,
1037 Quæ raptim sibi quisque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne relliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca dividant sepulcris,
Cernuntur niveis stolis amicti,
1038 Mandant restitui, cavoque claudi
Mixtim marmore pulverem sacrandum.
O triplex honor, o triforme culmen,
Quo nostræ caput excitatur urbis,

GLOSSÆ VETERES.

129. Domus, *familia*, I.
131. Mero, *puro vino*, I.
132. Raptim, *velociter*. — Vindicabat, *acquirebat*, I.
139. Cernuntur, *quidam viri*, I.
142. Honor, *martyrum*, I.
143. Excitatur, *erigitur*, I.

COMMENTARIUS.

129. Tibullus lib. III, eleg. 7 : *Felix, quicunque dolore Alterius disces posse carere tuo.*

130. In Breviar. Moz. desideratur *de*.

131. In proleg. num. 159 de hoc versu egi. In Actis : *Superveniente autem nocte ad amphitheatrum cum vino festinanter pervenerunt, quo semiusta corpora exstinguerent.* Veteres reliquias corporum crematorum vino lavabant. Virgilius lib. VI, *Relliquias vino, et bibulas lavere favillas.* Rogus ipse exstinguebatur vino, et tunc amici aut propinqui ossa et cineres legebant. Vino veteri nonnullos usos probat versus Tibulli lib. III, eleg. 2, de suis ossibus post obitum. *Et primum annoso spargant collecta Lyæo. Legere ossa* phrasis propria in funere : hinc *ossilegium* ; et Martialis sensu ambiguo : *Edent hæredes, inquis, mea carmina : quando? Tempus erat jam te, Sosibiane, legi.* Confer Tibullum lib. III, eleg. 2. Ut autem cineres corporis combusti cum aliis rogi cineribus non permiscerentur, ita corpus in pheretro componebatur, ut exstincto rogo reliquiæ illius discretæ essent ab aliis cineribus. Constat etiam, adhibitum in funeribus nobilium genus lini quod non absumebatur, de quo Plinius lib. XIX, cap. 1 : *Regum inde funebres tunicæ corporis favillam a reliquo separant cinere.* Desiderius Heraldus Advers. 1, cap. 7, Kirchmannus lib. III, cap. 6, la Cerda, Comment. in Virg., aliique plura de hoc ritu congerunt. Exstat Joann. Ciampinii Dissertatio de incombustibili lino, sive de lapide amianto, deque illius filandi modo. Romæ 1691. Kirchmannus lib. III, cap. 7, usum ejus lini non credit fuisse, et nugis similiora putat, quæ alii de amianto lapide narrant. At certum est, Romæ adhuc in urna quæ in bibliotheca Vaticana exstat, hujusmodi sindonem amianti miræ magnitudinis asservari. Ante hos quinque annos Romæ etiam ad portam Capenam e regione monumenti Scipionum reperta est sindon asbestina, ossa humana continens.

132. Parrhasius ita distinguit *quisque vindicabat Fratrum : tantus amor*. Agobardus in carmine post obitum Caroli et Leidradi Prudentium imitatur : *Necnon Pantaleonis ossa raptim Tollunt cuncta simul, ligantque pannis.* In Martyrologiis *rapere corpora martyrum* sæpe occurrit : quo festinantium fidelium sedulitas declaratur. In Actis nostris, *festinanter*, et mox, *Eorumdem martyrum cineres collectos, prout quisque potuit, sibi vindicavit.*

134. Gis. 1 ed., *cinerem*, perperam.

135. De hac consuetudine colligendi ossa sæpius in sinum vide Heraldum et Kirchmannum locis cit. Imo urnulam, qua ossa claudebantur, ad tumulum sinu exportabant. Tacitus de Agrippina in funere Germanici lib. II, *Tunc ferales reliquias sinu ferret.*

136. Breviar. Moz. male, *sed et*.

137. Idem, *futuros* ; melius *futuras*.

138. Idem, *loco* ; corrige *loca*.

139. Vat. A contra metrum, *stolis niveis*. Breviar. Moz. corrupte, *cernui* pro *cernuntur*. Chamillardus probabiliter putat ipsos tres martyres apparuisse. Prudentius sæpe martyres *candidatos* vocat. In Actis ita legitur : *Apparuit (Fructuosus) fratribus, et monuit ut quod unusquisque per charitatem de cineribus usurpaverat restituerent sine mora, unoquoque* (forte *unoque*) *in loco simul condendos curarent. Æmiliano etiam, qui eos damnaverat, Fructuosus pariter cum diaconibus suis ostendit se in stolis repromissionis, increpans*, etc. In codd. nonnullis mss. hæc adduntur : *Et mane facto mox Christiani omnes, qui reliquias sanctorum abstulerant, deferentes cum magno metu, ac summa lætitia singuli narrantes visionem similem, in sacrosancta ecclesia sub altari sancto, exsultantes in Domino honorifice sepelierunt.*

140. Breviar. Moz. male, *cadaveraque* pro *cavoque claudi*. Florezius id dictum putat per prolepsin, quia eo ipso die martyrii vix fieri poterat, ut marmor secaretur. Verum hujusmodi urnæ sepulcrales apud artifices factæ paratæque in promptu erant, ut qui vellent, eas emerent. Hinc interdum accidit, ut in Christianorum sepulcris signa ethnicorum propria appareant.

141. Brev. Moz. mendose, *Mixto marmori pulvere sa randa*. Vat. B, *mixtum* pro *mixtim*. In sepulcrorum monumentis occurrit interdum *mixtis cineribus*. De reliquiis copiose agit Florezius.

142. In Vat. A desideratur *o* post *honor*. Parrhasius *lumen* pro *culmen* ; et notanda est hæc varietas scripturæ, nam in principio ait Prudentius, attolli caput Tarraconis coruscum ignibus horum martyrum, nunc idem caput hoc lumine triformi excitari. Itaque, si mss. faveant, legam libenter *lumen*.

143. In hymno octodecim martyrum de quavis civitate, quæ martyre patrono gaudeat, vers. 13, *Urbe de magno caput excitata.* Chamillardus *nostræ urbis* intelligit Cæsaraugustam, quia Cæsaraugusta erat in provincia Tarraconensi, cujus caput erat Tarraco. Hoc ipsum voluerat Bartholomæus Leonardus Argensola in epist. ad Marianam. Non placet hæc interpretatio, neque placuit Nebrissensi, Cellario, Peverato, Teolio, innumerisque aliis, qui Tarraconem a Prudentio urbem nostram vocari dicunt, quamvis negent Tarraconem fuisse Prudentii patriam. Et Prudentius quidem redit ad sententiam primæ strophæ, et caput Tarraconis excitari intelligit. Paulinus ep. 4 ad Ausonium, *Et capite insigni despectans Tarraco pontum.* Et quamvis Tarraco fuerit caput provinciæ Tarraconensis, dubito an apposite dicatur caput uniuscujuslibet urbis in ea provincia contentæ, puta, Cæsaraugustæ, Calagurris. Nam caput dicitur caput corporis, non caput pedis aut brachii. Ab iis qui aliter sentiunt exempla proferri desidero quibus Roma dicta fuerit caput Bononiæ vel Ferrariæ, aut Matritum caput Cæsaraugustæ vel Calagurris. Mozzius in versione Italica libri Peristeph. veram sententiam assecutus, ita reddidit : *O triplicato onor, triforme cima, Per cui la città nostra erge la fronte Sublime più d' ogni città d' Iberia !* Hujus versionis memini in proleg. num. 121. Postea nactus sum exemplar ms. editioni paratum, ubi præmittitur Vita Mozzii, et de hoc opere id enuntiatur : *Come persona ecclesiastica gli piacque di tradurre in verso sciolto nella più forbita Toscana favella gl' inni intitolati* LE CORONE *di Prudenzio insigne poeta cristia-*

Cunctis urbibus eminens Iberis!
Exsultare tribus libet patronis :
1039 Quorum præsidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.
Circumstet chorus ex utroque sexu,
Heros, virgo, puer, senex, anicla :
Vestrum psallite rite Fructuosum.
Laudans Augurium resultet hymnus,
Mixtis Eulogium modis coæquans,
Reddamus paribus pares camœnas.
Hinc aurata sonent in arce tecta :
Blandum littoris exstet inde murmur,
A Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit, ruente mundo,
Cum te, Tarraco, Fructuosus acri
Solvet supplicio tegens ab igni.
Fors dignabitur et meis medelam
1040 Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces hendecasyllabos revolvens.

VII HYMNUS.

IN HONOREM QUIRINI BEATISSIMI MARTYRIS EPISCOPI ECCLESIÆ SISCIANÆ.

Insignem meriti virum

GLOSSÆ VETERES.

144. Iberis, *Hispanicis*, I.
153. Camœnas, *laudes*, I.
154. Hinc, *ex una parte*, I.—Arce, *templo*, Vat. A.
155. Inde, *ex altera parte*, I.
156. Freta, *mare*.—Feriata, *otiosa*, *repercussa*, I.
157. Olim, *quandoque*, I
160. Fors, *forte*, I.
161. Prosperante, *propitiante*, I
162. Revolvens, *relegens*, I.

COMMENTARIUS.

no, che si danno ora alle stampe, i quali avea non poche volte fatti udire nelle accademie della sua patria con universale soddisfazione; e se morte non si fosse interposta, avea pensiero di continuarne la traduzione degli altri libri.

145. Bartholomæus Argensola loc. cit. videtur legisse *liber* pro *libet*, et ex verbo activo infinitivi modi *exsultare* verbum deponens modi imperativi : ita enim vertit Hispanice, *Alegrate pues, o ciudad libre, por tres patrones*; qui nunquam non video cui substantivo voluerit applicare adjectivum *liber :* nam si intelligatur civitas, deberet efferri *libera*.

146. Galland., Tornæs., Bong., Fabr., *foventur*. Sed plerique mss. et edd. *fovemur*, quod præferendum est.

147. Parrhasius male, *Pyrenea per arva* pro *Pyrenearum*.

149. Weitzius alicubi invenit *heres* pro *heros*. Widm., Bong., Vat. B, Mar., Prag., Rat., Thuan., *anula*. Parrhasius, Heins., Ambr., Teol., *anulla*, quod in alio etiam codice reperit Heinsius. Schedæ Grævianæ *aniula* mendose. Ab *anu* aiunt fieri *anula* et *anulla*. Sed usitatius et melius est *anicla* ab *anicula*; et *anicla* habent Vat. A, Alex., Breviar. Moz., Ald., Weitz., Gis. et alii plurimi.

151. Mar., *hymnis*; supra recte, *hymnus*.

153. Alex., *amœnas*; supra, *camœnas*, probe. Non enim audiendus est Weitzius, qui cum Widm. a prima manu edidit *canenas*. Pro versibus camœnæ ponuntur.

154. Mar. a prima manu, *in acta*. Parrhasius corrupte, *inarchitecta*. Olim templorum tecta inaurata esse solebant : etiamnum Romæ præsertim hæc consuetudo obtinet.

156. De imagine vocis id accipitur. Cellarius advocat huc illud Ciceronis, *Parietes gratias agere gestiunt*. Prudentius nauticæ gentis cantus videtur innuere.

158. In Prag. ex *acri* non bene factum *acris*.

159. *Verius*, ait Cellarius, *hoc Christo tribuisset*. At hæretici nolunt animum advertere ad explicationem, et mentem catholicorum. Prudentius addit, *Prosperante Christo*.

161. Parrhasius inter verba Prudentii propria numerat *prosperare* pro favere : sed ita locuti sunt Livius, Plautus, Tacitus et alii.

162. Nonnulli vulg., *hendecasyllabas*. Hi versus phaleucii per antonomasiam vocantur hendecasyllabi. De sententia hujus conclusionis vide prolegom. cap. 19. Breviarium Mozarabicum alios versus addit, qui minime sunt Prudentiani.

Inscriptionem exhibui quam habet Alex. In Vat. A eodem modo, sed *in honore*, et *Ecclesiæ Sesclanæ*. B Mar., *Incipit hymnus in honore sancti Quirini martyris, et episcopi Ecclesiæ Susclanæ*. Rat. ita, sed *Ecclesiæ Suscianæ*. Aldus, *Ode in laudem Quirini martyris episcopi Ecclesiæ Siscianæ*. Weitzius *in honorem Quirini martyris et episcopi Ecclesiæ Suscianæ*. Fabr., *Quirino martyri et episcopo Sisciano Illyrico*. Heinsius facit cum Alex. 3. In Egm., Bott., Ox., Torr. duobus et Alt. scribitur *Sescia* pro *Siscia*. In Vat. Q, *Scitia*. In Widm., *Suscia*. Prag., *Sesciæ*; Vatt. A, B, Rat., *Susciæ*; Mar., *Sisciæ*. Nomen *Sisciæ* aut *Sysciæ* confirmatur ex Ptolemæo, Strabone, Paterculo, Plinio, Antonini Itinerario, Ambrosiano codice, Eusebii Chronico, et ex martyrologiis multis in locis. Siscia civitas erat Pannoniæ superioris ad Colapis, et Savi confluentem, de qua Plinius lib. III, cap. 25. Nunc vicus est *Sisek* sive *Sisseg* dictus prope Zagrabiam sedem episcopalem. Vide Geograph. ant. Cellarii. De Quirino ita Martyrologium Romanum die 4 Junii ex Prudentii hymno : *Sisciæ in Illyrico S. Qui-* C *rini episcopi, qui sub Galerio præside pro fide Christi, ut Prudentius scribit, molari saxo ad collum ligato, in flumen præcipitatus est; sed lapide supernatante, cum circumstantes Christianos, ne ejus terrerentur supplicio, neve titubarent in fide, diu fuisset hortatus, ipse ut martyrii gloriam assequeretur, precibus a Deo, ut mergeretur, obtinuit.* Idem fere in Chronico Eusebii narratur a S. Hieronymo ad annum 310 : *Quirinus, episcopus Siscianus pro Christo gloriose interficitur. Nam manuali mola ad collum ligata, e ponte præcipitatus in fluvium, diutissime supernatavit, et cum spectantibus collocutus, de suo terrerentur exemplo, vix orans ut mergeretur, obtinuit.* Vide notas Vallarsii et aliorum. Gregorius Turonensis, Beda, Usuardus, Ado, idem martyrium referunt, sed narratione et fide Prudentii nituntur. Bollandiani ad diem 4 Junii memorant compendium Actorum, ex Prudentio fere acceptum, trium lectionum vicem præbens in die festo S. Quirini pro basilica S. Mariæ Trans Tiberim. Quisnam sit Galerius, sub quo duce Quirinus martyrii palmam consecu- D tus a Prudentio dicitur, quærunt atque inter se dissident auctores. Acta quædam exstant apud Mombritium in quibus narratur Quirinum a Maximo præside fustibus cæsum, ad Amantium Pannoniæ præsidem missum, a quo capitalis pœnæ sententiam subiit. Hinc Baronius et Chamillardus Galerium Prudentii intelligunt esse Galerium Maximinum cæsarem, qui Maximinus Daza est appellatus, et a Galerio Maximiano imperatore Orienti erat præfectus. Ruinartius opponit Maximum in Actis memoratum non fuisse cæsarem : misit enim martyrem ad Amantium, quod ipse jus gladii non haberet. Cellarius et Tollius addunt Maximinum illum Dazam nullo præsidatu insignem fuisse, cum cæsar, quod omnes mi-

1041 Quirinum placitum Deo,
Urbis mœnia Sisciæ
Concessum sibi martyrem
1042 Complexu patrio fovent.
Hic sub Galerio duce,
Qui tunc Illyricos sinus
Urgebat ditionibus,
Fertur catholicam fidem
Illustrasse per exitum.
Non illum gladii rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant:
A
Sed lymphis fluvialibus
Gurges dum rapit, abluit.
Nil refert vitreo æquore,
An de flumine sanguinis
Tingat passio martyrem.
Æque gloria provenit
1043 Fluctu quolibet uvida.
Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis episcopus
In præceps fluvio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molis.

GLOSSÆ VETERES.

5. Fovent, *colligunt*, I.
10. Exitum, *mortem*, I.
15. Abluit, *penitus*, I.
16. Refert, *distat, vel differt*, I.
17. An, *utrum*, I.
20. Quolibet, *utroque*, I.
21. Summo, *summitate*, I.
23. Datur, *jacitur*, I.

COMMENTARIUS.

rabantur, renuntiatus est, neque Illyricum post, sed Orientem rexisse. Sed notandum Chamillardum statuere, sub Maximino Daza jam Cæsare passum Quirinum, non antequam Cæsar fieret. Mihi placet sententia Giselini, qui a Prudentio ait designari Galerium Maximianum, qui in Diocletiani locum allectus, Illyricum, Asiam et Orientem obtinebat, tabulisque æreis de interitu Christianorum edicta proponebat. *Maximus* autem ille et *Amantius* de quibus Acta, præsides fuerunt sub Galerio Maximiano, ut aperte innuunt Acta a Bollandianis ad cod. ms. correcta: *Prementibus itaque Maximiani imperatoris legibus, Christianus infestabatur exercitus: per Illyricum vero Diocletianus sacrilegis præceptis in Christi populum hostiliter sæviebat; addito tyrannidi suæ alio Maximiano, in regno participe, qui et suam rabiem, et Diocletiani per omnem Illyricum ostenderet. Fere tamen ad omnes provinciarum judices nefandorum principum sacrilegi apices mittebantur, ut in templis dæmonum immolare cogerent Christianos....... B. Quirinus episcopus Siscianus a Maximo præside jussus est comprehendi... Post triduum autem Maximus Quirinum episcopum jussit ad Amantium præsidem ad primam Pannoniam duci.* Antea legebatur *addito tyrannidi suæ Maximiano:* Bollandiani ex ms. Vat. restituerunt *alio Maximiano*, quo Maximianus Galerius certo intelligitur. Ruinartius et Bollandiani ea acta pro sinceris habent; sed tam hi quam ille hymnum Prudentii addunt. In martyrologio Romano verba illa *sub Galerio præside* fortasse melius in hæc mutarentur *sub Galerio imperatore*, nam Prudentius *ducem* appellavit, ut imperatorem designaret, ut Honorium lib. II in Sym., vers. 1114, *Te precor, Ausonii dux augustissime regni*, et duos fratres imperatores Honorium et Arcadium ibid. vers. 14, *Hæc ubi legatus: Reddunt placidissima fratrum Ora ducum.* Et in Romano de eodem Galerio vers. 31, *Galerius orbis forte Romani statum Ductor regebat.* Ruinartius, quem alii sequuntur, existimat Maximum præsidem vocari potuisse Galerium Maximum, adeoque apte cohærere, quod Quirinus sub Galerio duce, ut ait Prudentius, et sub Maximo præside passus fuerit, ut Acta referunt. Id mihi minus probatur. Versu 1. Ald., Alex., Vatt. B, Q, Hailsbr., Thuan., Noms., Rat., Prag., Heins. et recentiores, *meriti*, ut cum secundo casu conjungatur adjectivum *insignis*. Alii, *meritis*, et nescio an melius, ut *insignis pietate vel armis*.

2. Mar., Widm., Vat. B, Prag., *placidum:* melius *placitum*.

3. Vat. B mendose, *mœniæ*. De diversa ratione scribendi nomen *Sisciæ* dictum jam est ad vers. 1.

4. Alicubi inveni notatum *confessum* ex vet. cod.

5. An hæc verba *complexu patrio* innuant Sisciam patriam esse Quirini, merito dubitari potest. Ex Actis

B nihil constat. Ejus corpus, ut referunt Acta, in basilica ad Scarabetensem portam fuit depositum. Sed cum Acta narrent non Sisciæ, sed in civitate Sabariensi passum Quirinum, hæc porta Scarabetensis ad Sabariam videtur pertinere. Chamillardus narrat, postea, cum barbari Pannonias devastarent, Romam translatum fuisse, et inde Mediolanum per Angilbertum Mediolanensem episcopum. Ruinartius, ex Rudolpho scholastico in vita B. Rabani sæculo IV Benedict., part. II, pag. 12, affirmat Roma in Germaniam translatum, et in celebri Fuldensi monasterio reconditum. Plura addunt Bollandiani.

7. Ex Virgilio I Æneid., *Illyricos penetrare sinus.*

11. Sagittarius cap. 6, de Cruciat. curiose observat sæpius conjungi a SS. Patribus in martyriis recensendis gladium, crucem, bestias, ignem, aliquando tamen unum, vel alterum ex hoc quaternario numero omitti, ut crucem a multis aliis, et hoc loco a Prudentio. Plures ipse auctoritates complectitur.

C 15. Ablutus est Quirinus tanquam lavacro martyrii, quod baptismus sanguinis dici solet, et, ut explicat Prudentius, nihil refert, sive vero flumine sanguinis quis abluatur, effuso scilicet sanguine pro Christo, sive alio modo mortem subeat. In officio ecclesiastico Martyrum sæpe fit mentio effusionis sanguinis, quamvis vere non fuerit effusus: quia perinde est, dummodo vitam pro fide martyr impenderit.

16. Vat. A, *nihil.*

20. Glossa unius Vat. apud Teolium, *Sanguine, an aqua humefacta.*

25. In editione Veronensi Ruinartii ex cod. Germanico ad oram *ingenti lapidum mole*, quod depravatum est. De hoc martyrio Lactantius, cap. 15 de Mortibus persecut. de Diocletiano: *Domestici, alligatis ad collum molaribus lapidibus, mari mergebantur.* Gallonius cap. 1 agit de ponderibus quibus martyres cruciabantur, et advertit Romæ adhuc asservari in

D basilicis SS. Apostolorum, atque Apollinaris et Anastasii ad Aquas Salvias maximi ponderis lapides, nigrique coloris, rotundos, vel oblongos, ferreum annulum saxo impactum habentes, quo funiculus ad ligandum et suspendendum ad pedes vel manus sublime pendentium immittebatur: qui lapides *orbicularia* dicuntur a Josepho lib. de Machab. ad Polybium. Eorum forma exprimitur tabula 5, lit. D. Probat etiam Gallonius post Baronium in notis ad martyrologium, hujusmodi globos lapideos inventos fuisse inferendorum cruciamentorum causa, non æstimandorum onerum gratia, ac diversos etiam fuisse ab illis ponderibus quæ lege 12 tabul. debitoribus exhibebantur. Ut autem vera hæc omnia esse concedam, illud quærendum superest an hæc ipsa

Dejectum placidissimo
Amnis vortice suscipit,
Nec mergi patitur sibi,
Miris vasta natatibus
Saxi pondera sustinens.
Spectant eminus e solo
Doctorem pavidi greges :
Nam Christi populus frequens
1044 Riparum sinuamina
Stipato agmine sepserat.
Sed Quirinus, ut eminens
Os circumtulit, heu! suos
Exemplo trepidos videt,
Nil ipse proprii memor
Inter stagna periculi.
Confirmat pia pectora,
Verbis mitificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Neu constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga vehunt vadis :

A Nec substrata profunditas
Saxoque, et laqueo, et viro
Audet sponte dehiscere.
1045 Sensit martyr episcopus,
Jam partam sibi præripi
Palmam mortis, et exitus,
Ascensumque negarier
Æterni ad solium Patris.
Jesu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi gloria
Hæc est insolita, aut nova,
Calcare fremitum maris,
Prona et flumina sistere.
Scimus discipulum Petrum,
Cum vestigia tingeret
B Mortali trepidus pede,
Dextræ subsidio tuæ
Subjecisse salum solo.
Jordanem quoque novimus,
Tortis vorticibus vagum,
1046 Dum fertur rapido impetu,
Ad fontem refluis retro

GLOSSÆ VETERES.

46. Dicentem, *scilicet hæc, prædicantem*, I
52. Partam, *paratam*, I.
59. Fremitum, *sonitum*, I.
60. Prona, *currentia*. — Sistere, *retro fluere*, I.
65. Salum, *mare*. — Solo, *pede*, I.
67. Vagum, *velocem*, I.

COMMENTARIUS.

pondera quæ nunc in basilicis Romæ, aliisque in partibus asservantur, instrumenta martyrii reipsa olim fuerint. Neque tamen inficior argumentum non leve peti vel ex hoc solo, quod cum epigraphe id indicante ea pondera asserventur : præsertim si ostendatur hujusmodi inscriptiones idoneo antiquitatis testimonio fuisse appositas.

27. Aldus edidit *vertice*, sed correxit *vortice*. Heinsius notat in suis esse *vertice*, et infra vers. 67 *verticibus*.

31. Teolius contra metri rationem, *suspectant*.

32. Rott., *ductorem*, quod non displicebat Gallandio, cum sequatur *greges*.

34. *Sinuamen* vox Prudentii propria, ut peccamen, et alia nomina similia, de quibus alibi.

36. Ald. minus bene, *ut eminus*.

37. Ald., Bong., Widm., Vatt. B, P, Q, Alex., Mar., Prag., Rat., Thuan., *suos exemplo*. Cellarius et Teolius affirmant mss. habere *suo exemplo*, non *suos extemplo :* de *exemplo* pro *extemplo* assentior ipsis. Heinsius solum ait magnum Scaligerum ad Eusebii Chronicon legisse *suo exemplo*, nam in Chronico dicitur *ne suo terrerentur exemplo ;* in Aldo et Ambrosiano esse *tuos exemplo* (Aldus mutavit *tuos* in *suos*), ac veram scripturam in margine editionis Giselinianæ comparere. Giselinus certe edidit *suos extemplo*, et ad oram *suo exemplo*. Non video cur lectio codd. mss. deserenda sit *suos exemplo*, quæ plus dicit quam *suo exemplo :* exemplum enim intelligitur Quirini, etiamsi non exprimatur, et *suos* energice indicat *pavidos greges* Quirini. Itaque Gallandius retinuit *suos exemplo trepidos*. Alia lectio *suo* exstat in Vat. A. Chamillardus mendose edidit *hos* pro *os*, quem incaute secutus est Ruinartius.

42. Vett. edd., et multi mss. habent *mirificis*. Heinsius ex suis scriptis, et in his Ambrosiano restituit *mitificis*, quo vocabulo alibi etiam utitur Prudentius. Ex optimis membranis idem Heinsius in Silio Italico lib. XII legit *mitificus* pro *horrificus*. In hoc hymno *mitificis* confirmant duo codd. quos Ruinartius, et quinque quos Teolius consuluit.

44. Nonnulli vulg., *ne constans*.

53. In martyrologiis et apud quosvis ecclesiasticos scriptores sæpissime palma tribuitur martyribus : quia apud Græcos et Romanos palma erat victoriæ insigne, et cap. VII Apocal., vers. 9, describuntur martyres *amicti stolis albis*, *et palmæ in manibus* C *eorum*. Sacra congregatio indulgentiis et sacris reliquiis præposita, anno 1668 decrevit, *palmam et vas illorum* (martyrum) *sanguine tinctum pro signis certissimis* (martyrii) *habenda esse*. Disputatum diu est an sola palma sit idoneum martyrii signum : nunc vero fere pro certo habetur solam palmam non constituere certum martyrii indicium.

57. Nonnulli vulg., *gloriæ*, mendose.

59. Gis., *calcare et fremitum*. Alii, etiam ipse Gis. prima ed. sine *et*. Ultima in *calcare* producitur ratione cæsuræ, et ob *fr* dictionis sequentis.

65. Nebrissa ait, *In quo posset ingredi, quasi in solo.* At solum hic accipitur pro solea seu planta pedis. Vide Cathem. 3 hymn. vers. 129.

67. Teolius explicat, *Instabilem ob frequentes vortices*, et ita putat accipi posse Ammiani Marcellini verba de Druentia flumine, *vorticibus vagis intortum* lib. XV, cap. 10, quin necesse sit cum Valesio hanc lectionem sollicitare. Quæ quidem acute excogitata esse, non D diffiteor. Sed puto Prudentium ex Horatii imitatione *vortices tortos* dixisse undas repulsas a loco in quem feruntur, ut refluentem Jordanem describat. Horatius, lib. I, oda 2, de Tiberis inundatione : *Vidimus flavum Tiberim, retortis Littore Hetrusco violenter undis, Ire dejectum monumenta regis, Templaque Vestæ.* Bene *flavum Tiberim*, nunquam enim magis est arena flavus et turbidus Tiberis (quanquam semper est turbidus) quam cum hujuscemodi inundationes contingunt : quæ tum solent accidere cum, plurimis collectis aquis ex imbribus aut nivibus resolutis, præterea ventus ita ostiis fluminis est oppositus, ut undas ejus repellat ac retorqueat. Hinc intelligitur quid sit *retortis littore Hetrusco violenter undis*, et in Prudentio *tortis vorticibus*.

Confugisse meatibus.
Hæc miracula sunt tuæ
Virtutis, Domine, ut modo
Suspendor, leve prænatans,
Summo gurgite fluminis,
Cum collo scopulum traham.
Jam plenus titulus tui est,
Et vis prodita nominis,
Quam gentilis habet stupor.
Absolvas, precor, optime,
Hujus nunc animæ moras.
Quid possis probat amnicus
1047 Qui vectat silicem liquor.
Hoc jam, quod superest, cedo,

A Quo nil est pretiosius,
Pro te, Christe Deus, mori.
Orantem simul halitus,
Et vox deserit, et calor;
Scandit spiritus ardua;
Fit pondus grave saxeum:
Corpus suscipiunt aquæ.

VIII HYMNUS

DE LOCO IN QUO MARTYRES PASSI SUNT, NUNC BAPTISTERIUM EST.

Electus Christo locus est ubi corda probata
1048 Provehat ad cœlum sanguine, purget aqua.

GLOSSÆ VETERES.

70. Meatibus, *transititibus*, *vel viis*, Iso.
73. Leve, *leviter*, I.
76. Titulus, *gloria*, I.
B 78. Hebet, *stupet*, *timet*, *vel mollescit*, *vel non audeant*, *sicut prius*, I.
83. Cedo, *da*, *precor*, I.

COMMENTARIUS.

72. Heinsius distinguit *Domine. Ut modo*, et post, vers. 75, *traham!* cum admirationis nota. Melius intelligitur *ut* significare *sicut*, scilicet *sicut miraculum est hoc*, *quod modo*, etc.

73. Rat., Mar., Vatt. B, Q, Gis., Weitz., *suspendar*. Vat. A, Alex., Thuan., Noms., Ambr., Heins., *suspendor*.

75. Mariett. mendose *scopum traham*. Acta habent: *Jussit*, *sancto Dei sacerdoti*, *vel famulo molam ad collum alligari*. Usuardus: *Qui pro fide Christi* (*ut Prudentius scribit*) *ligato ad manum molari saxo in flumen præcipitatus*, etc., quod alii etiam expresserunt. Fortasse hic error ex verbis S. Hieronymi natus est, qui *manualem* molam ad collum ligatam scribit. Nam *ad manum molari saxo* factum videtur ex *manuali mola*, sive, ut alii loquuntur, *manuaria*.

76. Mar., *cum*; supra, *jam*.

77. Oxon., *jam vis* pro *et vis*.

78. Vat. A, Rat., Mar., Sich., Iso, Weitz., Gis., *hebet stupor*. Scripti omnes Heinsiani, et alii nostri, *habet*. Teolius solum vidit unum Vat. ubi est *Qua gentilis hebet stupor*, quod fecit suum Weitzius. In Vat. Q est *habet*, et supra glossa *id est*, *debet*. Isonis glossa facta est pro *hebet*.

81. *Amnicus* vox Plinii, Apuleii et aliorum.

83. Terentius, Plautus, Persius et alii usurpant *cedo* pro *da*.

84. Aliqui codd. *nihil* pro *nil* scribunt. Vat. P, *quod nil est*; Vat. Q, *quo nil pretiosius*: utrumque mendose. Post hymnum S. Quirini in Alex., Vat. B et Mar. sequitur passio Cassiani, et post hanc *De loco Baptisterii*.

1. Ascripsi titulum ex Mar. et Rat. Ita etiam Vat. A, sed post *est* addit *Calagorræ*. Aldus, *Locus ubi martyres passi sunt*, *quod nunc baptisterium appellatur*. Alex., *Incipit de loco*, et alia, ut in Mar. Heinsius etiam consonat Marietto, sed post *est* adjungit *Calagurri* ex Oxonio. Egm. addit *Calagorra*, Hailsbr. *Calagurra*. Fabricius, *Hymnus imperfectus de loco duorum martyrum ubi nunc baptisterium est*. Mihi perfectum videtur hoc D poemation: sunt enim versus facti ut in aliquo baptisterio affigerentur, ut ego quidem puto, et innuit inscriptio in codice Florentino de quo dixi prolegom. num. 85 et seqq., *Versus in laudem baptisterii duorum martyrum sanguine illustrati*, vel, ut legitur in Urb., *illustris*. Quodnam fuerit hoc baptisterium quærunt interpretes. Giselinus, Weitzius, Chamillardus putant esse baptisterium in carcere Mamertino ubi SS. Processus et Martinianus baptizati sunt. Parum tamen id probabile videtur: nam Prudentius diserte ait eo ipso in loco duos martyrium tulisse, et in carcere Mamertino neque apostoli Petrus et Paulus, neque Processus et Martinianus occisi sunt. Præterea in hoc carmine sermo est de baptisterio quod omnibus esset apertum dum scribebat Prudentius. At Romæ baptisterium publicum erat ad S. Joannis in Laterano, in carcere Mamertino fuisse non constat. Weitzius ignorabat quam longe a Vaticano custodia Mamertina distet, cum affirmet baptisterium hoc fuisse locum Romæ in Vaticano prope custodiam Mamertinam. Fortasse voluit scribere *in Capitolio*. Cancellierius in dissertatione Italica de hoc carcere, jam ante a me laudata, cap. 17 testatur se carceris Mamertini, ad ecclesiæ usum consecrati, mentionem non invenisse antiquiorem ea quæ fit a Maphæo Vegio in historia antiquæ basilicæ Vaticanæ Eugenio IV dicata, ubi ait: *E regione ædiculæ B. Petri in carceribus sub arce Capitolii*. C. Riscus affirmat nullum dubitandi locum jam esse quin de Calagurri sit sermo, postquam Heinsius ex Oxon. Calagurrim in lemmate posuit; C adeoque opinatur hos versus statim post hymnum SS. Hemeterii et Celedonii esse reponendos. Verum jam ante Heinsium similem titulum in Egm. et Hailsbr. Weitzius notaverat; neque satis firmum est quod ex hujusmodi inscriptionibus petitur argumentum, præsertim ubi variant codices veteres. Non enim liquet quæ et qualia lemmata Prudentius ascripserit. Adde in nullo codice hos versus cum hymno SS. Hemeterii et Celedonii conjungi. Baptisterium igitur quod laudat Prudentius, exstitisse Calagurri veterum codicum inscriptiones suadent, sed non persuadent, siquidem non ab auctoris manu, sed ex alterius opinione, qui ita existimaverit, videntur esse appositæ. Neque exploratum habeo an Calagurri eo ipso in loco ubi SS. Hemeterius et Celedonius passi sunt, baptisterium fuerit erectum. Itaque illud tantum affirmari potest hos versus factos in laudem baptisterii alicujus sive Romæ, sive Calagurri, sive quovis alio in oppido erecti ubi prius duo martyres pro Christo passi fuerant. Hujusmodi epigrammata ad ornanda baptisteria fieri solebant. Apud Ennodium lib. II, epigr. 20, *In baptisterio Agello*, *ubi picti sunt martyres quorum reliquiæ conditæ sunt*. S. Paulinus epist. 12 mittit ad Severum tria epigrammata quæ possent apponi baptisterio, a Severo duabus basilicis interposito, duo scilicet de picturis baptisterii, et tertium de ipso baptisterio, quod cum hoc nostro Prudentii conferri potest: est enim simillimum. Jam in 1 versu Egm. et Palat., Vat. P, Weitz., *locus hic*, *ubi*. Weitzius nullas glossas e suis codicibus huic hymno adjecit. Desunt etiam in Vatt. plerisque glossæ veteres. Mariettus e suo codice adnotavit ad vers. 2, *provehat* -- *id est*, *Christus*.

Hic duo purpureum, Domini pro nomine cæsi,
Martyrium pulchra morte tulere viri.
1049 Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne novo.
Qui cupit æternum cœli conscendere regnum,
Huc veniat sitiens : ecce parata via est.
Ante coronati scandebant ardua testes
Atria, nunc lotæ celsa petunt animæ.
Spiritus ætherio solitus descendere lapsu,
Ut dederat palmam, sic tribuit veniam.
Haurit terra sacros aut fonte, aut sanguine rores,
Exundatque suo jugiter uda Deo.
Ipse loci est dominus, laterum cui vulnere utroque
1050 Hinc cruor effusus fluxit, et inde latex.
Ibitis hinc, ut quisque potest, per vulnera Christi,
Evectus gladiis alter, et alter aquis.

IX HYMNUS.

PASSIO S. CASSIANI FOROCORNELIENSIS.

Sylla forum statuit Cornelius : hoc Itali urbem

GLOSSÆ VETERES.

1. Forum, *civitas.*—Hoc, *forum*, l.

COMMENTARIUS.

3. In Aldo desideratur hic versus, quem se restituisse gloriatur Fabricius; sed jam exstabat in præcedentibus multis editionibus. Gis. et Fabr. legunt *Christi* pro *Domini*.

4. Liquet in loco baptisterii martyres fuisse passos. Barthius in aliam interpretationem abiit, cui Cellarius videtur adhærere : scilicet lib. XLIV, cap. 2, tradit veteres Christianos baptisteriis reliquias supposuisse, et hanc putat esse interpretationem Apostoli I Corinth., cap. XV, vers. 29 : *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis?* Affertque hos Prudentii versus, et epigramma, quod nuper dixi, Ennodii. Et versus quidem Ennodii clare affirmant in baptisteriis condita corpora martyrum : *Conditor Armenius, superum qui dignus honore est, Hic peperit fontem vivificantis aquæ. Rapta sepulturis animavit corpora pictor. Funera viva videns mors eat in tumulum. Illorum tamen iste locus complectitur ortus. Quas paries facies, mens tenet alma fide.* Addit Barthius : *Multa alia huc cumulari possint; sed nos contenti sumus ex solis poetis illustrare locum Apostoli, quos alioquin spernunt non pauci theologosophistæ, primum quia non intelligunt, deinde quia talia scire non quærunt, etc.*, concludit, *ex hoc divino scriptore* (Prudentio) *plurima ad Ecclesiæ veteris mores observari posse.* Duo tamen contra Barthium dici possunt; primum, quo tempore Apostolus de baptismo pro mortuis ea verba protulit, nondum videri fuisse baptisteria quibus reliquiæ seu corpora martyrum fuissent supposita. Alterum, in Prudentii his versibus nihil omnino exprimi ex quo arguatur corpora duorum martyrum certo esse in eo baptisterio condita : nam Prudentius solum ait eo in loco martyrium tulisse. Et, ut ego arbitror, si corpora etiam ibi fuissent sepulta, non id tacuisset Prudentius.

6. Fortunatus æmulatus est Prudentium in hymno de Resurrectione Domini : *Candidus egreditur nitidis exercitus undis, Atque vetus vitium purgat in amne novo.* Notavit jam pridem Giselinus, et post Giselinum alii. Dicitur *amne novo*, ut opponatur veteribus maculis, et quia baptismus hominem renovat. Sic de gratia baptismatis Apoth. vers. 880, *Christique inopem nova gratia mundat :* nam *Christi gratiam* veteres Christiani interdum antonomastice pro baptismo dicebant, quod breviter innui in comment. ad eum vers., et veteribus inscriptionibus atque Actis martyrum uberrime posset confirmari.

10. Hailsbr. a prima manu, *tunc lætæ*; melius *nunc lotæ*.

11. Ald., Mar. a prima manu, Vatt. A, P, Alex., Urb., Gis., plures Heinsiani, *æterno*. Vat. B, Rat., Prag., Weitz., nonnulli Heinsiani, *æthereo* vel *ætherio*, quod Giselinus etiam in nonnullis viderat, et rectius putavit Heinsius. Defendi potest *æterno*, quia postea eodem sensu dicitur *jugiter*.

12. Mar. a prima manu, Rat., Vat., *tribuat*. Melius est *tribuit*.

13. Rat., Mar. a prima manu, contra metrum, *alit*. Mar. supra, *haurit;* ad oram, *hausit*. Alex. scribit *aurit*.

14. Heinsius ex Thuan. restituit *uda* pro *unda*. Favet Alex., ubi etiam est *uda*. Sic etiam Cathem. v, vers. 116, de humo, *Fundit fonticulis uda fugacibus*, rectius et concinnius quam *unda*. Miratur aliquis Chamillardum dixisse *Hactenus jugiter unda Deo*, cum præcessisset Heinsius. At Chamillardus sæpe ita loquitur, verba Heinsii transcribens, quem in lectionibus variantibus indicandis se secutum, in præfatione clare monuit.

15. De duplici vulnere lateris abunde disseruimus ad vers. 86 hymni IX Cath. Addere juvat locum a Teolio indicatum, ex Actis S. Genesii inter opera S. Paulini : *Cui unius baptismatis duplex gratia ex utroque scilicet Christi latere et aqua, et sanguis parabatur.* Rosweydus suspicatur hanc homiliam esse Paulini Biterrensis episcopi, qui Paulino Nolano aliquanto anterior. Papyrius Massonus in descriptione fluminum Galliæ eam tribuit Patienti Lugdunensi episcopo. Ab eadem opinione de duplici vulnere abhorrere non videtur Thomas Hurtado de Vero Martyr. resolut. 35, digress. 2, sect. 8, ubi ait S. Augustinum innuere utrumque Christi latus lancea perfossum fuisse, de Temp. Barbar. cap. 8, *Per has angustas portas pene jam totus mundus intravit.*

17. Weitz., *prout quisque :* plerique alii, *ut quisque*.

18. Ald., Galland., Torn., *devectus*. Alii, *evectus*. Gis. prima ed., *devectus;* secunda ed., *enectus* mendo typographico, quod correxit in emendatis, sed non observavit Heinsius, qui contra sensum edidit *enectus*. Agitur enim de martyribus qui gladiis evehuntur in cœlum, et de baptizatis qui aquis *atria celsa petunt*. De baptisteriis Christianorum præter alios videri possunt Lupius alias laudatus, et Annibal degli abbati Olivieri-Giordani, *Dell' antico battistero della S. Chiesa Pesarese. In Pesaro* 1777. Post hos versus in Rat. et Mar. sequitur passio S. Romani.

1. Ita inscribitur hic hymnus apud Parrhasium. Alex. similiter, *Finit Passio Quirini. Incipit passio*, etc. Vat. A addit *ad Valerianum episcopum*, quod mendose ex hymno Hippolyti ad hunc est translatum. Rat. *Passio S. Cassiani martyris Forocorneliensis.* Vat. B, Mar. *Passio S. Cassiani Forocorneliensi* (sic). Aldus, *Passio Cassiani martyris.* Heinsius cum Alex. facit. In Mar., Alex. et aliis hæc passio ponitur statim post hymnum S. Quirini. Duas hujus hymni versiones carmine Italico factas et editas recensui in proleg. num. 121 ubi indicavi episcopatum Forocorneliensem S. Cassiani mihi non probari : neque nunc aliter sentio, quamvis sciam apud Forum Cornelii et traditionem vigere, et picturam exstare, qua hic episcopatus exhibetur : nam utramque recentem puto,

1051 Vocant ab ipso conditoris nomine.
Hic mihi, cum peterem te, rerum maxima Roma,
Spes est oborta, prosperum Christum fore.
Stratus humi, tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera, et omnes
1052 Vitæ labores, ac dolorum acumina,
Erexi ad cœlum faciem; stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stylis:
Unde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur adnotantes scripserant.
Æditaus consultus ait: Quod prospicis, hospes,
1053 Non est inanis aut anilis fabula.

GLOSSÆ VETERES.

4. Prosperum, *propitium*, Vat. A.
7. Reputo, *pro reputavi*, I.
10. Fucis, *nigris coloribus*, *aromatibus*, I.
14. Stylis, *graphiis*, I.
15. Pugillares, *tabulas*. — Percurrere, *scribere*, I. — Ceras, *cereas tabulas*, Vat. A.
17. Consultus, *interrogatus*, I.

COMMENTARIUS.

nullisque antiquis monumentis confirmatam. Cassiani patriam fuisse Forum Cornelii innuunt nonnullæ inscriptiones hymni; sed Prudentius minime id affirmat, et inscriptiones, utpote ab aliis additæ, exiguum habent robur ad persuadendum, ut dixi ad hymnum SS. Hemet. et Celed. De hoc martyre alia certa non sunt præter id quod tradit Prudentius, ex quo alii Acta concinnarunt Dubia sunt, et, ut ego opinor, falsa alia Acta, in quibus Cassianus episcopus Brixinensis dicitur a qua diœcesi pulsus Imolam advenerit. Antonium Roschmannum, qui episcopatum Brixinensem, seu Sabionensem S. Cassiani asserere conatus est, Hieronymus Tartarottus confutavit in epist. ad eumdem, edita Venetiis 1750. Corpus S. Cassiani Imolæ (sic enim nunc Forum Cornelii appellamus) sub ara principe ecclesiæ cathedralis asservatur. Videri possunt Bollandiani ad diem 13 Augusti. De legenda hujus martyris, quæ in codice Vat. x exstat, dixi cap. 4 prolegom., num. 79. Ad hujus hymni explanationem conferunt epistola 8, lib. v, Bembi, et epistola Lipsii 32, cent. 1, ad Belgas. Uterque artem veterem notariorum restitui desiderant, Bembus etiam librum antiquum Hygini de sideribus his notis scriptum vidit. Joann. Clericus de Stylis veterum, variisque chartarum generibus, Hermannus Hugo de Origine scribendi, pluresque alii multa ad hunc hymnum spectantia exponunt. In catalogo codicum mss. bibliothecæ Bernensis I. R. Sinner meminit codicis Bongarsiani, quo usus est Weitzius, de quo vide prolog. num. 99 et not. *b* (*col.* 638 *not. d*). Sinnerus eum codicem distinctius describit, et in præfatione sui catalogi narrat ad hunc hymnum exhiberi pictam historiam S. Cassiani, duabus tabulis carmini appositis, quarum prima Cassianus ad pulpitum sedens pueros docet: hi scamnis insidentes stylos una manu, altera libros gestant; in secunda tabula pueri Cassianum stylis confodiunt. Forma librorum quos pueri gestant nostris est similis: ex quo arguit Sinnerus, jam Cassiani sæculo hunc morem in locum voluminum obtinuisse. Non assentior: pictor sæculo IX, quo codex exaratus dicitur, sui sæculi, non sæculi Cassiani, morem videtur effinxisse. Sæculo v libros nostris similes cœpisse verior est sententia.

2. Heinsius cum Ambr., *vocitant*, quod rectius esse ait quam *vocant*. Adhæret Parrhasius, qui ita pariter legit; et Prudentius, hymn. 18 martyrum, vers. 3, etiam dixit: *Cæsaraugustam vocitamus urbem*. Sed illic metrum exigebat *vocitamus*, hic sive *vocant*, sive *vocitant* dicatur, constat versus. Gallandius prætulit *vocant*: *Et recte*, inquit, *quia est versus senarius iambicus*. Hac ratione non minus recte dicetur *vocitant*. Cum hoc Prudentii hymno conferri possunt vetera Acta, sed ex hoc eodem hymno desumpta: de quibus Beda in prologo ad Vitam S. Felicis apud Bollandianos tom. I Januar. ad diem 14, ubi ait placuisse sibi ex carminibus S. Paulini Vitam S. Felicis presbyteri Nolani concinnare, *ejusque imitari industriam qui martyrium B. Cassiani de metrico opere Prudentii in commune apertumque omnibus eloquium protulit*. Exstant ea Cassiani Acta apud Mombritium. Fide etiam et auctoritate Prudentii nituntur quotquot veteres de Cassiano scripserunt, Gregorius Turonensis lib. I de Glor. mart., Ado, Usuardus, Notkerus, Petrus Damiani et alii.

4. Gis. prima edit., *propitium*, quæ est glossa pro *prosperum*.

5. In Eulalia vers. 5, *Ossibus ornat*.

7. *Vulnera*. Cellarius et Teolius crimina, peccata exponunt. Non abnuo; sed intelligi etiam possunt adversæ fortunæ casus. Vide vers. 101 et seqq.

9. Mar. pro div. script., *obviam*. Retine *obvia*. Imaginem Cassiani in ipso altari positam fuisse perspicuum est: neque tam claro exemplo hæretici habent quod opponant, nisi gerras et nugas. Jam enim tunc ad eam imaginem Christiani preces fundebant: vers. 97, *Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes*, *Ratasque reddit quas videt probabiles*. Exemplum hoc imaginis in altari collocatæ, et aliud Romæ in ecclesia S. Hippolyti, ejusmodi erant quæ neque a multis sanctissimis episcopis ignorari poterant, neque tolerari si hæc eis inesset idololatria quam sibi fingunt heterodoxi, aliisque volunt persuadere.

10. *Fucus* in pictura passim dicebatur. In cod. Theod. lege 17, de pœnis: *Omnia simulacra* (Eutropii) *tam ex ære quam ex marmore, seu ex fucis, quam ex quacunque materia quæ apta est effingendis . . . præcipimus aboleri*. Vide Gothofredum ad hunc locum.

14. Thuan., *concessa* pro *confossa*, quod mallet amplecti Chamillardus, et Teolius ex nonnullorum codd. fide fortasse rectum dicit. Casaubonus, in Julio Cæsare, pag. 42, ad verba Suetonii, *Arreptum graphio trajecit*, de martyribus aliisque agit qui stylis vel calamis confossi obierunt.

15. Ald., *præcurrere*. Bollandiani notant *unde* sumi pro *quibus*, scilicet stylis. Chamillardus ait tabellas cereas dictas *pugillares*, quia stylo in eis pungendo scribebatur; Teolius a pugno seu pugillo, quo circumferri solebant assidue. Putant enim aliqui pugillare esse quod ad pugillum pertinet, seu pugillum implet In hymno 10 Cath., ad vers. 144, dixi pugnum et pugillum genus esse mensuræ apud coquos et medicos; et apud coquos quidem id significari videtur quod pugno potest comprehendi; apud medicos vero pugillum esse quantum quinque summis digitis pugni levari aut apprehendi potest, monuit me cl. Franciscus Petraglia, non solum artis suæ medicæ cognitionibus instructus, scriptisque notus, verum etiam amœnioribus litteris ornatus.

16. Vat. A mendose, *annotante*. Mar., *scripserunt*; supra rectius, *scripserant*. Chamillardus interpretatur: *Scholare pensum annotarant, scripserant*.

Historiam pictura refert; quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.
Præfuerat studiis puerilibus, et grege multo
Septus magister litterarum sederat.
Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus,
1054 Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera nonnunquam præcepta, et tristia visa
Impube vulgus moverant ira et metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiæ est.
Ecce, fidem quatiens tempestas sæva, premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu e medio moderator alumni

GLOSSÆ VETERES.

24. Præpetibus, *velocibus*, I.
27. Ephebo, *imberbi juveni*, I.
29. Tempestas, *persecutio*, I., Mar.
31. Moderator, *magister*. — Alumni, *juvenilis*, Mar.

COMMENTARIUS.

19. Hæc advertant velim, qui putant Prudentium ex solis picturis non bene intellectis Acta martyrum interdum adornasse. Imo ego existimo, præter peritiorum narrationem, ipsum Acta sincera quæ tunc erant consuluisse, sed ad poeticum quemdam gustum res exposuisse, tanquam ex alterius referentis ore, aut quia audita primum ab æditho postea ipse diligentius perlegit. Non erat autem hic æditunus, quod aliqui putant, homo aliquis illitteratus: nam oportebat illum esse clericum ordinatum, ut colligitur ex epistola S. Cornelii papæ. Vide Thomassinum tom. I, lib. II, cap. 30, de Discipl. eccles.

20. Etsi tempus vetustum Prudentius appellet, tamen res potuit eodem sæculo IV contigisse. Sic in Romano vers. 32, *Ut refert antiquitas*, et tamen de Galerio imperatore loquitur. Verum etiamsi hæc antiquitas, et vetustas commode possit referri ad initium sæculi IV, tamen inopportunum est eam exponere de tempore Juliani Apostatæ, qui anno 363, post breve imperium, exstinctus est. Vide vers. 31.

22. *Sessio* plerumque auctoritatem indicat. Sic jurisconsulti apud Ciceronem sæpius sedentes, aut in solio consulentibus respondere dicuntur. Judices etiam sedebant, cum sententiam proferebant. Notum est de Pilato, pro tribunali sedente. Jos. Ant. Gonsalus de Salas ad Petronii verba, *Atque eques, in causa qui sedet*, pag. 36 alia exempla profert. Magistri litterarum, quibus res erat cum parvulis, sellæ non nimis altæ insidebant. Plautus in Bacchid. III, 3, 28, *In sella apud magistrum assideres*. Docebant vero Christiani etiam ethnicorum filios, ut ex hoc hymno liquet, et colligitur ex Actis SS. Montani, Lucii, Flaviani et aliorum apud Ruinartium, ubi Flavianum discipuli hortabantur ut sacrificaret, quod dicerent, *ultimi furoris esse magis mala mortis timere, quam vivere:* quæ verba alii aliter legunt. Sed paulo ante § 12, *Cum Flaviani adjutorium reclamaret amore perverso*, recte cl. Giovenazzius corrigendum censet *auditorium* pro *adjutorium*, cum sermo sit de discipulis.

23. Locus hic postulat ut de notariis quædam explicemus, quorum artem docebat Cassianus. Dominicus Aulisius, lib. I *delle Scuole sacre*, cap. 17 et 18, hac de re disputat. Ex Cosma monacho Ægyptio circa annum 540 refert scribas templi Hierosolymitani ex munere scripsisse sermones prophetarum, prout eos ab ipsis excipiebant, unde in prophetis apparet quædam confusio, de qua videri potest Daniel Huetius in Præpar. evang., propos. 4, cap. 14, et S. Hieronymus in prologo ad prophetiam Hieremiæ. Cum notarii in foro Romano similes scribis templi Hierosolymitani fuerint, colligi potest hinc natam confusionem nonnullam in Actis SS. martyrum. Celeritatem scribendi in notariis veteres ipsi, qui ei rei inspiciendæ assueti erant, valde mirantur. Martialis, lib. XIV, epigr. 208, *Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus.* Legi etiam potest epigramma Ausonii 137 ad notarium velocissime excipientem: *Puer notarum præpetum*, etc. Videntur autem fuisse nonnulli exceptores qui tanta velocitate scriberent, ut verba omnia redderent. Nam in homilia de martyrio S. Genesii inter opera S. Paulini ita legitur: *Sanctus itaque Genesius in juventutis flore primævo, provincialis militiæ tirocinium suscepit, eam officii partem studio et arte complexus, quæ patronorum verba vel nova signorum velocitate, vel dexteræ sonum vocis æquaret.* De notis Isidorus, lib. I Etym., cap. 22, *Notarum usus erat, ut quidquid pro concione aut in judiciis diceretur, librarii scriberent complures simul astantes, divisis inter se partibus, quot quisque verba, et quo ordine exciperent. Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentatus est notas... Notæ autem dictæ eo quod verba vel syllabas præfixis characteribus notent, et ad notitiam legentium revocent, quas qui didicerunt, proprie jam notarii appellantur.* Peveratus aiebat apud se exstare notas mss. Tironis, et censet supposititias esse notas quas Gruterus Tironi ascripsit. Hinc colliges aliud fuisse litteris, aliud notis scribere. Notæ erant puncta, seu signa, seu singula in parvis et brevibus figuris vim multarum litterarum continentia, aliquantulum similia compendiis litterarum, quæ nunc *abbreviaturas* et *cifras* dicimus, sed magis simplicia, ut videtur. Confer epigramma de ludimagistro, et notas Burmanni Antholog. pag. 453 tom. I.

24. Puncta sunt notæ, ut diximus. Ausonius loc. cit., *Punctis peracta singulis Ut una vox absolvitur:* conjunxit utrumque nomen *puncta singula*. Barthius, lib. XVII, cap. 9, advertit Prudentium eleganter usum verbo *sequi*, quod notat facilitatem in cera facili flexu. Plinius junior lib. VII, epist. 9, *Ut laus est ceræ, mollis, cedensque sequatur Si doctos digitos, jussaque fiat opus.* Lucanus lib. IX, *Solem cera sequetur.*

25. Mar., Rat., Weitz., Bong. a secunda manu, Vatt. B, P, X, Gifanius Ind. Lucr. verbo JUSSA ex vet. lib., Parrhasius, plerique Heinsiani, *jussa*. Ald., Bong. a prima manu, Fabr., Ambr., Noms., Heins., Ruinartius ex codice S. Michaelis, *visa*, scilicet præcepta, quæ aspera et tristia discipulis videbantur. Giselinus edidit *visa*, sed in aliis invenit *jussa:* quod, inquit, adeo allubescit, ut, quid debeam præferre non videam.

26. Mar., *moverat;* supra, *moverant*.

27. His similia S. Ambrosius lib. VI Hexaem. cap. 6: *Nam quæ ignavis, aut infirmis, aut impiis plerumque offensioni atque terrori sunt, aliis usui ita sunt hæc, ut pædagogi parvulis. Amari videntur, acerbi et molesti, formidabiles verbere, libertatem lasciviendi negant, necessitatem disciplinæ exigunt, pueriles animos, ne luxu diffluant, terrore constringunt.* Nec dissimilia alii passim.

28. Teolius, *ulla*, mendose, ut puto.

31. Nonnulli ex his versibus colligunt Cassianum sub Juliano Apostata passum; perinde quasi Prudentius dicat eum comprehensum fuisse, quod pueros doceret, cum idolis sacrificare nollet, quod Juliani edicto vetitum erat; sed vetustius tempus videtur indicare Prudentius vers. 20, et causam martyrii clare innuit fuisse, quod Christianum nomen profiteretur, minime vero quod pueros doceret. Consule Bollandianos. Neque vero laudabilis Cassianus videretur, si contra imperatoris edictum pueros docere pergeret. Sic de Victorino Augustinus lib. VIII Confess., cap. 5,

1055 Gregis, quod aris supplicare spreverat. A
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu;
Respondent : Agmen tenerum, ac puerile gubernat,
Fictis notare verba signis imbuens.
Ducite, conclamat, captivum : ducite, et ultro
Donetur ipsis verberator parvulis.
Ut libet, illudant, lacerent impune, manusque
Tingant magistri feriatas sanguine.
Ludum discipulis, volupe est, ut præbeat ipse
Doctor severus, quos nimis coercuit.
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
Adest acutis agmen armatum stylis.
1056 Quantum quisque odii tacita conceperat ira,
Effundit ardens felle tandem libero.
Conjiciunt alii fragiles inque ora tabellas
Frangunt : relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva, et humens pagina.
1057 Inde alii stimulos, et acumina ferrea vibrant,

GLOSSÆ VETERES.

36. Fictis, *formatis*. — Imbuens, *docens*, Mar.
37. Ultro, *cito*, *statim*, I.
40. Feriatas, *armatas*, *vel otium habentes*, I.
42. Coercuit, *strinxit*, I.
43. Vincitur, *ligatur*, I. — Manus, *per manus*, Mar.
46. Felle, *furore*, Iso.
49. Impacta, *immissa*, *ingesta*, I.
51. Vibrant, *quatiunt*, I.

COMMENTARIUS.

narrat eum Juliani legem amplexum, loquacem scholam deserere maluisse quam verbum Domini : idem refert de Musonio Eunapius, et de Proæresio Hieronymus in Chronico : *Proæresius, sophista Atheniensis, lege data, ne Christiani liberalium artium doctores essent, cum sibi specialiter Julianus concederet, ut Christianos doceret, scholam sponte deseruit.*

34. Parrhasius, *rebelli*, non recte.

35. Parrhasius, *respondit*, male.

36. Rott., tres Torr., *strictis*, pro *fictis*, nec male, aiebat Chamillardus. Ficta signa sunt notæ, de quibus supra.

38. Scriptor, Prudentio antiquior, non occurrit qui dixerit *verberator*. Apud Ciceronem exstat *verberatio*.

40. *Feriatas* est ferias celebrantes. Postea vers. 75 : *Non petimus toties te præceptore negatas, Avare doctor, jam scholarum ferias.*

41. Vat. B, Weitz., *volo sese*. Hailsbr., Bong., Widm. ad oram, *volo per se*. Probum est *volupe est* pro *jucundum est*, auctoribus Terentio et Plauto. C

42. Ald., Cellar., Thuan., Gis. ad oram, *minis* : alii plerique, *nimis*.

43. Rat., *amictum* minus bene. In nonnullis vulg., *spoliatur*; melius *spoliatus*.

44. Simile martyrium refertur de S. Felice in Pincis, qui Romæ passus est XIX cal. Febr., quod tamen merito rejiciunt Bollandiani die 14 Jan. in comm. prævio ad Vitam S. Felicis Nolani, § 6. Nicephorus, lib. XV, cap. 18, narrat Stephanum Antiochiæ episcopum a pueris interfectum calamis instar telorum præacutis. Theodoretus lib. III Histor., Sozomenus lib. V, et ante hos S. Gregorius Nazianzenus orat. in Julian. Marcum Arethusiorum episcopum cultris pennariis a pueris vexatum commemorant : de cujus recta fide et cultu apud catholicos videri possunt Bollandiani ad diem 21 Martii.

46. Ald., Weitz., *effudit*. Ald., Vat. X, *tantum*; alii, *tandem*.

47. Multi scribunt *coniciunt*. Ald., vetus codex ad D marg. edit. Weitz. apud cl. præsulem Reggium, Torn. in contextu, *lapides* pro *fragiles*, quod exstat in plerisque. Pro *ora* habent *ore* Vat. A, Bong., Weitzius. Sed concinnius est *in ora*. S. Gregorius Turonensis de Gloria martyrum lib. I, cap. 43, ex Prudentio, ut puto, idem fere exprimit : *Ceratas in caput illidunt tabellas.* Plautus Bacchid. III, 3, 36 : *At nunc, priusquam septuennis est, si attingas eum manu, Extemplo puer pædagogo tabula dirumpit caput.*

48. Scribebant veteres in corticibus, papyro, pergameno corio, frondibus arboreis, sed præcipue in tabulis ceratis. Fieri autem solebant pugillares, sive hujusmodi tabulæ ceratæ e ligno, fago, acere, citro, ebore, aliquando crystallo et onyche, plerumque e buxo. S. Ambrosius lib. III Hexaem., cap. 13 : *Buxus* B *quoque elementorum apicibus utilis exprimendis, levi materia, usum manus puerilis informat. Unde ait Scriptura : Scribe in buxo.* Locus exstat cap. II Habacuc, vers. 2, ubi Vulgata habet : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.* S. Ambrosius cum LXX vertit *in buxo*, aut *super buxum*. Dicitur autem *buxus*, *buxi*, et *buxum*, *buxi*. Pulchra est elegia Propertii lib. III de Amissis Pugillaribus, ubi inter alia ait : *Non illas fixum caras effecerat aurum, Vulgari buxo sordida cera fuit.*

50. Vat. B, Mar., Rat., Weitzius, *curva tumens*. Ald., Widman. supra, plerique Heinsiani, Vatt. P, Q, codex unus Bolland., *curta tumens*. Vat. X, *curvo tumens*. Hailsbr., *curve tumens*. Pal., *custe tumens*. Cauchius *curva, et humens*. Ambr., *chartæ et humens* Parrhasius, *Rubetque ab ictu chartæ, et humens pagina*. Gronovius, cap. 5 Observat. eccles., conjecerat *curta, et humens pagina*. Scilicet CURTA *mutilata, truncata, recisa* : HUMENS, *cruore martyris*. Ita etiam castigaverat Heinsius ad Claudianum, et in textum admisit cum Thuan. Giselinus agnoverat varietates lectionum, in pervulgatis *curva tumens*, in Gandavensi *curta tumens*, in Daventriensi *curve turgens*, in alio *curva tundens* (ita edidit Fabricius). Sed suam lectionem *curva humens* in plerisque antiquis exstare affirmat, eamque defendit auctoritate Bedæ, qui docet in poetarum arbitrio olim fuisse, utrum *h* aspiratio instar fortium consonantium synalœpham arceret, an pro modo suæ fragilitatis nihil valeret; adducitque exemplum Fortunati, quem tamen Prudentio pene æqualem perperam dicit. Fatetur vero Giselinus mollius esse *curva et humens*. Quod attinet ad legem metri, Heinsius non deberet recusare *curta humens*; admisso illo hiatu, quem toties in Prudentio agnoscit. Teolius ait lectionem *curta tumens* commodam admittere interpretationem, et omnium codicum Vaticanorum esse. Verum etsi concedam aliquam excogitari posse commodam interpretationem, tamen ea lectio metro refragatur, neque vere est omnium codicum Vaticanorum, ut vidimus. Imo Alex. et Urb. diserte habent *curva, et humens*, quod proinde videtur præferendum. Heumannus in Pœcil. tom. II, lib. III, pag. 364, putat Prudentium scripsisse *nuda, et humens*.

51. Althelmus in ænigmate de pugillaribus : *Nunc ferri stimulus faciem proscindit amœnam Flexibus, et sulcis obliquat ad instar aratri.* In stylo stimulus et acumen est pars acuta ferri aut æris qua scribebant. Cicero de Orat. : *Omnia sub styli acumen subeant, necesse est.* Altera erat styli pars plana qua scripta delebantur. Hinc *stylum vertere*, *stylo depascere* pro *corrigere*, *mutare*. S. Hieronymus ep. 50 vel 51 ad Domnionem : *Stultus ego, qui me putaverim hæc absque philosophis scire non posse; qui meliorem styli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ scriberet.*

A Qua parte aratis cera sulcis scribitur :
Et qua secti apices abolentur, et æquoris hirti
Rursus nitescens innovatur area.
Hinc foditur Christi confessor, et inde secatur :
1058 Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixere ducentæ,
Totidemque guttæ vulnerum stillant simul.
Major tortor erat, qui summa pupugerat, infans,
Quam qui profunda perforarat viscera.
Ille levis, quoniam percussor morte negata
Sævire solis scit dolorum spiculis.
Hic quanto interius vitalia condita pulsat,
Plus dat medelæ, dum necem prope applicat.
Este, precor, fortes, et vincite viribus annos :
Quod desit ævo, suppleat crudelitas.
Sed male conatus tener, infirmusque laborat :
Tormenta crescunt, dum fatiscit carnifex.
Quid gemis ? exclamat quidam, tute ipse magister
Istud dedisti ferrum, et armasti manus.
Reddimus ecce tibi tam millia multa notarum,
Quam stando, flendo, te docente, excepimus.
1059 Non potes irasci, quod scribimus : ipse jubebas,
Nunquam quietum dextera ut ferret stylum.
Non petimus toties te præceptore negatas,
Avare docter, jam scholarum ferias.
Pangere puncta libet, sulcisque intexere sulcos,

GLOSSÆ VETERES.

53. Æquoris, *planitiei*, I.
54. Area, *planities*, I.
56. Viscus, *viscera*, I.
59. Summa pupugerat, *extrema, scilicet cutis ; id est, parum læserat*, I.
B 63. Condita, *abscondita*, I.
65. Este, *estote*, I.
76. Ferias, *cessationes*, I.
77. Pangere, *infigere*, I.

COMMENTARIUS.

Symposius in ænigmate de graphio sive stylo : *De summo planus, sed non ego planus in imo, Versor utrinque manu, diverso et munere fungor. Altera pars revocat quidquid pars altera fecit.* Verum hæc omnia a nullo clarius quam a nostro poeta explicantur, quod plures jam notarunt. Formam styli veteris exhibet Pignorius de Servis, pag. 112, ubi præmittit Prudentium antiquam scribendi rationem adamussim explicuisse. Similem imaginem styli profert Hermannus Hugo cap. 9, ubi stylum ferreum in Vulgata editione cap. xix Job celtem vel cæltem vocari affirmat. Quam lectionem, inquit, omnium accuratissime defendit et explicavit Ludovicus Molina in prima parte S. Thomæ, q. 26, art. 1, disp. 2, ubi probat ex Lexicis et Orthographia Manutii, cæltem esse ferrum sculptorium, sic dictum a *cælo*, vel antiquo verbo *cællo*, quod significat *cædo*. In Orthographia Manutii verbo *cloaca* inscriptio sepulcralis Servii aut Sergii Polensis legitur, ubi hæc sunt verba : *Malleolo, et celte litteratus silex.* Plurimos hoc monumentum decepit, quod sæculo xv confictum inter eruditiores constat.

52. In nonnullis vulg. male, *cerea*. In Torn. deest *cera*. Latinius ascripsit *charta*. Hoc versu acumen styli describitur.

53. Hæc est planities sive latitudo styli qua characteres scripti delebantur, et innovabatur cerea tabula, ut iterum scribi posset. Ausonius tabulam *æquor* dixit loc. cit. : *Et mota parce dextera Volat per æquor cereum.* De hac voce *æquor* rursus in hymno S. Hippolyti.

55. Acumine styli foditur, secatur vero planitie seu parte lata. Hinc discimus, ita planitiem styli aut semper aut interdum fuisse factam, ut ad secandum ea utilis esset. Gregorius Turonensis loc. cit. : *Secantes latitudinibus stylorum, punctisque minutis transverberantes membra magistri, dignum Deo martyrem effecerunt* ; quod a Prudentio mutuatur.

56. Ex Servio notat Giselinus, *viscus* non tantum intestina, sed quidquid sub corio est, significare. Ab initio hujus hymni hucusque desideratur in Prag.

57. Ald., Sich., et Gall., *cruentæ* pro *ducentæ*, quæ est codicum lectio, et confirmatur adverbio *pariter*, et *totidem*.

58. Prag., *per vulnera ;* melius *vulnerum*.

59. Secunda in *pupugerat* producitur. Vide proleg. num. 205.

60. In nonnullis vulg., *perforata*, male. Vat. B, Mar. a veteri manu, *perfoderat*, Prag., *perfoderit*. Legendum *perforarat*.

61. Bong., *præcursor*, non bene.

62. Vat. B, Mar., Rat., Prazens., Widm., Bong., Hailsbr. supra, Sich., *solescit ;* melius *solis scit*.

65. Cellarius et Teolius has voces martyris esse dicunt. Sed possunt etiam esse narrantis, qui, quasi præsens adesset, in eas voces eruperit. Parrhasius edidit *esto*, et in notis ait, *esto* hic non esse verbum, aut affirmandi particulam, sed hortandi adverbium. Cæterum merito censet legendum *este*.

C 66. Vulg. nonnulli, *desit* pro *defit*.

69. Vat. B, Rat., Mar. a prisca manu, *Ut quid jam gemis, exclamant, tute ipse magister*.

71. Ald., *tibi nunc*, et vers. seq. *quæ*. Fabr., *tibi jam*, et postea *quæ*. Gall. cum Torn. et ed. Paris. Patrem adhæret Fabricio. Plerique, etiam Parrhasius, habent ut edidimus.

72. Parrhasius, *quam stando, et flendo*. Mar., *excidimus ;* supra rectius, *excepimus*.

73. Prag., *scripsimus :* melius *scribimus*. Ms. codex S. Michaelis apud Ruinartium, *rivebas*, vitiose, pro *jubebas*.

74. Vat. A, Pal., Alt., Cauch., *dextera ferre stylum*. Ambr., *dextera fere*. Heinsius suspicabatur *dextera ferri stylum*, quamvis agnoscat etiam in *ferre e* postremum posse produci ob *st* dictionis sequentis. Verum lectio communis codicum non est sollicitanda. Apud Ruinartium metrum vitiatum est *quietum ut dextera ferret. Jubeo* cum *u* sæpe Prudentius, sæpe alii usurpant. Notatum a nobis jam alibi est.

D 77. Ald., Gis. in textu, codex Buslidiensis apud Giselinum, *pungere*, quod Giselino placet ob elegantem agnominationem *pungere puncta*, quæ durat etiam in phrasi sequenti, *sulcisque intexere sulcos*. Ad marginem apposuit *pingere*, et agnovit alios legere *pangere*, sed neutrum tam venustum ipsi videbatur quam *pungere*. Plerique nostri legunt *pingere* Vatt. A, B, Alex., Mar., Rat., Prag. cum Weitz, Widm. a prima manu, et aliis. Parrhasius, Ambros., tres Heinsiani, Widm. supra, Pal., *pangere*, quod etiam habent Bong., Fabr., et sequuntur recentiores. Siquidem *pangere* Festo est *figere*, sic *pangere clavum, pangere plantam*, hoc est, in terram defigere. His addo, Columellam eodem verbo in eadem re sæpius esse usum, et eadem metaphora, lib. x, *Cum littera proxima primæ Pangitur in cera docti mucrone magistri*. Pro *intexere* Hailsbr. minus recte *intendere*.

Flexas catenis impedire virgulas.
Emendes licet inspectos longo ordine versus,
Mendosa forte siquid erravit manus.
1060 Exerce imperium : jus est tibi plectere culpam,
Siquis tuorum te notavit segnius.
Talia ludebant pueri per membra magistri :
Nec longa fessum pœna solvebat virum.
Tandem luctantis miseratus ab æthere Christus,
Jubet resolvi pectoris ligamina :
Difficilesque moras animæ, ac retinacula vitæ
Relaxat, arctas et latebras expedit.
Sanguis, ab interno venarum fonte patentes
Vias secutus, deserit præcordia,
Totque foraminibus penetrati corporis exit
Fibrarum anhelans ille vitalis calor.
Hæc sunt quæ liquidis expressa coloribus, hospes,
Miraris : ista est Cassiani gloria.
Suggere, siquod habes justum vel amabile votum,
Tibi siqua spes est, siquid intus æstuas.
Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes,
1061 Ratasque reddit quas videt probabiles.
Pareo, complector tumulum, lacrymas quoque fundo :
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris :
Tunc, quod petebam, quod timebam, murmuro,
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,

GLOSSÆ VETERES.

78. Impedire, *volvere*, I.
80. Quid, *aliquid*, I.
82. Quis, *aliquis discipulorum*, I.
88. Expedit, *exolvit*, *vacuavit*, I.
93. Expressa, *imaginata*, I.
95. Suggere, *indica illi*, *pete*. — Quod, *aliquid*. — Votum, *precem*, I.
96. Æstuas, *cupias*, I.
99. Pareo, *obedio*. — Fundo, *abtempero*, I.
100. Saxum, *pavimentum*, I., Mar.
101. Percenseo, *præteritum pro præsenti*, I.
103. Domum, *uxorem*, I.

COMMENTARIUS.

Notandum in Eulalia plagas et verbera vocari *notas*, et *scriptionem* metaphorice vers. 35, *Eulalia numerante notas. Scriberis ecce mihi, Domine.* Hac eadem metaphora Plautus aliique usi sunt, et nunc pueri illudentes magistro Cassiano. Catullus carm. 25 : *Ne laneum latusculum, natesque mollicellas Inusta turpiter tibi flagella conscribillent.* Ubi obiter noto corripi a Catullo primum *i* in *conscribillent :* quod peccatum si admisisset Prudentius, quot grammatici in eum insurrexissent ? Cæterum hæc ipsa metaphora adhuc sermone Italico celebratur *graffiare*, quod est ungulis conscribillare, et dicitur a *graphio*, ut advertit Vulpius ad Catulli carmen 25. Vide in Romano vers. 557, *Charaxat ambas ungulis scribentibus Genas.*

78. Chamillardus id intelligi ait aut de notis quas diximus, aut de scriptura Runica, qua Gothi utebantur antequam Ulfilas litteras eis invenisset, aut de scribendi ratione singulari qua Galli usi sunt usque ad Chlodowei tempora. Specimina illarum veterum scripturarum Mabillonius in præclaro opere de Re diplomatica exhibuit, ubi observare licet flexas virgulas catenis colligatas, sive impeditas. Vide lib. I, cap. 9, et lib. V, tab. II. Cæterum Prudentius de notis Romanorum, quas docebat Cassianus, non de aliis barbarorum litteris loquitur.

85. Genitivum verbo miserandi junctum alibi Bollandiani non legerant : sed ita eo verbo usi sunt Silius lib. XI, vers. 381, Minucius, Accius apud Nonium, et alii.

87. Mar. a prima manu, *difficilisque*.

88. Ald., Gis. prima ed., *Relaxat artus, et latebras expedit*. Pal., *istas* pro *arctas*.

89. Mariettus, *patescens ;* supra, *patentes*, melius.

93. Horatius, lib. IV, ode 8, *Liquidis ille coloribus Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.*

94. Vat. B, *ita :* corrige *ista*.

95. Prag., Rat. a prima manu, Mar. a prima manu *siquid habes*, non ita bene.

96. Scripsi constanter cum Aldo et Parrhasio, *spes siqua tibi est*, quod cum hiatu sustineri potest. Giselinus, fortasse ut id vitaret, *tibi siqua spes est*. Fabricius, *spes si tibi est qua*. Weitzius conjiciebat *siqua tibi spes*, *siquid*.

97. Alex., *audi;* supra, *audit*, probe. Vat. B, *credo :* retinendum *crede*. Cellarius rursus, e grammatico theologus factus, hujusmodi invocationem labem fidei vocat, quæ ævo Prudentii fuit, aut esse cœpit. *Nec enim*, ait, *omnium ejusdem ætatis hæc opinio, vel error fuit*. Allegatque Ambrosium in Roman. I comm. 21, et Hieronymum epist. 53 ad Riparium. Verum auctor Commentariorum in Epist. ad Roman. (neque enim Ambrosius verus est auctor) nihil eo loco affert, quod Prudentio, quod vero Ambrosio, quod doctrinæ catholicæ de invocatione sanctorum opponatur. Hieronymus ad Riparium scribit contra Vigilantium, qui ausus est *os fœtidum aperire, et putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum reliquias, et nos, qui eas suscipimus, appellare cinerarios, et idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur..... Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cujus sunt martyres adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Quid hæc contra invocationem sanctorum? Negat quidem Hieronymus reliquias sanctorum martyrum colendas et adorandas esse. Sed negant etiam catholici, qui solum hujusmodi vocabula, a multis SS. Patribus usurpata, adhiberi posse concedunt, exposita commoda distinctione de cultu aut adoratione latriæ et duliæ.

98. Prag., *redde*, perperam. Mar., Rat., Weitz., *reddet*, minus bene. Hailsbr., *vidit*. Metrum exigit *videt*. Vat. X mendose, *ratasque Deo reddet*.

99. Glossa Isonis *fundo*, *abtempero*, videtur applicanda verbo *pareo*, scilicet *pareo*, *obedio*, *obtempero*.

100. Latinius correxit *altare :* probum est *altar*. Vat. X corrupte, *Altare posco ore*. Alex., *tepessit*, correctum per *tepescit*. Hujuscemodi pietatis exemplum præcesserat in S. Gregorio Nysseno orat. 3 in Quadraginta martyres : *Ipsamque sacrarum reliquiarum thecam lacrymis amaris aspersi*. Lacrymæ gentilium ad aras deorum, de quibus Broverius cap. 23 de Adorat., a piis Christianorum lacrymis, pœnitentiæ causa fusis, immane quantum differunt.

102. Latinius in Torn. correxit *timebam* pro *timebo*. Parrhasii singularis est lectio, *Tum quod petebam, quodque avebam, murmuro*. De significatione hujus vocis *murmuro* dixi ad vers. 36 præfat. lib. I in Symmach. Adde Broverium de Adorat. cap. 8, qui precantes solitos murmurare, seu voce submissa loqui, multis exemplis probat.

103. Iso *domum* intelligit uxorem, et postea *futuri*, *filios*. Fortasse hæ duæ glossæ pertinent ad *domum*, *uxorem*, *filios :* perinde quasi domus totum id significet. Ex hoc loco, ut puto, aliqui collegerunt Prudentium fuisse conjugatum, ut legitur in codice Vat. F, num. 77 proleg., in nota. Verum etiamsi uxorem non duxerit, recte nihilominus domum vel familiam habuisse dicetur. Siquidem domus et familia, cum

Et spem futuri forte nutantem boni.
1062 Audior, Urbem adeo, dextris successi- [bus utor :
Domum revertor, Cassianum prædico.

A

X HYMNUS.

INCIPIT PASSIO S. ROMANI MARTYRIS.

Romane, Christi fortis assertor Dei,
1063 Elinguis oris organum fautor move :

GLOSSÆ VETERES.

104. Futuri, *scilicet filii*, I.
105. Urbem, *Romam*, Mar.
1. Assertor, *sicut Nazarene*, I.
2. Elinguis, *infacundi*. — Organum, *sonum*, I. — Fautor, *adjutor*, Mar., I.

COMMENTARIUS.

ad personas refertur, accipitur pro corpore personarum, quod jure proprio ipsarum, aut communi cognationis nomine continetur.

104. Mar., Prag., Gis. secunda ed., *sorte*. Ald., Weitz., et plerique codd., *forte*. Heinsius notavit in scriptis esse *forte*, sed edidit *sorte*, fortasse nolens, aut quia typographus vocem Giselini sumpsit. Recentiores textum Heinsii exscribunt.

105. Rottend., *urbe adeo*, ex quo conjicit Heinsius *urbe abeo*, Foro Cornelii. Verum lectio aliorum omnium codicum longe melior est. Nam Prudentius urbem Romam petebat, ubi dextris successibus usus est. Relege vers. 3. Post hunc hymnum in Mar., et Rat. sequitur, *De loco in quo martyres passi sunt*.

Hæc est inscriptio in codice Marietti, ubi hic hymnus ponitur post versus *De loco in quo martyres passi sunt*. In Vat. A, *Liber de beato Romano martyre*, et ponitur post hymnum S. Eulaliæ. Aldus statim post Hamartigeniam, *Romanus martyr*. Alex., *Aurelii Prudentii Clementis* V. C. *Finit contra Symmachum liber* II. *Incipit ejusdem Romanus contra gentiles*. Parrhasius, *De Coronis liber*, et sine alio titulo incipit primus versus *Romane*. In Ambr. cod., *Sancti Romani martyris contra gentiles dicta. Opuscula Aurelii Prudentii Clementis, metro iambico senario*. Et in fine, *Finit sancti Romani liber Peristephanon. Incipit Aurelii Prudentii Clementis hymnus in laudem SS. martyrum Emeterii*, etc. In Thuan. post libros adversus Symmachum legitur cum titulo *Incipit ejusdem Romanus contra gentiles :* qui locus fortasse etiam in Puteano huic hymno obtigerat. Ambrosianus codex hunc hymnum fere integrum habet, et versus 30 primos præfationis loco notat. In Oxon. sub titulo *Passionis Romani* inter Hamartigeniam et Psychomachiam inseritur. Et in vita Prudentii, quam is codex exhibebat, novem ejus recensentur libri, Cathemerinon, Apotheosis, Psychomachia, Hamartigenia, contra Symmachum, item contra Symmachum, Romanus, Peristephanon. In Rott. hoc poema ultimum est inter hymnos Peristephanων. In Egm., *Incipit Romanus*. Fabr. *Hymnus D. Romano martyri Antiocheno*. In editione Lotteri anno 1515, *Aurelii Prudentii liber, in quo scribitur passio beati Romani martyris, et in eodem contra omnes gentilium deos, sectasque, et sacra disputatur*. Weitzius, qui post versus de loco baptisterii hoc carmen collocat, inscribit, *Incipit Romanus Prudentii Cl. contra gentiles*. Fabricius in commentario peculiari ad hunc hymnum tradit a Nebrissensi inscribi, *Agon Romani*, ab Aldo Manutio *Tragœdia* ex versu 1113, *Seriemque tantæ digerens tragœdiæ*. Addi potest carmen et materiam esse tragica. Cæterum Aldus apud me solum ait *Romanus*, et Nebrissensis *Romani martyris supplicium*. Fortasse Fabricius voluit dicere Murmellium.

1. Nonnulli putarunt hunc Romanum esse illum ipsum quem S. Laurentius ad fidem convertit. Nebrissensis narrat Romanum fuisse monachum Antiochenum. Chamillardus censet duos fuisse Romanos martyres Antiochiæ passos anno 303, eodem die XIV. cal. Decembris, Prudentium vero utrumque permiscuisse, unum eumdemque esse putavisse. Cellarius hac de re dubitat; etsi enim Eusebius cum Prudentio non omnino consentiat (qua ratione ductus est Chamillardus post Baronium, ut duos Romanos astrueret), tamen unus potuit esse Romanus, in cujus passionis circumstantiis quibusdam vel Eusebius, vel Prudentius decepti fuerint. Martyrologium Rom. plane sequitur Prudentium : de eodem Romano agunt Beda, Usuardus, Ado; et Græci in menologio iisdem pene verbis, ut fatetur Baronius ad

B

diem 18. Nov., quamvis Græci hunc Romanum distinguant a Romano diacono ecclesiæ Cæsariensis, quem laudat Eusebius. Ruinartius Acta S. Romani apud Mombritium pro sinceris non habuit, et ea tantum profert quæ Eusebius narrat lib. II de Resurrectione et Ascensione Domini : ex quibus et ex aliis quæ idem Eusebius tradit lib. de Martyr. Palæst, cap. 2, colligit Romanum genere Palæstinum fuisse, Cæsariensis ecclesiæ diaconum et exorcistam, et extra patriam Antiochiæ passum anno 303. Ex Prudentio vero ea assumit quæ ad infantis martyrium pertinent, de quo Eusebius non meminit. Hoc Eusebii silentium ratio nulla est ut duo Romani eodem die eodemque in loco martyres admittantur. Quod autem Eusebius innuit, martyrium contigisse sub Diocletiano imperatore, Prudentius vero nominat Galerium, id nihil refert : nam Galerius Cæsar eodem tempore erat, et persecutionem adversus Christianos ipse maxime urgebat. Fronto Ducæus, in not. ad 1

C

homil. Chrysostomi de S. Romano, prudentissime judicat unum eumdemque esse Romanum quem Eusebius, Prudentius et Chrysostomus celebrant : *Non video tamen*, inquit, *quid obstet quominus utrumque contigisse dicamus... Sæpe enim fit ut dum eamdem pugnam duo narrant historici, quædam ejus partes ab uno attingantur, quædam ab alio prætermittantur*. Profecto cum Eusebius martyrium Romani in lib. de Martyr. Palæst., et in lib. de Resurrect. enarraverit, magis sibi ipsi adversari videtur Eusebius, quam Eusebio adversetur Prudentius, ut postea explicabo. Baronius aliique veteres librum Eusebii de Resurrect., a Sirmondo primum editum, non viderant, adeoque facilius duos Romanos distinguebant : quia Prudentius quædam de Romano dixit quæ Eusebius in lib. de Martyr. Palæst. omisit. Quod si Baronius vidisset, multa alia ab Eusebio in lib. de Resurr. in martyrio Romani enarrando proferri, quæ penitus in lib. de Mart. Palæst. tacuerat, fortasse aliam sententiam tulisset. Recentiores, quia illam

D

distinctionem Romanorum a Baronio admissam legunt, fere sine alio examine a Prudentio Romanos confusos fuisse pronuntiant. In hoc hymno ita magnifice pleraque exponi ait Fabricius, *ut solos Christianos sapere, solos facundos esse dixeris*. Ejusdem elogium ex Barthio lege proleg. num 216. De commentario Murmellii vide ibid. num. 105. Fabricius nihil in hoc hymno ait desiderari posse, nisi quod parum pia est invocatio et conclusio. At quanto magis id est pium quam si Phœbum aut musas more aliorum poetarum invocaret? Dixi jam sæpe quam inaniter hæretici invocationem Sanctorum evertere conentur. Glossam Isonis in hoc versu non intelligo.

2. *Elinguis* dici solet qui non est eloquens, ut paulo post *lingua* sumitur pro eloquentia, et contra *infantia* opponitur facundiæ. Exempla congessit similia Barthius lib. X Adv., cap. 14, lib. XLI, cap. 20; lib. XLIII. cap. 16, ut hæc ipsa Prudentii loca illustraret.

Largire comptum carmen infantissimo : A
1064 Fac ut tuarum mira laudum concinam :
Nam scis et ipse posse mutos eloqui.
Plectrum palati, et faucium sævus tibi
Tortor revulsit, nec tamen silentium
Indixit ori, quo fatebaris Deum.
Vox veritatis testis exstingui nequit,
Nec si recisis palpitet meatibus.
Sic noster hærens sermo lingua debili
Balbutit, et modis laborat absonis :
Sed si superno rore respergas jecur,
Et spiritali lacte pectus irriges,
Vox impeditos rauca laxabit sonos.
1065 Evangelista scripsit, ipsum talia
Præcepta Messian dedisse apostolis :
Nolite verba, cum sacramentum meum
Erit canendum, providenter quærere :
Ego imparatis, quæ loquantur, suggeram.
Sum mutus ipse, sed potens facundiæ
Mea lingua Christus luculenter disseret :
Ipse explicabit, quos supremo spiritu
Dæmon tumultus, dum domatur, moverit,
Furore pestis pejor in novissimo.
Sic vulneratus anguis ictu spiculi
1066 Ferrum remordet, et dolore sævior
Quassando pressis immoratur dentibus :

GLOSSÆ VETERES.

3. Comptum, *ornatum*.—Infantissimo, *ineloquentissimo*, I. B
4. Mira, pro *miracula*, I.
5. Nam, *quia*. — Mutos, *alalos*, *Græce mutus*, I.
8. Indixit, *imposuit*, I.
10. Palpitet, *vacillet*.—Meatibus, *transitibus vel viis*, I.
11. Hærens, *tardans*, I.
12. Absonis, *turpibus*, *inhonestis*, I.
15. Laxabit, *solvet*, I.
17. Messian, *Christum*, I.
20. Suggeram, *subministrando*, *ministrabo*, *subministro*, I.
22. Luculente, *manifeste*, *aperte loquetur*, I.
23. Explicabit, *solvet scilicet illos*, I.
24. Moverit, *dederit*, I.
26. Ictu, *percussione*, I.

COMMENTARIUS.

3. In officio Mozarabico colitur S. Romanus die 18 Novembris, et nonnullæ strophæ ex hoc hymno desumuntur. Hic versus ita in eo breviario legitur : *Largire comptum carmen, et faustissimum.*

5. Breviar. Moz., *Qui scis et ipse.* Parrhasius, *nam scis ipse*, desideratur *et*. In emendatis ait Parrhasius, ut versus bene servari possit, rectius fortasse esse scribere *Nam tu scis ipse posse mutos eloqui*: Verum neque ita recte procedit metrum. Pro *mutos* Widm. supra, Vat. B, Mar. a prima manu, Prag., *mutum*, fortasse ut intelligatur non duos martyres, quos hic C celebrat, sed unum S. Romanum, exsecta lingua, fuisse locutum. In Rat. erat *mutos*, sed apparebat indicium lituræ. Mariettus conjiciebat *mutum os*. Advertendum est, *eloqui* esse *eleganter loqui*, ut explicat Isidorus in Differentiis; et hoc ipsum vult Prudentius, mutos, volente Deo, non solum loqui, sed etiam eloqui.

6. Cicero, de Natura deorum cap. 59, *Plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes.* Infra iterum Prudentius vers. 988, *Titubante plectro fatus esset debilis.* Suetonium multi allegant, quasi dixerit in Claud. cap. 30, *plectra linguæ titubantia*, sed legendum est *præterea*, non *plectra*.

7. *Revellit*, seu *revulsit*, est a *revello*.

10. Mar., Vat. A, Rat., *etsi recisis*; alii, *nec si recisis*.

11. Teolius *hic*, nescio an data opera, nam alii habent *sic*. *Linguam adhærere faucibus* phrasis est e Psalmis petita. Virgilianum est *Vox faucibus hæsit*. Pro *lingua* Ald., Fabr., Egm., Bong., Hailsbr., et nonnulli alii, *linguæ*. D

12. Parrhasius contra metrum, *balbutit modis et*. Heinsius mallet *et laborat absonis modis*, si per mss. liceret, quia id concinnius est. Mihi lectio codicum non videtur sollicitanda.

13. Egm. mendose, *respersas*. Weitzio placuit cum Hailsbr. scribere *respargas*. Pro gratia cœlesti *ros supernus* ponitur ex stylo sacræ Scripturæ.

15. Parrhasius, *bulabit*, minus bene, pro *laxabit*. Eamdem varietatem lectionis ex Ambros. ascripsit Heinsius, et in nonnullis quidem peculiaribus scripturis Parrhasius cum Ambrosiano consentit, et fortasse Parrhasius Ambrosianum consuluerat; alioquin diverso codice usus est Parrhasius, nam in aliis differt ab Ambrosiano.

16. Parrhasius, Ambr., Rott. tres Torrentiani, *scribit*; alii, *scripsit*. Matthæi locus exstat cap. x, vers. 19.

19. Vat. B, Mar., Rat., Prag., *providentes quærere*.

21. Rat., *facundia*.

22. Vat. A, male, *me lingua*. Idem, *luculente disserit*. Mar., Rat., *luculenter*; plerique, *luculente*. Vatt. P, Q, Alex. a secunda manu, *disserit*; alii, *disseret*. Nebrissensis ait non posse legi *Christus*, sed *Christo*, quia *mea lingua* est nominandi casus. Murmellius vult *mea signa Christus*, id est, mei animi sensa : quamvis fateatur in quibusdam exemplaribus esse *mea lingua*; quod metricæ rationi non quadrare perperam affirmat. Non videntur hi auctores assecuti Prudentii mentem, et venustam appositionem *Christus, qui est mea lingua*.

23. In his verbis *supremo spiritu* intelligi potest Romanum in ultima persecutione passum, quæ persecutio cæteris fuerit atrocior. Giselinus simpliciter id intelligendum ait quomodo illa in Laurentio vers. 505, *Dum dæmon invictum Dei Testem lacessit prælio, Perfossus ipse concidit.* Irridet autem Murmellium, quod totam hanc periodum ad historiam quæ est Matth. xvii, Lucæ ix, conatur detorquere: ubi scilicet narratio de puero lunatico exponitur.

24. Vat. A, *dæmonum*, sed factum *dæmon*. Vat B, *dederit*, recte etiam correctum per *moverit*, quod est in margine pro div. script.

26. In margine Vat. A notatur ad hunc versum Æsopi fabula de lima et serpente. Fortasse indicatur fabula 7 lib. vii Phædri : *Mordaciorem qui improbo dente appetit, Hoc argumento se describi sentiat. In officinam fabri venit vipera, Hæc cum tentaret siqua res esset cibi, Limam momordit. Illa contra contumax : Quid me, inquit, stulta, dente captas lædere, Omne assuevi ferrum quæ corrodere ?* Similem de insteia fabellam Æsopus et Camerarius conscripserunt.

27. Florus, lib. ii, cap. 15, *Quam maxime mortiferi morsus esse solent morientium bestiarum.* Lib. ix Controv. Senec., 6, *Concitatissima est rabies in desperatione, et morte ultima in furorem animus impellitur. Quædam feræ ipsa tela commordent, et in mortis auctorem per vulnera ruunt.*

28. Scilicet fera quassans ferrum compressis dentibus immoratur spiculo, adeoque vulnus reddit gravius. Dicit *immoratur*, ut postea vers. 852, *Nec immorata fetibus*.

Hastile fixum sed manet profundius,
Nec cassa sentit morsuum pericula.
Galerius orbis forte Romani statum
Ductor regebat, ut refert antiquitas,
Immitis, atrox, asper, implacabilis:
Edicta late mundum in omnem miserat,
Christum negaret, quisque mallet vivere.
Hæc ille serpens ore dictat regio,
1067 Qui mortuorum de sepulcris exiens,
Clamat: Quid ante tempus adventu cito
Mea regna solvis? Parce, fili Altissimi,

A Vel possidere corda porcorum jube.
Præfectus istis imminens negotiis
Asclepiades, ire mandat milites
Ecclesia tenus, atque de sacrariis
Raptare plebem, mancipandam vinculis,
Ni disciplinam Nazarenam respuat
Mox ipse, templum cogitans irrumpere,
1068 Et dissipare sancta sanctorum studens,
Armis profanus præparabat impiis
Altaris aram funditus pessumdare,

GLOSSÆ VETERES.

29. Hastile, *gladius*, I.
30. Cassa, *inania*, I.
32. Refert, *narrat*, I.
36. Legio, *quæ sic vocatur*, Mar. — *De legione dæmonum nunc dicit, quæ invaserat homines duos, qui non in domibus, sed in sepulcris morabantur. Alia illud dæmonium, quod vocatur Legio*, Vat. A.
40. Vel, *saltem*, I.

B 43. Ecclesia tenus, *usque ad ecclesiam*, I.
44. Mancipandam, *ligandam*, I.
45. Nazarenam, *Christianam*, I., Mar.
46. Ipse, *præfectus*, I.
49. Altaris, *sacramenti*. — Pessumdare, *perditum tradere, vel perdere, una pars est sicut circumdare: pessumdo, id est perdo, vel dissipo*, I.

COMMENTARIUS.

29. Parrhasius, *manat*. Metrum exigit *manet*.

30. Prag., *hæc cassa;* melius *nec*. Virgilius XII Æn., *Non cassa in vota vocavit*. Elmenhorstius, pag. 38 in Arnobium lib. I, similia profert ut illustret Arnobii verba: *Periculi nihil est, si, quod dicitur imminere, cassum fiat et vacuum*.

31. Prag., *Valerius:* Egm., *Calerius*. Legendum *Galerius*, qui tunc Cæsar erat. Vide hymnum S. Quirini vers. 6. Aldus edidit *Galerius urbis forte Romanæ statum:* ita etiam Teolius, quin discrepantiam lectionum adnotaverit. Plerique, *orbis Romani:* et hic sensus est Prudentii, qui comprobatur vers. 34, *Edicta late mundum in omnem miserat*. Apud Gruterum pag. 280, de Galerio exstat inscriptio, quam retuli ad hymn. S. Eulaliæ vers. 87. In Rat. ad hunc versum *Explicit præfatio: Incipit passio:* qui titulus ante eumdem versum in Ambr. exstat, et simili modo apud Parrhasium *Passio S. Romani*.

34. Galerii edictum est illud ipsum de quo Eusebius lib. VIII Hist., cap. 2: *Mandabatur ut omnes ubicunque Ecclesiarum antistites primum quidem conjicerentur in vincula, deinde vero diis sacrificare omnibus modis cogerentur*. Et lib. II Vitæ Const., cap. 51: *Sanguinolenta edicta cruentis, ut ita dixerim, mucronibus scripsit; et judicibus præcepit ut ingenii solertiam sibi a natura insitam ad acerbiora supplicia excogitanda intenderent*.

36. Teolius mendose, *dicta* pro *dictat*. Widm., Bong. a prima manu, Mar., Vat. B, Prag., Rat., *legio:* de qua voce vide glossas. Lex metri non patitur *legio*. *Os regium* intelligitur os imperatoris, aut Cæsaris, et fortasse Prudentius respicit etiam ad vocem *basiliscus*, quæ sonat *regulum*.

37. Vide cap. V Marci, et hymnum 9 Cathemerinon.

38. Aldus contra metrum, *clamabat*. Vatt. A, B, *advento:* lege *adventu*.

41. *Imminere* conatum quemdam et efficaciam indicat.

42. Prag., *judices;* supra, *milites*.

43. Ald., Torn., *Ecclesiatenus quæ de sacrariis*. Vat. A, Hailsbr., duo vel tres apud Heinsium, *Ecclesiatenus, ac de*. Rat., *Ecclesiatenusque, ac de*. Vat. B, Weitz., Mar., *Ecclesiatenusque de*. Prag., *Ecclesia tenus usque de*. Egm., Pal., *Ecclesiam tenus, ac de*. Ambr., Thuan., *Ecclesias tenusque de*. Editio Melchioris Lotteri anno 1513, curante Hermanno Tulichio, *Ecclesia tenusque de sacrificiis*. Heinsius suo periculo scribi jubet *Ecclesiasten usque de sacrariis Raptare plebem:* quia ecclesiastes apud Græcos est, tam qui audit conciones, quam qui concionatur, atque ita exstare in Thuaneo ex schedis Salmasianis didicit. Fortasse alius est hic codex Thuaneus; nam aliam lectionem ex Thuaneo Heinsius jam indicaverat. Heinsio recentiores adhærent, etiam Gallandius. Parrhasius ita legerat, et distinxerat, *ire mandat milites Ecclesias per, usque de sacrariis Raptare plebem*. Giselinus cum Murmellio ediderat *Ecclesiatenusque de sacrariis:* sed in notis monuit malle se legere *Ecclesia tenus, atque de sacrariis*, ut sententia sit jussos fuisse milites in ipsam usque ecclesiam irrumpere, atque raptare plebem de sacrariis. Hæc mihi lectio præ cæteris placet, et exstat in Alt., et in Vat. P. Phrasis est Prudentiana *Ecclesia tenus*, ut *crate tenus* Perist. 3,

C vers. 148; *aure tenus* Symm. 2, vers. 729; *fundo tenus* Peristeph. 13, vers. 85; *summo tenus extima tactu* Psych. vers. 692; et fortasse ex aliqua glossa *usque ad* pro *tenus* postea turbata est vera lectio, admissa glossa in textu. In Alex. tamen videtur fuisse *Ecclesiasten usque de sacrariis*, sed factum postea *Ecclesia tenusque de*, quod in Urb. est ita unitum *Ecclesiatenusque*. *Tenus* pro *usque ad* cum verbis motus ab aliis etiam usurpatum est. Vide lexica.

45. Judæi contumeliose Christianos *Nazarenos* vocabant, a quibus fortasse gentiles id vocabulum contra Christianos mutuati sunt. Vide vers. 25 Vincentii. Nihilominus Prudentius ipse ita loquitur 1 in Symm. vers. 550, *Ad sincera virum penetralia Nazareorum:* nisi etiam tum intelligit hoc nomen per contumeliam olim Christianis datum.

47. *Sancta sanctorum* ex phrasi Hebraica pro sacrario. Psychom. vers. 815, *Sanctorum sancta retisat*. Eusebius lib. de Martyr. Palæst. ait comprehensum

D Romanum, quia quosdam Christianos templa deorum adeuntes increpabat: et lib. II de Resurr. narrat eum ad judicem objurgandum aggressum. Vera hæc omnia esse potuerunt.

48. Ald., *profanis*, minus recte.

49. Thuan., *arcam:* lege *aram*. Distinguit Prudentius aram ab altari, ut hymn. 7 Cath., vers. 205, *Altaris aram quod facit placabilem*. Murmellius summam altaris partem *aram* vocat. Alii altare divis erigi, aram Deo poni docent. Nonnulli altare dictum quasi aram altam existimant. Giselinus simpliciter locum oblationibus dicatum, sive in summo altari positum, sive alibi, aram vocari censet. Altare vero ait esse ædificium e terra exaltatum, hominibusque convenientibus ad martyrum tumulos recipiendis destinatum. Nunc certe ara ab altari ita distinguitur, ut ara sit pars sacratior altaris, et in qua sacramentum eucharistiæ perficitur et collocatur. Hæc nostra consuetudo cum Prudentii verbis cohæret, ut in Hippolyto iterum dicemus. Berthaldus, de Ara cap. 2,

Foresque et ipsas in ruinam solvere.
Præcurrit index his repente cognitis
Romanus, acris heros excellentiæ,
Venire in armis perduelles nuntiat,
1069 Animos paventum præstruens hortatibus,
Stent ut parati, neve cedant turbini.
Conspirat uno fœderatus spiritu
Grex Christianus, agmen imperterritum
Matrum, virorum, parvulorum, virginum:
Fixa et statuta est omnibus sententia
Fidem tueri, vel libenter emori.
Refert repulsus miles ad subsellia,
Plebis rebellis esse Romanum ducem,
Flagrare cunctos pervicaci audacia,
Jugulos retectos obstinate opponere,
A Quo gloriosa morte fortes oppetant.
Præceps jubetur inde Romanus rapi,
Solusque, ut incitator, et fax omnium.
Pro contumaci plebe causam dicere.
It non resistens, seque vinciri petit,
Flexas et ultro torquet in tergum manus.
1070 Amor coronæ pene prævenit trucem
Lictoris artem, sponte nudas offerens
Costas, bisulcis exsecandas ungulis.
Irrumpit altum limen, et præconibus
Stupore mutis, ipse tortorem trahit.
Astanti ob ora sic tyrannus incipit:
Infame monstrum, vilis, intestabilis,
Tu ventilator urbis, et vulgi levis
Procella, mentes inquietas mobiles,
Ne se imperita turba dedat legibus.

GLOSSÆ VETERES.

50. Solvere, *vertere*, I.
52. Acris, *fortis*, *prudens*. — Excellentiæ, *constantiæ*, I.
53. Perduelles, *pugnaces: duelles, id est rebelles. Duellio et duellis est homo rebellis; duellum et duellium res ipsa, id est, rixa. Pugnantes*, I.
54. Præstruens, *præmonens*, I.
55. Turbini, *tentationi*, I. *Persecutioni*, Mar.
60. Libenter emori, *sponte mori*, I.
61. Refert, *renuntiat*.— Ad subsellia, *ad tribunalia, ad senatum, ad loca judicii*, I.
63. Pervicaci, *pertinaci*. — Audacia, *duritia*, I.
64. Jugulos, *colla*. — Obstinate, *perseveranter*, B *dure*, I.
65. Quo, *ut*. — Oppetant, *moriantur*, I.
66. Præceps, *velox*, I.
67. Fax, *incensor ad hoc*, I.
68. Contumaci, *pertinaci, vel pervicaci*, I.
69. Vinciri petit, *ligari desiderat*, I.
71. Pene, *vel pone, id est juxta*, I.
76. Astanti, *martyri*. — Ob ora, *contra faciem*, I. *Contra ora*, Mar.
77. Intestabilis, *indignus testimonio, sine teste bonitatis, vel detestabilis*, I.
79. Inquietas, *commoves*, I.
80. Dedat, *sponte tradat*, I.

COMMENTARIUS.

monet Prudentium ea imprimis calluisse quæ ethnicorum erant, et hoc loco declarare altare aræ impositum fuisse, aramque ipsius altaris penitus disjectam ac dirutam, velut eversum aliquod fundamentum. In hac significatione altaris ara erit fundamentum altaris. Sed cum Berthaldus ipse ex hymno S. Hippolyti colligat aram ab altari distingui, quia reliquiæ martyrum altari supponebantur, et propter aram apponebantur, non satis intelligitur quo pacto ara sit fundamentum altaris.

50. Vat. B, Prag., *vertere* pro *solvere*.

51. Hailsbr., *præcucurrit*, perperam. In nonnullis vulg. mendum est *judex* pro *index*.

52. Ald., Hailsbr., *Romanus sacræ heros excellentiæ*; in marg. Vat. A pro div. lect., *Romanæ sacræ heros excellentiæ*. Fabricius, *Romanus heros excellentiæ sacræ:* quæ omnia sunt contra metrum, uti etiam *Romanus sacris heros excellentiæ* in quibusdam minus vetustis. Cauchius conjiciebat *Heros sacræ Romanus excellentiæ*, atque ita habet Vat. P; neque multum abludit Urbinas, *Sacræ Romanus heros excellentiæ*. Sed verior et communior scriptura est *Romanus, acris heros excellentiæ*, quæ etiam exstat in veteri editione Lotteri, in Thuan. vero *acræ* a manu prima. Ex postrema littera *Romanus*, et *acris* factum *sacris* in nonnullis. In *heros* postrema corripitur a Prudentio, ut in *dæmon:* quod in catalogis syllabarum quæ male ab eo vel producuntur, vel corripiuntur, a Chamillardo, Cellario et Teolio animadversum non est. In hoc eodem hymno vers. 457, *Cum sit quietus heros in quem sæviunt*.

54. Prag. mendose, *præstruens hostibus*.

60. Vat. A corrupte, *ut* pro *vel*. Parrhasius, *fidem tenere*.

61. *Subsellia* sunt judicum tribunalia, et pro ipsis judicibus a Martiali ponuntur lib. I, epigr. 27. *Sextiliane, bibis quantum subsellia quinque*.

63. Vat. B, Prag., *pertinaci audacia*.

64. Id Cicero ita dicit, *Jugulum ostentare*.

65. Ammianus lib. XXII, *Pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur*. Ita homo ethnicus de Christianis, ut fusius exposui in Vincentio ad vers. 407.

C 67. Hailsbr., *solus ut*. Ald., *solusque et:* lege *solusque, ut*.

71. Parrhasius male, *pœnas*. In Mar. videtur esse *pone*. Retine *pene*.

73. Gis. in textu, Lotteri ed., *exarandas* pro *exsecandas*. Murmellius etiam *exarandas:* sed monet alios habere *exsecandas*. De ungulis bisulcis vide hymn. I Peristeph. ad vers. 44. Baronius in not. ad Martyr. Rom. ad diem 16 Martii, pag. 122, multis collatis Prudentii locis, ungulas ferreas describit.

74. Fabricius ait denotari templi magnificentiam a liminis sublimitate. Nescio an Christianorum an paganorum intelligat templum. Melius Nebrissensis, *prætorium judicis* exponit.

75. Statius 12 Theb., 463, *Et ad regem qui deprendere trahuntur*. Ubi alii legunt *trahebant*. Juvenalis sat. 3, *Tunc te sacra ad delubra vocantem Præcedit, trahere imo ultro, ac vexare paratus*.

77. *Intestabiles* dicebantur qui vel testimonium perhibere non poterant, vel testamentum condere. In D notis mss. editionis Lotteri falso dicitur hoc vocabulum raro apud auctores reperiri. *Intestabilis* pro scelerato legitur apud Horatium, Sallustium, Tacitum aliosque.

78. Egm. vitiose, *tuentilator*, et editio Lotteri, *tu ventulator* pro *tu ventilator*. Id gentiles vulgo Christianis exprobrabant. Dictum jam ad passionem Fructuosi.

79. In nonnullis vulg. male distinguitur *mentes inquietas, mobiles:* nam *inquietas* est verbum quo Columella multique alii usi sunt.

80. Imperitia passim objecta Christianis, ut constat ex Minucio, Arnobio, Tertulliano, Luciano, Theodoreto, Justino.

Populare quiddam sub colore gloriæ
Illitterata credidit frequentia,
Ut se per ævum consecrandos autument,
Si bella divis, ceu gigantes, inferant,
1071 Victique flammis obruantur montium.
Hoc tu parasti, perdite, spectaculum
Cladis cruentæ de necandis civibus :
Quos ut profanos, impiati et sæculi
Reos, necesse est te magistro interfici :
Tu causa mortis, tu malorum signifer.
Ni fallor, æquum est, ut, quod auctor improbus
Tolerare multos compulisti, carnifex,
In te recurrat, proque tantis cædibus,
Quæ mox futuræ, primus exitium luas,
Feras et ipse, quod ferendum suaseras.
His ille contra reddit ore libero :
Amplector, o præfecte, nec me subtraho,
Ut pro fideli plebe solus immoler,
Dignus subire cuncta, si me consulis,
Quæcunque vestra jusserit crudelitas.
1072 Intrare servis idolorum ac dæmonum
Sanctam salutis non licet nostræ domum,
Ne polluatur purus orandi locus :
Confido sancto in Spiritu, nunquam tibi
Dandum, ut beatum limen attingas pede.
Ni forte noster factus, in nostrum gregem
Mereare sumi : quod Pater faxit Deus.
Incensus his Asclepiades jusserat,
Eviscerandum corpus eculeo eminus
Pendere, et uncis, vinculisque crescere.
1073 Apparitores sed furenti suggerunt,
Illum vetusta nobilem prosapia,

GLOSSÆ VETERES.

81. Populare, *venerabile, vel gloriosum*, I.
82. Illitterata, *indocta*.— Frequentia, *agmen, multitudo*, I.
83. Autument, *æstiment*, I.
85. Flammis, *flammeis montibus*, Mar. — Montium, *principum; nam dii, in montibus stantes, fulmina mittebant*, I.
88. Impiati, *corrupti*, I.
91. Æquum est, *justum est*, I.
94. Futuræ, *scilicet erunt*. — Exitium luas, *periculum persolvas*, I.
96. His, *verbis*, I.
97. Amplector, *tua jussa libens suscipio*, I.
99. Cuncta, *tormenta*. — Consulis, *scilicet respondebo*, I.
100. Crudelitas, *scilicet patiar*, I.
106. Gregem, *consortium*, I.
107. Faxit, *faciat : optando dicit*, I.
109. Eculeo, *patibulo*. — Eminus, *longe*, I. *Alte*, Mar.
110. Crescere, *tumescere*, I., Mar.
111. Apparitores, *tortores*. — Suggerunt, *indicant*, I.
112. Prosapia, *in suo genere*, I.

COMMENTARIUS.

83. Ald., Alex. supra, *autumans*.

85. Iso *montium* interpretatur *principum*. Præfectus alludit ad fabulam de gigantibus, adversus quos Jupiter montes jaculatus est.

86. Prag., *o perdite*.

88. Pal., Egm., Vatt. A, P, Q, quatuor Heinsiani, *impiati sæculi* sine *et*. In Vat. B est factum *impiati*, abrasis quibusdam characteribus. Hoc etiam convicium Christianis illatum, profanos, impios, sacrilegos eos esse. Suetonius in Nerone : *Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ*. Id demonstratur etiam ex Arnobio, Tertulliano, Justino aliisque. Vide notas Heraldi et Woweri ad Minucii verba : *Plebem profanæ conjurationis instituunt;* ubi plura his Prudentianis similia invenies.

92. In Prag., Vat. P, Rott. deest *ut* ante *carnifex;* et in Alex. deletum est, quod secutus est Heinsius, et cum eo recentiores. Gallandius cum antiquis edidit, *ut carnifex*. Sed melius *ut* omittetur.

94. Prag. a prima manu male, *primo* pro *primus*. Aldus, *exitum :* melius *exitium*.

96. Egm. corrupte, *redduntur e lib. ro*. *Reddere* pro *respondere* poetis usitatum.

99. Prag. contra metrum, *dignus sum subire*. Mar. a prima manu, Rat., nonnulli Vulg., *si me consulas*.

101. Recens corrector in Rat. pro *idolorum*, quod videtur erasum, posuit *pessimorum*, quod non est ferendum. Servus idolorum et dæmonum phrasi ecclesiastica pro Dei hoste ponitur. Infidelibus olim non licebat in ecclesiam ingredi; sed in narthece interiori consistebant, non ultra progressi, ut liquet ex concil. Carthag. IV, Chrysostomo, Augustino, aliisque. Vide Jul. Laur. Selvaggium Antiq. Christ. instit. tom. III, lib. II, part. 1, § 3.

102. Ecclesia inter alia nomina vocabatur etiam *oratorium, domus orationis*, et, ut patet ex hoc versu, *domus salutis :* quanquam fortasse hæc non erat peculiaris appellatio ecclesiæ; sed ita a Prudentio ecclesia circumscribitur. Non enim nunc occurrit similis ab aliis usitata appellatio.

104. Ald., Mar., Widm., Pal., Urb., et scripti plerique apud Heinsium, *confido in sancto Spiritu*. Vatt. B, Q, *confido in Spiritu sancto*. Ambr., Thuan., Alex., editio Lotteri, Parrhasius ad metri rationem, *confido sancto in Spiritu*. Giselinus *confido in almo spiritu*, ad marginem cum Aldo. Nonnulli vulg., *confido sancto Spiritu*.

106. Ald. et nonnulli vett. codd., *nisi forte*. Virgilius lib. II, *Noster eris*.

107. Egm. depravate, *merearis uni*. Rat. perperam, *merearis sumi*. Vat. B. corrupte, *faxat Deus*.

110. Weitz., Fabr., Hailsbr., Bong., *ungulisque crescere*, minus bene. Parrhasius, *Pendere; et uncis, ungulis decrescere*. Vera lectio *vinculisque crescere*. Sermo est de uncis quibus vincula alligabantur, et de his ipsis vinculis quibus torquendi in eculeo extendebantur, adeoque crescebant. Seneca epist. 66 a Sagittario laudatus : *Aut eculeo longior factus*. Silius, lib. I, vers. 175, *Per artem Sævitiæ exstenti, quantum tormenta jubebant, Creverunt artus*. De eculeo egi in Vincentio ad vers. 109. Thomas Hurtado, de Vero Martyrio, resolut. 35, digress. 2, sect. 3, existimat eculeum esse tormentum illud quod Hispani vocant *potro*, quæ vox significat eculeum, sive equuleum, aut parvum equum : quo scilicet membra fidibus usque ad sulcos constringuntur, et usque ad ossium fracturam, si nimis fidiculæ intorqueantur. Approbat enim explicationem Calepini, fidiculas Hispanis esse *trato de çuerda*. Verum Hispani hoc nomine vocant elevationem illam corporis per trochleas, de qua dixi in Vincentio ad vers. 110, ut ipse Hurtadus videtur agnovisse in Anacephalæosi. Ibidem amplectitur Barthii sententiam lib. XLII, cap. 27 Advers., qui tenet, omne tormentorum genus, cui impositi rei extenderentur, a similitudine ascensionis equestris *eculeum* fuisse appellatum, neque ab hoc nomine abhorrere *caballettum*, quod Thomas Segetus Mirandulæ superesse scripsit. Italis *cavalletti* vox hoc ipsum quodammodo indicat : quæ Latine eculeus est.

112. Weitzius cum solo Widm. edidit *genitum prosapia*, repugnante metro lib. VII, cap. de Malefic. : *Excepta tormentis sunt corpora honoribus præditorum;*

Meritisque multis esse primum civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.
Tundatur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet:
1074 Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert, vilis, an sit nobilis:
Gradu reorum forma tormentis datur.
Pulsatus ergo martyr illa grandine,
Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,

A

Erectus infit: Absit, ut me nobilem
Sanguis parentum præstet, aut lex curiæ:
Generosa Christi secta nobilitat viros.
Si prima nostris quæ sit incunabulis
Origo, textu stemmatis recenseas,
Dei parentis esse ab ore cœpimus:
1075 Cui quisque servit, ille vere est nobilis:
Patri rebellis, invenitur degener.
Honos deinde stemmati accedit novus,
Et splendor ingens, ut magistratus, venit:

GLOSSÆ VETERES.

113. Primum, *principem*, I.
115. Plebeia, *rustica*, *vilis*. — Clarum, *nobilem*, I.
116. Tergum, *per tergum*, Iso.
117. Extuberet, *tumescat*, *vel crescat*, *strumosa fiat*; *inflatur*, I.
118. Persona quæque, *omnis homo*. — Competenter, *secundum suam naturam*. — Plectitur, *punitur*, I.

B

119. Magnique, *pretii*; *magna distantia*, I.
120. Gradu, *natura*. — Datur, *competenter*, I.
121. Grandine, *persecutione*, *vel ictuum*, I.
124. Præstet, *faciat*; *sublimem faciat*, I.
125. Secta, *doctrina*, I.
126. Incunabulis, *incunabula*, *cunæ*, *crepundia et crepitacula idem sunt*, I.
127. Textu, *ordine*. — Stemmatis, *generis*, *nobilitatis*, *generationis*, I.
128. Parentis, *patris*. — Ab ore, *quando primo parenti insufflavit spiritum vitæ*, I.
130. Degener, *dicitur*, *qui factis depravatis non respondet nobilitati parentum*, I.
131. Stemmati, *nobilitati*, I.
132. Ut magistratus, *sicut dignitas*, I.

COMMENTARIUS.

præter illa videlicet crimina quæ legibus demonstrantur. Cod. Theod. de Quæst. lib. IX, tit. 35, leg. 1, agitur etiam de exemptione nobilium a quæstione sive tormentis; ubi plura explicat Gothofredus, qui observat, in hac lege tantum sermonem esse de fidiculis.

116. Ald., Mar., Rat., Vatt. B, Q, Urb., Weitz., Bong., Widm., Gis. in contextu, Sich., *tundatur, inquit, tergum*. Alex., Vat. P, Alt., Rott., Thuan., Ald., aliique recte, *tundatur, inquit, terga*, ut sit græcismus. Monuit Gifanius in ras, ita habere vett. lib. et metri rationem postulare: *Namque in eo carmine præstantissimus Clemens hoc servavit perpetuo, ut quarta sedes haberet iambum*. Comparem tribrachym quarto loco nonnunquam Prudentius admisit: non autem spondæum, qualis esset si legeretur *tergum crebris*. Parrhasius et Lotterus non ita concinne, *Tundantur, inquit, terga crebris ictibus*. In Ambr., *tendatur, inquit terga*, ex quo Heinsius conjicit *Tendatur, inquit: terga crebris ictibus, Plumboque cervix verberata extuberent*. Baronius in notis ad Martyr. 11 Junii ex legibus cod. Theod. colligit, plumbatarum verberibus viles tantum personas fuisse vexatas. Sed illæ leges potius Prudentio favent, cum inde pateat plumbatarum ictus ante eas leges latas supplicium fuisse personarum etiam non vilium. Gothofredus ad leg. 2 loc. cit. docet hac lege curiales a fidiculis immunes esse, non item a plumbatis.

C

117. Hailsbr. mendose, *exuberet* pro *extuberet*. Per synecdochen *plumbum* ab Hilario, Ambrosio, et hoc loco a Prudentio usurpatur pro plumbatis, quæ, ut multi explicant, erant flagella ex funiculis aut loris, in quorum summitatibus glandes plumbeæ alligabantur: quæ descriptio parum placet. Alii aiunt plumbatas fuisse pilas plumbeas corio consutas. Doctissimus Lupius in Dissert. 12 agit de plumbatis quæ Romæ in sepulcro cujusdam martyris repertæ fuerant, Benedicto XIII pontifice. Erant autem illæ glandes ex ære, non ex plumbo, et catenulis, non funiculis aut loris, alligatæ. Suspicatur Lupius, initio ex plumbo factas fuisse glandes, unde plumbatarum nomen manserit: neque enim audierat usquam asservari plumbatas ex plumbo. Ex ære etiam sunt plumbatæ, quarum ectypum exhibemus tab. XXVI. Exstant in museo sacro Vaticano, et catenulis ferreis vel æneis, ut mihi inspicienti visum est, glandes sunt colligatæ.

121. Parrhasius, *ille*; rectius, *illa*. Plumbatarum mentio sæpe fit in cod. Theod. diversis formulis, *plumbatarum ictus*, *cruciatus*, *verbera*, *plumbi verbera*, *plumbo affici*, *plumbo coerceri*, *plumbo contundi*, *plumbatis coerceri*: quas omnes comprehendit Prudentius: *Tundatur ictibus*, *plumbo verberata*, *pulsatus grandine*, *ictus plumbeos*. Libanius etiam orat. 7 pro Aristoph. plumbatarum verbera vocavit *grandinem*.

124. Suspicor legendum *lex Curia*. Nota ms. in editione Lotteri exponit *lex Portia*. Sed leges curiæ, et curiatæ dictæ sunt, quas Romulus, postquam in triginta curias populum Romanum divisit, ad reipublicæ regimen tulit. Alii etiam reges leges curiatas tulerunt. S. Ambrosius in cap. III Lucæ similia quædam habet de curiis.

125. Vide Ouzelium ad Minucii verba: *Nobilitate generosus es? parentes tuos laudas? Omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur*.

126. Parrhasius, *Si prima nostri quæ sit incunabulis*. Widm., *Si prima quæ sit nostris in cunabulis*, contra metrum. Plerique, *Si prima nostris quæ sit*. Sed Urb., Vat. Q, Alex., *incunabulis*; alii, *in cunabulis*. Heinsius cum Ambr. prætulit *nostri quæ sit in cunabulis*, sed conjiciebat *nostris quæ sit incunabulis*, quod reipsa in emendatis ediderat Giselinus.

128. Chrysostomus egregie probat, æque homines esse nobiles, qui Deum Patrem vocant in oratione dominica *Pater noster*, homil. in Matth. 19, al. 20: *Omnibus quippe unam largitus est nobilitatem cum omnium similiter Pater vocari dignatus sit*.

D

129. Parrhasius et Lotterus, *quisquis*: metrum exigit *quisque*. Dixi jam alibi de hac voce *quisque* pro *quisquis*, et plura videri possunt in Anthologia Burmanni, pag. 356. Aliquis volebat scribi *quique* pro *quisque*, aut *quisquis*: nihil mutaverim, invitis codicibus.

131. Parrhasius, *dein*: metrum vult *deinde*.

132. Fabricius censet, magistratum hic poni pro magisterio, sive magistri officio, ut contrario modo potestas pro prætore apud Ciceronem, et Juvenalem. Exponit scilicet, *ut magistratus venit*, id est, postquam fidei periculum faciendum est. Mihi id obscurum videtur: neque puto, Prudentium aliud voluisse, nisi splendorem ingentem, qualis e magistratibus provenit, Christianis accedere e martyrio: perinde quasi dicat omnes Christianos esse nobiles, martyres vero veluti honoribus magistratuum gaudere. Sic in hymno S. Laurentii hunc *perennem consulem* vocavit.

Si confitendi nominis testem probum A
Signent inusta ferri, et ignis vulnera,
Et vim dolorum mors sequatur inclyta.
Cave, benignus esse perverse velis,
Nec mi remissus leniter peperceris:
Incumbe membris, tortor, ut sim nobilis.
1076 His ampliatus si fruar successibus,
Genus patris, matrisque flocci fecero.

Hæc ipsa vestra dignitatum culmina
Quid esse censes? nonne cursim transeunt
Fasces, secures, sella, prætextæ togæ,
Lictor, tribunal, et trecenta insignia,
Quibus tumetis, moxque detumescitis?
Cum consulatum initis, ut vernæ solent,
1077 Pudet fateri, farre pullos pascitis:
Aquila ex eburna sumit arrogantiam

GLOSSÆ VETERES.

133. Probum, *bonum*, I.

134. Inusta, *valde usta*, I.

136. Cave, *cave*, *velis simul jungendum : cave enim abnegativum est nec eget aliqua abnegatione, sicut Cave, facias debemus dicere*; *non Cave, ne facias*, I.

137. Mi, *pro mihi*. — Remissus, *ad misericordiam*, *mollefactus*, I.

139. Ampliatus, *dilatatus*, *prosperitatibus*, *auctus*, I.

140. Flocci fecero, *pro nihilo duco*, *parvipendam*, *parvipendo*; *ductus sermo a flocco*, *quod homines*, *in re vilissima utentes*, *a vestimentis extrahunt et projiciunt*, *quasi pro nihilo reputantes*, I.

142. Cursim, *velociter*, I.

143. Fasces, *honores*, *summæ dignitates*. — Sellæ, *quæ in curia ponebantur*. — Prætextæ togæ, *genus vestimenti : prætexta vestis est qua utebantur pueri usque ad sextum decimum annum*, *et dicta prætexta eo quod latior purpura ei intexebatur in capitio*; *postea toga utebantur*, I.

144. Lictor, *virgifer*. — Trecenta, *finitum pro infinito*. — Insignia, *ornamenta*, I. B

146. Initis, *intratis*. — Vernæ, *juvenes*, *servi* ; *vernaculus*, *ut dicit Isidorus*, *dictus est*, *quasi bonus hæreditarius natus*; *qui et domigena dicitur*, *id est domi natus*, I.

148. Ex eburna, *eburneæ aquilæ ferebantur in vexillis Romanorum propter aquilam*, *quæ armiger Jovis est*, I.

COMMENTARIUS

133. Nomen Christianum, nomen Christi, et simpliciter *nomen* pro eadem re veteres Christiani passim usurpabant. Mazochius Spicil. Bibl. part. 2, pag. 90, putat Christianos veteres imitatos religionem Judæorum in nomine tetragrammato, adeoque nomen simpliciter dixisse, cum nomen Christi vellent indicare. Certe sæpe videtur nomen Christi significari, ut apud Cyprianum de Laude martyrii : *Per hoc et testimonium nomini redditur, et majestas nominis redampliatur*. Sed interdum clarum est, sermonem esse de nomine Christiano, ob cujus solius confessionem vel professionem sine alio crimine supplicio Christiani afficiebantur : quia scilicet illud nomen erat nota religionis.

135. Prag. mendose *et inde dolorum*. Rat., Vat. B, Mar. a prisca manu, *finem dolorum*.

136. Vat. B, Mar., Rat., Sich., Weitz., Hailsbr., Bong., Widm. a prima manu, *perversibilis*, quod metro non cohæret. Alii, *perverse velis*. Fabricius, *perverse ut velis*.

138. Vat. B a veteri manu, *tortor jam tum nobilis*, contra metrum et sententiam. In Prag. etiam mendose *jam tamen*; supra *jam tum*, vel *jam sum*.

139. *Ampliari* ad nobilitatem refertur, ut *amplitudo*. Exempla vide in lexicis.

143. Mar., Rat., Prag. non bene, *sellæ* pro *sella* : nam quarto loco spondæus esse nequit, adeoque Weitzius erravit, cum edidit *sellæ*. Aldus, Vat. B, *prætexta*, *togæ*. Ox., *prætexta togæ*. Fabr., *prætextæ*, *toga*. Hailsbr., *prætextæ toga*. Ambr., *prætexta et togæ*, et sic etiam Parrhasius. Heinsius vult *prætexta et toga*. Weitzius, Gifanius in *flere* ex vet. lib., Vat. A, Alex., *prætextæ togæ*, quod probum est. Toga communis erat omnibus, prætexta toga propria magistratuum. Heinsio recentiores consonant : Gallandius vero edidit *prætexta et toga*, et ex aliis adnotat *sellæ*, *prætextæ*, *togæ*. Fasces et secures consulum erant insignia, sellæ ædilium, prætextæ togæ imperatorum. Lictor ad consules etiam pertinebat, tribunal ad judices. Juvenalis sat. 10 : *Prætexta, et trabeæ, fasces, lectica, tribunal*.

144. Egm., Hailsbr., *tribunal*, *hæc trecenta*. Gis. ad oram, *et cruenta*.

145. *Detumescere* legitur etiam apud Petronium et Statium. *Tumoris* nomine Christiani scriptores passim superbiam significant, quod ex Euripidis Hecuba et Horatio sumptum censet Barthius lib. xxx Adv. cap. 19 : ego ex ipsa rei natura magis credo. Wipertus, Prudentii amator et imitator, lib. I, cap. 11 : *Ingenii excellentia, qua solent carnales super modum tumescere, moxque detumescere*.

146. Vat. B, *ut vermes solent*, quod Colerus in suis membranis exstare ait ad Valerium Maximum, pag. 548. Codex Marietti, de quo loquitur Colerus, habet certe *vermes*, et supra pro diversa scriptura *verres*, demum ad oram *vernæ*. In eodem Mar. videtur esse *dum* pro *cum*. Interpretatio horum versuum hæc circumfertur, Romanos, cum consulatum inibant, farre pullos pascere (quod munus est servorum), quoniam ominosum habebatur, si pulli farre abstinerent, et Romani nihil inauspicato agere solebant. Pignorius, C de Servis pag. 270, agit de aviario, altiliario, qui ab Horatio *fartor* appellatur, cujus officium, inquit, erat aves opimare et obesare in gratiam lautarum epularum. Et hinc arripuit occasionem apud Prudentium Romanus martyr deridendi præfectum Asclepiadem. Itaque existimo ipsos qui consulatum inibant pullos per se pascere, ut auspicia captarent; et idcirco ait Prudentius : *ut vernæ solent*, *farre pullos pascitis*. Giselinus ait, id factum per pullarios, quia Romani, teste Halcarnasseo, nec magistratus, nec magni aliquid inchoabant, priusquam eos consulerent. Parum hæc explicatio Prudentio congruit. Salvianus, lib. VI de Gubern., eam superstitionem in Christianis merito reprehendit : *Quid enim nunquid non in consulibus designandis et pulli adhuc sacrilegiorum more pascuntur, et volantis pennæ auguria quæruntur, ac pene omnia fiunt, quæ etiam illi quondam pagani veteres frivola et irridenda duxerunt? Et cum hæc omnia ipsi agant, qui annis nomina tribuunt*, etc.

D 148. Vat. B mendose, *sumpti* pro *sumit*. De hac aquila eburna dictum jam ad vers. 349 lib. I contra Symmachum. Chamillardus ait, aut errasse Prudentium, aut diversum morem fuisse temporibus Livii : nam hic affirmat scipionem eburneum cum aquila exstante in summitate ex eadem materia triumphantibus fuisse prælatum. Verum hoc nihili est : siquidem scipio gestabatur nomine triumphantis, et erat sceptrum, sive gestamen consulare. Valerius Maximus lib. IV, cap. 4 de C. Attilio Serrano : *Sed illæ rustico opere attritæ manus salutem publicam stabilierunt : ingentes hostium copias pessumdederunt ; quæque modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt : nec fuit iis rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere*. Fabricius narrat talem aquilam eburneam crista rubea insignem repertam Romæ, et talem exsculptam esse in fornice arcus Vespasiani, in quo manu eam tenet

Gestator ejus, ac superbit belluæ
Inflatus osse, cui figura est alitis.
Jam si sub aris ad sigillorum pedes
Jaceatis, infra sectilem quercum siti,
Quid esse vobis æstimem projectius?
Nudare plantas ante carpentum scio
1078 Proceres togatos metris Idææ sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo

A Muliebris oris clausus argento sedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis
1079 Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.
Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos esse monstrat, cum luperci curritis.
Quem servulorum non rear vilissimum,
Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas verbere ictas ludicro?

GLOSSÆ VETERES.

149. Ejus, *aquilæ*. — Belluæ, *elephanti*, I.
150. Cui, *ossi*. — Alitis, *aquilæ*, I.
151. Sigillorum, *simulacrorum, vel signorum; idolorum*, I.
152. Siti, *positi*, I.
153. Projectius, *despectius*, I.
154. Carpentum, *vehiculum, currum*, I.
155. Proceres, *nobiles: proceres proprie muruli trabium eminentes e maceriis; inde proceres dicuntur eminentiores in populis*, I.
156. Lapis, *gagathes, in quo pingebatur*, Vat. A. Gagathes, I. — Gemellus, *ideo potest dici gemellus, quia in vehiculo ipsa cum filio suo Cupidine solebat sculpi vel pingi*, Prag. — Essedo, *essedum genus vehiculi Gallicani, id est, quasi assedum ab assidendo dictum; genus vehiculi*, I.
160. Almonis, *fluvius*, I.
B 162. Luperci, *nudi: luperci dicebantur qui lupercalia celebrabant, id est festa Panis dei, in quibus omnia immunda fiebant*, I.
165. Verbere, *percutiendo nates illarum*, I.

COMMENTARIUS.

Vespasianus. In delineatione arcus et in ipso arcu solum invenio Titum aquilæ insidentem in cœlum ferri, veteri superstitione inter divos relatum, in arcus fornice. In quatuor angulis aquilæ cum fulmine triumphum exornant.

150. Ebur dentem elephanti esse norunt omnes. Prudentius *os belluæ* vocat.

151. Ald. perperam, *suberis* pro *sub aris*. De *sigillis* pro statuis vide comment. ad vers. 545 lib. II contra Symmachum.

152. Vat. B, Mar., Widm., *intra*; alii, *infra*. Vocat *sectilem quercum* statuam; adeoque *infra* legendum C est.

154. Balduinus, de Calceo antiquo cap. 3 et 33, agit de hoc ritu antiquorum nudandi plantas in quibusdam sacris functionibus. Eques Victorius dissertationem edidit anno 1753, qua illustravit exiguam Cybelis statuam quæ nunc in museo Victorio Vaticano asservatur, ut Teolius notavit.

155. Etymologiam glossæ, quod proceres sint *capita trabium*, docet etiam Servius ad I Æn. ex Varrone. Alii *proceres* a *primus* derivant.

156. Vat. B, Prag., Mar. a prima manu, *gemellus*; alii, *nigellus*. Ald., Alex. a secunda manu, Vatt. P, Q, Urb., *esseda*; plerique melius *essedo*. Murmellius et Lotterus, *evehundus*. Arnobius, lib. VI: *Videtis, Arabas informem lapidem coluisse, lignum indolatum Curios pro Diana, Pessinuntium silicem de cœlo lapsum pro deum Matre*. Gisbertus Cuperus in notis ad Lactantium, cap. 11 de Mort. persecut., ait vel hunc lapidem lineamenta faciei muliebris habuisse, vel inclusum fuisse capsa argentea faciei muliebris: quod D tamen aliis examinandum relinquit. Mihi vix dubium est quin ipse lapis lineamenta muliebris oris habuerit: et id ex verbo *sedet* confirmari potest. Nihilominus Bulengerus, lib. I, cap. 18, de Pict., probare contendit, columnas per initia pro statuis fuisse, et stipites, et lapides. In glossis *lapis nigellus* dicitur *gagathes*: posset intelligi achates, nam achates lapis est nigellus, ut ex Plinio, Solino et Isidoro patet, quanquam gagathes celebratur etiam a Plinio et Eugenio Toletano. Verior scriptura est *gagates* ex Græco vocabulo. Joannes Fridericus Hervartius, de Admirandis theologiæ ethnicæ Mysteriis cap. 52, ostendere conatur primum simulacrum, e Pessinunte Romam advectum, fuisse e magnete, et acum illam decantatam Magnæ deorum Matris, qua Romanum imperium sustentatum Servius prodit, fuisse acum magneticam, cujus notus jam esset usus. Joannes Winckelmannus in opere de Monumentis antiquis ineditis, tom. II: sect. 2, cap. 1, de Cybelis statuis agit. In Calendario Romano Maffeiano ita indicantur ludi Megalenses die 4 Aprilis: *Ludi Matr. Mag.* In Vindobonensi: *Ludi Megalesini*. In Prænestino: LVDI. M. D. M. I. MEGALENSIA. VOCANTUR. QVOD. EA. DEA. MIGALE. APPELLATVR. NOBILIVM. MVTITATIONES. CENARVM. SOLITAE. SVNT. FREQVENTER. FIERI. QVOD. MATER. MAGNA. EX. LIBRIS. SIBVLLINIS. ARCESSITA. LOCVM. MVTAVIT. EX. PHRYGIA. ROMAM. Vide notas Petri Franc. Fogginii.

157. Arnobius lib. VII de eodem lapide coloris fulvi atque atri, angulis prominentibus inæqualis, *quem omnes hodie illo ipso videmus in signo oris* (forte *insigniori*) *loco positum, indolatum, et asperum, et simulacro faciem minus expressam simulatione præbente*.

158. Prima in *præeundo* hoc loco intervallo longo effertur, vimque diphthongi retinet. Ammianus lib. XXIII de Juliano Apostata: *Ubi ad diem VI cal.* (Apriles) *quo Romæ Matri deorum pompæ celebrantur annales, et carpentum quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur, sacrorum solemnitate prisco more completa, somno per otium capto, exsultans pernoctavit, et lætus*. Confer S. Ambrosium, lib. III, ep. 48; Augustinum, lib. II de Civit. Dei, cap. 4; Arnobium, Ovidium, Valerium Flaccum, Lucanum, et alios.

160. Thuan. contra metrum *perventuri*. Hailsbr. *prævenitis*. Rivulus Almo extra portam Capenam, sive S. Sebastiani via Appia fluit: ejus nomen nunc *Acquataccio*, quasi aqua corrupta, ut puto. Origo ejus est fons aquæ salutaris, qua multi Romæ ad curandos morbos utuntur. Ea vocatur *acqua santa* Italice, et ad capitulum S. Lateranensis basilicæ spectat, exstatque prope viam Latinam.

161. De hujusmodi superstitionibus ethnicorum abunde dictum est ad libros contra Symmachum et ad hymnum S. Laurentii, quod indicasse semel sufficiat.

162. Baronius ad annum 496 refert S. Gelasium lupercalia prohibuisse, et Andromachum senatorem, qui ea defendebat, scripto refutasse. Epistola Gelasii exstat inter alias pontificum. Andromachus imaginem quamdam lupercalium retinendam contendebat. Gelasius neque ita quidem a Christianis celebrari posse lupercalia demonstrat.

164. Servorum erat proprium currere et festinare. In prologo Heautont. Terentius: *Ne semper servus currens, iratus senex.... assidue agendi sint mihi*.

165. Parrhasius, *pulset*, quod in notis confirmat, dum probat, Prudentium tentasse fastiditis gratiam

Miseret tuorum me sacrorum, et principum,
Morumque, Roma, sæculi summum caput.
1080 Age explicemus, si placet, mysteria,
Præfecte, vestra : jam necesse est, audias,
Nolis velisne, quid colatis sordium.
Nec terret ista qua tumes vesania,
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta lethi comminaris asperi :
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore, dimica.
Jubes, relictis Patris et Christi sacris,
A Ut tecum adorem feminas mille, ac mares,
1081 Deos, deasque, deque sexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos,
Et tot stuprorum sordidam prosapiam.
Nubunt puellæ, sæpe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus.
Incesta fervent : furta mœchorum calent :
Fallit maritus : odit uxor pellicem :
Deos catenæ colligant adulteros.
Ostende, quæso, quas ad aras præcipis,
Vervece cæso fumet ut cespes meus?

GLOSSÆ VETERES.

166. Sacrorum, *idolorum*, I.
172. Vultuosus, *terribilis, vel tristis*, I
177. Mares, *masculos*, I.
178. Sexu duplici, *de mare et femina*, I.
179. Abnepotes, *natos de nepotibus*. — Editos, *pronatos*. I.
181. Luduntur, *decipiuntur*, I.
182. Amasionum, *amatorum : amasii et amasiones unum sunt*. — Comprimuntur, *stuprantur*, I.
183. Incesta, *stupra, non casta. Distat inter fornicationem, et adulterium, et incestum; nam fornicatio cum puellis et viduis; adulterium cum uxoribus aliorum, incestum cum sororibus et sanctimonialibus; et dicitur incestum, quasi non castum*, I. *Jovis et Junonis*, Mar. — Mœchorum, *Martis et Veneris*, Mar.
B 184. Fallit, *uxorem*. — Maritus, *Saturnus Opim*. Mar. *Vulcanus*, I. — Pellicem, *pellex dicitur quasi pelle illiciens, id est decipiens; nam pulchritudine deputantur homines. Concubinam*, I.
185. Deos, *Martem et Venerem, quos Vulcanus alligavit*, I.
187. Vervece, *vervix vocatur a verme quem habet in fronte, qui commovens incitat eum ad prælium*, I.

COMMENTARIUS.

reddere; scilicet dixisse *volupe est* ex Ennio et Plauto, *ninguidos* ex Lucretio, *pultet* pro *pulset*. Ald., Torn. et nonnulli vulg., *actas* pro *ictas*. Luperci scutica, virgave e pelle hircina mulieres obvias feriebant, quæ manus ultro præbebant, quasi ita feliciores puerperæ essent futuræ, ut ex Ovidio, Juvenali et aliis colligitur. Vide lib. II in Symm., vers. 861. Iso nates verbere ictas docet, quod ex Choulio fusius refert Joan. Saubertus de Sacr. vet. cap. 6. Sed, ut hic ritus perageretur, mulieres ipsæ ad lupercos se conferebant.

166. Rat., Vat. B., Mar. a pr. m. *et* pro *me* non ita probe.

167. Vat. B., Mar., *secli* : metrum postulat *seculi*. Roma dicitur summum sæculi caput, ut *imperii domina* Apoth. vers. 507. *Sæculum* pro mundo, aut orbe accipitur, ut in hymno Sedulii : *Beatus auctor seculi*, et S. Petrus Chrysologus serm. CLX, *Universo sæculo non capacem concludi corpore perpusillo*. Vide vers. 584. In Laurentio.

170. Mar., *velis, nolisne*. Rat., *velis, nolisque* : utrumque contra metri regulam. Nec melius Parrhasius, *nolis velis, nequid*. Gis., Lotterus, *nolis velisve*. Scripti plerique, *nolis velisne*. Pro idolis sordes posuit. In Laurentio, vers. 263, *Dum dæmonum sordes colis*. Sic Ennodius in Natali Epiphanii, *Numina fallaci finxerunt sordida cantu*.

171. Vat. A, *ne terret*.

172. *Vultuosus* et *vultuose* usurpant Apuleius, Donatus, Capella, Quintilianus, Sidonius. Innuitur vultus asper, terribilis. *Supinus* pro superbo Juvenalis sat. 1, *Et multum referens de Mæcenate supino* : quanquam hic pro molli potius accipitur. Pro arroganti vero Persius sat. 1, *Seque aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Areti ædilis iniquas*.

173. Vat. B et Mar. non bene scribunt *læti* pro *lethi* aut *leti*.

174. Hailsbr., *moveri*; Egm., *ullus*.

175. Ad hanc sententiam pertinet illud Minucii : *Cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur*. Ubi interpretes plura similia adnotant.

177. Aldus, Vat. Q, *feminas, ac mille mares*. Ita Vat. B a secunda manu, nam a priori manu videtur fuisse, ut est in Mar., *matres* pro *mares*. Vat. A, Alex., Giselinus in emendatis, Heinsius et alii, *feminas mille, ac mares*, quod magis metro et consuetudini Prudentii congruit. Besselius, pag. 24 Miscellan. syntagm., legendum conjicit *Ut tecum adorem feminas, molles mares*, ut Ganymedes, Hebe, aliique molles mares intelligantur. At vero lectio codicum recte procedit : neque Hebe inter mares recensenda est, dea scilicet juventutis, non deus. Sexum deorum diversum gentilibus Lactantius, Arnobius, multique alii Christiani scriptores exprobrarunt. Arnobius, lib. III : *Adduci enim primum hoc ut credamus non possumus, immortalem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, et esse partem unum mares, partem esse alteram feminas ..... Nam consuestis in precibus, Sive*
C *tu Deus es, sive tu dea, dicere : quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsa declarat*. Preces quas Arnobius indicat legi possunt apud Macrobium lib. III Saturn., cap. 9 : *Si deus, si dea est, cui populus civitasque Carthaginensis est in tutela*, etc. A. Gellius lib. I, cap. 28 : *Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam* SI. DEO. SI. DEÆ. *immolabat. Idque ex decreto pontificum observatum esse, M. Varro dicit : quoniam et qua vi, et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum esset*. In veteribus inscriptionibus eadem formula occurrit *Sive deo, sive deæ. Si deus, si dea est*. Huc spectat quod in precibus interdum dicebant, *Quisquis es deus*. Vide Broverium, de Adorat. cap. 7, præter Catonem et alios.

180. Ald., Weitz., et plerique scripti, *et tot*. Gis., *ac tot*. Heinsius cum Thuan., *ut tot*, quod habet etiam
D Alex. In Ald. et Oxon., *prosapiem*.

181. Exempla habes in Proserpina, quæ Plutoni; Hebe, quæ Herculi; Minerva, quæ Vulcano nupta est. Deceptæ sunt a Jove Europa, Ægina, Leda, Danae et aliæ.

182. Utitur voce *amasionum* Apuleius lib. VII de Asino aureo.

183. *Furta* concubitus illicitos poetæ libenter vocant.

184. In Jove hæc omnia crimina in promptu est reperire. Ejus stupra novem recenset Ovidius VI Metamorphos., filios illegitimos supra viginti enumerat Hyginus fab. 155.

185. Prag., *duos* pro *deos*, minus bene.

186. Vat. A, *adoras* : lege *ad aras*.

187. Weitzius, nihil metrum curans, edidit *verbece* cum Widm. et Bong. In Vat. B ex *verbice* fac-

1082 Delphosne pergam? sed vetat palæs- A
[trici
Corrupta ephebi fama, quem vester deus
Effeminavit gymnadis licentia.
Mox flevit impuratus occisum gravi
Disco, et dicavit florulentum succubam.
Conductus idem pavit alienum pecus:
Furem deinde perditi passus gregis
Segnis bubulcus, tela et ipsa perdidit.

An ad Cybebes ibo lucum pineum?
1083 Puer sed obstat Gallus ob libidinem
Per triste vulnus, perque sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu deæ:
Per multa Matri sacra plorandus spado.
Sed, credo, magni limen amplectar Jovis:
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,
Luat severam victus et Scantiniam,

GLOSSÆ VETERES

188. Palæstrici, *palæstrici*, *qui, in theatro saltantes, turpia deorum canebant*, I.
189. Ephebi, *imberbis*, I.
190. Effeminavit, *castravit*. — Gymnadis, *nuditatis, vel exercitii licentia rustici*, I.
191. Impuratus, *commaculatus : impuratus et impurus ita distinguuntur, quod impurus in seipso immundus; impuratus autem ab alio contaminatus dicitur*, I. B
192. Disco, *discus genus ludi qui super discum agebatur, quem ille ephebus ludens a Borea vento occisus est*. — Florulentum, *in florem sui nominis*, Mar. — Succubam, *vel succubam. Succuba dicitur qui alii in patienda libidine succumbit, a succumbendo dictus : a succumbendo ad turpes usus, qui et amasio*, I. — Cucubam, *cucuba herba est dicata ab Apolline Hyacintho, cujus flos hyacinthus est secundum nomen pueri*, Prag.
194. Furem, *latronem*. — Passus, *sustinens*, I.
195. Tela, *arcum et pharetram*, I.
196. Cybebes, *Cybele, et Cubele, quæ Mater deorum dicebatur, quæ et Berecynthia*, I.
197. Puer, *Atys*, Mar. — Gallus, *scilicet castratus. Atys omnes eviratos Gallos vocabant, postquam Galli Senones Romam ceperunt, et postea quicunque Gallum ceperunt, evirabant, ne illud semen cresceret; et Gallos castratos omnes vocabant*. — Ob, *propter*, I.
199. Impudicæ, *inverecundæ*, I.
200. Matris, *Cybeleæ*. — Spado, *eunuchus*, I.
201. Credo, *ironice*, I.
202. Citetur, *judicaretur, vel commoveatur; judicetur secundum scita*, I.
203. Implicatus, *damnatus*. — Juliæ, *Romanæ legis : Julia lex a Julia repertrice, quæ adulteras damnabat*, I.
204. Scantiniam, *a Scantinia inventore, quæ utique judicabat adultero : legem Romanorum, id est, iram; ea est nomen deæ*, I.

COMMENTARIUS.

tum recentiori manu *verbece*. Mar. a prima manu, *verbice*. Rat., et Prag. a prima manu, ut videtur, *verbece*; alii scribunt *vervece*. *Verbex*, seu *vervex*, est mas inter oves, sed castratus : de quo Isidorus lib. XII Etym., cap. 1, consentit glossæ : *Vervex, vel a viribus dictus, quod cæteris ovibus sit fortior; vel quod sit vir, id est masculus; vel quod vermes in capite habeant : quorum excitati pruritu, invicem se concutiunt, et pugnantes cum magno impetu feriunt*. Varro a natura *versa* vervecem dictum existimat. De ara cespititia vide hymnum S. Eulaliæ. C

188. Vatt. A, Q, *vetant*, quod videtur etiam fuisse in Alex. Indicatur fabula Hyacinthi, de qua Ovidius lib. X Metamorph.

189. Mar. a prima manu, *quàm*, male.

190. In palæstra nudi luctabantur : hinc apud veteres *gymnasii licentia* in proverbium abiit.

192. In Vat. A recentior corrector, prioribus erasis, fecit *florulentum*, et *sucubam*. Videtur fuisse *cucubam*; ad oram legitur *cucubum*, et *sucubum* pro diversis lectionibus. Vat. B., Widm., *florulentam cucubam*. Prag., Mar., *florulentum cucubam*; sed in Mar. recenti manu factum *florulentam*. Alex., Ald., Weitz., Vat. Q, Urb., Lotter., Heinsius et alii, *florulentum succubam*, vel *subcubam*. Boug., *florulentum subcubum*; supra, *florulentam succubum*. *Florulentus* vox est auctoris Pervigilii Veneris et Solini.

193. Fabula Apollinis, qui armenta regis Admeti pavit, a quo boves et arma furatus est Mercurius. Videtur quarta sede tribrachys collocari. Posset aliquo pacto id negari; sed vers. 978 sine ulla controversia pes quartus tribrachys est.

195. Horatius, lib. I, oda 10, *Viduus pharetra Risit Apollo*.

196. Ald., Torn., Gall., *Cybellis*, Mar., *Cibiles*; Vatt. A, Q, Urb., *Cybelis*; alii *Cybæbis*; Hailsbr., *Cibelis*; Alex., *Cybeles*; Parrhasius, *Cybelles*; Thuan., Egm., Alt., *Cybebis*. Heinsius scripsit *Cybebes*, aliisque scribendum persuasit ex vett. exemplaribus Virgilii, Phædri, Lucani, et ex antiquis marmoribus. Græce *Cybele* et *Cybebe* dicitur. Nihilominus Chamillardus edidit *Cybeles*. Sacra Cybeles in montibus ubi lucus pineus erat celebrari solebant : et pinus ipsa arbor est Cybele sacra; ejusque imago corona e duobus ramis pineis insignita in nummis pingebatur. Monfauconius tom. I Ant. plures imagines Cybeles exhibet, ac de ejus gestis sive fabulis copiose disserit cap. 1 et seqq.

197. De Gallis vide lib. II in Symm. vers. 522.

200. Vat. B, Mar., Prag., Weitz., Ambr., Thuan., Oxon., *matri*, quod exstat etiam in Alex., Gis. in textu, Heinsio. In aliis, *matris*. In Rott. supra *sacra* pro div. script. erat *æra*. Ex quo Heinsius et Chamillardus suspicantur a manu Prudentii esse *Per multa matris æra plorandus spado*. Referunt videlicet ad corybantia æra.

201. Juvenalis, sat. 6, vers. 47, *Tarpeium limen adora*. Ex Arnobio, Ovidio, Tibullo et aliis patet hunc fuisse ethnicorum morem, ut templorum limina exoscularentur. Neque propterea accusandi sunt Christiani quod eadem venerationis signa suis templis exhibeant. Adisis prolegom. cap. 14.

202. Widm. corrupte, *scitetur* pro *citetur*. Idem error est in Mar. et Prag. In Vat. B, *qui siscitetur*. Latinius in Torn. correxit *vestris* pro *vestri*. En rationem cur Prudentius, qui tumulos martyrum amplectebatur, negat licere amplecti limen Jovis. D

203. Lege Julia mœchi puniebantur. Juvenalis, sat. 2, vers. 37, *Ubi nunc lex Julia? dormis?* De hac lege Cujacius observat. 2', cap. 18 et 19. Ab Augusto lata ea lex est : neque glossæ aliter disserentis habenda est ratio. Leges *minari*, dictum ad vers. 179 lib. II contra Symmachum. Hoc argumento deos gentilium Athanasius exagitat : *Num dignum est ut is (Jupiter) qui designat talia, quique ejusmodi flagitiis famosus est, quæ ne communes quidem leges Romanorum in mere hominibus impunita velint, pro numine habeatur? Quis ipsum non vituperet? quis non mulctandum morte judicet?*

204. Ald., Fabr. et nonnulli, *luet* pro *luat*. Vat. B, Mar., Prag., Rat., *Luat severum victus, et Scantiniam*. Vat. A, *Luet severam vinctus et Scatiniam*. Thuan., Alt., Noms., Rott., *Luat severam vinctus et Scantiniam*, quod tenent Alex., Heins., et alii. Lati-

1084 Te cognitore dignus ire in carcerem. A
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat manum:
Quem si beate vivere audit Juppiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dissidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa virtus, si colatur Lemnius,
Junonis iram sentiet quisque, ut deum

1085 Signo aut sacello consecrarit Herculem.
Dicis licenter hæc poetas fingere:
Sed sunt et ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati: quodque describunt colunt.
Tu cur piaclum tam libenter lectitas?
Cur in theatris, te vidente, id plauditur?
Cygnus stuprator peccat inter pulpita,
Saltat Tonantem tauricornem Lydius:
1086 Spectator horum pontifex summus sedes,

GLOSSÆ VETERES.

205. Cognitore, *te sciente, vel judice: cognitor, qui causas cognoscit judicii*, I.
206. Conditorem, *constitutorem, id est Saturnum*, I.
207. Censes, *judicas*, I.
208. Reformidat, *reformido et formido unum sunt*, I.
210. Occulendi, *occulta di*, I.
211. Dissidentum, *discordantium*, I.
213. Lemnius, *Vulcanus a Lemno insula: quia Vulcanus prodidit adulterium Veneris et Martis, ideo inter se dissident; et dicitur Lemnius Vulcanus, quasi lutosus, a Græco quidem l nos, id est lutum: nam sordidatio luxuriæ ex colore fit, qui est Vulcanus, quia ex pellice natus fuit*, I.

215. Signo, *imagine, sigillo*, I.

B

219. Piaclum, *facinus*. Iso. *Peccatum*, Mar.
221. Cygnus, *Jovis in forma. Jovis in cygnum conversus stupravit Dianam.* — Stuprator, *de Jove et Leda, vel de Jove et Pasiphae.* — Pulpita, *lectus deorum, gradus sc ne*, I.
222. Saltat, *canit.* — Tauricornem, *proprium nomen, mimiloqus quidam qui cantabat Jovem versum in taurum rapuisse Europam.* — Lydius, *Jovis, vel nomen toni musici: musicus*, I.

COMMENTARIUS.

nius in Torn. invenit *Cantiniam*, correxit *Scatiniam*. Parrhasius videtur duas in hoc versu leges distinguere: ita enim habet, *Luat severam victus, et Scantiniam*. Unica tamen lex *Scantinia* nominatur, quæ erat de impudicis, a Scantinio Aricino *lata contra eos qui muliebria patiebantur*, ut ait scholiastes ad Juvenalis sat. 2, vers 43,. *Citari Ante omnes debet Scantinia.* Nonnulli putarunt nomen eam legem accepisse C a C. Scantinio, qui M. Claudii Marcelli filium de stupro appellavit, et accusante patre condemnatus est, ut refert Valerius Maximus lib. VI, cap. 1. Etsi enim leges plerumque nomen ab iis qui eas tulerant accipiebant, non raro tamen a damnatis, ut Laia a Laio.

205. In Ambrosiano multa hic desiderabantur usque ad vers. 454. Heins. post *carcerem* interrogationis notam adjicit.

206. Prag. male, *quod aureorum*. Sermo est de Saturno, aurei sæculi conditore, in cujus templo propterea Romani ærarium esse voluerunt.

208. Thuan., *furem:* melius *furtim*. Gis. ad oram, *dum pavesceret malum:* quod in aliis exemplaribus esse ait Murmellius.

209. Pal., *audet;* recte supra, *audit*.

210. Mar. a prima manu, *colendi conscius;* supra, *occulendi conscius*. Prag., *oculendi conscius*. Legendum *occulendi conscios*.

211. Widm., *dissidentium*. Alex., *discidentum*. Vat. D Q, *dissidendum*. Vera lectio *dissidentum*. Bella deorum inter se pugnantium gentilibus plures e nostris objecerunt, Athanasius, Augustinus et alii. Arnobius, lib. IV, *Vulnerari, vexari, bella inter se gerere furialium memorantur ardore discriminum*. Lactantius, lib. I, cap. 3, *Homerus bellantes inter se deos finxit*.

214. Peveratus ait plurimis in locis a Prudentio *quique* usurpari pro *quicunque*, seu *quisquis*, quod hodie fere contra fidem vett. lib. et Prudentii consuetudinem in *quisque* mutatum est. Sed fallitur: nam vett. codices habent *quisque*, non *quique*, et consuetudo æqualium *Prudentii* fuit, ut *quisque* pro *quisquis* usurparent. Vide comment. ad vers. 216 hymn. 7 Cathem. Illud vero facilius mutarem, si per membranas liceret *ut deum:* nam legendum puto *Junonis iram sentiet, quisque aut deum Signo aut sacello consecrarit Herculem.* Porro Hercules Jovis filius, Junonis privignus fuit ex Alcmena pellice.

215. Latinius in Torn. emendavit *aut* pro *et*.

216. Ald., Urb., Gis., Oxon., *dices;* plerique, *dicis*. Hanc responsionem simili arguendi ratione rejecerunt Augustinus, Theodoretus et alii. Arnobius, lib. IV, *Sed poetis tantummodo licere voluistis indignas de diis fabulas, et flagitiosa ludibria comminisci. Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum, atque exoleti generis multitudo? Nonne ad usum quæstus sui abutuntur diis vestris, et lenocinia voluptatum ex injuriis attrahunt, contumeliisque divinis? Sedent et in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia*, etc.

219. Vat. A, *tu turpia dum*. Vat. B, Mar., Lotteri editio, *tu cur piaculum*, male.

221. Alii scribunt *cycnus*, alii *cygnus*. Martinus Roa, lib. III Singularium, part. 1, cap. 16, agens de cynedica saltatione in theatro vulgo *zarabanda*, hos versus in medium profert ut rem illustret. Saltabatur fabula Jovis, qui in cygnum conversus Ledam compressit. In theatris nostri sæculi non absimilia scelera, vel hæc ipsa saltatione repræsentantur. De saltatione cygni stupratoris intelligendus est etiam Juvenalis sat. 6 vers. 63, *Ledam molli saltante Bathyllo*. Spurcitiam veterum pantomimorum exagitant Clemens Alexandrinus lib. II Pædag., cap. 10, et Cyprianus epist. 103: *Superinducitur homo fractus omnibus membris, et vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire, ut desaltentur fabulosæ antiquitatis libidines*. Plura affert eruditus Bulengerus lib. I de Theatro, cap. 42 et 43, et Meursius in Orchestra, sive de Saltationibus veterum.

222. Vat. B, Rat., Prag., Mar. a prima manu, Widm., Bong. supra, *comantem* pro *tonantem*, quod unice verum est. Ald., Urb., Gis., Heins., et alii *Lydius;* quæ scribendi ratio placuit Murmellio, quia istiusmodi saltandi ars ex Hetruria Romam delata est, et Hetrusci e Lydis originem ducunt. Alii scribunt *ludius*, alii *lidius*. Glossa Isonis quæ verbo *tauricornem* apposita est, potius convenit voci *Lydius*. Lydium pro histrione saltante Ovidius aliique posuerunt. Ornatum quo Plancus Glaucum saltavit, describit Velleius lib II, *Cum cæruleatus et nudus, caputque redimitus arundine, et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset*.

223. Cuperus, ad Lactantium cap. 16 de Mortibus persecut., censet hoc loco *pontificem summum* vocari

A

Ridesque et ipse, nec negando diluis,
Cum fama tanti polluatur numinis.
Cur tu, sacrate, per cachinnos solveris,
Cum se maritum fingit Alcmenæ deus?
Meretrix Adonin vulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palam,
Nec te lupanar Cypridis sanctæ movet?
Quid, quod sub ipsis veritas signis patet,
1087 Formata in aere criminum vestigiis?
Quid vult sigillum semper affixum Jovi
Avis ministræ? nempe velox armiger
Leno, exoletum qui tyranno pertulit.
Facem recincta veste prætendit Ceres.
Cur, si deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens mater errat pervigil?
Fusos rotantem cernimus Tirynthium,
Cur, si Neæræ non fuit ludibrio?
1088 Quid rusticorum monstra detester deum?
Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes, incolasque aquatiles
Sitas sub alto, more ranarum, lacu.
Divinitatis jus in algis vilibus?
Ad hæc colenda me vocas, censor bone?
Potesne quidquam tale, si sanum sapis,

GLOSSÆ VETERES.

224. Diluis, *purgas talia convicia : deluo, purgo: dilue, permisceo: inde diluvium, eo quod omnia permiscerat*, I.

227. Alcmenæ, *Ledæ : dicitur Alcmene uxor Amphitryonis, quam vitiavit Jovis, vertens se in faciem illius dum ipse expugnabat quamdam civitatem.* — Deus, *Jovis*, I.

228. Meretrix, *Venus.* — Adonin, *Ado amasius Veneris, quem aper interfecit: unde nimium flevit Venus. Hoc ideo fingitur, quia Ado est sol, aper hiems, et aper interfecit Adonem, id est, veniente hieme, sol a calore deficit, et moritur; et flet Venus, id est terra, quia tunc terra nihil parit, obnubilata hieme. Priapum eunuchum.* — Scenica, *theatralis*, I.

230. Cypridis, *Veneris a Cypro insula, ubi colitur*, I.

231. Quid, *scilicet est*, I.

233. Sigillum, *idolum, vexillum*, I.

235. Leno, *machinator stupri : qui conciliat stu-* B *prum.* — Exoletum, *juvenem Ganymedem : exoletum, quod jam adolescere, id est crescere, desiit. Adultum, obsoletus, et exoletus sordidus; sed exoletus excretum aliquando significat, sicut excretum pullum dicimus, id est adultum.* — Qui, *qualiter*, I.

236. Ceres, *quærens Proserpinam vi raptam*, I.

237. Virginem, *Proserpinam*, I.

239. Tirynthium, *Herculem, quem Umfala (Omphale) faciebat, ut fusos rotaret. Umfala concubina ejus erat : umphala umbilicus, in umbilico enim est luxuria. Per Herculem fortes et sapientes, quia luxuria etiam sapientes decipit et deludit*, I.

240. Cur, *fecit hoc?* Mar

241. Deum, *deorum*, I.

242. Priapos, *deos hortorum*, I.

245. Jus, *scilicet est.* — Algis, *herbis marinis*, I.

246. Censor, *judicator: ironicos dixit; judex*, I.

COMMENTARIUS.

pontificem provinciæ. Cellarius ait intelligi Galerium sive præsentem, ut sentit Eusebius, sive absentem per apostrophem. Hoc postremum satis est probabile, quamvis Romanus alias Asclepiadem alloquatur.

224. Thuan., *ridensque.* Ald., Heins., Cham., Gall., Alex. a secunda manu, Urb., Gis., *deluis*; plerique *diluis*, etiam Teolius. De hoc plausu vide notata ex Arnobio ad vers. 1108 lib. II contra Symm.

226. Vat. B, mendose, *sacratæ.* Alcmenæ fabulam scripserunt apud Latinos Actius, Cæcilius, Plautus; apud Græcos Æschylus et Archippus, ut notat Fabricius.

228. Rat. scribit *meritrix.* Vat. A, Weitz., Heins., et Alex., *Adonem*; alii, *Adonin*; pro quo Vat. B, Mar., Prag., Rat. sine ulla litura, Parrhasius, habent *spadonem.* Arnobius lib. VII, *Obliterabit offensam Venus, si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus pantomimum.* Adonin scripsisse dicuntur Aratus tragicus et Plato comicus. De Adoni dente apri vulnerato Ovidius lib. X Metamorph., Lactantius lib. I de Falsa Religione, cap. 7. Exstat etiam idyllium Theocriti de eodem argumento, quod simul cum aliis ejusdem auctoris idylliis amicus noster Joannes Franciscus Sandoval e Græco in sermonem Hispanum plane venusto et eleganti carmine convertit, typisque paratum habet.

231. Ald., et, ut videtur, Alex., *quidquid.* Alii apud Gallandium, *quia quod*; plerique, *quid quod.*

234. Plinius, lib. X, cap. 3, *Negant unquam solam hanc alitem* (aquilam) *fulmine exanimatam : ideo armigeram Jovis consuetudo indicavit.* Alia significatione *armiger* accipitur pro stipatore, et corporis regis custode, ut dixi ad vers. 495 Apoth.

235. Mar. a secunda manu, *quod tyranno.* Jupiter inter alia cognomina *regis* nomen habuit, et merito a Prudentio *tyrannus* dicitur.

236. Egm., mendose, *prætendit.* Peveratus cum Nebrissensi malebat *præcincta* quam *recincta*, quia *recincta* est soluta, ut apud Virgilium lib. IV Æneid.,

C *In veste recincta*, et Ceres quærebat filiam Proserpinam a Plutone raptam. Verum metrum non patitur *præcincta*; et Fabricius recte explicat *recincta*, id est fluxa, ut tunc vestem forte gerebat; sic enim indicatur summopere turbatam deam fuisse. Cæterum hujusmodi pleraque vocabula duas contrarias habent significationes, ut *revincio.* Notatum jam id est ad vers. 37 lib. II in Symm. Ruæus ad vers. cit. Virgilii vestem *recinctam* interpretatur succinctam et collectam, quia *re* in plerisque verbis non negat, sed auget, in aliis vero utramque vim habet, ut in *recanto*, et *recino.*

237. Parrhasius male, *quod si deorum.*

239. Fabula Herculis cum servivit Iolæ.

240. Ald., Mar., Alex., Lotterus, *cur sine aere:* sed in nota Alex. est *Neæra.* Prag., *cur si enereide.* Vat. Q. *cur sineore.* Rat., *cur si neere.* Parrhasius, *cur sibi nere.* Murmellius legit, *cur sine ære*, sed ait legendum *quare*, vel *cur hic sine ære*, id est sine statua ex ære deformata. Vera lectio *cur si Neæræ.*

D Neæra commune nomen est meretricularum formosarum, ut apud Tibullum, Horatium, Virgilium et plures alios. De Neæra meretrice, quæ plures amicos habuit, Athenæus lib. XIII Deipnosoph. Pausanias Autolyci uxorem, quæ *Metra* proprio nomine dicebatur, vocavit Neæram, quia aliis se prostituit. Neæram scripsit Licinius Imbrex. Vide comment. a I vers. 139 lib. I contra Symmach.

241. Vat. B, Bong., Fabr., Gis., *detestor*; plerique, *detester.*

242. Nonnulli Faunos etiam et Priapos vocari putant *fistularum præsides.* Melius alii intelligunt Pana, qui fistularum creditus est inventor.

245. Parrhasius, *in ulvis*, male. Ald. et plerique scripti, *jus.* Fabr., Lotterus, Gis., *vis*, quod verius es e conatur persuadere Giselinus contra Murmellium. Neque ego negaverim dici posse *vim divinitatis*, ut *vim majestatis* apud eumdem Prudentium, et alia similia. Sed præferenda est codicum auctoritas.

Sanctum putare? nonne pulmonem movet A
Derisus, istas intuens ineptias,
Quas vinolentæ somniis fingunt anus?
Aut, siquod usquam vanitatis mysticæ
Nobis colendum est, ipse primus incipe:
Promisce adora, quidquid in terris sacri est:
1089 Deos Latinos, et deos Ægyptios,
Quis Roma libat, quis Canopus supplicat.
Venerem precaris? comprecare et simiam.
Placet sacratus aspis Æsculapii?
Crocodilus, ibis, et canis cur displicent?
Appone porris religiosas arulas,
Venerare acerbum cepe, mordax allium.
Fuliginosi thure placantur lares,
1090 Et respuuntur consecrata oluscula?
Aut unde major esse majestas focis,
Quam nata in hortis sarculatis creditur?
Si numen ollis, numen et porris inest.

GLOSSÆ VETERES.

18. Pulmonem, *pulmo enim concipit ventum et emittit, cum ridet homo et loquitur*, I.

249. Derisus, *derisio*. — Ineptias, *vanitates*, I.

250. Vinolentæ, *vino plenæ. Lentum dicimus plenum: inde vinolentus dicitur vino plenus, temulentus temeto plenus*, I.

251. Mysticæ, *secretæ, vel figuratæ*, I.

253. Promisce, *metri causa, vel promiscue*, I.

255. Canopus, *Ægyptus a stella sic dicta*, I.

256. Comprecare, *similiter*. — Simiam, *dea Ægyptia*, I.

257. Aspis, *serpens quem venerabatur Æscuapius medicus*, I.

258. Crocodilus, *deus Ægyptiorum: animal et in aquis, et in arboribus ascendens*. — Ibis, *ciconia Ægyptia: genus avis*, I. *Meridiana pars ibices aves vocat, qua Nili fluentis inhabitant. Orientalis vero occidentalisque plaga parva quadrupedia ibices nominat quibus est moris in petris parere, quæ neque sciunt nisi in petris habitare*. Cod. Biblioth. Bernens.

B 260. Cepe, *cephal Græce caput; inde cephe accepit nomen, quia tantum caput utile est; cæterum corpus fulciens*, I.

262. Oluscula, *multiplex ista idololatria qua colebantur etiam olera, ex hac occasione cœpit in Ægypto, quod cum exiret Pharao cum curribus et equitibus suis persequendo filios Israel, et mersus fuisset in mari Rubro cum toto exercitu, cæteri Ægyptii qui domi remanserant occupati circa varia negotia, sibi postea formabant simulacra, tanquam liberati essent per illa: verbi gratia, qui porrum eo tempore plantavit, porrum deinceps quasi liberatorem suum coluit, ut in cæteris fecerunt, colendo ea per quæ se liberatos putaverant*, Prag.

COMMENTARIUS.

248. Juvenalis sat. 10, *Perpetuo risu pulmonem agitare solebat Democritus*.

250. Ald. mendose, *vino lentæ*. Mar., et Rat. scribunt *vinulentæ*.

C 251. Aldus, *aut siquid*; multi, *aut siquod*. Ita veteres interdum locutos pro *siquid* ostendit Gifanius verbo Quod: scribit *at*. Heinsius, *at siquid* cum Giselino. Nostri plerique, *aut siquod*.

252. Ald., et Urb., *primum*: lege *primus*, ut metri ratio constet.

253. Alex., Vat. Q, Alt., Thuan., *promisce adora*, quod bene esse ait Heinsius: puto, *promisce, adora*. Weitzius adverbii more edidit *promisce adora* cum Egm., Widm. supra, Fabr., Hailsbr., Palat., Bong., Widm. At Sich., Gis. in textu, Vat. B, Mar., Prag., Rat., *promiscue adora*. Ald., Gis. ad oram, *pronusque adora*, quod Heinsius in contextu edidit, et recentiores tenuerunt. In Urb., *permisce, adora*. .

254. In deos Ægyptios comici et satirici Romani luserunt. Narrat Tertullianus Apolog. cap. 7, Serapim, Isidem, Harpocratem cum suo Cynocephalo esse Capitolio prohibitos, id est curia deorum pulsos, et ipsorum aras apud Romanos fuisse eversas, postea vero restitutum eorum cultum. De diis Ægyptiis vide lib. II adversum Symmach., vers. 864 et seqq., et Apoth. vers. 194.

256. Vide interpretes Minucii de diis Ægyptiis, ubi hæc aliaque Prudentii loca expenduntur.

257. Mar. scribit *Æscolapii*.

258. Weitz. cum Widm., Bong., scribit *Ybis*. Ald., Gis., *canes*; plerique, et castigatiores scripti Heinsiani et nostri, *canis*, probe, quia de Anubi est sermo. Juvenalis sat. 15, vers. 8, ubi hæc numina irridet, *Oppida tota canem venerantur*. Glossam de ibice desumpsi ex codice bibliothecæ Bernensis, quem Sinnerus describit in catalogo pag. 170 et seqq., et ad sæculum IX refert. Ordo librorum Prudentii idem fere ac in Weitzio: hymni Natalis et Epiphaniæ ponuntur post librum Peristephanon. Titulus est, *Incipit proœmium Aurelii Prudentii Clementis viri liberali peritia disertissimi*. Prima littera versus primi *Per quinquennium* exhibet effigiem Prudentii, cujus capiti nimbus cærulei coloris impositus est. Hunc catalogum cl. Fea J. C. mecum voluit communicatum, in quo certe gavisus sum hæc legere. In eodem catalogo referuntur nonnulli hymni Prudentii pag. 160.

259. Pal., *portis*, mendose. Juvenalis *Porrum, et cepe nefas violare, et frangere morsu*.

260. Mar. a prima manu. *acervum*; recte supra, *acerbum*. Giselinus hoc loco mendosus est, *cepe, et mordax halium*. Pro *allium* nonnulli scribunt *alium* unico *l*.

261. Juvenalis sat. 9, vers. 137, *O parvi, nostrique lares, quos thure minuto, Aut farre, et tenui soleo exornare corona*. Et sat. 12, vers. 89, *Laribusque paternis Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores*. Lares a Prudentio *fuliginosos* dici aiunt, quia illis sacrificabatur ex rebus fumum exhalantibus. Veriorem illam rationem puto quod Lares essent prope focum. Vide comment. ad vers. 511 Passionis S. Laurentii.

262. Ald., Mar., Rat., Cham. scribunt *holuscula*.

263. Egm., *at unde*. Giselinus edidit *aut unde*, sed in notis prætulit *at*. Plerique, et potiores, *aut*.

264. Fabr., *quam plantæ*. Vera lectio *nata*, et ex illo Juvenalis sat. 15, *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina*.

D 265. Aldus edidit *Si numen ignibus ollis numen et porris inest*. Correxit non melius *Si numen ignibus, ollis, et porris inest*. Murmellius ex exemplaribus in Germania impressis recte prætulit *Si numen ollis, numen et porris inest*. Non placet multis explicatio glossæ Rat. *ollis* pro *illis*. Hic possunt intelligi *ollæ*, quibus numen tribuitur, quia, ut ait Cellarius, ollæ in focis sunt, et foci erant sacri, vel potius, ut ego arbitror, quia in ipsis ollis erant quædam expressæ imagunculæ quibus Lares colebantur, ut de aliis rebus quæ erant prope focum dixi in comment. ad cit. hymn. S. Laurentii. Et Prudentii quidem ratio hæc mihi esse videtur: Si ollæ quibus porri coquuntur divinitate gaudent, cur eam porris ipsis negabitis? Ex responsione quæ sequitur conjicitur formam aliquam in ollis æreis sculptam pro deo habitam. Cæterum explicatio glossæ fortasse verior est. Cicero, de diis loquens lib. II de Legibus: *Et ollos, quos in cœlum merita vocaverint, Herculem*, etc. Et mox, *Olla numina*, pro *illos, illa*.

Sed pulchra res est forma in ære sculptilis.
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus stultis deos?
Forceps Myronis, malleus Polycleti
1091 Natura vestrum est, atque origo cœlitum.
Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, et corymbos Liberi,
Et dum Minervæ pectus hydris asperat:
Injecit atram territis formidinem,
Ut fulmen æris, ceu Tonantis, horreant
Tremant venenum sibilantis Gorgonæ;
Putent ephebum post triumphos Indicos
Ferire thyrso posse, cum sit ebrius.
Tum quod Dianam molle succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis:
1092 Si forte vultum tristioris Herculis,
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clavam minori, ni colatur, creditur.
Jam quis paventum corda terror occupat?
Junonis iram si polite expresserit,
Velut retortis intuens obtutibus,
Avertat ora de litantis hostia,
Lapis severa fronte mentitur minas.
Miror quod ipsum non sacrastis Mentorem,
Nec templum et aras ipse Phidias habet,
Fabri deorum, vel parentes numinum:
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Juppiter conflatilis.

GLOSSÆ VETERES.

267. Quid imprecabor, *in quantum maledicam.* — Officinis, *vel templis*, I.
270. Vestrum, *vestrorum.* — Cœlitum, *deorum*, I.
271. Efficax, *potens*, I.
272. Circumplicat, *deflectit*, I.
274. Corymbos, *racemos, anulos, circulos*, I.
275. Hydris, *serpentibus.*— Asperat, *asperum facit*, I.
279. Ephebum, *juvenem, id est Bacchum: Liberum patrem*, I.
280. Thyrso, *trunco vitis*, I.
281. Molle, *adverbium pro molliter, delicate*, I.
283. Clava, *lancea hasta Herculis, baculus Herculis*, I.
287. Polite, *ornate*, I.
289. Litantis, *sacrificantis*, I
290. Mentitur, *fingit*, I.
291. Mentorem, *dei mendacem*, I.
292. Phidias, *fidis chorda, unde fidius, qui fidibus canit* I.

COMMENTARIUS.

266. Mar., *inæris;* supra, *inære*: Prag., *in ere.* Lege *in ære.*
267. Vat. A, *gratiæ*. Vat. B, *Gretiæ.* Corrige *Græciæ.*
268. Weitz., *stultos;* melius *stultis.*
269. Giselinus Murmellium arguit quod ordinem verborum immutaverit *Polycleti malleus* pro *malleus Polycleti.* At ante Murmellium immutaverat jam Aldus, qui scribit *Pollicleti.* Penultima in *Polycleti* longa est, sed a Prudentio ratione accentus Græci corripitur, ut in *Paraclitus.* Rat. et Heinsius cum suis scribunt *Polycliti.* Myron et Polycletus celeberrimi statuarii, æquales et condiscipuli.
270. Ald., mendose, *verorum est.* Scripti, *vestrum est.* Gifanius in *Ecthlipsis*, *et* DEM *non extrita*, pag. 457, alias 464, vellet tolli verbum substantivum *est* ex vet. lib. Sed obnituntur codices Heinsiani et nostri.
272. Arnobius lib. VI, *Riciniatus Juppiter, atque barbatus*, etc. In *rigentem* exprimitur rigor barbæ, qua parte adhæret mento, in *circumplicat* extrema pars barbæ circumplicatæ, mox in *defluentem leniter* majestas et artificium, ut Horatius in Arte poet., *Et molles imitabitur ære capillos.*
273. Palat., *defluentes*, scilicet capillos.
274. Bacchi, ut Apollinis, comæ laudari solent a poetis.
275. Refert ad ægida Minervæ, in qua erat caput Medusæ, sive Gorgonæ, connexique angues, de quibus Virgilius lib. VIII, et Servius in Comm. Cicero 6 in Verrem: *Gorgonis os pulcherrimum crinitum anguibus.* Jupiter ægida, scutum suum, dono dederat Palladi. De his plura poetæ et mythologi. Utitur verbo *asperat*, ut serpentum naturam et artificis curam exprimat.
277. Alicubi editum est *acris:* at non *aer*, sed *æs* materia fulminis efficti indicatur.
278. Gis. ad marg., *Gorgonis.* Hæc ipsa est Medusa quæ Gorgon et Gorgona dicitur.
279. Alii *ephebum*, alii *ephæbum*, alii *ephibum* scribunt. Baccho a poetis inconsumpta juventus ascribitur.
280. Thyrsum multi aiunt fuisse telum cujus mucro hedera tegebatur. Iso aliter. Thyrso percussos in furorem rapi putabant gentiles.
281. Alii *tum*, alii *tunc* habent. Egm. scribit *succintam.* De Diana alte succincta adisis comment. ad vers. 366 lib. I contra Symmach.
282. Egm., *virgines:* melius *virginis.*
283. Rat. a prima manu, *tristiores*, male.
284. Hercules in nummis apparet cum cæsarie crispa fusus.
285. Ald., Vat. Q, Egm., Hailsbr., Heins., Fabr., Cham., *clavam.* Alii et Nebris. pro div. script., *clava.* Latinius in Torn. pro *clavam* substituit *clava.*
287. Thuan., *iras.* Junonis ira in proverbium abiit apud Græcos et Romanos. Virgilius lib. V, vers. 781, *Junonis gravis ira, et inexsaturabile pectus.*
288. Weitzio cum Hailsbr. placuit scribere *velud.* Vat. B, *vel ut.* Idem. Mar. a prima manu, Prag., *detort s.* Repugnat metrum. Oculus *retortus* est obliquus, ut *irretortus* apud Horatium rectus.
289. Vat. B, Mar., *avertit.* Weitzius conjunxit verba *delitantis*, et ex Egm. indicat *dilitantis.* Corrige *de litantis*, ut correxit etiam Aldus, qui ediderat *delitantis.*
290. In Cellarii editione 2, *minus* pro *minas* mendum puto, ut plura alia in ea editione quæ ultro prætereo.
291. Ald., Widm., Bong., et nonnulli alii, *sacratis.* Weitz., Heins. cum cæteris, *sacrastis.* Mentor cælando argento clarus.
292. Vatic. B, Mar., Rat., Prag., Hailsbr., Widm., *Fidius.* Lege *Phidias.* Alex., Urb., Vat. Q, scribunt *Fidias*, quod Weitzius edidit. Phidias fuit pictor, statuarius, sculptor nobilissimus. Iso longe aberrat.
293. De hoc versu dicam ad vers. seq.
294. Post hunc versum in Vat. B, Urb, Mar., Ald., inseritur hic *Cum condiderunt gentibus stultis deos*, quem in Torn. et ed. Paris. Patrum exstare ait Gallandius, repetitum ex vers. 268, sed, ut ipse putat, mendose. Fortasse a manu Prudentii non est iste versus sic repetitus: alioqui sine ullo incommodo posset retineri. Fabricius ait hunc versum poni in nonnullis exemplaribus, in quibus deest versus 293 *Fabri deorum:* qui merito præfertur.
295. Vide Minucium et commentatores ad illius verba, *Deus enim ..... conflatur, tunditur malleis, et incudibus figuratur.*

1093 Non erubescis, stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia:
Quæ diis ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
1094 Fracta, et liquata contulerunt vascula?
Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus:
Quos lana terret discolore in stipite,
Quos sæpe falsus circulator decipit:
Quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidæ
1095 Edentularum cantilenæ suaserint

GLOSSÆ VETERES.

296. Pago, *vico, vel paganismo. Pagi, ut Isidorus dicit, sunt apta ædificiis loca inter agros habitantibus: unde pago dedite, sine urbium disciplina. Villa. Page Græce villa; inde villanos paganos, quasi a civitate Dei remotos, dicimus,* I. *Pagus hic ponitur pro stultitia,* Vat. A.

297. Obsonia, *negotia, viles res, id est carnes, et similia ad esum pertinentia, ad operandum proposita; servitia, prandia; obsonor, prandeo; inde obsonium, prandium,* I.

299. Pelvis, *vas pedum.* — Cantharus, *ansatus calix, vas vinarium,* I.

303. Circulator, *deceptor, quia alios quodam circulo erroris involvit et decipit,* I.

304. Rancidæ, *rauce canentes: rancidum iratum ex vitio nuncupatum, quod raucos efficiat,* I.

305. Edentularum, *anuum, quasi sine dentibus,* I

COMMENTARIUS

296. Locus Isidori ab Isone indicatus exstat lib. xv Etym., cap. 2. De hac voce *pagus*, et cur idololatræ pago dediti et impliciti a Prudentio dicantur, vide comment. ad vers. 449 lib. i contra Symmachum. Weitzius advertit in pagis et villis cultum superstitionis fuisse frequentem, ut liquet ex Cicerone lib. ii de Legib.; ex quo paganalia festa et feriæ paganicæ ortum duxerunt. Censorinus lib. i de Natali Die tradit gentiles in suis agris habuisse partem aliquam diis sacratam ubi eos colerent. Invalescente Christiana religione, cum publice in urbibus idola venerari non liceret, ad pagos secedebant, ut libere cultum suis numinibus exhiberent. S. Augustinus, serm. 62, olim 6, de verbis Domini: *Multi pagani habent istas abominationes in fundis suis. Nunquid accedimus et confringimus? Prius enim agimus ut idola in ipsorum cordibus confringamus.* Mazochius, tom. III Spic. bibl., pag. 295, in hujus vocabuli *Paganus* etymologia investiganda elaborat. Videri etiam potest Baronius in notis ad Martyr. Rom. die 31 Januarii. Nonnulli Prudentium reprehendunt quod hoc loco et vers. 1009 *paganum* præfectum a Romano vocatum dixerit, cum ea vox ad idololatram significandum solum post Constantini tempora adhibita fuerit. Verum, ut alia nunc omittam, ex his ipsis versibus colligi potest etiam ante Constantinum vocabulum *paganus* adhibitum fuisse ad hominem denotandum superstitioni ac ridiculis ritibus, et diis, quales in pagis colebantur, deditum.

297. Nebrissensis obsonia intelligit liba quæ offerebantur diis Manibus. Sed Prudentius loquitur de omnibus oblationibus et epulis quæ in honorem quorumcumque deorum fieri solebant. Et liba quidem in aliis sacris etiam offerebantur, aliquando cruda, aliquando cocta. Obsonium vero proprie est quidquid præter panem et vinum paratur et coquitur cibi gratia.

298. Alii *dis*, alii *diis* scribunt.

299. Mar. scribit *cantarus*. In hoc eodem argumento plurimi versantur. Minucius: *Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio ..... et deus æreus vel argenteus de immundo vasculo,* etc. Tertullianus, Apologet. cap. 12: *Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo quam materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communium vel ex iisdem vasculis et instrumentis,* etc. Arnobius lib. vi: *Simulacra ista, quæ vos terrent,.....ossa, lapides, æra sunt, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso: ex ornatibus fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obscenioribus vasculis congesta.* Adisis Joann. Ludovicum de la Cerda in not. ad loc. cit. Tertulliani.

302. In Egm., Pal., Hailsbr., Alt., Noms., Watt. A, I, Q, Alex., ita legitur hic versus, *Quos verum latet, qui fidunt in stipite.* Ita etiam in Bong ad oram, et in Rat. ad marg. inter duos versus *quos lana*, et *quos sæpe*, sed aliena manu, neque omnino antiqua Teolius in tribus Vatt. esse hunc versum testatur, et a Prudentio potuisse esse censet; non tamen Addenda Heinsii hoc loco consuluit, cum affirmet nec verbum quidem de hoc versu habere Heinsium; qui in tribus suis codicibus exstare eum aperte dixit. Cæterum nemo qui senarii iambici regulas noverit, et consuetudinem Prudentii animadverterit, tam exlegem versum Prudentio affinget. Ald., Urb., Thuan., Oxon., tres Torr., Heins. et alii, *discolora* a nomine *discolorus*, *discolora*, *discolorum*, ut *multicolorus*, *versicolorus*. Vide comment. ad vers. 821. Hamartig. Weitz, Mar., Vat. B, Prag., Parrhasius, Torn., Rat., *discolor*, minus bene. Egm., Gis., *discolore*. Fabr., *discolori*. Latinius, *discolore*. Alt., *discolos*. Non placet. Gifanius, ubi agit *de desinentibus in* r, ex vet. lib. prætulit *discolor*, quia putat veteres interdum desinentia in *r* longa fecisse: sed non persuadet. Nebrissensis existimat præstigias circulatoris alicujus ex colorum mutatione significari. Neque ab hac interpretatione longe dissideo; sed vellem eam veteri aliquo testimonio de hujusmodi præstigiis corroborari. Bulengerus, qui in lib. de Theatro artes veterum præstigiatorum et fallacias diligenter exposuit, nihil tale retulit. Giselinus affert versum Virgilii e Pharmaceutria: *Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo.* Aliam explicationem de arboribus vittatis vide ad vers. 1009 lib. ii in Symmach., cui Arnobius lib. i maxime favet: *Venerabar elephantorum ossa, picturatas veternosis in arboribus tænias.* Simulacra ex ebore vocat ossa elephantorum. Dicitur vero lana terrere ob metum et horrorem illum qui religionum omnium quodammodo proprius est. Weitzius addit stemma, teste Sophoclis interprete in Œdipode tyranno, fuisse lanam ramo (sive stipiti) circumvolutam, quo stemmate simulacra coronari consuevisse colligitur ex Julio Obsequente. Affirmat idem Weitzius olim circulatores lanam in picto scipione gestasse, ut pueris et fatuis imponerent: sed ejus rei testem non profert. Itaque congruentius hic locus accipitur de arbore vittata, de qua plura ad vers. cit. lib. ii in Symm. Plinius, lib. xii, cap. 1, de arboribus: *Hæc fuerunt numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiamnum deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus.*

303. Weitz. cum Egm., *falsos*. Heinsius cum Thuan. et Alt., *salsus*, ut passim apud scriptores homo salsus pro ridiculo. Mihi hoc loco *falsus* probum videtur, quamvis Heinsio recentiores adhæreant.

304. Ald., Urb., Hailsb. a prima manu, Bong, supra, *ranulæ*; vetustiores, *rancidæ*; Alex. *rancide*. Heinsius minime probat *ranulæ*, quia apud Martialem *rancido ore loqui*, et apud Persium *rancidulum*

Vos eruditos miror et doctos viros
Perpensa vitæ quos gubernat regula,
Nescire vel divina, vel mortalia
Quo jure constent : quanta majestas regat,
Quidquid creatum est, quæ creavit omnia.
Deus perennis, res inæstimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur :
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraque et intus implet, ac superfluit,
1098 Intemporalis ante, quam primus dies :
Esse et fuisse semper unus obtinet :
Lux ipse vera, veri et auctor luminis
Cum lumen esset, lumen effudit suum :
Ex luce fulgor natus hic est Filius.
Vis una Patris, vis et una est Filii,
Unusque ab uno lumine splendor satus,
Pleno refulsit claritatis lumine.
Natura simplex pollet unius Dei,
Et quidquid usquam est, una virtus condidit.
Cœlum solumque, vim marini gurgitis,
Globos, dierum noctiumque præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, hesperos, æstus, nives,
Fontes, pruinas, et metalla, et flumina :
Prærupta, plana, montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
Jumenta, pecudes, subjugales belluas,
1097 Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæque vernant esui.
Hæc non labore et arte molitus Deus,
Sed jussione, quam potestas protulit,
Mandavit esse, facta sunt quæ non erant.
Verbo creavit omniformem machinam :
Virtus paterna semper in Verbo fuit :

GLOSSÆ VETERES.

307. Perpensa, *temperata : perpensa res, id est æquo pondere repensa; æqua reddita*. I.
324. Pollet, *pollere proprie exercere; sed hic pro excellit*, I.
327. Globos, *stellas : lunam et stellas dicit*, I.
329. Septentriones, *ursi*, I.
331. Prærupta, *aspera*, I
333. Subjugales, *equos, boves, et quidquid sub jugo mittitur*, I.
334. Fruteta, *virgulta humilia*, I.
335. Vernant, *florescunt, virescunt*, I.
336. Molitus, *conatus*, I.
339. Verbo, *Filio*, I.
340. In Verbo, *in Filio*, I,

COMMENTARIUS.

vaiba de nare loqui dicitur. Nonnulli veteres habent *raucidæ*, et id tenet Iso. Gis. prima ed., *vanulæ*, ad oram *rancidæ*. Parrhasius, *quis omne*, scilicet *quis*.

306. Christianos ethnici imperitos et ignaros vocabant : et Christiani per derisum ethnicos peritos et doctos. Sic Arnobius lib. II : *Vos soli sapientia conditi, atque intelligentiæ vi mera, nescio quid aliud videtis, et profundum.. .. Dicite, o festivi, et meraco sapientiæ tincti et saturi potu*. Respondet Romanus congruenter ad ea quæ præfectus objecerat: *Populare quiddam sub colore gloriæ Illitterata credidit frequentia*. Verum de his plura Heraldus, Wowerus, Elmenhorstius, Rigaltius, et præcipue Ouzelius ad verba Minucii, *Studiorum rudes, litterarum profanos, expertes*, etc. Adde Elmenhorstium ad Arnobium pag. 38. Nobis enim longiores esse non licet, et digitum in fontes intendere satis fuerit.

308. Ald., *moral a* : lege *mortalia*.

309. Egm., *quod*. Vat. A, *qui*. Alii, *quo*. Ald., *edat*., male, pro *regat*.

310. Ald., *creatum, quæ*, sine *est*. Vat. B, Alex. Mar., Rat., Prag, et alii, *creatum est, quæ*, quod expressit Heinsius. Weitz., Sich., Egm., Hailsbr., Pal., *creatum est, qui*.

311. Joannes Filesacus, cap. 1, lib. I Select., hunc locum illustrat aliis similibus Ambrosii, Clementis Alexandrini, Paulini et aliorum. Elmenhorstius pag. 17 ad Arnobium similiter in hoc argumento versatur. *Inæstimabilis* est pretium omne excedens apud Livium et Valerium Maximum. Cicero dixit *inæstimabile* quod nullius est pretii.

312. Sich., *vivendo*. Metrum exigit *videndo*.

315. Gis. ad oram, *extraque, et intra complet*. Hilarius, de Trinit. III, *Ipse extra omnia, in omnibusque*. Paschalius. de Spiritu sancto : *Quem præsto esse per omnia, id est intra, extraque, non ambigo*. Petavius, tom. I, lib. III, cap. 9, multis allatis testimoniis, eamdem sententiam confirmat.

316. *Intemporalis* vox est Cælii Aureliani, Apuleii, quanquam ab Aureliano pro inopportuno sumitur.

317. Significatur æternitas Dei, quæ in ejus nomine, *Ego sum qui sum*, indicata est. Circumscribi solet æternitas hac explicatione : *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio :* quæ est definitio Boetii lib. v de Cons. pros. 6, communi omnium consensu probata. Hinc Deus *esse et fuisse semper unus obtinet :* et idem est in eo esse, fuisse, ac futurum esse.

318. Filius Dei est. et dicitur lumen de lumine. Vide Apoth. vers. 278.

320. Gis, *huic*; ad oram, *hic*. Hoc retinendum cum scriptis.

321. Noms., *una Filii* sine *est*.

323. Alex., Pal., Vat. B, *claritatis numine*. Alii, *lumine*.

327. *Globus lunæ* apud Virgilium, *globus solis* paulo post vers. 537. Respicit ad illud Genes. I, 16, *luminare majus, ut præesset diei; et luminare minus, ut præesset nocti*.

333. Vat. B, Widm. a secunda manu, Mar., Rat., Prag., Gis. in textu secundæ ed., *pecudes*. Parrhasius, Ald., Sich., et alii plures, *pecua*, quo vocabulo usi sunt Cicero, Livius, Plinius et antiquiores. Vide Nonium in *pecua*. Fabr. edidit. *pecora*.

334. Alex., Parrhasius, *fructeta*. Giselinus ita etiam edidit, sed emendavit *frutecta :* quod miror ab Heinsio non esse animadversum, nam error typographicus Giselini in Heinsii editione receptus est. Atqui neque versus constat cum *fructeta*, et *frutetum*, aut *frutectum*, ut alii scribunt; a *frutex* originem trahit, non a *fructus*. Chamillardus ab Heinsii errore non cavit.

335. Lectio Parrhasii, ab aliis multum dissidet, *Quæ sunt odoræ : quæque vernantes comæ*. Aldus contra metrum, *Quæ sunt odori, quæque vernantes esui*.

336. Parrhasius *molitur*. Theodoretus, Græcar. affect. lib. IV : *His itaque verbis manifeste ostendit Deum non ex subjecta materia res omnes procreasse.... At rerum omnium Deus opifex nec instrumentis, nec materia indiget*, etc.

338. Vide hymn. Cath. 9. Omni hora.

339. De hujusmodi vocabulis *omniformis* vide hymn. 3 Cath., vers. 1 et 2.

Cognostis ipsum, nunc colendi agnoscite
Ritum modumque: quale sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ vota poscat, quos sacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit
1098 Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem:
Pulchram, venustam, præminentem culmine,
Discriminatis illitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresque primas virgo custodit Fides,
Innexa crines vinculis regalibus,
Poscit litari victimas Christo, et Patri,
Quas scit placere, candidatas, simplices:
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
1099 Dei timorem, regulam scientiæ,
Jejuniorum parcitatem sobriam,
Spem non jacentem, semper et largam manum.
Ex his amœnus hostiis surgit vapor,
Vincens odorem balsami, thuris, croci.
Auras madentes Persicorum aromatum:
Sublatus inde cœlum adusque tollitur,
Et prosperatum dulce delectat Deum.
Hanc disciplinam quisquis infensus vetat,
Vetat probatum vivere, et sanctum sequi.
Vetat vigorem mentis alte intendere,
Nostrique acumen ignis ad terram vocat,
Nec excitari vim sinit prudentiæ.
O mersa limo cæcitas gentilium!
O carnulenta nationum pectora!
O spissus error! o tenebrosum genus,
Terris amicum, deditum cadaveri,
Subjecta semper intuens, nunquam supra!

GLOSSÆ VETERES.

541. Cognostis, *noscitis, pro cognovistis*, I.
543. Sanxerit, *statuerit*. — Donaria, *dona*, I.
546. Ipse, *Deus*, I.
548. Incapacem, *qui non capit solutionem*, I.
550. Discriminatis, *discretis, divisis, separatis, variis*. — Illitam, *pictam*. — Coloribus, *scilicet virtutum*, I.
554. Litari, *sacrificari*, I.
555. Placere, *scilicet illi*, I.
559. Parcitatem, *abstinentiam*, I
560. Spem, *spes non debet jacere: sed se erigit*, I.
561. Amœnus, *delectabilis*. — Vapor, *fumus*, I.
562. Croci, *genus pigmenti*, I.
563. Persicorum, *Persia regio est ubi abundant aromata*, I.
565. Prosperatum, *benignum*, I. *Propitiatum*, Vat. A
566. Infensus, *molestus*, I.
567. Probatum, *probabiliter, nomen pro adverbio*, I
569. Ignis, *animæ, quæ est igneæ naturæ*, I.
574. Cadaveri, *corpori, quod resolvendum est in cadaver*, I.
575. Supra, *cœlestia*, Vat. A.

COMMENTARIUS

541. Hailsb., *cognoscis*: melius *cognostis*.

542. Prag. perperam, *tempus genus*.

543. Mar, *quæ dicari*, Vat. A, *dedicari auxerit*. Egm., *quæ dedicaris auxerit*. Depravata sunt hæc omnia.

545. Vat. B, Mar., Rat., *mandat*; melius *mandet*, ut *poscat, velit*

546. Giselinus in suo codice invenit *sedem* pro *ædem*. Murmellio magis placet *Ædem sibi ipse mentem hominis condidit*, ut consona non absorbeatur. Neque id displicet Giselino, qui hanc etiam lectionem e veteribus libris depromptam esse testatur. Ita certe edidit Lotterus. Cæterum hanc sententiam de templo mystico in corde hominis sæpius Prudentius noster adornavit, sed hoc in loco elegantissime. *Quam rem*, inquit Barthius lib. LV, cap. 5, *nemo unquam gratius et suavius quam..... suavissimus augur, et olor Christi Prudentius in Romano: Ædem sibi ipse*, etc. In Epist. I Petri, II, 5, *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Non solum sacrarum Litterarum sanctorumque Patrum testimoniis eadem sententia comprobatur, verum etiam ethnicorum dictis. Plinius, Panegyr. ad Trajan., *Animadverto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus quam innocentia et castitate lætari; gratioremque existimari qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui præmeditatum carmen intulerit*. De templo et ara in corde vide etiam Berthaldum de Ara cap. 29.

547. Parrhasius, Ald., *flebilem*; alii, *flabilem*. Nebrissensis recte *flabilem* exponit *spiritualem*. Sed cum rogat, *Quid si legas* STABILEM? ad carminis hujus leges non attendit. Natura animæ nostræ his versibus declaratur.

550. Per colores discriminatos virtutes intelligo, quæ naturales sunt animis: nam supernaturales postea refert. Lactantius, lib. de Ira Dei, sub finem, etiam utitur voce *destructilis*: ubi tamen alii legunt *destructibilibus*, non *destructilibus*.

551. Parrhasius, Alex. a secunda manu. Hailsbr., *sacrata in limine*. Vat. A, Alex. a prima manu, *sacrata limine*. Alii *sacrato in limine*, sed in Thuan. deest *in*.

552. Fabricius id explicat, quia *sola fides victimas gratas et legitimas adducit*: hæretice, quasi *sola* fides placeat Deo. Primas ergo fores custodit fides, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, et quia *accedentem ad Deum oportet credere, quia est*, etc. Eadem sententia exstat lib. II in Symmach., vers. 92, *Respondet vel sola fides, doctissima primum Pandere vestibulum vere ad penetralia sectæ*.

555. Victimæ candidatæ sunt immaculatæ, ut præscribit Moyses cap. I Levitici.

557. Fabricius et Giselinus, *oris quietem*. Scripti Heinsiani, Weitziani et nostri, *pacis quietem*. Fabricius in jejunia, flagellationes, vota religiosa importune invehitur. Nam si tantum velit sine fide has victimas Deo non placere, nobiscum facit; sed ille aperte vult tum unius fidei virtutem ultra quam par est extollere, tum aliorum bonorum operum utilitatem imminuere: quam hæresim sæpissime in commentariis inculcat.

561. Vat. B, vitiose, *hostigiis* pro *hostiis*, uti ibi correctum est. Prag., *amœnis hostiis*.

563. E Persia aromata afferri solent. Nebrissensis *madentes* interpretatur *sparsas*, scilicet per quas aromata sparguntur. Sed bene etiam est *madentes* pro *madidis*: nam auræ aromatibus madefiunt.

567. Alicubi, *probate*: quæ est glossa ad *probatum* adverbii more.

569. *Ignem* de animi vigore, uti etiam de Deo sæpe Prudentius dixit, et nos explicuimus.

572. *Nationes* pro gentibus et gentilibus. *Carnulentus* dixit Solinus.

575. Lotterus, mendose, *nunquam summa*. Fabricius ait *supra* esse enallagen pro *superna*, ut constet sermonis ordo. Posset conjici *supera*, et eo alludit glossa. Sed *supra* probum est.

Furorne summus, ultima et dementia est,
1100 Deos putare qui creantur nuptiis?
Rem spiritalem terrulenter quærere:
Elementa mundi consecrare altaribus:
Id, quod creatum est, conditorem credere?
Deasciato supplicare stipiti:
Verris cruore scripta saxa spargere:
Aras ofellis obsecrare bubulis,
Homines fuisse cum scias, quos consecras,
Urnas reorum morticinas lambere?
1101 Desiste, judex sæculi, tantum nefas
Viris jubere fortibusque et liberis;
Nil est amore veritatis celsius.
Dei perennis numen asserentibus
Nihil est pavori, mors et ipsa subjacet.
Dudum coquebat, disserente martyre,
Asclepiades intus iram subdolam,
Stomachatus alto felle, dum longum silet,
Bilemque tectis concipit præcordiis,
Tandem latentis vim furoris evomit
Pro Juppiter, quid est quod ex hoc audio!
Stat inter aras, et deorum imagines,
Et, quod fateri cogor, in medio foro,
1102 Tacente memet, hic perorat perditus,
Quidquid sacrorum est, ore fœdans impio?
O fas priorum, moris o prisci status,

GLOSSÆ VETERES.

578. Terrulenter, *in terra*, I.
581. Deasciato, *cum ascia inciso : ascia planato, vel formato. Ascia genus instrumenti quo formantur res*, I.
583. Ofellis, *diminutivum ab offa, quod fructum significat*, I. *Particulis præcisis*, Mar.
585. Urnas, *sepulcra*, Mar.
587. Liberis, *a servitio diaboli*, I.
589. Asserentibus, *affirmantibus*, I.
590. Est, *scilicet illis*, I.
591. Coquebat, *parabat.*—Disserente, *hæc dicente*, I.
592. Subdolam, *fraudulentam*, I.
593. Stomachatus, *iratus : stomachor, irascor*, I.
594. Bilemque, *fel, invidiam, vel iram bilis; nigredo fellis, unde ira procedit*, I.
596. Pro! *exclamative : ah Deus!* I.
599. Perorat, *loquitur*, I.
401. Fas, *lex*, I.

COMMENTARIUS.

578. Vat. A a prima manu, Gis., Parrhasius, Vat. Q, Alex., plerique Heinsiani, Bong., Widm. a secunda manu, *terrulente*. Ald., Weitz., Mar., Rat., *terrulenter*. Antiquior Prudentio scriptor qui *terrulentus* et *terrulenter* dixerit, nullus occurrit.

579. Contra elementorum consecrationem disputavit etiam lib. I contra Simmach., vers. 297 et seqq.

581. Ald., Mar. a prima manu, Alex., Vat. Q, scribunt *deascreato*. Urb., mendose, *dissecato*. *Deascio* est ascia lævigo. Exstat hæc vox in Plauto et in vett. inscriptionibus. Ascia proprie est instrumentum ferreum quo fabri lignarii ad polienda ligna utuntur: Hispanis *hacha*, ut ego puto: nam runcina videtur esse *cepillo*, scobina genus limæ ad abradendum. Vide epistolam Mazochii de dedicatione sub ascia. Tertullianus, Apologetic. cap. 12: *In deos vestros per omnia membra incumbunt asciæ, et runcinæ, et scobinæ.* Minucius: *Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur.* Barthius hunc Prudentii versum confert lib. IV, cap. 12, cum versu Tibulli eleg. IV lib. II, *Seu stipes habet desectus in agris*. Ita enim legit pro *desertus* ex uno codicum Palatinorum. Nam utcunque rudis stipes, aliquo tamen modo cultus erat, ut qui numen aliquod inter cæteros crederetur habere solus. Qua de re dixi ad vers. 1005 lib. II in Symm., in simili Ovidii versu. Sed verior videtur lectio quam ibi indicavi, *desertus* a *desero*, a quo est *desevi* et *deserui*, *desitus* et *desertus*, hoc est plantatus. Alii scribunt *dissero, dissevi, disserui, dissertus, dissitus*, eadem significatione. Macrobius, lib. III Sat., cap. 18, hos Suevii versus ex-cribit: *Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis Disseruere, novos fructus mortalibus dantes.*

582. Simulacra olim in basi inscribi solebant: hinc *saxa inscripta*. Sues immolabantur Cereri, Cybele, Bonæ Deæ, Marti, Termino. Eos sues non fuisse proprie verres, sed maiales, aut, ut Varro appellat, nefrendes, notat Fabricius. Differt autem a verre maialis, ut ab ariete vervex, ab equo cantherius, et ab hirco caper.

583. Ald., Widm., Bong., Vat. Q, scribunt *offellis*; sed ab *offa* fieri *ofellam* extrito uno *f*, probat quantitas primæ vocalis, quæ est brevis. In glossa pro *fructum* fortasse legendum *frustum*.

585. Nebrissensis legit *deorum*, non male. In his versibus sermo est ut ego opinor, de imperatoribus in deos relatis, quorum urnas Romani osculabantur. *Morticinus* proprie est *ab se mortuus*, non ab alio occisus. Vocantur ergo urnæ morticinæ sepulcra in quibus corpora defunctorum jacebant. Nonnulli interpungunt *Urnas reorum morticinas lambere*, hoc est sepulcra et carnes morticinas. Fabricius hanc superstitionem, ut vocat, Italis objicit, quod urnas in quibus corpora sanctorum jacent exosculentur. Verum hæc religionis veræque pietatis, non superstitionis, signa, apud omnes catholicos vigent, et viguerunt semper, ut ex ipso Prudentio liquet. Quid ergo Prudentius ethnicis exprobrat? Quod homines et sceleratos quidem, pro deis colerent. Non enim ea venerationis obsequia illis exhibebant, tanquam hominibus sanctis, verique Dei amicis, sed tanquam propria divinitate præditis.

587. Weitz. cum nonnullis suis, *fortibus, et liberis*. Metrum postulat *fortibusque et*. *Jubeo tibi* Græcismus est posterioris ævi, quam aurei sæculi scriptoribus familiarior. Scioppius tanquam maxime Latinum id defendebat ex Cicerone, Livio et aliis.

588. Aliqui habent *nihil*. In Vat. B. ita hi versus disponuntur: 1. *Nihil pavori*; 2. *Nil est amore*; 3. *Dei perennis*.

589. Vat. A, B, Q, Weitz., Widm. supra, et alii vel a prima, vel a secunda manu, *numen*. Alex., Urb., Mar, a prima manu, Rat. a veteri manu, Ald., Parrhasius, *nomen*.

590. Vat. B., Mar., Rat., *nil pavori est*. Non constat versus. Fabr., Gis., Heins., *nihil est pavori*. Parrhasius, Ald., Hailsbr., Alex., et alii, *nihil pavori est*. Ald., repugnante carminis lege, trajecit verba *est*, *et mors* pro *est*, *mors et*.

598. Ald., mendose, *phoro* pro *foro*.

599. Ald., Mar., Prag., Weitz., Rat., Parrhasius, Tornæs. et alii, *hic perorat*. Gallandius secutus id est, ac putavit mendum esse in Chamillardo *ac perorat*. At Heinsius prætulit *ac perorat* cum Egm., Pal., Thuan., Noms., Vat. A, Alex. et aliis. Pro *perditus*, Prag. habet *perditos* cum hac glossa, *id est orando suadet perditos sibi credere*. Verum parum Latine id diceretur.

401. Ald., Hailsbr.. *O fas piorum*. Melius *priorum*. In nonnullis vulg., *motis*, perperam, pro *moris*. Nebrissensis, qui cum Aldo legit *o fas piorum*, exponit, *heu pietas, o fas!* Dei autem solet *fas* de his quæ per religionem licent.

Miseret tuorum me sacrorum, et principum,
Morumque, Roma, sæculi summum caput.
1080 Age explicemus, si placet, mysteria,
Præfecte, vestra : jam necesse est, audias,
Nolis velisne, quid colatis sordium.
Nec terret ista qua tumes vesania,
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta lethi comminaris asperi :
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore, dimica.
Jubes, relictis Patris, et Christi sacris,

A

Ut tecum adorem feminas mille, ac mares,
1081 Deos, deasque, deque sexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos,
Et tot stuprorum sordidam prosapiam.
Nubunt puellæ, sæpe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus.
Incesta fervent : furta mœchorum calent :
Fallit maritus : odit uxor pellicem :
Deos catenæ colligant adulteros.
Ostende, quæso, quas ad aras præcipis,
Vervece cæso fumet ut cespes meus?

GLOSSÆ VETERES.

166. Sacrorum, *idolorum*, I.
172. Vultuosus, *terribilis, vel tristis*, I
177. Mares, *masculos*, I.
178. Sexu duplici, *de mare et femina*, I.
179. Abnepotes, *natos de nepotibus*. — Editos, *pronatos*. I.
181. Luduntur, *decipiuntur*, I.
182. Amasionum, *amatorum : amasii et amasiones unum sunt*. — Comprimuntur, *stuprantur*, I.
183. Incesta, *stupra, non casta. Distat inter fornicationem, et adulterium, et incestum; nam fornicatio cum puellis et viduis; adulterium cum uxoribus aliorum, incestum cum sororibus et sanctimonialibus; et dicitur incestum, quasi non castum*, I. *Jovis et Junonis*, Mar. — Mœchorum, *Martis et Veneris*, Mar.

B 184. Fallit, *uxorem*. — Maritus, *Saturnus Opim*, Mar. *Vulcanus*, I. — Pellicem, *pellex dicitur quasi pelle illiciens, id est decipiens; nam pulchritudine deputantur homines. Concubinam*, I.
185. Deos, *Martem et Venerem, quos Vulcanus alligavit*, I.
187. Vervece, *vervix vocatur a verme quem habet in fronte, qui commovens incitat eum ad prælium*, I.

COMMENTARIUS.

reddere; scilicet dixisse *volupe est* ex Ennio et Plauto, *ninguidos* ex Lucretio, *pultet* pro *pulset*. Ald., Torn. et nonnulli vulg., *actas* pro *ictas*. Luperci scutica, virgave e pelle hircina mulieres obvias feriebant, quæ manus ultro præbebant, quasi ita feliciores puerperæ essent futuræ, ut ex Ovidio, Juvenali et aliis colligitur. Vide lib. II in Symm., vers. 861. Iso nates verbere ictas docet, quod ex Choulio fusius refert Joan. Saubertus de Sacr. vet. cap. 6. Sed, ut hic ritus perageretur, mulieres ipsæ ad lupercos se conferebant.

166. Rat., Vat. B., Mar. a pr. m. *et* pro *me* non ita probe.

167. Vat. B., Mar., *secli :* metrum postulat *seculi*. Roma dicitur summum sæculi caput, ut *imperii domina* Apoth. vers. 507. *Sæculum* pro mundo, aut orbe accipitur, ut in hymno Sedulii : *Beatus auctor seculi*, et S. Petrus Chrysologus serm. CLX, *Universo sæculo non capacem concludi corpore perpusillo*. Vide vers. 584. In Laurentio.

170. Mar., *velis, nolisne*. Rat., *velis, nolisque :* utrumque contra metri regulam. Nec melius Parrhasius, *nolis velis, nequid*. Gis., Lotterus, *nolis velisve*. Scripti plerique, *nolis velisne*. Pro idolis sordes posuit. In Laurentio, vers. 263, *Dum dæmonum sordes colis*. Sic Ennodius in Natali Epiphanii, *Numina fallaci finxerunt sordida cantu*.

171. Vat. A, *ne terret*.

172. *Vultuosus* et *vultuose* usurpant Apuleius, Donatus, Capella, Quintilianus, Sidonius. Innuitur vultus asper, terribilis. *Supinus* pro superbo Juvenalis sat. 1, *Et multum referens de Mæcenate supino :* quanquam hic pro molli potius accipitur. Pro arroganti vero Persius sat. 1, *Seque aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Areti ædilis iniquas*.

173. Vat. B et Mar. non bene scribunt *læti* pro *lethi* aut *leti*.

174. Hallsbr., *moveri ;* Egm., *ullus*.

175. Ad hanc sententiam pertinet illud Minucii : *Cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur*. Ubi interpretes plura similia adnotant.

177. Aldus, Vat. Q, *feminas, ac mille mares*. Ita Vat. B a secunda manu, nam a priori manu videtur fuisse, ut est in Mar., *matres* pro *mares*. Vat. A, Alex., Giselinus in emendatis. Heinsius et alii, *feminas mille, ac mares*, quod magis metro et consuetudini Prudentii congruit. Besselius, pag. 24 Miscellan. syntagm., legendum conjicit *Ut tecum adorem feminas, molles mares*, ut Ganymedes, Hebe, aliique molles mares intelligantur. At vero lectio codicum recte procedit : neque Hebe inter mares recensenda est, dea scilicet juventutis, non deus. Sexum deorum diversum gentilibus Lactantius, Arnobius, multique alii Christiani scriptores exprobrarunt. Arnobius, lib. III : *Adduci enim primum hoc ut credamus non possumus, immor-*

C *talem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, et esse partem unam mares, partem esse alteram feminas ..... Nam consuestis in precibus, Sive, tu Deus es, sive tu dea, dicere : quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsa declarat*. Preces quas Arnobius indicat legi possunt apud Macrobium lib. III Saturn., cap. 9 : *Si deus, si dea est, cui populus civitasque Carthaginensis est in tutela*, etc. A. Gellius lib. I, cap. 28 : *Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam* SI. DEO. SI. DEÆ. *immolabat. Idque ex decreto pontificum observatum esse, M. Varro dicit : quoniam et qua vi, et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum esset*. In veteribus inscriptionibus eadem formula occurrit *Sive deo, sive deæ. Si deus, si dea est*. Huc spectat quod in precibus interdum dicebant, *Quisquis es deus*. Vide Broverium, de Adorat. cap. 7, præter Catonem et alios.

180. Ald., Weitz., et plerique scripti, *et tot*. Gis., *ac tot*. Heinsius cum Thuan., *ut tot*, quod habet etiam

D Alex. In Ald. et Oxon., *prosapiem*.

181. Exempla habes in Proserpina, quæ Plutoni; Hebe, quæ Herculi; Minerva, quæ Vulcano nupta est. Deceptæ sunt a Jove Europa, Ægina, Leda, Danae et aliæ.

182. Utitur voce *amasionum* Apuleius lib. VII de Asino aureo.

183. *Furta* concubitus illicitos poetæ libenter vocant.

184. In Jove hæc omnia crimina in promptu est reperire. Ejus stupra novem recenset Ovidius VI Metamorphos., filios illegitimos supra viginti enumerat Hyginus fab. 155.

185. Prag., *duos* pro *deos*, minus bene.

186. Vat. A, *adoras :* lege *ad aras*.

187. Weitzius, nihil metrum curans, edidit *vervece* cum Widm. et Bong. In Vat. B ex *verbice* fac-

1082 Delphosne pergam? sed vetat palæstrici A
Corrupta ephebi fama, quem vester deus
Effeminavit gymnadis licentia.
Mox flevit impuratus occisum gravi
Disco, et dicavit florulentum succubam.
Conductus idem pavit alienum pecus:
Furem deinde perditi passus gregis
Segnis bubulcus, tela et ipsa perdidit.
An ad Cybebes ibo lucum pineum?
1083 Puer sed obstat Gallus ob libidinem
Per triste vulnus, perque sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu deæ:
Per multa Matri sacra plorandus spado.
Sed, credo, magni limen amplectar Jovis:
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,
Luat severam vinctus et Scantiniam,

GLOSSÆ VETERES

188. Palæstrici, *palæstrici, qui, in theatro saltantes, turpia deorum canebant*, I.
189. Ephebi, *imberbis*, I.
190. Effeminavit, *castravit*. — Gymnadis, *nuditatis, vel exercitii licentia rustici*, I.
191. Impuratus, *commaculatus: impuratus et impurus ita distinguuntur, quod impurus in seipso immundus; impuratus autem ab alio contaminatus dicitur*, I. B
192. Disco, *discus genus ludi qui super discum agebatur, quem ille ephebus ludens a Borea vento occisus est*. — Florulentum, *in florem sui nominis*, Mar. — Subcubam, *vel succubam. Succuba dicitur qui alii in patienda libidine succumbit, a succumbendo dictus: a succumbendo ad turpes usus, qui et amasio*, I. — Cucubam, *cucuba herba est dicata ab Apolline Hyacintho, cujus flos hyacinthus est secundum nomen pueri*, Prag.
194. Furem, *latronem*. — Passus, *sustinens*, I.
195. Tela, *arcum et pharetram*, I.
196. Cybebes, *Cybele, et Cubele, quæ Mater deorum dicebatur, quæ et Berecynthia*, I.
197. Puer, *Atys*, Mar. — Gallus, *scilicet castratus. Atys omnes eviratos Gallos vocabant, postquam Galli Senones Romam ceperunt, et postea quicunque Gallum ceperunt, evirabant, ne illud semen cresceret; et Gallos castratos omnes vocabant*. — Ob, *propter*, I.
199. Impudicæ, *inverecundæ*, I.
200. Matris, *Cybeleæ*. — Spado, *eunuchus*, I.
201. Credo, *ironice*, I.
202. Citetur, *jud caretur, vel commoveatur; judicetur secundum scita*, I.
203. Implicatus, *damnatus*. — Juliæ, *Romanæ legis: Julia lex a Julia repertrice, quæ adulteras damnabat*, I.
204. Scantiniam, *a Scantinia inventore, quæ utique judicabat adulteros: legem Romanorum, id est, iram; ea est nomen deæ*, I.

COMMENTARIUS.

tum recentiori manu *verbece*. Mar. a prima manu, *verbice*. Rat., et Prag. a prima manu, ut videtur, *verbece*; alii scribunt *vervece*. *Verbex*, seu *vervex*, est mas inter oves, sed castratus: de quo Isidorus lib. XII Etym., cap. 1, consentit glossæ: *Vervex, vel a viribus dictus, quod cæteris ovibus sit fortior; vel quod sit vir, id est masculus; vel quod vermes in capite habeant: quorum excitati pruritu, invicem se concutiunt, et pugnantes cum magno impetu feriunt*. Varro a natura *versa* vervecem dictum existimat. De ara cespititia vide hymnum S. Eulaliæ.
188. Vatt. A, Q, *vetant*, quod videtur etiam fuisse in Alex. Indicatur fabula Hyacinthi, de qua Ovidius lib. X Metamorph.
189. Mar. a prima manu, *quam*, male.
190. In palæstra nudi luctabantur: hinc apud veteres *gymnasii licentia* in proverbium abiit.
192. In Vat. A recentior corrector, prioribus erasis, fecit *florulentum*, et *sucubam*. Videtur fuisse *cucubam*; ad oram legitur *cucubum*, et *sucubum* pro diversis lectionibus. Vat. B., Widm., *florulentam cucubam*. Prag., Mar., *florulentum cucubam*; sed in Mar. recenti manu factum *florulentam*. Alex., Ald., Weitz., Vat. Q, Urb., Lotter., Heinsius et alii, *florulentum succubam*, vel *subcubam*. Boug., *florulentum subcubum*; supra, *florulentam succubam*. *Florulentus* vox est auctoris Pervigilii Veneris et Solini.
193. Fabula Apollinis, qui armenta regis Admeti pavit, a quo boves et arma furatus est Mercurius. Videtur quarta sede tribrachys collocari. Posset aliquo pacto id negari; sed vers. 978 sine ulla controversia pes quartus tribrachys est.
195. Horatius, lib. I, oda 10, *Viduus pharetra Risit Apollo*.
196. Ald., Torn., Gall., *Cybellis*, Mar., *Cibiles*; Vatt. A, Q, Urb., *Cybelis*; alii *Cybæbis*; Hailsbr., *Cibelis*; Alex., *Cybeles*; Parrhasius, *Cybelles*; Thuan., Egm., Alt., *Cybebis*. Heinsius scripsit *Cybebes*, aliisque scribendum persuasit ex vett. exemplaribus Virgilii, Phædri, Lucani, et ex antiquis marmoribus. Græce *Cybele* et *Cybebe* dicitur. Nihilominus Chamillardus edidit *Cybeles*. Sacra Cybeles in montibus C ubi lucus pineus erat celebrari solebant: et pinus ipsa arbor est Cybele sacra; ejusque imago corona e duobus ramis pineis insignita in nummis pingebatur. Monfauconius tom. I Ant. plures imagines Cybeles exhibet, ac de ejus gestis sive fabulis copiose disserit cap. 1 et seqq.
197. De Gallis vide lib. II in Symm. vers. 522.
200. Vat. B, Mar., Prag., Weitz., Ambr., Thuan., Oxon., *matri*, quod exstat etiam in Alex., Gis. in textu, Heinsio. In aliis, *matris*. In Rott. supra *sacra* pro div. script. erat *æra*. Ex quo Heinsius et Chamillardus suspicantur a manu Prudentii esse *Per multa matris æra plorandus spado*. Referunt videlicet ad corybantia æra.
201. Juvenalis, sat. 6, vers. 47, *Tarpeium limen adora*. Ex Arnobio, Ovidio, Tibullo et aliis patet hunc fuisse ethnicorum morem, ut templorum limina exoscularentur. Neque propterea accusandi sunt Christiani quod eadem venerationis signa suis templis exhibeant. Adisis prolegom. cap. 14.
202. Widm. corrupte, *ecitetur* pro *citetur*. Idem error est in Mar. et Prag. In Vat. B, *qui siscitetur*. Latinius in Torn. correxit *vestris* pro *vestri*. En rationem cur Prudentius, qui tumulos martyrum amplectebatur, negat licere amplecti limen Jovis. D
203. Lege Julia mœchi puniebantur. Juvenalis, sat. 2, vers. 37, *Ubi nunc lex Julia? dormis?* De hac lege Cujacius observat. 2', cap. 18 et 19. Ab Augusto lata ea lex est: neque glossæ aliter disserentis habenda est ratio. Leges *minari*, dictum ad vers. 179 lib. II contra Symmachum. Hoc argumento deos gentilium Athanasius exagitat: *Num dignum est ut is (Jupiter) qui designat talia, quique ejusmodi flagitiis famosus est, quæ ne communes quidem leges Romanorum in mere hominibus impunita velint, pro numine habeatur? Quis ipsum non vituperet? quis non mulctandum morte judicet?*
204. Ald., Fabr. et nonnulli, *luet* pro *luat*. Vat. B, Mar., Prag., Rat., *Luat severum victus, et Scantiniam*. Vat. A, *Luet severam vinctus et Scatiniam*. Thuan., Alt., Noms., Rott., *Luat severam vinctus et Scantiniam*, quod tenent Alex., Heins., et alii. Lati-

1084 Te cognitore dignus ire in carcerem. A
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat manum:
Quem si beate vivere audit Juppiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dissidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa virtus, si colatur Lemnius,
Junonis iram sentiet quisque, ut deum
1085 Signo aut sacello consecrarit Herculem.
Dicis licenter hæc poetas fingere:
Sed sunt et ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati: quodque describunt colunt.
Tu cur piaclum tam libenter lectitas?
Cur in theatris, te vidente, id plauditur?
Cygnus stuprator peccat inter pulpita,
Saltat Tonantem tauricornem Lydius:
1086 Spectator horum pontifex summus sedes,

GLOSSÆ VETERES.

205. Cognitore, *te sciente, vel judice: cognitor, qui causas cognoscit judicii*, I.

206. Conditorem, *constitutorem, id est Saturnum*, I.

207. Censes, *judicas*, I.

208. Reformidat, *reformido et formido unum sunt*, I.

210. Occulendi, *occulta di*, I.

211. Dissidentum, *discordantium*, I.

213. Lemnius, *Vulcanus a Lemno insula: quia Vulcanus prodidit adulterium Veneris et Martis, ideo inter se dissident; et dicitur Lemnius Vulcanus, quasi lutosus, a Græco quidem l nos, id est lutum: nam sordidatio luxuriæ ex colore fit, qui est Vulcanus, quia ex pellice natus fuit*, I.

215. Signo, *imagine, sigillo*, I.

B 219. Piaclum, *facinus*. Iso. *Peccatum*, Mar.

221. Cygnus, *Jovis in forma. Jovis in cygnum conversus stupravit Dianam*. — Stuprator, *de Jove et Leda, vel de Jove et Pasiphae*. — Pulpita, *lectus deorum, gradus sc ne*, I.

222. Saltat, *canit*. — Taur cornem, *proprium nomen, mimilogus quidam qui cantabat Jovem versum in taurum v tiasse Europam*. — Lydius, *Jovis, vel nomen toni musici: musicus*, I.

COMMENTARIUS.

nius in Torn. invenit *Cantiniam*, correxit *Scatiniam*. Parrhasius videtur duas in hoc versu leges distinguere: ita enim habet, *Luat severam victus, et Scantiniam*. Unica tamen lex *Scantinia* nominatur, quæ erat de impudicis, a Scantinio Aricino *lata contra eos qui muliebria patiebantur*, ut ait scholiastes ad Juvenalis sat. 2, vers 43,. *Citari Ante omnes debet Scantinia*. Nonnulli putarunt nomen eam legem accepisse C a C. Scantinio, qui M. Claudii Marcelli filium de stupro appellavit, et accusante patre condemnatus est, ut refert Valerius Maximus lib. VI, cap. 1. Etsi enim leges plerumque nomen ab iis qui eas tulerant accipiebant, non raro tamen a damnatis, ut Laia a Laio.

205. In Ambrosiano multa hic desiderabantur usque ad vers. 454. Heins. post *carcerem* interrogationis notam adjicit.

206. Prag. male, *quod aureorum*. Sermo est de Saturno, aurei sæculi conditore, in cujus templo propterea Romani ærarium esse voluerunt.

208. Thuan., *furem*: melius *furtim*. Gis. ad oram, *dum pavesceret malum*: quod in aliis exemplaribus esse ait Murmellius.

209. Pal., *audet*; recte supra, *audit*.

210. Mar. a prima manu, *colendi conscius*; supra, *occulendi conscius*. Prag., *oculendi conscius*. Legendum *occulendi conscios*.

211. Widm., *dissidentium*. Alex., *discidentum*. Vat. Q, *dissidendum*. Vera lectio *dissidentum*. Bella deorum inter se pugnantium gentilibus plures e nostris objecerunt, Athanasius, Augustinus et alii. Arnobius, lib. IV, *Vulnerari, vexari, bella inter se gerere furialium memorantur ardore discriminum*. Lactantius, lib. I, cap. 3, *Homerus bellantes inter se deos finxit*.

214. Peveratus ait plurimis in locis a Prudentio *quique* usurpari pro *quicunque*, seu *quisquis*, quod hodie fere contra fidem vett. lib. et Prudentii consuetudinem in *quisque* mutatum est. Sed fallitur: nam vett. codices habent *quisque*, non *quique*, et consuetudo æqualium *Prudentii* fuit, ut *quisque* pro *quisquis* usurparent. Vide comment. ad vers. 216 hymn. 7 Cathem. Illud vero facilius mutarem, si per membranas liceret *ut deum*: nam legendum puto *Junonis iram sentiet, quisque aut deum Signo aut sacello consecrarit Herculem*. Porro Hercules Jovis filius, Junonis privignus fuit ex Alcmena pellice.

215. Lat nius in Torn. emendavit *aut* pro *et*.

216. Ald., Urb., Gis., Oxon., *dices*; plerique, *dicis*. Hanc responsionem simili arguendi ratione rejecerunt Augustinus, Theodoretus et alii. Arnobius, lib. IV, *Sed poetis tantummodo licere voluistis indignas de diis fabulas, et flagitiosa ludibria comminisci. Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum, atque exoleti generis multitudo? Nonne ad usum quæstus sui abutuntur diis vestris, et lenocinia voluptatum ex injuriis attrahunt, contumeliisque divinis? Sedent et in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia*, etc.

219. Vat. A, *tu turpia dum*. Vat. B, Mar., Lotteri editio, *tu cur piaculum*, male.

221. Alii scribunt *cycnus*, alii *cygnus*. Martinus Roa, lib. III Singularium, part. 1, cap. 16, agens de cynedica saltatione in theatro vulgo *zarabanda*, hos versus in medium profert ut rem illustret. Saltabatur fabula Jovis, qui in cygnum conversus Ledam compressit. In theatris nostri sæculi non absimilia scelera, vel hæc ipsa saltatione repræsentantur. De saltatione cygni stupratoris intelligendus est etiam Juvenalis sat. 6 vers. 63, *Ledam molli saltante Bathyllo*. Spurcitiam veterum pantomimorum exagitant Clemens Alexandrinus lib. II Pædag., cap. 10, et Cyprianus epist. 103: *Superinducitur homo fractus omnibus membris, et vir ultra muliebrem mollitiem D dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire, ut desaltentur fabulosæ antiquitatis libidines*. Plura affert eruditus Bulengerus lib. I de Theatro, cap. 42 et 43, et Meursius in Orchestra, sive de Saltationibus veterum.

222. Vat. B, Rat., Prag., Mar. a prima manu, Widm., Bong. supra, *comantem* pro *tonantem*, quod unice verum est. Ald., Urb., Gis., Heins., et alii *Lydius*; quæ scribendi ratio placuit Murmellio, quia istiusmodi saltandi ars ex Hetruria Romam delata est, et Hetrusci e Lydis originem ducunt. Alii scribunt *ludius*, alii *lidius*. Glossa Isonis quæ verbo *tauricornem* apposita est, potius convenit voci *Lydius*. Lydium pro histrione saltante Ovidius aliique posuerunt. Ornatum quo Plancus Glaucum saltavit, describit Velleius lib. II, *Cum cæruleatus et nudus, caputque redimitus arundine, et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset*.

223. Cuperus, ad Lactantium cap. 16 de Mortibus persecut., censet hic loco *pontificem summum* vocari

Ridesque et ipse, nec negando diluis, A
Cum fama tanti polluatur numinis.
Cur tu, sacrate, per cachinnos solveris,
Cum se maritum fingit Alcmenæ deus?
Meretrix Adonin vulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palam,
Nec te lupanar Cypridis sanctæ movet?
Quid, quod sub ipsis veritas signis patet,
1087 Formata in ære criminum vestigiis?
Quid vult sigillum semper affixum Jovi
Avis ministræ? nempe velox armiger
Leno, exoletum qui tyranno pertulit.
Facem recincta veste prætendit Ceres.
Cur, si deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens mater errat pervigil?
Fusos rotantem cernimus Tirynthium,
Cur, si Neæræ non fuit ludibrio?
1088 Quid rusticorum monstra detester deum?
Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes, incolasque aquatiles
Sitas sub alto, more ranarum, lacu.
Divinitatis jus in algis vilibus?
Ad hæc colenda me vocas, censor bone?
Potesne quidquam tale, si sanum sapis,

GLOSSÆ VETERES.

224. Diluis, *purgas talia convicia : deluo, purgo : diluo, permisceo : inde diluvium, eo quod omnia permiscerat*, I.
227. Alcmenæ, *Ledæ : dicitur Alcmene uxor Amphitryonis, quam vitiavit Jovis, vertens se in faciem illius dum ipse expugnabat quamdam civitatem.* — Deus, *Jovis*, I.
228. Meretrix, *Venus.* — Adonin, *Ado amasius Veneris, quem aper interfecit : unde nimium flevit Venus. Hoc ideo fingitur, quia Ado est sol, aper hiems, et aper interfecit Adonem, id est, veniente hieme, sol a calore deficit, et moritur; et flet Venus, id est terra, quia tunc terra nihil parit, obnubilata hieme. Priapum eunuchum.* — Scenica, *theatralis*, I.
230. Cypridis, *Veneris a Cypro insula, ubi colitur*, I.
231. Quid, *scilicet est*, I.
233. Sigillum, *idolum, vexillum*, I.
235. Leno, *machinator stupri : qui conciliat stu*- B *prum.* — Exoletum, *juvenem Ganymedem : exoletum, quod jam adolescere, id est crescere, desiit. Adultum, obsoletus, et exoletus sordidus; sed exoletus excretum aliquando significat, sicut excretum pullum dicimus, id est adultum.* — Qui, *qualiter*, I.
236. Ceres, *quærens Proserpinam vi raptam*, I.
237. Virginem, *Proserpinam*, I.
239. Tirynthium, *Herculem, quem Umfala (Omphale) faciebat, ut fusos rotaret. Umfala concubina ejus erat : umphala umbilicus, in umbilico enim est luxuria. Per Herculem fortes et sapientes, quia luxuria etiam sapientes decipit et deludit*, I.
240. Cur, *fecit hoc?* Mar
241. Deum, *deorum*, I.
242. Priapos, *deos hortorum*, I.
245. Jus, *scilicet est.* — Algis, *herbis marinis*, I.
246. Censor, *judicator : ironicos dixit; judex*, I.

COMMENTARIUS.

pontificem provinciæ. Cellarius ait intelligi Galerium sive præsentem, ut sentit Eusebius, sive absentem per apostrophem. Hoc postremum satis est probabile, quamvis Romanus alias Asclepiadem alloquatur.

224. Thuan., *ridensque*. Ald., Heins., Cham., Gall., Alex. a secunda manu, Urb., Gis., *deluis*; plerique *diluis*, etiam Teolius. De hoc plausu vide notata ex Arnobio ad vers. 1108 lib. II contra Symm.

226. Vat. B, mendose, *sacratæ*. Alcmenæ fabulam scripserunt apud Latinos Actius, Cæcilius, Plautus; apud Græcos Æschylus et Archippus, ut notat Fabricius.

228. Rat. scribit *meritrix*. Vat. A, Weitz., Heins., et Alex., *Adonem*; alii, *Adonin*; pro quo Vat. B, Mar., Prag., Rat. sine ulla litura, Parrhasius, habent *spadonem*. Arnobius lib. VII, *Obliterabit offensam Venus, si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus pantomimum.* Adonin scripsisse dicuntur Aratus tragicus et Plato comicus. De Adoni dente apri vulnerato Ovidius lib. X Metamorph., Lactantius lib. I de Falsa Religione, cap. 7. Exstat etiam idyllium Theocriti de eodem argumento, quod simul cum aliis ejusdem auctoris idylliis amicus noster Joannes Franciscus Sandoval e Græco in sermonem Hispanum plane venusto et eleganti carmine convertit, typisque paratum habet.

231. Ald., et, ut videtur, Alex., *quidquid*. Alii apud Gallandium, *quia quod*; plerique, *quid quod*.

234. Plinius, lib. X, cap. 3, *Negant unquam solam hanc alitem* (aquilam) *fulmine exanimatam : ideo armigeram Jovis consuetudo indicavit.* Alia significatione *armiger* accipitur pro stipatore, et corporis regis custode, ut dixi ad vers. 495 Apoth.

235. Mar. a secunda manu, *quod tyranno*. Jupiter inter alia cognomina *regis* nomen habuit, et merito a Prudentio *tyrannus* dicitur.

236. Egm., mendose, *prætendit*. Peveratus cum Nebrissensi malebat *præcincta* quam *recincta*, quia *recincta* est soluta, ut apud Virgilium lib. IV Æneid., C *In veste recincta*, et Ceres quærebat filiam Proserpinam a Plutone raptam. Verum metrum non patitur *præcincta*; et Fabricius recte explicat *recincta*, id est fluxa, ut tunc vestem forte gerebat; sic enim indicatur summopere turbatam deam fuisse. Cæterum hujusmodi pleraque vocabula duas contrarias habent significationes, ut *revincio*. Notatum jam id est ad vers. 37 lib. II in Symm. Ruæus ad vers. cit. Virgilii vestem *recinctam* interpretatur succinctam et collectam, quia *re* in plerisque verbis non negat, sed auget, in aliis vero utramque vim habet, ut in *recanto*, et *recino*.

237. Parrhasius male, *quod si deorum*.

239. Fabula Herculis cum servivit Iolæ.

240. Ald., Mar., Alex., Lotterus, *cur sine aere*: sed in nota Alex. est *Neæra*. Prag., *cur si enereide*. Vat. Q. *cur sineore*. Rat., *cur si neere*. Parrhasius, *cur sibi nere*. Murmellius legit, *cur sine ære*, sed ait legendum *quare*, vel *cur hic sine ære*, id est sine statua ex ære deformata. Vera lectio *cur si Neæræ*. D Neæra commune nomen est meretricularum formosarum, ut apud Tibullum, Horatium, Virgilium et plures alios. De Neæra meretrice, quæ plures amicos habuit, Athenæus lib. XIII Deipnosoph. Pausanias Autolyci uxorem, quæ *Metra* proprio nomine dicebatur, vocavit Neæram, quia aliis se prostituit. Neæram scripsit Licinius Imbrex. Vide comment. ad vers. 139 lib. I contra Symmach.

241. Vat. B, Bong., Fabr., Gis., *detestor*; plerique, *detester*.

242. Nonnulli Faunos etiam et Priapos vocari putant *fistularum præsides*. Melius alii intelligunt Pana, qui fistularum creditus est inventor.

245. Parrhasius, *in ulvis*, male. Ald. et plerique scripti, *jus*. Fabr., Lotterus, Gis., *vis*, quod verius esse conatur persuadere Giselinus contra Murmellium. Neque ego negaverim dici posse *vim divinitatis*, ut *vim majestatis* apud eumdem Prudentium, et alia similia. Sed præferenda est codicum auctoritas.

Sanctum putare? nonne pulmonem movet A
Derisus, istas intuens ineptias,
Quas vinolentæ somniis fingunt anus?
Aut, siquod usquam vanitatis mysticæ
Nobis colendum est, ipse primus incipe:
Promisce adora, quidquid in terris sacri est:
1089 Deos Latinos, et deos Ægyptios,
Quis Roma libat, quis Canopus supplicat.
Venerem precaris? comprecare et simiam.
Placet sacratus aspis Æsculapii?
Crocodilus, ibis, et canis cur displicent?
Appone porris religiosas arulas,
Venerare acerbum cepe, mordax allium.
Fuliginosi thure placantur lares,
1090 Et respuuntur consecrata oluscula?
Aut unde major esse majestas focis,
Quam nata in hortis sarculatis creditur?
Si numen ollis, numen et porris inest.

GLOSSÆ VETERES.

48. Pulmonem, *pulmo enim concipit ventum et emittit, cum ridet homo et loquitur*, I.

249. Derisus, *derisio*. — Ineptias, *vanitates*, I.

250. Vinolentæ, *vino plenæ. Lentum dicimus plenum: inde vinolentus dicitur vino plenus, temulentus temeto plenus*, I.

251. Mysticæ, *secretæ, vel figuratæ*, I.

253. Promisce, *metri causa, vel promiscue*, I.

255. Canopus, *Ægyptus a stella sic dicta*, I.

256. Comprecare, *similiter*. — Simiam, *dea Ægyptia*, I.

257. Aspis, *serpens quem venerabatur Æscuiapius medicus*, I.

258. Crocodilus, *deus Ægyptiorum: animal et in aquis, et in arboribus ascendens*. — Ibis, *ciconia Ægyptia: genus avis*, I. *Meridiana pars ibices aves vocat, qua Nili fluentis inhabitant. Orientalis vero occidentalisque plaga parva quadrupedia ibices nominat quibus est moris in petris parere, quæ neque sciunt nisi in petris habitare*. Cod. Biblioth. Bernens.

B

260. Cepe, *cephal Græce caput; inde cephe accepit nomen, quia tantum caput utile est; cæterum corpus fulciens*, I.

262. Oluscula, *multiplex ista idololatria qua colebantur etiam olera, ex hac occasione cœpit in Ægypto, quod cum exiret Pharao cum curribus et equitibus suis persequendo filios Israel, et mersus fuisset in mari Rubro cum toto exercitu, cæteri Ægyptii qui domi remanserant occupati circa varia negotia, sibi postea formabant simulacra, tanquam liberati essent per illa: verbi gratia, qui porrum eo tempore plantavit, porrum deinceps quasi liberatorem suum coluit, ut in cæteris fecerunt, colendo ea per quæ se liberatos putaverant*, Prag.

COMMENTARIUS.

248. Juvenalis sat. 10, *Perpetuo risu pulmonem agitare solebat Democritus*.

250. Ald. mendose, *vino lentæ*. Mar., et Rat. scribunt *vinulentæ*.

251. Aldus, *aut siquid*; multi, *aut siquod*. Ita veteres interdum locutos pro *siquid* ostendit Gifanius verbo Quod: scribit *at*. Heinsius, *at siquid* cum Giselino. Nostri plerique, *aut siquod*.

C

252. Ald., et Urb., *primum*: lege *primus*, ut metri ratio constet.

253. Alex., Vat. Q, Alt., Thuan., *promisce adora*, quod bene esse ait Heinsius: puto, *promisce, adora*. Weitzius adverbii more edidit *promisce adora* cum Egm., Widm. supra, Fabr., Hailsbr., Palat., Boug., Widm. At Sich., Gis. in textu, Vat. B, Mar., Prag., Rat., *promiscue adora*. Ald., Gis. ad oram, *pronusque adora*, quod Heinsius in contextu edidit, et recentiores tenuerunt. In Urb., *permisce, adora*.

254. In deos Ægyptios comici et satirici Romani luserunt. Narrat Tertullianus Apolog. cap. 7, Serapim, Isidem, Harpocratem cum suo Cynocephalo esse Capitolio prohibitos, id est curia deorum pulsos, et ipsorum aras apud Romanos fuisse eversas, postea vero restitutum eorum cultum. De diis Ægyptiis vide lib. II adversum Symmach., vers. 864 et seqq., et Apoth. vers. 194.

D

256. Vide interpretes Minucii de diis Ægyptiis, ubi hæc aliaque Prudentii loca expenduntur.

257. Mar. scribit *Æscolapii*.

258. Weitz. cum Widm., Boug., scribit *Ybis*. Ald., Gis., *canes*; plerique, et castigatiores scripti Heinsiani et nostri, *canis*, probe, quia de Anubi est sermo. Juvenalis sat. 15, vers. 8, ubi hæc numina irridet, *Oppida tota canem venerantur*. Glossam de ibice desumpsi ex codice bibliothecæ Bernensis, quem Sinnerus describit in catalogo pag. 170 et seqq., et ad sæculum IX refert. Ordo librorum Prudentii idem fere ac in Weitzio: hymni Natalis et Epiphaniæ ponuntur post librum Peristephanon. Titulus est, *Incipit proœmium Aurelii Prudentii Clementis viri liberali peritia disertissimi*. Prima littera versus primi *Per quinquennium* exhibet effigiem Prudentii, cujus capiti nimbus cærulei coloris impositus est. Hunc catalogum cl. Fea J. C. mecum voluit communicatum, in quo certe gavisus sum hæc legere. In eodem catalogo referuntur nonnulli hymni Prudentii pag. 160.

259. Pal., *portis*, mendose. Juvenalis *Porrum, et cepe nefas violare, et frangere morsu*.

260. Mar. a prima manu, *acervum*; recte supra, *acerbum*. Giselinus hoc loco mendosus est, *cepe, et mordax halium*. Pro *allium* nonnulli scribunt *alium* unico *l*.

261. Juvenalis sat. 9, vers. 137, *O parvi, nostrique lares, quos thure minuto, Aut farre, et tenui soleo exornare corona*. Et sat. 12, vers. 89, *Laribusque paternis Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores*. Lares a Prudentio *fuliginosos* dici aiunt, quia illis sacrificabatur ex rebus fumum exhalantibus. Veriorem illam rationem puto quod Lares essent prope focum. Vide comment. ad vers. 511 Passionis S. Laurentii.

262. Ald., Mar., Rat., Cham. scribunt *holuscula*.

263. Egm., *at unde*. Giselinus edidit *aut unde*, sed in notis prætulit *at*. Plerique, et potiores, *aut*.

264. Fabr., *quam plantæ*. Vera lectio *nata*, et ex illo Juvenalis sat. 15, *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina*.

265. Aldus edidit *Si numen ignitus ouis numen et porris inest*. Correxit non melius *Si numen ignibus, ollis, et porris inest*. Murmellius ex exemplaribus in Germania impressis recte prætulit *Si numen ollis, numen et porris inest*. Non placet multis explicatio glossæ Rat. *ollis* pro *illis*. Hic possunt intelligi *ollæ*, quibus numen tribuitur, quia, ut ait Cellarius, ollæ in focis sunt, et foci erant sacri, vel potius, ut ego arbitror, quia in ipsis ollis erant quædam expressæ imagunculæ quibus Lares colebantur, ut de aliis rebus quæ erant prope focum dixi in comment. ad cit. hymn. S. Laurentii. Et Prudentii quidem ratio hæc mihi esse videtur: Si ollæ quibus porri coquuntur divinitate gaudent, cur eam porris ipsis negabitis? Ex responsione quæ sequitur conjicitur formam aliquam in ollis æreis sculptam pro deo habitam. Cæterum explicatio glossæ fortasse verior est. Cicero, de diis loquens lib. II de Legibus: *Et ollos, quos in cœlum merita vocaverint, Herculem*, etc. Et mox, *Olla numina*, pro *illos, illa*.

Sed pulchra res est forma in ære sculptilis. A
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus stultis deos?
Forceps Myronis, malleus Polycleti
1091 Natura vestrum est, atque origo cœlitum.
Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, et corymbos Liberi,
Et dum Minervæ pectus hydris asperat:
Injecit atram territis formidinem,
Ut fulmen æris, ceu Tonantis, horreant
Tremant venenum sibilantis Gorgonæ;
Putent ephebum post triumphos Indicos
Ferire thyrso posse, cum sit ebrius. B
Tum quod Dianam molle succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis:
1092 Si forte vultum tristioris Herculis,
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clavam minari, ni colatur, creditur.
Jam quis paventum corda terror occupat?
Junonis iram si polite expresserit,
Velut retortis intuens obtutibus,
Avertat ora de litantis hostia,
Lapis severa fronte mentitur minas.
Miror quod ipsum non sacrastis Mentorem,
Nec templum et aras ipse Phidias habet,
Fabri deorum, vel parentes numinum:
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Juppiter conflatilis.

GLOSSÆ VETERES.

267. Quid imprecabor, *in quantum maledicam.* — Officinis, *vel templis*, I.
270. Vestrum, *vestrorum.* — Cœlitum, *deorum*, I.
271. Efficax, *potens*, I.
272. Circumplicat, *deflectit*, I.
274. Corymbos, *racemos*, *annulos*, *circulos*, I.
275. Hydris, *serpentibus.*— Asperat, *asperum facit*, I.
279. Ephebum, *juvenem*, *id est Bacchum : Liberum patrem*, I.
280. Thyrso, *trunco vitis*, I.
281. Molle, *adverbium pro molliter*, *delicate*, I.
285. Clava, *lancea hasta Herculis*, *baculus Herculis*, I.
287. Polite, *ornate*, I,
289. Litantis, *sacrificantis*, I
290. Mentitur, *fingit*, I.
291. Mentorem, *dei mendacem*, I.
292. Phidias, *fidis chorda*, *unde fidius*, *qui fidibus canit* I.

COMMENTARIUS.

266. Mar., *inæris;* supra, *inære* : Prag., *in ere.* Lege *in ære.*

267. Vat. A, *gratiæ.* Vat. B, *Gretiæ.* Corrige *Græciæ.*

268. Weitz., *stultos ;* melius *stultis.*

269. Giselinus Murmellium arguit quod ordinem verborum immutaverit *Polycleti malleus* pro *malleus Polycleti.* At ante Murmellium immutaverat jam Aldus, qui scribit *Pollicleti.* Penultima in *Polycleti* longa est, sed a Prudentio ratione accentus Græci corripitur, ut in *Paraclitus.* Rat. et Heinsius cum suis scribunt *Polycliti.* Myron et Polycletus celeberrimi statuarii, æquales et condiscipuli.

270. Ald., mendose, *verorum est.* Scripti, *vestrum est.* Gifanius in *Ecthlipsis*, *et* DEM *non extrita*, pag. 457, alias 464, vellet tolli verbum substantivum *est* ex vet. lib. Sed obnituntur codices Heinsiani et nostri.

272. Arnobius lib. VI, *Riciniatus Juppiter*, *atque barbatus*, etc. In *rigentem* exprimitur rigor barbæ, qua parte adhæret mento, in *circumplicat* extrema pars barbæ circumplicatæ, mox in *defluentem leniter* majestas et artificium, ut Horatius in Arte poet., *Et molles imitabitur ære capillos.*

273. Palat., *defluentes*, scilicet capillos.

274. Bacchi, ut Apollinis, comæ laudari solent a poetis.

275. Refert ad ægida Minervæ, in qua erat caput Medusæ, sive Gorgonæ, connexique angues, de quibus Virgilius lib. VIII, et Servius in Comm. Cicero 6 in Verrem : *Gorgonis os pulcherrimum crinitum anguibus.* Jupiter ægida, scutum suum, dono dederat Palladi. De his plura poetæ et mythologi. Utitur verbo *asperat*, ut serpentum naturam et artificis curam exprimat.

277. Alicubi editum est *acris :* at non *aer*, sed *æs* materia fulminis effícti indicatur.

278. Gis. ad marg., *Gorgonis.* Hæc ipsa est Medusa quæ Gorgon et Gorgona dicitur.

279. Alii *ephebum*, alii *ephæbum*, alii *ephibum* scribunt. Baccho a poetis inconsumpta juventus ascribitur.

280. Thyrsum multi aiunt fuisse telum cujus mucro hedera tegebatur. Iso aliter. Thyrso percussos in furorem rapi putabant gentiles.

281. Alii *tum*, alii *tunc* habent. Egm. scribit *succintam.* De Diana alte succincta adisis comment. ad vers. 366 lib. I contra Symmach.

282. Egm., *virgines :* melius *virginis.*

283. Rat. a prima manu, *tristiores*, male.

284. Hercules in nummis apparet cum cæsarie crispa fusus.

285. Ald., Vat. Q, Egm., Hailsbr., Heins., Fabr., Cham., *clavam.* Alii et Nebris. pro div. script., *clava.* Latinius in Torn. pro *clavam* substituit *clava.*

287. Thuan., *iras.* Junonis ira in proverbium abiit apud Græcos et Romanos. Virgilius lib. V, vers. 781, *Junonis gravis ira, et inexsaturabile pectus.*

288. Weitzio cum Hailsbr. placuit scribere *velud.* Vat. B, *vel ut.* Idem. Mar. a prima manu, Prag., *detortis.* Repugnat metrum. Oculus *retortus* est obliquus, ut *irretortus* apud Horatium rectus.

289. Vat. B, Mar., *avertit.* Weitzius conjunxit verba *delitantis*, et ex Egm. indicat *dilitantis.* Corrige *de litantis*, ut correxit etiam Aldus, qui ediderat *delitantis.*

290. In Cellarii editione 2, *minus* pro *minas* mendum puto, ut plura alia in ea editione quæ ultro prætereo.

291. Ald., Widm., Bong., et nonnulli alii, *sacratis.* Weitz., Heins. cum cæteris, *sacrastis.* Mentor cælando argento clarus.

292. Vatic. B, Mar., Rat., Prag., Hailsbr., Widm., *Fidius.* Lege *Phidias.* Alex., Urb., Vat. Q, scribunt *Fidias*, quod Weitzius edidit. Phidias fuit pictor, statuarius, sculptor nobilissimus. Iso longe aberrat.

293. De hoc versu dicam ad vers. seq.

294. Post hunc versum in Vat. B, Urb., Mar., Ald., inseritur hic *Cum condiderunt gentibus stultis deos*, quem in Torn. et ed. Paris. Patrum exstare ait Galladius, repetitum ex vers. 268, sed, ut ipse putat, mendose. Fortasse a manu Prudentii non est iste versus sic repetitus : alioqui sine ullo incommodo posset retineri. Fabricius ait hunc versum poni in nonnullis exemplaribus, in quibus deest versus 293 *Fabri deorum :* qui merito præfertur.

295. Vide Minucium et commentatores ad illius verba, *Deus enim ..... conflatur*, *tunditur malleis*, *et incudibus figuratur.*

1093 Non erubescis, stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia:
Quæ diis ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
1094 Fracta, et liquata contulerunt vascula?

A Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus:
Quos lana terret discolore in stipite,
Quos sæpe falsus circulator decipit:
Quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidæ
1095 Edentularum cantilenæ suasciunt

GLOSSÆ VETERES.

296. Pago, *vico, vel paganismo. Pagi, ut Isidorus dicit, sunt apta ædificiis loca inter agros habitantibus: unde pago dedite, sine urbium disciplina. Villa. Page Græce villa; inde villanos paganos, quasi a civitate Dei remotos, dicimus*, I. *Pagus hic ponitur pro stultitia*, Vat. A.

297. Obsonia, *negotia, viles res, id est carnes, et similia ad esum pertinentia, ad operandum proposita; servitia, prandia; obsonor, prandeo; inde obsonium, prandium*, I.

299. Pelvis, *vas pedum*. — Cantharus, *ansatus calix, vas vinarium*, I.

303. Circulator, *deceptor, quia alios quodam circulo erroris involvit et decipit*, I.

304. Rancidæ, *rauce canentes: rancidum iratum ex vitio nuncupatum, quod raucos efficiat*, I.

305. Edentularum, *anuum, quasi sine dentibus*, I

COMMENTARIUS

296. Locus Isidori ab Isone indicatus exstat lib. xv Etym., cap. 2. De hac voce *pagus*, et cur idololatræ pago dediti et impliciti a Prudentio dicantur, vide comment. ad vers. 449 lib. I contra Symmachum. Weitzius advertit in pagis et villis cultum superstitionis fuisse frequentem, ut liquet ex Cicerone lib. II de Legib.; ex quo paganalia festa et feriæ paganicæ ortum duxerunt. Censorinus lib. I de Natali Die tradit gentiles in suis agris habuisse partem aliquam diis sacratam ubi eos colerent. Invalescente Christiana religione, cum publice in urbibus idola venerari non liceret, ad pagos secedebant, ut libere cultum suis numinibus exhiberent. S. Augustinus, serm. 62, olim 6, de verbis Domini: *Multi pagani habent istas abominationes in fundis suis. Nunquid accedimus et confringimus? Prius enim agimus ut idola in ipsorum cordibus confringamus.* Mazochius, tom. III Spic. bibl., pag. 295, in hujus vocabuli *Paganus* etymologia investiganda elaborat. Videri etiam potest Baronius in notis ad Martyr. Rom. die 31 Januarii. Nonnulli Prudentium reprehendunt quod hoc loco et vers. 1009 *paganum* præfectum a Romano vocatum dixerit, cum ea vox ad idololatram significandum solum post Constantini tempora adhibita fuerit. Verum, ut alia nunc omittam, ex his ipsis versibus colligi potest etiam ante Constantinum vocabulum *paganus* adhibitum fuisse ad hominem denotandum superstitioni ac ridiculis ritibus, et diis, quales in pagis colebantur, deditum.

297. Nebrissensis obsonia intelligit liba quæ offerebantur diis Manibus. Sed Prudentius loquitur de omnibus oblationibus et epulis quæ in honorem quorumcunque deorum fieri solebant. Et liba quidem in aliis sacris etiam offerebantur, aliquando cruda, aliquando cocta. Obsonium vero proprie est quidquid præter panem et vinum paratur et coquitur cibi gratia.

298. Alii *dis*, alii *diis* scribunt.

299. Mar. scribit *cantarus*. In hoc eodem argumento plurimi versantur. Minucius: *Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio ..... et deus æreus vel argenteus de immundo vasculo*, etc. Tertullianus, Apologet. cap. 12: *Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo quam materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communium vel ex iisdem vasculis et instrumentis*, etc. Arnobius lib. VI: *Simulacra ista, quæ vos terrent,.....ossa, lapides, æra sunt, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso: ex ornatibus fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obscenioribus vasculis congesta.* Adisis Joann. Ludovicum de la Cerda in not. ad loc. cit. Tertulliani.

302. In Egm., Pal., Hailsbr., Alt., Noms., Watt. A, I, Q, Alex., ita legitur hic versus, *Quos verum*

B *latet, qui fidunt in stipite.* Ita etiam in Bong ad oram, et in Rat. ad marg. inter duos versus *quos lana*, et *quos sæpe*, sed aliena manu, neque omnino antiqua. Teolius in tribus Vatt. esse hunc versum testatur, et a Prudentio potuisse esse censet; non tamen Addenda Heinsii hoc loco consuluit, cum affirmet nec verbum quidem de hoc versu habere Heinsium; qui in tribus suis codicibus exstare eum aperte dixit. Cæterum nemo qui senarii iambici regulas noverit, et consuetudinem Prudentii animadverterit, tam exlegem versum Prudentio affinget. Ald., Urb., Thuan., Oxon., tres Torr., Heins. et alii, *discolora* a nomine *discolorus*, *discolora*, *discolorum*, ut *multicolorus*, *versicolorus*. Vide comment. ad vers. 821. Hamartig. Weitz, Mar., Vat. B, Prag., Parrhasius, Torn., Rat., *discolor*, minus bene. Egm., Gis., *discolore*. Fabr., *discolori*. Latinius, *discolore*. Alt., *discolos*. Non placet. Giphanius, ubi agit *de desinentibus in* r, ex vet. lib. prætulit *discolor*, quia putat veteres interdum desinentia in r longa fecisse: sed non persuadet.

C Nebrissensis existimat præstigias circulatoris alicujus ex colorum mutatione significari. Neque ab hac interpretatione longe dissideo; sed vellem eam veteri aliquo testimonio de hujusmodi præstigiis corroborari. Bulengerus, qui in lib. de Theatro artes veterum præstigiatorum et fallacias diligenter exposuit, nihil tale retulit. Giselinus affert versum Virgilii e Pharmaceutria: *Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo.* Aliam explicationem de arboribus vittatis vide ad vers. 1009 lib. II in Symmach., cui Arnobius lib. I maxime favet: *Venerabar elephantorum ossa, picturatas veternosis in arboribus tænias.* Simulacra ex ebore vocat ossa elephantorum. Dicitur vero lana terrere ob metum et horrorem illum qui religionum omnium quodammodo proprius est. Weitzius addit stemmina, teste Sophoclis interprete in Œdipode tyranno, fuisse lanam ramo (sive stipiti) circumvolutam, quo stemmate simulacra corona i consuevisse colligitur ex Julio Obsequente. Affirmat

D idem Weitzius olim circulatores lanam in picto scipione gestasse, ut pueris et fatuis imponerent: sed ejus rei testem non profert. Itaque congruentius hic locus accipitur de arbore vittata, de qua plura ad vers. cit. lib. II in Symm. Plinius, lib. XII, cap. 1, de arboribus: *Hæc fuerunt numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiamnum deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus.*

303. Weitz. cum Egm., *falsos*. Heinsius cum Thuan. et Alt., *salsus*, ut passim apud scriptores homo salsus pro ridiculo. Mihi hoc loco *falsus* probum videtur, quamvis Heinsio recentiores adhæreant.

304. Ald., Urb, Hailsb. a prima manu, Bong, supra, *ranulæ*; vetustiores, *rancidæ*; Alex. *rancide*. Heinsius minime probat *ranulæ*, quia apud Martialem *rancido ore loqui*, et apud Persium *rancidulum*

Vos eruditos miror et doctos viros
Perpensa vitæ quos gubernat regula,
Nescire vel divina, vel mortalia
Quo jure constent: quanta majestas regat,
Quidquid creatum est, quæ creavit omnia.
Deus perennis, res inæstimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur:
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraque et intus implet, ac superfluit,
1096 Intemporalis ante, quam primus dies:
Esse et fuisse semper unus obtinet:
Lux ipse vera, veri et auctor luminis
Cum lumen esset, lumen effudit suum:
Ex luce fulgor natus hic est Filius.
Vis una Patris, vis et una est Filii,
Unusque ab uno lumine splendor satus,
Pleno refulsit claritatis lumine.
Natura simplex pollet unius Dei,
Et quidquid usquam est, una virtus condidit.
Cœlum solumque, vim marini gurgitis,
Globos, dierum noctiumque præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, hesperos, æstus, nives,
Fontes, pruinas, et metalla, et flumina:
Prærupta, plana, montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
Jumenta, pecudes, subjugales belluas,
1097 Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæque vernant esui.
Hæc non labore et arte molitus Deus,
Sed jussione, quam potestas protulit,
Mandavit esse, facta sunt quæ non erant.
Verbo creavit omniformem machinam:
Virtus paterna semper in Verbo fuit:

GLOSSÆ VETERES.

307. Perpensa, *temperata: perpensa res, id est æquo pondere repensa; æqua reddita*, I.
324. Pollet, *pollere proprie exercere; sed hic pro excellit*, I.
327. Globos, *stellas: lunam et stellas dicit*, I.
329. Septentriones, *ursi*, I.
331. Prærupta, *aspera*, I.
333. Subjugales, *equos, boves, et quidquid sub jugo mittitur*, I.
334. Fruteta, *virgulta humilia*, I.
335. Vernant, *florescunt, virescunt*, I.
336. Molitus, *conatus*, I.
339. Verbo, *Filio*, I.
340. In Verbo, *in Filio*, I.

COMMENTARIUS.

vatba de nare loqui dicitur. Nonnulli veteres habent *raucide*, et id tenet Iso. Gis. prima ed., *vanulæ*, ad oram *rancidæ*. Parrhasius, *quis omne*, scilicet *quis*.

306. Christianos ethnici imperitos et ignaros vocabant: et Christiani per derisum ethnicos peritos et doctos. Sic Arnobius lib. II: *Vos soli sapientia conditi, atque intelligentiæ vi mera, nescio quid aliud videtis, et profundum.. .. Dicite, o festivi, et meraco sapientiæ tincti et saturi potu.* Respondet Romanus congruenter ad ea quæ præfectus objecerat: *Populare quiddam sub colore gloriæ Illitterata credidit frequentia.* Verum de his plura Heraldus, Wowerus, Elmenhorstius, Rigaltius, et præcipue Ouzelius ad verba Minucii, *Studiorum rudes, litterarum profanos, expertes*, etc. Adde Elmenhorstium ad Arnobium pag. 38. Nobis enim longiores esse non licet, et digitum in fontes intendere satis fuerit.

308. Ald., *moralia*: lege *mortalia*.

309. Egm., *quod*. Vat. A, *qui*. Alii, *quo*. Ald., *edat*, male, pro *regat*.

310. Ald., *creatum, quæ*, sine *est*. Vat. B, Alex. Mar., Rat., Prag, et alii, *creatum est, quæ*, quod expressit Heinsius. Weitz., Sich., Egm., Hailsbr., Pal., *creatum est, qui*.

311. Joannes Filesacus, cap. 1, lib. I Select., hunc locum illustrat aliis similibus Ambrosii, Clementis Alexandrini, Paulini et aliorum. Elmenhorstius pag. 17 ad Arnobium similiter in hoc argumento versatur. *Inæstimabilis* est pretium omne excedens apud Livium et Valerium Maximum. Cicero dixit *inæstimabile* quod nullius est pretii.

312. Sich., *vivendo*. Metrum exigit *videndo*.

315. Gis. ad oram, *extraque, et intra complet*. Hilarius, de Trinit. III, *Ipse extra omnia, in omnibusque*. Paschalius, de Spiritu sancto: *Quem præsto esse per omnia, id est intra, extraque, non ambigo.* Petavius, tom. I, lib. III, cap. 9, multis allatis testimoniis, eamdem sententiam confirmat.

316. *Intemporalis* vox est Cælii Aureliani, Apuleii, quanquam ab Aureliano pro inopportuno sumitur.

317. Significatur æternitas Dei, quæ in ejus nomine, *Ego sum qui sum*, indicata est. Circumscribi solet æternitas hac explicatione: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio:* quæ est definitio Boetii lib. V de Cons. pros. 6, communi omnium consensu probata. Hinc Deus *esse et fuisse semper unus obtinet:* et idem est in eo esse, fuisse, ac futurum esse.

318. Filius Dei est, et dicitur lumen de lumine. Vide Apoth. vers. 278.

320. Gis, *huic;* ad oram, *hic*. Hoc retinendum cum scriptis.

321. Noms., *una Filii* sine *est*.

323. Alex., Pal., Vat. B, *claritatis numine*. Alii, *lumine*.

327. *Globus lunæ* apud Virgilium, *globus solis* paulo post vers. 537. Respicit ad illud Genes. I, 16, *luminare majus, ut præesset diei; et luminare minus, ut præesset nocti*.

333. Vat. B, Widm. a secunda manu, Mar., Rat., Prag., Gis. in textu secundæ ed., *pecudes*. Parrhasius, Ald., Sich., et alii plures, *pecua*, quo vocabulo usi sunt Cicero, Livius, Plinius et antiquiores. Vide Nonium in *pecua*. Fabr. edidit. *pecora*.

334. Alex., Parrhasius, *fructeta*. Giselinus ita etiam edidit, sed emendavit *frutecta:* quod miror ab Heinsio non esse animadversum, nam error typographicus Giselini in Heinsii editione receptus est. Atqui neque versus constat cum *fructeta*, et *fruletum*, aut *frutectum*, ut alii scribunt; a *frutex* originem trahit, non a *fructus*. Chamillardus ab Heinsii errore non cavit.

335. Lectio Parrhasii, ab aliis multum dissidet, *Quæ sunt odoræ: quæque vernantes comæ*. Aldus contra metrum, *Quæ sunt odori, quæque vernantes esui*.

336. Parrhasius *molitur*. Theodoretus, Græcar. affect. lib. IV: *His itaque verbis manifeste ostendit Deum non ex subjecta materia res omnes procreasse.... At rerum omnium Deus opifex nec instrumentis, nec materia indiget*, etc.

338. Vide hymn. Cath. 9. Omni hora.

339. De hujusmodi vocabulis *omniformis* vide hymn. 3 Cath., vers. 1 et 2.

Cognostis ipsum, nunc colendi agnoscite
Ritum modumque : quale sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ vota poscat, quos sacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit
1098 Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem :
Pulchram, venustam, præminentem culmine,
Discriminatis illitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresque primas virgo custodit Fides,
Innexa crines vinculis regalibus,
Poscit litari victimas Christo, et Patri,
Quas scit placere, candidatas, simplices :
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
1099 Dei timorem, regulam scientiæ,
A Jejuniorum parcitatem sobriam,
Spem non jacentem, semper et largam manum.
Ex his amœnus hostiis surgit vapor,
Vincens odorem balsami, thuris, croci.
Auras madentes Persicorum aromatum :
Sublatus inde cœlum adusque tollitur,
Et prosperatum dulce delectat Deum.
Hanc disciplinam quisquis infensus vetat,
Vetat probatum vivere, et sanctum sequi.
Vetat vigorem mentis alte intendere,
Nostrique acumen ignis ad terram vocat,
Nec excitari vim sinit prudentiæ.
O mersa limo cæcitas gentilium !
O carnulenta nationum pectora !
B O spissus error ! o tenebrosum genus,
Terris amicum, deditum cadaveri,
Subjecta semper intuens, nunquam supra !

GLOSSÆ VETERES.

541. Cognostis, *noscitis, pro cognovistis*, I.
543. Sanxerit, *statuerit*. — Donaria, *dona*, I.
546. Ipse, *Deus*, I.
548. Incapacem, *qui non capit solutionem*, I.
550. Discriminatis, *discretis, divisis, separatis, variis*. — Illitam, *pictam*. — Coloribus, *scilicet virtutum*, I.
554. Litari, *sacrificari*, I.
555. Placere, *scilicet illi*, I.
559. Parcitatem, *abstinentiam*, I
560. Spem, *spes non debet jacere : sed se erigit*, I.
561. Amœnus, *delectabilis*. — Vapor, *fumus*, I.
562. Croci, *genus pigmenti*, I.
563. Persicorum, *Persia regio est ubi abundant aromata*, I.
565. Prosperatum, *benignum*, I. *Propitiatum*, Vat. A
566. Infensus, *molestus*, I.
567. Probatum, *probabiliter, nomen pro adverbio*, I
569. Ignis, *animæ, quæ est igneæ naturæ*, I.
574. Cadaveri, *corpori, quod resolvendum est in cadaver*, I.
575. Supra, *cœlestia*, Vat. A.

COMMENTARIUS

541. Hailsb., *cognoscis* : melius *cognostis*.

542. Prag. perperam, *tempus genus*.

543. Mar, *quæ dicari*, Vat. A, *dedicari auxerit*. Egm., *quæ dedicaris auxerit*. Depravata sunt hæc omnia.

545. Vat. B, Mar., Rat., *mandat*; melius *mandet*, ut *poscat*, *velit*

546. Giselinus in suo codice invenit *sedem* pro *ædem*. Murmellio magis placet *Ædem sibi ipse mentem hominis condidit*, ut consona non absorbeatur. Neque id displicet Giselino, qui hanc etiam lectionem e veteribus libris depromptam esse testatur. Ita certe edidit Lotterus. Cæterum hanc sententiam de templo mystico in corde hominis sæpius Prudentius noster adornavit, sed hoc in loco elegantissime. *Quam rem*, inquit Barthius lib. LV, cap. 5, *nemo unquam gratius et suavius quam..... suavissimus augur, et olor Christi Prudentius in Romano : Ædem sibi ipse*, etc. In Epist. I Petri, II, 5, *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Non solum sacrarum Litterarum sanctorumque Patrum testimoniis eadem sententia comprobatur, verum etiam ethnicorum dictis. Plinius, Panegyr. ad Trajan., *Animadverto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus quam innocentia et castitate lætari; gratioremque existimari qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui præmeditatum carmen intulerit*. De templo et ara in corde vide etiam Berthaldum de Ara cap. 29.

547. Parrhasius, Ald., *flebilem*; alii, *flabilem*. Nebrissensis recte *flabilem* exponit *spiritualem*. Sed cum rogat, *Quid si legas* STABILEM ? ad carminis hujus leges non attendit. Natura animæ nostræ his versibus declaratur.

550. Per colores discriminatos virtutes intelligo, quæ naturales sunt animis : nam supernaturales postea refert. Lactantius, lib. de Ira Dei, sub finem, etiam utitur voce *destructilis* ; ubi tamen alii legunt *destructibilibus*, non *destructilibus*.

C 551. Parrhasius, Alex. a secunda manu. Hailsbr., *sacrata in limine*. Vat. A, Alex. a prima manu, *sacrata limine*. Alii *sacrato in limine*, sed in Thuan. deest *in*.

552. Fabricius id explicat, quia *sola fides victimas gratas et legitimas adducit* : hæretice, quasi *sola* fides placeat Deo. Primas ergo fores custodit fides, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, et quia *accedentem ad Deum oportet credere, quia est*, etc. Eadem sententia exstat lib II in Symmach., vers. 92, *Respondet vel sola fides, doctissima primum Pandere vestibulum vere ad penetralia sectæ*.

555. Victimæ candidatæ sunt immaculatæ, ut præscribit Moyses cap. 11 Levitici.

557. Fabricius et Giselinus, *oris quietem*. Scripti Heinsiani, Weitzani et nostri, *pacis quietem*. Fabricius in jejunia, flagellationes, vota religiosa importune invehitur. Nam si tantum velit sine fide has victimas Deo non placere, nobiscum facit; sed ille D aperte vult tum unius fidei virtutem ultra quam par est extollere, tum aliorum bonorum operum utilitatem imminuere : quam hæresim sæpissime in commentariis inculcat.

561. Vat. B, vitiose, *hostigiis* pro *hostiis*, uti ibi correctum est. Prag., *amœnis hostiis*.

563. E Persia aromata afferri solent. Nebrissensis *madentes* interpretatur *sparsas*, scilicet per quas aromata sparguntur. Sed bene etiam est *madentes* pro madidis : nam auræ aromatibus madefiunt.

567. Alicubi, *probate* : quæ est glossa ad *probatum* adverbii more.

569. *Ignem* de animi vigore, uti etiam de Deo sæpe Prudentius dixit, et nos explicuimus.

572. *Nationes* pro gentibus et gentilibus. *Carnulentus* dixit Solinus.

575. Lotterus, mendose, *nunquam summa*. Fabricius ait *supra* esse enallagen pro *superna*, ut constet sermonis ordo. Posset conjici *supera*, et eo alludit glossa. Sed *supra* probum est.

Furorne summus, ultima et dementia est,
1100 Deos putare qui creantur nuptiis?
Rem spiritalem terrulenter quærere:
Elementa mundi consecrare altaribus:
Id, quod creatum est, conditorem credere?
Deasciato supplicare stipiti:
Verris cruore scripta saxa spargere:
Aras ofellis obsecrare bubulis,
Homines fuisse cum scias, quos consecras,
Urnas reorum morticinas lambere?
1101 Desiste, judex sæculi, tantum nefas
Viris jubere fortibusque et liberis;
Nil est amore veritatis celsius.

A Dei perennis numen asserentibus
Nihil est pavori, mors et ipsa subjacet.
Dudum coquebat, disserente martyre,
Asclepiades intus iram subdolam,
Stomachatus alto felle, dum longum silet,
Bilemque tectis concipit præcordiis,
Tandem latentis vim furoris evomit
Pro Juppiter, quid est quod ex hoc audio!
Stat inter aras, et deorum imagines,
Et, quod fateri cogor, in medio foro,
1102 Tacente memet, hic perorat perditus,
Quidquid sacrorum est, ore fœdans impio?
O fas priorum, moris o prisci status,

GLOSSÆ VETERES.

378. Terrulenter, *in terra*, I.
381. Deasciato, *cum ascia inciso : ascia planato, vel formato. Ascia genus instrumenti quo formantur res*, I.
383. Ofellis, *diminutivum ab offa, quod fructum significat*, I. *Particulis præcisis*, Mar.
385. Urnas, *sepulcra*, Mar.
387. Liberis, *a servitio diaboli*, I.
389. Asserentibus, *affirmantibus*, I.
390. Est, *scilicet illis*, I.

B 391. Coquebat, *parabat*.—Disserente, *hæc dicente*, I.
392. Subdolam, *fraudulentam*, I.
393. Stomachatus, *iratus : stomachor, irascor*, I.
394. Bilemque, *fel, invidiam, vel iram bilis; nigredo fellis, unde ira procedit*, I.
396. Pro! *exclamative : ah Deus!* I.
399. Perorat, *loquitur*, I.
401. Fas, *lex*, I.

COMMENTARIUS.

378. Vat. A a prima manu, Gis., Parrhasius, Vat. Q, Alex., plerique Heinsiani, Bong., Widm. a secunda manu, *terrulente*. Ald., Weitz., Mar., Rat., *terrulenter*. Antiquior Prudentio scriptor qui *terrulentus* et *terrulenter* dixerit, nullus occurrit.

379. Contra elementorum consecrationem disputavit etiam lib. I contra Simmach., vers. 297 et seqq.

381. Ald., Mar. a prima manu, Alex., Vat. Q, scribunt *deasceato*. Urb., mendose, *dissecato*. *Deascio* est ascia lævigo. Exstat hæc vox in Plauto et in vett. inscriptionibus. Ascia proprie est instrumentum ferreum quo fabri lignarii ad polienda ligna utuntur: Hispanis *hacha*, ut ego puto: nam runcina videtur esse *cepillo*, scobina genus limæ ad abradendum. Vide epistolam Mazochii de dedicatione sub ascia. Tertullianus, Apologetic. cap. 12: *In deos vestros per omnia membra incumbunt asciæ, et runcinæ, et scobinæ*. Minucius: *Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur*. Barthius hunc Prudentii versum confert lib. IV, cap. 12, cum versu Tibulli eleg. IV lib. II, *Seu stipes habet desectus in agris*. Ita enim legit pro *desertus* ex uno codicum Palatinorum. Nam utcumque rudis stipes, aliquo tamen modo cultus erat, ut qui numen aliquod inter cæteros crederetur habere solus. Qua de re dixi ad vers. 1005 lib. II in Symm., in simili Ovidii versu. Sed verior videtur lectio quam ibi indicavi, *desertus* a *desero*, a quo est *desevi* et *deserui*, *desitus* et *desertus*, hoc est plantatus. Alii scribunt *dissero, dissevi, disserui, dissertus, dissitus*, eadem significatione. Macrobius, lib. III Sat., cap. 18, hos Suevii versus exscribit: *Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis Disseruere, novos fructus mortalibus dantes*.

382. Simulacra olim in basi inscribi solebant: hinc *saxa inscripta*. Sues immolabantur Cereri, Cybele, Bonæ Deæ, Marti, Termino. Eos sues non fuisse proprie verres, sed maiales, aut, ut Varro appellat, nefrendes, notat Fabricius. Differt autem a verre maialis, ut ab ariete vervex, ab equo cantherius, et ab hirco caper.

383. Ald., Widm., Bong., Vat. Q, scribunt *offellis*; sed ab *offa* fieri *ofellam* extrito uno *f*, probat quantitas primæ vocalis, quæ est brevis. In glossa pro *fructum* fortasse legendum *frustum*.

385. Nebrissensis legit *deorum*, non male. In his versibus sermo est ut ego opinor, de imperatoribus in deos relatis, quorum urnas Romani osculabantur. *Morticinus* proprie est *ab se mortuus*, non ab alio occisus. Vocantur ergo urnæ morticinæ sepulcra in quibus corpora defunctorum jacebant. Nonnulli interpungunt *Urnas reorum morticinas lambere*, hoc est sepulcra et carnes morticinas. Fabricius hanc superstitionem, ut vocat, Italis objicit, quod urnas in quibus corpora sanctorum jacent exosculentur. Verum C hæc religionis veræque pietatis, non superstitionis, signa, apud omnes catholicos vigent, et viguerunt semper, ut ex ipso Prudentio liquet. Quid ergo Prudentius ethnicis exprobrat? Quod homines et sceleratos quidem, pro deis colerent. Non enim ea venerationis obsequia illis exhibebant, tanquam hominibus sanctis, verique Dei amicis, sed tanquam propria divinitate præditis.

387. Weitz. cum nonnullis suis, *fortibus, et liberis*. Metrum postulat *fortibusque et*. *Jubeo tibi* Græcismus est posterioris ævi, quam aurei sæculi scriptoribus familiarior. Scioppius tanquam maxime Latinum id defendebat ex Cicerone, Livio et aliis.

388. Aliqui habent *nihil*. In Vat. B. ita hi versus disponuntur: 1. *Nihil pavori*; 2. *Nil est amore*; 3. *Dei perennis*.

389. Vat. A, B, Q, Weitz., Widm. supra, et alii vel a prima, vel a secunda manu, *numen*. Alex., Urb., Mar, a prima manu, Rat. a veteri manu, Ald., Parrhasius, *nomen*.

D 390. Vat. B., Mar., Rat., *nil pavori est*. Non constat versus. Fabr., Gis., Heins., *nihil est pavori*. Parrhasius, Ald., Hailsbr., Alex., et alii, *nihil pavori est*. Ald., repugnante carminis lege, trajecit verba *est, et mors* pro *est, mors et*.

398. Ald., mendose, *phoro* pro *foro*.

399. Ald., Mar., Prag., Weitz., Rat., Parrhasius, Tornæs. et alii, *hic perorat*. Gallandius secutus id est, ac putavit mendum esse in Chamillardo *ac perorat*. At Heinsius prætulit *ac perorat* cum Egm., Pal., Thuan., Noms., Vat. A, Alex. et aliis. Pro *perditus*, Prag. habet *perditos* cum hac glossa, *id est orando suadet perditos sibi credere*. Verum parum Latine id diceretur.

401. Ald., Hailsbr., *O fas piorum*. Melius *priorum*. In nonnullis vulg., *motis*, perperam, pro *moris*. Nebrissensis, qui cum Aldo legit *o fas piorum*, exponit, *heu pietas, o fas!* Dici autem solet *fas* de his quæ per religionem licent.

Miseret tuorum me sacrorum, et principum,
Morumque, Roma, sæculi summum caput.
1080 Age explicemus, si placet, mysteria,
Præfecte, vestra : jam necesse est, audias,
Nolis velisne, quid colatis sordium.
Nec terret ista qua tumes vesania,
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta lethi comminaris asperi :
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore, dimica.
Jubes, relictis Patris et Christi sacris,
Ut tecum adorem feminas mille, ac mares,
1081 Deos, deasque, deque sexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos,
Et tot stuprorum sordidam prosapiam.
Nubunt puellæ, sæpe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus.
Incesta fervent : furta mœchorum calent :
Fallit maritus : odit uxor pellicem :
Deos catenæ colligant adulteros.
Ostende, quæso, quas ad aras præcipis,
Vervece cæso fumet ut cespes meus?

GLOSSÆ VETERES.

166. Sacrorum, *idolorum*, I.
172. Vultuosus, *terribilis, vel tristis*, I
177. Mares, *masculos*, I.
178. Sexu duplici, *de mare et femina*, I.
179. Abnepotes, *natos de nepotibus.* — Editos, *pronatos.* I.
181. Luduntur, *decipiuntur*, I.
182. Amasionum, *amatorum : amasii et amasiones unum sunt.* — Comprimuntur, *stuprantur*, I.
183. Incesta, *stupra, non casta. Distat inter fornicationem, et adulterium, et incestum; nam fornicatio cum puellis et viduis; adulterium cum uxoribus aliorum, incestum cum sororibus et sanctimonialibus; et dicitur incestum, quasi non castum*, I. *Jovis et Junonis*, Mar. — Mœchorum, *Martis et Veneris*, Mar.
184. Fallit, *uxorem.* — Maritus, *Saturnus Opim*, Mar. *Vulcanus*, I. — Pellicem, *pellex dicitur quasi pelle illiciens, id est decipiens; nam pulchritudine deputantur homines. Concubinam*, I.
185. Deos, *Martem et Venerem, quos Vulcanus alligavit*, I.
187. Vervece, *vervix vocatur a verme quem habet in fronte, qui commovens incitat eum ad prælium*, I.

COMMENTARIUS.

reddere; scilicet dixisse *volupe est* ex Ennio et Plauto, *ninguidos* ex Lucretio, *pultet* pro *pulset*. Ald., Torn. et nonnulli vulg., *actas* pro *ictas*. Luperci scutica, virgave e pelle hircina mulieres obvias feriebant, quæ manus ultro præbebant, quasi ita feliciores puerperæ essent futuræ, ut ex Ovidio, Juvenali et aliis colligitur. Vide lib. II in Symm., vers. 861. Iso nates verbere ictas docet, quod ex Choulio fusius refert Joan. Saubertus de Sacr. vet. cap. 6. Sed, ut hic ritus perageretur, mulieres ipsæ ad lupercos se conferebant.

166. Rat., Vat. B., Mar. a pr. m. *et* pro *me* non ita probe.

167. Vat. B., Mar., *secli* : metrum postulat *seculi*. Roma dicitur summum sæculi caput, ut *imperii domina* Apoth. vers. 507. *Sæculum* pro mundo, aut orbe accipitur, ut in hymno Sedulii : *Beatus auctor seculi*, et S. Petrus Chrysologus serm. CLX, *Universo sæculo non capacem concludi corpore perpusillo*. Vide vers. 584. In Laurentio.

170. Mar., *velis, nolisne*. Rat., *velis, nolisque* : utrumque contra metri regulam. Nec melius Parrhasius, *nolis velis, nequid*. Gis., Lotterus, *nolis velisve*. Scripti plerique, *nolis velisne*. Pro idolis sordes posuit. In Laurentio, vers. 263, *Dum dæmonum sordes colis*. Sic Ennodius in Natali Epiphanii, *Numina fallaci finxerunt sordida cantu*.

171. Vat. A, *ne terret*.

172. *Vultuosus* et *vultuose* usurpant Apuleius, Donatus, Capella, Quintilianus, Sidonius. Innuitur vultus asper, terribilis. *Supinus* pro superbo Juvenalis sat. 1, *Et multum referens de Mæcenate supino* : quanquam hic pro molli potius accipitur. Pro arroganti vero Persius sat. 1, *Seque aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Areti ædilis iniquas*.

173. Vat. B et Mar. non bene scribunt *læti* pro *lethi* aut *leti*.

174. Hailsbr., *moveri*; Egm., *ullus*.

175. Ad hanc sententiam pertinet illud Minucii : *Cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur*. Ubi interpretes plura similia adnotant.

177. Aldus, Vat. Q, *feminas, ac mille mares*. Ita Vat. B a secunda manu, nam a priori manu videtur fuisse, ut est in Mar., *matres* pro *mares*. Vat. A, Alex., Giselinus in emendatis. Heinsius et alii, *feminas mille, ac mares*, quod magis metro et consuetudini Prudentii congruit. Besselius, pag. 24 Miscellan. syntagm., legendum conjicit *Ut tecum adorem feminas, molles mares*, ut Ganymedes, Hebe, aliique molles mares intelligantur. At vero lectio codicum recte procedit : neque Hebe inter mares recensenda est, dea scilicet juventutis, non deus. Sexum deorum diversum gentilibus Lactantius, Arnobius, multique alii Christiani scriptores exprobrarunt. Arnobius, lib. III : *Adduci enim primum hoc ut credamus non possumus, immortalem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, et esse partem unam mares, partem esse alteram feminas ..... Nam consuestis in precibus, Sive tu Deus es, sive tu dea, dicere : quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsa declarat.* Preces quas Arnobius indicat legi possunt apud Macrobium lib. III Saturn., cap. 9 : *Si deus, si dea est, cui populus civitasque Carthaginensis est in tutela*, etc. A. Gellius lib. I, cap. 28 : *Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam* SI. DEO. SI. DEÆ. *immolabat. Idque ex decreto pontificum observatum esse, M. Varro dicit : quoniam et qua vi, et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum esset*. In veteribus inscriptionibus eadem formula occurrit *Sive deo, sive deæ. Si deus, si dea est.* Huc spectat quod in precibus interdum dicebant, *Quisquis es deus*. Vide Broverium, de Adorat. cap. 7, præter Catonem et alios.

180. Ald., Weitz., et plerique scripti, *et tot*. Gis., *ac tot*. Heinsius cum Thuan., *ut tot*, quod habet etiam Alex. In Ald. et Oxon., *prosapiem*.

181. Exempla habes in Proserpina, quæ Plutoni; Hebe, quæ Herculi; Minerva, quæ Vulcano nupta est. Deceptæ sunt a Jove Europa, Ægina, Leda, Danae et aliæ.

182. Utitur voce *amasionum* Apuleius lib. VII de Asino aureo.

183. *Furta* concubitus illicitos poetæ libenter vocant.

184. In Jove hæc omnia crimina in promptu est reperire. Ejus stupra novem recenset Ovidius VI Metamorphos., filios illegitimos supra viginti enumerat Hyginus fab. 155.

185. Prag., *duos* pro *deos*, minus bene.

186. Vat. A, *adoras* : lege *ad aras*.

187. Weitzius, nihil metrum curans, edidit *vervece* cum Widm. et Bong. In Vat. B ex *verbice* fac-

1082 Delphosne pergam? sed vetat palæs- A [trici
Corrupta ephebi fama, quem vester deus
Effeminavit gymnadis licentia.
Mox flevit impuratus occisum gravi
Disco, et dicavit florulentum succubam.
Conductus idem pavit alienum pecus:
Furem deinde perditi passus gregis
Segnis bubulcus, tela et ipsa perdidit.
An ad Cybebes ibo lucum pineum?
1083 Puer sed obstat Gallus ob libidinem
Per triste vulnus, perque sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu deæ:
Per multa Matri sacra plorandus spado.
Sed, credo, magni limen amplectar Jovis:
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,
Luat severam vinctus et Scantiniam,

GLOSSÆ VETERES

188. Palæstrici, *palæstrici, qui, in theatro saltantes, turpia deorum canebant*, I.

189. Ephebi, *imberbis*, I.

190. Effeminavit, *castravit.* — Gymnadis, *nuditatis, vel exercitii licentia rustici*, I.

191. Impuratus, *commaculatus: impuratus et impurus ita distinguuntur, quod impurus in seipso immun-* B *dus; impuratus autem ab alio contaminatus dicitur*, I.

192. Disco, *discus genus ludi qui super discum agebatur, quem ille ephebus ludens a Borea vento occisus est.* — Florulentum, *in florem sui nominis*, Mar. — Subcubam, *vel succubam. Succuba dicitur qui aliis in patienda libidine succumbit, a succumbendo dictus: a succumbendo ad turpes usus, qui et amasio*, I. — Cucubam, *cucuba herba est dicata ab Apolline Hyacintho, cujus flos hyacinthus est secundum nomen pueri*, Prag.

194. Furem, *latronem.* — Passus, *sustinens*, I.

195. Tela, *arcum et pharetram*, I.

196. Cybebes, *Cybele, et Cubele, quæ Mater deorum dicebatur, quæ et Berecynthia*, I.

197. Puer, *Atys*, Mar. — Gallus, *scilicet castratus. Atys omnes eviratos Gallos vocabant, postquam Galli Senones Romam ceperunt, et postea quicunque Gallum ceperunt, evirabant, ne illud semen cresceret; et Gallos castratos omnes vocabant.* — Ob, *propter*, I.

199. Impudicæ, *inverecundæ*, I.

200. Matris, *Cybeleæ.* — Spado, *eunuchus*, I.

201. Credo, *ironice*, I.

202. Citetur, *judicetur, vel commoveatur; judicetur secundum scita*, I.

203. Implicatus, *damnatus.* — Juliæ, *Romanæ legis: Julia lex a Julia repertrice, quæ adulteras damnabat*, I.

204. Scantiniam, *a Scantinia inventore, quæ utique judicabat adultero : legem Romanorum, id est, iram; ea est nomen deæ*, I.

COMMENTARIUS.

tum recentiori manu *verbece*. Mar. a prima manu, *verbice*. Rat., et Prag. a prima manu, ut videtur, *verbece*; alii scribunt *vervece*. *Verbex*, seu *vervex*, est mas inter oves, sed castratus: de quo Isidorus lib. XII Etym., cap. 1, consentit glossæ: *Vervex, vel a* C *viribus dictus, quod cæteris ovibus sit fortior; vel quod sit vir, id est masculus; vel quod vermes in capite habeant: quorum excitati pruritu, invicem se concutiunt, et pugnantes cum magno impetu feriunt.* Varro a natura *versa* vervecem dictum existimat. De ara cespititia vide hymnum S. Eulaliæ.

188. Vatt. A, Q, *vetant*, quod videtur etiam fuisse in Alex. Indicatur fabula Hyacinthi, de qua Ovidius lib. X Metamorph.

189. Mar. a prima manu, *quàm*, male.

190. In palæstra nudi luctabantur: hinc apud veteres *gymnasii licentia* in proverbium abiit.

192. In Vat. A recentior corrector, prioribus erasis, fecit *florulentum*, et *sucubam*. Videtur fuisse *cucubam*; ad oram legitur *cucubum*, et *sucubum* pro diversis lectionibus. Vat. B., Widm., *florulentam cucubam.* Prag., Mar., *florulentum cucubam;* sed in Mar. recenti manu factum *florulentam*. Alex., Ald., Weitz., Vat. Q. Urb., Lotter., Heinsius et alii, *florulentum succubam*, vel *subcubam*. Bong., *florulentum* D *subcubum;* supra, *florulentam succubam. Florulentus* vox est auctoris Pervigilii Veneris et Solini.

193. Fabula Apollinis, qui armenta regis Admeti pavit, a quo boves et arma furatus est Mercurius. Videtur quarta sede tribrachys collocari. Posset aliquo pacto id negari; sed vers. 978 sine ulla controversia pes quartus tribrachys est.

195. Horatius, lib. I, oda 10, *Viduus pharetra Risit Apollo.*

196. Ald., Torn., Gall., *Cybellis*, Mar., *Cibiles;* Vatt. A, Q, Urb., *Cybelis;* alii *Cybæbis;* Hailsbr., *Cibelis;* Alex., *Cybeles;* Parrhasius, *Cybelles;* Thuan., Egm., Alt., *Cybebis*. Heinsius scripsit *Cybebes*, aliisque scribendum persuasit ex vett. exemplaribus Virgilii, Phædri, Lucani, et ex antiquis marmoribus. Græce *Cybele* et *Cybebe* dicitur. Nihilominus Chamillardus edidit *Cybeles*. Sacra Cybeles in montibus ubi lucus pineus erat celebrari solebant: et pinus ipsa arbor est Cybele sacra; ejusque imago corona e duobus ramis pineis insignita in nummis pingebatur. Monfauconius tom. I Ant. plures imagines Cybeles exhibet, ac de ejus gestis sive fabulis copiose disserit cap. 1 et seq.

197. De Gallis vide lib. II in Symm. vers. 522.

200. Vat. B, Mar., Prag., Weitz., Ambr., Thuan., Oxon., *matri*, quod exstat etiam in Alex., Gis. in textu, Heinsio. In aliis, *matris*. In Rott. supra *sacra* pro div. script. erat *æra*. Ex quo Heinsius et Chamillardus suspicantur a manu Prudentii esse *Per multa matris æra plorandus spado*. Referunt videlicet ad corybantia æra.

201. Juvenalis, sat. 6, vers. 47, *Tarpeium limen adora*. Ex Arnobio, Ovidio, Tibullo et aliis patet hunc fuisse ethnicorum morem, ut templorum limina exoscularentur. Neque propterea accusandi sunt Christiani quod eadem venerationis signa suis templis exhibeant. Adisis prolegom. cap. 14.

202. Widm. corrupte, *scitetur* pro *citetur*. Idem error est in Mar. et Prag. In Vat. B, *qui siscitetur*. Latinius in Torn. correxit *vestris* pro *vestri*. En rationem cur Prudentius, qui tumulos martyrum amplectebatur, negat licere amplecti limen Jovis.

203. Lege Julia mœchi puniebantur. Juvenalis, sat. 2, vers. 37, *Ubi nunc lex Julia? dormis?* De hac lege Cujacius observat. 2, cap. 18 et 19. Ab Augusto lata ea lex est: neque glossæ aliter disserentis habenda est ratio. Leges *minari*, dictum ad vers. 179 lib. II contra Symmachum. Hoc argumento deos gentilium Athanasius exagitat: *Num dignum est ut is* (Jupiter) *qui designat talia, quique ejusmodi flagitiis famosus est, quæ ne communes quidem leges Romanorum in mere hominibus impunita velint, pro numine habeatur? Quis ipsum non vituperet? quis non mulctandum morte judicet?*

204. Ald., Fabr. et nonnulli, *luet* pro *luat*. Vat. B, Mar., Prag., Rat., *Luat severum victus, et Scantiniam*. Vat. A, *Luet severam vinctus et Scatiniam.* Thuan., Alt., Noms., Rott., *Luat severam vinctus et Scantiniam*, quod tenent Alex., Heins., et alii. Lati-

1084 Te cognitore dignus ire in carcerem. A
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum ? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat manum :
Quem si beate vivere audit Juppiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dissidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa virtus, si colatur Lemnius,
Junonis iram sentiet quisque, ut deum
1085 Signo aut sacello consecrarit Herculem.
Dicis licenter hæc poetas fingere :
Sed sunt et ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati : quodque describunt colunt.
Tu cur piaclum tam libenter lectitas?
Cur in theatris, te vidente, id plauditur?
Cygnus stuprator peccat inter pulpita,
Saltat Tonantem tauricornem Lydius :
1086 Spectator horum pontifex summus sedes,

GLOSSÆ VETERES.

205. Cognitore, *te sciente, vel judice : cognitor, qui causas cognoscit judicii*, I.
206. Conditorem, *constitutorem, id est Saturnum*, I.
207. Censes, *judicas*, I.
208. Reformidat, *reformido et formido unum sunt*, I.
210. Occulendi, *occulta di*, I.
211. Dissidentum, *discordantium*, I.
213. Lemnius, *Vulcanus a Lemno insula : quia Vulcanus prodidit adulterium Veneris et Martis, ideo inter se dissident; et dicitur Lemnius Vulcanus, quasi lutosus, a Græco quidem l nos, id est lutum : nam sordidatio luxuriæ ex colore fit, qui est Vulcanus, quia ex pellice natus fuit*, I.
215. Signo, *imagine, sigillo*, I.
219. Piaclum, *facinus*. Iso. *Peccatum*, Mar.
B
221. Cygnus, *Jovis in forma. Jovis in cygnum conversus stupravit Dianam*. — Stuprator, *de Jove et Leda, vel de Jove et Pasiphae*. — Pulpita, *lectus deorum, gradus sc ne*, I.
222. Saltat, *canit*. — Taurcornem, *proprium nomen, mimilogus quidam qui cantabat Jovem versum in taurum rtiasse Europam*. — Lydius, *Jovis, vel nomen toni musici : musicus*, I.

COMMENTARIUS.

nius in Torn. invenit *Cantiniam*, correxit *Scatiniam*. Parrhasius videtur duas in hoc versu leges distinguere : ita enim habet, *Luat severam victus, et Scantiniam*. Unica tamen lex *Scantinia* nominatur, quæ erat de impudicis, a Scantinio Aricino *lata contra eos qui muliebria patiebantur*, ut ait scholiastes ad Juvenalis sat. 2, vers 43,. *Citari Ante omnes debet Scantinia*. Nonnulli putarunt nomen eam legem accepisse C a C. Scantinio, qui M. Claudii Marcelli filium de stupro appellavit, et accusante patre condemnatus est, ut refert Valerius Maximus lib. VI, cap. 1. Etsi enim leges plerumque nomen ab iis qui eas tulerant accipiebant, non raro tamen a damnatis, ut Laia a Laio.

205. In Ambrosiano multa hic desiderabantur usque ad vers. 454. Heins. post *carcerem* interrogationis notam adjicit.

206. Prag. male, *quod aureorum*. Sermo est de Saturno, aurei sæculi conditore, in cujus templo propterea Romani ærarium esse voluerunt.

208. Thuan., *furem* : melius *furtim*. Gis. ad oram, *dum pavesceret mulum* : quod in aliis exemplaribus esse ait Murmellius.

209. Pal., *audet*; recte supra, *audit*.

210. Mar. a prima manu, *colendi conscius*; supra, *occulendi conscius*. Prag., *oculendi conscius*. Legendum *occulendi conscios*.

211. Widm., *dissidentium*. Alex., *discidentum*. Vat. Q, *dissidendum*. Vera lectio *dissidentum*. Bella deorum inter se pugnantium gentilibus plures e nostris objecerunt, Athanasius, Augustinus et alii. Arnobius, lib. IV, *Vulnerari, vexari, bella inter se gerere furialium memorantur ardore discriminum*. Lactantius, lib. I, cap. 3, *Homerus bellantes inter se deos finxit*.

214. Peveratus ait plurimis in locis a Prudentio *quique* usurpari pro *quicunque*, seu *quisquis*, quod hodie fere contra fidem vett. lib. et Prudentii consuetudinem in *quisque* mutatum est. Sed fallitur : nam vett. codices habent *quisque*, non *quique*, et consuetudo æqualium *Prudentii* fuit, ut *quisque* pro *quisquis* usurparent. Vide comment. ad vers. 216 hymn. 7 Cathem. Illud vero facilius mutarem, si per membranas liceret *ut deum* : nam legendum puto *Junonis iram sentiet, quisque aut deum Signo aut sacello consecrarit Herculem*. Porro Hercules Jovis filius, Junonis privignus fuit ex Alcmena pellice.

215. Latinius in Torn. emendavit *aut* pro *et*.

216. Ald., Urb., Gis., Oxon., *dices* ; plerique, *dicis*. Hanc responsionem simili arguendi ratione rejecerunt Augustinus, Theodoretus et alii. Arnobius, lib. IV, *Sed poetis tantummodo licere voluistis indignas de diis fabulas, et flagitiosa ludibria comminisci. Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum, atque exoleti generis multitudo ? Nonne ad usum quæstus sui abutuntur diis vestris, et lenocinia voluptatum ex injuriis attrahunt, contumeliisque divinis? Sedent et in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia*, etc.

219. Vat. A, *tu turpia dum*. Vat. B, Mar., Lotteri editio, *tu cur piaculum*, male.

221. Alii scribunt *cycnus*, alii *cygnus*. Martinus Roa, lib. III Singularium, part. 1, cap. 16, agens de cynedica saltatione in theatro vulgo *zarabanda*, hos versus in medium profert ut rem illustret. Saltabatur fabula Jovis, qui in cygnum conversus Ledam compressit. In theatris nostri sæculi non absimilia scelera, vel hæc ipsa saltatione repræsentantur. De saltatione cygni stupratoris intelligendus est etiam Juvenalis sat. 6 vers. 63, *Ledam molli saltante Bathyllo*. Spurcitiam veterum pantomimorum exagitant Clemens Alexandrinus lib. II Pædag., cap. 10, et Cyprianus epist. 103 : *Superinducitur homo fractus omnibus membris, et vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire, ut* D *desaltentur fabulosæ antiquitatis libidines*. Plura affert eruditus Bulengerus lib. I de Theatro, cap. 42 et 43, et Meursius in Orchestra, sive de Saltationibus veterum.

222. Vat. B, Rat., Prag., Mar. a prima manu, Widm., Bong. supra, *comantem* pro *tonantem*, quod unice verum est. Ald., Urb., Gis., Heins., et alii *Lydius*; quæ scribendi ratio placuit Murmellio, quia istiusmodi saltandi ars ex Hetruria Romam delata est, et Hetrusci e Lydis originem ducunt. Alii scribunt *ludius*, alii *lidius*. Glossa Isonis quæ verbo *tauricornem* apposita est, potius convenit voci *Lydius*. Lydium pro histrione saltante Ovidius aliique posuerunt. Ornatum quo Plancus Glaucum saltavit, describit Velleius lib. II, *Cum cæruleatus et nudus, caputque redimitus arundine, et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset*.

223. Cuperus, ad Lactantium cap. 36 de Mortibus persecut., censet hic loco *pontificem summum* vocari

Ridesque et ipse, nec negando diluis,
Cum fama tanti polluatur numinis.
Cur tu, sacrate, per cachinnos solveris,
Cum se maritum fingit Alcmenæ deus?
Meretrix Adonin vulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palam,
Nec te lupanar Cypridis sanctæ movet?
Quid, quod sub ipsis veritas signis patet,
1087 Formata in aere criminum vestigiis?
Quid vult sigillum semper affixum Jovi
Avis ministræ? nempe velox armiger
Leno, exoletum qui tyranno pertulit.
A Facem recincta veste prætendit Ceres.
Cur, si deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens mater errat pervigil?
Fusos rotantem cernimus Tirynthium
Cur, si Neæræ non fuit ludibrio?
1088 Quid rusticorum monstra detester deum?
Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes, incolasque aquatiles
Sitas sub alto, more ranarum, lacu.
Divinitatis jus in algis vilibus?
Ad hæc colenda me vocas, censor bone?
Potesne quidquam tale, si sanum sapis,

GLOSSÆ VETERES.

224. Diluis, *purgas talia convicia : deluo, purgo: diluo, permisceo: inde diluvium, eo quod omnia permisceat*, I.

227. Alcmenæ, *Ledæ : dicitur Alcmene uxor Amphitryonis, quam vitiavit Jovis, vertens se in faciem illius dum ipse expugnabat quamdam civitatem.*— Deus, *Jovis*, I.

228. Meretrix, *Venus.*— Adonin, *Ado amasius Veneris, quem aper interfecit: unde nimium flevit Venus. Hoc ideo fingitur, quia Ado est sol, aper hiems, et aper interfecit Adonem, id est, veniente hieme, sol a calore deficit, et moritur; et flet Venus, id est terra, quia tunc terra nihil parit, obnubilata hieme. Priapum eunuchum.* — Scenica, *theatralis*, I.

230. Cypridis, *Veneris a Cypro insula, ubi colitur*, I.

231. Quid, *scilicet est*, I.

233. Sigillum, *idolum, vexillum*, I.

235. Leno, *machinator stupri : qui conciliat stu-* B *prum.* — Exoletum, *juvenem Ganymedem : exoletum, quod jam adolescere, id est crescere, desiit. Adultum, obsoletus, et exoletus sordidus; sed exoletus excretum aliquando significat, sicut excretum pullum dicimus, id est adultum.* — Qui, *qualiter*, I.

236. Ceres, *quærens Proserpinam vi raptam*, I.

237. Virginem, *Proserpinam*, I.

239. Tirynthium, *Herculem, quem Umfala (Omphale) faciebat, ut fusos rotaret. Umfala concubina ejus erat : umphala umbilicus, in umbilico enim est luxuria. Per Herculem fortes et sapientes, quia luxuria etiam sapientes decipit et deludit*, I.

240. Cur, *fecit hoc?* Mar

241. Deum, *deorum*, I.

242. Priapos, *deos hortorum*, I.

245. Jus, *scilicet est.* — Algis, *herbis marinis*, I.

246. Censor, *judicator: ironicos dixit; judex*, I.

COMMENTARIUS.

pontificem provinciæ. Cellarius ait intelligi Galerium sive præsentem, ut sentit Eusebius, sive absentem per apostrophem. Hoc postremum satis est probabile, quamvis Romanus alias Asclepiadem alloquatur.

224. Thuan., *ridensque*. Ald., Heins., Cham., Gall., Alex. a secunda manu, Urb., Gis., *deluis*; plerique *diluis*, etiam Teolius. De hoc plausu vide notata ex Arnobio ad vers. 1108 lib. II contra Symm.

226. Vat. B, mendose, *sacratæ*. Alcmenæ fabulam scripserunt apud Latinos Actius, Cæcilius, Plautus; apud Græcos Æschylus et Archippus, ut notat Fabricius.

228. Rat. scribit *meritrix*. Vat. A, Weitz., Heins., et Alex., *Adonem*; alii, *Adonin*; pro quo Vat. B, Mar., Prag., Rat. sine ulla litura, Parrhasius, habent *spadonem*. Arnobius lib. VII, *Obliterabit offensam Venus, si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus pantomimum*. Adonin scripsisse dicuntur Aratus tragicus et Plato comicus. De Adoni dente apri vulnerato Ovidius lib. X Metamorph., Lactantius lib. I de Falsa Religione, cap. 7. Exstat etiam idyllium Theocriti de eodem argumento, quod simul cum aliis ejusdem auctoris idylliis amicus noster Joannes Franciscus Sandoval e Græco in sermonem Hispanum plane venusto et eleganti carmine convertit, typisque paratum habet.

231. Ald., et, ut videtur, Alex., *quidquid*. Alii apud Gallandium, *quia quod*; plerique, *quid quod*.

234. Plinius, lib. X, cap. 3, *Negant unquam solam hanc alitem* (aquilam) *fulmine exanimatam : ideo armigeram Jovis consuetudo indicavit*. Alia significatione *armiger* accipitur pro stipatore, et corporis regis custode, ut dixi ad vers. 495 Apoth.

235. Mar. a secunda manu, *quod tyranno*. Jupiter inter alia cognomina *regis* nomen habuit, et merito a Prudentio *tyrannus* dicitur.

236. Egm., mendose, *prætendit*. Peveratus cum Nebrissensi malebat *præcincta* quam *recincta*, quia *recincta* est soluta, ut apud Virgilium lib. IV Æneid., C *In veste recincta*, et Ceres quærebat filiam Proserpinam a Plutone raptam. Verum metrum non patitur *præcincta*; et Fabricius recte explicat *recincta*, id est fluxa, ut tunc vestem forte gerebat; sic enim indicatur summopere turbatam deam fuisse. Cæterum hujusmodi pleraque vocabula duas contrarias habent significationes, ut *revincio*. Notatum jam id est ad vers. 37 lib. II in Symm. Ruæus ad vers. cit. Virgilii vestem *recinctam* interpretatur succinctam et collectam, quia *re* in plerisque verbis non negat, sed auget, in aliis vero utramque vim habet, ut in *recanto*, et *recino*.

237. Parrhasius male, *quod si deorum*.

239. Fabula Herculis cum servivit Iolæ.

240. Ald., Mar., Alex., Lotterus, *cur sine aere*: sed in nota Alex. est *Neæra*. Prag., *cur si enereide*. Vat. Q. *cur sineore*. Rat., *cur si neere*. Parrhasius, *cur sibi nere*. Murmellius legit, *cur sine ære*, sed ait legendum *quare*, vel *cur hic sine ære*, id est sine statua ex ære deformata. Vera lectio *cur si Neæræ*. D Neæra commune nomen est meretricularum formosarum, ut apud Tibullum, Horatium, Virgilium et plures alios. De Neæra meretrice, quæ plures amicos habuit, Athenæus lib. XIII Deipnosoph. Pausanias Autolyci uxorem, quæ *Metra* proprio nomine dicebatur, vocavit Neæram, quia aliis se prostituit. Neæram scripsit Licinius Imbrex. Vide comment. ad vers. 139 lib. I contra Symmach.

241. Vat. B, Bong., Fabr., Gis., *detestor*; plerique, *detester*.

242. Nonnulli Faunos etiam et Priapos vocari putant *fistularum præsides*. Melius alii intelligunt Pana, qui fistularum creditus est inventor.

245. Parrhasius, *in ulvis*, male. Ald. et plerique scripti, *jus*. Fabr., Lotterus, Gis., *vis*, quod verius esse conatur persuadere Giselinus contra Murmellium. Neque ego negaverim dici posse *vim divinitatis*, ut *vim majestatis* apud eumdem Prudentium, et alia similia. Sed præferenda est codicum auctoritas.

Sanctum putare? nonne pulmonem movet
Derisus, istas intuens ineptias,
Quas vinolentæ somniis fingunt anus?
Aut, siquod usquam vanitatis mysticæ
Nobis colendum est, ipse primus incipe:
Promisce adora, quidquid in terris sacri est:
1089 Deos Latinos, et deos Ægyptios,
Quis Roma libat, quis Canopus supplicat.
Venerem precaris? comprecare et simiam.
Placet sacratus aspis Æsculapii?
Crocodilus, ibis, et canis cur displicent?
Appone porris religiosas arulas,
Venerare acerbum cepe, mordax allium.
Fuliginosi thure placantur lares,
1090 Et respuuntur consecrata oluscula?
Aut unde major esse majestas focis,
Quam nata in hortis sarculatis creditur?
Si numen ollis, numen et porris inest.

GLOSSÆ VETERES.

248. Pulmonem, *pulmo enim concipit ventum et emittit, cum ridet homo et loquitur*, I.

249. Derisus, *derisio*. — Ineptias, *vanitates*, I.

250. Vinolentæ, *vino plenæ. Lentum dicimus plenum: inde vinolentus dicitur vino plenus, temulentus temeto plenus*, I.

251. Mysticæ, *secretæ, vel figuratæ*, I.

253. Promisce, *metri causa, vel promiscue*, I.

255. Canopus, *Ægyptus a stella sic dicta*, I.

256. Comprecare, *similiter*. — Simiam, *dea Ægyptia*, I.

257. Aspis, *serpens quem venerabatur Æscuapius medicus*, I.

258. Crocodilus, *deus Ægyptiorum: animal et in aquis, et in arboribus ascendens*. — Ibis, *ciconia Ægyptia: genus avis*, I. *Meridiana pars ibices aves vocat, qua Nili fluentis inhabitant. Orientalis vero occidentalisque plaga parva quadrupedia ibices nominat quibus est moris in petris parere, quæ neque sciunt nisi in petris habitare*. Cod. Biblioth. Bernens.

260. Cepe, *cephal Græce caput; inde cephe accepit nomen, quia tantum caput utile est; cæterum corpus fulciens*, I.

262. Oluscula, *multiplex ista idololatria qua colebantur etiam olera, ex hac occasione cœpit in Ægypto, quod cum exiret Pharao cum curribus et equitibus suis persequendo filios Israel, et mersus fuisset in mari Rubro cum toto exercitu, cæteri Ægyptii qui domi remanserant occupati circa varia negotia, sibi postea formabant simulacra, tanquam liberati essent per illa: verbi gratia, qui porrum eo tempore plantavit, porrum deinceps quasi liberatorem suum coluit, ut in cæteris fecerunt, colendo ea per quæ se liberatos putaverant*, Prag.

COMMENTARIUS.

248. Juvenalis sat. 10, *Perpetuo risu pulmonem agitare solebat Democritus*.

250. Ald. mendose, *vino lentæ*. Mar., et Rat. scribunt *vinulentæ*.

251. Aldus, *aut siquid*; multi, *aut siquod*. Ita veteres interdum locutos pro *siquid* ostendit Gifanius verbo QUOD: scribit *at*. Heinsius, *at siquid* cum Giselino. Nostri plerique, *aut siquod*.

252. Ald., et Urb., *primum*: lege *primus*, ut metri ratio constet.

253. Alex., Vat. Q, Alt., Thuan., *promisce adora*, quod bene esse ait Heinsius: puto, *promisce, adora*. Weitzius adverbii more edidit *promisce adora* cum Egm., Widm. supra, Fabr., Hailsbr., Palat., Bong., Widm. At Sich., Gis. in textu, Vat. B, Mar., Prag., Rat., *promiscue adora*. Ald., Gis. ad oram, *pronusque adora*, quod Heinsius in contextu edidit, et recentiores tenuerunt. In Urb., *permisce, adora*. .

254. In deos Ægyptios comici et satirici Romani luserunt. Narrat Tertullianus Apolog. cap. 7, Serapim, Isidem, Harpocratem cum suo Cynocephalo esse Capitolio prohibitos, id est curia deorum pulsos, et ipsorum aras apud Romanos fuisse eversas, postea vero restitutum eorum cultum. De diis Ægyptiis vide lib. II adversum Symmach., vers. 864 et seqq., et Apoth. vers. 194.

256. Vide interpretes Minucii de diis Ægyptiis, ubi hæc aliaque Prudentii loca expenduntur.

257. Mar. scribit *Æscolapii*.

258. Weitz. cum Widm., Bong., scribit *Ybis*. Ald., Gis., *canes*; plerique, et castigatiores scripti Heinsiani et nostri, *canis*, probe, quia de Anubi est sermo. Juvenalis sat. 15, vers. 8, ubi hæc numina irridet, *Oppida tota canem venerantur*. Glossam de ibice desumpsi ex codice bibliothecæ Bernensis, quem Sinnerus describit in catalogo pag. 170 et seqq., et ad sæculum IX refert. Ordo librorum Prudentii idem fere ac in Weitzio: hymni Natalis et Epiphaniæ ponuntur post librum Peristephanωn. Titulus est, *Incipit proœmium Aurelii Prudentii Clementis viri liberali peritia disertissimi*. Prima littera versus primi *Per quinquennium* exhibet effigiem Prudentii, cujus capiti nimbus cærulei coloris impositus est. Hunc catalogum cl. Fea J. C. mecum voluit communicatum, in quo certe gavisus sum hæc legere. In eodem catalogo referuntur nonnulli hymni Prudentii pag. 160.

259. Pal., *portis*, mendose. Juvenalis *Porrum, et cepe nefas violare, et frangere morsu*.

260. Mar. a prima manu, *acervum*; recte supra, *acerbum*. Giselinus hoc loco mendosus est, *cepe, et mordax halium*. Pro *allium* nonnulli scribunt *alium* unico *l*.

261. Juvenalis sat. 9, vers. 137, *O parvi, nostrique lares, quos thure minuto, Aut farre, et tenui soleo exornare corona*. Et sat. 12, vers. 89, *Laribusque paternis Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores*. Lares a Prudentio *fuliginosos* dici aiunt, quia illis sacrificabatur ex rebus fumum exhalantibus. Veriorem illam rationem puto quod Lares essent prope focum. Vide comment. ad vers. 511 Passionis S. Laurentii.

262. Ald., Mar., Rat., Cham. scribunt *holuscula*.

263. Egm., *at unde*. Giselinus edidit *aut unde*, sed in notis prætulit *at*. Plerique, et potiores, *aut*.

264. Fabr., *quam plantæ*. Vera lectio *nata*, et ex illo Juvenalis sat. 15, *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina*.

265. Aldus edidit *Si numen ignibus ollis numen et porris inest*. Correxit non melius *Si numen ignibus, ollis, et porris inest*. Murmellius ex exemplaribus in Germania impressis recte prætulit *Si numen ollis, numen et porris inest*. Non placet multis explicatio glossæ Rat. *ollis* pro *illis*. Hic possunt intelligi *ollæ*, quibus numen tribuitur, quia, ut ait Cellarius, ollæ in focis sunt, et foci erant sacri, vel potius, ut ego arbitror, quia in ipsis ollis erant quædam expressæ imagunculæ quibus Lares colebantur, ut de aliis rebus quæ erant prope focum dixi in comment. ad cit. hymn. S. Laurentii. Et Prudentii quidem ratio hæc mihi esse videtur: Si ollæ quibus porri coquuntur divinitate gaudent, cur eam porris ipsis negabitis? Ex responsione quæ sequitur conjicitur formam aliquam in ollis æreis sculptam pro deo habitam. Cæterum explicatio glossæ fortasse verior est. Cicero, de diis loquens lib. II de Legibus: *Et ollos, quos in cœlum merita vocaverint, Herculem*, etc. Et mox, *Olla numina*, pro *illos*, *illa*.

Sed pulchra res est forma in ære sculptilis. A
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus stultis deos?
Forceps Myronis, malleus Polycleti
1091 Natura vestrum est, atque origo [cœlitum.
Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, et corymbos Liberi,
Et dum Minervæ pectus hydris asperat:
Injecit atram territis formidinem,
Ut fulmen æris, ceu Tonantis, horreant
Tremant venenum sibilantis Gorgonæ;
Putent ephebum post triumphos Indicos
Ferire thyrso posse, cum sit ebrius. B

Tum quod Dianam molle succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis:
1092 Si forte vultum tristioris Herculis,
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clavam minari, ni colatur, creditur.
Jam quis paventum corda terror occupat?
Junonis iram si polite expresserit,
Velut retortis intuens obtutibus,
Avertat ora de litantis hostia,
Lapis severa fronte mentitur minas.
Miror quod ipsum non sacrastis Mentorem,
Nec templum et aras ipse Phidias habet,
Fabri deorum, vel parentes numinum:
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Juppiter conflatilis.

GLOSSÆ VETERES.

267. Quid imprecabor, *in quantum maledicam.* — Officinis, *vel templis*, I.
270. Vestrum, *vestrorum.* — Cœlitum, *deorum*, I.
271. Efficax, *potens*, I.
272. Circumplicat, *deflectit*, I.
274. Corymbos, *racemos*, *annulos*, *circulos*, I.
275. Hydris, *serpentibus.* — Asperat, *asperum facit*, I.
279. Ephebum, *juvenem*, *id est Bacchum: Liberum patrem*, I.
280. Thyrso, *trunco vitis*, I.
281. Molle, *adverbium pro molliter*, *delicate*, I.
283. Clava, *lancea hasta Herculis*, *baculus Herculis*, I.
287. Polite, *ornate*, I.
289. Litantis, *sacrificantis*, I
290. Mentitur, *fingit*, I.
291. Mentorem, *dei mendacem*, I.
292. Phidias, *fidis chorda*, *unde fidius*, *qui fidibus canit* I.

COMMENTARIUS.

266. Mar., *inæris;* supra, *inære*: Prag., *in ere*. Lege *in ære*.

267. Vat. A, *gratiæ*. Vat. B, *Gretiæ*. Corrige *Græciæ*.

268. Weitz., *stultos;* melius *stultis*.

269. Giselinus Murmellium arguit quod ordinem verborum immutaverit *Polycleti malleus* pro *malleus Polycleti*. At ante Murmellium immutaverat jam Al- C dus, qui scribit *Pollicleti*. Penultima in *Polycleti* longa est, sed a Prudentio ratione accentus Græci corripitur, ut in *Paraclitus*. Rat. et Heinsius cum suis scribunt *Polycliti*. Myron et Polycletus celeberrimi statuarii, æquales et condiscipuli.

270. Ald., mendose, *verorum est*. Scripti, *vestrum est*. Gifanius in *Ecthlipsis*, *et* DEM *non extrita*, pag. 457, alias 464, vellet tolli verbum substantivum *est* ex vet. lib. Sed obnituntur codices Heinsiani et nostri.

272. Arnobius lib. VI, *Riciniatus Juppiter*, *atque barbatus*, etc. In *rigentem* exprimitur rigor barbæ, qua parte adhæret mento, in *circumplicat* extrema pars barbæ circumplicatæ, mox in *defluentem leniter* majestas et artificium, ut Horatius in Arte poet., *Et molles imitabitur ære capillos*.

273. Palat., *defluentes*, scilicet capillos.

274. Bacchi, ut Apollinis, comæ laudari solent a poetis.

275. Refert ad ægida Minervæ, in qua erat caput D Medusæ, sive Gorgonæ, connexique angues, de quibus Virgilius lib. VIII, et Servius in Comm. Cicero 6 in Verrem: *Gorgonis os pulcherrimum crinitum anguibus*. Jupiter ægida, scutum suum, dono dederat Palladi. De his plura poetæ et mythologi. Utitur verbo *asperat*, ut serpentum naturam et artificis curam exprimat.

277. Alicubi editum est *acris:* at non *aer*, sed *æs* materia fulminis effici indicatur.

278. Gis. ad marg., *Gorgonis*. Hæc ipsa est Medusa quæ Gorgon et Gorgona dicitur.

279. Alii *ephebum*, alii *ephæbum*, alii *ephibum* scribunt. Baccho a poetis inconsumpta juventus ascribitur.

280. Thyrsum multi aiunt fuisse telum cujus mucro hedera tegebatur. Iso aliter. Thyrso percussos in furorem rapi putabant gentiles.

281. Alii *tum*, alii *tunc* habent. Egm. scribit *succintam*. De Diana alte succincta adisis comment. ad vers. 366 lib. I contra Symmach.

282. Egm., *virgines:* melius *virginis*.

283. Rat. a prima manu, *tristiores*, male.

284. Hercules in nummis apparet cum cæsarie crispa fusus.

285. Ald., Vat. Q, Egm., Hailsbr., Heins., Fabr., Cham., *clavam*. Alii et Nebris. pro div. script., *clara*. Latinius in Torn. pro *clavam* substituit *clava*.

287. Thuan., *iras*. Junonis ira in proverbium abiit apud Græcos et Romanos. Virgilius lib. V, vers. 781, *Junonis gravis ira, et inexsaturabile pectus*.

288. Weitzio cum Hailsbr. placuit scribere *velud*. Vat. B, *vel ut*. Idem. Mar. a prima manu, Prag., *detort s*. Repugnat metrum. Oculus *retortus* est obliquus, ut *irretortus* apud Horatium rectus.

289. Vat. B, Mar., *avertit*. Weitzius conjunxit verba *delitantis*, et ex Egm. indicat *dilitantis*. Corrige *de litantis*, ut correxit etiam Aldus, qui ediderat *delitantis*.

290. In Cellarii editione 2, *minus* pro *minas* mendum puto, ut plura alia in ea editione quæ ultro prætereo.

291. Ald., Widm., Bong., et nonnulli alii, *sacratis*. Weitz., Heins. cum cæteris, *sacrastis*. Mentor cælando argento clarus.

292. Vatic. B, Mar., Rat., Prag., Hailsbr., Widm., *Fidius*. Lege *Phidias*. Alex., Urb., Vat. Q, scribunt *Fidias*, quod Weitzius edidit. Phidias fuit pictor, statuarius, sculptor nobilissimus. Iso longe aberrat.

293. De hoc versu dicam ad vers. seq.

294. Post hunc versum in Vat. B, Urb., Mar., Ald., inseritur hic *Cum condiderunt gentibus stultis deos*, quem in Torn. et ed. Paris. Patrum exstare ait Gallandius, repetitum ex vers. 268, sed, ut ipse putat, mendose. Fortasse a manu Prudentii non est iste versus sic repetitus: alioqui sine ullo incommodo posset retineri. Fabricius ait hunc versum poni in nonnullis exemplaribus, in quibus deest versus 293 *Fabri deorum:* qui merito præfertur.

295. Vide Minucium et commentatores ad illius verba, *Deus enim ..... conflatur*, *tunditur malleis*, *et incudibus figuratur*.

1093 Non erubescis, stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia :
Quæ diis ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
1094 Fracta, et liquata contulerunt vascula?
Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus :
Quos lana terret discolore in stipite,
Quos sæpe falsus circulator decipit :
Quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidæ
1095 Edentularum cantilenæ suascrint

GLOSSÆ VETERES.

296. Pago, *vico, vel paganismo. Pagi, ut Isidorus dicit, sunt apta ædificiis loca inter agros habitantibus : unde pago dedite, sine urbium disciplina. Villa. Page Græce villa; inde villanos paganos, quasi a civitate Dei remotos, dicimus*, I. *Pagus hic ponitur pro stultitia*, Vat. A.

297. Obsonia, *negotia, viles res, id est carnes, et similia ad esum pertinentia, ad operandum proposita; servitia, prandia; obsonor, prandeo; inde obsonium, prandium*, I.

299. Pelvis, *vas pedum*. — Cantharus, *ansatus calix, vas vinarium*, I.

303. Circulator, *deceptor, quia alios quodam circulo erroris involvit et decipit*, I.

304. Rancidæ, *rauce canentes : rancidum iratum ex vitio nuncupatum, quod raucos efficiat*, I.

305. Edentularum, *anuum, quasi sine dentibus*, I

COMMENTARIUS

296. Locus Isidori ab Isone indicatus exstat lib. xv Etym., cap. 2. De hac voce *pagus*, et cur idololatræ pago dediti et implciti a Prudentio dicantur, vide comment. ad vers. 449 lib. I contra Symmachum. Weitzius advertit in pagis et villis cultum superstitionis fuisse frequentem, ut liquet ex Cicerone lib. II de Legib.; ex quo paganalia festa et feriæ paganicæ ortum duxerunt. Censorinus lib. I de Natali Die tradit gentiles in suis agris habuisse partem aliquam diis sacratam ubi eos colerent. Invalescente Christiana religione, cum publice in urbibus idola venerari non liceret, ad pagos secedebant, ut libere cultum suis numinibus exhiberent. S. Augustinus, serm. 62, olim 6, de verbis Domini : *Multi pagani habent istas abominationes in fundis suis. Nunquid accedimus et confringimus? Prius enim agimus ut idola in ipsorum cordibus confringamus.* Mazochius, tom. III Spic. bibl., pag. 295, in hujus vocabuli *Paganus* etymologia investiganda elaborat. Videri etiam potest Baronius in notis ad Martyr. Rom. die 31 Januarii. Nonnulli Prudentium reprehendunt quod hoc loco et vers. 1009 *paganum* præfectum a Romano vocatum dixerit, cum ea vox ad idololatram significandum solum post Constantini tempora adhibita fuerit. Verum, ut alia nunc omittam, ex his ipsis versibus colligi potest etiam ante Constantinum vocabulum *paganus* adhibitum fuisse ad hominem denotandum superstitioni ac ridiculis ritibus, et diis, quales in pagis colebantur, deditum.

297. Nebrissensis obsonia intelligit liba quæ offerebantur diis Manibus. Sed Prudentius loquitur de omnibus oblationibus et epulis quæ in honorem quorumcunque deorum fieri solebant. Et liba quidem in aliis sacris etiam offerebantur, aliquando cruda, aliquando cocta. Obsonium vero proprie est quidquid præter panem et vinum paratur et coquitur cibi gratia.

298. Alii *dis*, alii *diis* scribunt.

299. Mar. scribit *cantarus*. In hoc eodem argumento plurimi versantur. Minucius: *Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio..... et deus æreus vel argenteus de immundo vasculo*, etc. Tertullianus, Apologet. cap. 12 : *Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo quam materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communium vel ex iisdem vasculis et instrumentis*, etc. Arnobius lib. VI : *Simulacra ista, quæ vos terrent,.....ossa, lapides, æra sunt, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso : ex ornatibus fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obscenioribus vasculis congesta.* Adisis Joann. Ludovicum de la Cerda in not. ad loc. cit. Tertulliani.

302. In Egm., Pal., Hailsbr., Alt., Noms., Watt. A, I, Q, Alex., ita legitur hic versus, *Quos verum latet, qui fidunt in stipite*. Ita etiam in Bong ad oram, et in Rat. ad marg. inter duos versus *quos lana*, et *quos sæpe*, sed aliena manu, neque omnino antiqua Teolius in tribus Vatt. esse hunc versum testatur, et a Prudentio potuisse esse censet; non tamen Addenda Heinsii hoc loco consuluit, cum affirmet nec verbum quidem de hoc versu habere Heinsium; qui in tribus suis codicibus exstare eum aperte dixit. Cæterum nemo qui senarii iambici regulas noverit, et consuetudinem Prudentii animadverterit, tam exlegem versum Prudentio affinget. Ald., Urb., Thuan., Oxon., tres Torr., Heins. et alii, *discolora* a nomine *discolorus*, *discolora*, *discolorum*, ut *multicolorus*, *versicolorus*. Vide comment. ad vers. 821. Hamartig. Weitz, Mar., Vat. B, Prag., Parrhasius, Torn., Rat., *discolor*, minus bene. Egm., Gis., *discolore*. Fabr., *discolori*. Latinius, *discolore*. Alt., *discolos*. Non placet. Gifanius, ubi agit *de desinentibus in* r, ex vet. lib. prætulit *discolor*, quia putat veteres interdum desinentia in r longa fecisse : sed non persuadet. Nebrissensis existimat præstigias circulatoris alicujus ex colorum mutatione significari. Neque ab hac interpretatione longe dissideo; sed vellem eam veteri aliquo testimonio de hujusmodi præstigiis corroborari. Bulengerus, qui in lib. de Theatro artes veterum præstigiatorum et fallacias diligenter exposuit, nihil tale retulit. Giselinus affert versum Virgilii e Pharmaceutria : *Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo.* Aliam explicationem de arboribus vittatis vide ad vers. 1009 lib. II in Symmach., cui Arnobius lib. I maxime favet : *Venerabar elephantorum ossa, picturatas veternosis in arboribus tænias.* Simulacra ex ebore vocat ossa elephantorum. Dicitur vero lana terrere ob metum et horrorem illum qui religionum omnium quodammodo proprius est. Weitzius addit stemma, teste Sophoclis interprete in Œdipode tyranno, fuisse lanam ramo (sive stipiti) circumvolutam, quo stemmate simulacra coronari consuevisse colligitur ex Julio Obsequente. Affirmat idem Weitzius olim circulatores lanam in picto scipione gestasse, ut pueris et fatuis imponerent : sed ejus rei testem non profert. Itaque congruentius hic locus accipitur de arbore vittata, de qua plura ad vers. cit. lib. II in Symm. Plinius, lib. XII, cap. 1, de arboribus : *Hæc fuerunt numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiamnum deo præcellentem arborem dicant : nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus.*

303. Weitz. cum Egm., *falsos*. Heinsius cum Thuan. et Alt., *salsus*, ut passim apud scriptores homo salsus pro ridiculo. Mihi hoc loco *falsus* probum videtur, quamvis Heinsio recentiores adhæreant.

304. Ald., Urb., Hailsb. a prima manu, Bong, supra, *ranulæ*; vetustiores, *rancidæ*; Alex. *rancide*. Heinsius minime probat *ranulæ*, quia apud Martialem *rancido ore loqui*, et apud Persium *rancidulum*

Vos eruditos miror et doctos viros
Perpensa vitæ quos gubernat regula,
Nescire vel divina, vel mortalia
Quo jure constent: quanta majestas regat,
Quidquid creatum est, quæ creavit omnia.
Deus perennis, res inæstimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur:
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraque et intus implet, ac superfluit,
1098 Intemporalis ante, quam primus dies:
Esse et fuisse semper unus obtinet:
Lux ipse vera, veri et auctor luminis
Cum lumen esset, lumen effudit suum:
Ex luce fulgor natus hic est Filius.
Vis una Patris, vis et una est Filii,
Unusque ab uno lumine splendor satus,
Pleno refulsit claritatis lumine.

A Natura simplex pollet unius Dei,
Et quidquid usquam est, una virtus condidit.
Cœlum solumque, vim marini gurgitis,
Globos, dierum noctiumque præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, hesperos, æstus, nives,
Fontes, pruinas, et metalla, et flumina:
Prærupta, plana, montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
Jumenta, pecudes, subjugales belluas,
1097 Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæque vernant esui.
Hæc non labore et arte molitus Deus,
Sed jussione, quam potestas protulit,
B Mandavit esse, facta sunt quæ non erant.
Verbo creavit omniformem machinam:
Virtus paterna semper in Verbo fuit:

GLOSSÆ VETERES.

307. Perpensa, *temperata: perpensa res, id est æquo pondere repensa; æqua reddita*. I.
324. Pollet, *pollere proprie exercere; sed hic pro excellit*, I.
327. Globos, *stellas: lunam et stellas dicit*, I.
329. Septentriones, *ursi*, I.
331. Prærupta, *aspera*, I.
333. Subjugales, *equos, boves, et quidquid sub jugo mittitur*, I.
334. Fruteta, *virgulta humilia*, I.
335. Vernant, *florescunt, virescunt*, I.
336. Molitus, *conatus*, I.
339. Verbo, *Filio*, I.
340. In Verbo, *in Filio*, I.

COMMENTARIUS.

valva de nare loqui dicitur. Nonnulli veteres habent *raucidæ*, et id tenet Iso. Gis. prima ed., *vanulæ*, ad oram *rancidæ*. Parrhasius, *qui omne*, scilicet *quis*.

306. Christianos ethnici imperitos et ignaros vocabant: et Christiani per derisum ethnicos peritos et doctos. Sic Arnobius lib. II: *Vos soli sapientia conditi, atque intelligentiæ vi mera, nescio quid aliud videtis, et profundum.... Dicite, o festivi, et meraco sapientiæ tincti et saturi potu*. Respondet Romanus congruenter ad ea quæ præfectus objecerat: *Populare quiddam sub colore gloriæ Illitterata credidit frequentia*. Verum de his plura Heraldus, Wowerus, Elmenhorstius, Rigaltius, et præcipue Ouzelius ad verba Minucii, *Studiorum rudes, litterarum profanos, expertes*, etc. Adde Elmenhorstium ad Arnobium pag. 38. Nobis enim longiores esse non licet, et digitum in fontes intendere satis fuerit.

308. Ald., *moralia*: lege *mortalia*.

309. Egm., *quod*. Vat. A, *qui*. Alii, *quo*. Ald., *edat*, male, pro *regat*.

310. Ald., *creatum, quæ*, sine *est*. Vat. B, Alex. Mar., Rat., Prag, et alii, *creatum est, quæ*, quod expressit Heinsius. Weitz., Sich., Egm., Hailsbr., Pal., *creatum est, qui*.

311. Joannes Filesacus, cap. 1, lib. I Select., hunc locum illustrat aliis similibus Ambrosii, Clementis Alexandrini, Paulini et aliorum. Elmenhorstius pag. 17 ad Arnobium similiter in hoc argumento versatur. *Inæstimabilis* est pretium omne excedens apud Livium et Valerium Maximum. Cicero dixit *inæstimabile* quod nullius est pretii.

312. Sich., *vivendo*. Metrum exigit *videndo*.

315. Gis. ad oram, *extraque, et intra complet*. Hilarius, de Trinit. III, *Ipse extra omnia, in omnibusque*. Paschalius. de Spiritu sancto: *Quem præsto esse per omnia, id est intra, extraque, non ambigo*. Petavius, tom. I, lib. III, cap. 9, multis allatis testimoniis, eamdem sententiam confirmat.

316. *Intemporalis* vox est Cælii Aureliani, Apuleii, quanquam ab Aureliano pro inopportuno sumitur.

317. Significatur æternitas Dei, quæ in ejus nomine, *Ego sum qui sum*, indicata est. Circumscribi solet æternitas hac explicatione: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio*: quæ est definitio Boetii lib. V de Cons. pros. 6, communi omnium consensu probata. Hinc Deus *esse et fuisse semper unus obtinet*: et idem est in eo esse, fuisse, ac futurum esse.

318. Filius Dei est. et dicitur lumen de lumine. Vide Apoth. vers. 278.

320. Gis, *huic*; ad oram, *hic*. Hoc retinendum cum scriptis.

321. Noms., *una Filii sine est*.

323. Alex., Pal., Vat. B, *claritatis numine*. Alii, *lumine*.

327. *Globus lunæ* apud Virgilium, *globus solis* paulo post vers. 537. Respicit ad illud Genes. I, 16, *luminare majus, ut præesset diei; et luminare minus, ut præesset nocti*.

333. Vat. B, Widm. a secunda manu, Mar., Rat., Prag., Gis. in textu secundæ ed., *pecudes*. Parrhasius, Ald., Sich., et alii plures, *pecua*, quo vocabulo usi sunt Cicero, Livius, Plinius et antiquiores. Vide Nonium in *pecua*. Fabr. edidit. *pecora*.

D 334. Alex., Parrhasius, *fructeta*. Giselinus ita etiam edidit, sed emendavit *frutecta*: quod miror ab Heinsio non esse animadversum, nam error typographicus Giselini in Heinsii editione receptus est. Atqui neque versus constat cum *fructeta*, et *frutetum*, aut *frutectum*, ut alii scribunt; a *frutex* originem trahit, non a *fructus*. Chamillardus ab Heinsii errore non cavit.

335. Lectio Parrhasii, ab aliis multum dissidet, *Quæ sunt odoræ: quæque vernantes comæ*. Aldus contra metrum, *Quæ sunt odori, quæque vernantes esui*.

336. Parrhasius *molitur*. Theodoretus, Græcar. affect. lib. IV: *His itaque verbis manifeste ostendit Deum non ex subjecta materia res omnes procreasse.... At rerum omnium Deus opifex nec instrumentis, nec materia indiget*, etc.

338. Vide hymn. Cath. 9. Omni hora.

339. De hujusmodi vocabulis *omniformis* vide hymn. 3 Cath., vers. 1 et 2.

Si confitendi nominis testem probum
Signent inusta ferri, et ignis vulnera,
Et vim dolorum mors sequatur inclyta.
Cave, benignus esse perverse velis,
Nec mi remissus leniter peperceris:
Incumbe membris, tortor, ut sim nobilis.
1076 His ampliatus si fruar successibus,
Genus patris, matrisque flocci fecero.
Hæc ipsa vestra dignitatum culmina
Quid esse censes? nonne cursim transeunt
Fasces, secures, sella, prætextæ togæ,
Lictor, tribunal, et trecenta insignia,
Quibus tumetis, moxque detumescitis?
Cum consulatum initis, ut vernæ solent,
1077 Pudet fateri, farre pullos pascitis:
Aquila ex eburna sumit arrogantiam

GLOSSÆ VETERES.

133. Probum, *bonum*, I.

134. Inusta, *valde usta*, I.

136. Cave, *cave, velis simul jungendum : cave enim abnegativum est nec eget aliqua abnegatione, sicut Cave, facias debemus dicere*; *non Cave, ne facias*, I.

137. Mi, *pro mihi*. — Remissus, *ad misericordiam, mollefactus*, I.

139. Ampliatus, *dilatatus, prosperitatibus, auctus*, I.

140. Flocci fecero, *pro nihilo duco, parvipendam, parvipendo; ductus sermo a flocco, quod homines, in re vilissima utentes, a vestimentis extrahunt et projiciunt, quasi pro nihilo reputantes*, I.

142. Cursim, *velociter*, I.

143. Fasces, *honores, summæ dignitates*. — Sellæ, *quæ in curia ponebantur*. — Prætextæ togæ, *genus vestimenti : prætexta vestis est qua utebantur pueri usque ad sextum decimum annum, et dicta prætexta eo quod latior purpura ei intexebatur in capitio; postea toga utebantur*, I.

144. Lictor, *virgifer*. — Trecenta, *finitum pro infinito*. — Insignia, *ornamenta*, I.

146. Initis, *intratis*. — Vernæ, *juvenes, servi; vernaculus, ut dixit Isidorus, dictus est, quasi bonus hereditarius natus; qui et domigena dicitur, id est domi natus*, I.

148. Ex eburna, *eburneæ aquilæ ferebantur in vexillis Romanorum propter aquilam, quæ armiger Jovis est*, I.

COMMENTARIUS

133. Nomen Christianum, nomen Christi, et simpliciter *nomen* pro eadem re veteres Christiani passim usurpabant. Mazochius Spicil. Bibl. part. 2, pag. 90, putat Christianos veteres imitatos religionem Judæorum in nomine tetragrammato, adeoque nomen simpliciter dixisse, cum nomen Christi vellent indicare. Certe sæpe videtur nomen Christi significari, ut apud Cyprianum de Laude martyrii : *Per hoc et testimonium nomini redditur, et majestas nominis redampliatur*. Sed interdum clarum est, sermonem esse de nomine Christiano, ob cujus solius confessionem vel professionem sine alio crimine supplicio Christiani afficiebantur : quia scilicet illud nomen erat nota religionis.

135. Prag. mendose *et inde dolorum*. Rat., Vat. B, Mar. a prisca manu, *finem dolorum*.

136. Vat. B, Mar., Rat., Sich., Weitz., Hailsbr., Bong., Widm. a prima manu, *perversibilis*, quod metro non cohæret. Alii, *perverse velis*. Fabricius, *perverse ut velis*.

138. Vat. B a veteri manu, *tortor jam tum nobilis*, contra metrum et sententiam. In Prag. etiam mendose *jam tamen*; supra *jam tum*, vel *jam sum*.

139. *Ampliari* ad nobilitatem refertur, ut *amplitudo*. Exempla vide in lexicis.

143. Mar., Rat., Prag. non bene, *sellæ* pro *sella* : nam quarto loco spondæus esse nequit, adeoque Weitzius erravit, cum edidit *sellæ*. Aldus, Vat. B, *prætexta, togæ*. Ox., *prætexta togæ*. Fabr., *prætextæ, toga*. Hailsbr., *prætextæ toga*. Ambr., *prætexta et togæ*, et sic etiam Parrhasius. Heinsius vult *prætexta et toga*. Weitzius, Gifanius in *flere* ex vet. lib., Vat. A, Alex., *prætextæ togæ*, quod probum est. Toga communis erat omnibus, prætexta toga propria magistratuum. Heinsio recentiores consonant : Gallandius vero edidit *prætexta et toga*, et ex aliis adnotat *sellæ, prætextæ, togæ*. Fasces et secures consulum erant insignia, sellæ ædilium, prætextæ togæ imperatorum. Lictor ad consules etiam pertinebat, tribunal ad judices. Juvenalis sat. 10 : *Prætexta, et trabeæ, fasces, lectica, tribunal*.

144. Egm., Hailsbr., *tribunal, hæc trecenta*. Gis. ad oram, *et cruenta*.

145. *Detumescere* legitur etiam apud Petronium et Statium. *Tumoris* nomine Christiani scriptores passim superbiam significant, quod ex Euripidis Hecuba et Horatio sumptum censet Barthius lib. XXX Adv. cap. 19 : ego ex ipsa rei natura magis credo. Wipertus, Prudentii amator et imitator, lib. I, cap. 11 : *Ingenii excellentia, qua solent carnales super modum tumescere, moxque detumescere*.

146. Vat. B, *ut vermes solent*, quod Colerus in suis membranis exstare ait ad Valerium Maximum, pag. 548. Codex Marietti, de quo loquitur Colerus, habet certe *vermes*, et supra pro diversa scriptura *verres*, demum ad oram *vernæ*. In eodem Mar. videtur esse *dum* pro *cum*. Interpretatio horum versuum hæc circumfertur, Romanos, cum consulatum inibant, farre pullos pascere (quod munus est servorum), quoniam ominosum habebatur, si pulli farre abstinerent, et Romani nihil inauspicato agere solebant. Pignorius, de Servis pag. 270, agit de aviario, altiliario, qui ab Horatio *fartor* appellatur, cujus officium, inquit, erat aves opimare et obesare in gratiam lautarum epularum. Et hinc arripuit occasionem apud Prudentium Romanus martyr deridendi præfectum Asclepiadem. Itaque existimo ipsos qui consulatum inibant pullos per se pascere, ut auspicia captarent; et idcirco ait Prudentius : *ut vernæ solent, farre pullos pascitis*. Giselinus ait, id factum per pullarios, quia Romani, teste Halcarnasseo, nec magistratus, nec magni aliquid inchoabant, priusquam eos consuluerent. Parum hæc explicatio Prudentio congruit. Salvianus, lib. VI de Gubern., eam superstitionem in Christianis merito reprehendit : *Quid enim nunquid non in consulibus designandis et pulli adhuc sacrilegiorum more pascuntur, et volantis pennæ auguria quæruntur, ac pene omnia fiunt, quæ etiam illi quondam pagani veteres frivola et irridenda duxerunt? Et cum hæc omnia ipsi agant, qui annis nomina tribuunt*, etc.

148. Vat. B mendose, *sumpti* pro *sumit*. De hac aquila eburna dictum jam ad vers. 349 lib. I contra Symmachum. Chamillardus ait, aut errasse Prudentium, aut diversum morem fuisse temporibus Livii : nam hic affirmat scipionem eburneum cum aquila exstante in summitate ex eadem materia triumphantibus fuisse prælatum. Verum hoc nihili est : siquidem scipio gestabatur nomine triumphantis, et erat sceptrum, sive gestamen consulare. Valerius Maximus lib. IV, cap. 4 de C. Attilio Serrano : *Sed illæ rustico opere attritæ manus salutem publicam stabilierunt : ingentes hostium copias pessumdederunt; quæque modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt : nec fuit iis rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere*. Fabricius narrat talem aquilam eburneam crista rubea insignem repertam Romæ, et talem exsculptam esse in fornice arcus Vespasiani, in quo manu eam tenet

Gestator ejus, ac superbit belluæ
Inflatus osse, cui figura est alitis.
Jam si sub aris ad sigillorum pedes
Jacentis, infra sectilem quercum siti,
Quid esse vobis æstimem projectius?
Nudare plantas ante carpentum scio
1078 Proceres togatos matris Idææ sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo
Muliebris oris clausus argento sedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis
1079 Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.
Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos esse monstrat, cum luperci curritis.
Quem servulorum non rear vilissimum,
Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas verbere ictas ludicro?

GLOSSÆ VETERES.

149. Ejus, *aquilæ*. — Belluæ, *elephanti*, I.

150. Cui, *ossi*. — Alitis, *aquilæ*, I.

151. Sigillorum, *simulacrorum, vel signorum; idolorum*, I.

152. Siti, *positi*, I.

153. Projectius, *despectius*, I.

154. Carpentum, *vehiculum, currum*, I.

155. Proceres, *nobiles: proceres proprie muruli trabium eminentes e maceriis; inde proceres dicuntur eminentiores in populis*, I.

156. Lapis, *gagathes, in quo pingebatur*, Vat. A. *Gagathes*, I. — Gemellus, *ideo potest dici gemellus, quia in vehiculo ipsa cum filio suo Cupidine solebat sculpi vel pingi*, Prag. — Essedo, *essedum genus vehiculi Gallicani, id est, quasi assedum ab assidendo dictum; genus vehiculi*, I.

160. Almonis, *fluvius*, I.

162. Luperci, *nudi: luperci dicebantur qui lupercalia celebrabant, id est festa Panis dei, in quibus omnia immunda fiebant*, I.

165. Verbere, *percutiendo nates illarum*, I.

COMMENTARIUS.

Vespasianus. In delineatione arcus et in ipso arcu solum invenio Titum aquilæ insidentem in cœlum ferri, veteri superstitione inter divos relatum, in arcus fornice. In quatuor angulis aquilæ cum fulmine triumphum exornant.

150. Ebur dentem elephanti esse norunt omnes. Prudentius *os belluæ* vocat.

151. Ald. perperam, *suberis* pro *sub aris*. De *sigillis* pro statuis vide comment. ad vers. 545 lib. II contra Symmachum.

152. Vat. B, Mar., Widm., *intra*; alii, *infra*. Vocat *sectilem quercum* statuam; adeoque *infra* legendum est.

154. Balduinus, de Calceo antiquo cap. 3 et 53, agit de hoc ritu antiquorum nudandi plantas in quibusdam sacris functionibus. Eques Victorius dissertationem edidit anno 1753, qua illustravit exiguam Cybelis statuam quæ nunc in museo Victorio Vaticano asservatur, ut Teolius notavit.

155. Etymologiam glossæ, quod proceres sint *capita trabium*, docet etiam Servius ad I Æn. ex Varrone. Alii *proceres* a *primus* derivant.

156. Vat. B, Prag., Mar. a prima manu, *gemellus*; alii, *nigellus*. Ald., Alex. a secunda manu, Vatt. P, Q, Urb., *esseda*; plerique melius *essedo*. Murmellius et Lotterus, *evehundus*. Arnobius, lib. VI: *Videtis, Arabas informem lapidem coluisse, lignum indolatum Curios pro Diana, Pessinuntium silicem de cœlo lapsum pro deum Matre*. Gisbertus Cuperus in notis ad Lactantium, cap. 11 de Mort. persecut., ait vel hunc lapidem lineamenta faciei muliebris habuisse, vel inclusum fuisse capsa argentea faciei muliebris: quod tamen aliis examinandum relinquit. Mihi vix dubium est quin ipse lapis lineamenta muliebris oris habuerit: et id ex verbo *sedet* confirmari potest. Nihilominus Bulengerus, lib. I, cap. 18, de Pict., probare contendit, columnas per initia pro statuis fuisse, et stipites, et lapides. In glossis *lapis nigellus* dicitur *gagathes*: posset intelligi achates, nam achates lapis est nigellus, ut ex Plinio, Solino et Isidoro patet, quanquam gagathes celebratur etiam a Plinio et Eugenio Toletano. Verior scriptura est *gagates* ex Græco vocabulo. Joannes Fridericus Hervartius, de Admirandis theologiæ ethnicæ Mysteriis cap. 52, ostendere conatur primum simulacrum, e Pessinunte Romam advectum, fuisse e magnete, et acum illam decantatam Magnæ deorum Matris, qua Romanum imperium sustentatum Servius prodit, fuisse acum magneticam, cujus notus jam esset usus. Joannes Winckelmannus in opere de Monumentis antiquis ineditis, tom. II: sect. 2, cap. 1, de Cybelis statuis agit. In Calendario Romano Maffeiano ita indicantur ludi Megalenses die 4 Aprilis: *Ludi Matr. Mag.* In Vindobonensi: *Ludi Megalesini*. In Prænestino: LVDI. M. D. M. I. MEGALENSIA. VOCANTUR. QVOD. EA. DEA. MEGALE. APPELLATVR. NOBILIVM. MVTITATIONES. CENARVM. SOLITAE. SVNT. FREQVENTER. FIERI. QVOD. MATER. MAGNA. EX. LIBRIS. SIBVLLINIS. ARCESSITA. LOCVM. MVTAVIT. EX. PHRYGIA.ROMAM. Vide notas Petri Franc. Fogginii.

157. Arnobius lib. VII de eodem lapide coloris fulvi atque atri, angulis prominentibus inæqualis, *quem omnes hodie illo ipso videmus in signo oris* (forte *insigniori*) *loco positum, indolatum, et asperum, et simulacro faciem minus expressam simulatione præbente*.

158. Prima in *præeundo* hoc loco intervallo longo effertur, vimque diphthongi retinet. Ammianus lib. XXIII de Juliano Apostata: *Ubi ad diem VI cal.* (Apriles) *quo Romæ Matri deorum pompæ celebrantur annales, et carpentum quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur, sacrorum solemnitate prisco more completa, somno per otium capto, exsultans pernoctavit, et lætus*. Confer S. Ambrosium, lib. III, ep. 48; Augustinum, lib. II de Civit. Dei, cap. 4; Arnobium, Ovidium, Valerium Flaccum, Lucanum, et alios.

160. Thuan. contra metrum *perventuri*. Hailsbr. *prævenitis*. Rivulus Almo extra portam Capenam, sive S. Sebastiani via Appia fluit: ejus nomen nunc *Acquataccio*, quasi aqua corrupta, ut puto. Origo ejus est fons aquæ salutaris, qua multi Romæ ad curandos morbos utuntur. Ea vocatur *acqua santa* Italice, et ad capitulum S. Lateranensis basilicæ spectat, exstatque prope viam Latinam.

161. De hujusmodi superstitionibus ethnicorum abunde dictum est ad libros contra Symmachum et ad hymnum S. Laurentii, quod indicasse semel sufficiat.

162. Baronius ad annum 496 refert S. Gelasium lupercalia prohibuisse, et Andromachum senatorem, qui ea defendebat, scripto refutasse. Epistola Gelasii exstat inter alias pontificum. Andromachus imaginem quamdam lupercalium retinendam contendebat. Gelasius neque ita quidem a Christianis celebrari posse lupercalia demonstrat.

164. Servorum erat proprium currere et festinare. In prologo Heautont. Terentius: *Ne semper servus currens, iratus senex.... assidue agendi sint mihi*.

165. Parthasius, *pultet*, quod in notis confirmat, dum probat, Prudentium tentasse fastiditis gratiam

A

Miseret tuorum me sacrorum, et principum,
Morumque, Roma, sæculi summum caput.
1080 Age explicemus, si placet, mysteria,
Præfecte, vestra : jam necesse est, audias,
Nolis velisne, quid colatis sordium.
Nec terret ista qua tumes vesania,
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta lethi comminaris asperi :
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore, dimica.
Jubes, relictis Patris, et Christi sacris,
Ut tecum adorem feminas mille, ac mares,
1081 Deos, deasque, deque sexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos,
Et tot stuprorum sordidam prosapiam.
Nubunt puellæ, sæpe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus.
Incesta fervent : furta mœchorum calent :
Fallit maritus : odit uxor pellicem :
Deos catenæ colligant adulteros.
Ostende, quæso, quas ad aras præcipis,
Vervece cæso fumet ut cespes meus?

GLOSSÆ VETERES.

166. Sacrorum, *idolorum*, I.
172. Vultuosus, *terribilis, vel tristis*, I
177. Mares, *masculos*, I.
178. Sexu duplici, *de mare et femina*, I.
179. Abnepotes, *natos de nepotibus*. — Editos, *pronatos*. I.
181. Luduntur, *decipiuntur*, I.
182. Amasionum, *amatorum : amasii et amasiones unum sunt*. — Comprimuntur, *stuprantur*, I.
183. Incesta, *stupra, non casta. Distat inter fornicationem, et adulterium, et incestum; nam fornicatio cum puellis et viduis; adulterium cum uxoribus aliorum, incestum cum sororibus et sanctimonialibus; et dicitur incestum, quasi non castum*, I. *Jovis et Junonis*, Mar. — Mœchorum, *Martis et Veneris*, Mar.

B

184. Fallit, *uxorem*. — Maritus, *Saturnus Opim*, Mar. *Vulcanus*, I. — Pellicem, *pellex dicitur quasi pelle illiciens, id est decipiens; nam pulchritudine deputantur homines. Concubinam*, I.
185. Deos, *Martem et Venerem, quos Vulcanus alligavit*, I.
187. Vervece, *vervix vocatur a verme quem habet in fronte, qui commovens incitat eum ad prælium*, I.

COMMENTARIUS.

reddere; scilicet dixisse *volupe est* ex Ennio et Plauto, *ninguidos* ex Lucretio, *pultet* pro *pulset*. Ald., Torn. et nonnulli vulg., *actas* pro *ictas*. Luperci scutica, virgave e pelle hircina mulieres obvias feriebant, quæ manus ultro præbebant, quasi ita feliciores puerperæ essent futuræ, ut ex Ovidio, Juvenali et aliis colligitur. Vide lib. II in Symm., vers. 861. Iso nates verbere ictas docet, quod ex Choulio fusius refert Joan. Saubertus de Sacr. vet. cap. 6. Sed, ut hic ritus perageretur, mulieres ipsæ ad lupercos se conferebant.

C

166. Rat., Vat. B., Mar. a pr. m. *et* pro *me* non ita probe.
167. Vat. B., Mar., *secli :* metrum postulat *seculi*. Roma dicitur summum sæculi caput, ut *imperii domina* Apoth. vers. 507. *Sæculum* pro mundo, aut orbe accipitur, ut in hymno Sedulii : *Beatus auctor seculi*, et S. Petrus Chrysologus serm. CLX, *Universo sæculo non capacem concludi corpore perpusillo*. Vide vers. 584. In Laurentio.
170. Mar., *velis, nolisne*. Rat., *velis, nolisque :* utrumque contra metri regulam. Nec melius Parrhasius, *nolis velis, nequid*. Gis., Lotterus, *nolis velisve*. Scripti plerique, *nolis velisne*. Pro idolis sordes posuit. In Laurentio, vers. 263, *Dum dæmonum sordes colis*. Sic Ennodius in Natali Epiphanii, *Numina fallaci finxerunt sordida cantu*.
171. Vat. A, *ne terret*.
172. *Vultuosus* et *vultuose* usurpant Apuleius, Donatus, Capella, Quintilianus, Sidonius. Innuitur vultus asper, terribilis. *Supinus* pro superbo Juvenalis sat. 1, *Et multum referens de Mæcenate supino :* quanquam hic pro molli potius accipitur. Pro arroganti vero Persius sat. 1, *Seque aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Areti ædilis iniquas*.
173. Vat. B et Mar. non bene scribunt *læti* pro *lethi* aut *leti*.
174. Hailsbr., *moveri ;* Egm., *ullus*.
175. Ad hanc sententiam pertinet illud Minucii : *Cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur*. Ubi interpretes plura similia adnotant.
177. Aldus, Vat. Q, *feminas, ac mille mares*. Ita Vat. B a secunda manu, nam a priori manu videtur fuisse, ut est in Mar., *matres* pro *mares*. Vat. A, Alex., Giselinus in emendatis. Heinsius et alii, *feminas mille, ac mares*, quod magis metro et consuetudini Prudentii congruit. Besselius, pag. 24 Miscellan. syntagm., legendum conjicit *Ut tecum adorem feminas, molles mares*, ut Ganymedes, Hebe, aliique molles mares intelligantur. At vero lectio codicum recte procedit : neque Hebe inter mares recensenda est, dea scilicet juventutis, non deus. Sexum deorum diversum gentilibus Lactantius, Arnobius, multique alii Christiani scriptores exprobrarunt. Arnobius, lib. III : *Adduci enim primum hoc ut credamus non possumus, immortalem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, et esse partem unum mares, partem esse alteram feminas ..... Nam consuestis in precibus, Sive tu Deus es, sive tu dea, dicere : quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsa declarat*. Preces quas Arnobius indicat legi possunt apud Macrobium lib. III Saturn., cap. 9 : *Si deus, si dea est, cui populus civitasque Carthaginensis est in tutela*, etc. A. Gellius lib. I, cap. 28 : *Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam* SI. DEO. SI. DEÆ. *immolabat. Idque ex decreto pontificum observatum esse, M. Varro dicit : quoniam et qua vi, et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum esset*. In veteribus inscriptionibus eadem formula occurrit *Sive deo, sive deæ. Si deus, si dea est*. Huc spectat quod in precibus interdum dicebant, *Quisquis es deus*. Vide Broverium, de Adorat. cap. 7, præter Catonem et alios.

D

180. Ald., Weitz., et plerique scripti, *et tot*. Gis., *ac tot*, Heinsius cum Thuan., *ut tot*, quod habet etiam Alex. In Ald. et Oxon., *prosapiem*.
181. Exempla habes in Proserpina, quæ Plutoni; Hebe, quæ Herculi; Minerva, quæ Vulcano nupta est. Deceptæ sunt a Jove Europa, Ægina, Leda, Danae et aliæ.
182. Utitur voce *amasionum* Apuleius lib. VII de Asino aureo.
183. *Furta* concubitus illicitos poetæ libenter vocant.
184. In Jove hæc omnia crimina in promptu est reperire. Ejus stupra novem recenset Ovidius VI Metamorphos., filios illegitimos supra viginti enumerat Hyginus fab. 155.
185. Prag., *duos* pro *deos*, minus bene.
186. Vat. A, *adoras :* lege *ad aras*.
187. Weitzius, nihil metrum curans, edidit *vervece* cum Widm. et Bong. In Vat. B ex *verbice* fac-

1082 Delphosne pergam? sed vetat palæstrici A
Corrupta ephebi fama, quem vester deus
Effeminavit gymnadis licentia.
Mox flevit impuratus occisum gravi
Disco, et dicavit florulentum succubam.
Conductus idem pavit alienum pecus:
Furem deinde perditi passus gregis
Segnis bubulcus, tela et ipsa perdidit.
An ad Cybebes ibo lucum pineum?
1083 Puer sed obstat Gallus ob libidinem
Per triste vulnus, perque sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu deæ:
Per multa Matri sacra plorandus spado.
Sed, credo, magni limen amplectar Jovis:
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,
Luat severam vinctus et Scantiniam,

GLOSSÆ VETERES

188. Palæstrici, *palæstrici, qui, in theatro saltantes, turpia deorum canebant*, I.
189. Ephebi, *imberbis*, I.
190. Effeminavit, *castravit*. — Gymnadis, *nuditatis, vel exercitii licentia rustici*, I.
191. Impuratus, *commaculatus: impuratus et impurus ita distinguuntur, quod impurus in seipso immundus; impuratus autem ab alio contaminatus dicitur*, I. B
192. Disco, *discus genus ludi qui super discum agebatur, quem ille ephebus ludens a Borea vento occisus est*. — Florulentum, *in florem sui nominis*, Mar. — Subcubam, *vel succubam. Succuba dicitur qui alii in patienda libidine succumbit, a succumbendo dictus: a succumbendo ad turpes usus, qui et amasio*, I. — Cucubam, *cucuba herba est dicata ab Apolline Hyacintho, cujus flos hyacinthus est secundum nomen pueri*, Prag.
194. Furem, *latronem*. — Passus, *sustinens*, I.
195. Tela, *arcum et pharetram*, I.
196. Cybebes, *Cybele, et Cubele, quæ Mater deorum dicebatur, quæ et Berecynthia*, I.
197. Puer, *Atys*, Mar. — Gallus, *scilicet castratus. Atys omnes eviratos Gallos vocabant, postquam Galli Senones Romam ceperunt, et postea quicunque Gallum ceperunt, evirabant, ne illud semen cresceret; et Gallos castratos omnes vocabant*. — Ob, *propter*, I.
199. Impudicæ, *inverecundæ*, I.
200. Matris, *Cybeleæ*. — Spado, *eunuchus*, I.
201. Credo, *ironice*, I.
202. Citetur, *jud caretur, vel commoveatur; judicetur secundum scita*, I.
203. Implicatus, *damnatus*. — Juliæ, *Romanæ legis: Julia lex a Julia repertrice, quæ adulteras damnabat*, I.
204. Scantiniam, *a Scantinia inventore, quæ utique judicabat adultero : legem Romanorum, id est, iram; ea est nomen deæ*, I.

COMMENTARIUS.

tum recentiori manu *verbece*. Mar. a prima manu, *verbice*. Rat., et Prag. a prima manu, ut videtur, *verbece*; alii scribunt *vervece*. *Verbex*, seu *vervex*, est mas inter oves, sed castratus: de quo Isidorus lib. XII Etym., cap. 1, consentit glossæ: *Vervex, vel a viribus dictus, quod cæteris ovibus sit fortior; vel quod sit vir, id est masculus; vel quod vermes in capite habeant: quorum excitati pruritu, invicem se concutiunt, et pugnantes cum magno impetu feriunt*. Varro a natura *versa* vervecem dictum existimat. De ara cespititia vide hymnum S. Eulaliæ.

188. Vatt. A, Q, *vetant*, quod videtur etiam fuisse in Alex. Indicatur fabula Hyacinthi, de qua Ovidius lib. X Metamorph.

189. Mar. a prima manu, *quàm*, male.

190. In palæstra nudi luctabantur: hinc apud veteres *gymnasii licentia* in proverbium abiit.

192. In Vat. A recentior corrector, prioribus erasis, fecit *florulentum*, et *sucubam*. Videtur fuisse *cucubam*; ad oram legitur *cucubum*, et *sucubum* pro diversis lectionibus. Vat. B., Widm., *florulentam cucubam*. Prag., Mar., *florulentum cucubam*; sed in Mar. recenti manu factum *florulentam*. Alex., Ald., Weitz., Vat. Q, Urb., Lotter., Heinsius et alii, *florulentum succubam*, vel *subcubam*. Bong., *florulentum subcubum*; supra, *florulentam succubam*. *Florulentus* vox est auctoris Pervigilii Veneris et Solini. D

193. Fabula Apollinis, qui armenta regis Admeti pavit, a quo boves et arma furatus est Mercurius. Videtur quarta sede tribrachys collocari. Posset aliquo pacto id negari; sed vers. 978 sine ulla controversia pes quartus tribrachys est.

195. Horatius, lib. I, oda 10, *Viduus pharetra Risit Apollo*.

196. Ald., Torn., Gall., *Cybellis*, Mar., *Cibiles*; Vatt. A, Q, Urb., *Cybelis*; alii *Cybæbis*; Hailsbr., *Cibelis*; Alex., *Cybeles*; Parrhasius, *Cybelles*; Thuan., Egm., Alt., *Cybebis*. Heinsius scripsit *Cybebes*, aliisque scribendum persuasit ex vett. exemplaribus Virgilii, Phædri, Lucani, et ex antiquis marmoribus. Græce *Cybele* et *Cybebe* dicitur. Nihilominus Chamillardus edidit *Cybeles*. Sacra Cybeles in montibus ubi lucus pineus erat celebrari solebant: et pinus ipsa arbor est Cybele sacra; ejusque imago corona e duobus ramis pineis insignita in nummis pingebatur. Monfauconius tom. I Ant. plures imagines Cybeles exhibet, ac de ejus gestis sive fabulis copiose C disserit cap. 1 et seqq.

197. De Gallis vide lib. II in Symm. vers. 522.

200. Vat. B, Mar., Prag., Weitz., Ambr., Thuan., Oxon., *matri*, quod exstat etiam in Alex., Gis. in textu, Heinsio. In aliis, *matris*. In Rott. supra *sacra* pro div. script. erat *æra*. Ex quo Heinsius et Chamillardus suspicantur a manu Prudentii esse *Per multa matris æra plorandus spado*. Referunt videlicet ad corybantia æra.

201. Juvenalis, sat. 6, vers. 47, *Tarpeium limen adora*. Ex Arnobio, Ovidio, Tibullo et aliis patet hunc fuisse ethnicorum morem, ut templorum limina exoscularentur. Neque propterea accusandi sunt Christiani quod eadem venerationis signa suis templis exhibeant. Adisis prolegom. cap. 14.

202. Widm. corrupte, *ecitetur* pro *citetur*. Idem error est in Mar. et Prag. In Vat. B, *qui siscitetur*. Latinius in Torn. correxit *vestris* pro *vestri*. En rationem cur Prudentius, qui tumulos martyrum amplectebatur, negat licere amplecti limen Jovis.

203. Lege Julia mœchi puniebantur. Juvenalis, sat. 2, vers. 37, *Ubi nunc lex Julia? dormis?* De hac lege Cujacius observat. 2, cap. 18 et 19. Ab Augusto lata ea lex est: neque glossæ aliter disserentis habenda est ratio. Leges *minari*, dictum ad vers. 179 lib. II contra Symmachum. Hoc argumento deos gentilium Athanasius exagitat: *Num dignum est ut is* (Jupiter) *qui designat talia, quique ejusmodi flagitiis famosus est, quæ ne communes quidem leges Romanorum in mere hominibus impunita velint, pro numine habeatur? Quis ipsum non vituperet? quis non mulctandum morte judicet?*

204. Ald., Fabr. et nonnulli, *luet* pro *luat*. Vat. B, Mar., Prag., Rat., *Luat severum victus, et Scantiniam*. Vat. A, *Luet severam vinctus et Scatiniam*. Thuan., Alt., Noms., Rott., *Luat severam vinctus et Scantiniam*, quod tenent Alex., Heins., et alii. Lati-

1084 Te cognitore dignus ire in carcerem.
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat manum:
Quem si beate vivere audit Juppiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dissidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa virtus, si colatur Lemnius,
Junonis iram sentiet quisque, ut deum
1085 Signo aut sacello consecrarit Herculem.
Dicis licenter hæc poetas fingere:
Sed sunt et ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati: quodque describunt colunt.
Tu cur piaclum tam libenter lectitas?
Cur in theatris, te vidente, id plauditur?
Cygnus stuprator peccat inter pulpita,
Saltat Tonantem tauricornem Lydius:
1086 Spectator horum pontifex summus sedes,

GLOSSÆ VETERES.

205. Cognitore, *te sciente, vel judice: cognitor, qui causas cognoscit judicii*, I.
206. Conditorem, *constitutorem, id est Saturnum*, I.
207. Censes, *judicas*, I.
208. Reformidat, *reformido et formido unum sunt*, I.
210. Occulendi, *occulta di*, I.
211. Dissidentum, *discordantium*, I.
213. Lemnius, *Vulcanus a Lemno insula: quia Vulcanus prodidit adulterium Veneris et Martis, ideo inter se dissident; et dicitur Lemnius Vulcanus, quasi lutosus, a Græco quidem l nos, id est lutum: nam sordidatio luxuriæ ex colore fit, qui est Vulcanus, quia ex pellice natus fuit*, I.
215. Signo, *imagine, sigillo*, I.
219. Piaclum, *facinus*. Iso. *Peccatum*, Mar.
221. Cygnus, *Jovis in forma. Jovis in cygnum conversus stupravit Dianam*. — Stuprator, *de Jove et Leda, vel de Jove et Pasiphae*. — Pulpita, *lectus deorum, gradus sc nae*, I.
222. Saltat, *canit*. — Tauricornem, *proprium nomen, mimilogus quidam qui cantabat Jovem versum in taurum violasse Europam*. — Lydius, *Jovis, vel nomen toni músici: musicus*, I.

COMMENTARIUS.

nius in Torn. invenit *Cantiniam*, correxit *Scatiniam*. Parrhasius videtur duas in hoc versu leges distinguere: ita enim habet, *Luat severam victus, et Scantiniam*. Unica tamen lex *Scantinia* nominatur, quæ erat de impudicis, a Scantinio Aricino *lata contra eos qui muliebria patiebantur*, ut ait scholiastes ad Juvenalis sat. 2, vers 43,. *Citari Ante omnes debet Scantinia*. Nonnulli putarunt nomen eam legem accepisse a C. Scantinio, qui M. Claudii Marcelli filium de stupro appellavit, et accusante patre condemnatus est, ut refert Valerius Maximus lib. VI, cap. 1. Etsi enim leges plerumque nomen ab iis qui eas tulerant accipiebant, non raro tamen a damnatis, ut Laia a Laio.

205. In Ambrosiano multa hic desiderabantur usque ad vers. 454. Heins. post *carcerem* interrogationis notam adjicit.

206. Prag. male, *quod aureorum*. Sermo est de Saturno, aurei sæculi conditore, in cujus templo propterea Romani ærarium esse voluerunt.

208. Thuan., *furem*: melius *furtim*. Gis. ad oram, *dum pavesceret malum*: quod in aliis exemplaribus esse ait Murmellius.

209. Pal., *audet*; recte supra, *audit*.

210. Mar. a prima manu, *colendi conscius*; supra, *occulendi conscius*. Prag., *oculendi conscius*. Legendum *occulendi conscios*.

211. Widm., *dissidentium*. Alex., *discidentum*. Vat. Q, *dissidendum*. Vera lectio *dissidentum*. Bella deorum inter se pugnantium gentilibus plures e nostris objecerunt, Athanasius, Augustinus et alii. Arnobius, lib. IV, *Vulnerari, vexari, bella inter se gerere furialium memorantur ardore discriminum*. Lactantius, lib. I, cap. 3, *Homerus bellantes inter se deos finxit*.

214. Peveratus ait plurimis in locis a Prudentio *quique* usurpari pro *quicunque*, seu *quisquis*, quod hodie fere contra fidem vett. lib. et Prudentii consuetudinem in *quisque* mutatum est. Sed fallitur: nam vett. codices habent *quisque*, non *quique*, et consuetudo æqualium *Prudentii* fuit, ut *quisque* pro *quisquis* usurparent. Vide comment. ad vers. 216 hymn. 7 Cathem. Illud vero facilius mutarem, si per membranas liceret *ut deum*: nam legendum puto *Junonis iram sentiet, quisque aut deum Signo aut sacello consecrarit Herculem*. Porro Hercules Jovis filius, Junonis privignus fuit ex Alcmena pellice.

215. [illegible]nius in Torn. emendavit *aut* pro *et*.

216. Ald., Urb., Gis., Oxon., *dices*; plerique, *dicis*. Hanc responsionem simili arguendi ratione rejecerunt Augustinus, Theodoretus et alii. Arnobius, lib. IV, *Sed poetis tantummodo licere voluistis indignas de diis fabulas, et flagitiosa ludibria comminisci. Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum, atque exoleti generis multitudo? Nonne ad usum quæstus sui abutuntur diis vestris, et lenocinia voluptatum ex injuriis attrahunt, contumeliisque divinis? Sedent et in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia*, etc.

219. Vat. A, *tu turpia dum*. Vat. B, Mar., Loteri editio, *tu cur piaculum*, male.

221. Alii scribunt *cycnus*, alii *cygnus*. Martinus Roa, lib. III Singularium, part. 1, cap. 16, agens de cynedica saltatione in theatro vulgo *zarabanda*, hos versus in medium profert ut rem illustret. Saltabatur fabula Jovis, qui in cygnum conversus Ledam compressit. In theatris nostri sæculi non absimilia scelera, vel hæc ipsa saltatione repræsentantur. De saltatione cygni stupratoris intelligendus est etiam Juvenalis sat. 6 vers. 63, *Ledam molli saltante Bathyllo*. Spurcitiam veterum pantomimorum exagitant Clemens Alexandrinus lib. II Pædag., cap. 10, et Cyprianus epist. 103: *Superinducitur homo fractus omnibus membris, et vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire, ut desaltentur fabulosæ antiquitatis libidines*. Plura affert eruditus Bulengerus lib. I de Theatro, cap. 42 et 43, et Meursius in Orchestra, sive de Saltationibus veterum.

222. Vat. B, Rat., Prag., Mar. a prima manu, Widm., Bong. supra, *comantem* pro *tonantem*, quod unice verum est. Ald., Urb., Gis., Heins., et alii *Lydius*; quæ scribendi ratio placuit Murmellio, quia istiusmodi saltandi ars ex Hetruria Romam delata est, et Hetrusci e Lydis originem ducunt. Alii scribunt *ludius*, alii *lidius*. Glossa Isonis quæ verbo *tauricornem* apposita est, potius convenit voci *Lydius*. Lydium pro histrione saltante Ovidius aliique posuerunt. Ornatum quo Plancus Glaucum saltavit, describit Velleius lib. II, *Cum cæruleatus et nudus, caputque redimitus arundine, et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset*.

223. Cuperus, ad Lactantium cap. [illegible]6 de Mortibus persecut., censet hoc loco *pontificem summum* vocari

Ridesque et ipse, nec negando diluis,
Cum fama tanti polluatur numinis.
Cur tu, sacrate, per cachinnos solveris,
Cum se maritum fingit Alcmenæ deus?
Meretrix Adonin vulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palam,
Nec te lupanar Cypridis sanctæ movet?
Quid, quod sub ipsis veritas signis patet,
1087 Formata in aere criminum vestigiis?
Quid vult sigillum semper affixum Jovi
Avis ministræ? nempe velox armiger
Leno, exoletum qui tyranno pertulit.
A Facem recincta veste prætendit Ceres.
Cur, si deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens mater errat pervigil?
Fusos rotantem cernimus Tirynthium
Cur, si Neæræ non fuit ludibrio?
1088 Quid rusticorum monstra detester deum?
Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes, incolasque aquatiles
Sitas sub alto, more ranarum, lacu.
Divinitatis jus in algis vilibus?
Ad hæc colenda me vocas, censor bone?
Potesne quidquam tale, si sanum sapis,

GLOSSÆ VETERES.

224. Diluis, *purgas talia convicia : deluo, purgo: diluo, permisceo: inde diluvium, eo quod omnia permisceat*, I.

227. Alcmenæ, *Ledæ : dicitur Alcmene uxor Amphitryonis, quam vitiavit Jovis, vertens se in faciem illius dum ipse expugnabat quamdam civitatem.* — Deus, *Jovis*, I.

228. Meretrix, *Venus.* — Adonin, *Ado amasius Veneris, quem aper interfecit: unde nimium flevit Venus. Hoc ideo fingitur, quia Ado est sol, aper hiems, et aper interfecit Adonem, id est, veniente hieme, sol a calore deficit, et moritur; et flet Venus, id est terra, quia tunc terra nihil parit, obnubilata hieme. Priapum eunuchum.* — Scenica, *theatralis*, I.

230. Cypridis, *Veneris a Cypro insula, ubi colitur*, I.

231. Quid, *scilicet est*, I.

233. Sigillum, *idolum, vexillum*, I.

235. Leno, *machinator stupri : qui conciliat stu-* B *prum.* — Exoletum, *juvenem Ganymedem : exoletum, quod jam adolescere, id est crescere, desiit. Adultum, obsoletus, et exoletus sordidus; sed exoletus excretum aliquando significat, sicut excretum pullum dicimus, id est adultum.* — Qui, *qualiter*, I.

236. Ceres, *quærens Proserpinam vi raptam*, I.

237. Virginem, *Proserpinam*, I.

239. Tirynthium, *Herculem, quem Umfala (Omphale) faciebat, ut fusos rotaret. Umfala concubina ejus erat : umphala umbilicus, in umbilico enim est luxuria. Per Herculem fortes et sapientes, quia luxuria etiam sapientes decipit et deludit*, I.

240. Cur, *fecit hoc?* Mar

241. Deum, *deorum*, I.

242. Priapos, *deos hortorum*, I.

245. Jus, *scilicet est.* — Algis, *herbis marinis*, I.

246. Censor, *judicator: ironicos dixit; judex*, I.

COMMENTARIUS.

pontificem provinciæ. Cellarius ait intelligi Galerium sive præsentem, ut sentit Eusebius, sive absentem per apostrophem. Hoc postremum satis est probabile, quamvis Romanus alias Asclepiadem alloquatur.

224. Thuan., *ridensque.* Ald., Heins., Cham., Gall., Alex. a secunda manu, Urb., Gis., *deluis*; plerique *diluis*, etiam Teolius. De hoc plausu vide notata ex Arnobio ad vers. 1108 lib. II contra Symm.

226. Vat. B, mendose, *sacratæ.* Alcmenæ fabulam scripserunt apud Latinos Actius, Cæcilius, Plautus; apud Græcos Æschylus et Archippus, ut notat Fabricius.

228. Rat. scribit *meritrix.* Vat. A, Weitz., Heins., et Alex., *Adonem*; alii, *Adonin*; pro quo Vat. B, Mar., Prag., Rat. sine ulla litura, Parrhasius, habent *spadonem.* Arnobius lib. VII, *Oblitterabit offensam Venus, si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus pantomimum.* Adonin scripsisse dicuntur Aratus tragicus et Plato comicus. De Adoni dente apri vulnerato Ovidius lib. X Metamorph., Lactantius lib. I de Falsa Religione, cap. 7. Exstat etiam idyllium Theocriti de eodem argumento, quod simul cum aliis ejusdem auctoris idylliis amicus noster Joannes Franciscus Sandoval e Græco in sermonem Hispanum plane venusto et eleganti carmine convertit, typisque paratum habet.

231. Ald., et, ut videtur, Alex., *quidquid.* Alii apud Gallandium, *quia quod*; plerique, *quid quod.*

234. Plinius, lib. X, cap. 3, *Negant unquam solam hanc alitem* (aquilam) *fulmine exanimatam : ideo armigeram Jovis consuetudo indicavit.* Alia significatione *armiger* accipitur pro stipatore, et corporis regis custode, ut dixi ad vers. 495 Apoth.

235. Mar. a secunda manu, *quod tyranno.* Jupiter inter alia cognomina *regis* nomen habuit, et merito a Prudentio *tyrannus* dicitur.

236. Egm., mendose, *prætcudit.* Peveratus cum Nebrissensi malebat *præcincta* quam *recincta*, quia *recincta* est soluta, ut apud Virgilium lib. IV Æneid., C *In veste recincta*, et Ceres quærebat filiam Proserpinam a Plutone raptam. Verum metrum non patitur *præcincta*; et Fabricius recte explicat *recincta*, id est fluxa, ut tunc vestem forte gerebat; sic enim indicatur summopere turbatam deam fuisse. Cæterum hujusmodi pleraque vocabula duas contrarias habent significationes, ut *revincio.* Notatum jam id est ad vers. 37 lib. II in Symm. Ruæus ad vers. cit. Virgilii vestem *recinctam* interpretatur succinctam et collectam, quia *re* in plerisque verbis non negat, sed auget, in aliis vero utramque vim habet, ut in *recanto*, et *recino.*

237. Parrhasius male, *quod si deorum.*

239. Fabula Herculis cum servivit Iolæ.

240. Ald., Mar., Alex., Lotterus, *cur sine aere*: sed in nota Alex. est *Neæra.* Prag., *cur si enereide.* Vat. Q, *cur sineore.* Rat., *cur si neere.* Parrhasius, *cur sibi nere.* Murmellius legit, *cur sine ære*, sed ait legendum *quare*, vel *cur hic sine ære*, id est sine statua ex ære deformata. Vera lectio *cur si Neæræ.* D Neæra commune nomen est meretricularum formosarum, ut apud Tibullum, Horatium, Virgilium et plures alios. De Neæra meretrice, quæ plures amicos habuit, Athenæus lib. XIII Deipnosoph. Pausanias Autolyci uxorem, quæ *Metra* proprio nomine dicebatur, vocavit Neæram, quia aliis se prostituit. Neæram scripsit Licinius Imbrex. Vide comment. a I vers. 139 lib. I contra Symmach.

241. Vat. B, Bong., Fabr., Gis., *detestor*; plerique, *detester.*

242. Nonnulli Faunos etiam et Priapos vocari putant *fistularum præsides.* Melius alii intelligunt Pana, qui fistularum creditus est inventor.

245. Parrhasius, *in ulvis*, male. Ald. et plerique scripti, *jus.* Fabr., Lotterus, Gis., *vis*, quod verius es e conatur persuadere Giselinus contra Murmellium. Neque ego negaverim dici posse *vim divinitatis*, ut *vim majestatis* apud eumdem Prudentium, et alia similia. Sed præferenda est codicum auctoritas.

Sanctum putare? nonne pulmonem movet A
Derisus, istas intuens ineptias,
Quas vinolentæ somniis fingunt anus?
Aut, siquod usquam vanitatis mysticæ ,
Nobis colendum est, ipse primus incipe :
Promisce adora, quidquid in terris sacri est:
1089 Deos Latinos, et deos Ægyptios,
Quis Roma libat, quis Canopus supplicat.
Venerem precaris? comprecare et simiam.
Placet sacratus aspis Æsculapii?
Crocodilus, ibis, et canis cur displicent?
Appone porris religiosas arulas,
Venerare acerbum cepe, mordax allium.
Fuliginosi thure placantur lares,
1090 Et respuuntur consecrata oluscula?
Aut unde major esse majestas focis,
Quam nata in hortis sarculatis creditur?
Si numen ollis, numen et porris inest.

GLOSSÆ VETERES.

18. Pulmonem, *pulmo enim concipit ventum et emittit, cum ridet homo et loquitur*, I.
249. Derisus, *derisio*. — Ineptias, *vanitates*, I.
250. Vinolentæ, *vino plenæ. Lentum dicimus plenum : inde vinolentus dicitur vino plenus, temulentus* B *temeto plenus*, I.
251. Mysticæ, *secretæ, vel figuratæ*, I.
253. Promisce, *metri causa, vel promiscue*, I.
255. Canopus, *Ægyptus a stella sic dicta*, I.
256. Comprecare, *similiter*. — Simiam, *dea Ægyptia*, I.
257. Aspis, *serpens quem venerabatur Æscuiapius medicus*, I.
258. Crocodilus, *deus Ægyptiorum : animal et in aquis, et in arboribus ascendens*. — Ibis, *ciconia Ægyptia : genus avis*, I. *Meridiana pars ibices aves vocat, qua Nili fluentis inhabitant. Orientalis vero occidentalisque plaga parva quadrupedia ibices nominat quibus est moris in petris parere, quæ neque sciunt nisi in petris habitare*. Cod. Biblioth. Bernens.
260. Cepe, *cephal Græce caput; inde cephe accepit nomen, quia tantum caput utile est; cæterum corpus fulciens*, I.
262. Oluscula, *multiplex ista idololatria qua colebantur etiam olera, ex hac occasione cæpit in Ægypto, quod cum exiret Pharao cum curribus et equitibus suis persequendo filios Israel, et mersus fuisset in mari Rubro cum toto exercitu, cæteri Ægyptii qui domi remanserant occupati circa varia negotia, sibi postea formabant simulacra, tanquam liberati essent per illa : verbi gratia, qui porrum eo tempore plantavit, porrum deinceps quasi liberatorem suum coluit, ut in cæteris fecerunt, colendo ea per quæ se liberatos putaverant*, Prag.

COMMENTARIUS.

248. Juvenalis sat. 10, *Perpetuo risu pulmonem agitare solebat Democritus*.
250. Ald. mendose, *vino lentæ*. Mar., et Rat. scribunt *vinulentæ*.
251. Aldus, *aut siquid*; multi, *aut siquod*. Ita veteres interdum locutos pro *siquid* ostendit Gifanius verbo Quod : scribit *at*. Heinsius, *at siquid* cum Giselino. Nostri plerique, *aut siquod*.
252. Ald., et Urb., *primum* : lege *primus*, ut metri ratio constet.
253. Alex., Vat. Q, Alt., Thuan., *promisce adora*, quod bene esse ait Heinsius : puto, *promisce, adora*. Weitzius adverbii more edidit *promisce adora* cum Egm., Widm. supra, Fabr., Hailsbr., Palat., Bong., Widm. At Sich., Gis. in textu, Vat. B, Mar., Prag., Rat., *promiscue adora*. Ald., Gis. ad oram, *pronusque adora*, quod Heinsius in contextu edidit, et recentiores tenuerunt. In Urb., *permisce, adora*. . .
254. In deos Ægyptios comici et satirici Romani luserunt. Narrat Tertullianus Apolog. cap. 7, Serapim, Isidem, Harpocratem cum suo Cynocephalo esse Capitolio prohibitos, id est curia deorum pulsos, et ipsorum aras apud Romanos fuisse eversas, postea vero restitutum eorum cultum. De diis Ægyptiis vide lib. II adversum Symmach., vers. 864 et seqq., et D Apoth. vers. 194.
256. Vide interpretes Minucii de diis Ægyptiis, ubi hæc aliaque Prudentii loca expenduntur.
257. Mar. scribit *Æscolapii*.
258. Weitz. cum Widm., Bong., scribit *Ybis*. Ald., Gis., *canes*; plerique, et castigatiores scripti Heinsiani et nostri, *canis*, probe, quia de Anubi est sermo. Juvenalis sat. 15, vers. 8, ubi hæc numina irridet, *Oppida tota canem venerantur*. Glossam de ibice desumpsi ex codice bibliothecæ Bernensis, quem Sinnerus describit in catalogo pag. 170 et seqq., et ad sæculum IX refert. Ordo librorum Prudentii idem fere ac in Weitzio : hymni Natalis et Epiphaniæ ponuntur post librum Peristephanωn. Titulus est, *Incipit proœmium Aurelii Prudentii Clementis viri liberali peritia disertissimi*. Prima littera versus primi *Per quinquennium* exhibet effigiem Prudentii, cujus capiti nimbus cærulei coloris impositus est. Hunc catalogum cl. Fea J. C. mecum voluit communicatum, in quo certe gavisus sum hæc legere. In eodem catalogo referuntur nonnulli hymni Prudentii pag. 160.
259. Pal., *portis*, mendose. Juvenalis *Porrum*, C *et cepe nefas violare, et frangere morsu*.
260. Mar. a prima manu. *acervum*; recte supra, *acerbum*. Giselinus hoc loco mendosus est, *cepe, et mordax halium*. Pro *allium* nonnulli scribunt *alium* unico *l*.
261. Juvenalis sat. 9, vers. 137, *O parvi, nostrique lares, quos thure minuto, Aut farre, et tenui soleo exornare corona*. Et sat. 12, vers. 89, *Laribusque paternis Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores*.
Lares a Prudentio *fuliginosos* dici aiunt, quia illis sacrificabatur ex rebus fumum exhalantibus. Veriorem illam rationem puto quod Lares essent prope focum. Vide comment. ad vers. 511 Passionis S. Laurentii.
262. Ald., Mar., Rat., Cham. scribunt *holuscula*.
263. Egm., *at unde*. Giselinus edidit *aut unde*, sed in notis prætulit *at*. Plerique, et potiores, *aut*.
264. Fabr., *quam plantæ*. Vera lectio *nata*, et ex illo Juvenalis sat. 15, *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina*.
265. Aldus edidit *Si numen ignibus ollis numen et porris inest*. Correxit non melius *Si numen ignibus, ollis, et porris inest*. Murmellius ex exemplaribus in Germania impressis recte prætulit *Si numen ollis, numen et porris inest*. Non placet multis explicatio glossæ Rat. *ollis* pro *illis*. Hic possunt intelligi *ollæ*, quibus numen tribuitur, quia, ut ait Cellarius, ollæ in focis sunt, et foci erant sacri, vel potius, ut ego arbitror, quia in ipsis ollis erant quædam expressæ imagunculæ quibus Lares colebantur, ut de aliis rebus quæ erant prope focum dixi in comment. ad cit. hymn. S. Laurentii. Et Prudentii quidem ratio hæc mihi esse videtur : Si ollæ quibus porri coquuntur divinitate gaudent, cur eam porris ipsis negabitis? Ex responsione quæ sequitur conjicitur formam aliquam in ollis æreis sculptam pro deo habitam. Cæterum explicatio glossæ fortasse verior est. Cicero, de diis loquens lib. II de Legibus : *Et ollos, quos in cælum merita vocaverint, Herculem*, etc. Et mox, *Olla numina*, pro *illos, illa*.

Sed pulchra res est forma in ære sculptilis.
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus stultis deos?
Forceps Myronis, malleus Polycleti
1091 Natura vestrum est, atque origo cœlitum.
Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, et corymbos Liberi,
Et dum Minervæ pectus hydris asperat:
Injecit atram territis formidinem,
Ut fulmen æris, ceu Tonantis, horreant
Tremant venenum sibilantis Gorgonæ;
Putent ephebum post triumphos Indicos
Ferire thyrso posse, cum sit ebrius.
B
A
Tum quod Dianam molle succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis:
1092 Si forte vultum tristioris Herculis,
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clavam minari, ni colatur, creditur.
Jam quis paventum corda terror occupat?
Junonis iram si polite expresserit,
Velut retortis intuens obtutibus,
Avertat ora de litantis hostia,
Lapis severa fronte mentitur minas.
Miror quod ipsum non sacrastis Mentorem,
Nec templum et aras ipse Phidias habet,
Fabri deorum, vel parentes numinum:
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Juppiter conflatilis.

GLOSSÆ VETERES.

267. Quid imprecabor, *in quantum maledicam.* — Officinis, *vel templis*, I.
270. Vestrum, *vestrorum.* — Cœlitum, *deorum*, I.
271. Efficax, *potens*, I.
272. Circumplicat, *deflectit*, I.
274. Corymbos, *racemos, annulos, circulos*, I.
275. Hydris, *serpentibus.*— Asperat, *asperum facit*, I.
279. Ephebum, *juvenem, id est Bacchum: Liberum patrem*, I.
280. Thyrso, *trunco vitis*, I.
281. Molle, *adverbium pro molliter, delicate*, I.
285. Clava, *lancea hasta Herculis, baculus Herculis*, I.
287. Polite, *ornate*, I.
289. Litantis, *sacrificantis*, I
290. Mentitur, *fingit*, I.
291. Mentorem, *dei mendacem*, I.
292. Phidias, *fidis chorda, unde fidius, qui fidibus canit* I.

COMMENTARIUS.

266. Mar., *inæris*; supra, *inære*: Prag., *in ere.* Lege *in ære.*
267. Vat. A, *gratiæ*. Vat. B, *Gretiæ*. Corrige *Græciæ.*
268. Weitz., *stultos*; melius *stultis.*
269. Giselinus Murmellium arguit quod ordinem verborum immutaverit *Polycleti malleus* pro *malleus Polycleti*. At ante Murmellium immutaverat jam Aldus, qui scribit *Pollicleti*. Penultima in *Polycleti* longa est, sed a Prudentio ratione accentus Græci corripitur, ut in *Paraclitus*. Rat. et Heinsius cum suis scribunt *Polycliti*. Myron et Polycletus celeberrimi statuarii, æquales et condiscipuli. C
270. Ald., mendose, *verorum est*. Scripti, *vestrum est*. Gifanius in *Ecthlipsis*, *et* DEM *non extrita*, pag. 457, alias 464, vellet tolli verbum substantivum *est* ex vet. lib. Sed obnituntur codices Heinsiani et nostri.
272. Arnobius lib. VI, *Riciniatus Juppiter*, *atque barbatus*, etc. In *rigentem* exprimitur rigor barbæ, qua parte adhæret mento, in *circumplicat* extrema pars barbæ circumplicatæ, mox in *defluentem leniter* majestas et artificium, ut Horatius in Arte poet., *Et molles imitabitur ære capillos.*
273. Palat., *defluentes*, scilicet capillos.
274. Bacchi, ut Apollinis, comæ laudari solent a poetis.
275. Refert ad ægida Minervæ, in qua erat caput Medusæ, sive Gorgonæ, connexique angues, de quibus Virgilius lib. VIII, et Servius in Comm. Cicero 6 in Verrem: *Gorgonis os pulcherrimum crinitum anguibus.* Jupiter ægida, scutum suum, dono dederat Palladi. De his plura poetæ et mythologi. Utitur verbo *asperat*, ut serpentum naturam et artificis curam exprimat. D
277. Alicubi editum est *aeris*: at non aer, sed æs materia fulminis efficti indicatur.
278. Gis. ad marg., *Gorgonis*. Hæc ipsa est Medusa quæ Gorgon et Gorgona dicitur.
279. Alii *ephebum*, alii *ephæbum*, alii *ephibum* scribunt. Baccho a poetis inconsumpta juventus ascribitur.
280. Thyrsum multi aiunt fuisse telum cujus mucro hedera tegebatur. Iso aliter. Thyrso percussos in furorem rapi putabant gentiles.
281. Alii *tum*, alii *tunc* habent. Egm. scribit *succintam*. De Diana alte succincta adisis comment. ad vers. 366 lib. I contra Symmach.
282. Egm., *virgines*: melius *virginis*.
283. Rat. a prima manu, *tristiores*, male.
284. Hercules in nummis apparet cum cæsarie crispa fusus.
285. Ald., Vat. Q, Egm., Hailsbr., Heins., Fabr., Cham., *clavam*. Alii et Nebris. pro div. script., *clava*. Latinius in Torn. pro *clavam* substituit *clava*.
287. Thuan., *iras*. Junonis ira in proverbium abiit apud Græcos et Romanos. Virgilius lib. V, vers. 781, *Junonis gravis ira, et inexsaturabile pectus.*
288. Weitzio cum Hailsbr. placuit scribere *velud.* Vat. B, *vel ut*. Idem. Mar. a prima manu, Prag., *detortis*. Repugnat metrum. Oculus *retortus* est obliquus, ut *irretortus* apud Horatium rectus.
289. Vat. B, Mar., *avertit*. Weitzius conjunxit verba *delitantis*, et ex Egm. indicat *dilitantis*. Corrige *de litantis*, ut correxit etiam Aldus, qui ediderat *delitantis*.
290. In Cellarii editione 2, *minus* pro *minas* mendum puto, ut plura alia in ea editione quæ ultro prætereo.
291. Ald., Widm., Bong., et nonnulli alii, *sacratis*. Weitz., Heins. cum cæteris, *sacrastis*. Mentor cælando argento clarus.
292. Vatic. B, Mar., Rat., Prag., Hailsbr., Widm., *Fidius*. Lege *Phidias*. Alex., Urb., Vat. Q, scribunt *Fidias*, quod Weitzius edidit. Phidias fuit pictor, statuarius, sculptor nobilissimus. Iso longe aberrat.
293. De hoc versu dicam ad vers. seq.
294. Post hunc versum in Vat. B, Urb., Mar., Ald., inseritur hic *Cum condiderunt gentibus stultis deos*, quem in Torn. et ed. Paris. Patrum exstare ait Gallandius, repetitum ex vers. 268, sed, ut ipse putat, mendose. Fortasse a manu Prudentii non est iste versus sic repetitus: alioqui sine ullo incommodo posset retineri. Fabricius ait hunc versum poni in nonnullis exemplaribus, in quibus deest versus 293 *Fabri deorum*: qui merito præfertur.
295. Vide Minucium et commentatores ad illius verba, *Deus enim ..... conflatur, tunditur malleis, et incudibus figuratur.*

1093 Non erubescis, stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia :
Quæ diis ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
1094 Fracta, et liquata contulerunt vascula?

A Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus :
Quos lana terret discolore in stipite,
Quos sæpe falsus circulator decipit :
Quibus omne sanctum est, quod pavendum raucidæ
1095 Edentularum cantilenæ susurrant

GLOSSÆ VETERES.

296. Pago, *vico, vel paganismo. Pagi, ut Isidorus dicit, sunt apta ædificiis loca inter agros habitantibus : unde pago dedite, sine urbium disciplina. Villa. Page Græce villa; inde villanos paganos, quasi a civitate Dei remotos, dicimus*, I. *Pagus hic ponitur pro stultitia*, Vat. A.

297. Obsonia, *negotia, viles res, id est carnes, et similia ad esum pertinentia, ad operandum proposita; servitia, prandia; obsonor, prandeo; inde obsonium, prandium*, I.

299. Pelvis, *vas pedum*. — Cantharus, *ansatus calix, vas vinarium*, I.

303. Circulator, *deceptor, quia alios quodam circulo erroris involvit et decipit*, I.

304. Raucidæ, *rauce canentes : raucidum iratum ex vitio nuncupatum, quod raucos efficiat*, I.

305. Edentularum, *anuum, quasi sine dentibus*, I

COMMENTARIUS

296. Locus Isidori ab Isone indicatus exstat lib. xv Etym., cap. 2. De hac voce *pagus*, et cur idololatræ pago dediti et impliciti a Prudentio dicantur, vide comment. ad vers. 449 lib. I contra Symmachum. Weitzius advertit in pagis et villis cultum superstitionis fuisse frequentem, ut liquet ex Cicerone lib. II de Legib.; ex quo paganalia festa et feriæ paganicæ ortum duxerunt. Censorinus lib. I de Natali Die tradit gentiles in suis agris habuisse partem aliquam diis sacratam ubi eos colerent. Invalescente Christiana religione, cum publice in urbibus idola venerari non liceret, ad pagos secedebant, ut libere cultum suis numinibus exhiberent. S. Augustinus, serm. 62, olim 6, de verbis Domini : *Multi pagani habent istas abominationes in fundis suis. Nunquid accedimus et confringimus? Prius enim agimus ut idola in ipsorum cordibus confringamus*. Mazochius, tom. III Spic. bibl., pag. 295, in hujus vocabuli *Paganus* etymologia investiganda elaborat. Videri etiam potest Baronius in notis ad Martyr. Rom. die 31 Januarii. Nonnulli Prudentium reprehendunt quod hoc loco et vers. 1009 *paganum* præfectum a Romano vocatum dixerit, cum ea vox ad idololatram significandum solum post Constantini tempora adhibita fuerit. Verum, ut alia nunc omittam, ex his ipsis versibus colligi potest etiam ante Constantinum vocabulum *paganus* adhibitum fuisse ad hominem denotandum superstitioni ac ridiculis ritibus, et diis, quales in pagis colebantur, deditum.

297. Nebrissensis obsonia intelligit liba quæ offerebantur diis Manibus. Sed Prudentius loquitur de omnibus oblationibus et epulis quæ in honorem quorumcunque deorum fieri solebant. Et liba quidem in aliis sacris etiam offerebantur, aliquando cruda, aliquando cocta. Obsonium vero proprie est quidquid præter panem et vinum paratur et coquitur cibi gratia.

298. Alii *dis*, alii *diis* scribunt.

299. Mar. scribit *cantarus*. In hoc eodem argumento plurimi versantur. Minucius : *Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio ..... et deus æreus vel argenteus de immundo vasculo*, etc. Tertullianus, Apologet. cap. 12 : *Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo quam materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communium vel ex iisdem vasculis et instrumentis*, etc. Arnobius lib. VI : *Simulacra ista, quæ vos terrent,.....ossa, lapides, æra sunt, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso : ex ornatibus fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obscenioribus vasculis congesta*. Adisis Joann. Ludovicum de la Cerda in not. ad loc. cit. Tertulliani.

302. In Egm., Pal., Hailsbr., Alt., Noms., Watt. A, I, Q, Alex., ita legitur hic versus, *Quos verum* B *latet, qui fidunt in stipite*. Ita etiam in Bong ad oram, et in Rat. ad marg. inter duos versus *quos lana*, et *quos sæpe*, sed aliena manu, neque omnino antiqua Teolius in tribus Vatt. esse hunc versum testatur, et a Prudentio potuisse esse censet; non tamen Addenda Heinsii hoc loco consuluit, cum affirmet nec verbum quidem de hoc versu habere Heinsium; qui in tribus suis codicibus exstare eum aperte dixit. Cæterum nemo qui senarii iambici regulas noverit, et consuetudinem Prudentii animadverterit, tam exlegem versum Prudentio affinget. Ald., Urb., Thuan., Oxon., tres Torr., Heins. et alii, *discolora* a nomine *discolorus, discolora, discolorum*, ut *multicolorus, versicolorus*. Vide comment. ad vers. 821. Hamartig. Weitz, Mar., Vat. B, Prag., Parrhasius, Torn., Rat., *discolor*, minus bene. Egm., Gis., *discolore*. Fabr., *discolori*. Latinius, *discolore*. Alt., *discolos*. Non placet. Gifanius, ubi agit *de desinentibus in* r, ex vet. lib. prætulit *discolor*, quia putat veteres interdum desinentia in *r* longa fecisse : sed non persuadet. C Nebrissensis existimat præstigias circulatoris alicujus ex colorum mutatione significari. Neque ab hac interpretatione longe dissideo; sed vellem eam veteri aliquo testimonio de hujusmodi præstigiis corroborari. Bulengerus, qui in lib. de Theatro artes veterum præstigiatorum et fallacias diligenter exposuit, nihil tale retulit. Giselinus affert versum Virgilii e Pharmaceutria : *Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo*. Aliam explicationem de arboribus vittatis vide ad vers. 1009 lib. II in Symmach., cui Arnobius lib. I maxime favet : *Venerabar elephantorum ossa, picturatas veternosis in arboribus tænias*. Simulacra ex ebore vocat ossa elephantorum. Dicitur vero lana terrere ob metum et horrorem illum qui religionum omnium quodammodo proprius est. Weitzius addit stemma, teste Sophoclis interprete in Œdipode tyranno, fuisse lanam ramo (sive stipiti) circumvolutam, quo stemmate simulacra coronari consuevisse colligitur ex Julio Obsequente. Affirmat D idem Weitzius olim circulatores lanam in picto scipione gestasse, ut pueris et fatuis imponerent : sed ejus rei testem non profert. Itaque congruentius hic locus accipitur de arbore vittata, de qua plura ad vers. cit. lib. II in Symm. Plinius, lib. XII, cap. 1, de arboribus : *Hæc fuerunt numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiamnum deo præcellentem arborem dicant : nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus*.

303. Weitz. cum Egm., *falsos*. Heinsius cum Thuan. et Alt., *salsus*, ut passim apud scriptores homo salsus pro ridiculo. Mihi hoc loco *falsus* probum videtur, quamvis Heinsio recentiores adhæreant.

304. Ald., Urb., Hailsb. a prima manu, Bong, supra, *ranulæ*; vetustiores, *rancidæ*; Alex. *rancide*. Heinsius minime probat *ranulæ*, quia apud Martialem *rancido ore loqui*, et apud Persium *rancidulum*

Vos eruditos miror et doctos viros
Perpensa vitæ quos gubernat regula,
Nescire vel divina, vel mortalia
Quo jure constent : quanta majestas regat,
Quidquid creatum est, quæ creavit omnia.
Deus perennis, res inæstimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur :
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraque et intus implet, ac superfluit,
1098 Intemporalis ante, quam primus dies :
Esse et fuisse semper unus obtinet :
Lux ipse vera, veri et auctor luminis
Cum lumen esset, lumen effudit suum :
Ex luce fulgor natus hic est Filius.
Vis una Patris, vis et una est Filii,
Unusque ab uno lumine splendor satus,
Pleno refulsit claritatis lumine.
A Natura simplex pollet unius Dei,
Et quidquid usquam est, una virtus condidit.
Cœlum solumque, vim marini gurgitis,
Globos, dierum noctiumque præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, hesperos, æstus, nives,
Fontes, pruinas, et metalla, et flumina :
Prærupta, plana, montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
Jumenta, pecudes, subjugales belluas,
1097 Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæque vernant esui.
Hæc non labore et arte molitus Deus,
Sed jussione, quam potestas protulit,
B Mandavit esse, facta sunt quæ non erant.
Verbo creavit omniformem machinam :
Virtus paterna semper in Verbo fuit :

GLOSSÆ VETERES.

307. Perpensa, *temperata : perpensa res, id est æquo pondere repensa ; æqua reddita*. I.
324. Pollet, *pollere proprie exercere ; sed hic pro excellit*, I.
327. Globos, *stellas : lunam et stellas dicit*, I.
329. Septentriones, *ursi*, I.
331. Prærupta, *aspera*, I.
333. Subjugales, *equos, boves, et quidquid sub jugo mittitur*, I.
334. Fruteta, *virgulta humilia*, I.
335. Vernant, *florescunt, virescunt*, I.
336. Molitus, *conatus*, I.
339. Verbo, *Filio*, I.
340. In Verbo, *in Filio*, I.

COMMENTARIUS.

valva de nare loqui dicitur. Nonnulli veteres habent *raucide*, et id tenet Iso. Gis. prima ed., *vanulæ*, ad oram *rancidæ*. Parrhasius, *quis omne*, scilicet *quis*.

306. Christianos ethnici imperitos et ignaros vocabant : et Christiani per derisum ethnicos peritos et doctos. Sic Arnobius lib. II : *Vos soli sapientia conditi, atque intelligentiæ vi mera, nescio quid aliud videtis, et profundum.... Dicite, o festivi, et meraco sapientiæ tincti et saturi potu*. Respondet Romanus congruenter ad ea quæ præfectus objecerat : *Populare quiddam sub colore gloriæ Illitterata credidit frequentia*. Verum de his plura Heraldus, Wowerus, Elmenhorstius, Rigaltius, et præcipue Ouzelius ad verba Minucii, *Studiorum rudes, litterarum profanos, expertes*, etc. Adde Elmenhorstium ad Arnobium pag. 38. Nobis enim longiores esse non licet, et digitum in fontes intendere satis fuerit.

308. Ald., *moral a* : lege *mortalia*.

309. Egm., *quod*. Vat. A, *qui*. Alii, *quo*. Ald., *edut.*, male, pro *regat*.

310. Ald., *creatum, quæ*, sine *est*. Vat. B, Alex. Mar., Rat., Prag. et alii, *creatum est, quæ*, quod expressit Heinsius. Weitz., Sich., Egm., Hailsbr., Pal., *creatum est, qui*.

311. Joannes Filesacus, cap. 1, lib. I Select., hunc locum illustrat aliis similibus Ambrosii, Clementis Alexandrini, Paulini et aliorum. Elmenhorstius pag. 17 ad Arnobium similiter in hoc argumento versatur. *Inæstimabilis* est pretium omne excedens apud Livium et Valerium Maximum. Cicero dixit *inæstimabile* quod nullius est pretii.

312. Sich., *vivendo*. Metrum exigit *videndo*.

315. Gis. ad oram, *extraque, et intra complet*. Hilarius, de Trinit. III, *Ipse extra omnia, in omnibusque*. Paschalius. de Spiritu sancto : *Quem præsto esse per omnia, id est intra, extraque, non ambigo*. Petavius, tom. I, lib. III, cap. 9, multis allatis testimoniis, eamdem sententiam confirmat.

316. *Intemporalis* vox est Cælii Aureliani, Apuleii, quanquam ab Aureliano pro inopportuno sumitur.

317. Significatur æternitas Dei, quæ in ejus nomine, *Ego sum qui sum*, indicata est. Circumscribi solet æternitas hac explicatione : *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio* : quæ est definitio Boetii lib. V de Cons. pros. 6, communi omnium consensu probata. Hinc Deus *esse et fuisse semper unus obtinet* : et idem est in eo esse, fuisse, ac futurum esse.

C

318. Filius Dei est, et dicitur lumen de lumine. Vide Apoth. vers. 278.

320. Gis, *huic* ; ad oram, *hic*. Hoc retinendum cum scriptis.

321. Noms., *una Filii* sine *est*.

323. Alex., Pal., Vat. B, *claritatis numine*. Alii, *lumine*.

327. *Globus lunæ* apud Virgilium, *globus solis* paulo post vers. 537. Respicit ad illud Genes. I, 16, *luminare majus, ut præesset diei ; et luminare minus, ut præesset nocti*.

333. Vat. B, Widm. a secunda manu, Mar., Rat., Prag., Gis. in textu secundæ ed., *pecudes*. Parrhasius, Ald., Sich., et alii plures, *pecua*, quo vocabulo usi sunt Cicero, Livius, Plinius et antiquiores. Vide Nonium in *pecua*. Fabr. edidit. *pecora*.

D

334. Alex., Parrhasius, *fructeta*. Giselinus ita etiam edidit, sed emendavit *frutecta* : quod miror ab Heinsio non esse animadversum, nam error typographicus Giselini in Heinsii editione receptus est. Atqui neque versus constat cum *fructeta*, et *frutetum*, aut *frutectum*, ut alii scribunt ; a *frutex* originem trahit, non a *fructus*. Chamillardus ab Heinsii errore non cavit.

335. Lectio Parrhasii, ab aliis multum dissidet, *Quæ sunt odoræ : quæque vernantes comæ*. Aldus contra metrum, *Quæ sunt odori, quæque vernantes esui*.

336. Parrhasius *molitur*. Theodoretus, Græcar. affect. lib. IV : *His itaque verbis manifeste ostendit Deum non ex subjecta materia res omnes procreasse.... At rerum omnium Deus opifex nec instrumentis, nec materia indiget*, etc.

338. Vide hymn. Cath. 9. Omni hora.

339. De hujusmodi vocabulis *omniformis* vide hymn. 3 Cath., vers. 1 et 2.

Cognostis ipsum, nunc colendi agnoscite
Ritum modumque: quale sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ vota poscat, quos sacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit
1098 Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem:
Pulchram, venustam, præminentem culmine,
Discriminatis illitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresque primas virgo custodit Fides,
Innexa crines vinculis regalibus,
Poscit litari victimas Christo, et Patri,
Quas scit placere, candidatas, simplices:
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
1099 Dei timorem, regulam scientiæ,
Jejuniorum parcitatem sobriam,
Spem non jacentem, semper et largam manum.
Ex his amœnus hostiis surgit vapor,
Vincens odorem balsami, thuris, croci.
Auras madentes Persicorum aromatum:
Sublatus inde cœlum adusque tollitur,
Et prosperatum dulce delectat Deum.
Hanc disciplinam quisquis infensus vetat,
Vetat probatum vivere, et sanctum sequi.
Vetat vigorem mentis alte intendere,
Nostrique acumen ignis ad terram vocat,
Nec excitari vim sinit prudentiæ.
O mersa limo cæcitas gentilium!
O carnulenta nationum pectora!
O spissus error! o tenebrosum genus,
Terris amicum, deditum cadaveri,
Subjecta semper intuens, nunquam supra!

GLOSSÆ VETERES.

341. Cognostis, *noscitis, pro cognovistis*, I.
343. Sanxerit, *statuerit*. — Donaria, *dona*, I.
346. Ipse, *Deus*, I.
348. Incapacem, *qui non capit solutionem*, I.
350. Discriminatis, *discretis, divisis, separatis, variis*. — Illitam, *pictam*. — Coloribus, *scilicet virtutum*, I.
354. Litari, *sacrificari*, I.
355. Placere, *scilicet illi*, I.
359. Parcitatem, *abstinentiam*, I.
360. Spem, *spes non debet jacere: sed se erigit*, I.
361. Amœnus, *delectabilis*. — Vapor, *fumus*, I.
362. Croci, *genus pigmenti*, I.
363. Persicorum, *Persia regio est ubi abundant aromata*, I.
365. Prosperatum, *benignum*, I. *Propitiatum*, Vat. A.
366. Infensus, *molestus*, I.
367. Probatum, *probabiliter, nomen pro adverbio*, I.
369. Ignis, *animæ, quæ est igneæ naturæ*, I.
374. Cadaveri, *corpori, quod resolvendum est in cadaver*, I.
375. Supra, *cœlestia*, Vat. A.

COMMENTARIUS

341. Hailsb., *cognoscis:* melius *cognostis*.

342. Prag. perperam, *tempus genus*.

343. Mar, *quæ dicari*, Vat. A, *dedicari auxerit*. Egm., *quæ dedicaris auxerit*. Depravata sunt hæc omnia.

345. Vat. B, Mar., Rat., *mandat;* melius *mandet*, ut *poscat, velit*

346. Giselinus in suo codice invenit *sedem* pro *ædem*. Murmellio magis placet *Ædem sibi ipse mentem hominis condidit*, ut consona non absorbeatur. Neque id displicet Giselino, qui hanc etiam lectionem e veteribus libris depromptam esse testatur. Ita certe edidit Lotterus. Cæterum hanc sententiam de templo mystico in corde hominis sæpius Prudentius noster adornavit, sed hoc in loco elegantissime. *Quam rem*, inquit Barthius lib. LV, cap. 5, *nemo unquam gratius et suavius quam..... suavissimus augur, et olor Christi Prudentius in Romano: Ædem sibi ipse*, etc. In Epist. I Petri, II, 5, *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Non solum sacrarum Litterarum sanctorumque Patrum testimoniis eadem sententia comprobatur, verum etiam ethnicorum dictis. Plinius, Panegyr. ad Trajan., *Animadverto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus quam innocentia et castitate lætari; gratioremque existimari qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui præmeditatum carmen intulerit*. De templo et ara in corde vide etiam Berthaldum de Ara cap. 29.

347. Parrhasius, Ald., *flebilem;* alii, *flabilem*. Nebrissensis recte *flabilem* exponit *spiritualem*. Sed cum rogat, *Quid si legas* STABILEM? ad carminis hujus leges non attendit. Natura animæ nostræ his versibus declaratur.

350. Per colores discriminatos virtutes intelligo, quæ naturales sunt animis: nam supernaturales postea refert. Lactantius, lib. de Ira Dei, sub finem, etiam utitur voce *destructilis:* ubi tamen alii legunt *destructibilibus*, non *destructilibus*.

351. Parrhasius, Alex. a secunda manu. Hailsbr., *sacrata in limine*. Vat. A, Alex. a prima manu, *sacrata limine*. Alii *sacrato in limine*, sed in Thuan. deest *in*.

352. Fabricius id explicat, quia *sola fides victimas gratas et legitimas adducit:* hæretice, quasi *sola* fides placeat Deo. Primas ergo fores custodit fides, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, et quia *accedentem ad Deum oportet credere, quia est*, etc. Eadem sententia exstat lib. II in Symmach., vers. 92, *Respondet vel sola fides, doctissima primum Pandere vestibulum vere ad penetralia sectæ*.

355. Victimæ candidatæ sunt immaculatæ, ut præscribit Moyses cap. II Levitici.

357. Fabricius et Giselinus, *oris quietem*. Scripti Heinsiani, Weitzani et nostri, *pacis quietem*. Fabricius in jejunia, flagellationes, vota religiosa importune invehitur. Nam si tantum velit sine fide has victimas Deo non placere, nobiscum facit; sed ille aperte vult tum unius fidei virtutem ultra quam par est extollere, tum aliorum bonorum operum utilitatem imminuere: quam hæresim sæpissime in commentariis inculcat.

361. Vat. B, vitiose, *hostigiis* pro *hostiis*, uti ibi correctum est. Prag., *amœnis hostiis*.

363. E Persia aromata afferri solent. Nebrissensis *madentes* interpretatur *sparsas*, scilicet per quas aromata sparguntur. Sed bene etiam est *madentes* pro *madidis:* nam auræ aromatibus madefiunt.

367. Alicubi, *probate:* quæ est glossa ad *probatum* adverbii more.

369. *Ignem* de animi vigore, uti etiam de Deo sæpe Prudentius dixit, et nos explicuimus.

372. *Nationes* pro gentibus et gentilibus. *Carnulentus* dixit Solinus.

375. Lotterus, mendose, *nunquam summa*. Fabricius ait *supra* esse enallagen pro *superna*, ut constet sermonis ordo. Posset conjici *supera*, et eo alludit glossa. Sed *supra* probum est.

Furorne summus, ultima et dementia est,
1100 Deos putare qui creantur nuptiis?
Rem spiritalem terrulenter quærere:
Elementa mundi consecrare altaribus:
Id, quod creatum est, conditorem credere?
Deasciato supplicare stipiti:
Verris cruore scripta saxa spargere:
Aras ofellis obsecrare bubulis,
Homines fuisse cum scias, quos consecras,
Urnas reorum morticinas lambere?
1101 Desiste, judex sæculi, tantum nefas
Viris jubere fortibusque et liberis;
Nil est amore veritatis celsius.
A Dei perennis numen asserentibus
Nihil est pavori, mors et ipsa subjacet.
Dudum coquebat, disserente martyre,
Asclepiades intus iram subdolam,
Stomachatus alto felle, dum longum silet,
Bilemque tectis concipit præcordiis,
Tandem latentis vim furoris evomit
Pro Juppiter, quid est quod ex hoc audio!
Stat inter aras, et deorum imagines,
Et, quod fateri cogor, in medio foro,
1102 Tacente memet, hic perorat perditus,
Quidquid sacrorum est, ore fœdans impio?
O fas priorum, moris o prisci status,

GLOSSÆ VETERES.

378. Terrulenter, *in terra*, I.
381. Deasciato, *cum ascia inciso : ascia planato, vel formato. Ascia genus instrumenti quo formantur res*, I.
383. Ofellis, *diminutivum ab offa, quod fructum significat*, I. *Particulis præcisis*, Mar.
385. Urnas, *sepulcra*, Mar.
387. Liberis, *a servitio diaboli*, I.
389. Asserentibus, *affirmantibus*, I.
390. Est, *scilicet illis*, I.
B 391. Coquebat, *parabat*.—Disserente, *hæc dicente*, I.
392. Subdolam, *fraudulentam*, I.
393. Stomachatus, *iratus : stomachor, irascor*, I.
394. Bilemque, *fel, invidiam, vel iram bilis; nigredo fellis, unde ira procedit*, I.
396. Pro! *exclamative : ah Deus!* I.
399. Perorat, *loquitur*, I.
401. Fas, *lex*, I.

COMMENTARIUS.

378. Vat. A a prima manu, Gis., Parrhasius, Vat. Q, Alex., plerique Heinsiani, Bong., Widm. a secunda manu, *terrulente*. Ald., Weitz., Mar., Rat., *terrulenter*. Antiquior Prudentio scriptor qui *terrulentus* et *terrulenter* dixerit, nullus occurrit.

379. Contra elementorum consecrationem disputavit etiam lib. I contra Simmach., vers. 297 et seqq.

381. Ald., Mar. a prima manu, Alex., Vat. Q, scribunt *deasceato*. Urb., mendose, *dissecato*. *Deascio* est ascia lævigo. Exstat hæc vox in Plauto et in vett. inscriptionibus. Ascia proprie est instrumentum ferreum quo fabri lignarii ad polienda ligna utuntur: Hispanis *hacha*, ut ego puto: nam runcina videtur esse *cepillo*, scobina genus limæ ad abradendum. Vide epistolam Mazochii de dedicatione sub ascia. Tertullianus, Apologetic. cap. 12: *In deos vestros per omnia membra incumbunt asciæ, et runcinæ, et scobinæ*. Minucius: *Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur*. Barthius hunc Prudentii versum confert lib. IV, cap. 12, cum versu Tibulli eleg. IV lib. II, *Seu stipes habet desectus in agris*. Ita enim legit pro *desertus* ex uno códicum Palatinorum. Nam utcunque rudis stipes, aliquo tamen modo cultus erat, ut qui numen aliquod inter cæteros crederetur habere solus. Qua de re dixi ad vers. 1005 lib. II in Symm., in simili Ovidii versu. Sed verior videtur lectio quam ibi indicavi, *desertus* a *desero*, a quo est *desevi* et *deserui*, *desitus* et *desertus*, hoc est plantatus. Alii scribunt *dissero, dissevi, disserui, dissertus, dissitus*, eadem significatione. Macrobius, lib. III Sat., cap. 18, hos Suevii versus excribit: *Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis Disseruere, novos fructus mortalibus dantes*.

382. Simulacra olim in basi inscribi solebant: hinc *saxa inscripta*. Sues immolabantur Cereri, Cybele, Bonæ Deæ, Marti, Termino. Eos sues non fuisse proprie verres, sed maiales, aut, ut Varro appellat, nefrendes, notat Fabricius. Differt autem a verre maialis, ut ab ariete vervex, ab equo cantherius, et ab hirco caper.

383. Ald., Widm., Bong., Vat. Q, scribunt *offellis*; sed ab *offa* fieri *ofellam* extrito uno *f*, probat quantitas primæ vocalis, quæ est brevis. In glossa pro *fructum* fortasse legendum *frustum*.

385. Nebrissensis legit *deorum*, non male. In his versibus sermo est ut ego opinor, de imperatoribus in deos relatis, quorum urnas Romani osculabantur. *Morticinus* proprie est *ab se mortuus*, non ab alio occisus. Vocantur ergo urnæ morticinæ sepulcra in quibus corpora defunctorum jacebant. Nonnulli interpungunt *Urnas reorum morticinas lambere*, hoc est sepulcra et carnes morticinas. Fabricius hanc superstitionem, ut vocat, Italis objicit, quod urnas in quibus corpora sanctorum jacent exosculentur. Verum C hæc religionis veræque pietatis, non superstitionis, signa, apud omnes catholicos vigent, et viguerunt semper, ut ex ipso Prudentio liquet. Quid ergo Prudentius ethnicis exprobrat? Quod homines et sceleratos quidem, pro deis colerent. Non enim ea venerationis obsequia illis exhibebant, tanquam hominibus sanctis, verique Dei amicis, sed tanquam propria divinitate præditis.

387. Weitz. cum nonnullis suis, *fortibus, et liberis*. Metrum postulat *fortibusque et*. *Jubeo tibi* Græcismus est posterioris ævi, quam aurei sæculi scriptoribus familiarior. Scioppius tanquam maxime Latinum id defendebat ex Cicerone, Livio et aliis.

388. Aliqui habent *nihil*. In Vat. B. ita hi versus disponuntur: 1. *Nihil pavori*; 2. *Nil est amore*; 3. *Dei perennis*.

389. Vat. A, B, Q, Weitz., Widm. supra, et alii vel a prima, vel a secunda manu, *numen*. Alex., Urb., Mar, a prima manu, Rat. a veteri manu, Ald., Parrhasius, *nomen*.

D 390. Vat. B., Mar., Rat., *nil pavori est*. Non constat versus. Fabr., Gis., Heins., *nihil est pavori*. Parrhasius, Ald., Hailsbr., Alex., et alii, *nihil pavori est*. Ald., repugnante carminis lege, trajecit verba *est, et mors* pro *est, mors et*.

398. Ald., mendose, *phoro* pro *foro*.

399. Ald., Mar., Prag., Weitz., Rat., Parrhasius, Tornæs. et alii, *hic perorat*. Gallandius secutus id est, ac putavit mendum esse in Chamillardo *ac perorat*. At Heinsius prætulit *ac perorat* cum Egm., Pal., Thuan., Noms., Vat. A, Alex. et aliis. Pro *perditus*, Prag. habet *perditos* cum hac glossa, *id est orando suadet perditos sibi credere*. Verum parum Latine id diceretur.

401. Ald., Hailsbr.. *O fas piorum*. Melius *priorum*. In nonnullis vulg., *motis*, perperam, pro *moris*. Nebrissensis, qui cum Aldo legit *o fas piorum*, exponit, *heu pietas, o fas!* Dici autem solet *fas* de his quæ per religionem licent.

Inventa regum pro salute publica
Pompiliorum nostra carpunt sæcula.
Quis hos sophistas error invexit novus,
Qui non colendos esse divos disputent?
Nunc dogma nobis Christianum nascitur
Post evolutos mille demum consules
Ab urbe Roma, ne retexam Nestoras.
Quidquid novellum surgit, olim non fuit.
Vis summa rerum nosse? Pyrrham consule.
1103 Ubi iste vester tunc erat summus Deus,
Divum favore cum puer Mavortius
Fundaret arcem septicollem Romulus?
Quod Roma pollet auspicato condita,
A Jovi Statori debet, et diis cæteris.
Hoc sanctum ab ævo est, hoc ab atavis traditum
Placanda nobis pro triumphis principis
Delubra, faustus ut secundet gloriam
Procinctus, utque subjugatis hostibus
1104 Ductor quietum frenet orbem legibus
Accingere ergo, quisquis es, nequissime,
Pro principali rite nobiscum deos
Orare vita : vel, quod hostem publicum
Pati necesse est, solve pœnam sanguine.
Sprevisse templa, respuisse est principem.
Tunc ille : Nunquam pro salute, et maximis,
Fortissimisque principis cohortibus

GLOSSÆ VETERES

403. Pompiliorum, *patronymicum. Pompilius primus invenit culturam deorum, ut populum a furore belli revocaret. Pompilius Numa, qui ferociam populi ad sacra convertit.* — Carpunt, *disrumpunt : carpere est minutatim rem distrahi; inde carpunt, id est disrumpunt et vituperant.* — Sæcula, *tempora*, I.

404. Sophistas, *id est callidos : sophos sapiens, sophista callidus et ingeniosus argumentator; falsos conclusores*, I.

407. Consules, *qui istos coluere deos*, I.

408. Retexam, *ne computem proferam.* — Nestoras, *antiquos reges. Nestor rex Græcorum antiquissimus qui coluit deos; et inde excrevit illa nefanda consuetudo*, I.

410. Pyrrham, *uxor fuit Deucalionis*, I.

412. Divum favore, *in honore deum.* — Mavortius, B *bellicosus, vel filius Martis*, I.

413. Septicollem, *quia septem monticulos Roma cingit*, I.

414. Auspicato, *adverbium pro auspicio*, I.

415. Statori, *Romulus etiam, cum quadam vice insequeretur ab hostibus, fugiente exercitu, vocavit Jovem; tunc stetit exercitus fugiens; unde Jovis Stator dicitur*, I.

416. Ab ævo, *ab initio*, I.

418. Delubra, *templa.* — Faustus, *felix, beatus.* — Secundet, *prosperet.* — Gloriam, *principis*, I.

419. Procinctus, *paratus, apparatus bellicus*, I.

420. Frenet, *regat*, I.

421. Accingere, *præparare*, I.

422. Rite, *recte*, I.

426. Tunc ille, *scilicet ait*, I.

COMMENTARIUS.

403. Intelligit superstitiosas nugas Numæ Pompilii.

404. Christiani ab ethnicis sophistæ dicebantur; etiam Salvator noster a Luciano crucifixus sophista, scilicet hoc vocabulo sumpto pro homine qui captiosis argumentationibus alios deciperet. Rationem addit Prudentius, quia deos colendos esse negabant. Hinc pariter athei, impii, profani, sacrilegi nuncupati.

407. Mille consules sunt mille anni.

408. Per Nestoras intelligit tempora heroica. Sæpe Prudentius plurali numero effert nomina singularis alicujus hominis, ut Pompilios, Deucaliones, Nestoras, et inter numina Junones, Cythereas, Priapos.

409. De novitate religionis, Christianis objecta, vide lib. II contra Symmach., Lactantium de Mort. persecut. cap. 2, Arnobium lib. I et II.

410. Ald., Vat. Q, *Vis summam rerum nosse? Pyrrham consule.* Non patitur lex carminis. In Mar. videtur fuisse *summa*, sed factum postea *summam*, et deinde *consulem*; sed inductum erat *m*. Rat., Vat. B, *consulem*, hoc videlicet sensu, *Vis summa rerum, nosse Pyrrham consulem.* In Alex. deest interrogationis nota post *nosse*. Vera tamen lectio est ea quam exhibui, et tenent plerique.

414. Vat. B mendose, *pollet auspicio.*

415. Rat. contra metrum, *debetur.* Nonnulli scribunt *dis* pro *diis*. Jovis Statoris imago exstat apud Montfauconium, Antiquit. Rom. explic. tom. I, pag. 39, cum epigraphe IOVI STATORI. Cicero contra Catilinam ad equites Romanos: *Jupiter Stator, quem vere hujus imperii Statorem majores nostri nominaverunt : cujus templum a Romulo, victis Sabinis, in Palatii radice cum Victoria est collocatum.* Dictum ita volunt, quod milites Romanos adversus Sabinos pugnantes stare fecerit. Seneca vero aliam rationem affert, quod ejus beneficio starent omnia. Vide lib. C IV de Benef., cap. 7. In vet. inscript. legitur : I. O. M. STATORI.

416. Ald., Parrhasius et nonnulli vulg., *ab avis.* Repone *ab atavis* ad metricam rationem. Apud Minucium : *Quanto venerabilius ac melius antistitem veritatis majorum excipere disciplinam? religiones traditas colere? Deos, quos a parentibus ante imbutus es, timere, quam nosse familiarius, adorare?* Similia Symmachus, ut in libris contra eum potes observare.

418. *Delubra* notat Fabricius esse e lignis dedolatis sacella, in quibus plures dii sub uno coluntur tecto. Alii aliam significationem tradunt, et delubrum esse dicunt fustem delibratum, sive dedolatum, quem venerabantur pro deo. De omni sacra æde delubrum passim et sine ullo discrimine dicitur.

419. Rat. vitiose, *utique* pro *utque*. Barthius hinc colligit lib. XLI Adv., cap. 12, *procinctum* Christiano etiam ævo exercitum significare. Proprie procinctus est apparatus militaris ad pugnam ineundam, sive D exercitus ipse expeditus ac paratus ad bellum.

420. Virgilius I Æn. 527, *Gentes frenare superbas.*

421. Virgilius lib. II: *Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios.* Fabricius advertit superbum esse, et de ignotis vulgo dici, *Quisquis es.* Confer comment. ad vers. 31 præfationis Carminum : *Dicendum mihi : Quisquis es.*

422. Prag., *ritu :* emenda *rite*. Imperatoris vitam vocat *principalem.*

425. Egm. male, *principum* pro *principem*. Codex Marietti sic legit, et distinguit *Sprevisse templa, respuisse principem :* quod melius videtur Marietto, ut sensus sit, Solve pœnam quod templa spreveris et respueris principem. Mihi minus id placet. In eodem Mar. vide ne fuisse pro div. script. *templum* pro *principem ;* sed resistit metrum.

Aliter precabor, quam fidele ut militent,
Christique lymphis ut renascantur Patri,
Capiant et ipsum cœlitus Paraclitum :
1105 Ut idolorum respuant caliginem,
Cernant ut illud lumen æternæ spei,
Non succulentis influens obtutibus,
Nec corporales per fenestras emicans,
Puris sed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis crassa crassum perspicit,
Et res caduca, quod resolvendum est, videt:
Liquidis videndis aptus est animæ liquor:
Natura fervens sola ferventissimæ
Divinitatis vim coruscantem capit.
Hoc, opto, lumen imperator noverit
Tuus, meusque, si velit fieri meus
Nam si resistit Christiano nomini,
Meus ille talis imperator non erit :
Scelus jubenti, crede, nunquam serviam.

A Statis, ministri, clamitans judex ait,
Statis, manusque continetis vindices ?
Non rupta sulcis dissecatis viscera ?
Animam nec intus abditam rimamini,
Erumpit unde vox profana in principem?
1106 Scindunt utrumque milites teterrimi
Mucrone hiulco pensilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta transversis secant,
Et jam retectis pectus albet ossibus.
Nitendo anhelant, diffluunt sudoribus,
Cum sit quietus heros in quem sæviunt.
Hæc inter addit sponte Romanus loqui,
Si quæris, o præfecte, verum noscere,
Hoc omne quidquid lancinamur non dolet :
B Dolet quod error pectori insedit tuo,
Populos quod istos perditus tecum trahis :
Currunt frequentes undique ad spectaculum
Gentile vulgus, heu ! gemenda corpora :

GLOSSÆ VETERES.

428. Fidele, *fideliter*, I.
433. Succulentis, *udis fletibus*, *nebulosis*. — Influens, *scilicet illud lumen*, I.
436. Crassum, *pro crasse*, I.
438. Liquidis, *puris*. — Liquor, *puritas*, I.
439. Natura fervens, *anima*. — Ferventissimæ, *avidissimæ*, I.
442. Si, *si tamen*, I.
445. Crede, *mihi*, I.
447. Vindices, *quæ debent vindicare nos a talibus*, I.
449. Abditam rimamini, *absconditam scrutamini*, I.
450. In principem, *contra*, I.
452. Hiulco, *fissili*, *evaginato*. — Pensilis, *pendentis*, I.
453. Tractim, *trahendo, ut major esset cruciatus, ideo tractim secabant*, I. *Continuatim*, Vat. A.
456. Nitendo, *insistendo, vel incumbendo*, I.

COMMENTARIUS.

428. Parrhasius legit *quam fidei ut militent*, ut longa sit secunda in *fidei*. Contra consuetudinem C Prudentii id est, et membranæ obnituntur. Vide comment. ad. vers. 62 Dittochæi. In allocutionibus imperatorum ad exercitum præcipue laudabatur fides militum : et in nummis vett. occurrunt hujusmodi verba, *Fides militum*. *fides exercitus*, *fides exercituum*. Vide Anselmum Bandurium de Numism. Similiter in vett. inscriptionibus, *Legiones fideles*. De hac fide sermo nunc est ; in vers. seq. de fide Christiana. Justinus ad Antoninum Pium, ut notat Chamillardus : *Nos solum Deum adoramus, et vobis in rebus aliis lætum præstamus obsequium, imperatores ac duces hominum esse fatentes, et simul rogantes ut cum imperii potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini*. Arnobius, lib. IV, sub finem : *Nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari ? cur immaniter conventicula dirui? In quibus summus oratur Deus, pax cunctis, et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus*, etc. Athenagoras in fine Apologiæ similia habet, ubi videri possunt notæ Maurinorum.

430. In Rat. sciolus aliquis propter vocem *Paraclitum*, et *idolorum*, ita mutavit hos versus, erasis D prioribus, *Ipsumque flamen cœlitus capiant sacrum, Cacodæmonumque respuant caliginem*. Satis intelligitur ineptum hunc correctorem artem metricam ita percepisse, ut ipse versus faceret, non ut Prudentii versus emendaret. In Mar., *Paraclytum*, minus bene, pro *Paraclitum*.

431. Aldus videtur data opera edidisse *uti dolorum*, ne secunda in *idolorum* corriperetur. At nulla opus est correctione, et scripti jubent legi *ut idolorum*.

432. Ald., mendose, *illum* pro *illud*. Gis., Weitz., *cernant et*; plerique alii *cernant ut*.

433. Oculos *succulentos* dicit ob humorem et succum immodicum quo hebetes fiunt. Simili significatione in præf. Hamart. *furores succulentos*, et Paulinus ad Cyther. *succulenti corporis*. Utitur etiam hac voce Apuleius.

438. In nonnullis vulg., *liquidus*, male, pro *liquidis*. De hoc vocabulo *liquidus* pro spirituali consule proleg. cap. 15.

443. Ald., Urb., Cauch., Oxon., Rot., unus Torrent.. et alii, *resistat*. Plerique, *resistit*. Hailsbr., *resistis*.

445. Cauchius malebat *nunquam inserviam*. Cur, invitis scriptis ?

450. Thuan., Heins., *erupit* pro *erumpit*.

451. , Vat. B, Mar. supra, duo Torrentiani, Gis. ad oram, *utrinque* pro *utrumque*. Pro *teterrimi* Prag., Mar. a prima manu, *deterrimi*. Viva imago horrendi tormenti his versibus exprimitur. Sagittarius cap. 5 censet hos versus capiendos esse de scorpionibus, quod genus erat flagelli a scorpionis cauda dicti, quia arcuato vulnere corpori infligebatur. Vide cap. 4 Gallonii, et tabulam IX. An autem in eculeo Romanus martyr ita cæsus fuerit, dicam ad vers. 491.

454. Mar., *transversi*, et pro div. script. *transversis*.

455. Fabricius hypallagen agnoscit pro *ossa albent retecto pectore*.

457. In *heros* corripitur *o*, quamvis sit o mega, quod neque a Chamillardo, neque a Cellario, neque a Teolio in suis indicibus est animadversum, ut ostendi ad vers. 52.

458. Nonnulli vulg., *audet sponte*.

460. Weitz. cum Egm., Hailsbr. scripsit *lacinamur*. Retinendum *lancinamur*. In Vat. A est *laniamur* ; in Vat. B *lanzinamur*.

461. Ald., Gis., *insidet*. Scripti potiores, *insedit*. Galland. cum Ald., Torn., et Paris. ed. Patrum, *insidet*.

462. Ald., Torn., Galland., Widm., Bong., contra metri rationem, *Populos quod istos tecum trahis perditos*. Ambr., Thuan., a manu secunda, Parrhasius, *perditus tecum trahis*. Thuan. a manu prima, *perditum*, quod verum putat Heinsius. Sic apud Terentium, *Cur te is perditum?* Teolius in uno Vat. eamdem scri-

1107 Crudumque nostræ sortis exemplum tremunt. A
Audite, cuncti, clamo longe, ac prædico :
Emitto vocem de catasta celsior :
Christus paternæ gloriæ splendor, Deus
Rerum creator, noster idem particeps,
Spondet salutem perpetem credentibus;
Animæ salutem, sola quæ non occidit,
Sed juge durans, dispares casus subit,
Aut luce fulget, aut tenebris mergitur,
Christum secuta, Patris intrat gloriam :
Disjuncta Christo mancipatur tartaro.
Curanda mercis qualitas, quænam mihi
Contingat olim perpetis substantiæ :
Nam membra parvipendo quo pacto cadant,
1108 Casura certe lege naturæ suæ.
Instat ruina : quod resolvendum est ruat.
Nec distat, ignis et fidiculæ sæviant,
An corpus ægrum languor asper torqueat,
Cum sæpe morbos major armet sævitas.
Non ungularum tanta vis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulsat pleurisis.
Nec sic inusta laminis ardet cutis,
1109 Ut febris atro felle venas excedit,
Vel summa pellis ignis obductus coquit,
Papulasque fervor æstuosus excitat :

GLOSSÆ VETERES.

465. Crudum, *crudele*, I.
470. Perpetem, *perpes, perpetis, permanens*, I.
472. Juge, *diu, pro jugiter*, I.
475. Disjuncta, *separata*.— Mancipatur. *capitur*, I.
477. Olim, *in futuro*, I.
478. Pacto, *lege*, I.
481. Fidiculæ, *funes ad flagellandum. Quamvis fidicula a fidibus dicatur, in hoc tamen loco significat ungulas, vel genus tormenti quo rei in eculeo suspensi* B *torquentur, ut fides et veritas inveniatur. Fidicula genus tormenti, vel ferri subtilissimi, quo incidebantur martyres*, I.
485. Pleurisis, *morbus, vel dolor laterum*, I.
486. Inusta, *valde usta*, I.
488. Summa pellis, *summitatem papularum*, I. — Ignis, *sacer ignis*, Mar. — Obductus, *latens*, I.
489. Papulas, *pustulas*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

pturam invenit; sed non bene ait majoris momenti codices apud Heinsium habere *perditum*. Fab., *Populos trahis tecum quod istos perditos*. Gis., *Populos quod istos perditus tecum trahis*. Hæc placet scriptura; nec displicet *Populos quod istos perditos tecum trahis*. Illud Terentii, *Cur te is perditum?* dissimile est, nam aliud est *trahere*, aliud *ire*.

465. Parrhasius, *crudum quæ:* corrige *crudumque*. Vat. B, Mar., Rat. a prima manu, Widm., Bong., C *exemplum trahunt :* rectius alii *tremunt*.

467. De catasta dictum ad vers. 56 hymni 1 Peristeph. Apud exteros scriptores catasta est pegma ligneum quo servi venales prostabant. Hic denotat locum eminentiorem ubi de reis supplicium sumebatur. S. Cyprianus epist. 38, alias 33; sive epist. 5, libr. II de Aurelio, qui in catasta Christum confessus fuerat, ait eum de catasta in pulpitum venisse, quod lector ab ipso fuerat ordinatus. De catasta videri possunt Gallonius et Sagittarius, qui aliorum errores corrigunt. In homilia 2 S. Chrysostomi, sive alterius Chrysostomo æqualis, de S. Romano mentio fit eculei : *Suspendentes in eculeo lacerabant; ille vero tanquam vitæ arborem eculeum amplexabatur*. Sed Græce solum est τὸ ξύλον, *lignum*, nec certum puto Romanum in eculeo suspensum, ut postmodum dicam.

468. Parrhasius ita legit hos versus, *Christus paterna e gloria splendor : Deus Rerum creator : nostri et idem particeps*. Christus splendor gloriæ Patris dicitur in Epist. ad Hebræos, I, 3.

469. Prag., Lotterus, *nostri idem :* fortasse *nostri et idem*, ut Parrhasius.

470. Hailsbr., *perpetim*.

474. Nonnulli vulg., *intret*.

476. Mar. pro div. script., *curandum*. Sed metrum et sensus exigunt *curanda*. Cauchius castigabat *Curanda merces qualis, et quænam mihi*; additque Heinsius propius ad vulgatam accedere *qualis, ac quænam mihi*.

478. Lucifer Calaritanus in libro, Moriendum esse pro Dei Filio : *Quantum ad exitum, nihil interest, clavo per te, an lancea moriar, restrictis post terga manibus, an porrectis sparsisque*, etc.

479. Weitz. cum suis, *certa*. Alii concinnius, *certe*.

480. Sich., Bong. a prima manu, *cadat* pro *ruat*.

481. Vat. B, Urb., Prag., Mar. supra, Weitz., Gis., *ignes*. Probatiores cum Ald., *ignis*. Pro *et* Fabr. *an*. Ald., Weitz., Gis., Parrhasius. Alex., Vat. Q, Urb., Lotterus, et alii, *fidiculæ*. Prag., *fidiclæ*, quod expressit Heinsius, quamvis varietatem lectionis non indicaverit. Multi putant fidiculas esse flagella; alii instrumenta quibus rei alligantur ut veritas ab eis extorqueatur; alii ungulas ferreas, ut dictum est ad vers. 44 Per. 1. Minus probabilis est sententia Magii, idem tormenti genus fuisse ac eculeum; aut Laurentii Vallæ, qui instrumentum ex duobus obliquatis lignis fuisse opinatur. Pro ungulis Isidorus, lib. V Orig., cap. 27, clare fidiculas accipit : *Ungulæ dictæ, quod effodiant. Hæ et fidiculæ, quia iis rei in eculeo torquentur, ut fides inveniatur*. Eodem sensu *fidiculas* usurpare videtur Prudentius vers. 559 hujus hymni. Nihilominus alii fidiculas pro nervis seu funiculis quibus rei alligabantur et distendebantur, sumunt, auctoritate præsertim Suetonii et Valerii Maximi. Nihil prohibet quominus eadem vox duplicem significationem, aut aliam alio tempore habuerit.

482. Nonnulli scribunt *langor*.

483. Weitz. cum Egm., *sævitas :* id conjecerat Cauchius, et tenuit Heinsius cum aliis. Giselinus etiam in emendatis monuit ad marginem ascribendum *sævitas* pro div. script. Plerique habent *sævitia*. Sed Murmellius notat in sexta regione hujus carminis vix alium pedem inveniri quam iambum; adeoque mavult *sævitas*, quod verbum reperitur apud Gellium. Alii tamen in Gellio legunt *scævitas*, uti etiam in Apuleio. Certius hoc vocabulo usus est Fir- D micus. Parrhasius legit *Cum sæpe morbus major, ac sævitia*. Sed deest sensus, et metrum obstat. Fabricius in Poetis Christianis edidit *sævitia*, sed in comment. peculiari ad hunc hymn. observat *sævitas* esse vocem antiquam pro *sævitia*.

484. Egm., *fodet*, non bene.

485. Weitz., Vatt. A, B, Q, Mar., Alex., *pleurisis*, quam veram scripturam esse affirmat Heinsius. Multi tamen, etiam veteres, habent *pleuresis*. Nonnulli vulg., male, *quanta* pro *quanto*; nec melius alii distinguunt *fodit Mucrone, quanto*. De pleurisi recte mucro dicitur : qui morbus Italice *puntura* appellatur.

486. De laminis quibus corpora martyrum inurebantur, vide Gallonium cap. 6.

488. Ald. mendose, *summam*.

489. Virgilius, in Georg., in fine : *Ardentes papulæ, atque immundus olentia sudor Membra sequebatur*.

Credas cremari stridulis cauteribus.
Miserum putatis, quod retortis pendeo
Extentus ulnis, quod revelluntur pedes,
Compago nervis quod sonat crepantibus:
Sic ejulantes ossa clamant dividi,
Nodosa torquet quos podagra et arthrisis.
1110 Horretis omnes hasce carnificum manus.
Num mitiores sunt manus medentium,
Laniena quando sævit Hippocratica?
Vivum secatur viscus, et recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo abraditur.
Putate, ferrum triste chirurgos meis
1111 Inferre costis, quod secat salubriter.
Non est amarum quo reformatur salus.
Videntur isti carpere artus tabidos:
Sed dant medelam rebus intus vividis.
Quis nescit autem quanta corruptela sit
Contaminatæ carnis, ac solubilis?
Sordet, tumescit, liquitur, fetet, dolet,

GLOSSÆ VETERES.

490. Cauteribus, *hic, et hæc cauterium facit sub secunda et tertia declinatione; et dictum cauterium a caute tenendum ne se homo coquatur*, I.

495. Nodosa, *quæ nodis inest.* — Arthrisis, *arthesis, vel artisis dentium dolor, vel communiter omnium articulorum; et sumpsit nomen a passione articulorum*, I.

498. Laniena, *ferrum medicabile, vel locus ubi animalia mactantur, vel ipse pecudum laniator et hominum carnifex a laniatura dictus. Laniola locus ubi medici faciunt medicinas, et laniant carnes infirmorum.* — Hippocratica. *Hippocrates medicus; inde Hippocratica dicitur medicina, a principe medicorum dicta. Hippocrus summus medicus; inde adjectivum Hippocraticus*, I.

499. Viscus, *caro*, I.

500. Scalpella, *id est ferrum, quibus abraditur putredo ab ossibus*, I.

501. Chirurgos, *medicus dicitur, qui homines incidere solet; chirurgus a manuum operatione dictus: χεὶρ enim Græce manus dicitur. Chirurgi medici manu medicinam operantes; chira enim Græce manus: empirici vero, tantum intellectu morbum cognoscentes, salutem corporum tantum voce indicant, manibus nihil operantes*, I.

504. Isti, *chirurgi*, I.

COMMENTARIUS

90. Widm. supra, *cremari ut stridulis*. Ald. ediderat *cauteribus*, correxit *cauteriis*. Sed *cauteribus* verum est: quo vocabulo alias etiam utitur Prudentius. Glossa ridicula est. Quanquam omnes hujuscemodi glossarum ineptias notare non fuit animus: quod si ante non monui, nunc moneo.

491. Neminem vidi qui non hos versus de supplicio eculei accipiat. Ac revera in Vincentio vers. 109 et seqq. eodem modo describi videtur eculeus. Verum in Romano id obstat, quod judex jusserat quidem Romanum eculeo torqueri, sed admonitus nobilem esse virum, *Jubet amoveri noxialem stipitem, Plebeia clarum pœna ne damnet virum.* Vide vers. 108 et seqq. Præterea certum est martyres extra eculeum suspensos, interdum fuisse ungulis excarnificatos: nam suspendebantur, ut carnifices commodius ungulis corpora exararent. Itaque probabile est Romanum suspensum fuisse brachiis post tergum revinctis, atque ejus pedibus gravia pondera alligata fuisse. Vide tabulam I, lit. B, et tabulam XIII, lit. A. Fulvius Cardulus in not. ad hist. SS. martyrum Abundii et soc. tradit a nonnullis definiri eculeum, *genus tormenti quo vinctis superne manibus, et appensis utrique pedi gravissimis ponderibus, homo pendens immaniter torquetur.* Sed ipse in aliam videtur abire sententiam, et Prudentius eculeum *noxialem stipitem* vocavit.

492. Prag., *extensus ulnis*.

493. Weitzius Aldo affingit *crepitantibus*; et ita quidem Aldus edidit, sed in emendatis mutavit in *crepantibus*. Fulvius Cardulus loc. cit. intelligit nerveas funes quibus membra devincta erant, crepare. At Prudentius clare loquitur de nervis corporis, qui crepabant, dum nimium membra extenderentur.

494. Vat. A scribit *hejulantes*.

495. *Arthrisis* vera scriptura ab Heinsio dicitur; quam tamen vix invenias in codicibus. Ald., Fabr., Gis., *arthresis*. Alex., Prag., *artesis*. Urb., Vat. B, Mar., Rat., *arthesis*. Vat. Q, *atresis*. Pal., *artresis*. Parrhasius, *artisis*, et id vocabulum Prudentii proprium esse ait pro morbo articulari quem chiragram Græci vocant. Nescio quis, vulgata hujus loci scriptura nixus, *artesin* Latinis lexicis inseruit. Eum refellit Giselinus, quia cum hic morbus articulorum Græcis dicatur ἀρθρῖτις, tempore Prudentii eum *arthresin* nuncuparunt. Sic ex pleuritide pleuresin, ex phrenitide phrenesin fecerunt. Inaniter vero Giselinus laborat ut persuadeat inscitia Græcæ linguæ hujusmodi vocibus ita formatis usum fuisse Prudentium, et mediam in eis corripuisse. Nam primum jam concedit tertiam Latinis esse sic satis notam; sed ita ut (addit) Juvenalis, Martialis et alii Græce docti ejus mediam produxerint, solus Prudentius corripuerit. Deinde cum Prudentius jam sua ætate videret eas voces in usu esse, et ita vulgo pronuntiari (quis enim hoc neget?) ut ab ipso efferuntur, cur, quamvis Græce esset doctissimus, contra ecclesiasticum usum et sui temporis consuetudinem agere deberet? Præterea constat ante ipsum mediam in *phrenesis* a Sereno fuisse correptam. Denique Ausonium Græce peritum fuisse nequit verti in dubium; et tamen hæc ipsa quæ in Prudentio reprehenduntur, vel alia prorsus similia, aut explicatu difficiliora, in Ausonio passim occurrere compertum est. Verum de his uberius diximus in prolegom. Podagra et arthrisis conjunguntur etiam a Lucilio apud Nonium pag. 166, *Quod deformis senex, arthriticus ac podagrosus.* Alii legunt *pædidus*, alii *perditus* pro *arthriticus*.

496. Parrhasius, *has*: lege *hasce*.

498. Mar. a prima manu, Vat. B, Prag., *lammina*, vel *lamina*; Lotterus *lamiena* pro *laniena*, sed corrupte. In Rat. recens corrector, abrasis prioribus, *At quando sævit lamina accensa Hippocratis.* Hoc ultimum verbum prius ita erat. In *Hippocratica* antepenultima producitur eadem licentia qua in *idolium* corripitur, ratione accentus Græci in *Hippocrates*. Laniena Hippocratica est pars medicinæ quæ chirurgice dicitur; aut tota medicina appellatur laniena ab ea parte.

499. Boher. prior, *exsecatur*. Quid sit *viscus*, vide ad hymn. S. Cassiani vers. 56. *Visceratio* dicta, cum carnes distribuebantur viritim. Livius, lib. VIII, cap. 22, *Populo visceratio data a M. Flavio in funere matris.*

500. Ald. vitiose, *scalpellam*.

501. In nonnullis vulg., *putatur*, male et contra metrum. Torn., *chirugos*, mendose.

506. Ex Epist. ad Galat., V, 17, *Caro concupiscit adversus spiritum*.

508. Gifanius, *de intervallis vocalium rarioribus* in Ind. Lucr., ex vet. cod. legit *sorde tumescit*, eleganter, ut putat; neque probat *sordet, tumescit*. Notat vero ex Prisciano lib. VII, in quibusdam Latinis quæ nominativum in *es* productum terminant, paresque cum genitivo habent syllabas, in tertia declinatione s. l. re

Inflatur ira, solvitur libidine :
Plerumque felle tincta livores trahit.
Aurum regestum nonne carni acquiritur ?
Illusa vestis, gemma, bombyx, purpura
In carnis usum mille quæruntur dolis :
Luxus vorandi carnis arvinam fovet :
Carnis voluptas omne per nefas ruit.
Medere, quæso, carnifex, tantis malis :
Concide, carpe fomitem peccaminum.
1112 Fac ut, resecto debilis carnis situ,
Dolore ab omni mens supersit libera,
Nec gestet ultra quod tyrannus amputet.
Nec terrearis, turba circumstantium :
Hoc perdo solum quod peribit omnibus,
Regi, clienti, pauperique, et diviti.
Sic vernularum, sic senatorum caro
A Tabescit, imo cum sepulcro condita est
Jactura vilis mordet, et damnum leve ;
Si quo carendum est perdere extimescimus :
Cur quod necesse est non voluntas occupat ?
Natura cur non vertit in rem gloriæ ?
Legale damnum deputemus præmiis.
Sed præmiorum forma quæ sit fortibus
1113 Videamus : illa nempe quæ nunquam perit.
Cœlo refusus subvolabit spiritus,
Dei parentis perfruetur lumine,
Regnante Christo stans in arce regia.
Quandoque cœlum, ceu liber, plicabitur,
Cadet rotati solis in terram globus,
Sphæram ruina menstrualem destruet :
B Deus superstes solus, et justi simul

GLOSSÆ VETERES.

510. Livores, *colores pallidos de nigra cholera dicit*, I.
511. Regestum, *absconditum, a terra abstractum*, I.
512. Illusa, *picta*. — Bombyx, *sericum : vermis de cujus sanguine purpura tingitur*, I.
514. Luxus, *dulcedo, superfluitas*. — Arvinam, *pinguedinem*, I.
515. Voluptas, *delectatio*, I.
517. Fomitem, *incendium*, I.
518. Situ, *situs hic ponitur pro vetustate*, Vat. A.
519. Supersit, *ut remaneat*, I.
521. Turba, *o mea*, I.
523. Clienti, *minori, vasso, vassallo, servienti*, I.
524. Vernularum, *servorum*, I.
526. Jactura, *perditio*, *damnum*, *proprie est damnum quod navigantes in mari patiuntur ; sed ponitur pro omni damno*. — Mordet, *punit*, *constringit*, I.
528. Occupat, *scilicet mori*, I.
529. Natura, *naturalis res est mors*. — Vertit *pro vertitur*, I.
530. Damnum, *mortem*. — Præmiis, *sempiternis*, I.
531. Fortibus, *martyribus*, I.
533. Subvolabit, *ascendet*, I.
536. Plicabitur, *involvetur*, *cum non cadet*, *sed præ nimio timore ita videbitur*, I.
538. Sphæram, *lunam*. — Menstrualem, *quæ singulis mensibus crescit*, I.

COMMENTARIUS.

produci ablativum, ut *a more*, *fame*, *tabe*, *sorde*. Weitzius id secutus est cum Egm. et Hailsbr. Scripti nostri et Heinsiani habent *sordet*, quod non debet displicere. Mar. a prima manu, *liquitur*, supra *liquatur*, contra metrum. Parrhasius, *fetit :* retine *fetet*. Nebrissensis *sordet* ad avaritiam referri posse opinatur, quia *sordes* pro avaritia legimus. Horatius, lib. II sat. 5, *Sepulcrum Permissum arbitrio sine sordibus exstrue*.

509. De libidine proprie dicitur *solvi* et *diffluere*. Vide comment. ad vers. 87 hymni 7 Cath.

510. Weitzius, Ald., *intincta* pro *tincta*. Parrhasius, *felle tacta*, minus bene. Mar., *labores;* supra, recte, *livores*.

512. Virgilius II Georg., *Illusasque auro vestes*.

514. *Carnes* pro *carnis* in Teolio error est metri.

517. Prag., *rape*, ad marg., probe, *carpe*.

518. Parrhasius corrumpit metrum *carnis usu* pro *carnis situ*.

520. Ald., Weitz., alii, *ne gestet*. Ald., *tyrannos*, mendose.

522. Egm., Pal., et codex Becmani, si diversus est a Palatino Weitzii, *hoc perdolosum*. Vat. A, *hoc per dolosum*. Lege *hoc perdo solum*. In Aldo et nonnullis vulg. error irrepsit *prædo* pro *perdo*.

527. Egm., Pal., *quod carendum est :* atque ita legendum esse asseverat Gifanius in *Utor quarto casui junctum*, etsi etiam in libris vett. hic locus est et in litura partim demersus. Pro *extimescimus* Vat. B, Rat., Mar. a prima manu, *exgemiscimus*. Prag., minus recte, *pertimescimus*.

529. In Rat., perperam, *naturam* a recenti manu. Fabricius ait Prudentium loqui admirantis animo, quia hoc a natura præstari non potest : munus enim Dei est, siquis mortem judicat esse gloriam. Cæterum natura sumitur pro ipso homine, seu natura humana, quæ gratiæ munere mortem pro Christo judicat C gloriosam. Potest etiam sumi *vertit* pro *vertitur*, scilicet cur natura, sive necessitas moriendi non vertitur in rem gloriæ ? Justinus martyr ad Romanos : *Nec vero occideremur, nec potentiores nobis essent iniqui homines, nisi omnino cuilibet homini genito etiam mori constitutum esset. Id igitur debitum* (mortis) *nos persolventes, gratias agimus*.

530. Cauch., Rott. *regale damnum*. Rectius *legale*, quia sermo est de lege moriendi.

532. Vat. A, *qui* : emenda *quæ*.

533. Cauch. et Ambr., *cœlo refulsus*. Parrhasius edidit *cœlo revulsus*. Neutrum probo.

534. Prag., *Dei perennis*.

535. Ald., *regente;* alii, *regnante*.

536. Weitzio libuit exarare *plecabitur*, quia ita invenit in Egm. Isaiæ XXXIV, 4, *Et tabescet omnis militia cœlorum et complicabuntur sicut liber cœli*. Justinus, sive quis alius, in respons. ad quæst. 94 : *Quemadmodum cœli creationem divinæ litteræ per similitudinem conferunt aliquando cum pellis extensione, dicentes*, D *Qui extendit cœlum sicut pellem ; aliquando cum firmato fumo, Cœlum, inquit, ceu fumus, firmatum est ; aliquando cum rotunditate cameræ, Qui extendit, inquit, cœlum velut cameram ; sic e diverso cœli dissolutionem per comparationem conferunt cum aliis rebus, ut cum volumine involvendo et implicando*. In Apocalyps. phrasi simili eadem sententia exponitur cap. VI, vers. 13 et 14, *Et stellæ de cœlo ceciderunt.... Et cœlum recessit, sicut liber involutus*. Vide Ludovicum Alcazar ad loc. cit. Apocalyps.

537. Parrhasius, *rotatus*.

538. Alii *spheram*, alii *speram*, alii *spæram*, alii *sphæram* scribunt. Hoc loco potest stare *sphæram*. Alibi cum prima corripitur, scribendum est *sphera*.

539. Egm., Hailsbr., *superstis*. In nonnullis vulg. mendose *soles* pro *solus*. Quod autem *Deus solus* dicitur, intelligitur Deum cum justis et angelis perma-

Cum sempiternis permanebunt angelis.
Contemne præsens utile, o prudens homo,
Quod terminandum, quod relinquendum est tibi:
Omitte corpus, rem sepulcri et funeris:
Tende ad futuram gloriam: perge ad Deum:
1114 Agnosce qui sis, vince mundum et sæculum.
Vixdum elocutus martyr hanc peregerat
Orationem, cum furens interserit
Asclepiades: Vertat ictum carnifex
In os loquentis, inque maxillas manum,
Sulcosque acutos, et fidiculas transferat
Verbositatis ipse rumpatur locus,
Scaturientes perdat ut loquacitas
Sermonis auras, perforatis follibus,
Quibus sonandi nulla lex ponit modum,
Ipsa et loquentis verba torqueri volo.
Implet jubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas ungulis scribentibus
1115 Genas, cruentis et secat faciem notis,
Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
Et mentum adusque vultus omnis scinditur.
Martyr fluentem fatur inter sanguinem:
Grates tibi, o præfecte, magnas debeo,
Quod multa pandens ora, jam Christum loquor.
Arctabat ampli nominis præconium
Meatus unus, impar ad laudes Dei.
Rimas patentes invenit vox edita,

GLOSSÆ VETERES.

541. Contemne, *respue.* — Præsens, *præsentem utilitatem*, I.
546. Dum, *adjectio syllabica*, I.
547. Interserit, *interrumpit sermonem*, I.
552. Scaturientes, *ebullientes*, I.
553. Follibus, *faucibus*, Vat. A.
555. Verba, *labra*, I.
557. Charaxat, *scribit: charaxo Græce est scribo; inde charaxavit, id est scripsit*, I. *Charaxare dicimus scribere: inde character*, Vat. A.
559. Carptim, *minutim*, I.
564. Nominis, *scilicet Dei.* — Præconium, *laudem*, I.

COMMENTARIUS.

nere, exclusis damnatis, et in ignem æternum rejectis. Nam damnatos æternum puniendos, in fine Hamartigeniæ Prudentius fatetur. Sed id non est permanere *simul* cum Deo.

540. Prag., *permanebit*, non bene.

541. Parrhasius, *vile o prudens*, quod ratione aliqua sustineri posset, admisso hiatu, quem multi volunt familiarem esse Prudentio.

545. Gis. ad oram, *quid sis*. Vide comment. ad vers. 419 Apoth.

546. Vat. B, Mar., *vix tum*.

549. Ald., Mar. a secunda manu, *manus*: Parrhasius *malleum* et *maxillas* mutavit in *malas* in emendatis. Legit ergo *inque malas malleum*.

550. Heinsius, *fidiclas*. Scripti et edd. vett., *fidiculas*. Vide vers. 481. Ex hoc loco patet fidiculas potius esse *ungulas* quibus fodiebatur martyr, quam funes quibus eculeo alligatus erat. Nebrissensis volebat speciem sumi pro genere. *Quid enim*, inquit, *fidiculæ ori nocere poterant?* Poterant certe ungulæ. Mox vers. 557, *Charaxat ambas ungulis scribentibus Genas*, etc. Verba Suetonii in Tiberii Vita, et Valerii Maximi lib. III, cap. 3, non magis clara sunt pro opinione affirmante fidiculas esse funiculos nerveos quibus sontes eculeo torquebantur, quam hic Prudentii locus pro explicatione quam exhibui. Nemo autem veterum tam clare dixit fidiculas esse funes, quam Isidorus esse ungulas. Cl. Zacharias, in Histor. litter. Ital. tom. V, pag. 396, et tom. IX, pag. 325, multa dixit, ut probaret fidiculas esse nerveas funes

551. Prag. depravate., *interrumpatur*; Vat. A, *ipse transferetur* non male si bacchium quinto loco admittere velis. Verbositatem pro enormi loquacitate non sine felle poni, monet Peveratus.

552. Heinsius scribit *scaturrientes*. Cauchius conjectabat *ebullientes*, non probante Heinsio. Arnobius, lib. V, prope finem: *Scaturiginem istam vocis, et strepitum fœdæ loquacitatis amittere.*

554. Prag., *modum tenet*. Melius retinebitur *ponit modum*.

555. Hailsbr., *labia*, supra: retine *verba*.

556. Heinsiani, Parrhasius, Vat. A, Alex., Egm., Hailsbr., Gis. ad oram, *impius*. Ambr., *livor impius*. Recentiores cum Heinsio, *lictor impius*. Verius videtur *lictor improbus* ea significatione qua dicitur *labor improbus*. Et ita habent Ald., Weitz., Gis., Vat. B, Mar., Prag.

557. Vat. A, Egm., Hailsbr. scribunt *caraxat*. Fabr. *charassat*. Murmellius *carattat*. Hoc verbo pro *scribere* utuntur Anianus corrector sententiarum Julii Pauli, Isidorus in glossis, Gregorius Turonensis, Marculfus monachus, Adamannus Scotus, Aldhelmus, Eckherardus Junior, Hincmarus, Barthius, lib. XLV, cap. 19, observat ætatem sequiorem a Prudentio auctoritatem sumpsisse. Sic Wipertus, lib. I, cap. 2, *Totum ejus corpus invenitur charaxatum quasi cruciculorum stigmatibus.* Wipertus clare Prudentium æmulatur, ut vers. 145 observavi. Giselinus diversam aliquam lectionem indicat: nam cum minus bene dixisset Prudentium *charaxo* derivasse a χαράξω, futuro verbi χαράττειν, quod valet sculpere, arare, scarificare, addit: *Quæ huc ab aliis afferuntur, et scriptis libris adversantur, et poetæ nostri genio.* Parrhasius inter alienigena quæ Prudentius usurpavit, refert *charaxat*; et *charaxat* explicat, *Calamorum, sudiumque fastigatis, atque subtilibus spiculis corpus infigit: quod pœnæ genus adhuc Hispani retinent.* Verum Prudentio *charaxat* solum est *conscribillat*. De hac metaphora *ungulæ charaxant, scribunt*, vide comm. ad vers. 77 hymni S. Cassiani.

558. Prag., *siccat* pro *secat*, et suspicatur Mar. *sicnat* pro *signat*. Sed obstat lex metri. In nonnullis vulg., *faciem rotis*, minus bene, pro *notis*.

559. Vat. A et Pal., *captim*. Legendum *carptim*. In Mar. corrumpitur metrum, verbis ita transpositis, *Hirsuta barbis carptim solvitur cutis.*

562. Notanda est consuetudo veterum Christianorum, qui ab impiis judicibus condemnati, gratias illis agebant. Justinus, apolog. 1 et 2; Eusebius, lib. IV Hist., cap. 17: *Quo audito, Lucius illi gratias egit, quod hac ratione a malis dominis liberaretur, et ad bonum Patrem regemque Deum proficisceretur.* Tertullianus in fine Apologet.: *Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est æmulatio divinæ rei et humanæ; cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur.* Alia ex Actis martyrum profert Sagittarius, cap. 7. Philosopho Senecæ ignotum id erat: *Neminem*, ait epist. 66, *adhuc scio eo nomine votum solvisse, quod flagellis cæsus esset, aut podagra distortus, aut eculeo longior factus.*

564. Mar. scribit *artabat* pro *arctabat*.

565. Prag. *ad laudem Dei.*

Multisque fusa rictibus reddit sonos
Hinc inde plures, et profatur undique
1116 Christi Patrisque sempiternam gloriam.
Tot ecce laudant ora quot sunt vulnera.
Tali repressus cognitor constantia,
Cessare pœnam præcipit : tunc sic ait ·
Per solis ignem juro, qui nostros dies
Reciprocatis administrat circulis :
Cujus recursu lux et annus ducitur,
Ignes parandos jam tibi tristis rogi,
Qui fine digno corpus istud devorent,
Quod perseverans tam resistit nequiter
Sacris vetustis, nec dolorum spiculis
Victum fatiscit, fitque pœnis fortius.
Quis hunc rigorem pectori injecit stupor?
Mens obstinata est : corpus omne occalluit.
Tantus novelli dogmatis regnat furor!
Hic nempe vester Christus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipse suffixum cruci.
Hæc illa crux est omnium nostrum salus,
Romanus inquit : hominis hæc redemptio est.
1117 Scio incapacem te sacramenti, impie,
Non posse cæcis sensibus mysterium
Haurire nostrum : nil diurnum nox capit :
Tamen in tenebris proferam claram facem.
Sanus videbit, lippus oculos obteget.
Removete lumen, dicet insanabilis :
Injuriosa est nil videnti claritas.
Audi, profane, quod gravatus oderis.
Regem perennem rex perennis protulit,
In se manentem, nec minorem tempore,
Quia tempus illum non tenet : nam fons retro
Exordiorum est, et dierum, et temporum,
Ex Patre Christus : hoc Pater quod Filius.
1118 Hic se videndum præstitit mortalibus :
Mortale corpus sumpsit immortalitas,
Ut dum caducum portat æternus Deus,
Transire nostrum posset ad cœlestia :
Homo est peremptus, et resurrexit Deus.

GLOSSÆ VETERES.

567. Rictibus, *apertionibus. Ringo, os aperio; inde rictus, apertio*, I.
574. Reciprocatis, *revocatis, iteratis*, I.
578. Nequiter, *crudeliter*, I.
580. Victum, *corpus*, I.
581. Rigorem, *fortitudinem*, I.
582. Obstinata, *dura*. — Occalluit, *obduruit, obduravit*, I.
590. Diurnum, *Christum*. — Nox, *peccatores*, I.
595. Gravatus, *iratus*, I.
598. Retro, *ante*, I.
604. Nostrum, *corpus*, I.

COMMENTARIUS.

567. Mariettus e suo codice notaverat *multis fusa*, et conjeceral *multis refusa*.

570. Egm., Heilsbr., *quod* : lege *quot*. In homilia 2 Chrysostomi sive Flaviani de S. Romano : *Ille vero quasi plura tum ora recepisset, orationem habebat.*

572. Fabricius advertit veteri verbo juris pœnam carnifices ipsos significare. Apud poetas certe pœnæ vocantur Furiæ, quia scelerum sunt vindices.

573. Vat. B, Mar., Prag., Ald., Weitz., *ignes*. Alii venustius, *ignem*. Juvenalis, sat. 13, vers. 73, *Per solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat.* Virgilius, lib. vi, *Per sidera juro, Per superos.*

574. Virgilius, lib. ii Georg., *Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*

575. Prag., *et annus reducitur*. Resistit metrum.

576. Rat. vitiat metrum, trajectis verbis, *tibi jam*. Weitz., Gis., Urb., Rat., *ignis parandus*. Vat. A, B, *ignis parandos*. Plerique *ignes parandos*, et vers. seq., *devorent*.

577. Ald., Gis., Weitz. et alii, *devoret* : intelligi potest *rogus*.

583. Suetonius in Nerone, cap. 16, *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ et maleficæ.*

584. Mar., *jam fuit* : recte supra *haud*.

586. Parrhasius perperam omittit *est*, et vers. seq. *hæc*.

588. I ad Corinth. ii, 14 : *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere.*

590. Ex cap. i Joannis, vers. 5 et seq., *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.*

591. Rat., Vat. Q, Torn., Mar., omittunt *in*, quod aliena manu in codice Mar. est appictum.

592. In quibusdam edd. *lippos*, male, pro *lippus*. Weitz. cum Aldo, *oclos*, ut sit iambus quarta sede; et Nebrissensis advertit esse syncopam. Lotterus, Giselinus, Heinsius, et recentiores, excepto Gallandio, *oculos*, quia, ut ait Teolius, duæ breves unam longam faciunt. Hac eadem ratione, et hoc exemplo supra vers. 481 et 550 cum scriptis reponendum erit *fidiculæ* et *fidiculas*, non *fidiclæ* et *fidiclas*. Quarta sede Prudentius aliique in senariis nonnunquam tribrachyn, pedem tribus brevibus constantem, admittunt. Latinius etiam, qui in Torn. invenit *lippos oclos*, emendavit *lippus oculos*. Pro *obteget* Prag. *obtegit*. Nebrissensis exponit, *Qui credit, statim intelliget, juxta illud : Nisi credideritis, non intelligetis.* Addit Fabricius non aliter hunc locum citare Prosperum Aquitanicum, qui solet in suis operibus Græcorum Septuaginta versionem sequi.

593. Alex. a prima manu, Vat. Q, Prag., Egm., Pal., Haisbr., *dicit*; alii, *dicet*. In Parrhasio error est metri *remove* pro *removete*, uti vers. seq., *videntibus claritas* pro *videnti*.

594. Lotterus, *Invidiosa est nil videnti claritas*. Repone *injuriosa*.

595. Parrhasius probe ediderat *gravatus*; correxit contra metricam rationem *ingratus*.

599. In nonnullis vulg. mendose *exordiorium*. Vat. B non recte omittit *est*. Vat. Q a prima manu vitiose, *est et temporum, et dierum*.

600. *Hoc est Pater quod Filius* significat eamdem esse naturam. Non autem recte diceretur : Hic est Pater, qui Filius, quia id innuit eamdem esse personam. Sic Pater, et Filius, sunt alius et alius, non aliud et aliud; hæc enim est theologorum regula, quod masculina nomina vel pronomina distincte proferamus de singulis personis : neutra vero non plura, sed unum commune accommodemus tribus personis : quia scilicet masculina personas, neutra essentiam indicant.

602. In eamdem sententiam Fabricius hos Prosperi versus profert : *Sed mortale meum subit, ut quia vita teneri Morte nequit, pereat mihi mors : et non ego jam in me Vivam, sed Christus, qui se mihi miscuit in se.*

604. Ald., Vat. Q, Heins., *possit*.

605. Vat. B, Prag., *surrexit*, male.

Congressa mors est membra gestanti Deo :
Dum nostra tentat, cessit immortalibus.
Stultum putatis hoc, sophistæ sæculi :
Sed stulta mundi summus elegit Pater,
Ut stultus esset sæculi, prudens Dei.
Antiquitatem Romuli, et Mavortiam
Lupam renarras, primum et omen vulturum.
1119 Si res novellas respuis, nil tam recens.
Vix mille fastis implet hanc ætatulam
Cursus dierum conditore ab augure.
Sexcenta possum regna pridem condita
Proferre toto in orbe, si sit otium,
Multo ante clara, quam capellam Gnossiam
Suxisse fertur Juppiter, Martis pater,
Sed illa non sunt, hæc et olim non erunt.
Crux ista Christi, quam novellam dicitis,
Nascente mundo factus ut primum est homo,
Expressa signis, expedita est litteris :
Adventus ejus mille per miracula
1120 Prænuntiatus ore vatum consono.
Reges, prophetæ, judices, et principes
Virtute, bellis, cultibus, sacris, stylo
Non destiterunt pingere figuram crucis

GLOSSÆ VETERES.

606. Congressa, *pugnavit. Congredior tibi, id est pugno contra te*, I.
608. Sophistæ, *sapientes*, I.
614. Fastis, *libris, vel consulibus*, I.
617. Otium, *tempus*, I.
618. Capellam, *Amaltheam capram, quæ fertur nutrisse Jovem.* — Gnossiam, *Creticam*, I.
620. Olim, *in futuro, futuro tempore ; quæ colitis*, I.
623. Expedita, *prodita*, I.
625. Consono, *convenienti*, I

COMMENTARIUS

606. Ald. corrupte, *membra gestant ideo.*

607. In Rat. fuit *tentant* non bene. Vat. B, *cessat* ; supra, *cessit*, probe. Murmellius edidit *cessat*, quod exstat etiam in Lotteri editione. Nebrissensis suspicatur *immortalitas* pro *immortalibus*, ut sit sensus, quod immortalitas cessit morti, quia dicimus ex communicatione idiomatum, quod Deus passus est. Heinsius scribit hic et alibi *temptat* pro *tentat*. Teolius expressit etiam *temptat*, sed putavit esse frequentativum a *temno*, atque ita exponit : *Dum mors Christum carne nostra indutum contemnit, divinæ postmodum cedere debuit virtuti.* Manet in edd. plerisque esse *tentat* sensu non admodum diverso. Verum sive *temptat*, sive *tentat* scribatur, non est verbum frequentativum a *temno*. Sententia satis percipitur : Dum mors membra Christi mortalia qualia sunt nostra, tentat, aggreditur, seu perimit, cessit Deo resurgenti, sive membris immortalitate in resurrectione donatis.

609. Ald., Fabr., Lotterus, Torn., *eligit* : melius *elegit*. Ex Epist. I ad Corinth. cap. I, quem locum simili modo Paulinus in carmine ad Cytherium versibus complexus est.

611. Peveratus censet Prudentium innuere veram belluam Romuli nutricem fuisse. Mihi non satis id liquet. Nam Prudentius feminas prostitutas vocavit etiam *lupas* lib. I in Symm. vers. 107. Vide comment. in eum locum.

612. Ald. ita distinguit *Lupam renarras primum, et omen vulturum*. De hoc omine vide comment. ad vers. 396 lib. II contra Symmach.

613. Hailsbr., Pal., *respuas*. In Rat. fuit *tamen*, recte emendatum *tam*.

614. Diminutivum *ætatis* in Vita Urbani III, apud Muratorium tom. III, pag. 476, est *ætatuncula*. Apud Ciceronem, Suetonium et Plautum *ætatula*. Asclepiades dixerat vers. 407, *Post evolutos mille demum consules*. Scilicet ab Urbe condita mille quinquaginta anni circiter numerantur ad initium sæculi IV, quo passus est Romanus. Fabricius male numerat annos mille et ducentos circiter. Neque id congruit verbis Asclepiadis et Romani. Etsi enim ante consules Romæ reges annos circiter 244 regnaverint, tamen ab eo tempore ad annum Christi 303 non fuerunt mille consulatus, sed ab Asclepiade et Romano mille consules, et mille fasti dicuntur, ut totidem anni intelligantur.

615. Ald. male, *condiore ab augure*.

616. Egm., Widm. a secunda manu, Mar. a prima manu, Vat. B, *cognita* : melius *condita*. Prag., *prius*, errore metri, pro *pridem* : imitatio est Plauti in Aul. II, 4, 41, *Sexcenta sunt quæ memorem, si sit otium.*

618. Minucius, *Et quæ Jovis sacra sunt? Nutrix capella est*, etc. Vide quæ Elmenhorstius et Ouzelius in hunc locum commentantur. Obvii præterea sunt mythologici libri.

620. Parrhasius non sine venustate, *Sed illa nunc sunt? Hæc et olim non erant.* Negat quippe interrogatio. Sed *erunt* rectius, quam *erant*. In emendatis ait Parrhasius quosdam legere, *Nunc ista sed sunt : hæc et olim non erant.*

622. Prag., *primus* : corrige *primum*.

623. Crux expressa fuit in ligno vitæ, et multis aliis figuris in Veteri Testamento expositis, quas enumerat Gretzerus lib. I de Cruce, cap. 42 et seq. Per sibyllas etiam prænuntiata fuit. Cellarius ita distinguit, ut signa crucis intelligat Prudentius sacrificia veteris legis, vel potius signa naturalia, de quibus Minucius, *Signum sane crucis naturaliter visimus in navi*, etc. Litteras vero quibus crux expedita dicitur, idem Cellarius exponit vaticinia sacræ Scripturæ. De signis naturalibus crucis videri potest Tertullianus in Apologet., et Heraldus in notis, præter Justinum et alios.

625. Vat. B, Mar., Alex., *prænuntiatur ore*.

626. Fabr., *judices et principes* cum plerisque. Ald. cum aliis, *judicesque, et principes*.

628. Ald., Weitz., Widm., Hailsbr., Egm., Heinsius cum suis, *Non destiterunt pingere formam crucis* ; favent huic lectioni plerique nostri. Fabr., Gis. secunda ed., *Non destiterunt pingere hanc formam crucis*, quod propius accedit ad rationem carminis. Ita etiam legebat Latinius, quamvis in vet. cod. invenerit *Non destiterunt crucis umbram pingere*. Gis. prima ed. non male, *Formam crucis non destiterunt pingere*. Urb., Bong., *Non destiterunt formam pingere crucis*, quæ lectio, cum aperte sit mendosa et metro repugnans, fortasse errore typographico in editione Parmensi admissa est. Teolius enim nullam lectionum diversitatem indicat. Equidem suspicor Giselinum et Fabricium non tam fidem codicum secutos, quam metro consulere voluisse. Non autem video qui defendi possit lectio fere omnium codicum, et Heinsii : neque enim in quarta sede pyrrichius locum habet, imo neque in toto senario. Itaque amplector *pingere figuram crucis*, quod invenio in veteri editione Lotteri : nam tribrachyn quarta regione non semel posuit Prudentius. *Figura mystica* crucis et nominis Jesu vocantur 318 vernaculi Abrahami in præf. Psych. ; qua de re plura eo loco.

Crux prænotata, crux adumbrata est prius, A
Crucem vetusta combiberunt sæcula.
Tandem retectis vocibus propheticis,
Ætate nostra comprobata antiquitas
Coram refulsit ore conspicabili,
Ne fluctuaret veritas dubia fide,
Si non pateret teste visu cominus.
Hinc nos et ipsum non perire credimus
1121 Corpus, sepulcro quod vorandum [traditur :
Quia Christus in se mortuum corpus cruc'
Secum excitatum vexit ad solium Patris',
Viamque cunctis ad resurgendum dedit.
Crux illa nostra est, nos patibulum ascendi- [mus :
Nobis peremptus Christus, et nobis Deus B
Christus reversus, ipse qui moriens homo [est ;
Natura duplex : moritur, et mortem domat,
Reditque in illud, quod perire nesciat.
Dixisse pauca sit satis de mysticis
Nostræ salutis, deque processu spei.
Jam jam silebo : margarita spargere
Christi vetamur inter immundos sues,
Lutulenta sanctum ne terant animalia.
Sed, quia profunda non licet luctarier
1122 Ratione tecum, consulamus proxima :
Interrogetur ipsa naturalium
Simplex sine artè sensuum sententia :
Fuci imperitus fac ut adsit arbiter.
Da septuennem circiter puerum, aut minus,
Qui sit favoris liber, et non oderit
Quemquam, nec ullum mentis in vitium ca- [dat :
Periclitemur quid recens infantia
Dicat sequendum, quid novus sapiat vigor.
Hanc ille sancti martyris vocem libens
Amplexus, unum de caterva infantium
Parvum, nec olim lacte depulsum, capi,
Captumque adesse præcipit. Quidvis roga,
Inquit, sequamur, quod probarit pusio.
Romanus ardens experiri innoxiam

GLOSSÆ VETERES.

629. Prænotata, *præscripta*. — Adumbrata, *figurata*, I.
630. Combiberunt, *graviter senserunt*, *perceperunt*, I.
633. Coram, *manifeste*. — Conspicabili, *veneranti, vel lucido*, I.
634. Fluctuaret, *titubaret*, I.
635. Cominus, *præsentialiter, vel prope*, I.
636. Nos, *nostra caro*, I.
647. Processu, *incremento*, I.
651. Luctarier, *pro luctari*, I.
655. Fuci, *mendacii, vel fraudis : nigredine peccati, vel mendacii ; omnes enim qui in judicio labuntur, aut labentur odio, aut timore, aut amore*, I.
657. Favoris, *tumoris, vel adulationis : jactantiæ*, I.
659. Periclitemur, *probemus : periclitari est probare*, I.
C 663. Nec olim, *nuper*, I.

COMMENTARIUS.

630. Peveratus venustam hanc esse expressionem dicit : nam ardenti quadam siti et cupiditate ferebantur in crucem, ut qui vehementi siti æstuant, avide feruntur in aquam.

633. Vigilius Tapsensis, lib. VI, de Trinitate, utitur hac voce *conspicabilis*. *Quod multifarie a patribus in conspicabili materia visum fuit*. Eadem vox legitur in oratione pro martyribus inter opera Cypriano ascripta.

634. Thuan., *nec fluctuaret*.

636. Vide epist. I ad Corinth. XIV, 13 et seqq. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit*, etc. Confer finem Apoth., *Nosco meum in Christo corpus consurgere*, etc.

641. Sic aiebat Apostolus ad Gal. II, 19, *Christo confixus sum cruci*. Lipsius, lib. II de Cruce, cap. 6, ex Plauto, Nonno, Nazianzeno confirmat hanc phrasin *excurrere, ascendere, salire in crucem*, scilicet erectam. Quarta sede hujus versus recipitur tribrachys. D

644. Bong. a prima manu, Sich., *natura simplex*. Rat. perperam, *in natura duplex*. Heinsius ita distinguit, *Et nobis Deus Christus reversus, ipse qui moriens homo est : Natura duplex moritur, et mortem domat*. Et hanc distinctionem Ambrosiano codici deberi profitetur. Sed non male distingues cum Parrhasio *Natura duplex : moritur, et mortem domat* : ut intelligatur in Christo esse duas naturas, quarum una moritur, altera mortem domat. Alioquin ex communicatione idiomatum Deus etiam mortuus dicitur.

648. Giselinus conjecerat *margarita spargere*, quia in Psychomachia dicitur *margaritum ingens*. Revera in Hailsbr. exstat *margarita spargere*, et Burmannus, Antholog. tom. I, pag. 413, testatur, in Egm. pro *margarita spargere* esse *margaritas*, sed a secunda manu. Heinsius edidit *margarita*, cui consonant recentiores. In Psychomachia vers. 873 producitur *a* secundum in *margaritum* necessitate metri ; hic corripitur, quamvis in antiquioribus fortasse desint exempla. Præceptum hoc exstat Matth. VII, 6.

650. In Parrhasio turbatur metrum e trajectione verborum *animalia ne terant*. Nec melius correxit in emendatis *Animalia sanctum lutulenta ne terant*.

651. Ad marginem Vat. A notatur *Passio S. Bararæ pueri* ; ad marg. Vat. I, *Passio S. Barari pueri*. Mombritius in Actis S. Romani puerum vocat *Barulam* ; ita etiam Iso ad vers. 671. Eucherius, sive Eusebius Emissenus, aut, ut alii volunt, Gallicanus in homilia de S. Romano martyrium pueri narrat, sed nomen non profert. Supprimitur etiam nomen in secunda homilia S. Chrysostomi, sive Flaviani. In orationibus officii Mozarabici hic puer vocatur *parvus Theodulus*. Fortasse cum ignoraretur nomen, Theoduli nomen Græcum, quod servus Dei esset, impositum illi est. Nam in officio Mozarabico S. Romani ex solo Prudentii hymno historia videtur desumpta. In Egm. et Hailsbr., *luctuarier*, mendum. Cicero, de Oratore, *Non luctabor tecum* ; ac simili modo alibi.

652. Supra vers. 175, *Ratione mecum, non furore, dimica*.

654. Fabr., Gis., *sensuum scientia*.

655. Plures censent *fac* semper corripi : Prudentius producit.

656. Vat. A, Prag., Torn., Ruinartius, *septennem*. Corrige *septuennem* ratione metri.

663. Horatius, lib. IV, ode 4, *Jam lacte depulsum leonem*.

664. Hailsbr., Alex., Urb., Vat. B, *præcepit*, quod vitiosum in metro est. Vat. B, *quodvis roga*. Prag., *quidvis rogo*.

665. Vat. B, *in quo* recentiori manu, et fortasse fuit *inque* a prima manu, ut putat Mariettus, id est, *dic*. Mar. a prisca manu, *in quo*. Lege *inquit*. Apud Ciceronem Socrates pusionem etiam interrogat in Tuscul

Lactent's oris indolem, Filiole, ait, A
1123 Dic, quid videtur esse verum et congruens,
Unumne Christum colere, et in Christo Patrem,
An comprecari mille formarum deos?
Arrisit infans, nec moratus rettulit;
Est quidquid illud, quod ferunt homines Deum,
Unum esse oportet, et quod uni est unicum.
Cum Christus hoc sit, Christus est verus Deus.
Genera deorum multa nec pueri putant.
Stupuit tyrannus, sub pudore fluctuans,
Nec vim decebat innocenti ætatulæ
Inferre leges, nec loquenti talia
Furor sinebat efferatus parcere.
Quis auctor, inquit, vocis est hujus tibi? B
1124 Respondit ille : Mater, et matri Deus.
Illa ex parente Spiritu docta imbibit,
Quo me inter ipsa pasceret cunabula :
Ego, ut gemellis uberum de fontibus
Lac parvus hausi, Christum et hausi credere.
Ergo ipsa mater adsit, exclamat, cedo,
Asclepiades, disciplinæ et exitum
Tristem suæ magistra spectet impia,
Male eruditi torqueatur funere
Infantis orba, quemque corrupit, fleat.
Absit, ministros vilis ut muliercula
Nostros fatiget; quantulos autem dolor
1125 Vexabit artus, mortis auxilio brevis!
Oculi parentis punientur acrius,
Quam si cruentæ membra carpant ungulæ
Vix hæc profatus, pusionem præcipit

GLOSSÆ VETERES.

671. Arrisit, *consentit.* — Infans, *Barulas.* — Rettulit, *respondit*, I.

676. Sub pudore, *sub verecundia; dubitans quid faceret*, I

685. Hausi, *potavi*., I.

686. Cedo, *consentio; impero*, I.

690. Orba, *vidua.* — Corrupit, *sua doctrina*, I.

692. Quantus, *quam parvus*, Mar.

693. Mortis, *quia cito moritur infans*, I

694. Acrius, *videndo dolorem filii*, I.

COMMENTARIUS.

667. Ald., Mar., Vat. Q, Alex., *lactantis*. Giselinus edidit *lactantis*, sed in emendatis correxit *lactentis*, quod non videtur observasse Heinsius.

668. Prag., *verum, et congruum.*

670. Minucius : *Quid formæ ipsæ et habitus? nonne arguunt ludibria, et dedecora deorum vestrorum? Vulcanus claudus deus et debilis; Apollo tot ætatibus lævis; Esculapius bene barbatus, etsi semper adolescentis Apollinis filius; Neptunus glaucis oculis*, etc. Fabricius ex Prospero id addit : *Ille per innumeros vultus, et mille per aras, Barbatos, lævesque deos, juvenesque, senesque, Ut quondam fecere, colunt.* C

673. Ald., Tornæs., omittunt *et*, quod metro necessarium est. Cauchius conjiciebat *quod cuique est unicum*, forte sine *et*, hoc pacto, *Unum esse oportet, quod cuique est unicum*. Sententia est eadem quæ exprimitur Hamartig. vers. 39, *Cui filius unicus uni est.* Itaque etsi vulgo distinguant *et quod uni, est unicum*, tamen puto ita debere distingui *et quod uni est unicum*, quasi dicat Deum esse unum, qui est Pater, et Filius, qui uni est unicus : et ita clare legit Lotterus. Parrhasius edidit *Unum esse oportet : quod uni est unicum.* Emendavit *Unum esse oportet, quod unius est unicum.* Neutrum lex metri patitur. Latinius in vet. cod. invenit *Unum esse oportet undequaque quod unicum est.* Sed *undequaque* pro *undecunque* parum Latinum est.

674. Scilicet Christus est id, quod est uni unicum.

675. Parrhasius *milia*, emenda *multa*. Proverbium est *nec pueri putant*. Juvenalis sat. 2, *Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur*. Prudentius argutius e persona pueri. D

677. Pharrhasius, *docebant*, scilicet leges. Puerorum ætatem *innoxiam* dixit Tacitus lib. III Hist., Minucius *annos innocentes*; Lactantius, lib. I, cap. 21, *innocentes animas*; Tertullianus, adversus Marcionem lib. IV, cap. 23, *innocentem ætatem*. Ita alii et olim locuti sunt, et nostris temporibus loquuntur.

678. Rat., Torn., Prag., Weitz., *legis*. Lotterus Gis., *lege*. Gis. in marg., *leges*.

680. Vat. B, *Quis, inquit, auctor*.

682. Pal., Hailsbr., *spiritus*, male.

683. Parrh., *quom* pro *quo*. Retine *quo*.

684. Ubera, quæ aliquando sororiantia dicuntur, concinne vocat *gemellos fontes*.

685. Haurire cum lacte proverbiale esse, notat Fabricius. Cicero 3. Tusculan. : *Ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur*. Barthius, lib. XXXII Adv. cap. 21, advertit *Christum credere* pro *credere in Christum* non barbare a Prudentio dici.

686 Prag. semper scribit *assit*.

687. Egm. alia manu, *ut exitum*.

688. *In magistra* brevis manet postrema, quamvis *sp* sequatur. Vide Proleg. num. 213, in nota.

689. Matres æque, vel magis torqueri in liberis quam in seipsis, docent jureconsulti, aliique consentiunt. Vide P. Fabrum 3 semestr. cap. 8.

690. Ald., *corrumpit* : rectius, *corrupit*.

691. Nebrissensis legit *adsit*, et hanc esse veram lectionem, non *absit*, asseverat. Longissime ab eo dissentio : et codicum lectio est *absit*.

692. Ald., Prag., Torn., Parrhasius, Egm., Hailsbr., Bong., Widm., Alex., Vat. Q, *quantulus autem dolor*. Mar., *quantus autem dolor*. Fabr., *quantulus est autem dolor? Vexabit artus, mortis auxilio brevis*. Gis. cum suo ms., *tantulos at si dolor Vexarit artus*, Murmellius, Lotterus *tantulos autem dolor*. Codex Latinii, *Nostros fatiget tantulos, at si dolor Vexabit*. Thuan., Rott., Urb., *quantulos autem dolor Vexabit artus*, quod Heinsius secutus est. Teolius cum Weitzio, et Ruinartio et plerisque Vatt. codd., *quantulus autem dolor*. Heinsius notarat id esse contra metrum. Respondere posset Teolius non magis contra metrum esse quam *Non destiterunt pingere formam crucis* vers. 628, prout Heinsius expressit. Mihi placet Ilensii lectio, quia et metro congruit, neque a sententia abludit, imo magis cum ea cohæret : non enim dolor erat parvus, sed artus erant parvi, ideoque brevi morte erant afficiendi. Fabricius in commentario peculiari videtur edidisse *tantulos at si dolor*, nam vocem *tantulos* exponit *tam teneros, et adhuc lactentes*. Fortasse melius intelligetur, sermonem esse de matris artubus, ut ex versibus sequentibus arguitur.

693. Ald. et nonnulli vulg., *vexabat*. Cauchius reponebat *vexarit*. Fabr. suspicatur *mortis aspectu*. Nihil muto.

694. Alex. a prima manu, Egm., *parentes*. Widm. a prima manu, Mar., *parentum*. Prag. *puniantur*. Rectius *parentis punientur*.

696. Torn., *profanus*, mendose. Prag., *profatur*, minus bene. Alex. a prima manu, *præcepit*, male.

Sublime tollant, et manu pulsent nates, A
Mox et remota veste virgis verberent,
Teneramque duris ictibus tergum secent,
Plus unde lactis quam cruoris defluat.
Quæ cautes illud perpeti spectaculum,
Quis ferre possit æris, aut ferri rigor?
Impacta quoties corpus attigerat salix,
1126 Tenui rubebant sanguine uda vimina,
Quem plaga flerat roscidis livoribus.
Ferunt minaces verberantium genas
Illacrymasse, sponte demanantibus
Guttis per ora barbarum frementia,
Scribas et ipsos, et coronam plebium,
Proceresque siccis non stetisse visibus.

At sola mater hisce lamentis caret,
Soli sereno frons renidet gaudio :
Stat in piorum corde pietas fortior,
Amore Christi, contumax doloribus,
Firmatque sensum mollis indulgentiæ.
Sitire sese parvus exclamaverat :
1127 Animæ æstuantis ardor in cruciatibus
Hoc exigebat, lymphæ ut haustum posceret :
Quem torva mater eminus tristi intuens
Vultu, et severis vocibus sic increpat :
Puto, imbecillo, nate, turbaris metu,
Et te doloris horror afflictum domat :
Non hanc meorum viscerum stirpem fore
Deo spopondi, non in hanc spem gloriæ

GLOSSÆ VETERES

703. Impacta, *immissa. Impingo, id est mitto*; inde *impacta*, I.

707. Illacrymasse, *valde lacrymasse*. — Demanantibus, *effluentibus*, I.

709. Scribas, *exceptores, qui dicta judicis et re-* B *sponsa martyris excipiebant*. — Coronam, *multitudinem*, I.

711. Hisce, *pro his*, I.

712. Soli, *illi*. — Renidet, *resplendet*, I.

COMMENTARIUS.

697. *Sublime* pro *in sublime*. Lucretius, Virgilius, Nemesianus et alii. Pueri solebant virgis cædi. Beda et Ado de hoc puero aiunt XIX cal. Decembris : *Cumque puer unum Deum solum credendum dixisset, indignatus Asclepiades, catomo suspendi eum, ac verberari jussit*. Sæpe in martyrologiis et Actis martyrum occurrit *catomo, sive cathumo suspendi, catomis cædi, in catomo levari*, ex quo verbum *catomidiare* apud Spartianum in Adriano. Quid autem hæ phrases significent, diversæ sunt auctorum sententiæ. Alii aiunt *catomum* fuisse flagrum quo martyres cædebantur; alii *catomo cædi* esse virgis aut plumbatis in vertice, aut in humeris cædi. Plerique probabilius affirmant, C alicujus humeris suspendi, et verberari more puerorum hoc ipsum esse *catomo cædi aut suspendi*, ex Græcis κατά et ὦμος *humerus*. Plura de his Gallonius, Sagittarius, et Ducangius in Dict. Vide tabulam IX Cruciat.

699. Weitz., Egm., Vat. A a prima manu, *ductis ictibus*.

700. Vat. B, Prag., Rat., Mar. a prima manu, Widm., *plus inde*. Juvenalis Sat. 11, de hædo, *Qui plus lactis habet quam sanguinis*. In Dittochæo de innocentibus martyribus, *Fumant lacteolo parvorum sanguine cunæ*.

701. Rat., Prag., Vatt. B a secunda manu, Q, Alex., Weitz., Widm., Egm., Hailsbr., Parrhasius, *cautis*. Ald., Gis., Urb., et alii, *cautes*.

702. Vat. A, *qui ferre possit*. Vat. B, Mar., Alex., *posset*.

703. Weitzius cum Egm. scribit *salex*. Alii *salix*. De virgis quibus rei cædi solebant, vide comm., ad vers. 44 hymn. 1 Perist., Gallonium de Cruciat. SS. mart. cap. 4, et tabulam X et XI.

705. Egm., Hailsbr., Pal., *plaga fecerat*; Prag., *fecerat e roscidis*. Boug., Wid., Rat., *feret*. Fabr., Murmellius. Lotterus, *ferret*. Mar., Torn., Vat. B, *ferat*. Parrhasius, *flebat* : quæ vera est lectio, aut propius accedit ad veram lectionem *flerat*, quam exhibent Ald., Gis., Alex., et tuetur Gifanius in FLERE pro *stillare, rorare*. Lucretius lib. I, *In saxis ac speluncis permanat aquarum Liquidus humor, et uberibus flent omnia guttis*. Vide hymn. 5 Cath. vers. 24. Giselinus ait hanc esse lepidissimam translationem : summa enim cute perstricta stillatim cruor, non confertim effunditur.

707. Mar., *denatantibus*; supra pro div. script., *demanantibus*. Rat., *denatantibus*. Nonnulli dividunt *de manantibus*.

711. Valsecchius, pro religione Christiana contra Freretum part. 2, cap. 8, his versibus utitur, in carmen Italicum conversis.

712. Ald., Prag., Widm., *frons renitet*, quod metro repugnat.

713. Ald., Egm., Fabr., Hailsbr., Widm., Boug., et alii, *stat impiorum*, quod in editione Lotteri nota ms. explicatur, scilicet *tortorum*. Sed non dubium est quin separanda sint verba *stat in piorum* : sermo enim est de matre, in cujus corde pietas stabat fortior. Fabricius hoc ipsum tenuit in commentario peculiari. In secunda ed. Giselini errore typographico scriptum est *impiorum* quem in emendatis Giselinus correxit. Id non animadvertit Heinsius, adeoque edidit *impiorum*, quod incaute recentiores secuti sunt Cell., Teol., Cham. Sed Chamillardus, cum in textu appareat *impiorum*, in nota legit *in piorum*, et Cypriani verba adducit quæ hanc ipsam lectionem videntur confirmare.

716. Nebrissensis id explicat, quia tristitia et dolor exsiccant ossa : quo affectu nec Salvator noster caruit, dicens in cruce Joan. cap. XIX, *Sitio*. Quanquam illud *sitio* aliud significabat. Fabricius ait, æstuante sanguine, et corde laborante, hominem quærere refrigerium.

719. Ambr., Ox., Noms., Boug., Egm., Hailsbr., Widm. supra, Alex. a prima manu, Mar. a secunda manu, Parrhasius, Vat. Q, Urb., Bober. vetustus, *triste intuens*, Rott., tres Torr., *tristem tuens*. Cauchii codex *tristem intuens*. Ald., Weitz., Cauchius, Prag., Lotterus, et nonnulli alii cum Gis., *tristi*. Teolins hoc ipsum edidit, sed non vere ait, omnes ita D habere, excepto uno cod. Vat., ubi a manu posteriori est *triste*, nisi si forte intelligit omnes editiones. Heinsius in textu *tristi*, sed in notis, sive potius in addendis, et in erratis, aut mutandis in contextu præfert *triste*, et distinguit *triste intuens, Vultu et severis*. In hoc brevi indiculo erratorum Heinsius mutavit in lib. II contra Symm. vers. 148 et 149, *prematur. Luctandum* in *prematur, Nitendum*, et vers. 151 distinxit *Conditionis amet ; nimium ne congeral aurum*. Quod tunc ego non adverti.

720. Ald. omittit *et* post *vultu*.

721. Rat., *imbecilli*, non male.

722. Vat. A, *Et te doloribus horror afflictum domat*. Ad marg., *et te doloris*.

723. Vat. A omittit *hanc*, quod supra appictum exstat.

724. In Vat. A desideratur vox *spem*.

Te procreavi, cedere ut letho scias
Aquam bibendam postulas, cum sit tibi
Fons ille vivus præsto, qui semper fluit,
Et cuncta solus irrigat viventia,
Intus, forisque, spiritum, et corpus simul,
Æternitatem largiens potantibus.
Venies ad illud mox fluentum, si modo
Animo ac medullis solus ardor æstuet
1128 Videre Christum : quod semel potum affatim
Sic sedat omnem pectoris flagrantiam,
Vita ut beata jam sitire nesciat.
Hic hic bibendus, nate, nunc tibi est calix,
Mille in Bethlehem quem biberunt parvuli :
Oblita lactis, et papillarum immemor
Ætas amaris, mox deinde dulcibus
Refecta poclis, mella sumpsit sanguinis.
Exemplum ad istud nitere, o fortis puer,
Generosa proles, matris et potentia,
Omnes capaces esse virtutum Pater
Mandavit annos; neminem excepit diem,
Ipsis triumphos annuens vagitibus.
Scis, sæpe dixi, cum docenti alluderes,
Et garrulorum signa verborum dares,
Isac fuisse parvulum patri unicum :
1129 Qui, cum immolandus, aram, et ensem cerneret,
Ultro sacranti colla præbuerit seni.
Narravi et illud nobile ac memorabile
Certamen, una matre quod septem editi
Gessere pueri, sed tamen factis viri,
Hortante eadem matre in ancipiti exitu
Pœnæ et coronæ, sanguini ut ne parcerent,
Videbat ipsos apparatus funerum
Præsens suorum, nec movebatur parens,
Lætata quoties aut olivo stridula
Sartago frixum torruisset puberem,
Dira aut cremasset laminarum impressio.
Comam, cutemque verticis revulserat
A fronte tortor, nuda testa ut tegmine

GLOSSÆ VETERES.

734. Sedat, *quiescat*, I.
740. Mella, *dulcedines*, I.
741. Nitere, *conare*, I.
745. Vagitibus, *adhuc vagientibus*, I.
752. Editi, *formati*, I.
759. Puberem, *puerum*. *Pubis et puber, puberis facit de puero*, I.

COMMENTARIUS.

726. In quibusdam Vulg., *bibendum*, non recte. Nebrissensis vult interrogative scribi *postulas?* Neque id mihi displicet. Ac revera interrogative edidit etiam Parrhasius.

727. Parrhasius *Fons ille vivus præsto qui cum perfluit*. Psalm. xxxv, *Apud te est fons vitæ*. Joan. iv, 14, *Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*.

731. Vat. A corrupte, *fluetem*, et supra, *fluentem*. Lege *fluentum*.

732. Vat. A, Hailsbr., *solis*. Parrhasius, *amor*. Corrige *solus ardor*. In Psalmis et in Apocalypsi fit mentio hujus fontis, quem sitit anima.

734. Vox Gellii est *flagrantia* pro ardore. Cicero etiam non dissimili significatione dixit *flagrantia oculorum*.

736. Matth. xx, 22, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?*

737. Ald., Parrhasius, *Bethlem*. Non constat versus. Mariett., *Betheleem*. Eos qui de hac historia dubitant, Ansaldus rejecit edito libro tituli ambigui, *Herod ani infanticidii vindiciæ*.

739. Vat. A, *ætas prius amaris*, sed recte abrasum est *prius*, quod adhuc apparet. Mar., *amara;* melius *amaris*.

740. Rat., Weitz., *referta poclis*. Lotterus male *refecta poculis* : Gis. ad oram, *sanguine* pro *sanguinis*.

741. Virgilius, Æneid. xii, *Disce, puer*.

742. Virgilius, lib. i Æneid., *Nate, meæ vires, mea magna potentia solus*. Genes. xlix, 3, *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea*.

744. *Neminem diem* pro *nullum* Teolius licentia poetica dictum putat. Certe vix exemplum simile reperies, et *nemo* est quasi *ne homo*. Cicero dixit *nemo hominum*, Virgilius *Nemo divum*.

746. Weitz., *dum*, pro *cum*. In nonnullis vulg., *sic sæpe dixi*. Servius illud Virgilii vii Æneid., *Nec plura alludens*, exponit: *Aut vacat* ad, *et ludentem significat; aut certe* alludens, *ad responsi fidem verba componens*.

747. Ita vocat dimidiata verba pueri balbutientis, et acute : nam ut in scriptione signa non sunt litteræ, sed notæ quibus litteræ significantur, ita in locutione pueri balbutientes non tam verba proferunt quam signa verborum.

748. Nonnulli scribunt *Isaac*.

750. Teolius cum interrogationis nota *seni?* nescio an consulto.

752. Prag., *una cum matre*. Vitiatur metrum. De his septem fratribus Machabæis vulgo nuncupatis vide comment. ad vers. 523 Passionis Vincentii.

756. Bong. a prima manu, *ridebat :* supra, *videbat* Prag., *videbat et ipsos*. De tormentis quibus Machabæi fratres vexati sunt videri possunt Victorinus Afer et Jason Cyrenæus. His quæ sacra Scriptura narrat alia addunt, et Prudentius adjungit laminarum impressionem.

758. Lotterus, *autem :* corrige *aut*. Mar., *oliva:* supra *olivo*, recte.

760. Vat. A, Pal., Hailsbr. supra, Bong. supra, Gis. in textu ed. 2, Heinsius, Teol., *crepasset*, quod explicat Cellarius *crepitum edidisset*. Gallandius cum Ald., et vett. edd., *cremasset*, qui in Cham. *crepasset* mendum putavit. Cellarius tuetur *crepasset*, quia verba primæ formæ, quæ in *ui* præteritum habent, sæpe etiam antiquum casum resumunt, quod Vossius, iii de Analogia, cap. 20, exemplis *cubo*, *domo*, *frico*, *seco*, *veto* probavit. Cæterum *cremasset* exstat in Vat. B, Mar., Prag., Parrhasio, ac pluribus aliis, quod non displicet, et a Murmellio editum est.

761. Hoc supplicii genere Christianos etiam ethnici affecerunt, ac peculiari ratione permoti, quod non aliter crucis signum quo frons Christianorum in baptismo et confirmationis sacramento notabatur, eripere se posse existimabant. Julianus Apostata, cum fidem Christianam ejuravit, impuro et nefario sanguine signum crucis in fronte sibi inscriptum eluere conatus est, ut colligitur ex Gregorio Nazianzeno orat. 1 in Julianum.

762. Parrhasius, *A fronte tortor : quem nudatum tegmine*. Non patitur metrum. Ald. non bene interpungit *A fronte tortor nuda testa, ut tegmine*. Barthius, lib. xxxix, cap. 1, et lib. xliv, cap. 12, observat, eleganter *testam* sphæram cranii sonare. Dicitur enim a medicis et poetis *testa* cavum, convexumque os quo

1130 Cervicem adusque dehonestaret caput.
Clamabat illa : Patere, gemmis vestiet
Apicem hunc corona regio ex diademate.
Linguam tyrannus amputari jusserat
Uni ex ephebis. Mater aiebat : Satis
Jam parta nobis gloria est : pars optima
Deo immolatur ecce nostri corporis :
Digna est fidelis lingua quæ sit hostia.
Interpres animi, enuntiatrix sensuum,
Cordis ministra, præco operti pectoris,
Prima offeratur in sacramentum necis,
Et sit redemptrix prima membrorum omnium,
Ducem dicatam mox sequentur cætera.
His Machabæos incitans stimulis parens,
Hostem subegit subjugatum septies.
1131 Quot feta natis, tot triumphis inclyta :
Me partus unus ut feracem gloriæ,
Mea vita, præstet, in tua est situm manu.
Per hujus alvi fida conceptacula,
Per hospitalem mense bis quino larem,
Si dulce nostri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata si crepundia,
Persiste, et horum munerum auctorem [assere.
Quanam arte nobis vivere intus cœperis,
Nihilumque et illud, unde corpus, nescio :
Novit animator solus, et factor tui.
Impendere ipsi, cujus ortus munere es :
1132 Bene in datorem, quod dedit, refu- [deris.
Talia canente matre, jam lætus puer
Virgas strepentes, et dolorem vulnerum
Ridebat. Hic tum cognitor pronuntiat :
Claudatur infans carcere, et tanti mali

GLOSSÆ VETERES.

763. Dehonestaret, *deturparet*, I.
765. Hunc, *decoratum*, I.
767. Satis, *multum*, I.
775. Dicata, *consecrata*, I.
777. Septies, *pro martyrio septem filiorum*, I.
779. Feracem, *fecundam et portatricem*, I.
785. Assere, *affirma*, I.
787. Nihilumque, *quia ex nihilo Deus corpus format*, I.
790. Refuderis, *pro refunde*, I.
793. Ridebat, *deridebat*. — Cognitor, *judex, qui res cognoscendo dijudicat*, I.

COMMENTARIUS.

cerebrum continetur. Hinc Gallis Italisque testa pro capite. Sic *cara* Hispanis ex II lib. Corippi vers. 413, *Postquam venere verendam Cæsaris ante caram:* quod est Græcum vocabulum. Imo testa pro capite ignotum non est Hispanis.

763. *Dehonestare* usurparunt Tacitus, Suetonius, Trebellius Pollio in Gallieno. Prima longa remanet ob aspirationem.

764. Mar., Rat., Sich., *pater*. Prag., *pateret*. Corrigendum *patere*.

765. Alex., Vatt. A, B, Mar., Heinsiani, Gis., *apicem hunc*. Ald., Urb., Prag., Parrhasius, Weitzius, *apicem corona* sine *hunc*. Vat. Q, mendose, *aspice hunc corona*, Egm., *et* pro *ex*.

768. Parrhasius corrupte, *Jam paratum nobis gloriæ pars optima*. Mariettus glossam adjicit sive suam, sive alicujus codicis : *Pars optima boni viri, contra mali pessima*. Juvenalis, sat. 19, *Nam lingua mali pars pessima servi*.

771. *Enunciatrix* dixerunt interpretes Theodori Gadarei apud Quintilianum lib. II, cap. 15.

772. Utitur vocabulo *præco*, tanquam si esset generis communis, masculini et feminini.

774. Ald., *primo :* cæteri, *prima*.

775. Mar., *dicata mox sequentur corpora*. in marg. : *Al. cætera*. In Rat., *corpora*, supra aliena manu, *cætera*. Iso, *dicata*.

776. Heinsius in addendis ait in Egm. ac aliis nonnullis scribi *Maccabæos*, recte, quia Græcis sunt Μακκαβαῖοι, quæ tamen non est ratio efficax.

777. *Subjugare* verbum Asconii Pediani, de quo Cellarius in Cur. Poster. Utuntur eodem Arnobius, Claudianus, Lactantius et alii.

779. In Aldo claudicat versus *Me partus ut feracem gloriæ*. Vat. A, Egm., *unus et*, non ita bene.

781. Thuan. a prima manu, *contemtacula*, id est *contentacula*. Quo respicit Alex. a manu prima *contetacula*.

782. Pragens. contra legem metricam, *menses bis quinos*. In sacris litteris novem menses nominantur : sed decem menses inchoati dici possunt et decem, et novem. Sic Virgilius eclog. 4 : *Matri longa decem tulerunt fastidia menses*. A. Gellius, lib. III, cap. 16, medicorum et philosophorum opiniones exponit : *Gigni hominem septimo rarenter, nunquam octavo, sæpe nono, sæpius numero decimo mense : eumque esse hominem gignendi summum finem, decem menses non inceptos, sed exactos*.

783. Ovidius de ovibus Met. 15, *Pleno quæ fertis in ubere nectar*.

C 784. Parrhasius, *data si crepundia*, quod metro adversatur. Virgilius lib. IV, *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum :* quanquam non materno id amore dictum.

785. *Asserere* Deum pro testari, fateri, aut tueri, vindicare.

786. Digna hæc sunt quæ cum verbis ipsis sacræ Scripturæ conferantur, lib. II Mach., cap. VII, vers. 22 : *Dixit ad eos* (mater) : *Nescio qualiter in utero meo apparuistis ; neque enim ego spiritum et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi. Sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus*.

787. Nebrissa ait non esse nihilum, unde est corpus. Heumannus in Poecil. t. II, pag. 364, lib. II, sine ulla dubitatione reponit *animusque, et illud :* quod Gallandio placebat. Verum proba est lectio codicum : sumit enim poeta *nihilum* pro exiguo, quod D hoc ipsum in rerum initio ex nihilo creatum est.

788. Vatt. B, Q, Mar., Prag. a prima manu, Widm., *amator*, male, pro *animator*.

789. Weitzius ex Fabricio citat *impende et ipsi*. At Fabricius in Poetis Christianis cum cæteris legit *impendere ipsi*. Fortasse in comment. peculiari scripsit *impende et ipsi*. Nebrissensis subaudit *decet*. Sed hoc loco *impendere* potius est imperativus modus vocis passivæ.

792. Parrhasius minus bene *virgas stupentes*. Weitz., Widm., Bong., Hailsbr. supra, Vat. A, Rat., Sich., Mar., Prag., Gis. ad oram, *vulnerum*. Ald., Parrh., Heinsiani, Alex., *verberum*. Nonnulli, *dolores*.

793. Rat., Mar., Wdm., Bong., *actum*. Vat. B, *ac tum*, quod conjecerat Weitzius in *actum*. Ita in Egm. Hailsbr., Pal., *ictum* factum ex *hic tum*, quæ verior est lectio, et exstat in plerisque. Prag., *actum*, postea divisum *ac tum*.

Romanus auctor torqueatur acrius.
Illum recentes per cicatricum vias
Denuo exarabant, quaque acutum traxerant
Paulo ante ferrum, mox recrudescentibus
Plagis apertas persequebantur notas,
Quos jam superbus victor ignavos vocat.
O non virile robur, o molles manus!
Unam labantis dissipare tandiu
Vos non potesse fabricam corpusculi!
Vix jam cohæret; nec tamen penitus cadit
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius cadaver dentibus carpunt canes,
Longeque morsus vulturum efficacior
1133 Ad devorandas carnis offas mortuæ.
Languetis imbelli fame, ac fatiscitis:
Gula est ferina, sed socors edacitas.
Exarsit istis turbida ira judicis,
Seque in supremam concitat sententiam.
Si te morarum pœnitet, finem citum
Subeas licebit, ignibus vorabere
Damnatus, et favilla jam tenuis fies.
Abiens at ille, cum foro abriperent virum
Truces ministri, pone respectans ait
Appello ab ista, perfide, ad Christum meum
Crudelitate, non metu mortis tremens,
Sed ut probetur esse nil quod judicas.
1134 Quid differo, inquit ille, utrosque perdere,
Puerum, ac magistrum, complices sectæ impiæ?
Gladius recidat vile vix hominis caput
Infantis: istum flamma vindex concremet.
Sit his sub uno fine dispar exitus.
Perventum ad ipsum cædis implendæ locum,
Natum gerebat mater amplexu et sinu,
Ut primitivum crederes fetum geri,
Deo offerendum sancti Abelis ferculo,
Lectum ex ovili, puriorem cæteris.
Puerum poposcit carnifex: mater dedit,
Nec immorata est fletibus: tantum osculum
Impressit unum. Vale, ait, dulcissime,
Et cum beatus regna Christi intraveris

GLOSSÆ VETERES.

800. Superbus victor, *fortis Romanus.* — Ignavos, *pigros*, I.
805. Lacertos, *brachia*, I.
807. Efficacior, *valentior*, I.
808. Offas, *morsus*, I.
809. Fatiscitis, *lassatis*, I.
810. Socors, *socordia dicitur pigritia.* — Edacitas, *voluntas edendi*, I.
811. Istis, *verbis*, I.
812. Concitat, *commovet*, I.
815. Damnatus, *morte scilicet, ut eum morti traderet*, I.
817. Pone, *retro*, I.
818. Appello, *voco: homines in judicio positi, quibus violentia infertur, solent dicere, Appello sedem apostolicam, vel regem*, I.
821. Differo, *moror*, I

COMMENTARIUS.

799. Parrhasius, Vatt. A, B, *prosequebantur notas.*
802. Hailsbr., *labentis.* Rat., *labentem*, supra aliena manu, *labentis.* Legendum omnino *labantis.*
803. Parrhasius, *potuisse;* ita etiam Alex.; et accedit Urb. *potisse.* Verum Parrhasius in emendatis monet *vos* pronomen redundare. Vatt. A, B a secunda manu, Q, Prag., Sich., Hailsbr., Palat., Bong., Gis. ad oram, *potestis.* Ald., Vat. B supra Weitz., Gis., Heins. et alii, *potesse:* quod probum est pro *posse* antique apud Lucretium, Lucilium, Arnobium.
807. Parrhasius, *morsus est vulturum;* redundat et metro officit *est.*
809. Vat. A, *in belli fame.* Prag., Rat., *imbecilli famæ.* Parrhasius, *atque*, nonnulli vulg., *at* pro *ac.* Legendum ut hic editum est, aut cum Widm., *Languetis imbelli fame fatiscitis;* aut cum Lottero, *et fatiscitis.*
810. Torn., *ferina, socors:* Latinius corrigebat *ferina, et socors*, non ita bene. Prima in *socors* alibi etiam a Prudentio corripitur.
814. Vat. B, Rat., Mar. a prima manu, *comburere.* Retine *vorabere.*
815. Rat., *ut* pro *et*, sed a recenti correctore videtur factum. Parrhasius corrupte, *et favillæ jam termes fies.* Pro *fies* legunt *eris* Vat. A, Egm., Pal. apud Weitzium et Becmanum, Hailsbr. supra, Widm. ad oram, Alt., Rott., Cauch., quod approbat Becmanus, quia extremo loco iambus poni debet. Sed cum Prudentius alibi priorem corripuerit in *fies*, hæc videtur vera lectio quæ in plerisque vetustioribus mss. reperitur. In nonnullis videtur esse *sies*, ut editum est a Lottero, quod non displicet pro *sis.* In Vat. Q, *et favilla jam fumans*, et desideratur postrema vox. In aliis etiam, in quibus est *eris*, est *fumans* pro *tenuis.*
816. Vat. B, Sich., *arriperent.*
817. Nebrissensis ait *pone* superfluere, quia *respecto* significat *retro aspicio.* Sed plura sunt huiusmodi quæ per pleonasmum dicuntur, ut *quia nam, quia enim.*
818. In Vat. A abest *ad*, et abesse quidem potest: nam veteres dicebant, *Appello Cæsarem* sine præpositione: posteriores sæpius cum ea.
819. Vat. B, Mar., Widm., *metum.*
820. Vat. A, *nihil esse quod*, vitiose. In Vat. B deletum est *nil*, et charact. minuto additum *nihil;* similiter videtur factum in Mar. Utrumlibet stare potest.
822. Heraldus in Arnobium pag. 221, et Elmenhorstius ibid. pag. 12, de convicio agunt, quo gentiles *impios* vocabant Christianos. Arnobius lib. IV, *Quoniam nos impios, irreligiosos vocatis.* Tertullianus, Eusebius, Lactantius, Justinus martyr, aliique similia proferunt.
823. Minucius: *Ut quisquam illum rudem sanguinem novelli, et vix dum hominis cædat:* ubi etiam sermo est de infante.
824. Mar., *infamis;* bene ad oram, *infantis*
828. Conjeceram *gregis* pro *geri*, quod etiam ex *gregi* in Thuan. Heinsius putabat.
829. Vat. B a prima manu, Mar. in textu depravate, *sanctiali* pro *sancti Abelis.*
830. Vat. A, *et puriorem.* Vide cap. IV Gen. Etiam gentilium mos erat *grege de intacto*, ut ait Virgilius lib. VI, vers. 38, hostias offerre, ubi de juvencis loquitur.
831. Vat. A, *poscit:* metrum exigit *poposcit.*
832. Minucius: *Osculum labiis impressit*, al. *pressit.* Vide vers. 209 lib. I in Symmachum.
833. Rott., tres Torr., Cauchii excerpta, *udum* pro *unum.* Sic apud Martialem lib. VIII, epigr. 44, *Osculis udus.* Cellarius edidit *udum*, alii *unum.* Certe aliud est *osculis udus*, et aliud *osculum udum.* Fabr., *vale, vale, dulcissime*, et *affectuosam repetitionem* hanc vocat. Rejicit autem verbum *ait* ad vers. 835. Pru-

Memento matris, jam patrone ex filio,
Dixit : deinde, dum ferit cerviculam
1135 **Percussor enso, docta mulier psallere,**
Hymnum canebat carminis Davidici :
Pretiosa sancti mors sub aspectu Dei ;
Tuus ille servus, proles ancillæ tuæ.
Talia retexens explicabat pallium,
Manusque tendebat sub ictu et sanguine ,
Venarum ut undam profluam manantium,
Et palpitantis oris exciperet globum.
Excepit, et caro applicavit pectori.
At parte campi ex altera, immanem pyram
Texebat ustor fumidus pinu arida,
Sarmenta mixtim subdita, et feni struem
1136 **Spargens, liquato rore ferventis picis,**
Quo flamma pastu cresceret ferocius.
Et jam retortis brachiis furca eminus
Romanus actus ingerebatur rogo.
Scio, inquit ille, non futurum ut concremer,
Nec passionis hoc genus datum est mihi:
Sed restat ingens, quod fiat, miraculum;
Hæc ejus orsa sequitur immensus fragor
1137 **Nubis ruentis, nimbus undatim nigr**
Præceps aquarum flumine ignes obruit.
Alunt olivo semicombustas faces,
Sed vincit imber jam madentem fomitem.

GLOSSÆ VETERES.

837. Psallere, *Deo laudes*, I.
841. Explicabat, *resolvebat*, I.
842. Sub ictu, *ictu et sanguine*, I.
844. Globum, *quasi spiritum volens recipere filii*, I.
850. Ferocius, *acrius*, I
852. Ingerebatur, *immittebatur*, I.
860. Fomitem, *nutrimentum quo ignis incendebatur*, I.

COMMENTARIUS

dentius imitatur phrasin et metum Virgilii eclog. 3, *Vale, vale, inquit, Iola.*

835. Fabr., *ait* pro *jam*. Raynaudus in lib. de Titulis cultus specialis sanctorum, tom. XVIII oper., puncto 9, multis probat communionem sanguinis, nationis, patriæ idoneum titulum esse specialis cultus quo sanctos venerari debeamus.

838. Ald. scribit *Davitici*. Psalmus est ordine cxv *ubi* v. 15, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*.

840. Vat. A, *tuus ergo servus*. Pal. mendose, *tuus ego servus* pro *ergo*, quod legitur etiam in Alex., et Vat. Q. Pro *proles* scribunt *prolis* Alex., Ambr., Thuan. cum aliis. Nihilominus Heinsius edidit *proles*, quamvis ultima debeat corripi. Sententia videtur deprompta ex psalmo cxxii, v. 2 et 3 : *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ.*

841. Vat. A pro div. script., *et plicabat*.

842. Gis. ad oram, Vat. A, Alex. in marg., *sub ictum vulneris*. Vat. Q mendose *subictam vulneris*. Egm. non melius, *tenebat sub ictum*. Pal., *sanguine ;* supra, *vulneris*. Latinius, partim ex conjectura, ut videtur ; partim ex vet. cod., legit *Manusque subtendebat ictu vulneris*.

843. *Undam* pro copia et affluentia posuit, ut alibi *unda meri*.

844. Egm., Hailsbr. in textu, *orbis* pro *oris*. Nebrissensis interpretatur sanguinis undam conglobatam ; adnotator editionis Lotteri, et Teolius, *abscissum infantis caput*, quod magis placet : vide vers. seq. Weitzius glossam Isonis cum glossa versus 242 continuavit. Non dubito quin duæ sint glossæ, atque inter se separandæ. Itaque separavi. Prima est diversa lectio.

845. Parrhasius contra metrum, *excipit*. Weitzius apposite conjicit, more quodam peculiari matrem applicuisse pectori filii caput. Et fortasse Prudentius præ oculis habuit illud Valerii Maximi libr. iv, cap. 7, in T. Volumnio, qui Marci Luculli, ab Antonio interempti, *caput*, quod abscissum jacebat, *sublevatum corpori suo applicavit*. Post hunc versum in margine Vatt. A et I erat ascriptum *Explicit*, scilicet martyrium infantis.

846. De ratione qua hujusmodi pyræ celeriter exstruerentur, vide comment. ad vers. 67 Peristeph. 6, et tabulam xvii.

847. Hailsbr., *fimida ;* puto *fumida* pro *fumidus*.

848. Urb., corrupto metro, *et struem feni*. A sarmentis quibus accensis vivi comburebantur, Christianos dictos fuisse *sarmentitios* notare potes in verbis Tertulliani ad vers. 105 Perist. 6.

849. Ald., *liquata ;* alii, *liquato*. Parrhasius, *liquato rore : frumenti spicas.*

850. Egm. mendose, *quos* et *ferocibus* pro *quo* et *ferocius*.

851. Ald., Nebr., Torn., *etiam* pro *et jam*, quod præstat. In Mar. ex *minis* videbatur factum *eminus*. Parrhasius, *furcæ nimis Romanus aptus*, quod exstat etiam in Mar., ubi legitur a prima manu *et nimis*, a secunda manu, *eminus*. Teolius *furcam* interpretatur fuscinulam. Verum Scaliger, in Manil., pag. 462, ad vers. *Accensisque rogis*, lib. v, docet patibulatos, ut Plautus loquitur, hoc est brachiis districtis ad furcam per urbem circumlatos, ita tandem in rogum conjectos, aut retortis in tergum brachiis, furca collo inserta : quo respicit Prudentius. Et idcirco, ut opinor, ait *eminus*, quasi furca e collo eminuerit. Hac ratione in hymno S. Fructuosi conciliari potest quod martyres in rogum insiluerint, ut refert Prudentius, et stipites quibus illi erant alligati remanserint, ut narrant Acta. Romanus quidem, ut memorat Eusebius, vivus in ignem jam accensum conjectus est *portans in humeris crucem*, quod de furca potest exponi.

853. Thuan., *ut nunc cremer*.

854. Ald., Oxon., *dictum est mihi*. Vocabulum *passionis* theologis usitatum pro quovis supplicii genere, neque aliud esse in hac significatione expressius S. Augustini sententia, monuit Fabricius. Usus ea voce fuit Tertullianus, et Cornelius Gallus, sive quis alius auctor elegiarum sub ejus nomine.

855. Vatt. A, Q, Parrhasius, Ambr., Thuan., duo Torrent., Alex., Egm., Pal., et alii, *et restat*, quod tenent recentiores, excepto Gallandio, qui cum Ald., Torn. edidit *sed*. Plerique edd. et scripti, *sed restat*. In Rat., *fiat ut*, sed a recenti correctore, ne si legatur *quod fiat*, prima in *fiat* corripiatur. Lotterus etiam, *fiat ut*. Eusebius lib. de Martyr. Palæst. ita rem narrat : *Cum ministri qui rogum accensuri erant imperatoris tum forte præsentis judicium exspectarent : Ubinam, inquit, mihi ignis ? Quibus dictis accitus coram imperatore sistitur novo quodam supplicii genere plectendus, linguæ scilicet abscissione*. Tacet miraculum ignis qui non potuit accendi. Atqui ipse Eusebius idem miraculum fuse exponit in lib. de Resurr. Vide ergo quam parum fidendum argumento neganti.

856. Torn. mendose, *ossa sequitur*. Fragorem nimbi ruentis ita descriptum *cataractam* a nonnullis existimari, notat Fabricius. Sed cataracta proprie est in fluminibus locus præruptus, angustus, et præceps, ubi aqua magno impetu et fragore ruit. Fabricius fortasse loquitur de cataractis cœli, de quibus in Genesi.

858. Vat. A, *fulmine ignes*. Alex. corrupte, *flaminæ ignes*. Parrhasius, *Præceps aquarum flumine : et ignis obruit.*

Trepidare teter carnifex rebus novis
Turbatus, et, qua posset, arte insistere,
Versare torres cum favillis humidis,
Prunas maniplis confovere stuppeis,
Et semen ignis inter undas quærere.
Quod cum tumenti nuntiatum judici
Movisset iram fellis implacabilis,
Quousque tandem summus hic nobis magus
Illudit, inquit, Thessalorum carmine,
1138 Pœnam peritus vertere in ludibrium?
Fortasse cervix, si secandam jussero
Flecti sub ensem, non patebit vulneri:
Vel amputatum plaga collum dividens
A Rursus coibit, ac reglutinabitur,
Humerisque vertex eminebit additus.
Tentemus igitur ante partem quampiam
Truncare ferro corporis superstitis,
Ne morte simpla criminosus multiplex
Cadat, vel una perfidus cæde oppetat:
Quot membra gestat, tot modis pereat, volo.
Libet experiri, Lerna sicut traditur,
1139 Utrum renatis pullulascat artubus,
Ac se imminuti corporis damnis novum
Instauret: ipse præsto erit tunc Hercules,
Hydrina suetus ustuire vulnera.

GLOSSÆ VETERES

861. Trepidare, *trepidabat*, I.
863. Versare, *versabat*, I.
865. Semen, *scintillam*, I.
869. Thessalorum, *Thessalia abundans est venenis et herbis quibus magicam faciunt magici; et ibi multi sunt magici et incantatores, e quibus Erichtho fuit, ut* B *refert Lucanus*, I.
870. Peritus, *doctus*, I.
874. Coibit, *coadunatur*, I.
875. Vertex, *caput*, I.
876. Quampiam, *aliquam*, I.
879. Oppetat, *moriatur*, I.

COMMENTARIUS

861. Vat. B, *trepidabat ether*, sed aliud fuerat prius. Rat., *trepidabat æther*, sed inductum *æther*, et factum supra *teter*. Prag., *trepidabat ater*. Mar., *trepidat æther*: supra tamen recentiori manu factum *trepidare teter*, quod unice verum est, scilicet *trepidare cœpit*, noto schemate.

862. Egm., Hailsbr., *possit*.

863. Mar., *humidis*; supra: Al. *aridis*.

865. Homericum est semen ignis, σπέρματα πυρός. Notat etiam Fabricius proverbiale esse *ignem in undis quærere* de re quæ frustra tentatur. In re nostra aptissime cadit proverbium.

866. Ambr., Thuan., Cauch., duo Torr., Rat., Vat. B, Parrhasius, Mar., *Quod cum tumenti nuntiatum judici Movisset iram*, quod amplexus est Heinsius, et cum eo recentiores; non tamen Gallandius, qui lectionem Aldi, Torn., et aliorum secutus, se ignorare ait unde Chamillardus aliud hauserit. Prag., *nuntiatum est judici, Movessat*, et glossa in margine, *movesso* esse verbum desiderativum a *moveo*, ut *capesso* a *capio*. Urb., Vatt. A, Q, Aldus, Lotterus et alii, *nuntiatum est judici Commovit iram*. Alex., *nuntiatum est judici, Movisset*, et ad marg., *commovit*.

868. Cum Christiani olim divino auxilio a tormentis interdum liberarentur, convicium illis objectum id est, ut magi appellarentur. Relege ad vers. 583 verba Suetonii de Christianis sub Nerone.

869. Vat. A, Hailsbr., Pal., Alex., duo vetustiores Heinsiani, Heinsius, *illudet*. Ald. cum plerisque, *illudit*. Gis. prima ed., *illudet*; secunda ed., *illudit*. Heinsius cum Ambr., *Thessalarum*, quia Thessalides ob artem magicam erant infames. Infames etiam erant Thessali, et plerique habent *Thessalorum*, etiam Parrhasius, qui cum Ambrosiano solet consentire. Cellarius inepte pro Thessalide saga adducit Horatii odam 27 lib. I, *Quæ saga, quis te solvere Thessalis Magus venenis ...... poterit*. Nam hic venena ipsa vocantur Thessala. Alii sane Thessalides veneficas diserte et frequenter nominant: neque est cur Gallandius putet *Thessalarum* in Chamillardo typothetæ errorem fuisse. Erichtho, cujus meminit glossa, est saga Thessalis apud Lucanum lib. VI. Idem nomen sive huic ipsi, sive cuivis alteri sagæ tribuit Ovidius.

872. Vat. A, Pal., Hailsbr., *euse*; alii *ensem*. Alex. scribit *hensem*.

873. In Vat. B, *amputatu*; sed fuit *amputatum* a prima manu.

874. Barthius, lib. XIV Advers., cap. 1, ex hoc aliisque locis ostendit *vulnera coire* dici, cum summa cute conglutinantur. Videtur indicare Barthius *coire* semper dici de vulneribus quæ intus non sanantur: quod non puto verum, nisi addatur *male coeunt vulnera*, aut aliquid simile.

876. Pagani, ut sæpe dictum, Christianos diutine torquebant, ut miserabiliter perirent, ac mori se sentirent.

877. Ald., *truncate*, minus recte.

878. Ethnici nolebant Christianos simpla, vel simplici morte perire. Vide notata in Laurentio ad vers. C 336 et 337. Adjectivo *simplus* usus est Plautus. Fabricius ait *simplum* referri ad quantitatem, et esse numeri; *simplex* vero ad qualitatem, et esse habitus. Alii hoc discrimen non agnoscunt.

879. Ambr., *cadat velat una*, ex quo Heinsius conjectat *cadatque et una*.

880. Chamillardus mendose, *quod membra*. Alii nescio qui apud Gallandium *quin*: lege *quot*.

881. Parrhasius vitiose, *Libet experiri, Lernæa sicut traditur Hydra, an renatis pulluletque hic artubus*. Giselinus affirmat locum hunc ab aliis fuisse corruptum, et perperam explicatum. Aldus vero, et alii jam legerant, ut legit Giselinus. Neque difficilis est aut obscura explicatio. Ait Asclepiades se experiri velle an, amputata parte aliqua Romani, aliæ renascantur, ut in Hydræ Lerneæ capite accidebat. Quod si id fiat, addit, non deerit aliquis Hercules qui hanc hydram interficiat.

882. Ald., *pululescat* pro *pullulescat*, ut habent D multi; sed plerique *pullulascat*, ut Rat., Mar., Urb., Vatt. B, Q., Alex. a prima manu, Lotterus.

883. Ald., Mar., *imminutis*: lege *imminuti*. Nebrissensis corrigebat *imminutus*: Nihil est necesse.

884. Rat., *tunc erit*, quod edidit Gis. et Weitz. Melius *erit tunc*. Apud Anselmum Bandurium, tom. II, pag. 55, exprimitur numisma Maximiani Herculei, in cujus aversa parte Hercules repræsentatur clava Hydram oppugnans, cum epigraphe: HERCULI DEBELLATORI. Id viri docti existimant innuere, Maximianum sibi arrogasse, quod Christianorum nomen delevisset, ut constat ex veteri inscriptione, quam vide in Eulalia ad vers. 100.

885. Ald., Teol., Urb., Vat. Q, Weitz., et alii, *ustum ire*, admisso hiatu. Pal., Egm., Hailsbr., Sich., Alex., Ambr., Thuan., *ustuire*, ut *hymnire* et *ignire*, et Heinsius putat esse pro *ustumire*, ut *circuire* pro *circumire*. Duo Torrent., Alt., Fabr., Parrhasius, *ustulare*, quod Cauchio arrisit ex conjectura. Salma-

A

Jam nunc secandi doctus adsit artifex :
Qui cuncta norit viscerum confinia
Vel nexa nervis disparare vincula.
Date hunc, revulsis qui medetur ossibus,
1140 Aut fracta nodis sarciens compaginat.
Linguam priorem detrahat radicitus,
Quæ corpore omni sola vivit nequior.
Illa et procaci pessima in nostros deos
Invecta motu, fas profanavit vetus,
Audax et ipsi non pepercit principi.
Aristo quidam medicus accitus venit,
Proferre linguam præcipit : profert statim
Martyr retectam, pandit ima et faucium.
Ille et palatum tractat, et digito exitum
Vocis pererrans, vulneri explorat locum.
Linguam deinde longe ab ore protrahens,
1141 Scalpellum in usque guttur insertans [agit.
Illo secante fila sensim singula,
Nunquam momordit martyr, aut os den- [tibus
Compressit arctis, nec cruorem sorbuit.
Immotus et patente rictu constitit,
Dum sanguis extra defluit scaturiens :
Perfusa pulcher menta russo stemmate
Fert, et cruenti pectoris spectat decus,

GLOSSÆ VETERES

888. Disparare, *separare*, Vat. A.
889. Hunc, *talem*, Vat. A.
894. Fas, *legem*, Vat. A. — Prophanav't, *corrupit*, I.
896. Accitus, *aavocatus*, I
902. Scalpellum, *genus ferri quo medici utuntur.* — Insertans, *immittens : insertare est immittere cum ali-* B *qua violentia*, I.
903. Sensim, *tractim*, I.
906. Rictu, *rictus apertio oris*, I.
907. Scaturiens, *ebulliens*, I.
908. Russo stemmate, *rubeo sanguine*, I.
909. Fert, *suffert*, I,

COMMENTARIUS.

sius *usturire*, vel *ustulare*. Hailsbr. supra, *ustuare*. Lotterus, Latinius, Gis. prima ed., *ire inustum;* secunda ed., *ustulare*, ad oram *ire inustum*. Gifanius in indice Lucretii, ubi de ΕCTHLIPSI agit, legit *ustum ire* pro *urere*, ex vet. lib., et ex alio vet. *ustuire*, rectius, ut in jure civili *credituiri*, *debituiri*, etc., de quibus Antonius Augustinus lib. II Emendat., cap. 2. Existimat Gifanius *ustulare* irrepsisse ex glossa. Heumannus in Poecil., tom. II, lib. III, pag. 364, corrigebat *Hydrina suetus is coire vulnera*. Galland. præfert *ustuire*. Hydriam ab Alcide ustam tradunt veteres. Vide Burmannum Antholog. pag. 569. Albricus de Deorum Imaginibus ita rem narrat : *Fuit autem hydra juxta fabulam in Lerna palude, cui uno cæso capite, duo excrescebant; igne circa eam apposito illam exussit*. Prudentius innuit Herculem exussisse vulnera capitum quæ abscindebat, ne ex eo vulnere alia pullularent : quod Apollodorus lib. III narrat : *Qui cum proximæ silvæ partem succendisset, ignitis torribus renascentia hydræ capita inurens, eum in modum renascentium capitum ortus suboriri prohibebat.*

886. Giselinus perite observat elegantissimam hanc esse veri chirurgi periphrasin, desumptam a proximis adjunctis, peritia scilicet anatomicæ artis, et proba luxationum ac vulnerum curatione. Dolet autem partes nobilissimæ artis pessimo exemplo ab eo usque tempore discerpi, ac laniari cœpisse. Hic enim Aristo chirurgus tantum fuisse videtur.

888. Widm., Bong., Vat. B, Mar., Prag., Rat., *discrepare*. Sich., Bong. supra, *dissipare*, quo alludit in textu Hailsbr., *dissiparare*. Plerique, *disparare*.

890. Vat. B, Mar. pro div. script., *noris*, contra metrum, pro *nodis*. Mar., Widm., *compagina :* lege *compaginat*. In Thuan. erat *Sarcians*, ex quo Heinsius conjiciebat *sarcinans*, quod Salmasio quoque visum fuerat. Sed non facile mutaverim *sarciens* cum *sarcinans*.

891. Ovidius lib. VI Metamorph., *Comprensam forcipe linguam Abstulit ense fero; radix micat ultima linguæ*. Plautus Aulul. II, 3, 72, *Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus*. Contra immane istiusmodi supplicium gravissime declamavit Cicero pro A. Cluentio num. 66 : *Nam Stratonem quidem, judices, in crucem actum esse exsecta scitote lingua : quod nemo est Larinatium qui nesciat. Timuit mulier amens non suam conscientiam, non odium municipum, non famam omnium ; sed quasi non omnes ejus sceleris testes essent futuri, sic metuit, ne condemnaretur extrema servuli voce morientis. Quod hoc portentum, dii immortales? quod tantum monstrum in ullis locis? quod tam infestum scelus et immane, aut unde natum esse dicamus ?*

C

892. Vat. B, *corpori*, minus recte. Vide quæ contra linguam, nempe malam, habentur in epist. cathol. Jacobi cap. III, et supra comment. ad vers. 768.

893. Ald., Mar. a prima manu, Vat. B, *illa procaci*, quod videtur Prudentianum, ut producatur *a* in *illa* ob *pr* dictionis sequentis, ut alibi ex probabili plurium scriptura : *Dente frequenti exasperat*. Prag. corrupte, *illa pessima et procaci*.

894. Pal., *motus*, male. *Fas* ad Deum et religionem pertinere, *jura* ad homines, notavit Servius I Georgic., *Quin etiam festis quædam exercere diebus Fas et jura sinunt*.

896. Ambr., *quondam medicus*. Weitzius scribit *ascitus*. Chirurgi medici vulnerum dicebantur, aut medici chirurgi.

898. Ald. distinguit *Martyr retectam pandit, ima et faucium*. Fabr., Gis., *et pandit ima faucium*. Alii *pandit ima et faucium*. Teolius omnino omisit *et*, nescio an consulto. In nonnullis vulg. male, *ima et pandit faucium*.

901. Alex., *ab ore protrahat*, supra *protrahet*. Lege *protrahens ;* Prag. corruptissime, *trahens ab ore*.

902. *Inusque*, aut *in usque* divisim pro *usque in* usurpatur a Statio et Avieno. Simile est *inante*.

904. Arnobius lib. VI dixit simili phrasi, *Malam dentibus comprimens*.

D

905. Hailsbr. a prima manu, Egm., *ictis*. Weitzius scribit *artis*. Sich., Gis. in textu, Fabr., *aut cruorem*. Alii, *nec*.

907. Weitz., Egm., Widm., Heins., scribunt *scaturriens*. In Rott. et Cauchiano, *defluat* pro *defluit*. Cauchius conjecerat *defluens ebulliit*, merito improbante Heinsio.

908. Lotterus et Parrhasius, *ruffo*. Gis. prima ed., *rufo*, Fabr., *rubro*. Cellarius rejicit glossam Isonis, et censet verius ex Seneca et Plinio describi signa generis et nobilitatis, imaginibus per lineam successionis alligatæ, quæ et ipsæ parvæ imagunculæ. At dubium vix est quin sermo hoc loco sit de sanguine, qui russum stemma dicitur, quia eo fuso martyres vere nobilitantur. Salmasius in not. ad Lampridium in vita Heliogabali affirmat, legendum *stammate* pro *stagmate*, ut apud Lampridium *simma* pro *sigma*, apud Juvenalem *stemma* pro *stegma*. Est autem Græce *stagma* gutta, stilla, aut liquor. Acuta est hæc conjectura.

Fruiturque et ostro vestis ut jam regiæ.
Ergo ratus præfectus, elinguem virum
Cogi ad sacrandum posse, cum verbis carens
Nil in deorum obblateraret dedecus:
1142 Jubet reduci jam tacentem, ac debilem,
Multo loquentis turbine olim territus.
Reponit aras ad tribunal denuo,
Et thus, et ignem vividum in carbonibus,
Taurina et exta, vel suilla abdomina:
Ingressus ille, ut hos paratus perspicit,
Insufflat, ipsos ceu videret dæmonas.
Irridet hoc Asclepiades lætior:
Addit deinde: Nunquid inclementius,
Sicut solebas, es paratus dicere?
Effare, quod vis, ac perora, et dissere.
1143 Permitto vocem libere ut exerceas.
Romanus alto corde suspirans diu,
Gemitu querelam traxit, et sic orsus est:
Christum loquenti lingua nunquam defuit:
Nec verba quæras quo regantur organo,
Cum prædicatur ipse verborum dator.
Qui fecit ut vis vocis expressa intimo
Pulmone, et oris torta sub testudine,
Nunc ex palato det repercussos sonos,
Nunc temperetur dentium de pectine,
Sitque his agendis lingua plectrum mobile:

GLOSSÆ VETERES.

913. Oblatraret, *latraret*, I.
916. Reponit, *repromittit*. — Ad, *ante*, I.
918. Abdomina, *pinguedines*, *de folliculo suis*, I.
919. Hos, *tales*, I.
922. Inclementius, *durius*, *furiosius*, I.
932. Testudine, *Curvatura: testudo curvatura. Sub testudine ideo dicit, quia uranon Græce, Latine palatum dicitur, eo quod curvum est in similitudine cœli, qui et uranon dicitur. Cavitate*, I.

COMMENTARIUS.

910. Vat. A, Rat. a secunda manu, *fruiturque ostro*: melius *fruiturque et ostro*. Parrhasius, *fucatus ostro*.

911. Scripti et vett. edd., ut Ald., Parrhasius et alii, constanter *præfectus ergo ratus*, obnitente metro; in Alex. mendose *erga* pro *ergo*. Giselinus ausus est ordinem verborum mutare *Ergo ratus præfectus*, aliis exemplis adductus in quibus Prudentius corripit primam in *ratus*. Secutus est Heinsius et alii. Vossius, de Arte grammat. lib. II, cap. 22, pronuntiat a Prudentio *a* in *ratus* produci, nec mutari debere ordinem verborum. Vide proleg. num. 216.

912. *Sacrare* hic et alibi est sacrificiis colere, ac deos venerari.

913. Alex., Vat. A, Thuan., Rott., tres Torr., Alt., Pal., *blateraret*, quod probat Heinsius, quia primam in *blaterat* produxit etiam auctor Philomelæ. Ald., Fabr., Lotterus, *obblacteraret*. Plerique *oblatraret*, quod tuetur Gifanius in indice de Ecthlipsi ex tribus vett. lib. Giselinus in textu, *obblacteraret;* ad oram, *Nil oblataret in deorum dedecus*. Potest scribi *obblacteraret* a *blatero*: nam et *deblacterare* apud Festum scribitur pro *deblaterare*. Et Prudentius quidem amat hujusmodi verba composita ab *ob*. Hoc vult Nebrissensis, qui ex Festo notat, *blaterare* esse stulte, et percupide loqui. Ex *obblateraret* factum puto *oblatraret*, quod cum hiatu retineri posset. Fabricius *obblacterare* explicat ovis in morem *contra blacterare*, ut in cognata significatione *obgannire*.

914. Ald., *et;* alii, *ac*.

915. Parrhasius, *multi loquentis*: lege *multo loquentis*.

919. Teolius apponit punctum post *perspicit*, nisi erravit typographus.

920. Aldus interpungit *Insufflat ipsos, ceu videret dæmonas*. Barthius, lib. IV, cap. 7, ostendit, *exsufflare* usitatum Christianis scriptoribus verbum significare per contemptum flando abominari, et detestari, atque adeo irridere, ex Severo: *Vidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem, quem eminus, ut verbo, quia ita necesse est, parum Latino loquamur, exsufflans*, etc. Barthius addit: *Utitur eadem voce Tertullianus, de Idololatr., et, nisi fallor, Prudentius*. S. Hieronymus, cap. 17 Vitæ Pachomii: *Qui signo crucis frontem suam muniens exsufflavit in eum* (dæmonem), *moxque fugatus est. Intelligebat enim cunctas inimici versutias; et timore divino præditus illusiones ejus pro nihilo computabat*. Vide Onomasticon Rosweydi. Certe non aliud in Prudentio legerat Barthius, nisi hoc *insufflat*, quod ejusdem est significationis. Vide comment. ad vers. 21 hymni S. Eulaliæ.

921. Sich., Bong., *arridet hoc*.

922. In quibusdam vulg., *nunquid insolentius*, quod sententiæ congruit.

924. Pal., Vat. A, Heinsiani, et alii, *quidvis*. Ald. cum aliis, *quod vis*. Ald., Weitz., Gis. prima ed., *ac per ora edissere*. Parrhasius, Lotterus, Gis. secunda ed., Heinsiani, et nonnulli Vatt., *perora, et dissere*. Gallandius cum Torn., *Effare quod vis, ac per ora edissere*.

925. Vat. A, *liber ut*, minus recte. Fabr., Gis., *libere exercere te*. Scripti aliter. Tribrachys est quarto loco, admisso hiatu.

927. Vat. B, Rat., *sic exorsus* Widm., Mar., *sic exorsus est*. Metrum exigit *et sic orsus est*.

928. Breviar. Moz., *loquendi* non ita bene. Fabricius præclaram hanc sententiam dicit, et miraculis confirmatam: nam Christianos homines quibus Vandali linguas exciderant, locutos circa annum 530 tradit Gemblacensis. Exstat hujus rei testimonium minime dubium imperatoris Justiniani lib. I, tit. 27, cod., lege 1: *Vidimus venerabiles viros qui, abscissis radicitus linguis, pœnas suas miserabiliter* (forte *mirabiliter*) *loquebantur*. Alia exempla plena manu congerit Sagittarius cap. 16. De Romano idem miraculum confirmant Chrysostomus et Eusebius, qui tradit Romanum, dum linguam carneam haberet, balbum fuisse, postea ea abscissa, rectissime locutum. Fuse id exaggerat Eusebius in lib. de Resurr., qui tamen idem in lib. de Martyr. Palæst. nullum de tanto miraculo fecit verbum. Imbecillum est igitur argumentum negans.

929. Nonnulli vulg., *quæ*. Rectius, *quo*.

932. Glossam confirmat Isidorus lib. XI, cap. 1: *Palatum nostrum sicut cœlum est positum, et inde palatum a polo per derivationem; sed et Græci similiter palatum* οὐρανὸν *appellant, eo quod pro sui concavitate cœli similitudinem habeat*. Ubi Griales locum Ciceronis de Epicuro adnotat: *Sed dum palato quid sit optimum judicat, cœli palatium, ut ait Ennius, non suspexit*. Hispani similiter palatum vocant *el cielo de la boca*: quam linguæ nostræ proprietatem vellem illustratam in Diction. Acad. Hisp., origine ex Græco Latinoque sermone indicata.

933. Ald., Ox., *repercusso*. Nebrissensis etiam *repercusso*, et *palato repercusso*, exponit *ex testudine oris*. Non autem probo ejus conjecturam, legendum *nec ex palato*, et vers. seq., *nec temperetur*: quasi Romanus de se, abscissa lingua, hæc intelligat.

934. Inter linguam et dentes plures litteræ formantur, ut notum est.

935. Ald. mendose, *his augendis*. De plectro lin

1144 Si mandet idem, faucium sic fistulas
Spirare flatu concinentes consono,
Ut verba in ipsis explicent meatibus,
Vel exitu oris cymbalis profarier,
Nunc pressa parce labra, nunc hiantia:
Dubitasne verti posse naturæ statum,
Cui facta forma est, qualis esset primitus?
Hanc nempe factor vertere, ut libet, potest,
Positasque leges texere, ac retexere,
Linguam loquela ne ministram postulet.
Vis scire nostri numinis potentiam?
Fluctus liquentis æquoris pressit pede,
Natura fluxa ac tenuis in solidum coit,
Quam dispar illis legibus, queis condita est!
1145 Solet natatus ferre, fert vestigia.
Habet usitatum munus hoc Divinitas,
Quæ vera nobis colitur in Christo, et Patre,
Mutis loquelam, percitum claudis gradum,
Surdis fruendam reddere audientiam,

A Donare cæcis lucis insuetæ diem.
Hæc si quis amens fabulosa existimat,
Vel ipse tute si parum fidelia
Rebare pridem, vera cognoscas licet:
Habes loquentem, cujus amputaveras
Linguam: probatis cede jam miraculis.
Horror stupentem persecutorem subit:
Timorque, et ira pectus in caliginem
Vertere: nescit, vigilet, anne somniet:
Miratur hærens, quod sit ostenti genus.
Formido frangit, armat indignatio.
Nec vim domare mentis effrenæ potest,
Nec, quo furoris tela vertat, invenit.
Postremo medicum sævus insontem jubet
Reum citari; nundinatum hunc arguit
B **1146** Mercede certa pactus ut colluderet.
Aut ferrum in ore nil agens, et irritum
Versasse frustra se retunsis tactibus

GLOSSÆ VETERES.

936. Idem, *Deus.* — Fistulas, *sicut lingua*, I. *Arterias*, Vat. A.
937. Consono, *convenienti*, I.
939. Exitum, *sonitum.* — Profarier, *loqui*, I. — Cymbalis, *labris*, Mar.
940. Parce, *moderate*, I.
942. Cui, *a quo*, I.
943. Nempe, *certe*, I.
944. Texere, *ordinare*, I.
945. Postulet, *indigeat*, I.
948. Coit, *coadunatur*, I.
949. Dispar, *multum.* — Queis, *quibus*, I.
950. Solet, *mare*, I.
953. Percitum, *percitus dicitur velox.* — Gradum, *gressum*, I.
958. Rebare, *pro rebaris*, I.
964. Hærens, *stupens, dubitans.*— Ostenti, *monstri, miraculi*, I.
966. Effrenæ, *indomitæ*, I.
969. Citari, *vocari*, I.— Nundinatum, *mercede conductum*, Mar. *Mercatum*, *locatum pretio*, *nundinor, mercor.*— Arguit, *nunc*, I.

COMMENTARIUS.

guæ dictum initio hujus hymni. Chrysostomus homil. 1 de S. Romano: *Os enim erat cithara, lingua plectrum: artifex anima, ars vero confessio; plectro tamen ablato, lingua, inquam, neque artifex, neque ars, neque instrumentum inutile evasit.* Et in homil. 2: *Velut enim cithara quædam plectro destituta Creatorem collaudat.*

936. Parrhasius, *fauces, sicut fistulas*, qui error est in metro. Nebrissensis interpretatur Romanum loqui, ut, si Deus vellet, loqueretur fistula et cymbalum, quamvis hæc non habeant voces articulatas. Non hæc poetæ mens est; describit enim vocis organa, et formationem in his qui lingua bene valent, ut concludat, Deum, qui hæc omnia fecit, pariter posse facere ut sine his vox formetur. Vocat autem faucium fistulas, et cymbalum oris, quia fauces in fistularum formam, os in cymbali similitudinem factum est.

937. Rat., *continentes*, recte emendatum per *concinentes.*

939. Mar. pro div. lect., *exitum*. Ox., *vel in exitu.*

940. Rat. contra metrum transponit *pressa labra parce.*

944. In Vat. A abest hic versus, sed in fine paginæ est ascriptus cum hujusmodi nota, qua indicetur hoc loco esse reponendum. Virgilius VI Æn., *Leges fixit pretio, atque refixit.*

945. Vat. B, Mar., Rat. a prisca manu, *loquelæ*. Widm., *postules;* supra, *postulat*. Lege *postulet*, et *loquela* potius quam *loquelæ.*

948. *Natura* pro creatura ponitur, ut apud Arnobium et alios. Vide Meursium lib. I Critic. Arnob. cap. 11.

949. Ald., Vat. A ad oram, *quæ dispar*. Fabr., Sich., *qui dispar*. Alii, *quam dispar*. Parrhasius depravate, *quam disparilis legibus.*

951. Prag., *usuatum*, recte supra alieno quamvis charactere *usitatum.*

C 953. Prag., *concitum* pro *percitum.*

954. Meursius, in Critico Arnobii cap. 10, lib. I, ex Cicerone, Plauto, Arnobio, Tertulliano, Cypriano et aliis, probat *audientiam* esse probam vocem Latinam. Sed notandum hic poni pro auditu, apud alios alia gaudere significatione; neque pro auditu alium scriptorem Forcellinus allegat, nisi Prudentium.

955. Weitz., Urb., Vatt. A, B, Mar., Rat., *insuetam*. Alex., Vat. Q, Ald., Bong., Gis., *insuetæ*. Quod tenuit Heinsius, quamvis discrepantiam lectionum non adverterit.

957. Meursius, loc. cit. cap. 5, lib. II, *fidelia* pro *fide digna*, et *credibilia* recte accipit. Alia significatione *fidelis* est Christianus.

960. Prag., *linguam: et probatis*. Meursius loc. cit. mendum putat *cede*, et scribit *crede*. At concinnius videtur *cede*, et nulla est causa cur mendum id dicatur.

963. Rat., Mar., Parrhasius, Widm., *an somniet*. D Ratio metri poscit *anne.*

969. Torn. corrupte, *nunc arguit*. Weitz. cum Bong., *nundinatum argui:* quod non placet. *Nundinari*, ait Fabricius, est opera quæ in nundinis fiunt exercere, ut licitari, indicare, vendere, poscere, emere, addicere.

970. Vat. A a prima manu, *concluderet*, sed factum *colluderet*, vel, ut alii scribunt, *conluderet.*

971. Parrhasius, *Aut ferrum in os nihil agens irritum*, vitiato metro.

972. Parrhasius, *seu retonsis tactibus*. Vat. A, *se retusis tactibus*. Alex., *se retunsis actibus*, et pro div. script., *tactibus*. Vat. Q, *retusis tactibus*. Urb., Weitz., *seu retunsis tactibus*. Ita Vat. B, Mar. a prima manu, Prag., ubi est *se* pro *seu*. Fabricium et Aldum citat Weitzius pro *seu retunsis actibus*, sed illi habent *tactibus*. Hailsbr., *seu retusis tractibus*. Egm., Thuan. a manu prima, Heinsius in notis, *se retunsis actibus*. Widm., *seu retusis tactibus*. Gis., *ceu retusis ictibus.*

Aut arte quadam vulnus illatum breve,
Quod sauciata parte linguam læderet,
Nervos nec omnes usquequaque abscideret.
Manere salvam vocis harmoniam probe,
Non posse inani concavo verba exprimi,
Quæ concrepare lingua moderatrix facit.
1147 Esto, ut resultet spiritus vacuo specu :
Echo sed exstat inde, non oratio.
Veris refutat medicus hanc calumniam,
Scrutare vel tu nunc latebras faucium,
Intraque dentes curiosum pollicem
Circumfer, haustus vel patentes inspice,
Lateatne quidquam, quod regat spiramina.
Quanquam forassem forte si puncto levi,
Tenuive linguam contigissem vulnere
Titubante plectro fatus esset debilis.
Nam cum magistra vocis in vitium cadit,
Usus, necesse est, et loquendi intercidat.
Fiat periclum, si placet, cujusmodi
Edat querelam quadrupes, lingua eruta,
1148 Elinguis et quem porca grunnitum [strepat,
Cui vox fragosa, clamor est inconditus :
Probabo, mutam nil sonare stridulum.
Testor salutem principis, me simplici
Functum secantis arte, judex optime,
Servisse jussis absque fraude publicis.
Sciat hic, quis illi verba suggillet Deus :

GLOSSÆ VETERES.

975. Usquequaque, *omnimodis*, *ex omni parte.* — Absciderel, *occideret*, I.
976. Harmoniam, *consonantiam.*— Probæ, *bonæ*, I.
977. Non, *scilicet putabat ille*, I.
978. Concrepare, *sonare*, I.
979. Specu *antro*, *eo quod ibi lateat lingua*, *veluti in specu*, I.
981. Veris, *verbis: probamentis.*—Refutat, *abnegat*, I.
982. Scrutare, *o judex*, I.
984. Haustus, *hiatus oris*. Vat. A.
985. Lateatne, *utrum*, I.
986. Quanquam, *quamvis*, I.
989. Magistra, *lingua*, I., Mar. — In vitium cadit, *læsa fuerit*. Vat. A.
991. Periclum, *inquisitio*, *fac probamentum*, I.
992. Edat, *proferat*, I.
994. Cui, *a qua*. — Fragosa, *scilicet clamat.* — Inconditus, *inarticulatus*, I.
995. Stridulum, *pro stridule*, I.
996. Salutem, *per salutem*, Mar.
999. Suggillet, *pro subministret*, I. *Suggerat*, Mar.

COMMENTARIUS.

Lotterus, *seu retusis ictibus*. Alt., Heinsius in textu, Pal., *se retunsis tactibus*. Mar. pro div. script., *seu retunsis ictibus*. Gifanius in DISPANSUS ex tribus mss. præfert *se retunsis actibus*, ubi *se* pro *eum* ponitur. Latinius, *ceu retusis ictibus*, et pro div. lect., *ceu retunsum tactibus*.

973. Suspicabatur aliquis *leve* pro *breve*: sed *breve* vulnus recte dicitur.

974. Hailsbr., *sauciatam*, minus recte.

975. Vat. A, Egm., Wid. ad marginem, *occideret*. Ald., Cell., *abscinderet*. Vat. Q, *occiderunt*. Plerique *abscideret*, pro qua scriptura tres alios codd. laudat Gifanius in *vitalia rerum*.

976. Ambr., Ald., Hailsbr., Bong., Widm., *armoniam*. Egm. corrupte, *arimoniam*. Mar., Iso, *probæ* pro *probe*.

978. Vatt. A, Q, Alex. supra, Weitz., Hailsbr., Pal., *lingula*. Heinsius cum Ambr. et Thuan., *ligula*, quia diminutivum a *lingua* est *lingula* et *ligula*. Alex., *ligula* a prima manu. Teolius tres Vatt. pro eadem scriptura indicat, et notat *ligulam* a Sidonio vocari etiam *legulam*, et apud Josue VII, 21, pro *regula* reponendum *legula*, ut animadvertit Sidonii commentator Savaro: nam Hebraica vox non regulam, sed linguam sonat. Verum etiamsi vox Hebraica linguam significet, tamen multi adhuc exponunt regulam, sive laminam auream in linguæ formam cusam; adeoque retineri potest vox *regula*. Præterea apposite multi legunt *lingua*, ut Ald., Urb., Vat. B, Mar., Gis., et alii. Quarta sede hujus versus tribrachys recipitur. Hoc, aliisque similibus exemplis communis lectio vers. 481 et 550, *fidiculæ*, et *fidiculas* sustineri debet.

980. Ald., Hailsbr., Gis. ad oram, Heinsius cum suis mss., *exstat*. quod amplexus est Teolius. Sed quod hic addit, in probatioribus mss. non esse *exit*, non omnino verum est : nam *exit* habent Vat. B, Mar., Rat., Prag. et alii, præter edd. Weitz., Gis.

981. Eusebius lib. de Resurr. tradit medicum hunc fuisse Christianum, sed infirmitate carnis, non proposito, cecidisse : adeoque linguam abscissam ad sanitatem illius delicti quod admiserat abnegando, domi recondidisse, *ut consuerunt infirmiores*, *fide'es tamen*, *honorare*, *si quid a martyribus sumpserint*. Addit Eusebius medicum produxisse coram judice linguam quam inciderat, et facto simili experimento in quodam damnatorum, hunc statim obiisse.

985. Parrhasius, *lateine*. Widm., *quidquid*; ad oram, *quidquam*, probe.

987. Vat. A perperam, *tenui vel linguam contigissem*.

988. Mar. *factu*, supra *factus*, Parrhasius, Weitz., *factus*. Melius *fatus*, scilicet loquela.

989. Prag., *ministra vocis*.

990. Mar., obnitente metro, *necesse est loquendi*. Potiores, *est et loquendi*. Vat. A, Weitz., Hailsbr., Pal., Alt., *est*, *eloquendi*: id conjiciebat Chamillardus, mendosum judicabat Teolius in non paucis mss. Certe rectius est *est*, *et loquendi* cum Ald., Parrhasio, et aliis. Gis., *necesse est*, *ut loquendi*.

991. Prag., *fac* pro *fiat*, et *hujusmodi* pro *cujusmodi*; utrumque male. Parrhasius bene edidit *periclum*, correxit perperam *periculum*.

992. Prag., *edat loquelam*, minus bene.

993. Ald. scribit *grunitum*.

995. Parrhasius, *probabo mutum*.

996. Sichard., *nec*: retine *me*. Veteres jurare solebant salutem, vel genium principis. Vide legem 33 D. de jurejurando, et interpretes, et Tertullianum lib. ad Scapulam, et Apologet. cap. 28 et 32: *Sed et juramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis*. Etiam Joseph cap. XLII Genes. v. 15. *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus*. Vide notas Cerdæ ad cit. loc. Tertulliani.

999. Vat. A, *sciat*, et supra *scit* pro div. scriptura. Ambr., Gis. ad oram, Parrhasius, Nebrissensis, et Cauchius ex conjectura, *suggerat*; quæ est glossa. Chamillardus ignota significatione *suggillo* a Prudentio poni affirmat. Joseph Scaliger apud Becmannum de Orig. ling. Lat. ait ex Verrii opinione *suggillare* dictum a gula. Teolius exponit *gulam arctando extorqueat verba*. Prudentius pro *suggerat* verbum hoc adhibet, et fortasse a *suggero* deducit. In sacris Litteris *suggillo* est strangulo.

Ego, unde mutus sit disertus, nescio.
His sese Aristo purgat. At contra impium
Nil hæc latronem Christianorum movent:
Magis, magisque fertur in vesaniam;
Quærit, alienus sanguis ille asperserit
Virum, suone fluxerit de vulnere.
1149 Respondit his Romanus: Eccum, præsto sum:
Meus iste sanguis verus est, non bubulus:
Agnoscis illum, quem loquor, miserrime
Pagane, vestri sanguinem sacrum bovis,
Cujus litata cæde permadescitis?
Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
1150 Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,

GLOSSÆ VETERES.

1000. Disertus, *distincte loquens*, I.
1001. His se, *scilicet ubi*, I.
1003. Vesaniam, *pertinaciam*, I.
1006. Eccum, *pro ecce*, I.
1010. Permadescitis, *humefactatis*, ..
1013. Infulatus, *infula est proprie redimiculum coronæ sacerdotalis, sed abusive pro omni vestimento sacerdotali ponitur*, Vat. A.

COMMENTARIUS.

1000. Vat. B, Mar., *ergo unde*, melius *ego*: Vat. A male. *sit hic disertus.*

1001. Ald., Mar. a prisca manu, Torn., Sich., Bong., Widm., *his se Aristo*, quod Weitzius edere non debuit, siquidem metro consulere voluit.

1002. Sæpe persecutores Christianorum *latrones* vocat Prudentius.

1004. Ambr., Parrh., Thuan., Alt., Cauch., Rott., Heins., *quærit, alienus* cum Vat. A, Alex., Rat., Egm., Hailsbr. Sed Ald., Fabr., Gis., Galland., et alii vulg., *quærit num alienus.* Weitz., Vat. B, Mar., Prag., Rat. aliena manu, *quærit an alienus.* Ald., Hailsbr., Heinsius cum Ambr., Thuan., Alt., Cauch., Rott., *ille.* Weitz., Fabr., Vat. B, Mar., Prag., *illum.* Parrhasius omittit utrumque, et legit *sanguis an asperserit.*

1005. Gis., Fabr., *effluxerit.*

1006. Gis., Fabr., *ecce;* alii, *eccum.* Simili modo in Laurentio vers. 309, *Eccum talenta, suscipe:* quanquam hoc loco recte procedit *eccum, præsto sum:* scilicet *ecce me.* In Laurentio *eccum* pro *ecce* simpliciter positum est, nisi etiam ibi intelligas *ecce me, talenta suscipe.*

1007. Hailsbr., *bubuli:* ita Vat. A. Præferendum *bubulus.*

1010. In Thuan., *promadescitis.* Heinsius putat scribendum *pro madescitis:* nam veteres *pro*, non *proh* scribebant.

1011. Vix jam dubium est quin de taurobolio loquatur Prudentius. Veteres interpretes aliud sacrificium intelligebant. Nebrissensis existimabat describi Terentina sacra, quæ fiebant Romæ in campo Martio, in loco qui dicebatur Terentos, in quo erat ara Diti patri sacra, pedibus viginti sub terra defossa: et sacrificabatur bos nigra. Ita fere Giselinus et Fabricius, qui addit hæc sacra facta mensibus Septembri, Octobri, Novembri, singulis semel, sed noctibus tribus continuis. Nebrissensi et Fabricio accedit Weitzius: nec dissentit Chamillardus, qui tamen hæc ipsa sacra Terentina *Tauropolia* dicta affirmat. Peveratus putat describi sacrificium, et ritus profanos, ac risu dignos, quibus Julianus Apostata, ut more majorum imperatorum una cum imperio summum pontificatum acciperet, ut baptismatis chrisma deleret, et Christi signum abstergeret, tauri sanguine prolui voluit. Sed, ut dixi, de taurobolio sermo est. Antonius Van Dale, de Antiquit., in prima dissertat. de origine ac ritibus hujus sacrificii agit. Præmittit gentiles quædam e Christianis ad sua sacra sumpsisse; inter hæc taurobolium, quo æmulabantur veram per Christi sanguinem expiationem. Cœpit taurobolium anno Christi 175, aut paulo ante: deletum est Valentiniano IV et Neoterico coss. Van Dalius ritus explicat ex Prudentio, quos Baronius, Bulengerus, et alii de consecratione pontificis maximi intellexerant. Distinguebantur in hoc sacrificio *vires tauri exceptæ, consecratæ, conditæ.* Vires exceptæ erant sanguis, consecratæ cornua, conditæ testiculi. Alii aliter explicant. Et, ut inter Christianos corruptela invaluit, ut alii pro aliis baptizarentur, ita etiam gentiles pro aliis etiam tauroboliabantur: nam hoc quoque verbum invexerunt. Gisbertus Cuperus epist. 4 ad Van Dalium confirmat, ethnicos imitatos fuisse cæremonias Christianorum et formulas loquendi. Apuleius ait, *per sacra renasci homines*, et exstat inscriptio vetustissima Renatvs tavrobolio in aeternvm. De taurobolio videri potest V. C. Zacharias in utilissima sua Institutione Lapidaria pag. 42., ex Montfauconio, Grutero, Salmasio in Vita Heliogabali pag. 804, et inscriptione Ulpii Egnatii Faventini: *Iterato viginti annis ex perceptis tauroboliis aram constituit*, quo significabatur tauroboliatos per annos 20 puros manere, neque posse tauroboliari, nisi exacto eo tempore. De taurobolio etiam agit Julius Firmicus: *Tauribolium, vel criobolium scelerata te sanguinis labe perfundit. Laventur itaque sordes istæ, quas colligis. Quære fontes ingenuos, quære puros liquores, ut illic te post multas maculas cum Spiritu sancto Christi sanguis incandidet.* Wowerius in notis duas veteres inscriptiones profert ex quarum altera colligi posse videtur taurobolia instituta fuisse in honorem Cybelis et Attidis. Itaque summus sacerdos intelligetur esse sacerdos Cybelis, qui fortasse pro aliis tauroboliari solebat Philippi a Turre episc. Adriensis dissertatio de Taurobolio Lugdunensi exstat tom. III Thes. antiq. Sallengre. In præfatione ad Vitas pontificum Anastasii plures inscriptiones de taurobolio, criobolioque Blanchinus profert, explicationemque nonnullam addit ex commentario Dominici de Colonia S. I. de hoc argumento. Exstant hujusmodi inscriptiones in hortis Burghesianis via Salaria, in quibus occurrit Lucius Ragonius Venustus *pontifex major;* et Q. Clodius Flavianus anno 383, *pontifex major...... pontifex dei Solis;* et eodem anno 383 V. C. T. *sacerdos maxima...... taurobolio, criobolioque repetito.* Anno vero 374 Clodius Hermogenianus Casarius V. C. proconsul Africæ, præfectus Urbis, *taurobolio, criobolioque percepto.* Consule Montfauconium tom. II Antiq., pag. 171.

1013. Gis. ad oram, tres Torrent., Cauch., Rott., *mitra infulatus*, quod amplectitur Heinsius, improbante Teolio, quia Romani mitra non utebantur, multo vero minus pontifices. Gallandius mendum putabat in vett. edd. *mire* pro *mitra.* Paschalius, de Coronis lib. IV, cap. 13 et 22, hos versus exscribit, et multa addit de sacerdotibus coronatis, vittatis, infulatis; et cap. 21 ostendit sacerdotes gentilium mitratos fuisse: nam mitræ genus erat pileus sacerdotalis, sive apex, et flamen, aut filamen. Communiori usu mitra est diadema episcopale et pontificium Christianorum.

1014. Gis. ad oram, *nexus*, et *replexus* pro *nectens*, et *repexus.* Mar., Vat. B, Prag., Rat., Sich., Weitz.,

Cinctu gabino sericam fultus togam.
1151 Tabulis superne strata texunt pulpita,
Rimosa rari pegmatis compagibus :
Scindunt subinde, vel terebrant aream.
Crebroque lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.
Huc taurus ingens fronte torva, et hispida,
Sertis revinctus aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur :
Nec non et auro frons coruscat hostiæ,
1152 Setasque fulgor bractealis inficit.
Hic, ut statuta est immolanda bellua,
Pectus sacrato dividunt venabulo,
Eructat amplum vulnus undam sanguinis
Ferventis, inque texta pontis subditi
Fundit vaporum flumen, et late æstuat.
Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapsus imber, tabidum rorem pluit,
Defossus intus quem sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe subjectans caput,
Et veste, et omni putrefactus corpore.

GLOSSÆ VETERES.

1015. Gabino, *Gabis civitas est cujus sacerdotes seminudis corporibus immolare solebant. Ergo sacrificantibus eis, affuere lupi, et tulere carnes quas ipsi immolabant; hinc ipsi, sicut erant impediti, cœpere eos persequi, et revocavere prædam. Proinde consuetudo venit ut ibi homines nudis litarent corporibus*, Vat. A. *Genus vestimenti. Gabini Romanis vicini fuerunt, a quibus magnam partem cæremoniarum sumpserunt.*—Fultus, *fultam habens*, I.

1016. Super, *desuper.* — Pulpita, *gradus scenæ : sedes, vel lectuli deorum*, I.

1017. Pegmatis, *juncturis. Pegma hoc loco pro junctura; alias ferrum rotundum quo scenici ludunt, id est theatrales. Conglutinationis et compaginationis. Pegma genus machinamenti quo luditur in theatris*, I.

1018. Subinde, *deinde.*—Aream, *planitiem tabularum*, I.

1023. Impeditus, *coronatus*, I.

1025. Bractealis, *luminis aureis.*—Inficit, *miscet*, I.

1027. Pectus, *scilicet tauro.* — Venabulo, *ferrum quo dividitur pecus, aptum venatoribus, id est minor securis; lancea*, I.

1035. Putrefactus, *sordidus*, I.

COMMENTARIUS.

Widm., Bong., Hailsbr., supra, *nexus*. Weitz., Egm., Hailsbr., Pal., Bong., Gifanius in PLEXUS ex tribus mss., et alii, *replexus*. Vat. Q mendose, *coronatum* pro *corona tum*. Ambr., *coronatum repexus auream*, ex quo Heinsius in notis scribi jubet *coronam tum repexus auream*, ut sit Græcismus. De corona aurea vide Burmannum Anthol. pag. 34 tom. I. Nebrissensis *repexus* exponit aut nimium *pexus*, aut ita *depexus*, ut turbarentur capilli. Sed in Oxon. bene explicatur, *id est*, *bene ornatus*, ut refert Heinsius.

1015. Vat. A. scribit *sericam*. Codex Latinii, Gis. in textu, *russeam*; ad oram melius *sericam*. In quibusdam vulg. mendose *seriam*. Cinctus gabinus est, cum toga exerto brachio dextro sic in tergum rejicitur, ut ima ejus lacinia a tergo in pectus sinistrorsus revocata hominem cingit. In columna Trajana imperator, ejusque milites hoc more induti conspiciuntur. Sed non propterea Fabrettio in ejus explanatione licuit inferre, hunc habitum militarium virorum et magistratus tantum proprium fuisse, et Prudentium poetica licentia illum summo sacerdoti attribuisse, uti Lucanum aliis lib. I Pharsal., *Turba minor ritu graditur succincta gabino*. Etenim vel alii etiam hujuscemodi habitu utebantur, ut multi docent, vel Prudentius taurobolium describit ab ipso imperatore, aut a viro primario perfectum, ut sacrificium magis risu dignum ostendat. Origo verior cinctus gabini inde petitur, quod incursione repentina hostium Gabii, cum non esset spatium sumendi saga, togas subductas et retro rejectas circa corpus complicaverunt.

1017. Egm., Alex. a prima manu, *pigmatis*: scribe *pegmatis*.

1022. Boves in sacrificiis coronari solitos constat etiam ex Act. apost. XIV, 12 : *Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare.* Delrius comment. in Œdip. Senecæ docet cornua victimarum auro quasi jugari et vinciri consuevisse, item coronari. Trebellius Pollio in Vita Galienorum pag. 178 : *Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, et dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes.* In antiquo lapide Romæ insculptum est de voto vicennali : *Vota Faventinus bis deni suscipit orbis, Ut mactet repetens aurata fronte bicornes.* Utrumque morem his Prudentii versibus confirmari notat Delrius. Advertendum est illa Faventini vota de taurobolio esse intelligenda. *Auratam frontem* Virgilius dixit, *inaurato cornu* Tibullus : quod multi explicant de cornibus auro litis. Sed aliud præterea in Prudentio indicat versus 1025, *Setasque fulgor bractealis inficit*.

1023. Weitz., Iso, Gis., *impeditus*. Aldus., Parrhasius et scripti Heinsiani, *impeditus*. E nostris Vat. B, Mar., Prag., Rat., *impeditus*. In Egm. mendum perspicuum, *impenditis*.

1024. Parrhasius vitiose *nec non et tauro*. De hoc more Plinius, lib. XXXIII, cap. 3 : *Deorum vero honori in sacris nihil aliud excogitatum est quam ut auratis cornibus hostiæ, majores duntaxat, immolarentur.*

1025. Ald. scribit *blattealis*; alii *brattealis*, alii *oracteulis*. In Mar., et, ut videtur, in Rat. erat prius *bratteolis*. Alex. etiam scribit *brattealis*.

1026. Vat. B, *stimulando*; supra aliena et recentiori manu, *est immolanda*. In Mar. pariter, *stimulando*; ad oram vera lectio descripta est.

1027. Ald., Alex., Urb., Parrhasius, Mar. supra, Gis., Weitz., et alii, *sacrato dividunt venabulo*. Vatt. B, Q, Mar. a prima manu, Ratt., Prag., Thuan., Noms., Heins., *sacrata dividunt venabula*. Heinsius in duobus invenit *sacratum dividunt venabula* : scilicet *pectus sacratum*.

1029. Rat., *subdita*. Substantive *textum* ponitur apud Catullum, Lucretium et alios. Vide Gifanium.

1030. Mar. in textu, Widm. supra, Hailsbr., *vaporem* : lege *vaporum*. Chamillardus in indice notat esse substantivum. Sed poterit etiam esse adjectivum a *vaporus*, ut in hymno S. Fructuosi vers. 115, *Vaporus ardor*.

1031. Prag., *sequentes* : rectius *frequentes*. Imo id unice verum videtur.

1034. Vatt. A, Q, Hailsbr., Pal., Egm., *turpe objectans*. In Alex. videtur factum *turpes objectans*. Retinendum *turpe subjectans*. Fabr. *turpe* adverbium esse putat, et in parenthesi per indignationem legi mallet.

1035. Ald. mendose, *omne* pro *omni*. Heinsius cum solo Thuan., *putefactus* : quia apud Prudentium, inquit, prima in *putrefactus*, et *putris* semper occurrit brevis. Ineptam hanc et falsam esse rationem, liquet ex vers. 9 hymni 7 Cathem., *Arvina putrem ne resudans crapulam*. Teolius et Cellarius Heinsio

Quin os supinat, obvias offert genas,
1153 Supponit aures, labra, nares objicit,
Oculos et ipsos perluit liquoribus:
Nec jam palato parcit, et linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.
Postquam cadaver sanguine egesto rigens
Compage ab illa flamines retraxerint,
Procedit inde pontifex, visu horridus,
Ostentat udum verticem, barbam gravem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis sordidum piaculi,
Omnes salutant atque adorant eminus:
Vilis quod illum sanguis, et bos mortuus
Fœdis latentem sub cavernis laverint.

A Addamus illam, vis, hecatomben tuam?
Centena ferro cum cadunt animalia,
1154 Variaque abundans cæde restagnat cruor,
Vix ut cruentis augures natatibus
Possint meare per profundum sanguinis.
Sed quid macellum pingue pulvinarium,
Quid maximorum laucinatores gregum,
Eviscerata carne crudos, criminor?
Sunt sacra, quando vosmet ipsi exciditis,
Votivus et cum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat deam.
Furere, ac rotari jus putatur mysticum:
1155 Parca ad secandum dextra fertur impia:

GLOSSÆ VETERES.

1041. Egesto, *emisso*, I.
1042. Compage, *tabula*, I.
1047. Piaculi, *purgationis*, I.
1051. Hecatomben, *centum; inde hechatontam, id est centum potestates habentem; et ideo centum hostiæ ei immolabantur*, I.
1056. Pulvinarium, *lectisternium vocat pulvinarium qui in templo ponebatur quando augurium quærebant per sacrificium*, I.
1058. Crudos, *rusticos, pingues*, I.

B 1059. Quando, *siquidem*, I.
1060. Votivus, *qui per votum venit*, I. *Voluntarius*, Vat. A.
1061. Fanaticus, *sacerdos qui in fano moratur*, I.
1062. Deam, *Berecynthiam*, I.
1063. Rotari, *scilicet objecians caput.*—Mysticum, *figuratum*. I.
1064. Parca, *quæ parcit, non se incidendo.*—Fertur, *dicitur esse*, I.

COMMENTARIUS.

adhærent: sed scripti et vett. edd. constanter et probe habent *putrefactus*. Chamillardus in textu, *putefactus*, in indice solum adnotat *putrefactus*.

1036. Ald., Torn., *qui nos*. Meliores libri nostri, et Heinsiani cum Cauchio, Lainius, Parrhasius, Gis., *quin os*. Weitzius, *quinos*. Scaliger, lib. II, cap. 1, Lect. Auson., cum invenisset alicubi *quinos*, correxit *cinnos*, vel *cinos*. Glossarium *cinnum* ἐπισχύνιον. *Cinnus* νεῦμα. Et Italica lingua, et vetus Gallica usurpant *cenno*, *accennare*, *accener*. Scaligero accedit Gattackerus ad Antoninum de Vita sua. Heinsio tamen minime id placet, neque aliis debet placere.

1046. Egm., Palat., Hailsbr. in textu, *hinc* pro *hunc*. Pro *contagiis* alios legere *contactibus* testis est Fabricius. Salmasius pag. 180 in Ælium Lampridium luculentam hanc descriptionem taurobolii dicit, et multa profert de taurobolio ac tauroboliatis ad hunc gentilium ritum illustrandum aptissima.

1047. In Prag. hic versus rejicitur post versum 1050, *Fœdis*, etc.

1050. Egm., Lat., Hailsbr., Vat. A, *laverit*, non male.

1051. Vat. A, corrupte, *illam vis hæc ad opem tuam*. Vat. B, Mar., Prag. scribunt *echatontem tuam*. Egm., Widm., *eccatontem*. Plerique *hecatombem*, aut *hecatomben*. Cauchius conjiciebat *si vis hecatombem*, ut metro consulatur. At Prudentius nunquam quarto loco dactylum immisit. Producit secundam in *hecatombem* necessitate quadam metrica: non enim alio modo facile hoc vocabulum adhibere potuisset, nec prudens ab eo abstinere debuit. Isonis glossa ita emendari potest: *hecaton centum*, *inde hecatombem*, etc. Hecatombe est sacrificium centum boum; a Laconibus primum institutum dicitur, qui cum olim centum præessent urbibus, centenos quotannis boves pro centum civitatibus immolabant. Alii alia. Vide Eustathium in Homeri Iliad.

1052. Vat. A, *fere*; supra videtur esse *ferro*. Prag., *fere*. Rott., Prag., Hailsbr., Vat. B, Mar. supra, Gis. ad oram, Sich., *cui cadunt*. Alii, *cum cadunt*. Widm. et Parrhasius omittunt *cum*, vel *cui*: sed corrumpitur metrum.

1055. Ald., Vat. B in textu, Mar., Bong., Widm., Sich., Gis. prima ed., *profundum sanguinem*. Alex., Urb., Vatt. A, B, supra, Q, Hailsbr., Pal., Fabr., Gis. secunda ed., Heins., *profundum sanguinis*. Weitz., Egm., *profunda sanguinis*.

1056. In Vat. B videtur fuisse *pluinarium*, aut certe *plumarium*, sed male. Vocat autem pulvinarium deorum macellum pingue, quia cruore hostiarum templa redundabant.

C 1059. Vat. A, *vosmetipsos*. Prag., *cum vosmetipsos*, supra *quando*. Lex carminis poscit *quando vosmet ipsi*. Recenset nunc poeta ritus gentilium quibus in deorum honorem sibi vulnera inferebant.

1061. Prag., *cultros*, repugnante metro. Mar. *lacertis*, supra *lacertos* rectius. Bellonæ sacerdotes lacertos sibi et brachia cruentabant, et fanatici dicebantur. Lactantius, lib. I, cap. 21; *Bellonæ sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exerentes currunt, efferuntur, insaniunt*. De his fanaticis Horatius, Lucanus, Juvenalis et alii. Sub Commodi tempora consuetudo invaluerat ut cruentationem fanatici simularent, non vere lacertos exsecarent. Nam Lampridius in ejus Vita ait: *Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit studio crudelitatis*. Apud Montfauconium, tom. I Antiq., lib. IV, pag. 262, repræsentatur Fanaticus Bellonæ, Isidis, et Serapidis, duos cultros manibus tenens.

D 1062. Nebrissensis vult legi *deum* pro *deam*, ut intelligatur Cybele mater deorum ex sententia Apuleii, qui Bellonam, Cybelem, Isidem idem numen esse putat. Ac revera *deum* legitur in editione Lottei. In Actis S. Symphoriani sæpe Cybele mater dea dicitur. Sed fortasse tam in his Actis quam in Prudentio præstabit legere *mater deum*, ut in veteribus inscriptionibus passim occurrit.

1063. Ald., *ac rotare*. Melius *ac rotari*. Rat., *et rotari*. Lotteus mendose *ejus* pro *jus*. Minucius: *Hi sunt et furentes quos in publicum videtis concurrere, vates et ipsi absque templo, sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur*, etc. Confer notas Heraldi et aliorum ad Minucium, et Elmenhorstii ad lib. I Arnobii, pag. 1.

1064. Ald., Vat. B in contextu, Torn., Mar.,

Cœlum meretur vulnerum crudelitas.
Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine:
Offert pudendum semivir donum deæ:
Illum revulsa masculini germinis
Vena effluenti pascit auctam sanguine.
Uterque sexus sanctitati displicet.
Medium retentat inter alternum genus:
Mas esse cessat ille, nec fit femina.
Felix deorum mater imberbes sibi
Parat ministros lenibus novaculis.
Quid, cum sacrandus accipit sphragitidas?

1156 Acus minutas ingerunt fornacibus-
His membra pergunt urere, utque ignive[rint:
Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædi[can.
Functum deinde cum reliquit spiritus,
Et ad sepulcrum pompa fertur funeris:
Partes per ipsas imprimuntur bracteæ,
Insignis auri lamina obducit cutem,
1157 Tegitur metallo, quod perustum est [ignibus.

GLOSSÆ VETERES.

1066. Metenda, *abscidenda*, I.
1070. Auctam, *accumulatam*, *vel placatam*, I.
1071. Uterque, *ironicos dicit*.—Sanctitati, *illi*.—Displicet, *eviratus utrumque genus despicit*, *et masculinum*, *et femininum*, I.
1076. Fragitidas, *fragis Græce dicitur missile: hinc fragitidæ spicula*, *vel acus majores*, Vat. A. *Notas a frangendo*, Mar.
1078. Igniverint, *pinxerint*, I.
1081. Functum, *defunctum*. *Fungi dicimus officium implere; defungi ab officio cessare; defunctus dicitur ab officio vitæ cessans*, I.
1083. Bracteæ, *laminæ auri*

COMMENTARIUS.

Weitz., *partâ*. Meliores Heinsiani, et nostri cum Parrhasio, Latinio, *parca*. Neque aliter Giselinus: etsi enim ediderit *parta*, tamen in emendatis correxit *parca* cum explicatione scilicet: *Impius est qui parce secat, pius qui crudeliter*. Nebrissensis exponit *parata*, quia legit *parta;* sed id est contra sententiam poetæ, nec pro *parata* recte dicetur *parta*.

1066. Parrhasii error in metro *dicat* pro *dedicat*. Nunc arguuntur sacerdotes Cybelis, de quibus non semel dictum.

1070. Prag., *vena defluenti*, contra metrum. Thuan. pro *effluenti* scribit *efluenti*, ex quo Heinsius conjicit *vena et fluenti*. Salmasius, *vena fluenti*. Parrhasius corruptissime edidit hos duos versus: *Illam revulsam masculini germinis Venam: effluenti Pasitheæ sanguine*. In emendatis monuit quosdam codices habere *Venam effluenti pascens auctam sanguine*.

1075. Ald., Parrhasius, et nonnulli vulg., *levibus*, seu *lævibus*. Scripti plerique, *lenibus*. Heinsius edidit *lævibus*.

1076. Vat. A, *sacrandos: lege sacrandus*. Parrhasius ita legit hunc versum, *Quid cum sacrandus occidit Phryx Atidi?* Nescio quo sensu. Ald., Gis. scribunt *sphragitidas*, et Giselinus deducit a σφραγίζειν, signare, et insignire. Inde σφραγὶς, et σφράγισμα. Derivativum σφραγίτις pro stigmatis et punctionibus vix alibi legi putat Giselinus. In scriptis Weitzianis, Heinsianis et nostris legitur *fragitidas*. Nihilominus Heinsius edidit *sphragitidas*. Nebrissensis *sphragitidas* exponit *medicamenta e terra sphragitide*, seu *sigillata*, *quæ valet ad cicatricanda vulnera*. Ex Celso lib. v, cap. 20 et 26, pastillus ad glutinandum vulnus sphragis nuncupatur. Melius Fabricius interpretatur signa aut notas impressas, vel memoriæ causa, ut fit annulo; vel religionis, ut fit ferro ignito. Ii etiam qui nomen militiæ dabant, ignito ferro pungi et stigmari solebant: unde sacramentum militare dictum, quia milites quasi sacrabantur. Lipsius, de Militia Romana, lib. I dialogismo 9, agit de militibus in cute punctis. Raynaudus, de Stigmatismo sacro et profano, sect. 2, cap. 7, de hoc ritu copiose disserit: non autem probat quod Primasius locum Apostoli ad Rom. I ita explicet, ut intelligatur ethnicos contumeliis affecisse corpora sua, *dum sibi characteres et ustiones infligunt in consecrationibus idolorum;* nam Apostolus clare agit de contumeliis per libidines et impudicitiam.

1077. Prag., *ingegit*, fortasse *ingerit*.

1078. Prag., mendose, *pergunt perurere*, *cum igniverint*. Egm., corrupte, *veruntur aere*. Ald., Parrhasius, scripti Heinsiani, Gifaniani, nostri, *pergunt urere*, *ut igniverint*. Id secuti sunt Weitzius, Heinsius et alii. Et Heinsius agnoscit quarta sede tribrachyn admitti cum hiatu. Gis. et nonnulli vulg., *utque igniverint;* ita enim postrema in *urere* eliditur, et fit iambus. Gifanius legit quidem *urere*, *ut igniverint*, sed quarta sede iambum, non tribrachyn, agnoscit. Defendit enim ex Martiani sententia, ea quæ in *t* finiuntur ancipiti intervallo habita esse: itaque producit *ut*. Hermannus. Hugo, cap. 19, de Prim. scrib. Rat., ubi probat non solum servis et reis, sed etiam militibus aliquando et sacris hominibus notas et litteras fuisse inustas, legit etiam, *urere*, *utque igniverint*. Vossius de Vitiis sermonis inter barbara rejecit verbum *ignio*, quod Hincmaro tribuit. Paulinus epist. 4 ad Ausonium usus est *ignitus*, quam vocem usurpat etiam Gellius. Barthius, lib. IX, cap. 18, notat Arnulfum *ignire* a Prudentio sumpsisse. Arnulfus ait: *Sublimes oculos. et acuti luminis ignit Excellens sensus*, *ingeniique vigor*.

1079. Egm., *Quacunque partem corporis fervens nota Stigmaret*.

1080. In Vat. A aliena manu videtur factum *stagnarit*, ad marg. *stigmarit:* incertum quid prius in contextu fuerit. Ald., Rott., *hanc si consecratam*. Egm., Vat. A, *hanc sacratam*, claudicante versu. Hinc Heinsius conjectabat *huncce sic sacratam*, vel *huncce consecratam*. Parrhasius *hanc conse ratam;* sed neque ita versus constat. Plerique, *hanc sic consecratam*.

1081. Ald., Bong., *relinquit spiritus*.

1084. Prag., *insignis auro lamina*.

1085. Fabricius ait eam partem auro aut argento includi, et quasi sacram post mortem asservari. Prudentius solum innuit partes quæ perustæ et notatæ sunt ignibus, obduci lamina auri impressa, atque adeo tegi. Hujus ritus quis alius meminerit, non occurrit. Raynaudus loc. cit. Fabricium impugnat quod crediderit ex hoc gentilium ritu morem pervasisse in Ecclesiam, ut digiti, brachia, articuli sanctorum includerentur vasis, et osculanda exhiberentur. Prudentii mentem esse ait Raynaudus, *inter efferendum funus honestata ad modum prædictum fuisse membra stigmate notata*, *sive consepultis*, *sive post funeris pompam detractis ante illationem in tumulum hujusmodi ornamentis*. Puto autem sermonem esse non de solis sacerdotibus Cybelis, neque de solis sacerdotibus Isidis, sed de quovis sacerdote, qui se numini alicui notis corpori inustis consecraret. An autem omnes sacerdotes id facere deberent, an solum alicujus nu-

Has ferre pœnas cogitur gentilitas. A
Hac dii coercent lege cultores suos:
Sic dæmon ipse ludit hos quos ceperit,
Docet exsecrandas ferre contumelias,
Tormenta inuri mandat infelicibus.
At noster iste sanguis ex vestra fluit
Crudelitate: vos tyrannide impia
Exulceratis innocentum corpora.
Si vos sinatis, incruente vivimus:
At si cruente puniamur, vincimus.
Sed jam silebo: finis instat debitus,
Finis malorum, passionis gloria:
Jam non licebit, improbe, ut licuit modo,
Torquere nostra, vel secare viscera:
Cedas, necesse est, victus, et jam desinas.
1158 Cessabit equidem tortor, et sector de- [hinc: B
Judex minatur: sed peremptoris manus
Succedet illis strangulatrix faucium:
Aliter silere nescit oris garruli
Vox inquieta, quam tubam si fregero.
Dixit, foroque protrahi jussit virum,
Trudi in tenebras noxialis carceris:
Elidit illic fune collum martyris
Lictor nefandus. Sic peracta est passio:
Anima absoluta vinculis cœlum petit.
Gesta intimasse cuncta fertur principi
Præfectus, addens ordinem voluminum,
Seriemque tantæ digerens tragœdiæ:
Lætatus omne crimen in fasces refert
1159 Suum tyrannus chartulis vivaci- [bus.
Illas sed ætas conficit diutina,
Fuligo fuscat, pulvis obducit situ,
Carpit senectus, aut ruinis obruit:
Inscripta Christo pagina immortalis est,
Nec obsolescit ullus in cœlis apex.
Excepit astans angelus coram Deo,
Et quæ locutus martyr, et quæ pertulit:
Nec verba solum disserentis condidit;
Sed ipsa pingens vulnera expressit stylo
Laterum genarum, pectorisque, et faucium

GLOSSÆ VETERES.

1089. Contumelias, *contumeliæ propriè sunt verbera et illatæ alicui injuriæ*, I.
1103. Illis, *tortoribus et sectoribus*, I.
1105. Quam, *nisi*, Vat. A.
1114. Fasces, *potestates*, Mar.
1115. Vivacibus, *diu durantibus*, I.
1116. Diutina, *longæva*, I.
1117. Situ, *vetustate*, I.
1120. Obsolescit, *deletur*. — Apex, *littera*, I.

COMMENTARIUS.

minis sacerdotes, et cujus numinis, nondum satis mihi liquet. Raynaudus loc. cit. recenset sacerdotes Cybelis, Bellonæ, Dianæ, Deæ Syriæ, Mithriacos, et diversos singulorum ritus magno doctrinæ apparatu C exponit.

1086. Minucius recte de Cybelilustrio: *Hæc jam non sunt sacra, tormenta sunt.*

1087. Parrhasius corrupte, *cohærant lege;* quamvis ipse contendat *cohærant* esse proprium Prudentii vocabulum pro *addicunt* ab *aere*, interjecta aspiratione hiatus causa. Longe enim melius dicitur *coercere lege*, quam *addicere lege*.

1092. Prag. male, *tyrannide cum impia*.

1096. Prag. minus bene, *debitis*.

1100. Vat. A, *desines*. Aldus non bene interpungit, *desinas, Cessabit equidem tortor, et sector dehinc. Judex minatur.* Verba *cessabit equidem tortor* non Romani, sed judicis sunt.

1101. Adverbium *equidem* Latinissime adhiberi posse etiam cum tertia aut secunda persona, multi jam docuerunt, nonnullis reclamantibus.

1103. Parrhasius, Egm., Rat., Hailsbr., Ambr., *succedit*. Ox., Rott., Urb., Vat. Q, Pal., *succedat*, D Gis. ad oram, *succedat illi*. Plerique edd. et mss., *succedet illis*. Eusebius, cap. 2 de Martyr. Palæst., ita factum narrat: *Cum imperatoris vicennalia jam adessent, et ex solemni more universis qui in custodia tenebantur indulgentia publice per præconem annuntiata esset, solus ad quatuor usque puncta distentos habens pedes, in ipso jacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio, sicut optaverat, exornatur.* Igitur Eusebius refert Romanum diu superstitem in carcere fuisse, et, cum vicennalia imperatoris adessent, strangulatum in carcere, scilicet ad publicos rumores vitandos.

1105. Supra dixit *faucium fistulas, cymbalum oris, plectrum linguæ;* nunc *tubam* vocat instrumentum vocis.

1107. Vat. A, Egm., mendose, *nox illis* pro *noxialis*.

1108. Strangulari in carcere infame mortis genus putat Teolius. Non assentiar, nisi testem veterem videro.

1111. *Intimare* pro indicare verbum est Cypriani, Vopisci, Spartiani, Symmachi, non Livii, ut Fabricius putavit, mendosa aliqua editione deceptus: nam lib. IV, cap. 46, non *intimasse filio*, sed *instituisse filio* legendum est.

1112. Ex veteri consuetudine id factum observat Teolius auctoritate Eusebii in Chronico, qui ait veterem hanc fuisse consuetudinem provinciarum rectoribus, *ut quidquid novi apud ipsos contigisset, imperatori nuntiarent, ne quid ipsum lateret.*

1114. Prag., *tyrannus omne*, et vers. seq., *suum lætatus:* sed hoc postremum metro non congruit. Cauchius ex conjectura, et Latinius *in fastos refert Suos tyrannus:* quod tenuit Giselinus, et cum eo Heinsius: sed uterque *suum*, non *suos:* et ita ediderant olim Murmellius et Loticherus. Refragantur plerique edd., et mss. Fabricius *fasces* interpretatur scytalas et latercula quæ in aulis imperatorum solebant convoluta aut deposita asservari. Nebrissa intelligit fasces librorum, aut potius annales, qui a consulibus nomen accipiebant, quorum insignia erant fasces.

1116. In nonnullis vulg., male, *illa sed ætas* pro *illas*.

1117. Cauch., Thuan., Parrhasius, Sich., Vat. A, B, Mar., Rat., Weitz., et alii, *uligo*. Plerique cum Aldo, *fuligo*.

1119. Mar., *inscripto;* supra *inscripta*, probe. Isaias XLIX, 16: *Ecce in manibus meis descripsi te.* Vide vers. 1 hymni 1 Per., *Scripta sunt cœlo duorum martyrum vocabula*, et hymn. 4, vers. 171

1120. Ald., *obsolescet*.

1121. Ex Evangelio Matth. XVIII, 10, *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Fabricius, quamvis heterodoxus, tamen fatetur non poetice id fictum, sed veram esse narrationem viri rerum divinarum scientissimi. Nam angelos Dei nobis adesse tanquam custodes, comites, defensores, spectatores, sacræ historiæ testantur et experiuntur pii homines.

1124. In Vat. A supra *pingens* erat additum *u*, ut esset *pinguens*, inepte.

Omnis notata est sanguinis dimensio,
Ut quamque plagam sulcus exaraverit,
Altam, patentem, proximam, longam, brevem:
Quæ vis doloris, quive segmenti modus,
Guttam cruoris ille nullam perdidit.
Hic in regestis est liber cœlestibus,
1160 Monumenta servans laudis indelebilis,
Relegendus olim sempiterno judici:
Libramine æquo qui malorum pondera,
Et præmiorum comparabit copias.
Vellem, sinister inter hædorum greges
Ut sum futurus, eminus dignoscerer,
1161 Atque, hoc precante, diceret rex optimus:
Romanus orat: transfer hunc hædum mihi:
Sit dexter agnus, induatur vellere.

XI HYMNUS.

INCIPIT AD VALERIANUM EPISCOPUM DE PASSIONE S. HIPPOLYTI M.

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe

GLOSSÆ VETERES.

1131. Regestis, *occultis. Regestum vocatur liber continens memorias aliorum librorum, et epistolas in unum collectas; et dictum regestum, quasi iterum gestum. Joannes Scotus registron dicebat*, I.

1132. Monumenta, *monumentum, et monimentum, et monimen, sed uno sensu semper ponuntur*, I.

1133. Olim, *in futuro tempore*, I.

1134. Libramine, *pondere*, I.

1138. Rex, *Christus*, I.

1140. Vellere, *innocentia*, I.

1. Romula, *debuisset dicere in Romulea; sed propter metrum Romula dicitur*, I.

COMMENTARIUS.

1131. Aldus edidit male *hic intregestis*, nec melius correxit *hic iter gestis*. Scripti *hic in regestis*. Regesta etiam dixit Vopiscus in Probo. Joannes Scotus, qui, ut ait glossa, *registron* dicebat, videtur esse Joannes Scotus Erigena, qui floruit primum in Anglia, deinde in Gallia sub Carolo Calvo, qui regnavit ab anno 840 ad annum 877. Æqualis fuit Isoni, qui obiit anno 871, ut confirmatur ex Mabillonio in observationibus præviis ad vitam S. Othmari. De hujus S. Othmari miraculis Iso libros duos scripsit, qui exstant etiam tom. I Scriptorum rerum Alamannicarum, ubi tom. II aliud opus ejusdem Isonis inseritur quod inscriptum est Formulæ chartarum.

1132. Plerique *monimenta;* alii *monumenta* scribunt.

1133. Weitz. cum Egm. et Hailsbr. maluit scribere *religendus*.

1135. Egm., Hailsbr. male, *comparavit*.

1136. Totum hunc locum abunde explicuimus cap. 19 prolegom. Dudo Decanus S. Quintini, lib. III de Moribus Norman. Prudentium æmulatus, ut captus erat illorum temporum, ita lusit: *Et me olidis vincum cum spexeris eminus hædis, Hic mihi nam spondent heu monimenta mei. Candidulos memet quamprimum transfer in agnos, Coagnus dexter eam velleris almiflui*. In simili loco Herici Altisiodorensis loc. cit. proleg., *vinctum* diversa est scriptura pro *junctum*.

1137. Latinius ex conjectura, opinor, *si sum futurus*. Non male Cellarius, *Ut sum futurus*, id est *ut omnino merui peccatis meis, qui inter hædos statuar*. Fabricius in Comm. Poet. Christ., pag. 118, *Quid est*, ait, *Prudenti Clemens, quod inter hædos te futurum dicis? an oblitus tui es, qui ante scripsisti: Crux nostra Christi est, nos patibulum ascendimus, Nobis peremptus Christus?* Tum in Romani invocationem invehitur. Ita homines isti, hæretico ac pravo judicio superbi, non solum veterum Patrum sententias licenter spernunt, verum etiam eosdem tanquam ineptos scriptores, et in eodem opere sibi ipsis aperte contrarios objurgant. Hunc Fabricii locum, uti alia plura quæ nos identidem notavimus, deleri jussit index expurgatorius Belgii, ubi post censuram in Christianos poetas G. Fabricii Chemnicensis excusos Basileæ, per Joannem Oporinum, anno 1564, illico additur: *Atqui editiones illæ, sive Germanicæ, ut Basileæ, aut Francofurti, aut alibi excusæ, sive Parisiensis apud eumdem Jacobum du Puys anno circiter 1560, quæ additas habent præterea præfationes, seu additiones Lutheri, aut Melanchthonis, multo magis suspectæ sunt; habent et appendices suspectissimas. Quod restat, et hæc, et reliquæ editiones tam Latinæ quam Germanicæ, Gallicæ, et Theutonicæ, interdicantur in universum omnes*. Quæ verba, non satis intelligo an plures alias editiones Poetarum Christianorum, an aliud innuant. De hoc indice plures tragœdias hæretici excitarunt, et quasi ab auctoribus in ipso initio compressus fuisset, eumdem ipsi anno 1599 recuderunt. Schelhornius, tom. II Amœnit. lit., pag. 371, eum inter libros rariores recenset. Exemplar primæ editionis Antuerpiæ 1571 exstat in bibliotheca Collegii Romani, hoc titulo: *Index expurgatorius librorum qui hoc sæculo prodierunt, vel doctrinæ non sanæ erroribus inspersis, vel inutilis, et offensivæ maledicentiæ fellibus permixtis juxta sacri concilii Tridentini decretum, Philippi II regis catholici jussu et auctoritate, atque Albani ducis consilio ac ministerio in Belgia* (sic) *concinnatus anno* 1571 *Antuerpiæ ex officina Christophori Plantini prototypographi regii*. 1571. Præfatur Arias Montanus.

1138. In Vat. B desideratur *hoc*. Vat. B a prima manu, *precante*, non bene.

1139. Teolius et Chamillardus secuti sunt Heinsium, qui cum solo Rott. ediderat *huc hædum*. Sed cum Heinsius in Addendis aliter sentire videatur, et codd. plerique habeant *hunc hædum*, retinendum id est. Confer proleg. num. 186. Post hoc carmen in Vat. A sequitur hymnus Natalis Domini. In Vat. B, Mar., *Finit Romanus Aurelii Prudentii Clementis. Incipit hymnus* VIII *cal. Januarii*. In Aldo *Finit Romanus Aurelii Prudentii Clementis Peristephanon*. Et illico ponitur hymnus SS. Hemeterii et Celedonii. In codice Bongarsiano, de quo egi in comment. ad hymn. Cassiani in titulo, post Passionem Romani hæc leguntur: *Finit Kathemerinon Prudentii Aurelii Clementis. Hoc est liber Ymnorum in honorem martyrum*. Hinc colligit Sinnerus, videri hymnos martyrum olim non sub Peristephanon nomine venisse. Rectius inscitiam exscriptoris collegisset. Idem Sinnerus notat in eo codice ad Romani martyrium picturas fuisse additas. Codex iste fuit olim ecclesiæ Argentinensis, tum Friderici Casimiri comitis palatini ad Rhenum Bipontini, dein ex hujus dono Jacobi Bongarsii, demum bibliothecæ Bernensis.

1. Ita hic hymnus inscribitur in Vat. B., Mar., Rat. In Heinsio, *De passione sancti Hippolyti beatissimi martyris. Ad Valerianum episcopum*. In Aldo, *Passio Hippolyti martyris ad Valerianum episcopum*. In Alex., *Ad Valerianum episcopum. De passione Hippolyti beatissimi martyris*. In Vat. A, *Passio Hippolyti beatissimi martyris*; ubi omittitur *Ad Valerianum episcopum*, quod præpostere titulo hymni S. Cassiani appositum est. Weitzius cum Aldo facit, nisi quod scribit *Yppoliti*, ut in quibusdam vett. codd. legitur. Jo. Albertus Fabricius duobus tomis in-fol. edidit *Opera S. Hippolyti episcopi et martyris cum virorum doctorum notis et dissertationibus. Hamburgi* 1716, ubi hymnus hic Prudentii, et plura testimonia de Hippolytis exstant. Eadem opera majori apparatu doctrinæ cl. Simon de Magistris edere jam pridem

1162 Vidimus, o Christi Valeriane sacer. A
1163 Incisos tumulis titulos, et singula quæris
Nomina? difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troja Roma deos.

GLOSSÆ VETERES.

2. Sacer, *sacerdos*, I.
3. Incisos, *sculptos vidimus.* — Singula, *scilicet si*, I.
4. Replicare, *explanare, numerare originem*, I.
5. Hausit, *consumpsit, quasi devoravit*, I.
6. Cum, *quando*, — Coleret, *colebat*, I. Troja, *a Trojanis exstructa*, Vat. A. *Quia a Trojanis ducunt originem*, I.

COMMENTARIUS.

meditatur, qui controversiæ de Hippolytis novam lucem addet : et jam in præfat. ad Danielem secundum LXX, etc., num. 7, de eodem S. Hippolyto quædam nova atque ab aliis non observata protulit. Hospinianus de Festis, in festo S. Hippolyti, Reinoldum pariter heterodoxum lib. I, cap. 1. de Ecclesiæ Romanæ idolo atria secutus, censet talem Hippolytum sanctum neminem exstitisse. *Prudentius enim*, ait, B *antiquus, atque haud scio an primus auctor hujus martyris videtur poetico more lusisse.... Videtur, inquam, figmentum Ovidii lib.* XV *Metamorphoseos ex nominis etymologia ad Hippolytum martyrem accommodasse*. Quæ ego verba ita retuli, ut hymnus cum eis collatus impudentissimi hominis temeritatem coarguat. Quippe Prudentius non solum cultum S. Hippolyti celeberrimum fuisse testatur, sed etiam ad ejus sepulcrum se sæpius orasse, et picturam in qua martyrium erat descriptum, vidisse asseverat, et ejus martyrium se cognovisse affirmat, dum rerum apices veterum per monumenta sequitur. Quisnam ergo locus fictioni poeticæ esse potest? Alia nobis est controversia cum catholicis, qui dicunt Prudentium tres martyres Hippolytos in unum confudisse, scilicet Hippolytum militem, qui ab equis discerptus est; Hippolytum presbyterum Antiochiæ, qui schisma Novati amplexus est, et Hippolytum episcopum : contra quos auctores ubi ius disputare esset animus, sed non est otium. Breviter dicam Prudentii narrationem C præferendam esse narrationibus illorum, quos longe post Prudentium scripsisse constat, neque tantam diligentiam in actis hujus martyris investigandis adhibuisse, quantam a Prudentio adhibitam vel ex hoc hymno liquet. Constantinus Ruggerius, infausta morte præreptus, dissertationem imperfectam reliquit de Portuensi S. Hippolyti episcopi et martyris sede, quam absolutam et multis adnotationibus auctam Achilles Ruschius Romæ 1771 publicavit. Ruggerius Prudentium de Hippolyto episcopo Portuensi, atque insigni scriptore, locutum contendit, sed ita ut gesta martyrii Hippolyti militis, et hæresin Novatianam Hippolyti presbyteri simul confundat. Quoniam vero auctores qui Prudentii fidem tuentur, varias addunt conjecturas de Hippolyto unico, quem Prudentius celebrat, Ruggerius multis rationibus hujusmodi conjecturas oppugnat : sed rem acu non tangit. Nam Prudentius sua auctoritate sustinetur, donec contraria monumento æqualis ponderis non pro- D ferantur. Illud autem ex Prudentio liquet, Hippolytum presbyterum, olim sectæ Novatianæ fautorem, martyrium subiisse, ab equis discerptum, ejusque reliquias ad cœmeterium Romanum fuisse translatas. An autem idem fuerit episcopus, non ita clare patet, minus vero, an fuerit auctor operum quæ sub Hippolyti nomine exstant. Martyrologia, in quibus plurimi errores et correcti jam sunt, et, nisi fallor, adhuc corrigentur, ad fidem Prudentii, qui certe multo ante scripsit quam hæc martyrologia, ut ad nos quidem pervenerunt, concinnata sunt, revocari debent, et cum Prudentio, si fieri possit, conciliari, ubi autem id non possit, rejici. In re præsenti de martyrio S. Hippolyti auctoritatem Prudentii tuentur Ruinartius, Tillemontius, Ceillerius, Basnagius, Fronto Ducæus, Plinius, Petrus Lazzeri in Thesibus de historia ecclesiastica Romæ 1747, et recens interpres Prudentii cl. Teolius, qui tamen Ruggerium pro eadem sententia immerito allegat.

2. Gis. et nonnulli vulg., *Christo*. Sic Alex. a secunda manu. Plerique scripti cum Aldo, Torn., *Christi*, elegantius ut aliis similibus exemplis probat Heinsius, Ciceronis Verrina 3, *Illa insula horum deorum sacra putatur*; Plinii lib. VIII, cap. 21, *Feram nomine axim sacram Liberi patris*; Nasonis, *Isse* B *sacros Martis sub juga panda boves*. Harduinus in notis ad loc. cit. Plinii non probat dici *sacer* cum genitivo. Sed multæ elegantiæ sermonis Latini perirent, si Harduini judicium in pretio haberetur. Itaque *sacer* hoc loco non tam est sacerdos, ut ait Iso, et putavit etiam Parrhasius, qui id Prudentii proprium esse dixit, quam Christo consecratus. Adisis proleg. num. 31 et 32, de hoc Valeriano, in cujus diœcesi satis probabiliter conjicitur natum Prudentium. Fontaninus, Hist. Aquileiens, pag. 125, recte Magdeburgenses coarguit quod cent. 4, cap. 10, p. 974, Valerianum Aquileiensem cum ejusdem nominis antistite, quem laudat Prudentius, male conflaverint. Nostrum hunc Valerianum Fontaninus Calagurritanum dicit. Parrhasius scribit *Valleriane*. Castus Innocens Ansaldus edidit opusculum in-8°, de Causis inopiæ veterum monumentorum pro copia martyrum dignoscenda adversus Dodwellum dissertatio. Mediolani 1747. Solus Prudentius, quem impudentissime pro se allegat Dodwellus, ad ejus refellendam temerariam C opinionem sufficeret. Testis enim est oculatus, qui ea scriptis tradebat, quæ palam nota erant; et, ut ex libris adversus Symmachum patet, crudelitatem gentilibus objiciebat, qui innumeros martyres occidissent : quod minime auderet, nisi tantum crimen in comperto esset. Primis octo distichis hujus hymni hanc martyrum multitudinem Prudentius prædicat. A versu 43 ad versum 77 idem argumentum fuse persequitur. In hymno S. Laurentii legimus vers. 541, *Vix fama nota est, abditis Quam plena sanctis Roma sit : Quam dives urbanum solum Sacris sepulcris floreat*. Lib. II contra Symmach. vers. 671 : *Post hunc et Decius jugulis bacchatus apertis Insanam pavit rabiem. Mox hæc sitis arsit Multorum similis per vulnera tristia flagrans Extrahere in ignes animas, ac ludere pœnis, Undantesque necem in gremium diffundere mortes*. Et lib. I, vers. 515, pariter de Roma : *Mox ubi contiguos fossis muralibus agros Sanguine justorum innocuo maduisse recordans, Invidiosa videt tumulorum* D *millia circum. Tristis judicii mage pœnitet*. Prudentio concinit Paulinus Nat. 13 : *Hic Petrus, hic Paulus proceres, hic martyres omnes, Quos simul innumeros magnæ tenet ambitus Urbis*.

3. Hinc patet titulum quod sæpe dixi, sumi pro elogio sepulcrali. Colligo præterea Prudentium vidisse etiam titulum Hippolyti, adeoque non ex sola pictura acta ejus enarrasse. Giselinus in emendatis pro *tu* correxit *et singula*, quod Heinsius non animadvertit. De inscriptionibus tumulorum consulendus Kirckmannus lib. III, cap. 19 et 20 de Funer. Roman.

5. *Populus* quamvis multitudinem significat. Observavit id Barthius, qui lib. IV Advers., cap. 13, et lib. XLI, cap. 3, fere totum hunc hymnum notis illustrat. Idem Prudentius Cath. hymn. V, vers. 135, *Umbrarum populus*. Psychom. vers. 798, *Virtutum populus*. Apuleius lib. V Metam., *Sive illa de nympharum populo*.

6. Parrhasius, *maxima Roma*.

Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur A
1164 Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis,
Nosse licet, quorum nomina nulla legas?
Sexaginta illic, defossas mole sub una,
Relliquias memini me didicisse hominum :
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.
Hæc dum lustro oculis, et sicubi forte latentes
Rerum apices veterum per monumenta sequor,
1165 Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati
Presbyteri attigerat, nostra sequenda negans,
Usque ad martyrii provectum insigne, tulisse
Lucida sanguinei præmia supplicii.
Nec mirere senem, perversi dogmatis olim,
Munere ditatum catholicæ fidei.
Cum jam vesano victor raperetur ab hoste,

GLOSSÆ VETERES.

7. Signata, *clausa*, I.
8. Epigramma, *superscriptio*, I.
9. Tumbas, *sepulcra*, I.
10. Significant, *indicant*, I.
11. Virum, *virorum*, I.
15. Comperta, *recitata*, I.
17. Sicubi, *ubique*, I.
18. Rerum, *martyrii*, I.
19. Schisma, *dogma, discussio, hæresim*. — Novati. *Novatus iste schismaticus, nam distat inter schismaticum et hæreticum. Schisma, id est scissio; inde schismaticus, qui a corpore Ecclesiæ aliqua novitate, sicut iste, qui dicebat hominem semel prolapsum criminali peccato, nunquam posse resurgere. Hæreticus namque qui sectam suam colit; hæresis enim secta, videlicet non credens unum Deum esse Patrem, et Filium, et Spiritum* B *sanctum, sicut Arius*, I. *Novatus iste monachus fuit et episcopus, qui dicebat hominem baptizatum, si semel peccasset, non posse postea veniam mereri*. Vat. A.
20. Nostra, *dogmata*, Mar. *Ecclesiastica, catholicam Ecclesiam*, I.
21. Provectum, *scilicet inveni*. — Insigne, *ornamentum*. — Tulisse, *accepisse*, I.
23. Mirere, *mireris*. — Senem, *Hippolytum*, I.
24. Ditatum, *scilicet esse*, I.
25. Victor, *ipse*, I.

COMMENTARIUS.

7. Weitz. cum Widm. scribit *locuntur*.
8. Parrhasius, *aliquid* : lege *aliquod*.
9. Gis. in contextu, *Sunt et multa tamen tacitas claudentia turbas*. Ad oram, *muta*, et *tumbas*. Scripti castigatiores, *muta*; plerique *tumbas*. Parrhasius, Vat. A, a secunda manu, B, Egm., Pal., Widm., supra, *multa*. Valsecchius, qui lib. II, cap. 2, de Fundam. Relig. pro copia martyrum auctoritate Prudentii pugnat, existimat, veriorem esse lectionem *turbas*. Parrhasius, qui legit *tumbas*, id verbum numerat inter alienigena quibus usus est Prudentius. Græcum est τύμβος, bustum, tumulus; unde factum opinor *catacumbas* euphoniæ gratia pro *catatumbas*, ut revera apud nonnullos veteres legitur. Alii *catacumbas* a *cumbis*, vel *cymbis*, navibus, et alia significatione calvariis deducunt. Vocabulo *tumba* pro sepulcro utuntur Hieronymus, Alcuinus, Rathbertus, aliique plures Christiani scriptores. In inscriptionibus Christianis eadem significatione legitur tumbus. Vide Ducangium.
11. Mar, male, *acerbis* pro *acervis*. Torn., minus bene, *conjectis* pro *congestis*.
13. Alicubi, *defossa*, perperam. *Moles* de sepulcro apte dicitur : sic moles Hadriani.
15. In officio ecclesiastico canitur, *Quorum nomina nota sunt in cœlis*. Vide vers. 1 hymni 1 Per., et vers. 1119 hymn. 10.
16. Gis. ad marg., *quos proprie junxit amicitia*. Justos amicos vocari, et esse Dei, notum est ex sacris litteris.
17. Notanda diligentia Prudentii, qui inscriptiones investigabat, ut de actis martyrum certus fieret. Et quod addit *Invenio, Hippolytum*, etc., aperte innuit se e certis monumentis inscriptis historiam comperisse; neque enim ex sola pictura cujus postea meminit, tam accuratam narrationem haurire potuit; neque credibile est historiam veram S. Hippolyti in tam magnifico ejus templo aut ignoratam, aut falso fuisse descriptam. Qui affirmant Prudentium, vulgari narratione deceptum, e tribus Hippolytis unum fecisse, advertere debent neque esse verisimile, ut Romæ historia S. Hippolyti eo tempore in ejusdem ecclesia ignoraretur, neque Prudentium eum esse qui aures vulgo facile præberet, cum in promptu illi esset doctiores interrogare, et vetera monumenta inspicere. Quod si ejus rei veritas tunc Prudentio non patuit, cur credemus eam martyrologiorum auctoribus multa post sæcula patuisse?
19. Mar., Rat., *inveni*; plerique, *invenio*. Videtur innuere Prudentius se in titulo sive epitaphio Hippolyti legisse id quod de hæresi Novati refert. Certe ex sola pictura, ut dixi, narrationem adornare non C potuit. Novatus presbyter fuit Carthaginensis, qui potestatem in Ecclesia esse negabat veniam concedendi gravioribus criminibus, quamvis lapsi pœnitentiam egissent. Novatus Romam veniens Novatiano antipapæ, qui schisma adversus Cornelium pontificem Romanum conflavit, sese adjunxit, et in suam hæresim Hippolytum aut solum presbyterum, aut etiam episcopum pertraxit, ut ex Prudentio constat. In martyrologio Romano post Baronii recensionem ad III cal. Febr. refertur Hippolytum presbyterum Antiochenum Novati doctrinæ prius faventem, postea ad fidem catholicam regressum pro Christo jugulum præbuisse. Sed diversus videtur fuisse hic Hippolytus, qui vere etiam Novato faverit, aut cui affictum fuerit quod de Hippolyto suo narrat Prudentius. Sollerius, Act. sanct. tom. VI Junii, in not. ad martyrologium Usuardi die 30 Jan., censet rem solum implicuisse Adonem, qui elogium illud Antiocheni Hippolyti adjunxit, quod inde cæteri transcripserunt. D *Martyrologos nostros*, addit, *maximi sane facimus, non tanti tamen ut ubique Prudentio tot sæculis anteriori præferendos putemus*. In glossa supplendum est *qui discessit a corpore*.
20. Egm., Hailsbr. supra, *sequere*, perperam, pro *sequenda*. Ald. et alii editi, *presbyter*. Widman. corrupte, *prespyter*. Mihi verius videtur *presbyteri* cum Vat. B, Prag. et Mar., ubi aliena manu ex *presbyter* factum *presbyteri*. Et fortasse Prudentius Novatianum antipapam vocat Novatum : fuit autem Novatianus presbyter Romanus, a tribus episcopis postea schismatice episcopus consecratus : Novatus autem hæreticus presbyter Carthaginensis, qui a Baronio et Chamillardo male creditur episcopus Afer fuisse.
23. Ald., *ne mirere*. Quod hic ait Prudentius de Hippolyti senectute, et replicat vers. 78, 109, 137, arguit diversum hunc esse Hippolytum ab Hippolyto milite, ut clarius postea patebit.

1166 Exsultante anima carnis ad exitium, A
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat:
Consultus, quænam secta foret melior,
Respondit: Fugite, o miseri, exsecranda Novati
Schismata: catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est:
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.
Quæ docui, docuisse piget: venerabile martyr
Cerno, quod a cultu rebar abesse Dei.
His ubi detorsit lævo de tramite plebem,
Monstravitque sequi, qua via dextra vocat,
Seque ducem recti, spretis anfractibus, idem
1167 Præbuit, erroris qui prius auctor erat:
Sistitur insano rectori, Christicolas tunc
Ostia vexanti per Tiberina viros.
Illo namque die Roma secesserat, ipsos
Peste suburbanos ut quateret populos.
Non contentus humum celsæ intra mœnia Romæ
Tingere justorum cædibus assiduis.
Janiculum cum jam madidum, fora, Rostra, Suburram

GLOSSÆ VETERES.

26. Exitium, *periculum*, I.
28. Consultus, *interrogatus*. — Secta, *fides*, I.
29. Exsecranda, *odiosa, respuenda*, I.
31. Vigeat, *crescat in vobis*. — Prisco, *Christi*. — B Templo, *familia*, I.
32. Cathedra, *doctrina*, I.
33. Docui, *antea*. — Piget, *pudet*. — Venerabile, *dignum esse*. — Martyr, *scilicet ego, reciprocum*, I.
34. Cerno, *scilicet modo*. — Cultu, *religione*. — Rebar, *æstimabam, sperabam, vel dicebam*, I.
35. His, *scilicet verbis*. — Detorsit lævo, *avertit sinistro*, I.
36. Dextra, *recta*, I.
37. Spretis, *contemptis*. — Anfractibus, *dubietates errorum*, I.
39. Sistitur, *præsentatur ipse Hippolytus*. — Insano, *contra insanum rectorem*, I.
40. Tiberina, *ubi mare intrat Tiberis*, I.
42. Peste, *persecutione*. — Quateret, *puniret*, I.
44. Tingere, *fluxu*, I.
45. Janiculum, *illum montem*. *Domum, id est montem*. — Fora, *loca: fora, fori, forum, et fores ita distinguuntur: fora, exercendarum litium locus, a fando dicta; forum, mercatorum, quod foris habeantur: fori, latera navium concava, a ferendis oneribus dicta; vel fori, loca ubi uva calcatur; fores, januæ quæ foras revolvuntur, sicut valvæ quæ intus*. — Rostra, *loca ubi rostra de ære Antoniarum navium Romæ posita sunt: dicta quod bello Punico captis navibus Carthaginensium rostra ablata sunt, et in foro Romano præfixa, ut essent hujus insigne*. — Suburram, *loci nomen in Roma ubi nova coria parantur; vel Suburra regio Romæ ubi publicus conventus fieri solebat*, I. *Suburra, proprium nomen loci Romæ ubi nunc coria parantur*, Vat. S.

COMMENTARIUS.

27. Rat. a prima manu, *comitatibus*. Teolius cum Ruinartio ex his verbis negat colligi posse Hippolytum fuisse episcopum, sed tantum presbyterum cujus curæ aliqua plebis pars fuerit commissa, quales sunt C nostri parochi, sive curiones, quos olim quoque obtinuisse post Sozomenum tradunt Petavius et Mabillonius. Mihi verius videtur hic describi episcopum sive Portuensem, sive Ostiensem: utrumlibet enim ex Prudentio argui potest. Infra, vers. 80, *Ipsum Christicolis esse caput populis*. Ruggerius Ruinartii sententiam convellere conatur, sed non tam validis rationibus quam ipse putat. In martyrologio Romano hæc notantur: *In Portu Romano S. Hippolyti episcopi, eruditione clarissimi, qui sub Alexandro imperatore ob præclaram fidei confessionem, manibus pedibusque ligatis, in altum foveam aquis plenam præcipitatus martyrii palmam accepit*. Diversum martyrii genus narrat Prudentius; sed vel fides Prudentio potius est adhibenda, vel tenendum duos fuisse Hippolytos martyres episcopos, alterum operum quæ Hippolyti nomine circumferuntur, auctorem; alterum de quo Prudentius in hoc hymno: quod facto facilius est quam quod Prudentius, in ecclesia ipsa S. D Hippolyti gesta hujus investigans, allucinatus fuerit.

28. Multi aiunt Hippolytum tunc primum hæresin, vel schisma Novati ejurasse. Sed id ex Prudentio non colligitur. Potuit enim Hippolytus jam antea ab schismate recessisse, et martyrio proximus suam sententiam de recta fide consulentibus exponere.

30. De his versibus vide proleg. cap. 21.

33. Ruinartius legit *piget et venerabile cerno*, repugnante metro. Exponit autem, *Testis sum hæc esse veneranda: vel, Nunc ego martyr*, etc.

35. Ald. mendose, *his ubi detersit*.

37. In Vat. A e *rectis* factum *recti* probe. Scilicet *ducem recti*.

39. Cellarius ait Alexandrum imperatorem principem mitem fuisse et causæ Christianæ faventem, adeoque solum per tumultum plebis Hippolytum pati potuisse. Addit Prudentium, qui diversos Hippolytos commiscet, etiam alium hoc loco principem finxisse. Chamillardus putat Prudentium loqui de Ulpiano, qui Christianis infensissimus erat, cui præfecturam prætorii Alexander contulerat, et quem scriniorum magistrum creaverat. Hi auctores pro vero ponunt id quod falsum est, aut quod in quæstione esset ponendum. Iterum dico, vel duos esse Hippolytos, vel narrationem martyrologii Romani narratione Prudentii debilitatam vacillare, non contra. Hippolytum quem Prudentius celebrat, martyrio coronatum in acerbissima persecutione Decii, aut Galli, aut postea Valeriani, probabilissimum mihi est. Et cum Prudentius de Hippolyto schismatis Novatiani fautore sermonem habeat, intolerandus anachronismus esset ejus martyrium imperio Alexandri Severi adjudicare. Difficultas ergo a Cellario excitata contra martyrologium Romanum, ubi Alexandri Severi fit mentio, valere fortasse poterit, Prudentium certe minime tangit. Cæterum sub Alexandro plures martyres vel Ulpiani J. C., vel aliorum adversus Christianos odio passos fuisse, ex martyrologiis et historia ecclesiastica perspicuum est.

40. Duo sunt ostia per quæ Tiberis in mare influit. Duæ urbes hinc inde conditæ olim exstabant, *Ostia Tiberina* altera dicta, in orientali parte, altera *Portus Romanus*, sive *Portus Augusti*, in occidentali. Urbes fuerunt; et adhuc celebrantur illustria nomina, titulis duorum cardinalium insignita, quorum Ostiensis decanus est sacri collegii. Ex hoc versu colligi potest Hippolytum Prudentii fuisse episcopum Ostiensem: nam *Ostia Tiberina* nomen proprium erat civitatis quæ simpliciter *Ostia* nominata est. Fabricius et Weitzius hanc tenent sententiam; quæ confirmatur ex vers. 151, *Ostia linquunt*, quod vix de Portu Romano dici possit. Nomen Ostiæ feminino genere antiquissimum est. De martyribus Ostiensibus præsertim sub Alexandro Severo, instigante Ulpiano, agit Piazza Hier. Card. pag. 16.

41. Cauchius conjiciebat *ipso* pro *ipsos*, scilicet *secesserat illo ipso die*.

43. Ald., Rat. a prima manu, Hailsbr., Heins cum suis castigatioribus, *celsa*. Parrhasius, Vatt. A, B, Mar., Prag., Weitz., Gis., et alii, *celsæ*.

45. In Glossa ad vocem *rostra* pro *Antoniarum* lege

1168 Cerneret eluvie sanguinis affluere : A
Protulerat rabiem Tyrrheni ad littoris oram,
Quæque loca æquoreus proxima portus habet.
Inter carnifices, et constipata sedebat
Officia, exstructo celsior in solio.
Discipulos fidei, detestandique rebelles
Idolii, ardebat dedere perfidiæ.
Carcereo crinita situ stare agmina contra
Jusserat, horrendis excrucianda modis.
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
1169 Stridere, virgarum concrepitare fragor.
Ungula fixa cavis costarum cratibus altos
1170 Pandere secessus, et lacerare jecur.

GLOSSÆ VETERES.

46. Eluvie, *sorde, vel putredine.* — Affluere, *abundare*, I.
47. Tyrrheni, *Tuscani, Tiberini.* — Oram, *finem*, I.
52. Idolii, *idolium est templum idolis consecratum, idolothytum vero sacrificium idolis immolatum*, Vat. A. *Servitus idolorum : officium idolorum.* — Ardebat, *furebat.* — Perfidia, *idolicæ*, I.
53. Situ, *squalore*, I.
54. Excrucianda, *vexanda*, I.
B
55. Inde, *postea.* — Lorea, *ex loris facta.* — Flagra, *flagella*, I.
56. Stridere, *pro stridebant.* — Concrepitare *pro concrepitabat*, I.
57. Ungula, *genus tormentorum.* — Costarum cratibus, *costis, vel juncturis*, I.
58. Pandere, *pro pandebat : scilicet cœpit.* — Lacerare, *pro lacerabat*, I.

COMMENTARIUS.

Antiatium. Parrhasius scribit *Suburam* cum Rat., Mar. et aliis.

46. Ald., Vatt. A, P, Alex., Gis., Heins. cum suis castigationibus, *affluere.* Vatt. B, Q, Urb., Parrhasius, Mar., Rat., Prag., Weitzius cum suis scriptis, *effluere.*

47. Widm., *horam :* lege *oram.*

48. Portum Romanum hic indicari probabile est. Sed cum supra *Ostia Tiberina* nominata fuerint, semper dubitandi locus relinquitur an in Portu Romano, qui minus proprie *Ostia Tiberina* dictus antea fuerit, an in Ostiis Tiberinis, quæ nunc *Æquoreus Portus* appellentur, Hippolytus martyrio fuerit coronatus. Verius tamen videtur Ostia Tiberina etiam hoc loco intelligi : nam infra vers. 151 simpliciter dicitur de loco martyrii : *Ostia linquunt.*

50. Parrhasius, *structo*; Egm., mendose, *extratto.* Ut *ministeria* pro ministris, ita *officia* pro illis qui officio funguntur, et apud Suetonium, Plinium Juniorem, jureconsultos veteres pro prætore, pro apparitore, pro comitatu prætoris.

51. *Rebelles* cum patrio casu notabat Barthius, ut *perfidiam* pro vitio fidei opposito vers. seq. In hymno S. Quirini vers. 1, *Insignis* cum patrio casu occurrit, et quamvis varient codices, elegantius multis videtur dicere Quirinum *insignem meriti*, quam *meritis. Perfidos* pro infidelibus alibi quoque usurpavit Prudentius.

52. Parrhasius, minus bene, *idoli.*

53. Ald., *crinata :* lege *crinita.* Dictum ad vers. 80 hymni 1 Peristeph., reos comam apud Romanos nutrire consuevisse : hinc *crinita agmina.*

54. Rott., *horrificis.* Parrhasius, *excruciata*, non ita recte.

55. De diversis instrumentis et modis quibus SS. martyres cædebantur, vide tabulas cruciatuum x et xi.

57. Instrumenta quibus corpora martyrum discerpebant r, tria numerat Ruinartius, ungulas, uncos, pectines : quæ in Gallonii figuris melius exponi affirmat. Confer tabulam xxvi a nobis additam, et ex veris instrumentis expressam : ubi num. I exhibetur chirotheca ferrea digitis incurvis, et extrema parte acutis, quæ ungularum species est, in cœmeterio Callepodii reperta. Vide Aringhium tom. II Rom. subterr., pag. 687, et Mamachium *De' Costumi de' primit. Crist.*, tom. II., pag. 306. Num. 2 repræsentatur uncus ferreus qui in cœmeterio S. Agnetis repertus est capiti cujusdam martyris infixus : de quo Mamachius loc. cit. Num. 3 describitur pecten ferreus qui exstat inter sacras reliquias monasterii sanctimonialium ordinis Dominicani S. M. Magdalenæ in monte Quirinali, de quo agunt Boldettus pag. 319 et Mamachius loc. cit., et pag. 309, et tom. III Antiq., pag. 205. Num. 4 et 8 ex museo sacro Vaticano duo instrumenta deprompsi quibus corpora martyrum lacerabantur, et videntur inter ungulas vel ungues esse referenda : nam sunt similia unguibus avium rapacium. Num. 5 exhibentur ungulæ bisulcæ quæ asservantur in basilica S. Petri, de quibus agit Gallonius, et nos jam antea locuti sumus. Num. 6 expressæ sunt plumbatæ ex museo sacro Vaticano, de quibus vide comment. ad vers. 117 in Romano. Num. 7 et 9 repræsentantur duo lebetes quales insculpti sunt in sepulcris Victorinæ, et Exuperantii, et a Mamachio inter alia martyrii instrumenta descripti tom. II *de' Costumi* pag. 306. Vide etiam tom. III Ant. Christ. pag. 206. Hæc omnia martyrii instrumenta addere visum est tabulis Gallonianis, quas cum P. Peregrinus Chiesa editioni C quam meditabatur, operum Prudentii paratas exsculptasque haberet, liberaliter concessit, ut in usum cui destinatæ erant cederent. Diversæ sunt, neque ita accuratæ descriptæ imagines martyriorum quas Gallonius in opere Italico de Cruciatibus SS. martyrum excuderat. Differunt etiam a nostris picturæ quas, jubente Gregorio XIII, hortante ac consilium præbente Michaele Lauretano S. J., Pomarantius et Matthæus Senensis in ecclesia S. Stephani Cœlii montis, sive, ut vocant, Rotundi expresserunt, ærique Tempesta incidit. Libellum vidi inscriptum : *Triumphus martyrum in templo D. Stephani Cœlii montis expressus. Julio Roscio Hortino auctore. Opera et industria Joannis Baptistæ de Cavalleriis.* Romæ, ut puto, editus est hic libellus : cujus nonnullæ tabulæ ad martyres libri Peristephanωn spectant, scilicet tabula III, SS. apostoli Petrus et Paulus; tabula XVIII, S. Laurentius cum Hippolyto equis raptato; tabula XXII, S. Agnes; tabula XXIV, S. Vin- D centius in craticula. Consule etiam Marc. Ant. Boldettum lib. I, cap. 60, qui de his picturis agit, et quædam instrumenta martyrii a se visa repræsentat, ut cultros ferreos, lanceam, forcipem ferreum, præter pectinem ferreum cœmeterii Callepodii, quem exhibemus, et lebetes insculptos in sepulcris S. Victorinæ et S. Exuperantii : rationesque affert cur existimandum sit his lebetibus significari instrumenta martyrii. De hujusmodi instrumentis insignis exstat locus S. Leonis in natali S. Laurentii : *Sævisti, persecutor, in martyrem; sævisti, et auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta martyrii?* Ubi censeo sermonem potissimum esse de craticula S. Laurentii, quæ religiose Romæ asservatur, semperque magno in honore habita est, ut dixi ad hymnum S. Laurentii contra Sagittarium.

Ac jam lassatis judex tortoribus ibat
In furias, cassa cognitione fremens.
Nullus enim Christi ex famulis per tanta repertus
Supplicia, auderet qui vitiare animam.
Inde furens quæsitor ait : Jam, tortor, ab unco
Desine : si vana est quæstio, morte agito.
Huic abscide caput, crux istum tollat in auras,
Viventesque oculos offerat alitibus.
1171 Hos rape præcipites, et vinctos conjice in ignem :
Sit pyra, quæ multos devoret una reos.
En tibi, quos properes rimosæ imponere cymbæ,
Pellere et in medii stagna profunda freti.
Quos ubi susceptos rabidum male suta per æquor
Vexerit, et tumidis cæsa labarit aquis,
Dissociata putrem laxent tabulata carinam,
Conceptumque bibant undique naufragium.
Squamea cœnoso præstabit ventre sepulcrum
Bellua, consumptis cruda cadaveribus.
Hæc persultanti celsum subito ante tribunal
1172 Offertur senior nexibus implicitus.
Stipati circum juvenes clamore ferebant,
Ipsum Christicolis esse caput populis :
Si foret exstinctum propere caput, omnia vulgi

GLOSSÆ VETERES.

60. Cassa, *in vanum*. — Cognitione, *pœna*, I.
63. Quæsitor, *judex*. — Unco, *ungula*, I.
64. Quæstio, *tormentum ; hinc quæstionarii dicuntur tortores*, Vat. A. *pœna*, *judicium*, *castigatio*. — Agito, *facito*, *imperativus*, I.
65. Tollat, *elevet*, I.
66. Viventesque, *opertos* (forte *apertos*), I.
67. Conjice, *projice*, I.
68. Pyra, *rogus*, I.
69. En tibi, *scilicet sint*, I.
71. Male suta, *carina : male vincta*, I.
72. Vexerit, *navigator*. — Cæsa, *percussa*. — Labarit, *natat*, I.
77. Persultanti, *cum quadam arrogantia dicenti*, I.
78. Senior, *Hippolytus*. — Nexibus implicitus, *ligaminibus ligatus*, I.

COMMENTARIUS.

60. Sich., et in nonnullis vulg. ad oram, *conditione* : melius *cognitione*.

61. Ald. omittit *ex* perperam.

62. Parrhas us, *vitiare animum*.

63. Ald., Alex., Vatt. A, P, Q, Urb., Egm., *ab uno*. Alii, *ab unco*. Heinsius hoc expressit ex Giselino, sed varietatem lectionum non adnotavit. Uncis ferreis laniabantur martyres, eculeo etiam, et uncinis suspendebantur. Vide comment. ad. vers. 173 Peristeph. 5, Arnobium lib. II, Gallonium, Sagittarium, et tabulam XIII et XXVI.

64. Noms., *morte agita*, minus bene. Quæstio præcedebat tormenta; sed sumitur etiam pro tormentis, quia inter ipsa tormenta continuabatur. S. Cyprianus epist. 69 ad Florentinum : *Tot confessores quæstionati, et torti, et insignium vulnerum et cicatricum memoria gloriosi*. Ubi Rigaltius notat, cognitione data, haberi quæstionem primum, dein adhiberi tormenta. Sed gentilium hæc erat insania, ut Christianos quæstione et tormentis cogere vellent ad fidem Christianam negandam, non ad veritatem proferendam.

65. Ald., Gis., *abscinde*. Heinsius cum aliis, *abscide*. Parrhasius, Vat. B, Prag., Mar., Rat., *excide*. Peveratus putat Prudentium in his verbis *crux istum tollat in auras* respexisse ad etymon vocabuli Græci σταυρός, *crux*, de quo Hesychius : *Stauri defixi stipites sunt, valli, et omnia ligna recte stantia : ab eo quod stent, stauri, vel quod ad auram consistant*.

66. Vat. A, *viventisque*. Cathem. hymn. 6, vers. 63, *Ast alterum rapaces Fixum vorant volucres*. Horatius, lib. I, epist. 16, *Non pasces in cruce corvos*. Juvenalis sat. 14. *Vultur, jumento, et canibus, crucibusque relictis, Ad fetus properat, partemque cadaveris affert*. Apuleius lib. VI de Asino, *Patibuli cruciatum, cum canes et vultures intima protrahunt viscera*. Ex quo notat Lipsius lib. II de Cruce, cap. 13, cruces non semper fuisse præaltas, quandoquidem canes viscera cruci affixorum protrahere poterant. Vide tabul. cruciat. I, II. Nonnulli SS. martyres in cruce plures dies vitam duxerunt, ut constat ex Eusebio lib. VIII Hist., cap. 8, et martyrologio Romano. De martyribus quorum corpora avium et bestiarum laniatui relicta fuerunt, Sagittarius cap. 8.

67. Ald. cum nonnullis, *hos cape*. De more ligandi martyres, qui rogo injiciebantur, vide vers. 103 Perist. 6, et tabulam XVII.

69. Eusebius, lib. VIII, cap. 6, plurimos martyres ita exstinctos narrat. Confer Gallonium de Cruciat. SS. martyr. cap. 9, et Sagittarium cap. 11, qui plura exempla profert. Supplicium hoc veteribus Romanis non fuisse inauditum, colligitur ex verbis Cæsaris apud Suetonium cap. 66 : *Vetustissima navi impositos, quocunque vento, in quascunque terras jubebo avehi*.

71. Ald., Pal., Thuan., Ox., Rott., Gis., Heins., *rapidum*, Vatt. A, B, Alex., Prag., Rat., Sich., Weitz., *rabidum*. Parrhasius, Mar. a prima manu *gravidum* ; in Mar. aliena manu factum *rabidum* pro div. script. Gifanius in VICTUS, *et* VINCTUS, ex vet. lib. legit, *Quos ubi susceptos rabidum male suta per æquor Vexerit, et tumidis cæsa labarit aquis*, et explicat : *Tralatio a re militari : navis icta a tumidis undis (tum autem rabidum est mare) labat ; ut Virgilius, labat ariete crebro Janua. Labat ergo, deficit, dissolvitur. Cæsa etiam tecta ibi consimili fere modo dixit*. Barthius notat Prudentium dixisse *male sutam* cymbam, ut Virgilius *sutilem*.

72. Gis., *cæsa lavarit* ; ad oram, *celsa labarit*, al. *levarit*. Parrhasius corrupte, *cæsa libarit*. Vat. Q, *equis* ; supra recte, *aquis*. Cauchii codex, Hailsbr., a prima manu, *cæsa levarit*. Fabr., *cæsa lavarit*. Pal., *celsa levarit*. Boug., Sich., *celsa lavarit*. Potiores, *cæsa labarit* cum Aldo, cui tamen Weitzius affingit *celsa labarit*. Barthius ait, eleganter cymbam dici cæsam, quia videntur hiatus velut ferro facti. Vetus poeta : *Cæsaque abra tument*, hoc est, velut *incisa*. Vide Nonium.

75. Parrhasius, *celoso* pro *cœnoso*, magis acute quam vere. *Cœnosos* mendum est in nonnullis vulg.

77. Vat. A, *Hæc præsul : stanti*. Non placet. Consimili significatione vers. 10 præfat. Hamart., *Vox ecce summo missa persultat throno* ; et vers. 86, hymn. 5 Cath., *persultare* pontum. Apuleius et Ammianus ita sæpe locuti sunt.

78. Egm., Pal., Vat. A, a prima manu, *implicitis* : verius *implicitus*.

79. Prag., Widm., supra, Mar., supra, aliena manu, Gis., Cham., Heins., *fremebant*. Plerique, *ferebant*.

80. Ruggerius aliique evidentissimum putant Hippolytum Prudentii fuisse episcopum, quia ethnici ipsum Christianorum caput esse dicebant. Quæ ratio probabilis quidem est, sed non plane efficax. Quid enim prohibet ethnicos caput Christianorum vocasse

Pectora Romanis sponte sacranda deis. A
Insolitum lethi poscunt genus, et nova pœnæ
Inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille supinata residens cervice, Quis, inquit,
Dicitur? affirmant, dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat, turbetque jugales,
Intereatque feris dilaceratus equis.
1173 Vix hæc ille: duo conjunt animalia, [freni
Ignara, insueto subdere colla jugo:
Non stabulis, blandive manu palpata magistri,
Imperiumque equitis ante subacta pati:
Sed campestre vago nuper pecus e grege ca- [ptum,
Quod pavor indomito corde ferinus agit.
Jamque reluctantes sociarant vincula bigas, B
Oraque discordi fœdere nexuerant.
Temonis vice funis inest, qui terga duorum
Dividit, et medius tangit utrumque latus,
Deque jugo in longum se post vestigia retro
Protendens trahitur, transit et ima pedum.
Hujus ad extremum, sequitur qua pulvere [summo
Cornipedum refugas orbita trita vias,
Crura viri innectit laqueus, nodoque tenaci
Astringit plantas, cumque rudente ligat.
1174 Postquam composito satis instruxere [paratu
Martyris ad pœnam verbera, vincla, feros:
Instigant subitis clamoribus, atque flagellis,
Iliaque infestis perfodiunt stimulis.
Ultima vox audita senis venerabilis hæc est:
Hi rapiant artus, tu rape, Christe, animam.
Prorumpunt alacres, cæco et terrore feruntur,

GLOSSÆ VETERES.

86. Affirmant, *respondent*, I.
87. Hippolytus, *id est equinus*. — Jugales, *equos*, I.
95. Bigas, *equos*. I., Vat. A.
96. Nexuerant, *ligaverant*, I.
99. Jugo, *fune*, I.
100. Ima pedum, *summitatem pedum*, I.
101. Hujus, *scilicet funis*. — Ad extremum, *ad extremitatem*, I.
102. Orbita, *rota*, I.
104. Plantas, *pedes*. — Rudente, *fune novo*, I.
106. Feros, *equos*, I.
108. Iliaque, *latera*, I.
109. Senis, *Hippolyti*, I.
110. Hi, *scilicet equi*, I.
111. Alacres, *læti*, I.

COMMENTARIUS.

presbyterum cujus auctoritas plurimum apud Christianos valeret? Confer Cajetani Migliore commentarium in Neophyti presbyteri titulum.

82. Parrhasius non ita bene, *Romani*.

83. Ald., Alex., Urb., Vatt. P, Q, Mar., *et nova* C *pœna Inventa*. Gis., Weitzius, Vat. B, Prag., *et nova pœna est Inventa*. Heinsius cum duobus Torrent., *et nova pœnæ Inventa*, quod jam ediderat Parrhasius. Id magis sententiæ congruit.

84. Parrhasius, *repedent*. Widm. a prima manu, *trepidant*.

86. Hymn. 10 Peristeph. vers. 172, *Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens*.

87. Vat. B, Widm. ad marg., Mar., Prag., *Hippolytus fiat: ergo agitet*, quod editum est a Weitzio. Parrhasius, *Hippolytus fiat ergo; agitet*. Rat. ita etiam. In Prag. eadem manu erat in margine scriptum, superfluum esse *ergo*, cum *fiat* habeat primam longam. Additur, alios codices habere *Ergo sic Hippolytus agitet:* quam lectionem vidi in Urb., sed in hoc *quatiat*, non *agitet*. Heinsius cum suis castigationibus, Ald., Bong., Hailsbr., Gis., Vatt. A, P, Q, Mar. a recenti manu, *Ergo sit Hippolytus: quatiat*. Alex., *Ergo Hippolytus: quatiat*; supra recte, *Ergo sit*. Widm. in textu, *Hippolytus sit ergo: agitet*. Gifanius ex vet. lib., *Ergo sit Hippolytus: agitet*; neque putat satis Latine dici *quatiat*. Vide indicem Lucretii pag. 436, ubi de incisione agit. Fabula Hippolyti ab equis discerpti, quod ejus nomen Græce indicat, nota est ex Metamorphos. Ovidii et aliis mythologis. Glossæ etymologia imperfecta est.

88. Ex Actis mss. Vallicellanis et Vaticanis id profert Peveratus: *Jussit ergo Valerianus in conspectu Hippolyti, ut omnes capite truncarentur, et decollati sunt promiscui sexus decem et novem. B. vero Hippolytum jussit ut pedes ejus ligarentur ad colla equorum indomitorum, et sic per cardeta et tribulos trahi; qui, cum traheretur, emisit spiritum*. Verum hæc, opinor, acta sunt S. Hippolyti militis, quæ nullo in pretio apud eruditos habentur.

89. *Animal* ait Barthius significare equum, jumentum in sacris litteris, quas imitatur Prudentius. De hoc supplicii genere fuse Gallonius cap. 9, et Sagittarius cap. 12.

90. Hailsbr., Vat. A, Mar., Prag., Rat., Gis. ad oram, *insueta*.

91. Cauch., *blandave manu*. Barthius pro *non stabulis* legit *non stabilis*, et addit, equum aut blanda palpatione, aut pertinacia regi.

95. Vat. B, Mar., Rat., Prag., Hailsbr., Widm., Bong., *sociarunt*.

97. Barthius censet stylum Prudentii, cum annexio martyris describitur, difficiliorem esse, *nisi*, inquit, *est et aliqua commaculatio*.

100. Widm., corrupte, *traitur*. *Transire ima pedum* dicitur funis, quod fuerit longior, et in terra tractus, qui, antequam innecterentur crura Hippolyti, procedebat largius. Ita explicabat Barthius.

101. Mar., *cujus ad extremum*. Vat. A, *quia*; alii, *qua*.

102. Sulcus quem currus rota imprimit dicitur *orbita*. Hinc *exorbitare* verbum Tertulliani, Firmici et aliorum. *Refugæ viæ* sunt contrariæ.

104. Ald., Gis. prima ed., *atque rudente*.

106. Ald., Rat., a secunda manu, Bong., Hailsbr., D Gis., Alex., a prima manu, Urb., Vat. P, Gall., Torn., *feras*. Melius *feros* cum quinque Heinsianis scriptis, Vat. B, Mar., Rat. a prima manu, Prag., Weitz., Widm. et aliis. Vat. Q, mendose, *ferox* pro *feros*. Gifanius in Vitricus ex vet. lib. amplexus est *feros*, quia ferarum nomen est nimis generale, et quia sequitur *Hi rapiant*. Parrhasius jam olim ediderat *feros*, sed aliter distinxerat, neque male, *verbera, vincla: feros Instigant*. *Feros* non addito alio nomine pro equis accipi, auctoritate Catulli, Horatii, Virgilii, confirmatur. Peveratus observat hac de causa Hippocentauros semiferos dictos, quasi semiequos: nam equos dimidiata sui forma assimilasse dicuntur.

108. In quibusdam vulg., *infectis*: legendum *infestis*.

110. Ald., Mar. aliena manu, Heins., Prag., *rapiunt*; alii, *rapiant*.

111. Alex., Vat. Q, Hailsbr., Bong., Fabr., *cæco et terrore*. Vetustiores Heinsiani ita prorsus. Recma-

Qua sonus, atque tremor, qua furor exagitant. A
Incendit feritas, rapit impetus, et fragor urget:
Nec cursus volucer mobile sentit onus.
Per silvas, per saxa ruunt: non ripa retardat
Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.
Prosternunt sæpes, et cuncta obstacula rumpunt:
Prona, fragosa petunt, ardua transiliunt.
Scissa minutatim labefacto corpore frusta
1175 Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret:
Parte rubent frondes, parte madescit humus. B
Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes saxorum apices vidi, optime papa,
Purpureasque notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos,
1176 Luserat e minio russeolam saniem.
Cernere erat, ruptis compagibus, ordine nullo
Membra per incertos sparsa jacere situs.
Addiderat caros, gressu, lacrymisque sequentes,
Devia qua fractum semita monstrat iter.
Mœrore attoniti, atque oculis rimantibus ibant,
Implebantque sinus visceribus laceris.

GLOSSÆ VETERES.

112. Exagitant, *agunt*, I.
113. Incendit, *scilicet eos*, I.
114. Mobile onus, *corpus martyris*, I.
118. Prona, *humilia*. — Fragosa, *aspera*. — Ardua, *montes*, I.
119. Minutatim, *particulatim*. — Frusta, *particulas*, I.
120. Hirtus *horridus*, I.
122. Parte, *sanguinis illius*, I.
123. Exemplar, *depictum*. — Habet, *retinet*. — Illitus, *pictus*, I.
124. Fucus, *malitiæ, color, hic pictura. Fucus herba unde tinguntur vestes: unde in omnibus rebus ubi rei veritas obducitur, fucus dici potest. Pictura*. — Digerit, *ordinat, componit*, I.
126. Effigians, *significans*, *conformans*. — Viri, *Hippolyti*, I.
127. Rorantes, *scilicet quasi; laus picturæ*. — Apices, *summitates*. — Saxorum, *in pictura*, I.
129. Manus, *pictoris*. — Effingere dumos, *depingere spinas*, I.
130. Luserat, *ludendo depinxerat, pinxerat*. — Russeolam, *rubicundam*, I.
131. Cernere erat, *cerni poterat scilicet in pictura*, I.
132. Situs, *loca aspera*, I.
133. Addiderat, *pictura*. — Caros, *propinquos*, I.
134. Fractum, *curvum*, I.
135. Rimantibus, *investigantibus*, I.
136. Laceris, *laceratis*, I.

COMMENTARIUS.

nus rectius putabat cum suo ms. Pal *cæcoque errore*, C quod exstat in Ald., Egm., Pal. apud Weitzium, Urb., Vat. P, Gis. ad oram: hic in contextu habet *cæco et terrore*. Gifanius, ex vet. cod., ubi agit de desinentibus in *t*, legit *cæco et errore*, et rejicit *terrore*, quia error est cæcus, non terror. Verum etiam terror cæcus recte dicitur ab effectu. Weitzius cum Widm., *et cæco errore*; ita Prag., sed *alacris* pro *alacres*. Parrhasius quoque *alacris*, sed *cæcoque errore*.

112. Parrhasius ita legit, *Qua sonus, atque timor, qua furor exagitat*.

116. Rat., *oppositos*, supra correctum.

121. Cham. mendose, *per sentibus hæret*.

123. Existimant nonnulli Prudentium martyrium Hippolyti militis quod Romæ pictura expressum vidit, alteri Hippolyto affinxisse. Sed primum quæram quis, nisi multa post Prudentium sæcula, Hippolytum militem hujusmodi martyrium subiisse affirmavit? Deinde ecclesiarum picturæ appositis versibus et inscriptionibus solebant illustrari, ut ex operibus Damasi et Paulini colligitur. Præterea Prudentius non erat ita rusticus ut in pictura aliud pro alio acciperet, neque ita imprudens ut rei veritatem ex doctioribus non exquireret. Postremo præter picturam aliis monumentis Prudentium innixum, totus ejus hymnus ostendit. D

124. *Fucus* illo ævo pigmentum et colorem designabat. Testes Paulinus, Ausonius, alii.

125. Sub imperatoribus Romanis, ut notat Peveratus, pictores nativis coloribus, non per umbram ac recessum, sed in clarissima luce delinearunt; sed interdum umbras addiderunt ut ex hoc loco colligitur. Barthius tamen *liquidas umbras* interpretatur perspicuas assimulationes et expressiones veritatis. Vide hymn. 9 Peristeph. vers. 95.

126. Mar. aliena manu, Parrhasius, Rat. a prima manu, *tractim*: rectius *tracti*.

127. Olim omnes episcopos papas appellatos fuisse constat ex Cypriano, Hieronymo, Augustino, Rufino, Sulpicio Severo et aliis. Cœpit postea id nomen peculiariius Romano pontifici attribui; adhuc antem apud Venantium Fortunatum, et Eulogium Cordubensem, qui sæculo IX floruit, alii episcopi papæ dicuntur. Gregorius VII, anno 1073, in synodo Romana statuit nemini licere seipsum vel alium nomine papæ appellare, quod proprium esset Romani pontificis. De quo nomine fuse agit Baronius in not. mart. Rom. ad diem 10 Januar.

129. Aliqui putant fide non esse dignum quod hic narrat Prudentius, quia pictor potuit prout magis ipsi libuit fabulam effingere. Verum quis credet aut aliis persuadere poterit, historiam martyrii quod post dimidiatum sæculum ut accidit, paulo post indocti alicujus pictoris licentia, videntibus et tacentibus cæteris, fuisse fabulis deformatam?

130. Parrhasius, male, *et nimio rufficolam saniem*. Thuan., *e nimio russeolam*. Vat. P, *ex minio roseolam*. Mar. a prisca manu, Rat., Prag., Bong., Vat. Q, Urb., *et nimio roseolam*. Fabr., *rosseolam*. Alex., Ald., Mar. a correctoris manu, Ald., Weitz., Gis., et plerique editi, *russeolam*. *Russeolus* est a *russus*: verbum vetus et egregium, ait Gifanius, pro *ruber*. Barthius, lib. XXXV Adv., cap. 13, contendit legendum *roseolam*, quia *roseum* prima extenta Christiani poetæ non raro usurpant. At Prudentius *rosa* et *roseus* a rosa semper corripuit.

133. *Caros* substantive pro amicis. Pro liberis posuit Lactantius lib. VI, cap. 12, *Cum sciat se caros suos Deo relinquere*.

134. Ald., Alex., Vat. P, Urb., Egm., Alt., duo Torr., *quo*. Alii plures, *qua*.

135. Torrentiani bini cum Cauchiano, *lacryman-*

Ille caput niveum complectitur, ac reverendam A
1177 Canitiem molli confovet in gremio.
Hic humeros, truncasque manus, et brachia et [ulnas,
Et genua, et crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
Nequis in infecto pulvere ros maneat.
Siquis et in sudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec jam densa sacro quidquam de corpore silva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exsequiis.
Cumque recensitis constaret partibus ille
Corporis integri qui fuerat numerus :
Nec purgata aliquid deberent avia toto
1178 Ex homine, extersis frondibus et sco- [pulis :
Metando eligitur tumulo locus; Ostia linquunt :
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.

GLOSSÆ VETERES.

137. Ille, *scilicet sinus.* — Reverendam, *venerabilem*, I.
138. Confovet, *nutrit, vel protegit*, I.
139. Hic, *alter*, I.
140. Legit, *colligit*, I.
141. Bibulæ, *a bibendo* — Arenæ, *ab ariditate*, I. B
142. Infecto, *corrupto*, *sordido*, *mixto*, *interso* — Ros. *sanguis*, I.
143. Quis, *aliquis* — Sudibus, *spinis*, *palis*, I.
144. Omnem, *sanguinem*, I.
145. Corpore, *Hippolyti*, I.
146. Fraudat ab exsequiis, *non humaretur corpus*, I
147. Recensitis, *renumeratis*, *inventis*, I.
151. Metando, *exquirendo*, *ponendo*, I. — Ostia, *civitas*, Mar. *Tiberina*, *portas*, *januas*, I.
152. Placet, *eligitur*, I.
153. Haud procul, *non longe a Roma.* — Ad pomœria, *prope murum : pomœrium hic pro viridario; alio loco locus secretus muro cinctus; et dicitur pomœrium, quia post murum*, I.

COMMENTARIUS.

tibus, non *rimantibus*. Veterum Christianorum præcipuum studium fuit in SS. martyrum membris diligenter conquirendis, atque inter sese officiose et perite componendis et coaptandis, ut in his Prudentii versibus perspicue cernitur. Adhuc Romæ corpora SS. martyrum collectis ossibus simili arte et industria rite coaptantur, ut publicæ venerationi exponantur. Blanchinus in præf. ad Anast. Biblioth. num. 26, ex narratione sacerdotis præpositi ecclesiæ S. Paulini Nolensis refert reperta ibi fuisse ossa integra S. Justæ virginis, deposita manibus cancellatis. At Romæ corpora martyrum quæ reperiuntur, ita solent esse composita, ut brachia et manus ad latera dorsum protendantur. Incertum ergo est an sacerdos C ille rem liquido sibi compertam narraverit. Illud mihi certius est, inscriptiones ejus ecclesiæ, quas Blanchinus profert, non esse satis fideliter exaratas.

137. Pictura exhibebat (et vidit Prudentius) *caput niveum et reverendam canitiem.* Quis id militi Hippolyto tribuat, cujus nutrix Concordia simul cum ipso martyrio est coronata? Notum est ætatem militarem a decimo septimo ad quadragesimum quintum aut quadragesimum sextum annum fuisse computatam, et solum periculosis temporibus ad annum quinquagesimum. Paulinus epithal. in Julianum episcopo Memori juniori canitiem apostolicam pectore, ut ait, ascribit : *Posterius natus, senior; quia sede sacerdos Gestat apostolicam pectore canitiem :* perinde quasi reverenda, sive apostolica canities propria sit episcopi senioris.

138. Rat., *molle ;* corrige *molli.*

139. *Ulnæ* sunt cubiti.

141. Palliola intelligit Barthius esse tenues institas, D tenero, ut putat, lino factas.

142. Ald., duo Torr., Ox., Cauch., Gall., *in intecto.* Vat. B., Mar. a prima manu, Prag., Parrh., Rat. : in contextu, *in intacto.* Plerique, *in infecto.* Alex., *res maneat ;* supra *ros.* In nonnullis vulg. editum est *in intacto.*

144. Pal., *insidit :* lege *insidet.* De hac cura ac diligentia Christianorum in colligendo sanguine martyrum præclarum est hoc testimonium Prudentii : de quo plura Boldettus in Observationibus de cœmeteriis, Aringhus, Marangonus, Muratorius, Lupius, Fabrettus et alii. Exstant adhuc plura vasa in quibus sanguis concretus cernitur, et fragmenta spongiæ qua colligebatur apparent. Plura ejuscemodi vasa exhibet Boldettus.

146. Vat. A, *haut* pro *aut* ex diversa scribendi ratione. Sæpe Prudentius docet quanta sedulitate Christiani veteres corpora defunctorum sepelienda curarent, his scilicet rationibus permoti, quas in hymno Exsequiarum uberius explicat. Profecto pervulgata illa Lucani sententia, *Cœlo tegitur, qui non habet urnam*, non magis prudens mihi solet videri, quam siquis hominem nudum solaretur, quia *Cœlo tegitur qui non habet vestem.*

147. Ald., Urb., Parrhasius, Gis., *recensitis.* Weitz., Heins. cum plerisque scriptis, *recensetis.* Mariettus notat, *recenseo* facere *recensetus*, vel *recensus : recensitus* nihil esse. Dissentiunt alii.

148. *Numerus* perfectum opus et omnibus partibus integrum designat.

149. Parrhasius, *retinerent invia.* Plerique *deberent avia* eadem significatione. Rat., Weitz., *invia* pro *avia.*

151. Weitz. cum Egm., *elegitur.*

153. Egm., Hailsbr., *cultu ;* lege *culta ;* Rat.. *pomaria* a prisca manu, quod vult una ex glossis. Binghamus, lib. XXIII, cap. 1, tom. X, probare contendit tribus primis Ecclesiæ sæculis ex legibus Romanis nulla loca sepulturæ in oppidis fuisse, neque per subsecuta aliquot sæcula per leges Christianorum imperatorum intra civitates et ecclesias sepelire licuisse. Si legatur *pomeria*, potest intelligi esse idem ac pomaria, sive locum pomis consitum. Alioquin *pomœria* est locus pone muros, qui antiquitus *mœri* dicebantur, et multi *pomœria* post mœnia interpretantur. Igitur extra civitates cœmeteria, sive catacumbæ martyrum erant : sed in ipsis catacumbis fuisse altaria sub quibus corpora martyrum quiescebant, ex hoc hymno satis liquet. Quod autem aiunt aliqui, non in cœmeteriis sepultos martyres, quod isthæc revera ecclesiæ essent, sed potius in cœmeteria fideles convenisse, quod reliquiis martyrum sacra essent, et ab hominum frequentia remota, id rei veritatem non debilitat, scilicet martyres, imo alios in ecclesiis cœmeterialibus tribus primis Ecclesiæ sæculis fuisse sepultos. Et ex veteri quidem consuetudine id ita usitatum puto, ut vicissim, ubi corpora martyrum essent, ibi sacra peragerentur, et ubi altare ad sacrificandum erigeretur, ibi corpora sive reliquiæ martyrum supponerentur. Itaque quod in ecclesiis post tria prima sæcula mortuos sepeliri non liceret, non inde originem traxit, quod consuetudini ecclesiasticæ id repugnaret, sed quia leges Romanæ vetabant intra Urbem loca esse sepulturis, et ecclesiæ tunc intra Urbem erigebantur. In quibusdam autem locis earum legum nonnullæ erant exceptiones sive ob leges municipales, sive ratione personarum scilicet nobilium et episcoporum. Quod attinet ad hanc descriptionem

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
1179 Mersa latebrosis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu,
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde, ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura, loci per specus ambiguum,
Occurrunt cæsis immissa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra super radios.
1180 Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
Arcta sub umbrosis atria porticibus :
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.

GLOSSÆ VETERES

155. Hujus, *cryptæ*, I.
156. Anfractus, *cochleas*, I.
157. Summo tenus, *a summo*. — Intrat, *lux*. — Hiatu, *apertione*, I.
158. Limina vestibuli, *introitum porticus, vel cryptæ*, I.
159. Inde, *deinde*. — Ubi, *scilicet itur*, I.
160. Nox obscura, *tenebræ*, I.
163. Quamlibet, *quamvis*. — Ancipites, *dubii*, I.
166. Crebra, *multa*. — terebrato fornice, *perforata crypta*, I.
167. Sic datur, *tali modo permittitur ; estque laus picturæ*, I.
169. Mandatur, *commendatur* — Opertis, *secretis, claustris*, I.
170. Propter, *juxta illum locum*, I.

COMMENTARIUS.

cryptæ, Barthius affirmat elegantissimam esse, et quovis summo poeta dignissimam, numeros etiam esse aptissimos. Baronius ad annum 226 recenset circiter quadraginta hujusmodi cœmeteria in Romæ suburbanis. Neapolitanas catacumbas Romanis nobiliores et spatiosiores esse multi tradunt. Apud cl. Mamachium tom. III Orig. Christ., et tom. III *de' Costumi de' primitivi Cristiani*, videri potest ichnographia unius e cœmeteriis Romanis. S. Hieronym. in Ezech. cap. LX. : *Dum essem Romæ puer, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis et propositi diebus dominicis sepulcra apostolorum et martyrum circuire : crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum : et ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur : Descendant ad infernum viventes : et raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram quam foramen demissi luminis putes : rursumque pedetentim acceditur, et cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur : Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.* De cœmeteriis Romanis præter Aringhum, Boldettum et alios, videri potest Marianus Parthenius, sive vero nomine Joseph Mazzolarius in opusculis piis quæ paulo ante mortem conscripsit.

154. Ald., Parrhasius et plerique scripti, *patet*, quod rectum putat Heinsius, cum mox subsequatur *luce latente*. Infra, *ampla, fauce licet pateat*. Nec male Rott., *cavernosis crypta patet foveis*. Gis., *latet*; ad oram, *patet*. Egm., *pavet*. Bong., *fovet*, minus recte. Pinius Act. Sanct. ad diem 13 Augusti suspicatur cœmeterium S. Hippolyti exstitisse ad Tiberinum Urbis tractum, non in agro Verano, ut plerique opinantur. Rationem petit ex versu 174, *Pascit item sanctis Tibricolas dapibus*. Ratio suspicandi imbecilla certe est. Verum cum ipse prope S. Laurentium in agro Verano cœmeterium Hippolyti militis collocet, rei falsitas ostendi non potest. Nam quod ait Prudentius, *Culta ad pomœria*, et *Excisi subter cava viscera montis*, congruentius quidem cœmeterio in agro Verano id convenit, sed aliquo tamen pacto applicari etiam potest cœmeterio via Ostiensi, si in eo Hippolytus, a Prudentio laudatus, fuisset sepultus. Aringhus tom. II Prudentiam explicat de cœmeterio Cyriacæ in agro Verano. Baronius tom. II Annal. ad ann. 226 eamdem sententiam tenuerat. Fabricius verbo *cryptæ* profert epistolam Cornelii papæ, qui sub Decio vixit, ad Lupicinum Viennensem, ubi ait : *Unde neque publice, neque in cryptis notioribus missas agere Christianis licet*. Supposititia hæc epistola est.

155. Mar., *cujus*, a correctore factum *hujus*. Prag., *hujus ad occultum*.

156. Iso *anfractus* exponit cochleas, et Teolius magis explicat *scalas coclides, quæ ita dicuntur, quod anfractuosæ sint in modum coclearis testæ*. Verum anfractus, scilicet flexus, circuitus, et ambages etiam sine scalis intelliguntur.

157. Prag., *Primas namque fores imi summo tenus intrat Illustratque*, quod non intelligo.

161. Ald., Vat. B., Widm. a prima manu, *decurrunt* pro *occurrunt*. Ald., Rat., Pal., Bong., Torn., cod. S. Mich. apud Ruinartium, et nonnulli vulg., *celsis*. Mar., *cæcis*, supra *cæsis*, quod exstat in plerisque. Heinsius suspicatus fuerat *cæcis*, sed recte se habere *cæsis* fassus est. Ald., Pal., Torn. in contextu, *immensa*; alii, *immissa*. Parrhasius, *Decurrunt celsis immissa foramina tectis*.

162. Pal., Bong., Vat. A, Thuan., Alt., Noms., Cauch., Ox., *jaciant*. Heinsius amplexus est *jaciant*, et cum eo recentiores; sed Gallandius cum aliis et vett. edd. retinuit *jaciunt*. In cryptis erant quædam loca majori lumine desuper immisso illustrata. In Libro pontificali : *Marcellus presbyter nocte collegit corpora* (SS. Marcellini papæ et aliorum)... *et sepelivit ea in via Salaria in cœmeterio Priscillæ in cubiculo claro, quod patet usque in hodiernum diem.... in crypta juxta corpus S. Crescentionis.*

163. Parrh., *ancipitis* : lege *ancipites*

165. Mar., Parrhasius, *cava subter viscera*. Virgilius III Æneid. *Interdum scopulos, avulsaque viscera montis.*

167. Mar.. *subter terranea* : ita etiam Rat., sed abrasum est aliquid ante *subter*. Plerique, *per subterranea*. Postrema pars glossæ ex versibus superioribus, ubi pictura describitur, in hunc locum videtur esse trajecta.

169. *Operta* pro locis tenebrosis. Psychom. vers. 745, *Marceat obscuro stertens habitator operto*. Paulinus fragm. Natal. incerti : *Qua mortalis erat, latuit telluris operto.* Pro mysteriis etiam sumi solent *operta*. Gretzerus, lib. II, cap. 18, de Sacr. Peregr., argumentum suum confirmat his versibus : *Hæc*, ait, *pulcherrime doctissimus vates Prudentius.*

170. De consuetudine veteri exstruendi aras super martyrum sepulcra vide hymnum S. Eulaliæ in fine. Aliqui, distinguentes altare ab ara, dicunt corpora sanctorum sub altari fuisse recondita, sed ad aram, sive prope aram, non sub ara, et hunc versum Prudentii laudant ubi ara dicitur *apposita* corpori B. Hippolyti, non imposita. Berthaldus de Ara cap. 2 ait hanc rem multorum ingenia exercuisse et torsisse; per aram nonnullos summam altaris partem intelligere, alios infimam, et quasi fundamentum ac basim totius ædificii, alios locum oblationibus dicatum, sive in summo ædificii loco, sive alibi fuerit. Hæc postrema sententia probabilior cæteris mihi videtur : præsertim quia noster usus lo-

1181 Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
A
Custos fida sui martyris apposita,
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulcro,
Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas, et prompta precantibus ara
Spes hominum placida prosperitate juvat.
Hic corruptelis animique et corporis æger
Oravi quoties stratus, opem merui
Quod lætor reditu, quod te, venerande sacerdos,
Complecti licitum est, scribo quod hæc eadem,
Hippolyto scio me debere : Deus cui Christus
Posse dedit, quod quis postulet, annuere.
Ipsa, illas animæ exuvias quæ continet intus,
Ædicula, argento fulgurat ex solido.
1182 Præfixit tabulas dives manus æquore lævi
Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Mane salutatum concurritur : omnis adorat
Pubes : eunt, redeunt solis adusque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul ac peregrinos
Permixtim populos relligionis amor.

GLOSSÆ VETERES.

171. Sacramenti, *corporis vel sanguinis Domini.* — Donatrix, *scilicet est*, I.
174. Tibricolas, *Romanos*, I., Mar.
176. Spes, *æstimationes.* — Juvat, *adjuvat*, I.
177. Corruptelis, *pestibus*, I
178. Opem, *auxilium*, I.
179. Reditu, *reversione*, I
182. Quis, *aliquis.* — Annuere, *adjuvare, tribuere, concedere*, I.
183. Exuvias, *de corpore dicit*, I.

B

184. Fulgurat, *splendet*, I.
185. Dives, *docta : artificis.* — Æquore, *planitie : æquor omnis æqualitas dicitur.* — Lævi, *plano*, I.
187. Pariis, *candidis. Parus, insula abundans candido marmore.* — Contenta, *sufficiens.* — Aditus, *fores cooperire*, I.
188. Ornando, *ad ornandum*, I.
189. Salutatum, *ad salutandum, id est adorandum; ad salutem.* — Adorat, *ipsum martyrem*, I
191. Latios, *Latinos vel Romanos*, I.

COMMENTARIUS.

quendi ex veteri consuetudine facile originem duxerit. Cæterum Rosweydus in Addendis ad notas S. Paulini ex his versibus tradit corporibus SS. martyrum altaria imponi vel apponi consuevisse. S. Paulinus epist. 12 ad Severum corpus Clari sub ara positum clare docet : *Casta tuum digne velant altaria Christi, ut templum Christi contegat ara Dei.* Tom. XXXIV Hisp. sacr., pag. 445, exscribitur instrumentum Fromini II episcopi Legionensis, ubi hæc de S Christophoro : *Cujus reliquiæ recondita sunt in civitate Legione juxta porta (sic) Dmi episcopi, sub ara S. Cypriani et S. Mariæ ante al ares sedis antiquæ.*

C

171. Oxon. pro div. script., *ila dicamenti.* Idem, *mensa sub antro.* Egm., *mens eademque :* retinendum *mensa.* Cauchius in S. Paulino Natal. 9 melius conjecit *mensa Petri* pro *mensque Petri*, ut apud eumdem Paulinum paulo post *Mensa domusque Dei.* Etiam ethnici mensam pro altari usurparunt, ut Ovidius, Virgilius et alii plures. Similiter Græcis Christianis τραπέζα est ara.

172. Mensa *custos* martyris dicitur, quia *servat ossa*, etc. *Martyrarii* seu *cubicularii* appellantur etiam in antiquis monumentis custodes martyrum. Sepulcra ipsa martyrum *cubicula* vocari solebant : unde natum nomen *cubiculariorum*, qui cubicula martyrum in Domino dormientium custodiebant. Vide comment. ad hymnum 10 Cathem. vers. 56. De cubiculariis loquitur Juvenalis sat. 5, *Sed quis custodiet ipsos Custodes;* et verbum *servandi* adhibet Ovidius lib. II Amor., eleg. 2, *Quem penes est dominum servandi cura Bagoe;* et eleg. 3, *Hei mihi quod dominam nec vir, nec femina serras.*

D

173. Alex. Urb., Pal., Ald., Vat. P., Oxon., Cauch., Alt., *spem vindicis.* Alii *spem judicis* cum plerisque edd.

177. Vat. A, *corruptibilis;* supra *corruptelis* pro div. lect.

178. Iterum consuetudo orandi ad martyrum sepulcra confirmatur. Adisis Dungali librum contra Claudium Taurinensem. Cellarius impudentissime ait : *Poeta morem suum aut errorem sequitur de invocatione.* Poeta et suum, et Ecclesiæ catholicæ morem suo tempore vigentem exponit.

184. Mar., Prag., *et* pro *ex.* Martinus Roa. de Die natali sacr. et prof., cap. 21, *ædiculam fulgurare argento ex solido* intelligit de his orbibus sive quadris in quibus tituli sive vela depictis sanctorum imaginibus includuntur, cum his ramorum et frondium serlis quæ pro foribus templorum in præcipuis diebus festis Romæ ostentantur, et *festones* dicuntur, ubi nunc cernere licet bracteolas orichalci fulgurantes. Ego potius id accipio de argento solido quo altare ornaretur, aut etiam arca sepulcri constaret. Nam id innuunt tabulæ et talenta de quibus poeta pergit dicere. Et vers. 193, *Oscula perspicuo figunt impressa metallo.*

185. Barthius ait *tabulas* scriptoribus rusticis esse æquas planities, ut in hoc versu Prudentii. Intelligo autem tabulas sive laminas argenteas æquore lævi expolitas. Æquor proprie est ubi omnia æqua, plana, ut confirmat Becmanus verbis Ciceronis 2 de academ. quæst., *Quid tam planum quam mare, ex quo et æquor illud poetæ vocant?* Lucretius, lib. IV, *Rejectæ reddunt speculorum ex æquore visum.* Huc allusit Prudentius. Vide vers. 53 hymni S. Cassiani. Teolius Muratorii lapsum notavit, qui in Paulini vers. 557, *Seque latere putans exstabat in æquore claro*, mendum exscriptoris esse dixit, et positum pro *æthere*, aut *aere claro.* Paulinus intellexit planitiem apertam.

186. Macrus in Hierolexico *recavum* hoc loco exponit cælatum, incisum; et inde Italice *ricamo* dictam opinatur acus picturam quæ a fundo elevatur : quæ omnino absurda est explicatio. Nam Prudentius *recavum speculum* dicit, ut *recurvum palatum* Psych. vers. 422. A voce Hebræa *racam* Hispanice *recamo* dici putat Covarruvias.

188. Talentum ponitur pro materia ipsa argentea ex qua fit talentum.

189. Veteres solebant divos salutando compellare, ut in multis scriptoribus antiquis passim cernitur. Martialis, lib. XII, epigr. 78, *Multis dum precibus Jovem salutat.* Salutatio hujusmodi propre matutinis horis exercebatur; et a Romana salutandi patronos consuetudine nomen habet. Martialis, lib. II, epigr. 18, *Mane salutatum venio.* Sic Virgilius mox laudandus. Vide Matthæum Broverium de Veter. ac recent. Adorat., cap. 6 et 9, qui multa veterum testimonia profert.

190. Parrhasius, *puppis*, mendose, pro *pubis* vel *pubes.* Heinsius mavult *pubis* cum Thuan., Ald., Egm., Pal., ut *vulpis* et *gruis* in veterrimis Phædri exemplaribus. Multi, etiam veteres, scribunt *pubes*, ut Mar., Prag., Vat. B. In duobus Torrent., *plebis.* Widm. non bene distinguit *omnis adorat : Pubes eunt.*

1183 Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
Balsama diffundunt : fletibus ora rigant.
Jam cum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio festa refert,
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs Augusta suos vomit effunditque Quirites,
1184 Una et patricios ambitione par
Confundit plebeia phalanx umbonibus æquis
Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus albanis acies se candida portis
Explicat, et longis ducitur ordinibus.
Exsultant fremitus variarum hinc inde viarum,
Indigena, et Picens, plebs et Hetrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox, habitator et altæ
1185 Campanus Capuæ, jamque Nolanus adest.

GLOSSÆ VETERES.

193. Perspicuo, *nitido, præclaro*, I.
198. Celebrando, *ad celebrandum*, I.
199. Augusta, *Roma, nobilis.* — Quirites, *Romanos.* — *Romanos principes*, I.
200. Ambitione, *cupiditate*, I. *Desiderio*, Mar.
201. Plebeia, *rustica, vilis exercitus, plebeii milites.* — Umbonibus *humeris*, I.
202. Discrimen, *discretionem.* — Præcipitante, *incitante, impellente ad hoc*, I.
206. Picens, *gentile nomen, sicut Romanus, a Piceno urbe.* — Hetrusca, *Italica*, I.
207. Samnitis, *civis, a Samnia provincia*, I.
208. Nolanus, *a Nola civitate*, I.

COMMENTARIUS.

193. Barthius quærit cur Prudentius dixerit *perspicuum metallum*, cum supra dixerit *argento ex solido?* nam argentum in perspicuas laminas duci nequaquam potest, non magis quam ebur, de quo Macrobius in Somnium memorat. Facilis est et expedita responsio. Tabulæ argenteæ ita erant expolitæ, ut æquore lævi niterent, qualе recavum nitet speculum. Id significat perspicuum metallum, hoc est *nitidum*, et in quo tanquam in speculo homo se possit inspicere : nam *perspicuum* non solum pro diaphano, verum etiam pro nitido et lucido accipitur, ut exponunt glossæ.

194. Alt., *balsama desudant.* Heins. cum aliis scribit *defundunt.* Ita Alex. a prima manu, supra, *diffundunt*, quod reperitur in multis. Weitzius, *difundunt.* Mos tunc erat afferendi unguenta ad sepulcra martyrum. S. Gregorius scribens ad Secundinum indict. 2, lib. VII, epist. 54 : *Aloem, thymiama, styracem et balsamum, sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præsentium deferente, transmisimus.* Vide comment. ad vers. 519 hymni S. Vincentii.

195. Prag., *nam cum se.* Parrhasius *divisim*, et in emendatis *divisis* pro *decursis*, non ita bene.

196. Diem quo SS. martyres martyrio coronati sunt, stylo ecclesiastico *natalem* dici res est notissima. Videri potest Martinus Roa de Die natali sacro et profano. Imperatores imperii sui ortum seu natalem celebrabant. Ad natalem cathedræ sive episcopatus Romani pontificis celebrandum plures episcopi congregari solebant, ut constat ex epistola Xysti pontificis ad Cyrillum episcopum Alexandrinum Theodosio XIII et Maximo coss., ut in actis concilii Ephesini legitur; sed legendum videtur Theodosio XIV, scilicet anno 433, et ex alia ejusdem Xysti ad Joannem episcopum Antiochenum. Hilarius papa in epistola ad episcopos Tarraconensis provinciæ : *Lectis ergo in conventu fratrum quos natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris.* Anastasius Bibliothecarius in Vita Hadriani I : *Denique ejus beatitudo fecit et pharum majorem in eadem B. Petri ecclesia in typum crucis qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille trecentas et septuaginta. Et constituit ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accenderent, id est in nativitate Domini, in Pascha, in natali Apostolorum, et in natali Pontificis.* Hujusmodi phari in typum crucis vestigia exstant in cruce quæ in basilica Vaticana S. Petri plurimis lucernis ardentibus ornata ostenditur nocte feriæ 5 majoris hebdomadæ. Natalem sui episcopatus etiam alii privati episcopi celebrabant : de quo legi potest Binghamus lib. IV, cap. 6, vol. II, pag. 188.

199. Parrhasius, *urbs augusta :* legendum *Augusta :* qui titulus Romæ tribuitur in cod. Theod., item apud Paulinum, Apollonium, Ammianum et alios. *Vomere* de magna copia. Virgilius II Georg. vers. 462, *Mane salutantum totis vomit ædibus undam.*

201. Isonis glossam vides : accipe Barthii explicationem. *Pari cultu, pari festinatione. Proceres habebant vestitum quo dignoscerentur, sed omnis tum vestitus æqualis habebatur festinatione nimia. Idem dicit Papinius in Violantilla : Omnis plebeio teritur prætexta tumultu.* Cellarius addit : *Studio pietatis et festinatione inornati exibant proceres et plebeii.* Chamillardus, *umbones æquos* putat esse scuta pura et alba : nam nobiles insignia familiæ suæ, aut factorum suorum præferebant descripta in clypeis. Mens Prudentii hæc mihi esse videtur. Ut Quirites Urbe effusi, et ambitione pari patricii properabant, ita plebeii æque fide armati præcipites ibant, neque hac in re ullum erat discrimen. Dixit vero poeta *umbonibus æquis* pro æqualibus armis allegorice, quoniam agmina et plebeiam phalangem dixerat, et mox acies.

203. Fabricius primum id explicat de porta Romæ Albana, nunc Exquilina, vulgo Taurina, quam Procopius Prænestinam, antiquissimi Metiam nominaverunt. Mavult tamen intelligere portas Romam deducentes ex oppido Alba. Ac revera ita est intelligendum. Alba vetus, sive Alba Longa anno Urbis 86 eversa est. Sæculo IV Romæ exeunte, in loco non procul distante Alba, aliud oppidum veteri nomine florere cœpit, ubi nunc est Albanum. Via Appia, regina viarum dicta, hoc oppidum intercurrebat : hinc via Appia, sive Albanæ portæ prius a Prudentio memorantur. Romæ anno 1787 prodierunt *Memorie storiche di Alba Longa, e dell' Albano moderno*, auctore Joanne Antonio Riccy. *Acies candida* significat toga recenti ornatos. Vide comment. ad vers. 547 lib. I in Symmachum, *Candidiore toga.* Ut infausta et tristia *atra* dicimus, sic læta, fausta et festiva, *candida.* Horatius od. 7 lib. III favonios dixit *candidos*, quia Romæ præsertim hic est præ cæteris lætus placidusque ventus. Virgilius eclog. 5 : *Candidus insuetum miratur limen Olympi.*

204. Prag., perperam, *longis dulciter.* Egm., Hailsbr., *dicitur*, non melius.

206. Parrhasius edidit *Peligna, et picens*, non male.

207. Plerique ita distinguunt, *Concurrit Samnitis atrox habitator, et altæ*, etc. Cellarius ac Teolius aiunt in *Samnitis* intelligi *terræ*, *regionis* in patrio casu. Parrhasius recte distinguit, *Concurrit Samnitis atrox, habitator et altæ Campanus Capuæ.* In nominandi casu est *Samnitis*, ut lib. II in Symm. vers. 515, *Samnitis, Marsusque;* et apud Catonem ex Prisciano lib. VII, *Ager Gallicus, Samnitis, Apulus, Brutius.* Plerique efferunt *Samnis.* Dicuntur autem atroces, quia erant bellicosissimi, aut quia ludo gladiatorio ita erant dediti, ut eorum nomen pro gladiatoribus ipsis acciperetur. Vide Ciceronem pro Sextio.

208. Prima syllaba produci solet in *Nolanus :* hic corripitur, quod in indicibus Chamillardi, Cellarii et Teolii notatum non est. Parrhasius refert nonnullos

Quisque sua lætus cum conjuge, dulcibus et [cum
Pignoribus rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret et in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse catervis,
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.
Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia tem- [plum
Tunc adeat, cultu nobile regifico,
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
Majestate potens, muneribusque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Sustinet, auratis suppositus trabibus:
Adduntur graciles tecto breviore recessus,
Qui laterum seriem jugiter exsinuent.
1186 At medios aperit tractus via latior alti
Culminis exsurgens editiore apice.
Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
1187 Tollitur, antistes prædicat unde Deum.
Plena laborantes ægre domus accipit undas,
Arctaque confertis æstuat in foribus,
Maternum pandens gremium, quo condat alu- [mnos,

GLOSSÆ VETERES.

210. Pignoribus, *hoc interest: pignora rerum, pignera filiorum.* — Gestit, *gaudet, cupit*, I.
216. Nobile, *regale*, I.
217. Superba, *nobili*, I.
218. Opulens, *dives, pro opulentum*, I.
220. Auratis, *auro pictis*, I.
221. Breviore, *strictiore*, I.
224. Editiore apice, *altiore celsitudine*, I.
226. Tollitur, *elevatur*, I.
227. Ægre, *vix.* — Undas, *catervas, frequentias populorum*, I.
228. Confertis, *plenis*, I.
229. Alumnos, *filios*, I.

COMMENTARIUS.

confuso locorum ordine scribere *janicolanus* pro *jamque Nolanus.* Cauchio arridebat *jamque bolanus.*

212. Præclare dictum ad immensam multitudinem hominum significandam.

214. Prag. semper scribit *haut.*

215. Multi pro certo ponunt hoc templum eidem S. Hippolyto fuisse consecratum. Sed Ruggerius loc. cit. num. 18 existimat cum aliis Prudentium bis versibus basilicam S. Laurentii in agro Verano descripsisse, quæ vere *juxta* S. Hippolyti cœmeterium et ædiculam apposita erat, et in quam Prudentii descriptio optime cadit. Anastasius Bibliothecarius de Hadriano I ait: *Simul et cœmeterium B. Hippolyti martyris* JUXTA *S. Laurentium, quod a priscis marcuerat temporibus, renovavit.* Vide Aringhum lib. IV, cap. 16, ubi de templo S. Laurentii agit.

220. Parrhasius, mendose, *suppositas.* Veteres inaurabant trabes ædificiorum. De templis Christianis confer hymnum seq. et hymn. S. Fructuosi.

221. Hæc forma ædificiorum in ecclesiis pervetustis adhuc cernitur.

222. Teolius apud Vat. unum, et alterum invenit *extenuent* pro *exsinuent.* Putat Teolius *extenuent* esse glossema verbi *exsinuent.* Sed Giselinus aliter explicat *Exsinuent: Sinuum seu laciniarum in morem explicent, latiusque extendant.* Addit Giselinus nostra templa hodie non aliter exædificari. In duobus autem mss. invenit æque novum vocabulum *eximient*, et lectori optionem præbet. Fabricius legit *eximient*, et in comment. ait *eximire* esse in spatium brevius contrahere, ut in ordinibus fit columnarum, cum primum latæ porticus, deinde contractiores fiunt. Verum proba lectio est *exsinuent:* quo verbo utitur Ausonius idyll. 14, vers. 29, *Collectosque illa exsinuabat amictus;* et Paulinus epist. 36 ad Macarium, al. 49, *Cum velum videret jam exsinuatum*, id est expansum, sive e sinu quasi emissum et explicatum. Hoc vult Prudentius.

225. Hanc cathedræ descriptionem elegantissimam esse Barthius pronuntiat. Idem, lib. XXXII, cap. 2, ex his versibus colligit, in meditullio sacrarum domuum fuisse cathedras unde mysteria sacerdotes profitebantur. Dominicus Aulisius, lib. II *delle Scuole sacre*, cap. 6, diversum morem ab hoc quem Prudentius describit, fuisse in Gallia arguit ex versibus Sidonii ad Faustum episcopum: *Seu te conspicuis gradibus venerabilis aræ Concionaturum plebs sedula circumsistit.* Sirmondus ad Sidonium pag. 151 nullum discrimen agnoscit: *Inde enim*, ait, *sedentes in cathedra tribunali concionari solebant;* adducitque hæc ipsa Prudentii verba. Distinguit scilicet Sirmondus tribunal sive cathedram pro gradibus aræ intra cancellos exstantem, ab ambone in quem conscendisse Chrysostomum, ut a pluribus audiretur, Socrates, aliique, ut peculiare narrant. Sozomenus, lib. VII, cap. 19, refert ætate sua nullum Romæ verba in ecclesia fecisse ad populum: *In eadem urbe neque episcopus, neque alius quisquam in ecclesia populum docet.* Valesius Sozomeno assentitur in notis, præsertim quia Cassiodorius verba Sozomeni repetit. Sed cum Cassiodorius eo tempore verba Sozomeni transcripserit quo apud omnes constat Romanos pontifices homilias ad populum habere consuevisse, Cassiodorii testimonio parum aut nihil juvatur Sozomenus. Quidquid autem sit de tempore Sozomeni, Prudentio testi oculato omnino fides est præstanda. *Gradibus sublime tribunal* non erant ipsi gradus altaris, ut nonnulli contendunt, sed pulpitum, aut etiam cathedra ipsa episcopalis. Concionabantur similiter Græci intra cancellos quibus sacrarium a capso, quod illi ναόν appellabant, dirimebatur. Ambo autem non in sacrario, sed in navi ecclesiæ erat constitutus, in quem episcopi aliquando, ut facilius ab omnibus audirentur, ascendebant. In sacratiori bematis, sive sanctuarii, aut presbyterii parte intra cancellos erigebatur cathedra, sive thronus, ac sedes episcopi, juxta quem presbyteri utrinque demissioribus subselliis sedebant. Etsi autem totum sanctuarium, quia gradibus in illud ascendebatur, bema aut tribunal dici posset, et interdum diceretur, tamen gradibus sublime tribunal de quo Prudentius, sedem episcopalem denotat ex peculiari expresso munere prædicandi Deum. Et sanctuarium quidem hujus ecclesiæ non in hoc templo magnifico, sed in ædicula supra descripta collocatum videtur, ubi scilicet erat *mensa sacramenti donatrix.* Sed advertendum illud est, ex unius vel alterius ecclesiæ more non statim esse arguendum eam consuetudinem in omnibus ecclesiis viguisse; qua in re sæpe decipiuntur aut decipiunt qui antiquitates ecclesiasticas explanant: nam olim usurpatum in ecclesia simpliciter affirmant, quod fortasse in una tantum aut in paucis ecclesiis obtinuerit, neque tamen constat an omni tempore hujusmodi consuetudo viguerit.

228. Vat. B, *consertis;* lege *confertis.* Ex Lucretio lib. VI, *Omnia complebant loca tectaque, quo magis æstus Confertos ita acervatim mors accumulabat.* Barthius, lib. I, cap. 9, recte observat in libris legi *æstu*, ex quo Lambinus *eos tum* fecit invitis musis. Alii legunt in eodem Lucretio *confectos* pro *confertos.*

229. Parrhasius, *condit.*

A

Ac foveat fetos accumulata sinus.
Si bene commemini, colit hunc pulcherrima [Roma
Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat
Prisco more diem, quem te quoque, sancte ma- [gister,
Annua festa inter dinumerare velim.
Crede, salutigeros feret hic venerantibus ortus,
Lucis honoratæ præmia restituens.
Inter solemnes Cypriani, vel Celedoni,
1188 Eulaliæque dies currat et iste tibi.
Sic te pro populo cujus tibi credita vita est,
Orantem Christus audiat omnipotens.
Sic tibi de pleno lupus excludatur ovili,
Agna nec ulla tuum capta gregem minuat.
Sic me gramineo remanentem denique campo
Sedulus ægrotam pastor ovem referas.
Sic, cum lacteolis caulas compleveris agnis,
Raptus et ipse sacro sis comes Hippolyto.

XII HYMNUS.

INCIPIT PASSIO APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Plus solito coeunt ad gaudia : dic, amice, quid [sit.
1189 Romam per omnem cursitant, ovant- [que.
Festus apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.
Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus [anno,

GLOSSÆ VETERES.

230. Fetos, *impletos*, I.
235. Crede, *scilicet mihi*, I.
236. Lucis, *diei*, I. — *Festi diei celebrati*, Mar.
241. Sic tibi, *optando*, I.
244. Sedulus, *studiosus*, I.
245. Lacteolis, *candidis*. — Compleveris, *pro compleas*, I.

B

1. Coeunt, *scilicet quid*, I.
2. Ovantque, *lætantur; nam tractum est a triumphantibus, qui albam ovem immolabant*, I.
3. Festus, *quasi respondet interrogatus*, I.
5. Innovatus, *veraciora gesta habent, quod non anno revoluto, sed prorsus uno eodemque die sunt ambo isti principes apostolorum passi*, Prag.

COMMENTARIUS.

230. Gis. ad oram, *fetus accumulata suos* cum Vat. A a secunda manu. In Mar., Urb., Prag, Vat. B a prima manu, *fetus*. Alex., *fetas*; supra, *fetos*.

231. Quod ait Prudentius, *Si bene commemini*, non dubitat, sed considerate loquitur, et caute affirmat. Sic vers. 1 præf. carminum, *Per quinquennia jam decem, Ni fallor, fuimus*. Cicero pro M. Fonteio: *Qui primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis* ARBITROR, *quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit atque omnia se scire dixit*. Nonnulli putant Hippolytum, quem idibus Augusti celebrari ait Prudentius, esse solum Hippolytum militem. Sed cum Prudentius de alio Hippolyto certissime loquatur, hujus Hippolyti, quem laudat Prudentius, diem festum olim in idus Augusti incidisse judicandum est.

232. Rat. ex *ipse* recte *ipsa*. Ald., non bene, punctum post *vocat* adhibet.

235. Gis. ad marg., *annos* pro *ortus*.

236. Præmia diei festi celebrati videntur esse *salutigeri ortus*, sive anni. Barthius addit *præmia de cœlo;* nec repugno.

237. Alex., Ald., *Chelidoni*. Vat. B, Mar., *Celedoni*. Parrhasius, corrupte, *Celeboni*. Notandum festum diem S. Cypriani jam tum in Hispania celebratum.

239. Ald., *tradita vita est*. Teolius glossam unius Vat. ascribit: *Adjuvantis est, id est, si hoc feceris, tunc te Christus audiet*. Minime dubito quin sit legendum *adjurantis est*.

242. Barthius scribendum putat *rapta* pro *capta*. Sed membranæ constanter habent *capta*, et paulo post occurrit *raptus*. Neque male est *capta*, ut *bello captus, dolis captus, pisces jaculo aut hamo capti*. Torn., mendose, *captum*.

245. Psych. vers. 792, *Lacteolam mentitus ovem*. Vide comment. ad vers. 165 hymni S. Eulaliæ. Stabula ovium vocantur *caulæ* ex Græco nomine, *c* detracto: nam Græci αὐλὰς dicunt. Fortasse Paulinus hoc etymon respexit de Reditu Nicetæ: *Nunc oves facti duce te gregantur Pacis in aulam*.

246. Hæc valida mihi videtur conjectura ut credamus Hippolytum fuisse episcopum, quod scilicet Valerianus, Christi sacer, sacro Hippolyto esset futurus comes in cœlo, sacerdotii sive episcopatus, ut ego puto, ratione. *Raptus* pro defunctus verbum est sacræ paginæ, ut denotetur aliquem e periculis hujus mundi in cœlum eripi. Post hunc hymnum in Vat. B et Mar. ponitur passio S. Cypriani.

Exscripsi titulum ex Mar. et Rat. In Vat. A et Weitzio, *Passio apostolorum Petri et Pauli*. Ald. et Heins. addunt *beatorum apostolorum*. Hæc passio in Mar. et Vat. B sequitur post passionem S. Cypriani, ut in Weitzio.

1. Heinsius conjectabat, *quid sic Romam per omnem*

C

cursitant, ovantque? Cellarius secutus est hanc conjecturam: quæ mihi etiam placet, quamvis lectio codicum recte procedat, neque careat elegantia. Ad festum diem apostolorum celebrandum multi olim undique conveniebant, etiam episcopi. Vide ep. Paulini 13 ad Severum, et 16 ad Delphinum.

2. Etymologiam verbi *ovare*, a glossa indicatam, comprobant Servius et Plutarchus. Alii cum Festo *ovare* deducunt a clamore quem edere solent victores, geminata littera *o;* alii ab *evoe*, bacchantium voce. Adisis Beemanum de Origin.

5. Hæc Prudentii aliorumque opinio fuit, SS. Petrum et Paulum eodem anni die, sed non eodem anno martyrium subiisse. Prudentius hanc suam opinionem clarius explicat vers. 21, *Ut teres orbis iter*, etc. Joannes M. Brassichellensis in Indice librorum expurgandorum, quem num. 184 in not. proleg. laudavi, hanc sententiam censura perstringit, quod contraria sit communiori opinioni, quamvis fateatur illam defendi ab Augustino et Aratore. Vide pag. 257

D

et 262 ejus Indicis. Eminentissimus card. Stephanus Borgia in celeberrimo suo opere, Vaticana Confessio beati Petri, multa affert quibus tum aliæ antiquitates ecclesiasticæ illustrari possint, tum fere totus hic Prudentii hymnus facilius intelligi. Hanc ipsam quæstionem ad examen revocat, et fatetur S. Augustinum idem sensisse ac Prudentium, serm. 295 in natali apostolorum Petri et Pauli, et serm. 381 de eod. natal., ubi ait: *Natalitio ergo Petri passus est Paulus*. Neminem alium ex antiquis Latinis scriptoribus ejusdem sententiæ assertorem reperit, excepto Aratore subdiacono, qui sæculo VI floruit, et lib. II Hist. Apost. ita cecinit: *Geminos, quos edidit astris, Non eadem, tamen una dies, annique voluto Tempore sacravit repetitam passio lucem*. E Græcis Photius in Biblioth. cod. 276 locum S. Nili discipuli S. Joannis Chrysostomi profert ubi affirmatur Petrum ante Paulum occu-

1190 Vidit superba morte laureatum.
Scit Tiberina palus, quæ flumine lambitur pro-[pinquo,

A

1191 Binis dicatum cespitem tropæis,
Et crucis, et gladii testis : quibus irrigans eas-[dem

GLOSSÆ VETERES.

6. Superba, *nobili.* — Laureatum, *coronatum*, I.
9. Crucis et gladii, *Petri et Pauli.* — Testis, *Tiberis.* — Quibus, *tropæis*, I.

COMMENTARIUS.

buisse. Justinum martyrem et Irenæum memoriæ mandasse Paulum quinque post Petrum annis martyrio coronatum, refert Metaphrastes, approbantibus Colomesio et Junio in notis ad epist. 1 S. Clem. ad Cor. Rupertus Tuitiensis, qui anno 1124 sub Lotario III obiit, lib. VI de Operib. Spiritus sancti, cap. 10, ita habet : *Creditur ambos* (SS. Petrum et Paulum), *uno eodemque unius ejusdemque diei anno inclyto cœlos decorasse martyrio ; non tamen desunt qui putent eodem quidem die, sed non eodem martyrium complevisse anno. Unde idem, qui supra, Unus utrumque dies*, etc. Communiori sententiæ de eodem anno et die martyrii SS. apostolorum magnum pondus adjecit celebre Gelasii I decretum de libris apocryphis in concilio Romano anni 494, quod sub Damaso celebratum falso dixit Chamillardus, et, ut opinor, voluit dicere sub Gelasio : *Cui data est etiam societas beatissimi Pauli apostoli, vas electionis, qui non diverso, sicut hæretici* (al. *hæresi*) *garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosam mortem cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est.* Nihilominus anno 544 Arator subdiaconus Ecclesiæ Romanæ eamdem sententiam, ut vidimus, expressit, cujus carmina ut publice recitari juberet, Vigilium papam litterati omnes doctissimique rogaverunt, ac revera summo plausu in ecclesia S. Petri ad Vincula recitata sunt. Eodem Aratore recitante, distinctis diebus ambo libri septem vicibus sunt auditi, cum unius medietas libri tantummodo legeretur propter repetitiones assiduas, quas cum favore multiplici postulabant. Vide Labbeum tom. I Biblioth. mss. pag. 668. Igitur sententia Prudentii non tam male audiebat tunc Romæ quam videri possit, si solum decretum Gelasii consideretur. Accedit S. Gregorius Turonensis de Gloria martyrum cap. 29 lib. I : *Paulus vero apostolus post revolutum anni circulum ipsa die qua Petrus apostolus passus est, apud urbem Romam gladio percussus occubuit.* Ruinartius in notis ait deesse hæc verba *post revolutum anni circulum* in quodam codice : quæ lectio, etsi conformior veritati videatur, incertum tamen illi est an sit sincerior.

6. Prag., *mente :* lege *morte.* Paschalius, de Coronis lib. VIII, cap. 10, probat *laureatum* significare victorem, et interdum pro triumphante poni, ut hoc loco a Prudentio.

7. In editione Parmensi vitiatum est metrum, transpositis ita verbis, *quæ lambitur flumine;* in nota recte *quæ flumine lambitur.* Teolius ait in omnibus mss. Vatt. esse *lambitur*, non *labitur.* Sed dubium non est quin in Vat. Q et aliis sit *labitur;* quod legit Mariettus in Vatt. A, B, Rat., Prag. In Vat. P, Oxon., Thuan. a manu prima, Egm., Pal., Fabr., Parrh., *lambitur.* Heinsius edidit *labitur*, sed putat castigandum *Scit Tiberina palus, qui flumine lambitur propinquo, Binis dicatum cespitem tropæis.* Scilicet cespes *lambitur*, non *palus*, ut infra de eodem Tiberi : *Qua stringit amnis cespitem sinistrum.* Addi potest similis loquendi ratio ex Ammiano lib. XXVII, *Ister, qua Romanum cespitem lambit.* Mihi non displicet conjectura, quamvis Teolio nimis dura et coacta hæc videatur constructio. Cæterum nihil mutaverim, repugnantibus mss. Cellarius insigniter allucinatus est, qui non solum edidit *qui lambitur*, verum etiam falsissimam notam subjecit : *Ita mss. Vulgo, quæ labitur.* Giselinus affirmat in quodam ms. esse *quæ lambitur*, in Daventriensi *quæ lambit ex propinquo.* Sed addit utrumque de Rhodano Lemanum allambente, similibusque fluminibus recte dici posse; de paludibus autem ad montium radices scaturientibus, ac in vicinos amnes perenniter sese exonerantibus, non item. Nihilominus mihi arridet *quæ lambitur*, ita ut palus Tiberina intelligatur esse campus Tiberi proximus, *quem idcirco paludem vocat, quia stagnantibus aquis vel ob pluvias immodicas, vel ob fluminis inundationes frequenter operiebatur*, ut egregie explicat laudatus Em. card. Borgia. Ex quibus verbis recte colligit locum in quo S. Petrus martyrium subiit non fuisse montem Janiculum, ut recentiorum tenet opinio, sed

B

planitiem eam quæ Tiberim inter et montis Vaticani radices excurrit : quod allatis aliis antiquitatis monumentis uberius confirmat. Hanc sententiam ita explicatam non satis intellexisse videtur Teolius, nisi fortasse novam aliquam ipse excogitavit. Ita enim ait in admonitione ad hunc hymnum : *De loco autem par ratio non est. Quantumvis enim speciosæ sint recentiorum conjecturæ, qui sanctos apostolos diversis in locis animadversos fuisse contendunt, conjecturæ tamen sunt, quibus nemo prudens rerum æstimator testem antiquum sane, ac sinceritate, et eruditione ubique commendatum præferendum esse non fateatur. Cum itaque Prudentius aperte dicat vers. 9 eamdem paludem, quæcunque illa fuerit, utrorumque apostolorum sanguine imbutam fuisse, uno eodemque loco sanctos apostolos martyrium complevisse in dubium revocare non audemus : uti nec, certis deficientibus monumentis, quisnam fuerit locus ille definire. Rem totam accurate discussam, ac summa eruditione pertractatam vide apud illustriss. præs. Stephanum Borgia*, etc. Verum aperte doctissimus card.

C

Borgia pag. 84 et 85 assertionem Petri Comestoris tuetur, Paulum gladio occisum in catacumbis versus occidentem, Petrum crucifixum in Vaticano, in vico scilicet qui est extra civitatem, ubi fiebant dolia; et pag. 89 ait : *Locum ubi doctor gentium gladio percussus occubuit, nemo clarius quam S. Gregorius Magnus expressit, cum basilicæ S. Pauli massam ad Aquas Salvias donaret.* De qua massa sive possessione *ad Aquas Salvias* ait S. Gregorius : *In qua palmam sumens martyrii capite est truncatus*, ut videri potest apud cl. præsulem Gallettium antiquitatis cultorem eximium, Inscription. Rom. infimi ævi, t. I, p. 5.

8. Per *cespitem* intellige gramen, campum. Infra vers. 46, *Qua stringit amnis cespitem sinistrum.* Weitzius ad vers. 50 hymni S. Vincentii putaverat cespitem hoc loco sumi pro ara. Cespes campi Tiberini binis tropæis dicatus dicitur. Caius, sive Gaius presbyter Romanæ Ecclesiæ sub Zephyrino Romano pontifice sæculo II, apud Eusebium Hist. eccles. lib. II, cap. 25 : *Ego autem apostolorum tropæa possum*

D

ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere velis, invenies tropæa eorum qui ecclesiam hanc fundaverunt. Tropæa apud Prudentium et Caium sunt sepulcra martyrum qui palmam martyrii consecuti sunt. S. Hieronymus epist. ad Marcellam : *Est ibi* (Romæ) *sancta ecclesia, sunt tropæa apostolorum, ad hæc et tituli.* Fortasse tropæi nomen magis proprie apostolorum Petri et Pauli sepulcris tribuebatur; tituli etiam alia sepulcra, eisque inædificatæ ecclesiæ vocari solebant. Fortunatus hæc tropæa *propugnacula* appellavit lib. III, carm. 7. *A facie hostili duo propugnacula præsunt, Quos fidei turres Urbs caput orbis habet.* Supra, vers. 2, occurrit *triumphus apostolicus.* S. Ambrosius similiter de SS. Gervasio et Protasio epist. 22 : *Eruuntur nobiles reliquiæ e sepulcro ignobili, ostenduntur cœlo tropæa.*

9. Egm., *et crucis, et gladii testes.* Heinsius parum hic vidit; ait enim ita in Egm. legi, ut ad *herbas*, non

1192 Bis fluxit imber sanguinis per herbas. A
Prima Petrum rapuit sententia, legibus Neronis
Pendere jussum præminente ligno.
Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam magistri,
Exigit ut pedibus mersum caput imprimant supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen :
1193 Hoc mente major, quod minor figura,
Noverat ex humili cœlum citius solere adiri :
Dejecit ora, spiritum daturus.
Ut teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
Diemque eumdem sol reduxit ortus,
Evomit in jugulum Pauli Nero fervidum furorem,
Jubet feriri gentium magistrum.
Ipse prius sibimet finem cito dixerat futurum,
Ad Christum eundum est, jam resolvor, inquit.

GLOSSÆ VETERES.

12. Præminente, *eminente, alto patibulo*, I.
13. Veritus, *timens.* — Celsæ, *quæ est illa gloria.* — Æmulando, *imitando*, I.
14. Ambire, *desiderare*, I.
15. Exigit, *rogat, exegit, petiit.* — Supinis, *elevatis*, I.
16. Quo, *ut*, I.
17. Subter, *ad terram.* — Sola, *plantas*, I.
18. Mente major, *humilior.* — Minor, *despectior.* — Figura, *honore*, I.
B 21. Ut teres, *sicut rotunda; circulus*, I.
23. Evomit, *emittit*, I.
24. Feriri, *puniri*, I.
26. Eundum, *contendendum*, I.

COMMENTARIUS

ad *imbrem sanguinis* referatur *testes*. Vera lectio est *testis*, et refertur ad Tiberinam paludem, non ad imbrem sanguinis. Sententia est : Scit Tiberina palus testis crucis et gladii, quibus, scilicet cruce et gladio imber irrigans sanguinis bis fluxit per easdem herbas. Teolius ex hoc versu arguit eodem in loco Petrum et Paulum passos. At Prudentii mens est in eisdem campis Tiberinis utrumque martyrium contigisse, non in eodem omnino loco paludis Tiberinæ : designat enim locum martyrii, sed non locum loci, ut cum jureconsultis loquar. Sic ait, Tiberinam paludem scire, cespitem dicatum binis sepulcris; et postea clare distinguit et separat hæc ipsa sepulcra : *Dividit ossa duum Tibris.* Sic etiam ait, *easdem per herbas*, cum non eodem anno martyrium astruat : et *bis fluxisse sanguinem*, cum Petrum affirmet cruci affixum. Hæc enim omnia aliud sonant, aliud significant : quanquam fortasse etiam sanguis Petri fluxit. Hieronymus epist. 23 ad Castrutium plus dixit : *Quid Petro, quid Paulo sublimius? Neronianum gladium cruentarunt.* Sagittarius cap. 6 de Cruciat. plures Patres allegat qui geminum hoc mortis genus de Petro et Paulo sub Nerone confirmant.

11. Weitzius ait a nonnullis dubitari Romæne an apud Hierosolymam Petrus cruci sit affixus. Scio a nonnulis dubitari, sed hæreticis. At quid respondent toti antiquitati, in qua tot sunt qui affirmant Petrum Romæ martyrium subiisse, nullus qui neget? Videri possunt testimonia apud em. cardinalem Borgiam collecta.

13. Egm., Widm., supra, Vat. P, *æmulandæ :* metrum *æmulando* poscit. Cur Petrus inversis vestigiis cruci affigi postulaverit, hanc eamdem rationem reddunt Egesippus, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Eutychius Ægyptius, Maximus et alii. De hac inversa Petri crucifixione concinnum exstat Petri Labbei elogium, quod Sagittarius cap. 8 de Cruciat. exscripsit.

14. Hailsbr., *tantam.* Egm., *tangi*, male, pro *tanti.*

15. Gis. ad oram, *pedibus versum.* Ald. *imprimat :* melius *imprimant.*

17. Parrhasius male, *solo* pro *sola :* quod est a *solum soli*, non a *solea*, sublato *e*, ut ait glossa. Diversa crucifigendi genera exponit Seneca in Consolat. ad Marciam cap. 20 : *Video isthic cruces, non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite conversos in terram suspendere; alii per obscena stipitem egerunt; alii patibulo brachia explicuerunt.* S. Petrum capite deorsum demisso fuisse affixum cruci Origenes narrat apud Eusebium lib. III Hist. eccles., cap. 1 : *Qui ad extremum Romam veniens, cruci suffixus est capite deorsum demisso : sic enim ut in cruce collocaretur oraverat.* Consentiunt Egesippus de Excidio Hierosolym. cap. 2, lib. III; Abdias (quisquis est) auctor Historiæ Apostolorum, quamvis apocryphæ; Palladius in dialogo de Vita Chrysostomi; Augustinus serm. 28 et 29 de Sanctis; Eutychius Ægyptius patriarcha Alexandrinus in Originibus Ecclesiæ suæ; S. Maximus serm. 1 Natal. apostolorum Petri et Pauli; Hieronymus cap. 1 de Script. eccles.; S. Ambrosius lib. 1 de Interpellat. Job et David., cap. 1; S. Gaudentius episcopus Brixiensis in serm. de SS. apost. Petro et Paulo; S. Joannes Chrysostomus homil. in princip. apost.; S. Gregorius Nyssenus in orat. 8 de C beatit., aliique innumeri : ut temere nonnulli hac de re dubitare visi sint. In Breviar. Mozarab. exstat hymnus qui S. Ambrosio tribuitur, ubi id clare affirmatur : *Verso crucis vestigio*, etc., et in orationibus ad matutinum : *Cum et Paulus dissolvi cupiens gladio necatus interiit, et Petrus inversis se poscit vestigiis crucifigi.* Rupertus Tuitiensis, lib. VI de Operib. Spiritus sancti, cap. 10, hos ipsos Prudentii versus allegat : *Super hoc quidam fidelis, et in fide laudabilis metrice canens ita dixit : Figitur ergo manus*, etc.

20. In nonnullis vulg., *defecit;* in aliis, *hora.* Corrige *dejecit ora.*

21. Vat. B, Q, Mar., Prag., Rat., Weitz. cum suis, Thuan., Ox. pro div. script., Parrhasius, *retro.* Ald., Vat. P. et alii, *rota.* In Alex. hic et sequens versus desiderantur.

23. Vat. A, *cruorem;* supra, *furorem*

24. Intellige *feriri gladio*, quod supra indicavit. S. Augustinus sæpe *feriri* simpliciter dixit, ut epist. D 260 : *Si non solum subito feriri juberentur, verum etiam in loco proximo ferirentur.* Vide Sagittarium cap. 7 de hac formula *gladio feriri.* Cum gladius communis esset omni populo, securis vero propria Romanorum, gladio quam securi feriri magis erat ignominiosum. Victimæ immolandæ securi cædebantur. Vide Baronium ad annum 226, num. 3. Chamillardus hoc discrimen non advertit, cum non semel affirmet Paulum securi percussum, quod nemini ignotum esse dicit. Prudentius, ut potestatem primam Petro libens concedit, ita præcipuam laudem docendi gentes Paulo. Hanc distinctionem recte exprimit Breviarium Mozarabicum in capitulis ad Benedictus in hoc festo : *Cum potius tendentes ad regna cœlestia, quo Pauli docentis adduxerit pietas, intromittat Petri potestas.*

25. Prag., inepte, *Cato*, et supra glossa, *sapiens.* Lege *cito.*

26. Parrhasius distinguit *Ad Christum eundum est*

Nec mora : protrahitur, pœnæ datur, immola- A
[tur ense,
Non hora vatem, non dies fefellit.
1194 Dividit ossa duum Tibris, sacer ex utra-
[que ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulcra.

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis rece-
[ptum,
Canens oliva, murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
1195 Frondem perennem chrismatis fera-
[cem,

GLOSSÆ VETERES.

31. Dextra regio, *aquilonaris plaga.* — Aureis, *nobilibus*, I.

32. Canens, *albescens, candens, a canitie dicta, albens et venit a caneo canes.* — Fluento, *orta aqua*, I.

34. Fontem, *baptisterium.* — Chrismatis, *unctionis oleo baptizati unguntur*, Vat. A. — Fontem, *baptisterium perpetuum.* — Feracem, *fertilem*, I.

COMMENTARIUS.

jam, resolvor, inquit. Epist. II ad Tim. II, 6 : *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat.* Confer etiam epist. ad Philipp. I, 23, *Desiderium habens dissolvi.*

27. Parrhasius, depravate, *Hæc mora quæ trahitur, pœnæ datur. Immolatur ense.* Ald. et nonnulli vulg. male distinguunt *nec mora protrahitur.*

28. Vat. A, *autem.* Emenda *vatem.*

29. S. Petrum sepultum fuisse in Vaticano, et S. Paulum in via Ostiensi certior est sententia. Nonnulli e catacumbis eorum corpora in hæc loca ubi nunc sunt, a Cornelio pontifice Romano translata fuisse non satis idoneis auctoribus affirmant. Vide S. Isidorum de Vita et Morte sanctorum cap. 68 et 69. Negari tamen nequit aliquandiu corpora beatorum apostolorum in catacumbis occultata fuisse : quod S. Damasi et S. Gregorii Magni testimoniis demonstratur.

31. Prag., *perceptum :* corrigendum *receptum.* Hic etiam tecta aurea templi Vaticani memorantur, ut infra de basilica S. Pauli. Peveratus ad hunc versum exscribit hæc verba Pomp. Ugonii ex scheda ms. quam apud se habebat : *Aug. Constantinus basilicam B. Petro apostolo ex rogatu Silvestri episcopi in templo Apollinis inclusit in loculo corpus S. Petri. Ipsum loculum undique ære Cyprio conclusit, quod est immobile. Ornavit supra ex columnis porphyreticis. Hæ columnæ steterunt sub ciborio usque ad tempora nostra, nunc sunt in altaribus S....... et alias columnas vitineas, quas de Græcia perduxerat, et exstant hodie. Fecit auream crucem lib.* 150. Quæ verba mendis inquinata esse facile intelliges : sed tanti non est ea emendare.

32. Mar., *canans;* supra, recte, *canens.* Prag., Weitz., Vatt. B, Q, *olivo.* Rat., *olivæ.* Ald., *oliva, et murmurans.* Plerique, ut editum est. Etiamnum olivæ in Vaticano virescunt. Weitzius ait prope templum Vaticanum ortum fontem ex quo S. Petrus sui carceris custodes baptizaverit, de quo loquitur Prudentius. Hunc errorem animadverti et correxi ad hymn. De loco in quo martyres passi sunt, etc. A Giselino errorem hausit Weitzius.

33. Baronius ad an. 384, num. 24, in his Prudentii versibus baptismalem ecclesiæ Vaticanæ fontem agnoscit. Eodem respiciunt glossæ veteres. At ego existimo a Prudentio describi fontem magnifice exstructum ante fores templi Vaticani, quo ora manusque lavarent fideles antequam ecclesiam ingrederentur. De hoc fonte Paulinus epist. 33 ad Alethium, sive 13 ad Pamachium ed. postr., qui epulum præbuerat omnibus Romæ pauperibus in basilica apostolorum principis : *Quanto ipsum apostolum attollebas gaudio cum totam ejus basilicam densis inopum cœtibus stipavisses, vel qua sub alto sui culminis mediis ampla laquearibus longum patet, et apostolico eminus solio coruscans ingredientium lumina stringit, et corda lætificat; vel qua sub eadem mole tectorum geminis utrinque porticibus latera diffundit; quave prætento nitens atrio fusa vestibulo est, ubi cantharum ministra manibus, et oribus nostris fluenta ructantem fastigiatus solido ære tholus ornat, et inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens. Decet enim ingressum ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere* B *signetur.* Similem fontem postea Leo Magnus ante Ostiensem S. Pauli basilicam condidit, quem Ennodius celebrat : *Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat Purificatque animas mundior amne fides. Quisque suis meritis veneranda sacraria Pauli Ingrederis, supplex ablue fonte manus. Perdiderat laticum longæva incuria cursus, Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit. Provida pastoris per totum cura Leonis. Hæc ovibus Christi larga fluenta dedit.* Hunc morem veterum Christianorum lavandi manus et ora ante fores ecclesiæ, aut interius sacrarium, confirmat Eusebius lib. X, cap. 4, et indicat Tertullianus lib. de Oratione, cap. 11 : *Quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire?* Apud ethnicos eadem fuit consuetudo. In Christianorum ecclesiis vas aquæ lustralis ad expianda peccata venialia, quod nunc cernitur, his quos dixi fontibus successit. Et fortasse sacratioribus diebus majoris hebdomadæ Christiani veteres ecclesiam in- C gressuri manus et ora non lavabant, ad doloris sensum de passione Domini indicandum : unde originem traxerit consuetudo non adhibendi aquam lustralem feria 5 et 6 ejus hebdomadis. Matriti anno 1786 prodiit opusculum quo hæc consuetudo improbatur. Jam anno 1782 editum fuerat Perusiæ volumen in 8 quo quatuor opuscula Italice scripta continentur, quorum primo auctore G. C. hujusmodi usus refellitur, tribus aliis prorsus anonymis defenditur. Jam si Prudentii versus cum veteri illa consuetudine, cum Paulini et Ennodii verbis conferantur, planum fiet non de fonte baptismali illum locutum, sed de fonte ante fores templi collocato. Ait igitur Prudentius regionem in qua sepultus erat S. Petrus aureis sub tectis, olivis et fluento esse conspicuam : nam aqua in monte scaturiens frondem (ita enim lego) oleæ excitat et alit : inde per marmora et clivum ad viridem natationem sive receptaculum confluit. In interiori parte tumuli sive ædificii e cantharo labuntur aquæ, et in stagno volvuntur. Pictura tholi tingit undas, et D vicissim musci ab auro relucent, et aurum a muscis virescit; aqua cærulea a rubro colore supernæ picturæ trahit umbram sive imaginem, et lacunar fluctibus videtur moveri. Pastor sive pontifex Romanus suis ovibus exhibet hæc fluenta.

34. Dixi vers. sup. legendum esse *frondem;* et ita revera legunt Vat. B, Alex., Mar., Prag., Rat, Weitz. cum plerisque suis, Gis. ad marg., Sich., Thuan., duo Torrent., Heins., Cham. Et, ut Prudentius dicit nunc *frondem perennem,* ita vers. 175 Dittochæi de monte Oliveti, *Frondibus æternis præpinguis liquitur humor.* Janningus tom. VII Junii etiam legit *frondem perennem,* et interpretatur oleam. Nihilominus Parrhasius, Ald. ac multi mss. legunt *fontem,* quod expresserunt Cellarius et Teolius; quanquam hic non vere affirmat omnes Vatt. præter unum habere *fontem.* Chamillardus etsi legat *frondem,* tamen in *liquore orto,* de quo vers. super., intelligit ex mente Prudentii erupisse aliquem fontem in monte S. Petri, ut

1196 Nunc pretiosa ruit per marmora, lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo.
1197 Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas,
Musci relucent, et virescit aurum.
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri :
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic gelidi rigore fontis,
Videt sitire quas fluenta Christi.
Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis,

GLOSSÆ VETERES.

35. Ruit, *oleum*, — Lubricatque, *flectit*. — Clivum, *devexitas montis*, I.

36. Colymbo, *natatu*, Mar. Prag., *natatu; nam Græce colymbin natare dicitur. Natatu : fructu olivæ. Corymbi racemi hederarum; colymbi tubi per quos currit aqua per loca occulta*, I. *Colymbi tubi dicuntur*, Vat. A.

38. Nivali, *candido*, I.

39. Superne, *desuper*, *adverbium*.—Tingit, *colorat*; *pictura*, I.

40. Musci, *viriditates*, Vat. A. *Qui ibi picti erant*. — Relucent, *ex auro*, I. — Aurum, *ex musco*, I. *Laminæ aureæ affixæ laquearibus*, Vat. A.

41. Cyaneusque, *viridis*, *vitreus*; *viridis. Cyane gemma est Scythiæ coruscans; interdum nitore pura est, et punctalis; interdum micantibus auratis varians punctulis*. — Ostri, *rubei coloris : ostrum purpuræ liquor ab ostrea, quæ Græce testa dicitur. Genus muricis bene olentis*, I. *Lazureus, vel purpureus*, Vat., A. *Albus lapis*, Mar. — Umbram, *imaginem*, Vat. A.

43. Pastor, *Petrus*, I., Vat. A.— Rigore, *algore*, I.

44. Fluenta, *doctrinam*, I.

45. Ostiensis, *Portuensis*, *ab Ostia : proprium nomen loci*, I.

COMMENTARIUS.

tres erupisse in morte S. Pauli memoriæ proditum est. At Prudentius loquitur de fonte qui in monte vicino scaturiebat. Peveratus, qui cum Baronio putat sermonem esse de fonte baptismali, legit *fontem*, et putat eum cum ipso cœmeterio omnino destructum, ita ut nullæ supersint reliquiæ, nisi forte quod circa posterioris crepidinem apsidis, et sub areæ Vaticanæ porticibus etiamnum aquarum scaturigines conspiciuntur quarum aliquot in limpidissimum fontem corrivavit Urbanus VIII, versibusque exornavit, et postea fons Liberii papæ, ac Damasi in aream Vaticani palatii ab Innocentio X deductus ac instauratus est, qui historiam Liberii pontificis sacro populum abluentis baptismate marmori exsculpendam curavit. Verum hic ipse fons Liberii et Damasi, et non alius baptismalis a Prudentio est descriptus. Versus Damasi legi possunt in ejus operibus et apud Baronium; nihil enim habent ex quo argui possit ad fontem baptismalem describendum fuisse compositos. Baronius ipse assentitur a Paulino Nolano descriptum fuisse fontem atrii basilicæ Vaticanæ. Paulinus autem cum Prudentio mire consentit. Addit Baronius aliam inscriptionem Damasi, ubi clarior fit mentio baptismatis; sed minime constat eam ad basilicam Vaticanam pertinere. Imo existimo tempore Damasi non aliud exstitisse Romæ publicum baptisterium nisi ad S. Joannem Lateranum, quod unum nominat Prudentius lib. I contra Symm., vers. 586 et seq.

35. Ald., Mar. a prima manu, *murmura* : lege *marmora*. Ox., *lubricatque clivo*; id est liquor fluit lubricus per clivum. Aliud *lubricat clivum* significat, scilicet ab humore clivum lubricum reddi.

36. Urb., mendose, *fluctu et colymbo*. Alex. a prima manu, Thuan., Gis. ad oram, *corymbo*. In notis ait Giselinus se expressisse Daventriensem his de causis. Primum quod κολυμβὸς inter vocabula ecclesiastica usitata non sit numerandum, deinde quod natatus inepte rivulo affingatur; postremo quod paulo ante regionem ubi sepeliebatur B. Petrus, dixerit *canere oliva*. Hic igitur idem repetens ait, rivulum ubi per pretiosa marmora ruerit, clivumque lubricarit, fluctuare virentibus corymbis, id est ramulis et foliis olearum. Heinsio non arridet *corymbo*, quia id ad olivam referri posse non videtur; et colymbades olivæ apud Plinium, Columellam, alios occurrunt : quæ ita dicebantur, quod muriæ, qua erant conditæ innatarent. Multi alii *colymbades olivas* in *colymbo* cogitant; sed non video qua ratione *colymbus* poni possit pro oleis, quamvis olivæ a colymbo, sive natatione *colymbades* dicantur. Parrhasius scribit *colymbo*, et ait colymbum esse labrum quo defluens unda excipitur. Janningus colymbum explicat canalem sive aquæductum. Ugutioni colymbus est herba crescens in aqua, vel thyrsus virens, vel aquæductus. Mihi videtur colymbus esse natatio, sive locus aut stagnum natationi aptum; et consentiunt glossæ Isidori : *Colymbus, Locus ubi vestes mundantur*. Lampridius in Vita Heliogabali : *Marinæ aquæ colymbos exhibuit in mediterraneis locis* : hoc est piscinam et natationem, ut explicat Salmasius. Lupius in dissertatione de baptisteriis Christianis, etsi Prudentii verba intelligat de baptisterio Vaticano, tamen multa affert ex quibus arguit *colymbos* et *colymbethras*, seu natatorias promiscue de lavacris sacris et profanis dici consuevisse. Pro *colymbus* nonnulli scribunt *columbus*.

37. In medio illo stagno, seu concha, et colymbo erigebatur moles cum cantharo, ex quo aquæ labebantur in stagnum ipsum : nisi si forte cantharus de quo loquitur Paulinus, in aliquo angulo ad usum lavandi manus erat expositus. Conjiciebam *interior tubuli pars est*.

38. Mar. a prima manu, Hailsbr., Prag., Rat., Parrhasius, *nivale* : melius *nivali*. Teolius *nivali* interpretatur *candido*. Verius, ut puto, *gelido*, ut mox *gelidi rigore fontis*.

39. Cauchius perperam, *pictura superba*. In *superne* postrema rite corripitur, ut ostendit Gifanius in *e* breve.

41. Paulinus aiebat *Fastigiatus solido ære tholus ornat et inumbrat*.

43. Nonnulli vulg., *adit* : lege *alit*. Glossæ *pastorem* intelligunt S. Petrum in verbis *pastor alit*, fortasse ex veteri nomenclatura qua S. Petrus *nutritor* in antiquis monumentis appellatur, ut ex lib. Pontificali constat. Prudentius lib. I in Symm. vers. 585, *Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses*. Ita vocat S. Petrum. Eminentissimus cardinalis Garampius singulari doctrina et eruditione ubique notus, dum nuntium apostolicum ad Cæsarem ageret, in diplomate dato Varsaviæ 14 Februarii 1774, antiquitatem imitatus, principem apostolorum *pastorem ac nutritorem nostrum* opportune nuncupavit. Prudentius autem hoc in loco Romanum pontificem designat, et probabiliter ipsum Damasum, qui fontem construxit. Ennodius in versibus quos ante retuli, Prudentium æmulatus videtur : *Provida pastoris per totum cura Leonis Hæc ovibus Christi larga fluenta dedit*. In Prudentio *gelidi rigore fontis* accipitur rigor pro magno frigore.

44. Parrhasius, Vatt. B, Q, Mar., Prag., Rat., Weitz., Gis., Heins., *videt*. Alex., Urb., Egm., Vat. Q, Ald., *vidit*.

45. Ald., *Pauli titulum* : lege *titulum Pauli*. Pru-

Qua stringit amnis cespitem sinistrum. A

1198 Regia pompa loci est : princeps bonus has sacravit arces,
Lusitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.

1199 Subdidit et parias fulvis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus :

GLOSSÆ VETERES.

46. **Cespitem sinistrum**, *meridianum, versa vice ad occidentem civitatis. Sinistram ripam dicit, id est meridianum, versa vice ad occidentem*, I.

47. **Princeps**, *Constantinus*, I., Vat. A. — Arces, *templa Petri et Pauli*, Vat. A.

48. **Lusitque**, *ornavit, quasi ludendo fecit*. — **Ambitum**, *circuitum*, I.

49. **Bracteolas**, *trabes cum bracteolis, laminas*. — **Sublevit**, *circumdedit, junxit, a liniendo*. — **Aurulenta**, *auro plena*. I.

51. Parias, *candidas, marmoreas*. — Fulvis, *rubeis, auratis*, I.

53. Camuros, *curvos*, Vat. A. *Recurvos*, Prag. *Curvos, introrsum respicientes; curvos. Camurum Græce curvum; inde camerata domus cujus testudo curva est; inde camelum animal tortuosum*. — Hyalo, *vitro. Hyalum Latine vitrum dicitur*. — Cucurrit, *ornando ; pinxit*. — Arcus, *fornices*, I. — Hyalo, *vitro*, Vat. A., Rat.— Cucurrit, *pinxit*, Rat.

COMMENTARIUS.

dentius tertium pedem semper facit spondæum, duos primos et quartum dactylos. Cellarius titulum exponit inscriptionem sepulcri, plerique basilicam ipsam Ostiensem S. Pauli. Proprie Prudentius titulum hic vocat sepulcrum, et peculiarius ossa sepulcro condita, utitur enim verbo sibi familiari ad significandum ossa in via Ostiensi esse condita, *servat*, quo denotatur corpora sanctorum exspectare resurrectionem. In Hippolyto, vers. 173, *Servat ad æterni spem judicis ossa sepulcro* ; quod pluribus prosequitur in hymno Exsequiarum, vers. 125 et seqq., *Nunc suscipe, terra, fovendum*, etc. Vide alia ad vers. 2 hymni 18 martyrum.

47. Egm. male, *hac* pro *has*. Describitur basilica Ostiensis S. Pauli ; neque enim *arces* sunt templa Petri et Pauli, ut in glossa dicitur, sed solum templum Pauli : siquidem templum Ostiense soli S. Paulo consecratum est, templum Vaticanum soli S. Petro. Nonnulli viri, alioquin doctissimi, et qui Romæ scribebant, affirmarunt templum Vaticanum in honorem SS. apostolorum Petri et Pauli esse erectum ; qui inscriptione ipsa, quæ litteris enormibus ante fores templi Vaticani patet, satis refelluntur. *Sacrare arces* de imperatore qui templum construxit recte dicitur, ut apud S. Damasum de Constantina : *Sacravit templum victricis virginis Agnes*. De quo autem imperatore Prudentius sit intelligendus, non convenit inter auctores. Plerique Constantinum putant esse; alii Valentinianum. At ex veteri inscriptione quæ etiamnum exstat in arcu majori basilicæ, de Theodosio id explicandum esse aperte demonstratur : *Teodosius cepit, perfecit Onorius aulam Doctoris mundi sacratam corpore Pauli Placidiæ pia mens operis decus homne paterni Gaudet pontificis studio splendere Leonis*. Edita olim hæc fuit inscriptio in opere *Inscriptiones antiquæ* basilicæ S. Pauli Romæ 1654 in-fol., et in multis aliis operibus repetita est. Theodosius Sallustio præfecto Urbis præcepit ut curam basilicæ S. Pauli apostoli magnifice construendæ susciperet ; Baronius ad ann. 386 litteras Valentiniani, Theodosii et Arcadii nomine ad Sallustium datas ex cod. Vaticano descripsit, ex quibus compertum est veterem basilicam a Constantino erectam debuisse destrui, novamque ampliorem construi.

48. Vat. A, mendose, *elusit*. Fabr., Gis., *clausitque*. Sed Giselinus in nota ait *lusitque*, et explicat, adeo liberaliter erexit, ut sumptibus pepercisse non videatur. Et in prima quidem editione Giselinus amplexus fuerat *lusitque;* sed ejus explicatio inepta est. *Ludere* pro *pingere* a Prudentio dicitur lib. II in Symm. vers. 44, *Aucta coloratis auderet ludere fucis*. In Hippol. vers 130, *Luserat e minio russeolam saniem*. Melius fortasse leges *clusit* pro *clausit :* quo spectat glossa ad *sublevit*, quæ transposita videtur, et favet Vat. A, et in cæteris *lusit*.

B 49. Widm., Vatt. A, Q, Mar., Prag., Rat., *supplevit* pro *sublevit*. Teolius glossam in duobus Vatt. invenit *substravit*, quasi laqueare non tantum auro illitum fuisset, sed etiam laminis solidis substratum. In Egm. glossa est apud Burmannum in Anthol., pag. 317, *Bracteolas, laminas tenuissimas auri*. Pro aurulenta Aldus cum Urb. scribit *aurolenta*. Dicit *aurulenta*, ut alibi *rorulenta* et *rosulenta*. Pro *aurulentus* solum Prudentium allegat Forcellinus. De hac consuetudine inaurandi trabes tectorum Lipsius de Magnit. Rom. lib. III, cap. 14. Arnobius lib. VI : *Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa*, LAQUEARIBUS AUT RENIDEANT AUREIS; *splendeant hic gemmæ et sidereos evomant variata intersitione* (alit. *interstinctione*) *fulgores : terra hæc sunt omnia*.

50. Browerus ad Fortunat. pag. 60 ait Fortunatum, quod a radiis solaribus infusis, bonoque lumine templa sæpe collaudat, Sidonii exemplo id fecisse. Sed uterque Prudentium auctorem habet. Sidonius, lib. C II, epist. 10 : *Intus lux micat, atque bracteatum sol sic sollicitatur ad lacunar, Fulvo ut concolor erret in metallo*. Fortunatus, lib. III, carm. 7 : *Ire, redire vides, radio crispante, figuras, Atque lacunar agit, quod maris unda solet*.

51. Adhuc exstat in basilica S. Pauli quaternus ordo columnarum. Non esse *parias*, ut eas vocat Prudentius, recte notavit cl. Fea ad Vink. lib. I, cap. 2, qui opinatur eas in aliis antiquioribus ædificiis prius fuisse collocatas, non vero in mole Hadriani, ut vulgi fert opinio. Dicuntur vero pariæ a Prudentio per metonymiam, qua una species pro alia ponitur, vel quia *parium* in sacris Litteris sumitur pro marmore pretioso. Paralip. I, XXIX, 2, *Et marmor parium abundantissime*, ubi textus Hebraicus habet *lapides de Sais*.

53. Ald., Mar. a prima manu, Alex., Widm., *camyros*. Mar. a secunda manu, Hailsbr., *cameros*. Vat. A, Rat., Prag., Parrhasius, *camiros*. Vat. Q, Urb., mendose, *carros*. Weitz., Gis., Heins., Vat. P et alii, D *camuros*. Pro *hyalo*, Prag. *hiala;* pro *varie*, Ald. *variæ;* pro *cucurrit*, Mar., Rat., *percucurrit :* quæ omnia mendose sunt scripta. Cauchius pro *cucurrit* malebat *recurvat ;* sed *cucurrit* verum est. Salmasius et aliquando Heinsius putabant *camurus cucurrit arcus*, ut arcus ipse cucurrerit, atque ita ediderat Fabricius. Sed princeps bonus est qui cucurrit camuros arcus, id est continenter ornavit hyalo insigni. *Currere* pro percurrere cum accusandi casu exstat apud S. Damasum de S. Agatha. Veteres verbis simplicibus sæpe pro compositis utebantur, ut *vertere* pro evertere. Camuros esse curvos glossæ docent, et confirmat Servius ad vers. 55 lib. III Georg. : *Camuris hirtæ sub cornibus aures, id est curvis, unde et cameræ appellantur*. Quid autem significet quod imperator curvos arcus hyalo insigni varie percurrerit, non satis adhuc

1200 Sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei summo Patre conferente dotes,
Urbi colendas quas dedit togatæ.
Aspice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus fervet una festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
A Et his et illis perfruamur hymnis.
1201 Ibimus ulterius, qua fert via pontis Hadriani,
Lævam deinde fluminis petemus.
Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

GLOSSÆ VETERES.

54. Sic, *si uti*. — Vernis, *vernalibus*. — Renident, *splendent, vel refragrant* (forte *reflagrant*), I.
55. Conferente, *tribuente*. — Dotes, *ornamenta ; dos potest dici quidquid honorifice datur*, I. *Obsides*, Mar.
56. Togatæ, *ornatæ, nobili, pacificatæ*, I.
58. Lux, *lætitia, gloria*. — Una, *communis*, I.
59. Incitato, *veloci*, I.
61. Pontis Hadriani, *Hadrianus fuit rex qui pontem ædificavit in Roma ad ecclesiam Pauli*, I.
62. Lævam, *Petri*, I.
63. Solvit sacra, *ad ecclesiam Petri*. — Sacerdos, *apostolicus*, I.

COMMENTARIUS.

explicatum est. Giselinus ait : *Nunc vitreas fenestras intelligit, quæ fornicatis arcubus includi solent ? an potius arcus illos camuros columnis pariis innixos vitreo colore, seu lumine fuisse perfusos ?* Sententiam de vitreis fenestris, quæ fornicatis arcubus includi solent, amplexus est Fea in notis ad Winkelmannum lib. XII, cap. 3, et rursus tom. III, pag. 208, 209, qui Janningi explicationem ab em. card. Borgia adoptatam rejicit. Janningus ait in notis mss. veteribus sui codicis esse glossam *pinxit* pro *cucurrit*, et ita versum exponit : *Princeps bonus Constantinus, qui utriusque basilicæ ambitum magnis lusit, illusit, seu pinxit talentis .... ita etiam arcus camuros, id est curvos aut curvatos, varie cucurrit, percurrit, distinxit, aut pinxit hyalo, seu vitro insigni*. Peveratus solum adnotat, in arcu triumphali exsculpi solitas varias rerum imagines in triumphi pompam, ferculorum ordinem, cæteraque id genus in marmore exprimi hyalo distincta. Vera explicatio desumenda est ex his quæ adhuc in quibusdam veteribus templis videmus, ubi cameræ et C arcus musivo opere ornati apparent. De pictura musiva Plinius lib. XXXVI, cap. 25 : *Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere e vitro : novitium et hoc inventum. Agrippa certe in thermis quas Romæ fecit, figlinum opus encausto pinxit ; in reliquis albaria adornavit : non dubie vitreas facturus cameras, si prius inventum id fuisset, aut a parietibus scenæ, ut diximus, Scauri pervenisset in cameras*. Seneca, epist. 86, *Vitro absconditur camera*. Statius, lib. I, silv. 5, vers. 42, *Effulgent cameræ, vario fastigia vitro. In species, animosque nitent*. Symmachus, lib. VIII epist. 41, *Novum quippe musivi genus, et intentatum superioribus reperisti, quod etiam nostra rusticitas ornandis cameris tentabit affigere, si vel in tabulis, vel in tegulis exemplum de te præmeditati operis sumpserimus*. Consule Bulengerum de Pictura lib. I, cap. 8, et laudatum Fea lib. I, cap. 2. *Hyalus*, sive, ut alii scribunt, *hialus* est vitrum aut crystallum : hoc autem loco sumitur pro tessellis vitreis, e quibus picturæ veteres musivæ fiebant. Hadrianus I in epist. data anno 787 ad Carolum regem, qua cultum sacrarum imaginum tuetur, sic ait cap. 19 : *Itemque de sancto quarto concilio egregius atque mirificus prædicator S. Leo papa et ipse fecit ecclesias, quas in musivo et diversis historiis seu imaginibus pingens decoravit. Magis autem in basilica B. Pauli apostoli arcum ibidem majorem faciens, et musivo depingens, Salvatorem D. N. J. C, seu viginti quatuor seniores nomine suo versibus decoravit*. Confer Ciampinium tom. I Vet. Monum. cap. 24. S. Paulinus de basilica S. Felicis a se condita in epist. 12, ad Severum : *Absidem solo et parietibus marmoratam camera musivo illusa clarificat*. Gregorius Turonensis lib. V Hist., cap. 45, *Ecclesiam fabricavit, quam columnis fulcivit, variavit marmore, musivo depinxit*. Hinc musivarii, de quibus cod. Theod. lege 2, de excusationib. artific., et Ciampinius loc. cit., ubi cap.

B 10 explicat musivum opus ex vitro colorato, quod parietibus ecclesiarum Urbis accommodabatur.

54. Prag., *renitent ;* corrige *renident*. Horatius, lib. II, oda 8, *Neque aureum Mea renidet in domo lacunar*.

57. Ald. mendose, *funditus*. Parrhasius, *per fidas :* lege *per bifidas*.

58. S. Gregorius Magnus commemorationem S. Pauli apostoli invexit, cum antea non nisi uno eodemque die festum SS. apostolorum Petri et Pauli celebraretur.

60. Mar. et Prag., *his, et illis ;* metrum poscit *et his, et illis*. Egm., *profruamur*.

61. Pons juxta molem sive sepulcrum Hadriani *Ælius* dicitur a Dione, quod Ælius Hadrianus imperator hic vocaretur. Cellarius, *Ubi*, inquit, *Paulum apostolum tradunt sepultum esse in via Ostiensi*. Fallitur egregie. Nam via Ostiensis non in ponte Ælio, aut ultra eum exstat, neque hoc in loco Paulus sepultus est. Cellarium fortasse decepit glossa, paucis verbis multos errores comprehendens. Prudentius prius festum Vaticanum memorat, tum alterum viæ Ostiensis vers. seq.

64. Ald., *hic ;* alii, *huc*. Testimonium hoc antiquissimum est de duabus missis in uno die ab eodem sacerdote celebratis. Revera in sacramentario Gelasiano duæ missæ peculiares in festo SS. apostolorum Petri et Pauli describuntur, altera *In natali S. Petri proprie*, altera *In natali S. Pauli proprie*. Tertia est missa communis, ut extra basilicas SS. Apostolorum celebraretur. Hi dies in quibus plures missæ dicebantur, ut nunc in die Nativitatis Domini, *polyturgici* appellari solebant : de quibus videri potest Walafridus Strabo cap. 21 de Reb. Eccles. Olim plures hujusmodi polyturgici dies erant : nunc tantum in die Natalis Domini tres missæ celebrantur, et in Hispania tres in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. S. Ambrosius in hymno SS. apostolorum Petri et Pauli tribus in locis diversis eorum festum celebratum indicat : *Tantæ per urbis ambitum Stipata* D *tendunt agmina : Trinis celebratur viis Festum sacrorum martyrum*. Fortasse missa quæ in sacramentario Gelasiano nocte celebranda præscribitur, in alia ecclesia peragebatur. Cancellierius, in opere de Carcere Tulliano, cap. 17, Torrigium et Constantium rejicit, qui in laudato hymno indicari putarunt locum carceris Tulliani ; existimat enim tertiam ecclesiam, sive locum quo fideles in die festo SS. apostolorum Petri et Pauli confluebant, fuisse Vaticanum, sive sepulcrum S. Petri : nam duas alias ecclesias fuisse affirmat Aquas Salvias, ubi gladio cæsus est Paulus ; et Janiculum, ubi opinio erat Petrum cruci fuisse affixum. Negat autem Cancellierius hymnum illum inter opera S. Ambrosii a se repertum. At de antiquitate ejus hymni dubitari nequit : exstat enim in Breviario Mozarabico. Et quamvis Maurini inter hymnos Ambrosianos hymnum de apostolo Petro et Paulo non

Hæc didicisse sat est Romæ tibi : tu domum [reversus,
Diem bifestum sic colas memento.

XIII HYMNUS.

PASSIO S. CYPRIANI MARTYRIS.

1202 Punica terra tulit, quo splendeat omne [quidquid usquam est:
1203 Inde domo Cyprianum, sed decus orbis [et magistrum.
Est proprius patriæ martyr, sed amore et ore [noster,

GLOSSÆ VETERES.

65. Hæc didicisse, *nam interrogavit, Dic, amice, quid sit concursus populi? modo respondet*, I.

1. Punica, *Africana.*— Tulit, *genuit.*—Quo, *unde*, I.

2. Inde domo, *de illa patria, ex illa.*— Cyprianum, *scilicet tulit*, I.

3. Ore, *doctrina*, I.

COMMENTARIUS.

recenseant, ut multos alios omiserunt, qui certo sunt Ambrosiani, tamen hic hymnus legitur in editione Parisina operum Ambrosii 1661, tom. V, col. 358. Depravata vero est lectio hujus strophæ : *Tanta per orbis ambitum Stipata pendent agmina, Trinis celebrantur viis Festa sanctorum martyrum*. Emendatius legitur in Hymnario V. Thomasii, ubi etiam hic hymnus S. Ambrosio adjudicatur.

66. Ald., Parrhasius, *bis festum* contra metri leges. In nonnullis vulg., *si colas :* legendum *sic colas*. In Vat. B et Mar., post hunc hymnum sequitur hymnus martyrum Cæsaraugustanorum.

1. Ita inscribitur hic hymnus in Alex., Mar., Vat. B. in Aldo, *Passio Cypriani martyris*. Heins., *Passio beati Cypriani martyris*. Weitz., *Passio beati Cypriani martyris et episcopi Carthaginensis*. In Vat. A bini junguntur hi versus, ut superiores. In Mar. metrum ita describitur: *Metrum Archiloicum constans tetrametro bucolico, et tribus trocheis*. De vita Cypriani ante baptismum, quamvis taceat Pontius, credamus Augustino. qui serm. 311 ait : *Ipse* (Cyprianus) *scribit, ipse testatur, cujus vitæ fuerit aliquando, quam nefariæ, quam impiæ, quam improbandæ ac detestandæ*. Prudentius affirmat S. Cyprianum magicis artibus deditum fuisse, antequam nomen Christo dedisset. Plerique putant Prudentium ambiguitate nominis deceptum, id de Cypriano Carthaginensi episcopo narrasse, quod de altero Cypriano mago, qui postea etiam episcopus passus est cum Justina virgine refertur. Hanc proferunt rationem quod de hujusmodi magia Cypriani Africani tacent et ejus acta, et Pontius diaconus, qui hujus vitam litteris consignavit. Si reponas etiam S. Gregorium Nazianzenum, Metaphrastem et alios de S. Cypriani magia testimonium perhibuisse, eadem facilitate respondent hos etiam fuisse deceptos. Ego, ut ingenue dicam quod sentio, argumentum negans contra plurium et gravissimorum scriptorum auctoritatem cum aliis in rebus, tum præcipue in hac ipsa quæstione nullius esse roboris existimo. Cypriani Africani nomen in Hispania præsertim celeberrimum erat, neque ejus acta sincera ignorari poterant a Prudentio, qui ejus elogium texere voluit. Quippe notandum valde est Prudentium in hymnis S. Vincentii et SS. Fructuosi et sociorum, omnino consonare actis eorum, et ita ut verba ipsa interdum in Prudentio et in actis legantur. Vix autem alia acta SS. martyrum magis aut æque sincera ad nos pervenerunt. Quamobrem judicium idem de hymnis aliorum martyrum ferre æquum est, videlicet eos ad fidem actorum quæ tunc sincera legebantur, a Prudentio fuisse compositos, quamvis acta aut perierint, aut interpolata nunc sint. In præsenti hymno peculiaris militat ratio : nam in diœcesi Valeriani festus dies S. Cypriani agebatur, ut testis et Prudentius in hymno S. Hippolyti vers. 237, *Inter solemnes Cypriani, vel Celedoni, Eulaliæque dies currat et iste tibi*. Minime ergo probabile videtur ut res gestas Cypriani e falsis monumentis descripserit. Pontius diaconus ita Cypriani vitam concinnavit, ut ea quæ ante baptismum gessit, potius silentio præterire quam enarrare velle videatur. *Unde igitur*, ait, *incipiam? Unde exordium* BONORUM *ejus aggrediar, nisi a principio fidei et nativitate cœlesti? siquidem hominis Dei facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo Deo natus est*. Elogium ergo Cypriani, non vitam scribit Pontius. Non autem probo quod nonnulli dubitant an Vita Cypriani quæ nunc exstat, Pontium diaconum habeat auctorem, quia non est tam egregium volumen, ac de Pontii opere prædicavit Hieronymus. In actis quæ nunc de ejus martyrio circumferuntur, ea tantum quæ ad gloriosum ejus obitum pertinent commemorantur. Cyprianus ipse in epist. 1 ad Donatum multa de suis ante baptismum erroribus et peccatis commemorat, quæ ego libens prætereo, quod de paganismo possint intelligi, et ad Christianam Cypriani humilitatem referri. Hanc magicam artem plurimum olim valuisse etiam apud viros aliis scientiis instructos, colligitur ex Isidoro lib. VIII Etymol., cap. 9 de Magis ; Lactantio lib. II, cap. 17 ; Tertulliano in Apologetic., et in lib. de Anima cap. 57: *Publica jam litteratura est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas, etiam prompta humatione dispunctas evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur*. Xiphilinus ex Dione tradit Caracallam magis et præstigiatoribus adeo delectari solitum, ut Apollonium honoribus et monumento etiam, qualia consecrantur heroibus, coluerit. S. Gregorius Nazianzenus, qui Cypriani scientiam ac nobilitatem omnium maxime commendat, minime absurdum putavit credere eumdem magicis artibus fuisse deditum. Alloquebatur autem Constantinopolitanos vel, ut alii putant, Nazianzenos, qui *annuis honoribus festisque* Cyprianum celebrabant: apud quos proinde simile veri non est rumorem falsum de illius magia fuisse divulgatum. Cl. Aug. Ant. Georgius in approbatione dissertationis Bayerianæ pro patria SS. Laurentii et Damasi, qua *jura Hispaniæ redintegrata, immota, et firma consistere*, ingenue fassus est, affirmat S. Gregorium Nazianzenum in eo fuisse errore, ut Cyprianum, in proxima Orientis regione sub ejusdem sæculi initium insigni martyrio functum, genere fecerit Carthaginiensem, a quo errore, addit, *nec sanctus ipse Prudentius sese alienum exhibuit*. Annumerandus ergo est Georgius iis quos *sancti* titulo nostrum Prudentium ornasse tradidi num. 56 proleg. in nota [a]. Res vera ipso explicatione indiget : non enim Gregorius Nazianzenus et Prudentius Cyprianum, qui in Oriente martyrium subiit, genere Carthaginiensem faciunt, sed Cyprianum doctorem, qui genere Afer fuit, ante conversionem magicis artibus deditum narrant, quod unice alteri Cypriano Antiocheno convenire plerique nunc opinantur. Et fortasse uterque Cyprianus magus fuit: sed de Antiocheno minus id constat.

2. In nonnullis vulg., *inde domum*, male. S. Cyprianum Carthagine ortum affirmant multi ; sed dissentiunt Maurini in Vita ejusdem præfixa operibus. Prudentius Maran ejus vitæ auctor affirmat Prudentium et Suidam Carthaginem patriam Cypriani dicere, sed probabilius esse, quod Cyprianus alibi natus fuerit. Bollandiani ad diem 14 Sept. opinantur Cyprianum patria esse Carthaginiensem, sed negant id colligi ex hymno Prudentii. Phrasis *Inde domo* respondet alteri communiori qua interrogatur, *Unde domo?*

3. Cyprianum ore et amore nostrum, hoc est Hispanum vocat, quia in Hispania peculiaris est memo-

Incubat in Lybia sanguis, sed ubique lingua pollet:
1204 Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit.
Dum genus esse hominum Christus sinet et vigere mundum,
Dum liber ullus erit, dum scrinia sacra litterarum,
Te leget omnis amans Christum, tua, Cypriane, discet.
Spiritus ille Dei qui fluxerat auctor in prophetas,
Fontibus eloquii te cœlitus actus irrigavit.
O nive candidius linguæ genus, o novum saporem!
Ut liquor ambrosius cor mitigat, imbuit palatum,
Sedem animæ penetrat, mentem fovet, et pererrat artus:
Sic Deus interius sentitur, et inditur medullis.
Unde bonum subitum terris dederis, Pater, revela.
Deerat apostolicis scriptis opulentus exsecutor;
1205 Eligitur locuples facundia quæ doceret orbem,
Quæque voluminibus Pauli famulata disputaret;
Quo mage cruda hominum præcordia perpolita nossent
Sive timoris opus, seu mystica, vel profunda Christi.
Unus erat juvenum doctissimus artibus sinistris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulcra,
Quo geniale tori jus solveret, æstuante nupta.

GLOSSÆ VETERES.

4. Lybia, *Africa*, I.
5. Agit, *disputat, loquitur*, I. *Vivit*, Mar.
10. Actus, *missus*, I., Mar., Vat. A.
11. Novum, *mirabilem*, I.
12. Ut, *quasi*. — Ambrosius, *divinus, fidelis, vel purus*, I.
16. Opulentus, *dives*, I.— Exsecutor, *assertor*, Vat. B., *Tractator*, Mar., *Expositor vel tractator, assertor, vel prædicator apostolicus*, I.
19. Quo mage, *ut magis*. — Cruda, *stulta*. I.
21. Unus, *Cyprianus*. — Sinistris, *malignis, magicis*, I. *Hic fallitur Prudentius æquivocatione nominis Cypriani : non enim iste Cyprianus, sed alius artibus magicis deditus erat. Sic etiam de Hippolyto æquivocatione nominis deceptus est, putans Romanum Hippolytum in hæresim lapsum, cum non ille, sed alius fuerit*, Prag.
23. Cantamen, *carmen*. — Inire, *scilicet consueverat, inibat*, I.
24. Quo, *ut*.—Geniale, *nuptiale ; voluptuosum ; naturale : hic pro nuptia* (forte *nuptiale*), I.

COMMENTARIUS.

ria S. Cypriani ob celeberrimam epistolam ad Legionem Asturicam et Emeritam. Ecclesia et sedes episcopalis Legionensis titulo S. Mariæ et S. Cypriani jam olim erat insignita. Vide comment. ad vers. 170 hymni S. Hippolyti, et tom. XXXIV. Hisp. sacr. pag. 89. In officio Mozarabico celebratur etiam festum S. Cypriani : sed alius recitatur hymnus ab hoc Prudentii diversus : et observatur jejunium dictum calendarum Novembrium tribus diebus ante festum S. Cypriani. Confer hymnum S. Hippolyti vers. 237.

4. Duplex basilica sub nomine Cypriani prope Carthaginem ædificata fuit : una, ubi martyrio coronatus est, de qua S. Augustinus serm. 310; altera ubi sacrum ejus corpus sepultum erat, in loco qui *Mappalia* dicebatur. S. Cypriani ossa postea translata sunt ad monasterium Compendiense, de qua translatione agit Ado Viennensis. Adisis Bollandianos die 14 Sept., et Ruinartium in præf. ad Acta S. Cypriani, qui de utraque basilica et de translatione disserit.

5. Vat. A., Alex., Egm., Pal., Hailsbr., Widm., supra, uterque Boher., Alt., *illa superstes*. Alii, *sola*.

6. Widm., *sinit :* melius *sinet*. Vat. B, Mar., *ac* pro *et*. In Rat. desideratur *et*, vel *ac*. Codex Cauchii, *vigere mundo*, non male.

7. Vat. B, *scripturarum ;* supra, recte, *litterarum*.

8. Mar., Rat., *legit :* melius *leget*.

10. Ald., Hailsbr., *auctus* pro *actus*. De eloquentia Cypriani tam multa alii dixerunt, ut supervacaneum sit quidquam addere. Confer comment. ad vers. 16.

11. *Linguam* pro eloquentia sumi notum est. Vide comment. ad vers. 2 Romani, *Elinguis oris*.

12. Ald., Pal., Thuan., Alt., *o liquor*. Heinsius suspicatur *quo liquor*. Vat. B, Mar., Rat., duo Torr., Cauch., Bong., Widm. a manu prima, *irrigat*. Alii, *imbuit*.

13. Vat. A semper scribit *penitrat*.

16. Widm., *opulenter ;* supra, *opulentus*. Barthius, lib. XII, cap. 20, quædam hujus hymni explicat, et *exsecutor* exponit *explanator*. Glossæ veteres non sunt contemnendæ. In quodam Vat. Teolius invenit *prædicator*. *Opulentus exsecutor* est copiosus, eloquens assertor. Lactantius, lib. V, cap. 1 : *Et siqui forte litteratorum se ad eam* (sapientiam) *contulerunt, defensioni ejus nos suffecerunt... Unus igitur præcipuus et clarus Cyprianus exstitit, quoniam et magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, et admodum multa conscripsit in suo genere miranda*. Chamillardus non recte interpretatur hunc versum, *Deerat aliquis, qui redigeret ad praxim Evangelium*. Quamvis enim *exsecutor* apud veteres Latinos, Velleium, Suetonium is solum sit qui exsequitur, tamen aperta Prudentii mens est, deesse doctorem qui opulenta et locuplete facundia doceret orbem : quod ante Prudentium dixerat Lactantius.

17. In Vat. A videtur prius fuisse *urbem*, recentiori manu factum *orbem*.

20. Teolius putat *timoris opus* vocari Vetus Testamentum : sub quo Judæi sæpius timore ducti legem exsequebantur. Giselinus ait intelligi posse eorum affectus quos suorum criminum pœnitere incipit, cum metu divini judicii et gehennæ ad meliorem mentem revocantur, vel constantem sui abjectionem, vel sanctum et filiis dignum timorem Dei, qui sapientiæ initium statuitur. Mihi non displicet interpretatio Chamillardi, qui opera salutis et scientiam mysteriorum hoc versu comprehendi innuit. Scilicet ut homines nossent cum timore et tremore salutem suam operari, et religionis mysteria intelligerent.

21. Mar., *ditissimus*, recte correctum *doctissimus* recenti manu.

23. Vat. B corrupte, *contamen* pro *cantamen*, quod vocari etiam solet cantus magicus, potentia carminum, murmur magicum. Genus autem incantationis valde usitatum erat e sepulcris manes excire. Lib. I in Symmach., vers. 96, *Murmure nam magico tenues excire figuras, Atque sepulcrales scite incantare favillas*.

24. Prag., Rat., *quo genitale :* melius *geniale*. Ald., *jusso lueret ;* corrige *jus solveret*.

Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repente Christus, A
Discutit et tenebras de pectore, pellit et furorem:
Implet amore sui, dat credere, dat pudere facti,
Jamque figura alia est quam quæ fuit, oris, et nitoris:
Exuitur tenui vultus cute, transit in severam,
1206 Deflua cæsaries compescitur ad breves capillos,
Ipse modesta loqui, spem quærere, regulam tenere,
Vivere justitiam Christi, penetrare dogma nostrum.
His igitur meritis dignissimus usque episcopale
Provehitur solium doctor, capit et sedile summum. B
Valerianus opum princeps erat, atque Gallienus;
1207 Constituere simul pœnam capitis Deum fatenti.
Millia terrigenum spurcissima jusserant sacrari.
Contra animos populi doctor Cyprianus incitabat,
Nequis ab egregiæ virtutis honore discreparet,
Neu fidei pretium quis sumere degener timeret,
Esse levem cruciatum, si modo conferas futura
Quæ Deus ipse viris intermina fortibus spopondit:
Merce doloris emi spem luminis, et diem perennem:
Omne malum volucri cum tempore transvolare cursim.
Nil grave quod peragi finis facit et quiete donat:
Se fore principium pulchræ necis, et ducem cruoris,

GLOSSÆ VETERES.

28. Oris, *faciei*. — Nitoris, *habitus*, I., Mar.
30. Compescitur, *tondetur*, I.
31. Modesta, *modeste*. — Loqui, *loquebatur*. — Quærere, *quærebat*, I.
32. Vivere, *vivebat; penetrabat*, I.
35. Gallienus, *ejus filius*, I.
36. Fatenti, *Cypriano*, I.
37. Terrigenum, *gentilium*, *vel idolorum*, I.
39. Quis, *aliquis*.—Ab egregiæ, *a Christianitate*, I.
40. Neu, *ne*. — Pretium, *mortem*, *martyrium*, I.
41. Modo, *tantum*, *tantummodo*. — Conferat, *computet*, *vel comparet*, I.
44. Cursim, *velociter*, I.
45. Grave, *scilicet est*. — Quiete donat, *dat requiem*, I.
46. Necis, *mortis*.— Furoris, *cruoris*, *martyrii*, I.

COMMENTARIUS.

29. Vat. B, Mar., Rat., Gis., Weitz, *severum*. Alex., Urb., Vatt. P, Q, Rott., Noms., *severam*, quod placuit Heinsio et aliis. Eo alludit Ox., in quo *severa*. Aldus male scribit *sæveram*.

30. Indicatur vetus consuetudo, cujus adhuc vestigia restant in nomine et ritu quo prima tonsura clericis confertur. Canon 44 concilii iv Carthaginensis præscribit : *Clericus nec comam nutriat, nec barbam :* ubi aliqui addunt *radat*, vel *tondeat*; alii id omittunt, ut canonis sensus sit, nec comam nec barbam nutriendam. In cod. canon. Eccles. Hisp. apud Lopezium, de cujus auctoritate nihil definio, canon 66 : *Non oportet clericos comam nutrire, et sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus : et secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ordinato.* Huc, opinor, spectat quod Marcellinus lib. xxii narrat, Diodorum quemdam Christianum ab ethnicis Alexandriæ sub Juliano Apostata occisum, *quod, dum ædificandæ præesset ecclesiæ, cirros puerorum licentius detondebat, id quoque ad deorum cultum existimans pertinere.* Consule Sirmondum in notis ad Sidonium pag. 52, ad verba Sidonii : *Coma brevis, barba prolixa.* In barba radenda vel promittenda varia fuit consuetudo. In concilio Barcinonensi anno circiter 540 clerici barbam radere prohibentur; in concilio Cojacensi in Hispania anno 1050 presbyteri et diacones semper coronas apertas habere, et barbam radere jubentur.

32. Alex., *Vivere justitiam Christi, penetrare dogma nostrum :* quod Heiensius conjecerat; et Teolius addit probatiores Vatt. hoc ipsum confirmare. Sed Urb., Vat. P habent *justitia*, neque lectionem discrepantem ex Vatt. A, B, Prag., ac suo cod. notavit Mariettus. Vat. Q, Rat., Weitz., Gis. ad oram, *vivere justitiæ Christi*. Ald., Hailsbr., Ox., Alt., Rott., tres Torr., *vivere justitia Christi*. In Egm., *ubere justitiam bibere Christi*. Thuan., *bibere justitiam Christi*. Gis. edidit *justitiam bibere Christi*. Heinsius suspicabatur *justitiam imbibere Christi;* sed verius putat *vivere justitiam Christi*, hoc est, legem divinam vita et moribus exprimere, ut Cath. 2, vers. 35, *vivere severum*. Apud Tertullianum *vivere mortem*, apud Paulinum *vivere pabula mortis*, apud Juvenalem *vivere bacchanalia*, apud Solinum *vivere hominem*. Ald., C Gis., et plures scripti habent *et* post *Christi;* Alex., Weitz., Mar., Rat. et alii omittunt. In Bong. *nostrorum* est contra metrum pro *nostrum*.

34. Sedes episcopi in sacratiori bematis seu sanctuarii parte altior erat cæteris sedibus presbyterorum. Gregorius Nazianzenus carm. Insomnii de Anastasiæ templo : *Sede alta haud alta consistere mente videbar : Nam neque per somnum mente superbus eram. Presbyterique graves sellis utrinque sedebant Demissis, ætas lecta, ducesque gregis. Vestibus in niveis astabat turba ministra, Splendorem referens agminis angelici.*

35. Ald. scribit *Galienus*. Imperavit Gallienus ab anno Christi 254 septem circiter annos cum patre Valeriano, deinde solus. Similis phrasis in Eulalia vers. 81, *Maximianus opum dominus*.

36. Ald., male, *pœna capitis dominum fatenti*. Weitz., Vat. A, *capiti*, quod etiam exstat in Prag. et Rat. cum glossa *omni;* ut pœna constituta sit capiti fatenti Deum. Sed proba est lectio *pœnam capitis*.

D 37. *Sacrari*, coli, ut in Romano vers. 912, *Cogi ad sacrandum*. Idola vocat *spurcissima millia terrigenum*, ut alibi *sordes* et *spurcum Jovem*.

40. Ald., *qui sumere;* lege *quis*.

41. Ald., Alt., Oxon., Thuan., Heins., Sich., Vatt. A, P, Alex., Urb., *conferas*. Vat. B, Q, Mar., Prag., Rat., Weitz., Gis., *conferat*. Concinnius est *conferas*. Sententia Apostoli est ad Rom. viii, 18. Cyprianus ipse, lib. iii ad Quirin., cap. 17 : *Minora esse quæ in sæculo patimur, quam sit præmium quod promissum est.*

44. Aldus edidit *volucri tempore :* correxit *volucri dat tempore;* sed legendum *volucri cum tempore*. In nonnullis vulg., *nam tempore* pro *cum*.

45. Widm., Bong., Vatt. B, Q, Mar., Prag., Rat., *quietem*. Metrum poscit *quiete*.

46. Widm. a prima manu, Iso, Mar. ad oram, Rat. supra, *furoris* pro *cruoris*, quod postremum unice verum est.

Seque caput gladio submittere, sanguinem dicare:
Qui sociare animam Christo velit, ut comes sequatur.
His ubi corda virum Christo calefacta præparavit,
Ducitur ante alios, proconsule perfurente, vinctus.
1209 Antra latent Tyriæ Carthaginis, altius reposta,
Conscia tartareæ caliginis, abdicata soli.
Clausus in his specubus sanctus Cyprianus, et catena
Nexus utramque manum, nomen Patris invocat supremi:
Omnipotens genitor Christi, Deus et creator orbis,
Christe, parens hominis, quem diligis, et vetas perire:
Ille ego, vipereis quem tu bonus oblitum venenis,
Criminibus variis tinctum, miseratus abluisti,
Jamque tuum fieri mandas, fio Cyrianus alter,
Et novus ex veteri, nec jam reus, aut nocens, ut ante,
Si luteum facili charismate pectus expiasti.
Vise libens tenebris ergastula cæca dissipatis:
Eripe corporeo de carcere, vinculisque mundi
Hanc animam; liceat fuso tibi sanguine immolari,
1209 Nequa ferum reprimat clementia judicem, tyranni
Neu sciat invidia mitescere, gloriam negare.
Da quoque, nequis iners sit de grege quem tuum regebam:
Ne cadat impatiens pœnæ, titubetve quis tuorum,
Incolumen ut numerum reddam tibi, debitumque solvam.
Vocibus his Dominum permoverat: influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris
Ingenii, stimulis ut pectora subditis calerent
Ad decus egregium discrimine sanguinis petendum,
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci,
Laudis amore rapi, Christum sapere, et fidem tueri.

GLOSSÆ VETERES.

47. Dicare, *offerre*, I.
49. His, *scilicet dictis*. — Virum, *virorum*. — Calefacta, *amore Christi accensa*, I.
50. Proconsule, *proconsul est qui vice consulis judicat, sicut vicarius, qui vice comitis judicat*, I.
52. Abdicata, *a luce separata, vel semota. Semota.* —Soli, *luci*, I.
53. Specubus, *speluncis*, I.
54. Supremi, *altissimi, summi. Supremus, quando venit a supremo, significat ultimum; quando a supra præpositione, vel adverbio, primum*, I.
58. Tinctum, *fucatum*, I.
61. Si luteum, *si quid est*. — Charismate, *gratia Spiritus sancti, gratia vel dono*.—Expiasti, *purgasti*, I.
62. Vise, *visita, invise*, I.
64. Liceat, *licitum sit*, I.
65. Nequa, *aliqua*, I.
67. Iners, *infidelis*, I.
68. Titubetve, *scilicet in fide sua*, I.
70. Permoverat, *ad hoc quod petebat*, I.
71. Acrioris, *firmioris*, I.
73. Discrimine, *discrimen hic pro periculo; alias pro separatione*, I.
75. Rapi, *ut rapiantur*, I.

COMMENTARIUS.

47. Teolius, mendose et contra metrum, *seque gladio caput submittere*. Prag., *sanguine*: retine *sanguinem*.
48. Ald., non bene, *quis* pro *qui*.
49. Pal., *is ubi corda*. Alii, *his*.
51. Vat. A., Egm., Rott., Pal., Bong., Sich., Gis., *altius*. Weitz., Ald. et plerique scripti, *abditis*.
52. Vatt. A, B, mendose, *abdita soli* pro *abdicata soli*.
54. Vat. B, Mar. a prisca manu, Rat., Prag., Widm., Bong., Teol., *utraque manu*. Elegantius alii *utramque manum*. Vat. B, Mar. in contextu, Prag., Rat., perperam, *invocabat summi*. Alex., *invocat summi*; secunda manu, *supremi*, quod verum est: nam aliud rationi metricæ repugnat. Rott., *invocat superni*.
55. Ald., Vat. P, Widm., supra, Egm. a manu prima, Gis. ad oram, *Christi decus*. Vat. Q, depravate, *Christi decet*. Vat. B, Mar., Widm., *Christe Deus*. Plerique, *genitor Christi, Deus, et*. Weitzius cum Bong., *Christus Deus*. Ita etiam Sichardus.
56. Barthius, lib. cit. XLI, cap. 20, vellet *Christiparens hominis*, ob alteram, inquit, generationem. Sed cum sequatur *quem diligis, et vetas perire*, retinendum est *Christe, parens hominis*. Ep. II Petri, III, 9, *Nolens aliquos perire*.
57. Ald., mendose, *quæ* pro *quem*.
59. In editione Teolii error est *jamque tuus*; et in Prag. *fit* pro *fio*.
60. Ald., Alex., Vat. Q, *at novus*. Alii, *et novus ex veteri*.
61. Vat. B mendose, *chrismate*, ut *chrismate* in quibusdam vulgatis. Rat. scribit *carismate*. Widm. supra, Pal., Alex., Vat. P, Ox., tres Torrent., Rott., *corpus*; plerique, *pectus*.
63. Prag., *eripe carcereo de corpore*.
64. Hanc animam, ait Barthius loc. cit., *sponte offerentis magnanima vox*: quod multis Virgilianis exemplis probat, ut I Æn., *Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra*; III Æn., *Vos potius quæcunque animam hanc absumite letho*.
66. Postrema in *invidia* producitur ratione solius incisi.
68. Vat. A, Mar. a prima manu, Rat., *titubetne*, non recte, quod in Egm., Pal., Bong. invenit Weitzius; sive malis legere *titubet nequis tuorum*. Ex Ald. et Hailsb. citat Weitz. *titubetque nequis*; sed Aldus meus habet *titubetque quis*. Alii *titubetve*. Heinsius cum Oxon., Rott., tribus Torr., *nec cadat* pro *ne cadat*.
69. Ald. mendose, *incolumen*. Apud Adonem: *Et cum duceretur, populus fratrum plangens dicebat: Et nos cum eo decollemur*: quod ex Actis petitum est.
73. Egm., Hailsbr., *at*: lege *ad*.

Fama refert, foveam campi in medio patere jussam, A
Calce vaporifera summos prope margines refertam.
Saxa recocta vomunt ignem, niveusque pulvis ardet.
Urere tacta potens, et mortifer ex odore flatus.
Appositam memorant aram fovea stetisse summa
Lege sub hac, salis aut micam, jecur aut suis litarent
1210 Christicolæ, aut mediæ sponte irruerent in ima fossæ.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti,
Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum fundo tenus implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes.
Candida massa dehinc dici meruit per omne sæclum.
Lætior interea jam Thascius ob diem suorum
1211 Sistitur indomiti proconsulis eminus furori.
Edere jussus erat quid viveret: Unicultor, inquit,
Servo salutiferi mysteria consecrata Christi.
Ille sub hæc: Satis est jam criminis, ipse confitetur

GLOSSÆ VETERES.

77. Prope, *juxta*. — Margines, *fines*. — Refertam, *repletam*, I. B
79. Mortifer, *ex odore calcis mortuus est Hadrianus imperator*, Vat. A.
87. Candida massa, *id est trecenti martyres massa Cypriani dicuntur*, I.
88. Thascius, *Cyprianus a loco*, I. *Cyprianus a loco sic dictus*, Vat. A, Mar.
89. Indomiti furori, *contra indomitum furorem*. — Eminus, *elonge*, I.
90. Jussus, *interrogatus*, Mar.
92. Ille, *imperator ad hæc ait*, I.

COMMENTARIUS.

76. Jure hi versus, quibus graphice tercentum martyrum triumphus describitur, lectissimi visi sunt Sagittario, cap. 10, ubi agit de martyrum constantia in igne.

78. Gis. ad oram, et vetus codex in editione Weitziana apud cl. præsulem Reggium, *exit* pro *ardet*.

79. Flatum calcis mortiferum vocat ex odore, quia aura calcis etiam conclavibus tectorio inductis solet esse lethalis, ut accidit Joviniano. Ita Barthius et glossæ, ubi Hadrianus pro Joviniano ponitur.

80. Egm. scribit *stitisse*.

81. Rat. a secunda manu, *salis ut micam*. Egm., C Gis., Heins., *aut suis*. Weitz., Ald. cum aliis, *et suis*. Legesis vers. 112 Eulaliæ: *Si modicum salis eminulis*; et ibid. vers. 29, *Thura cremare, jecur pecudis*.

82. Ald., *sponte ruerent*. Mar., *corruerent*; supra cum plerisque, *sponte irruerent*. Hæc historia ita ab Adone refertur: *Nono cal. Septembris apud Carthaginem natalis sanctorum martyrum massæ candidæ qui passi sunt tempore Valeriani et Gallieni. Ferunt enim, inter alia supplicia tunc a præside clibanum calcis accensum, et in ora illius prunas cum thure exhibitas, et dixisse præsidem Christianis: Eligite e duobus unum, aut thura super his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati se ictu rapidissimo, Christum Dei Filium Deum fatentes, jecerunt in ignem, et inter vapores calcis pulverei sunt demersi.* De eisdem martyribus agitur in martyrologiis Romano, Bedæ, et Usuardi. Ruinartius in præfat. ad Acta S. Cypriani verius putat hos martyres Uticæ fuisse passos, quamvis martyrologia quibus favere videtur Prudentius, prope Carthaginem eos martyrium consummasse narrent. Auctor D sermonis 317 Append. Augustin. eosdem gladio percussos affirmat. Sed Prudentii aliorumque auctoritas longe prævalet.

83. Vat. A., *prosiliere*.

84. Barthius acutum dicit, quod calcem instar aquæ suffocantem Prudentius *aridum liquorem* vocet. Et lib. LVI, cap. 12, confert hoc ipsum cum versu 78, ubi calx viva eleganter *niveus pulvis* dicitur.

86. Vat. B, Mar., Prag., *candor venit ad superna mentis*. Rat., *candor venit ad superna mentes*. In Prag., Mar., *vehit*, pro diversa scriptura; in Rat., *vehit* factum ex *venit*. Vat. Q, *vehit ad superna mentis*. Hailsbr., *vehat*. Egm. apud Weitzium, *ardos vetat superna*; apud Heinsium idem Egm. a manu secunda, *ardor vehit*. In Alex. desideratur *ad*, quod in Vat. A additum est recentiori manu.

87. Barthius suspicatur hunc versum ab aliquo monacho intrusum. *Et cupiam*, inquit, *doceri quid sibi velit, aut quid isthic sit loci?* Verum et locus idoneus illi est, et *massæ candidæ* nomenclatura ab antiquis non ignorata opportune eo exprimitur. S. Augustinus in honorem horum martyrum sermonem 306, al. 112 de Diversis, habuit, ubi ait: *Massa enim dicta est de numeri multitudine; candida de causæ fulgore.* Et serm. 311 appellat etiam *massam candidam Uticensem*. De numero eorum tract. in psalm. XLIX ait fuisse plus quam centum quinquaginta tres martyres. Plerique trecentos numerant. In Actis innumerabilium martyrum Cæsaraugustanorum mentio etiam occurrit *massæ candidæ*, ut ad hymnum octodecim martyrum Cæsaraugust. adverti.

88. Cauchius volebat *ob fidem suorum*; sed probum est *ob diem*. Valerius Flaccus, *Dies simul et suus admonet omnes*. Tale et illud est, *Hic meus est, dixere, dies*. De prænomine *Thascius* vide notas Pamelii ad epist. 69: *Cyprianus, qui et Thascius, Florentio, cui et Papiano, fratri salutem*. Dubitant aliqui *Tatius* an *Thascius* scribendum sit. Pro *Thascius* facit, quod in *Tatius* prima corripitur. In glossis Cyprianum Thascium a loco dictum affirmatur. Adhæret hymnus Breviarii Mozarabici: *Urbis magister Tasciæ*. Verum libentius legam: *Orbis magister Thascie*, in vocativo, ut *egregie*.

90. Ald., *Dogmatis, atque loci jussus genus edere: Christianus, inquit*. Longior est versus uno pede; itaque in Mar., Vat. B, Rat., Alt., Fabr., Gis. prima ed., Widm., Bong., abest vox *edere*: sed carminis ratio non constat. In Urb. abest vox *jussus*; sed sententiæ deest hoc verbum, aut aliud simile. In Oxon., tribus Torr., *Dogmatis, atque loci jussus genus edere Cyprianus*, omisso *inquit*. In Rott., *jussus genus Cyprianus, inquit*. Giselinus e pervetusto codice et Daventriensi editione restituit *Edere jussus erat, quid viveret: Unicultor, inquit*; quod secutus est Weitz., Heins. et alii; et exstat in Egm., Pal., Alex., Vatt. A, P, Q, Alt., ubi hic versus alteri *Dogmatis* subjungitur, in Rat. ad marg. recenti manu. Eo respicit Thuan., *Tradere jussus erat quid viveret: Unicultor, inquit*. Teolius Aldo attribuit *Cyprianus, inquit*, sed mihi Aldus exhibet *Christianus, inquit*.

91. Ald., Alex., Thuan., *trado* pro *servo*. Vat. P, mendose, *tradere*.

92. Vetus codex in Weitziana editione apud cl. præsulem Reggium non male, *sat, ait, jam criminis*.

Thascius: ipse Jovis fulmen negat. Expedite ferrum, A
Carnifices; gladio pœnam luat hostis idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, et canit triumphans.
Flevit obire virum mœsta Africa: quo docente, facta est
1212 Cultior, eloquio cujus sibi docta gloriatur.
Mox tumulum lacrymans struxit, cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum. Tenet ille regna cœli,
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe: B
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Lybiæ populos tantum regit, exit usque in ortum
Solis, et usque obitum. Gallos fovet, imbuit Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Iberis.
Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis.
Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

XIV HYMNUS.

PASSIO S. AGNETIS VIRGINIS.

1213 Agnes sepulcrum est Romulea in domo,
Fortis puellæ, martyris inclytæ.

GLOSSÆ VETERES.

93. Fulmen, *potestatem*. — Expedite, *proferte*, *evaginate*, I.

97. Cultior, *pulchrior*,

103. Imbuit, *edocet*, I.

COMMENTARIUS.

94. Egm., Pal., Fab., Vat. P, Gis., *carnificis gladio.* Ald., Weitz., Heins. cum plerisque scriptis, *carnifices; gladio*. Sagittarius cap. 7 de Cruciat. plures laudat Patres qui Cyprianum gladio occisum tradunt: ubi expendit formulam qua judices utebantur in reis manui carnificis tradendis, *Gladio animadverti placet*, aut *gladio feriatur*.

95. Ado ex Actis: *Et his dictis, decretum ex tabella recitavit. Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. S. Cyprianus hoc audiens, dixit: Deo gratias ago.* Eadem formula exstat in Augustini sermone de S. Cypriano; ac multis confirmat Sagittarius cap. 7 de Cruciat., martyres, audita capitali sententia, solitos fuisse dicere: *Deo gratias*. Apud Ruinartium in actis S. Crispinæ: *Crispina respondit: Christo laudes ago*, etc.

96. Editio Parmensis mendose contra metrum et sententiam, *abire Christum* pro *abire virum*. Ald., Egm., Pal., Urb., Vatt. P, Q, Heins. et alii, *abire virum*, non male. Alex., *abiræ*, corrupte.

97. Vat. B, Mar., Prag., Rat., Weitz., Widm. a prima manu, *dogma*. Alex., Urb., Vatt. A, P, Q, Heinsiani, *docta*, quod Heinsio concinnius videtur.

99. Heinsius *boni tantum* mallet, si per libros liceret. Vide Baronium tom. II Annal. ad ann. 265, qui hoc utitur elogio ad scripta Cypriani commendanda. Prudentius videtur legisse Gregorii Nazianzeni verba: *Neque enim Carthaginensi tantum Ecclesiæ, nec Africæ, ab eo et propter eum etiamnum claræ et celebri, præficitur, verum etiam occiduis omnibus regionibus, ac prope etiam orientali omni, atque australi et septentrionali oræ, quocunque illius fama et admiratio pervagata est. Sic Cyprianus noster efficitur.*

101. Barthius *prophetare* verbum aptum esse ait ad exprimenda dona Spiritus sancti, quæ a Paulo apostolo memorantur, nec Latinis ut accedat indignum: quo etiam utuntur Hieronymus, Adamannus Scotus, Julianus lib. I contra Judæos, et alii. Ante hos usus est Juvencus lib. IV, *Christe, prophetabis, cujus te palma cecidit*. Addit Barthius hunc Prudentii versum attentiore speculatione dignum esse: plurimum enim ecclesiasticæ Latinitatis habet. *Disserere* est persuadere, vel argumentis uti. *Eloqui* eleganter loqui. *Tractare* episcopale verbum est, quorum sermones tractatus peculiariter vocantur. *Docet* ad nationes pertinet, *instruit* ad discipulos, ut habemus Eucherii libros *Instructionum*, etc.

102. Ald., Vat. Q, *exituseque*. Alex., *exitque*: lege *exit usque*.

103. Chamillardus cum interrogationis puncto *Gallos fovet?* Crediderim esse mendum.

104. Plerique, *Hesperiam* hic intelligunt Italiam, et *Iberos* Hispanos. Auctor hymni S. Cypriani in Breviario Mozarabico, qui, ut puto, hunc Prudentii hymnum legerat, sic ait: *Ditans cruore Africam Verbo docens Hesperiam*, ubi Hispaniam certo intelligit. Vide vers. 5, supra.

106. Ald., Urb., *illic* pro *illinc*. Vat. A, male, *patronis*. In Vat. B et Mar. sequitur passio SS. apostolorum Petri et Pauli, quem ordinem in sua editione tenuit Weitzius.

C In Vat. A et Weitz. est inscriptio quam exhibui. In Aldo, *Passio Agnetis martyris*. In Heinsio, *Passio Agnetis virginis*. In Ambr., *Incipit passio Agnes*. In Thuan.. *Passio Agnes*. Parrh., *Passio beatæ Agnetis*. Alex., *Finit passio SS. XVIII. Incipit passio Agnes*. In Vat. B ponitur post passionem martyrum Cæsaraugustanorum, ut in Mar. et Weitz. In Vat. A hi versus junguntur bini et bini; in Mar. terni et terni. S. Agnetem maximis laudibus celebrarunt S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Damasus, S. Martinus apud Severum Sulpicium, S. Maximus episcopus Taurinensis, S. Gregorius Magnus, martyrologia Latina, menæa Græca, de quibus vide Bollandianos et Ruinartium. In Breviario Mozarabico legitur hymnus Prudentii, sed multis in locis depravatus. In Hymnario Ven. Thomasii exstat hymnus in honorem S. Agnetis a S. Ambrosio compositus. Hildebertus martyrium illius descripsit versu elegiaco. Poema vetus de eadem edidit Barthius lib. XXXI, cap. 13 Advers. D Nonnulli putant martyrium B. Agnen subiisse circa annum 310, cum præfectus Urbis esset Symphronius, vel Symphorianus, vel Sempronius, de quo vide Corsinum de Præfect. Urbis. Ruinartius explodit Acta vulgata, et Ambrosio ascripta, ubi dicitur eamdem virginem in ignem præcipitatam, Aspasio vicario jubente, sub Valeriano et Gallieno; et verosimilius censet martyrium contigisse anno circiter 304.

1. Vat. A, Breviar. Moz., Oxon., Cell., Cham., *Agnæ*. Ald., Heins., Weitz., *Agnes*, cum plerisque scriptis. Gis., *Agnis*, quod Stephanus Claverius volebat, et exstat in cod. S. Michaelis apud Ruinartium. Ego non dubito quin quolibet ex his modis dici possit *Agnæ* ab *Agna*, *æ*, ut allusio sit in nomine, et ad originem Græcam, qua castitas virginis designatur. *Agnes* ab *Agne*, *es*, ut *grammatice*, *es*; *Agnis* ab *Agnes*, *is*; *Agnetis* ab *Agnes*, *etis*. In antiquis inscriptionibus reperitur *Hagnes*, cum aspiratione, et ita scribi debere, si origo Græca attenderetur, nonnulli opinantur; sed aliud jubet usus, quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi, nec minus scribendi. Et

Conspectu in ipso condita turrium
1214 Servat salutem virgo Quiritium :
Nec non et ipsos protegit advenas,
Puro ac fideli pectore supplices.
Duplex corona est præstita martyri,
Intactum ab omni crimine virginal,
1215 Mortis deinde gloria liberæ.
Aiunt, jugali vix habilem toro
A Primis in annis forte puellulam,
Christo calentem, fortiter impiis
Jussis renisam, quo minus idolis
Addicta, sacram desereret fidem.
Tentata multis nam prius artibus,
Nunc ore blandi judicis illice,
Nunc sævientis carnificis minis,
Stabat feroci robore pertinax,

GLOSSÆ VETERES.

3. Condita, *sepulta, abscondita*, I.
4. Quiritium, *Romanorum. Quirites dicebantur Romani a Quirino, id est Romulo, qui semper hasta utebatur; nam quiris lingua Sabinorum hasta dicitur*, I.
6. Supplices, *humiles*, I.
8. Virginal, *locus in quo devirginantur virgines*, I. *Virginitas*, Prag.
9. Liberæ, *gloriosæ*, I.
13. Renisam, *resistentem*, I.
16. Illice, *decipiente*, I.
18. Pertinax, *dura*, I.

COMMENTARIUS.

fortasse hic usus cœpit cum in aliis vocibus aspiratio omittebatur, ut in *ymnus*, *Ippolytus*, et similibus. In Vat. Q et Egm. mendum est *Agnen*, ut in Aldo *Romuli*. Barthius, lib. IV, cap. 13 Advers., advertit, *Romulea in domo* dici pro Romæ, ut apud Horatium, *domus Albuneæ resonantis* pro fonte nymphæ Albuneæ, et ex emendatione ejusdem Barthii, *Nec domus exsilii Plutonia*. Itaque etsi concedendum sit ex aliis monumentis S. Agnetem fuisse Romæ natam, tamen ex hymno Prudentii id non colligitur; multo vero minus Roma tanquam illius patria in hoc hymno prædicatur, cum solum affirmetur Romæ esse sepulcrum Agnetis. Correctionem vero Barthii in Horatii versu *exilii* pro *exilis*, non facile admittent qui curiose observarunt Horatium hujusmodi patrios casus semper unico *i* extulisse, ut *favoni*.

3. Peveratus ait poetam meminisse turrium quarum nomen adhuc viget, et *sanguineas turres* Romani indigitant fortasse a gladiatorum sanguine. Addit sepulcrum S. Agnetis nunc esse ubi quondam circus agonalis erat, et Ciceronem turres istas orat. 3 in Catil. memorasse : *Profecto memoria tenetis, Cotta et Torquato coss., complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas*. Verum hæc explanatione et correctione indigent. Romæ prope circum agonalem exstat locus *Tor sanguigna*, Turris sanguinea nuncupatus. Hic locus a Capitolio longe distat. Alia similia sunt nomina Romæ a turribus dicta, ut *Tor di specchio*, *Tor di Nona*, et in agro Romano 45 loca enumerat Eschinardus quibus a *turri* nomen est inditum. In circo agonali, nunc *Piazza Navona*, celebris ecclesia est S. Agnetis, quæ locus lupanaris creditur fuisse ubi Agnes prostituta fuit. Sepulcrum ejus visitur in alia ecclesia sub ipsius nomine in via Nomentana non longe ab Urbe. De hac ecclesia intelligo Prudentium : quæ quidem posita est in conspectu turrium et palatiorum Romæ. Domus altæ turres a poetis vocantur : hinc *urbes turrigeræ*, *turrita mœnia*. Notat vero Peveratus S. Agnetem in via Nomentana a parentibus sepultam, ubi cœmeterium Agnetis dictum : puellas Romanas hanc basilicam frequentasse : duos agnos candidos duci solitos ad aram, ut benedicerentur, ex quorum vellere creditur texta fuisse pallii novi pontificis : fortasse Christianos hunc morem invexisse, ut alium superstitiosum abolerent cujus meminit Festus verbo Albogalerus, qui erat pileus ex hostia alba Jovi cæsa factus, cui affigebatur apex virgulæ oleaginæ. Hoc albogalero flamines diales, id est sacerdotes Jovis utebantur. Cæterum vera historia hæc est, quod pallium archiepiscopale conficitur e lana agnorum candidorum, qui a canonicis regularibus Sancti Salvatoris nuncupatis, in die festo S. Agnetis, in ejus ecclesia via Nomentana pro canone (duo quotannis) basilicæ Lateranensi contribuuntur. Hos benedicit summus pontifex, et sanctimonialium alicui monasterio arbitratu suo nutriendos mittit. Plura de B pallio et de hac consuetudine vide apud Macrum in Hierolex., et doctissimum Zachariam in Onomastico rituali selecto.

5. In universa Ecclesia celeberrimum erat nomen S. Agnetis, de qua Hieronymus epist. 8 ad Demetriadem, et ex eo martyrologium Romanum : *Omnium gentium litteris atque linguis præcipue in ecclesiis Agnes vita laudata est, quæ et ætatem vicit, et tyrannum, et titulum castitatis martyrio consecravit.*

6. Gregorius de Valentia, Comment. theolog., disp. 6, quæst. 2, punct. 7, valide confirmat sanctos in cœlo Deum nobis precantibus reddere propitium ex miraculis, et gratiis quas obtinent, et hos Prudentii versus similesque alios Paulini in medium profert.

7. Hic accipi videtur corona non tam pro præmio quam pro ipso martyrio et virginitate. Hanc distinctionem explicat Paschalius lib. I de Coronis, cap. 6.

8. In nonnullis vulg., mendose, *virginali* pro *virginal*. Barthius, lib. XXVI, cap. 12, elegantissime id dictum C affirmat. Quam vocem, inquit, pessime interpretati sunt, Iso pro loco ubi feminæ devirginantur, et Georgius Fabricius pro eo ubi virgines versantur. Prudentius posuit pro parte verenda virginei corporis, uti Solinus, Apuleius, et ex correctione Barthii glossæ Isidori. In Macri Hierolexico *virginal* exponitur virginitas, et ex sententia Caroli Widmani *lupanar*, omnino male. Giselinus explicat ὑμήν, seu virgineum vinculum, de quo Joannes Wyerus medicus. Ausus est, addit Giselinus, Prudentius, quod Augustinus atque alii efferunt in plurali numero, efferre in singulari, quomodo antea nomen *altar*. Idem Giselinus plane rejicit ut spurium, neque cum sequentibus cohærens *Intactum ab omni crimine corpus est*, quod in quibusdam legerat, sed aliena manu, ut videbatur, scriptum. Quod autem Giselinus *virginal* tanquam Prudentii proprium in singulari notat, facile refellitur auctoritate Apuleii, Solini et aliorum. Apuleius II Metam. etiam dixit *feminal*.

D 10. Brev. Moz., *maritali :* lege *jugali*. Vat. B, Mar. a prima manu, Rat. in contextu, *habitam*, minus bene, pro *habilem*. Rat., supra, *habilem*, vel *aptam*, quod postremum est glossa.

12. Rat. recentiori manu pro *impiis* habet *improbis*. Brev. Moz., *impii*.

13. Rat. recentiori manu, *quo minus impiis*. Rectine *idolis*.

14. Vat. B, contra metrum, *addita*. In Rat. corrector idem ineptus, *addicta sacris*, ut sit *impiis addicta sacris*.

15. Breviar. Moz., *binis*, pro *multis*.

16. Parrhasius, mendose, *judices*. Brev. Moz., *illicis :* melius *illice*. Non solum in epistola pseudo-Ambrosii, sed etiam a S. Maximo Taurinensi narratur, a filio præfecti Agnen in uxorem expetitam. Hinc judex illam illecebris tentabat.

Corpusque duris excruciatibus
Ultro offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus : Si facile est, ait,
1216 Pœnam subactis ferre doloribus,
Et vita vilis spernitur : at pudor
Carus dicatæ virginitatis est.
Hanc in lupanar trudere publicum
Certum est, ad aram ni caput applicat,
Ac de Minerva jam veniam rogat,
Quam virgo pergit temnere virginem.
Omnis juventus irruat, et novum
Ludibriorum mancipium petat.
Haud, inquit Agnes, immemor est ita
Christus suorum, perdat ut aureum
Nobis pudorem, nos quoque deserat.
Præsto est pudicis, nec patitur sacræ
Integritatis munera pollui.
Ferrum impiabis sanguine, si voles :
Non inquinabis membra libidine.
1217 Sic elocutam publicitus jubet
Flexu in plateæ sistere virginem.
Stantem refugit mœsta frequentia,
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit unus forte procaciter
1218 Os in puellam, nec trepidat sacram

GLOSSÆ VETERES.

19. Excruciatibus, *pœnis*, I.
21. Trux, *severus*. I.
22. Subactis, *superatis*, I.
24. Dicatæ, *scilicet Deo*, I.
25. Lupanar, *dicitur a lupis*, *id est*, *meretricibus ; quia sicut lupi devorant prædam*, *sic illæ avidissime devorant amatores suos*. — Trudere, *pro trudi*, I.
26. Applicat, *inclinat*, I.
28. Temnere, *despicere*, I.
29. Irruat, *cum impetu veniat*, I.
30. Mancipium, *mancipium*, *quasi manu captum*, I.
32. Aureum, *nobilem*, I.
35. Integritatis, *virginitatis*, I.
36. Impiabis, *maculabis*, I.
38. Publicitus, *publice*, *manifeste*, I.
39. Flexu, in plateæ, *in via ; in biviis*. — Sistere, *præsentare*, I.
40. Frequentia, *multitudo*, I.
42. Verendum, *pudibundum*, Rat.
43. Forte, *casu*. — Procaciter, *irreverenter*, *luxuriose*, I.
44. Os, *faciem*, I.

COMMENTARIUS.

19. In quibusdam vulg., *exercitatibus :* in aliis *excruciantibus*. Corrigendum omnino est *excruciatibus*.

21. Brev. Moz., *tunc atrox tyrannus :* lege *tum trux*.

23. Nonnulli vulg., *aut pudor*, non recte. Breviar. Moz., corrupte, *at pudor ejus Dicatæ virginitatis impetendus est*.

24. Prag., *clarus :* lege *carus*. Parrhasius, minus bene, *dicatæ virginitati erit*. Olim virgines Christianas a teneris annis virginitatem Deo consecrasse, tum ex hoc hymno, tum ex aliis monumentis liquido patet. Tertullianus egregie Apologet. cap. 50 : *Proxime ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna et omni morte reputari*.

25. In hoc lupanari erectam nunc S. Agnetis esse ecclesiam, dixi ad vers. 3. Cl. Cancellierius in suo opere de Sacello pontificio, pag. 132, pollicetur aliud ita inscriptum : *Descrizione del circo agonale, e della chiesa di S. Agnese ivi eretta con un appendice di documenti degli Atti del martirio, e delle omilie de' SS. Padri in onore della medesima V. e M.*

26. In Mar. desideratur *est*. Fabr., Gis., Prag., Rat., Brev. Moz., *applicet*, et vers. seq. *roget*. Plerique cum Aldo, *applicat*, *rogat*. Ethnici deorum suorum statuas amplexari et osculari solebant.

27. Weitzius mendum Egmondani exprimere voluit *Menerva*. Idem Weitzius Fabricio et Giselino affingit *regit*, in quibus est *roget* pro *rogat*.

29. Vatt. B, P, Weitz., Gis., Torn., *irruat*. Parrhasius, Brev. Moz., Alex. a prima manu, Cham., *irruet*. Plurimi alii habent *irruit* cum Aldo.

30. Eadem occurrit varietas *petat*, *petet*, et *petit*.

36. Brev. Moz., corrupte, *Ferro*, *impia soboles*, *potes servire*.

38. Ambr., *jubent :* melius *jubet*. Innuitur mos, quem pseudo-Ambrosius explicat : *Adhæc insanus judex jussit eam exspoliari, et nudam ad lupanar duci sub voce præconis dicentis : Agnetem sacrilegam virginem, diis blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datam*. Vide ep. 1 inter segregatas a Maurinis.

39. Burmannus secundus in Addend. ad Claud., pag. 1012, e duobus antiquis libris Leodiensibus legit *fluxu in plateæ*, et interpretatur confluxum populi per plateas. Vide Gronov. ad Liv., pag. 343. In Mar. et Rat. ex *flexus* factum *flexu*. Prag., Vat. Q, male *flexus in plateæ*. Ald., vetus codex in editione Weitz. apud cl. præsulem Reggium, *flexu in plateas*. Brev., Moz., *flexam in plateas*. Verior lectio *flexu in plateæ*. Iso interpretatur in bivio, in quo lupanaria construi mos erat. Miratur Peveratus cur non dixerit *flexu in theatri :* siquidem fornices illi erant in circo agonali. Constat publica scorta in fornicibus spectaculorum manere consuevisse. S. Cyprianus, sive quis alius vetus scriptor, lib. de Spectac. : *Si rursum perrogem, quo ad illud spectaculum itinere pervenerit, confitebitur per lupanarium, per prostitutarum nuda corpora..... qui festinans ad spectaculum, dimissus et adhuc gerens secum, ut assolet, eucharistiam inter corpora obscena meretricum tulit*. Cum autem postea occurrat etiam *plateæ* vers. 49, retinendum est *flexu in plateæ ;* et, ut ego puto, flexus plateæ solum indicat angiportum, aut vicum angustum et flexuosum, ad quem e platea ingressus esset. Petronius de Lupanari : *Per anfractus deinde obscurissimos egressus in hunc locum me perduxit*.

40. Vat. B, Mar., *stantum*, minus bene; Hailsbr., male, *statum*. Verbum proprium est *stare* de feminis prostitutis, quæ ante fornices quæstus gratia stabant. Hinc meritorium ipsum *stabulum* dicebatur, et a Tertulliano appellatur lib. II ad Uxorem *consistorium libidinum publicarum :* ipsæ meretrices *prostitutæ*, et *prostibula* audiebant. Horatius, sat. 1, *Nullam nisi olenti in fornice stantem*. In II Controvers. Senecæ, *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti*.

41. Vat. A, Egm., Pal., *adversa ;* alii, *aversa*, quod retinendum est.

42. Peveratus exponit, *hoc est templum*. Ita quidem ait Damasus in versibus quos post hymnum proferam ; sed alia explicatione opus est. Barthius notat lib. VIII, cap. 19, locos mulierum in libris medicorum genitalia membra designare, uti etiam sæpe apud Columellam. Quod autem cap. 5 lib. cit. ex hoc loco infert, quod dum publicitus nudæ mulieres prostabant (sive Christianæ, sive aliæ), avertebant oculos qui aderant, morum pristinorum reverentia, non puto universe verum : nam id in Agnete veluti ex peculiari Dei providentia narratur. Quod de *locis* mulierum dicit, graviori Lucretii testimonio posset confirmari. Vide Gifanii indicem in Loca et Loci.

Spectare formam lumine lubrico. A
En ales ignis fulminis in modum
Vibratur ardens, atque oculos ferit :
Cæcus corusco lumine corruit,
Atque in plateæ pulvere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo,
Verbisque deflent exsequialibus.
Ibat triumphans virgo, Deum Patrem,
Christumque sacro carmine concinens,
Quod sub profani labe periculi
Castum lupanar, nec violabile
Experta victrix virginitas foret.
Sunt qui rogatam rettulerint preces
Fudisse Christo, redderet ut reo
1219 Lucem jacenti : tum juveni halitum
Vitæ innovatum visibus integris. B
Primum sed Agnes hunc habuit gradum
Cœlestis aulæ, mox alius datur.
Accensus iram nam furor incitat
Hostis cruenti. Vincor, ait gemens,
I, stringe ferrum, miles, et exere
Præcepta summi regia principis.
Ut vidit Agnes stare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait :
Exsulto, talis quod potius venit
1220 Vesanus, atrox, turbidus, armiger,
Quam si veniret languidus, ac tener,
Mollisque ephebus tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
Hic, hic amator jam, fateor, placet :
Ibo irruentis gressibus obviam,

GLOSSÆ VETERES.

46. En ales, *ecce velox*, I.
50. Tollunt, *elevant*. — Sodales. *Sodales dicuntur, quasi simul edales, id est, simul manducantes*, I.
51. Exsequialibus, *qui in exsequiis conveniunt*, I.
54. Quod, *eo quod*, I.
60. Innovatum, *scilicet referunt*. — Visibus integris, *virginitatis custodia*, I.
61. Gradum, *miraculum*, I.
63. Ascensus, *martyrii gradus*, I.
65. Astringe, *evagina*. — Exere, *perfice, profer, exerce*, I.
70. Vesanus, *transvectus a sanitate*, I.
72. Ephebus, *juvenis, imberbis*. — Tinctus aromate, *unctus unguento*, I.
73. Funere, *morte, luctu*, I.
74. Hic, hic, *talis*, I.

COMMENTARIUS.

45. Ald. male, *exspectare formam*; nec melius vetus codex in editione Weitziana, *formam exspectare*; aut Torn., *exspectans formam*; aut Latinius, *despectas formam*. Dicit *lumine lubrico*, ut in hymn. 2 Cath., vers. 103, *Oculive peccent lubrici*. Cicero, lib. II de Nat. deor., *Sed lubricos oculos fecit* (natura) *et mobiles*.

46. Breviar. Moz. depravate, *gehennalis ignis flaminis in modum*. C Angelum sub alitis specie vibratum intelligi posse, censet Ruinartius, Certe Agneti aderat angelus qui ejus virginitatem defenderet : sed nihil prohibet ignem volucrem, sive celerem (non avem) de cœlo missum, qui oculos impudici juvenis perstringeret. Ita enim ego hunc locum accipio; et hæc explicatio confirmatur vers. 48, *Cæcus corusco lumine corruit* : nam lumen coruscum est hic ipse ignis ales et ardens quo cæcus corruit juvenis. Juvenis, inquam : etenim filium hunc fuisse præfecti Urbis Acta docent, et vers. 29 ait judex : *Omnis juventus irruat*, etc.

50. Imitatio Virgilii lib. V, *Ast illum fidi æquales genua ægra trahentem*, etc.

52. Videtur e lupanari virgo extracta, ut per vias duceretur; vel *ibat triumphans* ponitur pro triumphabat.

54. Vat. B, *pericli* : emenda *periculi*.

55. Prag., *ne violabile*, et supra glossa *ne pro non*. D Melius *nec*.

56. Brev., Moz. *aspecta* : lege *experta*.

57. Vat. A, *precem* pro *preces*. Alii *retulerint*, alii *rettulerint* scribunt : utrisque sua adest ratio, Precibus S. Agnetis hunc juvenem ad vitam revocatum narratur etiam in sermone 48 inter sermones S. Ambrosio ascriptos, quem e tribus mss. Maurini ediderunt.

59. Ald., Brev. Moz., *tum invenit*. Legendum *tum juveni*.

60. Brev. Moz., *usibus*. Cauchii codex *jussibus*, unde ille conjiciebat *sensibus*. Sed bene est *visibus*. Glossa non placet.

61. Brev. Moz. ita distinguit, *usibus integris Primum; sed Agnes*, non probe.

63. Sich., Vatt. A, Q, Alex., Prag., Rat., Weitz. cum suis, Gall. cum Torn., editione Parisiensi Biblioth. Patrum, ms. S. Michaelis apud Ruinartium, *mox alius datur Ascensus : iram nam furor incitat*, Heinsius nullam lectionis varietatem advertit, sed Giselinum secutus, edidit *mox alius datur. Accensus iram nam furor incitat*, quod tenent Ald., Parrhasius, Vatt. B, P, Urb., recentiores : quanquam Teolio altera lectio magis videtur arridere. Nonnulli tradunt Symphorianum, ne in odium Romanorum incurreret, substituisse alium judicem Aspasium nomine, qui virginem Agnetem primum igni tradi, tum igne illæsam gladio perculi jussit. In comment. ad 1 hymn. Perist., vers. 93, quæstionem agitavi, cur martyres alia tormenta interdum superarent, gladio vero vix unquam cederent. Postea vidi dissertationem Baruffaldi : *Del colpo di spada, o di qualunque ferro tagliente, non mai vano, o fallace nel decapitare, o dar la morte ai martiri di Christo*, tom. III Nov. Collect. Calogeran. Venet. 1757. Baruffaldus iisdem rationibus quæstionem resolvit. Nam quod addit, ictum gladii insuperabilem fuisse, quia Deus martyrium hoc mortis genere complere, et per ictum gladii martyres coronare decreverat, hoc ipsum est, quod quæritur, cur Deus id potius quam aliud decreverit. Negat præterea Baruffaldus gladium martyribus unquam cessisse, ac veteres historias quibus id affirmatur, aut in dubium revocat, aut sine miraculo rem evenisse contendit.

65. Vat. B, Mar., Rat., Weitz., *astringe ferrum*. Rott., Thuan., Ald., Brev. Moz., Alex., Vat. Q, *stringe*. Ita in Vat. P, sed deest prima littera. Heinsius restituit *i*, *stringe* cum Ambr., tribus Torr., Cauchiano. Adhæret Vat. A., et in Vat. B videtur id indicari ad oram. Parrhasius olim jam ediderat *i*, *stringe*, sed mendose illico *miles exsequere*. Urb. habet *jam stringe*, quod fuit a Giselino editum. Vide comment. ad vers. 199 hymn. 11 Cath.

72. Weitz. cum Widm. scribit *ephebus*. In Egm., Hailsbr., *efybus*. Chamillardus existimabat *aromata* tantum plurale apud Latinos reperiri, quamvis apud Græcos etiam in singulari dicatur ἄρωμα. Verum Marcianus *aroma Indicum* dixit D. lib. XXXIX tit. 4, leg. ult. Prudentius *aroma* in singulari dixit etiam Cath. 3, vers. 22, Apoth. vers. 758.

74. Parrh., *hic amor*, contra metrum.

75. Alex., Vatt. A P, *obvia*

Nec demorabor vota calentia :
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectusque ad imum vim gladii traham.
Sic nupta Christo transiliam poli
Omnes tenebras æthere celsior.
Æterne rector, divide januas
Cœli, obseratas terrigenis prius,
Ac te sequentem, Christe, animam voca,
Cum virginalem, tum Patris hostiam.
Sic fata, Christum vertice cernuo
Supplex adorat, vulnus ut imminens
Cervix subiret prona paratius.
1221 Ast ille tantam spem peragit manu :
Uno sub ictu nam caput amputat.
Sensum doloris mors cita prævenit.
Exutus inde spiritus emicat,
Liberque in auras exilit; angeli
Sepsere euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm,
Spectat tenebras ardua subditas,
Ridetque, solis quod rota circuit,
Quod mundus omnis volvit et implicat,
Rerum quod atro turbine vivitur,
A Quod vana sæcli mobilitas rapit :
Reges, tyrannos, imperia, et gradus,
Pompasque honorum stulta tumentium,
Argenti et auri vim, rabida siti
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo structa habitacula,
1222 Illusa pictæ vestis inania,
Iram, timorem, vota, pericula :
Nunc triste longum, nunc breve gaudium,
Livoris atri fumificas faces,
Nigrescit unde spes hominum et decus,
Et, quod malorum tetrius omnium est,
Gentilitatis sordida nubila.
Hæc calcat Agnes, hæc pede proterit,
Stans, et draconis calce premens caput :
B Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit venenis, mergit et inferis,
Nunc virginali perdomitus solo,
Cristas cerebri deprimit ignei,
Nec victus audet tollere verticem
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus martyris innubæ :

GLOSSÆ VETERES.

76. Demorabor, *detineam.* — Vota, *quæ habent me ad interficiendum.* — Calentia, *iracunda, furentia,* I.
77. Recepero, *recipiam,* I.
79. Sic, *taliter.* — Poli, *aeris,* I.
81. Divide, *aperi,* I., Mar.
82. Prius, *in primo parente,* I.
84. Cum, *pridem, vel modo, quando.* — Tum, *deinde.* — Hostiam, *martyrium,* I.
85. Vertice cernuo, *inclinato capite,* I.
86. Vulnus imminens, *imminentem gladium,* I.
87. Subiret, *sufferret,* I.
88. Ille, *carnifex,* I.
91. Spiritus emicat, *anima splendet, salit,* I.
94. Situm, *positum,* I.
95. Ardua, *excelsa,* I.
97. Implicat, *colligit,* I.
100. Gradus, *honores,* I.
101. Stulta, *stulte,* I., Mar.
102. Siti, *cupiditatis,* I.
103. Cunctis, *populis.* — Petitam, *quæsitam, ipsam rabiem cupiditatis,* I.
C 106. Vota, *optiones,* I.
110. Tetrius, *pessimum,* I.
113. Calce, *pede,* I.
114. Terrena, *scilicet corpora.* — Ferus, *sævus,* I.
116. Solo, *planta,* I.
117. Cerebri, *capitis,* Mar. — Deprimit, *deponit,* I.
118. Verticem, *caput,* I., Mar.

COMMENTARIUS.

78. Vat. A non bene omittit *que.* Brev. Moz., *Pectusque adimet vim, gladii traham,* quod reformandum est.

80. Vel intelligit *poli æthere celsior,* vel tenebras poli vocat, ut vers. 95, *Spectat tenebras ardua subditas :* quia tenebræ sunt omnia quæ sub pedibus cœlitum jacent, quamvis clara videantur.

81. Ald. mendose, *æternæ.*

82. Parrhasius, *terriginis,* male.

84. Brev. Moz., *Cum virginali tunc Patris hostia,* minus recte.

88. Prag., *peregit manu :* metrum poscit *peragit.*

89. Ald., *unum sub ictu.* Plerique, *uno sub ictu.* In Boug. reperitur conjuncte *subictu;* et Gifanius ita legendum contendit ex vet. suo lib., ut alibi dixit Prudentius *subtacitus,* et Lucretius *subcavus :* in vulg., *uno sub ictu,* male et barbare scribi affirmat; sed hactenus viris doctis qui Prudentium ediderunt, id non persuasit.

91. In Eulalia vers. 161, *Emicat inde columba repens.*

94. Æmulatur Virgilium ecloga 5, vers. 56, *Candidus insuetum miratur limen Olympi; Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.*

96. Alex., Ald., *videtque solis.* Vatt. A, Q, *rota circumit,* non male.

98. In hymno superiori S. Cypriani vers. 90, *Quid viveret.*

99. Vat. B, Mar., *nobilitas,* non absurde, nam dicitur *vana,* et sermo est de regibus et honoribus.

101. Brev. Moz., *stulte :* lege *stulta.*

102. In Vatt. A, P, desideratur *vim.* Aldus, Vatt. A, P, Q, Hailsbr., Pal., *rabidam sitem.* Widm. in contextu, *vim rabidam sitis.* Weitz., Widm. supra, Alex., Parrh., Prag., Gis., Heins., *vim rabida siti.* adhærent Rat. et recentiores. Mar., Vat. B, *vim rabidam siti.* Urb. minus bene, *et aurum : vim rabidam sitim.*

105. Ex Virgilio II Georg. vers. 464, *Illusasque* D *auro vestes.* Vide comment. ad vers. 48 hymn. 12 Peristeph.

106. In. Brev. Moz., *irati, mortem;* corrige *iram, timorem.*

107. Seneca in Thyeste act. IV, *Nulla sors longa est; dolor et voluptas invicem cedunt : brevior voluptas.*

110. Vat. A perperam omittit *quod. Tetrius malorum omnium* pro *malis omnibus.* Vide comment. ad vers. 77 et 78 hymni 12 Cath.

112. Concinnius est *hæc pede* cum Mar., Prag., Rat.; quam *ac* cum aliis edd. et mss. In Brev. Moz. mendum *proculcat* pro *proterit.* In nonnullis edd. ad oram excusum est *crepasset :* quod non intelligo quid sit, aut quo pertineat.

116. Sæpius dictum *solum* pro imo pede accipi. Confer Frontonem Ducæum ad Paulinum pag. 766, *Sola sancta tergere* epist. 2 ad Severum et Sirmondum ad Sidonium pag. 113.

118. Vat. B, *vinctus :* melius *victus.*

Unam decemplex edita sexies
1223 Merces perenni lumine conficit:
Centenus exstat fructus in altera.
O virgo felix, o nova gloria,
Cœlestis arcis nobilis incola,
Intende nostris colluvionibus
Vultum gemello cum diademate:
Cui posse soli Cunctiparens dedit
Castum vel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
1224 Fulgore, nostrum si jecur impleas.
Nil non pudicum est, quod pia visere
Dignaris, almo vel pede tangere.

GLOSSÆ VETERES.

121. Unam, *coronam.* — Edita, *de martyrio, oblita de martyrio dedit.* — Sexies, *sexies decies fiunt sexaginta; et sexagenarius numerus significat continentiam vidualem : quæ una corona illi erat propter laborem quem sustinent viduæ; nam laborem sustinent maximum, quod ipsa complexa digitorum significat*, I.

123. In altera, *de virginitate*, I., Mar.

126. Colluvionibus *maculis, pollutionibus, immunditiis*, I. *Pollutionibus*, mar.

127. Diademate, *corona*, I

128. Cui, *id est tibi*, I.

129. Vel, *etiam.* — Fornicem, *lupanar : locum dicit in theatro ubi devirginantur virgines*, I.

130. Purgabor, *ego.* — Oris, *vultus*, I

132. Pia, *pia visitatione.* — Visere, *videre, visitare*, I.

COMMENTARIUS.

121. Vat. A male, *una.* Alii scribunt *decimplex*, alii *decemplex.* Æmulatur Cyprianum epist. 70 : *Cujus numero nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit, quasque ad cœlestem coronam gloria geminata provexit.* Plerique fructum sexagesimum virginitati, fructum centesimum martyrio in parabola Matth. XIII, 8, promissum esse autumant. Et cum hoc loco Prudentius ipse virginitati fructum sexagesimum assignare videatur, in lib. II. adv. Symmach., vers. 1059, legi poterit *Hinc decies seni :* ubi etiam de præmio virginitatis disseritur. In glossis diversæ sunt opiniones; apud Isonem quid sit, *Quod ipsa complexa digitorum significat*, intelliges ex Hieronymi verbis lib. I in Jovinianum sub initium : *Centesimus, et sexagesimus, et tricesimus fructus, quanquam de una terra et de una semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias : nam et ipsa digitorum conjunctio, quasi molli se complexans osculo, et fœderans, maritum pingit et conjugem. Sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia et tribulatione sunt positæ. Unde et superiori digito deprimuntur, quantoque major est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto majus est præmium. Porro centesimus numerus (diligenter, quæso, lector, attende) de sinistra transfertur ad dexteram, et eisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læva nuptæ significantur et viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam.* Veterem hanc consuetudinem numerandi per digitos explicatius tradit Beda in lib. de Computo, vel Loquela per gestum digitorum. Vide etiam Gazæum in not. ad Cassian. collat. 24, cap. ult., qui rem hanc enucleate exponit.

122. Egm., Pal., *mercis* pro *merces.*

124. Sic in versibus nunc exscribendis S. Damasi · *O felix virgo.*

128. Prag., *solus Cunctiparens* pro *soli.*

129. Brev. Moz. male, *redde fornicem.* Fornices erant arcuatæ domus ubi prostabant meretrices : loca abdita et occulta quæ ab Apostolo *cubilia* vocantur : *Non in cubilibus*, etc. Vide comment. ad vers. 108 lib. I in Symm.

130. Ald., Vat. P, et nonnulli vulg. corrupte, *purgabo roris.* Brev. Moz. non leviori mendo, *Purga jam corda propitiabili.* Parrhasius recte jam olim ediderat *purgabor oris.* Giselinus observat errata pleraque quæ Prudentium miserrime fœdarunt, librariorum inscitia contigisse, qui modo in unam dictionem diversissima conglutinarunt, modo cohærentia separarunt : et hæc exempla profert. *Secernere* scriptum erat vers. 35 Apoth., pro *se cernere. Consulet et* vers. 590, lib. II in Symm., pro *consultet. In acie* ib. vers. 1024, pro *macie. Sed et* ib. vers. 193, pro *sedet. Suam* in hymno S. Vincentii vers. 146, pro *si jam. Obis* ibid. vers. 537, pro *o bis. Quinos* in Romano vers. 1056, pro *quin os. Fluctu et* in passione SS. apostolorum Petri et Pauli vers. 36, pro *fluctuet. Exitusque* in Cypriano vers. 102, pro *exit usque. Purgabo roris* hoc loco, pro *purgabor oris.* Quibus alia similia addi possent.

131. Christi et divini Spiritus hoc esse Cellarius opponit. Deberet ipsum pudere toties fateri Prudentium tam doctum, tam pium vatem, et in omni antiquitate tam venerandum, suæ hæresi tam aperte esse contrarium.

132. In Brev. Moz. mendum est *quam pia viscera* pro *quod pia visere.* In eodem breviario adduntur quidam versus quos Prudentii non esse, ut nunc quidem leguntur, certo possum confirmare.

133. Barthius, lib. XXXVI, cap. 4 Advers., ait deorum tactum efficacem habitum, ut apud Horatium de Venere : *Tange Chloen semel arrogantem.* Id quod, inquit, allusit eruditissimus poeta Prudentius, *Dignaris almo vel pede tangere.* Sed Prudentius, ut ego existimo, nihil aliud vult nisi pudicum id omne esse quod Agnes ingreditur : ut castum reddidit ipsum fornicem. Post hunc hymnum in Vat. A sequitur passio beatissimi Laurentii. In aliis sunt versus S. Damasi in laudem S. Agnetis, in quibus sanctissimi hujus pontificis pietas non minus quam in cæteris ejus carminibus elucet. Apologiam pro Damaso aliisque pontificibus Romanis IV sæculi contra apertas calumnias Ammiani Marcellini nondum dedita opera confectam fuisse puto; neque operæ nullum esset pretium. Carmina ipsa Damasi, edente Merenda, typographi negligentia corruptissime impressa sunt, ut editoris nævos prætercam. Versus quos dicebam in laudem S. Agnetis correctos nunc exhibebo. Igitur post hymnum S. Agnetis in Vat. B, Mar., Prag., Rat., in Widm. codice apud Weitz., in codice Florentino, de quo in proleg. num. 86, qui cum Urb. consentit, inseruntur versus sequentes. *Versus Constantinæ, Constantini filiæ, scripti in absida basilicæ quam condidit in honorem S. Agnæ virginis. Constantina Deum venerans, Christoque dicata, Omnibus impensis devota mente paratis, Numine divino multum, Christoque juvante, Sacravit templum victricis virginis Agnes. Templorum quod vincit opus, terrenaque cuncta, Aurea quæ rutilant summi fastigia templi. Nomen enim Christi celebratur sedibus istis, Tartaream solus potuit qui vincere mortem. Invectus cœlo solus inferre triumphum. Nomen Adæ referens retro ciet omnia membra, A mortis tenebris, et cæca nocte levata. Dignum igitur munus, martyr, devotaque Christo, Ex opibus nostris per sæcula longa tenebis, O felix virgo memorandi nominis Agnes.* Plerique filiam hanc Constantini vocant Constantiam ex actis non authenticis. Sed vel utrumque nomen habuit, vel vocanda potius est Constantina, ut ex primo versu liquet : *Constantina Deum.* Idemque nomen legitur in primis litteris versuum primorum undecim : est enim carmen acrostichum. Ac for-

EPILOGUS.

1225 Immolat Deo Patri
Pius, fidelis, innocens, pudicus,

1226 Dona conscientiæ,
Quibus beata mens abundat intus.

COMMENTARIUS.

tasse legendum erit *Constantina Deo venerans*, *Christoque dicata*. Nam primæ litteræ trium versuum extremorum faciunt *Deo*. De hac ecclesia S. Agnetis in via Nomentana agit Ciampinius de Sacr. Ædif. cap. 9. Lectiones variæ codicum sunt. In titulo Widm. *in honore S. Agnes virginis*. Vers. 1 Vat. B, *Dei*, pro *Deum*. Vers. 5 Widm., *opes* pro *opus*. Merenda, *terrenaque juncta*. Vers. 6, Merenda in textu, *aurea nam*. Vers. 7, Merenda, *fastigia tecti*. Vers. 9, Widm., Prag., Mar. recenti manu, Merenda, *solusque* pro *solus*. Urb., *solus qui*. Rat. non bene pro diversa scriptura, *vectus*; supra, *invectus*. Vers. 10. Corrupte Vat. B, *Nomen ferens retorquet et omnia membra*. Rat., *Numina vera ferens retro ciet omnia membra*, quod videtur esse supra in Vat. B. In eod. Rat. charactere minutiori subscribitur : *Nomen Adæ referens detorquet et omnia membra :* et ita edidit Weitzius ex Widm. In Prag., *Numen ad æthra ferens post se ciet omnia membra* cum glossa *Ciet*, *id est vocabit*. In Mar. a correctore erat factum supra *Numen ad ethra ferens retro ciet omnia membra*. Merenda, Urb., *Nomen adhuc referens, et corpus, et omnia membra*. Ita etiam in Florentino codice. In nonnullis editionibus hi duo versus *Nomen*, et *A mortis* desiderantur. Vers. 11, Vat. B. depravate, *amo tenebris* pro *a mortis tenebris*. Vers. 12, Merenda in textu, *dignum Agnes munus*. Sequuntur versus S. Damasi hoc titulo in Mar. et Rat. : *Item Damasi Papæ versus de eadem :* quos tamen ego exscribam ad ectypum æri incisum in dissertatione Bayeriana de S. Damaso ex archetypo in ecclesia S. Agnetis via Nomentana : *Fama refert sanctos dudum retulisse parentes Agnen, cum lugubres cantus tuba concrepuisset. Nutricis gremium subito liquisse puellam, Sponte trucis calcasse minas, rabiemque tyranni, Urere cum flammis voluisset nobile corpus, Viribus immensum parvis superasse timorem, Nudaque profusum crinem per membra dedisse. Ne Domini templum facies peritura videret. O veneranda mihi, sanctum decus, alma pudoris, Ut Damasi precibus faveas, precor, inclyta martyr*. Vers. 1, Prag., Widm., *flevisse* pro *retulisse*. Urb. male, *sanctos dudum regulis reparantes*. Vers. 2, Urb. mendose, *Agmen*, et *concreparisset*. Vers. 4, Mar., *rabiesque*. Mar. et alii, *truces*. Vers. 7, Widm., *diffusum* pro *profusum*. Merenda in operib. S. Damasi, *profusos crines*. Vers. 9, Prag. contra metrum, *Agnes tu decus;* Rat., *Agnes mihimet decus*, supra *tu*. Mar., *Agnes mihi decus*, supra *mihi tu decus*, et ad oram, *columenque*, *et palma pudoris*. Alii, *O venerandum Agnes mihi tu decus alma pudoris*. In Urb. hic versus corruptus est, *O veneranda m Deus alma pudoris*. Merenda et alii, *inclyta virgo*. Porro vix dubium est quin versus superiores non minus quam hi auctorem habeant Damasum. De voce *lugubres*, primis duabus correptis, dixi in Comment. ad vers. 79 hymni 9 Cath. Apud profanos scriptores occurrit etiam *salubris* secunda correpta, ut videri potest in Anthologia Burmanni. In Vat. B, Mar., Weitz. post hos versus sequitur hymnus S. Eulaliæ. In aliis Epilogus.

Vers. 1. In Alexandr. titulus est, *Epilogus*, *id est clausula vel finis libri*. In Vat. B, *Incipit de opusculis, Patri Deo immolat. per trocheum et trimetrum endecasyllabum*. Ponitur ante Dittochæum, sed tanquam conclusio libri Peristephanωn, qui præcesserat, siquidem in fine legitur *Finit Peristephanωn. Incipiunt Tituli historiarum*. In Mar., *Incipit de opusculis suis. Trocheum trimetrum endecasyllabum*. Ponitur ante Dittochæum, et post hymnum de Epiphania : sed hymnus de Epiphania in hoc codice, ut in aliis, ultimus est in libro Peristephanωn. Fortasse hinc occasionem ali-

qui sumpserunt ut hanc odam, quæ in nonnullis codicibus hymnum Epiphaniæ sequitur, tanquam præfationem libri Peristephanωn huic libro præfigerent; sed notandum est hoc discrimen, quod hymnus de Epiphania in quibusdam codicibus claudit librum Cathemerinωn, in aliis librum Peristephanωn. Giselinus diserte affirmat in suo codice et in Daventriensi libro Peristephanωn hos versus præfigi : quam collocationem probat, quia Prudentius ait trochæos et iambos se Christo consecrare, et liber Peristephanωn ex trochæis et iambis maxime constat. Sed, ut dicam ad vers. 7, Prudentius versus quibus hæc oda constat nominat, non autem alios libri Peristephanωn intelligit. Addit Giselinus nullum esse aliud opus cui procemium non dederit suum. Sed præterquam quod Dittochæo nullus est prologus, libro Cathemerinωn non est alia præfatio nisi ea quæ reliquis operibus communis est. Et sicut liber ille primus prologo communi incipit, ita liber hic ultimus, qui est de Coronis, congruenter epilogo communi concludetur. Heinsius fassus est nullum suorum codicum martyribus dicato libro hanc oden præponere, neque Puteanum, neque Ambrosianum, in quibus initium libri Peristephanωn erat; sed hæc ode non comparebat. In Oxonio, uti apud Aldum, claudebat agmen poematum omnium. In Rottendorphio inter libros adversus Symmachum, et Dittochæum, legebatur : ex quo editiones nonnullæ, uti etiam vetus codex Nomsianus præfationem Dittochæi faciunt hanc odem. In Addendis confirmavit Heinsius plerosque vetustos codices epilogum voluminis hanc ipsam oden facere, et ad pristinum locum, unde exsulabat immerito, esse postliminii jure revocandam. Inscriptio in Egm. erat, *Incipit de opusculis suis Prudentius*. In Thuan. ac priore Boher., *De opusculis suis Prudentius*. In Rott., *Incipit de opusculis suis*. In Thuan. carmen dicitur *iambicum mixtum*. Ab Aldo inscribitur *Ode*, *in qua poeta de se loquitur*. In codice Florentino, ubi hi versus post librum Peristephanωn collocantur, hic est titulus, *Immolat opuscula sua Deo Prudentius*, et primus versus est *Pius, fidelis*. De epilogis poetarum agit Scaliger lib. I Poetic., cap. 55. Ait clausiones sive epilogos separasse Horatium, *Exegi monumentum ære perennius;* et Ovidium, *Jamque opus exegi :* non separasse Virgilium in Georg., *Illo Virgilium*. At inter Ovidium et Virgilium vix ullum discrimen agnoscitur. Aliud pii epilogi exemplum præbet Juvencus noster, quem libenter describerem, nisi jam ad finem ipse properarem. Nonnulli scriptores Hispani sæculi XIV, in operibus vulgari lingua conscriptis epilogum vocabant *ultilogum*, rationemque hanc reddebant, quia præfatio vocatur prologus : quam putidam elegantiam merito posteri non sunt imitati. In plerisque deest hic primus versus *Immolat Deo Patri*, ut in aliis postremus, *Quo regente vivimus*. Giselinus versum primum e ms. descripsit, quod ad sententiam omnino desiderari crederet, et necessum esset, carmen iambicum orationem semper finiens posteriore loco poni, ad illius Horatiani formam : *Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar*. Ultimum versum exemplo Manutii, ut spurium, rejecit. Exstat versus ille primus in Rott., Weitz., et plerisque edd. Goldastus legit *Immolat Patri Deo*. Existimo in multis codicibus deesse, quia in titulum ipsum invectus est, ut in Vat. B, *Incipit de opusculis Patri Deo immolat*, etc. Fortunatus hos versus, ut puto, legerat post lib. Peristeph., et in his versum *Immolat Deo Patri :* hoc enim innuit, cum ait in præf. Vitæ S. Martini : *Martyribusque piis sacra hæc donaria mittens Prudens prudenter Prudentius immolat actus*.

1227 Alter et pecuniam
Recidit, unde victitent egeni:
Nos citos iambicos
Sacramus, et rotatiles trochæos,
Sanctitatis indigi,
Nec ad levamen pauperum potentes.
Approbat tamen Deus
Pedestre carmen, et benignus audit.
Multa divitis domo
Sita est per omnes angulos supellex.
Fulget aureus scyphus,
Nec ære desit expolita pelvis:
1228 Est et olla fictilis,
Gravisque, et ampla argentea est parapsis.
Sunt eburna quæpiam,
Nonnulla quercu sunt cavata, et ulmo.
Omne vas fit utile
Quod est ad usum congruens herilem:
Instruunt enim domum,
Ut empta magno, sic parata ligno.
Me paterno in atrio,
Ut obsoletum vasculum, caducis
Christus aptat usibus,
Sinitque parte in anguli manere.
Munus ecce fictile
Inimus intra regiam salutis
Attamen vel infimam
Deo obsequelam præstitisse prodest.
1229 Quidquid illud accidit,
Juvabit ore personasse Christum,
Quo regente vivimus.

GLOSSÆ VETERES.

11. Approbat, *laudat*, I.
24. Magno, *scilicet pretio*, I.
25. In atrio. *intra Ecclesiam*. I.
26. Obsoletum, *vitiis*. — Caducis, *vilibus*, I.
31. Vel, *etiam*, I.

COMMENTARIUS.

7. Ald. contra metrum, *iambos* pro *iambicos*. In nonnullis editionibus scribitur *iambicos* cum *j* consonante, quod carminis lex respuit. His duobus versibus explicat Prudentius, quo metri genere nunc scribat, ut hymno 3 Cath., vers. 28, *Sertaque mystica dactylico;* hymno S. Eulaliæ vers. 209, *Texta feram pede dactylico;* hymno S. Fructuosi in fine, *Dulces hendecasyllabos revolvens*. Vocat vero iambicos *citos*, ut Horatius in Arte poetica, *Syllaba longa, brevi subjecta, vocatur iambus, Pes citus*. Et ibidem, ut corrigit Barthius lib. XVII, cap. 4, *Archilochum propero rabies armavit iambo*. Alii legunt *proprio*. Ausonius epist. 21, *Iambe, Parthis, et Cydonum spiculis, Iambe, pinnis alitum velocior. Padi ruentis impetu torrentior, Magna sonoræ grandinis vi densior, Flammis corusci fulminis vibratior.*

8. Trochæi recte dicuntur *rotatiles*, quia nomen habent a trocho, sive rota. Cicero lib. III de Oratore: *Iambum et trochæum frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, vester: qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem, sermonemque nostrum; sed sunt insignes percussiones eorum numerorum, et minuti pedes.*

10. Ex hoc versu colligunt aliqui Prudentium divitiis non abundasse: et satis verisimile est, eum, cum ad severiorem vitam animum applicuit, ut honoribus, ita etiam divitiis, si quas habebat, renuntiasse. Cæterum in hac oda imitari videtur Horatium lib. IV, oda 8, *Donarem pateras, grataque commodus*, etc.

11. Vat. B, *approbet*, non ita bene.

13. Ex Apostoli Epist. II ad Timoth. cap. II, vers. 20, *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*. Eadem Apostoli similitudine multi alii usi sunt. Walafridus Strabo Prudentium certe legerat: *Ditis heri locuples capit aurea vasa supellex, Argenti species annumerans varias. Hæc eadem non ficta luto, non lignea spernit Vascula, sed propriis mancipat officiis.*

16. In Mar. prius erat, *Nec non ære fit expedita pelvis*, quod recte emendatum est supra. Goldastus pro div. script., *Nec edere fit expedita pelvis;* supra, *expolita*. Tene quod a nobis editum est. *Defit* pro *deest* usurpavit etiam Prudentius Cathem. 4, vers. 85, et Apoth. vers. 812.

17. Mar., *aula;* supra, *olla*, probe. Weitzius perperam excudit *aula*.

18. Vat. B, *paripsis*. Mar., Rat., Rott., *parabsis*. Plerique, *parapsis*, ut Ox., Thuan., Bong., Weitz., Heinsius. Giselinus, *paropsis*. Vide comment. ad vers. 532 Psych., *Dextramque parapside jungit*.

23. In Vat. B ex *inferunt* recte factum *instruunt* quod verbum aptissimum est.

24. Vat. B mendose, *parato*.

25. Bivarius suspicari voluit *me materno*, inepte, et nescio quid meditans nugarum de Ecclesia Cæsaraugustana B. Virginis de Columna nuncupatæ, quam hoc loco a Prudentio laudari somniabat. Qua de re dixi num. 58 proleg.

26. Gis. et nonnulli vulg., *vasculis*, mendose. De humilitate Christiana Prudentii ex hoc aliisque locis satis in prolegomenis locuti sumus. Vide ibi num. 46 in not. *a* (*huj. ed. col.* 597, *n.* a), verba Barthii, qui hanc oden summis laudibus evehit.

27. Rat., *abdat* pro *aptat;* et vers. seq., *sinatque* pro *sinitque*. Utrumque probabat et præferebat Mariettus.

29. Fideles illustres caritate sunt vasa argentea et aurea; fragiles infirmique in fide et justitia sunt vasa fictilia.

32. *Obsequela*, sive scribere malis *obsequella*, ponitur pro *obsequium*. Sic Lucretius carcerem vocavit *luelam* sceleris pro luitione. Vide Gifanium in indice, qui alia exempla exhibet in CUSTODELA, CONFUGELA, etc.

33. Heinsius prætulit cum Thuan., *Quidquid illud accidet* pro *accidit*, quod exstat in plerisque. Barthius loc. cit. non intelligit quid velit sibi *Quidquid illud accidit*, et legendum putat, *Quidquid illi ut accidat:* nam *quidquid* significat quodcunque. Nemesianus ecloga 1, *Te quidquid carminis Echo Respondent silvæ.* Ita autem ordinat versus: *Inimus intra regiam salutis, Quidquid illi ut accidat, Juvabit ora personasse Christum, Quo regente vivimus: Attamen vel infimam Deo obsequelam præstitisse prodest*. Quocunque loco vilitas nostrorum carminum in Ecclesia Dei collocabitur, nos tamen ipsos, nostra ora ea composuisse et cecinisse juvabit. Dubitat an melius legendum sit *ora* quam *ore*. Verum, ut tanta Scripturæ varietas invehatur, nulla idonea causa ostenditur. Nam sententia hujus versus est, *Quidquid sit id, quod accidet*, cum regiam salutis iniero. De versu vero Nemesiani, qui obscurus est, et fortasse corruptus, vide notas Petri Burmanni in edit. Poetar. Latin. minorum, qui diversam explicationem affert.

34. Rat., *personare;* supra, *personasse*, quod probum est. Sic Horatius dixit *sonaturum*, Plinius Junior *juvaturi*. Vide comment. ad vers. 760 hymn. 10 Peristeph., ubi aliqui legunt *crepasset*, alii *cremasset*.

35. Hunc versum omittunt Ald., Gis., Heins., Teol,

et alii. Sed cum exstet in Vat. B, Mar., Rat., Sich., Alex. et aliis, juvat illum proferre. In uno Vat. vidit Teolius *Quo regnante vivimus;* sed metrum poscit *regente.* Heinsius, cum in Rott. et Ox. hunc versum invenisset, putavit nonnulla hujus carminis deesse. Certum quidem est Horatianam hujus generis odam 8 lib. II ita esse dispositam, ut a versu breviore incipiat, et desinat in longiorem. Sed cur alio modo versus ordinari non poterunt, si malit poeta? Barthius affirmat hunc versum plane Prudentio dignissimum esse. Sic alibi ait, ut sui perpetuo similis ornatissimus poeta, vers. 1 hymn. 8 Cathem., *Christe, servorum regimen tuorum.* Et est sensus, qui rex simul es et vita nostra. Denique animadvertendum est Prudentium carminibus suis fastigium imponere eadem fere sententia quam in præfatione expressit: *Hæc dum scribo, vel eloquor, Vinclis o utinam corporis emicem Liber, quo tulerit lingua sono mobilis ultimo.* S. Hieronymus epist. ad Demetriad. in fine simili sententia ait: *Nihil aliud noverit lingua, nisi Christum. Nihil possit sonare, nisi quod sanctum est.*

ANNO DOMINI CCCCXL.

DRACONTIUS.

(Juxta editionem Arevali.)

Epistola dedicatoria.

Eminentissimo et reverendissimo principi, et D. D. Francisco Antonio de Lorenzana et Butron, S. R. E. presbytero cardinali, archiepiscopo Toletano, Hispaniarum primati, cancellario majori Castellæ, præclari regii ordinis Hispanici Caroli III magna cruce insignito, etc., Faustinus Arevalus.

I. *Veterem Christianum poetam Dracontium, quem inter Patrum Toletanorum opera typis elegantissimis recusum a te, eminentissime princeps, superioribus annis acceperam, libens merito nunc tibi reddo ad codices manuscriptos bibliothecæ Vaticanæ, ut tibi morem gererem, diligenter recognitum. Percommodum vero, perque jucundum mihi accidit, ut hoc ipso tempore Gregorius Alfonsus Villagomez, et Lorenzana, tuus ex sorore nepos, archidiaconus Calatravensis, Romam accesserit, vir ornatissimus, atque iis animi virtutibus, iis ingenii dotibus, et doctrinarum præsidiis instructus, quæ ut tibi maxime carus sit efficiunt: in cujus ego manum Dracontium de manu trado, ut hac etiam ex parte meus qualiscunque in poetam doctum et ingeniosum labor gratus tibi adveniat, quem alioqui jure tuo a me posses repetere. Ac tametsi Dracontium ita, ut vides, a me recensitum tibi non deberem, ut multis equidem debeo nominibus, tamen cui alteri potius luce denuo publica donatum offerrem? Utinam ea opera quam in eximio poeta illustrando collocavi, ut tibi debita est, ita etiam te tuoque singulari merito, doctrina, integritate morum, digna esset!*

II. *Cum enim priscæ illi avitæ Legionensi nobilitati quæ Maurorum jugum ab Hispanorum cervicibus in primis excussit, reliquas virtutes amplissimæ tuæ dignitati consentaneas cumulatissime adjunxeris, divinarum Litterarum adeo diligens cultor, et munificus patronus existis, ut decessoribus tuis, Montanis, Helladiis, Eugeniis, Ildefonsis, Julianis, Cisneriis, te vel conferre, vel præferre etiam possimus, cæteris præsulibus qui sunt quique futuri sunt, ad imitandum, vel certe ad admirandum proponere. Longum profecto est, et in re perspicua non necessarium, immortalia tua merita in ecclesiasticæ doctrinæ studiosos commemorare, omnino vero de iis tacere, quando hic mihi locus opportunus oblatus est, nefas esse arbitror.*

III. *Etenim in præstantissimo sublimiorum disciplinarum curriculo ecquæ pars est aliquanto illustrior quam tu, eminentissime princeps, non dico ingenii acumine, judicii gravitate, industria constantia gloriose non decurreris, verum etiam monumentis edendis qua antiquis, qua recentibus, qua tuis, qua alienis, non nobilitaveris, provexeris, auxeris? Atque ut prætercam sacrorum Bibliorum studium, ad quod pertinet non solum Analogia Veteris et Novi Testamenti auctore Martino Becano, tuis sumptibus bono publico recusa, sed et multa alia ex iis quæ indicabo prima mihi ante oculos obversatur Rerum Liturgicarum Scientia, qua fides catholica maxima ex parte continetur, consensu veterum Patrum, et ipsa non interrupta sæculorum successione stabilita, vel potius unanimi omnium Christianorum voce decantata.*

IV. *Magno exterarum etiam gentium plausu celebratur politicus ille, sed multo magis Christianus heros, cardinalis Franciscus Ximenez de Cisneros, quod Liturgiam Isidorianam, quam Gothicam alii, alii Mozarabicam vocitant, non tam typis quam æternitati commiserit. Ejus tu vestigiis insistere dum voluisti, longius etiam progressus es; sive missæ Mozarabicæ Explicationem a te elaboratam, exemplarque absolutum totius missæ et Horariarum precum hujuscemodi liturgiæ Angelopoli typis expressa perpendamus, sive nitorem, elegantiam, magnificentiam Breviarii Mozarabici, quod Matrici recudendum curasti, tabularum præterea æri incisarum artificium consideremus, sive, quod magis tuum est, prolegomena ad novam hujus*

Breviarii editionem inspiciamus, quibus de veteri divino officio Ecclesiæ Hispanæ tam docte disseris, ut nihil supra.

V. *Diceremus hoc quidem loco de academicis consessibus a te, princeps eminentissime, ad illustrandam liturgiam constitutis aut promotis, nisi properantem me ad sese vocaret sumptuosa et magnificentissima editio Patrum qui sedem tuam pontificalem antiquis temporibus obtinuerunt. Quorum scriptis singularem splendorem, et lumen non solum doctis et opportunis præfationibus attulisti, verum etiam subjectis adnotationibus ex intima theologia, ex multiplici antiquitatum ecclesiasticarum notitia, atque exquisita artium reconditarum intelligentia profectis. Quo in genere studiorum silentio prætereundum mihi non est quod opera conterranei tui sancti Martini Legionensis, viri theodidacti, quorum editionem litterati homines jam diu expetebant, nonnulli incassum tentaverant, tu primus ad exemplar ex chirographo auctoris descriptum quatuor magnis voluminibus in publicam lucem emiseris.*

VI. *Neque vero prætermittere licet antiquissima novi orbis Concilia, quæ, dum archiepiscopatus Mexicani infulis ornatus esses, maxima diligentia summoque studio collecta, catalogis antistitum singularum ecclesiarum provinciæ Mexicanæ, aliisque insignibus monumentis illustrata, typis mandasti : neque illos egregios duos doctrinæ Christianæ populo explicandæ libros, quos catechismos dicimus, jussu et auctoritate concilii* IV *Mexicani, cui etiam ipse præfuisti, tua potissimum opera juvante, Mexici divulgatos. Nobiliora ubique sunt, multoque gravioris ponderis vetustá Ecclesiæ Hispanæ concilia, quæ modo in summam redacta, modo perinde disposita et distributa, ut corpus juris canonici digestum est, te nimirum præclaro auspice, in communem utilitatem prodierunt. Huc etiam referri potest quod tot tamque flagitiosis libris in vulgus contra religionis vel decora, vel fundamenta disseminatis sacrum Tridentinum concilium Hispanice conversum, tuoque patrocinio decoratum peropportune opposueris.*

VII. *Illis vero munificam tuam dexteram porrigere nunquam destitisti, qui tuta via ad graviora hæc studia adolescentium ingenia amœnioribus politioris litteraturæ præceptis, aut philosophicis institutionibus deducunt. Quanquam hoc in argumento præcipuam laudem merentur illa ipsa quæ tu in volumine Epistolarum, aliorumque operum tuorum Toleti formis expresso prudentissime tradidisti, dum scilicet novam editionem Rhetorices sacræ incomparabilis viri Ludovici Granatensis commendas, aut de recta studiorum ratione verba facis, ad majorum utique normam, quoad ejus fieri possit, accommodanda.*

VIII. *His omnibus libenter adderem, princeps optime, singularem beneficentiam qua meas, quamvis exigui aut nullius pretii, lucubrationes largissime prosecutus es, si id nunc agerem, ut fidelem grati animi memoriam et testificationem, quæ sane a pectore aut ore meo nunquam aberit, ostentarem, ac non potius ut egregia tua in sacras Litteras merita aliqua tantum ex parte ostenderem. Verum hoc etiam est bonitatis tuæ, quod, in divinis his scientiis vel ipsos conatus proficiendi præmiis afficiendos esse censeas, nec modo scriptores re et maturitate commendatos, sed eos etiam qui spem et exspectationem aliquam præ se ferunt, benignissime excipias.*

IX. *Illud vero neque tacere debeo, neque satis pro dignitate eloqui possum, te in ecclesiasticis studiis promovendis, in publicandis et per Europam liberaliter spargendis tot ecclesiasticæ doctrinæ monumentis, ut bibliothecam archiepiscopalem Toletanam insigniter a te auctam, aliamque privatam selectam et locupletem tibi comparatam omittam, sumptu et magnificentia in eum modum prodiisse, ut siquis solum oculos in hæc tua benefacta conjecerit, facile sibi persuadeat tuam largitatem ultra hos terminos progredi non potuisse : cum tamen ea multo magis excelluerit in sustentanda multorum inopia, in calamitatibus populorum relevandis, in viis publicis muniendis, in pontibus ædificandis, in xenodochiis erigendis, in aliis ædibus constituendis, aut a fundamentis excitandis, quibus ægri curentur, amentibus provideatur, uno verbo in publica hominum felicitate longe provehenda. In volumine tuorum operum, de quo paulo ante mentionem feci, plures sunt epistolæ, quibus vera ratio traditur prospiciendi saluti et commodis egenorum; sed illa maxime digna est quæ legatur ac palam celebretur epistola, qua germanum fratrem tuum Thomam, antistitem Gerundensem, eisdem quibus tu studiis gratificandi incensum, bene de multis meritum ac merentem, ad hospitalem caritatis domum aliaque publica pietatis opera absolvenda, quamvis currentem, impellis et gravissime cohortaris, allatis in medium exemplis episcoporum præsertim Hispaniæ qui non insanis et invidiosis substructionibus, multoque minus sumptibus effusis cum probro ac dedecore, sed ædificiis commodo publico construendis ac domibus piis fundandis quibus pauperibus utriusque sexus provideatur, pueri et puellæ, viri et feminæ seorsum artibus vitæ hominum necessariis et opificiis exerceantur, sempiternam sibi nominis famam pepererunt.*

X. *His et similibus aliis tuis præceptis et cohortationibus, princeps eminentissime, expressam cernere licet tuæ benignitatis imaginem. Tot enim exstant tuæ piæ liberalitatis perennia monumenta in amplissima diœceseos tuæ provincia partim ab aliis inchoata, sed a te perfecta, partim a fundamentis ad fastigium a te ipso per nobilissimos architectos perducta et perducenda; tam effusa providentia cum annona ingravescit, populis pastorali tuæ curæ commissis prospicis; sic artes liberales, earum etiam academica schola rite instituta, in melius provehis; sic alia opificia ad vitæ usum necessaria auges, ut te uno in exemplar proposito facile ostendatur quantum Christiani cultus disciplina, et cleri catholici institutio inanibus impiorum quorumdam hominum commentationibus præstet ad universæ reipublicæ commoda procuranda.*

XI. *Intelligo, princeps optime, tantam dignitatem et magnificentiam in publicis pietatis operibus quæ summatim perstrinxi, consistere non posse sine privata illa continentia cæterisque virtutum præsidiis quibus episcopum instructum esse oportet, eum potissimum qui summum honoris gradum in Ecclesia Hispana tenet, et quem potentissimus rex catholicus Carolus IV, æquissimus meritorum æstimator, inter ipsa suscepti regni initia SS. D. N. Pio VI commendavit, ut in sacrum collegium eminentissimorum S. R. E. cardinalium cooptaretur. Verum tantarum laudum præconium, de quibus nec breviter dicere propositum mihi est, dum aliquis vigebit humanitatis sensus, Hispania celebrare non desistet, et per universum orbem Christianum, dum stabunt sacræ Litteræ, tuum dulcissimum et immortale nomen personabit.*

XII. *Hoc unum a te, eminentissime princeps, dum ad sacræ purpuræ osculum venerabundus accedo, pro tua mihi cognitissima humanitate non solum exspecto, verum etiam postulo, et, si pateris, omni studio contendo, ut in Dracontii tui gratiam ejus editorem in tuam fidem et clientelam velis recipere. Ex quo profecto fiet ut hic meus quantuluscunque conatus aliquando, si tantum sperare licet, inter argumenta singularis amoris tui, et benevolentiæ erga ecclesiasticarum disciplinarum cultores, possit aliquem vel extremum locum nancisci.*

PROLEGOMENA IN CARMINA DRACONTII.

CAPUT PRIMUM.

Dracontii apud veteres prima memoria. S. Isidori de eo testimonium. S. Columbanus plures versus a Dracontio mutuatus est.

1 Excellentium operum scriptores in scriptis suis potissimum vivere, atque ex eis solis interdum in publicam hominum notitiam venire, multis exemplis ac diversis temporibus repetitis, est confirmatum. Hoc ipsum de Dracontio magna ex parte licet affirmare: de quo pauca, neque satis dilucide exposita, veteres nobis reliquerunt; recentiores conjecturis rem agentes alia quædam addiderunt, sed quæ ex mss. membranis carminum Dracontii a me nuper repertis partim corrigi possint, partim illustrari. Dum enim carmina veterum poetarum Christianorum undique perquiro, diligenter perlustro, et ad veteres codices sedulo recenseo, forte fortuna incidi in Carmen de Deo sub Aurelii Augustini nomine in membranis exaratum, ac tres in libros divisum, in quorum primo Hexaëmeron Dracontii jam pridem editum continebatur: initium ejusdem libri primi, et duos reliquos libros Dracontium quoque habere auctorem pro certo nunc statuo, neque dubitabunt qui argumenta mox afferenda expendent, aut integrum opus legent. Ex **2** hoc poemate nonnulla lux vitæ ac conditioni Dracontii affulget; sed multo major splendor accedit ex epistola ad Guntharium regem Vandalorum, quam valde imminutam, et tanquam ad Theodosium Juniorem Augustum scriptam Sirmondus aliique typis evulgarunt.

2. Non patiar igitur, quantum in me est, ut tam insignia Dracontii carmina diutius jaceant in tenebris, gratum, ut opinor, facturus iis qui, religiosi antiquitatis amatores, veterum scriptorum, præsertim ecclesiasticorum, opera renovari et illustrari malunt, quam nova aliqua cudi et in lucem emitti. Profecto sæpe mecum animo cogitavi quid causæ esse possit cur tantopere priscos scriptores recentibus præferamus, cum tamen illi ipsi et sua ætate fuerint novi, et antiquiores alios unice amaverint. Pervulgatum illud est de comœdiis quod Muretus lib. XVII, cap. 11 Var.
A lect. profert, ut veterum scriptorum lectionem commendet, ex prologo ad Casinam Plauti:

> Vino qui utuntur veteri sapientes puto,
> Et qui veteres spectant libenter fabulas.
> Nam nunc novæ quæ fiunt comœdiæ
> Multo sunt nequiores quam nummi novi.

Cæterum querela hæc fuit omnium ætatum, omnium nationum, quam Horatius, Martialis aliique egregie refutarunt.

3. Neque tamen propterea jure quisquam negabit maximo in honore et pretio habenda esse ea fere omnia monumenta quæ per longam sæculorum seriem ad nos transmissa pervenerunt. Cum enim antiquis temporibus scripta non sine magno exscriptorum labore divulgarentur, judicandum certe est eos
B codices, qui post multos ab auctorum obitu annos transcribebantur, aliquid præ se et in se ferre quod laudes posteritatis possit obtinere. Certe multa quæ nunc typis facile edita et magnificentissime quidem excusa, æternitati quodammodo commendantur, vereor ut post duodecim aut quindecim sæcula patienter quisquam legere sustineat, cum gratia et favor cessabit, cum judicare libere licebit. Huic autem præjudicio, quod antiquis omnibus scriptoribus quorum exstant opera favet, **3** ad Dracontium commendandum accedit præclara de eo existimatio ex imperfecto ejus poemate jam dudum concepta.

4. Cum vero ineunte sæculo V floruerit Dracontius, quo tempore et bonæ litteræ vigebant, et Latinitatis non contemnendæ peculiaris quidam gustus,
C præsertim in poetis, supererat, et doctrina ecclesiasticarum rerum summum apicem attigerat, non dubito quin tam sacræ quam profanæ litteraturæ studiosi ambabus ulnis meum excipiant Dracontium. De cujus laudibus plura non dicam, ne forte aliquis ex Lucilio apud A. Gellium lib. III, cap. 14, opponat:

> Quidni? et scruta quidem ut vendat scrutarius laudat,
> Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.

Quod in Dracontium multis locis adhuc mutilum, multis corruptum possit convenire. Qua in re si defensione opus sit, advocabo antiquarios, qui prolixas dissertationes, ac justa volumina de semesis corro-

sæ alicujus inscriptionis veteris verbis conficiunt; excitabo auctores conjecturarum, probabilium, variarum lectionum, adversariorum, qui loca scriptorum obscura invenire cupiunt, ac plerumque obscuritatem ipsi sibi fingunt, ut ingenii acumen ostentent. Præsto mihi erit auxilio omnis hæc manus, ac, quod aiebat Horatius sat. 4, lib. I:

Veluti te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam.

5. Sed, ut id quod in his prolegomenis explanandum suscepi exsequar, videndum est quid veteres olim de Dracontio scriptum reliquerint, quid recentes alii excogitaverint, ut ex scriptis ejus tandem concludam et ostendam quid in his narrationibus tenendum sit, quid rejiciendum. Qui Dracontium proprio nomine appellaverit, antiquiorem Isidoro reperi neminem. Exstat quidem Dracontii nomen in codice Theodosiano, ubi plures apparent leges ad eum directæ anno 361, 365, 367, cum vicarius Africæ esset, de quo videri potest commentarius Gothofredi ad leg. 16 de ann. et trib. Verum antiquior hic est quam ut illi carmina sub Dracontii nomine edenda tribui possent, nisi si forte in extrema senectute constitutus ea conscripserit. Quod tamen ut negem illa me impellit ratio, quod cum Dracontius 4 de ærumnis quas patiebatur multa dixerit, nihil de senio locutus est; quod minime oportuit omittere, ut ita facilius veniam a rege Vandalorum impetraret, et liber e carcere dimitteretur. Julianus archipresbyter in supposititio opere Advers. 498 Dracontium poetam, et Africæ vicarium eumdem hominem facit: sed illius auctoritas nulla est, opinio omni probabili fundamento caret, ut dixi.

6. Alius certe a nostro est Dracontius monetæ præpositus sub Juliano imperatore, cujus meminit Ammianus lib. XXII, qui narrat eum a gentilibus Alexandriæ fuisse occisum, quia aram in moneta quam regebat, recens locatam evertit. Assentior etiam Fabricio, qui in Bibl. med. et inf. Lat. a poeta hoc Dracontio distinguit tum Dracontium episcopum ad quem data est epistola S. Athanasii tom. I, pag. 63, edit. Montfauc., de quo confer infra num. 32; tum episcopum Dracontium ab Acacianis et Arianis in concilio Constantinopolitano depositum, de quo agunt Socrates lib. II, cap. 42, et Sozomenus lib. IV, cap. 24. In epistola synodica concilii Alexandrini anno 362, quam Eusebio, Lucifero, etc., scripserunt Athanasius cæterique episcopi qui Alexandriæ ex Italia, Arabia, Ægypto et Libya aderant, inter eos qui cum Athanasio scribunt nominatur Dracontius. In Vita S. Hilarionis auctore S. Hieronymo cap. 25, mentio fit Dracontii episcopi et confessoris, qui jussu Constantii ad castrum Thebatum exsulabat. Ab his omnibus, si tamen omnes inter se sunt distincti, Dracontium nostrum et tempora, et rationes vitæ ab eo institutæ, quantum quidem ex poemate de Deo et ex Elegia colligitur, satis aperte discernunt. Propius ad Dracontii nostri ætatem accessit Dracontius discipulus Pambonis abbatis, qui vir admirabilis dicitur in historia Lausiaca Palladii cap. 10, et in Heraclidis Paradiso pag. 940, in Vitis Patrum Rosweydi. Sed neque hic monachus cum nostro Dracontio confundendus est. In epistolis S. Nili interprete Leone Allatio lib. I, epistola 314, dicitur missa Dracontio; lib. II, epistola 327, Dracontio Vindici; eodem lib. II, epistola 94, Dracontio monacho; lib. III, epistola 36, rursus Dracontio monacho. Hæc postrema epistola a Montfauconio in Catal. biblioth. Coislian. cod. 363 inscribitur 5 *Dracontio Diacono*. Nilus quidem, S. Joannis Chrysostomi discipulus, Theodosio Juniore imperatore vivebat; sed hos Dracontios a nostro diversos videri ex ejus carminibus ostenditur.

7. Igitur primus S. Isidorus Dracontii meminit, inter ecclesiasticos scriptores eum recensens cap. 37, his verbis: *Dracontius composuit heroicis versibus Hexaemeron creationis mundi, et luculenter quidem composuit et scripsit.* Cum hæc scribebat Isidorus, non alia carmina Dracontii videtur agnovisse præter librum primum carminis de Deo, qui a reliquo corpore separatus jam tunc erat, et *Hexaemeron* inscriptus; et quidem valde corruptus, ut ex alio loco Isidori potest demonstrari. Siquidem lib. XII Etym., cap. 2, ita habet: *Ichneumon Græce vocatus eo quod odore suo et salubria ciborum, et venenosa prodantur. De quo Dracontius ait: Prædicit suillus vim cujuscunque veneni. Suillus autem a setis est nuncupatus.* Quo in loco adnotator Grialius observat aliter legi *præcidit* pro *prædicit*. Gallandius in editione Dracontii veram scripturam esse *præcidit* ex contextu colligit; sed ex contextu ipso præferam *prædicit*. In *suillus* error manifestus est, quem neque Isidorus ipse deprehendit. Non enim de ichneumone Dracontius, sed de Psyllis Africæ populis loquitur:

Inspecta tellure semel, sine flatibus ullis,
Sibila dum reticent, necdum serpente notato,
Prædicit Psyllus vim cujuscunque veneni.
Signa videt medicus mortis, *etc.*

Et postea concludit:

Ecce genus hominum ventura scire probatur.

8. Tacito Dracontii nomine verba ex ejus elegia protulit Isidorus lib. VI Etym., cap. 9: *Ceræ litterarum materies, parvulorum nutrices, Ipsæ dant ingenium pueris primordia sensus.* Grialius in notis animadvertit versum hunc esse Dracontii lib. II de Machina mundi; ita enim vocat ille elegiam Dracontii. Legit autem ex ms. cod. Dracontii:

Cera dat ingenium pueris primordia sensus,
Inde fit ut præstet littera vel noceat.

Atque ita postea editum fuit in editione Sirmondiana et Matritensi 6 Patrum Toletanorum. Nec displicet quidem *præstet*, sed præferam *prosit* cum membranis antiquissimis Vaticanis. Ex eadem elegia Dracontii plures versus reperio a S. Columbano, ante S. Isidorum nominando, acceptos, qui, ut a Prudentio, et ab Octaviano Romano (quod putat Goldastus), et ab aliis alios, ita hos mutuatus est a Dracontio in epistola ad Hunaldum, quam nonnulli setho inscribunt:

Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur.
Alternant elementa vices, et tempora mutant.

Accipiunt augmenta dies, noctesque vicissim.
Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis.
Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi.
Ver, æstas, autumnus, hiems, redit annus in annum.
Omnia cum redeant, homini sua non redit ætas.

Horum versiculorum nonnulli jam exstant typis editi in editione Matritensi elegiæ Dracontii : alios leges in extrema ejusdem elegiæ parte, quam ex veteri codice Vat. evanescentibus jam litteris exarato ab interitu vindicabo. Sirmondus quidem in sua Dracontii editione hos omnes versus omisit : imo cum ad primum versum pervenisset, *Omnia tempus agit*, locum penitus vacuum reliquit, et ad pentametrum scribendum progressus est, *Tempora sunt vitæ*, etc.; et cum quinque alia disticha addidisset, finem epistolæ imposuit : sive quia in suo codice ita factum invenit, sive, ut ego magis credo, quia cum simul B carmen S. Columbani cum Dracontio et Eugenio ederet, versus quos in Columbano esse animadvertit, in Dracontio prætermittendos censuit. Quod autem Columbanus a Dracontio eos versus sumpserit, non vero Dracontius a Columbano, præter rationem temporis quo uterque floruit, persuadet etiam ipse Columbanus, qui in editione Goldasti ante eam epistolam ita lectorem alloquitur :

Quæ facere meliora nequii, utor pro meis,
Nam dicta vetera invertere impietas mera est.

Confer notam ad vers. 219 Elegiæ, *Omnia tempus agit*, et ad lib. II, vers. 44; lib. III, vers. 526, 545, ubi alii sunt versus quos Columbanus ex carmine Dracontii de Deo sumpsit. Goldastus et **7** Patricius Flemingus, qui Columbani carmina ediderunt, fatentur C multos in eo versus et quidem integros priscorum poetarum reperiri.

9. Nihilominus Columbanum inter eos non numero qui Dracontium aperte laudaverint, uti neque episcopum Constantiensem Salomonem II, exscriptorem Papiæ et Isidori, ut ait Rivinus ad vers. 57 epistolæ Dracontii suæ editionis : qui Salomon locum Isidori ubi exstant Dracontii versus de cera, transcripsit vocab. *cera*. Salomonem istum non vidi. Papias vocabularista verbo CERA solum affert ex Isidoro hæc verba : *Cera materies fuit litterarum quæ parvulorum nutrices fuerunt*. Rivinus in Isidoro conjiciebat *ceræ litterarum matrices*. Nihil mutaverim. Alios etiam nunc prætereo qui eumdem Dracontium imitati sunt aliquando, quos suis locis indicabo. Illud vero admoD nebo, ipsum S. Isidorum videri ignorasse de Dracontio, an diaconus, an presbyter, an episcopus, an vir sæcularis fuerit : nihil enim horum expressit, ut solet in aliis. Tacuit etiam hominis patriam, locum ubi scripserit, tempus in quo vixerit : nam quod nonnulli Dracontium ad sæculum VI rejiciunt, ut dicam num. 30, quia ab Isidoro inter Avitum et Victorem Tunnensem collocatus est, næ illi vehementer errant; neque enim Isidorus ordinem chronologicum servare potuit, ubi scriptorum ætates nescivit, neque reipsa voluit, ubi quo quisque tempore vixerit non ignorabat, nisi dicamus etiam ordinem capitum libri de Vir. illustrib. librariorum negligentia A aut audacia inversum in mss. cood. inveniri. Sed certe veteres auctores, qui catalogos scriptorum concinnarunt, de certo ætatis ordine servando solliciti non fuerunt.

CAPUT II.

S. Eugenius Toletanus Hexaemeron Dracontii emendavit.

10. Post S. Isidorum memoria Dracontii exstat apud S. Eugenium Toletanum hujus nominis, ut plerique exteri vocant, secundum, ut nostri malunt, tertium; et est ille quidem **8** tertius, nam duobus Eugeniis qui Gothorum tempore Ecclesiam Toletanam rexerunt, primus Eugenius adjungendus est a S. Dionysio Parisiis Toletum missus, cujus martyrium Ecclesia Toletana et Parisiensis celebrat, et de quo Ildefonsus abbas, et auctor Vitæ S. Gerardi meminerunt, quamvis, Gothis in Hispania regnantibus, ejus memoria et celebritas intermissa fuisse videatur. Eugenius igitur tertius Toletanus præsul Dracontii Hexaemeron, fortasse ipsum quod Isidorus habuerat, vel ex eo exemplar descriptum emendare conatus est. Quanam vero ratione permotus id egerit, melius ex ejus epistola, quam subjicio, intelligi poterit.

EUGENII EPISTOLA AD CHINDASUINTHUM REGEM.

Inclyto, glorioso rerum domino Chindasuintho, principi summo, et maximo regum, Eugenius vestrorum fidelium servulus.

Clementiæ vestræ jussis, serenissime princeps, plus volendo deserviens quam valendo, Dracontii cujusdam libellos multis videns erroribus involutos, Christo Domino tribuente valorem pro tenuitate mei sensuli subcorrexi. Hoc videlicet moderamine custodito, quo superflua demerem, semiplena supplerem, fracta constabilirem, et crebro repetita mutarem. Versiculi sane, quos huic operi detrahendos esse putavi, et sensu tepidi, et verbis illepidi, et nulla probantur ratione subnixi : nec in eis aliquid reperitur quo lectoris animus animetur, aut mulceatur doctus, aut doceatur indoctus. Et quoniam de die septimo præfatus auctor omnino reticuit, semum mihi opusculum videbatur, si non inde aliquid in hoc codiculo haberetur. Idcirco in fine libelli, quamvis pedestri sermone, sex dierum recapitulationem singulis versiculis quos olim condidi, denotavi; de die vero septimo quæ visa sunt dicenda subnexui; decretumque divale ac si non ut volui, velut valui, consummavi, implorans vestri solii prælargissimam pietatem, ut vile servuli fidelis oblatum vestra sibi gloria efficere dignetur acceptum, fiatque **9** *mihi misero repensio fructuosa laboris placida respectus vestri contributio gratiæ vel favoris.*

11. Huic epistolæ ita a Sirmondo in prima editione Parisiensi promulgatæ plane consonat exemplar codicis Toletani, nisi quod in hoc non exprimitur nomen regis cujus jussu Eugenius correctionem Dracontii fuit aggressus. Duplex alia, eaque levis discrepantia notatur; nam in codice Toletano legitur *multis hactenus videns*, et paulo post *et crebrius repetita*. In editione Lugdunensi Biblioth. Patrum 1677 postrema verba ita leguntur *contribu.... vel faveris*.

In editione Parisiensi omnium operum Sirmondi *contributa gratia vel favoris.* In exemplari primæ editionis, quo utor, vitio typorum non clare verba hæc apparent. Rivinus, qui solum Sirmondi editionem vidit, edidit *contributio amoris vel favoris.* Henricus Florez, Hispaniæ sacræ egregius primusque auctor, qui excerptum eorum quæ eo codice Toletano continentur, manu Joannis Vazquez del Marmol descriptum penes se habebat, cum videret nomen regis initio epistolæ deesse, conjecit eum fuisse Reccesvinthum, qui studio sacrarum litterarum delectabatur. Hanc conjecturam eminentissimus cardinalis Lorenzana, quem honoris causa nomino, ac sæpius in hoc opere nominare debeo, in eruditis adnotationibus ad Patres Toletanos præclare et nervose refellit: tum quia studium sacrarum litterarum Chindasuintho cum filio Reccesvintho commune fuit, tum quia Sirmondus in ms. codice nomen Chindasvinthi reperit, quod proinde retinendum est. Equidem puto Florezium editionem Dracontii Sirmondianam aut non vidisse unquam, aut non expendisse, non solum quia non advertit Chindasuinthi nomen expressum in ea esse, verum etiam quia affirmat Dracontii opus quod a Sirmondo editum fuit, non esse Hexaemeron, ut ab Eugenio correctum est, sed aliud diversum ab illo carmine quod in codice Azagrensi existit; allegatque auctoritatem Joannis Baptistæ Perez in nota ad cap. 14 Ildefonsi de Vir. illustrib.

12. Sed primo loco quæram a Florezio qui fieri potuit ut Perezius de editione Sirmondiana loqueretur, cum ille anno 1597 obierit, Sirmondus vero Dracontium anno tandem 1619 typis vulgaverit? **10** Deinde utramque editionem consideranti, Sirmondianam scilicet et eam quam ex cod. Azagrensi eminentissimus cardinalis Lorenzana procuravit, manifesto liquet Dracontium a Sirmondo editum vere fuisse, ut ab Eugenio fuerat correctus. Itaque cum Perezius ad caput 14 S. Ildefonsi de Vir. illustr., caput 37, Isidori de Dracontio laudasset, et addidisset: *Dracontius porro poeta, cujus hic fit mentio, jam diu fertur impressus, non tamen ut fuerat ab Eugenio emendatus; sed hanc Eugenii emendationem vidi in illo vetusto codice Ruizii Azagrii, cujus supra mentionem feci;* laudatus cardinalis Lorenzana subjecit: *Et hic Dracontius, ut ab Eugenio emendatus, editus sæpius est, primum a doctissimo Sirmondo, deinde in PP. Biblioth., tandem a nobis hic inter cætera S. Eugenii opera supra recusus.* Florezius quidem fortasse ex eo deceptus est quod Nic. Antonius Bibl. vet. tom. I, lib. V, cap. 5, non satis clare explicuit, in editionibus quæ Sirmondianam præcesserant deesse epistolam, prologum metricum, et recapitulationem Eugenii ad opus Dracontii; et lib. III, cap. 3, cum ex Ildefonso narrasset Dracontii Hexaemeron ab Eugenio correctum fuisse, et recapitulatione atque appendice septimi diei auctum, subjunxit: *Hoc ita curatum opus primum prodiit Parisiis ex bibliotheca S. Victoris.* Ipse cardinalis Aguirrius, qui editionem Bibliothecæ veteris curavit, notam margini lib. V, cap. 5, apposuit, qua ait penes se esse ex ms. codice Toletano epistolam Eugenii ad regem (*Reccesvinthum forsan*, inquit, *aut Chindasvinthum*), præfationem ad idem opus versibus scriptam, et recapitulationem ad finem libri Dracontii appensam, quo satis innuit visam a se Sirmondi editionem non fuisse, in qua hæc omnia reperiuntur, et Chindasvinthi regis nomen epistolæ præmittitur. Quod attinet quidem ad temporum rationem, utrique regi epistola data esse potuit; sed de Chindasvinthi nomine, quod ex veteri cod. Sirmondi eruitur, dubium nullum esse debet; nisi forte dubium aliquod nascatur an vere illud nomen in aliquo codice antiquis litteris exaratum legatur.

13. Dicam hoc loco de Sirmondo quod de eo ac de multis aliis viris criticis sæculi proximi ac superioris sentio; sed dicam **11** prius me Sirmondum tanti facere quanti paucos alios; cui in judicii exacti maturitate, et hac sacra amœniori doctrina neminem præfero. Vehementer etiam me oblectat placidum et æquabile dicendi genus etiam in contentionibus, ex quo, si aliunde nescirem, animo eum miti et tranquillo fuisse comprehenderem. Sed non propterea sine examine illico recipiendum est quidquid ab eo ita profertur, ut ex aliquo veteri ms. videri possit desumptum. Mitto oscitationes quasdam tolerabiles, quas omnino cavere humana natura non potest. Illud non probo, quod sæpe Sirmondus aliique in lucem scripta vetera proferebant, quin explicatius traderent quid in membranis exstaret, quid ab ipsis additum fuisset, sive ut corrigerent, sive ut supplerent, sive ut declararent; ac nonnunquam neque indicarent quo in loco codices asservarentur. Et illi quidem securi posteritatis bona fide agebant; at nos sæpe in eas difficultates incidimus, a quibus expediri non possumus, quia illi, cum possent, viam non explanarunt. Itaque Ruinartii diligentia laudanda est, qui cum nactus fuisset codicem ms. quo Sirmondus in edenda Notitia provinciarum et civitatum Africæ usus fuerat, non solum titulum veterem restituit, verum etiam scripturam codicis alicubi adhibuit, omissa interpretatione seu restitutione Sirmondi, quamvis probabilis ipsi videretur.

14. Nonnulli asserunt Sirmondum eos scriptores edidisse ex cod. ms. bibliothecæ Parisiensis S. Victoris. Hoc ipsum innuere videtur Nic. Antonius loc. cit. Bibl. vet., vel saltem ansam errandi præbere potest. Andreas Rivinus in sua Dracontii editione dubius hæsit: *Sirmondus*, ait, *Dracontium.... haud dubie ex Azagrii istius Hispanico exemplari, nisi fortassis ipsius Vaticanæ.... publicavit.* Putabat, ut opinor, Rivinus Dracontium curis Michaelis Ruizii de Azagra typis editum fuisse. Ex Sirmondo ipso nihil horum colligitur; nam in indice operum quæ simul edebat anno 1619, post nomina Eugenii, Dracontii, Martini Dumiensis et Columbani, quos unde promat distincte non exprimit, solum addit: *Severini episcopi doctrina ex bibliotheca regia et monasterii Theologiensis. Tironis Prosperi Aquitani confessio ex Vaticana.* Hoc ip-

sum ita repetitur in **12** editione Parisiensi omnium A operum Sirmondi cura Jacobi de la Baune anno 1697, tom. II, ac solum editor ad verbum *Theologiensis* notat : *Nunc Tholeia, cœnobium ordinis S. Benedicti ad Sarram fluvium in finibus Lotharingiæ, et diœcesis Trevirensis.* Nihil aliud expiscari potui aut ex Bibliotheca Patrum Lugdunensi anni 1677, ubi opera Dracontii ex editione Sirmondiana recuduntur, aut ex Veneta editione omnium operum Sirmondi anno 1728 publicata.

15. In bibliotheca Parisiensi S. Victoris Montfauconius recenset *Draconicium*, qui est noster Dracontius; sed cum ex ea bibliotheca prodierit Dracontius anno 1560 mutilus, et sine epistola, et prologo metrico, et recapitulatione Eugenii, illum codicem imperfectum in ea bibliotheca adhuc servari creden- B dum est, non alium, ad quem Sirmondus suam editionem conformaverit. De bibliotheca monasterii Theologiensis nihil habeo quod in medium afferam. Magis exploratum mihi est Sirmondum editionem suam Eugenii et Dracontii adornasse ex codice bibliothecæ regiæ Parisiensis, quem num. 46 describam; hoc enim innuit, aut clare etiam affirmat auctor Catalogi codicum mss. ejus bibliothecæ. Sed adhuc quærendum superest an veteri charactere in eo codice scriptum fuerit, *Eugenii epistola ad Chindasuinthum regem*, an ex conjectura ab aliquo recentiori ita appositum, aut declarationis causa a Sirmondo adjunctum. Quippe animadvertendum est nullam in toto opere inveniri Sirmondi adnotationem qua sciri possit an aliquod verbum obscurum aut C corruptum mutaverit aut correxerit. Quis autem sibi persuadeat codicem ita omnino esse scriptum, ut a Sirmondo editus est? Crediderim facile Sirmondum nihil ausum nisi ex justa causa aut probabili conjectura. Sed nostra interest scire quid certo ex fide mss. tenendum sit, quid congruenter recipiendum ex conjecturis editorum. Quam multa passim proferimus tanquam explorata veteris alicujus scriptoris verba, quæ fortasse ejus non sunt, sed primi editoris, qui locum mutilum, difficilem, vitiatum suo marte supplevit, declaravit, emendavit? Neque tamen plerique hujuscemodi editores cum Sirmondo sunt comparandi. Quæ a me ita sunt disputata, **13** non ut Chindasvinthi nomen rejiciam, sed ut illud caute, et donec aliud constet, retinendum esse concludam : D tum ut ad codices Dracontii diligentius quærendos et conferendos, si qui alii adhuc sint, Hispanorum industriam excitem.

16. Ex epistola Eugenii patet quid in Dracontio emendando ab ipso præstitum fuerit. Putant enim nonnulli nihil aliud egisse Eugenium, nisi ut codicem, vetustate et librariorum negligentia vitiatum, corrigeret. Sed aliud sibi volunt ea verba : *Superflua demerem, semiplena supplerem, fracta constabilirem, et crebro repetita mutarem* : tum etiam quod addit de versiculis, quos subtraxit, quia *et sensu tepidi, et verbis illepidi, et nulla probantur ratione subnixi, nec in eis aliquid reperitur, quo lectoris animus animetur, aut mulceatur doctus, aut doceatur indoctus.* Quod judicium Eugenii an ab omnibus fuerit probatum, paulo post videbimus. Non ignorabat ipse, in aliquorum reprehensionem posse hanc agendi rationem incurrere : adeoque in secunda præfatione, ut sese excuset, satagit. Solebant enim veteres duas præfationes libris interdum præponere, præsertim carminibus. In Martiali id cernere licet, ex quo ad Prudentium pag. 232 notavi, præfationem hujusmodi simpliciter *epistolam* appellari. Id confirmatur ex Statio, lib. II Silvar. in præfat. Inter poetas Christianos Prudentius Apotheosin duobus prologis carmine conscriptis ornavit. Juvencus cum uno tantum prologo editur : sed in veterrimo codice ms. Vaticano reg. Suec., num. 333, duas præfationes hexametris confectas, ac clare distinctas inveni. Ante primam legitur *Incipit præfatio*, eaque absoluta *item præfatio*. Hunc codicem sequar in ea quam molior editione Juvenci ad veteres codices atque editiones recogniti, perpetuisque notis illustrati. Arator duas elegias Actibus apostolorum præfixit : sed cum altera data sit ad Florianum abbatem, altera ad Vigilium pontificem, et utraque sit pro epistola dedicatoria, existimo Aratorem unum exemplar Vigilio cum epistola ad eum dedisse, alterum Floriano cum epistola ad ipsum. Nunc certe nonnulli duabus epistolis dedicatoriis sua opera muniunt, vel morem veterum secuti, vel qualibet alia ratione permoti. Sedulio tres præfationes aliqui imputant, **14** primam oratione soluta ad Bonifacium, alteram versibus elegiacis, quibus de suo Opere Paschali loquitur, tertiam, quæ dicitur Dedicatio ad Theodosium Augustum. Verum hæc Dedicatio in nullo codicum Vaticanorum, qui Sedulii et de Sedulio non pauci sunt, a me reperta est, et Sedulius diversa ratione metri leges sequebatur.

17. His veterum poetarum exemplis ductus Eugenius primæ præfationi alteram subjunxit, qua sese excusat quod Dracontii poema emendaverit. Ea autem ita habet in utraque editione Sirmondiana, et Matritensi sine ulla discrepantia, ut a nobis hoc loco repræsentatur.

Principis insignem faciem visure, libelle,
Cujus ad imperium meruisti sorde carere
Et capere nitidam longo post tempore pallam,
Cœperis ut limen aulæ regalis adire,
Atque auro rutilo radiantem cernere sedem,
Incipe quam primum largas persolvere grates,
Errorum quod nube carens correctus haberis :
Dein prostratus humi veniam deposce precatu,
Latorisque tui solers patronus adesto;
Ignoscat placidus, ignoscat mente benignus,
Quod te sordidulum dum conor rite lavare,
Asperius impressa manus tenuando polivit.
At si de plebe quisquam livore perustus
Dixerit : Et quis est, veterum qui carmina mutat?
Scribit qui levibus epigrammata vana libellis?
Noverit hoc ipse, quod nusquam culpa putatur,
Quam non velle videt, sed major jussio cogit
Denique jussa bona dum promulgantur agenda,
Qui complet, sapiens, qui vult contemnere, demens.
Quod si Virgilius, et vatum summus Homerus
Censuram meruere novam post fata subire,
Quam dat Aristarchus, Tucca, Variusque, Probusque,
Cur dedignetur, quod jussus principe magno
Parvula præparui Draconti carmina libri
Parvulus Eugenius nugarum mole piavi?

18. **15** In versu 17 obscurum est *quam non velle*

videt; et fortasse Eugenius scripsit *velle meum*, aut *velle suum*, aut *velle jubet*. Poetæ Christiani *velle* pro voluntate, *posse* pro potestate usurpant. Vide vers. 367 lib. I Dracontii, *Velle pares, et nolle pares*. Cætera commode procedunt, nisi quod sæpius ratione solius cæsuræ brevem producit. Rivinus in emendatis, nescio cur vers. 3 correxerit *Et nitidum capere longo*, pro *Et capere nitidam longo*. Idem, ibid. vers. 14, pro *et quis est* posuit *et quisnam est*; sed in Eugenio mirum videri non debet quod produxerit *quis*, et frigidum est *quisnam est* hoc loco. In Rivino *nitidum* mendum videtur pro *nitidam*. Prima in *Draconti* corripienda esset, si ratio nominis inspiciatur: sed poetæ Christiani in nominibus propriis magnam licentiam sibi arrogabant. Observanda est etiam phrasis *summus vatum*, ut apud Prudentium Psychom. B vers. 530 *magnus discipulorum*, vel, ut multi legunt, *summus discipulorum*. Virgilii Æneidem Tuccam, et Varium jussu Augusti leviter correxisse, atque ita ut nihil addiderint, neque versus imperfectos compleverint, in Virgilii Vita, quæ auctore Donato circumfertur, traditum est. M. Valerius Probus notas in Bucolica et in Georgica Virgilii scripsit. Rivinus in emendatis pro *Tucca, Variusque, Probusque* correxit *Variusque et Tucca probusque*: videtur enim velle, *probus* accipi pro adjectivo, quod cum *Tucca* cohæreat. At quid sibi tunc vellent duæ illæ conjunctiones *et Tucca probusque?* Aristarchus ita Homeri versus corrigebat, ut Homeri esse negaret quos non probabat. Apertius alii censuram in Homerum exercuerunt: nec desunt qui tot in eum aliorum emen- C dationes confectas putent, ut opus multorum potius quam unius auctoris censendum sit. In percelebri controversia de veterum libris corruptis non levis difficultas ex hac parte creari potest, quod multi sibi licere putarent aliorum opera in meliorem formam redigere, hoc est, si loqui simpliciter volumus, corrumpere. Neque vero credendum est, omnes qui antiquorum scripta emendabant eo animo ingenuo fuisse quo fuit Eugenius, nec tam probabili ratione permotos, ut ausum suum fateri non erubescerent. Verum ex hac ipsa præfatione recte arguitur, **16** etiam tunc vitio datum fuisse veterum scriptorum codices sine justa causa interpolare:

Et quis est veterum qui carmina mutat?

Intolerandum certe esset, si ita veterum scripta mu- D tarentur, ut codex sub alicujus certi auctoris nomine proferretur, quin de correctione ab alio adhibita constaret.

19. Eugenius non solum poema Dracontii emendavit, verum etiam recapitulationem et supplementum de die septimo addidit, quoniam sine aliqua diei septimi commemoratione opus *semum*, ut ipse loquitur, vel *semiplenum*, ut ait Ildefonsus in Eugenii elogio, illi videbatur. Revera in Dracontii poemate integro, ut a me editur, nulla ratio diei septimi haberi debuit: cum enim Dracontii scopus esset bonitatem Dei erga homines et justitiam, sed bonitatem maxime,

A prædicare, in libro primo hominis creationem, atque ea omnia quæ propter homines sex illis primis diebus Deus fecit, diligenter exposuit, quoniam ex opificio sex dierum argumentum suum insigniter illustrare poterat: tum duobus reliquis libris alia Dei opera ex Veteri Novoque Testamento in eamdem sententiam persecutus est. In ipso libro primo, atque in ipsa hujus libri parte, quam Eugenius recensuit, ultra sextum diem Dracontius longe progressus fuit. Describit enim primos parentes in paradiso jam collocatos, eorumdem peccatum, sententiam Dei misericordia et justitia temperatam, qua e paradiso sunt ejecti, sed simul in eorum usum natura jussa est opera sua exercere per miras ac varias rerum vicissitudines; qua occasione de resurrectione corporis humani B exemplis e natura petitis edisserit.

20. Recapitulationem Dracontii Eugenius sua sponte conscripserat, priusquam rex negotium Dracontii emendandi illi injunxisset. Hujusmodi recapitulationes poematum veterum plurimæ exstant, scilicet argumenta rerum paucis versibus comprehensa. Græci periochas vocant quales in Homeri Iliadem scripsit Ausonius, in Terentii comœdias Sulpicius Apollinaris, in Virgilii Georgica et Æneidem plures, ut videri potest in Collect. Pisaur. vet. Poet., tom. IV, pag. 472 seqq., et in Anthol. Burmanni. In poetis Christianis non sunt ita frequentes periochæ. **17** In bibliotheca Vaticana codex Palatinus num. 1717 habet Aratoris opera, quæ cum aliis mss. contuli, in quo leguntur duo versiculi rhythmici initio uniuscu- C jusque capitis, quibus argumentum exponitur. Aurora etiam Petri Rigensis suas habet recapitulationes utriusque Testamenti, quas ex mss. edidit Leyserus histor. Poet. med. ævi pag. 703. Is est Petrus ille de Riga ab opere Aurorarius dictus, qui magna ex parte adhuc ineditus est, quamvis plenam ejus editionem multi sint polliciti. Romæ ea egregie ad exitum perduci posset; sunt enim multi codices mss. ejus operis non solum in bibliotheca Vaticana, sed etiam in tabulario basilicæ Vaticanæ S. Petri. in aliisque Urbis bibliothecis. Ad meas manus, dum aliud quæro, venit codex bibliothecæ Vaticanæ, quem multo auctiorem deprehendi quam sint codices a Fabricio in Bibl. Lat. med. et inf. ævi laudati. Ex eo clare colligitur carmina in Novum Testamentum ejusdem Petri opus D esse, quod multi in dubium revocaverant.

21. Igitur recapitulationem Eugenii cum supplemento ad Dracontium nunc adjiciam; decrevi enim omnia quæ de Dracontio Eugenius scripsit, in his prolegomenis producere, et his locus non videtur esse alienus, ac fortasse alius opportunior non occurret. Nam diversæ lectiones quæ in opere Dracontii ab Eugenio emendato, et in membranis Vaticanis observantur, melius sub ipsis versibus proferentur.

Primus in orbe dies lucis primordia sumpsit,
Alter splendifluis cœlum firmavit in oris;
Tertius undivagum mare dat cum germine terræ,
Quartus habet Phœbum, lunamque, et sidera cœli;
Quintus plumigeras volucres, piscesque natantes;
Sextus quadrupedes, reptans, hominesque sagaces;
Septimus est Domino requies his rite peractis.

Non quia Cunctipotens humano more laboret
Actibus, aut fessus quærat requiescere tandem,
Qui semper requietus agit, faciensque quiescit.
Sed quod sacra quies typicis adoperta figuris
Multa gerat signis et pandat mystica nobis.
Dicta Dei requies, quod rebus jure creandis
18 Ipsa modus fuerat, cunctis et maxima finis :
Nam nova quæque fiunt, jam tunc ordita probantur.
Dicta Dei requies, quod nostra redemptio Christus
In carne veniens, et carnis vincla resolvens,
Hoc redeunte die, felici morte quievit.
Dicta Dei requies, quod nos post mille labores
Solus ubique fovens in se requiescere cogit :
Nec datur ulla quies miseris, nisi suscipit ipse.
Dicta quoque est requies, mundana quod actio præsens
Post sex ætates quas mundus in ordine currit,
Otia percipiens æterna pace quiescit.
Dicta quoque est requies, quæ nobis ultima sors est.
Nam vitæ cursus mundanæ molis ad instar.
Sex sunt ætates homini, sed septima mors est.
Prima tenet ortum generis infantia simplex,
Altera deinde loco pueritia mollis habetur,
Tertia quæ sequitur, ipsa vocitatur adulta,
Quarta gerit virtutis opem speciosa juventa,
Quinta senecta gravis, et in ultima tempora vergens;
Sexta venit senium, quod vitæ terminat ævum.
Hæc tibi, rex summe, jussu compulsus herili
Servulus Eugenius devota mente dicavit.

22. Sirmondus hos versus post epistolam Dracontii posuit, quibus hunc titulum præfixit : *Monosticha recapitulationis septimi diei, a B. Eugenio, in fine libri Dracontii adjicienda*. Prima verba *Monosticha recapitulationis septimi diei* ex codice sumpta sunt, ut colligi videtur ex catalogo biblioth. reg. Paris. In codice Azagrensi pro *septimi diei* rectius legitur *septem dierum*, nisi forte legendum sit *Monosticha recapitulationis sex dierum, et supplementum septimi diei*. Hujusmodi inscriptiones pleræque librariorum sunt, non auctorum. Eugenius ipse in epistola ad regem ita ait : *Sex dierum recapitulationem singulis versiculis, quos olim condidi, denotavi, de die vero septimo quæ visa sunt dicenda subnexui*. Ex quibus hic titulus erui poterat : *Recapitulatio sex dierum, et appendix septimi*. Etsi autem Sirmondus, fortasse suum codicem secutus, recapitulationem epistolæ **19** Dracontii subjecerit, tamen illius locus ab Eugenio designatus mihi videtur fuisse post finem Hexaemeri, sive libri primi carminis Dracontii de Deo : nam epistolam Dracontii cum poemate de opificio sex dierum non est dicendus confudisse, nisi forte in aliquem codicem valde corruptum et depravatum inciderit. In codice bibliothecæ Parisiensis, quem num. 47 recensebo, indicatur solum Hexaemeron, sive liber primus versibus heroicis, cui accedit Eugenii supplementum sine illa epistolæ mentione. Epistola ipsa, ut edita est a Sirmondo et in Collectione Patrum Toletanorum, si attente inspicias, non obscure demonstrat nihil ipsi esse cum carmine de sex diebus. Certum illud est, recapitulationem ab Eugenio adjectam *in fine libelli* quo Dracontius Hexaemeron complexus est. Et hæc est ratio cur *recapitulatio* dicatur. Recapitulatio enim in sacris Litteris appellatur, cum scriptura redit ad illud cujus narratio jam transierat, ut post Ticonium et Augustinum explicat Isidorus lib. I Sentent., cap. 109, et hoc fere sensu verbo *recapitulandi* utitur Tertullianus lib. V advers. Marcion., cap. 17, et Commodianus carm. 41. Sed cum Eugenius dicat libellos Dracontii a se correctos, idque confirmet Ildefonsus, certum videtur non solum Hexaemeron, sed epistolam etiam Dracontii fuisse emendatam, servata tamen opportuna distinctione inter Hexaemeron et Elegiam. Imo quod ait Eugenius de versibus quibusdam detractis, magis in epistola quam in Hexaemero locum habet, ut conferenti constabit.

A

23. Affirmat Eugenius se olim versiculos quibus recapitulatio continetur composuisse; sed non constat an eos ad argumentum Dracontii indicandum conscripserit, an solum ad mundi creationem ex Genesi paucis versibus comprehendendam. Hoc postremum magis arridet : nam inter cætera Eugenii carmina lib. I, num. 19, exstat *Heptametrum de primordio mundi*, videlicet primi septem versus recapitulationis. In codice Vaticano Alexandrino num. 2078, sæculi IX, post alia opera exscribuntur nonnulla carmina Eugenii hoc titulo : *Incipit opusculum B. Eugenii episcopi*. Sextum carmen est hoc ipsum *Heptametron de primordio mundi*. In catalogo codd. mss. bibliothecæ Florentinæ **20** Laurentianæ, tom. II, col. 752, inter miscellanea sæculo X aut XI, perscripta indicantur a Bandinio *Versus septem dierum, sive Monosticha de VII diebus hebdomadis*. Diversi hi sunt a versibus Eugenii, ut ex illorum primo patet, *Prima dies Phœbo sacratus numine fulget*, et clarius hæc discrepantia animadvertitur in codice Vaticano Urbinate 584, olim 828, ubi post multos alios versus inserta sunt carmina diversorum de anno, mensibus, hebdomadibus, etc., et primum est *De VII diebus hebdomadis*, et primus versus correctior quam in codice Florentino, *Prima dies Phœbi sacrato nomine fulget*. Sermo enim est de hebdomadis diebus, qui a gentilium diis nomen retinent.

B

C

24. In versibus Eugenii hæc notanda occurrunt. Vers. 6, Sirmondus edidit *hominesque fugaces*. Sed *hominesque sagaces* ipse ediderat inter carmina Eugenii in heptametro de VII diebus et in codice Toletano, in Vaticano, et a Brideferto Ramesiensi ad Bedæ tom. II, pag. 70, ubi septem primos versus profert legitur *hominesque sagaces*, quæ vera est scriptura ; nam *sagax* pro rationis participe et perspicaci sumitur. Helpidius in carmine de Jesu Christi Benef. :

Contentus nostrumque genus ratione sagaci,
Et forti munisse manu.

Cicero II de Finib., cap. 14, *Homines hoc a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque et acrem, et vigentem, celerrimeque multa agitantem, et, ut ita dicam, sagacem*. Vers. 8 et 9, distinguendum puto *laboret, Actibus aut fessus*. Post vers. 12, *Multa gerat*, tres qui sequuntur desunt in Sirmondo, sed ex cod. Tolet. additi sunt in editione Matritensi. Vers. 24, in cod. Tolet., *otia præcipiens*. Vers. 26, Rivinus ex conjectura legit, *Nam vitæ cursu mundanæ molis ad instar, Sex sunt ætates*, etc. Sed lectio codicum retinenda est. Vers. 27, cod. Tolet., *ætates hominum*. Vers. 29, Sirmondus edidit, *Altera deinde pueritia mollis habetur*. Rivinus, *Altera deinde hominis pueritia mollis habetur*, sed in erratis correxit *Altera deinde ætas pueritia mollis habetur*,

D

quia, ut ait, deerat talis aliqua vocula. Codex Tolet. habet *loco*. Vers. 31, pro *opem* libentius legam *opus*. Dracontius lib. II, vers. 114, *Ut faceret* **21** *virtutis opus*, et lib. III, vers. 211, *Exegit virtutis opus*. Vers. 32, Sirmondus, *gravis ad ultima*; melius cod. Tolet., *gravis et in ultima*: posset etiam *gravis et ad ultima*. Vers. 33, recte Eugenius senium a senectute distinguit. Isidorus lib. I Different., *Senectus est gravior ætas post juventutem succedens. Senium autem ultima ætas post gravitatem veniens*. Nihilominus Isidorus lib. XI Origin., cap. 2, aliter sex ætates hominis enumerat: nam sextam statuit senectutem, cujus ultima pars est senium. Confer notam ad vers. 223 eleg. Cæterum comparatio sex dierum cum sex ætatibus mundi desumpta est ex S. Augustino lib. I de Genesi contra Manich. Versu ultimo mallem *dicavi*.

CAPUT III.

S. Ildefonsi judicium de Dracontio opera S. Eugenii emendato. Dracontii opus in Catalogo librorum sæculi X indicatum.

25. Ad S. Ildefonsum nunc progredior, qui in elogio S. Eugenii emendationem Dracontii ab eo factam laudavit. Neque injucundum erit totum elogium audire. Ita ergo habet cap. 14 de Vir. illustr.: *Item Eugenius alter post Eugenium pontifex subrogatur. Hic cum ecclesiæ regiæ clericus esset egregius, vita monachi delectatus est. Qui sagaci fuga urbem Cæsaraugustanam petens, illic martyrum sepulcris inhæsit, ibique studia sapientiæ, et propositum monachi decenter incoluit: unde principali violentia reductus, atque in pontificatum ascitus, vitam plus virtutum meritis quam viribus egit. Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, sed valide fervescens spiritus virtute, studiorum bonorum vim persequens, cantus pessimis usibus vitiatos melodiæ cognitione correxit, officiorum omissos ordines curamque discrevit. Scripsit de S. Trinitate libellum et eloquio nitidum, et rei veritate perspicuum, qui Libyæ et Orientis partibus mitti quantocius poterat, nisi procellis resultantia freta incertum pavidis iter viatoribus distulissent. Scripsit et duos libellos, unum diversi carminis metro, alium diversi operis prosa* **22** *concretos, qui ad multorum industriam ejus ex hoc tenaciter sanctam valuerunt commendare memoriam. Libellos quoque Dracontii de Creatione mundi conscriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea quæ inconvenientia reperit subtrahendo, immutando, vel meliora conjiciendo, ita in pulchritudinis formam coegit, ut pulchriores de artificio corrigentis, quam de manu processisse videantur auctoris. Et quia de die septimo idem Dracontius omnino reticendo semiplenum opus visus est reliquisse, iste et sex dierum recapitulationem singulis versiculis renotavit, et de die septimo, quæ illi visa sunt eleganter dicta subjunxit. Clarus habitus fuit temporibus Chindasvinthi, et Reccesvinthi regum, fere duodecim, annis tenens dignitatem simul et gloriam sacerdotis, sicque post lucis mundialis occasum in basilica S. Leocadiæ tenet habitatione sepulcrum.*

26. Huic elogio ad vitam Eugenii illustrandam multa addi possunt ex ejus Vita, quam eminentissi-
A mus Lorenzana opusculis illius præposuit. De sepulcris martyrum Cæsaraugustanorum dixi ad hymnum Prudentii Peristeph. 4, qui est de octodecim martyribus Cæsaraugustanis. Quod ait Ildefonsus *principali violentia*, intelligit principis seu regis imperium; *decretum divale* dixit Eugenius, et in concilio Toletano VIII verba legis editæ a Reccesvintho sunt: *Decretum divalis observantiæ promulgamus*. Ita *principalis* accipiunt Velleius, Tacitus, Plinius, Prudentius, alii. Quædam leves discrepantiæ in editione Sirmondiana notari possunt, ut hæc in fine *tenet habitationem sepulcri*. Nicol. Antonius suspicatur legendum *meliora conficiendo* pro *meliora conjiciendo*. Judicium vero Ildefonsi, quod libelli Dracontii *pulchriores de artificio corrigentis, quam de manu processisse videan-*
B *tur auctoris*, Nic. Antonio non placuit, qui tom. I Biblioth. vet., lib. V, cap. 5, de Ildefonso loquens, *Cujus viri*, inquit, *sanctissimi judicio de utroque poeta non parum detrahit* αὐτοψία *ipsa, quæ docet affatim, quantum valuerit unusquisque eorum facultate pangendi carminis, ætatisque barbaræ sub qua natus Eugenius fuit consideratio*. Hæc eadem totidem verbis lib. III, cap. 3, dixerat, sed quædam addidit, scilicet *ætatisque, et convictus barbaræ gentis sub qua natus*, etc. Nam **23** Dracontius felicioribus temporibus sub Romanorum imperio in lucem venerat. Liberiorem fortasse hanc censuram aliquis dixerit, nemo falsam. Barthius quidem, Advers. lib. LV, cap. 11, de Eugenii emendatione ita habet: *Utinam vero publicasset integros etiam ipsos* (libellos Dracontii) *Eugenius, ut posteritati con-*
C *staret modo ratio mutationum ejus; quæ enim ille tepida et illepida, et nulla ratione subnixa conviciatur forte nunc nobis pulchra et amœna, et docta viderentur, licet non astricta, vitiosa, et exsanguia, anxia, et omnino nihil essent, nisi quod iniquus omnium æstimator planorum et facilium irrecuperabili nostro damno esse voluit et coegit*. Facit etiam contra Ildefonsi judicium quod S. Isidorus testatur, Dracontium Hexaemeron *eleganter* composuisse et scripsisse. Quis enim Isidori auctoritatem censuræ Ildefonsi non præferat? Mihi dubium minime est quin Dracontius longe sit Eugenio anteferendus, sive Hexaemeron inspiciamus ab Eugenio interpolatum, sive Dracontii poema, ut in mss. Vaticanis legitur, multoque magis epistolam, quæ minus est librariorum negligentia corrupta, se-
D dulo consideremus.

27. Post S. Ildefonsum nullus veterum mihi venit in mentem qui Dracontii meminerit, uno excepto Honorio Augustodunensi, qui ex Isidoro, ut solet, cap. 28, lib. II, id descripsit: *Dracontius composuit heroicis versibus Hexaemeron creationis mundi*. Huc tamen pertinet, quod apud Muratorium tom. III Antiquit. Italic. med. ævi, pag. 818, exstat catalogus codicum mss. qui in monasterio Bobiensi asservabantur, sæculo X, ut videtur, descriptus. In hoc catalogo recensentur libri quos Dungalus aliique beatissimo Columbano, hoc est monasterio ipsi Bobiensi, a S. Columbano fundato, donaverant. Sed ante hos alii codices memorantur, qui ad antiquiorem mona-

sterii bibliothecam, et fortasse plerique ab eo tempore quo fundatum est, videntur pertinuisse. Inter hos vetustiores libros catalogus refert, *Librum Lucretii I; Librum Dracontii I; Librum Ennodii I, in quo et alia continentur opuscula; Libros Donati tres*, etc. Liber unus Dracontii, sicut liber unus Lucretii, est unus codex, sive carmina in plures sint libros divisa, sive uno comprehendantur. Sic etiam **24** tres libri Donati sunt tres codices operis Donati. Animadverti jam num. 8, S. Columbanum a Dracontio plures versus fuisse mutuatum, ac paulo post num. seq. referam, sæculo xv exeunte, Dracontii opus in monasterio Bobiensi fuisse repertum. Mire hæc cum antiquo codice bibliothecæ ejus monasterii conveniunt. Quid de Dracontio in Dextri, Maximi et Hauberti chronicis, et in Adversariis Juliani archipresbyteri scriptum sit, hujus loci non est enarrare : nam etsi nomina sint antiqua, auctores tamen qui opera confinxerunt sunt recentes, ac proinde ad caput seq. pertinent.

CAPUT IV.

Dracontii memoria apud recentes scriptores renovata, et diversæ de eo opiniones.

28. Sæculo xv, cum litteræ restitui cœpissent, undique libri veteres conquirebantur; atque ad hujus sæculi finem spectat id quod nuper indicavi de Dracontio, et refert Raphael Volaterranus lib. iv Commentar., ubi de Bobiensi monasterio, ad Apennini juga sito, a Theodelinda regina Longobardorum exstructo, ait : *Hic anno 1494 hujuscemodi libri reperti sunt, Rutilius.... Dracontii varium opus. Prudentii hymni*, etc., *quorum bona pars his annis proximis a meo municipe Thoma Phædro* (Inghirami) *bonarum artium professore est advecta in Urbem*. Optandum maxime esset ut hoc Dracontii varium opus, si adhuc alicubi latet sive Mediolani, sive Romæ, in publicam lucem veniret ; nam hic videtur esse antiquissimus ille codex cujus fit mentio in catalogo sæculi x bibliothecæ monasterii Bobiensis, et fortasse est ille ipse quo usus est S. Columbanus. Titulus innuit non esse solum Hexaemeron ab Eugenio interpolatum ; et inter versus quos ex Dracontio Columbanus sumpsit nonnulli sunt qui in codice Toletano desiderantur, et a nobis e membranis Vaticanis proferentur.

29. Guilielmus Morelius, qui primus Hexaemeron Dracontii edidit, in epistola dedicatoria hæc tantum habet : *Quæ* **25** *Hilarii, Cypriani, et Dracontii subsequuntur, ea nobis S. Victoris Parisiensis libraria suppeditavit... Exemplar quo usi sumus unico, multis suis partibus perturbatum atque confusum erat, ut haud mirum videri queat, si qui loci labe non careant; quo carerent autem, omnem, quam potui, diligentiam adhibui: malui tamen locos integros et quales liber habebat, aliis dijudicandos, quam mea emendatione ulla contaminatos exhibere*. Inscripsit autem Morelius : *Dracontii de opere sex dierum*. Deerat, ut videtur, in hoc codice charta aliqua : nam desiderantur omnino 58 versus, quibus describitur peccatum primorum parentum. Exstitisse autem hos versus ante S. Eugenium demonstratur ex S. Isidoro, qui lib. xii Etym., cap. 2, unum ex his in editione Parisiensi Morelii omissis laudat. Quæritur autem an poema de Opere sex dierum, Parisiis a Morelio editum, sit illud ipsum quod interpolatum est ab Eugenio, an potius primigenium opus quale a Dracontio prodiit, cum solis his erroribus qui a librariorum incuria accesserunt. Goldastus in epistola ad Weitzium Hexaemeron hoc Morelii, quod ipse Weitzius editurus erat, putat esse ipsum Ἀρχέτυπον Dracontii. Hac ille ratione permovetur, quod in eo Hexaemero de sex dierum anacephalæosi et septimi diei supplemento nec vola nec vestigium est. Censet hæc desiderari ante versum 449, *Vomere non tellus*, ubi incipit horti Edeni descriptio : nam cæteri poetæ Hexaemeri, Cyprianus (quem nunc alii volunt Juvencum), Hilarius, Victor, Alcimus, Gregorius Magnus, Ambrosius Junior, Pisides, Theodulfus Aurelianensis, Nicephorus Callistus, Petrus Rigensis, alii de septimo die ad eamdem faciem exsequuntur. (Confer notam ad vers. 116 lib. i). Dissentit Barthius Advers. lib. vii, cap. 20, qui ex stylo universi hujus libelli duos auctores arguit. *Certe*, ait, *ταυτόλογον hoc opusculum, et minime narrationibus detexendis sibi constans, extendit jam fini proximas, et abruptis aliis alias non suis locis inserit*. Verum hæc aiebat Barthius, qui Dracontii libellos olim ab Eugenio reformatos noverat. Vellem scire quid alius sentiret ab hac præjudicata opinione omnino liber, et ignorans quid factum fuisset. Barthii opinionem tenuit etiam Nic. Antonius Bibl. vet. lib. v, cap. 5, et Gallandius tom. IX Bibl. Ut **26** hæc controversia definiatur inter se conferri debent variantes lectiones editionis Morelianæ, Sirmondianæ, et nostræ ex codice Vaticano. Mihi sane codicem Vaticanum, et omnia Dracontii opera consideranti Goldasti sententia placet ; sed mirum simul accidit quod tam paucæ ac leves mutationes inter opus Hexaemeri archetypum Dracontii, et idem opus ab Eugenio interpolatum appareant. Itaque censeo non solum Hexaemeron, sed etiam Elegiam Dracontii fuisse ab Eugenio recognitam, in qua versus aliqui additi fuerunt ab Eugenio, plures detracti, ut ex editione nostra patebit. Goldastus, qui præfationem Eugenii non viderat, supplementum diei septimi ante paradisi descriptionem desiderari aiebat. Sed cum Eugenius ad libelli finem recapitulationem et supplementum adjicere voluerit, ratio Goldasti ita refingi debebit. In fine exemplaris Moreliani nulla est recapitulatio, nullum supplementum Eugenii ; exemplar igitur hoc primigenium Dracontii opus existimandum est.

30. Editionem Morelii secutus est Fabricius in Collectione poetarum Christianorum, qui etsi alios poetas cum libris veteribus soleret conferre, tamen id in Dracontio, codicibus mss. destitutus, non præstitit. *Dracontius*, inquit in Comment. pag. 45, *poeta Christianus, qua gente aut patria fuerit, ignotum. Ejus carmen Hexaemeron, id est, de Opere creationis sex dierum, eruditum atque insigne est : quod Parisiis editum e bibliotheca D. Victoris huic operi adjecimus, tribus*

quatuorve emendatis erroribus, quos typographus admiserat. Revera de patria et gente Dracontii altum apud veteres silentium. Joannes Vasæus in Chronico ad an. 651, ubi de S. Eugenio sermonem injicit, videri ait Dracontium fuisse Hispanum, quantum ex S. Isidoro colligi potest, et floruisse temporibus Justiniani imperatoris et Athanagildi regis Gothorum. Sed ex Isidori verbis, quæ num. 7 habes, nescio qui colligi possit, Dracontium fuisse Hispanum, aut floruisse sæculo VI. Et cum ipse Vasæus confirmet, Eugenium Hexaemeron Dracontii *jam vetustate vitiatum* suo nitori restituisse, oporteret, ut aliquantulum antiquiorem crederet Dracontium : nam Eugenius sæculo VII, anno circiter 645, Dracontium emendabat. Vasæi opinionem multi alii amplexi sunt, etiam **27** Joannes Grialius in editione Matritensi S. Isidori 1599 ad lib. XII Etym. cap. 2, ubi diserte ait : *Dracontius opus sex Dierum carmine composuit, Athanagildo regnante, quod poema Eugenius III Tolet. antistes sub Chindasuintho et Reccesuintho, et emendavit, et septimi diei versibus auxit.* Quod vero ad tempus attinet quo Dracontius vixit, insignis est error Gerardi Joannis Vossii cap. 9 libri de Poet. Lat., ubi inter poetas incertæ ætatis Dracontium recenset, et post Carolum Magnum ad annum 800 relegat : qui non solum operibus Dracontii, verum etiam Isidori Ildefonsique testimoniis evidenter refellitur. Funcius de Veget. Lat. ling. Senect., cap. 3, § 97, merito rejicit Matthiam Kœnig, qui in Bibl. vet. et nov. Dracontium sub Justiniano floruisse ait ; sed nullo ipse fundamento certum annum 450 designat, quo Dracontius rebus humanis valedixerit.

31. Dracontii patria non tantum G. Fabricio, verum etiam Nic. Antonio incerta erat, qui tom. I Bibl. vet., lib. V, cap. 5, ita pronuntiat : *Dracontium temere aiunt gente Hispanum nonnulli auctoribus confictis credentes.* Atque ille quidem partim silentio veterum permotus ita judicabat, partim odio quodam suo adversus auctores falsorum chronicorum incensus, ex quo fortasse in contrariam partem nonnunquam nimium se abripi passus est. Vidimus enim quid Vasæus, qui anno circiter 1562 decessit, et quem multi secuti sunt, longe ante chronica conficta senserit, quorum inventio ad annum 1594 refertur, prima editio anno 1619 peracta est. Eadem opinio etiam post editam Bibliothecam Nic. Antonii valuit fere apud omnes, quamvis nemo jam commentitiis chronicis fidem præstet ; sive rationem Vasæi inde roborent, quod S. Eugenius jussu regis in Dracontii emendationem incubuerit, quod hunc auctorem Hispanum indicare potest, sive, ut ego magis arbitror, ex aliqua traditione aut ms. codice ortum hæc sententia duxerit, quæ deinde ad reliquos permanaverit. Gallandius, qui ex editione Sirmondiana Dracontium tom. IX suæ Biblioth. inseruit, hanc rationem probabilis hujus sententiæ adjungit, quod *illustrium virorum qui res sacras carmine cecinerunt, Juvenci, Prudentii, Merobaudis,* **28** *aliorum ferax antea exstiterat natio Hispana, ut propterea eos æmulatus suum Hexaemeron panxerit quoque Dracontius.*

A 32. Videamus nunc quod ait Nic. Antonius, auctoribus confictis nonnullos credidisse Dracontium fuisse gente Hispanum. Famosum imprimis est Dextri Chronicon. In notis ad recentissimam editionem Matritensem Bibliothecæ veteris Hispanæ Nic. Antonii lib. III, cap. 3, doctissimus editor mirandum ait nihil de Dracontio apud pseudo-Dextrum legi non solum in Chronici fragmento, quod post Bibl. vet. Nic. Antonius protulit, sed neque in pleniori exemplo Regiæ bibliothecæ. At minime dubium est quin in Dextri Chronico cum Commentariis Bivarii typis edito aliqua mentio Dracontii occurrat : ex qua tamen Hispanum fuisse Dracontium nequaquam colligitur, imo contrarium collegit commentator Bivarius. Cum enim ad annum 382 narretur in Chronico, Dracontium et
B Adelphum episcopos in Hispania exsulasse, Bivarius hunc affirmat esse Dracontium poetam, nec diversum credit a Dracuntio vel Dracontio, ad quem exstat epistola Athanasii. Nec fuerat nemo cui hæc ipsa opinio antea in mentem venisset, ut ex his verbis Goldasti in epistola ad Weitzium intelliges : *Ad hunc Dracontium, quæ ex Baronio suggesta sunt nihil attinent. Ille enim Orientalis, hic Occidentalis; ille Asiaticus, hic Europeus; ille Græcus, hic Hispanus; ille episcopus, hic palatinus; ille Constantino Magno, hic Justiniano Magno imperatoribus; ille a Christo nato 330, hic 540 viguere.* Errat cum Vasæo in ætate Dracontii Goldastus; sed mirari subit unde sumpserit palatinum fuisse Dracontium, nam plerique alii presbyterum vocant. Goldasti veriorem esse sententiam ex mem-
C branis Vaticanis, num. 122, demonstrabo. Ex Baronio vero hæc, opinor, Weitzio suggesta erant, quod ad annum 328, num. 23, meminerit Dracontii monachi, quem Athanasius per epistolam hortatus est ut episcopatum non recusaret, et rursus ad annum 356, num. 47, 48, 52, Dracontium episcopum in Ægypto exsulem ex S. Athanasio de Fuga sua et ad Solitar., et ex Vita S. Hilarionis a S. Hieronymo conscripta commemoraverit, quem unum eumdemque esse putat ac Dracontium monachum, ad quem Athanasius litteras **29** dedit. De diversis Dracontiis antea num. 5 et 6 a nobis disputatum est. Non omittenda sunt Goldasti verba quibus Dracontium, aliorum opinionibus rejectis, Hispaniæ adjudicavit : *In comperto est gente fuisse litterarum alumna, studiorum nutrice, Musarum*
D *colona, et ipsius Parnassi atque Heliconis æmula, gentilesque habuisse ex priscis illis ethnicorum poetis Sextilium Heminam, Senecam, Lucanum, Victorinum Statorium, Columellam, Silium Italicum, Decianum, Licinianum, Caninium Rufum, Martialem, Hadrianum imperatorem, Festum Avienum, Aquilium Severum; et, ex Christianorum grege, Metronianum, Tiberianum, Juvencum, Prudentium tuum, Damasum, Leandrum, Fulgentium, Isidorum, et quem nuper nobilis et eleganti ingenio adolescens Laurentius Ramiresius princeps vulgavit, Orontium.*

33. Profert Nic. Antonius verba commentitii Hauberti Hispalensis ex chronico ad annum 433, num. 24, *Sanctus vir Dracontius Oscæ Celtiberorum obiit,*

ubi erat presbyter. Sed præterquam quod Haubertus iste sæculo XVII elabente confictus fuit, neminem leges qui Dracontium presbyterum Oscensem faciat, ex iis saltem qui inter viros criticos aliquo in loco habeantur. Multo vero ante hunc Haubertum reperio qui Dracontium poetam *divum* vocaverit. In Indice libr. expurg. per Joannem M. Brasichellensem, 1607, pag. 85, jubetur titulum divi Dracontii in Bibliotheca Patrum per Margarinum de la Bigne, edit. 1589, deleri, uti etiam pag. 256 titulum divi Belisarii poetæ, divi Liberii poetæ, D. Venantii, D. Dracontii, D. Theodulphi, et alibi divi Prudentii. Vide num. 55. Itigius, cap. 5 de Biblioth., affirmat rarissima esse exemplaria hujus Indicis, quem neque ipse viderat, quia scilicet Romana editio suppressa fuerat, et nova quæ in Belgio parabatur suffocata. Quod ait de Romanæ editionis suppressione, falsum puto, nisi intelligat alterum tomum qui parabatur non fuisse editum. Animadvertendum est in eo Indice etiam iis qui pro sanctis habentur, vocem divi denegari ex eorum scilicet sententia qui hoc vocabulo divinitatem significari opinantur; neque enim omnes ita censent, aut usui contrario piorum et doctorum hominum repugnandum **30** existimant. Dracontii vero memoria in nullo martyrologio exstat: imo nullum alium sanctum qui hoc nomine appellatus fuerit, in primis sex anni mensibus apud Bollandianos inveni.

34. Cæterum Nic. Antonius, etsi loc. cit. Bibl. vet. dum de S. Eugenio disserit, Dracontium a nonnullis Hispanum temere dici affirmaverit, tamen locum inter scriptores Hispanos eidem dedit tom. I, lib. III, cap. 5, ubi cautius loquitur. Ait enim se nescire unde moti Miræus in notis ad Isidorum, Labbeus dissert. ad Bellarm. de Script. eccles., Bigneus in Biblioth. Patrum, Dracontium Hispanum aperte vocaverint. Qua illi ratione permoti fuerint videri potest supra num. 31. Bigneus vero non ipse Hispanum vocat Dracontium, sed in aliqua posteriori editione Bibl. Patrum, ut in editione Lugdunensi 1677 conformata ad eam quam fecit Sirmondus, ab editore presbyter Hispanus vocatus est Dracontius. Addit Nic. Antonius notum sibi esse ad partes quis traxerit Bivarium, nempe pseudo-Maximus ad annum 430, *Dracontius presbyter moritur Oscæ*; et ad ann. 412, *Dracontius alter poeta Hispanus mirus habetur*: qui an duo sint, hariolari non audet Bivarius. De Bivarii opinione in comment. ad pseudo-Dextrum dixi num. 32. Nunc addo, in pseudo-Maximi chronico, quod Nic. Antonius in fine Biblioth. vet. adjecit, alium Dracontium recenseri ad annum 600, *Dracontius poeta Complutensis floret*; et ad ann. 603, *Dracontius poeta Cæsaraugustæ moritur*. Qui hoc chronicon confinxit, fortasse præ oculis sententiam illorum habuit qui Dracontium Athanagildo regnante vixisse tradiderant; nam ex Athanagildi tempore illius ætas ad annum 603 facile potuit prorogari. Illi vero qui deinde Maximi chronicon ex ingenio auxerunt, uti etiam auctor pseudo-Hauberti, cum intellexissent in Dracontii operibus prout a Sirmondo edita sunt, referri elegiam ad Theodosium Juniorem, Dracontium anno 412 et 430 floruisse, anno 433 decessisse, scripserunt. Ex Sirmondo etiam, qui anno 1617 editionem libri Bellarmini de Script. eccles. curavit, ortum duxit, ut opinor, caput ejus libri de Dracontio, quod in prima editione deest, et in quo ætas Dracontii anno 440 adjudicatur.

31 35. Ex his colligere licet, in assignanda Dracontii patria et ætate non alios chronicis falsis, sed auctores hujusmodi chronicorum opinionibus aliorum qui præcesserant, adhæsisse, ut propterea sæpe variaverint; neque has varietates defensores conciliare poterant, nisi plures Dracontios comminiscerentur. Neque mihi videre hactenus licuit quinam Dracontium presbyterum Oscensem, aut Complutensem, aut Cæsaraugustanum, aut vicarium Africæ, quod volebat pseudo-Julianus, nominent, cum a multis presbyter Toletanus, quod in falsis chronicis non reperitur, vocetur. Ita nimirum Dracontium appellant Joann. Gottefridus Olearius in Bibl. eccles., auctor indicis mss. bibliothecæ regiæ Parisiensis, et alii. Nonnulli, non expresso presbyteri nomine, Toletanum appellant Dracontium, ut Weitzius in ejus editione, Rivinus pariter in ejus editione, Fabricius in Bibl. Lat. med. ævi. Multi presbyterum Hispanum eumdem Dracontium nominant, quin oppidum natale, aut in quo commoratus fuerit, designent, ut Syxtus Senensis in Bibliotheca sancta edita anno 1575; Possevinus in Apparatu sacro tom. I, qui sæculi XVII initio scribebat; Miræus in not. ad S. Isidorum; Labbeus in dissert. ad Bellarm. de Script. eccles.; editor Biblioth. Patrum Lugd. 1677; Remigius Ceillierius tom. XV de Script. eccles., cap. 29; Joann. Nicolaus Funcius de Veget. Lat. ling. senect. cap. 3, num. 97; auctor catalogi bibliothecæ Casanatensis; Natalis Alexander Hist. Eccl. sæculo V. Verum quo loco natus aut vitam egerit Dracontius, aut quod munus obierit, nullo modo ex veteribus constat, ac solum probabiliter ex illis argui potest fuisse Hispanum, ut dixi num. 31.

36. Postquam Sirmondus Dracontium edidit, de ætate qua is vixit certius aliquid definitum fuit. Post carmen de opificio sex dierum addita est a Sirmondo Elegia ejusdem Dracontii ad Theodosium Juniorem Augustum: ita enim inscribitur, et in argumento rursus mentio Theodosii Junioris Augusti occurrit. Sic enim argumentum elegiæ explicatur: *Hoc sequenti libello auctoris satisfactio continetur, qua ab omnipotente Deo veniam petit ne præcedenti carmine aliquid incautus errasset. Dein Theodosio Juniori Augusto precem defert cur de triumphis illius eodem opere tacuisset*. Hæc totidem verbis in editione Matritensi Patrum **32** Toletanorum referuntur, et in lib. Bellarmini de Script. eccles. indicantur, sed, ut arbitror, et dixi num. 34, ex codice ms. Sirmondi. Et videtur quidem inscriptio ex codice ipso desumpta, cum verba antiquitatem redoleant; sed scire vellem an eadem veteri manu qua versus ipsi hæc inscriptio exarata sit. Nam eam falsam esse et elegiæ non convenire ex membranis antiquis Vaticanis et ipsa

elegia postmodum ostendam. Interea illud monebo, A mirum esse quod hæc inscriptio, siquidem in codice Azagrensi exstat, a Grialio non fuerit observata: nam Grialius in not. ad lib. VI Etym. S. Isidori, cap. 9, duos ejus versus profert in codice Azagrensi repertos, et in not. ad lib. XII, cap. 2, ejusdem codicis meminit, ac simul affirmat Dracontium opus sex dierum Athanagildo regnante composuisse. Igitur aut inscriptio Elegiæ ad Theodosium tunc in eo codice non erat, aut Grialius, cum hæc scripsit, animum ad eam non advertit. Neque vero negare est animus Dracontium Theodosio Juniore imperatore claruisse; sed id aliis rationibus probandum esse contendo, ac demum probabo, postquam de codicibus mss. Dracontii et de editionibus hactenus factis verba fecero.

CAPUT V.

Codices mss. Dracontii.

37. De codice Dracontii quem sæculo X circiter bibliotheca monasterii Bobiensis asservabat, deque alio codice, aut fortasse eodem, qui in laudato monasterio sæculo XV exeunte repertus est, dixi num. 27 et 28.

38. Exposui etiam num. 29 quo codice usus fuerit Morelius in editione prima Parisiensi Dracontii conficienda. Montfauconius in Bibl. biblioth. mss., pag. 1370, inter libros bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, col. 2, sic refert: *Draconicius, de Opere sex dierum.* Hic est Dracontius, et hic, opinor, est codex ex quo primum prodiit Dracontius.

39. Idem Montfauconius pag. 133 profert catalogum repertum in mss. D. Claudii Etiennot, sive Stephanotii, quo **33** diversa opera recensentur tanquam in bibliotheca Vaticana existentia, et in hoc catalogo memoratur *Dracontii Hexaemeron.* Sed quibusdam operibus additur numerus sub quo quærenda sunt, quibusdam non additur: et fortasse ab Stephanotio adnotata in suo catalogo erant, ut ea inquireret. Dracontio in eo catalogo nullus certus numerus assignatur: neque ejus Hexaemeron in bibliotheca veteri Vaticana invenitur. In schedis mss. Laurentii Zaccagnii, bibliothecæ Vaticanæ olim præfecti, inter opera inedita, quæ ipse vulgare cogitabat, Dracontii nomen similiter exstat, non indicato codicis numero. Quod magis magisque confirmat suspicionem meam latere in bibliotheca Vaticana aliquem codicem Dracontii qui ex monasterio Bobiensi a Thoma Phædro Inghiramio fuerit allatus, neque diversus sit ab illo ipso quo S. Columbanus utebatur. In indice Montfauconii hic Dracontius vocatur Stratonicæus; verum hoc cognomen proprium est Dracontis Stratonicæi, cujus est codex Græcus *De metris poeticis* in biblioth. regia Parisiensi apud eumdem Montfauconium, pag. 946, et cum titulo *De mensura carminum Græce in papyro* inter libros præsidis de Mesne, ibid., pag. 1326, col. 2.

40. In bibliotheca cathedralis Laudunensis a Montfauconio, pag. 1297 refertur hic codex num. 276. *Metrum S. Hilarii Pictaviensis. Alcimi Aviti de Originali peccato, de Sententia Dei.* EPISTOLA DRACONTII. *Liber Quæstionum in Genesin ex Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Hilario, Isidoro, Eucherio.* Dicitur hic codex esse antiquissimus. Epistolam Dracontii existimo esse Elegiam ad Guntharium regem, de qua postea. Nihil aliud in Montfauconio reperio quod ad Dracontium nostrum pertinere possit.

41. De celeberrimo codice Michaelis Ruizii Azagræ agendum nunc est. Primam ejus mentionem invenio apud Ambrosium Morales lib. XI, cap. 34, deinde apud eumdem Azagram in editione Corippi, quæ, quoniam rara est, hoc loco describetur. *Corippi Africani grammatici De laudibus Justini Augusti minoris heroico carmine libri IV, nunc primum e tenebris in lucem asserti: scholiis etiam et observationibus illu-* B *strati per Michaelem Ruizium Azagrium Celtiberum ad Albertum cardinalem archiducem* **34** *Austriæ. Antuerpiæ ex officina Christophori Plantini* 1581, in-8. Epistola dedicatoria data erat Matriti 1579, in qua Azagra se olim servitio Ferdinandi imperatoris et Maximiliani Cæsaris, tunc Rudolfi Cæsaris, addictum commemorat. Post carmina Corippi additur votiva gratulatio heroico carmine per eumdem Azagram ad Maximilianum II designatum imperatorem Francfordiæ ad Mœnum cantata anno 1562. In observationibus igitur ad Corippum, paulo post initium pag. 74, hæc habet Azagra: *In nostro exemplari, quod, ut alibi ad opus Dracontii poetæ de Fabrica mundi et ad carmina simul D. Eugenii episcopi Toletani diffuse præfati sumus, non ex conjecturis, sed fide plane cer-* C *tissima, constat ante septingentos et eo amplius annos fuisse descriptum, semper* TOTIENS *et* QUOTIENS.... *leguntur.* Descriptus ergo fuerat codex sæculo IX aut ante. Hoc codice, simul cum Dracontio et Eugenio, continebantur carmina Corippi mutila, multisque in locis corrupta, quæ ut suo nitori restituerentur, post Azagram multi viri critici operam contulerunt suam: nullus enim alius adhuc repertus est codex carminum Corippi, nisi quod idem Azagra pag. 89 notat, plures variantes lectiones, ad marginem lib. III versus finem appositas, ex antiquissimo volumine Ovetensis Ecclesiæ esse collectas, ubi duæ orationes legati regis Avarum et Justini imperatoris ex Corippo desumptæ cum aliis variis operibus legebantur: quibus adde 18 versus orationis Avarum, qui inter D Sidonii aliorumque carmina pro Sidonianis editi sunt ab Elia Vineto anno 1552 ex codice Santonensi. Quo majores Azagræ habendæ sunt gratiæ, qui eum scriptorem a tenebris vindicavit: nec decuit certe Petrum Franciscum Fogginium, qui cum notis Azagræ, aliorum ac suis, bis edidit Corippum, acrem hanc, nec veram, de Azagra ferre censuram in not. ad carmen panegyr. in laudem Athanasii: *Parcant mihi ejus manes: satis hinc patet quanti valeret in legendis et corrigendis mss. Magno sane ingenii acumine opus non erat, ut legeret* TROPICIS [in *trepicis*], *suppleret* VERSIBUS. At Azagra mendum agnovit in *trepicis*, sed non tentavit corrigere verbum, quod nec Corippi est. Nec Fogginii conjecturam omnibus placituram puto;

quod si vacaret, ostenderem, **35** Fogginium sæpius A judicio et ingenio editori primo Corippi cedere, ut cum lib. IV, vers. 266, *Imperium, Christoque vovens sua vota dicarat*, restituit *volens* tum metri causa, ut ait, tum quia poeta exprimere intendebat, imperatorem consulto voluisse Sophiæ nomine Christum intelligi. Sed ut secunda ratio invalida est, ita aperte falsa est prima. Confer verba Barthii num. seq.

42. Laudatus quoque est codex Azagræ a doctissimo viro Joanne Baptista Perez, cujus sunt notæ ad lib. S. Isidori et S. Ildefonsi de Vir. illustrib., qui episcopus Segobricensis obiit ann. 1597. In not. ad cap. 14 S. Ildefonsi ita ait Perezius : *Hanc Eugenii emendationem vidi in illo vetusto codice Ruizii Azagrii, cujus supra mentionem feci.* Intelligit notam ad caput 7 Isidori de Vir. illustr. de Verecundo : *Vidi* B *porro hujus Verecundi ipsum libellum de Pœnitentia hexametris scriptum, cujus hoc est initium : Quis mihi mœsta dabit lacrymosis imbribus ora? Is liber, Gothicis litteris descriptus, fuit olim Ecclesiæ Ovetensis, postea apud Michaelem Ruizium Azagrium amicum meum.* Meminit etiam in nota ad caput 47 libri S. Isidori de Vir. illustr., quo refertur prænotatio librorum S. Isidori a Braulione Cæsaraugustano episcopo scripta. Ibi Perezius ad vocem Destina ait : *Utitur ea voce Corippus, poeta Afer, libro de Laudibus Justini Junioris nuper edito a doctissimo Ruizio Azagrio.* His inter se collatis liquido patet verba Azagræ ad Corripum, *Ut alibi ad opus Dracontii.... præfati sumus*, non esse ita intelligenda, ut Dracontium typis vulgaverit, sed solum editionem paratam ha- C buerit. Barthius lib. LV Advers., cap. 11, hanc editionem videre summopere expetebat : *Illud monere etiam doctos volumus.... etiam ante Jacobum Sirmondum, quem tam hujus quam plurium aliorum auctorum restitutionis gratia merito semper laudamus, Dracontium hunc ab Eugenio contractum et interpolatum, edidisse in Hispania Michaelem Ruisium Assagrium, cujus beneficio Corippum habemus : nos vero magnopere quæsitam eam editionem indipisci nulla diligentia valuisse; rogare autem, si qui sit qui usum ejus nobis facere possit, magno nos officio demeriturum.* Adeo Barthius Azagræ operam et studium non contemnebat : qui lib. XXI, cap. 2, disertius de ejus notis in Corippum ait : *Assagrio* **36** *non possumus non dare testimonium boni judicii, quod certe e singulis paginis ap-* D *paret. Utinam Dracontius quoque ejus, et Eugenius, qui Dracontii epitomen fecit, in manus nostras venissent.* Quid ad hæc reponeret Fogginius ?

43. Sed quam putabat Barthius, nulla typis ab Azagra facta fuerat Dracontii et Eugenii editio. Barthius enim, verbis Azagræ quæ nuper retuli deceptus, id affirmavit quod alii postea auctoritate Barthii confirmarunt : eaque opinio late pervagata est, quam Fabricius Bibl. vet. Lat. adoptavit, sed in Bibl. medii ævi cautius locutus ait, interpolatum Dracontium ab Eugenio Toletano edere instituisse Michaelem Ruiz de Azagra, sed hanc editionem nec Barthium nec Nic. Antonium vidisse. Nic. Antonius in Biblioth. vet. bis nec perfunctorie de Dracontio locutus est et ut in opere posthumo, neque ad limam revocato, interdum eadem verba, easdem repetit rationes, nonnunquam sibi ipsi contrarius est. *Sirmondus*, inquit lib. III, cap. 3, *collectis versibus Eugenii Dracontium cum iis edidit, Dracontii nempe utrumque librum, cum secundum, seu posteriorem primus Michael Azagra publicaverit, ut ipse in notulis ad Corippum ait.* Idem Nic. Antonius lib. V, cap. 5, verius scripsit : *Michael Ruiz Azagra ex codice Gothico ante septingentos annos, ut ipse credebat, scripto carmina Eugenii et Dracontii edere parabat.* Quæ carmina ita editioni parata cum epistola Azagræ ad decanum et capitulum Toletanæ Ecclesiæ cal. Aprilis 1577 data vidit ipse Nic. Antonius in mss. bibliothecæ Vill-Umbrosanæ, tom. VII Miscellaneorum. Joseph Rodriguez de Castro, qui Hispanice scriptores Hispanos recensere cœpit, sed morte interceptus opus non absolvit, fortasse primum locum Nicolai Antonii, non secundum legit, cum scripsit, Hexaemeron Dracontii ab Eugenio correctum exstare tom. IX Bibliothecæ Patrum Lugduni 1677 ex codice Petri Ruiz de Azagra, qui in notis ad Corippum se primum Dracontium edidisse affirmat : quæ editio, addit, antiquior censeri debet editionibus Weitzii et Sirmondi eodem anno 1619 factis.

44. Prætereo nunc editiones Sirmondi et Weitzii non eodem anno fuisse factas, ut mox constabit. In Bibliotheca Patrum Lugdunensi anni 1677, tom. IX, aperte expressum est Dracontii **37** carmina e Sirmondiana editione depromi. Et cum Rodriguezius solum verba Azagræ in notis ad Corippum allegat, quæ de editione parata, non ad exitum perducta intelliguntur, ejus testimonium nihil nos movere debet. Quod autem Michaelem nostrum vocat *Petrum*, non proprius ejus error est, sed communis cum aliis. In Indice librorum expurgandorum per Joannem M. Brassichellensem anno 1607, pag. 269, quædam de Dracontio exponuntur, ut in Bibliotheca Patrum adjungantur; ubi de emendatione a S. Eugenio facta hæc leguntur : *Quam emendationem vidisse se in pervetusto ms. codice Petri Ruizii Azagræ scholiastes S. Ildefonsi affirmat.* Sermo est de Perezio, qui libro S. Ildefonsi de Script. eccles. notas adjecit. Verum Perezius ad cap. 14 S. Ildefonsi nomen Ruizii Azagræ tacuit, ad caput 7 Isidori de Vir. illustr. clare nominat *Michaelem.* Auctor illius notæ ad Dracontium in Bibliotheca Patrum addendæ fuit eruditissimus Thomas Malvenda, ut ex his colligi potest quæ de eo Indice dixi in prolegom. ad Prudentium, pag. 159. Verba illa Indicis in Bibliotheca Patrum Coloniæ Agrippinæ 1618, tom. VI, et Lugduni 1677, ascripta sunt; ex quo Petri nomen Michaeli nostro affictum apud alios scriptores legitur, ut apud Rivinum in editione Dracontii, apud Leyserum in Histor. poet. med. ævi. Nomen etiam Joannis a Nic. Antonio in Bibl. nov. eidem Michaeli datum fuerat; sed in emendatis agnovit Michaelem esse appellandum, cum bis eumdem hominem recensuisset, primum Joannis no-

mine ab Hieronymo Romano de la Higuera deceptus, deinde Michaelis vero vocabulo. In recentissima editione Matritensi Bibliothecæ Azagra sub solo Michaelis nomine laudatur; sed in Indice utrumque nomen quasi duorum scriptorum mansit. In Censura Historiarum fabulos., quam hoc sæculo publicavit Mayansius, errorem quo Joannes Ruizius Azagra vocatus est, Nic. Antonius non deleverat, sed illum in Vita Nic. Antonii Censuræ præmissa animadvertit Mayansius. Aliud nomen cognomenque Azagræ reperio in notis Grialis ad cap. 2 lib. XII Etym. S. Isidori, ubi de codice Azagrensi ait : *Hunc librum Gothicis characteribus scriptum bibliotheca Martini Roderici Azagræ nunc servat.* Quibus in verbis Rivinus ad Dracontium **38** eumdem agnoscit Azagram, quem alii Petrum Ruizium, alii Michaelem Ruizium appellarunt. Sed fortasse Grialius hominem alium innuit, ad quem bibliotheca Michaelis Ruizii Azagræ, hæreditatis jure aut alia ratione, pervenisset.

45. At vero sive Grialius Michaelem intelligat, sive alium a Michaele diversum, in re ipsa videtur falli. Ipse enim opera S. Isidori edebat anno 1599, et ante id tempus codicem Azagrensem in bibliotheca ecclesiæ Toletanæ asservatum fuisse testatur cl. Bayerius, qui in notis ad cap. 3 lib. III Biblioth. vet. Nic. Antonii codicem Azagrensem exstare ait in bibliotheca Toletana Pluteo 15, num. 15, *beneficio cl. viri Joannis Baptistæ Perezii.... episcopi Segobricensis.* Cum ergo Perezius obierit anno 1597, aut bibliotheca Toletana non beneficio ejus librum possidet, aut anno 1599 bibliotheca Azagræ eum non servabat. Nunc certe exstat hic codex in bibliotheca Toletana, atque ita describitur in editione Matritensi Patrum Toletanorum post præfationem primi tomi : *Codex Gothicus dictus de Azagra, continens præter alia aliorum opuscula, non solum epigrammata antea edita S. Eugenii III, una cum emendatione Dracontii et epistola ad regem Ervigium, sed etiam alia quamplurima carmina ejusdem, quæ a nobis nunc primum emittuntur in lucem. Antiquissimus est codex, quantum ex scripturæ charactere colligitur, sæculo X haud posteriori. Asservatur in bibliotheca Toletana Pluteo* 31, *num.* 18. Facile mihi persuaserim, hunc codicem ante Maurorum in Hispaniam irruptionem fuisse descriptum, qui e communi illa Hispaniæ calamitate cum paucis aliis ereptus fuerit, et in Ecclesia Ovetensi conservatus. Sed cum codicem non viderim, nihil certi audeo definire, præsertim dissentiente Bayerio, qui ad sæculum XI ætatem illius differt, nisi error est in numeris. Sane pretiosissimus est non solum ob antiquitatem, sed etiam quia in eo solo quædam adhuc latent quæ lucem publicam mereantur, ut libellus Verecundi de Pœnitentia, de quo num. 42. Carmina etiam Corippi diligentius cum hoc unico codice essent conferenda : nam Azagra nonnunquam hanc licentiam sibi arrogavit, ut versus corruptos ex ingenio suo restitueret, quin verba codicis aliis videnda ostenderet. *Illud* **39** *tamen notandum est*, ait Barthius cap. 1 lib. VIII Advers., *Michaelem illum Assagrium impudentiuscule fecisse, quod suam nobis septem integrorum versuum correctionem obtrusit, veteri lectione codicis, quem unum solumque exstare hactenus non ignorabat, dissimulata, cum se eos corruptissimos invenisse fateatur.* Adisis num. 13.

46. Jam vero quo codice in sua editione usus fuerit Sirmondus, dubitari posset, ac revera in eo assignando nonnulli inter sese dissentiunt, ut dixi num. 14. Sed omnem dubitationem plane tollit editor catalogi librorum mss. bibliothecæ regiæ Parisiensis, qui codicem 2832 membranaceum, olim Bigotianum, sæculo IX circiter exaratum, ita recenset : 1° *Eugenii Toletani poematia* 31, *eadem quæ a Sirmondo edita fuerunt ; 2° Dracontii presbyteri carmen de Fabrica mundi, sive Hexameron : præmittitur Eugenii ad Chindasuinthum regem epistola, qua nonnulla in eo Dracontii opere suppressa, nonnulla aucta a se et perpolita testatur ; 3° ejusdem ad Theodosium Juniorem Augustum carmen elegiacum, cujus hic est titulus : Satisfactio, qua a Deo omnipotenti veniam petit, ne præcedenti carmine aliquid incautus errasset ; dein Theodosio Juniori Augusto precem defert, cur de triumphis illius in eodem opere tacuisset ; 4° Eugenii Toletani monosticha recapitulationis septimi diei ; 5° S. Cypriani versus ad quemdam senatorem*, etc. In codice Dracontium vocari presbyterum non credo, sed id explicationis gratia ex præjudicata opinione ab editore additum existimo. Ex codice ipso videtur deprompta inscriptio elegiæ Dracontii *Satisfactio*, etc., de qua vide num. 36, et dicenda num. 92 seq. Non omittendum in hoc codice inter alia opera loco 22 reponi *Eugenii episcopi hymnum de S. Dionysio.* Sirmondus hunc hymnum aut non vidit, aut ad S. Eugenium Toletanum non pertinere judicavit. Alii scriptores Galli acerrime pro hoc hymno pugnant, quem Eugenio Toletano adjudicandum contendunt. De qua controversia videri possunt Menardus in dissert. de unico Dionysio, Natalis Alexander dissert. 16 sæculi I, et, qui his resistit, Franciscus Pagius dissert. de S. Dionysio Paris. episcopo. Mihi exploratum est, versus, qui certo sunt Eugenii Toletani, **40** plane dissimiles esse iambicis dimetris hujus hymni, qui omnino abnormes sunt et exleges. Præcipue autem in iambicis et trochaicis peritia et elegantia Eugenii commendatur.

47. In eodem catalogo bibliothecæ regiæ Parisiensis codex 8093 membranaceus, partim sæculo IX, partim X, partim XIV, scriptus, qui olim Colbertinus fuit, inter alia continet 3° *loco Eugenii Toletani carmina ; 6° loco Dracontii Toletani Hexameron liber primus versibus heroicis : accedit Eugenii III Toletani antistitis supplementum ad Hexameron Dracontii ; 7° loco Martini Dumiensis carmina.* Deest in hoc codice Elegia Dracontii, quæ ad Hexaemeron quidem minime pertinet. Supplementum Eugenii, etsi non est necessarium, tamen minus alieno loco ponitur. Nam post Elegiam, in qua nihil de fabrica mundi disseritur, quis locus esse potest supplemento septimi diei? Vide num. 22. Sirmondus, qui simul cum Eugenio et

Dracontio carmina Martini Dumiensis edidit, hoc eodem codice usus videtur.

48. Codex alius in eodem catalogo refertur num. 8321, partim membranaceus, partim chartaceus, olim Colbertinus, sæculo xv exaratus, in quo 6° loco ponitur *Dracontii Toletani carmen de Opere sex dierum*. Fortasse apographum est ex codice S. Victoris Parisiensis, aut illi simile: nam inscriptio *de Opere sex dierum* eadem est utrobique, et cum mentio Eugenii non occurrat, credendum est emendatum hoc exemplar ab Eugenio non fuisse. Vide num. 29.

49. Ex Philippo Labbeo Nov. Bibliot. mss., sive Specim. antiq. lect. in Coronide poetica, ubi plura veterum carmina suo tempore nondum edita commemorat, pag. 58 hæc profero: *Dracontii nonnulla carmina, nisi forte mentitur inscriptio, iis superaddemus quæ pridem emisit in publicum cum nonnullis aliis Eugenii Toletani Jacobus Sirmondus.* Codex, ut arbitror, apud ipsum Labbeum exstabat: nam alibi bibliothecam solet indicare, ubi codices asservantur. Cum autem in codice carmina Dracontio tribuantur, nisi idonea aliqua adsit dubitandi ratio, auctor Dracontius censeri debet. Ex stylo id conjici posset; sed ubinam gentium eum codicem nunc latere existimem? si tamen latet, et non potius infortunio aliquo assumptus periit.

41 50. Eidem eruditissimo Labbeo loc. cit., pag. 59, hanc Dracontii memoriam debeo: *Gisleberti Aureæ Vallis abbatis ordinis Cisterciensis versus in sanctissimam eucharistiam addi poterant ex Petaviano indice cum centonibus de pœnitentia ex Dracontio, oratione ad Christum versibus Adonicis, de missæ significationibus elegiaco carmine, præceptis moralibus heroico, et pluribus aliis.* Scriptum erat *Diacontio*, sed legendum *Dracontio* constat ex indice, qui verbo Dracontius eum locum demonstrat. Multa sunt in Dracontii poemate de Deo, potissimum vero in elegia ad regem Guntharium, ex quibus centones de pœnitentia confici possint: ut carmen S. Columbani, de quo confer num. 8, ex Dracontii aliorumque versibus magna ex parte coalescit. Centones in rebus sacris ex poetis profanis a Faltonia Proba Sedulioque collecti exstant. In argumento profano poemata Hippodamia et Alcesta tom. IV Collect. Pisaur. sine auctorum nomine, centones sunt ex Virgilio, ut mihi quidem legenti videbatur. Poetarum sacrorum præter Dracontium nemo alius nunc occurrit ex cujus versibus centones fuerint confecti. Index Petavianus, a Labbeo laudatus, est catalogus bibliothecæ Alexandri Petavii, quæ ad reginam Sueciæ Christinam devenit, inde ad bibliothecam Vaticanam. Montfauconius, pag. 64 Biblioth. biblioth. mss., ex ea bibliotheca Alexandri Petavii refert inter mss. bibliothecæ Vaticanæ *Gisleberti Aureæ Vallis abbatis carmen de Eucharistia.* Sed id nunc non reperitur in bibliotheca Vaticana, uti plures alii Petaviani codices desiderantur.

51. Codices alios Dracontii, quamvis in multis catalogis codicum mss. diligenter quæsitos, invenire non potui. De notis mss. in Dracontium pauca super-

A sunt dicenda. Nam de Azagræ brevibus notis plura dixi num. 41 seq. Nic. Antonius, lib. v Bibl. vet., cap. 5, putat editionem Sirmondianam Dracontii correctiorem esse quam fuisset illa ab Azagra promissa et parata, neque magni interesse quod Eugenii et Dracontii carmina post editionem Sirmondi ex mss. Azagræ publicentur. Dissentit Florezius tom. V Hisp. sacr., tract. 5, cap. 3, quia, ut putat, Hexaemeron Dracontii, prout ab Eugenio fuit emendatum, in mss. Azagræ exstat, non in editione Sirmondiana. Hæc ratio falsa est, 42 ut probavi num. 12. Alioquin etiam post Sirmondi editionem e re litteraria publica esset, ut adnotationes et conjecturæ Azagræ in publicam lucem prodirent, quas Barthius maximopere videre cupiebat. Nam Sirmondus nuda carmina

B typis vulgavit, quin ullam notationem subjiceret; neque enim audiendus est Rodriguezius de Castro, qui in Bibl. Hisp. Sirmondo novas et eruditas notas in Dracontium ab aliquo deceptus affingit. Omitto codicem Azagrensem aliquantum auctiorem esse codice Sirmondiano: certe auctior ex illo codice prodiit Elegia Dracontii in editione Matritensi Toletanorum Patrum, additusque est liber carminum Eugenii non antea editorum. Ipsum Nicol. Antonium in opera Eugenii et Dracontii brevissimas notas seu lectiones variantes scripsisse auctor mihi est Mayansius, qui eas mss. penes se habebat, atque edere aliquando cogitabat, ut affirmat in Vita Nic. Antonii præmissa ad Censuram Histor. fabulos.; sed fortasse hæ sunt breves illæ notæ et lectiones variantes quas Azagra

C mss. reliquit, et se vidisse testatur Nic. Antonius, qui in hujusmodi veterum monumentis conquirendis, sibique comparandis curiosissimus erat et diligentissimus. Mihi ignotum omnino est an Mayansius eas breves notas typis commiserit.

52. Andream Marcum Burriel editionem Sirmondi cum Azagrensi codice contulisse, lectionisque discrepantiam adnotasse ex Bayerio didici. Et quamvis Burrielus communi omnium plausu celebretur, non ingratum erit tamen ejus laudes ab eruditissimo Bayerio audire in not. ad Biblioth. vet. Nic. Antonii lib. III, cap. 3: *Dracontium Sirmondi cum Toletano Michaelis Ruizii Azagræ sæculi* XI *cod ce contulit, et variantes lectiones adnotavit Andreas Marcus Burriel Soc. Jesu presbyter, magno rei litterariæ damno ante*

D *annos aliquot prœmatura morte abreptus: quas cum plurimis ejusdem stupendi plane laboris atque industriæ fetibus, in regiam bibliothecam Matritensem postea delatas autographasque ad manum habeo.* De codicis ætate confer dicta num. 45. De Burrieli quidem diligentia omnia mihi polliceri debeo; sed si solum varietatem scripturæ inter codicem Azagrensem et editionem Sirmondianam animadvertit, et peculiares suas conjecturas non adjecit, ejus lectiones variantes minus nunc sunt necessariæ, 43 cum in editione Matritensi Dracontius prodierit cum Azagrensi codice, et Sirmondiana editione diligentissime collatus. Animadverto præterea diversum a Dracontio esse Ceponium, cujus Hexaemeron ms. asservabat

Barthius, illud publicaturus lib. CIX Advers., si vixisset. Hunc Ceponium monachum vocat Barthius, sed Nic. Antonius lib. III Bibl. vet., tom. I, cap. 4, putat fuisse episcopum Hispanum sæculi V, ad quem et ad Idacium exstat episcopi Turibii epistola. Barthius ad lib. II, Silv. 4 Statii, vers. 24 : *Vide*, inquit, *Ceponium in Hexaemero, quem nos auctorem Vitæ asserimus suo loco, hactenus nemini nec fando perceptum*. Bayerius in notis ad Biblioth. vet. Nic. Antonii ad hæc Barthii verba reponit : *At quis sit Vitæ auctor, aut quid sibi velit adjunctum* VITÆ, *plane non capio*. Scilicet quod prima littera in *vitæ* apud Barthium majuscula sit, doctissimus vir in has ambages conjectus est. Barthius hoc tantum vult, quod Ceponium asserturus, sive restituturus vitæ erat, cum in tenebris jaceret. De Ceponio consule Fabricium Bibl. med. et inf. Lat.

CAPUT VI.

Editiones Dracontii.

53. Prima editio Dracontii anno 1560, sic inscripta est : *Cl. Marii Victoris* ΑΛΗΘΕΙΑΣ, *seu Commentationum in Genesin lib.* III ; *Epigrammata varia vetusti cujusdam auctoris, inter quæ sunt et aliquot psalmi versibus redditi. Hilarii Pictaviensis episc. Genesis. Cypriani Genesis, et Sodoma. Dracontii de opere sex dierum. Omnia versibus nunc primum e vetustis codicibus expressa. Parisiis M. D. LX. Apud Guil. Morelium.* In-8. De codice ex quo extractum est opus Dracontii, vide num. 29 et 38. In fine sunt quædam breves notæ ad Victorem, qui in initio et fine lib. III Victorius appellatur. Genesis quæ Cypriani dicitur, est fragmentum poematis in Genesin quod ab aliis Tertulliano adjudicatur, ab aliis Juvenco ; ego post sæculum V natum puto, invitis musis et Apolline : de quo plura dixi 44 in prolegom. ad Prudentium pag. 196, et quædam addam cum Juvencum recognoscam, et publicæ luci committam.

54. Secunda editio anno 1564. Hæc est collectio poetarum Christianorum a Georg. Fabricio procurata Basileæ hoc anno in-4 majoris formæ : ex quo alii decepti in-fol. dicunt. Verum de hac editione disserui in proleg. ad Prudentium pag. 88 et seq. Quod attinet ad Dracontium, Fabricius in eo edendo exemplar a Morelio publicatum secutus est, *tribus quatuorve emendatis erroribus*, ut jam exposui num. 30. Joannes Albertus Fabricius in Biblioth. vet. Lat. cap. 4, lib. II, ait in hac collectione G. Fabricii solum librum primum Dracontii exstare, eumque in fine mutilum. Sed advertendum mutilum quidem esse librum hunc Dracontii in editione Moreliana et Fabriciana, sed non in fine : nam 58 versus qui desiderantur pertinent ad narrationem peccati primi parentis, post versum, *Nec circumscriptor*. In suis commentariis, qui posterior est tomus priori rarior, rationem carminum Dracontii habet Fabricius. Titulus hujus secundæ partis est : *In poetarum veterum ecclesiasticorum Christiana opera, et operum reliquias, atque fragmenta Georgii Fabricii Chemnicensis commentarius : in quo non solum res et verba obscuriora explicantur, sed et historica quædam non vulgaria, ipsorumque auctorum vitæ, et ad carminum genera quædam spectantia singulari studio elaborata inseruntur. Basileæ per Joannem Oporinum.* Hoc Fabricii opus ordine alphabetico concinnatum est, utile certe futurum, si post novam uberiorem poetarum Christianorum collectionem auctius correctiusque edatur, notatis præsertim iis quæ censura perstricta sunt in indice expurgatorio Philippi II, jussu et auctoritate juxta sacri concilii Tridentini decretum Antuerpiæ 1571 promulgato.

55. Tertia editio anno 1589, tomo VIII secundæ editionis Bibliothecæ Patrum Parisiis per Margarinum de la Bigne ; quæ cum aliis operibus ejusdem Bibliothecæ in indice expurgatorio anni 1607, per Joann. M. Brasichellensem recognita est ; nihil vero a censoribus in Dracontii poemate de opere sex dierum notatur quod aut censura dignum, aut caute legendum dicatur, 45 ut in plurimis aliorum operibus factum fuit. Solum deleri jussum *D*, aut *divi* in his verbis *D. Dracontii Hexaemeron*. Quod in editione anni 1644 Parisiis præstitum non fuit, in qua tom. VIII, hæc ipsa verba adhuc leguntur initio in catalogo scriptorum. Thomas Itigius in lib. de Biblioth. in Bibliotheca Patrum et doctorum, Lipsiæ 1602, cura M. Joachimi Zehneri, inter alios scriptores veteres ecclesiasticos editos refert Dracontium ; sed in ea Bibliotheca non integra Patrum opera, sed fragmenta quædam videntur inserta.

56. Quarta editio anno 1610, scilicet : *Dracontii Toletani Hispani Hexaemeron, seu de Opere sex dierum et creatione mundi liber singularis cum M. Joannis Weitzii indice glossario, et notis quæ justi commentarii vicem esse possunt, collatis inter se veterum scriptorum maxime SS. Patrum de conditione rerum universalium sententiis. Francofurti typis Wolffgangi, sumptibus vero Petri Kopffii anno* M. DC. X. In-8. Fabricius in Bibl. vet. Lat., lib. IV, cap. 2, annum editionis Weitzianæ assignat 1619, a quo fortasse deceptus est Rodriguezius de Castro, qui in Bibl. Hisp. eodem anno 1619, editionem Sirmondianam et Weitzianam factas affirmat. Cæterum Fabricius in Bibl. medii ævi annum 1610, editioni Weitzianæ recte ascribit. Præmittit Weitzius epistolam Goldasti de Dracontio, quam nonnullis in locis laudavi. Rara est hæc editio Romæ, unumque solum exemplar in Bibliotheca Angelica servari scio. Index glossarius et notæ utiles sunt ; post notas nonnullæ sunt correctiones versuum ex Weitzii aliorumque ingenio excogitatæ, quarum nonnullus mihi erit usus.

57. Quinta editio anno 1616 in Choro poetarum part. 2, in-4, Lugduni, studio Alexandri Fichetti, quod manu in quodam exemplari scriptum vidi : nam editoris nomen typis expressum non est.

58. Sexta editio anno 1618 in Bibliotheca Patrum Coloniæ Agrippinæ tom. IV, pag. 500.

59. Septima editio anno 1619, Sirmondi opera, hoc titulo : *Beati Eugenii episcopi Toletani opuscula,*

Quibus inserti sunt Dracontii libelli duo ab Eugenio eodem olim recogniti. Adjecta **46** *itidem aliorum aliquot veterum scriptorum varia. Parisiis ex officina Nivelliana apud Sebastianum Cramoisy* M. DC. XIX. In-8. Jacobus Sirmondus opuscula hæc Henrico Borbonio, regis filio, episcopo Metensi, dedicat. Præter Eugenium et Dracontium sunt Martini episcopi Dumiensis quædam, Columbani abbatis epistola parænetica ad Hunaldum, Severini episcopi Doctrina, Tironis Prosperi Aquitani Confessio. Michael a S. Josepho in Bibliograph. editionem Sirmondianam ad annum 1617 refert: qui fortasse error est typographicus, nisi hunc annum ille ex Dictionario Moreri, ubi pariter indicatur, exscripserit. De hac editione vide num. 46 et seq. Ante Sirmondum editionem Morelianam omnes secuti sunt, paucis emendatis. Sirmondus ex mss. Hexaemeron auctius et correctius edidit, et Elegiam Dracontii primus publicavit; quem mirifice ob hujusmodi veterum scriptorum editiones celebrat Barthius, cujus hæc sunt lib. XXIX Advers., cap. 2: *Plurimos inferioris ævi scriptores luci vitæque dedit hoc sæculo Jacobus Sirmondus, judicii eximii, lectionis certæ homo, nec nisi bene de antiquitate meritis accensendus.* Et prolixe lib. LI, cap. 4: *Quanta in patientia hæc, et liberalissima studia merita exstent Jacobi Sirmondi, prædicavi hactenus non semel, non potero autem satis extollere, aut æquare verbis, si sæpissime post etiam prædicavero. Tot ille bonis proximos scriptores e tenebris eruit, tot sagaci ingenio, judicio exquisito, certa lectione, industria fideli, monumenta tineis erepta meritæ laudi posterorum restituit, ut cum nomen ejus hominis præferentes ego, quos quotannis bis accipimus, catalogos videam librarios, non possim non exsultare gaudio, et novam animo meo lætitiam de adhuc incogniti alicujus scriptoris lectione polliceri. Non turbent nos in laude et commendatione hujus viri ingenia malivola, quæ pueritiam aliquando nostram, cum ad præconia debuissent, detorquere voluerunt ad insectationes hominum, doctorum licet, non tamen id in religionis nostræ circumstantiis sentientium, quod ipsis videbatur defendendum; non deerimus nos mori candoris nostro, et virtutem clarissimam summis plausibus prosequamur, sic fiet, ut ad nos etiam de bonitate nostra fructus non contemnendus redeat, incitatis* **47** *nimirum illis præclaris viris ad persistendum in instituto suo, quod non frustrari meritis videant præconiis.* Hæc, quamvis longiora, vel in Sirmondi gratiam, vel in nonnullam nostri laboris commendationem libens attuli.

60. Octava editio anno 1624, in appendice Bibliothecæ Patrum per Margarinum de la Bigne, Parisiis, pag. 837, quæ quamvis post Sirmondum facta, adhuc tamen Dracontium mutilum ex editione Moreliana repræsentat. Eodem modo recusus est Dracontius in Bibliotheca Patrum Parisiis 1644, tom. VIII, et rursus ibid. 1654, tom. VIII, si tamen diversæ hæ sunt editiones, et non sola prima frons discrimen præfert. Primum exemplar vidi ego, alterum Itigius lib. de Bibliothecis.

A 61. Nona editio anno 1651 per Andream Rivinum, qui longissimam hanc inscriptionem apposuit: *Dracontii Hispani libellorum biga: quorum prior de opere sex dierum, et creatione mundi Hexaemeri titulo pridem, sed* CXI *versibus mutilus editus fuit, scriptus heroico metro; alter vero posterior elegiaco postfatio quasi quædam est, et præcedanei illius pariter, atque suiipsius ad Deum, et ad regem Theodosium Juniorem Augustum excusatio primum vigesimo* [corrige *trigesimo*] *abhinc anno Parisiis prodiit, nusquam alibi excusus: nunc vero utrumque, et in primis Hexaemeron illud, sive de machina mundi post Eugenium Toletanum episcopum* [*cujus simul hic apposita est Septidui recapitulatio, ut et epigrammata reliqua, aliaque poematia subjuncta reperies*], *item post Georg. Fabricium,* B *Joann. Weitzium, Jac. Sirmondum, Casp. Barthium, Sim. Töelmannum, Wolf. Seberum, etc., restitutum integre emendavit, in eoque confusa distinxit, et commodiorem, atque faciliorem ad sensum obscura redegit, notisque prioribus aliorum selectis, novis quoque auxit et illustravit Andr. Rivinus D. et PP. Lipsiæ. Æra Dionysiana* MDCLI. In-8. Videtur esse error in numero versuum qui in primis editionibus deesse dicuntur: solum enim desiderantur 58 versus, cum Adami peccatum describitur, et unus versus cum formatio Evæ narratur. Scilicet in editione Moreliana sunt versus 575, in Sirmondiana 634 præter Eugenii præfationem. Leyserus in Histor. poet. medii ævi **48** hunc errorem castigavit, qui simul notat admitti non posse quod in eadem fronte libri dicitur, anno vicesimo ab C anno 1651 primum prodiisse Dracontium, opera Sirmondi posteriori libro auctum. Verum id ipse Rivinus animadvertit, et *trigesimo* pro *vigesimo* correxit in fine libri: melius correxisset *trigesimo secundo*. In libello exiguo multi nec leves hujusmodi typographici errores irrepserunt, quod libris in Germania editis satis frequens est. Editores quidem causam in nundinas proximas et bibliopolas urgentes solent rejicere; sed non sine magno emptorum damno morem venditoribus gerunt: ut enim recte ait Dracontius lib. I, vers. 613,

Damna aliena solent aliorum lucra parare.

Rivinus tamen magna ex parte eos errores in fine libri emendavit. Sed in hac ipsa serie errorum quos D corrigit, plures alii novi occurrunt, ut serio inspexerim an alius esset index qui de his erroribus moneret. Conjecturas Rivini in Dracontium suis locis indicabo; quas interdum probabiles esse, sed plerumque non necessarias, facile quivis animadvertet. Leyserus, qui collectionem poetarum medii ævi parabat, ut refert in hist. eorum, Dracontium quarto loco ex editione Rivini recudere constituerat. Sed effectu caruit ille apparatus.

62. Decima editio anno 1677, in Bibliotheca Patrum Lugduni tom. IX, ex ea quam Sirmondus adornaverat.

63. Undecima editio 1696, inter alia Sirmondi opera in-fol. tom. II, cura Jacobi de la Baune, qui in præfatione et ad marginem Dracontii quædam adno-

tavit. Repetita est hæc editio Venetiis 1728 cum nonnullis notis ad Dracontium ex Adversariis Barthii typis Bartholomæi Gavarina; et rursus ibid. 1778, quod alicubi notatum legi.

64. Duodecima editio anno 1773, in Bibliotheca Patrum Gallandii cura et studio, Venetiis ab anno 1765 et seqq. publicata, tomo IX hoc anno 1773 excuso. Gallandius breves notationes addidit Dracontio ex Barthio, Baunio editore operum Sirmondi, et Heumanno.

65. Decima tertia editio anno 1782, inter opera Patrum Toletanorum ad codices mss. recognita, et nonnullis notis illustrata **49** opera, auctoritate, et expensis eminentissimi cardinalis Francisci de Lorenzana archiepiscopi Toletani, Hispaniarum primatis, Matriti, apud Joachimum Ibarra, in-fol. Tomo I, pag. B 34, exstant Dracontii libelli ad codicem Azagrensem recogniti, variantibus lectionibus margini ascriptis. Tomus II prodiit ibidem anno 1785. Elegantissima est hæc editio Patrum Toletanorum, ex qua singularem editoris eminentissimi doctrinam, meritaque plane eximia in ecclesiasticas litteras facile possis agnoscere : qui nos etiam exemplo, ope, libris, quos plures ipse suos, aliorumque in publica commoda typis vulgavit, ac litteratis hominibus dono dedit, ad hæc veterum Patrum monumenta illustranda excitavit. Dracontii carmina edita simul sunt cum carminibus aliisque operibus B. Eugenii : utraque auctiora hic sunt, quam apud Sirmondum, præcipue Eugenii opera.

66. Bayerius in not. ad Bibl. vet. Nic. Antonii C quædam indicat, quibus editio operum Eugenii adhuc augeri posset, inter quæ refert, recenseri in Historia bibliothecæ Cottonianæ, pag. 35, col. 2, codicem Psalterii Davidici ante mille et amplius annos exaratum, cui assutus quinternio satis antiquus cum epigraphe, *Oratio Eugenii Toletani versibus :* quæ incipit, *Rex Deus immense, quo constat machina mundi, Quod miser imploro, tu Christe perfice clemens.* Addit Bayerius hæc non abludere ab Eugenii Toletani genio. Vere judicat, nisi quod Eugenius potius dixisset, *Christe tu perfice clemens*, vel alio modo, ne ultimam in *Christe* nulla ratione produceret. Sed Bayerius observare potuit hanc ipsam orationem legi inter carmina Eugenii tam in editione hac Matritensi, quam D in Sirmondiana ; imo esse primum Eugenii carmen post præfationem. Hæc tamen est discrepantia, quod primus versus in his editionibus ita habet : *Rex Deus, immensi quo constat machina mundi :* secundus versus : *Quod miser Eugenius posco, tu perfice clemens.* Quod reformatum opinor ad usum ecclesiarum, in quibus ea oratio canebatur, neque oportebat Eugenium nominari, cum alius pro se oraret. Aliter reformatum est apud Browerum in fine notarum ad Venantium Fortunatum, *Quod miser imploro, per Christum perfice mitis.* Quasdam alias varietates in reliqua oratione **50** observare licet apud Browerum. In primo versu verius puto *Rex Deus immense, quo.* Epistola Dracontii, ut in mss. Vaticanis legitur, incipit, *Rex* A *immense Deus :* in editis nunc legitur, *Rex æterne Deus.* Illa ipsa oratio Eugenii episcopi Toletani in catalogo mss. bibliothecæ regiæ Parisiensis indicatur codice 528, cod. 2085, cod. 5371. In codice Vaticano Alexandrino 1360 aut 2078 exstant quædam Eugenii carmina, et inter alia *Oratio ejusdem Eugenii*, quæ in nonnullis verbis discrepat ab editione Matritensi, sed in duobus primis versibus cum ea consentit. Ven. cardinalis Thomasius in suo Hymnario eamdem orationem edidit sub Eugenii Toletani nomine, cui ab Alcuino in officiis per ferias ascribi animadvertit : legit autem, *Rex Deus, immensi quo constat machina mundi, Quod miser imploro, tu Christe perfice clemens.*

CAPUT VII.

Dracontii duo codices mss. bibliothecæ Vaticanæ, cæteris auctiores, quorum nulla mentio apud alios.

67. Hactenus de Dracontio quæ alii docuerunt exposui : sequitur ut codices duos Vaticanos, a nemine antea collatos, nunc describam. Primus est bibliothecæ Urbinatis num. 352, membranaceus in-fol. maximo, elegantissime et multis versicoloribus litteris exaratus. Opera in eo varia continentur, quæ in pulcherrimo circulo initio libri præfixo circum undique indicata sunt. In fine ætas codicis et nomen exscriptoris adnotatur his verbis : *Federicus Veteranus Urbinas transcripsit anno salutis* MCCCCLXXXI *id. Aug.* Pulcherrime litteras formabat Veteranus : neque tamen ejus nomen video inter exscriptores codicum bibliothecæ Laurentianæ a Bandinio diligenter recensitos. Operum quæ codex complectitur non tantum ordinem referam, verum etiam notitiam aliquam exhibebo.

68. Primo loco occurrit *Anticlaudianus de beato Puero*, nullo auctoris indicato nomine in codice; sed constat esse Alanum Magnum, de quo agunt Bailletus in libro de Scriptis **51** *Anti*, et Fabricius in Bibl. med. et inf. Lat. Novem sunt libri, quos sub hoc titulo *de beato Puero* a nemine laudatos vidi. Etsi autem alii aliter putant, tamen assentior his qui affirmant carmen ab auctore *Anticlaudianus* fuisse inscriptum, quia Claudianum imitari, ejus scilicet stylum exprimere conatus est, ut vel ex primis versibus colligi potest :

> Auctoris mendico stylum, phalerasque poetæ,
> Ne mea segnitie Clio dejecta senescat.

Neque enim *anti* semper *contra* in compositiones significat : sic ἀντιβασιλεύς non est contra regem, sed prorex, vel qui regis locum obtinet.

69. Anticlaudiano succedit Arator. Sed cum hujus carmina cum hoc et aliis codicibus contulerim, de eo disserendi locus opportunior non deerit, ut spero. Tantum monebo duorum librorum distinctionem, quæ in aliis codicibus expressa est, in hoc codice non apparere.

70. Post Aratorem exstant Æsopi apologi hoc titulo : *Esopi Phrygii Fabulæ, dictæ apologi, traductæ in linguam Latinam incipiunt.* Laurentius Zaccagnius manu sua hanc notam margini adjecit : *Versio aucto-*

ris antiqui a Phædro diversi, quæ exstat etiam in codice Vaticano num. 2868, *fol.* 53. Neque id sane in dubium cadere poterat : nam versus hujus operis sunt elegiaci, versus Phædri iambici liberiores. Illud potius quærendum fuisset, an auctor harum fabularum esset Avienus. Verum mihi utrasque conferenti discrimen illico patuit. Auctorem esse Christianum ex his prologi versibus colligo :

Ut messis pretium de vili surgat agello,
Verbula sicca, Deus, comple rore novo.

Neque enim poetæ ethnici ita loqui solebant. Obiter verbum unum in vers. seq. emendabo :

Verborum lenitas morum fert pondus honestum.

Pro *lenitas* legam *levitas*, ut metro consulam. Philippus Labbeus in Nov. Bibl. mss., sive Specim. antiq. lect., dum recenset poetas quorum carmina nondum edita vulgare conabatur, pag. 66 memorat Æsopi Fabulas versibus elegiacis ex codice regio 893, quarum initium erat :

52 Ut juvet, ut prosit, conatur pagina præsens,
Dulcius arrident seria picta jocis.

Eæ sunt certe fabulæ quæ reperiuntur in hoc codice Vaticano : nam initium idem est utrobique. Labbeus nondum inquisierat, an fabulæ codicis regii eædem essent ac fabulæ codicis cujusdam Vigneriani inscripti *Liber Hisopi*, in quo erat fabula sat longa de lupo et opilione. In codice Vaticano postrema est fabula de lupo et pastore, sed satis longa non est. Inter Marbodi carmina col. 1169 legitur fabula de fraude a lupo opilioni facta, quæ ita quidem longa est, ut hac ex parte eadem ipsa esse possit quam Labbeus laudat. Leyserus in Hist. poet. med. æv. ad ann. 1314, pag. 2007, profert fabulas cujusdam Adolphi contra mulieres, quæ distinctæ longeque diversæ sunt a fabulis codicis Vaticani.

71. Post fabulas in codice sunt *Epigrammata Prosperi ex S. Augustino :* quæ sæpius edita sunt, sed hæc cum editis conferri debent, et a me, si vacabit, conferentur. Præmittitur epigramma quod ab editis abest, sed a Mansio in Additionibus ad Bibl. med. et inf. ævi Fabricii productum fuit ex codice Francisci Mariæ Florentinii. Versus ultimus in Mansio mendosus est, *Si demum cœli cupiunt qui scandere regnum.* Noster codex habet, *Sidereum cœli*, etc.

72. Sequitur carmen inscriptum *Evax rex Arabum, De virtutibus lapidum*, quod incipit :

Evax rex Arabum fertur scripsisse Neroni,
Qui post Augustum regnavit in orbe secundus.

Auctor in codice non nominatur, sed est Marbodus; qui ait, se Evacis libros in compendium redegisse. Adisis Fabricium in Bibl. med. et inf. Latin. et opera Hildeberti et Marbodi Parisiis 1708 edita.

73. Succedit poema de judicio extremo, cujus apud alios mentio nulla mihi occurrit. Inscriptio est *Crisias*. Libri sunt tres. Primo præmittitur titulus hic : *Incipit liber primus Crisiados de signis præcedentibus judicium.* Initium:

Huc age, Calliope, cœtu comitata sororum,
Huc propera, plectrumque tene, citharamque sonantem.

A 53 Liber secundus est *de Adventu Antichristi*, quem *Antitheon* vocat poeta. Liber tertius *de Morte Antichristi, resurrectione mortuorum, et forma judicii.* In catalogis codicum mss. quædam indicantur carmina de *Judicio;* sed quæ ab hoc poemate diversa esse facile sit arguere. Montfauconius inter codices reginæ Sueciæ enumerat anonymi carmina *de signis judicii* num. 1360, simul cum Theodulfo, Avito et aliis. Vidi hunc codicem, qui nunc est Alexandrinus num. 2078. Versus illi de judicio solum sunt 25 hexametri, quorum mentio fit apud Saresberiensem de Nug. curial. lib. II, cap. 5, sed in hoc codice mutili et imperfecti sunt; primus ita habet :

Judicii signum, tellus sudore madescit.

Idem Montfauconius pag. 1136 ex bibliotheca B Germanensi indicat Sibyllæ versus *de Die judicii* cod. 675, qui videntur esse versus de judicio codicis Vaticani nuper laudati. Nam Antonius Beaugendre congregationis S. Mauri in editione operum Hildeberti et Marbodi ante memorata col. 1630 inter carmina varia Marbodi edidit eos versus velut ineditos cum titulo, *Versus sibyllæ de Die judicii.* In primo versu recte habet *madescet*, in ultimo *Decidet e cœlo ignisque et sulphureus amnis*, mallem *e cœlis ignis, et sulphuris amnis.* Occurrunt hi versus inter opera Bedæ, tom. II, Basileæ, 1563, pag 353, et diversis verbis in libris Sibyllinis. Veteres Christiani hujusmodi sibyllinos versus ad judicium extremum probandum proferebant : ex quo in prosam, sive sequentiam Defunctorum permanavit :

C Dies iræ, dies illa
Solvet sæclum in favilla,
Teste David cum sibylla.

Multo magis ab hoc poemate differunt quidam versus ametri, inscripti *de Extremo Judicio*, quos affert Leyserus in Hist. poet. med. æv., pag. 2091, sive ex correctione 1191. Initium est :

Quatuor de partes mundi sunt angeli missi.

Inter carmina Tertulliani legitur etiam liber unus de judicio Domini, diversus tamen a poemate hujus codicis Vaticani. Auctor antiquus mihi videtur multis de causis, quas exponere in aliud tempus differo. Conjicere autem licet auctorem esse Verecundum 54 Africanum episcopum, quem duos modicos brevesque libellos carmine dactylico edidisse, primum de resurrectione et judicio, alterum de pœnitentia, Isidorus cap. 7 de Vir. illustrib. testatur. Liber Verecundi de pœnitentia exstat Toleti in celebri illo codice Azagræ de quo dixi num. 41, cujus si nactus fuero apographum, tutius de re tota judicium proferre potero. Non desunt qui Verecundi carmen de Judicio illud ipsum dicant esse quod Tertulliano affingitur.

D

74. Ignotus alius poeta sequitur in eodem codice; sed peculiaria quædam de eo commemorantur, a nobis non omittenda, ex quibus alii fortasse verum auctorem deprehendent. *Quidam Calaber de raptu Proserpinæ. Cujusdam nobilis viri militis et poetæ clarissimi liber incipit ad Vespasianum Surrentinum ejus*

socium et amicum. Post hanc inscriptionem incipit elegia ad Vespasianum :

> O custos animi Pylades nunc alter Oresti
> Cognite sæpe mihi Vespasiane vale.

Scribitur *Pilades* et *Horesti*. Post elegiam, quæ vices prologi gerit, incipit carmen :

> Ille ego, qui tenui modulatus carmina culmo,
> Eurydices cecini quondam grave vulnus, et iram,
> Infernosque lacus linquens majore cothurno
> Punica bella simul, et mutua vulnera gentis
> Ausoniæ, Pœnique ducis cum dira paravit
> Pessima Tesiphone bellorum semina : sed nunc
> Immensos æstus Cereris, longosque labores...

Ita porro pergit argumentum proponens. In fine epitaphium hoc legitur :

> Sicula me genuit tellus, nutrivit amica
> Terra suis Calabris, Roma cadaver habet.
> Exsulat a patria corpus, non exsulet, ora,
> Lector, ab auctore spiritus ipse suo.
> Spiritus in varias auræ dum prosilit umbras,
> Tristitias liquit, hospita terra, tuas.
> Sed repetit, lector, quod terris abdidit arcto
> Tempore, quo tutum me fore, quæso, roga.

55 Ita hos versiculos scripsi, quædam verba corrigens : nam scriptum erat vers. 3 *non exsulat ora*, vers. 4 *ab actore*, quod tamen retineri posset, vers. 5, *Spiritus in auras varias dum presuit umbras*, et vers. 7, *arto* pro *arcto*.

75. Anonymo isti poetæ sive Siculo, sive Calabro succedit in codice *Bonini Mombritii ad sanctissimum dominum Syxtum quartum summum pontificem de Dominica passione liber primus*. Elegia ad pontificem prologi loco est : sequitur carmen heroicum, constans sex libris, de quo, uti de auctore ipso videri potest Sassius Histor. typogr. Mediolan. pag. 146. Carmen de passione dominica ad Xyxtum IV editum fuit Mediolani anno 1481. Præcipuum Mombritii opus sunt Vitæ sanctorum, cujus editio, ab ipso duobus voluminibus in-fol. vulgata, splendida est, rara, magnoque nunc opere quæsita.

76. Postremum locum in hoc codice occupat Dracontius, sed sub alio nomine. Sic enim carmen ejus inscribitur fol. 260 : *Augustini de Deo. Aurelii Augustini de Deo liber incipit feliciter*. Et in fine : *Finis. A. Augustini de Deo*. Et illico adnotatur exscriptoris nomen, ut dixi num. 67, neque aliud in hoc codice occurrit. Cum totum hoc carmen de Deo Dracontium auctorem certo habeat, ut mox ostendam, supervacaneum sit quærere cur nomen Augustini, non Dracontii præferat. Passim enim in mss. codicibus id evenit, ut unius opus alteri affingatur; cujus rei illa sæpissime causa est, quod librarii antiqui multa opera in unum volumen compingebant et commiscebant. Hinc factum fuit ut plerumque auctor, qui primus apparebat, cætera sequentia omnia opera ab aliis crederetur confecisse, præsertim quia interdum auctoris nomen aut omissum fuerat, aut temporis injuria aliove casu deletum. Fortasse etiam Dracontio nomen fuit Aurelius, quod ab aliquo librario solum operi præfixum occasionem aliis dederit, ut Aurelium Augustinum esse existimarent. Quod enim Dracontius alia etiam nomina habuerit, ex more ejus temporis arguitur, quo viros nobiles quatuor aut quinque nominibus appellatos fuisse compertum est. A Contingere etiam potuit ut carmen Dracontii, ex Hispania in Africam delatum, inter Augustini 56 schedas repertum alicui causam inscribendi nominis Augustini præbuerit. Ob similes casus plura opera Patribus, quorum vere non erant, attributa sæpe sunt.

77. Multo vero magis est mirandum, Dracontii poema, sub Aurelii Augustini nomine descriptum, diligentiam editorum S. Augustini, præsertim Maurinorum ita fugisse, ut nullum de eo verbum fecerint. Oportebat enim moneri lectores, exstare quidem hujuscemodi carmen sic inscriptum, sed Augustinum auctorem non esse. Neque in ipsa Bibliotheca bibliothecarum mss. Montfauconii, aut in aliis similibus catalogis vestigium hujus poematis invenio aut Dracontio, aut Aurelio Augustino ascripti. Montfauconius in bibliotheca Vaticana reginæ Sueciæ cod. B 1336 commemorat *Versus Augustini et Hieronymi*, et rursus cod. 1587, *Carmina nonnulla Augustini, Platonis, Aviti, Juvenci et Fortunati*. Verum hi pauci quidam versiculi videntur esse qui sub Augustini nomine in aliis etiam catalogis indicantur. Liber ejusdem S. Augustini de orando Deo ad Probam, Hexaemeron ejus, et excerpta ex hoc opere ad Dracontii poema nullo modo attinent. In bibliotheca San-Germanensi Montfauconius pag. 1125 codicem 125 enuntiat, ubi sunt S. Ambrosii opus *de Sacramentis*, *S. Augustini quædam*, *Hildeberti Cenomanensis episcopi versus de Deo*. Neque in his versibus carmen Dracontii intelligi debet : nam inter Hildeberti carmina edita multi sunt versus, qui eo titulo insigniri C possent. Istiusmodi inscriptiones *de Deo* apud poetas Christianos plures invenies, ut versus Victorini Pictaviensis, sive Fabii Marii Victorini Afri, cui rectius tribuuntur, *de Jesu Christo Deo et homine*. Carmen *de Deo homine* inscriptum edidit etiam Joannes Baptista Mantuanus. Simili titulo Didaci Josephi Abadii Mexicani Cesenæ 1780 poema prodiit *de Deo, Deoque homine Heroica* : quæ tertia est editio operis multorum laudibus celebrati.

78. Jam vero Dracontii carmen de Deo in tres partes divisum est : etsi enim trium librorum aut partium mentio non sit in codice expressa, quemadmodum in eodem Aratoris duo libri nullo modo distinguuntur, ut dixi num. 69, ea tamen distinctio et separatio partium Dracontii adhibetur, litteris etiam D 57 initio cujusque libri maximis descriptis, et peculiari artificio elaboratis, ut tres libros distincte enumerare opportunum visum fuerit : cui divisioni series ipsius argumenti, et cujuslibet partis exordium favet. In primo libro post versus 116 eodem orationis filo connectitur narratio de opere sex dierum, *Prima dies nam lucis erat*, etc., quæ edita pridem est sub titulo *Hexaemeron Dracontii*, sive *de Opere sex dierum*, hoc initio : *Prima dies lux est terris*, etc. Sic deinde liber progreditur usque ad versum 755, *Quo te promittis*, etc., cui etiam adjungitur hemistichium, *Omnipotens æterne Deus*, tanquam versus extremus primi libri. Post hoc hemistichium, intercapedine et distinctione quam dixi adhibita, in-

cipit liber secundus, *Inventor, genitor*, etc. Verum A satis per se liquet hemistichium *Omnipotens æterne Deus* initium esse libri secundi, non finem libri primi : quod fortasse ab ignaro librario cum fine libri primi conjunctum est, ne versu, quem mutilum et imperfectum invenerat, librum secundum inchoaret, eoque modo initium hujus libri minus venustum atque elegans redderet. Liber secundus, comprehenso hoc hemistichio, procedit usque ad versum 808, *Agmina condemnant*, etc. Tum alia divisione interposita, liber tertius incipit, *Luminis æterni*, etc., usque ad versum ultimum, *Additus insonti populo*, etc., qui est 682. Ubi animadvertendum est utrumque librum secundum et tertium a Dei invocatione exordium habere.

79. Etsi autem codicis ætas recens sit, tamen ex B antiquissimo volumine eum transcriptum esse, non levia sunt indicia. Hoc enim innuunt lacunæ, quæ præsertim paulo post initium occurrunt, et versus inchoati, nonnunquam a prima sola littera, quod ideo factum apparet, quia temporis vetustate aliæ litteræ jam evanuerant. Fortasse hinc etiam frequentes errores qui in codice notantur profecti sunt, quod librarius characterum formam et vim non satis assequeretur. Locum autem vacuum relinquebat ubi versus aliquis aut verba deerant, ut ex alio codice, si alicubi compareret, possent suppleri. Quod si ea omnia vitia, quæ nunc in codice cernuntur, in antiquiore volumine exstabant, censendum est Augustini nomen, quod titulus præferebat, eruditum aliquem virum impulisse ne hoc **58** poema penitus perire C permitteret. Ac fortasse nunc hoc qualicunque Dracontii opere careremus, nisi falso titulo aliquando fuisset ornatum. Ratio scribendi in hoc codice hæc fere est, *herebus*, *hyatus*, *cohercens*, *cathena*, *catherva*, *temptator*, *totiens*. Cætera nihil aut non multum differunt a communi orthographia. Interpunctio nulla est, ac solum duo puncta aliquando apponuntur, sed temere, et ubi nihil illis opus erat, aut etiam ubi sensus ea omnino respuit.

80. Secundus Dracontii codex, quo usi sumus, multo majoris est pretii, si antiquitatem ejus diligentiamque qua exaratus est, sine mendis aut sane cum paucis consideremus : alioqui Dracontii in eo nihil est aliud, nisi Elegia, sive Satisfactio ad regem Wandalorum. Codex hic Vaticanus est bibliothecæ reginæ D Sueciæ num. 508 aut 1267 membranaceus, quo varia opera continentur, ut Euclidis Elementorum libri sex, Boethii de Arithmetica 37 capita, Algebra incerto auctore, tractatus de Sphæra incerto auctore, Practica Quadrantis incerto auctore, Kalendarii Elucidatio, versus Marci poetæ de S. Benedicto, qui conferendi sunt cum editis a Mabillonio Act. SS. ord. S. Benedicti tom. I.

81. Post hos versus Marci legitur Elegia Dracontii, quod ultimum est in hoc codice opus. Titulus nullus præponitur, sed locus relictus est vacuus, quo posset ascribi. Elegia in hoc codice integra est, exceptis paucis verbis quæ desiderantur : constat distichis 158. Apud Sirmondum solum sunt 99, post quæ Rivinus adnotavit : *Cætera desiderantur*. In editione Matritensi ex codice Azagræ addita sunt 11 disticha. In nostro codice finita elegia, eadem antiqua manu additur : *Explicit satisfactio Dracontii ad Guthamundum regem Guandalorum, dum esset in vinculis*, quod litteris majoribus scriptum est. Alia opera hujus codicis diversam manum atque ætatem præferunt. Versus Marci de S. Benedicto, et Satisfactio Dracontii eodem charactere sunt scripta, qui peculiaris est, multumque aliis qui vulgo noti sunt dissimilis. Trombellius, in opusculo de Arte cognoscendi ætatem codicum, cap. 14, hujus characteris nonnullas litteras exhibet : cujus generis paucos codices in Italia **59** viderat, sed in bibliotheca Vallicellana Romæ plures asservari audierat, quos ex Hispania allatos Joseph Blanchinius ipsi asseruerat. Postea etiam rescivit hunc eumdem esse characterem qui Italice dicitur *gothico cordellato*, et cujus adhuc usus est in quibusdam bullis pontificiis. Statuit Trombellius hunc characterem in codicibus proprium fuisse sæculi XI circiter. Equidem in bibliotheca Vallicellana nonnulla lectionaria ad usum ecclesiarum vidi hoc charactere exarata, quæ ad sæculum X aut XI videntur pertinere, et fortasse sunt illi ipsi codices quos ex Hispania huc advectos Blanchinius affirmabat. Membranæ Vaticanæ quibus Satisfactio Dracontii descripta est, mihi certe sæculo XI posteriores non videntur. Exemplar simile hujus characteris habemus in præfatione commendatissimi cardinali Francisci Lorenzana ad Breviarium Isidorianum pag. 26, ex codicibus gothicis ejus Breviarii qui in bibliotheca Toletana asservantur. Interpungendi ratio valde singularis est in hoc Dracontii codice : unum punctum apponitur in fine cujuslibet hexametri, unum punctum et aliud cum virgula in fine pentametri. Illud vero magis observandum interrogationis notam quamdam verbo ubi incipit interrogatio semper affigi. Hispani nunc hunc morem invehere conantur, ut interrogationis consuetam notam relinquant quidem post ultimum interrogationis verbum, sed eamdem notam inversam verbo unde incipit interrogatio, præfigant, quo legentium commodo consulant. Ex laudato codice Vaticano specimen characteris æri incisum exhibemus.

CAPUT VIII.

Dracontius carminis de Deo, et Satisfactionis auctor.

82. Cum in codice Vaticano poema de Deo Aurelio Augustino tribuatur, Dracontii vero nomen non compareat, quæret fortasse aliquis primum, cur illud S. Augustino abjudicemus, deinde cur Dracontium auctorem **60** esse certo statuamus. De Satisfactione minor est dubitandi ratio ; nam codex Vaticanus differt quidem a cæteris codicibus in exponendo argumento, sed de auctore Dracontio cum eis plane consentit. Nonnullus tamen scrupulus eximendus est, quod Barthius ad Claudianum pag. 507 dubitet, ut ait Rivinus, an eam epistolam correctori potius Dracontii quam ipsi Dracontio adjudicet ; quanquam

Barthius non dubitat an Dracontius hanc elegiam scripserit, sed an versus quos ipse laudat ad vers. 87 in III consul. Honorii ex elegia, *Quod pereunt hostes*, etc., Dracontii sint, an potius Eugenii, qui Dracontii epistolam correxit. Eadem igitur opera conficiemus Dracontium, ac neminem alium, auctorem esse poematis de Deo et Satisfactionis, scilicet ex connexione partium poematis inter se, convenientia argumenti, sententiarum, phrasium, verborum carminis de Deo cum Elegia, et versuum qui nunc primum prodeunt, cum aliis jam editis, et quos Dracontii esse constat.

83. Versus *Hexaemeron*, sive *de opere sex dierum* inscripti, qui sæpius jam typis impressi, sub Dracontii nomine prodierunt, quin ejus sint nemo dubitat. Quod si quis nunc dubitaret, quia in codice Vaticano poemati quod Aurelio Augustino ascribitur inserti sunt, levi negotio revinci posset auctoritate Isidori, qui non solum Hexaemeron Dracontio attribuit, verum etiam versum ex hoc opere, auctoris Dracontii nomine laudato, profert; Eugenii etiam et Ildefonsi, quorum ille Dracontii hoc quod exstat Hexaemeron reformavit, hic emendationem Dracontii ab Eugenio factam in hujus elogio retulit, ut supra capitibus 1, 2 et 3, fuse explicuimus. Omitto Augustinum multis in locis docuisse mundum eodem temporis momento conditum fuisse, distinctionem sex dierum allegoricam esse, cum Dracontius contrariam magisque communem sententiam de opificio mundi revera sex dierum spatio peracto teneat et exponat. Quod autem epistolæ auctor Dracontius sit, non Eugenius, colligitur ex Isidoro, qui multo ante Eugenium versum unum ex ea episto'a, sine auctoris tamen nomine, excitavit, ut dixi num. 8. Etsi, ut verum fatear, non tam efficax est hæc ratio quam multis videri possit: nam si **61** poeta aliquis Isidoro antiquior, sive Dracontius is fuerit, sive alius, ejusmodi versum inter alios suos fecisset, potuit is versus ab Isidoro commemorari, et deinde ab Eugenio in epistolam inseri, ut solebant veteres Christiani poetæ ab aliis antiquioribus hemistichia nonnulla versusque integros mutuari, quod in Dracontio etiam observabimus. Attamen dum aliud non constat, probabilis est per se hæc ratio, ne Eugenium auctorem epistolæ dicamus, multoque probabilior redditur, si cum codicibus mss. conferatur, qui mirifice consentiunt in auctore epistolæ designando Dracontio. Quo pertinet supplementum Eugenii de die septimo non statim post Hexaemeron, sed post epistolam collocari, ne lib. II Dracontii (ita enim vocatur in his codicibus epistola) a libro I separaretur, interposito Eugenii supplemento.

84. Sed quid opus est conjecturis? In codice nostro Vaticano epistola scripta dicitur ad regem Vandalorum, quod ita esse verum, ex versibus ipsis postea confirmabo. Non ergo eam composuit Eugenius, qui post excisum Vandalorum imperium floruit. Alia multa sunt in epistola quæ Eugenio minime convenire possunt, ut postea patebit. Itaque Dracontius certus ejus auctor habendus est. Quo posito, inspicienda nunc est connexio utriusque operis. Carmen de Deo in codice Vaticano cum versibus jam editis Hexaemeri adeo connexum est, ut hos partem ejusdem operis esse evidentissimum sit. Enimvero si hos versus de opere sex dierum attente consideres, facile percipies eos ab uno quodam longiori poemate esse avulsos. Primus versus in editis hic est:

> Prima dies lux est terris, mors una tenebris.

Quis non videat hoc non esse exordium ejus qui de opificio sex dierum scribere instituisset? Ineptum enim est, cum argumentum non sit propositum, exordiri, *Prima dies lux est terris*. Rivinus, etsi id non animadverterit, tamen mendum in hoc primo versu deprehendit. Non enim recte mentio terræ prima die fit, cum hæc tertia die apparuerit aut creata fuerit, ut etiam ipse Dracontius exponit paulo post in tertia die vers. 150 lib. I:

> Ipsa dies terram meruit de fluctibus actam:
> **62** Eruitur tellus vasto demersa profundo.

Rivinus hoc mendum ita emendare voluit:

> Prima dies lux est tetris mors una tenebris.

Sed vera lectio petitur ex conjunctione hujus versus cum his qui præcedunt in carmine de Deo vers. 115 lib. I:

> Per tot facta Deus quod sexta luce creavit,
> Prima dies nam lucis erat, mors una tenebris.

85. Ex fine etiam versuum de opere sex dierum simili modo colligitur poema nondum esse finitum. Ita ait Dracontius lib. I, vers. 747:

> Aspice despectum, dejectum attolle parumper,
> Confusumque juva, quia pœnitet esse nocentem,
> Ut valeam memorare tuas hoc carmine laudes,
> Quas potero.

Adhuc igitur Dracontius in laudibus Domini carmine hoc prædicandis vult immorari, quod libris duobus sequentibus egregie præstitit. Confer nunc versus 665 seq. libri III, prope finem:

> Servatum reparare jube pietate sueta,
> Ut merear cantare tuas per carmina laudes.

Agnoscitur idem auctor utriusque libri, sed qui in primo libro laudes Dei celebrare eodem carmine ulterius procedente constituerat, in extremo libro gratiam sibi a Deo ad alia carmina et ad aliud tempus postulabat. Ac propterea addit vers. 670 lib. III:

> Sed quis opus narrare tuum sermone valebit?
> Suspexisse Deum s tis est de corde trementer,
> Et lacrymis precibusque piis veneranter adire.

86. Inscriptio ipsa *Hexaemeron*, sive *de Opere sex dierum*, quamvis vetus sit, et S. Isidoro antiquior, tamen minus apte tribuitur collectioni versuum qui hoc titulo vulgati sunt. Maxima enim pars eorum ultra sex dies progreditur. Ut enim concedamus Evam die sexto fuisse conditam, solum 299 versus a versu 116, *Prima dies* usque ad versum 416, *Dixerat ista Deus*, in opificio sex dierum enarrando versantur; reliqui 338 usque ad finem lib. I, peccatum primorum parentum sententiamque Dei exponunt; et quoniam argumentum auctori propositum est Dei laudes ex rebus creatis prosequi, præcipue **63** vero ejus adversus homines benignitatem extollere, multa

in rem suam congerit de miti sententia qua pietas Dei non minus quam justitia eluxit, de bonis quibus homines e paradiso ejectos frui permisit, et de resurrectione mortuorum, quam multis argumentis probat, ut magis magisque de misericordia Dei certos nos reddat: ita enim Deus hominem morte mulctavit, ut immortalitati ejus per resurrectionem corporum provideret. Imo vero etiam illis versibus quibus opus sex dierum Dracontius enarrat, id unum agit (quod Sirmondus quoque agnovit), ut Dei sapientiam et bonitatem erga homines commendet, in suo argumento semper insistens. Ita enim ad hanc narrationem aggreditur:

Quis genus humanum nescit servare volentem,
Auctorem dominumque Deum, cui contulit orbem,
Per tot facta Deus quod sexta luce creavit.
Prima dies nam lucis erat.

B

Post narrationem vero vers. 427 ita concludit:

Tot bona facta Deus non obliviscitur unquam,
Quæ propter homines fecit, sanxitque manere.

Et prius vers. 339 de animantibus dixerat:

Terrigenis factura cibos post cuncta creandis.

S. Eugenio opus Dracontii *semum*, ut ipse loquitur, vel *semiplenum* ut exponit Ildefonsus, videbatur, quia de die septimo tacuerat. Sed vera ejus rei ratio est quod Dracontius carmen de opere sex dierum non texebat, sed aliud amplioris argumenti de Deo, sive de Dei laudibus ex ejus operibus; adeoque opportunum non erat ut de otio diei septimi verba faceret, quod uberius num. 19 confirmavi.

87. Præterea multa alia sunt in versibus qui a me nunc primum eduntur et in aliis olim vulgatis inter sese partim simillima, partim connexa: quorum nonnulla nunc indicabo, alia in notis ad carmina animadvertam. Lib. I, vers. 2:

C

Agnoscent quod templa poli, quod mœnia cœli
Auctorem confessa suum venerantur adorent:

hæc et alia quæ sequuntur, similibus verbis in Elegia pridem edita vers. 3 repetuntur:

64 Sidera, flamma, dies, quem, sol, nox, luna fatentur
Auctorem, dominum sæcula cuncta probant.

Lib. II, vers. 256:

Vipera quid præstet, cauda et cervice recisa,
Quid serpens maculosa juvet, medicina fatetur,
Aspidis, etc.

Lib. I respondent versus editi 288:

Et maculosa repit squamis per viscera serpens,
Atra venena nocens missura e flatibus oris,
Et subito sparsura graves per sibila mortes,
Atque eadem membris impertitura medelas.

D

Consonat etiam Elegia vers. 65:

Aspis habet mortes, habet et medicamina serpens,
Vipera sæpe juvat, vipera sæpe nocet.

Lib. III, vers. 610 et seqq., describuntur ossa arida quæ vitæ restituta sunt, de quibus Ezechiel cap. XXXVII, ubi eædem phrases occurrunt ac in narratione primi hominis conditi lib. I, vers. 336. Pietas Dei eisdem fere verbis ac sententiis commendatur lib. I, vers. 81, 100, 429, 544, 556, 690, 726, 751; lib. II, vers. 96, 670, 684, 693 seqq., 800; lib. III, vers.

A 185, 210, 533, 658, 663; Eleg. vers. 288 seqq. Ex libro II versus 216 scilicet,

Ver, æstas, autumnus, hiems, redeuntibus annis,

fere integer repetitur in Elegia vers. 253,

Ver, æstas, autumnus, hiems, redit annus in annum;

qui versus deest quidem in hactenus editis, sed exstat in codice antiquissimo Vaticano, ex quo integram elegiam proferemus in lucem, a S. Columbano etiam usurpatus.

88. Et, ut omittam plures alias sententias in libris suis a Dracontio repetitas, uti etiam locutiones quasdam ejus peculiares, ut *ignis anhelus*, *virtute*, *pietate modestus*, *placidus* pro clementi, illud imprimis observandum est, eum, ut Deum placet, ita orare lib. III, vers. 597:

Aspice, quæso satis, precibus ne clauseris aures
Nostris, sancte, tuas, qui das præcepta benignus;
Ira hominis cum sole cadat de corde furentis,
Et veniam nox ipsa ferat: qui præcipis ut sit,
65 Fac fieri quod et ipse jubes; miserere rogantis.

Ac paulo post vers. 646 hoc exemplum producit:

Persarum dominus timuit post regna bubulcum
Inter prata pecus, qui post regnavit in arce:
Me, rogo, jam repara sub libertate solutum.

In Elegia primum se regi Nabuchodonosor comparat vers. 31:

Persarum regem Babylonis regna tenentem
Post decus imperii quis neget esse bovem?
Et diademalem turparunt cornua frontem:
Mugitus pecudis verba fuere duci.
Agricolam timuit post Parthica regna bubulcum,
Submisitque pavens regia colla jugo.
Erravit per prata vagus mala gramina pastus,
Et qui homo bos fuerat, de bove factus homo est.

Deinde, ut veniam a rege sibi offenso impetret, præceptum Christi proponit vers. 155:

Nonne Dei præcepta jubent ne sol cadat intrans,
Irascente alio, sed pius exstet homo?

Ex quo alia ratio oritur ad demonstrandum Dracontium totum carmen de Deo, non minus quam Elegiam composuisse, ut explicatius nunc ostendam.

CAPUT IX.

Dracontius carmen de Deo, et Satisfactionem ad regem Vandalorum composuit dum esset in vinculis.

89. Quod nemo hactenus suspicatus fuerat, Dracontium in vincula fuisse conjectum, et, dum carcere detineretur, elegiam scripsisse ut sibi regem suum propitium redderet, id in ipsa elegia, ut ab aliis antea vulgata est, non obscure innuitur, et nunc ex utroque codice Vaticano apertissime convincitur. Hic elegiæ titulus a Sirmondi tempore ubique fertur impressus: *Hoc sequenti libello auctoris Satisfactio continetur, qua ab omnipotente Deo veniam petit ne præcedenti carmine aliquid incautus errasset. Dein Theodosio Juniori Augusto* **66** *precem defert cur de triumphis illius eodem opere tacuisset.* Permirum autem mihi est de hujus tituli falsitate neminem dubitationem aliquam excitasse. Atqui in ipsa epistola Sirmondiana multa sunt quæ demonstrant Dracontium de præcedenti carmine, hoc est de versibus Hexaemeri titulo editis minime sermonem habere. Alio

enim diverso modo veniam a Deo petiisset Dracontius, ac fere ut petit Marius Victor in prolog. carminis in Genesin :

Ne damnes tantum, quod nunc reus audeo, munus;
Criminibusque meis connive, et parce benignus.
Quod si lege metri quidquam peccaverit ordo,
Peccarit sermo improprius, sensusque vacillans,
Hinc nullum fidei subeat mensura periclum.

At Dracontius fatetur grave aliquod crimen a se reipsa commissum fuisse; neque id crimen in eo collocat quod in aliquo carmine de triumphis sui principis tacuerit, sed quod, cum laudes hujus potuisset celebrare, ex quo præmia fuisset consecutus, alium ignotum sibi et, ut ego opinor, principis sui hostem, celebrasset.

90. Ita apud Sirmondum loquitur Dracontius :

Sic me lingua, Deus, lingua patrante reatum
Noxia culpa ligans traxit ad illicita.

Ubi in editione Matritensi ex codice Azagræ legitur, *Sic mea corda Deus.* Pergit Dracontius :

Ut qui facta ducum possem narrare tuorum,
Unde mihi possent dona venire simul.

Melius in codice Azagr., *narrare meorum.* Addit illico Dracontius :

Præmia despicerem, tacitis tot regibus almis,
Et peterem subito certa pericla miser.

Minus bene codex Azagr., *tactis* pro *tacitis.* Iterum Dracontius culpam suam in linguam rejicit :

Heu me! quippe mihi vulnera lingua dedit.

Paulo post adjungit, *Ipse meis parcet erratis,* scilicet Deus, et *Culpa quidem gravis est.* Et clarius infra :

Culpa mihi fuerat dominos reticere modestos,
67 Ignotumque mihi scribere, nec dominum.

In codice Azagr. perperam *molestos* pro *modestos.* Culpam suam subinde Dracontius pulchro exemplo exponit :

Qualis et ingratos sequitur, qui mente profana,
Cum Dominum norint, idola vana colunt.
Israelitarum populum sic culpa tenebat,
Quando oblita Deum plebs vitulum coluit.

Hic rogo, quo pacto ad poema sacrum de opificio sex dierum hæc trahi possunt? Cur culpa fuit in eo de principe non loqui? aut cur is irasci ob hoc silentium debuit? aut cur ille, qui Dei laudes canit, et de suo principe silet, comparatur ei qui, *cum Dominum norit, idola vana colit?* Non ergo de Dracontii poemate quod habemus, sed de alio, quo ejus rex offensus fuit, quia in laudem alicujus sui hostis erat compositum, intelligendi sunt versus seqq. :

Coram te primum me, carminis illius orsa
Quod male disposui, pœnitet, en fateor.
Post te, summe Deus, regi dominoque reus sum,
Cujus ab imperio posco gemens veniam.

Quæ omnia, et plura alia quæ sequuntur, id efficiunt quod dixi, in hac epistola non illud agere Dracontium, ut a Deo veniam petat siquid carmine de opere sex dierum incautus errasset, et a Theodosio Juniore, quod eodem opere de illius triumphis tacuisset.

91. Revera cum codicem Vaticanum, ubi carmen de Deo exstat, perlustrassem, et in III hujus poematis libro legissem quibus ærumnis oppressus Dracontius hoc opus composuit, sine ulla dubitatione collegi eum veniam a rege suo petere, quem ita graviter offenderat, ut in vincula fuisset conjectus, et

A metuebat etiam ne vita privaretur. Sic enim ait Dracontius eo lib., vers. 576 seqq. :

Hei mihi! quod facinus non uno tempore gestum,
Ut mea facta luam, tempus convenit in unum.
. . . . Gravor undique pressus,
Vincla ligant, tormenta domant, consumit egestas.
Ludibrium generis, dolor omnibus, atque inimicis
68 Factus, et exutus magna de parte bonorum,
Crinibus intonsus, pannis squallentibus usus.
Notus et ignotus desunt, abiere parentes,
Me quibus impendi, mox dedidicere propinqui,
Vel quicunque fuit, subito discessit amicus.
Agmina servorum fugiunt, tempsere clientes,
Nec doluere meam tanta sub clade ruinam.
Irascente Deo, solatia cuncta negantur.
Hoc superest ut vita cadat, nisi parcere mitis
Jusseris afflicto, quem sic fregere dolores.

Hæc et alia ibi Dracontius, et catenas præsertim memorat vers. 648 :

B Me, rogo, jam repara sub libertate solutum,
Clade catenarum ferrato pondere pressum.

Quo fortasse respicit vers. 602 seq.,

Et lacrymas intende meas, quas fundo diurne
Tristis, et extenso prostratus corpore plango;

nisi hoc loco innuit lignum aut nervum quo reorum pedes includi solebant et crura extendi, aut, ut loquitur Prudentius in Vincentio, *divaricari.*

92. Clara hæc sunt, sed clariora quæ in alio codice Vaticano inveni, ubi elegia Dracontii legitur nondum ab Eugenio aut ab aliis interpolata. Quippe in elegia genuina ea ipsa quæ ex Sirmondo protuli, distinctius explicantur, et alia adduntur quæ rem totam aperte declarant. Sic vers. 17 ait Dracontius :

Hoc tua verba probant Moseo dicta prophetæ,
Quod duraturus cor Pharaonis eras.
C Sic mea corda Deus, nostro peccante reatu
Temporis immodici, pellit ad illicita.
Ut qui facta ducum possem narrare mearum,
Nominis Asdingui bella triumphigera,
Unde mihi merces posset cum laude salutis
Munere regnantis magna venire simul,
Præmia despicerem, *etc.*

Deinde vers. 49 sic habet :

69 Ipse meo domino Deus imperat, atque jubebit
Ut me restituat respiciatque pius.

Dominum vocat suum regem, de quo pergit dicere :

Servet, avi ut laudes dicam, patriasque, suasque,
Perque suas proles regia vota canam.

Postea vero vers. 283 :

Si ipse ego peccavi, quænam est rogo, culpa meorum,
Quos simul exagitat frigus inopsque fames?

Et rursus vers. 311 :

Da veniam, miserere, precor, succurre roganti;
Pristina sufficiant verbera, vincla, fames.

D Quibus omnibus accedit nota in fine elegiæ eadem veteri manu addita : *Explicit Satisfactio Dracontii ad Guthamndum regem Guandalorum, dum esset in vinculis.*

93. Hinc etiam constat, non ad Theodosium Juniorem Augustum, ut codex Sirmondi habet, sed ad regem Vandalorum, sive, ut alii scribunt, Wandalorum, directam fuisse Dracontii Satisfactionem. Quod autem rex *Guandalorum* in codice Vaticano dicatur, nihil refert : nam etsi hoc mendum esset, leve tamen esset. Sed reperio Wandalos olim vocatos etiam fuisse *Guandalos :* ita certe vocantur in glossis ad Aratorem cod. Vat. Reginæ num. 300, sæculi XI, ad vers. 2 præf. 2, ubi glossator ait : Tunc, *id est quando*

Roma obsessa fuit, et tempore quo Guandali obsederant A *Romam et devastabant totam regionem, orta est contentio de eligendo apostolico, sed postea electo papa Vigilio recesserunt hostes, et de hoc loquitur modo.* Falsum quidem est Romam tunc fuisse obsessam a Vandalis, quorum opes in Africa paulo ante a Belisario fuerant penitus excisæ. Sed minime dubito quin glossator Wandalos in *Guandalis* intellexerit, aut saltem librarius pro Wandalis *Guandalos* scripserit. Neque deest ratio cur Wandali dici possint *Guandali :* nam *w* eamdem vim habet ac *gu* in multis nominibus, ut *Wlphilas*, et *Gulphilas*, *Wilielmus*, et *Guilielmus;* notatque Hugo Grotius in indice nominum Gothicorum, Vandalicorum, etc., post Jornandem et alios historicos a se editos, *w* in *gu* frequenter ab Italis et Gallis mutari. Potuisset addere Hispanos : qui si B ad hanc **70** aliasque hujusmodi observationes animum adverterent, facilius plurium vocum sui idiomatis originem invenirent. In Dictionario Academiæ Hisp. nihil definitur unde dictum sit *guante*, quæ est chirotheca, nisi quod refertur opinio Brocensis, qui censebat a civitate Gandavo, unde afferri solebant chirothecæ, appellatum *guante.* Stephanus Terreros, qui paucis ante annis Forolivii decessit, laboriosum et eruditum Dictionarium Hispanicum nominum artium et scientiarum ms. in Hispania reliquerat, quod post ejus obitum publicam lucem vidit Matriti : sed nulla inde lux vocabulo *guante* illustrando affulget. Vera nominis origo est a *Wanto*, et *w* in *gu* mutato, *guanto.* Beda in Vita S. Columbani cap. 14, *Tegumenta manuum, quæ Galli* WANTOS, *id est chirothecas vocant.* C Papias in vocabul., *Chirotheca*, *vanti*, *id est manus theca. Manicæ, quas vulgo wantos appellamus.* In Vita S. Philiberti abbatis lib. I, cap. 12, *Latro guantos illius illicita præsumptione furatus est.* Videsis Ducangium verbo WANTUS.

94. Aliud est in versibus elegiæ a nobis relatis nomen, ex quo omnino convincitur Dracontio rem fuisse cum rege Vandalorum. Cum enim duces suos nominasset, cujus gentis illi sint duces aperte declarat :

> Ut qui facta ducum possem narrare meorum,
> Nominis Asdingui bella triumphigera.

Ex gente igitur Asdinguorum illi duces erant. Quinam autem alii sunt Asdingui, nisi Vandali? Apud alios scriptores in hoc nomine exprimendo codices et edita exemplaria nonnihil variant : sed gens eadem est, D sive *Astingi*, sive *Astringi*, sive *Asdingi*, sive *Asdingui* vocentur. Primam hujus nationis mentionem apud Dionem Cassium invenio lib. LXXI, ubi agit de bello Marcomannico sub Antonino Philosopho : *Astingui vero, qui Rhaum, Rhaumque duces habebant, venere quidem et illi, ut Daciam incolerent.* Postea narrat eos pacem ab Antonino impetrasse hac conditione, si nationibus tunc bellum cum eo gerentibus cladem intulissent. Ac præstiterunt sane nonnihil eorum quæ pollicebantur. Tomo I Hist. Byzant., pag. 24 edit. Paris., in Excerptis de legation. Petri Patricii et Magistri, hoc **71** ipsum breviter narratur : *Venerunt ei Astingi, et Lacoragi in auxilium Marci.* Pro hoc A eodem nomine *Asdingorum* Grotius excitat Priscum Patricium, sed fortasse voluit dicere Petrum Patricium. Jornandes, de Reb. Getic. cap. 16, de Ostrogotha rege Gothorum sub Philippo imperatore loquens ait : *Triginta millia virorum armata produxit ad prælium, adhibitis sibi Thaphilis et Astringis.* Bonaventura Vulcanius in notis pro diversa lectione scribit *Thaifalis* et *Asdingis.* Idem Jornandes, de Reb. Getic. cap. 22, de rege Gothorum Geberichо sub Constantino : *Gloriam generis sui factis illustribus exæquavit, primitias regni sui mox in Wandalica gente extendere cupiens contra Visumar eorum regem Asdingorum e stirpe, quæ inter eos eminet, genusque indicat bellicosissimum, Dexippo historico referente.* Itaque Grotius in præfatione ad Jornandem aliosque histo- B ricos, primos Vandalorum reges recenset Rhaum, Rhatum, Wisimarem, Crocum, Frididalum. Idem Grotius in indice verborum Gothicorum, Vandalicorum, etc., verbum *Asdingi* dicit esse ab *Haist-d:ng* n, quod est *celer in judicio publico.* Jornandes alio modo explicat.

CAPUT X.

Sub Gunthario Vandalorum rege in Hispania scribebat Dracontius.

95. Nomen regis ad quem Satisfactio Dracontii scripta est, in codice Vaticano dicitur *Guthamndus.* Quærendum ergo superest cur hunc regem Guntharium fuisse pro certo habeamus, cum nomen illud corruptum ad alium Vandalorum regem possit detorqueri. Hæc quæstio viam nobis aperit ad historiam C regni Vandalici in Hispania explicandam, quæ contrariis scriptorum inter se dissidentium narrationibus mirum quantum implicata est et involuta. Et ex Dracontio quidem nonnullum lumen hæc historia accipiet, vicissim vero ea ex Dracontio aliisque monumentis illustrata magnopere juvabit, ut certa Dracontii ætas suis terminis definiatur. Alani, Suevi, Vandali aliique populi a Stilicone, qui Vandalus ipse erat, excitati **72** sunt ut Rhenum transirent imperiumque Romanum turbarent : qui per Gallias debacchati Pyrenæum usque pervenerunt, cujus obice per Didymum et Verinianum ad tempus repulsi, mox anno 409 Hispanias ingressi sunt, ut narrant Orosius lib. VII, cap. 40, Idacius in Chronico olymp. 297, et Isidorus in Hist. Vandalorum, qui Didymum et Vera- D nianum, ut ipse vocat, nobilissimos Romanos fratresque potentissimos ait fuisse. Quo duce tunc uterentur Vandali non satis certum est. Grotius in præfat. ad Historias Vandal. Godigisclum Vandalorum regem fuisse, dum hi Hispanias invaserunt, narrat, cui successit in Gallæcia Guntharius. Ruinartius, in Histor. Persecut. Vandal. cap. 1, refert Francos primos omnium conatibus Vandalorum obstitisse, Godigisclo eorum rege occiso, postea Vandalos simul cum Alanis conjunctos, substituto in Godigiscli locum Gunthario, Rhenum transiisse.

96. Verior videtur Grotii narratio, quæ Procopii verbis lib. I, cap. 3, innititur : *Inde Godigisclo duce in Hispania consederunt* (Vandali), *quæ prima est ab*

Oceano Romanorum provincia. Cum hoc Godigisclo pacisciur Honorius, ut sine populorum damno eam sedem tenerent. Hæc verba cum Ruinartius cap. 2 indicasset, censuit scribendum esse sub *Gunderico duce* pro sub *Godigisclo duce* : nam Guntharius a multis *Gundericus* dicitur, ut ab aliis alio modo nominatur. Sed Ruinartio aperte repugnat Procopius : nam paulo post repetit Vandalos sedem in Hispania prope Africam posuisse, *ubi*, inquit, *jam mortuo Godigisclo, dominatum susceperant ejus duo filii, Gontharis* [hic est *Guntharius* sive *Gundericus*], *ex justa ipsi uxore natus, et Gizericus nothus* [hic a plerisque *Gensericus* vocatur]. *Verum ille adhuc puer*, etc. Isidorus in Chronico de Gunthario hæc habet : *Primus autem in Hispania Gundericus rex Vandalorum successit regnans Gallæciæ partibus annis* XIX. Quæ verba obscura sunt, sed ob B vocem *successit* magis Procopii sententiam quam contrariam innuere videntur. Idacius in Chronico non explicat cujus ductu Vandali Hispaniam invaserint : sed cum narrasset quatuor plagas quibus Hispaniæ vastatæ fuerunt, ferri, famis, pestilentiæ, bestiarum, ita pergit : *Subversis* **73** *memorata plagarum grassatione Hispaniæ provinciis, barbari ad pacem ineundam, Domino miserante conversi, sorte ad habitandum sibi provinciarum dividunt regiones : Gallæciam Vandali occupant et Suevi, sitam in extremitate Oceani maris occidua; Alani Lusitaniam et Carthaginiensem provinciam, et Vandali cognomine Silingi Bæticam sortiuntur.* Isidorus in Histor. Goth. hos vocat Vandalos *Selinguos*, ubi de Wallia rege Gothorum ait : *Vandalos Selinguos in Bætica omnes bello exstinxit* ; non enim C interpungendum est, ut aliqui faciunt, *Vandalos, Selinguos.* In Historia vero Vandalorum idem Isidorus *Vandalos, Silingos* appellat : quamvis autem ex Idacio pleraque sumat, tamen rem hanc longe diverso modo exponit : *Gallæciam enim Vandali et Suevi occupant, Alani Lusitaniam et Carthaginiensem provinciam ; Vandali autem cognomine Silingi, relicta Gallæcia, et postquam Tarraconensis provinciæ insulas devastarunt, Bæticam sortiuntur.* At major fides habenda est Idacio, qui præsens adfuit ; sic vero ait olymp. 299 : *Vandali Silingi in Bætica per Walliam regem omnes exstincti. Alani, qui Vandalis et Suevis potentabantur, adeo cæsi sunt a Gothis, ut.... Gunderici regis Vandalorum, qui in Gallæcia resederat, se patrocinio subjugarent.* Postea refert Suevos a Vandalis obsessos fuisse; hos, relicta D obsidione, instante Asterio Hispaniarum comite, dimissa Gallæcia ad Bæticam transiisse; Castinum magistrum militum, qui bellum in Bætica, adjuvantibus Gothis, intulerat, auxiliorum fraude deceptum, ad Tarraconam victum effugisse. Deinde olympiade 301 narrat Vandalos Balearicas insulas deprædatos fuisse, et Carthaginem Spartariam evertisse.

97. Natio igitur Vandalorum in duas tribus videtur fuisse divisa cum Hispaniam ingressi sunt, sed ita ut tam Vandali simpliciter dicti, quam Vandali Silingui eodem Vandalorum nomine appellarentur : non enim Silinguorum nominis distinctio apparet ante provinciarum divisionem. Siquidem vocabulum *Asdingorum*

A diversum est a *Silinguis* : Dracontius enim, post exstinctos Silinguos, Guntharium, qui rex Vandalorum non Silinguorum erat, ex *Asdingui* nominis gloria commendat. Nec video quo jure Ambrosius Morales, lib. XI, cap. 22, post transitum **74** Vandalorum in Africam Silinguos in Bætica permansisse affirmet. Quod autem Wolfgangus Lazius de Gent. aliq. Migration. lib. XI narrat, Godogesilum Vandalos in Hispaniam duxisse, eos ibi Modogisclum gubernasse; hujus liberos fuisse Guntharium et Gensericum; fortasse in duobus illis nominibus corruptis duo diversi duces latent, quorum alter Silinguis præfuerit, alter reliquis Vandalis. Sed a quo auctore narrationem suam hauserit Wolfgangus, neque ipse explicat, neque ego invenio. Gestorum ergo series ex Idacio præsertim et Procopio ita ordinari potest. Vandali Godigisclo duce Hispanias invaserunt; hi qui Vandali Silingui nominabantur Bæticam incoluerunt ; cæteri Vandali non Silingui in Gallæcia sedes fixerunt, ubi Guntharius, sive Gundericus, ut alii vocant, patri Godigisclo succedens pluribus annis regnavit, sociumque sibi ascivit fratrem Gensericum, qui præcipue rei bellicæ curam gereret. Post plura barbarorum inter se bella, post Vandalos Silinguos a Wallia exstinctos Guntharius cum suis ad Bæticam transiit, unde Vandali cum Romanis, cum aliis barbaris, terra marique bella gesserunt. Hic erat rerum status anno circiter 425, cum Dracontius in Bætica sub Vandalorum ditione vivebat, et carmina quæ nunc habemus, dum vinculis detineretur conscribebat. In hoc tempus et in hunc regem Guntharium mire conveniunt omnia quæ Dracontius in epistola profert, neque alteri Vandalorum regi facile possunt accommodari.

98. Nomen regis quod in fine epistolæ expressum est, *Guthamndus*, vel unum est e multis nominibus quibus diverso modo appellari solet Guntharius, vel corrupte a librario positum est pro Gunthario : quanquam *Gontharis*, *Guntharis*, *Guntharius*, *Gundericus* non sunt vere distincta nomina ejusdem hominis, sed unum et idem diverso modo, ut in barbarorum nominibus fieri solet, ab scriptoribus usurpatum, ut Gensericus ejus frater ab aliis Gizericus, ab aliis Gisericus, ab aliis Gaizericus, ab aliis Gantzrichus nominatur. Sane e Vandalorum regibus qui post Guntharium regnarunt, qui fuerunt Gensericus, Hunericus, Guntabundus, sive, ut alii scribunt, Guntamundus, Trasamundus, Hildericus, Gelimer, solum ad **75** Guntabundum nomen *Guthamndus* ob aliquam similitudinem posset referri. Sed aliæ rationes præsto sunt, cur ad Guntharium, non ad Guntabundum epistola scripta esse dicatur. Dracontius enim, ut sui regis clementiam prædicet, canit vers. 211 :

> Te Deus aspiciens effundere nolle cruorem,
> Ut sine peccato, non sine laude daret,
> Contulit absenti terræ pelagique triumphos :
> Ansila testatur, Maurus ubique jacet.

Ex quo liquet regem quem laudat Dracontius, per alios bella gessisse et triumphos obtinuisse, quin ipse præsens adfuerit.

99. Id autem in Guntharium optime cadere, ex A Procopio lib. I Hi tor. Vandal. clare colligitur : *Bonifacius, cum nec resistere se posse imperatori videret, nec, si Romam peteret, salutis ulla spes oboriretur, statuit omni ope eniti ut societatem coiret cum Vandalis, quos supra dixi in Hispania prope Africam sedes fixisse, ubi jam mortuo Godigisclo dominatum susceperant ejus duo filii Gontharis ex justa ipsi uxore natus, et Gizericus nothus : verum ille adhuc puer, et natura parum industrius; hic in armis optime exercitatus, ac mortalium omnium solertissimus.* Igitur cum Guntharius ætate minor esset Genserico, ac natura parum industrius, contra Gensericus solertissimus, et in armis exercitatus, non alteri aptius Dracontii versus convenire possunt quam Gunthario. Ac revera Dracontius *dominos* et *duces suos* bis dicit, quos scilicet ipse lau- B dare potuisset, ut vers. 21 :

Ut qui facta ducum possem narrare meorum,

Et rursus vers. 93 :

Culpa mihi fuerat dominos reticere modestos.

Quo innuit ipsum regem Guntharium, a quo in vincula erat conjectus, et Gensericum, qui, quod bellum administraret, alter veluti rex habebatur.

100. Ex triumphis terra marique reportatis certius argumentum peti posset, si clare constaret quinam et quales hujusmodi triumphi fuerint. Sed Dracontius solum ait :

Ansila testatur, Maurus ubique jacet.

In editione Parisiensi omnium operum Sirmondi ad oram hujus **76** versus hæc nota legitur : *Vir doctus suspicatur legendum* ATTILA, *quem Thraciæ imminen-* C *tem pecunia Theodosius avertit. Theophanes in Chronogr. ad annum Theodosii Junioris postremum.* Verum cum nobis jam pateat ad Theodosium Juniorem hanc elegiam scriptam non fuisse, sed ad unum e Vandalorum regibus, nihil est causæ cur de Attila Thraciæ imminente cogitemus. Quod si mendum in *Ansila* esset, conjici posset *Amsagha*, quod flumen est ad littus Numidiæ, ut Mela et Plinius docent; alii scribunt *Ampsaga*, alii *Ausaga*, nunc *Suffegmar* ab aliis *Rumel* vocatur : quod, interjecta aliqua ex parte Numidia, Africam propriam a Mauritania dividit. Hujus fluvii exstat etiam mentio apud Victorem Vitensem lib. II Hist. persecut. Vandal., cap. 5, ubi Hunerici regis Vandalorum crudelitatem in suos narrans ait : D *Imitator existens Geiserici patris, qui sui fratris* (Guntharii) *uxorem ligato pondere lapidum, in Ampsagam fluvium Cirtensem fumosum jactando demersit, et post necem matris etiam filios interfecit.* Posset etiam conjici *Antala*, quem alii *Antallam* vocant. De hoc Procopius lib. II Histor. Vandal. : *Antalas Maurorum solus Byzacium incoluit, solus per hæc tempora Romanis fidus*, scilicet sub Gelimere; et lib. I, cap. 9, narrat a Mauris Byzacenis, qui parebant Antalæ, prælio fusos Vandalos, regnante Ilderico. Sed etiamsi velimus legere *Ampsaga testatur*, aut *Antala testatur*, certum tamen tempus prælii a Dracontio indicati erui inde non posset. Gensericus enim, antequam in Africam omnes suos Vandalos post obitum fratris Guntharii transtulisset, bellum in Mauritania gessit, ut mox dicam; adeoque potuit victoriam aliquam ad Ampsagam obtinere, et contra Maurum aliquem Antalam dimicare, eumque vincere.

101. Verum cum codex Azagræ ac Vaticanus in hoc nomine *Ansila* exprimendo cum codice Sirmondi omnino consentiant, retinendum id est; eoque etiam magis, quia Grotius in indice nominum propriorum Gothicorum, Vandalicorum, etc., recenset etiam ANSILA ab *ansile, id est ad gratiam festinans : festinatione ilunge in diction., et manet in usu festinare*, ut ibidem observat. Quare probabilissimum est Ansilam fuisse ducem aliquem e Gothis aut Suevis quibuscum bella gerere **77** Vandali in Hispania consueverant. Orosius, enim lib. VII, cap. 43, cum retulisset Gothos pro Romanis adversus cæteras gentes quæ per Hispanias consederant pugnasse, subjecit : *Quamvis et cæteri Alanorum, Vandalorum, Suevorumque reges eodem nobiscum placito depacti forent, mandantes imperatori Honorio : Tu cum omnibus pacem habe, omniumque obsides accipe ; nos nobiscum confligimus, nobis perimus.* Neque vero absurdum erit affirmare Ansilam quem Dracontius memorat illum fuisse quem Gothi inter suos *anses* recensent : illi enim proceres quosdam suos vocabant *anses*, quasi semideos, ex qua voce *Ansealicarum* civitatum originem peti posse suspicatur Grotius. Inter alios autem anses, sive proceres Gothorum hos enumerat Jornandes de Reb. Getic. cap. 14 : *Ostrogotha genuit Unilt. Unilt genuit Athal. Athal genuit Achiulf. Achiulf genuit* ANSILAM, *et Ediulf. Vuldulf, et Hermeric.* Cum Ostrogotha floruerit sub Philippo imperatore, ratio temporum patitur ut Ansilam ætate Guntharii vixisse credamus. Idacius olymp. 306 meminit Aiulfi, qui Hispali Censorium jugulavit. Nomen Aiulfi videtur esse idem ac Achiulf, qui Ansilam genuit. Prælium autem quo Ansila victus est navale fuisse inde colligi potest, quod Dracontius versu superiori triumphos pelagi et terræ conjungit, exemplumque in hoc versu profert in Ansila et in Mauris, qui ubique jacebant. Victoria contra Mauros terrestris videtur, prima igitur contra Ansilam navalis. Etiam id temporibus de quibus loquor et Gunthario apprime convenit : nam Gothos plures naves hoc tempore sibi comparasse ex Orosio aliisque constat, nec minus certum est Vandalos navibus usos fuisse. Idacius enim postquam retulit in Chronico Vandalos jam in Bætica sub Gunthario rege commorantes a Castino magistro militum victoriam reportasse, addit olympiade 301, eos Balearicas insulas deprædatos fuisse; qua occasione contra Gothos mari pugnasse, vel ex his solis Dracontii versibus argui potest.

102. De viribus maritimis Vandalorum dum in Bætica constiterunt loquitur Wolfgangus Lazius de Gent. Migr. lib. XI, qui plures versus ex Sidonii panegyrico ad Anthemium Augustum, et alio ad soccerum ejusdem Sidonii in suam sententiam **78** allegat. At Sidonius clare Genserici in Africa potentiam maritimam describit:

Hinc Vandalus hostis
Urget, et in nostrum numerosa classe quotannis
Militat excidium, conversoque ordine fati
Torrida Caucaseos infert mihi Byrsa furores.

Ubi *Byrsam* pro Carthagine ponit. Verius adduci poterit Prosper in Chronico, qui merito queritur ad ann. 427 : *Exinde gentibus quæ uti navibus nesciebant, dum a concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum est, bellique contra Bonifacium cœpti in Sigisvultum comitem cura translata est. Gens Vandalorum ab Hispania ad Africam transit.* Quod autem Vandali sub Gunthario triumphum de Mauris egerint, nonnullis fortasse probatu difficile videbitur. Hæc enim est communis scriptorum opinio, Vandalos non transiisse in Africam nisi post obitum Gutharii; quod verum quidem est si id de omnium simul Vandalorum transitu, relicta penitus Hispania, intelligatur, non ita vero ut nullas fuisse antea Vandalorum ex Hispania in Africam incursiones credamus. Duobus autem modis explicari potest Mauros a Vandalis victos antequam tota Vandalorum natio Africam invaderet, scilicet vel ante initam societatem cum Bonifacio comite, vel post initam.

103. Bonifacius hic, amicitia S. Augustini satis notus, Aetii fraude et proditione in offensionem imperatoris incurrens, et hostis publicus dictus, cum imparem se imperatoris potentiæ sentiret, Vandalos socios sibi adjunxit, ut fuse narrat Procopius lib. I Histor. Vandal. *Missis igitur*, ait, *in Hispaniam Bonifacius de amicorum numero potissimis, cum ambobus Godigiscli filiis æquum iniit fœdus, ut cuique ipsorum tertia pars Africæ cederet; quod si quis bello impeteretur, commune periculum esset. Hæc Pacti Vandali, fretum ad Gades transvecti in Africam venere.* Alii ipsum Bonifacium Hispaniam adiisse narrant, ut cum Gunthario et Genserico amicitiam contraheret. Vivebat igitur Guntharius cum Bonifacius Vandalos in auxilium sibi advocavit, neque simile vero est Vandalos auxilium distulisse. Atque hæc est ratio cur alii ab aliis in anno **79** transitus Vandalorum in Africam dissentiant, quia nonnulli incursionem aliquam eorum a transitu totius nationis non distinxerunt. Ruinartio cap. 3 Hist. Persecut. Vandal. certior videtur consulum nota in Prosperi Chronico, quod Gensericus ex Hispania in Africam transierit Hierio et Ardabure consulibus, scilicet anno 427. Cassiodorius etiam in Chronico scribit Vandalos a Gothis ex Hispania pulsos in Africam transmisisse Hierio et Ardabure consulibus. At vero cum Idacius hoc ipso tempore in Hispania vixerit, et totius gentis Vandalorum migrationem in Africam distinctius referat, et ad annum 429 differat, hujus potius sententia tenenda est. Ita enim ait olympiade 302 anno 1, scilicet 429, ut Pagius supputat : *Gaisericus rex de Bœticæ provinciæ littore cum Vandalis omnibus eorumque familiis mense Maio ad Mauritaniam et Africam relictis transit Hispaniis. Qui, priusquam pertransiret, admonitus Hermigarium Suevum vicinas in transitu suo provincias deprædari, recursu cum aliquantis suis facto, prædantem in Lusitania consequitur. Qui haud procul de Emerita,* A *quam cum S. martyris Eulaliæ injuria spreverat, multis per Gaisericum cæsis ex his quos habebat arrepto, ut putavit, Euro velocius* [fortasse *arrepto equo, ut putavit, Euro velociori*] *fugæ subsidio, in flumine Ana divino brachio præcipitatus interiit. Quo ita exstincto, mox quo cœperat Gaisericus enavigavit.* Non ergo pulsi a Gothis, quod Cassiodorius fidenter scribit, sed sponte, et, uti diximus, a Bonifacio invitati in Africam Vandali trajecerunt. Neque de anno 429 dubitare nos sinit Idacius, qui mensem etiam Maium designat, et peculiaria adjuncta narrat de recursu facto contra Suevos.

104. Itaque si Dracontium velimus exponere de triumphis quos Vandali e Mauris retulerint postquam a Bonifacio in societatem vocati fuerant, tenendum B est Dracontium elegiam composuisse cum nondum Guntharius e vivis excessisset, neque Vandalorum natio Hispaniam reliquisset, quamvis jam bellum contra Mauros, et pro Bonifacio fuisset susceptum. Etenim defectionis Bonifacii initium Idacius ad annum 423 revocat, ubi ait : *Bonifacius palatium deserens Africam* **80** *invadit*, quamvis defectio annis sequentibus clarius eruperit, et societas inter Bonifacium et Vandalos stabilita fortasse ad annum 426 circiter referenda sit. Verum nihil est necesse pugnam inter Vandalos et Mauros differre ad tempus apertæ defectionis Bonifacii, et initæ inter hunc et Vandalos societatis. Idacius, quo in his rebus et temporibus locupletior alius testis nobis non est, anno 425 narrat : *Vandali Balearicas insulas deprædantur;* C *deinde Carthagine Spartaria et Hispali eversa, et Hispaniis deprædatis, Mauritaniam invadunt.* Hæc omnia eodem anno 425, cui ab Idacio ascribuntur, contigisse cur negemus? Quam apte convenit Idacio cum Dracontio?

Contulit absenti terræ pelagique triumphos,
Ausila testatur, Maurus ubique jacet.

Vandalos jam tum cum Hispanias ingressi fuissent, Africæ inhiasse, piraticamque in mari Atlantico Mediterraneoque exercuisse, ex Sidonio probare contendit Wolfgangus Lazius lib. XI de Gent. Migrat. Sed Sidonius aperte loquitur de tempore quo Gensericus in Africa regnum Vandalicum obtinebat, ut paulo ante num. 102 observavi. Nobis perspicue favet satisque est Idacius.

D

CAPUT XI.

Nonnullæ rationes quibus Dracontius in Africa scripsisse dicatur, proponuntur et expenduntur.

105. Dracontius in sua elegia quoddam aliud factum indicat ex quo argumentum peti possit ad ejus ætatem inveniendam. Sic enim regem Vandalorum alloquitur vers. 299 :

Inclytus armipotens, vestræ pietatis origo,
Et doctus, genio pronior ad veniam,
Non homini ignosco, dixit, sed lingua meretur.
Hic reus et doctus Vincomalus fuerat.

Quisnam fuerit hic reus et doctus Vincomalus, si scire possemus, etiam regem ad quem Dracontius scribit, facile esset designare. Sed primum in codice ms. ipsum nomen *Vincomalus* **81** corrupte ita scri-

ptum est *vinco malos*. Posset igitur aliquis suspicari legendum *Victovalus* aut *Victovales*, quasi sermo esset de antiquioribus temporibus quibus Vandali cum Victovalis fœdus icerunt sub M. Aurelio et L. Vero. Alii fortasse conjicient *Winodamus*, qui sæculo v procedente gratia et amicitia apud Childericum Francorum regem plurimum valebat, de quo Petavius in Rationar. tempor. part. 1, lib. vi, cap. 13. Sed vera lectio est quam expressi, *Vincomalus*, aut, si vis, Græco more *Vincomalos*: cum enim constet hujus nominis homines circa hæc tempora vixisse, ex *vinco malos* recte Vincomalus eruitur. Anno enim 453 consules fuerunt Vincomalus et Opilio; et Marcellinus in Chronico refert caput S. Joannis Baptistæ inventum *Vincomalo et Opilione consulibus, mense Februario*. In Notitia provinciarum et civitatum Africæ tempore persecutionis Vandalicæ, inter episcopos Mauritaniæ Cæsariensis num. 98 ponitur *Vincemalus Baparensis*, ubi notat Ruinartius in codice Laudunensi legi *Vincemalos Baparensis*. Concilio Toletano xiii, anno 683, subscripsit *Vnicomalus* diaconus, agens vicem Atilani episcopi Pampilonensis, in quo nomine levi duarum litterarum trajectione *Vincomalus* fortasse erit legendum. Sed hic, sive Vnicomalus, sive Vincomalus, ad consequentia tempora pertinet.

106. Quamvis autem alii Vincomali aut Vincemali mihi nunc non occurrant, plures tamen potuerunt esse ita appellati, et probabiliter fuerunt. Ex his vero duobus si de Vincomalo consule intelligere Dracontium velimus, potuit res accidisse sub Godigisclo patre Guntharii, dum viam sibi ad Hispaniam per Pyrenæos montes contra Romanos repugnantes aperiret, aut postquam in Gallæcia cum Vandalis suis consedit: scilicet si Vincomalo adhuc juveni ignovit Godigisclus, et idem Vincomalus jam senex consulatum fuerit adeptus, siquidem ab ingressu Vandalorum in Hispaniam ad consulatum Vincomali solum anni 44 effluxerunt. De Vincomalo aut Vincemalo episcopo in Africa si quis Dracontium explicare conetur, id certe vix intelligi poterit, nisi Dracontium in Africa vixisse et scripsisse teneamus. Atque hinc conjecturam petet aliquis ut Dracontii **82** Satisfactionem ad Guntabundum Vandalorum in Africa regem directam esse contendat. Nam nomen regis in codice Vaticano expressum *Guthamundus* æque facile ad Guntabundum vel Guntamundum detorqueri potest, ac ad Guntharium. Præterea ubi Dracontius ait:

Inclytus armipotens, vestræ pietatis origo,
Et doctus, genio pronior ad veniam,

innuit Gensericum conditorem imperii Vandalici in Africa, et avum Guntabundi: nam hujus pater Genzo non regnavit. Et recte quidem Gensericus *armipotens* vocatur et *doctus*, qui magnum sibi nomen armis comparavit, et ingenio pollebat, doctrinæque laudem affectabat.

107. Aliud Dracontii distichon, quod illico subjicit, videlicet,

Non ignosco homini, dixit, sed lingua meretur:
Hic reus et doctus Vincomalus fuerat,

A egregie cadit in Vincemalum episcopum Baparensem in Mauritania Cæsariensi, qui unus ex episcopis catholicis fuit qui Carthaginem pro reddenda ratione fidei anno 8 regis Hunerici venerunt. Hunericus successerat Genserico, Hunerico successit Guntabundus. Optime igitur cohæret quod Vincemalos reus fuerit habitus a Genserico, et doctrinæ causa, qua illum ut episcopum carere non oportuit, veniæ dimissus: quod avi exemplum Guntabundo Dracontius veniam rogans in memoriam revocaverit. Nonnulli qui diversarum nationum et temporum etiam non valde inter se distantium stylos distinguere se posse arbitrantur, addent in Dracontio quamdam *Africanitatem* apparere, et phrases ac verba inveniri quæ magis propria sæculi v exeuntis quam ineuntis B esse videantur. De hac styli diversitate breviter dicam, difficillimum esse inter duos scriptores qui eodem sæculo v vixerint, quorum alter Hispanus, alter Afer fuerit, discrimen invenire in ipsa sola dicendi ratione. Accedit Dracontium in carcerem conjectum ærumnisque oppressum hæc carmina composuisse, ut mirum non sit si ejus sermo aliquando fluat lutulentus, etsi multa ejusmodi quæ displicere **83** possint, librariis et interpolatoribus, a quibus male habitus est Dracontius, omnino tribuenda sunt.

108. Quod attinet ad alteram conjecturam de Vincemalo episcopo, haud equidem negaverim ordinem narrationis apposite procedere. Sed cum de Vincomalo consule aut de alio ejusdem nominis sub Gunthario Dracontius possit exponi, argumentum C quod inde petitur parum efficax est, ac plane refellitur ex triumphis terra marique reportatis quos memorat Dracontius. Etenim de Guntabundo hæc pauca narrat Procopius lib. i Histor. Vandal.: *Hic Gundemundus multis in Mauros præliis factis, tractatisque pessime Christianis, ægro corpore interiit.* Quod prælia cum Mauris absens gesserit, nihil est unde colligi possit; multo vero minus quod ejus tempore navales pugnæ confectæ fuerint, aut quod contra Gothos, quorum dux fuerit Ansila, Vandali pugnaverint. His adde, Guntabundum Vandalorum in Africa regnum adeptum fuisse exeunte anno 484, interiisse vero anno 496 aut sequenti, ut alii volunt. Eugenius vero qui libellos Dracontii ante annum 650 corrigebat, majorem vetustatem illis tribuere videtur, dum eos ait D *capere nitidam longo post tempore pallam;* ac rursus sibi objicit: *Et quis est veterum qui carmina mutat?* quod Ildefonsus in Eugenii elogio confirmat, ubi refert eum libellos Dracontii emendasse, *quos antiquitas protulerat vitiatos*. Hæc certe magis favent ætati Dracontii initio sæculi v consignandæ quam ejusdem sæculi fini. Columbanus etiam, qui sæculo v exeunte et vi ineunte claruit, Dracontii carmina inter vetera dicta referebat, ut dixi num. 8.

109. Ex laudibus quibus Dracontius regem prosequitur, conjectura etiam duci potest ne hunc Guntabundum fuisse existimemus. Guntabundus enim, etsi in catholicos Genserico et Hunerico indulgentior fuerit, nihilominus Arianus erat et catholicorum perse

secutor, ut Procopius aliique affirmant, vel certe Arianos in catholicos furentes non cohibebat. Dracontius autem catholicam de SS. Trinitate doctrinam tenebat, passimque in suo poemate de Deo profitetur: quod supervacaneum non est hoc loco ostendere. Lib. I, vers. 562:

84 Solus in æternum Deus est regnator et auctor,
Virtus trina Deus, triplex Deus omnis et unus,
De quo speratum conceditur omne benignum.

Sirmondus legit *Virtus una Deus, trinus Deus.* Sed unitas naturæ satis exprimitur his vocibus *solus Deus, Deus omnis et unus*; aliæ *virtus trina Deus, trinus Deus* ad trinitatem personarum explicandam a poetis Christianis antiquis adhiberi solent. Claudius Marius Victor, seu Victorinus initio lib. I in Genes. eisdem verbis usus est: *Virtus trina Deus*; neque in indice B libror. expurg. Brisichellensis quidquam adversus eum notatur dum ejus opus recensetur. Sic apud alios reperitur *trina majestas, trina pietas, trina potestas, trinum specimen, trinum numen, trinum nomen*; quodque gravius videtur, *trina deitas* canitur in Ecclesia: de quibus phrasibus plura dixi comment. ad Prudent. pag. 259, 396, 587 (*Patrol. t. LIX, col.* 797, *comment. ad vers.* 20; *ejusd. tom. col.* 915, *comment. ad vers.* 1; *hujus tomi col.* 19, *comment. ad vers.* 3 *Psychom.*). In carmine 4 S. Eugenii de Bono pacis Sirmondus edidit:

Pax pia summa Deus peccatis præmia præstat,
Jurgantes perimit pax pia summa Deus.

In editione Matritensi nulla discrepantia adnotatur ex codice Azagræ. In codice Vaticano Alexandrino, C quem alibi laudavi, in utroque versu legitur, *Pax trina summa Deus*, quod verum videtur, et eodem modo dicitur ac *virtus trina Deus*, nisi malis metro consulere hoc pacto, *Pax tria summa Deus*, ut Prudentius vers. 1 Apoth., *Est tria summa Deus.*

110. Alia habet Dracontius de Trinitate catholico dogmati apprime consentientia. Sic lib. II de Christo, quem *Deum* vocaverat, pergit dicere vers. 68:

Et consors cum Patre manens, et Spiritus unus,
Trina mente Deus, Deus auctor, temporis expers.

Eodem sensu quo lib. I dixit, *Virtus trina Deus*, nunc ait, *unus trina mente Deus*, et paulo ante vers. 65 dixerat de mente divina Patris:

Vivida, cunctiparens mens, innumerabilis, una.

Deinde vero vers. 80 de Filio: D

Fitque Deus post templa poli sub carne figura
Passibilis, mortalis homo sine fine perennis.

85 Et rursus vers. 89:

Qualiter aure Deus, verbo fœtante marito,
Virgineos intrasse sinus dignatur et alvum.

Pergit vers. 50:

Nam quicunque sapit, novit quia sæcula liquit artus,
Et fuit in terris, ut ne cœleste tribunal
Linqueret Omnipotens; nunquam sine Patre probatus
Filius et Genitor nunquam sine pignore dictus,
Spiritus immensus, sanctus, bonus, arbiter, index,
Tertius unus idem, primus, mediusque perennis.

Eodem lib. de Filio Dei:

Solus ubique Deus, rerum fons, conditor et spes,
Idem semper eris quod et es, quod et ante fuisti...
Cum te non caperent cœli, terræque, fretumque,
Aeris et spatium, modico te corde reponis A
Pectoris humani, conceptus mente fideli...
Christus enim datus est nobis spes una salutis.

Similia plura habet de Christo Deo, æterno, et uno cum Patre, quæ aperte repugnant hæresi Arianorum, ac nominatim Gothorum, a quibus eam hæresim Vandali hausisse dicuntur. Tenebant enim Gothi, ut refert Isidorus in eorum Historia, *Filium Patri majestate esse minorem, et æternitate posteriorem. Spiritum autem sanctum nec Deum esse, neque substantiam Patris existere, sed per Filium creatum esse, utriusque ministerio deditum, et amborum obsequio subditum.*

111. Itaque credibile non est Dracontium, qui Antiarianum se profitetur, et magna animi demissione peccatorum suorum veniam a Deo et in poemate de Deo, et in Elegia petit, Guntabundi regis Ariani, ac Genserici catholicorum crudelissimi persecutoris, laudes tantopere celebrasse, imo petiisse ut vita sibi superesset ad Gensericum aliosque hæreticos carminibus suis prædicandos. Ita enim orat in Elegia vers. 49:

Ipse meo domino Deus imperat, atque jubebit
Ut me restituat respiciatque pius.
Servet avi ut laudes dicam, patrisque, suasque,
Perque suas proles regia vota canam.

86 Fortasse reponet aliquis Dracontium minime posse excusari, sive in Africa, sive in Hispania scripserit; nam Guntharius Arianus erat, adeoque non debuit a catholico viro tot ac talibus elogiis cumulari. Examine res hæc digna est, an, et quando Vandali in Hispania Arianam hæresim amplexi fuerint. Mihi sane tempora et auctorum æqualium scripta expendenti Vandali in Hispania catholici fuisse videntur; qui fortasse solum sub extremo tempore Arianorum Gothorum fraude decepti fuerunt; si tamen in Hispania decepti fuerunt, et non potius in Africa, ubi Gothi Ariani quos Bonifacius secum duxerat, vivente adhuc S. Augustino, hæresim suam late spargere cœperant. Orosius in Africa quidem degens, sed Hispanus ipse, et anno 416 circiter describens quæ in Hispania gererentur, de barbarorum clementia et religione, exceptis Gothis, quos non nominat, hoc reddit testimonium: *Quanquam et post hoc quoque continuo barbari exsecrati gladios suos ad aratra conversi sunt, residuosque Romanos ut socios modo et amicos foveant, ut inveniantur jam inter eos quidam Romani qui malint inter barbaros pauperem libertatem, quam inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere. Quanquam si ob hoc solum barbari Romanis finibus immissi forent, quod vulgo per Orientem et Occidentem Ecclesiæ Christi Hunnis, Suevis, Vandalis et Burgundionibus, diversisque et innumeris credentium populis replentur; laudanda et attollenda Dei misericordia videretur: quandoquidem etsi cum labefactione nostri tantæ gentes agnitionem veritatis acciperent, quam invenire utique nisi hac occasione non possent.* Id ita ab Orosio expositum catholicam fidem Vandalorum saltem maxima ex parte indicat.

112. Eodem tempore in Hispania vivebat Idacius, et in Gallæcia quidem, ubi diu commorati fuerunt Vandali sub Gunthario rege. Is cum Guntharii infe-

licem obitum narrasset, subinde Gensericum successisse retulit his verbis, olymp. 301 : *Cui Gaisericus frater succedit in regno : qui, ut aliquorum relatio habet, effectus apostata de fide catholica in Arianam dictus est transisse perfidiam.* Quod ergo ait, Gensericum *apostatam de fide catholica* in Arianam transisse perfidiam, idque narrat **87** post obitum Guntharii, cui sectam Arianam non exprobrat, et *ex aliquorum relatione* tantum Genserico apostasiam a fide catholica imputat, evidenter arguit Vandalos in Hispania aut nunquam Arianis adhæsisse, aut solum paulo antequam in Africam trajicerent. Clarius hoc ipsum asseruit Isidorus in Historia Vandal. : *Gisericus frater Gunderici succedit in regnum annis 40, qui ex catholico effectus apostata in Arianam* PRIMUS *fertur transisse perfidiam.* Albertus Krantzius in sua Vandalia lib. I, cap. 27, tradit Gensericum, infelici exitu fratris Guntharii territum, in primis modestiorem apparuisse, post alium inventum. Fides sit penes ipsum, non enim ullo auctore se tuetur.

113. Opponet aliquis contra quod Bonifacius uxorem Vandalicam duxerat, quæ prius Ariana fuerat, sed illi nupsit post ejuratam Arianam hæresim, ut discimus ex S. Augustino epist. ad Bonifac. 220, al. 70. Ita vulgo scriptores referunt, et diserte Ruinartius cap. 3 Histor. Persecut. Vandal. At apud S. Augustinum solum invenio : *Navigasti, uxorem duxisti... Audivi te illam ducere noluisse, nisi prius catholica fuisset facta; et tamen hæresis eorum, qui verum Filium Dei negant, tantum prævaluit in domo tua, ut ab ipsis filia tua baptizaretur.* Non explicat Augustinus, quo Bonifacius navigaverit, multo vero minus ex qua gente uxorem duxerit; quæ si Ariana hæresi infecta fuerat, ut verba Augustini innuunt, et ex Hispania ducta, potuit esse e Gothorum genere. Nam Bonifacius cum Castino et Gothis adversus Vandalos pugnaturus Hispaniam adierat, et Castini superbiam ferre non valens, in Africam reversus est. Deinde Gothi in Africa sub Bonifacio militantes Arianum episcopum Maximinum secum duxerunt, qui S. Augustinum ad certamen provocare ausus est : adeo enim jam tum Ariani in Africa invalescebant, ut etiam Pascentius comes, Auxentii Mediolanensis olim episcopi Ariani discipulus, cum eodem S. Augustino de fide disputationem inire voluerit, ut ex hujus operibus et Vita a Possidio scripta demonstratur. Quid si nuptiæ Bonifacii, ab Augustino reprehensæ ea epistola, quæ anno 427 exeunte missa creditur, eo tempore acciderint quo inter Vandalos errores Arianorum disseminari cœpisse non diffitemur? **88** Neque colligi potest regem Guntharium, aut maximam gentis Vandalorum partem jam tum hæresi Arianæ adhæsisse, etiamsi femina aliqua Vandala a Bonifacio in matrimonium ducta Arianorum erroribus imbuta fuisse dicatur.

114. Gravissimam persecutionem eo tempore adversus catholicos in Hispania a Vandalis motam commemorat Ruinartius cap. 2 Hist. Vandal., auctoritate Gregorii Turonensis lib. II Histor. Francor., cap. 2.

A Quamvis enim Gregorius Turonensis Trasimundum regem hujus persecutionis auctorem dicat, tamen Ruinartius colligit, hoc nomine a Gregorio designari Gensericum. Nonnulli scriptores Hispani hujus persecutionis tempus assignant circa annum 424. Sed eos, præterquam quod supposititiis chronicis innituntur, recte refellit Ruinartius ex ipsa ratione temporum : Gensericus enim regnavit post Guntharium, qui anno 427 aut 428 exstinctus est. Quare si Gensericus religionis causa catholicos in Hispania unquam vexavit, id accidit paulo antequam cum Vandalis in Africam migraret. Similius tamen vero mihi videtur Gensericum non nisi post ingressum in Africam in orthodoxos sævire cœpisse. Prosper in Chronico ad ann. 437 eum in Africa catholicam fidem Ariana im-
B pietate subvertere voluisse narrat, additque : *Per idem tempus quatuor Hispani viri Arcadius, Probus, Paschasius, et Eutychianus dudum apud Gensericum merito sapientiæ ac fidelis obsequii clari carique habebantur : quos rex ut copulatiores sibi faceret, in Arianam perfidiam transire præcepit... illustri martyrio mirabiliter occubuerunt.* Gensericus Carthagine regnare cœpit ann. 439, et hac in urbe potissimum persecutio Vandalica vires suas exeruit. Quod si in Hispania nonnulli jussu Genserici regis martyrium subierunt, id potuit accidere dum Vandali jam in Africa commorantes, in Hispaniam navibus advecti, aliquam irruptionem fecerunt, ut Idacius refert ad ann. 449 : *Vandali navibus Turonio in littore Gallæ-*
C *ciæ repente advecti familias capiunt plurimorum.*

CAPUT XII.

Carmina Dracontii ab antiquis de industria interpolata. Conjectura de statua Dracontio Romæ erecta.

89 115. Guntharius quo tempore a Dracontio laudatus fuit, fortasse eas laudes meritus erat, aut his non indignus habebatur; certe nullum exstat monumentum quo eum in odio apud catholicos fuisse credamus. Post id tempus accidit quod narrat Idacius ad annum 428 : *Gundericus rex Vandalorum capta Hispali, cum impie elatus manus in ecclesiam civitatis ipsius extendisset, mox Dei judicio dæmone correptus interiit.* Cui adhæret Isidorus in Histor. Vand., ubi de Gunderico sive Gunthario loquens, ait : *Hi-*
D *spalim diruit, actaque cæde in direptionem mittit. Qui cum auctoritate regiæ potestatis irreverenter manus in basilicam Vincentii martyris civitatis ipsius extendisset, mox Dei judicio in foribus templi dæmonio correptus interiit.* Hic locus maxime idoneus fuisset ut uterque, Idacius et Isidorus, de hæresi Ariana Guntharii loquerentur, quam illico fratri Genserico exprobrant. Itaque Guntharii nomen odiosum fuit non ob Arianismum, sed ob impietatem qua manus in basilicam S. Vincentii extendit, funestamque mortem inde consecutam. Procopius quidem, lib. I Hist. Vand., famam fuisse ait Gensericum mortis fratris Guntharii auctorem fuisse; se autem a Vandalis accepisse Guntharium in Hispania a Germanis captum in prælio fuisse crucique affixum. Verum auctoritas Idacii hac in re

longe major est, præsertim accedente Isidoro, qui Idacio aliquid addit, ex aliis scilicet monumentis, aut ex traditione Hispali, ubi episcopus ipse erat vigente.

116. Infamiæ Guntharii a dæmone correpti, et infeliciter exstincti accessit crudelitas Genserici in Africa catholicos vexantis, et plures alias provincias, Hispaniam etiam ac Romam ipsam deprædantis. His de causis Hispani Vandalos abominari odioque prosequi debuerunt. Quamobrem mirari subit qui fieri potuit ut nobilissima Hispaniæ provincia Bætica 90 cum aliquo nempe finium veterum et recentium discrimine a Vandalis nomen *Vandalusiæ* conservari: si tamen hoc nomen unquam habuit. Pervulgata est hæc opinio hominum etiam doctissimorum, Bæticam nunc dici *Andaluzia*, quia olim a Vandalis *Vandalusiæ* nomen accepit: quanquam alii *Vandaliam* eam appellant, alii *Vandalitiam*, alii *Vandalosiam*. Videri hac de re possunt Rodericus archiepiscopus Toletanus Hist. Vandal. cap. 12, et qui eum secuti videntur, Rodericus Sanctius de Arevalo Hist. Hisp. part. I, cap. 7; Nebrissensis in prolegom. ad Decad. rer. gest. Ferdin. et Elisab.; Vasæus in Chron. cap. 8; Mariana lib. I Hist. Hisp., cap. 4; Ambrosius Morales lib. XI Hist., cap. 15, ut Volfgangum Lazium, Grotium aliosque omittam. Equidem veteres scriptores dum perlustro qui a Vandalorum tempore ad plura deinceps consequentia sæcula vixerunt, semper invenio hanc provinciam Bæticam ab eis vocari, nunquam *Vandalusiam*, aut alio nomine a Vandalis repetito. Scribebant illi quidem Latine, sed cum alia multa e vulgari sermone vocabula sumerent, difficile est ut nunquam *Vandalusiam* nominarent, siquidem ea appellatio usu recepta erat. Et Rodericus quidem archiepiscopus Toletanus loc. cit. a Vandalis Silinguis originem nominis repetit: *Quæ regio*, inquit, *a Silinguis Vandalis adhuc hodie Vandalia nuncupatur, quam Andaluziam corrupto vocabulo vulgariter appellamus.* Vocabulum ergo *Andaluzia* vulgare jam erat sæculo XIII, quo scribebat Rodericus, sumptum, ut non male conjicit Florezius tom. IX Hisp. sacr., tract. 28, cap. 4, a voce Arabica *Andalos*, quæ fem occidentalem significat. Et, ut videtur, primum *Andaluzia* dicebatur tota Hispania, vel omnes illæ provinciæ quæ a Mauris tenebantur; deinde hoc nomen hæsit illi provinciæ quæ olim fere Bætica erat, et in qua Mauri diutius constiterunt. Abunazarii exstat *de Studiis populi Andaluziæ*, hoc est Hispaniæ Arabicæ, rarum et inventu difficile opus. Consule Nic. Antonium in præf. ad Bibl., et in Biblioth. Arabico-Hisp. verbo ABU CHATIM ANDALUSIUS, ubi plura de hoc nomine disputat, et opinionem vulgarem rejicit, quod *Andaluzia* a Vandalis dicta fuerit.

91 117. Utut id est, Hispanis Gothisque, qui Vandalorum hostes fuerant, præsertim postquam hi impietatem Arianam ejuraverant, minime placere poterant laudes quibus Guntharius a Dracontio fuerat cumulatus. Et, nisi nimium fallor, hæc causa fuit nonnullis cur Dracontii poemata, potissimum vero

A Satisfactionem, licentius corrigerent et interpolarent. Id an ab aliis aliqua ex parte factum fuerit ante Eugenium Toletanum, definire non ausim. Certe jam S. Isidori tempore pars primi libri, quæ de Opere sex dierum inscripta fuit, a reliquo corpore separata erat, et ab eodem Isidoro corruptissime legebatur versus quidam primi hujus libri, ut notavi num. 7. Eugenius Chindasuinthi regis jussu libellos Dracontii *de Creatione mundi* conscriptos, ut loquitur S. Ildefonsus, suscepit emendandos. In versibus qui ad primum librum de Deo pertinent, nonnullæ mutationes factæ sunt, sed non admodum frequentes, neque ita magni momenti, ut nostrum codicem cum Sirmondiano conferenti patebit. In epistola præsertim Eugenius ea videtur fecisse quæ in sua præfatione ad

B regem Chindasuinthum narrat, *superflua se dempsisse* (ut ipse putabat), *semiplena supplevisse, fracta constabilivisse, crebro repetita mutasse, versiculos detraxisse, qui et sensu tepidi, et verbis illepidi, et nulla erant ratione subnixi, in quibus nihil reperiebatur quo lectoris animus aut mulceretur doctus, aut doceretur indoctus.* Nihil autem prius habuit Eugenius, sive alius (nam fortasse ante vel post Eugenium alius fuit interpolator), quam ut memoriam omnem regis Vandalorum penitus aboleret, versusque illos omitteret ex quibus occasio qua scripta fuit Satisfactio percipi posset. Hinc prætermissi omnino sunt hi versus:

Nominis Asdingui bella triumphigera..
Servet, avi ut laudes dicam, patriasque, tuasque;
Perque suas proles regia vota canam.

C 118. Dedita etiam opera postremi Satisfactionis versus omissi videntur, quibus ærumnæ Dracontii clarius describuntur, factumque illud narratur ex quo veteres regem qui laudabatur possent agnoscere:

Inclytus armipotens, vestræ pietatis origo,
92 Et doctus, genio pronior ad veniam,
Non homini ignosco, dixit, sed linguæ meretur:
Hic reus et doctus Vincomalus fuerat.

Non tamen Eugenio imputaverim quod titulum Satisfactionis, quasi ad Theodosium Juniorem scriptæ, ipse supposuerit, priori inscriptione deleta qua regis Vandalorum nomen expressum erat; neque enim credam virum probum veritatisque studiosum tantum

D sibi arrogasse. Aut igitur ipse ignoravit cuinam laudes epistolæ dicerentur, et ex temporum ratione conjecit Satisfactionem ad imperatorem Theodosium Juniorem referri, aut, quod verius puto, elegiam sine inscriptione ipse dimisit, cui alii postea eum quem nunc apud Sirmondum legimus, ex conjectura addiderunt titulum. Aliarum mutationum quæ in sententiis aliter ac ipse auctor voluit explicandis factæ sunt, unum vel alterum proferam exemplum.

119. Dracontius providentiam Dei de bonis, quæ donat, ac de malis, quæ permittit, hoc uno disticho complexus est vers. 15:

Quidquid agunt homines, bona, tristia, prospera, prava,
Hoc fieri admittunt ira favorque Dei.

Ut simili modo dixerat lib. 1, vers. 18, carm. de Deo :

Omnia quæ veniunt, bona, gaudia, tristia, acerba
Descendunt ex arce Dei, de sede Tonantis.

Interpolatori sententia elegiæ dura visa est: hæc ergo ille duo disticha supposuit :

Quidquid agunt homines, bona, prospera, sancta, modesta,
Te faciente, fiunt, quo bona cuncta fiunt,
Econtra adversa, probrosa, maligna, inhonesta
Tu fieri pateris, qui mala nulla facis.

Et, ut apertius videas quid interpolatori in disticho Dracontii displicuerit, animadvertas, quæso, mutationem distichi sequentis, quod Dracontius ita ediderat :

Hoc tua verba probant Moseo dicta prophetæ,
Quod duraturus cor Pharaonis eras.

Corrector noluit dictum quod Dominus cor Pharaonis obduraverit ; ita igitur ille :

93 Hæc tua lex docuit Moyse præscripta notante,
Cum perduratum cor Pharaonis ait.

Atqui Dracontius Exodi verba cap. VII, v. 3, expressit. Sed hic locus non est ut Dracontium tueamur; tantum nunc discrepantiam inter Dracontium ejusque correctorem ostendimus, quæ in eadem fere sententia paulo post rursus occurrit vers. 27:

Quis nisi cœlesti demens compulsus ab ira,
Aspera cuncta petat, prospera cuncta neget?

In codice Sirmondi hoc distichon ita effertur :

Quo nisi cœlestis Domini conspectus ad æthram
Aspera cuncta premunt, prospera nulla juvant

Codex Azagræ in editione Matritensi sic habet :

Quo nisi cœlestis Domini conceptus ab æthra
Aspera cuncta premat, prospera nulla juvant.

Rivinus scripturam Sirmondi antea sollicitaverat, et legerat :

Quem nisi salvasset Domini conspectus ab æthra,
Aspera cuncta premunt, prospera nulla juvant.

Mendum viderat, sed veram lectionem non vidit, quæ exstat in elegia non interpolata. Absurdum putabat corrector quod aliquis *cœlesti compulsus ab ira* aspera cuncta peteret, prospera cuncta negaret. At Dracontius hoc voluit, hoc de seipso affirmavit, ut ex tota orationis serie liquet. In levi unius verbi mutatione studiosam correctoris diligentiam licet observare. Dracontius ex persona Commodi Augusti hoc præceptum posuit vers. 189 :

Nobile præceptum, rectores, discite post me :
Sit bonus in vita qui volet esse deus.

Hoc postremum verbum interpolator aut mendum putavit esse, aut tolerari non posse. Igitur emendavit :

Sit bonus in vita qui volet esse Dei.

At Commodus, qui hæc verba profert, intelligit apotheosin gentilium, qua imperatores post obitum in deorum numerum referebantur.

120. Plura alia nunc omitto, quæ melius patebunt cum Elegia ex codice Vaticano edita cum variantibus lectionibus **94** codicum Sirmondiani et Azagrensis conferetur. Sed cum tantum studium adhibitum fuerit ut Dracontii carmina ad posteros interpolata pervenirent, quærat aliquis qua via extra Hispaniam et in Italia hæc ipsa integra asservari potuerint ; nam ea quæ in Gallia sunt, ex emendatione Eugenii videntur processisse, excepto codice Parisiensi S. Victoris, quem ego puto exaratum ex aliquo antiquiori, solos versus de Opere sex dierum continente, qualem etiam ante Eugenium vidit Isidorus. Verum difficile non fuit ut ante S. Isidori tempora codex aliquis ex Hispania in Italiam adveheretur, qui integrum poema de Deo, et Satisfactionem ad regem Guntharium comprehenderet : nisi velimus etiam suspicari ipsum Dracontium, carcere tandem liberatum, in Italiam venisse. Hanc enim habeo conjecturam, quam nunc proponam.

121. Sidonius in Excusator. ad Felicem, carm. 9, tres poetas laudat qui patribus suo et Felicis fuerant sodales, quorum tertium non nominat, sed in Bætica natum dicit, et alia de eo narrat his versibus :

Ne qui jam patribus fuere nostris
Primo tempore maximi sodales...
Sed nec tertius ille nunc legetur,
Bætim qui patrium semel relinquens
Undosæ petit sitim Ravennæ,
Plausores cui fulgidam Quirites,
Et carus popularitate princeps
Trajano statuam foro locarunt.

Suspicatur Sirmondus in notis ad Sidonium hunc poetam Hispanum esse Merobaudem, de quo Idacius ad annum 443 : *Asturio magistro utriusque militiæ gener ipsius successor ipsi mittitur* (ad Hispanias) *Merobaudis, natu nobilis, et eloquentiæ merito vel maxime in poematis studio veteribus comparandus, testimonio etiam provehitur statuarum. Brevi tempore potestatis suæ Aracellitanorum frangit insolentiam Bacaudarum. Mox nonnullorum invidia perurgente, ad urbem Romam sacra præceptione revocatur.* Addit Sirmondus hunc esse Merobaudem cujus exstat carmen de Deo. Acute hæc excogitata sunt. **95** Verum idem Sirmondus observat eo tempore statuas in foro Trajano multis fuisse collocatas, quod etiam antiquis inscriptionibus probat. Locus igitur adhuc relinquitur dubitandi an de alio Hispano poeta aptius intelligi possit Sidonius. Notandum ergo est Sidonium natum fuisse circa annum 428, et affirmare poetam illum Bæticum sodalem fuisse sui patris *primo tempore*, quod ego interpretor in ipsa sui patris juventute. Ait præterea Sidonius eum poetam Bætim patrium semel reliquisse, et Ravennam venisse : quo innuit Ravennæ cum patre suo amicitiam contraxisse. Intelligo etiam poetam Hispanum Sidonii Bætim in perpetuum reliquisse; id enim significat hoc loco adverbium *semel*. His ita positis consequitur Sidonium minus congruenter exponi de Merobaude, qui anno 443 dux sive magister utriusque militiæ missus est in Hispanias, mox sacra præceptione Romam revocatus. Contra Dracontio omnia Sidonii verba apte conveniunt: nam et Bæticus erat, et circa annum 427 Ravennæ jam potuit commorari, postquam patrium Bætim semel reliquisset. Huic conjecturæ favet quod S. Columbanus Elegiam Dracontii integram legerat, ut ex versibus illius num. 8 allatis arguitur, et quod codex Dracontii in catalogo antiquissimo monasterii Bobiensis ab eodem S. Columbano fundati reperitur

descriptus. Id enim simul cum Sidonii versibus nonnullam causam præbet suspicandi Dracontium in Italia vixisse. A

122. Dracontius enim, si libertatem adeptus fuit, ut sibi consuleret ac se calamitatibus quibus vexabatur Hispania subtraheret, otium honestumque secessum amare debuit : imo hoc Deum precatus est lib. III de Deo, vers. 647 :

Me, rogo, jam repara sub libertate solutum,
Clade catenarum ferrato pondere pressum.
Sit vitæ requies, animæ sint otia fessæ,
Sit secura quies, sit nox cum munere noctis.

Quod enim pergit, *Sit fortuna redux*, etc., ea tantum fortunæ bona videtur postulare quæ otio animæ fessæ, ac securæ quieti minime adversantur. Fuerat enim palatinus, ut conjici potest ex suis versibus, et plane affirmavit supra num. 32 Goldastus **96** nescio quo B auctore : ad minimum erat dives et nobilis, ut ex vers. 589 lib. III colligere licet :

Agmina servorum fugiunt, tempsere clientes.

Id enim recenset inter alias molestias quibus affligebatur.

CAPUT XIII.

Confessio et pœnitentia Dracontii.

123. Hoc discrimen interest inter carmen de Deo et Elegiam, quod in Elegia Dracontius regem alloquens, ejusque gratiam demereri cupiens, petit vitam sibi prorogari ut laudes Vandalorum canat; in carmine post humillimam criminum suorum confessionem sic Deum precatur vers. 663 lib. III :

Servatum reparare jube pietate sueta,
Ut merear cantare tuas per carmina laudes.

C

124. Præterea animadvertendum est Dracontium in Elegia innuere crimen suum non aliud fuisse nisi quod hostem aliquem regis Vandalorum carmine celebrasset. Et, ut conjecturis indulgeamus, fortasse Castinus fuit ille quem laudaverat Dracontius. Sic enim habet Idacius ad ann. 422 : *Castinus magister militum cum magna manu et auxiliis Gothorum bellum in Bætica Vandalis infert; quos cum ad inopiam vi obsidionis arctaret, adeo ut se tradere jam pararent, inconsulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconam victus effugit.* Dum Vandali vi obsidionis ad inopiam redacti erant, tempus potuit videri opportunum ut aliquis qui nondum corde societatem Romanorum expulerat, Castinum ducem versibus extolleret. Quamvis autem nullum D vestigium carminis quod tunc Dracontius composuit ad nos pervenerit, ejus tamen testimonio certum est editum ab illo fuisse carmen quo rex offensus fuit. Nec mirandum est hoc non superesse carmen, quod Vandali, qui in Bætica tunc rerum potiebantur, supprimere debuerunt.

125. Dracontius in carmine de Deo, ubi ex animi sententia peccata sua fatetur coram Deo, de hoc carmine omnino **97** silet, fortasse quia putabat alia sibi esse crimina graviora quæ ut puniret Deus, eum in has quas patiebatur calamitates incidere permiserat. In Elegia vers. 105 ait :

Te coram primum me carminis illius ausu,
Quod male disposui, pœnitet et fateor.

In carmine vero lib. III, vers. 576, post multa alia :

Hei mihi ! quod facinus non uno tempore gestum,
Ut mea facta luam, tempus convenit in unum.

Quot autem et qualia fuerint hæc scelera quorum se reum accusat Dracontius, non explicat distincte; sed innumera et horribilia fuisse, ex versibus qui præcedunt nonnulli colligent. Sic enim ait :

Quorum primus ego plusquam peccator habendus.
Quando fatebor enim scelerum numerum, atque reatus
Pectoris et carnis ? non si mihi ferrea vox sit,
Ora tot exsurgant quot dentes ossibus albent,
Aut mihi sint linguæ quantos caput omne capillos
Pectinat, explebo numerum sine fraude fidelem.
Sed satis est dixisse reum sub crimine cuncto.
Quod tua jussa vetant, solus peccasse fatebor,
Omne quod horrescis non me fecisse negabo...
Ergo ego confiteor miseranda mente reatum
Plenum, grande malum non uno crimine partum.
Nam scelus omne meum numeros superabit arenæ
Littoris, et pelagi vincent mala nostra liquores.
Non puto diluvium tantos punisse reatus
Quantos ipse gero culparum pondere pressus.
Flumina me scelerum rapiunt, quatiuntque procellæ,
Et peccatorum torrens simul obruit unda.
Me delictorum merserunt fluctibus amnes,
Usque animam venit unda meam, gravis horror aqua-[rum.

Hæc omnia nisi exaggerata a Dracontio esse censeamus, sceleratiorem eo neminem fuisse credemus.

126. In prolegomenis ad Prudentium cap. 2, num. 44 et seqq. probare conatus sum verba quibus sua crimina Prudentius in præfatione accusat, a modestia et humilitate **98** Christianis justis usitata posse intelligi profecta, neque innuere hominem insigniter sceleratum et perditum, ut alii vulgo interpretabantur. Neque nunc quidem aliter sentio : imo hæc ipsa Dracontii verba, quæ graviora plerisque videbuntur, eodem sensu accipio. Sed quod de Prudentio tunc satis aperte indicavi, nunc clare profiteor, non ita me hanc causam agere, quasi aut de Prudentii aut de Dracontii innocentia liqueat, sed id unum asserere, ex humili eorum confessione argumentum peti non debere ad gravissima de eis scelera affirmanda. Luculentum exemplum nunc afferam ex S. Eugenii Toletani versibus in Lamento de adventu propriæ senectutis, lib. I, carm. 12 :

Oppressi, rapui, nudavi, crimina finxi,
  Pauperis ad vocem mens mea surda fuit.
Corrupi proprium lascivo vulnere corpus,
  Hinc miser, hinc pavidus, hinc temulentus eo.
Nulla meas unquam venia compescuit iras,
  Nec sine felle furens, nec sine cæde fui.

Ac ne quis de auctore dubitet, nomen in postremo pentametro exprimit :

Eugenio misero sit, rogo, pœna levis.

Nemo negaverit difficilius esse hæc verba Eugenii benigne interpretari, quam quæ a Dracontio in genere tantum proferuntur : nam Eugenius ad species ipsas horrendæ cujusdam iniquitatis descendere videtur.

127. Profecto Barthius, qui lib. LV Advers., cap. 11, hoc carmen Eugenii interpretatur, conceptis verbis ait : *Corrupisse se proprium corpus scortationibus dicit... Fuisse autem ad hæc delicta proniorem Eugenium ex epigrammate etiam tertio doceri possumus, ubi ait :*

Nunc rectum sequimur, nunc pravum corde tenemus;
Nunc sancti castique sumus, nunc scorta fovemus.

Etsi enim eo loco generatim loquatur de mentis apud omnes homines inconstantia et futilitate, sua tamen ex propria conscientia et vitæ anteactæ experientia ista omnia recenset atque detestatur; fatetur autem eodem **12** *carmine etiam cæde* **99** *se purum non fuisse. Non enim aliter quam uti sonant, simpliciter ea verba sunt intelligenda... Juventutem se per libidinum omnia genera decurrisse fassus est.* Hæc Barthius, qui si vidisset alia carmina Eugenii ex codice Azagrensi Matriti edita, uberius opinionem suam confirmasset carmine 1 lib. II, quod incipit :

Mole culparum graviter onustus,
Crimine summus, vitiis abundans.

128. Barthio ex sola Eugenii confessione assentiri non auderem, etiamsi alia deessent monumenta quæ ejusmodi scelera ab Eugenio repellerent : nunc cum hæc adsint, plane dissentio. Audi locupletissimum testem Ildefonsum in Eugenii Vita : *Hic cum ecclesiæ regiæ clericus esset egregius, vita monachi delectatus est. Qui sagaci fuga urbem Cæsaraugustanam petens, illic martyrum sepulcris inhæsit, ibique studia sapientiæ et propositum monachi decenter incoluit : unde principali violentia reductus atque in pontificatum ascitus, vitam plus virtutum meritis quam viribus egit. Fuit enim corpore tenuis, parvus robore, sed valide fervescens spiritus virtute.* Caditne id elogium in eum hominem qualem nobis describit Barthius? Neque opponas Eugenium juventutis suæ crimina accusare; nam Ildefonsi testimonium vitam in adolescentia integre et pie actam confirmat, et ipse Eugenius in epitaphio totum suæ vitæ tempus comprehendit, perinde quasi ad obitum usque sceleribus fuerit involutus. Quid igitur restat, nisi ut dicamus Eugenium quodam sensu minus proprio, sed vero et humili loqui, ut veritas in ejus dictis cum humilitate cohæreat, neque verba ut sonant aut sonare videntur, simpliciter intelligantur?

129. Eugenius autem non se solum verbis ex humilitate Christiana profectis, verum etiam, quod mireris, Chindasuinthum regem simili modo, tanquam improbum et nefarium hominem descripsit. In libro II carminum Eugenii ex codice Azagræ, in editione Matritensi, carmen 75 est *Epitaphium Chindasuintho regi conscriptum*, ubi inter alia Eugenius hæc ait :

100 Chindasuinthus ego noxarum semper amicus,
Patrator scelerum Chindasuinthus ego.
Impius, obscenus, probrosus, turpis, iniquus,
Optima nulla volens, pessima cuncta valens.
Quidquid agit, qui prava cupit, qui noxia quærit,
Omnia commisi, pejor et inde fui.
Nulla fuit culpa quam non committere vellem,
Maximus in vitiis, et prior ipse fui.

Restitui *pejor* pro *pejus*, quod legitur in editione Matritensi. In his versibus primum agnosco humilem exaggerationem vitiorum Chindasuinthi; deinde arguo, non ab Eugenio, sed ab ipso Chindasuintho epitaphium fuisse compositum. Qui enim fieri potuit ut Eugenius aut vivente Chindasuintho, aut post ejus obitum tot tamque gravia crimina illi imputaret?

130. *Prælargissimam pietatem* Chindasuinthi Eugenius ipse in epistola qua Dracontium a se emendatum mittit, celebrat; eumdem Chindasuinthum religionis pietatisque laude floruisse constat, qui etiam Taionem Romam legatum misit, ut varia S. Gregorii opera, quæ in Hispania desiderabantur, asportaret, et Eugenio mandatum dedit ut Dracontii libellos corrigeret. Unum in eo vitium, cujus distincta mentio in epitaphio non est, Mariana lib. VI Hist. Hisp., cap. 8, notat, reliquam vitam laudat : *Regnum per tyrannidem occupatum bene gessit, inaugurationis vitium totius vitæ probitate atque constantia compensare satagens.* Non ergo Eugenio, sed ipsi Chindasuintho tribuendum est hoc epitaphium. Neque immerito solertissimus editor cardinalis Lorenzana ante librum secundum monuit non omnes versus qui in eo proferuntur, repræsentari tanquam germanos fetus Eugenii, quamvis in codice Azagrensi omnes sub uno Eugenii nomine ordine continuo reperiantur scripti, et permixti illis quos jam ante Sirmondus ediderat. Inter illos ipsos quos Sirmondus vulgaverat, plures esse qui Eugenium non habent auctorem, facile esset ostendere, ut carmen 21 de Inventoribus litterarum, quod in Anthologia Latina reperitur. Et quoniam epitaphium Chindasuinthi huic ascripsimus, carmen 31 libri I *de Morte* **101** *conjugis Chindasuinthi regis*, quo rex alloquitur reginam, nihil prohibet quominus eidem regi adjudicemus. Quod si Chindasuinthus auctor sui epitaphii creditur, pro uno exemplo Eugenii quod proposueram, jam duo erunt distinguenda : ex quo magis confirmabitur humilem peccatorum confessionem Dracontii sine improbæ vitæ infamia stare posse, et cum exempla hæc humilitatis Christianæ ex Hispanis sint petita, nova conjectura accedet, si tamen res non obscura conjecturis comprobanda est, ut ex simili modestia Hispanis potius usitata Hispaniam Dracontii patriam esse confirmemus.

CAPUT XIV.

Stylus, latinitas, et prosodia Dracontii.

131. Ut de aliis omnibus scriptoribus, ita de Dracontio diversa sunt inter se doctorum hominum judicia. Dupinius, Biblioth. Nov. tom. IV, pag. 210, barbarum et inconditum dicendi genus in Dracontio taxat. Ceillierius, tom. XV de Script. eccles., cap. 29, nihil in Dracontii poemate consideratione dignum esse arbitratur. Goldastus in epistola ad Weitzium ait : *Dracontius probus auctor est, concinnus, et ipsa brevitate commendabilis, sed ab ævo sequiori : in quo tamen consimiliter ut in Prudentio elegantiarum flosculi ceu purpureæ quædam insitæ interlucent ac scintillant.* Fabricius, comm. in Poet. Christ., verbo DRACONTIUS : *Ejus carmen eruditum atque insigne est.* Cunradus Rittershusius in oda ad Weitzium :

Huic jam it comes Dracontius,
Sublimique canit versu primordia rerum.
Multis diu ignorabilis,
Non bene qui lauit, tua donec cura sub oras
Ipsum reduxit luminis
Ex tenebris, monstrans clare quot via reperta
Pugno ille concludat brevi.

Mendum videtur *quot via* : forte Rittershusius scripsit *quot dia reperta* Barthius sæpe elegantiarum Dracon-

tii flosculos indicat, **102** ingenium vero prædicat A lib. VII Advers., cap. 20 : *Plurimum ingenii fuit in Christianis veteribus vatibus, et quidem sæpe adeo excellentis, ut dum illustrare volunt quædam, omnia confundant. Sane Dracontius Hispanus adeo acute et nervose de plerisque incidentibus loquitur, ut vix seipsum satis intellexisse videatur, tantum abest ut ab iis potuerit sententia ejus percipi qui nostra ætate in ea re studuerunt.* Nonnullis hoc laudandi genus obscurum et ambiguum videri possit, sed quid voluerit Barthius dicere satis intelligitur: esse scilicet quoddam ingenii acumen, quod dum subtilius in rebus versatur, nonnullam obscuritatem pariat apud eos præsertim qui parum ingenio valent. Paulo post ait Barthius Dracontium acute conciseque loquendi artificem fuisse, et natura ævoque eo inclinasse.

132. Jure animadvertit idem Barthius loc. cit., omnino Dracontium mendis adhuc plurimis scatere, quæ nisi tollantur, frustra notha pro legitimis, supposita pro genuinis interpretari labores. *Et in acutis* (addit) *his concisisque scriptoribus multa infercire præsumpserunt transcriptores sequentium temporum, cum nemo non paulo litteris imbutior hoc genere scribendi delectaretur, usque adeo quidem improbe, ut universa tandem eloquentia his argutiis intercisa sit.* Quod autem idem Barthius, lib. LIV, cap. 9, Dracontium vocat *poetam sensu et eruditione, quam eloquentia longe meliorem et instructiorem*, atque alibi phrasin ejus intricatiorem dicit, id eodem pertinet, ut Dracontius partim natura, partim sui sæculi more, partim transcriptorum culpa nimium sit acutus et ingeniosus, atque hac parte a vera eloquentia declinaverit. Minime autem dubito quin diverso modo judicasset Barthius, si Dracontium qualis a nobis exhibetur vidisset. Nam primum Barthius putabat Hexaemeron quod tunc exstabat, epitomen esse carminis Dracontii de Opere sex dierum, duosque auctores ex stylo colligebat, ut dixi num. 29. Cum vero nunc constet Dracontium non sibi proposuisse argumentum operis sex dierum, sed majestatis divinæ e rebus creatis laudandæ, ad **103** hujus scopi rationem de poemate judicandum est : et recte quidem in eo omnia procedunt.

133. Deinde etsi Dracontius nondum tam correctus prodeat quam esset optandum, tamen multa in eo jam apparent lumina eloquentiæ non vulgaris, in Elegia præsertim, ubi emendatiorem codicem nacti sumus. In carmine vero de Deo sæpe orationis tractus ita æquabilis fluit, ut evidentissimum sit in aliis locis ubi intricatior est sermo, non auctoris, sed exscriptorum aut interpolatorum culpam esse. Non tamen iverim inficias e barbarorum commercio aliquam labeculam stylo Dracontii adhæsisse; sententias et sæpe verba eadem frequenter esse repetita, et fortasse rerum ordinem parum accurate dispositum. Sed recte aiebat Ovidius, etiam leviori calamitate oppressus, lib. I Trist. eleg. 1 :

> Hæc quoque quæ facio judex mirabitur æquus,
> Scriptaque cum venia qualiacunque leget.
> Da mihi Mæoniden, et tot circumspice casus,
> Ingenium tantis excidet omne malis.

Dracontius in catenis et vinculis scribebat. Quid ergo mirum si Dei benignitatem et clementiam passim imploret, etiam ubi res id non postulare videatur? aut si varietatem phrasium verborumque negligat? aut si perturbato nonnunquam argumenti ordine procedat? Interea negari nequit gravissimas et ad pietatem Christianam maxime conformatas sententias in ejus carminibus emicare, e sacris Litteris sanctisque Patribus petitas, ut vere Sirmondus, qui minimam partem eorum viderat, dixerit in epistola dedicatoria ad Henricum Borbonium regis filium, episc. Metens. : *Ad Dei laudes admirabilium ejus operum contemplatione subvehet Dracontius.* Omitto nunc singularem Dra- B contii doctrinam, et eruditionem non solum sacram, verum etiam profanam, quæ versus illius legentibus ipsa sine indice se prodit.

134. Quod attinet ad nitorem sermonis Latini, multa occurrunt in Dracontio pure et venuste dicta, multa etiam ex optimorum poetarum imitatione, quos ipse, ut patet, sedulo legerat, et Christiane loqui quodammodo cogit. Quædam tamen **104** sunt alia quæ non barbara quidem censenda sunt, sed minime proponenda ut ea imitentur ii qui ad aureæ ætatis gustum velint sermonem suum conformare. Sed habenda est etiam ratio argumenti, quod a veteribus profanis poetis intactum voces quasdam admittit ab eis non usurpatas, præsertim quæ ecclesiasticum quemdam saporem habent, quod e sacris C Litteris et usu Ecclesiæ profectæ sint. Sane qui sermonis Latini terminos qua late patent nosse velint, poetas æquales Dracontii minime ignorare debent, cum ii e pura Latinitate plurima vocabula nobis conservaverint, alia adjecerint quæ suo tempore erant in usu, neque indigna sunt ut etiam nostro usurpentur. Quamvis autem in notis animadvertemus quæ sint voces phrasesque propriæ Dracontii, aut paucis cum ipso communes, juvabit tamen nunc quædam observare.

135. Lib. I de Deo, vers. 4, usus est adverbio *veneranter*, atque iterum lib. III, vers. 672, quo etiam Tertullianus, sive quicunque alius auctor carminum sub hujus nomine, et Sedulius, usi sunt. Alia similia adverbia formavit Dracontius, ut lib. I, vers. 94, *mo-* D *deranter*; ibid. vers. 331, *dominanter*; ibid. vers. 609, *incessanter*. Lib. III, vers. 225, *tonanter*; ibid. vers. 671, *trementer*.

136. Nomine *modestus* mirum quantum delectatus sit Dracontius. Lib. I, vers. 29, de pietate Dei *virtute modesta est*. Ibid. vers. 435, de Deo, *virtute modestus*. Lib. II, vers. 70, de Deo, *pietate modestus*; ibid. vers. 308, *non jure modesto*; ibid. vers. 758, de Tabitha *modesta*. Lib. III, vers. 579, *vultus modestos*. Eleg. vers. 93, *dominos reticere modestos*. De voce *placidus* vide num. 148.

137. Sæpe etiam Dracontius adjectivum *anhelus* igni aut soli tribuit, ut lib. I, vers. 26, *solis anheli*; ibid. vers. 187, iterum *solis anheli*; ibid. vers. 659,

ignis anheli; lib. II, vers. 91, *ignis anheli*; lib. III, A vers. 70, *anhelantes flammas*; vers. 169, *non fervor anhelat*; vers. 308, *anhelantis vaporis*.

138. Weitzius in initio indicis sui in Dracontium monet bina epitheta sive adjectiva ab eo uniri uni substantivo, ut vers. 180 lib. I, *odoriferis nunquam marcentibus herbis*, atque **105** alibi. Exemplum complosionis profert ex vers. 596 lib. I: *Omnia pulchra gerens, oculos, os*. Ad hyphen refert vers. cit. 180, *nunquam-marcentibus*, et similia, ut *male-viventi*, *semper-vestita*. Ad ὀξύμωρα, *oxymora* revocat *funera viva*, *vivax cadaver* lib. I, vers. 648, quibus verbis oxymoris, hoc est quasi *acutistultis*, quia stulta videntur primo aspectu, sed sunt acuta, plenus est Dracontius.

139. Denique ut de prosodia Dracontii nonnihil B dicamus, raro a metri legibus quibus severiores poetæ optimi se obstrinxerunt, recedit. Quod *idolum* secunda brevi effert, commune hoc vitium illi est, si tamen est vitium, cum Prudentio aliisque multis poetis Christianis: cujus syllabæ corripiendæ rationem reddidi in prolegom. ad Prudentium cap. 24 et seqq. Peculiare Dracontio est, quod primam in *thronus* producat; sed etiam id defendi potest ex his quæ loc. cit. disserui: nisi fortasse codex corruptus est duobus in locis quibus hoc verbum adhibetur. In verbo *fiant* varius est Dracontius: aliquando producit cum antiquis poetis, aliquando corripit cum Prudentio et aliis: quanquam mendum aliquod suspicari licet ubi a Dracontio corripitur. Vide notam ad vers. 82 lib. I, et 191 lib. II. Paucas alias C voces, quas Dracontius diverso intervallo, atque alii, profert, suis locis adnotabo. Solemne quoque est Dracontio, ut aliis poetis sequioris ævi, vocalem brevem ratione solius cæsuræ producere, ut lib. I, vers. 430, *Projicere nec plasma suum*. Alicubi etiam ob solam aspirationem brevis a Dracontio producitur, quod et ratione, et veterum exemplo sustineri potest.

140. In nominibus propriis magnam licentiam poetæ Christiani atque illi etiam profani qui eodem tempore scribebant, sibi sumebant. Dracontius, simili libertate usus, nomina propria ut collibitum illi est metro alligat, et idem nomen modo brevi intervallo, modo longo pronuntiat. Sic lib. II, vers. D 572, primam rite corripit in *Stephanus*,

> Martyrium Stephano qui fecerat, inde recepit,

in Elegia vero eamdem producit vers. 171,

> Stephanus ante alios lapidum sub grandine martyr,

106 nisi contra auctoritatem codicum malis trajicere, *Ante alios Stephanus lapidum*, etc. Verum idem Dracontius in *Isac* primam corripuit lib. III, vers. 139,

> Quid pater Abraham, quid Isac meruisse leguntur?

et produxit paulo post vers. 155,

> Omnia perpetuo generi manifestius Isac.

Barthius, lib. IX Advers., cap. 7, ut quemdam versum Dracontii restituat, ita præfatur: *Poetarum Christianorum mos velut est, consuetudo certe, nominibus quæ propria appellant grammatici, uti in versu ut libet, modo correptis videlicet syllabis, modo productis. Inde illustre mendum video in eodem Dracontio*, etc. An de hoc mendo vere judicaverit Barthius, suo loco dicam.

141. Non est tamen silentio prætereundum ipsos etiam poetas Christianos agnovisse nomina propria quantitate certa syllabarum gaudere, quam servare oportet. Multa sunt exempla poetarum Christianorum veterum qui nominibus his propriis contra metrum uti non audebant, aut veniam præfabantur, siquando aliter fieri non poterat. Sed adducam exemplum e sæculis barbaris. Galfridus de Vino Salvo, qui anno 1216 vivebat, in Poetria sic Innocentium summum pontificem alloquitur:

> Papa, stupor mundi, si dixero, Papa NOCENTI,
> Acephalum nomen tribuam tibi; si caput addam,
> Hostis eris metri. Nomen tibi vult similari.
> Nec nomen metro, nec vult tua maxima virtus
> Claudi mensura. Nihil est, quo metiar illam.
> Transit mensuras hominum. Sed divide nomen.
> .... In præfer, et adde NOCENTI,
> Efficiturque comes metri: sic et tua virtus
> Pluribus æquatur divisa, sed integra nulli.

Ita Galfridus delicias facit in nomine *Innocentii*, quod versu hexametro concludi nequit. Nihilominus paulo post in *Gregorii* nomine leges metri contempsit:

> Desine; Gregori, subsiste; quid eloquar omnes!

Et potuit tamen alio modo versum ordinare, ut secundam non **107** produceret. Concludam igitur Christianos poetas nominibus propriis, præsertim quæ ex alio idiomate originem trahunt, libere usos in versu, partim quod vulgarem consuetudinem in efferendi sequerentur, partim quod facilius in his quam in aliis licentiam poeticam locum habere existimarent. Verum de his omnibus quæ ad peculiarem Christianæ veteris poeseos prosodiam pertinent, fuse et dedita opera egi in prolegomenis ad Prudentium, quæ nunc repetere necesse non est; plura autem alia illis addere, etiamsi id fieri nullo labore possit, opportunum non videtur.

CAPUT XV.

Methodus in editione Dracontii observata.

142. Weitzius in prologo editionis Dracontii judicium hoc viri cujusdam clarissimi exponit: *Polito scriptori, qualis hic noster est, omnia jure meritoque integra esse debere, levissimumque etiam mendum ei molestiam exhibere*. Nihil igitur mihi magis elaborandum fuit, quam ut Dracontium integrum, et quoad ejus fieri posset, ab omni mendo purum repræsentarem. Vere enim Muretus dixit lib. VIII Var. lect., cap. 4: *Quotidie magis intelligo nullam esse mendam ita pusillam, quam non permagni intersit e veterum monumentis tolli ac corrigi; neque ullum hominum genus magis prodesse studiis, quam eos qui accurate et fideliter operam in illis purgandis et emendandis ponunt. Unius enim litterulæ erratum interdum eas etiam hominibus eruditissimus offundit tenebras, ut tanquam in illuni nocte errantes quovis potius perveniant, quam quo volunt*. Idem eruditus et elegans scriptor lib. I, cap. 16, affirmat vix ullum esse codicem tam imperite scriptum, ex quo eruditus proficere non possit.

143. His rationibus testimoniisque innixus e mss. codicibus præcipue versus Dracontii exhibeo. Sed quoniam alter e duobus codicibus Vaticanis mendis pluribus scatet, errata quæ talia mihi certo aut valde probabiliter visa sunt correxi, **108** et lectionem quam veram aut ad veram proxime accedentem putabam restitui. Nihilominus liberam facultatem aliter judicandi et corrigendi aliis reliqui, subjectis verbis mendosis quæ in codice leguntur; qua in re nimia quadam, et quæ obscura videri possit, diligentia usus sum, cum errata librarii minime dubia passim ascripserim. Inutilis tamen non est hic labor censendus: primum quia sæpe accidit ut unum idemque verbum aliis clare mendosum, aliis contra verum videatur; tum quia aliquando e voce aliqua depravate scripta vera lectio eruitur, et fortasse quod a me restitutum est, aliis non placebit, et ex menda codicis ipsi aliud invenient; præterea quia prodest librarii manum quodammodo nosse, et ex erratis quæ solet admittere, veram scripturam in aliis locis obscuris conjectare.

144. In libro I carminis de Deo usque ad vers. 116, *Prima dies*, solus codex Vaticanus adhibetur. Ab hoc versu 116 usque ad ultimum libri versum 754, *Quo te promittis*, lectiones variantes e quatuor codicibus proferuntur, scilicet primo e codice S. Victoris Parisiensis, sive ex editione prima Dracontii Parisiis ad hunc codicem conformata; secundo e codice Parisiensis bibliothecæ Regiæ, sive ex editione Dracontii quam Sirmondus, eo codice usus, procuravit; tertio e codice Azagræ, sive ex editione Matritensi PP. Toletanorum, in qua ad marginem carminum Dracontii, aut in fine paginæ varietas scripturæ codicis Azagræ adnotatur; quarto denique e nostro Vaticano codice. Notæ quibus hos codices designamus faciles sunt intellectu: nam *Vict.* significat primum codicem S. Victoris, *Sirm.* secundum codicem, quem Sirmondus adhibuit; *Azagr.* tertium codicem, qui fuit Azagræ; *Vat.* codicem quartum, qui est Vaticanus. In libro secundo et tertio carminis de Deo nullus alius nobis est allegandus codex, nisi Vaticanus. In Elegia sive Satisfactione tres codices laudantur, Sirmondianus, Azagrensis et Vaticanus. Cum autem primigenia Dracontii carmina propositum sit nobis promulgare, cæteris omnibus codices Vaticanos præferimus, quippe qui ab Eugenii emendatione vel interpolatione omnino **109** immunes sunt conservati. Maculas vero quæ exscriptorum negligentia et temporum injuria in codicibus Vaticanis irrep erunt, aliorum codicum ope, quotiescunque commodo id fieri potuit, detersimus.

145. Possent etiam inter variantes lectiones aliæ tres editiones annumerari, videlicet quas Georg. Fabricius, Weitzius et Rivinus adornarunt. Verum satius duxi ad notas quæ variantibus lectionibus subjiciuntur, horum editorum conjecturas rejicere: conjecturas, inquam: cum enim illi nullum codicem manu exaratum præ oculis habuerint, ubi a veteribus editionibus discrepant, id tantum conjiciendo

A faciunt. Adnotationibus igitur in Dracontium non solum ea comprehendimus quæ ad historiam sacram et profanam, ad philosophiam, ad sacram Scripturam et theologiam spectant, verum etiam criticas observationes de proprietate et significatione verborum, atque adeo conjecturas aliorum, et nostras de varia versuum lectione admittenda vel rejicienda. Nam interdum accidit ut scriptura quæ auctoritate codicis retinetur non valde placeat, quæ proinde conjectura aliqua sollicitatur; interdum, ut vox aliqua restituta sit ob mendum codicis perspicuum, sed fortasse alia vox melius, aut æque bene posset substitui, quod sine aliqua explicatione intelligi non posset. Ratio præterea reddenda est cur aliorum conjecturæ aliquando non placeant, quod in notis
B opportune fiet.

146. Lacunas quæ in carmine de Deo occurrunt, satiusne fuerit ita ut sunt, relinquere, an aliquo pacto supplere, poterat in controversiam vocari. Equidem rationem aliorumque exemplum secutus, hujusmodi supplementa adjicere malui. Plurimum enim juvari potest lector, si eodem orationis filo sententiam non interruptam legat, atque ita præcedentia cum sequentibus conjungat. Etenim si deficiente versu aliquo aut hemistichio sensus omnino imperfectus relinquatur, immorari, et secum conferre debebit quid auctor dixerit, et cur alia quæ sequuntur addiderit. Provisum tamen est ut hæc supplementa a verbis Dracontii clare distinguantur: sic nemo queretur fucum sibi fieri. Non me præterit male au-
C dire **110** nonnullos grammaticos, qui versus quos Virgilius inchoatos reliquerat, supplere conati sunt. Sed præterquam quod discrimen est magnum inter versus Dracontii, qui vitio codicum imperfecti sunt, et Virgilii versus, quos ipse nondum compleverat, neque a Vario et Tucca compleri voluerat, grammatici illi hac potissimum de causa reprehensi sunt, quod non solum audacter, sed etiam temere et inepte Virgilianæ purpuræ vilissimum suum pannum admiscuerunt, ut qui versum a Virgilio ita inchoatum, *Quem tibi jam Troja*, ita absolvit, *Quem tibi jam Troja peperit fumante Creusa*. Nescio vero an magis risu dignum sit, quod nonnulli his versibus imperfectis Virgilii mysterium quoddam artis poeticæ inesse crediderint, quod etiam sibi imitandum pro-
D posuerint. Aonius Palearius, cujus opera minus fortasse quærerentur, si tam infami morte non obiisset, in suo poemate de Immortalitate animæ hoc etiam vitio delectatus est, ut quosdam versus tantum inchoatos ediderit, perinde quasi nihil in mentem venire potuisset quod præcedentium consequentiumque majestatem exæquaret. Prætermissum hoc caput est a Jo. Burch. Menckenio in suo libello de Charlataneria eruditorum.

147. Aliorum plurium qui veterum scripta emacularunt industria a plerisque laudata est. Cicero, si fides habenda sit Chronico Eusebiano, Lucretii poema emendavit. Aristarchi, Leogoræ Syracusani, et Zenodoti Ephesii, qui operam suam in versibus

Homeri corrigendis collocarunt, meminit Isidorus lib. I Orig., cap. 21. E recentioribus Franciscus Nansius commendatur a Lipsio cent. 2, epist. 60, quod Nonnum Panopolitanum a mendis purgaverit. Propius ad rem nostram pertinet quod in Corippo Azagra quædam loca plane corrupta ex ingenio restituit, Demsterus lacunas supplevit, suamque hanc agendi rationem tuetur, ac postremo Fogginius novas conjecturas castigationesque apposuit. Joannis Freinshemii nota sunt supplementa ad Tacitum, Curtium, et Livium. In Miscellaneis Lipsiens. tom. I, ann. 1716, insertum est supplementum fabularum Phædri, auctore M. Christophoro Hauptio. Hujusmodi
111 conjecturæ et emendationes in his scriptoribus solent esse magis necessariæ, quorum opera in uno tantum codice ms. reperta sunt, aut in pluribus quidem codicibus, sed qui omnes ex uno exemplari descripti sint: ut in Velleio Paterculo, quem beatus Rhenanus ex uno exemplari mutilo, prodigiose corrupto et fœdissime depravato, primus vulgavit, et in Catullo, cujus multi sunt codices mss., sed omnes a quodam exemplari in Galliis reperto propagati. Verum de iis suum cuique judicium. Mihi satis fuerit iterum monuisse supplementa ita dispositum iri, ut nemo fucum sibi factum jure queri possit.

CAPUT XVI.

Argumentum et synopsis trium librorum de Deo.

148. Ad Dei laudes admirabilium ejus operum contemplatione subvehere Dracontium, recte pronuntiavit Sirmondus. Et id sane posset statui argumentum carminis de Deo, non dissimile titulo egregii libelli cardinalis Bellarmini qui inscribitur Ascensio mentis ad Deum. Hoc ipsum innuit inscriptio carminis in codice Vaticano *de Deo*. Explicatius vero argumentum poematis Dracontii comprehendit cognitionem et laudes Dei ex ejus operibus misericordiæ et justitiæ, sed præcipue misericordiæ, clementiæ, aut pietatis erga homines, quæ in toto carmine maxime emicat. A primo versu sic orditur Dracontius:

Qui cupiunt animis placidum rescire Tonantem,
Hoc carmen præ mente legant, *etc.*

Perquam familiare illi est vocabulum *placidus* pro miti, clementi, pio; quin etiam definitionem hujus nominis quodammodo ipse nos docuit in Elegia vers. 287 et seqq.:

Si non humani generis peccata fuissent,
Unde pium nomen posset habere Deus?
Sed quia dat veniam populis peccata relaxans,
Per pietatis opus nomen habet placidum.

112 Quod autem opera etiam justitiæ divinæ velit Dracontius commemorare, ex proœmio lib. I, vers. 10 et seqq., colligitur:

Hoc agit, et sequitur variis sub casibus iras,
Et pia vota Dei miseris hinc, inde beatis,
Pro meritis morum, pro certo tramite vitæ.

Justitiam vero iramque Dei ita Dracontius exponit, ut semper præ oculis habuerit quod de Deo ipse dixit lib. I, vers. 691:

Et nulla virtute minor, nisi verberis ira.

Et clarius lib. II, vers. 693, *Plus pius es quam justus*, ubi multa alia in eamdem sententiam disputat.
A Ex ipsa adeo ira occasionem laudandæ pietatis sumit, ut lib. I, vers. 556:

Magna Dei pietas, semper qui temperat iras.

Et in fine lib. III, vers. 658:

Quod vivus sum, mortis inops pietate reservor,
Non ira; nam si Domini gravis ira fuisset,
Non me differres, subita sed morte necares,
Ne peterem veniam, quam nunquam, sancte, negasti,
Aut ut non essem prorsus, cui parcere posses.
Servatum reparare jube pietate sueta,
Ut merear cantare tuas per carmina laudes.

Venio nunc ad singulos libros summatim explicandos.

SYNOPSIS LIBRI I.

149. Res omnes creatæ Deum agnoscunt, laudant et prædicant. A Deo sunt omnia quæ accidunt, pro-
B spera et adversa; peccatores tamen non subito punit, sed portentis præmonet, ut veniam petant. Prognostica plura describuntur quibus homo læta et tristia prænoscit. Deus dum terret, amat, veniamque roganti non denegat, nec nisi perseverantes in criminibus supplicio afficit. Deus quippe vult omnes homines salutem æternam consequi; idque ostenditur ex tot rebus propter homines creatis. Prima enim die lux creata est, ex qua plurima homini beneficia proveniunt. Altera die cœlum, ignis, et aqua creantur; tertia die mare, terra, herba, arbores, flores, pigmenta. Paradisi terrestris descriptio. Quarta
113 die cœlum sole, luna et sideribus ornatur; quæ omnia lumina Deo obediunt et hominibus serviunt. Quinta die pisces in aquis producuntur, cibi
C hominibus futuri, et ex eisdem aquis aves prodeunt. Sexta die animantia terrestria creantur, et diversa diversis terris addicuntur, ut munera alia per orbem dispersa sunt. His omnibus ut dominaretur, creatus est homo ad Dei imaginem; qui ne esset solus, particeps generis data illi est uxor, ex ejus costa formata, ut amor mutuus eorum perfectus esset. Arbitrio igitur eorum Deus omnia creata commisit, neguttumque illis dedit ut propagationi generis studerent. Cum paradisi deliciis fruerentur, serpens feminam decepit, ut fructum ex arbore quæ una tantum prohibita fuerat, comederet. Femina decepta virum decepit; qui tum demum pudore suffusi fugere cœperunt, quasi Deum increpantem latere possent. Sed cum homines tot habeant signa quibus res
D occultas scire valeant, quo pacto primi parentes crimen suum, ac seipsos Deo occultare potuissent? Post confessionem igitur Deus sententiam pietate temperatam tulit, qua mors ipsa pro pœna inflicta illis est, simulque pro pœnæ quodam levamine, ne homines in ærumnis hujus vitæ perpetuo viverent. Memor autem Deus operis sui ita primos parentes e paradiso ejecit, ut dominium orbis rerumque quæ in orbe sunt, illis concesserit, decrevitque ut omnia ordine suo et constanti lege procederent, atque alia aliis succederent, ut homini primo, et qui ex primo homine continua successione propagandi erant subjecta essent et servitium præstarent. Neque id solum Deus clemens providit, ut hominibus defunctis alii

denuo nati succederent, verum etiam, ut ii qui mortui sunt, vitæ post multa sæcula restituerentur. Hanc resurrectionem corporum natura ipsa probabilem reddit multis exemplis rerum, quæ quodammodo moriuntur et reviviscunt. Multo enim magis corpora hominum resurgent virtute Dei, qua cuncta creata sunt et vigent, cum ejus clementia erga homines tanta sit, quanta decet Omnipotentem. Laudes Dei ab ejus infinita majestate, potentia, scientia ac præsertim benignitate. **114** Dracontius ad Dei laudes carmine celebrandas ejus opem implorat.

SYNOPSIS LIBRI II.

150. Deus auctor et rector omnium rerum: cui stellæ, luna, sol, omnia elementa obediunt. Dei immensitas. Ab ejus nutu omnia pendent, cujus verbo creata sunt. Trinitatis divinæ confessio. Verbum caro factum ut homines salvaret. Filius Patri consubstantialis, Spiritus sanctus idem quod Pater et Filius. Verum corpus Deus assumpsit. Christi miracula ut homines in eum credant. Discipuli ejus gratia miraculorum donati. Imperium Dei in res creatas. Transitus Israelitarum per mare Rubrum. Israelitis cibus et potus in desertis divina ope suppeditantur. Rursus Dei laudes e rebus creatis et concordia elementorum. Deum omnia fatentur et laudant, etiam animalia, quæ perniciosa aliquando sunt. Cur Deus hæc creavit. Primum Adami peccatum. Posterorum ejus crimina quam gravia sint. Etiam pernicio a animalia nonnunquam prosunt. Homo feris pejor. Ejus audacia et perversitas. Cætera omnia divinis parent legibus. Homines neque ira, neque pietate Dei coercentur. Diluvium universale ad homines plectendos; qui post diluvium scelera resumunt. Sodomitarum pœna incendio pereuntium. Clementia Dei in utroque supplicio. Loth ab igne liberatur, ut Noe a diluvio. Pœnas homines incurrunt, quia a Deo moniti non corripiuntur. Felicitas hominum, si non peccassent. Peccatum angelorum hominibus excusationi esse non potest, pœna terrori esse debet. Dei clementia erga homines, quos Christus redemit. Perfidia Judæorum. Christi passio, mors, resurrectio, ascensio in cœlos, judicium futurum. Fructus passionis Christi, quæ etiam Judæ profuisset, nisi desperasset. Conversio Pauli. Fides in Deum multa obtinet. Gratia Dei omnibus oblata. Exempla fidei in Abrahamo, Tobia, Davide, Ezechiele, Anna Samuelis matre. Precum apud Deum vis et efficacia. Zacharias pater S. Joannis Baptistæ punitus quod credere distulisset. Dei misericordia major **115** quam justitia. Cur Deus sceleratos homines ad senectutem non perducit, ut convertantur ad eum. Sacrificium Deo cor contritum. Eleemosyna commendata. Pauperum orationes plurimum apud Deum valent. Exemplum Tabithæ a morte revocatæ. Avari objurgantur. Dei justitia et misericordia in transitu Israelitarum per mare Rubrum Ægyptiis submersis.

SYNOPSIS LIBRI III.

Dei laudes, infinita scientia, justitia, clementia, bonitas, largitas, liberalitas in annona subministranda. Captatores annonæ et avari objurgantur. Exemplum divitis damnati, qui ex inferis refrigerium a Lazaro paupere postulabat. Multo magis damnandi qui aliena rapiunt. Nec divitiæ, nec quævis alia bona præferenda sunt Deo, omnium datori. Peritura contemnenda sunt, ut æterna acquirantur. Id exemplo suo nos docuit Abraham, qui filium suum jussus ad sacrificium duxit. Deus arietem pro Isaac subrogari voluit. At non ita Saturnus, falsum numen, cui pueri quotannis immolabantur. Deus Abrahamum voluit cæteris exemplo esse, ut nihil quantumvis carum Domino præponatur. Præmium obedientiæ Abrahami posteritas ejus ad omnia tempora et regiones propagata. Aliud exemplum trium puerorum qui in fornace accensa illæsi permanserunt. Daniel inter leones. Descriptio venationis amphitheatralis ferarum. Herculis fabulosa virtus cedit Danieli. Crudelitas Dianæ Tauricæ. Petri apostolorum principis primatus. Ejus precibus Romæ Simon Magus præcipitatus est. Hæc aliaque hujusmodi ex fide, spe et orationibus ad Deum processerunt. Ethnici vero plura audaciæ facinora aggressi sunt non spe vitæ æternæ permoti, sed solo amore laudis aut patriæ. Menœceus, filius Creontis, ne pater regnum amitteret, seipsum occidit. Thebanorum regnum tragicum. Codrus pro patria ab hostibus volens interemptus est. Leonidæ cum paucis Lacedæmoniis audax prælium ad Thermopylas. Phileni fratres Carthaginienses se vivos comburi passi sunt, ut patriæ fines latius extenderentur. Brutus læsæ pudicitiæ ultor, libertatis **116** assertor, liberos suos securi percuti jussit. Virginius, ne Virginiæ filiæ libertatem et pudorem rapi cerneret, eam cultro confodit. Torquatus filium victorem, quod contra edictum pugnaverat, morti adjudicavit, ingemiscentibus omnibus. Curtius in lacum se præcipitem dedit. Regulus, ne fidem datam frangeret, ultro Carthaginem rediit ad sæva tormenta et crudelissimam mortem. Sagunti fides et constantia. Feminæ etiam, ut ad scelera audaces sunt, ita egregia facinora sæpe aggrediuntur. Judith, Holoferne occiso, patriam liberavit. Thomyris Cyrum subegit. Evadne rogum quo mariti corpus ardebat conscendit. Dido sibi ipsi pyram construxit. Lucretia sibi manus intulit. Plures aliæ scelera aut ardua facinora perfecerunt amore laudis, aut pro numine vano deorum, ex quibus nihil boni oriri potest, cum solus sit unus verus Deus, immensus, æternus, qui parens noster est, cujus nos filii sumus. Cui cum omnes res creatæ famulentur, audax et sceleratus homo est, si ejus jussis parere negligat. Confessio et pœnitentia Draconti i. Enumerat ærumnas in quas ob crimina inciderat. Petit veniam a Deo. Exemplum Jobi proponit, et resurrectionem aridorum ossuum apud Ezechielem, quam graphice depingit. Nabuchodonosoris pœnitentia. Preces Dracontii ad Deum pro liberatione a vinculis et pro bonis hujus atque æternæ vitæ consequendis.

DRACONTII
CARMEN DE DEO.

LIBER PRIMUS.

117 Qui cupiunt animis placidum rescire Tonantem, A
Hoc carmen præ mente legant, dum voce recensent.
118 Agnoscent quod templa poli, quod mœnia cœli
Auctorem confessa suum veneranter adorent,
Quinque plagæ, septemque poli, sol, lunaque, et astra.
119 Sidera, signa, noti, nix, imber, grando, pruinæ,

VARIÆ LECTIONES.

Versu 1. Vat., *Placidum nescire Tonantem.*
2. Vat., *Carmen premente legant dum voce recenset.*
3. Vat., forte *quem templa poli, quem mœnia.*
4. Vat., *conversa suum venerantur adorent.*
5. Vat., *quemque plagæ septemque poli, sol, lumen et omnis.*
6. Vat., *Signa, nothi, nix.*

NOTÆ.

Versu 1. Pro *nescire*, quod mendum est clarum, restitui *rescire*. Posset etiam legi *præscire*, et fortasse melius *sentire* : nam hoc verbum apte et frequenter ad majestatem divinam indicandam usurpatur. Sic B Martialis ad Domitianum, qui se deum vocabat, lib. Spectacul., epigr. 16, al. 17, *Crede mihi, numen sentit et ille tuum.* Marius Victor in præfat. vers. 100 : *In quo te, Deus alme, precor, qui numine prono Das sentire animis.* Dracontius infra lib. I, vers. 225 ; *Concepta virtute Dei, quem sphæra polorum Sustinet, et sentit Dominum per cuncta tonantem.* Arator lib. II, vers. 232, *Quæ meruit sentire Deum*, ubi glossa cujusdam codicis Vaticani habet : *Sentire, per fidem.* De voce *placidus* pro miti, clementi, dixi prolegom. num. 148. Prosper eadem significatione epigr. 12, *Nec scelerum vindex ira movet placidum*; et 103, *Iratus sineret, quod prohibet placidus :* quod utrumque de Deo dictum. Dracontius aliique poetæ Christiani veterum imitatione Deum simpliciter *Tonantem* vocant. Arator, lib. I, vers. 103, *Nec cessant elementa suo servire Tonanti.* Sed hoc loco fortasse aliquid amplius vult Dracontius, scilicet Dei etiam irati, et dum tonat, clementiam agnosci, ut lib. II, vers. 698, *Et quoties commotus eris, placidissimus exstas.*

2. In *præ mente legant* agnosco tmesin *prælegant mente.* Hæc figura familiaris fuit multis poetis Christianis, et nonnullis quidem usque ad nauseam vel risum; sic in Abbone notat Barthius lib. XXXVI Advers., cap. 7 : *Inque sulas penetrant, Unque gulis facies secuerunt, Ocque cidens, Burgun adiere diones*; in Agobardo *Febru migravit quinto ari ex orbe calendas.* Sunt et apud antiquos similia quædam, ut illud Ennii *Cere comminuit brum*; Sempronii Gracchi, *Medi spernere cinam.* Eugenius Toletanus epigramma composuit, quod est carmen 23 lib. I, ad Joannem, verbis ita divisis refertum : *O Jo versiculos nexos quia despicis annes*, etc. Sed hoc ille fecit ut immoderatum hujus figuræ usum irrideret, quod Rivinus in notis animadvertit. Revera Eugenius epigramma sic concludit : *Instar Lucili cogor disrumpere versus*, quod ex Ausonio sumpsit epist. 5 ad Theonem : *Villa Lucani mox potieris aco. Rescisso disce componere nomine versum, Lucili vatis sic imitator eris.* Cæterum parcus usus ejus D figuræ, et præsertim ubi duæ partes componentes unum verbum dividantur, venustatem habet. Elegans etiam est mutatio verborum *prælegendi*, et *recensendi* : nam *recensere* magis proprie menti conveniret. Sensus porro est, attento animo legendum esse carmen, atque ita ut mens quodammodo verba præveniat.

3. Utrolibet modo legi potest in nexu vocis *quem* vel *quod*; nec dissimilis erit sententia, sive *quod*, sive *quem* legas. Tertullianus de Judicio : *Omnia nosse bonum quæ sint miracula rerum, Ut Dominum liceat per cuncta agnoscere verum, Qui lucem, maria; et cœlum, terramque paravit.* Dracontius utrumque hoc carmine exsequitur, ut agnoscamus quem res creatæ adorant, et quod hæ Deum adorant, eique famulantur. *Templa, mœnia, atria, palatia, tecta cœli*, et hujusmodi alia passim occurrunt in Dracontio cæterisque poetis Christianis, quæ alii in ethnicis solent similibus exemplis illustrare : nobis satis sit eas elegantias indicare. Quod autem Dracontius rem eamdem multis nominibus quæ videri possint synonyma amplificat, sacram Scripturam imitatur, in qua simili modo res creatæ solent singillatim enumerari, dum Dei laudes ex eis repetuntur.

4. Non dubium quin legendum sit *confessa* pro C *conversa.* Etsi enim *conversa* aliquem sensum habet, tamen *confessa* et sententiæ et poetæ stylo maxime congruit. Sic lib. II idem Dracontius vers. 205, 206, *Te signa et sidera laudant Auctorem confessa suum, te fulmen adorat.* Eleg. vers 3, *Sidera, flamma, dies, quem sol, nox, luna fatentur Auctorem, dominum sæcula cuncta probant.* Prosper epigr. 4, *Rectoremque suum condita quæque canunt.* Posset legi *venerantur, adorant*, vel *venerentur, adorent ;* sed melius videtur *veneranter adorent.* Placet adverbium *veneranter*, quo etiam utitur Dracontius lib. III, vers. 672, *Et lacrymis precibusque piis veneranter adire.* Vide prolegom. num. 155. Tertullianus lib. de Judicio : *Summissique omnes genibus veneranter adorant.* Sedulius in fin. lib. V, *Veneranter adorant.* Quod res rationis expertes Deum adorant, phrasis est Ecclesiæ usu consecrata. In officio B. Mariæ Virginis in sabbato ad matutinum : *Quem terra, pontus, sidera Colunt, adorant, prædicant.* Fortunatus auctor ejus hymni scripserat, *Quem terra, pontus, æthera*, scilicet *æthera ætheræ*, ex quo *æthra* magis in usu est. In neutro etiam genere *æther* non nemo usurpavit.

5. Si versu 3 legas *quem*, poteris etiam hic retinere *quemque plagæ*, videlicet quemque adorant pla-

Fulmina, nimbus, hiems, tonitrus, lux, flamma, procellæ,
Cœlum, terra, jubar, chaos, axis, flumina, pontus,
Vel quidquid natura dedit præcepta creare.
Hoc agit, et sequitur variis sub casibus iras,
Et pia vota Dei miseris hinc, inde beatis
Pro meritis morum, pro certo tramite vitæ.
Paupertas, mors, vita, salus, opulentia, languor,

VARIÆ LECTIONES.

11. Vat., *hinc atque beatis.*

13. Vat., *vita, scelus, opulentia.*

NOTÆ.

gæ. Sed multo magis arridet *quinque plagæ*, quam simpliciter *plagæ :* nam postea sequitur *septemque poli*, et quinque plagarum mentio expressa apud poetas obvia est, quas zonas etiam vocant. Virgilius lib. VII, vers. 226, *Et siquem extenta plagarum Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui*, et Georg. lib. I, vers. 233 seqq., eas pulchre describit : *Quinque tenent cœlum zonæ*, etc., ut Ovidius lib. I Met. vers. 45 seqq. Dracontius Eleg. vers. 89 seq., *Temperies cœli medium nec possidet orbem, Nam de quinque plagis vix habet ipsa duas.* Veteres septem polos seu cœlos distinguebant, nonnulli plures, alii pauciores. Paulinus poem. ult., *Hoc etiam cœlum, quod nos sublime videmus, Sex aliis infra est spatio surgentibus æquo, Postque thronos septem*, etc. Alia protuli in comment. ad Prudentium hymn. 7 Cath., vers. 36, *Non ante cœli principem septemplicis.* In mendo codicis ms. *lunaque et omnis*, vel *omnes* conjici potest *lunaque, et æther*, vel *et ignis*, nam sæpe de igne cœlesti mentio occurrit apud Dracontium ; vel *et orbis*, vel *et omnia Sidera, signa*, per synæresin *omnia*, ut initio lib. VI Virgilii. *Quin protinus omnia Perlegerent oculis;* vel *lunaque, cœli Sidera*, vel aliquid hujusmodi. Præfero autem *lunaque, et astra :* nam etiam lib. II, vers. 205, simili enumeratione usus est : *Agmina te astrorum, te signa et sidera laudant.* Isidorus, Orig. lib. III, cap. 60, *Stellæ, et sidera, et astra inter se differunt. Nam stella est quælibet singularis. Sidera vero sunt stellis plurimis facta, ut hyades, pleiades. Astra autem sunt stellæ grandes, ut Orion, Bootes.* Et in lib. I Differ. addit, *signum* esse *quo animantis imago formatur, ut taurus, scorpius.* Stellas vero hic dicit esse *multijuges, ut hyades;* sidera autem *illa quibus navigantes considerant, quod ad cursum dirigant consilium*, ubi forte legendum *quæ navigantes.*

8. Supra vers. 3 dicit *mœnia cœli*, dum singulas partes enumerat; nunc *cœlum* totum intelligit. Repetitiones ejusdem vocabuli frequentes sunt Dracontio, ut aliis poetis Christianis. In Paulino Petrocorio id advertit Thomas Wopkensius in Advers. crit. ad Paulin. vers. 27 lib. III. Inter res creatas quæ Deum laudant, recensetur *chaos*, ut vers. 3 Elegiæ, *Nox, luna fatentur*, et in Cantico trium puerorum *noctes et tenebræ.* Pro *axis* fortasse legere præstabit *aer* aut *aura*, quamvis jam supra *noti* occurrat.

9. Suspicor mendosum esse hunc versum. Si ita eum legas ut est in ms., intelliges, *præcepta creare* idem esse ac *jussa creare;* lib. I, vers. 402, *His datur omnis humus, et quidquid jussa creavit :* lib. II, vers. 76, *Quidquid natura creavit*, et lib. vers. 260, *Et quodcunque malum vindex natura creavit.* Avitus, lib. I, vers. 26, *Accepere genus sine germine jussa creari.* Mar. Victor lib. I Gen. vers. 118, *Formavit natura modis, educere jussa E toto partes, formasque e corpore inani;* et post vers. 339, *Omne animal, quod adhuc tellus dare jussa crearit.* Verbo *creandi* utuntur hi auctores in sensu minus proprio pro *educere, producere* e materia jam existente : nam producere ex nihilo, quod proprie est creare, soli Deo convenit; quod tamen intellige ad usum scholasticum, ut dicam ad vers. 2 Elegiæ. Posset hic versus ita restitui, *dedit per cuncta creatrix;* paulo post, vers. 27, occurrit *natura creatrix*, et *per cuncta* dixit Tertullianus laudatus ad vers. 3, et Dracontius lib. I, vers. 226, *Dominum per cuncta tonantem;* et vers. 292, *per cuncta fuissent.* Poterit etiam hic versus connecti cum seq., *Vel quidquid natura dedit. Præcepta creandi Hæc agit, et sequitur*, etc.

10. Intelligo carmen agere hoc, ut homines in rebus creatis Deum agnoscant, et præterea sequi, seu narrare opera iræ et clementiæ Dei : ut cum Juvenalis, sat. I, vers. 86, argumentum proponit : *Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, Gaudia, discursus nostri est farrago libelli.* Non male *sequor* pro narro usurpatur : sic Seneca in Troad. vers. 256, *Inclytas laudes juvat, Et clara magni facta genitoris sequi.* Non vero mihi displiceat sic restituere, *Hæc etenim exsequitur*, vel *Hæc namque*, aut quid simile, ut intelligatur natura, quæ exsequitur iras et pia vota Dei. In hanc sententiam Prosper epigr. 5, *Principium mundi Deus est, quo cuncta moventur, Et quæ permittit, vel jubet auctor, agunt. Hinc mutabilium rerum immutabilis ordo Æterni servit legibus artificis. Inque suos fines procedit quæque voluntas, Nec variis meritis arbiter æquus abest, Corda regens, vires tribuens, peccata remittens, Mitis subjectis, implacidus tumidis. Ut nec pœna malum quemquam, nec gloria justum Suscipiat, nisi cum laude et honore Dei.* Dracontius, Eleg. vers. 15, *Quidquid agunt homines, bona, tristia, prospera, prava, Hoc fieri admittunt ira favorque Dei.*

11. *Pia vota Dei* innuunt clementiam et favorem Dei. Lib. II, vers. 609, iterum de Deo : *Oderunt pia vota moras.* Pietas Latinis antiquioribus plerumque dicebatur virtus justitiæ propria, qua majores colimus; aut etiam religio, qua Deum veneramur. Christiani scriptores pro clementia, lenitate, benignitate et misericordia, passim *pietatem* ponunt : quæ vox eodem sensu in precibus ecclesiasticis frequentissima est. Eamdem significationem vocabulis *pius* et *pietas* tribuunt nonnulli ethnici, ut Suetonius, Claudianus, Statius, Justinus; neque aliter accipio Virgilium lib. V, vers. 687, *Juppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum Trojanos, siquid pietas antiqua labores Respicit humanos, da flammam evadere classi.* Notanda etiam est significatio vocis *miseris*, quæ certe opponitur *beatis*, de quo nomine vide notam ad vers. 150 lib. II. Cicero in Partit. cap. 17, *Nihil est enim tam miserabile quam ex beato miser.* Sed Christiani scriptores solent, ut homines sanctos *beatos*, sic improbos *miseros* vocare. Animadvertit id Wopkensius ad Paulinum Petrocorium lib. II, vers. 195, *Dignentur juges, miserorum incendia, flammas.* Ejusdem Paulini est lib. III, vers. 239, *Non hæc de miseris Domini sententia Christi.* Sic viri pii præ animi modestia se *miseros* et peccatores præscribebant. Vide epitaphium Eugenii Toletani lib. I, carm. 14, in quo primæ litteræ versuum efficiunt *Eugenius*, postremæ *misellus.*

12. Postea, lib. II, vers. 418, *Segregat Omnipotens merita pro moribus orbis.* Et lib. III, vers. 241, *Vivere quos libuit sub tali tramite vitæ.*

13. Pro *scelus* restitui *salus :* etsi enim scelus ab homine fiat permittente Deo, et hic enumerentur etiam *virtus* et *prudentia*, tamen nimis durum videretur dicere scelus descendere ex arce Dei, et post *vita* congruenter *salus* ponitur. Sic in epigrammate S. Damasi de Cognomentis Salvatoris carm. 6 edit. postremæ Rom., *Spes, via, vita, salus, ratio, sapientia, lumen :* quo in versu male in hac editione omissum est *via*, quod in præcedentibus clare legitur. Ili Damasi versus sub diverso nomine in nonnullis mss. reperiuntur,

121 Tædia, tristitiæ, splendor, compendia, damnum, A
Gaudia, nobilitas, virtus, prudentia, laudes,
Affectus, mœror, gemitus, successus, egestas,
Ira potestatum, trux indignatio regum,
Omnia quæ veniunt, bona, gaudia, tristia, acerba,
Descendunt ex arce Dei, de sede Tonantis,
122 Cui pietas æterna manet, lux, spiritus, ardor,
Et cui dicuntur laudes sine fine perennes;
Et merito, quia fine carens primordia nescit.
Rerum causa Deus tetrum chaos igne resolvens,
Igne creata fovet, nam totum flamma vaporat,
Et flammæ pascuntur aquis, quibus omnia constant,

VARIÆ LECTIONES.

17. Vat., *crux, indignatio.*
18. Vat., *gaudia, tristitia sed.*
20. Vat., *ut pietas.*
21. Vat., *arcem ubi dicuntur.*
24. Vat., *flamma vapore.*

NOTÆ.

14. Conjici posset *tædia, tristitia, splendor*, vel distingui *tædia tristitiæ*, ut *tristitiæ* sit in gignendi casu singularis numeri. Sed melius videtur *tristitiæ* in plurali numero. Eodem modo interpunxit Rivinus in posteriori carmine Ratberti Corbeiensis: *Tædia, tristitiæ, curæ, tormenta, ruinæ*, ubi Ratbertus Dracontium videtur imitari. *Compendium* proprie est lucrum ex parcimonia, et opponitur *dispendio;* sed hic et alibi a Dracontio aliisque optimis scriptoribus pro quolibet lucro et quæstu ponitur.

15. Laudes proprie sunt præconium, commendatio virtutis; sed quandoque metonymice ponitur hoc vocabulum pro recte factis, quorum præmium est laus. Frequentissimus est hujus significationis usus in sacris litteris, ut observat Martinus Roa lib. I Singul., cap. 13, qui exempla etiam ex Virgilio producit. Plura addunt lexicographi ex Cicerone ac probatis aliis scriptoribus. Dracontius hac voce *laudes* metonymice uti videtur.

16. *Affectus* significat quemlibet motum animi sive malum, sive bonum. Sed hoc loco fortasse sumitur pro aliquo corporis morbo, sive male affecta valetudine, ut apud Celsum lib. III, cap. 18, *Supersunt vero alii corporis affectus, qui huic* (febri, al. *his*, febribus) *superveniunt;* et lib. II, cap. 15, *In quibus affectibus ea quoque genera exercitationum necessaria sunt. Successus* simpliciter usurpatur pro eventu felici: exemplorum plena sunt lexica. Ratbertus loc. cit. adhibuit *casus* in malam partem: *Angor, paupertas, mœror, mors, casus, egestas.* Cum Dracontius hunc versum versui præcedenti *Gaudia* videatur opponere, rectius *affectus* intelligetur de animi ægritudine; sed remanet dubium de *successus*, quod pro adverso casu nunquam vidi positum. Suspicor *succussus.*

17. Conjiciat aliquis *Dira potestatum crux, indignatio regum.* Sed in hoc codice alibi etiam mutatum est *trux* in *crux*, ut lib. II, vers. 422, *Eripitur de morte crucis sine crimine visus;* et lib III, vers. 106, *Exsilium sine morte crucis.* Utrobique legam *morte truci.* Vide etiam an sic distingui possit *Ira, potestatum* D *crux, indignatio regum.*

18. In mendo aperto codicis sententia clara est, sive legas *tristia, amara*, sive *tristia, acerba*, sive *tristia, prava*, sive *tristia, sæva.* In Elegia vers. 15, *Bona, tristia, prospera, prava*, et vers. 55, *Nam Deus omnipotens potuit, dum conderet orbem, Tristibus amotis gaudia sola dare.* Et lib. II, vers. 456, *Dulcia subducunt mores, et amara ministrant.*

19. Non male interpungeres *Descendunt ex arce, Dei de sede tonantis.* Sic lib. II, vers. 894, *Misit ab arce pium cœli per sidera Christum*, ubi *arx* absolute pro cœlo ponitur, nam *cœli* refertur ad *sidera*, et *arx* proprie est locus excelsus. In distinctione vero quam sequor, *ex arce Dei, de sede Tonantis* intelligi potest opera clementiæ divinæ ex arce Dei, opera justitiæ de sede Tonantis descendere. Prosper hanc sententiam complectitur epigr. 10: *Omnibus in rebus gemi-* B *num est opus Omnipotentis, Totum aut justitia est, quod gerit, aut pietas. Quæ simul in terras descendunt lucis ab arce. Ne cuiquam parti desit utrumque bonum.* In editione Pisaurensi Collect. poet. in primo versu deest verbum *opus*, et in primo epigrammate Prosperi omnino desideratur quartus versus. Erroribus scatet ea editio, quod monendum est, ut alii caute ea utantur, ac ne mirentur tot in codicibus mss. maculas occurrere.

20. Alius corriget *Qua pietas*, et vers. seq., *Atque ubi dicuntur.* Præfero *Cui pietas.* Deo tribuitur *ardor*, ut passim in sacris Litteris *ignis.* Vide comment. ad Prudentium hymn. 10 Cath., vers. 1, *Deus, ignee fons animarum.*

21. Non male esset. *Et cui debentur laudes;* sed probum est *dicuntur.* Avitus, lib. IV, vers. 191, *Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni Conclamat, celebratque Deum.* Dracontius lib. II, vers. 73, *Angelico de more preces sine fine canentes.* Phrasis hæc C *sine fine* valde familiaris est Christianis scriptoribus, et sæpius occurrit apud Dracontium, ut lib. II, vers. 81, *sine fine perennis;* quod alii dicunt *nullo fine, dempto fine.* Martialis lib. III, ep. 46, *Operam sine fine togatam.* Ovidius ep. 3 Heroid. Briseid., vers. 15, *At lacrymas sine fine dedi, rupique capillos.*

22. Sic etiam vers. 501, *Et merito, quia cuncta facit.* Paucis verbis æternitatem complectitur, *Fine carens primordia nescit.*

23. Fortasse melius erit *terræ chaos* quam *tetrum chaos.* Videtur aliquis versus hic deesse, vel hic et quinque alii sequentes alio pertinent. Eorum sedes non inopportuna esset post vers. 146 lib. I, *Nec discreta quidem, sed nec permixta morantur.* Dici etiam potest in laudis divinæ argumentum conjungi hoc loco creationem mundi cum Dei æternitate. Tribuit Dracontius igni, quod Deus ejus virtute tetrum chaos resolverit, quod, ut opinor, intelligit, cum Deus secundo die creationis mundi fecit firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Ignis quidem virtus est propria solvere et resolvere. Exponi etiam id potest de tenebris noctis, quæ igne solis resurgentis resolvuntur, quod ex versibus seqq. confirmatur.

24. Lib. I, vers. 224, *Qui fovet igne pio cœlum, mare, sidera, terras.* Eleg. vers. 2, *Qui regis igne polum*, et vers. 82, de sole, *Cuncta creanda parans, cuncta creata fovens.* Horatius lib. I, epist. 16, vers. 6, *Veniens dextrum latus aspiciat sol, Lævum decedens curru fugiente vaporet.* De igne Isidorus lib. XX Orig., cap. 10, *Focus, quia φῶς Græce, Latine ignis est, unde juxta philosophos quosdam cuncta procreantur. Et revera sine calore nihil nascitur, adeo ut de Septentrione poeta* (Lucanus, lib. IV) *dicat, Sterili non quidquam frigore gigni.*

25. Forte *At flammæ.* Ad hanc sententiam pertinet quod lib. I, vers. 675, ait Dracontius: *Cujus ab immensis languescunt sidera flammis, Ni gelidis animen-*

123 Nubibus, et radiis solis pascentia anheli. A
Inde potens generare manet natura creatrix,
Inter se retinens, quidquid per sæcla refundit.
At pietas quia sancta Dei virtute modesta est,
124 Clade repentina nunquam punire nocentes
Assumit, cohibet pœnam, pœnamque minatur,
Conscia quo Dominum possit mens nostra precari,
Et peccatorum veniam non læsa mereri.
Sic impune reis licuit peccasse fatendo.
Ante prophetarum dictis patuere futura.
Sed postquam Christus descendit ab æthere, culpam
125 *Dissolvens nostram, ne esset ignara, juvatur*
Gens hominum, natura docet, quæcunque propinquant,
Ne lateat mortale genus, quod cuncta pericla
Præmonet ante Deus pius, atque elementa fatigat,
Prodigiis, signisque creent ut monstra timorem.
Nam sibi dissimiles sæpe expavere vel ipsæ
Quadrupedes partus, steriles fecundior artus

VARIÆ LECTIONES.

27. Vat., *potens generata manet.*
31. Vat., *assumat, cohibet.*
32. Vat., *contrita quo.*
35. Vat., *dictis senuere futura.*
36. Vat., *Sed postquam Christus....* Deest reliquum.
37. Vat., *Dei solvens nostra futuri, et ne ignara natura.*
B 38. Vat., *jubetur gens hominum dare cumque propinquet.*
40. Vat., *Præmovet ante dies pius quam e. f.*
41. Vat., *Prodigiis, signisque creantur...*
42. Vat., *Namque recohitus similiter...*
43. Vat., *Partus quadrupedes, et steriles facundior aut.*

NOTÆ.

tur aquis per cærula ponti. S. Ambrosius in hymn. ad diem secundum, *Firmans locum cœlestibus, Simulque terræ rivulis, Ut unda flammas temperet, Terræ solum ne dissipet.* Forte *dissipent;* sed *dissipet* habent editi, etiam Hymnarium V. Thomasii. Et lib. II, cap. 3, Hexaem., *Unde frequenter et solem videmus madidum atque rorantem: in quo evidens dat indicium quod alimentum sibi aquarum ad temperiem sui sumpserit.* Quod ex Phænomenis Arati petitum est: *Sol interea dum igneus sit, præ nimio motu conversionis suæ amplius incalescit: cujus ignem dicunt philosophi aqua nutriri, et econtrario elemento virtutem luminis et caloris accipere: unde videmus eum sæpius madidum atque rorantem.* Eodem spectat quod Glycas Siculus aquas in cœlo positas censet ob ardentissimum solis motum et calorem (Annal. part. 1, die 2). Mar. Victor hanc rationem in medio relinquit lib. I Gen., vers. 71, *Forsitan hic aliquis sic secum errore perito Disserat: ætheriis ne desint pabula flammis, Et nimius calor ima petens, alimenta sequendo, Exurat mortale genus, cœlumque coruscum Non possint terrena pati, subjecta deorsum est Machina firma poli: quæ dum nos protegit umbra, Interea super impositis frigescit ab undis. Numinis at vero divini quærere causas Mens fuge nostra procul.* Ita edidit Fabricius, sed in editione Paris. 1560 legitur: *Quæ dum nos protegit umbra, Sed velatur aquis: tales sed quærere causas*, etc. Quod autem ait Dracontius, *Quibus omnia constant*, aquam et ignem intelligit. De aqua Isidorus lib. XIII Orig., cap. 12, *Aquarum elementum cæteris omnibus imperat. Aquæ enim cœlum temperant, terram fecundant... Omnium in terra nascentium causa fiunt. Fruges gignunt, arbores, frutices, herbasque producunt.* De utroque ibid., *Duo autem sunt validissima vitæ humanæ elementa, ignis et aqua: unde graviter damnantur quibus ignis* (forte *igni*) *et aqua interdicitur.*

26. Venustius esset *et radiis pascentia solis anheli.* De hoc epitheto *ignis*, quo *anhelus* dicitur, vide Proleg. num. 137. Virgilius lib. VIII, vers. 420, *Striduntque cavernis Stricturæ chalybum, et fornacibus ignis anhel t.* In *pascentia* subintelligitur accusativus *se:* sic enim verbum *pasco* sæpe usurpatur præsertim in participio præsenti.

27. Ovidius, lib. XV Metam., vers. 252, *Nec species sua cuique manet, rerumque novatrix Ex aliis alias reparat natura figuras.*

28. Fortasse *per sæcla refudit.* Ut *fundo* accipitur pro *gigno*, et copiam significat, ita *refundo* pro *iterum gignere*, vel quasi reddere per generationem, quod acceptum est. Cicero, lib. II de Nat. deor., cap. 46, *Quibus* (vaporibus) *aliæ, renovatæque stellæ, atque omnis æther refundunt eadem, et rursum trahunt indidem.* Alii habent *refundunt eodem.*

29. De voce *modestus* adisis prolegom. num. 136. Apud Plautum Trin. IV, 1, 12, *modestus esse alicui* est modeste se gerere parcendo aut adjuvando: *Hoc dis dignum est, semper mendicis modesti sunt*, vel, ut alii legunt, *sint*, subintellecto *ut*, scilicet *ut* semper propitii sint indigentibus.

30. Hæc eadem sententia multis in locis occurrit, ut lib. II, vers. 689, *Nescius irarum monitis, non clade coerces*, etc.; lib. III, vers. 121, *Non cupit insontum mortes, vitasque nocentum Non cito consumit, veniæ* C *dum cuncta reservat;* et lib. eod., vers. 655 seqq.

31. Forte *Assumens*, vel *Assurgens* pro *assumat.* Lib. II, vers. 486, *Sed quia cœlestis pietas veniale minatur*, etc. Salvianus lib. V de Gubern. Dei: *Tanta est misericordia Dei, ut etsi nos pati vult aliqua de piaculis nostris, nolit tamen cuncta tolerare; quia castigat malos, non reddit mala, et agnoscere nos peccata mavult quam sustinere, scilicet ut piis ac salubribus flagellis ostendat nobis quæ ferre mereamur, sed tamen non inferat quæ meremur.* Prudentius, Cath. 7, vers. 103, *Sed noscet ille cum minacem judicem Servare malle quam ferire ac plectere.*

32. Emendari potest versus hic vel ita, *Conscia quo Dominum*, vel ita, *Quo contrita Deum:* et hoc secundum magis probatur. Nam eo spectant minæ Domini, ut corda conterantur. S. Gregorius, initio hom. 1 in Evang., *Ut si Deum metuere in tranquillitate nolumus, saltem vicinum ejus judicium vel percussionibus attriti timeamus.* Sed prior lectio retinenda D est, quia propius accedit ad scripturam codicis, et rectum sensum habet.

34. Sic de rege David lib. II, vers. 655, *Sed scelus agnoscens culpas impune fatetur;* ac rursus de eodem Eleg. vers. 159, *Confessus facinus veniam pro clade meretur Noxius impune vel sine morte reus.* Paulinus poem. ultim., *Amplius hoc tribuit, majus dedit hoc quoque munus, Quod peccatorem quem pœnitet, antea lapsum Non facit in numero turbæ peccantis haberi. Quippe satis pœna est, cum sit sua culpa dolori, Supplicium proprium timor est, tormenta reatus, Tum veluti patitur, qui se meruisse fatetur.*

36. Explevi hanc lacunam ex mente, ut arbitror, Dracontii, qui innuit iram Dei in lege veteri prophetarum dictis fuisse prænuntiatam, post adventum Christi prodigiis portentisque declarari. In exponendis vero monstris Dracontius fortasse imitatus est Juvenalem, cujus versus alibi exprimit, et cujus sunt hi sat. 13, vers. 65, *Egregium, sanctumque virum si cerno, bimembri Hoc monstrum puero, et miranti jam*

Accendit vapor, et pariturœ viscera mulœ.
Nec modo quadrupedes : mulier quæ protulit, horret,
Et pavet infelix enixa puerpera partus.
Sic peccata parant casus inferre sinistros.
Quid jam peccantes vita mereantur iniqua,
Significat damnans hominis natura reatum.
Quid fera, quid pecudes, quid peccavere volucres?
Quid cœlum, quid terra, polus, quid pontus et astra,
Quid solis radii, quid lunæ frigidus orbis?
126 Nonne fatigantur dantes per tempora signa?
Nam ventura monet per tot præsagia corvus
Proditor, et sit quid post tempora certa futurum
Cornix effatur; pecudes volucresque loquuntur,
Quod hominis mala lingua tacet, fera bellua; pisces
Prospiciunt proprii generis servare figuras,

VARIÆ LECTIONES.

44. In Vat. desunt omnino verba.
45. Vat., *Quomodo quæ protulit...*
46. Vat., *Et pavet infelix enixa pueri germania partus.*
47. Vat., *Sic peccata parant...*
48. Vat., *Quid jam peccata...*
49. Vat., *Sian reatum...*
54. Vat., *ventura movet per tot præsagia somnus.*
56. Vat., *cornipes et fatur; pecudes.*
57. Vat., *quodque hominis.*
58. Vat., *despiciunt proprii generis.*

NOTÆ.

sub aratro Piscibus inventis, et fetæ comparo mulæ Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber, etc. Ita etiam Claudianus lib. I in Eutropium : *Semiferos partus, metuendaque pignora matri*, etc.

50. Feræ etiam sunt pecudes : sed sæpe inter se distinguuntur, ut a Lucretio lib. IV, vers. 1190, *Nec ratione alia volucres, armenta feræque, Et pecudes, et equæ.* Dracontius lib. I, vers. 284, *Gignitur omne genus pecudum, genus omne ferarum.* Vide Gifanium Ind. Lucr.

52. Libr. I, vers. 666, *Lux frigida, solis imago.* Lib. II, vers. 10, *Quod calor est solis, quo splendet frigida luna.* Ut sol ardens dicitur, quia igneus aut calidus est, et proprio lumine splendens, ita luna frigida, quia lumine a sole accepto fulget, et lux inde ad nos reflexa nihil aut parum calefacit. Simili ratione Saturni stella *frigida* a Virgilio dicitur lib. I Georg., vers. 336, cui consonat Claudianus de Laud. Stil. lib. I, vers. 178.

53. Genes. cap. I, vers. 14, *Sint in signa et tempora.* Vide lib. II, vers. 11.

54. Pro *somnus*, quod non patitur hic locus, ubi sermo est de signis quæ ex animantibus petuntur, posui *corvus*. Postea vers. 527, *Bucula, rana, grues, formicæ, corvus, hirundo, Prædicunt pluvias, nec jam præsagia fallunt.* Et Virgilius lib. I Georg., vers. 381, *Et e pastu decedens agmine magno Corvorum increpuit densis exercitus alis*, quod imbris signum esse dicit.

55. *Proditor* est index apud Horatium, Ovidium et alios. Non male pro *sit quid* legetur *quid sit*, aut *siquid*.

56. Fortasse *Cornices fantur*. De cornice Isidorus, lib. XII Orig., cap. 7 : *Huic inter multa auspicia tribuunt etiam pluvias portendere vocibus, unde est illud : Tunc cornix plena pluviam vocat improba voce.* Versus hic est Virgilii lib. cit. Georg. Similia passim habent alii poetæ. Cicero, ad Att. lib. XV, ep. 16, *Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt : ranæ enim ῥητορεύουσιν*, rhetorum more declamant, seu vociferantur.

57. Lego *Quod hominis*, nam conjunctio *que* videtur intrusa ab aliquo, qui ita metro consulere voluit. Sed *quod* ob aspirationem sequentis vocis recte producitur. Lingua mala hominis fera bellua dicitur : non enim puto distinguendum esse *tacet. Fera bellua pisces.* Mox hoc lib. V, vers. 487, *Omnibus ex membris pars mundior ipsa putatur, Noxia sola magis fuerat quæ in corpore toto*, etc. Vide alia contra hominis linguam malam lib. III, vers. 629 et seqq., et Eleg. vers. 44, et Prudentium hymn. 10 Perist., vers. 892, *Quæ corpore omni sola vivit nequior.* Linguam bonam partem optimam esse corporis idem Prudentius dixerat loc. cit. vers. 768.

58. Mar. Victor lib. I Gen., 141, *Pignora quæque sui generis sortita figuras.* Quid autem sibi hoc loco velit Dracontius, non facile est hariolari. Potest intelligi quod pisces despiciunt genus suum aut vitam conservare, dum turpia vel propria membra contra naturam rebellant, ut cum micat cometes, qui mortes et monstra creat, undam inficit cruore, etc. Nam tota hæc narratio concludi potest vers. 79, *Piscibus Oceani proprias sitientibus undas.* Sed apud scriptores veteres nihil invenio quo hæc portenta confirmentur. Oppianus quidem lib. I Halieut. ait : *Quoniam præ aliis Pisculenta genera earum* (alias) *pertimescunt mare Furens.* Nescio an id ad Dracontium trahi possit. Propius ad hujus verba accedit quod refert Isidorus de Natura rer. cap. 38, *In austrum venti mutatio est cum lulligines* (loligines) *hirundinesve volant, aut cum delphini totos se saltibus ostendunt, et caudis aquam feriunt. Nam semper inde ventus oritur quo illi feruntur. Nec mirum est muta animalia divinare sub gurgite. Semper enim incipientis auræ motu aquæ inclinantur, quam permutationem maris primi undarum incolæ sentiunt. Itaque propter impetum pugnant, sive metu ne deferantur in littora, sive natura, ne aversorum cervices unda præcipitet. Quid ergo? Delphini tantum hanc injuriam timent? Imo et cæteri pisces. Sed hi tantum apparent, quia exsiliunt.* Quod si velis sententiam et sensum concludi vers. 59, *Contra naturam*, etc., suspicio oriri poterit, an de piscium castitate sermo sit, de qua Ambrosius lib. V Hexaem., cap. 3: *Tum denique quam pura et inviolata successio! Nullus alteri, sed generi suo miscetur, thymallus thymallo, lupus lupo. Scorpæna quoque castitatem immaculati connubii generi suo servat; itaque habet pudicitiam generis sui, sed venenum generis sui non habet : non enim percutit scorpæna, sed reficit. Nesciunt igitur alienigenarum genera piscium adulterina contagia, sicut sunt ea quæ coeunt asinorum*, etc., *quæ sunt vera adulteria naturæ... Et homo ista procuras interpres adulterii jumentalis... spadonem efficis, ut quod negavit natura in hominibus, impleret audacia.* Ex his aliqua commoda interpretatio versuum Dracontii erui potest, si tamen legatur *prospiciunt* pro *despiciunt*. Advertendum est autem non esse perpetuam, et communem castitatem illam piscium quam ait Ambrosius, ut observat Basilius hom. 7 Hexaem., qui murænæ viperæque complexum vocat *adulterium quoddam naturæ.* Ex eodem Basilio certior alia explicatio Dracontii exprimitur : sic enim ait loc. cit. : *Si rationis expertia excogitare conservareque salutem suam soleant, atque piscis id sciat quid expetendum sit sibi, quid fugiendum, quid nos ipsi dixerimus, qui... res eas quæ ad nos pertinent, longe rudius et a ratione alienius quam ipsi pisces disponimus? si illi quidem de futuro prospiciant atque provideant, nos autem de spe

127 Contra naturam dum turpia membra rebellant. A
Jam micat unde polo veniens quicunque cometes,
Hinc mortes et monstra creat, hinc unda cruorem
128 Inficit, et spumis rubicundior alveus exit,
Hinc calidas pluit imber aquas, et roscida tellus
Sanguine puniceas spicis producit aristas,
Et viola est mentita rosam pallore fugato,
Et rubor infelix et candida lilia tinxit.
Tertia sors erebi terræ prærumpit hiatum,
Et discit perferre diem, violare serenum
Audet, et exsangues cœlo producere manes,
129 Vivida funereis admiscens ora sepultis
Pestibus, Herculeos mundo mentita furores;
Cum niger umbrarum veniens exercitus orbem
Appetit, invadens non humida tempora lunæ.
Auditum mugire solum, solisque tenebras
Quis neget, et stellas alieno tempore visas,
Cæruleum pallore diem, roseumve colore,

VARIÆ LECTIONES.

60. Vat., *nam micat.*
61. Vat., *hinc mortes et monstra creant.*
66. Vat., *ac ruber infelix.*
67. In Vat. prius videtur fuisse *hiatus.* B
72. Vat., *exercitus orbe.*
74. Vat., *auditur mugire.*
75. Vat., *tempore visas.*
76. Vat., *roseumve colorem.*

NOTÆ.

futurarum rerum vacui vitam nostram voluptati pecudum accommodatæ deditam conficiamus ac consumamus? Basilium sequitur Glycas lib. I Annal. die 5. Adde Plinium lib. IX, cap. 19, sect. 35: *In stagna et amnes transeundi plerisque* (piscibus) *evidens ratio est, ut tutos fetus edant, quia non sint ibi qui* (al. *quæ*) *devorent partus, fluctusque minus sæviant.* Legam igitur *prospiciunt*, et post vers. 60; *Jam micat*, vel *Tum micat* pro *Nam micat*. Est autem *prospicio* hoc loco *provideo*, ut apud Livium lib. IV, cap. 49, *Qui vos urbe agrisque donatos in colonias mittunt, qui sedem senectuti vestræ prospiciunt.* Pro accusativo ponitur infinitivus *servare*.

59. Vide an pro *turpia* legi debeat *propria*. Sensus esse potest quod homines contra naturam rebellant, dum pisces suum genus conservare satagunt: vel quod pisces sibi prospiciunt dum maret urbatur; vel quod pisces negligunt (si legatur *despiciunt*) conservare genus suum, dum natura commovetur his prodigiis quæ versibus seqq. referuntur.

60. Dixi modo præstare legere *Jam micat* pro *Nam micat*. Sæpe in mss. confunduntur *tum* et *jam*, et *tam* et *tum;* neque abhorret ab hoc loco *tum*.

61. Pro *creant* vel *creat*, ut correxi, fortasse melius erit *ruunt*. Hæc fuit veterum opinio de cometis. Seneca, Natur. quæst. lib. VII, cap. 17, *Cruenti quidam* (cometæ) *minaces, qui omen post se futuri sanguinis ferunt.* Putabant cometam bella, pestilentias, aliaque mala portendere, quæ Manilius recenset in fine lib. I: *Seu Deus instantis fati miseratus in orbem Signa per effectus, cœlique incendia mittit. Nunquam futilibus excanduit ignibus æther*, etc. Dracontius peculiaria quædam monstra explicat. Virgilius in fine lib. I Georg.: *Nec tempore eodem... Aut puteis manare cruor cessavit... nec diri toties arsere cometæ.*

63. Virgilius lib. V, vers. 695, *Ruit æthere toto Turbidus imber aquam;* alii habent *aqua*. Sed *pluo* cum accusativo probum est. De prodigiosis imbribus Cicero I de Divin., cap. 43: *Quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit? Quid quod fluvius atratus sanguine fluxit? Quid cum sæpe lapidum, sanguinis nonnunquam, terræ interdum, quondam etiam lactis imber effluxit?* Livius hæc prodigia passim memorat. Plinius lib. II, cap. 56, carnis etiam, ferri, lanæ, laterum coctorum pluviam refert. Dracontius calidas aquas videtur intelligere pluviam sanguinis: nam addit, *Roscida tellus sanguine*, scilicet humore sanguineo perfusa. Virgilius lib. VII, vers. 683, *Gelidumque Anienem, et roscida rivis Hernica saxa colunt.*

65. Non omnes violæ sunt pallidæ, aut, ut ait Virgilius, pallentes; sunt quædam purpureæ, quædam albæ. Dracontius ergo ait violam quæ natura erat lutea, pallore fugato, rosæ colorem induisse. Et videntur quidem frequentiores fuisse apud Romanos violæ luteæ; nam Horatius etiam, lib. III, od. 10, pallorem violæ tribuit: *Nec tinctus viola pallor amantium.*

66. Ex imbri sanguinis quo tellus irrigata est, omnes flores diversi coloris rubore illo infelici sunt tincti.

67. Lib. III, vers. 404, *Tertia sors, quæ lucis inops;* Erebus tertia sors dicitur, quia, ut fabulæ narrant, imperium cœli Jovi obtigit, maris Neptuno, inferorum Plutoni fratri natu minori. Seneca, Hercul. fur. act. III, sc. 1, *Et si placerent tertiæ sortis loca, Regnare potui;* et postea vers. 831, *Deerat hoc solum numero laborum, Tertiæ regem spoliare sortis.* Tibullus lib. III, eleg. 5, *Tertia regna dei.* Claudianus de Raptu Pros. lib. II, vers. 167. *Sic tertius heres Saturni.* Manilius lib. I, vers. 155 de mari, *Tertia sors undas stravit fluctusque natantes.*

C 68. *Serenum* substantive: vide notam ad vers. 586.

69. Avitus de tenebris Ægypti lib. V, vers. 203, *Squalentes pariter viventia milia credas Infernas intrasse domos, aut forte revulso Objice terrarum patriam sordentis abyssi Migrasse in superos, ac mundum luce fugata Sub leges misisse suas.*

70. Apud Claudianum lib. II, de Raptu Pros., vers. 220, Pallas sic Plutonem, dum Proserpinam raperet, alloquitur: *Fratris linque domos, alienam desere sortem, Nocte tua contentus abi: quid viva sepultis Admisces?*

71. Hercules Alcestin ab inferis revocavit (Hyginus fab. 51). Apollodorus lib. II narrat Theseum ab Hercule ex inferis excitatum, ipsumque Cerberum captum, et ad Eurystheum adductum. Ovidius, 7 Met., vers. 410, *Tirynthius heros Restantem, contraque diem radiosque micantes Obliquantem oculos, nexis adamante catenis, Cerberon attraxit.*

73. Lib. II, vers. 11, *Partita cum fratre vices, sua tempora lustrans.* D In plurali numero *tempora* accipitur aliquando pro vultu et facie: et hoc sensu vultum lunæ Dracontium intelligere, exponi posset, nisi locus ex lib. II indicatus tempus innueret quo luna suum cursum peragit. Sed cur luna dicitur *non humida?* Quia cum luna præcipue nocte sit, aut dicatur humida, et hic describantur tenebræ diurnæ, et quasi ex inferis erumpentes, consequens est lunam his in tenebris non esse humidam. Poterit etiam legi *non lucida*, quia postea globus lunæ fuscata lampade tectus dicitur.

74. Virgilius, lib. VI, vers. 256, *Sub pedibus mugire solum, et juga cœpta moveri Silvarum.* Lucanus lib. III, vers. 418, *Sæpe cavas terræmotu mugire cavernas.*

76. Fort. *roseove colore*, ut dies sit cæruleus pallore, seu roseo colore: nam color roseus non opponitur noctis tenebris, cum nocte soleat in cœlo apparere, et color cæruleus potest ex roseo et luteo formari.

A Lunaremque globum fuscata lampade tectum,
Et mare purpureum nudato littore siccum,
130 Piscibus Oceani proprias sitientibus undas?
Nescia mentiri rerum cognata fidelis
Conservat natura fidem pietate parentis,
Participans, quæcunque fient, mundoque minentur,
Ostentis ventura monens, ut pectore læto,
Si bona sunt ventura, bonis nos ante fruamur,
Si mala portendant, liceat pacare precando
131 Naturæ cœlique Deum post sæcla manentem.
Nemo ferire volens se præmonet inde cavendum:
Sed qui terret, amat. Sic indulgentia pœnam
Prævenit, et nullos cupiunt tormenta reatus.
Non negat Omnipotens veniam cuicunque roganti.

VARIÆ LECTIONES.

77. Vat., *lampade texunt.*
82. Vat., *quæcunque forem mundoque.*
88. Vat., *se qui terret.*

NOTÆ.

77. Lib. II, vers. 49, *Lunaresque amplexa globos.* Claudianus lib. II, de rapt. Proserp., vers. 298, *Lunari subjecta globo.* Plures alii *lunarem globum, lunæ globum, solis globum* dicunt.

78. Describit mare non omnino siccum, quod nunquam accidit, sed tantum aliqua ex parte, quod sæpe evenit. Si quæras cur mare vocet *purpureum*, responderi potest, ex roseo colore de quo paulo ante, mare purpureum etiam factum. Cæterum jam multi notarunt *purpureum* a poetis sumi pro quovis pulchro colore; sic olores dicti purpurei, nix purpurea. Roa, lib. IV, Singul., cap. 8, tenet, *mare purpureum dici, quasi igneo nigrore collucens, quanquam et turbatum, et fluctuans, ventisque vehementius agitatum significare possit, si ad Græcæ vocis vim et potestatem spectemus.* Huic postremæ interpretationi favet Dracontius, qui a Græcis hoc epitheton mutuatus est. A. Gellius, lib. XVIII, cap. 11, approbat in Furio, veteri poeta, quod dixerit, *spiritus purpurat undas;* sed explicat quod *ventus mare cæruleum crispicans nitefacit.* C Cicero in fragmentis apud Nonium cap. 2, num. 717, *Quid mare, nonne cæruleum? aut ejus unda cum est pulsa remis, purpurascit? Et quidem aqua tinctum quodammodo et infectum.* Propertius, lib. II, eleg. 20, vers. 5, *Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen.* Ambrosius *purpurascentem colorem* maris dixit, cujus verba leges ad vers. 149.

80. Eleg. vers. 61, *Littera doctiloquax apibus cognata*, scilicet conveniens; et fortasse legendum est *rebus cognata.*

81. Claudianus, lib. I, vers. 42, de Raptu Pros., *Pene reluctatis iterum pugnantia rebus Rupissent elementa fidem.* Dracontius præterea innuit naturam non fallere in quibusdam suis prognosticis. Notanda est phrasis *pietate parentis:* sic mox vers. 726, *Qui pascit, quodcunque creat, pietate parentis.* Mar. Victor lib. I Genes., vers. 462, *Sed sancta parentis Desperare vetat pietas.* Hilarius, lib. I Genes., vers. 52, *Condere quæ genitor patria pietate parabas;* et iterum vers. 142, *Impendens patria pignus pietate colendo.* D Dracontius lib. III, vers. 529, *Qui cum sit dominus, se vult tamen esse parentem.* Hinc est quod ethnici nonnunquam eos qui liberalitate præstabant ac bene de aliis merebantur, parentes et deos vocabant, ut Cicero post reditum ad Quirites cap. 5, *P. Lentulus consul, parens, deus, salus* (al. *salutis*) *nostræ vitæ,* etc. Christiani vero, a Jesu Christo edocti orare, Deum præcipue patrem nostrum appellamus.

82. In *forem* legi potest *forent* pro *erunt* per enallagem. In nonnullis codicibus mss. in venio scriptum *fierent* pro *forent.* Nec perperam legetur *quæcunque sient* pro *erunt;* nam olim dicebant *sies* pro *sis.* Lucretius, lib. II, vers. 1078, *Quin cujusque sient sæcli.* Tempus autem proprium rei esset futurum, ut *quæcunque fient,* quod sustineri potest ex dictis proleg. num. 139. *Participare* hoc loco est certos homines reddere, ut apud Plautum Stich. I, 1, 21: *Cum ipsi interea vivant, Valeant, ubi sint, quid agant, neque* B *participant nos, neque redeunt.* Alioquin *participo* est *particeps fio,* interdum *partem tribuo,* aut *participem facio.*

85. Nescio an tolerari possit *portendant,* quasi *immineant;* melius certe est *portendant* ipsa ostenta. *Placare* etiam huic loco multo magis congruit quam *pacare. Solent longe gravius afficere, quæ præter exspectationem accidunt,* ut ait Josephus lib. V Antiq., cap. ultim. Contra ex Seneca epist. 76, *Præcogitati mali mollis ictus venit.* De hac sententia vide S. Gregorium Magnum homilia 1 et 35 in Evang., et Alcuinum carm. 179. Hispano etiam proverbio dicitur, *Ni dano quando es previsto, Que no ayude a moderarse.* Alfonsus Barros Proverb. moral. 26.

86. Lib. II, vers. 24, *Imperii per sæcla tui sine fine manentis.* Melius fortasse legetur hic *per sæcla manentem.* Sic etiam lib. II, vers. 97, de mundo, *Quem fecit sanxitque, regens per sæcla manere.* In hoc codice non semel inter se mutata sunt *post* et *per.* Sed retinendum est *post sæcla,* quod innuit imperium Dei post mundi sæcula manere; lib. II, vers. 31, Deus dicitur *rerum princeps, mundique superstes.*

87. Confer lib. II, vers. 490, *Ut terrore domet potius quam clade profanos,* et vers. 689 seqq., et vers. 773 seqq.

88. Apocal. cap. III, vers. 19, *Ego quos amo, arguo et castigo.* Proverb. cap. III, vers. 11, 12. Epist. ad Hebr. cap. XII, vers. 6, Tertullianus de Jona: *At bonus, et nostri patiens, et plectere serus Omnipotens Dominus nullam jaculabitur iram, Ni prius admoneat, durataque pectora pulset.* Prosper epigr. 66, *Utile prudenti est mundana adversa cavere, Et quod vitandum prospiciat fugere;* et post alia in eamdem sententiam: *Qui terret, parcit; qui percutit, ipse medetur. Vivere vis? illi subdere quem metuis.* Mar. Victor lib. I Genes., vers. 465, *Nec tam te voce severa Corripiens, ubi sis,... Terret, quam recreat.* In editis est *me voce,* sed sensus postulat *te,* cum sermo referatur ad Adamum.

89. Lib. II, vers. 598, *Indulgentia prompta reatum Prævenit, et facinus venia præcedit iniquum.* In scriptura codicis aliquis subest sensus, quod scilicet Deus, qui tormenta immittit, nullos reatus invenire cupit. Non nemo conjiciet *et nulli capiunt tormenta reatus,* nempe nulli reatus puniuntur, aut nulli incurrunt in tormenta reatus. Probabile est *reatus* esse in gignendi casu, ut apud Paulinum poem. ult., *Tormenta reatus Tum veluti patitur qui se meruisse fatetur.* Sensus ergo hic erit, quod tormenta reatus neminem capiunt, hoc est assequuntur, quia pœnitentia prævenit pœnam. Sed prima explicatio in scriptura veteri magis placet, ut per metonymiam intelligatur Deum, qui tormenta minitatur, cupere nullos esse reatus quos puniat.

90. Paulinus poem. 6 de S. Joanne Baptista: *Quot gradibus parcit pietas tua? quis pater unquam Sustinet errant i toties ignoscere nato?... Quanquam jam nimius longe processerit error, Desinat et redeat, cum se dum-*

Supplicium cum sæpe neget, licet inde minetur A
132 Omnibus, et nullum feriat censura Tonantis,
Ni vitium peccantis agat perstando maligne.
Et quemcunque ferit, moderanter temperat ictus,
Corrigit errantem, nec punit morte repente,
Si peccare diu parcat quicunque profanus.
Sed cum perstat homo semper delicta sequendo
Sentiet iratum pœna plectente furorem.
Nemo Deum sentit, quoties irascitur ulli,
Indulget, cohibetque minas pietatis amore,
Donec ab excelsis veniat vindicta coercens:
Impete terribili gravis irruit ira repente,
Sensim rursus adest nullo terrore juvante,
Et non agnoscit Dominum quicunque furentem, B
Donec in extremos gemitus recidente ruina
133 Ingravat incautum graviori pondere frangens.
Sed non est omnis manus exstirpanda reorum;
Solos quippe necat, quos cernit nolle reverti,
Addere sed gravibus peccatis crimina dura.
Nam mox tempus adest veniens, quo vota recurrant
Ad meliora semel, sed non reditura secundo,
Ac scelus abjiciant lacrymis, et corde reatum.
Quis genus humanum nescit servare volentem
Auctorem, dominumque Deum? cui contulit orbem,
134 Per tot facta Deus quod sexta luce creavit.

VARIÆ LECTIONES.

91. Vat., *sæpe nitet licet.*
95. Vat., *corrigat errantem.*
96. Vat., *diu pareat quicunque prophanus.*
100. Vat., *Ni fulget preclare minas.*
102. Vat., *impetu terribili.*
103. Vat., *sensum rursus adest nullo terrore juvantes.*
104. Vat., *nec non agnoscit.*
107. Vat., *si non est.*
110. Vat., *vota recur't.*
112. Vat., *Ad scelus adjectum lacrymis p-corde reatum.*
114. Vat., *cui contulit index.*
115. Vat., *facta dies quem sexta.*

NOTÆ.

naverit ipse, Absolvi meruit; si pœnitet, irrita culpa est. Vide etiam lib. II Dracontii, vers. 95 et seq.

91. Ex *nitet licet* posset fieri *videlicet*: posset etiam legi *vitet* pro *nitet*, sed prima in *vitet* producitur. Conjicio *neget, licet ipse minetur.*

93. Lib. II, vers. 417, *Nos nobis facimus peccando sponte maligne. Perstare* est perseverare. C

94. Prosper epigr. 8, *Verbere nonnunquam castigans corde paterno, Ne cito consumant sæva flagella reos.* Sic lego. Fabricius edidit (epigr. 4 apud ipsum), *Verbere nonnunquam castigans corda paterno.* Editio Pisaurens. Poetar., *Verbere nonunquam castigans corde paterno.*

95. Lib. II, vers. 694, *Errantes punis, sed mitis corrigis omnes.*

96. S. Petrus Epist. II, cap. III, vers. 9, *Patienter agit* (Dominus) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Vide Eleg. vers. 102.

97. Genes. XVIII, 21, Dominus de criminibus Sodomorum: *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint.*

100. Satis commode restituitur *Indulget* pro *Ni fulget*; sed pro *preclare* forte legendum *præfertque minas*, aut aliquid aliud similis sententiæ.

101. Lib. II, vers. 473, *Superum vindicta coercet.* D *Excelsa* pro cœlo, ut dicam ad vers. 204 lib. II.

102. *Impete* occurrit etiam infra vers. 557, *Subducitur impete mortis.* Tertullianus de Jud. Domini habet: *Impetu tartareo frendent incendia mundo;* sed in hoc auctore ferri id potest, cum sæpe *spiritu* dactylum faciat.

103. Pro *juvantes* vel *juvante* aliud mallem. Fortasse *nullo terrore minante* vel *monente.*

105. Lib. II, vers. 156, *Recidentibus euris,* et ib., vers. 624, *Spes generis recidens.* Livius, lib. XXIV, cap. 29, *Quo mox in graviorem morbum reciderct.*

107. Lib. II, vers. 405, *Rursus ne perderet orbem, Aut impune reos passim dimitteret omnes, Eligit e cunctis, quos plus peccare videbat.*

109. Forte *crimina dira.*

110. Id pertinere videtur ad sententiam Apocal. III, 3, *Pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur,* quæ repetitur cap. XVI, vers. 15, et in II epist. Petri III, 10, et Pauli I ad Thess. V, 2, Et clarius ad rem nostram Ecclesiastic. XIV, 12: *Memor esto quoniam mors non tardat;* et paulo post: *Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Apostolus ad Galat. VI, 10, *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Joann. IX, 4, *Venit nox, quando nemo potest operari.* In nexu litterarum dubio lego *recurrant*, scilicet rei.

111. *Redire secundo* est pleonasmus a Dracontio aliisque usitatus, ut *rursus redire* apud eumdem Dracontium, et lib. II, vers. 163, *Rursus aquæ reduces repetunt loca prisca*; *rursum reddere*, apud Terentium; *rursus referre*, apud Ovidium; *rursus redire*, apud Marcellinum; *rursus repetere*, apud Suetonium. De votis Dracontius, lib. I, vers. 694, *mala vota reorum;* et lib. II, vers. 405, hominum *pessima vota.*

112. Versus hic sanandus est; sed non alia occurrit medicina, nisi quam adhibui; aut si mavis *lacrymis purgando reatum*, vel *lacrymis delendo reatum.* Vide lib. I, vers. 694, *Ut se pœniteant sceleris*, etc.

114. Abest sensus a codicis lectione *cui contulit index.* Non dedecet *cui contulit orbem*, vel *cui condidit orbem.* Sed a Dracontii manu videtur esse *index*, quo verbo usus est lib. I, vers. 434, *Spes, opifex, dominus, rector, dux, arbiter, index.* Sic lux ab eodem dicitur *temporis index*, sol *luminis index*, Petrus *veri dogmatis index.* Ut Deus vocatur dux, quia ad rectam viam nos ducit, sic idem appellatur index, quia nobis indicat quid agendum fugiendumve sit. Cornelius Valerius Vonk Lection. Latin. lib. II, cap. 2, in Sedulio lib. II, vers. 232 (al. 236), pro *judexque benignus* legit *indexque benignus.* Revera melius ita procedit sententia: *Orandi præcepta dedit, indexque benignus Indulgenda peti breviter jubet*, etc. Ab ethnicis colebatur Hercules Index, quod furtum quoddam Sophocli in somniis indicasset: *quo facto fanum illud Indicis Herculis nominatum est*, ut refert Cicero lib. I de Divin. Apud Statium in fin. lib. I Achill., *Partus index Lucina resolvit*, innuitur Lucinam uterum diu occultatum indicare, vel pueros indicare et in lucem mittere. Ita ergo emendari potest Dracontii versus, *cui consulit index, Post tot facta Deus quod sexta luce creavit*; vel *cui consulit index Per tot facta Deus, quod sexta luce creavit.*

115. Pro *dies* certum videtur legendum *Deus.* Pro

Prima dies nam lucis erat, mors una tenebris: A
135 Lux datur ante polos, lux clari causa diei,
Lux jubar æthereum, lux noctis limes, et umbræ,
Lux facies rebus cunctis, et lux elementis,
Lux genitis factisque calor, lux gratia solis,
136 Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor cœli, lux et primordia mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,

VARIÆ LECTIONES.

116. Vat., *dies nam lucis erat mox una;* alii editi, *dies lux est terris mors una.*

117. Vat., *polos;* alii, *polum.* Parisiensis S. Victoris codex, *claræ;* alii, *clari.*

118. Vat., Vict., *et umbris.*

119. Vat., *Lux facies rerum, lux lux cunctisque trementes.*

120. Vat., *Lux genus percuncta so ... lux gratia solis.*

NOTÆ.

per tot fortasse melius *post tot*, ut vers. 259, *Terrigenis factura cibos post cuncta creandis*, ubi tamen Vict. legit etiam *per cuncta*, forte ut significetur propter hominem cuncta creata, ut postea vers. 428. Confer proleg. num. 86. Etsi autem sermo sit de genere humano, retineri tamen posset *quem* scilicet per mutationem generis : nam intelligitur *quem hominem*. Vide Comment. ad Prudent. lib. II contra Symm., vers. 504, et Gifanium Indic. Lucr. verbo GENERIS MUTATIO. De connexione vero hujus partis poematis cum reliquo corpore dixi loc. cit. Prolegom.

116. Ab hoc versu incipiunt editiones hactenus factæ cum titulo *Hexaemeron*, sive *de Opere sex dierum*, et progrediuntur usque ad versum ultimum hujus libri; quarum varias lectiones nunc appono. Rivinus, cum primum versum mendosum agnovisset, emendavit : *Prima dies lux est, tetris mors una tenebris*, vel *mors ima*, id est prima; vel *mors viva*, vel *mors sana*. Barthius apud eumdem Rivinum *Prima dies lux est terris, mors unde tenebris*. Sic auctor Moreti : *Et jam concepto tenebræ splendore recedunt*. Perspicuum est nullum hic esse locum voci *terris*. Etsi enim verba prima Genesis, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, ita intelligi possint, ut prima die cœlum cum terra elementari productum fuerit, Dracontius tamen aliam videtur sequi sententiam, quod scilicet his verbis Moyses creationem mundi in tempore factam complexus fuerit, quam postea per partes et dies explicat : de qua sententia videri potest Petavius De opific. sex dierum lib. I, cap. 2 qui huic opinioni adhæret, ac SS. Patrum testimoniis eam, rejectis aliis explicationibus, confirmat. Itaque ut Dracontius vers. seq. ait, *Lux datur ante polos*, ita dicere potuit, *Lux datur ante solum*, vel *terras*. Adhuc autem conjecturæ locus est, an pro *mors una tenebris* legi debeat *nox unde tenebræ :* nam in codice Vaticano est *mox*, quod pro *nox* alibi etiam positum invenio; et poetæ alii qui opus sex dierum narrant, noctis meminerunt, ut diem unum compleant et Moysis sententiam exprimant. Cæterum lucem tenebrarum esse mortem metaphora est ab aliis etiam usurpata. Plautus Men. I, 2, 45 : *Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus.* Statius, lib. IV, silv. 6, vers. 3, *Jam moriente die rapuit me cœna.* Dracontius hoc lib., vers. 663, *Mortua nox sub luce cadit :* sic enim legunt editi; sed in Vatic. cod., *mortua lux*, ut mox dicam. Clarius vers. 672, *Ducit ubique diem, periturum noctis ab umbris.* Hæc autem omnia quæ Dracontius in opificio sex dierum exponendo commemorat, fuse disputant theologi et interpretes, illi præsertim qui dedita opera de opere sex dierum scripserunt. Poetas nonnullos ex Goldasto recensitos vide num. 29 prolegom., ubi Gregorius Magnus et Ambrosius junior commemorantur; sed fortasse Goldastus solos hymnos Hexaemeri ab Ambrosio Mediolanensi conscriptos innuit, qui a nonnullis ascripti fuerint Gregorio, ab aliis Ambrosio juniori. Hippolyti Africani et Prudentii nostri Hexaemeron intercidit. Leyserus Histor. poet. med. æv., pag. 391, ad ann. 1136, edidit Hexaemeron Hildeberti Turonensis, sive Cenomanensis, quod in edi- B tione Parisina hujus operum reperitur. Hexaemeron Ceponii Hispani episcopi sæculi V, versibus hexametris ms., asservabat Barthius, ut dixi num. 52 prolegom. Alios scriptores sive interpretes in Hexaemeron refert Calmetus in Bibliotheca sacra ante Dictionarium Biblic.

117. Mar. Victor initio lib. I : *Ante polos, cœlique diem :* quo lectio codicis Vat. *ante polos* roboratur. Elogio hoc lucis nullum aliud legas locupletius : colligit enim Dracontius quidquid ab aliis in lucis commendationem dictum est. Augustinus, lib. I de Genesi ad litter., cap. 17, lucem spiritualem, non corpoream, a Deo prima die conditam censuit : quam opinionem Rupertus abbas lib. I, in Genes., cap. 10, confirmat, quia *unus hic dies omnium dierum pauperrimus esset*, si solum lux corporea in eo condita fuisset. Non ergo attendit Rupertus ad veras lucis laudes eminentemque naturam. S. Ambrosius, lib. I Hexaem., cap. 9 : *Erat quidem Deus ipse in lumine*, etc., *sed eam* C *lucem fieri voluit quæ oculis corporalibus comprehenderetur. Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat explorat; et ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. Lux est quæ reliquos domus commendat ornatus.*

118. Non male esset *nocti limes et umbris;* sed Dracontius, lib. II, vers. 707, dixit etiam cum casu gignendi, *Criminis, et pœnæ limes*. Ambrosius, lib. I, cap. 9, Hexaem. : *Advertimus itaque quod lucis ortus, antequam sol, diem videatur aperire : principia enim diei noctis exitum claudunt finisque temporis, et status limes nocti et diei videatur esse præscriptus.* Sed advertendum quoque est ex Basilio homil. 2 Hexaem., quod *Prior ille mundi status, nimirum ante primigeniam lucem exortam non nox dicebatur, sed tenebræ : nox enim ea temporis portio dicta est quæ distincte se habet et opposite ad diem, quæ quidem diei succedanea novam hanc appellationem indepta est.* Dracontius igitur ait lucem esse limitem tenebrarum, quæ non erant D nox, et harum quæ deinde nox vocatæ sunt.

119. Mendosus est codex Vaticanus : sed etiam in vulgata lectione suspicor inesse mendum.

120. Rivinus ex conjectura legit *factisque color*, et laudat Drepanium Florum, *Atque dies varios distinguens luce colores.* Nihil muto : nam lux etiam est *factis calor*, ut est *gratia solis*, et *splendor flammæ*, et versu superiori jam dictum est *lux facies rebus cunctis*, quod amplius est quam *lux factis color.*

122. Rursus vers. 127, *mundi primordia.* Ambrosius hymno ad diem primum, *Primordiis lucis novæ Mundi parans originem.* Eodem vocabulo in eadem re utuntur Tertullianus, Mar. Victor et alii. Paulinus poem. 19, *Nosse moves causas rerum et primordia mundi?* Rivino hic versus nothus videtur, aut saltem superfluus, si cum versu 118, *Lux jubar æthereum*, et vers. 127, *mundi primordia lucent*, conferatur. Verum Dracontius aliique poetæ Christiani istiusmodi repetitionibus delectantur : quanquam discrimen aliquod inter *jubar æthereum* et *fulgorem cœli* reperitur, et diversa res est lucem esse primordia mundi, et reliqua omnia mundi primordia a luce splendorem

Lux opus auctoris primum, lux cardo pudoris, A
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux ævi meta, lux quæ dat tempora metis,
Qua bene constructa mundi primordia lucent.
Clarus ubique Deus, nunquam maculabilis auctor,
Quem non obscurant quacunque ex parte tenebræ,
137 Nec celantur ei quæcunque obscura geruntur.
Initium factis lucem dat lucis origo.
Quanta spes mundi præmissa est principe luce?
Quæ totum præcessit opus quod continet orbis,
Quæ solis prævenit iter, lumenque coruscum,
Cujus jussit ope clarescere cuncta creata.
Altera quippe dies cœli convexa meretur,
Et supra cœlos ingentia flumina dantur,
Ac dominatur aqua glomeratis fontibus alma,
138 Ignibus æthereis cœlesti sede locatis.
Unda beata nimis, meruit quæ tecta polorum,
Celsa favore Dei, jussu suspensa Tonantis.
Limitibus contenta suis elementa morantur,
Nec flammas restinguit aqua, glaciemve teporat

VARIÆ LECTIONES.

124. Vat., *primum lux cardo pudoris*. Sirmondianus codex et Vict., *candorque pudoris*. In Vict. primum, *Lux honor;* postea, *Lux opus*.

126. Vat., *Lux cui media est, lux quæ dat tempora mœstis*. Vict., *Lux ævi, mediis dat lux quoque tempora metis*.

127. Vat., *Et bene constituat mundi primordia lucem*.

128. Editi, *mutabilis*. Vat., *maculabilis*.

129, 130. Vat., *Quem non obscurant, quæcunque obscura geruntur*. E duobus versibus fit unus.

131. Sirm., *principium*. Vat., Vict., *initium*.

132. Sic Vat. in editis, *Qua mundo vita præmissa est principe luce*.

133. Vat., *totum prætexit opus*.

134. Vict., *iter lunamque coruscam*.

136. Vat., *de cœlo conversa meretur*.

137. Vict., *ac supra*.

138. Vat., *dominatum*. Vict., *dominantur aquæ glomeratis fontibus almæ*.

139. Vict., *ætheriis*. Vat., *cœlesti a sede*.

140. Vat., *quæ texta pilorum*, supra *polorum*. Vict., *Unde beata*.

141. Vict., *Celsa Dei, fabor*, etc.

142. Vat., *suis elementa ferantur*.

143. Vat., *Nec flammas restringit aqua glaciemque reponit*.

NOTÆ.

accipere. Weitzius legit *lux est primordia mundi:* quod fortasse mendum est, nam cæteri habent *lux et*.

124. Rivinus conjicit, *candorque prioris Lux ævi: mediis dat lux quoque tempora metis. Lux honor agricolis*.

127. Hoc fere est quod ait Paulinus poem. ult., *Cosmon ab ornatu, mundum de lumine dixit*, ex Plinio lib. II, cap. 4, *Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellavere, eum nos a perfecta absolutaque elegantia mundum*.

128. Præferenda omnino est scriptura codicis Vat. *maculabilis*, quam sensus exigit, licet ea vox desideretur in Lexicis Forcellini et aliorum.

129. Fortasse etiam a manu Dracontii est lectio codicis Vat., ubi ex duobus versibus fit unus; posset etiam legi *Quem non obscurant, quæcunque obscura geruntur, Nec celantur ei quacunque ex parte tenebræ*. Verum lectio vulgata recto stat pede. Sententiam hanc ipsam multi exponunt, Basilius hom. 2 Hexaem., Macarius hom. 16, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Isidorus Pelusiota, Minucius Felix, Justinus Martyr, alii. Vide comment. ad Prudentium hymno 2 Cath., vers. 105, *speculator astat desuper*.

130. Rivinus suspicatur *Nec celantur eum*. Nihil mutes: nam *celo* cum dativo personæ apud bonos auctores invenitur, Nepotem, Ovidium, Hirtium, Paulinum: quanquam apud Ovidium et Hirtium nonnulli accusativum reponunt.

131. Retineo *initium*, prima producta, quia tres breves concurrunt, quod a poetis probis in similibus verbis fieri solet. Dracontius iterum lib. II, vers. 516, *Nec fuit initium nasci*. Deus *lucis origo* dicitur ab eodem Dracontio lib. III, vers. 1. Vide ibi notanda.

132. Rivinus melius putat *Qua mundo vita promissa est*. Weitzius cum Parisiensi S. Victoris codice legit *Quæ mundo vita præmissa est*. Teneo scripturam codicis Vaticani. In *quanta* producitur ultima ob *sp* dictionis sequentis, cujus rei ignoratio fortasse mutationem invexit.

135. Prudentius hymn. Cathem. 5, vers. 151, *Lucem, qua tribuis nil pretiosius, Lucem qua reliqua præmia cernimus*.

136. Rivinus conjicit *convexa tuetur*, quod comprobari posset scriptura Vat. vers. 232, *Vidit quinta dies. Cœli convexa* hoc loco sunt totum cœlum; *meretur* idem est ac *consequitur, obtinet*, ut *meruit* vers. 140 et 150. Mar. Victor, lib. I Gen., vers. 50, *Excelsi convexa poli, terræque jacentes Pars prima est operis*. Quid autem proprie sint convexa cœli, explicat Isidorus lib. III Orig., cap. 39, quocum lexicographi sunt conferendi; nam diversæ sunt scriptorum inter se opiniones de ea voce. C

137. Rivinus legit *hac* pro *ac*, hoc est *hac die*. Notanda est vis verbi *dantur*, quod potest significare *existunt;* sed proprie hic accipi debet pro *locantur a Deo*. Aquas supra cœlos esse, Moyses diserte affirmat, ac multis aliis in locis sacræ Litteræ confirmant. Negant autem nonnulli veras esse aquas, idque aut de angelis, aut de cœlo crystallino interpretantur, aut aquas pluvias intelligunt. Aperte hujusmodi opiniones sacræ Scripturæ repugnant, et a SS. Patribus et interpretibus catholicis unanimi consensu refelluntur. Vide not. ad vers. 25.

138. Rivinus confidenter legit *Hac donantur aquæ glomeratis fontibus almæ*, scilicet *hac die*. Sed non persuadet, ac vix admittam *Hac dominantur aquæ*, vel *Hac dominatur aqua:* nam *dominatur* videtur innuere rationem jam allatam vers. 25, quod aqua flammas cœli temperat.

139. Sermo est de igne elementari. Rivinus recte Weitzium castigat, quod in indice hos ignes æthereos de stellis explicuerit: nam stellæ tertia die creatæ sunt, ut postea narratur. D

140. Fabricius cum prima Dracontii editione, *unde;* Weitzius restituit *unda*.

141. Weitzius cum M. Wolff. Seberó correxit *Celsa Dei fabri jussu suspensa tonantis*, ut *suspensa* referatur ad *unda*, et post *tonantis* punctum sit, non comma: quæ correctio Rivino non displicet. Barthius lib. XXIII Advers., cap. 19, non dubitat quin legendum sit *Dei fabre jussu*, id est artificiose. Sed unice verum est quod ex mss. codicibus constat, *Celsa favore Dei, jussu*, etc. Sæpe *favor* mutatur in *fabor*, et universim *v* in *b* in veteribus monumentis.

143. Rivinus vult parenthesi concludi hæc verba (*Nec flammas restinguit aqua, glaciemve teporat Flammeus ignis aquæ*); *servant*. Observat Rivinus inusitate

Flammeus ignis aquæ. Servant sub lege tenorem A
Incorrupta suum, non impugnata vicissim :
Nec discreta quidem, sed nec permixta morantur.
139 Tertia cæruleum ponti lux edidit æquor,
Fluctibus immensis pelagi freta glauca liquescunt,
Et mare navigerum quatitur spumantibus undis.
Ipsa dies terram meruit de fluctibus actam.
Eruitur tellus vasto demersa profundo,
Et solidante globo gravior per inane pependit,
140 Axe ferente solum, sunt pro radicibus undæ:
Quam molles portant, ceu fundamenta, liquores,
Arida materies rapitur de corde fluenti
Nondum mater humus, cujus pars solvit arenas,

VARIÆ LECTIONES.

144. Vict., *ignis: aquæ servant.* Vat., *aquæ servat.*

146. Vat., *nec discreta*, Editi, *non discreta.*

148. Vat., *glauca reponunt*; ad marg., *liquescunt.*

149. In Vat. hic versus. *Et mare* deest hoc loco, et inseritur post vers. 162, *Cingitur, et colles.*

150. Editi, *auctam.* Vat., *actam.*

151. Vat., *tellus.* Sirm., Vict., *terra.* Vict., *terra* B *injusto demersa.*

152. Vat., *Et solidante globo gravior per mane pependit.*

153. Ita Vat. In aliis editis, *Sustentant solidam fluidis radicibus undæ.*

154. Vat., *portant seu fundamenta.*

156. Editi, *arenam*, Vat., *arenas.*

NOTÆ.

poni *teporat* pro *calefacit*; quo tamen verbo usus sit Plinius lib. XXXVI, cap. 26, qui dixit *teporatus.* In *teporatus* verba Plinii protulit Forcellinus, sed verbum ipsum *teporo* penitus omisit. *Reponit* in Vat. non est contemnendum pro *aufert, deponit*, aut *efficit*, *ut aqua deponat glaciem.* Rursus in eodem cod. Vat. vers. 148, *reponunt.*

144. Male Weitzius cum veteribus editionibus interpungit *ignis : aquæ*, vel *ignis. Aquæ*; nam *aquæ* refertur ad *glaciem.* Virgilius eodem sensu vocabulo *tenor* usus est Georg. lib. II, vers. 336 : *Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem Crediderim.* Arnobius dixit *tenor rerum*, Petronius *tenor sensuum*, Guntherus *tenor veli, belli, legum.* Commodianus carm. 80, *Vertitur interea cœlum tenore mutato.* Alia dabunt lexicographi.

145. Rivinus legit *licet* pro *non.* Utraque lectio C rectum sensum habet : nam partim sese vicissim impugnant elementa, partim non impugnant.

146. Paulinus poem. ultim., *Nexuit hæc diversa licet, discretaque junxit, Junctaque discrevit, quæ nunc divisa cohærent.* Mar. Victor in præfat. ad Genes., *Contraria nempe, Quæ pulat humanæ solers ignavia mentis, Dum certant, plus pacis habent.* Sic Fabricius. Alii solum hæc : *Contraria quædam Si certent, plus pacis habent.* Adeo variant poetarum Christianorum editiones. De hac discordia et concordia elementorum iterum Dracontius Eleg. vers. 59, *Sic elementa potens contraria miscuit auctor, Humida cum siccis, ignea cum gelidis.* Vide Isidorum de Natura rerum, cap. 11, ut innumeros alios profanos et ecclesiasticos scriptores omittam.

147. *Æquor ponti* non est tautologia: nam proprie æquor non est pontus, sed æqualitas. *Cæruleum* vero a colore dicitur, unde *cærula* pro mari. Vide Wopkensium ad vers. 122 lib. I Sedulii, ubi observat ex fertilitate sæpe poetas jungere *mare, pelagus, æquor, marmor*, etc.

148. Posset ex codice Vat. conjici *freta glauca reponit*, nempe tertia dies Valerius Flaccus, lib. I, vers. 652, *Hæc ait, et pontum pater, et turbata reponit Littora, depellitque notos.* Sic *ponere freta* apud Horatium lib. I, od. 3. Sed probum est *liquescunt* : sic mare dicitur *campi liquentes.*

149. *Mare navigerum* Lucretii est lib. I, vers. 3. Ambrosius, 3 Hexaem., cap. 5 : *Etsi pulchra sit species hujus elementi, vel cum surgentibus albescit cumulis ac verticibus undarum, et cautes nivea rorant aspergine; vel cum æquore crispanti clementioribus auris, et blando serenæ tranquillitatis purpurascentem præfert colorem*, etc.

150. Rivinus legit *Ipse dies terram cernit de fluctibus actam*, ut vers. 136, *convexa tuetur.* Retine *meruit*, ut ibi *meretur. Actam* melius est quam *auctam* : nam mox tellus *demersa* dicitur et *eruta.* Aquæ enim operiebant terram, quibus in locum suum congregatis, illa apparuit. Ambrosius ad diem 3 : *Telluris ingens Conditor, Mundi solum qui detegens, Pulsis aquæ molestiis, Terram dedisti immobilem.*

151. Rivinus refingit *Eluitur terra infuso demersa profundo.* Scriptura nostra vera est.

152. Tertullianus de Judic., *Et solidam verbo potuit suspendere terram.* Rivinus *solidante globo* exponit *solidato globo*, ut *luna minuente, anno vertente*, et similia dicuntur. Nihil prohibet quin intelligas *globo solidante ipsam terram*, aut legas, si mavis, *Et solidato globo. Inane* pro spatio inani elegantia est veterum a Christianis adoptata. Mar. Victor, lib. I Genes., vers. 86: *Cum Deus, impulsis reliqui jam gurgitis undis, Aeriis magnum spatiis patefecit inane.* Vide Barthium lib. XXXV Advers., cap. 16, qui etiam Dracontium cum pluribus aliis laudat.

153. Amplector lectionem codicis Vat., quæ venusta est : quasi terra axe suo teneatur. Vel lege *Sustentata salo ; stant pro radicibus undæ.* Hilarius Genes. vers. 42, *Ac semet defixa, salo fundata, resedit.* Pisides in Hexaemero, quod notat Weitzius, *Fundamen undas tu rotundasti soli, Variabili at fulcro gravatum sustines.* Alii mare terra altius dicunt, quod cum philosophis et astrologis rejiciendum docet Pererius ad Genes. cap. 1, vers. 9.

154. Psalm. CXXXV, vers. 6, *Qui firmavit terram super aquas.*

155. Barthius, lib. XXI Advers., cap. 8, *materiem* exponit elementum terræ. Mar. Victor, lib. I Genes. vers. 88, *Arida tunc primum mundi pars ima retectam Ostendit faciem.* Isidorus, lib. XIV Orig., cap. 1: *Proprie autem terra ad distinctionem aquæ arida nuncupatur; sicut Scriptura ait, Quod vocaverit Deus terram* ARIDAM. *Naturalis enim proprietas siccitas est terræ.* D Mare dicitur *cor fluens*, vel etiam intelligitur *cor fluenti*, sive aquarum, ut *viscera terræ*, et sol ex physicorum sententia *cor cœli* apud Macrobium lib. I in Somn. Scip., cap. 20. Rivinus suspicatur *Arida matter iis*, scilicet liquoribus, quod vix sensum aliquem commodum habere potest.

156. Terra mater est communis, sed nondum mater erat cum rapta sive extracta est de corde fluenti. Plinius, lib. II, cap. 63: *Sequitur terra, cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis..... Quæ coacta generat? quæ sponte fundit? quos odores, saporesque? quos succos? qua bona fide creditum reddit? quæ nostri causa alit?* Vide quæ notat Balthasar Corderius ad cap. I Job. vers. 21, *Nudus egressus sum de utero matris meæ.* In codice Vaticano legitur *arenas*, ut alibi etiam dixit Dracontius. Negarunt aliqui in plurali numero *arenas* inveniri; sed exstant exempla in Virgilio, Ovidio, Horatio, Valerio Flacco, Suetonio et aliis.

In glebas pars membra ligat, pars saxea turget,
Et cautes stat montis apex, pars flumina mergit,
141 Planitie pars tensa jacet, pars littora curvat,
Pars datur in tumulos, pars aspera rupibus horret,
In scopulos pars certa riget, pars valle profunda
Cingitur, et colles tumidi juga celsa supinant,
Atque humiles campos spatiis æqualibus aptant.
Pars data dulcifluis undantis fontibus agri.
Promitur herba virens, it surculus omnis in auras,
Et semper vestita comis frondescit oliva.
Omnia poma virens profert, nec parturit arbor,
142 Linguæ laurus honos solvit donanda poetis.
Torta per obliquos it vitis in orbe corymbos,
Verberat et palmes ramos fluitante flagello;

VARIÆ LECTIONES.

157. Vat., *In glebam pars membra ligat, pars saxa tumescunt.* Vict., *pars saxea tangit.*

158. Ita Vat. in Sirm., *Cautibus exstat montis*, etc. In Vict., *Cautibus exstat montis apex, pars flumina jungit.*

159. Vat., *pars litoral curvat.*

160. Vat., *rupibus hæret.*

161, 162. Vat. ita. Sirm., Vict., *Pars riget inculta, residet pars valle profunda, Et colles tumidi cumulis juga celsa supinant.* Vict. distinguit *riget, inculta residet.* Post vers. 162, *Cingitur*, in Vat. ponitur vers. 149, *Et mare navigerum.*

163. Vat., *æqualibus aptat.*

164. Vat., *undantes fontibus.*

165. Sic Sirm. In Vict. *et* pro *it.* Vat., *Herba virens prodest ferculus omnis in auras.*

167. Vat., *nec parturit.* Editi, *non parturit.*

168. Vat., *linque laurus.*

169. Vict., *tetra per.* Vat., *obliquos sit vitis.*

170. Vat. ita. Sirm.; *Verberat et palmæ calamos fluitante flagello.* Sic Vict., sed *non ante* pro *fluitante.*

NOTÆ.

157. Confer Ovidium lib. I Met., vers. 43 seq. Rivinus advertit male antea legi *saxea tangit*, vel *tinget* pro *turget*, et suspicatur *saxea jungit*, et vers. seq. *pars flumina tangit.*

158. Ex Vat. recte scribes *Et cautes stat montis apex.* Rivinus malebat *Cautibus exstat apex montis*, quam *Cautibus exstat montis apex.* Prudentius quoque dixit *apicem montis* Cath. 7, vers. 136.

161. Rivinus restituebat *Pars riget inculta, residet.* Ita in Erratis. Lectio codicis S. Victoris cum interpunctione *Pars riget, inculta residet*, ut vallis inculta dicatur, minus est probabilis quam Sirmondi scriptura. Sed utraque melior est lectio codicis Vaticani. *Rigere in scopulos*, ut Tibullus dixit lib. IV, carm. 1, vers. 156, *Sed durata riget densam in glaciemque, nivemque*, scilicet aqua.

162. Post hunc versum in Vat. legitur versus 148, *Et mare navigerum.* Neque omnino alienus est hic locus, dummodo legatur postea *aptat*, non *aptant*; ac sensus erit quod mare montibus illiditur, et spatiis æqualibus camporum aptatur.

163. Postea v. 218, *Cursibus aptavit*, scilicet stellas.

164. *Undantis* significat copiam et multitudinem, quod multis exemplis probat Weitzius in Indice. *Dulcifluus* ad barbara rejectum est a Forcellino; sed immerito, cum agnoscat a Dracontio usurpari, et verbum *auroresco* solius Adelhelmi auctoritate inter Latina collocaverit.

165. Ex lectione codicis Vatic. conjici posset *et flosculus.* In *prodest* lego *prodit;* sed non displicet scriptura Sirmondi. Rursus vers. 169, *it vitis*, ut hic apud Sirmondum, *it surculus.*

166. Lib. II, vers. 221. *Et nunquam caritura comis frondescit oliva.* Plinius, lib. XVI, cap. 19, *Arborum aliis decidunt folia, aliæ sempiterna coma virent;* et cap. 20, *Harum generi non decidunt, oleæ, lauro, palmæ, myrto, cupresso*, etc. Glycas lib. I Annal., die 3: *Ex his quæ semper florent, quædam* (arbores) *abjiciunt folia, quædam ea perpetuo retinent. Abjiciunt verbi gratia olea et pinus : nam tacite quasi ac latenter folia pro aliis alia sic consequuntur, ut nunquam comis suis denudari videantur.*

167. Barthius explicabat *profert* : Hoc est, sine labore; *non parturit* ob eamdem rationem quia sine labore profert, et *parturit* laborem et nisum arguit. Rivinus castigandum censet *virens*, pro *semine parturit arbor*, ex Genes. I, vers. 11 et 12, et quia idem Dracontius vers. 574 ait, *Quod spicat messis, quod ramis parturit arbor.* Verum ille versus jam loquitur de fructu arborum, postquam Adam ejectus est de paradiso, et Dracontius tenere videtur facilius fructus in paradiso prodiisse quam extra post peccatum Adami. Mar. Victor, lib. II de Adamo et Eva e paradiso ejectis, vers. 8: *Mirabile quali Ore rudes stupeant tam barbara rura coloni, Quæ non frugifera; distinctaque arbore vernant.* Sic Fabricius. In editione Parisiens. 1560, *Miserabile, quali .... Quæ non frugifero distincta stipite vernant*, quod ex fide mss. est. Vel etiam Dracontius loquitur de primo die quo illico prodierunt fructus ex Gen. I, 4 seq.: *In die quo fecit Dominus cœlum et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret.* Quod si retinere velis *parturit*, leviori mutatione possis *profert, vel parturit arbor.* Moyses ait : *Lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram.* S. Augustinus lib. V, cap. 4, de Genes. ad litt., ita id explicat : *Causaliter ergo tunc dictum est produxisse terram herbam et lignum, id est producendi accepisse virtutem.* Dracontius cum plerisque Patribus et interpretibus asserit reipsa herbas, et arbores, maturosque fructus, tertia die fuisse producta. Pomum de omni genere fructuum qui ex arboribus proveniunt dicitur. Præstaret hos versus transjicere, et prius legere *Omnia poma*, et deinde *Et semper vestita*, aut etiam rejicere hunc versum post *Linguæ laurus honos.*

168. Conjectura probabilis est legendum *Linguæ laurus honos surgit donanda poetis*, quia clarior est sententia et similibus verbis in productione aliarum rerum enarranda utitur Dracontius. In scriptura libri veteris *solvit donanda*, intelligitur *donanda* esse in accusativo. Poetæ lauro coronabantur. Horatius lib. IV, od. 2, de Pindaro : *Laurea donandus Apollinari.* Quod autem Cicero dixit et approbavit lib. I Offic., cap. 22, *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ*, intelligebat de laurea quam triumphantes gestabant : quo respexit Plinius lib. VII, cap. 30, de eodem Cicerone loquens : *Salve primus in toga triumphum, linguæque lauream merite;* quod alii explicant *principatum eloquentiæ merite.*

169. Rivinus pro *tetra* correxit *læta*, sed agnovit melius esse *torta.*

170. Christianus Daumius pro *non ante* in veteri

143 Vinea pampineos subarundinat ebria campos, A
Munera lætitiæ spondens pendentibus uvis,
Fructibus et variis redolent florentia rura.
Una parens tellus non unum fundit odorem,
Sed quot sunt herbæ, tot permiscentur odores.
India tunc primum generans pigmenta per herbas
144 Eduxit sub sole novo, rudibusque racemis.
Est locus in terra diffundens quatuor amnes,
Floribus ambrosiis gemmato cespite pictus,
Plenus odoriferis nunquam marcentibus herbis,
Hortus in orbe Dei cunctis felicior hortis.

VARIÆ LECTIONES.

171. Vat., *pampineos sub arundine tenebra campos.*
172. Vat., *munera lecise spondens.* Ad marg., *numera* pro *munera.*
173. Codex Azagrensis, *fructibus ex variis.*
174. Vat., *unum fudit odorem.*
175. Vat., *Si quod sunt herbæ tot permiscentur honores.*
176. Vat., *India mundus erat geminans pigmenta per herbas.*
177. Vat., *producunt sub.*
178. Editi, *interea.* Vat., *in terra.*
179. Vat., *ambrosus geminato cespite.* Vict., *ambrosiis geminato cespite.*
181. Vat., *cunctis feliciter oris.*

NOTÆ.

B bus editionibus scripserat *motante*, Rivinus *nutante*, codices mss. habent *fluitante.* Sed nemo hactenus advertit errorem *et palmæ calamos;* nam sine ulla dubitatione legendum est *et palmes*, ut exstat in Vat. lib. II, vers. 220, iterum *Palmite gemmato*, etc. Isidorus lib. XVII Orig., cap. 5 : *Summitates vitium, et fruticum flagella nuncupantur, eo quod flatu agitentur. Palmes vitis materia mollis, qui per novella brachia emissus fructum affert..... Corymbi sunt annuli qui proxima quæque ligant et comprehendunt, ne longius laxati palmites ventorum flatibus dissipentur.* Melius etiam est *ramos* quam *calamos :* nam palmes ipse est ramus vitis, et intelligi potest de ramis arborum quibus vitis innectitur. Neque absurdum esset rescribere *auras* pro *ramos* aut *calamos.*

171. Inter barbara reposuit Forcellinus *subarundinare*, et explicat *arundine fulcire :* allegatque Dracontium. In codice Vat. depravatus est hic locus, neque aliorum scriptura plane mihi probatur. Augurabar *Vinea pampineas sub arundine porrigit umbras.* C Virgilius, eclog. 7, vers. 58, *Liber pampineas invidit collibus umbras.* Et II Georg., vers. 410, *Bis vitibus ingruit umbra*, ex pampinis scilicet. *Ebria vinea* elegans metaphora dicitur a Weitzio pro *plena :* sed poterit dici ebria ab effectu.

172. Vinum vocat lætitiæ munera, ut Bacchus a Virgilio dicitur lætitiæ dator. Juvencus, lib. I, vers. 133, *Cernis lætitiæ jam defecisse liquorem?* Obvia sunt quæ multa congerit Weitzius de lætitia ex vini haustu.

174. *Fundere* pro producere copiose et abundanter sæpe occurrit. *Odor* hic sumitur pro specie, seu re ipsa ex qua bonus odor emanat. Horatius, lib. II, epist. 1, in fine : *Deferar in vicum vendentem thus et odores.* Tertullianus de Jud., *Dulcores, potus varios, pingues et odores.* Mitto alios. Hic jam tellus *parens* dicitur, quæ vers. 156 *nondum mater* dicta est.

175. Mar. Victor., lib. I Gen., vers. 246, *Unum ex diverso nectar permiscet odore.*

D 176. *Pigmenta* quæ sint, ex versibus qui Isidoro tribuuntur tanquam ejus bibliothecæ inscripti, colligitur : nam in titulo Pigmentarii recenset auctor *Cinnamomum, myrrham, folium, casiamque nitentem, Balsama, thus, calamum, Coryciumque crocum.* Hi versus sub S. Isidori nomine editi jam pridem fuerunt a Muratorio, et maxima ex parte multo ante Muratorium a Joanne Tamayo de Salazar. in Martyr. Hisp., postea a Florezio auctiores in Hispania sacr. recusi sunt, et post Florezium in editione Matritensi operum S. Isidori anno 1778, tom. II, pag. 67, append. In prolegom. ad Prudentium num. 242, aliquantulum dubitavi an vere Isidorus auctor esset horum versuum. Nuper Eugenius de Levis, tom. I Anecdot., pag. 18, primos sex versus oro ineditis vulgavit tanquam a S. Damaso in epistolas Pauli conscriptos. Sed non pro solis epistolis Pauli, sed pro aliqua bibliotheca exarati illi sunt, ut legenti liquido patet, et ab ætate Damasi longissime distant, ut duo alia carmina, quæ eidem Damaso Levisius affingit. Leyserus in Hist. Poet. med. æv. ad sæculum V observat Dracontium paradisum in India quæsivisse, quod, inquit, iis opponi potest qui hanc sententiam nimis habent paradoxam. Verum hanc ipsam sententiam amplexus est Malvenda, qui de paradiso diligentissime scripsit; eique favent Hieronymus, Alcimus Avitus, Anastasius Nicænus, et Moses Bar-Cepha. Auctor Quæstionum ad Antiochum, quæ sub S. Athanasii nomine editæ sunt, quæst. 47 hanc rationem addit : *Quod hujus rei gratia omnia aromata suavissimi odoris circa orientaliora loca, seu Indiæ fines proveniunt, utpote quæ sint vicina paradiso.*

177. Rivinus suspicatur *sub sole novo* mendum esse, ac legendum *Eduxit fulgore novo;* nondum enim sol erat conditus. Sed ego opinor Dracontium *sub sole novo* dixisse per prolepsin, ut orientem explicaret. Sic Avitus, lib. I de Initio mundi, vers. 196 : *Est locus Eoo mundi servatus in axe Secretis, natura, tuis, ubi solis ab ortu Vicinos nascens aurora repercutit Indos.* Si correctio aliqua sit adhibenda, præferam *sub vere novo.* Vide vers. 197 et 230, *Ostentat sub vere novo.* Conjiciebam melius *sub flore novo.* Rudes racemi sunt fructus novi cujuslibet arboris, similes racemis uvarum; ac fortasse Dracontius racemos accipit pro granis et fructu cujuslibet herbæ ex qua unguenta et pigmenta proveniunt. Nonnullæ arbores aromaticæ fructum seu semen botruosum habent, ut amomum, de quo Plinius lib. XII, cap. 13; Dioscorides lib. I, cap. 14; et Isidorus lib. XVII Orig., cap. 8, ubi scribitur *botrosum semen.* Etsi autem Harduinus in Plinio legat *frutice myrtuoso*, non *botruoso*, sententia tamen eadem ex Plinio colligitur, qui ait : *Amomi uva in usu est, Indica vite labrusca.*

178. Conjectura est Rivini, legendum *in terra* pro *interea*, quæ nostro codice confirmatur.

179. Rivinus ait quosdam legisse *gemmato vertice pictus.* Mar. Victor, lib. I, Genes., vers. 235 : *Hic fragiles solvunt calamos animata vigore Muneris ambrosii spirantia cinnama odores.* Ita Fabricius; alii, *Quæque arida tegmine sicco, Jam fragiles solvunt calamos animata vigore, Muneris ambrosii spirantia cinnama fundunt.* *Pingere terram floribus* pro ornare, variare, distinguere invenies apud Lucretium, Virgilium et optimos quosque auctores. Vide Gifanium Ind. Lucr. *Cespes* dicitur *gemmatus*, quia flores ipsi sunt tanquam gemmæ. Lucretius, lib. II, vers. 319, *Invitant herbæ gemmantes rore recenti;* Manilius lib. V, vers. 256, *Ille colit nitidis gemmantem floribus hortum.*

180. Putat Rivinus respexisse Dracontium ad Gen. XXVII, 27, *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

181. Rivinus legit *Hortus ab ore Dei.* Conjiciat

145 Fructus inest anni, cum tempora nesciat anni. A
Illic floret humus semper sub vere perenni,
Arboreis hinc inde comis vestitur amœne,
Frondibus intextis ramorum murus opacus
Stringitur, atque omni pendent ex arbore fructus,
Et passim per prata jacent: non solis anheli
Flammatur radiis, quatitur nec flatibus ullis,
Nec conjuratis furit illic turbo procellis.
Non glacies districta domat, non grandinis ictus
Verberat, aut gelidis canescunt prata pruinis.
Sunt ibi sed placidi flatus, quos mollior aura
146 Edidit exsurgens nitidis de fontibus horti.
Arboribus movet illa comas, de flamine molli
Frondibus impulsis, immobilis umbra vagatur;
Fluctuat omne nemus, et nutant pendula poma.
Ver ibi perpetuum communes temperat auras,
Ne lædat flores, et ut omnia poma coquantur.
Non apibus labor est ceris formare cicutas:
147 Nectaris ætherei sudant ex arbore mella,
Et pendent foliis jam pocula blanda futura,
Pendet et optatæ vivax medicina salutis:
Cætera depingit variis natura figuris.

VARIÆ LECTIONES.

182. Vict., *f. in annos est, cum.*
184. Vat., *Arboreus hinc inde chorus vestitur amœne.* Editi, *Arboreis hinc inde comis vestitur amœnis.* B
185. Vict., *f. intortis r.* In Vat. desideratur hic versus *Frondibus.*
186. Vict., *arbore poma.*
187. Vict., *non fructus anhelis.* Sirm., *non solis anhelis.* Vat., *non solis anheli.*
188. Vat., *flatibus illic.*
190. Editi, *domat, non.* Vat., *nec.*
192. Azagr., Vict., *sed placidi fructus.* Sirm., *sed placiti fructus.* Vat., *sed placidi flatus.*
193. Vict., *addidit exsurgens.*
194. Sirm. distinguit *comas de flamine molli, Frondibus impulsis immobilis u. v.*
196. Sirm. ita. In Vat., *F. omnis honos, et mutat p. p.* In Vict., *F. hic onus omne, et nutant p. p.*
198. Vat., *n. l. frondes et.*
202. Vat., *pendet exoptatæ v.*
203. Vict., *v. pictura f.* Vat., *Litora dependent solers pictura figuras.*

NOTÆ.

aliquis *in orbe datus*, quia non consitus, vel *Hortus in ora Eden*, vel *Hortus Eden, orbis cunctis.* Lectio codicum comprobatur ex Isaiæ LI, 3, *Ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini*, id est paradisum.

184. Rivinus pro *amœnis* conjiciebat *amœne*, quod noster codex exhibet. *Vestiri comis* de arboribus metaphora usitata: sic vers. 166: *Et semper vestita comis frondescit oliva:* sic terra gramine vestiri dicitur, aves pennis. C

186. Rivinus melius putat *fructus* quam *poma*, quia illud latius patet. Dracontius v. 167, 196 et 198, *pomum* de quolibet fructu arboris dicere videtur; ac sane vix certa, et clara distinctio poterit inveniri.

189. Claudianus de III Consul. Honorii v. 98, *Et conjurati veniunt ad classica venti*, et de Bello Getic. v. 49, *Aut conjuratum querimur splendere serenum.*

190. Fabricius mendose edidit *grandinis ictu*, quod expressit etiam Weitzius. In prima editione jam legebatur *ictus*, quod restituit Sirmondus. *Districta* proprie est valde stricta: sed aliud latet; dicitur enim glacies districta, ut *ensis districtus*, vel potius *destrictus*, quia scilicet glacies etiam secat. Virgilius, eclog. 10, v. 49. *Ah! tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.*

191. *Grandinem verberare* pervulgata metaphora est. Vide notam Broukusii ad Tibull. l. I, el. 2, v. 7, *Te verberet imber.* Weitzius elegantissimam translationem vocat *canescunt prata pruinis.* Avitus l. I, v. 223, *Vel densante gelu canescunt arva pruinis.* Contra canities ab Horatio et Prudentio ita exprimitur, ut *nix capitis* dicatur. Rivinus animadvertit male alios legere *calescunt*, vel *calvescunt* pro *canescunt*. Quinam hi sint, non novi: nam in Weitzio *calescunt* mendum est, cum in Indice *canescunt* clare legat. D

192. Vera est scriptura *placidi flatus.* Nam de fructibus dictum jam supra est, et hoc loco de aura suavi et placidis flatibus sermo instituitur contra procellas, glaciem, grandinem, gelu. Etsi autem vers. 188 dixerit, hortum *non quati flatibus ullis*, tamen hoc intelligendum est de vehementibus flatibus, ut innuit verbum *quatitur*, et ex vers. seq. *Nec conjuratis* colligitur.

194. *De* sæpe superfluum est, ut multi jam monuerunt. In Pervigilio Veneris *De favoni spiritu.* Non placet interpunctio Sirmondi, neque antiquiorum editionum. Nam *de flamine molli Frondibus impulsis* est veluti ratio, cur immobilis umbra vagetur, ut nunc ad vers. seq. explicabo.

195. Umbra est immobilis, quia in nemore semper est umbra: vagatur vero, quia frondes arborum moventur. Fortasse scripsit Dracontius *impulsis, et mobilis umbra vagatur.*

196. Scriptura codicis S. Victoris *Fluctuat hic onus omne, et* facit, ut suspicer, primigeniam esse lectionem codicis Vat. *Fluctuat omnis honos, et.* Siquidem fructus honor est arboris.

197. Boetius carm. 2 lib. I, *Quis veris placidas temperet horas Ut terras roseis floribus ornet.* Fortasse innuit Dracontius, mundum vere primo conditum fuisse, quod clarius v. 230 asserit. Alii autumno mundum creatum docent, et multis rationibus confirmant.

198. Non displicet *frondes* in Vat. Sed *flores* scilicet arborum melius videtur. Rivinus corrigit *Ne lædant*, hoc est auræ, quod in Indice videtur agnovisse Weitzius. Scriptura codicum sustineri potest, nempe *Ver temperat, ne lædat*, quod perinde est, ac *Ut illæsos servet flores.* Poma seu fructus *coqui* dicuntur, dum maturescunt. Vide Plin. l. XV, c. 24, Senec. Trag., Varronem, Virgilium, Martialem.

199. Weitzius *cicutas* exponit cellas apium, seu cannas, ac quasi fistulas, quibus mel continetur. Haud equidem repugno. Sed videndum an ex Isidoro l. XVII Orig., cap. 7, num. 61, alia interpretatio erui possit: *Cicuta*, ait, *est, quod est inter cannarum nodos, dicta, quod lateat. In Indicis stagnis nasci arundines, calamique dicuntur, ex quorum radicibus expressum suavissimum succum bibunt, unde et Varro ait: Indica non magnum in arbore crescit arundo, Illius et lentis premitur radicibus humor, Dulcia cui nequeant succo concedere mella.* Primus horum trium versuum corruptus est in editionibus Isidori, quas vidi. Lege *Indica non magna nimis arbore crescit arundo.* In secundo etiam melius leges *Illius e lentis.*

202. Loquitur, ut puto, de ligno vitæ in medio paradisi ex Gen. II, 9, quanquam et de aliis foliis, ex quibus medicina paratur, explicari valet.

203. Rivinus in veteribus editionibus conjungebat et legebat ita hos versus: *Cætera depingit variis natura figuris, Auroræ cum quarta dies emerserat undis*, ut in vers. 202 absolvatur tertia dies, et a vers. 203 inci-

Auroram jam quarta dies præmiserat undis, A
Et rutilante polo compresserat astra rubore.
Mox solis radiare globum jubet igne salutis:
Flamma salutaris perfundit lumine mundum,
148 Cuncta salutifero rident elementa vapore,
Cujus ab igne suo lunam jubet ire secundam;
Nigra tenebrarum corrumpere tempora noctis,
Et trepidum proferre diem comitante quiete:
Candida somnigeris collustrat cornibus axes,
Quæ numero est crescente brevis, sed plena minore.
Flammeus ornatus cœli per sidera fulsit:
149 Officia et stellis, numeros, et nomina jussit,
Tempora distribuit, loca contulit, ignibus egit,
Limitibus fixit, jubar induit, axe rotavit,
Cursibus aptavit, cœli regionibus addit.
Agminis innumeri nec flammea sidera cœlum
Destituunt quæcunque die, sed luce premuntur

VARIÆ LECTIONES.

204. Vict., *Auroræ i. q. d. permanserat u.* In Vat. deest hic versus, sed locus vacuus relictus est.

205. Vat., *Et r. die c. ora r.*

207. Vict., *salutari perfundi.*

208. Vat., *c. salutifera.* B

211. Vict., *tepidam.* Sirm., *trepidam.* Vat., *trepidum.* Vict., *minante q.*

212. Vict., *c. somniferis.* Vat., *c. somnigerunt collustrans c.*

213. Ita Vat. In aliis, *Quæ numero est majore brevis, et plena minore.*

215. Sirm., *officia stellis.* Vict., Vat., *officia et stellis.*

218. Vat., *curribus aptavit.* Vict. distinguit *addit Agminis innumeri, nec.*

220. Sic Vat. in Sirm., *destituunt quæcunque die, sed.* Vict., *destituunt, quocunque dies et l.*

NOTÆ.

piat quarta. *Depingere* pro ornare, variare, ut supra v. 179 dictum.

204. Ex vers. sequent. colligitur, diversam fuisse lectionem in codicibus antiquis ab ea quæ nunc exstat: nam codex Vat. v. seq. habet *compresserat ora*, quod verius videtur, quam *compresserat astra.* Ex Vict. conjicere licet, legendum *Auroræ jam quarta dies processerat undis, Et rutilante die* (vel *polo*) *compresserat ora rubore.* Etenim de astris postea occurrit mentio. Dicitur autem *Auroræ quarta dies*, ut prima dies lucis. Poterit etiam legi *Auroræ jam quarta dies præmiserat ortum, Et rutilante polo compresserat ora rubore.* Sed dum clarius lumen non affulget, Sirmondi scripturam retineamus. C

205. Ambrosius hymn. ad diem 4, *Qui lucidum centrum poli Candore pingis igneo.*

206. *Globus* solis et lunæ passim a poetis et non semel a Dracontio dicitur Mar., Victor lib. I, Gen. v. 97, *In flammas, ignisque globum se cogere jussa est, Solis prima dies.* De igne salutari solis quo cuncta foventur vide v. 24 seq., et Eleg. v. 81 seqq.

207. Rivinus existimat hunc versum esse Eugenii Toletani, aut alius cujusvis, et, ut sit sensus, pro *perfundi* legit *perfundit* cum Sirmondo et Weitzio in Indice. At Weitzius in textu etiam ediderat *perfundit.* Fabricius quidem habet *perfundi* cum prima editione. Esse autem Eugenio antiquiorem hunc versum ex codicibus Vict. et Vatic. satis colligitur. Neque hujusmodi repetitiones, quod sæpe dicendum est, a Dracontii stylo sunt alienæ, scilicet ignis salutis, flamma salutaris, vapor salutifer. *Perfundere lumine mundum* pulchra metaphora, de qua Gifanius Ind. Lucr. verbo *fundo.* Vict. non male, *salutari.* D

208. *Salutifer* dicunt Ovidius, Statius, Martialis, *salutiger* Ausonius, Prudentius. Translatio quoque venusta est *rident elementa*, de qua idem Gifanius verbo *ridere.* Rivinus suspicatur *elementa tepore*, sed approbat *vapore* pro *calore.* Sæpe Dracontius, sæpe alii *vaporem* pro calore usurpant.

209. Rivinus conjicit *Cujus ab igne suam*: sed vix locum habet hic *suam.* Aut quærendum est aliud, aut retinendum *suo* per pleonasmum non inusitatum. Forte *pio* pro *suo*, ut v. 224, *Qui fovet igne pio cælum, mare, sidera, terras.*

210. Rivinus mallet *Nigra tenebrosæ corrumpere tempora noctis.*

211. Rivinus rejicit in Weitzio *minitante quiete*, et in Sirmondo *comitante quiete.* Legit autem et distinguit *Et tepidam proferre diem: invitante quiete Candida.* etc. Fabricius edidit (et cum Fabricio Weitzius) *Et tepidam proferre diem minitante quiete.* Sirm. et Vat. consentiunt, ac solum in *trepidum*, et *trepidam* variant. Sed quid est dies trepidus? dubius, opinor, et incertus, quia nec verus dies, cum luna ipsa solum sit solis imago. *Trepidum* hac significatione gaudere notum est, ut *in rebus trepidis*, et aliis similibus locutionibus quæ notæ sunt.

212. Veteres fere dicebant *somnifer* non *somniger*, ut Ovidius, Plinius, Lucanus. Etsi autem exemplum in antiquioribus non occurrat, tamen improbandum non est *somniger* in Dracontio, nisi malis sequi codicem Vict. Ex mendo codicis Vat. *somnigeris* colligitur.

213. Weitzius plures qui de luna agunt scriptores laudat, ut solet; sed non explicat quid hoc loco velit Dracontius, ut observat Rivinus, qui ait, *numero majore* et *minore* forte intelligi numerum majorem et minorem dierum. Nos cum Vat. legimus *crescente* pro *majore.* Plin. lib. XXXVII, cap. 9, sect. 63, *Selenitis.... imaginem lunæ continens, redditque eam in dies singulos, crescentis, minuentisque numeris.* Certe luna primo die est parva et incipiens, die decimo quinto est plena: sed iterum decrescit eodem ordine usque ad extremum diem. Sed id non satis, aut non bene explicatur Dracontii versu: nam luna est major die 15 quam die primo. Dicitur ergo luna brevis numero crescente, considerata diebus extremis, et comparata ad diem decimum quintum, aut circiter.

214. Prudentius Cath. hymn. 5, v. 145, *Credas, stelligeram desuper aream Ornatam geminis stare trionibus.*

215. Virgilius I Georg. 137, *Navita tum stellis numeros, et nomina fecit.* Rivinus pro *jussit* corrigit *cessit.* Melius est *jussit.* Statius lib. VII Thebaid., vers. 32, *Jus erit, aspiciam terras, pacemque jubebo Omnibus.* Tacitus IV Annal., cap. 72, *Tributum iis Drusus jusserat.*

217. Præfert Rivinus *jubare induit.* Sed usitatius est *induere* cum accusativo, et ut in *loca contulit* intelligitur *stellis*, ita in *jubar induit.*

218. Lib. III, vers. 5, *Nomina dans astris, et stellis cursibus aptans.* Rivinus conjicit *auxit* pro *addit.*

219. Lib. III, vers. 4, *Sideris innumeri numerum quem non latet omnis.* Fabricius interpunctionem editionis primæ Vict., secutus est, quam ante Sirmondum Seberus et Weitzius emendarunt.

220. Fabricius edidit *Destituunt, quacunque dies et luce premuntur.* Weitzius *Destituunt quæcunque die, sed luce premuntur.* Teneo lectionem Vat., ut *quæcunque* referatur ad *sidera*, nempe *quævis sidera.* Vide vers. 667.

Luminis immensi radiato vertice fusi.
Nec mirum, si clara latent sub sole corusco
Sidera, quo mundum monstrat mensura minorem,
150 Qui fovet igne pio cœlum, mare, sidera, terras,
Concepta virtute Dei, quem sphæra polorum
Sustinet, et sentit dominum per cuncta tonantem,
Cujus ab imperio veniunt, quæcunque ministrant,
A Omnia : jussus agit totum, sub lege laborat
Miles et ipse Dei, cum lunam, et sidera cuncta
Ostentat, sub vere novo, sub tempore primo,
Sub tirone die veterana in sæcla paratus.
Vidit quinta dies animalia cuncta profundi.
151 In corpus solidantur aquæ, nervique ligantur.
Musculus humor erat, fluctus durescit in ossa,
Atque oculi gemmantur aquis humore gelato :
Et quot sunt fluctus, tot forsan in æquore pisces
Luserunt fluido per cærula vasta natatu,

VARIÆ LECTIONES.

221. Vat., *vertice fusi*. Alii, *v. phœbi*.
222. Vat., *nec murum si*.
223. Vat., *s. quæ mundum*.
225. Vat., *concepta v*. Alii, *conceptum v*.
227. Vict., *quæcunque ministrant, Omnia : jussus agit totum, sub lege laborant*. Vat., Sirm., *ministrat Omnia j. a.*
229. Vat., *cum lunæ et sidera cuncto Ostentans s.*
B 232. Editi, *addit quinta*. Vat., *vidit q*. Vict., interpungit *cuncta, profundi In corpus*.
233. Vat., *solidantur que n.*
234. Vat., *masculus humor*.
235. Vict., *o. geminantur a.*
236. Vat., *f. tot forsitan æquore*. Vict., *f. quot forsan in æquore pisces Incedunt fluido*.
237. Vat., *notato;* ad marg., *natatu*.

NOTÆ.

221. Magis placet *fusi* quam *phœbi*. *Vertex radiatus* pro sole hic accipitur. Ennius apud Ciceronem III de Orat., cap. 40, *Oculis postremum lumen radiatum rape*. Solis verticem, sive caput radiis ornatum veteres fingebant, ut notum est. Clarius legam *fusa*, scilicet luce fusa vertice radiato luminis immensi. Lib. III, vers. 1, *Luminis æterni, lunæ lux, lucis origo*.

223. Videtur rationem assignare cur lateant sidera sub sole. Sed quænam est hæc ratio? Aut si ratio nulla hic exhibetur præter immensum lumen solis, quid sibi vult, *Quo mundum monstrat mensura minorem?* In Vat. est *quæ* pro *quo :* sed eadem remanet C difficultas. Legam igitur *Sidera; quem mundo monstrat*. Prudentius lib. I Symm., vers. 314, de sole : *Et quod nemo negat mundo, cœloque minorem. Area major enim, quam qui percurrit in illa*. Si ita legere velis, supra rescribes *Non mirum*, aut in *nec* intelliges *non*, ut apud Sedulium in præfat. ad Carm. paschale, *Quorum multiplices nec numerantur opes :* de qua significatione adverbii *nec* pro *non* vide ibi Wopkensium. Quod si retineatur lectio vulgata, in *mundum* intellige terram solam, non universitatem hanc rerum; nam *mundum* pro terra, et mortalibus dixerunt etiam ethnici scriptores, et Dracontius vers. 705 hujus libri. Si hæc videtur reddi ratio, non mirum esse si sub sole sidera lateant, cum sol major sit terra. Alia explicatio ex astronomia petita hæc est, eo magis latere sub sole corusco sidera quo sol nostro conspectui minor apparet : scilicet diameter solis quo magis ad zenith accedit, eo magis decrescere nobis videtur.

224. Confer versum 24 et seq. Incertum est an Dracontius teneat stellas etiam quæ fixæ dicuntur a sole lumen accipere, quod indicat hic versus an solum planetas intelligat. Res isthæc olim valde obscura erat, neque nunc quidem satis liquet, ac vix affirmare possumus, nullam ostendi rationem qua stellas fixas suam a sole lucem mutuari asseramus.

225. Fortasse melior est lectio Vat., *Concepta virtute Dei, quem*, vel legendum *Conceptus virtute Dei, quem*. Sirmondus non solum ipsum solem conceptum intelligit, sed eumdem agnoscit esse quem sphæra sustinet, non Deum. Sed quo pacto sol vocari potest *dominus per cuncta tonans?* Conjici licet *Conceptum virtute Dei quem sphæra polorum Sustinet, et sentit dominum per signa volantem*. Sed præstat retinere scripturam Vat.

227. *Cujus*, scilicet Dei. Hinc rectius *ministrant* quam *ministrat* cum Vat. et Sirm. Nec placet distinctio Sirmondi *ministrat. Omnia jussus agit, totum sub lege laborat. Miles et ipse Dei :* quanquam post *laborat* virgula non obest. Sententia Dracontii est ab imperio Dei venire omnia quæcunque ministrant sive inserviunt. Propertius lib. II, el. 18, *Aspice, uti cœlo modo sol, modo luna ministret*.

228. Mallem *agit cursum*, quæ phrasis est Plinii lib. V, cap. 24. Prudentius I contra Symm., vers. 334 de sole : *Præscriptis lege sub una Deditus officiis*.

229. Lib. II, vers. 25, *Militia famulante sua servire fidelis :* vide notam.

230. Dracontius innuit sententiam quorumdam veterum, qui stellas lumine a sole accepto fulgere asserebant, de qua Isidorus cap. 24 de Natur. rer. Vide etiam vers. 224. Poteris etiam explicare : *cum Deus lunam et sidera cuncta ostentat* : nam vers. 216 et 217 ignes, et jubar proprium stellis conceduntur.

231. *Tiro* adjective etiam dicitur, ut *tiro exercitus, tiro miles*. *Tironi* opponitur *veteranus*, quod militibus convenit, sed aliis quoque rebus veteribus tribuitur.

232. Interpunctio Vict. inepta est. *Vidit* an *addit* legas, perinde est. Vide vers. 136.

233. Forte *nervisque ligantur*. Lib. III, vers. 614, *Jam nervis membra ligantur*.

235. Scribendum potius *gemmantur* quam *geminantur*, quamvis hoc non sit prorsus contemnendum, cum oculi sint gemini. Versu 345 utrumque expressum est, *Orbe micant gemino gemmantia lumina visus*. Vide lib. III, vers. 618. Gemmant oculi, quia in modum gemmæ splendent : iidem gemmantur, cum fiunt instar gemmæ : et quamvis active plerumque D hoc verbum usurpetur, ex participio *gemmatus* patet posse etiam dici *gemmari*. Rivinus pro *gelato* conjicit *palatum :* cui minime subscribam. Nam oculi gemmantur aquis, dum humor gelatur, sive astringitur instar gelu. Mar. Victor. lib. III Genes., *Herba virens, flavas cum duravisset aristas, Solis ob ardores in frugem lacte gelato*. Quod in aliis editionibus vers. 66 aliter profertur; *Herba sibi, et calamis in frugem lacte gelato*.

236. Editiones veteres distinguunt *pisces Incedunt*, etc. Sirmondus *pisces. Luserunt*, etc., quod fortasse ab eo factum, ut *luserunt* referatur ad *animalia* vers. 232, et *factura* vers. 239, sint eadem animalia. Posset versus 239 statim post versum 232 poni, et sic hæc difficultas evanesceret. Verum etiam si nullum sit comma vel punctum post *pisces*, ut ipsi sint, qui *luserunt*, tamen *factura* referri debet ad *animalia*, vel ad pisces, qui sunt animalia profundi.

237. Concinnius est *Luserunt* quam *Incedunt*. Lib.

Et crispante freto perflabant naribus undas,
Terrigenis factura cibos post cuncta creandis.
152 Exsilit inde volans gens plumea læta per auras,
Aera concutiens pennis crepitante volatu :
Ac varias fundunt voces modulamine blando,
Et, puto, collaudant Dominum meruisse creari.
Hæ niveo candore nitent, has purpura vestit,
His croceus plumæ color est, has aureus ornat,
Albentes aliis pennæ solidantur ocellis,
Atque hyacinthus adest per colla et pectora fulgens.
A
153 Eminet his cristatus apex, has lingua decorat,
Et brevitas formæ pensatur voce canora.
Has virides pennæ reddunt, has discolor ornat
Pluma, per innumeras currens pictura volucres :
Et rudibus tenuem subtexunt aera pennis.
Ipsa dies folium ramis, et floribus herbas
Evomit, et spicis acuit seges omnis aristas.
Silva comis vestita viret, nidosque loquaces
154 Exhibet, et varias decantat garrula voces,

VARIÆ LECTIONES.

238. Vict., *f. perlabant n.*

239. Vict., *per cuncta.*

242. Hic versus sic exstat in Vat. et Vict. In Sirm. deest omnino.

B

245, 246. Vat., *Est croceos* (supra *croceus*) *hic pluma color, has aureus ornat Lalbanus : ast aliis plumæ solidantur ocellis.*

247. Vat., *pectora fulgor.*

249. Abest hic versus ab editis, exstat in Vat.

250. Vat., *E studiis his pluma color, h. d. o.*

251. Vat., *pluma per.* Alii, *multa per.*

252. Sirm., *et levibus t.* Sirm., Vict., *plumis.* Vat., *pennis.*

253. Vat., *sexta dies f.*

254. Vat., *et spicans a.*

NOTÆ.

II, v. 158, *Ludant super æquora pisces.* Terentius Adelph. III, 3, 23, *Congrum istum maximum in aqua sinito ludere.* Pro mari *cærula* dicunt Virgilius, Statius et alii.

238. Vers. 578, *Murmure quod venti flantes vaga marmora crispant.* Valer. Flaccus, l. I, v. 311, *Alma novo crispans pelagus Tithonia phœbo.* Hic *crispante* ponitur absolute, ut *luna minuente*, et potest subintelligi *se.* Persius sat. 3, v. 87, *Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.* Plinius Senior non semel. Rivinus mallet *proflabant naribus*, quod mihi etiam magis arridet.

C

239. *Terrigenæ* sunt homines e limo terræ facti. Lucretius primos homines *terrigenas* vocat l. V, v. 1425, *Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat Terrigenas.* Ita alii pariter usurpant. Vide not. ad v. 115 et 236.

240. Mar. Victor l. I, v. 126, *Hinc volucres quoque molle genus traxere vigorem :* qui descriptionem volucrum concludit, *Ergo materies avibusque et piscibus una est;* sed hic versus a Fabricio allatus abest ab aliis editionibus. Prætereo Basilium, Ambrosium et alios.

242. Cum hic versus exstet in Vict. et Vat., desit vero in Sirm. et, ut videtur, in Azagr., colligere licet eum ab Eugenio Toletano omissum fuisse.

243. Nota Græcismum *collaudant meruisse creari* pro *quod meruerint creari.* Ambrosius lib. V Hexaem., cap. 12 et seqq. avium creationem et genera late prosequitur. Rivinus *alaudas* a laude Domini ex quorumdam opinione dici refert. Melius alii vocabulum Gallicum esse aiunt.

245. Color croceus et aureus non multum inter se differunt, sed differunt tamen nonnihil.

D

246. Rivinus pro *solidantur* conjicit *stellantur*, et advertit Barthium legere *hyalis* pro *aliis.* Utramque conjecturam respuo. Vers. 233 etiam est *solidantur*, et cum præcedat *his* et *has*, non male est nunc *aliis*, quamvis libentius legerem *alis.* Explicandum solum superest, quid sint *ocelli*, quos nonnulli de diversis pennarum coloribus interpretantur. Sed, ut ego puto, ocelli hoc loco sunt radices pennarum, sive calami, quibus infixæ sunt pennæ. Sic in arboribus *Oculi nodi sunt, ex quibus frondes exeunt*, ut exponit Isidorus lib. XVII Orig., cap. 6, num. 15. Sic in radicibus arundinum est oculus, qui *bulbus* etiam dicitur, et a Plinio *ocellus* lib. XXI, cap. 4. Scriptura codicis Vaticani ansam conjecturis præbet, an legendum sit *has aureus ornat Galbanus, ast aliis pennæ solidantur ocellis :* nam *galbanum* et *galbanus* erat vestis delicatior coloris viridis, et glauci, aut flavi, et lutei, et nonnunquam aurei, ut apud Vopiscum in Aureliano cap. 34 tunica galbana imperatoris. Vide Salmasium ad hunc locum, et ad Lampridium in Alexandro Severo cap. 41, qui tamen contendit, *galbinum* legendum : notat etiam *galbeam*, *galbinam* et *galbulam* genus esse avis viridis. Si legas *has aureus ornat Galbanus*, opportunior erit conjectura Rivini, *ast aliis pennæ stellantur ocellis*, vel *variantur ocellis.*

248. *Decorat* media producta rarum est. Silius lib. XII, vers. 743, *Tarpeii clamant Jovis, ac delubra decorant*, ubi multi legunt *coronant*, fortasse quia *decorant* media brevi solet efferri. Exstat etiam inscriptio incertæ ætatis tom. I Inscript. Muratorii pag. 54, num. 4, ubi producitur : *Exuviisque ejus te ipsam, templumque decoro.* Auctoritas Dracontii certa est, eaque lectio Silii confirmatur non minus quam inscriptione Muratoriana. Et favet ratio : nam a *decus decoris* est *decoro decoras* penultima correpta, a *decor decoris* eadem producta. Martialis lib. XIV epigr. ult. gallos gallinaceos vocat *cristatas lucis aves*; Ovidius l. I Fast. vers. 455, *cristatum alitem*, Plinius lib. XI, c. 37, cristas in capite avium *apices.*

250. Tertullianus lib. I de Pallio sic de pavone ait cap. 3 : *Quanquam et pavo pluma vestis .... multicolor, et discolor, et versicolor*, etc. Adisis notas Cerdæ in hunc loc. Aves diversorum colorum dicuntur *discolores* a Plinio et aliis. Alia significatione *discolor* est diversi coloris, seu colore differens, ut apud Ovidium V Trist., el. 16, vers. 8, *Sumatur fatis discolor alba meis.*

252. Iterum vers. 264 repetit, ut solet, *rudibus pennis* pro novis, recentibus. *Subtexere* pro operire, et *subtexere aera* de avibus Statius, aliique dicunt.

253. Die tertia arbores et herbæ cum ramis, foliis et floribus productæ fuerant. Sed cum hic mentio fiat volucrum, repetitur ea narratio, perinde quasi die qua volucres creatæ sunt, majori copia folia et flores prodierint, quibus scilicet aves uterentur.

254. *Evomit*, ut *undare* et similia abundantiam significant. Scriptura codicis Vat. probabilis est, aut ex ea legendum *et spicas acuit seges omnis aristis.* Confer vers. 25 l. III, *Sic calamos nutrita seges stans armat aristis.* De verbo *spicare* alibi.

255. Frequens usus apud Dracontium hujusmodi metaphorarum, *Vestita comis, pennis*, etc. Lib. III, vers. 24, *Sic plumis vestitur avis, sic frondibus herbæ.* Vide vers. 166, lib. I, *Et semper vestita comis.* Virgilius lib. XII, vers. 475, *Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas* ; quod Dracontius imitatur.

256. Ut nidi *loquaces*, sic silva *garrula decantare* dicitur. *Decanto* significat recitare et repetere ab alio dictata. Sed hic sumi etiam potest pro *cano* sim-

Cum vagabunda volat commotis plausibus ales,
Frondibus insidens vento cum fronde movetur,
Unguibus ad ramos infixa tenacibus hærens.
Pennigerum vernare nemus vapor urget in usus
Pignoris, et molli durescunt ova tepore:
Pennantur membrata globis, animantur, anhelant,
155 Rumpuntur, confracta sonant, nutrita volatus
Tentant, et rudibus librantur in aerâ pennis.
Sed cum discordent inter se elementa coacta,
Fetibus eductis concordant unda, vel ignis.
Unda creat volucres, producit flamma volucres.
Pabula montis erant, sed non qui pasceret herbas,
Affuit: intactæ senuissent floribus herbæ,
Ni pascenda daret tellus jumenta per agros.
Sexta dies phœbi rutilo processerat ortu,
Cum natura parens gignit animantia terris.
Cornibus erumpunt armata fronte juvenci.
156 Et per prata vagum sequitur sua bucula taurum.

VARIÆ LECTIONES.

257. Vat., *Cum natabunda volat nec mox q'plausibus ales.* Vict., *Cum vacuanda v. c. p. a.*
259. Vat., *tenacibus erret.*
260. Vat., *P. venerare n. v. ungel i. u.*
261. Vat., *molli curescunt o.*
262. Sic Vat. in Sirm., *Pennantur tunc membra globis, animantur, anhelant.* Vict., *Pennantur tum membra, globis animataque anhelant.*
264. Vat., *aera plumis.*
266. Vict., *fæcibus eductis.*
268. Vat., *parvula mundus erat, sed.*
269. Vat., *Affuit intactus.*
270. Hic et duo seqq. versus desunt in Vat.
272. Vict., *n. parit, gignitque a.*
274. Vat. ita, sed scribit *buccula.* Sirm., *E. p. p. vagos s. s. b. tauros.* Azagr. ita, sed *vaccula* pro *bucula.* Vict., *E. p. p. vagus s. s. vincula taurus.*

NOTÆ.

pliciter, et quamvis levi mutatione scribi posset *et varia decantat garrula voce*, tamen elegantius est *et varias decantat garrula voces*, ut *vivo vitam infelicem*, et similia.

257. Rivinus cum veteribus editionibus tuetur *Cum vacuanda volat*, et affirmat Sirmondum pro *vacuanda* posuisse vitium manifestum *vagabunda*, cum in *vagabunda*, quod est a *vagari*, secunda sit longa. Explicat autem *vacuanda volat*, *per vacuum volat.* Obscurum id est, et Dracontius potius dixisset, *Cum per inane volat.* Neque vero facile proferentur exempla, quibus constet, secundam in *vagabunda* necessario esse corripiendam. Lectio Vat., *natabunda*, non est spernenda: etsi enim verbum novum sit *natabunda*, tamen ex analogia defendi potest, et eleganter de avibus diceretur, quæ habent hoc etiam ab aquis, ex quibus sunt ortæ, ut instar natantium piscium aera secent pennis. Quod si scripturam sollicitare velis, non inepte rescribes *Cum vagat, atque volat* a verbo *vago, vagas*, quo multi usi sunt. De plausu avium, dum volant, supervacaneum est dicere. Supra vers. 241, *Aera concutiens pennis crepitante volatu.*

258. *Insidens* media producta ab *insido*, quod magno est in usu præcipue apud poetas pro *insideo.* Ac forte legendum erit *Floribus insidit, vento cum fronde movetur.*

259. *Ad ramos infixa*, ut l. II, vers. 261, *ad colla pependit.*

260. Rivinus pessimum esse dicit *nemus* pro *genus.* Sed cum omnes codices habeant *nemus*, non facile id mutaverim in *genus*, primum quia proprie de nemore videtur esse sermo, quod vernat in usus pignoris avium, tum quia etiamsi velis intelligere aves in *nemus pennigerum*, poteris sane per metonymiam, qua continens ponitur pro contento. Simili fere modo vers. 256 silva *varias decantat garrula voces.*

261. Notandum est *molli durescunt*, qualia oxymora passim occurrunt apud Dracontium. Foventur autem ova, ut pulli formentur. Ovidius Fast. I, vers. 453, *Quæ facitis nidos, quæ plumis ova fovetis.* De hoc tepore sermo est, qui mollis dicitur, quia in molli ovo fit et molle ovum efficit.

262. Non dubium quin scriptura Vat. vera sit, reliquæ falsæ. Ipsa ova quæ durescunt pennantur membrata globis, animantur, anhelant, rumpuntur, confracta sonant. Columella l. VIII, c. 5, *Luna crescat diebus, quibus animantur ova, et in speciem volucrum conformantur.* De verbo *membrare* iterum fiet mentio ad vers. 336, *Membratur in artus.* Novum est verbum *penno, pennas*, sed *pennatus* in usu est. *Pennesco* Cassiodorii est l. I, ep. 38, *Donec paulatim a molli pluma recedentes adulta ætate pennescunt. Pennantur* est quod Columella ait, *in speciem volucrum conformantur*, seu pennis vestiuntur.

263. *Confracta sonant* pro *confringuntur cum sonitu.*

264. *Librari in aere*, et *in aera* passim dicuntur aves a poetis aliisque scriptoribus.

265. Elementa *coacta* sunt elementa connexa, et compulsa, ut duas significationes habeat verbum *coacta.*

266. *Vel* pro *et*, ut Virgilius *Pietate, vel armis*; Livium, aliosque veteres omitto, nam scriptores sequioris ævi hac loquendi ratione nimium abutuntur. Concordant vero unda et ignis in educendis fetibus volucrum, tum quia volucres ex aquis ortum ducunt, et earum fetus tepentibus ovis producuntur, tum quia ex aqua et igni maxime omnia constant, ut dictum est vers. 21 et 25, et ex humore ovi et calore volucres animantur. Weitzius cum prima editione legit *fæcibus eductis*, et in Indice exponit *fæces elementorum educere:* merito eum rejicit Rivinus.

269. Non errabit qui legat *intactis*, cum varient codices. Plinius l. XVIII, c. 25, *Senescunt prata.* Sic Ovidius et alii *senium* agri et herbarum dicunt.

270. *Jumenta*, species pro genere.

273. Arma ferarum sunt cornua, ungues, dentes. Mar. Victor l. I Gen., vers. 353, *Armavitque manu, cornu, pede, dente, veneno, Atque aliis.* Legam *alis*, quamvis diversæ editiones referant *aliis.*

274. Paulo post vers. 285, *Inter prata vagum.* Eleg. vers. 37, *Erravit per prata vagus.* Weitzius sequitur primam editionem *vagus sequitur sua vincula taurus*, et interpretatur de vinculis amatoriis. Rivinus ait quod legit Sirmondus *vagos sequitur sua bucula tauros*, inversum videri, non enim bucula tauros, sed taurus buculas sequitur. Non tamen illi displicet Sirmondi scriptura, quia vers. præcedenti Dracontius juvencos dixit. Aliquanto venustior videtur lectio Vat. Potest autem intelligi, quod bucula taurum tanquam ducem et patrem gregis sequatur, vel etiam amoris causa. Est enim vitula symbolum impudicitiæ: adeoque cum Oseas propheta cap. II Israel meretrici comparasset, vers. 5, *Quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi*, etc., iterum cap. X, Ephraim vitulæ confert vers. 11, *Ephraim vitula docta diligere trituram*, ut exponit Roa Sing. lib. III, cap. 13,

Cervus in arva fugax palmatis cornibus errat,
Et velox prorumpit equus, pecus utile bellis.
Impia terribiles producit terra leones.
Simplicitas ovium fraudes passura luporum,
157 Et raucos timuit discurrens dama molossos.
Spumat aper, mortes lunato dente minatus,
Et latus obliquans meditatur prælia torvus.
Nec massyla fames duros descendat in armos,
Aut aper alter eat spumantia bella movere.
Gignitur omne genus pecudum, genus omne ferarum
Inter prata vagum nullo custode per herbas.
158 Instar montis habens incedit bestia mole.
Promitur anguis hians, quatiens sub dente venenum,
Et maculosa repit squamis per viscera serpens

VARIÆ LECTIONES.

276. Vat., *E. v. prerumpit e. p. u. belli.*
278. Vict., *fraudem passura laborum.*
280. Vict., *mortem limato dente.* Vat., *minatus*; alii, *minatur.*
281. Vat., *p. turbus.*
282. Sic Vat., sed scribit *marsyla.* Sirm. Vict., *Ac maxilla ferox duros desævit in armos.* Ita Azagr., sed *destituit* pro *desævit.*
283. Ita Vat.; in aliis, *Audacter certans s. b. m.*
284. Vat., *Promitur o. g. p. g. esse f.*
285. Abest hic versus a. Vat.
286. Vat., *Instat mortis habet intendit bestia moles.* Vict. interpungit *Instar montis habens, incedit bestia, mole Promitur, anguis.*
287. Vat., *h. quatitur s.*
288. Vict. *ravit squamas.*

NOTÆ.

qui plura in eamdem rem profert. Verbum, quod adhibet Dracontius, huic explicationi favet; nam feminæ quæ amoris causa viros sectabantur *secutuleias* antiqui dicebant a verbo *sequi*, quod eadem in re frequenter adhibebant, ut Virgilius, Propertius, Valerius Flaccus, Sabinus, alii. Ovidius Heroid. ep. 16 Parid., vers. 323, *Si pudet, et metuis, ne me videare secuta*, etc. Dracontius præ oculis fortasse habuit Horatium, qui l. II, od. 5, cum Lalagen juvencæ comparasset, addidit: *Jam te sequetur..... jam proterva Fronte petet Lalage maritum.* Adde Catonem in Distis: *Vaccula*, etc.

275. Ovidius III Trist., el. 11, vers. 11, *Utque fugax avidis cervus deprensus ab ursis.* Weitzius *palmata cornua* explicat in indice *insignia, et erecta, quibus cervi ornantur, ut victores palma.* Vera interpretatio petitur ex Plinio l. XI, cap. 37, sect. 45, *Nec alibi major naturæ lascivia. Lusit animalium armis. Sparsit hæc in ramos, ut cervorum.... Aliorum* (cornua) *finxit in palmas, digitosque emisit ex iis: unde platycerotas vocant.* Capitolinus in Gordiano cap. 3 ad fin. *palmatos cervos* memorat. Dracontius rursus vers. 640 *cornua palmata* dixit. Cornua cervi palmata in effigie exhibet Aldrovandus lib. I de Quadrup. bisulc., cap. 28.

276. Ut vers. 273, *erumpunt* de juvencis, sic nunc *prorumpunt* de equis: eo utrobique significatur, creari animalia, quæ vi et impetu feruntur et irruunt. Equus propter usum belli Marti dicatus erat, *bellator* a Virgilio, Valerio Flacco, aliis dicitur.

277. *Impia* pro *immitis*, ut *pius* pro *miti.* Et dicitur impia terra, quia leones, quos producit, sunt impii.

278. *Simplex* et *simplicitas* pro *innocuus* et *innocentia* sæpe a Dracontio usurpantur. Weitzius cum prima editione vel potius cum Fabricio, *fraudem passura laborum*, in indice vero *passura luporum* recte edidit. Rivinus neque errorem correxit, neque veram scripturam *luporum* in Sirmondo advertit. Ut oves placidum, et simplex genus est, ita lupi ovili insidiari passim dicuntur.

279. Ovidius, *Sic damæ fugiunt, pugnant virtute leones.* Virgilius, ecl. 8, vers. 28, *Cum canibus timidi venient ad pocula damæ*; et Georg. III, v. 539, *Timidi damæ, cervique fugaces.* Sic *imbelles* et *pavidæ* dici solent damæ, nam et a Græca voce, quæ timorem significat, nomen habent. Adverte etiam epitheton *raucos* de molossis, qui latratores a Martiali dicuntur libr. XII, ep. 1, et verbum *discurrens*, huc illuc currens, quod trepidantibus egregie congruit. Constructio ipsa figurata est pro *discurrit timens.*

280. Rivinus cum editionibus antiquis præfert *mortem limato dente.* Sirm., Vat., *mortes lunato d.* Recte *limato* dicitur, quia apri acuunt dentes, ut Virgilius, Horatius, Seneca et alii loquuntur. Verum bene etiam est *lunato*, instar lunæ, cujus figuram dentes apri referunt. Auctor carminis de laudibus Herculis inter Claudiani opera: *Indomitus regnabat aper, soloque tremendus Corpore lunatis fundebat dentibus ornos.* Statius etiam de apro libr. XI, v. 532, *Igne tremunt oculi, lunataque dentibus uncis Ora sonant.* Paulo post Dracontius v. 283, *spumantia bella* de apro, de quo *spumare* apte dicitur, ut a Claudiano l. II de rapt. Pros. 242, *Securus ubique Spumet aper, sævique fremant impune leones.*

281. *Oblique ruere* etiam convenit apro. Ovidius Metam. lib. VIII, fab. 4, v. 344, *Et obliquo latrantes dissipat ictu.*

282. Scriptu a codicis Vat. vulgatæ lectioni longe præstat. *Massyla fames* pro feris Mauritaniæ, quas simulat fames. Statius l. II Achill., v. 188, de leone domito, iras colligente: *Ejurata fides, domitorque inimicus, in illum Prima fames, timidoque pudet servisse magistro.* Et Dracontius in eleg. v. 269, *Quando fames rabidi quamvis jejuna leonis.* Duri armi sunt ipsorum aprorum, nisi malis legere *duris descendat in armis.* Ovidius l. cit., v. 419, de apro: *Splendidaque adversos venabula condit in armos.* De voce *Massyla* vide libr. III, v. 189.

283. Sententia est, Apro meditanti prælia neque alii feræ, neque alius aper sese opponunt.

284. Fortasse melius est *promitur* cum Vat. quam *gignitur* cum aliis, quamvis v. 287 rursus occurrat *promitur.*

286. Weitzius edidit *bestia*, sed in indice posuit *bellua*, quod Rivinus videtur præferre. Ex Vat. suspicari possis *Instar montis habens intendit bestia molem.* Isidorus l. XII Orig., cap. 2, n. 9, *Elephantum Græci a magnitudine corporis vocatum putant, quod formam montis præferat. Græce enim mons λόφος dicitur.* Joannes Lud. de la Cerda, Advers. sacr. cap. 117, num. 21, hunc locum Isidori illustrat.

287. Versu 638, *Repat hians anguis.* Oppianus, Halieut. libr. I, sic de serpente: *In quo exitiale virus evomit, omnemque e dentibus Expuit funestam vehementem bilem, thesaurum interius.* Apuleius Apol., *Viperæ ritu niveo denticulo atrum venenum inspirare.* Lucanus l. IX, v. 628, *Morsu virus habent, et fatum dente minantur*, alii *fatum in dente minantur. Quatere venenum* pro ejicere cum violentia. Terentius Eun. II, 3, 66, *Homo quatietur certe cum dono foras.*

288. Libr. II, v. 257, *Quid serpens maculosa juvet, medicina fatetur.* In editione prima ex codice Vict. consultum est metro *rapit squamas*: nam prima in *repit* producitur. Barthius malebat *redit*, quod acutissimum ait Rivinus. Sed genuina lectio videtur *repit.* Isidorus l. XII Orig., c. 4, *Serpens autem nomen*

Atra venena nocens missura e flatibus oris, A
Et subito sparsura graves per sibila mortes,
Atque eadem membris impertitura medelas.
159 Sed ne cuncta simul passim per cuncta [fuissent,
Distribuit loca certa Deus, et tempora fixit.
Tempore non uno veniunt, quæ sæva vocantur.
Non semper movet arma leo, nec scorpius ictus
Semper habet, nec semper agit fera vipera [morsus,
Nec semper tollunt ad vulnera colla cerastæ,
Nec semper furit unda maris, nec semper adurit
160 Solis ubique calor, pro tempore tempe- [rat ignes
Pro regione plagæ, pro tempore temperat undas,
Et modo bellantes fluctus freta pigra jacebunt.
Ipse polus, qui grande tonat, sine nube se- [renus
Jam tacet, et puro redeunt sua lumina cœlo.
Multa locis data sunt variis dispersa per or- [bem.
Arida vipereos angues suscepit arena.

VARIÆ LECTIONES.

289. Vat., *missuraque flatibus*. Vict., *missura afflatibus*.
290. Vat., *e. subitas passura gravis p.*
291. Vat., *Atque eadem membris vitæ peritura medullis.* B
292. Vat., *s. pars impar cuncta f.* Azagr., *s. passim per prata f.* Vict., *s. passim ver cuncta f.*
294. Vat., *veniunt quo s.*
295. Vat. Vict., *ictus*. Sirm., *ictum*.
296. Vat., *vipera mortes*.
298. Sirm., *non semper adurit*. Sic Vict. in Vat.; et Azagr., *nec s. a.*
300. Editi, *Pro regione plagæ contemperat unda vaporem*. Vat., *Pro regione plagæ pro .... temperat undas*. Ex conjectura *pro tempore*.
303. Azagr., Vict., *et pura*.

NOTÆ.

accepit, *quia occultis accessibus serpit : non enim apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit .... Serpentes autem reptilia sunt, quia ventre et pectore reptant*. Posset legi *per gramina*; sed ventre et pectore reptare hoc ait Dracontius *per viscera*. Quod autem primam in *repit* corripiat, mirum videri non debet : siquidem ejus tempore quædam vocabula non eodem intervallo efferebantur, ac apud veteres quædam etiam communem quantitatem habebant. Accedit verbum *repo*, si ejus origo inspiciatur, primam brevem habere : est enim a verbo Græco ἕρπω per metathesim, in quo prima natura est brevis.

289. Libr. III, v. 303, *Aut si vipereis non esset noxia tellus Flatibus et nullas mandarent sibila mortes*. Confer etiam l. II, vers. 223 seq., et El. v. 65 seq. Forte legendum *missura flatibus* producto *a* in *missura* ob *fl* vocis sequentis.

291. Intellige *membrorum de parte sua*, ut ait libr. II, v. 255. Isidorus l. XII Orig., cap. 4, *Ex vipera pastilli fiunt, qui θηριακοὶ vocantur a Græcis*. De hac medicina e serpentibus extracta rursus l. II, v. 257 et loc. cit. Elegiæ. Cum Isidoro conferendus est Saresberiensis, qui l. VII, cap. 10, legit *qui θηριακὴ vocantur a Græcis*. Plinius l. XXIX, cap. 4, sect. 21, ita habet : *Fiunt ex vipera pastilli, qui* THERIACI *vocantur a Græcis, ternis digitis utrimque amputatis*, etc. Scilicet a capite, et a cauda ternis digitis amputatis. Alia remedia e serpentibus contra ipsa venena eo cap. refert Plinius.

292. Ita editio princeps ex codice Vict., cui favet Vat., nam *pars impar* corruptum est ex *passim per*. Fabricius mendum putavit *Sed ne cuncta simul*, cum sequatur *passim per cuncta*, et correxit *Sed ne mixta simul passim per cuncta fuissent*. Weitzius Fabricium transcripsit; Sirmondus retinuit *Sed ne cuncta simul*, sed ex suo codice, ut æquum est credere, mutavit sequentia verba in *passim permixta fuissent*. Azagrensis codex, *Sed ne cuncta simul passim per prata fuissent*. Primigenia lectio venustissima est, ac sensus est, Ne omnia simul essent in omnibus. Nam *fuissent* poni pro *essent*, tempus pro tempore, ex more sæculi v observavit Barthius ad Rigor'um. *Per cuncta* dixit Dracontius v. 226, et Tertullianus, ut adverti ad v. 9. Vide infra v. 318.

293. Consule notam ad v. 315.

294. Ea quæ sæva sunt, aut non omni tempore veniunt, aut non semper nocent. In hoc eodem argumento versatur Dracontius in Eleg. a vers. 55 ad vers. 92.

295. Virgilius l. XII, v. 6, *Tum demum movet arma leo*. Scorpius non semper certe ferit, sed ad feriendum semper paratus est. Plinius lib. XI, cap. 25, sect. 30, *Semper cauda in ictu est : nulloque momento meditari cessat, nequando desit occasioni*. Observandum tamen scorpios extra Africam non esse venenatos, quod multis experimentis a recentioribus dicitur comprobatum.

296. Alio sensu *habere ictum* est esse percussum. Sed *habere* etiam sumitur pro facere, afferre, ut *habere dialogum, sermonem, iter*. Cicero de Provinc. Consul., cap. 4, *Equitatus habuit interitum*, hoc est attulit, ut nonnulli interpretantur ; sed ita distinguendum videtur, *Deinde adventus in Syriam primus equitatus habuit interitum*, ut equitatus sit in gignendi casu. C

298. Vide Lucanum Paneg. ad Pison. *Ipsa vices natura subit*, etc., et Ovidium l. IV, eleg. 4 de Ponto, v. 1, *Nulla dies adeo est australibus humida nimbis*. etc., et Alcuinum carm. 178, *Nil manet æternum celso sub vertice cœli*, *Omnia vertuntur temporibus variis*, etc.

300. Ex Vat. ita lego : quia sententia videtur esse, solem temperare ignes, et undas pro diverso tempore, et pro diversis regionibus. Epist. v. 81, *Sol dat temperies species gratissima mundi*.

301. Rivinus scribendum ait *bellantis fluctus*, sive *bullantis*, hoc est, ebullientis. Plinius lib. IX, c. 7, *Bullantium aquarum sufflatio*. Verum de mari quod tranquillum redditur hic sermo est. Sic Horatius l. IV, od. 12, v. 1, *Jam veris comites, quæ mare temperant*. Ait ergo Dracontius fluctus qui modo inquieti erant et veluti bellantes, placidos reddi, et quodammodo jacere. Vide Prudentium præf. 1 contra Symm. v. 10, *Sed cum cærulei prælia gurgitis*. Weitzius ex Statio in Theb. producit, *Imbelli recubant ubi littora somno*, et *Jacent exhausti solibus amnes*. Prior locus magis ad Dracontium pertinet. D

302. *Grande* adverbii loco Statius l. XII, v. 685. *Sed bella ciet, bellumque minatur*, *Grande fremens*. Ovidius lib. II Trist., v. 35, *Nunc ubi detonuit, strepituque exterruit orbem*, *Purum discussis aera reddit aquis*.

305. *Vipereos angues*, viperas, species pro genere. Rivinus corrigendum censet *Africa vipereos*, et vers. seq. *Numida sortitur tellus*. Sed, ut omittam, primam in *Numida* corripi debere, ipsa Africa leonibus abundat. Solinus, cap. 40, de Africa Minori agens ait ; *Interna ejus plurimæ quidem bestiæ, sed principaliter leones tenent*. Præterea multo majorem venustatem habet *Arida arena suscepit angues, humida tellus leo-*

Humida sortitur tellus fera colla leonum,
India cum gemmis et eburnea monstra minatur.
161 Bellua divinos inter generatur odores,
Ambrosiasque rapit male frangens bestia messes,
Incertusque color tigris per mille colores
Montibus Hyrcanis venit, atque effeta marito
Mittitur, ut vincat currens orbata procellas.
162 Cornibus erectis sortita est Africa damas,
Concava suscipiunt per montes saxa dracones.
Cætera distribuit diversis semina terris,
Plurima conjunxit, sed cespite multa diremit.
Munera præterea funduntur divitis auri,
Protulit eximias et ditior India gemmas,
Producunt niveos et littora rubra lapillos;

VARIÆ LECTIONES.

307. Vat., *gemmis eburnea.*

309. Vat., *Ambrosiasque rapit male flagrans besaa messes.* Vict. et Sirm., ut editum est; sed Sirm., *sapit* pro *rapit;* Vict., *mensas* pro *messes.*

310. Vat., *inceptusque color.*

311. Azagr., *venit ac e.* Vat., *M. H. judeo* (vel *video*) *setata marito.* Vict., *M. archunis v.*

314. Vict., *per montem.*

315. Vat., *C. distribuit distribuit diversis.*

316. Vat., *s. c. mente d.*

317. Vat., *divitis agri.*

318. Vat., *eximias et ditior I.* Azagr., *eximias industrior I.* Sirm., Vict., *eximias illustrior I.*

NOTÆ

nes. Ac revera feræ præcipue educantur in silvis, in quibus certe humida est tellus. Solinus cap. 39, al. 26, de Numidia ait : *Qua parte silvestris est, feras educat, qua jugis ardua, equos alit.* Lucanus, libr. IX, postquam narravit exercitum Catonis arenas Africæ serpentibus plenas peragrasse, addidit v. 945 ; *Jamque illis magis atque magis durescere pulvis Cœpit, et in terram Libye spissata redire : Jamque procul nemorum raræ se attollere frondes. Surgere congesto non culta mapalia culmo. Quanta dedit miseris melioris gaudia terræ, Cum primum sævos contra videre leones !*

306. Nota *fera colla leonum* pro leones, ut vers. sup. *vipereos angues* pro viperas.

307. Vers. 286, *Instar montis habens* de elephanto. Tertullianus de jud. Domini, *Et genus æquoreum, et deformia monstra natantum.* Alcimus Avitus lib. I, v. 40, *Et quæ monstra solet rarus producere pontus,* de balænis et aliis belluis marinis. Virgilius l. I Georg., v. 56, *Nonne vides, croceos ut Tmolus odores, India mittit ebur ?*

308. Rivinus opinatur loqui Dracontium de animalibus venenatis quæ ex corruptis odoribus producuntur. Sed vix dubium est quin de elephanto loquatur, qui frequenter bellua vocari solet, ut bellua Getula, bellua Inda, quod notatum a Weitzio est in indice. Et sententia ipsa id exigit. Cum enim dixisset Dracontius, Indiam cum gemmis etiam elephantos producere, addidit illico elephantos inter divinos odores generari. Nam Indiæ odores Dracontius tribuit v. 176 seqq., ut gemmas v. sup. et v. 318. Dicuntur vero divini odores, quia ad Dei cultum destinantur.

309. Fortasse *sapit male fragrans bestia messes.* Ex Vat. conjecturæ locus est, an legendum sit *frangens balsama,* nam balsamum est arbor, ex qua succus, balsamum etiam dictus, prodit. Ambrosia est etiam quædam herba, sed hoc loco ambrosiæ messes sunt herbæ odoriferæ, suaves, jucundæ, ut ambrosii succi apud Columellam et Silium, et paulo post v. 325 hac eadem in re : *Et nimis ambrosium lacrymæ dant munus odoris.*

310. Figurata constructio pro *Tigris incerti ac varii coloris,* quæ proinde varia et maculosa dicitur. Suspicabar *Incertoque colore tigris.*

311. Fabricius errorem editionis primæ Vict. expressit *Montibus arcanis*, quem recte emendavit Weitzius *Montibus Hyrcanis.* Virgilius l. IV Æn., *Hyrcanæque admorunt ubera tigres.* Plura de tigribus Hyrcanis ex hoc loco Dracontii et aliis congessit Barthius ad Statium Theb. l. IV, v. 678. Suspicor esse mendum in *effeta marito,* nam effeta tigris est, quæ fetum edidit; sed quid sibi vult verbum, quod additur *marito?* An *mittitur a marito ?* Non puto. At codex Vat. clare habet *marito,* in præcedentibus verbis corruptus est. Fortasse pro *effeta* aliud scribere oportet, ut *venit, ac sectante marito,* etc.

312. Tigris describitur orbata catulis, adeoque effeta, seu feta, nam *feta* pro *effeta* ponitur aliquando. Lucanus l. V, v. 405, *Ocior et cœli flammis, et tigride feta Transcurrit.* Ovidius XIII Met., v. 677, *Feta truculentior ursa.* Sed velocitas tigridis propria est quæ a sagitta lingua Persarum nomen habere dicitur. Solinus cap. 27, *Ac maxime earum potentia probatur, cum maternis curis incitantur, cum catulorum insistunt raptoribus : succedant sibi equites licet, et astu quantolibet amoliri prædam velint, nisi in præsidio maria fuerint, frustra est ausum omne.* Tentabam totum hunc locum ita restituere *Incertoque colore tigris per mille colores Montibus Hyrcanis vario sectata marito Mittitur.* Passiva significatione *sectata,* qua usus est Varro libr. II de Re rust., c. 9, *Qui vellet, se a cane sectari;* vel si mavis *valido sectante marito.* Recte *vincat procellas.* Horatius l. II, od. 16, *Ocior cervis, et agente nimbos Ocior euro.*

314. Rivinus in verbis *per montes,* ut legitur in Vat., seu *per montem,* ut habent veteres editiones, aliquid latere putat, fortasse *suscipiunt Garamantum saxa.* Sed Dracontius loquitur potius de monte Æthiopiæ, in quo dracones gignuntur. Solinus cap. 43 de Æthiopia : *A meridiana parte mons editus mari imminet, ingenuo igne per æternum fervidus, et inquiete jugis flagrantibus, inter quæ incendia jugis æstus draconum magna copia est.* Postea loquitur de foveis draconum. Confer Isidorum, qui etiam speluncas draconum memorat l. XII Orig., c. 4, et addit : *Gignitur autem in Æthiopia et India in ipso incendio jugis æstus* : ubi fortasse legendum erit *in Æthiopia, et inter ipsa incendia jugis æstus ;* exscribit enim Solinum. Verum etiam l. XIV, c. 3, de India loquens ait : *Ibi sunt et montes aurei, quos adire propter dracones, et gryphas, et immensorum hominum monstra impossibile est:* quod fabulam sapit, vel certe fabulosum est.

315. Distribuit *Deus* ex v. 293. Virgilius l. I Georg. cum explicuisset, *Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset*, subjunxit v. 60, *Continuo has leges æternaque fœdera certis Imposuit natura locis.*

316. Rivinus ex Avieno et Barthio *cespite multa diremit* explicat *interposita spatiosa terra.* Avienus *cespes* pro regione usurpat in Perieg. v. 227, *Cespite Paphiaco prodit saxosa Charambis ;* et v. 388, *Istius extenti sola cespitis undique sulcant Innumeræ gentes.* Alii legunt *sala cespitis.* Nihilominus mallem *Plurima conjunxit, sed semina multa diremit*, aut *et semina;* amat enim Dracontius similes repetitiones, quæ elegantia non carent.

317. Fortasse melius videatur *divitis agri* quam *auri,* ut comprehendantur omnes divitiæ, quæ postea referuntur. Sed cum nulla mentio alibi occurrat auri, retineo *divitis auri.* Broukusius ad l. I Tibulli eleg. 10, v. 31, *Nul o te divitis auri Pondere* pulchrum epitheton ait esse *divitis auri*, alibi etiam a Tibullo usitatum, et hoc loco a Dracontio.

318. Versu 307, *India cum gemmis.* Vide Isidorum l. XIV Or., c. 3.

319. De gemmis maris Rubri Plinius, Solinus innu-

163 Flammantes, viridesque tulit Babylonia crustas,
Persida nobilitant pretiosis littora gemmis,
Frigidus et roseo carbunculus ardet honore;
Seres fila trahunt nullo sub pollice ducta,
Balsama Cæsareos plorant virgulta per agros,
164 Et nimis ambrosium lacrymæ dant munus odoris.
Cinnamon interior profert sub Phœnice tellus,
Solis amica nimis: nam non de sole perusta

VARIÆ LECTIONES.

321. Editi, *Persida*. Vat., *Persica*. Sirm., Vict., Vat., *nobilitat*.

323. Vat., *Serus fila trahit n. s. polluce d.*

324, 325. Sic Azagr., Vat., Sirm.; sed Sirm., *munus odores*. Vict., *Et nimis ambrosia plorant virgulta per agros Balsama, Cæsareos lacrymæ dant munus odores*.

326. Sic Azagr.; in Vat. *i. præfert sub finice tellus*. Sirm., Vict., *profert Phœnicia tellus*.

327. Hic versus et sequens, *Hæc nardi*, desunt in Vat., pro *non* Vict. *nunc*.

NOTÆ.

merique alii scribunt. *Nivei* lapilli sunt margaritæ, *virides* smaragdi. Seneca in Hippol. v. 388, act. II, sc. 1, *Nec niveus lapis Deducat aures, Indici donum maris*.

320. Babylonia pro parte Mesopotamiæ, cujus caput fuit Babylon, et pro ipsa urbe Babylone accipi solet. Barthius *flammantes viridesque crustas* intelligit laminas marmoreas quæ ædificiis aliisque magnis molibus inducebantur. Sed de gemmis adhuc sermo est; suspicari quis posset legendum *baccas*, aut *conchas* pro *crustas*, nisi etiam de gemmis *crusta* diceretur, ut apud Sidonium a Barthio ipso allegatum ex epist. 7, libr. IX, *Crystallinas, aut onychinas crustas*, quod Barthius Advers. libr. IX, cap. 7, exponit de crustis, quæ fiebant ex lapidibus pretiosis. Adde Plinium l. XXXVII, c. 4, *Adamas in tam parvas frangitur crustas, ut cerni vix possint*. De Chaldæis, quorum regia erat Babylon, Solinus cap. 50, *Quæcunque Euphratem bibunt gentes, diverso nitent lapide.... Sagda a Chaldæis ad nos usque profluxit.... jucundissime virens*. Plinius libr. XXXVII, c. 10, sect. 67, *Sagdam Chaldæi adhærescentem navibus inveniunt prasini coloris*.

321. Fabricius correxit *nobilitant* pro *nobilitat* in Vict. Sirmondus edidit *nobilitat;* sed vix commodus sensus erui potest. Legerem, si per mss. liceret, *Persica nobilitant pretiosæ littora gemmæ*, quo Vat. ducit. Sed retinendum est *Persida*. Claudianus de III Consul. Hon., v. 204, *Gemmatosque humilem dispergere Persida cultus*, etc.

322. Mar. Victor l. I Genes., v. 282, *Hic ubi fulmineo rutilans carbunculus igne*; alii, *Fulmineo rutilans carbunculus igne coruscat*. Tertullianus de Judic. Dom., *Inde nitet prasinus, illinc carbunculus ardet*. Cyprianus in Genes., *Prasinus huic nomen, illi est carbunculus ardens*. Drepanius carm. ult., *Sic rutilus rutilum vomit et carbunculus ignem*, ubi alii legunt *vomitat carbunculus*. Cur igitur frigidus a Dracontio dicitur? quia etsi ardere videatur, non urit tamen, et frigidus manet. Quid si pro frigidus legas *Et Phrygius roseo*, seu *rutilo?* aut *Et Libycus rutilo?* Isidorus l. XVI, c. 14, *Omnium ardentium gemmarum principatum Carbunculus habet....Gignitur in Libya*.

323. Rivinus pro *nullo sub pollice* conjicit *molli de stipite*, ut apud Claudianum consul. Prob. et Olybr. v. 179, *Stamine, quod molli tondent de stipite Seres*. Verum acutius multo est *nullo sub pollice ducta*, ut indicetur, fila trahi non eo modo quo apud nos, sed nullo sub pollice ducta. Loquitur nimirum Dracontius de suo tempore quo opificium sericum peculiare Seribus aut paucis commune erat. Filum autem proprie id dicebatur quod ex lino, aut lana, aut simili materia sub pollice trahebatur. De Seribus Plinius, Solinus, Isidorus, alii.

324. Barthius l. XXXIV, cap. 10, cum Vict. legit hunc et seq. versum, sed in seq. pro *Cæsareos* legit *cæsa sacros*, quia arbor balsami testa inciditur ad nobilissimum illum liquorem provocandum. *Quid enim*, ait, *Cæsareos odores potius quam regios aut alios dixit?* Sed oblitus erat suæ ipsius correctionis l. IX, cap. 7, scilicet *Idumæ Ambrosia plorant virgulta per agros Balsama Cæsareos. Lacrymæ dant munus odores*. Iduma est Judæa princeps balsamiferarum regionum, et vel sola. Cæsarei agri sunt prope Cæsaream civitatem Palæstinæ, cujus civitatis mentio non uno loco apud Josephum, Stephanum, Plinium, alios. *Idumæ Cæsareos* ad differentiam plurium ejusdem nominis urbium. Hæc fere Barthius, qui addit, solere Dracontium confertim, ut maxime potest, multa paucis verbis dicere. Ex his interpretatio vocis *Cæsareos per agros* eruitur.

325. Posses ex Barthii conjectura scribere *per agros Idumæ. Ambrosium*, etc., aut *per agros: Idume ambrosium*, etc. Possis etiam alia conjectura *Eminus ambrosium*, aut *Nec minus ambrosium*. Pro humore qui e plantis remittitur *lacrymæ* ponuntur ut plantæ ipsæ humore manantes *plorare* et *lacrymari* dicuntur: atque ita loqui solent non tantum poetæ, verum etiam Plinius, Columella in oratione soluta, et alii plurimi.

326. Rivinus, lectionem vulgatam secutus, ait, *Phœnicia tellus* dici, ut *nix Gallia*. Vat. non obscure consentit cum Azagr. *sub Phœnice*, quam scripturam, ut videtur, non nemo invertit, ut metri rationem haberet: nam media in *Phœnice* produci debet. Sed syllabarum quantitatem etiam in incrementis nominum propriorum parum curarunt poetæ Christiani: et rursus v. 653 occurrit *Phœnicis* correpta secunda, *Phœnicis exactam*, vel *exhaustam*, ut etiam Sirmondus legit, quamvis alii ediderint *Phœnici exactam*. Nomen proprium regionis est *Phœnice, Phœnices*, et in ablativo *Phœnice*. Eadem *Phœnicia*, sed rarius dicitur. *Phœnicius* est adjectivum *ad Phœnicen pertinens:* neque erat causa, cur Rivinus excogitaret, *Phœnicia tellus* dici, ut *Gallia nix*, nam Phœnicia adjectivum esse potest cohærens cum *tellus*. Avem Phœnicem ex surculis cinnami rogum sibi struere narrant Solinus, Ovidius, Statius, Claudianus. Cinnamum veterum esse hoc ipsum cinnamomum, quod nunc *cannella*, seu *canela* dicimus, colligitur ex descriptione cinnamomi, quam affert Isidorus l. XVII, cap. 8, *Interior sub Phœnice tellus* innuit partem Phœnices quæ Arabiæ proxima est, aut etiam Arabiam ipsam, ut solent poetæ regiones conterminas alias pro aliis nominare. De Arabia Solinus cap. 33, al. 46, *Cinnamolgos perinde Arabiæ avis in excellentissimis lucis texit nidos e fructicibus cinnamorum, ad quos quoniam non est pervenire propter ramorum altitudinem et fragilitatem, accolæ illas congeries plumbatis petunt jaculis, dejectasque pretiis vendunt amplioribus quod hoc cinnamum magis quam alia mercatores probent*. In nonnullis ex insulis Philippinis, ut Mindanao, Xolo et aliis, quæ cinnami sunt feracissimæ, nidi a quadam ave texuntur, qui in Europam advecti principum raræ et pretiosæ sunt epulæ. Nondum liquet ex quibus fructicibus texantur, sed non videntur multum dissimiles iis quos Solinus describit.

327. Sententia est, partem interiorem Phœnices solis ardori magis obnoxiam cinnamum proferre, alias partes magis ab æstu solis remotas nardum et amomum. Hæc autem ita intelligo, si vera sit scriptura;

165 Hæc nardi flores, hæc portio fundit amomum.
Omnibus his genitis, animal rationis amicum
Formatur virtute Dei, limatur in artus,
Ut dominanter eat moderatior omnibus unus,
Naturæ jussu quæ protulit omnia princeps.
Ast hominem non terra parit, non pontus ab undis,
Non cœlum, non astra creant, non purior aer :
Sed dominaturum cunctis dominator, et auctor
Plasmavit per membra virum de pulvere factum.

166 Limus adhuc deformis erat, membratur in artus
Corporeos species hominis, cœlestis imago.
Conspicitur nova forma viri, sine mente parumper.
Spiritus infusus subito per membra cucurrit,
Et calefacta rubens tenuit præcordia sanguis.
Mox rubuere genæ, totos rubor inficit artus,
Jam cutis est, qui pulvis erat, jam terra medullas
Ossibus includit, surgunt in messe capilli,

VARIÆ LECTIONES.

330. Vat., *Forma Dei virtute Dei lunatur in arctus.*

331. Vict., *Ut dominator eat moderanter omnibus istis.* Sirm., Vat., Azagr., *Ut dominanter eat moderatior omnibus unus;* sed in Sirm. *dominator*, in Azagr. *dominanter*, in Vat. *dominantur.*

332. Sirm., *Naturæ jussu quæ.* Azagr., *Natura jussit quæ.* Vat., *Natus ac jussit quæ.*

333. Vat., *t. prodit n.*

334. Vat., *purior ver.*

335. Editi, *Sed dominatorum dominator summus, et auctor.* Vat. ut hic editur.

336. Vat., *plasmatur per;* cæteri, *limavit per;* ex mendo Vat. per conjecturam, *plasmavit.*

338. Sic Vat. et Vict.; in Sirm., *corporea species.*

339. Vat., *Conspicit unda sine forma viri mente parumper.*

340. Abest hic versus a Vat.

343. Vict., *medullam.*

344. Vict., *s. immensa c.* Vat., *s. immerse c.* Sirm., *s. in messe c.*

NOTÆ.

nam in Vat. hi duo versus desunt, neque certe valde sunt necessarii : alii codices variant : adeoque libentius legam *Solis amica nimis, necnon de sole perusta Hæc nardi flores*, etc., ut intelligatur, vel ipsam Phœnicen, vel quamvis aliam regionem de sole perustam nardum et amomum producere. Rivinus in erratis legit *Solis amica nimis, nondum de sole perusta.*

328. De amomo Plinius l. xII, c. 13. Virgilius, ecl. 4, *Assyrium* vocat amomum, quia in Assyria vel solum vel imprimis nascitur.

329. Ovidius Met. lib. I, vers. 76, *Sanctius his animal, mentisque capacius altæ Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset.*

330. *Limatur* denotat hominem perfecte conditum, veluti lima politum.

331. Eligo *dominanter*, quia similibus adverbiis delectatur Dracontius. Vide proleg. n. 135. *Moderatior* hoc loco est perfectior, meliori modo conditus.

332. Rivinus distinguit et legit *moderatior omnibus istis Naturæ, jussu quæ protulit omnia princeps*, hoc est Deus. Barthius l. xxxIII, cap. 21, legit cum Vict., sed explicat *princeps* pro *primus* nullo sensu. Varietas codicum innuit mendum subesse. Vide num legendum sit *Natura jussu nam protulit omnia princeps. Ast hominem*, etc. In scriptura Sirmondi potest intelligi, *Naturæ princeps jussu protulit*, etc. Lib. II, v. 31, *Spes hominum, rerum princeps.*

333. Lib. II, v. 250 et seqq., eamdem sententiam pluribus persequitur. Prudentius Apotheos. v. 1032, *Omnia jussu Imperitante novas traxerunt edita formas. Solus homo emeruit Domini formidabile dextra Os capere.*

336. R. tineri posset *Limavit*, ut supra v. 330, *Limatur in artus*, Rivinus observat *limavit* posse deduci a *limo*, sed melius a *lima*. Hanc originem a *lima* magis probo. Verbum *plasmare* in creatione hominis referenda frequenter adhibent SS. Patres. Dracontius l. II, v. 87, ubi formationem corporis Christi refert, *Et caro plasmatur.* Confer etiam lib. III, v. 620 et seqq., et Dracontium sui similem ubique invenies.

337. Censorinus de Die Natali cap. 11, num. 7, *Quinque et triginta diebus infans membratur.* Supra v. 262, *Pennantum membrata globis*, et lib. II, v. 78, *Qui nasci dignatus homo membratur in alvum*, vel, ut legam potius, *in artus*. Jac. Mosantus Briosius inter vocabula Censorino soli usurpata recensebat *membrari.*

338. Lib. II, v. 98, *Ergo ubi corporeos artus dominator, et auctor Induit :* et v. 236 de homine, *Ingratus, quia factus erat cœlestis imago*, et l. III, v. 532, *Factoris imago.*

339. Rivinus ait hoc esse vitium expressum : cum enim jam homo *cœlestis imago* esset, mente carere non poterat. Corrigit *viri, cum mente suprema* (scilicet Deo) *Spiritus infusus*, etc. Nihil muto, neque vitium ullum agnosco. Etsi enim homo secundum animam, non secundum corpus, sit factus ad imaginem Dei, tamen totus homo dicitur in sacris litteris factus ad imaginem Dei, et Dracontius v. præced. narrat in artus corporeos formatum fuisse hominem, qui cœlestis imago est. Homo autem non ex solo corpore constat, sed ex anima etiam, cujus creationem nunc refert. Relucet autem quodammodo in corpore imago Dei, cum corpus ipsum dicatur imago animæ. Sic Tertullianus, qui imaginem Dei corpore hominis non circumscribebat, tamen cap. 6 de Resurr. ait : *Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed etiam pignus.*

342. Vers. 395 de Eva : *gena pulchra rubore.* Lib. III, v. 624, *Et geminæ rubuere genæ.*

344. Veteres editiones cum Vict., *surgunt immensa capilli*, et Weitzius in indice notat esse adverbium *immensa*, ut *transversa, sera*, et similia, quæ more adverbii ponuntur. Rivinus *immensa* accipit pro immenso numero capillorum : mallem pro capillis, qui sine mensura certa, ut reliquæ partes corporis, crescunt. Neque repugnarem, si quis legeret *immense* postrema brevi, ut *inferne, superne.* In editione Poetar. Christian. Fabricii penes cl. præsulem Reggium ad marg. invenio ms. hanc lectionem *in summa* pro *immensa*. Scriptura Sirmondi probabilis est, sed nonnihil obscura, scilicet pro *surgit messis capillorum*, potest conjici *surgunt in vertice crines*, vel *surgunt in fronte capilli*, aut *a fronte :* sic lib. III, v. 620, dum resurrectio corporis describitur, *Scena capillorum fundens a fronte coronam;* vel *surgunt in veste capilli.* Ambrosius de Noe et Arca cap. 7, num. 21, *Capilli capitis quam grato amictu caput vestiunt*, et lib. VI Hexaem., c. 9, n. 73, de ossibus capitis, *capillis densioribus vestiuntur*, et Dracontius loc. cit. v. 621, *Tempus et omne caput vestit de crine decorum.* Addo aliam conjecturam, *surgunt in merce capilli*, hoc est venales. Plinius l. XII, cap. 25, *Sarmenta quoque IN MERCE sunt.* Ovidius l. III de Art., v. 165, *Femina procedit densissima crinibus emptis, Proque suis alios efficit ære suos. Nec rubor est emisse palam*

167 Orbe micant gemino gemmantia lumina visus, A
Et vocem compago dedit, nova machina surgens
Auctorem laudare suum, gavisa, quod esset.
Tunc oculos per cuncta jacit, miratur amœnum
Sic florere locum, sic puros fontibus amnes
Quatuor undisonas stringenti gurgite ripas
Ire per arboreos saltus, camposque virentes
Miratur: sed quid sit homo, quos factus ad usus,
168 Scire cupit simplex, et non habet unde requirat:
Quo merito sibimet data sit possessio mundus,
Et domus alma nemus per florea regna paratum;
Ac procul exspectat virides jumenta per agros,
Et de se tacitus, quæ sint hæc cuncta requirit,
Et quare secum non sint hæc ipsa, volutat:
169 Nam consorte carens, cum quo conferret, egebat.
Viderat Omnipotens hæc illum corde moventem,
Et miseratus ait: Demus adjutoria facto,
Participem generis: tanquam si diceret auctor,
Non solum decet esse virum, consortia blanda

VARIÆ LECTIONES.

345. Editi, risu. Vat., *visus*.
348. Vat., *atque oculos*.
350. Sic Vat.; cæteri, *Q. undifluo stringentes g. r.*
352. Vat., *miratur: sed quid*. Editi, *miratur se: quid*.
353. Vict., *simplex est, non*. Sirm. distinguit *cupit, simplex et*.
354. Vat., *q. meritos s.* Sirm., *p. mundi*. Vict., Azagr., Vat., *p. mundus*.
355. Ita Vat.; in Azagr., *Atque domus alterna nemus per florea rura*. Sirm., Vict., *Atque æterna domus nemoris per florea rura*.
B 356. Sic Vat.; in aliis *Parva procul spectat v. j. p. a.*; sed Vict., *vineta* pro *jumenta*.
357. Ita Vat.; cæteri, *Hac de re tacitus volvitque, et corde requirit*; sed Azagr., *angit*, et Vict., *cogitatque* pro *volvitque*.
358. Sirm., *vel quare*. Vat., *Et quare non secum quæ sint hæc cuncta requirit*. Vict. ut hic editur.
361. Sirm., Vict., *demus solatia facto*. Vat., *demus adjuctoria f.* Azagr., *d. adjutorio f.*

NOTÆ.

345. Vide v. 235, et l. II, v. 652, et l. III, v. 618, *Inde duces oculi gemmato lumine vibrant*. Oculos ultimos formari ex Plinio notat Rivinus; sed Dracontius postremo loco linguam commemorat.

346. Rivinus melius putat, *Et vocem compage dedit nova machina, surgens Auctorem laudare suum*. Huic conjecturæ favet lib. II, versus 84, *Induitur compage Deus, structura ligatur*. Confer l. III, v. 644. Post *surgens* non bene virgula in editis ponitur: intelligitur enim *surgens ad laudandum*.

347. Vers. 243 de avibus, *Et, puto, collaudant Dominum meruisse creari*.

348. Mar., Victor l. I Genes., v. 155, *Nec spectator adest, quem tantæ gloria molis Impleat, atque oculis avidum per singula ducat*. Fabricius hunc locum, ut pleraque alia Victoris, longe aliter edidit. Dracontius pro *per omnia* solet dicere *per cuncta*. Vide v. 292 cum nota. Virgilius l. IV, v. 570, *Passimque oculos per cuncta ferenti*. Alii dicunt *conjicere, trajicere oculos*. Rivinus suspicatur *miratur amomis*, quo nomine in plurali usus est Persius. Sed *amœnum* adeo bene est, ut nihil melius.

350. *Stringere ripas* de fluminibus, ut *mordere*, *lambere*, elegantiæ notæ. *Undisonus* Propertii, Val. Flacci, Statii verbum est.

351. *Ire* de aqua poeticum est: nam et pedes aquæ a poetis tribuuntur. Vide notam Broukusii ad Tibullum l. I, eleg. 10, v. 36, *Et puras fluminis isse vias*.

352. Scriptura Vat. venusta est et verior videtur.

354. Lectio Sirmondi defendi potest; sed melius videtur *mundus*, ut v. seq., *Et domus alma nemus*.

355. Cyprianus in Genes., *Ædibus in mediis* de paradiso. *Domus*, *ædes* pro mansione et quacunque sede, ut domus avium, pecorum.

356. Vers. 270, *Jumenta per agros*. Pro *exspectat* substitui posset *aspectat*; sed *exspecto* pro simplici *specto* adhibetur a Plauto Aulul. IV, 8, 7, Petronio in Satyr. c. 17, Paulo in Digest. l. XLI, tit. 1, leg. 26. Et quamvis his in locis lectionem nonnulli sollicitent, tamen ea proba est: nam hi mutant, quia censent *exspecto* significationem spectandi non habere, quæ ratio idonea non est, et in probatis editionibus inveni *exspecto*, non specto. Præterea Statius l. V, silv. 2, v. 22, *Exspectatur equus*. Ovidius l. XIV Met., v. 418, *Exspectatus erat*. Uterque pro *specto* compositum *exspecto* usurpat. Scriptura vulgata tolerabilis non est. Quid enim est *parva jumenta?* Neque scriptura Vict., *parva vineta*, huic loco congruit.

357. Forte *quid sint*. In lectione Vict. est *cogitatque*, quod metro adversatur. Fabricius correxit ex ingenio *volvitque*. Hoc ipsum edidit Sirmondus, sed cum codex Azagr. variet, merito dubitare possis an ex codice suo Sirmondus ita scripserit an ex Fabricii C correctione. *Requirit de se* pro *a se*, vel *ex se*: neque magnopere obstabo, si velis rescribere *Et a se*, nam hujusmodi monosyllaba sæpe vidi producta, præcipue in principio versus, ut *It eques*. Alio loco ostendam *sit* etiam esse commune.

358. Weitzius, *non sint hæc, ipse volutat*, quod minus probat Rivinus. Hic etiam suspicor Sirmondum ex Fabricio magis quam ex suo ms. edidisse *Vel quare*: cum enim editio prima Vict. habeat *Et quare*, cui consentit Vat., Fabricius vel casu, vel de industria edidit *Vel quare*. Non erant animantia cætera cum Adamo in paradiso ex v. 356, *Ac procul exspectat*, et v. 454, *Præterea solis datus est locus ille duobus*. Atque ita quidem sentiunt nonnulli cum Damasceno l. II de Fide orth., cap. 11, neque sane in sacris litteris liquido affirmatur animalia fuisse in paradiso, cum mentio solum arborum et fluminum fiat. Pererius in comment. ad Genes. cap. II, v. 9, similius vero existimat fuisse animalia in paradiso, rationesque et scriptores ita sentientes producit.

D 359. Fortasse *Nec, consorte carens, cum quo conferret, habebat*. Hic *conferre* est colloqui, communicare consilia.

361. Sic Vat., cui favet Azagr. Cæteri editores fortasse ex ingenio, ut metro consulerent, posuerunt *solatia* pro *adjutoria*. Genes. cap. II, v. 18, *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi*. Cap. XVII Ecclesiastic., v. 5, *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi*. Columella l. XII, c. 1, in præfat. ex Œconom. Ciceronis: *Ut ex hac eadem societate mortalibus adjutoria senectutis, nec minus propugnacula præpararentur*. Quod autem prima in *demus* hoc loco corripiatur, nihil obest: nam etiam l. III, v. 678, corripitur: *Judicio, Deus alme, tuo detur inde triumphus*. Aut ergo ea syllaba communis erat, aut Dracontii tempore mutata fuit ejus quantitas. Tertullianus l. I contra Marcionem: *Dum spatium detur, et patiens pietate perennis* nisi hic etiam legas *datur*.

363. Ex loc. cit. Genes.

Noverit, uxor erit, cum sit tamen ille maritus, A
Conjugium se quisque vocet, dulcedo recurrat
Cordibus innocuis, et sit sibi pignus uterque,
Velle pares, et nolle pares, stans una voluntas,
Par animi concors, paribus concurrere votis,
170 Ambo sibi requies cordis sint, ambo fideles,
Et quicunque datur casus, sit causa duorum.
Nec mora, jam venit alta quies, oculosque supinat
Somnus, et in dulcem solvuntur membra soporem.

Sed cum jure Deus, nullo prohibente, valeret
Demere particulam, de qua pius ipse pararat,
Ne vi ablata daret juveni sua costa dolorem,
Redderet et tristem subito, quem lædere nollet,
Fur opifex vult esse suus : nam posset et illam
171 Pulvere de simili princeps formare puellam.
Sed quo plenus amor toto de corde veniret,
Noscere in uxore voluit sua membra maritum.
Dividitur contexta cutis, subducitur una
Sensim costa viro, sed mox reditura marito.

VARIÆ LECTIONES.

364. Vat. ita Sirm., *uxor erit cujus tamen*. Deest hic versus in Vict.

366. Sic. Vat., alii, *et sint sibi*.

368. Vict., *par animi*; alii, *pars animi*. Vat., *paribus concurrere voces*. Editi, *p. decurrere votis*.

370. Vat., *fit* pro *sit*.

374. Sic. Vat.; in Sirm., Vict. *p. de quo prius i.* Azagr., *p. de quo pius i.*

375. Sirm., *Attamen ablata juveni ne costa doleret*. Vict., *ablato*. Vat., *Sed si ablata daret juveni sua costa dolorem* B

376. Vict., *et testem, subito*.

377. Vict., *Cur. o. v. e. suus?* Vat., *posset et illam*. Alii, *posset alumnam*.

379. Vat., *sed quia plenus*.

380. Sirm., *in uxore*. Vat., Vict., *in uxorem*.

381. Azagr., *d. contecta c.*

382. Vat., *censim. costa*. In Vict. desideratur hic versus.

NOTÆ.

361. Hic versus omissus fuerat a Vict., Fabricio, Weitzio. Rivinus, ut sensum veteri lectioni redderet, scribebat *consortia blanda Conjugium sed quosque vocet*. Verus sensus ex Sirm. et Vat. constat. Pro *uxor erit* forte melius *Noverit uxoris, cum sit*, vel *Noverit uxoris, cujus*.

367. Ovidius IV Trist., el. 4, *Qui duo corporibus, mentibus unus erant*. Corippus l. II, v. 39, *Velle tuum fac posse meum*. Rivinus ex Persio, Capella, Juvenco, Eugenio illustrat, quod *velle* pro *voluntate* dicatur. C *Par* cum infinitivo Virgilii est eclog. 7. *Et cantare pares*. Pro conjuge *par* et *compar* aliquando usurpantur. Ovidius IV Fast., v. 97, *Illa rudes animos hominum conjunxit in unum. Et docuit jungi cum pare quemque sua*. Alii, *contraxit in unum*.

368. *Par* est duo, ut par fratrum, gladiatorum, columbarum. Fortasse *Par animus concors*, vel *Par animis concors*. In Vat. *concurrere* melius est quam *decurrere* in aliis.

369. Sic distinguit Fabricius cum Vict. Sirmondus, *cordis, sint ambo*. Venustus esset hiatus, *Ambo sibi requies cordis, sibi ambo fideles*.

370. Cur non *Et quicunque detur?* Vide notam ad v. 361.

371. Somni per varias phrases descriptio. Somnus *supinat oculos*, quia supini jacent qui alte dormiunt et stertunt.

372. Membra in soporem solvuntur, quia sopor ea solvit, seu reddit languida.

374. Intelligi potest *de qua* particula, aut subintelligi *de qua costa*.

375. Ex Vat. elici potest hæc lectio, *Sed ne ablata daret juveni sua costa dolorem*, vel *At ne ablata*, vel, ut edidi, *Ne vi ablata*, quod comprobatur ex v. 377, *Fur opifex vult esse suus*. Mar. Victor l. I Genes., v. 361, *Ergo opus aggreditur notum Deus, ictaque raptim Corda viri, tanto dissolvit languida somno, Mentis ut experti costam subduceret unam*; vel ut alii habent, *Mentis ut experti pollens subducere costam... Illæsis raperet membris*. Alcimus l. I Genes., *Cui pater omnipotens pressum per corda soporem Misit, et immenso tardavit pondere sensus, Vis ut nulla queat sopitas solvere mentes; Non si forte fragor securas verberet aures, Nec si commoto cœlum tunc intonet axe. Quin nec pressa manu rupissent membra quietem*. Quos versus alii aliter legunt. Opinio Cajetani, ad metaphoricum et parabolicum sensum formationem Evæ ex Adami costa detorquentis, a theologis jure meritoque explodatur. Ratio vero quæ a Dracontio redditur, cur Deus Adamo soporem immiserit, S. Augustino non placet, qui somnum illum Adami internam quamdam animi contemplationem et quasi raptum aut ecstasin fuisse existimat libr. IX de Genes. ad lit., c. 29, et Enarrat. in psalm. LVI, num. 11. S. Joan. Chrysostomus, hom. 15 in Genes., non solum corporalem somnum in Adamo agnoscit, sed etiam rationem affert ne ablata costa dolorem afferret. Notat vero Suarius in tract. de Oper. sex dier., libr. III, cap. 2, Chrysostomum revelationem Adamo factam non negare, sed differre ad tempus quo e somno jam excitatus erat. Dracontius v. 392 in ipso somno spiritualem contemplationem evenisse non obscure tradit.

377. Forte *suus*. *At posset et illam*, vel *et ille*. Rivinus cum editionibus antiquis *Cur opifex*, sed addit : Sirmondus mire *Cur opifex :* scribere, opinor, voluit *Fur opifex*. Conjicere libet *Fur operis vult esse sui : nam p.*.

378. Rursus v. 397, *formare*. Etsi recte Deus simpliciter *princeps* dicatur, tamen suspicor scriptum *primam*.

379. Barthius libr. XXI Advers., cap. 2, *plenus amor* exponit *perfectus*, *nactusque florem suum*, ut *plena quies* apud Corippum.

380. Barthius loc. cit. legit *in uxoris*, fortasse intelligit, maritum noscere sua membra in membris uxoris. Scriptura Sirm. clarior est. In Vat. sensus D erit, maritum noscere, sua membra in uxorem transiisse aut esse destinata.

381. Rivinus scripturam veterem Vict., ubi deest versus seq, ita reformabat : *Dividitur cortex, costis subducitur una. Nam juvenis*.

382. Rivinus advertit hunc versum coincidere cum vers. 400, *Et redeat sua costa viro, sua membra recepit*. Sed non propterea rejiciendus est : nam faciendum nunc proponitur quod factum postea narratur. Mar. Victor hanc ipsam rationem complectitur lib. I Genes., *Hoc nunc turba loco stolidissima desine tandem Quæsitis animum vanis torquere, nec isthic Quærere, cur hominis confecta est femina membris. Cum jam a principio molli de pulvere fingi Posset et ex nihilo. Causas desiste latentes Scrutari : quanquam si conjectare licebit, Ex homine effecta est mulier, cognatio quædam Mutuum, et alternum inter se ut misceret amorem, Semet in alternis cogens agnoscere membris*. Scio diverso modo hos versus ab aliis editos; sed ratio eadem utrobique ostenditur, neque vacat nunc in

Nam juvenis de parte brevi formatur adulta
Virgo, decora, rudis, matura tumentibus annis,
172 Conjugii, sobolisque capax, quibus apta probatur,
Et sine lacte pio crescit infantia pubes.
Excutitur somno juvenis, videt ipse puellam
Ante oculos astare suos, pater, inde maritus,
Non tamen ex coitu genitor, sed conjugis auctor.
Somnus erat partus, conceptus semine nullo,
Materiem sopita quies produxit amoris
Affectusque novos blandi genuere sopores.
Constitit ante oculos nullo velamine tecta,
Corpore nuda simul niveo, quasi nympha profundi,
173 Cæsaries intonsa comis, gena pulchra rubore,
Omnia pulchra gerens, oculos, os, colla manusque,
Vel qualem possent digiti formare Tonantis.
Nescia mens illis, fieri quæ causa fuisset:
Tunc Deus et princeps ambos conjunxit in unum,
Et remeat sua costa viro; sua membra recepit,
Accipit et fœnus, cum non sit debitor ullus.

VARIÆ LECTIONES.

385. Vict., *capax quod nata p.*
386. Vict., *crescit jam infantia*. Vat., *pio fecit mox infantia*. Sirm., *crescit infantia*.
387. Vat., *ipse puellas*.
388. Vat., *an oculos tunc stare suos*. Vict., *suos patet inde*.
389. Vat., Azagr., *non tamen*. Sirm., Vict., *non tantum*.
390. Vict., *erat parcus*.
391. Vict., *materiam s.*
394. Vat., *niveo quasi n.* Sirm., *niveo ceu n.* Vict., *nivei ceu n.*
397. Vat. *vel qualem*. alii *ut q.*
399. Azagr. *a. conjungit i.*

NOTÆ.

hujuscemodi varietatibus, quæ in poetis Christianis plurimæ occurrunt, inter se conferendis diutius immorari.

383. Fabricius et Weitzius cum prima editione Vict. male distinguunt *formatur adulta*. Adulta virgo a Cicerone, aliisque dicitur virgo in flore ætatis, ut nubere possit. Hac significatione ep. I ad Cor., c. VII, v. 36, *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri, quod vult faciat: non peccat, si nubat*. Græce pro *superadulta* est ὑπέρακμος, superans tempus opportunum.

384. Oppositio in *rudis*, *matura*: erat enim *recens nata*, simulque matura. *Anni tumentes* sunt ætas qua virgines tument ac conjugio aptæ fiunt. Cyprianus de Sodoma: *Sunt intus natæ bijuges mihi, nubilis ætas, Virginitas in flore tumet, jam dedita messi*. Forte *jam debita messi*. Virgilius l. VII, v. 53, *jam matura viro, jam plenis nubilis annis*. Statius lib. I Achill., v. 292: *Virginitas matura toris, annique tumentes*, et l. II Theb., v. 202, *Deiphilen tumida jam virginitate jugari*. Claudianus Epithal. Pall. et Celer., v. 125, *Detraxit matris gremio: matura tumescit Virginitas*.

386. Rivinus melius ait esse cum Weitzio *infantia pubis* quam cum Fabricio *infantia pubes*. In editione principe Vict. legitur *infantia, pubes*. Weitzius in textu edidit *pubis*, in indice *pubes*; in emendationibus conjicit *pubis*. An autem *pubes* scribi etiam possit per *pubis*, quæstio orthographica est. Barthius libr. XXIII Advers., cap. 19, nihil mutandum censet, quia *infantia jam pubes* acumen affectat, nam modo nata jam pubes una erat. Legit autem *crevit*, non *crescit*, quia non aucta ubique corpore, sed velut jam excrevisset, justa statura condita est. Melius ex Vat. restituitur hic locus *fit mox infantia pubes*, hoc est, statim pubescit infantia, sive prima ætas Evæ. Idem erit sensus, si legas *fecit infantia pubem*. Notandum etiam est *lacte pio*, ut v. 224, *Qui fovet igne pio*.

388. Vide num rectius legatur *pater ipse maritus*.

389. Barthius loc. cit. emendavit *Non tamen ex coitu*, cum antea legeretur *Non tantum ex coitu*. Rivinus quidem affirmat, Barthium post Sirmondum ita legisse, sed in Sirmondo solum invenio *Non tantum ex coitu*. Barthii restitutionem Vat. et Azagr. confirmant.

390. Barthius loc. cit. explicat: *Somnus erat instar puerperii, conceptio seminis nullius*. Sed legendum putat *conceptum est semine nullo*: ac subjungit: *Quod repetit mox mire placens sibi in constipatione acuminum*; scilicet in v. seq. Rivinus edidit *erat parcus*, in Erratis correxit *erat parvus*: nisi hoc ipsum mendum est pro *partus*. Vide l. II, v. 316.

391. Barthius loc. cit. legit *concepit*; sed cum varietatem lectionis non animadvertat, fortasse *concepit* excidit pro *produxit*, quod cæteri habent.

394. Weitzius cum Vict., *simul, nivei ceu nympha profundi*, et intelligit Venerem, quæ orta mari est. *Profundum* pro mari, ut Lucretius l. V dixit, *Fundarit cœlum, ac terram, pontique profunda*. Dicitur mare niveum, ut canum, spumans, spumosum, quod multis confirmat Weitzius. Lectio Vat. retineri posset *simul, niveo quasi nympha profundo*. Vox *simul* redundare videtur, nisi significet *omnino*, qua significatione melius legam *semel*. Cicero pro Dejotaro, cap. 3, *Cum facile exorari, Cæsar, tum semel exorari soles*, id est penitus. Raderus ad spectacula Martialis p. 62, epigr. 24, al. 26, ait a Dracontio pulchritudinem Evæ comparari Nereidi, et legendum *Corpore nuda simul, nivei ceu nympha profundi*, non *Corpora nuda*, quod nescio ubi invenerit.

395. Barthius ad Claudianum rapt. Proserpinæ demonstravit contra Julium Scaligerum, *cæsariem* a Virgilio et aliis recte de muliebri coma dici, et libr. XXI Advers., cap. 8, hoc ipsum confirmat exemplumque Dracontii profert, et Apuleii libr. de Mundo post med., ubi humum *cæsariatam* esse dicit *viridantibus comis*. Servius I Æn., 594, aliter censet.

397. Potest *vel* accipi pro *et*: sed elegantius est disjunctive, scilicet Evam ita fuisse conditam, ut descripta est, vel qualem divina manus potuit formare, nec lingua valet dicere.

398. Rivinus censet hunc versum cum sequenti combinandum esse, nec a posteriori novam periodum auspicandam. Sirmondus omnino eos separavit, et hunc versum cum præcedenti conjunxit *Ut qualem digiti possent formare Tonantis, Nescia mens illis fieri quæ causa fuisset*. Non placet. Barthius libr. XXIII Advers., cap. 19, vellet *mens illi est fieri*, quia, inquit, de solo Adamo loquitur. Fortasse voluit dicere de sola Eva: nihil enim est cur de solo Adamo sermonem hoc loco haberi dicamus, cum versibus præcedentibus, a versu 395. Evæ pulchritudo tantum exprimatur.

399. Ovidius ad vers. 367 laudatus: *Illa rudes animos hominum conjunxit in unum*. Rivinus edidit *Deus ut princeps*, nescio an casu: nam alii habent *et*.

401. Deus quamvis debitor non esset, reddidit tamen cum fœnero costam Adamo, scilicet uxorem ipsam, participem generis, quam illi subdidit.

His datur omnis humus, et quidquid jussa creavit, A
Aeris, et pelagi fœtus, elementa duorum
Arbitrio commissa manent. His, Crescite, dixit
174 Omnipotens, replete solum de semine vestro,
Sanguinis ingeniti natis nutrite nepotes,
Et de prole novos iterum copulate jugales,
Et dum terra fretum, dum cœlum sublevat aer,
Dum solis micat axe jubar, dum luna tenebras
Dissipat, et puro lucent mea sidera cœlo,
Sumere, quidquid habent pomaria nostra, licebit:
Nam totum quod terra creat, quod pontus, et aer B
175 Protulit, addictum vestro suo jure manebit,
Deliciæque manent vobis, et honesta voluptas:
Arboris unius tantum nescite saporem.
Dixerat ista Deus: sanxit natura, quod inquit
Omnipotens. Mirata diem, discedere solem,
Nec lumen remeare putat terrena propago;
Solanturque graves lunari luce tenebras,
Sidera cuncta notant cœlo radiare sereno.
Ast ubi purpureum surgentem ex æquore cernunt
Luciferum vibrare jubar, flammasque ciere,
Et reducem super astra diem de sole rubentem,
Mox revocata fovent hesterna in gaudia mentes,
Temporis esse vices noscentes, luce diurna
Cœperunt sperare dies, ridere tenebras.
176 Tot bona facta Deus non obliviscitur unquam,

VARIÆ LECTIONES.

402. Vat., *humos cum quidquid creavit.*
404. Vat., *m. hic. c.*
405. Vat., *Et replete solum omnipotens de semine vestro.*
406. Edit., *natos.* Vat., *natis.*
407. Sirm., *reparate.* Vat., Vict., Azagr., *copulate.*
408. Sirm., *Dumque fretum terra, dum cœlum s. a.* Vict., *D. f. terra. et dum cœlum s. a.* Vat., *Et dum terra fretum, dum terram s. a.*
412. Hi duo versus, *Nam totum* et *Protulit*, desiderantur in editis, exstant in Vat.
415. Vat., *t. nescire s.*
417. Sirm., Vict., *O. migrare d.* Vat., *O. mirata d.*
418. Vat., *lumen*; alii, *lucem.*
419. Vat. ita, sed *glabes* pro *graves.* Sirm., Vict., *Subductisque nigris collucet luna tenebris.* Azagr., *Subductisque nigris lunari luce tenebris.*
421. Vat., *p. fugientem e. ae. gemunt.*
422. Vat., *f. tiere.*
423. Vat., *r. rubente.*
424. Vat., *nox revocata fovet h.*
425. Sic Vat., sed *divina* pro *diurna*; alii, *Temporis et requiem noscentes, luce diurna.*
426. Vat., *dies ridere.* Sirm., Vict., *diem ridere.* Azagr., *diem redire*

NOTÆ.

402. Vide notam ad v. 9, *Vel quidquid.*

405. Fortasse melius *Et replete solum omniparens de semine vestro* cum Vat., ubi est *omnipotens* pro *omniparens.* Virgilius libr. VI, v. 595, *Terræ omniparentis alumnum.* Lucretius l. II, v. 705, *Per terras omniparentes.* Apuleius de mundo, *Omniparentis mundi amœnitas.* Neque vero necessaria est vox *Omnipotens*: Deus enim et princeps, qui ambos conjunxit in unum, his dixit, *Crescite, et replete solum*, etc.

406. Weitzius *ingeniti* explicat *non generati, sed a Deo creati.* Rivinus scribit *Sanguinis ingeniti natos*, et explicat in consanguineam posteritatem. Lectio vulgata *natos nutrite nepotes* vix commodum sensum accipere potest. In Vat. recte procedit sententia: Natis vestris ex eodem sanguine nutrite nepotes, et novas deinde generationes reparate. Exponitur enim verbum Moysis *Multiplicamini.*

407. Hoc etiam loco Sirmondus Fabricium secutus videtur, non suum exemplar ms., nam Fabricius deseruit editionem Vict., ubi est *copulate*, ut metro consuleret per *reparate.* Vat. et Azagr. habent etiam *copulate.* Sirmondus edidit *reparate. Copula* primam habet longam apud veteres poetas; sed Licentius æqualis S. Augustini eam corripuit, *Arcet amor, copulamque tenet communis honesti.* Exstat ejus carmen inter opera Augustini in hujus ad illum epistola 26, al. 39. Erat autem Licentius ethnicus, ne hujusmodi vitia Christianorum poetarum propria esse credamus, sed ætatis potius, aut etiam ut ne vitium quidem scriptorum probabilium consuetudinem appellemus.

408. In editione Matritensi *Dumque fretum terra, dum cœlo sublevat aer*; sed cum discrepantia editionis Sirmondianæ non animadvertatur, par est credere, *cœlo* pro *cœlum* excidisse. Rivinus vult *Dumque fretum terras, dum cœlum sublevat aer* ex vers. 153 et C seq., ubi aqua sustinere terram dicitur. Ex Vat. conjicio *Et dum terra fretum, dum terram subvolat aer.* Interea dic, terram partim a freto sustineri, partim sustinere ipsum. Lucanus l. I, v. 89, *Dum terra fretum, terramque levabit Aer, et longi volvent Titana labores*: quod ita exponitur, ut terra inferior aquas sublevet, aer undique contineat, et coerceat terram quasi centrum. Hunc locum fortasse respexit Dracontius.

416. Exprimit verba Moysis, *Dixit Deus, Fiat lux, et facta est.* Statius l. I Theb., v. 213, *Et vocem fata sequuntur. Sanxit* hic est firmavit, effectu ipso confirmavit.

418. *Terrena propago* homines, qui v. 239 terrigenæ dicuntur. In paradiso primi parentes ante peccatum nonnullis diebus commorati sunt, ut Pererius et alii conjiciunt. Putant alii, paucis horis eos paradisum habitasse. Vide Suarium de oper. sex dier. l. IV, c. 8, qui probat Evam plus quam per unum diem D naturalem fuisse in paradiso.

420. Imitatio Virgilii l. III Æn., v. 515, *Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo*: et l. eod., v. 518, *Postquam cuncta videt cœlo constare sereno.*

425. Etsi fortasse bono sensu procedat scriptura, tamen juvat nonnullas conjecturas diversæ lectionis proponere. *Temporis esse vices noscentes, lucis, et umbræ, Cœperunt ridere die, sperare tenebris.* Vel *luce diurna Cœperunt ridere, diem sperare tenebris.* Vel *lucis, et umbræ, Cœperunt sperare dies, ridere tenebras.* Certe obscurum est, quod luce diurna cœperint sperare dies.

426. *Ridere* pro temnere, non curare. Tibullus l. III, el. 6, v. 49, *Perjuria ridet amantum Juppiter.* Paulinus Petrocorius l. II, v. 45 *Ridentes gaudenda sibi.*

Quæ propter hominem fec't, sanxitque manere.
Huic Dominus pietatis opem subducere non vult,
Projicere nec plasma suum. Scit conditor ævi,
Esse nihil prorsus se præter ubique rogandum,
Et nisi subveniat, succurrens non erit ullus.
Inde malo bonus est homini Deus, omnibus auctor.
Spes, opifex, dominus, rector, dux, arbiter, index,
Continua bonitate pius, virtute modestus,
Simplicitate bonus, et culmine celsior omni.
Ibant per flores, et tota rosaria bini
Inter odoratas messes lucosque virentes
Simpliciter pecudum ritu, vel more ferarum,
Corporibus nudis, sed nescia corda ruboris,
177 Quæ pars membrorum secretior esset habenda.
Unde rudes scirent, quid moribus esset honestum?
Quod digitos, oculosque putant, hoc quæque pudenda.
Publica jungebant affectibus oscula passim,
Nec rubor ullus erat, cum staret origo pudoris,
Illicitumque sibi prorsus nihil esse putabant.
Et bene credebant, quibus omnia jussit ad usum,

VARIÆ LECTIONES.

428. Sirm., *homines*. Vat., *hominem*. Vict., *Quapropter fecitque homines, sanxitque manere.*
429. Sirm., *his*. Vict., Azagr., *hic*. Vat., *huic*.
430. Sirm., Vict., *vult*. Azagr., *scit c*. Vat., *Addicet ne plasma suum sit conditor ævi.*
431. Vat., *p. præter se u.*
432. Vat., *subveniat succurres n.* : videtur prius fuisse *subveniet*.
434. Sirm., Vict., *ipse opifex, d.* Azagr., *spes, opifex, d.* Vat., *spes opis, et d.*
435. Vat., *c. pietate bonus, v.*
436. Vat., *b. sed c.* Vict., *b. qui c.*
437. Vict., *f. per t.* Vat., *bini*. Alii, *r. læti.*
438. Vat., *lucesque v.*
440. Sic Vat.; in Sirm. *n. et nescia c. pudoris. Quæ p.* Azagr., *n. et n. c. livoris.* Ita Vict., sed *livoris?* cum interrogationis nota.
441. Vat., *quid pars.*
443. Sic Vat.; in aliis, *hoc membra p.*
444. Vat., *j. arrectibus o.*
447. Vict., *jussit ad unum.*

NOTÆ.

428. Scriptura Vict. ab iis invecta est, qui metro obesse putaverint *Quæ propter hominem*, cum tamen ultima in *propter* tum ratione cæsuræ, tum ob aspirationem sequentis dictionis recte produci possit. Tertullianus l. III contra Marcionem, *Hæc homini Deus ante oculos revocata reformat, Propter quem locuples primus large omnia fecit.* Lege *primum*. Vide notam ad v. 115.

429. Rivinus cum Weitzio et aliis edidit *pietatis opem;* sed in nota scripsit *opus* pro *opem*, forte per errorem.

430. In editis nullus est sensus *Proficere nec plasma suum vult conditor ævi, Esse nihil prorsus*, etc. Ex Vat et Azagr. sumo *scit* pro *vult*.

434. Deus *index*, ut dixi ad vers. 114.

435. Libr. II, v. 695, Deus dicitur *sub pietate bonus*, et posset etiam hic legi cum Vat. *Continua pietate bonus*, ut in oratione dominicæ 21 post Pentecosten, *Continua pietate custodi*. Sed cum vers. seq. occurrat *Simplicitate bonus*, non muto hic *bonitate pius*.

436. Libr. III, v. 17, *Celsior excelsis*.

437. Forte *et læta rosaria bini*. Elegans est *ibant bini*, scilicet duo conjuncti.

440. Rivinus vult scribi *Corporibus nudis, ut nescia corda pudoris. Quæ pars*, etc. Videlicet unde scirent, quæ pars membrorum secretior esset habenda, quid moribus esset honestum? Possis etiam conjectare *sed nescia corda, rubore Quæ pars membrorum secretior esset habenda*. Sive autem legas *ruboris*, sive *pudoris*, eadem res innuitur. Candor, ut Rivinus notat, sapit divinitatem, pudor, et rubor opera tenebrarum consequitur.

441. Scriptura Vat , *Quid pars*, potest habere hunc sensum, cur pars aliqua corporis secretior esset habenda.

444. Lectio Vat., *arrectibus*, confirmare potest explicationem Weitzii ad v. seq. Sed supra v. 392 legitur, *Affectusque novos blandi genuere sopores*. Avitus l. II, vers. 238, *Adam diffusi lætus per gramina campi Conjugis amplexus atque oscula casta petebat.*

445. Rivinus suspicatur *Nec rubor ullus erat, cessabat origo pudoris*, Facilius esset *erat, cum deesset origo pudoris*. Weitzius *cum staret origo pudoris* exponit de motibus corporis, qui post culpam obsceni sunt, antea non erant. Barthius libr. VII Advers., cap. 20, ita explicat : STARET ORIGO *traductione a fontibus dixit, quorum origine stante nullus fluor*, quæ explicatio, nisi aliud addas, obscura est. Dracontius solum videtur voluisse comprehendere sententiam Moysis Genes. cap. II, v. 25, *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant*. Itaque *cum staret origo pudoris* recte interpretaberis, cum essent nudi : quæ nuditas nunc origo est pudoris. Vel dicam potius honestatem ipsam vocari originem pudoris : nam pudor, ut impudentiæ opponitur, bonus est, et ab honestate proficiscitur, quæ tamen pudorem non produxisset, nisi culpa præcessisset. Alcimus v. 21 libr. II, *Corpora nuda videre, et mutua cernere membra Non pudet, atque rudis fœdum nil sentit honestas. Non natura hominis, vitium sed causa pudori est*. Et postea v. 274, *Nam culpa rebellis Fulsit, et obscenos senserunt corpora motus. Tunc primum nudos, dubium, quid dicere possim, Exstinctus, natusne pudor circumspicit artus. Erubuit propriæ jam mens sibi conscia culpæ*. De modo autem quo in statu integræ naturæ propagarentur homines, theologi inter se dissentiunt : et nonnulli quidem Patres docuerunt, in statu innocentiæ propagationem hominum futuram per creationem, non per naturalem generationis viam. Sed scholastici cum S. Thoma pro certo ponunt, futuras fuisse etiam in eo statu nuptias, et conjunctionem maris et feminæ. Addunt, defuturam motuum corporis inordinationem, non vero jucunditatem et delectationem. Pudor autem ex inordinatione oritur. Ita fere plerique Patres.

447. Barthius l. VII Advers., cap. 20, affirmat, Dracontium citra controversiam scripsisse *quibus omnia jussit Adonai*, quia in scriptura vulgata abest ille qui jussit. Ad marginem vero notaverat Barthius *jus dat ad unum*. Neutrum Rivino placet, etiamsi legas *jusserit unus*, vel *unum*, hoc est Deus. Præfert cum Sirmondo *jussit ad usum*, sed pro *jussit* melius putat *cessit*. Certe si mutatio invehenda est, malim *quibus omnia cessa fuerunt*, vel *quibus omnia cessera auctor :* nam revera a versu 437, *Ibant per flores*, nulla mentio Dei occurrit. *Cedere* pro *concedere* multi Christiani poetæ dixerunt, quod etiam apud Ciceronem et alios veteres scriptores reperies. De hac si

178 Arboris unius fructu sub lege negato. A
Vomere non tellus, non rastro jussa domari,
Quærere nec sudor fructus quocunque labore
Cogitur, aut campos aliquo de fonte rigare,
Imbriferis semper pluviis absentibus uber
Cespes, et arbitrio crescit fetura marito.
179 Præterea solis datus est locus ille duobus,
Deliciis hominum tantum constructus opacis.
Non placidas sustentat aves, non ore cruentas,
Unguibus armatas nescit perferre volucres,
Omne genus pecudum nescit, genus omne ferarum.
Solus ibi irrepsit squamoso corpore serpens,
Fraudibus imbutus mortis, caput omne malorum,
Pectore vipereo mellitum ex ore venenum
Funereo sub dente parans spumante palato.
180 Ergo ibi livor edax contusum dente venenum
Invidiæ mordacis habens sub fronte modesta,
Quærit opem sceleri, per quam fallatur honestas,
Simplicitasque cadat, vel credula corda reatum
Incurrant non fraude sua, sed clade perenni.
Fortia corda viri non expugnanda per anguem
Præsensit pietatis inops, et conjugis aures

VARIÆ LECTIONES.

449. Vat., *rastro;* alii, *rastris.*
450. Vat., *nec sudos fructos.*
452. Vict., *a. imber Cespes et.* Vat., *Imbre ferat nullo pluviis absentibus aer Cespes arbitrio.*
453. Vict., *c. fortuna m.*
454. Vat., *l. iste d.*
455. Vat., *d. ovium t.*
456. Vat., *Nec placidas sustentata naves non ore cruentas.*
457. Vat., *n. ferire v.*

B 460. Vat., *f. indutus m.*
461. Vict., *v. mollitum ex.*
462. Vict., *munera jam sub d.* Azagr., *fundere sub d.*
463. Omnes, *ubi;* ex conjectura, *ibi.* Vat., *edax coctum d.*
465. Sirm., *sceleris.* Vat., Vict., *sceleri.*
466. Vat., *cadit.* Sirm., Vict., *reatus.* Azagr. et, ut videtur, Vat., *reatum.*
469. Sirm., *i. sed c.* Vict., *i. at c.* Vat., *i. et c.*

NOTÆ.

gnificatione verbi *cedo* videri potest Schroderus Observat. jur. civil. 3, 4, et Arntzenius in Miscellan. cap. 5. Sed cum codices mss. constanter exhibeant *jussit*, tentari potest *quibus omnia jus erat uti*, cum accusativo *u i*, ut apud Ciceronem, Lucretium, Catonem, vel *jus erat esse*, hoc est comedere, vel *quibus omni i jus erat unum*, vel *jussa subesse*, vel *jure licebant:* sic enim hic versus respondet superiori, *Illicitumque sibi.*

448. Supra v. 415, *Arboris unius tantum nescite saporem.*

449. Lectio Vat. confirmatur simili Ovidii versu I Met., v. 101, *Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.* Virgilius vero l. IX, v. 608, dixit terram *domare rastris.*

452. Weitzius in emendationibus refert, Hœschelium secum communicasse conjecturam Simonis Tœlmani, qui legebat et interpungebat: *Imbriferis semper pluviis absentibus: imber Cespes, et arbitrio crescit fortuna marito.* Scilicet in paradiso pluviæ non ceciderant: loco pluviæ ipse cespes suo succo imber sibi erat, ejusque velut mariti arbitrio crescebat fortuna, hoc est feronia, ut Varro loquitur, aut fertilitas terræ, unde insulæ Fortunatæ dictæ, quod fertiles suapte natura ac feraces sint. Verum scriptura Sirmondi proba est, quæ etiam ante editionem Sirmondi Barthio se probaverat. *Imbriferæ pluviæ* dicitur per hendiadyn, unum per duo, ut l. III, v. 21. Sententia desumpta est ex Genes. cap. II, v. 5: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram.* Alcimus l. I, v. 227, *Nec poscit natura loci, quos non habet, imbres, Sed contenta suo dotantur germina rore.*

453. Rivinus conjicit *uber Cespes, et a genio crescit natura marito.* Sed bene est *et arbitrio crescit fetura marito*, quod Barthius l. VII, cap. 20, exponit: ARBITRIO MARITO, *lubentia naturali, voluptate nativa.* Facere aliquid arbitrio est facere sponte, non jussu aut coacte. *Fetura* pro fetu, qui non solum est partus animalium, verum etiam fructus arborum et plantarum. Plinius l. XVII, c. 22, *Vitis in macro* (solo) *etiamsi vires habebit, recisa intra jugum moretur, omnis fetura sub eo exeat.* Iterum v. 616 occurrit *fetura, Nec carnale genus minuit fetura creando.* Dicit autem Dracontius *arbitrio marito*, quia alii solent dicere, terram producere germina *maritis imbribus*, seu *imbre marito.* Vide Pervig. Vener., *De maritis imbribus.* Mar. Victor, lib. II Gen., v. 166: *Tum se decoctis tellus pinguissima glebis In fetus movit varios, quos imbre marito Parturiens putri dissolvit rura meatu.* Alii, *putrido.*

454. Quod solis Adamo et Evæ paradisus datus fuerit, exclusis aliis animantibus, ostensum est supra C v. 358 ex sententia scilicet nonnullorum: nam plerique aliter sentiunt.

456. Rivinus in erratis pro *placidas* substituit *rapidas*, inepte: excluduntur enim aves tam placidæ quam ore cruentæ. Libr. II, v. 735, *Qui placidis sævisque juvet*, etc.

458. Supra v. 284, *Gignitur omne genus pecudum, genus omne ferarum.*

460. Mar. Victor, lib. II, *Ille caput scelerum, mundi infensissimus hostis*, quem versum repetit lib. III Prudentius Hamart. v. 203, *Hinc natale caput vitiorum: principe ab illo Fluxit origo mali.* Deum caput virtutum antea dixerat Prudentius.

461. Tertullianus l. I contra Marcionem: *Circumfert miseris mixtum cum melle venenum.* Rivinus rejicit *mollitum* in Weitzio pro *mellitum*, et addit Barthium pag. 353 Advers. malle *exire* pro *ex ore*, quod non probat. In Barthio id non invenio. Fortasse Rivinus notam illius ms. vidit, qua ea conjectura contineretur. D

462. Barthius loc. cit. certo certius legendum ait *Funera jam sub dente parans*, quod Rivino placet. *Munera* in veteribus editionibus aperte falsum est. Ex Azagr. plausibilis scriptura erui potest *Fundere de sub dente parans.* Non adeo insolens est Latinis duas propositiones conjungere. Exempla *de sub* profert Cangius in Dict. ex veteribus Act. martyr., Gregorio Magno, aliisque. Similia habet verb. *depost* aut *de post.* Nec dissimile est *in ante* et *ex ante.* Consule Holstenium ad acta S. Perpetuæ. De veneno sub dente vide v. 287. Spumat palatum serpentis, quia venenum saniemque vomit.

463. Ut sensus constet, legendum est *Ergo ibi livor*, aut v. seq. *habet* pro *habens*, aut periodus continuanda est usque ad vers. 469. *Præsensit*, etc. Pro *contusum* fortasse melius est *concussum*, ut v. 287, *Promitur anguis hians quatiens sub dente venenum.*

469. Libr. III, v. 404, *Tertia sors, quæ lucis inops.* Hilarius Genes. de Deo: *Qui natalis inops.* Mar.

Aggreditur sub voce pia, sermone maligno
Insidiosus adit heu! mollia corda puellæ,
Ingerit ore cibos crudeli funere plenos.
His semel assumptis reserantur lumina cordis,
Ac permixta bonis patuit doctrina malorum.
Pœnituit nescisse dapes, et damna putantur
Temporis exacta spatia : procedere pejus
181 Ausum quippe nefas. Tentat seducta maritum,
Et capit insontem jam noxia femina victum.
Circumventa perit, sed circumscripta fefellit,
A Nec circumscriptor serpens impune triumphat.
Nam postquam juvenis violata mente comedit
Funereos sine lege cibos in morte futurus,
182 Mox sapit infelix, quid pravum, quid sit honestum :
Cognita simplicitas, sed mox est corde fugata.
Membra pudenda putat partem, quæ est prolis origo,
Et qua ventris erat digestio, turpis habetur.

VARIÆ LECTIONES.

471. Vict. interpungit *corda: puellæ Ingerit o*

473. Vat., Vict., Azagr., *semel.* Sirm., *simul.*

475. Vict., *p. rescisse d.*

476. Sic Sirm.; in Vat., *e. spa.... procedere pejus* B *Ausum quippe nefas tentat s. m.*

477. Vat., *aut suum quippe.*

478. Vat., *f. vinctum.* Vict. distinguit *insontem jam n. f. victum Circumventa perit.*

480. Vat. sic.; Vict., *circumscriptum s.* Sirm., *circumscripta s.*

481. Hic versus et seqq. usque ad v. 539 *Ad scelus* desunt in Vict., sunt autem versus 58, qui reperiuntur apud Sirm., Vat., Azagr.

482. Vat., *m. futuros.*

484. Sirm., *s. et m.* Vat., *sed m.*

485. Vat., *putant patremque et prolis o.*

486. Sic Vat., ubi *digesti* pro *digestio.* Sirm., *Et qua ventris erat pridem digestio turpis.*

NOTÆ

Victor l. I Genes., *Casus mentis inops.* Sic *inops rationis, consilii, humanitatis.*

470. Posset cum Silio l. VII, v. 260, dici *Fraudisque veneno Aggreditur mentes.*

471. Barthius l. VII Advers., cap. 20, *adit* accipit, ut *adire manum* apud Plautum. Sed hoc loco pro *convenire, aggredi* recte *adire* usurpatur. Legit autem et interpungit Barthius *Insidiosus adit heu! mollia corda: puella Ingerit ore cibos.*

475. Weitzius cum Vict. *Pœnituit rescisse* (hoc est gustasse, gustando cognovisse) *dapes, et damna putantur Temporis exacti spatio procedere pejus. Ausa quippe nefas tentat seducta maritum.* Ubi *quippe* trisyllabum est ex Barthii opinione, qui hoc et nonnullis aliis locis versus trajectos esse affirmat, quorum restitutio peculiares notas desiderat. Rivinus lectionem nostram præfert, et explicat *Nefas ausum est procedere pejus.* Sed non exponit quid sit *damna putantur Temporis exacta spatia.* Fortasse Dracontii sententia est, Evam damnum putasse, quod antea abstinuerit, adeoque ultro in pejus processisse.

477. Mar. Victor l. I, v. 413 Genes., *Experti jam docta mali consortia culpæ Quærit, et incautum fraudis male gnara maritum, Qua periit prior, arte petit.*

478. Prudentius Dittoch. v. 3, *Tinxit et innocuum maculis sordentibus Adam.* Barthius legit *victum, Circumventa premit, spe circumscripta fefellit.* Putabat enim Eva, si conjugem invitasset ad peccatum, suum ipsius allevaturam. Rivinus notam ms. ad marginem vidit, qua Barthius conjecerat *femina rictum Circumventa aperit.* Ipse autem Rivinus distinguit et legit *Et capit insontem. Jam noxia femina victum Circumventa petit, sed circumscripta fefellit.* Sed minus bene D dicitur *petit victum*, non enim victus erat, cum illum petiit.

479. Pro *sed* melius esset *et.* Libenter etiam legerem *Circumscripta perit, et circumscripta fefellit:* aut *Circumventa perit, circumscribensque fefellit.* Orentius v. 340 de Eva : *Tu cito decepta, tu cito decipiens.* Hujus Orentii, sive Orientii, sive Orontii poetæ pariter Hispani Commonitorium carmen est eruditum et venustum, sed multis locis depravatum et corruptum. Hispanicis versibus illud reddidit Emmanuel Joseph Fernandez Vinjoy, Matriti, in-4, anno 1790, qui Orentium in fronte operis sanctum appellat, nescio quo jure. Sententia Orentii et Dracontii quod Eva Adamum deceperit, insontem ceperit, fefellerit, non adversatur Apostolo ep. I ad Timoth., cap. II, vers. 14 : *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Plerique enim Patres et interpretes fatentur Adamum aliquo sensu ab Eva fuisse deceptum, quamvis non uno modo verba Apostoli interpretentur, ne huic deceptioni Adami contraria videantur. Probabile mihi est S. Paulum ostendere Adamum minus deceptionibus fuisse obnoxium quam Evam, quia hæc prior a serpente decepta fuit, ille a femina jam decepta. Ambrosius lib. IV de paradiso : *Mulier prior decepta est, et virum ipsa decepit.*

480. Tertullianus l. II adversus Marcion., cap. 7, *Denique puta, intercessisse* (Deum), *puta rescidisse illum arbitrii libertatem, dum revocat ab arbore, dum* C *ipsum circumscriptorem colubrum a congressu feminæ arcet.* Rivinus in vulgata lectione hærebat, quia hi versiculi male et inter sese et cum seqq. cohærent : scribebat ergo *Jam noxia femina victum, Ac circumscriptum serpens impune triumphat*, passive *triumpho*, et omnino prætermisso versu præcedenti *Circumventa.* Sed scriptura a nobis restituta plana est ac facilis. Solum objici posset, quod vers. seq. redditur ratio, cur serpens impune non triumphet, et nihil postea de serpente dicitur. Hæc difficultas utrique scripturæ obest, adeoque potius versus hic, ubi sermo est de serpente, loco movendus esset, quam versus præcedens *Circumventa perit.* Cæterum versus sequens *Nam postquam* narrationem pœnæ Adamo et Evæ inflictæ inchoat, de quibus serpens non impune triumphavit, quia Deus iram venia temperavit et resurrectionem etiam eorum post mortem decrevit.

483. *Sapit* sumitur pro *scit;* exponitur enim quid in Adamo arbor scientiæ boni et mali effecerit. Barthius l. LVI Advers., cap. 5, notat *sapere* pro sentire, scire, existimare proprium esse scriptorum Romæ inclinantis, et Augustinum in eam rem allegat. Verum idem verbum *sapere* nonnunquam a veteribus ita usurpatur, ut, si sciendi significationem non habet, certe non longe ab ea sit. Nunc quædam vulgares linguæ a *sapere* dicunt scire, ut Hispana *saber*, Itala *sapere.*

484. *Simplicitas* pro innocentia occurrit l. II, v. 804. In eo temporis puncto, quo Adamus simplicitatem sive bonum et honestum cognovit, gratia excidit, bonumque amisit. Sed quid? Ignorabatne antea quid esset honestum? Non ignorabat certe; sed per peccatum experimento cognovit bonum quod amisit, et malum in quod incidit, ut plerique Patres et theologi exponunt. De cognitione etiam, qua præditus fuit Adamus, mysteriorum supernaturalium, non levis est quæstio : quam veram fidem supernaturalem fuisse probabilius est.

486. Scripturam Sirmondi falsam esse agnovit

Omnibus ex membris pars mundior illa putatur,
Noxia sola magis fuerat quæ in corpore toto,
Os, aditus mortis, quam protulit, atque recepit,
183 Lingua suada mali: sed et aures limina mortis.
Viderat Omnipotens, homines didicisse pudorem,
Perdiderant quem fraude truci, dapibusque comesis,
Errantes per prata reos, foliisque tegentes
Fecundos artus: dant agnita membra reatum.
Illicitum fas ante putant, licitumque profecto
Creditur esse nefas. Hos increpat ore tonanti
Sacrilegos, qui jura Dei calcando profanant,
Dum quærunt ullas foliis, vel rupe latebras;
Tunc magis obtunsi, cum credunt posse latere
Omne suum quodcunque Deum, cui cuncta patescunt,
184 Et merito, quia cuncta facit, fecitque jubendo.
Non fugit artificem, chalybis quæ massa caminos
Sustineat, rubigo latens quæ viscera ferri
Corrodat, quæ missa semel fornace liquescat.
Hic non defossa prodit tellure metalla,
Promittit saxis, et non de pulvere gemmas.
Scit, quibus immittat mordaces fluctibus hamos,
Retibus aut pisces fallat scrutator aquarum;
Et male venturas sperat sibi nauta procellas.

VARIÆ LECTIONES.

487. Sirm., *ipsa*. Vat., *illa*.

489. Sic Vat., sed *nos* pro *os*. Sirm., *Os aditum mortis tunc protulit atque rejecit*. In Azagr. *est aditus*. Cætera cum Sirm. consentiunt, ut videtur.

490. Ita Vat., sed *lumina* pro *limina*. Sirm., *Lingua malisuada, s. e. a. limina mortis*.

491. Sirm., *omnem*. Azagr., *hominem;* sic Vat. Ex conjectura *homines*.

492. Azagr., *perdiderat*. Sirm., Vat., *perdiderant*. Vat., *comessit*.

494. Sirm., *jam fœdos artus*. Vat., Azagr., *fecundos artus*.

495. Sic Vat.; in Azagr., *illicitum justum reputant l.* Sirm., *illicitum licitum reputant, l.*

497. Vat., *s. quos j.*

499. Vat., *Tunc m. o., cum quærunt p. l.* Sirm., *Hinc m. o., quod credunt p. l.*

500. Ita Vat., sed *tuum quocunque* pro *suum quodcunque*. Sirm., *Tunc quodcunque Deum, cui cuncta creata patescunt*.

501. Vat., *Et merito quia cuncta facit...* deest reliquum.

502. Sirm., *a. calidos q. m.* Vat., *a. calybs quem m.* Hinc *chalybis quæ*.

503. Sirm. ita; Azagr. *r. labens quæ*. Vat., *r. latens quod v.*

504. Vat., *excedat quod missa*.

505. Azagr., *hinc non*.

506. Sirm., *promittens*, Vat., *promittis*.

509. Sirm., *v. spondet s.* Vat., *v. sperat sibi*.

NOTÆ.

Rivinus, qui ex ingenio restituebat *Et partem, quæ ventris erat egestio, turpem*. Ac revera egestio proprie huic loco conveniret. Cælius Aurelianus l. v Tardar., c. 10, al. 8, *egestionem per ventrem* pro *emissione* posuit. Sed digestio ventris pro ipsa egestione, quæ effectus illius est, non inepte usurpatur. Macrobius l. vii Saturnalium, c. 4, *Ergo in ventre fit prima digestio, virtute alloeotica in succum vertente quidquid acceptum est, cujus fæx retrimenta sunt, quæ per intestina inferiore orificio tradente labuntur, et officio quartæ virtutis, cui ἀποκριτική nomen est, procuratur egestio*

488. De lingua mala vide notam ad v. 57, *Quod hominis mala lingua tacet*.

489. Rivinus in scriptura Sirmondi suspicabatur *Os aditum mortis tunc protulit, atque recepit*. Lectio Vat. verior est: intelligo autem partem noxiam esse os, aditum mortis, quam mortem os protulit atque recepit, necnon linguam et aures: vel etiam partem noxiam esse linguam, quam os (quod ipsum est aditus mortis) protulit atque recepit. Peccatum enim primum ore magis quam lingua perpetratum fuit: aures autem fuerunt limina mortis, quia Eva vocem serpentis auscultavit, Adamus Evæ persuasione deceptus est.

490. Melius consulimus metro cum Vat., *Lingua suada mali*, quam cum Sirm., *Lingua malisuada*. Fortasse Sirmondus dividere voluit *mali suada*. Ut *suetus* non semel trisyllabum fecit Dracontius, sic nunc *suada*. Apuleius sub fin. l. vi Metam., *Divini somnii suada majestas*.

492. Pecca o Adami pudor quodam sensu natus, quodam exstinctus dicitur. Vide notam ad v. 445. Perdiderant igitur virtutem, quæ effectrix est pudoris, et nihilominus pudore naturali afficiebantur, qui tamen bonus non est, nisi a virtute pudicitiæ procedat. *Perdiderant fraude truci*, quia v. 467 dixit, *Incurrant non fraude sua*.

494. Lectio Sirmondi non displicet. Sed *Fecundos artus* pro *fecundantes*, ut antea dixit *prolis origo*, verior est scriptura. *Dant agnita membra reatum*, hoc est reatus est, et culpa agnoscere, videre membra nuda.

495. Quod fas antea erat, illicitum putant, et quod revera licitum esset, nisi culpa præcessisset, credunt esse nefas, ut est nuditas. Insaniebant Adamitæ, qui pro nuditate exemplum Adami proferebant.

497. Confer l. iii, v. 561, *Sacrilega quasi mente putem non omnia nosse*.

499. Sententia eadem est in utraque scriptura: sed ex lectione Vat. aliud eruo quod multo magis mihi placet, scilicet *Tunc magis ostensi, cum credunt posse latere Obtentu quocunque Deum*. De *obtentu* Virgilius l. xi, v. 66, *Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant*. De *ostensus* Lucanus l. ii, v. 192, *Ut scelus hoc Syllæ, cæde que ostensa placeret*. Mar. Victor lib. i Gen., *Tune potes Dominum fugiens evadere? tune Omnia cernentem sperasti posse latere? Ut vastis jaceas tenebris, celabere nunquam*. Vide Alcimum l. iii Genes.

501. Sirmondus interpungit *jubendo, Non fugit*. Rivinus notat in *jubendo* sensum omnino absolutum esse. Hæc ratio infinitæ scientiæ divinæ redditur etiam l. iii, v. 10.

504. Ex Vat. conjicio *Exedat, et quæ massa semel*, vel *quæ missa semel fornace liquescant*.

505. De his est sermo qui cognoscunt ubi sint metalla ante defossam terram, et gemmas in rupibus quærunt.

507. Statius l. iii silv. 1, v. 84, *Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi*. Piscatores vocat *scrutatores profundi*.

509. *Sperare* accipitur etiam pro metuere mala quæ cogitamus, vel etiam pro credere futurum id quod nolumus. *Spondet*, quod habet Sirmondus, dicitur etiam de vaticinantibus et oraculis; sed non

Si pluvialis hiems, aut saxeus urgeat imber,
Non latet agricolam. Sub terris providus undæ
Promittit fontes designans ante saporem,
185 Inspecta tellure semel. Sine flatibus ullis,
Sibila dum reticent, necdum serpente notato,
Prædicit Psyllus vim cujuscunque veneni.
Signa videt mortis medicus, reducisque salutis,
Et negat, aut spondet victurum judice visu,
Tædia lætitiæ, vel gaudia luctibus indens.
Cur exempla damus homines præscire futura,
Cum, testante Deo, doceantur nosse, quod instat?
Natio viperea, clamans, mortalibus inquit,
Signa poli nostis, prædicitis : Imminet imber,
Et veniet, nec fallit hiems, nec tardat adesse.
186 Ecce genus hominum ventura scire probatur.
Nec mirum, Christi si sentit imago futurum,
Cum nos venturum moneant animalia multa.
Bucula, rana, grues, formicæ, corvus, hirundo
Prædicunt pluvias, nec jam præsagia fallunt.
Quid res exanimes? testis ardente lucerna
187 Scintillare oleum, fungis crescentibus imbre?

VARIÆ LECTIONES.

510. In Vat. desunt verba *aut saxeus urgeat imber.*
511. In Vat, *undæ;* obscure.
512. Vat., Azagr., *ante.* Sirm., *arte.*
513. Hi duo versus *Inspecta* et *Sibila* non leguntur in Vat.
515. Vat., *præd'x't sibilis vim.*
516. Ita Vat.; in Sirm., *s. v. medicus mortis, r.*
518. Vat., *Tæda læti vel gaudia fluctibus index.*
519. Sic Vat.; in Sirm., *populi* pro *homines.*
521. Ita Vat., sed *nate* pro *natio.* Sirm., *Natio v. clamat, m. inquit.*
522. Vat., *poli noscis,* et obscure *prædicitis.*
523. Vat., *adesset,* correctum per *adesse.*
524. Vat., *probatum.* Sirm., *probatur.*
526. Vat., *quam nos.*
527. Vat., *bucula, rana, sues,* sed scribit *buccula.* Sirm. *ardea, rana, sues.* Ex conjectura *grues.*
528. Vat.. *Prædicant p. n. j. præsapia f.*
529, 530. Sic ex conjectura : ms., *Quid res exanimes testas ardente lucerna Scintillare oleum fungis crescentibus ignem.*

NOTÆ.

invenio exempla in rebus malis futuris quæ prædicuntur.

512. Cum in Azagr. et Vat. sit *ante,* hoc retineo : et fortasse vers. super. legendum est *undas,* nam obscurum est id verbum in nexu litterarum codicis Vaticani. Sensus erit : Providus promittit undas designans fontes ante saporem, vel in scriptura vulgata *undæ,* providus undæ promittit fontes, designans antea saporem aquarum. Editi distinguunt *saporem. Inspecta tellure semel sine flatibus,* etc. Sed melius distinguendum videtur *designans ante saporem, Inspecta tellure semel. Sine flatibus ullis,* ut *inspecta tellure semel* referatur ad *providum undæ,* et nova periodus inchoetur a vocibus *Sine flatibus :* quæ distinctio Rivino in erratis etiam placuit. Providus undæ, sive peritus scrutandi venas aquarum dicebatur *aquilex.* Plinius xxvi, c. 6, *Tussilago silvestris ubi nascitur, subesse aquas credunt : et hoc habent signum aquileges.*

515. De hoc versu vide num. 7 prolegom., ubi Isidori locus de eo expenditur. Ex toto contextu liquet legendum *Prædicit,* non *Præcidit,* ut volebat Galadius : nam exempla proferuntur eorum qui virtute prædicendi pollent, tam in præcedentibus versibus quam in sequentibus. De Psyllis multa affert Lucanus l. ix, a v. 893, et de hac arte prædicendi solum id habet : *Tum superincumbens pallentia vulnera lambit, Ore venena trahens, et siccat dentibus artus, Extractamque tenens gelido de corpore mortem Exspuit : et cujus morsus superaverit anguis, Jam promptum Psyllis vel gustu nosse veneni.* Alii *nosse venenum.* Plinius l. vii, c. 2, præter Psyllos tradit fuisse etiam in Hellesponto circa Parium genus hominum qui serpentium ictus contactu levare solebant et manu imposita venena extrahere corpori. Nonnulli putant Psyllorum non vim propriam aut scientiam, sed audaciam fuisse, quoniam venenum serpentum non gustu, sed in vulnere nocet, quod jam olim docuit Celsus libr. v, cap. 27, et recentes medici pluribus confirmant. Psyllis comparantur Marsi, de quibus Alcimus l. ii, *Hinc est, laudato quod possunt carmine Marsi, Cum tacita sævos producunt arte dracones Absentes,* etc. Adde Plinium loc. cit.

520. Matthæi cap. xvi, v. 2 seqq.

521. *Natio viperea* desumptum est ex Matth. c. xii, v. 34, *progenies viperarum.*

524. Posset cum Vat. legi *probatum,* scilicet probatum est, homines scire ventura. Sed *probatur* videtur magis Dracontianum, ut v. 385, *Quibus apta probatur.* Vide notam ad v. 26 libr. ii.

525. Rivinus rectius putat, si legatur *Nec mirum, Christi si sentit imago futurum Nimbum, cum moneant venturum animalia multa :* nihil enim hic de adventu Christi. At vero in scriptura vulgata sententia sibi constat, quin de adventu Christi quidquam cogitemus. Dracontius ait : homo ventura prædicit, nec mirum si homo, qui est imago Christi, prævideat quod futurum est, cum animalia multa moneant nos quid sit venturum. Homo *Christi imago,* ut v. 338, *cœlestis imago.*

527. Præstat legere *Bucula, rana* cum Vat. quam cum Sirm. et cæteris, *Ardea, rana.* Virgilius libr. i Georg., v. 363, ex ardea signa ventorum surgentium peti docet : *Notasque paludes Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.* Sed paulo post de prognosticis imbris, de quibus agit etiam Dracontius, ita Virgilius: *Nunquam imprudentibus imber Obfuit; aut illum surgentem vallibus imis Aeriæ fugere grues, aut bucula cœlum Suspiciens, patulis captavit naribus auras, Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo, Et veterem in limo ranæ cecinere querelam, Sæpius et tectis penetralibus extulit ova Angustum formica terens iter, et bibit ingens Arcus, et e pastu decedens agmine magno Corvorum increpuit densis exercitus alis.* Hæc omnia unico hoc versu complexus est Dracontius : itaque *sues,* quod in omnibus editis et mss. reperitur, confidenter mutavi in *grues,* quas primo loco Virgilius memorat. Habebat autem præ oculis Dracontius totam Virgilii de prognosticis doctrinam, ut ex versibus, qui præcedunt, quique consequuntur, liquido patet. Nam etiamsi Christi nomine signa priora enuntiet, quædam tamen a Virgilio mutuatur, ut quod ait Virgilius v. 424, *Si vero solem ad rapidum, lunasque sequentes Ordine respicies, nunquam te crastina fallet Hora,* etc. Dracontius *Nec fallit hiems.* De bucula consentit etiam Cicero in prognosticis l. i de Div nat., *Mollipedesque boves spectantes lumina cœli Naribus humiferum duxere ex aere succum.* Confer notas ad v. 54 et seqq. hujus libr. i.

529. Quidam apud Rivinum attentaverat *Quid res exanimes testor, ardente lucerna Scintillare viden, fungis crescentibus ignem?* Et ita sententia planior Ri-

An Deus omnipotens posset nescire latebras
Rupis, et ex foliis vestis contexta caducis
Aspectanti obstare Deo? Tunc voce retractus
Crimine femineo semet peccasse fatetur
Infelix conjux, in conjuge facta redundat,
188 Et reus accusat, sed non purgandus agebat.
Et sic participem propter solatia cladis
Conscius ascivit socius; ceu femina possit,
Ad scelus horrendum, vel sæva piacula mortis
Supplicio sociante duos, relevare reatum.
Credidit infelix: sed par sententia damnat,
Quos par culpa tenet: gradus illic temporis inter
Est tantum, nam causa ligat communis utrumque.
Exsurgit censura Dei pietate severa,
Et vitæ, mortisque simul sententia fertur.
Supplicium infelix, quo mors datur, atque negatur,
189 Ultio vitalis cohibetur limine mortis.
Pœna mori crudelis erat, sed vivere pejus.
Otia, delicias perdunt, discuntque labores,
Qui cultore Deo fructum telluris habebant,

VARIÆ LECTIONES.

531. Vat., *Audens omnipotens p. n. tenebras.*

532. Vat., *Rupis et ex foliis.... contexta caducis:* lacuna relinquitur ad vocem *vestis*, *aut* aliam.

533. Vat. et alii, *aspectus obstare*. Vat., *Deo*. Sirm., *Dei*. Vat., *Voce reatus*. Sirm., *v. reatum*, ex conjectura *aspectanti*.

536. Sic Vat.; in Azagr., *Et reus excusat se, non et p.* Sirm., *Et r. excusat, sed non p.*

537. Vat., *s. cordis;* ad marg. *cladis.*

538. Vat., *seu* pro *ceu.*

539. In Vict. hic versus proxime succedit versui 480, sed in eo legitur *ac scelus.*

540. Vat., *reatum;* alii, *reatu.*

541. Vat., *si* pro *sed*

542. Sirm., Vict. et in nexu litterarum obscure Vat., *inter.* Azagr., *index.*

545. Vict., *ac vitæ.* Vat., *Et vita est, morsque simul sententia....* deest reliquum.

546. Vict., *mors de utroque negatur.*

547. Vat., *Ulla r. c. lumine m.*, supra *limine.* Alii, *limite.*

548. Vat., *v. pœnis;* ad marg., *pejus.*

549. Vat., *ora delicias.*

550. Vat., *t. habebat.*

NOTÆ.

vino videbatur, qui tamen hoc modo restituebat *Quin res exanimes* (scilicet prædicunt pluvias) *cum testa ardente lucerna Scintillat oleum fungis crescentibus imbre.* Dracontius imitatur Virgilium l. I Georg., v. 390, *Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ Nescivere hiemem, testa cum ardente viderent Scintillare oleum, et putres concrescere fungos.* Ex his versibus collatis cum mss. elicui lectionem, quam edidi. Cum aer humidus esse cœperit, favilla, quæ cum fumo solet egredi, prohibita aeris crassitie residet in lucerna et fungorum imaginem reddit, ut Virgilii interpretes explicant. Vide etiam Apuleium l. II Metam. ante med.

532. Redit ad id quod dixerat v. 498. Rivinus conjicit *Rupis; an ex foliis vestis contexta caducis Aspectus cohibere Dei?* Recte esset *an*, sed sensus idem est; intelligitur enim *et an ex*, etc.

533. Sirmondus edidit *Aspectus obstare Dei;* sed parum Latine id diceretur. Rivinus ex ingenio *Aspectu cohibere Dei.* Ex Vat. conjicio *Aspectanti obstare Deo.* Posset etiam *Aspectis obstare Dei:* nam olim *aspectus*, *aspecti*, declinabatur ex Nonio c. 8, n. 15, qui duo Accii exempla allegat. Reliqua sic legit Rivinus, *Tum voce creatum, Crimine femineo se sed peccasse, fatetur Infelix conjux, in conjuge facta retundit, Et reus excusat, sed non purgandus habetur. At sic participem*, etc. Sirmondus legit et interpungit *Tunc voce reatum, Crimine femineo semet peccasse fatetur. Infelix conjux in conjuge facta redundat, Et reus excusat, sed non purgandus agebat. Et sic participem*, etc. Multo clariora hæc sunt, ut a nobis restituuntur, *Tum voce retractus*, Adam, infelix conjux, voce Dei retractus, quod eleganter dicitur de illo qui unde fugerat eo vi reducitur. Fatetur Adam semet peccasse inductum a femina, adeoque *in conjuge facta redundat*, hoc est peccatum partim in conjugem rejicit. *Redundo* cum accusativo, ut Statius l. IV silv. 3, v. 71, de fluvio ait: *Pandis talia faucibus redundat.* Elegantius esset *in conjugem*, sed poetice non male est *in conjuge.* Lucretius l. VI, v. 712, *Nilus in æstate crescit, campisque redundat.* Vide Gifanium in Indice. Venusta est lectio Vat., *Et reus accusat, sed non purgandus agebat*, quam librarii non intelligentes perverterunt. Adam non solum se excusavit, verum etiam accusabat uxorem, cum ipse esset reus. Additur *sed non purgandus agebat*, et melius esset *sed non purgatus agebat.* Verbum *agere* proprie eis convenit, qui res suas jure persequuntur, et actionem adversus alios intentant: quo sensu actor opponitur reo. Adam ergo, qui reus erat quique purgari non poterat, partes actoris sibi arrogavit.

537. Forte legendum *cladi Conscius ascivit socius*, vel *cladis Conscius ascivit socium.* Nec male est *cordis.*

538. *Conscius* absolute pro reo a Plauto Seneca in tragœd. aliisque adhibetur. Rivinus legit *ceu femina posset:* aliæ editiones et mss., *possit.*

539. Libr. II, v. 401, *Ad sæva piacula.* Libr. III, v. 263, *Tam sæva piacula.*

540. In Fabricio mendum est *revelare*, quod jam emendaverat Weitzius per *relevare.* Prima editio Vict. habet etiam *relevare.* Significat autem *relevare* minuere, levem facere. Plinius in Paneg. c. 19, *Ut studium omnium, laboremque et tanquam exactor intenderes, et tanquam particeps sociusque relevares.*

541. Libr. II, v. 467, *Scelus omne peractum Respicit auctorem, socios cunctosque ministros Implicat.* Confer etiam l. II, v. 419, *Non sociant pœnæ, quos non junxere reatus.* Lucanus l. V, v. 289, *Rheni mihi Cæsar in undis Dux erat, hic socius. Facinus quos inquinat, æquat.* Arator l. I, v. 472, de Saphira: *Cadit impia conjux Supplicio percussa pari, quia crimine ab uno Fit commune nefas, quoties scelus ante peractum Consensus facit esse suum.*

543. Weitzius affirmat se restituisse *nam* pro *non.* In editione prima Vict. et in secunda Fabricii invenio *nam.* Fortasse exemplaria Fabricii variant.

545. Libr. II, v. 697, *Levis est sententia cœli.*

546. Legendum puto *Supplicium felix:* nam in omnibus his versibus est acumen et quædam oppositio: *Censura pietate severa, vitæ mortisque simul sententia, supplicium felix quo mors datur atque negatur ultio vitalis cohibita limine mortis.*

547. Legi etiam potest *limite mortis.* Intelligitur autem ultio in vitam hominis, cui tot ærumnis obnoxio felicitatis genus est mori, ut vers. seq. declaratur, et explicatius vers. 555, *Et vitæ mors meta datur cum fine malorum.* Eodem recidit, si dicatur, ultionem cohiberi limite mortis vitalis, quod magis mihi probatur.

548. Forte, *vivere pejor*, videlicet pœna.

Agricola dominus quam nondum verterat unquam. A
Ipse rigator erat, sator, altor, messor, arator.
Offendunt hunc ambo plum : truduntur ab horto,
Perpetui flores nec sunt sub jure reorum,
Et vitæ mors meta datur cum fine malorum.
Magna Dei pietas, venia qui temperat iras.
Vita gravis hominum subducitur impete mortis,
190 Quæ recidiva magis conversis corde re urgit.
Mors mundanorum requies est certa laborum,
191 Et male viventi præstatur fine salutis.
Continuans quodcunque nocet pravumque bonumque.

VARIÆ LECTIONES.

551. Sirm. ita; Vat., *Agricolam Dominum q. non diviserat unquam :* forte est *quæ non.*

552. Vat., *sator alter messor;* alii, *s. auctor, m.*

553. Vat., *o. hunc a.* Sirm., *o. nunc. a.* Azagr., *o. tunc a.* Vict., *o. hæc a.* In Vat., *ortu* pro *horto.*

554. Azagr. ita; Sirm., *p. floris, non est s.* Vict., *p. floris, nec est s.* Vat., *perpetui floris, nec habet s.*

556. Sic Vat.; in aliis, *p. semper qui.*

558. Ita Vat.; cæteri, *m. vivaci corde r.*

559. Vat., *r. vel certa.*

NOTÆ.

551. Vict. facit cum Sirm., sed Fabricius pro *quam* B edidit *cum* per errorem, in quem Weitzius etiam incidit. Rivinus suspicatur *Agricolæ vomis cum nondum verteret agrum.* Barthius, lib. VII Advers., cap. 20, spurium hunc versum putat, quo dempto clarissima est sententia. Ex Vat. conjici potest *Agricolam dominum quæ nondum viderat unquam.* Verba Genes. II, 5, hæc sunt : *Et homo non erat, qui operaretur terram.*

552. Ex mendo Vat. *alter*, lego *altor* potius quam *auctor* cum editis. Vide lib. III, vers. 315, cum nota. Cicero lib. II de Natur. deor., c. 34, *Omnium rerum, quæ natura administrantur, seminator, et sator, et parens, ut ita dicam, atque educator, et altor est mundus.*

553. Rivinus conjicit *Offendunt hæc ambo pium* vel *Deum*, ut *hæc* ponatur pro *hi.* Sententia Vat. recte procedit.

554. Scriptura Vat. reformari ita potest *truduntur ab horto Perpetui floris, nec adest sub jure reorum.* Pro *est* scriptores sequioris ætatis, ut Commodianus, Sedulius et alii, usurpant *adest.*

555. Prudentius hymn. V Per., vers. 527, *Finem malorum præstitit Mortis supremus exitus.*

558. Barthius lib. XXXV Advers., cap. 10, *recidivus* exponit *vitæ restitutus, et velut excisa stirpe repullulans*, quod hoc exemplo Dracontii confirmat et alio Paulini ad Nicetam de Christo : *Recidivus Abel pascit effusi pretio redemptos Sanguinis agnos.* Barthio opponit Rivinus, quod hoc Dracontii loco *recidiva* est a *recido*, non a *cædo.* Verum dubium non est quin *recidivus* pro renascenti sumatur, sive a *cædo* trahat originem, ut multi putant, sive a *recido* pro recurrere : nam recidere dicuntur quæ redeunt seu recurrunt. Virgilius lib. X, vers. 58, *Dum Latium Teucri, recidivaque mœnia quærunt :* ubi Servius interpretatur *renascentia*, et a *cædo* videtur deducere *recidivus.* Alii minus apte *mœnia quæ bis ceciderunt* exponunt. Deberet quidem secunda in *recidivus* esse longa, si a cædo *recidivus* diceretur, sed in derivatis sæpe variat quantitas. Charisius hoc discrimen inter *recidivus*, et *redivivus* agnoscit, quod REDIVIVA *dicimus quæ post interitum redeunt*, RECIDIVA *quæ ex suo casu restituuntur.* Si hoc discrimen semper servaretur, hoc loco potius legendum esset *Quæ rediviva magis.* In editis est *vivaci corde resurgit*, quod de anima post obitum corporis superstite intelligi potest. In Vat. *conversis corde* accipio de resurrectione etiam corporum, quæ justis hominibus ad æternam felicitatem concedetur : de qua resurrectione postea multis argumentis agit Dracontius a vers. 621.

559. Rivinus putat hunc versum esse Eugenii Toletani, qui epigramm. 4 de bono pacis ait : *Pax fessis requies, pax denique certa laboris*, ubi ego mallem *meta laboris.* Imo cum in Dracontii versu Vat. habeat *requies vel certa*, non absonum esset legere *requies vel meta*, sumpto *vel* pro *et*, intelligitur enim *est*, etiamsi non exprimatur. Sic vers. 555, *Et vitæ mors meta datur cum fine malorum.* Quod autem hic versus Eugenii sit, non assentior Rivino : exstat enim in Vict. et Vat., in quibus nullam esse opinor Eugenii correctionem. Imitatus ergo est Dracontium Eugenius epigrammate illo suo. Quod attinet ad explicationem hujus et duorum sequentium versuum, audiendus est Barthius lib. LIV Advers., cap. 9, *Ita enim censet Michael Glycas lib.* I *Annal. cum aliis priscis Patribus, sine mortis auxilio post lapsum primum parentem in perpetuis hujus, quas meritus erat, vitæ miseriis victurum fuisse : Deum autem misertum infinitarum ærumnarum pro pœna simul, et solatio mortem introduxisse. Producit autem Glycas testes, et fundamenta hujus sibi assertionis Basilium, Chrysostomum, Gregorium Nazianzenum et Anastasium Sinaitam..... Sed his admissis sciendum est, nos minime terminum malis imponere, cum post vitam insolentem mortui fuerimus, sed crimina nostra simul, et eorum pœnam in aliam mortem, quæ nunquam moritura est, continuare : qua de re sic optime scribit Joannes Saresburiensis lib.* XI *de Nugis curialium, c.* 27, *ex vetustiore quodam scriptore ecclesiastico : Unum est, inquit, quod totis mentis et corporis viribus fugiendum est : quid illud sit, quæris? turpitudo* C *et totius species inhonesti. Hæc enim faciunt, mortem non esse terminum malorum, sed antecedentium et succedentium copulam. Quam eamdem sententiam nobis proposuit etiam Dracontius..... Mors mundanorum*, etc. Idem Barthius, lib. VII, cap. 20, explicans versum, *Et male viventi præstatur fine salutis*, ait : *Præstare est beneficio quem aliquo afficere. Mors eo fine beneficii instar datur mortalibus, ut salutis tandem sint compotes.* Alio vero loco, ut animadvertit Rivinus, vel fortasse ad hunc locum manu scripsit Barthius, legendum esse, *Et male viventi præstat finire saluti*, quod rejicit Rivinus exponens *fine salutis*, hoc est salutis causa. Equidem sententiam obscuram adhuc permanere puto : nam si mors est requies laborum iis tantum qui bene vivunt, quo pacto præstatur male viventi fine salutis, nempe salutis causa, vel ut compotes salutis sint? Et quid, rogo, est mortem continuare quodcunque nocet pravumque bonumque? Nam bonum cui nocet? Et si continuat mors quodcunque D nocet, male viventi cur datur salutis causa vel fine? Rivinus mallet *Continuans quodcunque necat pravumque bonumque.* Sed difficultas eadem est, sive *necat* sive *nocet* legas. Existimo igitur hanc esse Dracontii mentem, quod mors est requies laborum hujus vitæ, et homini male, hoc est in ærumnis et miseriis viventi præstatur beneficii et gratiæ loco, quia morte molestiæ hujus vitæ finiuntur. Versus *Continuans quodcunque nocet* cum versu sequenti conjungi posset, ut Deus sit continuans vitas hominum et quodcunque eis nocet, adversa et prospera. Nisi mavis ita legere *Continuum quodcunque nocet pravumque bonumque*, vel *Continuans* neutrorum more, hoc est quodcunque continuans vel continuum, sive pravum sive bonum sit, nocet, quod demum mihi unice placet : ut sensus sit, etiam bona hujus vitæ, si perpetua essent, fastidium allatura, cum nec vere bona sint. Tum vers. seq. legere poteris *Solus in æternum bonus est regnator, et auctor Virtus trina Deus.* Matth. XIX, 17, *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus.*

Solus in æternum Deus est regnator, et auctor, A
Virtus trina Deus, triplex Deus omnis et unus,
De quo speratum conceditur omne benignum,
Et quæcunque jubet, præsumptio nulla fefellit,
Nec deest effectus faciendi tempore eodem :
192 Quem penes et sensu præcordia muta loquuntur,
Et, lingua reticente, sonat super æthera sermo,
Ac mens pura Deum potius quam lingua precatur.
Ergo operis memor ipse sui Deus imperat ambos
Sedibus egressos placidis, dominentur ut orbi,
Ac totum, quod mundus habet, sub jure tenerent;
Et quod floret humus, viridis quod germinat herba,
Quod spicat messis, quod ramis parturit arbor,
193 Quod gemmant vites, quod amœna comantia frondent,
Flumina quod mittunt fontes, quod fluctuat æquor,
Quod pelagi trahit unda, fretum quod littora tundit,

VARIÆ LECTIONES.

563. Ita Vat.; alii, *Virtus una Deus, trinus Deus omnis et unus.*

565. Azagr., *nulla fefellit.* Vat., *Nec quemcunque mens præsumpsit pura fefellit.* Sirm., *præsumptio nulla refellit.*

566. Vat., *Victurum effectus non desint tempore eodem.*

567. Azagr., Vict., *Penes quem sensum primordia multa loquuntur.* Sirm., *Quem penes et sensus primordia multa loquuntur.* Vat., *Penes quem sensu præcordia muta loquuntur.*

568. Sirm., *Et voce reticente sonat super æthera sermo.* Vict., *Et sermo retinente sonat super æthera voce.* Vat., *Et lingua reticente sonat subterra sereno;* ad marg., *sermo* pro *sereno.*

569. Vict., *hac mens.*

570. Sirm., Vict., *i. sui tunc i.* Azagr., *i. Deus tunc i.* Vat., *i. sui Deus i.* B

571. Vat., *dominentur in orbe.*

572. Vict., *jure tenetur.*

573. Vat., *At q. f. h. v. q. germinet h.*

574. Vat., *Quod spicant messes, quod ramos p. arbos.*

575. Vat., *quod geminant v.*

576. Vat., *Flumina quod mutant fontes, quod fluctuat æquor.* Sirm., *Flumina, quod mittunt fontes, quod fluctuat amnis.* Azagr. ita, sed *æquor* pro *amnis;* sic etiam Vict., sed *fundit et æquor* pro *fluctuat æquor.*

577. Sirm. cum Vict. distinguit *unda freti, quod.* Vat., *tundat* pro *tundunt.* Omnes, *freti.*

NOTÆ.

563. De hoc versu dictum in proleg. num. 109 et seq., ubi de orthodoxa Dracontii doctrina contra Arianam impietatem verba feci. Legesis not. lib. II, vers. 69. C

564. Epist. Cath. Jacobi cap. I, vers. 17, *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum.*

565. *Præsumptio* pro audacia, nimia confidentia, obstinata animi præparatione a Tertulliano, Severo Sulpicio, Apuleio et similibus scriptoribus sumitur. Nonnunquam tamen in bonam partem accipitur pro fiducia.

566. Ex Vat. conjectura oritur *fefellit Victurum, effectus nec desunt tempore eodem*, vel *Victorem*, etc.

567. Rivinus putat scriptum *Quem mens, et sensus primordia muta loquuntur.* Barthius lib. VII, cap. 20, legit *Quem penes et sensus primordia muta loquuntur,* et explicat de elementis rerum omnium a Deo conditis. Rivinus contra censet hoc loco preces tacitas, ab animo profectas, linguæ et sermoni claro opponi : cui explicationi non obscure scriptura nostra favet.

568. Weitzius legit cum Vict., et *retinente voce* exponit *retenta.* Rivino nec Weitzius, nec Sirmondus D placet : quomodo enim ait, *sermo*, *sonat*, *voce*, si *reticente?* Spernit vero, quod Weitzius ait *retinente* pro *retenta.* Ipse autem conjectat *Et sermo recinente sonat super æthera voce.* Facile refellitur Rivinus si nostram quoque scripturam oppugnet : nam acumen Dracontii in eo est quod preces internas animi sonare lingua reticente dicat, ut vers. præc. *præcordia muta loquuntur* simili oxymoro, et vers. seq. *mens potius quam lingua precatur*, quo præcedentia declarantur. Paulinus Petrocorius sæpe hujusmodi clamores cordis, reticente lingua, commemorat, Dracontium, ut puto, imitatus, ut lib. I, vers. 380, *Ad Dominum rursus fletus, suspiria sursum, Et gemitus, clamor cordis, vox magna tacentis;* lib. III, vers. 334, *Cor clamat, si lingua tacet;* lib. V, vers. 423, *Corde humilis, celsus merito, sine murmure clamans;* lib. VI, vers. 9, *Clamantia corda Allegant proprias sine voce et murmure causas.* Dracontius rursus lib. II, vers. 592 *Exaudis, quod lingua tacet sub corde loquaci;* et vers. 605, *Largitur peccata reis sine voce rogatus Pectoris affectu, secreta mente, fide, spe.* Vide etiam vers. 754, lib. I.

571. Legendum arbitror *Sedibus egressos placidis dominarier orbi*, et vers. seq. *sub jure tenere*, aut *Sedibus exire placidis, dominentur ut orbi*, etc. Sed prius illud magis placet.

572. Barthius, lib. VII, cap. 20, legit *sub jure tenetor.* Rivinus, *Si t. q. m. h. s. i. tenetur.*

574. *Spicare* est spicas emittere, translate acuere, ut *inspico.* De eo verbo videndus Barthius lib. XXIX Advers., cap. 11; Turnebus lib. XXI, cap. 25. Dracontius iterum vers. 587, *Ventus spicat aristas.*

575. *Gemmare* de vitibus dicunt Columella, Varro, et alii pro *gemmam*, sive *oculum emittere.* Alibi etiam Dracontius ita loquitur, ut l. II, v. 220, *Palmite gemmato post pampinus admovet uvas.* Confer v. 719 l. I. Weitzius explicat *amœnâ comantia, amœne comantia,* ut *amœna* positum sit adverbialiter, vel duo adjectiva *amœna comantia* ait esse. Sirmondus distinguit (quod videtur etiam velle Weitzius) *amœna comantia frondent Flumina*, quasi flumina amœna comantia frondeant propter arbores quæ circa flumina solent frondere, ut Weitzius in indice clare affirmat. Verum *amœna comantia* sunt loca amœna, quæ ipsa frondescunt : humus enim, arbores et silvæ comantes dicuntur. *Amœna* absolute ponitur pro locis amœnis. Tacitus III Annal., c. 7, *Per amœna Asiæ et Achaiæ.*

576. Barthius loc. cit. legit *Flumina quod mittunt, fontes quod fundit et æquor.* Rivinus intelligit flumina a fontibus mitti et ab æquore fundi, sed suspicatur *Flumina quod mittunt, quod fontes, fundit et æquor.* In nostra scriptura sententia est quod flumina a fontibus mittuntur, quod æquor fluctibus valet, hæc omnia data sunt usibus humanis, ut quod spicat messis, quod gemmant vites, quod floret humus, etc.

577. Distinctio, sive interpunctio Sirmondi et veterum editionum merito rejicitur a Rivino, qui legit *freti quod littora tundunt* cum Barthio et Weitzio, et *freti* sumit pro nominativo plurali exemplo Lucretii, qui dixit *fretus* pro mari. Verum Lucretius, ut alii

Murmure quod venti flantes vaga marmora crispant,
Quod generant terræ, quod flumina, pontus, et aer,
194 Usibus humanis data sunt hæc cuncta venire.
Ut similis qui factus erat de pulvere Christo,
His dominaretur cunctis sub carne creatis;
Corpora corporibus servirent cuncta subacta.
Spiritus interea servit sine corpore ventus,
Ventus agit nubes, in nubila crassior aer
Cogitur : hinc imbres veniunt, placidumque serenum.
Ventus alit fructus, et ventus spicat aristas,
195 Ventilat æstivo quas flatu mollior aura,
Deflorat fructus, et decutit arbore flores,
Flatibus accendit flammas, et temperat æstus,
Flatibus alternis redeunt commercia vitæ,
Itque, reditque suos repetendo spiritus haustus,
Et reduci vento fibræ pulmonis anhelant,
Faucibus excurrens et naribus aura vicissim
Vitales animat per membra tepentia sensus,
Atque modo gelidis, calidis nunc flatibus ora

VARIÆ LECTIONES.

579. Vat., *generant terra, quod flamma p.* Vict., *p. et æther.*
581. Vict., *similis qua f.*
582. Vict., *is dominaretur.*
585. Vat., *n. crassius aer.*
586. Azagr., *hoc* pro *hinc.* Vict., *placidumque serenum.* Vat., *C. huc imbres v. placidumque serenum.* Sirm., *hinc i. v. placidosque serenus Ventus.* Sic Azagr.
587. Vat., Vict., Azagr., *fluctus.* Sirm., *fructus.*
588. Vict., *quæ* pro *quas.* Vat., *Ven ilet æ. quas f. m. auta,* sed videtur correctum per *aura.*
589. Vict., *f. atque excutit a.*
591. Vat., *F. alterius r. commercia vitæ;* editi, *alternis r. comitantia vitæ.*
592. Vat., *spiritus austrus.*
593. Sirm., *et duci vento;* reliqui, *et reduci vento.*
594. Vat., *excurrens et n.;* alii, *e. in n.*
595. Ita Vict. Sirm., *v. recreat. p.* Azagr., *vita læta animat p.* Vat., *Vitales animæ per m. repentia s*
596. Vat., *et modo quæ g.*

NOTÆ.

multi veteres, non *fretus freti* dixerunt, sed *fretus, fretus,* ut facile esset probare. Ex Vatic. igitur lego *fretum quod littora tundit :* possis etiam *freta quod littora tundunt,* producto *a* in *freta* ratione cæsuræ. Catullus carm. 11 ad Fur. et Aurel., v. 4, *Litus..... tunditur unda.* Horatius Epod. XVII, v. 55, *Saxa..... Neptunus alto tundit hibernus salo.*

578. Barthius, l. VII, c. 20, putat legendum *flantes vagum in æthera crispant,* vel *vaga in aera* ut *aer* sit neutrum. Melius l. XXXII, cap. 19, lectionem vulgatam retinet, multisque exemplis probat *marmor* interdum sonare æquor. Acumen Dracontii in eo situm est, ut *vaga* cum *marmora* conjungat. Ambrosius dixit etiam *æquore crispanti.* Ejus verba ascripsi ad v. 149. Consule etiam notam ad vers. 238, *Et crispante freto*

581. Rivinus exponens versum 571, *Sedibus egressos placidis dominentur ut orbi,* obiter emendat hunc versum et legit *Et similis, qua factus erat de pulvere, Christo Is dominaretur cunctis.* Nunc vero ait egregie Sirmondum legere *Ut similis qui factus erat de pulvere Christo,* scilicet Verbo; sed deesse quis fuerit qui dominari deberet, homo scilicet, qui Salvatori suo quoad carnem excepto peccato similis conditus fuerat. Cum editio Rivini erroribus typographicis referta sit, vix veram ejus mentem multis in locis assequi possumus. Existimo eum scripturam Sirmondi approbare ac solum mutare vers. seq., *His dominaretur* in *Is dominaretur,* ut intelligatur homo, qui dominaturus erat. Sed cum dicatur *qui factus erat de pulvere similis Christo,* satis intelligitur hunc ipsum hominem esse, qui dominari deberet. De similitudine hominis cum Christo vide notam ad v. 339.

582. Forte *sub carne creatus.*

584. Cum dixerit corpora omnia homini servire, addit ventum etiam eidem servire, etiamsi non habeat corpus. Sumit autem corpus pro eo quod oculis videri et percipi clare potest. Hinc aer spiritus etiam dicitur et spiritus ad animum significandum transfertur.

585. Virgilius, l. I Georg., v. 462, *Ventus agat nubes.* Cicero de Natur. deor. l. II, c. 39, *Aer concretus in nubes cogitur.* Virgilius, l. V, v. 20, *In nubem cogitur aer.* Etiam in Vulgata eadem est phrasis cap. XXXVII Job, v. 21, *Subito aer cogetur in nubes, et ventus transiens fugabit eas.*

586. Sirmondus *hinc imbres veniunt, placidosque serenus Ventus alit fructus.* Melius videtur *placidumque serenum,* ut *tranquillum serenum.* Libr. II, v. 801, *Splendente sereno,* et hoc l. I, v. 68, *Violare serenum.* Ex vento enim non solum imbres veniunt, sed etiam serenitas : nam vento nubes fugantur, ut ex cap. cit. Job patet, quem locum Dracontius exprimere videtur. *Serenum* absolute pro serenitate adhibetur non modo a poetis, verum etiam a Catone, Livio, Plinio, Suetonio.

587. In hoc versu et in vers. 589 Fabricius et Weitzius cum Vict. legunt *fluctus :* Sirm., *fructus,* quod præferendum est.

588. Rivinus cum veteribus editionibus *quæ,* Sirmondus *quos,* ut referat ad *fructus* in vers. seq. In Vat. *quas* refertur ad *aristas.*

589. *Deflorare* et *defloratus* legitur apud Livium, Quintilianum et Gellium : etsi enim varient lectiones, tamen hoc Dracontii loco confirmatur usus verbi *defloro* pro florem adimo, vel arbore flores excutio. Weitzius ait, *deflorare* in Symmacho esse seligere. Tertullianus *deflorationem* dixit. Tentari etiam possit in Dracontio *Dat flores ventus,* vel *dat flori fructus.*

591. Scripturam Vat. *commercia vitæ* facile probabis præ altera vulgata *comitantia vitæ.* Vocabuli *commercium* mirus est usus apud scriptores. Alcimus, l. I, v. 99, *Spina rigens crebris inter commercia nodis Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.* Desunt hi versus in nonnullis editionibus. Pulmonis officium describit idem Alcimus l. I, v. 105, *Additur et tenui pascendus ab aere pulmo, Qui concepta trahens lenti spiramina flatus, Accipiat reddens, reddat, quas sumpserat auras, Inque vicem crebro pellatur anhelitus haustu.* Barthius, l. XXXII Advers., cap. 8, cum Fabricio legit in Alcimo *Ut concepta* et *Perque vices crebro :* et notat illud *accipiat reddens* pulchre a Dracontio expressum *reducis* vocabulo *Et reduci,* etc., v. 593.

593. In Sirm. *duci* videtur mendum typographicum. Vide notam ad v. 591.

596. Prudentius, Apoth. v. 837, *Perspice, quam varios fundamus ab ore vapores, Spiramus quoties animæ sufflabilis auras. Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat, Rorantes nebulas udis de faucibus efflans, Cum libet, in gelidum flabrali frigore ventum Spiritus exsistit tenuis, et sibilat aer.*

Illustrata vigent, et tangunt flabra palatum. A
196 Non hæc humanis tantum spiramina membris
Sunt data, sed cunctis animantibus aura recurrit.
Spiritus ille Dei, quo corpora cuncta moventur,
Omnia complectens agitat, fovet, inserit, urget,
Unde genus diversa trahunt et semina rerum,
Moles et immensa, mittenda e fonte perenni.
Artificis formata manu digesta vomuntur
197 Ordine cuncta suo : manet irrevocabile, munus,
Nec tamen intereunt pereuntia lege diurna.
Quis neget undifluos procedere fontibus amnes
Quorum jam reditus non unquam sperat origo?
Incessanter aquas licet evomat impete pleno,
Jacturam tamen unda negat sentire fluenti,
Omnibus hic mos est de flammis tollere flammas,
Nec minuit quidquam detractus ab ignibus ignis.
Damna aliena solent aliorum lucra parare.
Hi quæstus cui damna parant? in fomite flammæ
198 Detractæ cui forte jubar succiditur igni?
Nec carnale genus minuit fetura creando.
Ecce dedit homini plusquam sibi rex Deus auctor.
Formantur virtute Dei mas unus, et una,
Et multos creat unus homo, mansura propago

VARIÆ LECTIONES.

597. Vat., *tangunt labra p.* Vict., *tangit flabra p.* B
598. Vat., *hæc brumanis t.*
603. Vat., *Mollis ab immenso mittenda fonte perenni.* Sirm., *Mobilis immenso veniens e fonte perenni :* sic Vict., sed *nobilis* pro *mobilis.*
604. Vat., *vomuntur;* alii, *moventur.*
607. Vat., *p. montibus a.*
608. Ita Vat. Sirm., *r. nunquam speravit o.* Vict., *r. nunquam sperabit o.*
609. Vict., *Quas incessanter licet evomit i. p.*
611. Azagr., *hominibus* pro *omnibus.* Vat., *his* pro *hic,* aut *is.* Vict., *t. flammam.*
612. Azagr., *N. m. unquam detractis ab ignibus ignes.*
614. Sirm., *Hic quæstus non damna parant : in fomite flammis Detractis auferte jubar, succiditur ignis :* sic Vict., sed *his* pro *hic,* et *succenditur* pro *succiditur.* Azagr., *In quæstus non damna parant in fomite flammas Detractæ cui forte jubar subducitur ignis.* Vat. ut edidi.
616. Vict., *m. fortuna c.*
617. Vat., *homini linguam sibi.*
618. Vat., *formantur;* alii, *formatur.*

NOTÆ.

597. Pro *Illustrata* fortasse aliud scripsit Dracontius, vel certe *illustrata* significat perlustrata, ut dicam ad v. 43 lib. II. *Flabra* a *flatu* vox poetica est.

598. Prudentius II contra Symm., v. 811, *Addo aliud, nostros potant animalia fontes.... nostra intrat et ipsos Aura canes, animalque levi fera corpora flatu.* Multa habet Prudentius a vers. 780 l. II contra Symm., C *Non nego communem cunctis viventibus usum Aeris, astrorum, pelagi,* etc., quæ simillima sunt his quæ Dracontius edisserit et quæ fortasse is legerit.

600. De spiritu divino nunc agit, de quo iterum lib. II, v. 32 seqq., simillimis verbis et sententiis.

602. Barthius conjicit *Unde genus diversa trahunt et semina rerum Nubilia : immenso venit ens e fonte. Perenni Artificis formata manu, digesta moventur Ordine cuncta suo.* Explicat vero : Suprema illa et substantiarum omnium fons *ens* dicitur ex sacra etiam Scriptura, ubi Dominus Deus loquitur : *Qui est,* etc.... Omne ergo ens ab immenso illo omniumque summo fonte proficiscitur. *Nubilia* autem, quia vitæ ex alto venientes nubunt velut corporibus, etc. Addit autem, conjecturas has esse, et vix invenire apud auctorem suum fidem. Difficile quidem est veram scripturam invenire. In lectione Vat. hic est sensus : A Deo genus trahunt semina rerum et diversa, et molis immensæ, mittenda e fonte perenni. Vel lege *Unde genus diversa trahunt, et semina rerum Mobilium immenso veniunt e fonte perenni.* D Res mobiles erunt res, quæ moventur, aut moveri possunt, aut res mutabiles, quarum aliæ aliis succedunt : nam de his incipit loqui, et hoc sensu videtur accipiendum *moventur* v. 600, hoc est mutantur, et vers. 601 *urget,* videlicet impellit, propellit. Verum cum lib. II, v. 33, *moles immensa* hoc eodem in argumento de mundo dicatur, lectio et interpunctio hæc probabilis occurrit, quæ nonnullis certa visa est, *Unde genus diversa trahunt et semina rerum, Moles et immensa mittenda e fonte perenni,* etc. Nempe moles immensa correpto *e* in *moles,* ut in *fames* et similibus fecit Prudentius, sive malis scribere *molis* in nominativo. Huc etiam facit Virgilii versus l. VI, *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem.*

604. Aptius videtur *vomuntur* quam *moventur :* nam præcedit *mittenda e fonte perenni,* ac fortasse scriptum fuit *Artificis formante manu digesta vomuntur.* Vomere, ut effundere, est large emittere. Virgilius II Georg., v. 462, *Mane salutantum totis vomit ædibus undam.* Vide v. 609, *Licet evomat.*

605. Quærat aliquis cur munus hoc dicat *irrevocabile,* cum versu seq. fateatur eas res perire lege diurna. Dracontius de rerum perenni successione hic agit. Omnia igitur ordine suo producuntur, adeoque alia aliis succedunt : hoc ergo est irrevocabile munus, ut series rerum non interrumpatur.

606. Oxymorum et oppositio : *pereuntia* non intereunt, quia etsi pereant, alia tamen ejusdem generis continua serie subrogantur. Exemplis, quæ adducuntur, res manifesta fit.

607. Ecclesiastes cap. I, v. 7, *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Origo igitur non sperat reditus, quia occultum est, qua via flumina ad locum, unde exeunt, redeant. *Undifluus* pro *undosus* vix ante Dracontii sæculum invenietur.

609. Hieronymus dixit *incessabiliter,* Zeno imperator et Apollinaris Sidonius *incessanter.*

610. *Unda fluenti* seu fluminis non sentit jacturam. Non male esset *Jacturam tamen inde negat sentire fluentum. Inde* et *unda* sæpe confunduntur in mss.

613. Barthius l. II Advers., cap. 19, hanc regulam in universa natura dominari ait, et eleganter hoc versu a Dracontio exprimi.

614. In tam variis lectionibus scriptura Vat. præferenda videtur, cujus hic est sensus. Cum ex aliorum lucris damna aliorum soleant evenire, quæstus, quibus ignis ex igne accenditur, cui damna inferunt? Cui igni succiditur jubar ex eo quod inde flamma detrahatur? Hæc autem sententia clarior erit si legatur *in fomite flammis Detractis, cui forte jubar subducitur igni? Jubar* pro quovis splendore poni solet : sic v. 659, *Jubar ignis anheli;* lib. III, v. 2, *Jubar ætheris. Succiditur* est subsecatur; *subducitur* erit detrahitur, subripitur, ut v. 557, *Vita gravis hominum subducitur impete mortis;* et v. 668, *Nuntius auroræ subductus morte diurna. In fomite flammæ detractæ* intelligitur in ipsa materia arida flammæ, quæ ex alio igne excipitur.

616. De *fetura* vide v. 453

Maxima fit generis, quam parvula fudit origo. A
Parva Deo fuerant succedere nata peremptis,
Ni consumpta daret post sæcla resurgere vitæ.
Sed ne sit fixum, reditus non esse sepultis,
Cordibus illorum, qui legis sancta profanant,
Annua conspiciant agris frumenta renasci
199 Mortua per sulcos terram findentis aratri.
Major et ex truncis surgit radicibus arbor,
Et foliis vestita viret redeuntibus annis.
Pampinus uviferæ vitis sarmenta revestit,
Et gemmata rosis redeunt virgulta ruboris.
Ambrosio reduces rumpuntur cortice fructus,
Queis est vita fugax, et par cum flore senectus.
Fit rediviva virens et crinibus herba renatis.
Ligna renascentur reduci sub germine cuncta:
200 Quæ nunc herba fuit, lignum jacet, herba futura.
Squameus exuitur stellato tegmine serpens
Pelle renascenti, rursus redeunte juventa,
Reptat hians anguis per sibila guttura pandens.
Frontibus arboreis amittunt cornua cervi,

VARIÆ LECTIONES.

620. Vict., *g. queis p.* Vat., *fudit*; alii, *fundit*.
621. Vict., *Parvula divini fuerat succedere cura parentis*. Sirm., *Parva Deo fuerat succedere cura peremptis*. Vat. ut hic editur, sed scribit *perentis*. B
622. Vict., *ne consumpta*.
623. Vat., *Sed.... fixum r. n. ē s.*, deest *ne sit*.
625. Sirm., *conspiciunt*. Vat., Vict., *conspiciant*.
627. Vict., *ex trunci s*.
629. Azagr., *pampinis uvifera*. Vat., *pampinus uvi fele v.*, ex quo *uviferæ*. Idem Vat., *armenta* pro *sarmenta*. Sirm., Vict., *pampinus uvifera v. s. r*.
630. Ita Vat. in Sirm., *et geminata sui r.* Azagr., *et tempta rosei r.* Vict., *et geminata rosei r.*
631. Vat., *rumpunt de cortice*.
632. Vat., *Quis est vita fugax et pari flore senectus*. Sirm., Vict., *Et cui vita fugax, et par cum flore senectus*.
633. Vat., *Fit rediviva florens et c. h. r.*
634. Vat., *sub tegmine c.*
635. Vat., *quæ non herba f.*
636. Vat., *s. exutus s.*
638. Vat., *per singula g. pendens*; ad marg., *per sibila*.
639. Ita Sirm. et Vict.; in Azagr., *frondibus a.* Vat., *Fontibus a. a. c. corvi*, sed forte fuit *servi*

NOTÆ.

620. Barthius ex ingenio *quis parvula fundus origo*.

621. In Vict. longior est uno pede hic versus: quod vitium ut effugeret Fabricius, edidit *Parvula divini succedere cura perennis, Ne consumpta daret*. Barthius ad marginem alleverat *Par vult divini succedere cura perennis, Ne consumpta vacet*. Rivinus explicat: Minor cura fuisset facere ut nova succrescerent, quam ut in nihilum redacta resurgerent. Vera est hæc explica- C tio, sed quæ in nostra scriptura maxime eminet. *Parva Deo fuerant* pro *parvum*, vel *parum* Deo fuerat, ut lib. II, v. 286, *Parva putant homines fluctus transire nocentes*. Cæterum a Dracontio scriptum censeo *Parva Deo cura succedere nata peremptis*, vel *Parva Dei cura succedere*, etc. Ovidius, l. I Met., v. 47, *Numero distinxit eodem. Cura Dei*. Id ut multo magis elegans est, subintellecto *erat*, vel *fuisset*, ita facilius exscriptorum captum superabat, qui propterea, omisso *cura*, *fuerant* intruserunt.

622. *Post sæcla*, post mundi sæcula. Vide notam ad v. 86.

624. *Legis sancta* pro legem sanctam, ut *vana rumorum*, et similia. Psal. LXXXVI, v. 32, *Si justitias meas profanaverint*. Fabricius perperam interpungit *reditus non esse sepultis Cordibus illorum qui legis sancta profanant*.

625. Tertullianus de Judicio: *Arida sic vacuis redduntur semina terris, Et penitus fixis putrescunt mortua sulcis. Nonne animatur et hinc reparatis culmus aristis, Atque iterum vivis flavescunt fortia granis, Consurguntque novæ vario cum fenore messes?* Et lib. II contra Marcionem: *In grano latet arbor, et hoc nisi terra sepultum Putrescat, non dat decoratos arbore fructus*. Vide, si placet, quæ adnotavi ad Prudentium l. II contra Symm., v. 194.

627. Melius est *truncis*, hoc est truncatis radicibus, quam *trunci*, quod cum Vict. Fabricius aliæque veteres editiones exhibent.

629. Ex Vat. expromitur *uviferæ*, quod jam Barthius excogitaverat. *Uvifer* usurpatur a Silio et Statio. *revestio* a Tertulliano.

630. Mirum videtur Rivino, nec Fabricium, nec Weitzium, nec Sirmondum emendasse *Et gemmata* pro *Et geminata*. Rejicit etiam conjecturam Barthii legentis *rubetis* pro *ruboris*. Certe *gemmata* habemus in Vat., quæ lectio comprobatur v. 179, *Floribus ambrosiis gemmato cespite victus*. Sed adhuc quærenda est syntaxis hujus versus. Quid enim est *virgulta sui ruboris*, aut *gemmata rosis virgulta ruboris?* Mihi placeret *Et gemmata roseo redeunt virgulta rubore*, ut *roseo* sit dissyllabum, et significet *pulchro, florido*; sic enim accipitur *roseus*, ut dicam ad vers. 717. Posset etiam conjectari *Et gemmata rosei redeunt virgulta ruboris*, aut *Gemmata roseo redeunt virgulta rubore:* supervacanea est enim conjunctio *et*, cum postrema in *gemmata* ratione cæsuræ produci possit.

632. Rivinus legebat *Est cui vita fugax:* qui testatur, Barthium divinos hosce duos dilaudasse versiculos. Scriptura Vat. bona est et melior fortasse si legas *Queis et vita fugax, et par cum flore senectus*. Verbum substantivum *est* sæpe eleganter omittitur.

633. In editione Matritensi *Sit rediviva:* sed cum non indicetur diversa alia lectio, credam, *sit* excidisse typographo pro *fit*. Crines et comæ herbarum a poetis passim celebrantur, ut aliis in locis jam notavi.

634. Rivinus censet, legendum *grana* pro *ligna*, et v. seq. *granum* pro *lignum*. Sic Tertullianus dixit, *In grano latet arbor*, cujus verba vide in nota ad v. 625.

635. Barthius ex conjectura *lignum jacit*, hoc est subjicit: clarius esset *lignum facit*. Sed ego existimo Dracontium neque a Rivino neque a Barthio intellectum: sumit enim Dracontius *lignum* hoc vers., et *ligna* vers. sup. pro materia arborum, vel virgulto- D rum separata a radice, et igni, aut operi alicui apta: hinc Italis Hispanisque *legna* et *lena*. Ait ergo Dracontius cuncta hujusmodi ligna jam mortua reduci sub germine renasci, et illud quod prius herba et germen fuit postea jacere lignum in terra, ex quo ligno in stercus converso fecundatur ager, et mutua successione herba renascitur.

636. Plinius, l. X, cap. 67, sect. 86, *Salamandra, animal lacerti figura, stellatum*. Ovidius de stellione l. V Met., v. 460, *Aptumque colori Nomen habet, variis stellatus corpora guttis*. De re vero ipsa Plinius, l. VIII, c. 27, sect. 41, ut Tertullianum, Isidorum, Lucretium, Ovidium innumerosque alios omittam.

639. Hildebertus in Physiol. carm. de cervo: *Se juvenemque facit, cornua quando jacit*. Plinius, l. VIII, c. 32, sect. 50, *Cornua mares* (cervi) *habent, solique animalium omnibus annis stato veris tempore amittunt*, etc. Virgilius, l. I Æn., v 193, *Capita alta ferentes Cornibus arboreis sternit*.

Anguibus assumptis sed mox palmata resurgunt.
Aereas enudat aves jam penna vetusta,
Et nova subvestit reparatas pluma volucres.
201 Mortua præterea cæcorum lumina dudum,
Nube tenebrarum discussa, luce recepta,
Ad visus rediere suos, vultusque sepulti
Nocturnos perpessa dies oculatur imago.
Mortua pars hominis quoties, pars viva jacebat,
Funera vjva gerens, vivax in morte cadaver,
Ac sine morte tamen vitali in morte perempta ?
Et rediviva salus reduci per membra vapore
Nascitur, et calidus repetit vitalia sensus,
Ossa tenens, venasque ciens, udansque medullas.
Phœnicis exactam renovat Deus igne juventam,
202 Combustusque senex tumulo procedit adultus.
Consumens dat membra rogus sine sorte sepulcri,
Ignibus exstinctis jam mortua flamma resurgit,
Redditur ignis edax redivivo lumine candens,
Et scintilla volans incendia vasta reducit :
Et quod fumus erat, stridet jubar ignis anheli.
Igne vago rutilatur apex, fax cætera lambit,
Et cinis exstinctus gelida moriente favilla
Tollitur alta petens erecto crine vagatus.

VARIÆ LECTIONES.

640. Vict., *a. adsumptis s.* Vat., *unguibus absumptis s.*

641. Vat. ita; Sirm., Vict., *Aeriæ nudantur aves, cum penna vetusta* · sic Azagrens., sed *cum pinna vetusta est.*

645. Azagr., *v. redire s.*

646. Vat., *d. occultatur i.*

647. Ita Vat. et Azagr.; in Sirm. et Vict., *pars una iacebat.*

648. Vat., *gemens;* alii, *gerens.*

649. Vat., *v. in morte;* alii, *v. m.*

650. Vat., *redivina;* sed videtur correctum per *rediviva.*

651. Vat., *intalia* pro *vitalia.*

652. Ita Vat.; in Sirm. et Vict., *c. sudansque medullas.* Azagr., *c. gignensque m.*

653. Vict. *Phœnici exactam.* Sirm., *Phœnicis exhaustam.* Azagr., *Phœnicis exactam r.* Vat., *Fenicis exacta me renovat.*

654. Vat. incipit *Ex....* et nihil aliud hujus versus habet.

657. Vat., *e divino l.*

658. Vict., *vorax;* alii, *volans.*

661. Hic versus abest ab editis; exstat in Vat., ubi *civis* legitur pro *cinis.*

662. Ita Vat.; in aliis, *Et cœlum repetens erecto crine vagatur.*

NOTÆ.

640. Vide Eleg. Dracontii v. 67. Isidorus, ex Plinio loc. cit., Origene homil. 2 in Cant., et Servio ad eclog. 8 Virgilii, docet l. XII Orig., cap. 1, cervos inimicos esse serpentium, qui *cum se gravatos in infirmitate persenserint, spiritu narium eos extrahunt de cavernis, et superata pernicie veneni eorum pabulo reparantur.* Fortasse præstiterit cum Vat. legere *absumptis.* Cur palmata cornua cervorum dicantur, vide notam ad v. 275.

641. Plinius, l. X, c. 24, avium quædam genera recenset quæ pennas amittunt et mutant. In aliorum lectione *cum penna vetusta* intelligitur, cum penna vetusta est : non enim *penna* in auferendi casu esse potest.

642. Forcellinus verbum *subvestio* prætermisit, cui nec inter barbara quidem locum dedit.

643. Miracula referuntur ex evangelica historia : quibus tamen locus opportunior esset post alia naturæ mirabilia opera, quæ deinde enumerantur, scilicet post v. 682, *Mane resurgentem.*

646. Oxymorum *nocturnos dies.* Tertulliani verbum est *oculare.*

647. Lib. II, v. 124, *Mortua pars hominis, pars altera viva jacebat.*

648. Oxymora *Funera viva, cadaver vivax in morte.* Lib. III, v. 398, *Cum vivum terra cadaver Sorbuit;* et v. 503, *Funere vivo.*

649. Iterum oxymora *perempta sine morte* (scilicet pars hominis), *vitali in morte.* Eadem est sententia.

652. Rivinus lectionem veterum editionum *sudansque medullas* exponit *irrigans, perfundens medullas,* sed præferre videtur *sudansque medullis,* ut in lusu Gallieni, *Totis sudate medullis.* Scriptura Vat. proba est, sed præferendum videtur *udansque medullas,* hoc est, madefaciens : quo verbo Macrobius et Augustinus utuntur; et a *ciens udansque* facile potuit fieri *sudansque.* Humorem medullis Dracontius etiam l. III, v. 613, attribuit, *Humor ut absumptas intraverit ante medullas.*

653. De syllaba media in *Phœnicis* vide notam ad v. 326. Phœnicis historiam, sive fabulam tot scriptores præsertim poetæ memorant, ut infinitum esset eorum catalogum conficere. Videri imprimis possunt carmen Claudiani de Phœnice et elegia sub Lactantii nomine de eodem argumento. Scriptura Sirm. *exhaustam* rectum habet sensum : sed melius videtur *exactam* cum Vat., ut apud Ciceronem I Tuscul., cap. 39, *Eorum autem, qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur.*

654. Barthius, ad Claudianum p. 985 edit. 2 et 988 in notis ad carmen de Phœnice, hos Dracontii versus laudat, quibus non ipse Phœnix, sed ejus senex, seu senecta comburi dicitur, et *sine sorte sepulcri,* ut Claudianus ait, *falsisque sepulcris.*

656. Mortua flamma quæ resurgit est ipse phœnix qui hic describitur ex imitatione Claudiani : *Arcanum radiant oculi jubar, igneus ora Cingit honos, rutilo cognatum vertice sidus Attollit cristatus apex, tenebrasque serena Luce secat.* Dracontius potius videtur asserere, post ignem quo combustus est phœnix, exstinctum, iterum novas flammas erumpere, ex quibus novus phœnix prodit.

657. Phœnix, qui renascitur, primum est vermis lactei coloris. Lactantius de Phœnice : *Hinc animal primum sine membris fertur oriri, Sed fertur vermis lacteus esse color.*

658. Rivinus prætulit etiam *Et scintilla volans;* sed non male est *vorax.*

660. *Rutilatur* passive Plinius, Martianus Capella, alii. Barthius conjicit *fax cerea lambit.* Sed clarius est *fax cætera lambit.* Nimirum sensus est : Apex capitis igni quasi ardet, cæteras partes corporis flamma leviter tangit, quia non tam rutilo ignis colore splendent. *Lambere* de flamma leviter tangente, neque comburente Virgilius II Æneid., v. 683, *Tactuque innoxia molli Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.*

Mortua lux sub luce cadit, perit aurea luna,
Atque per ascensus, et cornua colligit ignes,
203 Et dum cæca latet, reparato lumine fulget,
Mentiturque diem lux frigida, solis imago.
Lucifero redeunte polo moriuntur et astra.
Nuntius auroræ subductus morte diurna
Lucifer exstinctas reficit per sidera flammas,
Et nocturnus eques jubar emicat igne corusco.
A
Roscida puniceum spargens aurora ruborem
204 Ducit ubique diem, periturum noctis ab umbris:
Et tamen hæc de sole perit, quo missa rubebat.
Sol oculus cœli, famulus super astra tonantis,
Cujus ab immensis languescunt sidera flammis,
Ni gelidis animetur aquis per cærula ponti.

VARIÆ LECTIONES.

663. Ita Vat.; cæteri, *m. nox s.*

664. Vat., *per assensus et.*

665. Vict., *latent.* Vat., *dum cœlo latet r.*

670. Sirm., Vict., *exhinc nocturnis i.* Azagr. ita, sed *nocturnus.* Vat., *Et nocet unus eques i. e. i. c.*

673. Vat., *Sole premit commissa rubebat*; ad marg., B obscure, *perit.* Vict., *petit.*

674. Vat., *sola cujus cœli.*

675. Vict., *ab aspectu l. s. cœli.*

676. Vict., *ne g. animetur a.* Sirm., *ni g. animetur a.* Vat., *ni g. animantur a.*; supra, *animentur.*

NOTÆ.

663. Hactenus omnes legerunt *Mortua nox sub luce cadit*, quod confirmant simili sententia ex v. 116, *Prima dies nam lucis erat, mors una tenebris.* Sed scriptura Vat. huic loco maxime convenit: exempla enim apponuntur luminum, quæ sub majori luce moriuntur, et postea rursus comparent. Luna aurea dicitur a Virgilio l. I Georg., v. 431, et ab Ovidio l. X Metam., v. 448.

664. Virgilius, l. I Georg., v. 427, *Luna revertentes cum primum colligit ignes. Ascensus siderum* apud Plinium l. XXIX, c. 4, significat eorum elevationem supra horizontem, ut nonnulli explicant. Dracontius *ascensus* lunæ sumit pro incremento et tempore quo crescit. Sed vix dubito quin legendum sit *accessus.* Macrobius l. I in Somn. Scip., cap. 11, *Nec dubium est quin ipsa* (luna) *sit mortalium corporum et auctor, et conditrix, adeo ut nonnulla corpora sub luminis ejus* C ACCESSU *patiantur augmenta, et hac decrescente minuantur.* Fortasse etiam in Plinio legendum est *accessu siderum*; nam de incremento lunæ loquitur loc. cit.

666. Drepanius in hymno trium puerorum: *Hunc gelido fulgens collaudet lumine luna.* Supra, vers. 52, *Quid lunæ frigidus orbis*, ubi dixi, cur *frigida* luna dicatur.

668. Supra, vers. 557, *Subducitur impete mortis*, et l. III, vers. 114, *Puerosque neci subduceret.* Mors diurna est mors quam lucifero dies infert.

669. Lucifer per sidera, nempe noctis tempore, reficit suas flammas, sive clare lucet. Vide not. ad vers. 682.

670. Barthius legebat *Exit nocturnis* (hoc est tenebris), *jubar emicat igne corusco.* Sane scriptura vulgata obscura est *Ex hinc nocturnis jubar emicat igne corusco*, quæ facilius reformari posset *Exhinc nocturnum jubar.* Ex Vat. lumen aliquod accipimus, ex D quo hic locus restituatur, scilicet *Et nocturnus eques jubar emicat igne corusco.* Favet etiam Azagr., *Exhinc nocturnus jubar*: ex hoc igitur codice et ex depravata lectione Vat., *Et nocet unus eques*, conficitur *Et nocturnus eques.* Adeo nulla est tam corrupta scriptura ex qua interdum fructus aliquis non percipiatur. Notandum etiam est, reconditam Dracontii doctrinam imperitis librariis occasionem corrumpendi ejus carmina dedisse. Poetæ, ut lunæ bigas, soli quadrigas, sic lucifero equum tribuebant. Statius, lib. VI Thebaid., vers. 237, *Roscida jam novies cœlo dimiserat astra Lucifer, et totidem lunæ prævenerat ignes Mutato nocturnus equo.* Claudianus, lib. II de Raptu Proserp., vers. 121, *Dum meus humectat flaventes lucifer agros Roranti provectus equo.* Ovidius, II Fast., vers. 314. *Hesperus et fusco roscidus ibat equo*, et Met. lib. XV, vers. 189, *Cumque albo lucifer exit Clarus equo.* Dicitur *nocturnus eques jubar* per appositionem, nisi malis legere *Et nocturnus equo jubar emicat.* In masculino genere *jubar aureus* dixit Severus in carmine de Ætna, et Ennius apud Priscianum, lib. V, *Interea fugit albus jubar Hyperionis cursum*: quod de lucifero accipio, qui oriente sole fugit. Alii legunt *Hyperionis cursu.*

671. Aurora *roscida* dicitur ab Ovidio, Seneca in trag., et Corippo. Virgilius, lib. XII, vers. 77, *Cum primum crastina cœlo Puniceis invecta rotis aurora rubebit.*

673. Barthius legit *quoi missa. Quo missa* est *a quo missa*, quia auroræ splendor solem nuntiat et a sole oritur. Fabricius et Weitzius cum Vict. ediderunt *de sole petit*, neque adverterunt errorem, qui clarus esse videtur: nam sensus est, auroram splendore solis obrutam perire.

674. Ambrosius Hexaemer. lib. IV, cap. 1, *Sol oculus est mundi, jucunditas diei*, etc.; et de arca et Noe, cap. 7, *Ipsi* (sol et luna) *sunt quidam mundi oculi.* Dracontius in Eleg. vers. 243, *Sol oculus cœli.* Ovidius IV Met., vers. 227, *Omnia qui video, per quem videt omnia tellus, Mundi oculus.* Alii legunt *Mundi oculis, mihi crede, places*, eodem sensu ut sol oculus mundi dicatur. Capella in hymno solis, lib. II, *Mundanusque oculus, fulgor splendentis Olympi.* Ægyptii insculpebant sceptrum, in eoque speciem oculi exprimebant, quo signo Osirim monstrabant, significantes eum solem esse, *quia solem Jovis oculum appellat antiquitas*, ait Macrobius lib. I Saturn., cap. 21. Vide Barthium lib. XI Advers., cap. 5, et Roam lib. I Singular., cap. 15. Solem *famulum* Dei dixit etiam Prudentius lib. I contra Symm., vers. 343.

675. Forte *languescant*, ut cohæreat cum vers. seq. *Ni gelidis animetur aquis.*

676. Rivinus lectionem Sirmondi videtur approbare *Ni gelidis animentur aquis*, quia sidera in altero hemisphærio quasi reviviscunt refrigeratione marina. In Sirmondo *animetur* Rivino fortasse videtur mendum typographicum: sed in edit. Matritensi idem verbum profertur, neque ex cod. Azagr. discrepantia notatur. Barthius aliquid aliud latere credens pro *animentur* substituebat vel *vannentur*, vel *pascantur. Vannere* est Vanno seu cribro fruges movere, ventilare, cribrare. Sed *vanni* sidera quid sit non assequor. *Pascantur* vero non alium sensum habet quam *animentur.* In Sirm. et Azagr. scriptura *animetur* poterit intelligi sol. Ad vers. 24 et 25 probavi flammas et ignes cœlestes ex contrario elemento, aqua scilicet nutriri, ut veterum quidem erat opinio: cui ansam præbet experientia, qua cernimus stellas tunc maxime scintillare, cum viciniores sunt horizonti, aut cum frigidus et gelidus est aer. Sententia ergo Dracontii hæc esse poterit: Sidera ob immensum ardorem solis deficient, nisi aquis ponti animentur. Sed cum Dracontius docere videatur vers. 224, stellas solis lumine non minus quam lunam fulgere,

205 Occidit ipse dies, super æquora sole cadente,
Æquore mersus obit, novus æquore mane resurgit.
Vespere nocturno radiata luce rubentem
Purpureis abscondit aquis, redditque diurne
Depositum natura suum sub nocte sepultum,
Mane resurgentem, de fluctibus orbe refecto.
Tot simul exemplis moniti, defuncta renasci
Credamus virtute Dei, qua cuncta creavit,
Et generata vigent sub nutritore Tonante:

206 Qui cum regna poli teneat stellantis, et alti
Aera concludit, terram levat, æquora solvit;
Et totum capit una manus, quod sermo creavit.
Unus ubique Deus, dum jussio rumperet una,
Qui tantum pius est, quantum decet omnipotentem,
Et nulla virtute minor, nisi verberis ira,
Et voto, nam sponte bonus pietatis amore.

207 Quem mens pura juvat hominum, non victima supplex,

VARIÆ LECTIONES.

677. Vat., *occidet ipse*.

678. Ita Azagr. et Vat., sed Vat. *abit* pro *obit*. Sirm., *et quo demersus n.* Vict., *et quo conversus n.*

679. Sirm., *nocturno hunc radiata*. Vict., *hac* pro *hunc*. Vat., *nocturno radiat ulixe rubentem*.

680. Vat., *P. attollit aquis*. Vict., Vat., *diurnæ*.

681. Vict. *dispositum n.*

682. Ita Vat.; in Azagr., *f. ore recepto*. Sirm., Vict., *f. orbe recepto*.

684. Vict., *qua*. Sirm., *quæ*. In Vat. deest hic versus.

685. Azagr., *tonanti*.. Vat., *tonantem*; ex correctione *tonante*.

686. Azagr., *teneat stillantis et*. Vict., *s. et aptum Aera c.*

689. Vict., *dum jussu r. ima*. Vat., *Unus ubique..... dum jussio r. una*. Deest *Deus*.

692. Editi, *Sed votis, et sponte bonus, pietate et amore*. Vat., *Sed voto nam sponte bonus pietatis amore*. Hinc *Et voto*, etc., ut editum est.

NOTÆ.

præferenda est lectio Sirmondi *Ni gelidis animetur aquis*, scilicet nisi sol aquis pasceretur, tantus ejus esset ardor, ut sidera deficerent, et ab immenso splendore solis obscurarentur. Nisi dicamus Dracontium modo ex quorumdam, modo ex aliorum diversa sententia loqui.

677. Simili modo id explicat Tertullianus de Jud. Dom. *Sidera cuncta cadunt, iterumque renata nitescunt, Et dies in densa moritur cum lumine nocte, Occidit et jam nox rebus mox luce retectis, Jamque suis alia atque alia dies surgit ab astris, Solque cadit, splendorifero qui lumine clarus, Lux perit umbrato venienti vespere mundo:* quæ omnia ad resurrectionem corporum comprobandam profert. Barthius duo hemistichia transposita hoc loco censebat: sed in nostra lectione omnia recte se habent.

679. Ex Vat. bene omittitur *hunc* vel *hac* post *nocturno*; sed addi posset post *radiata*, scilicet *radiata hunc luce*.

680. Weitzius *purpureas aquas* intelligit propter radiorum solis fulgorem. Mare *purpureum* dicitur vers. 78, ubi plura de hoc epitheto disputavi. Barthius lib. XXXIII Advers.. cap. 16, legit *redditque diurnæ*, et intelligit *luci*. Rivinus existimat apponendam esse parenthesim *aquis (redditque diurne Depositum natura suum sub nocte sepultum) Mane*, etc. Sirm., *diurne*, adverbium, a *diurnus*, quod placet, etiamsi non occurrat exemplum. Ponitur pro *die* vel singulis diebus. Lib. III, vers. 602, *Et lacrymas intende meas, quas fundo diurne*.

681. Barthius loc. cit. eleganter *depositum* naturæ solem a Dracontio appellari ait, quod similibus exemplis confirmat. Sed hic advertendum est, depositum rei veluti mortuæ dici: quo etiam respicit Lactantius in carmine de Phœnice: *Depositi tanti nec timet illa fidem*. Hinc depositum a Christianis sepulchrum dictum: et *depositus* pro *mortuus*, vel potius *humo mandatus* in veteribus inscriptionibus Christianis sæpius reperitur.

682. Rivinus scribendum opinatur *orbe reducit*, ut sensus constet. Verum egregie constat sensus, si cum Vat. scribatur *orbe refecto*, scilicet orbe solis refecto fluctibus. Vide notam ad vers. 25 et 676, *Reficere flammas*, supra, vers. 669.

684. Forte *qua cuncta creata, Et generata vigent*.

686. Weitzius legit *et aptum Aera*, et in indice exponit *contiguum, connexum*.

688. Lactantius, sive Fortunatus, sive quis alius auctor carminis de Resurrectione Domini: *Cujus clauduntur cuncta pugillo*, Venantius Fortunatus in hymno de B. Virgine: *Mundum pugillo continens Ventris sub arca clausus est*. Pulchre ait Dracontius omnia quæ sermone seu voce Dei creata sunt una ejus manu contineri.

689. Cum in Vat. desit vox *Deus*, conjectura duci potest an legendum sit *quod sermo creavit Unus ubique Dei, dum jussio rumperat una*, vel *sermo creavit Unus, ubique chaos dum jussio rumperet una. Qui tantum*, etc., ut vers. 685, *Qui cum*; vers. 693, *Quem mens*, etc., ubi intelligitur Deus. Obscurum est *Deus, dum jussio rumperet una*, vel *dum jussu rumperet ima*. Barthius *rumperet* explicat, dum rumpere posset. Sed rei obscuritas non tollitur. Clarum erit, si legas *dum vox erumperet una*, vel si accipias *rumperet* pro *erumperet*, scilicet dum jussio rumperet una, quasi erumperet, ut *verto* pro *everto* ponitur, et similia alia sunt exempla. Sed mihi verosimilius videtur a Dracontio scriptum *dum jussum rumperet unum:* libenter enim Dracontius veterum peculiares quasdam phrases imitatur. *Rumpere vocem* pro aperire viam voci dixerunt Virgilius, Ovidius, Silius et alii. *Rumpere questus* pro *queri* Virgilius IV Æn., vers. 553, *Tantos illa suo rumpebat pectore questus*. Claudianus, lib. II de Rapt. Proserp., vers. 249, *Et questus ad nubila rupit inanes*. Sic melius quam alii *fundit inanes*. Silius lib. IV, vers. 458, *Gemitumque ad sidera rupit*. Hinc *rumpere jussum* pro jubere. Legendum igitur, ut ego arbitror, *quod sermo creavit, Unus ubique Deus dum jussum rumperet unum*, vel *quod sermo creavit Unus, ubique Deus dum jussum rumperet unum*. et venustatem habet *una manus, unus sermo, unum jussum*.

690. Vide notam ad vers. 30 et seqq., et ad vers. 88.

692. Lib. III, vers. 16, *Justitiæ monitor, sed plus pietatis amator*. Lego autem *Et voto*, videlicet et voluntate puniendi. Sententiam eamdem versibus persequitur Mar. Victor. lib. I Genes., vers. 462, *Sed sancta parentis Desperare vetat pietas, clementia cujus (Fas dixisse mihi, fas sit quoque dicta probasse) Justitiam excedit*, etc. Apud Rivinum quidam tentabat *Sed totus est sponte bonus*, quod Rivino non arridebat.

693. Vide comment. ad Prudentium hymn. 10 Perist., vers. 346. Intellige victimam sine mente pura Deo non placere.

Ut se pœniteant sceleris mala vota reorum, A
Et nova succedant animorum corda piorum.
Ille etenim Deus est, quem nulla retardat origo,
Cujus ab aspectu montes, et saxa fluescunt
In cineres, et pulvis erit, quæ dura rigebat :
Qui, visa tellure simul, mox pondera mundi
Concutit, et subitum monstrat vaga terra tremorem,
208 Ac formidatos ostendit pendula motus.
Alveus expavit violento vertice torrens,
Dum reduces sentiret aquas, et sisteret amnem
Visa Dei facies, et marmora glauca fugaret
Gurgitis æquorei, quo mundus cingitur omnis
Et pelago spatiante fretis, ac littoris æstu.
209 Qui de thesauris ventorum flamina mittit,

VARIÆ LECTIONES.

695. Sirm., Vict., *succedant*. Vat., *succendant*. Azagr., *succendent*.

696. Vat., *I. enim d. q. n. retraxit o.*

697. Sirm., Vict., *fluiscunt*. Azagr., *fluescunt*. Vat., *fluuntur;* ad marg., *fluescunt*.

698. Sic Vat., Sirm., *erit; quem dura ligabant*. Vict., *quod*.

699. Vat., *semel;* alii, *simul mox*.

700. Editi, *subito*. Vat., *subitum*.

701. Vat., *ac formidatus*.

702. Ita Vat.; in Azagr., *violento v. turgens*. Sirm., Vict., *violato v. turgens*.

703. Vat. *s. amnes*.

706. Vat. *l. æstus*.

707. Vict., *flamina*. Sirm., *flumina*. Vat., *Et* B *jud..... aurus ventorum flammea mittit*.

NOTÆ.

694. Mirum videtur Rivino, et est quidem mirum active *pœniteant se sceleris*. Suspicatur *Aut si pœniteat sceleris*, id est, nisi mens pura adsit (ut vers. præc. dixit), saltem cor accedat contritum. Leviori mutatione restituetur *Ut si pœniteant sceleris mala vota reorum*, aut *Ut sic pœniteant*, aut *Ausi pœniteant*, etc. In Elegia, v. 100, *Si sceleris facti mens rea pœniteat*, et v. 304, *Ni peccata dolens pœniteat sceleris*. Cum simili nominativo rarum est *pœniteo*, sed ita tamen usurpatur a Pacuvio, Justino et Livio : etsi apud hunc varia est lectio.

695. Cur Rivino magis placeat cum Weitzio *voce piorum* quam cum cæteris *corda piorum*, causam non video. Quid quod in Weitzio mendum typographicum puto *voce piorum?* Nam Weitzius Fabricium sequitur ducem, neque ab eo discedit unquam, quin rationem emendationis proferat : hoc autem loco C penitus silet.

696. Sensus verborum obvius est, Deum verum esse, qui sine principio est : sed ex versibus seqq. colligi potest, *quem nulla retardat origo* significare potestatem Dei in rebus illico creandis. Eodem respicit Vat., *retraxit*.

697. Isaias, cap. LXIV, v. 1, *A facie tua montes defluerent*; v. 3, *A facie tua montes defluxerunt*. Augustinus etiam verbo *fluesco* usus est. Guntherus imitari videtur Dracontium in præf. l. x, *Urbs fluit in cinerem :* et l. x, v. 470, *Castrensibus oppida flammis In cineres collapsa fluunt*. Rivinus scribit *fluiscunt* in erratis. Vide notam ad v. 443, l. III.

698. Fabricius et Weitzius cum Vict., *quod dura ligabant*. Rivinus conjicit *pulvis erit, quem gleba ligabat*, vel *quem rura ligabant*. Verum hic sermo adhuc est de saxis in cinerem et pulverem redactis. Retinenda igitur est lectio Vat. *pulvis erit, quæ dura rigebat*, hoc est quæ antea saxum erat. *Pulvis* in ge- D nere feminino, quod minus usitatum est, librarios ad corrumpendum locum movit.

699. Psal. XVII, v. 8; Psal. LXXVI, v. 19; et CIII, v. 32, *Qui respicit terram, et facit eam tremere*. Majus id est quam quod de Jove ethnici dicunt : *Nutu tremefecit Olympum*. Vide notam ad v. 704. Scriptura Vat. sustineri posset : nam *semel* pro *simul* interdum ponitur.

701. Intellige montes ipsos quasi pendulos videri. Verba cap. IX, v. 5 et 6 Jobi sunt : *Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur*. Quæ de terræ violento motu Dracontius exponit, ut plerique interpretes. At Didacus Stunica (Zuniga) Augustinianus, sæculi XVI politus auctor, in Comment. in Jobum existimat hunc locum explicari posse ex sententia Pythagoricorum opinantium terram moveri natura sua. *Denique*, ait, *nullus dabitur Scripturæ sacrosanctæ locus, qui tam aperte dicat terram non moveri, quam hic moveri dicit*. Hanc opinionem acriter refellit Pineda ad loc. cit. Job.

702. *Alveus violato vertice turgens* in Sirm. lectione est alveus aquis ad originem retortis tumidus. In nostra scriptura est alveus exæstuans, inundans et impetu fluens, qui dum ita flueret, expavit, quod reduces sentiret aquas. Refertur miraculum aquarum Jordanis, quæ steterunt, ut illac populus Israel transiret. Josue cap. III, v. 15, *Jordanis autem ripus alvei sui tempore messis impleverat*. Id nostra lectione indicatur : quod sequitur vers. 16 scripturam Sirmondi confirmat : *Steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul*.

703. Prudentius hymn. 12 Cath., vers. 178, *Refluentis amnis alveo*.

704. Sic v. 697, *Cujus ab aspectu*, et v. 699, *Qui visa tellure*. Psal. LXXVI, v. 17, *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt*. Alibi in sacris litteris *a facie Dei*, *a facie tua*. Ponitur *facies* pro præsentia, unde a scriptoribus ecclesiasticis frequenter usurpatum est *in facie mundi*, *in facie Ecclesiæ*, *in facie publica*, et simpliciter *in facie* pro *palam*. Ludovicus Legionensis de nominib. Christi nomen hoc Christi proprium esse ait *faciem Dei*, aut *faciem* (Hispanice *fazes*), quia sæpe in sacra Scriptura *facies Dei* Christus esse intelligitur. Postrema verba hujus versus pertinent ad miraculum maris Rubri, quod interruptum iter populo Israel præbuit, ut fusius narratur lib. II, v. 160 seqq. Planior esset sententia, si legeretur *Visa Dei facies : hæc marmora glauca fugavit*. Sed aliud magis poeticum est. Vide Exod. c. XIV.

705. Prudentius l. I contra Symm., præf. v. 10, *Cærulei prælia gurgitis*. Virgilius, Ovidius, Statius aliique simili modo *gurges* pro mari usurpant. Libr. II, v. 485, iterum *Gurgitis æquorei*. Pro terra ponitur *mundus*. Mela in princ. oper., *Terra sublimis cingitur undique mari*. Nonnulli universam terram insulam appellarunt.

706. Obscurus versus est, et, nisi fallor, corruptus. Vide num restituendum sit *Et pelago spatiante fretis fit littus in æstu*. *Spatiari* est diffundi, crescere, ut in his verbis Plinii l. V, c. 9, sect. 10, *Nilus certis diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum*. Fit ergo littus, quod est terra mari adjacens, in ipso æstu maris agitati, et undas glomerantis, dum sese in alia freta diffundit. De eodem prodigio Prudentius hymn. 5 Cath., v. 65, *Præbent rupta locum stagna viantibus Riparum in faciem pervia*.

707. Job cap. XXVIII, v. 25 et 26; Psal. CXXXIV, v. 7, *Educens nubes ab extremo terræ : fulgura in plu*

Et frenat rapidas in tempestate procellas
Grandinis, atque nivis, qui novit, quæ sit origo,
Qui dat fulmineos collisis nubibus ignes,
Qui laxas abscondit aquas, et continet imbres,
Qui scit, quo nitidus crystallus ventre creatur;
210 Candida materies, glacies duratur aquarum.
Qui noctes hiemis producit sole minore,
Et solis protendit iter flammantibus horis:
Qui lunæ saltus statuit, solisque labores;
211 Qui roseis stellare nemus, vel floribus agros

VARIÆ LECTIONES

708. Vat., Vict., *rapidas*. Sirm., *rabidas*.

709. Vat., *nivis venientis quæ*.

710. Hic versus deest in Vat.

711. Vat., *Qui saxis abscondit aquas et condidit ignes*. Sirm., Vict., *Qui laxas abscondit aquas, et continet imbres :* sic Azagr., nisi quod *latas* habet pro *laxas*.

712. Azagr., *creatus;* alii, *creatur*.

713. Vat., *mutatur;* alii, *imitatur*. Vict., *hiberna*, pro *aquarum*.

716. Editi, *Qui phœbi saltus statuit, lunæque labores*. Vat., *Qua lunæ saltus statuit, solisque labores*.

717. Vat., *rosis*. Vict., *roseis*. Sirm., *rosulis*. Vat., *stillare* pro *stellare*.

NOTÆ

viam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis. Vide notam ad v. 711, et Corderium ad loc. cit. Job. Sirmondi lectio *flumina mittit* tolerari nequit.

708. Melius videtur *rapidas* quam *rabidas*. Vide notam ad v. 312, *Mittitur, ut vincat currens orbata procellas*. Libr. II, v. 154, *Præcipis, ut rapidæ perturbent cuncta procellæ*.

709. Job cap. XXXVIII, v. 22, *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* Ovidius libr. XV Met., v. 69, *Quid Deus, unde nives, quæ fulminis esset origo*.

710. Job cap. XXXVII, v. 2 et seqq., cum expositione laudati Corderii. Observandum vero est Deum ibi dici *tonare mirabiliter, lumen ejus esse super terminos terræ*, sed disertis verbis non exprimi, ab eo mitti fulmina, quod tamen in his verbis interpretes intelligunt.

711. In Vat. scriptura excogitari potest an sermo sit de grandine, quæ est aqua quodammodo saxo abscondita : qua de causa Hispanis *piedra* dicitur : Claudianus de Consul. Mallii Theod., v. 108, *Quis trahat imbriferas nubes, quo saxa creentur Grandinis, unde rigor nivibus*. Verba ejusdem Vat., *condidit ignes*, intelligi etiam possent de igne qui latet in saxis, et emicat dum colliduntur. Sed lectio vulgata est præferenda : Dracontius enim ex Jobi libro præcipue divinam majestatem commendat. Cap. XXXVIII, v. 28 Jobi : *Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?* et cap. XXVIII, v. 25 et 26, *Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus*. Et cap. XXVI, v. 8, *Qui ligat aquas in nubibus suis*. Hebræi quatuor claves Deo attribuebant, quas ille nec ulli quidem Seraphino dedisset, quarum primam clavem pluviæ vocabant.

712. Crystallus gen. masc. rarum. Job cap. XXXVIII, v. 29 seq., *De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cœlo quis genuit? In similitudinem lapidis aquæ durantur, et superficies abyssi constringitur*. Primo versiculo interrogatur, ex cujus utero glacies prodeat : altero commemoratur aquæ congelatio, ex qua crystallus fit, ut exponit Corderius, quamvis plerique de solo gelu id explicent. Gaspar Sanctius Comment. in Job opinioni Corderii nonnihil favet. Dracontius de crystallo accipere videtur interrogationem cui respondet alter versiculus, quo asseritur in similitudinem lapidis aquas durari. Hoc ipsum explicat Dracontius vers. seq.

713. Weitzius *candidam materiem* ait esse margaritam aut unionem. Rivinus conjiciebat *glacies imitata nivales*, quia crystallus imitari nives dicitur a Cinna. Barthius ad marginem adnotaverat *glacies imitatur Iberas*, nempe Iberiæ, sed ad Claudian. pag. 1031 legit *glacies meditatur hibernas*. Weitzius cum Vict., *glacies imitatur hibernas*. Prima in *hibernus* ab *hieme* producitur, ab *Hi'ernia* corripitur. Omnes hæ lectiones facile ex eo rejiciuntur quod Dracontius libri Jobi sententiam complecti, et de crystallo exponere voluit. Ex *mutatur* in Vat. conficio hanc lectionem *glacies duratur aquarum*. Verba libri Jobi sunt *aquæ durantur*. Sed non omi:tam alias conjecturas, quæ sin minus probentur, certe non displicebunt. Jobi liber habet : *Superficies abyssi constringitur*. Hoc recte exprimetur per *facies duratur aquarum*. Suspicor etiam legendum *Candida mater ei glacie durata per annos*, aut *Candida mater nix glacie d. p. a.*, aut *C. mater ei glacies d. p. a.*, quod etsi remotum videatur, tamen ex Isidoro, qui fortasse hunc versum allegare voluerit, confirmari potest. Ita ergo Isidorus l. XVI, c. 13, *Crystallus resplendens, et aquosus colore traditur, quod* NIX SIT GLACIE DURATA PER ANNOS. Candida mater, seu candida materies est nix. Ut autem legi possit *Candida mater ei*, ratio illa suadet, quod apud Jobum primum agitur de patre pluviæ, deinde de matre glaciei, sive crystalli, et Dracontius vers. sup. ait : *Quo nitidus crystallus ventre creatur*. Cui apposite respondet, *Candida mater ei glacie durata per annos*. Claudiani duo (aliis tria) exstant epigrammata de crystallo, in cujus medio aqua resoluta cernebatur : *Nec potuit toto mentiri corpore gemmam, Sed medio mansit proditor orbe latex*. Marbodus in libro Evacis de gemmis Isidorum et fortasse Dracontium respicit cap. 41, *Crystallus glacies multos durata per annos, Ut placuit doctis, qui sic scripsere, quibusdam, Grandinis antiquæ frigus tenet, atque colorem. Pars negat*, etc. Negat scilicet Solinus. Harduinus ad Plinium l. XXXVII, sect. 9, glaciem, ex qua crystallus fit, ait esse succum in terræ visceribus, atque inter cautes frigoris vi conglutinatum et coactum.

714. Ut longi soles dicuntur de diebus longis, sic soles minores de diebus brevibus. Adisis Barthium ad Statium l. V Theb., v. 460.

715. Non semel verbo *flammo* usus est Dracontius, ut Statius aliique. Exempla more suo congessit Barthius in not. ad argumentum libr. III Thebaid., v. 5.

716. Intelligo, inquit Weitzius, declinationem solis a partibus australibus ad septentrionales, et vice versa recursum ab istis ad illas : ne quis ad anilem hæc trahat fabulam qua sol in festo Resurrectionis dominicæ saltum efficere perhibetur. Alii vero in die festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ solem saltare pueriliter fabulantur : quod tamen jam nunc, ut opinor, nec pueri credunt. Luna laborare dicitur a poetis, dum deficit, ejusque defectus labores vocantur. Hac ratione nititur scriptura vulgata. Sed præferenda est lectio Vat. Dracontius enim Virgilium l. I Æn. in fine, imitatur : *Hic canit errantem lunam, solisque labores*. Errores lunæ saltus a Dracontio dicuntur. Idem Virgilius l. II Georg. vers. 478, *Defectus solis varios, lunæque labores :* quo in loco de eclipsi solis, et lunæ loquitur; sed in altero de utriusque cursu.

717. Primigenia videtur lectio *roseis*. Sirmondus fortasse ex ingenio restituit *rosulis :* quanquam l. II,

Imperat; autumni qui dulcia poma saporat,
Et fragiles gemmis variat in vitibus uvas,
Ut cibus, et potus sint ubera dulcia musti;
212 Qui dat corvorum pullis alimenta, facitque,
Noverit ut vultur, qua sit regione cadaver,
Dux odor, atque sagax quem mos invitat ad escam,
Præpetis aut aquilæ senio renovare juventam,
213 Quæ rostro crescente famem tolerabat obunco:
Qui pascit, quodcunque creat, pietate parentis,
Vitæ certa salus per mille pericula mortis,
Debilibus virtus, opulentia major egenis,

VARIÆ LECTIONES.

718. Vat., *poma saporant.*

719. Vict., *f. hiemis variat sub v.* Vat. cum Sirm., sed *uvæ* pro *uvas.*

721. Abest hic versus a Vat.

722. Vat. *noverat et vultur.*

723. Sirm., *Dux odor usque sagax quem mox i.* Vat., *dux odor atque sagax quem mox i.* Vict., *dux, rectorque sagax quem.*

724. Ita Sirm. et Vat.; in Vict., *præcipit aut* Azagr., *a. senium renovare juventa.*

725. Vat., *f. tolerabit ab unco.*

726. Sirm., *Quæcunque.* Azagr., Vict., Vat., *quodcunque.*

727. Vat., *vita certa.*

728. Vat., *v. opulenta m.*

NOTÆ.

v. 441, occurrit, *Et rosulas proferret hiems.* Sed *rosei flores*, hoc est pulchri a multis dicuntur, ut a Claudiano de magnete v. 29, qui tamen versu mox allegando *stellata rosis* dixit. Boethius l. I, carm. 2, fortasse imitatione Dracontii: *Quis veris placidas temperet horas, ut terras roseis floribus ornet.* Tertullianus de Judicio Domini versus med., *Et roseis nivea crispantur floribus arva*: ex quod obiter corrigam secundum versum hujus poematis, quem in pluribus editionibus ita invenio scriptum: *Et verni roseas titulabit floribus auras.* Lego: *Et vernas roseis titulabit floribus auras.* Ager eleganter *stellare floribus* dicitur, ut cœlum florere sideribus. Vide Gifanium Ind. Lucr. verbo *floreo.* Claudianus l. II de Raptu Pros., vers. 130, *Hæc graditur stellata rosis.* Mar. Victor l. I Genes., *Sidereos hic tera vibrat distincta calores*, lege *colores.* Prius dixerat: *Astraque distinctis cælum pingentia zonis, Floribus æthereis varios vibrare colores.*

718. Sirmondus distinguit *Imperat autumni, qui.* Non probo. Autumno fructus tribuuntur, non flores: cujus symbolum est cornu copiæ uvis, et pomis refertum. Forcellinus ad barbara rejecit *saporo, saporas*, quo usos indicat Dracontium et Petrum Chrysologum. Admittit vero adjectivum *saporatus*, quod certe magis usitatum est.

719. Rivinus excogitaverat *plenis*, sed agnovit melius esse in Sirm. *gemmis.* De gemmis vitis dictum jam supra ad v. 575. Propertius, l. IV, eleg. 2, vers. 13, *Prima mihi variat liventibus uva racemis.* Dicuntur uvæ fragiles, quia vites ipsæ fragiles sunt, vel quia vitreæ sunt, et *vitreus* et *fragilis* pro eodem sumi solent. Publius Syrus in Mim. *Fortuna vitrea est, tum cum splendet, frangitur.* Vel denique quia uvæ quodammodo franguntur et facile rumpuntur.

720. Ut matrum ubera cibum, et potum filiis præbent, sic uvæ, quæ sunt veluti ubera vitis, hominibus cibum et potum ministrant. Pulchra hac metaphora usus etiam est Columella, l. III, al. IV, c. 21, *Quibus* (vitibus) *alma tellus annua vice, velut æterno quodam puerperio læta, mortalibus distenta musto demittit ubera*: quæ verba corruptissime olim legebantur in antiquis editionibus, sed feliciter postea restituta sunt; neque aliter ea exhibet codex ms. Columellæ in Bibliotheca Altierana. Alioquin *uber* significat etiam fertilitatem, ubertatem, ut *uber agri, uber glebæ*, et de vitibus Virgilius II Georg. v. 275, *In denso non segnior ubere Bacchus*; Claudianus, Columella et alii.

721. Psal. CXLVI, v. 9, *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Jobi c. XXXVIII, v. 41. Lucæ cap. XII, v. 24. Pullos corvorum a parentibus derelinqui multi narrant. Confer Pinedam et Corderium ad loc. cit. Job, ut alios omittam.

722. Jobi c. XXXIX, v. 30, Proverb. cap. XXX, v. 17, Matth. c. XXIV, v. 28, Lucæ cap. XVII, v. 37. Quibus in locis aquila cadaveribus pasci dicitur. Dracontius cum Septuaginta, Hieronymo et aliis vulturem nominat, quia aquilæ, quæ corpora exanima sectantur, speciem referunt vulturis: nam aliæ aquilæ cadavera non tangunt. Ad commune aquilarum genus vultur et milvus a plerisque reducuntur.

723. Isidorus, l. XII Orig., c. 7, *Vultures autem, sicut et aquilæ, etiam ultra maria cadavera sentiunt: altius quippe volantes multa quæ montium obscuritate celantur, ex alto illæ conspiciunt.* Ubi non eximia odorandi facultas commendatur, quod putat Forcellinus verbo *Vultur*, sed oculorum acumen. Quod attinet ad scripturam hujus versus, cum prius legeretur, *Dux, rectorque sagax quem mox*, Sirmondus restituit *Dux odor usque sagax quem mox invitat ad escam. Nihil potuit Sirmondus, neque Dracontius melius*, ait Rivinus. Nihilominus præfero lectionem quam ex Vat. promo, et pro *mox* restituo *mos*, nempe natura ipsa, et instinctus vulturis.

724. Rivino commodius ad sensum videtur *Præcipit aut aquilæ.* Aliud mallem pro *præcipit* aut *præpetis*; forte *Præsciat aut aquila*, vel potius *Perpetis aut aquilæ*, quæ scilicet perpes dicatur, quia, cum ad senectutem devenit, juvenescit. Lectio Azagr. probabilis est. Arator, l. II, v. 528 seqq., fuse narrat qua ratione aquila senium deponat. Barthius, l. XXXIII, c. 3, eos versus cum retulisset, addidit eam de aquila historiam seu fabulam alio loco, quantum quidem meminerat, se non legisse quam apud Aldhelmum in libro Ænigmatum, qui forte Aratorem expresserit. Verum longe antiquior Aratore est hæc historia, et ipse Barthius ad Claudianum præf. tertii consul. Honorii ex Hieronymo epist. ad Præsidium (quam illi vulgo abjudicant), Aratorem et Aldhelmum eam narrationem sumpsisse existimat, et ex Paulino aquilæ juventutem alio modo renovari ostendit. Ansam hujusmodi narrationibus præbuerunt verba psalmi CII, v. 5, *Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.* Certum ex his est juventutem aquilæ quodammodo renovari: de qua tamen renovatione alii alia dicunt. Dracontius secutus est Augustinum in psal. cit., et Epiphanium in Physiolog., qui tradunt senescentem aquilam rostrum, quod nimis aduncum factum comestionem impedit, ad lapidem allidere, quo rupto cibum sumit ac juvenescit, et *fit in ea quædam resurrectio*, ait Augustinus. Consule Petavium in Animadvers. ad Epiph. Physiol. cap. 4. Adde Hildebertum Cenomanensem in Physiologo carm. de aquila. Nonnulli de mutatione pennarum qua aves quodammodo juvenescunt, verba psalmi exponunt.

725. In Vat. *tolerabit*, forte est pro *toleravit.* Rostrum *aduncum* et *obuncum* dicitur, et utriusque vo-

Auxilium miseris, spes, et defensio pressis,
Fessorum virtus, dans nutrimenta salutis.
Qui facit, æternam mortalia lege latenti
Membra tegant animam vento spirante loquaci.
Qui lunæ crescente globo jubet æquora crescant
214 Fluctibus adjectis, crescant cum fontibus amnes,
Crescat et inclusum capite genus omne cerebri,
Et minuantur aquæ, luna minuente, liquentes,
Ac decrescente decrescant lege perenni.
215 Qui reges et regna domat, sternitque potentes;
Dejicit elatos, et mergit ab arce superbos,
Atque oppressores Deus opprimit, et pius ultor
Elevat elisos, et consolatur adactos
Luctibus et damnis, et vulnera sæva dolentes.
Est nobis vexata salus? pietate medelam
Impendis tu, sancte, tuam medicamine nullo,

VARIÆ LECTIONES.

731. Vat., *qui facit æterna mortalia*. Alii, *q. f. æternam ut mortalia*.
732. Vat., *animum v.*
733. Vict., *jubet, ut mare crescat.*
734. Vat., Sirm., *abjectis.* Azagr., Vict., *adjectis.*
735. Vict. *i. capiti g.* Vat. *i. capitur g.*
736. Ita Vat., sed videtur scriptum *muniente* pro *minuente*. Sirm. *l. m. liquores.* Vict. *Et minuatur aqua, luna minuente, minore, ac decrescenti decrescant lege perenni.*
737. Vat. *Ut decrescente decrescunt l. p.* Sirm. *Ac decrescenti decrescant l. p.*
741. Vat., *consolatur abactos;* editi, *c. adactos.*
742. Vict., *ictibus et d.*
743. Sirm., Vict., *Tu nobis, invicte Deus p. m.;* sic Azagr., sed *tunc* pro *tu*. Vat., *Et noris vexata salus p. m.*, ex quo locum restitui.
744. Sirm., *Impendis, cui cuncta salus medicamine nullo est;* sic Vict., sed *tu* pro *cui*, et *nullo Quod* sine *est*. Vat. ut hic editum est, sed *cui* pro *tu*.

NOTÆ.

cabuli sunt proba exempla. In Vat. *ab unco* est pro *obunco;* nisi malis retinere *ab unco*, scilicet famem tolerabat a rostro unco crescente, vel, rostro crescente, famem a rostri unco tolerabat.

729. Libr. II, v. 685, *Major defensio pressis.* Plura alia similia loc. cit.

730. Paulo ante dixit v. 728, *Debilibus virtus:* nempe libens eadem verba sæpe repetit. Alioquin legi posset *Fessorum vires* aut *Fessorum robur.* Rivinus ex conjectura *dans nutrimenta solutis*, videlicet solutis morbo aut ætate. Melior est lectio codicum.

731. Eleganter omittitur *ut* post *facio*, ut in Vat. et v. 733, *Jubet, æquora crescant.* Persæpe tamen additur, atque hoc loco addi potest. Mortalia membra æternam animam tegunt, quia caro est veluti amictus, carcer, vinculum animæ. Hæc animæ cum corpore unio *lege latenti* fit: non enim quidquam recentes philosophi profecerunt, qui prolixos commentarios de re hac, necessario mortalibus obscura, conscripserunt.

733. Rivinus Sirmondo affingit, quod legat *jubet, æthera crescant*, vel potius hic est unus e multis erroribus typographicis Rivini; nam in Sirmondo invenio *jubet, æquora crescant.* Æstus maris reciprocus cum motu lunæ tam certam habet connexionem, ut illum ex hoc pendere non immerito multi philosophi opinentur. Sed Dracontius loquitur de motu quo, crescente luna, crescit mare, et, decrescente, decrescit. Isidorus de Natur. rer., c. 18, Dracontium videtur describere: *Luna crescente, crescunt omnes fluctus, atque ea minuente, minuuntur.* Ita enim legendum est, non, ut in editione recentiori Matritensi video, *crescunt omnes fructus.* Revera Dracontius non solum mare crescere ait, sed etiam amnes cum fontibus. De euriporum motibus consentit Basilius Hexaem. homil. 6. Seneca, l. III Quæst. nat., c. 26, disserit cur flumina quædam æstate augeantur, et unam ex rationibus a sideribus peti observat. Luna crescente et decrescente humores omnes crescere et minui, in nota ad v. 735 constabit.

734. Præferendum est *Adjectis fluctibus*, quia mare crescit, dum fluctus augentur, et quasi adjiciuntur. Isidorus loc. cit., *Crescunt omnes fluctus.*

735. Utrovis modo dici potest *inclusum capite*, postrema producta ob cæsuram, vel *inclusum capiti*. Totam hanc sententiam Dracontius in elegia rursus illustrat v. 235 seqq., ubi v. 241, *Ipsa medulla latens observat cornua lunæ, Observant lunæ tecta cerebra globos.* Hinc lunatici. Vide Macrobii verba in not. ad v. 664. Isidorus, l. XII Orig., cap. 6, num. 48, ex Palladio lib. ult. cap. 6, *Omnium enim clausorum maris animalium atque concharum incremento lunæ membra turgescunt, defectu evacuantur. Luna enim cum in augmento fuerit, auget humorem; cum vero in defectum venerit, humores minuuntur.* Plinius, l. II, cap. 99, *Accedensque (luna) corpora impleat, abscedens inaniat.* Vide Palladium l. XIII, tit. 1, de Medullis. Alcimus l. I de Cerebris, Fulgentius Placiades l. II Myth. versus finem. Confer Apuleium Met. l. XI initio, Manilium Prooem. l. II, v. 93, Oppianum l. V Halieut., v. 589 seqq., Aulum Gellium l. XX, c. 8, *De iis quæ habere* συμπάθειαν *videntur cum luna augescente ac senescente*, Nonnum Dionys. 5, v. 162, Basilium Hexaem. hom. 6, versus finem, Ambrosium Hexaem. l. IV, c. 7, num. 29, dissertationes Rivini de Venilia et Salacia. quas ipse indicat.

736. Rivinus Sirmondo attribuit *Et minuantur aqua, luna minuente liquores*, et ipse ex conjectura melius putat *Et minuantur aquæ, luna minuente, liquores.* At in Sirmondo ita plane lego *Et minuantur aquæ luna minuente liquores*, ac solum diversa interpunctio est in Rivino, ex qua clarior redditur sententia. *Luna minuente* pro imminuta dixit etiam Isidorus laudatus ad v. 733, et Dracontius in Elegia v. 238, qui *minuo* neutrorum more ponit v. 240, *Hæc eadem minuunt, Cynthia dum minuit.* A. Gellius l. I, c. 3, *Famæ minuentis* dixit, quanquam alii legunt *famæ imminentis.* Corippus v. 31 præfation., *Suspiciens minuentis cornua lunæ.* Palladius, l. III, tit. 24, *Si minuente luna seratur.* Cæsar l. III de Bello Gall., cap. 12, *Rursus minuente æstu.* Sic *augere* pro *augeri* dicunt Sallustius, Cato, Lucretius.

738. Ex cantico B. Virginis Lucæ cap. I.

740. Forte *et pius ultro.* Cæterum bene est *pius ultor.* Prudentius Cath. hymn. 6, v. 93, *Idem tamen benignus Ultor retundit iram.*

741. Libr. II, vers. 741, habet *pœnis adactos. Abactos.* vel *adactos* videtur significare *subactos.* Ac dici posset *consolaturque subactos.* Statius etiam dixit *adactum* pro *subactum* l. I Theb., v. 19, *Bisque jugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum.*

744. Pro *Impendis* Rivinus conjicit *Impertis.* Sed *impendere* pro conferre etiam in usu est, et occurrit l. III, v. 248, *Impendat*, etc. Lectionem Sirmondi *cui cuncta salus medicamine nullo est*, exponit Rivinus, *quem alias nec ipsa quidem salus, si maxime velit, servare posset (ut Comicus ait), tu Deus medelam impertis.* Præfero scripturam Vat. Poetæ Christiani libenter *sancte* usurpant, cum Deum alloquuntur. Libr.

Quod species terrena parat languoris ad æstus. A
Spes hominum intendens, et vota precantia complens,
Aspice despectum, dejectum attolle parumper,
216 Confusumque juva, quia pœnitet esse nocentem,
Ut valeam memorare tuas hoc carmine laudes,
Quas potero : nam nemo valet narrare creatus
Vel modicum facientis opus : quo mens mea clamat
Pectore contuso lacrymans, et voce fideli.
Obses sermo tuus nostro nam corde tenetur,
Quo te promittis nimia pietate parentem.

VARIÆ LECTIONES.

745. Vict., *languoris adepti*. Sirm., *l. ad æstus*. Vat., *p, sermonis l. ad æstu*.
746. Editi, *cernens* ; Vat., *intendens*.
747. Vat., *Aspice dejectum, despectum attolle parumper*, sic Vict., sed *tolle* pro *attolle*. Sirm., *Aspice despectum, dejectum tolle parumper*.
748. Ita Vat. ; alii, *confessumque juva, quem p*.
749. Vat., *memorare* ; alii, *narrare*.
751. Vat., *Vel modicum fas litis opus quod mens mea clamat*. Sirm., *V. m. facientis o. quod mens rea c* Vict. ita, sed *quod mente reclamet*.
753. Vat., *Obsess...... tuus. n. n. c. t.* deest *sermo*.
754. Hic est postremus versus in Sirm., Vict. et Azagr. In Vat. illico additur *Omnipotens æterne Deus*, quo hemistichio concluditur primus liber. Verum id initium est libri secundi, ut clarum est.

NOTÆ.

II, v. 597, *Ante videns primum medicinam, sancte, parasti, Quam faceres hominem*, et libr. III, v. 598, *Nostris, sancte, tuas*, etc.
745. *Species* sumitur pro condimentis, aromatibus, medicamentis : idemque vocabulum, aut aliud ex eo ductum, in linguas vulgares, in Germanicam etiam manavit. Serenus in fine, sive Vindicianus, sive Marcellus in carmine de Medic., *Adde et aromaticas species, quas mittit Eous*. Vide Martian. Dig. l. XXXIX, tit. 4. leg. ult., *Languor* de quovis morbo recte dicitur.
746. Barthius volebat *Spes hominum curans*. Scriptura Vat. vera est, quasi *intendens in spes hominum* omisso *in*. Libr. III, v. 602, *Et lacrymas intende meas, quas fundo diurne*. In orationibus ecclesiasticis Deus preces hominum intendere dicitur. Hoc loco poterit etiam exponi, *spes, et fiduciam hominum augens*.
747. Pro *parumper* conjectura Barthii est *per impar*, quod non intelligo. Rivinus mallet *per auram*, vel *per umbras*, scilicet dejectum. Non video cur *parumper* displicere debeat. Hoc loco *parumper* significare potest *cito, velociter*, ut apud Ennium I Annal., *Te nunc, sancta precor Venus, et genetrix patris nostri*, B *Ut me de cœlo visas cognata parumper*. Vide notam ad v. 4 libr. II.
748. Non male est *Confessumque*, sed *Confusumque juva* magis huic loco congruit post *despectum, dejectum*. *Confusus* pro perturbato aliqua animi affectione, mœrore, metu, terrore ab ethnicis etiam usurpatur ; apud ecclesiasticos scriptores obvia est ea vox de iis quos criminum pœnitet, et pudet uti etiam *confusio*.
749. Vide prolegomena, num. 85.
751. Forte *Vel minimum factoris opus*. Verum hic *modicus* pro exiguo sumitur. Cicero Paradox. 6, *Mea pecunia est ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica*. Rivino magis probatur scriptura Sirmondi *quod mens rea clamat*, quam Barthii conjectura *quod mente celebret*. Mihi placet lectio Vat. De clamore mentis ad Deum dixi ad v. 568.
752. Pectora contundere in gemitu et lacrymis solemne etiam fuit ethnicis. Seneca, Thyest. vers. 1046 : C *Pectora illiso sonent Contusa planctu*. Petronius, Satir. c. 81, *Verberabam ægrum planctibus pectus*. Adde vers. 377 libr. III et seqq. cum notis, ubi plura proferam.

LIBER SECUNDUS.

217 Omnipotens æterne Deus, *spes unica mundi*,
Inventor, genitor, nutritor, rector, amator
Cunctorum, quæ mundus habet, quæ celsa polorum,
Quæ cœli secreta tegunt, produntque parumper,
218 Sidereus quod ab axe globus super astra rotatur,
Pendula quod tremula vibrant face sidera flammas,

SCRIPTURA COD. VAT.

. Hoc hemistichium, ut modo dixi, sic mutilum finem claudit libri I in cod. Vat.
3. *Cunctarum quæ*.
5. *Astra rotatum*.
6. *Vibra'. f.*

NOTÆ.

1. Postrema verba supplevi ex Sedulio, cujus integer est hic versus paulo post initium libr. I, *Omnipotens æterne Deus, spes unica mundi*. Et Dracontius quidem phrasi sacræ Scripturæ persæpe Deum spem appellat, ut paulo post v. 31, *Spes hominum*, et v. 584, *Conditor et spes*, et lib. I, vers. 434, *Spes, opifex, dominus, rector, dux, arbiter, index*, et Eleg. v. 1, *Rex immense Deus, cunctorum conditor, et spes*.
2. *Nutritor* Deus, ut l. I, v. 685, *Sub nutritore Tonante*, et vers. 552, *Ipse rigator erat, sator, altor, messor, arator*. Deus etiam est amator cunctorum, quæ condidit. Sapient. cap. XI, v. 25, *Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti*.
3. *Celsa polorum*, ut *dulcia rerum*, et similia, nisi mavis legere *tecta polorum*, vel *templa polorum*. Sed l. III, v. 542, similiter *Celsa poli*.
4. Mox. v. 47, *Nec cœli secreta vacant*. Claudianus initio lib. I de Raptu Proserp., *Et vestri secreta poli*, D quod is de inferis dicit. Auctor incertus de laudibus Domini sub Constantino : *Ad summi secreta poli, qua lucidus æther Pigra vetat proprio succendere nubila cœlo*. Legam *succedere*. *Parumper* est interim, paulisper, parvo tempere, aliquando paulatim, ut Servius putat, vel cito, velociter, ut Nonius, c. 4, interpretatur illud Virgilii l. VI Æn., vers. 382, *Pulsusque parumper Corde dolor*, ubi Servius advertit ex aliorum sententia *parumper* esse valde parum. Hoc loco videtur significare aliquantulum, aliqua ex parte. Nam cœli secreta ita latent, ut tamen sese hominibus aliqua ex parte manifesta reddant, quantum quidem satis est ad Dei potentiam agnoscendam et prædicandam.
6. Sidera pendula sunt, quia cœlo fixa quasi pendent. Cogitabam an oporteret legere *Splendida quod tremula*. *Vibrare* pro *splendere*, *micare* poni solet sine accusativo, sed semper hic subintelligitur, ut vi-

Et stellæ sub luce latent, sub nocte refulgent, A
Nuntius auroræ quod lucifer emicat ardens,
Ut fuget astra poli, fugiturus lucis habenas,
Quod calor est solis, quo splendet frigida [luna,
Partita cum fratre vices, sua tempora lustrans,
Ne simul invadant mundum sine luce tenebræ,
Credaturque chaos spatio sub noctis adesse,
Quod tu, cum faceres mundum, virtute ne- [casti.
219 Tu Deus inspiras, ut sol auriga vocetur,
Non quia vectus equis est quattuor axe rotato,
Sed quia perfectus sol quattuor ex elementis
Quattuor alternat solers auriga colores,
220 Permutat jussus sol tempora quattuor [anni,
Non ausos transire vices sub lege perenni
Præfixas ditione tua, non ille vapores
Auget sponte sua, medios nec temperat ignes,
Aut gelidum dat forte jubar, nisi præduce jussu

SCRIPTURA COD. VAT.

7. *Et belle s. l. l. s. n. refulget.*
9. *Ut fugat a.*
11. *Partica cum parte v.*
13. *Duos* correctum per *chaos*; postea *noctis abesse.*
14. *Quo tua cum faceres mundum virtute nec astis.*
17. *Sed qui perfectus.*

NOTÆ.

brare flammas, lumen: vibrare enim est projicere, concutere.

7. Vide l. I, v. 220, *Sed luce premuntur*, etc., et v. 675. *Cujus ab immensis languescunt sidera flammis*, etc.

8. Libr. I, v. 668, *Nuntius auroræ*, etc.

9. Forte *Et fugat astra.* Horatius, l. III, od. 21, in fin., *Dum rediens fugat astra Phœbus.* Ovidius, Heroid. ep. 2, v. 47: *Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.* Sic etiam *fugiturus* dixerunt Plinius, Petronius, Statius. *Habenæ lucis* sunt auroræ vel solis: nam etiam auroram quadrigis aut saltem bigis vehi poetæ finxerunt.

10. Redditur ratio cur luna *frigida* dicatur, l. I, v. 52 et 666, quia scilicet lumen a sole accipit. Frigida etiam vocatur luna, quia roscida est, et passim dicitur, et quia nocti frigidæ præsidet. Posset conjici *Quod calor est solis, quod splendet frigida luna Partita cum fratre vices.*

11. *Partita* a *partior*, *partiris* postrema producta ob cæsuram. Sedulius, l. I, v. 253, ait de sole: *Partitur cum nocte vices, nec semper ubique est.* Tentari potest *Partita cum fratre vice.* In ms. est *parte*, et fortasse scribendum est *patre*, quasi sol pater sit lunæ, quod lumen suum illi impertiatur. Sed nimis frequens est apud poetas lunam sororem solis, solem fratrem lunæ dicere, adeoque hoc potius censeo voluisse Dracontium. *Tempora lunæ* legitur etiam l. I, v. 73. Ovidius de Remed. amor. v. 585, *tempora Phœbi* dixit: *Tristior idcirco nox est, quam tempora Phœbi.* Ac revera tempora aliud non sunt nisi motus ipse solis, lunæ et stellarum, Genes. cap. I, v. 14, *Fiant luminaria.... et sint in signa, et tempora, et dies et annos.* Vide v. 52 et seq. libr. I. *Lustrare* est obire, peragrare. Cicero, l. II, cap. 20, de Nat. deor., *Mercurii stella anno fere vertente signiferum lustrat orbem.*

14. Ita restitui versum corruptissimum. Sententia clara est: Si tenebræ noctis sine ulla luce lunæ et siderum mundum invaderent, chaos illud adesse videretur, quod Deus destruxit cum mundum condidit. Libr. I, v. 116, *Prima dies nam lucis erat, mors una tenebris.* Vide notam ad v. 197 hujus l. II. Translate *necare* pro expellere, destruere. Seneca, in Hippol. v. 454, *Quid te coerces, et necas rectam indolem?*

15. Ovidius, l. II Met., v. 327, *Hic situs est Phaeton, currus auriga paterni. Inspirare* pro *lumen internum immittere* verbum in Ecclesiæ usu frequens, sed quod ab optimis Latinis scriptoribus profectum est. Virgilius, VI Æn., v. 11, *Magnam cui mentem, animumque Delius inspirat vates.* Quintilianus, lib. II, cap. 5, *Quibus viribus inspiret, qua jucunditate permulceat.* Justinus, lib. V, cap. 1, *Qui inspirari solent, fatuari dicuntur.*

17. Capella, l. II in hymno solis: *Quatuor alipedes dicunt te flectere habenis, Quod solus domites, quam dant elementa, quadrigam.* Dracontius originem fabu- B læ de curru solis quærit et explicat. Aratus in Phænom., *Huic quoque illam ob causam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, id est, verni, æstatis, autumni, et hiemis: aut quod quadripartito limite diei metitur spatium.* Qui locus ex Fulgentio libr. I Mythol. suppletur, *Huic quoque quadrigam ascribunt illam ob causam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrifido limite diei metiatur spatium.* Principia rerum omnium quæ sensibus percipiuntur esse quatuor elementa Empedocles, Hippocrates aliique philosophi statuerunt, qui asserebant *omnia elementa omnibus inesse, sed unumquodque eorum ex eo quod amplius habet, accepisse vocabulum*, ut hanc opinionem explicat Isidorus l. XIII Orig., c. 3. Solem ex igne et aqua maxime constare innuit Dracontius l. I, v. 25. Sed elementa omnia mutuam inter se habent connexionem, et, ut explicat Ambrosius l. III Hexaem., c. 4, aqua quasi duobus brachiis, frigoris, atque humoris, altero terram, altero aerem videtur complecti, C frigido quidem terram, aerem humido. Ignis calidus et siccus calore aeri annectitur, siccitate terræ. Ita etiam alii.

18. Facile esset *calores* pro *colores* legere: nam paulo post quatuor calores solis distinguuntur, æstatis, autumni, hiemis, veris: qui etiam in diversis horis cujuslibet diei notari possunt, et Ovidius l. II Met., v. 134, ait: *Utque ferant æquos et cœlum, et terra calores, Nec preme, nec summum molire per æthera currum.* Sed scriptura vetus sustineri debet: nam solis colores quatuor in quatuor diei partibus diversi notantur. Aratus in Phænom.: *Unde et ipsis equis condigna nomina posuerunt, id est, Erythræus, Actæon, Lampros, et Philogæus. Erythræus Græce ruber dicitur, quod a matutino lumine rubicundus exsurgat. Actæon lucidus dicitur, quod tertia hora instante lucidior fulgeat. Lampros vero lucens vel ardens dicitur, quod fit, dum ad umbilicum diei contra arcticum conscenderit circulum. Philogæus Græce terram amans dicitur, quod hora nona proclivior vergens* D *occasui pronus incumbat.* Eisdem fere verbis Fulgentius l. I Myth., sed *centratum* pro *contra arcticum.* Alii aliis nominibus equos solis appellant. Vide Hyginum fab. 183, et Ovidium II Met., vers. 153, *Interea volucres Pyroeis, Eous et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon.*

20. Libr. I, v. 737, similiter *Decrescant lege perenni.*

21. *Ditione* pro imperio. Cicero, libr. II Leg., c. 7, *Sit igitur hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos, eaque quæ gerantur, eorum geri vi, ditione ac numine.* Pro *calores* ponitur *vapores.*

23. Gelidum dicitur jubar solis hiemis tempore, quia minus calefacit, nec gelu prohibet. Scribi posset *præ duce jussu.* Sed *prædux* etiam solo Dracontio au-

Imperii per sæcla tui sine fine manentis.
Militia famulante sua servire fidelis
Oceano, mundo, vel cœlo teste probatur.
Sic opus omne tuum visum est et non latet orbem.
Te, Deus, auctorem, te norunt omnia patrem,
Te pariter dominum, qui das exordia rebus,
Et finem sine fine paras, exordia nescis:
221 Spes hominum, rerum princeps, mundique superstes
Sanctus ubique tuus complectitur omnia princeps
Spiritus immensam penetrans per sæcula molem:
Ut fusus aer, sic omnia contegit implens,
Singula per partes, generaliter omnia nutrit,
Totus ubique juvans, et totus ubique ministrans;
Quæ vibrans natura dedit, quæcunque creantur,
Aut generata valent, hæc spiritus ingerit almus,
Corporeos artus fovet, erigit, urget, et auget.
Continuanda manent, et succidenda labascunt.
222 Mentibus insidit, penetrat caput, ossa, medullas,
Pectora, cor, sensus, animam, præcordia, mentem.
Illustrat venas, oculos, et viscera replet.
Quid lædat, quem cuncta gerunt, quo cuncta reguntur,
Temporis, et spatii quem spiritus omnis, et ignis
Laudat, et æternum venerantur cuncta parentem?

SCRIPTURA COD. VAT.

25. *Suas s.*
27. *S. o. o. t. visibile n. l. o.*
28. *Te nominis omnia;* sed *nominis*, obscure.
30. *Fine parens e. noscit.*
34. *Nam quasi fusus aer, sic.*
35. *Singula non partim g.*
37. *Quæ vibrat n.*
40. *S. labuntur.*
41. *M. insidet p.*
44. *Quid letat quem.*

NOTÆ.

ctore mihi probatur: sic alii *prœduco* dixerunt. Non male esset *perpete jussu*.

24. Libr. I, v. 86, *Deum post sæcla manentem*. Hic etiam bene esset *post sæcla*.

25. Libr. hoc, v. 333, *Militia præclara poli*. Sophonias, c. I, v. 5, *Et eos, qui adorant super tecta militiam cœli*, scilicet solem, lunam et stellas. De solis militia Dracontius l. I, v. 229, *Miles et ipse Dei*. Quod Dominus dicitur Deus Sabaoth sive exercituum, nonnulli interpretantur de astris quæ, veluti acies sub armis ad nutum Dei stantes, exhibentur. Vide Calmetum, Diction. Bib., verbo *Sabaoth*.

26. *Mundus* pro terra, ut l. I, v. 705, *Gurgitis æquorei, quo mundus cingitur omnis*. Simili loquendi ratione *probatur* occurrit libr. I, v. 385, *Quibus apta probatur*, et v. 524, et lib. II, vers. 190, 265, 583, 716, et in Eleg. v. 187 et 295, quanquam nonnullis in locis variant codices. Ovidius II Met., v. 92, *Et patrio pater esse metu probor*.

27. Non constat ratio metri, si legatur *tuum visibile non latet*. Restitui *visum est, et non*: scilicet visum est per solem. De luce libr. I, v 135, *Cujus jussit ope clarescere cuncta creata*.

30. Forte *sine fine parans*: vel *qui das exordia rebus, Et finem; qui fine carens exordia nescis*. Lib. I, vers. 22, *Et merito, quia fine carens primordia nescit*.

31. *Spes* Deus, ut dictum v. 1 hujus libri. *Princeps* usurpatur pro inventore et auctore a Cicerone et aliis. De Deo Dracontius l. I, v. 332 et 399, et l. III, vers. 154. *Superstes* eum genitivo in Cicerone aliisque probatissimis scriptoribus invenitur. Hic locum habere potest prima et propria significatio vocis *superstes*, hoc est, qui super stat, et præsens adest mundo.

32. Genes. cap. I, v. 2, *Et spiritus Dei ferebatur super aquas*. Spiritum sanctum multi interpretantur. De hoc Dei spiritu loquitur Dracontius, ut libr. I, v. 600 et seqq., *Spiritus ille Dei, quo corpora cuncta moventur, Omnia complectens*, etc. Poterit intelligi ipsa natura et virtus divina: nam Deus spiritus sanctus est, ut spiritus substantiam incorpoream significat.

33. Virgilius, VI Æn., v. 726, *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem*. Dracontius, l. I, v. 603, de mundo, *Moles et immensa*.

34. Non puto Dracontium corripuisse primam in *aer*, quamvis fieri id posse nonnulli dicant. *Ut fusus aer* magis Dracontianum videtur.

35. Scriptura codicis vix sensum verum habere potest, nec dubito quin Dracontius scripserit *per partes*: nam ut nomen *omnia* opponitur nomini *singula*, ita adverbium *generaliter* verbis *per partes*, quæ stant adverbii loco quasi sigillatim. Columella l. I, c. 4, *Quod etsi per partes nonnunquam damnosum est, in summa tamen fit compendiosum*: et l. IV, c. 24, paulo post init., *Hæc in universum, illa per partes custodienda sunt*. Vide, infra, v. 183 hujus libr. Post hanc conjecturam ita expositam incidi in verba S. Isidori, lib. I Sentent., cap. 2: *Nec particulatim Deus implet omnia, sed cum sit idem unus, ubique tamen est totus*. Quo sensu explicari ac retineri poterit scriptura vetus.

36. *Ministrans*, ut ad v. 227 lib. I explicatum est, pro inserviens ponitur.

37. *Vibrans* natura, ut v. 64, de mente Dei: *Simplex, celsa, levis, vibrans, immensa, serena*. Natura *vibrans* est celerrime agitata, aut etiam micans.

39. Libr. I, vers. 337, *In artus Corporeos*, et vers. 601, *Agitat, fovet, inserit, urget*. Melior erit ordo, si prius legatur *Continuanda*, tum *Corporeos*.

40. Magis videtur e Dracontii acumine, et stylo esse *Succidenda manent, et continuanda labascunt*. Verbo *succido* usus etiam est l. I, v. 615. Prima in *labuntur* producitur: idcirco *labascunt* substitui. Verbum *labor* sequiori ævo communem videtur habuisse primam. Victorinus de Machabæis: *Jam locus est melior, quam regna labentia regis*, et paulo ante, *Regnaque, quæ parvo labitantia tempore dantur*. Hæc quidem exempla profert Fabricius in Ind. poet. Christ. Sed in primo legi potest *labantia*, in secundo *labitantia* est frequentativum a *labo labas*.

41. Libr. I, v. 258, *Frondibus insidens* ab *insido*. Metro adversatur *insidet*.

43. *Illustrare* quandoque est lustrare, perlustrare, qua significatione occurrit idem verbum l. I, v. 597. Cicero, in Somn. Scipion. cap. 4, *Sol... tanta magnitudine, ut cuncta sua luce illustret, et compleat*: etsi enim id vulgo exponatur pro *splendorem cunctis afferat*, tamen verbum *compleat*, quod sequitur, aliam significationem infert. Frustra aliqui reponunt *sua luce lustret*: nulla enim est ratio cur verbo *illustro* significatio lustrandi aut collustrandi denegetur.

45. Tentabam *quo cuncta reguntur Tempora, vel spatia, quem*. Nihil tamen muto: potest enim intelligi spiritus temporis, et spatii omnis.

Nec cœli secreta vacant, quæ spiritus auctor
Non habeat virtute tua, quæ solis in orbem,
Lunaresque amplexa globos dominatur, agitque,
Quidquid habet pietatis opus, simul *æthera complens*.
Qui nihil est, nisi lege tua servetur in ævum,
Circulus hærebit, nisi jusseris ire meantem :
Et stellatus honos mox sphæra volubilis hæret.
223 Ac mutent elementa vices per circla morantes,
Et cadat ante diem sublimis machina rerum :
Sed tu lege tua retines, qua cuncta coerces.
Nam quis stare queat contra tua jussa reluctans?
Aut tibi quis reputet, si perdere jusseris orbem?
Quem ipse repente jubens solo sermone creasti,
224 Quo libuit genuisse Deum ante hæc omnia Christum?
Semine quem verbo conceptum corde ferebas,
Quo sine non unquam fuerat mens sancta parentis,
Multa, profunda, potens, solers, pia, provida, perpes,

SCRIPTURA COD. VAT.

48. *Quæ solus in orbem.*
49. *Dominantur*, ut videtur.
50. *Quidquid habet pietatis opus simul*... desunt alia.
53. *Mox fera volubilis.*
56. *Sed te lege.*
58. *Reputet quis perdere.*
60. *D. ante omnia C.*
61. *V. conceptu c.*
62. *Quo sine nonnunquam f.*

NOTÆ.

47. Confer vers. 4, *Quæ cœli secreta tegunt*. *Vacant* est *vacua*, aut etiam *immunia sunt*, *et libera*.

48. Vide num melius *Non adeat virtute sua* vel *tua*. Bene etiam est *habeat*, ut vers. 44, *Quem cuncta gerunt, quo cuncta reguntur*.

49. Lib. I, vers. 77, *Lunaremque globum*.

50. Mox vers. 114, *Ut faceret virtutis opus*; et in Eleg., vers. 290 et 298, *pietatis opus*. Hoc loco *pietatis opus* est influxus beneficus solis, lunæ et astrorum in terras. Lib. I, vers. 224, *Qui fovet igne pio cœlum, mare, sidera, terras*.

51. Locus hic videtur corruptus. Fortasse trajiciendi sunt versus, prius *Circulus hærebit*, deinde *Qui nihil est*.

53. Forte *hæreat* dissyllabum per synæresin : vel vers. seq. legendum *mutant*, et postea *cadit*. Sententia est : Circulus hærebit, nisi jusseris, ire meantem; qui nihil est, nisi lege tua servetur in ævum. Nisi enim servetur, illico sphæra volubilis, stellatus honos, seu decus, hærebit, mutabunt elementa vices, et ante diem cadet machina rerum.

54. In Eleg. vers. 247, *Alternant elementa vices*. Contrarium est *mutant*. Rusticus Helpidius de Jesu Christi benef., *Etiam discordia fidas Conservant elementa vices*. Infra vers. 335, *Per sæcula mille morantur*, ex quo conjici posset *per sæcla morantes*. Sed Dracontius voluisse videtur *circla* a *circulum* neutro genere, cujus non habeo exemplum. Syncope *circla* auctoritate Virgilii comprobatur l. III Georg., vers. 166, *Laxos tenui de vimine circlos*. Multa sunt vocabula a veteribus per syncopen contracta, quæ a librariis commutata sunt, quod mendosa crederent. In elegia paracteria, seu repercussoria, ut in mss. codd. vocatur, qua Sedulius facta Salvatoris nostri describit, ultimus versus est, *Cum sancto Spiritu gloria magna Patri*. Nonnulli mutarunt *Spiritui, et Nato gloria magna Patri*; sed jam tempore Bedæ legebatur *Cum sancto Spiritu*, qui in lib. de Arte metrica ait Sedulium neglexisse regulam grammaticæ dispositionis, ut gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis clara voce decantaret. At potuit Sedulius dixisse *Flamine cum sancto*, aut *Pneumate cum sancto*. Itaque censeo a Sedulio scriptum *Cum sancto Spritu*, aut *Spirtu*. Ita etiam lego in Victorino de Jesu Christo Deo et homine : *Tempus erat spritum Patri solvisse Tonantem*. In secundo lib. Carminum Eugenii Toletani, carm. 75, postremus hic est versus : *Pacis et amplexus pariter convertat adulteros*. Diligentissimus Editor cardinalis Lorenzana adnotavit : ADULTEROS *ferri non potest, sed sive legamus* ADULTOS, *nullus sensus elici valet*. Legam igitur *adultros* per syncopen ab *adulteros*; sic et metro et sensui consulitur.

55. *Ante diem* est contra naturæ ordinem, ante tempus a natura stabilitum, ante diem suum, quia, ut ait Virgilius l. X, vers. 467, *Stat sua cuique dies*. Sic *obire diem* est obire diem suum seu mori. Ovidius lib. I Met. vers. 148, *Filius ante diem patrios inquirit in annos*. Cicero aliique *ante tempus* solent dicere.

58. Forte *si perdi jusseris*. *Reputare* pro imputare quasi computationem ineundo. Papinianus l. XI, tit. 7, leg. 17, *Sed si nondum pater dotem recuperaverit, vir solus convenietur, reputaturus patri, quod eo nomine præstiterit*. Interpretatur Dracontius versiculum 10 cap. XI Job : *Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?* Scilicet quis rationem a Deo exiget, si mundum subverterit? Eadem sententia exstat Sapient. cap. XII, vers. 12, *Quis enim dicet tibi : Quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum?..... Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas fecisti?*

60. Posset cum aliquo hiatu retineri *Deum ante omnia Christum*. Vide Broukusium ad el. 12 Propert., vers. 1. Rusticus Helpidius de Christi Jesu beneficiis, *Hoc verbo, quo tanta sator sibi regna paravit, Te quoque regnorum socium, natumque probavit*. Dracontius eamdem loquendi rationem in generatione Filii explicanda tenet quam Prudentius hymn. 3 Cathem., vers. 2, et hymn. 11, vers. 17, ubi ait : *Ex ore quamlibet Patris Sis ortus, et verbo editus, Tamen paterno in pectore Sophia callebas prius. Quæ prompta cælum condidit, Cœlum, diemque, et cætera. Virtute Verbi effecta sunt Hæc cuncta : nam Verbum Deus. Sed ordinatis sæculis, Rerumque digesto statu, Fundator ipse, et artifex Permansit in Patris sinu*. Et Apoth. vers 524, *Sed Verbo factum Domini, non voce sonora, Sed Verbo, quod semper erat, Verbum caro factum est*. Verbo igitur seu sermone Deus fecit omnia, et verbo etiam genuit Filium suum seu Verbum quod etiamsi caro factum sit, ipsum tamen genitum est, non factum. Cum autem Dracontius dicat *Quo libuit*, et *Deum Christum*, de generatione secunda et temporali eum loqui certum videtur, sed ita ut statim vers. seq. æternam generationem explicet, in qua etiam agnoscit, Verbum Verbo conceptum et genitum. Christus vero ante omnia genitus est, quia ante omnia præfinitus et prædestinatus est. Psal. CIX, v. 3, *Ex utero ante luciferum genui te*. Adisis notas ad loc. cit. Prudentii.

62. Omnino legendum est *non unquam* nam *nonnunquam* catholicæ doctrinæ et orationis totius sententiæ opponitur. Vide prolegom. num. 109 et seq.

63. *Multa* est magna. Cicero Famil. II, ep. 10: *Nomen nostrum multum est in his locis*.

Simplex, celsa, levis, vibrans, immensa, serena, A
Vivida, cunctipatens, mens innumerabilis, una.
Ergo Deo Deus est natus, de lumine lumen.
225 Corde sacer genitus mox constitit ipse parenti,
Et consors cum Patre manens, et Spiritus unus,
Trina mente Deus, Deus auctor, temporis expers,
Multiplici virtute potens, pietate modestus
Innumera, cœlis, elementis, fluctibus, astris
Impendens, ut stare queant, famulentur, adorent,
Angelico de more preces sine fine canentes.
Omnibus his præstat dilato fine manere, B
Ut vigeant homines, pisces, armenta, volucres,
Et pecus, atque feræ, quidquid natura creavit.
Quidquid et innumerus diversi sanguinis ortus.
Qui nasci dignatus homo, membratur in artus
Sanguine femineo concretus spiritus almus,
Fitque Deus post templa poli sub carne, figura
226 Passibilis, mortalis homo sine fine perennis :
Et tenuis per cuncta vapor, jam mollior ignis
Irrepsit, tenerumque parat per viscera corpus.
Induitur compage Deus, structura ligatur
Ossibus, et nervis, pinguescunt intro medullæ,
Hinc cruor, hinc humor, solidatur musculus omnis,
Et caro plasmatur. Quid sanctus spiritus illic
Egerit, ipse potens novit, qui cuncta creavit;
Qualiter aure Deus, verbo fetante marito,
Virgineos intrasse sinus dignatur, et alvum,
Terrarum, cœlique capax, atque ignis anheli,

SCRIPTURA COD. VAT.

66. *Ergo Deum Deus ovans* ..., deest reliquum.
73. *Angelica des ne preces s. f. carentes.*
74. *F. carere*; ad marg., *manere.*
75. *Et vigeant.*
76. *Quod pecus, atque.*
77. *Numquid ad innumeros d. s. ortus.*
78. *Membratur in alvum.*
83. *Irrepsit teneramque p.*
85. *Pinguescunt vitro m.*
87. *Plasmatur quid* obscure legitur ob nexum litterarum.
88. *Potens vetuit quod c.*
89. *V. fetente m.*
91. *C. anhelantis et ignis.*

NOTÆ.

64. *Levis* est placida, lenis, grata : contraria ratione *gravis* de ingrato et molesto dicitur. Poterit etiam intelligi *spiritualis* in *levis*, hoc est sine pondere. De *vibrans* vide notam ad vers. 37. Mens *serena* C est læta, felix, prospera: qua de causa ethnici Jovem peculiari titulo *Serenum* et *Serenatorem* appellabant : inde imperatores dicti *serenissimi.*

65. Fortasse melius *cunctiparens*, quo verbo usus est Prudentius, ut *cunctipater* Theodulfus Aurelianensis. *Cunctipotens* etiam dixit Prudentius. Sed cum Virgilius usurpaverit *Omnipatens*, non facile rejiciendum est *cunctipatens*. Mens *innumerabilis* dici poterit ab effectis, ut *una* in natura ipsa. Sed legendum suspicor *cunctipatens, immensurabilis, una.* Salvianus aliique scriptores Christiani vocabulo *immensurabilis* usi sunt, et supra jam dictum est *mens sancta parentis.*

67. Adverbium *mox* significat hoc loco ipsam æternitatem, ut *hodie* psal. II, vers. 7, *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Ad Hebr. c. I, vers. 5.

68. Filius consors seu consubstantialis Patri ostenditur. Vide v. 103 et seqq.

69. De *trina mente* Dei vide dicta proleg. num. D 109 et seq. Dracontius l. I, vers. 563, dixit, *Virtus trina Deus*, ut Paulinus poem. 26, natal. 11, *Nam Deus unus Virtus trina Deus.* Sic *trina mens.*

70. Vide l. I, vers. 29. Censeo distinguendum esse *pietate modestus Innumera, cœlis*, ut *multiplici virtute.*

73. *Canentes* in genere cohæret cum cœlis et fluctibus.

77. Mendosus est hic locus, neque satis liquet an cum præcedentibus an cum sequentibus connecti debeat. Fortasse *quidquid natura creatrix Nutrit ad innumeros diversi sanguinis ortus.*

78. Libr. I, vers. 337, *Membratur in artus Corporeos.* Hic forte *in alvo.*

79. Vide quæ notavi ad Prudentium l. II, contra Symm., v. 265 et seq. Nam Prudentius etiam simili modo locutus est, qui de homine Deum loquentem inducit : *Restituendus erat mihimet : submissus in illum Spiritus ipse meus descendit, et edita limo Viscera divinis virtutibus informavit.* Verbum vocatur *spiritus almus.*

80. *Post templa poli* est hoc ipsum, quod in symbolo fidei dicitur, *Descendit de cœlis.* Augustinus serm. 187, al. 27, de tempore: *Quanto magis hoc tantum, et tale Verbum potuit matris uterum, assumpto corpore, fecundare, et de sinu Patris non emigrare? hinc ad oculos humanos exire, inde mentes angelicas illustrare? hinc ad terras procedere, inde cœlos extendere?* Adde S. Leonem laudandum ad v. 99.

82. Forte *It tenuis.*

83. Forte *Irrepit.*

84. Libr. I vers. 346, de Adamo creato : *Et vocem compago dedit nova machina surgens* sive ex conjectura, *Et vocem compage dedit.* Avitus l. II, v. 96, *Cœlum terra tenet, vili compage levata Regnat humus.* De structura corporis et ossibus manus ait Celsus l. VIII, c. 1, *Oblonga omnia et triangula, structura quadam inter se connectuntur.* Dracontius l. III, vers. 643, *Ædificant hominem longæ fragmenta ruinæ, Ante tamen quam membra forent compage ligata*, etc.

85. Libr. III, ubi agitur de ossibus aridis vitæ restitutis vers. 614, *Jam nervis membra ligantur.* Fortasse legendum *pinguescunt intra medullas Hinc cruor, hinc humor.* Loc cit. v. 612, *Cruoris humor ut absumptas intraverit ante medullas.* Medulla est pinguedo subtilior.

87. De verbo *plasmo* libr. I, v. 336, *Plasmavit per membra virum.*

89. B. Virgo concepit, quia credidit. Fides autem ex auditu. Confer vers. 591. Augustinus serm. 13 de Temp., al. 128, in append., *Viri nesciam sermo Dei maritat.* Sedulius in hymno abecedario : *Intacta nesciens virum Verbo concepit filium.* Ennodius Ticinensis libr. II, hymno 10, *Concepit aure filium ..... Quod lingua jecit, semen est.* Sedulius etiam fortasse scripsit *Concepit aure filium.* Vide notam ad vers. 60. Verbo *fetare* utitur Dracontius vers. 217 et Eleg. v. 83. Significat hoc loco fecundare, ut apud S. Augustinum et alios. Columellæ *feto* est fetum edere.

91. *Ignis anheli*, ut l. I, v. 26, *solis anheli.* Vide proleg. num. 137.

Aeris, et pelagi, sed non capiendus ab isdem, A
227 Claustra puerperii passus sub lege creandi,
Vel quæcunque subit diversi temporis ætas.
Hæc fragilis natura jacens humana meretur
De pietate sua, qua non vult perdere mundum,
Quem fecit, sanxitque regens per secla manere.
Ergo ubi corporeos artus dominator, et auctor
Induit, haud cœlum Patri serviré reliquit.
Nam quicunque sapit, novit, quia sic tulit artus,
Et fuit in terris, ut ne cœleste tribunal
Linqueret omnipotens: nunquam sine Patre probatus
Filius, et genitor nunquam sine pignore dictus,
Spiritus immensus, sanctus, bonus, arbiter, index, B
Tertius unus idem, primus, mediusque perennis.
228 Ast ubi terrenum sumpsit cum corpore pondus
Immortale genus, mortalia dura subivit:
Non nisi corpoream hæc possent spectare figuram.
Nam quæcunque daret princeps miracula carni,
Sanctis hæc homines eventibus acta putarent.
Adde, quod humanis, vitium est generale catervis,
Hoc credant, quod visus habet, spernantque relata.
Credimus inde, Deum mundo venisse videndum,
Ut faceret virtutis opus. Per mille catenas
Mentibus obsessis insana clade furoris,
229 Spiritus impatiens animas quascunque gravabat,
Tabe fluens quæcunque cutis madefacta rubebat,

SCRIPTURA COD. VAT.

94. *Temporis œstas.*
96. *De p. tua.*
99. *Induit et cœlum.*
102. *Patre* obscure.
103. *Nam pius et genitor.*
108. *C. posset s.* vel *possent.*
110. *Sanctus h. h. e. a. putaret.*
111. *G. catheis,* hoc est *catenis.*
117. *Q. curis m.*

NOTÆ

92. Canit id Ecclesia: *Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Eamdem sententiam repetit Dracontius v. 589.

93. Sedulius l. II, vers. 38, *Rerumque creator Nascendi sub lege fuit.* Ad Galat. c. IV, vers. 4, *Factum ex muliere, factum sub lege. Puerperium* est tempus proxime ante partum et post partum, et dicitur etiam de prole ipsa.

94. *Vel* est *et.* Infra, v. 336. *Diversi temporis ætas.*

95. *Meretur* est idem ac obtinet, consequitur, ut l. I, v. 136 et alibi.

96. Vide l. I, vers. 50 et seq., et v. 90 et seqq. *De pietate sua,* hoc est Dei.

97. Libr. I, vers. 427, *Tot bona facta Deus non obliviscitur unquam, Quæ propter hominem fecit, sanxitque manere.*

98. *Corporeos artus,* ut v. 39.

99. Depravatus est hic versus, sed sine ulla dubitatione sententia hæc est, Filium sic corporeos artus induisse, ut tamen cœlum non reliquerit. Sequentia verba clara sunt, et sine ullo errore sic expressa in codice. Posset etiam corrigi *haud cœlum Patri sublime reliquit.* Helpidius de Beneficiis J. C. *Nil Patris virtute minor, nunquam ætheris absens.* S. Leo serm. 2 de Nativit. Domini: *Ingreditur hæc infima Jesus Christus Dominus noster, de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens.*

103. Sic ex conjectura: nisi mavis *nunquam sine Patre probatus, Nam prius, et genitor,* etc.

104. Eadem natura divina cum suis omnibus attributis agnoscitur in Patre, Filio, et Spiritu sancto. Libr. I, v. 434, *Spes, opifex, dominus, rector, dux, arbiter, index.* Qua ratione Deus dicatur *index* dixi ad v. 114, l. I.

105. *Idem* est in neutro genere: nam in masculino producitur prima. Id autem ex theologica loquendi ratione factum. Non enim recte dices Spiritum sanctum esse *eumdem* ac Patrem et Filium: id enim sonat eamdem esse personam Patris, Filii et Spiritus sancti. Vere tamen asseres Spiritum sanctum esse *idem* ac Patrem et Filium: quod significat eamdem esse naturam in tribus personis. Paulinus poem. 26, natal. 11, *Sola Dei natura Deus; quod Filius, et quod Spiritus, et Pater est:* Arator l. I, vers. 972, Arii et Sabellii contrarias hæreses sic explicat: *Huic fidei pugnax cadit Arrius, unum Personas tres esse negans.* C *Sabellius unum, Sed Patrem confessus ait, qui deinde vicissim Filius, et sanctus dicatur Spiritus* IDEM, *Sed totum sit ipse Pater.* In ms. quodam, *Sed totus sit ipse Pater.* Masculina nomina personas indicant, neutra essentiam. Vide comment. ad Prudentium, v. 600 hymn. 10 Perist., *Ex Patre Christus:* HOC *Pater,* QUOD *Filius.* Ac fortasse præstiterit legere *Tertius unum, et idem, primus, mediusque perennis.*

108. *Mortalia dura,* quæ Jesus Christus subivit, non nisi ad veram corporis figuram possent *spectare* seu pertinere. *Spectare* pro *pertinere* plerumque poscit accusativum cum præpositione *ad*: sed invenitur etiam sine ea. Papinianus, Digest. libr. II, tit. 14, leg. 42, *Solvendi necessitas debitorem spectaret.*

109. Sensus hic est: Si in corpore Salvatoris miracula quædam apparuissent, quibus a laboribus hujus vitæ immunis videretur, homines non veram passionem fuisse existimarent.

114. Supra vers. 50, *Pietatis opus.* Libr. III, vers. 211, *Exegit virtutis opus, miracula summa.* Virgilius D l. X, v. 468, *Famam extendere factis, Hoc virtutis opus.* Paulinus Petrocorius libr. IV, *Et virtutis opus vitiet præsumptio cordis.* Tertullianus l. V, contra Marcionem, *Ut maneat virtutis opus cum laude perenni.* Miracula vocantur *virtutis opus.* Matth. cap. XIII, vers. 58, *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Hinc *virtus miraculorum* solet dici. Sedulius libr. IV (aliis V), vers. 1, *Has inter virtutis opes jam proxima Paschæ Cœperat esse dies.* In *catenas* conjici posset *catervas,* scilicet *Ut faceret virtutis opus per mille catervas.* Sed catenarum mentio fit ex Marci cap. V, vers. 3, de dæmoniaco: *Qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare. Quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus dirupisset catenas.*

115. Indicantur miracula Christi, ut de lunatico et dæmoniaco sanato.

117. Hi sunt leprosi, quorum caro maculis rubentibus aspergi et tabe fluere solet. Et fortasse legendum

A Ossibus, et nervis resoluta carne retectis
Præstatur de clade salus : reparare sepultos
Novit, et exanimes iterum revocare saluti.
Ipse oculos *sanat cæcorum : luminis usum*,
Ignotumque diem mirantur nosse tenebræ,
Quem simul ex utero matris natura negavit.
Mortua pars hominis, pars altera viva jacebat,
Utque Deo visus, post sanus, et integer omnis
Redditur, atque calor vitalis in ossa cucurrit.
Quod de parte viri, fecit de corpore toto :
Præstitit orba parens, fleret cum funera nati.
230 Nec semel ista dedit, namque, ut sit virgo superstes,
Imperat, exsurgit vel Lazarus ante sepultus,
Quattuor exemptus transacta luce dierum.
Sanguinis insoliti solitus discurrere fluxus
De muliere perit, dempto simul amne cruoris.
Corripit hic febres, ventos compescit in undis,
Per quas Christus iter (stringit natura liquorem,
Cum miraretur), Petro veniente, peregit,
Fluctibus æquoreis Domini sub pondere victis.
Vertit aquas, ut vina fluant : mirabile donum,
Pocula sunt latices, et fluminis ebriat unda.
231 Copia panis abest, et copia panis abundat.
Millia virtutum sunt admiranda; sed ut quid
Miremur, dominum tantum potuisse polorum,
Discipuli, famulique sui cum tanta per orbem
Gentibus innumeris omnes fecisse legantur?

SCRIPTURA COD. VAT.

121. *Ipse oculos....* cætera desunt.
125. *Usque Dei visus.*
128. *Præstitit orba parens lerecus fine renati.*
129. *Ut fit virgo.* Fuit *iste*, sed correctum est per *ista*.
131. *Q. exemptis t.*
B 132. *Sanguinis insolitis solitus discurrere sanguis*, exaratum est *sanguinis* nexu litterarum.
135. *Per quos Christus.*
137. *Æ. domum sub.*
141. *Sunt ad admiranda s.*

NOTÆ.

dum est *tumefacta rubebat :* nam tumores etiam indicium sunt lepræ.

118. Paralysis morbus describitur : nam paralysis græce est resolutio. Juvencus libr. II, vers. 76, *Torpentia membra*, *Officium quorum morbus dissolverat acer.*

119. *De clade* intelligo *expulsa clade*. Notandus est hic usus præpositionis *de*, quæ, cum ad tempus refertur, pro *in* aut *post* sumitur, ut *media de nocte*, *de die*, et similia.

122. *Tenebras* vocat oculos antea cæcos. *Nosse ignotum diem* oxymorum.

123. Redundat *simul*, ut apud Plautum Amph. II, 1, 12, *Nec potest fieri, uno tempore Homo idem duobus locis ut simul sit.* Vel *simul* est statim, aut omnino.

124. Libr. I, vers. 647, *Mortua pars hominis quoties*, *pars viva jacebat.*

125. Fortasse melius *Atque Dei jussu post sanus.*

128. E verbis corruptissimis, et re ipsa restitui hunc locum. Non muto *Præstitit*, nam potest retineri pro profuit, aut beneficium impetravit. Lucæ cap. VII, vers. 12, *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere.* Verum a Dracontii manu puto esse, *fecit de corpore toto*, *Præcocis orba parens fleret cum funera nati*, vel *planctibus orba parens*, etc. *Præcox* est ante tempus maturescens, quod in filium matri præmortuum optime cadit. Lib. III, vers. 392, *Non orbata parens deflevit funera nati.*

129. Filia archisynagogi Jairi, quæ annorum duodecim erat, vitæ reddita est, Matth. cap. IX; Lucæ cap. VIII; Marc. cap. V.

130. *Vel* pro *et*, nisi malis positum pro *etiam*.

132. Oppositio, sive oxymorum in *sanguinis insoliti solitus fluxus :* nam lectio codicis *sanguis sanguinis* mendosa est; posset scribi *decurrere rivus*, sed vers. seq. recurrit *amne cruoris*. *Decurrere* melius videtur quam *discurrere*. Juvencus lib. II, vers. 389, de hoc sanguinis profluvio : *Carpebat fluxus, lacerans sine fine, cruoris.* Matth. cap. IX, vers. 20, *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur.*

133. Tertia in *muliere* brevis est, sed producitur, quia quatuor breves concurrunt, ut in multis similibus vocabulis. Eodem modo infra vers. 660, *Ex eadem muliere virum*, ut in epist. v. 161, *eadem muliere creatus.* Vide etiam vers. 111, lib. III, *Arietem subrogat aris.*

135. Matth. c. XIV. Fortasse est trajectio, scilicet *Cum miraretur, stringit natura liquorem, Per quem Christus iter, Petro veniente, peregit.* Verum adhibita opportuna parenthesi, correctione alia opus non est. Prudentius Apoth. v. 670, *Sustinuit gressum Domini famulus liquor, ac se Mobilitate carens solidos substrinxit ad usus.* Acuta vero est sententia, quod natura præ admiratione strinxerit liquorem. Ea autem est aquæ natura, ut partes ejus, cum nimis stringuntur, seu comprimuntur, consistant, et quodammodo solidæ fiant, ut accidit in gelu. Sic Gellius lib. XVII, C c. 8, ait mare omne quod Scythicum dicitur *gelu stringi et consistere.*

137. Victi sunt fluctus, quia vim suam naturalem amiserunt. Conjectura non spernenda est *vinctis* pro *victis* ex vers. 135, *stringit natura liquorem.*

138. Joan. cap. II. *Vertere* hic est mutare. Propertius, eleg. 7, lib. II, v. 31, *Omnia vertuntur, certe vertuntur amores.* Cicero III, de Nat. deor., cap. 12, *Terra in aquam se vertit.*

139. *Latex* proprie est aqua, quamvis de vino et de quovis alio liquore soleat dici. Hic ergo in sensu proprio sumitur *latices :* contra *poculum* cuivis vasi quo bibitur, applicatur, sed peculiari quadam significatione ea vox interdum adhibetur ad vini compotationem declarandam. Cicero Philipp. 2, cap. 25, *Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset.* Florus lib. II, cap. 10, *Epulantes*, *ac ludibundos plerosque*, *ac, ubi essent*, *præ poculis nescientes.* Dracontius Virgilium imitatur lib. III Georg., D vers. 528, *Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ, Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu Flumina.* Sed Virgilii sententia est pro vini potione fuisse fontes liquidos, Dracontii verum vinum ex aqua fuisse factum : quod magis explicant sequentia verba : *Et fluminis ebriat unda.* Verbo *ebriare* usus est Macrobius.

140. Matth. cap. XV; Joan. c. VI.

141. *Virtutes* pro miraculis, ut dictum ad v. 114.

142. Forte *miramur.*

143. *Suus* non semper reciprocum est, sed interdum pro *ejus* aut *illius* adhibetur, ut innumeris exemplis etiam optimorum scriptorum confirmatur.

144. Libr. III, vers. 218. Petrus apostolus dicitur *dux Gentibus innumeris positus sub lege fideli.* Paulinus poem. 26, natal. 11 de martyribus : *Gentibus innumeris semen cœleste fuerunt.*

Et simul indociles, doctosque audire moneret
Supplicium post grande crucis, reditumque supernæ
Lucis ad æthereos tractus, thronumque parentis.
Cœlestis, veniens cum linguas funderet ignis
Spiritus, alme, tuus, nostro commercia mundo
232 Consona dissimili infundens sermone beatis.
Tu Deus es, quem terra tremit, quem mundus adorat,
Te mandante, pluunt nubes, et ab igne coruscant.
Surgere tu ventos, et crescere turbine facto
Præcipis, ut rapidæ perturbent cuncta procellæ,
Et mare cæruleum rapiant super æthera nimbi.
Tu rursus reprimis flatus, recidentibus euris,
Et mare purpureum tranquillo marmore tendis,
Ut post una freti ludant super æquora pisces,
Horrida monstra natent, et bellua gestiat ingens.
233 Hoc est nempe fretum, quod se divisit, et hæsit
In partes hinc inde duas : Hebræa propago
Impia regna fugit, Moseo principe gentis,
Rursus aquæ reduces repetunt loca prisca fluentes.
Cum fugitiva manus de fluctibus omnis adesset,
Tunc demersus obit populus, qui sæva parabat
Israelitarum plebi, quæ facta superstes
Vindice naufragio : tali sub clade aboletur,
Qui fuit ante metus, mox libera turba Tonantis
Mutatum miratur iter : via prisca salutis
Semita mortis erat, nec servans membra sepulcro.

SCRIPTURA COD. VAT.

145. Prius videtur fuisse *moveret* pro *moneret*.
146. *Reddilusque*, vel *redditumque* pro *reditum*, et *superna* pro *supernæ*.
147. *Tractus threnumque p.*
150. *Cum sole dissimili infundens sermone beatis.*
152. *Et ab imbre c.*
161. *Partes in hinc duas;* deest reliquum
163. *Rursus atque reduces.*
165. *Dimersus.*
166. *Hisraelitarum phœbi q.*
167. *Clade deletur.*
169. *Miratur mutatum inter via.*

NOTÆ.

145. Fortasse *Hos simul*, vel *quos simul*. Pro *moneret* non male esset *moveret*. Ex codicis scriptura hic colligitur sensus, quod apostoli ab omnibus Judæis diversarum nationum qui erant Hierosolymis intelligerentur. Act. apost. cap. II, vers. 6 et seqq., *Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.... Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram?.... Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.*

146. Intelligi potest, post reditum Christi, qui est lux superna, ad æthereos tractus, vel, post reditum ad æthereos tractus lucis supernæ.

147. Qui metri rationem habere velit, facile corriget *tractus, soliumque parentis*. Vide proleg. num. 139 et v. 204 hujus libri.

150. Forte *Quamvis dissimili*. Certe mendum est: *Cum sole dissimili*. Apostoli sunt ii qui dicuntur *beati*. Usitatum fuit a primis sæculis viros sanctis moribus præditos *beatos* appellare, ut contra *miseros* et *infelices* peccatores, et damnatos. Vide notam ad vers. 11 libr. I, *Et pia vota Dei miseris hinc, inde beatis*. Ad cœlites, quorum cultus permissus est, nunc beati titulus referri solet : in Romano vero summo pontifice *Beatitudinis* et *Sanctitatis* appellatio promiscue adhibetur.

151. Eleg. vers. 2, *Quem timet omne solum*, vel *tremit*, ut alii legunt. Quod res creatæ *adorant* Deum, multis in locis expressum est, ut l. I, vers. 4, l. II, vers. 72 et 206.

152. Libr. I, vers. 710, *Qui dat fulmineos collisis nubibus ignes.*

154. Procellæ *rapidæ*, ut lib. I, vers. 708, expositum est.

155. Libr. I, vers. 147, *Cæruleum æquor ponti.*

156. Libr. I, v. 105, *Recidente ruina*. Ventus *cadere* sæpe dicitur, et eodem sensu *recidere* dicetur. Sed hoc loco fortasse legendum est *residentibus euris*. Virgilius libr. VII, vers. 27, *cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus, et in lento luctantur marmore tonsæ*. Conjungit quoque *ventos* et *flatus*.

157. Libr. I, vers. 78, *Et mare purpureum*. Vide notam. *Tendere tranquillo marmore* est æquare, in planum extendere maris undas.

158. *Ludant pisces*, ut l. I, vers. 237, *Luserunt* cum nota. Simile est vers. seq., *Bellua gestiat ingens*. Si retineatur scriptura codicis, corripietur *a* in *una* adverbio, ut aliquando fit in *frustra, contra, ultra*. Verum libentius legerem, *Ut prostrata freti*, aut *Ut post strata freti*. Virgilius : libr. V, vers. 763, *Placidi straverunt æquora venti* : et eclog. 9, v. 57, *Et nunc omne tibi stratum silet æquor, et omnes* (*Aspice*) *ventosi ceciderunt murmuris auræ*.

159. Ambrosius cap. 10, libr. V Hexaem. post Basilium : *Cete, illa immensa genera piscium, æqualia montibus corpora*. Tertullianus de Judicio Dom., *deformia monstra natantum*. Horatius l. I, od. 3, vers. 18, *Qui siccis oculis monstra natantia*, etc. Virgilius VI Æneid., v. 729, *Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus*. In *bellua ingens* intelligitur balæna, aut alia quævis immania cete, ut vocat Virgilius. Vide interpretes Jobi cap. XL, vers. 20 et seqq., et Isaiæ cap. XVII, 1, ubi exponunt quod piscis genus sit Leviathan.

160. Indicatum hoc miraculum est lib. I, vers. 704. Vide notam, et infra vers. 787 et seqq. hujus libri.

162. Eodem modo Moysis nomen effertur in Eleg. vers. 17, *Moseo dicta prophetæ*. Intellige *sub*.

163. Lib. I, vers. 703, *Dum reduces sentiret aquas*. Sed ibi *reduces aquæ* sunt aquæ retro fluentes, hic aquæ in suum locum revertentes : nam *redux* utramque significationem habet. *Rursus reduces repetunt* est pleonasmus, ut dictum et confirmatum exemplis est lib. I, vers. 111.

165. Latini scriptores plerumque dicunt *demersus*. Tertulliano tribuitur *dimersus*, nisi error hic est.

167. Potest alio etiam modo mendum codicis emendari *Vindice naufragio tali se clade tuetur. Quæ fuit ante timens, mox*, etc., vel *Quæ fuerat metuens*, vel *quæ facta superstes : Vindice naufragio tali sub clade aboletur*, scilicet populus, qui sæva parabat. In *deletur* prima est longa, nec puto a Dracontio correptam.

170. *Servare membra sepulcro*, ut *servare ossa sepulcro*, et similia apud Prudentium, ut dixi in com-

Africus interea motus virtute jubentis A
234 Illæsurus adest, nulla comitante procella,
Delicias portare parans novus ingruit imber,
Innumeras dat nimbus aves, datur esca polorum,
Angelica de parte cibus, sitientibus autem
Flumina petra dedit, nullo fodiente ligone.
Et ne plura loquar, tua sunt, quæcunque [videntur,
Et quæ nemo videt: tibi debent omnia, quod sunt,
Tu tamen ipse, quod es, nulli debere probaris,
Et quasi qui debet, sic omnibus omnia reddis.
235 Est tibi cura, Deus, de quidquid ubique [creasti,
Ne tantum succumbat onus: stat cura minorum, B
Et speciale jubes, tanquam generale, tueri.
Sic fit mater humus, qua germina cuncta [creantur,
Sic mare velivolum mercator nauta vagatur,
Telluremque novam circumspicit impiger hospes,
Et complexus amat non cognitus advena cives.
Fœdere concordi, quia vis, elementa tenentur
Tam longa connexa mora, sic juncta ligantur,
Ut disjuncta tamen concordi lite probentur.
Si disjuncta fiant, solvetur machina rerum,
236 Si conjuncta forent, omnis natura peri- [ret.
Tu, Deus omnipotens, nosti, quo feceris [orbem

SCRIPTURA COD. VAT.

173. *Deliciis portare.*
174. *Nimbus aquas d.*
178. *O. quot sunt.*
180. *Et quasi qui debes sic;* sed *quasi* obscure: prius fuit *reddes*, postea factum *reddis.*
181. *Cura de quidquid.*
182. *Nec tantum.*
188. *Concordi quia bis e.*, sed *quia* non clare.
193. *Nosti quod feceris.*

NOTÆ.

ment. ad hymn. 12 Perist., vers. 45. Qua via Israelitæ salutem invenerant, Ægyptii mortem invenerunt. Infamiæ genus ducebant veteres, quod corpora defunctorum sepulcro privarentur. Vide comment. ad Prudent. hymn. 5 Perist. S. Vincentii, vers. 390. Gentiles inhumatorum animas nec in cymbam quidem Charontis recipi posse credebant: Hebræi easdem non prius donari requie comminiscuntur, quam corpus sepulcro mandetur.

171. Ipse Deus, qui ventis imperat, virtutem illis dat, ut surgant. Numer. cap. XI, vers. 31, *Ventus autem egrediens a Domino arreptas trans mare coturnices detulit.* Psal. LXXVII, 26, 27, *Transtulit Austrum de cælo, et induxit in virtute sua Africum. Et pluit super eos sicut pulverem carnes*, etc. Vide vers. 153, *Surgere tu ventos*, et lib. I, vers. 707. C

172. Tentabam *Illusurus adest*: nam ventum placidum ludere dici potest. Sed retinendum est *Illæsurus* ab *illædo*, a quo est *illæsus*. Tertullianus et Lactantius etiam *illæsibilis* usurparunt.

174. Restitui *aves* ex loc. cit. Scripturæ, et Exod. cap. XVI, vers. 4 et seqq., *Ecce ego pluam vobis panes de cælo.... Ecce gloria Domini apparuit in nube... Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra, mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum.*

175. Psal. LXXVII, vers. 24, 25, *Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cæli dedit eis. Panem angelorum manducavit homo.* Joan. c. VI, v. 31; Ep. I ad Cor. cap. X, v. 3, *Angelica de parte*, quasi de portione cibi, quæ angelis datur. Suetonius cap. 18 Vitæ Caligulæ: *Equiti Romano contra se hilarius avidiusque vescenti partes suas misit.* Petronius Satyr. c. 33, *Ego quidem pene projeci partem meam: nam videbatur mihi jam in pullum coisse.* D

176. Vide Exod. cap. XVII, v. 6, Numeror. cap. XX, v. 11, Epist. I Corinth. cap. X, v. 4.

178. Cap. XLI Job, v. 6, *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt.* Epist. ad Roman. cap. XI, v. 35, 36, *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.*

179. De hac phrasi *probaris* antea dictum est ad v. 26.

180. Mar. Victor in præfat. v. 57, *Ut fieres justis merces, meritisque piorum, Hoc quoque conferres præstando, ut debitor esses.* Aliter, *Ut fieret virtutis opus, meritisque piorum*, etc. Idem lib. I Genes., v. 329, *Dum quod non meritis, sed tantum sponte benigna Largitur famulis, nostri cupit esse laboris, Et se, quod donat, mavult debere videri.* Sic Fabricius. Alii: *Nostræ laudis opus fieri, quod sponte benigna*, etc. Etsi enim vita æterna bonis hominum operibus redditur tanquam merces, eadem tamen gratia Dei est ob electionem, quæ bona opera præcedit, ob gratiam prævenientem, et auxiliantem, et ob gratiam justificantem, qua homo præditus esse debet, ut ejus opera vitam æternam mereantur, ac denique ob perseverantiam finalem quam nemo potest mereri. Quod si de naturali rerum ordine sermo sit, quem Dracontius hoc loco potissimum, vel unice respicit, Deus sic reddit omnibus omnia, quasi qui debet, quia leges naturæ præscriptas servat.

181. Alio modo emenda, *Et tibi cura, Deus, est quidquid*, vel, *Est tibi cura, Deus, et quidquid.* Sapient. c. XII, v. 13, *Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.*

182. *Succumbat*, subtus cadat. Aliud est *succumbere oneri*, nempe subire onus. *Stat cura minorum*, scilicet omnium cura est Deo. Epist. I Petri cap. V, v. 7, *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Vide Psal. LIV, v. 23; Matth. cap. VI, v. 25 seq.; Luc. cap. XXII, v. 16 seqq.

183. Supra v. 35, *Singula per partes, generaliter omnia nutrit.*

184. Lib. I, v. 156, *Nondum mater humus.* Vide notam.

185. Virgilius lib. I Æn., v. 228, *Despiciens mare velivolum.* Vide Macrobium lib. VI Saturn., cap. 5, de hoc epitheto. Naves magis proprie velivolæ dicuntur. *Vagor* cum accusativo apud Propertium lib. II, eleg. 21, v. 21, *Ino etiam prima terras ætate vagata est.* Nonnulli legunt *terris*, sed *terras* præfert Broukusius, uti etiam ediderat Scaliger.

188. Forte *quia vix.* Mallem tamen *Fœdere discordi quamvis elementa tenentur*, scilicet *fœdere*, *quamvis discordi*, *tenentur.* Postea *disjuncta concordi lite*: amat enim Dracontius hujusmodi oppositiones. De concordia discordi elementorum vide lib. I, v. 142 et seqq., 265, et Eleg. v. 59.

190. De hac constructione verbi *probo* relege notam ad v. 26.

191. Supra v. 55, *Et cadat ante diem sublimis machina rerum.* Facile patiar, legi, *Si disjuncta fuant*, vel *sient*, vel *forent*, idemque dicam v. 135 lib. III. *Si jactura fiat*: nam l. II, vers. 505, producitur prima in *fiunt.* Lucretius, Virgilius, aliique antiquiores *fuam* pro *sim*, vel *fuerim* usurparunt ab antiquo *fuo*, a quo adhuc est *fui* præteritum. In *fiunt* et *fiant* variant poetæ Christiani: alii cum veteribus producunt, alii corripiunt. Vide proleg. num. 139, et notam ad lib. I, v. 82.

193. Melior hæc lectio et interpunctio videtur quam *nosti, quod feceris orbem Semine, quo cælum* etc.

Semine, quo cœlos, solem, lunamque creasti A
Ex nihilo simul, esse tamen diversa putamus.
Ad nihilum reditura iterum sunt omnia, cum tu
Jusseris esse chaos solus mansure superstes,
Angelicis, hominumque piis venerande catervis.
Qualiter ergo labor nullus fuit ante jubendo,
Omnia cum fierent, sic nec labor ullus erit, jam
Jusseris ut finem cum plurima sæcula norint.
Te Seraphim, Cherubimque Deum, Dominumque precantur,
Te chorus angelicus laudat, exercitus orat,
Thronus in excelsis humili te voce precatur,
237 Agmina te astrorum, te signa, et sidera laudant
Auctorem confessa suum, te fulmen adorat,
Te tonitrus, hiemesque tremunt, te grando, procellæ, B
Te glacies, nimbique pavent, te spiritus omnis
Personat, imber, hiems, pelagus, nix, frigus et aura.
Te tellus fecunda vocat, te suspicit aer,
Unda super cœlos tibi supplicat, et polus omnis,
Flumina te metuunt, et fontes, stagna, paludes
Voce sua laudant, te nubila crassa coruscant,
Te lux alba dies, te nox obscura tenebris
Te bona temperies, te tempora cuncta precantur,
Ver, æstas, autumnus hiems redeuntibus annis.
238 Per te fetat humus, per te, Deus, herba virescit,
Frondescunt silvæ, spirat flos, germinat arbor.

SCRIPTURA COD. VAT.

198. *Angelicas, animasque suis adorande catervis.*
201. *F. cum plurima s.*
203. Videtur scriptum *laudant.*
204. *Tronus inexcessans h.*
209. Scribitur *asta* pro *aura.*
210. *Ut tellus f.*
218. Ordo horum versuum in ms. est hic : *Frondescunt Quod peccatorum-Illud præterea-Quod cœlo-Ignibus-Est homo- Nam diversa-Illæc voce-Addo quod-Membrorum-Messis aristatas-Palmite-Et nunquam-Te fera-Turba-Sibilat-Et tibi-Auctorem-Materies-Non angues-Ut vitas-Sed nos-Fecerit-Quod præcepta-Nec modo-Olim primus-Ingratus-Jura-Et semper-Mox quam-Peccavit-Principio nostræ-Damnatur-Contigit-Nec similis-Una lege-Contemptis-Cur non-Vipera-Quid serpens*, etc.

NOTÆ.

196. *Reditura iterum* pleonasmus, de quo ad vers. 111, lib. I, *Sed non reditura secundo.*

197. Supra v. 13, *Credaturque chaos*, etc. Sumi solet *chaos* pro rudi, indigestaque materia, ex qua res C postea eductæ sunt. Sed Dracontius *chaos* intelligit destructionem ipsam rerum omnium ac tenebras quæ mundi creationem præcesserunt, et quæ succederent, si eædem res ad nihilum redigerentur. *Mansure superstes*, ut v. 31. *Mundique superstes.*

198. Versus insigniter depravatus. *Adorande* metro non congruit. *Venerande* non repugnat. Seneca Hercul. Fur. v. 1248, *Perque venerandos piis Canos.* Correxi ex simili sententia Prudentii hymn. 10 Perist., v. 536 et seqq., *Quandoque cœlum, ceu liber, plicabitur.... Deus superstes solus, et justi simul Cum sempiternis permanebunt angelis.* Vide, quæ notavi in comment. ad Prudentium, ubi explicui qua ratione dicatur Deus permanere solus superstes, simulque cum justis et angelis.

200. Clarius esset *sic nec labor ullus erit, cum Jusseris, ut finem jam plurima sæcula norint.* In scriptura codicis ordo est *cum jam jusseris, ut plurima sæcula norint finem :* quæ implicata constructio est, sed non absurda. D

201. *Ut nescire finem* pro *non finire* ponitur, sic *noscere finem* pro facere, vel capere finem et finire.

204. Supra v. 147 *thronus* prima producta occurrit. Emendatio etiam hoc loco esset facilis, *Excelsusque thronus humili te voce precatur.* Sed magis genuinum videtur *Thronus in excelsis. Excelsa* pro cœlo. Lib. III, v. 17, *Celsior excelsis*, lib. I, v. 101, *Donec ab excelsis.* Arator lib. I, v. 91, *Cum rector Olympi Evehit excelsis, quiquid suscepit ab imis*, ubi frustra Arntzenius tentat *excelsi*, repugnantibus libris editis, et mss., et sententia ipsa. *In excelsis* phrasis ecclesiastica est, quæ a bonis Latinitatis auctoribus originem trahit, apud quos sæpe legitur, *ab excelso, in excelso* pro *ab alto, et sublimi loco, in alto, et eminenti loco. Excelsa urbis* dixit Plinius. Quinque ordines angelici a Dracontio recensentur, cherubim, seraphim, angeli, virtutes, throni : nam Hebraice virtutes *Sabaoth* dicuntur, et *Sabaoth* exercitum sonat. Novem ordines sive chori angelici a plerisque distinguuntur, et fortasse Dracontius sub *exercitus* nomine virtutes, et potestates, sub *angelici chori* angelos et archangelos complecti voluit.

205. Quodnam sit discrimen inter astra, signa et sidera, retuli ex Isodoro ad v. 5 libri I, *Quinque plagæ.*

206. Confer lib. I, v. 4, et lib. II, v. 15. E cantico trium puerorum et psalmis hæc omnia petita sunt. In hac enumeratione interdum eadem verba repetit, sæpe variat : *Deum precari, orare, laudare, confiteri, adorare, tremere, pavere, metuere, personare, vocare, suspicere, supplicare.*

212. Forte *metuunt, te fontes.*

213. *Coruscare* activum est, cum significat concutere. vibrare; sed hoc loco significat fulgurare, ut v. 152, *Te mandante, pluunt nubes. et ab igne coruscant.* Habet autem accusativum *te* ratione peculiaris significationis : sensus enim est : te laudant nubila, dum coruscant, ut v. 208, *Te spiritus omnis, Personat*, et clarius v. 223. *Te.... genus omne veneni Sibilat ore fero.* Nubila *crassa* sunt densa, spissa, ut aqua crassa, cœlum crassum, nebula crassa, paludes crassæ.

214. Melius *Te luce alba dies*, vel etiam *Te lux alba dies.*

215. Eleg. v. 81, *Sol dat temperies.* Cum neque nimium frigus neque immodicus calor est, *temperies* dicitur. Ovidius l. I Met., v. 51, *Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.*

216. Eleg. v. 255, *Ver, æstas, autumnus, hiems, redit annus in annum.* Vide notam.

217. *Fetat humus*, mater fit, fecundatur, aut etiam fetus edit. Vide notam ad vers. 89.

218. *Spirat flos*, hoc est, odorem effundit. Claudianus lib. II de Raptu Pros., v. 81, *Quidquid thuriferis spirat Panchaia silvis.* Solet adjungi accusativus, ut *spirare odorem*, aut adverbium, ut *spirare graviter, suaviter.* Juvenalis tamen sat. 7, v. 208, simpliciter dixit : *Spirantesque crocos.* In versibus Bibliothecæ S. Isidori titul. Pigmentarii : *Hic spirant cinnama, thura.*

Messis aristatas acuit per culmina fruges, A
Palmite gemmato post pampinus admovet [uvas.
Et nunquam caritura comis frondescit oliva.
Te fera, te pisces, pecudes, armenta, volucres,
Turba cerastarum laudat, genus omne veneni
Sibilat ore fero, lingua vibrante trisulca,
Et tibi, quidquid habet, reputans debere fa- [tetur.
Auctorem vitæ gaudet stridore minaci
Materies laudare necis, poterasque creator
239 Non angues, non omne nocens permittere [nasci,
Ut vitas hominum tantum mors una tulisset.
Sed nos quæque rei cognoscimus omnia quare
Fecerit ista dari : data sunt per crimina no- B [stra,
Quod præcepta Dei passim contemnimus om- [nes,
Quod peccatorum retinent tot millia vincla.
Nec modo peccatum subrepsit moribus, olim,
Olim primus homo transcendit jussa Tonantis.
Ingratus, quia factus erat cœlestis imago,
Jura potestatis retinens super omnia solus,
Et semper, nisi jussa Dei contemneret au- [dax.
Mox quam factus erat nullo peccante creatus,
Peccavit. Quid nos miseri de crimine nati?
Principio nostræ peccator originis auctor
Damnatur sub lege necis, vel clade perenni.
240 *Contigit, ut* nobis similis, heu! pœna [maneret,
Nec similis nos culpa tenet : semel incidit [ille
Una lege reus, nos multis legibus error
Contemptis retinet captivos sorte reatus.
Illud prætereo, quod parvi pendimus om- [nes,
Quod cœlo, tellure, fretis, atque aere toto,
Ignibus æthereis, et lunæ dignior orbe
Est homo, quem libuit per se formare Tonan- [tem.
Nam diversa Dei solo sermone creantur.
Illæc voce creat, nos autem operosius aptat.

SCRIPTURA COD. VAT

219. *M. aristeas a. p. fulmina f.;* ad marg., *aristatas.*
220. *P. gemmatum p.*
230. *Sed nos quoque r. e. o. quod res*, pro *nos* aliud videtur prius fuisse *quod :* obscurum est.
232. *Præcepti Dei p. contemnim omnes.*
233. *Quos peccatorum manent tot milia vinclos :* ambigue *manent.*
237. Prius erat *potestatus* pro *potestatis.* C
239. *Mox quod factus.*
243. *Con.... nobis similis heu pœna manere.*
244. *Similis vos c.*
245. *Legibus heros.*
246. *Sorte reatis :* prius erat *sorte creatis.*
247. *I prætereaq.*
249. *Dignior omni.*
252. *Illic uxor eat nos autem operarius aptat;* prius *optat; operarius* dubie.

NOTÆ.

219. Ordinem versuum, quem inversum judico, mutavi. *Aristatas*, scilicet aristam habentes. Utitur Festus ea voce in *Restibilis : Farreo spico, id est aristato.*

220. De palmite vide notam ad lib. I, v. 170. De gemmis vitis eod. l. I, v. 575. Forte legendum est *Palmite gemmatas.*

221. Vide notam ad l. I, v. 166, *Et semper vestita comis frondescit oliva.*

223. Venuste *venenum* pro animalibus venenatis.

224. *Sibilare aliquem* est sibilis explodere, irridere; sed hoc loco *sibilat* ponitur pro *laudat, dum sibilat*, ut dixi ad v. 215. Hoc verbo *sibilat* et aliis *lingua vibrante trisulca* contrahitur genus omne veneni ad serpentes in genere, quibus proprie sibilum, et lingua vibrans seu micans, et trisulca tribuitur. Virgilius lib. XI, v. 754, *Et sibilat ore*, et l. II Æn., v. 475, *Et linguis micat ore trisulcis.* D

226. *Stridor* serpentibus tribuitur a Silio l. VI, v. 177, et Ovidio l. IX Met., v. 65. Pulchrum epitheton *minaci stridore.*

227. *Materies necis*, pro serpente figurate, ut v. 223, *venenum.*

229. *Tulisset*, pro abstulisset : simplex pro composito.

230. Forte *Sed nos quippe rei :* certe *quoque* mendum est.

231. Quod per crimina nostra animalia nocentia data fuerint, hoc sensu est intelligendum, quod animalia homini in statu innocentiæ non nocuissent, sed ejus potius imperio fuissent subjecta. Præterea controversum est inter interpretes et theologos, an ea animalia quæ nunc sunt ferocia et aliis nocent, in statu innocentiæ mutuo inter se sævirent. Vide Pererium in commentar. ad Genes. cap. I, v. 29.

235. Lucretius l. III, v. 60, *Quæ miseros homines cogunt transcendere fines Juris.* Tacitus III Annal., cap. 54, *Prohibita impune transcenderis.* Venuste repetitur *olim* ex v. præc. Virgilius l. VI, v. 495, *Lacerum crudeliter ora, Ora, manusque ambas.*

236. Lib. I, v. 338, *Species hominis, cœlestis imago.*

237. Infra v. 730, *Jura potestatis retinens sub nomine vero.*

239. Lego *Mox quam*, vel *Mox quod* pro *Mox ut. Mox quam* pro *statim ac* Paulus Dig. l. VII, tit. 4, leg. 13, *Mox quam a solo separati sint* (fructus). Adisis Vossium de Serm. constr. cap. 66.

240. Vers. 557, *Scelerata propago Nascitur, ex fonte sceleris genus omne meamus.*

243. Claudianus lib. II in Eutropium, v. 479, *Unaque cuncto Pœna manet generi.* Forte *Condicta est nobis similis, heu! pœna manere*, vel *Contigit ut nobis similis, heu! pœna maneret*, quod magis arridet.

246. Vide num melius *captivos sorte creatos*, ut v. 240, *Miseri de crimine nati.*

249. Lib. I, v. 150, *Ignibus æthereis* significat ignem elementarem : hoc loco et pro hoc igni, et pro sole, et pro stellis sumi potest.

250. Vide l. I, v. 330 et seqq.

251. *Diversa*, scilicet homini vel ab homine.

252. Plautus, Terentius aliique *illæc* pro *illa hæc* dicunt. *Operosius* a Plinio usurpatum. Tertullianus lib. II contra Marcionem cap. 4, *Quis denique dignus incolere Dei opera, quam ipsius imago et similitudo? Eam quoque bonitas, et quidem operantior, operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso, Faciamus hominem*, etc. Et lib. de Resurrect. carn., cap. 5, *Caro autem et sermone Dei constitit propter formam.... et amplius manu pro-*

Cur non debuimus sontes pejora mereri?
Addo, quod innumeræ pestes, mortale minantes,
Membrorum de parte sua dant sæpe salutem.
241 Vipera quid præstet, cauda. et cervice recisa,
Quid serpens maculosa juvet, medicina fatetur.
Aspidis obliquæ quid pinguia membra medentur,
Informis ursus, fulvus leo, quid lupus audax;
Et quodcunque malum vindex natura creavit,
Miscuit optandam dira cum morte salutem.
Quid quod mortiferis animalibus induit auctor,
Ut sentire queant, reddant sectantibus iras?
Et prorsus non sint non se vexantibus hostes?
242 Non pudet hoc homines: gens importuna probamur,
Justitiam retinente fera; proh! dedecus ingens,
Anguis agit ira morsus, nos improba turba,
Quamvis justitiam noscentes, temnimus actu
Plectibili: et veniam ignorantia jure meretur.
Forte sit et nobis hæc excusatio certa.
Ne furtim noceant, angues quæruntur in herbis,
Quærimus immites et per deserta leones,
Ne gregibus pasti vastent cultoribus agros.
Sectatur venator aprum, cui retia figit,
Vinea ne pereat sub morsu dentis adunci.

SCRIPTURA COD. VAT.

253. *D. sortes p.*
257. *M. jubet m.*
258. *Obliquæ*, ambigue.
259. *Informis visi f.*
261. *Cum mente s.*
263. *Sectantibus hircas.*
264. *Non sint non sævi dentibus hostes.*
267. *Anguis agit ramis opus n. i. t.*
268. *Quid vos justitiam noscentes terminus actu.*
271. *Nec f. n. augent quæruntur in herbas;* sed *quæruntur* non clarum est.
273. *Gregibus passis v.*
274. *Nectator venator a.*

NOTÆ.

pter prælationem, ne universitati compararetur. Prudentius Apoth. v. 1032, cujus habes verba l. I, ad v. 333.

253. Infra v. 329, *Cur non graviora mereri Omnia debuimus, qui sic peccamus inique?*

254. *Pestes* de animalibus perniciosis dixit etiam Virgilius I Georg., v. 181, et de serpentibus Lucanus l. IX, v. 736, *Mortale minantes*, ut *veniale minatur* v. 486 hujus libri.

255. *De parte sua*, pro *de parte suorum membrorum*, vel legendum *de parte aliqua*.

256. Lib. I, vers. 291; Eleg., vers. 65 seq. Vide notam ad loc. cit. lib. I. Glycas lib. I Annal., die 6, pag. 59, docet similiter, ad theriacæ confectionem caput viperæ præcidi una cum cauda.

257. *Maculosa serpens* lib. I, vers. 288.

258. *Obliquus* commune epitheton aliis serpentibus, quasi tortuosus. Aspidis pinguia membra fortasse dicit, quia, ut ait Lucanus lib. IX, vers. 714, *Plenior huic sanguis, et crassi gutta veneni Decidit.* Vulgatum est, ut ait Plinius lib. VIII, cap. 23, sect. 35, *colla aspidum intumescere*, dum scilicet ictum minantur, quod refert etiam Nicander in Theriac., *Cum vero incanduit ira, Et lethum minitans, venientibus obvia sævit, Squalida colla tument, et lato sibilat ore.* Aspidis usus in medicina asseritur etiam Eleg. vers. 65, *Aspis habet mortes, habet et medicamina serpens.* Plinius lib. XXIX, cap. 4, *Præterea constat, contra omnium serpentium ictus quamvis insanabiles, ipsarum serpentium exta imposita auxiliari.* Et lib. XXX, cap. 4, ad strumas sanandas remedium esse ait cinerem aspidum cum sevo taurino impositum.

259. Ursus, leo et lupus etiam aliqua ex parte prosunt. Plinius lib. VIII, cap. 36, sect. 54 de ursis: *Illi sunt adipes medicaminibus apti.* Hæc medicamina plurimis in locis singillatim recenset. De remediis ex lupo confectis consule eumdem Plinium lib. XXVIII, sect. 49, aliisque in locis. Quæ remedia ex leone confieri possint, docet Conradus Gesnerus Hist. Quadrup. tom. I, pag. 589, qui eod. tom. de lupo et urso agit, et medicamina quæ ex eis fieri solent explicat.

260. Supra vers. 76, *Quidquid natura creavit.* Natura ipsa est *vindex*, aut malum *vindex*, quia hæc mala *data sunt per crimina nostra* ex versu 231.

261. Lego *cum morte*, nam *mente* nec satis in ms. clarum est et falsum videtur.

262. Forte *indidit auctor.* Sed *induit* defendi potest pro indidit, injecit, immisit. Petronius Satyr. cap. 4, *Eloquentiam pueris induunt adhuc nascentibus.* Gellius lib. XII, cap. 5, *Natura... induit nobis... amorem nostri, et charitatem.*

263. Forte *Ut sævire queant.* Pro *hircas* posui *iras*: nam *hira* aut *hilla* intestinum hic locum minime videtur habere. *Iras reddere*, ut *evomere iram* in aliquem apud Terentium Adelph. III, 2, 14. *Sectari* frequens verbum est in re venatoria.

265. Potest addi interrogatio, *Non pudet hoc homines?* De verbo *probo* dictum ad vers. 26 hujus libri.

267. Cogitabam *Anguis agit ignarus opus*, vel *agit ignara malum*, vel *agit rancoris opus.* Sed præstat legere *Anguis agit ira morsus.* Lib. I, vers. 269, *Nec semper agit fera vipera morsus.* Passim de serpentibus *morsus* dicitur, quo scilicet venenum infundunt. Comparat angues, qui non nisi vexati mordent, hominibus, qui sæpe sine ulla causa nocent, et justitiam scientes contemnunt. Vide supra vers. 252, et lib. III, vers. 549, *Gens scelerata sumus, nil de pietate merentes.*

268. Forte *Quod nos justitiam*, aut *Quod vel justitiam.*

269. Mox vers. 455, *Plectibiles mores.* Exstat hæc vox in Cod. Theodos. sæpe, et apud Mamertum, aliosque æquales. Forte legendum *Plectibili, at veniam*, etc. Avitus lib. II, vers. 53, *Nam crimen aggravat Auctor, in ignaro minor est peccante reatus.* Minus bene in nonnullis editis *in ignoto.* Ignorantia veniam jure meretur, quia jure cautum est, ut ignorantes in certis casibus excusentur. Ulpianus lib. III Digest. tit. 2, leg. 11, *Notatur etiam* (infamia) *qui eam duxit: sed si sciens: ignorantia enim excusatur non juris, sed facti.* Vide Barbosam, de Axiomat. jur. axiomate 113. Apud theologos longa est quæstio, neque hujus loci, quænam, et quando ignorantia excuset. Illud certum poni debet, ignorantiam etiam juris, quæ vere sit invincibilis, a peccato formali excusare.

273. Forte *Ne gregibus sparsis.*

274. Virgilius Eclog. III, vers. 75, *Si dum tu sectaris apros, ego retia servo.* Vide vers. 263

Cervus ut occumbat, quærit medicina medullas. A
243 Quid nocuit passura lepus? quid dama, vel hircus?
Quos medicina jubet hæc ut capiantur ad usus?
Ut sub fraude cadant venantum, *aut cuspide ferri?*
Quid pisces nocuere freti? quid turba volucrum?
Pervasit gens nostra fretum, pervaditur aer,
Ut capiantur aves ex nulla parte nocentes.
Quæ natura negat, per nos elementa petuntur:
Per pelagus celebratur iter: sejunctus ab undis B
Navigat, audaces quatiens super æquora remos.
Parva putant homines fluctus transire nocentes,
Insuper armati medias grassantur in undas;
244 Sollicitat glaucumque fretum mucrone cruento,
Et bellum ignotis transfert manus hospita terris.
Non sat erat, terræ tolerant quod bella cruenta,
Ut vel *finitimus* tantum produceret hostes.
Impatiens armata manus cur tela propinquis
Implicitant, peraguntque (nefas) civilia bella.
Nec solum civile sat est, socerosque, patresque,
Germanosque petunt sævo certamine fratres.
Nec modo tentatur noviter; primordia mundi
Horrendum doluere nefas, hominemque secundum
Consoexere pii perfusum sanguine fratris.

SCRIPTURA COD. VAT.

277. *N. pessura l.*
279. *Ut sub fraude cadant venantum...* deest reliquum.
280. *Pisces movere f.*
284. *Iter sed jussus ab undis.*
287. Prius erat *in urbes.*
290. *Sat erant terræ tolerant.*
291. *Ut vel... tantum vroduceret hostes :* deest aliquid.
293. *Implisånt p.*
296. Obscure *noviter*, vel *novitås.*
297. *Nec telum doluere n. hominumque s.*

NOTÆ

276. Eleg. vers. 67, *Cerva salutares pasto serpente medullas Conficit.* Solinus cap. 31 de Cervis : *Patuit, nunquam eos febrescere : quam ob causam confecta ex medullis ipsorum unguenta sedant calores hominum* C *languentium.* Lucanus lib. VI, vers. 673, *Cervi pasti serpente medulla*, quæ usui magiæ etiam adhibebatur, ut idem Lucanus narrat. Vide alia apud Gesnerum Histor. Quadrup., et e recentioribus Bomarium in Diction.

277. Posset corrigi *Quid nocuit per rura lepus?* nam *lepus*, etiam cum sermo est de femina. in masculino genere efferri solet. Sed bene est *passura*, aut, si mavis, *peritura :* nam ex Prisciano lib. V constat, in utroque genere dici posse *lepus.* Cæterum etiam lepores aliquando nocent : Dracontius vero hominum audaciam et libidinem reprehendit, quod etiam ea animalia, quæ parum, aut nihil nocent, et quæ in medicina nullius, aut exigui sunt usus, aliis de causis sectantur et vexant.

278. Lepus, dama et hircus prosunt etiam medicinæ, ut veterum medicorum auctoritate confirmat Gesnerus Histor. Quadruped. Dracontius igitur solum hominibus exprobrat, quod hæc animalia præcipue D ob delicias et luxum venentur.

280. Forte *Quid pisces meruere freti?*

281. Notandum est verbum *pervaditur* passive : etsi enim *pervado* cum accusativo sine præpositione interdum ponatur, ut *Pervasit gens nostra fretum*, tamen præpositio tunc omittitur, quia inest ipsi verbo.

284. *Celebratur iter*, scilicet frequentatur, ut *celebrare viam aliquam* apud Ciceronem et alios. Apertum est mendum *sed jussus*, nec certior alia emendatio occurrit, quam *sejunctus*, nempe homo natura sejunctus ab aqua, etc.

285. *Quatere remos* nove fortasse, sed pulchre dictum.

286. Lib. I, vers. 621, *Parva Deo fuerant* pro *parum.*

287. Eleganter *insuper* post *parva*, vel *parum.* Plautus Merc. IV. 2, 1. *Parumne est male rei, quod amat hic Demipho, Ni sumptuosus insuper etiam siet?* Livius lib. III, cap. 67, *Si culpa in nobis est, auferte imperium indignis, et si id parum est, insuper pœnas expetite. Grassari in undas* venustum etiam est, ut *grassari in senatum, in homines.*

288. Poterat mutari *Sollicitatque fretum glaucum;* sed non est inusitata hujusmodi constructio, et modo raro fiat, cum decore adhibetur. *Sollicitat* videlicet *manus :* si legas *Sollicitant*, connectetur hic versus cum præcedenti.

290. Forte *terræ tulerant quod.*

291. Forte *Et quod finitimus*, aut *vicinus*, aut *rivalis.*

293. *Implicitant* frequentativum ab *implico*, quo usus est Plinius Junior ep. 33, lib. IX, ubi tamen pro *implicitat* nonnulli legunt *implicat.*

294. Fortasse ex imitatione Lucani, qui cecinit *Bella per Æmathios plus quam civilia campos.* Reprehendunt quidem nonnulli, quod *plus quam civilia* dixerit ea bella; sed immerito. Nam bellum civile est, cum cives inter se bellum gerunt : quod si bellum hujusmodi a cognatis ducibus, ut a generis, soceris, patribus, filiis, fratribus inter se dissidentibus excitatum conflatumque fuerit, jure illud voces plus quam civile. Quæ interpretatio Ovidio quoque accommodari potest, qui lib. XII Met., vers. 582, de Neptuno ait : *Sævumque perosus Achillem, Exercet memores plus quam civiliter iras.* Nam Thetis, Achillis mater, erat neptis Neptuni ex Nereo.

295. Catullus in fine epithal. Pelei et Thetidis simili modo frequentiam et magnitudinem criminum describit : *Perfudere manus fraterno sanguine fratres*, etc.

296. *Noviter* pro *nove*, veluti prima vice. Exstat hoc adverbium apud Plautum et Fulgentium Mythologum, et in quadam inscriptione apud Gruterum, pag. 171, num. 7, quæ sæculi IV, et temporis Constantiniani esse creditur. Fortasse legendum est *Nec modo tentatur novitas, primordia mundi.*

297. Lucanus lib. I, vers. 95, *Fraterno primi maduerunt sanguine muri*, scilicet Romæ

Gessit id impietas, cum primum conditur orbis, A
245 Et quasi lex fuerit, miserum sic venit in usum.
Faucibus oblisis cadit a latrone viator.
Quid fur nocturnus pravo velatus in actu,
Ne capiatur, agat, ferro comitante per umbras,
Multorum nos sæva docent exempla priorum.
Quid quod adulterium dulces male venit in usus?
Incestique nefas agitat plectenda libido?
Invadunt plures alieni cæspitis agros,
Et domibus junxere domos non jure modesto,
Ac promissa fides non custoditur amico.
Nobilium plures decepti fraude clientes,
Canities despecta senum, læsique parentes.
246 Jam genitos utinam tantum fera dextra feriret
Et tantum parvis fecisset culpa reatum.
Et necdum natos properant in ventre ferire;
Externos, pariterque suos furit impia mater
Conceptus damnare, sui nec cura pericli est.
Quæ bibit impietas truculenta impune venenum?
Repperit hoc quis grande nefas, ut non sibi mortem
Hauriat hoc quæcunque bibit? Minus ecce noverca

SCRIPTURA COD. VAT.

299. *G. hoc i. et postea conditor o*
301. *Faucibus obsessis cadit alugrisne viator.*
302. *N. parvo velatur in actu.*
304. *M. vos sæva decent e.*
305. *Quidquid adulterium.*
306. Prius erat *agitas.*
308. *D. junxisse d.*
310. *P. decepit f.*

B 312. *Jam gemitus utinam* : hic versus in ms. ponitur post versum seq.
313. *Namque tam parvis.*
314. *Et nec damnatos properent in*
316. *D. suos et cura.*
317. *Quæ vivit impietas.*
319. *H. hoc quodcunque vivit munus ecce novercam.*

NOTÆ.

299. Cum sermo sit de Caino Abelem occidente mendum e re ipsa correxi, quamvis verba longe sint diversa.

301. Restitui *oblisis.* Prudentius Psychom. vers. 535, *obliso collo*, et vers. 590, *obliso gutture. Cadere a latrone*, scilicet manu latronis. Ovidius lib. v Metam., vers. 191, *Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras, A tanto cecidisse viro.* Suetonius in Othone cap. 5 et alii. *Latrones* dicti viarum obsessores. Juvenalis satyr. 10, vers. 22, *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Cicero pro Milone cap. 21, *Non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur.* Hinc vera lectio *cadit a latrone viator.*

302. Forte *parvo velatus amictu*, ut magis expeditus sit. Cicero pro Milone cap. 3, *Duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt* : videlicet quia a fure nocturno difficilius cavere possumus.

304. Lib. III, vers. 50, *Nos exempla docent damnati divitis.*

305. Paulo ante simili modo *Miserum sic venit in usum.*

308. De hac voce *modestus* vide prolegom. num. 136. Mar. Victor lib. II, vers. 506 Genes., *Cum judice missa modesto*, etc. In cod. leg. Wisigoth. lib. II, tit. 1, cap. 2, apud Lindenbrogium : *Damus modestas simul nobis et subditis leges.* Aliis in locis ejusdem codicis *modeste* eadem significatione usurpatur. In hujusmodi vitia similiter invehitur Juvenalis sat. 14, vers. 141 seqq., *Et proferre libet fines*, etc. *Sed quæ reverentia legum? Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?* Exemplum insigne jungendi domibus domus habuerunt veteres in domo aurea Neronis, de qua hoc exstat distichum apud Suetonium cap. 3, *Roma domus fiet : Veios migrate, quirites : Si non et Veios occupat ista domus.*

310. Fortasse *Nobilitas plures decepit.* Tertullianus de Judic. Domini : *Si raptor grassatus erat, si fraude clientes Distulerat, si mente parum versatus amica.* Virgilius lib. VI, vers. 609, *Pulsatusve parens, aut fraus innexa clienti.* Studium et fidem erga clientes maxime laudabant veteres, ut contra turpe ducebant eos decipere, fallere, deserere. Suetonius in Cæsare cap. 71, *Studium et fides erga clientes ne juveni quidem defuerunt.*

312. Transposui hos versus, quia sententia id postulare videbatur. Juvenalis sat. 6, vers. 596, *Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos Conducit.*

313. *Parvi* et *parvuli* simpliciter pro pueris et infantibus a Cicerone, Statio, Suetonio aliisque usurpatum.

315. An *Internos, pariterque suos?* Vel intellige *externos*, quia filii ad patrem etiam pertinent, aut C innuitur, conceptus esse ex patre non legitimo. *Furit damnare* cum infinitivo probum est. Fortasse a *furit* melius nova periodus inchoabitur.

316. *Conceptus* pro fetu, ut lib. I, vers. 390, *Conceptus semine nullo.* Plinius lib. XXVIII, cap. 19, *Conceptus leporis utero exemptus.* Suetonius in Domitiano cap. 22, *Ut etiam causa mortis exstiterit* (fratris filiæ) *coactæ conceptum a se abigere. Damnare* est damnum inferre fetui, Hispanice *danar.* Vide Prudentium Hamartig. vers. 650, *Damna aures, Pater alme, meas.* Sedulius lib. III, vers. 125, *Siccisque fluentis Damnavit patulas audax fiducia venas.*

317. *Venenum* vocat medicamentum, quo fetus excutitur et vita privatur. Hieronymus ad Eustoch. de Cust. virg., *Nonnullæ, cum se senserint concepisse, de scelere abortii venena medicantur.* In concilio Ilerdensi anno 546, can. 2, qui ejusmodi potiones conficiunt, *venefici* vocantur. Lege Augustini verba ad vers. 322.

D 318. Ordo et sensus est, *Ut quæcunque hoc* (venenum) *bibit, mortem hauriat non sibi*, quia hujusmodi medicamentum mors est fetui, non matri : quia tamen hujus vita in eo scelere nonnunquam periclitatur, supra dixit, *Sui nec cura pericli est.* Huc pertinent ironicæ laudes quibus Horatius Canidiam prosequitur Epod. 17, in fine : *Tibi hospitale pectus, et puræ manus, Tuusque venter partumeius, et tuo Cruore rubros obstetrix pannos lavit, Utcunque fortis exilis puerpera.* Quod alii alio modo exponunt. Minucius in Octavio de ethnicis mulieribus : *Sunt quæ in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis exstinguant, et parricidium faciant antequam pariant.* Confer notas Elmenhorstii, Ouzelii et aliorum.

319. Levius crimen ait esse quod committunt novercæ, cum liberos prioris uxoris veneno, aut alio modo occidunt, quam sit scelus matrum, quæ filios

247 Audet in externos genitos, quam mater agit rem. A
Dextra novercalis jam natos mittit ad umbras,
Ante mori genitrix, quam nasci, pignora cogit.
Ne mala sufficerent, faciunt pejora nocentes.
Mortua quin etiam non linquunt membra quieti,
Sollicitant animas mortis jam lege quietas
Cantibus infaustis, herbis, atque arte nefanda,
248 Et responsa petunt tenebris de voce sepulcri,
Ut cantavit agens animam in pythone prophetæ
Infelix Saul. Cur non graviora mereri
Omnia debuimus, qui sic peccamus inique? B
Sol, lux, clara dies, luna, stellæque micantes,
Vel quæcunque Deo famulantur sidera magno,
Militia præclara poli, vel pontus, et aer,
Et tellus accepta Dei præcepta reservant,
Ac devota pie per sæcula mille morantur;
Nec tam longa movet diversi temporis ætas,
Ut legem servare negent, aut tempora mutent
Contra jura Dei, contra præcepta Tonantis.
Splendet sole dies, illustrat Cynthia noctes,
Et quasi gemmatum distinguunt sidera cœlum,
249 Æstuat undosum pelagus, ceu fluctibus astra
Impetat, et terram spumis operire minatur.
Nec tamen egreditur transgresso limite punctum:

SCRIPTURA COD. VAT.

320. *Quam*, dubie.
321. *Dextra novercales i. n. m. a. umbras.* Non clare scribitur *dextra*, et prius erat *ad undas*.
322. *A. mortem g. quam n.* scribitur *quam* nexu litterarum.
323. *Nec mala.*
326. *C. infavistis h.*
328, 329. *Et cantavit agens animam aqi n[illegible] prophetæ Fascibus et scelerum cur.*
333. *Militia per clara p.*
335. *Pie sæcula.*
337. *Legem serva negent.*
339. *I. quintia n.*; prius *quintia montes*

NOTÆ.

suos mori cogunt, antequam nascantur. Novercæ hac infamia laborant, quod filios prioris uxoris odio prosequantur, præsertim postquam suos ipsæ ediderint, superstitesque habeant. Ovidius lib. I Metam., vers. 147, *Lurida terribiles miscent aconita novercæ*: et Heroid. epist. 12, vers. 187, Medea: *Si tibi sum vilis, communes respice natos. Sæviet in partus sæva noverca meos.* C

321. *Dextra novercalis*, ut apud alios *novercalia* odit, *novercales* oculi, *novercalis* animus.

322. Augustinus de Nuptiis et Concup. ad Valerium libr. I, cap. 15, *Aliquando eo usque pervenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret, et si nihil valuerit, conceptos fetus aliquo modo intra viscera exstinguat ac fundat, volendo suam prolem prius interire quam vivere, aut, si in utero jam vivebat, occidi antequam nasci.*

323. *Ne mala sufficerent*, hoc est ne mala, quæ fecerunt, sola essent, aut ne mala alia succederent. Prior interpretatio magis placet: nam in canonibus conciliorum sæpe fit mentio adulterii, ex quo hi fœtus concepti sunt, quia plerumque abortus ex illicito concubitu procurantur. In concilio Eliberitano can. 63, *Si qua mulier per adulterium, absente marito, conceperit, idque post facinus occiderit, placuit ei nec in fine dandam esse communionem, eo quod* GEMINAVERIT SCELUS.

324. Fortasse *membra quieta;* idem vero est *linquit membra quieti*, nec rarum est *linquo* cum simili dativo. D

325. Forte *jam lege solutas*. In concilio Eliberitano canon exstat 34, *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi: inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt.* Quæ verba de magiæ genere, quod mox explicabo, intelligenda esse egregie probat Mendoza in ejus concilii Defensione.

326. Herbarum usus magnus erat in magicis carminibus. Horatius contra Canidiam Epod. 5, vers. 21, *Herbasque, quas Iolcos, atque Iberia Mittit, venenorum ferax*. Valer. Flaccus libr. VII, vers. 352 de Medea: *Majora precatur Carmina, majores Hecaten immittere vires Nunc sibi, nec notis stabat contenta venenis. Cingitur inde sinus, et qua sibi fida magis vis Nulla, Prometheæ florem de sanguine fibræ Caucaseum, tonitru nutritaque gramina promit, Quæ sacer ille nives inter, tristesque pruinas Durat, editque cruor, cum viscere vultur adeso Tollitur e scopulis, et rostro irrorat aperto. Idem nec longi languescit finibus ævi Immortale virens, idem stat fulmina contra Sanguis, et in mediis florescunt ignibus herbæ.* Adde Ovidium de Remed. amor. v. 261, 263.

327. Forte *petunt tenebrosa voce sepulti*, vel *tenebrosa a voce sepulti*.

328. Locus propemodum insanabilis, cui tamen nonnullam medicinam attuli ex historia Saulis, animam Samuelis, e mortuis evocantis, quam Dracontius indicat. Libr. I Reg., cap. XXVIII, v. 7 et seqq., *Dixitque Saul servis suis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem... veneruntque ad mulierem nocte, et ait illi: Divina mihi in pythone, et suscita mihi, quem dixero..... Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Posset etiam aliter emendari: *Et cantavit agens animam sub nocte prophetæ*. *Cantavit* sumitur pro *incantavit magicis carminibus*, ut v. 326, *Cantibus infaustis:* nisi malis legere *Incantavit agens*. De hac infami arte evocandi animas e sepulcris Ovidius de Remed. amor. v. 253, *Me duce, non tumulo prodire jubebitur umbra, Non anus infami carmine rumpet humum.*

329. Confer v. 255.

331. Potest etiam interpungi *Sol, lux clara, dies*.

333. Fortasse Dracontius voluit *perclara*, ut *percarus*, *percautus*. Sed *præclarus* magis est in usu. De astris, militia poli, vide notata ad v. 25, *Militia famulante sua servire fidelis.*

334. *Reservant* compositum pro simplici *servant*.

335. Vide v. 54 et 348, et l. I, v. 142, de verbo *morari*.

336. Vide v. 94 et 388.

339. A Cyntho Deli monte Cynthius dictus Apollo, et Cynthia Diana. Pro luna Cynthiam ponunt Lucanus, Seneca in trag. et alii; ac rursus Dracontius in Eleg. v. 239.

340. Solinus in fragment. apud Pithœum pag. 267, *Candidus æther Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.*

341. *Undosum* æquor dicitur a Virgilio l. IV Æn., v. 313.

343. Forte *pontum* pro *punctum*. Retineri potest *punctum* pro minima et individua lineæ parte. Clau-

In sua regna furens confringitur, et redit in se A
Æstus, et unda maris, *validus licet excitet æquor*
Ventus, et insani feriant sub littora fluctus;
Pendula cæruleum non audet scindere tellus
250 Invasura fretum, tantum contenta moratur
Tramite juncta suo, ripis mirantibus æquor,
In cumulos, montesque videns insurgere fluctus:
Nec pavet, invaditque, nec illa invaditur undis.
Est homo grande malum, legis transgressor, et audax,
Criminis inventor, scelerumque repertor, et auctor,
Immemor auctoris, mortis dux, germinis Evæ,
Oblitusque sui patris, inimicus, et hostis B
Omnibus, atque suus, solus sub tempore parvo
Transgreditur præcepta Dei : scelerata propago
Nascitur, ex fonte sceleris genus omne meamus,
Ex primo quicunque sumus nunc usque creati,
Non pietas, non ira Dei nos ulla coercet.
Sæcula quod fuerant transacta ad tempora Noe,
Et scelus assiduum, vel sæva piacula mundus
Adderet, et nullus hominum retineret honestum,
Nec tamen ulla simul processit pœna reorum,
251 Inde gigantæa moles præsumpta rebellat,
Sacrilega cervice tumens, quodcunque valebat,
Aut poterat, *stolido sibi demens arrogat ausu*,
Nil reputando Deo, per quem valet omne, quod exstat.
Despexit Dominum velut insuperabilis audax

SCRIPTURA COD. VAT.

345. *Æstus, et unda maris*..... alia desunt.
351. *Nec pavet, invaditque nihil invadit ab undis.*
354. *Dux terminis ævi.*
355. *Oblitusque sui patrans i.*
362. *Et scelus ad sidum vel nova p.*
365. *Inde gigantorum moles.*
368. *Deo per quod v.*
369. *D. sicut i.*

NOTÆ.

dianus lib. I in Rufinum, v. 5. *Præscriptosque mari fines* unum ex argumentis hoc prædicat pro divina providentia, qua res creatæ reguntur. Sedulius lib. I, vers. 62, *Qui maris undisonas fluctu surgente procellas Mergere vicinæ prohibes confinia terræ.* Aldhelmus in procemio libri de Virginit., *Sic quoque fluctivagi refrenas cærula ponti, Mergere ne valeant terrarum littora lymphis, Sed tumidos frangant fluctus obstacula rupis.* Barthius lib. LVI Advers., cap. 1, recte notat, Aldhelmum hoc argumentum corrupisse : non enim jam miraculum est, rupibus obsistentibus, mare non mergere terras : est vero plus quam miraculum, littoribus plano loco allutis, imo impellentibus tam immanibus fluctibus, non sequi unum plures, sed redire cum uno omnes in sese. Unde et pro spirante animali oceanum habuerunt nonnulli philosophi. Hæc fere ille : ex quibus percipitur, quam apte Dracontius hoc in argumento versetur. Simili ratione auctor carminis de Laud. Dom. sub Constantino : *Cujus ad imperium certis mare constitit oris, Nec licet immenso terris excurrere ponto, Planaque montanos includunt littora fluctus.*

344. Cap. XXX Job, vers. 11, *Et dixi: Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Vide Proverb. cap. VIII, vers. 29. Basilius Seleuc. orat. 1, *Fertur illud* (mare) *quidem fluctibus alte elatum, ubi vero terminos attigerit, revertit, refugitque, et Domini vocem littoribus inscriptam cum intuitum fuerit, curvatis fluctibus termini positorem adorat, cumque terram violente feriat, referitur ac divini imperii memor refertur in fugam.* Tertullianus, sive potius Novatianus lib. de Trinit., cap. 1, *Quo cum fremens fluctus, et ex alto sinu spumans unda venisset, rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet, servans jura præscripta : ut divinas leges tanto magis homo custodiret, quanto illas etiam elementa servassent.* Corderius ad cap. 38 Job, vers. 8 seqq., *Clarius autem hæc maris obedientia ad divinum præceptum ostenditur, cum agitatur ventis, et intumescunt fluctus ejus : aliquando enim ita erigit suos fluctus, ut ad cœlum pertingere videantur, et tanta vi ac impetu in terram irruit, ut eam penitus obruturum appareat : hoc tamen ipso quod arenæ pulveres infirmos et leves attingit, ita se continet, ut nullatenus illos transgrediatur.*

346. Forte *feriant sua littora*, et sic melius periodus incipiet *Validus licet*, etc. Virgilius ecl. 9, v. 43, *Huc ades : insani feriant, sine, littora fluctus.*

347 *Scindere fretum* : sic navis scindit aquas, remorum ictu freta scinduntur, fluvii natatu. Terra C vero non scindit mare, quia non prohibet quominus suos fines attingat, neque ipsa in illud irrumpit. Pendula vocatur terra, quia mari tanquam fundamento innixa a Dracontio, aliisque ponitur. Vide lib. I vers. 152, *Et, solidante globo, gravior per inane pependit.*

348. *Moratur*, consistit, cohibetur. Lib. I, vers. 142, *Limitibus contenta suis elementa morantur.* Sæpius hoc verbum *morari* eadem significatione Dracontius usurpat, ut hoc l. II, vers. 54 et 335.

351. Forte *invaditve*.

352. Confer notata ad v. 344 ex Tertulliano et aliis.

354. Forte *terminus ævi :* sed hoc quid sibi velit, non intelligo. Nonnemo suspicatus est *mortis dux, terminis ævi*, ut Adamus fuerit dux mortis, quæ est terminus vitæ humanæ. *Termen* pro termino ab Actio dictum constat ex Varrone l. IV de Ling. Lat., c. 4.

355. *Patris*, Adami, vel Dei : nihil enim occurrit aliud melius pro *patrans*. Et Dracontius quidem sæpissime Deum patrem et parentem vocat.

356. Adamus primus fuit qui solus, cum elementa omnia Deo servirent, paulo postquam creatus fuit, Dei præceptum transgressus est. De ejus peccato v. 235. Adamum posteri imitantur.

358. Fortasse *Nascimur*. De peccato originali supra vers. 240. Hic clarius explicatur dogma catholicum.

362. Posset etiam pro *nova* poni *nota*. Sed *sæva piacula* dixit Dracontius lib. I, vers. 539, *Ad scelus horrendum, vel sæva piacula mortis*, et hoc l. II, vers. 401, *Redeunt ad sæva piacula mores.*

D 365. *Gigantorum* in secunda declinatione non reperio exemplum : et facile aliquis *gigantæa* mutaverit in *gigantorum*, quod nesciret postremam produci ratione cæsuræ. *Præsumpta* pro audax, a quo etiam *præsumptuosus* sequiori ævo factum. Posset versus restitui, *Inde rebellavit moles præsumpta gigantum.* Desumptum id est ex Genes. cap. VI, vers. 4 seqq., *Gigantes erant super terram in diebus illis.... isti sunt potentes a sæculo viri famosi. Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod fecisset hominem; et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo, inquit, hominem, quem creavi, etc.* Hanc narrationem multi poetæ Græci, et Catullus in Epith. Pel., et Teth. cum fabulis interpolarunt, ut observavit Grotius lib. I de Verit. Christ. relig., et post hunc alii.

368. Vers. 225, *Et tibi, quidquid habet, reputans debere fatetur*, quod de serpente dictum.

Terrigena proles, meruitque infanda propago A
Naufragium terrestre pati, dum littora nusquam
Terra, licet distenta, daret, quod flumina pontus
Obrueret, pontumque nocens absconderet imber,
Cum moribunda fretis silvestria cuncta natarent,
Et genus æquoreum pascens in montibus altis,
Ac pariter pelagus vastas gestiret in auras,
252 Agmina cum volucrum, quæ protulit, unda necaret.
Cum grege nat per rura lupus, venator, et ursus
Mergitur, et nullos metuunt armenta leones.
Nam pavor unus erat, totum sors mortis habebat,
Nec qui fleret, erat, cunctos mors una tenebat.
Et solum emergens divino condita jussu
Enatat inter aquas cum mundi civibus arca,
Conceptu paritura simul juvenesque, senesque,
Et pueros, matresque pias, tenerasque puellas.
Una dies produxit avum, serosque nepotes.
253 Excepit pariter tellus natosque, patresque,
Æquævosque facit diversi temporis ortus.
Non homines tantum fecundior arca refundit.
Pace quidem modico dilata est tempore terra:
Nam postquam *pelagi cecidit tumor, unda resedit,*
Diluviumque nocens alta suscepit abyssus,
Littora nudantur, montes, mare, flumina, silvæ,
Apparent fontes, paulatimque arida tellus
Redditur, et redeunt cunctis iræque, metusque
Jam tecta tellure feris gregibusque, avibusque.

SCRIPTURA COD. VAT.

371. *Naufragium terra est repati d.*
372. *Quod*, ambigue.
375. *Æ. pascit in.*
376. *Gestiret in undas.*
378. *Cum greges fit tractura lupus v. e. v.*
382. *Nec solum.....* desunt alia.
384. *Conceptum p.*

B 388. *Et quæ vosque facit.*
390. *Pace quidem modica dilata de littore tenta;* prius erat *littoræ.*
391. *Nam postquam....* desunt cætera.
392. *Nocens altus s.*
393. *N. monte m.*

NOTÆ.

370. Gigantes e terra natos veteres in fabulis finxerunt, et inde nomen Græcum est quasi *terrigena.* Dracontius l. I, v. 239, omnes homines *terrigenas* vocat, quæ alia est ejus vocabuli significatio.

372. Forte *cum* pro *quod;* sed librarius voluisse videtur *quod*, nam *cum* semper scribit, non *quum.*

375. Horatius diluvium simili modo describit l. I, od. 2, *Omne cum Proteus pecus egit altos Visere montes. Piscium et summa genus hæsit ulmo, Nota quæ sedes fuerat columbis, Et superjecto pavidæ natarunt Æquore damæ.* Irrisisset, opinor, Horatius censuram C Senecæ contra Ovidium, de qua nunc dicam ad vers. 378.

376. *Gestiret in auras* (nam *in undas* mendum puto), scilicet auras quasi invaderet.

377. Pisces et pelagus gestiebant, cum auras impeterent; sed volucres necabat aqua, licet ex ea ortum duxerint. Vide lib. I, v. 240.

378. Ovidius l. I Metam., vers. 304, *Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones, Unda vehit tigres,* etc. Seneca Natur. Quæst., cap. 27, l. III, Ovidium hoc loco reprehendens ait: *Non est res satis sobria lascivire devorato orbe terrarum.* Senecæ Muretus Lipsiusque assentiuntur. Sed poetarum ingenia ad philosophorum normam non sunt exigenda. Vide not. ad v. 375.

379. Virgilius eclog. 4, *Nec magnos metuunt armenta leones.*

380. Mar. Victor l. II in Genes., *Cum quadraginta diebus Unius pluviæ furor, et mors una fuisset.*

383. Alcuinus, carm. 199, ex Dracontio, ut puto, *En natat in liquidis mundi cum civibus arca.* Forte *Enatat in.*

384. Forte *Conceptos paritura.* Genes. cap. VII, v. 7, *Et ingressus est Noe, et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo in arcam propter aquas diluvii.*

385. *Pueri* sunt filii Noe Sem, Cham et Japheth, *puellæ teneræ* uxores eorum. Eædem dici possunt piæ matres, quia ex illis genus hominum propagandum erat post diluvium.

386. Quod eadem dies natos patresque produxerit, ut v. seq. dicitur, nullam habet difficultatem: at quod produxerit avum et nepotes, non intelligitur, nisi credamus, uxores filiorum Noe neptes hujus fuisse: quanquam tunc dicendum fuisset *seras neptes*, aut *seras nepotes*, nam *nepos* etiam feminæ aliquando applicatur. *Seri nepotes* apud Valerium Flaccum lib. VIII, vers. 394, sunt, qui multo post nascentur, ut *sera posteritas* apud alios. Sed quo sensu dici poterit, unam diem produxisse avum, et eos qui multo post erant nascituri? Equidem existimo, Dracontium putasse, aliquos filios filiorum Noe ex arca prodiisse, intra arcam scilicet natos: nam quod arcam soli octo homines ingressi fuerint, expressum est in ep. I S. Petri, cap. III, vers. 20, *In qua* (arca) *pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* Æque certum mihi est non nisi octo homines ex arca egressos, neque venit in mentem an alii cum Dracontio opinati fuerint. Mahometus in Alcorano continxit familiam Noe, excepto Chanaan, aliosque ad 78 vel 80 homines in arcam fuisse introductos. Quod rex Basan nomine Og, arcæ tecto insidens diluvio se subtraxerit, ut tradunt nonnulli Hebræi, quod sibylla Babylonia in arca cum Noe fuerit, ut ipsa refert, quod Philemon sacerdos Ægyptius cum familia sua receperit se in arcam, ut aliqui rabbini olim docuerunt, nugæ sunt et fabulæ. Pererius in cap. VI Genes., disput. 1, lib. X, communem Hebræorum et Christianorum doctorum sententiam esse affirmat, Noe atque filios ejus, quoad fuerunt in arca, non dedisse operam generationi. Quo difficilior redditur Dracontii opinio nunc explicata. Fortasse sibyllæ Babyloniæ fidem secutus est Dracontius: nam sibyllarum carmina in pretio apud nonnullos veteres fuerunt. Cum autem D hæc sibylla retulerit, se cum viro in arca servatam fuisse, aliqui opinantur, eam diversam non esse ab uxore Noe.

388. Antea vers. 336, *Diversi temporis ætas;* et v. 67, *Diversi sanguinis ortus.*

389. Forte *Nec homines,* et *refudit.*

390. In tantis tenebris non video quid melius tenere possim.

391. Supplevi ex Hilario in Genes., *Postquam diluvii cecidit tumor, unda resedit.*

392. Cum *abyssus* sit feminei generis, legi potest ac debet *alta,* producta ultima ob cæsuram. Avitus lib. IV, v. 535, *Quæque prius vomuit lethali ex ore fluenta, Objicibus propriis constricta resorbet abyssus.* Nam ex cap. VII Genes., v. 11, in diluvio *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.*

Impia gens hominum scelerum mox vota resumit,
Et facinus reparare cupit; ne perderet usum
254 Criminis illuvies, et tanquam damna subiret,
Sic hærent delicta malis grassante reatu,
Sic passim redeunt ad sæva placula mores,
Pertulit et stadium princeps impune vagari,
Ut revocarentur sociati crimine multo.
Sed postquam in pejus hominum procedere vidit
Pessima vota Deus, rursus ne perderet orbem,
Aut impune reos passim dimitteret omnes,
Eligit e cunctis, quos plus peccare videbat,
Supplicio censura Dei super astra coacta.
Et quia diluvium jam non dabit unda secundum,
Sulphureas his fundit aquas, nigrumque bitumen
Compluit, et flammis ultricibus imber adussit
Quinque cremans urbes, populos, et mœnia damnat,
255 Ignibus æthereis succiso cæspite cocto.
Pinguis et in cineres putrescit gleba soluta
Nos sumus auctores nostris, heu! cladibus omnes,
Pauperiem, gemitus, mortem, tormenta, dolores
Nos nobis facimus peccando sponte maligne.
Segregat Omnipotens merita pro moribus orbis,
Non sociant pœnæ, quos non junxere reatus.
Loth justus, famulusque Dei, sine fraude, fidelis,
Inter tot scelerum turbas pius unus, et insons
Eripitur de morte truci sine crimine visus,
256 Et servatus abit vitæ melioris amator,
Qualiter ereptus Noe servatur in arca

SCRIPTURA COD. VAT.

397. Videtur scriptum *v. resummit.*
400. *M. crassante reatu.*
405. *Vota rursus.*
406. *Omnes*, non clare.
411. *Et flammas v.*
414. *Gleba solutas.*
418. *Moribus*, obscurum est.
422. *De morte crucis sine.*
423. *Et servator abit.*
424. *Q. erectus N.*; dubium an *servatur*, an *servatus* sit scriptum.

NOTÆ.

397. *Vota scelerum*, ut vers. 405, *Pessima vota*, et lib. I, vers. 694, *Mala vota reorum.* Cyprianus de Sodoma: *Sed recidiva hominum pariter cum gente secunda Impietas, iterumque mali nova pullulat ætas:* videlicet post diluvium. *Resumere vota sceleris*, ut Claudianus l. II in Rufinum, vers. 141, *Sed redit in faciem, scelerumque immane resumit Ingenium.*

399. *Tanquam damna subiret*, scilicet gens hominum, si perderet usum criminis. Confer l. I, vers. 475 seq.

401. Vide v. 362.

402. Obscurum id est. Sensus hic videtur esse: Permisit Deus homines impune vagari, ut crimine multo sociati revocarentur. *Princeps* pro Deo, ut dictum ad vers. 31. *Vagari stadium* cum accusativo, ut vers. 185, *Sic mare velivolum mercator nauta vagatur.* Eugenius Toletanus in oratione ad Deum ait: *Et vitæ stadium placido percurrere passu.* Vide num melius *Pertuleratque diu princeps i. v.*, aut *Pertulit atque diu princeps i. v.*, aut *Pertulit et studium princeps i. v.*, aut *Pertulit et studium præceps i. v.*, ut intelligatur Deus ex v. 405.

404. Lib. I, vers. 476, *Procedere pejus Ausum quippe nefas.*

407. Suspicor trajectionem esse ac prius legendum *Supplicio censura*, etc., deinde *Eligit e cunctis.*

409. Genes. cap. IX, vers. 11.

410. *His*, nempe quos plus peccare videbat. Loquitur, ut vides, de Sodomitis. Genes. cap. XIX.

411. Forte *flammis ultricibus irruit imber*, aut *imber adurit. Compluo* Varronis verbum.

412. Pentapolis, ut nomen præfert, est regio quinque urbibus constans. Sed non omnes illæ quinque urbes igni absumptæ sunt: nam Segor precibus Loth ab incendio liberata est, reliquæ Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim cœlesti igne perierunt. Dracontius ergo nomen regionis Latinis verbis expressit, ut cap. X Sapient., vers. 6, *Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolin.* Traditum etiam est, quædam oppidula, quæ his urbibus subjecta erant, incendio simul periisse. Præter hanc Pentapolin Palæstinæ fuere plures aliæ in diversis orbis partibus Pentapoles nominatæ.

413. Mar. Victor libr. III, vers. 778, Genes., de eodem incendio, *Depressisque cavos consumpto cæspite campis Pandunt arva sinus.*

414. *Putrescit* a *putris* ea significatione, qua *putris* est solubilis, solutus, flaccidus. Statius libr. VI Theb., vers. 234, dixit *putres cineres.* Vide Eleg. vers. 84, *putris arena.* Mar. Victor libr. cit., vers. 776, *In cineres donec cautes, tellusque resultans Transeat, ac penitus mersæ solvantur arenæ.* Intelligi etiam poterit de fructibus, de quibus Cyprianus Carmine Sodomæ: *Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.*

415. Albinovanus Consol. ad Liviam, vers. 12, *Fortior ut possis cladibus esse tuis.*

417. Hæc omnia ex arce Dei descendere docuit Dracontius libr. I, vers. 13 seqq. Sed etiam tunc peccatis hominum tribuit, quod Deus iram suam in eos exerceat. Merentur autem homines istiusmodi pœnas non solum ob peccatum originale, verum etiam ob alia, quæ quisque private committit, et a quibus nemo in hac vita liber est. Cæterum graviora quædam supplicia, quibus Deus urbes ac regna nonnunquam affligit, mores hominum palam corruptos et publica scelera plerumque puniunt.

418. Vide libr. I, vers. 12 et 541 seqq., et libr. II, vers. 467 seqq., et 808, quibus in locis eadem sententia repetitur. Hoc loco Dracontius Abrahami verba ad Deum exprimit, Genes. cap. XVIII, vers. 25, *Absit a te ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus, sicut impius: non est hoc tuum.* Verum etsi Deus post hominum obitum merita pro moribus uniuscujusque certissime segregabit, et interdum etiam in hac vita innocentes homines liberet, ne cum impiis supplicio aliquo absorbeantur, tamen nonnunquam patitur illos eadem pœna, seu calamitate temporali involvi. Olim quidem hic cursus divinæ providentiæ erat, ut mala temporalia improbis, bona probis fere acciderent; ex quo amici Jobi decepti universim colligebant neminem innocentem in hac vita flagellari. Vide c. IV Job.

421. *Turbas scelerum*, scilicet sceleratorum metonymice, ut apud Terentium, et sæpe apud Plautum *scelus* pro scelerato ponitur.

422. Lego *de morte truci*, ut vers. 703. *Et revocans a morte truci.*

Nec generale malum sensit specialior hospes. A
Tot gens nostra malis nondum correpta vel audet
Criminibus laxare fores sine fronte pudoris,
Supplicia et scelerum non damnat prava, sed auget.
Hinc obscena fames, morbi, mors, luctus, egestas,
Tædia, bella, lues, clades, jactura, labores.
Nam sic factus homo fuerat, primordia nostra,
Ut volucres; pascendus erat sine clade laboris,
Vomere non terram proscinderet, atque ligone,
Non peregrina vagus rapidis deposceret undis,
Committens animam ventis, et fluctibus audax,
257 Sponte parans fructum, vinum et de fontibus uvæ B
In morem fluvialis aquæ; longæva liquores
Semper oliva virens, certo non tempore ferret,
Mella darent vepres, sentis sudaret amomum,
Omnis ager pigmenta daret vernantibus herbis,
Et rosulas proferret hiems, servaret et æstas
Lilia purpurea, flos omnis staret odore,
Nec marceret honos violæ pallore decenti,
Non niger, aut albus tantum color esset in agnis,
Sed rubicunda daret pretiosus vellera sandix,
Lanigeras vestiret oves et muricis ostrum,
258 Fabula certa foret Phrixei velleris aurum,
Famam *scenarum verax narratio ferret*
Per populos, certamque fidem sine crimine fanto.

SCRIPTURA COD. VAT.

425. *Specialior hostis.*
426. *Malis non vel correpta.*
427. *Laxare frenos sic f.*
429. *morbi mox luctus.*
433. *Atque ligones.*
436. Innuitur *fontibus* in nexu litterarum.
438. *Semper olivarum certo.*
448. *Famam scenei verax* ... deest reliquum.

NOTÆ.

425. Lego *specialior hospes* : etsi enim olim *hostis* significaverit peregrinum, censeo tamen Dracontium ex sui temporis usu scripsisse *hospes*. Loth vero hospes erat, tum quia advena, tum etiam quia hospitio angelos exceperat. *Specialis* est peculiaris, cui opponitur *generalis*.

427. Fortasse *laxare jugum*, ut apud Silium libr. XI, vers. 17. Sic alii *laxare frenos, laxare habenas;* sed *frenos* non stat cum metro. Plinius libr. XXXII, c. 2, sect. 5, dixit *laxare fores*, quod ad metaphoram trahi valet. Conjici etiam potest *nondum correpta*, C *vel audax Criminibus laxat frenos.*

428. Forte *Supplicia et scelera*. Augentur vero supplicia scelerum, cum augentur ipsa scelera. Hinc obscena fames, morbi, etc.

429. *Obscena fames*, infausta, apud Virgilium et alios.

431. Potest interpungi *Nam sic factus homo fuerat, primordia nostra; Ut volucres, pascendus erat*, etc.

432. Lucretius libr. V, vers. 370, *Cladem importare pericli*. De providentia Dei erga aves Matth. cap. VI, vers. 26, et cap. X, vers. 29. Prudentius, Psych. v. 617 seqq., idem argumentum exponit.

433. Confer l. I, v. 449 seqq.

435. *Committere* pro tradere in dubio eventu, ut *committere se navigationi, viæ, periculo*, et apud Justinum l. II, cap. 12, *committere salutem navibus*. Dracontius Juvenalem imitatur sat. 12, vers. 157, *I nunc, et ventis animam committe dolato Confisus ligno*. Claudianus in præfat. ad libr. I de Raptu Proserp. *Qui* D *dubiis ausus committere flatibus alnum*. Horatius l. I, od. 3, vers. 9, *Illi robur, et æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem Primus*. Veteres ethnici navigationis usum vehementer in suis scriptis improbabant, et contra deorum voluntatem inventum asserebant. Columella in præfat. : *An bellum perosis maris, et negotiationis alea sit optabilior, ut rupto fœdere naturæ terrestre animal homo ventorum et maris objectus iræ se fluctibus audeat credere.* Adisis Barthium libr. XVII Advers., cap. 9, et Ovidium I Met., v. 94 seqq.

438. Libr. I, vers. 166, *Et semper vestita comis frondescit oliva*. Sensus est quod oliva quovis anni tempore fructus proferret.

439. Libr. I, vers. 199, *Non apibus labor est*, etc. Virgilius eclog. 4, v. 30, *Et duræ quercus sudabunt roscida mella*. Ovidius I Met., vers. 112, *Flavaque de viridi stillabant ilice mella.*

440. Libr. I, vers. 176, *Generans pigmenta per herbas.*

441. Libr. I, vers. 717, nonnulli legunt *Qui rosulis stellare nemus;* alii aliter. Etiam hoc loco legi posset *Atque rosas proferret.*

442. *Staret*, permaneret, semper vigeret et odore sustineretur, ac constaret. Virgilius VI Æn., vers. 300, *Stant lumina flamma.*

443. Ovidius l. I Met., vers. 107, *Ver erat æternum, placidique tepentibus auris Mulcebant zephyri natos sine semine flores.*

445. Virgilius eclog. 4, vers. 45, *Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.* Ex quo versu nonnulli colligunt, sandicem herbam esse qua pasti agni colore sandicino tingerentur : atque ita Virgilium intellexit Servius, et Plinius libr. XXXV, sect. 23, cap. 6, qui tamen ipse docet, sandicem genus esse rubri coloris fictitii, cujus conficiendi modum explicat. Dracontius innuit sandicem herbam non esse, sed agnos sandicis colorem habituros : etsi Virgilius quoque eodem sensu exponi valet, quod agni dum vulgo pascuntur, vellere se induerent coloris sandicini, ut de murice fere idem affirmat. Cum autem Plinius sandicem inter viliores colores recenseat, quæri potest cur pretiosum Dracontius vocet. Non alia de causa, opinor, nisi quia vellera eo colore tincta pretiosa sunt, vel quod is color pretiosus est in velleribus.

446. Virgilius eclog. 4, vers. 43, *Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti Murice, jam crocco mutabit vellera luto.*

447. *Phrixei* recte habet ms., alii minus bene scribunt *Phryxeus*. Ovidius Heroid. epist. 6, vers. 104, *Aurea Phrixeæ terga revellit ovis*, et epist. 18, vers. 103, *Invideo Phrixo, quem per freta tristia tutum Aurea lanigero vellere vexit ovis*. Phrixus ariete deaurato vectus Colchos pervenit, ubi arietem immolavit, et pellem inauratam in templo Martis posuit, quam Jason ope Medeæ abstulit. Vide Hyginum fabul. 3, Ovidium et alios mythologos.

448. Sic divinans reposui. De Medeæ tragœdia agi puto, quæ passim in scenis veterum exponebatur. Horatius in Arte vers. 185, *Nec pueros coram populo Medea trucidet. Famam* ergo *scenarum*, vel, si mavis, *scenai* more Lucretiano intelligo famam velleris aurei, quod prodidit Medea. Tunc enim sine crimine Medeæ vellera aurea homines viderent, et fidem narrationi de eis præstarent. *Scenæ* verbum sæpe adhibetur, cum scelera in tragœdiis exhibita indicantur. Cicero

Viscera non terræ tantum pretiosa metallum
Servarent abstrusa nimis, nec gemma lateret;
Omnia sed passim facies telluris haberet,
Omnibus in terris regio non indiga mercis,
Vilior illa foret populis, portantibus euris.
At nunc plectibiles humanæ mentis ubique
Dulcia subducunt mores, et amara ministrant.
Forsitan opponant homines delicta fatendo,
Angelicum peccasse genus, quod purior aer,
259 Et super astra polus, vel cœli regna tenebant.
Ante tribunal erant, ubi casta, et sancta viderent
Corporis expertes terreni ponderis omnes:
Et sic error eos tenuit, crimenque nefandum.
Quid homines miseri, fragili sub tegmine carnis
Captivos quos membra tenent, et corporis usus?
Sic vobis responsa dabo: Quid culpa aliena
Objicitur? purgare potest, quod gessit iniquus,
Alterius quodcunque nefas? scelus omne peractum
Respicit auctorem, socios, cunctosque ministros
Implicat, et solos facinus, quos inquinat, urget.
Inde magis mens nostra rea est, quod pœna secuta est
Cœlestes famulos, his nec gravis ira pepercit.
260 Sideris innumeri cecidit pars tertia cœlo,
Cum duce pulsa suo; superum vindicta coercet
Agmina cœlicolum, pereuntia clade perenni.
Militiæ pars tanta poli districta sine usu

SCRIPTURA COD. VAT.

454. *Populis peccantibus euros.*
456. *amara ministrans.*
460. Ex *castra* correctum *casta.*
462. *Et sic terror eos.*
465. Obscure *quid.*
469 *I. e. solus f. quoa :. v.*
470. *Quod*, dubie.
473 *C. d. p. suos superans v. coercens.*
474. *C. perentia c. p.*
475. *Militia pars tanta poli distincta sine usu.*

NOTÆ.

III de Natur. deor., cap. 27, *Nec vero scena solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis pene majoribus.* Virgilius IV Æn., vers. 471, *Scenis agitatus Orestes.*

450. Ovidius I Met., vers. 138, *Itum est in viscera terræ, Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris, Effodiuntur opes.*

451. Vide l. I, v. 505 seq.

452. *Facies* telluris est summa et extima pars terræ: inde *superficies* dicta. Virgilius eclog. 4, vers. 39, *Omnis feret omnia tellus.*

453. Virgilius loc. cit., vers. 38, *Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus Mutabit merces.* Forte *regio nulla indiga mercis.*

454. Lego *portantibus euris*, vel quod venti ipsi sine navibus merces portarent, vel quod euri juvarent, ut omnis ferret omnia tellus. Vide libr. I, vers. 197.

455. *Plectibiles mores*, ut vers. 269, *plectibilis actus.* E solo peccato originali omnes hujus vitæ calamitates originem ducunt, sed ita ut peculiaribus hominum peccatis magnopere augeantur.

458. *Purior aer*, ut l. I, vers. 334, Eleg. vers. 89. Argumentum petitum est ex cap. IV Jobi vers. 18, *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?*

460. Solium Dei vers. 101, vocatur *cœleste tribunal.*

461. Expende num melius *Corporis expertes, terreni et ponderis omnes.* Prudentius hymn. 5 Per., v. 163, sic etiam de corpore: *Vas est solutum ac fictile, Quocunque frangendum modo*, ex Apostolo II Cor., c. IV, vers. 7. Dracontius ex libro Jobi sumit et explicat verba *terrenum fundamentum.* Sic etiam Apostolus II ad Cor., cap. V, vers. 1, *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur.* Sapient. cap. IX, vers. 15, *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Nimirum corpus carcer est animæ.

465. Culpam alienam neminem excusare apertum est, et docet Epiphanius epist. ad Hieronym. inter Hieronymi epistolas 91, al. 73, *Quasi multitudo peccantium scelus minuat et non numerositate lignorum major gehennæ flamma succrescat*: et Hieronymus initio libr. I contra Ruffinum: *Quasi culpam numerus peccantium minuat.*

469. Ex Lucano l. V, vers. 290, *Facinus quos inquinat, æquat.* Arator libr. I, vers. 501, *Nec pœna sequestrat, Quos par culpa ligat.* Vide notam ad l. I, vers. 541, et l. II, vers. 418, et leg. 22 cod. de Pœnis, qua a pœna submoventur, *quos reos sceleris societas non facit.... Peccata igitur suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.*

470. Cicero de Haruspic. respons. cap. 18, *Ut quisquam pœnam, quæ sequeretur illud scelus, scire posset.* Sic Horatius l. III, od. 2, *Raro antecedentem scelestum Deseruit pede pœna claudo.*

472. De numero angelorum auctor Cœlest. Hierarch. sub Dionysii Areopagitæ nomine ait cap. 14, *Eloquiorum de angelis traditionem milies eorum esse milia dicere, summos illos quos adhibemus numeros, in seipsos glomerando ac multiplicando, quo per hos aperte declararet cœlestium essentiarum ordines a nobis numerari non posse.* Isaias cap. XIV, v. 12, *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer*, etc., quod de diabolo plerique exponunt. Cap. XII Apoc., vers. 4 seqq., *Et cauda ejus* (draconis) *trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram. Et factum est prælium magnum in cœlo: Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone.... et projectus est draco ille magnus.... et angeli ejus cum illo missi sunt.* Allegorice de angelis etiam intelliguntur verba illa cap. XXV Jobi, v. 5, *Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?*

473. *Superum*, scilicet Michaelis et angelorum ejus: vel lege *superat vindicta coercens*, aut *superans vindicta coercet Agmina cœlicolum.*

474. *Clade perenni*, ut l. I, vers. 467, *Incurrant non fraude sua, sed clade perenni*, et apud Tertullianum l. I contra Marcionem, *Periturus morte perenni.*

475. *Militia poli* dicta etiam sunt astra vers. 555. De angelis cap. XXV Jobi, v. 3, *Nunquid est numerus militum ejus?* Genes. cap. XXXII, vers. 1, *Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat: fueruntque ei obviam angeli Dei. Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.* Lib. III Reg., cap. XXII, vers. 19, *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris.* Angeli phrasi ecclesiastica sæpe militia cœlestis dicuntur. E sacris Litteris multis in locis constat angelos sæpe habitu militari se conspiciendos præbuisse, modo in equis decoros, modo gladium evaginatum tenentes, modo loricis igneis et hyacinthinis indutos, scilicet ad defensionem bonorum paratos, et quasi sospitatores in

Debuerat nostros ultro compescere mores : A
Et tamen in nobis nullus timor exstitit unquam.
Quis canis allatret, vibices si ora leonis,
261 Colla, caputque ferant, et sanguine fulva rubescant?
An solis pereunte die, simul objice terra,
Sidera despiciant umbram, qua cuncta teguntur,
Et superare putent crassas tenui igne tenebras?
Aut sitiente freto jactet se pellere rivus,
Quam nec magna sitim possunt sedare fluenta
Gurgitis æquorei, cunctus si fluctuet amnis?
Sed quia cœlestis pietas veniale minatur,
Plusque coruscantes flammas, quam fulmina vibrat,
Aut si fulmen habet, montes, et culmina tangit,
Arboribusque caput, cedros, celsasque cupressos, B
Ut terrore domet potius, quam clade profanos,
Est nobis contemptus atrox, animusque nocendi
262 Omnibus est nobis : pietas tamen alma Parentis
Indulgere volens cito, quam punire parata,
Misit ab arce pium cœli per sidera Christum,
Qui virtute sua serpentis frangeret artes,
Per vexilla crucis hostis populando cohortes,
Præcipiti jactu quas celsa palatia cœli
Exsilio trusere gravi sub perpete culpa.
Expavit Judæa Deum post viscera matris
Maxima tot populis dantem miracula Christum.
Invida continuo, semel læsura, profanam
Sacrilega tenet arte viam livoris iniqui,
Et quærit peritura dolos, quibus improba perdat
Insontem, sanctum rea, noxia, callida, fallax.
Et pretium dat turba : Dei commercia fiunt,
263 Discipulo vendente suo, funesta duobus.
Venditor infelix, sed non felicior emptor,
Pars pretium perdit, perdit pars altera mercem.

SCRIPTURA COD. VAT.

476. *N. ultra c.*
478. *Quis c. inlatret vivices si terga l.*
479. *Fulva rubescunt.*
480. *Aut solis.*
482. *S. putant c.*
483. *Aut siccante freto jacte....* alia desunt.
484. *Quam nec legandis possunt s. f.*
487. *Plusque*, et *quam* in nexu litterarum.
489. *Arboribusque capit cedros, celsasque cypressus.*
491. *Est nobis contemptus arax, animique nocent. s Omnibus et nobis p.*
492. *Alma nocentes.*
493. *Quam*, ambigue.
497. *Præcepit jactu quas.*
501. *I. c. semel lesura profanæ.*

NOTÆ.

prælio. Pro *districta*, hoc est punita, vel constricta, et illigata, forte legendum *disjecta*. Mendum etiam C videtur *sine usu* : sensus autem est, partem tantam militiæ poli ab honore, quo gaudebat, et quasi usu et exercitio militari dejectam fuisse ; vel, si mavis, angelis peccantibus locum aut defensionis aut pœnitentiæ nullum fuisse relictum.

478. *Allatro* in usu est apud poetas aliosque. *Inlatro* non reperio alibi, ac proinde mendum puto *inlatret* pro *allatret*. Cum in *vibices* prima et secunda producantur, corrigendum censui *vibices si ora*, ac revera magis congruere videtur *ora* quam *terga*.

480. Descriptio noctis. Dies, qui a sole efficitur, perit nocte. Libr. I, v. 672, *Ducit ubique diem, periturum noctis ab umbris*, et v. 677, *Occidit ipse dies super æquora sole cadente*. Noctis vero umbræ efficiuntur a terra soli objecta. Cicero libr. II de Natur. deor., cap. 49, *Ipsa enim umbra terræ soli officiens noctem efficit*.

483. Sic restitui locum fere insanabilem. Sensus est : an rivulus jactet, se pellere posse sitim oceani, quam nec magni fluvii sedare possunt, etiamsi omnes D confluant in mare? Fortasse legendum erit *siccante* pro siccato, ut *minuente* pro minuto, *crispante* pro crispato, *solidante* pro solidato.

485. Libr. I, vers. 705, *Gurgitis æquorei, quo mundus cingitur omnis*. Fortasse distinguendum *sedare fluenta, Gurgitis æquorei cunctus si fluctuet amnis*, ut amnes æquorei sive in mare influentes indicentur.

486. Vide vers. 121 Eleg, *Veniale minaris*. Argumentum hoc fuse pertractatum fuit libr. I, vers. 29 seqq., et sæpe alibi. Confer etiam Pisidem de mundi opificio vers. 437, *Tu intendis arcum sæpe*, etc.

487. Claudianus in II consul. Stilicon., al. I. III, vers. 167, *Fulmina vibrat Jupiter*. Ovidius libr. II de Ponto, el. 2, *Sed placidus, facilisque parens, veniæque paratus, Et qui fulmineo sæpe sine igne tonat*.

488. Horatius l. II, od. 10, *Feriuntque summos Fulmina montes*.

489. Forte *Arboreumque caput*.

492. Fortasse *pietas tamen alma nocenti Indulgere volens*.

493. Legerem *Indulgere volens, cito nec punire parata*. Hic certe Dracontii sensus est. Libr. I, vers. 95, *Corrigit errantem, nec punit morte repente*.

494. *Ab arce* pro *a cœlo*. *Sidera cœli* alibi Dracontius dixit. Prudentius Apoth. vers. 615, *Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri* : qua loquendi ratione non sidere vectum puerum, aut a magis visum, sed Christi ortum per sidus annuntiatum in comment. ad Prudentium ostendi loc. cit.

495. Dæmon serpentis nomine frequenter a Patribus indicatur, cui *artes* et *astus* tribuuntur, ut Christo virtus.

497. *Præcipiti jactu*, ut libr. III, v. 597.

498. *Perpete culpa*, quia locus et tempus pœnitentiæ angelis relicta non sunt, ac semper in eis prava voluntas perseverat. Libr. III, vers. 65, *Sæva incendia mortis, Quæ sine fine manent, et stant sub perpete nexu*; et v. 72, *sub perpete pœna*. Severus sanctus, sive Endelechius in carm. bucol. *Signum prosit idem perpete sæculo*.

499 *Expaveo* in præterito, et cum accusativo frequenter occurrit apud poetas et alios.

501. Forte *læsura, profana*.

503. Oppositio in *peritura*, et *perdat* venuste adhibita.

505. Producitur prima in *fiunt*, quod arguit, errorem fortasse esse hoc libr., vers. 191, *Si disjuncta fiant*, et l. III, vers. 135, *Si jactura fiat*. Nam facilius credam in tam depravatis codicibus mendum irrepsisse, quam Dracontium in eadem syllaba variasse. De hoc crimine Judæ Sedulius libr. IV, al. 5, *Nexibus astrictum Judas ut vidit iniquus, Diriguit, scelerisque sui commercia reddens Incassum, facti pretium, non facta reliquit*.

508. Magis e Dracontii genio videretur *Pars pretium perdit, perdit pars utraque mercem*, nam quod in emptione venditi me emptor perdat pretium, venditor mercem, nihil mirum est. Sane verum etiam esset,

Proficit in nobis, qui non contraximus, emptus:
Sanguine distracti maculatur venditor, emptor,
Quo mens nostra sacri mundabitur imbre cruoris.
Ah scelus atque nefas! insontem turba reorum
Supplicio, quo digna fuit, cruce, verbere, ferro
Affligit, lethique vias, et limina mortis
Ingerit æterno, cui lex ab origine mundi
Nec fuit initium nasci, nec finis obisse.
Ergo salutaris quod passio membra peremit,
Fecit abire diem, solis restantibus horis,
264 Et noctem sub luce dedit, rediere tenebræ,
Sed sine more suo, violata lege polorum.
Tum niger axis erat, quem lurida palla tegebat,
Candida sanguineum monstravit luna ruborem,
Cardine sub gemino nox importuna pependit,
Et planxit natura Deum, monumenta piorum
Clausa patent, plures mundo rediere sepulti,
Et vitam mors ipsa dedit; dum vita perennis
Limina mortis adit, Stygii tremuere ministri,
Effugiunt tormenta reos, invita pepercit

SCRIPTURA COD. VAT.

510. *D. maculator v.*
511. *S. Maculabitur i.*
518. *D. soli restantibus b.*
520. *Sed sine moro s.*
521. *Et plaxit n.*
525. *M. redire s.*
527. *Lumina m. adit, ut tremuere.*

NOTÆ

si diceretur *Utraque pars pretium, mercem pars utraque perdit.* Sed fortasse Dracontius hoc ipsum innuit, nimirum *Pars pretium perdit*, scilicet emptor Judas, *perdit pars altera mercem*, nempe Judæi emptores.

510. *Distracti*, venditi. *Distrahere* pro vendere, alienare verbum familiare jurisconsultis atque aliis etiam, ut Lucilio, Gellio, Suetonio, Justino, Tacito.

511. Forte *mundabitur amne cruoris*, ut infra vers. 601. Ad Hebræos cap. IX, vers. 14, *Quanto magis sanguis Christi.... emundabit conscientiam nostram*, etc. Joann. Ep. I, c. I, vers. 7, *Et sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Apocal. c. I, vers. 5; Epist. I Petri, c. I, v. 19.

515. *Ingerere supplicia* recte dicitur: sic *ingerere vias* lethi, nam tormenta viæ lethi sunt. Fortasse mendum cubat in *cui lex ab origine mundi.* Sensus hic elici potest: cui lex fuit ab æternitate neque habere initium nascendo, neque finem moriendo. Vel *ab origine mundi* intellige, quod ita prædestinatus est Christus ante mundi constitutionem, ut neque initium haberet nascendo, neque finem moriendo. Vide num oporteat legere *cui lex ab origine mundo Nec fuit initium nasci*, hoc est, lex ab origine ejus fuit nec initium nasci mundo, nec finis obisse.

516. *Initium* prima producta, ut dictum l. I, v. 131.

518. Supra vers. 480, *dies solis* dicitur; sed hic melius videtur ita distinguere, ut solis horas restitisse intelligatur, ut vers. seq., *Et noctem sub luce dedit.* Vide Matth. cap. XXVII, vers. 45, ubi hæ tenebræ referuntur.

520. *Sine more suo*, quia ante tempus redierunt, et cum adhuc sol esset super terram.

521. Palla vestis muliebris, quæ, sicut et pallium, eleganter nocti tribuitur. Vide exempla in comment. ad Prudentium, hymn. 5 Cathem., v. 27, 28.

523. *Cardine sub gemino*, quia ab altero sol aberat, in altero obscuratus erat. *Pependit nox*, quia quasi suspensa et dubia hærebat. Victorinus de J. C. Deo et homine: *Nox fuit illa dies: confusa nube premebat Arva, domosque chaos, fixus stetit impiger axis.*

525. Matth. cap. XXVII, vers. 52 seq.

528. De hac opinione, qua nonnulli Patres affirmarunt pœnas inferorum die resurrectionis dominicæ mitigatas fuisse, pluribus egi in prolegomenis ad Prudentium, cap. 18. Addo nunc Aratorem, qui libr. I, vers. 232, sic loquentem inducit apostolum Petrum: *Pavidis resplenduit umbris Pallida regna petens, propria quem luce coruscum Non potuit fuscare chaos: fugere dolores, Infernus tunc esse timet, nullumque coercens In se pœna redit, nova tortor ad otia languet. Tartara mœsta gemunt, quia vincula cuncta quiescunt. Mors ibi quid faceret, quo vitæ portitor ibat?* Aratoris auctoritas ponderis nonnullius esse debet, quod ejus carmen Vigilio papæ dicatum, ab eoque susceptum in ecclesia S. Petri ad vincula Romæ magnis acclamationibus fuit recitatum. Cujus rei historia ita a Labbeo refertur, et post Labbeum ab aliis passim, ut ambo Aratoris libri septem vicibus distinctis diebus dicantur auditi: quod ipsum ego in Hymnodia Hispanica, pag. 105 seq., num. 131, indicavi, et in comment. ad Prudentium hymn. 12 Per., v. 5, p. 1190, diserte affirmavi. Verum cum codicem ipsum Vaticanum, quem scriptores allegant, postea inspexerim, comperi rem in eo codice ita se habere, sed aliter narrari in vetustiori codice reginæ Sueciæ, num. 598 scilicet: *Atque eo Aratore recitante, distinctis diebus ambo libri IIII sunt vicibus auditi, cum uno die medietas libri tantummodo legeretur propter repetitiones assiduas, quas cum favore multiplici postulabant. Eadem recitatio facta est his diebus I idus Apr., II, XV kal. Mai., III, VIII idus Mai. Quarto vero die III kal. Jun.* Mendum igitur est in Vaticano codice num. 1665, *septem vicibus* pro IIII *vicibus*; non enim totum opus Aratoris sæpius est recitatum, sed distinctis quatuor diebus ita fuit perlectum, ut singulis diebus medietas unius libri tantummodo legeretur, quod alio, ut spero, tempore locupletius confirmabo. Ut redeam ad opinionem quorumdam veterum de pœnis damnatorum aliquando mitigatis, huic eidem sententiæ favet S. Ildefonsus, sive quivis alius sit auctor serm. 5 de Assumptione Deiparæ pag. 364, tom. I edit. Matrit. Patrum Toletanor.: *Totus mundus hodie condigna jubilatione lætatur, et gaudet: tartarus tantummodo ululat, fremit et submurmurat; quoniam gaudium, et lætitia hujus diei claustris infernalibus inclusis aliquod remedium et refrigerium præstat. Non audent, ut opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captivos quos recolunt redemptos illius sanguine qui pro mundi salute est dignatus nasci de virgine.* In indice librorum expurgandorum Brasichellensis id notatur pag. 285 seq.: *Videtur S. Ildefonsus in sermone 5 de Assumptione Deiparæ hyperbolice locutus, nisi forsan opinionem Aurelii Prudentii imitari voluit, qui nocte resurrectionis Christi inferis pœnarum ferias indulsit.* Cum tot sint veteres scriptores pro hac opinione, quibus nunc ex mss. accedit Dracontius, placet repetere sententiam Petavii tom. III, libr. III de Angelis, cap. 7: *Propterea non temere tanquam absurda est explodenda sanctissimorum Patrum hæc opinio, quamvis a communi sensu catholicorum hoc tempore sit aliena.* Nec dissimile est judicium commendatissimi editoris Patrum Toletanorum eminentissimi cardinalis de Lorenzana in nota ad cit. serm. S. Ildefonsi: *Quid? adeone absonum est et inauditum aliquod vel his* (damnatis) *levamen suarum pœnarum contingere posse, quæ tamen non ideo sint aliquando finem habituræ?* In quam sententiam

265 Tortorum metuenda manus, lux funditur umbris,
Descensum comitata Dei, simul orbe fugata.
Tartarus infelix nunquam satiabilis umbris,
Et solitus gaudere neci, turbatur amare,
266 Et supplex augmenta dolet, nam damna futura
Hæc augmenta dabant; animas, quas claustra tenebant
Carceris æterni, redituras lucis ad usus
Infremit, et legem violari deflet Averni.
Luminis impatiens, ut jam remearet ad auras
Æthereas, orat Dominum, regemque polorum,
Ne gravet omnem Hecaten jubar insuperabile Christus;
267 Aut spoliet toto nigros simul agmine manes,
Ad superos revocans animas virtute parentis.
Tertius interea processit lucifer astris

SCRIPTURA COD. VAT.

530. *D. commutata d.*
534. *C. tenebat.*
538. *Æ. optat d.*
539. *Hecatos omne gravat jubar.*
541. Dubium *parentis* an *perentis* voluerit librarius.

NOTÆ.

multa egregie disserit. Vide Joann. Baptistam Gener. tom. IV Theolog., part. 2, tract. 3, lib. III, c. 2, qui observat ab Odilone abbate in serm. de Assumpt. Deiparæ Prudentium esse transcriptum. Verum sermo hic Odilonis diversus non est a sermone quem sub Ildefonsi nomine Generius ipse laudat: ex quo scilicet verba nos protulimus. Confer Bibliothec. Cluniacens. tom. I, col. 401.

530. Arator vers. 61 lib. I, *Ad manes ingressa dies, fugitiva relinquunt Astra polum, comitata Deum.* Fortasse imitari voluit Dracontium; sed longe melius Dracontius de luce, *Descensum comitata Dei, simul orbe fugata*, quoniam tenebræ factæ fuerant super universam terram; nam astra, nihil est causæ cur polum reliquisse dicantur ac conjungantur cum die ad manes ingressa.

531. *Satiabilis* ad barbara rejectum est a Forcellino. Sed cum *insatiabilis* frequenter usurpetur, vel solius Dracontii auctoritate Latinis accensendum est *satiabilis*. Tartarus avidus, inexpletus, insatiabilis dici solet a poetis. Fortunatus in eleg. de Resurrectione Domini: *Inferus insaturabiliter cava guttura pandens, Qui rapuit semper, fit tua præda, Deus.*

532. *Neci*, ablativus more usitato a Lucretio aliisque. Nec repugnabo si legas *nece*, producta postrema ratione cæsuræ.

535. Inferorum nomine vocatur locus quo justorum animæ ante Christi resurrectionem detinebantur: quo etiam nomine locus quo damnati æternis pœnis torquentur, comprehenditur. Erat tamen sinus Abrahæ a suppliciorum loco separatus, ut ex uno in alium iter non pateret, quod ex historia, sive parabola Lazari et divitis constat Lucæ cap. XVI. Hujus rei imitatione gentiles in inferis campos Elysios collocarunt, qui ab impiorum sede muro impenetrabili et igneo flumine discreti erant. Virgilius l. VI, vers. 536, *Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit, Hac iter Elysium nobis: at læva malorum Exercet pœnas et ad impia tartara mittit... Respicit Æneas subito, et sub rupe sinistra Mœnia lata videt, triplici circumdata muro, Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa. Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ, Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro Cœlicolæ valeant: stat ferrea turris ad auras.* Innuit autem Virgilius, impiorum gemitus ad beatorum sedes pervenire: *Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.* De sinu Abrahæ Tertullianus lib. III contra Marcionem: *Sub corpore terræ In parte ignota quidam locus exstat apertus, Luce sua fretus, Abrahæ sinus iste vocatur, Altior a tenebris, longe semotus ab igne, Sub terra tamen*, etc. Dracontius ipsum sinum Abrahæ *carcerem æternum* videtur vocare, quia neque inde quidem animæ liberatæ fuissent, nisi Christus illuc descendens de morte ac de mortis lege, quæ mox *lex Averni* dicitur, triumphasset.

536. Prudentius hymn. 9 Cath., v. 75, de his qui cum Christo resurrexerunt: *Lege versa limen atrum jam recalcandum patet.* Fortunatus in eleg. de Resurrectione: *Legibus inferni oppressis*, etc. *Defleo* cum infinitivo, ut *fleo* apud Valer. Flaccum l. I, v. 633.

537. Fortunatus loc. cit., *Expavitque chaos luminis ore premi.* In missali Isidoriano feria 4 post Resurrectionem: *Judicem suum ipsa etiam pœna contremuit: quia natura horribilium tenebrarum præsentia sui fulgoris et vetata* (hebetata) *jam tunc timuit judicari.*

538. Quamvis *opto* pro *quæro, volo, peto* sumi possit, tamen hoc loco cum accusativo clarius est *orat.*

539. Hecate in cœlo Luna dicta, in terris Lucina et Diana, in inferis Proserpina. Pro inferis ponitur. Ovidius lib. XIV Metam., vers. 405, *Et magicis Hecaten ululatibus orat.* Fortasse legendum *Ne gravet ora Hecates jubar*, etc., nam tria ora illi tribuebantur. Virgilius l. IV Æn., vers. 511, *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.* Ovidius l. I Fastor., vers. 141, *Ora vides Hecates in tres vergentia partes.* Observandum vero est veteres Christianos in suis carminibus libere usos fuisse nominibus fabulosis, et sæpe fabulas ipsas respexisse, etiam cum de mysteriis sacratissimis religionis nostræ verba facerent, non quod fabulis assensum præberent, sed ut eas irriderent, vel saltem res veras fabulis adumbratas ostenderent. De Curtio, qui præcipiti jactu in vastum telluris hiatum demersus est, multa habet Dracontius lib. III, vers. 399 seqq., quæ fabulas veterum olent; sed tunc magis excusari potest, quod argumentum profanum pertractat: quædam tamen huc facientia notavi ad vers. 405. Nonnus in cap. XI Joann. dum exponit Lazarum a mortuis revocatum, pluribus versibus ad fabulas ethnicorum de inferis alludit, quasi Pluto sollicite circa fluvium Lethen animam Lazari quæsierit, neque invenerit. Heinsius in exercitationibus in Nonnum libertatem hanc commemorandi fabulas reprehendit, sed ea potissimum ratione quod Nonnus interpretem Evangelii Joannis agit, in quo certe nullum apparet fabularum vestigium. In aliis poetis Christianis minus id reprehendendum est.

540. Christus quidem animas damnatorum ex inferis non erat extracturus: sed poetice describitur pavor dæmonum, quasi id timerent. In poemate veteri sine auctoris nomine inscripto *Triumphus Christi*, edito post Juvencum per Theodorum Poelmannum Basileæ, similia habentur: *Rex cœli ut Christus Phlegethontis regna subivit, Princeps regali Pluto prospexit ab aula, Ad sua dum sensit concurrere lumina Christum. O socii, exclamat, jam tempus sumere tela, Quandoquidem hic sanie perfusus membra propinquat Prædaturus opes nostras, umbrasque, animasque*, etc. Hic etiam auctor adjungendus iis est qui tormenta cessasse, dum Christus ad inferos descendit, existimabit: *Et quid multa? silent gemitus, tormenta, dolores.*

542. Christum resurrexisse, cum adhuc tenebræ,

Oceano splendente die, redit almus ab umbris
Rex reduci vita, magna comitante caterva.
Discipuli reducem læti videre magistrum.
Inde reversus habere petit sua regna triumphans,
Dexter in arce sedens, consors genitoris amatus;
268 Judicio venturus erit post sæcla futuro
Reddere mercedem cunctis, quam quisque meretur,
Ad dextram, lævamque jubens astare catervas,
Exigit ut meritum vitæ pravæque, bonæque.
Si scelus est, et grande nefas tempsisse potentem,
Factorem temerasse suum quod crimen habetur?
Et tamen indultor mansit post funera carnis,
Pœniteat si forte reos, clementius audit,
Datque repente pius veniam. donatque reatum.
Juda miser veniam si vel speraret, haberet:
Sed memor infandæ tamen et sine nomine culpæ
Credidit infelix nihil jam veniale mereri,
Judicioque suo veniæ subtractus abivit.
269 Redditur argentum, scelerata ad colla pependit,
Vix tandem justus, nam nec permansit avarus,
Suspensus obiit, se mox ultore severo.
Vincula rumpuntur, cecidit, crepuitque cadaver,

SCRIPTURA COD. VAT

543. *S. diem r.*
544. *Rex reduci cum vita.*
546. *Reversus habitare petit:* scriptum erat *triumphus*, correctum *triumphans.*
548. Ex *judico* correctum *judicio.*
550. Prius *cathenas*, ex quo factum *cathervas* pro *catervas.*
563. Prius erat *serere*

NOTÆ.

essent, ex Evangelio constat: media nocte resurrexisse, multorum fuit opinio. Dracontius indicat resurrectionem contigisse cum lucifer exortus est, et oceano splendescere lux diei cœpit. Sic etiam Victorinus de J. C. Deo et homine: *Regia forte poli tum primum lumen agebat, Æternum testata diem, clarus ue per orbem Cuspide fulminea noctis diviserat umbram Stellifico temone jubar, Deus ultor ab umbris Ecce redit.* Hæc eadem sententia plurium veterum et recentiorum est, et sacris Scripturis innititur, ut probant Maldonatus et Calmetus. Hac de causa Christiani olim Romæ jejunium vigiliæ Paschatis ad auroram usque protrahebant et in benedictione cerei paschalis canit Ecclesia: *Flammas ejus lucifer matutinus inveniat: ille, inquam, lucifer qui nescit occasum; ille qui, regressus ab inferis, humano generi serenus illuxit.*

546. Pro *habitare* aliud legendum est: *habere* eadem fere gaudet significatione.

547. *Arx* simpliciter pro cœlo, ut vers. 494. *In arce* valet etiam *in alto, in sublimi.* Supra vers. 68, *Et consors cum Patre manens.* Quod Filius *consors* Patris dicitur, eadem natura Filii et Patris ostenditur. Drepanius de Cereo pasch., *Te colimus, natumque tuum, quem cuncta tuentem, Et tibi consortem verbo genitore creasti.*

548. *Post sæcla* phrasis propria Dracontii, hoc est post mundi ætatem. Adisis notam ad v. 86 lib. I.

551. Forte *Exiget ut meritum vitæ pravæve, bonæve.*

552. Forte *tempsisse parentem.*

556. *Donatque reatum* pro remittit, condonat, elegans phrasis. Ovidius l. II de Ponto, ep. 7, vers. 51, *Culpa gravis precibus donatur sæpe suorum.* Prudentius Psych. vers. 781, *Cuncta offensacula donat.* Tertullianus l. I contra Marcionem: *Facta per errorem miseris Deus omnia donat.* Dracontius infra vers. 605 simili verbo: *Largitur peccata reis sine voce rogatus.*

557. Scilicet vel Juda miser, si sperasset, veniam a Deo habuisset. *Juda* ita etiam effertur a Prudentio Dittoch. vers. 155, ut contra Gifanium in comment. probavi: quod more Latinorum fit, et ut ultima corripiatur.

558. Nomen jam habet *Deicidium*, seu *Christicidium.* Sed ante Judam certe non habuit. Vide l. III, vers. 262, ubi de suicidio loquens ait Dracontius: *Hoc facinus nec nomen habet.*

559. *Nihil* per synæresin monosyllabum: vel scribe *nil. Veniale* vox Macrobii, Ammiani, Sidonii.

560. Mihi placet lectio codicis *Judicioque suo.* Sed cum in mss. sæpe *judicium* et *indicium* confusa sint, non nemo suspicabitur legendum *Indicioque suo.* Arntzenius Miscellan. cap. 5 in Aratore præfert cum editione Aldi et Basileensi *Indicio tali:* quia, inquit, delator fuit Judas. Sed in Aratore etiam sensus postulat *Judicio:* sic enim ait l. I, vers. 141 seq., *Crimenque retractans Judicio tali permisit membra furori, Aeris ut medio communi poneret hosti Debita pœna locum.* Id autem Judas fecit *judicio suo*, non *indicio*, quo Salvatorem detulit. Sedulius l. IV, al. 5, *Se quoque morte petit, tanquam tunc sanior esset, Cum scelus ulcisci præcurreret.... Lenior ira quidem tanto pro crimine culpæ, Cunctorum cui nulla foret par pœna malorum.* Dracontius simili modo lib. III, vers. 42, *Judicio punita suo mens semper avara Dat pœnas.* Ait ergo Dracontius Judam credidisse, nullum sibi locum esse veniæ, et hoc suo judicio veniæ subtractum manus sibi intulisse. Utitur verbo Matthæi cap. XXVII, vers. 5, *Et abiens laqueo se suspendit*, et Lucæ Act. apost. cap. I, vers. 25, *De quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.*

561. *Ad colla pependit* pro *e collo* vel *collo pependit.* Libr. I, vers. 259, *Ad ramos infixa.* Pro *redditur* mallem *reddidit.*

562. *Vix tandem justus*, hoc est vix tandem speciem aliquam justitiæ præ se tulit, non quod justus revera fuerit, sed quod avarus esse desiit. *Vix tandem* refertur ad tempus. Cicero III Famil., init. ep. 9, *Vix tandem legi litteras dignas Appio.*

563. Non ægre feram, si legas *obiit semet ultore*, producta ultima in *semet* ratione cæsuræ.

564. Judas, ut ex Matthæo constat cap. XXVII, vers. 5, *Laqueo se suspendit*: Lucas I Act. ap., vers. 18, addit: *Et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.* Patres et interpretes diversas inierunt rationes, ut id quo pacto acciderit explicarent. Alii narrant corporis pondere ramum cui hærebat inclinasse, et alicujus ope a more tunc liberatum, non multo post hydropisi correptum crepuisse. Alii referunt ex arbore qua pendebat opportune ad aliquo fuisse ereptum, et deinde e sublimi loco præcipitem se egisse, quo viscera diffusa sunt. Alii censent, vita jam functum, in cloacam projectum crepuisse. Alii opinantur Judam desperatione adactum et quasi strangulatum corruisse pronum, et se præcipitasse et disruptum fuisse. Œcumenius in Acta tenet Judam, confracto laqueo, quo suspensus erat, medium crepuisse, quæ est hæc ipsa sententia Dracontii. Papias, ab Œcumenio allegatus, scripsit Judam ad impietatis exemplum tunc in hoc mundo permansisse: qui ita corpore inflatus fuit, ut progredi non posset, et a curru denique compressus crepuit. Vide Gronovium Exercitat. academ. de pernicie et casu Judæ; Calmetum in Diction. Biblic. verb. *Judas*, Dissertat. Andreæ Austen de genere mortis Judæ, et Diatribam Joannis Warneccii de suspendio Judæ.

Viscera fusa fluunt, hinc cor crudele patescit, A
Funestatque diem de corpore tabe madenti.
Legimus, innumeras veniam meruisse catervas
270 Judæa de gente reas, mortisque ministros
Optima perpetuæ sumpsisse hæc munera vitæ,
Quorum Paulus erat caput exstans grande malorum:
Et tamen ipse fuit legis post crimina doctor;
Martyrium Stephano qui fecerat, inde recepit,
Et meruit plenam, quam contulit ante, coronam,
In se vera Dei confirmans verba probavit:
Hoc patietur homo, quod quisquam fecerit ulli.
Sed bonus excepit, quod tunc male fecit iniquus, B
Quod populos, gentesque docens convertit eundo
Per mare, per terras, ut Christi nomen adorent,
Gentilesque deos, et cordibus idola pellant,
271 Mars cadat ex animo, pereant Saturnus et Arcas
Juppiter, atque Venus, Titania, Juno, Cupido,
Vel quicunque dii ficti sermone vetusto
Credantur nil posse, simul nihil esse probentur.
Solus ubique Deus, rerum fons, conditor, et spes,
Idem semper eris, quod et es, quod et ante fuisti,
Nil addens, minuensve tibi crescentibus annis.
Tempora mutantur, te nunquam sæcula mutant,
Qualem prima dies, talem simul ultima noscet.
Cum te non caperent cœli, terræque, fretumque,
Aeris et spatium, modico te corde reponis

SCRIPTURA COD. VAT.

565. *V. fusa huic cor c.*
569. *Sumpsisse munera.*
580. *Saturnus et aras.*
582. *D. ficto s.*
585. *Eris quod es, quod et a.*
590. *Ac.is et spatium.*

NOTÆ.

565. Alio modo corrigi potest mendum, videlicet *Viscera fudit humi cor et crudele patescit.*

567. Certum videtur plures e Judæis qui mortem Christi procuraverant, aliosque e gentilibus qui eam intulerant, veniam a Deo fuisse consecutos, cum pro eis Dominus in cruce pendens oraverit et exauditus fuerit pro sua reverentia, ut ait Apostolus ad Hebr. cap. v, vers. 7. Vide Arnoldi abbatis Bonæ-Vallis tractat. de Septem Verbis Domini in cruce in Biblioth. Patrum.

569. Lib. III, vers. 455, *Quæ nos æternæ speramus munera vitæ.* *Sumpsisse munera* non cohæret cum metro: hinc *sumpsisse hæc munera*, aut *venisse ad munera*, vel *mortisque ministri Optima perpetuæ sumpserunt munera vitæ*, vel *sumpsisse præmia vitæ*, producta ultima in *sumpsisse* ob prædictionis sequentis. Sedulius, l. I, vers. 340, *Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ.*

570. *Exstans* per pleonasmum, vel significat *supereminens*. Paulus caput eorum dicitur qui Ecclesiam et Jesum Christum in membris suis perdere et exstinguere conabantur. Vide epist. I ad Timoth., cap. I, vers. 13, et Act. apost. cap. VIII et XXII.

572. Recte prima in *Stephano* corripitur, quæ tamen eadem minus bene in Elegia producitur vers. 171, nisi legendum sit, ut puto, *Ante alios Stephanus.* Verbum *facere* amplissimæ significationis est, et pro *afferre* cum dativo ponitur, ut *facere alicui medicinam, remedium, perniciem, mortem.* Ex martyrio Stephani Paulus martyrium recepit, quia illius precibus ad fidem Jesu Christi conversus est, pro qua martyrio coronatus est.

573. Fortasse alludit ad nomen Stephani, quod Græce coronam significat.

575. Intelligo cap. VII Matth., vers. 2, *In quo enim judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.* Quæ sententia multis aliis in locis sacræ paginæ refertur. Nec dissimile est quod ait Apostolus ad Ephes. cap. VI, vers. 8, *Scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino.*

576. Martyrium quod iniquus intulerat Stephano, excepit ipse bonus.

577. Paulus gentium doctor nuncupatur. Damasus carm. 7, *Gentibus ac populis jussus prædicere vera.*

579. *Idola* media correpta, ut in Eleg. vers 96, *Cum Dominum norint, idola vana colunt.* Sic semper *idola* efferunt Prudentius, Arator aliique innumeri Christiani poetæ. Rationem hujus consuetudinis reddidi in prolegom. ad Prudentium num. 208.

580. Arcas fuit filius Jovis ex Calisto, quam postea Ursam majorem in cœlo fecerunt poetæ, ut Arcada Arctophilaca seu Booten. Hoc loco adjectivum videtur *Arcas*, ut Jupiter Arcas dicatur, quia natus est in Arcadia, ut multi asserunt; alii in Creta malunt. Poterit etiam accipi *Arcas* pro Mercurio, qui natus est in Cyllene Arcadiæ monte, adeoque a multis Arcas et Arcadius dictus est. Statius absolute pro Mercurio Arcada posuit l. V, silv. 1, vers. 107.

581. *Titania* est Diana, soror Solis, qui *Titan* dicitur. Ovidius lib. III Met., vers. 173, *Dumque ibi perluitur solita Titania lympha*: et l. IV. Fast. vers. 943, *Cum Phrygis Assaraci Titania fratre relicto*: ubi aliqui legunt *Tithonia.*

582. Lib. III, vers. 514, *Conficti sermone Dei*, etc.

583. *Probentur*, ut supra vers. 26 dixi.

584. Deus spes, ut dictum in nota ad vers. 1 hujus libri.

585. Lib. III, vers. 523. *Qui sæcula mutat*, *Nec mutant hunc sæcla tamen, quia, quod fuit, hoc est, Hoc erit æternus.* Eleg. vers. 8, *Idem semper eris, qui es modo, vel fueras.*

590. Hoc ipsum est quod canit Ecclesia de Deipara: *Quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti*, ut animadverti ad vers. 92, ubi similis est sententia: *Sed non capiendus ab isdem.* Inter carmina Damasi poem. 2. et post carmina Claudiani: *Mortalia corda Artificem texere poli, mundique sublimo Pectore: qui totum late complectitur orbem, Et qui non spatiis terræ, non æquoris undis, Nec capitur cælo, parvos confluxit in artus.* Vide etiam hymnum Fortunati, *Quem terra, pontus, æthera*, etc. Quod autem ait Dracontius, *Modico te corde reponis Pectoris humani*, figurate loquitur cum multis Patribus, ut innuat, B. Virginem prius mente quam utero concepisse. Notandum est multas hujusmodi locutiones figuratas e poetis Christianis præsertim desumptas in officio ecclesiastico retineri, ut in Responsorio quinto Circumcisionis: *Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria, angelo nuntiante, concepit*: et

272 Pectoris humani, conceptus mente fideli. A
Exaudis, quod lingua tacet sub corde loquaci,
Ante futura vides, penes et te nulla futura,
Sint licet, Omnipotens, præsentia cuncta videntur,
Aut transacta magis nobis ventura creantur.
Sic peccaturos homines tu Spiritus auctor
Antevidens primum medicinam, sancte, parasti,
Quam faceres hominem : indulgentia prompta reatum
273 Prævenit, et facinus venia præcedit iniquum.
Christus enim datus est nobis, spes una salutis,
Qui nostra hic peccata lavet pius amne cruoris:
Et licet ipse ferat maculas et crimina nostra,
Immaculatus adest tamen agnus, et unicus hæres
274 Semper viventis, semper victurus et ipse.
Largitur peccata reis sine voce rogatus

SCRIPTURA COD. VAT.

593. *Penes t. n.*
596. *Qui peccaturos.*
598. *Quam faces h.*; dubie *prompta.*
599. *Perunit et f.*
601. *Nostra huic peccata.*
603. Scribitur *immaculatus*, et obscure *tamen.*

NOTÆ.

ibidem ex hymno abecedario Sedulii : *Domus pudici* B *pectoris Templum repente fit Dei, Intacta nesciens virum Verbo concepit filium.* Contra errorem asserentium Deiparam corde, non utero, concepisse, consule quæ notavi ad Prudentii Apotheos. vers. 583, *Virginitas, et prompta fides Christum bibit alvo Cordis*, ubi nunc occurrit legendum ex conjectura *bibit alto Cordis*, quamvis bene etiam est *alvo*; nam sequitur : *et intactis condit paritura latebris.*

591. S. Leo serm. 1 de Nativit. Domini, c. 1, *Virgo regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fetu, divinam, humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore.* Vide notam ad vers. 89 hujus libri, ubi versibus seqq. declarat Dracontius veram Christi conceptionem in utero Deiparæ : *Virgineos intrasse sinus dignatur, et alvum Terrarum, cœlique capax.*

592. Clamor cordis tacente lingua explicatus est lib. I, vers. 563.

593. Forte *Ante futura fides, potius tibi nulla futura,* C *Sint licet, Omnipotens.*

594. Forte *Scilicet, Omnipotens.* Deo præsentia omnia sunt, etiam quæ nobis futura aut jam transacta sunt. Solet scilicet æternitas comparari puncto seu centro, quod unum simul pluribus lineis ad peripheriam ductis coexistit. Potest tamen de Deo recte ad humanæ mentis captum verbum præteriti et futuri poni. Augustinus tractat. 99 in Joan. num. 5, *Quamvis enim natura illa immutabilis non recipiat* FUIT *et* ERIT, *sed tantum* EST....*tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas et nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus et* FUIT, *et* ERIT, *et* EST, etc. Vide Raynaudum Theolog. Natur., dist. 7, quæst. 1, art. 7, ubi fuse æternitatem explicat.

595. Infra vers. 732, *Vel cui cuncta patent, per quem sunt omnia quot sunt, Et transacta simul, quæ sunt quandoque futura.* Videtur esse sensus: Deo cuncta præsentia, aut potius transacta videntur, quæ nobis ventura sunt. Vel lege *Et transacta simul, et quæ ventura creantur.* Ponitur *ventura creantur* pro *creabuntur*, vel *creantur*, intelligitur de æterna rerum prædefinitione et divina providentia.

597. Lib. I, vers. 743, *Pietate medelam Impendis tu, sancte, tuam medicamine nullo.*

598. Libr. I vers. 88, *Sic indulgentia pœnam Prævenit.*

600. Sic Ecclesia in Nativitate Domini canit: *Christus natus est nobis.* Epist. I ad Thessalon. cap. V, vers. 9 seq.: *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis.* Theologi nonnulli docent Christum prædestinatum fuisse, ut finem omnium, quæ Deus creaturus erat, ante prævisum peccatum originale: alii post prævisum peccatum originale, sed ante prævisa peccata aliorum hominum actualia. Dracontius videtur docere, prius (scilicet ratione et modo nostro concipiendi) prædestinatum fuisse Christum, quam decreta esset hominis creatio. Sed verius puto Dracontium non tam subtili ratiocinatione hoc argumentum pertractasse, ac solum asserere Christum ab æterno prædestinatum fuisse antequam homo crearetur : adeoque indulgentia et venia in hac Christi prædestinatione reatum et facinus præcedunt.

601. Forte *Qui nostra peccata lavet*, producta ultima in *nostra* ratione cæsuræ, nam *hic*, aut *hæc*, aut *huic* abundat. Vide vers. 511, *Quo mens nostra sacri mundabitur imbre cruoris.*

602. Joann. cap. I, vers. 29, *Vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Recte Dracontius *ferat maculas*; hoc enim est *tollit*, scilicet fert, portat. Ep. I Petri cap. II, v. 24, *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Cap. LIII Isaiæ, vers. 4, *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.... Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.... Et quasi agnus coram tondente se obmutescet.... Et iniquitates eorum ipse portabit.... Et ipse peccata multorum tulit.* S. Joannes Evangelista in ep. I eodem illo suo verbo usus est, cap. III, vers. 5, *Et scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est.* Christus igitur quodammodo peccata mundi ab hominibus abstulit, et supra se tulit, sive in corpore suo pertulit.

603. Sæpe in sacris Litteris Jesus Christus *agnus* vocatur; quod a veteribus Christianis in multis adhuc exstantibus monumentis et imaginibus expressum apparet. De hoc Salvatoris cognomine mira doctrina, et sublimi quadam theologia disputat Ludovicus de Leon, Augustiniani ordinis theologus in primis gravis et elegans in aureo opere Hispanico de nominibus Christi : quem, vehementer dolui, cum olim vidi in quibusdam mss. schedis pessime habitum, quasi monstra doceret, a theologo scilicet alicujus nominis, ut nostra sunt tempora, sed pretii sane exigui, nisi D quod privata sua judicia theologica, nugis canoris referta, magno pretio ipse æstimabat. Christus etiam dicitur unicus hæres Patris ex psal. II, vers. 8. Prudentius hymn. 12 Cath., vers. 81, *Summo Patri hæres creatur unicus.*

604. Deus *vivens* phrasi sacræ Scripturæ dicitur, ut distinguatur a falsis diis gentilium, qui vere mortui sunt. Hieronymus l. III Comment. in Matth., c. 16: *Petrus ex persona omnium apostolorum profitetur : Tu es Christus Filius Dei vivi. Deum vivum appellat ad distinctionem eorum deorum qui putantur dii, sed mortui sunt.* Æternitas Filii declaratur, qui semper victurus ipse est, imo est ipsa vita.

605. *Largitur*, condonat, ut v. 556, *Donatque reatum.* Tacitus Annal. III, cap. 70, *Injurias reipublicæ ne largiretur*; hoc est, ne condonaret injurias reipublicæ illatas.

Pectoris affectu, secreta mente, fide, spe.
Cum sit ubique Deus, semper præstare paratus,
Tardius accipimus heu! nostro corde morati.
Oderunt pia vota moras, festinus adoptat,
Ut præstet, si quæ nos purget causa morandi.
Arbitrio posuit clemens Deus omnia nostro,
275 Libera mens hominum est peccare, aut vivere sancte,
Libera vota dedit, quando sperare velimus,
Credere si placeat, facile est nam posse mereri.

A Credidit Abraham, Domino que est factus amicus.
Confectus senio, memoris marcentibus ævo,
Inter avos atavosque fuit, sed prolis egenus,
276 (Haud soboles Ismael erat) frustraque maritus
Officii genitoris iners; algente vapore
Germinis exstinctus cecidit genitalibus ignis,
Et fecundus amor, quem jam subduxerat ætas.
Nec solus steriles retinebat marcidus artus.
Femina deterius præmortua membra trahebat

SCRIPTURA COD. VAT

607. *Cum fit ubique.*
608. *H. nostra corda m.*
610. *Ut præstet quam nos quo purget causa mereri*, sed *quam* ambigue.
612. *Vivere sanctæ.*

B

616. *H. remeantibus ævo.*
618. *At soboles impubes e.*
622. *M. astus.*
623. *D. pro mortua membra.*

NOTÆ.

606. De oratione cordis vide libr. I, vers. 567 seq.

607. *Præstare* pro prodesse, vel potius pro præstare beneficia.

609. S. Ambrosius libr. II Comment. in Luc., cap. 1, num. 19, *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Dracontius lib. I, vers. 11, *Et pia vota Dei.*

610. Versus non solum obscurus, sed etiam mendosus. Puto, misericordiam Dei commendari, qua etiam sero ad se conversos recipit.

611. Libertas indifferentiæ, qualis a SS. Patribus explicatur. Et ut totum hunc locum simul sub oculos ponamus, Dracontius gratiam Dei, libertatisque arbitrium ita exponit. Deus semper præstare gratiam paratus est. Apocal. cap. III, vers. 20, *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Quod autem homines gratiam hanc non recipiant, aut tardius accipiant, eorum culpa est, qui proprio corde, seu voluntate morantur. S. Thomas quæst. 14 de Verit. art. 11, ad primum: *Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex ejus parte non impediatur.* Ex quo patet quod qui accipiunt, donum Dei accipiunt: quamvis enim liberum sit homini gratia prævento vivere sancte, tamen si sancte vivit, donum hoc Dei est, qui voluntatem præparavit, ut bene viveret. Deus enim, cum stat ad ostium et pulsat, primam gratiam confert, sine qua voluntas sancte vivere non potest. Deus autem ita gratia sua præveniens hominem, odio habet hujus moras et resistentiam: sed cum nolit mortem peccatoris, exspectat ut convertatur auxilio gratiæ prævenientis adjutus. Semper justificationis exordium in adultis a Dei præveniente gratia per Christum Jesum, qui datus est nobis spes una salutis, sumendum est, sed ita ut homines libere cooperentur gratiæ, cum peccare possint eam rejiciendo. Synodus Tridentina, sess. 6, cap. 5: *Ut qui per peccata a Deo aversi erant per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur, ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens,* QUIPPE QUI ILLAM ET ABJICERE POTEST, *neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit: unde in sacris Litteris cum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: Converte nos, Domine, ad te et convertemur,* DEI NOS GRATIA PRÆVENIRI *confitemur.* Libera ergo vota quæ habet homo, *sperandi, quando velit, credendi, si placeat,* ut ait Dracontius, nihil sunt aliud nisi ipsa voluntas hominis gratia Dei supernaturali

C

excitata et præventa, quam potest abjicere, si velit, aut ei assentiri, si placeat. Et hic quidem est actus primus, sive potentia voluntatis proxime expedita ad credendum. In ipso vero actu secundo bonæ supernaturalis operationis voluntas adjuvatur a Deo non solum simultaneo generali concursu, sed et maxime influxu physico gratiæ supernaturalis, sive hæc gratia cooperans re distinguatur a gratia præveniente, ut multi docent, sive non distinguatur, ut alii malunt. Bona enim operatio ita homini libera est, ut simul donum Dei sit ratione gratiæ excitantis et adjuvantis.

614. Duplicem sensum habere possunt hæc verba: *facile est nam posse mereri;* vel facilis est potentia merendi, vel facile est mereri potentiam, scilicet credendi. Primus sensus huic loco congruit. Sumitur vero *mereri* pro accipere, obtinere, ut sæpe alias a Dracontio. Vide libr. I, vers. 136. Cum vers. 608 de bona voluntate, dixerit, *Tardius accipimus,* nunc ait, facile esse mereri seu accipere dona Dei, quia voluntatis nostræ gratia præparatæ est consentire, adeoque sic consentiendo pœnitentiæ donum accipere. Quasi dicat, pœnitentia non res aliqua difficilis, et extra nos posita est: eam enim dat nobis Deus *sine voce rogatus pectoris affectu, secreta mente, fide, spe.*

615. Ep. ad Roman. cap. IV, vers. 3, *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam,* ex Genes. cap. XV, v. 6. Vide Prudentium in præfat. Psych.

616. Lego *membris marcentibus,* ut v. 622, *Retinebat marcidus artus.*

617. Abraham in ea ætate erat ut avus atavusque esse potuisset: erat ergo quasi unus ex avis atavisque. Sic dicitur *esse inter mortuos, esse in senioribus,* et Græco more *esse in sanctis* pro esse sanctum, seniorem, mortuum.

D

618. Posset aliter restitui *Non hæres Israel erat.* Sed retineo *soboles* ex ep. ad Roman. cap. IX, vers. 7: *Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Conjici posset *Ismael impubes erat,* correpta ultima in *impubes,* ut in *fames,* et similibus apud Prudentium: sed sensus minus commodus redditur.

619. *Iners* cum genitivo Nævius libr. I Bell. Pun. apud Macrobium l. VI Saturn., cap. 5. *Vapor* pro calore, ut passim apud alios, et infra v. 631, *Fecundus per membra vapor discurrit utrique.*

623. Lego *præmortua,* quo verbo utuntur Ovidius, Livius, Suetonius, alii. Vel lege *emortua* ex ep. ad Roman. cap. IV, vers. 19, *Nec consideravit corpus suum emortuum.... et emortuam vulvam Saræ:* quo vocabulo Plautus etiam, Pliniusque utuntur.

Spes generis recidens, et vis materna peracta. A
Augebat spem sola fides, *præsumptio simplex*.
Frigida progeniem senibus natura negarat.
Flebile conjugii portabant nomen inane,
277 Spes tantum juvenilis erat, crescentibus annis.
Affuit his prolem spondens cum gente nepotum.
Non hos certa fides, nec spes incerta fefellit.
Fecundus per membra vapor discurrit utrique,
Dulcior et gelidis irrepsit flamma medullis,
Miranturque senes redivivo fomite venas
In sobolem caluisse suas: animatus anhelat.
Inter membra puer vinctus compagibus arctis.
Intumuere sinus rugis pereuntibus alvi,
Dum tantum sit mater anus paritura prophetam: B
Et sterilis, fecunda parens miratur, et hæret,
Sic uterum crevisse suum, tenerasque puellas
Consulit, et trepidans tanquam nova nupta requirit.
Sæpe verecundos faciunt nova gaudia vultus.
Fructus honestatis datus est de ventre pudoris.
278 Sic licet unius genitor post sæcla creati,
Gentibus et populis tamen est pater unus origo.
Omnis arena maris, vel flammea sidera cœli
Æquantur numero benedicti germinis apte.
Nam cui terra datur, et cœli sancta parantur,
Rectius æquatis geminis hinc inde elementis.
Sara, socerque simul Dominum petiere rogantes,
Illa virum meruit stabilem post funera septem,
Hic visum, fugiunt cum paupertate tenebræ,
Et gemino capit orbe diem, reducesque serena

SCRIPTURA COD. VAT.

624. Prius erat *revidens*, factum *recidens*.
625. *Augebat spes sola fides presum* .... deest reliquum.
626. *Natura negaret.*
630. *Nos hos certa.*
631. *Discurrit uritque.*
633. *Senes recidivo somite v.*
634. *In sobole caluisse.*
635. *Arctis*, non clare.
636. *Pereuntibus ani*, prius *avi*.
637. *Dum tamen sit mater.*
638. *Et steris fecunda.*
645. *Maris vel flumina s.*
646. *Æquatur numero.*
648. *R. æquatur g.*
650. *Post* obscure scribitur.
651. *Hinc visum.*
652. *G. caput o.*

NOTÆ.

624. De verbo *recido* vide l. I, v. 105, et l. II, vers. 156. Cogitabam *vis materna perempta*, ut *membra præmortua*. Sed *peracta* videtur probum, ut apud Statium l. XI, vers. 746, *Viresque peractas*, hoc est, consumptas, exhaustas. C

625. Suppleo *præsumptio simplex*, nam libr. III, vers. 248, fides *præsumptio simplex* dicitur: *Impendat quid pura fides, præsumptio simplex*. Ponitur *præsumptio* pro fiducia, et utroque loco de Abrahami fide sermo est. Judith cap. IX, vers. 17, *Exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem*. Spartianus in Adriano cap. 2: *Habuit autem præsumptionem imperii mox futuri ex fano*, etc. Plinius l. IX, ep. 3, *Alius alium, ego beatissimum existimo, qui bonæ mansuræque famæ præsumptione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria vivit*. Posset legi *Augebat spes sola fidem, præsumptio simplex*: verum tam fides quam spes præsumptio recte dicitur.

626. Forte *negabat*.

627. Sterilitas dedecori erat apud Hebræos, ut notum est. Paulinus carm. de S. Joanne Baptista: *Sed quod in opprobrium matrum posuere priores, Prole carens, sterilem ducebat mœsta senectam. Flebile inane* duo adjectiva uni substantivo apposita, de quibus multa alii commentatores poetarum. D

629. Genes. cap. XVII, vers. 1 seqq., *Apparuit ei Dominus, dixitque ad eum... Et ex illa* (Sara) *dabo tibi filium*, etc.

630. Certa fides erat, quia certo futurum id credidit Abraham: spes vero incerta dicitur, quia *contra spem in spem credidit*, ut ait apostolus Paulus ad Rom. cap. IV, vers. 18.

632. Medullæ prius *gelidæ* erant. Sed, me non invito, leges *Dulcior egelidis*, hoc est quæ flamma ipsa gelu amiserant. Catullus carm. 46 ad seipsum: *Jam ver egelidos refert tepores*.

633. Verius videtur *redivivo*, quam *recidivo*. Vide notam ad v. 558 lib. I. Etsi autem grammatici veteres *recidivus* et *redivivus* eadem fere significatione agnoverint, tamen probabile est scriptores antiquiores semper dixisse *redivivus*, ex quo depravate factum fuerit *recidivus* pro rena centi, recurrenti ac redivivo.

634. Libr. I, vers. 262, *Animantur, anhelant*. Melius videtur *In sobolem* quam *in sobole*.

637. Forte *Cum tantum*, hoc est, tam magnum. Fuit Isaac patriarcha et propheta, cui scilicet Deus promissa posteritatis augendæ renovavit, Genes. cap. XXVI, vers. 24, qui etiam prophetæ partes egit, cum Jacob benedixit, et post Jacob Esau.

639. *Puellas* vocat puerperas aut quæ jam pepererunt. Horatius l. III, od. 22, *Quæ laborantes utero puellas*. Sexcenta alia sunt hujusmodi exempla, ex quibus id colligi potest, puellas dictas feminas in ea ætate qua liberis operam dare possunt.

643. Forte *Scilicet unius*. Bene tamen est *Sic licet*. Abraham licet genitor unius, post sæclum, vel longum temporis spatium generati, tamen pater est gentibus, et populis, etc. *Post sæcla* fortasse imitatione Virgilii lib. VIII, v. 508, *Sed mihi tarda gelu, sæclisque effeta senectus Invidet imperium*.

645. Genes. cap. XXII, v. 17.

646. Lib. III, vers. 163, *Benedicti lata propago* de eodem Isaac. Forte *benedicti germinis Isac*; sed *apte* est retinendum: nam ait apte æquata duo elementa numero benedicti germinis, cœlum et terram quia, cui terra datur, cœlum etiam paratur.

647. *Cœli sancta*, ut *legis sancta* l. I, v. 624. *Sanctum* ponitur etiam pro templo.

649. In codice scribitur *Sarra*. Eodem die orabant Sara Raguelis filia, et Tobias senior, postea socer Saræ, et ut refertur cap. III Tob., vers. 24, *In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei*. Historia hæc toto eo libro narratur, et satis pervulgata est.

651. Tobias filius simul cum uxore divitias attulit.

652. *Orbes* simpliciter pro oculis, ut apud Prudentium ac plures alios veteres. Lib. I, vers. 345, *Orbe micant gemino*, etc., et rursus l. III, vers. 262, *gemino orbi*. Ovidius l. I Amor., el. 8, *Et gemino lumen ab orbe venit*.

Lumine sunt acies post nubila crassa micantes. A
David adulterii facinus homicida peregit,
Sed scelus agnoscens culpas impune fatetur,
279 Sic reus et veniam sceleri sub voce meretur
Credulus, et Domini famulus post, atque fidelis,
Attestante Deo, cœlesti voce vocatus,
In tantum ut regem faceret post crimina natum
Ex eadem muliere virum, cui tempore partus
Omnia concessit merito genitoris amati.
Fleverat Ezechias : sub puncto temporis uno,
Et prece primori vitam, et tria lustra meretur.
Murmure sub tacito sterilem defleverat Anna
280 Materiem ; fecunda redit per vota priora, B
Et non est ultra vox exspectata secunda.
Ili solas fudere preces, jejunia nulla,
Nam nec tempus erat longum, quo vota piarent,
Cum nec plena fuit cunctis poscentibus hora,
Qua votum meruere suum pietate Tonantis
Quod vetus, atque novum duo Testamenta loquuntur,
Millia tot subito veniam meruisse reorum,
Pro quibus una semel vox est, aut nulla precata.
Exegit quid plena fides, et credula, dixi.
Quid non credentes mereantur, dicere cura est.
Incurrit culpam sancti pater ille Joannis,
281 Pontificis loca sacra tenens, magnusque sacerdos,
Credere cunctatus Domini promissa Tonantis,
Angelico senior monitus sermone repente.
Mox vindicta datur per longa silentia linguæ,

SCRIPTURA COD. VAT.

653. *Lumina sunt.*
657. *F. post statque fidelis.*
663. *Et prece primo dicavit et t. l. m.*
667. *Hi sola fudere.*
675. *Dicere curæ.*

NOTÆ.

655. Eleg. vers. 159 de eodem David : *Confessus facinus veniam pro clade meretur Noxius impune*, etc. Vide l. I, vers. 34. Agnoscens David scelus, confessus illud est, quia fieri vix potest, ut homo serio gravitatem criminum perpendat, quin ea detestetur.

656. Forte *veniam sceleris. Sub voce*, quia statim ac dixit, *Peccavi Domino*, Nathan reposuit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, ut narratur Reg. l. II, cap. XII, vers. 13.

657. Interpungi potest *meretur, Credulus*. David Dei servus sæpius vocatus est post adulterii crimen remissum, ut in Veteri Testamento sacerdotes et prophetæ famuli Dei appellari solent; ex quo ad Christianos, peculiari ratione Dei servitio addictos, eadem vox defluxit. Sed de David verbum *fidelis* pronuntiatum post id temporis in sacris Litteris non invenio; laudes vero quæ illi tribuuntur hoc ipsum sonant.

659. De hac phrasi *In tantum ut* vide comment. ad Prudentium vers. 453 Hamart. Reperitur ea quidem in Vulgata lib. I Reg., cap. I, vers. 6, *In tantum, ut exprobraret;* sed non idcirco minus a bonis linguæ Latinæ scriptoribus cum decore adhibetur.

660. *Muliere* tertia producta, ut in epist. vers. 161, *Insuper et Salomon eadem muliere creatus*. Sic v. 111, lib. III, *arietem*, et *muliere* hoc l. II, v. 133. *Eadem* est dissyllabum contractis per synæresin duabus primis, ut *Una eademque via* in ablativo apud Virgilium.

661. Arbitror, scribendum *merito genitoris amato*, scilicet Salomoni amato genitoris meritis. Reg. lib. II, c. XII, vers. 24 seq., *Quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon. et Dominus dilexit eum. Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus Amabilis Domino* (Jedidiah), *eo quod diligeret eum Dominus.*

662. Lib. IV Reg., cap. XX, vers. 4, *Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii*, etc. *Hæc dicit Dominus . . . Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas, et ecce sanavi te . . . . Et addam diebus tuis quindecim annos*. Hinc versum depravatum restitui. Posset etiam legi *Et prece proferri vitam ad tria lustra meretur*. Sed melius est *Et prece primori*, ut v. 665, *Per vota priora*, et v. 673, *Pro quibus una semel vox est, aut nulla precata*. Eadem enim est sententia.

664. *Murmur* de oratione quæ submissa voce fit C sæpe dicitur. In officio Isidoriano sabbato sancto in oratione ad benedicendos diacones : *Ut in omnibus tuorum beneficiorum sentientes benedictionem lucernæ cereique immurmurent*. Hoc loco clarior vox aut etiam cantus exprimitur. Vide comment. ad Prudent. præfat. l. I contra Symmach., vers. 36. De hac Anna, matre Samuelis, l. I Reg., cap. I, vers. 13, *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur.*

665. Nonne melius *sterilem defleverat Anna Matricem?* Lib. I Reg., cap. I, v. 5, *Dominus autem concluserat vulvam ejus*. Pro receptaculo fetus in feminis matrix ponitur a Vegetio l. I Rei veter., cap. 6, et Plinio l. XXVII, c. 10, ubi tamen Harduinus legit *arteriam* pro *matricem*.

668. *Vota* hic sunt preces : *piarent* est veluti *satisfacerent*. Propertius l. III, el. 17, al. 18, vers. 17 : *Nam quid Medeæ, referam, quo tempore matris Iram natorum cæde piavit amor?*

669. *Cum* pro *quandoquidem* cum indicativo apud Ciceronem aliosque bonos auctores occurrit.

670. *Votum* etiam sumitur pro re quæ desideratur, ut hoc loco. *Meruere*, obtinuere, ut sæpe alias.

671. Dracontius poetam agit qualem describit, sibique optabat Claudianus Mamertus in Carm. contra poetas vanos ad collegam : *His precor, his potius studiumque, operamque legendis, Scribendisque vove : cane grandia cœpta Tonantis, Scribe creatarum verbo* D *primordia rerum, Et chaos ante diem, primæque crepuscula lucis. Quæque dehinc variis elementa per omnia sæclis Dicta, vel acta Deo per sancta volumina disces, Quæ docuit tabulis legalibus indita Moses, Aut evangelici quæ lex Nova Testamenti Signat operta prius retegens mysteria Christum. Tunc te divinum vere memorabo poetam*. Vides poema Dracontii descriptum.

674. Forte *Exegit quod plena fides :* sed melius *quid*, ut vers. seq.

675. Forte *dicere quæram*, vel *dicere curo*, vel *dicere cur est?* vel *dicere curæ est*, aut *cura est*, ut loquitur Plautus. *Mereri* commune est ad præmium et ad pœnam.

676. Eleg., v. 39, *Liquit et antistes verus pater ille Joannis*, etc.

679. Fortasse distinguendum *sermone : repente Mox vindicta datur*, ut dicitur *subito repente :* vel *repente* refertur ad *credere*. Vide Lucæ cap. I.

Donec ventris onus bis quinis mensibus actis
Fundatur de ventre puer sub sorte beata.
Tu, Deus omnipotens, rerum cœlestis origo,
Tu pius, et clemens, et consolator haberis,
Tempore tristitiæ major defensio pressis.
Erigit elisos, relevat tua dextra jacentes,
Confovet abjectos, et semper pascit egentes,
Pocula larga parans sitientibus alma ministrat.
Nescius irarum monitis, non clade coerces
Peccatum, sine clade reos clementior audis
282 Ante preces, veniaque juvas; non ira [furorem
Excitat, ut jubeas vel juste occidere sontes.
Plus pius es quam justus : agis non ergo severus,
Errantes punis, sed mitis corrigis omnes
Sub pietate bonus, pœnæ cessante flagello.
Et quoties commotus eris, placidissimus exstas,
Nil immite jubens, levis est sententia cœli :
Rex pie, supplicium cunctis revocabile dictas,
283 Ut, si peccantes agnoscant corde reatus,
Et damnent meliore animo delicta priora,
Sint, quibus ignoscas, sed non semel ista re- [laxas,
Sæpius indulgens, ostendens limina mortis,
Et revocans a morte truci, quos culpa pre- [mebat
Faucibus inferni raptas inducere formas.

SCRIPTURA COD. VAT.

682. *Tundatur de.*
684. *Consolator herilis.*
685. *Pressis*, dubie.
688. Scriptum est *arva*; ad marg., *alma.*
689. Videtur scriptum *coercens.*
691. *Preces veniale jubens non.*
692. Prius *sortes*; correctum *sontes.*
695. *Bonus pene cessante.*
697. *Nil in mente jubens, lenis e. s. c.*
700. *Et damnet m.*
702. Videtur correctum *indulges* ex *indulgens.*
704. *Raptos*; supra *raptas.*

NOTÆ.

681. A. Gellius l. III, cap. 16, ex veterum medicorum et philosophorum sententia docet, *gigni hominem septimo rarenter, nunquam octavo, sæpe nono, sæpius numero decimo mense, eumque esse hominem gignendi summum finem, decem menses, non inceptos, sed exactos.* Aliquando tamen octavo mense, atque undecimo etiam natum hominem ex Varrone refert.

682. *Fundi* apposite dicitur de partu facili, et non laborioso. Libr. III, vers. ultim., *Sub sorte piorum.*

685. Libr. I, vers. 729, *Spes, et defensio pressis.* Pro *oppressis* ponitur *pressis*, quod verbum ad animum quoque transfertur, sed addi solet *mœrore, luctu*, aut aliquid hujusmodi.

686. Libr. I, vers. 741, *Elevat elisos*, et l. II, vers. 722, *Erigis oppressos.* Psal. CXLV, vers. 8, *Dominus erigit elisos.*

687. Psal. cit. CXLV, vers. 7, *Dat escam esurientibus.*

688. *Alma* fortasse est *dextra*, aut *alma pocula* : et intelligi id potest de manna et coturnicibus. Libentius tamen legam *Pocula larga parans sitientibus, atque ministrans.*

689. Libr. I, vers. 83, *Ostentis ventura monens*, etc. Libr. III, vers. 16, *Justitiæ monitor, sed plus pietatis amator.* Libr. II, vers. 490, *Ut terrore domet potius quam clade profanos.*

690. Supra vers. 555, *Clementius audit.* Paulinus carm. 6 de S. Joanne Baptista : *Quanta Dei pietas, quamque exorabile numen! Pœnituisse sat est.* Auctor carminis de Laudib. Domini : *Tu casti rectique tenax, et flectere leges Post crimen facilis.* Scribebat hic auctor sub Constantino, et ex tempore quo floruit et styli similitudine subit animum suspicari eum distinctum non esse a nostro Juvenco. Uterque Constantini laudibus carmen claudit. Sic ille : *At nunc tu dominum meritis, pietate parentem, Imperio facilem, vivendi lege magistrum, Edictisque parem, quæ lex tibi condita sancit, Victorem, lætumque pares mihi Constantinum, Hoc melius fetu terris nihil ante dedisti, Nec dabis; exæquent utinam sua pignora patrem.* Juvencus vero : *Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi sæcli, Quam fovet indulgens terræ regnator opertæ Constantinus, adest cui gratia digna merenti. Qui solus regum sacri sibi nominis horret Imponi pondus, quo justis dignior actis Æternam capiat divina in sæcula vitam Per dominum lucis Christum, qui in sæcula regnat.* Sic mss. Vat., alii paulo aliter.

691. Antea vers. 486, *Veniale minatur* : sed hoc loco verius puto *veniaque juvans*, quam *veniale jubens.*

693. Sæpe de hac sententia actum. Paulinus poem. ultim. fere iisdem verbis : *Corripiensque tamen veniam dabit omnibus unam, Remque novam dicam, nec me dixisse pigebit, Plusque pius, quam justus erit* : ubi superflua videtur conjunctio in *plusque pius*, ac fortasse legendum : *plus pius est quam justus erit.* Victorinus de J. C. Deo et homine : *Magis indulgentia semper, Quam vindicta placet.*

694. Libr. I, vers. 95, *Corrigit errantem, nec punit morte repente.*

695. Libr. I, vers. 435, *Continua bonitate pius.* In Eleg. vers. 188, *Commodus Augustus vir pietate bonus.*

696. *Placidissimus exstas* pro *es*, ut vers. 731, *Solus enim Dominus, Dominum qui non habet, exstat.* Sed potest etiam accipi pro *eminere, prominere*, quæ propria ejus verbi significatio. Sententia deprompta ex Habacuc cap. III, vers. 2, *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Pro irato *commotus* Virgilius l. I Æn., vers. 126, *Graviter commotus.* Ita etiam Suetonius, Claudianus et alii.

697. Libr. I, vers. 544, *Exsurgit censura Dei pietate severa.*

698. Vide l. I, vers. 31 et 91. Supplicium dicit revocabile, ut contra munus Dei *irrevocabile.* Libr. I, vers. 605, *Manet irrevocabile munus* : et Juvencus l. I, vers. 74, *Quare promissis manet irrevocabile donum.*

701. *Sed* pro *imo* ponitur, aut pro *et*, ut l. III, vers. 17, *Celsior excelsis specie sed pulchrior omni.* Cum ponitur pro *imo*, sæpe additur *etiam* aut *et.* Cicero Attic. l. III, epist. 15, *Hic mihi primum meum consilium defuit, sed etiam obfuit*, quanquam id aliter ab aliis editum est. Val. Flaccus lib. V, vers. 391, *In te animos, sed et omnia nostra repono.* Simpliciter Phædrus l. IV, fab. 17, *Odore ... sed multo replent.*

702. Supra vers. 514, *Lethique vias, et limina mortis.* Libr. I Reg., cap. II, vers. 6, *Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit.* Deuteron. c. XXXII, vers. 39; Tob. cap. XIII, v. 2.

703. Supra vers. 422, *Eripitur de morte truci.*

704. Sensus videtur esse, quos culpæ eo pertrahebant, ut animas suas faucibus inferni inducerent, sive inferrent. Exprimit verba Sapient. cap. XVI, vers. 13 : *Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis. Raptus* usurpatur pro violenta et immatura morte præreptus, ut apud Statium libr. II, silva I, vers. 208, *Hic finis rapto.* Potest etiam intelligi ra-

Hi soli pereunt, semper quos esse profanos
Constiterit, sine fine mali peccare volentes.
Criminis et pœnæ limes semel unus habetur.
Et poteras servare malos pius usque senectam,
284 Ut damnare simul horrenda piacula nossent,
Et veniam sperare tuam, sed major habetur
Illic ratio, nam impune diu peccare nocentum
Si fuerit permissa manus, turbata repente
Mens insontis erit, mox pœnitet esse modestum,
Optaturque nefas, et plus pia turba nocetur,
A Improba quam rabies, atque improba vota fatigant.
285 Quid quod et erranti mora non brevis esse probatur,
Servaturque diu veniæ, si desinat audax
Illicitum tentare nefas? nam gaudia cœlo
Conversus dat quisque reus; sibi quisque medelas
Arbitretur homo, culpas sub voce relinquit.
Vox tua cum sileat, tua sed sententia clamat.
Erigis oppressos humiles, sternisque superbos,
Tu captivorum rumpendo noxia vincla,
Colla levas attrita jugis cervice soluta,

SCRIPTURA COD. VAT.

712. *Si fuerat permissa*, et videtur scriptum *præmissa*.

713. *Mox penitens se moderatum.*

716. Videtur scriptum *quidquidet.*

NOTÆ.

ptatas, seu *tractas formas*. Equidem *formas* pro animis non reperio quis dixerit. Suspicor Dracontium, qui sæpe veterum verbis loquitur, respexisse ad Virgilium l. VI, v. 614, *Inclusi pœnam exspectant : ne quære doceri, Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunave mersit*. Servius vero *formam* exponit regulam, quod ad nos nihil attinet.

705. Vide l. I, vers. 93 seqq.

707. Libr. I, vers. 118, *Lux noctis limes, et umbræ*. Sententia hujus loci est, pœnam non sequi nisi eum, qui in eodem crimine perseverare voluerit, aut damnare scelera sua noluerit.

708. *Usque* sæpe præpositioni *ad* conjungitur, quæ tamen nonnunquam omittitur, ut iterum l. III, vers. 607, *Sit virtus usque senectam*, et alibi. Ex sacra Scriptura colligitur impios plerumque ad senectutem non pervenire. Psal. LIV, vers. 24 : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos*. Psal. LVII, vers. 10 : *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos*. Cap. XV Jobi, vers. 32 : *Ante quam dies ejus impleantur, peribit*.

712. Retineri poterit *Si fuerat*, tempus pro tempore, ut in Eleg. vers. 294, *Quæ fuerat pietas?* Sed verius est *Si fuerit*.

713. Nulla alia conjectura ad sanandum locum corruptum opportunior occurrit, quam *mox pœnitet esse modestum*. Hoc vocabulum *modestus* varia significatione sæpe adhibere Dracontium, animadverti in prolegom. num. 136. Quæstio proponi potest cur Deus impios quosdam, antequam convertantur, vita privet, alios diutius in criminibus vivere permittat, ut denique convertantur antequam e vita decedant : cui quæstioni aliud responderi nequit, nisi justa et inscrutabilia esse Dei judicia. Verum Dracontius impios cum impiis non confert, sed de impiis qui ante senectutem moriuntur, quærit cur Deus eos, cum ad senectam usque conservare possit, ut ad bonam frugem se recipiant, ante id tempus de medio tollit. Sunt certe scelerati aliqui homines, qui etiam cum ad senectutem pervenerint, non proinde meliores evadunt, imo gravioribus criminibus obruuntur. Sed sunt alii qui, si diutius viverent, converterentur. De his ergo respondet Dracontius primum oportere ut improbi non diu permittantur impune peccare, ne malo sint exemplo bonis; deinde non brevem moram concedi peccatoribus, ut veniam obtineant, si velint. Ecclesiastes cap. VIII, vers. 11 : *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala*. Lege Lorinum in comment. ad hunc loc. Eodem pertinet quod dicitur psal. IX, vers. 2, *Dum superbit impius, incenditur pauper*; et cap. XVII Jobi, vers. 8 : *Stupebunt justi super hoc ; et innocens contra hypocritas suscitabitur*. Etsi autem, ut vers. seq. additur, *tenebit justus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem*, ta-

B men negari nequit, aliquos prospera improborum felicitate permoveri, ut viam virtutis deserant. Euripides in Dictye : *Jam sæpe vidi, sæpe et indigne tuli Bonos sequentes moris exemplum mali*. Sophocles in Alete : *Malos profanis prosatos genitoribus Florere rebus prosperis visu grave, Stirpem bonorum rursus ingenio probo Malis subactos cladibus mersos premi. Disponere aliter cura debuerat Deum Mortalium res : nam pios decuit palam Bona largitate consequi cœlestium, Contra scelestos paria criminibus suis Supplicia aperte luere dis ultoribus : Ita res secundas nemo jactaret malus*. Claudianus vero in hac mentis agitatione pro divina providentia sic concludebat libr. I contra Rufinum, initio : *Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum, Absolvitque deos. Jam non ad culmina rerum Injustos crevisse queror ; tolluntur in altum, Ut lapsu graviore ruant*.

716. Usus hujus verbi *probatur* expositus est in nota ad vers. 26.

C 718. Errantem veniæ diu servari probat, quia gaudia dat cœlo, quisquis convertitur. Lucæ cap. XV, vers. 10 : *Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*.

719. Primum *quisque* sumi potest pro *unusquisque*, sed secundum *sibi quisque medelas* accipi debet pro *quisquis, quicunque ;* quam significationem ejus nominis confirmavi in comment. ad Prudentium hymn. 7 Cath., vers. 216. Hæc est altera ratio cur brevis censenda non est mora, quæ erranti conceditur, quia facilis est pœnitentia, ac spatio temporis exiguo peragi potest, scilicet cum supernaturalis gratiæ auxilio.

720. *Arbitretur* est *arbitrando sibi quærat, adjudicet, expendat*. Pro *requirit* rectius puto *relinquit* : nam requirimus quæ abesse ægre ferimus. Sententia eadem est ac vers. 656, *Sic reus et veniam sceleri sub voce meretur*. Confer etiam lib. III, vers. 240 seq. Isaiæ cap. XXX, vers. 19 : *Plorans nequaquam plorabis : miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui, statim ut*
D *audierit, respondebit tibi*. Fabricius in comment. poetar. Christ. advertit Alcimum in *arbitris* secundam produxisse : sed cum muta et liquida sequantur, jure suo usus est Alcimus, quo eodem in *arbitretur* utitur Dracontius.

721. *Sed* hoc loco pro *tamen* ponitur notanda significatione.

722. Confer vers. 686. Tertullianus lib. I, *Oppressis veniam dare promptus, solvere vinctos*. Psal. CXLVI, v. 6 : *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram*. Vide etiam canticum Deiparæ *Magnificat*.

723. Psal. CXLV, v. 7 : *Dominus solvit compeditos*.

724. Prudentius in præfat. Psych., *Attrita boiis colla*, et hymn. 1 Perist., *Attrita colla gravibus circulis*.

Et proceres servire facis, famulosque jubere, A
Paupertate, jubes, opulentos turpis egestas
Urgeat, et ditas opibus bene largus egentes.
286 Ima levas, et celsa premis, præsumpta coercens
Atteris, et tenues adjecto robore firmas,
Jura potestatis retinens sub nomine vero,
Solus enim Dominus, Dominum qui non habet, exstat;
Vel cui cuncta patent, per quem sunt omnia, quot sunt,
Et transacta simul, quæ sunt quandoque futura.
Qui dedit elysios justis, et tartara pravis,
Qui placidis, sævisque jubet procedere solem,
Et lunam, stellasque vagas, et sidera cuncta, B
Imperat et pluvias nullo discrimine fundi.
Nec ratione caret pietas generaliter una,
Mercedem justis, injustis munera nobis
Prorogat, ut vel sic nos convertamur ad illum.
Illectos donis, non pœnis mutat adactos.
287 Exspectat pia vota Deus, non thura requirit,
Victima sola placet purgatæ mentis honestas.
Nec tamen expensis, sed puro corde litandus.
Pectore contritos, genibus cum pectore flexos,
Suppliciterque suos pandentes fletibus *actus*
Exaudit : nam si quis erit miseratus egentis,
Texerit et nudos, inopes defenderit, insons,
Contentusque suis, alienis non inhiarit,
Si impetrare velit, velut impetrare meretur,
Effectus faciles oratio pura reportat,
Quam non impugnat cujusque precatio tristis.
288 Et fortasse juvat pauper, peccata relaxat.

SCRIPTURA COD. VAT.

727. *Vestiat et ditet o.*

728. *Præsumpta coactus*, sed *præsumpta* ambigue.

732. *Cuncta parent :* non clarum est *quæ sunt*, vel *quot sunt*, vel *quod sunt*.

737. *D. fundit.*

746. *Suppliciterque suos pandentes fletibus...* deest postremum verbum.

750. *Si imperare velit velut imperet ita meretur;* sed *imperet* obscurum est.

751. *Reportet*, supra *reportat*.

753. Scriptum est *juvat : pauper p.* et *pauper* in nexu litterarum.

NOTÆ.

726. Ex cantico B. Virginis, et alio Annæ lib. I Reg., cap. II.

728. *Præsumpta*, hoc est superba, audacter confidentia, significatione ævi sequioris, ut *præsumptor*, *præsumptio*. Vide vers. 365.

730. Supra vers. 237, *Jura potestatis retinens super omnia solus.*

731. *Exstare* et *constare* a Lucretio pro *esse* interdum usurpari, notat Gifanius in Indice. Confer vers. 696 hujus libri, et vers. 247 lib. III, et Eleg. vers. 155.

733. Similia occurrunt supra v. 594 seq., ubi æternitas explicatur.

734. *Elysios*, subaudi *campos*. Sic *elysios* simpliciter ponunt Martialis, Lucanus et alii. Frequentius *elysium* neutro genere dicitur, aut *elysius* adjective cum substantivo expresso.

735. Ex Matth. cap. V, vers. 45. Plura in hanc sententiam Prudentius lib. II contra Symm., vers. 780 seqq., *Non nego communem cunctis viventibus usum Aeris, astrorum*, etc. Adisis nostrum comment. in eum locum, et not. ad vers. 598, lib. I Dracontii. Lib. I, vers. 456, *Placidus* opponitur etiam *cruento*, aut sævo.

737. Posset retineri *fundit* cum hac distinctione *sidera cuncta Imperat, et pluvias. Imperare lunam, stellas*, ut *imperare naves, pecuniam, tributa, arma*, præsertim si legas *sidera cœlo Imperat :* aut intelligendum est *imperat procedere*. Sed planior et verior est lectio quam ascripsi.

740. Gregorius Magnus lib. XVI Moral., cap. 12 : *Malorum domos Dominus bonis implet, quia etiam ingratis sua dona non denegat, ut aut benignitatem conditoris erubescant, et ad bonitatem redeant, aut redire omnimodo contemnentes, inde illic gravius puniantur*, etc.

741. Lib. I. vers. 741, *Et consolatur adactos Luctibus.* Ita convertimur ad Deum, ut Deus nos mutet, seu convertat. Vide notam ad vers. 611.

742. Isaiæ cap. XXX, vers. 18 : *Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis.*

743. Ex psal. L, vers. 18 : *Quoniam si voluisses sacrificium*, etc. Vide comment. ad Prudentium hymn. 10 Per., vers. 346.

745. Ex psal. cit. vers. 19 : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies :* et psal. CXLVI, vers. 3 : *Qui sanat contritos corde*, etc. Forte legendum *genibus cum pectore flexis*.

746. Forte *suos plangentes fletibus actus*. De hoc C nomine *actus*, *actus* dixi in comment. ad Prudentium hymn. 2 Cath., vers. 107. Ponitur pro actione etiam a Cicerone, Quintiliano, Lucano, Claudiano aliisque antiquis, et supra a Dracontio vers. 268, *Temnimus actu Plectibili.*

747. *Miseratus* admittit genitivum, ut infra vers. 762. Sed hoc loco bene esset *miseratus egentes*, ut postea *nudos, inopes*.

750. Cogitabam *Si imperitare velit, velut imperitare meretur*. Verum neque id neque aliud quod edidi, penitus mihi placet.

752. *Tristis* poterit referri ad *cujusque*, scilicet precatio alicujus infelicis aut mœrentis. *Precatio* vero hoc loco sonat imprecationem, quamvis sæpius pro simplici obsecratione ponatur : nisi malis intelligere *precationem tristem*, ut ita clarius imprecationem significet. Imprecari aliis malum in vindictam damni ab ipsis illati nullo modo licet. Vide Suarium tom. II de Relig. lib. I, cap. 19. Deum vero nonnunquam D istiusmodi imprecationes exaudire, colligitur ex historia quam narrat S. Augustinus serm. 322, al. 31, de Diversis, et lib. XXII de Civit., cap. 8. Quin audimus Salvianum lib. VII de Providentia ? *Jam vero illud cujusmodi, aut quam grave, genere quidem dispar, sed iniquitate non dispar, nisi hoc dispar forte, quia majus ? Proscriptiones dico orphanorum, viduarum afflictiones, pauperum cruces, qui ingemiscentes quotidie ad Deum, ac finem malorum imprecantes, et quod gravissimum est, interdum vi nimiæ amaritudinis etiam adventum hostium postulantes, aliquando a Deo impetrarunt, ut eversionem tandem a barbaris in commune tolerarent quam soli a Romanis antea toleraverant.*

753. Relaxare peccata dixit etiam Dracontius vers. 305 Eleg. Interpungi etiam potest *Quam non impugnat cujusque precatio tristis, Et fortasse juvat. Pauper peccata relaxat Pastus, et indutus.* Scilicet *quam* oratio oppressorum non impugnat, imo fortasse juvat. Tob. cap. IV, vers. 11 : *Quoniam eleemosyna ab omni*

Pastus et indutus, viduæ, pupillus et æger,
Et defensus inops plus, quam scis, quærere possunt.
Vestibus, expensis, epulis de more Tabitha
Expendebat opes, miseris alimenta ministrans.
Nunquid ad annorum numerum cuicunque modesta
Addidit, et vitam longum produxit in ævum?
Et meruit tamen ipsa jacens post funera vitam
Amissam reparare suam, testantibus illis,
Queis proprias fundebat opes miserata rogantum.
Petrus enim medicus fuerat, medicina catervæ
289 Paupertatis erant; cœlis extorsit egestas,
Quod voluit. Nos turba rapax calcamus egenos,
Conferimusque nihil: forsan spoliamus avari
Pauperiem, si forte ferat quodcunque decorum,
Exspectamus adhuc, det pauper xenia nobis,
Afferat et prædam potius: de nobile pauper
Jam modo dives eget, cui confert indiga dextra,
290 Non sibi mendicans, quod divitis usibus addit.
Quidquid agamus ad hæc sceleris, fraudisque, dolique
Supplicio dignum, differt punire benignus,
Ut, si pœniteat, magis indulgere paratus;
Qui facit angelicas flamma crepitare cohortes.

SCRIPTURA COD. VAT.

755. *Inops plus quam suum quærere:* obscure *quam*.
756. *Epulas de morte davita.*
757. *E. opus m.*
758. Scriptum apparet *nunquam* pro *nunquid*.
762. *Qui proprias.*
767. *Decorem*, supra *decorum*.
768. *Adhuc de paupere sevia nobis:* non clare *paupere*.
769. *Afferat et præda potiatur de nobile pauper.*
771. *Divitibus*: correctum *divitis*.

NOTÆ.

peccato et a morte liberat. Orationes pauperum quantum prosint, explicat Chrysostomus homil. 21 in cap. IX Act. apostol.

755. Forte *plus quam das, reddere possunt*, vel *plus quam vis*.

756. Forte *Vestibus, et tunicis, epulis* ex Act. apost. cap. IX, vers. 39: *Et circumsteterunt illum* (Petrum) *omnes viduæ flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas.* De nomine Græco *Dorcadis*, quæ Tabitha Hebraice vocatur, vide Gifanium Ind. Lucret. verbo *Dorcas*. Similis mutationis exempla etiam nunc sunt in usu, ut cum *Quercetanus* appellatur is qui Hispanice dicitur *De la encina*, aut *Siliceus*, qui *Guigeno*.

759. Similis phrasis lib. III, vers. 286, *Et vitam longo produceret ævo.*

761. *Testantibus* pro obtestantibus, invocantibus: aut etiam pro præsentibus, testificantibus.

762. Arator lib. I de eadem Tabitha, vers. 857, *Mensuras fundebat opes.* In appendice 1 ad carmina S. Damasi pag. 243, *Hæc mihi cura fuit nudos vestire petentes, Fundere pauperibus quidquid concesserat annus.*

764. Vis orationis et precum egregie expressa. In sacris Litteris similes sunt sententiæ. Sic Exodi cap. XXXII, vers. 10, Dominus Moysi oranti dicebat: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* S. Hieronymus ex Ezechielis cap. XIII, vers. 5, colligit, quod *Dei sententia sanctorum precibus frangitur*, quod in comment. ad eum locum nervose confirmat.

765. Salvianus more suo hæc ita graviter declamat l. IV de Provid.: *Quotusquisque enim juxta divitem pauper aut intactus, aut tutus est? Si quidem persuasionibus præpotentum, aut sua homines imbecilli, aut etiam seipsos cum suis pariter amittunt, ut non immerito de utrisque personis sacer sermo testatus sit* (Eccli. c. XIII, vers. 23). *Venatio leonis onager in eremo, sic pascua sunt divitum pauperes. Quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantum, sed pene universitas patiatur generis humani. Quid enim omnium aliud dignitas sublimium quam proscriptio civitatum? Aut quid aliud quorumdam quos taceo præfectura quam præda? Nulla siquidem major est pauperculorum* (forte *populorum*) *depopulatio quam potestas.* Aliæ editiones multum variant.

768. Hic et sequens versus insanabiles videntur: medicinam, quæ opportuna mihi occurrit, attuli. *Xenia* sunt quælibet munera mitti solita ab amicis, a clientibus, ab aliis, ut videri potest in libro Martialis, qui *Xenia* inscribitur. Prima brevis est, sed producitur etiam a Græcis poetis, et posteriori ævo, ad annum scilicet 1314, producta est ab Adolpho quodam in fabulis contra mulieres apud Leyserum Histor. poet. med. ævi: *Xenia multa Paris castæ donat mulieri.* Posset conjici *pauper det serica nobis*: nam *sericum* et *serica* in plurali numero pro veste serica usurpantur.

769. Non solum, ait Dracontius, xenia a paupere petimus, sed etiam prædam; quia divites bona pauperum, a quibus munera exigunt, quodammodo prædantur. Cicero v in Verrem, al. lib. III, cap. 50, *Maximos quæstus prædasque fecisse.* Dracontius libr. III, v. 75: *Aut qui aliena rapit prædo temerarius audax, Cujus facta gemens plangit spoliatus egenus? Hi nam sunt quos sola juvant convivia prædæ.* Cap. I Isaiæ, vers. 23: *Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera et retributiones.* De xeniis vero id lege civili cautum est D. libr. I, tit. 16, leg. 6: *Non vero in totum xeniis abstinere debebit proconsul, sed modum adjicere: neque morose in totum abstineat, neque avare modum xeniorum excedat.*

770. Libr. III, vers. 39, *Bene dives egenus, Semper avarus inops, pauper sub divite nummo.*

771. Pulchre et vere dictum, quasi pauperes non sibi, sed divitibus, qui omnia undique corradunt, mendicent. Vel propter hos solos versiculos dignum maxime erat hoc Dracontii carmen, quod non lateret diutius.

772. Aliqui viri docti improbant *ad hæc*, vel *adhæc*, et in Cicerone, Sallustio, Tacito et aliis antiquis ubi id reperitur, reponunt *adhuc*. Sed cum optima exemplaria exhibeant *ad hæc*, temere id mutabitur in *adhuc*. Consule Vossium de Analog. l. IV, c. 21.

773. Clementia Dei, supplicium differentis, aliis in locis laudata est, ut l. I, vers. 30 et seqq.

774. Forte *Ac, si pœniteat.* Deus vocat homines ad pœnitentiam, quia non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat.

775. Bonitas Dei erga homines commendari videtur, quod eos ad pœnitentiam invitet et exspectet, cum malos angelos in æternum ignem conjecerit. Vide vers. 470 et seqq.: *Inde magis mens nostra rea est, quod pœna secuta est Cœlestes famulos. Crepitare flamma* pro ardere cum aliquo sonitu. Tibullus l. II, eleg. 5, vers. 81: *Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis.* Plinius l. XXXI, cap. 7, de sale Tragasæo

Nam pia turba Dei sunt spiritus igneus omnis: A
Quamvis ipse Deus se prodidit igne loquaci,
291 Cum jubar ignitum Domini rubus asper haberet,
Et lacrymas populi pro libertate gementis
Diceret ante suum Deus ascendisse tribunal.
Se tamen asseruit sublimibus alma potestas
Descendisse polis, ut quæ captiva jacebat,
Libera turba foret, domini victura superstes.
Mox sua promissor perfecit verba fidelis,
Excussoque jugo deduxit per mare Rubrum,
Candida dux fuerat nubes, flammæque columna;
Fluctibus æquoreis gemina de parte ligatis,
In scopulum pelagi jam non latrantibus undis,
Transierat salsos ponti sine remige fluctus,
Et pedibus siccis iter est navale peractum. B
Laudavere Deum populus de morte natantum,
Sexus uterque Deo magnis in laude choreis
Certatim resonant, et palmis tympana pulsant,
292 Et celebrant, vincente Deo, saltando triumphum.
Non gladiis, jaculisque datis, missisve sagittis
Gens oppressa perit; sed tantum surgere jussa
Arma elementa Deo, nullum fusura cruorem;
Et tamen innumeras faciunt sine sanguine mortes.
Una eademque die populis datur ecce duobus
Ira furens, pietasque simul: sine nubibus ullis
Diluvio periere gravi, splendente sereno.
Omnibus ostendit Domini sententia lata,
Quid peccata creent, quid justi vita meretur,
Quid bona simplicitas, quid noxia vota reportent,
Quid pius, aut humilis, quid et impius, atque superbus,
Quid ferus, aut mitis, quid clemens, quidve cruentus,

SCRIPTURA COD. VAT.

776. *Igneus omnes.*
777. *Quamvis et ipse Deus.*
778. Dubie *asper haberet.*
781. *Asseruit merito sis alma.*
782. *Captiva jacebant.*
785. *Et uterque jugo d. p. m. r.*
789. *Transierat falsos p.*
796. *Sed tantum fugere jussa.*
799. *Datur esca duobus.*
802. *Ostendit domum sententia.*
806. *Mitis, quidq id clemensve cruentus*, sed *quidquid* non clarum est.

NOTÆ.

et Acanthio: *In igne nec crepitat, nec exsilit.* Sic *flamma crepitans* et similia. Sed qua ratione crepitare flamma possunt angeli, qui sunt *Corporis expertes terreni ponderis omnes*, ut ait Dracontius vers. 461? C Huic difficultati responderi potest ex vers. seqq., quod potestati Dei subjectus est ignis, quo scilicet possit etiam spiritus puniri, et quod ipse Deus igne crepitanti apparuit in rubo, quia igne uti potest ad puniendum et ad bene faciendum. Ex vers. seq. explicatio alia verior eruitur, ut nunc dicam.

776. Videtur omnino legendum *omnis* pro *omnes*: nam *igneus* poscit *omnis*, et *spiritus* ratione metri in singulari est. Ex hoc versu aperte colligitur sermonem esse de bonis angelis, qui sunt pia turba Dei, et igni comparantur. Psal. CIII, vers. 4: *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.* Quæ verba in ep. ad Hebr. cap. I, v. 7, repetuntur, sed pro *ignem urentem* est *flammam ignis*, et additur vers. 14: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?*

777. Fortasse *Quid quod et ipse Deus.* Ignem symbolum esse divinitatis, ex multis sacræ Scripturæ locis ostenditur. *Igne loquaci*, quia in igne loquebatur Deus. Vide comment. ad Prudentii Dittochæum, vers. 29. Sic enim inscripsi ex veteribus editis et mss. opus quod alii Enchiridion aut Diptychon vocant: de quo Dittochæi titulo etsi plura dixerim, tamen addendum est nonnullos putare Dittochæum appellari a διττὸς et χαῖος, quia *probitatis* exempla ex *duplici* Testamento complectitur. Auctor mihi est Nicolaus du Mortier Etym. sacr. D

778. Libr. I, vers. 615, *jubar* tribuitur igni. Exodi cap. III, vers. 2, verba sunt: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*, etc.

781. Posset scribi *asseruit merito bis alma*, vel *merito sic*, sed quo sensu? pro *sublimibus* bene etiam esset *excelsis*. Si legere velis *merito sic alma*, intelligere poteris rationem reddi a Deo cur sic in rubo apparuerit.

782. Ex d. cap. III, vers. 8, *Descendi ut liberarem*, etc.

783. *Domini* intelligo Pharaonis, cui Israel serviebat. Supra vers. 166 de eodem prodigio: *Israelitarum plebi. quæ facta superstes Vindice naufragio*, etc. *Superstes* cum genitivo vers. 51, *Mundique superstes.* Alcimus l. V prope finem: *Inspector cludis propriæ, gentisque superstes.*

785. Forte *Excussoque jugo deduxit.*

788. *Latrantibus undis*, frequens id poetis. Confer vers. 160 et seqq. hujus libri.

789. Forte *Transierant.*

791. Exod. cap. XIV et XV, Sapient. cap. X, vers. 20: *Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudavere pariter.*

793. Tympanorum diversa fuere genera, ut videri potest in Antiq. explic. Montfauc. tom. III. Quædam bacillo pulsabantur, alia digitis, aut palmis. Ovidius IV Fast., vers. 342, *Et feriunt molles taurea terga manus.* Lucretius l. II, vers. 618, *Tympana tenta tonant palmis.* Catullus carm. LXIII de Nupt. Pel. vers. 261, *Plangebant alii proceris tympana palmis.*

794. *Saltando*, ut paulo ante *choreis*. Exodi cap. XV, vers. 20: *Cum tympanis et choris.* Chorus est multitudo canentium vel saltantium aut canentium simul et saltantium.

798. *Mortes* in plurali usitatum ab aliis, sed notandum præsertim cum verbo *facio*.

801. Claudianus de bello Getico, v. 49, *Splendere serenum.* De hoc verbo *serenum* vide notam ad vers. 586, l. I.

804. *Simplicitas* pro innocentia, ut ex opposito *noxia vota*. Vide vers. 69 Eleg. Cap. XX Genes., vers. 5: *In simplicitate cordis mei, et munditia manuum mearum feci hoc.* Sic *simplex*, *simpliciter* pro *innocenti*, *innocenter* in sacris Litteris.

805. *Humilis*, ut superbo opponitur, vox Christianorum scriptorum, ut Prudentii et æqualium. Forte *atque humilis.*

806. Forte *quid clemens, quidque cruentus*, aut *quidve cruentus.*

Dapsilis, et largus, quod prædo, aut raptor avarus.
Agmina condemnant mores, atque agmina purgant.

SCRIPTURA COD. VAT.

07. *Quid prædæ aut raptor.*

NOTÆ.

807. *Dapsilis*, Græca vox, *largus, copiosus:* ea utuntur Plautus, Columella, Apuleius, Dionysius Cato in Distich. moral., alii. Lego *prædo* pro *prædæ*, ut l. III, vers. 75: *Aut qui aliena rapit prædo temerarius audax.*

808. Redit ad id quod dixit vers. 418, *Segregat Omnipotens merita.*

LIBER TERTIUS.

293 Luminis æterni, lunæ lux, lucis origo,
Orbis, et astrorum, jubar ætheris, aeris auctor,
Pax elementorum, naturæ conditor, et fons,
Sideris innumeri numerus quem non latet omnis,
Nomina dans astris, et stellas cursibus aptans,
Immotosque jubens septem constare triones:
294 Axe licet volvente polos, stant sidera pigra.
Qui numeras cunctas, quas præfert littus, arenas,
Per freta cuncta maris totum *quas continet æquor.*
Omnia nosse Deum, quia condidit omnia solus,
Quis dubitet? Quod nosse jubes, cœlestia norunt,
Quod tu scire vetas, ignorant omnia cœlo.
Missa cadunt, hiemesque cient comitante fragore,
Verberis ignoti volitant per inane flagella,
Et rutila radians crinitum missile flamma
Justitiæ monitor, sed plus pietatis amator,
Celsior excelsis, specie sed pulchrior omni,
Virtutum virtus, dulcedine dulcior omni,
Lucidior luce, vel lumine clarior omni,
Editor omnipotens, sed non tamen edite ab ullo,
Qui placidos pluviis das descendentibus imbres.
295 Sic annona datur cunctis animantibus esca,
Et natura parens per tempora cuncta ministrat,

SCRIPTURA COD. VAT.

6. *Immobilisque jubes.*
7. *Polos stant s.*
8. *Quas prefert l.*
9. *Per freta cuncta maris totum f.ctura quæ . . . .* desunt litteræ extremæ.
11. *N. Jubet c.*
14. *Ignoti violant per.*
15. *Et rutila ut radians.*
19. *Lucidus o. . . . . vel l. c. o.*
21. *Das discedentibus imbres.*

NOTÆ.

1. Sol *lumen immensum* dicitur libr. I, vers. 221. Hoc etiam loco sol intelligi potest in verbis *Luminis æterni*. Tertullianus de Deo l. IV, *Profundæ lucis origo Fons vitæ*, etc. Mar. Victor in præfat. ad Genes., *Tu vita, et genitor vitæ, lucisque profundæ, Tu lux vera, Deus, tu rerum causa, vigorque.* Dracontius l. I, vers. 131, *Initium factis lucem dat lucis origo.* Missale Isidorianum sabbato sancto in oratione ad benedicendum lucernam: *Domine Deus noster, unici luminis lumen, fons luminis lumen, auctor luminum.* Merobaudes de Christo: *Nunc genitus, qui semper eras, lucisque repertor.*

2. *Jubar ætheris*, ut l. I, vers. 615, igni tribuitur *jubar*, et l. II, vers. 778, *Jubar ignitum.*

3. De elementorum concordia vide l. I, vers. 142 et seqq.

4. Libr. II, vers. 472, *Sideris innumeri*, quod ibi de angelis dictum. Libr. I, vers. 219, de stellis, *Agminis innumeri.*

5. Libr. I, vers. 218, *Cursibus aptavit*, videlicet stellas. Fortasse legendum *das, aptas, jubes.* Sedulius initio libr. I, *Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus, Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti.*

6. Virgilius l. III Æn., vers. 518, *Postquam cuncta videt cœlo constare sereno.* Septem triones immoti dicuntur constare, quia semper videntur. *Pigri* et *inocciduí* ab aliis poetis vocantur, cujus rei ratio ex vers. seq. intelligitur, *Immobilisque*, aut *immobilesque* metro adversatur.

9. Non satis percipitur quid velit Dracontius dicere: sed non longe videtur fuisse a sententia quam supplevi

10. Scientia divina eodem arguendi modo laudata etiam est l. I, vers. 500 seqq. *Cui cuncta patescunt, Et merito, quia cuncta facit, fecitque jubendo.*

11. *Cœlestia* pro angelis, vel pro omnibus quæ sunt in cœlo, ut vers. seq. explicatur. Videtur id petitum ex Marc. cap. XIII, vers. 32: *De die autem illo vel hora nemo scit neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.*

13. *Missa* flagella, ut arbitror.

14. Forte *ignoti vacuum per inane.*

15. *Missilia* sunt quævis arma, quæ jaciuntur seu mittuntur. Sermo est, ut puto, de cometa quo homines terrentur. Confer v. 60 et seqq. l. I.

16. Repete dicta l. I, vers. 680, l. II, v. 689, aliisque in locis.

17. *Excelsa* libr. II, v. 204; l. I, v. 436, *Et culmine celsior omni.* Fortasse legendum *specie vel pulchrior*, vel *sed* ponitur pro *et.* Vide notam ad vers. 701 libr. II. Loc. cit. l. I in Vat. codice pariter legitur *Simplicitate bonus, sed culmine celsior omni:* quæ scriptura, collata cum aliis Dracontii locis, videtur anteferenda.

21. Fortasse *Qui placidas pluviis das discedentibus auras.* Sed retinendum potius *pluviis* et *imbres* per hendiadyn, unum per duo. Libr. I, vers. 452, *Imbriferis semper pluviis absentibus uber Cespes.* Sic Tertullianus de Judic., *Tempora fecundant pulchris Dei munera donis.* Paulinus eodem modo poem. 32 natal. 16, *Multa mihi variis tribuisti munera donis:* quamvis enim aliqui inter *munus* et *donum* discrimen hoc ponant, quod munus est donum cum causa, tamen hoc discrimen a plerisque negligitur, nec curatur certe a Tertulliano et Paulino.

Sic plumis vestitur avis, sic frondibus herbæ, A
Sic calamos nutrita seges stans armat aristis,
Et tunicis vestita ceres pubescit adulta.
Sic viridis flavescit ager sine semine jacto:
Creditor extorquet sub vomere fenus arator,
Usura præstatur edax, centesima grandis
296 Redditur, ac parens votis credentis avari
Debitor exoptat millesima reddere lucra.
Non exactorem pudor inficit, aut dolor ullus
Afficit exactum: contraria vota duorum
Conveniunt, solusque dolet captator iniquus
297 Annonæ, pretiique vorax, inimicus amicis,

SCRIPTURA COD. VAT.

25. *Armat aristas.*
28. *C. subvenire fenus a.*
29. *Præstator edax.*
30. *Redditur atque placet vota reddentis avarus.*
32. *Pudor imprimit aut.*

NOTÆ.

24. Vide not. ad vers. 255 l. I.

25. Vide not. ad vers. 254 l. I. Forte legendum *Sic calamis nutrita seges stans armat aristas*. Sed scriptura textus comprobatur ex eleg. vers. 231, *Segetes viror armat aristis.*

26. *Ceres* pro grano ipso frumenti videtur poni. *Pubesco* transferri eleganter solet ad herbas et plantas. Cicero de Natur. Deor. l. I, c. 2: *Cœlique mutationes, quibus omnia quæ terra gignat, maturata pubescant*, et l. II, c. 19: *Pubescunt, maturitatemque assequuntur, quæ oriuntur e terra.*

27. Posset conjici *Sic viridis florescit ager*. Sed Dracontius adhuc sermonem habere videtur de segete, qua ager primum virescit, postea flavescit, et Virgilium imitatur ecl. 4 vers. 28, *Molli paulatim flavescet campus arista. Sic flava* ceres, *flavum* arvum, *flaventia* culta, *flavæ* spicæ. Columella l. X, vers. 311, *Sed cum maturis flavebit messis aristis*, ubi aliqui legunt *flammebit*: sed libentius legerem *flavescet* ex Virgilio. *Sine semine jacto*, quia, cum a Deo seges educta est, nullum jactum fuit semen. Legi etiam posset *Sic viridis flavescit ager: sic semine jacto Creditor extorquet*, etc. Quod magis cohæret cum versibus seqq. In scriptura codicis, quam retineo, sententia fortasse similis est ei quam explicat auctor incertus de laudibus Domini sub Constantino: *Utque humana salus securum duceret ævum, Sponte salutares de cespite surgitis herbæ: Has Pater ipse serit nutu, non vomere dives.*

28. Colonus comparatur creditori, qui fenus exigit ab arvo. Ambrosius Hexaem. l. III, c. 8, num. 35, *Feneratum terra restituit quod accepit, et usurarum cumulo multiplicatum*: et l. III de Offic., c. 6, *Fecunda terra multiplicatum reddit quod acceperat, fidelis ager feneratos solet restituere proventus.* Cicero de Senect. cap. 15, *Terra nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fenore.* Vide notam Gronovii.

29. Sic restitui scripturam depravatam, ut sensus sit agrum optare reddere maximam usuram. Lucanus l. I, vers. 181, *Hinc usura vorax, avidumque in tempora fenus;* alii *in tempore fenus.* Sic *usura edax*. Centesima usura est in qua unum pro centum singulis mensibus solvitur, hoc est singulis annis duodecim pro centum. Hæc erat usura gravissima, aliæ erant minores. Seneca l. VII de Benef., c. 10, *sanguinolentas* vocat centesimas. De usuris centesimis exstant observationes Jo. Frid. Gronovii.

30. Fortasse ex Virgilio proœm. Æn., *Ut quamvis avido parerent arva colono.*

31. Cum hic debitor sit ager, dubium oritur cur dicatur exoptare reddere millesima lucra. Nam millesima usura est in qua unum pro mille singulis mensibus penditur: quod exiguum sane fenus est, nempe duodecim pro mille singulis annis. Quod autem ager optet usuram magnam reddere ex v. 33 colligitur: *Contraria vota duorum Conveniunt.* Existimo ergo, millesima hæc lucra esse ultra usuram centesimam: nam erant apud Romanos, qui centesimis non erant contenti, et alia lucra majora expetebant. Cicero ad Attic. l. V, ep. ult.: *Clamare omnes qui aderant, nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo* (usura usuræ) *contentus non esset: alii, nihil stultius. Mihi autem impudens magis quam stultus videbatur. Nam aut bono nomine contentus centesimis erat, aut non bono quaternas centesimas sperabat.* B

32. *Pudor inficit*, ut l. I, vers. 342, *Totos rubor inficit artus*: nisi malis legere *pudor impedit.*

33. *Exactus* pro eo, a quo exigitur pecunia, novo dictum videatur, ac fortas e dicesset nunc exemplum veteris scriptoris, nisi A. Gellius illud nobis conservasset l. XV, c. 14, ubi exscribit verba Q. Metelli Numidici: *Socios ad senatum questum flentes venisse, sese pecunias maximas exactos esse;* et Cæcilii: *Ego illud minus nihilo exigor portorium*: quod A. Gellio Græca figura dictum videtur. Contraria vota coloni et agri sunt, quia accipere et reddere contraria inter se sunt, et plerumque creditor optat exigere, debitor renuit reddere. Conveniunt vero vota, quia ager optat reddere, et colonus accipere.

34. Opportune in eos invehitur, qui annonam comprimunt, ut carior fiat, et pretium eorum arbitratu crescat. *Incettatori* vocant Itali. Mirum caruisse, nisi fallor, Latinos veteres nomine proprio quo pestiferos hos homines appellarent. *Dardanarios* ignota C vocis origine ab Ulpiano et Paulo in Digestis appellatos invenio. Monopolium affine vitium est. Suetonius de Tiberio cap. 71 refert illum sermone Græco abstinuisse maxime in senatu, *adeo quidem ut* MONOPOLIUM *nominaturus, prius veniam postularit, quod sibi verbo peregrino utendum esset.* Monopolia non omnia ejusdem generis sunt. Agunt de his theologi morales. Vide Molinam de Just. et Jur. tract. 2, disp. 345, ubi de recondentibus ac asservantibus merces in tempus caritatis disserit. Dracontius in tota hac disputatione contra captatores annonæ sententias et verba S. Ambrosii expromit. Sic enim Ambrosius l. III de Offic., c. 6: *Et alius ait: Captans pretia frumenti maledictus in plebe* (Proverb. cap. 11).... *Cur ad fraudem convertis naturæ industriam et indulgentiam? cur invides usibus hominum publicos partus? cur populis minuis abundantiam? cur affectas inopiam? cur optari facis a pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia fecunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci,* D *quam te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberis soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras.... Latrocinium hoc, an fenus appellem?... Lucrum tuum damnum publicum est..... Legisti, quemadmodum hunc frumentarii pretii captatorem exponat in Evangelio Dominus Jesus?.... Nesciebat quid faceret, quasi ei alimenta deessent, hærebat in ambiguo. Non capiebant horrea annonam, et ille se egere credebat.* Locus ab Ambrosio allegatus Proverb. cap. XI, vers. 26, sic habet in Vulgata: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.*

35. *Vorax*, ut vers. 29, *usura edax*, et notandum *vorax pretii* cum gignendi casu, vel *pretii captator* est *vorax*, hac distinctione *captator iniquus Annonæ pretiique vorax.*

Omnibus adversus, populis insontibus hostis.
Nam sua damna vocat mundi compendia pulchra,
Nil opibus propriis quacunque ex parte minutis.
Exstinctam dolet esse famem, bene dives egenus,
Semper avarus inops, pauper sub divite nummo
Æstuat, et custos alieni ruris, et auri,
Judicio punita suo mens semper avara
Dat pœnas, animi quæ sedem nescit amare :
298 Diligit hæredem, cui servat cuncta fidelis.
Nec bona præsentis hic tantum perdere vitæ
Contingit miseris : perdunt bona cuncta futura.
Nunquid eris pius, alme Deus, jam morte perempto?
Illi quippe, magis qui proditur impius in se,
Et sibi, vel cunctis solatia tota negavit?

A Nos exempla docent damnati divitis, ingens
Pauperis et requies, qui post sua membra beatus
Abrahæ portante sinu per sæcla quiescit.
299 Divitis exstincti tormenta exspectat egestas,
Immitesque vias alterna sorte rependit.
Serica quem tenuis, quem mollia lina gravabant,
Qui solet æstivum membris sudantibus ostrum
Poscere, deposito confractus murice denso,
Cujus et in digitis non sedit crassius aurum,
Et licet exiguæ non ferret pondera gemmæ,
Inter anhelantes tormenta ultricia flammas
Supplicium crudele luens exæstuat ardens,
Et tolerat, poscitque rogans, ardente palato,
Ut gelidum digito mereatur lingua liquorem.

SCRIPTURA COD. VAT.

37. *Vocat compendia pulchria mundi.*
39. *Exstincta modulet esse.*
41. *Æstuat et custos alieni thuris adoret :* prius erat *extuat* pro *æstuat.*
43. *P. animique sedem.*
44. *Diligat h.*
B 49. *Tota negabit.*
50. *Non exempla decent d.*
55. *Serica que tenuis quod m.*
56. *Membrisque sudantibus.*
59. *Inferret :* correctum *ferret.*

NOTÆ.

39. Libr. II, vers. 770, *Jam modo dives eget*, etc.

40. *Sub divite nummo*, ut l. I, v. 317, *divitis auri :* de quo epitheto dixi ad eum locum.

41. Distingui potest *sub divite nummo, Æstuat et custos.* Juvenalis sat. 14, vers. 302 : *Tantis parta malis cura majore, metuque Servantur : misera est magni custodia census.* Ecclesiastes cap. VI, vers. 2, de avaro : *Nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.* Plena est sacra Scriptura hujusmodi sententiis contra avaros : pleni scriptorum gentilium et Christianorum libri.

43. *Sedem animi* vocat corpus, quod amare nescit avarus, qui bona sua hæredi servat, cum ipse sordide vivat.

44. Avarus, qui corpus suum non diligit, diligit hæredem. Columbanus in ep. ad Hunaldum ex Dracontio hæc : *Divitias cumulans, dum sese nescit amare, Plus amat hæredem, servat cui cuncta fidelis.* In P. Syri Mimis, vers. 60, *Avarus, nisi cum moritur, nil recte facit.*

48. *Impius*, hoc est crudelis, non pius, seu non clemens. Libr. I, vers. 277, *Impia terribiles producit terra leones.* Vide Eleg. vers. 70.

50. Libr. II, vers. 304, *Multorum nos sæva docent exempla priorum.* Hoc l. III, vers. 96, *Abrahæ doceant jam nos exempla parentis.* Forte legendum *divitis igni.*

51. Notanda phrasis *post sua membra*, post obitum, post membra relicta.

52. Videtur accipere *sinum* pro gremio Abrahæ, ut multi explicant, delatum fuisse Lazarum in sinum Abrahæ, tanquam dilectum filium in ulnas et sinum patris. Paulinus poem. 17 ad Nicetam, vers. fin. : *Tunc, precor, nostri nimium memento, Et patris sancti gremio recumbens, Roscido nobis digito furentem Discute flammam.* Verba Lucæ sunt cap. XVI, vers. 22 : *Et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Maldonatus observat, eum qui in conviviis proximus cuique esset, in ejus recumbere sinum; ex qua consuetudine locum hunc exponit. Communi usu receptum est, ut sinus Abrahæ dicatur locus subterraneus, in quo Abraham cum aliis sanctis Patribus ante resurrectionem Christi quiescebat : et hanc quoque sententiam et explicationem verba Dracontii admittunt. Julianus Toletanus l. II Prognost., cap. 3 : *Sinum Abrahæ requiem Patris, vel secretum quietis, seu etiam paradisum significare, multiplicium doctorum sententiis definitum esse non ambigo.* Paulo aliter id legitur in editione Matritensi, quam eminentissimus cardinalis Lorenzana, sæpe a me laudatus, nunquam tamen satis pro meritis laudandus, ad exemplar editionum Duacenæ et Lipsiensis adornavit. Secutus ego sum membranas veteres, quas ad manus habeo, sæculo XII non posteriores, ut censeo : quibuscum editionem Matritensem contuli. Dolendum utique est, codicem ms. hujus operis, quem unum, ut videtur, habebat Hispania, in monasterio Cisterciensium nuncupato *de la Espina*, C anno 1731 incendio absumptum fuisse. Eum codicem viderat Ambrosius Morales.

53. Manu Dracontii scriptum puto *tormenta spectat*, producto *a* in *tormenta* ob *sp* dictionis sequentis. Sed retineri potest scriptura codicis : nam *exspecto*, vel *expecto*, pro *specto* aliquando ponitur, ut exemplis probavi ad vers. 356 l. I, *Ac procul exspectat virides jumenta per agros.* Hac significatione nonnulli scribendum censent *exspecto.*

54. Ad imitationem Virgilii libr. VI, vers. 121, *Alterna morte redemit.*

55. Fortasse *Serica quem vestis, quem :* vel in *serica tenuis* intelligendum est *vestis.*

56. Imitatio et explicatio Juvenalis sat. 1, vers. 28 seqq. : *Crispinus, tyrias humero revocante lacernas, Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum, Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ.*

57. *Confractus* mollitiem divitis notat. Purpura densa et graviori deposita, poscebat æstate aliam tenuem et leviorem. *Ostrum* et *murex* nonnihil distin- D guuntur : sed a scriptoribus passim pro eadem re promiscue usurpantur.

58. De æstate adhuc sermo est qua divites neque annulum aureum graviorem, nec pondus gemmæ licet exiguæ sufferre valent.

60. *Anhelantes* et *anhelus* epitheton ignis a Dracontio sæpe adhibitum. Vide prolegom. num. 137.

61. *Crudelis pœna* dixit Ovidius l. II Met., vers. 612. Crudele supplicium hoc loco est durum, grave et nunquam finiendum. Libr. I, vers. 548, *Pœna mori crudelis erat.*

62. Fortasse *Nec tolerat :* nam *tolerare* est patienter ferre. Cum vero antea dixerit *non ferret pondera gemmæ*, recte nunc ait *et tolerat*, hoc est perpetitur, suffert.

Sed negat hoc immane chaos, crudele profundum. A
300 Dividit inter aquas, et sæva incendia mortis,
Quæ sine fine manent, et stant sub perpete nexu.
Et miser hic, qui dives erat, non vixit egenter,
Vestibus indutus Tyriis processit, et ostro,
Delicias convexit edax, reus inde vocatus,
Pauperibus miseris quod trux alimenta negabat.
Nam sibi dives erat dapibus conviva repletus.
Si tales damnare decet sub perpete pœna,
Qui sibi, non aliis proprium defundere curant,
Quid passurus erit, qui nec sibi præstitit unquam,
Aut qui aliena rapit prædo temerarius audax,
Cujus facta gemens plangit spoliatus egenus?
Hi nam sunt, quos sola juvant convivia prædæ, B
Gutturis, et ventris curam sine laude ferentes,
301 Ignari, quia quisquis erit præsentis amator
Vitæ, animæque suæ, non diligit ille, sed odit.
Contemptor vitæ magis hic servator habetur.
Nil opus est præferre Deo : sententia prisca est,
Summum crede nefas animam præferre pudori.
Quam sit grande nefas animam præferre datori,
Demere dum liceat, quidquid dedit, et cui confert?
Ergo Deum si corda colant, et mens veneretur,
Nil opus est præferre Deo, Deus omnis amor sit
Ante animam, *simul et vitæ præsentis amorem*
Postponat mens pura Deo, totamque salutem
Rejiciat, contemnat opes, patrimonia damnet,
Et securus erit vitæ melioris amator
Temporibus sine fine datis, sine limite perpes.
302 Quod spectat finem, fragile est, totumque caducum.
Quam sit insipiens contemnere velle perenne,

SCRIPTURA COD. VAT.

68. Scriptum videtur, *præcessit.*
73. *P. defendere c.*
76. *Gemens plaudit s.*
77. *Conviva prædæ.*
79. *Ignaris quia.*
86. *Si vera colunt.*
88. *Ante animamque simul....* desunt cætera.
90. Obscure *patrimonia.*
92. *Dati sini limite perpes :* dubie *perpes.*

NOTÆ.

64. Lucæ cap. XVI, vers. 26 : *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est.* In hymno ad vesperas Ascensionis qui S. Ambrosio ascribitur, *Perrumpis infernum chaos.* Potest etiam interpungi *chaos, crudele, profundum.* Sed melius est *crudele profundum*, ut Lucretius aliique *profundum* pro profunditate, seu altitudine usurpant.

65. *Aquas*, hoc est sinum Abrahæ, ex quo refrigerium dives postulabat.

66. Æternitas pœnarum clarioribus verbis asseri nequit. Vide l. II, v. 498, *Sub perpete nexu*, hoc est carcere æterno, ut inferi vocantur l. II, v. 535.

69. *Convexit*, undique ad se traxit a *conveho*. Seneca de Consol. ad Helviam cap. 9, *Undique convehunt : omnia nota fastidienti gulæ.* Plerumque divites delicias undique convehunt, quia, ut ait Juvenalis sat. 11, vers. ult., *Voluptates commendat rarior usus.*

70. S. Gregorius part. 2 Pastor., admonit. 22, de his avaris : *Tot enim quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt..... Neque enim dives in Evangelio..... aliena rapuisse, sed infructuose propriis usus fuisse perhibetur.*

71. Claudianus in Fescenn., sive od. 1 in nupt. Honor., *Epulisque jam repleto.* Conviva est, qui convivium præbet : dives igitur hic sibi conviva dicitur.

73. Vix intelligi aut recte explicari potest *proprium defendere curant.* Restitui *defundere* aut *diffundere :* nam *defundo* et *diffundo* in mss. confusa sunt, et pro eodem accipi solent : adeoque ex *defundere* error manavit *defendere*. Libr. II, v. 762, *Queis proprias fundet at opes.*

75. Ambrosius l. III de Offic., c. 3, *Quod si non licet non dare, quomodo detrahere licet?... Servorum tamen occulta furta, divitum rapinæ publicæ.*

76. Nonne melius, *Cujus furta gemens plangit?*

77. Vide l. II, vers. 769.

78. Forte *sine laude gerentes. Sine laude* dedecus innuit, ut *illaudatus* apud Virgilium, de quo verbo videndus A. Gellius l. II, cap. 6.

80. Ex Joann. cap. XII, vers. 25 : *Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quod Matthæus, Marcus et Lucas uno ore confirmant.

83. Ex Juvenali sat. 8, vers. 83, integer versus desumptus.

84. Iterum vers. 131 eadem sententia.

85. Forte *et quod confert.*

86. Forte *Ergo Deum sic corda colant.*

88. Supplevi ex vers. 79 seq. Si quid alii melius afferant, ultro accipiam. Synesius ex depravatis scriptorum veterum codicibus id commodi erui volebat, ut ingenia ad aliquid simile tentandum exercerentur. Cum enim in Dione sive de vitæ suæ instituto versus finem commemorasset, codices Dionis quos habebat corruptos esse, addidit : *Ita cum id quod ad narrationis seriem deest, intelligentia supplere atque attexere cogitur, neque subjecta habet oculis omnia, ad simile aliquid audendum per sese fit exercitatior, eoque consuescit, ut ab aliis non pendeat, sed intra seipsam contineat. Etenim corrupti isti libri mentem, quæ oculis præsit, desiderare videntur. Hoc ipsis etiam adolescentibus Pythagoræ doctrina præcipiebat, partim ut uniuscujusque indolis periculum faceret, partim ut exercitationis id loco esset.* Quantum vero ipse Synesius valeret ingenio in hujusmodi exercitationis genere, lege, si placet, in nota ad vers. 409. Interea animadvertere te velim, quam antiquum sit, codices corruptos inveniri, atque eorum supplementa excogitata fuisse. Utinam in his operibus quæ ad nos pervenerunt ea supplementa internoscere liceret!

92. *Perpes*, scilicet perpetuus amator melioris vitæ.

93. *Spectat* pro *exspectat*, vox Plauti est, et Ciceroni tribuitur, ut contrario modo *exspecto* pro *specto* supra ad vers. 53 expositum. Cæterum hoc loco *spectat* pro *aspicit, respicit*, stare potest.

94. Conjiciat aliquis *Insipiens quam sit*, ut ita melius metro consulat. Sed præterquam quod hujusmodi monosyllaba apud veteres communem quantitatem mihi videntur habuisse, in *sit* peculiaris est ratio, cur produci valeat : nam *sit* factum est ex *siet*. Cicero in Orat. cap. 47, SIET *plenum est*, SIT *imminutum*, *licet, utare utroque.* Lucretius, Terentius, Plautus passim *siem* et *sies* utuntur. Vide Gifanium Indic. Lucretii. Arator l. I, vers. 976, in editis habet : *Sed totum sit ut ipse Pater*, sed in duobus codicibus bibliothecæ

Et modico quæsisse die peritura repente,
Abrahæ doceant jam nos exempla parentis,
Qui natum senior susceptum tardius unum
Spe cito contempsit, jussus produxit ad aram,
Aptavitque neci nimia pietate cruentus;
Nudato mucrone pater, ferus ille sacerdos
Stabat in officio jam jam feriturus amatum,
Et pius immitis, non tristis fronte doloris,
303 Non lacrymis undando genas, non unguibus ora
Dilacerans; lamenta silent, et verbera cessant.
Nato peccati pietas secura minatur
Exitium: sine morte truci pro funere nati
Sic solum exhibito nata est immensa propago.
Hostia grata jacens, et victima mente quieta
Displicuit, placuitque simul, quia corde fideli
Et pater obtulerat, nec natus vota negabat.
Mox pater omnipotens arietem subrogat aris
Hostia præstatur non orbatura parentes.
Si deus ullus erat Saturnus falcifer unquam,
304 Hoc faceret, puerosque neci subduceret omnes,
Annua quos pietas flebat miseranda parentum.
Heu! non orbaret dilecto pignore patres,
Qui planctus, mortesque facit per vota rogatus.
Num verus Deus est, munus qui majus ademit;
Quam præstare potest? *Cui natos præstitit unquam?*
Nam Deus omnipotens, verus Deus, omnia præstans,

SCRIPTURA COD. VAT.

104. *Dilatans lamenta: fuit cessent*, correctum *cessant*.
105. *Non dat peccatoribus pietas s. m.*
106. *Sine morte crucis pro.*
107. Omnino desideratur hic versus: sed lacuna apparet.
116. *Pignore natos.*
117. *P. montesque facit per sera rogatus.*
118, 119. *Nescio sed minus est a quo deplangit ademit Quam præstare potest....* deest reliquum.

NOTÆ.

Vaticanæ, altero Palatino num. 1716, altero Vaticano num. 1665 scriptum a prima manu invenio, *Sed totum sit ipse Pater*, supra vero, ut in editis: sed prima lectio verior est. Capella cum observasset priscos corripere solitos *it* et *et*, et alia finita in *t*, censuit hæc omnia esse communia. Vide Ricciolium part. 4 Pros., reg. 6.

95. *Modico* pro brevi. Vide notam ad vers. 751, lib. I.

96. Confer v. 56 cum nota.

98. *Contempsit*, hoc est abjecit, deseruit. Infra v. 414, *Natos contempsit, et Urbem*, Sic Virgilius l. IV Georg., vers. 104 de apibus: *Contemnuntque favos, et frigida tecta relinquunt.* Sic *sperno* pro abjicere post Ennium Prudentius Psych. vers. 149, *Perfida signa abicit, monumentaque tristia longe Spernit.* In Dracontio distingui poterit *Spe, cito contempsit iussus, produxit ad aram.*

99. *Pietas* pro clementia sæpe a Dracontio ponitur; sed hoc loco sonat religionem et obedientiam erga Deum, quæ nimia, scilicet magna, recte dicitur. *Nimius* pro multus, plurimus, hyperbole est etiam scriptoribus ethnicis haud ignota, ut *nimis* pro *valde*. Hoc et seqq. versibus oppositiones fiunt Dracontio familiares *pietate cruentus*, *nudato mucrone pater*, *ferus sacerdos*, *feriturus amatum*, *pius immitis*.

101. *Stabat* constantiam denotat, et dicitur hoc verbum de militibus qui in acie certamini se paratos exhibent. Grammaticorum regula est, *ferio* carere præterito, et supino. Servius tamen ad l. VII Æn., vers. 498, dixit *feriturus*, et Charisius l. III in verbis defectivis præteritum *ferii* et supinum *feritum* verbo *ferio* adjudicat. In vetustioribus scriptoribus exempla non comparent.

103. *Undando* ponitur cum accusativo pro inundando. Ita eo verbo utuntur Statius et alii.

104. *Verbera*, ut vers. præc. *non unguibus ora Dilacerans*. Ictus qui in lamentis et planctibus fiunt *verbera* sæpe dicuntur. Vide notas ad vers. 377 seq.

105. Lego *Nato peccati pietas secura:* neque enim alia conjectura certior occurrit. *Pietas secura peccati*, hoc est, sine timore peccati. Ovidius l. XII Met., vers. 199, *Sint tua vota, licet, dixit, secura repulsæ: Elige, quid voveas.* Vide not. ad v. 164 et 438.

106. Lego *sine morte truci*, ut l. II, vers. 703, *Et revocans a morte truci.*

108. *Victima* est major, ut vitulus, *hostia* minor, ut agnus. Sæpe tamen unum pro altero ponitur. Etiam gentiles observarunt hostias quæ vehementius reluctassent diis non placuisse: *quæ autem stetisset oblata, hanc volenti numini dari existimabant. Hinc noster* (Virgilius), *Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aras.* Hæc Macrobius lib. III Saturn., cap. 5, quem videre juvabit.

109. Deo *displicuit*, *placuitque*, videlicet noluit Deus innocentem victimam immolari, et utriusque patris ac filii voluntatem approbavit. Hujusmodi oppositionibus, ut dixi, plenus est Dracontius. *Corde fideli*, ut Alcimus l. I, paulo post initium: *Cui mente fideli Impendat famulam longævo in tempore vitam.*

111. Tertia in *arietem* brevis est, sed producitur, quia tres breves concurrunt, ut in *muliere* sæpius factum a Dracontio. Vide notam ad vers. 133 et 660 lib. II. Statius produxit etiam tertiam in *arietibus* lib. II Theb., v. 492, al. 490: *Apparet unt celsum crebris arietibus urbis.* Nonnulli dicunt tertiam cum secunda per synæresin conjungi, ut ita prima produci possit. Sed ob solam synæresin prima produci non debet; aliud est, cum secunda tanquam consonans pronuntiatur: tunc enim prima producitur, secunda vim habet consonantis, et tertia corripitur, ut in *ariete* pes dactylus fieri solet.

113. Commodianus Instruct. 4, *Saturnusque senex, si Deus, quando senescit? Aut si Deus erat, cur natos ille vorabat Terroribus actus? sed quia Deus non erat ille, Viscera natorum rabie monstrosa sumebat.* Vide quæ notavi in comment. ad Prudent. l. II contra Symmach., vers. 296, *Cædibus infantum fument Saturnia sacra.* Commodianus de filiis Saturni loquitur, quos is devorabat; Prudentius et Dracontius de aliorum infantibus qui Saturnaliorum diebus festis ante adventum Herculis in Italia immolabantur, qui mos in Africa longo tempore invaluit. *Falcifer* cognomen proprium est Saturni, de quo Macrobius l. I Saturn., c. 7 et 8. Nonnemo *falcigerum* vocat. Falx Saturno tribuitur, quod agriculturam homines docuerit, aut quod tempus indicet, quo omnia metuntur.

114. *Neci subduceret*, ut l. I, v. 668. *Subductus morte*, et vers. 557 ejusdem l. I, *subducitur impete mortis.* Quare *neci* positum pro *nece* puto, ut v. 532, *Et solitus gaudere neci.*

116. Forte *pignore matres.* Verum *patres* pro patre et matre rectum est. Sic positum videtur ab Ovidio IV Met., vers. 61, *Sed vetuere patres*, et plura sunt exempla in veteribus inscriptionibus, præsertim apud Gruterum, ut pag. 692, num. 1, *M. Justinus Secundi-*

Non cupit insontum mortes, vitasque nocentum A
Non cito consumit, veniæ dum cuncta reservat.
Nam quod Isac jussit *collum submittere cultro*,
Non crudelis erat concessum auferre parenti
Per patris tam grande nefas, aut jura probare
305 Censuit amborum; non est tentator habendus,
Aut ignarus erat, quem mens humana lateret:
Cum ratione jubet fieri, quæcunque jubebit.
Sed voluit monstrare Deus, qua mente rogetur,
Qualiter omnipotens se vult, et jussit amari.
Ostendit cunctis, ut nil præponier unquam
Debeat æterno Domino, qui cuncta creavit,
Cujus amore pio sunt contemnenda pericla,
Vel quæcunque placent animis, et quidquid amatur.
306 Si jactura fiat, præstat compendia damnum,
Temporis exigui si sint dispendia vitæ,
Semper at æternæ felicia lucra dabuntur.
Nec nudo sermone decet promittere tanta.
Quid pater Abraham, quid Isac meruisse leguntur?
Horum posteritas replevit gentibus orbem.
Barbaries nec sola datur de germine justo,
Et Romana manus hocce est de sanguine fusa.

SCRIPTURA COD. VAT.

123. *Non quod Isaac jussit....* alia desunt, et *quod* obscurum est. B
128. *Fieri quacunque j.*
129. *Deus qua mente*; sed *qua* videtur esse *quia*.
131. *Nil præponeret unquam.*
132. *Qui* ambigue.
133. Prius videtur fuisse *pericle*.
135. *Sic jactura fiat.*
137. *S. et æ.*
138. Videtur scriptum *præmittere*.
139. *Quid Isaac m.*
140. *P. replebit g.*
142. *Manus hoc deest de s.*

NOTÆ.

nus, et Primania (al. *Primana*) *Marcellina Patres ammissione ejus* (filii) *orbati*.

121. Clementia Dei similibus verbis laudata est l. I, vers. 30 seqq., ac passim alibi. Vide lib. III, v. 657 seqq.

123. Primam in *Isac* corripuit etiam vers. 139, sed produxit v. 155.

124. *Auferre*, hoc est ad auferendum, vel ut auferret, ut *facilis cedere*, et similia. Deus non decreverat Isaac, quem ipse concesserat, auferre parenti per parricidium ab hoc committendum: nec tamen voluit experiri et tentare utriusque voluntatem, quasi ignarus esset mentis humanæ. Ratione quidem permotus jubet Deus fieri quæcunque jubet. Qua ergo ratione jussit Isaac immolari? ut nobis exemplo Abrahæ monstraret, quo pacto velit amari, ut nihil ipsi unquam præponatur. C

126. Genes. cap. XXII, vers. 1, dicitur, *Tentavit Deus Abraham*, quod repetitur Judith cap. VIII, vers. 22, et ad Hebr. cap. XI, vers. 17. Dracontius ergo hæc verba explicat ad sensum Ep. cath. Jacobi cap. I, vers. 13: *Nemo, cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat.* Duplex tentatio distinguitur, altera quæ decipit, aut in fraudem inducit, altera quæ probat. Prima Deo nullo modo convenit, altera ita Deo convenit ut non probet quasi voluntatis humanæ inscius, sed ut homini occasionem merendi præbeat, eum virtutibus exerceat, atque exemplo bono alios confirmet. S. Julianus antistes Toletanus libr. I Antikeimenon, num. 37, sic quæstionem proponit et resolvit: *Quomodo in Deuteronomio* (cap. XIII, vers. 3) *Moyses dicat: Tentat vos Dominus Deus vester: et e contra Jacobus apostolus prædicet: Deus neminem tentat? Responsio. Duas esse tentationes, in Scripturis sanctis solet intelligi: una quæ decipit, altera quæ probat. Secundum eam quæ probat dictum est: Tentat vos Dominus Deus vester. Secundum eam vero quæ decipit, Jacobus apostolus prædicat: Deus neminem tentat.* Hujus operis editionem vidi parum cognitam, Coloniæ ex officina Eucharii Cervicorni 1540, in tres libros divisam, ex codice vetustissimo bibliothecæ Fuldensis, ut in præfatione testatur Henricus Sachsius, cui opus ipsum alicubi afflictum est, quod anonymum prodierit. Andreas Schottus verum auctorem primus indicavit, quod in editione Matritensi eminentissimus cardinalis Lorenzana novis documentis confirmavit. Hoc Juliani opus plerique in duos tantum libros partiuntur. D

131. Lego *præponier* usitata paragoge, sed librario tamen ignota. Redit ad sententiam vers. 82 *Nil opus est præferre Deo.*

134. Prudentius in præfat. Psychom., vers. 5: *Senile pignus qui dicavit victimæ, Docens, ad aram cum litare quis velit, Quod dulce cordi, quod pium, quod unicum, Deo libenter offerendum credito.*

135. Forte *Si jactura fuat*, vel *siet*. Vide notam ad vers. 505 lib. II, *Compendia* et *damna* inter se confert etiam supra vers. 37.

137. Lego *Semper at æternæ:* nec superfluum est *semper*, nam *semper æternæ* idem est ac *sempiternæ*.

140. Rectius est *replevit*: nam *replebit* eo vitio scriptum videtur quo *b* pro *v*, et contra in mss. sæpe reperitur.

141. Notum est a Romanis *barbariem* et *barbariam* dictam omnem regionem præter Italiam, et Græciam, et gentes quæ hujusmodi externas regiones incolebant.

142. Forte *hoc est*. Germen justum, ex quo barbaries et Romana manus pacis amatores et immites prodierunt, est Isaac. Ab ejus primo filio Esau gentile genus originem ducit, a filio minore Jacob Israelitæ orti sunt. Sed verumne est, Romanos ex Esau originem trahere? Sententia quidem hæc est Dracontii, sed quam difficile sit probatis auctoribus confirmare. Mahometani narrant Esau, quem *Ais* vocant, filium fuisse Roum, ex quo Græci Romanique imperatores prognati sunt. Orientalium traditio est, sub Abdone Hebræorum judice Idumæos (qui sunt Esau posteri) in Italiam coloniam duxisse, ex qua Latini et Romuli repetenda est origo. Alii ex Tzepho nepote Esau ex filio, comite Æneæ, ut fabulantur, progenitos Romanos fingunt. Fazellus lib. VIII Decad. prior. de reb. Sicul., cap. unic., duas inscriptiones Chaldæas affert quæ olim Panormi legebantur. Earum altera marmoreo saxo insculpta erat, et Guilelmo secundo rerum potiente ab Abramo genere Damasceno Latine sic versa est: *Vivente Isaac filio Abrahæ, et regnante in Idumæa, atque in valle Damascena Esau, filio Isaac, ingens Hebræorum manus, quibus adjuncti sunt multi Damasceni, atque Phœnices, profecti in hanc triangularem insulam sedes perpetuas locaverunt in hoc amœnissimo loco, quem Panormum nominaverunt.* Altera inscriptio in vetustis quadratisque saxis insculpta, quibus veteris urbis porta quam *Patitelli* appellant est excitata, sic ab homine Syro anno 1470 Latine reddita fuit: *Non est alius Deus præter unum Deum. Non est alius potens præter eumdem Deum.*

307 Dat major gentile genus germanus, et hostis, A
Et minor eduxit, qui munera pacis amarent.
Subjiciat quisquam. Sanctorum vera propago
Pacis amatores merito, justeque creavit.
Nunquid et immites, qui gaudent sanguine fuso,
Debuerat proferre simul feritate cruentos?
Hæc illum responsa doment, faciantque silere,
Non agnoscit iners animi, rationis egenus,
Tempora quod mundi rebus sunt capta duabus:
Aut pax est, aut bella fremunt, quodcunque duorum
Alterutrum mox tempus habet, nec tertia res est,
Tempora quæ teneat. Dedit ergo tempora princeps B
308 Omnia perpetuo generi manifestius Isac.
Ætatem mundi retinens descendit origo,
Continuans dominata manet per sæcula mundi.
Nec tempus retinet tantum, spatiatur in orbem,
Qua profert, tollitque diem sol, luminis index,
Qua nescit lustrare polos, qua flammeus urit,
Imperat et pelago; cœlum possedit origo
Sancta prophetarum, tenet et loca magna piorum
Omnia possedit benedicti lata propago.
Sed nec solus erat, quem spes secura futuri
Egregie faceret præsentem temnere vitam.
Ignea tres pueros fornax exceperat ardens
Nomine pro Domini; sed mox tepuere calores,
309 Frigidus ignis erat, gelidis incendia flammis
Mirantur cecidisse, simul non fervor anhelat
Torridus, aut adytum lambebat flamma camini.

SCRIPTURA COD. VAT.

144. *Eduxit quod munera pacis amantes.*
148. *Proferre* dubie.
149. *R. domant f.*
151. *C. duobus.*
152. *Aut pax aut bella fremunt quodcunque duorum;* sed *quodcunque* obscure.
154. *Tempora quæ teneant.*
155. *Perpetui generi.*
159. *Qui profert.*
160. *Polos quam flammeus.*
162. Distinguitur *tenet : et.*
170. *Torridus aut aditum.*

NOTÆ.

Neque est alius victor præter eumdem, quem colimus Deum. Hujus turris præfectus est Saphu, filius Eliphar, filii Esau, fratris Jacob, filii Abraham, et turri quidem ipsi nomen est Baich: sed turri huic proximæ nomen est Pharat. Hinc etiam repeti posset origo Romanorum ex Esau. Videri potest Calmetus in Diction. Bibl. verbo *Esau*, qui hujusmodi fabulas a Judæis C confictas affirmat, ut nomini Romano odium crearent; quas tamen a nonnullis Christianis auctoribus adoptatas fuisse miratur.

144. Sic melius visum est restituere, quam scripturam codicis conservare.

145. Forte *Suscipiat quisquam.* Sensus idem est; reponat quisquam.

146. *Juste* pro *jure, legitime*, recte ponitur. *Merito justeque* quasi *merito jureque*, *merito et jure.*

147. Genes. cap. XXVII, vers. 40, Isaac ad Esau: *Erit benedictio tua: Vives in gladio.* Quamvis autem Israelitæ bellorum etiam gloria claruerint, sed multo magis commercio atque artibus pacis. Esau, prout primogeniti jura vendidit et amisit, figuram refert Israelitarum, quibus Christum profiteri nolentibus in regni cœlestis hæreditate successerunt gentiles ad fidem Jesu Christi conversi. Idem vero Esau, ut sanguinolentus erat, typus est gentilium, qui immites et feritate cruenti erant, ac fuso sanguine gaudebant. D

149. *Illum*, scilicet qui *subjecit*, et reposuit: *Sanctorum vera propago*, etc.

150. *Iners* cum genitivo, ut l. II, vers. 619. Prudentius hymn. 10 Cath., vers. 82, *Quam sit rationis egenis Mordax et amara medela.*

151. Forte *sunt apta duabus:* sed retinendum *capta* pro occupata.

153. Eleg. vers. 257, *Tempora sunt pacis, vel tempora certa cruoris. Otia tempus habent, militiæque labor.* Hinc supra legendum *sunt capta*, et vers. seq. *Tempora quæ teneat.* Sensus hoc loco est, quodcunque tempus habetur vel tenetur ab alterutro eorum, vel a pace, vel a bello.

154. *Princeps* pro Deo, ut l. II, v. 31. Vide notam.

157. Poterit interpungi *descendit origo Continuans, dominata manet.* De verbo *continuo* vide notam ad vers. 559 l. I. *Dominata* poterit esse passivum *dominata per sæcula*, quod tamen minus probo. *Sæcula mundi* aliquando Dracontius vocat sæcula absolute, ut l. I, vers. 622, *Post sæcla resurgere vitæ.*

159. *Profert* orientem indicat, *tollit* occidentem, ut vers. seq. duo poli et zona torrida indicantur. De vocabulo *index* lege not. ad l. I, vers. 114.

160. Infra vers. 305, *Qua flammeus axis.* Drepanius de cereo paschali: *Qua flammeus orbem Sol agit, occidui qua meta secunda diei est, Et qua prima patet rediture janua lucis.*

161. Distinguit inter originem Esau et Jacob: hujus proli cœlum et loca magna piorum, sinum scilicet Abrahæ concedit, non vero alteri, nisi postquam gentiles in locum Israel successerunt, fidem Jesu Christi amplexi.

163. *Benedicti*, hoc est Isaac, ut ex vers. seq. colligitur. Vide Genes. cap. XXII, vers. 18, et lib. II, vers. 616, *Æquantur numero benedicti germinis apte.*

164. *Secura futuri*, id est certa vitæ futuræ obtinendæ: nam *securus* cum genitivo varios habet usus. Aliquando securus est negligens, et is qui curam deposuit aliquando est certus rei obtinendæ, aliquando tutus et sine timore alicujus rei. Lucanus l. VIII, vers. 784, *Securus veniæ*, ut hoc loco *secura futuri.* Vide notam ad vers. 105 et 438 hujus libri.

166. *Ignea ardens* duo adjectiva uni substantivo apposita.

167. Nomen Domini sæpe in sacris Litteris ipsum Deum significat, et majestatem ejus denotat. Inde Christiani nomen Christi confiteri, et pro nomine Christi pati dicebantur in Actis veteribus. *Tepuere* hoc loco est *deferbuere*, *calorem remiserunt.* Lucanus l. IV, vers. 284, *Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt.* Martialis l. II, ep. 1, *Te conviva leget mixto quincunce, sed ante, Incipiat positus quam tepuisse calix.* Congeruntur plures oppositiones, quales Dracontio familiares esse jam observavi, *tepuere calores, frigidus ignis, gelidis flammis, fervor torridus non anhelat.*

169. De fervore *anhelante* vide notam ad l. I, vers. 26.

170. Forte *ast aditum* pro *aut*: nam videtur indicari quod cum tres pueri illæsi essent *in medio camino ignis ardentis*, viros illos qui in fornacem eos

Crinibus ignitis jejuna alimenta recusat
Fastidita fames, rejecto fomite pingui,
Non fuit ignis edax : quem roris spiritus afflans
Imbrifer exstinxit, mitissimus angelus intrans,
Cujus erat similis divinæ prolis imago.
Non vestis flammata viris, non crinis adustus,
Flamma nec extremæ læsit vestigia plantæ,
310 Conculcata licet toties gradientibus illis.
Illæsos pueros expavit Persa tyrannus :
Egrediantur, ait dominum confessus eorum

A Plenius, atque suum solium jubet omnis adoret
Parthicus, imperio subjectus regis, et aulæ.
Sæva Danielem rabies, atque ora leonum
Non tetigere pium, cui destinat insuper escam
Magna Dei pietas, jejuno utroque leone.
Quis petit, et vixit venator inermis arenam?
311 Amphitheatrales qui non tremuere furores,
Cum crepitante sono productus verberat auras,
Longius assistens Massylum ex arte lacessit,

SCRIPTURA COD. VAT.

171. *A. recusant.*
176. *Non ventis flammata.*
177. *Prima nec.*
178. *Illis*, pro diversa scriptura *illic*.
181. *Plenus atque suum solum jubet omnis adoret;* sed *omnis* non clare.
185. *Utroque leonem.*
186. *I. harena.*
187. Obscure *qui*.
188. *S. productor verberet a.*
189. *A. mansilum ex.*

B

NOTÆ.

miserant, *interfecit flamma ignis*, ut narratur cap. III Daniel., vers. 23 et vers. 47 : *Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem, et erupit, et incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis.* Ac conjecturæ locus est, legendum *Mirantur cecidisse, sinu non fervor anhelat Torridus, ast aditum*, etc. Nam apud Danielem legitur *in medium fornacis ignis ardentis, in medio camino ignis ardentis, in medio flammæ, in medio ignis*, quod *sinu* recte exprimitur. Non tamen dissimulabo *lambo* pro tactu levi et innoxio flammæ interdum accipi : ex quo incerta redditur lectio et conjectura. aut aliud verbum quærendum pro *lambebat*.

171. Crines non solum cometis et stellis tribuuntur, verum etiam igni. Val. Flaccus l. I, vers. 205, *Protulit ut crinem densis luctatus in extis Ignis.* Sic coma ignis apud Senecam in Œdip. vers. 311, Albinovanum ad Liviam vers. 256, Catullum carm. 60 nuptiali vers. 77 seq. cum nota Vulpii. Possit etiam intelligi de crinibus trium puerorum non igni combustis, sed splendentibus in morem ignis. Prima explicatio verior est. Infra enim sermo est de crinibus puerorum. De verbo *ignio*, et *ignitus* vide comment. ad Prudent. hymn. 10 Perist. vers. 1078.

172. Conjiciat aliquis *Fastiditque famem*, ut flamma jejuna recusaverit alimenta, et fastidierit famem. Lectio codicis eo pertinet, ut fames ignis jejuna recusaverit fastidita alimenta. Quadrat in hunc locum quod sanctus Basilius homil. 1 de laudibus jejunii tres hos pueros in fornace ignis illæsos amianto comparat.

173. Daniel. cap. III, vers. 50 : *Et fecit* (angelus) *medium fornacis quasi ventum roris flantem.*

175. Loc. cit. Daniel. vers. 92 : *Et species quarti similis Filio Dei.*

177. Loc. cit. vers. 50 : *Et non tetigit eos omnino ignis.* Mendum ergo clarum est *prima* pro *flamma*.

181. *Plenius* confessus est Dominum, quia antea quidem confessus illum fuerat, cum Daniel interpretatus illi fuit somnium, sed non ita plene, ac postea, cum tres pueros e fornace egredi jussit. Prius dixerat Daniel. cap. II, vers. 47 : *Vere Deus vester Deus deorum est, et Dominus regum, et revelans mysteria.* Postea vero Daniel. cap. III, vers. 96 seqq. ait : *A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus et lingua, quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misac, et Abdenago, dispereat, et domus ejus vastetur : neque enim est alius deus qui possit ita salvare.... Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus et linguis qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur. Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt, et mirabilia ejus, quia fortia; et* C *regnum ejus regnum sempiternum, et potestas ejus in generationem et generationem.* Quibus hi Dracontii versus dilucide explicantur. *Atque suum* pro *atque ejus*, videlicet Domini.

183. Prima in *Danielem* corripitur, duæ sequentes producuntur, quod in hujuscemodi nominibus propriis exterorum absurdum non est. Plerique duas primas corripiunt, aut ex secunda et tertia synæresin faciunt.

185. Sic l. I, vers. 556 : *Magna Dei pietas.* Sed quid est *jejuno utroque leone?* nam leones erant septem. Suspicor *utrinque leone*, vel *jejuno ventre leonum*. Non enim judico explicationem idoneam exprimi posse ex cap. XIV Daniel., vers. 31 : *Porro in lacu erant leones septem, et dabantur eis duo corpora quotidie, et duæ oves : et tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielem*, quasi Dracontius innuat leones utriusque cibi jejunos fuisse. Forte respicit ad picturas veteres, quibus Daniel inter duos leones exhibetur. Suspicio cujusdam est legendum *Magna Dei pietas. Jejuno utroque leonem Quis petit et vixit venator inermis arena?*

186. Sensus est quis inermis venator cum feris luctatus est, qui non fuerit occisus? Simili phrasi Exod. cap. XXXIII, vers. 20 : *Non enim videbit me homo, et vivet.* Ut venatio dicitur non solum de ferarum per nemora et agros persecutione, sed etiam de spectaculo venatorio, ita etiam venator sumitur pro bestiario, qui cum feris pugnat in amphitheatro. Bestiarii alii, qui mercede conducebantur aut ultro se offerebant, armati in arenam descendebant, alii ob scelera ad bestias damnati, his inermes objiciebantur.

187. Claudianus de Mallii consulatu vers. 298, *Perfossique ruant, populo pallente, leones.*

D 188. *Productus*, venator, bestiarius. Lucanus l. IV, vers. 708, *Fatalis arenæ Muneribus non ira vetus concurrere cogit Productos.* Sic etiam histriones in scenam produci dicuntur. Poterit tamen retineri *productor* pro magistro, qui producit feram, et sollicitat ad pugnam crepitante sono, aut flagello. Martialis de Spectac. ep. 21 : *Sollicitant pavidi dum rhinocerota magistri*, etc.

189. *Massylum*, videlicet leonem, vel melius pro *Massylorum ex arte*. Virgilius l. VI, vers. 59 : *Penitusque repostas Massylum gentes.* Statius l. II, silv. 5, *Occidis, altarum vastator docte ferarum, Non grege Massylo, curvaque indagine clausus.* Grex Massylus, grex venatorum gentis Massyliæ sive in Numidia, sive in Libya prope Getulos. Pro Mauritanis passim ponuntur. Quod si vers. præced. legas *productor*, interrogatio eidem apponi poterit : et hoc versu incipiet nova periodus *Longius assistens*, scilicet vena-

Lintea fluxa trahens : venabula longa tenentur
Poplite subnixo, duro sub pelle lacerto,
Inguinibus strictis, nudato pectore sursum?
312 Cum residens caveis inter spectacula festa
Vota facit populus, *valido ne bestia morsu*
Sanguinis humani sanie perfusa madescat.
Quando duos pariter suscepit arena leones,
Præsidio si porta fugæ spatiosior obstet
Clausa, patensque simul bisseno cardine verso,
313 Hinc vir adest, atque inde fera, stans unus ad unum.
Illinc armata manus ferro, hinc dentibus ora.
Et tamen auxilio supra caput imminet alter,

SCRIPTURA COD. VAT.

190. *Longa tenenti.*
192. *Inguinibus strictis mutato pectore visa*; sed *visa*, an *jusa*, dubium est, nec clarum *pectore*.
193. Scriptum *redens*, correctum *recidens*.
194, 195. *Vota facit populis, ne valida bestia nota Sanguinis ab o......* desiderantur cætera.
197. *Præsidio si capta fugæ spatiosior orbis.*
199. *Hinc vir adest atque vir fera stans unus ad unum.*

NOTÆ.

tor quem antea nominavit. Venatores longe stantes feras provocabant, ut cum impetu incurrerent et facilius eluderentur.

190. Cernere adhuc licet bestiarios in antiq. Explic. Montfauconii tom. III, part. 2, libr. IV, cap. 8, ubi e pictura Nasoniani sepulcri repræsentatur venatio leonum in septo : venatores sunt inguinibus strictis, et ex zona lintea nonnihil demissa fluunt : brachia nuda ostenduntur. Sed nec venabula gerunt, nec sagittas, ac solum prægrandibus clypeis armati apparent. Diversæ igitur erant venandi rationes. Et a Dracontio quidem venator ita exhiberi videtur, ut alia manu linteis fluitantibus feram lacesseret, alia venabula teneret. Venabulum proprium venatorum telum est. Vide Martialem l. XIV, epigr. 30 et 31, *Si dejecta geres longo venabula rostro, Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.* De cultro venatorio loquitur. Scripsi *tenentur*, quod clarius videtur. Si retineas *tenenti*, id cohærebit cum *lacerto*.

191. *Poplite submisso* dixit Ovidius Metam. l. VII, vers. 191, et Valer. Flaccus l. VI, vers. 245. Sed melius hoc loco est *subnixo*, quia poples terræ nititur, ut venator feram irruentem excipiat. Forte *dura sub pelle*; sed bene etiam est *duro lacerto*.

192. Forte scribendum *nudato pectore supra*, aut *nudato pectore dextro*. Idem usus exprimi videtur a Juvenali sat. 1, vers. 23, *Cum tener uxorem ducat spado. Mævia Tuscum Figat aprum, et nuda teneat venabula mamma.* Nam feminas in arenam descendisse constat, quod satyra dignum censet Juvenalis.

193. *Caveis*, quia triplex erat cavea, ima, media, summa.

194. Verum puto *valido ne bestia morsu* : nam *morsus* de bestiis passim dicitur. Lucretius l. V, v. 1321, *Morsibus affixæ validis atque unguibus uncis.* Exponit Dracontius vota populi precantis, ne venator a fera dilanietur, ut vers. 201, *Morsibus illisis ne bestia membra jacentis Vexet, et horrorem faciat dilecta voluptas.* Ac negari nequit interdum hæc fuisse vota populi, ut homo victor contra feram evaderet. Sed scriptores veteres Christiani hanc crudelitatem Romanis objiciebant, quod ex miserabili et cruenta hominum morte voluptatem caperent. Vide quæ observavi ad Prudentium l. II, contra Symm. vers. 1098. Christianorum imperatorum ætate, cum gladiatorius ludus sublatus jam erat, sed perseverabat adhuc venatio ludicra, Cassiodorius l. V Variar., ep. 42, hunc ludum crudelem et sanguinariam voluptatem vocat, et de venatore seu bestiario ait : *Voluptatem præstat sanguine suo, et infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat evadere.*

197. Locus sane difficilis cui aliqua medicina, si fieri possit, succurrendum. Dracontius eo tendit ut ostendat in amphitheatro contra duos leones venatorem unum quamvis armatum stare non posse, nisi alius venator auxilium ferat. Hinc enim colligit Danielem inermem sola mirabili Dei virtute ab ore leonum fuisse liberatum. Difficultas solum hæc est, quænam consuetudo veterum in amphitheatrali venatione indicetur his versibus : *Præsidio si capta fugæ spatiosior orbis Clausa patensque simul bisseno cardine verso.* Primum lego *si porta* pro *si capta* : nam versus sequens ad portam aliquam refertur, quæ proinde in hoc versu nominari debet. Pro *orbis* lego *obstet* : nam aliquod verbum requiritur, ut cæteris vocabulis sensus reddatur, et *obstet* sententiæ congruit, scilicet *si obstet præsidio fugæ*. Sed *porta spatiosior* qua ratione fugæ obstare potest? Id versu seq. explicatur.

198. De diversis ostiis quæ erant in amphitheatro sermo hic est. Cassiodorius libr. V Var., ep. 42, de amphitheatro Titi loquens ait : *Alii tribus, ut ita dixerim, dispositis ostiolis paratam in se rabiem provocare præsumunt, in patenti area cancellosis se postibus occulentes, modo facies, modo terga monstrantes, ut mirum sit, evadere, quos ita respicis per leonum ungues, dentesque volitare.* Hæc ostiola ad nos pertinere non puto. Propius ad rem nostram faciunt, quæ libr. III Variar., ep. 51, de circo Augusti et ludo quadrigarum verba faciens habet : *Bissena quippe ostia ad duodecim signa posuerunt. Hæc ab hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur.* Ex quibus verbis Scaliger Lect. Auson. l. I, cap. 25, exponit versus Ausonii : *Ostia quot pro parte aperit stridentia circus, Excepto medium quod patet ad stadium.* Omnia illa duodecim ostia aperiebantur simul miro artificio, automata machinatione hermularum, sive sigillariorum, ut explicat Scaliger. Lipsius cap. 8 de Amphitheatro censet partim subterraneos cavos fuisse in quibus feræ reconderentur, partim depositas eas fuisse in caveis sub interiore porticu, e qua portulæ et aditus plures pertinent in arenam, quæ in Romano Titi amphitheatro non tam clare patent : omnia enim ruinis aggesta et obruta, sed clarissime Veronæ cernuntur. Ex his caveis feræ cum impetu in arenam emittebantur, et post pugnam iterum in eas immittebantur. Seneca de ira : *Curriculi rotarumque versata facies leonem redigit in caveam.* Easdem portas intelligit Statius libr. II, silv. 5, de leone mansueto : *Stat cardine aperto Infelix cavea, et clausis circum undique portis, Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.* Itaque Dracontius, hunc morem respiciens, ostia duodecim *bisseno cardine* expressa commemorat, quæ miro artificio simul omnia paterent, ut feræ e caveis egrederentur, ac illico clausæ manerent, ne in caveas sese reciperent.

199. In *fera* producitur *a* ob *st* dictionis sequentis. Conjiciebam *stant unus ad unum*, vel *stat unus ad unum*, producto *stat* ob rationes quas attuli ad vers. 94.

200. *Ferro, hinc* cum hiatu, præsertim quia aspiratio vim consonantis apud veteres aliquando habebat. Venustus est istiusmodi hiatus in penthemimeri. Martialis de Spectac. epigr. 27, de Carpophoro pugnante cum bestiis : *Hæc armata manus Hydræ mors una fuisset.*

201. Plures in arenam venatores descendebant, ut mutuam opem sibi ferrent. Martialis loc. cit.

A

Morsibus illisis ne bestia membra jacentis
Vexet, et horrorem faciat dilecta voluptas.
Quis, rogo, tam sævas rabies compescere vindex
314 Armatus præsumpsit homo? clarissimus ille
Alcides, quem monstra ferunt domuisse nefanda,
Qui virtute polos meruisse est dictus, et astra,
Vix unum exstinxit captum per colla leonem,
Si tamen huic verax per sæcula fama locuta est.
Sed hic plena fides hominis pietate Tonantis
Exegit virtutis opus, miracula summa.
Ille Dei famulus fuerat, non sorte Dianæ,
315 Quæ solet insontum fuso gaudere cruore,
Sanguinis humani nunquam satiata, catervis
Hospitibus cæsis, humana tabe madescens
Taurica per Colchos crudelis virginis ara.

SCRIPTURA COD. VAT.

203. *Et honorem faciat.*
205. *C. illo.*
212. *Non forte Dianæ.*

NOTÆ.

epigr. 23, *Hunc leo cum fugeret, præceps in tela cucurrit.* Tam certo ictu venabula dirigebat Carpophorus (ait Martialis), ut feræ illum fugerent, et ita præcipites, ut in aliorum venatorum tela incurrerent, quasi minus timerent ab aliis interfici quam a Carpophoro.

202. *Illisis*, ut Horatius l. II, sat. 1, vers. 77: *Fragili quærens illidere dentem, Offendet solido*, et Lucretius l. IV, vers. 1073: *Dentes illidunt sæpe labellis.*

203. Voluptas peculiari quadam significatione spectacula significat. Adisis comment. ad l. II Prudentii contra Symm. vers. 1125, et hymn. 6 Perist. v. 66, et notas Petri Brossei ad Cassiodorium l. V Variar., ep. 42.

204. Suspicor *compescier unus*. Id saltem intelligi debet. Revertitur Dracontius ad Danielem, qui solus inter septem leones rabida fame exagitatos victor evasit, quamvis inermis. *Sævas rabies* pro leonibus sævis quos fames fatigabat. Virgilius libr. IX, vers. 63, *Collecta fatigat edendi Ex longo rabies*, et libr. II Æn., vers. 356, *Quos improba ventris Exegit cæcos rabies*. Daniel. cap. XIV, vers. 31: *Porro in lacu erant leones septem, et dabantur eis duo corpora quotidie, et duæ oves: et tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielem.* Hinc tentari possit *Quis, rogo, tam sævas rabies compescere septem.*

208. Auctor de laudibus Herculis inter Claudiani opera de hoc Nemæo leone: *Solisque lacertis Grandia corripiens eliso guttura morsu, Imbellem fractis prosternis faucibus hostem.* Quippe vulneribus leo ille confici non poterat, ut mythologi tradunt. Hoc primum Herculis facinus ponit Apollodorus libr. II de deor. Orig.

209. Forte *hæc*, vel *hoc* pro *huic*.

210. *Sed* producitur ob aspirationem vocis sequentis. Vide vers. 200 et notam ad vers. 94 de hujusmodi monosyllabis, quæ communi quantitate esse prædita videntur. Fidei tribuitur hoc miraculum Daniel. cap. VI, vers. 23: *Eductusque est Daniel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo.*

211. *Virtus* de miraculis in sacris Litteris dicitur, ut notavi ad libr. II, v. 114, *Ut faceret virtutis opus.* Hoc autem loco virtutis nomen recte etiam ponitur, quia propria quadam significatione virtus athletis tribuebatur. Prudentius hymn. 4 Per. vers. 101, *Noster, et nostra puer in palæstra Arte virtutis, fideique olivo*, etc. Etsi autem diversi erant ludi athletarum, gladiatorum et venatorum, nihilominus etiam gladiatoribus et venatoribus virtus eodem sensu ascribitur.

212. *Sorte Dianæ*, intelligo *ministerio Dianæ*, phrasi ex sacris Litteris, et usu Israelitarum petita: nam sacerdotes et levitæ munus serviendi templo sortiebantur per vices. Juvencus l. I, vers. 45, *Sed*

B *cum sorte adytis, arisque inferret odores Zacharias.* Nonnulli ediderunt *forte*, sed *sorte* vera est lectio, quæ duobus antiquissimis codicibus Vaticanis confirmatur. Paulo ante ait Juvencus vers. 38, *Zacharias, vicibus cui templum cura tueri*, quod eodem pertinet. Confer Barthium l. XI Advers., cap. 12. Erat igitur Daniel famulus Dei viventis, ut eum vocavit Darius, non ministerio, aut tutelæ Dianæ addictus. Neque sine certa ratione mentio Dianæ fit: non enim solum venatio rustica, sed et ludicra in tutela Dianæ erat. Martialis de Spectac. epigr. 12, *Inter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ:* ita vocat venationem ludicram. Claudianus de Consul. Mallii vers. 291, *Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.* Cassiodorius libr. V, ep. 42, *Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.* Vide Mazochium Comment. in Campani amphitheatri titulum cap. 5, et Petrum Taffinum de Anno sæcul., et Lud. C sæcul. part. 1, cap. 8.

214. Sic interpungo. *Satiata* cum genitivo. Silius l. IV, vers. 437, *Titanum bello satiatam sanguinis hastam.* Ovidius libr. VII Metam., vers. 808, *Tutus eram jaculo: sed cum satiata ferinæ Dextera cædis erat, repetebam frigus et umbram.* Postea *catervis hospitibus cæsis*, ut Lucanus libr. V, vers. 11, *Hospes in externis audivit curia tectis.* Multi alii *hospes* adjective ponunt. Neque invitus legerem *catervis Hospitium cæsis* in genitivo plurali pro *hospitum*, ut *hæreditatium*, *civitatium*. Severus in Ætna vers. 127, *Quod si diversas emittat terra canales Hospitium fluviorum:* ubi tamen nonnulli aiunt *hospitium* esse accusativum, ut canales sint hospitium fluviorum.

216. *Taurica*, quia Diana in Taurica Chersoneso (nunc *la Crimea*) colebatur, cui Tauri, populi Scythiæ Europææ, hospites suos immolabant. Ovidius l. IV Trist., eleg. 4, vers. 63, *Nec procul a nobis locus est, ubi Taurica dira Cæde pharetratæ pascitur ara deæ.* Juvenalis sat. 15, vers. 114, *Mæotide* D *Sævior ara Ægyptus: quippe illa nefandi Taurica sacri Inventrix homines (ut jam quæ carmina tradunt Digna fide credas) tantum immolat.* Scite etiam *virginis* mentio facta. Athanasius Contra gentes num. 25, *Scythæ enim, qui Taurici dicuntur, virgini suæ sic appellatæ* (Dianæ) *naufragos, et quoscunque ex Græcis ceperunt pro hostiis jugulunt.* PER COLCHOS, qua regio Colchorum patet. Colchis *Mengrelia* nunc dicta inter Pontum Euxinum ad occidentem, et Iberiam ad orientem. Olim omnes qui littora Ponti Euxini incolebant hospites immolabant, atque idcirco ab antiquis Pontus AXENUS, inhospitalis, dictus fuit postea *Euxinus* sive hospitalis. Crudelitas vero aræ Dianæ in Taurica Chersoneso comprehendebat etiam Colchos. Thoas enim rex fuit Tauricæ Chersonesi, cui Colchi subjecti erant. Ovidius l. III Ex Ponto eleg. 2, vers. 59, *Regna Thoas habuit Mæotide cla-*

Petrus apostolico digne subnixus honore,
Discipulus Domini, crucis almæ signifer et dux
Gentibus innumeris positus sub lege fideli,
316 Retia post pelagi vilissima piscis aquosi
Præco Dei solers, et veri dogmatis index,
Janitor æthereus, vel primus in orbe sacerdos,
Temporibus nostris Christo regnante tonanter,
317 Quanta, docens populos, turbis miracula fecit,
Impendens Asiæ nulla mercede salutem,
Europæque simul nixus virtute magistri?
Et ne Roma diu nesciret munera Christi,
Hanc, Paulo comitante, petit, pia jussa sequendo.
Exorans precibus Magum per celsa volantem

SCRIPTURA COD. VAT.

221. *Prego Dei.*
223. *Nostris*; ad marg. *placidis.*
228. *Jussa secundo.*
229. *Exorat precibus magnum per.*

NOTÆ.

rus in ora, Nec fuit Euxinis notior alter aquis. Hyginus, fabul. 261, narrat Orestem cum Pylade Colchos petiisse, ac captum ut Dianæ Tauricæ immolaretur, occiso Thoante, simulacrum Deæ sustulisse.

217. Petrus cæteris apostolis præfertur, ejusque principatus clare astruitur. *Crucis almæ signifer, dux gentibus innumeris positus sub lege fideli, præco dei solers, veri dogmatis index, janitor æthereus, primus in orbe sacerdos, Domini vices agens.*

219. Potestas regendi omnem Ecclesiam, Petro, ejusque successoribus concessa, his verbis clare exprimitur. Cum enim necessario agnoscendus sit dux aliquis in terris, gentibus innumeris, scilicet universæ Ecclesiæ positus ad fidei depositum custodiendum, quisnam alius hic dux esse potest, nisi Petrus ejusque successor Romanus pontifex? Hoc antiquitatis testimonium pro cathedra Petri et perpetuæ Hispanorum erga sedem apostolicam Romanam venerationis argumentum, denuo prolatum e tenebris, libenti animo innumeris aliis adjungimus, parvam scilicet guttam Oceano, sed nonnullius tamen pretii additamentum, neque prorsus indignum, quod honori, meritis, incomparabili virtuti, immortali nomini SS. D. N. Pii VI Domini vices agentis consecremus.

220. Post vilissima retia aquosi piscis pelagi. Virgilius libr. IV Georg., v. 233, de Pleiade: *Aut eadem sidus fugiens ubi piscis aquosi Tristior hibernas cœlo descendit in undas.* A Dracontio piscis aquosus dicitur, quia extra aquas vivere nequit.

221. Tertullianus de Judic. Dom., *Præconesque Dei (horrendum) sæpe fugastis.* Noe *præco justitiæ* appellatur a S. Petro Ep. II. c. II, vers. 5. *Veri dogmatis index* elogium magis peculiare Petri est, ut vers. 159, *Sol luminis index.* Vide notam ad l. I, vers. 114.

222. Hilarius Comment. in cap. XVI Matth., num. 7: *O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur.* In hymno SS. apostolorum Petri et Pauli ad vesp., qui Elpidi uxori Boethii tribuitur: *Mundi magister, atque cœli janitor.* Alcuinus carm. 81, *Piscator quondam, cœli nunc janitor almus.* Victorinus de Jesu Christo Deo et homine: *Petro sublime locutus: Claves sume poli, cujus tu janitor esto.* Strabo Carmine de S. Petro: *Janitor ætheræ recludens gemina vitæ.* Editor notat mendum esse in *gemina.* Corrigam *limina.* Eadem ratione *claviger* dicitur Petrus in hymno laudum omnium sanctorum: *Summique cœli claviger.* Apud ethnicos *cœli janitor* erat Janus.

223. Inepte in ms. aliquis emendabat *Temporibus placidis.* Probum est *Temporibus nostris*, nempe temporibus nostræ Christianæ religionis. Hactenus exempla credentium ex Veteri Testamento Dracontius posuit, nunc ex historia ecclesiastica Petrum principem apostolorum miracula ex fiducia in Deum operantem proponit. In Missali Mozarabico missa celebratur de S. Martino, in cujus Oratione post nomina sic legimus: *Hunc etiam virum quem celicolis ammirandum martyribus adgregatum etatis nostre tempora protulerunt: jubeas auxilium nostris ferre temporibus.* Lesleus in elegantibus doctisque notis, *Hinc patet*, ait, *quam vetustus fuerit in Hispania cultus S. Martini, et quam vetusta sit hæc missa.* Sed ut facile credam, vetustum esse in Hispania cultum S. Martini, et vetustam missam, ita minime credo, hanc orationem scriptam fuisse ea ætate, aut sæculo, quo Martinus obiit. Nam *ætas nostra*, *tempora nostra* opponuntur antiquioribus temporibus, quibus multorum sanguine martyrum Ecclesia nobilitabatur: quo sensu etiam post unum et alterum sæculum apposite ea oratio conscribi et recitari potuit, qua tempora pacis Ecclesiæ *tempora nostra* dicuntur, nisi etiam in hac oratione *tempora nostra* de temporibus religionis Christianæ malis accipere. In Dracontio explicatio patet ex sequentibus verbis, *Christo regnante tonanter*: retineri enim potest *tonanter*, cum similibus adverbiis alibi utatur Dracontius, ut dixi prolegom. num. 135. Non tamen ægre feram, si legas *tonante.*

226. *Simul* pro *similiter* novum non est. Cicero Verr. 2, al. act. I, c. 4: *Cujus prætura urbana ædium sacrarum fuit, publicorumque operum depopulatio: simul in jure dicundo bonorum, possessionumque contra omnium instituta addictio et condonatio.* Petrus *nixus virtute magistri* ex Act. apost. c. 3 v. 12 et seqq. *Aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* etc.

228. *Paulo comitante*, non quod Romam eodem tempore Petrus et Paulus advenerint, sed quia simul in hac urbe commorati fuerunt, cum Petrus longe ante Paulum venisset.

229. Primam in *magus* antiquiores corripuerunt. Nihilominus restituo *Magum*, quod tanquam nomen proprium Simoni attributum libere a Dracontio, et more suo producta prima effertur. Accedit exemplum Sedulii in dedicatione ad Theodosium Augustum, *Insidias regis, Magorum præmia doctos Discipulos.* Qui versus auctoris veteris certe sunt, sed multi negant Sedulii esse. Quod attinet ad historiam Simonis Magi a Dracontio descriptam, ea quidem vulgo satis nota est et ab idoneis auctoribus olim tradita: Arnobio libr. II contra Gentes, Constitutionum apostolicarum scriptore, Lucifero Calaritano aliisque legatis Liberii pontificis ad Eusebium Vercellensem scribentibus, Cyrillo Hierosolymitano catechesi 6 Illuminatorum, Eusebio lib. II Hist. eccles. c. 12, Epiphanio hæresi 21, Augustino lib. de Hæres., Theodoreto lib. I Hæretic. fabul. cap. 1, Maximo Taurinensi serm. 5, olim S. Ambrosio ascripto, Dungalo in fine Responsion., Isidoris, Hispalensi, et Pelusiota, Sulpicio Severo, Basilio Seleuciensi, Philastrio, Paciano, Petro Chrysologo, innumerisque aliis Christianis, ut ethnicos prætercam Suetonium et Dionem, qui non quidem aperte, sed aliquo tamen modo idem factum innuunt. Non omittam commune totius Ecclesiæ Gothicæ suffragium, quæ in festo SS. apostolorum Petri et Pauli hanc historiam commemorabat, ut legitur in Missali

318 Simona mendacem sternit, spectante Nerone.
Ficta Dei proles nimia est collapsa ruina.
319 Sic imitatorem sed non imitabilis ignis,
Fulmina mentitum, perculsum fulmine vero
Sacrilegum cecidisse ferunt Salmonea regem.
Ecce, quid alma fides exegit ab arce Tonantis,
Ut vitas, mortesque daret sermone fideli.
Mors cita, vita redux, verbo mandante, recurrit.
Naturæ famulatus adest servire paratus,

SCRIPTURA COD. VAT.

232. *Sic imitarem sea non.*
233. *P. culmine vero.*
234. *Salmonia regua.*
235. *Quid*, vel *quod.*
238. *N. famulatur adest.*

NOTÆ.

Isidoriano post Sanctus: *Christe Fili Dei, qui nebulosa magice artis in Symonis præsumptione prestigia apostolice concertationis veritate prodita destruxisti. Quem frustra celorum ascensum aeris mollitionibus appetentem decepta demonum inlusione jactantia altius extulit gravius elidendum*, etc. Eidem sententiæ confirmandæ accedat nunc Dracontius. Verum opiniones quædam historicæ, ut satis per se liquet, sua sidera habent sua tempora. Doctinæ nunc exquisitum genus viget multa, olim stabilita, negandi, plura in dubium revocandi. Ac mecum sæpe quærere soleo quid causæ sit cur nunc historiæ quædam tanquam aperte falsæ rejiciantur, quæ olim a majoribus nostris pro certis habebantur. An novæ aliquæ rationes inventæ sunt, quæ eos latuerint? Nullæ omnino in plerisque hujusmodi rebus. An acutius nos videmus? Vellem, id ita esset, nisi eo jam impiorum quorumdam hominum audacia processisset, ut sacrosancta omnia religionis christianæ dogmata licenter convellere conentur. Sed, ut ad Simonem Magum redeam, ejus volatum et casum nuper adversus criticas recentium quorumdam observationes Cajetanus Golt brevi sed docta diatriba asseruit, quæ in Diario ecclesiastico Romano anni 1787, num. 4 et 48, tota neque immerito inserta est. Hoc eodem in argumento erudite etiam versatus est, et Cotelerium nervose refutavit Lesleus in notis ad Missale Mixtum, sive Isidorianum pag. 578 et seq. Vide etiam Fogginium de Itin. rom. S. Petri, et Philippum Laurentium Dionysium sacr. basil. Vatic. Monum. pag. 198.

230. Sedulius lib. III, al. l. IV, vers. 113, eadem quantitate *Simonis* nomen protulit: *Stagna petit parvaque sedens in Simonis alno.* Alii primam et secundam corripiunt, alii utramque producunt. Petrus Aurorarius in libris Machabæorum cum Dracontio et Sedulio facit: *Simonis ut natos perimat cum patre, laborat.* Ex ms. Vat. id profero. In codice Dracontii scribitur *Symona*, ut in Missali Isidoriano.

231. Simon Magus Samariæ gentem magicis artibus et præstigiis adeo illuserat, ut pro virtute Dei haberetur. Act. apost. cap. VIII, vers. 10: *Cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.* Deinde vero sacro baptismate suscepto cum potestatem conferendi Spiritum sanctum pecunia emere voluisset, repulsamque tulisset ab apostolo Petro, multis Orientis provinciis peragratis, Romam venit, ubi se Christum esse comminiscebatur, et ad Deum, quem patrem suum jactabat, se evolaturum palam edicebat. Exstant adhuc ex quodam ejus libro verba apud S. Hieronymum in Matth. XXIV, quibus de se dicebat: Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnia Dei. His de causis a Dracontio appellatur *ficta Dei proles.* An autem a Romanis pro deo unquam habitus fuerit, nondum liquet. Ex S. Justino multi referunt, jussu senatus honori Simonis Magi statuam in insula Tiberina erectam fuisse hac adjecta inscriptione: SIMONI DEO SANCTO, sive SIMONI SANCTO ET DEO. Justinum deceptum fuisse ex aliqua statua et inscriptione quæ Semoni Sanco Deo Fidio posita fuerit, simile vero non videtur: sed multi tamen viri critici verissimum id esse arbitrantur. Huic controversiæ causam potissimum dedit lapis ad Tiberis ripam sæculo XVI effossus cum hac epigraphe, quam ex epistola Julii Jacobonii ad Muretum anno 1574 data subjicio:

SEMONI
SANCO
DEO . FIDIO
SACRUM
SEXTVS . POMPEIVS . S. P. F.
COL . MVSSIANVS
QVINQVENNALIS
DECVR
BIDENTALIS
DONVM . DEDIT.

Repertus fuerat lapis paulo ante quam Jacobonius litteras ad Muretum daret. Hanc inscriptionem non Simoni Mago, sed Semoni Sanco, seu Sango deo Sabino positam fuisse, nunc omnes consentiunt; sed tum cum effossus est lapis, multi secus sentiebant. « Vix me heri vespere (inquit Jacobonius) a quorumdam hominum conventu honeste dissolvi, quibus obfirmato animo asseverantibus, lapidem nuper ad Tiberis ripam effossum, Semoni Sanco Deo Fidio inscriptum, Simonem illum Magum designare, cum omnino ipse adversarer, ludibrio omnibus ac despectui esse cœpi. Cumque de quodam Fidio Saugo vel Sanco legisse me aliquando affirmarem, Semonesque terrenos deos antiquitus fuisse appellatos, tum magis a quibusdam irridebar, qui Sancum Sabina lingua Magum Semonemque, quam Simonem Hebraice dici malebant. » Sententiam Jacobonii multis confirmavit Muretus. Revera præter scriptores veteres, apud quos mentio Semonis Sanci sæpe occurrit, nonnulli sunt lapides eidem inscripti apud Gruterum et alios; sed nonnunquam legitur *Sancto* pro *Sanco*, et *Semopatri* aut *Semipatri* pro *Semoni*. Nihilominus statuam quam Simoni Mago dedicatam se vidisse Romæ testatur Justinus, nunquam exstitisse affirmare non ausim. Justini auctoritatem tuentur Calmetus in dissert. de Simone Mago, Fogginius de Roman. S. Petri Itin., Travasa, Grotius, Mazochius, alii.

232. Contrahit narrationem Virgilii l. VI, vers. 585: *Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas, Dum flammas Jovis, et sonitus imitatur Olympi. Quatuor hic invectus equis, et lampada quassans Per Graium populos, mediæque per Elidis urbem Ibat ovans, divumque sibi poscebat honorem. Demens, qui nimbos, et non imitabile fulmen Ære, et cornipedum cursu simularat equorum. At pater omnipotens densa inter nubila telum Contorsit (non ille faces, nec fumea tædis Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.* Vide Claudianum in fin. l. II contra Rufinum.

236. *Vitas* ex versu 225 et seq., et libr. II, vers. 756 et seqq., ubi Tabithæ e mortuis resurrectio describitur. *Mortes* Simonis Magi, Ananiæ et Saphiræ Act. apost. cap. V.

238. Lego *Naturæ famulatus.* Cicero l. III Offic., cap. 33, *Quam miser virtutis famulatus servientis voluptati! Famulatus* et *paratus* sibi consonant, ut in versibus Leoninis, quod in multis versibus optimorum poetarum casu aliquando factum occurrit. Figurate vero ponitur. *Naturæ famulatus* pro *natura famulans.* Posset etiam legi *servire paratæ.*

320 Obsequitur, Dominique vices cognoscit agentem. A
Exigit hoc simplex spes, vox pia, vota fidelis.
Omnia nam constat precibus cito posse mereri,
Vivere quos libuit sub tali tramite vitæ.
Quod si cuncta velim miracula currere solers,
Non mihi sufficient mortalis tempora vitæ,
Multa licet maneant sub quovis limite longo.
Sed ne forte legat hæc carmina nostra profanus,
Quem lateat lex sancta Dei, nec credulus exstet,
Impendat quid pura fides, præsumptio simplex;
Nec tamen æternum modico pro tempore quærat,
321 Et neget, Abraham tantum fecisse beatum,
Vel quoscunque docet sancta Scriptura fideles:
Historias currant Danaum, gentisque Quirinæ.
Qua pro laude sua, vel qua pro regno alieno,
Mentibus infectis animosæ cladis amore,
Ausi omnes scelerare manus de morte suorum,
Aut certe de strage sua. Menecea Creontis
322 Statius ostendit, qui fuso sponte cruore,
Ut pater orbatus furiarum regna teneret,

SCRIPTURA COD. VAT.

240. *Hoc semper spes sors pia.*
241. Prius in codice, *Vivere quos*, postea *Omnia nam.*
243. *Qui si cuncta.* B
245. *M. sub quo vis milite longo:* prius erat *longe.*
249. Dubium *præ* an *pro*; obscurum etiam *quærat.*
253. *Quid pro l. s. v. quid.*
255. *Aut si omnes.*
257. Ambigue *quia* pro *qui.*

NOTÆ.

240. Sic ex conjectura. *Simplex spes*, ut vers. 248, *Præsumptio simplex*. Vide notam ad vers. 625 libr. II. Non deerit tamen, cui magis arrideat scriptura codicis *Exigit hoc semper spes*. Pro *vota fidelis* recte aliquis conjecit *vita fidelis*, hoc est ad Christianam fidem exacta. Non male. *Sors pia* sustineri posset ex nota ad vers. 212. Pro *vota fidelis* non male esset *sermo fidelis*, ut vers. 236. Suspicabar *bucca fidelis*. Martialis l. I, epigr. 42. *Bucca loquax* dixit: et undenam Itali Hispanique *bocca*, et *boca* dicunt os, nisi a *bucca*? *Exigit* est perficit, ut vers. 211, *Exegit virtutis opus*. Horatius l. III, od. ult., v. 1, *Exegi monumentum ære perennius*. Quanquam hoc versu *exigit* potius ponitur pro obtinet reposcendo et exigendo, ut vers. 235, *Ecce, quid alma fides exegit ab arce Tonantis.*

241. Vide notam ad vers. 720 l. II.

242. Libr. I, vers. 12, *Pro certo tramite vitæ*. Trajectio horum versuum visa fuit necessaria: nisi legas *vota fidelis. Vivere quem libuit sub tali tramite vitæ. Omnia nam constat precibus cito posse mereri*: passive *mereri*.

243. *Currere* pro *percurrere*, ut vers. 252, *Historias currant Danaum*. Dixi de hoc usu verbi *curro* ad Prudent. hymn. 12 Perist., vers. 52, *Currere stadium, mare curritur* apud antiquiores invenitur.

247. *Nec credulus exstet*, nec credat. *Exstet* pro *sit*. Vide notam ad v. 731 l. II.

248. *Impendat*, conferat, ut libr. I, vers. 744 et vers. 530 hujus libri, *Exhibet, impendit, præbet*. Hoc autem loco pro *insumat, ponat, laboret* poterit accipi: sed prima significatio confirmatur ex Eleg. vers. 165 et 191. *Præsumptio simplex* quid sit, explicui ad vers. 625 l. II.

249. *Nec tamen quærat* profanus: vel corrige *Et tamen*, nempe pura fides æternum modico pro tempore quærit. *Modico* pro *exiguo*, ut alibi dictum. Ep. II ad Cor., c. IV, vers. 17: *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* D

250. *Tantum fecisse*. Cicero Verr. IV, al. lib. II, cap. 54: *Ne miremini qua ratione hic tantum apud istum libertus potuerit.*

252. *Quirinus* nomen Romuli non ignotum. Illud dubium an pro Romano adjective dici possit: nam in Horatio quidem, Propertio et Ovidio adjective invenitur, sed mutant nonnulli, et legunt *Quirini* in genitivo. Hic Dracontii locus confirmat, adjective poni posse *Quirinus*. Si repugnes, eadem facilitate qua in aliis hic quoque emendabis *gentisque Quirini*. Conjectura non mala est *currat*, scilicet profanus. Sed defendi potest *currant*, quasi ex uno ad omnes profanos oratio convertatur.

253. Secundum *quid* obscurum est in nexu litterarum. Putabam *Quid pro laude sua, vel quid pro regno alieno Mentibus infectis animosæ cladis amore*. Nempe *quid fecerunt? Aut ita*, ut periodus continuaretur usque ad *ausi?* cum interrogatione, cui responderent sequentia *Omnes scelerare*, etc., videlicet *Quid ausi?* aut *Quid ausi omnes? Scelerare manus*, etc. Præfero scripturam quam edidi ex conjectura, *Qua, qua* geminatum significat *partim, partim*, vel *cum, tum*. Infinita sunt exempla. Plautus Trin. IV, 3, 35: *Leges mori serviunt, mores autem rapere properant qua sacrum, qua publicum*. Livius lib. II, cap. C 35. *Usique sunt qua suis quisque, qua totius ordinis viribus*. Legerem etiam libenter *Qui pro laude sua, vel qui pro regno alieno*, scilicet alii pro laude sua, alii pro regno alieno. Nam idiotismus linguæ Italicæ et Hispanicæ similis est *Chi, chi, Quien, y quien, Alius, alius*; qui idiotismus ex phrasi Latina ortus videtur *Qui, et qui*, quæ sequiori ævo invaluerit. Dracontium vero scripsisse *qui, vel qui*, inde etiam suadetur quod Virgilium lib. VI imitatur, ubi crimina damnatorum recensens ait vers. 621: *Vendidit hic auro patriam..... hic thalamum invasit natæ*, et postea subjungit, *Ausi omnes immane nefas*, ut Dracontius vers. 255, *Ausi omnes scelerare manus*, etc.

254. *Mentibus infectis amore*, corruptis, et quasi veneno imbutis.

255. *Suorum* sine alio nomine Cicero ad Attic. lib. XIV, epist. 12, *Octavius, quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus non*. Dracontius *suos* consanguineos maxime intelligit, ut ex allatis exemplis colligitur. Infra vers. 327, *Orbatricesque suorum*. Hac significatione Livius lib. I, cap. 58: *Lucretiam sedentem mœstam in cubiculo inveniunt: adventu suorum lacrymæ obortæ.*

256. *Certe* videtur poni pro *etiam, imo*, ut ex vers. 262 colligitur. Statius, aliique scribunt *Menœcea* prima correpta, secunda producta, tertia et quarta correptis lib. X, vers. 611, *Sentitque Menœcea posci*. Dracontius licentia in his nominibus propriis sibi familiari utitur. Menœceus, Creontis Thebanorum regis filius, cum oraculum editum fuisset, *Cadat generis quicunque novissimus exstat Viperei: datur hoc tantum victoria pacto*, se gladio percussit, et de muris urbis præcipitem dedit. Rem narrat Statius lib. X.

258. Creon ad Menœceum: *Ne perge meos orbare penates*. Statius loc. cit. *Furiarum regna*, quia Creon frater Jocastæ erat, socer Œdipi, et hujus regni hæres fuit, ut paulo post narratur.

Thebanos proprio perfudit sanguine muros.
Si consanguineos scelus est jugulare propinquos,
Est furiale nefas in se convertere ferrum.
Hoc facinus nec nomen habet, sed nemo profecto
Miretur hominum tam sæva piacula gentis.
Non aliter potuit sceptrum transire profanum
Ad successores, quod gesserat Œdipus unquam.
Jam ferus ipse Creon Iocastæ proximus hæres,
323 Et germanus erat: quasi lex est ipsius aulæ
Criminibus, lacrymisque ducum sua regna dicare.
Codrus Apollineæ tripodis responsa requirit:
Accipit infelix, alieni causa triumphi;
Vestibus indutus famuli petit arma tyranni,
Nam cui bella negant, fecerunt jurgia mortem:
In dubiis mors est inopem simulare tyranno.
Ausa Leonidæ, nocturnaque bella legantur.
324 Castra inimica petens invasit nocte silenti,
Et fuit una cohors tantum munita tenebris.
Nox erat umbo viris, manus hæc confusa periclis,
Spe mortis præsumpta suæ; qui luce repulsa
Millenos petiere viros spernendo salutem.
Invadunt populos, obscura strage cruentant,

SCRIPTURA COD. VAT.

259. *S. mures.*
260. *Vulgare* pro *jugulare.*
261. *Et f. nefas visæ c. f.*
265. *Gesserat hidipus u.*
268. Ambiguum *dicari*, an *dicare* sit scriptum.
269. *Responsa rescivit.*
271. *Famuli post arma.*
272. *Fecerunt viria mortem.*
278. Dubium *qui*, an *quæ*, an aliud sit legendum.

NOTÆ.

259. Statius loc. cit. *Sanguine tunc spargit turres, et mœnia lustrat.*

262. L b. II, vers. 558, de Juda: *Sed memor infandæ tamen et sine nomine culpæ.* Martialis furorem crimen hoc vocavit lib. II, epigr. 80, *Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit. Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?* Seneca epist. 58, *Sic mori, vinci est.* Constantiam non nemo desiderat in Seneca, quod nihilominus Catonem, qui seipsum occiderit, ne in manus Cæsaris deveniret, laudaverit. Sed fortasse Seneca in diversa causa se occidendi discrimen aliquod reponeret. A Dracontio gravitas criminis denotatur, quod nomine caret, quasi infandum, et quia raro committitur. At nostra ætate hoc facinus et *suicidii* nomen habet, et frequentissimum est; nec defuerunt impii, et amentes homines, qui tam immane nefas laudibus fuerint prosecuti.

263. *Sæva piacula*, ut lib. I, vers. 539; lib. II, vers. 401. *Hominum* magis referendum est ad *nemo* quam ad *gentis*. Nemo hominum tam sæva piacula ejus gentis miretur.

265. Œdipus, filius Laii Thebanorum regis, et Jocastæ. Ignarus patrem interfecit, et matrem in matrimonium duxit; inde oculos sibi eruit, exsulque voluntarius Athenas concessit.

266. *Iocastæ* quadrisyllabum est. Hæc propter nefas, et quia Eteocles et Polynices, ejus ex Œdipo filii, mutuis se vulneribus confecerant, manus sibi intulit. Creon regnum, post Laii obitum a se occupatum, Œdipo, quod Sphingis ænigma solverat, simulque Jocastam in matrimonium tradiderat. Occisa Jocasta, tanquam hujus hæres successit Creon. Conferendus est cum aliis Hyginus fab. 66 et 67, nam implicata est apud veteres scriptores tota hæc narratio sive fabula.

269. Pro *rescivit* lego *requirit*, seu *petivit*. Horatius lib. III, od. 19, vers. 2: *Codrus, pro patria non timidus mori.* Justinus lib. II, cap. 6: *Atheniensium eo tempore rex Codrus erat, qui et responso Dei et præceptis hostium cognitis, permutato regis habitu pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur. Ibi in turba obsistentium a milite, quem falce astu vulneraverat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienses sine prælio discedunt.* Adde Valer. Maximum, lib. V, cap. 6 Alii Thraces, alii Laconas pro Doriensibus scribunt.

270. Poterit etiam interpungi *Accipit: infelix, alieni causa triumphi.* Nominativus appositus est *causa.* Vide vers. 507 similem nominativum.

272. Forte *Et cui*, vel *Tum cui.* In *viria* lego *jurgia* ex Virgilio eclog. 5, vers. 11, *Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.* Sic enim plerique Virgilium exponunt de rege Atheniensium: quanquam fortasse nomen pastoris *Codrus* apud eum est.

273. Forte *Indubia mors est*, aut *Indubie mors est.* Sententia est inopiam simulatam mortem attulisse, nisi malis explicare, inopiam regibus pro morte esse, vel mortem afferre.

274. Prælium Leonidæ ad Thermopylas contra Xerxis exercitum ab aliis alio modo narratur. Dracontius Diodorum Siculum lib. XI Histor. secutus ducem videtur qui refert universos Lacedæmonios, qui duce Leonida ad Thermopylas pugnarunt et occubuerunt, numerum quingentorum non superasse. Tum addit: *Hi imperio obsequentes conferto sub noctem agmine in castra Persarum irrumpunt. Barbari, quibus improvisum hoc et repentinum, magno cum tumultu ac sine ordine e tabernaculis concursant, et quia copias Trachinio adjunctas periisse, omnesque Græcorum exercitus sibi incumbere opinantur, consternati trepidant. Magna igitur a Leonidanis Persarum strages edita, majorque ab ipsis inter sese Persis, dum hostem ab amico non dignoscunt. Nam quia nulla per noctem veri cognitio, et pavor totis invalescebat castris, non mirum, fœdam tunc hostium cædem fuisse commissam. Mutuis enim cædibus grassantur, nec illa rerum conditio certi quid explorari sinit: propterea quod nec ducis imperium, nec tesseræ inquisitio, nec certus animorum status esset.* Herodotus die prælium commissum tradit. Justinus lib. II narrat *prælium a principio noctis in majorem diei partem tractum.*

278. Justinus loc. cit., *Ut qui sciant se pugnare non spe victoriæ, sed in mortis ultionem. Præsumpta* pro *præsumens*, ut vers. 728 lib. II. Verba hæc *qui luce repulsa* vix ullum idoneum sensum habere possunt, nisi intelligamus, Spartanos post solis occasum prælium aggressos. Eodem modo legi poterit *quæ* (cohors), *luce repulsa*, etc.

279. *Millenos* indefinite positum pro multis millibus virorum.

280. *Populos*, quia ex innumerabilibus gentibus Xerxis exercitus constabat. Justinus refert, Xerxem septingenta millia de regno armasse et trecenta millia de auxiliis. Diodorus lib. XI refert hunc titulum Lacedæmoniis qui ad Thermopylas occubuerunt inscriptum; *Myriades quondam repulere hic marte du-*

A Dum nescit quem quisque ferit, cui quisque repugnat,
Obtruncat socium, carum prosternit amicum,
Amputat ignarus fratrem, jugulatque propinquum.
Dum pater obscura defensus nocte putatur,
Sic ibi procubuit nati pietate peremptus.
Viveret, et vitam longo produceret ævo,
Ni sobolem genitor nimiæ pietatis haberet:
325 Fœdere namque reus punitur crimine sancto.
Nec reor, esse nefas Persis occidere patres,
Quos sua jura probant thalamis asciscere matres.
Ara Philenorum Libycas possedit arenas.
326 Portio telluris *fratrum concessa furori*,
Solis adusta rotis, nigris infecta venenis,
Ignibus æthereis, gelidis obsessa cerastis,
Inter serpentum glacies, atque aeris æstus
Ignorat mutare vices per tempora tellus,
Puniceum retinens ingenti sole ruborem.

SCRIPTURA COD. VAT.

281. *Dum nescit quæcunque ferit quicunque repugnat*: obscure *quicunque*.
283. *Fratrem jugilatque p.*
284. *O. defensi n. p.*
285. *Sic ubi procubuit.*
287. *Hi sobolem*, in nexu litterarum *haberet.*
288. *Fœdera : nam rerum punitur crimine sancto.*
292. *Portio telluris concessa* .... desiderantur B extrema verba.

NOTÆ.

centas Mille quater Pelopis de regione viri. Omnes demum eodem loco post immensam illam Persarum stragem cecidisse, in alio elogio sepulcrali apud eumdem Diodorum innuitur lib. cit. *Dic*, *hospes*, *Spartæ*, *quod nostra hic ossa quiescunt*, *Dum patriæ leges fortiter exsequimur.*

281. Ex Diodori verbis ad vers. 274 ascriptis facile hæc intelliguntur.

284. Non invenio apud hujus belli historicos peculiare aliquod factum, quo pater a filio exstinctus dicatur. Dracontius, ut opinor, ex verisimili narrat in ea rerum perturbatione, qualem Diodori verbis ad vers. 274 descripsimus, patrem aliquem a filio fortiter et pie, quippe pro patria, pugnante, imprudenter occisum; sed obscura mihi adhuc est hæc narratio, præsertim cum corruptus sit versus 288.

286. Similia verba lib. II, vers. 759.

287. Supra vers. 99 de Abraham filium immolaturo: *Aptavitque neci nimia pietate cruentus.*

288. Quid Dracontii manu scriptum fuerit non assequor: et tamen scribo *Fœdere namque reus*, scilicet pater, qui in eadem causa erat in qua filius, adeoque fœdere hoc reus, ut filius est parricidio reus, *punitur crimine sancto*, nempe crimine quod cum nimia pietate erat conjunctum. Vide l. II vers. 469, *Facinus quos inquinat, urget.* Prudentius in Hamartigenia de vipera quæ a catulis, intra uterum perrumpentibus latera, occiditur, ait vers. 597, *Æstuat interno pietatis crimine mater*, quia pietas est, quod fetus patrem, in coitu a matre peremptum, ulciscitur, crimen vero, quod matrem occidit. Eodem sensu Dracontius, *Punitur crimine sancto.*

289. Ex historia Persarum id petitum. Herodotus libr. I, cap. 137 : *Suum autem patrem*, *aut matrem aiunt neminem unquam occidisse : verum quotquot horum forte acciderunt, omni necessitate excussa, hos tandem deprehensos tradunt aut subditities, aut spurios. Quippe verisimile nequaquam videri aiunt, ut is qui verus parens sit a proprio filio interimatur.* Vide Barnabam Brissonium libr. II de Regno Persarum, pag. 197, qui accurate de his agit.

290. Brissonius loc. cit., pag. 213, probat jus fuisse apud Persas matres in matrimonium sibi asciscere ex Philone in libr. de Special. Leg., Tertulliano Apologet., Minucio, Catullo, Diogene Laertio, Strabone. Plura addunt Wowerus et Elmenhorstius ad Minucium : *Jus est apud Persas misceri cum matribus.* Incestas hujusmodi nuptias Alexandrum, Dario victo, inhibuisse, auctor est Plutarchus in libr. de ejus Fortuna. Sed Theodoretus, Contra Græcos orat. 9 de legibus, affirmat connubia matrum, sororum, filiarum, quæ apud Persas ex Zaradæ instituto permittebantur, audita, et accepta religione Christiana, abolita fuisse. « Persicæ, inquit, nationes, quæ jam pridem Zaradæ legibus utebantur, matrum, sororum, filiarum connubiis susque deque commixtæ, remque justissimam arbitrantes id quod erat facinus injustissimum, audita piscatorum lege, atque accepta, Zaradæ leges ut iniquitatem maximam conculcarunt, evangelicamque temperantiam protinus amplexæ sunt. » Fortasse Alexander inhibuit ejusmodi incesta matrimonia, et post Alexandrum Persæ veterem morem renovarunt. Eusebius libr. VI, c. 8, Præpar. evang., addit eos, etiamsi e Perside exierint, hanc consuetudinem incestorum connubiorum retinere.

291. Alii *Phyleni* scribunt, alii *Philæni*; alii, ut in codice Vat., *Phileni*. Historia multorum litteris consignata est. Valerius Maximus libr. V, cap. 6 : *Cum inter Carthaginem et Cyrenas de margine agri pertinacissima contentio esset, ad ultimum placuit utrinque, eodem tempore juvenes mitti, et locum in quem ii convenissent, finem ambobus haberi populis. Verum hoc* C *pactum Carthaginiensium duo fratres nomine Phileni perfidia præcurrere, citra constitutam horam maturato gressu in longius promotis terminis. Quod cum intellexissent Cyrenensium juvenes, diu de fallacia eorum questi, postremo acerbitate conditionis injuriam discutere conati sunt. Dixerunt namque, sic eum finem ratum fore, si Phileni vivos se ibi obrui passi essent; sed consilio eventus non respondit : illi enim, nulla interposita mora, corpora sua his terra operienda tradiderunt.* Hæc fere eadem Sallustius de Bello Jugurth., qui addit : *Carthaginenses in eo loco Philenis fratribus aras consecravere.* Nomen loco hæsit *Aræ Philenorum :* de quo videndus Mela libr. I. cap. 3, de Africa Minori. Intelligitur ergo quid velit Dracontius. Phileni fratres, eo facto quo aras de suo nomine dictas promeruerunt, Libycas arenas Carthaginiensibus possidendas consecuti sunt.

293. Sallustius loc. cit., *Ager in medio arenosus* D *erat, una specie ; neque flumen, neque mons erat qui fines eorum discerneret.* Pro hoc agro pugnatum est.

294. Opponit ignes æthereos gelidis cerastis : quod repetit vers. seq. Isidorus l. XII Orig., cap. 4 : *Omne autem venenum frigidum est, et ideo anima quæ ignea est, fugit venenum frigidum.* Hinc *frigidus anguis*, *gelidum venenum*, et simila. Lucanus libr. IX, v. 716, de aspide : *Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem*; et v. 864, de serpentibus in genere : *Calidoque vapore Alliciunt gelidas nocturno frigore pestes.*

296. Lucanus libr. IX de Libya, v. 435. *Tem eries vitalis abest .... et immotis annum non sentit arenis.* Inter humanæ vitæ commoda ponitur *mutare vices*. Alcimus initio l. I, *Temporibus sortita vices.* Auctor carminis de Laudibus Domini sub Constantino : *Et vice jucunda mortalibus addere fructum.* Confer eleg. vers. 247, *Alternant elementa vices, et tempora mutant.* Libr. II, vers. 54, alia significatione dictum, *Ac mutent elementa vices*, nempe *invertant.*

297. Fortasse alludit ad nomen *Punicus*, *Phœni-*

Illic securi spatiantur ubique chelydri,
Defendit quos flamma nocens, quos terra perusta
327 Tot desertorum, quorum sub jure tenentur.
Quid facerent fratres, si florea rura petissent,
Si tellus fecunda foret nimis ubere glebæ?
Aut si vipereis non esset noxia tellus
Flatibus, et nullas mandarent sibila mortes?
Nonne pererrantes issent, qua flammeus axis,
Extendit qua zona polos rubicunda colore,
Aut hiemis glacies æterno frigore tristis
328 Semper anhelantis torpet ignara vaporis?

A

Hæc plaga germanos nunquam prohiberet euntes,
Limite sed posito niveas mensura pruinas
Finderet, et Scythicas retineret tracta paludes,
Quæ Romanus amor patres implere coegit,
Dicere, si valeam, vero sermone probabo.
Optima nam vindex exempla, ac pessima Brutus,
Horror amorque novus, civis pius, impius auctor,
Jure pater patriæ, natis et regibus hostis,
Atque pudicitiæ læsæ castissimus ultor

SCRIPTURA COD. VAT.

298. Scribitur *celidri*.
299. *Nocens quos nulla potestas.*
300. *Et sibi sertorum quorum.*
301. *Si florea jura p.*
302. *Foret minus ubere.*
305. *Nonne ver exinos i*

B

308. *A. torpens i.*
311. *Et squaticas r. tacta p.*
312. Obscure *patres.*
314. *Bruchus* pro *Brutus.*
315. *Honor amorque novus cujus pius impius autor.*
317. *Castissimus auctor.*

NOTÆ.

ceus, et *Phœnicius* : nam *Punicus* pro *Puniceo* seu rubicundo reperitur, et *Phœnicius* color non procul abest a puniceo. Nomina vero sunt Carthaginiensium *Phœnices*, *Pœni*, *Punici* : INGENTI SOLE, ut Lucanus l. IX, vers. 432, *Sub nimio projecta die, vicina perusti Ætheris exurit messes*. Alii, *sub nimio porrecta die.*

299. Ita emendavi ex conjectura. Posset etiam *nocens, et arena perusta*. Lucanus l. IX, vers. 757, *Famam dipsas habet terris adjuta perustis*; et infra vers. 863, *Tu quisquis Superum commercia nostra perosus, Hinc torrente plaga, dubiis hinc syrtibus orbem Abrumpens, medio posuisti limite mortes, Per secreta tui bellum civile recessus Vadit, et arcani miles tibi conscius orbis Claustra petit mundi*. Ex quo alia conjectura oritur *nocens, terræque recessus, Et desertorum*.

300. *Sub jure tenerent* dixit Dracontius l. I, vers. 572.

301. Simile illud Lucani libr. I, v. 96, *Nec pretium tanti tellus, pontusque furoris Tunc erat : exiguum dominos commisit asylum*. Virgilius l. IV Æn., vers. 311, *Quid, si non arva aliena, domosque Ignotas peteres?*

302. Lego *nimis* pro *minus* : nam hæc in mss. sæpe confunduntur. Lucanus vers. 860 libr. IX : *Impatiensque solum cereris, cultore negato, Damnasti*.

304. Lucanus loc. cit., vers. 736, *Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes, Ante venena nocens*, scilicet basiliscus. Dracontius serpentes quaslibet intelligit. Libr. I, vers. 289, de serpente : *Atra venena nocens missura e flatibus oris, Et subito sparsura graves per sibila mortes*. Notanda etiam est phrasis *mandarent sibila mortes*, cujus simile exstat exemplum in Juvenali sat. 10, vers. 52 : *Cum fortunæ ipse minaci Mandaret laqueum*, et *Mandare suspendium alicui* in Apuleio libr. IX Metam., vers. fin.

305. Hoc etiam loco scriptura misere depravata multis conjecturis ansam præbet. Sententia est Philenos, si de uberiori terra obtinenda dissensio orta fuisset, libenter peragraturos fuisse mundi partes quaslibet, sive quæ sub zona torrida solis æstum patiuntur, sive quæ perpetua glacie rigent sub utroque polo. Legat aliquis *Nonne per Euxinos issent* : sed quo sensu id explicabitur? Melius videretur *Nonne per extrema ivissent*, vel *Nonne peregrini ivissent*. Legere malo *pererrantes*, quia id clarius est, quamvis a scriptura cod. remotius. QUA FLAMMEUS AXIS zonam torridam innuit, ut vers. 160 de sole, *Qua nescit lustrare polos, qua flammeus urit.*

306. Distinctius explicatur zona torrida. Suspicabitur aliquis *Ostendit qua zona polos*, in sphæra scilicet recta. Sed Dracontius fortasse respicit Virgilium l. VII, vers. 226 : *Et si quem extenta plagarum Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui*. Plaga solis iniqui extenta in medio quatuor plagarum est zona torrida. *Extenta* vero in Virgilio est extensa, et in Dracontio *extendit zona polos* idem sonat ac zona extensa est cœlo. Poterit autem legi, *Extendit ubi zona polos*.

C

307. Pulchre explicatur perpetuum frigus quo sub polis tellus vel unda premitur. Ovidius II, ex Ponto, epist. 7, vers. 63 : *Tristior ista Terra sub ambobus non jacet ulla polis*.

308. *Anhelantis vaporis* phrasi Dracontio familiari, ut dixi prolegom. num. 137.

309. Quid facerent fratres, ait Dracontius, si florea rura petissent? Issent etiam ad plagam, quæ septentrioni subjecta jacet, si opus esset. At, inquit, hæc plaga liberum ipsis cursum relinqueret, ut sine rivali a pruinis septentrionis mensura regni acquirendi ad Scythicas usque paludes protraheretur. Adeo regio tristis est, et nulli invidenda!

310. Virgilius libr. XII, vers. 898, *Limes agro positus, litem ut discerneret arvis*.

311. Legi posset *tuta*, sed melius est *tracta* pro *protracta*, ut *tractum bellum*, *tracta comitia*. Mæotis palus sinus est maris supra Pontum Euxinum, cui Mæotæ, Scythiæ Europææ populi, nomen fecerunt. Columella l. VIII, cap. 8, *Scythica stagna Mæotidis eluant*. RETINERET, occuparet. Lucretius l. IV, v. 415, *Terrarum millia multa, Quæ variæ retinent gentes, et sæcla ferarum*.

D

313. Duplex interpungendi ratio occurrit, *Dicere si valeam, vero sermone probabo*, ostendam, etc., vel *Dicere, si valeam, vero sermone probabo*, experiar dicere, si possim.

314. *Exempla* pro *exemplum*, ut Sedulius l. V, vers. 22, *Et grata suis exempla relinquens* : quam loquendi rationem illustravit Wopkensius ad Minucii verba : *Cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de cœlo*.

315. Forte *Terror*, *amorque novus*, *civis pius*, *impius altor*. Brutus exemplum fuit horroris seu terroris in filios, et amoris erga patriam. Libr. I, v. 552, ex ms. Vat. restitui *altor* pro *auctor*, quod in editis legebatur. Hoc etiam loco melius videtur *altor*, sed retineri potest *auctor*, nempe auctor filiorum vitæ et mortis, ut vers. 329.

Post regale nefas, quod castæ gessit adulter,
329 Invasor thalami genialis, prædo pudoris.
Quod scelus admisit, postquam fera regna tyranni
Expulit, et gemino perstrinxit consule Romam,
Annua festivis disponens fascibus acta?
330 Regia bella gerens, naturæ bella peregit,
Membra cruore suo perfudit ab hoste reversus
Consul, et in sobolis vertit pia colla secures
Hostibus aptatas, funesta fraude profanas,
Civibus hostiles, orbatricesque suorum.
Ibat in exsequias juvenum exsecranda senectus,
Unus erat vitæ natorum, et funeris auctor.
Hoc scelus admissum tam sævo crimine non [est.
Dulcis amor patriæ, qui patrem fecit amarum,
Aut fecit non esse patrem jam prole perempta.
Pro quibus arma tulit, hoc se qui pignore privat?
331 Alter erat senior, qui natam perculit ense,

SCRIPTURA COD. VAT.

318. Scribitur *caste* pro *castæ*.
319. *Jam maritalis genialis prædo pudoris.*
320. *S. amisit, p.*
325. *Consulet et sobolis.*
331. *Patriæ, et qui* in nexu litterarum.
333. *Pro quibus arma tulit hostes qui pignore probent:* magis *probent* videtur quam *probet*.
334. *Qui natum percussit.*

NOTÆ.

318. Suspicor *quod castæ ingessit*, ut vers. 374, *Ingessit pietas inimica dolorem. Injuriam regiam*, *scelus regium* vocat Livius libr. I. Post nefas quod gessit Tarquinius, filius Tarquinii Superbi, regis Romanorum, adulter castæ, scilicet Lucretiæ. Tacitus l. III Annal., cap. 24, *Adulterosque earum* (filiæ ac neptis) *punivit*. Potest etiam intelligi *quod castæ gessit adulter*, hoc est castæ Lucretiæ ingessit. *Dux Romanæ pudicitiæ* Lucretia vocatur a Valerio Maximo l. VI, c. 1.

319. In *Jam maritalis genialis* lego *Invasor thalami genialis*. Infra vers. 484, *Invasit thalamos*, et de eodem violento stupro vers. 506, *Post maculam thalami*. Virgilius l. VI, vers. 623, *Hic thalamum invasit natæ*. INVASOR verbum est Aurelii Victoris, Constantini imperatoris, et æqualium. *Thalamus genialis*, qui in nuptiis in honorem Genii sternitur. Cicero pro Cluentio cap. 5 : *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari, et sterni, expulsa atque exturbata filia jubet*. Vide comment. ad vers. 256 libr. I Prudentii contra Symmach., *Jam gravidæ fulcrum geniale paratur*. Arnobius absolute libr. IV dixit, *Genialibus alienis insultare*; ubi alii legunt *genitalibus alienis*. Paulo ante Arnobius dixerat *genialis lectuli expugnationem*. In Dracontio expende num melius sit *Jure maritali genialis prædo pudoris*, hoc est quasi jure maritali, vel *Atque maritalis genialis prædo pudoris*, hoc est genialis prædo pudoris maritalis, vel *jam matronalis genialis prædo pudoris*. Ovidius de eadem Lucretia libr. II Fast., vers. 828, *Et matronales erubuere genæ*. Macrobius in re alia l. V, cap. 17 : *Regina non solum de penetralibus reverentiæ matronalis educitur, sed et per urbem mediam cogitur facere discursus*.

320. Orosius l. II, cap. 5 : *Anno post Urbem conditam 244, Brutus, primus apud Romanos consul, primum conditorem regemque Romæ non solum exæquare parricidio, sed et vincere studuit : quippe duos filios suos adolescentes, totidemque uxoris suæ fratres Vitellios juvenes, revocandorum in Urbem regum placito insimulatos, in concionem protraxit, virgis cecidit, securique percussit*. Sarisberiensis l. V, cap. 11 de Nugis curialium, rationes affert quibus Brutus a scelere possit excusari, sed concludit : *Brutum deliquisse consentium facile, eo quod excesserit medicina modum*.

321. *Perstrinxit*, valde strinxit, quia, ut refert Livius l. II, cap. 1, *jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare*. Eodem pertinet quod ibidem ait Livius : *Libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres*.

322. Fascibus virgarum, quibus alligata erat securis, usi etiam erant Romæ reges. Idem honos ad consules transiit, et ad alios magistratus, sed præcipue ad consules, ita ut pro ipso consulatu sæpe *fasces* ponantur, atque hoc sensu festivi dici possunt. Acta sunt commentarii, quibus res gestæ perscribebantur, notato nomine consulum sub quo acciderant.

323. *Naturæ bella*, quia filios contra naturæ impulsum et jus occidit.

324. *Ab hoste reversus*, intelligo postquam Tarquinios expulerat : nam Livius, ante bellum quod a Tarquiniis imminebat, conjurationem filiorum Bruti aliorumque nobilium adolescentium pro Tarquinio rege conflatam refert.

326. Fraus legis apud Jurisconsultos est cum fit, quod lex fieri noluit, sed non vetuit. Hoc autem loco melius *fraus* accipitur pro damno, ut apud Horatium carm. Sec., vel pro scelere. Cicero pro Rabirio cap. 9 : *Nam si C. Rabirius fraudem capitalem admisit*, etc. Sic alibi *impiam* et *inexpiabilem fraudem* dixit.

327. *Orbatrices*, ut Ovidius l. XIII Metam., vers. 500 : *Exitium Trojæ, nostrique orbator Achilles*.

328. *Exsecranda senectus*, figurate *exsecrandus senex*. Emphasin habet *Ibat in exsequias*, nam *ire in aliquem* est aggredi aliquem tanquam hostem. Virgilius l. IX, vers. 423 : *Simul ense recluso Ibat in Euryalum*. Poetarum peculiaris est phrasis *ire exsequias* pro ire ad exsequias, prosequi exsequias. Terentius Phorm. V, 8, 37 : *Exsequias Chremeti, quibus est commodum ire, hem, tempus est*. Aliter *jam tempus est*. Ovidius l. II Amor., el. 6, vers. 2 : *Occidit, exsequias ite frequenter aves, Ite, piæ volucres*. Silius libr. XV, vers. 394 : *Vos, ite superbæ Exsequias animæ, et cinerem donate supremi Muneris officio*.

331. Virgilius libr. VI, vers. 822, de eodem Bruto : *Infelix, utcunque ferent ea fata minores : Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido*.

333. Quod hactenus dixit, *Hoc scelus admissum tam sævo crimine non est*, etc., videtur esse excusatio Bruti ab aliquo proposita, cui respondet Dracontius, *Pro quibus arma tulit, hoc se qui pignore privat?* vel *tulit hic, se qui pignore privat?* vel *Pro quibus arma tulit? hostes quos pignore privat?* Brutus, cum filios suos occidebat, pro quibus arma tulit? Cur non potius pro suis quam pro aliis? Quod si dicas pro patria ipsum arma tulisse, quos hostes filiis privabat? Nam se, qui certe hostis non erat, privabat liberis. Hæc videtur esse ratiocinatio Dracontii, ut colligat, Brutum a scelere liberari non posse. Verum patriam nobismetipsis cariorem esse debere non propterea negandum est. Peccavit igitur Brutus, sed quia, ut aiebat Sarisberiensis, medicina modum excessit.

334. Historiam Virginii, Virginiam filiam occidentis, pluribus persequitur Livius libr. III, cap. 44, seqq., paucis Orosius libr. II, cap. 13 : *Maxima Appii Claudii libido auxit invidiam, qui, ut Virginiæ virgini stuprum inferret, prius servitutis causam intulit : quamobrem adactus Virginius pater dolore libertatis, et pudore dedecoris, protractam ad servitutem filiam in conspectu populi prius parricida prostravit*. Hac occasione plebs

Quando dolens genitor planctus de pignore fecit.
Prævenit affectus, ne corde premenda libido
Tolleret ingenti cum libertate pudorem.
Causa pudicitiæ naturæ jura diremit,
Libertatis amor vicit pietatis amorem.
Immemor hinc generis factus, non immemor Urbis,
Sanguinis oblitus fecit de patre novercam.
Virginis eximiæ pater impius esse recusat,
Ne sit avus famuli, pondus ditionis honestas
332 Extimuit; formido fuit lasciva voluptas,
Illicitosque thoros obsceno crimine captos
Horruit iratus : gemitus, vincente dolore,
Fudit virginei truculentus funeris hæres.
Libertatis opus solatia planctibus egit.
Militis armati tantum potuisse dolorem,
A Mirantur populi; quia captus amore pudoris
Hostis erat generis, prolis mors, sanguinis haustor.
Quid Torquata manus? nato pro laude periclum
Intulit ostendens, quæ sit censura parentis.
Nam neque culpa fuit. Patriæ pugnando triumphum
Vulneribus dedit ille suis, quibus hoste perempto
333 Contigit exstingui, tanquam superata juventus.
Quamvis nemo sua stravit post bella cohortes,
Relliquias cladis gladio feriente necavit.
Addo, quod invictum, dantemque ex hoste tropæa
B Mœnibus eripuit patriæ de clade duelli.

SCRIPTURA COD. VAT.

336. *Perimit affectus ne corde :* dubium *premenda*, an *probanda*, an aliud.

339. *Amor vincit p.*

340. *Non immemor orbis.*

341. *Patre* ambigue.

343. *Avus famulus p.*

315. *I. choros o.*

346. *Horruit iratos gemitus virtute dolores Fundit virginei.*

348. Scribitur *plantibus.*

350. *Miratur :* obscure *quia.*

351. *Sanguinis hostis.*

358. *R. gladiis gladio fervente necabit.*

359. Videtur scriptum *addo quod invictum.*

360. *Mœnibus ereptis p.*

NOTÆ.

Aventinum montem occupavit, et Appium Claudium, aliosque decemviros abdicare se magistratu coegit.

335. Planctus Virginii et querelas sceleris Appii Claudii ad milites exponit Livius loc. cit., cap. 50.

336. Forte *Affectus perimit.* Sed *Prævenit affectus* e re videtur esse. Nam Virginius, cum videret filiam in C servitutem M. Claudii et stuprum A. Claudii decemviri rapi, veniam ab hoc postulavit percontandi nutricem coram filia, verusne ipse pater esset : qua venia data, a lanio cultro arrepto, *Hoc te uno quo possum*, ait, *modo*, *filia, in libertatem vindico.* Prævenit ergo affectio paterni animi, ne Appii Claudii libido pudorem filiæ cum libertate tolleret.

338. Supra vers. 323 : *Naturæ bella peregit.* Posset accipi *diremit* pro *rupit :* sed melius pro *divisit*, nam Dracontius libertatem Virginiæ, et patris amorem tanquam naturæ jura considerat, ut ex vers. seq. patet.

340. Lego *immemor Urbis.* Sic Livius libr. VIII, cap. 7, de Manlio Torquato, cædem filii decernente : *Meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reipublicæ mihi, aut mei, meorumque obliviscendum sit.*

341. De infamia qua novercæ laborant, dictum ad vers. 321 lib. II.

343. Cum Appius Claudius inique decrevisset, Virginiam in servitutem sui clientis M. Claudii vindicandam esse, filii Virginiæ etiam pro servis habiti fuissent. Honestas ergo Virginii extimuit pondus servitutis.

346. Alia conjectura hæc reformari possunt *Horruit : iratus gemuit, natæque cruorem Fudit Virginiæ truculentus funeris hæres, Libertatis honor solatia planctibus egit.*

347. Suspicor *Virginiæ;* sed non male est *virginei*, quia patri solatio erat quod filia corrupta non fuisset. Val. Maximus l. VI, cap. 1, *Virginius.... deductam in forum puellam occidit, pudicæque interemptor, quam corruptæ pater esse maluit.*

348. Sensus est, Virginius solatium suis planctibus ex libertate, quæ consecuta est decemviratu abolito, cepit : vel Virginium solabatur, quod injuriam servitutis a filia repulisset. Poterit alio modo interpungi *Fudit, virginei truculentus funeris hæres Libertatis opus, solatia planctibus, egit*, ut *solatia* sit accusativus appositus. Vide vers. 114 lib. II, et vers. 211 libr. hujus, *Exegit virtutis opus,* Infra vers. 415 occurrit *Libertatis opem;* sed hoc loco *opus* opportunius est.

350. Forte *qui captus.*

351. Bis *hostis* non placet. Lego igitur *sanguinis haustor*, nempe sanguinis sui in filia. Virgilius l. VI, vers. 835, *Projice tela manu, sanguis meus.* Ab *haurio haustor* dixit Lucanus. *Haurire cruorem, sanguinem*, usitatum est.

352. T. Manlius Torquatus consul, cum ejus filius contra edictum, quamvis prospere, adversus Metium provocantem pugnasset, illum securi feriri jussit. Livius l. VIII, cap. 7; Orosius l. III, cap. 9, aliique multi.

353. Paulo post vers. 431, *Pro laude periclum Intulit.* Utrobique *periculum* pro interitu. Arnobius l. I, paulo post initium : *Terrarum validissimis motibus tremefactæ nutant usque ad periculum civitates.*

355. *Vulneribus suis*, quæ i. se inflixerat. Virgilius l. II Æn., vers. 436, *Vulnere tardus Ulyssi.*

356. *Tanquam superata juventus*, perinde ac si juvenis hic filius Torquati superatus fuisset. *Juventus* simili figura, ac vers. 328, *Exsecranda senectus.* Livius loc. cit. *Præceps ad id certamen agitur, quo vinceret, an vinceretur, non multum interesset.*

357. Forte, *nemo suas.*

358. *Necavit.* Quisnam? Torquatus pater, an *nemo?* Hoc secundum magis probo. Cum T. Manlius, consulis filius, Geminium Metium, qui equitibus Tusculanis præerat, singulari certamine vicisset, nemo tamen post hujus duellum cohortes Latinorum stravit, aut reliquias cladis necavit, adeoque edictum consulum maxima ex parte observatum est. Nihilominus Manlius pater filium morti addixit. Forasse autem Dracontius intelligit Manlium filium vulnere aliquo fuisse a Metio affectum; nam vers. 355 ait, *Vulneribus dedit ille suis.* Hoc posito, *reliquias cladis* explicare possumus Manlium filium, quem pater necavit. Livius Manlium vulneratum non indicat. Vide notam ad vers. 360.

359. Livius loc. cit., *Spoliisque lectis ad suos revectus, cum ovante gaudio turma in castra, atque inde ad prætorium ad patrem tendit; ignarus fati futurique, laus an pœna merita esset, Ut me omnes, inquit, pater, tuo sanguine ortum vere ferrent, provocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto.*

360. Lego *eripuit.* Sensus est : filium de clade duelli reversum occidit, patriamque eo privavit. Hinc comprobatur interpretatio, *reliquias cladis* esse ipsum

Quis, rogo, dux pœnas unquam est victoribus ausus?
Aut quis adoratum, populo laudante per urbes,
Inter victrices audax post bella cohortes,
334 Atque triumphales post horrida prælia currus
Perculeret sublime caput, lamenta triumphis
Jungeret, et lætis misceret tristia rebus?
Oppressit votiva dolor, festiva recedunt,
Publica funereo turbantur gaudia luctu.
Pœnituit vicisse ducem, cui gloria mortem
Intulit, et miles bellorum prospera flevit.
Dum lueret victor pœnas virtutis honestæ,
Maxima justitium victoria grande paravit,
Vindicat hostiles gemitus fera dextra parentis,
Sanguinis ingessit pietas inimica dolorem,
335 Barbara quem rabies hostili cuspide missa.
Pullati proceres, vadimonia nulla fuissent,
Crinibus effusis lacerasset pectora palmis
Illustris matrona dolens, plebeia lacertos,
Scinderet ungue secans vultus pia turba modestos.
Ut quondam Iliades fleverunt Hectora matres,
Nympharum ceu turba suum tunc planxit Achillem,

SCRIPTURA COD. VAT.

361. *Princeps inique est victoribus ausus* : ambigue *inique* scriptum.
362. *Aut quis adoratur p.*
367. *Votiva dolo f.*
369. *P. vcisse ducem.*
372. *M. justitiæ v.* : dubie *grande.*
373. *H. genitus f. d. paretis.*
374. *S. ingressit p.*
376. Prius *fuisset*; supra *fuissent.*
378. Scribitur *plebea.*
380. *Fleverunt pectora matres.*

NOTÆ.

juvenem Manlium. Poterit etiam ex conjectura legi *Addo, quod invictum, dantemque ex hoste trophea* (supple *necavit*), *Mœnibus erepta patriæ de clade duelli*, videlicet quibus ornaretur patria, vel *erecta patriæ.*

361. Forte scriptum est *princeps unquam victoribus ausus*, sed nullus eruitur sensus, nisi corrigas *Quis, rogo, dux princeps tale est victoribus ausus? Audere talia* Virgilii, Ovidii et aliorum est. Cum dativo *audere vim* dixit Tacitus l. XII Annal., cap. 55 : *Vim cultoribus ac oppidanis... audebant.* Idem l. II, cap. 40 : *Nec Tiberius pœnam ejus palam ausus, in secreta palatii parte interfici jussit.* Poterit ergo restitui *Quis, rogo, dux pœnas unquam est victoribus ausus?* Quis unquam dux militem pœna affecit, quod vicisset?

367. *Votivus* significat id quod ad votum spectat, adeoque ea quæ ex voto in testimonium accepti beneficii fiunt, votiva appellantur : quæ significatio ab hoc loco aliena non est. Sed posteriori ævo votivum sumebatur etiam pro jucundo, grato, et quod ex voto succedit. Prudentius hymn. 2 Per., vers. 330, *Votiva mors est martyri.* Adde Trebellium Pollionem, Apuleium et horum æquales.

368. Livius loc. cit. : *Tum libero conquestu coortæ voces sunt, ut neque lamentis neque exsecrationibus parceretur, spoliisque contectum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, exstructo extra vallum rogo cremaretur.*

370. Prudentius Psych. vers. 695 dixit *prospera nostra.* Lucanus l. V, vers. 781, *prospera belli*, et l. VII, vers. 107, *prospera rerum.*

372. Lego *justitium*, quod erat juris dicendi intermissio, et aliorum munerum cessatio ob luctum publicum. Vide comment. ad Prudentium hymn. 5 Cath., vers. 80, *Arcis justitium triste tyrannicæ.* Ad totum hunc Dracontii locum illustrandum maxime facit descriptio justitii in Consolat. Albinovani ad Liviam : *Mœsta domus plangore sonat : cui figere lætus Parta sua dominus voverat arma manu. Urbs gemit, et vultum miserabilis induit unum : Gentibus adversis forma sit illa, precor. Incerti clauduntque domos, strepitantque per urbem; Hic illic pavidi clamque palamque dolent. Jura silent, mutæque tacent sine vindice leges, Aspicitur toto purpura nulla loco. Dique latent templis*, etc.

373. Hostes gemuerunt ob occisum Metium : sed hos gemitus vindicavit, ultus est parens occisoris, exstincto filio.

374. Pietas inimica sui sanguinis dolorem Romanis ingessit, quem ingessisset barbara rabies, hostili cuspide missa. Pietas Manlii erga patriam inimica fuit sui sanguinis in filio. Vide notam ad vers. 351.

375. Livius cuspidis etiam mentionem facit : *Cum infestis cuspidibus concurrissent*, etc.

376. Juvenalis sat. 3, vers. 213, *Pullati proceres; differt vadimonia prætor.* Prudentius hymn. 7 Jejunant., vers 151, *Squalent recincta veste pullati patres.* Proceres in luctu publico lugubrem et atram vestem sumebant. Vadimonium est sponsio sistendi se judicio ad certam diem; quod in justitio et luctu publico differebatur. *Fuissent* mutatio temporis pro *fuerunt*, ut vers. seq. *lacerasset* pro *laceravit*, vers. 379 *scinderet* pro *scidit.* Facilis esset restitutio *vadimonia nulla fuerunt, Crinibus effusis laceravit pectora palmis, Conscidit ungue secans vultus pia turba modestos.* Sed temporum modos varie poetæ Christiani transponunt, ut ostendit Barthius lib. XLI Advers., c. 24, exemplo Prudentii, et lib. XXII, c. 6, exemplis scriptorum Christianorum cadentis ævi; lib. vero XXIX, cap. 16, probat hunc fuisse modum, moremque loquendi antiquis bonis scriptoribus usitatum.

377. Doloris indicia in feminis plangentibus. Petronius Satyr. cap. 3, *Funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere.* Confer. vers. 752 l. I.

378. Brachia et lacertos etiam in fletu percutere frequens erat. Ovidius lib. IX Met., vers. 635, *A pectore vestem Deripuit, planxitque suos furibunda lacertos.* Lucanus l. II, vers. 37 : *Scissa genas, planctu liventes atra lacertos.* Claudianus lib. II, de Rapt. Pros., vers. 248, *planctuque lacertos Verberat.* Quo loco Barthius plura similia colligit, et ab aliis antea hunc veterum morem non observatum existimat.

379. Antea vers. 103, *Non unguibus ora Dilacerans.* Ovidius l. III Trist., eleg. 3, vers. 51, *Parce tamen lacerare genas, nec scinde capillos.* Alibi *Sauciat ungue genas.* Dracontius videtur ita distinguere ut illustrium matronarum proprium fuerit lacerare pectora; plebeiarum, lacertos; gentis modestioris, vultum. Alii passim hæc omnia cuilibet hominum classi attribuunt.

380. Homerus in fine Iliados. Albinovanus in Consol. ad Liviam aliis quidem exemplis, sed simili forma, *Sic flevit Clymene, sic et Clymeneides altæ*, etc.

381. *Nympharum*, puto, virginum filiarum regis Lycomedis, cum inter eas habitu femineo Achilles delitescens, detectus ab Ulysse est, et ad bellum Trojanum ductus. Statius in Achilleide unius Deidamiæ planctus commemorat. Fortasse intelligendus est planctus Tethidis matris Achillis, aliarumque Nereidum, quibus vere congruit nympharum nomen.

336 Ut Brutum planxit mœsta cum plebe senatus, A
Non ætas, non sexus erat, qui funus acerbum
Non gemeret reputando suum : Torquata propago
Sic est plancta diu scelere prostrata parentis.
Scævola flammipotens dextram contemnere dignus
Constituit punire manum, licet ipse fefellit,
Non manus, audaces animos : plus præstitit error;
337 Ut sine morte ducis vir tantum laudis haberet.
Non Romana nurus doluit per bella maritum,
Non genitor natum planxit, non nata parentem,
Non orbata parens deflevit funera nati,
Non Germanorum mortes flevere sorores.
Nec bellum pax ulla ligat, pretiumve redemit:
Una manus bellum tantum compressit inermis.
Quid? Romanus eques vasto telluris hiatu
Præcipiti jactu demersus sponte per umbras
Curtius ingemuit, cum vivum terra cadaver
Sorbuit, armato deterrens funere manes?
Fortis, et incolumis populo mirante sepultus
Vir galeatus adhuc ferrato corpore visus
338 Inter tartareas sic descendisse tenebras.
Pallida gens Erebi, pœnarum portio tristis,
Tertia sors, quæ lucis inops damnata laborat

SCRIPTURA COD. VAT.

386. *F. dextræ c.*
387. *Licet in se f.*
389. *Et sine.*
B
397. *I. dimersus s.*
398. *Quum vinum terra.*
404. *Sors qua lucis inops.*

NOTÆ.

382. Intelligo Brutum, de quo dictum est vers. 314 seqq. Nescio vero an sermo sit de funere filiorum quos securi feriri jussit. Sic enim Livius lib. II, cap. 5 : *Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes, sed ab cæteris, velut ab ignotis capitibus, consulis liberi omnium in se averterant oculos, miserebatque non pœnæ magis homines quam sceleris quo pœnam meriti essent : illos eo potissimum anno patriam liberatam, patrem liberatorem, consulatum ortum ex domo Junia, patres, plebem, quidquid deorum hominumque Romanorum esset, induxisse in animum, ut Superbo quondam regi, tum infesto exsuli proderent.*

385. Livius lib. VIII, cap. 12, *Ita bello gesto, præmiis, pœnaque pro cujusque merito persolutis, T. Manlius Romam rediit : cui venienti seniores tantum obviam exiisse constat : juventutem et tunc, et omni vita deinde aversatam eum exsecratamque.* Clarius Orosius l. III, cap. 9, *Manlius quamvis victor, occursum tamen nobilium juvenum Romanorum, qui legitime exhiberi solet, triumphans parricida non meruit.* Addit Val. Maximus lib. IX, c. 3, *Miserti sunt æqualis nimis aspere puniti.* C

386. Arnobius lib. III, prope medium : *Flammipotens Vulcanus fabricetur his enses.* Dracontio *flammipotens* est *flammam potens sustinere.* Poetæ libere similia nomina, *ut ignipotens, bellipotens*, etc., usurpant. Notatum tamen est Ovidium vix unquam tali genere nominum compositorum usum fuisse. *Dignus* cum infinitivo sæpe jungitur : hoc loco *dignus contemnere* idem est ac dignus qui contemneret, quoniam audax et temerarius fuit : vel eo sensu quem Val. Maximus exprimit lib. III, cap. 3 : *Perosus enim, credo, dexteram suam, quod ejus ministerio in cæde regis uti nequisset, injectam foculo exuri passus est.* D

387. Suspicabitur aliquis *licet ense fefellit;* sed præstat legere *licet ipse fefellit, Non manus.* Mutius puniebat manum, quod in cæde regis errasset. Martialis lib. I, epigr. 22 : *Dum peteret regem decepta satellite dextra, Injecit sacris se peritura focis... Major deceptæ fama est et gloria dextræ, Si non errasset, fecerat illa minus.* Reponit Dracontius ; non dextra erravit, quæ revera perculit quem petivit, sed ipse Mutius, qui per errorem existimavit scribam regis esse ipsum regem, vel certe dubitans ictum peregit. Livius lib. II, cap. 12 : *Ibi cum stipendium forte militibus daretur, et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eum milites vulgo adirent, timens* (Mutius) *sciscitari uter Porsena esset, ne ignorando regem, semetipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat.*

389. Val. Maximus loc. cit., *Urbi se cum æternæ gloriæ cognomine* SCÆVOLAM *reddidit :* sic dictum a manu sinistra qua una postea utebatur.

390. Porsena Mutii audacia et patientia, nec minus suo periculo permotus, ultro pacis conditiones tulit Romanis. *Nurus* pro quavis femina præsertim conjugata satis usitatum. *Per bella*, propter bella, bello occisum, aut in periculo constitutum. *Per* pro *propter* Plautus, Plinius et alii usurpant.

396. Distingui etiam poterit *Quid Romanus eques? Vasto*, etc., sine alia interrogatione.

397. Lib. II, vers. 497, *Præcipiti jactu quas*, etc. Tertullianus usus est verbo *dimersus*, sed frequentius est *demersus :* et in simili re Horatius lib. III, od. 16, vers. 11, *Concidit auguris Argivi domus ob lucrum Demersa excidio.* Vates Argivus est Amphiaraus, qui terræ hiatu absortus est, ut mox dicam.

398. Forte *Curtius insiluit*, scilicet si hæc dicantur sine interrogatione. Sed *ingemuit* sumptum videtur ex Statio lib. VII, in fine, de Amphiarao : *Respexitque cadens cœlum, campumque coire Ingemuit.* Dracontius negat, ingemuisse Curtium, cum interrogat *Quid?..... Ingemuit? Vivum cadaver* oppositio, de qua lib. I, vers. 648.

399. Ex conjectura legi poterit *deterret*, ut nova periodus incipiat in *Armato.* Si retineatur *deterrens*, id refertur ad *cadaver.* Imitatio est Statii initio lib. VIII de Amphiarao demerso : *Armato turbavit funere manes.*

401. Livius lib. VII, cap. 6, rem hanc sive fabulam (ipse enim dubitat) narrat. Cum oraculi responsum fuisset voraginem in medio foro apertam solum ea re qua plurimum populus valeret, expleri posse, Curtius interpretatus id arma virtutemque esse, equo quam poterat maxime exornato insidens, armatus se in specum immisit.

403. *Pœnarum portio*, quasi hæreditas, ut vers. seq. *sors.* Epitheton *tristis* proprium est inferorum : ex quo *Acheron* quasi sine gaudio. Itaque in S. Augustino de Genes. ad lit. lib. XII, c. 34, num. 66, legendum est, originem nominis Græci inferorum sonare, *quod nihil suave habeant*, non vero *quod nihil in se habeant.* Julianus Toletanus lib. II Prognost., cap. 5, verba Augustini profert, et in codice ms., quem ego contuli, habet *nihil suave;* quod etiam editio Lipsiensis expressit. Et sensus ipse id postulat : præcedunt enim hæc verba : *Inferiora sunt omnia tristiora. Unde et in Græca lingua origo nominis quo appellantur inferi, pro eo quod nihil suave habeant, resonare perhibetur.* Idem fere sonat ᾅδης.

404. Vide notam ad lib. I, vers. 67, *Tertia sors Erebi;* et 469, *Præsensit pietatis inops.* Lucretius lib. III, vers. 1026, *Lucis egenus Tartarus.*

Credidit, Alcidem prædam repetisse secundam, A
Aut alium vatem casus revocasse sinistros,
Amphiarae, tuos, quem perfida vendidit uxor.
Quid Romana fides? Legatio Punica *misso*
Consule testatur. Reditu promissa fideli
339 Regulus implevit, horrendæ mortis amator,
Otia contemnens, magnum cum plebe senatum
Compulit infelix ad inexorabile pactum,
Captis lege data, pœnarum ut vincula ferrent.
Immemor uxoris natos contempsit, et Urbem,
Libertatis opem nec ferrea vincla tenebant.
Captivum tum forte ducem jam liber agebat
Inter patricios, prætores, atque tribunos
340 Plebis adorandæ, domuit quæ viribus orbem.
Instituit occidi, ne esset post bella superstes
Hostis Elissæus, quem par fortuna tenebat
Cum duce Trojugenum : qui pacta luce reversus,
In sua membra furens, tormentis intulit artus,
Pervigil exstingui gavisus lumine nudo,
Ut plus terreret Tyrios de morte minaci,
Quam gladiis, cum bella daret, pugnamque cieret :
Mox senis emeritum formidavere cadaver.
Intemerata fides ad quæ fera bella Saguntum

SCRIPTURA COD. VAT.

408. *Quid Romana fides legatio Punica missus.* B
409. Hic versus incipit cum *T*, et nihil aliud habet.
411. *Odia constituens m.*
413. *Captis lege data pœnarum in viscera ferrum.*
414. *Et urbes.*
418. Obscure *que :* scribitur *adorande.*
420. Scribitur *Eliseus.*
421. *T. qui tempora luce :* dubie *qui.*

NOTÆ.

405. De Herculis descensu ad inferos dictum ad lib. I, vers. 71. Eum describit Seneca in Hercul. Fur. Confer etiam notam ad lib. II, vers. 539. Antonius de Escobar et Mendoza in Præloquio de stylo sacræ Scripturæ observat, per imitationem Scripturæ citare fabulas gentilium, ut Titanum, Centaurorum, Cocyti, noctis Orci filiæ, Arturi et Orionis, non quod fabulas approbet sacer textus, *sed ut modo loquendi vulgi sese accommodet.* Relege notam ad lib. II, vers. 539.

407. Cum in fatis esset, ut si vates Amphiaraus ad bellum Thebanum iret, non inde reverteretur, ab ejus uxore dono monilis aurei corrupta proditus est, et ad bellum perductus, in quo dum fortiter pugnaret, terræ hiatu cum quadrigis absumptus est. Vide Hyginum fab. 73, et Statium in fin. lib. VII et init. lib. VIII Theb. C

409. Synesio aliquo mihi nunc opus esset ad hunc locum restituendum. Nam Synesius in Dione, sive de vitæ suæ instituto utilitatem, quæ ex libris depravatis supplendis percipi potest, exponit, et de se ita libere profitetur : *Ego vero apud alium quemlibet neminem, sed apud te tamen ex rei veritate gloriabor. Sæpenumero libri calamitatem exspectandam non esse censeo, ut mihi boni aliquid contingat : sed sublatis oculis me ad ipsum opus exerceo, ne momento quidem intermittens, sed pro re nata suggerens, et perinde ac si legerem, quidquid consequens esse videtur, a me excogitatum annectens. Deinde ea quæ dicuntur cum iis quæ scripta sunt confero, ac memini me sæpius eumdem non modo sensum, verum etiam sermonem assecutum : alias sententiam ipsam solerter ita conjectatus sum, ut si quid verborum dissideret, id tamen mirifice ad operis coagmentationem esset excogitatum. Quod si sensus diversus esset, nihilominus libri illius auctori congruebat : et is erat, quem, si in animum incidisset, nequaquam contemneret..... Ita mihi Deus animum indidit, tractabile quoddam expressorum in verbis ac moribus conceptaculum. Quod si in depravatis libris animi attentionem exercere contendissem, ad eam perfectionem tentantis habitum natura deduxisset.* Ego quidem similiter tentavi, et locum, ut potui, supplevi ex conjectura. Possis etiam interpungere *legatio Punica, misso Consule, testatur? Reditu*, etc. Celeberrimum est hoc M. Attilii Reguli factum. Florus lib. II, cap. 2 : *Vivus in manus hostium venit fortissimus imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere fractus est, nec legatione suscepta. Quippe diversa, quam hostes mandaverant, censuit, ne pax fieret, nec commutatio captivorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec ultimo sive carceris seu crucis supplicio deformata majestas.* Carthaginiensibus juraverat, si captivi eorum redditi non forent, ad eos se rediturum. Val. Maximus lib. I, cap. 1, num. 14.

411. Censuerat Regulus, ne pax fieret, neu captivi commutarentur. Contempsit ergo otia sua, et patriæ. *Otia* pacem indicant, et bello opponuntur. Eleg. vers. 258, *Otia tempus habent, militiæque labor.* Virgilius lib. VI, vers. 813, *Otia qui rumpet patriæ*, etc.

413. Sic restituo ex verbis Flori

414. Supra vers. 340, *Immemor hinc generis.* CONTEMNERE pro abjicere, deserere, ut vers. 98 de Abrahamo, qui natum *spe cito contempsit.*

415. Suspicabitur aliquis legendum *Libertatis opus*, ut alibi, *virtutis opus*, *pietatis opus*, et hoc lib. vers. 348, *libertatis opus.* Sed bene hoc loco est *opem* pro auxilio, viribus, potentia et facultate juvandi. In Eleg. vers. 167, *Ipse inimicorum Salomon non colla poposcit, Dum peteret Dominum, sed sapientis opem.*

416. Suspicor *Captivum tum sorte ducem.* Regulus jam liber, si captivos reddendos censuisset, aut si regredi noluisset, agebat ducem captivum, se pro duce captivo gerebat. Vel sensus hic est : dux qui captivus erat, jam libertate gaudebat Romæ, sed occidi voluit ne Carthaginienses captivi redderentur.

419. *Insisto* pro *persisto* cum infinitivo exemplo optimorum scriptorum Ciceronis, Nepotis, Livii.

420. Elisæus vel potius Elissæus pro Carthaginiensi sæpe a Silio ponitur. Infra vers. 500, *Urbis Elissææ.*

421. *Par cum duce* pro *par ac ducem. Par* cum ablativo et præpositione *cum* bene Latinum est. *Trojugenæ* Romani a Trojanis ortum ducentes. Juvenalis sat. 1, vers. 100, *Ipsos Trojugenas* vocat nobiles Romanos. Livius lib. XXV, cap. 12, ex veteri carmine : *Amnem Trojugena Cannam Romane fuge.* D

422. *Tormentis intulit artus*, dedit se in tormenta.

423. A. Gellius lib. VI, cap. 4, ex Tuberonis historiis sic narrat mortem Reguli : *In atras et profundas tenebras eum claudebant; ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant, et adversus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in cœlum oculos cogebant, palpebras quoque ejus, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant.*

424. *De* superfluum est, ut apud alios. Vide notam ad vers. 409. Addit Florus loc. cit., *Imo his omnibus admirabilior, quid aliud quam victus de victoribus, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit?*

425. *Dare bella* pro *inferre, facere*, ut *dare stragem, perniciem, dolorem.*

426. Pulchre *emeritum cadaver*, quod plene suo munere functum fuerat.

Compulit, atque tamem, vel sæva incendia mortis? A
Annibal inclusis, nullo surgente reatu,
Præter quod fuerant humanæ gentis amici,
341 Crimen amicitiam reputans, pro laude periclum
Intulit, et pœnas exegit ab urbe fideli,
Perfida quas lueret sub justo vindice turba.
Intoleranda semel toleravit mensibus octo,
Quæ nec sponte fidem violat, nec clade coacta:
Victa caterva tamen, gladios ut vinceret hostis,
Incendit patriæ populum cum mœnibus urbis,
Et sibi dat cum morte faces, secura sepulcri
Poscit ab igne neces, hostis sua mira triumpho
342 Subducens, et colla jugo: rogus omnibus unus, B
Mœnia sunt patria, et tumulus, cinis omnibus idem,
Signorum vis magna, ducum monumenta soluta
In cineres jacuere suos cum mœnibus urbis.
Nec juga Romani fuerant metuenda senatus·
Parcere victor amat, sed debellare superbos
Urget, et hortatur veniam implorare, suetus
Pacis, et armorum similes portare triumphos:
Invenisse magis, cui dent post bella salutem,
Quam bellis punire volunt. Sic urbs tamen illa
Libera cuncta sua flammis civilibus ussit,
Non iram metuens clari post bella senatus,
Sed veniam: qui liber erat, servire recusat,
Et pavor est Afro dominanti subdere colla.
Mentibus ingenuis *nec tunc promissa patebant,*
343 Quæ nos æternæ speramus munera vitæ.

SCRIPTURA COD. VAT.

429. *A. inclusos n.*
431. *Crimen amicitiæ r.*
432. *Impulit et.*
433. *Justo judice turba.*
435. *Qui nec sponte ridens violat n. c. c.*
436. *Victa caterve a me gladios.*
437. *Incedit patriæ populis cum m. u.*
438. *Fuges* pro *faces.*
441. *Hæc mœnia sunt patria, et tumulus cinis omnibus ignis.*
442. *Signum*... reliqua desiderantur.
446. *H. venia indonare suevit.*
448. *Invenire magis.*
449. *Quam vellis p. v. sic tamen illa.*
450. *Libera conspirans flammis.*
452. *Qui* ambigue.
453. *Nec pavor est dominanti.* . alia desunt.
454. *Mentibus ingenuis ne*... hic etiam versus sic mutilus est.

NOTÆ.

428. Vers. 65, *Sæva incendia mortis.*

429. Rursus vers. 508, *Ut rea procubuit, nullo surgente reatu!*

C 430. Facile ad communiorem Latine loquendi usum hæc revocari possent *Præter quam quod erant.* Sed in scriptoribus hujus ævi nonnullæ phrases sunt retinendæ etiam sine exemplo antiquiorum, quæ notam bonæ Latinitatis præ se ferunt, et veriores inde magis probantur, quia linguæ vulgares, a Latina profectæ, similem loquendi modum retinent. *Præter quod* perinde est ac *præter id quod.* Non dissimili sensu Plautus Pers. III, 1, 87: *Virgo atque mulier nulla erit quin sit mala, Quæ præter sapiet, quam placet parentibus;* et Terentius Heaut. I, 1, 7: *Quod mihi videre præter ætatem tuam Facere, et præter quam res te adhortatur tua.* In Dracontio scribi pariter posset *Præter quam fuerant.* Sed Vossius, de Construct. serm. cap. 26, ostendit recte dici *præter quod* pro *præter illud quod* exemplo Cæsaris de Bello Gall. lib. I: *Frumentum omne, præter quod secum portaturi erant, comburunt,* et Ciceronis epist. 3, lib. V, ad Attic., *Nullas enim* (litteras) *adhuc acceperam, præter quæ binæ semel in Trebulano redditæ sunt.*

432. Versu 352, *Nato pro laude periclum Intulit.* Hic ergo *Intulit.*

433. Malo *sub justo vindice. Judex* et *vindex* in mss. sæpe confunduntur.

434. *Semel* pro *omnino;* quæ penitus intoleranda erant, gens fidelis mensibus octo toleravit. Cicero ad Attic. lib. XIV, epist. 13: *Etenim ille* (Antonius), *quoniam semel induxit animum, sibi licere quod vellet, fecisset nihilominus me invito.* Poterit etiam accipi pro *una vice,* ut significetur, neque exiguo tempore fuisse tolerabilia quæ octo mensibus Saguntus toleravit.

436. Expende num melius *Victa caterva tamen, clades ut vinceret hostis:* nam hæc duo verba in mss. alibi etiam sunt inter se commutata.

437. Paulo post vers. 443 iterum *Cum mœnibus urbis.*

438. Putabam *cum morte fugam;* sed magis e re videtur *faces,* quæ scilicet rogo deserviant. *Secura sepulcri,* nil curans sepulcrum. Ovidius lib. I Trist., eleg. 1, vers. 49, *Denique securus famæ, liber, ire memento, Nec tibi sit lecto displicuisse pudor.* Statius vero alia significatione lib. XII, vers. 780, *Vade, atra dature Supplicia, extremique tamen secure sepulcri,* hoc est deposita cura sepulcri, quod certo habebis. Consule notam ad vers. 105 hujus libri.

439. *Sua mira;* ut Plautus dixit *nimia mira, tanta mira.*

440. Cyprianus in carm. Sodomæ: *Tota rogus regio est.*

443. Lib. I, vers. 697: *Et saxa fluescunt In cineres.* Horatius lib. IV, od. 13, vers. ult.: *Dilapsam in cineres facem.* Alcuinus carm. 178 vet. ed. dixit *In cineres solvens mœnia.*

444. Si Saguntini Annibali se subjecissent, non propterea metuere debuissent juga, seu crudelitatem Romanorum, cum iterum Saguntum recepissent, ut vers. 451 enucleatius exponitur.

D 445. Ex Virgilio l. VI, vers. 853, *Parcere subjectis, et debellare superbos.*

446. *Urget debellare.* Horatius lib. II, od. 18, vers. 20, *Marisque Baiis obstrepentis urges Submovere littora.* SUETUS trisyllabum, ut vers. 663, *sueta.* Fortasse legendum *et hortatus veniam implorare suevit a sueo.*

448. Mutatio numeri non infrequens est scriptoribus: sed præcipue locum habet, cum ex numero singulari nominis, multitudinem comprehendentis, ad numerum pluralem fit progressus. *Cui dent* senatus, senatores, Romani.

452. *Sed veniam* metuens, quia committere nolebat, ut venia digna censeretur. Neque immerito legas *quia libera erat, servire recusat.*

453. Sic supplebam ex conjectura.

455. Vide l. II, vers. 569. Tertullianus lib. de Judic. Dom., vers. fin., *Sic quoque cœlestis capietis munera vitæ.*

Sed ne forte viris tantum data verba putentur,
Et quasi sexus iners fragili sub corpore mollis
Laudis opus metuens, ne sit sibi fama superstes
Tormentis, sequitur quæ vita æterna, recuset
Plurima dona Dei, laudis mala femina summæ
Materiem retinere potest; audacius illis
Deprensis nihil est, animos de crimine sumunt,
344 Datque nimis grandem mulieribus ira furorem.
Unde igitur furiale nefas assumere possunt,
Inde pios animi rapiant sub pectore motus,
Et faciant, quod honesta decet, quod fama pudoris
Exigit, et vitæ prodest sub laude futuræ.
Judith Holofernem castissima finxit amare,
Castra ducis metuenda viris ingressa virago.
Inter belligeros fremitus, et tela cruenta,
Inter et ensiferas sævo sub marte catervas
Ingreditur vestita fide, vestita pudore,
Et quod tanta manus non est aggressa virorum,
Nocte sub obscura perfecit femina sola,
Et duce truncato viduavit castra tyranni.
345 Quæ caput apprensum proceris portavit ad urbem:
Civibus una dedit cum libertate triumphum.

SCRIPTURA COD. VAT.

456. *V. putantur.*
458. *Laudis honos m. n. sit tibi fama s.*
459. *Tormentis quæsitam vita æterna recuset :* dubium an *quæsitas*, an *quæsitam.*
460. *Femina sume*, supra *summe.*
462. Scribitur *deprehensis.*
463. *Grandem vulneribus ira.*
464. *I. furie n.*
466. *Et faciunt q.*
468. *Ludit Olofernem.*
471. *Ensiferæ s. s. m. catervæ.*
476. Videtur scriptum *caput ad patrem*, sed *patrem* non clare : *proceres* pro *proceris.*

NOTÆ

456. *Dare verba* interdum significat decipere, quasi inaniter promittere; sed aliquando tamen idem est ac verba facere. Arator l. II, vers. 40, *Antiochi dictam de nomine visitat urbem Paulus, et extemplo properat dare verba catervis.* Val. Flaccus l. VII, vers. 251, *Talia verba dabat.* Dracontius iterum in Eleg. vers. 48, *Ne mutilante sono verba ligata daret.* Sic Virgilius *dicta dare*, Ovidius *sortem dare.* Vide Barthium l. IX Advers., cap. 9, et Withovium Specim. Gunth., pag. 96.

457. Eleg. vers. 218, *Femina sexus iners.*

458. Ita locum insigniter depravatum corrigo, ut sensus hic sit : ne feminæ metuentes, ne superstes sit earum fama tormentis, quibus succedit vita æterna, recusent plurima dona Dei, aut nullum bonum opus aggrediantur, sciendum est feminas multis Dei muneribus præditas esse, quibus ad summam laudem eniti possint. Ut enim audacius illis deprensis nihil est, ita, si velint, pios animi motus ad quævis ardua virtutum opera tentanda possunt concipere.

460. In mala femina cernere licet dona Dei, sive ingenitas quasdam virtutes naturales, quæ materiem summæ laudis præbere possunt. Præterea affectionibus animi seu passionibus naturalibus, quæ ad malum inclinant, tam feminæ quam viri bene et ad bonum uti possunt. Augustinus lib. XIV de Civit. Dei, cap. 9 : *Apud nos juxta Scripturas sacras sanctamque doctrinam cives sanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent.* Vide Nic. Lancicium de Indic. et gradib. Profect. in virt. cap. 4, num. 9.

461. Ex Juvenali sat. 6, vers. 284 : *Nihil est audacius illis Deprensis iram, atque animos a crimine sumunt :* et vers. 97 de eisdem feminis : *Fortem animum præstant rebus quas turpiter audent;* et vers. 457 : *Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil, Cum virides gemmas collo cirumdedit, et cum Auribus extentis magnos commisit elenchos. Intolerabilius nihil est quam femina dives.* P. Syrus in Mim. vers. 436, *Malo in consilio feminæ vincunt viros.*

463. Idem Juvenalis sat. 10, v. 328, *Mulier sævissima tunc est, Cum stimulos odio pudor admovet.* Mar. Victor in epist. ad Salmonem abbatem : *Ista quidem Salmon, sunt nostri crimina sexus. Sed levis est vestra vitiorum morbus in urbe, Si non feminei magis exarsere furores. Ante diem, Salmon, tenebris nox humida condet, quam possim mores hujus percurrere turbæ.* Lego *mulieribus*, tertia producta, ut l. II, vers. 133 aliisque in locis.

464. Lego *furiale nefas*, ut vers. 261, *Est furiale nefas.*

465. Fortasse *animi capiunt.* Sed *rapiunt* majus aliquid innuit, quasi per vim, cito, festinanter sumunt, arripiunt. Cicero l. III de Orat., c. 40, in verbis Ennii : *Vive, Ulysses, dum licet : Oculis postremum lumen radiatum rape*, id expendit : *Non dixit, cape, non, pete : haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum.*

466. Lego *faciant*, ut vers. præced. *rapiant.* Feminas enim Dracontius ad virtutem hortatur. Conjiciebam *quod honos doceat, quod.* At defendi potest *quod honesta decet*, scilicet quod decet honestatem. *Honestum* sumitur pro honestate. Cicero l. I Offic., cap. 5, *Facies honesti si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiæ.* Lucanus l. II, vers. 389, *Justitiæ cultor, rigidi servator honesti.*

467. *Vita sub laude futura* est vita beata.

471. Statius l. IV, vers. 321, *Et ensiferas inter potes ire catervas?*

472. Vide Alcimum de Virginit. v. 407 : *Hinc pudor, inde fides, internis fortior armis*, etc., et Paulinum poem. 23, natal. 8, *Induit alma fides*, etc.

474. Cap. XIV Judith, vers. 16, *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor.*

475. Virgilius l. VIII, vers. 571, *Tam multis viduasset civibus urbem.* DUCE TRUNCATO ex libro Judith cap. XIII, vers. 10 : *Et evoluit corpus ejus truncum;* et cap. XIV, vers. 4 : *Et invenerint eum truncum*, etc. Paulinus carm. 23, natal. 8 : *Barbara truncato victrix duce castra fugavit.* Apollinaris Sidonius in Eucharist. ad Faustum vers. 11 : *Quique manum Judith ferientem colla Holofernis Juvisti, excisso jacuit cum gutture truncus.*

476. Sic melius, quam *apprendens* vel *adprendens.* In singulari *proceris*, ut Juvenalis sat. 8, vers. 26 : *Agnosco procerem : salve, Getulice, seu tu Silanus.* In Capitolino cap. 2 Maximin. Casaubonus et plerique legunt *procer*, dissentiente tamen Salmasio. Negarunt grammatici antiqui in singulari usurpari *procer*, sed potior mihi est auctoritas Juvenalis, imo et solius Dracontii.

Femineo mucrone perit dux fortis et audax,
Quem non bella domant, domuit promissa voluptas,
Hæc sperata licet, non est perfecta libido:
Et certæ noctis pœnas persolvit adulter,
Impollutus adhuc nullo sub crimine facti.
Semiramis dulces, Nino viduata marito,
346 Invasit thalamos et regnum prolis amatæ.
Exhibet infelix incesto pectore matrem,
Et sibi socrus erat fili turpissima conjux:
Bella diu gessit juvenem mentita sub armis.
Quis neget iratæ Tomyris crudelia bella
Cum duce Persarum Cyro sub laude peracta?
Ultrix facta sui post tristia funera nati,
Dum regale caput dimissum sanguine multo
Clausit in utre cruor, quem mens furiata dolore
Fuderat, innumera juvenum cervice recisa.
Casta quod Evadne fecit Capaneia conjux,
Dum post sulfureos jaculati fulminis ictus
Ignibus appositis arderent ossa mariti,
Conscendit mox viva rogos, viduamne vocamus,
Quæ simul infernas cum conjuge venit ad umbras?
347 Dives Dido fugax, exstincti conjugis ultrix,
Urbis Elissææ perfectis mœnibus ample,
Ipsa pyram manibus propriis construxit, et aram,
Quam pedibus furiata suis conscendit, et arsit.
Impulit ad flammas accurrere funere vivo
Aut amor Æneæ, aut venientis terror Hiarbæ.

SCRIPTURA COD. VAT.

483. *Femina prima ducum uno viduata marito.*
488. *Neget exqrite Tamiris.*
493. *Cervice recissa.*
498. *Infernam c. c. venit ad urbem:* pro *urbem* prius aliud fuerat.
499. Prius *uroem*, correctum *ultrix*
501. *Contruxit ut aram.*
503. *A. funera viva.*
504. *Æneæ veniens aut terror*

NOTÆ.

479. *Promissa voluptas*, quam sibi ipse promiserat, ambiguo responso Judithæ deceptus. Cap. XII, vers. 13: *Quæ ego sum, ut contradicam Domino meo?* Judith invitabatur aperte ad cœnam, occulte ad flagitium: apertum verborum sensum secuta, se Holofernis obsequio paratam ostendit: Holofernes tectum alium verborum sensum spectabat. Nonnulli putant Judithan Holoferni legitimum matrimonium promisisse; quæ tamen interpretatio minus verbis et menti Dracontii congruere videtur.

481. *Certæ noctis*, sibi constitutæ, quam certo sibi promiserat. *Nox* sæpe pro ipso vetito concubitu ponitur. In Anthologia Latina tom. IV edit. Pisaur., pag. 502: *Dum noctis pretium tuæ requiro*, quod epigramma inter alia Martiali ascripta legitur. Prudentius l. I contra Symmach., vers. 143: *Hoc pretium noctis persolvit honore Liber*. Sic passim loquuntur Cicero, Horatius, Ovidius, Statius, Plautus, Terentius, alii. In plurali num. Juvenalis sat. 1, vers. 37: *Qui testamenta merentur Noctibus*.

482. *Impollutus* verbum Taciti et posterioris ævi.

483. In scriptura codicis corrupta omnino legendum puto *Semirámis* et *Nino*, quorum certe fit mentio. Nec refert quod alii in *Semiramis* primam corripiant et secundam producant, et primam in *Nino* brevem faciant: nam Dracontius aliique ejus æquales in nominibus propriis liberiores erant. Prudentius in *Ninivitæ* a *Nino* primam similiter produxit vers. 131 hymni 7 Cath.: *In Ninivitas se coactus percito*. Simili modo Theodulfus Aurelianensis in versibus præfixis fronti Bibliorum: *Ninivis et vitam nomine mundus habet.*. Alii in *Ninive* primam corripiunt, secundam producunt.

484. *Invasit thalamos*, etc., vide notam ad vers. 319. Justinus l. I, cap. 1, de Semiramide, *Simulat se pro uxore Nini filium, pro femina puerum... Magnas deinde res gessit, quarum amplitudine, ubi invidiam superatam putat, quæ sit, fatetur... Ad postremum cum concubitum filii petisset, ab eodem interfecta est*.

486. Mater est socrus conjugis filii. Semiramis igitur, quæ filii conjugium affectabat, sibi erat socrus.

488. Forte *Quis neget orbatæ Tomyris.* Alii scribunt *Thamiris*. De ea Val. Maximus lib. X, cap. 9: *Caput Cyri abscissum in utrem humano sanguine repletum dimitti jussit, exprobrans illi insatiabilem cruoris sitim, simulque pœnas occisi ab eo filii sui exigens.* Herodotus l. I, cap. 214, eamdem historiam refert, quamvis multa alia de exitu Cyri narrari fateatur.

489. Alii primam in *Cyrus* producunt.

491. Putabam *demersum*; sed Val. Maximus verbo *dimitti* in eadem re usus est.

492. *Clausit in utre cruor*, quod tantus fuerit cruor, ut caput cooperuerit et quasi clauserit.

494. Hyginus, fabul. 256, inter castissimas numerat Evadnen conjugem Capanei. In *Capanea* lego *Capaneia conjux*. Statius l. XII, vers. 545, *Ausa ante alias Capaneia conjux*.

495. Capaneus ad Thebas periisse dicitur fulmine percussus. Vide Statium in fin. l. X. *Jaculatus* passive in Lucano reperitur.

497. Hyginus, fabul. 243, Statius in fine Thebaidos, *Conscendit*, ut vers. 502.

499. Dido, Elissa etiam, seu Elisa vocata, cum Pygmalion ejus frater Sichæum conjugem obtruncasset thesauris hujus inhians, Tyro clam aufugit, effossis et asportatis secum thesauris. Omnia ergo hujus versus verba notandam habent significationem: *dives, fugax, ultrix conjugis exstincti*

501. Scriptura codicis *pyram construxit, ut aram*, aliquo pacto defendi potest, sed non videtur vera. *Contruxit* pro *construxit* error clarus est.

502. Supra vers. 497, *Conscendit mox viva rogos*. Virgilius l. IV, vers. 646, de Didone: *Conscendit furibunda rogos*.

503. *Funere vivo*, ut vers. 398, *vivum cadaver*, l. I, vers. 648, *funera viva*, et vers. seq. *vitali in morte*. Simile oxymorum est in Victorino de J. C., *Vim patiens hominum vitali morte sepultus*. Dido gladio seipsam occidit, sed in pyra, qua ejus corpus comburendum erat.

504. Macrobius Saturn. l. V, cap. 17, commemorat, ita eleganter a Virgilio amores Didonis fuisse digestos, *ut fabula lascivientis Didonis, quam falsam novit universitas, per tot tamen sæcula speciem veritatis obtineat, et pro vero per ora omnium volitet*. Justinus, l. XVIII, Hiarbam regem Mauritaniæ sub belli denuntiatione nuptias Didus petiisse refert. *Regina vero, pyra in ultima parte urbis exstructa, velut placatura viri manes, inferiasque ante nuptias missura, multas*

Quid formosa nurus, populo spectante, pudica A
Post maculam thalami Lucretia casta peregit,
Quam tulit infelix, alieni pœna pudoris?
348 Ut rea procubuit, nullo surgente reatu:
Concidit ense suo, mansitque superstes adulter,
Qui solus feriendus erat mercede pudoris.
Millia femineis numerantur ubique catervis
Exempla scelerum modicæ vel laudis amore:
Aut certe fecere pie pro numine vano
349 Conficti sermone Dei, quem fabula mendax
Extulit, et miseros incassum orare coegit,
Unde nihil lucri, sed vitæ damna tulere,
Cum sit nemo Deus, nisi noster ubique tremendus;
Omnia præcepti solo sermone creantur
Ipsius imperio, per quem sunt cuncta per ævum.
Ecce Deus verus, de quo nil fingitur, in quem
Fabula nulla cadit, quem nunquam verba diserti
Exornant, aut sorde notant, cui tempora nil dant,
Aut relevant, currente die: qui sæcula mutat,
Nec mutant hunc sæcla tamen, quia, quod fuit, hoc est,
Hoc erit æternus: qui præsens constat ubique,

SCRIPTURA COD. VAT.

514. *Dei quos f.*
515. *Incassum adorare coegit.*
516. *Nihil Christi sed.*
522. *Aut forte rotant cui.*
523. *Aut recolunt c.*

B 524. *Sæcula nec tamen* ..... desunt alia, sed illico integer versus ponitur *Nec mutant hunc*, etc., adeoque *Sæcula nec tamen* initium mendosum est versus hujus *Nec mutant*

NOTÆ.

hostias cædit, et sumpto gladio pyram conscendit, atque ita ad populum respiciens, ituram se ad virum, sicut præceperant, dixit, vitamque gladio finivit. Non desunt tamen qui Virgilii narrationem testimoniis veterum velint confirmare: quam opinionem refellit Ruæus initio comment. l. IV Æneid.

505. Livius l. I, cap. 57, de Lucretia: *Tum forma, tum spectata castitas incitat.* Lucretia nuntium ad patrem et ad virum miserat, ut cum singulis fidelibus amicis ad se venirent, quibus præsentibus Tarquinii facinus narravit, et cultro se confodit.

507. *Tulit*, abstulit. Virgilius eclog. 9, vers. 51: *Omnia fert ætas, animum quoque.* Vel *tulit*, supra se C tulit, ut pro ea mortem subiret, phrasi ecclesiastica, ut dictum ad vers. 602 l. II: *Et licet ipse ferat maculas et crimina nostra.* ALIENI PŒNA PUDORIS est casus appositionis, ut vers. 270: *Accipit infelix, alieni causa triumphi.* Fuit ergo Lucretia sibi pœna alieni dedecoris. *Pudor* metonymice ponitur pro dedecore, præsertim ex illicito concubitu permanante. Ovidius Heroid. ep. 11, vers. 79, *Irruit, et nostrum vulgat clamore pudorem.* Justinus l. III, cap. 4, *Ex his nati ob notam materni pudoris Parthenii sunt vocati.*

508. Vide supra vers. 429.

510. *Mercede pudoris*, ut vers. 507, *pœna pudoris.* Pro pœna, aut supplicio *merces.* Livius l. XXXIX, cap. 55, *Debuisse gravem temeritatis mercedem statui.*

511. *Femineis catervis*, in femineis catervis. Fortasse *femineæ catervæ* legendum. Feminarum indolem et ingenium simili elogio persecutus est Fridericus Furius Cæriolanus in opere quod inscribitur *Bononia*, lib. II, pag. 281 seq., *Quid enim si superiores* D *et laudabiliores viris inveniuntur? .... Lege omnes omnium ætatum annales et historias, cognosces feminas castas, pudicas*, etc., *quæ ita in omni virtutum genere eminuerunt*, etc. *Nolo recensere Semiramim, Lucretiam*, etc. *Quid tibi multa millia virginum, conjugum et viduarum memorem?* Hoc vero est discrimen inter Cæriolanum et Dracontium, quod hic feminas ad veræ virtutis laudem adhortatur, ille ita ratiocinatur, ut concludat lectionem versionis vulgaris sacrorum librorum sine ullo discrimine omnibus esse concedendam: ex quo intelliges quam inepte in Catalogo Bibliothecæ Hulsianæ tom. IV, pag. 337, hic liber Cæriolani collocatus fuerit in classe eorum qui de Roma et statu ecclesiastico, sive ditione Romani pontificis agunt, perinde quasi descriptionem civitatis Bononiæ contineret, cum *Bononia* inscriptus fuerit, quia dialogum explicat inter Cæriolanum et Bononiam Siculum, theologum et rectorem Lovaniensem. En titulum operis rari: *Friderici Furii Cæriolani Valentini Bononia, sive de Libris sacris in vernaculam linguam convertendis libri duo ad Franciscum Bovadillium Mendozium cardinalem Burgensem. Basileæ per Joannem Oporinum. Ex officina Michaelis Martini Stellæ*, 1556, *mense Martio*, in-8. Nescio vero an magis ridicula sit allucinatio hypercritici Baylii, qui in Diction. verb. *Furius* affirmat Federicum Furium nomine Cæriolani vocatum fuisse, quia natus fuerat Valentiæ; allegatque Nic. Antonium, quem ait scripsisse incolas regni Valentini vulgo appellari *Seriols*, et hac de causa Furium cognominatum *Seriolanum*. Accipe verba Nic. Antonii, quæ exscripsit etiam Baylius: « Federicus Furius Seriolanus (vulgari appellatione Valentinæ gentis, ex cujus regni urbe primaria oriundus erat, SERIOL dictus) non alio aptiori potest elogio commendari, » etc. His, ut vides, solum innuit Nic. Antonius, Federicum ex vulgari suo cognomine *Seriol* sibi fecisse nomen *Seriolanus*. Cæterum cognomina ejus hæc duo erant *Furio Ceriol*. Quædam de ejus genere et familia ex Actis beatif. et canoniz. B. Nicolai Factoris, alia de munere historici regii, quod gessit, ejusque scriptis historicis ex præfatione Joannis Matallii ad libros Hieronymi Osorii de rebus Emmanuelis Lusitaniæ regis adderem, nisi hic locus alienus esset.

513. *Pie*, opus quod pietatis aliquam speciem præ se ferret: nam vera pietas *pro numine vano* nulla est.

514. Forte *Conficto sermone Deum, quos*, vel *Fictorum sermone Deum, quos.* Lib. II, vers. 582, *Vel quicunque Dei ficti sermone vetusto.*

516. Lego *lucri* pro *Christi*; nullus enim est sensus *Unde nihil Christi.*

518. Lib. II, vers. 59, *Quem ipse repente jubens solo sermone creasti.*

521. Forte *verba diserta.*

522. Sic ex conjectura legi potest, nisi malis aut *forte notant*, aut *sorte notant.* Sed *notare sorde* recte dicitur. Cicero pro Quint., in fine: *Ne is .... dedecore, macula, turpissimaque ignominia notetur.*

523. Forte *Aut minuunt*, ut l. II, vers. 586, *Nil addens, minuensve tibi*; vel *Aut demunt*, ut Eleg. vers. 9: *Nil addit demitque tibi tam longa vetustas.* Scribo *relevant*, quia *relevare* ponitur etiam pro *minuere.* Plinius in Paneg. cap. 19. Vide not. ad vers. 510, l. I.

524. Lib. II, vers. 587, *Tempora mutantur te nunquam sæcula mutant.*

Omnia cum tollat, minuatque volatile tempus, A
350 Incrementa Deus, vel decrementa recusat;
Idem semper erit, nunquam mutabilis ævo,
Qui cum sit dominus, se vult tamen esse parentem.
Exhibet, impendit, præbet, testatur, adoptat
Nos genitos vocitare suos: nos ergo fideles
Vivere debemus, tanquam factoris imago,
Quos deceat factura Dei pietate magistra.
Rex pie, bellantum comitata potentia supplex
Fit, quodcunque jubes: effectus jussa sequuntur.
Stat famulans natura Deo, constructa elementis,
Nescia, quid jubeas, donec præcepta repente
Audiat, et Domino citius parere laborat, B
Exsultans jussisse sibi, gavisa ministrat,
351 Perficit injuncta placido sermone jubentis,
Et rerum natura parens famulata tremiscit
Per quem celsa poli, tellus, mare, sidera constant,
Et gestit servire pavens. Quota portio rerum
Nos sumus audaces, ut contemnamus acerbe
Imperium cœleste truces? præcepta sequatur
Nostra, Deique simul, qui vult, sua vota venire.
Cum nos jussa Dei fieri contemnimus ultro,
Nec sumus ignari, quid sit fas, quidve nefastum,
Gens scelerata sumus, nil de pietate merentes.
352 Quorum primus ego plus quam peccator habendus.
Quando fatebor enim, scelerum simul esse reatum

SCRIPTURA COD. VAT.

526. *Omnia qui tollit, minuitque v. t.*
536. *Stans famulans.*
539. *E. vixisse s. g. ministra.*
543. *Et gessit servile pavens.*
545. *I. c. truces pacare loquetur:* correctum *loquatur.*
546. *Venire;* ad marg. est *mereri.*

NOTÆ.

526. *Minuitque volatile tempus* in scriptura codicis, ut vers. 523, *Qui sæcula mutat.* Ovidius lib. x Met., vers. 519, *Labitur occulte, fallitque volatilis ætas.* Suspicor *Omnia cum tollat, minuatque volatile tempus, Incrementa Deus,* etc. Illud mihi certum, Columbanum in ep. ad Hunaldum hunc versum expressisse: *Omnia dat, tollit, minuitque volatile tempus,* quem versum aliis Dracontii immixtum refert: adeoque conjecturam meam sequi volo.

528. Eleg. vers. 7, *Omnia permutans, nullo mutabilis ævo, Idem semper eris.*

529. De patris nomine quo Deus vult vocari, consule notam ad l. i, vers. 81.

530. De verbo *impendo* pro *confero* vide notam ad vers. 248. *Adoptare* peculiari significatione est aliquem in filii locum assumere, proprio nomine imposito. Hinc additur, *Nos genitos vocitare suos.* Deus enim nos in familiam suam nomenque filiorum suorum per gratiam adoptat. Fortasse etiam *adoptat* sumitur pro *optat.*

531. *Genitus* substantive pro filio. Vide comment. ad Prudentium hymn. 5 Cath., vers. 157. Joannis ep. 1, cap. iii, vers. 1: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Chrysostomus hom. 14 in Matth., *Patrem se magis quam Deum voluit dici, ut nobis magnam fiduciam daret ad petendum.* Dracontius in fin. l. iii, *Obses sermo tuus nostro nam corde tenetur, Quo te promittis nimia pietate parentem.*

532. Vide lib. i, vers. 338, *Species hominis, cœlestis imago.*

533. *Factura* pro opere facto et creatura sæpe ponitur a scriptoribus Christianis. Confer comment. ad Prudentium Apoth. vers. 304. Hoc loco potius sonat ipsam actionem, sive compositionem, quo sensu Plinius et Gellius ea voce utuntur. *Pietate magistra,* ut *luce magistra, ritu magistro,* qualia multa in poetis reperire licet.

534. Lib. ii, vers. 698, eodem modo: *Rex pie.* Obscura sententia et fortasse mendosa scriptura. Tentabam *Rex pie, bellantum cui tota potentia supplex, Fit, quodcunque jubes.* Vel *Rex pie, bellantum comitata potentia, semper Fit quodcunque jubes.*

539. *Ministrat* eo sensu quo l. i, vers. 227: *Quæcunque ministrant.* Forte *Exsultat jussisse sibi, gavisa ministra Perficit.* Sedulius l. i, vers. 222, al. 237: *Nempe creatori, cujus quæcunque videntur, Seu quæcunque latent, et rerum machina serva est, Omne suum famulatur opus, sequiturque jubentis Imperium, quocunque trahit sententia nutus.* Cellarius edidit *et rerum machina sermo est.* Sed Wopkensius in Miscell. crit. restituit ex aliis libris *serva est,* et mox conjicit *sequiturque jubentis Imperii, quocunque trahit sententia, nutum.*

541. *Tremisco* cum accusativo Virgilius et alii. In multis veteribus libris scribitur *tremesco,* atque ita etiam legitur in codice Vat., sed communior scriptura est *tremisco.*

C 542. *Celsa poli,* ut l. ii, vers. 3, *celsa polorum.*

543. Sic restituo. Gestit servire pavens natura, nam eadem gavisa ministrat, et famulata tremiscit, quibus verborum oppositionibus sæpe utitur Dracontius. Cogitabam *Cui gestit servire pecus.* Quota portio, quanta portio. Lucretius l. vi, vers. 650, *Et videas, cœlum summai totius unum Quam sit parvula pars, et quam multesima constet, Et quota pars homo sit terrai totius unus?*

545. In mendo cubat hic locus. Hemistichium vers. seq. invenio apud Alcuinum, Dracontii sæpe imitatorem, carm. 179, quod monostichis constat, et inter alia habet, *Impleat ipse Dei, qui vult, sua vota venire,* nempe impleat Dei vota, qui vult sua sibi vota succedere: quanquam mihi potius placet opinio Canisii, qui in append. tom. I Var. lect. hoc carmen S. Columbano ex quodam ms. attribuit, cujus ex epistola ad Hunaldum nonnulli versus huc sunt allati. In recenti editione Alcuini inter opera D dubia hoc carmen relatum est. Locum correxi, ut potui, non ut desideravi. Vellem, medicinam tulisset noster Petrus Chacon, de quo Nicius Erythræus in Pinacotheca: *Omnino habebat hoc, ut in sanandis veterum librorum plagis nemo ipso melius medicinam faceret, adeo ut auctorum eorumdem animi, ut somniavit Pythagoras, immigrasse in ipsum, suamque eidem de iis rebus, quæ erant in quæstione, sententiam quodammodo aperuisse viderentur.*

547. Nullum erit peccatum metri, si legas *facere contemnimus.*

548. Libr. ii, vers. 267, *Nos improba turba, Quamvis justitiam noscentes temnimus actu Plectibili.*

550. Imitatio Apostoli I ad Tim., cap. i, vers. 15, *Quorum* (peccatorum) *primus ego sum.* Tota hæc confessio Dracontii quo pertineat, fuse disputatum fuit in prolegomenis cap. 13.

551. Forte *scelera simul, atque reatum Pectoris, et carnis?* vel *scelerum numerum, atque reatum.*

Pectoris, et carnis? non si mihi ferrea vox sit, A
Ora tot exsurgant, quot dentes ossibus albent,
Aut mihi sint linguæ, quantos caput omne capillos
Pectinat, explebo numerum sine fraude fidelem.
Sed satis est dixisse reum sub crimine cuncto.
Quod tua jussa vetant, solus peccasse fatebor,
Omne, quod horrescis, non me fecisse negabo.
Quid prodest cuicunque nefas celare peractum,
Cum judex, et testis ades Deus unus, et idem?
Sacrilega quasi mente putem, non omnia nosse,
353 Aut aliquid nescire Deum. Sibi fraude nocebit
Mens mea quod reticet, cum, si confessio simplex
Indicet admissum, venia sperata sequetur. B
Qui negat, ipse sibi veniam jam sponte negavit.
Ergo ego confiteor miseranda mente reatum
Plenum, grande malum, non uno crimine partum.
Nam scelus omne meum numeros superabit arenæ
Littoris, et pelagi vincent mala nostra liquores.
Non puto diluvium tantos punisse reatus,
Quantos ipse gero culparum pondere pressus.
Flumina me scelerum rapiunt, quatiuntque procellæ,
Et peccatorum torrens simul obruit unda;
354 Me delictorum merserunt fluctibus amnes,
Usque animam venit unda meam, gravis horror aquarum.
Hei mihi! quod facinus non uno tempore gestum,
Ut mea facta luam, tempus convenit in unum.
Nunc ubi sit pietas, ubi sit miseratio prisca,
Aut tua quo, Domine, clementia nota recessit?
Oblitusne mei es? precor, obliviscere ne me,
Omnipotens, sed facta mea: gravor undique pressus,
Vincla ligant, tormenta domant, consumit egestas;
Ludibrium generis, dolor omnibus, atque inimicus
Factus, et exutus magna de parte bonorum,

SCRIPTURA COD. VAT.

554. *Q. capit o.*
562. *Deum cui fraude.*
569. Scribitur *lictoris.*
579. *D. elementa n.*
583. Obscure *inimicus.*

NOTÆ.

552. Auctor incertus de Laudibus Domini sub Constantino: *Non ego ferrato tegerer si viscera muro, Ferrea vox, linguæque forent mihi mille canenti*, etc. Virgilius lib. VI, vers. 625, *Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox*, etc. Sic passim poetæ ethnici et Christiani difficultatem singillatim explicandi rem aliquam solent exprimere. Quod autem Dracontius hunc versum, et non raro alios verbo monosyllabo concludit, rectene id fiat, controversum est inter aliquos. Labbeus in Nov. Bibl. mss., pag. 68, ex bibliotheca Gabrielis Naudæi citat anonymi dialogum, *An recte versus monosyllabis verbis claudatur, et quibusnam, adversus Thomam Corream*, qui Bononiæ libros de eloquentia, elegia et epigrammate scripserat. Præstantissimorum poetarum exempla patent omnibus.

553. Virgilius lib. XII, vers. 36, *Campique ingentes ossibus albent.*

554. *Quantos* pro *quot* usitatum bonis Latinitatis auctoribus, Senecæ, Propertio, Statio, Claudiano, aliis.

555. *Pectinare* verbum Plinii et Apuleii. David scelera sua capillis capitis sui comparabat psalmo XXXIX, vers. 13, *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Dracontius hyperbolem longius protrahit.

556. *Reum*, scilicet me. *Cunctus* in singulari apud Virgilium, Ciceronem ac plures alios occurrit, ut *cunctus orbis, a cuncto populo.*

558. *Horresco* cum accusativo Virgilius, Statius, Val. Flaccus.

560. Jerem. c. XXIX, vers. 23.

561. Vide l. I, vers. 497 seqq., *Sacrilegos*, etc., et v. 531 seqq. ejusdem l. I.

562. Lego *sibi* pro *cui*: nam etiam cum interrogatione *cui fraude nocebit Mens mea quod reticet?* non satis expeditus est sensus. Joan. ep. I, c. I, vers. 8 seq., *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.... Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Lib. III Reg., c. VIII, v. 46 seqq.

563. Forte *quod si*. In codice scriptum est *cum si*. Potest accipi *cum* pro *quando* adversative. Martialis l. VII, ep. 83, *Certior in nostro carmine vultus erit. Casibus hic nullis, nullis delebilis annis Vivet, Apelleum cum morietur opus.* Videlicet morietur imago picta Cæcilii Secundi, sed non vultus ejus in carmine meo expressus. C

564. *Admissum* pro scelere Livius, Tacitus, alii. Non male esset *venia sperata sequatur*. Sed defendi potest *sequetur* cum *quum*, ut nunc dicebam.

565. *Qui negat*, nempe crimina, admissum scelus.

568. In codice est *superabit*, non *superavit*, ut vers. seq. *vincent*, videlicet si numerare velim scelera mea, superabunt arenam littoris, vincent undas pelagi. In sacris Litteris sæpe magna aliqua multitudo arenæ maris comparatur. Theodulfus Aurelianensis lib. IV, carm. 4, vers. 296: *Ipse Deo, fateor, peccamina multa peregi, Quæ superant numero temet, arena maris, Et pluviæ guttas, maris undam, sidera cœli, Herbarum frutices, germina cuncta soli. Hæc sunt, ærumnas ego cur sim missus in istas, Esse nec ut debent sunt mala tanta mihi.*

570. Verbis ex sacra Scriptura petitis exaggerate sua crimina Dracontius fatetur. Hermannus Hugo in Piis desideriis lib. I, carm. 11, in hanc sententiam exponit verba psalmi LXVIII, v. 16, *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum*, etc. D

573. Psal. XVII, vers. 5: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me;* et psal. XXXVII, vers. 5: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.*

575. Ex citato psalmo LXVIII: vers. 2, *Intraverunt* aquæ usque ad animam meam. Ovidius Trist. lib. II, vers. 101: *Nec mihi pars nocuit de gurgite parva, sed omnes Pressere hoc fluctus, oceanusque caput.*

581. Inter sententias P. Syri Mimi vers. 825: *Res optima est, non exstirpare sceleratos, sed scelera.* Prosper epigr. 8: *Denique committunt homines mala crimina semper, Dat spatium, ut pereant crimina, non homines.* Et epigr. 44: *Legem spernentes odit cum legis amator, Non homines odit, sed reprobat quod agunt.*

584. Forte *Fractus et exutus.* Vers. 593, *Quem sic fregere dolores.*

Crinibus intonsus, pannis squalentibus usus;
Notus et ignotus desunt, abiere parentes,
Me quibus impendi, mox dedidicere propinqui,
Vel quicunque fuit, subito discessit amicus.
Agmina servorum fugiunt, tempsere clientes,
355 Nec doluere meam tanta sub clade ruinam:
Irascente Deo, solatia cuncta negantur.
Hic superest, ut vita cadat, nisi parcere mitis
Jusseris afflicto, quem sic fregere dolores.
Punisti errantem, nunc jam miserere fatentis.
356 Pœnitet en peccasse nimis, jam parce flagello:
Nam nequeo tolerare miser tot cladibus actus.
Aspice, quæso satis, precibus ne clauseris aures
Nostris, sancte, tuas, qui das præcepta benignus,
Ira hominis cum sole cadat de corde furentis,
Et veniam nox ipsa ferat: qui præcipis, ut sit,
Fac fieri, quod et ipse jubes, miserere rogantis,
Et lacrymas intende meas, quas fundo diurne:
Tristis, et extenso prostratus corpore plango.
Me miserum! qui tanta fero, cui tanta parasti
Supplicia scelerum: merear licet acrius uri,
Munere percipiam Domini, redeunte favore,
Quidquid amara dies et tempora dura tulerunt.

SCRIPTURA COD. VAT.

587. *Et q. i. m. didicere p.*
592. *S. vita ut c.*
594. *M. fatenti.*
596. *Actis*, supra *actus.*
597. *Accipe q.*
599. *Corde fruentis.*
602. *Fundo divine.*
605. *Supplicii scelerum peccans licet acrius uri.*
606. *Munera percipiam d.* Scribitur *percipiam.*
607. *Dies tempus quodcunque derisit.* Post hunc versum in ms. ordo versuum hic est. *Quidquid amara - Obsessamque - Et sontem - Interpres mentis - Atque voluntatis - Verbere distinctas - Omne nefas - Dentibus adduntur - Lucem redde*, et alii, ut hic eduntur usque ad *Ut bene verba*, post quem sequitur *Accedunt humeris*, et alii, ut hic repræsentantur.

NOTÆ.

585. Habitus reorum apud Romanos vulgo notus, coma intonsa, vestis obsoleta et squalens.

586. Similia sunt in psal. XXXVII. *Parentes* pro consanguineis accipio significatione jam tunc usitata, quæ ad vulgares linguas postea permanavit. Hieronymus lib. II contra Rufinum sub init., *Nisi forte parentes militari, vulgarique sermone cognatos, et affines nominat.* Hoc certe sermone locuti sunt Capitolinus, Lampridius, Curtius, Julius Firmicus, ut alios sequioris ævi omittam, nonnullos etiam antiquiores, quorum tamen non certa est sententia.

587. Sustineri potest *Et quibus impendi:* nam *impendo* pro conferre, præbere, ponitur a Dracontio vers. 530. Verius tamen puto *Me quibus impendi.*

589. Euripides in Alceste vers. 208, *Non enim omnes famuli bene volunt dominis, Ut benevoli accedant in malis.* Oportet ut magna fuerit Dracontio servorum copia. De origine servorum pulchre Alcimus ratiocinatur lib. IV, ubi agens de diluvii tempore ait: *Nam servos nondum dederat natura vocari, Nec dominos famulis discernere noverat ordo, Nam primus maculam servili nomine sensit Hujus natorum medius, qui forte cachinno Detectum periit misero spectamine patrem, Materiamque sui risit deformior ortus, Et plus jam turpis nudato simplice nequam. Quod postquam sanctus potuit cognoscere Noe, Natum germanis famulum dedit: inde repertum est Tale jugum, cuncti nam semine nascimur uno. Servitii causam certe fecisse reatus Cernitur, et liber peccans fit crimine servus. Si rursum nexu famulus stringatur honesti Natales faciens sibimet, jam nobilis hic est.* Sic ex vet. edit. Moltheri, ubi legitur *Distectum* pro *detectum*, Romanorum divitiæ cum in aliis rebus, tum in magno servorum numero sitæ erant. C. Cæcilius Claudius Isidorus servorum quatuor millia sedecim testamento reliquisse dicitur, quamvis civili bello multas opes perdidisset. Crassus solos architectos et fabros in servis habebat ad quingentos. Seneca de Tranquill. Animi cap. 8, *Feliciorem tu*, inquit, *Demetrium Pompeianum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio? Numerus illi quotidie servorum, velut imperatori exercitus, referebatur.* Vide Lipsium in not. et lib. II, cap. 15, de magnit. Rom. Quod ergo non solum servos, sed etiam agmina servorum Dracontius memorat, satis innuit, se fortunæ bonis abundasse, aut etiam e viris primariis unum aliquem fuisse. Id ipsum hoc loco verbum *clientes* indicat. Lib. II, vers. 310, *Nobilium plures decepti fraude clientes.*

590. Supra vers. 583 ait *dolor omnibus;* cur igitur nunc, *Nec doluere*, etc. Discrimen hoc est quod hoc versu *Nec doluere* ingratus animus servis, clientibus, amicis, propinquis objicitur, quod non ita Dracontii sortem doluerint, ut remedium aliquod, quantum in ipsis esset, saltem consolatoriis verbis afferrent. At versu 583 affirmat se ludibrium generis factum, dolorem omnibus, atque inimicum, quia ex suo casu ut ludibrium, sic dolor in familiares redundare debuit. Doluerunt ergo non sortem Dracontii, sed suum damnum, vel si sortem Dracontii dolebant, se non dolere fingebant, pro inimicis se gerentes.

591. Eleg. vers. 29, *Irascente Deo, mentes mutantur, et artus.*

593. Ovidius l. III Trist., eleg. ult., vers. 33, *Ingenium fregere meum mala.* Sic *frangi dolore, molestia, cura*, et similia.

594. Scriptum puto *miserere fatentis*, ut vers. 601, *miserere rogantis*, et alibi etiam cum genitivo. Defendi tamen potest *miserere fatenti.* Corippus l. II, vers. 402, *Dominus servis miseratus egenis.* Diomedes l. I edit. Putsch., col. 294, ut Latinum agnoscit *misereor tibi*, ac sunt exempla in Hygino, Declamat. Quintiliani et aliis.

595. *Parce flagello*, abstine a flagello, ut *parce metu.*

598. *Sancte* de Deo, ut vers. 661. Vide notam l. I, vers. 744. Sic Juvencus, Prudentius, alii loquuntur.

599. Eleg. vers. 155, *Ne sol cadat intrans*, etc. Ex Apostolo ad Ephes. cap. IV, vers. 26: *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

600. Forte *qui præcipis hoc sic.*

602. *Et lacrymas intende*, ut l. I, vers. 746, *Spes hominum intendens.* Pro *diu*, aut *omnibus diebus*, aut *diuturne* positum *diurne. Diurnum* proprie est quod ad diem pertinet, ut *nocturnum* quod ad noctem. Sed pro diuturno usurpari posse diurnum, quibusdam Ciceronis locis ostenditur, quamvis nonnulli malint legere *diuturnum.*

603. Habitus supplicantium et orantium. Cicero pro Ligario cap. 5: *Quod nos domi petimus precibus et lacrymis prostrati ad pedes.* Subit etiam animum conjectura de supplicio nervi, quo corpora extendebantur et prosternebantur: id tamen minus placet.

607. *Tulerunt* pro abstulerunt. Vide notam ad vers. 507; vel lege *Quidquid amara dies, quodcunque et tempus ademit.*

357 Lucem redde, precor, qui tempora subtrahis Iob A
Aspera, restituens quidquid malus hostis ademit;
Arida qui reparas antiquis mortibus ossa,
Quæ membris rediere suis, clamante propheta,
Atque homines factura jubes reptare, cruoris
Humor ut absumptas intraverit ante medullas.
Nascuntur venæ, jam nervis membra ligantur,
Jam tegit ossa cutis, multos distenta per artus;
Quæserunt colla caput, constringit guttura cervix,
Verticis eximii replentur et ossa cerebro;
Inde duces oculi gemmato lumine vibrant,
358 Et palpebra tegunt luces, mundantque fenestras:
Scena capillorum, fundens a fronte coronam,
Tempus, et omne caput vestit de crine decorum,
Atque supercilium gemino supereminet orbi.
Naribus abductis duplex data semita vento,
Et geminæ rubuere genæ, lanugine malæ
359 Crispantur revirentis adhuc post ossa senectæ
Mortua temporibus multis, olimque sepulta.
Ordine muratum dentes cinxere palatum,

SCRIPTURA COD. VAT.

608. *Lucito redde procul qui tempora subtra Hiob;* B ad marg. *precor* pro *procul.*
612. *F. jubent reptante cruore.*
613. *Humor ad o.*
615. *C. multas distenta per artes.*
616. *G. cervis.*
618. *O geminato l.*
619. *Et palpebra tegunt lucis mandantque fenestras.*
620. *Sceva capillorum funde a fronte coronam.*
623. *N. obductis dupplex d.*
624. *G. rubere g.*
625. *Crispantur ventis adhuc p. o. s.*
627. *O. moratum d.*

NOTÆ.

608. Hi versus in codice turbati et transpositi videntur. Eos ita collocavi, ut orationi et sententiæ congruere censui. Forte legendum *Lucida redde, precor.* Exemplo Jobi, quo utitur, multa se amisisse Dracontius innuit.

610. Visio Ezechielis cap. XXXVII: *Et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.... Erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. . Vaticinare de ossibus istis, et dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini.*

612. Forte *Atque homines factura juvant, reptante* C *cruore,* vel *Atque homines factura jubes replere cruorem.*

613. Humorem medullis tribuit, ut l. I, vers. 652, *Venasque ciens, udansque medullas.* Isidorus l. XI Orig., cap. 1, *Medullæ appellatæ, quod madefaciant ossa, irrigant enim, et confortant.* Ossa igitur arida, quæ factura homines erant, prius intus medullis instruuntur.

614. Ezechielis cap. cit.: *Et ecce super ea nervi, et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper.* Cicero libr. II de Natur. deor., cap. 55: *Quid dicam de ossibus? quæ subjecta corpori mirabiles commissuras habent.... Huc adde nervos, a quibus artus continentur.... qui sicut venæ et arteriæ a corde tractæ, et profectæ in corpus omne ducuntur.* Celsus l. II, c. 10, *Juncta enim est vena arteriis, his nervi.*

616. Ezechiel cap. cit.: *Factus est autem sonitus, prophetante me, et ecce commotio; et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam.* Colli pars anterior est gula, posterior cervix.

617. *Vertex est ea pars, qua capilli capitis colliguntur, et in qua cæsaries vertitur.* Isidorus l. XI Orig., cap. 1.

618. Cicero l. II de Natur. deor., *Oculi tanquam speculatores altissimum locum obtinent.* In codice est *geminato* minus recte. Vide l. I, vers. 235 et 345. *Vibrant* pro micant.

619. Cicero cap. 57, l. II de Nat. deor., *Palpebræque, quæ sunt tegumenta oculorum.... aptissime factæ, et ad claudendas pupillas* (al. *pupulas*), *ne quid incideret, et ad aperiendas.... Munitæque sunt palpebræ tanquam vallo pilorum.... Latent præterea utiliter, et excelsis undique partibus sæpiuntur.* Confer Ambrosium l. VI Hexaem., cap. 9, et Isidorum l. XI Orig., cap. 1, cum notis Grialis. Conjiciebam in Dracontio *Et palpebra tegit luces, munitque fenestras. Palpebra* in singul. numero dixit Celsus l. V, cap. 26, sect. 23. In neutro genere *palpebrum* dici testatur Nonius cap. 3, *Palpebrum genere neutro consuetudo dici vult, palpebræ femin.* Ex quo retineri potest *Et palpebra tegunt luces*: tum pro *mandantque* legendum est potius *mundantque fenestras.* Pro oculis ponit *luces,* ut Ovidius, Statius, Rutilius et alii. Neque ab hac significatione longe abest Cicero in Arato vers. 96, *Illæ quæ fulgent luces ex ore corusco,* quamvis proprie de stellis loquatur. *Fenestras* pro oculis pariter usurpavit Prudentius Hamart. vers. 870: *Impediuntque vagas obducto humore fenestras.* Vide comment. ad eum Prudentii locum. De oculis mystice exponunt nonnulli verba Jeremiæ c. IX, vers. 21, *Quia ascendit mors per fenestras nostras,* et Isaiæ c. LX, vers. 8, *Qui sunt isti qui, ut nubes volant et quasi columbæ ad fenestras suas?* Quod si legas *mundantque fenestras,* id ex Isidoro l. XI Orig., cap. 1, explicari potest: *In summitate autem palpebrarum locis, quibus se utræque clausæ contingunt, exstant adnati ordine servato pili, tutelam oculis ministrantes, ne irruentes* (al. *irruente sorde*) *facile injurias excipiant, et ex eo noceantur, ut pulveris, vel cujuscunque crassioris materiæ arceant contactum, aut ipsum quoque aerem concidendo mitificent, quo tenuem atque serenum faciant visum.*

620. *Scena* proprie significat tentorium, tabernaculum, umbraculum ex frondibus: hinc translate *scena capillorum.* Ovidius l. XIII Met., vers. 718: *Coma plurima torvos Prominet in vultus, humerosque, ut lucus, obumbrat.*

621. Sæpius in plurali dicitur *tempora,* et hoc etiam loco dici posset *Tempora, et omne caput.* Verum D *tempus* in singulari significat etiam utrumque tempus. *Omne caput* pro totum caput, ut supra vers. 551, *Quantos caput omne capillos.* Capilli vestis capitis sunt, ut constat ex nota ad vers. 344, l. I, *Facti, ut et decorem præstent, et cerebrum adversus frigus muniant, atque a sole defendant,* ut tradit Isidorus l. XI Orig., cap. 1.

622. Libr. I, vers. 345, *Orbe micant gemino* de oculis, et l. II, vers. 652, *Et gemino capit orbe diem.* Vide notam.

623. Lego *Naribus abductis,* quasi separatis et recedentibus, ut duplex via pateat.

624. Vide l. I, vers. 342 et 395, quibus in locis ruber genis tribuitur. Plinius l. XI, c. 37, sect. 58, de genis: *Pudoris hæc sedes: ibi magis ostenditur rubor.*

627. Lego *muratum,* quæ vox est Vegetii. *Moratum* nihil hoc loco significat, *muratum* apposite exhibet dentes tanquam muros quibus cingitur palatum.

Ut bene verba sonent, ipsis modulantibus, ora: A
Obsessamque donant densata repagula linguam,
Et sontem factura latet, sermonibus oris
Interpres mentis, secreti pectoris index,
Atque voluntatis tacitæ, vel cordis imago
Verbere distinctas spargit per murmura voces,
Omne nefas, atque omne bonum dictura loquendo:
Dentibus adduntur rubicundo labra flabello.
360 Accedunt humeris remorum more lacerti,
Brachia junguntur, vola nascitur, et manus omnis.
Unguibus armantur digiti sub dispare forma,
Curvis spina latus complectitur aspera costis,
Pectora circumstant crates, jugulique ligantur.
Cætera membrorum currit propago per artus,
Usibus, officiis aptantur cuncta ministra,
Ædificant hominem longæ fragmenta ruinæ.
361 Ante tamen quam membra forent compage ligata,
Jam prior auris erat, quæ audivit verba Tonantis.
Persarum *dominus* timuit post regna bubulcum
Inter prata pecus, qui post regnavit in arce.

SCRIPTURA COD. VAT.

628. *Et bene.*
629. *R. lingua.* B
630. *Et pontem factura jacet sermonibus oris.*
632. *E. . . . . tantis tacitæ vel cordis imago:* sic mutilus est hic versus.
635. *Dentibus aduritur r. l. f.*
644. *Compago ligata.*
646. *Persarum timuit post regna bubulcus:* deest *dominus*, aut simile verbum.
647. *Pecus si post.*

NOTÆ.

628. Eleg. vers. 47, *Tacitæ modulamina linguæ.* Cicero libr. II de Nat. deor., cap. 59: *Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. Ea vocem immoderate profusam fingit et terminat: quæ sonos vocis distinctos et pressos efficit, cum et ad dentes et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis qui ad nervos resonant in cantibus.*

629. A. Gellius l. I, cap. 15: *Ulyssem contra Homerus, virum sapienti facundia præditum, vocem mittere ait non ex ore, sed ex pectore. . . . petulantiæque verborum coercendæ vallum esse oppositum dentium, luculente dixerit, ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia, atque vigilia custodiatur, sed et quibus-* C *dam quasi excubiis in ore positis sæpiatur. Homerica de quibus supra dixi hæc sunt:* Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵη. Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. *Ast ubi jam magnam fudit de pectore vocem, Dentis claustra tui vox qualis, nata, reliquit.*

630. Forte *Et sontem factura latet secessibus oris.* Vide notam ad vers. 57 libr. I, ubi sermo est de lingua mala.

632. Ambrosius l. VI Hexaem., cap. 9: *Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis.* Plura ibi Ambrosius de mirabili structura corporis humani.

633. Avitus libr. I, vers. 87: *Flexilis arctatur recavo sic lingua palato, Pressus ut in camera pulsantis verbere plectri Percusso resonet modulatus in aere sermo.*

635. Propertius, l. II, eleg. 18, v. 59, produxit primam in *flabellum. Et modo pavonis caudæ flabella superbi;* sed corripuit Ovidius III Amor., el. 2, *Quos faciant nostra mota flabella manu.* Ubi tamen alii legunt, *Quos faciat nostra mota tabella manu;* uti etiam alio in loco *flagello*, vel *tabella* pro *flabello*, ne in *flabello* corripiatur prima. Sed plerumque istius modi correctiones fiunt non tam auctoritate veterum exemplarium, quam præjudicata opinione editorum. Labra, ut lingua, non male flabello, quo scilicet ventus excitatur, comparari possunt. Cicero pro Flacco cap. 23: *Cujus lingua, quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio ventilata.* Eugenius Toletanus in præfat. ad sua carmina: *Nec metuas libris æmula flabra tuis*, qui versus in codice Vat. Alexandr., num. 1360, sic legitur: *Nec vereare libris æmula flabra tuis.*

636. Ex Celso l. VIII, cap. 1 et 10, brachium est membrum hominis a cubito ad manum. Reliqua pars a cubito ad humerum a Celso dicitur os humeri, sive humerus, ab aliis lacerti: nam humerus frequentius pars illa vocatur a qua lacerti et brachia dependent.

637. Prudentius Apoth. v. 859: *Nunquid manus articulatim Est digesta Dei? nunquid vola? nunquid et ungues Claudere flexibiles?*

639. *Spina*, series vertebrarum in dorso, unde Hispanis *espinazo*. Ovidius l. VIII Met., vers. 801, *Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis, Ventris erat pro ventre locus, pendere putares Pectus, et a spinæ tantummodo crate teneri.*

640. De crate vel cratibus pectoris vide comment. ad Prudentium, v. 891 Apoth., et hymn. 3 Per., vers. 148. Juguli sunt duo ossa, *claviculæ* dicta, quæ sunt supra summas costas unde collum incipit: nec male legeres *jugulisque ligantur*. Vide Heisterum Comp. anatom. num. 144. Huic toti descriptioni corporis humani plenius intelligendæ utile cum primis est opus, quod paucis ante annis prodiit: *Tabulæ anatomicæ ex archetypis egregii pictoris Petri Berretini Cortonensis expressæ, et in æs incisæ. Alteram hanc editionem recensuit, nothas iconas expunxit, perpetuas explicationes adjecit Franciscus Petraglia philosophiæ et medicinæ professor. Romæ*, 1788.

641. *Propago* translate est progenies, quo sensu prima corripi solet: proprie est ramus vitis, aut alterius arboris, qui in terram demittitur, ut renovetur actis radicibus, qua significatione prima producitur. Hanc significationem ad ossa hominis renovata transfert Dracontius.

642. Forte *cuncta ministrant, Ædificant.* Cæterum *ministra* adjective probum est exemplo Ciceronis, Lucretii, Ovidii et aliorum.

644. Melius *compage ligata*, quam *compago ligata.* D Vide lib. I, not., vers. 346 et lib. II, vers. 84, *Induitur compage Deus, structura ligatur Ossibus. Compages*, et *compage* apud poetas Christianos sæpe occurrit.

645. Pulchre: nam commotio ossium facta est antequam membra singula formarentur, sed non poterant commoveri, ut voci Domini obedirent, nisi eam audirent: quod perinde est ac si dicas audiri Deum etiam sine aurium ministerio. Joann. cap. V, vers. 25: *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.... Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.*

646. Supplevi *dominus*, ut constet versus et sensus. Eadem historia non dissimilibus verbis renarratur in Eleg. vers. 31 seqq., ex Daniel. cap. IV, vers. 30 seqq.

647. *Pecus*, bos: nam vers. præc. ait, *Timuit post regna bubulcum*, et in Eleg. factum bovem aperte dicit: *Erravit per prata vagus.... Et qui homo bos*

Me, rogo, jam repara sub libertate solutum,
Clade, catenarum ferrato pondere pressum.
Sit vitæ requies, animæ sint otia fessæ,
Sit secura quies, sit nox cum munere noctis,
Sit fortuna redux, sit virtus usque senectam,
Sit venerandus honos, et quidquid vita precatur,
Aut amissa dolet, totum pietate reforma.
362 Nosco, quid iratus, vel quid mitissimus ipse
Des, pater: adverto, non est formido salutis,
Sed veniam sperare licet. Res ipsa probavit,
Quod vivus sum: mortis inops pietate reservor,
Non ira, nam si Domini gravis ira fuisset,
Non me differres, subita sed morte necares,
Ne peterem veniam, quam nunquam, sancte, negasti,
Aut ut non essem prorsus, cui parcere posses.
Servatum reparare jube pietate sueta,
Ut merear cantare tuas per carmina laudes.
Quamvis nemo tua præconia congrua dixit,
Aut unquam dicturus erit: nam formula laudis
Temporibus tribus ire solet, tu temporis expers,
Nunquid habes, Deus, ante tuum? vel post cadit in te?
363 Si laudator abest, narrator plenus at esset:
Sed quis opus narrare tuum sermone valebit?
Suspexisse Deum satis est de corde trementer,
Et lacrymis, precibusque piis veneranter adire.
Sint reduces vires, mens sana in corpore sano,
Sit mihi longa dies felici tramite vitæ,
Sit secura domus, felix numerosa propago.

SCRIPTURA COD. VAT.

650. *A. sunt otia.*
654. *Aut amissa dolent t.*
655. Dubium, *quod*, an *quid*.
657. *Speraret licet.*
659. *Non iram nam.*
662. Pro *cui* videtur *qui*.
668. Dubium, *nunquid*, an *nunquod*.
669. *Plenus adesset.*
673. *Sint reduces tenuis m.*
675. *Sit homo vel perlex felix.*

NOTÆ.

fuerat. Nabuchodonosor post septem annos, sive *tempora* bonæ menti redditus est, et regnavit *in arce*, hoc est in aula Babylonis. Libr. I, vers. 739: *Dejicit elatos, et mergit ab arce superbos.* Vide comment. ad Prudentium, hymn. 5 Cath. vers. 80: *Arcis justitium triste tyrannicæ.*

650. Suspicor hos quinque versus trajiciendos esse post vers. 672, *Et lacrymis.*

651. *Munere noctis*, somno. In fabulis nox est mater aut nutrix somni. Euripides in Oreste vers. 174, *O veneranda, veneranda nox, Dans somnos Laboriosis hominibus.*

652. Fortunæ reducis templum Romæ erectum erat: cui multi lapides nummique inscripti adhuc exstant. Dracontius veteris sui status fortunam reducem a Deo petebat et sperabat: ethnici numen Fortunæ tribuebant, quod etiam Juvenalis in fine sat. 10 reprehendit. *Usque senectam*, ut dixi ad vers. 708 lib. II.

653. Forte *et quidquid vota precantur, Aut quæ amissa dolent.*

654. Possis legere *Amissumve dolet*, ut melius *amissum* cohæreat cum *quidquid*. At *quidquid* vim pluralis numeri habet. Propertius lib. IV, eleg. 5, in fine, *Quisquis amas, scabris hoc bustum cædite saxis.* Dracontius in Eleg. vers. 15: *Quidquid agunt homines, bona, tristia, prospera, prava.*

656. *Formido* est metus vehementior, quique diu permanet, et horrorem conjunctum habet: quo sensu formido salutis amittendæ a spe veniæ removetur.

658. *Inops* hic rebus applicatur quibus egemus: hoc loco *inops mortis* est a morte exemptus, nondum mortuus. Nec perperam interpunges *Quod vivus sum mortis inops, pietate reservor.*

660. Adisis libr. I, vers. 29 seqq. Eodem enim identidem revolvitur Dracontius, ut Dei clementiam commendet.

661. *Sancte*, ut dixi ad vers. 598.

662. Vide num melius *prorsus, qui poscere possem.*

663. *Sueta* trisyllabum, ut vers. 446.

664. Confer lib. I, vers. 749, *Ut valeam memorare tuas hoc carmine laudes.* Quod autem Dracontius nunc petit, ut Deus servatum reparet ad divinas laudes cantandas *per carmina*, non tam hoc carmen præsens innuit quam alia. *Per* denotat modum; aut idem est ac *carminibus cantare.*

665. Non male esset *nemo tibi præconia congrua.* De hoc vocabulo *congruus* dixi ad Prudentium Cath. hymn. 11, vers. 110. Latinius est *congruens.*

666. Tria tempora orandi Deum mane, vespere et meridie explicui ad Prudentium hymn. 3 Cath., vers. 86.

667. Eleg. vers. 5, *Et temporis expers.*

668. *Ante* et *post* more substantivi ponuntur. Vide de hoc argumento lib. II, vers. 732 seq. Prosper epigr. 41, *Nec serum aut properum sibi sentit in ordine rerum, Cui cuncta assistunt acta et agenda simul.* Quod epigramma est de providentia Dei et in aliis editionibus septimo loco ponitur.

669. *Plenus at esset* melius ex conjectura mihi visum quam, *plenus adesset.*

671. *Trementer* posset mutari in *trementi*; sed retinendum est etiam sine exemplo. Sic vers. seq. *veneranter adire.* Vide prolegom. num. 135.

672. *Veneranter*, dictum de hoc adverbio lib. I, vers. 4. Adde Theodulfum Aurelianensem lib. I, carm. 13: *Annua sic etiam veneranter festa canamus.*

673. Mendum in codice aliis conjecturis ansam præbet, ut *Sint reditus tenues*, vel *Sic victus tenuis.* Præfero *Sint reduces vires*, quia vere fractæ erant Dracontii vires, ut ex vers. 593 liquet. Eugenius Toletanus in oratione ad Deum carm. 1, l. I, *Sit comes, alma salus, et sufficientia victus, Absint divitiæ*, etc. Paulinus in precatione ad Deum carm. 5, *Sim tenui victu..... Non animo doleam, non corpore.* Alia verba Dracontii desumpta sunt ex Juvenali sat. 10, vers. 356, *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.*

674. Paulinus in precatione matutina ad Deum poem. 4: *Exaudi, si justa precor, ne sit mihi tristis Ulla dies, placidam nox rumpat nulla quietem.*

675. Ad hujus versus restitutionem alias conjecturas indicabo: *Sit domus, atque uxor felix, numerosa propago. Sit sine labe domus, felix. Adsit læta domus*, quod postremum hemistichium Paulini est in precatione matutina, qui pergit, *epulisque alludat inemptis Verna satur, fidusque comes, nitidusque minister, Morigera et conjux, charaque ex conjuge nati.* Ex eodem Paulino in precatione secunda conjicias in Dracontio *Sim genitor semper, felix.* Paulinus habet *Et semper genitor sine vulnere nominis hujus.* Veteres felicitatis genus ducebant plures habere liberos. Ovidius libr. 6 Metam., vers. 153, de Niobe: *Nec*

364 Sit sine tormentis post corpus vita futura, A
Et requies animæ, qua mox purgata quiescat.
Judicio, Deus alme, tuo detur inde triumphus,
Inter odoratos flores et amœna vireta
Ad nemus æthereum veniam, sedesque beatas,
365 Et grates exceptus agam de fasce malorum,

SCRIPTURA COD. VAT.

677. *Qua nox purgata.*
679. *Adoratos*, supra *odoratos*.
680. *Quamvis ad æternum venit s. o.*
681. *Et gratias exceptus agam ex fasce malorum.*

NOTÆ.

genus amborum, magnique potentia regni Sic placuere illi, quamvis ea cuncta placerent. Ut sua progenies; et felicissima matrum Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset. Contempsit enim Latonam, quia, ut aiebat, *Huc natas adjice septem, Et totidem juvenes, et mox generosque, nurusque. Quærite nunc, habeat quam nostra superbia causam.... Illa duobus Facta parens; uteri pars est hæc septima nostri. Sum felix, quis enim neget?* Hæc autem superbia causa fuit cur in saxum cum liberis converteretur, ut fingunt mythologi. Juvenalis non probat, hujusmodi vota fieri ab hominibus, ut fecunda sit uxor, sat. 10, vers. 350, *Nos animorum impulsu, et cæca, magnaque cupidine ducti, Conjugium petimus partumque uxoris: at illis Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.* Nihilominus numerosa soboles in Veteri præsertim Testamento tanquam virtutis præmium repræsentatur, ut in psal. CXXVII, vers. 3 seq., *Uxor tua, sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui, sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Præterea Dracontius non tam Deum rogare videtur, ut multitudinem liberorum ipsi concederet, quam ut numerosa proles, quam jam habebat, felix esset. Nam de ejus filiis accipio quod ait Eleg. vers. 283, *Si ipse ego peccavi, quænam est, rogo, culpa meorum, Quos simul exagitat frigus, inopsque fames?*

677. Ignis purgatorius non obscure innuitur. Egregia sunt quæ in hanc sententiam Julianus Toletanus lib. II, c. 10 Prognost. ex Juliano Pomerio affert: *Spiritus illi, qui nec tam perfectæ sanctitatis hinc exeunt, ut ire in paradisum statim post depositionem suorum corporum possint, nec tam criminose ac damnabiliter vivunt, aut ita in suis criminibus perseverant, ut cum diabolo et angelis ejus damnari mereantur. Ecclesia pro eis hic efficaciter supplicante, ac pœnis medicinalibus expiati corpora sua cum beata immortalitate recipient, ac regni cœlestis facti participes, in eo sine ullo defectu suæ beatitudinis permanebunt.* Sequor membranas veteres alibi laudatas.

678. Intelligo judicium extremum, ut vers. 548, lib. II, *Judicio venturus erit post sæcla futuro.* In *detur* prima corripitur, ut in *demus* lib. I, vers. 361. Vide notam et adde Ademarum in acrosticho apud Mabillonium in Analect. t. I, p. 418: *Xenia Ademarus dederim tibi talia cur mox Rite tuum scire est, unde reposco detur.*

679. Describitur paradisus cœlestis imitatione rerum, quas sensu percipimus. Paulinus poemat. 35 de Obitu Celsi vers. finem vocat *æterna vireta.* Tertullianus de Judicio Domini, *Ire per antiquum semper florentia regna, Promissus per opes, per semper amœna vireta.* Helpidius, Histor. Vet. et Nov. Test., *Sacrati nemoris Domino per amœna vireta Felix latro duce, hospitium vitale meretur.* In appendice 9 ad carmina Damasi, pag. 244: *Inde per eximios paradisi regnat odores, Tempore continuo vernant ubi gramina quævis.* Auctor incertus de Bebiani Baptismo: *Ætherii secreta poli, sedesque beatas.... Narrat et ætherii cœleste nemus paradisi.* Virgilius lib. VI, vers. 638, de campis Elysiis: *Devenere locos lætos, et amœna vireta Fortunatorum nemorum, sedesque beatas,* quem locum, ut vides, imitatur Dracontius.

680. Forte *Ad nemus æternum.* Paulinus poem. 37 ex ep. ad Severum ad picturam martyrum: *Inter floriferi cœleste nemus paradisi.* Hinc melius videtur *Ad nemus ætherium.* Libr. II, vers. 147: *Lucis ad ætherios tractus.* Tertullianus de Judic. Dom.: *Et nemora alta tenent florenti tempore cœlum.*

681. Simili modo orationem suam concludit Eugenius: *Cumque suprema dies mortis patefecerit urnam, Concede veniam, cui tollit culpa coronam.* De hujusmodi precibus plura congessi in prolegom. ad Prudentium, cap. 19. Addo versus Engelmodi episcopi ad Rathbertum abbatem tom. IX Bibl. Patrum, part. 2, pag. 897, Coloniæ, 1618: *Cum rex altithronus mundum discreverit urna Judicii.... Sed tu, sancte, precor mediis te oppone periclis, Auxiliisque pio defendens rore misellum, Fumificos pœnæ placidus compesce vapores.* Forte *Auxiliique pio.* Fascis malorum sunt dæmones et impii æterno igni damnati. Isaias c. XXIV, vers. 22: *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum et claudentur ibi in carcere.* Matth. cap. XIII, vers. 30: *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum:* et vers. 40: *Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi.* Hieronymus ad cap. cit. Isaiæ: *Hos igitur principes, qui suum non servaverunt gradum, congregabit Dominus in die judicii, quasi in uno fasce pariter colligatos, et mittet in lacum inferni.... juxta illud quod ait Dominus* (Matth. cap. XXV): *Ite in ignem æternum*, etc. Putant aliqui damnatos pro varietate scelerum in varios fasces esse colligandos, ut avari colligentur cum avaris, luxuriosi cum luxuriosis, etc. Dicam hoc loco quod multis aliis dixisse potui, nec debet omnino omitti. Dracontius aliique primi Christiani poetæ ita sæpe argumentum suum tractant, ut cum puro Latino sermone utantur, tamen phrases et sententias ipsas sacræ Scripturæ venuste inserant et accumulent: quod iis qui gustu litteraturæ ecclesiasticæ præditi sunt, valde jucundum accidit, aliis qui doctrinam sacram parum callent, aut ne callere quidem curant, vehementer displicet, quod non doctas fabulas et argumenta rerum, qualia in fabulatoribus ipsi legunt, poetæ nostri sectentur. At in Virgilio Gellius, Macrobius et alii, si quid ex veteri augurum disciplina, aut jure pontificio inveniebant scite depromptum, summis laudibus efferebant. Cur igitur in poetis Christianis sublimem theologiam et reconditam sacrarum Litterarum doctrinam non mirabimur? Utar exemplo quod hic locus offert. Dracontius extremum diem judicii ita repræsentat, ut ex una parte, sinistra scilicet, consideret malos tanquam uno fasce colligatos, quia et inter se confusi et igni præparati sunt. Ab hoc fasce excipi, seu eximi rogat et addi insonti populo. Sancti sunt populus electus Dei psalmo CXLVIII, vers. 14: *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Passim populum suum Deus Israel vocat, et in Israel electos ad vitam æternam quæ etiam *sors justorum* dicitur. Psal. CXXIV, vers. 3: *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.* Et Dracontius l. II, vers. 682, *Sub sorte beata.* Sors erat portio hæreditatis quæ cuique obtigerat apud Hebræos. Vide notam ad vers. 212. Justorum autem ipse Deus est hæreditas. Psal. XV, vers. 5: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Hæc restitutio fit justis, cum Deo post obitum fruuntur, sed plene tunc fiet cum post resurrectionem animo et corpore erunt beati. Contrario modo se habet sors impiorum. Ecclesiasticus cap. VI, vers. 4: *Anima enim nequam disperdet, qui se habet, et in gaudium inimicis dat illum, et deducet in sortem impiorum*, videlicet in pœnas æternas impiis præpa-

682 366 Additus insonti populo sub sorte piorum.

NOTÆ.

ratas. De eadem impiorum portione, seu sorte Jobus A cap. XXIV, vers. 18: *Maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius.* Quem ad locum multa in hanc sententiam disserit Corderius.

682. Mentio populi in extremo judicio explicando scite, et ex eadem sacrarum Litterarum plena cognitione, quam proxime dicebam, facta est. Julianus Toletanus l. III Progn., c. 34: *Ecce ait Psalmista: Advocabit cœlum desursum et terram, ut discerneret populum suum. Quid est quod dicit, discernere populum suum, nisi per judicium separare bonos et malos, tanquam oves ab hædis: nam oves tunc statuet a dextris, hædos autem a sinistris.* Locus a Juliano allegatus est psalmi XLIX, v. 4. Plura alia sub styli acumen subeunt: sed prætermittenda sunt, nam et ea quæ protuli fortasse abundant, et satietati lectorum medendum est, si fieri possit, cum plerique nunc sint, quibus jure versiculum Martialis lib. XI, initio, accommodes: *Libros non legit ille, sed libellos.*

DRACONTII SATISFACTIO

AD

GUNTHARIUM REGEM WANDALORUM

DUM ESSET IN VINCULIS

367 Rex immense Deus, cunctorum conditor, et spes, B
Quem timet omne solum, qui regis igne polum:
Sidera, flamma, dies, quem, sol, nox, luna fatentur
368 Auctorem, dominum sæcula cuncta probant:
Principio, seu fine carens, et temporis expers,
Nescius alterni, nec vice functus agis
Omnia permutans, nullo mutabilis ævo,
Idem semper eris qui es modo, vel fueras.
Nil addit, demitque tibi tam longa vetustas:
Omnia tempus habent, nam tibi tempus abest.
Qui mentes hominum, qua vis, per singula ducis,
Et quocunque jubes, dirigis ingenia.

VARIÆ LECTIONES.

1. Sirm., *Rex æterne Deus, auctor, rectorque serenus.* Cum Sirmondiano codice consentit codex Azagrensis, ubi discrepantiam inter eos non exprimo. Textus scripturam codicis Vaticani repræsentat.
2. Sirm., *quem tremit o.*
5. Hic versus et sequens desunt in Sirm.
8. Sirm., *Posthac s. e. q. e. m. v. fueris.* Azagr., *noster* pro *posthac.*
9. Sirm., *nil confert d.* Azagrens., *nil addit d.*
11. Sirm., *Tu m. h. quamvis per s. d.*
12. Sirm., *Effingisque bonis candida corda viris.*

NOTÆ.

1. Hoc initium expressit Eugenius Toletanus in C oratione ad Deum: *Rex Deus immense, quo constat machina mundi.* Sic enim potius legendum quam *Rex Deus, immensi quo constat machina mundi.* Videsis prolegom. num. 66. Dracontius sæpe phrases et sententias Carminis de Deo in hanc Elegiam transfert, quarum nonnullas indicabo. Lib. II, vers. 584: *Solus ubique Deus, rerum fons, conditor, et spes.* Confer notam ad l. II, v. 1.

2. Melius fortasse videatur *Quem tremit omne solum* cum Sirm. Sic lib. II, vers. 151: *Tu Deus es quem terra tremit,* et l. III, vers. 541: *Et rerum natura parens famulata tremiscit.* Sed cum in codice Vat. legatur *timet*, hoc potius manu auctoris scriptum credendum est. *Qui regis igne polum*, ut l. I, vers. 224, *Qui fovet igne pio cœlum*, etc. Vide notam ad vers. 25 l. I.

3. Rivinus ita ut editum est distinguendum ait. Sirmondus interpunxerat *Sidera, flamma, dies, quem sol, nox.* Hoc argumentum in libris de Deo sæpius est pertractatum. Vide l. I, v. 3 seqq., cum notis.

5. Lib. III, vers. 667: *Tu temporis expers.* Dudo Decanus S. Quintini in præfat. ad l. I Actor. Normanniæ ducum: *Exsors principii et sine fine manens.* Fortasse legendum *Exsors principii es, et sine fine manens.* In primo certe versu ejus poematis mendum est, quod obiter corrigam: *O trinum specimen, tria summa, virgo Deus unus:* lege *tria summa, vigor Deus unus.* Desumpta enim verba sunt ex primo versu præf. l Apoth. Prudentii: *Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus.* Idem Dudo lib. III, p. 102: *Qui tria summa manet, trinum specimen, vigor unus.* Dracontius seu pro *et* usurpat. Vide Dig. lib. XXXIV, tit. 2, leg. 31.

6. *Alterni* et *vice* varietatem et vicissitudinem denotant. Infra vers. 247: *Alternant elementa vices, et tempora mutant.*

7. Lib. III, vers. 523: *Qui sæcula mutat*, et vers. 528: *Idem semper erit, nullo mutabilis ævo.*

8. Rivinus ex conjectura pro *fueris* legerat *fueras*, quod revera in nostro codice exstat. Lib. II, vers. 585: *Idem semper eris, quod et es, quod et ante fuisti.*

9. Lib. II, vers. 586: *Nil addens, minuensve tibi.*

10. *Nam* pro *vero, autem*, aliquando ponitur, ut si dicas *Omnia tempus habent, sed tibi tempus abest.* De hoc usu particulæ *nam* Forcellinus, cui propemodum accedit Tursellinus de Partic., dum eam anteoccupationi inservire tradit.

11. *Quamvis* in Sirmondo ineptum est. Vat. recte, *qua vis.* D

12. Non video cur interpolator, omisso egregio Dracontii versu, alium effinxerit. *Dirigere ingenia* est hominum mores, indolem, dirigere, ducere. Amplificat enim, quod vers. præc. dixit. Dracontii sententia est, a Deo esse omnia quæ homini accidunt, prospera et adversa: homines esse bonos Deo adjuvante, malos permittente. Neque obest verbum *jubes*: nam etiamsi id accipere velis de jussu Dei ad actiones bonas et illicitas, eodem sensu proferri id potest quo lib. II Reg., cap. XVI, vers. 10, de Semei dici-

369 Qui facis iratus, homines contraria [velle,
Propitiusque jubes, ut bona cuncta gerant.
Quidquid agunt homines, bona, tristia, pro- [spera, prava,
Hoc fieri admittunt ira favorque Dei.
Hoc tua verba probant Moseo dicta prophetæ,
370 Quod duraturus cor Pharaonis eras.
Sic mea corda Deus, nostro peccante reatu
Temporis immodici, pellit ad illicita.

VARIÆ LECTIONES.

13. Sirm., *Qui facis iratus homini contraria bella*. Azagr., *iratos homines*.

14. Sirm., *cuncta gerat*. Azagr., *cuncta regnent*. In Vat. est *gerat*, supra *gerant*.

15. Hoc distichum in duo dividitur a Sirm., *Quidquid agunt homines, bona, prospera, sancta, modesta, Te faciente, fiunt quo bona cuncta fiunt. E contra adversa, probrosa, maligna, inhonesta Tu fieri pateris, qui mala nulla facis*.

16. Scribitur in Vat. *ammittunt*, et *fabor*.

17. Sirm., *Hæc tua lex docuit Moyse præscripta notante*. Azagr., *Mose*.

18. Sirm., *Cum perduratum cor Pharaonis ait*.

19. Sirm., *Sic me lingua, Deus lingua patrante reatum*, Azagr., *sic mea corda Deus*.

20. Sirm., *Noxia culpa ligans traxit ad inlicita*.

NOTÆ.

tur: *Dominus enim præcepit ei ut malediceret David*. Dracontius enim non tantum sententias, sed et verba ipsa a sacris Litteris persæpe mutuatur.

13. Sirmondi scriptura, sive interpolatoris correctio longe abest a Dracontii acumine. Deus, ait Dracontius, cum iratus homini est ac vult illum punire, facit eum velle sibi contraria ac nocitura. Hæc autem voluntas hominis, qui rem sibi nocituram appetit, sæpe nullum habet admixtum crimen. Quod si hujusmodi actio seu voluntas scelere infecta sit, etiam tunc fit a Deo non volente, sed permittente peccatum; quo tamen ut ejus etiam effectis, utitur ad hominem cui iratus est puniendum.

14. In Sirm. *gerat* refertur ad hominem vers. præc. Sed cum in Vat. vers. præc. sit *homines*, necessum est *gerant*. Deus jubet homines, quibus propitius est, opera bona ipsisque profutura facere. Fortasse legendum est *Propitiusque juvas*. Primam in *propitius* produci posse, ostendi in prolegom. ad Prudentium, n. 205.

15. Juvenalis sat. 1, vers. 86: *Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas*. In hoc disticho patet quam mutatum Dracontium nobis ejus interpolator reddiderit. Dracontius affirmat; omnia regi divina providentia, bona, tristia, prospera, prava, quæ vel favore Dei, vel ira proveniunt: nempe bona, prospera favore, tristia, prava ira. Sibi ubique constans l. I, vers. 18, ait: *Omnia quæ veniunt, bona, gaudia, tristia, acerba, Descendunt ex arce Dei, de sede Tonantis*. Quod vero nunc ait *prava*, intelligit adversa, distorta. Vide l. I, vers. 561. Quamvis autem *prava* explicare velis scelerate facta, tamen Dracontius caute adhibet verbum *admittunt*, quod favori Dei volentis, et iræ ejusdem permittentis convenit. Interpolator distinctius voluit exponere ea quæ Deus tanquam auctor facit, et ea quæ solum permittit, et virtutes ac vitia, quod Dracontius omisit, diserte commemoravit. Rivinus in Sirmondi versibus legit *Tu facis, ut fiant, qui bona cuncta facis*, pro *Te faciente, fiunt, quo bona cuncta fiunt*. Absurdum certe non esset si Dracontius primam in *fiunt* cum Prudentio et aliis corripuisset: imo aliquando corripuisse ex libris de Deo colligi potest. Vide notata ad l. III, vers. 135. Verum ex hoc Elegiæ versu solum arguitur, interpolatorem Dracontii primam in *fiunt* brevem fecisse, quin Rivini correctio necessaria sit.

16. Libr. I, vers. 10, etiam memorat *variis sub casibus iras, Et pia vota Dei*, quibus adversa et prospera tribuit. *Admitto* significationem habet concedendi, approbandi ac permittendi, et hoc loco communem utrique rei.

17. Libr. II, vers. 162, eodem modo *Moseo principe gentis*.

18. Hoc loco interpolator corrigere voluit Dracontium, qui verba Domini ad Moysem ita refert, *Quod duraturus cor Pharaonis eras*. Non placuit id interpolatori, qui propterea substituit, *Cor induratum cum Pharaonis ait*. Ac certe Exodi cap. VII, vers. 13, dicitur *induratum est cor Pharaonis*. Sed cum antea Dominus Moysi dixerit cap. IV, vers. 21: *Ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum*, Dracontius hæc ipsa verba respexit quæ argumento ejus magis congruunt. Ostendit enim Deum cor hominis indurare, quod exemplo suo confirmat. Sæpe in sacris Litteris hujusmodi locutiones occurrunt. Apostolus ad Roman. cap. IX, vers. 17 et seq.: *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat*. Isaias cap. LXIII, vers. 17: *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis; indurasti cor nostrum ne timeremus te*. Omitto innumera alia quæ tamen ita intelligi debent, ut nullo modo Deus auctor peccati credatur, quod Calvinus impie asserebat. Hieronymus ad loc. cit. Isaiæ col. 757 sic ait: *Non quo Deus erroris causa sit, et duritiæ, sed quo illius patientia nostram exspectantis salutem, dum non corripit delinquentes, causa erroris duritiæque videatur*. Augustinus epist. 194, al. 105, num. 14, col. 719: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*, et tract. 53 in Joann. cap. XII, num. 6, col. 646: *Sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, et non adjuvando*. S. Thomas in Epist. ad Romanos cap. IX, lect. 3, distincte ac præcise: *Dicendum quod Deus non dicitur indurare aliquos directe, quasi in eis causet malitiam, sed indirecte, in quantum scilicet ex his quæ facit in homine intus vel extra, homo sumit occasionem peccati et hoc ipse Deus permittit. Unde non dicitur indurare quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam*.

19. Rivinus scripturam Sirmondi sic emendabat: *Sic me, sancte Deus, lingua patrante reatum, Noxia culpa ligans traxit ad illicita*. Genuina lectio Vat. his quæ præcedunt ac sequuntur multo est congruentior, quam interpolator de industria mutavit, difficultate deterritus vers. seq. explicanda. Animadvertenda nunc est mutatio numeri *mea corda, nostro reatu*, quæ Christianis antiquis scriptoribus familiaris est. Victor Vitensis l. I, de Persecutione Vandalica, *Nobis, ad quem custodia pertinebat*. Plura exempla congerit Barthius l. XLII Advers., cap. 13, qui testatur optimis scriptoribus hanc mutationem numeri insolitatam non fuisse.

20. Suum temporis immodici reatum accusat Dracontius. Libr. III, vers. 576: *Hei mihi! quod facinus non uno tempore gestum, Ut mea facta luam, tempus convenit in unum*. Ait se a Deo compulsum ad illicita in pœnam inveteratorum scelerum. Sed potestne dici quod Deus *pellit ad illicita?* Potest eodem sensu quo Deus excæcare, obdurare, tradere in passiones ignominiæ dicitur. Augustinus de Grat. et Liber. Arb. cap. 21, n. 43, col. 742: *Satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando*

371 Ut qui facta ducum possem narrare meorum, A
Nominis Asdingui bella triumphigera,
Unde mihi merces posset cum laude salutis
Munere regnantis magna venire simul,
Præmia despicerem, tacitis tot regibus almis,
372 Et peterem subito certa pericla miser.
Quis, nisi cœlesti demens compulsus ab ira,
Aspera cuncta petat, prospera cuncta neget?

Irascente Deo, mentes mutantur, et artus,
Vertuntur sensus, vertitur et species.
Persarum regem Babylonæ regna tenentem
Post decus imperii quis neget esse bovem?
Et diademalem turparunt cornua frontem,
373 Mugitus pecudis verba fuere duci.
Agricolam timuit post Parthica regna bubulcum,
Submisitque pavens regia colla jugo.

VARIÆ LECTIONES.

21. Sirm., *n. tuorum*. Azagr., *meorum*.
22. Pro hoc versu et duobus seqq. in Sirm. hic est unicus: *Unde mihi possent dona venire simul. Præmia despicerem*, etc.
25. Sirm., *tacitis*. Azagr., *tactis*.
27. Sirm., *Quo nisi cœlestis Domini conspectus ad æthram*. Azagr., *D. conceptus ab æthra*. B
28. Sirm., *Aspera cuncta premunt, prospera nulla juvant*. Az., *premat* pro *premunt*. Vat., *negat* pro *neget*.
29. Sirm., *Irascente Deo*, *membra mutantur*, *et artus*. In Vat. videtur potius *actus* quam *artus*.
31. Sirm., *r. Babylonica r.* Azagr., *Babylonum*.
32. Sirm., *P. d. i. novimus e. b.*
33. Sirm., *tum diademalem*.
34. Sirm., *fuere ducis*.
35. Hic versus cum seq. omnino deest in Sirm.

NOTÆ.

occulto, semper tamen justo. Cum autem ex Augustini dictis nonnulli tanquam absurdum colligerent, quod per potentiam Deus homines ad peccata compellat, Prosper Aquitanus pro Augustino respondit in Respons. ad capitul. calumn. Gallor. XI: *Nullus catholicorum dixit aut dicit quod Deus homines pie recteque viventes per potentiam in peccata compellat.... Cum vero aliquos a Deo aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut relictos, magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur*. Sed, ut distinctione S. Thomæ nuper exposita utamur, Deus pellit ad illicita in pœnam peccatorum præcedentium non directe, sed indirecte. Revera exemplum quod in se Dracontius exhibet ejusmodi est, ut explicationi S. Thomæ egregie respondeat. Dracontius enim carmen ediderat in laudem nescio cujus quo animus regis Vandalorum vehementer offensus est; quo carmine se coram Deo etiam fatetur peccasse. Ait ergo: Deus, qui crimina mea vetera punire voluit, eo me adduxit ut despicerem præmia quæ ex regis laudibus possem sperare, et certa pericula, alio laudato, peterem. S. Thomas loc. citat. sic rem hanc pulchre explicat: *Ad bona inclinat* (Deus) *hominum voluntates directe, et per se tanquam actor* (al. *auctor*) *bonorum; ad malum autem dicitur inclinare vel suscitare homines occasionaliter, in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius vel exterius, quod, quantum est de se, est inductivum ad bonum, sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum.... Et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui, cum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem*. Patres doctoresque Ecclesiæ ita semper exponunt Deum inclinare ad bonum vel ad malum voluntates hominum, ut libertas indifferentiæ sarta tecta homini relinquatur. Dracontius, qui hoc loco tradit Deum corda hominum quo vult inclinare, pellere ad illicita, indurare, de libero arbitrio quid sentiret aperte declaravit libr. II, vers. 611: *Arbitrio posuit clemens Deus omnia nostro, Libera mens hominum est peccare, aut vivere sancte*.

22. Vandali *Asdingui* dicti, ut uberius disserui num. 94 prolegom. *Triumphiger* nomen vel sola Dracontii auctoritate Latinis accensendum, ut *belliger* et similia.

23. Intelligo *cum laude salutis* cum prospero vitæ statu.

25. Reges Vandalorum plures præcesserant antequam Hispaniam occupassent.

27. Primigenia scriptura hujus versus difficultatem interpolatori creaverat, quod eamdem doctrinam repetat quæ in versibus præcedentibus declarata est, nempe Deum indirecte obdurare, excæcare, tradere hominem suis desideriis, et ad illicita pellere in pœnam peccatorum. Rivinus, lectione Sirmondi minime contentus, tentabat *Quem nisi salvasset Domini conspectus ab æthra*, *Aspera cuncta premunt, prospera nulla juvant*. Adeo fallaces sæpius sunt conjecturæ, et a vero scriptorum sensu aberrant.

28. *Neget*, recuset, neget sibi.

29. Libr. III, vers. 591, *Irascente Deo, solatia cuncta negantur*.

30. *Species*, figura. Libr. I, v. 338, *Species hominis*. Hinc melius videretur vers. præc. *actus* quam *artus*: nam si dixisset, *mutantur et artus*, inutile esset addere *Vertuntur sensus, vertitur et species*. Non C tamen male est *artus*, quia quod sequitur est explicatio ejusdem sententiæ, ut *sensus* respondeant mentibus, *species* artubus. Accedit Alcuinum carm. 178, quo Dracontium imitatur, ita habere, *Sic ventura dies mentes mutabit et artus*.

31. Facile est legere *Babylonica*, aut *Babylonum*, aut *Babylonis*. Sed non muto scripturam Vat. Libr. I, vers. 320: *Flammantes viridesque tulit Babylonia crustas*. Similiter *Babylona*, *Babylonæ*, dici poterit. Historia hæc Nabuchodonosoris indicata est l. III, v. 646.

33. Rivinus in textu legit *Tum diademalem*, in notis *Tum diadematam*, sed discrepantiam non animadvertit, ut dubitari possit, an in notis mendum sit *diadematam*. Sane *diadematus* magis Latinum est, cum a Plinio adhibitum fuerit; sed verius est in Dracontio *diademalem*, qua voce usus etiam est Theodulfus. Illud vero nimis acute objicit Rivinus Danielem non referre Nabuchodonosori enata fuisse cornua. Aliis verbis hæc controversia solet proponi, an D Nabuchodonosor vere figuram bovis induerit, an solum a mente alienatus ipse se bovem crediderit. Verba Danielis sunt cap. IV, vers. 30: *Sermo completus est super Nabuchodonosor, et ex hominibus abjectus est, et fenum ut bos comedit, et rore cœli corpus ejus infectum est: donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues ejus quasi avium*. Calmetus in dissertatione præfixa ad Danielem de metamorphosi Nabuchodonosoris varias hinc inde opiniones refert et refellit. Sententia fuit Bodini Nabuchodonosorem in verum taurum forma corporis et mente transiisse. Alii vulgo existimant non animam tauri, sed externam tantum speciem illum induisse. Communior magisque probata sententia est Nabuchodonosorem in phrenesin incidisse: quo morbo turbata phantasia se bovem esse rex sibi persuaserit.

35. Lib. III, vers. 646, *Timuit post regna bubulcum*. Aratro etiam subjectum fuisse Nabuchodonosorem credere Dracontius videtur.

Erravit per prata vagus, mala gramina pastus, A
Et qui homo bos fuerat, de bove factus homo est.
Liquit et antistes verus pater ille Joannis,
Elinguisque fuit voce tacente silens.
Ast ego peccando regi dominoque, Deoque,
Pejor sum factus, deteriorque cane.
374 Vulnera vexati curat sua lingua molossi,
Heu! mea quippe mihi vulnera lingua dedit.
Sed qui restituit pecudis post membra tyranni,
Ut fieret rediens ungula fissa manus,
Quique reformavit tacitæ modulamina linguæ,
Ne mutilante sono verba ligata daret,
Ipse meo domino Deus imperat, atque jubebit,
375 Ut me restituat, respiciatque pius.
Servet, avi ut laudes dicam, patriasque, suasque,
Perque suas proles regia vota canam.
Culpa quidem gravis est, venia sed digna reatus,
Quod sine peccati crimine nemo fuit.

VARIÆ LECTIONES.

38. Sirm., *Et qui bos fuerat, de bove factus homo est.*
41. Sirm. interpungit *regi, dominoque Deoque.*
43. Sirm., *curat.* Azagr., *curant.*
44. Sirm., *heu me! quippe.*
45. Sirm., *membra tyrannum.*
46. Sirm., *Ut fieret rediens in sua regna bonus.*
47. Sirm., *taciti m. verbi.*
48. Sirm., *Ut mutilata sonos lingua ligata daret.*
49. Sirm., *Ipse meis parcet erratis, atque jubebit.*
50. Sirm., *Ut me respiciat, restituatque pius.* In B Azagr. videtur esse ut in Vat.
51. Versus 51 et 52 absunt a Sirm.
53. In Vat. nota in *venia* innuit legendum *veniam*, aut esse in auferendi casu

NOTÆ.

37. Lib. III, vers. 647, *Inter prata pecus.* Lib. I, vers. 274, *Et per prata vagum sequitur sua bucula taurum.* Virgilius l. II Æneid., vers. 471, *Coluber mala gramina pastus.*

39. Rivinus ex conjectura *Quid? quod et antistes, iterum pater ille Joannis Eloquitur, fuerat voce sed ante silens.* Sed retinenda est scriptura vetus, quæ etiam in exemplaribus interpolatis eadem conservatur. Lib. II, vers. 676, *Incurrit culpam sancti pater ille Joannis.* Pro *deliquit* positum est *liquit*, nempe peccavit, incurrit culpam, defecit. Simplicia pro compositis sæpe sumuntur, ut *verto* pro *everto*, *fero* pro *aufero*. Linqui dicitur is quem vires deficiunt, et Curtius active in partic. præs. usus eo verbo est lib. VI, cap. 1 : *Linquente spiritu, pariter ac sanguine, moribundus in arma procubuit.*

40. Rivinus notat tautologiam *elinguis, tacente, silens.* Verum in Dracontio sæpe hujusmodi verborum repetitiones occurrunt.

41. Sirmondus ita interpungit, ut Deus *dominus* dicatur : sed superflua tunc esset conjunctio *que* in *dominoque.* Dracontius regem vocat dominum, ut v. 107 : *Post te, summe Deus, regi dominoque reus sum*, et vers. 110 : *Rex dominusque meus semper ubique pius.*

42. *Cane pejor* proverbii genus, de quo vide comment. ad Prudentium, hymn. 5 Perist., vers. 147, et Apoth., v. 216, *Cane milite pejor :* nam *miles canis* molossus est. Hæc de libidine Eugenii non esse capienda, contra Barthium recte probat Rivinus. Sed ego pro Eugenio Dracontium verum Elegiæ auctorem intelligo : nam elegia, ut in ms. Vat. exstat, etiam a D correctione Eugenii omnino immunis est.

43. Lingua vexati molossi curat sua vulnera. Lectio Azagr. retineri nequit.

44. Lingua vulnera dedit Dracontio, quia recitaverat carmen, quod regi displicuit. Sæpe *lingua* pro eloquentia, interdum pro carmine ponitur. Lib. I, vers. 168 : *Linguæ laurus honos solvit donanda poetis.* Paulinus poem. 15, natal. 4 : *Annua vota mihi remeant, simul annua linguæ Debita :* et poem. 16, natal. 5 : *Gaudia, quo famulæ rata debeo munera linguæ.* Itaque etiamsi Dracontius carmen illud non recitaverit, recte tamen culpam in linguam, nempe in carmen rejicit.

45. Clarior est lectio Sirmondi *tyrannum* quam *tyranni* in Vatic. Verum id ita explicari potest; qui post membra pecudis restituit, seu fecit, ut manus tyranni fieret ex fissa ungula : aut *post* est adverbium.

46. *Ungula* est calceus corneus eorum animalium quæ digitos non habent.

48. Rivinus confidenter legit *Ut mutata sonos lingua ligata daret.* Sirmondi lectio hunc sensum habet, ut lingua ante ligata et mutilata sonos ederet. Nostræ scripturæ sententia est : Deus reformavit linguam ne ederet verba ligata et truncata, hoc est ut clare loqueretur. Plinius l. VII, cap. 16 : *Dentes serie structuræ atque magnitudine mutilantes mollientesque, aut hebetantes verba.* Ponitur *mutilante sono* pro *mutilato sono*, nam hujusmodi participia significationem passivam habere solent. C Possis etiam legere *Ne mutilata sono.* Ac fortasse Dracontius ætatem senis Zachariæ repræsentat : in qua verba trunca et mutilata proferri solent, cum organa modulationi linguæ servientia magna ex parte vitiata sint. Lib. III, v. 628, ait dentes cinxisse palatum, *Ut bene verba sonent, ipsis modulantibus, ora.* Deus igitur ita reformavit modulamina linguæ Zachariæ, ut, quamvis esset senex, distincte tamen et perspicue loqueretur. *Dare verba* pro loqui cum aliis usurpat Dracontius l. III, vers. 456.

49. Rivinus lectionem Sirmondi sic castigat : *Ipse meis parcet erratis, atque pudebit, Tum me respiciet, restituetque pius.* Vera lectio invenitur in codice nostro : Deus ipse, qui has mutationes effecit, regi domino meo imperat ac jubebit ut libertati me restituat.

50. Non displicet trajectio verborum in Sirmondo *Ut me respiciat, restituatque pius. Respicere* in sacris profanisque Litteris accipitur pro *aspicere juvandi causa*, ut notum est. Fortunæ respicientis fanum Romæ videtur fuisse, cui multi lapides inscripti exstant.

51. Quisnam sit is avus et pater regis, quorum laudes canere volebat Dracontius, disputatum est in prolegom. num. 106 et 111.

52. *Suas* pro *ejus*, ut sæpe Dracontius posuit. Fortasse legendum *Postque suas proles*, aut *Proque sua prole.* Potest retineri *per*, ut vota regia sint *per proles.* Inservit enim præpositio *per* ad jurandum, adeoque trahi etiam poterit ad vovendum et desiderandum.

53. Sirmondus interpungit *Culpa quidem gravis est, venia sed digna, reatus.* Malo *venia sed digna reatus*, digna, cui reatus venia concedatur.

54. Joann. ep. I, cap. I, vers. 10 : *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum.* Lib. III Reg., c. VIII, vers. 46 : *Non est enim homo qui non peccet.* In distichis Dionysii Catonis l. I, *Nemo sine crimine vivit.*

Nam Deus omnipotens potuit, dum conderet orbem, A
Tristibus amotis gaudia sola dare.
Sed diversa creans, et discordantia, junxit
Et bona mixta malis, et mala mixta bonis.
Sic elementa potens contraria miscuit auctor,
376 Humida cum siccis, ignea cum gelidis.
Littera doctiloquax apibus cognata refertur,
Queis datur, ut habeant vulnera, castra, favos.
Cerat dat ingenium pueris, primordia sensus,
Inde fit, ut prosit littera, vel noceat:

Aspis habet mortes, habet et medicamina serpens,
Vipera sæpe juvat, vipera sæpe nocet.
Cerva salutares pasto serpente medullas
377 Conficit, et pellunt ipsa venena neces.
Materies ferri simplex, et noxia fertur,
Impius inde nocet, rusticus inde placet.
Ipsa parit gemmas pretiosos terra lapillos,
Ipsa dat et vepres, spinea ligna, rosas.
Delicias, mortesque parat mare fluctibus altum,
Et generat pelagi conchula divitias.
Aera temperies auris vitalibus aptat,

VARIÆ LECTIONES.

56. Sirm., *a. optima s.*
57. Sirm., *jussit.* Azagr., *jungit.*
61. Sirm., *cognata probatur.*
62. Vat. scribit *fabos.* Sirm., *vulnera mella simul.*
64. Sirm., *ut præstet l.*
65. Sirm., *mortem.* Azagr., *mortes.*

B 67. Vat., *medellas.* Sirm., *Cerva salutaris pasto serpente medela est.*
68. Sirm., *Conficiunt, pellunt i. v. n.* Azagr., *pelluntque i.*
69. Sirm., *Materia f. s. e. n. constat.*
74. In Vat. scribitur *concula.*

NOTÆ.

55. Rationem affert cur Deus peccata hominum permittat, cum possit impedire, nempe ut in peccati venia clementia Dei resplendeat. Ut enim in physico rerum ordine Deus ad majorem orbis pulchritudinem non solum bona et læta, sed adversa etiam et tristia creavit, ita in ordine morali bona præcipit et jubet, sed permittit mala, ut ex ipsis malis bona faciat, quæ sine malis fieri non possent. Augustinus Enchirid. cap. 11: *Illud quod malum dicitur bene ordinatum, et suo loco positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur malis.* Vide etiam l. II de Ordine, c. 4.

56. Lib. I, vers. 18: *Omnia quæ veniunt, bona, gaudia, tristia, acerba.*

58. Vide l. I, vers. 294 et seqq., cum notis. In Goldoni comœdia *il Moliere* legi hunc versum.

59. Discors elementorum concordia explicata est lib. I, vers. 142 aliisque in locis.

60. Ovidius l. I Met., vers. 19: *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.* Apuleius l. I de Mundo post med., *Uvidis arida, et glacialibus flammida* (natura) *confudit.* Aer est humidus, terra sicca, ignis calidus, aqua frigida.

61. *Doctiloquus* Ennius, Martianus Capella et alii dixerunt. *Doctiloquax* apud antiquiores Dracontio non invenitur. Lectio Sirmondi *cognata probatur* confirmari potest simili loquendi modo sæpe a Dracontio usitato, ut dixi ad l. II, vers. 26: *Cognata refertur* sapit etiam stylum Dracontii, ut vers. 69, *noxia fertur.* Litteræ cognationem habent cum apibus, quia olim discebantur in tabellis cera illitis, et sicut apes spiculo nocent, melle et favis prosunt, sic etiam litteræ habent, unde prosint et noceant: nam litteras aliquando nocere expertus ipse Dracontius est. Nocent autem non solum iis qui imbuti illis sunt, sed etiam aliis.

62. Ut producitur ob aspirationem sequentis dictionis. Sirmondi scriptura probabilis est: sed verius videtur *vulnera, castra, favos;* nam ut sua sunt bella apibus, sic etiam litteratis.

63. Hic versus a S. Isidoro allegatus est, ut dixi num. 8 prolegom. Primordia sensus sunt prima scientiarum elementa. Sensus pro intelligentia et cogitatione sæpe ponitur. Lib. I, vers. 567, nonnulli legunt *sensus primordia,* pro quo ego scripsi *sensu præcordia.* Lucretius l. IV, vers. 534, dixit *Primordia vocum.*

64. Rivinus in Sirmondi lectione *præstet* vidit nullo negotio scribi posse *prosit.* Sed nihil mutandum censui, quia *præstare* pro *prodesse,* aut saltem pro *beneficium præstare* accipi solet, ut probat Barthius l. XXIX Advers., cap. 6. Verum cum in primigenia non interpolata elegia *prosit* legatur, hoc retinendum est.

65. Lib. II, vers. 258, *Aspidis obliquæ quid pinguia membra medentur,* etc. Vide notam ad vers. 291 lib. I.

66. Vide lib. II, vers. 256.

67. Scriptura Sirmondi commodum sensum habet, quo spectat etiam in Vat. *Cerva salutares pasto serpente medellas Conficit.* Sed vera lectio est *medullas.* C Lib. II, vers. 276: *Cervus ut occumbat, quærit medicina medullas.* Confer notam ad eum locum, ex qua constat medullas cervi a medicis salutares existimari. *Cerva* sæpe adhibetur a poetis nullo habito respectu generis, ut marem et feminam significent. Virgilius lib. IV Æn., vers. 69: *Qualis conjecta cerva sagitta.* Similia plura congessit Brouckusius ad Tibullum, l. IV, carm. 3, vers. 13.

68. Ausonius epigr. 10 in Eumpinam, vers. 12: *Et cum fata volunt, bina venena juvant.* Conjunctio *que* in Azagr. non est necessaria. Sic v. 246, *Damna, vel augmentum dant elementa, ferunt.*

69. *Materies* sic Dracontius et alii poetæ frequentius quam *materia.* Pro *innocua* ponitur *simplex,* ut vers. 191, 223, et *simplicitas* vers. 173. Vide notam ad libr. II, vers. 804.

70. Ut *pius* Dracontio est clemens, mitis, ita *impius* crudelis, immitis. Rivinus de milite id dictum interpretatur, qui impius a Virgilio et Lucano dicitur.

D 71. Rivinus non male suspicatur *Ipsa parit gemmas, steriles et terra lapillos, Ipsa rosas, et dat, spinea ligna, vepres.* Interpolatori Sirmondi cum Dracontio convenit: quo magis vetus lectio confirmatur. Nec sane correctione indiget. Ipsa terra parit gemmas, pretiosos lapillos (accusativus appositionis), et ipsa dat vepres, spinea ligna, rosas.

72. Ovidius de Remed. amor. v. 45: *Terra salutiferas herbas, eademque nocentes Nutrit, et urticæ proxima sæpe rosa est.*

74. Diminutivo *conchula* utuntur Celsus et Valerius Maximus. In conchis piscium nascuntur margaritæ, de quibus Plinius libr. IX, cap. 35. Propertius libr. III, eleg. 11, vers. 6: *Et venit e rubro concha Erycina salo.*

75. *Temperies* sumi solet pro temperata cœli constitutione. *Auris vitalibus,* vitæ, spiritui, quo videlicet respiramus et aspiramus.

Quæ corrupta dies eripit, atque animas.
Aspera, vel facilis retinet natura volucres,
Blanda columba avis est, aspera vultur avis.
378 Nubibus aggestis pluviæ, nix, grando, pruina
Gignuntur vicibus, igne, vapore, gelu.
Sol dat temperies, species gratissima mundi,
Cuncta creanda parans, cuncta creata fovens.
Per quem fetat humus flores, et messis aristas,
Sole perustus ager putris arena jacet.
379 Corpora sol reficit radiis et corpora vexat,
Solibus alternis itque, reditque salus.
Omnia nec mala sunt, nec sunt bona sidera cœli,
Lucifer hoc docuit, Sirius hoc monuit.
Temperies cœli medium nec possidet orbem,
Nam de quinque plagis vix habet ipsa duas.
Quod cœlum, quod terra, fretum, quod purior aer
Non meruere simul, hoc homo quando habeat?
Culpa mihi fuerat dominos reticere modestos,

VARIÆ LECTIONES.

76. Sirm., *Q. c. d. corripit, atque animos.* Azagr., ut in Vat., *eripit atque animas.*
77. Sirm., *Diras vel placidas retinet n. v.*
79. Azagr., *grando pruinæ.*
80. Sirm., *Gignuntur vicibus, ordine, lege poli.*
81. Sirm., *Solis temperie species g. m.* Azagr., *sultat* pro *solis.*
82. Sirm., *parit*, et *fovet.* Azagr. cum Vat., *parans* et *fovens.*
83. In Vat. scribitur *fetat.* Sirm., *per quam foetat.*
88. Sirm., *L. h. d. sidus et hoc docuit.* Azagr., *L. h. d. Sirius hoc docuit.*
91. Azagr., *quod terra creat q.*
92. Sirm., *hoc modo quando habet.* Azagr., *hoc homo quando habet.*
93. Azagr., *reticere molestos.*

NOTÆ.

76. Temperies corrupta eripit hominibus dies atque animas, hoc est breviorem hominum vitam efficit. *Dies* pro vita Statius libr. II Theb., vers. 657: *Nunc arma, diemque Projice. Quid sequeris timidæ compendia vitæ?*

77. Libr. I, vers. 456, distinguit inter aves placidas et ore cruentas.

78. *Blanda columba* Ovidius libr. II Amor., eleg. 6, vers. 56.

80. Interpolator penitus sensum hujus versus invertit. *Vicibus* est per vices, alternatim. Columella l. II, cap. 2 initio: *Quæ qualitates inter se mixtæ vicibus, et alternatæ plurimas efficiunt agrorum varietates.* Ait ergo Dracontius pluviam, nivem, grandinem, pruinam gigni igni, vapore, gelu, seu frigore vicissim, vel ita ut hæc per vices misceantur et alternentur. Isidorus de Natur. rer. cap. 33: *Aquæ amarissimæ maris vapore subtili, calore aereo suspenduntur.. Ibique igne solis decoctæ in dulcem pluviarum saporem vertuntur.* Et cap. 34: *Plerumque glacialibus ventorum flatibus rigentes aquæ solidantur in nivem.* Et cap. 35: *Aquæ nubium rigore ventorum stringuntur in glaciem, atque durescunt.* Vide Ambrosium libr. II Hexaem., cap. 3 et 4, quem sæpe Dracontius et Isidorus sequuntur, ut ipse Basilium secutus est.

81. Capella libr. II in hymno solis: *Nam medium tu curris iter, dans solus amicam Temperiem superis.* Temperies in plurali, intelligo varias anni tempestates. Isidorus de Nat. rer. cap. 17: *Cui* (sol) *ideo Deus diversa cursus constituit loca et tempora, ne dum semper in iisdem moraretur locis, quotidiano ea vapore consumeret. Sed ut Clemens ait* (libr. VIII Recognit., cap. 22), *diversos accipit cursus, quibus aeris temperies pro ratione temporum dispensetur, et ordo vicissitudinum permutationumque servetur.* Ausonius in Eclogar. 2: *Omnia quæ vario rerum metimur in actu, Astrorum dominatus agit, terrenaque tantum Membra homini, e superis fortuna, et spiritus auris Septeno moderanda choro: sed præsidet ollis Sortitus regimen nitidæ sol aureus æthræ. Nec sola in nobis moderatur tempora vitæ, Dum breve sollicitii spatium producimus ævi. Creditur occultosque satus, et tempora vitæ Materno ducenda utero formare videndo.* Hæc caute.

82. Vide l. I, vers. 24 et seqq., et vers. 224: *Qui fovet igne pio cœlum*, etc. Libr. I, vers. 9, notavi, Dracontium cum aliis antiquis scriptoribus verbum creandi accipere pro educere, vel formare: quo multi nunc utuntur ad significandam productionem ex nihilo. Animadvertit vero Mariana ad c. I Genes., v. 1, quæstionem esse ad theologos ablegandam, an creatio sit ex nihilo productio: *Id contendam*, addit, *ex vi vocis et proprietate sermonis id non significari.* Peculiaris ergo significatio, qua creatio definitur a philosophis et theologis effectio rei ex nihilo, vetus quidem est, sed ad usum scholæ instituta.

83. Libr. II, vers. 217, *Fetat humus*, etc. Confer notam ad vers. 89 libr. II.

84. Isidorus de Nat. rer. cap. 17: *Et cum sit iste minister bonus* (sol) *genitus ad vicissitudines temporum moderandas, tamen ubi secundum voluntatem Dei correptio mortalibus datur, incandescit acrius, et urit mundum vehementioribus flammis, et perturbatur aer, et plaga hominum, et corruptio terris injicitur, et lues animantibus, et pestilens per omnia mortalibus annus inducitur.* Quod autem ait Dracontius *putris arena*, hoc est arida et sicca, veteres secutus est duces. Propertius libr. IV, eleg. 3, vers. 39: *Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu.* Statius libr. IV Theb., vers. 728: *Tunc sole putris, tum pulvere tellus Exhalat calidam nubem*, et silv. III, libr. IV, vers. 126: *Qui fœdum nemus et putres arenas.* Lucanus simili significatione libr. VIII, v. 830: *Totaque in Æthiopum putres solvaris arenas.*

86. *It* pro *abit.* Lucretius libr. III, vers. 527: *Denique sæpe hominem paulatim cernimus ire, Et membratim vitalem deperdere sensum.*

88. Rivinus, qui cum Sirmondo legit *sidus et hoc docuit*, interpretatur hoc *sidus* esse stellam Jacob, et *luciferum* Satanam. Dracontius aliud longe diversum cogitabat, qui de Sirio stella in ore caniculæ loquitur, cui luciferum opponit. Calores immodici sunt, cum Sirius conjungitur cum sole, quo tempore corpora morbo affici solent, ex quo caniculam seu canem hoc sidus dictum aliqui affirmant.

89. *Temperies cœli* zona seu plaga temperata. Ovidius libr. I Met., vers. 50, de zonis: *Nix tegit alta duas, totidem inter utramque locavit, Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.*

91. Libr. I, vers. 334, *Non purior aer.*

92. Rivinus conjicit *Non meruere simul, hoc modo quartus habet.* Aer namque modo temperatus est ex humido et calido, cœlum (id est ignis) siccum et calidum, terra sicca et frigida, aqua humida et frigida. Hæc ille totidem verbis. Sane mendosa illico

380 Ignotumque mihi scribere, nec dominum.
Qualis et ingratos sequitur, qui mente profana,
  Cum Dominum norint, idola vana colunt.
Israelitarum populum sic culpa tenebat,
  Quando Deum oblitus flans vitulum coluit.
Et tamen indulges veniam poscentibus, auctor,
  Si sceleris facti mens rea pœniteat.
Te precor, Omnipotens, te, quem decet esse benignum,
  Quem non ulla juvat ultio, sed venia,
381 Cujus sancta manus sustentat corda regentum,
  Et pius inclinas mox, ubicunque jubes.
Te coram primum me carminis illius ausu
  Quod male disposui, pœnitet, et fateor.
Post te, summe Deus, regi dominoque reus sum,
  Cujus ab imperio posco gemens veniam.
Imperet armato pietas tua, prospera mandet
  Rex dominusque meus, semper ubique pius.
Nec mihi dissimilis, quam quod solet esse cætervis,
  Sit pietate tua, sit bonus, et placidus.
Nam tua sunt, quæcunque gerit, quæcunque jubebit,
  Judiciumque Dei regia verba ferunt.
Exorent hæc pauca Deum, qui mentis opertæ

VARIÆ LECTIONES.

94. Sirm., *Scribere nec dominum*. Vat., *scribere vel aominum*.
97. In Vat. scribitur *Israhelitarum*.
98. Sirm., *Quando oblita Deum plebs vitulum coluit*. In Vat. videtur esse *flens* pro *flans*.
99. Sirm., *indulgens*. In Vat. etiam *indulgens*. Ex conjectura *indulges*.
100. Sirm., *Contulit, et legem post mala facta dedit*.
101. Sirm., *O. quem sat decet*.
102. Sirm., *Et quem nulla juvat v. s. v.*
105. Vat., *carminis ullius ausu*. Sirm., *Coram te primum me, carminis illius orsa*.
106. Sirm., *pœnitet, en fateor*.
109. Azagr., *i. armata p.* Sirm. distinguit *mandet, Rex*.
110. Azagr., *Rex Deus omnipotens semper ubique pius*.
111. Sirm., *solet omnibus esse*.
112. Sirm., *sit pietate sua, sit*.
113. In Sirm. pro hoc et aliis quatuor versibus seqq. solus est hic : *Te nunc summe precor, magnorum maxime regum, Pectore*, etc.

NOTÆ.

apparet scriptura Sirmondi *hoc modo quando habet*. Sed conjectura Rivini vix ullum sensum admittit. Lectio Vat. confirmatur codice Azagr., ubi tamen mendum est *habet* pro *habeat*. Sententia Dracontii est : cum in rebus omnibus creatis mixta sint bona malis, quando aliquis erit homo, qui semper bonus et nullo crimine maculatus sit? Vide notam ad l. II, v. 458, et Synonyma S. Isidori, l. I.

94. Rivinus suspicatur legendum *Agnatumque mihi scribere nec dominum;* sed neque ipse rationem suspicionis affert, neque ego video ullam. In Vat. est *vel* pro *nec :* hoc secundum magis placet. Culpa fuit Dracontii reticere suos dominos, atque alium laudare, qui ignotus illi, nec dominus erat. Poterit explicari scriptura Vat. hoc pacto : culpa fuit reticere dominos modestos, aliumque ignotum laudare, etiamsi fuisset dominus. De hac culpa Dracontii egi in prolegom. num. 90.

96. *Idola* secunda correpta, ut libr. II, vers. 579.

97. Ut in hoc codice scribitur *Israhelitarum* cum aspiratione post primum *a*, sic in alio codice Vaticano, ex quo tres libros de Deo extraxi, scribitur l. II, v. 166, cum aspiratione in principio *Hisraelitarum*. Hæc scriptura antiqua est, ut cernitur in veteri inscriptione basilicæ S. Clementis Romæ, quam vulgavit Eduardus Vitry in diatriba de tumulo T. Flavii Clementis martyris.

98. Certum mihi est a manu Dracontii esse *flans*, quod alii non intelligentes versum corruperunt. Cap. XXXII Exod., vers. 4 : *Quas cum ille* (A ron inaures) *accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum conflatilem*. Pro *conflare* seu *metalla igne mollire et fundere* ponitur *flans*. Plinius libr. XXXVI, cap. 19 : *Phrygius lapis uritur ante vino perfusus, flaturque follibus, donec rubescat*. Sic *flata pecunia, æs flatum, ære flando, feriundo*.

99. Forte *Et tamen indulget veniam poscentibus auctor*.

100. In fine carminis ad senatorem apostatam sub Tertulliani nomine : *Suffecit peccare semel, desiste vereri. Non erit in culpa, quem pœnitet ante fuisse. Pœniteat* cum nominativo pro *mentem ream pœniteat*. Vide libr. I, vers. 694, et infra vers. 304.

102. Ezechiel. cap. XVIII, vers. 23 : *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* Vide l. I, vers. 29 et seqq., et vers. 96 cum notis.

103. *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud*. Proverb. cap. XXI, vers. 1.

105. In nostro codice *ullius* pro *illius* retineri posset, sed melius videtur *illius*.

109. Hic etiam legendum conjicit Rivinus *agnato* pro *armato*, ut vers. 94 *agnatum* pro *ignotum*.

110. Octavianus Augustus, ut refert Suetonius cap. 53, *Domini appellationem, ut maledictum et opprobrium semper exhorruit*. Alii imperatores non solum *domini*, sed *dei* etiam appellationem usurparunt. Inde ad Christianos imperatores et reges *domini* titulus permanavit. Procedente tempore hic honos sacerdotibus et nobilibus delatus est, postea quibusvis aliis hominibus sine ullo discrimine.

111. Adverte phrasim, *Dissimilis non sit mihi, quam quod solet;* etc., videlicet non sit mihi alius quam qui solet esse catervis. Cicero l. II ad Attic., ep. 3, *Quod non est dissimile, atque ire in Solonium*. Huc facit vers. 151 cum nota.

114. Ad Roman. cap. XIII, vers. 4, de principe : *Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit*.

115. Prosper epigr. 95, *Linquantur secreta Deo, qui, si quid opertum est, Inspicit, et nullis indiget indiciis*. Anonymus in carmine apologetico Romanæ curiæ tom. IV Analector. Mabillonii v. 923 : *Hic tibi nostra manus, cuinam secreta licebit Cernere corda procul, non dabit artis opus. Solus habet secreta Deus cognoscere mentis*. Eruditum est hoc carmen, et supra captum sæculi XIII, quo exaratum est, elegans, nisi quod multis locis corruptum est, ut cum Aprilis Hispanus, alter ex interlocutoribus, de efficacia munerum loquens, ait : *Præterea video, quod si non jungitur axis, Tardius incœptum continuatur iter*. Lege *si non ungitur axis*, ita enim habet adagium tritum Hispanorum.

382 Sensibus ætheriis condita vota videt. A
Ad te nunc, princeps, mea vela retorqueo supplex,
Pectore, mente rogans, voce, manuque petens.
Da dextram misero, veniam concede precanti,
Tempore tam longo non decet ira pium.
Namque inimicorum culpis veniale minaris,
Captivosque tuos deliciis epulas.
Puniat, ut sit, quod Christus, tu parcis iniquis,
Vindice quo regnas, quo vigilante, viges.
Qui pereunt bello, soli moriuntur ut hostes,
Qui superest pugnæ, vivat ut ipse, jubes.
Captivus securus agit, solusque rebellis
383 Formidat mortem, præda quieta sedet. B
Conservas animas, victum super ipse ministras,
Ne sit vita gravis, subripiente fame.
Nemo cadet sub jure tuo, sub morte cruenta,
Scit se victurum qui volet esse tuus.
Turba rebellantum quoties duravit in armis,
Vinceret, aut certe præda fuisset iners.
Securus sine morte manus dat hostibus hostis,
Nam bene conservas colla subacta jugo.
Sic leo terribile fremit horridus ore cruento,
Unguibus excussis, dente minante neces:
Acrius iratus crispato lumine ferri,
Et mora si fuerit, acrius inde furit.
384 At si venator trepidans venabula ponat,
Territus et jaceat, mox perit ira cadens.
Temnit prædo cibos, quos non facit ipse cadaver,
Ac ferus ignoscit, ceu satis accipiat.
Et dat prostrato veniam sine vulnere victo,
Ore verecundo dejiciens oculos.
Sic tua, regnator, non impia frangitur ira,
Cum confessus erit crimina gesta reus.
Ignoscendo pius nobis imitare Tonantem,

VARIÆ LECTIONES.

119. Sirm., *concede fatenti.*

121. Hic aliique novem versus seqq. omnino desunt in Sirm. usque ad v. 131, *Nemo cadet.* In Vat. *namque*, obscure.

125. Vat., *moriuntur in hostes.*

131. Sirm., *c. de jure tuo.* Azagr. cum Vat., *sub jure.*

132. Azagr., *scit esse victurum.*

133. Hi quatuor versus usque ad vers. 137 desunt in Sirm. In Vat. *foravit* pro *duravit.*

337. Sirm., *leo terribilis fremit.*

139. Sirm., *Acriter ardescit crispato l. f.*

144. Sirm., *ceu atis.* Azagr. cum Vat., *ceu satis.*

145. Sirm., *vulnere victor.*

146. In Vat. et Sirm. scribitur *deiciens.*

149. In Vat., *non vis* pro *nobis.*

NOTÆ.

116. Conjiciat aliquis *Sensibus internis*, nempe hominis. Sed *ætheriis* positum est pro divinis, cœlestibus. Deus divina sua et infinita intelligentia videt occulta vota hominum.

117. Vela orationis, carminis, allegoria oratoribus ac maxime poetis frequens. *Retorquere vela* Ovidius Trist. libr. I, eleg. 1, vers. 84 : *Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.*

121. Fortasse legendum *Nam qui inimicorum*, etc., ut protrahatur hæc periodus usque ad vers. 124. *Veniale* adverbii more, ut l. II, vers. 486, *Veniale minatur*. Contrarium est *Mortale minantes* l. II, vers. 154.

122. In usu communi est *epulor, epularis;* Priscianus tamen lib. VIII de Verbis communibus refert veteres usurpasse etiam *epulo, epulas.*

123. Implicata syntaxis est hujus versus, ita explicanda. Ut sit quod Christus puniat, tu parcis iniquis, nimirum non omnia crimina punis, sed quædam Dei judicio et vindictæ relinquis.

125. Non censeo scripsisse Dracontium *soli moriuntur ii hostes*. Lego *moriuntur ut hostes*, nam *in hostes* quid significet vix intelligi potest, nisi forte *in* sumatur pro *apud*. Cicero in proœm. Parad., *Cato autem perfectus mea sententia stoicus, et ea sentit quæ non sane probantur in vulgus*. Putabam *soli moriuntur in armis*, vel *in ense*. Lucanus l. II, vers. 263 : *Quis nolit in isto Ense mori?* Sed alii legunt *ab isto*. Melior erit lectio *soli moriuntur in armis*, imitatione Ciceronis pro Ligario, cap. 6 : *Cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo nisi armatus.*

128. *Sedet*, scilicet captivi, qui quietem amant, tuti sunt, otiosi et nullo labore vexati.

129. Paulo ante vers. 122, *Deliciis epulas*. Pro *insuper* non raro usurpatur *super* a Virgilio, Horatio et aliis.

130. *Subripiente*, paulatim consumente fame vitam.

133. Pro *foravit* nihil opportunius venit in mentem quam *duravit :* verum neque id penitus placet, neque hic et sequens versus satis inter se cohærent.

135. *Dat* est brevis ad regulas prosodiæ, sed hoc loco producitur ob aspirationem vocis sequentis.

136. In prolegom. num. 111 ex Orosio ostendi C barbaros, qui Hispaniam occuparunt, post primas bellorum clades nonnullam clementiæ laudem obtinuisse.

137. *Terribile* adverbii more, ut vers. 121, *veniale minaris*. Sic *dulce, suave*, et similia passim occurrunt. Virgilius libr. I Æn. vers. 300, de furore bellico: *Fremet horridus ore cruento.*

138. *Excussis*, jactatis, concussis. Virgilius l. XII, vers. 6 : *Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros.... et fremit ore cruento.*

139. Servius ad loc. cit. Virgilii : *Hæc enim leonum natura est, ut nisi lacessiti irasci nequeant*. Lumen ferri est splendor e ferro venabuli emicans. Val. Flaccus l. III, vers. 100 : *Seseque a lumine ferri Sustinuit præceps*. Statius libr. IX Theb., vers. 802 : *Sed ferri lumine diro Turbatus sonipes*. Crispatur ferrum seu telum, cum quassatur, seu vibratur. Virgilius l. XII Æn., vers. 165 : *Bina manu lato crispans hastilia ferro;* qui versus ex libr. I repetitus est.

140. *Mora*, scilicet pugnæ, sive in resistendo. D Prudentius Hamart. v. 210, *Pugnæ nodumque moramque* post Virgilium l. X, vers. 428. Similiter Lucanus, Silius, alii.

142. Ovidius libr. III Trist., eleg. 5, vers. 33 : *Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni, Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet*. Plinius libr. VIII, cap. 16, *Leoni tantum ex feris clementia in supplices : prostratis parcit.*

143. Rivinus ex conjectura *Temnit prædo cibos, quos non facit ipse, cadaver Haud ferus agnoscit*, *hoc avis accipiat;* hoc est avis rapax.

146. *Dejicere oculos* Cicero, Quintilianus aliique dixerunt.

147. Scilicet frangitur ira non impia, seu non crudelis.

149. Ovidius l. II Trist., vers. 39 : *Tu quoque, cum patriæ rector dicare, paterque, Utere more Dei, nomen habentis idem*. Claudianus de IV cons. Honorii vers.

Qui indulget culpis, et veniam tribuit. A
Principis imperium simile est, ac regna polo- [rum,
Ut canit ad populos pagina sancta Dei :
385 Sacrilegis referens cœlestia jura catervis,
Cinctus apostolica discipulante manu.
Nonne Dei præcepta jubent, ne sol cadat intrans,
Irascente alio, sed pius exstet homo?
Rex inimicorum populis mucrone pepercit
David, et hic sceleris certus adulter inest.
Confessus facinus, veniam pro clade meretur,
Noxius impune, vel sine morte reus.
Insuper et Salomon eadem muliere creatus,
Quæ scelus admisit, munus honoris habet.
386 Non fit Abessalon hæres de conjuge natus,
Sed sceleris fructus sceptra paterna tenet.
Ecce, quid impendit patris clementia parcens,
Ut sibi regna daret, ut daret et soboli.
Ipse inimicorum Salomon non colla poposcit,
Dum peteret Dominum, sed sapientis opem.
Exstitit hic prudens, quia noluit esse cruentus,
Pacificusque fuit, consiliique tenax.
Stephanus, ante alios lapidum sub grandine [martyr,

VARIÆ LECTIONES.

151. Vat., *ad regna polorum*. Sirm., *ad regna superna*. B
154. Sirm., *Vinctus apostolica, discipulaque manu*. Azagr., *Vinctus a. discipulante m.*
156. Sirm., *I. a. ne malus exstet homo.*
158. Sirm., *David et sceleris certus adulter erat.*
160. In Vat. deest vox ultima *reus*.
162. In Vat. scribitur *ammisit*.
163. Sirm., *Non fuit hic Salomon casta de conjuge natus*.
166. Ita Sirm.; in Vat. desunt verba hæc *ut daret et soboli*; versus incipit *Ut sibi regna daret et sub.* .. In Azagr., *Ut sibi regnaret, hæc daret et soboli.*
168. Sirm., *cum peteret*.

NOTÆ.

276 : Sis pius in primis : nam cum vincamur in omni Munere, sola deos æquat clementia nobis. Cicero pro Ligario in fin., *Homines enim ad deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando.*

151. Lego *simile est, ac regna* : quæ phrasis simili modo a Dracontio v. 111 usurpata, sed librariis ignota, occasionem errori dedit. Cicero libr. v Tuscul., cap 3 : *Pythagoram respondisse, similem sibi videri vitam hominum et mercatum*. Livius libr. vi, cap. 28 : *Jactabant, similem pavorem inde ac fugam fore, ac bello Gallico fuerit.* Columella libr. vii, cap. 5: *Ovem pulmonariam similiter, ut suem, curare convenit.* Poterit etiam legi *simile est, ut regna*; *simile est, et regna*. C

152. Puto indicari parabolam quam affert Lucas cap. xix, vers. 12 et seqq. : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti*, etc. Ex Evangelio certe hanc sententiam Dracontius sumit, ut ex vers. seqq. manifestum est. Clementiam virtutem principum maxime propriam esse ostendit Petrus Ribadeneyra libr. ii, cap. 18 egregii operis de principe Christiano, quod paucis ante annis Matriti recusum est.

153. *Referens* est Deus, non pagina : nam vers. seq. est *cinctus*. Perinde quasi dixisset *ut canit Deus*, sic progreditur, quia *pagina sancta Dei* ponitur pro *Deus*. Hæc figura vocatur mutatio, seu varietas generis, aut etiam relatio ad rem potius quam ad vocem. Ennius lib. x Annal. apud Priscianum lib. i : *Insignita fere tum millia militum octo Duxit delectos bellum tolerare potentes*. Consule Gifanium in Lucretium verbo *Generis mutatio*, et Andream Schottum in Vindiciis Ciceronis, cap. 8. D

154. Latinius videtur *discipulaque*; sed non ausim mutare *discipulante*, quod non solum exstat in Vat., sed et in Azagrens. conservatur : quod verbum nescio quid sequioris antiquitatis præ se fert, ut *principante*, *abbatiante*, et similia. Isidorus in glossis indicat *discipulati* pro *edocti*.

155. Libr. iii, vers. 599, idem præceptum exponitur. Vide notam.

156. *Pius exstet homo*, pius et mitis sit homo, qui iratus fuerit. *Exstet* pro *sit*, ut dixi ad l. ii, vers. 731.

157. Notanda est phrasis *populis mucrone pepercit*; ita populis veniam dedit, ut mucrone in eos non uteretur. *Parcere mucrone* est abstinere a mucrone, *parcere populis* est condonare.

158. *Sceleris certus adulter*, certo scelere adulterii inquinatus. Non male Sirmondus *certus adulter erat*; sed retineo *inest*, ut vers. seq. *meretur*. *Inest* pro *est*.

159. Libr. ii, vers. 654 seqq. Davidis crimen, et pœnitentia enarratur.

160. Loc. cit. vers. 655, *Culpas impune fatetur* : et l. i, vers. 34, *Sic impune reis licuit peccasse fatendo*.

161. Lib. ii, v. 660, *Ex eadem muliere virum*, etc. De quantitate tertiæ in *muliere* vide Abbonem t. IV Annal. Bened. Mabillonii in append., num. 6.

163. Interpolator Sirmondi mutavit hunc versum, fortasse quia videtur eo indicari Salomonem adulterio genitum fuisse. Verum Dracontius satis mentem suam declarat, quod Salomon genitus eadem muliere, quæ scelus adulterii ante admiserat, adeoque hoc sensu fructus sceleris, regnum adeptus est, non Absalom, quamvis hic natus fuerit ex conjuge Davidis, quæ ad hujus conjugium non per adulterium pervenit : quod clarius loc. cit. l. ii asseritur, ubi Dracontius ait, factum regem eum qui ex Bethsabee, *ex eadem muliere post crimina* natus fuerat. Absalom vocatur etiam *Abessalon* aut *Abessalom*. In distichis, quæ de rebus diversis utriusque Testamenti in basilica Ambrosiana scripta sunt, tom V Collect. poet. Pisaur., pag. 158 : *Pendet Absalon astrictus in arbore guttur*. Melius scribitur *Abessalon* aut *Abessalom* cum Prudentio Hamart. vers. 577 et 580, ex LXX interpretibus, qui ita Græce id nomen efferunt.

164. *Sceleris* per metonymiam pro sceleratæ feminæ, vel feminæ quæ olim scelere adulterii inquinata fuerat, ex quo tandem in conjugium Davidis vocata est.

165. *Impendit*, confert, ut vers. 191 : *Ecce, quid impendit homini clementia simplex*.

167. *Colla*, gladio secanda, vel quia dare collum est victum se fateri : nam bello captorum colla pedibus proterebantur, et vinculis constringebantur. Propertius l. ii, el. 8, vers. 19 : *India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho*.

168. *Peteret Dominum*, ut apud Ovidium l. vii Met., vers. 296, *Petit hoc Æetida munus*, ad quem locum plura similia proferunt Heinsius et Burmannus, qui tamen putant dubia hæc omnia esse. Hoc etiam loco reponi posset *Dum petit a Domino*. Rivinus legit in corrigendis *sed sapientiæ opem*. Venustius est *sapientis opem*, id est sapientiam.

170. *Consiliique tenax*. Sic tenacem propositi dicunt Horatius, Ovidius, alii.

171. Libr. ii, vers. 572, *Martyrium Stephano*. Eadem quantitate posset hoc loco *Ante alios Stephanus*, quod fortasse verum est. Non tamen a ms. codice recedam, cum poetæ Christiani in nominibus propriis variare soleant.

387 Hostibus orabat sponte suis veniam. A
Hæc bona simplicitas præstat jejuna cruoris,
Vir sine morte furens nil habet ipse necis.
Cæsar ubique potens hosti post bella pepercit,
Et quod erat pejus, civis et hostis erat.
Sponte f. cultatem redhibens reparavit honores
Inde vocatus abit dignus honore Dei.
Cujus ab imperio surgens et origine Cæsar
Augustus meruit tempus habere pium.
Tempore namque eodem est natus de virgine [Christus,
Cujus et emicuit stella per astra poli.
Dux princeps Romanus erat de principe Titus,
388 Si non præstaret, dicere sæpe solens;
Perdidimus hac luce diem, si nulla dedisset
Non exoratus præstita supplicibus.
Alter ait princeps modico sermone probatus
Commodus Augustus, vir pietate bonus:
Nobile præceptum, rectores, discite, post me,
Sit bonus in vita, qui volet esse deus.
389 Ecce, quid impendit homini clementia [simplex,

VARIÆ LECTIONES.

172. Azagr., *pro hostibus o.*
174. In Vat., *gerens* pro *furens.*
177. Sirm., *f. retinens reparavit h.*; in Vat., *redhibens paravit.* B
178. Sirm., *honore pater.* Azagr., *honore puer.*
181. Sirm., *eodem natus* sine *est.*
186. Sirm., *mox exoratus.*
187. Sirm., *Alter item princeps modico sermone probatur.* Azagr., *A. item p. m. s. profatur.* Vat., *A. ait p. m. s. poeta.*
190. Sirm., *qui volet esse Dei.*

NOTÆ.

173. *Jejuna* cum gignendi casu probum est, et a Cicerone usurpatum.

174. Vir qui non ita irascitur, ut inimicis mortem inferat, neque ipse ab aliis necabitur: quod tamen non semper accidere, exemplo Julii Cæsaris, quod sequitur, ostendi posset. In Vat. *gerens* fortasse positum est pro *regens.*

176. Venia minus dignus est civis, qui hostili animo erga alium se gerit.

177. In Sirm. *retinens* fortasse indicat, Cæsarem retinuisse imperium. Verius videtur *redhibens* hosti *facultatem*, vel potius *facultates*, id est restituens bona, patrimonium. Cicero ad Quintum Fratrem l. I, ep. 3, post med., *Quasi vero nunc me non tuæ facultates sustineant.* C

178. *Abit* pro *obit. Vocatus dignus honore Dei*, dignus a suis habitus, qui Deus vocaretur apotheosi ethnica: vel quem sui dignum honore Dei vocarunt, sive habuerunt.

180. *Tempus pium* propter pacem in universo orbe, et natum eo tempore Christum, ut vers. seq. explicatur. De hoc tempore Virgilius libr. I Æn., v. 295, *Aspera tum positis mitescent sæcula bellis, Cana fides*, etc.

181. *Eodem* dissyllabum per synæresin, ut *eadem* in ablativo. Quia mitis et pacificus fuit Augustus, ejus tempore nasci Jesum Christum voluisse colligit.

182. *Cujus*, Christi: nam quædam prodigia, et flammas, quæ de Augusto referuntur, a Dracontio indicari non puto.

183. Ausonius in Cæsaribus corripit primam in *Titus*, *At Titus orbis amor rapitur florentibus annis* cum Ennio. Sed in Antholog. apud Burmannum, et tom. IV Collect. poet. Lat. Pisaur. legitur epigramma, in quo prima in *Titus* producitur: *Orbis delicias, et Titum, et Vespasianum Terrarum dominos hæc capit urna duos.* Verba illa *de principe* videntur referenda ad *dicere.* D

184. *Præstasset* pro *præstitisset*, ut *præstatum* pro *præstitum*, non esset inusitatum. Sensus est: si nihil præstitisset, si nullum beneficium contulisset, aut si non profuisset. Confer supra notam ad vers. 64.

186. Clarior est sententia in Sirm. script. *Mox*: sed in Vat. recte se habet *Non*; si non exoratus supplicibus nulla dedisset præstita aut dona: quamvis enim duæ sint negationes, tamen duo sunt verba quibus illæ commode aptantur. *Præstita* substantive ponitur. Eutropius l. VII: *Facilitatis tantæ fuit* (Titus) *et liberalitatis, ut nulli quidquam negaret.... Præterea cum quadam die in cœna recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquam præstitisse, dixerit: Amici, hodie diem perdidi.*

187. In Vat. est *sermone poeta*, sed videtur legendum *sermone probatus*, vel *profatus*. Lectio Sirmondi similibus exemplis indicatis lib. II ad vers. 26 comprobari potest.

188. L. Antoninus Commodus, qui Commodi nomine plerumque intelligitur, hostis humani generis judicabatur. Hujus pater fuit M. Aurelius Antoninus Philosophus nuncupatus, cujus clementia et bonitas summis laudibus ab ethnicis celebrata est. Vide ejus Vitam, auctore Geo: Stanhope, præmissam libris ejus duodecim de rebus suis, et lib. II ejusdem Antonini, num. 17, cum commentariis Thomæ Gatakeri. Hujus enim imperatoris a Dracontio laudatur sententia.

189. *Rectores discite post me*, qui post me regnaturi estis.

190. Interpolator Sirmondi mutavit *esse Deus* in *esse Dei.* Rivinus errorem agnovit et correxit *esse Deum*: talem scilicet post mortem. Idem est sensus in Vat., *qui volet esse Deus.* Hoc sane Dracontius ex persona imperatoris gentilis pronuntiat. Nam post obitum imperatoribus, si meriti bene essent, honores divini a senatu decernebantur. Supra de Cæsare vers. 178, *Inde vocatus abit dignus honore Dei.* Præceptum ergo est bonum in vita esse debere, cui in obitu cœlestes honores jure merito tribuantur: neque istiusmodi honores, si decernantur, illis convenire, qui in vita boni non fuerint. Alio sensu Ausonius edyll. 15 aiebat: *Quosdam Constat nolle deos fieri*, ut ex sequentibus patet: *Juturna reclamat: Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est Conditio?* Imperatores Christiani vanas et ridiculas ejuscemodi apotheoses sustulerunt. Quædam tamen vestigia in nonnullis vocabulis hæserunt, ut cum constitutiones Principum *divales* appellantur. In libris Carolinis sæculo VIII Constantinus et Irene irridentur, quod rescripta sua divalia appellarent. Sed in Hispania idem usus antea vigebat, ut observavi in proleg. num. 26. Decretum enim regis dicebatur *decretum divale*, et *decretum divalis observantiæ.* Et Justinianus de emendatione codicis et secunda ejus editione ait: *Jussimus.... eum* (codicem) *nostri numinis auctoritate nitentem in omnibus judiciis, solum quantum ad divales constitutiones pertinet, frequentari.* Illud vero mirum, imperatores ethnicos, etiamsi nullum Deum esse crederent, tamen divinos honores affectasse. Similis est dementia quorumdam nunc hominum, qui, cum templa omnia cum religione funditus everti optent, tamen ægre ferunt, si sui gregales aut magistri, a quibus impietatem edocti sunt, post obitum honore sepulcri in templis priventur. Solemni ritu peracta nunc ipsum est translatio ossium Volteri ad templum Parisiense S. Genovefæ: quam ridiculam apotheosin aliquis hoc tetrasticho

Ut præstet bona dans conferat atque animæ. A
Ne facias populum mendacem, qui tibi clamat
Vocibus innumeris, Rex dominusque pius.
Ut vox vera sonet DOMINUS, sic vera PIUS sit:
Orbis in ore volat publica merx procerum.
Fama ducum merx est bellis collecta cruentis,
Ex quibus occurrit sæpe reatus atrox.
Gloria bellorum ducibus, populisque; triumphos
390 In commune datos dividit Armipotens.
Nam ducibus solis præstat clementia laudem,
Non habet hæc comitem, participemque negat
Dicit, In arma pares fuimus cum principe, miles:
Me pugnante, comes, victor ab hoste redis.
Nunquid ut ignoscat rector, pars militis instat?
391 Soli, qui ignoscit, gloria laudis erit.
Qui fovet adversus hostes certamina Martis
Horrida concurrens, vincit in arma fremens.
Rex, qui dat veniam subjecto, et temperat iras,
Plus quam turba, facit, qui sua corda domat.
Te Deus aspiciens effundere nolle cruorem,
Ut sine peccato, non sine laude daret,
Contulit absenti terræ, pelagique triumphos:

VARIÆ LECTIONES.

192. Sirm., *Ut præstet vitam, conferat atque animum;* sic Azagr., sed *animam.*
193. Hi quatuor versus non exstant in Sirm. usque ad *Fama ducum.* B
196. Scribitur in Vat., *puplica.*
197. Sirm., *mors.* Vat., *mos.*
198. Azagr., *excurrit* pro *occurrit.*
199. Sirm., *populisque triumphus.*
200. Sirm., *In c. datum d. Omnipotens.*
201. Sirm., *d. tantum p.*
203. Sirm., *in arma simul fuimus.*
204. Sirm., *ab hoste redit.*
207. Hic versus et sequens desunt in Sirm. Pro *fovet* in Vat. est *fodit.*
213. Vat., *consulit absenti.*

NOTÆ.

prosecutus est: *Regia templa tenet Volterus, pellere reges Qui solio studuit, qui supera arce Deum. Impia sic hominum sibi fæx extorquet honores, Quos nec principibus vult dare, nec superis.*

192. Sententia in scriptura Sirmondi huic loco opportuna non est: in Vat. obscura est, sed ita explicatur. Homines qui boni mitesque sunt dum vivunt, post mortem digni sunt, qui honoribus decorentur etiam ex sententia imperatoris ethnici. Clementia igitur præstat et confert animæ bona. *Præstat bona dans* est idem ac præstat et dat bona.

195. Ut populi te vero cordis affectu *dominum* vocent, fac ut vere te *pium* vocare possint.

196. *Merx procerum*, intelligo famam principum. *Merx* est res quæ emitur et venditur. Sed de quavis re mala atque etiam de homine malo dicitur *mala merx*, quo sensu quævis res bona *bona merx* vocari potest, adeoque merx simpliciter hoc loco pro opinione bona vel mala sumi videtur, quæ scilicet in ore orbis volat, vel ab eo pendet. Hæc interpretatio ex sequentibus versibus evidentior redditur.

197. In Sirm. *mors*, et in Vat. *mos* nullam idoneam significationem habent. Lego igitur *merx*, ut idem verbum ex vers. super. repetatur.

199. Retineo scripturam Vat. Gloria bellorum ad duces et ad exercitum simul spectat. Posset interpungi *Gloria bellorum ducibus, populisque triumphos In commune datos dividit armipotens*, ut gloria armipotens dividat triumphos ducibus populisque. Prior explicatio magis arridet. Sententia expressa est ex Cicerone in oratione ad Cæsarem pro Marcello, ubi ait cap. 2: *Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis* (al. *cum militibus*), *ne propriæ sint imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant: maximam vero partem quasi suo jure fortuna sibi vindicat, et quidquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum. At vero hujus gloriæ, C. Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem*, etc. Et cap. 4: *Hæc enim res unius est propria Cæsaris, cæteræ, duce te, gestæ, magnæ illæ quidem, sed tamen multo magnoque comitatu: hujus autem rei tu idem et dux es et comes.* Loquitur, ut notum est, de clementia qua Cæsar Marcello pepercerat. Ovidius, ut alicubi notatum lego, hoc disticho eamdem sententiam complexus est: *Gloria vincendi juncta est cum milite, Cæsar; Cæsar, parcendi gloria tota tua est.* Dracontius amplificationem Ciceronis imitatur, ut conferenti patebit.

200. *In commune* phrasis bene Latina. Cicero lib. II de Invent., c. 3, *Ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus.* Adde Livium, Tacitum, Phædrum, alios. In Sirmondo est *omnipotens;* sed *armipotens* melius huic loco convenit: quod verbum rursus legitur vers. 299, *Inclytus armipotens*, hoc tamen discrimine quod hic pro Deo ponitur, ibi epitheton est regis cujusdam Vandalorum.

202. *Negat*, recusat. Supra vers. 28, *Prospera cuncta neget.*

C 203. *In arma pares*, hoc est ad pugnandum pares, certare pares. Latinum etiam est *fuimus in arma*, vel *ad arma.* Varro apud Nonium cap. 2, num. 499, *Tum ad me fuerunt, qui libellionem esse sciebant.* Cicero ad Attic. l. X, ep. 4, post med.: *Curio fuit ad me sane diu;* et ep. 18, *Commodum ad te dederam litteras de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionysius fuit.* Hispanum idioma, Latinitatis retinentissimum, pro *ivi, ivit, ivimus*, etc., habet *fui, fue, fuimos.*

204. Interpungendum videtur *Me pugnante, comes, victor ab hoste redis*, et fortasse comitis dignitas innuitur. Sed potius *comes* innuit verba Ciceronis *magno comitatu..... dux es, et comes.*

205. Libenter legerem *intrat* pro *instat*, et Hispanismum mihi videre videor, quo *intrare* is dicitur qui in re aliqua negotium suum gerit, aut vocatus accedit. Latine etiam *intrare* sumitur interdum pro *se insinuare.* Cicero pro Flacco cap. 10, *Intrabo etiam magis. Qui gessit, non adest.*

D 208. Fortasse distinguendum *Martis, Horrida concurrens vincit in arma fremens*, scilicet concurrens in horrida arma, vincit fremens.

210. Forte *facit, cum sua corda domet.* Proverbior. cap. XVI, vers. 32: *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Hinc divinabam *Plus quam turma facit, qui sua corda domat.*

212. Etiam in bello justo occisio hominis nonnullam maculam occisori infert, quam peccatum vocat Dracontius, non eo sensu quo peccatum crimen est, sed prout peccatum est quævis labes et infamia, aut, ut dicunt theologi, defectus lenitatis, ex quo irregularitas contrahitur. Ecclesia enim semper a sanguinis effusione abhorruit, ut multis probat Gonzalez ad cap. Petitio de Homicidio v Decret. Eadem erat ethnicorum opinio. Æneas apud Virgilium l. II, vers. 717: *Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates. Me bello e tanto digressum, et cæde recenti, Attrectare nefas, donec me flumine vivo Abluero.* Vide Macrobium l. III Saturn., c. 1.

Ansila testatur, Maurus ubique jacet.
Quod pereunt hostes, regis fortuna vocatur,
Quod pereunt populi, temporis ordo regit.
392 Nam si debilitas faceret discurrere mortes,
Non caderent pueri, aut femina sexus iners.
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur,
A Tempora eunt vitæ, tempora mortis eunt.
Sex sunt ætates hominum procul usque senectam,
Hæ distincta tenent tempora quæque sua.
Nunquid adultorum strepitus infantia simplex
393 Vindicat, aut fremitus pigra senectus habet?
Non catulaster agit puerilia, non puer audet

VARIÆ LECTIONES.

214. In Vat. scribitur *Marus.*
216. Sirm., *ordo gerit.*
217. Hoc distichum abest a Sirm.
219. Hic versus non erat in Sirm., aut legi non poterat : eum habet Azagr., ubi *cuncta creantur.*
220. Sirm., *T. sunt vitæ. t. m. erant.*
221. Sirm., *h. cujusque senectæ.*
222. Sirm., *et distincta.*
223. Sirm., *nunquid adulterii strepitus.*
224. Sirm., *pigra senecta gerit.*
225. Sirm., *non catulastra gerit puerilia.* In Vat. prius *catuiaster*, non clare, ex quo videtur factum *catulaster.*

NOTÆ.

214. Quisnam fuerit hic Ansila, et quænam prælia cum Mauris indicentur hoc loco, quæsitum est in prolegom. num. 100 et seqq.

215. Vide verba Ciceronis allata ad vers. 199 qui clementiam Cæsaris pergens laudare, ait cap. 2 : *Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius societatem gloriæ se non offert.* Victoria in bellis fortunæ imperatoris tribui solebat. Barthius ad Statium l. II Theb., vers. 197, plura exempla affert, et in his hunc Dracontii locum laudat, uti etiam in notis ad Claudianum pag. 507; ex Otberto vero in Vita Henrici IV recitat *Regis tamen fortuna vicit*, quod imitatione veterum dictum putat. Plutarchus de fortuna Romanorum tractatum unum edidit, aliumque de fortuna et virtute Alexandri Magni.

216. Mutationes populorum et conversiones regnorum attribuit ordini temporis a Deo scilicet præfinito. Ecclesiastes cap. I, vers. 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit.* Franciscus Vallesius, Sacr. Philos. cap. 62, putavit hoc loco significari generationum perpetuitatem per circulationem, quem Cornelius a Lapide in comment. refellit.

C 217. *Discurrere* sumi puto pro *alio abire*, nisi malis legere *discedere.* Sententia in id recidere videtur : si mors debilibus parceret, nec pueri, nec feminæ obirent. Nimirum non est potentium regum virtus, quæ populos sibi repugnantes evertit, sed ordo temporum a Deo stabilitus ejusmodi mutationes efficit aut exigit : pereunt enim etiam pueri debiles et sexus iners femineus, quibus bella non obsunt aut obesse non deberent. Hanc interpretationem ex loco alioqui difficili et fortasse corrupto eruere licet : sed aliam mallem.

218. Lib. III, vers. 457, *Et quasi sexus iners* de feminis.

219. Ecclesiastes cap. III, vers. 1 : *Omnia tempus habent.... Tempus nascendi, et tempus moriendi.* Columbanus in ep. ad Hunaldum hunc Dracontii versum cum aliis ejusdem Dracontii inserit ac præmittit : *Pulchre veridici cecinit vox talia vatis, Tempora dinumerans ævi vitæque caducæ, Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur.* Quibus in verbis veridicum vatem Dracontium appellari, cujus alios versus in eamdem sententiam Columbanus affert, probabiliter censeo. In Collectaneis sacris Patricii Flemingi nota ad versus Columbani hæc est, VATIS, *quis iste vates, scire non liquet, nisi eo forte nomine Salomonem comprehendi voluerit, qui illam temporis partitionem, quam Sanctus hic commendat, tradidit.* Verum cum Columbanus septem Dracontii versus, eoque amplius illico proferat, in quibus quædam sunt a Salomone prætermissa, vix dubitandum est quin Dracontium veridicum vatem vocaverit, neque dubitasset adnotator Columbani, si, unde versus illi deprompti essent, intellexisset. Paulo ante dixerat idem Columbanus :

B *Sint tibi divitiæ divinæ dogmata legis, Sanctorumque patrum castæ moderamina vitæ, Omnia quæ dociles scripserunt carmine vates*, ubi satis distinguit sacras Litteras, SS. Patres et poetas Christianos, quos vates appellat, et ex quibus multa promit.

221. *Usque senectam* sine *ad* occurrit etiam l. II, vers. 708, et lib. III, vers. 652. Sed hominum ætates recenset Eugenius Toletanus in versibus recapitulationis Hexaemeri relatis in prolegom. num. 21, *Sex sunt ætates homini*, etc.

223. Eugenius loc. cit. dixit etiam *infantia simplex.* In Sirm. *adulterii* mendum est, aut correctio interpolatoris. Dracontius certe *adultorum* scripsit : opponit enim infantiam et senectutem juventuti. Sex ætates hominis ita ab Isidoro distinguuntur l. XI Orig., cap. 2, *Infantia, pueritia, adolescentia, juventus, gravitas, atque senectus;* infantia ad annum septimum, pueritia ad annum decimum quartum, adolescentia ad annum vigesimum octavum, juventus ad annum quinquagesimum, gravitas, quæ est declinatio a juventute in senectutem, ad septuagesimum annum, senectus deinde usque ad obitum. Ab Eugenio Toletano quinta ætas vocatur senecta gravis, sexta senium. Idem tertiam ætatem appellat *adultam;* sed adultorum strepitus et fremitus, quos Dracontius memorat, juventuti magis conveniunt. Vide prolegom. num. 24.

224. *Senectus*, postrema correpta, ut *palus* apud Horatium, et *servitus* apud Paulinum. In elegiis sub Corn. Galli sive Galli Maximiani nomine vulgatis, eleg. 1, *Continuos gemitus ægra senectus habet.*

225. *Catulastra gerit* in Sirm. mendum est, quod nonnullorum exercuit ingenia. Rivinus ait Barthium ad marginem (puto in notis ad Claudianum, pag. 507) ascripsisse *catulastra* esse crepundia, sed locum pro derelicto habuisse. Baunius in editione operum omnium Sirmondi, quam Parisiis procuravit, interpretatus fuerat, *catulastra* esse catulos ex charta, vel ligno, qualibus icunculis pueri oblectari consueverunt; sed in præfatione ad tom. II ait se postea in D Philoxeni aliorumque veterum glossariis Latino-Græcis, a Carolo Labbeo collectis, invenisse *Catulaster* Βούπαις, *Catulester* πάλληξ, quod lectorum judicio relinquit. Forcellinus in Lexico verbo *Catlaster* observat hanc vocem Vitruvio restitutam fuisse a Turnebo libr. XXIV Advers., cap. 7, pro eo quod legebatur *catastos* l. VIII, c. 4, et *catlastri* formam, quam habet Charisius libr. I, contractam esse ex *catulaster*, quod in diminutivis ex catulis ponit Priscianus libr. III. Forcellinus *catulaster* exponit *grandior puer, adolescentulus*, et inde formari ait *catulastra, æ, puella jam grandis et viri patiens*, atque ita intelligit hunc Dracontii locum, *Non catulastra gerit puerilia.* Verum Rivinus jam multo antea correxerat *Non catulaster agit puerilia*, qui animadvertit Desiderium Heraldum

Attrectare tener Martia tela manu.
Non furit in venerem nondum pubentibus annis,
394 Nec sub flore genæ marcidus est juvenis.
Maturus tractat, gemit et tremebunda senectus,
Nescia fervoris, vel levitatis inops.
Nunquid mox natas segetes viror armat aristis,
Floribus aut genitis fructus inest subito?
Novimus astra poli confectos perdere cursus,
Transactasque simul sic repetisse vias.
Tempore luna suo crescit vel deficit orbe,
Cujus ad ætatem plurima lege notant.
395 Nam, luna crescente, fretum crementa resumit,
Qua minuente polis, est minor unda maris.
Cynthia dum crescit, fontes et flumina crescunt,
Hæc eadem minuunt, Cynthia dum minuit.
Ipsa medulla latens observat cornua lunæ,
Observant lunæ tecta cerebra globos.
Sol, oculus cœli, radians fuscatur ab umbra,
Et tamen ad solitas itque reditque plagas.
Ac recipit facies priscas, lucesque resumit:
Damna, vel augmentum dant elementa, ferunt.

VARIÆ LECTIONES.

228. Pro hoc versu in Sirm. est hic alius : *Nec fetum partus femina reddit anus.*

230. Hic est postremus versus in elegia a Sirmondo edita. Alii 22 adduntur in editione Matritensi ex cod. Azagr.

231. Azagr., *Nunquid nata seges homines mox armat agrestes.*

236. Azagr., *plurima sæpe fiunt.*

237. Azagr., *f. incrementa r.*

238. Azagr., *m. poli est m. u. manus.*

239. In Vat. scribitur *Quintia* pro *Cynthia.*

240. Azagr., *Et minuuntur item, Cynthia dum minuit.*

241. In Vat. *obscurat;* correctum manu secunda *observat.*

242. Azagr., *Servant et lunæ t. c. g.*

245. Azagr., *Accipiunt facies crispas, lucemque resumunt.*

246. Azagr., *Ordine cuncta suo sidera fixa polo.* In Vat. sic scribitur hic versus : *Damnave lamentum dantque elementa ferunt.*

NOTÆ.

l. i Advers. in glossis Græco-Latinis Stephani recte restituisse Βούπαις, *catulaster*, cum legeretur *carulaster*. Βούπαις est adolescens grandis et pinguis, quasi juvencus aut bovis filius : quod Latini *catulastri* nomine exprimunt. Hoc Dracontii versu pueritia et adolescentia inter se conferuntur.

226. Horatius l. III, od. 24, *Nescit equo rudis Hærere ingenuus puer, Venarique timet, ludere doctior.* Modoinus episcopus in eleg. ad Theodulfum Aurelianensem : *Utiliter puer in primis non militat annis, Digna sed expertus præmia tiro rapit.*

227. Qui nondum pubes est non furit in venerem, nec juvenis, cum primum pubescit, marcidus est, quales sunt senes. Pueritia, juventus et senectus hoc disticho inter se comparantur. Ausonius edyll. 12 de membris : *Indicat in pueris septennia prima novus dens, Pubentes annos robustior anticipat vox.*

228. Libr. II, vers. 622, de Abrahamo jam sene : *Nec solus steriles retinebat marcidus artus.* Valer. Maximus lib. VII, c. 7, num. 4, *Marcidam senectutem tuam*, etc. Plerumque in numero plurali *genæ, genarum* dicitur. Dracontius singulari numero usus etiam est l. I, vers. 342, *Gena pulchra rubore*, imitatus antiquiores Ennium et Suetonium.

229. Columbanus in ep. ad Hunaldum : *In mentemque tibi veniat tremebunda senectus.* Matura ætas est gravitas seu declinatio a juventute in senectutem : tremebunda senectus est extrema et decrepita senectus, sive senium. *Tractat*, intellige negotia, causas, res, rempublicam, quorum administratio ad viros jam graves potissimum pertinet.

230. Ad negotia gerenda necessaria sunt fervor, seu vigor animi, et levitas seu agilitas, quæ in senibus desiderantur. *Levitatis inops*, ut *pietatis inops* l. I, vers. 469.

231. Pro *viror* fortasse *vigor* legendum est. *Viror* vox Palladii, Apuleii, Vopisci. *Armat aristis*, ut l. III, vers. 25. Ovidius de Remed. amor., vers. 189, *Temporibus certis maturam rusticus uvam Deligit, et nudo sub pede musta fluunt. Temporibus certis desectas alligat herbas, et tonsam raro pectine verrit humum.*

233. Sic de sole Salomon Ecclesiastæ cap. I, vers. 5, *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem : lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.* Quod ait *perdere cursus*, intellige quia vestigium cursus nullum superest postquam sol recessit; vel quia ita sol cursus conficit, ut quasi non confecerit, sic transactas vias denuo repetat. Similis est sententia v. 250, *Amittunt cursus perpete lege poli.*

235. *Vel deficit*, hoc est vel decrescit; non enim sermo est de eclipsi, quæ defectus solet dici, ut colligitur ex exemplis quæ subjiciuntur.

236. Lunæ cursus menstruus in ætates dividitur. Sic dicitur *senium lunæ* et *luna senescens.* Hinc ætas lunæ, nisi intelligas, quod magis placet, lege lunæ plurima notari ad humanæ vitæ usus, ut vers. 250, *Lege poli.*

237. *Crementum* ex Varrone apud Nonium c. 2, num. 767, verbo *Suctu*, et Plinio pro *incrementum* usurpant Juvencus l. II, vers. 826, Arator et alii Christiani scriptores. De æstu maris, dum luna crescit vel minuitur, dictum abunde est ad l. I, vers. 733.

238. Vide notam ad l. I, vers. 736, *Et minuantur aquæ, luna minuente, liquentes.*

239. In codice Vat. est mendum *Quintia* pro *Cynthia*, quod pro Diana et luna ponitur, ut *Cynthius* pro Apolline. Vide notam ad l. II, vers. 359, *Illustrat Cynthia noctes.* Incrementum et decrementum fontium et fluminum, crescente vel decrescente luna, affirmatur eodem modo l. I, vers. 734.

240. *Minuunt, minuit*, neutrorum more. Vide notam ad l. I, vers. 736.

241. Quod medulla in ossibus latens et cerebrum observent cornua lunæ, explicatum et confirmatum est ad libr. I, vers. 735.

242. Libr. II, vers. 49, *Lunaresque amplexa globos.*

243. Libr. I, vers. 674, *Sol oculus cœli*, etc., cum nota. *Fuscatur ab umbra* intelligo *occidit*, seu interposita terra lucem non emittit, ac libenti animo legerem *fuscatur ab unda* ex dicendis ad v. 245, sermo enim esse videtur non de eclipsi solis, sed de ejus occasu et ortu ex Ecclesiastæ loco allegato ad v. 233.

245. Scriptura codicis Azagr. clarior est; sed lectio primigenia exhibetur a nostro codice, quæ fortasse, quia obscurior est, ab interpolatore fuit mutata. Dracontius sententiam repetit, quam sæpe amplexus est, solem vires ab undis resumere; ex quo colligit ipsum elementum, aquam videli et, damnum et augmentum soli afferre, ut enim ait l. I, vers. 677 : *Occidit ipse dies, super æquora sole cadente, Æquore mersus obit, novus æquore mane resurgit.* Vide notam ad v. 676, l. II.

246. *Dant, ferunt*, hoc est *dant, auferunt :* nam aqua maris soli dat damnum et augmentum, et ea-

396 Alternant elementa vices et tempora mutant,
Tempus habent noctes, tempus et ipse dies.
Accipiunt augmenta dies, noctesque vicissim,
Amittunt cursus perpete lege poli.
Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis,
Tempus et autumnum, tempus habet hiemes.
397 Ver, æstas, autumnus, hiems, redit annus in annum,
Quatuor alternant tempora temporibus.
Omnia cum redeant, homini sua non redit ætas,
Sed velut acris avis, sic fugitiva volat.
Tempora sunt pacis, vel tempora certa cruoris,
Otia tempus habent, militiæque labor.
398 Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi,
Tempora dant lucrum, tempora damna ferunt.
Nubila tempus habent, et tempora certa serenum:

VARIÆ LECTIONES.

247. Azagr., *Damna vel augmenta rebus elementa dederunt.*

250. Azagr., *Et minuunt cursus perpete lege poli.*

251. Azagr., *Tempora sic flores retinent, sic tempora messes.*

252. Azagr., *Et cum lege redit vitis amœnus honor:* hic est postremus versus in Azagrensi codice.

253. Hic et sequentes versus usque ad finem Elegiæ exstant in solo codice Vaticano.

255. Vat., *hominis sua.*

NOTÆ.

dem aufert damnum et augmentum sensu explicato in nota præc. Fortasse legendum *Damna vel augmentum dant, quæ elementa ferunt*, sed ita ut eadem sit sententia. Dracontii stylum magis refert scriptura edita. Vide v. 68.

247. Ovidius l. XV Met., v. 409, *Alternare vices.* Vide l. II Dracontii, v. 10 et 54, et l. III, vers. 296, cum notis. Barthius l. LVI Advers., cap. 1, explicans versum Claudiani l. I in Rufinum, initio, *Et lucis noctisque vices*, elegantissime et eruditissime id dictum affirmat, quia sunt depensæ velut eæ successiones, nec unquam non servatæ; quod multis similibus exemplis confirmat et adducit hunc versum ex Columbano, quem auctorem veterem ac probum etiam inter poetas vocat, nisi cum tanto auctori aut spuria ascribuntur, aut genuina male corrumpuntur. Advertit perperam in vulgatis libris editum esse *alimenta vices* pro *elementa vices*. Cæterum hunc ipsum versum cum multis aliis Columbanum a Dracontio accepisse, probatum est in prolegom. num. 8. Et Dracontius quidem sæpe verbum *vices* adhibet ad successiones rerum et temporum declarandas. Arnulfus Luxoviensis de innovat. vern. ex Dracontio aut ex Columbano (nam Luxoviense monasterium a Columbano fundatum fuit), *Alternant et opus, et opes elementa vicissim.* Vide etiam auctorem Panegyrici ad Pisonem, vers 132, *Ipsa subit natura vices, variataque cursus Ordinat*, etc.

249. Barthius libr. cit. Advers. LVI, c. 1, in versibus Columbani legit. *Accipiunt alimenta dies*, opinor, ex Lect. antiq. Canisii : sed Columbanus apud Sirmondum habet *augmenta*, quæ vera est lectio. Auctor carminis de laudibus Domini sub Constantino : *Sic annum placuit variis intexere formis, Et vice jucunda mortalibus addere fructum, Neu semper prolixa dies nimis ureret orbem, Neve brevis justum raperet nascentibus ignem : Ac ne perpetuo quateret labor omnia nisu, Dat requiem fessis hominum nox roscida curis.*

250. *Amittunt cursus*, decrescunt. In Azagr. clarior est sententia, sed non propterea verior.

251. Scriptura genuina nostri codicis confirmatur versibus Columbani, in quibus ita hic versus legitur. Interpolator in Azagr. arbitratu suo mutationem invexit. Ovidius vers. 187 de Remed. : *Poma dat autumnus, formosa est messibus æstas, Ver præbet flores, igne levatur hiems.*

252. Posset legi *Tempus et autumnus, tempus habent hiemes.* Hactenus codicis Azagrensis ope usi sumus; ac locus ipse postulat ut eminentissimo cardinali Lorenzana gratias singulares agamus, quod non solum Patrum Toletanorum magnificentissimam editionem curaverit, verum etiam ex intimis bibliothecarum Hispaniæ recessibus vetera hujusmodi monumenta primus magno ecclesiasticæ litteraturæ bono promulgaverit. Quid igitur causæ esse putem, vel potius dicam (nam plures animo causæ subeunt) cur auctor Nuntiorum ecclesiasticorum Parisiensium anno 1788 in eximium præsulem invectus, rationem etiam et modum ei præscribere ausus fuerit, quo melius tempus collocaret? Ille quidem occasionem male dicendi sumpsit ex oratione anno 1778 (non 1787, ut legitur in Nuntiis Parisiensibus) ad Catholicum regem Carolum III ab archiepiscopo edita nomine Regii Theologorum cœtus Matritensis, ad immaculatæ Virginis Mariæ Conceptionis mysterium promovendum instituti, in quo cœtu auctor Nuntiorum Academiam Complutensem intelligi debere inepte censuit et pronuntiavit, quia scilicet Matriti nulla est Universitas. Equidem non difficulter mihi persuaserim piam hanc et doctam, summoque plausu ubique receptam Orationem, *Super hodierno hujus sancti mysterii* (immaculatæ Conceptionis) *cultu, piaque de illo sententia ad ulteriorem certitudinis gradum merito provehenda* stomachum scriptori Nuntiorum movisse: sed alias præterea subesse ejusmodi offensionis causas suspicor, in quas ne inquirere quidem lubet. Quærerem tamen ab eo an reprehensione etiam dignum existimet quod eminentissimus cardinalis, posthabitis ejus consiliis, hoc ipso anno 1791 Instructionem pastoralem sui prædecessoris archiepiscopi Toletani Valero, anno vero superiori Praxim auxilia spiritualia iis præstandi qui extremo agone vexantur, auctore Ludovico de la Puente, communi populorum utilitati typis recudi jusserit?

253. Libr. II, vers. 216, *Ver, æstas, autumnus, hiems redeuntibus annis.* Sic etiam Cujacius epigr. libr. IV, *Ver, æstas, autumnus, hiems sunt quatuor anni Tempora*, quod in notis ad Columbani carmina animadversum est. Et Joannes Owen l. VII, epigr. 53 edit. expurg., *Ver, æstas, autumnus, hiems sunt integer annus.*

254. *Alternant* neutrorum more, scilicet variant. Ita Plinius, Virgilius et alii.

255. Non male *hominis* in codice Vat., sed cum Columbanus exscripserit *homini*, id præferendum videtur.

257. Ecclesiastes cap. III, vers. 8, *Tempus belli, et tempus pacis.* Libr. III, vers. 152, *Aut pax est, aut bella fremunt.* etc. Auctor Panegyrici ad Pisonem vers. 127, *Nec semper in armis Bellica turba manet*, etc.

258. Ovidius libr. I de Ponto, el. 6, v. 10, *Quæ sinit officium, militiæque labor.*

259. Loc. cit. Ecclesiastes v. 4, *Tempus flendi, et tempus ridendi.* Sirmondus in epistola Columbani sic distinguit. Posset etiam *Tempora gaudendi sunt, tempora certa dolendi.*

260. Ecclesiastes loc. cit. vers. 6, *Tempus acquirendi, et tempus perdendi.*

261. *Et tempora certa serenum habet*, *serenum* substantive pro *serenitas*, ut l. I, vers. 586, *Placidumque*

Tempora servare jussit et ipse Deus.
Horam quæsivit faciens miracula Christus,
Horam speravit passio sancta crucis.
Cur irascaris mihi, cur sic dignior ira
Tam magni regis judicer esse tua?
Quando per ætherias aquila volitante rapinas
Præda, cibusque fuit passer, hirundo, picus?
Quando fames rabidi quamvis jejuna leonis,
Ut sit, adoptavit, faucibus esca lepus?
Devorat egregios ingenti corpore tauros,
399 Et rapiunt aquilæ nebrida membra pedes.
Dat semel iratus veniam post vulnera pardus,
Nec reduces morsus dat feritate pia.
Despicit irasci pastoribus optima tigris,
Despicit et talpas flammeus ore draco.
Fulmina non feriunt reptantia gramina terris,
Nec modicas salices flamma trisulca cremat.
Sed feriunt celsas pulsantes nubila cedros,
Et montes vastos, proxima saxa polo.
Sontes peccantes tantum sua culpa fatigat,
A Ecce etiam insontes noxia pœna petit.
Si ipse ego peccavi, quænam est, rogo, culpa meorum,
Quos simul exagitat frigus, inopsque fames?
Diluvio periere rei sine clade piorum,
400 Loth bonus, et justus tollitur ex Sodomis.
Si non humani generis peccata fuissent,
Unde pium nomen posset habere Deus?
Sed quia dat veniam populis, peccata relaxans,
Per pietatis opus nomen habet placidum.
Si veniam frater fratri donare jubetur,
Quid rex subjectis, et dominus famulis?
Si justis solem Dominus, pluviasque dedisset,
Nec daret injustis, quæ fuerat pietas?
B Non quærit veniam, qui nil peccasse probatur,
Nonne manus medici languida membra petunt?
Materiem laudis præbet tibi culpa reorum,
Et titulos famæ dat pietatis opus.
Inclytus armipotens, vestræ pietatis origo,

VARIÆ LECTIONES.

265. Vat., *Ut mihi irascaris qui sim dignior ira.*
272. Vat., *aquilæ membrida membra.*
277. Vat., *flumina non feriunt.*
299. In Vat. obscure *vestræ.*

NOTÆ.

serenum. Horatius libr. II, od. 9, *Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros*, etc. Auctor Panegyrici ad Pisonem vers. 134, *Non semper fluidis adopertus nubibus æther Aurea terrificis obcæcat sidera nimbis. Cessat hiems, madidos et siccat vere capillos.*

262. *Servare* defendi potest: *servari* videretur melius. Accipi potest pro *observare* ex dictis ad vers. 520 seq. libr. I.

C 263. Joan. cap. II, vers. 4, *Nondum venit hora mea*, quæ verba dixit Jesus cum a matre rogaretur ut aquam in vinum converteret, aut certe vinum, quod deerat in nuptiis, provideret.

264. Joann. cap. XIII, vers. 1, *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*, etc.

265. Sic restituo locum corruptum. Hactenus Dracontius rerum enumeratione probavit, conversiones regnorum tribuendas esse ordini temporis, quod omnia agit et quocum omnia trahuntur. Redit nunc ad argumentum: se venia dignum ait, non solum quia regem clementem decet reo prostrato parcere, sed quia ipse Dracontius is est qui tam magni regis ira dignus non sit judicandus.

268. Picus avis parva uncorum unguium. Vide Plinium l. X, cap. 18. Prima a veteribus producitur.

269. *Fames leonis* pro leone famelico. Vide notam ad l. I, v. 282.

270. Clarius esset *Optavit ut sit.* Sed non male est *adoptavit* pro optavit, elegit. Verbum compositum pro simplici.

271. Virgilius IV Georg., 541, *Quatuor eximios præstanti corpore tauros.* Leo in tauros sævit, aquila in hinnulos et damas, ut vers. seq. exponitur.

272. Lego *nebrida membra.* Nebros νεβρός est pullus cervi, nec non dama. Hinc *nebris, nebridos*, vestis ex pelle hinnuli seu damæ, qua Bacchus, bacchantes et venatores utebantur. *Nebridus* adjective a νεβρός a Dracontio formatur. Conjiciebam *grandia membra.*

273. Quod pardus post vulnera prima iterum non mordeat, non invenio, quisnam scriptum reliquerit. Quædam tamen mansuetudinis exempla in pardis inveniri apud Gesnerum et Jonstonum in Histor. Quadrup. legas.

274. *Feritate pia* oppositio, qualis sæpe a Dracontio adhibetur.

275. Pro *pastoribus* reponendum censebam *balantibus*: nam substantive *balantes* significat oves apud Virgilium, Lucretium et alios. Sed retineo *pastoribus* eo sensu quo Claudianus describens leonem, qui rabiem in armos juvencæ exigit, addit libr. II de Rapt. Proserp., vers. 213, *Et viles pastorum despicit iras.*

276. *Flammeus*, sic *flammea lumina.* Sunt autem dracones acutissimi visus, qui proinde a δέρκω, *video*, sic appellantur. Probum esset et forte verum est *Despicit et talpis*, ut subaudiatur *irasci.*

279. Libr. II, vers. 488, *Aut si fulmen habet, montes et culmina tangit, Arboribusque caput, cedros, celsasque cupressos.* Vide notam. Ovidius de Remed. amor., vers. 369, *Perflant altissima venti, Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.*

280. Seneca Herc. Oet., vers. 493, *Qua celsus astris inserit Pindus caput.* Silius l. VI, vers. 2, *Nubiferos montes et saxa minantia cælo.*

281. Vide l. II, v. 419 seqq.

283. Liberos Dracontii intelligo ex l. III, vers. 675, *Felix numerosa propago*, ut in nota explicui.

290. *Pietatis opus* iterum vers. 298. Libr. II, vers. 50, *Quidquid habet pietatis opus.* Nomen placidum et nomen pium vers. 288 idem est, scilicet nomen clementis seu mitis.

D 291. Matth. cap. V, vers. 43 seqq.; cap. XVIII, vers. 15 seqq.; Lucæ cap. XVII, vers. 3 seqq.

293. Ex Matth. cap. V, vers. 44 seqq.: *Benefacite his qui oderunt vos... Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt?*

295. *Probatur* de hac phrasi vide notam ad vers. 26 l. II.

296. Medicorum opem ægri implorant. Matth. cap. IX, vers. 12: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

297. Ovidius Trist. l. II, vers. 31: *Sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses? Materiem veniæ sors tibi nostra dedit.*

299. Pater aut avus aliquis Guntharii hoc loco laudatur. Relege cap. 11 prolegom. Quamvis ad solum regem referatur sermo, tamen nomen *vestræ* adhibe-

Et doctus, genio pronior ad veniam,
401 Non homini ignosco, dixit, sed lingua meretur :
Hic reus, et doctus Vincomalus fuerat.
Non lædunt delicta Deum, sed læditur auctor,
Ni peccata dolens pœniteat sceleris.
Qui poscit hac lege Deum, ut peccata relaxet,
Debet et ipse suo parcere ubique reo.
Non semel ignosci dixit lex sancta reatum,
Sed quoties culpa est, sit toties venia.
Dicam regnanti domino pia verba prophetæ:
Etsi peccavi, sum tamen ipse tuus.
Da veniam, miserere, precor, succurre roganti;
Pristina sufficiant verbera, vincla, fames.
Sessorem, dum carpit iter, si cornea pulsans
402 Ungula concutiat quadrupedantis equi,
Verbere corrigitur culpa, plectente flagello,
Non simul abscissi crura, pedesque jacent.

VARIÆ LECTIONES.

302. Vat., *Hic reus et doctus vinco malos fuerat.*
313. Vat., *si cornea palpans.*
316. In Vat. videtur scriptum *abscisi* pro *abscissi*, vel etiam *abscissa*. Hic ultimus est versus hujus Elegiæ in Vat. cod., cui adduntur verba *Explicit Satisfactio Dracontii*, etc.

NOTÆ

tur, quod jam tum usitari cœptum, ad linguas vulgares deinde transiit. In versionibus vulgaribus sacris vetus mos diutius hæsit, qui etiam paulatim excidit. Vernetus novem edidit epistolas de formula in versionibus præsertim sacris adhibenda, *Tu* aut *Vos:* illud eligit, quia antiquius et gravius.

300. Ovidius libr. I de Ponto, el. 6, vers. 5 : *Non cadit in mores feritas inamabilis istos, Nec minus a studiis dissidet illa tuis. Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est, Pectora mollescunt, asperitasque fugit.* Et l. III de Arte, vers. 545, *Scilicet ingenium placida mollimur ab arte, Et studio mores convenienter eunt.* Eadem est sententia libr. II de Ponto, eleg. 9, vers. 47 seqq. Baco de Verulamio l. I de Augm. scient. observat. tumultuariam cognitionem flectere potius in contrarium.

302. Vincomalus, qui cum Opilione postea fuit consul, aut alius aliquanto eo antiquior. Confer cit. cap. 11 prolegom.

303. Non lædunt delicta Deum, *qui lædi nunquam potest*, ut ait Hieronymus Comment. in Hierem. libr II, cap. 7. Quodam tamen sensu peccatum est offensa Dei, affectu peccantis, non effectu, ut distinguunt theologi. Vide etiam interpretes ad Jobi cap. XXXV, vers. 6 : *Si peccaveris, quid ei nocebis?*

304. Supra vers. 100 eadem syntaxi, *Si sceleris facti mens rea pœniteat.*

305. *Peccata relaxat*, ut vers. 289, *peccata relaxans* pro remittens. Sic *relaxare claustra, fores.* Potestas ecclesiastica ligandi et solvendi symbolo clavium exprimitur.

306. Ex oratione dominica sumptum.

307. Ex Matth. cap. XVIII, v. 21 et 22; Lucæ cap. XVII, vers. 4. Sic enim interpretes sacri verba Salvatoris exponunt, ut numerus finitus pro infinito ponatur, et toties venia concedatur quoties culpa fuerit.

310. Fortasse ex Sapient. c. XV, v. 2 : *Etenim si peccaverimus, tui sumus.* Sententia eadem eruitur ex pluribus aliis locis Scripturæ, ut psal. CXIX, vers. 94: psal. CXXXVIII, vers. 8 seqq.; Isaiæ cap. XLIV, v. 5.

313. Lego *cornea pulsans :* nam *palpans* vix ullo commodo sensu explicari potest. Silius libr. XVII, vers. 136 : *Quadrupedem elatis pulsantem calcibus auras.* Ovidius l. VI Met., v. 218, *Campus Assiduis pulsatus equis.* Lucanus l. VI, v. 83, de equis : *Ungula frondentem discussit cornea campum.*

314. Ennius apud Macrobium l. VI Saturn., cap. 1, *Totam quatit ungula terram;* et alibi, *Summo sonitu quatit ungula terram;* et alibi, *Plausu cava concutit ungula terram ;* et Virgilius l. VIII, vers. 596, *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.* Uterque de equis loquitur. Plinius l. VIII, c. 45, *Equo juxta quadrupedante.*

316. In codice, evanescentibus litteris, ut fere accidit in extremis veterum codicum paginis, vix legi potest *abscisi* aut *abscisa*. Sententia clara est : sessor culpam equi flagello corrigit, neque illi crura pedesque abscindit. Clare etiam legitur post hunc versum, *Explicit Satisfactio Dracontii*, etc., ea characteris forma quam ad pag. 59 æri incisam exhibui. Itaque cum plane constet auctorem hujus elegiæ Dracontium esse, minime licet dubitare quin idem sit auctor trium librorum carminis de Deo. De utroque enim hoc poemate affirmare possumus, quod de comœdiis Menandri Andria et Perinthia Terentius in prolog. Andriæ : *Qui utramvis recte norit, ambas noverit. Non ita dissimili sunt argumento.* Addam *oratione et stylo.*

INDICES IN PRUDENTIUM.

INDEX VERBORUM ET PHRASIUM.

A. *designat Apotheosin*, C. *Cathemerinωn*, D. *Dittochæum*, H. *Hamartigeniam*, P. *Peristephanωn*, Ps. *Psychomachiam*, S. I. *Contra Symmachum lib.* I, S. II. *Contra Symmachum lib.* II, Pr. *Præfationem*, Prol. *Prologum Carminum*, Ep. *Epilogum*, *Numerus romanus post* C. *numerum hymni Cathemerinωn*, *post* P. *numerum hymni Peristephanωn ; numerus Arabicus, versum.*

A

D

E

G

H

I

J

L

M

S

F

G

H

J

L

Q

R

S

T

INDEX RERUM ET NOMINUM

QUÆ IN CARMINIBUS PRUDENTII, GLOSSIS VETERIBUS, PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS OCCURRUNT.

S

Z

INDEX RERUM ET NOMINUM

QUÆ IN CARMINIBUS PRUDENTII, GLOSSIS VETERIBUS, PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS OCCURRUNT.

A

B

S

INDEX RERUM ET NOMINUM

QUÆ IN CARMINIBUS PRUDENTII, GLOSSIS VETERIBUS, PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS OCCURRUNT.

Q

R

S

INDEX RERUM ET NOMINUM

QUÆ IN CARMINIBUS PRUDENTII, GLOSSIS VETERIBUS, PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS OCCURRUNT.

H

M

O

T

INDICES IN DRACONTIUM.

INDEX VERBORUM ET PHRASIUM.

Numerus Romanus indicat libros carminis de Deo, littera S *Satisfactionem sive Elegiam; numerus Arabicus designat numerum versuum.*

E

G

N

T

INDEX RERUM ET NOMINUM

QUÆ IN CARMINIBUS DRACONTII, PROLEGOMENIS ET NOTIS REFERUNTUR.

M

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

PRUDENTIUS.

DRACONTIUS.

FINIS TOMI SEXAGESIMI.